MAXIMA
BIBLIOTHECA
VETERVM PATRVM,
ET ANTIQVORVM SCRIPTORVM
ECCLESIASTICORVM.

PRIMO QVIDEM A MARGARINO DE LA BIGNE,
in Academiâ Parisiensi Doctore Sorbonico, in lucem edita.

DEINDE CELEBERRIMORVM IN VNIVERSITATE COLONIENSI Doctorum studio, plurimis Authoribus, & Opusculis aucta, ac historicâ methodò per singula sæcula quibus Scriptores quique vixerunt, disposita.

HAC TANDEM EDITIONE LVGDVNENSI,
ad eandem Coloniensem exacta, novis supra centum Authoribus, & Opusculis hactenus desideratis, locupletata,

ET IN TOMOS XXVII. DISTRIBVTA.

Huic etiam Editioni accesserunt INDICES QVATVOR *præclari, in hac tàm multiplicium Scriptorum vastissimâ collectione verè faces, & vt quis ad ipsorum lectionem introducatur, vtilissimi, imò omninò necessarij.*

I. AVTHORVM ALPHABETICVS, ipsorum ætates, & scripta indicans.
II. CLASSICVS, Authores per materias de quibus egerunt, exactè distribuens.
III. SYNOPSIS appellatus, operum omnium Authorum analysim continens, & argumenta exhibens.
IV. GENERALIS materiarum amplissimus.

Consule quæ de his indicibus in ipsorum frontispicio, circa eorum vtilitatem, & vsum prænotata sunt.

TOMVS VIGESIMVSSEXTVS,
Continens Scriptores ab ann. Christi 1300. ad ann. 1600.

LVGDVNI,
Apud ANISSONIOS.
M. DC. LXXVII.
CVM APPROBATIONIBVS, ET SVPERIORVM PERMISSV.

SERIES AVTHORVM, ET OPVSCVLORVM, QVÆ SÆCVLIS XIV. XV. ET XVI. ſeu TOMO VIGESIMOSEXTO BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM comprehenduntur.

SERIES AVTHORVM SÆCVLI DECIMIQVARTI.

IVSTVS *Abbas Ordinis Ciſtercienſis*, floruit anno 1300. Ejus ſermo habitus in conventu multorum Abbatum ejuſdem Ordinis extat fol. 1.

BARLAAMVS *Græcus Gyracenſis*, vel veriùs *Hieracenſis in Calabria ſuperiore Epiſcopus*, floruit hoc ſæculo. Scripſit Epiſtolas ad Græcos de unione cum Romana Eccleſia, & de Proceſſione Spiritus ſancti, quæ ex Bibliotheca Sereniſſimi Maximiliani Principis Bavariæ recognitæ, per Henricum Caniſium editæ extant fol. 4. Ejuſdem Barlaami Ethica ſecundum Stoicos extat fol. 28.

ANDRONICVS *Conſtantinopolitanus, ex Imperatoria Comnenorum familia*, floruit anno Chriſti 1327. Scripſit Dialogum contra Judæos, qui ex interpretatione Joannis Livinei Antuerpienſis, ab Andrea Schotto & Petro Stevartio editus extat fol. 38.

THEODORVS Lector Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, ſcripſit libros duos Collectaneorum hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, excerptorum ab ore Nicephori Calliſti, unde liquet eum vixiſſe circa annum 1320 quo tempore vivebat Nicephorus. Extant fol. 83.

LVPOLDVS *Bebenburgius, Epiſcopus Bambergenſis*, librum ſcripſit de veterum Germanorum Principum zelo in Chriſtianam Religionem, qui extat fol. 88. vixit circa annum 1340.

PETRVS BERTRANDVS SENIOR dictus, *Epiſcopus Eduenſis*, poſtea *S.R.E. Cardinalis*, quique obiit anno 1349, ſcripſit inter alia libellum contra Petrum de Cognerils; ſuper facto Prælatorum Eccleſiæ Gallicanæ. Extat fol. 109. item Tractatum de ſpirituali & temporali poteſtate. Extat fol. 127.

NICOLAVS CABASILAS, *Schiſmaticus Græcus*, *Archiepiſcopus Theſſalonicenſis*, floruit circa medium hujus ſæculi. Scripſit de vita in Chriſto libros ſex. Item, Orationem unam contra fœneratores; quæ duo Opuſcula ex Jacobi Pontani, S.I. recognitione extant fol. 136. Ejuſdem Cabaſilæ Compendioſa interpretatio in divinum ſacrificium, ſive Liturgiæ expoſitio, extat Gentiano Herueto Interprete fol. 175

GREGORIVS PALAMAS *Archiepiſcopus Theſſalonicenſis*, impius & Schiſmaticus, de quo vide quæ initio operum ejus prænotata ſunt à Magiſtro ſacri Palatij, vixit hoc ſæculo, ſcripſitque librum inſcriptum Proſopopeiam, qui extat fol. 99. Item duas Orationes in Dominicam Transformationem, Interprete P. Combefis O.P. fol. 109.

PHILOTHEVS *Epiſcopus*, ſive *Patriarcha Conſtantinopolitanus*, vixit hoc ſæculo. Scripſit varia quæ adhuc latent in Bibliothecis. Extat ipſius ordo inſtituendi Diaconum fol. 114. item laudatio in SS. Baſilium Magnum, Gregorium Theologum & Joannem Chryſoſtomum, ex editione Jacobi Pontani S.I. fol. 117

NICOLAVS ORESMIVS, *Lexovienſis Epiſcopus*, floruit anno 1378. fuit Caroli quinti Francorum Regis, cognomento ſapientis præceptor. Scripſit Tractatum de mutatione Monetarum, qui extat fol. 126.

GERARDVS ZVTFANIVS ab urbe & patria ſic dictus, natione *Belga*, floruit anno 1190. Scripſit opuſcula duo ſpiritualia unum, de Reformatione interiori ſeu virium animæ, alterum, de ſpiritualibus aſcenſionibus. extant fol. 134.

RADVLPHVS DE RIVO *Decanus Tungrenſis*, floruit hoc ſæculo. Scripſit librum de Canonum Obſervantia, qui extat fol. 289.

MANVEL CALECAS, natione *Græcus*, *Ordinis Prædicatorum*, vixit per id tempus quod interceſſit inter Concilium Lugdunenſe & Conſtantienſe, plura ſcripſit, è quibus hìc extant, Tractatus de eſſentia & operatione fol. 331, liber de fide & Principiis fidei Catholicæ fol. 345, Interprete P. Combefis O. P. libri 4 contra Græcorum errores Interprete Ambroſio Camaldulenſi fol. 382 cum notis Petri Steuvartij fol. 466.

ARTICVLI revocati Pariſiis per Guidonem anno 1318. fol. 481,

ARTICVLI de divina eſſentia damnati per Pariſienſes anno 1340. ibid.

PARISIENSIS Academiæ Conſtitutiones anno 1344. ibid.

JOANNIS DE MERCVRIO *Ciſtercienſis Ordinis*, errores anno 1348, fol. 483.

JOANNIS DE VLTICVRIA errores & propoſitiones, ibid.

CONCLVSIONVM revocatio per Simonem anno 1351, fol. 486.

FORMVLA revocationis per Guidonem anno 1354 fol. 486.

ARTICVLORVM LVDOVICI revocatio anno 1361 fol. 487.

MAGISTRI JOANNIS DE CALORS revocatio anno 1363, fol. 488.

DE ALMARICIANORVM hæreſibus narratio ibid.

DIONYSII SOVLSCHAT Minoritæ revocatio annis 1365 & 1369. fol. 488.

SERIES

SERIES AVTHORVM SÆCVLI DECIMIQVINTI.

MANVEL SECVNDVS PALEOLOGVS *Bisantinus Imperator*, qui vixit usque ad annum 1418, scripsit quædam, de quibus vide Possevinum in apparatu. Hic ejus extat oratio, quam in defunctum fratrem suum Theodorum Despotam Paleologum pronunciavit, Interprete P. Combefis O. P. fol. 491

DEMETRIVS CYDONIVS *Thessalonicensis*, qui vixit tempore Joannis Imperatoris Manuelis filij, id est circa annum 1415, duas scripsit Orationes, unam deliberativam ad Græcos pro latinorum subsidio, alteram de non reddenda Callipoli, Interprete P. Combefis O. P. extant fol. 515.

HIERONYMVS A SANCTA FIDE vixit anno 1412, ex Judæo Christianus, & postea Medicus Benedicti Pontificis Maximi, scripsit tractatum contra errores Judæorum & contra Thalmudisticas quisquilias. Extant fol. 528.

GEORGIVS SCHOLARIVS, sive GENNADIVS, vir inter Græcos doctissimus, qui interfuit Concilio Florentino anno 1438, deinde factus est *Patriarcha Constantinopolitanus*, scripsit Orationes quatuor de pace inter Græcos & Latinos ineunda, quæ habentur post idem Concilium tom. 13 novissimæ editionis Conciliorum. Item Confessionem seu sermocinationem habitam cum Sultano Mahomete secundo, de recta & inculpata Christianorum fide duobus libellis distinctam. Extat fol. 556. item quinque Orationes de quinque articulis Controversis pro veritate Catholica, quæ extant fol. 560. cum Oratione ad unum & Trinum Deum pag. 608. Alia quædam ejus opera extant, de quibus vide P. Labbe S. I. tom. 1 in Bellarminum.

RICHARDVS HAMPOLVS, sive PAMPOLITANVS *Anglo-Saxo Eremita*, de quo consule Pirseum de Scriptoribus Angliæ, multa scripsit Opuscula, quæ hic extant fol. 609. Obiit juxta eundem Pitseum anno 1349. sed ab aliis vixisse creditur hoc sæculo usque ad annum 1420 in quo eum reliquimus.

MAPHEVS VEGIVS *Laudensis Pii secundi Pontificis Maximi quondam datarius & S. Petri in Vrbe Canonicus*, obiit anno 1457. Multa reliquit sacra Opuscula, & alia opera quæ hic extant fol. 632. ex recognitione P. Andreæ Schotti S. I.

BESSARION *Patriarcha Constantinopolitanus & S. R. E. Cardinalis*, obiit Ravennæ 1473. Ex ejus operibus habentur duæ Orationes cum longissima Epistola tom. 13 novissimæ editionis Conciliorum pag. 1228. Hic autem extat Tractatus de Sacramento Eucharistiæ, & quibus verbis Christi Corpus conficiatur fol. 787, aliis quæ ferè Philosophica sunt, prætermissis.

JOANNES ANTONIVS CAMPANVS *Episcopus Aprutinus* seu *Interamnatensis*, de quo vide Italiam sacram tom. 1. pag. 411, & Vossium. de historicis Latinis libro 3. cap. 7, multa scripsit, ex quibus hic extant tractatus de gerendo Magistratu, & Oratio Cincricia fol. 799. Obiit autem Campanus anno 1477.

SERIES AVTHORVM SÆCVLI DECIMISEXTI.

MOVSES *Mardenus Assyrius Iacobita*, vixit anno 1552, & à Patriarcha Antiocheno Legatus Romam Missus fuit, scripsit fidei professionem, & Theologicam de Sancta Trinitate contemplationem. Extant fol. 814.

SIFIVO sive SVLAKA *electus Patriarcha Nestorianorum*, scripsit fidei professionem, quam ore & scripto professus est Romæ anno 1552. Extat fol. 816.

BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM, ET SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM

SÆCVLVM DECIMVM-QVARTVM.

IVSTI ABBATIS SERMO IN CONVENTV multorum Abbatum Ordinis Cisterciensis habitus.

IOANNES PICARDVS AD S. VICTORIS Parisiensis Canonicus Reg. S. D. Lectori.

VIx perlegeram Epistolas Nicolai Amanuensis Sancti Bernardi, cum Nicolaus Camuzæus transmisit hunc sermonem: ex cuius lectione deprehendi Auctorem, ut nomine, sic & re Iustum. Totus enim eius sermo versatur in castigandis iis, quæ iniquum iustitia monastica indixerant iustitium. Cuius quidem remissionem, quia concitatá, aculeatáque erat prosequutus oratione; perpaucos audivit, peroranti sibi fecisse strepitum, gratamque admurmurationem: Sic veritas censetur fellea, quantolibet Christianæ charitatis melle circumlinitas. Porro quantum licuit advertere ex Lectione huius sermonis, Auctor fuit ardentis ingenij, purique nec usquam dormitantis, multá facundiá, disciplinarum denique omnium scientiá praditus & eximiá vita sanctimoniá. Floruit autem sub annum Christi M C C C. Vniversorum enim, quæ carpit, nihil extat vetitum in antiquis Cisterciensium constitutionibus deductis ad annum M C C. pauloque amplius: licet in iis legantur quædam vel abrogata, vel temperata. Vtinam, sicubi delitescant eius desiderata lucubrationes, aliquando detegerentur: non gravarer profecto vel eam, quam huic sermoni, opellam impendere, quin mage duplicem operam.

SERMO

IVSTI ABBATIS HABITVS IN CONVENTV MVLTORVM ABBATVM & Episcoporum Cisterciensis ordinis.

NOn est mei propositi, fratres charissimi, in hoc sermone obstrusas explicare sententias, & acumine copiosi eloquij, gloriolam aucupari. In cœlo est testis meus, & conscius meus in excelsis, quod magis voce dolentis quam docentis eloquar. Nam zelus domus Dei comedit me: quia opprobria exprobrantium nobis, ceciderunt super me. Nec ignoro non omnibus vobis placituram esse querimoniam dolentis, aut zelum arguentis, quia veritas odium parit. Sed, ut ait Origenes, non possum linire parietem lapsantem, utilius plerumque est ut scandalum sustineatur, quam veritas relinquatur. Canis, vulnus quanta potest asperitate lingit, ut curari possit; Medicus in sectione vulneris non attendit quid ægrotus temere velit, sed quid curando vulneri necessarium sit. Petro Apostolorum principi, gentes Iudaizare cogenti, Paulus in faciem restitit quia reprehensibilis erat. Non est itaque vobis incognitum duas res esse, quas negligere non debemus. Famam & conscientiam; conscientiam mihi, famam proximo: Conscientiam ad meritum, famam ad exemplum. Conscientiam in intentione; famam in operibus. Conscientia soli Deo patet, quia ipse solus novit corda filiorum hominum, opera vero patent hominibus bonis & malis. Ad hæc duo significanda præcipit nobis Dominus ut sint lumbi nostri præcincti, id est conscientiæ liberæ & expeditæ, & ut lucernæ ardentes sint in manibus id est exempla lucida in operibus. Nam quamvis gloria nostra hæc sit testimonium conscientiæ nostræ: tamen lucere debet hominibus lux nostra, ut ipsi videant opera nostra bona, & glorificent patrem suum qui in cœlis est, ipsa vero opera nostra tam mera & sine fuco vanitatis esse debent ut etiam is qui

Ioan. 16. — Ps. 68. — Origen. hom. 14. in Gen. — Galat. 2. — 2. Par. 6. — Luc. 12. Opera & conscientia nostra debent esse munda. 2. Cor. 1. Mat. 5.

qui ex adverso est obmutescat nihil habens mali dicere de nobis. Conversatio nostra quantum ad conscientiam ita ponenda est in cœlis, ut etiam in terris quantum ad opera obmutescere faciamus impiorum hominum ignorantiam. Nam propter ipsas exteriores nostras actiones, quas vident, boni & mali, aliis sumus odor vitæ in vitam, aliis odor mortis in mortem, & alij quidem reverentiam nobis exhibent tanquam contemptoribus mundi: alij vero detrahunt tanquam possessoribus mundi, illis placemus, ut religiosi: istis displicemus ut simulatores religionis. Quocirca illi nos propter Deum approbantes, honorant: isti exprobantes, iudicant: Unde autem iudicent, advertat charitas vestra. Noster ordo bonum habuit fundamentum humilitatis & spontaneæ paupertatis. Super hoc fundamentum nostri priores ædificaverunt consimilem structuram scilicet humiles domos, privata laboris habitacula, tenuissima temporalis vitæ subsidia: Nos vero (sicut iudicibus nostris videtur) transivimus terminos quos posuerunt patres nostri: Et honestatem quidem nondum abiecimus, per quam solam adhuc stare videmur, humilitatis vero limites prætergressi sumus. Nos iam non humiles domos, sed spatiosas & speciosas aulas instruimus. Ipsa nostra habitacula urbibus similia sunt, & iam ut vulgo dicitur In † chimino posita, commeantibus quadriviatim patent, Patres nostri diverterunt ab urbibus; nos ad urbes sine pudore, detecta fronte revertimur: Curiis regiis & pontificalibus, negotiis urbanis, & negotiationibus sponte nos immergimus. Patres nostri, ut temporales honores fugerent, modico contenti ad abdita migraverunt, nos ambire videmur honores. Nullus enim nostrum invenitur qui si ad Episcopatum eligatur, religioso furto se subducat, ne honoris periculum incurrat. Hæc sunt in quibus nos iudicant filij hominum, quorum dentes sunt arma & sagittæ, quorum lingua, gladius acutus, hinc habent materiam detrahendi nobis, sapientes ad notanda mala quæ reprehendant, non quorum exemplo bene vivant. Tubera sua non vident, alienas verrucas exhorrent: ad se talpæ, ad alios lynces. Quibus dici potest illud Satyricū.

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum?

Quos ego, si vellem, hac auctoritate refellere possem. 1 *Mihi pro minimo est ut à vobis iudicer aut ab humano die: 2 Tu quis es qui iudicas alienum servum? suo Domino stat aut cadit.* Absit autem à me ut repellam eos sed imo dulciter obtendam eis paternam admonitionem, qua dicitur: 3 *filij custodite vos à murmuratione: & à detractione, parcite linguæ, quoniam sermo obscurus in vacuum non ibit; os autem, quod mentitur, occidit animam.* Veruntamen his omissis ad nos fratres revertamur, & nobis caveamus. Non magnopere curemus, à quibus, aut quo corde præmemorata dicantur, sed an vera sint & correctione digna consideremus. Quod vera sint, non omnino negare valemus. Nam superfluitates ædificiorum nostrorum quis non videat? quis videndo non stupeat? Quantum ad artem; ea 4 Dædalus excogitasse: quantum ad operis magnitudinem Gigantes collaborasse; quantum ad expensas 5 Salomon sumptus parasse videtur. Porro quæ curia, quæ causa, quod consilium, quodve colloquium est, cui monachus noster non intersit? Quis ex nobis est, qui honorem oblatum sponte abiecerit? Apostolus ait: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat cui se probavit.* Dicite mihi cui contingat hoc in tempore Episcopari, & secularibus negotiis non implicari. Quod si impossibile vel difficillimum quare coniungimus pontificatum cū monachatu, id est cum militia Dei: Quis est hoc tempore qui utrumque valeat simul, & ponere manum suam in ambobus? Quis ambulabit ex vobis cum igne devorante? *Qui tetigerit picem*, ait Salomon, *inquinabitur ab ea: & 6 qui dissipat sepem, mordebit eum coluber.* Revertamini ergo ad principes nostros, ad institutores ordinis nostri, & eorum exempla sequamur quorum professione gratulamur, revertamini, revertamur ad priorū monachorum vitam & in eius speculatione videbimus nostram vitam reprehensione dignam. Taceam & ipse ad tempus sicut & vos tacetis, ne me aliquid fingere novum putetis. 7 Hieronymus ille venerabilis monachus Apostolicorum doctor, immo universalis Ecclesiæ doctor & defensor, a nobis omnibus audiatur & per eum vita monachi à clero & populo discernatur. Ipse ait in Epistola ad Paulinum presbyterum. 8. *Si cupis esse quod diceris, id est monachus: quid facis in urbibus?* Et paulo post. *Habet unumquodque propositum principes suos.* 9 *Episcopi & presbyteri habeant ad exemplum Apostolos & Apostolicos viros; quorum possidentes honorem, habere nitantur & meritum, nos autem habeamus propositi nostri principes, Hilariones, Antonios, Macharios, Paulos.* Hieronymus ad Rusticum monachum. 10 *Mihi oppidum carcer est, & solitudo paradisus. Quid desideramus urbium frequentiam, qui de singularitate censemur?* Hieronymus ad 11 Riparium & Desiderium presbyteros. *Monachus non docentis, sed plangentis habet officium: qui vel se, vel mundum lugeat, & Domini pavidus præstoletur adventum. Qui sciens imbecillitatem suam, & vas fragile quod portat, timet 12 impingere, ne impingat, & corruat, & frangat. Unde & mulierum maximéque adolescentularum vitat aspectum: intantum castigator sui esse debet ut etiam quæ tuta sunt pertimescat.* Cur inquis pergis ad heremum? *videlicet ut te non videam, te non audiam, ut tuo furore non movear: ut tua bella non patiar, ne me capiat oculus & forma pulcherrimæ meretricis. Respondebis: Hoc non est pugnare, sed fugere, Sta in acie, adversariis armatus obsiste, ut postquam viceris, coroneris,* fateor imbecillitatem meam: Nolo spe pugnare victoriæ, ne perdam *aliquando victoriam.* His auditis, quid adhuc expectamus? Si ad monachi officiū non pertinet docere, qua ratione sibi usurpat monachus cathedram doctrinæ? Contraria contrariis conveniunt. Non docere monacho, docere Episcopo. Si monachus debet etiam quæ tuta sunt, pertimescere: quomodo debet urbes frequentare, aut etiam urbibus præsidere. Sed dicetis mihi, quia regula B. Benedicti, quam professi sumus, non prohibet monachum subire Ecclesiasticum officium: Et ego dico vobis quia in regula B. Benedicti, quam professi sumus, talia iubentur, quæ nostris temporibus, nullus aut rarissimus conservare potest Episcopus: & tamen ea talia sunt, quæ sine damnatione nullus præterit monachus. Beatus Benedictus cum de instrumentis bonorum operum 13 ageret specialiter quantum ad monachos inter alia multa, intulit: 14 *Monachum à seculi actibus debere effici alienum. 15 nihil amori Christum præponere: 16 Iracundiæ tempus non reservare, 17 veritatem corde & opere tenere: 18 mala pro malis non reddere, iniuriam non inferre: illatam sibi patienter sufferre: 19 persecutionem pro iustitia sustinere.* Quomodo itaque pontifex monachus, hæc & alia multa, quæ se servaturum vovit, promisit, iuravit, tenere poterit: cui necesse est propter malitiam diei præparare scutum & gladium & bellum? Qui cogitur ingruentibus hostibus resistere, & contra eos castra educere ad rapiendum & incendendum & occidendum? Nunquid hæc & similia fieri B. Benedicti iubet aut consentit regula? Quomodo potest pati persecutionem pro amore iustitiæ, quem oportet turpiter ac miserabiliter adulari potestatibus mundanis, ut res Ecclesiæ quoquomodo valeat defensare? Quomodo corriget errata clericorum: quorum ut extorqueat nummum, patitur vitium? Patet igitur quia monachus esse desinit, qui quasi ascendendo in hæc horrenda descendit.

Quod si opponitis ex consuetudine & auctoritate licere, ut ex nostro ordine sacerdos assumatur: consuetudinem nullatenus approbo, 20 auctoritatem vero non reprehendo propter piam intentionem auctoris qui eo tempore eam posuit, in quo minus periculose teneri potuit. Nunc autem facilius ex transgressione sui ordinis potest se monachus Episcopus damnare quam alios per Episcopale officium solvere. Et certe

olim

1. Cor. 2.

Ordinis Cisterciensis fundamentum humilitas & spontanea paupertas.

† Sed chemino vero

Satyr.

Ps. 36.

Acutum pro acute.

A olim erant meliora tempora quam modo sint quia tunc inveniebantur adhuc aliæ reliquiæ simplicitatis & innocentiæ. Nunc refrigescente charitate adeo malitia crevit, ut vix alicubi tutam esse liceat sanctitatem. Date mihi unum de monachis in sacerdotium promotis qui per occasionem pontificatus non tulerit dispendium sanctitatis? An nescitis quia honores mutant mores? 21 Beatus Martinus dicebat maiorem se habuisse ante Episcopatum quam post Episcopatum. Beatus Gregorius Papa conqueritur in primo Dialogorum libro, & deplorat se cecidisse a priori conversatione sua. Concedamus autem modo, ut olim aliquo modo licuerit monachos ad urbium gubernacula transferri: Nunquid postquam monachi Molismenses Cistercium venerunt hoc licuit? Nonne ideo a cæteris monachis separaverunt ut has & alias secularitatis occasiones amputarent? Propter has & alias B perniciosas consuetudines monachi temporis illius iam seculares vocabantur. Hoc nomen abominantes primi Cistercienses, divitias fugerunt, nos quærimus, paupertatem quæsierunt, nos fugimus. Certe paupertas etiam à gentilibus munus deorum appellata est, & dictæ sibi opes irritamenta malorum & nostrorum quidam ait, 22 *Qui volunt divites fieri incidunt in tentationem & laqueum diaboli.* Laqueus iste cupiditas est, cum qua nunquam potest esse charitas quia radix omnium malorum est cupiditas sicut è contra radix omnium bonorum charitas. Qui ergo volunt divites fieri perdunt charitatem sine qua nemo ratione utens salvatur. Ideirco Dominus ait 523 *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram.* Væ igitur & nobis qui habemus consolationem nostram, divitias dignitates mundialem gloriam. Excepta voluptate carnis habemus omnia in quibus bonum temporale consistit: voluptatem porro in aliquibus C reprimit amor Dei, in aliquibus timor infamiæ, in pluribus vero appetitus honoris. Et qui solo pudore vel honoris desiderio, honestati servit, nondum cœpit esse monachus. Habentes ergo beatitudinem temporalem, æternæ beatitudinis nobis aditum claudimus. Non oportet hæc ita fieri fratres mei. Mementote quid Dominus dicat discipulis suis: 24 *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* In tentationibus, inquit, non in dignitatibus, videte ne sitis de virginibus insipientibus quæ & virgines & damnatæ fuerunt. Mementote ordinis nostri qui propter maiorem austeritatem quam olim habuit antonomatice vocatur ordo. Provideamus famæ nostræ propter nimiam libertatem nostram iam valde periclitanti? Caveamus ne nomen Dei per nos blasphemetur inter gentes. Divitias aggregare, dignitates ambire, negotiationes exercere, urbium fora frequentare sine prævaricatione nostri ordinis non possumus.

Mundo enim specialius quam cæteri renuntiavimus, D mundo mortui sumus, & ideo parcissimo victu & vestitu contenti, nudi contra nudum sathanam luctari debemus. Tales nos esse debere ex voto & speciali instituto nullum secularium latet, unde non immerito scandalizantur, quando vident nos superflue dilatari divitiis, honoribus, familiis, possessionibus. His enim patet indiciis quia resumimus quæ reliquimus immo ea usurpamus in habitu monachi quæ nunquam habere potuimus in seculari. Mundum quoque à cuius facie faciem nostram quasi per contemptum avertebamus, iam quasi à tergo fortius amplexamur. Hæc omnia callide considerantes clerici cum laicis scandalizantur in nobis & detrahunt nobis dicentes. Apud monachos Cisterciensis ordinis omne quod libet licet, quod licet possunt, quod possunt faciunt.

Quod tamen non omnino verum esse nullus sapiens ignorat, concedamus item omnia illa quæ prædixi licita esse apud nos sive iure, sive consuetudine. Ponamus modo Hieronymum, aliter intellexisse de monachis, quod dixit de monachis, aut aliter dixisse. Ponamus regulam perfecte custodiri à monachis Episcopantibus ædificantibus, negotiantibus. E Ponamus, inquam de bona conscientia nihil minus per talia & talia quod tamen impossibile est. Quid de fama dicemus? Nunne causa solius famæ, illa omnia aut omittere aut intermittere debemus ut posset ordo per nos non blasphemaretur inter gentes? Nam toti mundo patemus nos, apud Christianos, Iudæos, Ethnicos, Agarenos, nominati sumus. Quid igitur debet nos facere ut scandalum tollamus, ut de bona fama bonum præbeamus exemplum? habemus exemplum de Paulo Apostolo, & de ipso Domino Iesu Christo non faciendum aliquando quod licet fieri, & faciendum aliquando quod non licet fieri, & hoc totum propter scandalum vitandum. Paulus habebat potestatem sororem mulierem circunducendi quemadmodum alij Apostoli & fratres Domini & Cephas sed noluit ne quem scandalizaret. F Habebat potestatem, ut Evangelium annuncians de Evangelio viveret: sed noluit, ne quem gravaret. Dominus autem interrogavit Petrum dicens: *Simon reges terræ à quibus accipiunt tributum? à filiis suis an ab alienis? Respondit Petrus ab alienis. Dixit ei Iesus: ergo liberi sunt filij, ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare & eum piscem qui primus ascenderit, tolle, & aperto ore eius invenies staterem: illum sumens da eis pro me & te.* Sed his auctoritatibus, exemplis, rationibus facile resistunt qui ex levi occasione largiores vias appetunt. Quapropter moneo & rogo fratres charissimi ut mundum quem reliquimus, sub prætextu quarumlibet utilitatum non resumamus. Non possumus dissimulare, quia nihil opertum quod non reveletur & iuxta vulgare proverbium. Si est qui faciat, est & qui dicat.

1.Cor.9. ib. Mat.17.

G Artes saltus habet, planities oculos itaque arctum & gloriosum iter quod singulari præ cæteris voto & habitu ingressi sumus, singulari præ cæteris studio teneamus, non redeuntes retro, nec declinantes ad dexteram vel ad sinistram. Retro redit, qui vitam monachi cum habitu deserit. Ad dexteram declinat qui habitu retento sine discretione bonum facit; Ad sinistram declinat, qui habitu retento aperte malum facit. A quo tripertito errore nos custodiat Christus Dominus qui est via veritas & vita, vivens & regnans cum patre & Spiritu sancto per omnia secula seculorum. Amen. Pauci Abbates & Episcopi responderunt, Amen. Erant enim oculi eorum indignatione gravati, & ignorabant quid responderent. Tunc Iustus ait. *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta blandientis oscula.*

Qui monachorum retro redeat. Qui ad dexteram & qui ad sinistram.

Prov.17.

H 1 1 Cor 4. 2 Rom 14. 3 Sap.1. 4 *Artificiosa Dedali opera nota sunt ex Apollod. l.3. Bibliot. Palaph. l.3 de fabulosis narrat. & alii.* 5 *Salomonis opes redditus annui erant 666. auri talenta, præter vectigalium lege l.3. Regum c.10. ubi scribitur fuisse in Ierusalem tantum argenti, quantum & lapidum, suo tempore.* 6 Ecc. 1.13. 7 Eccl.10. 8 *Videtur appellare S. Hieron. doctorem Apostolicorum in Papatum præcipueque Damasi, ad cuius tres quæst. ex veteri testamento respondet, primamque Esaiæ exponit visionem & Seraphim, & dictionem Osanna, & Evangelistam filij prodigi parabolam.* [illegible] 9 Tom 1. c.13. 10 [illegible] 11 [illegible] 12 C. [illegible] 13 Cap 4. 14 Instit.20. 15 Instr.21. 16 Instit.14. 17 Instit.19. [illegible] 18 Instit.29. 19 Instit.24. 20 [illegible] 21 [illegible] apud Sever. Sulp. [illegible] S. Martinus. 22 [illegible] l.1. Dialog. 22 S. Paulus 1.Timoth.6. 23 Luc. 24 Luc.22.

BARLAAMI
DE SEMINARIA
EPISCOPI GYRACENSIS,
Epiſtolæ ad Græcos, de Vnione cum Romana Eccleſia & proceſſione Sancti Spiritus.

Nunc primum in lucem editæ.

EX CODICE MANVSCRIPTO Bibliothecæ Bavaricæ Sereniſſimi Principis, &c. MAXIMILIANI, *per* HENRICVM CANISIVM.

De Barlaamo harum Epiſtolarum Auctore, Henricus Caniſius.

DIu quæſivimus, quiſnam Barlaam iſte fuerit, quando vixerit, & cuius ciuitatis Epiſcopatum adminiſtrarit, licet enim & in Codice Bauarico nominetur Epiſcopus Gyracenſis, *à qua tamen urbe appellatio hæc deſumpta eſſet, nobis minimè liquebat. Confugimus tandem more noſtro, ad clariſſimum dignitate iuxta ac eruditione* MARCVM VELSERVM II. *Virum Auguſtanum; ad quem ex Italia hæc perſcripta ſunt, & quidem petita ex elogiis Octaviani Paſcha Genuenſis, Epiſcopi Hieracenſis; duos fuiſſe Hieracis Epiſcopos, Barlaami nomine inſignitos: Alterum anno Chriſti 1303. tenuiſſeque ſedem illam annos novem ſub Bonifacio octavo, Benedicto undecimo & Clemente Quinto. Secundum anno Chriſti 1342. creatum à Clemente Sexto, rexiſſe Eccleſiam illam annos octo, patria Neapolitanum ex Peloponeſo. Additur & hoc; prioris Barlaami patriam ab Octaviano non annotari, quod forte reperiri non potuerit. Vter Auctor harum Epiſtolarum, & Ethicæ, quam Epiſtolis ſubiungimus? Equidem non dubito, priori illi has lucubrationes tamquam parenti adſcribendas eſſe, vel ea de cauſa, quod ſingula Epiſtola ſcripta ſunt ad amicos in Græcia, & Peloponeſo: quorum ſalutem & cum Romana Eccleſia concordiam toto pectore expetebat.*

Epiſc. ... ille eſt in Calabria ſu periori. Vide V. ghili in Italia ſacra to. 9 p 544.

Sed ſi Barlaamus ex Peloponeſo eſt, *inquit Velſerus,* vnde cognomen Seminariæ adhæſit? An ſuſpicabimur de Seminaria dictum, quod manſiu ante Epiſcopatum Seminaria aliquandiu fuerit? neque enim id abſurdum videatur. *Forſan & hoc dici poſſet, natum eſſe in Peloponeſo parentibus ex Italia oriundis, quibus à* Seminaria *cognomentum fuerit. Notum enim eſt integras Italorum familias non raro ſedem ſuam in Græciam tranſtuliſſe; cum multæ urbes imo & Provincia Italorum imperio parebant. Cæterum Cod. Bavaricus nominat Epiſcopum* Gyracenſem. *Corrige,* Hieracenſem. *De tempore, quo floruit, ipſe ſatis certus index eſt in prima Epiſtola. Omnia in priorem Barlaamum utcunque conveniunt. Mortuus eſt enim Baſilius Macedo anno Domini 886. inde uſque ad annum 1342. paulo plures ſunt, quam quadringenti anni. Sed quid verum; ſi Barlaamus Chronologiam aeu non tetigerit. Et quamvis quiſpiam Epiſtolas has ad primum Barlaamum referre nollet, tamen tempora ad amuſſim non concordabunt. Nam ab obitu Baſilij uſque ad annum Domini 1303. plures etiam ſunt quam quadringenti anni.*

Porro quod ad ipſas Epiſtolas attinet; pereruditæ prorſus ſunt, dignæque lectu, & de Romani Pontificis poteſtate & auctoritate, déque Azymis & proceſſione Sancti Spiritus egregiè diſſerunt. Si minus cultè, quid tum? Ignoſcendum eſt homini Græca fortaſſis quam Latina lingua peritiori: Poteſt Barlaamus noſter in Peloponeſo natus uti defenſione Sancti Irenæi, qui hæc pro ſe in præfatione ſui operis. Non artem requires à nobis, qui apud Celtas commoramur, & in barbarum ſermonem plerunque avocamur, orationis artem, quam non didicimus, neque vim conſcriptoris, quam non affectavimus, neque ornamentum verborum, neque ſuadelam, quam neſcimus; ſed ſimpliciter, & vere & idiotice ea, quæ tibi cum dilectione ſcripta ſunt, cum dilectione percipies, & ipſe augeas ea penes te, ut magis idoneus quam nos, quaſi ſemen & initia accipiens à nobis: & in latitudine ſenſus tui, in multum fructificabis ea, quæ in paucis à nobis dicta ſunt, & potenter aſſeres iis, qui tecum ſunt, ea, quæ invalide à nobis relata ſunt. *Hæc Sanctus Irenæus pro ſe & Barlaamo.*

EPISTOLÆ DOMINI
BARLAAMI
EPISC. GYRACENSIS,
DE VNIONE ROMANÆ ECCLESIÆ, & proceſſione Spiritus Sancti.

Epiſtola prima DOMINI BARLAAMI *Epiſcopi ad amicos ſuos in* GRÆCIA *conſtitutos de unione ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ.*

QVIA, ò amici & fratres, nihil eſt propter quod magis nos communiter contriſtari oportet, quam propter hanc diviſionem Eccleſiæ, & pro quo magis Deum deprecari, quam vt ipſi finem imponens, fines orbis ſibi coniungat: ſermone ad hæc perſuadenda minimè mihi indigere videtur. Nullum enim eorum qui mentem habent, æſtimo, non ita de his ſapere. Quoniam vero, & à Deo huius mali ſolutionem poſtulare oportet; & ea, quæ ex nobis ſunt conferre; Lex enim hæc eſt divinæ providentiæ, nullum eorum bonorum, quæ in nobis ſunt, perfici poſſe, niſi concurrat ſimul cum divino beneplacito, etiam noſtræ electivæ voluntatis aſſenſus: neceſſarium eſt omnes quidem mentis indagatione, huius ſchiſmatis cauſas, & prima principia inquirere; & utrum ſolius communis inimici malitiæ, hoc eſt, malum, an etiam ambæ diviſæ partes culpandæ ſunt, an altera tantum in cauſa eſt: ſingulum vero credentem, ſe huius mali cauſam inveniſſe, non pigere ſuam partem ad curationem conferre, dictando, diſputando, conſulendo, impellendo, & pro ut unuſquiſque adeptus eſt, ordinem vel facultatem. Si enim & communiter pro hoc Deum orabimus, & ſingulariter quilibet, quod ex ſe eſt, conferre ſtudebit: ſpes non parva erit, horum malorum liberationis.

Ego itaque quemadmodum facta hæc examinando, quam ſchiſmatis cauſam inveni, & ad quam perveni concluſionem, communicare vobis amicabili modo,

quoniam cuilibet ad verba venire nequeo, nulla pigritia recuſabo. Deprecans unumquemque veſtrum, vt propter commune bonum, & communiter expediens; non pigeat eum, ſi poteſt, idipſum facere. Et mihi ſic volenti ſpiritualis gratiæ, vtilitatis, rem communicare.

Itaque ſi ſchiſmate mox inchoato, quæ ex tunc ſubſequuta ſunt, accidentia utrique parti; quæcunque divini beneplaciti, & quæcumque permiſſionis Dei, & indignationis manifeſtiſſimæ eſſe videntur; conſimilia viderem, vel parum diſſonantia: certe aut ambas partes differentiæ huius cauſarem æqualiter, aut neutram. Nunc autem cum maxima ſit accidentium differentia; cogor unam partem innocentem dimittens, ad alteram tantum, totam culpam transferre.

Duabus enim exiſtentibus partibus: una quæ ſub Eccleſia Romana conſtituta eſt: altera vero, quæ ab illa diviſa eſt: quatuor maxima ſigna Dei beneplaciti, in illis poſſunt videri, pene voce magna clamantia, illi Eccleſiæ Deum acquieſcere: oppoſita vero illis, æqualia numero divinæ permiſſionis & indignationis, & quaſi ultionis evidentiſſima ſigna exiſtentia, in reliqua parte videntur.

Et ut à minimo quatuor exordiar. Primùm univerſa illa gens legibus, quibus etiam tenuiſſima accidentium hominum communitati diſtincta ſunt, regitur & adminiſtratur. Nihil indeterminatum apud eos eſt. Nihil inordinatum; ſed qualiter oportet ſe gerere, & dominantes inter ſe, & cum ſuo principio, & cum his, qui tantummodo ſubditi ſunt, atque commune principium cum omnibus inferioribus, in quolibet accidentium; & ipſos ſubditos inter ſe, & cum maioribus; & quid à quolibet, exigendum eſt, quomodo delicta punienda ſunt, & benefacta præmianda, & quis horum examinationis modus. Hæc omnia & quæcumque alia, hominum inter ſe ſocietatem & communitatem in pace maximè conſervare valent, legibus apud ſingulos membratim inſtituta & cuſtodita ſunt. Ex qua legum æquitate, etiam ſecundùm Deum velle vivere, & Evangelica ſervare mandata, facilius à pluribus fit.

Hîc autem totum contrarium. Et ne ſingula dicam. Lex eſt in ſingulis, potentiorum licentia & voluntas. Vt enim quilibet dominantium, ad prudentiam ſe habet & bonitatem: ita & facta ſubditorum contingunt. Ex quo, quot adverſa ſubſequuntur, non tantum Rempublicam ſubvertentia, & civilem vitam lædentia, verum etiam Evangelicam, quid opus eſt apud ſcientes recitare? Vnum quidem hoc tale eſt.

Secundum vero, quod & maius, quòd in illis quidem Evangelica doctrina, ubique viget, currit, & multiplicatur, & omnibus divinus ſermo prædicatur: non ſolum, quòd quam plurimi omnia ſecunda reputant, erga ſacram ſcripturam ſtudij, & meditationis & diſciplinæ; ſed quod & ubique multitudinis per civitates, villas, oppida & caſtella, & in ſacris templis, & ubicumque inveniuntur ſimul multi aggregati, & præſertim feſtivis diebus, qui ſciunt divina eloquia, prædicant congruenter audientium habitui & loquelæ, aperientes eis per totum annum & hiſtoriale, & narrativum, & ſententiale & morale divinæ ſcripturæ veteris pariter & novæ: Et quis erat ante incarnationem Domini, hominum ſtatus; quæ vero huius ſacramenta, & quid boni ex ea nobis effectum eſt: Quæ præcepta & quæ conſilia: & cum his ſanctorum vitas in natalitiis, & ſi quod alterum ad pietatem & virtutem ſpectat, & ad noſtram ſalutem: ita quod illorum illiterati, mares ſimul & fœminæ, nihil minus ab his, qui in litteris ſtudent, habent: certe in his, quæ in promptu ſunt, & ad ſalutem neceſſaria, noſtræ religionis & fidei; ſed verbo ſtudioſi, in ſuperfluis, non in neceſſariis à reliquis differunt. Ex quo contingit ut gens illa moribus, ut plurimum, ſit ſimplex & aperta, veritatis amica, fraudis inimica, conſtans, in ſuis iudiciis ſtabilis, in conventis inter ſe fidelis, non vertibilis & facilè mutabilis, ad periurium tardiſſima, & fide, quæ in Chriſtum eſt firmiſſima & ferventiſſima. Et pro hac etiam ipſam vitam, ſi hoc opus fuerit, prodere paratiſſima. Hîc autem quid? ſtudioſi quidem diſcendi nimis pauci ſunt: Horum adhuc pauciores, qui ſacram ſcripturam pluris faciunt, plurimis paganorum ſcientiis, libentius operam dantibus. Turba vero illiterata, omnis in communi propoſitæ ſalutaris ſermonis doctrinæ, inexpers remanet. Quare pro vno qui ſciat ſubſtantialiora ſecundum nos pietatis: multa millia reperiri poſſunt, eorum, qui penitus ignorant Chriſtianiſmi virtutem. Ex quo contingit contrario more illis hanc gentem affectam eſſe.

Tertium autem poſt hæc, nihilo minus prædictis, illud conſidero, quod cum divina providentia, nihil eorum, quæ ſecundum beneplacitum illius in univerſo efficiuntur, inordinatum dimittat, omniſque multitudo ordine per ſe careat, niſi reducatur ad unum principium: Pluralitas enim principiorum & carentia principij, ſimilis ſunt inordinationis: Huius quidem gentis, univerſa multitudo ſub vno eſt ordinata principio, Eccleſiâ videlicet Romanâ & eius præſule, quem omnes honorant & metuunt: non tanquam armis & vi dominantem, nec tanquam humanâ lege vel generis ſucceſſione, vel multitudinis rumore dominium ſumentem; ſed tanquam ab ipſo domino Chriſto ordinatum, & in terris vices gerere ab eo conſtitutum. Itaque illius mandata, cum omni reverentia, omnes non tanquam Apoſtolica tantum, verum etiam dominica ſcripta recipiunt & adorant: & nihil ita durum ab eo iubetur, vt non quietè parati ſint ad implendum, & omnes ab illo corrigi ſua, & retractari ſuſcipiunt, omniúmque ſacerdotium ab eo dependet. Et ipſe cum circa ſe ſynodo, cum grandi auctoritate & poteſtate, nullo prohibituro exiſtente; corrigit omnia, tetractat, confirmat, irritat, ſtatuit, inhibet; mittit ad univerſas partes Doctores, viſitaturos ſingulas provincias, & eos qui in eis animabus præſunt, & examinaturos, quis modus illorum doctrinæ, quo modo ſacra tractant myſteria; quomodo ſe gerunt cum grege domini, quomodo ſecundum ſe vivunt: vt horum relatione factâ, & quod deficit, ab illa Sede ſuppleatur, & quod peccatur, corrigatur. Et horum quodlibet facillimè fit. Nemo enim eſt, qui non putet Eccleſiæ illi adverſari, periculum inferre animæ ſaluti: Ita quidem facta illorum ordinata ſunt.

In altera vero parte, non ſingularitas principij; ſed pluralitas principiorum, & carentia principij honorata eſt. Quinque enim exiſtentibus Patriarchis; Bulgarenſi connumerato, & adhuc Triballenſi Archiepiſcopo; ſub quibus pene omnes huius partis ſunt; nullus horum ſex, vel de iure, vel de facto talis eſt, ut reliqui quinque, ipſum, vt ſuum caput habere velint, & ab ipſo & eius ſynodo corrigi, & retractari patiantur, & ad omnia eius iuſſa ita obedientes ſint, ut tanquam divinas voces, illius recipiant mandata: & periculum ſalutis credant, illum reſiſtendo offendere. Et quid dico de aliis? ſed neque quicunque, ſub quolibet ſunt horum ſex, ita devote ſe habent ad ſuum caput, vt metu non corporalis damni; ſed animæ perditionis illius mandata velint implere.

Pontificatus vero cuiuſlibet, quomodo Bulgarenſis, dependet à principe illius gentis. Et Triballenſis ſimiliter à ſuo principe. Antiocheni vero patriarchæ, Armeniorum Rex dominatur. Hieroſolymitani autem & Alexandrini, Ægyptiorum impiiſſimus princeps. Nullus enim horum pontificatum recipit, non probante & decernente & conſentiente ſuo ſæculari principe. Magis autem, ut plurimum, & omnibus, ad quæ ſpectat electio, voluntate renuentibus, & cum principe diſcordantibus, neceſſarium eſt finaliter, eum, quem vult princeps, pontificem effici.

Itaque, cum ſit impoſſibile, longi temporis progreſſu, pravâ conſuetudine paulatim multa protrahente, non multa contingere, quæ deſiderent gene-

talem correctionem; generaliterque aliquid corrigi sine generali concilio difficillimum sit: hæc quidem pars posse communem aggregare synodum, principalioribus eius partibus, ad unum convenientibus, penitus amisit; cum non sit videlicet in ea caput tale, quod posset necessitate alios compellere convenire. Latinis vero neque hoc difficile est. De Tertio quidem hæc dicta sint.

Venio autem ad Quartum, quod & stupesio considerans. Cum enim Dominus noster Iesus Christus prædixisset afflictionem habituros suos fideles, & odium ab omnibus & persequutionem passuros: Christianorum genus ex tunc, usque ad imperium Constantini Magni, affligebatur quidem ut plurimum, & odio habebatur, & persequutionem patiebatur. Sed quod erat maximum miraculum: ipsi qui odio & persequutionibus affligebantur, de ipsis affligentibus & persequentibus & odientibus multiplicabantur: ipsis affligentibus continue sese ad afflictos convertentibus. Nam etsi aliqui, metu tormentorum recedebant à fide; sed tamen è converso multo plures ad fidem omnibus sententiis convertebantur.

Præsentia vero quomodo, quam miserabillissimè. Vt enim antiquiora omittam, ex quo factæ vmoni sub primo Palæologorum, acquiescere huius partis noluerunt: innumerabiles ex ea multitudines ad detestabilissimam Machometicam sectam conversæ sunt: non solum his qui teneræ ætatis erant, necessitate ad captivantium & tenentium superstitionem conversis: verum etiam perfectioris ætatis per animi mollitiem fidē aspernatis. Quamvis si affligeretur hæc gens & non minueretur; vel si minueretur, sed per mortem, & non ad impietatem se convertendo: posset utique hoc paternæ castigationis esse putari. Tot vero multitudines permitti, ita subito ad captivantium impietatem mutari: hoc non paternæ disciplinæ, sed omnimodæ desertionis manifestissimum signum est.

Facta vero Latinorum è contrario ex tunc non modicum creverunt: non solum quod Armeni relictis paternis erroribus illis se addiderunt, & alij Orientalium gentium, qui per horum prædicationem similiter his semper consentiunt: sed & copiosissimæ in Occidente civitates Machometicæ sectæ, per Regem Hispaniæ captæ sunt: ex quibus non parvæ multitudines, fide in Christum suscepta, Latinis additæ sunt. Et Græcorum adhoc non pauca millia ad illos adducta, illorum fidem sponte receperunt: vt etiam & hi, qui ad Persas conversi sunt.

Hæc igitur ego in me ipso vertens animo, minime credere valeo, hos ab illis, rationabili aliqua causa divisos esse, tanquam illis in aliqua hæresi & mala fide existentibus. Si enim pars illa Christianorum, quæ concorditer ad constitutum Dei decreto ab initio totius Ecclesiæ principium ordinata est; quæ legibus regitur & Evangelico sermone, & multitudine semper crescit, hæc quidem est in hæresi: Quæ vero pars ab hac iuste divisa est, per omnia sana est: hæc neque legibus vivit, neque ad vnum ordinata est principium, & semper secundum multitudines, ad alienissimam Dei gentem convertitur; & in ipsa penitus, quantum ad illiteratos, Evangelicus extinctus est sermo: defecerit ergo Deus omnimode Christianismum. Sed nullo pacto hoc fieri potest: Verax enim est promissio dicentis, *nobiscum fore usque ad consummationem sæculi: & portas inferni minime prævalituras adversus Ecclesiam esse: Et Petri fidem nunquam deficere:* quod etiam de omnibus Petri successoribus in consequentibus temporibus, intelligi dignū est dominicâ oratione. Siquidem oportet credere magnum aliquid esse, quod ex ea effectum est.

Ex his igitur & huiusmodi rationibus, non possum æstimare, quod Latinis in hæresi non existentibus; rationabiliter hi illorum devitant communionem. Si enim hoc esset, in⁀à utique divinâ providentia existente; oporteret prædicta quatuor, vel principaliora eorum è converso contingere. Et cum caput totius Ecclesiæ ab initio constitutum ceciderit; oporteret utique dominum, alterum caput suscitare sanæ parti Ecclesiæ: ne sine capite & inusitatum, & deordinatum & deforme magnum & mysticum corpus Christi remaneret: sed venio ad specialiora.

Hæc gens, propter duo, ut ita dicatur, Latinos accusans, æstimat oportere ab eis se dividi. Vnum & principalius, quod aiunt, Spiritum sanctum ex Patre Filioque procedere. Secundum, quod per azymos panes sacratissimam celebrant hostiam.

Ego autem tempora examinans, video quod schisma quidem nondum quadringentorum est annorum. Sub Basilio enim Macedone, & Fotino † Patriarcha, vt aiunt, incepit; à quibus nondum prædictorum annorum numerus est completus. Ecclesia vero Romana ante inchoatum schisma, pluribus quam septingentis annis per azyma conficiebat sanctissimam † *Teletam*. Alexander enim Romanus Pontifex, qui sub Adriano glorioso Martyrio vitam finivit, hostiam de azymo Ecclesiæ Romanæ statuit. Post quem non paucos Romanos Pontifices Deus virtute & martyrio, & miraculis glorificavit: vt etiam vtræque partes in sanctis eos connumerarent. Similiter Spiritum sanctum ex Patre Filioque, tanquam ex vno principio procedere, videtur Ecclesia Romana tenere, ante inchoatum schisma, pluribus quam quadringentis annis. Beati enim illi viri, divinus Augustinus, Ambrosius Mediolanensis, & Hieronymus, qui claruerunt circa tempora Theodosij Magni; ex quo præterierunt usque nunc plures quam octingenti anni; quos Latinorum Ecclesia doctores & regulas, pietatis duces habuit. Hi divinam aperientes scripturam, multis locis suorum operum manifeste notant, quod Spiritus sanctus ex Patre, Filioque, tanquam ex vno principio procedit.

At vero Romanus Pontifex Beatus Gregorius, qui dicitur fuisse sub Iustiniano, ante schisma, pluribus quam trecentis annis, superiores suos & ipse sequens, eandem de Spiritu sancto tradit sententiam. Quare si rationabile esset, propter has causas à Latinis dividi: oporteret utique ab initio hoc facere; & neque sanctos hoc sapientes, & azyma immolantes putare, neque communia concilia cum eis pati facere. Nunc autem post unâ cum eis celebrata septem concilia generalia, & multos azyma sacrificantes, & prædictam de Spiritu sancto sententiam in suis scriptis manifeste prædicantes, sanctos & ab ipsis Græcis reputatos, propter eadem ipsa, post multos annos, velle ab eis dividi, quomodo non caret omni ratione? quanquam de Spiritu sancto, si soli illius linguæ patres hoc traderent, nolle credere, nondum tantum esset malum.

Nunc autem & Græcæ linguæ patribus, idipsum prædicantibus: scilicet Magno Basilio in Antireticis, sancto Athanasio, multis locis; sancto Cyrillo, sancto Gregorio † Niceno; quomodo non absurdum est, eos, qui eadem nunc illis sapiunt hæreticos reputare? Ego quippe non habens huius rei demonstrationem, tanquam existentis super demonstrationem; & videns tantum exercitum Patrum hoc sapientium, atque decreto Dei matrem Ecclesiarum id ipsum determinantem; non tutum esse cognosco aliter sapere. Quamquam si contrarij demonstratio haberetur, & res huius esset perceptiva: neque sic oporteret piam confidentiam, tantorum patrum, ac Sedis Beati Petri sententiæ luminosam demonstrationem anteponere. Multa enim demonstrationibus † dissonantium nostra docet religio.

At vero & de azymis cum manifestum sit, quod in sacra scriptura panis nominetur, sive fermentatus sit, sive azymus, & quod sero illius sacræ cœnæ, prima, ut aiunt tres Evangelistæ, azymorum erat: in qua non tantum comedi panem fermentatum à quoquam Iudæo, non licebat, sed neque omnino in domo Iudæi inveniri: Et quod duo discipuli missi sunt ad præparandū in cœnaculo, legale & assum pascha; & quod, vt aiunt Evangeliorum expositores, omnibus, quæ

secundum

Hinc colligere licet, quo tempore vixerit Barlaam. † Photio. † Missa.

† ἀντιῤῥητικοῖς. † Nysseno.

† forte, dissonantia.

secundum legem erant, consummatis, Salvator pane accepto, ecclestia tradidit sacramenta: qui panis intelligitur esse ex illo, qui tunc propter legale pascha præparatus erat in mensa, & divino Chrysostomo dicente, in octogesima homilia super Matthæum, nihil contrarium legi fero illo salvatorem fecisse: Et quod si esset panis ille fermentatus, manifestè utique hoc contrarium esset legi. Ex his omnibus indubitanter concludi video, per panem azymum, sua tradidisse dominum mysteria.

Quoniam rursus Apostoli, eadem nobis tradentes mysteria, non distinxerunt, sive fermentatum, sive azymum, Sed orientalis Ecclesia continuo incepit *fermentatum.* Occidentalis vero azymum; eo quod gerit imaginem puritatis & sinceritatis & veritatis. Vtraque ego quidem similiter adoro & colo. Latinos vero, in tantum prudentiores æstimo, quod illi quidem minime hostiam de fermentato vituperant; sed similiter venerantur: Horum autem multi non timent in sancta blasphemantes.

Adhuc autem multi dicunt se scandalizari, quia multa contra Apostolorum canones & septem generalium Conciliorum, vident in Latinorum Ecclesia fieri. Me autem neque hoc scandalizare valet. Quare? quia primùm quidem discurrens & ipse eosdem canones, & ad præsentia respiciens; multa invenio, & in hac gente contrario modo, quam ut canones jubent facta: & plura & majora, quam illa quæ ajunt Latinos transgredi: ut non sint secundum hoc ipsi meliores illis.

Deinde & hoc considero, quod omnium quæ in canonibus comprehenduntur, aliis existentibus dogmaticis, & de quibus oportet credere; aliis vero in actione, quæ agendum, & non distinguunt; & horum rursus aliis dependentibus a Dominico & Evangelico mandato; aliis vero non, quæ singula à studiosis notata sunt. Canonum vero de fide, & quorum est dominicum mandatum, nullum unquam Ecclesia Romana mutavit, neque potest hoc ostendi. Quos vero mutavit vel revocavit, hi sunt illorum canonum, qui neque de fide sunt, neque à dominico pendent mandato. Hoc autem nullum est inconveniens. Quæ enim ita se habent, etiam si sint per generale Concilium determinata; sed rebus consequentibus temporibus eadentibus & humanis dispositionibus mutatis, potest Ecclesia ipsa, gratiâ melioris mutare. Vt multa talia reperiuntur, etiam in ipsis Conciliis posterioribus multa priorum Conciliorum decreta, eum eodem spiritu, vel omnino irritantibus, vel omnino ad melius convertentibus.

Sed quia illa, quæ hujusmodi sunt, propter velocem humanarum rerum mutationem frequentius contingunt: in quolibet vero non est possibile, vel non est facile generale aggregare Concilium: Sed neque est quodlibet tantæ difficultatis, ut generali deliberatione indigeat: non oportet turbari, si mater Ecclesiarum, cum sola circa se synodo, quæ hujusmodi sunt, suis temporibus Apostolica auctoritate corrigit & mutat vel irritat. Non enim eo quod sit majoris auctoritatis, & magis possit generale Concilium, quam Apostolica sedes: generalia aggregantur Concilia, sed quia incidentes Quæstiones difficiliores sint, & majore indigeant discussione.

Ex his igitur omnibus, novissima mea conclusio est illa; Quod Ecclesia Romana est summè orthodoxa, & nullam unquam causam alicui dedit, ut rationabiliter ab ea dividatur: Et quod qui ei sunt uniti & obedientes, & mandata Dei custodiunt, in statu salutis sine dubio sunt. Itaque & quicunque spretis his quibus placet in schismate perseverare, ad ipsam toto animo accedunt, hoc salubriter de se, & deliberare, & agere puto.

Eiusdem Domini Barlaami Episcopi ad eosdem amicos suos Græcos, & de primatu Ecclesiæ Romanæ, & de processione Spiritus sancti.

QVod in primo ad vos misso sermone, ô amici & fratres, sine aliqua probatione tanquam manifestum sumptum est: Ecclesiam videlicet Romanam principali Dei voluntate, matrem esse Catholicæ Ecclesiæ: proprio sermone nunc tentabo vobis demonstrare. Deprecans vos, ut sicubi me videritis cogitationibus deceptum; non pigeat vos verbo vel scripto, errantem ad rectam revocare viam.

Incipiam igitur inde. Deus nullam multitudinem in entibus, dimittit inexpertem virtutis unius; per quod infinitum multitudinis & indeterminatum, termino & ordine formari valeat; sed semper multis superstatuit unum commune principium, non solum longinquum & alterius generis, & multa alia non eiusdem generis comprehendens; sed etiam propinquum & cum multis eiusdem generis. Et hoc si quis incipiendo à Deo, qui est commune omnium principium, voluerit mente transire; per supercœlestes, & cœlestes & inferiores naturas: & cum his videre veteris testamenti facta, & quæcunque alia providentiæ acceptantis sunt in universo opera: indubitabiliter ita se habere in omnibus inveniet. Et convenienter. Vt enim ait Theologus in primo de Filio sermone; pluralitas principiorum, & carentia principij, initia sunt inordinationis. Ex hoc autem oritur solutio. Solutio vero omnino est Dei alienum. Quapropter & factus propter nos homo, & duodecim eligens viros, quos sapientiâ decorans, missurus erat ad nostri generis reconciliationem: his principem & caput superstituit Petrum, primum aliorum eum constituens: per ea, quamvis communiter omnibus data; singulariter ipsi & manifestiùs tradita. Ligandi enim & absolvendi potestatem, atque pastorale ministerium, quæ & ante resurrectionem & post, per communia & alia verba omnibus dederat, specialiter & expressiùs Petro dat, ipsi dare pollicens claves regni cœlorum: & super eum Ecclesiam suam firmissimè ædificare, & eius fidem nunquam deficere, & suos ipsum fratres confirmare, & adhuc pascere totam Ecclesiam ter ei præcipiens. Quia enim per hæc, caput ipsum aliorum Apostolorum constituebat dominus, & hoc intendebat; multa huius argumenta esse possunt.

Primum enim: si nihil differentius ab aliis, per ea Petrus accipiebat; non facile invenietur alia causa, ob quam, nihil frustra faciens sapientia, hæc singulariter Petro loquebatur. Deinde & Evangelistæ & in Evangeliis & in actis, ubicunque commemorant Petrum cum aliis, vel omnibus, vel aliquibus: semper & ubique ipsum aliis præordinant. Quod non utique observanter facerent, nisi scirent eum primum aliorum à Domino constitutum. Invenio etiam Apostolos, illi, ut suo primati semper cedentes. In actibus enim, aliis Apostolis pariter eum eo existentibus, ipsum video semper sermonem inchoantem, alios vero sequentes. Deinde & illud considero, quod cum ea quæ sacramenti incarnationis magis sunt necessaria; sicuti est crux, passio, mors, resurrectio, & per quatuor Evangelistas plenius scribantur: ea vero quæ in tantum non sunt necessaria, ab aliis omittantur, & ab aliis dicantur: Illa per quæ Petri primatus ostenditur, tanquam existentia illorum, quæ magis sunt necessaria, & à quatuor conscripta sunt, tanquam valde necessarium sit, omnes scire, cui Ecclesiæ principatus à Domino creditus est.

At vero & divinus Dionysius in tertio de divinis nominibus *verticalem Theologorum summitatem*, Magnum Petrum nominat: & ex tunc universa Ecclesia, addito ipsi divino Paulo, summos Apostolorum Petrum & Paulum nominat, illum similiter præordinans.

Quare undique manifestum est, ab ipso Domino Christo, ipsum accepisse aliorum principatum. Et hoc valde decenter. Quoniam enim oportebat eum, qui erat proprie & vere aliorum Apostolorum princeps, non semper eis corporaliter adesse; sed secundum corporalem præsentiam relinquere eos: unum de duodecim vice sua principem aliorum præponit, hominem hominum; ut facta dispensationis, neque in hoc aliis providentiæ operibus appretianda sunt. Sed videamus reliqua.

Multi nostrorum doctorum * Pontifices quidem locum obtinere duodecim Apostolorum: presbyteros vero, septuaginta. Ergo primi Pontificum Apostoli sunt. His adhuc prior quidem primitus Christus. Secundo vero & ab omnium primo constitutus, ad habendam principandi rationem ad alios, beatus Petrus. Quid igitur? oportet ne, pontificale quidem ministerium, non in ipsis Apostolis circumscribi; sed etiam successoribus ipsum tradi, usque ad fines sæculorum, ut semper in mundo sint Pontifices successores eorum; pontificatus vero primatum in ipsis oportebat finiri, ut quemadmodum in illis factus est aliquis decreto Dei primus, quem alij pro capite suo ducebant; hoc nequaquam ad reliquos transeat, ut alij aliquem unum suum principem putent; sed omnes per omnia coæquales sint? Et ex qua differentia hoc deberet contingere, ut pontificale quidem ministerium transeat ad successores: principandi vero officium, secundum pontificatum minimè; cum utraque similiter essent à Domino ostensa, & similiter multitudini fidelium necessaria existant? Vel quomodo totaliter providentiæ opus esset, omnia sapienter administrantis, Apostolis quidem providere, ut habeant primatem; quos ita gratia erat perfectura, ut non indigeant in multis ducem hominem habere: post illos vero multitudines fidelium imprincipatas & inordinatas deserere ferre? Ego enim contrarium credo: ideo Petrum principem aliorum constitutum fuisse, ut secundum eandem formam semper in Ecclesia ad unum redocantur omnes principium. Sed quoniam pontificatum quidem ad multos transire impossibile erat; ideo licet multi in diversis locis, & orbis partibus Episcopi à beato Petro creati fuerunt, ut de eo Chronica indicat: & omnes possibile est nominari successores eius, secundum pontificalem dignitatem; sed tamen secundum utraque, pontificatum aio & primatum, solus beatus Clemens, successor ejus ab ipso substituitur.

Ipse enim in quadam ad Iacobum epistola ita narrat: quod divinus Petrus ante paucos dies sui corporalis finis, convocatâ totâ Romanâ Ecclesiâ, constituit eum coram omnibus vice sua illis Episcopum, dicens ad illum quidem: Tibi do omnem traditam mihi à Domino potestatem: ad plebem vero, ut in omnibus illi tanquam sibi attendant. Itaque ex tunc aliarum quidem civitatum pontifices, invenies, nihil ut plurimum æstimantes oportere curiosius agere, ultra illa quæ ad suam diœcesim pertinebant: Romanos vero pontifices à beato Clemente incipiendo; tanquam totius orbis prælaturam & curam habentes, universalia administrare mox ordientes, ad universas partes * regulares Epistolas mittentes, & quæ ubique peccabantur corrigere nitentes, & quod agendum erat omnibus statuentes: ut potest hoc sciri, si quis regulares Epistolas Romanorum Pontificum à beato Clemente usque ad sanctum Sylvestrum discernere voluerit: in quibus non pauca inveniet contenta, etiam eorum, quæ nunc Ecclesia Græcorum facit ab illis Pontificibus instituta & originem habentia. Vnde quod in machina universi contingit, quod quæ longinquius à Deo distant, procliviora sunt ad peccandum, & minus determinata & mutabiliora: quæ vero propinquiora sunt, eadem in bono permanentiora, & stabiliora, & magis determinata: Idem etiam in Ecclesia profecto contingit. Plurimæ enim & deterrimæ hæreses in partibus magis à Romana distantibus ortæ sunt: Romæ vero vel prope auctores hæresum facti non sunt. Matre enim Ecclesiarum omnibus veritatis radios emittente, profecto contingebat propinquiores magis quam longinquiores, clarius illuminari: Cum autem divinâ providentiâ, respublica ad Christianos venisset: piorum Imperatorum legislatores, Constantinus & post eum Iustinianus, consequenter superiori traditioni & possessioni, legibus & decretis ejusdem Ecclesiæ primatum statuunt, in parte pietatis hoc facientes, manifeste determinantes Romanam Ecclesiam oportere habere rationem ad reliquas omnes; & ipsi convenire omnium dominari, & omnia retractare; & quæ ubique de fide & dogmatibus dubitantur, ad ipsam referri, & ibi convenientem examinationem & definitionem consequi: atque Sardicensis Concilij canones omnium aliorum Pontificum sententias iudiciales, si quis ad ipsam appellaverit, ipsam oportere retractare, & confirmare vel irritare similiter statuunt. Et generalia quædam Concilia novæ Romæ Episcopum honorare volentia, oportere ipsum habere decernunt primatum post Episcopum antiquæ Romæ. Et quod omnium maximum est, quod & in canonibus & legibus, nullius Ecclesiæ Sedes Apostolica nominatur, nisi tantum Romanæ. Vnde multi magni viri de Orientali Ecclesiâ arbitrantes, se injuriam esse passos, ad Sedem illam refugerunt: Magnus Athanasius, sanctus Maximus; sed neque beatus Chrysostomus suum ignoravit caput. Passus enim maximas injurias, ad tunc sanctissimum Papam omnia refert. Qui quantum in se erat manum auxiliatricem dare injuriam passo, nullo modo neglexit. Sed & Agapetus sanctissimus Papa, cum advenisset novam Romam tempore Iustiniani Imperatoris: quoniam vidit Antimum Patriarcham, quandam hæresim defendentem; illum quidem deponit de Sede: Menam vero virum orthodoxum in Patriarcham creat. Et cum aliquando quatuor Patriarchæ cum Imperatore adversus venerabiles imagines impie gessissent, non paucisque annis huic hæresi perseverassent, atque ad delendas honorabiles figuras communia quædam Concilia, quæ generalia esse & nominari probabant, celebrassent; & suis decretis beatum Stephanum se subscribere cogere voluissent: repudiat eos ille sanctus: non ex alio nisi quod non habebant consentientem Romanum Pontificem, dicens: hujusmodi synodum non debere generalem nominari, illo absente quo sine non licet fieri generale Concilium, si fiat, robur non habere. Quanquam Ephesinum Concilium nihil impedivit generale & esse & nominari, neque Antiocheno Patriarcha præsente, neque Constantinopolitano assentiente. Et Calcedonense similiter Alexandrino Patriarcha non assentiente.

Neque igitur generale Concilium, neque aliud quidquam ad universi utilitatem, unquam celebratum est, sine illa Sede. Et ex illa quidem Ecclesia, nulla hæresis superioribus temporibus ortum habuit: nulla vero aliunde ortarum occidit, sine illius providentia. Omnibus quidem modis, quibus juste aliquid possideatur, totius Ecclesiæ illa primatum obtinuit Sedes; scilicet divina sententia, Apostolorum institutionibus, synodorum canonibus, sanctorum decretis, multitudinis assensu, temporis præscriptione, ab omnibus consensu: & quod omnibus superioribus temporibus pie & rebus communibus utiliter dominium exercuit. Nam etsi aliquis semel illorum Pontificum alicui hæresi assensus est; sed non in longum, aut de longo hujus remedium. Statim enim eadem Ecclesia, adversata ei, illorum oratione, sede simul & viâ privatur. Quid autem si decus ipsum & utilitatem quæramus? nonne videbitur decentius esse, & per omnia, ut ita dicatur, utilius, & Dei erga nos pietate dignius, ut illi genti totius orbis prælatura atque cura credatur; quæ legibus & civili doctrina maxime omnium gaudet: quæ omnem infirmitatem, & inordinationem, & inæqualitatem, & violentiam, & injuriam & detractionem

de

*videtur dicere dicunt, scribunt, vel simile quid.

* canonicas decretales.

de Republica, ab initio consuevit extirpare, quam alteri cuicunque.

Quæ enim alia causa inveniri potest, ob quam etiam ante incarnationem Verbi, quatuor secundum Danielem, magnorum illorum regnorum, soli novissimo & Romanorum, totus orbis à providentia Dei commissus est? nisi quod Romani humanius & civilius, & legalius, & æqualius subditis utebantur.

Quia vero Romanorum Ecclesiam principem esse aliarum Ecclesiarum, opus est omnia decorantis & utiliter disponentis providentiæ, certum est ex illo: Si quis enim considerando hominum dispositiones & voluntates, & naturales eorum passiones, quæcunque communiter omnibus accidunt, & quæcunque aliis aliter contingere possunt; atque humanarum rerum, sive illarum quæ in nobis sunt, sive quæ in nobis non sunt, velocem mutationem; & cum his olim ortas hæreses atque temporalis dominij in tot serationem, animo velit videre; quænam terra subsequuta essent, si omnes Ecclesiæ ita prorsus divisæ essent, ut altera alterius non dominaretur: inveniet, pro certo infinities melius esse, & ad decus & utilitatem, alias sub aliis ordinatas esse, & postremo omnes sub unâ, quàm si aliter se haberent. Ego enim arbitror, quod cum multis aliis adversis, quæ possent contingere, illud certissime contigisset, quod neque accensæ hæreses extinctæ essent, & aliæ tot hæreses & errores vigerent, ut divisis ita ab invicem Ecclesiis, coæquales essent, qualibet videlicet ex multa potestate suam defendente. Quo nihil esset Ecclesijs fœdius, & perniciosius. Ergo si qua nunc est Ecclesia habens & faciens quæcunque oporteret & habere & facere: eam quæ ex Deo esset aliarum dominatura; hæc est quæ divinitus dominium habet, & cui rite convenit dominari, atque alias ei credere.

At vero Ecclesia Romana videtur in integrum & habere & facere, quæcunque opporteret eam quæ ex Deo esset aliarum dominatura, & habere & facere.

Primùm enim oporteret dignè omnium dominaturam ex viris collectam esse, qui quantum dominio, tantum sapientiâ & morum virtute excellerent alios. Hoc vero abundanter illa habet: si quis enim voluerit videre sacrum illum circa Papam senatum, & eos qui circa illum sunt, inveniet Ecclesiam illam non solum ad unamquamque aliarum comparando; sed simul ad multas & multitudine elegantium virorum, & scientiæ specie omni, & morum benignitate & honestate, quam plurimum aliis præeminentem.

Item oportet bene omnium dominaturam, nullo modo subditam esse temporali dominio. Quoniam enim facta Ecclesiæ correspondent animæ; temporale vero dominium corpori: & est condecentius animam dominari corpori, quam è converso. Congruum utique est, & conveniens Ecclesiarum dominium, nullo modo subditum esse principum huius mundi dominio.

Etiam utile, ut neque metu ullius dominij aliquid minus rectum facere vel concedere; neque aliquis contra voluntatem de iure electorum insiliat Sedi. At vero Romana Ecclesia, olim hoc bono ditata est, & ipsa liberata omni mundanâ tyrannide, & suis membris omnibus, eandem impartita est libertatem.

Tertium vero & maximum, oporteret immortalis Ecclesiæ principatum in aliquo incorruptibili suum robur & firmitatem habere, & non corruptibili; ne hoc corrupto res Ecclesiasticæ labantur. Quod ut plurimum Regibus contingit; quibus in pecuniis & exercitibus & virorum consiliis, & humanis legibus, & alia civili virtute, suam virtutem habentibus, subditæ eis civitates, rebus mutatis, cum vident & possibile sibi, & sine periculo, & suis rebus expediens, servitutis iugum excutere, non verentur hoc facere. At vero illa, in quibus firmitas Romanæ Ecclesiæ consistit, cœlo & terrâ sunt permanentiora. Virtute enim verborum Domini ad Petrum, subditæ ei gentes contremiscunt eam & metuunt, & ab ipsa discedere, à Deo discedere esse, virtute illorum verborum omnes putant.

Item si perquiratur, quænam sint congrua opera divinitus omnium dominantis Ecclesiæ: inveniet eadem ipsa & Romanæ. Oportet enim primò nutu divino omnium dominantem plurimum esse sollicitam, ut ubique & omnibus & semper Evangelicus prædicetur sermo: ut & si non aliud, sed ea quæ in promptu sunt, & efferri possunt sacramenta nostræ religionis & salutaria domini præcepta & concilia, & quid à quolibet exigendum est: nullus qui magno nomine censetur & divinâ luce signatus est ignoret. Item schismaticos, & per epistolas & per nuncios, niti ad se revocare, redarguendo, increpando, ammonendo, hortando, vel rogando, afflictis Christianis pro posse auxiliari pecuniâ, si habet, & per se petentes adiuvare hortando & iniuriam passos & ad eam refugientes defendere, omnium peccata quoquo modo corrigere conari.

At hæc omnia, & si quod alterum legaliter principanti congruit, summè Romana Ecclesia facere videtur. Alia vero orbis Ecclesiarum nulla est, quæ habeat & faciat, quæcunque oporteret, divinitus dominaturam habere & facere,

Quoniam ergo movens meas cogitationes undique invenio per omnia melius esse, ut sit aliqua Ecclesia, sub qua aliæ ordinatæ sint, & has perquirens, solam video Romanorum, & habentem, & facientem, quæcunque oporteret divino beneplacito omnium dominaturam & habere & facere; non possum, providentiam esse credens, Romanæ Ecclesiæ maiestatem, & sublimitatem fortunæ & casui dare, & non in maximis providentiæ operibus, & consolemnissimis, & hoc computare.

Ex his igitur primatum illius Ecclesiæ sufficienter demonstratum esse puto. Venio rursus ad Paracleti processionem.

De processione Spiritus sancti.

QVoniam multis annis post septem generalia Concilia; vidit eadem Ecclesia, aliquos eorum, qui denuo consueverant in hæreses frequentius delabi, asserentes Spiritum sanctum ex solo Patre procedere, & minime ex Filio, & sermonibus persuasibilibus ex humana mente hoc dogma affirmantes: propinquiorem vero sibi multitudinem, & ad hæreses semper tardiorem à principio sapientem Spiritum sanctum à Patre Filioque procedere: quid eam quæ semper consueverat huiusmodi controversiis finem congruum imponere, & unitatem omnibus monstrare, oportuit facere, silentione rem præterire, & ordinem suum deserere? Sed non erat hoc eius. An ad Aristotelicas methodos, & Platonicas divisiones, & Mathematicas demonstrationes, & cogitationes humanas recurrere, & ex illis quæsitorum veritatem perquirere? sed neque hoc decrevit facere; sciens profectò hanc rem transcendere omnem humanam & mentem, & methodum, & demonstrationem. Quid igitur fecit? ad suos doctores, quos longis sursum temporibus pro sanctis habuit, recurrit, beatos, Augustinum, Ambrosium, Hieronymum, & Gregorium; & horum scripta perscrutata, videt eos tanquam ex uno ore, multis locis & frequentius Spiritum sanctum ex Patre & Filio procedere asserentes. Et neque usque ad hoc stat. Sed & Orientalis Ecclesiæ Patres perquirit, & videt horum similiter plures & principaliores, id ipsum sapientes: reliquos vero minimè omnino dicentes: præter unum scilicet Damascenum, qui videtur contrarium dicere. Quanquam non dicit ipse, quod Spiritus sanctus non est ex Filio; sed quia non dicitur ex Filio! Ac si diceret: quod in divina scriptura non invenimus verbo dictum, *quia ex Filio.* At vero videtur & ipse dicere Spiritum sanctum à Patre per Filium emanare, & imaginem esse Filij Spiritum. Et ad Patrem ita se habere Filium & Spiritum: quemadmodum ad Solem

A se habent radius & illuminatio: quæ utraque ex Sole quidem sunt: sed per radium ait illuminationem nobis dari. Ex quibus videtur & ipse non penitus contrarium tenere. Ipsum enim illuminationem & ex Sole per radium esse dicere: & rursus ex Sole & radio, verum est: quemadmodum & in Trinitate. Quorum enim est communiter auctor Pater & Filius: hæc & utroque modo dici verum est, & ex Patre per Filium, & ex Patre, & ex Filio.

Tantorum itaque Patrum concordiam cum vidisset, & propter rei magnitudinem adhuc his non contenta, convocat ad se universos Ecclesiarum prælatos, ad inquisitionem communicandam. Uno itaque verbo his, qui voluerunt interesse simul congregatis, & omnibus post factam rei congruam inquisitionem, ad idem consentientibus, denique Apostolica authoritate, hoc esse quod oportet credi, declarando determinat, & contrarium dicentes, in portione hæreticorum decernit.

B Quæ igitur erit nunc mea excusatio, si noluero quietè obedire. Sed tantorum Patrum & Matris Ecclesiarum sententiæ, de re vincente vires naturalis cogitationis, præposuero meam cognitionem? neque illud valens considerare, quod indignum erat penitus divinâ providentiâ, non solum illam Ecclesiam sublimare, & caput Catholicæ Ecclesiæ à principio facere, quam novit insanabiliter casuram, & infinitas multitudines secum dimissuram, sed & cum à rectis cecidit dogmatibus, adhuc magis magnificare, & omnibus bonis ditare, Eam vero quæ rectè et à principio restitit, contrarium pati permittere?

Ego vero & aliud cogito, quod portas inferi nunquam adversus Ecclesiam prævalituras esse, cum sit verissimum, olim portæ inferi adversus Ecclesiam Dei prævaluerunt, siquidem Romana Ecclesia cecidit. Nam si Ecclesia soli quidem huius partis sunt, ut secundum multitudines eos ad se convertant, nullo penitus existente, qui publicè prædicando populum confortaret, in fide perseverare, & Persæ ita adhuc se habent, ut in primo misso ad vos sermone recitavi. Iam adversus Ecclesiam *porta inferi* prævaluerunt. Sed hoc falso existente, C cogor Romanam Ecclesiam orthodoxam in omnibus putare, & hanc solam esse cum sibi subiecta multitudine, *unam, sanctam, Catholicam,* & *Apostolicam* Ecclesiam; in quam credere iubemur, & adversus quam *porta inferi*, neque prævaluerunt, neque unquam Deo, ipsam tanquam novum Israelem, tegente, prævalebunt.

III. *Epistola Alexy Calocheti ad Dominum Barlaamum Episcopum Gyracensem, petens ab eo quorundam librorum Latinorum translationem, propter bonum unionis.*

TVas communiter ad amicos missas epistolas, cum vidissemus; ego & nostræ civitatis tui amici: horum quibus rectè contradici possit, nihil in eis invenimus. Ignota vero penitus à nobis multa vidimus. Ais D enim in secunda epistola, signum esse eius, quod Romana Ecclesia à principio omnium dominabatur: quia Romani Pontifices, à beato Clemente incipiendo, tanquam totius orbis curam gerere debentes, universalia administrare mox ceperunt, ad universos *regulares* Epistolas mittentes, & ubique peccata corrigere intentes & quid agendum statuentes. Ex quibus Epistolis, multa eorum quæ nunc etiam in Ecclesia Græcorum fiunt, principium habuerunt.

Nos vero neque has Epistolas vidimus, neque putavimus in Græca lingua ipsas nunc esse. Item ais beatum Ambrosium, Gregorium & Hieronymum dicere in suis scriptis, Spiritum sanctum & ex Filio procedere: quæ scripta nos similiter non vidimus. Item ais, quod Romana Ecclesia, de eodem ipso convocavit universos Ecclesiarum Prælatos, ad communicandam horum inquisitionem: & his qui voluerunt interesse simul aggregatis, & omnibus post convenientem factam inquisitionem, ad idem consentientibus: ipsa postremo declarat ad ipsum oportere credi, & contrarium dicentes, in portione hæreticorum ordinari decrevit: In his E quasi generale Concilium ais factum esse de proposito; quod nondum usque nunc audivimus. Rogamus itaque te communiter omnes, per Deum ipsum, ut si quidem tibi possibile est, & prædictas sanctorum illorum Pontificum epistolas, & sermones dictorum trium beatorum virorum, in quibus proposita quæstio continetur, & adhuc acta prædictæ communis congregationis, convertens ad linguam Græcam, transmittas nobis ipsa. Nam si his visis, de quibus dicis, informabimur, bene scio, quod controversiæ nostræ cum Latinis, ex maxima parte solutæ erunt.

F *Epistola sapientissimi & doctissimi viri Demetry Thessalonicensis ad eundem Dominum Barlaamum Episcopum Gyracensem: in qua ponens omnia dubia sua de processione Spiritus sancti petit ab eo doceri, quibus modis adductus sit credere Spiritum sanctum, & ex Filio procedere.*

CVm olim tu, partibus nostris dimissis, ad Occidentem abiisses, ibique de cætero commorari voluisses: nos qui radiis tuæ sapientiæ illustrati, multis ignorantiæ tenebris, liberatos nos esse putabamus: rursus tuæ absentiæ tenebris incidentes, tanquam in nocte vitam ducebamus: sicut solis occidentis, & amplius non orituri sperati, privationem lugentes. Sed nuper famâ quadam subito auditâ, & ubique circumeunte, & splendide clamante, te non post multum ad novam Romam adventurum, conversi nos; quis digne explicabit, quanta lætitia repleti fuimus? Quoniam vero non in longum quidem venientes ad nos de Byzantio, G applicuisse te iam illuc pro certo annonciabant: non amplius sobriis hominibus similes esse ex gaudio videbamur: ita furentes erga te amor nos effecit. Vere enim matutina lætitia videbatur, ad vesperam demorato fletu, successisse rursus in Oriente, tanquam splendido Sole relucente, & iucundissimum mane nobis efficiente.

Itaque præparabamus nos quotquot amici tui, quam velocissime ad te venire. Sed omnibus ad iter necessariis præparatis, & nobis proponentibus immediate inde recedere; veniunt quidam rursum illinc recessisse te de civitate, & ad nigrum * Pontem abiisse nunciantes. Quo audito perculsi nos, & ad profundum tristitiæ demersi, vix potuimus nosmet resumere philosophiâ mutabilitatem rerum humanarum considerantes, nosmet ipsos consolantes. Verum dicebant se à te audisse talia, quod omnis necessitas sit confiteri Spiritum sanctum, ex Patre Filioque procedere. Quod qui negant, necessario sunt hæretici, & schismatici. De his itaque præ omnibus æstimarem ipsum te audire, & tecum de H omnibus perquirere: non propter aliquam contentionem, ut aliquis putaret: sed quoniam non est verisimile te, quem differenter novimus virtutem & veritatem per vitam colentem, & de nulla re, litigiosis verbis gaudentem, neque victoriæ avidum, cuiquam unquam disputantem irrationabiliter, sic exopinando ex solo Patre procedere Spiritum sanctum: conversum esse ad prædicandum, quod etiam ex Filio: nisi aliqua idonea necessitas ad hoc te impulisset, quæ philosophanti animæ satisfacere posset, ut amplius alio non indigeret. Libenter vellem tuo conventu à te discere, quidnam fuit illud, quod te ad hoc necessitas perduxit. Quod ego semper plurimi faciens, ad aliquid certum de his veniens. Et multa à multis audiens, & his, qui ad solum Patrem Spiritum sanctum referunt, & his, qui ad Patrem & Filium: nondum usque ad hodiernum diem de verbis illorum intelligere valui aliquam necessitatem; qua altera dictarum opinionum stabilisset mihi

* Ponti.

sufficienter

sufficienter mentis motum. Ergo si quod te ad hoc coëgit, est aliquid eorum quæ scripturâ tradi possunt: precor te per amicitiæ custodem ut quoniam ad verba tibi venire Deus non dedit, hoc mihi per scripturam significare nullo modo neglexeris. Si vero divinitus tibi ad hoc facta est aliqua occulta illuminatio: primum quidem rogo, ut sanctis pro amicis orationibus, idipsum nobis à Deo petas. Deinde ut etiam per scripturam nos admoneas; quibus exercitiis principale nostrum purgantes, talis illuminationis capaces efficiamur.

Vt igitur magis valeas scire, quo modo nos errare te oporteat; necessarium mihi videtur, & particulariter exponere; quomodo usque nunc neutrorum verba potuerunt me cogere eis assentiri. Et primum dicendum est de Latinorum opinione.

Quatuor sunt genera argumentorum; per quæ illi semper conantur suam fortificare conclusionem.

Quorum primum est, quod per substantialem & naturalem Patris & Filij identitatem argumento communem facit. Supponatur enim, tanquam ab omnibus concessum, Patrem & Filium, unum esse Deum, & unam substantiam, sive naturam, sive essentiam; ex hoc syllogistice ad propositum veniunt.

Secundum est, quod ex personali Filij & Spiritus sancti differentia, quæsitum invenire tentant. Aut enim quærentes quomodo possit personaliter Spiritus à Filio distingui? aut duarum emanationum differentiam distincte expressam supponentes; & ordine per media procedentes suam assequuntur conclusionem.

Tertium est quod ex dictis divinæ scripturæ, idipsum conantur colligere.

Quartum est, quod per natura nobis insitas notines, demonstrare propositum putant.

Primi quidem generis argumenta, non cogunt me ad hanc causam. Duos esse modos accepimus, eorum, quæ de Deo prædicantur. Alia enim eorum sunt naturæ & substantiæ, & quasi substantialia: quæ videlicet & divisim, de qualibet trium personarum prædicantur, & simul de tribus singulariter, ut *Bonum*, *Sapiens*, *Omnipotens*, *Veritas*, & alia. Non enim dicimus Filium & Spiritum sanctum tres esse sapientes, vel bonos vel omnipotentes vel alia: sed tres unum esse *sapientem*, & *omnipotentem*, & *bonum*; quemadmodũ & unum Deum. Alia vero sunt personalia & significativa personarum inter se relationis; quæ videlicet nullo modo possunt singulariter de tribus simul prædicari. Non enim tres unus est Pater, vel unus Filius, vel unus Ingenitus, Talium igitur est, & spirare Spiritum & principium esse hujus. Non enim tres personæ unus spirator est. Quare hoc suppositum esse in sola ingenita persona non faciet differentiam substantialem ejus & Filij, nec corrumpet eorum secundum substantiam identitatem. Nam cum ingenita persona habeat æqualiter & *generare*, & *spirare*, & non magis alterum quam alterum: licet ab altero tanquam à magis noto nominetur, Pater: quemadmodum substantialis identitas ejus & Spiritus sancti: non cogit spiritum, ut & ipse generet; sed etiam non generante ipso, salvatur ejus secundum substantiam ad ingenitam personam identitas: ita certe substantialis identitas ejus Patris & Filij, non coget & filium spirare Spiritum; sed etiam, ipso non spirante ipsum, salvabitur utique ejus ad Patrem substantialis identitas. Quapropter nihil magis moveri possum per hujusmodi argumenta.

Sed venio ad secunda, quæ videlicet ex personali differentia Filij ad spiritum faciunt syllogismum. Certum est quod ex re penitus ignota, & neque intelligi, neque dici potente nihil syllogistice concludi & inveniri potest. At vero præclari nostrorum sanctorum doctorũ testimonio, quamquam personaliter differre Filium à Spiritu confitentes: tamen interdixerunt nobis investigare hujus differentiæ modum: dicentes, penitus impossibile esse, à quoquam in carne viventium, hujusmodi differentiam distincte intelligi & exprimi. Quare quid ex ea concludi possit?

Video rursus nonnullos Latinorum, ita aperte & distincte exprimentes differentiam, qua differt Spiritus sanctus à Filio, ut etiam per quoscunque homines, si solum quantulacunque ex parte mente utuntur, possit intelligi. Ergo cum nihil videatur, propter quod hi fide digniores & maioris auctoritatis illis in tantis rebus æstimentur: neque magis his quam illis credens, quæ exinde concludunt recipere. Et ideo neque per hujusmodi argumenta persuaderi mihi potest.

Eundum igitur sit & ad illa, quæ ex divina scriptura argumentantur. Primum quippe de his illud communiter considero, quod si esset impossibile cuilibet, propositorum per eos dictorum sensum alium pium & sufficienter se habentem coaptare: ita solum necessarium esset, quod ipsi ex eis concludunt. Quoniam vero non magis ut ipsi intelligunt, quam ut alij, possunt eadem intelligi, neutrorum sermones cogere me valent. Nam hoc ipsum quod Spiritus sanctus, multis locis scripturæ dicitur esse Filij, propter solam quam habet cum eo secundum substantiam unitatem: quia una est eorum substantia, virtus, voluntas, sapientia & actus: & propter hæc sola dicitur esse his ejus. Quemadmodum e converso Dei Verbum, *gladius* dicitur secundum Apostolum, *Spiritus*.

Alius rursus dicat; quia non solum propter quæ tu dicis; verum etiam ut ex hoc intelligamus Spiritum sanctum, & ex ipso Filio procedere: ego cogitans, quod etiam secundum illum sensum tantum insufficienter posset Spiritus sanctus Filij esse, hæsito & non habeo, cui magis assentiar.

Similiter mittitur multis locis scripturæ Spiritus à Filio. Ergo si unus dicat, quod quemadmodum Filius, propter in carne ad nos manifestationem & adventum dicitur mitti, etiam à Spiritu sancto, ut in Esaia scriptum est: ita & Spiritus sanctus; quoniam in aliquibus signis nobis manifestatus est, & ad nos venisse temporaliter dicitur: quæ signa significabant quidem solummodo ipsum Spiritum: facta vero erant à tota Trinitate; propter hoc tantum, & non propter aliud, dicitur & à Filio mitti.

Alius item dicat, quod non solum propter hoc; sed ut cum his adhuc & illud intelligamus, quia Spiritus & ex Filio procedit: Perpendens ego rursus, quod etiam si non procedat Spiritus & ex Filio, tamen & secundum illum sensum tantum sufficienter utique diceretur ab ipso mitti: eadem similiter detentus sum dubitatione.

Rursus in sacra scriptura, ex Filio accipere dicitur Spiritus, & ab ipso *insufflante* dari. Ergo si unus dicat, quoniam ipse Dei Filius magna quædam dixerat de Spiritu sancto: quia adversus eum blasphemia, irremissibilis est, & quia ipse omnia docebit & anounciabit & diriget ad omnem veritatem, & simpliciter charismatum distributionem ipsi attribuerat: ut non æstiment Apostoli, vel post eos fideles, majoris dignitatis ac potentiæ esse Spiritum quam Filium: ideo solum & non propter aliud dixit quod Spiritus sanctus ex eo accipiet, quæ nunciabit, & insufflando ipsum dare ostendebat, ut neque majorem eo Spiritum putemus, & nos deificantia charismata communia esse Filij & Spiritus sancti credamus.

Alius rursus dicat, & propter hoc, & adhuc ut intelligamus & ex ipso Filio processionem Spiritus: Cogitans ego, quod & secundum illum sensum tantum sufficienter sa posset habere scriptura, non video causam ob quam magis Latino credam.

Item Patrem & Filium unum esse in scriptura scriptũ est, & omnia quæ sunt Patris, etiam & Filij esse. Et ex hoc concludunt illi suum dogma. At vero si quis dicat: ô Latini, nihil magis ex his necessarium est Filium principium esse Spiritus: quia etiam ex persona Spiritus sancti dici posset: Ego & Spirator unum sumus,

& omnia quæcunque habet Spirator mea sunt. Sed nihilo magis ex his Pater esset Spiritus sanctus. Ergo si quis hæc dicat, quid magis Latini persuasibilius dicent? ego enim non perspicio.

Item ubi dicit Apostolus: Dominus Iesus interficiet Antichristum Spiritu oris sui: illi ipsi Spiritum sanctum dictum esse ibi credentes, idipsum concludunt. At etiam hic potest dici: quoniam nos nihil ita facile efficimus, quam illa quæ insufflando solum facimus; volens Apostolus ex nostra translatione ostendere, quam facillimũ est Christo interficere Antichristum, & nullam habens ei difficultatem, Spiritu oris eius dixit apostatam interficiendum, minime ibi Spiritum sanctum intelligi volens.

Hæc ergo si quis dixerit, hæsitandum mihi videtur omnino, cui magis concedendum sit.

Item ubi scriptum est, Deum charitatem esse, & charitatem ex Deo: illi charitatem dici Spiritum sanctum accipientes; illam videlicet, qua Pater diligit Filium, & Filius Patrem, concludunt: alia quædam per medium addentes, ex utroque ipsum procedere: mihi nihilo magis ex his persuadentes. Quare? primum, quia non nimis certum est, utrum Spiritum sanctum ibi intendebat beatus Ioannes: nihil enim impedit, & ita exponere dicentem, ubi dictum est, Deus charitas est, ibi de ipso Trino Deo ipsam charitatem prædicari, illo modo, quo ait sanctus Dionysius: etiam omnium entium nomina posse de Deo secundum causam prædicari, & maxime nobilissima, & divinissima, sicuti est, *Bonitas*, *Vita*, *Pulchritudo*, *Lex* & similia. Vbi vero dicitur charitas ex Deo est, ibi ipsum charitatum affectum, quo Deo & nobis invicem unimur, ex ipso Trino Deo nobis dici adesse illo modo, quo & omne bonum & honestum ex Deo nobis esse dicimus.

Deinde si quam maxime ipsum Spiritum sanctum in illis nominat charitatem Apostolus; Vnde patet, utrum illam charitatem,* ipsum intelligit, qua Pater diligit Filium, & Filius Patrem: sed non magis indifferenti modo, & simili, ipsum charitatem nominavit: sicut etiam Filius vel Pater, vel tota simul Trinitas, charitas nominatur: quemadmodum & alia charismata attribuuntur singulariter Spiritui sancto: quæ nihil minus & toti Trinitati, eodem modo congruunt. Cæterum & Filius sapientia quidem Patris nominatur, sed non ita illa sapientia est, qua Pater intelligit Spiritum sanctum, & hic Patrem: ut ex hoc concludatur ipsum Filium ex Patre simul & Spiritu sancto generatum esse.

* Ipse

Ego itaque, ut ad te explicem passionem animi mei, multo difficilius habeo ad recipiendum, quod Patre & Filio diligentibus invicem eorum dilectio constituit alteram personam ipsum Spiritum sanctum; quam ad recipiendum, quod Spiritus sanctus, & ex Filio procedit. De hoc enim eius veritatis cupiditate cogitanti, nullæ mihi suspiciones intrant, ne forte sit verum illud Aristotelis: quanto magis perquiro & cogitatione volvo; tanto incredibilius mihi videtur: nam de divina scriptura non ita patet, ut animam per se verum quærentem, ab omni removeat ambiguitate. Si vero à sacra scriptura, & fide nobis traditis, penitus recedentes ad naturalem rationem recurrere velimus; mirer si unum Deum simplicissimum in tribus perfectis personis, per solam naturalem rationem tanquam aliquid eorum, quæ mathematice demonstrantur, invenire poterimus.

Age ergo fidei ratione complectentes videamus quæ necessitas sit, ut Patris & Filij charitas, sit illo modo Spiritus sanctus. Itaque si idem simpliciter est Patri generare Filium, & diligere Filium; generatio ergo est idem simpliciter quod charitas: qua Pater diligit Filium, & per consequens, ipsa Filij generatio, Spiritus sanctus est: quod non modicum mirandum est. Et maxime si genitum, principium est suæ generationis. Si vero aliud est Patri generare Filium & diligere vel intelligere ipsum, adhuc magis est mirandum; quomodo generatio quidem qua Pater generat Filium, non constituit aliam personam: neque intellectio, qua Pater intelligit Filium. Diligere vero ipsum non potest, nisi dilectio illa tertiam constituat personam; & maxime cum sit possibile dicere, quod Spirator diligit & intelligit Spiritum, & Spiritus diligit & intelligit Patrem & Filium. Ex qua dilectione vel intellectione, nulla alia constituitur persona.

Item unitatem & annexum Patris & Filij dicere Spiritum, ita ut ex utroque esse concludatur: neque ipsa scriptura cogit me, & naturalis ratio mihi magis persuadet recipere, principiata uniri per principium: quam principia per principiatum. A quo enim multa habent esse, ab eodem etiam habere unum, rationabile mihi videtur. Dicere vero, quod principiata habent ex principiis esse: principia vero habent ex principiatis unum esse, omnino mihi videtur carere ratione. Si vero est alia ratio de his mea verior, quam ego nunc non intelligo; tamen quamdiu illam non intelligo, necesse est me teneri ab hac, quam nunc intelligo. Dicta quidem scripturæ, quæ allegant, pene prædicta sunt. Ego vero neque ex his, neque ex aliis quibuscunque possum ad hoc intelligere indubitabilem omnino necessitatem, & penitus stabilientem meam mentem eorum adesse conclusionem.

Restat ergo quartum genus videre, quod ex communibus notionibus argumentationem propositi facit. Hæ quæ dicuntur communes notiones, sive, ut Aristoteli videtur, de sensibilibus per sensus imprimuntur animo, sive, ut Platoni videtur, ipsæ sunt substantia intellectualis animæ: utroque modo de his rebus sunt, quarum intelligendo dominati apprehendimus eas & tangimus, & quas intelligentes ipsa intellectione comprehendimus & circumplectimur. Proinde & illa, quæ ex eis ostenduntur, indubitabiliter demonstrata esse putamus. At vero quæ de Deo sunt, ea super substantialia, & super intelligentiam, & incomprehensibilia esse dicimus: & maxime ea, quæ de trino personarum dicuntur, credita quidem sacræ scripturæ traditione: naturales vero nostras intelligentias fugientia, eo quod nullus videatur in his, quæ à nobis intelliguntur, modus Trinitatis: indifferenter per omnia se habens, illi super intellectum Trinitati.

Quis ergo est ita tardus mente, ut putet, hujusmodi communes notiones, quæ correspondent his, quæ à nobis perfecte intelliguntur, rebus, omnes simpliciter etiam illis, quæ super nostram intelligentiam sunt, congruere? ubi neque quod sunt in naturalibus vere, jam etiam Mathematicis conveniunt, vel è converso; neque quod Arithmeticis vel Musicis rebus correspondent, jam etiam Geometricas, vel perspectivas attingunt. Multo ergo minus putandum est super substantialia eisdem necessitatibus servire cum his, quæ sub intelligentia nostra sunt. Non ergo necessarium est, omne quod prædicatur affirmative vel negative de illa re, quæ nostra intelligentia comprehenditur: hoc etiam de illa re quæ transcendit nostram intelligentiam similiter prædicari.

Ergo aut nulla hujusmodi communium notionum, & usque ad illam supersubstantialem & incomprehensibilem essentiam pervenit: aut aliquæ ita, & aliquæ non. Sed & hoc sufficit. Ergo & hoc concesso, quoniam aliqua discretione necessaria non habeo conspicere, quæ earum, quæ in entibus veræ sunt notiones, & ad superficiale & superintelligentiam transferendæ sunt, & quæ non, cum audio Latini ex hujusmodi propositionibus, de proposita quæstione syllogismum; etiamsi sint in omnibus entibus propositiones veræ, attamen nequiens satis discernere cujus generis sunt: utrum illius quod ex entibus ad superessentiale conscendere valeat, an non, penitus ambigo & dubito, conclusioni hujusmodi syllogismi assentiri. Generaliter quidem, ita à me ostensum sit, ob quam causam per eorum verba nondum mihi persuasum eis credere. Non erit peius forte & aliquos particulares syllogismos eorum commemorare.

Audivi

Audivi aliquando quosdam Latinos ita syllogisantes. Supponentes enim tanquam minorem propositionem, quod Spiritus sanctus realiter differt à Filio: & addentes tanquam maiorem, quod omnia quæ sine materia ab invicem differunt, aut sicut contra differunt, aut sicut habitus & priuatio; aut sicut affirmatio & negatio, aut sicut relatiua. Deinde ostendentes quod horum tres præcedentes modi, illis diuinis personis minime valent: Concludebant ergo, quod secundum relatiua tantum Spiritus sanctus potest distingui à Filio, & ita per ordinem procedentes, veniebant ad finalem conclusionem. Sed me minime per hæc mouerunt. Ventum enim ad angelos & animas, & mathematica & mathematicos numeros & horum maxime superficiales & solidos, multa vidi & sine materia plura intellecta & nullo prædictorum quatuor modorum ab invicem discreta. Quamvis & si in omnibus entibus videretur maior propositio: adhuc restaret ambigere, verum illarum est propositionum, quæ & in entibus & in superessentiali verificari possunt, an non. Sed differt quidem Spiritus personaliter à Filio, non tamen secundum aliquem à nobis cognitorum in entibus modum. Et estne vera illa Patrum sententia, quod in hac vita impossibile est distincte & expresse cognosci illud, quo Spiritus differt à Filio? non enim illud erit ausus aliquis dicere, quod necessarium est, aut sciri huiusmodi differentiam, & ad aliquam à nobis notarum reduci, aut nequaquam esse.

Item & talem audiui syllogismum: in quo tanquam minor propositio supponebatur. Quia sicut se habet spirare ad procedere; ita se habet generare ad generari. Tanquam vero maior assumebatur, quia generaliter in omnibus entibus, si sit vt primum ad secundum: ita tertium ad quartum: & permutatim sumptis, est sicut primum ad tertium, ita secundum ad quartum. Et ex his concludebatur, quod sicut se habet spirare ad generare: ita se debet habere & procedere ad generari. Et quia dicebant spirare & generare concurrentia simul in vna persona scilicet patre, non faciunt differentiam personalem. Non ergo procedere & generari ipsa per se differentes efficient personas. Et ita aliam aliquam personalem differentiam Spiritus ad Filium quærentes postremo veniebant ad concludendum, & ex Filio, ergo Spiritum procedere. Me neque hos sequi valente; perquirens enim in me ipso entia inveniebam in multis, maiorem propositionem falsam multis visis; & in substantiis & in quantitatibus, & in relatiuis. Sed primam positionem primi ad secundum, secundum vero primi ad tertium, & secundi ad quartum, non saluantibus proportionalitatem: quamvis vt paulo ante dixi, & si in omnibus quæ infra mentē nostrā sunt, videretur huiusmodi esse verum: incertum adhuc esset, verum & in illa re quæ omnē mentē excellit, verum sit.

Item & sic quidam argumentantur. Omnia sunt communia Patris & Filij, præter illa quibus adversatur eorum inter se relatio. At vero spirativam potentiam, non adversatur Patris ad Filium, vel Filij ad Patrem relatio: spiratiua ergo potentia Patris & Filij. Ego vero neque huic syllogismo assentior; propter quod vtique habet vitium: quod enim quæritur, sumitur vt manifestum: in maiore enim propositione per communia & alia verba petit principium.

Nullus enim eorum qui de conclusione ambigunt, maiorem conceder propositionem. Cum enim illa persona, quæ ita est vt à nullo sit, æqualiter habeat & generare & spirare: quæritur verum ex vtraque hæc propria sunt eius simpliciter: neque Filio, neque Spiritu, ea habentibus. An ad Spiritum quidem propria sunt eius; ad Filium vero non ambo; sed solum generare; spirare vero commune habet cum eo.

Hoc itaque cum quæratur sumere simpliciter, quod Pater generare quidem habet solus, spirare vero cum Filio: quid est quam petitio principij, etiamsi non aperte ponat qui sumit, sed per communiora verba eundem occultet sensum?

Cæterum quid prohibet supponentem similiter quod omnia sint communia spiratoris & Spiritus, præter illa quibus adversatur eorum inter se relatio, per similia media concludere: quod & Spiritus sanctus genitor est: ergo sicut hoc, ita etiā illud paralogismus est.

Item alias cum audivissem sumentem quendam, vt manifestum Deum Patrem intelligere & velle, & ex intelligendo producentem Filium; de volendo autem Spiritum, & per quædam media alia, quæstionem concludentem: initio quidem pene credidi, tanquam bene esset dictum: paulo vero post animadvertens, quia, quo modo intelligit & vult Pater, eodem indifferenter & Filius, & Spiritus sanctus, & tota Trinitas intelligit & vult, & nihilo magis ex eis aliter Spiritus emanat: nihil necessarium illum dixisse putaui, sed potius multa inconuenientia perspexi de huiusmodi sermone orientia.

Causæ quidem per quas non mihi videtur necessarium esse per verba eorum sciri vel credi Spiritum sanctum & ex Filio procedere hæ sunt.

Volo autem tibi ostendere, & qualiter me habeo erga dicta sanctorum nostrorum Patrum, qui id ipsum quod aiunt Latini in suis scriptis dicunt. Ego quidem inveni multos, qui hoc sapiunt, scilicet sanctum Augustinum, sanctum Gregorium * Nicenum, sanctum Cyrillum in dictis thesauris & in aliis suis dialogis; sanctum Athanasium & quosdam alios. Sed illud arbitror me recte cogitare; quod omnium quæ hi docent illa tātum necessitatē habemus recipere: quæ vel ex ipsa sacra scriptura, apertissime & indubitabilissime ostenduntur: vel per Concilium generale expresse examinata & determinata adepta sunt sententiam, vt debeant omnes ea admittere; vel etiam per nostram naturalem rationem, satis demonstrari valent. Quæ vero non talia sunt, non mihi videtur debitum esse ea admittere; neque periculum non credita & spreta nobis inferre. Non enim penitus illius auctoritatis æstimamus illos esse, cuius Prophetas & Apostolos, vt simpliciter quemadmodum illis, ita & his per omnia debeamus parere. Argumentum autem est quod Prophetæ quidem & Apostoli de nulla re sibi secundum rem ipsam contraria dicunt. Post hos vero Doctores nimis in multis & non paruis, & exponendo scripturam, & dogmatisando contraria sibi invicem, secundum rem ipsam dicunt: vt sine periculo nobis iam fiat, cui volumus assentiri. At vero Spiritum sanctum & ex Filio procedere, neque per naturalem nostram rationem comprehensibile mihi esse videtur; neque ex ipsa sacra scriptura, sine omni ambiguitate certissime ostendi, neque adhuc per generale Concilium, quod sciam, ratificatum est. Ergo etiamsi à multis sanctis id ipsum dicitur, nolle assentiri, nullum periculum mihi videtur esse. Restat ergo considerare auctoritatem Romanæ Ecclesiæ, ne necessarium sit, quoniam mater est, & prima omnium Ecclesiarum credere simpliciter, quodcunque ipsa semper de Deo dogmatisat.

* Nyssenum

Sed ad hoc euenit mihi rursus hæsitare, ne forte in dogmatibus fidei, quibus fidelis ab infideli distinguitur, non idonea sit illius Ecclesiæ auctoritas; sed requirenda etiam universalis Ecclesiæ. Hoc autem dubito ex multis.

Primum, quod in symbolo fidei non dicimus credere in Romanam Ecclesiam; sed in Catholicam. Quamquam quid probibeat etiam illud nos dicere, si satis esset?

Deinde olim in diversis orbis partibus, cum multæ ortæ fuissent hæreses & quæstiones, & de Filio, & de Spiritu sancto, & de incarnatione: non referebantur quæsita ad Romanam Ecclesiam, vt ibi examinata & determinata omnibus tradantur: neque alij ad hoc solum respiciebant, quidnam illa Ecclesia de eis determinaverit: sed generalia aggregabantur Concilia & totius Ecclesiæ cognitio & sententia, de dubitatis vocabatur: cum hoc esset multo difficilius quam illud magis est: neque iussu Papæ illa Concilia aggregabantur

sed pro ut apparet & per chronicas & imperiales epistolas, & per allocutiones ipsorum Imperatorum ad eos qui in illis Conciliis erant, imperialibus celebrabantur iussis. In quibus Conciliis, licet primum locum Papa obtinebat, vel eius legati; tamen Canones & determinata dogmata, non sunt exposita singulariter ex persona Papæ; sed ex persona totius Concilij.

Ad hæc igitur mihi respicienti, nimis necessarium videtur, & in præsenti quæstione, ut concurrat simul cum Romana Ecclesia, etiam totius Ecclesiæ auctoritas, atque cognitio. Siquidem & hoc ex debito necessitatis erit credendum. Quid igitur? ad credendum ne ex Filio procedere Spiritum sanctum dico me hæsitare, ex solo vero Patre ipsum procedere, quod multi dicunt, arbitror recte dictum? Multum deficio. Sed si potest dici, multo adhuc dubitabilius & incredibilius ad hoc me habeo.

Primum enim per communes & naturales notiones ipsum demonstrari, per easdem utique, quas & prius dixi causas, impossibile mihi videtur. Deinde & in tota sacra & divina scriptura nullum invenitur dictum tale, per quod non dico aperte demonstrari; sed vel coniectura & suspicione percipi possit, quod ex solo Patre Spiritus sanctus procedit. Neque enim quoniam dixit Dominus, qui à Patre procedit; ideo statim putari debet quia non ex ipso quoque procedit. Assuetum enim est ipsi salvatori, sua & Patris communia Patri ut plurimum attribuere, non addentem verbo & se. Vt in illis: Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur, & nemo potest venire ad me nisi Pater meus attrahat ipsum. Quamvis, quis negare præsumpserit, & ipsum Filium non plantare in pietate fidelium mentes, & ad salutem attrahere eas? Quare restat & de proposito ambigere, ne forte simile sit illis; quæ Patri attribuuntur quidem, sunt aliis communia. Multa enim talia in Evangeliis reperiuntur: ubi etsi distinguendo dixisset, qui à solo Patre procedit: neque sic tolleretur omnino quærere ne, & ex eo procedat. Nam alio loco ait. Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum; quamvis & ipse verus Deus existens. Et illud: Nemo cognoscit Filiũ nisi Pater: & Patrem nemo cognoscit nisi Filius: quamvis & Spiritu sancto similiter cognoscente, & Patrem, & Filium. Quare & in illo si similiter dictum fuisset, posset utique ambigi, ne forte ipsum tale esset, soli quidẽ Patri attributum, nihilominus autem & Filij existens. Adhuc autem etsi aperte fuisset dictum: Qui non à me, sed à Patre procedit: & ita nil minus ambigi posset. Multa enim communium dixit, neque se habere, neque facere. Mea doctrina, ait, non est mea sed Patris: &; non veni facere voluntatem meam: sed voluntatem eius qui misit me. Et, sedere à dextris & à sinistris meis, non est meum dare vobis, sed his quibus paratum est à Patre meo: & horam illam, neque Filius novit, nisi solus Pater. Quare si & illud similiter fuisset dictum, esset adhuc locus ambigendi: ne forte cum his sensu dictum fuisset, quamvis commune.

Vbi igitur & assuetum est Christo communia Patri attribuere, & neque distinguendo dixit, qui à solo Patre procedit; neque, Quod non à me: dubitabile prorsus & ambiguum efficitur, quomodo dixit hoc Salvator: utrum ut intelligatur id solius Patris proprium esse, an volens commune; id est, sibi & Patris intelligi: quemadmodum & alia quæ similiter ab eo dicta sunt. Similiter & in symbolo fidei, quod Nicænum Concilium incohavit, & Constantinopolitanum consummavit: legitur quidem ita simpliciter: Qui ex patre procedit. Sed utrum ideo non addiderunt, & ex Filio, quoniam neque sapiebant hoc ipsi synodorum illarum Patres, nullatenus mihi certum patet.

Primum enim præter ea dogmata, quæ in symbolo sunt, multa sunt & alia nimis necessaria ad fidem dogmata, & de Deo, & de providentia, de duabus naturis & voluntatibus & operationibus: de una persona, de pœnitentia, de sacramento Eucharistiæ, de non esse præexistentiam animarum, vel principium substantiale malorum, & de multis aliis.

Circa quæ illos quidem Patres, verisimile erat recte sapere, in symbolo tamẽ ipsa non posuerunt. Quare restat ambigere, ne forte & hoc illorum sit, quæ in symbolo quidem non dicuntur, aliter vero ab his creduntur. Quamquam sãctus Athanasius, & magnus Basilius, & frater eius: qui dicuntur interfuisse prædictis Conciliis, manifeste videntur, idipsum quod Latini dicunt sapientes. An dicet aliquis corrupta esse horum scripta? sed ego & hoc incerto existente, merito utique ambigo.

Deinde neque hoc servaverunt omnino in symbolo, ut communia trium personarum vel duarum, assignent ut communia: propria vero sola unicuique attribuant: sed è contrario in multis propter compendium, ut æstimo, fecerunt. Nam Omnipotens cum esset commune, Patrem omnipotentem dicentes, Filio vel Spiritui hoc non dederunt. E converso vero de Domino fecerunt, Filium & Spiritum Dominum dicentes: item *Factor* quidem omnium Spiritus sanctus est: sed hoc Patri & Filio tribuentes, de Spiritu nihil horum dixerunt. E converso vero vivificantem esse, & locutum esse per Prophetas, cum essent communia, non Patri vel Filio; sed Spiritui reddiderunt. Rursos esse lumen de lumine, & Deum verum de Deo vero; communia sunt Filij & Spiritus: illi vero de Filio, non de Spiritu hæc dixerunt. Quis igitur novit, quod non similiter commune Patris & Filij sapientes esse, quod ex eis Spiritus sanctus procedit, satis putaverunt hoc ponere in Patre. Ego enim ex hoc neutrum concludi considero, neque quod ex solo Patre, neque quod ex Filio procedit. Sicut neque de illo superius commemorato Evangelico dicto.

Sed & nimis miror de illis, qui certum aliquid putant se ex his habere: de scriptis vero sanctorum nostrorum Patrum, quæ ad meas manus pervenerunt, trium vidi dicta, quæ videntur præbere ad propositum aliquam difficultatem: sancti Dionysij Areopagitæ, & sancti Gregorij Theologi, & sancti Ioannis Damasceni. Vbi sanctus quidem Dionysios ait solum esse fontem supersubstantialis Deitatis patrem. Theologus vero geminum radium Patris, nominat Filium & Spiritum sanctum. Damascenus vero dicit, quod Spiritus non dicitur ex Filio. De quibus illud primum considero, quod etsi apertissimum esset, ipsos per hæc dicta sapere, quod Spiritus sanctus ex solo Patre procedit, & non, & ex Filio: nondum hoc per Concilium generale expresse examinato & confirmato: nullum esset propter eandem utique, quam & prius dixi, causam: nolle credere periculum: & cum his pluribus sanctis contrarium dicentibus, & explicantibus, & latius problema discutientibus: sicut Sanctus Augustinus, & Sanctus Cyrillus; multaque habentibus de sancta Scriptura dicta, non minimam suspicionem præbentia huius dogmatis. Et adhuc matre omnium Ecclesiarum, quæ nunquam superioribus deprehensa est aliquam hæresim defendere, idipsum affirmante. Quid potius his tribus credendum erit, semel hoc dicentibus & scripturarum testimonia huius ipsius minime habentibus?

Deinde huiusmodi dicta penitus sunt ambigua. Et ut primum de primo dicam, quoniam si Spiritus sanctus procedit & ex Filio, Filius hoc habet ex Patre, & Pater est Fons, qui non ex alio habet, ut sit Fons, vel ex alio emanat: Filius vero sit veluti fons de fonte, quemadmodum & principium de principio dicitur, incertum prorsus fit, quo sensu hoc dicit ille Sanctus: utrum sapiens, quia ex solo patre procedit Spiritus: an & ex Filio quidem ipsum sapiens. Dicens vero illud Verbum, ac si diceret, solus fons supersubstantialis Deitatis, qui non emanat ex alio fonte, & ex quo alius habet, ut sit Fons, Pater est, apud quem est Fons Filius, vitæ, scilicet Spiritus. Ad utrumque enim sensum satis se potest habere illud verbum.

Rursus de gemino radio. Primo quidem dubitatur ille sermo, in quo hoc scriptum est, utrum sit Theologi,

lugi, multum enim distat ab eius stilo: deinde nihil prohibet & utraque intelligi, & geminum radium esse Patris Filium & Spiritum, in quantum perfecte & ambo ex Patre habent *Esse*. Et rursus Spiritum & ex Filio procedere, eadem una & simplici processione, qua & ex Patre procedit, una existente in Patre & Filio spirativa potentia; nullo mirando, si in visibilibus radiis huius exemplum non videtur. Incertum ergo fit ex hoc verbo, quidnam qui hoc dixit, de proposito sentiebat. Et maxime quod ipse Theologus dicens de Filio, quod solus de solo, de quo nemo erat suspicaturus, ne forte secundum Deitatem, non ex solo sit Patre. De Spirito sancto nusquam ait: solum de solo. Ex quo non parvam suspicionem præstat, ne forte & ex Filio sentit ipsum.

Damascenus vero pene videtur sola voce discrepare ab his, qui dicunt ex Filio Spiritum sanctum procedere, non tamen & re. Ita se habere ad Patrem, Filium, & Spiritum, quemadmodum ad solem se habet radius & illuminatio: quæ utraque quidem sunt ex sole. Per radium vero nobis illuminationem tradi ait. At vero idipsum pene est, & quod sentiunt, qui & ex Filio Spiritũ sanctum esse dicũt. Sicut enim radius simul procedit de sole, & accipit ex eo, ut emitteret illuminationem: ita & Filius, ut aiunt, simul natus est ex Patre, & accipit ab eo spirare Spiritum. Et sicut sive dicatur illuminatio ipsa & ex sole esse, & ex radio, sive ex sole per radium, non tanquam ex duobus principiis sole & radio, illuminatio esse dicitur: ita & ipsi minime aiunt tanquam ex duobus principiis Spiritum sanctum procedere, ex Patre Filioque, sed tanquam ex uno. Quare & eadem pene videtur sentire his, & Damascenus.

At sine hoc radii & illuminationis exemplo, dictum illud per se, quo dicit: Spiritus non dicitur ex Filio, ambiguum est. Non enim idem est dicere; hoc non dicitur, & hoc non est: in multis enim dissonat, cum sint multa quæ non dicuntur, & sunt. Velut si quis dixerit, Spiritum sanctum non dici in scriptura, *Deum verum de Deo vero*. Ergo quoniam Damascenus non dixit, quod Spiritus sanctus non est *ex Filio*: sed quod non dicitur *ex Filio*; incertum utique est quid de hoc sentiebat: utrum tanquam neque ente: neque dicto: an tanquam non dicto, & ente. Sed de his satis sit.

Videamus ergo & fortissimos ad hoc eorum syllogismos. Exponam autem eos non mea eruditione: sed ut de verbo ad verbum eos exponit quidam nostratum sapientum, in suo contra Latinos tractatu. Ait enim sic. Si Spiritus sanctus procedit & ex Filio, ut aiunt Latini; contingit necessario aut duo principia esse in Deitate; aut Patrem & Filium unam esse respectu Spiritus personam. Duas enim scimus differentias eorum, quæ de Deo dicuntur.

Alia enim sunt eorum substantialia & naturalia, quæcumque & divisim de qualibet persona prædicantur, & singulariter simul de tribus; ut *Bonum sapiens* & similia. Alia sunt personalia, quorum singulum, aut de una sola persona prædicatur: aut si prædicatur divisim de pluribus: impossibile tamen est, simul singulariter de eisdem prædicari. Vt emanare ex alio, cum sit personale, prædicatur & de Filio, & de Spiritu, & est, & Filius emanans, & Spiritus emanans: non tamen hi duo unus emanans est: sed duo emanantes. Vere enim impossibile est, unam personalem proprietatem de duabus personis, etiamsi sint eiusdem substantiæ, singulariter prædicari.

Quamvis enim aliqui duo idem audiunt, vel vident, vel intelligunt, vel volunt, vel quodcumque agunt: non tamen possumus dicere, quod unus audiens, vel videns, vel intelligens, vel volens est: sed duo. Ergo quoniam esse principium Spiritus, & spirare Spiritum, non est substantialium proprietatum: sed personalium: non enim prædicatur de Spiritu siquidem, ut ipsi aiunt, & de Filio prædicatur: necessarium est dicere Patrem & Filium duos Spiratores, & duo principia esse Spiritus sancti. Quod pro certo inconveniens est.

Si vero dicit aliquis, quoniam uno & simplici & eodem modo ex utroque procedit, ideo unus est simpliciter spirator Spiritus sancti Pater & Filius: ille necessario incidit in alterum inconveniens. De quibus enim una numero personalis proprietas seu differentia singulariter prædicatur: illa utique secundum unam numero prædicationem eadem numero sunt. Quare? quia spiratorem esse personalis est proprietas seu differentia, aggregantur Pater & Filius secundum id ipsum quod sunt unus Spirator ad unam personam. Pater ergo & Filius in quantum ad invicem referuntur, duæ personæ sunt. Per id vero quod unus Spirator sunt, una persona sunt.

Si vero dicit aliquis quod sicut Pater & Filius unus Deus est & unus æternus, ita & unus est spirator Spiritus sancti: Respondebitur, quod sicut Deum esse, & æternum esse & alia substantialia singulariter de Patre & Filio prædicata, repræsentant eorum unam substantiam & essentiam: Magis autem per id quod eorum est simpliciter, & summe una substantia: contingit & hæc substantialia singulariter de eis prædicari, ita & esse spiratorem: cum sit personalis proprietas seu differentia & singulariter prædicetur de Patre & Filio, assignabit eorum unam esse secundum hoc personam. Magis autem ex eo, quod esset secundum spirare eorum una persona: contingeret hoc singulariter de eis prædicari. Si vero hoc impossibile est, & illud ex quo ortum hoc est impossibile.

Hoc est illius argumentum, quod multi aiunt in nullo deficere * ad necessitatem a Geometrica demonstratione. Totum vero robur eius pendet ex duabus communibus notionibus: una quæ ponit impossibile esse, unam personalem proprietatem, de duabus personis singulariter prædicari. Altera vero quæ sumit de quibus una numero personalis proprietas singulariter prædicatur; illa secundum idem eadem esse numero. Et vere si scirem pro certo has notiones communes, veras, esse, & in supersubstantiali essentia: reciperem utique & conclusionem. Sed ego hoc nimis ignoro. Et eadem mihi eveniunt hæsitare, quæ & ad Latinorum syllogismos superios dubitabam. Nam etsi concedatur in his rebus, quæ sub mente nostra sunt, quarum videlicet intelligendo dominamur, & quas tangimus & comprehendimus veras esse dictas communes notiones, quod etiam ipsum multas potest habere contradictiones, quæ necessitas est, ut etiam in dissimilibus & aliter se habentibus rebus & nostras infirmas intelligentias infinities infinite fugientibus, & ideo incomprehensibilibus, & superintelligibilibus eædem sint veræ? Si enim vere superius dicebamus, omnes in entibus veras communes notiones: & usque ad supersubstantiale posse concedere: unde pro certo sciemus, hæc quarum sunt, utrum earum, quæ usque illuc extenduntur, an non? Neque enim in notis rebus à nobis reperiuntur alia duo, quæ per omnia ita se habent inter se, sicut ibi Pater & Filius, inter sese habent. Fortasse enim & unus est spirator Spiritus sancti Pater & Filius, & Deitate transcendente, etiam duas dictas communes notiones, nullo modo contingit unam personam esse Patrem & Filium respectu Spiritus. Et qualiter non contingit hoc, nullum miraculum est nos ignorare: qui & confitemur nos penitus ignorare illud quod processio à generatione distinguitur. Item cum necessarium sit, aut credentem & in divinis veras esse prædictas communes notiones, deceptos putare, & S. Augustinum, & S. Cyrillum, & alios, qui manifeste dicunt Spiritum sanctum & ex Filio procedere, aut his assentientem credere Deum superiorem etiam esse prædictis duabus communibus notionibus. Hoc mihi multo tutius & religiosius videtur.

* scilicet Nuga Græcanica.

Videamus si placet & aliud eiusdem argumentum: quoniam ait: Pater & Filius, sunt & unum sunt & duo. Aut procedit Spiritus ex Patre & Filio, in quantum unum sunt, aut in quantum duo sunt: Sed si in quantum duo fuissent duæ processiones & duo principia

si vero in quantum unum sunt; quoniam hoc unum est substantia & natura & Deitas, Pater ergo & Filius, per id quod una sunt substantia & natura & Deitas, spirant Spiritum. At vero secundum id quod spirant Spiritum, & differunt ab eo. Pater ergo & Filius secundum unam, quam habent substantiam & naturam & Deitatem, differunt à Spiritu. Non ergo Spiritus eiusdem est omnino cum Patre & Filio substantiæ & naturæ & Deitatis: quod contra fidem nostram est. Est autem hic paralogismus, per id quod sumit *simpliciter* quod *secundum quid* conceditur. Latini enim neque per id quod duo sunt, Pater & Filius, aiunt ex ipsis procedere Spiritum. Neque secundum quod simpliciter unum sunt; sed secundum id quod aliquid unum sunt. Scilicet secundum unam, quam habent spirativam potentiam. Quid igitur? illi secundum aliquid concedunt: iste simpliciter sumens *paralogismum* fecit. Est autem eiusdem & tale argumentum.

Nos, ait, Filium & Spiritum à solo Patre dicentes habere essentiam, quod per omnia entia convincitur verum esse dicimus. In omnibus enim unitas, dualitatis est principium. Illi vero Spiritum ex Patre & Filio esse dicentes, omnia entia contradicentia habent. Nusquam enim dualitas est principium unitatis. In his primum quidem videtur numeri superficialis ab unitate progressum conspicere, non tamen & linealis numeri progressum. In illo enim duo immediate ex unò progrediuntur: in hoc vero & duo ex uno procedunt: & tertia unitas ex prima & secunda procedit.

Sed ego neque propter fantasma superficialis numeri, ex solo Patre dicam Spiritum sanctum procedere, neque propter fantasma linealis numeri, & ex Filio affirmabo. Neque enim tutum neque religiosum puto, huiusmodi nostris imaginationibus tanquam regulis in supersubstantialibus uti.

Deinde Latini non aiunt dualitatem principium esse unitatis: sed Patrem & Filium, per id quod aliquid unum habent, unum esse principium, non duo unius. De syllogismis quidem illorum hæc dicta sufficiant. Hic enim sunt eorum quos vidi, qui videntur esse fortissimi. Cogito autem & ita. Quoniam Spiritum à solo Patre procedere, neque sensibile est, ut possit per sensum percipi: neque naturale, vel aliquid contingentium, ut possit ea quæ proprie dicitur opinione & imaginatione cognosci: sed est super sensum & sempiternum: necessarium est, ut sit recte ei assentiendum, aut scientia aut fide hoc facere. Sed ego putare hoc esse scibile & demonstrabile & communibus nostris notionibus comprehensibile; carentis scientia arbitror esse. Restat itaque fides.

At vero illa talium dogmatum dicimus nos recte credere, quæ dicente aliquo ingentem auctoritatem habente, & cui credere quidem est salutare, non credere vero periculosum, nos accipimus. Cui igitur tali ego credens non temere mihi videbor hoc facere? sacræ ne scripturæ? at nihil tale ipsa loquitur. An generalibus Conciliis hoc determinantibus & dogmatisantibus? sed neque hoc. An multis sanctis exponendo sacram scripturam hoc aperte & per multa tradentibus, & ex illa hoc habere asserentibus? & quomodo hoc possit dici? an postremo matri Ecclesiarum? at vero hæc contrarium dicit. Nonne ergo summæ erit dementiæ, dicere quidem credere aliquid de Deo, non habere autem assignare, cui credens recte hoc admittit. An dicet aliquis, quod reliquum est, illuminatione quadam occulta & divina se hoc sensisse? sed ego nondum hanc adeptus sum.

Habes & causas, per quas neque necessarium, neque tutum, neque alicuius prudentiæ æstimo esse, & huiusmodi assentiri dogmati. Quoniam vero superius dixi: adhuc incredibilius me ad hoc habere, quam ad illud quod Latini dicunt: volo tibi & hanc compassionem ostendere.

Primum quidem video maioris esse audaciæ, negare non procedere & ex Filio Spiritum, quam oppositum. Sancto enim Dyonisio dicente, in ipso de divinis nominibus: non audendum totaliter de Sancta Trinitate intelligere aliquid vel dicere, præter ea, quæ divinitus nobis per ipsa expressa sunt per sacratissima eloquia. Illi qui dicunt à solo Patre procedere Spiritum sanctum, audaciæ huius utique rei sunt. Quod enim per sacratissima eloquia ostendi minime potest, hoc ausi sunt ipsi de Deo intelligere.

Latini vero multis in sacra Scriptura dictis non parvam suspicionem præstantibus, & ex Filio Spiritum sanctum procedere, ipsi ut credo, putantes ex illis hoc significari, erga sacram Scripturam, reverentia & religione, & volendo ad ipsam obedienter se habere, hoc recipiunt. Quare multum differt hoc ab illo. Nullius enim, vel minimæ audaciæ videtur esse.

Item non mediocris & audaciæ & præsumptionis procul dubio est, in dogmatibus de summa Trinitate, suam cognitionem sanctorum & magnorum Doctorum cognitioni præponentem. At vero qui dicit ex solo Patre procedere Spiritum sanctum, multis & magnis Sanctis, & præcipue S. Augustino, & S. Cyrillo, qui latius & apertius oppositum docent, se ipsum necessario putat sapientiorem & religiosiorem. A Latinis vero nihil huiusmodi peccatur, nullo sanctorum à solo Patre procedere aperte & indubitabiliter tradente.

Deinde supponens in parte utrumque falsum esse, & perquirens, utrum falsum existens, maioris sit periculi, invenio dogma Latinorum multo tutius. Hoc enim etiamsi sit falsum, tamen addit ibi aliquid velut Deo dignum, nihil adimendo. Spiritui enim nihil detrahit. Non enim ex hoc minoris dignitatis, quam Filius sit. Filio vero nihil auferens,* de his quę habet, detrahens, addit, quod non solum ipse perfecte est Spirator, verum etiam spiratorem genuit. Illud vero quod Græci dicunt, siquidem falsum est, pape, quam magna blasphemia est? addens quidem nihil, detrahens vero, Filio quidem spirare Spiritum, Patri vero generare spiratorem. Et est simile, ut si quidam Scriptura tradente erga quatriduanum Lazarum Domini miraculum unus diceret, non obiisse illum: sed passionem quandam circa cor ei accidisse, & visum esse mori. Dominum vero quarto die, passione illa ipsum liberasse. Alius rursus diceret triginta dierum mortuorum vel adhuc ultra resuscitatum fuisse à Domino. Utraque enim falsa essent. Sed unum detrahit, aliud addit illi miraculo, ut non sit æquale peccatum.

* nec patri.

Consequenter rursus perquirens, utrum falsum existens rationabiliores possit habere in iudicio excusationes? invenio multum interesse. Latinus vero, siquidem falsum dicit, reddendo huius rationem, multa poterit habere bona refugia. Quod in divina scriptura multa fuissent, quæ videbantur hoc concludere, & ipse voluisset reverenter ad ipsam se habere: quod ex fide, zelo, devotione, amore ad ipsum dominum credebat, adversus eum se blasphemare, nisi crederet ex ipso Spiritum sanctum procedere. Quod multi sanctorum, qui in ipso iudici placuerunt, hoc aperte & per multa tradidissent, quod matrem Ecclesiarum semper hoc docuisset. Ei vero qui alterius partis est, siquidem errat, neque aliquid horum convenire ad excusationem in iudicio invenio: neque aliud, ut ita dicatur, quicquam ratione dignum.

Item quoniam homines multa contra ea, quæ opinantur ex aliqua contentione, vel sui amore, vel alia quadam passione dicunt, perquirens ego, quos magis verisimile est à principio ex aliqua tali passione commotus dicere: utrum Latinos, quod ex Filio; an Græcos, quod hæresis & error hoc est, invenio rursus eandem differentiam. In multis enim his nostris subditis illi Ecclesiæ, & multis hic æstimando se à* matribus iniuriam pati ad ipsam refugientibus, illaque excommunicatione & aliis iussis & omni modo coërcere, hic maiores ab iniuria conante: & hoc, ut verisimile est, his non parum displicente, istis quidem ex diffamando

* maioribus.

illam

illam Ecclesiam in dogmatibus peccare, suæque hoc persuadendo, videbatur advenire magna malorum liberatio: & videlicet omnia secundum beneplacitum suum facientibus: nullus de cætero illuc recurrere velit, atque illi rationabiliter videantur, iussis Papæ nolle obedire.

Itaque Imperatori hoc provenit, quod prius non habebat, Patriarchas confirmare & proponere, & nullam relinqui Ecclesiã, quæ valeat ipsi in aliquo resistere. Ipsi vero Patriarchæ novæ Romæ, vt universalis nominaretur, & non secundus post primum, sed ipse primus in Ecclesia à consecratoribus æstimetur. Neutrum enim horum ante schisma erat. Latinis vero ea dicẽdo, ex Filio Spiritum sanctum procedere: neque aliquorum malorum liberatio; neque non præsentium bonorum acquisitio accedebat. Quare ea passione à principio commotos dicere magis Græcis quam Latinis videtur posse contingere.

Ea his igitur & talibus licet nondum visum est mihi fidem adhibere Latinorum dogmati, tamen multo viderur mihi rationabilius esse, non credi, quod Græci dicunt, quam illud. Tuum de cætero, sit quod & in principio precatus sum, te nobis in scriptis, revelare & significare velle, quidnam est illud, quod tibi persuasit, & ex Filio Spiritum sanctum procedere, pro certo credere: & ea hoc hæreticos & schismaticos eos, qui non hoc sapiunt, nec confitentur putare. Amici omnes salutant te. Et epistola hac lecta coram eis, eadem & ipsi hæsitare, & à te petere se dicunt.

Epistola Domini Barlaami Episcopi Gyracensis ad eundem Demetrium Thessalonicensem, respondens ad petita, hortatur eum ad vnionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

CVm accepissem, ô amicum mihi caput, tuam ingenuam & admirandam & disertissimam epistolam; legissemque & intellexissem, vt arbitror, quæ in ea sunt: ita tibi ad interrogata respondeo.

Ego neque prius sciebam, vtrum à solo, an non à solo Patre procedit Spiritus sanctus, neque nunc arbitror me scire. Puto enim huiusmodi problema & nunc & tunc, quemadmodum & tu in epistola optime dicere mihi videris, super omnem esse humanam & scientiam & mentem, & methodum & demonstrationem. Sed & prius credebam quod à solo Patre, & nunc rursus credo, quod etiam ex Filio. Recessi vero ex illa credulitate per easdem causas & easdem cogitationes, per quas & tu per multa ostendisti in eadem epistola, non debere te credere putasti his, qui à solo Patre dicunt, sed multo incredibiliores hos aliis esse debere discernis.

Quæ autem me ad firmiter credendum & ex Filio procedere Spiritum sanctum duxerunt, tria maxime sunt. Quorum duo & in tua epistola continentur: scilicet, quod multi nostrorum Patrum, & magnam opinionem habentium, sacram & divinam exponendo Scripturam, ex ipsa aiunt se intellexisse, & ex Filio Spiritum sanctum procedere. Et ideo apertissime & per multa in suis scriptis hoc docent, Sicuti S. Augustinus, S. Cyrillus. Et secundum quod etiam Romana Ecclesia, quæ & dignitate & dominio, & erga Scripturam diligenti studio superat omnes, quæ semper recta defendit dogmata: idipsum à principio docet & tenet. His enim duobus, ô amice, tertium additum, quod tu videris adhuc ignorare: quia etiam generale Concilium, de eodem ipso celebratum est in Lugdunis: quod hoc affirmans, contradicentes omnes pro hæreticis haberi statuit. Hoc inquam ab omni ambiguitate remanens, totum facit huius dogmatis. Ab hac enim synodo & habente & faciente, quæcunque oporteret habere & facere generalem synodum, examinato & determinato, & ex Filio procedere Spiritum sanctum: Qui hoc non recipit tanquam iam Catholicæ Ecclesiæ auctoritatem & dogma contemnens, iuste vtique & merito schismaticus & hæreticus habebitur. Et credo, quod si fuisses de hac synodo informatus, non adhuc videretur tibi non necessarium esse, hoc recipere dogma. Et nunc quidem transmitto tibi, determinationem huius synodi, in fine epistolæ scriptam. Postmodum vero, si Deus voluerit, mittam tibi & huius acta: ea quibus scire poteris, & quod generalis fuerit, & quod nihil eorum, quæ debebat habere & facere omisit.

De expositione vero nonnullorum dictorum scripturæ, ex quibus Latini suum concludunt dogma, de quibus dixisti, propter quod possunt habere duplam expositionem, te ambigere & non habere cui magis assentiaris; potes vtique & illud cogitare, quod illi quidem, qui exponunt ipsa, ita vt concludant & ex Filio Spiritum procedere, divini viri sunt: Sanctus videlicet inter alios Augustinus & Sanctus Cyrillus. Alios enim Latinorum Sanctorum, qui similiter eadem exposuerunt, omitto. Videris enim eos minime invenisse. Illi vero qui eadem ipsa aliter exponunt, addentes idipsum minime posse esse, alium eorundem præter hunc intellectum, Græci sunt: qui post schisma Latinis contradicunt. Quoniam antiquiores Græci, qui similiter modernis Græcis eadem exponunt, nullo modo addunt, impossibile eorundem, & alium esse sensum. Scis quippe quod nimis in multis potest fieri, eorundem diversos esse intellectus, non repugnantes sibi, & non omnes ab omnibus aperiri: sed alios ab aliis. Quales sunt repugnantes intellectus, & tu ostendisti in pluribus dictis & magis ad concludendam necessariis ex eis Latinorum conclusionem. Admittentes enim Latini integre, & illum, quem dixisti eorundem posse fieri alium sensum: ita suum habuerunt. Quare cum sancti & beati viri: qui vtroque modo huiusmodi dicta intelligunt, & ex Filio procedere Spiritum sanctum ex ipsis concludunt, non tales vero sint illi, qui prout volunt, eadem intelligentes, illum sensum per quem processio Spiritus sancti, & ex Filio concluditur, negant: non debemus æqualem vtrisque fidem adhibere. Quamquam illam per insufflationem Spiritus donationem, si parum diligentius considerabis; invenies secundum Latinos sensum solum & minime alium posse habere: nisi quis omnino coacte & sophistice idipsum exponere voluerit.

Attende enim ita. Dixisti, aliter exponentes dicere velle ex hoc scripturam nos intelligere, quod Spiritus non est maior Filio, & quod deificantia charismata, communia sunt & Filij & Spiritus. At vero ad hæc intelligenda vel credenda, sufficiebat tantum dicere: Accipite Spiritum sanctum: insufflare vero nihil ad huiusmodi sensum confert. Neque enim ipsa Spiritus substantia, neque eius ipsa gratia erat ille corporaliter de sancto ore exiens flatus, neque Apostoli absorbentes illum, gratiam acceperunt, cum aliter non possent: Quid igitur volebat sibi insufflatio illa? si quidem & dicente ipso tantum: *accipite*, vel, *do vobis Spiritum sanctum*, habet quod Græcorum vult expositio? an certe, vt ait S. Augustinus, quemadmodum in multis scriptura de sensibiliter, & in tempore vel factis vel dictis, reducit nos ad intelligibilium & sempiternorum contemplationem; ita & signum hic aliquod hoc præbuit Salvator, reducens nos ex ipso ad intelligendam vel credendam intelligibilem, magis autem superintelligentiam, & ex se sui consubstantialis Spiritus processionem? Ergo si hoc solummodo rationabile est intelligi, rationabile certe quoque credere est.

De syllogismis vero ipsorum & argumentis, quæ ais, non de necessitate concludere propositum, neque posse animæ *inquisitiuæ* ad plenum satisfacere, non enim hoc mirandum. Scis quippe quod in multis, vera conclusione existente, nimis prave ad eam sermones fiant, non semper ex imperitia dicentium hoc contingente; sed aliquando ex ipsa propositæ rei natura: non abundante melioribus atque fortioribus sermonibus. Aliquando vero arbitrante ipso dicente per

huiusmodi sermones audientibus maxime persuaderi posse. Sæpe enim contingit ea per quæ aliis persuadetur, apud alios ridicula putari. Item neque per quæ cuiquam est persuasum aliquid, per eadem semper aliis, semper persuaderi nititur; sed quia sequi eos æstimat, hac & ducere tentat. Ita igitur & Latinos noli putare his syllogismis & argumentis credentes tenere, quod dicunt: Ipsi enim hoc credunt ex tribus illis, quibus dixi & me ad idipsum credere: te vero existente super rationem, & multis nolentibus ex dictis tribus similiter hoc credere, sed potius argumentis & syllogismis humanis & Deo condignis, oppositum ostendere conantibus: ipsi cupientes ad se hos convertere, quæ utique cogitant semper de proposito accomodata esse, ad refellendos eorum syllogismos, & ipsis fortasse persuadendū recipere, quod quæritur: hæc & dicunt, minime, ut dixi, per eadem ipsi idem credentes; sed propter aliorum incredulitatem, ac per similes syllogismos cootradictionem, huiusmodi coguntur uti sermonibus: per quos non est incredibile & multis persuaderi.

Causa est igitur eius, quod ad acutum & investigativum tuæ *Deiformis* animæ defectuosi videntur eorum syllogismi, sublimitas propositæ quæstionis, efficaciores non suscipiens syllogismos: & quod eos faciunt ad habitum: uti connectunt, non credentium, & per similes syllogismos oppositum defendentium: ut etiamsi non ad plenum eis persuadetur; attamen multum confidere suis syllogismis, eis auferatur: & his qui sunt adhuc ad fidem infirmiores, auxilium quoddam præstetur, ne moveantur per similes syllogismos. Ceterum si omnes sentirent, ita dispositos, ut ego te ex tua epistola video, non utique talibus uterentur sermonibus. Attende autem & sic.

Ecce humana mente ratiocinati de illa re, de qua ait sanctus Dionysius, magis verificari omnium quæ dicimus, quæque intelligimus, negationes quam affirmationes: commune iam est & Latinorum & oppositum defendentium Græcorum. Fides vero nequaquam communis est; sed Latini quidem habent assignare quæ dixi tria, maximam habentia auctoritatem & dignitatem & magnitudinem ad fidem: quibus utique religiose credentes aiunt Spiritum sanctum & ex Filio procedere. Illi vero qui dicunt ex Patre tantum procedere Spiritum sanctum, ad nihil tale se reducere valent. Quare syllogismis omnibus circumscriptis, Latinis quidem remanet fides; his vero & fides & obligatio ablata est. Neque putes Latinos credentes Spiritum & ex Filio procedere, eiusdem Spiritus processionem vel similem putare Filij generationi; vel differentem quidem: aliqua vero penitus nota differentia, differre à generatione Filij. Et hinc hoc enim idipsum cum sanctis nostris Patribus, & ipsi credunt: ut quo differunt ibi generatio & processio, non omnimodo notum esse hominibus. Si vero in disputationibus ad Græcos, ut tu ais in Epistola, non videntur hoc servare: scito hoc eos facere, sicut & ipsi Patres vestri faciunt: qui dicentes multis locis, nullum esse exemplum, vel in sensibilibus, vel in intelligibilibus summæ Trinitatis; tamen propter eos, qui nequeunt fide percipere Trinitatis Sacramentum; ad multa condescendunt exempla. Ita & hos aliorum incredulitas & infirmitas evocat, ad condescendendum ad aliquas notas similitudines, propter quas videntur discernere processionem à generatione: ut ex his ad conclusionem, quam fide oporteret teneri, perveniatur; non putantes absurdum, si eos, qui per simpliciter sanativa curari non valent: per alius nociva ipsos ad sanitatem possint revocare. Sed de his quidem satis.

Necessarium autem arbitror adhuc & illud tibi ostendere: quod licet tria dixi superius esse, quæ coëgerunt me credere & ex Filio Spiritum sanctum procedere hoc est, multos magnorum Sanctorum hoc apertissime tradere, matrem Ecclesiarum hoc semper dicere: per generale etiam Concilium hoc fuisse affirmatum: tamen quodlibet horum, sine alia per se visum non habens, reliqua duo opposita satis se habere considero, ut idipsum credatur. Et tu qui adhuc videris ignorare, Utrum de hoc factum fuisset generale Concilium, si volueris tuas in epistola cogitationes, inter se conjungens advertere, quid ex ipsis necessario contingit, invenies valde necessarium, & ex sola auctoritate Sanctorum, quos dixisti: vel ex sola Ecclesiæ Romanæ te credere, quod etiam ex Filio Spiritus sanctus procedit. Adverte autem sic.

Dixisti te scire multos magnorum sanctorum exponendo divinam Scripturam tradidisse per multa, quod etiam ex Filio. Item dixisti quod huius oppositum, scilicet ex solo Patre, neque ratione potes intelligere, neque de sacra scriptura concludere: & quod nescis ullos sanctos hoc aperte tradidisse, vel generale Concilium hoc determinasse, & quod scis matrem Ecclesiarum minime hoc dicere.

At vero si quid de Deo multi & magni Sancti, exponendo divinam Scripturam dicunt; cuius oppositum neque ex ipsa Scriptura ostenditur: neque per rationem demonstratur, neque per sanctos aperte traditur, neque per generale Concilium determinatur, neque per matrem Ecclesiarum docetur; hoc credi nimis necessarium est. Si vero hoc ambigis & dubitas, utrum sit necessarium: sed illud minime dubitabis, sine periculo penitus quod tale est, posse credi. Si quidem non dubitas in sanctis esse eos, qui hoc crediderunt, docuerunt, & scriptura tradiderunt: ergo cum hoc sit sine periculo; vide quale sit dicere, quod ex solo Patre procedit. Ais enim quod hoc neque auctoritas, neque demonstratio compellit te recipere. Et multi magnorum Sanctorum cum matre Ecclesiarum aperte oppositum docent. Ergo ex volendo hoc tenere suspicio mox aliqua periculi conflatur. Ergo cum hoc sit pro certo periculosum; illud vero omnino sine periculo: duæque sint solæ partes Ecclesiæ: una quæ tenet, quod penitus est sine periculo: alia vero quod manifeste periculosum est: atque alia Ecclesia non sit collecta ex talibus hominibus, qualem tu adhuc ais te esse, neutrum extremorum tenens; in omnibusque, cæteris paribus, eligendum sit magis, quod sine periculo est, quam quod periculosum: nonne iam ex tuis cogitationibus vides concludi, nimis necessarium esse, Latinis eadem velle de proposito sapere: eodem vero modo; visa similiter Romanæ Ecclesiæ auctoritate per similia media transiens, pervenias necessario ad eandem conclusionem? Quare etiamsi nondum fuisset factum de hoc generale Concilium, tamen necessarium est recipere, quod Spiritus sanctus ex Patre Filioque procedit: & hoc negantes, nequaquam tanquam partem Ecclesiæ; sed tanquam omnino abscissos ab Ecclesia, & ad rationem schismatici cadentes putare. Quid autem? si ostendatur, quod primi illorum Græcorum, qui se separaverunt à Latinorum communione, non ratione; sed quadam irrationabili passione hoc passi sunt, nonne & ita patefactum erit, hos esse schismaticos? at vero nihil ita apertum fieri potest. Considerare enim ita oportet, ad evitandum rationabiliter matris Ecclesiarum communionem, duo oportebat necessario occurrere. Unum, tunc primitus incepisse Romanam Ecclesiam aliquid de dogmatibus fidei sapere & dogmatisare; quod prius neque docebat, neque sentiebat. Secundum est illud, noviter dogmatisatum ita se habere opposite & repugnanter aliquid eorum, quæ vel in sacra Scriptura aperte dicuntur, vel in generalibus Conciliis expresse determinata sunt, ut cum hoc sit, nullo modo possit illud esse; & cum illud sit, minime hoc locum habeat. Rationabilissimum enim esset à talia dogmatisantibus dividi. * Neutrum enim horum contingente, irrationabile velle omnino dividi relinquitur. At vero neutrum horum in exordio schismatis Ecclesiæ Romanæ contigit. Nam de processione, & ex Filio Spiritus sancti, sancti illi, quibus Ecclesia Romana mox credens, hoc tenet, facti sunt ante inchoatum schisma, alij trecentis, alij quadringentis alij vero & quingentia

*Neutro

A annis. Et ut vnum præ omnibus dicam; qui non transitorie, sed de eodem ipso principaliter loquens, apertissime id docet: magnum, inquam, Augustinum. Hic circa tempora Theodosij Magni claruit, annos videlicet ante schisma & ultra quingentos: cuius ex tunc Ecclesia vtique Romana scripta habuit, cum esset eiusdem linguæ. & dogmata veneratur.

At vero dicere & ex Filio, nihil oppositum est, ad dicendum ex Patre. Non enim si procedit & ex Filio, tollitur procedere & ex Patre; sed potius illo prius concesso, & ex Patre procedere necessario sequitur. Quæ vero ita se habent inter se, repugnantia non sunt. Ergo & divina Scriptura prius dicente, ex Patre procedere Spiritum sanctum; & postmodum Conciliis idipsum dicentibus, Ecclesia Romana dicens & ex Filio, non dogmatisat aliquid illis repugnans, & dicta illorum interimens; sed potius tale: quo concesso, illud B necessario confertur. Nam sicubi adhuc dictum non fuisset, quod Spiritus procedit ex Patre, & crederetur Ecclesiæ Romanæ, quod ex Filio procedit: ex hoc utique concluderetur necessario illud. Nam si procedit ex Filio, qui omnia quæ habet, ex Patre habet: procedit ergo & ex Patre. Quare non tolluntur ex hoc, quæ prius credebantur; sed adhuc magis roborantur. Ergo si in principio schismatis, nihil novum vel repugnans alicui eorum, quæ à tota Ecclesia credebantur, dogmatisare cepit Ecclesia Romana: quomodo non omnino extra rationem eius illi refutarunt communionem, vel quomodo non ex aliqua elatione & superbia, vel ambitione & avaritia, vel tali aliqua passione ipsi hoc passi sunt? neque enim illud, quod multorum est, dici potest, quod synodico canone prohibente, adimere aliquid vel addere, fidei symbolo, illi ab ausa aliquid addere merito discesserunt.

C Primum enim nullus talis Canon in Conciliis invenitur. Deinde non ante schisma, non in huius principio, non paulo post, sed multis post hoc annis, Ecclesia Romana, cum per multas prius legationes, de eodem Græcos admonuisset & hortata fuisset à deterrimo schismate discedere, ut non habuit obedientes, denique Concilium super hoc sibi obedientibus celebrari faciens, hoc in symbolo non immerito addidit. Quoniam si similiter tanta Christianorum gens negasset non esse Filium omnipotentem, vel vivificantem: & multæ adderentur quotidie huic hæresi: certe non careret ratione, si de hoc sani Christiani ad refellendam hæresim in symbolo id ponerent. Nulla itaque præcedente rationali causa, ob quam primi illi à matre Ecclesiarum se segregaverunt: certum est, quod & illi & omnes qui illos sequuti sunt, proculdubio schismatici sunt. Nullos enim alios appellamus schismaticos, nisi illos, qui principalioribus & dignioribus in Ecclesia dogmatizantibus * oppositis se habens, ad aliquid eorum, quæ vel in sacra Scriptura aperte dicuntur, vel in generalibus Conciliis expresse determinata sunt, vel à tota Ecclesia communiter creduntur, D à debita illis credentia & communione, propter quandam aliam passionem discedunt: sive multi sive pauci sint: nihil enim interest, quoniam non multitudine & paucitate, sed prædicta ratione schismaticus notatur, quoniam & hi complentes iure, & hoc nomine digni habiti erunt. Aut igitur ostendant, quid Latinis dicentibus contingit ex sermone ipsorum, necessario Spiritum sanctum non procedere ex Patre, vt ita tollatur, & quod in symbolo, & quod in Evangelio dicitur, & à tota Ecclesia creditur, aut si hoc impossibile est, sciant se extra Catholicam Ecclesiam esse, & nullo à schismaticis differre.

* opposite se habētes.

Quoniam vero ipsi undique coarctati, postremo ad Evangelium & ad septem generalia Concilia refugientes, putant ex illis excusationem schismatis sibi invenire: dicendum est ad eos: quod si quidem, ô amici, matre Ecclesiarum peccante vel in Evangelium, vel in Concilia, ipsi ab ea recedítis, recte facitis: si vero illa nihil peccante, vel in Evangelium, vel in Concilia; ipsi nihilominus eius recusatis communionem, E nullum certe vobis vel ex Evangelio, vel ex Conciliis suffragium penitus est. Ergo perquirendum est diligenter, quid est in Evangelium, vel in Concilia peccare? quod si putabitis, peccare in hæc, esse simpliciter dicere aliquid & dogmatizare de Deo, quod utrumque non invenitur vel in Evangelio, vel in Conciliis sive contrarium est alicui eorum, quæ ibi manifeste feruntur, sive non: hoc modo etiam omnes qui de Deo scribunt sancti in eadem peccant. Non solum enim innumerabilia de Deo dicunt & dogmatizant: quæ verbo in Evangelio, vel in Conciliis non inveniuntur: verumetiam multa dicunt, quæ neque per sensum eorum, quæ ibi sunt, concludi valent. Non ergo peccare est in illa simpliciter dicere, quæ ibi qualitercumque non inveniuntur; sed addendum est si sint & repugnantia illis. Quare peccare in illa est dicere aliquid oppo- F site se habens alicui eorum quæ ab illis dicuntur, ut alterum per alterum necessario tollatur. Et hoc solum est, quod paradogmatizare appellamus. Ita enim solummodo peccare in dogmata, & paradogmatizare definito, omnes qui unquam aliquid de Deo dixerunt, inculpabiles dimittemus.

At vero Romana Ecclesia, & ex Filio procedere Spiritum sanctum dicente, nihil penitus per hoc tollitur, vel eorum quæ in Evangelio continentur, vel eorum quæ in toto symbolo dicuntur, vel eorum, quæ per aliquod septem Conciliorum expresse determinata sunt. Quare & quomodo idipsum non concluderetur per aliqua sacræ Scripturæ dicta, neque per Sanctos aliquos traderetur: sed quoniam eorum quæ in Evangelio vel in Conciliis sunt, non destruit quidquam hoc dogma: certe Romana Ecclesia hoc dicens, neque in Evangelium, neque in Concilia peccat. His ergo qui à communione eius Matris existentis disce- G dunt, nulla vel ex Evangelio, vel ex Conciliis excusatio huius acquiritur. Neque ergo aliunde proveniente eis alia excusatione: necessarium est schismaticos ipsos esse, & à Catholica cecidisse Ecclesia. Sed ut apertissimum id fiat, ponendæ sunt iuxta se cogitationes, & sermo ita sit concludendus.

Peccans est circa pietatis dogmata, quem & paradogmatistam & hæreticum vocamus: qui sapit & docet aliquid ita opposite se habens, ad aliquid eorum quæ vel in sacra Scriptura aperte dicuntur, vel per aliquod generalium Conciliorum expresse determinata sunt, vt cum hoc sit, illud tollatur: & illud cum sit, hoc non possit esse. At vero Ecclesia Romana, nihil huiusmodi sapit vel docet. Non ergo circa pietatis dogmata peccat. Quare neque paradogmatizat, neque aliquam hæresim incurrit, & dignissimum & dominantissimum & principalissimum & summum & primum locum in tota Ecclesia habente: nunc Orientales minoris & humilioris existentes in tota Ecclesia & dignitatis & gradus & ordinis, à debito illi honore & obedientia, & com- H munione discedunt. At vero omnes quicumque in Ecclesia minoris & humilioris existentes dignitatis, gradus & ordinis: dignioribus, dominantioribus, principalioribus, prioribus, superioribus in Ecclesia; nihil in pietatis dogmatibus peccantibus, nullam hæresim incurrentibus, à debita illis reverentia, obedientia, & communione discedunt: proculdubio schismatici sunt. Contingit ergo hos necessario schismaticos nunc esse, quod est, separatos esse à Catholica Ecclesia.

Sed fortasse dicet aliquis ambigens: si amisit suam integritatem & perfectionem Ecclesia, & hoc non ex minima parte: Siquidem quinque eius principaliorum partium, à quibus tanquam sensibus quibusdam, vniversum eius corpus completum erat; quatuor lapsæ sunt: prima vero tantum remansit: quomodo de cætero non existens integra, Catholica est: vel cuius amplius corporis Ecclesia Romana caput est, ex quo illud quod initio unitum erat ei, discessit ab ea, vel quomodo totaliter viva esse potest?

Ad hæc primum quidem oportet considerare, quod

si quis eadem ipsa obiiceret ad ipsos Græcos, qui dicunt se solos in fide vivere, & ex se solis completum esse Catholicam Ecclesiam, capite perdito, quæ utique ipsi ad similiter ad eos obiecta respondissent: hæc nobis multo rationabilius ad hæc dicere conveniet.

Deinde siquidem animalis exemplum sequi voluerimus, non utique verum est, propter horum schisma universum Ecclesiæ corpus à capite dicere discessisse. Caput enim Ecclesiæ est, non totus Occideus & Septentrio; sed solios urbis Romanæ Ecclesia, hanc habet dignitatem. Tot vero & tantæ aliæ Ecclesiæ Occidentales & Septentrionales, & alia genera purorum Christianorum terræ firmæ & insularium cum ea remanserunt; ut hi quidem omnes correspondere valeant reliquo animalis corpori, & continuo capiti unito. Hi vero Patriarchæ, qui eam reliquerunt, manuum vel pedum proportionem, habeant: quæ abscisa à corpore, ipsa quidem de necessitate mortua sunt: corpori vero non semper interitum ferunt. Item, neque sicut in animalibus, loco corruptorum membrorum, caput alia condere nequit; ita quoque in Ecclesia est; sed semper capiti loco labentium, licet alia condere, ut semper ipsum sit cum integro corpore. Scimus enim quod Papa quidem potest creare Patriarchas. Patriarchæ vero Papam creare non possunt. Et ideo hi quidem nunquam hoc tentaverunt: Romani vero Pontifices ante schisma videntur & deponentes & promoventes Patriarchas.

Ergo quoniam nihil opposite se habens Evangelio, vel Conciliis sapit vel docet, prout ostensum est, non amisit utique creandi Patriarchas potestatem & virtutem.

Ergo cum hi Patriarchæ absque ulla ratione discessissent ab illo, & in eorum diœcesibus habitarent multi Christiani uniti illi, illo singulis horum à principio habendo huius iustam potestatem constituendi congruum Patriarcham, Ecclesia quidem Romana capitis rationem habens, & loco labentium membrorum alia semper condens; & viva utique est, & integrum reliquum corpus unitum sibi habet: eos vero, qui eam deseruerunt, sine capite de cætero & mortuos esse necesse est. Quare si putas necessarium esse generalibus Conciliis ad totius complementum, & quatuor interesse Patriarchas, & audias post schisma generalia aliqua Concilia per Papam esse facta; noli quærere, utrum & schismatici Patriarchæ illis interfuerunt: sed si eorundem Patriarcharum fide viventes & uniti suo capiti Patriarchæ interfuerunt. Non oportet plus hoc quæri. Generalia enim Concilia non ex hæreticis & schismaticis; sed ex orthodoxis & Ecclesiæ unitis colligi debent. Hæc tibi, ô amicum mihi caput, respondere Deus dedit. Det autem ipse tibi reliqua.

Epistola eiusdem Domini Barlaami ad Alexium Calochetam, in qua ostendit Græcos non obedientes Romanæ Ecclesiæ esse non solum schismaticos, verum etiam hæreticos.

AUdivi te admirari de me, quoniam eos, qui non communicant Ecclesiæ schismaticos appello. Ego vero puto me rationabilius admirari de te, quoniam admirandum putas, si qui illo nomine vocantur, cuius definitionem perfecte suscipiunt. Nam si volueris videre, quæ est schismatici ratio, invenies hanc iis qui à me schismatici vocantur, nihilo minus quam hominis rationem congruere. Ergo hoc sit ostendendum.

Cum itaque in Ecclesia alij aliis sint dominantiores, principaliores, & superiores: illi, qui minoris & humilioris existentes ordinis, & quibus convenit sub dominio aliorum esse, & sequi alios, de nulla hæresi habentes iuste accusare maiores: dividunt se ab illorum in religione societate: mox in se ipsis schismatici condunt rationem: Nam & ipsi ad nullam aliam, quam hanc definitionem aspicientes, eos qui evitant apud se maiorem communionem, schismaticos appellant; quales & tu non paucos scis in regnante civitate, eodem nomine propter nunc assignatam rationem, ab ultis vocari. At vero Romana Ecclesia *semissimum*, principalissimum, & summum in Catholica Ecclesia habente gradum: hi minoris existentes & inferioris ordinis; in tantum fugiunt illius communionem, quod neque eius sacerdotium putant verum esse sacerdotium, neque in Ecclesiasticis Sacramentis, volunt illi communicare: atque plures eorum etiam simul comedere simpliciter cibum cum quoquam Latinorum verentur: ergo si Ecclesia illa incidente, quod absit, in hæretici rationem, hi ab ea abstinent; irreprehensibilis est separatio, & schismaticorum rationis imperceptibilis. Si vero illa nulla hæresi coniuncta hi fugiunt eius communionem, pure in rationem schismatici incidunt. Ergo quærendum est, quem nominamus hæreticum, cui communicare in aliquo delictum est: in nullo vero communicare, non solum irreprehensibile est, verum etiam necessarium: & quem post primam & secundam admonitionem oportet secundum Apostolum ad Titum, nos evitare. Illius igitur, qui ita dicitur hæreticus, quærenda sit ratio, ut sciamus, utrum convenit aliquid eius Romanæ Ecclesiæ. Cum vero idem sit hæreticum esse & paradogmatistam, & peccare circa pietatis dogmata: quærendum est, quis est paradogmatista? & quis peccat circa pietatis dogmata?

Itaque cum tria sint, à quibus habemus huiusmodi dogmata, unum, divina Scriptura, secundum, universalia Concilia, tertium, Sancti nostri Doctores, qui post Apostolos sacram nobis exposuerunt Scripturam: si illum vocabimus hæreticum, qui quodcunque vel de Deo, vel de alio quovis sapit & dicit: quod neque in sacra Scriptura, neque in Conciliis, neque in doctorum scriptis totaliter invenitur: non bene nominabimus; quia per hanc rationem etiam multi nostrorum sanctorum Doctorum hæretici essent? Areopagita, Theologus, Nyssenus, sanctus Augustinus: qui non solum talia dicunt, quæ neque per sensum aliis conveniunt: alia penitus existentia, licet non opposita. Non ergo hac ratione hæreticum cognoscimus, cuius communionem fugiemus: sed eum, qui alia, præter omnes alios, de quavis re dicit, dum contraria & opposita suppositis non dicit, nondum tanquam hæreticum admonebimus. Neque enim peccat in manifesta dogmata, qui ea non tollit. At vero & si quis nihil penitus eorum, quæ in sacra Scriptura vel in Conciliis sunt, commovens, tamen alicui sanctorum Doctorum de quovis dissonat, hunc audacem quendam & præsumptuosum, & elatum & talia nominabimus, hæreticum minime. Quoniam per hanc quoque rationem, multi Sanctorum essent hæretici, qui in multis & magnis sibi invicem contraria dicunt. Nam de ipsa processione Spiritus sancti, ipsi aiunt, quod Damascenus, ubi dicit, ex Filio Spiritus procedere non dicitur, sapit, quod nullo modo ipse est ex Filio.

Sanctus vero Cyrillus qui multis annis ante eum fuit, in sermone de Spiritu, in dictis suis thesauris septies ait Spiritum sanctum ex Filio & esse & existere, & prodire: assignans & dicta Scripturæ, ex quibus id ipsum intellexerat. Sanctus vero Augustinus adhuc antiquior hoc existens in suo de Trinitate negotio, & nimis longum de hoc protendit sermonem, & in quarto, & in quinto, & in quintodecimo libro eiusdem negotij. Quid igitur? hæreticum nominabunt Damascenum, illis superioribus se secundum ipsos contradicentem: vel potius & se ipsos iisdem sanctis tantis rebus contradicentes, an minime? potest ergo fieri, quod is qui sanctis de Deo dissonat, nondum sit hæreticus.

Quis ergo hæreticus est & paradogmatista? quem post binam admonitionem fugiemus? an certe ille; qui sapit & dicit aliquid in dogmatibus, ita oppositum alicui eorũ, quæ vel in sacra Scriptura aperte dicuntur,

vel in generalibus Conciliis expresse determinata sont: ut enim hoc sit, tollatur illud: & cum illud sit, non possit hoc esse: atque talis ad illa repugnantia, est ex ea, quæ vitupetatut hæresis. Ille vero, qui tale aliquid, neque loquitur neque sapit, in alio quovis peccat, admonendus est quidem, alio nomine nominatus, non tamen tanquam hæreticus fugiendus.

Igitur cum hæc sit illa ratio qua hæreticus notatur, videamus qualitet se habeat ad eam Romana Ecclesia.

Duo sunt, quæ eius accusantes iuste aiunt se ab ea dividi. Vnum quod dicit Spiritum sanctum procedere & ex Filio. Aliud quod per azyma conficit. At per primum nihil eorum, quæ in Scriptura vel in Conciliis sunt, tollit. Dicente enim sacta Sctiptura, quod ex Patre procedit Spiritus sanctus, & Conciliis omnibus id ipsum dicentibus, Romana Ecclesia dicens & ex Filio, non oppositum aliqnid illi dicit, neque eiicit illud. Non enim si procedit & ex Filio, contingit necessario, minime procedete ex Patre; sed potius necessario confertur. Nam si procedit & ex Filio, qui omnia quæcumque habet, ex Patte habet: procedit ergo & ex Patte. Non ergo tollitut, quod simul trahitur.

At vero neque aliud eorum, quæ in sacra Scriptura vel Conciliis sunt, tollitut, ex eo, quod dicitur, & ex Filio procedere Spiritum sanctum. Non ergo secundum hoc incidit in hæteticorum rationem illa Ecclesia. At neque per azymum.

Primum enim nulli Concilio per hoc adversatur, quoniam nullum de hoc aliquid determinavit. Deinde neque sacræ Scripturæ per hoc repugnat. Et non hoc nunc dico, quia panis ille, quem sacrificavit Dominus, azymus erat, & azymum in Scriptura gerit imaginem sinceritatis & veritatis, sed illud sufficit nunc, quod divina Scriptura panem nominante & azymum & fermentatum, & nusquam iubet hoc vel illud distincte: certe neuter Scripturæ pugnat, neque *azymita*, neque *fermentarius*. Non enim quod nonnullorum est stultorum dicemus: quod ille est animatus, & iste inanimatus. Omnis enim panis sua ratione inanimatus est, & nullus animatus: divina vero virtute conversus nequaquam inanimatus, vel totaliter substantia panis, sed viva caro viventis Christi: qui carnem & animam rationalem & intellectualem ex nobis pro nobis assumpsit. Neque ergo per processionem Spiritus, neque per azymum illa Ecclesia cadit in schismatici rationem: quoniam per neutrum tollit quidquam manifestorum. At vero propter hæc sola, & non propter aliud aiunt se dividi ab illa. Non ergo illa Ecclesia hæretica est per illa, propter quæ ipsi dicunt se divisos esse: quia secundum ea in definitionem hæretici non cadit. Restat ergo hos schismaticos esse necessario, quoniam definitionis schismaticorum nihil omittunt. Quapropter hoc, ut puto, non amplius miraberis.

Vt autem neque si audiveris me hæreticum vocare eum, qui ex solo Patte asserit procedere Spiritum sanctum, admiteris: volo tibi & huius rationem assignare.

Dicebamus superius, hæreticum esse eum, qui in dogmatibus pietatis sapit aliquid & dicit, opposite se habens, vel ad divinam scripturam, vel ad generale Concilium. At vero sacræ Scripturæ pugnari dupliciter est: vel cum aliquis recte intelligit, quod ait Scriptura, & id ipsum proponit contraria illi dicere, æstimans illam mentiri; quod minime est Christiani. Vel asserens Scripturam omnino se venerari, dicta eius, quibus contradicit, aliter quam veritas se habet, intelligit & exponit, quod solum est hæretici. Ergo cum inveniamus aliquem talem, pugnantem quidem divinæ Scripturæ, non pugnare vero asserentem, ad quod nos iudicium referentes indubitanter sciemus, quod pugnatur & iuste post binam admonitionem ipsum devitabimus? An ad plurea? Sed qui melius & diligentius intelligont sacram Scripturam, pauciores sunt. An ad hos, qui in divinis sapientiores & magis eruditi sunt? sed fortasse ille unus est omnium sapientissimus: & potest fieri vt id ipsum verissime omnium ipse intelligat. An ad digniores & dominantiores & principaliores? sed ait Scriptura, si fuerit revelatum novissimo, sileat primus. Vnde non semper necessarium est verius intelligere eum, qui primus est. An ad eos, qui nunquam alias hæresim aliquam incurrerunt? sed unaquæque Ecclesia, quæ primitus in aliquam hæresim incidit, superioribus temporibus Catholica semper erat. Quare potest fieri eam, quæ prius semper orthodoxa erat, postmodum in hæresim cadere. An ad sanctos nonnullos: qui prout nos dicimus, Scripturas exponunt? Sed fortasse & hic cui contradicimus, Sanctus est. Et quemadmodum in illis alij alia contradicentes, tamen hæretici non sunt, ita & hic. Restat ergo ad iudicium generalis Concilij recurrere. At si videremus illum ipsum sensum determinans quorundam dictorum Scripturæ, cui repugnantem sensum hic dogmatizat & tenet, indubitabile omninò sit ipsum hæreticum esse. Ergo si quis tale in dogmatibus dicit, ut non unum vel duo, sed omnia supra dicta, & generale Concilium in contrarium concurrant, ac in præiudicium simul omnium appareat ipsum sacræ Scripturæ pugnare: hic est omnium manifestissimus hæreticus. Sed qui dicit ex solo Patre procedete Spiritum sanctum, talis est.

Et ut per prædicta omnia transeamus: Primum si quis quærit & proponit plurium iudicium, siquidem plures dicit, non rudes & illiteratos, sed legentes sacram Scripturam & intellectum lectorum utcumque sequentes, non utique inveniet hic tot tales, quod centenæ talium in illis inveniri possunt.

Si vero sapientiorum in divinis & magis eruditorum iudicium præfers, in illis quidem infiniti inveniuntur, ita in fine exercitati erga sacram Scripturam, vt audito aliquo ex ea dicto, habeat quilibet eorum statim assignare, & ex quo libro & capitulo est, & quis huius dicti sensus, & adhuc promptus sit; ad omnia dubitanda, probabiliter respondere. His cum locutus fuissem, sæpe sapientissimis eorum, nondum aliquem talem inveni. Puto autem neque esse eorum talem aliquem. Si vero digniores & principaliores & dominantiores quæris? Ecclesia Romana est, quæ habet in universali Ecclesia summum & dignissimum locum. Si vero eos, qui nondum alias in hæresim ceciderunt? ipsa sola est, de quinque Ecclesiis, quæ iure potest hoc gloriari. Si vero Sanctos: invenies sanctum Cyrillum & sanctum Augustinum, dicta scripturæ exponendo, planissime tradentes, & ex Filio Spiritum esse. Si vero generale Concilium? & hoc. Quia enim bi Patriarchæ Apostolicam deseruerunt Sedem, & imperialibus propositionibus se ipsos potius dederunt, & in schismatici rationem, vt ostensum est, ceciderunt: primum quidem Ecclesiarum mater, ne huiusmodi Sedes vacent, legitimis Pontificibus & canonice sacerdotium habentibus; constituit & ordinat, cuilibet earum suum Patriarcham. Deinde post multos annos generale Concilium celebrans, de eodem ipso omnium assensu declarat, hoc per Scripturam concludi, Spiritum sanctum ex Patre, Filioque, tanquam ex uno principio, procedere. Quapropter, qui hoc negat, & contrarium sapit, generalis iam Concilij iudicio sacræ Scripturæ pugnat. Et propterea in hæretici definitionem, manifeste incidens, purus hæreticus est.

Hæc autem & ad te scribo, & ad alios dico, non malevolentia aliqua, & contumeliose, sed cupiditate, vt Ecclesia Christi uniatur, & ad seipsam redeat, & omnes Christiani in fide & veritate idipsum sapiant, & charitatis vinculo sibi invicem copulentur, quod ut puto non in longum eveniret si hæc sola, quæ tibi scribo, in mentem omnibus venirent. Nam si persuasum fuisset eis in quo malo sunt, facile utique & huius liberationem quærerent. Quare nihil, vt æstimo, benevolentius pro omnibus communiter fieri potest, quam si talia ad eos dicantur & scribantur.

Eiusdem Domini Barlaami Episcopi Gyracensis probatio per sacram Scripturam, quod Spiritus Sanctus, & ex Filio est, quemadmodum & ex Patre.

DOmino nostro Iesu Christo iubente nobis, perscrutari Scripturas, duo hinc intelligimus. Vnum, quod pietatis dogmata non sola sunt illa, quæ ex verbis ipsis immediate à Scriptura traduntur: Verum etiam sunt alia, quæ per sensum dictorum perscrutantibus nobis elucescunt. Aliud est, quod debitores sumus, non sola quæ verbis prompte significantur tenere, verum etiam illa, quæ per sensum eorum emergunt. Nam si præter ea, quæ verbo significantur, non apparent & alia ex dictorum sensu similiter illis existentia ad fidem necessaria, non vtique dixisset, perscrutamini scripturas. Ad facienda enim ea, quæ verbo immediate significantur, illáque sola tenenda, non perscrutatione: sed lectione sola opus esset. Quare dixisset, *legite scripturas*. Idipsum intelligimus, & Apostolo ad Corinthios dicente: ***Littera occidit, Spiritus autem vivificat:*** Litteram dicente id, quod prompte in Scriptura per vocem significatur: Spiritum vero id, quod per debitam *scrutationem* in Scriptura per sensum eunflatur. Ergo si quid eorum, quæ de Deo intelliguntur, ita se habet in Scriptura, vt id quidem recta facta investigatione per omnem appareat Scripturam: Eius vero oppositum neque ex voce, neque ex sensu Scripturæ necessario concludatur, & adhuc sanctorum nostrorum Doctorum sint nonnulli qui exponendo divinam Scripturam idipsum manifeste concludant & tradant; manifestum, quod necessarium est hoc admitti & credi: vt, inquam, in divina Scriptura Spiritus sanctus neq; quod substantia est, neque quod accidens est, scriptum est: sed esse illum substantiam ex omnibus de eo dictis in Scriptura concluditur. Esse vero illum accidens, nullatenus concludi potest.

Prætetea sacri nostri Doctores, exponentes sacram Scripturam aiunt concludi ex ea, non tantum ipsum substantiam esse, verum etiam increatam substantiam, & consubstantialem Patri. Ergo necessarium est, & nobis hoc credere & confiteri. Simile igitur huic est, & quod Spiritus sanctus habet esse ex Filio, sicut ex Patre. Hoc enim per sacram Scripturam legitime investigantibus cam apparet: & multi sacrorum nostrorum doctorum exponentes Scripturam, manifeste id ipsum enunciant: sicuti S. Augustinus in multis suis scriptis, & S. Cyrillus in dictis suis Thesauris, prout potest quicumque vult inspectis eorum operibus videre quod dico. Huius vero oppositum, quod est ex solo Patre procedere Spiritum sanctum, & non ex Filio, nullatenus per scripturam concludi potest.

Illi enim qui hanc defendunt opinionem, credant se habere potissimum illud quod Dominus ait. Qui à Patre procedit, minime vero per hoc concluditur, quod ex solo Patre: nimium enim interest dicere aliquid simpliciter, & dicere, id ipsum distinguendo, ***quod solum***. In multis enim unum est verum, aliud falsum: vtpote si dicatur Filium esse Deum verum de Deo vero, verum est. Si vero dicatur solum Filium esse Deum verum, de Deo vero, falsum est. Id ipsum & in aliis plurimis invenies. Non ergo dicto, quod ex Patre procedit Spiritus, continuo per hoc necessario concluditur, quod ex *solo*, sed quantum per hoc reliquum incertum est. Neque igitur ex dicto verbo, neque ex alio sacræ Scripturæ concluditur: quod ex solo. Quia vero & ex Filio est Spiritus, omnis divinitus inspirata scriptura testatur. Incipiendum autem sit inde.

Argumentum Primum.

DE ingenita persona, duabus personis habentibus esse, quæri potest: quidnam causæ est, quod ipsa principalis persona, in quantum est auctrix vnius principatarum, personarum adepta est proprium nomen, & vocatur ad eam Pater, in quantum est vero principium alterius personæ, nullum nomen consequuta est, quemadmodum postmodum expositores nominaverunt Patrem, Spiratorem sancti Spiritus. Ipsa vero sacra Scriptura nullum nomen exposuit, quo oporteat Patrem respectu Spiritus appellari. Et non hoc quære, vtrum alio modo habeat verbum esse de ingenita persona, alio vero Spiritus: nam & differentem esse modum, per quem uterque habet esse ex communi principio credo. Et quid interest inter duos hos modos, ignotum esse hominibus minime dubito. Sed illud quæro: cur vnus modus habet speciale nomen & vocatur secundum ipsum principalis persona Pater: secundum vero alium modum, quo est eadem persona principium Spiritus, nomen in Scriptura non est? hoc autem arbitror me non irrationabiliter quærere. Sed ad aliud aspiciendo, quod apud nos Pater, Filius, generatio, generatum, & huiusmodi nomina proprie quidem de animalibus dicuntur & maxime de hominibus: ego vero vocibus prætermissis, ipsas res secundum ea, quæ nobis tradita sunt, contemplans ac modum illum, quo Dei verbum habet esse ex Patre, comparans Filiorum apud nos generationi: video illum plurimum ei dissimilem: Quam vero similitudinem apprehendo illius ad hanc, eandem indifferenter video esse & modi: quo Pater principium est Spiritus. Attende enim. Vt primum de dissimilitudine eorum dicam.

Seth non ex solo est Adam: sed ex eo & Eva; & non simul, neque per eundem modum. Verbum vero illic ex solo Patre est. Et Seth non est totus ex toto Adam, sed id quod emissum est primitus ex Adam, neque homo neque animal est, sed semen per quod in vulua matris Seth conditus est, neque ex toto Adam prodiens. Illic vero totus Filius ex Patre toto.

Et hic natus Seth de temporali Adam, non est sibi contemporalis. Ille enim præcessit, hic supervixit. Illic vero natum verbum de sempiterno Patre, coæternum est ei. Et hic is, qui natus est, non est in generante: neque qui genuit in generato, neque duo unus homo est; neque voluntas eorum semper una: neque virtus & actio vna: neque eadem scientia. Illic vero Filius in Patre, & Pater in Filio, & duo unus Deus est, & vna eorum & voluntas & virtus, & scientia & extrinseca actio. In quo ergo divina illa generatio similis est huic humanæ? an certe sicut hic est homo de homine, & consubstantialis de consubstantiali: ita illic verbum ex Patre est consubstantiale de consubstantiali, & Deus de Deo? At vero & Spiritus sanctus id ipsum Deus de Deo est, & consubstantialis de consubstantiali. Ergo in quo Filij generatio similis est hominum generationi: in eodem & Spiritus processio similis est eidem. Magis autem in quo Spiritus processio dissimilis est hominum generationi: in eodem & Filij generatio dissimilis est eidem: quamquam inter se differre credantur. Cur ergo illius dicitur Pater, istius vero nihil? an certe quoniam ingenita persona duarum personarum existens principium, unius est sola, alterius vero non sola? ideo cuius quidem sola ipsa est principium, ad illam habet specificatum nomen, per quod maxime consubstantialitas eorum intelligatur, & vocata est eius Pater: cuius vero non sola est principium, ad illam nomen non habet, ne commune proprium putetur. Et contingit secundum nomina è converso se habere in Deo quam in Adam, & Eva, & Seth. In his enim Adam, cuius personæ solus causa est, ad illam nomen non habet, quo eius principium est, scilicet, Evæ. Cuius vero non solus: sed cum Eva auctor est:

illius nominatur Pater: Spiritu sancto huiusmodi permutationem nominum dispensante nobis providendo, ne carnales copulas, & fluxus, & abscissiones, & partus imperfectos, & huiusmodi passiones in Trinitate imaginemur.

Propterea ergo & ne commune proprium putetur, ingenita persona, habentis quidem personæ ex ea sola esse, nominata est Pater, ad illam vero personam, quæ non ex ea sola habet esse, nomen non habet. Ego quidem hoc credo: qui vero nititur contradicere his, dum non ostendit aliam rationabiliorem causam, propter quam unum est nominatum & aliud innominatum: arbitror eum nihil ad rem dicere.

Secundum Argumentum.

IN omnibus entibus, de quibus proprie dicimus imaginem & exemplar, cum semper imago inferioris rationem habeat ad exemplar, & in nullo æqualiter exemplari veniat: in Patre vero & Filio illic per omnia existat æqualitas & substantialis identitas: quid vult Scriptura divina, quod Filium quidem nominat imaginem Patris, Patrem vero minime imaginem Filij? an certe propter principij rationem? quoniam Filius ex Patre est, non Pater ex Filio. Quemadmodum & omne exemplar principium est suæ imaginis. Imaginem itaque divina Scriptura nominans Filium invisibilis Dei, simul ostendit, & quod ex eo est, & quod similis ei est: minoritate videlicet prætermissa, tanquam minime conveniente. At vero, quemadmodum Filius dicitur imago Patris, non Pater imago Filij: ita Spiritus sanctus in eadem Scriptura dicitur imago Filij: non Filius imago Spiritus. Dicit enim Apostolus ad Romanos: *quos enim præscivit & prædestinavit, conformes fieri imaginis Filij sui.* Et ad Corinthios: *sicut portavimus imaginem terrestris: portemus & imaginem cælestis*, cœlestem dicens Filium. Et iterum: *nos autem omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eadem imagine transformamur de gloria in gloriam, sicut à Domini Spiritu.* Quod autem imago Filij dicitur in his Spiritus ipse sanctus, habemus per sanctum Cyrillum in thesauris: in quibus ex eisdem verbis concludit ipse, quod Spiritus est, & ex Filio. Ergo & nos id ipsum per eadem concludentes, & ex eo quod dicitur, Spiritus imago Filij: ex ipso etiam secundum superius assignatam rationem intelligentes, rectissime & intelligimus, & concludimus, & dicimus.

Rom. 8. 1. Cor. 15. 2. Cor. 3.

Tertium Argumentum.

ITem cum Deus sit incorporeus, & membra corporalia non habeat, quid est, quod Spiritus sanctus, spiritus oris eius dicitur? ait enim: *verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius, omnis virtus eorum.* An certe, ut ex hoc intelligamus Spiritum sanctum ex eo tanquam ex principio esse? sed sicut dicitur, Spiritus oris Spiritus Patris: ita idem ipse in eadem Scriptura dicitur Spiritus oris Filij. Ait enim Esaias de Filio: *& percutiet terram virga oris sui, & Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Et Paulus ad Thessalonicenses: *quem interficiet Dominus Iesus Spiritu oris sui.* Ioannes vero in Apocalypsi propter occidendi rationem tanquam gladium ancipitem eundem vidit. Ait enim de Filio: *& ex ore eius procedebat gladius anceps, ut in eo percutiat gentes.* Et post pauca: *& reliqui interfecti sunt in gladio sedentis super equum procedente ex ore eius.* Ergo divina Scriptura nominans Spiritum sanctum, Spiritum oris Filij & gladium procedentem ex ore eius: quid aliud nos docet per huiusmodi signa; nisi quod Spiritus sanctus ex Filio est, sicut ex Patre?

Ps. 32. Isai. 11. 2. Thes. 2. Apoc. 19. ibid.

Quartum Argumentum.

ITem Filius secundum Esaiam *brachium* Patris dicitur: Spiritus sanctus in Evangelijs *digitus Dei.* Nam B. Matthæus narrat dixisse Christum: *si aut in ego in Spiritu Dei eiicio dæmonia, utique pervenit ad vos regnum cælorum.* Sanctus vero Lucas in eodem ait: *si vero in digito Dei eiicio dæmonia, utique pervenit ad vos regnum cælorum.* Ergo digitus Dei Spiritus sanctus dictus est. Prætermissis igitur his quæ Trinitati ex his congruere non possunt: scilicet, quod aliud est totum, aliud pars: & aliud propinquius, aliud longius à communi principio: quid reliquum est intelligendum per has nominationes, nisi quod Filius quidem tanquam brachium est ex solo Patre: Spiritus vero sanctus tanquam digitus est ex Patre, Filioque?

Isa. 53. Mat. 12.

Quintum Argumentum.

ITem in Iordane Pater desuper testabatur Filio: ipse vero Filius subtus baptizabatur, Spiritus autem sanctus desuper descendens in specie columbæ, non oblique de latere Christi stetit: quod esset utique signum Filium & Spiritum ex solo Patre habere esse, tanquam æque divisos; sed super eum stetit in medio videlicet duorum; quod est signum, communem ipsum eorum esse. Communis autem non utique esset, nisi tanquam ex ambobus procedens, & id quod videbatur desuper columba à Patre descendens ad Filium, signum faciens: quod licet ab æterno Spiritus est ex Filio sicut ex Patre: tamen Filius hoc habet ex Patre: non Pater ex filio. Nihil autem obstat huic speculationi quod dictum est, columbam manere super filium. Nam manere in eo, & esse ex eo contraria non sunt. Sicut enim simul & in Patre est, & ex Patre: ita simul & in filio & ex filio.

Sextum Argumentum.

CVm sit una substantia, virtus & actio Patris & Filij, & omnia quæ fiunt non magis à Patre quam à filio fiunt: quidnam causæ est quod Pater in divina Scriptura dicatur facere res filio, & per filium: filius vero nihil dicitur facere Patre vel per Patrem? *Verbo* enim *Domini* ait Psalmista *cæli firmati sunt.* Et Evangelista: *omnia per ipsum facta sunt.* Et Apostolus: *Unus Dominus Iesus Christus per quem omnia, & nos per ipsum.* Et alibi, *in novissimis autem his diebus locutus est nobis in Filio, quem posuit heredem omnium, per quem etiam sæcula fecit.* Quia vero è converso fecit filius aliquid per Patrem, vel Patre; nusquam scriptum est. Quanquam neque instrumentum Patris Filius, ut dicatur Pater tanquam per instrumentum facere aliquid per ipsum & ipso. Neque rursus quæ fiunt immediate & propinque fiunt à filio: mediate vero & longius à Patre; ut secundum hunc sensum dicatur Pater facere per filium: nam immediate à Patre & filio, tanquam ab uno conditore, uno & simplici actu omnia fiunt: cur ergo illo modo scriptura de eis disputat? an ut intelligamus principium & quod ex eo est, quia esse eorum unam simplicem substantiam, virtutem & actionem & omnia esse communia: ex Patre tanquam ex proprio principio, adest Filio, sed non ex filio Patri: sed ad huius speculationis intellectum, Pater dicitur in Scriptura facere filio & per filium, huic vero è converso nusquam Scripturæ scriptum est. Similiter autem cum sit Patris & Spiritus sancti una simplex substantia virtus & actio, & neque instrumentum Patris sit Spiritus: neque illa quæ fiunt, propinquius à Spiritu quam à Patre fiant: ipsum quidem Spiritum sanctum facere aliquid Patre vel per Patrem, nusquam Scripturæ scriptum est. Quia vero Pater facit res Spiritu, & per Spiritum, per omnem fertur scripturam. Spiritu enim Deus

Ps. 32. Ioan. 1. 1. Cor. 8. Heb. 1.

secundum

secundum psalmistam cœlos fortificat, & animas nostras confirmat. Et Apostolus ad Romanos: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*: & iterum: *qui suscitauit Iesum Christum de mortuis, viuificabit & mortalia corpora nostra, per Spiritum sanctum qui habitat in nobis.* Et ad Corinthios: *nobis autem reuelauit Deus per Spiritum suum.* Et ad Titum: *sed secundum misericordiam, saluos nos fecit per lauacrum regenerationis Spiritus sancti*: Et ad Hebræos: *Contestante Deo signis & portentis & variis virtutibus, & Spiritus sancti diuisionibus.* Et beatus Lucas in actibus: *Domine qui Spiritu sancto per os patris nostri Dauid pueri tui dixisti.* Et rursus: *quomodo unxit eum Dominus Spiritu sancto & virtute.* Et multa talia inuenies in Scriptura quærendo: huius vero è conuerso minime. Et est certum quod est eadem causa, vt ita de eis Scriptura disputet, quod esse communes & easdem ad creaturas actiones Patris & sancti Spiritus. Ea Patre tanquam ex principio adest Spiritui sancto, & non Patri ex Spiritu sancto.

Vt enim hoc intelligamus, Patrem ait Spiritu & per Spiritum facere, Spiritum vero nunquam ait Patre vel per Patrem facere aliquid. At vero secundum eundem modum, quod Filius facit aliquid per Spiritum & Spiritu, omnis divina Scriptura plena est: quod vero Spiritus aliquid facit Filio vel per filium, nusquam Scripturæ dicitur. In Evangelus enim Spiritu sancto dicitur Christus baptizare, & dæmonia eiicere: & Apostolus ad Romanos: *non enim ausus sum dicere aliquid eorum, quæ per me non fecit Christus in obedientiam gentium in verbo & operibus, in virtute signorum & miraculorum, in virtute Spiritus sancti.* Et ad Thessalonicenses: *quem interficiet Dominus Iesus Spiritu oris sui.* Et ad Hebræos: *quanto magis sanguis Christi qui per Spiritum sanctum se ipsum obtulit immaculatum Deo.* Et in Actibus: *usque ad illum diem, in quo præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum quos elegit, assumptus est.* Et Esaias: *& Spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Itaque quoniam Spiritus sanctus non est instrumentum filij, ut per hunc dicatur filius facere, eo & per eum; neque rursus quæ fiunt propinquius à Spiritu quam à filio fiunt. Vno enim simplici actu, & immediate a Filio & Spiritu sancto: magis autem à tota Trinitate omnia fiunt. Quid vult Scriptura, quod Filium quidem dicit facere Spiritu & per Spiritum: Spiritum vero filio vel per filium facere aliquid nusquam dicit? an certum est, quod secundum superius assignatam rationem consona sibi existente Scriptura causa est ut hæc ita scripta sint? Quoniam esse communes & easdem ad creaturas filij & spiritus sancti operationes: ex filio tanquam ea principio adest Spiritui, sicut & ea Patre, & non Filio ea Spiritu: aut ergo est Spiritus & ex filio; aut minime seipsam Scriptuta sequitut.

Septimum Argumentum.

Item filius dicitur Verbum Patris, & ex hac nominatione, intelligimus eum, & coæternum Patri, & ea eo habere esse. Sicut autem filius dicitur Verbum Patris, ita Spiritus sanctus, dicitur Rema filij. Ait enim Apostolus ad Hebræos de filio: *qui cum esset splendor gloriæ, & figura substantiæ eius, portansque omnia Remate virtutis suæ.* Quod autem in his Rema virtutis filij ipsum spiritum sanctum nominat: patet ea alus partibus Scripturæ. Certe enim quo filius purgat animas, eiicit dæmonia, signa & portenta facit; eodem & portat omnia. At vero scriptum est, illa facere Spiritu sancto: ergo & Spiritu sancto & omnia portat. Dicitur autem in proposito dicto Remate suæ virtutis portare omnia, Spiritus ergo sanctus & Rema virtutis Filij idem est. Pater autem id ipsum & inde. Cui tris personarum ut plurimum in Scriptura viuificare attribuitur sancto Spiritui. Ait enim Dominus: *Spiritus est qui viuificat.* Et Apostolus ad Romanos: *qui suscitauit Iesum Christum ex mortuis viuificabit & mortalia nostra corpora per Spiritum suum qui habitat in nobis.* Iterum: *si Spiritu opera carnis mortificaueritis, viuetis.* Quis autem de tribus procedere dicitur? certe Spiritus. Quis adhuc dicitur esse os Patris? Spiritus. At vero ipse Dominus comprehendens simul viuificationem, processionem & os, ait: *non in solo pane viuet homo: sed in omni Remate procedente per os Dei.* Ergo omne Rema procedens per os Dei in quo viuimus, ipse spiritus sanctus est. Manifestissimum autem hoc fecit Apostolus ad Ephesios dicens: *& galeam salutaris accipite, & gladium Spiritus, quod est Rema Dei.* Nam cum in lingua Græca gladius esset fœminini generis, & Spiritus neutri: non dixit *quæ est Rema Dei*, ut intelligatur gladius. Sed *quod est Rema Dei*, ut exinde intelligatur Spiritus: ac si diceretur in lingua Latina: *qui Spiritus Rema Dei est.* Rema ergo virtutis filij, quo omnia portat, ipse spiritus est. Et sicut ubi filius dicitur, splendor gloriæ Patris, circumlocutive dictum est pro eo quod dicatur splendor Patris; ita & spiritus sanctus dicitur esse Rema virtutis Filij pro eo quod dicatur Rema Filij. Ergo ea hac nominatione quid aliud potest intelligi nisi quod Spiritus ex filio est? quoniam & omne Rema ea illo est, cuius esse dicitur.

Notandum vero est & illud, quod cum logos dicatur in lingua Græca, & in voce & in corde, rema tantum in voce & ore: Spiritus quidem sanctus dicitur Rema per os Dei procedens, & Spiritus oris Dei: filius vero logos quidem cordis Dei dicitur. *Eructauit enim*, ait, *cor meum logon bonum*, quod ea persona Patris dictum esse sanctus Dionysius testatur: logos autem oris Dei non dicitur. De quibus vocibus tanquam mysticis quibusdam notis illud intelligimus, quod sicut cordis logos est ex sola mente: Rema vero vocis est ea mente & logo, qui in corde est: Ita filius quidem ex solo Patre est; Spiritus vero sanctus ex Patre filioque.

Octavum Argumentum.

Spiritus sanctus dicitur in scriptura esse & Patris & filij. Ait enim Apostolus ad Romanos: *si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius.* Et ad Galatas: *misit Deus Spiritum Filij sui.* At vero, quæ sunt communia Patris & filij, non aliter sunt Patris & aliter filij, sed similiter & eodem modo, quod Dominus ostendit in aliquibus. Ait enim: *quæcunque Pater facit, eadem & filius similiter facit.* Et iterum, *sicut Pater suscitat mortuos & viuificat: ita & filius quos vult viuificat.* Sicut ergo facere & viuificare commune existens Patris & filij, similiter est amborum: ita & si quid aliud commune est Patris & filij, eadem ratione & modo duorum est: salva videlicet illa distinctione qua intelligimus communia duorum ea Patre adesse filio, non ex alio Patri: & idipsum significat Dominus dicens: *sicut Pater habet vitam in semetipso; ita dedit & Filio vitam habere in semetipso.* Ergo habere vitam in semetipso commune existens similiter amborum: tamen ex Patre ab æterno filius hoc habet. Quapropter quia spiritus sanctus & Patris est & filij, illo videlicet distincto tantum, quod filius hoc habet ab æterno ex Patre ut eius dicatur spiritus.

At vero ideo dicitur spiritus sanctus, spiritus Patris, quoniam ex eo. Si enim alius existens quam Pater, non esset ex eo, non utique diceretur eius esse. Significant autem & hoc Evangelistæ. Illi qui dicunt spiritum Patris, non dicunt spiritum ex Patre: Ioannes vero solus, qui post omnes Evangelion scripsit, spiritum à Patre procedentem dicens, spiritum Patris in suo Evangelio minime dicit. Putasne ignorabant vel illi, verum ex Patre est spiritus: vel hic, verum Patris est? minime. Sed certum est, quod & illi dicentes esse Patris spiritum, per hoc significare volebant, quod ex Patre est? & hic dicens ipsum à Patre, eodem ipso & quod Patris est significat. Ergo si necessarium est spiritum sanctum ita esse filij, sicut est Patris: est autem Patris tanquam existens ex eo; est ergo & filij tanquam

existens ex eo. Est autem idipsum manifestum, & quia non convertitur: multis enim in Scriptura nominibus Filius, cum esset nominatus, in nullo eorum dicitur esse Spiritus, sicut ipse Spiritus dicitur esse Filij. Non enim vbi ait Apostolus *gladium Spiritus*, Filium nominat gladium; vt quidam intelligunt. Patet autem, ex superioribus. Cum enim dixisset: *induimini & sumite armaturam Dei*, ac per hoc Patrem significasset; descendens infert: *& galeam salutaris accipite*, salutare nominans ipsum incarnatū Filium. *Videbit enim*, ait, *omnis caro salutare Dei. Et quia viderunt oculi mei, salutare tuum.* Deinde consequenter dicit *Et, gladium Spiritus*. Per hæc duo nomina, ipsum Spiritum significans. Merito autem armaturam quidem attribuit Patri, Galeam vero & gladium Filio & Spiritui. Quoniam enim armatura est genus vel totum; galea vero & gladius, sunt species vel partes; & semper totum & genus principij rationem habet ad partes & species. Est autem & Pater principium Filij & Spiritus sancti. Iure armaturam quidem habentem principij rationem attribuit principalissimæ Patris personæ: galeam vero & gladium quorum est armatura Principium, Filio & Spiritui, quorum est Pater & principium. Non quia ibi genus & species & totum & partes sunt; sed solummodo secundum rationem principij, & eorum quæ ex eo sunt. Et quoniam caput principij habet rationem ad manum: capitis quidem arma attribuit Filio, manus vero Spiritui: vt ex inde intelligamus Filium principium esse Spiritus. Sed quod sermo cepit dicere, illud est, quod Filius secundum nullum suorum nominum dicitur Spiritus, sicut ipse Spiritus dicitur esse Filij. Ergo vt verba non convertantur, causa est, quod res non convertuntur. Siquidem in Scriptura consona rebus verba redduntur. Non autem convertentur, si Spiritus est, & ex Filio. Manifestum enim est, quod Filius non est ex Spiritu; Re autem secundum hunc modum non convertente, merito neque verba in Scriptura convertuntur. Sed Spiritus dicitur esse Filij, Filius vero non dicitur esse Spiritus.

Nonum Argumentum.

MIttit in Scriptura Pater Spiritum sanctum. Hic autem Patrem non mittit. Vnde quæri potest, quomodo qui vbique est, & omnia implet, mittitur alio? Vbi enim non est, vt illic mittatur? vel quomodo cui inseparabiliter est vnitus, ab eo alio mittitur? vel qui penitus immutabilis est, & inalterabilis, quomodo in tempore aliquid patitur? Si vero dicet aliquis quod ipsa quidem Spiritus persona non mittitur; sed gratia eius missa ipse dicitur mitti: primum quidē dubitandum est, vtrū gratia Spiritus sancti ita mittitur, sicut ea quæ de loco in locum moventur? deinde si alia non est gratia Spiritus quam Patris? vna enim trium personarum est simpliciter gratia: & nullam habet Spiritus gratiam quæ Patris similiter non est. Quid familiarius & congruentius, communi gratia missa, Spiritus dicetur mitti à Patre, quam Pater à Spiritu? nam si scriptum fuisset quod Spiritus misit Patrem, possemus similiter dicere, quod ipse quidem non mittitur; gratia vero eius missa dicitur ipse mitti.

Quid ergo vult Scriptura, vt introducat Patrem mittentem Spiritum; missum vero à Spiritu, minime? an quia ille qui mittit ad illum qui mittitur, in quantum mittit, principij habet rationem? est autem & Pater principium Spiritus, mitti quidem Patrem à Spiritu incongruentissime dictum est: vt per hoc Pater principium esse Spiritus significetur. Et est vtique Patrem ad nos mittere Spiritum, nihil aliud, quam certum nobis facere, quod ex ipso intemporaliter est Spiritus: quia est quidem Spiritus intemporaliter à Patre. Nos autem hoc non intemporaliter cognoscimus, vel credimus, sed in tempore. Igitur quoniam in tempore hoc nobis manifestatur; scriptum est, ipsum Spiritum à Patre mitti ad nos, quod est manifestū nobis fieri ab eo, quod ex eo est. At vero similiter Patri & Filius mittit Spiritum & non mittitur ab ipso. Licet enim dicat Esaias ex persona Filij: *misit me Dominus & Spiritus eius.* Et iterum *Spiritus Domini super me propter quod vnxit me, Evangelizare pauperibus misit me*: tamen qua natura convenit Filio vocare Patrem Dominum, illa vtique & mitti à Spiritu se ait. Non enim dixit Spiritus Dei, vel Patris; *sed Spiritus Domini misit me.* Dominum vero Patrem, nō secundum suam deitatē, sed humanitatē. Secundū ergo humanitatē in propositis dictis intelligitur mitti à Spiritu, & non secundum deitatem, quia humanitas eius est, quæ Deum Patrem Dominum suum vocat, & non deitas. Ergo quoniam commune est Patris & Filij mittere Spiritum, & non mitti ab eo: qua vtique ratione mittit Pater Spiritum, eadem & Filius mittit ipsum. Mittit autem Pater Spiritum, ostendens nobis quia ex eo est. Mittit ergo & Filius Spiritum significans nobis quia ex ipso Filio ipse est. Aspice autem & Apostoli de hoc capitulo alibi diligentiam Quia enim sciunt Filium quidem ex solo Patre, Spiritum vero ex Patre Filioque: ideo de Filio quidem dicit ad Galatas: *misit Deus Filium suum*, de Spiritu vero post pauca non ita dixit *misit Deus Spiritum suum*, ne ex ipso solo significetur. Sed quomodo? *misit Deus Spiritum filij sui.* Per vtrumque ambo significans: nam & dicendo, *misit Pater Spiritum*, significat, quod & eius est, & ex eo: & dicendo, *Spiritum Filij sui* significat quod & ex Filio est, & ab eo mittitur.

Decimum Argumentum.

DAt hominibus Deus Pater Spiritum: Ait enim Dominus in Lucæ Evangelio: *quanto magis Pater vester cælestis dabit Spiritum bonum petentibus se?* & Apostoli in actibus: *nos sumus testes horum verborum, & Spiritus sanctus, quem dedit Dominus omnibus obedientibus ipsi.* Et iterum: *quis ego sum, vt impediam Deum dare Spiritum sanctum, credentibus in nomine Iesu?* & Ioannes in prima: *in hoc cognoscimus, quia in eo manemus, & ipse in nobis, quod ex Spiritu suo dedit nobis.* Et Apostolus ad Galatas: *qui igitur dedit vobis Spiritum & operatur virtutes in vobis.* Et ad Ephesios *Pater gloriæ det vobis Spiritum sapientiæ & revelationis.* Et ad Thessalonicenses: *sed Deum, qui & dedit Spiritum sanctum suum in vobis.* Quia vero Spiritus sanctus dat Patrem nusquam scriptum est, ergo inseparabilis & indivisibilis cum esset Trinitas, dubitabile profecto efficitur, quomodo vna persona aliam dat, vel quomodo possibile est à nobis accipi Spiritum sanctum, non accipientibus simul & Patrem? si vero nihilominus Patrem, quam Spiritum accipimus: quando Spiritum accipimus quæ ratio est, vt non similiter & Patrem à Spiritu dari scribatur? si vero dicet aliquis quod accipere Spiritum sanctum cum nos ab eo accipimur, & aliquam spiritualem operationem patimur ab eo, & spirituale aliquod donum ab eo accipimus, vel sapientiam, vel linguam, vel prophetiam, vel potestatem soluendi & ligandi, vel aliquid tale: & hoc est quod nos accipimus ipsum, quia è converso accipimur & bene patimur ab ipso inalterabili & immutabili eo manente.

Est quidem, pro vt credo, Spiritus acceptio bene expressa, quod vero quæritur, nihilo magis inventum est: vel dubium solutum. Nam si nihilo magis, à Spiritu sancto accipimur, & beneficium patimur, & dona accipimus, quàm à Patre; æqualiter enim & similiter à tribus personis huiusmodi beneficia nobis eveniunt: Quæ causa est, vt cum huiusmodi beneficia æqualiter à Patre & Spiritu accipimus, Pater quidem dicatur dare nobis Spiritum sanctum, hinc vero è converso minime scribatur? an certe, quoniam semper ille, qui dat aliquid, in quantum dat, principij rationem habet ad id quod datur? Est autem & Pater principium Spiritus sancti. Dici quidem Patrem dari à Spiritu sancto; absurdissime diceretur. Quia vero Pater dat

Spiritum, congruentissime dicitur, vt exinde intelligamus, illum quidem tanquam principium: hunc autem tanquam ex eo; & ita dicta in tempore datio Spiritus sancti, reducit nos ad sempiternam eius ex eodem processionem. At vero & Filius dat in Scriptura Spiritum sanctum. Insufflauit enim, & dixit discipulis: *accipite Spiritum sanctum.* Et in prima Catholica Epistola ait beatus Ioannes de Christo: *in hoc cognoscimus, quia manet in nobis de Spiritu quem nobis dedit.* Quia vero Spiritus sanctus dat Filium, nusquam scriptum est. Quoniam ergo dare Spiritum & non dari ab eo, commune est Patris & Filij: Communia vero indifferenter sunt communia: Similiter vtique intellecta datione & acceptione in Filio & Spiritu: sicut in Patre & Spiritu: necesse est ex ipso intelligere nos, quod Filius principium est Spiritus, & Spiritus intemporaliter est ex ipso.

Vndecimum Argumentum.

EFfundit in Scriptura sacra Pater Spiritum sanctum. Ait enim: *Effundam à Spiritu meo super omnem carnem.* De quo quis merito dubitabit, quomodo effunditur, quod non est humidæ naturæ vel defluentis? vel quomodo patitur aliquid, quod penitus est impassibile? ac si vera est Patris & Spiritus sancti operatio, & est effundere operatio quædam: & ipse ergo se ipsum effundit. Sed quomodo cum esset simplicissimus ipse ad seipsum facit, & à se ipso patitur? si vero dicet aliquis quod effundi ipse dicitur eo quod eius gratia effunditur, vt scriptum est in actibus, *quod & in gentes gratia Spiritus sancti effusa est.* hoc autem propter copiosam & abundantem donorum distributionem ad multos subito transeuntem: sed cum eadem sit gratia Patris & Spiritus sancti: quid magis communi gratia effusa, Pater dicitur effundere Spiritum, quam Spiritus Patrem? huius solutio eadem vtique est, quæ & priorum. Quoniam enim ille qui effundit, ad id quod effunditur, in quantum effundit, principij habet rationem: Est autem & Pater principium Spiritus: Merito communi gratia effusa Pater quidē dicitur effundere Spiritum: Spiritus vero Patrem non, vt ex huiusmodi vocibus dirigamur ad intelligendū quod Pater principium est Spiritus. Necesse enim est, vt sempiterna per ea quæ temporaliter in scripturis dicuntur, tanquam per quædam signa, secundum aliquam similitudinem significentur. At vero & Filius dicitur in Scriptura effundere Spiritum. Ait enim Apostolus ad Titum: *secundum suam misericordiam saluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis spiritus sancti, quem effudit ad nos copiose per Iesum Saluatorem nostrum.* Effundi enim ait Spiritum per Filium, quoniam id ipsum vt effundat Spiritum, habet Filius ex Patre, quod significatur ex alia Scriptura. Scriptum enim est in actibus. *promissione Spiritus sancti accepta a Patre effudit hoc quod nunc videtis & auditis.* Quod vero Spiritus effundat Filium, scriptum non est. Quare & ex hoc Filium principium esse Spiritus concluditur.

Duodecimum Argumentum.

ACcepta ait à *Patre promissione Spiritus sancti, effudit hoc quod nunc videtis & auditis.* Hoc autem ait, non quia habet aliquid Pater, quod Filius non semper habet, & postmodum idipsum accepit à Patre. Nam intemporaliter cum esset à patre natus, hoc ipso quod intemporaliter ex eo natus est, ab æterno habens ex Patre omnia quæcumque habet, dicitur accipere à Patre, non quæ prius non habebat, sed æternaliter quæ ex eo existens habet. Quare quod scriptum est, accipere ipsum a Patre significatum est æternaliter ex Patre ipsum esse, & habere quæcumque habet. At vero sicut Filius dicitur a Patre, & effundere Apostolis: ita Spiritus sanctus dicitur accipere ex Filio, & annunciare eisdem. Ait enim: *De meo accipiet, & annunciabit vobis.* Quare & hoc similiter significatum erit, quod ipse Spiritus sanctus ex Filio æternaliter est, & habet quæcumque habet: sicut & ex Patre. Hoc autem patet & per præcedentia verba: dixit enim: *cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Deinde quoniam per hoc quædam diminutio posset putari eius Filio: siquidem docere Apostolos omnem veritatem, rem tantam ipse quidem non fecit: Spiritum vero sanctum hoc ait facturum fore. Infert: *non enim loquetur a semetipso; sed quæcumque audiet, loquetur: & quæ ventura sunt, annunciabit vobis.* Ac si diceret, quod ille vos ducat ad omnem veritatem, & annunciet vobis ventura: gloria mea est. Quoniam sicut ego accipiens à Patre effundam vobis? ita ille accipiens ex meo annunciabit vobis. Hoc est, sicut ego intemporaliter existens, ex Patre ab eo intemporaliter habeo quæcumque habeo & facio: ita Spiritus de me intemporaliter existens, de meo habet omnia quæcumque habet & facit. Quare ducere vos in omnem veritatem, de meo acceptum intemporaliter habet. Quoniam in his quidem verbis ostenditur Spiritum sanctum esse ex ipso. Superius vero dixerat esse illum ex Patre, vbi ait: *qui à Patre procedit*, volens adhuc manifestius ostendere, quod commune est Patris & ipsius esse, videlicet, ex ambobus Spiritum inducit. *Omnia quæcumque habet Pater mea sunt. Ideo dixi: quia de meo accipiet*, vt superius dixerat, sed permutans tempus verbis, ait: *quia de meo accipiet*: vt id ipsum quod accipit Spiritus ex Filio, nihil aliud significet, quam esse intemporaliter ex ipso. Et aspice Scripturam scripturæ coaptando, admirandam analogiam. Filius accipiens à Patre, effundit Apostolis; Spiritus sanctus accipiens de Filio, annunciat Apostolis. Item Apostoli accipientes à Spiritu sancto annunciant mundo. Ait enim alia Scriptura: *accipietis virtutem ex alto superuenientis Spiritus sancti super vos: & eritis mihi testes in Ierusalem, & vniuersa Iudæa & Samaria, & vsque ad terminos terræ.* Id vero quod dictum est, *de meo accipiet*, pro eo dictum est, quod dicit, *de me, vel ex me.* Vt per hoc intelligatur ipsa Filij persona, pro vt testantur Euangeliorum expositores, sanctus Ioannes Chrysostomus, & beatus Cyrillus.

Tertium Decimum Argumentum.

AIt Ioannes in Apocalypsi: *Et ostendit mihi fluuium aquæ viuæ clarum tanquam Crystallum procedentem de Sede Dei & agni.* In his fluuium aquæ viuæ Spiritum sanctum est nominare, agnum vero Filium Dei, quoniam vero procedit Spiritus sanctus & ex Filio, non in quantum homo est Filius: sed in quantum Deus est, & eiusdem sedis Patri. Ideo ait procedere fluuium de Sede Dei & agni: quod est de natura illa, quæ est agnus synthronus Patri, vt per hoc significetur agnum auctorem esse in quantum ipse agnus Deus est.

Decimum-quartum Argumentum.

ITem ait Ioannes in Euangelio de Christo: *insufflauit & dixit discipulis. accipite Spiritum sanctum.* Sed quomodo datur vel accipitur Spiritus sanctus vel eius dona? & quid est eum dari & accipi? & ad quales Deo decentes intelligentias per huiusmodi voces, oportet nos reduci, superius apertum est. Nunc autem insufflatum tantum examinandum sit. Certum est enim, quod dicens Dominus: *accipite Spiritum sanctum*, non iubet Apostolis accipere illum corporeum & humane de pretioso ore eius prodeuntem Spiritum, vt illum absorbentes possint dimittere, & tenere peccata. Ergo si sine insufflandi actu, dictis solummodo reliquis verbis, eandē Apostoli reciperent gratiā: quid volebat sibi insufflare? an ille quidē incorporeus Spiritus sūptus extitit tanquā signū Spiritus sancti, sicut prius columba? Domini vero corpus tāquā symbolū deitatis, cui personaliter vnitum erat?

erat ? temporalis vero & corporalis de ore eius flatus illius motus tanquam signum seu figura intemporalis & incorporeæ, & inseparabilis processionis Spiritus sancti, ex deitate etiam ex Filio similiter procedere? Huius autem duæ sunt probationes. Vna, quod etiam sanctus Augustinus, ita explanat & reducit istum locum Scripturæ. Alia vero, quod nisi ita aperiatur ille insufflatus, relinquitur absque ratione factus; quod est impossibile. Procedit ergo & ex Filio Spiritus sanctus: ideo enim prius insufflauit, deinde dixit: *accipite*: vt ostenderet, quod temporaliter hominibus dare Spiritum sanctum habet ipse ex eo quod æternaliter ex ipso procedit: quoniam illius est dare ipsum; qui quidem est principium eius substantiæ.

Decimum-quintum Argumentum.

OPortet autem post hæc comparare huic factæ per nos demonstrationi, de processione Spiritus sancti, & ex Filio, sermones eorum, qui oppositum ostendere nituntur, & videre quantum intersit. Illi enim aut contumeliis, & blasphemiis nos percutientes, & tali specie sermonum vtentes, aut supponentes verba nostra, vel quorundam dictorum expositiones, vel argumenta, non sicut nos intelligimus & dicimus, & exponimus: sed sicut ipsi dicere nos & intelligere putant: aut etiam fingentes ipsi nostra verba, prout eis facile sit destruere, ita adversus nos sermocinantur.

Dictorum autem sacræ Scripturæ, per quæ nihil commiscentes eis nihil forinsecæ scientiæ possent ostendere, ex solo Patre esse Spiritum sanctum, nullam consequuntur facultatem. Nos autem in exposito hoc sermone contumelia omni abstinentes, & nihil calumniose supponentes, per ipsa sacra eloquia nihil vanæ scientiæ assumentes, ostendimus, quod ex Filio procedit Spiritus sanctus. Quare si quis non sufficere putat nostram demonstrationem: sed adhuc dubitat & veretur conclusioni assentiri: multo magis talis debet dubitare & timere recipere, quod ex solo Patre Spiritus est, cum huius nulla talis possit esse demonstratio. Nam timentem admittere, id quod per multa ostenditur: audacter affirmare, quod per nullum dictum sacræ Scripturæ apparet: passio est ratione penitus carens.

Decimum-sextum Argumentum.

QVia vero, sicut potest aliquid ostendi per divinam Scripturam eorum quæ verbis ipsis non dicuntur, per sensum vero diversimode dictorum concluduntur: & præsens quæstio bene & sufficienter ostensa est: inde manifestum. Spiritus sanctus increatus & consubstantialis Patri & Filio esse creditur. Hoc non verbis ipsis divina Scriptura dicente: sed per multa diligenter eam legentibus idipsum significante. At vero si quis voluerit illis demonstrationibus per quas ostēditur, de Scriptura, increatū & consubstantialē Patri & Filio esse Spiritum sanctū, comparare has, per quas ostēdimus Spiritum ex Patre, Filioque procedere: inveniet in nullo illis inferiores, sed fere fortiores: divina Scriptura maiorem facultatem ad has quam ad illas, præbente, vt demonstrabo.

Omnium dictorum divinæ Scripturæ per quas Patres ostendunt increatum Deum esse Spiritum sanctum: hæretici adinueniebant aliam expositionem, licet non veram; sed ita persuasibilem, & tantam apparentiam habentem, vt eos qui non perscrutabantur Scripturas, neque ab ipso Spiritu iuuabantur: satis deciperent blasphemiæ consentire. Sed horum per quæ nos ostendimus Spiritum sanctum, & ex Filio esse, nulla expositio potest inveniri ita opposita adversus nostram, vt illa credita: hæc necessario excludatur. Habet enim se res ita, in quibus divina Scriptura de Filio & Spiritu disputat, quæ inter ipsos sunt tradens. Decem quædam ponit non convertentia, vt ostensum est, quæ per hoc nihil aliud significant, quam Filium principium esse Spiritus. Vtpote, nihil enim prohibet ea resumendo iuxta invicem ponere.

Scriptum est, quod Filius brachium est Dei, & Spiritus digitus est Dei. Cumque omnis digitus dependet de brachio, huius è converso scriptum non est.

Item, scriptum est quod Spiritus sanctus est oris Filij & rema eius. Sed Filius quia logos est Patris scriptum est: quia vero rema Spiritus, vel oris Spiritus, nusquam scriptum est.

Item dicitur in Scriptura Spiritus sanctus esse Filij & imago eius, sed Filius quia Patris est, & imago eius scriptum est: quod vero Spiritus vel simpliciter vel imago, minime scriptum est.

Item in Scriptura mittit & dat, & effundit Filius Spiritum: mitti vero vel dari vel effundi à Spiritu non dicitur Filius. Quamquam in Scriptura missus & datus à Patre dicatur.

Item Spiritu & per Spiritum facere Filius dicitur Deo decentia opera. Filio vero & per Filium, quia Pater facit scriptum est: quia vero Spiritus minime.

Item accipit in Scriptura Spiritus sanctus de Filio. Sed Filius ex Patre quidem accipere dicitur: ex Spiritu vero non scribitur.

Ergo vt hæc non convertentia videantur in Scriptura, si quis non dicat causam esse, quod Filius principium est Spiritus, nullam aliam causam inveniet: quærens & eum his processionem fluuij aquæ vivæ, de sede Dei & agni: & post resurrectionem insufflatus, nihil aliud significare possibile est, quam Spiritum ex Filio esse.

Item contemplor etiam illud, quod qui olim contra pugnatores Spiritus certabant, non poterant reducere se ad seniores Doctores; qui communiter per ambas partes pro Sanctis haberentur, & Deum increatum esse Spiritum sanctum in suis scriptis aperte traderent, vt illorum testimonio hæreticos compellant à blasphemia discedere. Nos autem nunc habemus sanctum Augustinum, beatum Cyrillum, sanctum Athanasium & plures alios: qui & primis honoribus ab his qui nobis contradicunt ducuntur, & Spiritum sanctum & ex Filio esse aperte testantur. Quare multis modis facilius est ostēdere, quod ex Filio Spiritus sanctus est: quā antiquis Patribus ostendere, quod Deus increatus Spiritus est.

Potest autem id ipsum ostendi & inde. Certum est enim, quod semper incertiora & obscuriora quærendorū per certiora & clariora nata sunt ostendi. Beatus vero Cyrillus in thesauris adversus hæreticos disputando prius per Scripturam ostendit & concludit, & ex Filio esse Spiritum sanctum. Deinde per hoc concludit consubstantialem ipsum esse Patri & Filio. Quare in ipsa divina Scriptura hoc est apertius & clarius illo.

Certum autem idipsum est, & per opposita. Nam & ostensiones eorum, qui conantur ostendere ex solo Patre esse Spiritum, multo sunt infirmiores illis, quibus pugnatores Spiritus vtebantur.

Illi enim non pauca verba habebant de Scriptura, quæ non debite lecta & intellecta, videbantur blasphemiæ eorum suffragari. Sicuti illa, quod Spiritus sanctus mittitur, datur, effunditur, & à seipso non loquitur; sed quæcumque audit; & desiderat: & pro sanctis inenarrabilibus gemitibus interpellat: & talia quæ non debite examinata servilis videntur esse naturæ. Hi autem qui ex solo Patre affirmant, nullum penitus de Scriptura subsidium habent: non dictionem, non dictum, non symbolum seu figuram, non aliud, per quod, vel per quæ, eorum opinio stare posset. Quare nullum dubiū est, quod nostra sententia bene per Scripturam demonstratur, & hi, qui ea non credunt, hæretici sunt & à Catholica fide alieni.

Finis Epistolarum D. BARLAAMI *Episcopi Gyracensis de vnione Romanæ Ecclesiæ, & processione Spiritus sancti, contra* GRÆCOS.

ETHICA
SECVNDVM STOICOS.
PER D.
BARLAAMVM
DE SEMINARIA
EPISCOPVM GYRACENSEM

compoſita ſub compendio.

NVNC PRIMVM EDITA ex Bibliotheca Bavarica.

ETHICA
SECVNDVM STOICOS.
COMPOSITA PER D.
BARLAAMVM
DE SEMINARIA
EPISCOPVM GYRACENSEM

ex pluribus Voluminibus eorundem Stoicorum ſub compendio.

PARS PRIMA.

CAPVT I.

Beatitudo quid dicatur.

HOMINVM, alium alio, ſecundum quod Homo eſt, melius viuere putamus. Et ſtatuum hominum, alium eligibiliorem, alium minus eligendum arbitramur. Ergo cum natura noſtra ſit infinita, & non ſit infinitæ bonitatis capax; altam alia meliorem vitam ratione ſumentes, non ad infinitum procedemus, ſed perueniemus poſtremo ad aliquem terminum bene viuendi: quem iam tranſcendere natura noſtra de ſui conditione minime valeat. Quamvis enim non habeamus, quem aſſignabimus, pure ad eum perueniſſe: tamen quia ſubſtantiam & vitam natura limitatam habemus, neceſſe eſt etiam, ſummum gradum noſtræ perfectionis, & optimum ſtatum viuendi, ſecundum quod porportionalitas noſtra exigit; eadem natura præfixum & notum eſſe. Nã opinari finitam naturam, ad infinitum proficere, & perfici ſuos omnes excedendo limites, poſſe: non ſolum eſt contra communes notiones, ſed etiam tollit omnem appetitum. Siquidem expetendorum extremum non eſt, vbi ſe appetitus nouiſſime figat. Hunc igitur terminum, & hanc optimam, pro vt poſſibile eſt, hominis vitam vno verbo, ſicut & alij, beatitudinem appellantes; quæramus quid ſit, & in quibus conſiſtat. Inde autem ſuſcipiamus exordium.

CAPVT II.

Vera Beatitudo Hominis, vt homo eſt.

VEram hominis beatitudinem quærimus, talis autem non poteſt eſſe, niſi ſit hominis vt homo eſt. Nam ſi aſſignabimus hominis beatitudinem, quæ non erit hominis, vt homo eſt; non erit vera. Ergo oportet vt conſtet ex omnibus illis bonis, quæ ſunt hominis, in quantum homo eſt. Quia ſi ex aliis, & non ex talibus, non habebimus, quod quærimus. Etenim ſi non ex omnibus huiuſmodi bonis conſtabit, non erit ſummum bonum. Quia ſi qua eſt beatitudo, cui deſunt aliqua hominis, in quantum homo eſt, manifeſtum eſt, quod illis additis augebitur. Sed quod augeri poteſt: ſummum non eſt: Beatitudinem vero, quam quærimus ſummum hominis bonum eſſe volumus.

Igitur ex omnibus dictis bonis conſtabit, ac vero ex ſolis. Quia ſi qua ſunt alia bona hominis; non tamen vt homo eſt: manifeſtum eſt, quod illa addita beatitudini, quæ conſtat ex bonis hominis, vt homo eſt; non augebunt eam, vt propterea ſit magis beatitudo hominis, vt homo eſt: quia in tali etiam compoſitione tota ex vtriuſque generis bonis complexio; non diceretur, nec intelligeretur, nec eſſet beatitudo hominis, vt homo eſt, niſi ex parte illorum bonorum hominis, in quantum homo eſt.

CAPVT III.

Vera beatitudo augeri non poteſt.

VEra ergo beatitudo, additis illis augeri non poteſt. Et merito: nulla enim aggregatio augeri poteſt, additione aliarum rerum genere diverſarum. Nec enim lineæ additis punctis; nec ſuperficies, additis lineis, nec ſolida additis ſuperficiebus; nec diverſorum humidorum commixtio additis coloribus vel ſaporibus augentur.

CAPVT IV.

Beatitudo hominis, vt Homo eſt, ex quibus potiſſimum conſtet.

ERgo ſi bona hominis, vt Homo eſt, genere diverſa ſunt, ab illis, quæ non ſunt hominis, vt Homo eſt, manifeſtum eſt, quod beatitudo, quæ conſtat ex bonis hominis, vt Homo eſt, non augebitur adiectione illorum bonorum, quæ non ſunt hominis, in quantum homo eſt. Itaque perfecta & ſumma hominis beatitudo, ex illis ſolis conſtabit; vt iam poſſimus formam huius beatitudinis breuiſſime comprehendentes, talem eius definitionem, ad quærenda & demonſtranda ſupponere.

CAPVT V.

Quid eſt Beatitudo hominis vera, quid eius Miſeria?

VEram Beatitudinem hominis eſſe cumulatam complexionem omnium bonorum hominis, vt homo eſt: ac per conſequens: ſummam miſeriam hominis eſſe cumulatam complexionem omnium malorum hominis, vt homo eſt: vt cui hoc ineſt miſerrimus homo dicatur. Eſt autem beatitudo per ſe expetenda, & miſeria fugienda.

CAPVT

CAPVT VI.

Virtus quid.

SVpponatur etiam & Virtutis definitio, quæ talis secundum omnes philosophantes est.

Virtutem esse optimam affectionem animi, ex qua proficiscuntur bonæ & laudabiles voluntates, sententiæ, actiones: quarum quælibet suo loco optima est, quæ & eos, in quibus est, bonos & laudabiles efficit.

CAPVT VII.

A Beatitudine hominis, vt Homo est, omnes artes excluduntur.

HIs præmissis, patet quod omnes & universæ opificum artes excluduntur ab illis bonis quæ ad formam beatitudinis pertinent. Sicut enim in omnibus aliis illa bona intelligimus, uniuscuiuscumque rei, vt illa res est, quæ ipsam rem bonam & laudabilem faciant, & à quibus ipsa res iure laudatur, & bona, appellatur: Ita & hominis bona, vt Homo est, illa tantum intelligimus, quæ ipsum hominem bonum, & laudabilem faciunt, & à quibus iure laudatur, & bonus appellatur.

CAPVT VIII.

Vera beatitudo Hominis vt Homo est, in quibus potissimum sita.

SEd beatitudo hominis, sita est in illis bonis tantum, quæ sunt hominis, vt Homo est: sola ergo illa formaliter perficiunt beatam vitam, quæ hominem vere bonum laudabilem faciunt: & propter quæ iure & laudatur, & bonus appellatur. Sed ex nulla opificum arte hæc homo meretur. Quantumcumque enim est Homo faber bonus, aut ectdo, aut scriptor: non tamen ratione huius artis bonus appellatur; velut sapiens homo, aut prudens, aut intelligens simpliciter laudatur. Ergo ad formam beatitudinis opificum artes minime sunt vocandæ.

CAPVT IX.

Scientia in bonis Hominis minime locanda.

SImiliterque scientiarum, quarum finis est non extrinsecus effectus; sed intrinseca visio veritatis; licet in bonis ipsius mentis, vt mens est omnis scientia computetur; tamen quæcumque tales sunt, vt ab eis possit homo simpliciter bonus appellari; vel vt Homo sapiens & intelligens, aut prudens iure laudari: non sunt in illis bonis habendæ, quæ beatitudinem ipsius hominis, in quantum homo est, constituunt. Hominem enim non ipsam mentem aut rationem appellamus; sed, animal rationis & mentis particeps: cuius nunc beatitudinem quærimus; rem videlicet, qua optime, dum vivimus, vita eius ducatur.

CAPVT X.

Quæ Hominibus & bestiis communia, non in bonis hominis, vt Homo est, collocanda.

AT vero, nec quæcumque sunt, aut esse possunt, communia hominis & bestiarum; in illis bonis sunt habenda, ex quibus hominis beatitudo constat. Illa enim omnia, vt prædefinitum est, sunt bona hominis, vt homo est. Sed illa quæ sunt, aut esse possunt communia hominis, & bestiarum; & per consequens quæ gratia istorum requiruntur, vt effectiua, aut conseruatiua, & si quæ eorundem virtutes esse dicuntur; non sunt bona hominis, vt homo est, & ideo nec in illis bonis sunt habenda, quæ ad beatitudinem pertinent.

CAPVT XI.

Miserrimi definitio, aut quis vere Miser dicatur.

ITem, quia miserrimus Homo nec ille est, qui nusquam est; nec ille, qui homo non est: Equus enim non dicitur homo miserrimus: manifestum est, quod sunt aliqua communia hominis beati & miserrimi. Cum vero miserrimus dicatur, qui habet omnia mala hominis, vt Homo est, ita vt nihil boni hominis, vt homo est, ei relinquatur: sequitur nihil eorum quæ sunt, aut esse possunt communia Beati & miserrimi, quæque gratia eorum requiruntur, bonum esse hominis, vt Homo est. Quare nec in illis huiusmodi sunt habenda, quæ definitione beatitudinis comprehenduntur.

CAPVT XII.

Quæ in bonis Hominis iure habenda censeantur.

ITem, si illa bona tantum faciant per se hominem beatum, quæ ipsum hominem, vt ostensum est, bonum simpliciter & laudabilem faciunt, & propter quæ iure laudatur, & homo bonus appellatur: Omnia vero huiusmodi sunt voluntaria, & in potestate hominis iacentia, & amitti inuitis nequeuntia: Nullum ergo fragile & caducum, & extraneum, in nostra potestate non existens, & extingui, & amitti potens inuitis: habendum est in eo genere, quod vita beata complectitur.

CAPVT XIII.

Bona corporea externa, ad beatitudinem hominis, vt Homo est, non pertinent.

PAtet igitur ex conclusis, quod nec indolentia, nec corporea voluptas, nec omnino aliquid eorum, quæ dicuntur corporea bona & externa; ad beatitudinem, quam quærimus pertinet. Horum enim alia sunt communia hominis & bestiarum: alia, beati hominis, & miserrimi. Et omnia communiter sunt extra nostram potestatem, & fragilia, & caduca, & extingui, & amitti inuitis possunt. Et nec omnia simul, nec aliqua illorum sua præsentia hominem bonum facit, vel ab eis homo iure laudatur, & bonus appellatur. Ergo cum huiusmodi omnia exclusa essent à beatitudine: & ipsa & corporea, & externa necessario excluduntur.

CAPVT XIV.

Quæ forma beatitudinis includantur?

ITaque circumscriptis omnibus aliis, de quibus dubitari possit, ne in forma beatitudinis includantur; relictis vero solis animi virtutibus, & eorum laudabilibus actionibus, quæ videlicet nec hominis, & belluarum; nec beati & miserrimi communes esse possunt: & amitti invitis nobis non possunt; quæque vero hominem bonum & laudabilem faciunt, & à quibus homo iure laudatur, & bonus appellatur: manifestum est, quod in sola vita virtuosa beatitudo consistit, & virtus se ipsa est contenta, ad bene, beateque vivendum.

Reliquorum vero, nihil ad veram beatitudinem pertinet

pertinet; ſed dum homo virtutibus eſt imbutus,& omnes ſuas cogitationer & actiones, & vitam virtutibus regulariter & moderatur, & dirigit: omnibus aliis rebus naſcentibus & cadentibus, & quoquo modo ſe habentibus; nil adimitur aut additur ei, quo magis, minuſve ſit beatus.

CAPVT XV.

Secunda & tertia, qua vocantur, num forma quærenda beatitudinis includi debeant.

DE ſcientiis quidem & artibus, nulli Philoſophorum dubitant, verum neceſſarium ſit aut omnes ſcientias, aut aliquas artes, in forma quærendæ beatitudinis includi. De dictis vero corporeis bonis & externis; quæ ſecunda & tertia vocantur, magna eſt quæſtio.

Quidam enim nil præter virtutes, hominis bonum eſſe, in quantum homo eſt, non dubitant, ſed adimentes prædictæ definitioni, poſtremam additionem, & ſimpliciter ponentes beatitudinem, complexionem eſſe omnium bonorum hominis: nituntur aggregare ad beatam vitam explendam; & corporea omnia, & externa, quaſi ſine iſtis nequaquam illa integra valeat eſſe. Qui vehementer errare convincuntur, ea his quæ communiter & naturaliter de beata vita ſentimus. Beatitudinem enim tanquam ſummum bonum omnes intelligimus, quo ipſa res ſumme bona ſuo genere efficitur. Ergo & ſummum hominis bonum intelligendum eſt, cuius præſentia homo ſumme bonus efficitur. Porro virtutum præſentia, nullo adiuncto alio, ſumme bonus homo efficitur. Solæ ergo virtutes Beatitudinis obtinent principatum.

CAPVT XVI.

Beatus qualis eſſe debeat.

ITem volumus illum, quem perfecte beatum intelligimus, tutum eſſe, inexpugnabilem, ſeptum, munitum, ſuis bonis, inerrabiliter confidentem, ſemper habere quod vult, & nunquam, quod non vult: nunquam dubitare, vtrum adeſt ſibi integre beatitudo, an non, nunquam timere, ne inuitus amittat eam, forti, & robuſto, & excelſo, & magno animo eſſe, ſemperque in animo tranquillitatem, & ſecuritatem, & placidiſſimam pacem, & conſtantem hilaritatem habere, & terroribus & angoribus, & mœſtitia vacuum eſſe.

CAPVT XVII.

Quid in ſe contineat Beatitudo.

HÆc autem omnia continet ſententia confectæ concluſionis. Nam ſi quis cum ſit virtuoſus, ita concluſam de beatitudine ſententiam, vivam & efficacem habet, & totum animum per omnes partes penetrantem, vt & omnis appetitus ſit conſonus illi, & aliqua repugnans opinio non ſit in animo latens; quæ poſſit aliquando ad contrarium appetitum animum diſtrahere: Hic cum nihil habeat in donis niſi virtutem, & quod ea agatur: reliquarum vero rerum, nihil ſibi bonum vel malum reputet; videatque quod ſolum bonum novit ſemper ſibi totum præſens, & amitti invito non patiens: neceſſe eſt vt omnia illa ei contingant; quæ expoſuimus communiter vere de beato intelligi. Talis enim tutus eſt, inexpugnabilis, inenarrabiliter illis quæ ſua bona ſcit, confidens: ſemper habet quod vult, & nunquam, quod non vult. Vacat enim vitiis, quæ non vult habere, & ſi terrores, & mœſtitiæ. & angores, & aliæ perturbationes, quæ contingunt hominibus, propter corporeas & externas res: quia putant eas malas vel bonas eſſe, & pertinere ad ſuum vel malum ſtatum; manifeſtum eſt, quod ſi quis huiuſmodi opinionem & appetitum ab iiſdem rebus penitus removerit; nihil quoquo modo acciderit, terrere & perturbare eum valebit, aut angi, & à conſtantia egredi, & mœrere faciet. Et ideo ſemper erit tranquillus ſibique placatus. Propterea fortis, magnanimuſque, ſemper invictus, à nullo frangi, & demitti animo patiens. Maxime enim ſcit humanas res contemnere, & ab eis nec afferri, nec frangi: qui eas nec bonas nec malas ſui gratia iudicat. Similiter & quæcũque alia debeato intelligentes, prædictæ cõcluſioni plene concurrunt.

CAPVT XVIII.

Ad perfectam beatitudinem num ſecunda & tertia, ſint neceſſaria.

SI vero ſupponamus aliquem cum bonis animi etiam quæ dicuntur bona corporis, & externa omnia habere, & ſit ſibi illa in animo ſententia inſita, & appetitus ſententiæ congruus, quod iſta ſecunda & tertia ad perficiendam plenam beatitudinem ſunt neceſſaria: impoſſibile eſt et omnia illa concurrere, quæ de beato intelligimus. Et ideo per conſequens, cum credat habere ſe omnia quæ ſuppetant ad beatam vitam, non erit tamen beatus. Nam cum ſciat vires, valetudinem, ſanitatem, velocitatem, venuſtatem, integritatem ſenſuum, vacuitatem doloris, denique vitam ipſam: Præterea regna, imperia, magiſtratus, dignitates, honores, facultates, copias, opes, potentias, divitias, ſubditorum beneuolentiam, optimorum amicorum, & conſanguineorum ſocietatem: hæc omnia caduea natura ſua eſſe; ſimul inuito amitti poſſe, & eorum contraria euenire: quo modo beatus erit, ſi tot bonis, ſine quibus non repotat integrã beatitudinẽ ſibi poſſe adeſſe, non confidit! Et tot quæ repotat eſſe mala, & beatitudinem violantia ſibi impendere videt? Ita enim ſapiens & intelligens, & illa bona permanere ſibi, & non delabi appetens, cum vult eſſe ſemper beatus: quomodo non ſemper terrorum, & angorum, & ſollicitudinis plenum animum habebit? At vero nec contemnere, & deſpicere res humanas facile poterit: qui ad beatitudinem vel miſeriam aliquod pondus eas habere credidit. Sed ſine deſpicientia rerum humanarum fortitudo & magnanimitas & excelſitas, non videntur poſſe in animo generari: quibus virtutibus inſtructus in omni fortuna æquabilitatem conſeruat. Carebit igitur qui beatum ſe eſſe putat, iſtis virtutibus.

Ac etiam poteſt contingere caſus in quo, quum ſalua ſint ſibi omnia bona externa: tamen ipſe ignoret, vtrum ſalua ſint necne, dubitabit ergo vtrum adeſt ſibi integra beatitudo. Ergo non habebit quod vult: vellet enim non dubitare. Concutietur ergo tranquillitas & pax animi iſtius à conſtantia ſua. Non ergo tutus, vt dominus bonorum ſuorum: non inexpugnabilis, non quietus, nec beatus ergo. Sententia ergo illa, quæ corporea & externa aggregat ad beatitudinem ſupponimus eſſe beatum; facit non eſſe beatum: falſa ergo eſt: nihil enim verum eſt, ex quo impoſſibile oritur. Magis autem dignitas & ſplendor ſententiæ, quam defendimus, inde apparebit.

CAPVT XIX.

Collatio duorum non Beatorum.

SVpponantur duo non Beati, ſimilem defectum in animo, in corpore, & in externis patientes: & illa quæ videntur eſſe excellentiora corporis, & externorũ, nequaquam habentes, & aliquorum ex eis, quæ deſunt, deſperata ſit acquiſitio, & ita omnibus quæ mentis, quæ naturæ, quæ fortunæ ſunt, per omnia

adæquatis;

A adæquatis: sit uni illorum persuasum, quod tota beatitudo in virtutibus animi vertitur: Alij vero tripartita illa sententia, & habeant parem appetitum beatitudinis; manifestum igitur est, quod primus minus ægre, & minus anxie, & jucundius, & tranquillius ducet suam vitam, quam secundus; tribus ex causis, quod minora sibi videt deesse ad plenam beatitudinem: & quod non est desperata sibi illorum acquisitio: & quod eorum quæ habet, tanquam pertinentia ad beatitudinem, non existimat aliqua esse in potestate fortunæ, quibus delapsis miserior ipse sit. Ille vero non modo plura deesse sibi ad explendam beatitudinem videt, & de illis, quæ habet, aliqua sentit, posse delabi, quo ipse sit miserior, sed etiam ad integram provenire aliqnando beatitudinem, desperatum est penitus sibi.

CAPVT XX.

Virtutum acquisitio utri difficilior.

B At vero & acquisitio virtutum plures habet in isto difficultates, quam in illo. Prima enim difficultas est, posse cognoscere, quantum bona animi, ad complendam beatitudinem, excellunt bona corporis, & ista externa, & proportionaliter dispartiri, & compensare istis appetitum beatitudinis. Ille vero noster, cum beatitudinis sententiam, & totum appetitum ad solas virtutes mittat: nil ei hujusmodi difficultatis est; quin etiam vehementiorem appetitum ad virtutes habet: quam ille qui aliquas partes, paris appetitus, corporeis tribuit & externis. At & hoc manifestum est, quod quanto amplius diliguntur corporea & externa: tanto magis impeditur ad acquirendas virtutes. Facilior est ergo nostro virtutum acquisitio.

CAPVT XXI.

In virtutum acquisitione uter fortior.

C Nec illud dubium est, quin ille affectus animi, qui ita sit constructus & firmus, ut possit in omni casu & fortuna, æquabilitatem conservare; ita quod nec adversitatibus frangatur; vel molle aliquid & abjectum, & effœminatum & anxium patiatur: nec secundis rebus effusa lætitia gestiat, levitateque ad arrogantiam & superbiam se efferat: Iste, inquam, affectus melior & beatior sit, quam ille, qui non tantæ constantiæ est: Sed manifestum est, quod duorum suppositorum virorum nostro facillimum est, exercitatione & consuetudine adjuncta, pervenire ad ejusmodi affectum. Illi vero tripartito, aut impossibile, aut difficillimum est. Ergo si nostra ista sententia in meliore omnimode conditione facit esse hominem, quam illa tripartita: non dubium est, quæ magis est approbanda.

CAPVT XXII.

Virtutum actio in quibus potissimum bonis consistat.

D At vero, nec illum errorem oportet incurrere, quod actiones virtutum, in solis bonis corporis & externis versantur, in contrariis vero non: ut si beate vivere est virtuose agere: hoc autem non potest esse, nisi in bonis corporis & externis, necessario concludatur, quanto ista dilabuntur, tanto vitam beatam defici. Nam non est casus in vita, nec fortuna, nec tempus in quo non possit vir bonus virtuose agere. Decenter enim & rationabiliter cogitare, jacere, sedere, stare, ambulare, tacere, loqui, tribuere corpori necessaria, videre vel audire aliquid, membra corporis movere, alicui assentire & parere: vel pro conservanda constantia & fide dolores & damna non recusare: quibus non potest virtuosus ullo tempore omnino carere: actiones virtutum sunt, & à virtute proficiscuntur. Omitto dicere quod fortitudo, & magnitudo, & excelsitas animi, in adversis rebus totam suam vim habent, seireque bene adversitatibus uti; summæ prudentiæ est. Nec

E non multa, quæ videntur esse negationis, locum habent summarum actionum. Cum enim virtuosus, pauper & ignobilis, deformis, & claudus & infirmus: nobiles & divites admiretur, potentesque & sanos: & se miserum, & illos beatos, & felices reputet, & ideo odio eos habeat & invideat iis, cupiditateque immensa ardeat, & angore & tristitia, & mœrore tabescat, & deprimatur, divinamque providentiam opinionis

F errore: aut nullam, aut iniustam esse existimet: vir bonus & totus nostræ sententiæ, cum in simili casu est, nil istorum patitur nec reputat illos, in meliori esse conditione, quam se. Et ideo tranquillo vivit animo, & minime turbulento, & ad interiores actiones, & si quæ sunt exteriores, maxime expedito. Tali igitur firmati, & constantiæ, animique actiones, quas possint agere virtuosi divites, & potentes: non sunt postponendæ. Dum ergo bonus vir vivit & est, non vacat virtuosis actionibus. Quare nec isto modo corporis quæ dicuntur & externa bona, veræ beatitudinis partes erunt.

CAPVT XXIII.

Divisio bonorum & corporis, & quæ externa vocantur.

Ut autem non videamur de nomine tantum laborare velle commoda nominantes, quæ omnes bona appellant: ut vocabuli mutatione à beatitudine videantur segregari; ita sit procedendum:

Omnium, quæ bona corporis & externa dicuntur, alia referuntur ad nostram ipsam substantiam. Quæ quidem ita se habent, ut sine illis esse & vivere non valeamus.

G Alia vero ad hoc habent suam vim, ut minus moleste & delectabilius vitam ducamus. Quæ quidem ad indolentiam ultimo & voluptatem, quæ per corporeos sensus percipitur, referuntur.

CAPVT XXIV.

De membro primo.

Ergo ut de primo membro prius dicatur; quia substantia nostra & ipsum esse nostrum bonum quidem nobis est: Tale vero bonum, ut non sit aliqua pars formæ beatitudinis: sed ut communiter, tam summæ miseriæ, quam beatitudini subiicitur. Differt enim hominem esse, & beatum hominem esse, & miserum hominem esse: ut ipse homo utrique subiici valeat: sequitur necessario, quod & ipsa bona corporea & externa; quæ, ut simpliciter simus & vivamus, requiruntur: similiter sint & nominentur bona. Ut videlicet, non in forma beatitudinis ponantur sed tanquam communia miseriæ beatitudini submittantur. Itaque sicut

H nostrum esse refertur quidem ad beatitudinem, non tamen ut pars, sed ut subiectum, sine quo forma non existit; simili modo, & illa bona, quæ ad ipsum nostrum esse referuntur, mediante ipso nostro Esse, ad beatitudinem referenda sunt. Igitur sicut qui est, in quantum est, non est beatior illo, qui non est: ita & qui habet plura, de huiusmodi bonis, non ideo est magis beatus, quam qui habet pauciora. Beatus enim & minus beatus homo efficitur, & subtractione illorum bonorum; quæ sunt partes formæ beatitudinis. Nostrum vero Esse, & bona, quæ ad ipsum referuntur, non sunt partes, formæ beatitudinis, pro ut

ostensum est. Sed videatur, si placet, reliquum membrum præmissæ divisionis.

CAPVT XXV.

Secundum membrum: Indolentia & Voluptas, non Beatitudo.

ET primum ostendendum sit, quod Indolentia & Voluptas corporis in forma beatitudinis, poni minime possunt. Nec enim cum virtutibus beatam vitam explere possunt, nec sine virtutibus. Quod si sine virtutibus, in summa sede ponerentur: contingeret vitiosissimum hominem & penitus depravatum & corruptum animum habentem atque impium & inconstantem, beatum esse, quod est contra communes notiones. At vero nec cum virtutibus beatitudinem efficere possunt, cum enim beatitudo sit optimus totius vitæ status: oportet, ut constet, non ex discrepantibus interdum & repugnantibus, sed ex concordibus semper & consonis. Bona enim omnia amicitia & concordia semper gaudent: Sed inter Indolentiam & Voluptatem, & virtutes magna repugnantia, ut plurimum est. In plerisque enim impossibile est Indolentiam & Voluptatem consequi: nisi omittamus honestum & decorum, & committamus turpe & indecorum. Nam si ubique velimus, quæ ratio Fortitudinis, Iustitiæ, Temperantiæ, & omnino natura honesti existit, consequi: necessarium est non solum voluptates postponere, sed etiam magnos subire labores, & acerbos sustinere dolores. Et è contrario, si hoc statueremus in nobis, ut omnibus modis voluptatem corporis, & indolentiam sequeremur, nullum scelus esset, nullum facinus, nullum denique malum, ad quod suscipiendum licentia proposita, non impelleremur. Nec ergo cum virtutibus, nec sine, voluptas & indolentia in forma beatitudinis valent connumerari. Et ideo omnia corporea bona, & externa in quantum referuntur ad ipsam indolentiam & voluptatem, segreganda sunt à forma beatitudinis. Ostensum est autem esse hoc idem etiam, in quantum referuntur ad ipsam essentiam. Penitus ergo segregantur ab illis bonis, quæ formam beatitudinis constituunt.

CAPVT XXVI.

De bonis & commodis quæ tripliciter fiunt.

ISta itaque, quæ præter virtutes vulgò bona dicuntur, & à Stoïcis commoda appellantur, & contraria, incommoda, triplici modo eveniunt. Ex virtute, ex culpa, ex neutro.

Ex virtute (ut à commodis incipiam) ut quæcumque homini ab hominibus propter virtutem tribuuntur. Vel, si quis optimum filium habet, cum ipse eum bene educavisset. Vel, res familiaris ex prudentia, sine injuria acquisita & amplificata. Vel, sanitatis & virium ex abstinentia & diligenti regimine conservatio, & si qua similia.

Ex culpa, ut si quis ex adulterio bonum genuerit filium. Aut detrahendo injuria sua res augeat, & si qua hujusmodi.

Ex neutro, ut quæcumque natura, fortuna, casu, successione, divinitus, vel quoquo modo alicui sine opera sua eveniunt.

CAPVT XXVII.

Incommodorum divisio.

ITem de incommodis, eadem divisio est: Nam ex virtute contingunt, ut quæcumque damna, doloresque alicui inferuntur, propter justitiæ instantiam. Vel, si quis pauper est, cum suas facultates ad opera justitiæ, pietatis, & liberalitatis transtulisset, vel delabi ea studio meliorum rerum dimisisset.

Ex culpa contingunt, ut quæcumque alicui incommoda inferuntur, propter ab eo anteactas injurias; & si ipse aliqua perturbatione concitatus, aut non propulsavit interitum à charissimis cum posset, aut ipse intulit eis interitum. Aut rei familiaris, pigritia, inertia, ignavia delapsus, & corporis commodorum voluptate devicto, ex pravo regimine amissio, & multa talia.

Neutro: Quæ nec virtute, nec vitio, nec penitus ex aliqua opera contingunt: ut corporeorum naturales defectus, & quæcumque incommoda, casu, fortuna, vel ab hominibus injuria commotis inferuntur.

CAPVT XXVIII.

Commodum ex virtute veniens, expetendum est, & quare?

EX tribus igitur modis, primus, quo virtute commoda vel incommoda, cum evenerint, sua præsentia augent per se beatitudinem; sed propter eorum circa eorum sumptionem virtuosam dispositionem & actionem.

Secundus modus, quo ex culpa commoda vel incommoda sumuntur; fugiendus & miserabilis est, propter similiter, circa eadem vitiosam dispositionem & actionem.

Tertius modus, quo nec virtute, nec culpa, eadem contingunt, nec ad beatitudinem, nec ad miseriam aliquid ponderis habet: sed cum sint sumpta, quoquo modo commoda vel incommoda, qualiter est ei utendum, dicetur, ubi de virtutibus tractabitur.

CAPVT XXIX.

Non commoda, sed affectus erga ea faciunt ad beatitudinem vel miseriam.

NUnc autem illud sit manifestum, quod nec commoda beatitudinis, nec incommoda miseriæ partes sint, sed affectus, & actus, & usus virtuosus vel vitiosus, circa utraque acquirenda, sumenda, tuenda, ferenda, utenda, & amittenda ad beatitudinem vel miseriam pertinet.

Sunt itaque commoda acquirenda, & tuenda, & utenda, dum licet recte hæc fieri: & minime rejicienda, nisi aut ad comparandas, vel gerendas res meliores, aut ad serviendum hominum, quorum decet, utilitati. E contra vero incommoda aut sunt rejicienda, aut æquo animo ferenda, nisi aut ad declinanda incommodiora & pejora: aut ad consulendum decenter hominum utilitati, sed ad reliqua pergamus.

CAPVT XXX.

Honestum quid.

POsitum est in principio quod beatitudo per se expetenda. Et est ostensum, quod vita beata, idem est, quod virtuosa: vita ergo virtuosa per se est expetenda. Est autem & laudabilis, ut situm est in definitione virtutis. Sed quod est ita bonum, ut detracto omni emolumento, jure laudari & expeti per se ipsum possit: illud est, quod honestum sentimus. Vita ergo virtuosa, eadem est honesta. Et quia vita bona & beata, eadem est virtuosa: Vita ergo bona & beata, eadem est & honesta. Et quia quod honestum est, idem esse bonum nemo dubitat: concluditur è converso, quod quæ honesta vita est, eadem est bona, & beata, & virtuosa.

Ac etiam, si decorum est, quod consentaneum est hominis excellentiæ, in eo in quo natura ejus à reliquis animantibus differt, & ipsum decorum, & quod decet, idem virtuti & honestati efficitur.

CAPVT XXXI.

Vtile, & Inutile, quid?

DEinde de Vtili & Inutili dicendum sit. Duplici igitur modo utrumque dicitur: Vno, ipsa commoda vel incommoda, ut domus, equus, servus, vires & similia: quæ videlicet ad idem cum honestis, vel inhonestis non veniunt. Nullum enim commodorum aut incommodorum honestum vel turpe, quoad hominis beatitudinem est.

Alio modo: Vtilia & Inutilia, dicuntur ipsæ hominis actiones, quæ sunt circa commoda vel incommoda sumenda, mendа, disponenda, ferenda, vel rejicienda. Quæ utilia vel inutilia, eadem sunt quæ honesta & turpia. Nam si omnis turpis actio, à defectu virtutis proficiscitur: defectus vero virtutis lædit beatitudinem, ac nemini utile potest esse, quod fit contra suam beatitudinem, nemini ergo turpis actio utilis est. Potiò quod sine turpitudine utiliter fit: idem rationabiliter & recte fit. Sed quod rationabiliter & recte fit, etiam honeste fit. Ex quibus concluditur, quod omnis utilis actio, honesta est. Ac etiam si, illud, quod honestum factum est, ad beatitudinem pertinet, summæ utilitatis est, conficitur quod omnis honesta actio utilis est. Sola ergo honesta & virtuosa vita, utilis vita est. Et sola inhonesta & vitiosa inutilis. Igitur sex hæc. Bonum, Beatum, Virtute confectum, Honestum. Decorum & utile: Adde si vis Rectum, Rationabile, ad idem veniunt, & idem fere sonant. Et ideo opposita eorum, scilicet, malum, miserum, vitiosum, inhonestum, indecorum, turpe, inutile, peccatum, irrationabile. Adde si vis, pravum, flagitiosum, fœdum, tetrum detestabile, omnia hæc ejusdem sunt calamitatis. Ex omnibus itaque superioribus sit denique finalis conclusio, pro qua omnia in hac ratione præcesserunt, hæc.

Conclusio.

QVod si quis vitam dicit virtuosam, & honestam, quomodocunque commoda & incommoda huic contingunt, modo non sua culpa: nihil deest illi ad veram beatitudinem, & per consequens, si quis est ita depravatus, & corruptus ut nec vestigium aliquod virtutis & honestatis in eo existat: huic quamquam omnibus abundet commodis, nihil deest ad summam miseriam.

CAPVT XXXII.

Beatum nullum in hac vita, secundum Platonicos.

HIc quidam Platonici, immortalitati animorum operam dantes, & eorum quandam excellentem fœlicitatem imaginantes, eique vitam hanc comparantes, impossibile asserunt in hac vita, beatum hominem esse. Quibus multi assensum præbentes, nos à veritate reputant deviare. Est autem inter nos & ipsos non in re controversia, sed in nomine tantum. Non enim eandem rem utrique beatitudinem appellamus, ut de eodem negatio & affirmatio sit. Namque nos optimam vitam, quæ maxime composito competit, secundum quod hominis natura capax est, beatitudinem appellantes, & nil alienum vel incongruum ei addentes, hanc homines consequi posse asserimus.

Illi vero separatorum animorum beatitudinem considerantes: merito ad illum hominem in hac vita existentem, negant pervenire posse. Ergo utrumque verum est: Nec enim nos illa beatitudine, beati effici, vi naturali, dum vivimus, possumus. Nec illis nostra congruit, vel sufficit beatitudo.

Ac etiam iidem Platonici, multa bona, naturam, & artem, & consuetudinem excellentia, homines divinitus consequi posse affirmant: sicut ipse Plato de Poëtica & Divinatione, & Amore in Phædro tradit. Non tamen ideo prohibitum erit, ultimum terminum, ad quem ascendere potest vis naturalis, beatitudinem appellari: præsertim cum ita sit hoc vocabulum apud plures usitatum, & non natura nomina rebus posita: sed utentium beneplacito.

CAPVT XXXIII.

Beatitudinis divisio.

ITaque prima sit Beatitudo, ipse optimus vitæ status; quem ultimo ascendere possumus, transcendere vero vi naturali non valemus, de qua beatitudine in his libris tractatur.

Secunda sit, quæ prima supposita adhuc comprehendit quæcunque excellentia bona acquirere homo etiam in hac vita, divina aspiratione potest, ut Plato in Phædro docet.

Tertia sit, quæ suscipit post mortem sapientes, ut idem Plato in Phædrone tradit.

Igitur quia illi secundam & tertiam merentur, qui primæ participes extiterunt: merito de prima tantum hunc laborem duximus suscipiendum.

CAPVT XXXIV.

Naturalia bona, quomodo in nobis perficiantur?

NOtandum vero sit & illud, quod secundum eundem Platonem, nec ipsa naturalia bona, perfici in nobis possunt, sine divino auxilio. Nam ex quo omnia habent esse, ex eodem & suam perfectionem habere necesse est. Omnia vero secundum Platonem ex Deo habent Esse. Igitur in Timæo, cum proposuerat de natura mundi, & ortu, & connexione omnium à primo principio dicere: oravit, & divinum ad proposita imploravit adjutorium: quamquam in illis, nil excellens naturale nostrum ingenium dictatus erat: sed non putat se illa consequi posse divinitus non adjutum. At si secundum eundem in illo summo bono, totius bonitatis, perfectionis, & beatitudinis instar est: ita nostra substantia perficitur, ita beatificatur: si ad illud tendit, illud respicit, & illud imitetur.

Finis primæ Partis.

ETHICÆ SECVNDVM STOICOS D. BARLAAMI DE SEMINARIA, Episcopi Gyracensis,

PARS SECVNDA.

CAPVT I.

Animi vis quotuplex.

DVPLEX est vis animi nostri: Vna qua intelligimus & verum inquirimus, & à falso discernimus, & à dubiis ad manifesta transimus: & in eis quid consequens, quid repugnans conspicimus; & in agendis, quid utile, quid inutile: quid bonum, & quid malum: & cui, & quantum, & quale inquirimus & judicamus. Quæ vis cum sit intellectiva, Meos appellari solet.

Alia est, quæ bona vel mala in agendis judicata placent, vel displicent nobis. Et illa quidem acceptamus, amplexamur & amplectimur. Contraria vero aspernamur & fugimus, quæ vis, Appetitiva appellari solet. Hujus autem motus vel actus in animo & bene & male potest contingere: Quod ut discernatur, distinguenda sunt prius aliqua, quæ ad istum locum pertinent.

CAPVT II.

De vera & falsa opinione boni & mali.

FAlsa opinio in agendis bonis vel malis, multis modis accidit. Nam si quis opinatur, non bonum, bonum esse, vel è converso. Aut an sit bonum, minus tamen vel majus, quam est illud, esse existimat. Aut per se bonum cum sit, ad aliud tantum, & hoc fortasse minus bonum valere illud reputat. Aut cui bonum est, ignorat.

Similiter & de malo falsa est opinio ejus. Vera autē sententia & verum judicium, circa eadem est, cum in nullo prædictorum peccatur. Nam si & quod est bonum, bonum existimat: & quantum & quale, & cui: non ignorat, similiter & malum, verum, & sanum esse hujusmodi judicium omnes concedunt. Est itaque falsum de quolibet judicium simpliciter malum & vituperandum. Verum autem simpliciter bonum & laudandum.

Item sicut in corporeis oculis interdum contingit aliquid tale, ut acies videndi obtundatur: & ex aliquo motu quædam obumbratio, seu caliginatio, & obscuratio oculo accidat: ita quod, aut non possit, aut minus clare, obscuriusque & deterius possit visibilia videre & discernere. Et hoc cum contingit huic sensui, pro malo ipsi reputatur. Bonum enim ejus est, semper manere in suo vigore, & aciem videndi inviolatam & expeditam conservari. Alioquin conditio visus deterioratur. Ita menti hominis accidit nonnunquam aliquid tale. Ex quo quandam obumbrationem & obscurationem ipsa mens incurrit, & acies intelligendi ita obtunditur, ut munus intelligendi & judicandi: aut minus, aut obscurius tardiusque consequi possit: & à re gerenda, aut omnino abducatur: aut in jubendo & movendo hominem ad exteriores actiones, decus & honestatem in eis aut non possit, aut difficilius & molestius conservare possit. Quod accidens malum esse menti, quis mentem habens non intelligit? Ex similitudine igitur oculorum, docendi causa appelletur hujusmodi accidens Obumbratio mentis, seu Caliginatio, vel potius Obscuratio.

Cum autem mens ita stabiliter suum conservat rigorem ut nihil de prædictis ei contingat, ex quo acies intelligendi deteriorari quoquo modo possit: hujusmodi status, causa similiter docendi, appelletur Æqualitas.

Est itaque manifestum, quod obscuratio mentis est malum menti & vituperandum: Æqualitas vero est bonum & laudandum.

Item cum animus noster habet appetitum, vel committendi quod non decet; apelletur Malefica voluntas. Cum autem appetitus tendit ad agendum quod decet, & relinquendum quod non decet, apelletur Benefica voluntas.

Est itaque manifestum, quod Malefica voluntas est simpliciter malum & vituperandum: Benefica autem voluntas, est simpliciter bonum & laudandum. Ex tribus tamen segregatis malis, si oportet unum sine duobus esse in animo, minimum malum est Mentis obscuratio. Quamquam enim ipsi menti, ut mens est, malū est, tamen associata cum vera in agendis sententia & benefica voluntate, quoad exteriores actiones, & maxime, in quibus continetur hominum societas; si tantum adsit eis Mediocritas, non modo non malum, sed magnum bonum est.

Majus vero malum est opinionis in agendis error. Hoc enim non tantum ipsi animo per se malum est, sed etiam sine obscuratione mentis & malefica voluntate; teterrimas externas actiones, & maxime in puniendo gignere potest.

De notatis vero tribus, pessimum est, separatum ab aliis Malefica voluntas: Quæ enim ita malefica est, ut inhæreat animo, etiam repentino & turbido motu mentis, atque falsa opinione, ut allegare ignorantiam nequeat: omnium malorum est pessimum, & minus aliis sanabile.

CAPVT III.

Malefica Voluntas, quotuplex.

DVplex quidem est Malefica Voluntas: Aut enim causatur à repentina obscuratione mentis. Qua cessante, recedit & illa, sicut in ira sæpe contingit: Aut insita est, in animo, & sine repentina mentis caligatione, quæ multo terrior est, quam illa; quæ simul obscurationi mentis oritur, & interit. Quare si oportet de malis minima eligere; multo eligibilior est, Obscuratio mentis, cum Benefica voluntate, quam Malefica voluntas sine Obscuratione mentis.

De notatis autem bonis, unum comparando sine aliis: minimum bonum est, mentis æquabilitas. Hæc enim licet per se bonum sit menti, ut mens est: tamen separata à vera de agendis sententia & benefica voluntate, quo ad exteriores actiones, nullum bonum est.

Verum autem judicium de bonis & malis, aliquantulum majus bonum est, separatum à reliquis duobus bonis. Nam etiam externus aliquid boni, interdum per accidens efficit. Omnium vero optimum est benefica voluntas. Et per se enim bonum est animo, & separata a reliquis duobus bonis, multas tamen bonas actiones exterius gignere potest.

A

CAPVT IV.

Benefica voluntas quotuplex.

EST autem duplex Benefica voluntas. Vna quæ causatur ab aliquo repentino, caliginosóve animi motu: quæ similiter oritur & occidit, sicut in lætitiis misericordiisque sæpe accidit. Alia est animo insita & permanens, & à viva atque efficaci ratione pendens, quæ de tribus propositis optima est.

CAPVT V.

Num tria prædicta, Verum iudicium, Æquabilitas mentis, & Benefica voluntas simul in animo, aut appetitiva vi concurrere possint?

B

CVm itaque ex superioribus divisionibus tria sint notata simpliciter bona, & laudanda in animo nostro: scilicet Verum judicium bonorum & malorum, & Æqualitas mentis, & Benefica voluntas: potest fieri, ut cum appetitiva vis, sit in agendo: simul prædicta tria bona in animo concurrant, ut quod placet, vel displicet, & vere judicatum sit, & mens aliquam Caligationem non incurrat, & Benefica voluntas in animo sit. Quod cum fit, Constantia appellatur. Potest autem fieri, ut opposita istis contingant: ut & male de objectis sentiat, & acies mentis obumbratione obtundatur, & voluntas malefica insit. Potest vero fieri quod duo sint ex malis & unum ex bonis: quod tripliciter variari potest, vel è converso: duo ex bonis, unum ex malis: quod similiter tripliciter fit.

CAPVT VI.

C

Prædictorum septem Complexiones.

PRæter igitur Constantiam septem horum sunt complexiones: Constantia nempe, quia æquabilitas mentis in actu appetitivæ cum vera objecti sententia, & benefica voluntate, non dubium est, quin simpliciter bonum & laudabile sit. Et quia sicut in prima parte prædefinitum est, beatitudo est cumulata complexio omnium bonorum hominis, ut homo est: Est autem & ipsa constantia, secundum assignatum sensum, bonum hominis, ut homo est: Ille ergo quem quærimus, quem perfecte beatum intelligimus, nequaquam carebit constantiæ bono. Semper igitur constans erit.

CAPVT VII.

D

De perturbationibus, & quæ perturbationes appellentur?

DE septem complexionibus: illæ, quibus compræhenditur obscuratio mentis, quod quadrupliciter contingit, perturbationes appellantur. Quarum quidem pessima est, cum ita placet, aut displicet nobis aliquid: ut cum obscuratione mentis, sit in animo & falsa opinio objecti, & malefica ad agendum voluntas. Minus vero mala est, quando cum obscuratione mentis, unum reliquorum malorum inest, & alin animus vacat. Quod dupliciter fit: Illa vero perturbatio, minimum malum est, in qua obscuratio mentis cum vera sententia illius quod placet vel offendit, & benefica ad actionem voluntate, conjuncta est. Quare si quis, cum esset ita dispositus, ut incurreret illam pessimam perturbationem, mutavit suam ejusmodi dispositionem ad hanc perturbationem: quam minimum malum esse dixi, non parum melioravit suum animum.

E

CAPVT VIII.

Tres Complexiones reliquæ ad quid utiles?

REstant tres complexiones, præter constantiam & quadripartitam perturbationem.

Vna, cum æquabilitas mentis sit associata, cum falsa opinione, & malefica voluntate, quæ appellatur Clyehlotes.

Secunda, cum æquabilitas mentis falsa opinione caret, malefica vero voluntate non, quæ appellatur Malitia.

Tertia est, cum æquabilitas mentis, caret malefica voluntate: habet tamen de objecto falsam opinionem, quæ dicitur Afelia.

F

CAPVT IX.

Perturbationum divisio.

DE perturbationibus autem, quoniam quadrupliciter variantur, ut dictum est: prima sit, quæ est obscuratio mentis, cum vero judicio objecti boni vel mali, & benefica voluntate. Quæ quantum ad exteriores actiones, si modo in eis conservet mediocritatem, magnum bonum est.

Secunda sit, quæ est obscuratio mentis cum falsa opinione & benefica voluntate.

Tertia sit, quæ est obscuratio mentis cum vero judicio, & malefica voluntate.

Quarta sit, quæ est obscuratio mentis cum falsa opinione & malefica voluntate. Quæ omnium perturbationum est pessima, sicut supra notatum est.

G

CAPVT X.

Earundem divisio altera.

ITem secundum aliam divisionem, quatuor genera perturbationum sunt. Quia enim omnis perturbatio est obscuritas mentis, suscepta ex opinione boni placentis, vel mali offendentis: Bona vero vel mala, quæ homini eveniunt, aut sunt jam præterita, aut præsentia, aut futura: Illa quidem perturbatio, quæ percutit & caligat animam ex opinione præteriti, vel præsentis mali, dicitur Ægritudo. Quæ si nimia est, dicitur Angor: si vero ex opinione suscipiatur futuri, dicitur Metus vel Timor.

Item, si opinione præteriti vel præsentis boni contingit: multa quidem nomina, parum differentia, ut Lætitia, Iucunditas, Delectatio & alia, sed sumatur Lætitia: si vero ex opinione futuri boni, dicitur Cupiditas, Libido, vel Desiderium. Vertitur etiam in opinatis bonis Dilectio & Amor.

H

CAPVT XI.

Perturbationum definitio.

DEfiniantur igitur ista quatuor genera sic: Ægritudo est perturbatio animi, ex opinione præsentis vel præteriti mali, mordens animum & demittens. Metus, est perturbatio animi ex opinione impendentis mali; humilians atque frangens animum, & recessum quendam & fugam animi efficiens, & ad declinandum illud quod metuitur, hominem impellens. Lætitia est perturbatio animi ex opinione præteriti vel præsentis boni; quasi cum animus effuse exultat, quædam voluptas gestiens & elata, perfusam hilaritatem efficiens. Libido est perturbatio animi, ex opinione futuri, cum ad id, quod videtur bonum, inflammata rapiatur. Sunt igitur singulorum generum multæ & variæ species:

quas

quas non est necessarium præsenti opere discutere ; sed tantum in eis notandum sit, quod sunt quædam quæ non possunt variari, per quatuor gradus superius assignatos ; sed in unum tantum cadunt, in quo obscuratio mentis est associata, cum falsa opinione, & malefica voluntate, qui modus omnium erat pessimus. Tales perturbationes itaque sunt, ut in genere Ægritudinis, Invidentia, & Obtrectatio, & in genere Lætitiæ, Malivolentia, Iactatio, & Superbia. In genere Libidinis, Inimicitia, Discordia. Hæ enim ex opinionis errore, semper, & malefica voluntate animum perturbant.

Sunt item aliæ, quæ per omnes variantur gradus : ut Misericordia, Pœnitentia, Ira, Amor, & innumerabiles aliæ. Nam, ut pro omnibus de una dicam, cum sit Misericordia ægritudo animi ex opinione miseriæ alterius injuria laborantis, potest fieri, ut qui perturbatur, nec vere opinatus sit de malo alterius, nec beneficam ad adjuvandum, cum posset, voluntatem habeat. Potest autem fieri, ut in opinione illius quidem quod perturbat, non fallatur in opinando, habeat tamen ad adjuvandum beneficam voluntatem. Potest vero fieri, ut obscuratio mentis, in hoc accidenti, & ex vero judicio pendeat, & bonæ voluntati conjuncta sit. Quod si in actione valeat mediocritatem conservare, magnum bonum est. Idem de Ira, de Pœnitentia, de Amore, & de aliis intelligendum est. Nam quælibet, si obscuratio mentis, nec ex erroris opinione concitatur, & malefica vacat voluntate, & in actione mediocritatem consequitur, magnum bonum est. Habet enim in animo duo bona : scilicet, veritatem de objecta re, & ad actionem beneficam voluntatem, gignitque extra optimam actionem. Cur vero non dixi maximum esse bonum, sed magnum, apparebit cum de constantiis dixero.

CAPUT XII.

Constantia quid ?

Constantia itaque, quia est tranquillitas & æquabilitas mentis in eo quod judicata bona vel mala acceptantur, & placent, vel displicent, cum vera sententia, & benefica voluntate : varias & ipsa secundum temporalem varietatem bonorum & malorum, & nonnullas alias eorundem differentias partes habet. Non tamen propriis nominibus omnes assignantur, sed ut plurimum eisdem cum perturbationibus. Nam si mala, quæ constanter displicent, præterita sunt, & a te commissa, dicitur similiter Pœnitentia, si ab alio, dicitur Ira : si vero mala præterita vel præsentia aliis evenerunt, & passi fuerunt, vel patiuntur, dicitur Misericordia. Si ipse passus est, vel patitur mala ; si animi, dicitur similiter Pœnitentia vel Misericordia : si corporis, & externa, dicitur Patientia. Si vero futura & impendētia sunt, dicitur Cautio vel Metus & Timor æquivoce. Non autem differt, si in istis, quæ incommoda Stoïci dicunt, mala usu communi appellantur ; nihil enim ista distinctio interest propositæ quæstionis.

Item cum animus noster sentit se constanter fruitum vel fruentem aliquo bono, vel vehementer acceptat aliorum bonum : dicitur Contentio, Placabilitas, Gaudium ; ac etiam æquivoce dici possunt, quæ in tertio genere perturbationum dicebantur. Si autem constanter appetitus tendit ad futurum bonum, dicitur Voluntas, vel Desiderium æquivoce, in quibus est Spes. Est autem in bonis similiter Dilectio & Amor, Charitas vero species est voluntatis.

CAPUT XIII.

Perturbationum & Constantiarum differentia.

Ut autem pateat, quid intersit inter constantias & perturbationes æquivocas ; sumatur unum pro omnibus, ut Amor. Ametur igitur primo aliquid, ita ut vere judicatum sit bonum, & acies mentis ad intelligendum non obnubilatur, & benefica voluntas sit in animo ; quam dicebamus esse appetitum faciendi quod, & non committendi quod non decet. Et iste amor dicatur primi gradus desuper incipientibus, postmodum relictis in animo vera sententia & benefica voluntate caliginationem quandam, & obscurationem mentis in amando incurrat : & hic amor secundi sit gradus.

Item relicta in amando benefica voluntate, insit in animo, cum turbido motu mentis, etiam falsum judicium, de eo, quod amatur, & sit hujusmodi amor tertij gradus. Si vero in amando judicium quidem sanum est, de illo quod amatur ; sed cum obscuratione mentis, etiam inest ad agendum malefica voluntas : quæ erat appetitus amittendi quod decet, & committendi quod non decet, dicatur hujusmodi amor quarti gradus. Si vero & in tribus animus amando deficit, cum in animo obscuratio mentis, & malefica ad agendum voluntas, & falsum judicium de eo quod amatur, sit hujusmodi amor quinti gradus. Manifestum itaque est, quod primi gradus amor, est simpliciter bonus & omnium optimus, & cadit in assignatam superius constantiæ definitionem. Reliqui vero quatuor graduum, quoniam in quolibet ponitur obscuratio mentis, comprehenduntur in genere perturbationum, secundum quod perturbatio superius definita est.

Est igitur omnium perturbationum optima, quæ secundo gradu posita est, deficit tamen à constantia in tribus : uno quod non conservat claritatem mentis in suo rigore, sicut constantia.

Secundo, quod constantiæ quidem facile est propter mentis claritatem imponere exteriori actioni mediocritatem : ipsi vero perturbationi, propter mentis turbidam commotionem, idipsum ita facile non est.

Tertio, superat constantia, quod in ea benefica voluntas cum à claritate mentis & viva ratione pendeat, est in animo insita & permanens, & ideo efficacior : & quod ab ea prudenter proficiscitur, nunquam ad pœnitentiam adducit : illa vero benefica voluntas, quæ est in perturbatione, cum à repentino & turbulento motu causetur, sed data mente sæpe cessat & ipsa. Non enim insita est, nec vinculis rationis constringitur. Et ideo sæpe contingit, ut quod recte & laudabiliter factum fuerit, cum nubes recesserit, pœniteat hominem hoc idem fecisse, sicut in misericordiis nonnunquam accidit.

Quintus vero, qui positus fuit gradus, est simpliciter malus, & omnium pessimus. Nihil enim in eo boni est : Tertius & quartus, secundum quod participes boni sunt, vel mali, sunt laudandi vel vituperandi : Si vero oportet à pessimo expositorum graduum perturbationis, gradatim & non repente ad constantiam ascendere : primo subtrahatur malefica voluntas, vel falsa opinio : & istis prius detractis, postremo subtrahatur mentis obscuratio : & immediate hac subtracta, eluceat in animo constantia, in qua cum æquabilitate mentis, & vera est sententia, & benefica voluntas. Nam si à pessimo gradu perturbationis, primo subtracta obscuratione mentis, dimittantur in animo falsum judicium, & malefica voluntas : augetur potius malum, quam diminuitur, & animus deterior fit. Exit enim à genere perturbationum, & incidit in malitiam Elychiutem & Aphelıam, quæ in agendis malis multo excellunt perturbationes, & minus sanabiles sunt.

Quinque igitur graduum assignatorum, primus gradus, qui solus erat constantiæ, est summum bonum : secundus, magnum bonum ; latet enim quod habet malum : tertius & quartus, sensibilem jam mixturam patiuntur. Quintus totaliter opponitur primo, & est simpliciter malum. Itaque cum ira, & Misericordia, & Desiderium, & Metus, & reliqua, quæ æquivoce in genere constantiarum, & in genere perturbationum dici possunt, ut superius ostensum est, per quinque

quodlibet

quodlibet simpliciter gradus, possit variari: ut primus sit constantiæ; quatuor vero perturbationis: manifestum est ex supra dictis, quanto melius & præstantius est quodlibet istorum, cum constanter contingit, quam id ipsum si fieret turbulenter. Quod tamen cum ita contingit, quando magnum bonum est, quo ad actionem: & quando sensibiliter commixtum, & quando pessimum malum: satis & hoc, ut arbitror, superius est explicatum. Sed quia, sicut prædefinitum est in primo libro: Virtus est optima affectio animi, optime animum ad agendum disponens: Nulla ergo virtus ad hoc habet suam vim, ut faciat aliquid mali animo contingere. At ostensum est, quod obscuratio mentis, malum est ipsi menti: nulla ergo virtus, ad hoc habet suam vim, ut obscurationem & tenebras inferat unquam menti, & obtundat eius aciem intelligendi. Sed nulla perturbatio est, sine mentis obscuratione: segregandæ ergo sunt perturbationes à choro virtutum. Quod & ita ostendi potest.

Demonstratum est superius, quod beatus, quem intelligimus, semper est constans; sed perturbationes omnes adversantur constantiæ: vacabit ergo beatus perturbationibus: sed virtute aliqua non caret: nullius ergo virtutis perturbatio est.

Item, si constanter misereri multo melius est, quam si idipsum turbulenter fieret, ut ostensum est: illud vero, quod à virtute proficiscitur suo loco & casu, optimum esse volumus: Virtus est ergo quærenda, quæ stabilitam conservet constantiam: non perturbationis infirmitas: separantes tamen à choro virtutum perturbationes, non illud volumus ut ad Apheliam & Elychiotem, & maliciam incidat animus; sed ut bonum constantiæ consequatur. Illis enim qui claram & vivam, & expeditam, & efficacem rationem expetendarum atque fugiendarum rerum, non habent; non penitus inutiles sunt perturbationes: aliarum enim rerum cupiditate, vel metu, lætitia, vel ægritudine commoti, multa bona in vita consequuntur, & mala evitant: sed ita dispositi simulacra virtutum, non ipsas veras virtutes æstimandi sunt habere. Itaque si nomine passionis velimus nominare, tam constantias, quam perturbationes, manifestum, quod dicimus, passionum alias esse simpliciter bonas, alias, simpliciter malas: alias magis bonas quam malas: & è converso: alias æqualiter commixtas, consequenter quadripartitæ divisioni, non generum, sed graduum perturbationis. Si autem passionem in animo velimus nominare: nihil aliud nisi mentis ipsius obscurationem, & turbidam motionem, & obtusionem: cum semper sit bonum menti tranquilla claritas, & vigens acies intelligendi: non dubitabimus dicere, omnes passiones, esse animo extirpandas, & penitus evellendas: duntaxat nec insita malefica voluntas, vel ad necessarias & honestas actiones, tarditas in animo remaneat, nec opinionum temeritas, ut ad constantiam pure perveniatur.

Theophrasto quidem, post Aristotelem Peripateticorum principi, non videtur omnem perturbationem adversam esse constantiæ. Sed sicut fames & sitis, & huiusmodi naturales contingunt homini sine falsa opinione, sine malefica voluntate, sine mentis obscuratione: & simpliciter minime mentis constantia læsa: Ita ait, & in animo secundum infirmas ejus partes contingit nonnunquam ex aliquo casu turbida commotio, nec a falsa opinione pendens; nec maleficam voluntatem excitans; nec menti obscurationem inferens. Cuius commotionis signa, etiam in ore, in vultu, in oculis, interdum apparent. Hæc cum sit perturbatio, minime tamen constantiæ adversatur.

Ad quæ respondendum est; quod ista non adversantur secundum rem superioribus nostris de perturbatione rationibus. Nam si constantia una definitione comprehensa est, si definitio eius per non æquivoca verba est assignata: manifestum est, quod perturbatio quæ constantiæ adversatur, de qua superius tractabamus, per quatuor gradus eam variantes, atque in quatuor genera dividentes: & illa perturbatio Theophrasti, quæ constantiæ mentis non adversatur, æquivoce perturbationis nomine fruuntur: ac etiam superior quadripartita perturbatio; quæ obscurationem menti infert, prædicatur de mente. Est enim verum dicere, in illa passione mentem hominis esse perturbatam. Perturbatio vero Theophrasti, quia descriptam superius æquabilitatem mentis non lædit: non potest vere de mente prædicari. Dum enim æquabilitas mentis manet illæsa, non est dicendum, mentem hominis esse perturbatam. Ergo & ex hoc patet earum æquivocatio. Itaque terrestris canis definitione assignata, potest dici audacter omnem canem esse animal mortale, vel animal quadrupes: ita quadripartita perturbationis descripta definitione; per quam necessario distinguitur, à quacunque alia æquivoca perturbatione, veraciter potest dici nullam perturbationem sine mentis obscuratione esse, omnemque constantiæ adversari, & simpliciter esse animo evellendam. Si qua enim est animi commotio, de qua hæc dici non possunt: illa in his libris non appellatur perturbatio.

CAPUT XIV.

De perturbatione Theophrasti Quæstio duplex.

Nempe de perturbatione Theophrasti, quæ non adversatur constantiæ, duo sunt quærenda. Unum: Utrum contingit homini aliquando, an nunquam? aliud. Utrum cadit in beatum, an non? nam cum definitiones obscurationis, & æquabilitatis mentis superius sint descriptæ: iure dubitabit aliquis, utrum potest contingere in animo turbida commotio? quæ nec definitioni obscurationis mentis in aliquo communicet, nec definitionem æquabilitatis mentis in aliquo non lædat. An impossibile hoc est? Cuius quæstionis veritatem magis arbitror posse intelligi, si quis passiones animi sui respiciet: quam si per demonstrationis verba sequatur.

Ad secundum vero manifestum est procul dubio, quod si qua est commotio animi constantiæ mentis non repugnans: sive passionem, sive perturbationem, velit quis eam appellare: nullo modo beatitudinem lædit. Sed si voluntaria non est, sicut fames & sitis, secundum Theophrastum: nec ad virtutes, nec ad vitia penitus pertinet. Quasi dicatur: si nimia est, vitio danda est, si mediocris, virtuti: cuius enim voluntas nostra domina non est, illud qualitercumque contingit, nec beatum, nec miserum facit, ut in primo libro ostensum est. Si vero voluntaria est, & contingit in eo, quod aliquid placet vel displicet, pendétque à vera obiecti sententia & benefica voluntate, atque acumen mentis in aliquo nō deteriorat: nec tranquillitatem concutit, etiam sic Theophrastus nomine tantum discrepat à Stoicis: illam enim rem, quam nos laudabilem putamus, & pertinere ad beatitudinem arbitramur, & constantiam appellamus, eandem ille perturbationem abusive appellat. Nam sæpe contingit, quod, cum disserentes aliqua de aliquo universaliter prædicant, affirmative vel negative, auditores si viderint prædicata, non omnibus, quæ sub nomine subiecti sunt, congruere: putant illos mentiri; ipsi magis decepti: ignorantes usum verborum disserentium. Nam si disputantes, ad illas tantum res, nomen subiecti extendunt, quibus prædicata conveniunt: veram esse eorum sententiam, necesse est.

Ut igitur talem deceptionem, in istis nostris legendis, aliquis non incurrat; danda sit talis regula. In quacumque universali propositione videbitur alicui, non omnibus, quæ nomine subiecti significantur, prædicatum congruere: scias nos more Stoicorum in illis tantum rebus uti nomine subiecti: quibus prædicatum fere coaptatur: Si plures vero res, eodem nomine

A

secundum alios significantur: quibus prædicatum inesse non potest; nihil ad Stoicos, sicut nec ad Geometras est aliquid, si alia res, præter ab eis definitum circulus appellatur.

CAPVT XV.

Perturbatio an omnino evellenda?

Resumentes igitur, de perturbationibus, dicimus, quoniam illam commotionem perturbationum in hic appellamus, in qua mens à constantia egreditur, & obscuratur, & acumen intelligendi obtunditur: manifestum est; quod non est resecanda vel moderanda: sed penitus evellenda. Nam in illis rectè mediocritas quæritur; in quibus utrumque vituperandum est, & nimis abundare, & penitus carere. Sed perturbatione vacare, & minime à constantia egredi, & acumen mentis illæsum conservare: magnæ laudi dandum est. Conatur ergo noster, non ad amputandam perturbationem; sed omnino extirpandam dirigendus est.

B

CAPVT XVI.

Perturbationes, num extirpari possint.

Quia vero possibile est, deinde ostendendum sit. Duplex est opinio, quæ perturbat animum. Vna qua opinatur aliquis transeuntium, & noviter imaginationi incidentium, bonum vel malum esse, cum sint circumstantiis: quæ ut plurimum falsa est: aut enim non bona, bona: aut, quæ parva sunt, magna æstimantes. Similiter & de malis ut plurimum perturbantur. Alia est, qua videtur rectum esse, ut perturbetur, quæ nunquam vera esse potest. Sive enim bonum est, sive malum quod incidit: nulla ratio est, ut ideo tantum malum menti infestant: neque rectum vllo pacto esse potest, ut propter alia quæcumque mala vel bona, turpificetur, quod in nobis præstantissimum est. Bonis enim custodiam; malis, remedia non mala: & præcipue quibus mens læditur, admovendum est. Igitur quoniam falsæ opiniones sunt, quæ animos solent perturbare; de quibuscumque vero false opinamur, impossibile est rectum & verum habere iudicium: Manifestum est, quod deletis animo illis opinionibus, & sententia totaliter mutata, nihil relinquitur, quod animum valeat perturbare. Possibile ergo est perturbationibus vacare.

C

ANDRONICI
CONSTANTINOPOL.
EX IMPERATORIA COMNENORVM
familia, Dialogus contra Iudæos.

Nunc primum in lucem editus.

STVDIO PETRI STEVARTII Leodij, SS. Theologiæ Doctoris & Professoris.

D

LECTORI,

Petrus Stevartius Leodius.

Qvis fuerit iste *Andronicus*, *intelliges ex Præfatione Livineij, qui iam olim eum latinitate donavit: sed versio ob immaturum interpretis obitum hucusque latuit; qua nunc tandem à* Patre Andrea Schotto, *Societatis* Iesv, *Ingolstadium missa, in publicum venit. Loca sacræ scripturæ, quæ Interpres suo quodam consilio, ad arbitrium suum transtulerat, ad vulgatam editionem, quantum fieri potuit, vel certe ad Sixtinam septuaginta Interpretum accommodavimus. Vtinam interpres iste & hic & in Catechesibus Theodori Studitæ, minus Latinus esse studuisset; solidiorem à lectoribus gratiam iniisset, & maiorem prudentiæ laudem collegisset.*

E

Cæterum si verum est, quod se Livineius à doctissimo Cardinale Sirleto accepisse memorat, nempe Euthymium esse huius Dialogi Auctorem, tum subsistere non potest, quod ait, hunc Dialogum editum esse sub annum Domini M. CCC. XXVII. nam Euthymius floruit sub Alexio Comneno, Anno M. C. XVIII. quo Alexius Imperator obiit. Aut igitur Euthymius Dialogi Auctor non est; aut si est, conscriptio eius ad multo anteriora tempora referri debet.

F

Scribit Epitome Bibliothecæ Gesneriana in Cæsarea Bibliotheca Viennæ exstare disputationes Andronici contra Iudæos. Nec dubito, esse hunc ipsum Andronicum nostrum; qui in Græco suo textu aliquando profert sacræ scripturæ citationes, nec cum nostra vulgata, nec cum 70. Interpretum editione satis consentientes, quas subinde ad marginem annotavimus. Vale.

IOANNES LIVINEIVS, Lectori S. D.

Lavdandi sunt, qui opibus, auctoritate, potentia primi, vel eruditi ipsi, vel doctorum consuetudine usi, ad illustrandas artes operam atque ingenium conferunt, quasique præsidia quædam moliti, cladem à studiis, quam longissime possunt, depellunt. Cuius sui consilij auctores habent & veteres illos Romanæ Reipublicæ principes, quorum liberalitate exercitatæ hominum mentes plurima vtilitet & egregie scripta in omni doctrina posteris reliquerunt; etiam labante Imperij maiestate (vt in rem præsentem veniamus) Comnenos, Palæologos, quorum industria & hortatu viri præstantes pleraque & γραμματικά, & ἀστρολογικά, & μουσικά, & ἰατρικά conscripserunt.

G

Andronicus quidem, (quem nunc eum Iudæis disputantem, de Græcis Latinum à nobis factum damus) & ipse Comnenis maioribus satus, quo iubente opus hoc Euthymius Zigabenus confecit, (vt è Sirleto Cardinali amplissimo iuxta atque doctissimo; cui Græcum hoc exemplar acceptum est referendum, audire memini) nec libri vindicias defugit, voluitque, quod in iis, quæ commemoravi, scriptis alij etiam fecerunt, auctor quoque inscribi: Vt ex Politicis quos appellant versibus, apparet, qui in Operis frontispicio leguntur. Ij etsi sunt sane non nimium elegantes, habitáque in eis syllabarum, quam mensuræ ac quantitatum, maior ratio est, tamen quia & quæ dixi confirmant, & Andronici genus demonstrant, obtinebunt, ut hoc loco referantur: Sunt autem tales:

H

Η' δογματικὴ πυκτὶς τῶν λόγων χάρις
Τὴν ἑβραϊκὴν ἐξελέγχουσα πλάνην
Τὰς εὐσεβεῖς δείκνυσι τῆς πίστεως τρίβους·
Ἐγράψατο δ' αὐτὴν Ἀνδρόνικος ἐκ πόθου,
Ἀδελφόπαις ἄνακτος Αὐσόνων γένους,
Κομνηνόθεν ἐκ σεβαστοκράτορος
Εἰς γῆς προαχθεὶς, καὶ γνώμην βλέψας φάος.

Quos in Latinos numeros iustus sic redegimus:

Docilis venuſtáque libelli gratia
Verpûm retundit efficax inſaniam,
Piaſque ritè credulis monſtrat vias,
Huic Andronicus auctor eſt ſacer ſtudij
Frater potentis Auſonum late ſoli
Proimperator, quem ſatu Comnenidis
Eduxit orbi, & ſolis almo lumini.

Quod proximum eſt, editum hoc opus ſub annum Domini M. CCC. XXVII. Auctor teſtimonium dicet. Nam hoc ipſo libro ad ætatem ſuam Iudaicæ captivitatis annos computat M. CC. LV. quibus ſi addas LXXII. à Chriſto nato ad Titi triumphum, ſeu ad excidium Hieroſolymitanum, fiunt, ut dixi, M. CCC. XXVII. Natus eſt autem Servator noſter Chriſtus (ut Onuphrius calculum init, quem hac in parte ſequi ſine reprehenſione poſſumus) anno V. C. DCC. LII. Triumphavit de Iudæis Titus anno V. C. DCCC. XXIV. Iam ſi detrahas annos DCC. LII. de DCCC. XXIV. ſurgunt LXXII. exacte, ut ante annos plus minus CC. XCII. auctor ſcripſerit. Atque hæc ſunt, quæ de auctore explorare & cognoſcere hactenus potui.

Munus igitur hoc qualecunque noſtra induſtria ſtudioque Latinitate donatum, atque in aſpectum lucémque deductum, æqui boni, mi Lector, conſule, In quo ſi occurrent, quæ lituram merebuntur, (quod ſim arrogans ſi defugiam) in tanta operis difficultate par eſt ignoſcere. Nam & cum mendis plurimis ſine alterius exemplaris copia luctandum nobis fuit, & permultis ex omni qua vetere, qua novo teſtamento locis vitioſè citatis, ſingula ſuis capitibus, & auctoribus vindicanda. Vale.

CAPITA DISPVTATIONIS contra Iudæos.

ANDRONICI CONSTANTINOPOL.
DIALOGVS CONTRA IVDÆOS
Chriſtiani & Iudæi.

QVONIAM multi ſceleſtorum Iudæorum impietatem oſtendere ſunt aggreſſi, quemadmodum clemens Dominus accurator non per oſtenta ſola, atque prophetas, ſed per utraque ſimul *multifariam multiſque modis* ſalutem iis molitus, ex acerba ſervitute Pharaonia ereptos, prodigioſe per mare rubrum traiecerit, & Pharaonem per invia ire audentem, obruerit; promiſſæque terræ inſultantium ſatrapas deiecerit; afflictos autem, & in Ægypto luto, lateribus atque paleis enectos erexerit, per deſerta traduxerit, veſtéſque ille, qui nubibus cœlũ operit, intactas

Heb. 1. 1. Exod. 14. 21. & ſeqq. Exo. 5. 5. & ſeqq. Exo. 16. 4 & ſeqq. Exod. 17. c. 6. Exo. 20. 2. Heb. 11. 16. Imitatio eſt proverbij apud Naz. in Baſilium Μηδὲ ... ὥσπερ τὸν ... νέφεσι τὸν οὐρανόν.

conservarit; Angelicum panem, & avium carnes panis ille cœlestis depluerit; ropem in aquæ fontem, is qui aquis terram firmavit, miraculose commutarit: tum autem, quod primum atque maximum est, non erubuerit eorum se Deum, ille humanæ naturæ opifex & architectus, vocare. Et ne Dei mei exequendis singulis miraculis satietatem convivis creem, mensa è quotidianis Ecclesiæ ferculis instructa: agendus mihi quoque ad metam equus est, & ovvi tanquam cibi atque missus, iucundiores quidem certe apponendi. Nam velut cibus corporalis, quem assidue in os ingeras, demum insuavis gulæ traditur, quamlibet vel lectissimũ dicas; ad eundem modum, & qui animo intelligentia prædito, atque immateriatu ex divinis oraculis paratur, is nimirum alius longe gratior cognoscitur, qui arduarum rerum quam expeditissimam comprehensionem præstat. Atque equidem hinc tam ordiar.

Exo. 19. 6
1 Pet. 2. 9.

Ego vero, ò fidelis, ac sacer Christi grex (sic etenim vos, populum peculiarem, gentem sanctam, filius similiter, & cœlestis vitæ promissique regni hæredes, vos sic appello, maiorum voces, & prophetica oracula imitatus) scriptionem detrectabam (nam verum fatebor) partim qui scriptores amplecterer, & magni facerem, partim qui inscitiæ meæ conscius mihi timerem, ne, cuius ingenium à bonis literis esset in dies abiunctius, nihil quod ad gloriam proficeret, præstarem. Nequit enim omnino exucca terra, & inarata frequentes spicas educare. Verum non in hac illustri modo, ac regia *a* vrbe, sed etiam *b* Orestiade, & in Thessalia sum nactus sciolos quosdam Legisconsultos, qui Iudaicam religionem propugnarent, non illi quidem vera divini spiritus luce & instinctu, sed qui pingue, ut sic dixerim, & obumbratum sacrarum literarum studium agitarent, nec suspicere, proni inque terram defixi, possent. Eos, inquam, cum offendissem, qui audirent quidem, quæ oportet, sed effutirent, quæ non oportet, non ita docente eos lege (apage) sed qui legem capere nequirent; (scilicet quasi luminum princeps sol, cum hic progreditur, & aliis prælucet, tum cæcutientibus æque radios non immittit, itidem sane & legis difficultas iis, qui ingenio sunt purgato evidens ac perspicua est; torpidis nubila atque turbida. Nam legis, vti Moses appellat, velamen, non in scriptione, sed hominum mente, hodieque manet. Eam cum imperitiam advertissem, vt egregius quidam senex, oblitus senectutis ad luctam cum adolescentibus ineundam prosilit; ita equidem timiditatis quoque amolitus notam, dedi operam, ut vtrorumque interrogationes ac responsiones monumentis mandarem: potest enim animus magnus, Dei studium profitens, etiam quæ supra vires sunt tentare. Itaque nuda in primis interrogationum ac responsionum verba proponantur.

a Quæ Constantinopolis, & nova Roma in Oriente dicta antea Byzantium.
b Ab Oreste sic appellata, atq. ab Adriano instaurata.
Hadrianopolis Macedoniæ ingens oppidum.
Zonaræ, Nicetæ & Constantino Manasse.
2. Cor. 3. 13.
Exod. 34. 33.

Christianus. Quid est, quod vos, qui Mosaicæ legis zelum habetis, sed non secundum scientiam, ad me hodie convenistis?

Iudæi. Nos enimvero, intellecto, Christianarum te æmulum rerum, Mosaica contemnere, coram, quæ dicerentur, audituri venimus.

Christian. Dei quidem præcepta, eiusque pro nobis mortalibus salutarem incarnationem tueri & professus sum, & profiteor, & ad extremum vsque spiritum profitebor. Cæterum Mosaicam legem, quæ est velut umbra & figura nostræ salutis atque instaurationis, adeo non contemno, ut etiam colam, & amplectar.

Iudæi. At si Mosaicam legem amplectetis, neque ea tibi sententia labiis modo expressa ac formata falso excidit, quamobrem nos, qui eam propugnamus, violatores legis ducitis?

1 Cor. 11. 16.

Christian. Si quidem frugis gratia quæstiones movetis, ac satagitis, qui iniquiores partes æquioribus submittatis, expedict, opinor, principis rerum Sapientiæ in commune rationes inquirere, spem certissimam in iustitiæ, atque ipsius veritatis stabili trutina collocantes. Sin contendendi causa, dicendique ostentatione colloquium urgetis, sic habete, Ecclesia nostrate censi, haud se consuetudine ea venditant. Siquidem nostræ professionis ait quispiam: qui in disputatione stabilire sententiam suam pugnat; quamlibet vera dicat, Diaboli morbo laborat.

Naz. or. 2. de Theol.

Iudæi. Hoc tibi etiam atque etiam confirmamus, ita nos Deus Israël gloriosus amet; nos neqoaquam rixæ ac contendendi studio huc venisse, sed qui veritatem illustrem, eiusque demonstrationem instar viæ regiæ tritam cuperemus, per quam deducti ad lucem, cœlestis vitæ hæredes fieremus.

Ioa. 14. 6.

Christian. Meus amor Iesus in Evangelio ait, *Ego sum lux, & veritas, & vita.* Hæc si animus est vere bona adipisci, accumbite, & aurem præbete.

Duorum, Iudæi, à nobis Christianis criminum postulari, utrum iubetis vobis ad iudicium proponi? Legisne violationem cum cæde Prophetarum atque interfectione? an lucis repudium, ac non solum non receptum eum, qui prædicabatur, sed iniuste à vobis interemptum quoque? etsi maiores vestri eo mactando negabant sibi *licere interficere quemquam.*

Iudæi. Quoniam alterum est caput legis, atque prophetarum, propera veritatem hanc nobis ob oculos constituere. Nam si hoc demonstrabis, in utroque reos nos dedemus: tantum hæc probatio non petatur ex vestris, sed ex nostris propheris.

Christian. Quod si ex propheticis prædictionibus fidem faciam, ecquid vos errasse fatebimini?

Exo. 3. 14 & 20. 3.

Iudæi. Maxime. Prius tamen scrupulum unum ex animis nostris (rogamus) exime: Qui à vobis Christianis tres Dij honorentur & noscantur? cum id lex Mosaica non permittat; quin & liquido clamet; *Ego sum qui sum*, ac rursum *Non adorabis Deum alienum.* Ego enim sum Dominus Deus tuus, Zelotes?

CAPVT I.

De Deo uno & trino.

CHristian. Hac doctrina, ô Iudæi, totum Theologiæ arcanum absolvitur. Sed enimvero Ecclesiæ nostræ Doctores, tum lingua, tum mente horrere nos docent, si quando de Deo aliquid effari audeamus. Nam etsi cunctorum, quæ sub cœlo creata, augustissimum homo est; at nimium quam impar est divinæ luci contemplandæ. Scilicet terrena caro, in humumque devexa, quæ pro materiæ studio, mundi se negotiis miscet, & assidue iis, quæ deorsum sunt, consuescit, ac delectatur, ægre in sublimium curam incumbit: atque ut inter Hebræos & Ægyptios nubes tanquam murus intercedebat; ita nimirum corporea hæc caligo inter Deum ac nos media interstat. Eam ob rem, opinor, etiam David unus è maioribus Christi hominis præcinuit: *Posuit tenebras latibulum suum.* Stuporem hunc nostrum declarans, ob quem pauci vix, vel parum superiora suspiciunt. Et quinam illi? Quibus non corpora maceratione tantum ieiunioque purgata, sed ipsæ adeo mentes sic comparatæ sunt, vt cum divina semper voluntate coniunctæ sint. Ita enim censeo, divina eos luce affici vicissim, qui id, quod in ipsis est divinum (rationem dico atque mentem) Dei studio permiscent, effigie ad primigenium exemplar se levante. Nam quod Deum noverit quisquam, aut nosse, à quoquam testimonium tulerit, hactenus novit, vt alio nõ æque illustrato lucidior appareret, quippe alteri præstare perfectum quiddam creditum est, nõ re ipsa, sed alienarum Comparatione virium. Enimvero Enos † *primus cœpit invocare nomen Domini*; quod eius studium æquales *Dei notitiã* dixere. Et merito. Qui enim possis, quẽ ignoras in vota tua vocare? Enoch? qui translatus fuerat, incertum an Deum præscierit. Noë acceptissimus Deo, sospitæ peritia arcæ donatur. Abraham ille magnus ex fide iustificatus, peregrinam iugulat hostiam, in typum Dei propter nos interficiendi. At non Deum ut Deum conspexit, sed tanquam hominem epulis accepit, laudatúsque fuit, quod eum

Gen. 4. 26
† Scilicet posterorũ Adami, cum Caini ab unius Dei Opt. Max. religione descivissent.

quantum

quantum perceperat, evoluisset. Iacob scalam, & ascendentes per eam & descendentes Angelos intuetur, lapidem erectum in titulum oleo perfudit mystice, fortasse qui nostra causa unctum lapidem notaret; & loco cuipiam à *Visione Dei* nomen indit, ad honorem ipsius Visi, cum Deo velut cum homine colluctatur (quæcunque tandem Dei cum hominibus lucta est. An humanæ forsitan virtutis cum divina contentio?) luctæ in corpore monumenta fert, quæ genitalem vivacitatem naturam designarent, nominis commutationem pietatis præmium capit, pro Iacobo Israël nuncupatus, augusta sane & illustri nomenclatura. Cæterum Dei naturam, aut conspectum cepisse, nec ipse ille, nec supra eum quisquam hodieque ausus est iactare.

[4 Reg. 2. 11] Eliam aura quædam lenis, & ignea quadriga in cœlum subducit, maiorem homine iustum significans. [Iud. 13. 22.] Manue, qui apparentis obtutum Dei non ferret, *dixit ad uxorem suam: morte moriemur, quia vidimus Dominum.* Neque enim divinam solum naturam capere humanitas potest, sed nec splendorem ipsum. [Isa. 6. 1. 2. 6.] Esaias & Ezechiel magnarum rerum spectatores: Ille enim Dominum Sabaoth, in maiestatis divinæ solio videt, stipantibus eum, & collaudantibus, ac tegentibus Seraphinis, qui senas alas haberent; ubi & ipse pruna lustratus, ad prophetandum mittitur? [Ezec. 10. 1. & seq.] Hic vero & Dei vehiculum Cherubinis describit, & insperstans ei solium, hocque superiorem æthram, & qui in ipsa repræsentaretur, tum & voces quasdam, & impetus, ac functiones. Atque ista omnia, seu fuerint apparitio quædam diurna solis aspectibilis sanctis, seu visum nocturnum minime fallax, seu effigiatio in animo, quæ futura ceu præsentia repræsentat; seu aliud arcanum prophetiæ genus, quod solus Prophetarum Deus novit. Salomon, (verba scripturæ) cui dedit Deus *sapientiam, & prudentiam multam nimis, & latitudinem cordis, quasi arenam quæ est in littore maris: Et præcedebat Sapientia Salomonis Sapientiam omnium Orientalium & Ægyptiorum, & erat sapientior cunctis hominibus*; quo altius profunda penetrat, eo hæsitat magis, finemque sapientiæ statuit, conari invenire, quantum effugerit.

David *vir secundum cor Dei*, interdum iudicia Dei *abyssum multam* nominat. Alibi ait. *Mirabilis facta est scientia tua ex seipsa.* Moses, Vatum ille Vertex, qui & Deo charus, præque omnibus sua tempestate celebris, post quadraginta dierum piacula ac lustrationem, caliginem, tonitrua, atque tubas, vix posteriora intueri [Exod. 33. 23.] Dei potuit: sive ea motiones & opificia Dei censeas; seu incarnationem Verbi atque Filij eius dicas; ob mortalium salutem postremis temporibus ineffabili modo procurandam. Cæterum neque hi, neque his par quisquam, Dei substantiam & essentiam apprehendit, ut scriptum est, neque Dei naturam perspexit, aut exposuit; sed omnes exinde usque huc, *ex parte cognoscunt, & ex parte prophetant.* [1. Cor. 13. 9.] Omnes vero, inquam, illis spiritu pares. Ac quid Deum ab aliquo hominum visum dicam? qui nec de rebus quidem conditis explorate queant disserere. Scilicet magni Davidis hæc sententia est. [Ps. 8. 4.] *Quoniam tunc videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum.* Tunc: quando? Cum ex hoc tabernaculo excessero, atque à crassa vitiositate expeditus, liquidissima luce illustratus fuero. Vides ingenuum Vatem? Atque hæc inibi. Alio loco: [Ps. 50. 8.] *Incerta*, inquit, *& occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.* Nam profecto Dei opificium esse cœlos, cum perspecte nunc cognitum vati; tum vero exactius tenebit, cum & eorum vim ac naturam, sed & causam, ob quam ab opifice [Ps. 103. 3] Deo instituti, accurate perspiciet. Tum enim non pellis instar extensos, sed veram naturæ eius notitiam consequetur. Quod si tanti viri de rebus creatis tantillum quiddam in hoc tabernaculo agitantes sunt assecuti, quid iam mei instar quispiam, plenus scelerum maculis, cogitare aut effari ausit?

Dicam tamen vobis, quæ certo, & absque controversia Prophetarum esse credimus. Expeditam porro faciat orationem à prophetis prædicata Trinitas, verus, atque unius naturæ Deus. Credo in Patrem, ac Filium, & Spiritum sanctum, unius naturæ, & individuam Trinitatem; non ut tres deos, sed unam deitatem in tribus personis agnoscendam: Sine principio, sine fine, æternum Patrem, naturæ omnis aspectabilis, atque intelligentis architectum. Genitum ex Patre Filium, quasi lumen de lumine, Deum verum ex Deo vero; Genitum non factum, immortalem, consubstantialem, semper cum Patre degentem, throni & operum consortem, compèrennem & infinitum. Credo spiritum sanctum, non genitum, sed procedentem ex patre, consubstantialem, coæternum, & immensum; cum Patre & Filio una adorandum & collaudandum.

[Ex ... orat. al... de Theolog.] Ac de principij experte Deo, & patre, non solum vos, atque omne hominum genus in sententiam ibit, sed ipsa etiam natura, ac naturæ magistra lex. Quo enim modo aut extitisset hæc rerum universitas, aut constaret, nisi omnia Deus & produxisset, & tueretur? Neque enim qui citharam pulcherrime instructam, & undiquaque aptissimam, cernit, aut citharœdum audit, aliud cogitatione vestiabit, quam citharæ autorem, ac citharœdum; ad cumque, etsi nondum oculis conspectum, mente avolabit.

CAPVT II.

Animantia agnoscunt etiam Deum.

Sed quid autem mortales, & universum hoc omne recenseo? quando ipsæ etiam terrestres feræ opificem agnoscunt, & eius perpetuo indigent adminiculo, ita enim & de hoc scribit David: *Catuli leonum rugientes, ut rapiant & quærant à Deo escam sibi.* [Ps. 103.] Et idem alibi: *Qui dat iumentis escam ipsorum; & pullis corvorum invocantibus eum.* [Ps. 146. 9] Quid igitur de Deo & Patre hæc sufficiunt? An ingenio estis etiam bardis bestiis bardiore?

CAPVT III.

Deus pater genuit.

Iudæi. Nihil hic ambigimus, sed genuerit ne Deus, dubitamus.

Christiani. Utinam, Iudæi, huius vestri scrupuli causa, hodie in vivis esset Moyses. Vix enim, opinor, vel ille vobis silentium imponeret.

Iudæi. Ubi vero eius constat Mosen meminisse?

Christiani. Circumcidite modo, inquam, cor. id est, immodicum hoc supercilium ex animis vestris deponite; nec Mosen solum invenietis, sed alios etiam multos Prophetas, non tantum meminisse, sed palam adeo clamare. Nam in Dei opificio, ait Moses: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* [Gen. 1. 26] Et post pauca: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est,* [Gen. 3. 22] & in linguarum dissidio, ait Deus: *Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.* [Gen. 11. 7] Quærendum igitur est, quocum à se creato consilium conferebat.

Iudæi. Cum Angelis opinamur.

Christiani. Amens ea, & plane absurda est opinatio. Quis enim figulus cum fictili vase sermonem confert? Quis faber, ne longum faciam, cum ferro de eo procudendo, & apparando colloquitur? & sunt tamen magis coniuncta, & naturæ nostræ affinia, quæ nos fabricamur, utpote ex eodem luto, iisdemque elementis constituta: Cœlestia autem cuncta, & quæ supra cœlos sunt, quamvis natura nobis præstent, propiusque à Deo absint; longius tamen adhuc etiam ipsa distant à Deo, eiusque perfecta comprehensione, quam corpus hoc nostrum compositum, humile, atque humi deiectum à cœlestibus illis superetur. Quare dubium non est quin cum socio opificij, Filio nempe suo, hunc (ut ita dicam) architectonicum, de creatione sermonem contulerit Deus Pater.

Iudæi. Deum quidem verum, creaturarum quas condidit, ope ac consilio non indigere, damus & confitemur, seu intelligentem, seu sensilem naturam dicas. Deo esse filium, generationémve illi convenire, Moses ad nos haud prodidit: Sed: *Ego sum Dominus Deus tuus.* Et: *Videte quod ego sim solus, & non sit alius Deus, præter me.* Et, *noli adorare Deum alienum.*

Exo.20.2 Deut.32.39. Exo.34.14.

Christiani. Dixi vobis, Iudæi, ægre, vel Mosen vobis, si vivus esset, silentium impositurum. Nam cum execrabilis sit, qui alium, quam Mosis Deum prædicat; tum demum id, quod sermocinamini, locum haberet, si dissimilis naturæ filium promulgarem. Nunc cum eiusdem naturæ cum Deo & Patre filium dicam, quæ dissensio? Ipsum enim Mosis Deum, confitemur, Patrem geniti filij; & rursum eiusdem naturæ filium cum Patre Genitore. Nam etsi Moses dicit, *Dominus Deus noster, Deus unus est*; non hypostases, sed naturam iis verbis significavit: Vnam etenim Patris & filij naturam consentimus.

Deut.6.4.

Iudæi. Belle Patris de fabrica consultatio comprobat nobis filij cum eo naturæ consensionem. Sed expedi, oramus, quamobrem à Mose luculentius de eo non accepimus.

Christiani. Nemo scientiarum perfectus magister pueros docere aggressus, summa quæque disciplinarum primis rudimentis atque studiis proponit, sed facto ab elementorum doctrina initio, paulatim eos ad perfectionem subducit. Atque id non præceptoris vitio, sed discipulorum imperitia fit, qui cum adeo sint rudes, ad maiora capienda gradum facere non possunt.

CAPVT IV.

Moyses agnoscit Trinitatem.

AD eundem modum par est, & sapientissimum Mosen habuisse perspectam SS. Trinitatem, atque Vnitatem; sed vobis, quos tum ob deorum frequentiam, tum propter idolothyta, & carnes, habebat prorsus rebelles, perfectam religionem non aperuit; neque vero prorsus reticuit, sed tum quomodocumque ad Dei notitiam erigere est conatus. Maiores quippe vestros in pietate infantes videns divinus Moses, velut nutrix optima, iis tanquam lac quoddam Dei notitiæ propinavit; solidam omnem doctrinam post se vatibus reliquit. Atque id non in consultatione tantum, sed etiam in imagine, aliisque fecit. Nam Deum ad imaginem suam hominem finxisse indicavit; at quæ ea foret imago, auditoribus quærendum reliquit. Quod enim studio paraveris, id tenaci ac perpetuo monimento in animo circumfers; quod leviter, id facile, ut quæsitum erat, effluit. Itaque Moses quæstionem ad vos, dissolutionem ad vates reiecit. Nam si cognito etiam Deo, ab eoque infinitis acceptis beneficiis, & Mose ad Deum aliquantisper à vobis digresso, ut Dei voluntatem in divinitus exaratis scriptis exhiberet, alteri Deo gratiam retulistis, & immortalis Dei *gloriam mutastis in similitudinem vituli comedentis fœnum*; in quantum deorum multiplicatorum præcipitium maiores vestri non irruissent, si à Mose Deum trium hypostaseon didicissent.

Gen.1.27

Naz. de moderat. Et orat. altera de Theol.

Exo.32.6 Psl.105.19.

Iudæi. Non iam ad maiorum nostrorum offensas intelligendas adsumus. Sed, ecquid, ut dicebas, Deus in tribus personis comprehenditur? Itaque hic nobis veritatem commonstra, & qualis propheta Deum genitum significet.

Christiani. Constabilitum vobis est, Iudæi, neminem unquam sanctorum vatum. Dei hypostasin, aut essentiam imaginatione comprehendisse. Igitur certo sic habete, non solum vim ac naturam, sed nec nomen proferre (tantos vates) posse, Dei essentiam, non actionem tantum significans: Vti etiam illud; *Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me.* David usurpavit, non quasi manus haberet Deus, (est enim Numen incorporeum & sine figura) sed Dei opificium notans, & rursus: *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum, Vultus autem Domini super facientes mala*: illis beneficentiam, his vindicem Dei potestatem innuens. Ita sane & in nominibus (Dei) non divinam naturam, sed functionem, occultámque operandi efficaciam ex ipsis nominibus exprimere sancti conantur. Nam illa *Dominus Adonai, & Sabaoth, omnipotens & Salvator* actionem non naturam significant.

Psl.118.73

Ps.33.16.17.

CAPVT V.

Dei significatio.

IAm vero quid Sanctorum voces consector, cum ipse etiam Deus eadem dicens inveniatur? Parenti namque vestro Abrahamo in Mesopotamia conspectus inquit: *Ego sum Deus tuus: ambula coram me, & esto perfectus.* Vocabulum autem Θεὸς, id est Deus, non naturam, sed eius functionem denotare palam est omnibus: deducitur quippe à θέω, hoc est, *curro*, aut à θῶ; quod est, molior & architector: est enim omnium architectus & molitionis universi auctor. Architectari autem functionem, non naturam designare nulli dubium est.

Gen.17.1 ita habet LXX. pro Dominus Omnipotens.

Rursum Moses, qui ad negotium quoddam populi erat legatus, cum quæreret; si ex se peterent, quis se misisset, quid responderet; hoc à Deo audit: *Qui est.* Quæ vox, non naturam repræsentat, sed statum, ac permansionem. Quare etiam Vates, non putas putas SS. Trinitatis apparitiones, sed pro suo quisque captu conscripserunt. Necesse est igitur Dei notitiæ studiosos in sacram omnem scripturam, velut speculum inspicere, & aliam ex alio notionem ad unum aliquod veritatis tanquam simulachrum corrogare. Id enim nos Deus & per Mosen docuit, ei primo ascensu tabulas in se exaratas tradens, altero non item. Sed quid ei iubet? *Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ quas fregisti.* Itidem & Israëlitas ex Ægypto educens, Deus metipse eos multipliciter crassis prodigiis ductabat. Quid enim crassius, quam noctu igni, interdiu nube viam præire? Quid item crassius, quam mare dirimere, & rupem velut fontem ubertim aqua scaturientem monstrare? Sed cum adhuc cæcutirent maiores vestri, & auribus obsurdescerent, tum vero involucris per vates placita sua denunciare Deus; ut intelligentes quas vos dignitate deieceritis, laboriosiori quadam via, recuperare antiquam nobilitatem studeretis. Atque idem & in primigenio parente animadvertendum venit. Hic namque priusquam iussum violasset, non omnium modo terrestrium naturarum à Deo datus est rex, sed etiam Vates, cunctis & volucribus & bestiis nomina imponens. At post lapsum, posteri non solum regno exciderunt, sed etiam vulgo res creatas deos arbitrati sunt, ut ait Salomon. *Vani autem sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei; & de his quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est; neque operibus attendentes, agnoverunt quis esset artifex: Sed aut ignem, aut spiritum, aut citatum aerem, aut gyrum stellarum aut nimiam aquam, aut Solem & Lunam, rectores orbis terrarum, deos putaverunt. Quorum si specie delectati deos putaverunt; sciant quanto his dominator eorum speciosior est. Speciei enim generator hæc omnia constituit. Aut si virtutem & opera eorum mirati sunt; intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis: à magnitudine enim speciei & creaturæ, cognoscibiliter poterit creator horum videri.* Videte ut post peccatum Deus non coram cum hominibus, ut cum Adamo, collocutus sit, sed eos ex operum pulchritudine ad sui notitiam erigi permiserit. Quod si eos merito *vanos* Salomon appellavit, quanto magis vaniores vos appellaret, si hodie superesset? Nam illi fortasse habent, quo venia digni sint. Quid ita? quod Dei notitiam vestigantes, ad ignorationem compulsi sunt. Vos in tanta Vatum corona, & scriptorum multitudine,

Exo.3.14

Naz. in Natalem 229.16.

Exo.31.18 Exo.34.1

Exod.13.21. & 22

Gen.2.20 Sap.13.1

titudine, adeo non vestigatis, ut etiam quæ scripta sunt adulteretis.

Iud. Per Mosen, qui mare rubrum dextra divisit, vera omnia narras. Quamobrem dum hic apud te adsumus, scripturam evoluamus. Tu, quod ante dicebamus, nubis commonstra, quis nostrorum Vatum generationem Dei, genitumve Deum usurpet. Id enim magis animos nostros in stuporem atque dubitationem rapit.

CAPUT VI.

Ex prophetis ostenditur Christum à Patre genitum.

CHristian. Audite porro Salomonis verba. Quod si quid melius scitis, docete sane. Neque enim vereundor propter Deum hominem Iesum meum, discipuli personam induere. *Dominus † possedit me in initio viarum suarum, antequam quicquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram: necdum fontes aquarum eruperant: Nec dum montes gravi mole constiterant; ante omnes colles ego parturiebar.* Hic *creavit* (quod ponitur à L X X.) non moliendi, sed gignendi vim habere, intelligendum est. Solenne est enim sacræ scripturæ vicina pro vicinis usurpare: Vt cum de Mose ait. *Adultum puerum tradidit filia Pharaonis, quem illa fecit sibi filium.* Atqui non fecit, sed nuncupavit sibi filium. Item David: *Facti sumus in opprobrium vicinis nostris*, pro sumus. Iam vero ante cœlum & terram, Moses nullam rem creatam extitisse, revelavit: *Principio*, inquiens, *creavit Deus cœlum & terram.* Quod si quid antiquius extitisset, id dubio procul prius tractaturus fuisset. Etsi sunt, qui intelligentes substantias prius conditas, existiment, veluti altera quædam lumina, & Deo magis coniunctas. At terret me Dei ad Iob sermo, dicens. *Cum astra conderentur, laudabant me magna voce omnes Angeli mei.* Astra enim omnino die quarto constituta sunt. Igitur si de astrorum creatione cum Angeli collaudabant, multo magis de cœlo, terra, aqua & luce. Sed hanc insanam multorum existimationem perspicue frangens Salomon, paulo post addit: *Ante omnes colles gignit me*, ac paulatim quæ scriberet, illustrans subiicit: *Quando æthera firmabat sursum & librabat fontes aquarum, quando circundabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos; quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componens.* Videte ut sensim socium Patri opificem Filium declaret. Quid enim aliud est, *cum eo eram cuncta componens*; quam una architectans, atque ordine componens, & volenti Patri molitionis consors?

*Prov. 8. 22. & seqq. * L X X. ἔκτισε creavit pro ἐκτήσατο. vide S. Hieron. hic & in cap. 26. Isa. & notas ad LXX. Exo. 2. 10 ita LXX. Ps. 78. 4. Gen. 1. 1. Iob 38. 7. ita LXX. Prov. 8. 25 secundũ LXX. Prov. 8. 28, 29, 30*

Iud. Cur autem si de Filio nos docturus erat, non dixit, *aptator*, *sed aptatrix* (ita ex L X X. versione dicendum pro illo,) *Cum eo eram cuncta componens.*)

Christian. Iam dixi; Vates de Deo, non quantum est, dixerunt, sed quantum cogitando assequerentur, scripserunt. Quo enim modo comprehendatur, quod comprehendi non potest? Nam cum arenas maris, & stillas pluviæ, stellarumque multitudinem nequeat numerare, scilicet Deum principij atque finis expertem comprehendet? Itaque alius Dei sapientiam Filium vocavit; alius mentem, alius lucis simulachrum; alius expressam quandam formam; alius vires; alius Filium; omnes unum & eundem. Sin autem secus Prophetarum voces accipitis, vereor ne splendidam SS. Trinitatis lucem refugientes, in profundum plurium deorum vos præcipitetis.

Igitur denuo audite Salomonem palam vociferantem: *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia; attingit autem ubique propter suam munditiam: Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quadam est claritatis omnipotentis Dei sincera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei maiestatis, & imago bonitatis illius.* Sed omissis, quæ sapientem sunt, imaginem solam persequar. Sunt, putatis, in cœlo pictores ac colores?

Sap. 7. 24 & seq.

Iud. Minime.

Christ. Et quæ est porro hæc Dei bonitatis imago? nec solum imago simpliciter, sed per omnia similis? Aut ergo imaginem concedite; aut mecum unius naturæ & substantiæ cum Patre Filium fatemini.

Iud. Fatemur, sed amabo, idem nobis ex alio propheta edisseré.

Christian. Isaiæ verba sunt. *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius; & vocabitur nomen eius magni consilij angelus, admirabilis, Consiliarius.* Videtis Patris consiliarium? Videtis magni consilij Angelum? Est enim Filius ἄγγελος, ut qui à patre arcani ab omni æternitate occulti abdita ad homines pertulerit ac promulgarit. Consiliarius est, qui à Patre audierit; *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Et rursum. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est. Nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum*, eum paradiso exigamus. Et iterum. *Venite descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.*

Isa. 9. 6. Gen. 1. 26 Gen. 3. 22 Gen. 11. 7

Ceterum, Deum esse, eum Consiliarium, non Angelum, ipse dubium dissoluit: non enim dixit; erit ei nomen Angelus, sed *vocabitur*, id est, qui Deus est, is, quod iam olim consilium cepit, Angelus vocabitur. Quin ne quis id de vi quadam incorporea dictum fingeret, Deum nominat, paulatimque quod obscurum erat, in lucem proferens, ait: *Fortis, potens, princeps pacis, pater futuri sæculi.*

Nazianz. in Natalem & S. Pascha. Isa. 9. 6.

CAPUT VII.

Ex Psalmis idem ostenditur.

DAvidis quoque hæc sententia est: *Ante Solem permanet nomen eius.*

Ps. 71. 5.

Iud. Iniquum nobis videtur eam sententiam referri ad Christum. Dicimus quippe septuagesimum primum psalmum de suo filio, Davidem cecinisse. Quare omitte hoc testimonio abuti, & ad alium transi Prophetam.

Christian. Deum immortalem! Verum Vatis atque Regis Deum, testor, absit ut me ad aliam disputationem conferam, nisi psalmo omni pervoluto, sententiæ eius confirmationem certissimam dabo. Nobis quidem dubium non est, quin hæc: *Deus iudicium tuum Regi da, & iustitiam tuam filio Regis, iudicare populum tuum in iustitia, & pauperes tuos in iudicio. Suscipiant montes pacem populo, & colles iustitiam. Iudicabit pauperes populi, & salvos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem:* hæc inquam, omnia ad Christum quin spectent, nobis dubium non est, quæ vos detorquetis, & pervertitis: rati de Salomona dici; nec dum veritatem læditis, vos lædere arbitramini: est enim, quisquis lædit, ad defensionem promptus. Atque ego vobis nihil super his respondebo, sed ipse psalmi autor David, cuius semini promissus Christus; lyra Spiritus sancti, vobis os obturans, sic porro psalmum pertexens scribit: *& permanebit cum Sole.* Num Salomon igitur tamdiu duravit, quandiu Sol? & quomodo? qui nec patrem annis regni superavit. Et Davidis alio psalmo hæc sunt verba: *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor & dolor*: Quare potest etiam plures annos vivi. Videtis, ut David filium ab hoc nostro psalmo removeat? Nam si Salomonis vita ad octoginta annos non pervenit, qui tandem, & quandiu Sol; & præ Luna durabit? Neque vero id obiter dixit, sed addidit: *in generatio-*

Ps. 71. 1. & seqq. Ps. 75. 5. Ps. 89. 10 Imo Iosephus non octogenarium, sed nonagenarium mortuũ Salomonẽ ostẽdit.

nem & generationem, Salomon autem mediis temporibus ab orbe condito natus est. *Descendet sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Ille non solum ex adulterio, sed etiam per cædem susceptus est. Quod Deus flagitium per Nathan arguit, ac palàm fecit. Neque equidem hæc animo insultandi Dei hominis maioribus, sed reprimendæ contumaciæ vestræ causa, à me proferuntur. *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis, donec auferatur Luna.* Ille non modo, ut hominem par est, dilapsus est; Sed & eo regnante cædes non paucæ, & captivitates, quales nunquam ante, consequutæ sunt. *Et dominabitur à mari usque ad mare; & à flumine Euphrate usque ad terminos orbis terrarum. Coram illo procident Æthiopes.* Ille solius paterni regni sceptra moderatus est; id quod sciunt omnes, qui Iudaici imperij meminerunt. *Et inimici eius terram lingent.* Illius hostes adeo pulverem non linxerunt, ut etiam Ieroboam, eius servus, regnum ab eo avertens, illud sibi usurparit, & occuparit. *Reges Tharsis & insulæ munera offerent: Reges Arabum & Saba dona adducent.* Aut reges, si placet, qui sint edite, & dona proferrote (quanquam etiamdiu multumque agendo, actum agens) aut quod sequitur, *& adorabunt eum omnes Reges terræ.* Commentum amens arguet. *Omnes gentes servient ei.* Illi adeo non servierunt, ut postquam vetita legibus in Deum admisit, ac diis fana excitavit, Adad Idumæus, & Razon Damasci regulus ab eo defecerint: tantumque abest ut eum gentes coluerint, ut de paterno suo regno adhuc superstes à Deo audierit, ruptum revulsumque eius regnum servo non filio donandum. De quo igitur psalmodus, psalmum edidit? quæ enim diximus Salomonem plane repellunt.

Iud. Quod in Salomonem scripta non sint, probe iam & explorate tenemus; in quem alium nescimus.

Christ. Utrique, si videtur, Davidem percontemur.

Iud. Davidem, tot annos iam mortuum hodie respondere?

Christ. Respondebit sane, mihi credite, si studiose quæramus. Cedo David, quis hic est, de quo dixisti? *Et permanebit cum Sole & ante Lunam.* Et illud. *Ante Solem permanet nomen eius*, ceteraque quæ eo psalmo cecinisti? Quis Dominus Israelitarum Deus prædicandus? *Benedictus enim Dominus Deus Israel: & benedictum nomen maiestatis eius in æternum, & replebitur maiestate eius omnis terra, fiat fiat.*

Quid igitur? Hæc sufficiunt, an & plura addimus? Audite dicentem Isaiam. *Quis ex vobis timens Dominum, audiet vocem servi sui.* Et Sapientia. Cum meum filium non audierint, ego quoque eos non exaudiam dicit Dominus omnipotens. Et Osee, ex persona Dei: *Ex Ægypto vocavi filium meum*, & David. *Dixit Dominus, Domino meo.* De hoc igitur quid censetis? Quis alius Dominus Domino dixit? aut cui alteri Domino, quam Dominus Deus Pater, Domino, id est, eiusdem naturæ Deo & Filio? Nemo enim alius Deo & Patri dexter assides, quam eiusdem naturæ Deus & Filius. Quod verissimum esse, accipite ex Davide, sic paulo post scribente: *Ex utero ante Luciferum genui te.* Cur enim non *ex utero* solum, aut *ante Luciferum* dixit? Ut unius naturæ cum Patre Filium ostenderet. Nam quod *ex utero* ait, nihil aliud, quam natura viribusque parem, atque cognatum palam innuit. Qui namque possit aliud ex utero gigni, quam gignenti cognatum & consentiens? Quod *ante Luciferum*, competentem, expertem æque principij, & ævi autorem Filium designat.

Iud. Deum immortalem! ita nos obruisti, ut quæ dixisti, facile satis sint, nec vel minimum sit, quod contra dicamus. Sed religio est nobis vel cogitare Deum genitum. Gignere enim perpessionem notat, Deum vero omnes uno ore Vates, impassibilem, incorruptum prædicant.

Christ. Iam vos scripturas iussi scrutari; nec quod in litera est crassum atque pingue, intueri; sed dubia Vatum & obscura dicta tanquam matiu capere, omniaque ad Deum referre. Itaque legite, ut intelligatis: quod si intelligere non vultis, ne legite quidem; ne, quæ legitis absurde intelligentes, damnemini. De hoc etiam propheta prædixit; neque enim id ego dico; aliquem unquam Sanctorum Vatum ad divinæ naturæ comprehensionem penetrasse. Et quisquam igitur Dei æternam generationem effari, dicendoque consequi ausit, aut possit? Nam ubi nec tempus, nec ævum intervenit, non spectator affuit, non præsto est interpres, qui potest veritas in aspectum lucemque proferri?

CAPUT VIII.

Generatio divina mente comprehendi nequit, & quomodo fiat.

Sin illi Salomonis parebitis monito: *à magnitudine speciei & creaturæ cognoscibiliter poterit creator horum videri*; facile & hanc summam difficultatem ex rebus conditis, & probe assequemini. Nam si in hac condita & sensili natura utrum citra perpessionem damus, multo magis conditor Filius absque fluxu ac perpessione a Patre genitus est, quemadmodum à mente sermo, aut a Sole lumen. Hominum amator Deus & Dominus, quæ terrenis nostris atque infirmis mentis comprehendi posse præscit, singula detexit: quæ non possent, ea subiectis sub sensum exemplis quibusdam ostendit. Atque huic nostræ sententiæ testimonium dicit Salomon: *Quod si virtutem & opera creaturarum mirati sunt, ut Deos putaverunt, intelligant ab illis, quoniam qui hæc fecit, fortior est illis.* Itaque si & vos ex iis quæ creata sunt, atque his sub sensum subiectis rebus manuducti, Dei generationem absque perpessione admittitis, planeque confitemini; quam bella hæc vestra est confessio? Sin adhuc antiquum obtinetis, phy fædam vestram arrogantiam, qua ex aliis in alias quæstiones ac defensiones revolvemur? Unde putatis, lux ignitur, omnem eis cœlum orbem pervadit?

Iud. Ex Sole.

Christ. Et aliquane inter Solem atque lucem perpessio interest, cum a Sole lux emanat?

Iud. Minime.

Christ. Quid vero radius, unde, creditis, oritur?

Iud. E sole itidem per lucem.

Christ. Radij porro ab Sole effluentiam citra perpessionem fieri confitemini?

Iud. Sane ita rem habere confitemur?

Christ. Quoniam sic habere confitemini, addatur & alterum exemplum hoc. Mens cogitationem gignit, quia genita per articulatam vocem sensa palam facit. Est autem impatibilis, & mens, & cogitatio, & vox; quantumvis ictus aër vox efficitur: vox animi scita in lucem profert. Atque id verissimum esse, explorate iudicium facite ex muto, hic namque & mentem, & cogitationem, & vocem habet; sed eum per articulatam non possit (neque enim habes audiendi sensum impatibilem) industrie imitatione quadam atque gestu scita prodit.

Iud. Grates Deo opt. max. nihil iam ambigimus, neque de Deo, & Patre, neque de eiusdem naturæ Filio, hæc enim belle planeque demonstrasti. Itaque & de Spiritu sancto dissere sodes, & quis propheta eum increatum, atque eiusdem naturæ indicet.

CAPUT IX.

De Spiritu sancto eiusdem cum Patre natura.

Christ. Etsi ante omnes id & perspexit & scivit Moses; hic tamen ad confirmationem ultimo

loco serveter; ut quemadmodum Vatum princeps est, ita disputationem claudat. Isaiæ, in persona Christi hæc sunt verba: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer, contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis apertionem.* Et Iob dicit: *Spiritus Domini fecit, & spiraculum omnipotentis vivificabit me.* Et quid autem vobis de hoc Spiritu videtur? Cuiusnam Spiritus vis inopibus læta nunciat, mente fractis medetur; à diabolo mancipatos in antiquam felicitatem restituit; *cæcis*, † id est, quibus mens caligat, animi oculos illustrans, Deum quoad eius fieri potest, spectandum præbet? Quæ vis spiritualis omnes cœlorum copias constabilivit, ut ait David: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Quis ille est Spiritus, qui Dei notitiam docet homines, atque ad perfectionem adminiculatur? Agite, dicite.

Iud. Ne nos, obtestamur, vaticinatum vocum interpretationem posce; sed tute potius ad nos explica. Nam si à nostris Vatum dicta certo exponerentur, quæstiones plane nec ingressi quidem essemus.

Christian. Ioel scriptum reliquit: *Et erit post hæc: effundam Spiritum meum super omnem carnem: & prophetabunt filij vestri, & filiæ vestræ: senes vestri somnia somniabunt, iuvenes vestri visiones videbunt. Sed & super servos meos & ancillas in diebus illis effundam spiritum meum. Et dabo prodigia in cælo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi: Sol convertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & manifestus. Et erit, omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Et Isaias: *Ipsi ad iracundiam provocaverunt, & afflixerunt Spiritum sanctum, & conversus est eis in inimicum.* Et Zacharias ex persona Christi: *Increpet Dominus in te Sathan: sed in spiritu meo, &c.* Idemque rursus: *Effundam super domum David, & super habitatores Ierusalem, spiritum gratiæ & precum.* Et David: *Emitte spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Et iterum: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam.* Et in numeris: *Irruente in se spiritu Dei; ait Balaam.*

CAPUT X.

Similitudines Sanctam Trinitatem exhibentes.

Atque sic porro pariter, si placet, Vatum voces attexam, huius naturæ Trinitatis vim designantes. Sane & Israelitarum ex Ægypto exitus, qui tridui iter progressi, Deo operari peterent; ea, inquam, res Trinitatem innuere mihi videtur. Et tres virgæ, quas Patriarcha Iacob, detracta parte corticis in aquam coniiciebat, ovibus Laban adaquandis: quemadmodum & nunc Salvator noster Iesus, oves ratione præditas, id est, homines sacro baptismate illustratos, servavit, ut per Ezechielem Deus ait: *Ecce ego ipse requiram oves meas, & visitabo eas; & scient quia ego Dominus Deus eorum.* Quin & Ninivitæ, trium dierum atque noctium ieiunio salutem consecuti sunt. Quæ res non frustra erat, sed effigies quædam rerum futurarum. Nam adoranda SS. Trinitate omni hominum generi salus quæritur. Elias aqua tertium in struem effusa, ignem in cœlo devocavit, & hostiam consumpsit. Daniel ter quotidie domus suæ foribus apertis comprecatus, postulata accepit. Atque hæ vero, nequaquam temere erant, sed quæ gesta sanctæ Trinitatis arcanum notarent.

Nihilominus si crassiora vaticinia, utpote crassiores requiritis, agite sane & crassiora tractemus. Itaque Iobi hæc sunt verba: *Vivit Deus, qui abstulit iudicium meum; & Omnipotens qui ad amaritudinem adduxit animam meam: quia donec superest halitus in me, & Spiritus † Dei, qui fecit me.* Abraham parens vester tres Angelos epulis accepit, quibus Domini ex æquo nomen unum tribuit, dicens. *Domine si inveni gratiam coram te:* & quæ sequuntur. Deum vero quod Abrahamus exceperit, & non Angelos, evidens est non solum ex risus Saræ præsensione; sed ipse adeo Deus et post epulas confirmat: † se eius esse Deum: *Revertens veniam ad te tempore isto, & habebit filium Sara uxor tua.* Et eductum foras sic est allocutus. *Suspice cælum, & numera stellas, si potes. Et dixit ei: sic erit semen tuum. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Dixitque ad eum; Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum.* En vobis SS. Trinitatem. Primum, inquit, *Ego sum Deus tuus*: Et ex Sara dabo tibi filium, cui benedicturus sum: *Revertens veniam ad te tempore isto, & habebit filium Sara uxor tua.*

Deinde eo foras educto, & cum stellarum numerum consequi non posset, numerosa posteritate ei condicta, addit: *Credidit Abraham Deo.* Ac tertio. *Ego Dominus, qui eduxi te de Vr Chaldæorum*, ut per Triadem hanc, triplicem in divinitate personam doceremini. Videte rursum tres personas in una natura velut unam, differentes. Etenim Abrahamus, quum sanctam Trinitatem comitaretur, id ab ea dictum accepit. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me; opere compleverint; an non est ita, ut sciam.* Iam & Mosi imperantis Dei hæc sententia est. *Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.* Nec dixit: Ego sum Deus Abraham, Isaac, Iacob: Sed addit, *&*, *Copulam*, † ne & Filius & Spiritus sanctus indesignati essent; sed velut copula Abrahamum, Isaacum, Iacobum, tres homines ostendit, ita & Deitatis triplex usurpatio tres personas declarat. *Ego sum Deus Abraham*, hoc est, Pater, *& Deus Isaac*, id est, Filius ex eo genitus, *& Deus Iacob*, scilicet ter sanctus ac vivificus Spiritus, † ex Patre manans, & in Filio conquiescens. Cœlestes autem copiæ Cherubinorum Seraphinorumque irremissa voce, prodente Isaia, clamant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum*: ter ingeminando *Sanctus*, tres personas; semel *Dominus exercituum*, unam Deitatem notantes. Est enim vere unus Dominus, & una Deitas Patris, & Filij, & Spiritus sancti.

Iud. Per Deum rerum omnium architectum, veræ hæ Vatum voces sunt, eoque fine ab iis proditæ; patres vero nostri stulta in nuda occupati litera, erratunt.

Christian. Ades vero Moses, refer de Spiritu sancto, quid in Numeris tecum locutus sit Deus: *Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint ac magistri: & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, ut descendam & loquar tibi; & auferam de Spiritu tuo, tradamque eis, ut sustentent tecum onus populi, & non tu solus graveris. Et congregavit Moses septuaginta viros de senibus Israel, quos stare fecit circa tabernaculum. Descenditque Dominus per nubem, & locutus est ad eum, auferens de Spiritu qui erat in mose, & dans septuaginta viris. Cumque requievisset in eis Spiritus, prophetaverunt, nec cessaverunt. Remanserant autem in castris duo viri, quorum unus vocabatur Eldad, & alter Medad, super quos requievit Spiritus; nam & ipsi descripti fuerant, & non exierant ad tabernaculũ. Cumque prophetarent in castris, cucurrit puer & nunciavit Mosi, dicens. Eldad & Medad prophetant in castris. Statim Iosue filius Nun, minister Mosi, & electus è pluribus, ait: Domine mi, Moses, prohibe eos. At ille: Quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat, ut omnis populus prophetet, & det eis Dominus Spiritum suum?* Pudeat eos, qui Spiritum hunc alterius naturæ, quam Dominum censent. Nam si id in hominibus, ne dicam de singulis animalibus, impossibile est, multo magis in Deo. Quid agimus? creditis? Vtinam oculorum mentis vestræ lippitudinem elueretis

Marginal notes (left column): Isa. 61.1. — Iob 33.4. — † Sic LXX. pro clausis. — Ps. 32.6. — Ioe. 2.28. & seqq. — Isa. 63.10. — Zach. 3.2. & 4.6. — Zach. 12.10. — Ps. 103.30. — Ps. 142.10. — Nu. 24.2. — Exo. 3.18. — Ge. 30.37. — Ezec. 34.11. & 30. — Ion. 3.5. — 3. Reg. 18.34. & 38. — Dan. 6.10. — Iob 27.2. & 3. & c. 33.4.

Marginal notes (right column): † τὸ Verba τὸ θεῖον ... — c. 33. nõ repetitur — Gen. 18. 10. — † Hæc Ego sum Deus tuus, in neutris bibl. habentur, c. 18. sed c. 17. 7. — Gen. 18. 10. — Gen. 15. 5. 6. 7. — Gen. 17. 16. secundũ LXX. — Gen. 18. 10. — Ge. 15. 6. c. 15. 7. — Gen. 18. 2. — Exod. 3. 6. † LXX. καὶ Θεὸς Ἰσαὰκ, καὶ Θεὸς Ἰακώβ. — † De processione Spiritus sancti loquitur Auctor ille, ut Græcus. — Isa. 6. 3. — Nu. 11. 16. 17. & seqq.

aqua veritatis, unigenitumque Dei Filium videretis salutis humanæ causa cœlo degressum, de Spiritu sancto ex Maria virgine incarnatum, & hominem factum, ac pro nobis sub Pontio Pilato crucifixum, passum, & sepultum, tertiaque die secundum scripturas suscitatum, in cœlum reversum, Patri dextrum assidentem, & magnifice olim iudicandis vivis atque mortuis rediturum, imperio nunquam finiendo.

Iud. At si Mosis Deum in terra incarnatum, & hominem factum de Davidis progenie, atque virgine prædicatis, quo pacto nos, Iudæos, seu Synagogam reiecit, quam per Mosen atque legem sibi vendicavit, maxime quorum è stirpe hominem factum corpus suum assumpsisse perhibetis? Nam si servando hominum generi homo factus est, multo magis nos, quam alios admitti oportebat, quorum ab gente Dei notitia per parentem nostrum Abrahamum prodierit; ac tum fortasse exteros quoque, si volebat, pro humanitate sua asciscere. Hoc enim nos vel in primis inducit, ne hunc esse illum Mosis Deum fateamur.

Christian. Sciendum vero est, Dei dona esse immutabilia: Nam cum simplex sit, simplicia quoque sua beneficia largiri solet. Atque id verum esse, ex insensibilibus rebus coniecturam facere, & perspicere est. Nam & cœlo perennem mobilitatem; & Soli splendorem, ac Lunæ, ne singula persequar, è Sole lumen haud sane obnoxius, largitus est; eaque tot iam ætates immota durant. Primigenio autem parenti eiusque posteris munus, arbitrij libertatem dedit. Huius gratia Abelis donis propitius, Cain despexit, pro utriusque ingenio. Atque ex eo hactenus, ne satietatem dicendo afferam (satietas enim orationis, inimica est auribus) & malos male, & bonos benigne, accipit, ut cuiusque actiones & facta merentur. Id quod per virum Dei, qui Heli filiorum scelera exprobrabat, his verbis testatur: *Quicunque glorificaverit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

Gen 4.4

1. Reg 2. 30.

C A P V T XI.

De divina providentia.

QVid igitur? commune hoc humanitatis donum propter vos Iudæos tollendum erat, nec bonis præmia tribuenda, nec malis supplicia irroganda?

Iud. Minime.

Christian. Quod si id adeo absurdum censetis, uti sane iudicatis, quæ alia opifici Deo adhibenda erat, nec adhibita est procuratio? An non apud Abrahamum epulari, qui nullius egeret, sustinuit? An non deinceps per Isaac, & Iacob, ac duodecim Patriarchas, Vnigeniti Filij incarnationem varie detexit; uo tum in Genesi & Exodo, tanquam in ænigmate, clamat Moses? Tum autem qui vos crassiores sciret, crassiores etiam solutiones per Vates adhibuit. Quid enim his * Ieremiæ verbis clarius? *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam* Iacob *puero suo, & Israel dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Aut illis Esaiæ quid aptius? *Ecce Virgo concipiet & pariet filium, & vocabit nomen eius Emmanuel*; quasi dicas: nobiscum Deus, & quæ reliqua sunt clariora Vatum præconia. Demum ipse quoque ortus Servator: *Non sum missus*, inquit, *nisi ad perditas oves domus Israel.* Proditus vero, & sepultus, atque suscitatus, tum discipulis gentium quoque eruditionem mandavit dicens: *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti.* Id quod & Salomonis Sapientia prædixit: *Quia vocavi, & renuistis: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis, Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cum vobis id, quod timebatis advenerit.* Itaque varie Deus saluti vestræ procurandæ studuit, eoque nomine, quod renueritis, gentes vos damnabunt; quod ipsæ, Iudæorum adiumentis, quæ Deus olim per Mosen, qua in Genesi, qua in Exodo, ut diximus, obscure proposuit, ac post etiam dilucidioribus Vatum oraculis acceptis, iustitiæ lumen admiserunt: Vos quorum causa hæc omnia conscripta sunt, quibusque Vates suum sanguinem fuderunt, vos, inquam, reiecto Sole tenebras pro perenni luce elegistis; quibus tamen illuminandis ipse quoque demum Vnigenitus Dei filius & lux æternæ lucis, suum quoque sanguinem fudit.

* Baruch. 3. 37. 38.

Isa. 7. 14.

Matt. 15. 24

Matt. 28. 19.

Prov. 1. 24. 25.

Iud. Si vere nobis ostendes, Mosen, tum in Genesi, tum in Exodo de his locutum, & tecum sentiemus, & credemus.

Christ. Si crassiores prophetarum prædictiones, aperte Dei filium prædicantes, vestri Maiores non audierunt; scilicet, Mosaica vobis scripta, quæ non palam, sed obscure omnia produnt, vobis facient fidem.

C A P V T XII.

Cur Deus arcana fidei homines initio celaverit.

IVd. Et cur autem non planius aperuit?

Christ. Erat tum intempestivum, ut dicebam, id prodere. Nam si de Cherubinis atque Seraphinis, atque omni cœlesti satellitio propheta nihil prodidit, quas res apud se explorate cognitas haberet, sed ex aspectabilibus, sub sensumque subiectis erigere nos primum ad Dei notitiam voluit; quanto magis de perenni, & de temporis experte Trinitate, aut Filij incarnatione? quæ & tot Vatum indiciis patefacta & porro exhibita ac perfecta, hactenus à vobis negatur. Sed nimirum quæcunque, ut aiebam, obscurius dixit, duabus his de causis fecit; tum ut divina se notitia plenum ostenderet; tum ut qui post se eodem spiritu essent affecti, ex ænigmatis ad divinum splendorem erigerentur. Itaque infructuosum sit ea vos docere.

Iud. Imo vero rogamus, differe nobis ea quæ sunt ex Mose desumpta. Nam & principem à Deo Vatem Mosen accepimus, & is ex Ægypto eductos, in Dei notitiam induxit.

Christ. Igitur à primo Dei amante homine id est, Abrahamo, ordiamur. Ei duo erant nati; unus ex ancilla, alter ex libera. Nam cæteri sine nomine sunt, atque à felicitate alieni. Horum Isaac duplicem gessit figuram; unam ordine nascendi; electum ex gentibus populum, Christo adhæsorum referebat; modo autem nascendi, & immolatione, Christi Domini nativitatem & mortem figurabat, Ismaël contra typum expressit Iudaicæ gentis: atque id verum esse, audi Deum Osee mandantem: *Sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur universitas Iudæorum à Domino: quamobrem ipsa non uxor mea, & ego non vir eius.* Quibus verbis Sacerdotium quoque abrogandum innuebat. Cum enim meretricata esset (Synagoga,) multata est Regno & Sacerdotio post Christi adventum, qui princeps verus est atque rector.

Osee 1. 2.
Osee. 2. 2.

C A P V T XIII.

Iudaicæ gentis à Deo defectio.

IGitur si non est in iis Sacerdotium, ut certe non est, evidens est eos meretricari; Nam quorum illegitimæ sunt nuptiæ, ij adulterium committunt. Quod si iam omnes fornicantur, atque ex adulterio nascuntur, omnes spurij sunt. *De scorto autem natus*, ait Mosis lex, *non ingredietur Ecclesiam Domini.*

Deut. 23. 2.
Gen. 17. 9

Operæ pretium est autem quærere, cur à Deo fœdus circumcisionis pactum sit in Ismaele, & non in Isaac? Ego affirmo causam fuisse, quod circumcisio erat

desitura

[A] [Gen. 17. 12.] desitura: atque id verum esse, ex his Dei ad Abrahamum verbis apparet: *Tu ergo custodies pactum meum & semen tuum post te in generationibus suis.* Et iterum: *Omne masculinum in generationibus vestris circumcidetur.* [Gen. 17. 19.] De Isaac autem non ita Deus paciscitur; sed: *Constituam pactum meum illi in fœdus sempiternum.* Observate, ut Ismaeli, qui Synagogam referre putatur, quippe primogenitus, firmaturum se fœdus duratura eius posteritate repromittat: cum Isaac vero, qui novum populum repræsentat, sempiternum iniit fœdus. [Gen. 16. 4.] *Ancilla concepisse se videns, despexit Dominam suam:* Synagoga scilicet, accepta lege, ac bysso purpuraque, regno inquam, ac simul pontificatu ornata, heram contempsit, suam, manum contra Dei omnipotentis maiestatem & dextram sustulit; eiusque vultum omnino effugere conabatur, dum *occidere Prophetas, & lapidare ad se missos moliebatur.* [Mat. 23. 37.]

[B]

CAPVT XIV.

Comparatio synagogæ & gentium.

[Gen. 16. 9] PRæpotens autem Deus cailitis (ut quæ primu sponte fugisset) Synagogam male mulians, tandem velut ancillam durius habitam propitius per prophetas iussit ad heram suam, id est, Hierosolymam reverti, & eius se manui submittere; adorare videlicet in Bethleem natum, & Servatorem Deum Christum confiteri. Cumque reversa Synagoga non modo non confiteretur, sed etiam Isaac seu recens natum Christum illuderet, eum post chlamyde amiciret, & contextam è spinis coronam capiti imponeret; tum vero audivit [Gen. 21. 10.] Christum ad Patrem suum clamantem: *Eiice ancillam*, id est, Synagogam, *de domo mea, ne mihi thus adoleat? neque enim ancillæ filius erit heres cum filio liberæ:* nam non æque Iudæi atque gentes paratum regnum possidebunt; quorum illi Christum, ceu facinorosum in crucem egerunt; gentes vero cum facinorosis crucifixum conspicatæ, Deum confessæ sunt. [C]

CAPVT XV.

Filij & res Abrahami cum Deo collatæ.

[Gen. 58. 11.] ATque ea quidem in typo Synagogæ, id est, Ismaele sunt peracta; hæc autem in Isaac, novi populi figura: primum quia ex sterili effœta, & grandæva natus. Nam quia ex Virgine nasci homini non est concessum; (quod Deus privilegium sibi ut ingens quiddam, & arcanorum atque admirabilium maxime admirabile & arcanum consecravit) oportebat aliquem typum, atque umbram huius veritatis ex effœta nasci Abrahamo. Quin & verba etiam similia sunt, quæ de Christi Nativitate dicebantur, & quæ de Isaac præcedebant. Igitur illic Deus. *Quare risit Sara? numquid* [Gen. 18. 13.] *Deo quidquam est difficile?* Hic Gabriel Virgini: *Quia* [Luc. 1. 37.] *non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Illic. *Revertens veniam ad te tempore isto; & habebit filium Sara uxor tua.* Hic *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* [D] Notate sane, ut post digressum, sanctæque Trinitatis hospitium, Isaaci conceptus sit consecutus. Quo edito, non iam Abraham à Deo [Gen. 17. 5 & seqq.] audivit, quod de Ismaële, firmandum secum fœdus duratura eius posteritate; sed patrem se multarum gentium effectum iri, ingenti sobolis incremento auctum, fœdus autem cum Isaaco æternum paciscendum. Videtis Synagogæ abrogationem, ac novi populi perpetuitatem.

Sed iam ad Abrahami quoque immolationem oculos referamus, & Isaacum videamus Dominici supplicij exemplum gerentem. Nam ut Abrahamus Dei studio natum condonavit, ita & Deus pro summa sua humanitate atque benevolentia pro nobis charissimum filium ad necem obtulit. Illic Abrahamo iubet Deus: *Tolle filium tuum unigenitum, quem * diligis Isaac.* Neque [E] [Gen. 22. 2.] [* LXX. ἠγάπησας ad quod forsan alludit in seqq.] enim temere illum amabas; sed qui amore dignus erat, abs te quoque amabatur. Hic opificem meum Christum, ipse assumpti Deus, atque idem secundum divinitatem eius Pater, contestatur charissimum suum esse filium: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* [Mat. 3. 17.] Non delector, inquit, Filij nece, sed quantumvis competentem, ac natu æqualem, mihique charissimum, corpore propter hominum salutem mactari volens patior. Illud vero dignum quæstione est, cur Abrahamo sæpe hostiis operato, locum ei Deus non ostendit; in Isaaci immolatione præcepit. *Vade in terram visionis,* [Gen. 22. 2.] *super unum montium, quem monstravero tibi.* Illum ipsum, opinor, locum ei Dominus ostendit, in quo meus Dominus crucifigendus erat. Nam Palæstinum solum prope Hierusolymorum fines adiacet.

CAPVT XVI.

Cur in monte sacrificare Abraham filium iubetur

[F]

MAne * surgens Abrahamus, asinum stravit. Asinum quidem Abrahamus, Iudas autem Iudæorum [* LXX. pro nocte.] collegium concivit: adhibitisque duobus pueris; duobus seu populis, seu Regibus, Pilato & Herode (pueros enim sacræ literæ imperitos vocare solent) & Isaaco filio, profectus, tertio post die ad locum, quem ei dixerat Deus, pervenit. Nam quia non erat moriturus Isaac itinere faciendo, post triduum resurrectionem significavit. Sublatis oculis, Abraham locum procul animadvertens; & meus Iesus supplicium suum ab omni æternitate dedicavit; famulis iubet, ut ibi cum asino præstolentur, dum ipse & puer illo eant. Itidem & suis discipulis meus Salvator, atque Deus ait: *Ecce venit hora, & iam venit,* [Ioan. 16. 32.] *ut dispergamini unusquisque in propria; & me solum relinquatis: & non sum solus, quia Pater mecum est.* Sed [Ge. 22. 5. Mat. 26. 32. Mar. 14. 28.] tanquam Propheta illic Abraham? *Postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Hic animosum perspectu: *Postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam.* Atque ita quidem Servator. Abraham vero sacrificalibus lignis Isaac filio suo impositis; erat enim dulcis Iesus [G] suam crucem portaturus; ipse ignem ferebat manu; coniuncta enim humanitati divinitas ibat; gladium vero portabat; *quia unus militum lancea latus eius aperuit.* [Ioan. 19. 34.] Et pergebant duo simul, ambæ naturæ in una Christi persona; manebatque divinitas corporis effectrix, immota penitus, & sine affectu; quemadmodum & Abraham Isaaci parens? Isaac vero parenti suggerebat: *Ecce ignis & ligna; ubi est victima holocausti?* [Gen. 22. 7.] Servator itidem passionis tempore: *Pater mi, inquit, si possibile est transeat à me calix iste; Spiritus* [Mat. 26. 39.] *quidem promptus est, caro autem infirma.*

CAPVT XVII.

Isaac immolandus Christi crucifixi typus est.

PRogressi autem ambo, id est, Deus homo Iesus, in locum pervenerunt, scilicet Golgatha: atque ibi [H] Abraham extruxit aram, ubi & hic *lithostrotos*, tribunalis locus lapide præstructus fuerat; impositisque lignis; sic enim & in Calvaria Crux est defixa; Isaac filium suum constringens, id est, Christus ad tegendam divinitatem corpore amictus; lignis in ara superponit; eo quod in ligno, O miraculum! suspenditur ille, qui Adamum lapsum per lignum erat restituturus, & qui in arca lignea Noe tutatus fuerat. Deinde ferro manum admovet ad filium suum immolandum: nam his omnibus patrandis Abraham inaspectabilis Patris de Vnigenito filio decretum atque voluntatem ostendit: *Et ecce Angelus Domini de cælo clamavit dicens Abraham,* [Gen. 22. 11.] *Abraham. Qui respondit: adsum.* Hic Angelus è cælo cum Abraham sermocinatur; in Dominico supplicio

magni consilij Angelus, Deũ & patrem inclamavit: *Eli, Eli, lamma sabbachtani? hoc est, Deus meus, Deus meus ut quid dereliquisti me?* Et Angelus ad Abrahã: *Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam; nunc cognovi, quod times Deum.* Ait vero: *nunc cognovi*, pro illo, demonstrasti iam mihi: non enim ignarus erat Dominus: *& non pepercisti unigenito filio tuo propter me.* Igitur Abraham mactando filio suam erga Deum observantiam ostendit: ille vero *antiquus dierum* Deus erga homines amorem suum probavit immolando unigenito filio.

CAPVT XVIII.

Aries cum cornibus inter vepres quid significet.

TVm Abrahamus erectis oculis pone conspexit arietem. Aries hic verbi assumptum intelligamus. Nam de eo sic prodit Isaias: *sicut ovis ad occisionem ducetur:* hærentem cornibus, id est, Cruci affixum, in frutice Sabec,* quod est remissio: apud Hebræos enim *Sabec* remissionem notat: Aggressusque Abraham, id est, unigenitus Dei filius, comprehensum arietem, id est, assumptum corpus in holocaustum obtulit; supplicio, puta, obiecit, pro filio, Adamo scilicet lapso. Atque ista vera esse, audite cum Abrahamo colloquentem Deum: *per memetipsum iuravi, dicit Dominus quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo unigenito propter me: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuũ.* Et post pauca: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Quorum verborum hæc est sententia. Et tui filij posteritate, scilicet Isaac, qui mei filij est typus, meus natura mihi coniũctus filius prodibit, per quem omnes orbis terrarum gentes sospitabuntur. Abrahamum vero œconomiæ arcanum habuisse perspectum, quemadmodum ex sua olim stirpe per Isaac & Iacob Dei filius incarnandus esset, evidens est ex eo, quod sui generis uxores adsciverint: nam ipse accepta sua consanguinea, Isaacum quoque accipere permisit, parique modo Isaacus Iacobum: Sed Rebeccam misso servo coniugem petiit; Ita enim & Deus per Mosem Synagogam instauravit. Iacobum, qui Christi exemplum ferebat, ad suos gentiles Isaac privatim dimisit, duas inde uxores duriter & laboriose ut sibi duceret. Itidem & Pater ab omni æternitate Vnigenitum suum Filium ad creaturam suam, id est, homines, dimisit, ut inde Carnem assumens, per supplicium, & Dominica miracula duas Ecclesias velut nuptum acciperet.

CAPVT XIX.

Comparatio Iacobi & Esau.

QVod ita se habere, audite Dei ad Rebeccam responsum: *Duæ gentes sunt in utero tuo, & duo populi ex ventre tuo dividentur*; scilicet Iudæorum unus, alter exterorum; *populusque populum superabit, & maior serviet minori.* Qui se natu maiorem iactat, alteri post nato serviet, id est, Iudaica gens Ecclesiæ ex gentibus collectæ serviet. Atque id & Dei* Angelus his ad Heli Pontificem verbis confirmat: te tuamque patriam domum sic accipiam. *Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem, qui iuxta cor meum & animam meam faciet.* Sane qui omnia ex ingenio animoque Dei facit, is ex Deo est. Et iterum Angelus: *& ambulabit coram Christo meo cunctis diebus,* id est, usque ad consummationem. Atque itidem: *Futurum est autem, ut quicunque remanserit in domo tua*, internecionem, aut captivitatem effugiendo; *veniat ut oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, dicatque: Dimitte me obsecro ad unam partem sacerdotalem, ut comedam buccellam panis.* Quod Angeli ad Sacerdotem ænigma eiusmodi est. Inopem Iudæ, solo mutatum, venturum ad Ecclesiam ex gentibus constitutam, nummum argenteum petitum: & vero illustris ac pontificij generis dicet: non ambio mihi sacerdotium; neque regnum desidero; sed ut in aliquod sacerdotium asciscat, & non ut ministrem, velut prius, sed ut panem minimum lucrer. Idemque David præsagiens ait: *Elegi abiectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Dei domum vates Ecclesiam ex gentibus notat; impiorum tabernacula, Iudæorum fana. Vere enim Iudæum nomen in extera Ecclesia abiectum & infame, nudum, caul, regno omni & sacerdotio exutum. Atque hæc sic habere, ex iis quæ post dicentur constabit.

*In Hebræo, ut & in Græco, ad verbũ est, vir Dei, id est, divinus vates, quomodo vertit & Chaldæus.

Ac prioris quidem populi figura est Esau; posterioris Iacob. Neque enimvero propter exemplum ad naturæ quoque excidium fas est grassari. *Postquam tempus pariendi advenerat* (nam superiora iterum tractemus:) *qui prior egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus: vocatumque est nomen eius Esau.* Iratum & immanitatis plenus Esau vultus est: tales enim & Israëlitæ sunt: itaque & sui generis vates interfecerunt, & demum in ipsum etiam Christum admiserunt. *Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellavit eum Iacob*, ea re significans, & se eo potiturum, & servum ac ministrum habiturum: nam calces laboris præcipuum sunt, & ministerij indices. Erat autem Iacob lævis; quod humanæ mansuetudinis signum est; talisque est fide recens instinctus populus, mitis, ac sine ira. Venustas enim corporis argumentum habet pulchritudinis internæ, & quæ mente teneatur. Eratque Esau venandi peritus: nam Israëlitæ cruore & bruticidiis gaudent. Iacob quietus ædium habitator. Tales sunt etiam in fide novi, omnes expertes iræ, & solam pietatem docti amare. Sed Isaac diligebat quidem Esau, non ut virum bonum, & voluntatis Dei conscium, sed venandi studiosum. Idque ita esse ut intelligeretur, causam quoque sacræ literæ adiiciunt, *eo quod de venationibus illius vesceretur: & Rebecca diligebat Iacob.* Vbi est enim non mendax promissum & verus amor consequitur. Esau vero non ut virum bonum à patre amatum, nulli dubium est; qui panis pauxillo, & confecto ex lente edulio, ætatis prærogativam addixerit. Atque ita sane & Synagoga propter exilem regnandi voluptatem adoptione excidit; Iacobo matris opera, ingenij facilitate, patris felicitatem adepto. Ac quemadmodum Rebecca Iacobum, ita & mei Christi inermenta victima novum populum, Deo & Patri conciliavit & placavit. Sed quoniam reiectus à Deo est Esau, & nos adeo hactenus de eo sermocinati, deinceps quæ ad Iacob solum spectant prosequamur. Etsi illud prius operæ pretium est dispicere, cur Esau paterni boni ominis causa, ingenti obito labore, difficilem se præbens pater graviter eiulantem benedixerit. Hoc facto, opinor, Isaac scelestissimam Synagogam docet, nisi ad Deum hominem Iesum, quem in crucem egit, reversa, eum regenerationis lavacro, perinde ac Esau patrem, lacrymis propitiet, cœleste regnum consequi non posse. Sed rursum ad vaticinium sermonem referamus.

Igitur egressus Iacob de Bersabee pergebat Haran. Cumque venisset ad quendam locum & vellet in eo requiescere post solis occubitum, Iacobo solis, qui mente teneatur, signis divinitus erudiendo, sensilem condi solem oportebat, ut quam subiturus quoque erat in dominico supplicio caliginem præsagiret.

CAPVT XX.

Iacobi res cum Christo collata.

TVlit de lapidibus qui iacebant, & supponens capiti suo Lapidem Iacob sumpsit, quoniam exterarum gentium populus per augustum illum & *angularem lapidem*, id est, Christum ad Deum confluxurus erat. Igitur hic quoque auguste lapidem ad caput adhibuit. *Dormivit in eodem loco.* Nam etsi corpore dormiebat Iacob, at Israelis mens sollicitabatur. *Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum.*

CAPVT XXI.

Scala Iacob typus Beatæ Virginis, & reliqua Iacobi gesta.

SCalam hic mihi Virginem intellige, per quam in cœlum e terra surrigimur. *Angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ.* [Gen. 28. 13.] Primum ad eam descendit Gabriel, Dominum nunciaturus eodem sanctissimo nuncio conceptum iri, ex eaque iam iam Deum hominem proditurum. Deinde & ministri, ac salutis nostræ custodes. Servator enim meus in Evangelio confirmat: *Videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei ascendentes & descendentes supra filium hominis.* [Ioa. 1. 51.] Ascendentes ad eum, qui Deus cum esset, homo etiam factus, inaspectabili Patri dexter assidens: descendentes ad homines, procurandæ eorum salutis causa. Id enim & Paulus, mei Christi os, testatus est, cuius de Angelis hæc sunt verba: *Nonne omnes sunt administratory spiritus*, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capient salutis; [Heb. 2. 14.] Sed ad vaticinium revertamur.

Atque ille eum sic est allocutus. *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac.* [Gen. 28. 13.] Ego. Quis? Scalæ imminens. Ne metue, scilicet ab Esau fratre tuo. Itidem & Servator suos discipulos monebat: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* [Mat. 10. 28.] Quod eo pertinebat, ut terrorem iis eximeret, qui in se spem haberent: quomodo & beatus David felicem clamat, qui in eo spem ponit. *Terram, in qua dormis tibi dabo, & semini tuo.* [Ps 33. 9.] Eius stirpem, non solum ex eo prognatos, sed exteros quoque Deus appellat. Nam ut Esau, qui filius Isaac erat, in Synagogæ felicitate numerum nullum tenuit, quod virtutis & Dei notitiæ iter non insisteret; ita qui per Dei notitiam & virtutem, etiamsi ex gentibus sint, Christo se adiungunt, filij Israelis erunt. Siquidem Israelis notatio est, *mens Deum videns.* Itaque qui mentem habent purgatam ad divinum splendorem suscipiendum, merito Israëlis filij & sunt, & nominantur. Atque hanc nostram sententiam reliqua sacræ scripturæ facile confirmabunt. *Eritque semen tuum quasi pulvis terræ; dilataberis * ad Occidentem & Orientem, & Septentrionem, & Meridiem.* [Gen. 28. 14. *ad manet. LXX.] Videte ut quaternas mundi partes sacræ literæ complectantur? cum Iudæa quorum aliquod, & minimum terræ segmentum sit. Itaque id magis illustrans vates, addit: *Benedicentur in te, & in semine tuo, cunctæ tribus terræ.* Id est, ab exorto Iesu Christo Deo. Sin id evertere conamini, nulla inter vos & gentes felicitas & communio erit, sed discidium atque dissensio. Nam hactenus apud omnes gentes contempti, & invisi estis. *Et ero custos tuus, quocunque perrexeris.* [Gen. 28. 15.] Quare certus hanc ab æterno OEconomiam in tua stirpe complendam, iter omne tuum securus decurre. *Et reducam te in terram hanc.* Id est, in antiquam Adami nobilitatem restituam. *Nec dimittam nisi complevero universa, quæ dixi.* Non deficiet, inquit, tuam stirpem felicitas, quin ex ea, id est, ex Virgine, corporis quasi mansiunculam assumpsero.

Quod si quis id pressius intelligere vult, Iacob ipsum percontetur. Cedo beate Israël, quænam ea sunt, quæ benignus Sabaoth Dominus facturum se promittit? *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat * qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium.* [* LXX. quod cōstitutum est, vide notas. * Iuxta Græcum.] Audivistis Prophetæ vocem nostris verbis consentanea loquentem? Illud enim quod constitutum * est, conceptum ante secula arcanum significat. *Cumque evigilasset Iacob de somno*, id est, scientiam omnem eorum, quæ Deus dixisset, memoria complexus: *Ait: Vere Dominus est in loco isto, & ego nesciebam.* [Gen. 28. 16.] Et intelligentiam subobscure innuit, & comprehendendi impotentiam fatetur. Pavensque; *Quam terribilis est*, inquit, *locus iste!* [Gen. 28. 17.] Vere tu quidem beatissime Israël. Valde enim terribilis est Dei ad mortales descensus. *Non est hic aliud*, scilicet è scala, id est, ex Virgine Maria, corporatum, *nisi domus Dei*, quæ est, inseparabilis unio, *& hæc porta cœli.* Hæc, scala, Virgo simul & Deipara, cœli porta est. Nam per eam descendet ceu in vellus pluvia, Vnigenitus Dei filius. Hæc qui viderat, atque explorate tenebat, nostis quemadmodum mane surgens Iacob, & lapidem ei, quem conspexerat, inunxerit, & votum nuncuparit: si hoc suum iter Dominus scalæ innixus fortunasset, eum sibi Deum fore; & hunc saxum, quod figuram contineret impolluti eius corporis, Dei domum. Quin & decimas ei daturum: qua re Synagogam instruebat, quæ omnium domi natorum decimas penderet; & spiritualem ac novum populum significabat, qui totius ætatis suæ atque vitæ decimas consecraret. Itaque à Deo itineris compos, atque ad Laban incolumis perductus. Vidit (nam Mosis iterum verba tractemus) *puteum in agro*, [Gen. 29. 2.] id est, in corpore fontem immortalis vitæ. *Duos * quoque greges ovium accubantes iuxta eum*, [* utraq. bibl. habent tres:] Iudæorum & exterarum gentium populum. Ita enim eos meus Christus appellat. *Ego sum pastor bonus, & cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater & ego agnosco Patrem; & animam meam pono pro ovibus meis.* [Ioan. 10. 14. 15.] Notate diligenter. Nam ex eo puteo adaquabantur, quemadmodum Christus in Evangelio ait: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* [Ioa. 7. 37.] Oves illic brutæ, hic rationales. *Et os eius grandi lapide claudebatur:* is lapis monumenti Servatoris Christi saxum designat. Eodem omnes greges cogebant, scilicet Prophetæ & Apostoli; avolutoque saxo oves adaquabant, id est, explicandis sacris literis populum cœlesti musto rigabant. Rursumque saxum ad os putei advoluebant. Saxum hoc putei, quod saxum est monumenti immortalis vitæ, congregati duo Pontifices Annas & Caiphas cum custodia, ad os monumenti advolverunt. Et Iacob duos pastores, hic Salvator noster atque Deus, velut alter Iacob, duos Pontifices. En, inquit, diei multum adhuc est; [Gen. 29. 8.] longum pœnitendi spatium; nec tempus est cogendi pecoris, tempus illud secundi mei adventus, quo oves ab hœdis separem. Adaquate oves, Dei notitiam per actus pœnitentiæ docete, & pastum ite; hoc est, in æterna tabernacula concedite. Ad quem illi, non possumus, inquiunt. Idem responsum & Pontifices ovium pastori dederunt. Non possumus, qui Deum interfecimus, ad frugem & pœnitentiam redire, nisi coactis omnibus gregibus, gentium scilicet, amoveatur saxum ab ore putei, sacræ scripturæ, tanquam tegumentum à lege amolitum sit, & ita adaquemus greges. Nam, auctore Isaia: *Cum plenitudo gentium intraverit, tunc omnis Israel salvabitur.* [Rom. 11. Isa. 49. 20.]

Adhuc eo cum illis colloquente, id est, Iudæorum Synagogam commodum castigante; *& ecce Rachel veniebat cum ovibus patris sui*, [Gen. 29. 9.] scilicet gentium Ecclesia. Hic conspicatus Iacob, Christus, gentium Ecclesiam, Laban suæ matris germani filiam, id est ex Synagogæ germano adsciram. Nam in novam Ecclesiam cooptantur partim ex genere Esau, alij ex Ismaël, partim nati ex Nachor, partim ex Lot, itemque ex filiis Cetturæ; qui Synagogæ germani sunt, quippe omnes Abraham stirpe editi. Et egressus Iacob, id est, Dominus noster Iesus Christus ex mortuis excitatus, avoluto saxo ab ore putei, id est, à favoribus monumenti, ac quod est in lege pingue, & intricatum amolitus, suæ matris, Synagogæ, ut iam diximus, germani oves adaquavit, immortalitatis vitæque flumen; ut in Evangelio ait: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* [Ioa. 4. 14.] Atque hæc quidem meus amor Iesus. Iacob vero Rachelem deosculatus est; itidem & novam Ecclesiam Dei Vnigenitus complexus est.

CAPUT XXII.

Duæ Iacobi uxores, quid significent.

SEd ne recensendis singulis, prolixus videar, & rem ad exitum perducam: Iacob bis septem annorum servitio duas coniuges duxit, priorem Liam, alteram Rachelem; quarum illa Synagogam, hæc Christi Ecclesiam repræsentabat. Sciendum est autem, priorem studio & amore posterioris, à Iacob acceptam fuisse. Nam Rachel cum formosa esset, à Iacob amabatur, ut à Christo gentium Ecclesia. Idque verum esse, ipsæ sacræ literæ testimonium dicunt. *Lia vero lippis erat oculis* [Gen. 29. 17.], æque ac Synagoga impotens ad spectandum divinum splendorem. *Rachel decora facie, & venusto aspectu.* Vt gentium Ecclesia, Dei agnitione & virtute locupletata. Et rursum: *Servivit ergo Iacob pro Rachel septem annis, & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* [Gen. 29. 20.] Et paulo post: *Amorem sequentis prioris prætulit.* Ita & Christus gentium Ecclesiam, plus quam Synagogam amavit. Nam & hanc sibi desponderat, sed per sequestrum Mosen, quemadmodum & Iacob Liam amore Rachelis; cum gentium Ecclesia Christus, ut Iacob cum Rachele, os iungit: quemadmodum per vatem Deus in hanc sententiam aperuit: *Et non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, à minimo eorum usque ad maximum* [Ier. 31. 34.] Atque hæc in præsentia de Iacob sufficiant: nam de eo & in descensu in Ægyptum, & in Pharaone adorando mentionem faciemus.

Igitur in primis observandum est, Israëlem, gignendis duodecim Patriarchis, instituisse Synagogam ex Liæ natis: per concubinas vero, extraneas mulieres significasse, quas generi suo accenseri passus sit; per Rachele satos, Christi & proditoris Iudæ exempla notasse; in Iosepho Christi, in Beniamin Iudæ proditoris.

CAPUT XXIII.

De Iosepho allegoria Christo tributa.

QVare hoc quidem loco; omissis decem, de Ioseph & Beniamin verba faciamus. Sed neque hoc prætermittendum est nobis, cur à parente aufugiens Rachel eius idola surripuerit? [Gen. 31. 32.] Certe non ut clam haberet, sed ut aboleret. An scilicet, quæ Christi Ecclesiæ exemplum contineret, paterno quoque simulachrorum cultu dimisso, simulachra exitio se daturam innuit? Nam ut à Iacob vestigata haud tenuit Rachel; ita & altero Iacob, Salvatore meo Christo exorto, gentium Ecclesia, paternam suam impietatem ignominiæ & excidio dedit. Ac quemadmodum illos ex gentibus Christus non admittit cum simulachris, ita nec Synagogam cum Iudaicis victimis, ac circumcisione. Atque hæc quidem sic habent.

Cæterum Ioseph apud fratres invidia laborabit [Ge. 37. 4.], ut & apud Iudæos post Christus; sic enim scribit in Evangelio dilectus ille Ioannes: *In propria venit, & sui eum non receperunt.* [Ioan. 1. 11.] Illi propter factam ei à patre versicolorem tunicam, & somnia, oderant fratrem, Iudæi Christum propter quandam mentalem quasi purpuram, quæ ei cœlestis Patris benignitate iam ex virgineo ventre, tinctura velut discolori contexta fuerat, ac demum propter luculenta etiam miracula, persequebantur. Illi fratri invidentes quærere: *Nunquid Rex noster eris? aut subiiciemur ditioni tuæ?* [Ge. 37. 8.] Iudæi vero *in porticu Salomonis circundederunt* Emmanuelem, *& dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? Si tu es Christus, dic nobis palam.* [Ioan. 10. 24.] Illi missum ad se ab parente fratrem conspicati, inter se iactare; *Ecce somniator venit, venite occidamus eum & mittamus in cisternam veterem*: [Gen. 37. 19. 20.] Iudæi opificem suum ab inaspectabili Patre missum cernentes, dicere: *Hic est heres, venite occidamus eum, & habebimus hereditatem eius.* [Mat. 21. 38.] Illi apud patrem defensionem hi apud Pilatum meditari: illi ab immani fera devoratum confirmare: hi: *hunc invenimus subvertentem gentem nostram, prohibentem tributa dare Cæsari, & dicentem se Christum regem esse.* [Luc. 23. 2.] Illic Ruben hortari: *Non interficiatis animam eius, nec effundatis sanguinem; sed proiicite eum in cisternam hanc,* [Gen. 37. 22.] scilicet ut eum manibus eorum eriperet. Hic Pilatus, ut Christum è Iudæorum manibus eriperet, negare. *Nullam causam mortis invenio in eo, corripiam ergo illum & dimittam.* [Luc. 23. 22.] Illic Rubeni fratres obtemperare; hic Iudæi, ut omnium cruentissimi, Pilati verba refutare. Sed illic Ruben propter orationem, fraternæ proditionis haud sane insons est, neque hic Pilatus à Dominicæ cædis crimine liber.

Verum ne dicendi brevitate minus perspicue Iosephi argumentum proponam, ipsamet prophetica verba in medium producta inaudite. *Confestim igitur, ut pervenit ad fratres suos, nudaverunt eum tunica.* [Gen. 37. 23.] Illi dereptam tunicam patri servant; hi detractas Christo vestes partiuntur. Et accipientes * *miserunt in cisternam*: illi arreptum in specum deturbant, hi exanimatum in monumentum deponunt. Et * cisterna erat vacua, quæ non habebat aquam. [* ita LXX. Gen. 37. 24. * ita LXX.] Quemadmodum illic specus aquam non habebat, ita neque hic monumentum mortis vim. *Et sedentes ut comederent panem*: illi, eo in specum detruso, sedent ad cibum capiendum; Iudæi post Dominicam cædem Pascha faciunt. [Gen. 37. 25.] Sic enim habet Evangelista. *Et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* [Ioan. 18. 28.] Notate diligenter scripturæ mentem. Sublatis oculis animadvertunt. Nam post sumptum à Iuda Dominicum panem intravit in eum Satanas, ut in Evangelio Ioannes docet. [Ioan. 13. 27.] Et ecce Ismaëlitæ viatores venerunt de Galaad. [ita LXX.] Iosephi enim, ut & Christi, emptores ex circumcisione esse oportebat.

CAPUT XXIV.

Camelus in scriptura odium significat.

ET cameli eorum aromata, & resina, atque stacte onustati erant. Camelos nominans, Annæ & Caiphæ corpora pontificali stola amicta, notat. Est autem camelorum genus iniuriarum retinentissimum. Itaque figura quoque odium adversus veritatem designabat. Qui ea in Ægyptum importatum ibant. Perinde ac illi circumcisi operam dabant, ut Deum hominem Iesum ad inferos demitterent. *Dixit ergo Iudas fratribus suis: Quid nobis prodest, si occiderimus fratrem nostrum, & celaverimus sanguinem ipsius? Melius est, ut venundetur Ismaelitis, & manus nostræ non polluantur: frater enim & caro nostra est.* [Gen. 37. 26. 27.] Oportebat tum quoque venditionem per Iudam fieri, quoniam & nunc Servatoris venditio per Iudam proditorem facta est. Sed ille fratrem liberare volens, venditionem eis suasit: duobus enim malis comparandis, minus elegit; Iscariotes, qui doctoris cædem spiraret, nec perficere posset, Pontificibus eum venundat. Idque etiam Salvator meus Pilato demonstrans ait. *Propterea qui me tradidit tibi maius peccatum habet.* [Ioan. 19. 11.] Prô proditoris audaciam, & doctoris humanitatem!

Igitur eius fratres extractum eductumque ex cisterna Iosephum, Ismaëlitis vendunt in Ægyptum abducendum. Illi quidem sic. Iudæi Iesum Pilato traditum, in crucemque sublatum, morti demiserunt. Acceptis ab illis aureis * viginti. [* ita LXX.] Illi aureos viginti; proditor argenteos triginta accipit. *Reversus Ruben ad cisternam non invenit puerum.* [Gen. 37. 29.] Hoc Servatoris à mortuis resurrectionem notat. Nam ut illic Ruben Iosephum non invenit, ita nec Petrus Christum in monumento. [Ioan. 20. 6. 7.] *Tulerunt autem tunicam Ioseph, & in sanguine hœdi, quem occiderant, tinxerunt.* [Gen. 37. 31.] Illi accepto capro tunicam cruore imbuunt: hic caper atque tunica Verbi assumptum

intelligendum est: quo interficiendo, Iudæi corpus eius cruentarunt. Ieremiæ enim ex Christi persona hæc sunt verba: [Ier. 11. 19. & Isa. 53. 7.] *Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam; & non cognovi quia cogitaverunt super me consilia.* Vide ut ovis ubique ipsius assumpti figuram designet. Missamque versicolorem tunicam patri repræsentant, nam unigenæ tunicam Deus & Pater cruentam accepit. Et ei significant: *Hanc invenimus, vide utrum tunica filij tui sit, an non.* [Gen. 37. 32.] Itidem & Iudæi de Christo dicebant: [Mat. 27. 43.] *Confidit in Deo, liberet nunc, si vult eum.*

CAPVT XXV.

Invidia, fera crudelis.

OBservate figuras. [Gen. 37. 33.] *Quam cum agnovisset pater ait: Tunica filij mei est, fera pessima comedit eum.* Etenim vere immanissima fera est invidia, ac multo etiam plus. Nam feræ hominum tantum corpora mandunt; hæc cum corporibus animos etiam prodit. Nec solum Iacobi filios, hæc invidia fratris venditores, sed Iudæos quoque Dei percussores effecit. [Gen. 37. 34.] *Scissisque vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore.* Et hic videre est non mediocri dolore cœlestem Deum & Patrem, ex hac Christi iniusta atque cæde affectum. [Gen. 37. 35.] *Congregatis autem cunctis liberis eius, ut lenirent dolorem patris.* Ex omni memoria, Deo charos simul & ebatas scriptura significat. *Noluit consolationem accipere:* tam graviter enim Iudæi offenderunt, ut deprecationem respuat, quantumvis animum inducat quis precari pro iis: id quod per vatem Deus testatur in hæc verba: [Ier. 15. 1. ita biblia utraque.] *Si steterit Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum:* nec exaudiam eos, exposcentes pro iis pacem, ut ante. Ita, ut quæ in medio sunt, dimittam, Iosephum in Ægyptum abduxerunt. [Gen. 39. 7. & seqq.]

CAPVT XXVI.

Ioseph in Ægypto ad summos honores evectus.

IBi scitis omnes Legis-periti, Pharaonis magistro* equitum venisse, eumque hominem dextrum deprehensum, omni suæ familiæ, cunctisque domesticis à Putiphare præfectum fuisse; heram vero ut formosum esse, conspicata fuit, eum amasse; sed negantem secum nequitias facere, arrepta veste, quo proba videretur, marito prodidisse. Ita sane, & Synagoga Christum prius dilexit, inter homines longe formosissimum; [Ps. 44. 3.] cum eum & Pontificem ad rationem Melchisedechi cooptavit, [Ps. 109. 4. Hebr. 7. 17.] & sine matre in cœlo, sine patre in terra confirmavit. Sed nec, quæ Synagogæ placerent, facere volentem, & assidue incessentem & castigantem, ut ait Salomonis Sapientia: [Sap. 2. 16.] *tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris, tanquam ab immunditiis:* tum vero vestimentis exuendum Pilato tradidit, sacrificium se Deo facere credens. Illic Putiphari Ægyptia: [Gen. 39. 17.] *adduxisti servum Hebræum ut illuderet mihi.* Hic Synagoga Pilato: [Sap. 2. 12. Gen. 39. 20. 21.] *improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ.* Illic Putiphar correptum Iosephum in carcerem compegit, quo in loco vincti reges tenebantur: Hic Pilatus Domini mei captivi animam ad inferna demisit; ubi in tenebris iam olim Sanctorum manes tenebantur. Illic custodiæ magister Iosepho carcerem in manus commisit, nec de iis, quæ inibi fierent, post eum cognoscebat: Hic meus Salvator atque Deus abruptis inferorum vinculis, calcatoque custode diabolo, sanctorum animas liberavit.

[Gen. 40. 1.] *His ita gestis, accidit ut peccarent duo eunuchi, pincerna regis Ægypti, & pistor, domino suo*, id est, exercituum gentium & Iudæorum populus. Nam prior erat gentium, qui, ut idololatra factus à Deo defecit, tunc iudaicum populum per Abrahami sacrificium insitum. [Gen. 40. 5. 8.] *Videruntque ambo somnium nocte una*, id est, Dei mortem recogitaverunt. Sed illic à Iosepho dissolutio est, hic a Deo. Quare merito Iosephus: *Nunquid non Dei est interpretatio?* Verum præstat ea somnia, quæ quidem exempla habent rerum futurarum, verbo tenus recensere. Tum Iosepho, [Gen. 40. 9. 10. Ioan. 15. 1. 2.] *somnium suum narravit prior præpositus pincernarum*, scilicet gentium figuram ferens, *Videbam coram me vitem*. Vitem hic intellige dulcem Iesum, sic enim ait in Evangelio: *Ego sum vitis, & Pater meus agricola est, Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem, qui fert fructum purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Contra me, id est, contrariæ, & in Christum impie affectæ erant gentes. [Gen. 40. 10.] *Et in vite erant tres propagines;* eaque germinans; nam post triduum Christi resurrectio emicuit. Florem eliciebat, Apostolos & Martyres, unde uvarum racemi maturescebant, Martyrum sanguine rubebant. *Calicemque Pharaonis in manu mea: tuli ergo uvas, & expressi in calicem quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni.* Hoc incruentum novæ Ecclesiæ sacrificium notat. [Gen. 40. 11. 12.] *Respondit Ioseph: Hæc est interpretatio somnij. Tres propagines, tres adhuc dies sunt: post quos recordabitur Pharao ministerij tui; & restituet te in gradum pristinum: dabisque ei calicem iuxta officium tuum, sicut ante facere consueveras.* Ac Iosephi quidem ad pincernam hæc sunt verba. Meus autem servator atque Deus, gentibus recepit sese hinc ad triduum à resurrectione discipulis suis & Apostolis mandaturum, qui acceptas tingant in nomine Patris, & Filij & Spiritus sancti: seque daturum regnum atque sacerdotium iisdem, cuius œconomiæ mysterium obituræ essent in pane & vino, quod Melchisedech, qui è gentibus esset, per figuram Abrahamo repræsentavit: eaque ideo se facturum populo ex gentibus converso Christus spopondit, quod is Christum sontibus annumeratum conspicatus, Deum tamen confessus fuisset. [Gen. 40. 14.] *Tantum memento mei, cum tibi benefuerit.* Hoc à me accepto beneficio, sepulturæ atque resurrectionis memoriam indelebilem habeto. *Et facias mecum misericordiam.* Mea ope in fratres benignitate utitor, id est, sanationum prodigia patrato. *Vt suggeras Pharaoni.* Notate diligenter scripturæ mentem. Illa* ad dignitatē; hæc ad martyrij tolerantiam pertinent. Nam quod ait, eiusmodi est. Deductus ad principes & reges, meorum dictorum recordator. [Luc. 21. 14. 15.] *Ponite in cordibus vestris non præmeditari, quemadmodum respondeatis. Ego enim dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere, & contradicere omnes adversarij vestri.* Hactenus Servator. [Gen. 40. 14.] *Vt educas me de isto carcere.*

* m. s. ἀρχιμαγείρῳ & LXX.

* Petebat enim Iosephus ut se apud Pharaonem in gratiā poneret, à quo deinde ad dignitatē eveheretur.

CAPVT XXVII.

Calumniæ vis quanta.

ILlic Iosephus à prægustatorum magistro contendit, ut se ex carcere educat: hic clemens Iesus à populo è gentibus asserto, ut se à Iudæorum calumniis vindicet: vere enim grande sceleris * præsidium calumnia. Nam si vel ad Christum meum grassari est ausa, quis vero eam facile contemnat? Atque id verum esse, sequentia audite. [Gen. 40. 15. Mat. 26. 61.] *Quia furto sublatus sum de terra Hebræorum.* Hoc est, Pilato à Iudæis calumnia proditus. Ea quæ sit, explicat Evangelista: *Hic dixit: possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud.* Iraque calumniæ impudentiam videntes, eorum sceleris excellentiam miramini. * Neque hic quicquam feci, mali scilicet, quamobrem me in hanc specum detruderent: illic Iosephum in specum; hic Iesum in monumentum.

Sed iam tempus est, & pistorum magistri somnium, qui Iudæorum populi exemplum habetur, recensere. Igitur pistorum magister: [Gen. 40. 16. 17.] *Et ego vidi somnium: Quod tria canistra farinæ.* Tria canistra, tres qualitates sunt, quæ tria gravia Israelitarum flagitia censentur, idolorū

* ἰσχύισμα.

* quod nomen usurpat ac pro carcere, in quem coniectus est Iosephus unde hæc allusio petita.

* Iuxta LXX.

coltus, vatum cædes, & Christi occisio. *Haberem super caput meum*, id est, gerere eorum facinora. *Et in uno canistro, quod erat excelsius*, scilicet supremo flagitio, *portare me omnes cibos, qui fiunt arte pistoria.* Hæc * cœtum in eos ex varij generis hominibus cogendum, ceu ad opus regalis potentiæ, designant. *Avesque comedere ex eo.* Excisa enim est propter crimen interfecti Christi, & Iudæorum graves offensas Hierosolyma. *Respondit Ioseph: Hæc est interpretatio somnij.* En somnium, eiusque interpretationem! *Tria canistra, tres adhuc dies sunt*, Abinc tres dies, scilicet à Iesu resurrectione; *post quos auferet Pharao caput tuum.* Illic Pharao pistorum magistrum, hic capite Iudæos truncat Christus, qui princeps atque rector est; *ac suspendet te in cruce*, pro stirpitus delebit, *& lacerabunt volucres carnes tuas.* In Israëlitarum captivitate, ut ante diximus. Eaque vera esse, audire Christum inter ipsos cruciatus mulieribus Hierosolymitanis loquentem: *Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros: quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres, qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt: quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Si insontem me, inquit, Romani neci dederunt, quid non facient per omne genus flagitij voluntatis? *Exinde dies tertius natalitius Pharaonis erat: qui faciens grande convivium pueris suis, recordatus est inter epulas magistri pincernarum, & pistorum principis. Restituitque alterum in locum suum, ut porrigeret ei poculum: alterum suspendit in patibulo.* Atque hæc quidem Rex Pharao natali sibi die inter suos designavit. At rex regū ex mortuis redux, inter sanctos una suscitatos, prægustatorum magistri, id est, novi populi, mentionem fecit; scilicet ex quali impietatis præcipitio ad quale Dei notitiæ fastigium pervasisset; rursumque Iudaici, ex quali adoptionis fastigio in quale se Christi cædis barathrum deturbasset. Quibus rebus & novum populum, ut iam dixi, ornavit atque servavit, & Iudaicum ignominiæ & excidio dari permisit. Sin dicat quispiam, utrumque simul & pariter non contigisse: esto; at ex eo die utrunque scitum, sanctumque est.

A — * mend. & excidium à Vespasiano Hierosolymis admotū. — Gen 40. 18.

B — Luc. 23. 28.

Gen 40. 20.

C

CAPUT XXVIII.

Moysis historia mystice explicata.

SEd hæc de Iosepho sufficiant, & iam porro prophetarum centrum, deiscitum, atque à Deo scitum & cognitum Mosen aggrediamur. Quanquam illud quoque ignorandum non est, Ioseph in Ægyptum adventum, secundam præsentiam notare. Nam ut ille fratribus se prodidit, ita & Iudæi tandem aliquando Christum agnoscent; ut fert hoc Zachariæ prophetæ effatum; *Et aspicient ad me, quem confixerunt.* Et quemadmodum illos pœnitentia ductos ex Chananæa ad se adventantes, Iosephus cum omni familia aluit; sic quotquot toto hoc orbe Iudaici nominis sunt, si pœnitentes Christum vere Dei Filium confiteantur, eos cœlesti & immortali pane alet, ut in Evangelio testatur: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi. Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam;* & * in iudicium non veniet, sed *ego resuscitabo eum in novissimo die.* Suscitationem hic non illam mortuorum, qua omnes suscitandi sunt, sed decessoris Adami, significans.

Sed tempus iam est, captis Mosaicæ interpretationis frenis, atque ad eius metam sacrarum literarum tanquam curriculo reducto, pro virili aurigari. Igitur circum Mosen, ac Ægyptum, & Pharaonem, eiusque duces currum ducturi, age in primis cuiusque significationem edamus. Enimuero sic habendum est, Mosen mei Christi ac Servatoris Dei figuram exemplumque ferre, Ægyptum Orci, Pharaonem diaboli, qui mente informatus quasi quidam Pharao est, non equidem secundum regiam dignitatem, sed elationis frustrationem, ducis eius Angelos & operas. Iam figuras videte. Nam ut Moses à Pharaone profugit, sic Christus ex Ægypto in Iudæam concessit, Osee vatis dicto comprobando: *Ex Ægypto vocavi filium meum.* Ille ad Madianitas ingressus, secundum puteum consedit: Iesus ex itinere fatigatus secundum fontem. Illic Pontifex Madianita septem filias habebat, quæ eius oves pascerent; hic septenis Spiritus donis, Deo & Patri gentium Ecclesia, ex varij generis atque linguæ mortalibus coacta, pascitur, dimissa hæreditaria impietate. Illic Raguelis filiæ in Mosen incidunt; hic in Christum ex gentibus natæ, quarum prima suit è Samaritis. Illic venientes Pastores eas pellebant; hic Synagogæ Pontifices, & pastores exteras persequebantur. Illic surgens Moses, profligatis pastoribus, & aquam eis hausit, & pecus adaquavit; hic Christus ex mortuis resurgens, scelestos & falsos pastores fugavit, sibique fidem habentes, aqua viva, id est, divino suo cœlestique præconio rigavit, addens: *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat.* Illæ Raguelis filiæ ad patrem suum regressæ, Mosis studium commendant; Samaritana ad Natalem reversis, mei Servatoris amplitudinem prædicat. Raguel quærit ex filiabus, ubi sit? accerserent hominem, quo cibum caperet: Hic cœlestis panis, *Ego cibum*, inquit, *habeo manducare, quem vos nescitis.* Moses ibi apud hominem degit, eique ille Sephoram filiam elocat: meus Servator in Samaria considens, & eam collustrans, bellam gentium Ecclesiam desponsat: nam Sephora Iudæis bellam, seu collustrationem notat. Iam vero duos Mosis filius observate, qui ad duo fœdera trahantur, quorum lex Gersami nomine censeatur, qui quidem peregrinus fuerat; nondum enim in promissam terram Israëlitæ invaserant; Gersam autem Iudæis idem est, quod *peregrinus.* Porro Eliezer novi fœderis Christi Domini figura est; quippe hoc fœdere ineundo Deus terris opitulatus, eas a † fraude vindicavit. Nam Eliezer Iudæis perinde est, ac si dicas Opitulator.

Sed præstat Exodi quoque vaticinium verbo tenus recensere. *Post multum vero temporis.* Quod temporis longi spatium propheta significat? Delicti & mortalitatis. *Ingemiscentes filij Israel.* Id est, Sanctorum manes, apud inferos captivi, *propter opera vociferati sunt; ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus.* Alio dicente: *Educ de custodia animam meam*; Alio: *Deus ostende faciem tuam, & salui erimus.* Alio: *De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.* Alio: *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ.* Horum omnium quærimoniæ ad Deum pervenerunt. *Ac recordatus est fœderis, quod pepigit cum Abraham Isaac, & Iacob.* Illic cum Abrahamo, hic cum primigenio Adamo. *Et respexit Dominus filios Israel, & cognovit eos.* Id est, nostra tanquam miscella induendus homo factus est, simile simili expurgaturus. *Mose autem pascebat oves Iethro soceri sui sacerdotis Madian.* Illic Moses brutas soceri sui sacerdotis, hic Christus alter Moses rationales æterni Patris oves pascebat. *Cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb.* Nam rationalis pecoris pastor ac Deus, ex impietatis solitudine oves abductas, ad montem, qui est Dei notitia, & ad cœlestem ac perpetuam Hierosolymam compulit. *Apparuitque ei* † Angelus Domini *in flamma ignis de medio rubi: & videbat quod rubus arderet, & non combureretur.* Hoc indivisam atque impermutatam Verbi divini cum humana natura unionem ex charitate susceptam designat. Nam velut rubum ignis amplexus est: ita & Deus Verbum subiectæ sub peccatum Adami delicto naturæ societatem iniit, expers peccati, quo nos quoque peccato invictos compararet alter Adamus, & recreationis nostræ princeps, æque ac prior creationis. *Dixit ergo Moses: Vadam & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus.* Recte obstupuit Moses, qui id tantum ostentum esse figuram eventuri arcani prospiceret, liquido demonstrans, divinam Verbi naturam

Zach. 12. 10. — Ioan. 6. 51. 54. — D — * hæc ô sunt in vulgata.

E — Exod 2. 15. — Os. 11. 1. — Exo. 2. 15. — Ioan. 4. 6. — Exo. 2. 16. 18 & c.

F — Io. 7. 37. — Exo. 2. 19 — Io. 4. 32. — Ex 2. 21.

† scilicet diaboli quomodo etiam suspicor legendū.

G — Exo 2. 23 — Ps 141. 8 — Ps 79. 4. 8. 20. — Ps. 129. 5 — Exo. 2. 24 — Exod 3. 1.

H — † LXX. pro Dominus. — Exod. 3. 5 — Exod. 3. 3

cum

eum humanitatia modo, si quidem vellet, copulandam: nam ei quidem cuncta faciendi est potentia.

Cernens autem Dominus, quod pergeret ad videndum, vocavit eum de medio rubi, & ait: Illic Dominus Angeli specie visus Mosen inclamavit; hic Gabriele Virginem alloquuto, in eam Deus inmigravit. *Moses, Moses.* Nomen ingeminat, ut attentius, quæ dicerentur, audiret. † Quid est? inquit ille. *Ne appropies,* inquit Dominus, *huc: solue calceamentum de pedibus tuis.* Nemo impuris pedibus ad decurrendum pacis Evangelium contendat, aut calceis indutus, exanguibus inquam, pellibus; per quas concitatæ, atque vitiosæ, & fœ læ mortis autores cogitationes notantur, Virginis arcanum investiget. *Locus enim in quo stas, terra sancta est.* Nam præsacratum meum regium palatium apparavi. *Et ait: Ego sum Deus patris tui, Deus Abram, Deus Isaac, & Deus Iacob.* Quod dicit eiusmodi est. Ego Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob, olim in Virginis utero, benignitate æterni mei patris, & ter sancti spiritus ope degam. *Abscondit Moses faciem suam: non enim audebat aspicere contra Deum.* Divini Verbi ad homines degressum & incarnationem stupebat, & admirabatur. *Cui ait Dominus: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audivi propter duritiam eorum qui præsunt operibus.* Vidi, inquit, vexatos apud inferos Sanctorum manes, ab infestis, nec quicquam ad mala opera urgentibus improbis dæmonibus (quos & operis exactores eo nomine appellat: Etenim re vera, cum à Deo per ignorantiam abimus, tunc in peccati luto versamur, exactoribusque obnoxij sumus. At Dei notitiam libertatis gratia consequitur. *Et descendi ut liberem eum de manibus Ægyptiorum.* Conscius una hominum studij erga immolata idolis, descendi à Patre nequaquam separatus, ad eripiendum dæmonibus orbem terrarum. *Et educam de terra illa* contumaciæ & mortalitatis, *in terram bonam*, scilicet immortalitatis, & Dei notitiæ, *quæ fluit lacte & melle.* Ea ea terra lac & mel, Ex Dominico corpore aqua & sanguis scaturiunt. Id enim & ignis cum rubo copula designat; per ardorem patibile & mortale corpus, per incolumitatem ea ardore, Deitatem, quæ invicta, ut haud longum vincenda esset.

Clamor ergo filiorum Israel venit ad me. Illic accepta Israëlitarum imploratione, hic omnium ex Adamo natorum, perspectaque violentia, qua ab Ægyptiis urgentur: Non solum post sed etiam aute implorationem, (animos enim scrutor) dæmonum violentiam novi. *Sed veni, & mittam te ad Pharaonem.* Hoc Patris benignitatem monstrat. *Vt educas populum meum, filios Israel.* Illic Israelitas; hic omnem hominum cœtum ea Orci vinculis. Nam Orcus insonte ac vivifico corpore gustato, etiam quos iuste captivos habebat, dimisit. *Dixitque Moses ad Deum: Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem, & educam filios Israel de Ægypto?* Hoc velut ea persona corporis ad divinitatem cum eo copulatam, Propheta dixit. Et ille. *At tecum ego descendam; rursumque ascendam.* Hoc vicissim dictum à Deo ad corpus cum divinitate copulatum accipite. Nam & ad inferos Deus cum anima descendit, & quod Deus assumpserat, cum eo non solum ea Orco in terram, sed ex terra quoque in cœlum, omnibus cœlestibus copiis stipatum ascendit. Ac ne disputationis suavitatem verborum assiduitate ingratam comparemus; age historiam omnem Mosis compendio, & tanquam digito notemus.

Igitur Moses in Ægyptum degressus est? dulcis Iesus ad inferos: Ille in Pharaonem insurrexit; divinum Servatoris mei corpus Inferos diripuit. Ceterum quod Moses cum Aarone suo fratre ad Pharaonem abiit, hæreticorum impietatem evertit, † affirmantium in Christi mei corpore, animæ vicem sufficere divinitatem; atque ita male docentium, non fuisse perfectum hominem. Nam ut illic per Mosen & Aaronem, cum Pharaone locutus est Deus: ita & Servator meus, atque Deus anima intelligente, velut sequestra, inter Deitatem & Corporis crassitiem interposita, Dei & hominum sequester factus est. Illic Moses & Aaron Pharaoni sese à Domino Hebræorum Deo missos dicentes, illud ab eo audiunt. *Quis est Dominus, ut audiam vocem eius.* Itidem & in Orco, cœlestibus copiis clamantibus: *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ:* intelligibilis Pharao respondet: *Quis est iste rex gloriæ?* Atque hic (in Christo & diabolo) quidam amplius, quam in Mose atque Pharaone cogitandum est. Illic enim Moses semel patratis decem miraculis, semel sensibilem Pharaonem aquis obruit; at meus Servator atque Deus; non ipse solum de intelligibili Pharaone triumphum egit; sed etiam in se credentibus contra eum quotidie vires largitur, id quod notandum diligenter est. Nam ut illic Mose & Aarone Pharaoni instantibus, dimitteret populum tridui iter, colendo ab iis Domino, eorum Deo; ille neque eos dimisit, & paleas quoque subtraxit. Sic cum homo, qui est constitutum quoddam ex animo & corpore temperamentum, intelligibili Pharaoni instabat, sineret se concordi studio citra offensam, & putidas cogitationes SS. Deitatem venerari; scelestissimus ille adeo non est passus hominem ad perfectionem evadere, ut vel exigua etiam virtute affectum, tanquam palea, despoliaret. Itaque Christi studioso cuique à Deo data est vis decem clades inferendi huic Pharaoni intelligibili.

Quas observate porro, & utrinque numerum inite. Quemadmodum illic obfirmato Pharaone Moses aquam in sanguinem conversam, Ægyptiis minime utilem reddidit, ita hic Christi mandatorum studiosus aqua divinæ piscinæ totus lustratus, Inferni, & intelligibilis Pharaonis duces atque stipatores impotentes reddit, ne voluptatis vitia ex innato corpori sanguine ad se derivent. Cumque illic sensibilis in impietate, hic intelligibilis Pharao in malitia persisteret, uti tum per Mosen, Ægypti solum ranas protulit; ita nunc Christi studiosus concitatas & noxias cogitationes ea animo amolitus, earum fœtore intelligibilem Pharaonem suffocare nititur. Quippe in quorum hominum animis hæ cogitationes inhærent, in iis etiam earum fœtor permanet, autore Davide: *Putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ, à facie insipientiæ meæ.* Sin ad divinam gratiam mens erecta, pravas cogitationes ab se repellat, ad intelligibilem Pharaonem fœtor pestifer redundat, teste rursum eodem Dei parente: *In matutino interficiebam omnes peccatores terræ.* Vbi *matutinum* dicit, solis splendorem, qui mentem illustret; *peccatores* autem *terræ*, dæmones, eorumque antesignanum Pharaonem. Sed mendacij satore magis etiam ad hanc cladem irritato, Christianus in eum tertium adhibet tormentum: Nam ut illic à Mose vapulat pediculis, ita hic à pio vapulat precibus scelestus ille & execrandus Pharao, & quemadmodum illic terra & aër pediculis referta, magnam Ægypti ducibus cladem attulerunt; ita cum omnia piorum hominum precibus replentur, ab his ter sceleratus ille cum inferorum ducibus, medius cogitur & torquetur. Siquidem cum sint hæ preces agiles, quibusdam quasi alis omnia penetrant.

Ac ne his quidem mollito, in eum pius tanquam Cynomyiam armat Dei charitatem. Verum præstat sensibilem prius cladem exequi, ut ex imagine veritatem explicatam statuamus. Vt Cynomyia alitum minima est, sed quæ cani intolerabile pondus afferat: Nam illapsa plane inquietum animal reddit, nec volentem currere cogit, ac serio mandenda sua ipsius cauda se inflectere, interdum vero etiam in terram decidnum gramini assidue affricare, muscæ cœtum ac commercium nullo modo ferentem: Itidem & pius adversus intelligibilem Pharaonem charitatis arma expedit. Quod si animal reptile muscæ commercium detrectat; quanto magis charitatis vim odij architectus diabolus? Neque enim ferre omnino potest,

† Vide Nazian. ad Cledonium.

A Exo. 9. 5.

qui est ipsa quasi natura invida, hominumque osor, nos inferiores supera tenere, ipse è sublimi lapsus, & tenebræ pro luce effectus. Sed iis malis multatus adeo pudefactus non quievit; ut asperior etiam redditus sit. Itaque illic quadrupedum strages facta; hic ieiunio bellulina atque bruta animi vitia prostrata. Sunt enim vitia, quæ ratione & fiant, & curentur, rursumque à ratione aliena, & incurabilia, quemadmodum Salomonis Sapientia declarat in hæc verba: *Fit enim ut deprehensus fur furatus sit, ut esurientem impleat animam: qui autem adulter est, propter cordis inopiam, perdet animam suam.* Atque illic ut post Cynomyiæ cladem, quadrupedum omnium internecio est sequuta, ita post ieiunium hic, bellui norum atque brutorum vitiorum interitus; quæ quidem nullo præsentiori remedio, quam ieiunio ex animo exterminantur.

Prov. 6. 30. 31. 2

B Exo. 9. 10

Verum neque hoc facto scelestus Pharao resipuit. Quare illic quidem pustulæ ferventes (maleficos torquebant) hic in pio intestinus ignis, & flammam omnium superans Zelus in Pharaonem intelligibilem insurgit; secundum philosophum dicentem: † Iram in solum serpentem exerce. Iam vero, ut illic sensibili Pharaone, promissa, quæ dedisset fallente, grando cum igni extitit; ira hic quoque intelligibili, qui à pio deiectus esset, furente, divini ignis perennes in animo scintillæ, & iugis imber lacrymarum ex oculis fluens ac scatutiens existit. Nam quemadmodum sensibiles oculorum pupillæ caligant, fumi acrimoniam non ferentes, atque ideo lacrymantur; ita intelligibiles mentis oculi, peccati ærumnosa morsi, internam sollicitudinem, atque emendationem lachrymarum defluxu testantur.

† Cir & hoc Philosophi nescio nius, etiā Gregor. Theologus orat. In nova Dominica 1.

Sed iis rebus utroque obfirmato manente, opus erat porro ad frugem aliis præterea cladibus; ut, qui beneficiis affecti non se gratos præstitissent, plus calligarētur, & castigati, ex iis quæ paterentur, divinam vim agnoscerent. Igitur cum nec afflicti agnoscerent, addita locustæ calamitas est, quæ quicquid tota Ægypto viride esset, consumeret. Ac Moses quidem locustam excivit; at pius iucūda omni vitæ duritiate omnem corporis venustatē frangit. Nam ut illic viriditas locustis pabulū est; ita hic corporis venustas brutis affectibus. Atque interim obstinato rursum Pharaone, in Ægyptum aliis quoque cladibus sævitum est, subductaque luce tenebræ tractabiles inductæ. At hic pius, qui exteriores tenebras reformidat, scelerumque lippitudinem ea animo, Dei notitiæ aqua diluit, principis sempiternæque lucis radios puros accipit. Sed ad utrumque, cū tergiversarētur, cladibus terrendum, illa tandem ordine quidem extrema, sed quæ dolore ac vehementia facile prima esset, id est, primogenitorum mors succedit. Atque ut illic plaga hæc postrema Pharaonem populo missionem facere coëgit, ad colendum Deum procul, ac seorsim à *deastrorum* sacris, & cadaveribus; ita hic quoque postrema intelligibilem Pharaonem compulit, extemplo pium sinere SS. Trinitatem venerari, longe à concitatis noxiis cogitationibus remotum. Et quemadmodum illum ad omnes clades obstinatum, primogenitorum interitus emolliit & inflexit; ita hunc frangit ac debilitat animi submissio, omni eius primogenio vitio, id est, arrogantia atque fastus extincto. Ceterum mutata sententia, cum dimissum à se populum persequeretur, Deus, Mose sequestro, noctu igne, interdiu nube Israëlitas deduxit. Ad eundem modum, scelesto dæmone, profugum à se pium, nequicquam subdole rursum insequente, Servator noster atque Deus per divinitatem suam atque corpus omnem terrarum orbem ab ignorantiæ tenebris ad Dei notitiæ lumen erudit. Atque illic populus traiecto mari rubro, Ægypto, eiusque Principi Pharaoni elapsus, festum agitans; promissam porro terram pro virili invadere satagit; hic mundus per Dominicum sanguinem & aquam diro ac sequace peccato, & Pharaone, acerbo atque invisibili tyranno, cum acerbis exactoribus, liberatus, itinere tanquam postliminio ad cœlestem mundum adornando, † Domino Deo nostro liberaliter agit, non tamen improbitatis malitiæque fermento, sed sinceritate, ac puritate, quasi quibusdam panibus infermentatis, nihil Ægyptiacæ atque impiæ massæ caportans. Tum Pharao insequi ausus, cum omni exercitu deletus est: itidem & intelligibili Pharaone in Servatorem meum insurgere auso, intelligibilium draconum capita per sacram unctionem confracta sunt: id enim & magnus ille Paulus in hanc sententiam prædicat: *Nolo vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Mose baptizati sunt in nube & in mari.* Nam ut Moses populum in promissam terram inducere est prohibitus, propter levem quoddam murmur: (num, putatis, inquit, *de petra ac vobis aquam poterimus eiicere?*) sed eam per vicarios explorare & cognoscere voluit; sic Adamus Dei præcepto non subnixus, amplectendo serpentis consilio, immortalem vitam perdidit. Igitur illic Iesus Nave filius Israëlitas in terram promissam induxit salvos, hic æterni & exortis principij Patris Filius, meus amor Iesus, assumpto Adami temperamento, sibi credentes in cœlestem ac perennem Hierosolymam perducit. Vidistis olim figuras, nunc rem veram cernite.

C Exod. 10. 13.

Exod. 10. 21.

Exo. 11. 5

D Exod. 13. 21.

Exo. 14. 2

E † Nazianz. Orat. in tordinatā. Exod. 14. 27.

1. Cor. 10. 1.

Num. 20. 12.

Num. 20. 10.

F

CAPVT XXIX.

Cur Dei filius homo factus sit.

IVd. Belle & consentanee Dei vatis oracula sublimi sensu aperuisti, vereque antiqua, futurorum umbras & figuras docuisti. Sed quæ est autem necessitas, quave gratia Dei filium hominem factum dicitis?

Christian. Quod si omnino, quamobrem Deus cœlestes copias, & Adamum creaverit, vos exponetis, facile & Vnigeniti Incarnationem explorate cognoveritis.

Iud. Per Bonitatem, & solam universi creationem Deum esse, ea sapientibus nostris dicimus: Nam in Davidis Psalmis hæc sunt verba: *Secundū misericordiam tuam memento mei tu.* Et rursus: *Dulcis & rectus Dominus, propter hoc legem dabit delinquentibus in via.*

G Psal. 24. 7. 8.

Christian. Quod si ex bonitate, ut vere ea bonitate, Deus hominem fabricatus est; quanto magis sartam tectam tueri fabricam decebat, nec committere, ut corruptela obrueretur? De eoque etiam Salvator de ovibus ad vos disserens ait: *Pater, meus, quod dedit mihi, maius omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei.* Tueri enim fabricam longe maius est, atque illustrius, quam fabricari. Nec sane perinde est Deum hominem fabricari, ac hominem denique Deum fieri. Idque sic habete de principibus nostris intelleximus: dicit enim quidam primatum nostrorum: † Deum tunc præstantius contulisse, nunc deterius adsciscere: hoc priori divinius, &, si recte iudicetur, sublimius esse. Nam postquam terrestris diaboli invidia, & uxoris fraude, cœlestem se vocari non observans, pro vita mortem, non sibi modo, sed toti adeo generi concivit; Oportebat porro cœlestem & immortalem Deum, Gabrielis opera ex incontaminata & impollutæ fœminæ nasci; ac quemadmodum de viro sine muliere efficta mulier est, sic è muliere sine viro Deum hominem virum prodire; ut peccati repertor insuperabilem se arbitratus, nobis spe Numinis inescatis, assumpto vicissim corpore inescaretur, quo Deum, ceu Adamum, adortus, occumberet. † Itaque exinanitum Numen cum assumpto corpore copulatum est, & insolito temperamento Deus & homo ea utroque unum, & per unum utrumque factus, Deo cum corpore permixto atque devincto, ut quæ dissiderent, eo quasdam tanquam medij commercio in unum componeret.

Ioan. 10. 29.

† Nazian. in Natalem 23. 30. & S. Pascha 23 4 35.

H

† Nazianz. imitatur Apologet. 13. 14. & aliquot sequentibus.

A

CAPVT XXX.

Cur Christus homo simul & Deus.

IGitur vnus ex utroque pro uno decessore, seu, ut verius dicam, pro omnibus factus, in terram venit, animo præditus propter animum præcepti contemptorem, corpus gestans propter corpus delicti administrum, simulque damnatum, peccato altior ac sublimior; lutens, propter Adamum sub peccatum subiectum, vetere cum novo, id est, humanitate cum divinitate conferenda, & qui passus esset, eo per passionem revocando, ac pro nostrorum unoquoque singulis vicissim eius, qui pro nobis obiiceretur, præstandis, atque hæc benigna lapsi propter contumaciam procuratione, novo quodam arcano exhibendo. Hinc ortus atque Virgo, hinc præsepe & Bethlehem, ortus procreatione, sed potius recreatione, Virgo pro muliere, salve pro dolore, Bethlehem pro Edem, præsepe pro pomario, Gabriël pro serpente, arbor pro arbore, in crucem expensæ manus pro male exporrecta manu, fel pro dulci sapore, corona pro delectione, lateris lancea pro ense paradisi, vnguenta pro lachrymis, sindon pro ficulneis foliis, nuditas pro scorteis vestibus, clavi propter ruinam & lamenta, erectio pro lapsu, arundo ad frangendam Maligni potentiam, mors pro morte, tenebræ pro luce, sepultura pro in terram reditione, ac demum resurrectio pro lapsi resurrectione. Atque hæc omnia Deus nobis curandis, ad nostræque imbecillitatis medelam comparavit, quo veterem Adamum, unde exciderat, reduceret, ac vitali arbori admoveret, † quem notitiæ arbor inepte, nec suo tempore percepta, paradiso exegerat.

B

† Nisa in Epiph.

Iudæi. Quod si ad diabolum suum deiiciendum Deus homo factus est, næ id potius in fraudem Nominis fit: Nam si homo factus malignum dæmonem vicit, multo magis vt Deus & vincere poterat, & exitio dare: Nemo est enim Deo fortior. Itaque clamat Isaias: *Deus fortis* (præpotens) *pater futuri seculi, princeps futuri seculi.*

Isai 9 6

C

Christian. Recte Isaiæ verba in medium protulistis. Sed non tam Dei potentiæ gloriosum est, adversarium vicisse, nec dæmoni pudendum à Deo victum esse, quam insigne Dei potentiæ, & maligno summum dedecus est, per carnem victum esse, ac luteum, cœlestem factum, & quem divinitatis spe supplantaverat, eo per humanitatem deificato vicissim cernendo supplantari. Nam ut sanguinarij & improbi homines mundanum hoc regnum perfide refugientes, atque in montibus & rupibus, inediam tolerantes, haud sane regem latuerunt; quin ille misso, quem habebat unigenitum, cum iureiurando, & liberalibus promissis, ad frugem redituros revocat, quibus non solum verba regij filij non reveritis, sed cum quoque cruentis manibus trucidare aggressis, rex factus certior, & ira incensos, eos excusationem nullam habere cogitans, missis suis copiis delevit. Itidem sane & Deus & Pater Servatoris mei Christi, volens Iudæis vaticidium omne, ac delictum clementer condonare, Vnigenitum suum Filium, sui atque illorum sequestrum demisit: Quo beneficentiæ suæ studio non solum repudiato, sed illo quoque impie in crucem acto, missis cœlestibus copiis, velut omni defensione carentes, æterno igne, diabolo, eiusque angelis parato, severe damnavit.

Alludit ad parabolam. Mat. 15 35.

D

Quare vos accipite, obsecro, frugi consilium: nam resipiscere potestis adhuc superstites, atque in mundo degentes, fugite erroris tenebras, & ad veritatis lucem convenire, operámque date, ut à deteriori statu, ac læva hœdorum manu; ad Servatoris mei dextram cum ovibus astituri transeatis.

Iudæi. Enimvero & nos Prophetam magnum, efficacem, à Deo unctum expectase. id verum est; Dei Filium nec cœlitus degressum, à Prophetis audiimus, nec in cœlum rursum ascendisse.

E

Christian. Itaque porro, ut videtur, prophetas dicitis, non de Deo prophetias edidisse, sed de homine mero.

Iudæi. Ita est.

Christian. O stupiditatem! Et quis vero ex omni memoria, regum servis conservos præmittit, ac non potius filij adventus prævios, & præcones? Sed tamen prophetas nunc quoque evoluamus, atque iterum vos veritas docebit.

CAPVT XXXI.

Cur Christus ex Virgine nasci voluerit.

IVdæi. Quandoquidem nobis ortum sine tempore, seu verius supra tempus, erudite comprobasti; age, amabimus te, & Dei cœlitus ad Virginem descensum explana, & qui prophetæ de eo apertissime disserant.

F

Christian. Audite † Hieremiam, dicentem: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur adversus eum. Hic adinvenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israëli dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est? Hic Deus noster.* Quis? qui ab omni æternitate est & in omnem æternitatem perdurat. *Et non æstimabitur alius adversus eum.* Quis alius non æstimabitur? qui scilicet ob Hebræis pro Dei Filio expectatur. *Hic adinuenit omnem viam disciplinæ.* Non profecto fullonicam, ac fabrilem artem, aut quæ reliquæ sunt eius generis futiles; sed rerum notitiam, è terra in cœlum iter & ascensum, supra cœlestem pulchritudinem, ac Dei comprehensionem, denique, & illustrationem, in quantum se quisque ad id comparasset, seu potius Opifex largitus esset. Igitur hic ille Opifex est, qui hæc *tradidit Iacob puero suo, & Israël dilecto suo.* Macte verbis & prophetia esto † Ieremia. Non enim ait postremis temporibus comparebit in terris, & apud homines versabitur; sed qui futura explorata in se contineret, futura tanquam præsentia præsagivit. Et Sapientiæ hæc sententia est. † *Cum meum filium non audierint, ego quoque vos non exaudiam, inquit Dominus Omnipotens.*

Baroc. 3. 36.

† Baru 3. 37.

G

† neutra Biblia ita habent.

Iudæi. Insolens nobis non videtur, unctum à prophetis, puerum & filium Dei vocari. Nam & de nobis † Isaias effatur. † *Ephraim primogenitus meus est.*

† Ieremi. 31. 9 & iuxta LXX. c. 38. † itaomnia; que Biblia.

Christian. Dixin vobis, legis tegumentum, non è litteris, sed vestigatorum & quæsitorum intelligentia censeri. Vt enim tum non omnes sane vultus Mosis splendorem irretorte intuebantur, sed soli divinitus electi, ita hic quoque mentis oculis capti, ad sacræ scripturæ lucem cæcutiunt, ut & vos in præsentia. Neque enim Salomonis vaticinium mentis vestræ oculorum lippitudinem ad cernendam veritatem abstersit, manifeste unigenitum Dei Filium incommutatum hominem denique factum demonstrans; sed quod Sapientia Salomonis declarat, dicens: Cum meum filium non audierint; vos Dei Filij honorem intrepide ad vos trahere conamini. Quanquam non vt Sapientia filium appellat Dei Filium, itidem & vos † Isaias appellat natos, cum ait: *Primogenitus meus † Israelita*; sed illum naturalem, vos adoptivos. Nam nos primogenitus sumus secundi Israëlis (Christi. †)

H

† Here. † Ephrai. Gen 25. 23. † Sic à S. Paulo Secũdus Adam & futurus dicitur.

CAPVT XXXII.

Gens duplex, gentilis & Hebræa.

IN quam sententiam est notum illud Dei ad Rebeccam effatum: *Due gentes sunt in utero tuo; & maior serviet minori.* Et de Phare atque Zara obstetrix ait: *Quare divisa est propter te maceria?* Sed nequid interim hic veridici videamini, Isaiæ de vobis prophetiam in medium proferamus. Nam etsi per prophetam Deus confirmat: *Primogenitus meus natus Israelita*, at audire

Gen. 38. 9. Ier. 1. 13.

quæ paulo ante, ac post consequuntur: *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas*; & rursum: *Filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me.* Omnis quippe natura filius, vt deficiat à patre, naturam certe non amittit. Adoptivus autem, qui in naturam quasi vi invaserit, donec patri obsequitur, filius nominatur: Sin eum, cui additus sit, respuat, eius nec filius quidem vocatur. Ad eundem modum, & parentes vestri, qui Deum reliquerint, ac respuerint, ut Isaias ait, dæmonibus additi, vere Satanæ filij sunt.

Cæterum Ieremias post id dictum: *Hic est Deus noster & in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*; subdit: *Hic liber mandatorum Dei.* Quis? Quem iam dixit: *& lex quæ est in æternum: omnes qui tenent eam, pervenient ad vitam: qui autem dereliquerunt eam, in mortem.* En vobis naturalem filium; neque enim contentus est propheta dixisse: *Hic est Deus noster, & in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*: sed Dei præceptorum etiam librum appellavit, scilicet Dei, & Patris, & in perpetuum duraturam legem, id est, perennem, sine successione, impatientem finis. Addit: *Qui tenent eam, pervenient ad vitam*, æternam procul dubio. Nam qui æterno servient, æternum una etiam regnabunt. *Qui autem dereliquerunt eam, in mortem*: In mortem sane non hanc se induent corporalem, (nemo est enim hominum mortis expers) sed animi; quæ & inextincto igne semper ardeat, & nunquam consumatur. Quod si ex Isaiæ quoque vaticinio intelligere vultis quid de unigenito censeat, audite palam vociferantem: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius.* Quorum verborum hæc sententia est. Opifex ille futuri ac perennis ævi, Deus, potens, princeps pacis atque custos, Vnigenitus æterni, & sine principio patris, postremis temporibus sine mutatione corpore indutus, puer nobis natus, filius nobis datus est: datus quod erat, Deus; natus quod non erat, homo. *Et factus est principatus super humerum eius*: Crux scilicet, Victoriæ & principatus signum.

Iam Micheæ hæc sunt verba. *Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israel, & egressus eius ab initio, à diebus æternitatis.* Quod si ab æternis temporibus eius origo est, igitur qui natus est, Deus est, nullius enim meri hominis in omni memoria est ab æternis temporibus origo audita, sed Dei hominis facti.

CAPVT XXXIII.

Isaiæ vaticinium egregie explicatum.

RVrsum scribit Isaias: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiæ, & intellectus, Spiritus Consilij, & fortitudinis, Spiritus scientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini: non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet: Sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ: & percutiet terram virga oris sui, & Spiritu labiorum interficiet impium. Et erit iustitia cingulum lumborum eius & fides cinctorium renum eius. Habitabit lupus cum agno: & pardus cum hœdo accubabit: vitulus & leo, & ovis simul morabuntur, & puer parvulus minabit eos. Vitulus & ursus pascentur: simul requiescent catuli eorum: & leo quasi bos comedet paleas. Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis: & in caverna reguli, qui ablactatus fuerit, manum suam mittet. Non nocebunt, & non occident in universo monte sancto meo: quia repleta est terra scientia Domini, sicut aqua maris operientes. In die illa radix Iesse, qui stat in signum populorum ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum.* Quæ est hæc radix Iesse? ex effœto utero prognata Virgo. Quis vero flos? ex Virgine incarnatus sine mutatione Deus. Cur autem non ait: *egredietur* fructus *de radice*; *sed flos de radice eius ascendet?* Propter summam Virginis integritatem, quæ virum nullum experta esset. Nam sterilitates dissolvere plerunque Dei potentiam repræsentat: Cæterum Virginem parere, cum viro non congressam, naturæ lege desperatum est. *Requiescet super eum Spiritus Domini.* Super quem? super radicis scilicet florem, & Virginis natum. Nam simile simili coalescit. Septem vero Spiritus, septem dona Spiritus intellige.

Addit porro. *Non secundum visionem oculorum iudicabit, neque secundum auditum aurium arguet*: homines enim non ex æquo, & explorata veritate, sed ex apparenti æquo & veritate iudicant. Quod perspiciens David, orat: *Iudica me Domine secundum iustitiam meam*, non ex ineffabili & immenso iustitiæ tuæ pelago. Atque id verum esse declarant, quæ sequuntur prophetæ verba: *Sed iudicabit in iustitia pauperes*, id est, animo humiles pro iustitia sua explorata coronabit; quemadmodum de hoc quoque David profitetur: *Et humiles spiritu salvabit.* † *& terrarum illustres ex æquo corriget*: Terrarum illustres hic dæmones cogitandi sunt, & eorum administri; merito enim, qui mundi principes sunt, terræ quoque illustres sunt, de iisque & David ait: *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Quod addit: *percutiet terram virga oris sui*: dæmonum perniciem notat. Nam ut de cœli molitione scribit David: † *Verbo Domini cœli firmati sunt; & spiritu oris eius omnis virtus eorum*: Ita & Isaias † dæmonum perniciem atque interitum vaticinans, terram sui oris efficacis verberaturum prædicit. † Verbum oris, Vnigenitum filium vocans, *& Spiritu labiorum suorum interficiet impium*, hic rursus dæmones, & eorum administri accipiendi sunt, quos paulo ante *illustres* nominavit. Atque ei nostræ orationi fidem faciunt, Christi mei in furiosos miracula luculenta. *Et erit iustitia cingulum lumborum eius, & fides cinctorium renum eius.* Lumbos & latera dicens, omnem corporis coagmentationem innuit, & meum Christum ipsissimam esse iustitiam, & fidem: quod præsagiens & David ait: *Iustitia tua iustitia in æternum, & lex tua veritas.*

Quod subdit: *Habitabit lupus cum agno & pardus cum hœdo accubabit: vitulus, & leo, & ovis simul morabuntur: vitulus & ursus pascentur. Simul requiescent catuli eorum*: Ex omni memoria in pietate consensum & conspirationem notat. Ac quemadmodum Daniel decem regna per decem cornua designat, ita & Isaias per hæc animalia, exterorum varietatem & diversitatem. *Et puer parvulus minabit eos*, exteros scilicet, natus ille nobis & condonatus puer Christus, quorum primos ad sui adorationem adduxit Magos. *Et leo quasi bos comedet paleas*, propter unionem divinitatis cum humanitate in una eademque hypostasi factam. Nec vero incongrue Romano id applicaveris imperio, propter leoninum quiddam ac regale, quod primum levi ac divino iugo, id est, evangelico præconio cervicem subiecerat, reliquis populis palearum instar devoratis. *Et delectabitur infans ab ubere super foramine aspidis.* Infans atque lactens Christus; aspides, & aspidum soboles Pharisæi ac Scribæ sunt intelligendi; caverna & cubile Iudæorum Synagoga, quam præsidens in templo, & manum agitans dolcis Iesus docebat. *Non nocebunt, & non occident, in universo monte Sancto meo.* Rursum Synagogæ inscitiam notat: non solum enim unigenitum Dei filium in crucem actum non peremerunt, sed etiam quos illi prius morti dimiserant, hic ex mortuis postliminio restituit. *Quoniam repleta est terra scientia Domini.* Nam postquam ad inferos missus est Deus homo Iesus, tum vero Evangelicum præconium magis propagatum est. *Sicut aquæ mare operientes.* Quodnam mare aquis operitur? Et simulachrorum cultus æquor, & inhærens in lege umbratile quiddam atque imperfectum. *In illa die radix Iesse, qui stat in signum popu-*

lorum,

lorum, in ipsum gentes † sperabunt. Sententia hæc est. Qui ex mortuis resurget die à Sabbatis altero, ex Iessæa stirpe erit, in eoque spem habebunt, non qui è Synagoga, sed ex gentibus. *Et erit sepulchrum eius gloriosum.* Seu: † *eius requies erit honor.* Ecce aperte Dei regnum; neque enim in quo acquiescat Rex noster, equites, arma, cataphracti, & satellites erunt, sed honor divinus. Quo pertinet, quod maioribus vestris Servator dixit: *Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem*, &: *si cognovissetis me, & Patrem meum utique cognovissetis.*

CAPVT XXXIV.

Aliorum Prophetarum oracula de Christo.

SEd iam probe, opinor, Isaiæ verbis expositis, age aliorum quoque Vatum sententias edamus. Itaque de Hierosolyma confirmat David: *Homo, & homo natus est in ea: & ipse fundavit eam Altissimus.* Est autem sensus huiusmodi: Supremus is, qui hanc Hierosolymam condidit, in ea denique homo natus est. Et Isaias: *Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Porro Emmanuel Hebræum, Latine *nobiscum Deus*, redditur. Idem rursum: *Accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: voca nomen eius, Accelera spolia detrahere: festina prædari.* Et Moses in Numerorum libro: Orietur homo ex semine Israël, & imperabit multis gentibus, & exaltabitur regnum eius. *Devorabunt gentes hostes illius, ossaque eorum confringent, & perforabunt sagittis* illius inimicum. Hostis vero hic diabolus est intelligendus, missilia Christi stigmata & notæ, idemque rursum ibidem: *Orietur stella ex Iacob,* & † exsurget homo ex Israël, *& percutiet duces Moab:* & quæ sequuntur.

Cæterum verum Deum esse Christum Isaias comprobat, his verbis. † Non angelorum, non hominum quisquam, sed ipse nos Dominus servavit, atque idem rursum, *Ecce servus meus, suscipiam eum: electus meus: dedi Spiritum meum super eum: iudicium gentibus proferet; non contendet, non clamabit. Calamum quassatum non conteret, & linum fumigans non extinguet. Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra iudicium,* † & in nomine eius gentes sperabunt. Idem de Ioanne Baptista: *Regem cum gloria videbitis.* & *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini. Rectas facite † semitas Dei vestri. Omnis vallis implebitur; & omnis mons & collis humiliabitur.* Montem atque collem hic dæmonum copias existima; quæ cœlo ob superbiam deturbatæ, ad terræ ima depressæ sunt. Vallem hominum naturam, quæ ob superbiam depressa, rursum Dei gloria repleta, atque in cœlos è terra sublata est: id enim significat, quod addit. *Erunt prava indirecta, & aspera in vias planas, & revelabitur gloria Domini, & videbit omnis caro † salutare Dei.* Et Amos Propheta ait: *In die illa suscitabo tabernaculum David, quod cecidit: & reædificabo aperturas murorum eius; & ea quæ corruerant, instaurabo: & reædificabo illud sicut in diebus antiquis.* † ut exquirant reliqui homines Dominum, & omnes gentes super quas invocatum est nomen meum: *Et dicit Dominus faciens hæc.* Quem vero Deum reliqui homines requisiverunt, cuiusve Dei nomine & censæ sunt, & censeantur gentes, nisi plane unigeniti Dei filij, Dei hominis Iesu Christi? quemadmodum clamat Ieremias: † *Homo est, & quis cognoscet eum?* quia & Deus est, & David ex persona Christi. *Confitebor tibi Domine Deus meus, & glorificabo nomen tuum*: id est, magnificabo & prædicabo: *quia misericordia tua magna est super me.* Non secundum æqualitatem meæ divinitatis, sed secundum mei corporis gloriam. Meus enim Iesus perfectus Deus, etiam perfectus homo factus est, unus ex duabus naturis, † quarum illa quæ incarnata est, deificavit, quæ vero carnea erat, deificata est.

Et eruisti animam meam ex inferno inferiori. Nam usque ad Christi descensum ad inferos, nullius hominis anima ab inferis est liberata. Quod si Ionas exclamavit; † *educ de corruptione animam meam*, at eius anima iterum post egressum, ad inferos descendit. *Deus iniqui insurrexerunt super me.* Pontifices & Sacerdotes, *& Synagoga potentium quæsierunt animam meam.* Herodes simul & Pilatus, qui per id tempus potestate improbe fungebantur, *& non proposuerunt te in conspectu suo:* Te enim, Pater, tuisque præceptis oblivionis profundo traditis, vere te contempserunt. *Et tu Domine Deus meus.* Domine ac conditor omnis creaturæ visibilis & invisibilis, *& Deus meus respice in me, & miserere mei.* Respice in me secundum humanitatem, qui divinitate abes nunquam. *Da imperium tuum puero tuo,* id est, meam tui ex te ante Luciferum geniti potentiam demonstra: quale est & illud Domini, tempore passionis: *Pater, venit hora, clarifica Filium tuum, at filius tuus clarificet te: sicut dedisti ei potestatem omnis † carnis. Et salvum fac Filium ancillæ tuæ:* irreprehensæ Virginis. *Fac mecum signum in bonum:* id est, assumptum à me corpus ex morte suscita. *Vt videant qui oderunt me, & confundantur:* Vere enim ingens pudor erit scelestissimæ Synagogæ, mea post triduum resurrectio. *Quoniam tu Domine adiuvisti me, & consolatus es me,* id est, quod tu, Pater, iam olim de me consilium cœperis.

CAPVT XXXV.

Prophetarum de Christo Deo & homine Vaticinia.

POrro autem perfectum & Deum & hominem esse Christum, luculenter Vates demonstrabunt. Isaiæ quidem hæc sunt verba. Deus magnus & fortis non † esuriet. Davidis vero hæc sententia est: *Audi populus meus & loquar: Israel & testificabor tibi: Deus, Deus tuus ego sum. Non in sacrificiis tuis arguam te: holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper. Non accipiam de domo tua vitulos: neque de gregibus tuis hircos. Cognovi omnia volatilia cœli: & pulchritudo agri mecum est. Si esuriero non dicam tibi: meus est enim orbis terræ & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Quare nec taurina carne Deus vescitur, nec hircinum bibit sanguinem? quomodo igitur Vatum dicta conciliemus? cum dicat Isaias: † Deus magnus & præpotens non esuriet. David vero: *Si esuriero non dicam tibi. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Enimvero sic habendum est; Esaiam, qui ad divinam & perennem, atque sempiternam Christi naturam respiceret, quasique cum diabolo dissereret, qui Christum tentans iubebat, ediceret lapidibus, ut panes fierent, velut respondentem dicere: Scilicet Deum magnum ac præpotentem esurire? Quod à Servatore quoque responsum Malignus accepit: *Scriptum est; non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Davidem vero, qui in Christi olim incarnationem prospiceret, ac quemadmodum cum eo Iudæi, tanquam mero homine, ac non etiam Deo consuescerent, & convitio iactarent: *Ecce homo vorax, & potator vini*; multo ante obturantem impudens eorum os, ex Christi persona confirmare: Quid me hominem solum cogitatis, ac non etiam Deum? Ego ille ex Virgine natus, sine mutatione Deus, esuriens atque comedens, vestro, ô Iudæi, adminiculo non indigeo, meus cum sit orbis, & quidquid eo continetur. Neque vero tuas fœditates, id est, scelesta tua sacrificia, desidero scelestissima Synagoga. Quod si vis omnino ad veritatem ingredi, legis umbram, auditis meis consiliis atque mandatis, desere, atque ad Deum accedens, *Immola sacrificium laudis,*

&

& redde Altissimo vota tua. Et invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Et Ieremias: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & non docebit ultra vir proximum suum, & vir fratrem suum*, dicens: *Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me, à minimo eorum usque ad maximum.* Itidem de Gentium fide Isaias: *Faciet Dominus exercituum omnibus populis: in monte isto induent lætitiam, perfundentur unguento, bibent vinum:* ubi gaudium ad Baptisma refertur; & quo baptizatus ungitur, ad sacrum unguentum, vinum ad incontaminatum ac Dominicum sanguinem. Idem rursum: *Decretum hoc est super omnes gentes: & dicent in illa die: Ecce Deus noster, in quem speravimus, exultemus in salutari nostro, & salvabit nos ipse Dominus.* Est autem hæc sententia: Ecce Deus ille noster, in quo spem habemus, nobiscum est, hoc est, secundum corpus, iisdem quibus nos obnoxius. Itaque exultemus in salute nostra, Dei nostri gloria: Nam Domini gloria, scilicet Crux, nostra salus est. Et salvabit nos ipse Dominus; peccatis omnibus Cruci affixis. Atque id ita esse, † Angeli ad Deiparam verba ostendunt: *Et vocabunt nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.* Iam Davidis quoque de Christo, ex Dei & Patris persona hoc effatum est: *Ponam in mari manum eius, & in fluminibus dexteram eius.*

Iudæi. Nullam de Christo prophetiam hic psalmus continet: de se enim Vates eum cecinit.

Christ. An de se David psalmum cecinerit, accuratius ex his quæ sequuntur, intelligetis. *Ipse invocabit me: Pater meus es tu:* Atqui in nullo psalmorum suum Patrem Deum appellabat David. *Deus meus, & susceptor salutis meæ.* Observate sane. Patrem secundum naturam, Deum secundum assumptam humanam naturam: *Et ego primogenitum ponam illum.* Animadvertitis, Ut de unigenito Dei Filio loquatur? Nam David nec Dei filius erat, nec Iesse sui genitoris primogenitus, id quod de se ipse testatur in hæc verba: † *Minimus eram in fratribus meis, & iunior in domo patris mei.* Et alioqui si Davidis hæc prophetia de se ipso fuisset, dixisset utique; *Primogenitum posui illum*, non, *ponam illum. Excelsum præ regibus terræ.* At David Iudæam solum tenuit, nec mari manus ipsius, nec fluminibus dextra eius imposita est. *In æternum servabo illi misericordiam meam: & testamentum meum fidele ipsi.* At Davidi fœdus hactenus fidum mansit, ut ægre eius filius Salomon Iudeæ sceptra retinuerit, Roboam vero Salomonis regno exciderit. *Et ponam in seculum seculi semen eius; & thronum eius sicut dies cœli.* Videtis filium? Nam sensus huiusmodi est. Complacet unigenitum meum filium ex semper Virgine Maria, quæ ex Davidis semine est, carnem assumere; & perfectus natura Deus, sine mutatione, homo etiam perfectus nascetur: Cuius demum solium ad cœli ætatem conservabo, in omnem seculorum perpetuitatem. Atque id ita esse, ex sequentibus erit apertius: Addit enim: *Si autem dereliquerint filij eius legem meam: & in iudiciis meis non ambulaverint: Si iustitias meas prophanaverint: & mandata mea non custodierint. Visitabo in virga iniquitates eorum & in verberibus peccata eorum.* Non ignorans, qui animos atque renes scrutatur, particulam, SI, hic apposuit, sed iudicij sui æquitatem demonstrans, eum additamento pœnam comminatus est: *Misericordiam autem meam non dispergam ab eo neque nocebo in veritate mea Neque profanabo testamentum meum: & quæ procedunt de labiis meis non faciam irrita.* Significant autem hæc; quantumvis Davidis semen in regali Solio considere, atque in vos regnare haud videtis; ego tamen ex eius semine Regem suscitabo omni terra altiorem.

Semel iuravi in Sancto meo, in meo scilicet naturali Filio, *Si David mentiar*, iuravi, inquam, Davidi non mentiturus: *Semen eius in æternum manebit. Et thronus eius sicut Sol in conspectu meo, & sicut Luna perfecta in æternum. & testis in cœlo fidelis.* Videte, quemadmodum de Deo homine Iesu Vates omnia prædicat. Quo pacto enim meris citra divinitatem homo perennis duret, eiusque solium, ut Sol apud Deum, utque Luna constet in perpetuum? Sed profecto hic ille est, de quo ex Dei persona David prædicat: *Ex utero ante luciferum genui te*, & rursum: *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Nam hic vere est in æthere testis indeletus. Iam vero scribit † Isaias: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo David germen iustum: & regnabit Rex, & sapiens erit: & faciet iudicium & iustitiam in terra. Et hoc est nomen quod vocabunt eum*, † Ιωσεδὲκ, *Dominus iustus noster*, & Habacuc: *Operuit cœlos gloria eius, & laudis eius plena est terra.* Cuius ergo meri hominis maiestas cœlos obtegat, cuius laude terra repleatur? Nimirum Dei hominis Iesu. Et in Paralipomenis, de suo Filio Deus confirmat: *Stabiliam regnum eius: ipse ædificabit mihi domum, & firmabo solium eius usque in æternum. Ego ero in Patrem: & ipse erit mihi in Filium; & misericordiam meam non auferam ab eo.* Et rursum: *Ipse erit mihi in Filium, & ego ero illi in Patrem firmaboque solium eius in Israel in æternum.*

Iudæi. Et cur autem non dixit? Stabiliam thronum Filij mei; quia Pater illius sum: sed, *erit mihi in Filium, & ego ero ei in Patrem?*

Christian. Non de perenni natura, atque regno sui Filij hoc locutus Pater est; sed de temporali regno & assumpto: Neque enim concidit perenne eius regnum, neque inconcussum eius solium stabilitu opus habebat. Quare de nostrate regno atque solio David disserit, & domum construendam novam Ecclesiam significat: Nam superna domus, ac perenne regnum ex omni æternitate, atque in omnem perpetuitatem constat, nunquam labefactandum: Isaias quoque, ex persona Christi ait: *Ego Dominus loquens iustitiam, annuntians recta. Congregamini, & venite, &* † *accedite simul qui salvati estis ex Gentibus. Ego Deus, & non est alius Deus iustus & Salvator non est præter me. Convertimini ad me, & salvi eritis.* Et Moses, ex eiusdem persona; † *expectetur ut pluvia doctrina mea: fluat ut ros eloquium meum.* Iam Dei & Patris per Isaiam ad Filium hæc sunt verba: *In tempore placito exaudivi te & in tempore salutis auxiliatus sum tui, & dedi te in fœdus populi, ut suscitares terram.* Et per eundem rursum. *Dedi eum ducem, ac præceptorem Gentibus. Ecce Gentes quæ te non cognoverunt,* † *& populi qui nescierunt te, invocabunt te.* Rursum ait Isaias. Ecce venit Dominus. Quomodo? *Qui ambulat in iustitiis, & loquitur veritatem,* † *& odio habet iniquitatem & iniustitiam, & excutit manum suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem.* Videte ut incarnationem propheta demonstret. Neque enim ex his Davidis verbis: *Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum: vultus autem Domini super facientes mala:* & hæc Isaiæ sunt interpretanda: nam Ille partim benignitatem, partim vindicem Dei potestatem describit; hic dum dicit manum, ne dona capiat, arcet, auresque ne iniustam capitis inquisitionem inaudiant, obturat, incarnationem eius proponit.

Atque id verum esse, ex iis quæ post disseruntur, intelligetis: Addit enim; *Claudit oculos suos, ne videat malum:* His verbis Domini necem & Iudæorum obstinationem notans. *Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius.* Accipite Incarnationem: nam nisi de ea dictum hoc est; ubinam alioqui comprehendatur, qui ubique præsens cuncta complet. *Panis ei datus est:* id est, pane ad incarnationis fidem vesciturus; *& aqua eius fideles sunt:* Scilicet sacrum baptisma, seu salutaris doctrina; quemadmodum & Christus ipse ad Samaritanam disserit: *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi: Da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam:* ut non sitires in æternum. Et rursum. *Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ:* Divinæ ac salutaris doctrinæ sermones. † *Regem cum gloria videbitis*, id est, hominem cum divina gloria. Et Oseas: *Posthac revertentur filij Israel, & quærent Dominum Deum suum, & David regem suum: & pavebunt ad Dominum, & ad bonū*

eius

A

Ier. 31. 16. Ier. 33. 17.

eius in nouissimo dierum : Quæ de Deo homine Iesu disputat propheta, partim Dominum Deum propter eius diuinitatem vocans, partim Dauidem propter humanitatem, ceu ex Dauidis stirpe natum. Vbi est enim Dauidis demum benignitas, postremis illis temporibus, nec benignitas modo, sed quæ homines quoque in stuporem adducat? Et Ieremias, de pueris propter eum interfectis : *Hæc dicit Dominus : Quiescat vox tua à ploratu, & oculi tui à lachrymis : quia est merces operi tuo.* Quod idem & de quouis pœnitente dicit. Idem rursum : *Non interibit de Dauid vir, qui sedeat super thronum domus Israel.* Igitur si non venit Christus, mendax est propheta. Excidistis enim, Iudæi, primum quidem gratia Dei & procuratione, deinde & Hierosolymitana sede. Absit vero, Deus immortalis, ut mendacem Dei prophetam appellem. Sed eum ad Christum usque regnaretis, regnumque & sacerdotium teneretis, veniens Christus, qui humanitus ab Dauide genus duceret, consubstantialis & coæternus Patri Filius, Israëlitarum atque uniuersi orbis imperium accepit. Id quod & Dauid confirmat, in hæc verba :

B

Ps. 20. 1. 2.

Domine in virtute tua lætabitur Rex & super salutare tuum exultabit vehementer. Desiderium cordis eius tribuisti ei : & voluntate labiorum eius non fraudasti eum. Videtis ut de Christo loquatur: nam si Ezechiæ fortasse tribuetis, ad Christum tamen vere refertur. Quis enim rex propter animi optata, & orationis postulata Numen propitium habuit. Atque id verum esse, idem propheta rursum alio psalmo demonstrat. *Benedic anima mea Domino : qui replet in bonis desiderium tuum.*

Ps. 102. 5.

Quod si Dauidi præstitum non est, nequis alius Rex de eo se iactabit? Enimuero postquam dixisset. Domine in virtute tua lætabitur Rex : cæteraque quæ eo carmine pronunciat, indicans apertius, de quo Rege vaticinium edidisset, ait : *Vitam petiit à te, & tribuisti ei longitudinem dierum in sæculum, & in sæculum sæculi.*

Ps. 20. 5.

Atqui nullus plane præter Christum Rex perennis viuit, atque regnat. Atque hæc quidem prophetarum sunt. Quin nos quoque hactenus Dei Filij atque Verbi Incarnationem edidimus; neque enim fas est amplius. Nam ut mare cyatho metiri non possis, quod multis atque ingentibus fluuiis rigetur (etsi ne sic quidem exactam veritatem consequatur exemplum) ita sane, & illam pro dignitate, edisserere ac vel mediocriter perscrutari, humanæ menti inconcessum est.

C

CAPVT XXXVI.

Alter Isaiæ de Messia locus expositus.

SEd quoniam nobis ter Sancti ac Viuifici Spiritus processionem Moses præ cæteris Vatibus obsignauit, accedat vero & Isaias, qui Vnigeniti Incarnationem obsignet. Igitur prophetarum illustrissimus profitetor, quid Deus locutus sit ad Achaz. *Et adiecit Dominus loqui ad Achaz, dicens : Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum supra. Et dixit Achaz : Non petam, & non tentabo Dominum, Et dixit * Isaias: Audite ergo domus Dauid: Nunquid parum vobis est, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel. Butyrum, & mel comedet, * qui antequam sciat aut præferat malum, & eliget bonum. Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum nouum grandem, & scribe in eo stylo hominis. * Velociter spolia detrahe, cito prædare.* * adest enim: *Et adhibui mihi testes fideles, Vrium Sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ : & accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius, Accelera spolia detrahere:* Festina *prædari. Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam,* * *accipiet fortitudinem Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum* * Nobiscum Deus. *Scitote gentes, & vincimini,*

D

* m.s. Græcus & nota ad LXX. δ,

Isa. 8. 1. 2. 3.

* LXX. & alia paulo aliter.

* LXX. pro auferetur fortitudo.

* m. s. Græcus, & reliqua.

Isa. 8. 9. Isa. 7. 10. Ibid.

E

& audite uniuersæ procul terræ : quia nobiscum Deus. Confortamini & vincimini : Si enim denuo confortabimini, denuo vincemini. Inite consilium & dissipabitur: loquimini verbum, & non fiet : quia nobiscum Deus.

Cæterum in primis dignum quæstione est, quamobrem dicat propheta : *Et adiecit Dominus loqui ad Achaz, dicens :* De Deo, eiusque aduentu propheta dicturus, ne quispiam suspicaretur, alium esse, qui à prophetis se prioribus fuisset prædicatus, & alium, qui à seipso tum prædicaretur, voculas, *& adiecit*, prophetiæ voluit præfigere; quasi diceret : inter alias Vaticinas præsagitiones, quas Spiritus sanctus de Vnigenito Dei Filio, per prophetarum linguas promulgauit, insuper adhuc *adiecit Dominus loqui ad Achaz: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni siue in excelsum supra.* Nec vero iubet Deus Achaz ceu diffidentem petere signum. Apage. Quomodo enim iubeat signum petere, qui etiam iussus abnuat? Sed nimirum, ut præscius, Synagogæ incredulitatem prævidens Deus, Achaz mandat signum peteret. Quemadmodum aliquando & Thomæ obstinatio cæteros ad exploratam Christi resurrectionis fidem pertraxit, atque confirmauit; ita sane & Achaz signum petere; omnes ad veri credulitatem adduxit & constabiliuit.

F

Etsi vero Achaz abnuere, ac respondere : *Non petam, & non tentabo Dominum*, Isaias tamen pro eo exclamat : *Audite ergo domus Dauid.* Ecce ad quos promissum pertinet, eos *domum Dauidis* appellat, quasi in memoriam reuocans Dauidis verba atque fidem, quam iuratam Dauidi Deus non sit reuocaturus. Nam, *iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eam :* Quæritis, quæ sit ea veritas, intelligere? *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Si custodierint filij tui testamentum meum, & testimonia mea hæc, quæ docebo eos: & filij eorum usque in sæculum, sedebunt super sedem tuam. Quoniam elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi. Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Viduam eius benedicens benedicam, & pauperes eius saturabo panibus. Sacerdotes eius induam salutari : & sancti eius exultatione exultabunt. Illuc producam cornu Dauid; paraui lucernam Christo meo. Inimicos eius induam confusione, super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.* Huius ergo promissi finē notans Isaias, domus Dauidicæ meminit.

Isa. 7. 12.

Ps. 131. 11. & seqq.

G

Quod addit : *Nunquid parum vobis est, quia molesti estis hominibus? quia molesti estis & Deo meo?* Fidem huius Achaz collaudans propheta ait : *Propterea hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel.* Ei dicto, *Dabit Dominus ipse vobis signum*, subiecit : *Ecce virgo*, &c. Nam ex omni memoria fando inauditum est, virginem filium genuisse. Itaque non signum modo, sed miraculorum omnium mirificentissimum est hoc, & arcanorum ac prodigiorum longe arcanissimum ac prodigiosissimum. *Butyrum & mel comedet.* A miraculo ad miraculum digreditur : etenim præfatus: *Deus magnus ac præpotens non esuriet :* nunc Vnigeniti Incarnationem comprehendens ait; quem prius supra temporali natura haud esuriturum præcecini, nunc ex Virgine hominem natum, citra peccatum, butyro ac melle vesciturum præsagio. Butyro autem atque melle nominando, iterum nobis Dauidis vaticinia in mentem reuocat : Vnum huiusmodi : *Impinguasti in oleo caput meum.* Alterum. *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo!* Cæterum audiens: *qui antequam sciat, aut præferat malum, eliget bonum.* Ne peccati expertem; sciturum, aut malum admissurum unquam finge : sed priusquam id fiat, ex Virgine natum eligendo bono factum futurum, nam, *omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur.* Igitur qui ex utero consecratus sit, qui tandem sciat, aut malum admittat? Quare dubium non est, quin perfectum hominem fore, qui nasceretur, sed à peccato alienum designarit; nam de eo idem rursum confirmat : *Iniquitatem non fecit, neque dolus fuit in*

Isa. 7. 13. 14.

H

Ps. 22. 5. Ps. 118. 103. Isa. 7. 15.

Exo. 13. 2. Luc. 2. 23.

Isa. 53. 9. 12.

ore

ore eius: & cum sceleratis reputatus est, innocens tamen cum esset. Quare si à malo mala sunt; Deus autem bonus est, & boni hominibus largitor, merito ille boni omnibus author, humanitatem suam Divinitatis bono impertiit.

Et dixit Dominus ad me, id est, demonstravit. *Sume tibi librum novum, grandem.* Volumen hic, Virginis alvus intelligatur. Nam ut in tabulas Mosi traditas exaratis divinitus literis, Decalogum Deus inscripsit, ita & in Virgineo quasi volumine, perennis ac sine principio Patris, & ter Sancti ac Vivifici ope Spiritus, Vnigena ac Dei Verbum descriptus est habitator. Quod autem subdit, *novum, grandem*, veram umbræ legis imaginem notat. *Et scribe in eo stylo hominis.* Videte quemadmodum paulatim propheta arcanum Patris consilium prodat. *Sume*, inquit, *novum grandem librum.* Quibus verbis beneficam Patris de Filio voluntatem significat: *& scribe in eo stylo hominis.* Quasi diceret; etsi Dei natura Filius, & mutationis expers Deus, inconfuse, citraque peccatum perfectus homo etiam nasceretur: quippe humanam speciem per humanum stylum innuit. Quid ita? *Velociter spolia detrahe, cito prædare.* Eo dicto Davidis iterum verba ad memoriam revocat. *Ascendisti in altum cepisti captiuitatem.* Enimvero, *altum*, Crucem intelligit; captivos abductos, Orci demolitionem, & iam olim captivorum redemptionem. Ostensurus autem propheta decretum irrevocabile, addit: * *Adest enim:* in hanc sententiam. Ne, quoniam futurum est, de re diffisum ito: nam mihi quidem Deus hoc ita declaravit, tanquam quod adest. id est. factum est.* *Testes adhibe mihi viros fideles.* Testes hic, non qui rem adeo testarentur, sed qui testificati sanguinem effunderent, existima. *Vriam Sacerdotem, & Zachariam filium Barachiæ.* Zacharias in præsentia, non Elisabethæ maritus est credendus, sed alius Ezechiæ tempestate. Extitit enim ante Ezechiam Rex impius, Davidis stirpem propter inita cum eo divinitus promissa, delere studens: quo tempore Vrias & Zacharias nacti unum Davidicæ stirpis, quod semen Davidis superstes vellent, clam cum habuerunt. Quo post comperto, ille eos Martyrum choro laureatos addidit. Historiam ex Regum libro accuratius cognosce. *Et accessi ad prophetissam, & concepit, & peperit filium.* Quam appellat vero prophetissam? Virginem ac Deiparam, quæ cecinit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes: quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius.* Ecce autem certissimum Vatem! Supra inquit. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium:* paulo post ait: *& concepit, & peperit filium.* Quomodo illic omnino ut futurum, hic ut certum. *Accessi ad prophetissam.* Hoc velut ab Archangelo Gabriele ad Virginem dictum intellige: nam extemplo ad eius nuncium explorate virgineus conceptus fuerat secutus.

Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius; aut Christum, quod Iudæos unctum notat; aut Emmanuel, quod perinde est, ac si dicas, *nobiscum Deus*; aut Iesum, quod *salus* redditur. Hæc enim nomina utramque Christi naturam repræsentant. Sed quæ sequuntur scrutemur. *Accelera spolia detrahere: Festina prædare.* Hoc perniciem Servatoris vim declarat. Atque id verum esse, ipse adeo Vates nodum dissolvens, ait: *Quia antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam, accipiet fortitudinem Damasci.* Videte prophetæ super puero accuratam diligentiam: siquidem non dixit, priusquam sciret Christus, aut Iesus, aut Emmanuel, quæ utrumque notant; sed, *puer*; nam secundum expertem temporis naturam, est Deus fortis, præpotens, princeps pacis, pater ævi futuri: secundum temporalem, natus ex Virgine puer, Damasci opes, Samariæque spolia recipiet ab Assyriæ Rege. Quod comprobans Vates, addit *nobiscum Deus*: Scilicet supratemporalis, & omnipotens Deus; cum semper Virgine Maria, ac per eam nobiscum. *Quamobrem scitote gentes, & vincimini.* Gentes appellat, non quæ Christum adorant, atque venerantur, & Deum confitentur ac concelebrant, quæ ex gentibus Ecclesia est; sed quæ in idolorum cultus scelere permanent. Nam eæ demum profligandæ gentes sunt, quæ Christi nomine non gloriantur. *Audite universæ procul terræ:* iis verbis Dei ad inferos descensum, & Evangelici præconij significat propagationem: ita enim & Servator meus in Evangelico loquitur. *Prædicabitur hoc Euangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus: & tunc veniet consummatio. Confortamini & vincimini.* Dæmones, inquit, qui in nos homines potestatem exercetis ob peccatum, profligabimini eius viribus, qui pro nobis incarnatus est. Quod iterum victi confligatis, ut estis impudentissimi: at iterum denique profligabimini, per Christi resurrectionem prostrati. Nam Christo in vitam restituto, non iam deinceps mors dominatur, & prostratæ dæmonum copiæ sunt. Potest autem id quoque de sensibilibus gentibus sic accipi: quin & ad Christum referri, quem sæpe, ut hominem petitum diabolus tandem Deum nactus, concidit.

Inite consilium, quantumvis contra Christum: quantumvis enim avarum Iudam aggressi, cum arrogantibus ac superbis Scribis & Legeconsultis, quantumvis cum Anna & Caipha, scelestis Pontificibus ac denique cum Herode & Pilato, efferis atque inhumanis principibus conspiretis, consilium vestrum Dominus Deus dissolvet, id est, frustrabitur, & impotentes ac invalidos vos ostendet. *Consilium dissipabitur: loquimini verbum & non fiet.* Id quale sit, scire aventes, Matthæus publicanus docebit, cuius è sacro Evangelio hæc sunt verba: *Altera autem die, quæ est post Parasceven, conuenerunt Principes Sacerdotum, & Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc viuens: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium: ne forte veniant discipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis: & erit nouissimus error peior priore.* Hoc igitur consilium & decretum Deus dissolvet. Siquidem *nobiscum Deus*. Nobiscum Deus est ab Abrahamo per prophetas, usque ad Cæsaris Augusti censum: Nobiscum est in assumpta carne conversans, usque ad descensum ac regressum ex inferis; Nobiscum usque ad seculorum finem, atque in omnem perpetuitatem. Hoc enim significat ter à Propheta usurpatum: *Nobiscum.* Scitote gentes, ut nobiscum Deus est: *Audite universæ procul terræ; quia nobiscum Deus est, loquimini verbum, & non fiet, quia nobiscum Deus.*

Quid agimus? hæccine disputata hactenus de Dei Filij Incarnatione satis sunt, an plura quoque vultis dixeram? Enimvero neque ego plura addere possim, nec vos accipere. Quin adderem plura, si disputationi addictos cernerem. Sed quoniam orationis satietas inimica est, non dicentibus, sed auditoribus, sufficere, opinor, quæ diximus, *ne ultra Gades*, quod aiunt, traiicere conemur. Igitur ad alia est transeundum.

CAPVT XXXVII.

Deum hominem fieri voluisse, & de stirpe Davidis.

IVdæi. Descenderit sane cœlitus Dei filius, & incarnari sustinuerit; unde autem constat ex Abrahami & Davidis semine hominem fieri voluisse?

Christian. Ex Iosephi genealogia.

Iudæi. Et quamobrem Virgo recensita non est, sed Iosephus? Nam si secundum humanam naturam ex virgine Christus est, ex Iosepho autem nullo modo, (qui quidem sponsus, non maritus fuerit.) cur illius potius descriptum genus est? Igitur si ex Davidica tribu Virginem nobis demonstras, hunc ipsum verum esse Christum admittimus, & Virginem Deiparam fatemur: Davidis enim ex Dei persona de ea hæc sunt verba: *Omnis gloria eius filiæ Regis ab intus.* Et post pauca:

Adducen

Marginalia: A; Isa 8.1.; B; Psal. 67.19; * LXX; Ibid.; * LXX.; C; 2. Par. 24 & 4. Reg. 11.; Luc. 1.48, 49.; Isa. 7.14. & 8.3.; Isa 8.3.; D; E; Isa. 8.9.; Mat. 24. 14.; Isa. 8.9.; F; Mat. 27. 62.63.; G; Isa. 8.10. LXX.; H; Psal. 44.14

Ibid. 15. *Adducentur Regi Virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi.* Sin ex Iosephi duntaxat genealogia, tum Davide ortum non admittimus.

Christ. Aiunt sapientes, *simplicem esse veritatis orationem.* Itaque si avetis vos quoque certum cognoscere, simplicem veritatem admittite. Nam vitiligatori studium est per omnem vitam dissidere, inimicitias amplecti. At veri studiosus, tanquam lancem, conscientiam suam iis, quæ dicuntur adhibens, æquam, * non omnia improbe gestit vincere, sed est ubi & vinci facile patiatur. Igitur erat apud vos quod perspicue scitis, lex, suæ quemque tribus atque generis sponsam capere, quare ex Archivis vestris usq; ad præsentem Christum genealogia suppeditur. Nam ut id sit, qui poterant Evangelistæ, Matthæus quidem ab Abrahamo per quadragesimum alterum genus ad Christum devenire, Lucas autem à Christo, qui alter est Adamus, ad primum evadens, septimum & septuagesimum sine fraude exequi? Quare & Iosephum, Davidicæ tribus, quod ipsi testemini, sui generis atque tribus uxorem cepisse, est necesse. Sed ecquid, si fortasse Virginis genus minus accurate habeam cognitum, ex eo veritatem cavillemini, contraque Deiparam sententiam dicatis? Enimvero ut perspectum non haberem, omnino haberet, qui cuncta novit, neque ob meam ignorationem Virginis Deiparum (ut ita dicatur) frustra esset. Nihil prorsus. Nec enim propter cæcutientes Sol non oritur, aut propter cæcos visu præditi lumine destituentur.

Nazian. in initio. 42.47.

Mat. 1. 2 Luc. 3. 23

CAPVT XXXVIII.

Mariam ortam è stirpe Davidis, probatur ex genealogia Iudaeorum.

QVin editam Davidis genere atque stirpe Virginem dabo, neque id vero ex nuntiatibus scriptis ac decretis, sed Iudaico quodam libro, in quem Orestiade incidi apud Iudæum Eliam, Legisperitum cognomine. Is in Virginem debacchatus, sic habebat: *Quam tantopere Mariam extollunt Christiani, Cherubinis augustiorem, Seraphinis sine comparatione digniorem, cælis sublimiorem, Solaribus radiis puriorem appellantes? Siquidem fœmina est Davidica gentis, Anna matre, Ioachimo parente nata, qui Pantheri fuit filius. Panter & Melchi fratres, filii Levi, stirpis Matthan, cui David pater ex tribu Iuda.* Igitur defuncto Matthan Iacobi patre, Melchi Matthanis uxore, Iacobi matre vidua ducta, ex ea Elim sustulit: ita erant Iacob & Eli uterini, non germani fratres. Eli anno quinto & quadragesimo sine liberis extincto, Iacob uxorem Eli (jam defuncti) lege duxit, semen fratri excitaturus: quia ex ea filium Iosephum genuit, prolem natura sibi quæsitam, lege Eli. Fuêre igitur Panther & Melchi fratres, Levi filij (ut ostensum est authoribus Hebræis) affines Ioachimi: Vt Maria Ioachimi fuerit filia, Iosepho collocata secundum duas stirpes, Matthania atque Salomonia, paterno genere Davidis, materno Iacobi consobrini, patris Ioachimi affinis.

Habebat idem liber & Iosephi genealogiam, ei geminam, quæ in sacro Matthæi Evangelio descripta est. Cæterùm aiebat, habuisse Iosephum filios quatuor ex uxore Salome, Iacobum, Simonem, Iudam, & Iosen: filias tres, Esther, Tamar, & Salome, quæ Zebedæo conjunx, Iacobum, & Evangelistam Ioannem edidit. Erat autem Iosephi uxor Aggæi filia, fratris Zachariæ Sacerdotis, patris Ioannis Baptistæ. Zacharias & Aggæus Barachiæ filij, Abia Sacerdote nati. Porro erat id temporis Ioseph viduus; Vt fuerint Salome & Ioannes Baptista fratrum filij, & huic Aggæus, illi Zacharias patrus. Salomen dico non obstetricem virginis Mariæ, sed Iosephi fabri uxorem. Nam obstetrix illa consobrina erat Elizabethæ atque Virginis, ut ostendit sacrum Lucæ Evangelium. Erant enim tres sorores Bethleemenses ex Cleopatræ & Sosipatri regno, ante Herodis Antipatri, regnum. Primæ nomen Maria, alteri Sobe, tertiæ Anna. Earum prima in Bethleem nupta Salomen obstetricem peperit. Altera & ipsa in Bethleē, Elizabetham. Tertia in Galilæa genuit Virginem Mariā, quam & Deiparam Christiani vocant: Vt sint Salome, & Elizabetha, & Virgo, trium sororum filię. Hæc is liber genealogiā Virginis explicatam continebat, qui & aliorū quorundā Iudæorū genus declamabat, qui, nihil interest, ut nunc dicantur.

Iud. Sane venturum Christum & nos speramus, venisse haud dum credimus; siquidem nondum adventus Israelitarum Christi Regis tempus est.

Christ. Non recte vos scripturas animadvertere & sæpe dixi, & nihil mirum, quando & Isaïas de vobis est locutus in hanc sententiam: *Audivi vocem Domini dicentis: Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere. & videte visionem, & nolite cognoscere. * Incrassatum est cor populi huius, & auribus suis graviter audiunt, & oculos claudunt, ne forte videant oculis & auribus suis audiant, & corde suo intelligant, & convertantur, & sanem eos*

Isa. 6. 9.

*LXX.

Cæterùm Prophetas de venturo Christo, non eo quem vos expectatis Errone, non Deo, sed Antichristo, aperte prædixisse, audite in hæc verba loquentes: Venit Christus, in quem qui credit, regnabit cum eo, qui non credit. Hierosolyma profligabitur; non illa infera, sed supera ac cœlesti.

CAPVT XXXIX.

Danielis Prophetia de Christi adventu.

SEd placet, ut hanc vestram expectationem falsam vincamus, rursum vaticinia scripta evolvere. Igitur audite in primis Danielis, quæ sic habent: Danielem, cum obitis etiam jejuniis, pro populo supplicaret Deo, Angelus Gabriel alloquutus est: *Septuaginta hebdomadæ abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum:* Qui Christus est, perennis iustitia, hominibus noxas omnes condonans, & visa atque vaticinia obsignans, id est, concludens. Nam post ejus adventum non jam porro est usus Propheta. Vates enim cuncti usque ad Ioannem Baptistam vaticinati sunt. Jam parens quoque vester Israel ait: * *Non deficiet Princeps ex Iuda, & dux de femore eius, donec veniat quod constitutum est, & ipse erit expectatio gentium.* Et sane postquam Christus ille gentibus expectatus prodiit, deseruit vos & regnum, & pontificium; quæ (duo omnia quodammodo ipsa) sunt princeps & dux. Quod si, ut confirmatis, nondum advenit Christus, mendax sit Moses ille; qui & mundi exædificationem conscripsit, & futura prædixit: mendax parens vester Israël, & Daniel Propheta, ac præ iis Gabriel Archangelus. O torporem atque cæcitatem! in hi vero religio sit eorum quenquam mentitum dicere; qui enim possint ipsissimæ sapientiæ atque veritatis, Christi, præcones aut falsum aliquid dicere, aut omnino verbum futile profundere?

Dan. 9.

*Gen. 49. 10. *LXX. & mss.*

Sed vultis & tempus cognoscere? Ergo audite Archangelum Gabrielem, cujus ad Danielem hoc responsum est: *Scito ergo & animadverte: Ab exitu sermonis ut iterum ædificetur Ierusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt:* qui compositi, annos reddunt quadringentos tres & octoginta: Et revertetur, *& rursum & ædificabitur platea & muri in * angustia temporis. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus*; jure & æquo destitutus, urbémque & sacrum una cum principe delebit.

*De Danielis hebdomadibus Bened. & Peter. & Genebr. in Chronolog. Dan. 9. 25 *LXX. & græc. m.*

Est autem sententia talis: Anno à condito Salomonia templo & urbe, quadringentesimo octogesimo tertio, Servator mundi Christus nascetur ad salvandum

genus hominum, diabolique fraudes profligandas. Atque id verum esse, vos adeo si velitis, testemini. Nam regnante Aristobulo Iudæorum principe, Romani & sacram urbem corripere, & Israelitarum gentem una cum principe Aristobulo & liberis, mancipio cepere. Ex quo tempore Vaticinium omne, & regnum, atque Pontificium pessum iit, Herode extraneo Israëlitis ab Romano Rege imposito, & augusta veste amicto.

CAPVT XL.

Iudæorum calamitates ob perfidiam irrogatæ.

QVia Ieremias quoque multis ante sæcolis, tanquam succenturiatus testimonium dicet: non urbem modo, & templum atque Sacerdotes, sed omnes omnino oppidanos, mulieres & infantes hac nænia lamentatur. *Quomodo sedet sola civitas plena populo?* [Thr. 1. 1.] Recogitans Ieremias promissum Abrahamo editum, Solymorúmque vastitatem prospiciens, angoribus oppletus & imminens excidium deplorans, ait: *Quomodo sedet sola civitas plena populo? facta est quasi vidua domina gentium?* Vbi Propheta angustiarum plenus futuræ captivitatis caussam post exponit, Dei ad Oseam sententiæ recordatus: [Ose. 1. 2.] *Vade, sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum, quia fornicans fornicabitur.* [Ose. 1. 9.] Iudæorum Synagogæ: Itaque *ipsa non uxor mea, & ego non vir eius ero. Princeps provinciarum facta est sub tributo.* Pontificio pridem & regno aucta, nunc passim tributaria est, omnium nationum Dominis. *Plorans ploravit in nocte:* Nam quæ rejecto intelligibili justitiæ Sole, ab ea luce præceps, in ignorantiæ tenebris sedet, cur ni ploratum edat per noctem? [Thr. 1. 2.] *& lachrymæ eius in maxillis eius.* His verbis Vnigeniti Baptismum Propheta significat: quia enim erat Christi genas icturus, merito manant ei quoque per genas lachrymæ. *Non est qui consoletur eam ex omnibus charis eius.* Non est, inquit, qui pro ea deprecetur: Non Moses, qui à Deo stipulatus sit: [Exod. 32. 32.] *Aut dimitte eis hanc noxam; aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti.* Non David clamans: [2 Reg. 24. 17.] *Ego sum qui peccavi, isti qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me, & contra domum patris mei.* Sed eveniunt illa Ieremiæ, ex Dei persona confirmantis: [Hier. 15. 1.] *Si steterit Moses & Samuel coram me,* † ut ante deprecatores, non exaudiam eos. [† n. l. præc.] [Thr. 1. 4.] *Viæ Sion lugent, eo quod non sint, qui veniant ad solemnitatem.* Ma[...]ertbis estote David atque Ieremia: Nam ille exilij Babylonici providus, ex captivorum præivit persona: [Psal. 136. 1. 2.] *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus cum recordaremur Sion: In salicibus in medio eius suspendimus organa nostra. Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum. Et qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* respondebant, qui fortasse reditum sperarent: At Ieremias regni interitum, [Thr. 1. 4.] & Pontificij abrogationem sentiens, Iudæorum reditu Sionem desperato, & tanquam claudicante, mœstus *lugere,* ait, *vias Hierosolyma.* Cur? quod essent nulli, qui itineribus ad solemnia convenirent. *Omnes portæ eius destructæ.* Quia enim Synagoga ducentes ad pietatem portas, quæ intelligentia informantur, sibi præclusit, ut inquit Isaias. [† m. f. Isa. 6. 10. Mat. 26. 38.] † Oculos suos excæcavit, & cor suum dementavit; *ne fortè videat oculis, & auribus audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eam.* Propterea non clausæ adeo sunt portæ, sed vastatæ extiterunt.

Sacerdotes eius gementes; merito, qui unigenitum Dei filium consultarint, ut in Evangelio confirmat: [Thr. 1. 5.] *Tristis est anima mea usque ad mortem,* & hinc gemunt, & æternum gement. *Virgines eius squalida, & ipsa oppressa amaritudine.* Quam ob rem Propheta? quam ob rem? quia vere Virginem ac Reginam non sunt affectatæ. *Facti sunt hostes eius in capite, inimici eius locupletati sunt.* Nam quamdiu à Deo amabatur, regno atq; imperio aucta, populos sibi subiicere ac ditis obligare. Itaq; scribit Deiparens David: [Ps. 82. 12. 13.] *Pone Principes eorum sicut Oreb, & Zeb, & Zebee, & Salmana: Omnes Principes eorum qui dicunt: Hæreditate possideamus sanctuarium Dei.* At ubi odium cepit, atque ab insigni vasritie ad impietatem porro, quasi quadam tempestate est extrusa, tum vero sacrarium prophanari urbs diripi, templum à fundamentis everti, aut potius pro derelicto haberi. Hæc qui patrarunt, iis eum bene est, tum ad majores fortunas, ac regnum extolluntur. Quod explanans Propheta, ait: *Quia Dominus* † *humiliavit eam propter multitudinem impietatum eius.* [† L X X] Nam cum Synagoga Deum venerare tur, Mosen quoque alloquebatur Deus: [Exod. 7. 5. & Deut. 32. 39.] *Et scient Ægyptij quia ego sum Dominus, & non est alius præter me.* Cædes vero Prophetarum aliáque scelera Deus complexus memoria, eam afflixit, ut *parvuli eius ducti sint in captivitatem ante faciem tribulantis.* Quia enim in Christum debacchata, infantes Bethleemiticos contrucidarat, eunt hi quoque captivi.

[Thr. 1. 6.] *Et egressus est à filia Sion omnis decor eius,* quæ vetam majestatem, & hominum notis forma insignem aversata, exulem in Ægyptum amandarit. *Facti sunt Principes eius velut arietes non invenientes pascua:* Nam cum nollent Christi ovibus & pecoribus accensi à vero pastore ad perennes herbas educi, & cœlesti musto tanquam aqua irrigui, in æternis domicilijs stabulari, *ideo Principes eius velut arietes non invenientes pascua abierunt: & abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.* Dei ad Iudæos edicti memor vates, triste illud accinnebat: *Abierunt absque fortitudine ante faciem sui sequentis:* quippe ait in Levitico Deus † [Levit. 26. 14.] *Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, si spreveritis leges meas, & iudicia mea contempseritis, ut non faciatis ea quæ à me constituta sunt, & ad irritum perducatis pactum meum: ego quoque hæc faciam vobis: Visitabo vos velociter in egestate. Frustra seretis sementem, quæ ab hostibus devorabitur. Ponam faciem meam contra vos & corruetis coram hostibus vestris, & subijciemini his qui oderunt vos. Fugietis nemine persequente, & conteram superbiam duritiæ vestræ.* [† Hic vulgata & LXX. non conveniunt.] [Levit. 26. 19.] *Daboque vobis cœlum desuper sicut ferrum, & terram æneam. Consumetur in cassum labor vester, non proferet terra germen, nec arbores poma præbebunt.* [Levit. 26. 22.] *Immittámque in vos bestias agri, quæ consumant vos, & pecora vestra, & ad paucitatem cuncta redigant.* [Levit. 26. 33.] * *Evaginabo post vos gladium, eritque terra vestra deserta, & civitates vestræ dirutæ.* * [Levit. 26. 40.] *Quia vos ambulastis contra me & ego incedo adversus vos in furore contrario.* [Thr. 1. 8.] *Peccatum peccavit Ierusalem, propterea instabilis facta est.*

CAPVT XLI.

Christo mors illata, peccatum maximum.

SVpra jam dixerat, eam divinitus propter tot scelera afflictam, nunc addit: *Peccatum peccavit.* Illic quippe Israelitarum ex intervallo idololatrias & vaticidia, hic Christi necem significat, quare subjungit: [Thr. 1. 12.] *O vos omnes qui transitis per viam,* scilicet virtutis, *attendite, & videte, si est dolor sicut dolor meus: quoniam vindemiavit me, ut locutus est Dominus* † *in ira sua.* Vt condolentes se intueri jubet, quasi seipsum accusans, velut in extremum scelus prolapsam. Quæ est enim patratorum ante scelerum ad Christi necem comparatio? omnino nulla. Hoc malorum teterrimum, hoc supremum vulnus est. Quare † humiliavit me *Dominus in die iræ furoris sui de excelso suo.* Videte ut Christi occisio malorum omnium maximum sit. Equidem & alias, inquit, sæpe in Deum commisi, sed malorum colophon hoc est, quo meo facinore irritatus, & incandescens Deus, me è sublimi proculcavit. [† L X X. id est, qui & olim sua voce, & post per divinos atq; Vates Iudæos allocutus sit, uti existimo. † n. l. † m. f.] [Thr. 1. 13.] *Misit ignem in ossibus meis,* † & induxit illū super me. Non solum finitima, ut sæpe, sed me adeo totam ambussit. *Expandit rete pedibus meis convertit me retrorsum.* Rete hoc Titi copias designat,

[A] designat, qui verriculi instar omnes irretierit. Nam etsi ignis flammam nonnulli evaserunt, at militum mucrone oppetiere: *Posuit me desolatam, tota die mœrore confectam.* Totos dies ævum omne hic intellige, *desolatam*, [* L X X.] * seu ad nihilum redactam, ob impetum *mœrore confectam*, ob servitutem. [* m.s. græc.] * *Vigilavit super iniquitates meas, in manibus suis comprehendit me.* Ipsum admonui, inquit, meorum ante factorum, ideo circumquaque copiis cincta fui. [* m.s.] * Aggregavit jugum suum super collum meum, id est, servitutis jugo domuit me: *infirmata est virtus mea, dedit Dominus* [* m.s.] * *in manibus meis dolores, quos non potero perferre.* Traditos in manum dolores, servitutis ærumnas vocat. [* L X X. Thr. 1. 16] * *Oculus meus deduxit aquas*, lachrymosum est enim quicquid servitum docetur: *quia longe factus est à me consolator.* Nam mellitissimum meum solamen à me rejeci atque amandavi. *Sacerdotes mei, & senes mei in urbe consumpti sunt.* Quam ob rem Vates? *quia quæsierunt cibum sibi, ut refocillarent animam suam*, [* L X X.] * non invenerunt. Delicatus, ac jam perditus Israelites, solennem cibum vestigat. [Thr. 1. 19] *Conturbatus est venter meus, subversum est cor meum in memetipso.* Turbant, inquit, intestina optato cibo defraudata, & animus mutans in priore statu manet. [B] Quæ rerum calamitas istam vocem exprimit. [* m.s. græcus solus.] * Omnes mihi in inimicitiam facti sunt: Non enim inimici modo, sed amici quoque infensi me oppugnant: [* m.s. Thr. 2. 21] * quia exacerbans exacerbavi spiritum Dei: *Omnes inimici mei audierunt malum meum, lætati sunt, quoniam tu fecisti.* Excidij mei lapso tempore, ij qui moliebantur me evertere, * triumphant audientes à tuo Numine relapsam me & dejectam imperio. [* Romani Hierosolymã obsidentes, ut arbitror.] * *Adduxisti diem, & vocasti tempus.* Adducta, inquit Synagoga Deo, hilari die, Unigeniti tui adventu, postquam eam volentes rejecimus, diem vindicem citasti. [* L X X. & m.s.] * *Et facta sunt domus in me.* Me quasi domo quadam comparata, adeo ac perinde miseriæ sunt me amplexæ, ut continens domus ea, quæ continentur. Ac fortasse & tale aliquid sit intelligendum. [* m.s. contra L X X. & Vulgatam.] Quoniam Deus in Synagogam diem vindicem citavit: *Sepulchra eorum domus illorum in æternum* erunt, ut ait David, &c. *repleti sunt, qui obscurati sunt terræ domibus iniquitatum.* [Ps. 48. 12 Ps. 71. 20 Thr. 2. 1] *Quomodo obtexit caligine in furore suo Dominus filiam Sion?* Incendio extincta est: est enim quasi caligare, in incendio extingui. [C] *Proiecit de cœlo in terram inclytum Israel:* è divinis manibus amissa, ac pro nihilo habita est gloria Iudæorum. [Thr. 2. 6.] *Oblivioni tradidit Dominus in Sion festivitatem & Sabbathum.* Nam quia medenti Sabbatis Opifici Synagoga socerosuit, abrogata sunt festa omnia atque Sabbatha: *& in opprobrium & furoris sui Regem & Sacerdotem.* Quos hic memorat? nempe Herodem & Caipham, qui quidem gloriosum Deum exacerbarunt: qua re offensus regnum atque sacerdotium repudiavit. Nam qui ei repudio bilem movissent, destituti ipsi quoque in plura vitia præcipites fere, passi quiddam instar Pharaonis: [Exod. 9.] *induravit Dominus cor Pharaonis*, ait Scriptura: etenim cum minime flecteretur, merito obfirmatus est.

[Thr. 2. 7] *Repulit Dominus altare suum; maledixit sanctificationi suæ.* Ne triumphatote Iudæi, ait Vates, ob sacerdotij dignitatem: propter vos enim suum sibi altare, ac sacrarium amolitus proiecit, quorum oblata pro ditis haberet: [D Thr. 2. 8. 9] *luxit antemurale, & murus pariter dissipatus est. Defixæ sunt in terra portæ eius, perdidit & contrivit vectes eius: Regem eius & Principes eius in Gentibus: non est lux, & Prophetæ eius non invenerunt visionem à Domino. Sederunt in terra, conticuerunt senes filiæ Sion: consperserunt cinere capita sua, accincti sunt ciliciis, abiecerunt in terram*, [* L X X. & m.s.] * primarias Virgines in Ierusalem. Prioris suæ servitutis (scilicet in Ægypto) ac miseriæ, Deique opitulantis oblita gens Iudæa, nunc Pontificij regno ac celebritate se jactabat; nunc propugnaculis, & urbis munimentis, nunc Principum potentia, legis præsidio, Prophetarum visionibus, Sacerdotum cœlibatu: interdum superbiebas quoque & pontificio amictu: eorum, quam mox Propheta interitum prospiciens, omnia complexus, condolentissime sane ac mœstissime calamitatem exequitur & amplificat: [E Thr. 2. 11] *Defecerunt præ lachrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, effusum est in terra* [* L X X. decus meũ pro jecur.] * *decus meum.* Quorsum hæc Vates? quorsum? *Super contritione filiæ populi mei, cum deficeret parvulus & lactens in plateis oppidi.* [Thr. 1. 18 & L X X. in χορ. c. 2.] * *Virgines meæ, & iuvenes mei abierunt in captivitatem, ceciderunt in gladio, interfecisti in die furoris tui, percussisti, nec misertus es. Vocasti quasi ad diem solemnem*, [Thr. 2. 21 22. * L X X. παροικίας μο.] * *qui terrerent me de circuitu.* Nihil parcens, inquit Propheta ex Synagogæ persona ad Deum, me coci instar divisisti, evocata ad me undique accolarum turba, luctuoso meis die tanquam solemni.

[Thr. 2. 22] *Et non fuit in die furoris Domini qui effugeret, & relinqueretur.* Usque eo divinæ iræ extoantis fæx est, ut eo incandescente salvos & superstes esset nemo, sed internecioni omnes darentur. [Thr. 3. 12] *Tetendit arcum suum, & posuit me quasi signum ad sagittam.* Dei arcum, vindicem Numinis potentiam appellat, qua adeo mulctata est Synagoga, ut quasi scopum, id est, signum, jaculari & petere volentibus statuerit. [F Psal. 25 v. 3.] *Misit in renibus meis filias pharetræ suæ.* Davidis quidem ad Deum hæc sententia est: *Ure renes meos, & cor meum: quoniam misericordia tua ante oculos meos est: & complacui in veritate tua.* Accende mea erga te studia, quæ per renes innuit, ut idem alibi se explicat: [Ps. 37. 10 Ps. 37. 8.] *Domine ante te desiderium meum*; & rursum: *lumbi mei impleti sunt illusionibus:* per hæc contraria desideria notans; misericordiam & veritatem vocans Dei filium. At Synagoga eum se tali incendio uti non quæsierit, sed in monstrosas & absurdas cupiditates deflexerit, merito postea in renes pharetræ tela excepit, Dei veritate non delectata.

[Thr. 3. 14] *Factus sum in derisum omni populo meo, canticum eorum tota die.* Gloria, inquit, pridem florens, nunc ludibrio sum, & cantilenis ac carminibus Deo devotatis, hominibus perennem cantilenam atque sannam præbeo. [Thr. 3. 15] *Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio.* Quid ita, ô Synagoga, ô scelus, ô flagitium! Quod unigenitum Dei filium felle & aceto potasti, per quem *suxisti mel de petra, oleúmque de saxe durissimo.* [G Deut. 32. 13.] *Et fregit ad numerum dentes meos.* Iure. Siquidem impie, *lignum in panem misisti.* [Thr. 3. 16 Ier. 11. 19 Thr. 3. 16 17.] *Cibavit me cinere, & repulsa est à pace anima mea.* Non injuria. Quando fastidiebas illum, qui te paverat manna, & eum, qui vera est pax, lethaliter oderas. *Oblitus sum bonorum, & dixi: Periit* † *& spes mea à Domino.* [† L X X.] Scilicet fructum capis dignum factis: tam enim removisti longe Dei misericordiam, ut non solum, quod fateris, oblita retro sis bonorum, sed nec spem quidem deinceps ullam teneas. † *Oculi mei defecerunt cum vita mea super filias gentis meæ.* [† m.s.] Filias gentis, hic vicinas urbes, & finitimas Propheta nominat. [Thr. 3. 45 & 46.] *Posuisti nos in medio populorum, aperuerunt super nos os suum omnes inimici.* Nam qui Dei Filium consilio stitissent, ij velut in corona quadam populosa dicteriis & capiti motationi per gentes atq; populos prostituti sunt. Ac quemadmodum Christum maledictis conscinderant, ita in eos quoque hostium omnium os apertum est. [Ps. 43. 25] *Venatione ceperunt me quasi avem inimici mei gratis.* [H] Cum quia irretire atque capere unigenitum Dei, cum Herodianis & Pharisæis moliebantur. [Thr. 3. 53] *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.* Gemina his sunt illa Davidis. [Ps. 7. 16] Synagoga, inquit, *Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foveam, quã fecit.* Sane Christo in imum barathrum condito, impositóque sepulchro grandi saxo, eandem conditionem subiere; nisi quod illi hæc in Deum perpetrarunt, adhibitáque custodia saxum sigillo munierunt; hinc etiam quæ in eos decreta essent, Deus execcutus, velut obsignavit. [Thr. 4. 2.] *Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli?* Dei figmentum ut excellens & augustum, suspiciens Propheta, miratur

à Iudæis corruptum, ex aureo in testaceum commigrasse. Sed profecto omnes adeo terrestri natura constituti mortales, donec in nobis divinam gratiam informamus, & insculpimus, longe supra aurum, gemmásque pretiosas, ut cum Davide loquar, tum sumus, tum habemus. Cæterum ubi ab eo statu per peccatum deturbamur, non urceoli testacei, opus manuum figuli, sed quovis nihilo magis nihili, apparemus. *Adhæsit lingua lactentis ad palatum eius in siti: parvuli petunt panem, & non erat qui frangeret eis.* Tantum est, inquit, Iudææ crimen, ut legis correptionem superet. Nam in ea per Mosen ait Deus: *Unusquisque pro peccato suo morietur*: hic internecione damnat, ut jam lactentes quoque, & infantes emoriantur. *Et maior effecta est iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum, quæ subversa est*, * subversione æterna. Illic enim quamvis ingens & horrendum scelus vertitur, at non accusantem quoque justum Loth Sodomitani perimere. Synagoga vero unigenitum Dei, qui divini regni tanquam dux, ad cœlestem Hierosolymam se subduceret, scelerate in crucem egit, ac contrucidavit. Quare & majus est ejus, quam Sodomæ delictum, & supplicium triste ac perenne.

Melius fuit occisis gladio, fame, quam interfectis fame. Facinus primum executus Propheta, supplicij diversitatem post adjunxit, pejus actum fame quam ferro enectis ostendens. *Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos.* Quas hic misericordes indicat? Quæ sceleris sensu acceptu, Christi crucem flentes consequebantur, quas allocutus ait: *Filiæ Hierusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & ubera quæ non lactaverunt.* Horum verborum Christi misericordis memores illæ fœminæ, similes, quantū potest, ipsi, suos coxere natos, & *facti sunt cibus earum.* Supplicium consolatione majus, nec deprecandæ minæ (ad se, inquiebāt.) Verax est promissor, adest tempus, ecce finis: *Complevit Dominus furorem suum, effudit iram indignationis suæ: & succendit ignem Sion, & devoravit fundamenta eius.* Complevit, id est, omnia in eos vaticinia complevit, manita ita tanquam fæce, incandescens; ignem incendit, qui Sionem à stirpe funditus absumpsit. * Repeaverunt adolescentes in plateis, *polluti sunt in sanguine* cum non possent. Non erat, qui eos terra conderet, tumulus plateæ factæ: itaque cum vestimentis putruere: *Defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum*, * cum vana respectaremus. Intermortua apud nos est Prophetæ David vox illa, nullus qui cum fiducia dicat: *Deus in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina. Respeximus ad gentem, quæ salvare non poterat.* Quia enim Dei Nomen, & auxilium rejecimus, ideo in non defensuram gentem intuebamur. *Facies Sacerdotum non erubuerunt.* Dei, inquit, misericordiam sceleribus nostris exclusimus, quare nec Sacerdotum vultus reveriti sunt hostes. *Neque senum miserti sunt*, * *venati sunt parvulos nostros, ne irent in plateis nostris*: disparuerunt vestigia nostra: ergo defecit iniquitas tua filia Sion, id est, deleta, amplius culpam non admittes: *non addet Dominus ultra, ut transmigret.* Non revertere, inquit, neque amplius relegaberc. Atque id verum esse, probant sequentia: *Visitavit iniquitatem tuam filia Edom*: non virga sane, ut ante persecutus, cum te castigans resanaret, sed occidioni mandans. *Discooperuit peccata tua*, id est, explevit omnem iram injustam, tectis tuis sceleribus, ut aquæ vi & copia mare operitur.

Sed ne hoc argumentum ad doctrinam & institutionem susceptum, materiam luctus & lamentationis reddamus, ad inclytam & divinam * gratiæ disciplinam orationis gubernacula flectamus. Igitur accidit Hierosolymæ vastitas anno ab orbe condito quinquies millesimo, quingentesimo tertio & sexagesimo: usque ad præsentem vero, sexies millesimum, octingentesimum, octavum & decimum: Iudæi totis mille ducentis quinque & quinquaginta sine regno exulant. Iam mundi status & incolumitas, ut de vatibus accepimus, ab Opifice septem ætatibus descripta est. Quod & Salomon ait: *Da partem septem, nec non & octo*, octavā notans futuram illam & immortalem. Quibus decursis, existet fœda hominis lues illex, & impostor, quem vos Christum atque Regem perhibetis. Veniet autem non ut meus Servator atque Deus, Redemptor, ac salutis vindex humanæ, sed teter, & infaustus calamitates, angorem, mala omnia, & miserias trahens. Nam adeo simulachrorum cultū non compescet, aut ad Dei notitiam gentes adducet, ut contra & errorem publicare, & aptos Dei notitiæ omnes nactus, ab ea demovere sit conaturus, quemadmodum in Evangelio meus Salvator IESVS confirmat: *Prædicabitur hoc Evangelium in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* Quin in vos quoque, qui ut beneficium, sed revera meram pestem, expectatis, multa atrocia edet cum vix tandem resipiscentes, nostratem Deum, verum Christum, supplices adoraturi veneritis, & per regenerationis lavacrum filiorum Dei adoptionem recipietis, ut & Isaïas testatur: *Cum plenitudo gentium intruverit, tunc omnis Israel salvabitur.* Qua de causa veterator præ cæteris se crudelem vobis præbebit, qui non solùm aliis omnibus odio sit, sed etiam vobis. Qui ut Regem & beneficum venturum præstolati, damnata flagitiosa inhumanitate, illico resilietis, ad verum Christum, cui gloriam tribuatis, confluxuri. Neque vero alia gratia dirum hominis monstrum est venturum, nisi ob hominum delicta, quo eos vexet, & omne vitiorum genus invehat: Cæterùm annos duos cum dimidio ubi rerum potietur, exterminabitur. Ea quoque Prophetarum doctrina est.

CAPUT XLII.

De Antichristi adventu.

DAnielis quidem de eo hæc sunt verba: * Veniet impostor & calumniator: *Et sanctos Altissimi conteret, & putabit quod possit mutare tempora & leges; & tradentur in manu eius usque ad tempus & tempora & dimidium temporis.* De vafritie autem illius loquitur Ieremias: * *Clamavit perdix, congregavit quæ non peperit: faciens divitias suas non cum iudicio: in dimidio dierum eius relinquent eum, & in novissimis suis erit insipiens.* Idem rursum: *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myrica in deserto, & non videbit cum venerit bonum, sed habitabit in siccitate in deserto in terra salsuginis, & inhabitabili.* Et rursum: *In illo tempore dicetur populo huic & Ierusalem: Spiritus erroris in deserto, via filiæ populi mei, non ad purum, neq; ad sanctum. Spiritus repletionis veniet mihi ab his. Ecce quasi nubes ascendet, & quasi tempestas currus eius, velociores aquilis equi eius: Vox enim annunciantis è Dan veniet.* Et alio loco: *A Dan auditus est fremitus equorum eius, à voce hinnituum pugnatorum eius commota est omnis terra: & venerunt & devoraverunt terram, & plenitudinem eius, urbem & habitatores eius.* Quærendum vero est, cur hic Propheta hujus Dan, non semel, sed bis meminit. Cur? Ex tribu Dan, & Iudam, & Antichristum prodituros. Itaque de Iuda hæc sunt Israelis verba: *Erit Dan serpens.* De Antichristo scribit Ieremias: *Vox annunciantis è Dan veniet.*

Iam de administris quoque Isaïæ hæc est sententia: *Qui paratis dæmoni mensam, & impletis fortunæ potionē, omnes in mactatione cadent.* Et rursum: *Exacerbaverunt Spiritum sanctum, & conversus est eis in inimicitiam.* De interitu autem hujus perduellis, idē memoriæ prodidit: *In die illa inducet Dominus gladium sanctum, & magnum: & extendens manum contra draconem, serpentem tortuosum, occidet Dominus cetum qui est in mari.* Et David de vero Christo: *Reminiscentur & convertentur ad Dominum universi fines terræ: & adorabunt in conspectu*

eius

Margin notes:
Psal. 18. 11; Thr. 4. 4; Ezec. 18. 17; Deut. 24. 16; Thr. 4. 6; * m. s. græc.; Thr. 4. 9. & 10.; Luc. 23. 28.; Thr 4. 11; * m. s. græcus & notæ; Thr 4. 14; * LXX.; Thr. 4. 17; Psal. 69. 1.; Thr. 4. 17; ibid. 16.; * LXX & m. s.; ibid. 22.; * id est, Evāgelicæ doctrinæ, omne autem id tempus quod à Christo qui Messias erat, tribus successit, unus & decursis, gratiæ tempus, Ecclesia-
Ecclesiastici scriptores vocare solent.; Eccl. 11. 2; Mat. 24. 14.; Mat. 11. 25.; * m. s. Dan. 7. 25; * LXX. Ier. 17. 11; Ier. 17. 5.; Ier. 4. 11. 12.; Ier 8. 16. 11; Gen. 49. 17.; Ier. 4. 15; Isa 65. 11; Isa. 63. 10; Isa. 27. 1; Psal. 21. 28

A Ibid. 29. * Alludit opinioni ad Isa. 60. 8. Vide Nyssen. de virginit. c. 18. Psal. 25. 30. Ibid. 31.

eius universæ familiæ gentium. Videte ut nullum regnum usque ad expectatum à vobis tabulæ adventum relinquetur, quin Christum verum Deum veneretur: *Quia Domini est regnum, & ipse dominabitur gentium. Manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ.* Pingues hic piorum mentes appellat, quæ & * volucres sunt, secundum legem virtutibus: quæ Christo supplices, ejus & sacrum corpus epulatæ sunt, & sanguinem biberunt: *In conspectu eius cadent omnes, qui descendunt in terram:* animos in terram descendentes vocat, studio rerum, quæ materia continentur, defixos, qui ante adventum quoque Christi, sc præsentiam, suo quasi quodam præjudicio damnati mulctabuntur. *Et anima mea illi vivet, & semen meum serviet ipsi.* Cuinam? Genito ex utero ante luciferum Dei Filio, qui ad extremum incarnatus est ex Virgine: non, inquam, serviet anima mea illis ditis devoto impostori, quem medio ejus tempore prudentes relinquent, egregij facinoris præmium coronas in cœlo accepturi.

B

CAPVT XLIII.

De imaginum cultu.

Psal. 67. 36. Psal. 138. 21. Ibid. 22.

His & similibus de causis, non idololatria, quod existimatis, obeunda, sed pie imaginibus cultum præstamus: est enim inquit David, *mirabilis Deus in sanctis suis.* Et: *Qui oderunt te, Domine, oderam, & super inimicos tuos tabescebam.* Nam ut Deo charos amplecti & colere par est, ita infestos aversari & odisse. Ait quippe idem Propheta: *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus.*

CAPVT XLIV.

Exempla duo perfidiæ Iudæorum in imaginem Christi.

Beryti (ea urbs est non procul ab illustri Antiochia) tale quoddam insolens miraculum contigit, voluptatis terrorisque plenum & quod referri mereatur.

C

Vir quidam Christianus, parentibus & atavis ab stirpe religiosis, proxime Iudæorum Synagogam habitabat, præcipuo tanquam patrimonio affectus, descripta in tabula Dominica effigie Dei & Servatoris in vivificam crucem suffixi, quæ sub ædium tecto sublimis pendebat. Inde cum aliquando migrare opus haberet, exportata reliqua omni suppellectile, unicũ illum divinum thesaurum effigiem Servatoris, nescio unde, & quo modo, divina quidem certe procuratione, oblitus reliquerat. Ita emigrante pio, extemplo immigrans Iudæus, aliquot post diebus mensa instructa opipara, congregem Iudæum ad convivium vocat. Quo præsente, simul ambo læti epulari: cumque epulantes per toros discumberent, vocatus, ut mos est, familiaribus oculis in tectum sublatis, amici domum curiosius circumspectare; & acie in imaginem conjecta, eum esse, quem majores in crucem egissent perspecto, quanquam efferus jam, & in tetricum mutatus, sectis pene ac ruptis ilibus, tamen ne amico palam fieret, iterum lætitiam mentiri & fingere. Tandem impotens sui, & ita victus, quod hactenus continebat, aperire arcanum: vocare hominem, & divina effigie digito ostensa, rogare cujus simulachrum esset, an non Nazareni, an non Galilæi, an non à majoribus cruci affixi? Itane vero, inquit, versipellis, qui hoc loco sis, Christianam quoque religionem colas? Ille inops consilij, ea quidem sic habere fateri, cæterùm Christianissimi crimen sibi conscire nullum; jam inde à proavis, ut ipse nosset, Iudæum, & Mosaïcæ legi vel in lanienam addictum. Postquam vero oratione non persuadet, ad preces denique conversus, obtestari, ne Synagogæ patefaceret, sed sibi soli haberet. Pollicitus ergo, sed dolo & perjurio, abit inde, recta ad Synagogam properat, quæ & cujusmodi quæ viderit, quæ dixerit, recenset. Illi iis auditis, furibondi ad ædes è vestigio convolant. Vbi quæ intellexerant, vera vident, homini, ut Christiano scilicet, illudunt, & subsannatum cœtu exigunt, ac proscribunt. Porro autem, quæ in sacram ac divinam effigiem moluntur? Quis sine lachrymis narret? Deceptam in primis humi affigunt, tum quibus exemplis majores vestri meum IESVM, iisdémque ejus simulachrum accipiunt: inspuant, pugnos & alapas ingerunt, scurrantur, fel & acetum propinant. Aderat spongia, nec deerat arundo. Clavis manus, pedésque affigunt (neque enim à clavis abstinetur) spinis coronant, hasta è latere (heu profligatam in extremi, audaciam!) sanguinem & aquam proliciit: quæ res Christo cultum, ac celebritatem paravit. Nam conspecto grandi & horrendo miraculo, postquam sanguinis periculo facto, exploratæ fidem res fecere, morbo omni atque ægritudine curanda, & dæmonum turma procul arcenda, in fugámque vertenda, toto animo, tota mente ad Christum mutati, quasique reformati, sacro Baptismo sunt affecti.

E

F

Talia sunt Domini nostri IESV CHRISTI hominum amantissimi, Vnigeniti, Patris Verbi, majora cogitatione atque verbis arcana: tantopere de figmento suo sollicitus, neminem vult perire, sed omnes ad veri cognitionem venire. Atq. hæc quidem Beryti.

Nefas vero sit alterum Constantinopolitani, urbium reginæ, miraculum silentio præterire, cum superiori narrato nihilo sit deterius. In augusto & fama celebri Dei Sapientiæ templo (si templum est nominandum, ac non potius alterum in terra cœlum) puteus est, qui aliud nihil, quam quod est, puteus dicitur; eponomidem ferens ejus, ad quem sapientiæ profundum, immortalitatis fons, providentiæ infinitum pelagus, Samaritidem allocutus, aquam consulto petebat, qui eam vellet ad Dei notitiæ vivam ac scaturientem aquam traducere, & quasi derivare. Eo piorum multitudo confluebat, insitam in eo sacram vim percepturi; & simul qui supra orientalem portam descriptum in tabula, & velut dedicatum pictoris manu Dominicum simulachrum venerari contenderent, quo nomine magis etiam confluebant. Iudæus vero quidam nescio quomodo, Deo certe id agente, & ipse templum ingressus, venerabundo omni cœtu conspecto, invidia tactus, & quibus natus, & qua opinione foret prodere stimulatur. Quin adeo prodit quoque. Nam cæteris à puteo discedentibus, solus occultum transitum rimatus, postquam à scopo non aberravit, securitatem nactus, irruit, & sanguineris oculis, animo, mente igneum intuens, ignem spirans, sustento in tuam, æterne rex, imaginem cultro, ferit. Vnde insolenti miraculo sanguinis rivo depluente, & percussor & divinum solum cruentatur. Ille factum, ut oportebat, non recogitans, sed contrà magis perfurens, detractam imaginem, infixo adhuc cultro, in puteum demergit, ipse qua pedes ferebant, inde aufugit, latere properans, ut putabat. Verum qui sapientes sua ipsorum calliditate capit, hujus quoque conatum palam fecit. Nam cum sanguine ex imagine ruberet, planéque sanguinarius quidam ac vafer fugeret neminem, egressus ab ingredientibus religiosis comprehensus homicidij postulatur. Negat homicidium, Christicidam lerio se profitetur. Ejus rei fama urbem omnem celeri ala permensa, vulgò ad puteum concurritur, ubi convenere, subducta è puteo, adhuc sanguine manante, sacra imagine, hymnos & carmina modulati, cum precibus & lachrymis eodem quo ante, loco suspendunt. Iudæus facti pœnitens, pietatem perdoctus, ad Christúmque receptus, cum omni familia, sacro regenerationis lavachro afficitur.

G

H

Quid dicis? hæccine satis sunt, an & pluribus argumentis egeris?

Iud. Pie imaginibus cultum præstari confitemur. Vere enim, qui animo ad primogenitum exemplar, non ad tinctutas ac colores intuentur, verum ante sæcula &

A

& inaspectabilem Deum venerantur. Itaque majores nostri Cherubinis ex auro nobilis materiæ, conformatis, haud equidem aurum coluerunt, sed Cherubinos, quos ut sanctius sacrarium cingerent, finxerunt. Ac de imaginibus quidem præclare.

Quamobrem vero circumcisione repudiata, baptizatos cum Deo societatem contrahere perhibetis?

Christ. De circumcisione multa locuti, & quomodo eam repudiemus demonstrato, non est quod de ea rursum resecemus. De Baptismo vero agite prolixius disseramus.

CAPUT XLV.

De Baptismo Christianorum, & eius cum Circumcisione comparatio.

B

OStendi, quod vos quoque à me atque à veritate suffragium tulistis, res Mosaicas, mei Servatoris Christi figuras quasdam fuisse. Nam quemadmodum præstans pictor, in primis inumbrat, tum crassiore quadam tinctura, ac coloribus expressam veri effigiem repræsentat; ad eum modum & naturæ rerum omnis architectus Deus, per Mosen, & legem velut deformatis quæ sub gratiam caderent, per IESUM-CHRISTUM porro non tinctura, ac coloribus, sed Evangelicis præceptis, spirans quoddam, ac vivum veri simulachrum dedicavit. Cæterùm ut in Sina nubes, & voces, atque tubæ Dei ad nos descensum liquido designabant; ita & alia olim plurima Servatoris mei procurationem notabant. Ergo typos & exempla cernite, unde ad veritatem ducamini. In lege circumcisio, in gratia, ablutio. Illic pelliculæ segmentum, hic peccati depositio, illic circumcisionis cultor, religiosum & irreligiosum palam faciens; hic disciplinæ acies rectum à pravo dissecans, illic sine vitio agnus mactatus, hic cæsus sine peccato Christus. Illic agni cruore postes unguntur, hic sacrificati Christi anguisto sanguine actiones & disciplina obsignantur, id est, quæ in actione, & quæ in contemplatione posita virtus est, quibus quasi quædam commissuræ posti, Christianæ disciplinæ velut obligamur, & componimur. Illic durus Pharao Israëlitas oppugnat, hic Christianos Sathanas, ille hominum olor, atque zizaniorum sator. Illic veterem Israelitam nubes ad terrestrem Hierosolymam ducebat; hic Servatoris caro novitium Israelitam ad cœlestem Sionem transmittit. Illic ignea columna, hic divina ignea natura, sacer Spiritus. Illic Israelites mare rubrum permensus, Pharaoni tumultuantium aquam comparavit, ipse interitum salvus effugit; hic Christi nomine censa universitas per Baptismum cum Christo sepulta, immortalem vitam eo redivivo consecuta est, illic aqua Mosis precibus, flante Austro vehementissimo, dextra ac sinistra in murum concrevit, hic Spiritus per aquam vitiorum, quasi quoddam mare rubrum in siccum redegit, rupto peccatorum nostrorum chirographo, illic virga refluas undas coëgit; hic in Calvaria defixa Crux Adamum totum in priorem nobilitatem restituit. Israelites, nisi mari rubro trajecto, Angelorum pane vesci non poterat: nec vero Christi populus, sanguine & aqua viva potest frui, nisi peccatorum rubro tanquam æstu defunctus.

Exod. 19. 16. 17. 18.

Gen. 17. 12.

Exod 12. 5. 12.

C

D

Ind. Cur ut nos circumcisionem uno semper nomine, æque & vos Baptismum non vocatis, sed multis ac diversis?

Christ. Expedita solutio, illa per unum Mosen, prodita est, hæc à Patre, Filio, & Spiritu sancto. Præterea multis ac diversis ejus in nos officiis, multas quoque ac diversas nomenclaturas atque beneficia facimus.

CAPUT XLVI.

Quibus olim nominibus Baptisma designatum

E

ITaque * Donum, Lumen, Baptisma, Unguentum, regenerationis lavacrum, immortalitatis amictum, signum, breviter quicquid augustum est, nominamus, vocibus è Prophetarum oraculis desumptis. Donum inprimis, ut Isaïas clamat: *Omnes sitientes, venite ad aquas: & qui non habetis argentum, properate, emite absque argento, & pretio.* Lumen ut de eo David prædicat: *Dominus illuminatio mea, & salus mea quem timebo?* Et rursum: * *Dominus illuminat faciem prudentis.* Prudentem omnino appellans, qui vim sacri Baptismatis calleat. Baptisma vero dicitur, ut in quo peccata tumulentur, quemadmodum mari rubro Pharaonem tinxit atque obruit Moses. Lavacrum ex hac Isaïæ sententia: *Lavamini, mundi estote.* Unguentum, quod cœlestis Hierosolymæ, diviniique regni hæredes hoc inuncti agnoscatur. Ita enim & * Elisæo vati ait Deus: *Unges Elisæum Prophetam pro te.* Immortalitatis amictum vocamus ex eo Psaltis regij edicto: *Dominus regnavit decorem indutus est.* Tum autem ut ostendat æque amictos & Christi hæredes, addit: *Etenim firmavit orbem terræ*, scilicet hoc regio amictu, *qui non commovebitur.* Signum, ut dominij notam, quemadmodum de eo David profitetur; *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, dedisti lætitiam in corde meo.* Quibus verbis sacræ Unctionis vim declarat: Non enim, inquit, solum tuo nomine nos signasti, & illustrasti, sed etiam animum meum voluntate affecisti: id est, omnem signatum noxæ venia dignatus es. Idem alio Psalmo: *Dixi: Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti impietatem peccati mei:* hoc dicens: quod si quis vel post Baptismum delinquat, ne desperet, siquidem ignoscetur ei animi scelus vitiosum inquam cogitatum, & conscelеratio, per Confessionem.

*Nazian. v. de in S. Baptisma.

Isa 55. 1.

Ps 26. 1.

* m. f. Ps. 145. 8 Dominus illuminat cæcos.

F

Isa. 1. 16.

* imo Eli. 3 Reg 19. 16.

Ps 92. 1. ibid.

Ps 4. 7.

Ps. 31. 5.

G

Sed audiamus quid Isaïas dicat: *Faciet Dominus Sabaoth omnibus gentibus super montem istum, * induent lætitiam ungentur unguento, bibent vinum:* gaudij amictum Baptisma innuens, unguentum, illud sacrum quo baptizati inunguntur, Vinum, Dominicum sanguinem. Et rursum: *Abluet Dominus sordem filiorum & filiarum.* Et iterum: *Erit inaquosa in paludes, & in sitiente terra erit fons aquæ*, inaquosa & fruticulosa gentium populum appellat, fontem vero, sacrum Baptisma, ut apparet ex sequentibus: *Et erit ibi via munda, & via sancta vocabitur.* Quæ hæc est via? Evangelica disciplina. Iam per eum ait Deus: *Ego sum, ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me, & non recordabor. Tu vero memento, & iudicemur simul.* Et iterum: *Dabo aquam in siti iis, qui ambulant in inaquosa: & imponam spiritum meum super semen tuum, & benedictiones meas super filios tuos.* Et iterum: * *Miserator illorum, miserebitur illorum, & per fontes aquarum ducet illos.* Quod si Iudæorum quidam de Mara, & fontibus in Elim, hæc Prophetam dicere existimant, falli se sciant, neque enim ea tempestate, sed multo post Isaïas fuit: nec qui de præteritis dicit, Propheta habendus est, sed qui de futuris, quare de Baptismo quod præsagierit, ostendit, quod ait, *ducet*, non autem duxit.

Isa. 25. 6. * LXX. bibent.

Isa. 4. 4.

Isa 35. 7.

Ibid. 8.

Isa. 43. 25.

Isa. 44. 3

H

* m. f. Is 49. 10. Exod. 15. 25. 21.

Ad eundem modum & Micheas: *Quis Deus similis tui, qui aufert iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hereditatis tuæ? non immittet ultra furorem suum, quoniam volens misericordiam est. Revertetur & miserebitur nostri: deponet iniquitates nostras, & proiciet in profundum maris.* Ioelis vero de Baptismo hæc sunt verba: *In illa die stillabunt montes dulcedinem, & colles fluent lacte: & per omnes rivos Iuda ibunt aquæ, & fons de domo Domini egredietur.* Quis hic est fons è Dei templo prodiens? Omnino in Ecclesia sacra piscina, qua

Mich 7. 18 19.

Ioel 3. 18

tinctus

A tinctus omnis Christianus cœtus in adoptionem recreatur, cœlestis gloriæ, regnique Christi hæredes designati. Et de eodem Baptismate scribit David: *Vox Domini super aquas. Deus maiestatis intonuit: Dominus super aquas multas.* Et rursum: *Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo munda me.* Et paulo post: *Asperges me hyssopo, & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.* Quin per Ezechielem quoque Deus confirmat: *Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris.*

Ezec.36.25. Exod.15.23. Ibid.

Iam vero in *Mara* aqua amara, peccatum amarum notabat, regenerationis lauacro, ac pœnitentia in dulcedinem vertendum. Porro autem duodecim fontes in Elim, duodecim Apostolorum doctrinæ aquam designabant, itidemque reliquorum septuaginta palmæ. Cæterum Arcæ per Iordanem traiectio à Iudæis facta, B sacri Baptismi vim ostendit: nam per Sacerdotes aqua & spiritu recreati, æque & nos peccatum, vt Iesus filius Naue Hierichuntem, euertimus ac despoliamus: id Iof.3.16. enim significat, quod ait propheta: *Qua autē descēdebat, descendit in mare Araba, mare salis, donec in finem defecit.* Id est, violatæ olim legis peccatum ad immensum Dei humanitatis pelagus dilapsum, demanauit, donec tandem extinctum est Sacerdotes vero in Iordane resistentes, pedibus extrema aqua tinctis significant, opinor, à peccato abesse neminem. Quod autem Iordanem Elias melote semel: Elisæus bis traiecit, trinæ in sacra ablutione demersionis in nomen SS. Trinitatis vires & efficaciam prænotabat, qua mortale ac caducum incorruptam immortalitatem induit. Neque vero 4 Reg.5.10. aliud velle mihi videtur Naaman, septies in Iordane ablui iussus, quam conandum, vt in hac, tanquam septimana, vita peccatis omnibus abstersis, per septem Spiritus dona SS. Trinitati, & tres animæ potentias & elementorum corporis quaternionem offetas integra, oblitterata priore velut lepra. Quin Iacob adeo parens vester, baculo Iordanem non ipse tantum, omnisque eius familia transiit: sed oves quoque, ac boues, vt ostenderet non solum à Deo electos, sed etiam qui bruta & amentia scelera patrarent, purgatos, Christi coC hæredes effectum iri. Hierichuntinæ quoque steriles 4.Reg.2.21. aquæ, sale ab Elisæo fœcundatæ, priorem Ecclesiæ sterilitatem monstrabant, quæ habenda deinde Christo * vide Isa.c.54.1. fide centuplo plures liberos, * quam synagogæ marito est post enixa. Verum vt apertius de his statuamus, vaticinij verba ex libris Regum persequamur Sic enim habent.

CAPVT XLVII.

Eliæ cum Christo comparatio.

* LXX. 3.Re.18.20. DIxit Elias ad populum: accedite ad me. Et accessit omnis populus ad eum: Sane Elias hac obita functione, coorto quasi quodam terræ motu, igne à quadriga in cœlum subnectus est, at contra ac mirabilius opifex ille cœli, inclinatis benigne cœlis degressus, & vehiculi cuiusdam instar, natura nostra suscepta, studiose omnes ad se attrahere gestit. Itaque *Venite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matt.11.28. *Et tulit duodecim lapides iuxta numerum tribuum filiorum Iacob.* Elias duodecim saxa, Vnigeni3 Reg.18.31. & seqq. tus Dei Filius duodecim Apostolos. *Ad quem factus est sermo Domini, dicens: Israel erit nomen tuum.* Ille quidem audiuit se mentem fore, quæ Deum esset visura: D hic Deus est, quem cœlestes omnes mentes adorent, & collaudent. * LXX * *Et ædificauit lapides, & curauit altare dirutum.* Ille dirutum Dei altare instaurat, hic figmentum suum lacerum per doctrinam Apostolorum componit. *Fecitque aqua ductum quasi per duas aratiunculas.* Illic scrobs vna, quæ duo sata seminis caderet, hic in vna persona duæ naturæ, diuina & humana simul extiterunt; *in circuitu altaris*: Aram hic Caluariæ locum, in quo angusta Crux defixa est, intellige. *Et composuit* *ligna super altare quod fecit.* Ligna, seu assulas è ligno E 3.Re.18.34. scisso vocat hominum noxias, quas Dominus noster cruci affixus in se recepit, & qui ignis quidam esset diuinus, exussit, vt ait Propheta: *Languores nostros* Isa.53.4. *ipse tulit. Diuisitque per membra bouem, & posuit super* Ibid. *ligna* Id est, vitalem in Cruce mortem sustinet. *Et ait:* * m. f. duas hydrias * Ponit duas, pro quatuor. *implete * quatuor hydrias aqua, & fundite super holocaustum, & super ligna.* * Duas amphoras gratiam, quæ per aquam & Spiritum præstetur, significat, quemadmodum meus Saluator atque Deus confirmat, qui ex aqua Ioan.3.5. & Spiritu natus non sit, non posse ad diuinum regnum 3.Re.18.34.35. intrare. *Rursumque dixit: Etiam secundo facite. Qui cum fecissent secundo, ait: Etiam tertio id ipsum facite. Feceruntque tertio.* Hoc diuinitatis ter geminam maiestatem ostendit, vti rursum meus Iesus discipulis præcepit, irent doctum omnes gentes, eosque baptizarent, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. *Et currebant aquæ circum altare: & fossa aquæ ductus repleta est.* Nam F 3.Re.18.35.36. * LXX. repletus est orbis terrarum Dei regnio atque gloria. * Et exclamauit Elias in cœlum, & dixit: *Domine Deus Abraham, & Isaac, & Israel, exaudi me Domine.* Hæc Elias, At Vnigenitus Dei oculis in cœlum sublatis, clamauit: *Pater, quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, &* Ioan.17.24. *illi sint mecum: vt videant claritatem meam quam dedisti mihi ante constitutionem mundi: Vt sint vnum, sicut & nos * vnum sumus. Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* * m. f. addit hæc duo verba * LXX. 3.Re.18.37.

* *Exaudi me hodie in igne, & discat populus iste omnis, quia tu solus Dominus Deus Israel.* Elias, qui homo erat exhibendo igne exauditus, Deum, qui ignis quidam est, hominem fieri precatur: Ille vero qui & Deus & ignis, homo fieri assumpta mea carne voluit, vt ab æterno igne liberaret. *Et ego seruus tuus.* Vere de se Elias, quod ad sublimem sensum sit trahatur, nimium audax sit. Nam etsi quidam non dubitarunt, atque ausi 3 Re.18.36. Ps.115.16. Ioan.14.28. adeo sunt confirmare ex Christi persona dictum, scilicet: *Quia ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ*: in mente illud habentes: *Pater maior me est*: multo plus interest discriminis inter dominium & seruitutem, quam causam & causatum. Quare silendum potius, ac considerandum est, quam curiosius, nec citra periculum agitandum. * *Et propter te hæc omnia feci.* Propter G * m. f. 3.Re.18.36.37. Ioan.17.3. & 4. te, inquit, in Crucem sum suffixus: *Vt cognoscant te, solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* Et rursum: *Opus consummaui, quod dedisti mihi, vt faciam:* * *Et tu conuertisti cor populi huius post te.* Iudæorum cæcitatem, & pertinaciam notat quemadmodum & in * m. f. Luc.23. * LXX. 3.Re.18.38 & seqq. Cruce ait Dominus: *Pater dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* * *Et cecidit ignis à Domino de cælo.* Videtis humanitatis Christi absolutionem? Cœlitus delapsus ignis diuinitatis descensum monstrat, vti quidam inter nostros magni nominis inquit: *Deus noster ignis est:* Et quidem *ignis consumens* flagitia. * *Et deuorauit holocausta, & ligna, & aquam affusam, & aquam in mari: & lapides, & terram linxit ignis.* Hoc peccatorum internecionem, atque oblitterationem designat. * *Et cecidit omnis populus in faciem suam, & dixit: Vere Dominus Deus ipse est Deus.* Nam obita vitali morte, Centurio, * m. f. * LXX. & ei astantes, Dominum nostrum Iesum Christum vere Dei Filium dixerunt. Nec illi solum, sed Apostoli quoque post supplicium facti confirmatiores. Siquidem ait dilectus: *Neque enim fratres eius credebant in eum.* Ioan.7.5. Quin orbis adeo terrarum multo magis Vnigeniti præconium cum lætitia suscepit, vt de eo prolixe testatur Isaias: *Ambulabunt in ea* (scilicet Hierosolyma) Isa.35.9. Ibid.10. *redempti à Domino* (pretioso sanguine: *& conuertentur & venient in Sion.* Id est, ab erronea superstitione, H læti atque ouantes ad Christum venient, per eius resurrectionem constabiliti. *Et lætitia sempiterna super caput eorum.* Gaudebunt, inquit, super agnitione sui capitis, qui Christus est. *Gaudium & lætitiam obtinebunt*: id Isa.35.10. est, læti, atque exaltabundi assertorem suum prædicabunt. *Et fugiet dolor & gemitus.* Dolorem nullum atque gemitum in iis reliquum fore confirmat, quorum super capite gaudium perenne sit. Nec vero otiose

dixit, *super caput*: sed vt gaudium omnium gaudiorum, eminentissimum declararet. Quod addit, *lætitia sempiterna*, id eo pertinet, ne id gaudium, Baptismi, inquam, gratiam, caducam ac temporariam crederes, sed perenne ac sempiternum. Nam vt prior Adamus violanda lege temporalem nobis mortem conciliauit; ita & Christus, qui alter est Adamus, sine vitio corporatus, perennem atque incorruptam immortalitatem contulit. Ac velut secundum corpus nascentes terrestris imaginem tulimus; sic per Baptismum recreati, cœlestis imaginem induimus; *Quicunque enim in Christo baptizati estis. Christum induistis.*

Atque hæc satis esse de Baptismo existimo. Quod si enim ex his veritatem non percepistis, nec si plura addamus quidem, percipietis. Id adeo Dominus significans, de vobis confirmat. *Si Mosen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Itaque & nos disputationem de Baptismo terminemus.

Iud. Ecquid vero prohibet, Christo fidem habere, eumque verum Deum, & Dei Filium, eiusdem cum Patre naturæ, confiteri, atque interim Mosaicam quoque legem tueri, ac retinere, vt in omnibus vtrumque seruem, & amplectar, futurus duorum bonorum consors? Omnino nullam ea res nobis reprehensionem inuret, neque dicturus est quisquam, quod bonum est, id bonum non esse.

Christ. Sane enim perbene est, si non duorum modo, sed etiam plurium bonorum consortem te præstes. Sed nec vtriusque notitiam capere potestis, nec sanctorum quisquam id permittit, aut ipse in primis Christus, cuius hæc sententia est: *Nemo potest duobus dominis seruire: aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget, aut vnum sustinebit, & alterum contemnet.* Præterea bonum hactenus bonum est, si alteri bono non sit fraudi, atque ad potioris dissolutionem comparatum. Sin contra faciat, poterit id quidem fortasse nonnullis bonum videri, functio certe nequaquam bona est. Nam & Philosophus quidam bonum censet non esse bonum, si eo bene non fungare. Iam vero vt non omnis dissensio pessima, sed interdum adeo optima est; ita non omnis concordia optima, quin & plerunque nocentissima est. Sed vt eius sententiæ vim apertius ostendam, tentabo rem exemplis declarare.

CAPVT XLVIII.

Legis Christi cum Mose comparatio.

TRes leges SS. Trinitatis maiestas prodidit. Naturalem, Scriptam, & Spiritalem. Earum Naturalis instar est domestici ignis. Nam cum prius in posteriorum duarum ignoratione homines degerent, Naturali lege, quasi quodam domestico igne, aliquantisper collustrabantur. Deinde edita Scripta est, quæ vmbra quædam, atque exemplum esset Spiritalis, Lunæ comparata lumini. Cœlestis autem illa & Spiritalis, atque à vero Iustitiæ Sole profecta, supra Solem effulsit, & hominum mentes quadam tanquam luce atque iubare perfudit, ad viamque veritatis deduxit. Igitur bonus est, & domesticus in tenebris apparens ignis; sed melior Lunæ: Solis vero multis partibus clarior, quippe vtrunque obfuscans: ceterum ille Iustitiæ Solis vel ipsum Solem extinguit. Nec iniuria, siquidem opus omne cedit opifici. Ac quemadmodum meridie cõstanti, splendide collucente Sole, domestici ignis vsus non est; sic postea quam Iustitiæ Sol illuxit, & gratiæ veritas est detecta, tum Naturalis, tum Scripta lex abrogata. Ad eundem modum legale Pascha, vt Theologus quidam nostras ait, exempli exemplū erat obscurius. Iam Paulus mei Christi os, Beniaminensi tribu ortus, aliquatenus nos videre, & aliquatenus vaticinari docet, at cum successerit perfectum, tum aliquatenus hoc deletum iri. Quare vt perfectæ illius nostræ restaurationis vmbra ac effigies est, quicquid in medio positum est, ita sane invecta in orbem terrarum spiritali lege, nulla alia porro opus habemus. Neque vero vel tantillum Spiritalis à Scripta discrepat, quin potius confirmat ac restituit, id quod testatur & meus Iesus, in hæc verba: *Nolite putare, quoniam veni soluere legem, aut prophetas; non veni soluere, sed adimplere.* Atque vt explicatius videatis, ipsis verbis veritatem statuamus, Ergo & habet lex: *Audi Israel: Dominus Deus* tuus, Dominus vnus est. Diliges Dominum Deum tuum ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua & ex tota mente sua.* Et rursum: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Eadem sane Dominus & in sancti Lucæ Euangelio. Neque hæc solum, sed addit: *In his duobus mandatis, vniuersa lex pendet & prophetæ*: illa antiqua dicit: Non occides: Christiana etiam genas volentibus ferire, porrigit: illa, *non mæchaberis*, hæc, *ne concupisces quidem*: illa *non furaberis*, hæc litigare, & tunicam auferre volenti, etiam togam permittit, illa, non concupisces aliena; hæc, etiam iuste parta dimittes: illa non peierabis, Spiritualis, nec paruum nec magnum iurabis, eum iuramento periurium creante.

His ac similibus de causis ait Saluator: *Non veni soluere legem, aut prophetas, sed adimplere.* Id est, tueri, constabilire, firmare. Atque hæc quo exploratius, ac disertius tradamus, prophetarum sententias in medium proferamus.

CAPVT XLIX.

Prophetia de Iudaicæ legis abrogatione, seu correctione.

MOses Deuteronomio: *Quando ingressus fueris Terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, caue ne imitari velis abominationes illarum gentium: sed prophetam suscitabit tibi Dominus sicut me, ipsum audies* * in omnibus. Ieremias: *Ecce dies venient, dicit Dominus: & feriam domui Iuda fœdus nouum: non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de Terra Ægypti: pactum quod irritum fecerunt.* * Et ego neglexi eos; *Dicit Dominus. Sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel: post dies illos dicit Dominus: Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam: & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit vltra vir proximum suum, & vir fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum: omnes enim cognoscent me a minimo eorum vsque ad maximum, ait Dominus: quia propitiabor iniquitati eorum, & peccati eorum non memorabor amplius.* Et per Ezechielem Deus: *Recordabor ego pacti mei tecum in diebus adolescentiæ tuæ: & suscitabo tibi pactum sempiternum.* Et rursum: Non iactabitur deinceps hoc prouerbium: me scelera parentum in filios & abnepotes persequi: sed qui vuam ederint acerbam, eorum dentes stupebunt. Et Isaias. * Vetera fluxerunt: *Noua quæque ego annuncio: antequam oriantur, audita vobis faciam.* Hæc elocutus propheta subiicit: *Cantate Domino canticum nouum.* Quoniam enim vetera fluxerunt, & quæ obscure olim figurata sunt, nunc liquido sunt perfecta. *Cantate Domino canticum nouum.* Idem porro: * *Principatus eius glorificatur † supra, nomenque eius glorificant à summitate terræ: qui descendunt in mare, & nauigant illud, & insulæ multæ.* Sane Christi noua lex & initium in cœlis, & in terra prædicantur. Nam in Seruatoris ortu, Angeli cum pastoribus laudantes canebant: *Gloria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Isaias vero iterum: *Veniet de Sion liberator, * & reuertetur ab impietate Iacob. Et hoc erit eis à me testamentum, cum eorum noxas sustulero.* Hieremias et sen-

tentiæ: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius adversus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ.* Et quæ sequuntur: addit *Hic liber mandatorum Dei, & lex quæ est in æternum. Omnes qui tenent eam, peruenient ad vitam: qui autem dereliquerunt eam, in mortem.*

Iud. Quod si Scripta lex, quemadmodum perhibetis, bona non est, quamobrem dixit Moses? *Custodite leges meas, atque iudicia, quæ faciens homo, viuet in eis.*

Christ. Imo vero bona est & naturalis, & Scripta lex, vt prædiximus: sed Iustitiæ Sole exorto, hæ extinctæ caligauerunt. Ob id enim non dixit Moses: Custodite legem vos hanc perennem, sed temporariam scilicet conseruatote, & per eam viuetis. Cæterum temporariam conseruandam fuisse, docent quæ sequuntur: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui: & ponam verbū meū in ore eius, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi, qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam.* Quibus verbis etsi è vestris plerique Iesum filium Naue intelligi credunt, frustra opinantur. Neque enim aliam legem filius Naue edidit. Sed nimirum legis abrogationem, Christique condonationem Moses edidit, cum ait: *Prophetam suscitabit Dominus, sicut me*, id est, alium legislatorem, Dei & hominum sequestrum. *Ipsum audies* * in omnibus.

CAPVT L.

De Euangelica lege vaticinia.

Videtis, quemadmodum Mosea quoque legis abrogationem detexit? nam ni abroganda erat lex, neque opus erat alius legislator, & dixisset Moses: hæc immota in æternum lex futura est: quemadmodum de Spiritali, id est, Euangelica, * Ieremias prædixit: *Hic liber mandatorum Dei, & lex, quæ est in æternum.* Idemque de eadem: *Ecce dies veniunt dicit Dominus: & suscitabo David germen iustum: & regnabit Rex* * iustus in æternum: Malachias: *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol Iustitiæ.* Isaias: * *Ecce Deus noster iudicium retribuet.* Et rursum: *Auferet Dominus Deus lachrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de vniuersa terra.*

Igitur orto Iustitiæ Sole, non iam porro legis præceptis indigemus. Quare & bona est sacra lex, atque prophetæ, & instar Lunæ luminis sunt, vt iam diximus. Nam Dei verbum, & Spiritus sanctus per prophetas loquebatur. Sed his præsidiis homines iustitiæ viam reperire nequiuerunt. Vt enim stellæ, atque Luna nec splendorem habent luciferi, nec tota nocte lucent, sed nunc apparent, nunc teguntur: cæterum sole exorto in tenebris manet nemo, nisi qui caliget ac cæcutiat, ita & cæcus, qui Christi nomine censetur, diuinam nactus lucem, cum Iustitiæ Sole assidue consuescit nec quisquam in Dei ignorationis tenebris versatur, qui non voluntatie se abiungat.

CAPVT LI.

Caput primum Isaiæ eleganter in Iudæos retorquetur & explanatur.

IAm abrogari quoque legem Diuino Numini visum Isaias declarat, dicens: *Visio Isaiæ, filii Amos, quam vidit super Iudam & Ierusalem in diebus Oziæ, Ioathan, Achaz, & Ezechiæ regum Iuda.* Piorum regum propheta meminit, ostendens non ob legalem aliquam noxam, sed Christi cædem diuinitus pœnam irrogandam si propter scelera, impiis regnantibus editum vaticinium oportebat. Id adeo verum esse ex sequentibus apparet.

Audite cœli, & auribus percipe terra. Fabricam Deus testatus inuocat: si quidem erat ingens & inaudit crimen Iudæis obiecturus: *quoniam Dominus locutus est: Filios enutriui, & exaltaui: ipsi autem spreuerunt me* his edictis, & defectionem subiungit: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit*: sed brutis bestiis stupidiores sunt, atque bardiores. *Væ genti peccatrici, populo graui iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis*, dignum impietate, & insolentia probrum Vates adhibuit * *Dereliquistis Dominum:* Scilicet Patrem: *& ad iracundiam concitastis sanctum Israel.* Vnigenitum eius Filium irritastis: irritatione vero significat incontaminati corporis supplicium. * Quid amplius addatis? non habent, quod in CHRISTVM grauius designent.

Omne caput languidum, & omne cor mœrens. Hoc David olim propheta est interpretatus in hanc sententiam: *Conuertetur dolor eorum in caput eorum, & in verticem ipsorum iniquitas eorum descendet*: quasi diceret: quidquid moliamini, in vestri capitis perniciem cedet, vestraque iniustitia in vestrum ipsorum verticem reuoluetur. * *Non est in eis neque vulnus, neque liuor. Non est malagma imponere, neque oleum, neque ligaturas.* Totū corpus, inquit, plaga est, ac proinde incurabile. Quam ob rem ô propheta? Quod Filium meum, quem delegi animo meo charissimum, peremerunt. Itaque videte & diuinum supplicium è vestigio consequens. *Terra vestra deserta, ciuitates vestræ succensæ igni: regionem vestram coram vobis alieni deuorant, & desolabitur sicut in vastitate hostili. Et derelinquetur filia Sion vt vmbraculum in vinea, & sicut tugurīi in cucumerario, & sicut ciuitas quæ vastatur. Et nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.* At quamuis Deus Israëlitis semen reliquum fecit, tamen quin ab Sodomæis, ac Gomorrhæis damnentur, non effugient. Atque ei sententiæ consonum est illud mei Seruatoris, ad Bethsaidam: *Remissius erit Sodomis, & Gomorrhis quam tibi.* Idque verum esse è vaticiniis oraculis fiet manifestum: addit enim: *Audite verbum Domini Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ. Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum dicit Dominus? Sanguinem taurorū & hircorum nolo:* * *neque veniatis vt appareatis mihi.* Videtis? Iudæam omnem Sodomæ, ac Gomorrhæ nominibus infœlicitat. Vbi enim Sodomæ ac Gomorrhæ Deo hostiis ac libaminibus fiebat? *Quis quæsiuit hæc de manibus* * *vestris:* Quasi dicat: Nemo est qui sacrificium vel ad hanc abrogationē conciret, vel me instiget. * *Calcare atrium meum non apponetis: quoniam scelerate id inscenditis. Si offeratis similam, vanum incensum, abominatio est mihi.* Ecce qui legem nuper sanxerat Deus, idem nunc eius abrogationem præfinit. Nam incensum, quod ad iucundum odorem admouebatur, non solum inanis suffitus Deo deputatur, sed etiam tale à quo abhorreat. *Neomeniam, & Sabbathum, & festiuitates alias non feram.* Quandoquidem in meum pari natura Filium, bacchabimini, eam ob rem horum interitum denuncio, ea abhinc porro non probaturus. * *Ieiunium, & otium, & ferias vestras odit anima mea.* Quid ita Vates? quod Vnigenæ Dei Filij ingressum in Hierosolymam super pullo sedentis execrati oderunt, in quo potius festo gaudere diuinitus sunt edocti, propheta enim inquit. *Exulta satis filia Sion, iubila filia Hierusalem: Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ.*

* *Facti estis mihi in satietatem.* Vt enim superfluus in corpore Cibus, vbi satietas cepit, per vomitum è stomacho in terram eiicitur: ita equidem vos, quandoquidem in sacietatem mihi facti estis, de meis manibus proiiciemini. * *Nequaquam vltra dimittam peccata vestra. Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Frustra post hac ieiunia, & Sabbatha, atque Pascha obitis, non solum propter Vatum, sed audacissimam quoque amantissimi, charissimique Filij necem. Itaque salutis via superest nulla, neque in lege quidquam præsidij: sed

A [Isa.1.16.] si illius olim felicitatis hæredes fieri vultis : *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Nec legislatorem me, legis tegumento colere in animum inducite. *Discite bene facere* : qui tam inde à Mose hactenus bene fecistis nunquam. [Ibid.17.] *Quærite iudicium.* Ne, vt ingenuis estis sanguinariis, quæ in prophetas, ea in charissimum animo meo Filium designatote, sed Israëlita, vestri parentis, verborum mementote : [* LXX. Gen.49.5.] * *Simeon & Levi fratres, consummauerunt iniquitatem : in consilium eorum non veniat anima in furore suo interfecerunt homines,*) scilicet prophetas) *& in cupiditate sua subneruauerunt taurum*) Deum & hominem Iesum.) Idemque convocatis suis filiis Iacob, ait: [Ibid.v.1] *Congregamini* : non quo de sceleribus vos coarguam, sed, *vt annunciem quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis.* [Ibid.11.] Ac recensitis, quæ in Christum ausi sunt Iudæi, addit : *Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum* : id est, corpus, per necem in patibulo, B atque per sanguinem. Igitur perfectum est ad extremum Israëlis vaticinium. Per quos ? per Pontifices atque Sacerdotes, quorum illi à Simeonia, hi ab Levitica tribu originem trahebant. Qui demum & prophetas, homines scilicet, interfecerunt, & Christum velut taurum eneruarunt ; id est, corpus assumptum illi quidem morti dimiserunt : Verum [Psal.77.65.] *Excitatus est tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino* ; cuius regnum secundum Ieremiam, nulla memoria labefactabitur.

Iudæi. Qui vero non ait: *Consummabunt iniquitatem,* sed, *consummauerunt?*

Christ. Dixin vobis, crasse in litteris semper defixos, nunquam in mentem penetrare ? Scilicet cum prophetæ, quæ euentura essent, non vt futura, sed velut præsentia cernerent, de futuris, perinde ac si gererentur, prænunciabant. Ita etiam de Iuda dixit ; [* LXX Gen.49.9.] * *Catulus Leonis Iuda : ex germine fili mi ascendisti* : & non *ascendes*, futura tanquam præsentia prævidens.

Sed iucundissimum Israëlis vaticinium nescio quo modo ad hanc disputationem nos abstrazit : quare Isaiam repetamus. [Isa.1.17] *Subuenite oppresso* : qui à discipulo proditus, nec scelus admisit, nec in eius ore inventus est dolus. Atque id Mosea quoque vos prædocuit, siquidem clamat : [Deut.27.25.] *Maledictus qui accipit munera, vt percutiat animam sanguinis innocentis, Iudicate pupillo,* C qui in terra patrem non habuit. *Defendite Viduam.* Vxorem creditam Iosephi sponsi. [* LXX Isa.1.18.] * *Et venite: disputemus dicit Dominus.* Atqui in secundo adventu Christi disputatio non est. Quid igitur, disputemus ? Sua quenque conscientia prodat, & qui præclare currit, antrorsum contendat : qui peccauit, emendationem pœnitudine ostendat. His enim perfectis: *Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabuntur : & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Perinde ac si diceret : [† Naz S. in Epiphan.] * Quod si punicei estis peccato, minosque sanguinolenti, vt nix albescite : sin ostro similes, & sanguine pleni, vel lanæ candorem præmittite. Idem de nouo fœdere. [† LXX Isa.65.15.16.] * *Hæc dicit Dominus : Seruientibus mihi vocabitur nomen nouum : cui benedicetur super terram* : benedicent enim Deum verum: & qui iurant super terram iurabunt Deum verum: obliuiscentur enim tribolationis prioris :) nimirum idolorum venerationis.) Et quis porro Supremo obganniat ? De gentibus vero hæc eiusdem est sententia. [Isa.26.2.] *Aperite portas, & ingrediatur gens iusta, custodiens veritatem* : apprehendens iustitiam, amans pacem, quoniam sperauit in te Domine.

D [Malach.1.10.11.] Cæterum od (sic) esse Deum post Christi adventum, Sabbatis ac Iudaicis ritibus addictos, ipse testatur per Malachiam : *Non est mihi voluntas in vobis,* (filiis Israel(*dicit Dominus exercituum : & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & omni loco sacrificatur, & affertur nomini meo, oblatio munda : quia magnum est nomen meum in gentibus* : Viuo ego dicit Dominus Omnipotens.

E

CAPVT LII.

De gentium conversione & Iudæorum peruicacia, prophetia.

QVare cum Domino Deo Omnipotenti execrabiles sint Iudaicæ libationes, atque sacrificia, apud quas gentes ab ortu solis ad occasum Deus celebratur, à quibusque huic nomini suffitus affertur ? nimirum à nobis Christianis, de refractariis vero, & incircumcisis Iudæis, violentibus etiam post Christi adventum ritus atque Sabbatha tueri, audite quid idem Isaias scribat: [* LXX. Isa.5.18.19.] * *Væ, qui trahunt peccata in funicule longo, & quasi iugi corrigia vitulæ iniquitates. Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum. Qui dicitis : Festinet, & cito veniat opus eius, vt videamus : & appropiet & veniat consilium sancti Israel,* F *& sciemus illud. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucē tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Idem rursum : [* LXX. Ibid.13.] * Captiuus populus meus factus est : * eo quod ipsi non cognouerunt Dominum. [† vulgata non habent.] Non dixit, quod *me* non agnouerit : sed quod *Dominum* non agnouerit. id est, Vnigenitum Dei. Et iterum : [Ibid.24. * LXX. † noluerunt irritauerunt.] *Radix eorum quasi* * *lanugo erit : & germen eorum quasi puluis ascendet: Abiecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium sancti Israel* † *blasphemauerunt.*

Videtis vt partim Patris, partim Filij iram propheta describat ? Nam Dominum exercituum Patrem appellat, quin causam addit iræ, siquidem traditam à Mose legem exequi noluerunt. Cæterum Dominum Israelitarum Deum, Filium significat dicens : *Sed eloquium Domini irritauerunt* : doctrinam enim, & sacrum Christi Evangelium execrati sunt : [Isa.5.25.] *Ideo iratus est furor Domini in populum suum.* Incensus Pater est non honorato Filio : ac si ne ipse quidem honoratus : nam qui Filium non honorat, eum nec Patrem honorare est necesse : *Et extendit manum suam super eum, & percussit eum.* Item de Iudæis à fide alienis : [Isa 6.9.10.] *Audite audientes, & nolite intelligere : & videte visionem, & nolite cognoscere* : [† LXX.] † *Incrassatum est enim cor populi huius: & auribus suis grauiter audierunt : & oculos compresserunt, ne forte videant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, &* G *convertant se, & sanem eos.* Moses ait : [Deut.32. Ier.5.21.] *Populus & insipiens.* Ieremias : *Populus stulte, qui non habet cor : qui habentes oculos, & non videtis : & aures, & non auditis.* Tum addit ex persona Dei: [Ibid.22.] Quod si *me non timebitis qui posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit* : hæc & hæc patienda vobis erunt. Et per Isaiam itidem Deus : [Isa.29.13.] *Appropinquat populus iste ore suo, & labiis suis glorificat me : cor autem eius longe est à me.* ([† LXX.] † *Frustra autem colunt me docentes hominum præcepta atque doctrinam*) *& timuerunt me mandata hominum, & doctrinis.* [† LXX.] † *Propterea ecce adiiciam vt transferam populum istum, & transferā eos: & perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium abscondam. Quia populus inobediens est, filij mendaces, qui nolunt* [Isa 30.9.10.] *audire legem Dei : qui dicunt Prophetis : nolite annunciare nobis quæ recta sunt : sed loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Iisdem per Oseam minatur [Ose.7.12.] Deus : *Expandam super eos rete meum : quasi volucrem cæli detraham eos, cadam* [† LXX.] † *corripiam eos in auditu tribulationis eorum. Væ eis quoniam recesserunt à me.* [† LXX.] † *meticulosi sunt, quoniam impie egerunt in me : & ego redemi* H *eos : & ipsi locuti sunt contra me mendacia : & non clamaverunt ad me corda eorum.* Rursumque per Ieremiam: [Iere.2.13] *Me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas.* Et Esaiæ de lege hæc sunt verba : [Isa.30.26.] *In die illo, erit lux Lunæ, sicut lux Solis, & lux Solis erit* [† LXX.] * *septemplum in die, quando sanauerit Dominus contritionem populi sui, dolorem plagæ eius curabit. Ecce nomen Domini* [Isa 3.2.7] *venit post tēpus. & spiritus eius sicut aqua in valle trahēs.*

Sane

Sane quidem & lex bona est : sed Christi disciplina sine comparatione melior. Neque vero audientes septuplicem futuram Solis lucem , Christi disciplinam legi septuplo antestare eum animo putate. Sed profecto Isaias , qui legalis esset , & legem seruare vellet (est autem apud legales augustus septenarius) ea sententia septuplicem futuram Solis lucem , Septenarium cohonestauit. Certe post Christi adventum minime duraturam legem , ipse auctor est in hæc dicta : *Ecce confundentur & erubescent omnes , qui pugnant adversum te :* * abibunt cum ignominia : scilicet qui Christi Evangelio non adhærent , sed Mosaicæ legi , quæ vmbra quædam veræ gratiæ erat. Neque alienum esse , quod dicimus , Isaias , vt ante ostendimus, declarat , * *Quis est in vobis , qui timeat Dominum ? exaudiat vocem* * *pueri eius* Igitur cum Dei voluntas sit, omnes sui Filij vocem audire , merito qui eum non audiunt, ac repellunt , ibunt ignominiosi.

CAPVT LIII.

Vaticinia de Christi Natiuitate.

Rursum per eundem ait Deus. * *Audite me populus meus : & reges ad me auribus attendite : quia lex à me egredietur , & iudicium meum in lucem gentium. Appropinquat cito iustitia mea : & egredietur sicut lux, salutare meum : & in brachia mea gentes sperabunt.* Michæas de nouo fœdere , Evangelio , inquam, Christi, ait. *Et erit : In novissimis dierum erit mons * domus Domini præparatus in vertice montium , & sublimis super colles : & fluent ad eum populi , & properabunt gentes multæ . & dicent : Venite ascendamus ad montem Domini , & ad domum Dei Iacob.* Vbi montem *Domini* vocat Deiparam , *Domum Dei Iacob* & Davidis dicit Bethlehem. Id enim & Lucas Evangelista docet in hæc verba. *Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam ciuitatem David , quæ vocatur Bethlehem : eo quod esset de domo & familia David , vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore.*

Sed vaticinia scripta retractemus: *Ascendamus*, inquã *ad domum Dei Iacob, & docebit nos de viis suis , & ibimus in semitis eius.* Viæ atque semitæ sacrum Evangelium est. *Quia de Sion egredietur Lex , & verbum Domini de Hierusalem.* Ecce aliam legem ab Sina , vt Mosaica, sed ab Hierosolyma profectam : siquidem illa vetus , & Michæa antiquior : hæc recens & Michæa posterior, de qua lege ac legislatore Moses liquido clamat : *Prophetam suscitabit tibi Dominus Deus sicut me:* alium scilicet legislatorem , & quæcunque dixerit, ipsum audietis. Et Ieremias : *Omnes cognoscent me à minimo eorum vsque ad maximum: idea non docebit vltra vir proximum suum , dicens : Cognesce Dominum* : cui Isaias probe consonat : *Erunt omnes decibiles Dei* . Et David : *Hodie si vocem eius audieritis , nolite abdurare corda vestra : sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto : vbi tentauerunt me patres vestri.* Et iterum : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua , super mel ori meo.* Et alio loco: *Eloquia Domini , eloquia casta : argentum igne examinatum , probatum terra purgatum septuplum* , id est, eiusmodi , quæ Mosaicæ legi præcellant , quemadmodum Moses ipsemet ex Dei persona confirmat : *Qui autem verba eius , quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit ; ego vltor existam.* Et per Isaiam , Deus : *Vade , ingredere ad eum , qui habitat in tabernaculo ad Sobnam præpositum templi , & dices ad eum : Quid tibi est hic ? quia excidisti tibi hic sepulchrum , excidisti in excelso memoriale diligenter , in petra tabernaculum tibi ? * Ecce Dominus Sabaoth, eiiciet & conteret virum , & auferet stolam tuam , & infulam tuam , & coronam tuam gloriosam : & proiiciet te in regionem magnam , & immensam ; & ibi morieris: & * præiiciet currum tuum optimum in ignominiam , & domum principis tui in conculcationem : & tolleris de dispensatione tua, & de gradu tuo.* Nam Sobnas tantundem est, ac si dicat : foras abscede.

At de nouo Christi fœdere scribit porro Isaias : *Et erit in die illa : Vocabo seruum meum Eliacum , filium Helciæ , & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum , & potestatem tuam dabo in manu eius : & erit quasi pater habitantibus Hierusalem , & domui Iuda. * Et dabo ei gloriam David , & principabitur , & non erit qui contradicat. Et statuam eum principem in loco fideli , & erit in solium gloriæ domus patris eius , & erunt pendentes ab eo * in die illa.* Neque aliter de noua Ecclesia idem, à Deo denunciat. * *Dilatabo locum tentorij tui , & pelles tabernaculorum tuorum figam , longos faciam funiculos tuos, & palos tuos * consolidabo, ad dexteram , & ad sinistram extendam & semen hæreditabit gentes.*

Et de noua Hierosolyma * Illuminare , *illuminare Hierusalem ; quia venit lumen tuum , & gloria Domini super te orta est. Quia ecce tenebræ operient terram , & caligo populos : super te autem orietur Dominus , & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, * & vide congregatos filios tuos : venerunt omnes filij tui de longe , & filiæ tuæ super humeros portabuntur.* Et David de Christi Ecclesia : *Audi filia . & vide , & inclina aurem tuam : & obliviscere populum tuum* : id est , impios maiores tuos , *& domum patris tui* : id est, idolorum, & altaria obliuiscere : nam si hæc feceris : *Concupiscet rex decorem tuum : quoniam ipse est Dominus Deus tuus* : & adorabis eum. Atque vt explicatius ostenderet loqui se de gentium Ecclesia, addit: *Et filiæ Tyri in muneribus* : Tyrus quippe gentium sedes est. Idem rursum : *Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi* , id est, simul omnes , Iudæi, Græci , cæteri gentiles : Non solus , inquam , Iudæus, atque Græcus , sed omnes omnino gentes : siquidem non tam porro circumcisio , aut præputium , non seruitus aut libertas est. *Quoniam confirmata est super nos misericordia eius* : nam omnia Christi , & in omnibus Christus: *& veritas Domini manet in æternum:* Dei veritatem Christum appellat, seu Deum verum è Deo vero, quemadmodum Christus ipse de se confirmat. *Ego sum via , veritas & vita* , de eoque rursum ad nouam Sion ait Isaias : *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem probatum , angularem , pretiosum : & qui crediderit in eum non confundetur* * in æternum. Idem ad eandem : * *Ecce ego præparabo tibi carbunculum lapidem tuum, & fundamenta tua Sapphirum : & ponam propugnacula tua Iaspin : & portas tuas lapides chrystalli : & ambitum murum tuum lapides electos, & omnes filios tuos discipulos Dei : & in multa pace filij tui , & in iustitia ædificaberis , recede ab iniquo.*

Videtis vt gentium Ecclesiam propheta significet: nam cum Hierosolymam monet , abstineat à sceleribus , Iudæorum calamitates & internecionem , quæ eos manebat , à sceleribus non abstinentes , innuit: * *& terror non appropinquabit tibi* : id est , sceleribus abstinens expers terroris agitabis. * *Ecce proselyti accedent ad te per me* : Per me , inquit Christus , gentes & diversis linguis loquentes ad te commeabunt. * *& Colom erunt tui , & ad te confugient.* Nam in Dominico supplicio cunctæ gentes Hierosolymam profectæ , ac comprecatæ , hodieque revertuntur. Sed erit hic lapis gentibus ad resurrectionem, Iudæis ad ruinam : etenim ex prophetæ mente vnus idemque lapis erit offensionis, & petra scandali.

Quid igitur dicent ærumnosi , cùm illustrem è cœlis adventantem Christum videbunt, audientque in summa maiestate astantem illos qui se velut augustum & angularem lapidem sunt amplexati : *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum.* Sinistris vero, qui in saxum illud impegerunt, & offenderunt, dicentem? *Discedite à me maledicti in ignem æternum , qui paratus est diabolo & angelis eius.* Quomodo tum facti pœnitentes præ animi angustia gement , & iterum atque iterum

repetent

repetent: *Hic est, quem aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperii. Nos insensati vitam illius æstimabimus insaniam, & finem illius sine honore. Ecce quomodo computatus est inter filios Dei, & inter sanctos sors illius est? Ergo errauimus a via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis. Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis, viam autem Domini ignorauimus.* Sed tum eis inutilis erit fletus. Nam sponso in thalamum ingresso, omnibusque conviuis cum eo gaudentibus, thalami fores clausæ erunt porro, vt olim paradisi flammeo ense custoditæ. Ah quoties miseri cum lachrymis inclamabunt: *Domine, Domine, aperi nobis:* siquidem & caro es de carne nostra, & os de ossibus nostris, qui quidem ex maioribus nostris ortus fueras. Sed eos Rex, idemque Deus alloquetur: *Amen dico vobis, nescio vos: Discedite à me qui operamini iniquitatem.* Etenim vos ante testatus sum: *Qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cælis est.* Atque hæc quidem sic habent.

Cæterum regnorum primus ait: *Venit vir Dei ad Heli sacerdotem, & ait ad eum. Hæc dicit Dominus: Nunquid non aperte reuelatus sum domui patris tui? & elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem: vt ascenderet ad altare meum, & adoleret mihi incensum, & portaret ephod coram me?* * *Et dedi domui patris tui omnia, quæ sunt ignis filiorum Israel in escam. Et vt quid respexisti in incensum meum, & in sacrificium meum impudenti oculo? Et glorificasti filios tuos super me, benedicere de primordio omnis sacrificij Israel in conspectu meo? Propter hoc hæc dicit Dominus Deus Israel: Dixi, domus tua, & domus patris tui transibunt coram me vsque in sempiternum. Et nunc dicit Dominus: Nequaquam: quoniam tantum glorificantes me glorificabo, & qui spernunt me, honore priuabuntur. Ecce dies veniunt, & exterminabo semen domus patris tui: & non erit tibi senex in domo mea omnibus diebus. Et viros exterminabo ab altari meo, vt deficiant oculi eorum, & defluat anima eorum. Et omnis qui superuerit ex domo tua, cadent in romphæa virorum. Et hoc tibi signum, quod veniet super duos filios tuos, Ophni & Phinees: vna die morientur ambo.*

Iudæi. Non in quemvis Israëlitici generis sacerdotem, sed in Heli solum, hoc edictum expetit.

Christ. Minime gentium. Male sacras literas intelligitis. Nam si in Heli solum expetebat; dictum oportuit: Exterminabo semen tuum: nunc vero addit: & semen domus patris tui: Leui procul dubio notans partem domus Heli: ideo prædixerat vir Dei: *Elegi domum patris tui ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem:* quare pro delectu eorum quoque est edictum: siquidem addit: exterminabo semen domus patris, * *& non erit propheta in domo mea omnibus diebus.* Qua sententia omnimodam sacerdotum abrogationem significat, eamque præsentiens & David ait: *In Ecclesijs benedicite Deo Domino.* Nam in Mosaica lege non sacerdos erat extra templum Hierosolymis, non Pontifex, non immolatio, non suffitus, non libamentum, quin & Babylone exulantes, in aliena terra Dei carmina offerri religioni habebant At nunc ab ortu & occasu, ab Aquilone, atque mari constructa & constabilita est Ecclesia. Vbique enim templa, Patriarchæ, Pontifices, Sacerdotes, ac Levitæ frequentes: in omnibus qua vicis, qua vrbibus assidue incruentam hostiam immolari cernas, totoque orbe terrarum Dei nomen laudari atque celebrari.

Gen. 3. 24. — Luc. 13. 25. Matth. 7. 23. Luc. 12. 8. — 1. Reg. 2. 27. & seq. — * LXX — 1. Reg. 2. 31. — † m. s. S. nore 2. LXX — 1. Reg. 2. 28. — * m. s. — Psal. 67. 27. — Ps. 136. 4. — Ps. 106. 3.

CAPVT LIV.

Prophetia de abiecta plebe Iudaica, & Gentium vocatione.

QVippe ait per Ieremiam Deus: *Dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina.* Et per Isaiam. * *Dabo principes tuos in pace & Episcopos tuos in iustitia.* Rursumque de credentibus Iudæis. * *Viuet in bonis anima vestra, & constituam vobis testamentum æternum, sancta David fidelia.* Idem iterum: *Quærite Dominum. & in inueniendo inuocate eum: quia multum dimittet peccata vestra. Neque enim sunt cogitationes meæ sicut cogitationes vestræ: neque viæ vestræ viæ meæ, dicit Dominus. Sed sicut distat cælū à terra, sic distat via mea à vijs vestris, & cogitationes meæ* * *à cordibus vestris.* Et rursum: *Hæc dicit Dominus: Custodite iudicium, & facite iustitiam, quia iuxta est salus mea. Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.*

Ier. 3. 15. — * LXX. I. 4. 60.

De legis vero abrogatione Oseam prophetam monuit Deus, in hanc sententiam. *Vade, sume tibi vxorem fornicationum: & fac tibi filios fornicationum, quia fornicabitur* * Synagoga. *Et abijt, & accepit Gomer filiam Debelaim: & concepit, & peperit ei filium: & dixit Dominus ad eum: Voca nomen eius Iezrael: quoniam adhuc modicum: &* * *vlciscar sanguinem Iezrael super domum* † *Iuda: & erit in die illa, quiescere faciam regnum domus Israel: & conteram arcum Israel in valle Iezrael*, Iezrael autem vltor redditur. *Et concepit adhuc, & peperit filiam, & dixit ei: Voca nomen eius Absque misericordia: quia non addam vltra misereri domus Israel*, sed aduersans aduersabor ei. *Et ablactauit eam, quæ erat Absque misericordia: Et concepit adhuc & peperit filium. Et dixit Deus: voca nomen eius: Non populus meus: quia vos non populus meus: & ego non ero* vester † Deus. Idem de Synagoga: *Iudicate matrem vestram, iudicate. quoniam ipsa non vxor mea, & ego non vir eius.* Aliaque non pauca sub Dei persona iracunda, propheta denunciat, quale hoc est. *Vir non eruet eam de manu mea:* * *cessare faciam omne gaudium eius, solemnitatem eius, sabbathum eius, neomeniam eius, & omnia festa tempora eius: &* † *visitabo super eam dies Baalim.*

Et de incredulis Iudæis * Christus. * *Mittam super eos rete meum: vt volatilia cæli, detraham illos: corripiam eos in auditu tribulationis eorum. Væ eis, quoniam resilierunt à me. Meticulosi sunt, quoniam impie egerunt in me. Ego vero redemi eos: ipsi vero locuti sunt contra me mendacia: & non clamauerunt ad me corde suo: sed mala contra me cogitauerunt:* * *ideirco tradentur in gentibus:* Amos hæc ita narrat. *Ecce mandabo ego, & concutiam in omnibus gentibus domum Israel sicut concutitur triticum in cribro: & non cadet lapillus super terram. In gladio morientur omnes peccatores populi mei.* Davidis quoque hæc sententia est. *Sacerdotes tui* * *induentur iustitiam, & Sancti tui exultabunt.* Id quod de gentium Ecclesia dixit, vt futurum. Nam si de Synagoga, *induti sunt, & exultant*, dictum oportebat.

Iam vero vbi nunc Iudæorum res divina, ac libatio? Siquidem Deuteronomio, Mosi Deus præcepit: *Non facies altare in omni loco neque offeretis sacrificia: sed in loco quem elegerit Dominus: eo portabitis primitias, & sacrificia vestra:* Salomonis templum prorsus innuens. At vbi nunc hodie templum illud? Vbi Pontifices? Sacerdotes vbi? Vbi qui sacerdotes vngant & inaugurent? vbi cornu olei? Quæ lex Mosaica profanos permisit in sacerdotes consecrari, illegitime extra templum Hierosolymitanum in communibus ædibus collectos? Habetis ecce proiecti sacerdotij argumenta. Quare si sacerdos non est, omnes igitur Iudæi adulterantur, atque ex adulterio nascuntur, ergo spurij omnes, at spurius ex lege Mosis ad sacerdotium non adsciscitur. Et Alioqui sacerdos plane dicitur à sacris faciundis, id est, mactandis. Sin hostia & sacra non sint; nec sacerdos quidem est, nisi qui falso sacerdos dici postulet. Itaque si Oziæ, quamuis regie muneto, thuribulum mactanti Deus non pepercit; tantum quod sacerdotalis non esset, sed & lepram immisit, & prophetias eo superstite continuit, quæ quantaque mala eos non maneant, qui sacrorum exortes, in sacra inuadant, & Pascha, atque festa agitare extra Hierosolymitanum templum inceptent, legem custodire (si superis placet) interim se iactantes?

* LXX. Isa 55. 6. Ibid 7. 8. — † m. s. Isa. 56. 1. & 7. — Ose. 1. 2. † m. s. ibid. 3. — † visitabo vulg. † Iehu. vulg. Ose 1. 6 * LXX. Ose. 1. 8. 9. — † m. s. Ose 2. 10 — † LXX vlciscar. † Osee 7. 12. LXX. Ibid. 2. — * c. 8. 1. A. Amos 9. 9. — Ps 131. 9. * LXX. — Deut 12. 27. 1 — 2. Par. 26. 16. & seqq.

Iudæi. Ereptum nobis pontificium iuata ac regnum confitemur, iam inde ab eo tempore, quo tantis vrgemur malis à Tito Romanorum principe subacti; & omnino fortasse est, vt nos legis custodes decipiant, ac prærogativa honoris deturbentur. Sed oramus, & Christi supplicia nobis edissere, & qui de his, déque eius resurrectione vaticinentur Prophetæ.

CAPVT LV.

Prophetia de Christi morte atque resurrectione.

CHristian. Sciendum in primis est, quod sæpe iam diximus, naturam divinam oppressum tyrannide à diabolo videre suum figmentum non potuisse, igitur visum est Patri, ut suus sibi unigenitus * animam atque corpus ex semper Virgine Maria susciperet, impermutatus atque inconfusus, citraque peccatum perfectus homo fieret, non eo illo quod erat (videlicet immutabilis) sed assumpto, quod non erat (utpote humanus) quo per naturam nostram mori posset, & per ineffabilem & incomprehensam Divinitatem, omnes vivificaret, atque a diaboli nexibus absolveret. Nam & vivi per eius ex Virgine ortum, non peccati solum chirographo liberati, sed adoptione etiam sunt affecti, & mortuorum animæ, quæ apud inferos tenebantur, per eius resurrectionem, è diaboli manibus elapsæ, regnum cœleste obtinuerunt. Vt enim duo sunt ortus, sic duorum salus, vivorum inquam, ac mortuorum, procurata est. Hæc passionis necessitas fuit: nam nisi Passio fuisset, mors secuta non esset, quæ si haud evenisset, humanitas omnis ex diaboli potestate eripi non poterat. Siquidem ut peccatum veteri Adamo iuste mortem conciuit; ita & novo Adamo, insonti ac sine vitio, irrogata mors iuste admissi chirographum dissolvit. Itaque benignus ille Deus, de hominum salute semper sollicitus, non æternam modo Vnigeniti Filij ex utero ante Luciferum generationem, per prophetas prædici ac divulgari indulsit, sed etiam quemadmodum corpore ex semper Virgine Maria assumpto, duas naturas unierit, miracula, ingressum illustrem & aduentum Hierosolymam super asinæ pullo, proditionem, supplicium, crucem, sepulturam, resurrectionem, inferorum direptionem, mortis interitum, in cœlos ascensum, denique à dextris consessum; ut in quo hæc omnia perfecta videretis, eum Vnigenitum esse Dei Filium sciretis, qui & iam venerit, & rursum gloriose rediturus sit, Dei nomine, Patris scilicet, vivis atque mortuis iudex, idem Dominus & præpotens, & Rex, & Deus, divinitate atque regno finem nesciente.

* m. s.

Igitur testes eorum, quæ diximus, Prophetas in medium conferamus. De immensis Christi miraculis, velut in transcursu clamat Isaias: *Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt: tunc saliet sicut cervus claudus, & aperta erit lingua mutorum.* *Tum*, ait, quando? cum, ut Davidis verba ferunt; *Veritas de terra orta fuerit, & iustitia de cœlo prospexerit:* scilicet Deus homo Iesus, ut alio loco idem prædicat: *Orietur in diebus eius iustitia, & abundantia pacis.* Ergo, cum ex Davidis sententia, Dei Iustitia, Vnigenitus eius Filius, è cœlis exiltet, tum & Veritas è terra orietur, id est, divinitati unita per eandem hypostasin Caro, ut universa vatum præsagia in lucem proferantur, certo atque explorate completa ac perfecta. Nam ut visibili hoc lucifero exorto, omnia in tenebris occulta deteguntur, sic Iustitiæ sole cœlitus degresso, cuncta illa vatum involuta dicta fuere illustrata, & † tanquam suum statum prædictæ veritatis accepere.

Isa. 35. 5
Ps. 84. 12.
Ps. 71. 7.
† Ἐλυαι κατάστασιν ἔλαβον.

Id adeo David innuit in hæc verba: *Etenim Dominus dabit benignitatem.* Porro Domini Benignitas unimino Vnigenitus æterni Patris Filius est; *& terra nostra dabit fructum suum.* Assumptum à Filio ex lutea, ac terrestri natura corpus fructum edet, luculenta miracula. *Iustitia ante eum ambulabit:* id est, immensa, & opinione maior humanitas, *& ponet in via gressus † eius.* Videris unam in duabus naturis personam? Per *veritatem & iustitiam* propheta naturam humanam simul ac divinam significans, non dixit *ponet in via*, scilicet miraculorum, *gressus earum*, sed in vna persona, gressus eius.

Ps. 84. 13. ib. 14.
† LXX.

Idem rursum: *Misit Verbum suum, & sanavit eos: & eripuit eos de interitionibus eorum.* Isaias vero clamat: *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me † evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captiuis remissionem, & cæcis visum.* † Idem de Apostolis: *In diebus illis, in quibus apprehendent decem homines ex omnibus linguis Gentium: & apprehendent fimbriam viri Iudæi, dicentes: Ibimus vobiscum: audiuimus enim quoniam Deus † vobiscum est.* Et quis est autem vir Iudæus, nisi Deus homo Iesus? decem vero homines, divini Apostoli sunt, ac discipuli.

Ps. 106. 20.
Isa. 61. 1.
† LXX.
† Zac. 8. 23.
† m. s. μετ' ὑμῶν.

Iudæi. Et cur autem non dixit, *decem homines ex tribubus Israel?* sed, *ex omnibus linguis Gentium?* Apostoli enim omnes ex tribubus Iudæorum erant.

Christianus. Scilicet præscius Vates, futurum, ut neglecta Iudæorum Synagoga præcones cunctis gentibus fierent, hoc tantum opus prætulit tribui. Nam quemadmodum qui fratri semen suscitat, prolem haudquaquam suam deputat: neque enim sibi, sed iure se fratri stirpem instaurat, etsi ex eo proles suscepta non sit: ita & in Apostolis Propheta, illam ab Iudæis stirpitus originem pro nihilo ducens, eorum potius erga gentes, ut sic dixerim, paternitatem tanquam illustrem est ampleaus. Sane Corinthiis scribens, clamat Paulus: *Nam in Christo Iesu per Evangelium ego vos genui. Rogo ergo vos imitatores mei estote.*

1. Cor. 4. 15. 16.

Deinde non ignorabat Propheta, fore, ut Paracliti Spiritus sancti adventu, & inspiratione omnes omnium gentium linguas atque disciplinam Apostoli repente edocti, suis linguis omnes erudirent gentes.

Iudæi. At cur non duodecim dixit, sed, *decem?* Siquidem Christi Apostolos duodecim esse pro numero duodecim Patriarcharum didicimus.

Christianus. Recte, & ut par est, dubitastis. Sed explorate vobis tenendum est: † Isaiam ex tribu Beniamin, & Dan oriundos Apostolos hoc suo vaticinio non prodidisse. Ac tribum quidem Beniamin reticuit, quod meus Salvator in corpore apud nos degens, pro se loquens os, magnum illum Paulum non conspexit. Dan vero tribum silentio transiit, ob nasciturum ex ea Iudam proditorem, uti meus Deum videns olim divinavit in hanc sententiam. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens ungulas equi:* corporalem, eo typo, necem nobis innuens. *Vt cadat ascensor eius retro:* divinitate affectum corpus in recens Iosephi monumentum † salutem expectans Domini, mirum triduanam resurrectionem.

† Zach.
Ge. 49. 17
† LXX.

Quod vero omnes Christo obitas functiones Prophetæ nunciarint, ostendit mei Servatoris Hierosolymam adventus, de qua omnium princeps Israel ait: *Alligans ad vitem asinam suam, & ad helicem pullum asinæ suæ.*

Ge. 49. 11

Videtis, ut abrogata lege propagationem gentium Propheta significet? Nam cum dicit, *asinam viti* (alligatam) temporariam, ac pœne nullam Synagogæ stabilitatem notat: neque enim legis disciplina orbis terrarum administrarat, sed Iudæa solum, exiguum eius segmentum. At cum ait, *asinæ pullum ad helicem vitis*, seu ad brachia vitium, æternum, ac sublime, & toto orbe pervagatum præconium designat:

Siquidem helici seu vitium brachiis similis est illa orbis conversio. Ac de his Servator quoque ad Synagogam respiciens, quam asinæ comparavit, per similitudinem testatur: *Homo plantavit vineam*, & quæ sequuntur.

Ad pullum vero loquens, qui est novus populus, ait: *Ego sum vitis, vos palmites: Pater meus Agricola est.* Id adeo verum esse, maiorum vestrorum responsum demonstrat. Nam à Deo interrogati: *Cum venerit Dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: Malos male perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddent ei fructum temporibus suis.* Sophoniæ quoque hæc sunt verba. *Gaude filia Sion, prædica filia Hierusalem, exulta, & delectare de toto corde tuo filia Hierusalem. Abstulit Dominus iniquitates tuas, redemit te de manu inimicorum tuorum † regnabit Dominus in medio tui.*

Zacharias addit: *Gaude vehementer filia Sion, prædica filia Hierusalem, Ecce Rex tuus venit tibi iustus, & salvans, ipse mansuetus, & ascendens super subiugalem & pullum novum.* Atque hæc quidem Zacharias ad Hierusalem, ad Filium vero David: *Sedes tua Deus in seculum seculi. Virga directionis, virga regni tui.* Et ad pueros: *Laudate pueri Dominum.* At pueri. *Hosanna Filio David: benedictus qui venit in nomine Domini,* inde ad Dominum iterum psaltes regius: *Ex ore infantium & lactantium perfecisti laudem tuam.* Dominus ad populum: *Sinite parvulos, & nolite eos prohibere ad me venire:* Siquidem Elisabethæ vocem sunt secuti: nam illa ait: *Benedictus fructus ventris tui:* hi ea ea nato acclamant: *Benedictus qui venit in nomine Domini.* O parentum ingratitudinem, ô filiorum gratitudinem: filij vestes suas substernebant, parentes eius vestes partiebantur. Illi *Hosanna* canebant: hi *crucifigatur* clamabant. Sapit infans ætas, & qui stultos esse pueros perhibuerunt, stultescebant. Eratque tum insolens, & à natura abhorrens spectaculum videre, lactantes, matrum ulnis vectos infantes, hinc mamillam tractare, illinc nato è Virgine Deo palmæ Ramus protendere: & qui lac maternum traherent, Dominicum præceptum tenello ore effundere, priusquam verba effari possent, Deo verbo explicate acclamantes; *Hosanna in excelsis*; quasi dicerent, salva nos, qui in altis habitas, & humilia respicis.

CAPVT LVI.

Psalmus secundus exponitur.

SEd quoniam super asinæ pullo sedentem, & Dei Filium esse, & Deum verum, & omnis universi regem, vaticiniis usi sententiis, ostendimus, age supplicia quoque Christi contemplemur, & flagitiosa in eum consilia æque è Vatum scriptis comprobemus, à Davide exorsi: igitur futurum tanquam præsens prospiciens, ait Propheta. *Quare fremuerunt gentes, & populi*, *gentes* Romanos vocans, populos, Iudæorum tribus, *meditati sunt inania?* Omnino sane, inquit, adversum Christum frustra tumultuantur, atque cogitant. *Astiterunt Reges terræ.* Pilatus scilicet, atque Herodes: *Et principes convenerunt in unum:* Pontifices ac Sacerdotes, pariter, simul, eadem mente, & consilio *adversus Dominum, & adversus Christum eius*, ut eum interficiant. *Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum*, consentanea Mosaicis dictis David loquitur: nam ut ille de opificio disserens, unam voluntatem SS. Trinitatis significans inquit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*; ita & hic gentium ac populorum cogitata & tumultus, astantes reges, optimatum pariter conventum, hæc, inquam, omnia docens consentire, ait: *Dirumpamus vincula eorum, & proiiciamus à nobis iugum ipsorum.* Quin ut clarius esset, atque apertius quod dicit, addit: *Qui habitat in cælis*, Pater videlicet, *irridebit eos: & Dominus subsannabit:* scilicet Filius, qui inter eos, ceu damnatus, astitit, minime interim paterno sinu extorris. *Tunc loquetur ad eos in ira sua: & in furore suo conturbabit eos.* Tunc; quando? Cum iudex advenerit, omnibus cœlestibus copiis stipatus, vivis ac mortuis ius dicturus. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo:* oratio est digna Deo, & regia, & Christi etiam hominis perenne muniens regnum dicit enim: *Regnabit Dominus in secula Deus tuus Sion. Super Sion montem sanctum eius.* Sanctum montem hic Virginem ac Deiparam intellige. Vt enim Deus in Sina descendens conspectus est a Mose, sic ille incarnatus ex Virgine, conversatus est cum homine, ille inaspectabilis factus fuit aspectabilis, *prædicans præceptum Domini:* id est, interpres, ut Patris beneficio prophetæ olim prædixerunt. *Dominus dixit ad me:* qui mihi Pater est, secundum divinam naturam, idemque Deus secundum carnem assumptam, *Filius meus es tu:* charissimus ante secula citra fluxum mihi es Filius.

Ego hodie genui te: Quem ex utero ante Luciferum genui, hodierno die corporatum ex Virgine prodire volui, neque enim alius, fuerat ille, atque alius tu; sed idem, unus ex duabus naturis. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Solet David quæ sunt Vnigeniti, ad Dei ac Patris voluntatem atque potestatem revocare, ne ab imperitis Deo contrarius crederetur: *& possessionem tuam terminos terræ:* qui sacrum nomen ferentes tuum, per te iurent. *Reges eos in virga ferrea*; sceptrum seu virgam ferream Divinitatis potentiam significat. Nam paternum hoc per Davidem dictum confirmans meus Servator ait: *Ego sum pastor bonus & cognosco meas, & cognoscunt me meæ. Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem: & animam meam pono pro ovibus meis. Tanquam vas figuli confringes eos.* His verbis tum hominum declarat opificium, quod magnus ille figulus, Deus, effinxit ac molitus est, tum vero Iudæorum internecionem & interitum. Tam facile, inquit, collides, qui te ut opificem ac Deum non venerantur, sed merum hominem ducunt, salutari morte te mulctantes, quam figulus fabricatum a se ac conformatum fictile. Vt enim pecudes, quæ pastoris vocem atque sibilum sequuntur, & viridibus pascuntur herbis, & liquidissimos potant latices; quæ vero a pastore resiliunt, feris prædæ sunt; ita tractus omnes cunctis terrarum finibus quicunque mei Filij vocem audient, in cœlestibus æternisque sedibus degent ac pascent, & ad securas amnes nutrientur. At qui eius vocem negligent, attriti ac deleti, infami lupo, diabolo, relinquentur.

Et nunc reges intelligite. Christi potestatem, resurrectionem, atque regnum ante accurate executus Propheta, intelligere ea quoque terrarum reges iubet ac hortatur. *Erudimini qui iudicatis terram:* quandoquidem iudicum iudicem, deorum Deum, vestrum ac totius mundi Regem, Dominumque expectatis, discite omnes, qui de terrenis, & terrena iudicatis, iudicare, ac ius, & æquum facere: *in quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore:* quod si timide ac trepide Deum coletis, postmodum cum eo æternum exultabitis, nunc lachrymosi serentes, at tum lauti vestrorum fructuum millenarias aristas messuri, comportandas in horrea cœlestia. *Apprehendite disciplinam:* id est, ad frugem suscipite divinam doctrinam: ait enim: *Et disciplina tua correxit me in finem: & disciplina tua ipsa me docebit:* & rursum LXX. *Disciplina Domini aperit aures meas:* atque iterum. *Castigans Castigavit me Dominus, & morti non tradidit me. Ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* Iram appellat remunerationis diem: perire de via iusta, excidere est ac frustrari dextra iudicis assistentia, qua sancti omnes ac iusti fruentur. *Cum exarserit in brevi ira eius:* repentinam vindictam ac furorem vocat horrendam illam

sententiam: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius* [Mat.25.41.]: quam & ante iudicium unusquisque recogitans, ac sua ipsius conscientia victus, horret. *Beati omnes qui confidunt in eo.* [Ps.2.12.] Propheta humanam naturam in duas partitus vias, damnat pervicaces; at pios, morigerosque pietati, incorrupta ac perenni beatitudine afficit.

Consentanea Patri & Salomon Iudæorum scelera publicans, ait: *Dixerunt cogitantes apud se non rectè: Opprimamus iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata disciplinæ nostræ. Promittit se scientiam Dei habere, & Filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum. Grauis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ eius. Tanquam nugaces æstimati sumus ab illo, & abstinet se à viis nostris, tanquam ab immunditiis, & præfert nouissima iustorum, & gloriatur Patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones illius veri sint, & tentemus quæ ventura sunt illi. Contumelia & tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam eius, & probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum: erit enim respectus ex sermonibus illius. Hæc cogitauerunt, & errauerunt: exæcauit enim illos malitia eorum. Et nescierunt sacramenta Dei: neque iudicauerunt,* [Sap.2.1. Ib.2.1. & seqq. Sap.2.19 v.20. Sap.16.] *quia tu es Deus solus, qui vitæ & mortis habes potestatem: & salvas in tempore tribulationis, & liberas ab omni malo: quoniam pius & misericors,* & das gratiam sanctis tuis, & in brachio tuo resistis superbis.* [Ecc.2.13 * m.s. & LXX]

Et per Ieremiam Christus prædicit. *Ego autem sicut agnus innocens, ductus ad immolandum non cognoscebam: quia cogitaverunt super me cogitationem malam, dicentes: Venite, & mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viventium, & nomen eius non memoretur amplius.* [Ier.11.19] *Lignum* Propheta appellat vitalem crucem; *panem*, Christum, uti de se Christus confirmat: *Ego sum panis vivus, qui de cælo descendi.* [Ioh.6.41.]

David quoque de insanis, & pessimo consilio instructis ait: *Fructum eorum de terra perdes, & semen eorum à filiis hominum: quoniam declinauerunt in te mala, cogitaverunt consilia, quæ non potuerunt stabilire: quoniam pones eos dorsum: in reliquiis tuis præparabis vultum eorum*: id est, in perennes atque in terminos cruciatus abeuntium. [Ps.20.11. 12.] Iob etiam. *Deus impios non salvat, L X X. eo quod noluerunt scire Dominum.* [Iob.36.6] Isaias: *Vanum est consilium patrum vestrorum*: idem rursum: *Væ filij desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, & non ex me: & ordiremini telam, & non per spiritum meum.* [Isa.30.1.] Zacharias: *Hæc dicit Dominus. Ego non parcam ultra super habitantes terram: ecce ego tradam homines, unumquemque in manu proximi sui & in manu regis sui: & concident * eos, & non eruam de manu eorum: * & pascam oves occisionis in Chananitide. Et assumam mihi duas virgas: unam vocavi Decorem: & alteram vocavi funiculum. Et pascam oves. Et auferam tres pastores in mense uno: & ingravescet anima mea super eos: siquidem & anima eorum rugiebant super me.* [Zac.11.6 & seqq. * m.s. * LXX.]

CAPVT LVII.

Psalmus 21. de Christi persona eleganter explicatur.

David: *Circumdederunt me vituli multi, tauri pingues obsiderunt me.* [Ps.21.13.] Et rursum: *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus: corrupti sunt & abominabiles facti sunt in studiis suis: omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.* [Ps.13.1.] Et iterum: *Inimici mei animam meam circumdederunt: adipem suum concluserunt, os eorum locutum est superbiam. Proiicientes me nunc circumdederunt me: oculos suos statuerunt declinare in terram. Susceperunt me sicut leo paratus ad prædam, & sicut catulus leonis habitans in abditis.* [Ps.16.9. Ibid.11.12. Ib.14.] Et paulo post: *Saturati sunt filiis, & dimiserunt reliquias parvulis suis.* Atque alibi: *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens, & rugiens.* [Ps.21.14] Idem ex Pilati persona: *Odivi Ecclesiam malignantium, & cum impiis non sedebo: Lavabo inter innocentes manus meas.* [Ps.25.5. 6.] Et de Pontificibus: *In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.* [Ps.25.10] Iterum tanquam voce carnis: *Ne tradideris me in animas tribulantium me, quoniam insurrexerunt in me testes iniqui.* [Ps.26.12] Et de Pharisæis Christum capere conantibus: *Qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum. Da illis Domine secundum opera eorum, & secundum nequitiam adinventionum ipsorum: secundum opera manuum eorum tribue illis, redde retributionem eorum ipsis: quoniam non intellexerunt opera Domini, & in operibus manuum eius.* [Ps.27.3. 4.] Dei facta, & opera manuum, vocat ineffabilem ad nos descensum, & orbis terrarum salutem ex immensa bonitate collatam. Idem rursum: *Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, & vicinis meis valde, & timor notis meis.* [Ps.30.12] Quid ita ô Propheta? *Quoniam audivi vituperationem multorum commorantium in circuitu: in eo dum convenirent simul, accipere animam meam consiliati sunt.* [Ps.30.14]

Iam iniustam Christi necem, & ei frustra comparatam fraudem prospiciens, scribit in hæc verba: *Muta fiant labia dolosa, quæ loquuntur adversus iustum iniquitatem.* [Ps.30.19] Rursum velut à corpore ad Divinitatem. *Exultatio mea erue à circumdantibus me.* [Ps.31.7.] Et invectus in Synagogam Christi nece infamem: *Confundantur & revereantur simul, qui quærunt animam meam: convertantur retrorsum & revertantur qui volunt mihi mala.* [Ps.34.4.] In falsos quoque testes hæc pronunciat: *Surgentes testes iniqui, quæ ignorabam interrogabant me: retribuebant mihi mala pro bonis, sterilitatem animæ meæ.* [Ps.34.11] Et iterum: *Non supergaudeant mihi, qui adversantur mihi inique, qui oderunt me gratis, & annuunt oculis: quoniam mihi quidem pacifice loquebantur, & in iracundia dolos cogitabant.* [Ib.19. v.20.]

Iam illud quo referes? *Considerat peccator iustum, & quærit mortificare eum. Dominus autem non derelinquet eum in manibus eius: nec damnabit eum, cum iudicabitur illi.* [Ps.36.32 33] Cæterum hæc de Christo: *Benedicentes ei hæreditabunt terram: maledicentes autem ei disperibunt.* [Ib.v.22.] Dictis Isaac consentanea loquutus est David. Ille enim prospiciens, quod ex stirpe Iacob, expectatio Gentium Christus oriturus esset, sic præscius aiebat. *Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* [Ge.27.29] At David noster: *Benedicentes ei hæreditabunt terram: maledicentes autem ei disperibunt.* [Ps.36.22] Quorum verborum hæc sententia est: quemadmodum tum soli ex Iacob nati, non vero etiam ex Esau, promissam terram occupabant: ita nunc quoque soli, qui Christo bene volunt, absque iis qui male volunt, cœlestem ac perennem Hierosolymam possidebunt.

Rursum David: *Multiplicati sunt qui oderunt me inique, qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi, quoniam sequebar bonitatem*: [Ps.37.20 21.] quæ ex Vnigeniti Dei Filij persona dicit. Ibidem: *Vim faciebant, qui quærebant animam meam: & qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, & dolos tota die meditabantur.* [Ib.13.] *Ego autem tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum: & factus sum sicut homo non audiens, & non habens in ore suo redargutiones.* [Ib.14.] Ac talia quidem de silentio, Christi patientis David prodidit: nunc Evangelistam videamus. *Et Iesus cum accusaretur à principibus sacerdotum, & senioribus, nihil respondit, ut miraretur præses vehementer. Tunc dicit illi Pilatus: nihil non loqueris? Iesus autem tacebat.* [Mat.27. 12.14. Mar.15.4] Consonat Davidi & Isaias in hanc sententiam: *Ipse propter afflictionem non aperit os suum. Sicut ovis ad victimam ductus est, & sicut agnus coram [* LXX. Isa.53.7]

tondente mutus, sic non aperit os. Idem rursum ex persona Patris de immaculata passione eius. * Ecce intelliget puer meus, & exaltabitur, & glorificabitur valde. Sicut stupebunt super te multi: sic ingloria erit ab hominibus species tua, & gloria tua a filiis hominum. Sic mirabuntur gentes multæ super eo, & continebunt reges os suum: quia quibus non est annunciatum de eo, videbunt: & qui non audierunt, intelligent, & alio loco. * Dominus dat mihi linguam disciplinæ, ut sciam quando oporteat loqui verbum: addidit mihi aurem ad audiendum, & disciplina Domini aperit aures meas: ego autem non renuo, neque contradico. Dorsum meum dedi ad flagella, & genas meas ad alapas: & faciem meam non averti à confusione sputorum. David vero. *Aruit tanquam testa virtus mea, & lingua mea adhæsit faucibus meis: & in pulverem mortis deduxisti me.* Idem velut a corpore ad Divinitatem copulatam. *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam.* Et Isaias. * Homo in plaga positus, & sciens ferre infirmitatem: quia aversa est facies eius, despecta, & non reputata. Iste peccata nostra portat, & pro nobis dolet: & nos reputavimus eum esse in labore, & in plaga à Deo, & in afflictione. Ipse autem vulneratus est propter peccata nostra, & infirmatus est propter iniquitates nostras. Livore eius nos sanati sumus. Amos Propheta dicit. * Pro argento vendiderunt iustum. Zacharias ex persona Christi: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Et Ieremias (referente S. Matthæo) *Acceperunt triginta argenteos, pretium appretiati, quem appretiauerunt à filiis Israel: & dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus.* David de proditore: *Qui edebat panes, magnificavit super me supplantationem.* Et Isaias. * Væ iniquo: mala secundum opera manuum eius accident ei. Et David iterum. *Dixit iniustus ut delinquat in semetipso: non est timor Dei ante oculos eius.* Quamobrem vates? *Quoniam dolo egit in conspectu eius, ut inveniatur iniquitas eius ad odium:* Sane dolos versavit, contra tam sanctam institutionem & doctrinam, & odium exercuit in virtutes & miracula. Invenit iniquitatem: scilicet ingenium auarum & sanguinarium. Quare merito imprecatur ei Propheta: *Constitue super eum peccatorem, & diabolus stet à dextris eius:* quandoquidem astare servatori ad dextram odit. *Cum iudicatur, exeat condemnatus*, quandoquidem in fetendo iudicio consessum exosus est, eam ob rem iudicatus abeat damnatus. *Et oratio eius fiat in peccatum:* preces appellat intempestivam proditoris pœnitudinem, ut est apud Evangelistam Matthæum: *Tunc videns Iudas, qui eum tradidit, quod damnatus esset: pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus, dicens: Peccavi, tradens sanguinem iustum: & abiens laqueo se suspendit.* Quæ omnia Propheta longe ante præsagiens addit: *Fiant dies eius pauci, & episcopatum eius accipiat alter.* Cur? *Quia persecutus est hominem inopem, & mendicum, & compunctum corde mortificare.* Vere enim inops est Dominus noster Iesus Christus: nam nisi * temperiem nostram (seu corpus nostrum) mendicasset, nunquam nos eius Divinitate ditati essemus. Quare cum proditor Divinitatem angeri contempserit, iure in eum infert Propheta: *Et dilexit maledictionem, & veniat ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Ita suo munere abdicatus est, eoque abdicato, suffectus Matthias, Apostolorum cœtum explevit. Salomonis quoque hæc de eo est sententia: * Vir insipiens, & iniquus ambulat vias non bonas: innuit oculis, significat autem pede, docet nutibus digitorum. Perversum cor fabricatur mala. Per vitiosas vias, proditoris notat ingenium; per oculorum nutum ad pontifices defectionem, & conspirationem, per pedem, proditoris celeritatem; per digiti micationem, occultam eius vafritiem. Neque vero his contentus veterator, etiam fraudulento osculo herum prodidit, testatus Iudæis, cui suavium daret, eum esse, prehenderent hominem. His vero Sapiens hæc subiicit: * In omni tempore, qui talis est, turbationes affert civitati. Vere enim insignem tumultum ac perniciem Hierosolymis Iudæ proditio dedit. * Propter hoc extemplo venit perditio ipsius, intercisio, & contritio insanabilis.

Quin & Isaias ait: * Ego suscitabo eum cum iustitia regem: & omnes viæ illius rectæ. Ipse ædificabit civitatem meam, & captivitatem populi mei convertet, non enim pretio, neque cum muneribus. Et iterum. * Dixit Dominus Sabaoth: Laboravit Ægyptus, & negotiatio Æthiopum, & Sabbæi viri excelsi ad te transibunt, & tui erunt servi, & post te sequentur vincti manicis, & transibunt ad te, & adorabunt te; quoniam in te Deus est, & non est Deus absque te. Quæ commemorat Vates, ut verum Deum esse Christum credatis.

CAPVT LVIII.

De Sabbatho Iudæorum, & Dominica Christianorum.

IVdæi. Quamobrem vos honorem & gratiam Dominicæ tribuistis, quam apud nos Sabbatum habuit?

Christ. Certe multo æquius esse sanctam hanc Dominicam præ vestro Sabbato honorari, abunde est unde statuamus, non ex nostris solum sacris voluminibus, sed ex ipso adeo divino opificio. Nam si requietem colimus, quanto magis operum exordium? Neque enim propterea honorandus est Adamus, quod violando præcepta mortem incurrit (nam id quidem est extremum) sed quod primum Dei manibus factus est, atque formatus. Nam ecce hæc quidem est conformatio divina: altera vero transgressio humana.

Iam quanto hominibus sine comparatione præstant divina, quantoque est principium fine honoratius (siquidem illud molitionis causa est, hic rerum molitarum dissolutio) tanto est quoque Sabbato illustrior & augustior Dominica. Præterea constituto principio cogit necessitas finem consequi: at finem esse principio non extante, insolens est & inauditum. Præstat igitur Sabbato Dominica, idque ex iis, quæ dicemus, erit apertius.

Vigesima quinta mensis Nisan (ut vos Hebræi vocatis, nobis vero Martius est) Deus opificium cœpit: trigesima universum hoc omne perfecit, trigesima prima, quæ à cœpto opificio numeratur septima, requievit. Ac videte sane exitum veritatis. In hac Israëlitarum ex Ægypto fuga, & in Chananæam transitus contigit, in hac promissæ terræ sortitio & ingressus fuit: In hac Gabriël Archangelus Virgini ac Deiparæ læti nuncij verba attulit, quæ extemplo & Christi pro nobis sine semine conceptus, & arcana Incarnatio est secuta, in hac eius ex mortuis resurrectio: ac verisimile est, in hac & communem omnium nostrum resurrectionem futuram, cum in vitam restitutus Christus iterum se tremendum præbebit, & incorruptũ iudicium exercebit, simulque grandis arcani inspectores ac præcones divini Apostoli, in duodecim sedibus iudicandis duodecim Israëliticis tribubus sedebunt. Cæterum desitorum quandoque Sabbatum, Deus Abrahamo vestro parenti aperuit, in hæc verba. *Tu ergo custodies pactum meum, & semen tuum in generationes suas.* Et iterum: *Circumcidetur ex vobis omne masculinum in generationibus vestris.* Ibidem: *Infans octo dierum circumcidetur: eritque pactum meum inter me & inter vos, in generationibus vestris.* Videtis cum ortu fœderis etiam interitum? Non enim dixit: *Hoc erit signum inter me & inter vos in pactum * sempiternũ.* Neque id semel dixit, sed ter quaterque. Vnde cõstat indicium hoc neque in alteram ætatem, neque ad extrema

vsque

Marginalia: A; Isa. 52. 13. 14. 15. * LXX; Isa. 50. 4. 5. * LXX; Psal. 21. 6; B; Ib. 21; * LXX; Isa. 53. 3. 4.; Amos 2. 6.; * LXX; Zach. 11. 12.; Mat. 27. 9.; Psal. 40. 10.; * LXX; Isa. 3. 11.; Psal. 35. 1.; Ib. 2.; C; Psal. 108. 6; Ib. 7.; Mat. 27. 3.; Psal. 108. 8; D; * Naz. imitatur in magnum Basil. 12. 35 & alibi.; Psal. 108. 16; Act. 1. 26; * LXX Prov. 6. 12. 13.; E; Prov. 6. 15.; * LXX.; * LXX.; * LXX. Ib. 14.; Isa. 45. 13; * LXX.; F; G; H; Gen. 17. 9; Ib. 12.; * & tamen ib. dicitur bis. v. 7. & 13. & 70.

vſque ſtatuendum: ſed quamdiu animo meo collubebit, poſteritatem veſtram rectores atque reges habete. Ob id præſagit Iſraël: * Non deficiet dux ex Iuda, & princeps de femore eius, donec veniant, quæ repoſita ſunt: & ipſe erit expectatio gentium. [* LXX. Gen. 49. 10.] At ubi venit Chriſtus non iam amplius huic generationi circumciſionis ſtatutum fœdus durat, non vaticinium, non regnum, non Pontificium, non ſabbatum, non ieiunium, non libamentum, non paſcha, non feſtum. Merito igitur octavo die inſtituta circumciſio eſt, ceu ſancto atque mundo: Nam in Levitico octavus, ſanctus atque mundus vocatur, alteram novi fœderis à Chriſto patrandi legem deſignans, * Septem dies tibi & bos, & iumentum, & mancipium ſervient, octavo liberaberunt. [Lev. 23. 36. ſed non ita lat. Bib. * m. ſ.] En octavum diem libertatis, quæ ſanctam Dominicam prænotat: qua Deus noſter Chriſtus orbem terrarum a diaboli fraudibus liberavit.

Iam vero univerſum hoc ſeptem ævis durare iuſſum eſt, autore Salomone: *Da partem ſeptem, nec non & octo.* [Eccl. 11. 2.] Id quod & magnus ille Apoſtolus Paulus, Chriſti os, qui in tertium uſque cœlum conſcendit, teſtatur in hæc verba: *Cum tradiderit regnum Deo & Patri Filius, tum & ipſa creatura liberabitur a ſervitute.* [1 Cor. 15. 24. Rom. 8. 21.] Igitur nondum cognito die octavo, iure ſeptimus colebatur, ut feriatus: nam & inſtante illa, at nondum præſente ætate octava, ſeptem duntaxat hominibus ætates putantur.

Quemadmodum autem ævo illo octavo (quod futurum eſt, & nunquam finietur) non iam porro ſeptem præcedentium memoria ulla agetur, ſic Dominici, qui octavus liberalis dies eſt, præſente, Sabbati actione opus eſt nulla. Siquidem cum ſervituti ſubiaceret genus humanum, neceſſario & Sabbatum opus erat, feſtis exiguam requietem ferente. At ubi iam dies octavus libertate omnia donavit, ecquis deinceps uſus ſit ſeptimi? Ac ſi libet, conſiderate diligenter quemadmodum cum parentes veſtri Manna in deſerto veſcebantur, ut ait David: *Panem Angelorum manducavit homo:* [Pſ. 77. 25.] ceteris diebus frugi & utilis erat mannæ collectio, non in craſtinum pro Iudaica ingluvie manens, ſed quæ ſatis eſſet diurno alimento: quod ſi Sabbato quis collegerat, inutilem prorſus ſentiebat operam. Cæterum ex quo cœleſtis ille panis, quem ut carbonem Iſaias perſpexit, & à * Cherubino, qui forcipe eum ex ara iniecerat, contactus, ab Domino Deo exercituum audivit: *Ecce tetigit hoc labia tua, & auferetur iniquitas tua, & peccatum tuum mundabitur:* [* Seraphim. Iſa. 6. 7.] ex quo inquam cœleſtis ille panis benignitate æterni Patris, & S. Spiritus ope in terram deſcendit, uti de ſe ipſe clamat: *Ego ſum panis, qui de cœlo deſcendi:* [Ioa. 6. 41. 51.] ex eo nec Sabbatum ſit, nec quies, nec tenuis & exigua victa, nec moderata partitio, ſed omni hora Chriſtus æternam ac perennem vitam ſuis famulis largitur.

CAPVT LIX.

Panis propoſitionis, &c. typus corporis Chriſti.

QVin & panis & vinum, quæ proferebat Melchiſedech, & panes propoſitionis, quos ſoli ſacerdotes edebant, corporis ac ſanguinis Chriſti ſacrificium præſignabant. [Gen. 14. 18. Exod. 25. 30.] Nam etſi maiores veſtri panem illum, qui umbra quædam & exemplar eſſet comederunt, at nihilominus eorum membra ceciderunt in ſolitudine, [Heb. 3. 17.] qui vero hoc pane veſcitur, quid a ſe accepturus ſit, ipſemet Servator docet in hanc ſententiam: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, habet vitam æternam.* [Ioa. 6. 55.] Quamobrem clamat Iſaias. * Et erit in die illa, radix Ieſſe, & qui conſurgit, ut princeps ſit gentium in ipſo gentes ſperabunt: & erit requies eius honor. [* LXX. Iſa. 11. 10.] Et quæ alia autem ei requies erit, atque honor, quam ad tremenda illa divina & munda cum timore & horrore acceſſus, & perceptio (rorum?) Idem alibi. * Periit princeps, qui conculcabat [Iſa. 16. 4. * LXX.] terram: ſcilicet qui nos ſupplantat malignus, de quo & meus Dominus ait: *Venit princeps mundi huius, & in me non habet quicquam.* [Ioa. 14. 30.] † Dirigetur cum miſericordia thronus eius: honor videlicet lapſi Adami. [† LXX. Iſa. 16. 5.] Eſt enim thronus honoris ſignum: At quo pacto dirigetur? *per viſcera miſericordiæ Dei noſtri.* [Luc. 1. 78.] Et ſedebit ſuper illum cum veritate in tabernaculo David: [Ib.] id eſt, conſors tribus ac gloriæ perennis ſedebit: iudicans & exquirens iudicium, & faciens miſericordiam. [† m. ſ.] Zacharias. † Venient populi multi, & gentes plurimæ, ut quærant faciem Domini. [† LXX. Zach. 8. 22. & 13. 2.] In die illa dicit Dominus: † Diſperdam nomina idolorum de terra, & non erit ultra eorum memoria. [† LXX.] Et Iſaias, † Die illa fidens erit homo in eo, qui fecit eum, oculi autem eius in ſanctum Iſraël intuebuntur. [Iſ. 17. 7. † LXX.]

Atque hæc ſancta œconomiæ Chriſti arcana notabant, quibus percipiendis ipſum Servatoris Chriſti ſacrum corpus, pretioſumque ſanguinem percipimus, ut ab eo edocti ſumus: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo.* [Ioa. 6. 6.] Rurſum ad diſcipulos. *Accipite & comedite: hoc eſt corpus meum. Hoc facite in meam commemorationem.* [Mat. 26. 26.] Similiter & de calice dicit: *Bibite ex hoc omnes. Hic eſt enim ſanguis meus novi Teſtamenti, qui † pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* [Ib. 27. 28. † m. ſ.] Sed hæc ſatis ſunt de principe ac regina dierum: nunc orationis axem ad reſurrectionis diſputationem convertamus, ac rurſum præ cæteris omnibus Davidem contemplemur.

CAPVT LX.

De Chriſti à mortuis reſurrectione.

TV exurgens miſereberis Sion, quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus. [Pſ. 101. 14. 7.] Et ibidem: *Ædificabit Dominus Sion, & videbitur in gloria ſua: reſpexit in orationem humilium.* Quorum? qui ob flagitia mancipati, divina miſericordia opus habent. *Et non ſprevit precem eorum.* Neque enim ullum ſcelus eſt, Dei benignitatem ſuperans. Et poſt pauca: *Et populus qui creabitur,* ſcilicet per Evangelicam doctrinam, *Laudabit Dominum.* Idem rurſum: *Veruntamen Deus redimet animam meam de manu inferi, cum acceperit me,* [Pſ. 48. 16.] id eſt, cum aſſumpto meo temperamento, & in corpore mortem ſuſtinens, meam quoque animam ab inferis, ut ceterorum, vindicabit, pro quo & Iſaias facit. † Reſurgent mortui, & expergiſcentur, qui in monumentis, & lætabuntur, qui ſunt in terra. [Iſa. 26. 19. † LXX.] Prænuncians publicam reſurrectionem princeps Chriſtus Dominus, ex mortuis factus eſt primogenitus.

Lætabuntur, inquam, qui ſunt in terra: Ros enim, qui à te, ſanatio eſt. [Ibi.] Et quis alius autem ros medicina eſt nobis, quam ſacri baptiſmi aqua, unde expiamur, & illuſtramur? Terra autem impiorum cadet. Impiorum terra, rebus terrenis delenita vis & natura eſt, quæ ſpretis divinis iuſſis à Deo ſeparata, cum inferorum principe habitare eſt damnata: quæ & Deum hominem coram præſentem neque agnovit, neque adoravit. Nam Chriſtus in terris, & apud nos homines agens, non omnes omnino ſervavit, ſed eos qui ſe Deum agnoſcerent ac profiterentur. Ita & apud inferos, ſe agnoſcentes, atque ut Deum veneratos, ſoſpitavit, in vitamque reſtituit: qui id minime feciſſent, eos cum Orcinis ſpiritibus reliquit. Itaque & David ſic effatur. *Convertantur peccatores in infernum, omnes gentes, quæ obliviſcuntur Deum.* [Pſ. 9. 18.] Et per Ezechielem mortuis ait Deus: † Ecce ego aperio memorias veſtras: & reducam vos de ſepulchris veſtris, popule meus, & introducam vos in terram Iſraël: & cognoſcetis quoniam ego ſum Dominus veſter; cum aperuero ſepulchra veſtra, ut educam de ſepulchris populum meũ: Et dabo ſpiritum meum in vobis, & vivetis. [Ezec. 37. 12. 13. † LXX.] Quin & Orci direptionem, & vaſtitatem prævidens clamat David: *Deus conteret dentes eorum in ore ipſorum:* [Pſ. 57. 7.]

molas leonum confringet Dominus. Et Iob. * Tibi Domine aperiuntur metu portæ mortis, & ianitores inferni videntes te timuerunt. Isaias: * Domine Deus glorificabo te, laudabo nomen tuum, quoniam fecisti admirabilia, consilium antiquum verum: quia posuisti civitates in tumulum, civitates munitas, vt caderent fundamenta earum, civitates impiorum in æternum * vastabuntur: propterea benedicet tibi populus pauper, & civitates hominum iniuriam sustinentium, * te timentium. Fuisti enim omni civitati humili auxiliator: Impios, opinor, dæmones vocat, oppida munita Orci regiam, & mortis domicilia, à quibus inopes, & non plenissimi moribus cum virtute coniunctis detinebantur, ac possidebantur. Inopes enim sunt omnes, qui virtutis opes non obtinent. Itaque vates gratulabundus, non Orco solum à Christo direpto, sed etiam munimentis eius funditus eversis ait: fuisti auxiliator omni civitati humili, id est, animæ contritæ, quod & David profitetur: *Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet.* Nam Christo ad inferos descendente, non sanctorum animæ tantum liberatæ sunt inde; sed omnes adeo prius in diaboli errore, & simulachrorum cultu servitutem servientes, auctâ agnitione Dei, salutem sunt consecuti: quare & gratias agebant, Deum laudantes. Iam & Dei Patris per Isaiam, hæc sunt ad Filium verba: * Tempore accepto exaudivi te, & in die salutis auxiliatus sum tui; & dedi te in testamentum gentium, vt constitueres terram, & possideres hæreditates desertas; desertas hereditates inferos significans, quos omnino desertos atque vastos habuit Christus. Quin ut orationem exploratam redderet, subiungit: * Dicens his, qui in vinculis sunt, exite, & his qui in tenebris, vt revelentur. Oseas addit, tanquam se hortarentur & impellerent invicem dicentes: * Eamus & revertamur ad Dominum Deum nostrum, quia ipse fecit nos sanctificabit nos post dies duos. Sentitis Prophetam? primum divinam naturam innuens ait: ipse fecit nos: tum autem corporalem Christi mortem præsagiens, post duos dies, inquit, sanctificabit nos: illud omnino ut præteritum, hoc ut futurum: denique ut utrunque ostenderet, audacter addit: in die tertio resurgemus & vivemus cum eo. Ezechiel etiam declarans Dei magnitudinem, ac quemadmodum sua sibi paranda resurrectione polleat, non de Christo modo, sed de omnibus quoque cum eo simul redivivis est vaticinatus. Ceterum qui mortuos suscitare potest, quanto magis seipsum poterit? Igitur diserte clamat. * Facta est super me manus Domini: & eduxit me in spiritu Domini, & posuit me in medio campi: & hic erat plenus ossium hominum: & circumduxit me super ea per gyrum in circuitu: & ecce multa nimis super faciem campi, arida vehementer. Et dixit ad me: Fili hominis, si vivent ossa hæc? Et dixi: Domine Domine tu nosti hæc. Et dixit ad me: Fili hominis Propheta super ossa ista, & dices eis: Ossa arida, audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus ossibus istis: Ecce ego affero super vos spiritum vitæ, & dabo super vos nervos, & inducam super vos carnem, & extendam super vos pellem, & dabo spiritum meum in vobis: & vivetis, & cognoscetis, quoniam ego sum Dominus. Et prophetavi, sicut præcepit mihi. Et facta est vox cum ego propheterem: & ecce commotio: & accedebant ossa invicem ad iuncturam suam. Et vidi: & ecce super ea nervi, & carnes oriebantur, & ascendebant super ea pelles desuper: & spiritus non erat in eis. Et dixit ad me: Propheta super spiritum, propheta fili hominis, & dic spiritui: Hæc dicit Dominus: A quatuor † spiritibus veni, & insuffla in mortuos istos, & vivant. Et prophetavi, sicut præceperat mihi. Et ingressus in eos est spiritus, & vixerunt: & steterunt in pedibus suis, congregatio multa nimis. Et locutus est Dominus ad me, dicens: Fili hominis, ossa hæc omnis domus Israël est: & ipsi dicunt, Arida facta sunt ossa nostra: periit spes nostra: dissoluimus. Propterea vaticinare, & dic: Hæc dicit Dominus: Ecce ego aperio memorias vestras: & reducam vos de sepulchris vestris popule meus, & introducam vos in terram Israel. Hoc Ezechielis vaticinium complevisse unicum Iesum, docet Evangelista, in hæc verba: *Et ecce terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam civitatem, & apparuerunt multis.* Isaias quoque ostendens Hierosolymam post excidium rursum illustrem futuram, sacram auctam thesauro, Dei hominis Iesu sepulchro clamat: *Aperientur portæ tuæ semper: die ac nocte non claudentur, ut introducant ad te fortitudinem gentium, & reges earum, qui adducendi sunt.* Gentes enim & seges, qui non servient tibi, peribunt, & gentes solitudine desolabuntur. Videtis ut de Christo vaticinium sit? Quæ enim gens, aut qui rex Hierosolymæ servivit, aut supplex accidit? Addit: *Et gloria Libani ad te veniet in cypresso, & pino & cedro simul, ut glorificetur locus sanctus meus: & locum pedum meorum glorificabo.* Explicato, quod Hierosolyma maneret, beneficio, aperit & autorem; quasi diceret. Cum in pinu & cedro, ac cupresso, ex quibus fabricata erat crux, Deum hominem Iesum videritis, tum ab eo hæc omnia fient. Ac videte superiorum ex iis, quæ sequuntur, sententiam: Et ibunt ad te timentes filij eorum, qui te humiliaverunt. Intelligitis accuratam Prophetæ diligentiam? Nam quod dicit, huiusmodi est. Romanorum, qui te pridem afflixerunt, posteri formidolosi ac trementes metu ad te confluent. *Et adorabunt vestigia pedum tuorum, qui † detrahebant tibi,* (& irritabant te.) Nam tum quidem ob Christi necandi scelus incolæ tui imploratum Romanorum prætorem ad insaniam magis instigarunt: at nunc posteaquam vitæ fontem in pectore scaturientem tenes: *adorabunt vestigia pedum tuorum qui irritabant te.* Et vocaberis civitas Domini, Sion sancti Israel: pro eo, quod fuisti derelicta & odio habita. Observate propheticam mentem. Cum ob interfectum Christum captiva ac deserta fueris, tum merito magis Dei urbs vocabere, quod vitalem mortem in te Deus homo Iesus dormierit. *Et non erat qui auxiliaretur tibi:* præter me scilicet, qui in te sum examinatus. Et ponam te exultationem æternam, gaudium generationum generationibus. Idem & Dei parens David ostendens, ait. *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam.* *Et suges lac gentium*, collaudationem ac fidem gentilium vates innuit, *& divitias regum comedes.* Opes regum, aut ab aliis allata munera, aut confractionem & simulachrorum eiectionem Propheta significat. *Et scies, quia ego Dominus, qui salvo te, & qui eruo te Deus Israel.* Quandoquidem me, inquit per Ieremiam, beneficiis affecti non cognoverunt, captivi, & servitute multati cognoscent. Iacob vero ita loquitur. Recumbens dormisti, ut leo, & quasi catulus leonis; quis suscitabit eum: Et de confectis mœrore animis scribit David: *Clamaverunt ad Dominum cum tribularentur; & de necessitatibus eorum eripuit eos: sedentes in tenebris & umbra mortis: vinctos in mendicitate & ferro*, inopia Dei notitiæ, ferro simulachrorum, cultus duritiæ, & ibidem: *Portas æreas contrivit, & vectes ferreos confregit:* & Isaias velut a Divinitate ad copulatum cum ea corpus: Sic dicit Dominus Deus Christo meo: † apprehendam dexteram eius, & exaudiam eum; ante faciem eius gentes, & fortitudinem regum disrumpam: aperiam ante eum ianuas, & civitates non claudentur. Ego ante te ibo, & montes complanabo, portas æreas conteram, & vectes ferreos confringam. Et de animarum ex inferis liberatione ita Nahum: † Portæ civitatum apertæ sunt: & regalia conciderunt. & substantia revelata est (scilicet Dei hominis Christi) & ancillæ eius ducebantur, sicut columbæ (animæ sanctorum Dei hominis Iesu divinitate affectæ) quibus addit Isaias. Qui habitatis in regione, & umbra mortis, lumen lucebit super vos. Lucem appellans Filium, ut & ex Evangelista

didicimus

didicimus ex persona Christi dicente: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.* Quin Christus ipse per Davidem velut à corpore ad Deum & Patrem clamat: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno: nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Age vero, qui de hoc Sancto censetis? ecquid enim Sanctus omnis corruptelam non sensit? Apage sis. Vnus duntaxat vere Sanctus, & à Deo electus, & qui corruptionem non viderit, Christus est.

Ioa 8.12. Ps.15.10

CAPVT LXII.

Christus mortuus corruptionem effugit.

IVd. Nos quidem neminem hominem mortalem, corruptionem aut interitionem effugisse remur, sin vos tenetis, doceri petimus.

Christ. In hæc tria humanam naturam partita est Dei providentia, in semen, augmentationem, seu nutritionem, & in statum consistentiæ. Quam ob causam tria quoque ex hac consequuntur contraria; mors, corruptio, interitio. Quæ res evidens est ex funeralibus, quas obimus, ferias. Nam in morte sepulturam: in corruptela, tertias, quas vocamus ferias, in terra quadragenarias obimus. Novendiales enim animarum instauratione excogitatæ sunt. Igitur quidam ante legem, & in lege, & post legem ob præstantem in Deum amorem supra naturam luctati corruptionem non senserunt*, mortem passi.

Ceterum meus Salvator atque Deus mortem passus est propter corpus, quod ex puro Virginali sanguine, testandæ omnino humanæ suæ naturæ, contraxit. Nam si ob peccatum in orbem terrarum mors invasit: expers autem peccati Christus est, non habuisset in eo locum mors, nisi iussa paruisset: corruptionem vero aut perniciem nequaquam sensit Dominicum corpus, cum nec satus quidē & corporea voluptas præcessērit; neque in vitiis conceptus, neque in peccatis enixus, ut ait David: siquidem ubi hæc sunt, necessario & corruptio & pernicies consequuntur: Servator autem mundi volens benigne humanum genus servare, ultro subiit interitum, id quod de se ipse testatur: *potestatem habeo ponendi animam, & potestatem habeo iterum sumendi eam*, atque id factum est, ut omnibus omnino Adami posteris, quantum in eo esset, libertatem quæreret * soluta corporis damnatione, in ipso corpore extincta morte.

* διαφθορὰ καταφθορά. Ioan.10.18. Nazian. in Epiphan. 235 52.

CAPVT LXIII.

Christum post resurrectionem edisse, & in cælos ascendisse.

IVd. Quam ob rem vero, quove pacto Christum redivivum, & incorruptum, neque iam caducis egentem cibis, rursum comedisse, ac in cœlos assumptum dicitis? Itane homines quoque post resurrectionem publicam epulari in cœlos denique conscendent?

Christ. De his sane meus Servator certam sententiam dixit. Nam maioribus vestris quærentibus eum de quibusdam septem fratribus, qui omnes unam uxorem duxerant, ut fratri semen excitarent secundum legem, cuius ex septem esset, in resurrectione? *Erratis*, inquit, *nescientes Scripturas, neque virtutem Dei: in resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei in cælo.* Cæterum quod dubij scite quæritis, quo pacto post resurrectionem comederit, facile atque explorate ex iis quæ tenetis, & quæstionem expediam & scrupulum dissoluam. Nimirum ut epulata est sancta Trinitas, invitata ab Abrahamo Patriarcha, ut eius facultates absumpsit ignis, cum quidem solidas hostias dissecuit medias, & in frusta redegit: aves non dissecuit, sed cœlitus ignis delapsus consumpsit: quemadmodum & Eliæ memoria cum incendiarias victimas, & ligna, & aquam in scrobe & humum lambit ignis. Iam vero ut in cœlos ascenderit, & immortali Patri dexter sedeat, rursumque in carne iudicandis vivis ac mortuis venturus sit, Prophetæ hic quoque, non ego, vobis prodent veritatem. Igitur Isaias Christi, cum corpore ascensum videns, & rei magnitudinem stupens ac demirans, clamat. * *Quis est iste, qui venit de Edom, rubor vestium de Bosor? sic formosus in stola?* Intelligitis vatem? Cum in Christi humanitatem intueretur, ruborem vestium eius, & de Bosor, dixit quod erat carnis. At ubi in divinam naturam perspicaces mentis oculos reiecit, ait, *sic formosus in stola?* Tum autem ut apertiorem orationem redderet, velut à Deo homine addit: * *Ego qui loquor iustitiam, & iudicium salutaris.* Iustitiam (loquor) ut qui ad hominum salutem homo factus sim, qui à simulachris abstinentes, & iis præstitam religionem atque honorem ad verum Deum transtulerunt. Iudicium salutaris, ut qui Deus existens, omnibus venturus iudex sim, unumquemque pro suis factis remuneraturus. Cui sententiæ consonant illa Davidis: *Speciosus forma præ filiis hominum.* Et iterum: *Deus iudex, iustus fortis, & patiens.* Sed Isaias volens insuper apertissime ostendere, nequaquam alium esse, qui de cœlo descendens, passus & sepultus inferos spoliasset, & in alium qui è terra in cœlos eveheretur, interrogationem facit ad Servatorem: *Quare rubra sunt vestimenta tua, & indumenta tua sicut de calcato torculari, * pleni percalcata?* * *Quare ergo est rubrum indumentum tuum, & vestimenta tua sicut calcantium in torculari?* Atque ille quidem rogat in hunc modum, imitatusque Christum Dominum, qui sibi ipsi & sacrificus, & sacrificium fuit, rogans respondet, orationem fingens, quasi ille responderet, Ergo ait: *Torcular calcavi solus, & de gentibus non est vir mecum.* Nam ut ei tempore passionis non opus erat duodecim legionibus Angelorum (poterat enim vel solus se propugnare, & mortem effugere, si voluisset, quantumvis humanum quiddam loqueretur: *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu*) ita hic quoque torcular calcavit solus, nullius è gentibus opus habens. At in ascensu, quod idem * Isaias rursum testatur, decies centena millia, & millies centena millia serviliter ei ministrabant. Deinde Christi præpotentiam, rerumque gestarum magnitudinem miratus infert: * Non legatus, non Angelus, sed ipse Dominus salvavit eos. Zacharias: Hæc dicit Dominus: Ecce dies venit: & stabunt pedes eius in die illa super montem olivarum. Pedes vero Dei nominans, non actuosam, quæ à pedibus manat, Dei facultatem intelligit, quemadmodum David eam, quæ à manibus proficiscitur, manus appellavit his verbis: *manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me*, sed corporeos pedes significavit, nam eam ob rem, & diem, & Oliveti montem commemoravit, ut humanam & velut circumscriptam Christi à mortuis resurrectionem, ac post eam in cœlos ascensum, & eius quasi restitutionem in integrum volens quam liquidissime ostendere, inter se dubitantes copias cœlestes inducit: carmenque per interrogationem simul ac responsionem detexens sic effatur: *Attollite portas principes vestras, & elevamini portæ æternales, & introibit rex gloriæ.* Igitur hi ascendentem cum corpore gloriosum Deum conspicati, & insolenti spectaculo perculsi, rogare. *Quis est iste rex gloriæ?* illi contra respondere: *Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio*, contra mortem, inferos, & diabolum, calcata enim morte, direptis inferis, fracto diabolo, ut Deus fortis nunc ascendit, ergo *attollite portas principes vestras.* Angelicarum potestatum Domino, glorioseque rege intraturo, id est, cum corpore Deo & Patri à dextris assessuro. Idem rursum de eodem ascendente: *Exaltare super cælos Deus: & in omnem terram glo-*

3. Reg. 18.38. * LXX. Isa.63.1. Ps.44.3. Ps.7.12. Isa.63.2. * m. s. * varia lect. &c. Ibid.3. Mat.26.39. * Dan.7.10. * LXX. Isa.63. Zach 14.4. Ps.118.73. Ps.23.7.9. Ibid.10.8. Ps.56.12 Ps.107.6

ria tua: quoniam magnificata est usque ad cœlos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua: quasi diceret: nunc iam omnes vatum præsagitiones sunt completæ. Ante enim tuus in terram adventus, è Virginali sanguine corporis assumptio, miracula, Iudæorum ludibria, Crux, supplicium, mors, sepultura, Orci direptio, mortis internecio, post triduum ex mortuis resurrectio, nunc te gloriose redivivo, misericordia tua usque ad cœlos magnificata est, & usque ad nubes veritas tua. Vnde & lætus gratum carmen Domino Propheta decantans ab humana natura (erat enim illa misere paradiso exturbata, nunc egregia Christi benignitate revocanda, & ad maiestatis dexteram æterni Patris collocanda.) *Quis loquetur*, inquit, *potentias Domini, & auditas faciet omnes laudes eius?* Et iterum. *Ascendit Deus in iubilo, & Dominus in voce tubæ.* Alibi: *In sole posuit tabernaculum suum*, cum corpore assumptionem significans. Et paulo post: *A summo cœlo egressio eius, & occursus eius usque ad summum eius.* Quibus verbis duplicem descensum è cœlis in terram, & sub terram, rursumque ex iis in cœlos ascensum, & * gloriæ potestatisque traditionem notat: ita enim & dilectus ille Evangelista ait: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Et de sanctarum animarum ex inferis liberatione, atque Vnigeniti ascensu, & sessione ad dexteram Patris vaticinans, & ob curam honoremque humano generi præstitam ab opifice & totius universi procuratore vehementer exultans ac gavisus inquit: *Dominus regnavit, decorem indutus est*, excellentiam corporis ex interitu, & post interitum, eius immortalitatem ita vocans.

[Margin: A; Ps. 105. 2; Ps. 46. 6; Ps. 18. 6. 7; B; * Xenia accepit; Ioh. 3. 13; Ps. 92. 1]

Atque id ita esse ex sequentibus verbis pleniorem habebitis dictorum sensum: ait enim: *induit Dominus fortitudinem, & præcinxit se virtute.* Ac videte, ut hæc de inseparabili assumpto dicat, neque nunc aut pridem viribus induta est Divinitas, neque in posterum induetur, sed ante secula, & nunc, & cunctis insuper futuris sæculis induta est. Neque ipsa solum per se valida est, sed omnibus aliis quoque eadem ut valeant, largitur. Qua de re Danielis sententia hæc est. * Et ecce quasi visio filij hominis: & erexit me super gentia mea, & super vestigia pedum meorum: & dixit: Ne. Viriliter age, & confortare: & dum loqueretur mecum, confortatus sum. Hæc ille: Nos psalmorum carmina repetamus. *Parata est sedes tua ex tunc*, quando? ex quo moliendæ atque fabricandæ omnis creaturæ Patri consors factus es. Si quidem Oeconomiæ tuæ arcana ab omni æternitate præstituta, extremis temporibus sunt perfecta. Addit, ut orationem illustret. *A sæculo tu es.* Et paulo post: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, id est, fixa & irrevocabilia tua præcepta, quale est, quod * Deuteronomio Mosi ait Deus: *Descende & contestare populum*, ut accurate obseruent mysteriorum, seu præceptorum rationem. *Domum tuam decet sanctitudo in longitudinem dierum.* Domum Dei intellige divinitate affectum Christi assumptum sanctitudo & longitudo dierum, est perennis æternaque duarum naturarum unio, quæ discidium nunquam sit passura. Item rursum. *Annunciaverunt cœli iustitiam eius, & viderunt omnes populi gloriam eius*, & adorantibus Filium Angelis, ait: *Adorate eum omnes Angeli eius:* At filio, qui adoretur: *Sedes tua Deus in seculum seculi, virga directionis, virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Et tu, qui nunc carne vestitus ad cœlum regrederis. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent. Et sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

[Margin: C; Dan. 10. 16. 18. 19; * m. s.; Ps. 92. 2; Ps. 92. 1; * Exodi 19. 21; Ps. 92. 5; D; Ps. 96. 6; Ps. 96. 8; Ps. 44. 7. 8; Ps. 101. 26]

Prophetæ Amos hæc sunt verba: *Qui ædificat in cœlo ascensionem suam, & * securitatem suam super terram fundat: qui vocarunt aquam maris, & effundit eam super faciem terræ, Dominus omnipotens nomen ei.* Est autem quod dicit eiusmodi. Deus ille omnipotens, universitatis Architectus, qui reductas totius terræ aquas in conceptacula quædam coëgit, degentibus in terra ipse in carne degens, securitatem suam, quæ vera est religio, molitus fuit: solium vero suum in cœlo fixit, notans assumptionem (qua assumptus in cælum sedet ad Dei Patris dextram.)

[Margin: Am. 9. 6; * m. s.; E; * imperfectus & obscurus sensus]

CAPVT LXIV.

De Christi secundo adventu.

Consentanea sunt illa: *Et ascendit super Cherubim & volavit, volavit super pennas ventorum.* Atque alibi: *Exaltare Domine in virtute tua, cantabimus & psallemus virtutes tuas.* Porro autem de secundo Christi adventu per Michæam Filio ait Deus: * Surge & tritura: quia cornua tua ponam ferrea, & ungulas tuas ponam æreas: & comminues populos multos. Et iterum: * Surge, iudicare apud montes: & audiant colles vocem tuam. Audite montes iudicium Domini, & valles, & fundamenta terræ; quia iudicium Domino adversus populum suum, & cum Israël iudicabitur. Per Isaiam vero Deus sic: * *iustitia mea non elongabitur: & salutem quæ à me est, tardare non faciam.* Sophonias: *Timete à facie Domini Dei, quia prope est dies Domini.* Zacharias: Hæc dicit Dominus Omnipotens: *Ecce Vir, Oriens nomen eius:* & * ab inferioribus ipse orietur, & sedebit super throno suo. Isaias vero iterum: Indutus est iustitiam quasi loricam, & posuit galeam in capite: & circumdatus est vestimento vindictæ, & pallio Zeli, quasi retributurus retributionem opprobrium adversariis suis, & vindictam hostibus suis: insulis vicem reddet. Et timebunt qui ab Occidente, nomen Domini, & qui ab ortu Solis nomen eius inciytum. Veniet enim quasi fluvius violentus ira eius: veniet cum furore. Et veniet ex Sion qui liberat, & avertet impietates à Iacob. Dixit Dominus omnipotens. Et David: *Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum * tuorum: & exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandasti, & Synagoga populorum circundabit te: & propter hanc in altum regredere. Dominus iudicat populos.* Vide ut apta & composita sit sententia. Explicata primum his verbis ex inferis resurrectione. *Exurge Domine in ira tua*, id est, furore gloriæ tuæ ad Iudææ internecionem: subiungit: *exaltare in finibus inimicorum tuorum:* in cœlo una cum Angelis super nubes conscendens. *Et exurge Domine Deus meus in præcepto quod mandasti*, quando? cum in terra corporatus visus es, & inter homines versatus. Gemina sunt autem & illa Evangelistæ verba: *Tunc sedebit Filius hominis super sedem maiestatis suæ: & congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis:* quod idem est cum illo prophetico: *& Synagoga populorum circundabit te.* Ceterũ ut æternum ac perenne tempus significet, addit, *& propter hanc* (causam, ob verum nempe iudicium) *in altum regredere:* ostendens alium iustum iudicem esse nullum, nisi te solum, qui prius, ad hominum salutem, post ad iudicium è cœlo descendisti, rursumque in cœlos ascendisti. Ideoque charus ille discipulus tonat: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* Ieremiæ quoque hæc sunt verba: * *In tempore illo vocabunt Hierusalem Solium Domini: & congregabuntur omnes gentes ad eam.* Quin & Salomon ait: * Repelle iram à corde tuo, & aufer malitiam à carne tua; usquequo non obtenebrescat Sol & Luna, & stellæ non dabunt lumen suum; iis verbis secundum Christi adventum innuens, cum universum hoc omne mutabitur, & quasi refingetur. Et David; *Quoniam ecce Reges terræ congregati sunt, convenerunt in unum: ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt, commoti sunt, tremor apprehendit eos: ibi dolores, ut parturientis.* Et * Michæas,

[Margin: Ps. 17. 11; Ps. 20. 14; F; * LXX. Mich. 4. 13; * LXX. Mich. 6. 1; * LXX. Isa. 46. 13; Soph. 1. 7; Zach. 6. 12; * m. s.; Isa. 59. 17. 18 & seqq.; G; Ps. 7. 7. 8; * m. s.; Mat. 25. 31. 32; H; Ioan. 3. 13; * LXX. Ier. 3. 17; Eccl. 11. 10. & 12. 2; * LXX.; Ps. 47. 5. 6; * Malach.]

[A] [* LXX: m. f. Ag. 2. 21.] chæas. * Ecce dies Domini venit ardens ut cliba-nus: & comburet, & erunt omnes impij, & peccatores, sicut stipula, & succendet eos dies veniens, & non relinquetur ex eis ramus, neque radix. Aggæus, Adhuc semel ego commovebo cœlum & terram, & mare, & aridam, & commovebo omnes gentes. Isaias: [Isa. 50. 3.] Induam cœlum tenebris, & quasi cilicium ponam operimentum eius. [Ps 49. 1.] David: *Deus deorum Dominus locutus est, & vocavit terram: à Solis ortu usque ad occasum: ex Sion species decoris eius: Deus manifeste veniet.* Non ut ante, mansuetus, quasi mitis agnus, quasi gutta leniter in vellus defluens, quasi ovis ad cædem pertracti, & quasi agnus innocens ducendus ad victimam. Sed gloriose veniet, id est, regie, atque ut Deum decet, augustis stipatus Angelis, cunctisque copiis cœlestibus comitatus, ab omni æternitate, in omnemque æternitatem, & insuper regnans. Igitur, [B] [Ioel 3. 4.] *Veniet Deus noster, & non silebit: ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida. Advocabit cœlum desursum, & terram discernere populum suum. Congregate illi sanctos eius, qui ordinant testamentum eius super sacrificia.* [Ps 61. 12. 13.] Et alibi: *Semel locutus est Deus, duo hæc audivi*, quæ nam illa? in terra Deus, in cœlis homo. Addit orationem confirmans. *Quia potestas Dei est: & tua Domine misericordia: quia tu reddes unicuique iuxta opera sua.* [Heb. 2. 18] Eumque secutus Paulus vociferatur. *In eo enim, in quo passus est ipse, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.* [Soph. 1. 17] Et per Sophoniam Deus pater confirmat. *Et tribulabo homines & ambulabunt ut caci, quia Domino peccarunt.* Videtis? non dixit: quia *mihi peccarunt*, sed, *Domino*: charissimo enim Filio pœnas irrogarunt, secundum assumptum. [* LXX. ibid. 18. * LXX.] * Ideo; Effundam sanguinem eorum * sicut pulverem, & carnes eorum sicut stercora boum: & argentum eorum, & aurum eorum ventilabo tanquam pulverem: & non poterit eruere eos in die iræ Domini: quoniam in igne Zeli consumetur omnis terra.

[C] [Ioa. 5. 22.] Observate sane, non ait: *in die iræ meæ*, sed, *in igne Zeli eius*: Unigenito iudicij potestatem tribuens. Itaque & meus Servator ait: *Neque Pater iudicat quenquam: sed omne iudicium dedit Filio.* [Ps 96. 3.] Et de Filio David: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* En ut Deus iterum veniet corporatus: Nam quas alias inimicitias Christo potuerunt homines obiicere, secundum divinam eius & immortalem naturam nisi humana supplicia, quæ à Iudæis sustinuit? Quapropter væ illius inimicis ea die. [Ps 49. 6.] Idem rursum: *Annunciabunt cœli iustitiam eius: quoniam Deus iudex est.* [* Ioel 3. 12. 13. & seqq.] * Ezechiel vero sic habet: Consurgant ascendant omnes gentes in vallem Iosaphat; quia ibi sedebo, ut iudicem omnes gentes in circuitu. Emittite falces, quoniam maturavit messis, introite, calcate; quia plenum est torcular, redundant torcularia, quia repleta sunt mala eorum. Sonitus exauditi sunt in valle iustitiæ. Sol & Luna obtenebrabuntur, & stellæ occidere facient splendorem suum. Dominus autem de Sion clamabit, & de Hierusalem dabit vocem suam: & movebitur cœlum & terra: Dominus autem, parcet populo suo. [D] [Deut. 32. 36. 2. Machab. 7. 6. & Ps. 134. 14.] Et Moses: *Iudicabit Dominus populum suum: & in servos consolabitur. Servos* appellans *sanctos*, qui & meditantur iustitias eius, & faciunt mandata eius. *Populum* vocat impios & nocentes peccatores: unde hos iudicabit, in illis consolabitur. [Isa. 66. 15.] Isaias hæc ita prosequitur: *Ecce Dominus sicut ignis veniet, & sicut procella currus eius, reddere in furore ultionem suam. & increpationem suam in flamma ignis: in igne enim Domini iudicabitur omnis terra.* [Ps 95. 11. 12.] David: *Lætentur cœli, & exultet terra: commoveatur mare & plenitudo eius, gaudebunt campi, & omnia quæ in eis sunt. Tunc exultabunt omnia ligna sylvarum à facie Domini: quia venit: quoniam venit iudicare terram. Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua.* Itane Vates? cum mortales omnes horrere atque ad Dei aspectum tremere alij prophetæ prædicant, tu cœlum, terram, saltus atque colles gaudere ac ovare canis? Sane inquit: Nam veniens Deus iis, qui se ut Deum agnoverint, & præcepta servaverint, immortalitatem, perennem vitam, atque regnum largietur, dicet enim: [E] [Mat. 25. 34.] *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Quod si omnes campi, cunctæque arbores silvestres gaudebunt & ovabunt; at in priore adventu, tunc enim gaudium, & ovationem omnia nacta sunt. Ceterum in secundo iusti duntaxat iis potientur. Siquidem execrabiles, atque in exteriorem ignem abeuntes ingentem, intolerabilem, acerrimam ululationem sentient. Quare cum dicit: *quia venit*: priorem adventum significat: cum repetit: *quoniam venit iudicare terram*: alterum repræsentat, quo non libertas, atque salus, sed damnatio ac supplicium agetur. Nam creator & Dominus cum inclinans cœlos descendit, ac benignitatem suam probavit, tum de humanitate, tum de iudicio testatus est: [F] [Ioan. 11. 25. 26.] de illa enim ait: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet: & omnis qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum* eandem alibi declarat benignitatem: [Mat. 9. 13] *Non veni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* [Ioan. 15. 22.] De iudicio agens ita loquitur: *Si non venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Et rursum: *Qui me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* [Ps. 96. 7.] Atque id verum esse ostendit Vates: *Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulachris suis.* [Ps 82. 17] Idemque de perdite sceleratis: *Imple facies eorum ignominia, & quærent nomen tuum Domine. Erubescant & conturbentur in sæculum sæculi: & confundantur & pereant.*

Docent autem pœnarum finem fore, & piaculari igne peccata consumptum iri existimant, ac sic denique ad perennem vitam atque voluptatem transire expectant, interpretatione illius Pauli sententiæ: [1. Cor. 3. 13.] *Quia in igne revelabitur, & uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit. Si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* [G] Sed * enim neutiquam *suppliciorum finem hæc adstruunt, sed contra potius eorum augmentum*: (* *& id quidem semper fore, & peccatorem in æternum*) *comburendum servatum iri.* [* interpres omisit 11. lineas. * τὸ ...] Et id quidem integrum mansurum, & peccatorem in æternum comburendum reservatum iri. Licet ipsi illud quod * non consumat, & semper in flamma retineat, argumentum salutis & remissionis arbitrentur. [* vel fortè consumat.] Si vero dictis sancti Pauli sic adversantur, &, ut non oportebat, contradicant, tamen à sancto Davide redarguuntur. Si enim ipse docuit aperte, confusionem, & conturbationem, & in infernum conversionem sempiternam fore, mendax est illorum expectatio alicuius vel levissimæ cessationis. Et alio Psalmo idem dicit: *Quoniam probasti nos Deus: igne nos examinasti sicut examinatur argentum: induxisti nos in laqueum posuisti tribulationes in dorso nostro, imposuisti homines super capita nostra. Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium.* Sed hic tantum. Non enim solum præsentis vitæ inæqualitatem, & humanarum rerum conversionem, ac vicissitudinem iis verbis declaravit. Hic eorum perniciem exploratius demonstrans, subdit: [H] [Ps. 82. 19] *Et cognoscant quia nomen tibi Dominus: tu solus Altissimus in omni terra.* Tu solus supremus es, qui solus è supremis descendisti, solusque citra peccatum homo factus, ab omni æternitate Dominus & totius universi rex atque Deus es. Consonat Davidi de æterno supplicio & Isaias: [Isai. 66. 23. 24.] *Veniet omnis caro, ut adoret in conspectu meo in Hierusalem: Dicit Dominus. Et egredientur, & videbunt cadavera hominum, qui prævaricati sunt in me. Vermis enim eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt in visionem omni carni.* [Dan. 12. 2. 3.] Daniel quoque in eundem modum de æternitate suppliciorum: *Multi de his qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt: alij in vitam æternam, & alij in opprobrium & confusionem æternam. Et intelligentes fulgebunt quasi splendor firmamenti: & de iustis plurimis, quasi stellæ in sæcula, & ultra.* Quod si hęc vaticinia dicta insane ardebũt evertere, Domini certe exploratis verbis cõtinebũtur, negãtis maiorẽ

esse hero servum, aut præstare discipulum magistro. Ille enim proprie & vere magister est, qui Dei & Patris voluntaté, cui est potestate, & honore, atque natura par, non tantum auditu edoctus discipulis prodidit. Quæ est autem liquida Servatoris sententia? *Et ibunt hi in supplicium æternum*: (de sontibus loquens) *iusti autem in vitam æternam* Et * Michæas: *Ecce venit, dicit Dominus omnipotens: & quis sustinebit diem adventus eius: aut quis ferre poterit ut aspiciat eum? quia ipse ingreditur, quasi ignis conflatory, & quasi herba lavantium, sedebit conflans, & emundans sicut argentum, & sicut aurum.* Quod illi Davidis geminum est: *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Salomon ita item proponit: *Tunc stabunt iusti in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ salutis.*

Ceterum David non iudicium modo, sed locum adeo iudicij prodidit, in hæc verba: *Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus: Stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem: Hierusalem, quæ ædificatur ut civitas cuius participatio eius in idipsum: illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini, testimonium Israel, ad confitendum nomini Domini: quia illic sederunt sedes in iudicio, sedes super domum David.* Et Esaias: *Tunc stabit in iudicio Dominus, & statuet ad iudicium populum suum. Ipse Dominus ad iudicium veniet cum senioribus populi & cum principibus eius.* Et insuper. *Hæc dicit Dominus. Die illa illucescet Deus in consilio cum gloria super terram, ut exaltet & glorificet residuum Israel. Et erit, quod reliquum fuerit in Sion, & quod remanserit in Hierusalem, sancti vocabuntur omnes scripti ad vitam in Hierusalem. Abluet enim Dominus sordem filiorum & filiarum Sion: & emundabit sanguinem de medio eorum in spiritu iudicij, & spiritu combustionis.* (Ubi per duo iudicia requietem atque pœnam significat.) *Et veniet Dominus, & erit omnis locus montis Sion, & omnia quæ in circuitu eius sunt, obumbrabit nubes per diem, & tanquam fumo, & luce ignis ardente per noctem, & omni gloria protegetur. Et erit in umbraculum ab æstu per diem, & in protectionem, & in absconsionem ab asperitate & pluvia. Et humiliabitur homo, & dehonorabitur vir, & oculi sublimes humiliabuntur: & exaltabitur Dominus Sabaoth in iudicio, & Deus sanctus glorificabitur in iustitia.* Et alibi: *Prope est dies Domini, & contritio à Deo veniet. Propter hoc omnis manus dissolvetur, & omnis anima hominis formidabit. Turbabuntur Legati, & dolores eos tenebunt, quasi mulieris parturientis: & condolebunt alter ad alterum, & stupebunt, & faciem suam quasi flammam immutabunt. Ecce enim dies Domini venit insanabilis, furoris & iræ, ad ponendum orbem terræ desertum, & peccatores perdendos ex eo. Stellæ enim cæli, & Orion, & omnis ornatus cæli, non dabunt lumen: & obtenebrabuntur oriente Sole: & Luna non dabit lumē suum. Et mandabo universæ terræ mala, & impiis peccata eorum: & perdam superbiā iniquorū, & contumeliā superborū humiliabo. Et erūt qui derelicti fuerint, honorati magis quā aurū incoctū: & homo magis honoratus erit, quā lapis de Suphir. Cœlū enim indignabitur, & terra concutietur à fundamētis suis, propter furorē iræ Domini Sabaoth, in die illa, qua supervenerit furor eius.* Alio loco sic idē istęc prosequitur. *Consurget Dominus Sabaoth in valle Gabaon: cum furore faciet opera sua, amaritudinis opera: & furor eius aliena utetur, & amaritudo aliena & vos nolite lætari, neque confortentur vincula vestra: quia consummatas & abreviatas res audivi à Domino Sabaoth, quas facturus est super omnem terram.* Et capite sequenti hæc habet: *Cum viderint opera mea, sanctificabunt nomen meum, & sanctificabunt, sanctum ipsius Iacob & Deum Israel timebunt.* Amos hæc reliquit: *Qui ædificat in cælo ascensionem suam, & securitatem suam super terram fundat: qui vocat aquam maris, & effundit eam super faciem terræ.*

Notate diligenter conceptam inverso ordine sententiam. Nam quod dicit, huiusmodi est. Omnipotens ille, & universi molitor Deus, qui maris aquas in totius terræ solum effundit, ad extremum in terram suam stabilitatem defigens, id est, citra peccatum homo factus (nam stabilitas sic Filij corpus) incarnatus, & contracto corpore inter nos servos versatus, suos in cœlo gradus ædificavit. Ioel: *Sol convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & illustris. Et erit: Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Et per Sophoniam Deus: *Tribulabo homines, & ambulabunt ut cæci, quia Domino peccaverunt.* Equidem non dixit Deus: quia mihi peccaverunt, sed Domino, scilicet charissimo Filio. Itaque & Dominus meus maiores vestros alloquens ait: *In iudicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant.* Ieremias: *Aspexi super terram: & ecce nihil: & in cælum: & non erant lumina eius, & vidi montes: & ecce erant trementes, & omnes colles turbatos à facie Domini.* Et David: *Vidit, & commota est terra: montes & omnes colles sicut cera fluxerunt, quia venit Dominus, quoniam venit iudicare terram. Iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in veritate sua.* Veritas autem est ipsius Unigenitus, ut in Evangelio ipse confirmat. *Ego sum via, veritas, & vita.* Et Esaias iterum: *Exultabitur Dominus solus in die illa: & arguet populum multum.* Quorū verborum hic est sensus. Veniet Christus in sublimi, inque sua divina maiestate, qui condemnabit non omnes, sed refractarios, & eum non reveritos. Et per Ezechielem Deus: *Unumquemque in viis suis iudicabo vos domus Israel:* Vivo ego, dicit Dominus. Quid ais Vatcaltane ut vitæ autorem vivere in ore profiteare, qui spiritum & vitam cunctis viventibus inspiraverit. Sane inquit, non secundum divinam naturam Deum vivere confirmo, nihil minus (nam ea immortalis est ac perennis) sed secundum humanam. Factus enim est propter nos homo ille hominum amantissimus, & corruptelæ permissum corpus ad extremum immortale & incorruptum reddidit, ac perpetuo victurū produxit. Et quis vero est, qui eum peremit? Israelis genus, qui Pilatum sic aggressi sunt: *Domine recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Iube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium: ne forte veniant discipuli eius, & furentur eum nocte; & dicant plebi: Surrexit à mortuis: & erit novissimus error peior priore.* Quapropter velut ex eius persona clamat Ezechiel: Equidē non sum, quod falso tenent Iudæi, mortuus, sed ita vivo, ut pro suis quemque moribus sim iudicaturus. Vere enim gloriosum videbitis, ut cum divino Zacharia loquar, quem confixistis. Salomonis quoque hæc sunt verba: *Dominus corda omnium noscit: & qui figuravit spiritum omnibus: ipse novit omnia, qui reddet unicuique iuxta opera eius.* Unde & Dominus meus Salomonis sententiam confirmans in Evangelio ait: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio.*

Ceterum, ut firmiorem eorum quæ diximus, veritatem statuamus veniat ad partes & Daniel ille admirabilis, vir gratiosus, & quæ corporatus adhuc obiens in terra, ingentia, supraque humanum captum posita, conspexit, edat. *Aspiciebam*, inquit, *in visione noctis: & ecce cum nubibus cæli, quasi filius hominis veniens: & usque ad antiquum dierum pervenit: & obtulit se in conspectum ipsius: & datus est illi principatus, & honor, & regnum. Et omnes populi, tribus, & linguæ ipsi servient. Potestas eius, potestas sempiterna, quæ non peretransibit: & regnum eius, quod non corrumpetur. Horruit spiritus meus, in habitu meo, & sensus meus, & cor meum turbatum fuit. Et accessi ad unum assistentium, & veritatem quærebam ab eo discere de omnibus his. Et dixit mihi veritatem, & interpretationem sermonum notam mihi fecit. Et, in tempore illo consurget Michael princeps magnus qui stat pro filiis populi tui. Et erit tempus tribulationis, tribulatio qualis non fuit, ex quo factus est homo super terram, usq. ad tēpus illud. Et in tēpore illo salvabitur populus tuus omnis, qui scriptus fuerit in libro: & multi de his qui dormiūt in terræ pulvere evigilabūt, alij in vitā æternā, & alij in opprobriū & confusionem æternā. Et intelligētes fulgebūt quasi*

splendor

splendor firmamenti: & de iustis plurimis, quasi stella in secula: & ultra. Et tu Daniel claude sermones, & signa librum usque ad tempus consummationis, donec doceantur multi, & multiplicetur scientia.

Atque in hunc modum nos quoque contra Ecclesiæ lupos, vules eius alumni decertavimus. In quo si pro dignitate diximus: habendæ Deo grates, sin minus, etiamsi habendæ grates inenarrabili & incomprehensæ ac præstanti eius divinitatis gloriæ, quam non humana solum ac terrestris natura, ut meretur laudare nequit, sed ipsæ adeo cœlestes virtutes id assequi non possunt. Si enim vel Angeli ægre ad tantam dignitatem assurgant, inquit Greg. ille Theol. excellens; quin addit: siquidem illis etiam ad summas & extremas laudes fas sit contingere. Nos quidem certe (illius clementia perspectâ) veritatis studium, quasi vidua illa duos teruncios, sanctum & sacrum esse iussimus. Nam ex sacra scriptura id Deo gratum esse didicimus, quod pro virili elaboratum est. Igitur Regi sine principio, & immortali seculorum autori, soli sapienti Deo, gloria, potestas, honor atque cultus, cum Unigenito, & eiusdem naturæ, ac compotenti Filio, & ter sancto, bono ac vivifico spiritu, nunc & semper, atque in omnem seculorum perpetuitatem, Amen.

Nazian. in S. Pascha.

FINIS.

THEODORI LECTORIS EX HISTORIA ECCLESIASTICA Collectaneorum,

LIBER PRIMUS.

EX AUBERTO MIRÆO in Bibliotheca Ecclesiastica.

THeodorus Anagnostes sive lector Ecclesiæ Constantinopolitanæ (ut Suidæ continuator testatur) scripsit Collectanea historiæ Ecclesiasticæ, excerpta ab ore Nicephori Callisti Xanthopuli. Incipit à morte Theodosij Iunioris, & desinit in Iustino Thrace; qui anno quingentesimo decimo-octavo imperare cœpit. Vixit autem Theodorus Anagnostes sub annum millesimum trecentesimum vigesimum.

THEODOSIUS iunior ad venationem egressus, & in fluvium Album abreptus, sequenti nocte mortuus est, & in monumento Arcadij Patris ipsius sepultus. Et Eudocia Imperatrix Hierosolymam profecta non est amplius reversa. Marina adhuc virgo in palatio ante fratrem obiit. Et Chrysapium Tzumam Pulcheria interimit. Pulcheriæ Eudocia imaginem Matris Christi quam Lucas Apostolus pinxerat, Hierosolymis misit.

Martianus Illiricus genere, cum tribunus esset, & ætate provectiore, inque bellis gerendis strenuus, Imperator à toto exercitu creatus est. Hic confestim decrevit, nemini per pecuniam conferendum esse Magistratum.

Magistratus per pecuniam non cõferendi.

Martianus & Pulcheria Leoni Papæ Romano scripserunt, illique cunctam authoritatem tribuerunt. Constituta sunt autem ea de re & mandata, scripsitque Imp. singulorum locorum Episc. Leo vero Episcopus Nicænæ synodo quæ futura sperabatur præclaram Epistolam scripsit, quæ etiam in actis Chalcedonensis synodi habetur, & ab illius historico scriptore inserta est.

Cum Nicææ Episcopi undequaque essent congregati, Martianus in Thracia moram trahens, synodo excusandi gratia scripsit, illamque Chalcedonem transferre sategit, ut in illa, ipse ad exemplum divi Constantini, coram adesset. Hoc itaque pacto synodus Chalcedonem translata, & in templo sanctæ Euphemiæ Martyris celebrata est, in qua multa ac necessaria dogmata una cum aliis necessariis rebus determinata sunt, quorum cognitio & multiiuga utilitas ipsa Actorum actione declaratur, sicut & XXVII. Canonum expositio, quibus omnibus perfectis Episcopi, & omni genere honoris ab Imperatoribus honorati sunt, & ad suam quisque Civitatem in pace reversi.

Divus Cõstãtinus.

Pulcheria pia moritur, multis post se præclaris factis & cunctis bonis quæ habuit ad sustentationem pauperum relictis, quibus Martianus non contradixit, sed cunctorum necessitatibus animo propenso servivit. Possedcrat autem Pulcheria oratorias quoque domos multas, eam quæ Blachernensium, & quæ Chalcoprateiorum, deinde & Hodegorum, ad hæc & quæ Laurentij Martyria erat.

Pulcheriæ Mors.

Martianus ad supplicationes quæ in campo fiebant pedes egressus, multa largitus est egenis. Anatolium vero Episcopum hortatus est, ut secundum consuetudinem verbis illius Episcoporum, à Tauro ad Campum usque vectus supplicaret. Hic cum Martianum pedes ingredientem videret, pedes & ipse supplicavit.

Martianus cognitis quæ contra Romanam civitatem & Imperatrices ab Aphris fierent, pro maiestate imperij commotus ad bellum se paravit. Contigit autem, ut ad supplicandum in campo egrederetur vicesima sexta Ianuarij. Eligitur autem in Imperatorem Leo quidam natione Thrax, dignitate tribunus. Timotheus autem cognita Martiani morte contra Proterium insurgit, illumque in Colymbethra Ecclesia occidi curat, necatumque trahi & igni tradi.

Timotheus Ælurus, antequam occideretur Proterius, nigra veste indutus, in cellis Monachorum noctu circuibat, & unumquenque Monachum ex nomine vocabat, cum autem illi auscultarent, unum se ex ministratoriis spiritibus esse dicebat, ad hoc missum, ut cunctis ediceret, ne cum Proterio communicarent, sed Timotheum Ælurum Episcopum designarent, hoc pacto cunctis sese insinuans.

** Caute lege, nam auctoritas Romani Pontificis non ab Imperatoribus est, sed à Deo immediate. Tantum igitur suis edictis Imperatores statuerunt, ut iuxta divinam institutionem omnes Romano Pontifici essent subiecti: ipsum divinum ius suis etiam sanctionibus stabilientes.*

**Proterij Mors.*

Ælurus vivente adhuc Proterio à depositis Episcopis ordinatur, ac confestim turbis Ecclesiam ac tumultuationibus implet.

Nisibinus erat magnus Iacobus: quam autem ille præclarus fuerit, factum eius in puellis lavantibus ostendit, quæ verbo Iacobi, caniciem mox contraxerunt, & fons ipse exaruit, quem tamen precibus suis restituit, puellas vero in canicie reliquit. Sciendum autem Iacobum illum qui miraculum hoc circa fontem & puellas operatus est, non eum esse qui ad encyclia rescripsit. Hic Nisibinus temporibus Constantij vixit. Veruntamen & alter ille Iacobus magnus erat & clarus miraculis, sicut Theodoritus in pia historia dicit.

Timothei Æluri fraus. Iacobus Nisibinus.

Urnam Theodoritus magno Iacobo ad sepulturam paravit, ipsum tamen Theodoritum priorem mo[rs con-]

tigit.

rigit. In eandem tamen & ipse magnus Iacobus est conditus.

Symeon Stylites.

Symeon à vico Sisan erat. Hic primus studium columnarum excogitavit, magnus effectus, sicut Commentarij de illo indicant.

Mortuo Anatolio Gennadius Ecclesiæ Presbyter eligitur, suffragatore Acatio orphanorum nutritore. Designavit autem Gennadius Martianũ Oeconomum, ad Ecclesiam relicta Catharorum secta translatum, qui mox atque œconomus esset factus, quæ in unaquaque Ecclesia offerebantur ab eius loci Clericis auferri decrevit, donec magna Ecclesia cuncta illius acciperet.

Clerici.

Leo statuit ut dominicis diebus ocium servaretur ab omnibus, nec quicquam operis in illis fieret, sed venerabiles essent. Deinde ut apud Eparchum prætorianum solum responderent Clerici. Hic Leo neminem ordinavit Psalterij ignarum.

Christi Imago.

Sub Gennadio pictoris cuiusdam manus exaruit, qui loco Iouis servatorem pingere præsumpserat; quem Gennadius precibus suis curavit. Dicit autem qui ista scribit, aliam formam servatoris veritati magis consonam esse, quæ crispis sit, & modicis capillis.

Eleutherio Martyri Gennadius propter unum templi ipsius Clericum significavit dicens: Miles tuus in eondite se gerit, aut corrige eum, aut abijce. Ille vero confestim tanquam reprobus est mortuus.

Sub Gennadio Studius Templum Sancti Ioannis acquisivit, inque illo Monachos ex Acœmetis constituit, Gratissimus vero Præpositus Templum Sancti Cyriani accepit, in quo & Monasticum habitum induit, ac simul præpositi munus adimplevit.

Fraternitas.

Daniel præclarus à Monasterio Symeonis profectus ad columnam quæ in Anaplo est ascendit. Anthimus & Timocles fabricatores Tsopasiorum contra fraternitatem divisi sunt. Verum quotquot Chalcedonensi synodo faverunt, illi Anthimo adhæserunt. Ipse namque nocturnas quoque vigilias instituit, qui autem à synodo iam dicta dissidebant, Timocli iuncti sunt.

Cum Martyrius Antiochenæ Ecclesiæ Episcopus esset, Zenon prætor gener Leonis Imp. filiam illius Ariadnem uxorem habens, Antiochiam venit, hunc Zenonem Imp. generum secutus est Antiochiam usque Petrus cognomento Cnapheus, Templi Bassæ Martyris quod Chalcedone est Presbyter. Captus autem ambitione sedis eius Civitatis Zenoni persuasit ut se iuvaret. Quibusdam igitur ex iis qui Apolinarij peste infecti erant mercede conductis, innumeras turbas contra fidem & Martyrium Episcop. excitavit, eosque anathemati subiecit, qui non dicebant Deum esse Crucifixum, ita ut & populum in hoc dissidium induxerit. Hic Petrus in Trisagio adiecit, qui Crucifixus est pro nobis.

Evangelia contra incẽdiũ.

Martyrius cum ad Imp. venisset studio & adhortatione Gennadij multo est cum honore dimissus Antiochiam vero reversus cum Antiochenos tumultuationibus & seditionibus delectari, & Zenonem ad hoc illis esse subsidio cerneret, Episcopatum renunciavit, dicens in publica Ecclesia: Clero immorigero, & populo rebelli, & Ecclesiæ contaminatæ renuncio, servata interim mihi Sacerdotij dignitate.

Post secessum Martyrij Cnapheus sedem Episcop. tyrannice invasit, & statim Ioannem quendam antea depositum Apamiæ Episcopum ordinavit. Quo cognito Gennadius Imp. cuncta significat, qui Cnapheum in exilium ablegari iubet. Ille autem cum id præsciisset fuga elapsus exilium evasit. Iulianus vero communibus suffragijs Episcopatu potitur.

Magnum etiam est eo tempore incendium, altera Septemb. quod à navali portu sumpto initio usque ad Ecclesiam sancti Thomæ Apostoli, quam Amantij vocant, pervenit. Martianus vero œconomus ad tegulas Ecclesiæ sanctæ Anastasiæ ascendit, & Evangelijs manu prehensis, lachrymis & precibus domum illam illæsam servavit.

Leo Imperator Cæsarem designavit Leonem iuniorem filium Ariadnæ filiæ ipsius ex genere suo Zenone.

Per id Temporis pulvis descendit mense Novembri, visis antea nubibus cœli ignitis, ita ut quotquot viderunt, cœlitus descendisse dixerint.

Leo Imperator exercitum in Africam contra Sindericum misit. Erat autem exercitus adeo numerosus, ut nautarum qui illum transportabant, septem millia fuerint.

Basiliscus vero, cuius ductui ac potestati concreditus erat exercitus, qui frater erat Berinæ coniugis Leonis, cum nondum vincendum esset Sindericus, acceptis pecunijs, cuncta adhortante Aspare prodidit.

Spectrũ Demoniacum.

Gennadius cum noctu ad altare orandi gratia descendisset, spectrum quoddam dæmoniacum vidit, quod cum increpasset, huiusmodi clamorem emittere audivit, quo seipso vivente quiescere tandem vero post mortem ipsius Ecclesiam vastaturum dicebat. Metu huius Gennadius domino plurimum supplicavit, ac paulo post vitam hanc finivit.

Leo iunior Patrem suum Zenonem Imp. in Hippodromo designavit, cum decem duntaxat menses imperasset, ac confestim mortuus est.

Basiliscus frater Berinæ sororis magni Leonis, cum in Heraclia Thraciæ moraretur contra Zenonem consultat, Berina potissimum cooperante & cum hac quibusdam alijs ad illum pertinentibus, quod cum Zenon cognovisset, accepta Ariadne, & pecunia quantum avehere potuit, in Isauriam fugit.

Basiliscus Imperator declaratur in campo, & Marcum filium suum Cæsarem, & Zenonidem coniugem, suam Augustam constituit, ac mox fidem subvertere cœpit, Zenonide ipsum maxime contra orthodoxiam impellente.

Monasterium Acœmetorum.

Ælurus Basiliscus edicto revocavit, & Cnapheus Monasterio Acœmetorum prodijt (nam illic fuerat absconditus) & quotquot Chalcedonensi synodo adversabantur, accepta libertate contra eum movebantur.

Ælurus incondita Alexandrinorum turba coacta, ex ædibus Basilisci una cum illis supplicando ad Ecclesiam asino vectus progressus est. Cum autem ad locum venisset qui octangulos dicitur, graviter prolapsus cecidit, ac fracto crure cum pace reversus est.

Basiliscus edicto synodum Chalcedonensem reprobavit, & ut illi adversaretur Ælurum Alexandriam & Cnapheum Antiochiam misit.

Amictus Altaris, niger.

Publico edicto Basiliscus synodum illam reprobari iussit. Vrsit autem & Acatium, ut idem & ipse faceret, quod tamen obtinere non potuit, quod cuncta Civitas una viris & mulieribus contra Basiliscum in Ecclesia congregaretur, & Acatius seipsum & sedem & altare nigris amiciret. Daniel vero magnus ille de columna descendit, ac divino zelo motus una cum populo & Acatio in Ecclesia comparuit.

Imperator populi vehementiam veritus urbem egressus, ac senatui mandavit ne Acatio communicarent, populus enim urbis minabatur incendium. Daniel vero Monachis acceptis, & multitudine populi ad Imp. exivit, cui & Olympius Monachus magna cum libertate loquutus est.

Basiliscus cognito Zenonis motu, quem Isauriæ excitaverat, Zenonidem coniugem suam sumit, & Acatio se & clero & Monachis in Ecclesia, purgat, sedique illius iura sua restituit, & alio edicto priora abrogat.

Divina mensa.

Zenon brevi tempore ad urbem venit, quo præcognito Basiliscus ad Ecclesiam se recepit, ibique Imperatorium ornatum divinæ mensæ imponit, & ad baptisterium cum coniuge sua Zenonide fugit. Zenon vero cum primum Ecclesiam ingressus esset, Deoque gratias egisset, in palatium venit.

Basiliscus & Zenon ad Busamos missi sunt, ibique plurimum afflicti vitam finierunt.

Martianus affinis Zenonis illi contradixit, eo prætextu, quod Leontia coniux ipsius Leonis cum eo impe-

rio potiretur, Ariadne vero Zenonis coniunx adhuc priuata nata esset.

Bello graui inter Zenonem & Martianum orto, Martianus potenter victo euasit, cunctosque ad Zenonem pertinentes comprehendit, & in palatio custodiæ tradidit opera Romuli & Procopij fratrum suorum adiutus. Tandem in Zeuxippo lauantes capti. Et Martianum quidem ab Acatio Presbyterum ordinari curarunt, & in castellum Papyrij, quo & Berinam paulo post miserunt, ablegarunt Romulus vero & Procopius saluti suæ fuga in occidentem elapsi consulerunt.

COLLECTANEORVM, Theodori Lectoris,

LIBER II.

Reliquiarum honos.

ZENON Illum vetitus Episcopis contradicere non audet. Calandion petitas à Zenone Eustathij reliquias è Philippis Macedoniæ, vbi ille in exilio mortuus fuerat, Antiochiam detulit, quas maximo cum honore exceperunt. Tota siquidem Ciuitas & omnis ætas, vt ita dicam, ad decem & octo milliaria vrbem in occursum illarum egressa est. Qui vero ad id vsque temporis separati ac diuisi propter Eustathium fuerant, Ecclesiæ post centum annos à morte illius coadunati sunt.

Reliquiæ D. Barnabæ

Reliquiæ Barnabæ Apostoli inventæ sunt in Cypro sub arbore ceratea, habentes sub pectore Evangelium Matthæi manu ipsius Barnabæ scriptum: qua occasione Cyprij victores euaserunt, vt Metropolis ipsorum liberum habeat Episcopatum, nec Antiocheni Episcopi iurisdictioni subsit. Evangelium autem illud Zenon in palatio sub alia corona condit.

Illus tyrannidem contra Zenonem per omnia manifestauit. Quum Tarsum venisset, Berinam Imperatricē à castello Papyrij eduxit, in quo propter Basiliscum custodiebatur, illique persuasit, vt Leontium consulem Imp. coronaret, quo facto, Berinam ad castellum remiserunt, & ipsi Antiochiam reversi, denuo se maiestati imperij accommodarunt.

Illus cum Leontio post multa prælia quadriennio custoditus, proditione coniugis captus est, Promondo ad id è palatio à Zenone misso, à quo etiam capitibus vtrique sunt truncati.

Schola Persica Edessæ.

In ciuitate Edessa locus quidam doctrinæ erat Persicæ, vt aiunt, scholæ, vnde Persas Nestorianam opinionem contraxisse puto, quod nonnulli Nestorio adhærentes, & loco Theodori præsidentes dogmata sua quibus delectabantur Persis tradiderint.

Imperator ad fidei Confessionem coactus ab Episcopo.

Zenon Imp. mortuus est, & Silentiarius Dyrrachio oriundus ab Ariadne Augusta Imp. declaratus, cui Euphemius Episcopus restitit, vocans eum hæreticum & indignum qui Christianis imperaret. Ariadne vero & senatores Euphemium vi tractum cogunt. Ille vero consentire noluit, quin Chalcedonensis synodi decreta determinationi fidei inserta comprobaret, quod ille etiam fecit.

Manichæi & Arriani lætabantur propter inaugurationem Imp. Anastasij: Manichæi, quod Mater illius zelo ac studio ipsorum prædita esset, Arriani vero, quod Clearchum auunculum Anastasij consentientem haberent. Anastasius traditam confessionem cum imperium obtinuisset, constanter ab Euphemio repetit.

Quoniam Isauri, multa insolentia & inhumana, Constantinopoli perpetrabant, cunctos vrbe eiecit. Illi vero egressi tyrannidem exercuerunt, & excursiones ad Cotyaium vsque fecerunt, contra quos Imp. Ioannem Scytham, & Ioannem Cyrtum cum exercitu misit. Cum autem bellum hoc quinquennium durasset, Anastasius Euphemio Constantinopolitano Episc. hoc cum fiducia concredidit, quod pacis esset cupidus factus, & Episcop. domi præsentes, ea opinione, quasi propter Isauros vocarentur, colligere iussit. Euphemius vero quod sibi erat ab Imp. dictum ad Ioannem Pricium socerum Athenodori, vnum ex ducibus Isaurorum detulit. Ille confestim Imp. cuncta manifestat, quæ res Imperatorem contra Euphemium armauit.

Anastasius deinceps magis pro Imperatoria maiestate quam antea contra Isauros motus, potenter eos deuicit, & per Eusebium magistrum Euphemio nunciat dicens: preces tuæ tibi versæ sunt in peccatum (vel tale quid aliud, nam exemplar græcum hic est mutilum) Qui Euphemio insidiabantur, quendam subornarunt, qui nudato gladio coram Mutatorio caput illius peteret: verum Paulus vindex Ecclesiæ cum procera statura esset, plagam capiti Euphemij destinatam loco Euphemij excepit, & vltus est, & eum qui ensem nudarat vir quidam Ecclesiasticus accepta sera, quam vocant, interfecit.

Anastasius insidias Isaurorum Euphemio acceptas retulit. Et cum tyrannis scripsisset, Episcopos domi præsentes congregauit. Hi vt Imperatori gratificarentur Euphemium excommunicant ac deponunt. Eligit autem Imperator Episcopum Macedonium quendam, Presbyterum Ecclesiæ, & custodem. Populus vero seditionem mouet propter Euphemium, & ad Hippodromum supplicandi gratia currunt, at nihil efficiunt: Perficit Imperatoris resistentia. Macedonius Imperatori morem gerens, concordiæ Zenonis subscripsit.

Hic Macedonius vir erat religiosus & sacer, vtpote à Gennadio edocatus, cuius etiam, vt fama habet, nepos erat ex sorore.

Macedonius.

Euphemium, Imp. in exilium abduci præcepit. Ille vero per Macedonium cautionem petijt, vt sine insidijs inde abduceretur. Macedonius vero, aliquid laude dignum cogitans, vt cautio illi & ratio redderetur consensit, & cum Euphemius in Baptisterio esset, Episcopalia insignia à Diacono sibi ipsi auferri præcepit, atque ita ad Euphemium accessit, factaque mutatione pecunias illi ad sustentandos eos qui cum illo erant dedit.

Festus quidam senator Romanus cum ad Imp. Anastasium propter quasdam ciuiles necessitates missus ad Imperatricem venisset, adhortatus est, vt memoria Coryphæorum Apostolorum Petri & Pauli multa cum reverentia & veneratione celebraretur. Quamuis itaque & antea celebrata esset, tamen ex petitione Festi, multo amplius, & splendidius panegyris illa celebrari cœpit. Per hunc Festum Macedonius Anastasio Romano Episc. rationem reddere voluit, verum ne hoc faceret ab Imperatore est prohibitus. Festus vero, sicuti fertur, Imperatori clanculum pollicitus est, persuasurum se Romano Episcopo, vt concordiæ Zenonis subscriberet. Cum autem Romam venisset, Anastasium Episcopum mortuum reperit. Quapropter studium impendit, vt quod quærebatur quibusdam prætextibus subscriberetur. Multis enim pecunia corruptis id perfecit vt præter consuetudinem Episc. quidam eligeretur, Romanus natione, nomine Laurentius. Ordinantur itaque duo. A pluribus quidem ex Diaconis ordinatur Symmachus, ab alijs vero Laurentius, quorum gratia, Romæ cædes, rapinæ, & alia innumera mala perpetrantur. Cum ad hunc modum talis rerum confusio triennium durasset, Theudericus Apher, Romæ tum temporis potens, licet Arrianus esset, collecta Episco. Synodo, Symmacho Romanum Episcopatum confirmauit Laurentium vero vnius Ciuitatis, nomine Nuceriæ, Episcopum constituit. Verum hic Laurentius non quiescebat, sed adhuc Episcopatum Romanum appetebat, vnde illum Symmachus deponi & in exilium mitti curauit, quo factu quieuit seditio.

Diaconus Apostata, à principe punitus.

Theuderichus Apher Diaconum quendam orthodoxum habuit, quem vehementer dilexit & fouit. Hic Diaconus, hoc se pacto Theuderichо gratificaturum ratus relicta homousiana fide cum Arrianis consensit. Cognito hoc Theuderichus, quem tantopere dilexerat, confestim capite truncauit, dicens, Si Deo fidem non seruasti, quomodo homini sinceram conscientiam seruabis?

Persæ contra Romanos moti multas Ciuitates inuaserunt, ac præsertim Amidenorum. Cum autem Imp. fœdera cum Persis inmisset, Bani Pontum inuaserunt. Anastasius vero bellis occupatus ab infestatione orthodoxorum destitit. Vt autem modicum quietis à bellicis occupationibus accepit, rursus contra Ecclesiam & Macedonium armatus est.

Orthodoxi.

Multas Ecclesias Imp. Anastasius Constantinopoli restaurauit. Contra seditiones populi quæ contra Imperatorem in Ciuitate fiebant, hoc excogitauit, vt Eparchus Ciuitatis Lætanias populi sequeretur. Timebant enim zelum eorum qui pro quarta Synodo incursiones faciebant. Et hoc deinceps in consuetudinem abiit.

Lætaniæ populi.

Inimici Macedonij Eucholium quendam subornarunt, qui gladio illum impeteret. Macedonius vero vt mansuetudinem suam ostenderet munera Eucholio dari præcepit. Tale quid etiam erga sacrilegos quosdam fecit.

Heliæ Hierosolymorum Episcopo mandauit Imper. vt Synodum Episcoporum quos sub se habebat, colligeret, & quartam Synodum condemnaret. Helias vero, synodum quidem non congregauit, ipse vero solus Nestorium, Eutychen, Diodorum, & Synodum Chalcedonensem anathemate damnauit.

Cum hæc gererentur Imperator Macedonium vehementer visit, vt idem & ipse faceret. Ille vero sine vniuersali Synodo, cui magnæ Romæ Episcop. præsideret, nihil se facturum dixit: quare Imperatorem contra se incitauit, qui ob id ad magnam Ecclesiam confugientes inde auelli curauit, & leges libertatis hæreticorum Ecclesiis præbuit.

Pont. Romani primatus in Conciliis.

Deuterius Arrianorum Constantinopoli Episcopus. cum Barbarum quendam, sic dictum, baptizaret, reprobata & corrupta dominica traditione, ausus est inter baptizandum dicere, Baptizatur Barbas in nomine Patris, per filium, in sancto spiritu: quo dicto aqua in colymbetra euanuit Barbas vero arrepta fuga exiuit, & miraculum hoc cunctis significauit.

Multos Imperator modos nocendi Macedonio excogitauit. Diuisi vero ab Ecclesia, turba quadam mercenaria collecta, Templum Archangeli quod in palatio est, die dominica ingressi sunt, & cum psaltes trisagion dicerent, illi cum additione, qui crucifixus est pro nobis. respondentes psallunt sequenti die dominica idē in magnam Ecclesiam cum spadonibus ingressi fecerunt. Populus vero zelo raptus primū vocibus reclamat: & vociferantibus ac conuitiantibus cōuiciādo respondēt. Tandem vero Imper. cum multis manifeste Macedonio resistens, iam Monachos excommunicatos, tam ipsos primores subornat, vt nefandis conuiciis & vociferationibus Episcopum impetant, cum quibus erat etiam Iulianus Episcopus Halicarnasi Cariæ & Seuerus Monachus, qui & fidei & sui ipsorum facti fuerant inimici.

Populus cum mulieribus & paruulis, infinita multitudine cum præsidibus Monachorum congregata, per Ciuitatem clamant: Tempus Martyrij est ô Christiani. Patrem nemo deserat Imp. vero probri gratia Manichæum & Imperio indignum vocant. Quibus Imperator territus, portas curiæ Imperialis vndique claudit, ac nauigia fugæ accommoda Palatio adhibet.

Imperator, cum pridie faciem se Macedonij posthac non visurum iurasset, misso nuncio obsecrauit, vt illum salutare iret. Populus vero cum Ecclesiam Macedonius ingressus esset, Monachos obtestabatur dicens: Patrem habemus apud nos. Et qui ad scholam pertinebat, quoties ingrediebatur, cum laudibus ingredientem accipiebant. Et cum ingressus esset Anastasium redarguit, tanquam Ecclesiæ hostem. Ille vero per hypocrisim, Ecclesiæ & Episcopo coadunari videbatur. Suspicatus Imper. si Macedonius indicaretur; populum illi tanquam insonti opitulaturum: noctu illum violenter abreptum Chalcedonem misit, & inde Euchaitis abduci præcepit. Sequenti vero die Timotheum quendam Presbyterum & custodem Ecclesiæ Episcopum elegit, quem lithrobulbam & colonem, propter facta quædam nominibus isti conuenientia vocarunt.

Schola Constantinopolitana.

Ecclesiam vero Timotheus ingressus non est, nec ad Liturgiam accessit, nisi primum detractis Macedonij imaginibus & insignibus. Supplicationes Parasceues, in Templo Deiparæ quod in Calcopratiis est, Timotheus fieri excogitauit. Ioannes Diacrinomenus de Seuero scribit, quod iuramentum ab eo Imp. acceperit, si Antiochenus Episcopus fieret, nullo se pacto, sub pœna anathematis Chalcedonen. Synodo adhæsurum, deinde, quod illam eo ipso die, quo ordinatus esset, ascenso suggestu anathemate damnaret.

Synaxes.

* Timotheus ab amicis rogatus, Symbolum fidei trecentorum decem & octo patrum per singulas synaxes dici curauit, ad reprehensionem videlicet Macedonij, quasi ille Symbolum hoc non receperit, cum antea semel tantum in anno, in parasceue scilicet dominicæ passionis tempore quo Episcopus catechizabat, recitatum esset.

Abbas Studiensis.

Cum is qui in monasterio Studiti præfuerat mortuus esset, abiit Timotheus ad monasterium illud, vt ibi Episcopum eligeret. Is vero qui ordinandus erat, ad eum dixit, non passurum se vt ordinetur à viro qui Synodum Chalcedonensem anathemate damnasset. Respondit huic Timotheus: anathema sit cuilibet homini Synodum Chalcedonensem auersanti vel anathematizanti. Quo dicto, qui ordinandus erat ordinationem suscepit. Ioannes autem quidam Archidiaconus, cum Manichæus esset, Timotheum contumeliis affecit, & ad Imperatorem currens, quæ gesta ab illo essent, patefecit. Imperator vocatum ad se Timotheum grauiter increpuit. Ille vero negauit dicens, anathema, si quisquis Synodum Chalcedonensem recipit.

Castrum quoddam est inter Persas & Indos, nomine Tzundadecero. Cum Rex Coades multas in illo pecunias ac lapides preciosos asseruari audisset, volebat eius rei veritatem cognoscere, verum dæmones locum illum inhabitantes Coadem ab eo quod quærebat impediebant. Cunctati itaque magiam suam magi illius impenderunt: sed frustra; adhibita est & Iudæorum magia, neque sic tamen voti compos euasit. Cogitauit per Christianos amoliri dæmones illos. Episcopus itaque Christianorum in Persia, peracta super ea re synaxi, & acceptis diuinis mysteriis, & in Christianos qui aderant dispensatis, signo crucis dæmones profligauit, & Castrum Coadi sine vlla molestia tradidit. Quamobrem vir ille stupefactus Episcopum illum primæ sedis prærogatiua cohonestauit, cum ad id vsque temporis, Iudæi & Manichæi priores haberent. Deinde & cunctis Christianismum amplecti volentibus liberum & securum fecit.

Cum Alamundarus Sarracenorum Phylarchus Christianismum amplecteretur, misit ad illum Seuerus duos Episcopos, vt eum malitia sua inficeret: verum huius conatus præuenit Deus, effecitque vt ab illis baptizaretur, qui Synodum approbabant.

Cum qui à Seuero missi erant Phylarchum ea docere conarentur, quæ veræ doctrinæ contraria erant, fabulam ad redargutionem eorum quæ ab illis dicebantur commentus est, Ea erat, quod videretur literas accepisse, quæ Michaelem Archangelum mortuum esse significarent. Respondentibus illis, esse hoc impossibile, quomodo igitur, inquit Phylarchus, si duas naturas Christus non habet, nudam Crucem Deus permisit,

a In Christo naturæ.

cum

cum ne Angelus quidem pati quicquam vel moti queat? At hunc itaque modum confusi, qui à Seuero missi fuerant, & pudefacti discesserunt.

Macedonio Episc. mortuo, terribile quiddam accidisse dicunt. Cum enim mortuus & in sepulchro obsignatus esset, Theodoros quidam ex illius familiaribus iuramento affirmauit in somnis se Macedonium vidisse, ista ad se dicentem: Eiice & abi, quæ vt Anastasio dicas recognosce. Ego quidem abeo ad patres meos, quorum etiam fidem seruaui. Non quiescam autem appellare dominum, donec venias & vna iudicium accedamus.

Anastasius Imp. repente mortuus est cum annos octoginta & octo vixisset, & viginti septem ac menses tres imperasset. Declaratus est autem Iustinus Imp. vir admodum pronecta ætate, qui à militari ordine sumpto initio ad senatoriam vsque dignitatem peruenerat, & per omnia dexter ac strenuus apparuerat. Deinde & cum natione esset Illyricus, prudens erat, quam Augustam factam populares Euphemiam nominabant.

Iustinus Imp.

Nestorius corpus iam putredine confectum habens cum ab Oasi ad hoc reuocaretur vt in alium locum transponeretur, morte reuocationem eam præuenit.

Nestorij mors.

Post conciliationem cum Orientalibus Theodoritus contra duodecim capita Cyrilli scripsisse fertur.

Rabulas Edessenus Episcopus cæcus erat. Andreas vero Samosatenus accusauit eum quasi contra duodecim capita Theodoriti scripsisset.

Monachi in Ægypto, cum de sancto Symeone audissent, quod supra columnam staret, insolentia rei perciti (nam primus hoc ipse excogitarat) communionem illi negarunt. Postea vero cognita viri illius vita & corona rursus illi communicarunt.

Martianus Imper. in vestitu Idiotæ ad sanctum Symeonem absconditè venit. Obstupuit autem factum quoddā quod accidit duobus Episcopis inter se contendentibus, orthodoxo vno, Arriano altero. Arrianus quidem dialecticus erat, orthodoxus proposuit hanc conditionem, vt relictis verborum concertationibus rogum ignia ingrederentur, & sic ostenderent, quæ sententia magis pia esset. Cum autem Arrianus conditionem hanc suscipere detrectaret, ipse orthodoxus ignem ingressus è rogo dissiliit, & illæsus seruatus est.

Petrus Mōneus reliquias Timothei Salophacioli effodisse fertur, quod & Theodorus scribit.

Petro Monco propter reliquias Timothei, ac synodum, reiecto Ioannea ordinatus est. Deinde & hoc reiecto Petrus iterum ad Episcopatum accessit, synodum se non damnaturum pollicitus.

Claudion Theodoto consentiens, Byzantinus Episcopus ordinatus fertur.

Claudion Trisagin fertur adiecisse, Christe rex, propter eos qui addiderant, qui crucifixus es propter nos.

Petrus Cnapheus vt mysterium in Ecclesia coram omni populo sanctificaretur. & inuocatio super aquas in Theophaniis vesperi fieret, inque singulis precibus Deipara nominaretur, & in quauis synaxi symbolum dicerent, excogitasse dicitur.

Zenon Imp. scholam Edessenam, quam Persicam vocabant, tanquam quæ Nestorij ac Theodori doctrinam traderet, subuertit & abrogauit.

Schola Edessena

Cum omnes, vt ferunt, alij Patriarchæ conciliationem Zenonis approbarent, solus felix Romanus illi non communicauit.

Coades Blasum regem patruum suum excæcauit, & Persarum regnum rapuit.

Anastasius Imperat. cum Coades pecunias ab se peteret, respondit: si mutuo accipere vult, cautionem faciat, si vero aliter, non dabo. Et ob hanc causam Coades bellum Romanis intulit.

Anastasius Chrysargirum remisit, & venationes sustulit, & magistratus, qui venales fuerant, gratis contulit.

Magistratus venales.

Cum Neocæsariæ terræmotus, aliquando futurus esset, miles quidam Ciuitatem ingressus duos milites in illa abeuntes, & alium quendam post tergum istorum clamantem vidit, ac dicentem: Seruate domum, in qua theca est Gregorij. Et terræmotus factus est ac maxima portio Ciuitatis prolapsa, domus vero Gregorij mirabilium patratoris seruata.

Romanæ Ecclesiæ mos esse fertur, vt iura non sint immota, sed etiam si cuipiam contingant, statim vendantur, & precium in tres partes diuidatur, ita vt ecclesiæ vna, Episcopo altera, clero tertia detur, & sicut etiam in reliquis rebus fiat.

Coades legem in Persia tulit, mulieres debere communes esse. Et cum ob eam causam regno esset eiectus, auxilio Hunorum illud recepit.

Anastasius Imp. condidit Daras & cum condidisset, vidit in somnis Bartholomæum Apostolum dicentem, subuertisse ipsorum ciuitatis custodiam, quod reliquias suas illo missas reprobasset.

Immirent gens sunt Persis tributaria. Habitant autem in extremis Australis plagæ, & ab initio Iudæi fuerunt: ab eo vero tempore quo regina Austri ad Salomonem venit, facti sunt Gentiles. Hi sub Anastasio Christiani facti sunt, & Episcopum acceperunt.

3. Reg.

Seuerus cum Anastasio Imp. iureiurando pollicitus esset nihil se unquam contra Synodum Chalcedonensem moturum: ipso tamen die quo ordinatus fuit iuramentum transgressus, Synodum illam anathemate damnauit.

Constantinus magnus Imperator amans Christi, imperauit annos triginta vnum, menses decem.

Constantinus filius eius imperauit annos viginti quatuor, dies quinque, & sub illo Constantinopolim venerunt reliquiæ sanctorum Apostolorum, Timothei 8. calend. Iulij: Andreæ & Lucæ 5. Nonas martij collocatæque sunt in consecrato magno sanctorum Apostolorum templo.

reliquiæ SS. Apostolorũ.

Theodosius magnus imperauit annos sedecim, in quibus vna cum eo Arcadius filius ipsius, imperauit annos duodecim sub ipsius magni Theodosij imperio reliquiæ Sanctorum martyrum Terentij & Aphricani in martyrium sanctæ Euphemiæ, in Petram, 10. calend. Octobris sunt depositæ.

Arcadius filius magni Theodosij imperare cœpit mense Ianuarij, imperauitque annos 27. post quinque inaugurationis patris sui & mortuus est prima Maij cum in summa imperasset annos viginti quatuor, menses tres, dies quatuor decim; duodecim enim annos vna cum patre, & reliquos duodecim ac dies tres solus imperauit. Sub imperio illius & patriarcha Attico, Constantinopolim allatæ sunt reliquiæ sancti Samuelis &, in prophetico ipsius loco iuxta hebdomum, duodecima calend. Iulij collocatæ.

reliquiæ S Samuelis.

Iunior Theodosius filius Arcadij imperare cœpit mense Ianuarij vna cum patre annos septem, & menses 3. mortuus est vigesima octaua Iulij indictione 3. suntque reliquiæ illius depositæ trigesima mensis eiusdem, cum imperasset in vniuersum, annos 32. menses duos. Cum patre siquidem imperauit annos 7. menses 3. reliquos 24. & menses 11. solus. Sub illius imperio depositæ sunt reliquiæ S. Stephani, Laurentij & Agnetis, in martyrio sancti Laurentij 24. Septembris & celebratur illic ipsorum memoria eodem die vsque in hunc diem.

Deinde sub illius imperio & patriarcha Proclo reliquiæ Chrisostomi allatæ sunt, & ad Sanctos Apostolos depositæ 5. calend. Febru.

reliquiæ S. Chrisostomi

N. imperare cœpit indictione decima, mense febr. coronatus ab ipso patriarcha, mortuusque est mense Ianuario indictione 10. fueruntque anni imperij illius 17. sub illius imperio & S. patriarcha Gennadio allatæ sunt à Sirmio reliquiæ sanctæ Anastasiæ, & in martyrio ipsius depositæ, quod in Embolis Dominij Situm est.

reliquiæ Sanctæ Anastasiæ.

A

LVPOLDI BEBENBERGII DE VETERVM PRINCIPVM GERMANORVM zelo & feruore in Christianam Religionem & Dei ministros, liber, ad Illustrissimum Principem Rudolphum Ducem Saxoniæ.

B

SCRIPTVS QVIDEM ANTE Annos ducentos, sed præsentibus temporibus per quam accomodus, & lectu necessarius.

EX IOANNE TRITHEMIO Abbate Spanheimensi de scriptoribus Ecclesiasticis.

LVPOLDVS de Bebenburg, Episcopus Bambergensis, natione Teutonicus, & vt ferunt Ioannis Andreæ Bononiensis quondam auditor, Iureconsultus celeberrimus, & tam in diuinis scripturis quam in sæcularibus Litteris nobiliter doctus, Ingenio subtilis & clarus eloquio: edidit non spernendæ lectionis opuscula, quibus nomen suum ad notitiam posteritatis cum Ingenti gloria trãsmisit. E quibus extat opus Insigne de Zelo christianæ religionis veterum principum Germanorum librum vnum; de Iuribus Imperij Romani Librum vnum, & quædam alia in diuersis materiis volumina, quæ ad me non venerunt. Claruit temporibus Ludouici Imperatoris 4. & Benedicti Papæ 12. anno domini 1340.

C

Epistola Authoris.

ILlustri & magnifico Principi domino suo, D. Rudolpho, duci Saxoniæ Lupoldus de Bebenburg, decretorum doctor (licet Indignus) suus clericus cum recõmendatione sui, votiuis semper in domino successibus prosperari. Suggerit mihi celebris tuarum fama virtutum, vt ex quo paruitatis conditio excellentiæ tuæ me complacere non finit, complacendi saltem affectum aliquali signo demonstrem. Libellum igitur de Zelo christianæ religionis veterum Germanorum Principum, qui apud eosdem (prout Infra scripta ipsorum deuotissima testantur opera, multis vt reor, Germaniæ Principibus modernis ignota) perfectissimè diuinâ fauente gratiâ viguit ex diuersis antiquorum scriptis, per me collectum, cuius notitia legationi, quam super Concordia inter sacrosanctam Romanam Ecclesiã & sacrum regnum & Imperium attentanda pridem assumere decreuisti, Congruere mihi videtur, in signum affectus Complacentiæ tuo glorioso nomini dedicaui: Eundem Libellum, præmisso proœmio per decem & septem (vt In prosecutione ipsius patebit) Capitula distinguendo.

D

E

DE VETERVM PRINCIPVM GERMAN. ZELO ET FERVORE IN Christianam religionem & Dei ministros, liber Lupoldi Bebenburgij.

F

PROOEMIVM.

EGITVR in Ecclesiastico 44. c. in prin. Laudemus viros gloriosos, & parentes nostros in generatione sua. Ad quas laudes ex eo maxime teneri videmur obnoxij quod parentum merita, quibus se dignos laude monstrarunt filiis ac posteris sæpius profuisse noscuntur. Phinees namque propter zelum quo zelatus pro Deo, Israëlitam cum Madianita coeuntem occidit, pro se ac semine suo à Deo recepit pactum sacerdotij sempiternum: vt patet Num. 25. c. & de hoc facto legitur in canone 23. q. 4. quod Christus: & 2. q. 7. cap. nos si. §. his ita secundo, Regis etiam David meritum seruauit posteris multo tempore regnum Iuda, vt ex 3. lib. Reg. 11. cap. colligitur euidenter. Hinc etiam est, quod lex ciuilis ob dignitatem patris (quæ confertur propter laboris meritum, vt C. de Offi. magi. offi. l. nemo. & 61. di. miramur in fine) dat liberis priuilegium originis, vt patet, ff. de senato. l. emancipatum, & C. de quæst. l. diuo. Ex his quoque parentum laudibus non solum filij & posteri, sed etiam extranei ad faciendum similia opera digna laudibus ex comparatione præcedentium sæpius accenduntur. Præmissis itaque non tam digna, quam debita consideratione pensatis, inuocata sancti Spiritus gratia, laudes eximias veterum Germanorum principum de zelo Christianæ religionis eorum duntaxat assumptas, quo (prout ex dicendis patebit) plus cæteris Christianis principibus claruerunt, ex diuersis historiis seu Chronicis, sanctorumque legendis, partim etiam ex sacris canonibus collectas, in subscripto libello humili stilo historico, referre decreui. Laudes autem veterum regum seu principum Occidentalis seu Gallicæ Franciæ, qui post diuisionem totius regni Francorum tempore filiorum Imperatoris Ludouici primi factam, eidem Franciæ præfuerunt: nec non veterum regum Angliæ, huic libello libens insererem, si de gestis eorundem regum originalium historiarum seu Chronicarum copia mihi foret. Scio enim quod reges dictæ Franciæ, à tempore Caroli Magni citra, de genere ipsius Caroli descenderunt, vt etiam patet ex. de iudi. cap. nouit. ver. nec illud. quod tamen quoad aliquos eorum intelligitur de linea materna, secundum ea quæ plane notat historia ibidem: de quo etiam legitur in speculo historiali libro tricesimo primo cap. centesimo vicesimo sexto. Qui Carolus fuit Franc. germanicus, vt in tractatu de iuribus regni & Imperij plenius declaraui. Veteres etiam reges Angliæ, vsque ad tempora Guilhelmi Comitis Normanniæ (qui Araldo rege Anglorum cum multis millibus hominum occiso, tempore Imperij Henrici quarti, sub anno Domini 1066. in Anglia regnare cœpit) de genere Saxonum Germanorum (prout plures testantur historiæ) descenderunt. A prætermittendis igitur eorundem regum laudibus, præmissa me retrahit necessitas, non voluntas. Saluo quod pauca de ipsorũ laudibus, ex

Merita parentũ sæpius filiis ac posteris profuerunt.

G

Veteres Germani principes zelo Christianæ religionis plus cæteris Christianis principibus claruerunt.

Franciæ reges ex genere Caroli Magni

H

Carolus Mag. Francus Germanicus. Angliæ reges ex genere Saxonũ Germanorum.

A ex Chronica Martini sompts, laudibus adiiciam veterum principum Germanorum.

C A P V T I.

De zelo Catholicæ fidei veterum principum Germanorum, quo accensi nunquam à rectitudine fidei declinarunt.

SI veterum Catholicorum principum scrutentur historiæ ac eorum diligenter gesta pensentur, ex eisdem historiis euidenter apparet, veteres Germanos reges seu principes singularem Christianæ religionis zelum (consideratis deuotissimis ipsorum infra scriptis operibus præ cæteris mundi principibus habuisse. Sed quia fides Catholica est Christianæ religionis initium (iustus enim ex fide viuit. Abac. c. 1. ad Hebr. 10. & 24. q. 1. c. vbi sane) nihilque clarius resplendet in principe, quam recta fides. C. de sum. tri. inter claras circa prin. Ideo de zelo Christianæ religionis veterum Germanorum principum tractaturus, primo de zelo Catholicæ fidei, eorundem principum inchoando sermonem, dico, quæ præcipuus Catholicæ fidei zelus veterum principum Germanorum apparet ex eo, quod postquam fuerunt Christo (qui fundamentum est fidei) donante nomen Christianitatis aggressi, nullos eorum à rectitudine Catholicæ fidei, etiam semel, legitur deuiasse: sed potius eiusdem fidei professores firmissimi permanserunt. Talis autem fidei Catholicæ firma soliditas in cæteris mundi principibus passim reperta non est. Multi namque prisci Romanorum principes, qui ante translationem Imperij de Græcis in personam Caroli Magni ad Germanos factam, eidem Imperio præfuerunt, post Christianæ fidei professionem in hæresim lapsos fuisse constat. Arrius enim hæreticus suique sequaces locum familiaritatis apud Constantium, Imperatorem Constantini magni filium acceperunt, eumque in errores sui consortium declinarunt: vnde impietas Arriana eiusdem Constantij fulta præsidio, exiliis, carceribus, & variis afflictionum modis, primo Athanasium Alexandrinum Episcopum, deinde omnes non suæ partis Episcopos est persecuta: vt in Eusebij, Gotfridi Viterbiensis, & Martini Chronicis plenius continentur. Hic Athanasius (vt refert Chronica Eusebij) à facie Constantij fugiens, sub an. Dom. 345 à sancto Maximino Treuirorum Episcopo receptus est, ibique vt refert Chronica Martini, symbolum, quicunque vult, contra Arrianos composuit. Arrius autem cum suis sequacibus inæqualitatem personarum sanctæ Trinitatis asseruit: de cuius errore loquuntur canones 24. q. vlt. c. penul. ver. Arriani & 15. di. c. 1. circa prin. Item Iulianus Imperator nepos Constantini Magni, de quo legitur 11. q. 3. c. Iulianus, apostatauit à fide in tantum quod veniens ad templa paganorum sacrificauit idolis, primoque subiectis talia colere suadebat. Demum varia dicta contra Christianos statuens, multi ex eis fuerunt martyrio coronati, prout hæc & alia nefanda de eo in prædictis Chronicis continentur. Item Valens Imperator (qui regnauit primo cum Valentiniano fratre suo) Arriana labe pollutus, post mortem dicti fratris sui multas persecutiones intulit Christianis. Nam sacerdotes Dei exulare, monachos militare cogebat & militare nolentes occidi mandabat, vt in prædictis Chronicis continetur. Idem etiam Valens Gothis petentibus, vt eis mitteret prædicatores & doctores, qui eos Catholica fide instruerent misit eis Arrianos doctores, sicque omnis illa gens Arriana facta est vt in Chronicis Eusebij continetur. Item Anastasius Imperator (de quo fit mentio 19. di. 9. hoc autem & 1. q. 7. c. sane) fuit (vt refert Chronica Eusebij) hæresi Eutitiana pollutus (vnde vt refert Chronica Martini) nec Ecclesiarum iura seruauit, sed hæreticis fauens, Christianos est persecutus. Hæresis vero prædicta, Christum non duas naturas, sed vnam tantum, diuinam scil. habuisse naturam affirmat: vt patet 24. q. penul. ver. Eutitiani, & 15. di. c. 1. ver. quarta & 16. di. c. sexta ver. quarta. Item Imperator Iustinianus primus qui leges abbreuians renouauit, sicuque legum codicem singularem, in hæresim prædictam Eutichetis corruit: hunc tamen Agapitus Papa (quem commendat canon de con. di. 5. Agapitus) ab errore huiusmodi (vt dicunt prædictæ Chronicæ) reuocauit. Item Imp. Heraclius à Sergio patriarcha Constantinopolitano, & aliis quibusdam hæreticis circumuentus, in dictam Eutitianam hæresim incidit, vt in prædictis Chronicis continetur. Item Imperator Constans, qui & Constantinus dicebatur, filius Constantini tertij, & nepos Heraclij prædicti, seductus à Paulo patriarcha Constantinopolitano, in peruersum dogma incidit, quod vnam voluntatem, & vnam operationem astruebat in Christo, propter quod idem Imperator multos Christianos verberibus, proscriptionibus & exiliis condemnauit. Contra hoc dogma Martinus Papa primus, Romæ celebrato concilio, Paulum prædictum, & alios quosdam huius erroris sectatores, seu doctores, anathematizauit. Quibus agnitis prædictus Imperator Papam Martinum Constantinopolim vocauit, & per eum Chrisone in exilium mittitur, ibique moritur multis miraculis coruscando Chrisone. Post hoc tamen dictus Imperator sub Vitaliano Papa eandem hæresim abdicauit. Filius quoque ipsius Constantinus quartus, contra dictam hæresim, sextam vniuersalem synodum Constantinopoli (præsentibus legatis Agathonis Papæ) celebrari fecit: vt in prædictis Chronicis plenius continetur, & de hac synodo habetur 16. di. habeo & c. sexta. Item Imperator Iustinianus secundus, filius iam dicti Constantini, sextam synodum prædictam nititur infirmare, Sergiumque Papam in hoc sibi resistentem frustra turbare molitur. Nam Leoncius patricius (qui & Leo dicebatur) adiunctis sibi multis complicibus Iustinianum apprehendit: eumque naso præciso in quandam Insulam relegauit, ipseque post cum aliquo tempore imperauit. Post hoc tamen idem Iustinianus recuperauit Imperium, vocansque Papam Constantinum primum Constantinopolim, ipsum honorifice suscepit, ac prostratus in terram pro suis peccatis intercedere postulauit, cuncta Ecclesiæ Romanæ priuilegia renouando: prout in dictis Chronicis plenius continetur. Item Imperator Philippus secundus, deceptus à quodam monacho incluso hæretico, congregauit synodum pseudoëpiscuporum, & abiecit sanctam & vniuersalem sextam synodum prædictã omnesque imagines & picturas Ecclesiasticas auferri præcepit: propter quod Constantin. Papa prædictus, eum denunciauit hæreticum, & Romani imaginem sui numismatis recipere noluerunt: vt in prædictis Chronicis plenius continetur. Item Imperator Leo tertius à quodam apostata fidei seductus, in Christianos & Ecclesias Dei, ac sanctam religionem impius erat. Præcepit quippe imagines Dei, sanctæque Dei genitricis, & aliorum sanctorum deponi, & incendi: & quia multi de populo huic impietati consentire noluerunt, eo iubente fuerunt decollati. Pro quo errore Greg. Papa tertius eum in scriptis (licet in vanum) multum redarguit. Vnde idem Gregor. sibi Romanæ vrbis & Italiæ prohibuit dari tributa: ac synodo multorum Episcoporum Romæ per eum habita, venerationes sanctarum imaginum confirmauit, & violatores anathemate condemnauit, prout hæc in prædictis Chronicis latius continentur. De huius etiam erroris reprobatione habetur in canonib. 22. q. 4. inter: ad idem de con. di. 3. prælatum. Item Imperator Constantinus eiusdem Leonis filius, imperatum patris successor extitit primo quidem à Deo, & intemerata ipsius genitrice, & omnibus sanctis abscedens, magicis fuit maleficiis, ac cruentis dæmonum sacrificiis delectatos. Conuocata etiam synodo præcepit depositionem fieri

Germani præ cæteris mundi principibus quondam a:losi. Fides

B Catholica Christianæ religionis initium. Nihil clarius resplendet in principe, quã recta fides. Germani principes nunquã à rectitudine Catholicæ fidei declinarunt. Multi Græci imperatores

C hæresim lapsi fuerunt: quibus tandem & Imperium ablatum est. Cõstantius imperator Arrianus. S. Athanasius Archiepiscopus Alexandrinus. S. Maximinus Treuirorum Episcopus, S. Athanasium propter fidem catholicã exul.

D tantem suscepit. Iulianus Imp. apostata. Valens Imp. Arrianus. Gothi Arriani. Anastasius

E Imp. [illegible] chiana hæresi [illegible] Iustinianus 1. lapsus in hæresim Eutitetis, sed conuersus ab ea per Agapetum põtificem. Heraclius Imp. ab Eutitianis seductus.

F Constãs Imp. in hæresim incidit, à qua tamen resipuit. Martinus pontifex pro catholica religione concil. Romæ celebrat, [illegible] propter fidei orthodoxæ propugnationem in exilio moriens [illegible]

G Constantinus 4. Catholicus Sexta synodus generalis celebrata Constantinopoli, præsentibus legatis Agathonis pontifice. Iustinian. Imp. 2. Philippus II. Imper. iconomachus. Leo III. iconomachus Rom. Synodus contra icono[illegible]

H [illegible] Constantinus [illegible] iconomachus.

imaginum Dei, ac sanctorum persecutionibus insuper sanctarum Ecclesiarum, peremptionibus clericorum & monachorum, malisque variis sic Ecclesiam Dei persequitur, quod vesaniam Diocletiani, & cæterorum veterum tyrannorum transcendere videbatur: prout in antedictis Chronicis, & in spec. histor. lib. 24. c. 167. plenius continetur. Præterea quam plurimi aliarum nationum reges seu principes, sicut reges Ostrogothorum, Vesegothorum, Vandalorum, Longobardorum, & quarundam aliarum gentium, ut patet ex multis historiis, seu Chronicis, erant hæretica prauitate polluti: ex quo Ecclesia Dei ab eisdem multas & grandes persecutiones pertulit & pressuras. Et ut circa hoc de pluribus paucissima dicam, Theudericus rex Ostrogothorum; qui pluribus annis possedit Italiam (de quo loquitur canon de con. di. 1. Ecclesias, & 17. di. §. hinc etiam, & 19 di. Anastasius) in tantum Arriana perfidia maculatus extitit, quod ipse sanctæ memoriæ Ioannem Papam primum, & quosdam consulares viros, ad Imperatorem Christianissimum Iustinum secundum Constantinopolim direxit, de qua legatione fit mentio in prædicto canone. Ecclesias, mandans illi minando, quod nisi Arrianis hæreticis Ecclesias quantocius redderet, eosque in pace degere sineret, ipse omnes in Italia perimeret Christianos. Qui cum ab eodem Iustino digne suscepti fuissent, magnis eum rogabant fletibus, ut suæ legationis seriem (quamuis esset iniusta) libenter exciperet, in hoc periituræ Italiæ consulendo: Iustinus autem necet Christianorum compatiens, eis quod petebant concessit, & de Arrianorum Ecclesiis supersedit. Theodericus verò iniquitatis rabie stimulatus, Ioannem Papam, & nuncios prædictos postquam redierunt, pro eo quod à Iustino digne suscepti essent, Rauennæ carceri mancipauit, & famis afflictione peremit. Hæc, & alia nephanda de rege Theoderico in Chronica Martini sub gestis Iustini prædicti plenius continentur. Ex regibus vero Vesogothorum Leonigildus, qui regnauit in finibus Hispaniæ, in tantum erat Arrianæ perfidiæ deditus, quod Hermigildum filium suum pro fide Catholica per eum detentum, corpus Christi à quodam Arriano Episcopo in die sancto Paschæ recipere renuentem, per suos apparitores interfici procurauit, ut patet non solum ex Chronicis prædictis, & ex speculo historiali. lib. 22. c. 35. sed etiam ex canone. 24. q. 1. Cepit, & 1. q. 1. Superueniente. Ex regibus autem Vandalorum Hunericus rex, qui regnauit in Africa, sub anno Domini, 386. plus quam 434. Episcopos Catholicos exiliauit, quibusdam linguas abscidit, qui tamen loquebantur: quorum beatus Gregorius in libro Dialogorum meminit, ut in Chronica Eusebij continetur, de cuius multimoda persecutione in Christianos, in speculo historiali. lib. 21. c. 77. & pluribus capitulis sequentibus multa narrantur. Item Trasamundus rex Vandalorum hæresi Arriana infectus, Catholicas clausit Ecclesias, & Episcopos 120. in Sardiniam exilio relegauit, ut in Chronica Martini, & in speculo historiali, libro 22. c. 3. continetur. Ex regibus autem Lombardorum Rutherus rex (ut refert Chronica Eusebij sub gestis Imperatoris Iustini secundi) fuit Arriana hæresi maculatus, ita quod eius tempore inter Episcopos ciuitatum sui regni vnus erat Catholicus, & alter Arrianus. Plura insuper alia nephanda per reges, dictarum & quarundam nationum hæreticos, contra Dei Ecclesiam (ut ex diversis historiis seu Chronicis videri potest) perpetrata noscuntur. Nostris autem gloriosis principibus tanta Catholicæ fidei firma soliditas, ac solida firmitas inerat, quod nullus ex eis gratia Christi (qui fundamentum est fidei, ut 1. ad Corinth. 3. c. & 1. q. 1. Cum Paulus, & extra de summa trinita. c. vno in princ. in clericos misericorditer protegente in aliquam damnatam hæresim legitur incidisse. Propter quod satis patet, maiorem Christianæ religionis zelum in eisdem, quam in cæteris mundi veteribus principibus viguisse.

Multi reges hæretici.

Leonigildus Vesegothorum Arrianus.

Hunericus rex Vandalorum persecutor Catholicorum.

Trasamundus rex Vandalorum Arrianus.

Hæc perpende Germania, & vide quid amiseris per videas apostatas.

Ab hoc autem ipsorum laudis præconio, reges veteres occidentalis Franciæ ac Angliæ non excludo, sed potius (ut ex dictis in proœmio apparet) includo, & idem in sequentibus 11. capitulis intelligo repetitum.

CAPVT II.

De zelo Catholicæ fidei veterum principum Germanorum, quem ad dilatandam fidem Catholicam habuerunt.

Catholicæ fidei zelus, qui apud veteres principes Germanos viguit, non solum ex ipsorum fidei firmitate, sed etiam ex eo quod ad dilatandam fidem Catholicam, nedum in suis regnis, sed & in finitimis regionibus deuotam sollicitudinem & strenuam adhibebant operam, liquido sciri potest. Nam licet antiqui reges Francorum, quorum regnum nobilissimum ab Aquitania protendebatur vsque in Barbariam: cuiusque regni Germania fuit principium, & origo (ut in tractatu de iuribus regni & Imperii c. 1. scripsi) totam eandem Germaniam (Saxonia, & Frisia exceptis) sub sua tenuerint potestate: nunquam tamen per eosdem reges à tempore Clodouei regis Francorum (qui primus inter eos fidem Christi assumpsit, ac per beatum Remigium Rhemensem Archiepiscopum baptizatus extitit) vsque ad tempora Pipini, & Caroli magni sui filij regum Francorum, idolorum cultura fuit plene à populo Germaniæ extirpata. Per huius ergo Pipini deuotam & strenuam operam, mediante prædicatione beati Bonifacij Archiepiscopi Moguntinensis, qui ad prædicandum verbum Dei a sede Apostolica legatus Germaniæ deputatus fuerat, populus Germaniæ relictis superstitionibus variis, ad fidem Catholicam (exceptis Saxonibus & Frisonibus, qui tempore Pipini nondum omnes fidem Christianam susceperant) diuina suffragante clementia est conuersus. Præmissa ex historia Francorum, ex Chronicis Eusebij, Gotfridi Viterbiensi. & Martini, ac etiam legendis Remigij, & Bonifacij prædictorum plenius colliguntur. De facto etiam isto aliquid loquuntur sacri canones 11. q. 3. antecessor, & c. quod prædecessor. Post hoc mortuo Pipino, ac regnante Carolo magno eiusdem Pipini filio gens totius Saxoniæ (quæ ut refert historia Francorum Germaniæ pars est magna, & eius, quæ à Francis incolitur, duplũ in latitudine habere putatur, cum eidem in longitudine possit esse cõsimilis) ac etiam gens totius Frisiæ, non tam per prædicationem verbi Dei, quam per multorum bellorum triumphos, per dictum Carolum contra easdem gentes magnifice habitos, ad regni Francorum subiectionem, & ad fidem Christianam pariter accesserunt, prout hæc in historia, & Chronicis prædictis, ac etiam in multis sanctorum virorum, & patrum legendis plenius continentur. Hanc autem conuersionem totius populi Germaniæ, immensum Dei beneficium, reges Francorum Christiani, de antiquo regum Francorum genere descendentes, antecessores Pipini & Caroli magni, minime consequi meruerunt: sed salutifera hæc conuersio per deuotam & strenuam horum regum, operam fuit feliciter consummata. In tantum vero Carolus magnus fidei Catholicæ dilatationem zelatus est: quod idem (ut refert historia Francorum) omnes Saxones, qui multum idolorum cultui erant dediti, pro conseruanda fide Catholica, sub anno Domini. 702. ab omni tributo exemit, eosque tot us agriculturæ suæ ac nutrituræ, decimas Deo & eius sacerdotibus dare iussit. Destinauit autem gloriosus rex Carolus, ad opus prædicationis verbi Dei, genti Saxonum, & Frisonum, plures Episcopos, inter quos S. Videbaldus Bremensis, S. Hildegerinus Halberstatensis, prius Catalanensis Episco-

Clodoueus I. Francorum rex Christianus.

Bonifacius Archiepisc. Moguntinus totum Germaniæ populum conuertit ad fidem.

Carolus magnus Saxones & Frisios perduxit ad fidẽ.

S. Videbaldus 1. Episc. Bremensis. S. Hildegerinus 1. Episc. Halberstatensis. S. Linderus 1. Episcop. Monasteriensis.

pus,

pus, S. Linderus frater Hildegerni prædicti, Mundegardennedensis, & sanctus Willebrordus Trajectensis, Ecclesiarum primi Episcopi, tam sanctitate vitæ, quam miraculorum testimonio insignes habentur, ut ex legendis eorundem sanctorum, & ex historia Francorum poterit apparere. Sciendum tamen est, quod Pipinus pater Caroli sanctum Willebrordum prædictum per Papam in Episcopum consecrari fecit, ipsúmque primo ad prædicandum verbum Dei genti Frisonum destinavit, ut patet in speculo historiali, lib. 24. cap. 43. Sed ejusdem gentis conversio, ac Sedis Episcopalis in Trajecto institutio, tempore quo Carolus dictam Frisiam paterno regno superaddidit, facta noscuntur: ut in ejusdem sancti legenda plenius continetur. Idem etiam Carolus multos (ut refert Chronica Gotfridi) de Hispania convertit ad fidem. Legitur insuper de prædicto Carolo in speculo historiali, lib. 25. cap. 17. quod expugnata per eum Hispania, dimissísque ibidem exercitibus, ivit in Galitiam ad sanctum Iacobum, & quos in illa patria Christianos reperit ædificavit: apostatas vero aut peremit, aut in exilium in Galliam destinavit. Refert etiam de ipso historia Francorum, quod sub anno Domini 780. ingressus in Saxoniam, venit ad Albim fluvium, in ipso itinere in loco qui dicitur Horbeim, Bardeganenses, & multi de Nordundis fuerunt baptizati. Item refert eadem historia, quod quidam Princeps Arrianorum, seu Hunnorum, Tudun nomine de Pannonia, cum magna parte Arrianorum venit, sub anno Domini, 796. ad Carolum magnum, & se cum populo suo & patria Carolo tradidit, fuitque ipse cum populo suo baptizatus. Præterea Carolus magnus in hoc sincerum Catholicæ fidei zelum habuisse dignoscitur, quod regnum transmarinorum ob hoc maxime expetebat, ut Christianis sub eorum dominio degentibus, commodum aliquod & consolatio proveniret, eisdémque Christianis quos in paupertate degere compererat, pecuniam, illorum paupertati compatiens, destinare solebat: prout in historia Francorum & Chronica Eusebij continetur. Item tempore Imperatoris Ludovici I. Caroli magni filij, Haraldus Rex Danorum, fuit cum uxore & filiis magnáq; parte Danorum sub an. Domini, 835. Moguntiæ baptizatus, qui Rex & uxor ejus ab eodem Imperatore ac Imperatrice à sacro fonte baptismatis sunt suscepti: hæc ex historia Francorum, & Martini Chronica colliguntur. Destinavit etiam idem Ludovicus Danis, & aliis in circuitu positis gentibus ad prædicandum verbum Dei, sanctum Ansgarium Hamburgens. primum Episcopum, qui & Suevos sub anno Domini 861. ad fidem convertit ut in Francorum historia continetur. Item Ludovicus ejusdem Ludovici filius, qui primo Rex Barbariæ, deinde post divisionem regni Francorum (de qua in tract. prædicto, c. 2. scripsi) factus Rex totius Germaniæ, duces Bohemorum 14 cum sequacibus, (ut refert Chronica Martini) baptizari, & in fide Christiana edoceri fecit. Idem etiam Ludovicus quendam Archiepiscopum, cum aliis Episcopis Presbyteris & Diaconibus ad Regem & gentem Bulgarorum, sub ann. Dom. 857. (ut refert histor. Francorum) causa prædicandi eis verbum Dei, destinare curavit. Item Imp. Carol. III. jam dicti Ludovici filius, cum cerneret Normannos à plaga septentrionali Scythiæ inferioris egressos, Germaniam & Galliam suo tempore devastare (de quorum etiam feritate loquuntur canones 7. q. 1. c. scisitaris, & de cons. di. 1. c. concedimus) ipse Regem eorum Rhotifredum, data sibi Gisla filia Regis Lotharij in uxorem, ac tota Frisia in dotem concessa, sub anno Domini 882. baptizari fecit, ipsúmque à sacro fonte suscepit. Et ab istis Normannis una pars Galliæ (quam primitus occuparunt) Normannia vocatur. Hæc ex historia Francorum, & prædictis Chronicis colliguntur. Item Carolus Rex Franciæ Gallicæ, Ludovici Regis filius, cognomine Balbus, Rollonem ducem Normannorum Christianum fieri fecit, & ei Gillam filiam suam in conjugem ac Normanniam in regno suo in feudum tenendam dedit: qui in baptismo à Roberto comite Parisiensi, qui eum à sacro fonte suscepit, Robertus vocatus est: ut in speculo histor. lib. 25. cap. 53. & sequenti plenius continetur. Postquam autem placuit Deo (in cujus dispositione regna consistunt) quod regnum Germaniæ à Francis Germanicis de genere Pipini & Caroli magni descendentibus transiret ad Saxones: Henricus Rex primus hujus nominis, Normannos & Danos, sub anno Domini 826. (ut refert historia Francorum) armis obtemperantes sibi fecit, & ab errore pristino revocatos ferre docuit jugum Christi. Per ejusdem etiam Henrici diligentiam Rex Apodricarum, sub anno Domini 932. extitit baptizatus. Sunt autem Apodricæ quidam populi Sclavorum, ut refert prædicta historia Francorum sub gestis Imperatoris Othonis II. ubi de his & aliis Sclavorum populis plane tractatur. Idem etiam Henricus sub anno Domini 925. Danos, navali latrocinio Frisones incursabant, cum exercitu adiit, vicítque: ac tributarios eos faciens, Regem eorum nomine Mibani baptizari fecit: hæc in historia Francorum sic scripta leguntur. Item Rex Otho primus prædicti Henrici filius (qui & magnus propter celebres bellorum ejus victorias est vocatus) Danis sibi resistentibus, quos pater suus, ut prædixi, bello compresserat, bellum intulit: in quo Saxonibus & Danis viriliter pugnantibus tandem Dani victi ad naves cesserunt, ac Saxones victoria sunt potiti. Post hæc pactis initis Haroldus Rex Danorum, Othoni sub anno Domini 952. subjicitur, & ab eo regnum suscipiens Christianitatem in Dania suscipi permisit.

Idémque Rex cum uxore ac filio parvulo quem Rex Otho de sacro fonte levavit, extitit baptizatus. Licet enim Dani (juxta ea quæ supra de Ludovico I. in hoc capitulo scripsi) ab antiquo Christiani fuissent, erant tamen adhuc illo tempore (ut refert historia Francorum) gentili ritu Idolis servientes. Item legati Helenæ Reginæ Rugorum, ad eundem Othonem, sub anno Domini noningentesimo, venientes, Episcopos & Presbyteros eidem genti transmitti petunt: quorum petitioni multum gavisus Rex Otho consensit, venerabilem virum Libutium ex cœnobitis Monasterij sancti Albani Moguntinensis, genti prædictæ ad prædicationis verbi Dei officium deputandum: quem Archiepiscopus Bremensis idem genti in Episcopum consecravit. Cumque Libucius, antequam iter eundi ad gentem Rugorum arriperet, obiisset, Adalbertus, ex cœnobitis Monasterij sancti Maximini Treverensis, ad hoc opus mittendus eligitur, quem piissimus Rex omnibus quibus indigebat copiis munitum, sub anno Domini 961. præfatæ genti honorifice destinavit.

Item etiam Rex Otho universos Sclavorum populos, quos pater ejus uno grandi bello domuerat, suo subjecit Imperio, ipsóque tanta deinceps virtute constrinxit, ut tributum & Christianitatem pro vita simul & patria gratanter susciperent: fuitque sub anno Domini noningentesimo sexagesimo, quasi totus in Sclavonia gentilium populus baptizatus. Hæc omnia de Othone prædicto in historia Francorum plenius continentur. Hæc autem Sclavonia (ut refert dicta historia sub gestis Othonis II.) dicitur esse decies major Saxonia, præsertim si Bohemos, & eos qui trans Oderam fluvium sunt Polonos, qui nec habitu, nec idiomate differunt, in partem adjeceris Sclavoniæ. Item Imperator Henricus II. Regi Hungarorum, qui postmodum in baptismo Stephanus vocatus est, tam ipsum Regem (eidem sorore sua Gisla in matrimonium copulata) quam totum ipsius regnum, sub ann. Domini 1002. ad fidem Christi vocavit. Hunc Regem Stephanum tanquam sanctum (pro eo quod per ipsum initium Christianæ fidei susceperunt) omnes Hungari venerantur. Præmissa in historia Francorum, ac in Eusebij & Gotfridi Chronicis, ac etiam in legenda seu vita ejusdem

A S. Vuillebrord. 1. Traject. Episcop. S. Vuillebrordus génti Frisonũ primũ verbum Dei prædicavit.

Multi Hispanorum conversi opere Carol. mag. Galitia ab apostatis purgata, per Car. magn.

Tudun B princeps Hunnorũ cum populo suo Car. magn. cõversus ab hæresi Arriana ad fidem catholicam.

Haraldus rex Danorũ cũ uxore & filiis magnáque parte Danorũ Moguntiæ baptizatur, & à Ludov. 1. Imper. eisq; de sacro fõte suscipitur. C

Ansgar. 1. Episc. Hamburg.

Ludov. 2. Imp. duces 14. Bohem. cũ populo baptizari curavit. D

Bulgari cõversi ad fidem diligẽtia Ludov. 2. Imper.

Normãni conversi ad fidem pietate Caroli 3. Imp.

E

Henr. 1. Imper. multum contulit ad conversionẽ Norman. & Dan.

Apodricæ populi quidã Sclavorũ, quorum rex diligentia Henr. 1. Imper. ad baptismũ perductus. F

Otho 1. Imper. juvit etiã conversionem Danorũ.

G

Adalbert monach. mittitur ad prædicandum genti Rugorũ.

Sclavi fidẽ recipiunt opera Othon. 1. Imp. H

Ex studio Henr. 2. Imper. Hungaria fidem suscipit.

A

Prussia & Livonia conversantur ad fidem

Henrici plenius continentur. Post hæc quoque multæ aliæ infidelium nationes, sicut Prusciæ & Livoniæ gentes, ex devota & strenua procuratione diversorum veterum Principum Germanorum, prout ex diversis scriptis, & etiam ex his, quæ in Germania referri frequenter audivimus, constare poterit, ad fidem Christi ejusdem suffragante gratia sunt conversi. Præterea zelus eorundem Principum, quæ ad dilatandam fidem Catholicam habuerunt, etiam patere potest ex celeberrimi studij Parisiensis institutione: circa cujus institutionem sciendum est, quod quædam Chronicæ referunt, quod duo Monachi Scoti de Hybernia in scripturis sacris, & in sæcularibus eruditi, de Britannia ad litus Galliæ pervenerunt; qui quotidie ad populos emendi gratia convenientes clamabant, dicentes: Si quis scientiæ cupidus est, veniat ad nos, & accipiat eam, nam venalis est apud nos. Tam diu conclamata sunt ista, donec ab hujusmodi sermone admirantibus ad Caroli magni gloriosissimi Regis audientiam sunt prolata. Qui celeriter illos ad suam præsentiam evocatos, quid pro scientia peterent requisivit. Qui pro ipsa, loca tantum opportuna, & fœlicia ingenia, ac pro victu & vestitu necessaria se petere responderent. Quo audito, ille ingenti repletus gaudio, unum eorum in Italiam, cui Monasterium sancti Augustini apud Papiam commisit, ad docendum direxit: alterum vero Clementem nomine, cui ad docendum multos pueros commendavit, fecit in Gallia Parisius residere, eidem & pueris victualium necessaria ministrando. Quibus auditis Alcuinus de natione Anglorum, doctissimi Bedæ discipulus, eum sociis in omnibus scripturis exercitatis, ad dictum Clementem Parisios ad docendum venit, ubi eorum doctrina fructificavit in tantum, quod Gallici antiquis Romanis & Atheniensibus æquarentur; prout hæc in speculo historiali libro 23. cap. 173. plenius continentur. Aliæ vero Chronicæ (ut in lib. &c. prædictis & etiam in Chronica Martini patet) referunt, quod prædictus Alcuinus, qui fuit quondam ipsius Caroli eruditor, studium de urbe Romana Parisios transtulit, quod de Græcis prius translatum extitit ad Romanos. Sed sive prima sive secunda circa institutionem dicti studij vera sit assertio, constat tamen studium hujusmodi vel ex Caroli magni institutione, vel saltem ipsius institutionem per ejus opem ac operam processisse. Præmissa de institutione studij Parisiensis dicta intelligenda sunt, quoad institutationem ipsius in pagina divina duntaxat. Non longe ante tempora Caroli Magni, tempore scilicet Boëtij studium liberalium artium & Philosophiæ Parisiis viguit, ut patet ex libello, quem de disciplina scholarum compilavit. Erat autem Boetius tempore Theodorici Regis Gothorum, qui tempore Imperij Zenonis Imperatoris regnavit in Italia, & hic Zeno (ut referunt prædictæ Chronicæ sub anno Domini 1475. imperare cœpit. Sed Carolus sub anno Domini 769. regnare cœpit, ut in Francorum historia continetur. Ex hujus autem studij Parisiensis institutione, ipsiúsque laudabili usque ad præsens tempus continuatione, certum est multas hæreses per Prælatos & alios literatos viros, qui in eodem studio in divina pagina, & in sacris canonibus profecerunt, de finibus fidelium usque ad hæc tempora extirpatas fuisse, ac in posterum dante Domino extirpandas: pro quo bene facit. ex ne Cleri. vel Monach. c. super specula juxta finem. In hujusmodi vero studij, ac aliorum studiorum mundi favorem, commodum, & augmentum Imperator Fridericus II. tam doctores, quam etiam scholares privilegiavit, in his quæ habentur, C. ne fil. pro patre in authen. habita. Idem etiam Fridericus plures bonas & utiles leges ad dilatandam fidem Catholicam edidit pro exterminio hæreticæ pravitatis, quæ sunt per Bonifacium Papam VIII in quantum Dei & Ecclesiæ sanctæ suæ honorem promovent, & non obstant statutis canonicis, approbatæ, ut patet ex. de hæretic. c. ut inquisitionis in princip. lib. 6. quarum legum plures ponuntur in constitutione ejusdem Friderici, ad decus & decorem, in tit. de statu. & consuetud. con. Ecclesiastic. liber. editis in §. gazaros, §. statuimus, § si vero, & §. credentes, coll. 10. Cum igitur, ut ex præmissis patet, fides Catholica, nedum in Germania, sed etiam in finitimis regionibus, per devotam & strenuam operam veterum Principum Germanorum, sit plurimum dilatata, & hæreses extirpatę: satis ex hoc constat eosdem zelum fidei Catholicæ ac Christianæ religionis præcipuum habuisse.

Academiæ Paris. institutio.

B

C

D

Fridericus Imperator universitatis privilegia concessit, & leges hæreticis extirpandis consuluit.

E

CAPVT III.

De singulari diligentia & reverentia, quam erga divinum cultum veteres Germani principes habuerunt.

F

QVia Catholicæ fidei professores ad cultum Dei potissime astringuntur, qui cultus latria dicitur, juxta ea quæ notantur de conse. di. 3. venerabiles. Nam inter decem Dei præcepta, quæ per ordinem ponuntur Exod. 20. cap. & 32. quæst. 7. quid in omnibus, in gloss. 2. primum est: Non adorabis Deos alienos. Quod præceptum Christus exponens dixit: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies, ut patet Matth. cap. 4. ac etiam ad venerationem & cultum sanctorum, qui dulia dicitur, Christiani ad honorem divini nominis astricti tenentur: ideo consequenter restat videre de reverentia & diligentia singulari, quam veteres Germani Principes erga Dei & sanctorum cultum adhibere curarunt. Sciendum igitur est, quod fidem, cultum divinum, ac venerationem sanctorum, cum summa pietate ac reverentia excolere studuerunt, eundem cultum mente devotissima sedulo frequentando. Et ut circa hoc ex multis admodum pauci dicam: Carolomannus Dux Francorum, frater Pipini, se totum divino tradens cultui, Romam adiit, ibique coram Zacharia Papa, sub anno Domini 746. Monachus effectus est: cumque in Monasterio (quod ipse in monte Soracti in honore S. Silvestri construxit) aliquo tempore conversatus religiose fuisset: & Germani & Gallici Romam venientes, ipsum tanquam olim suum Dominum visitando inquietarent; ad Monasterium montis Cassini transit, ibique post vitam laudabilem in introitu Monasterij beatam sepulturam accepit. Hæc in historia Francorum, ac Eusebij, Gotfridi & Martini chronicis de ipso scripta leguntur. Item Carolus Magnus prædicti Pipini filius, Ecclesiam mane & vespere, ac nocturnis horis, ac sacrificij tempore, quoad valetudo permisit, impigre frequentabat, curabátque magnopere, ut omnia quæ in ea gerebantur, cum maxima fierent honestate: æditues crebro commonens, ne quid indecens aut sordidum in Ecclesiam inferre, vel in ea permitterent remanere: legendi & psallendi disciplinam diligentissime emendavit. Erat enim utriusque admodum eruditus, quanquam nec publice legeret, nec nisi submisse & in communi cantaret, ut in histor. Francorum, & Chronica Eusebij plenius continentur. Item refert histor. Longobardorum, quod tempore dicti Caroli officium Ambrosianum maxime dimissum est, & Gregorianum (ad hoc auctoritate Carol. Magn. plurimum adjuvante) fuit solenniter publicatum. Item idem Carolus offensus de dissonantia cantus Ecclesiastici inter Romanos & Gallos, & judicans justius esse de puro fonte, quam de turbato bibere rivo, duos clericos, ut authenticum cantum à Romanis discerent, & Gallos docerent, Romam misit: & primo per hos Metensis Ecclesia, & per illam omnis Gallia ad cantus Romani ritum extitit revocata, ut in spec. histor. lib. 24. cap. 17. continetur. Item idem Carolus per universum mundum adscribendum nomina actus, & obitus sanctorum, nuntios misit, quæ per Ysnardum

Carolomann. dux Francorum relicto sæculo monasticam amplectitur vitam.

G

Carolus mag. frequenter in templis.

H

Carolus mag. Imper. cantum Ecclesiasticum Romanum per Galliam servari curavit.

Carolus ma. Imp. martyrologium conscribi curavit.

vel

vel Ysuardum Monachum in unum volumen compilari fecit, ut in prædicto spec. lib. 25. c. 2. plenius continetur. Item Carolus ann. Imperij sui 6. per manum Pauli Diaconi sui, quæque de scriptis Catholicorum patrum decerpens, lectiones unicuique festivitati convenientes per circulum anni in Ecclesia legendas compilari fecit, ut in spec. histor. lib. 15. c. 9 narratur. Semper quoque dictus Carolus (ut refert Chronica Martini) Romam veniens, de equo ad limina descendit & pedes eundo per urbem omnes Ecclesiarum postes humiliter deosculari consuevit. Item Imperator Lotharius I. nepos Caroli prædicti, se totum divino cultui mancipavit. Nam sub ann. Dom. 855. Imperio renuncians, in Monasterio Prumiensi Treverensis diœcesis Monachus efficitur, ibidémque in sanctæ religionis professione diem clausit extremum: ut in historia Francorum, & in dictis Chronicis continetur. Item Imperator Carolus III. filius Carolomanni Regis Barbariæ, Deum timens, ac sanctionibus Ecclesiæ devotissime parens, Psalmorum melodiis infatigabiliter intentus, spem & consilia sua Deo commisit: ut in Francorum historia continetur. Item Rex Henricus primus hujus nominis de natione Saxonum (ut refert historia Francorum) in tantum Dei cultum, ac defensionem inopum & viduarum, disciplinámque pacis servandæ seculari prætulit dignitati, ut nullam circa tyrannos ab Italia effugandos (qui quasi mercenarij conductitij alter alteri succedentes laniabant Imperium) operam dare posset. Item Otho I. ejusdem Henrici filius, consuevit nocturnis & matutinis laudibus interesse, atque universis solennitatibus ad Vesperas & ad Matutinas atque ad Missam, cum processione venerabili Episcoporum cæterorúmque Clericorum, cum Crucibus & Sanctorum reliquiis ac thuribulis ad Ecclesiam usque deduci solebat: ubi cum magno Dei timore stabat, & sedebat, nil loquens nisi divinum, usque dum omnia finita essent: indéque ad cubiculum suum cum multis luminaribus comitatúque multo Sacerdotum, Ducum, & Comitum remeabat, ut in historia Francorum continetur. Item Robertus Rex Franciæ Gallicæ, filius sororis Othonis prædicti, in Ecclesiasticis cantibus non mediocriter doctus, pulcherrimam sequentiam, sancti Spiritus adsit nobis gratia: & quosdam alios Ecclesiasticos cantus fecit, ut in speculo historiali lib. 25. c. 107. plenius continetur. Refert etiam Chronica Martini de eodem, quod tantæ devotionis erat, quod in festis in aliquo Monasterio propter divinum officium esse consuevit, & non solum cum Monachis cantabat, verum etiam cappa serica indutus chorum regebat, ut refert dicta Chronica cum quoddam castrum obsedisset, dimisso exercitu ibidem, Aurelianas, propter festum Aniani Episcopi venit, & cum chorum regendo alta voce ter agnus flectendo genua incepisset, muri castri quod obsederat funditus corruerunt. Ex præmissis igitur, & aliis quæ de his scripta leguntur, satis apparet prædictos veteres Germanos Principes singularem quandam devotionem, reverentiam, & diligentiam circa cultum habuisse divinum: ex quo concluditur eosdem Christianæ religionis zelum præcipuum habuisse.

Vide pietatem Caroli magni in visitandis locis sanctis. Lothar. I. Imp. renuncians Deo servit in vita monastica. Magna pietas Carol. 3. Imper. Henric. I. Imp. Otho I. Imp. Robertus rex Galliæ.

CAPUT IV.

De magnificis defensionibus Romanæ Ecclesiæ contra tyrannos per veteres Germanos Principes frequenter impensis.

CUm sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifex sit in terris vicarius IESU-CHRISTI: ut patet extra de homicid. pro humani. lib. 6. & de transl. Prælat. cap. 1. & 2. cum suis concor. Ipsa quoque Romana Ecclesia mater & magistra omnium fidelium, cunctarúmque Ecclesiarum caput existat, ut sacri testantur canones. 22. di. non decet. & c. præceptis, 21. di. quamvis & 21. di. c. 1. & 2. & ext. de sum. tri. & fid. Cath. c. damnamus juxta fin. cum similibus, tanto majorem quis zelum Christianæ religionis habere perpenditur: quanto eandem Ecclesiam ac Romanum Pontificem potioribus attollit beneficiis, & majoribus honoribus veneratur. Veteres igitur Germani Principes moti consideratione prædicta, Ecclesiam Romanam, ejúsque Rectores summos Pontifices, grandibus & variis infrascriptis beneficiis & honoribus extulerunt. Primitus itaque eandem Ecclesiam multoties defensarunt, ipsam à variis tyrannorum violentiis & oppressionibus magnificè liberando. Nam Carolus major, Dominus & dux Francorum, cognomine Martellus, Ecclesiam Romanam & totam Italiam (ut refert Chronica Gotfridi) à Gothis tempore Gregorij Papæ tertij liberavit. Deinde filius ejus Pipinus, Rex Francorum, rogatus a Stephano Papa secundo, contra Aistulphum Regem Longobardorum qui Ecclesiæ Romanæ & Romanis multa mala intulit, Italiam sub anno Domini, 752. cum valido exercitu ingressus est: Aistulphus cum Lombardis per angusta montium obviavit, commissoque acerrimo prælio, Pipinus Deo volente victor extitit, & Aistulphus Rex se in civitate Papiæ collegit quem Pipinus tamdiu ibidem obsedit, donec pro facienda Ecclesiæ Romanæ justitia, quadraginta obsides ab Aistulpho recepit, idque facere ac observare jurejurando firmavit. Post hæc cum Pipinus audisset, non esse adimpleta quæ Aistolphus promiserat, iterum cum exercitu sub anno Domini 755. in Italiam veniens, eum in civitate Papiæ obsedit, & ad implendum quæ promisit obsidione coëgit. Hæc omnia ex historia Francorum, ac Eusebij, Gotfridi, & Martini Chronicis colliguntur: & de hoc facto etiam notatur, ext. de elect. venerabilem in gloss. de bello præmisso Pipini fit mentio in canon. 23. q. 8. hortatum. Deinde Carolus Magnus dicti Pipini filius, rogatus ab Adriano Papa primo, ut justitiam Ecclesiæ Romanæ contra Desiderium Regem Longobardorum Aistulphi prædicti filium defenderet, Italiam intraturus magnum collegit exercitum: Cumque ad clusas montium Italiæ pervenisset, Desiderius Rex eidem Carolo & Francis sub anno Domini 773. cum armatis occurrit. Tunc Carolus unam turmam occulte per montana transmisit. Quod sentiens Desiderius statim clusas reliquit, & Papiam quam citius potuit est ingressus. Rex autem Carolus auxiliante Domino ingressus Italiam Desiderium Papiæ latentem obsedit, ibique in castris natale Domini celebravit: ordinatáque circa Papiam obsidione, ita quod nullus ingredi vel egredi posset, orandi gratia Romam proficiscitur, quem Adrianus Papa cum magna suscepit gloria, ibique festum Resurrectionis dominicæ celebravit. Post hæc ad exercitum suum reversus, fatigatam longa obsidione civitatem Papiæ ad deditionem compulit: & Desiderium cum uxore & filia, omnémque Thesaurum palatij cœpit, ipsúmque Desiderium secum in Franciam captivum deduxit. Hæc omnia ex historia & Chronicis prædictis, & partim etiam ex canone 63. di. Adriani II. plenius colliguntur. Refert autem Chronica Gotfridi, & spec. histor lib. 24. c. 167. quod Carolus Magnus eo tempore quo Italiam cum exercitu contra prædictum Desiderium fuit ingressus, belli congressum in loco, qui tunc pulchra silvula dicebatur cum exercitu ejusdem Desiderij habuit: ubi non parva multitudo fuit utriusque exercitus interfecta, propter quam interfectionem locus Mortaria usque hodie nuncupatur: & de bello videtur etiam loqui prædictus canon. 23 q. 8. hortatu. licet de illo bello in historia Francorum, & Chronica Eusebij nulla mentio habeatur. Item prædictus Adrianus Papa hortatus est Carolum magnum, sub anno Domini 787. Romæ morantem, ut contra Herigisum ducem Beneventorum fines ejusdem partis Italiæ cum exercitu intrare curaret: Quod & fecit, & cum Capuam venisset

Romanus Pontifex in terris vicarius Christi. Romana Ecclesia cunctarum Ecclesiarum caput.

Laus veterum Germanorum principum à defensione Rom. Eccles. Carolus Martel. Italiam à Gothis liberavit. Pipinus Aistulphum Longob. regem vexantem Rom. Ecclesiam bello superavit. Carolus mag. Desiderium Longobardorum regem capit. Carolus magn. orandi gratia Romam proficiscitur.

A

nisset, Herigisus, reliquit Beneventum, & in Salernam accessit, ibique se munivit. Exinde misit filium suum Grimoaldum cum magnis muneribus ad Regem Carolum, offerens eidem obsides, omnémque fidelitatem promittens, ut ab ipsius impugnatione cessaret. Tunc & Rex duodecim obsidibus, & tertiodecimo Grimoaldo prædicto receptis, cum eodem duce susceptis muneribus pacem fecit, ut in historia Francorum plenius continetur. Idem etiam Carolus sacrilegam & atrocissimam injuriam à civibus Romanis Leoni Papæ tertio irrogatam (de qua in tractatu de juribus regni & Imperij c.1.scripsi Romam veniens, sub anno Domini 801.ut sequitur, vindicavit.) Nam cum auctores hujus injuriæ, secundum legem Romanam, tanquam rei crimine læsæ majestatis, capitali sententia condemnati fuissent: pio tamen interventu Leonis Papæ absque membrorum mutilatione vivere sunt permissi: sed pro facinoris magnitudine sunt exilio deportati: hæc in historia Francorum, Eusebij, & Gotfridi Chronicis plenius continentur.

B

Ludov. 1. Romam à Saracenis liberavit.

Item tempore Imperatoris Ludovici I. filij Caroli magni, Saraceni Romam & civitatem Leoninam ceperunt, & Ecclesiam Romanam omnibus bonis mobilibus spoliarunt, eam equorum suorum stabulum facientes, per exercitum Ludovici prædicti, & per quendam Widonem Marchionem, cum multa effusione Christiani sanguinis sunt fugati, ut in Martini Chronica continetur.

Arnulphus rex.

Item Rex Arnulphus filius Carolomanni Regis Barbariæ de genere Caroli Magni, hortatu Formosi Papæ, Romam, sub anno Domini 896. venit: quam tunc armis cepit, multósque Romanos nobiles, qui adversus Formosum Papam seditionem fecerant, ulciscendo ejus injuriam, decollari præcepit: à quo etiam tunc in Imperatorem extitit coronatus, ut in historia Francorum & Chronica Gotfridi plenius continetur.

Otho 1. Imp. à tyrannide Italiam liberat.

Item Rex Otho primus de natione Saxonum Germanorum rogatus à Ioanne Papa XII.ac Episcopis ac Comitibus pene omnibus Italiæ, ut Rempublicam Romanorum & Italiam à tyrannide Berengarij (qui tota sua feritate premebat Italiam) defendre dignaretur, per Barbariam & Tridentum Italiam cum exercitu, sub anno Domini 961. intravit: Ibi omnes pene Italiæ Episcopos & Comites obvios habuit, & ut decuit ab eis honorifice susceptus, potestative ac absque omni resistentia Papiam intravit, & Palatium à Berengario destructum reædificare præcepit. Berengarius vero cum uxore & filiis, quibus poterat se castellis & munitionibus includebat, & nusquam forinsecus contra Othonem progredi attentabat. Deinde Otho factus Imperator Berengarium sub anno Domini 963. in monte Leonis obsedit, & idipsum castellum Imperatoris ditioni subditur, ac Berengarius cum uxore sua Willa in exilium Babenberg missus, vitam præsentem finivit ibidem. Idem etiam Otho ex eo quod Romani Benedictum quendam Rom. Ecclesiæ Diaconum, tempore Leonis Papæ octavi de facto eligere præsumpserunt in Papam, Romam sub anno Domini 964. cum magno exercitu adiens, tam diu eam obsedit, quousque cives Romani fame ac obsidione constricti portas urbis in vigilia præcursoris Domini aperiunt, ac Imperatorem cum debita honorificentia intromisso, Benedictum sacrilegum imperatoriæ potestati tradunt, Leonémque Papam in Apostolicam sedem restituunt, Benedictus vero Archiepiscopo Bremensi commissus est: à quo in Saxoniam perductus, illic à præsenti vita decessit: Hæc de Othone I. in historia Francorum, & Gotfridi, ac Martini Chronicis colliguntur. Idem etiam Otho I. 13. ex majoribus Romanorum (excepto Præfecto urbis qui aufugerat) qui expulsionis Ioannis Papæ 13. ab urbe auctores fuerant, jussit sub anno Domini, 967. suspendio interire: quamplures verò alios qui in facto expulsionis prædicto culpabiles extiterant, ad partes Saxoniæ in exilium relegavit: hæc ex historia Francorum, & Chronica Martini plenius continentur, vel colliguntur. Illo etiam anno prædicto Otho I. Ravennam cum suo districtu & alia plura bona multis retro temporibus Ecclesiæ Romanæ ablata eidem Ecclesiæ restituit, ut in eadem historia continetur.

D

E

Otho 3. iratus est Greg. V. Rom. Pont.

Item Otho III. prædicti Othonis primi nepos, Crescentium consulem Romanum, pro eo quod Gregor. Papam V. ab urbe Romana expulit, & Ioannem Placentinum Episcopum in Papatum intrusit, Romam properans castrum sancti Angeli tamdiu obsedit, quousque ipsum sub anno Domini, 998. cum castro captum decollari,& decollatum per pedes laqueo suspendi præcepit. Ioannes vero prædictus, Gregorio Papa & Othone Romam appropinquantibus fugit, quem quidem insequentes apprehenderunt, timentésque si eum ad Othonem perducerent impunitus abiret, linguam & nares ei absciderunt, & oculos penitus eruerunt. Hæc in historia Francorum, & Chronica Martini plenius continentur.

F

Henric. 3.

Item Imperator Henricus III.adhuc Rex existens, dum in Ecclesia Romana Apostolicam sedem occupantibus (quorum unus Benedictus, alter Gregorius VI. tertius Silvester vocatus est) gravem videret confusionem exortam, Romam sub anno Domini, 1046. pergere festinavit, ubi omnes tres synodaliter sunt depositi, idémque Imperator Suvigerum Babenbergens. secundum Episcopum (qui Clemens II. vocatus est) de Romanæ Ecclesiæ assensu, Romanum Episcopum sub anno Domini 1046. constituit, ac ab ipso unctionem & coronationem Imperialem accepit: hæc in historia Francorum, ac Eusebij, & Gotfridi Chronicis plenius continentur. Chronica vero Martini refert, quod idem Henricus Suvigerum prædictum per vim substituerit in Papatum, & de hoc facto notatur 23.di. in nomine Domini, in gloss. 2. ubi notat glossator quod dictus Gregorius fuit ab eodem Henrico ultra montes translatus, sed de hoc Chronicæ prædictæ nullam faciunt mentionem.

Lothar. 2. Imp.

G

Item Imperator Lotharius II.de natione Saxonum, post coronationem Imperialem ab Innocentio Papa secundo susceptam, zelo Dei & Ecclesiæ accensus, contra Rogerium Siculum, qui plerasque Apuliæ civitates occupaverat, una cum Innocentio Papa cum exercitu Apuliam, sub anno Domini 1132. potenter intravit, ubi pluribus civitatibus & oppidis & castellis in deditionem acceptis, Papa & Imperatore apud Barum morantibus, Rogerius missis illic nunciis gratiam Imperatoris quæsivit, & infinitam pecuniam filiúmque suum obsidem illi dare promisit, si alterum suum filium de principatu Apuliæ investiret. Imperator autem paci Ecclesiæ magis consulens quam pecuniæ, principatum prædicto tyranno semipagano tradere recusavit. Fugato itaque Rogerio in Siciliam, Comitem Ramonensem Apuliæ ducem constituit: prout hæc in historia Francorum, ac Gotfridi & Martini Chronicis plenius continentur. Præmissæ pluresque aliæ defensiones magnificæ per Germanos Principes non absque grandibus sumptibus laboribus ac personarum periculis, Romanæ Ecclesiæ sunt impensæ: quibus similes per alios mundi Principes eidem Ecclesiæ nequaquam legimus esse factas. In his autem defensionibus id maxime laudum eorum, præsertim Pipini & Caroli prædictorum accedit titulis, quod licet Germanos fortissimos & indomitos fuisse veteres testantur historiæ: gentes tamen exteras (ut refert historia Francorum sub gestis Imperatoris Henrici V.)de facili non impugnant. Ex quo conjicitur. defensiones præmissas non animo impugnandi Reges Lombardorum, seu etiam alios Romanam Ecclesiam invadentes, sed potius ex Christianæ religionis zelo, (quo accensi Romanam Ecclesiam matrem suam injuriis affici sustinere non poterant) per eosdem principes fuisse subactos.

H

CAPUT

CAPUT V.

De donationibus largifluis per veteres Germanos Principes Ecclesiæ Romanæ factis.

Veteres Germani Principes Romanam Ecclesiam grandibus & variis donationibus extulerunt, eidem plures terras, civitates, & loca cum suis juribus & jurisdictionibus necnon alia bona immobilia & mobilia copiosa munificentia & præcipua largitate donando.

Pipini donatio.

Pipinus namque Francorum Rex civitatem Ravennam, cum quinque civitatibus adjacentibus, quas (ut referunt historia Francorum, & Chronica Eusebij in secundo suo ingressu in Italiam contra Regem Lombardorum Aistulphum sub anno Domini 755.) conquisivit, Ecclesiæ Romanæ donavit. Quam donationem Carolus Magnus ejusdem Pipini filius, tempore Adriani Papæ primi, Romam veniens, adjunctis duobus ducatibus, Spoletano scilicet & Beneventano, (ut refert Chronica Martini) eidem Ecclesiæ confirmavit. Item Wilhel. in speculo, loquens forte de prædicta donatione Caroli Magni, dicit, quod Carolus, & quidam alij Imperatores sequentes, civitatem Bononiæ, & totam Romandiolam, Romanæ Ecclesiæ donaverunt: ut ipse notat in speculo de rescript. præsent. §. ratione cen. vet. & sunt hæc in argumentum. Magnas quoque donationes etiam rerum mobilium idem Carolus Ecclesiæ Romanæ fecit. Unde legitur de ipso in historia & Chronica prædictis, quod colebat præ cæteris sacris locis Ecclesiam B. Petri apud Romam: in cujus donaria magnam pecuniæ summam congessit. Refert etiam de eo historia Francorum, quod magnam partem thesauri priscorum principum Arrianorum sive Honorum per eos multa temporum prolixitate collecti, quem sibi Henricus dux Forojuliorum ipsis devictis Hunis transmiserat ad limina sanctorum Petri & Pauli Apostolorum, sub anno Domini 791. Romam misit, reliquam partem ejusdem thesauri suis fidelibus largiendo.

Caroli donatio.

Henrici Imp. donatio.

Item Imperator Henricus II. Benedicto Papæ X. in civitate Babenberg cœnam Dominicam & festum Paschale sub anno Domini 10 0. decenti ministerio excolenti, multiplicem opum copiam donavit, ut in prædicta historia continetur. Præterea Henricus III. Otho IV. Fridericus II. Imperatores, & Rudolphus Rex Romanorum, qui omnes Germani erant, plures donationes Ecclesiæ Romanæ fecerunt: de quibus fit mentio ext. de jurejur. Romani, ver. eidem in Clem. Constat autem quod donationes his similes post tempora Constantini Magni S. Helenæ filij, qui donationem magnam Ecclesiæ Romanæ fecit, (de qua in tractatu de juribus regni & imperij c. 13. varias opiniones scripsi) ab aliis Imperatoribus, seu etiam à cæteris mundi Christianis Principibus ipsi Ecclesiæ Romanæ non legimus esse factas. Imo in historiis seu Chronicis mihi notis cum diligentia perscrutatis, non reperi alios quam Germanos grandes & notabiles donationes Ecclesiæ Romanæ fecisse: Constantino prædicto, & Mæchilde Comitissa de Italia (quæ amplissimis possessionibus abundans totum suum patrimonium, quod usque in hodiernum diem patrimonium S. Petri dicitur, ut refert Chronica Martini, Ecclesiæ Romanæ donavit) duntaxat exceptis. Et hi ambo quamvis non per paternam, tamen per maternam lineam de Germanorū germine descendisse dicuntur. Habet namque multorum assertio, quod S. Helena mater ejusdem Constantini de Treveri fuit oriunda. Mater vero dictæ Mæchtildis fuit filia Beatricis neptis Imperatoris Henrici III ut in Francorum historia continetur. Et de hac Comitissa facit mentionem Accursius in gloss. C. de arbitr. in leg fin. Ex quibus omnibus patet, apud prædictos Germanos Principes Christianæ religionis zelum, quo zelati matrem suam sanctam Romanam Ecclesiam, idem tam copiosa munificentia complacere studebant, perfectissime viguisse.

Constantinus à linea materna Germanus.

Mæchildis.

CAPUT VI.

De specialibus requisitionibus per veteres Germanos Principes in negotiis temporalibus regni Francorum à Romana Ecclesia primitus expetitis.

Magnæ devotionis affectus, quem veteres Germani Principes erga Romanam Ecclesiam habuerunt, etiam ex requisitionibus eorundem, quibus de dispositione regni Francorum in temporalibus summos Pontifices Ecclesiæ rectores consulere inceperunt, evidentissime declaratur. Pipinus namque dum erat dux Francorum, & major domus seu præfectus, & comes palatij regni Francorum, habebat omnem potestatem, & administrationem ad opes ejusdem regni. Sed Hildericus Rex ex antiqua Regum Francorum stirpe progenitus, præter inutile Regis nomen, & precarium vitæ stipendium, quod ei præfectus palatij prout voluit exhibebat, nil aliud possidebat, sed regni administrationem præfectus palatij procurabat. Et hoc officio dictus Pipinus tunc velut jure hæreditario fungebatur, qui sub anno Domini 749 misit ad Papam Zachariam Burghardum Wirtzburgensem seu Herbipolensem primum Episcopum, & Volradum Archicapellanum, requiri faciens de Regibus in Francia, qui temporibus illis non habentes regiam potestatem, Reges tamen vocabantur, si bene esset an non? Zacharias vero Papa super hoc requisitus per Episcopos, mandavit Pipino, melius sibi videri, illum Regem vocari, qui potestatem haberet, quam qui sine potestate regali manebat. Et sic Pipinus à Francis sub anno Domini 750. electus est in Regem in civitate Suessionum. Hildericus autem qui falso Rex dicebatur, attonsus est, & in Monasterium missus, prout hæc omnia in historia Francorum, & Chronicis Eusebij, & Gotfridi, ac etiam in vita sancti Burghardi prædicti plenius continentur: de quo & aliquid legitur & notatur 15. quæst. 6 alius. Ex hoc facto (ut refert Chronica Gotfridi) Romani Pontifices trahunt auctoritatem regna mutandi. Item Adrianus Papa primus legatos suos: sub anno Domini 781. ad Cassilionem Ducem Bavariæ, (ut refert historia Francorum) direxit, eum Apostolica auctoritate contestans, ut fidelitatem quam Pipino & filiis suis juramento interposito promiserat, Carolo Magno ejusdem Pipini filio observaret. Hoc autem eundem Papam ad requisitionem ipsius Caroli fecisse dubium non existit. In quo tanto major apparuit Magni Caroli erga Ecclesiam Romanam sincera devotio, quanto dicti Ducis infidelitatis protervia poterat propria constringere potestate, quod & postea fecit. Nam cum idem Dux fidelitatem juxta monitionem Apostolicam denuo Carolo Magno juramento promissam non dio servaret; idem Carolus ad Ducem Cassilionem legatos misit, monens eum ut Apostolicis exhortationibus obediret. Qui cum obedire renueret, Rex sub anno Domini 787. in partes Bavariæ circumquaque movit exercitum. Tunc Cassilo se videns non posse resistere, Carolum supplex adiit, & renovato fidelitatis sacramento, datisque cum Theodone filio suo duodecim electis obsidibus, ab eodem Carolo de ante gestis gratiam impetravit. Post hoc autem anno sequenti, Dux Cassilo à quibusdam Bavaris Regi Carolo in villa Ingelheim, quod renovatum fidelitatis sacramentum non servaverit, sed quod Avares sive Hunos ad dispositionem regni (suadente id uxore sua Desiderij quondam Regis Lombardorum filia) vocaverit, extitit accusatus. Quod cum diffi-

Pipinus.

Burghar. 1. Episc. H b p.

teri

A

feri non posset, ad pœnam mortis tanquam reus læsæ majestatis fuit sententia similiter condemnatus. Rex tamen misericordia motus, eo quod consanguineus ejus esset, licentiam intrandi Monasterium eidem dedit: & sic ipse ac filius ejus Theodo prædictus in Monachos sunt attonsi, ut in historia Francorum & in Chronica Gotfridi plenius continetur.

G ffilo & Theodo filius ejus monach. fact.

Item idem Carolus Magnus dum testamentum super divisione regni Francorum inter filios suos facienda, si eo decedente superviverent, condidisset, testamentum hujusmodi prius à Francis sacris interpositis approbatum, Leoni Papæ tertio, sub anno Domini, 806. transmisit, ut ipsum requirens, ut illud sua manu confirmaret: quod & factum est, ut in historia Francorum plenius continetur.

Ante tempora vero Pipini & Caroli prædictorum, per alios Principes vel Reges requisitiones ab Ecclesia Romana super dispositione regnorum suorum quoad temporalia fuisse factas, non puto in aliquibus historiis vel Chronicis reperiri: & pro tanto credo Gotfridum in sua Chronica, ut præmisi, dixisse, quod ex facto præscripto responsionis Zachariæ Papæ ad requisitionem Pipini, Romani Pontifices trahant auctoritatem mutandi regna. De quo in tractatu de juribus regni & imperij, cap. 12. circa septimam oppositionem ibidem factam scripsi.

B

Ex præmissis igitur requisitionibus satis patet, prædictos Principes devotionem non modicam ad Romanam Ecclesiam singulariter præ cæteris mundi Principibus habuisse: propter quod zelus Christianæ religionis apud eos fuisse præcipuus demonstratur.

CAPUT VII.

De submissionibus regni & imperij Romani, in quibusdam juribus per veteres Germanos Principes Ecclesiæ Romanæ, ac de recognitionibus eorum circa hæc ipsi Ecclesiæ factis.

C

VT sincerissimæ devotionis affectus veterum Germanorum Principum erga Romanam Ecclesiam viguisse ad hæc amplius cognoscatur: sciendum est, quod à tempore translationis imperij de Græcis in personam Caroli Magni, usque ad præsens tempus, Reges Francorum vel Germanorum, qui hodie Reges Romanorum vocantur, unctionem & coronationem imperialem ab Ecclesia Romana recipere consueverunt, ut patet non solum ex Chronicis, sed etiam jure canonico, extr. de elect. venerabilem, & de jurejurand. Romani in clem. Hanc autem unctionem & coronationem Imperatores Romanorum, ante tempora dictæ translationis, à Romanis Pontificibus, & Ecclesia Romana passim recepisse, in historiis seu Chronicis quæ in usu habentur minimè reperimus: Sed legimus in eis, quod iidem Imperatores interdum à militibus, qui eos elegerant, imperiales infulas susceperunt, sicut de Romano Imperatore Christiano refert Chronica Frechulfi Episcopi Lexoviensis.

Idq; mutuo cum ab ea donatum fit imperium, Vnctio & coronatio Romani Imper. & Regis.

D

Quandoque etiam leguntur à Constantinopolitano Patriarcha (ut patet in Chronica Eusebij de Imperatore Leone I. & quibusdam aliis Christianis Imperatoribus) Imperiales recepisse coronas: Interdum verò legimus, quod unus Imperator coronavit suum successorem: Unde refert eadem Chronica Eusebij, quod Imperator Leo nepos Leonis primi, cum paucis mensibus rexisset imperium, manu sua coronavit genitorem suum Zenonem, ipsúmque constituens Imperatorem, rebus decessit humanis. Constat etiam quod alij Reges unctiones & coronationes regales non ab Ecclesia Romana, sed potius ab Archiepiscopis, vel Episcopis sui regni, ut plurimum recipere consueverunt. Et sic patet, quod Germani Principes quoad unctiones & coronationes imperiales ab Ecclesia Romana percipiendas se ipsi Ecclesiæ submittere primitus inceperunt.

E

Item à tempore Othonis primi, qui juramentum fidelitatis Ioanni Papæ X I I I. secundum formam in can. 63. dis. Tibi domino, comprehensam, præstitit, ut ibidem patet, omnes Reges Romanorum usque ad præsens tempus, Ecclesiæ Romanæ præstare juramentum sub forma consimili consueverunt. Et secundum hoc intelligendum est, quod dicit prædicta decret. Romani in princip. Iuramentum autem tale ab Imperatoribus seu Regibus Romanis ante tempora dicti Othonis: vel etiam ante seu post ipsius tempora, ab aliis Principibus Christianis, qui tamen juramentum fidelitatis Imperatori Romanorum præstare non solent, fuisse præstitum, non recolo me legisse. Et de hoc fidelitatis juramento in tractatu de juribus regni & imperij, c. 9 scripsi.

Iuramẽtum Eccles. Romanæ præstant Rex & Imp. Romanus.

F

Item Rex Romanorum tempore suæ coronationis Imperialis juramentum sub forma quæ ponitur in libro Pontificali, & in prædicta decr. Romani vers post quæ Ecclesiæ Romanæ præstare consuevit. Quod juramentum per Imperatores Romanos, qui non erant Germani, non reperitur, ut puto, Ecclesiæ Romanæ fuisse præstitum, nec etiam hodie per alios Reges Christianos, qui tamen Imperatorem pro superiore non recognoscunt, eidem Ecclesiæ præstari consuevit.

Item Principes Germaniæ, ad quos pertinet jus & potestas eligendi Regem Romanorum, recognoverunt Innocentio Papæ I I I. ut patet in decr. sua ext. de elect. venerabilem, §. verum, quod jus & auctoritas examinandi personam electam in Regem Romanorum, ad imperium postmodum promovendam, pertineat ad Ecclesiam Romanam.

Quod jus examinandi personã electam in Imperatorẽ spectet ad sedem Apost.

Item cum idem Innocentius Papa in prædicta decret. venerabilem, asserat jus & potestatem eligendi Regem Romanorum ab Ecclesia Romana ad certos Principes Germaniæ provenisse, nec id in historiis seu Chronicis nostris gesta Regum seu Imperatorum continentibus reperiatur expressum: satis potest dici, quod prædictus Innocentius Papa hoc asserit, propter recognitionem per aliquem ex Regibus vel Imperatoribus Germanis, vel Principes electores ipsi Ecclesiæ Romanæ super hoc factam. Recognitiones autem his similes ante tempora prædictæ translationis imperij à Romanis Imperatoribus, vel à Principibus qui fuerant eisdem subjecti, vel etiam ab aliis Principibus seu Regibus Christianis, qui tamen Imperatorem Romanum pro suo superiore minime recognoscunt, Ecclesiæ Romanæ factas, non puto in aliquibus historiis seu Chronicis reperiri. De examinatione autem personæ Regis ad imperium promovendæ in prædicto tractatu, cap. 10. in prima oppositione, ac de pervcntione potestatis eligendi Regem Romanorum ab Ecclesia Romana ad Principes, in eodem tract. cap. 12. in tertia oppositione plura scripsi.

G

H

Item Principes Germaniæ potestatem eligendi Regem Romanorum habentes, post electionem Regis per eos factam, summis Pontificibus decretum hujusmodi electionis (à tempore cujus contrarium in memoria hominum non existit usque ad præsens tempus) transmittere consueverunt. Cujus decreti continentiam in dicto tractatu in c. 8. scripsi. Sed olim quando Imperatores per electionem (sicut & nunc fieri solet)

Decretũ electionis regis, Romanis Pontif. Principes electores transmittunt.

ad

ad imperium assumebantur etiam tempore Christianorum Imperatorum, id fieri non solebat. Nam sive Imperatorum electio ab ipsis Imperatoribus, qui quandoque ad imperium, sibi successurem vel socium assumebant: sive per militea exercitus, sive per senatum, seu per populum Romanum fieret, nunquam legimus à prædictis decreta electionum facta, & ad summos pontifices transmissa fuisse: sed potius è contra legimus, quod decretum electionis Papæ post eius electionem olim Romanis Imperatoribus transmitti solebat, ut patet 63. di. c. Agatho. & §. electiones. Præterea rex Anglorum Adulphus, qui ex primæva origine sicut & cæteri veteres reges Angliæ (ut supra in Procemio dixi) Germanus erat, quique primum totius Angliæ obtinuit monarchiam, devotionis caussa venit Romam, & coram Leone Papa V. Sancto Petro tributum, quod usque hodie in Anglia solvitur, scilicet de unaquaque domo in Anglia nummum argenteum per annum obtulit: per hoc subditos sui regni Ecclesiæ Romanæ quodammodo submittendo ut in speculo historiali lib. 25. ca. 36, & in Martini chronica continentur. In c. 7. ibi continetur. Innocent. tamen de hoc tributo loquens notat ext. de postul. præla. ca. fin. quod Anglici reddunt Ecclesiæ Romanæ tot denarios quot sunt capita; cuius dicto, cum Papa fuit, in hoc magis credendum videtur: & de præstatione denariorum huiusmodi fit mentio ext. de censi. c. ca quæ ut ex prima gloss. patet ibidem. Præmissæ itaque submissiones ac rogationes prædictos principes erga Romanam Ecclesiam zelum fervidum Christianæ religionis habuisse declarant.

Hoc ea privilegio Romani pōtifices aliquando Imperatoribus concesse, sunt: cui privilegio tamē postea Imperatores renunciarunt, ut cōstat ex seq. cap.

CAPVT VIII.

De renunciationibus privilegiorum à Romana Ecclesia veteribus Germanis principibus concessorum per eosdem factis.

Religiosæ mentis affectus veterum principum Germanorum, quem erga Romanam Ecclesiam habuerunt, non solum ex præhabitis in quatuor proximis præcedentibus capitulis, sed etiam ex privilegiorum ab eadem Ecclesia ipsis concessorum piis renunciationibus, liquido sciri potest. Nam Carolus Magnus habebat ab Hadriano Papa I. & sancta synodo Episcoporum Romæ celebrata, & privilegio potestatem eligendi seu ordinandi sedem Apostolicam, ut patet 63. di. Hadrianus II. Huic privilegio Ludovicus I. eius filius renunciavit. Concessit enim quod electus in Papam à Romanis absque ambiguitate ac contradictione qualibet consecretur: quodque post consecrationem per Papam ad ipsum & ad suos successores reges Francorum nuncij dirigantur, qui inter Romanum pontificem, & eum, suosque successores charitatem & amicitiam socient, ut hæc omnia patent ex can. 63. di. Ego Ludovicus. Item simile privilegium de sede Apostolica ordinanda à Leone Papa VIII. cum clero & populo Romano concessum habuit Otho I. & sui successores, ut patet 63. di. c. in synodo, quod privilegium prædictus Leo eidem Othoni (ut refert chronica Martini) concessit propter malitiam Romanorum, qui suos sedis Apostolicæ intrudebant. Huic etiam privilegio Imperatores successores eiusdem Othonis renunciaverunt religioso mentis affectu: secundum quod dicit Gratianus 63. distinct. in §. verum, & ad hoc fa. c. distinct. nullus. Licet autem Imperatores Romanorum ante tempora Caroli Magni, sive ex privilegio Ecclesiæ Romanæ, sive ex more habuerint dispositionem sedis Apostolicæ, in tantum quod post electionem Romani Pontificis, decretum electionis Papæ præsentabatur Imperatoribus, & postea cum eorum conscientia & iussione ordinatio Romani Pontificis procedebat, ut patet in canone 63. di. Agatho: non tamen reperi in aliquibus historiis, chronicis, vel canonibus illos Imperatores huic privilegio seu mori renunciasse, sed reperio, quod quidam Imperator pecuniam, quæ erat dari solita Imperatoribus in ordinatione Romani Pontificis, remittebat; ut patet in prædicto can. Agatho, qui sumptus est ex gestis Romanorum Pontificum, ut in superscriptione ipsius canonis continetur. Vnde satis apparet ex his nostros Imperatores Germanos maiorem erga Romanam Ecclesiam in huiusmodi privilegiorum renunciationibus zelum aliis Romanorum Imperatoribus habuisse. Item Otho I. & sui successores, habuerunt ex privilegio Ecclesiæ Romanæ investituras Archiepiscoporum & Episcoporum per omnes mundi provincias, ita quod Archiepiscopi & Episcopi non consecrabantur absque investituris ipsius & suorum successorum Regum & Imperatorum, ut patet in prædicto canone, in synodo. Quod etiam privilegium prius habuerat Carolus Magnus ab eadem Ecclesia, ut patet in præallegato canon, Hadrianus. Has investituras seu potestatem investiendi Imperator Henricus V. sub anno Domini 1122. in manus Episcopi Hostiensis legati tunc Ecclesiæ Romanæ vice ac nomine Calixti Papæ ac eiusdem Ecclesiæ renunciationem recipientis, Wormatiæ resignavit, ut in historia Francorum plenius continetur. Licet autem in hoc, quod idem Imperator Henricus ante prædictam resignationem cum Paschali secundo, & prædicto Calixto Romanis Pontificibus super investituris huiusmodi pluribus annis (ut prædicta historia & aliæ etiam chronicæ referunt) dissensiones multas habuit, culpabilis fuerit ex eo quod Gregorius Papa VII. tempore Imperatoris Henrici IV. patris dicti Henrici, & etiam prædictus Paschalis tempore suo investituras Episcopatuum, abbatiarum per laicus fieri prohibuerunt canonicis institutis, quæ habentur 16. quæst. 7. Si quis deinceps Quoniam e. si quis clericus, & ca. constitutiones: puto tamen, quod resignatio huiusmodi præsertim quoad investituras Archiepiscoporum & Episcoporum, Ecclesiarum & abbatum monasteriorum Germaniæ, sit eiusdem Henrici V. devotioni, quam erga Romanam Ecclesiam habuit, ascribenda: ex eo maximè, quia omnes predecessores sui, Reges & Imperatores, non tam virtute dicti privilegij, quam ex hoc, quod erant ut plurimum patroni seu dotatores Ecclesiarum cathedralium, & maiorum monasteriorum Germaniæ, investituras Episcopatuum & abbatiarum in ipsis Germaniæ partibus usque ad tempora eiusdem Henrici (ut apparet in historia Francorum & ex aliis chronicis) facere consueverunt. Nec erat hoc novum apud ipsos tantum; nam & reges Hungariæ usque ad tempora prædicti Paschalis (ut refert chronica Martini) & reges Burgundiæ (ut refert historia Francorum sub gestis Henrici I.) ac etiam reges Angliæ (prout Dom. Eduardus rex Angliæ asserit in Epistola sua Dom. Papæ Clementi VI. sub anno Dom. 1343. directa.) Idipsum in suis regnis facere consueverunt reges quoque Hispaniæ, olim Episcopos Ecclesiarum Hispaniæ de Episcoporum consilio eligebant, ut patet in canone 63. di. cum longè. Reges etiam Angliæ tempore vacationis Ecclesiarum cathedralium & maiorum Ecclesiarum Angliæ & Normanniæ, præbendas ipsarum in quibusdam ex eis conferre solebant, quia rex Angliæ est patronus eorum, & habent ab eo magna feuda, unde ratione iuris patronatus, vel ratione feudorum seu regalium eas confert, ut no. archi. 10 di. imperium. Ex quibus omnibus satis conijcitur, prædictum Henricum Imperatorem investituras huiusmodi, ex religioso mentis affectu, quo Romanam zelatus Ecclesiam, eiusdem institutis circa prædictas investituras factis obedire voluit, humiliter resignasse. Patet igitur ex omnibus renunciationibus præmissis, Germanos

principes memoratos Christianæ religionis zelum præcipuum habuisse.

CAPUT IX.

De constructionibus, reparationibus multarum Ecclesiarum, & monasteriorum, ac de diversis donationibus, privilegiorumque concessionibus, Ecclesiis & monasteriis, per veteres Germanos principes factis.

Religiosi principis est, ædes sacras ædificare ac restaurare.

QVia religiosi principis est Ecclesias contritas & concissas restaurare, novasque ædificare, ut dicit canon 96. di. ult. ideo de constructionibus & reparationibus Ecclesiarum & monasteriorum, necnon de donationibus & privilegiorum concessionibus Ecclesiis & monasteriis per veteres Germanos principes pro augmento divini cultus factis ex innumeris summatim pauca perstringam. Licet autem historiæ seu chronicæ varias constructiones & reparationes Ecclesiarum & monasteriorum, necnon grandes donationes privilegiorumque concessiones per veteres principes Germanos, & præcipuè Pipinum, & Carolomannum fratrem eius, ac Carolum Magnum filium Pipini, Ludovicumque ipsius Caroli Magni filium, Ecclesiis & monasteriis in Germania, & Gallia, cæterisque provinciis tunc regno Francorum subiectis, factas referant: huius tamen rei veritas plus ex privilegiis & instrumentis Ecclesiis & monasteriis per eosdem principes concessis, necnon ex quibusdam scriptis (quæ adhuc in multis Ecclesiis & monasteriis dictarum provinciarum habentur) quam ex quibuscunque historiis vel chronicis poterit apparere: veraciter ea his quæ legi & audivi existimans, quod quatuor principes præfati plures Ecclesias monasteriaque in Germania & Gallia construxerunt, dotaverunt, ac etiam ditaverunt, quam omnes reges Francorum, qui à tempore Clodovei I. Christiani regis Francorum, usque ad tempora prædicti Pipini regnum huiusmodi tenuerunt: quodque in toto antiquo Francorum regno, vix sit Ecclesiam collegiatam vel monasterium, quod prædictorum principum foret temporibus reperire, quod non sit per eos, vel per aliquem ex ipsis aliquarum possessionum largitionibus, seu privilegiorum concessionibus honoratum. Inter alia vero quæ præfatus Carolus Magnus pro divini cultus augmento fecisse dinoscitur, specialiter est ipsius laudibus asscribendum, ac veneranda memoria recensendum, quod sub anno Dom. 781. in Saxoniam veniens, eandem in 8. Episcopatus Bremens. Halberstatens. Hildesheimens. Verdens. Padbornens. Mindens. Monasteriens. & Osnabrugens. divisit, & terminos dictis Episcopatibus constituit. Ludovicus vero Imperator, eius filius, Hammaburgens. civitatem Transelavicorum metropolim, sub anno Domini 832. omnibus Barbaris nationibus Danorum, Suevorum, Sclavorum, & aliis in circuitu populis, statuit: eidemque cathedræ Sanctum Asgarium I. Episcopum ordinari fecit: prout hæc in historia Francorum plenius continentur. Refert etiam eadem historia de Carolo Magno, quod ubicunque in toto suo regno reperit ædes sacras vetustate collapsas, pontificibus & abbatibus, ad quorum curam pertinebant, easdem reparari mandavit, & per legatos suos ut mandata perficerent solicitudinem adhibebat. Idem insuper Carolus ante mortem suam, vocatis Ecclesiarum prælatis, quos habere potuit, omnes suos thesauros eis tradidit per Ecclesias dividendos, ut in Martini chronica continetur. Item Imperator Carolus II prædicti Ludovici filius, cognomine Calvus, in diversis per Franciam locis Ecclesias sanctorum construxit, & constructas vetustate collapsas reparari fecit, ut in speculo historiali lib. 25. cap. 45. & in Martini chronica continetur.

Episcopatum Bremens. Halberstat. Hildesheim. Verdens. Padbornens. Mindens. Monasteriens. & Osnabrugens. initia.

B. Ansgarius I. Episcop. Hamburg.

Item Henricus I. (ut refert historia Francorum) regni sui tempore incepit Ecclesias pro remedio animæ suæ devoto animo fabricare. Item Otho I. eiusdem Henrici filius, Magdeburgens. Archiepiscopalem, Brandeburgens. Merseburgensem, Citensem, & Misnens. Episcopales construxit Ecclesias, exceptis diversis monasteriis virorum & mulierum in Saxonia & Sclavonia per eum constructis, ut in historia Francorum plenius continetur. Idem etiam Otho, Daniam seu Datiam Cismarinam tributo subiiciens, eam sub anno Dom. 852. in tres Episcopatus divisit, & Hamalburgens. Episcopatui prædicto subiecit, ut refert hist. Francorum, in qua nomina locorum, in quibus Episcopatus huiusmodi constituti fuerant describuntur. Item in civitate Aldenburch in Sclavonia sita fecit Episcopatum Hammelburgum metropolim, eo quod vicinior illi Ecclesiæ quam Magdeburg esset: eundem Episcopatum subiiciens, ut in eadem historia continetur. Idem etiam Otho sub anno Domini 873. pro remedio animæ suæ tradidit Deo & Ecclesiæ Magdeburgensi in prædiis, in libris, cæteroque apparatu regio, ineffabilia munera: ea scripturarum traditione, ac imperatricis & filij sui collaudatione, sub omnium præsentium testimonio confirmando, ut in historia Francorum continetur. Item Otho II. eiusdem Othonis filius, locum Minelene, ubi pater eius iam dictus obiit, & decimas ibidem, quæ ad monasterium Hersfelt pertinebant, iusto permutationis titulo conquisivit, ac in eodem loco congregatis monachis, rebusque necessariis datis, liberam fecit abbatiam, Apostolicæ sedis privilegio accedente. Merseburgensem quoque Episcopatum largiflua pietate respexit: donans eidem civitatem Merseburgensem cum suis teloniis & iurisdictionibus, ac multas villas, forestamque inter Salam & Muldam fluvios, quæ omnia scriptis manu propria roborans confirmavit: ut in historia Francorum plenius continentur. Item Imperator Henricus II. Episcopatum Ecclesiæ Merseburgensem per Gizelerum quondam eiusdem Ecclesiæ Episcopum, dum per Othonem II. sub anno Domini 981. ad Archiepiscopatum Magdeburgensem promoveretur, possessionibus & bonis Merseburgensis Ecclesiæ in Magdeburgensem partim, & in Citensem & Misnensem Ecclesias per dictum Gizelerum translatis, penitus destructum ex integro in ædificiis, ministrantibus, possessionibus, & ornamentis Ecclesiasticis ad antiquum Episcopalis dignitatis statum, & honorem pristinum, sub anno Domini 1004. studuit reformare. Idem etiam Henricus sub anno Domini 1006. Episcopatum Bambergensem in honore sanctorum Petri & Pauli Apostolorum principis & Georgij martyris constituit: Locumque ipsum prædiorum divitiis & omnium ornatus decore (ut in præsentiarum cernitur) copiosissimè ditavit: in meridiana quoque civitatis parte Ecclesiam in honore Sancti Stephani prothomartyris sub ordine canonicorum, ex aquilonari vero parte monasterium sub monachali regula Sancti Benedicti construxit, aliis quoque sanctorum locis per regni latitudinem non minus, prout opus erat, largitatem suæ munificentiæ impertivit: quædam dilapsa in melius reformando, quibusdam locis quæ pro sustentatione ministrantium in eisdem minus suppetebant, possessiones & prædia largiendo: prout hæc in historia Francorum, & in Eusebij, Gotfridi, & Martini chronicis, ac etiam in eiusdem Sancti Henrici vita seu legenda plenius continentur. Idem etiam Imperator Henricus (ut refert historia Francorum) in Italia existens Episcopatum in Bobia civitate, sub anno Domini 1014. cum licentia & consilio provincialium Episcoporum construxit. Item Imperator Conradus II. natione francus, construxit monasterium monachorum in castro suo Limpurg, prædiorumque copia illud ditavit: Episcopatum quoque Spirensem provehere statuens,

Episcopatum Magdeburgens. Brandeburgens. Merseburgens. Citens. Misnens. prima initia.

Otho II. Imp. donationes.

Bâberg. ecclesia erigitur.

Bobia construitur.

Monasterium in Limpurg. constituitur.

sed

ſed vivendi meta eouſque non pertingens filio ſuo Imperatori Henrico I I I. ſuæ voluntatis implendæ commiſit effectum, quem ipſe magnifice incepit, ſed filius Imperator Henricus I V. magnificentius adimplevit. Item præfatus Henricus I I I. dicti Conradi filius duas congregationes Deomilitantium in Goſlaria inſtituit, ut in Francorum hiſtoria continetur. Plures inſuper alij Reges ſeu Imperatores Germani tam prædeceſſores quam etiam ſucceſſores prædictorum principum; multas alias Eccleſias diverſaque monaſteria fundaverunt, ac largis poſſeſſionibus ditaverunt: aviiſqoe privilegiorum poſſeſſionibus extulerunt, prout ex inſtrumentis ſeu privilegiis eorundem, necnon ex ſcripturis aliis quæ in pluribus Eccleſiis & monaſteriis adhuc habentur liquidò poterit apparere. Licet autem in inſtaurationibus dictorum Epiſcopatuum hiſtoria Francorum, & cæteræ chronicæ anctoritatem Eccleſiæ Romanæ (ad quam id pertinet, ut patet 16. quæſt. 1. præcipimus) interveniſſe non referant, piè tamen credendum eſt, quod præfati principes de anctoritate ipſius Eccleſiæ quam (ut ex ſuperioribus patet) maximo venerabantur affectu, hoc fecerunt & aſſenſu. Ex his igitur conſtructionibus, dotationibus, & reſtaurationibus, & Eccleſiarum, & monaſteriorum, donationibuſque ſeu privilegiorum conceſſionibus eiſdem Eccleſiis & monaſteriis pro augmento divini cultus magnificè factis, clarè patet principes antedictos Chriſtianæ religionis zelum præcipuum habuiſſe.

C A P V T X.

De privilegiis pro libertate Eccleſiaſtica munienda, clero per veteres principes Germanos conceſſis, & de ſpecialibus honoribus, quibus clerum præſertim in Germania extulerunt.

Religioſi principis eſt honorare ſacerdotes. Dei Privilegium clero cōceſſum per Theodoſii Imp.

CVm religioſi principis ſit honorare ſacerdotes Dei, ut patet 96. di. c. ultim. & 11. quæſt. 1. ſacerdotibus: nomine autem ſacerdotum omnes clerici continentur, ut patet ext. de coha. cle. & muli. c. 1. in gloſſ. Ideo conſequenter videndum eſt, qualiter veteres Germani principes per ſuas leges Eccleſiaſticam libertatem cleri ſpecialibus auxerunt privilegiis, clerumque præſertim in Germaniæ partibus præcipuis honoribus extulerunt. Circa hoc autem eſt, ſciendum quod Theodoſius Imperator legem promulgavit, qua cavetur, quod quicunque cauſam habens ſive fuerit actor ſive reus poterit in quacunque litis parte iudicium Epiſcopi diœceſani eligere, etiam parte altera refragante, nec illius electi Epiſcopi ſententia poterit retractari, quodque teſtimonio unius Epiſcopi omnes iudices ſtare debent, nec aliquorum teſtimonium in contrarium debet audiri. Hæc lex in Iuſtinianeo codice non reperitur inſerta, ſed ponitur 11. quæſt. 1. quicunque. Hanc legem Carolus Magnus innovavit, ut patet ext. de iudic. novit. ver. nec illud 11. quæſt. 1. §. hæc ſi quis, ver. volumus vel canone. Licet autem Ioannes Theutonicus in prædicto c. quicunque, & Bernhardus in dicto c. novit. cum eorum ſequacibus teneant, quod lex præmiſſa ſit abrogata, & ſolummodo poſita, ut oſtendatur quanta fuerit affectio, quam Imperatores erga ſacerdotium habuerunt. Innoc. tamen notat ibidem quod hoc privilegium conceſſum fuit Eccleſiæ ab initio, unde ad hæc durat, quaſi dicat non eſt abrogatum: imo dicit Hoſt. in prædicto c. novit. quod Imperator non potuit auferre privilegium. quod ei ſemel conceſſit. ar. C. de dona. quæ ſub mod. l. perfecta, & 22. quæſt. 2. c. quælibet culpa. ver. non enim, ad fin. de quo remitit ipſe Hoſt. ad id quod notat in ſumma de immuni. Eccleſ. §. in quantum, ſub §. ſed nec illa immunitas, ver. nec credendum eſt, & ſequentibus.

Privilegium à Carolo Mag. Imp. cōfirmatū.

Item Imperator Fridericus I I. in favorem libertatis Eccleſiaſticæ ſtatuit, quod nullus perſonam Eccleſiaſticam in criminali vel civili cauſa trahere ad iudicium ſeculare præſumat, quod ſi fecerit, actor à ſuo iure cadat, iudicatumque non teneat, & iudex ſit extunc iudicandi poteſtate privatus, ſi quis etiam iudex ſecularis clericis vel perſonis Eccleſiaſticis iuſtitiam denegaverit tertio requiſitus ſuam iuriſdictionem amittat. Hæc patent in authentica, ſtatuimus ſignata, in l. omnes, Cod. de Epiſcop. & cler. quæ eſt ſumpta de prædicti Friderici conſtitutione, ad decus & decorem, §. ſtatuimus, de ſtatu & conſuet. con. liber. Eccl. edi. coll. 10. Item ſtatuit, quod nulla communitas, perſona publica, vel privata collectas ſeu exactiones angarias ſeu perangarias Eccleſiis, ſeu aliis piis locis imponant, aut invadere Eccleſiaſtica bona præſumant, quod ſi fecerint, & requiſiti ab Eccleſia, vel ab imperio emendare contempſerint, triplum refundant, Banno imperiali ſubiaceant, quod abſque ſatisfactione debita nullatenus remittatur, in authentica. Item nulla ſignata, Cod. de Epiſcop. & cler. in l. 1. & ſumpta eſt ex dicta conſtitutione, §. Item nulla. Item ſtatuit idem Fridericus, quod quæcunque communitas, vel perſona in excommunicatione per annum propter libertatem Eccleſiæ factam perſtiterit, ipſo iure imperiali Banno ſubiaceat: à quo nullatenus liberetur, niſi prius ab Eccleſia beneficio abſolutionis obtento, ut in authentica, item quæcunque ſignata. Cod. de Epiſcop. & cler. in l. quicunque, & ſumpta eſt ex prædicta conſtitutione, ad decus, §. Item quicunque. Item ſtatuit, omnia ſtatuta & conſuetudines contra libertates Eccleſiæ eorumque perſonas inducta, caſſa & irrita nunciari, ipſaque de capitularibus penitus amoveri, & de cætero ſimilia attentata ipſo iure non valere decernit, & nihilominus pœnæ ſtatutæ in legibus imminebunt: & ſi per annum huius conſtitutionis aliqui inventi fuerint contemptores, bona eorum per totum imperium impune poterint ab omnibus occupari: ut in authent. caſſa & irrita, quæ eſt ſignata. Cod. de ſacroſanct. Eccle. & in l. privilegia, & ſumpta eſt ex prædicta conſtitutione, ad decus, in principio. Item ſtatuit prædictus Fridericus in eadem conſtitutione, in principio, quod poteſtates, conſules, & omnes ſtatutarij, & ſcriptores ſtatutorum huiuſmodi, & conſiliarij ipſorum locorum, & qui ſecundum ſtatuta vel conſuetudines memoratas iudicaverint, ſint infames ipſo iure, ipſorumque ſententias & actus alios illegitimos ſtatuit non tenere. Licet autem priſci Romanorum Imperatores, qui ante tempora tranſlationis imperij de Græcis in Germanos in perſonam Caroli Magni factæ, Romano imperio præfuerant, clerum & Eccleſias per ſuas leges multis privilegiis libertarint: ut patet Cod. de Epiſcop. & cler. quaſi per totum. & C. de ſacroſanct. Eccleſ. quaſi per totum, & in auth. de ſanct. Epiſcop. per totum, collat 9. quorum aliqua etiam ponuntur in ſacris canonib. 16. quæſt. 1. generaliter, ver. iuxta & ver. placet. & 23. quæſt. 8. univerſos, & c. ſancimus eadem tamen privilegia nequaquam adæquari poſſunt privilegiis ante dictis: ut patere poteſt unicuique leges eorundem priſcorum Imperatorum diligentius intuenti. Quod autem veteres Germani principes, clerum in Germania ultra præmiſſa privilegia ſpecialibus extulerint honoribus, ex eo potiſſimè oſtendi poteſt, quod Moguntin. Trever. & Colonienſis Eccleſiarum Archiepiſcopi, omnibus privilegiis, conſuetudinibus & ſingularibus honoribus quibus cæteri principes ſeculares in electione Regis ſeu Imperat. Romanorum ius habentes, qui præ cæteris Germaniæ principibus multis ſpecialibus privilegiis conſuetudinibus & honoribus ſunt muniti, perfrui ac gaudere noſcuntur. Omnes quoque alij Archiepiſcopi & Epiſcopi Eccleſiarum, & Abbates monaſteriorum Germaniæ, à regno & imperio regalia tenentium,

Conſtitutiones Friderici I I Imp. pro libertate eccleſiaſtica.

Archiepiſcopi. Epiſcopi. Abbates.

eisdem privilegiis iuribus & honoribus perfruuntur, quibus cæteri principes seculares Germaniæ in electione prædicta ius non habentes communiter perfrui consueverunt. Insuper clerici tam à principibus, quam ab aliis laicis in Germaniæ Galliæ ac Angliæ provinciis, quorum reges (ut dixi supra in Prooemio) Germani extiterant in maiori reverentia & honore ab antiquo usque ad præsens tempus, quam in cæteris mundi partibus, fuisse ac esse habiti referuntur. Ex præmissis igitur & aliis innumeris, quæ circa hoc referri possunt, satis patet, quod veteres principes Germani, zelum præcipuum erga divinum habentes officium (ad quod clerici sunt specialiter mancipati ut patet 12. quæst. 2. duo sunt, & de æta. & qualitate. ca. ut hi qui in clement.) Ecclesiasticam libertatem clerici specialibus privilegiis augere curarunt, ipsumque clerum præcipuis in Germaniæ partibus extulerunt. Ex quo specialiter patet, eosdem principes zelum Christianæ religionis præcipuum habuisse.

Clerici.

CAPUT XI.

De diversis conciliis super statu & necessitatibus cleri & Ecclesiarum, per devotam veterum principum Germanorum procurationem habitis, ac de statutis per quosdam ipsorum ad legem Ecclesiasticam pertinentibus promulgatis.

ATtendentes provide veteres Germani principes, quod pro necessitatibus & statu Ecclesiarum ac monasteriorum, expediebat frequenter Episcoporum concilia convocari: diversa Episcoporum concilia congregari, ac in eis multa statuta fieri salubriter ordinarunt. Quidam etiam ipsorum multa statuta ad legem Ecclesiasticam pertinentia ediderunt. Legitur namque in historia Francorum, quod iussu Caroli Magni plura in regno Francorum fuerunt ab Episcopis concilia celebrata. Quorum unum fuit Moguntin. cui Richolfus Moguntin. & Hildebaldus Coloniensis Archiepiscopi præsiderunt: Alterum Remis: Tertium Thuronis: Quartum Cabilonæ: Quintum Arelatæ: ac constitutiones in singulis factæ, fuerunt ab eodem Carolo confirmatæ. Idem Carolus Magnus sub anno Domini 794. in Franckenfurt magnam synodum Episcoporum Germanorum, Gallorum, & Italorum (cui etiam affuerunt legati sedis Apostolicæ) congregavit: ubi inter alia, hæresis cuiusdam Episcopi Felicis, qui Christum, secundum quod est homo, adoptivum Dei filium esse dicebat, tertio est condemnata, ut in Francorum historia, & chronica Eusebij plenius continetur. Idem etiam Carolus in civitate Compostellana constituit Episcoporum Concilium, ubi amore B. Iacobi Apostoli, instituit, ut omnes Reges, & præsules, seu principes Christiani, Hispaniæ ac Galliciæ, Episcopo Compostellanæ Ecclesiæ obedirent: præcipiens ut unusquisque possessor unius domus totius Hispaniæ & Galliciæ 4. nummos ex debito annuatim Ecclesiæ Compostellanæ solveret, sicque ab omni essent liberi servitute: constituens, ut virgæ pastorales, Episcopales, & coronæ regales per manus Compostellani Episcopi ad honorem Sancti Iacobi præbeantur: prout hæc in spec. histor. lib. 25. c. 17. latius continentur. Posthæc etiam dictus Carolus congregavit concilium apud Ecclesiam Sancti Dionysij ordinis Sancti Benedicti, ubi omnem Franciam Gallicam Ecclesiæ Sancti Dionysij subiecit, præcipiens ut eidem Ecclesiæ unusquisque possessor unius domus totius Galliæ Franciæ 4. nummos annuatim ad ædificandam ipsam Ecclesiam daret: & servos qui hos nummos libenter solverent manumisit, ut in prædicto lib. c. 22. plenius continetur. Item Imp. Ludovicus filius eiusdem Caroli, Consensu Stephani Papæ III. Aquisgrani sub anno Domini 816. magnam Episcoporum synodum congregavit, in qua liber canonicorum regulam continens ex dictis August. Gregorij, & aliorum sanctorum Patrum excerptus, eiusque ordinatione compositus observari mandatur, ut in speculo histor. lib. 25. cap. 26. & in historia Francorum plenius continetur: & hic liber qui regula canonicorum dicitur, in Ecclesia Herbipolensi habetur, ipsumque puto in cæteris Ecclesiis cathedralibus Germaniæ reperiri. Ipsius denique tempore ab Episcopis & clericis (ut in lib. & capitulo prædictis legitur) baltea gemmis culta, & cinguli auro texti, exquisitæ vestes, & alia ornamenta secularia deponi cœperunt. Tempore etiam eiusdem Ludovici, sub anno Domini 829. conventus Episcoporum Aquisgrani habitus est, in quo multa de Ecclesiarū statu tractata sunt, constitutionibus insuper prius factis, capitula quædam necessaria præsertim, & usus monachorum regularium sunt adiecta, prout in historia Francorum, & in speculo histor. lib. & cap. prædictis plenius continetur. Plura insuper statuta Carolus Magnus, & idem filius eius Ludovicus ad Ecclesiasticam legem pertinentia ediderunt: quæ Ansegisus Abbas Lobiensis in duobus libellis digessit, ut patet in spec. histor. lib. 25. cap. 33. & ex statutis huiusmodi quædam sacris canonibus reperiuntur inserta, ut 19. di. in memoriam. 63. di. sacrorum. 16. quæst. 1. quia iuxta, cum similibus, quod patet ex suprascriptione canonum prædictorum. De statuto etiam quodam prædicti Ludovici fit mentio in textu canonis 23. qu. ultim. ca. 2. Item Lotharius Imperator filius prædicti Ludovici etiam statuta quædam ad legem Ecclesiasticam pertinentia fecit, quæ Leo Papa IV. profitetur observare se velle, ut patet 10. di. de capitulis. Plures etiam Imperatores subsequentes Germani statuta ad legem Ecclesiasticam pertinentia fecerunt: ut patet 63. di. ut nullus, in suprascriptione & extra de iura. calum. ca. primo, cum similibus. Item Ludovicus Rex totius Germaniæ, filius prædicti Ludovici, apud Moguntiam sub anno Domini 848. habuit concilium, ubi quidam nomine Gotschalcus hæreticus est convictus. Tempore insuper eiusdem Ludovici habitum est concilium Moguntiæ, sub anno Domini 852. de diversis quæstionibus, præsidente Rabano Archiepiscopo cum omnibus Episcopis Orientalis Franciæ, Bavariæ, atque Saxoniæ. hæc in historia Francorum plenius continentur. Item sub Imperatore Arnulpho in villa Triburij celebrata est magna synodus Episcoporum, sub anno Domini 894. ubi plurima decreta scripta super statu sanctæ Ecclesiæ roborarunt, ut in Francorum historia continetur. Item Otto I. & quidam Ludovicus Rex Franciæ Gallicæ affuerunt concilio sub anno Domini 948. in Ingelheim habito præsidente Marino Episcopo Ecclesiæ Romanæ legato: in quo multa super utilitate rerum Ecclesiasticarum discussa fuerunt. Idem etiam Otto sub anno Domini 947. cum Ioanne Papa VI. in civitate Ravenna plurimos de Italia, & Romania Episcopos adunavit, & habita synodo, multa pro utilitate sanctæ Ecclesiæ adinvenit, ut in Francorum historia continetur. Item Henricus II. sub anno Domini 1007. magnum concilium Episcoporum pro obtinendo circa institutionem Episcopatus Bambergensis, consensu Archiepiscopi Moguntinens. & aliorum Episcoporum provincialium, & specialiter Episcopi Herbipol. in cuius diœcesi idem locus constitutus fuerat, in oppido Franckenfurt congregavit: ut in histor. Francorum, & in vita seu legenda ipsius plenius continetur. Item sub anno Domini 1005. in loco qui dicitur Tortmont, habita est magna synodus Episcoporum, ubi Henricus prædictus Episcopis & omnibus præsentibus plurima Ecclesiæ inconvenientia communi eorum consilio deinceps statuit prohiberi, & optimæ novæ institutiones decr. ut quando ipsum Henricum, vel Konegundim eius coniugem,

Marginal notes: Iussu Caroli Magni plura in regno Francorum concilia. — Synodus Franckenfurt. — De concilio Compostellano. — De concilio apud ecclesiā S. Dionysij. — Concilium Aquisgranense. — Regula canonicorum. — Ansegisus Abbas. — Statuta Lotharij Imp. — Concilium Moguntinū sub Ludovico. — Synodus Triburii celebrata. — Conciliū in Ingelh. habitum. — Synodus Ravenn. — Concilium Franckfordiēse sub Henrico II Imp. Synodus in Tortmont.

A

Conciliũ in villa Triburii sub Cõrado II. Imp.

Conciliũ Mogunt. generale

seu aliquem ex Archiepiscopis, & aliis principibus in dicto concilio præsentibus mori contingeret, tam per Missarum celebrationes quam per pauperum refectiones ac erogationes pecuniarias gravis posset peccatorum sarcina relevari: prout hæc in hist. Francorum latius continentur. Item sub anno Domini 1036. præsidente Imperatore Conrado II. habita est synodus seu concilium Episcoporum in villa Triburij ubi multa priora sunt renovata decreta, & quædam alia necessaria ecclesiæ constituta, ut in histor. Francorum plenius continetur. Item generale concilium apud Moguntiam Leone Papa X. & Imperatore Henrico III. præsidentibus habitum est, sub anno Domini 1051. in quo multa ad utilitatem ecclesiæ sunt sancita statuta: ut in historia Francorum plenius continetur. Item Lotharius II. sub anno Domini 1130. in Wirtzburg Episcoporum concilium, cui affuit Archiepiscopus Ravennæ legatus Romanæ ecclesiæ, congregavit: ubi Innocentius Papa II qui Petro Leoni in electione prævaluit, à prædicto Lothario & omnibus ibi congregatis eligitur & confirmatur: ut in Francorum historia continetur: quod tamen qualiter sit intelligendum, in tractatu de iuribus regni & imperij, c. 12. scripsi. De statutis autem in conciliis antedictis editis plurima tam in corpore decretorum, quam etiam in compilatione Gregoriana decretalium continentur: prout ex suprascriptione multorum capitulorum in eis contentorum apparere poterit cuilibet intuenti. Vt autem ea, quæ circa congregationem huiusmodi conciliorum per prædictos principes facta sunt, canonicis non obvient institutis: intelligo quod præmissa, & alia per eos ordinata conciliis, de Romanæ ecclesiæ si generalia fuerant, si autem provincialia, de metropolitani auctoritate facta fuisse. Concilia enim generalia sine auctoritate ecclesiæ Romanæ facere non licet, ut 17. di. c. 1. & c. nec licuit, & quasi per totum. Provincialia vero nisi auctoritate metropolitani fieri non licet: ut 18. di. c. 1. & c. quoniam quidem. Quod autem superius dictum est Carolum Magnum, & filium eius Ludovicum, & Lotharium ipsius Ludovici filium & alios quosdam Imperatores subsequentes, multa statuta ad legem Ecclesiasticam pertinentia edidisse: intelligo quod eadem statuta fuerunt à Romana Ecclesia confirmata. Nam aliter Laicus quamvis religiosus potestatem de rebus Ecclesiasticis statuendi seu ordinandi non habet, ut patet 96. di. bene quidem, & extra de constit. Ecclesia Sanctæ Mariæ & de re. Eccles. non alie. c. ult. cum si. Vel potest dici, quod speciale est in statutis Imperatorum, quod eorum statuta etiam rebus super Ecclesiasticis edita in quantum favorem Ecclesiasticum respiciunt valent: nisi sint per Romanam Ecclesiam specialiter reprobata, ut not. bart. ext. de solu. c. ult. in magna gl. & in fin. & arch. post eum 10. di. c. lege. Ex prædictis igitur, & aliis conciliis per devotissimam dictorum principum ordinationem habitis, ac statutis per quosdam ipsorum ad Ecclesiasticam legem pertinentibus editis, manifeste liquet eosdem principes zelum Christianæ religionis non modicum habuisse.

Conciliũ Herbipolense.

B

Ratio celebrandi legitimè concilia generalia & provincialia.

C

D

CAPVT XII.

De diligentia exacta quam ad habendum sanctorum reliquias, & ornamenta Ecclesiastica veteres Germani principes habuerunt.

POstremo, ut ex his, quæ in principibus seculi zelus Christianæ religionis exposcit, nihil veteribus Germanis principibus defuisse monstretur: sciendum est quod ipsi ad habendum sanctorum reliquias & corpora ac ornamenta Ecclesiastica, singularem quandam & exquisitam diligentiam adhibere curarunt. Nam Carolus Magnus, super occupatione terræ sanctæ à Sarracenis facta, legatis patriarchæ Hierosolymitani, & Constantini imperatoris Constantinopolitani receptis; eidem terræ sanctæ compatiens, cum magno exercitu illuc pervenit: & cum recuperata eadem terra per Constantinopolim rediret, aurum, argentum, gemmasque preciosas à prædicto imperatore gratanter sibi exhibitas recipere renuit, solasque dominicæ passionis, & sanctorum reliquias postulavit. Præmisso itaque ieiunio & oratione, de corona Domini partem quæ tunc ipso cernente floruit, & clavum unum passionis, partemque crucis dominicæ, sudarium Domini, Camisiam beatæ Mariæ virginis, Fasciam quæ puerum Iesum in cunabulis texit, ac brachium sancti senis Simeonis recepit: quæ omnia multis miraculis comitantibus secum detulit. & Aquisgrani in basilicam sanctæ Mariæ quam construxerat recondi fecit, ut in spe. hist. li. 25. c. 5. & in chronica Martini plenius continetur. Item Aaron rex Persarum, qui excepta India totum pene tenebat orientem, Carolo Magno, inter cætera munera, etiam corpora sanctorum Cypriani martyris Carthaginen. Episcopi, & Speratı Episcopi, & caput Panthaleonis martyris transmisit: ut in prædicto libro, c. 2. plenius continetur. Item monachus quidam sub anno Domini 799. eidem Carolo ex parte Patriarchæ Hierosolymitani multas reliquias attulit, ut in Francorum historia continetur. Idem etiam Carolus basilicam prædictam Aquisgrani ex auro & argento luminaribus, atque ex ære solido cancellis & ianuis ornavit: ad cuius structuram cum columnas marmoreas aliunde habere non posset, de Roma & Ravenna devehi fecit: sacrorumque vasorum ex auro & argento, vestimentorumque sacerdotalium tantam in eadem basilica copiam procuravit, ut in sacrificiis celebrandis, nec ianitoribus quidem (qui ultimi ordinis sunt) privato habitu ministrare necesse fuisset: ut in historia Francorum & chronica Eusebij continetur. Item Imperator Carolus II cognomine Calvus: Ludovici primi filius, apud Compendium, sanctorum Cornelij & Cypriani reliquias attulit, in quorum adventu responsorium, Cives Apostolorum (quod usque nunc cantat Ecclesia) composuit: ut in speculo histor. lib. 25. ca. 43. continetur. Item reliquiæ Sancti Hermeris martyris per Imperatorem Lotharium Ludovici I. filium in Galliam mittuntur, & apud Indam monasterium honorificè reconduntur, ut in prædicto libro specul. histor. 36. cap. continetur. Item Henricus I. audito quod Rudolphus Rex Burgundionum (qui tribus annis in Italia regnaverat) dono acceperat à quodam comite Italiæ Samsone nomine, lanceam arte nova & signis elaboratam, quæ iuxta mediam spinam habuit utrobique quasi fenestram, & in media spina cruces ex clavibus manibus & pedibus Salvatoris nostri Domini IESV-CHRISTI affixis, & quæ fuisse Constantini Magni Sanctæ Helenæ filij dicebatur: ad habendam hanc lanceam (ut erat totius religionis amator) dictum regem præmiis tentavit: quem sic emollire nequiens, regnum eius depopulari cædibus & incendiis minabatur. Quia vero munus, quod petebatur, illud erat quod cælestibus terrena coniunxerat: DEVS Rudolphi Regis cor emollivit iustoque regi, iusta iustè petenti protinus tradidit. Quanto autem amore Rex Henricus eandem sacram lanceam dilexerit, id in multis rebus, tum in hoc maxime claruit, quod huius datorem non solum auri argentique muneribus, verum etiam Alamaniæ seu Sueviæ parte non minima honoravit: & hanc esse credimus, quæ ex tunc hodieque in Regum & Imperatorum Romanorum solet custodia permanere: hæc in historia Francorum, & chronica Eusebij sic scripta leguntur. Refert tamen chronica Gotfridi, quosdam dicere, eandem lanceam à Bosone Rege provinciæ per Otho-

E

Carolus Magnus quas reliquias Aquisgranum intulerit.

F

Autores Persarũ quas reliquias Carolo Mag. transmiserit.

Vt Carolus Mag. Imp. ornaverit basilicã Aquisgran.

G

Carolus Calvus Imp.

Lotharius Imp.

Henricus I. Imp.

H

nem I. dicti Henrici filius ad regnum & imperium fuisse translatam. Licet autem historia & chronica prædictæ referant, Henricum Regem in acquisitione sacræ lanceæ iustè fecisse: id tamen quoad zelum duntaxat Christianæ religionis (quem in hoc habuit) intelligo verum esse: non autem secundum conscientiam iustè fecit. Præter enim naturali motus æquitate ait, quod metus causa gestum est ratum non habeo, ut patet ff. quod met. causa. l. 1. Et est simile huic quod legitur & not. 32. quæst. 7. c. offerebat. & de. com. d. 3. perlatum. Nec est putandum quod ferrum huius lanceæ sit illud quo unus militum tempore passionis Domini nostri IESV CHRISTI sacrosanctum latus eius aperuit. Nam hæc lancea capta civitate Antiochiæ per exercitum Christianorum, ac deinde per Turcos, Persas & alios Sarracenos obsessa, ibidem fuit in ecclesia S. Petri sub anno Domini 1098. per quendam rusticum origine provincialem, ex B. Andreæ Apostoli revelatione reperta. Dubitantibus autem pluribus an esset lancea Christi, quidam Bartholomæus nomine, cui Christus in visu apparens de lancea significaverat, cum eadem ignem 13. pedum quem iussit fieri pertransivit illæsus. Et sic Christianorum exercitus firmam in Christo & eius lancea gerens fiduciam, ad pugnandum cum hostibus signo salutari præeunte, intrepidè ad muros processit, ac de ipsis divina succurrente clementia triumphavit. Hæc ex historia Francorum, ac Gotfridi & Martini chronicis sunt collecta. Et istius lanceæ ferrum cum hasta Wilhelmus Durandi se vidisse refert Parisiis in capella Regis Franciæ, ut patet in suo Rationali lib 6. rubrica de Sabbato sanctæ paschæ. Item quidam Rex Gallicæ Franciæ Carolus nomine, dicto Henrico ad dilatandum regnum super Lotharienses tendente, manum preciosi martyris Dionysij auro & gemmis inclusam per legatum suum sub anno Domini 922. in pignus perpetui fœderis transmisit: quod munus divinum Rex Henricus cum gratiarum actione suscipiens sanctis reliquiis prosternitur, & eas summa devotione deosculans veneratur: ut in historia Francorum & chronica Eusebij plenius continetur. Idem etiam Henricus (ut refert dicta Francorum historia) altare S. Viti in nova corbeia auro & gemmis variis mirificè adornavit. Præterea quantum zelum idem Henricus pro conservandis pariter & augendis ornamentis Ecclesiasticis habuerit ex eo patet, quod cum suo, ac Ludovici III. & Conradi I. prædecessorum suorum temporibus Hungari tunc pagani (peccatis populi Germanici exigentibus) devastare Germaniam cædibus rapinis & incendiis non cessarent, ipse Henricus cum eisdem Hungaris Saxoniam cædibus rapinis & incendiis sub anno Domini 924. percurrentibus, bellum gerere pro tunc cum eis tutum fore non credens, Treugas per 9. annos inire datis muneribus est coactus. Quibus finitis, convocatis proceribus & populo sub anno Domini 933. eos inter alia sic affatur. Hucusque vestrosque liberos spoliavi, & ærarium Hungarorum replevi: nunc templa ipsorumque ministros ut spoliem cogor, nulla nobis alia pecunia remanente: consulite vobis ipsis, & quid super hac re sit faciendum eligite. Thesaurum divinis officiis sanctificatum tollam ne, & dabo pro redemptione vestra inimicis Dei? aut certe cultui divino addam honorem, ut ab ipso potius redimamur, qui vere noster creator & redemptor existit. Ad hæc populus vocibus in cœlum levatis, clamavit à Deo vivo & vero desiderare se redimi, operam suam contra dictam gentem regi promittens. Postea rex sub anno sequenti eandem gentem ad depopulandam Saxoniam venientem bello vicit, & tributum, quod hostibus dare consueverat, divino deputavit cultui pauperumque largitionibus constituit deservire: præmissa in historia Francorum, & partim etiam in Eusebij Chronica continentur. Item Otto primus filius Henrici prædicti, corpus sancti Innocentij martyris à Rudolpho rege Gallicæ Franciæ dono accepit, quod ad civitatem Magdeburg. per eum, ob tuitionem totius patriæ constructam cum magno adduxit honore. Idem etiam Otto corpus sancti Mauritij & quorundam sociorum eius (quod sub anno Dom. 961. per legatos Ecclesiæ Romanæ & quosdam Episcopos sibi delatum extitit) Parthenopolim transmisit: eodem quoque die plurimorum reliquiæ sanctorum Apostolorum scilicet martyrum, atque sanctarum virginum regi Ottoni Ratispon. allatæ fuerunt. Item sub anno Domini 962. reliquiæ sanctorum martyrum Fabiani, Eustachij, Panthaleonis, Hippolyti, Eugei, Minatis, Valentis, & corpus Sanctæ Laurentiæ virginis, ab Ottone prædicto in Quidelmburg transmissæ, ibidem religiosissime sunt susceptæ. Item sub anno Domini 963. corpus sancti Gerontij per quendam Episcopum de Italia est allatum, ipsoque Ottone iubente in Magdeburg metropolim Saxoniæ est transmissum. Item sub anno Domini 965. idem Otto multa sanctorum corpora de Italia in Magdeburg per Dedonem capellanum transmisit: preciosum quoque marmor cum auro & gemmis sub eodem anno Magdeborg adduci, in omnibus quoque columnarum capitibus sanctorum reliquias diligenter includi præcepit: prout hæc omnia in historia Francorum plenius continentur. Item Imperator Otto secundus, prædicti Ottonis filius, ossa beati Bartholomæi Apostoli de civitate Beneventana per eum capta portari, & ea Romæ in insula Tyberis in Ecclesia, quæ nunc vocatur sancti Bartholomæi, In concha quadam collocari fecit: & dum ea in terram suam per Tyberim in mare in eadem concha deducere cogitasset, eo morte præventio, preciosus thesaurus earundem reliquiarum ibidem (ut dicunt Romani) remansit: ut in Gotfridi & Martini chronicis continetur. In dicta etiam Ecclesia (ut refert Chronica Martini) brachium sancti Adelberti martyris & pontificis, quod secum duxit de Polonia collocavit. Item Imperator Henricus Secundus partem de cruce, ac partem clavi passionis Dominicæ, multorumque sanctorum reliquias, quas de diversis locis attulit, ac preciosa & varia ornamenta Ecclesiastica (prout in præsentiarum cernitur) ecclesiis Bambergens. similiter etiam ecclesiæ Basiliens. per eum instauratis donavit. Ex his igitur omnibus & aliis, quæ de ipsis Germanis principibus circa hæc, scripta reperiuntur, evidenter patet eosdem zelum Christianæ religionis ardentissimum habuisse. Licet autem veteres Germani principes, de fortitudine, liberalitate, multisque aliis virtutum meritis, dignè commendari ac laudum præconiis possent extolli: de his tamen præmissa in supra scriptis 12. c. comprehensa, quæ principalius zelum Christianæ religionis respiciunt dixisse sufficiat quoad præsens.

CAPVT XIII.

De zelo Christianæ religionis quarundam veterum reginarum seu imperatricum Germanarum, ac de miraculis per merita quarundam ex eis factis, divinisque revelationibus eisdem ostensis.

Libet post præmissa de zelo Christianæ religionis venerabilium matronarum, Mechtildis Regis Henrici I. Edith, & Adelheidis Ottonis I. & B. Kunegundis Henrici II. Imperatorum Romanorum coniugum, per sanctissima earundem opera comprobato, quibusdamque miraculis per earum merita factis, ac divinis revelationibus eisdem ostensis, ex multis pauca referre. Mechtildis igitur regina, marito quidem vivente in publico procedebat ornata gemmis & serico: gestans tamen interius preciosius ornamentum, cor scilicet maternum in subditos, tamquam humilis & in coniugij

fœdere

De martyris Dionysij.

Hungarorum impetus in Saxoniã.

Corpus S. Innocentij Martyris.

Corpus S. Mauritij.

Parthenopolis, quæ & Magdeburg.

Multorũ sanctorũ reliquiæ.

Ossa Bartholomæi Beneventana translata Romam.

Brachiũ S. Adelberti martyris & pontif. Henric. II. Imp. sacras reliquias, & ornamenta ecclesiastica Babergens. & Basiliens. ecclesiis donavit.

fœdere tam pudica manebat, ut omnibus esset amori pariter & honori. Post obitum vero mariti flagrans amore Christi, memor cuiusvis disciplinæ ad misericordiam facilia, in omni actu & confabulatione admirandæ dignitatis, támque honesta in pudore manebat, ut eam virginem crederet qui fœcunditatem prolis eius nescisset. Quis dignè ipsius erga cultum divinum explicare posset vigilantiam? Vivente namque marito, noctis tempore eius se lateri subtrahens, ipso dissimulante derelicto thalamo devotis orationibus intendebat. Rex enim quia veraciter noverat omnia opera eius bona existere, faciles illi præbuit ad omnia quæ desiderabat assensus. Post mortem verò regis, noctis tempore lecto se collocans, & parum perdormiens, postquam sensit dormire manentes secum in cubiculo, clam surrexit, cubicularem puellam tacita excitavit, ecclesiam intrans sine turbarum obsequio, sine humano favore, pernox in oratione manebat. Ante galli cantum psalterium nisi noctis brevitate impediretur finire consuevit. Circa matutinalem horam cum silentio iterum se collocavit in lecto, quasi per totam noctem nunquam pedem inde movisset. Pulsato vero signo surgens, matutinarum laudibus intento corde aderat. Postea omnibus egressis, intus clausis ianuis usque ad lucis auroram sola permansit. Postmodum ingressa cubiculum ad dormiendum lassa membra paululum reclinavit. Deinde surgens intravit Ecclesiam, ibidémque in orationibus perseverans, missarum solennia expectabat. Quibus finitis, infirmos ubicunque audivit in vicino visitavit, & necessaria præbuit: deinde pauperibus manum porrigebat: postea hospites, qui semper aderant, cum omni largitate suscipiens, neminem sine affatu blando dimisit, nullum fere sine munusculis vel necessariis auxiliis vacuum derelinquens. Eadem etiam venerabilis regina cœnobium sanctimonialium in honore sanctorum Dionysij & Servatij in monte Quidelnburg situm: alterum in villa in honore sanctorum Iacobi Apostoli & Wigberti confessoris in cruce regia: tertium in honore S. Dei genitricis, & sanctæ Crucis in Northusen: quartum in aggere in honore S. Dionysij: quintum iterum in honore S. Servatij in Palatij plena devotione construxit. Et licet omnium Ecclesiarum statum, quas vel nuntiis invisere, vel per semetipsam adire poterat, opibus totisque viribus sustentare curaret: prædicta tamen monasteria, quasi propriori affectu sibi suoque nomini scripta, singulariter omnigenis commodorum usibus manu tenere non destitit, & fovere, propter hæc alia suarum virtutum merita revelationes divinas habere meruit. Nam mortuo Wilhelmo Archiepiscopo Moguntinensi eius filio, sub ann. Dom. 968. ipsius obitum nullo adhuc certificata nuncio, cunctis præsentibus intimavit. Filius, inquiens, meus Wilhelmus proh dolor iam, expirans memoria indiget salutari. Hæc S. Mechtildis, eodem anno pridie Idus Martij, migravit ab hoc seculo, sepultáque est in monasterio Quidelnburg: cuius animam una cum anima Bernardi Episcopi Halberstadens. quidam eremita se vidisse retulit, infinitam angelorum multitudinem cum ineffabili gloria in cœlestia regna deferre. Prædicta, & quædam alia de hac gloriosa Regina in Francorum historia continentur. Porro venerabilis Edicht Regina, Echmundi Regis Anglorum filia, conthoralis Othonis I. non minus sancta religione, quam regali potentia claruit. Quæcunque enim eidem Othoni evenêre nocentia, divina miseratione, ac intercessione assidua suæ sanctissimæ conthoralis secutus evasit: cuius instinctu Magdeburgens. cœpit construere civitatem. Nam urbem hanc ob æternæ remunerationis gratiam patriæque communem salutem acquisivit, & in civitatem (ut præmisi) construxit. Iuvit eum ad hoc B. Edicht modis quibus potuit, quæ innumera virtute prædita, inducias istius vitæ sibi concessas, Deo & hominibus acceptæ perduxit: erat hæc apud Deum magni meriti, ut in miraculis tam in vita quam in morte, & post obitum ipsius claruit evidenter. In vita namque ipsius quadam nocte rege absente cerva indomita veniens, sæpiúsque ostium pulsans, dominam tandem ut intromitteretur evicit: & congressu ad eam usque perveniens tanquam suam miseriam locutura procubuit. Iussu itaque reginæ considerantis ei inesse aliquem dolorem, venator Albiam transiens cerva præeunte hinnulum eius illaqueatum invenit: quo eruto cerva lætior cum hinnulo ad nemorum abdita properabat. Aliud quoque cum ipsa memoriale miraculum Deus fecit. Cum in eleemosynis pauperum largissima esset, rex constantiam eius experiri volens, ipsam à tanta expensione velut iratus prohibuit. Quadam igitur præcipua festivitate ad Ecclesiam vestibus pretiosis induta processit, quam rex cuiusdam pauperis indutus vestibus præcesserat, ipsa penitus ignorante, ac in foribus Ecclesiæ residens eam venientem tenuit, sibique misereri precibus petiit instantius: illa nil præter vestes se habere dicens, audivit particula vestium pauperem posse iuvari: deinde regina pudore coacta, illum pallio circumplexum eam constanter tenentem abrumpere manicam vestis pretiosæ permisit, quam qui putabatur pauper in suo sinu abscondit: & illa cum truncata veste occultata pallio, & ad hospitium rediens integris vestibus induta, scissas abscondit, sicque ad mensam venientem, rex vestium commutationem considerans, cur vestes commutasset, quas mane induerat, requisivit, cúmque illa occasiones prætenderet, ipse priores vestes deferri præcepit, regina multum anxia vestes tandem è latibulo extractas produxit. Quibus expansis rex eas utrasque manicas habere conspexit, ipséque quod abrupetat proferens, cunctis audientibus rem aperuit, ac deinceps reginam in magna veneratione tenere solebat. Obiit autem hæc S. Regina, anno Dom. 947. septimo Calendas Februarij, sepultáque est in prædicta civitate Magdeburgensi, ibidem miraculis coruscando. Post huius beatæ Reginæ obitum invictissimus Rex Otho prædictus sub anno Dom. 951. Italiam potenter intrans, Adelheidem quondam Lotharij Regis Italiæ coniugem, quæ à Beringario, qui totam sua feritate premebat Italiam, tenebatur in carcere, eodem Beringario cum suis fidelibus depulso, liberat, eámque in legitimam uxorem accepit. Erat autem hæc illustris Regina Deo amabilis, consilio provida, vultu decora, motúmque omnium honestate præclara, & regali avorum atavorúmque prosapia orta. Fuit enim filia Rudolphi Regis Burgundiæ, qui etiam aliquo tempore in Italia regnavit, & Berthæ Reginæ filiæ Busghardi ducis Almanorum, quem cum eodem Othone statum regni & imperij non minus meritis & moribus insignivit egregiis, quam ille viribus & triumphis. Post cuius Othonis obitum, & ipsa per totum seculo moriens, quasi non sibi nata, sed inopum usibus cum divinitus esset provisa, regium censum, & quicquid habere potuit, manibus pauperum in cœlestes thesauros deportandum, non destitit commendare. Visa est creberrimè, sed secretissimè, rusticarum more, succincta, manibus ambabus utens pro dextera, tam diu huic pio institisse labori quousque vacillante incessu, non largitate sed corpore deficiens, se necessario reclinaret. Si quis autem ipsius in divino cultu vigilantiam, ac aliarum virtutum eius merita, nec non quot ecclesias & monasteria in Germaniæ & Burgundiæ partibus construxerit ac reparaverit, scire voluerit, de his ex vita ipsius quam venerabilis Odilo Abbas Cluniacensis plene descripsit, quæ in quibusdam Germaniæ ac Burgundiæ Ecclesiis reperitur, plenius poterit informari. Sed ea quæ de ipsa præmissa sunt, ex Francorum historia sunt excerpta. Obiit autem hæc sancta Imperatrix (ut refert dicta historia) sub anno Domini 999. Kalend. Iannar. & ad Deum, quem semper sitiverat, remunerandа migravit, ac in monasterio Salsensi (quod ipsa

Monasteria à Mechtilde Imper. erecta.

S. Mechtildis revelatio.

S. Mechtildis obitus.

Edicht Ottonis I. Imp. coniunx.

Suasu Edicht uxoris Otto I. Imp. construxit civitatem Magdeburgens.

Miracula S. Edicht Imperatricis.

S. Adelheidis Imperatrix.

S. Adelheidis eleemosynæ.

Odilo Abbas Cluniacens. conscripsit vitam S. Adelheidis Imper.

A

S. Kunegundis coniugis S. Henrici II. Imp. pia opera. Consecrari virginitatẽ non vi[rginitatem] & servavit. Monasterii virg. nõ constructo, tem[pore] con[iugis] habitum & ipsa sumit.

in honore principis Apostolorum construxerat) honorificè sepelitur, cuius fideli servitio Deus digna recompensans præmia, plurima hodie per eam miracula operatur. Cæterum B. & Deo dilecta Kunegondis, in apice imperij constituta terreno Imperatori Henrico I I. matrimonialiter, non tamen carnaliter coniuncta, virginitatem suam (quam usque in finem conservare studuit) de ipsius Henriei consensu Imperatori cœlestium consecravit. Post cuius mortem illa se ad Deum, ut semper consuevit, totam contulit, ipsum suæ castitati, necessitati, ac saluti adesse, illum suis Ecclesiis, ac filiis quos in Christo aggregaverat, præsentem fore, vigiliis ac devotis orationibus rogare iugiter non cessabat: diéque activam cum Martha, & nocte contemplativam cum Maria vitam ducere satagebat. Denique ipso in anniversario die transitus Sancti Henrici Imperatoris, Sanct. Kunegundis Archiepiscopos & Episcopos ad dedicationem Conphugensis monasterij sanctimonialium, quod ipsa construxerat, convocavit: ubi infra Missarum solennia

B

post lectionem Evangelij purpuram imperialem exuens tunicam fusciorem, quam suis manibus operata fuerat, ac vestem religionis induit, & capillis abscissis, impositóque sibi ab episcopo sacro velamine, annulo fidei gratulabunda extitit subarrata. Itaque Christo sponso consecrata, dum filiarum suarum se sanctissimo applicuisset contubernio, non ut mater filiabus seipsam prætulit, sed omnibus serviens servilem se personam per omnia ostendebat: multa circa contubernales devotio, frequens decumbentium visitatio, & sollicita pauperum provisio illi erat. Huius autem sanctissimæ Kunegundis merita, frequens tam in vita, quam post mortem miraculorum gratia declaravit. In vita namque ipsius, vivente adhuc imperatore Henrico, facta fuit auctore diabolo suspecta criminis adulterij, quæ maculam corruptionis non novit: sed quia crudelis est, qui negligit famam suam, ut dicit B. Augustin. in canon. 12. q. 1. nolo: expurgationis gratia iudicium ad vomeres candentes sibi elegit. Cúmque dilecta Deo ad illud iudicium duceretur, ingemuit dicens: Domine Deus creator cœli & terræ, iudica iudicium meum & eripe me. Te enim testem & iudicem invoco, quod nec hunc præsentem Henricum: nec alterum quenquam virum carnali cognovi commercio. Quo dicto, vomeres candentes nudo vestigio calcavit, & sine adustionis molestia secura pertransiit. Item cum quodam tempore post lectionem Evangelij, ad altare sacrificatura solenni more accederet, dextræ suæ manus chirothecam detrahens, cum nullus qui eam reciperet tunc adesset, a se reiecit: quam radius solis per fenestram intrans suscepit, & tamdiu quasi famulando sustinuit, donec illa post sacrificium rediens eandem reciperet chirothecam. Deinde alio tempore dum eadem Beata Kunegundis in monasterio prædicto erat sanctimonialis effecta, & quandam neptem suam Votam, nomine, quam in abbatissam eiusdem monasterij præfici procuraverat, deficere videret à rigore observantiæ regularis: ipsam propter hoc primo privatim, deinde publice coram multis sæpius urguebat. Illa vero materteræ patrocinio ac familiaritate vanè confisa, id emendare neglexit. Cumque Beat. Kunegundis quadam die Dominica crucem cum conventu processionaliter sequeretur, prædicta defuit Abbatissa: quam illa inquirens, & epulantem cum coætaneis in conclavi reperiens, zelo pietatis armata, cum verbo correctionis dexteram eius maxillam percussit: quæ quasi sigillum quoddam formam digitorum accepit, quam habuit toto tempore suæ vitæ. De quo nimirum facto constat, quia non tantum hoc pro se, sed pro aliarum emendatione pertulit. ut huius visu aliis proficeret, & eam ad melioris vitæ statum à suis vitiis retorqueret. Tandem post multa sanctitatis suæ merita miraculorúmque testimonia, cum tempus mortis eiusdem sanctiss. Kunegundis instaret, viderétque sibi

Miracul. S. Kunegundis Imp.

C

D

E

non tanquam paupercolæ sorori, sed ut Imperatrici aurea velamina feretro superponenda deferri: amictus iste (ait) non est meus, auferte hinc, ornatus hic alienus est. Deinde post plura verba subiunxit, Corpusculum meum iuxta tumulum fratris mei, & Domini Henrici Imperatoris (quem me vocantem video) in proprio locello reponite. His dictis in manus Domini spiritum commendans, abiecta carnis sarcina, ipsius felix anima ad suum revolavit auctorem. Cuius sacrum corpus in Ecclesia Bambergensi apud corpus Sancti Henrici (prout fieri iusserat) cum veneratione debita est sepultum: ubi Deus amborum meritis innumera miracula operatur. Hæc omnia & alia plura in vita, seu legenda sanctiss. Kunigundis, ac eiusdem Beati Henrici plenius continentur. Licet autem de B. Radegunde filia Berethari Regis Thuringorum, & Clotarij Regis Francorum coniuge, de cuius vitæ sanctitate ac miraculorum gloria scribitur in specul. histor. lib. 24. cap. 79. ac de quibusdam aliis reginis Germanis plurima sanctitatis opera, & miracula referri possent: prætermissa tamen de gloriosis Reginis & Imperatricibus memoratis ad præsens dixisse sufficiat gratia brevitatis.

S. Radegunda.

F

CAPVT XIV.

De multiplicibus bellorum victoriis, per veteres principes Germanos habitis, ac miraculis per merita quorundam ex ipsis factis, divinisque revelationibus eisdem ostensis.

QVia (ut sacri testantur canones) non est iustitiæ Dei, ut obliviscatur bonorum operum, & ministerij propter nomen eius exhibiti, ut de. pe. di. 21. si enim, circa med. & ca. non est. nec apud ipsum irremuneratum remanet ullum bonum, de. pe. di. 3. cavendum. & duobus cap. seqq. Ideo congruum reputo de remuneratione veteribus principibus Germanis à Deo ob zelum Catholicæ fidei & Christianæ religionis (quo cæteris principibus perfectius viguisse noscuntur) facta in sequentibus pauca referre. Deus igitur omnipotens, ut dignis digna rependeret præmia, eosdem principes non solum æterna beatitudine, qua omnes fideles in charitate decedentes remunerat, sed etiam in seculo præsenti ob zelum huiusmodi in multiplicium bellorum victoriis, nonnullos etiam ex ipsis miraculis in vita & post mortem, ac divinis revelationibus reddidit gloriosos. Circa quod tamen sciendum est, quod triumphalis bellorum prosperitas non semper ex fidei merito & religionis gratia, sed etiam infidelibus bellorum ducibus reperiatur fuisse concessa: ut patet per Beatum Gregorium in canon. 23 quæst. 4. Si non ex fidei, in principibus veteribus tamen principibus Germanis frequens bellorum prosperitas à Deo ex merito fidei Christianæque religionis gratia, ex eo fuisse concessa colligitur, quod inter eosdem principes ac generaliter omnes Reges Francorum, à tempore Clodovæi, qui primus inter eos fidem Christi assumpsit, illi, ut ex gestis eorum patet, plus cæteris claruere victoriis, qui zelum maiorem fidei Catholicæ ac Christianæ religionis habuisse noscuntur. Sed quia compendiosi huius libelli propositum, frequentes bellorum victorias, per eosdem principes habitas, referre non sinit: ideo his omissis, ad quasdam divinas revelationes quibusdam ex eis ostensas, nec non ad miracula quædam pro merito quorundam ex eis facta breviter referenda, quæ Deum ex ipsorum fidei meritis Christianæque religionis gratia fecisse non est dubium, stylum vertam. Igitur Carolus Magnus dum reparata terra sancta redire disponeret, atque à Constantino Imper. Constantinopoli existens, passionis dominicæ reliquias postulasset, ac Daniel Constantinopolitanus antistes concham, in qua erat corona

G

H

Clodovæus I. Christianus Frãcorũ rex.

Carolus Magnus Imp.

spinea

A

spinea Domini, ad dividendas reliquias huiusmodi aperuisset, tantus inde odor exiit, vt astantes in paradiso se esse putarent. Tunc Carolus in pavimentum Ecclesiæ prostratus, plenus fide oravit Dominum, ut ad sui nominis gloriam, passionis & resurrectionis suæ miracula renovaret. Et cum orasset, statim ros cælitus lignum infudit & flores emittere fecit, tantáque lux cum odore affuit, ut præsentes sua vestimenta cœlestia esse putarent. flores vero conversi fuerunt in manna, quod modo est apud S. Dionysium, quod à multis putatur esse de illo manna, quod pluit Dominus filiis Israel in deserto. Omnésque ægri, qui aderant, ad odorem florum sanati fuerunt. Quibus gestis ecce turba infinita Ecclesiam violenter intrans, clamare cœpit: Vere hodie dies resurrectionis exstitit. Nam odor de floribus exiens civitatem impleverat, & trecentos & unum ægros pristinæ restituit sanitati. Deinde Carolus ad partes rediens, in quodam castro per

Miracula.

B

tactum reliquiarum à prædicto Imperatore Constantinopoli receptarum, puerum mortuum suscitavit: ubi etiam quinquaginta ægri sexus promiscui sunt curati. Post hæc dicto Carolo Aquisgranum ad reponendum dictas reliquias venienti, sanati sunt ibidem febricitantes innumeri, dæmoniaci, leprosi, paralytici, claudi, mantigipposi, & epileptici multi, ac cæci visum receperunt, unúsque mortuus fuit suscitatus. Propter quod gloriosus Carolus indixit, ut omnes ad videndum reliquias, quas de Hierosolymis, & de Constantinopoli adduxerat Aquisgranum, Idibus Iunij convenirent, statutumque fuit ibidem Leone Papa III. præsidente, ut quolibet anno, in quarta feria ieiuniorum quatuor temporum in mense Iunij, reliquiarum ostensio fieret prædictarum. Hæc, & quædam alia de hoc in speculo histor. lib. 25. ca. 5. plenius continentur. Item Beatus Iacobus Apostolus, filius Zebedæi, Carolo Magno nocte in extasi apparuit, dicens, eum, ad liberandum terram Galiciarum,

C

in qua corporaliter incognitus quiescebat, à Sarracenorum manibus, fuisse a Deo electum. Ad cuius admonitionem Carolus cum magno illuc perrexit exercitu. Cúmque obsideret Pampilonam & propter muros inexpugnabiles, ipsam capere non posset, oravit Sanctum Iacobum, ut ob sui honorem nominis daret ei capere civitatem: & tunc muri civitatis funditus corruerunt. Idem etiam factum fuit, dum idem Carolus Luteriam maximam urbem in valle viridi obsideret: quæ urbs deserta est usque in hodiernum diem: hæc in lib. 25. prædicto in 6. ca. plenius continentur. Pluribus insuper aliis miraculis divinisque revelationibus gloriosus Carolus claruit, ut in prædicto lib. ca. 4. 13. 20. 22. & 2. plenius continetur. Multa etiam Deus omnipotens præclara miracula exercitui eiusdem Caroli monstrare dignatus est. Vnde refert historia Francorum, quod dum Saxones, Carolo Magno in Italia existente, castrum Heres-

D

burg sub anno Domini 776. obsidione cinxissent, Ipsumque castrum quadam die summis viribus invadere niterentur: ecce gloria Domini super domum Ecclesiæ, in eodem castro sitæ, tam Christianis, quam paganis apparuit. Nam duo scuta supra eandem Ecclesiam sanguineo colore flammantia, & velut in prælio quibusdam motibus agitantia visa fuerunt. Quod signum Saxones tunc pagani aspicientes mox in fugam conversi sunt, ac in tantam ut strictis gladiis mutuo se transfoderent amentiam devenerunt. Item refert historia Francorum, quod dum Carolus Magnus, sub anno Domini 772. in partes Saxoniæ cum exercitu perrexisset: & ad Hermensul perveniens ibidem ad destruendum funditus fanum quoddam per duos vel per tres dies manere decrevisset, aqua exercitui propter magnam siccitatem in loco prædicto defecit: moxque divina largiente gratia in quodam torrente ita ut omni exercitui sufficeret, aquæ largissimæ sunt effusæ. In speculo historiali libro 25. plura miracula exercitibus Caroli Magni virtute

E

divina in partibus Hispaniæ facta leguntur. Item Imperator Ludovicus I. Caroli Magni filius, miraculosam revelationem de transferendo episcopatu de Aulicensi Ecclesia, quam pater eius fundaverat, ad Ecclesiam quæ nunc Hildesheim dicitur, habuit in hunc modum. Nam cum in promovendo Aulicensem Ecclesiam in caput & arcem episcopatus esset intentus, eundémque locum ob hoc frequentius incoleret, contigit eum venandi gratia in locum quem nunc Hildesheim. Ecclesia occupat, fixisse tentorium: ibique missam allatis capellæ regiæ reliquiis audivisse. Rege autem de venatu Aulicam regresso, ibique tunc missam audituro, capellanus reliquias impositurus altari, demum se oblitum eas dimisisse recoluit, vbi missa fuit pridie celebrata: revertitur sollicitudinis concitatus studio, ubi & eas suspenderat, inveniens in ramo scilicet arboris fontem putiss. obumbrantis: appropriat igitur hilaris, & quas facili manu ibi suspenderat nullo conatu auferre sufficit. Imperator hæc Dei

Ludovicus I. Imp.

Hildesheim. Episcopat.

Miraculum.

F

magnalia intelligens, ad locum multis stipatus celeriter veniens, ipsas reliquias de loco cui semel inhæserant aperte sensit nolle moveri. Divinitus igitur instinctus, dictas reliquias (quæ erant sanctiss. Dei genitricis Mariæ virginis) ibidem Dei genitrici dedicavit altare, & eundem locum quem & suspensæ reliquiæ obtinent. Hunc igitur locum novitate miraculi illustratum, ac tanto opere Dei genitrici placuisse probatum, Rex Ludovicus toto affectu promovere aggressus, principalem Episcopi Cathedram, quàm prius apud Aulicens. ecclesiam à patre suo fundatam Petri Apostolorum principis honori attribuere decrevit, sacello reliquiarum Dei genitricis concessit: eique probatæ religionis Guntherium Episc. primum præfecit, sicque Hildesheim. Ecclesia sedem obtinuit principalem, prout hæc in histor. Francorum plenius continentur. Item Ludovico regi Germaniæ, sub anno Domini 875. apparuit in somnis pater suus Ludovicus I. prædictus Imperator, adiurans eum per nomen B. Trinitatis, vt eum eleemosynarum largitione à tormentis, in

Guntherius Episcopus Hildesheim. Ludovicus Rex Germaniæ.

G

quibus tenebatur, eriperet. Ob hoc ad diversa monasteria eleemosynas destinans patri obnixe filius succurrebat, prout in Francorum historia, & in spec. histor. lib 25. c. 41. plenius continetur. Item Carolus eiusdem Ludovici regis Germaniæ filius, à dæmonio graviter in præsentia patris & procerum eius vexabatur, ac in ipsa vexatione id sibi propter quandam conspirationem contra patrem factam contigisse confessus est: ut in specul. histor. lib. 25. c. 40. continetur. Item eidem Carolo Imperatore facto, divinitus fuit ostensa visio tormentorum. Nam cum quadam die Dominica post celebratum nocturnarum horarum divinum officium somnum capere vellet, fuit raptus in spiritu, ductúsque fuit per quendam candidissimum spiritum in pœnas labyrinthias infernorum, ubi animas innumeras Episcoporum, Principum, & aliorum hominum, patris, fratrum, patruorúmque suorum in diversis locis ac va-

Caroli II. Imp. visio.

H

riis tormentorum generibus vidit pœnis infernalibus mancipatos: quæ causas tormentorum suorum eidem Carolo explicabant. Ibi etiam inter alia audivit retro se animas clamantes: Potentes potenter tormenta patientur. Quæ verba originaliter habentur Sap. 6. cap. & transsumptive leguntur in can. 8 q. 1. c. illud. Deinde spiritus eiusdem Caroli per suum ductorem ad purgatorium ductus, vidit inter alia duo dolia. Cúmque respiceret super unum dolium, vbi erat aqua fervens, vidit patrem suum Ludovicum prædictum in eodem dolore nimio aggravatum. Dixitque ei pater: Noli timere, scio enim quod ad corpus tuum spiritus revertetur, sciásque me propter peccata mea talia sustinere supplicia. Vna enim die sum in isto ferventi, & altera die in isto suavissimo aquæ dolio precibus sanctorum Petri Apostoli & Remigij confessoris, cuius patrociniis hactenus regale nostrum genus regnavit, transmutor. Sed si tu, Episcopi, Abbates, & omnis ordo Ecclesiasticus, Missis, orationibus, oblationibus,

vigiliis,

vigiliis, & eleemosynis multi subvenietis, tunc de isto aquæ bullientis dolio certissime liberabor: ostendénsque altissima duo dolia bullientia: Ista, inquit, dolia sunt tibi (nisi te emendaveris, & de peccatis tuis pœnitentiam egeris) præparata. Post hæc ductor ipsius Caroli eum ad dexteram luculentissimi paradisi deduxit, ubi Imp. Lotharium patruum suum, ipsúmque filium Ludovicum Imp. in claritate ingenti vigenti vidit, pretiosis diadematibus coronatos. Cui Lotharius blanda voce dixit, prædictum Ludovicum patrem suum de pœnis prædictis meritis Sancti Petri, ac precibus Sancti Remigij (cui Deus magnum Apostolatum super reges & gentes Francorum dedit) certiss. liberandum: quodque de manu sua cito potestas imperij tolleretur, ipsúmque parvo tempore post victurum: alia etiam quædam futura circa imperium sibi prædixit. Post hanc visionem Arnulphus, filius Carolomanni regis Bavariæ, se in brevi de regno & imperio intromisit, & Carolus duobus annis tantummodo supervixit: prout hæc in spec. histor. lib. 25. ca. 49. & duobus capitulis seqq. latius continentur. Item Otto I. dum sub anno Domini 952. in civitate Ratisponensi vacante ibidem Ecclesia, constitutus fuisset in somnis, ut episcopatum Ecclesiæ Ratisponensis illi daret, qui sibi primus occurreret, fuit admonitus: qui crastino die illucescente ad monasterium B. Emeranni martyris ordinis S. Benedicti, monachis nescientibus cum paucis venit, & paulatim ostium monasterij pulsans, à quodam venerabili fratre Guuthero, ipsiusque monasterij custode pervigili fuit intromissus: quem intuens ad orandum primo processit, deinde talibus verbis aggreditur: Quid mihi frater pro adipiscendo episcopatus honore vis dare? frater ad hæc subridens, Calceos, inquit, meos. Hunc tamen ad electionem antistitis cum cæteris fratribus ad cathedralem Ecclesiam venientem, Otto prædictus explicata omnibus præsentibus admonitione præfata, cum consilio cleri & populi de episcopatu ipsius Ecclesiæ investivit: sicque in eo impletum est quod prædecessor suus eiusdem ordinis sibi prædixit, hæc in historia Francorum sic scripta leguntur. Item de Ottone refert dicta historia, quod cum quendam venerabilem & etiam sanctum presbyterum Geronem nomine, à clero & populo in Archiepiscopum Coloniensem electum, de archiepiscopatu Coloniensi ob multas inimicitiarum causas quas ad quendam Marcionem fratrem d. Geronis habebat investire renuerer, ipsi Ottoni sub anno Domini 96 . in sancto die resurrectionis dominicæ angelus Domini evaginato gladio cum iam præparatus Ecclesiam adire voluisset apparuit sibi dicens: Nisi in Gerone hodie compleveris electionem, securus non evades hanc cædem. Cæsar hoc expavescens, vocate, inquit, dominum Geronem, cui venienti curam pastoralem Coloniensis Ecclesiæ cum baculo commisit, & indulgentiam super commisso humiliter flagitavit. Item Henricus II. beatissimus Dei famulus, temporalis regni non contentus angustiis, pro adipiscenda immortalitatis corona summo regi (cui servire regnare est) devotissime in divini cultus religione, eiusque amplificatione studuit militare. Qui dum civitates Apuliæ pertransisset, cœpit infirmitate calculi laborare, ingravescente autem dolore montem Cassinum (vt per intercessionem Beati Benedicti Abbatis, & Sanctæ Scholasticæ virginis sanitatis remedium sibi præstaretur à Deo) petiturus ascendit. Effusa itaque oratione devota petebat a Deo sibi, per intercessionem Sancti Benedicti & Beatæ Scholasticæ virginis animæ & corporis præstari salutem. Deinde nocte in lecto dormiens, vidit Sanctum Benedictum sibi assistere, ac ferrum sectorium ad sectiones medicinales aptatum manutenere, qui dixit ei: Quia in Deo & in sanctis eius sperasti, ecce à Deo missus sum, ut ab infirmitate calculi libereris: partémque illam corporis ubi calculus hærebat prædicto ferro medicinali aperuit, & evulso molliter calculo, sanatione subita vulneris reintegravit hiatum. Mane autem facto, vocatis episcopis & principibus Deum magnificans, cuncta quæ circa eum gesta erant omnibus audientibus ex ordine referebat: ac eis calculum quem manu tenebat, & cicatricem vulneris ostendebat. Illi vero videntes & audientes Dei mirabilia, plus quam credi potest admirati, DEVM benedicebant, diuque in laudem eius acclamantes de incolumitate regis non modicum sunt gavisi. Alio denique tempore cum idem Henricus Christi confessor ad civitatem Merseburg. venisset, accidit, ut in Ecclesia Merseburg. ad altare Sancti Laurentij devotissime missam audiret: qua completa ablutionem calicis prout facere consueverat volens sumere, fuit propter magnum regni tunc incumbens negotium impeditus: calicémque cum ablutione in mundo loco per custodem reponi, ac cum omni diligentia servari præcepit. Postero vero die post matutinas Ecclesiam cum ablutione sibi afferre præcepit, cumque allatus & discoopertus fuisset, inventa est ablutio illa in formam veri sanguinis transmutata: quod factum mirabile, mox universis qui aderant innotuit, ipsaque Ecclesia in laudem Dei & gloriam confessoris Henrici successoribus enarrabit. Aliis quoque miraculis, divinisque revelationibus multis in vita sua claruit. Nam S. Godehardum in Episcopum Hildesheimensem divina revelatione præfecit. Item sub anno Domini 1013. cum passione colica laboraret, eidem per visionem divinam plurima sunt monstrata, prout in historia Francorum, & in eiusdem Henrici legenda plenius continetur. Post felicem vero eius de hoc seculo transitum, ac declaranda eius meritorum insignia, Deus innumera in eius sepulturæ loco, in Ecclesia Bamberg videlicet, dignatus est operari miracula. Cum autem crebris miraculorum attestationibus sanctitatem sui confessoris Dominus declararet: Prælati eiusdem Ecclesiæ cum literis Conradi regis ac principum Romam venerunt, & quam magna miracula Deus meritis prædicti Sancti Henrici operaretur Eugenio Papæ ac Romanæ curiæ Cardinalibus nunciarunt: at illi gaudentes & Deum pro tantæ famæ dulcedine glorificantes, de canonizatione Sancti Henrici ad invicem sollicite conferre cœperunt. Cui canonizationi Cardinalis quidam Ioannes nomine resistens, non verecundatus est prædicto detrahere confessori: sed divina ultio detrahentem cœlesti verbere repente coërcuit ipsum privando lumine oculorum: ac ille à Deo percussus, & cæcitatis molestia humiliatus, & reatus sui conscientia torqueri, & quod hanc plagam peccando in confessorem Christi meruisset, cœpit publicè confiteri, & mirum admodum, quem prius detractionis dentibus laniabat, hunc modò laudibus & præconiis usque ad sydera extollebat. Conversus vero ad pœnitentiam per intercessionem sanctiss. Henrici denuo illuminatus est: ob cuius ultionem iusto Dei iudicio fuerat excæcatus. Præmissa & alia innumera miracula in vita, seu legenda S. Henrici Christi confessoris de ipso scripta plenius continentur. Item Imperator Henricus III. tempore Conradi II. patris sui, dum adhuc in puerili fuisset constitutus ætate, à quodam clerico fistulam argenteam, qua pueri ludentes aquam iaculari solent accepit, eique episcopatum dare cum foret Imperator est pactus. Post hæc Rex seu Imperator factus, clerico petenti pollicitum impigre dedit episcopatum: non multo post aspero morbo correptus decubuit, & morbo crescente triduo mutus iacuit: propter quod episcopi præsentes triduano indicto ieiunio pro vita ipsius domino supplicabant. Convalescens autem, Episcopum, quem pro fistula ad Episcopatum promoverat accitum sententia concilij deponi fecit, confessúsque est se toto illo triduo dæmones infestos sibi vidisse, ac flammam adeo pertinacem, ut nostes ignis respectu illius iocus putetur, in se per fistulam iaculasse: interim vero iuvenem semiustolatum advenire ferentem calicem aureum immensæ magnitudinis aqua plenum: cuius visione

Otto I. Imp. — *Revelatio.* — *Henricus II. Imp.* — *Miracula.* — *Henrici III. Imp. visio.*

&

& aquæ aspersione evaserat huiusmodi flammarum ardores: hic erat Beatus Laurentius martyr gloriosus, cuius Ecclesiæ tectum dissolutum compaginari fecerat, & præter alia munera aureo calice honoraverat Ecclesiam antedictam. Eundem etiam Henricum dum quadam vice inimicos fugeret, cerva quædam ultra invadabile flumen evexit. Hæc & alia de ipso in spec. histor. lib. 26. ca. 19. plenius continentur. Multis insuper aliis miraculis divinisque revelationibus veteres Germani principes claruerunt, sed compendiosi huius libelli propositum ab referendis omnibus me habeat excusatum.

CAPUT XV.

De multis prærogativis, privilegiis, gratiis, & honoribus, quibus Pontifices Romani veteres Germanos Principes extulerunt.

Venerabiles Romani Pontifices Christi Vicarij, qui tempore antiquorum principum Germanorum Ecclesiæ Romanæ præfuerant, Christianæ religionis zelum (qui Romanis Pontificibus ex officij debito maior cunctis incumbit, ut dicit canone 24. quæstione prima, officij) eisdem principibus per sancti devotionis opera, nec non præcipuæ munificentiæ, ac defensionis magnificæ, & alia beneficia Ecclesiæ Romanæ, cæterisque ecclesiis per ipsos (ut ex superioribus patet) impensa, evidentissime comprobatum, grata vicissitudine compensare volentes: dictos principes multimodis prærogativis, privilegiis, gratiis, & honoribus extulerunt. Gregorius siquidem Papa tertius, dum Caroli ducis Francorum, cognomine Marcellus, contra Lombardos auxilium imploraret: eidem (vt refert chronica Martini) claues confessionis Sancti Petri transmisit. Item Zacharias Papa dicto Carolo pro Dei Ecclesiæ necessitate dedit (ut refert chronica Gotfridi) auctoritatem milites de Ecclesiarum decimis infeudandi: declaravit etiam Pipinum prædicti Caroli filium, in regem Francorum instituendum, & Hildericum, qui inane regis Francorum vocabulum præferebat, fore à regno huiusmodi deponendum: & sic factum fuit, ut supra in 4. ca. plenius continetur. Item Stephanus Papa II. dum in anno Domini 753. eundem Pipinum, & duos filios eius Carolum & Carolomannum unxit in reges Francorum, ipsos specialiter elegit ad sedem Apostolicam defendendam, ut in histor. Francorum, & chronica Euseb j continentur. Ex hac electione puto, quod Reges & Imperatores Romanorum sint vsque in hodiernum diem Romanæ ecclesiæ advocati, de qua advocatia loquuntur iura canonica, extra de elect. venerabilem vers. quod autem. de iureiuran. Romani ver. porro in cle. Licet autem defensioni prædictæ sit grande onus annexum, certum tamen est, quod huiusmodi specialis Apostolicæ sedis electio seu assumptio ad eiusdem Pipini & filiorum successorumque suorum honoris cessit augmentum, vt videlicet defensio ecclesiæ Romanæ (quæ ad omnes fideles reges & principes seculi, sicut & aliarum Christi Ecclesiarum pertinet: vt patet 96. d. ca. vlt. 23. qu 5. principes, & ca. administratores) sit ab ipsa Ecclesia quadam speciali prærogativa, & per quandam excellentiam his regibus attributa. Idem quoque Papa Stephanus, dictum Pipinum (vt referunt chronicæ Gotfridi, & Martini) constituit patricium Romanorum, ipsumque Pipinum (ut refert historia Francorum) prefatus Stephanus in quadam epistola sua, per quam sanitatem corporis sibi per intercessionem Beati Dionysij martyris miraculose redditam omnibus declaravit, optimum ac Christianissimum regem, ac Sancti Petri fidelem dominum nominavit, eundem Pipinum his præclaris cognominibus specialiter honorando, ex qua nominatione mos inolevit, ut puto, quod reges Franciæ Gallicæ, qui de genere ipsius Pipini & Caroli Magni (iuxta ea quæ dixi supra in proœmio descenderunt) usque in præsentem diem ab Ecclesia Romana Christianissimi nuncupantur. Item Hadrianus Papa I. cum sancta synodo Romæ habita, tradidit Carolus Magnus præfato Pipini filio ius & potestatem ornandi sedem Apostolicam, ac dignitatem patriciatus urbis Romæ concessit eidem, investituras quoque Archiepiscoporum & Episcoporum per singulas provincias ab ipso Carolo recipi definivit, prout hæc tam ex chronica Martini, quam etiam ex canone 63. d. Hadrianus II. evidenter apparent. Item Leo Papa III. creatus in Papam mox ad eundem Carolum (ut refert historia Francorum) legatos cum muneribus, cui & claves confessionis Sancti Petri, & vexillum urbis Romanæ per eos, sub anno Domini 796. direxit eidem Carolo ut ad confirmandum sibi per sacrum Romanum populum aliquem de optimatibus suis transmitteret supplicando. Post hæc Leo Papa prædictus, acclamante ac petente populo Romano prædictum Carolum, sub anno 801. vnxit & coronavit, in Romanorum Imperatorem, nomine patriciatus eidem ablato, ut in historia Francorum, & Eusebij, Gotfridi, & Martini chronicis plenius continetur. Ex quo facto (ut refert histor. Francorum, & chron. Eusebij) Romanum imperium, quod à temporibus Constantini Magni Helenæ filij apud Constantinopolim in Græcorum Imperatoribus mansit, ad Reges imo Imperatores Francorum in persona Caroli dinoscitur transisse. Item Leo Papa VIII. cum clero & populo Romano Ottoni I. & suis successoribus eadem privilegia, quæ Hadrianus Papa Carolo Magno circa ordinationem sedis Apostolicæ, & investituras Archiepiscoporum cum dignitate patriciatus concesserat, per omnia renovavit, ut legitur 63. d. in synodo. Hæc igitur, & his similia privilegia, prærogativas, & gratias, prædicti Germani principes singulariter præ cæteris mundi regibus seu principibus, ex causis in hoc libello præmissis, à summis pontificibus & Ecclesia Romana consequi meruerunt.

CAPUT XVI.

In hoc moderni principes ad imitandum zelum Christianæ religionis veterum Germanorum principum exhortantur.

Mathatias præcipuus suis temporibus legis divinæ zelator, de cuius zelo etiam legitur in canone 23. quæst. 5. si audieris, Iudam Machabæum, & alios filios suos ad zelum eiusdem legis animare cupiens, ipsos (ut patet 1. Machab. 2. ca.) sic est allocutus: Mementote operum patrum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam, & nomen æternum. Quæ verba nostris modernis Germaniæ principibus, consideratis operibus laudabilibus veterum principum Germanorum, Christianæ religionis zelum respicientibus, in hoc libello cursim descriptis, congrue dici possunt. Mementote igitur, ô nobilissimi Germaniæ principes, operum patrum, videlicet veterum principum, vestrorum prædecessorum: eosdem propter Christianæ religionis ipsorum opera, non tantum laudibus extollendo, sed etiam similia imitatione laudabili exercendo. In fide itaque Catholica immobiles permanentes, ab eius rectitudine vos abduci non finite, ipsamque de fideli fervido zelantes, ad dilatandum eiusdem fidei funiculos (qui peccatis populi Christiani exigentibus, proh dolor, his temporibus præsertim in partibus Orientalibus per inimicos fidei constringi cernuntur) contra eosdem fortes assurgite, literarum studia con-

[Margin notes: A; Gregor. III. Pontif.; B; C; Zachar. pontif.; Stephan.; Imperatores Ecclesiæ advocati.; D; E; Quare Reges Franciæ Christianissimi dicantur. Hadri. I. pontif.; Leo III. pontif. imperium à Græcis transfert in Carolum M.; F; Leo VIII. pontif.; G; Mathatias pater Iudæ Machabæi.; H; Pia adhortatio.]

gerus auxiliis ac privilegiorum concessionibus pro exterminio pravitatis hæreticæ promovete, Deum cum interna mentis devotione ac summa pietate sedulo colite: sacrosanctam Romanam Ecclesiam, vestram, omniumque Christi fidelium matrem piam, vestris opportunis defensionibus, ac aliis dignis beneficiis honorate: iura seu consuetudines, quæ eidem Romanæ Ecclesiæ circa regnum & Imperium Romanorum competunt, devota mente recognoscite: ipsiúsque salutaribus monitis & præceptis vos cum humilitatis mansuetudine conformantes, eandem in arduis vestris dubiis tanquam magistram Christi fidelium devota mente requirite: aliis etiam Ecclesiis & monasteriis maxime à prædecessoribus seu progenitoribus vestris constructis dotatis vel ditatis defensionum aliorúmque beneficiorum subsidia opportuna porrigite: novas ecclesias vel monasteria & alia pia loca (prout divina gratia inspiraverit) pro augmento divini cultus erigite: libertates & privilegia Ecclesiis & Ecclesiasticis personis à divis regibus & Imperatoribus concessas, non solum conservare nec non manu tenere, sed etiam pro reverentia divini cultus augere curate. Concilia etiam Episcoporum pro Ecclesiasticis necessitatibus, prout opus fuerit, congregari summo studio procurate: alia quoque omnia & singula devotionis opera, quæ zelum Christianæ religionis respiciunt, sicut & patres nostri prædicti (ut ex præhabitis clare patet) in generationibus suis pristina devotione fecisse noscuntur tota mentis devotione peragere non cessate. Nec enim alias gloriari potestis vos de ipsorum genere descendisse. Vnde Salvator noster Dominus Iesus Christus Iudæis Abraham se habere patrem gloriantibus (ut patet in Evangelio Ioan. 8. c.) dixit: Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite: quæ verba etiam habentur per Gratianum posita 22. quæst. 2. §. item opponitur: Si vero de dictorum principum non descenditis genere, saltem per imitationem laudabilem operum Christianæ religionis vos constituite filios eorundem, pro indubitato tenentes, quod filiatio imitationis bonorum operum longe præstantior est filiatione originis. Per imitationem enim bonorum operum etiam filij Dei dici meremur: unde dicit Beatus Hieronymus: Si filij Christi sumus, quod ipse fecit nos imitari debemus, ut patet in canon. 56. di. Dominus in fin. Circa præmissa non modicum attendentes, quod ideo (ut refert chronica Martini) post tempora Imperatoris Arnolphi, finem, quoad posteritatem Caroli Magni accepit imperium, quia eo tempore posteri eiusdem Caroli Ecclesias, quas patres eorum construxerunt, non fovebant, sed potius dissipabant: Quodque idem Carolus, Otto primus & Henricus secundus Romanorum Imperatores, qui maiori Christianæ religionis zelo vigebant, plures Ecclesias & monasteria, quam cæteri Principes Germani construxerunt, pluribus etiam bellorum claruere victoriis, pluréisque nationes exteras, seu etiam rebelles, regno & Imperio subiugarunt. Vltra hæc omnia si laudabilia operum prædictorum principum memores per imitationem laudabilem extiteritis, accipietis (ut sequitur in authoritate præmissa) gloriam magnam, non quidem gloriam magnam mundanam tantum, quæ transit; sed etiam nomen æternum, scilicet quod est scriptum in cœlis; de quo nomine Salvator noster Discipulis suis (ut legitur in Evangelio, Lucæ 10. cap.) ait, Gaudete autem quod nomina vestra sunt scripta in cœlis. Cuius gaudij nos faciat esse participes ipse Salvator, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT XVII.

Illustri Domino Rudolpho Duci Saxoniæ opusculum præsens offertur, & Dominus pro zelo Christianæ religionis veteribus Germanis principibus, ab eo collato laudatur, quodque ipsum Ducem in consimili zelo conservet, suppliciter imploratur.

O Princeps inclyte, humilitate aliisque præclaris virtutum meritis insignite, hoc opus exiguum devotissima veterum Germanorum Principum sancta opera Christianæ religionis zelo prodeuntia summarie continens, a mea exiguitate collectum, animo, quæso, suscipe lætabundo. Verum quia zelum & opera huiusmodi Deus bonorum author omnium ad sui nominis gloriam, & Catholicæ fidei augmentum eisdem principibus conferre dignatus est, quas laudes ex hoc sibi referre omnes Christicolæ ac specialiter Germani debeant? quæ neque mens potest concipere, nec lingua proferre. Ex operibus namque eorundem Principum zelo Christianæ religionis ferventer ignitis, fides Catholica est quasi per totum occidentale imperium (ut patet ex præhabitis) dilatata. Ex his sacrosancta Romana Ecclesia aliarum Dei Ecclesiarum mater & magistra, sedendo quiescit in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, ac temporali requie opulenta. Ex his Ecclesiæ Occidentalis Imperij & singulariter in Germaniæ, & Angliæ Provinciis constitutæ sunt multiplicibus divitiis, privilegiis & honoribus sublimatæ. Igitur nos omnes Christianæ fidei professores pro tantis ex zelo eorundem principum Christianitati à Deo collatis beneficiis, ipsi Deo misericordiarum Patri (qui maior est omni laude) gratiarum actiones & laudes (prout possibilitas nostra patitur) mente devotissima exsolvamus. Nos quoque Germani Christicolæ, ad glorificandum Deum eique immensas pro zelo & operibus prædictis gratias referendo, tantò debemus animari ferventius, quanto ex eisdem zelo & operibus, genti Germanicæ, (quæ per gloriosorum Principum Germanorum Pippini, & Caroli Magni eiusdem Pippini filij, strenuam & devotam operam à cultu Idolorum, cui, ut ferunt antiquorum historiæ, multum dedita fuerat, eadem gens nostra vix averti poterat) salus animarum æterna provenit, ac proveniet auxiliante Domino in futurum; Quantoque ex dictis zelo & operibus Germania cæteris Christianitatis provinciis dignoscitur esse prælata. Denium ad tuæ nobilitatis excellentiam, Princeps magnifice, incultum meum sermonem dirigens, divinam potentiam supplex imploro, quatenus pietatem, tuam in ardore fidei Catholicæ, in devotione mentis ac Christianæ religionis studio, laudabilia veterum Germanorum Principum exempla præmissa sequendo, in tempora longiora conservet, ut post terminum præsentis vitæ, tu unà cum eisdem gloriosis principibus sempiterno meritis præmio coronari, eo præstante qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

A

D. PETRI BERTRANDI

EPISCOPI ÆDVENSIS,

Et postea S. R. E. Cardinalis Opuscula.

EX TOMO II. DISSERTATIONIS Philologica de scriptoribus Ecclesiasticis P. P. Labbe Societatis IESV.

B

PETRVS Bertrandus filius Matthæi Bertrandi, Annonæensis oppidi in Vivariensi tractu civis, frater Guillelmi Noviomensis Episcopi, ex decano Aniciensis Ecclesiæ, & Iurium Pontificij ac Cæsarei doctore, & in pluribus Academiis professore, Ioannæ Reginæ Francorum & Burgundiorum Comitis Cancellario; primùm Episcopus Nivernensis, tum anno 1325. Æduensis sive Augustodunensis, ac tandem Serenissi. Reverendiss. Eminentiss. Cardinalis a Ioanne XXII. Papa die 20. Decembris anni 1331. creatus, postquam anno 1329. die decimo-quinto Decembris & sequentibus cum Guillelmo de Broffia, ex Bituricensi Senonensium electo Archiepiscopo (extant qui Petrum Senonensem electum hoc loco comminiscuntur) aliisque prælatis, coram Philippo Valesio, huius nominis sexto Francorum Rege, totiusque regni præcipuis Baronibus, pro immunitate Ecclesiastica adversus Regiæ advocationis principem strenuè decertasset. Collegium Augustodunense anno 1341. ære suo excitavit, obiitque anno 1349. die vigesima-quarta Iunij Avenione, & sepultus est in Prioratu Beatæ Virginis de Monte-Alto. De eo Robertus Gagninus, Paulus Æmilius, Henricus Spondanus, Frizonius, Brullius, Auberius, aliique qui de Cardinalibus scripserunt, aut res Francicas posteris commendarunt. Hic vero senior dici solet ad discrimen sui ex sorore nepotis Petri Bertrandi de Colombario cognominati, qui vivente avunculo in purpuratorum Patrum Collegium ascitus, Episcopus Ostiensis fuit, & Carolum IV. Imperatorem Romæ anno 1356. coronavit in die Paschæ, cuius iter descriptum habetur tomo primo Bibliothecæ novæ MSS. librorum pag. 354.

Vide tamen cō etarium apud Spondanū anno 1329. num 11.

C

D

LIBELLVS D. BERTRANDI,

ADVERSVS MAGISTRVM Petrum de Cugneriis.

Libellus iste constatus est & compositus per dominum Petrum Bertrandum, virum utriusque Iuris professorem, tunc Episcopum Eduensem, postea vero Cardinalem; adversus dominum Petrum de Cugneriis, super facto Prælatorum Ecclesiæ Gallicanæ.

E

ANno Domini millesimo trecentesimo vigesimo-nono, die prima mensis Septembris, Dominus Philippus de gratia Dei Francorum Rex Christianissimus, filius quondam claræ memoriæ Domini Caroli, Comitis Valesij, mandavit Prælatos & Barones regni Franciæ, ad diem octavarum festi beati Andreæ proximo subsequentis, Parisiis convenire, per literas suas, infra aram inclusas. Quarum quidem literarum, Prælatis videlicet directarum tenor sequitur & est talis.

F

PHILIPPVS *Dei gratia Francorum Rex, dilecto & fideli nostro Episcopo Eduensi, Salutem & dilectionem. Quanto magis scientia divina divinarúmque Scripturarum notitia, ac cæterarum virtutum magistra rerum experientia vigent in vobis, tanto plenius nostis quantum & qualiter omnes & singuli clerici & laici, regni, tanquam membra simul in uno corpore viventia sibi ad invicem tenentur compati, mutuúmque præstare consilium & auxilium, temporaliter, ad defensionem & custodiam unitatis & pacis optatæ cunctis mortalibus, & veræ unionis, & contraria (suis quique contenti iuribus) pro viribus propulsanda. Cum igitur ad nostram ductum fuerit notitiam, quod vos, gentésque & Officiales vestri asseritis, per Ballivos & officiarios nostros & per Barones aliquos regni nostri Franciæ, vobis ac subditis vestris; dictique Ballivi & Officiales nostri ac Barones prædicti asserunt etiam, per vos & Officiales vestros ac per curiarum vestrarum satellites & cursores, nobis & ipsis, nostrisque & eorum subditis, quam plura fuisse retro actis temporibus illata, & in præsenti adhuc inferri hinc inde gravamina, insolitásque, & indebitas novitates; propter quas illius veræ unitatis connexio, quæ inter vos & ipsos vigere debet, ut est dictum, sua quodammodo indissolubilitatis integritatem amisit. Quod, si nobis qui subditorum nostrorum, tam clericorum quam laicorum concordiam & unitatem diligimus, displicet, non est mirum. Et idcirco volentes super his de salubri remedio, quantum cum Dei adiutorio possumus, providere, requirimus vos, nihilominus tenore præsentium mandantes, quatenus ad diem octavarum festi Sancti Andreæ proximè venturum, Parisius personaliter intersitis advisi super gravaminibus & novitatibus, quæ & quas per prædictos asseritis vobis fuisse illata & illatas. Nos autem prædictis Ballivis & officialibus nostris, atque Baronibus, damus per nostras alias literas in mandatis, ut dictis die Parisius similiter intersint personaliter, advisi super gravaminibus, & novitatibus, quas sibi, & subditis suis per vos & Officiales vestros asserunt fuisse illatas: ut super his, & singulis hinc inde illatis gravaminibus per nos & consilium nostrum de tam salubri possit remedio provideri,*

G

H

quod inter vos & ipsos amoris vinculum incorruptibile, & sincera charitatis affectio indissolubilis futuris temporibus debeant observari. Datum Paris. prima die Septembris, anno prædicto.

De Veneris 15. Decem.

Die vero superius in dictis literis contentâ, Prælati Parisius convenerunt in palatio regali, & comparuerunt coram rege ibidem Prælati ad invicem, videlicet Domini, Bituricensis, Auxitanus, Turonensis, Rothomag. Senonensis, Archiepiscopi, Belvacensis, Cathalan. Laudun. Parisiensis, Novionensis, Carnotensis, Constant. Andegavensis, Pictaviensis, Meldensis, Cameracensis, Sancti Flori, Briocensis, Cabilonensis, & Eduensis Episcopi. Qua die ipso rege sedente, & Consiliariis suis necnon aliquibus Baronibus ibidem assistentibus, & factâ dignitati regiæ reverentiâ per Prælatos, nobilis & discretus vir, Dominus Petrus de Cugneriis, miles & consiliarius dicti Domini Regis, in præsentia omnium, & in publico locutus est pro rege, facto themate suo: *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* Et prosecutus est iuxta illud thema, materiam suam concludendo ad duo; Primò, quod Regi debebatur reverentia, & subiectio: Secundò, quod debebat esse spiritualium & temporalium divisio, ut spiritualia ad Prælatos, & temporalia ad Regem & Barones pertinerent. Et hoc probavit per multas rationes facti & iuris, prout in responsionibus factis infra per Senonensis electum Episcopum & Eduens. plenius continetur: Et finaliter conclusit, quod Prælati essent contenti spiritualibus, & in eis defenderet eos Rex. Quibus sermonibus completis dixit verba quæ sequuntur, in gallico, quod intentio regis erat reintegrare temporale. Deinde proposuit in gallico articulos infra scriptos. Et postea tradidit Prælatis in gallico, licet sint translati in Latino, & proponendo eos probat contenta in eisdem non pertinere ad Prælatos, sed ad dominos temporales, & quia iniustè procedebatur per Prælatos super eis. Et nihilominus propositione factâ dixit idem Dominus Petrus, quod Prælati super his deliberarent, & consulerent Domino Regi, tanquam eius fideles. Sunt autem hi articuli, & responsiones super his factæ necnon gravamina regi tradita per Prælatos: quorum quidem Articulorum in gallico traditorum: in latino tamen translatorum tenor sequitur, & est talis.

Petrus de Cugneriis. Matt. 22.

Hæc sunt gravamina, & usurpationes, quæ, & quas Prælati, & aliæ personæ Ecclesiasticæ regni Franciæ, vel eorum Officiales, & iudices pro ipsis fecerunt, & faciunt in præiudicium iurisdictionis temporalis Domini Regis, Baronum, & aliorum subditorum suorum dominorum temporalium.

1 PRimo, de iure communi, cognitio causarum quæ tangunt realitatem, sive sint in possessione sive in proprietate, pertinet ad iurisdictionem temporalem: Et Officiales Prælatorum impediendo iurisdictionem temporalem nituntur sibi attribuere cognitionem causarum realium, specialiter super positione, & super omnibus interdictis.

2 Item, quando laicus turbatur, vel impeditur in possessione terræ suæ per aliquem clericum, & propter hoc impetrat adiornamentum à Iudice sæculari in casu novitatis, vel alias: Officiales Prælatorum impedientes iurisdictionem temporalem, faciunt moneri ad instantiam clerici Iudicem sæcularem, & partem, ut post adiornamentum cessent sub pœna excommunicationis, & certæ pecuniæ quantitatis.

Ecclesiastici cognoscunt de causis spiritualibus.

3 Item, cum cognitio personarum laicarum pertineat ad Iudicem sæcularem (exceptis casibus spiritualibus) Officiales Prælatorum faciunt eos citari coram se ad instantiam partis. Et si dictæ personæ laicæ declinent iurisdictionem dictorum Officialium: vel domini quibus subiiciuntur requirunt eas remitti coram eis tanquam coram dominis, vel iudicibus suis temporalibus: dicti Officiales renuunt hoc facere, & compellunt per excommunicationem partes ad procedendum coram eis.

4 Item Officiales Prælatorum faciunt sæpe moveri personas laicas ad instantiam clericorum dicentium se esse impeditos in rebus hæreditariis suis per laicos. Et si ipsi laici asserant realitatem, & ita sit in veritate, & super hoc petant remitti ad iudicem sæcularem, dicti Officiales monent eos sub pœna excommunicationis & sub magna pœna pecuniaria, ne propter hoc vadant coram iudice sæculari.

5 Item Officiales Prælatorum nituntur habere cognitionem contractuum initorum in curia sæculari per literas aut sine literis; & per monitiones excommunicationis sententias, nituntur excommunicationes facere talium contractuum super obligatis.

Concilia provincialia, & synodalia.

6 Item Prælati faciunt concilia provincialia, & synodalia statuta, in quibus plura faciunt, & ordinant in grande præiudicium iurisdictionis temporalis, de qua non spectat eis quoquo modo cognoscere vel se intromittere.

7 Item prædicti Officiales nituntur plures iuratos pro recipiendis obligationibus suis, in contractibus, in illis iurisdictionibus, atque locis dominorum temporalium super venditionibus rerum hæreditare, & sic nituntur impedire iurisdictionem temporalem, cum extra sedem suam obligationem recipere non debeant, vel contractus.

8 Item faciunt citari plures laicos, ex officio suo super aliquibus quæ sibi imponunt maleficiis responsuros, de quibus impositis asserunt sibi cognitionem pertinere. Et quando citati huiusmodi venientes ad diem sibi (ut præmittitur) assignatam negant maleficia opposita contra eos: dicti Officiales, ipsos detinent captos, nec volunt eos recredere, licet in casibus eis impositis pertineat recredentia. Et licet captio, & detentio ad eosdem Officiales minime pertineat, sed ad iudices seculares.

9 Item in casibus supradictis licet per inquæstas, & processus factos per Officiales prædictos, contra dictos laicos sic captos, & detentos iidem laici reperiantur puri & innocentes & ab imposito sibi maleficio absolvantur, nihilominus dicti Officiales nolunt eos expedire, donec pro scripturis processuum, seu inquæsta prædictorum satisfactionem fecerint de magna pecuniæ quantitate, licet de iure in tali casu eis expensas restituere tenerentur.

Excommunicatio per solam citationem.

10 Item memoria sit de loquendo super sententia excommunicationis, quæ datur per solam citationem, quotiens quis deficit.

11 Item loquendo super obligationibus *de nisi*, per quas quis excommunicatur incontinenti, si non solvat certâ die, licet nequeat solvere die illa.

12 Item quando aliqui sunt qui excommunicantur virtute excommunicationis curiæ Prælatorum, & tales excommunicati non satisfaciunt de summis contentis in excommunicatione: incontinenti reaggravantur: & tunc iidem Prælati vel eorum Officiales faciunt moneri Iudices seculares sub pœna excommunicationis, ut compellant per captiones bonorum, tales excommunicatos ad faciendum se absolvi, & ad debitum persolvendum. Et ubi Iudices seculares non obediunt monitioni huiusmodi, ipsi excommunicantur, nec possunt absolvi, nisi satisfaciant de debito pro quo personæ præfatæ excommunicatæ existunt.

Iudicũ excommunicatio pro alienis debitis.

13 Item, si Ballivi, præpositi, vel servientes Regi, aut alij subditi Iudices seculares, talibus monitionibus inclinaverint, nec aliqua bona penes excommunicatos prædictos inveniantur, oportet dictos officiarios regios ire cum expensis suis ad curiam Prælatorum, & ibi iuramentum præstare quod nulla bona invenerunt

penes

penes excommunicatos, alioquin incontinenti denunciantur excommunicati & per sententiam excommunicationis compelluntur ad satisfaciendum de debito pro ipsis excommunicatis.

Appellationes à secular. ad Ecclesiasticos

14 Item si duo laici sint in processu in curia alicuius domini temporalis super actione reali vel personali, & contingat quod altera partium diffugiendo appellet ad curiam alicuius Prælati coram Officiali suo post magnos processus factos, & litem contestatam: Officiales dictarum curiarum nituntur retinere cognitionem talium causarum, tam in reali, quam personali: & virtute monitionum, & sententiarum faciunt desistere dominum temporalem à cognitione causæ, post appellationem; quod nisi faciat, excommunicatur & trahitur ad emendam: ex quibus temporalis læditur iurisdictio & amittit ressortum suum, quia nullus à curia Prælatorum appellat ad curiam regiam.

15 Item, si quis laicus in villa Regis, faciat arrestari debitorem suum laicum per iustitiam secularem loci, si arrestatus appellat illos qui arrestant eum & faciunt arrestari, Officiales volunt habere cognitionem talem. Et si aliquid attentatur super appellatione; ipsi nituntur exigere emendam à iustitia sicut ab illo cui factum est arrestum. Et si gentes regiæ compellunt eos ad resistendum, ipsi excommunicant eos.

Præpositi clericorum.

16 Item dicti Prælati habent magnam multitudinem Officialium, quos vocant præpositos clericorum, qui quidem Officiales faciunt communiter citationes vivâ voce, contra quascunque personas per Dominium Regis & alibi sine commissione, licet in qualibet diœcesi esse non debeat, nisi sedes vna duntaxat vbi cognoscatur de causis. Et ex hoc accidit pluries, quod multæ personæ sine causa coram eis citantur ad finem quod redimant se de magna pecuniæ quantitate; quod est in magnum præiudicium regis subditorúmque suorum, & iurisdictionis temporalis eorum.

17 Item dicti præpositi clericorum sigillant domos clericorum in villis Regis, & aliorum dominorum temporalium, in præiudicium iurisdictionis Domini regis, & aliorum secularium, licet in domibus, & aliis treffundis regis, vel aliorum secularium, dicti Prælati exercere aliquam iurisdictionem non possint.

18 Item dicti Prælati, vel eorum Officiales sigillant bona mobilia clericorum; coniugatorum, & mercatorum, licet in talibus eorum cognitio pertineat ad iudicem vel curiam secularem.

19 Item compellunt personas laicas, ad dandum assecuramentum clericis coram eis in curia Ecclesiastica, maxime Regi servientes.

20 Item in iustitia, & in dominio regis, & subditorum faciunt gentes Prælatorum, inventaria de bonis laicorum decedentium.

21 Item ipsi cognoscunt de actionibus hypotecariis quæ sunt reales vel saltem mixtæ.

22 Item dicti Prælati nituntur habere cognitionem personarum laicarum commorantium in domibus Dei, & leprosariarum, villarum regiarum, & subditorum suorum, vel extra villas, licet domino regi, vel eius subditis memoratis pertineat cognitio earundem. Et dant dicti Prælati, vel eorum Officiales, monitiones cum magnis pœnis pecuniarum, & sententiæ excommunicationis; quod nullus trahat illas personas in alia curia quam sua.

Tonsuræ puerorũ.

23 Item ad finem quod dicta curia Ecclesiastica augmentetur, dicti Prælati faciunt magnam multitudinem tonsurarum pueris ætate minoribus; quorum aliqui sunt servorum filij, alij de illegitimo matrimonio procreati, ac hominibus coniugatis insufficientibus & illiteratis.

24 Item faciunt contagiari, & compelli, per suos præpositos clericorum, mulieres viduas, & nituntur habere eorum cognitionem, necnon pupillorum, & sibi applicare bona eorum quando moriuntur, sicut de maioribus ætate quando decedunt ab intestato; quorum quidem cognitio spectat ad regem, quia tales personæ sunt cum bonis suis de gratia regis.

25 Item faciunt capi prædictos præpositos clericorum, & in dominio regia, & alibi, iuris ordine non servato, plures personas laicas, imponentes eis quod in aliquo casu commiserunt aliquid contra fidem, & detinent eas in carceribus, licet eorum captio & detentio spectare debeat Domino Regi, donec tales personæ super illo casu imposito sint convictæ.

26 Item exercent suas iurisdictiones, currentes per villas regias subditorum, licet extra sedem suam non debeant iurisdictionem tenere.

Multæ pecuniæ.

27 Item quando isti Prælati vel eorum Officiales faciunt moneri præpositos, servientes, & iustitiarios regis super aliquo faciendo per eos, in suis monitionibus magnam pecuniæ summam apponunt applicantes Prælatis, nisi fiat & compleatur quod in monitionibus suis continetur: & cum hoc pœnam excommunicationis apponunt, & hoc est inceptum de novo in præiudicium Regis, & subditorum suorum.

28 Item, quando Prælati, vel officiarij eorum prosequuntur aliquem laicum in curia sua ex officio, & in casu huiusmod. deficiunt sibi testes, ipsi faciunt plures personas laicas ad ferendum testimonium in illa causa coràm citari, sive sit burgensis regius, sive alterius cuiuscunque conditionis, & tunc testibus nolunt aliquid constituere pro expensis eorum. Et nisi veniant ad diem ad quam citantur, excommunicantur.

29 Item, si aliquis malefactor capiatur per aliquem iustitiarium regium saisitus de furto suo, & ille cui res est furata veniat coram gentibus regiis, & probet rem huiusmodi furtivam suam esse, & ideo expediatur eidem per gentes regias: si ex postfacto dicant Prælati vel eorum officiarij, malefactorem esse clericum, ipsi faciunt compelli per monitiones & citationes suas prędictas Gentes regias ad restituendum eis rem furtivam; quod nisi fecerint, excommunicantur.

30 Item si contingat, quod Gentes regiæ capiant aliquem malefactorem pro crimine certo per eum commisso, & idem malefactor dicat se clericum esse, licet nec tonsuram, nec habitum deferat clericales: Officiales Prælatorum faciunt incontinenti, detinentes & capientes compelli per monitiones & sententias ad restituendum sibi prædictum malefactorem, tanquam clericum suum.

Tonsura clericalis.

31 Item, si Gentes regis, vel alij iustitiarij seculares ceperunt aliquem malefactorem latronem vel etiã homicidam qui tonsuram deferat clericalem, eumque restituant Prælatis: idem malefactor satis cito postmodum expeditur, licet cognoverit crimen, etiam licet aliqui laici qui cum eo fuerunt socij in maleficiis, propter hoc iustitiati fuerint, eúmque accusaverint de maleficio, & sic tales malefactores ad talia maleficia perpetranda facilius excitantur.

32 Item si quis dicat se expoliatum fuisse, Officialis sibi dabit incontinenti monitionem contra expoliatorem, & virtute monitionis huiusmodi monebitur per aliquem de præpositis clericorum quod restituat sibi contenta in monitione, aut quod iuret, si spoliavit conquerentem de his de quibus est conquestus: & si iurare renuit coram præposito: ipse præpositus incontinenti monitionem sigillat, & excommunicat illum qui noluit iurare, nec poterit postea absolvi donec satisfecerit de contentis in monitione, de quibus conquerens se prius dixerat spoliatum.

Item, si quis pro delicto suo detineatur in carcere alicuius iudicis secularis, licet captus fuerit in habitu laicali, & sine tonsura, & quod gesserit se antea per totam vitam tanquam laicus, pro hoc solum quod advovabit se pro clerico, quia meliorem expedientiam habebit à Prælatis, & officiariis quam per seculares, & delictum remanebit impunitũ: dicti officiarij faciunt moneri iudicem secularem, ut citò malefactorem restituat

eis, atque reddat: alioquin cessabitur eis incontinenti per totam villam, ubi sic captus tenebitur malefactor, & pro vitandis periculis, quæ venite possunt occasione dicti cessus, oportet quod iidem iudices reddant malefactorem in magnum præiudicium iurisdictionis regis & temporalis ad quam cognitio posset venire in casu ressorti.

Item quando aliquis malefactor redditur iudicibus Ecclesiæ per iudices seculares tanquam clericus, amici ipsius malefactoris veniunt ad Officiales Prælatorum & concordant cum eis: & sic dimittunt sine punitione ire, & sic peiora committunt quam ante, licet crimina essent notiora.

Item quàm citius clerici coniugati, mercatores, vel alij clerici cuiuscunque ministerij existant, trahuntur in causam, coram iudice seculari pro aliquo delicto: ipsi clerici impetrant ab Officialibus quandam monitionem, & abducunt secum quendam presbyterum, per quem faciunt moneri iudicem secularem sub pœna centum vel ducentarum marcharum argenti & excommunicant; ne curiam, vel cognitionem de talibus teneant, & ne molestent eos in corpore, vel in bonis; & si Dominus iudex eos postea cessatur ibidem incontinenti à celebratione Missarum: licet hoc pro facto suarum mercaturarum existat.

Item dicti Officiales concedunt citationes sine numero contra personas laicas in casu assecuramenti, personaliter coram eis, ad assecurandum personas taliter incognitas: & si cognitæ sunt in citatione continetur, quod ille qui citatus est, moneatur sub magna pœna, ne illum qui citari eum fecerat, ipsum, pendente citatione, trahat ad iudicem secularem.

Item, cum quis excommunicatus est in aliquo loco: dicti Officiales dant citationes personales super participibus: & faciunt citari totam patriam ad unam, vel duas leucas circumquaque: & tales, qui noverunt excommunicatum, bene, 40. 60. vel centum personæ purgant se super participatione prædictorum. Ex quo sequitur, quod probi homines, antiqui & senes rediment se, quilibet de duodecim denariis, vel de duobus solidis pro vitandis expensis & laboribus, boni homines loca propria diviserunt.

Item dicti Officiales imponunt pluribus personis famæ laudabilis & honestæ vitæ, quod sunt usurarij: & oportet eos cum ipsis Officialibus concordare pro evitanda eorum infamia, & labore.

Idem dicti Officiales faciunt citari aliquem bonum hominem coniugatum, & imponunt ei quod adulteratus est cum aliqua. Et similiter mulierem aliquam coniugatam, imponendo sibi quod adulterata est, in perpetuam infamiam ipsorum coniugum: & cum hoc extorsionem pecuniarum recipiunt ab eisdem.

Item memoria fit de magna multitudine procuratorum, qui comedunt totum mundum virtute citationum, & recipiunt homines in gardia sua: & per villas tenent Placitas & Assisias suas; & authoritate sua relaxant citationes propter pecunias quas extorquent; & recipiunt ob hoc ab ipsis citatis.

Item alia gravamina, quæ capitula, Abbates, Priores: Hospitalarij, & aliæ personæ Ecclesiasticæ regni Franciæ faciunt contra populum, talia sunt.

41 Faciunt citari plures Burgens. Regis, & alios in pluribus & diversis locis per privilegi, videlic. Briocens. Nannetens. in Britania, Lugdun., Matiscon, & alibi: specialiter hospitalarij magis utuntur istis communiter, quam alibi: ex quibus multum damnificatur populus: & gravabitur multipliciter in futurum, nisi remedium apponatur.

42 Item iudices Ecclesiastici quocunque casu nituntur habere cognitionem iniuriarum, sive in verbis, sive in factis commissa sit iniuria: necnon contra uxores clericorum, licet sunt mercatrices & eorum mariti similiter mercatores. Et si aliquando tales coniuges capiantur per iudices seculares, Officiales faciunt cessum opponi in Parrochia illa, virtute Concilij Sylvanectensis.

Concil. Sylvanectense.

43 Item volunt habere cognitionem bonorum tam mobilium quam immobilium viduarum. Et si contingat quod aliqua vidua mercatrix in villa regis per viā arresti, laicam personam faciat conveniri coram iudice seculari: & iam sit tam processum quòd persona illa laica fuerit per sententiam iudicis secularis, in petitis viduæ condemnata: Si veniat ad notitiam Iudicis Ecclesiastici, quod vidua illa in aliena curia suum convenit debitorem, ipse iudex Ecclesiasticus trahet ipsum ad emendam, & compellet eum emendare per monitiones, & sententias, & hoc sæpe contingit.

44 Item plures habitatores terræ dictorum Prælatorum, vocant se invicem ad curiam Officialium, ex quadam appellatione volagia: & nituntur Officiales de talibus appellationibus cognoscere in præiudicium iurisdictionis temporalis domini Regis.

45 Item, si quis in briga, ubi sanguinis effusio facta fuerit capiatur per aliquam iustitiam secularem puniēdus sit laicus, restituendus iudicio Ecclesiastico si clericus existat. Si talis captus appellat ad curiam Officialis; volunt dicti Officiales de hoc cognitionem habere, etiam de laico sicut de clerico, & cum hoc nituntur exigere emendam à curia seculari quæ prædictam fecit captionem: & si hæc permitterentur, nunquam malefactores punirentur, quia in continenti appellarent, & post appellationem statim fugerent.

46 Item si faciant citari plures ex officio, ipsi non admittuntur per procuratorem. Et si ad diem sibi assignatam accedunt, imponitur eis, quod sunt usurarij: & nisi respondeant ad voluntatem Promotorum, detruduntur in carcerem licet sint puri laici: neque liberantur, donec finantiam fecerint pro voluntate Officialium, licet non sint usurarij: & si qui sunt usurarij, Officiales recipiunt ab eis emendas: & postea, sicut prius, permittuntur exercere usuras: ut in eis solitas emendas exerceant.

Usurariorum impunitas.

47 Item capi faciunt per suos servientes, clericos in quocumque Trefundo, absque hoc quod iustitiam loci faciant appellari: & si per aliquos in hoc impediantur, ipsi compellunt eos per sententiam excommunicationis, ab impedimento desistere.

48 Item quotiens iudices temporales capiunt aliquem, qui postea requiritur, & redditur tanquam clericus iudici Ecclesiastico sine difficultate quacumque, nihilominus dicti Officiales faciunt ipsos iudices excommunicatos à canone nunciari.

49 Item faciunt Prælati tonsuras hominibus 30. annorum. & ultra, & etiam coniugatis aliquibus, quando veniunt ad eos metu intrusionis in carcerem, & punitionis alicuius criminalis delicti quod antea perpetravit & hoc pluries fuit factum.

50 Item si contingat quod aliquis homo Regis vel alterius cuiuscumque excommunicatus existat, & velit satisfacere, & facere se absolvi: Gentes Prælatorum exigent ab eo emendam ad ipsorum arbitrium, unde plures remanent in excommunicatione.

51 Item, postquam debatum duarum personarum ad invicem contendentium super possessionem alicuius rei immobilis, res contentiosa posita in manu Regis, per aliquem servientem regis: monent ipsum, ne perturbent alteram partium in possessione, quod si fecerit, excommunicant eum.

52 Item dicti Prælati, Decani, & Capellani, & aliæ gentes Ecclesiasticæ, tot, & tantos labores dant Officiariis regis ratione iurisdictionis regiæ, sicut prædicitur, usurpatæ: quod plures Officiarij regij expenderunt de suo pro iuribus Regis observandis, & per vexationes & labores, faciunt eis expendere quidquid habent.

53 Itē si aliquis Iustitiarius laicus, pro certa & iusta

causa,

causa, ad requestam partis apponat manum suam in rebus hæreditatis clericorum, iudices Ecclesiæ, & eorum ministri faciunt monitiones in scriptis contra dictum iustitiarium sub pœna excommunicationis, & sub pœna pecuniaria, vt manum suam levet, & amoveat: & iniungit eidem, ut alteram partem de prædictis rebus, gaudere permittat, alias ipsum denunciant excommunicatum, à qua sententia absolvi non potest, nisi redimat se ad Officialis arbitrium in præiudicium resorti domini Regis.

54 Item Iudices Ecclesiastici, quam citius audiunt quod aliquis dives decessit, vel cogitant quam cito debet decedere, ipsi mittunt literas clausas Capellano suo, quod nullatenus audeat inhumare ipsum, licet fecerit testamentum, & Ecclesiastica sacramenta receperit: & postmodum cum amici defuncti ad eos accedunt sciruri propter quæ faciunt hoc, dicti Officiales asserunt quod dictus fuit usurarius, vel mandata Ecclesiæ non servavit: & tamdiu faciunt corpus super terram teneri, quod oportet amicos redimere de magna quantitate pecuniæ, & per talem modum magnas pecunias habuerunt.

Interdictum.

55 Item si in aliquo cœmiterio fiat effusio sanguinis violenta propter quam ponatur interdictum, ipsi Prælati faciunt impositionem fieri decem librarum super omnibus parochianis, pro salario suo reconciliationis cœmiterij memorati, licet aliqui parochianorum à sua iurisdictione sint exempti; etiam licet illi tantum habeant vel plus de bonis illios qui taleon violentiam commisit.

96 Item aliqui Capellani dicunt se habere privilegia Apostolica; quorum virtute sibi constituunt iudices quos volunt, & aliquotiens de suo proprio collegio, & sicut iudices in suis causis existunt; quod de iure non possunt; unde contingit, quod post magnos processus; & expensas factas in aliqua magna inquesta sæpius super realitate quam aliàs, ad eorum notitiam per consiliarios vel procuratores suos pervenit quod ipsi debent in causa succumbere, in continenti revocant suos iudices memoratos: & sic sunt subditi regis, damnificati: nec possunt ius habere ab ipsis.

57 Item si laicus vocat clericum in causa hæreditaria coram iudice seculari, ipsi iudices Ecclesiastici faciunt cessare processus, sibi cognitionem attribuentes, & cum hoc pro impetratione talium adiornatorum trahunt laicos ad emendam.

58 Item cognitionem clericorum coniugatorum mercatorum, qui sunt manu operatij, quorum cognitio pertinet ad iudices seculares specialiter super facto mercaturarum suarum, attribuere sibi nituntur Ecclesiastici iudices.

59 Item pluries posuerunt interdictum in pluribus villis, & castris Regis, & divinum officium cessare fecerunt contra privilegia quæ habuit dominus noster rex à pluribus summis Pontificibus.

60 Item pro custodia temporalitatis suæ faciunt clericos suos, Ballivos & servientes suos: & sic quando delinquunt, non possunt puniri sicut decet, propter quod iustitia non servatur.

Excommunicati pœna.

61 Item Iudices Ecclesiastici habent procuratores; qui si teneant aliquem excommunicatum, sive iusta sit sententia, sive non, ipsi faciunt monitiones fieri quod nullus operetur vel faciat negotiom qualecumque ei, qui in tali statu consistit: propter quod terræ & vineæ sæpe remanent incultæ, in præiudicium communitatis, populi, & regis.

62 Item Promotores prædicti faciunt fieri citationes per quas citari faciunt, 20. 30. 40. personas, vel amplius, in citatione imponentes eis qood participaverunt cum talibus interdictis: & de vno capiunt decem, de altero viginti solidos, secundum quod possunt: unde communis populus est multum oppressus, & gravatus.

63 Item Iudices Ecclesiastici faciunt iurare omnes advocatos curiarum suarum, quod nullus litigabit sine eorum licentia contra eos: propter quod ius pauperum multotiens perit; & causæ regis retardantur: quia proprij pensionatij Regis non sunt admissi ad ipsorum concilium accedere, nisi de ipsorum iudicum licentia speciali.

64 Item volunt inventaria facere de bonis illorum qui ab intestato decedunt, voluntque bonorum tam mobilium quam immobilium possessionem habere; & ipsa per manus eorum distribui hæredibus, vel illis quibus volunt conferre.

65 Item testamenta quoque volunt per manus suas executioni tradere: inventaria facere bonorum, defunctorum, eadémque servare & hæredibus distribuere, & habent Officiales qui super his exequendis, dumtaxat deputati existunt.

66 Item aliquando testamentis, coram tabellionibus, factis nolunt adhibere fidem, nisi prius per ipsos Officiales fuerint approbata.

His auditis dixerunt Prælati, quod super his volebant deliberare: & fuit assignata dies Veneris sequens: qua die respondit pro Prælatis dictus dominus electus Senonensis, & proposuit infra scripta apud Vicenas ubi Rex tenuit dictam diem, dicens sic: Quia dominus Petrus de Cugneriis pridie proponens contra Ecclesiam Gallicanam, cœpit thema suum quod scribitur. Matth. 22. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo.* In quibus verbis dicebat notari duo. Primo Prælatorum ad Reges obedientiam, reverentiam, & subiectionem. Secundo iurisdictionis temporalis, & spiritualis divisionem. Et primum probavit per illud quod scribitur 1. Petri 2. *Subiecti estote omni creaturæ propter Deum, sive Regi quasi præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis in vindictam malorum, laudem vero bonorum.* Secundum vero probat ita: quia Christus, cum dicerent Apostoli; *Ecce gladij duo hic:* dixit Deus: *sufficit:* per duos gladios intelligens duas iurisdictiones. Itẽ pro eo quod Christus pro se, & Petro voluit solvere tributum; ad dandum exemplum quomodo Ecclesiasticæ personæ tenebantur solvere, & reddere potestati temporali temporalia. Et hoc confirmabat per hoc quod scribitur 11. *q.* 1. *ca.* si tributum, & ca. magnum.

Mat 22. — 1. Pet. 2. — Luc. 22. — Mat 17.

Item quia hoc cavetur lege humana, cum dicitur: *magna duo dona collata sunt: sacerdotium & imperium:* Sacerdotium, ut divinis, imperium, ut humanis præesset, *in corpore Autenticorum:* quando oportet ipsum, & clericos ad ordines perduci; in principio collationis primæ; ex quibus concludebat, quod cum istæ Iurisdictiones sint distinctæ à Deo; & una sit reddita sive credita Ecclesiæ, & alia dominis temporalibus, quod nullo modo Ecclesia debeat intromittere se de Iurisdictione temporali, cum scriptum sit, *ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt Patres tui.* Et bene signanter dicit, *antiquos*, quia consuetudines, si quæ essent ad oppositum introductæ, non valerent, quinimo essent potius corruptela: Nec præscriptio potest habere locum, cum ius fisci sit impræscriptibile: nec Rex ipse posset à se tale ius abdicare, sicut probabat per multa capita quæ 10. *di.* Quare cum rex in sua coronatione iurasset iura regni non alienare, & alienata ad se revocare, si per Ecclesiam, aut per quemcumque alium erant usurpata, tenebatur Rex per iuramentum, ad se illa revocare.

Prov. 22. 28.

In speciali tradidit multos articulos: in quibus (ut dicebat) usurpaverat Ecclesia iurisdictionem temporalem. Vt ergo respondeam præmissis secundum concordantiam vocalem & realem, accipio quod scriptum est 1. Petr. 2. protestatione præmissâ, quod quidquid dicturus sum, volo dicere non ad finem subeundi quodcumque iudicium, sed solum ad domini Regis & ei assistentium Conscientiam informandam. Accipio ergo thema tale.

Protestatio Episcopi coram rege dicturi de Ecclesiastica libertate. 1 Pet 2.

Deum timete: Regem honorificate.

In quibus verbis, beatus Petrus duo nobis ostendit, primo; quomodo Deo debetur timor filialis & obedientia, propter celsitudinem & imperium suæ

maiestatis, ibi, *Deum timete.* Secundo, quomodo debetur Regi honor specialis & reverentia propter magnitudinem & fastigium suæ dignitatis, ibi, *Regem honorificate.* In gallico: *Premierement, que nous devons a Dieu redoutance, tremeur, & amour pour sa grande puissance, & haute maiesté*, ibi, Deum timete. *Secondement, que nous devons au Roy, reverence & honneur pour sa grande excellence & haute dignité*: ibi, Regem honorificate. Et signanter præmittit Apostolus, quod primò, Deo debetur timor: secundò, Regi honor. Deo enim principaliter debetur timor: quia si contraria Deo iubeat Rex vel alius, contempto Rege obediendum est Deo. in Actis: *Obediendum est magis Deo, quam hominibus*: & 2. Mach. *non obedio præcepto Regis.* Et rationem huius reddit B. Augustinus, & in glo. ad Rom. & ponitur 11. q. 3. *qui resistit potestati, vel voluntati & ordinationi Dei resistit.* Sed quid si iubeat illud quod non potes vel debes facere? hoc sane: contemne minorem potestatem, timendo maiorem. Ipsos humanarum rerum gradus aduce: si aliquid iussit procurator, nunquam faciendum est si contra proconsulem iubeat: si autem aliquid ipse Proconsul iubeat, aliud Imperator, & aliud Deus: contempto illo: obtemperandum est Deo, maior enim potestas Deus est. Ille enim carcerem: iste gehennam minatur. Ille corpus occidere potest: Iste *corpus & animam mittere in gehennam ignis.* Merito igitur præmittitur: *Deum timete.* Propter hoc, dicit Ecclesiastes, *Deum time & mandata eius observa, hoc est omnis homo.* Et videtur mihi, quod quis p[...]penditur Deum timere, ex tribus; scilicet ex grata munerum & donorum largitione, ex provida servitorum suorum honoratione, & ex integra rerum & bonorum redditione. In gallico. *Quand il sert devotement, & luy donne largement: quand il honore sagement, & deuement, quand il luy rend le sien entierement*: qui a e contra, *qui ne le veut servir, ou ne le daigne obeir, ou veut le sien retenir*: signum est quod non timet. Et propter hoc dico primo, ut Imperator Iustinianus dicit; quod, licet pene nihil immensum sit, bonum tamen Principem munera dare Ecclesiæ, bonum ... tamen ... Imperator, cui plura dedit Deus, & multa ... facile dare: & maxime sanctissimis ecclesiis; in quibus optima mensura est, Dominicarum rerum immensitas.

B. Gregorius Alberto Patricio Gallorum: *Extra, de ... ep.* dicit: Hanc sibi quodammodo, nobilitas ... imponit, cui debere se quod sponte tribuit, ... & nisi suis beneficiis creverit, nihil se præstitisse putet: unde Abel qui de melioribus offerebat Domino, benedictus est à Deo sicut patet in Genesi. Unde & Reges, quantum plurimum offerebant Deo, tantum fuerunt ab eo, & spiritualiter & temporaliter benedicti: sicut patet de Iosue, David, Salomone, & aliis per totum librum Regum. Et ideo in Numeris, scribitur: *in donaria Dei separabitis optima*. Et in primo Paralipom. dicebat David: *lætus obtuli universa hæc, & populum tuum vidi cum ingenti gaudio offerre tibi donaria.* Nec mirum, quia sicut ipse dicit ibidem: *tua sunt, Deus, omnia, quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.* Et ideo videtur mihi quod inter cæteros reges, Franciæ reges plura dederunt Deo & Ecclesiæ, & etiam Barones regni, idcirco fuerunt super omnes, fœlices: & quanto plura dederunt: tanto plura dedit eis Deus, sicut patuit de Clodoveo, Carolo, S. Ludovico, & aliis. Quanto enim aliquis plura dat Deo: tanto plura illi Deus dat, cum ipsemet promiserit: *date, & dabitur vobis.* Unde, donum quod Princeps facit Ecclesiæ, est donum quod redditur cum maximo incremento, & tempore belli & tempore pacis. Tempore belli, quia victoria belli non aliunde quam à Deo illi præstatur. Unde 1. Mach. Non in multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo est: & in Exodo dicitur, quia cum Moyses elevaret manum ad populum, vincebat Israël, sed si remittebat; superabatur. Et in 2. Machab. Iudas habiturus magnam victoriam de adversariis, vidit Oniam & Ieremiam sacerdotes orantes pro populo & universa civitate; &c. Tempore etiam pacis, quia vita Regis & filiorum, ac prosperitas, & obedientia, per orationes Ecclesiæ, conservatur in regno. Unde Salomon, quamdiu fuit intentus operi domus Dei, tamdiu pacem habuit. Unde in Prou. *Complacuerunt Deo viæ hominis, inimicos quoque eius convertit ad pacem*: & 1. Esdræ dicitur de sacerdotibus; *Offerant oblationes Deo cœli, & orent pro vita Regis, & filiorum eius.* Bene ergo dicitur esse hoc donum favorabile & irrevocabile; propter quod victoria tribuitur, vita conceditur, & pax & securitas conservantur. Servire ergo Deo & dare liberaliter, est primum signum divini timoris & amoris. Eccl. 2. *qui timetis Deum, credite illi, & non evacuabitur merces vestra.* Dico secundo, &c. Scitis quod inter præcepta Domini primum præceptum secundæ tabulæ est, honora patrem: quod præceptum (sicut pulchre dicit Apostolus ad Hebr.) est non solum de patre carnali, imo potius de patre spirituali: quia sicut spiritualia sunt potiora quibuscumque carnalibus seu temporalibus; ita tenetur tantum vel plus, filius spiritualis ad honorandum patrem spiritualem, sicut patrem carnalem. Patres autem spirituales, prælati sunt; unde 4. Reg. Rex Israel, Elisæum vocabat patrem dicens; *Nunquid percutiam eos, pater mi?* Et propter hoc, dicebat Salvator Apostolis quorum successores sunt Episcopi; *qui vos audit, me & audit, & qui vos spernit, me spernit.* Et 1. ad Thessal. *qui vos spernit, non hominem spernit sed Deum.* Et ideo ille Iustinianus Imperator alibi dicit: sicut nos habemus magnam sollicitudinem circa Dei verba, dogmata, & sacerdotum honestatem, quam illis obtinentibus, crederemus quia per eos maxima dona nobis dabuntur à Deo, & ea quæ sunt firma habebimus, & ea quæ nondum hactenus advenerant acquiremus. Et B. Gregorius in Registro, scribens cuidam Imperatori dixit sic, & habetur 11 q. 1. Sacerdotibus non indignetur Imperator super excellenti consideratione, propter eum cuius sunt servi: in eis dominetur, sic, ut debitam reverentiam pendat, quia illi aliquando in divinis eloquiis, Dii, aliquando Angeli nominantur: in Exodo, Diis non detrahetis. Et Malachias: labia sacerdotis custodiunt scientiam, Angelus enim Domini exercituum est. Et subdit: quid mirum, si nostra pietas illos dignetur honorare, quibus Deus in suo eloquio honorem tribuens, Angelos & Deos appellat? Unde & ibidem refert de Constantino Imperatore, quod cum sibi oblatæ accusationes contra Episcopos fuissent, libellos quidem recepit: & eosdem qui accusati fuerant episcopos convocans, in eorum conspectu libellos quos acceperat incendit, dicens; Ite, & inter vos causas disponite vestras, quia non dignum est ut vos iudicemus Deos, quia scriptum est: *Deus stetit in synagoga Deorum, de medio autem eorum, Deos diiudicat.* Et subditur in eodem c. quod Pagani qui Deos ligneos colebant & lapideos, tamen eorum sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid igitur mirum, si Christianus Imperator, veri Dei sacerdotes honoret? quasi dicat: non est mirum, sed debitum. Et ratio est, quia sicut dominus Petrus pridie dicebat, & bene: In hoc mundo duæ sunt potestates, sacerdotium & regnum, spiritualis & temporalis: quæ inter se differunt sicut sol & luna, sicut cœlum & terra, sicut aurum & plumbum. Et ideo, si illi qui præest in potestate minori, est à subditis honor impendendus: multo fortius, illi qui præest in potestate maiori, est à quibuscunque sibi subditis honor debitus impendendus: sicut expresse dic. c. *solitæ, de ma. & ob.* expresse respondetur authoritati quam dominus Petrus allegabat pro se, videlicet: *subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum*: & ibi loquitur de subiectione quæ est propter necessitatis meritum, non propter necessitatis debitum. Si enim loqueretur de subiectione quæ est propter necessitatis debitum: sequeretur, quod quilibet Episcopus deberet esse subiectus pauperiori vetulæ quæ sit Parisius, cum textus dicat:

subdi[...]

A

subditi estote omni creaturæ & humanæ : dicta autem vetula, est humana creatura. De dignitate Episcopali dicit Gregorius in Pastorali suo : sicut honor & sublimitas episcopalis, nullis poterit adæquari comparabilibus : si Regum fulgori compares, quasi plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cum videas Regum colla & Principum, subjecta genibus, sacerdotum deosculatâ dextrâ, orationibus eorumdem se credere communiri. Et quia Reges Franciæ præ cæteris regibus istum honorem Prælatis impenderunt : idcirco præ cæteris Regibus prosperati fuerunt : quia Sapiens dicit : *qui honorat patrem suum, iucundabitur in filiis* : Et sequitur ibidem : *qui honorat patrem suum, vivet vita longiore.* Istud est ergo signum timoris Dei : & ideo dicit Sapiens, *qui timet Deum, honorat parentes.* Dico tertio, quod aliquis dicitur timere Deum : ex integra rerum & bonorum redditione : qui enim non reddit alteri quod suum est, sed conatur usurpare, non timet Deum. E contra autem : qui reddit integraliter teri, dicitur diligere, & timere, quia sic dicit Sapiens, *qui timet Deum faciet bona* : & Psalm. *à iudiciis enim tuis timui, feci iudicium & iustitiam.* Sicut enim dicunt Iuristæ, & verum est : aliquid efficitur alicuius multis modis : aliquando ex successione, aliquando ex commutatione, aliquando ex præscriptione aut aliâ acquisitione, iure, aut consuetudine, & sic de aliis. Et quia dominus Petrus, pridie per iurisdictionis distinctionem (scilicet temporalis & spiritualis) conabatur probare, quod habens iurisdictionem spiritualem, non debebat habere temporalem : alioquin non esset distinctio, sed potius confusio iurisdictionum : Idcirco volo probare oppositum : quod istæ jurisdictiones compatibiles sunt in eadem persona, & maxime in ecclesiastica : & hoc probo tam jure divino & naturali, quam jure canonico & civili, consuetudinario & privilegiato. Tamen prius præmitto, quod formæ accidentales quædam sunt sic distinctæ, quod non contrariæ sunt, sed dispares sive disparatæ : sicut albedo & dulcedo, & aliæ formæ : & aliæ sunt formæ quæ sunt sic distinctæ, quod non sunt contrariæ, nec sunt compatibiles in eodem subjecto, unum enim contrarium expellit aliud, quia importat negationem alterius. Vnde, contraria sunt quæ à se invicem maxime distant, & in eodem susceptibili vicissim insunt, non simul : sicut dicit Philosophus in prædicamentis. Sed illæ formæ quæ sunt sic distinctæ quod non sunt contrariæ, sed disparatæ, sunt compatibiles in eodem subjecto, sicut quantitas, & qualitas, quia distinguuntur genere generalissimo in eodem homine, sicut fortitudo & temperantia quæ sunt species virtutis moralis, in eodem reperiuntur, sicut Logica & Grammatica, quæ sunt species in eodem intellectu. Non est ergo bonum argumentum : illæ formæ sunt distinctæ : ergo non sunt compatibiles in eodem subjecto : quia Iurisdictio temporalis & spiritualis sic sunt tantum distinctæ, quod non sunt contrariæ, sed bene compatibiles : quod patet, quia unum contrarium non ordinatur ad aliud : imo corrumpit ipsum : Iurisdictio autem spiritualis ordinatur ad temporalem, vel è contra, & melius : imo dependet ab ea, sicut claritas lunæ à claritate solis.

Greg.

Franciæ Reges fuerunt fœlices præ cæteris, & cur.

Eccl. 3. 6.

B

Eccl. 3. 8.

Eccl. 15. 1.

Ps. 118.

C

Iurisdictio temporalis, compatibilis cum spirituali, in eadem persona.

D

Item una Iurisdictio consortatur & adjuvat aliam, per quod patet quod non habent contrarietatem : & per consequens, non sequitur propter eorum distinctionem, quin sint compatibiles in eadem persona : quod & patet de facto, quia in eadem persona Christi fuit utraque jurisdictio, nam *Domini est terra & plenitudo, Orbis terrarum & omnes qui habitant in eo.* Patet etiam ex alio : quia si non essent compatibiles, sequeretur quod nulla persona Ecclesiastica posset habere jurisdictionem temporalem : nec castrum, nec villam, nec aliquid aliud : quod est valde absurdum : unde ex hoc sequitur, quod nulla persona Ecclesiastica posset esse subdita Regi, cum non possit illi subesse ratione spiritualitatis, sed solum ratione temporalitatis : quod esset in magnam derogationem honoris Regni. Patet, igitur, quod istæ jurisdictiones sunt compatibiles, non obstante earum distinctione ab invicem : & per hoc, patet responsio ad omnia illa per quæ dominus Petrus probat * distinctionem istarum jurisdictionum. His præmissis, procedo ad probandum quod talis jurisdictio temporalis potest cadere in personam Ecclesiasticam, habentem jurisdictionem spiritualem : & primo, de jure divino, & testamento veteri. Ad cujus evidentiam, est sciendum quod Deus post creationem mundi & hominis quasi usque ad tempus Noe, mundum per seipsum regere voluit ministerio Angelorum. Vnde & ipse contra Cain sententiam protulit. Noe autem, qui obtulit holocaustum Domino, & ædificavit altare (quod pertinebat ad solos sacerdotes) habuit regimen omnium qui erant in arca : idque in temporalibus. Melchisedech qui fuit sacerdos Dei altissimi, fuit etiam rex Salem, & utramque jurisdictionem habuit : dicit enim Magister historiarum, omnes primogenitos, à Noe usque ad Aaron, fuisse sacerdotes : in conviviis & oblationibus populo benedicebant, & habebant ius primogenituræ, ex quo competebat iis regimen aliorum. Moyses est de quo dicitur : *Moyses & Aaron in sacerdotibus eius* : qui, & Aaron & filios ejus consecravit in sacerdotes, & totum populum Israel, quantum ad temporalia judicavit, & in causis hæreditatis & mere realibus, sicut patet in libro Numeror. & in multis aliis locis. Textus etiam hoc dicit expresse ubi dicitur sic : *si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris, inter sanguinem, & sanguinem, causam & causam, lepram & lepram, surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, & venies ad sacerdotes Levitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore, quære ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem, sequere eorum sententiam : qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio & decreto Iudicis, morietur homo ille.* Ecce quam manifeste dicit, quod ad sacerdotem pertinebat judicare, non solum *inter lepram & lepram*, quantum ad ceremonialia & irregularitates legis : *sed inter sanguinem & sanguinem*, quantum ad criminalia : *& inter causam & causam*, quantum ad civilia. Item hoc apparet de multis Iudicibus, in libro Iudicum. Samuel etiam qui fuit Propheta & sacerdos, etiam populum totum in temporalibus diutissime judicavit : imo quando populus petiit Regem, displicuit multum Domino : unde dixit Samueli : *non te abiecerunt, sed me ne regnem super eos* : imo ex tunc, durantibus Regibus in populo Dei, quamdiu reges usi sunt consilio sacerdotum & Pontificum, bene fuit eis & regno : quando autem dimiserunt consilium sacerdotum & Pontificum, regimen eorum factum est in dissipationem, & finaliter ducti sunt in captivitatem : qua in captivitate, populus ex toto regebatur per sacerdotes & prophetas, sicut per Esdram & Neemiam. Novissime vero, operâ Machabæorum, reductum est regimen ad sacerdotes ; & iidem fuerunt Reges seu duces populi, habentes regimen tam in spiritualibus quam in temporalibus sicut legitur 1. & 2. Machab. de Matathia & filiis eius ? videlicet, Iuda Machabæo, Ionata, Simone, & Ioanne filio Simonis ; qui in omnibus, tam spiritualibus quam temporalibus ; præfuerunt populo Dei. Quinimo Hieremiæ qui fuit de sacerdotibus ; dictum est. *Constitui te super gentes & regna, ut evellas, disperdas, destruas, & dissipes, ædifices & plantes.* Quin etiam tempore Iudicum ; Eliachim sacerdos, in temporibus judicavit : & tota lex vetus, plena est istis. Secundo etiam, pro hoc ; ex novo testamento : Christus enim non solum secundum divinam naturam (secundum quam omnia ex nihilo creavit, & per consequens erat Dominus omnium) imo etiam secundum humanam ; habuit utramque potestatem. Ipse enim fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, & habebat in vestimento & in fœmore scriptum, *Rex regum, Dominus dominantium.* Per vestimentum autem & fœmur intelligitur humanitas, per quam junge-

Ps. 23.

E

* For. Incompatibilitatem Ecclesiastici posuit habere & possidere jurisdictionem Ecclesiasticam.

Genes. 4.

Genes. 8.

Gen. 14.

F

Sacerdotes, in conviviis benedicebant populo.

Ps. 98. 6

Num. 12.

Deut. 18.

G

1. Reg. 8.

Bene fuit Iudæis quamdiu Reges usi sunt consilio sacerdotum.

H

Apoc. 19.

Mat. 16.

Hebr. 1.

A batur divinitati, sicut vestis vestito. Ipse etiam de seipso dicebat *data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*: & in Epistola ad Hebræos, dicitur; *quem constituit hæredem universorum*: & in Psalmis, & ut dixit Apostolus; *Minuisti eum paulominus ab Angelis, gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum; omnia subiecisti sub pedibus eius, oves & boves universas insuper & pecora campi: In eo autem quod omnia subiecit: nihil exclusit non subiectum ei.* Ex quo patet, quod quantum ad naturam, in qua erat minor Angelis (id est humanam) omnia erant ei subdita. Hoc etiam patet ubi dicitur: *humiliavit illum, &c.* & sequitur: *ut in nomine Iesu, omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Ecce patet, quod secundum naturam, secundum quam humiliatus est: exaltatus est, quia sibi flectitur omne genu. Hoc etiam dicit B. Petrus in actis Apostolorum, quod *ipse constitutus est à Deo Iudex vivorum & mortuorum*: & loquitur de natura quam Deus suscitavit tertia die: sicut patet ibidem. Tota etiam sacra scriptura hoc clamat. Beatus Petrus etiam hanc potestatem habuit, quem Christus suum constituit vicarium, & instituit: qui etiam Ananiam & Saphiram pro crimine furti & mendacij, judicialiter condemnavit. Paulus etiam convictum fornicatorem iudicavit. Quod autem Christus voluerit, tale judicium esse penes Ecclesiam: videtur expresse dicere textus: *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, si te audierit lucratus es fratrem tuum: si te non audierit, adhibe tecum unum vel duos testes, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: quod si non audierit, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus: Amen dico vobis, & quodcunque ligaveritis super terram, erit ligatum & in cœlis; & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta in cœlis.* Ecce, quam expresse vult quod in omni re in qua est peccatum unius adversus alterum: si ille qui delinquit (monitus charitative) non emendaverit, debet negocium ad judicium Ecclesiæ referri: quam Ecclesiam si non audierit, debet vitari sicut Ethnicus & Publicanus, id est, sicut ab Ecclesia excommunicatus: ita ut nec communionem nec participationem cum eo habeat! Et quod ista fuerit intentio Christi, videtur multum probari per hoc quod (quasi assignando rationem huius) subiungit immediate; *Amen dico vobis, &c.* Vnde, ly, *quæcunque*, universaliter distribuit: sicut, ly *omnia*. Vnde sicut Apostolus arguebat & ponebatur supra in eo, quod si subiecit sibi omnia, & nihil dimisit non subiectum: & ita possum arguere: si quæcunque solverit Ecclesia, sint soluta: & quæcũque ligaverit Ecclesia, sint ligata: nihil est in quo Ecclesia non possit solvere & ligare. Vel ut accipiam logice: nihil est ligatum per Ecclesiam, non ligatum in cœlo. Et tenet istud argumentum per quandam logicalem regulam, quod contraria per negationem postpositam æquipollent: *Omne* autem, & *nihil*: *quæcunque, & nulla*, sunt contraria, & sic, *nihil non*, valet, *omnia*, & *nulla non*, valet, *quæcumque*. Secundo, probo hoc, ex alio textu Lucæ, quem dominus Petrus allegabat pro se: volo eum percutere de baculo suo. Dicebat enim (&, in hoc bene) quod per duos gladios intelligebantur duæ potestates: videlicet temporalis & spiritualis. Sed, penes quos voluit esse istos duos gladios: certum est, quod penes Petrum & alios Apostolos. Petro autem successit dominus Papa: Apostolis vero succedunt alij Episcopi, sicut Discipulis, Curati: ut apparet in gloss. Luc. 10. ex quo, arguo sic. Per duos gladios, intelliguntur prædictæ duæ potestates: sed Christus voluit esse illos duos penes Ecclesiam: ergo & utramque potestatem. Sed dices, quod Christus reprehendit Petrum quia percussit gladio temporali, amputando auriculam, dicens ei: *Converte gladium tuum, &c.* sed hoc non valet. Christus enim non dixit Petro, quod expelleret à se, talem gladium, sed reponeret in vaginam, penes se, servandum in vagina: ut daret intelligi, quod talis potestas, etsi sit penes Ecclesiam, tamen eius exercitium (quantum ad causam sanguinis) in nova lege, vult esse in manu Iudicis laicalis: secundum nutum vero & imperium, penes sacerdotem.

Ps. 18. · Hebr. 2. · Philip. 2. · Act. 10. 42. · B · Act. 5. · 1 Cor. 5. · Mat. 18. · C · Hebr. 2. · Luc. 22. · D · Gladius temporalis sectundum nutum, est penes Ecclesiã.

Tertio, probo hoc ex intentione Pauli Apostoli, ubi dicit, quod habens negotium etiam seculare adversus alterum, debet judicari apud sanctos: unde fecit tale argumentum: *An nescitis quomodo sancti de hoc mundo iudicabunt &, si in vobis iudicabitur mundus indigni estis ut de minimis iudicetis*, quasi dicat, non nescitis quoniam Angelos judicabitis? quantò magis ergo sæcularia? Et sequitur: *sæcularia igitur iudicia si habueritis: contemptibiles si qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum.* Nec obstat quod subdit Apostolus ibidem: *ad verecundiam vestram dico*: quia illud referri debet ad hoc quod dicit, *contemptibiles constituite.* Vnde quasi ironice, in hoc loquitur Apostolus: ac si diceret: quod citius deberent recurrere ad judicium contemptibilium qui sunt in Ecclesia, quam ad judicium aliorum qui sunt extra Ecclesiam: ergo multo fortius deberet recurrere ad judicium sapientum, qui sunt in Ecclesia multi: Vnde statim postquam Apostolus dixerat: *ad verecundiam vestram dico*, subiungit: *si non est inter vos sapiens quisquam qui possit iudicare inter fratrem & fratrem suum*: quasi dicat: *imo est.* Patet ergo ex istis & multis aliis quæ causa brevitatis omitto, quod utraque potestas potest cadere in personam Ecclesiasticam, & est persona Ecclesiastica dictæ jurisdictionis capax. Nec obstat si dicitur quod Petrus & alij Apostoli (imo etiam Christus) parum usi sunt ista potestate temporali: & quod in eis non fuit alia ratio quam nunc sit in nobis: sicut probatur, 12. *quæst. 1. ca. futuram*: & in multis aliis cap. Apostoli ab initio non recipiebant agros nec prædia, sed precia eorum: quæ tamen, Ecclesia valde rationabiliter recipit, etiam cum magno merito dantium & offerentium: sicut patet de Constantino, & aliis. Et ratio diversitatis tangitur in dicto cap. pro eo quod Apostoli futuram Ecclesiam in gentibus prævidebant non apud Iudæam remansuram: &c. Consimiliter quia Christus & Apostoli, & ab initio totaliter nostræ saluti, & conversioni, ac eruditioni intenti, parum circa cuiuscunque Iurisdictionis exercitium insistebant, attendentes illud primæ ad Cor. *Omnia mihi licent sed non expediunt*, & illud Eccl. *Omni negotio tempus est opportunitas.* Sed nunc per Dei gratiam totus populus Gallicanus colla Christianæ fidei submisit: merito igitur Ecclesia insistit circa delictorum punitionem, & justorum judiciorum redditionem. Erit enim opus justitiæ, pax in Isaia: in istis enim judiciis hoc solum attenditur, ut vita hominum corrigatur, &c. Patet ergo nostra conclusio aliqualiter, de jure divino fundata. Sed probo hoc, de jure seu ratione naturali: primo sic: ille ad judicandum videtur aptior & convenientior, qui est Deo proximior: cum proprie, Deus sit regula & director omnium judiciorũ, Proverb. 8. *per me Legum conditores iusta decernunt*: sed personæ Ecclesiasticæ sunt Deo proximiores, cum sint electæ in populum peculiarem Deo, De quibus dicitur 1. Petr. 2. cap. *Vos estis genus electum: regale sacerdotium gens sancta, populus acquisitionis, &c.* ergo conveniens est, quod Ecclesia possit de talibus iudicare. Propterea nullus dubitat quin cognitio de peccato ad personas Ecclesiasticas pertineat: cum ergo talia non perpetrentur sine peccato alterius partis: patet quod Ecclesia cognoscere potest: Item, cuius est judicare de fine, ejus est judicare de ordinatis ad finem; quia ratio eorum quæ ordinantur ad finem, sumitur ex fine: cum igitur corpus ordinetur ad animam, & temporalia ad spiritualia tanquam ad finem; Ecclesia, quæ habet judicare de spiritualibus, potest & meritò de temporalibus judicare. Et hoc satis deducitur, *Extra de iudic. ca. Novit.* Et confirmatur ex eo quod accessorium sequitur naturam principalis; quod satis apparet exemplo: cum enim istæ duæ jurisdictiones comparentur duobus luminaribus, soli scilicet & lunæ: & tota

E · 1. Cor. 6. · F · G · Ibid. Eccl. 8. · Esai. 32. · H

claritas

A

claritas lunæ, fit à sole & in sole, formaliter & virtualiter: non autem claritas solis à luna, nec in luna: patet quod iurisdictio spiritualis quæ comparatur soli, habet in se formaliter vel virtualiter iurisdictionem temporalem quæ comparatur claritati lunæ: & non è contra. Multæ aliæ rationes possunt adduci, sed omitto causa brevitatis. Tertio, probatur de iure civili; dicit enim lex, quod si Iudex laicus fuerit suspectus, adiungatur ei Episcopus civitatis, si autem fuerit negligens, totum iudicium ad Episcopum refertur, ut probatur in corpore authenticorum, *ut diffe. iud. §. si tamen Co. 9.* Præterea Theodosius Imperator, talem legem condidit; quicunque litem habens, sive petitor fuerit sive actor, sive ab initio litis vel decursis temporum periculis, sive cum peroratur sive cum incœperit permi sententia; si iudicium elegerit sacrosanctæ sedis Antistitis, illico sine aliqua dubitatione essset; si

B

alia pars refragatur, ad Episcoporum iudicium cum sermone litigantium dirigatur. Quam legem, postea, Carolus Magnus qui erat rex Franciæ, ita confirmavit; *Volumus atque præcipimus, ut omnes nostra ditioni subiecti tam Romani quam Franci cæterique nobis subiecti, sive vinculo legis videantur districti, sive consuetudinario connexi, hanc sententiam perpetua lege teneant ne quicunque litem habent, &c.* ut supra; sicut recitatur, 11. *quæst. 1. quicunque &c. se.* Sed dices quod ista lex est abrogata; ut videtur tangere *gloss. ibidem*, sed hoc non valet, quia licet ista lex non fuerit in corpore iuris redacta, tamen propter hoc non est abrogata; imo est privilegium honorabile, toti Ecclesiæ concessum, quod Imperator tollere non potest, ut nec alias Ecclesiæ libertates; ut notatur, *Cod. ego Ludovicus.* Item hoc privilegium confirmatum est per ius canonicum, *extra de iudic. ca. Novit.* Secundum Innoc. & hoc etiam videtur esse confirmatum per ius civile. *Cod. de sacr. ss. & e. l. privil.* licet non sit ibi expresse nominatum, sed generaliter, ut ibi patet. De iu-

C

re ergo civili est clarum, quod talis iurisdictio in personam Ecclesiasticam cadit. Hoc etiam de iure canonico posset probari per infinita. 22. *distinct. cap. omnes Patriarcha 2. quæst. 5. si quis Presbyter 11. quæst. 1. relatum 25. dist. ecce. extra de iudi. novit. de foro compet. &c.* licet & in multis aliis: imo in tantum procedunt iura canonica, quod quicunque talem iurisdictioné habentem de consuetudine nititur impedire, sententiam excommunicationis ipso facto incurrit, sicut probatur *in cap. cum intelleximus, de immunit. Eccl. lib. 7.* hoc etiam patet de consuetudine notoriâ & approbatâ, & tanto tempore observatâ quod memoria in contrarium non existit, & temporibus regum Christianorum & sanctorum. Talem autem consuetudinem violare sacrilegium est, 11. *quæst. 1. titul. 1. & cap. est.* Consuetudo autem, secundum iura, dat iurisdictionem, maxime personæ capaci; imo, consuetudo (de cuius contrario, memoria non est) habetur loco constituti iuris, inter omnes personas: & multo magis pro

D

Quæ sint causæ fori Ecclesiastici.

Ecclesia. *Extra de præscriptionibus, cap. Episcopum, in fine lib. 6.* Cum ergo Ecclesia Gallicana consuevetit, inter laicos cognoscere in actionibus personalibus; & etiam in realibus alicuius Ecclesiæ: patet, quod consuetudo potuit sibi dare illam iurisdictionem, ideo, &c. Sed dicebat dominus Petrus, quod hoc non poterat introduci consuetudine, quia in hoc non poteramus habere bonam fidem: Item istud ius dicitur impræscriptibile, cum sit fisci. Sed ista non valent: Ecclesia enim Gallicana magis vendicat sibi ius istud consuetudine, quam præscriptione: quia consuetudo videtur introduci, magis ex voluntate & electione populi recurrentis ad iudicium Ecclesiasticum, potius quam ad iudicium seculare, & in favorem eorum.

Item multum confirmatur adhuc ista consuetudo, quia fuit in contradictorio iudicio obtenta. Frequenter enim reclamantibus Baronibus, responsione prælatorum auditâ, fuit per prædecessores vestros Reges

E

Franciæ consuetudo eiusmodi Ecclesiæ firmata, & per Ecclesiam pacificè obtenta. Sed adhuc potest hoc sibi vendicare ex præscriptione, &c. Ad præscriptionem enim non requiruntur nisi tria; titulus, bona fides & continuitas temporis. Certum est autem quod Ecclesia iustum titulum habuit; sicut privilegium concessum à Theodosio imperatore, & confirmatum à Carolo, & mandatum inviolabiliter observari. Item habuit titulum ex iure divino, naturali, & humano; sicut superius est expressum, & allegatum. Habuit etiam bonam fidem, cui noscuntur, tot & tanti & tam clari tituli suffragari. Concurrit etiam continuitas temporis, & tanti, quod sufficit ad præscriptionem etiam contra fiscum. Non enim fuit continuitas solum centum annorum, imo etiam sexcentorum, & ultra. Nec etiam hoc est verum, quod istud ius sit impræscriptibile; maxime ab Ecclesia, quæ (quantum ad spiritualitatem) non est subdita Regi, imo

F

nobilior, sicut sol lunâ, aurum plumbo, & cœlum terrâ. Certum est autem quod æqualis, vel maior bene potest præscribere ius æqualis, vel inferioris; sicut unus rex ius alterius: quare patet quod Ecclesia hoc præscribere potuerit, etiam si esset ius fisci: quod tamen non est. Ultimo probatur istud ex privilegio concesso, & per Carolum magnum tractæ, ut dictum est prius; & per S. Ludovicum, & per Philippum avunculum vestrum; & per Ludovicum, & Philippum consanguineos vestros reges Franciæ; quæ privilegia habemus in promptu. Sed fortè dicerent, quod ista non possunt stare: quod scilicet ista iurisdictio competat Ecclesiæ de iure, de consuetudine, & de privilegio, quia ista non stant simul: si enim competit ex uno, non videtur competere ex alio, sed ad hoc potest dupliciter responderi: Primo quod privilegium, vel consuetudo potest esse dupliciter quoddam novi iuris editivum. Et istud non congruit cum aliis: aliud veteris iuris confirmativum, seu declarativum. Et istud bene potest concurrere. Et ista distinctio etiam locum

G

posset habere in consuetudine. Et secundum hoc posset responderi, quod licet Ecclesiæ competat hæc iurisdictio de iure, competit etiam de consuetudine, & privilegio non novi iuris editivis: sed antiqui declarativis, & confirmativis, vel potest aliter responderi quod habilitas, & capacitas huius iurisdictionis competit de iure: sed actus, & executio de consuetudine & privilegio. Sed fortè ad hoc dicetur, quare hoc sibi vendicat Ecclesia Gallicana, cum aliæ Ecclesiæ sibi in aliis regionibus hoc minime vendicare noscantur. Ad quod potest faciliter responderi, si enim reges Franciæ, quos Deus singularibus privilegiis, gratiis, & honoribus præ cæteris regibus insignivit, & prosperati sunt inter cæteros propter tria, scilicet propter magnam fidem & devotionem ad Deum; item propter maximum honorem, & reverentiam ad Ecclesiam, item propter iustitiam prælibatam ad populum sibi subditum, Ecclesiæ plures libertates concesserunt, vel concessis uti libere permiserunt, non est mirum; imo tanta fuit ad Ec-

H

clesiam eorum devotio, quod Ecclesiæ tanto eis propinquiores, quanto pluribus libertatibus gaudent. Nec ex hoc minus habuerunt: sed plus sicut rei evidentia manifestat, imo hoc redondat in magnam nobilitatem regni, & regis: Audivi enim alias quod quatuór vel quinque sunt quæ singulariter istud nobilitant benedictum regnum.

Primo fidei inviolata sinceritas; quia nunquam legitur quod reges Franciæ, ex quo susceperunt fidem, ullo unquam tempore à fide aberraverunt. Secundo sanguinis nobilitas, quia à Priamo rege Troianorum, & successivè à Carolo, & aliis regibus tam inclitis descenderunt. Tertio pacis & concordiæ unitas; quæ potissime vigent in regno Franciæ. Quarto Prælatorum solemnitas. Quinto Baronum, & aliorum subditorum ad obediendum voluntas. Si ergo Prælati regni non haberent istud ius, sed tolleretur ab eis, tam perderet rex, & regnum unam de dictis nobilitatibus sive con-

ditionibus,

ditionibus, per quam multum nobilitatur, scilicet Prælatorum solemnitatem. Tunc enim non essent solemniores, sed pauperiores, & miseriores omnibus aliis, cum in hoc consistat magna pars emolumentorum suorum. Concludo ergo tanquam probatum de iure divino, naturalique, canonico & civili, & consuetudine, atque privilegio, quod ius cognoscendi de talibus temporalibus Ecclesiæ competere potest, & competit Ecclesiæ gallicanæ. Ex quibus reduco thema domini Petri contra eum: sic suppono tamen primo tanquam clarum, quod ea quæ sunt oblata Ecclesiæ, & iam in dominium, & proprietatem Ecclesiæ conversa Dei sunt, imo & intantum quod dedicata, sanctificata dicuntur, ut satis apparet per totum librum Levitici. Et satis etiam apparet per hoc quod scribitur, de panibus oblatis Deo, unde dicitur ibi, non habeo panes laicos ad manducandum, sed tantum panem sanctum. Unde de illis panibus non licebat laicis comedere, nisi in tempore necessitatis extremæ. Patet etiam istud clare ubi legitur pro eo quod Balthasar rex, & optimates, & uxor eius biberunt in vasis aureis, & argenteis, quæ Nabuchodonosor asportavit de templo, quod est in Ierusalem, apparuit manus scribentis in pariete, ma Thesciphares, quod est dictum sicut apparet ibidem quod Deus numeraverat regnum suum, & compleverat, quod appensus erat in statera, inventus minus habens, & quod divisum erat regnum suum, & datum Medis, & Persis, unde eadem nocte interfectus est, & successit Darius Medis in regno, unde facta est tunc translatio Monarchiæ Assyriorum in Medos. Patet ergo quod quæ sunt oblata Ecclesiæ, Dei sunt, & à Deo dedicata, adeoque, quod non licet laicis eis uti, quod si faciant, habent ducere vindictam divinam, sicut habuit Balthasar. His ergo suppositis arguo ex themate domini Petri, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo. Sed ista iurisdictio, quæ est ut supra probant multipliciter in dominium & proprietatem Ecclesiæ gallicanæ conversa est iam Dei, ergo reddenda est sibi. Unde cuilibet volenti tollere, deberet dicere, & quilibet Prælatus bonus respondere, sicut respondit Ambrosius militibus Gothis missis ab imperatore. Respondit enim sic: Si quod meum est peteret imperator, non denegarem, quamvis omnia mea pauperum sint. Sed quia quæ Dei sunt postulat, in quibus Imperator potestatem non habet, potius volo ut me in carcerem mittat, & vitam mihi auferat, quam sibi concedam. Unde alludendo illi historiæ quæ habetur de Naboth subiunxit. Naboth sanctum virum possessorem vineæ suæ scimus interpellatum petitione regia, ut vineam suam daret. Cumque respondisset, non ego possum patrum meorum tradere hæreditatem, & sic regem contristatum esse. Et subdit. Si ille non tradidit vineam suam, non trademus sibi Ecclesiam Christi? Absit à me ut tradam Christi hæreditatem; non tradidit Naboth vineam, nec ego tradam eam, quæ Christi est, Ecclesiam. Et subdit optimum verbum, templo Dei nihil possum deserpere, nec tradere, cum istud custodiendum, non tradendum acceperim. Deinde consulere me oportet Imperatorem salutis, nec mihi expedit tradere, nec illi accipere, sicut istud l. 23. quæst. ult. c. conventor. Non est ergo Dei solum iurisdictio spiritualis, sicut supponebat dominus Petrus, sed etiam quæcumque iurisdictio, quæ Ecclesiæ competit, sive de iure, sive de consuetudine, sive de privilegio; intantum nobis non expedit eam tradere: nec regi pro certo recipere, sed dicebat dominus Petrus quod Christus ad dandum exemplum solverat tributum, hoc enim est falsum. Unde sicut apparet Gen. 41. Terra sacerdotum fuit libera, & immunis ab omni tributo, servitute præstanda, & si dominus Petrus bene inspexisset text. Matth. 17. Christus non soluit tributum, ad præstandum exemplum, imo prius probavit quod non tenebatur solvere. Concludendo ergo liberi sunt filij, &c. sed solum propter scandalum vitandum: vade ad mare, &c. sed forte diceret quia nos Ecclesiastici Christi exemplo, ad evitandum scandalum debemus solvere: Sed hoc non valet, quia duplex est scandalum, pusillorum, scilicet & Pharisæorum, propter scandalum pusillorum quod est ex ignorantia & non ex malitia, sunt aliqua evitanda ad tempus donec fuerint instructi, sicut dicit Apostolus Rom. 14. Sed propter scandalum Pharisæorum qui peccant ex certa malitia, non est aliquid omittendum, sicut ipse Christus dicentibus Apostolis, scis quod Pharisæi audito hoc verbo scandalisati sunt? respondet, sinite illos, cæci sunt & duces cæcorum: quia tempore Christi fuisset scandalum pusillorum, & nunc esset scandalum Pharisæorum, ideo tunc fuit solvendum propter scandalum vitandum, sed modo non. Patet ergo quod tertium signum timoris Dei est ex integra bonorum redditione. Unde de habente talem timorem, per quem reddit Deo quicquid suum est, dicitur Eccl. 10. Semen hominum honorabitur quod non præterit mandata Domini, &c. Et sic patet primum, scilicet quomodo debetur Deo timor filialis & obedientia propter celsitudinem & imperium suæ maiestatis, quia dictum est *Deum timete.*

Dico secundo, quod debetur Regi honor specialis, & reverentia propter magnitudinem, & fastigium suæ dignitatis, quia sequitur in themate *Regem honorate*, & Eccl. 10. In medio fratrum, rector illorum in honore. Et videtur mihi ad præsens, quod est duplex honor: unus verbalis qui est adulativus & periculosus, de quo dicitur Matth. 7. Populus iste labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me. Alius est honor realis, qui est debitus, & virtuosus, & de isto non de primo dicitur, *Regem honorate.* Et videtur mihi quod ille de facto, & realiter, & virtuose honorificat regem, qui vult ei servare illa per quæ eius dominium diligitur & eius potestas & excellentia non diminuitur, & eius fama custoditur ne perdatur & eius conscientia non læditur, in Gallico. *Ce parquoy sa seigneurie est aymée, sa puissance n'est appetissée, sa renommée est gardée, & sa conscience n'est pas blessée:* & è contra, ille non honorificat regem, qui suadet sibi opposita istis quatuor. Dico ergo primo quod ille honorificat regem facto, qui suadet sibi illud propter quod eius dominium diligitur: Princeps enim debet studere potius diligi quam timeri. Thesaurus enim nobilior quem possit habere Princeps, est habere corda subditorum, sicut dicit Seneca de clementia ad Neronem: Inexpugnabile munimentum amor civium, quid enim optabilius, & pulchrius est, quam vivere optantibus cunctis? Modo videtur mihi quod nulla res facit tantum diligi Principem, quantum servare & augere libertates subditis consuetas, & non inducere novitates. Ideo cuilibet Regenti dicitur, Prov. 22. quod dominus Petrus pro se allegabat, sed ego reduco contra eum: *transgrederis terminos antiquos quos posuerunt Patres tui:* Novitas enim parit discordiam; & ideo in rebus novis constituendis, evidens debet esse utilitas, vel urgens necessitas. Et ideo si Princeps vult libertates per suos prædecessores concessas tollere; eius dominium non diligitur, sicut patet de Roboam 3. Reg. 12. ca. Et apparet in Chronicis, ex hoc multa dominia & regna translata de gente in gentem, & de regno ad populum alterum. Modo certum est, quod prædecessores vestri Carolus magnus, sanctus Ludovicus, Philippus & filij eius, & plures alij istam Ecclesiæ libertatem confirmaverunt: modo ergo consulere vel requirere, quod vos tollatis aliquid Ecclesiæ; est consulere, quod vos tollatis, seu quod tollatur à vobis aliquid propter quod dominium vestrum diligitur. Et ideo nobis videtur consulere illud 1. Mach. 2. cap. *Mementote operum patrum quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam & nomen æternum.* Nota, hic quomodo Rex Philippus avus sancti Ludovici fovebat & nutriebat in regno suo sanctum Thomam Cantuariens. Archiepiscopum, qui pro libertatibus Ecclesiæ defendendis fuerat de regno Angliæ bannitus:

quanto

1. Reg. 21 — Dan. 5. — Gen. 41. — Mat. 17. — Scandalū duplex. — Rom. 14. Mat. 16. — Eccl. 10. — Ibidem. Honor duplex. — Principis thesaurus. — Prov. 22. — Vectigalium novorum instituendorum modus. 3. Reg. 12 — 1 Mach. 2. 53. — D. Tho. Cantuar. exul in Gallia.

A

quanto ergo magis decet vos defédere Prælatos vestros in libertatibus suis, per prædecessores vestros confirmatis? quia sicut dicit Greg. & habetur, 25. 42. *ca. si ea.* Si ea destruerem quæ prædecessores, & antecessores, & mei statuerunt, non essem constructor, sed euersor esse iustè comprobarer, testante veritatis voce quæ ait: Omne regnum in se diuisum desolabitur, & omnis scientia & lex aduersum se diuisa destruetur. Et alibi dicit ideo: Nimis est asperum, & præcipue bonis moribus inimicum, quempiam quacumque rationis excusatione, quæ bene sunt ordinata rescindere exemplo docere cæteros, sua quandoque posse constituta dissoluere.

Nota hic de castro dato sancto Remigio pro Ecclesia Laudunensi per Clodoueum regem, quod postea Pipinus rex voluit detrahere facta recompensatione Ecclesiæ: cui dormienti apparuit beatus Remigius, & eum super hoc grauiter increpauit dicens: Melior te mihi dedit, & tu vis auferre? Et ideo percussit eum; qui in crastinum inuentus est totus denigratus. Et ex tunc reges Franciæ non fuerunt ausi in illo castro iacère. Non honorificat ergo Regem, facto; qui consulit sibi quod transgrediatur terminos antiquos quos posuerunt patres sui, imo rex deberet eis dicere illud Ioann. 8. *Ego honorifico patrem meum*; seruando scilicet Ecclesiæ libertates, sicut ipsi fecerunt & concesserunt: *Vos autem inhonorastis me*, contrarium consulendo, quia scribitur. *Gloria hominis ex honore patris sui, & dedecus filij, pater sine honore*: sic qui suadet sibi illud, per quod sua potestas & excellentia non diminuitur eius honorat: multo n enim decet honorem suum augere potentiâ, & multum indecet eum diminuere: vnde Imperatores consueuerunt se vocare augustos, quasi rempub. augentes. Dicere autem quod vos aut prædecessores vestri non potuistis hæc concedere Ecclesiæ, videtur esse valde in diminutionem vestræ potentiæ & excellentiæ. Vos enim, præclarissime domine, qui ita pinguè ius habetis in regno Franciæ quod non solum electione, sed mere hæreditario possidetis, & ad posteritatem transmittitis, quod non possitis istud concedere, videtur quam plurimum vestræ potentiæ derogare, imo in tantum quod si esset verum, quod absit, sequeretur prædecessores vestros in peccato continue fuisse. Imo quod impium est dicere, beatum Ludouicum, per quem tota Francia illustratur, non iustè canonizatum. Si enim sicut proponens dicebat, iuravit non alienare, & alienata reuocare, & istud esse inseparabile à corona, sequitur quod deierasset: & per consequens, mortaliter peccasset, & ita canonizari non potuisset, quod est nefarium dicere. Et si dicatur quod potuit pœnitere, cito potest responderi, quod peccatum legitur, sed pœnitentia non inuenitur, sicut de Salomone, quinimò si esset verum quod dicit, sequeretur quod nihil possetis dare, neque comitatum, neque castrum, neque villam: & tamen pares sunt qui non libenter reciperent, non obstante iuramento fidelitatis, in quo vobis tenentur. Conseruet ergo & confirmet nobis vestra magnificentia regalia, quod per tam inclitos progenitores vestros concessum est: alioquin honor vestræ excellentiæ minor seruaretur, ut dicatis illud Rom 3. *Ministerium meum honorificabo.* Dico tertio, quod ille honorificat regem facto, qui ei suadet illud per quod sua fama custoditur nec perditur. Inter cætera enim de quibus debet quilibet curare. est fama post conscientiam, quia, *Melius est nomen quam diuitiæ multæ, super argentum enim & aurum, gratia bona.* Et B. August. dicit: duo sunt tibi necessaria, conscientia & fama: conscientia propter Deum, & fama propter proximum. Et ideo. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi quam mille thesauri magni & preciosi.* Istud autem nomen; Domine qui vos vnxit oleo lætitiæ præ cunctis Principibus vestris, vobis dedit in tam modico tempore, quod quasi miraculosum videtur. Et ideo summopere habetis curare quod istud permaneat, quia *non minor est virtus quam quærere, parta tueri*, ut non solum in vitam, sed etiam post mortem istud nomen permaneat gloriosum, ne aliquid fiat per vos per quod in tanto nomine macula inueniatur, sed de vobis dicatur illud, Prouerbiorum; *memoria iusti cum laudibus.* Attendat ergo regia celsitudo, si temporibus vestris libertas Ecclesiastica tollatur (quod absit) vel in aliquo diminuetur, si in vestro glorioso nomine aliqua macula se ingereret, quàm multi essent qui hoc in Chronica redigerent! Vnde, Christianissime Domine; si qui non superabant aliam vitam, tamen propter famam quæ remanebat apud homines, adeo virtuosè viuebant: quid nos Christiani qui speramus vitam æternam, ad memoriam perpetuam facere debemus? Aduertat etiam dominatio vestra, si posset esse dignioris nominis, cum Reges Franciæ semper fuerint Christianissimi, Deo & Ecclesiæ deuoti. & semper dederint exemplum aliis Principibus, dotandi & augendi Ecclesias & libertates earum: si tunc (quod absit.) quando Ecclesia est in magna persecutione in aliquibus locis; vos daretis exemplum reuocandi dona facta per prædecessores eorum, Ecclesiæ. Eadem enim ratione posset aliquis Imperator, reuocare omnia quæ data fuerunt Ecclesiæ per Constantinum Imperatorem; & etiam alij Reges, data Ecclesiæ per eos in regnis suis. Absit autem quod vos detis tale exemplum; quoniam pro certo plus vellem mortuus esse quam vobis consuluissem quod super re tam perniciosâ præbuissetis exemplum; specialiter cum prædecessores vestri Reges Franciæ, contra volentes tollere libertates, se pro Ecclesia opposuerint defensores. Hoc enim est regum officium, ut dicit Hieronimus super Hieremiam, & habetur 23. q. 5. *c. Regum.* Cognoscant principes sæculi, se Deo reddituros rationem propter Ecclesiam Christi quam tuendam susceperunt. Et nota hic aliqua exempla, quomodo hoc seruauerunt Reges Franciæ. Exemplo ergo eorum, seruetis & vos, & augeatis. Tunc autem de vobis dici poterit illud Ecclesiast. 37. sapiens in populo hæreditabit honorem, & Eccles. 3. Sicut qui thesaurisat, ita qui honorificat matrem. Dico quarto quod ille honorificat Regem facto, qui ei suadet illud propter quod conscientia sua non læditur. Super omnia enim Christianus quilibet debet aduertere, ne faciat illud per quod conscientia sua lædatur, quoniam anima plus est quam esca, Matt. 6. Et certe credo firmiter quod pro toto mundo nolletis aliquid facere scienter, de quo conscientia vestra esset læsa: & meritò, quanto enim Deus vos magis quasi miraculosè ad Regem vocauit, & vobis plures gratias fecit: tanto plus debetis & habetis cauere ne eum offendatis, quia dubitandum esset quin contra vos acrius indignaretur, sicut fecit contra Saul.

Modo præclarissime attendatis, si vos in coronatione vestra iurastis ista, & non plura: scilicet quod Episcopis, & Ecclesiæ, & eis commissis Canonicum priuilegium, & debitam legem, & iustitiam seruaretis & defensionem, quantum possetis, exhiberetis. Item quod vestro arbitrio omnis populus Christianus veram pacem Dei, & Ecclesiæ suæ omni tempore seruaret. Item quod omnes rapacitates, & omnes iniquitates omnibus gentibus interdiceretis. Item quod in omnibus iudiciis, æquitatem, & misericordiam præciperetis. Item quod de tota terra & iurisdictione vestra hæreticos ab Ecclesiis denotatos, pro viribus bona fide exterminari studebitis. Ista iurastis & non plura, salua reuerentia domini Petri qui vos adhuc vnum al id iurare dicebat. Cum ergo sit priuilegium Ecclesiæ canonis incorporatum 5. q. 1. *C. quicumque*, & sit etiam de consuetudine introductum (quæ consuetudo est canonica) quod Ecclesia possit cognoscere inter laicos, in multis casibus contra quos sunt articuli præfati: si illud non seruaretur Ecclesiæ, sic posset in aliquo conscientia vestra lædi. Item si debetis pro posse facere quod omnis populus Christianus veram pacem Ecclesiæ Dei, omni tempore seruet: multo

Marginalia (left): B — Pipini regn. finium. — Ioan. 8. — Eccl. 3. — G — D — Rom. 3. — Prou. 22. — Eccl. 41.

Marginalia (right): E — Prou. 10. — Reges Franciæ semper fuerunt Christiani. — F — Eccl. 37. Eccl. 3. — G — Matt. 6. — 1 Reg. 15. Iuramē. in Regū Gallorū in sua coronatione. — H

to

to fortius habetis hoc procurare de Baronibus qui semper fuerunt unum & idem omni Ecclesia. Semper enim ubi fuit Ecclesia in honore, ibi viguit Baronum & militum strenuitas; quorum officium est Ecclesiam defensare, sicut Ecclesiæ est pro eis orare, & inde sacrificium pro eis Deo offerre. Et ad hoc multum conatus est. B. Ludovicus suo tempore: quia cum maiores Barones totius regni se confederassent ad tollendam istam Ecclesiæ libertatem; & ordinassent adhuc dare centesimam bonorum suorum: ipse nunquam eis adhæsit, sed potius eos ab istis compescuit, & finaliter hanc libertatem Ecclesiæ confirmavit. Nota hic quomodo Innocentius Papa tunc contra illos Barones processit, &c. Et bene audeo dicere, quod si inter Prælatos & Barones esset dissentio, dubitasem quin cito populus vellet dominium usurpare, & sicut patuit de facto in multis locis, & de facto quilibet nostrum potuit videre: quia cum aliqui incitassent populum contra curiam Ecclesiasticam in aliqua parte Campaniæ, & Burgundiæ; in tantum quod inimicus populus, quasi in qualibet villa fecerat Regem, qui portantes citationes verberari faciebat; & Papam qui absolvebat: statim idem populus contra dominos temporales insurrexit, & idem in eos faciebat, quousque per potestatem Regis multi fuerunt suspensi: & scandalum illud fuit sedatum hoc tempore Ludovici Regis ultimi. Et vere nobiles non deberent conqueri de his quæ habet Ecclesia, quoniam pauci sunt qui non habeant fratres aut propinquos qui vivunt de bonis Ecclesiæ: qui si dividerent cum eis hæreditatem, paulatim redigerent ad nihilum. Advertant etiam Barones, quod pauci sunt qui non sint fideles Ecclesiæ, Ecclesia autem una est. Cant.6. una columba mea. Sic nec absque periculo transgressionis possens laudari cum tales Ecclesiæ libertates tollerentur. Ut ergo vestra conscientia immaculata remaneat, placeat vestræ celsitudini, privilegium istud iustum & canonicum confirmare, & attentata si quæ sint, per proclamationes, vel aliâs revocare, & matrem vestram Ecclesiam Gallicanam in suis franchisiis, libertatibus, & consuetudinibus conservare, ut per vos in omnibus honorificetur Deus, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen. Et ipse vos honorificet, qui dicit 1. Reg. 2. Quicumque honorificabit me, glorificabo eum in gloria, in qua est verus honor, qui nulli conceditur indigno, imo ad quem nullus admittetur nisi dignus, sicut dicit Beatus Augustinus: quem honorem nobis & vobis concedat, qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen. Et quia multi articuli proponebantur, quorum aliqui totam iurisdictionem Ecclesiasticam enervarunt: Idcirco eos volumus defendere & tueri cum scriptum sit: usque ad mortem certa pro iustitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. Aliqui alij sunt, qui continent solum abusum, quem non credimus per gentes nostras fieri: & si fierent, nollemus aliqualiter tolerare eosdem, & ideo propter honorem Dei principaliter, & propter exonerationem conscientiarum nostrarum, & propter Regis reverentiam, & populi profectum & pacem, omnes hic simul congregati disposuimus tale remedium opponere, quod abusus prædicti sint, cessabunt ad pacem populi: Si qui & laudem Dei: cui est honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

Nobiles cum Ecclesiasticis dissensione sequitur populi seditio. — *Nota.* — *Cant.6.* — *1.Petr 4.* — *1.Reg 2.* — *Eccl.4.* — *Articulorum contra Ecclesiasticos propositorum à Petro de Cugneriis generalis Actio à pro Ecclesiastica libertate.*

Altera autem die veneris immediate subsequente, videlicet die 30. Decembris in palatio regali Parisius, convenerunt Prælati, & Rege ibidem more solito sedente, assistentibus sibi consiliariis suis & Baronibus, reverendus, pater dominus Petrus Bertrandi, divinâ providentiâ Eduensis Episcopus, locutus est in publico coram Rege, facto pro themate suo.

Ne indigneris Domine si loquar. Genes. 18.

Gen.18.

Quod thema applicuit ad hoc, quod propter regis magnificentiam, consilij sui prudentiam, & loquentis insufficientiam (cum magnum negotium esset) loqui formidabat: Sed de regia benignitate confisus audaciam assumebat, & quia fuerat sibi à Dominis Prælatis iniunctum. Deinde fecit thema suum tale.

Domine refugium factus es nobis.

Ps.89.

Et persecutus est thema, Regis magnificentiam commendando: deinde vocationem suam ad regnum Franciæ, quasi mirabilem declarando: tertio, quomodo debes esse pugil Ecclesiæ, ostendendo. Et ista probatur satis breviter per authoritates & rationes multas. Postmodum respondit ad ea quæ proposita fuerunt per dictum dominum Petrum de Cugneriis in modum infra scriptum, ad informandum conscientiam domini Regis, & ad præstandum consilium super prædictis duntaxat, & non ad finem ordinandi iudicij, seu responsionis faciendæ, per quam sententia, ordinatio, vel statutum aut quivis alius processus sequi possent, vel ius aliud personæ cuiuscunque acquiri. Primo, ad illud quod propositum est: Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo, Matt. 22. per quæ verba proponebatur ad Regem obedientia & subiectio, & spiritualium ac temporalium divisio: & primum membrum proponebatur per illud quod dicitur: Subiecti estote omni creaturæ. Rursus per verba quæ sunt *in c.solita: extra de ma. Et obe. & per capitulum. Novit, extra de ind. & c.de sacerdotibus* 10. *quæst.1, Cum ibi notatis*, ad illud quod dicitur de divisione, probatur quod temporalia debebant pertinere ad temporales & spirituales: tum quia Deus instituit duos gladios, unde dicit: Ecce duo gladij. Item Christus censum soluit ut denotaret quod temporalibus reddenda sunt temporalia 12.*quæst.*11.*c.si tributum & magnum* Præterea *l. imperatoris* cavetur ista divisio cum dicitur: magna enim à Deo collata sunt dona, sacerdotium, & imperium. Sacerdotium, ut divinis: imperium, ut humanis præesset. *in corpore Autent.quomodo oportet Episcopum, col.* 1. & dicebatur quod isti erant termini, qui non debebant aliqualiter immutari & *ff. decimo mo. leg* 1. *& ult.* Dicebatur etiam quod talia iura regia rex non poterat à se abdicare, cum essent iuria sui regalis: & iurasset in coronatione sua, iura regni non alienare, & alienata revocare: & quod talia erant impræscriptibilia. 11. *distin.cap. quæst.* & aliis pluribus. *l.eiusdem.* Ad prædicta respondetur sic: quod iurisdictio causarum civilium, de quibus agitur, pertinet ad Ecclesiam de iure divino, & humano. Et de iure divino probatur à tempore Adæ usque ad Christum, per ea quæ notantur per Innoc. *cap. licet, extra de fo.compe.* A tempore Christi fuit commissa Petro, & successoribus 12. *d. cap. omnes.* Et qualiter Ecclesia in terris catholicorum principum istud ius obtinuerit, & obtinet: probatur 2.q.5. *Si quis presbyter.*11. *relatum.* 25.*dist. ecce*, & istud ius confirmaverunt Imperatores in corpore Aut. *ut ff.3.paragr. si causam col.* 9.23.*q.ult.c.his:* & à quibus dicit etiam canon: & quod beatus Petrus præcipiebat omnes principes terræ, & cæteros homines Episcopis obedire *in c. omnes, extra de ma.& obe.* 16.*di. duo sunt.* quare concluditur quod non est facienda divisio, ut hæc Ecclesiis auferantur: & si in Tyrannorum regum terris status iste Ecclesiæ fuerit læsus, vel etiam violatus, in regno tamen Franciæ benedicto, usque ad hæc tempora, extitit observatus. *Extra de iudic. Novit.* Præterea leges Theodosij Imperatoris, & Caroli Magni, hanc iurisdictionem confirmarunt, *Extr. de iudiciis c.nonne all.* 11. *quicumque, & ca.fe. iurisdictio*, c.expresse cavetur, quod idem Carolus Rex Franciæ, & Imperator in Francia, specialiter hoc ius constituit.

Matt.22. — *1.Petr.4.* — *Luc.22.* — *Matt.27* — *Prov.13.* — *Mat.16.*

Item de consuetudine à tanto tempore observatâ, quod in contrarium memoria hominum non existit, horum iurisdictio pertinet ad Eccles. Gallicanam tempore omnium regum Christianorum; & sanctorum. Quis ergo videbit hanc consuetudinem violari, & non dicet sacrilegium est? 11.q.1.c.1.& 2.

Item non miretur regalis dignitas, si regno Franciæ

A nobiliori mundi, hæc prærogativa Ecclesiis debeatur: in hoc enim sua potentia & nobilitas decoratur, in corpore, *Auth. ut iudi. sine quocumque suffra. §. in prin. col.* 2. Præterea dominus Rex in coronatione sua juravit ad sancta Dei Evangelia, privilegium canonicum servare Ecclesiæ: omnes etiam Barones, vel quasi sunt fideles Ecclesiæ, & juraverunt fidelitatem: sub qua fidelitate tenentur per juramentum jura ista servare Ecclesiæ. Cum igitur omne juramentum quod non tendit ad interitum salutis æternæ, sit servandum: istud quod est in favorem Ecclesiæ præstitutum multo fortiùs est servandum, *extra de iureiurando, c. si vero* 22. *q.* 4. *ult.*

Iuramēta servanda.

Item beatus Ludovicus, Carolus Magnus, & Philippus privilegia, & consuetudines, & libertates Ecclesiæ confirmaverunt, & Dominus Philippus Pulcher servavit, quare, &c. Et omnes isti in suis coronationibus juraverunt, ut supra. Quis ergo poterit isti Domino Regi, absque damnatione propria contrarium suadere, maxime in istis concessis & declaratis, & confirmatis Ecclesiæ, cui donare immensitas est mensura, *in Auth. de non alie. ac perm. re. c. si nimis, col.* 2. nec obstat quod dicitur, quod duo sunt gladij, &c. Et quod distinctum sit sacerdotium ab Imperio, quia verum est quod B sunt duo gladij. Sed istud dictum est Ecclesiæ: & verum est quod jus, & potestas istorum duorum gladiorum est penes Ecclesiam: licet executio gladij materialis sit penes temporales, vel sæculares, & hoc est quod dicit Dominus, converte gladium tuum in locum suum. Et quod dicitur, distinctum est sacerdotium & imperium; verum est ex parte finis, & quantum ad executionem sanguinis, & non ex parte principij seu subjecti: quia in eodem subjecto sunt, & esse possunt: imò dicuntur esse ut superius est probatum. Ad illud quod dicitur quod Christus solvit tributum, respondetur, quod non, ideo quod deberet solvere, quia certum est quod filij Regis non debebant, qualis ipse erat: sed propter scandalum hoc fecit, imò etiam ne clerici ad hoc tenerentur dixit. Vndè talia non sunt ad consequentiam trahenda. Nec obstat de immutatione terminorum, quia dictum est quod hæc allegatio sit pro Ecclesia, cum ista ad Ecclesiam pertineant sicut dictum est. Nec obstat quod Dominus Rex non potest illa jura abdicare à se, maxime cum hoc juraverit in coronatione sua, &c. Respondetur quod imò potest totum, quia non abdicat se, cum Deo & Ecclesiæ dat: quia dictum est, Domini est terra. Tale enim dare, nihil aliud est nisi reddere Deo & Ecclesiæ quod suum est: quia sic sequeretur quod donatio Imperij Ecclesiæ à Constantino, non teneret: quod falsum est. Et hoc probatur, 16. *dist. Constans.* Præterea Imperator, vel Rex potest alienare res imperij, *ff. de leg.* 1. *l. apud Iulianum, §. ult.* nec per hoc læditur Imperium, vel Regnum, eo quod res redit ad statum suum pristinum, *ff. de pactis, l. unus, §. pactus* 35. *di. ab exordio.* Præterea ista ratio proposita damnaret omnes Reges Franciæ qui fuerunt, & specialiter B. Ludovicum: quia si verum esset, quod absit, omnes essent mortui in peccato mortali, & perjuri, quod nefas est dicere. Nec obstat quod impræscriptibilia sunt talia: verum est enim ab alio quam ab Ecclesia: vel aliter, quia à subjectis non possent præscribi, sed à non subditis: sic præterea, ex quo potest alienari, potest præscribi: maxime de consensu Regum qui hoc confirmaverunt: & à tanto tempore quod jus excludit, & fiscale, & Ecclesiæ. Concluditur ergo, quod omnes Prælati asserunt prædicta esse vera & tenenda, & supplicant Domino Regi pro salute animæ suæ, & pace Ecclesiæ servanda: quod nihil immutet, sed prout prædecessores sui tenuerunt Ecclesiam, ipse teneat, & libertates Ecclesiæ servet, & consideret quanta bona spiritualia habet quotidie ab Ecclesia, quod nunquam sibi defuit Ecclesia Gallicana cum opus fuit, etiam in auxilio temporali. Et consideret qualiter Dominus noster Papa, qui nunc est, diligit & dilexit Regnum Franciæ, & personam Domini Regis, ita quod nunquam fuit in sede Petri qui Regnum plus se dilexerit. Deinde præfatus Dominus Eduen. conclusit ad finem prædictum: videlicet quod ad informandum conscientiam Domini Regis, & ad præstandum consilium super petitis duntaxat, & non ad finem ordinandi judicij, seu responsionis faciendæ per quam ordinatio, vel statutum, vel quivis alius processus sequi posset, vel jus aliquod personæ cuicumque acquiri, & ad singulos articulos sic respondit & divisit in tres partes: quia quidam articuli tangebant jura Ecclesiæ: & quidam pertinebant ad Ecclesiam de jure & de consuetudine, & eis Ecclesia justè utebatur: quos erant parati defendere sicut B. Thomas Cantuariensis Episcopus, cujus festum celebratur, illa defenderat. Secunda pars articulorum continebat abusus & errores si veri essent, & illos nullo modo volebant defendere: imò providere ne talia fierent, & corrigere si quæ talia facta erant. Tertia pars continebat aliqua quæ poterant esse justa, & aliqua sinistra: quantum ad justa, respondit ut de contentis in prima parte: quantum ad injusta, ut de contentis in secunda. Omnes articuli contenti in 1. parte, significati in margine per A. articuli contenti in 2. parte, per B. articuli cōtenti in 3. parte. Deinde respōdit singulariter ad singulos, prout sequitur. Et primo:

Sacerdotium, & imperiū quomodo distincta sint. *Mat* 26.

C

D

Eccl 6.

E

Ad 1. Articulum qui loquitur de cognitione actionum realium, personalium, & mixtarum, & interdictorum: dicit Dominus Episcopus Eduens. quod cum de jure sit probatum superius in generali responsione, talium cognitionem ad Ecclesiam pertinere de jure, & posse pertinere de consuetudine, maxime in actionibus personalibus de jure. Et ad probandam istam rationem, allegavit, 63. *d. c. Valentinianus,* 11. *q.* 1. *quicumque, in auth. ut diffe. iudic. §. si vero, & §. si tamen, colla.* *extra de iudic. c. Novit,* 22. *d. c.* 1. 11. *q.* 1. *relatum* 2. *q.* 1. *Si quis Presbyter* 1. *d. consuetudine,* induxit etiam ad hoc probandum, privilegia, libertates, & confirmationes B. Ludovici, & omnium aliorum Regum prædecessorum istius.

F

Ad 2. articulum qui loquitur de clericis turbantibus possessiones laicorum, & de causa novitatis: dicit Episcopus prædictus quod ubi clericus impedimentum apponit vel violentiam, laïcus est actor, & clericus est reus: & cum de jure & consuetudine actor teneatur sequi forum rei, non est irrationabile, maxime in Ecclesiis quæ de consuetudine hoc habent, si de talibus Ecclesia cognitionem habeat. Alias enim sequeretur, quòd Iudices sæculares pro voluntate sua haberent cognitionem clericorum pro eo quod dicerent, hoc vel illud esse casum novitatis. Maxime quia in talibus impedimentis vel violentiis, habent locum interdicta quæ sunt personalia de jure, licet in rem videantur concepta, *ff. de interdictis, l.* 1. *§. ut quæ sunt personal.* quod superius est probatum. Et ad probandum prædicta allegavit, *Extr. de for. comp. c. si clericus,* 24. 3. & alia jura supradicta de consuetudine loquentia.

G

Ad tertium qui loquitur de actionibus personalibus inter duos laicos, & inter clericum actorem & laïcum reum, dixit idem Episcopus, quod de jure & consuetudine notoriis, cognitio talium actionum personalium pertinet ad Ecclesiam, secundum quod superius est probatum: quare dicebant multi super hoc injuriam fieri maxime ratione peccati quod committitur in retinendo illud quod tenetur quis ad solvendum vel restituendum. Et ad hoc probandum induxit jura super alleg. *Extr. de for. comp. cum sit generale.*

H

Ad quartum, qui loquitur de laïcis injuriam inferentibus in rebus hæreditariis clericorum, dicit quod tam de jure communi, quam consuetudine, clericus potest quoscumque injuriam sibi inferentes in hæreditate sua coram Iudice Ecclesiastico convenire, quia in hoc committitur sacrilegium, cujus ad Ecclesiam duntaxat debet cognitio pertinere. Et ad hoc probandum induxit, 23. *q.* 3. *c. Si quis,* & alia jura, quæ superius tam de consuetudine quam de jure fuerunt allegata.

Ad 5. qui loquitur de contractibus initia coram

Iudice sæculari, dicit, quod cum talium contractuum petitiones sint personales de jure, maxime ubi est transgressio juramenti, vel fides mentita, de quibus Ecclesia solum habet cognoscere, nulla fit injuria. Et licet ibi non esset juramenti vel fidei transgressio, adhuc ratione personalitatis potest ad Ecclesiam cognitio pertinere: & ad hanc responsionem probandam allegavit jura superius in articulis præcedentibus allegata.

Ad 6. qui loquitur de Conciliis Provincialibus & statutis Synodalibus, dicit idem Episcopus, pro sanctis & justis (vt quæ sancti Patres instituerunt) teneri, & quod Prælati nihil statuant ibi quod temporalitatem tangat (nisi quatenus commissarum sibi animarum tangit salutem) & jura & libertates Ecclesiarum esse servandas & eis licitum esse ea facere, & ad hoc probandum induxit, *in Auth. de sanctis Episcopis. f. ut autem, col 9. & in decretis, 18. di. per totum.*

Ad 7. qui loquitur de contractibus recipiendis per Notarios Ecclesiasticos in terris sæcularium, dicit quod tam de ratione naturali, quam de jure præscripto in terris dominorum temporalium, Ecclesia habebat jurisdictionem suam spiritualem, sicut Domini temporales suam temporalem: & nulli infertur injuria, si tales Notarij recipiant contractus illorum qui volunt se in foro Ecclesiæ obligare, hoc enim est pro communi & publica utilitate: quia multi magis eligunt vinculum Ecclesiæ, quam vinculum temporale: & antè dimitterent contractus facere sine quibus vivere non possent, quam se supponerent curiæ sæculari: & illud de consuetudine Notariorum est, & fuit semper observatum, & ad hoc probandum allegavit ille idem Episcopus, *Extra de of. or. cum Episcopus, l. 6 ff. de of proconsules, l.*

Ad 8. qui loquitur de Officialibus qui crimina imponunt laïcis, ut se redimant, &c. dicit idem quod nullus Prælatus, si sciret talia facere suum Officialem, aliqualiter sustineret, nisi esset de maleficiis quorum cognitio ad Ecclesiam pertinet, & correctio de consuetudine vel de jure, & etiam in casibus ubi recredentia fieri non deberet: & si quis esset qui in speciali vellet conqueri super istis erant parati (veritate prius inquisita) prout justitia esset, facere emendam & apponere remedium opportunum.

Ad 9. qui loquitur de Officialibus qui inquirunt super maleficiis, & ab innocentibus volunt habere expensas & emendas & si expensas reddere nolunt, succumbant in causa: dicit Episcopus, quod si Prælati scirent ista fieri per Officiales secundum quod in articulo proponuntur, nollent ista sustinere: sed ubi illi contra quos proceditur, petunt copiam processuum sibi fieri, tenetur petens eam solvere: & si super imposito sibi maleficio condemnetur, expensas restituere Promotori. Si vero per Iudicem absolvatur, & Promotor malitiose & per fraudem hoc false suggesserit contra ipsum, debent ei expresse restitui: sed ubi vere & ex officio proceditur, sive per famam publicam, sive ad denuntiationem alicujus, vel aliàs secundùm quod licitum est de jure, Iudex in hoc casu expensas cuiquam restituere non tenetur.

Ad 10. qui loquitur de sententiis excommunicationis quæ dantur pro sola una citatione: dicit idem Episcopus, quod nullo modo sententia excommunicationis debet ferri, nisi citatio vel monitio præcesserit sufficienter. Sed sæpe contigit quod propter periculum animarum aut corporum, aut quia est causa favorabilis vel propter alias causas justas, quæ continentur in jure, fit una citatio peremptoria, quæ valet tres: & tunc propter talem defectum, poterit licite sententia excommunicationis ferri.

Ad 11. qui loquitur de obligationibus *de Nisi*, dicit quod est secundum formam juris, & pro communi utilitate statutum, nec sequitur ex hoc inconveniens: maxime, quia in talibus nunquam fertur vel ferri debet sententia, nisi post sufficientem terminum de consensu contrahentium assignatum: & ad hoc probandum, induxit, *c. præterea, de App.*

Ad 12. qui loquitur de monitionibus quæ fiunt contra judices sæculares, ad compellendum excommunicatos per captionem bonorum, &c. dixit præfatus Episcopus, quod cum Ecclesia suo brachio spirituali contra tales procedendo, fecit quod potuit: tunc habet recurrere ad brachium sæculare: & hoc de jure divino & humano conceditur. Et si propter malitiam vel negligentiam, Dominus temporalis omittat sacræ super hoc monitioni parêre, & talem excommunicatum compellere, propter quod contingat debitorem amittere debitum in quod excommunicatus tenebatur eidem: non est inconveniens, si (sufficienti monitione prævia) per sententiam excommunicationis proceditur contra, si de damnis illatis non faciat satisfactionem competentem & condignam, in talibus enim de jure divino & humano brachium temporale spirituali debet obedire, maxime vbi quis in excommunicatione persistit vltra annum: de quo, in statu B. Ludovici mentio fit expressa.

Non absolvatur.

Ad 13. qui loquitur de expensis quas faciunt Iudices sæculares, veniendo ad excusandum se coram judicibus Ecclesiasticis, super compulsione excommunicatorum: dicit, quod postquam de jure & consuetudine tenentur in hoc Iudices sæculares Iudici Ecclesiastico obedire, debent cum expensis propriis ad se excusandum venire. Sed si talis monitio malitiose vel indebite ad suggestionem alicujus fuerit impetrata, talis suggerens, ad restitutionem expensarum tenetur. Expensæ vero quæ fuerunt in excommunicatione contra excommunicatum factæ per prædictos Iudices sæculares excommunicatus ipse debet ad restitutionem compelli.

Ad 14. qui loquitur de appellationibus quæ fiunt in curiis laïcorum ad Ecclesiasticos Iudices: dicit idem Episcopus, quod si in curia Prælatorum fiat processus aut detur judicium temporale, & super hujusmodi processu aut judicio appellatio ordinaria aut ratione falsi judicij vel aliàs sequeretur, debet talis appellatio remitti ad examen sui Iudicis temporalis, sed si laïcus non per viam jurisdictionis ordinariæ, sed quia vult, magis elegit Ecclesiasticam curiam quam temporalem (sicut de jure & consuetudine licitum sibi existit) tunc nullum inconveniens sequeretur, si Officialis ad quem veniret talis cognitio, tanquam Officialis & Iudex ordinarius cognitionem haberet: & sic à Remens. Laudunens. & multis aliis regni Franciæ Ecclesiis observatum probari potest per aliqua jura superius allegata.

Ad 15. qui loquitur de arrestis quæ fiunt in illis curiis quæ vtuntur lege, dicit, quod si talia fierent sicut in articulo continetur, nisi de consuetudine aliqua, Ecclesiæ hoc haberent: quæ consuetudo est observanda (maxime vbi tale fieret sub aliquo conductu curiæ & sine fraude quod arrestatus non esset alicujus Prælati clericus) nollent ea sustinere, ideo, &c.

Ad 16. qui loquitur de illis qui dicuntur Præpositi clericorum, dicit quod tam de ratione quam de jure & consuetudine, quilibet Prælatus in quacumque parte suæ Diœcesis potest habere Officiales suos & alias personas ad jurisdictionem Ecclesiasticam exercendam sive in civilibus sive in captionibus personarum Ecclesiasticarum, vel cognitione causarum quæ ad forum Ecclesiæ pertinent: & potest illam talibus quæ sibi videntur personis concedere potestatem, si tales, juxta commissionem sibi factam citationes faciant, aut personas Ecclesiasticas delinquentes capiant, sive cognitionem causarum assumant, seu aliàs quocumque modo Ecclesiasticam jurisdictionem exerceant, nulla fit injuria. Quilibet enim Dominus temporalis, vbicumque in terra sua potest habere Gentes & justitiarios suos, & eadem ratione spiritualis Iudex; scilicet si tales commissarij abusi fuerint in aliquo seu etiam abutantur, parati erant Prælati tales abusus corrigere, & apponere remedium opportunum: vel si alicubi sit talium commissariorum nimia multitudo, ipsi de sufficienti numero providebunt, Cæterum si tales

commissarij

commissarij juxta potestatem sibi commissam attestaverint in casu licito de jure bona mobilia clericorum, nullus laïcus habet super hoc materiam conquerendi. Nam bona mobilia sequuntur possidentem personam, tam de consuetudine quam de jure: Et hoc etiam in statutis Regni Franciæ continetur.

Ad 17. & 18 est responsum quia spiritualis jurisdictio clericorum, & bonorum suorum mobilium in quacumque parte diœcesis, pertinet ad Prælatos: Et ad ista probanda induxit, quod Samuel Iudex Israel, ibat & circuibat Bethel, Galgala, & Masphat, & adhuc etiam induxit, *Extra de off. ex c. cum Episcopus.*

1. Reg. 7.

Ad 19. qui loquitur de assecuramento quod petitur in curia Ecclesiastica, dixit dictus Episcopus, quod de jure & consuetudine, clericus potest malefactorem suum, vel illum à quo verisimiliter dubitat sibi injuriam irrogari, coram Ecclesiastico Iudice convenire, quia si per laïcum committeretur maleficium in personam clerici, Ecclesia tanquam de sacrilegio cognosceret super maleficio memorato: ergo faciliori ratione potest etiam providere dando assecuramenta, ne talia maleficia committantur, spec aliter in Ecclesiis, ubi hoc de consuetudine speciali habetur. Si autem hoc esset inter duos laïcos, debet consuetudo servari, quæ etiam in hoc concordat cum jure communi, per quod Ecclesiastici Iudices debent pacem apponere, & peccata vitare, quia melius est peccanti ante tempus occurrere, quam post culpam vindictam quærere. Et ad hoc probandum induxit jura superius allegata, & *Extr. de treug. & pac. per tot.*

Ad 20. qui loquitur de inventariis quæ fiunt de bonis laïcorum, dicit, quòd tam de jure sanctorum Patrū quam Imperatorum & Regū, quilibet Prælatus in sua diœcesi est executor legitimus testamentorum, maxime elapso termino expresso in jure. Quod si contigerit quod executio testamenti veniat ad Prælatum, non est inconveniens si ex quo ad eum pertinet principale, pertineat & accessorium, sive sit in inventariis sive in aliis faciendis, specialiter ubi de consuetudine observatur: alias enim posset non fieri executio testamenti, ad illa vero probanda induxit, *c. de sacros. Eccl. 1. & melius, C. de Episc. & cler. l. nulli, in Auth. de E cl. tit. §. si quis autem c. 9 extra de testamentis, c. tua, & c. nos quidem, & c. Ioannes, C. de fidei commissa.*

Eccl. 1.

Ad 21. qui loquitur de hypothecatiis actionibus, dicit idem Episcopus, quod hypothecaria procedat ex contractibus ubi sit juramentum vel fides interpositum, & fiat directe positio, sive petitio super re obligata: talis petitio plus est personalis quam realis, & in hoc casu nulla fiet injuria. Quantum ad hypothecarias quæ sunt reales, debet consuetudo servari: quod si nulla consuetudo fuerit super hoc, dicebat dictus Episcop. jus scriptum esse in talibus sequendum. Et ad hoc probandum allegavit, *C. de præscript. 30. vel 40. annor. l. cum notissimi, extra de jurejurando, si vero.*

Ad 22. qui loquitur de personis hospitalium, dixit, quod si tales personæ sint perpetuo donatæ hospitali, hujusmodi quidem facta sunt de foro Ecclesiæ, & talium cognitio pertinet ad Prælatos: De aliis vero quæ non essent talis conditionis, nisi jus, privilegium, vel consuetudo aliud daret Ecclesiis. Prælatos de hoc non velle se intromittere.

Ad 23. qui loquitur de tonsuris dandis indignis: dicit quod quando plures digni sunt in Dei servitio constituti, tanto melius potest divinum servitium celebrari. Et bene cavebunt domini Prælati, Deo ducente, quod non conferent personis insufficientibus, & indignis. Nullus Prælatus bonæ conscientiæ faceret ea quæ in dicto articulo continentur: & vere super hujusmodi tonsuris conferendis Domini temporales, plures & importunas requestas Prælatis facere consueverunt.

Indigni ad clericatum non promovendi.

Nota.

Ad 24. qui loquitur de viduis, pupillis, & intestatis: dicit idem Episcopus, quod de jure divino & humano, gardia talium personarum (quantum ad violentias & saisinas) pertinet ad Ecclesiam, & sic de consuetudine observatur in Ecclesiis Gallicanis: quantum vero ad bona intestatorum, & pupillorum id est viri quod in Ecclesiis ubi consuetudo est super hoc specialis, debet eadem consuetudo servari: ubi autem non esset, quantum tangit petitoriam cognitionem, Ecclesia nolebat se intromittere, nisi hoc haberet ex privilegio vel consuetudine speciali. Et ad hoc induxit, 24. *q. 3. c. Si quis de potentibus. extra de foro compet.*

Ecclesia est tutrix personarum indefensatum.

Ad 25. qui loquitur de impositionibus quas Officiales faciunt laïcis super fide, dicit quod hoc est irrationabile, si alicui tale crimen imponeretur malitiose, prout in articulo continetur: sed ubi aliquis habetur suspectus super articulis fidei, ad Ecclesiam in hoc casu debet cognitio pertinere, & per consequens, propter inquestam & alios processus faciendos, oportet Iudicem Ecclesiasticum de persona saisitum esse, & lata sententia, contra eam expediri brachio sæculari: quare in his nulla injuria irrogatur, maxime in locis ubi sic observatur a tanto tempore quod in contrarium hominum memoria non existit.

Ad 26. qui loquitur de Officialibus currentibus, dicit quod Prælati possunt habere in quacumque parte suæ diœcesis, tam de ratione, quam de jure scripto & consuetudine, Officiales suos secundùm quod superius est ostensum: quare nulli fit injuria.

Ad 27. de pœnis pecuniariis quas Officiales in suis monitionibus apponunt, dicit, quod licitum est eis tales pœnas apponere, tam de consuetudine quam de jure, quia ex quo licet apponere sententiam excommunicationis, quæ est major, licet apponere pœnam pecuniariam, quæ est minor. Item ex quo tali Iudici Ecclesiastico subditi existunt, & sic est eorum ordinarius, Iudex ipse potest in tali casu eis apponere pœnam pecuniariam vel aliam secundùm quod sibi videbitur expedire. Et ad hoc, jus divinum & humanum concordant. Ad hoc probandum allegavit, *de pœnis, c. Licet, de offic. ex c. dilectus, 2. q. 5. c. si vos, 22. q. 4. c. Quisque.* Deus etiam instituit pœnas tales aliquando, *Levit. 5. & 5. l. Exod. 23. c. Si quis furatus fuerit*, ad hoc facit, *2. q. 5. prodest.*

Ad 28. qui loquitur de laïcis qui vocantur ex officio ad ferendum testimonium, non solventur eis expensæ: dicunt, quod tales quotiescumque vocantur ad ferendum testimonium, tenentur venire, alias non possent excommunicari de jure: & quia veritatem celare est peccatum mortale, eis tamen dicunt expensas tradi, salvis consuetudinibus specialibus, vel ubi proceditur contra suspectos in fide, vel in aliis casibus specialibus, vel nisi aliquod jus consuetudo conferret.

Ad 29. qui loquitur de rebus furatis à clerico, dicit, quod cum ad Ecclesiam solùm pertineat cognoscere de clericis, laïci non possunt nec debent se intromittere de rebus furatis, quia cum pertinet accessorium, ad quem principale: sic enim laïci haberent indirecte cognitionem clericorum: & quod multi possent fingere notorium, quod non esset. Et ad hoc probandum induxit: *Extr. de dote post divortium restit. c. de pruden. extra de reg. jur. causa principalis, lib. 6.*

Ad 30. de clericis non conjugatis, captis in habitu laïcali: dicit quod tales pro eo quod non deferunt tonsuram, vel habitum clericis congruentem non amittunt privilegium clericale, unde si sit notorium Iudici Ecclesiastico talem esse clericum vel fama sit publica super hoc, idem Iudex, sine cujuscumque injuria potest ad restitutionem talis clerici justitiam compellere sæcularem: Sed si dubium esset, talem clericum esse vel non, & captus fuisset in habitu laïcali, ad Ecclesiam pertinet cognitio, & detentio ad Iudicem sæcularem, secundùm quod jura dicunt, *extra de sent. 110 si Iudex laicus lib. 6. C. de fabric. l. fin. C. de aquaduc. l. ult.*

Ad 31. qui loquitur de clericis captis per laïcos, & redditis Officialibus, qui citò expediuntur, dicit quod male fit, si maleficia eis opposita notoria sunt: Sed communiter accidit, quod cum laïci accipiunt

quendam clericum, (licet non sit eis licitum de jure,) postquam ipsi Iudici Ecclesiastico reddiderunt, de nullo maleficio dictum Iudicem Ecclesiasticum informabunt: propter quod, cum causam rationalem detentionis non receperit Iudex, non potest eum in bona conscientia detinere.

Ad 32. qui loquitur de monitionibus quæ dantur contra spoliantes, & juramenta quæ exiguntur: dicit idem Episcopus, quod tales monitiones non conceduntur communiter per Iudices Ecclesiasticos, nisi super factis notoriis, vel in casu ubi illi contra quos tales monitiones dantur, essent super aliquo crimine diffamati. Vnde quoties Iudices memorati aut eorum commissarij talibus sic diffamatis injungunt quod satisfaciant, aut veniant se per juramentum suum coram eis, super impositis sibi maleficiis purgaturi: & ipsi non obediunt Iudicibus aut eorum commissariis in prædictis, nec allegant causam rationabilem, quare ad hoc minime teneantur: tales sunt de jure convicti, quare nulla fit eis injuria, maxime quia causa spoliationis probata debet juramento actoris super prædictis fides plena adhiberi.

Ad 33. qui loquitur de captionibus clericorum, dicit sicut ad 30. superius jam dictum.

Ad 34. qui loquitur de clericis malefacientibus, quos Officiales Prælatorũ de facili expediunt pro pœnis pecuniariis: dixit quod hoc esset irrationabile, ubi maleficium esset notorium vel manifestum, & tale vel tantum propter quod perpetua pœna ei deberet imponi: si vero pœna pecuniaria tale crimen transiret, sed nullum est inconveniens, si pro causa justa, dicti Officiales pœnam corporalem in pecuniariam convertant, quia hoc etiam volunt jura tam canonica quam civilia.

Ad 35. qui loquitur de clericis conjugatis: dicit, quod si clericus conjugatus deferat tonsuram & vestes clericales, & in tali habitu capiatur per Iudicem sæcularem, cum de jure & consuetudine notoriia, tales clerici (quantum ad delicta) sint de foro Ecclesiæ, Officiales prædicti nullam faciunt injuriam dominis temporalibus, si compellant eos per sententias excommunicationis vel alias, ad abstinendum à cognitione talium delictorum, quia quocumque modo delinquatur, cognitio pertinet ad Prælatos: & laïci offendunt, exactionem seu pœnam pecuniarum à talibus exigendo. De illis autem clericis conjugatis, dixit idem Episcopus, quod in nullo casu cognitio eorum pertinet ad laïcos, secundum quod jura declarant: salva consuetudine speciali in pluribus Ecclesiis Regni Franciæ existente.

Ad 36. qui loquitur de assecuramentis laïcorum, & inhibitione quam faciunt Officiales pendente citatione assecuramenti, dicit, quod si tale fieret pro laïco contra laïcum maxime ubi Ecclesia hoc haberet de consuetudine speciali: nulla fieret injuria, si Ecclesia prohiberet sub pœna excommunicationis, ne pendente citatione faceret eum coram Iudice conveniri, quia posset alias magnum scandalum oriri.

Ad 37. qui loquitur de citationibus quæ fiunt contra participantes cum excommunicatis: dicit, quod erat intentio nostra Prælatorum, quod ea quæ continentur in articulo prout sunt proposita, Ecclesia instituerit: nec credunt quod Officiales eo modo procedant: maxime quia aliqui Prælati in suis diœcesibus statuta ediderunt, per quæ talia fieri prohibentur. Et alij qui nondum fecerant, erant super his parati pro tempore salubriter providere: bene enim debet de jure, participatio cum excommunicatis, absque tamen populi gravamine per Iudices Ecclesiasticos puniri & prohiberi: ideo, &c.

Ad 38. qui loquitur de impositionibus quas faciunt Officiales laïcis, super vsuratis, dicit quod si in his, Officiales eorum aliàs quam secundum formam juris procederent, vel pro exactione injusta à talibus exigenda, maxime ubi persona contra quam proceditur non esset diffamata: nullus Prælatus vellet quoquomodo talia sustinere. Et si quis in speciali vellet conqueri super istis, ipsi erunt parati quod actum esset, facere juste & debite emendari.

Ad 39. qui loquitur de adulteriis, quæ laïcis per Officiales imponuntur, dicit, quod nunquam talia faciunt prout loquitur articulus memoratus, nec fieri debent talia, nisi super factis notoriis vel manifestis: aut ubi tales contra quos procederent essent publice diffamati, seu in aliis casibus à jure permissis: & nihilominus parati erant Prælati præcipere suis, quod aliàs in talibus nullo modo procedant.

Ad 40 qui loquitur de multitudine procuratorum & de abusionibus quas faciunt: dicit quantum ad multitudinẽ, quod quilibet Prælatus in sua diœcesi debite providebit: quantũ ad abusus, dicit, quod nullo modo tales abusus fieri permittent, quinimo illos qui abusi fuerint (cum ad eorum notitiam pervenerit) juste punirent, secundum quod alias ad eorum quemlibet pertinebit.

Ad 41. qui loquitur de abusibus Religiosorum in citationibus, dicit quod valde displicet Prælatis, si Religiosi prædicti faciunt aliquid indebitum vel injustum, & quod libenter apponerent remedium in subditis suis quilibet, prout ad eum pertinebit.

Ad 42. qui loquitur de uxoribus clericorum conjugatorum: dicit dictus Episcopus quod in locis vbi de consuetudine speciali vxor clerici esset de foro Ecclesiæ, quia etiam ad hoc, jus Imperatoris concordat, nulla fit injuria, si cognitionem ipsarum mulierum Ecclesia retinet. Quantum ad cognitionẽ injuriarum interẽ laïcos, quædam emendæ pro injuria petuntur per viam actionis personalis, ut in 3. art. superius est responsum, & ad promissa probanda inducit, *ff. de iurisd. l. Presb. C. de interdictis, l. vlt. ff. ad inimic. l. ea quæ. C. de epis. & cle. l. 4.* ideo, &c.

Ad 41 qui loquitur de viduis trahentibus debitores suos ad curiam Ecclesiasticam, dicit quod Prælati non intendebant sustinere dictum articulum, prout jacet, nisi de consuetudine speciali aut privilegio fuisset aliquibus Ecclesiis jus aliud acquisitum.

Ad 44. qui loquitur de appellationibus volagiis, dicit sicut ad 41. articulum.

Ad 45. qui loquitur de captis in delicto clericis, & laïcis, dicit, quod si sint laïci qui capiantur in tali delicto, tales appellationes de quibus ibi fit mentio, non essent per Ecclesiam admittendæ, nisi de consuetudine, vel privilegio aliquibus Ecclesiis esset in hoc, aliquod jus acquisitum. Sed si in delicto hujusmodi clericus caperetur per justitiam sæcularem, quia ad nullum potest præterquam ad Ecclesiam ejus captio pertinere, Officiales possunt, imò debent procedere contra justitiam sæcularem, aliàs perderetur privilegium: nec possunt etiam tales captiones fieri absque sententia excommunicationis, à canone propter hoc incurrenda.

Ad 46. qui loquitur de impositionibus, quas Officiales faciunt laïcis, super vsuris & arrestis corporum, dicit præfatus Episcopus, quod si talia fierent prout in articulo proponuntur, male fierent, & Prælatis displiceret: Et si esset qui in speciali vellet eos informare super his, erant parati male acta facere corrigi & emendari, quantum ad eos pertinet. Sed ubi laïcus esset super usura diffamatus publice, Officialis potest & debet ad inquisitionem contra talem procedere. Et si requisitus coram dicto Officiali, contumaciter neglexerit ad oppositum respondere: potest Officialis donec sufficienter responderit, per arrestum corporis procedere contra ipsum. Sed post responsionem factam, debet fieri recredentia corporis, nisi alia causa subsit rationabilis quare deberet vlterius detineri.

Ad 47. qui loquitur de captionibus clericorum in terris Baronum, dicit quod de jure divino & humano, licitum est Prælatis & eorum Iudicibus capere clericos ubique, quia secundum quod dictum est superius, non est dare locum, vbi non sit jurisdictio spiritualis sicut temporalis: vnde talis captio clericorũ quæ est spiritualis & de foro Ecclesiastico, potest & debet fieri per Iudicẽ Ecclesiasticum, & non per alium

quem

quemcunque. Et nisi ita fieret quod capi possent clerici per Iudices Ecclesiasticos ubique, sæpissime delicta clericorum remanerent impunita, cum per laïcos non possint capi absque sententia excommunicationis à canone incurrenda propter hoc.

Ad 48. qui loquitur de laïcis capientibus clericos, qui excommunicantur, dicit quod nulli Domino vel Iudici sæculari licitum est in quocunque casu clericos capere: quare si tales capientes clericos declarentur per Iudices Ecclesiasticos, sententiam excommunicationis incurrere, nulla fit injuria. Et contra illos specialiter dicebat dominus Episcopus gravius esse procedendum, qui clericos, & Presbyteros capiunt indifferenter, malitiose ac in Ecclesiæ contumeliam & contemptum.

Ad 49. qui loquitur de tonsuris quæ conferuntur indignis dicit, quod si ita fieret sicut in articulo continetur, non esset utique sustinendum: nec aliquis Prælatus vellet facere quæ proponuntur ibidem: in quacunque vero ætate potest Prælatus personis literatis, omni fraude & impedimento canonico cessantibus, tonsuras conferre. Sed qui hunc articulum fecerunt, debebant Prælatum qui talia fecit nominatum exprimere, & si qui forsan fecissent (quod absit) non debebat imponi omnibus Prælatis.

Ad 50. qui loquitur de pœnis pecuniariis quæ exiguntur ab excommunicatis, dicit, quod cum sententia excommunicationis fertur propter peccatum mortale, oportet quod excommunicato (si petat absolvi) injungatur pœnitentia & pœna pro peccato, quia non remittitur peccatum nisi Deo & Ecclesiæ fiat satisfactio condigna. Vnde ante quam absolvi mereatur talis excommunicatus, debet satisfacere pœnâ corporali aut pecuniariâ. Et hoc in foro pœnitentiæ observatur specialiter, quia in quibusdam locis sunt emendæ taxatæ, & in aliis sunt emendæ arbitrariæ, ideo, &c.

Ad 51. qui loquitur de hæreditariis contentiosis positis ad manum laïcorum propter debitum partium, dicit, quod si duo ad invicem contendentes essent laïci, & fieret sine fraude & non pro impediendo jurisdictionem Ecclesiasticam, Prælati non negarent articulum supra dictum, nisi de consuetudine vel privilegio aliquæ Ecclesiæ hoc haberent, aut essent ambo clerici vel alter eorum.

Ad 52. qui loquitur de injuriis & gravaminibus illatis gentibus Regiis per Officiales Episcoporum, dixit, quod Prælati nullo modo permitterent quod per Officiales suos gentibus Regiis damnum laborum vel expensarum aut aliud incommodum inferretur. Nec est verisimile quod sint vera quæ in dicto articulo proponuntur, quia semper Prælati habent in suis agilibus, recursum ad Regios Officiales: tamen si aliquis vellet in speciali aliquid super hoc declarare, parati erant Prælati corrigere mala acta, &c. & injuriam passis emendam facere fieri.

Ad 53. qui loquitur de hæreditariis clericorum positis propter debitum in manu Iudicis sæcularis, dicit quod si hæreditaria clericorum sine causa rationabili, aut malitiose, aut impediendo jurisdictionem Ecclesiasticam, ponuntur in manibus Iudicis sæcularis, specialiter cum fit per violentiam, & de facto sine causæ cognitione, aut alias in casu personalitatis: nulla fit injuria dominis temporalibus si Ecclesia super hoc se intromittat. Nam alias laïci omnem jurisdictionem clericorum haberent, quia ubi non possent clericos compellere, ipsi procederent ad captionem bonorum: & sic quantum ad hoc, periret privilegium Ecclesiasticum.

Neganda usurariis sepultura.

Ad 54. qui loquitur de neganda sepultura usurariis, dicit quod de jure, usurario manifesto debet denegari Ecclesiastica sepultura: quare nullam faciunt injuriam Officiales prædicti Prælatorum talibus sepulturam denegando: maxime donec fuerit restitutum, vel cautio data sufficiens de restituendo illo, quod per tale pactum per eus fuerat acquisitum: sed si pro excommunicatione duntaxat falso imponerent alicui tale crimen, & propter hoc interdicerent ei Ecclesiasticam sepulturam, Prælati nullo modo ista fieri permitterent, si ad illorum notitiam perveniret: nec est inconveniens ubi aliquis usurarius manifestus decedit, si teneatur Ecclesiæ satisfacere pro ratione peccati manifeste commissi.

Ad 55. qui loquitur de reconciliatione cœmeteriorum facienda, dicit dictus Episcopus, quod Prælati ad reconciliationem cœmeteriorũ faciendam cum expensis propriis non tenentur: & ultra hoc possunt emendã exigere ratione violentiæ in cœmeterio cõmissæ: quare si 10. libras exigunt vel ultra quantũ ascendunt eorum expensæ, non debet pro injuria reputari. Sed ille qui commisit violentiam, si habet unde possit de prædictis satisfacere, non modo ad emendam, sed etiam ad expensarum restitutionem & satisfactionem tenetur.

Ad 56. qui loquitur de privilegiatis qui possunt eligere Iudices, & abusibus eorum: dicit quod si tales quibus talia privilegia sunt indulta, eisdem privilegiis, ut proponitur in articulo, abutuntur, Prælati nollent eos excusare, imò eis displicerent (& non immerito) tales abusus.

Ad 57. qui loquitur quando laïcus citat clericum super causa hæreditatis corã judice sæculari: dicit quod super actione personali vel mixta, aut super interdicto quod in parte personale existit, si clericus fuerit coram judice sæculari vocatus, non debet corã eo respondere: ubi autem actio esset mere realis, de jure deberet super hoc cujuslibet Ecclesiæ consuetudo servari: & ubi consuetudo non esset, deberet jus scriptum in talibus imitari. Ad 58. qui loquitur de conjugatis clericis mercatoribus, dicitur quod nisi talis actio vel petitio veniat ex maleficio vel delicto, Prælati nollent in talium cognitione laïcum turbare, nisi aliquibus Ecclesiis, consuetudine, privilegio seu compositione jus aliquod fuerit acquisitum.

Ad 59. qui loquitur de interdicto apponendo in terra Domini Regis, dicit Dominus Episcopus quod privilegia Domini Regis omnes Prælati vellent integraliter servare, nec vellent facere aliquid contra ea: supplicantes eidem Domino nostro Regi, ut ei placeret, eisdem Prælatis dum erant congregati, dicta privilegia ostendere, ita quod super his possent certitudinaliter respondere.

Ad 60. qui loquitur de Ballivis & præpositis Prælatorum qui sunt clerici, dicit quod hoc licitum est Prælatis tam de ratione quam de jure, & cedit ad utilitatem justitiæ, quia jura vel juristæ melius possunt & sciunt justitiam tenere, quam laïci, qui literas non noverunt: hoc etiam eis sæpe ex necessitate incumbit, quia non inveniunt seculares ad hoc sufficientes qui velint eorum officia assumere, aliquotiens propter timorem dominorum temporalium, & aliquotiens propter alias causas.

Participatio cũ excõmunicatis.

Ad 61. qui loquitur de monitionibus quæ fiunt contra participantes cum excommunicatis in operibus faciendis: dicit quod hoc possunt & debent facere de jure, cum participare scienter cum excommunicatis sit peccatum mortale: maxime post monitionem super hoc sibi factam, & hic est unus modus participandi, videlicet operari, & cum excommunicato negociari.

Ad 62. qui loquitur de illis qui citantur propter participationem: dicit quod si talis citatio ad instantiam partis fuerit impetrata, & pars illa non possit contra tales citatos participationem probare, Imperator tenetur ad restitutionem expẽnsarum hujusmodi citatorum: præterea nunquam talis citatio conceditur, nisi talis citatus, primo in generali, secundo in speciali fuerit monitus competenter, ne cum tali excommunicato scienter participare audeat: & cum hoc Officiales nunquam contra tantam personarum multitudinem tales citationes concedunt, nisi videant ex hoc grande periculum animarum imminere, aut scandalum maximum exoriri, & ubi contra aliquos reperitur, quod spreta monitione eis facta super hoc, & contra mandatum Ecclesiæ cum tali excommunicato

participare curaverunt, sive etiam præsumpserunt, hæc tenentur de jure ad satisfactionem Deo & Ecclesiæ (quas propter suam contumaciam offenderunt) pœnâ pecuniariâ, aut corporali.

Ad 63. qui loquitur de Officialibus qui faciunt jurare Advocatos ne dent consilium contra curiam, dicit Episcopus quod si sic fieret, meritò displiceret Prælatis, cum deberent Officiales unicuique consilium præstare, qui in curia sua litigant: nec credunt quod aliquis judex spiritualis faceret hoc quod continet articulus supradictus, nisi quæstio esset de familiari aut pensionario proprio, vel qui alias teneretur eidem judici ratione fidelitatis aut juramenti præstare consueti pro aliquo honore, aut alia justa causa, adhuc tamen ubi litigans consilium non haberet, debet ei curia providere.

Ad 64. & 65. qui loquuntur de executoribus, & inventariis bonorum testatoris, & intestatoris: dicit, quod tam de jure scripto, quam de consuetudine speciali, Prælati sunt executores legitimi testamentorum: unde si executio venerit ad Prælatum, nullam facit injuriam bona inter hæredes distribuendo, & de eis inventaria faciendo. Et hoc idem dicit de bonis intestatorum, maxime in locis ubi sic de consuetudine extitit observatum à tanto tempore, quod in contrarium memoria non existit.

Ad ultimum qui loquitur de approbatione testamentorum, dicit idem Episcopus, quod quando in præsentia alicujus Notarij curiæ Archidiaconi, vel alterius minoris judicis ordinarij civitatis, aliquod conditur testamentum: quia multoties tales Notarij non sunt magnæ authoritatis: vel si per aliquem Notarium curiæ sæcularis recipiatur hujusmodi testamentum, habet consuetudo specialis plurium Ecclesiarum regni Franciæ, & hoc etiam jura dicunt, quod donec talia testamenta coram judice principali & ordinario illius diœcesis fuerint approbata vel publicata, non adhibetur eis fides, neque debet aliqualiter adhiberi. Et si alias hoc fieret, esset in maximum populi detrimentum, quia possent in talibus multæ falsitates committi. Quibus rationibus sic factis per dictum Episcopum, fuit petitum ex persona Domini Regis, quod præfatæ responsiones prout dictæ fuerunt & propositæ, verbotenus in scriptis redigerentur & traderentur. Super quibus petitis Prælati ad invicem diligenter habuerunt deliberationem, & tandem deliberaverunt inter se tradere loco responsionum prædictarum Domino Regi cedulam infra scriptam in Gallico, licet in Latino translata, cujus tenor sequitur in hæc verba:

Supplicant Regiæ Majestati Prælati præsentes (tamen se aliquo modo judicio minime submittendo) quod placeat ei jura, libertates, privilegia canonica, consuetudines, & saisinas, quæ & quas Ecclesiæ Gallicanæ, habent & habuerunt temporibus retro actis, eis defendere & servare, specialiter super cognitione actionum personalium, realium, & mixtarum, nec non & introductarum maxime inter laïcos. Item super cognitione clericorum, quando per laïcos quia fit eis petitio, aut quando clerici super violentiâ in bonis illorũ illatâ per laïcos conqueruntur. Item super cognitione contractuum initorum coram judice sæculari.

Item quod non impediantur quin eorum Notarij contractus recipere valeant quacunq; suarum diœcesiũ.

Item quod non impediantur super inventariis faciendis de bonis defunctorum, quorum de jure vel consuetudine, vel compositione, executores existunt.

Item quod non impediantur super cognitione hypothecarum, quam habent de jure vel consuetudine.

Item quod non impediãtur super cognitione viduarum & pupillorum, & super bonis intestatorum, quantum ad eos pertinet de consuetudine vel de jure.

Item quod non impediantur in quacunque parte diœcesis suæ, quin possint habere suos Officiales, & clericos capere, & ab ipsis clericis nec non à laïcis emendas pecuniarias exigere debitas de consuetudine vel de jure. Item quod non impediantur super cognitione rerum furatarum à personis Ecclesiasticis.

Item quod tam super captione, quã super cognitione clericorum non conjugatorum, & conjugatorum eorum jura & consuetudines observentur, & confirmentur eisdem, quia vobis manifeste ostenderunt quod hæc debent fieri de jure divino & humano. Item significant Regiæ Majestati, quod super abusibus, quos aliqui conquerentes imponunt officialibus & gentibus suis, dicendo quod ipsi abutuntur, eis imponendo crimina ut redimant, & emendas ac expensas ab innocentibus exigendo proferendóque sententias excommunicationis, una sola citatione non peremptoria præcedente: ac super eo quod propositum fuerit contra ipsos Prælatos quod ipsi conferebant tonsuras indignis: Et dicti eorum Officiales imponunt malitiose laïcis pro extorsione pecuniarum inde ab eis exigendarum, quod ipsi sunt circa fidem suspecti, quodque clericos super maleficiis accusatos, & eis redditos per Iudicem sæcularem, dimittunt impunitos. Item quod labores & expensas multis irrationabiliter conferunt prætextu participationum cum excommunicatis. Item quod laïcis malitiose usuras imponunt, ut redimant se, & conjugatis tam viris quam mulieribus, quod adulteria commiserunt. Item super abusibus quos facere dicuntur procuratores eorum, & super abusibus quos Religiosi faciunt in multis civitatibus. Item super injuriis & gravaminibus quæ alicui (ut dicitur) faciunt ratione privilegiorum eis indultorum. Item super eo quod dicitur, quod litigantes in curia Ecclesiastica contra officium, non reperiunt Advocatos: necnon super omnibus aliis in quibus eorum Officiales invenirentur negligentes, abusi fuisse vel convicti, tam in prædictis quam aliis, quæ si scirent, non permitterent nullo modo ipsi, & sunt parati corrigere, & facere corrigi, & emendari, & pro futuris temporibus, tam per statuta Synodalia & Provincialia, quam per alia quæ poterant bona remedia salubriter providere. Super aliis vero Articulis supplicant dicti Prælati, quatenus jura Ecclesiæ sive de jure, vel per privilegium, seu compositionem vel consuetudinem acquisita, placeat domino Regi servare & defendere ac etiam confirmate: ubi autem in dictis capitulis essent aliqua contra jus, privilegium, consuetudinem vel compositionem, ipsi Prælati nollent ea aliqualiter sustinere. Supplicant iidem Domino Regi, ut pro Dei honore, in statu in quo sui boni prædecessores tenuerunt Ecclesiam, ipse eam teneat & defendat, nec ei faciat aliquam novitaté. Et placeat ei, proclamationes & inhibitiones factas (scilicet quod nullus laïcus trahat alium laïcum coram Iudice Ecclesiastico) revocare quia hoc esset omnia Ecclesiarum jura tollere: & licet in aliquibus locis pro toleranda eorum malitia, in talibus proclamationibus seu inhibitionibus, verba quæ sequuntur opponant: videlicet, *quod laicus non trahat alium laicum coram Ecclesia super casibus pertinentibus ad iudices sæculares:* hoc est propter jura Ecclesiæ usurpanda, quia multa pervenirent ad forum laïcorum, quæ nihilominus pertinent ad Ecclesiasticum, si jus & consuetudo tolleretur, per quæ in electione laïci est quod possit alios laïcos in foro Ecclesiæ convenire. Item quia tales proclamationes seu inhibitiones factæ, licet etiam essent bene generales, dant occasionem omnimodo jurisdictionem Ecclesiasticam perturbandi. Vnde Reges Franciæ quondam semper prohibuerunt tales proclamationes seu inhibitiones fieri, & factas penitus faciebant revocari & ad nihilum reduci.

Post hæc, die Veneris sequenti apud Vicenas venerunt Prælati coram Domino Rege ad audiendum rationem suam: ubi Dominus Petrus dictus de Cugneriis proposuit pro Domino Rege, sic dicendo: *Pax vobis, ego sum, nolite timere.* & prosecutus est qualiter Prælati non essent turbati de aliquibus quæ essent dicta, quia intentio domini regis erat servare jura Ecclesię, &

Prælatorum,

A Prælatorum, quæ habebant tam de iure quam de consuetudine bona & rationabili: & interfecit inter primam conclusionem & vltimam, & probare voluit quod causarum civilium cognitio non poterat ad Ecclesiam pertinere, quia temporalia debent pertinere ad temporales, & spiritualia ad spirituales: & vltra propositiones alias quas proposuit, allegauit. 86. *cum ad verum.* allegauit etiam, quod propter hoc clericis radebantur capita in signũ quod temporalia abiicerent. Et allegauit ad hoc 11. *q.* 2. *duo sunt genera.* Item dicebat quod de iure, habebant Prælati cognitionem in certis casibus in iure expressis. Vnde isti casus faciebant regulam contra eos. Ad hoc allegauit, *de reg. iuris cap. 1. digest. de leg. 1. l. Titia.*

Refutatio capitis.

Item dicebat quod ratione non poterat ad eos pertinere, quia decre. *Nouit.* loquebatur de facto Regis B Franciæ qui superiorem non habet: sed in aliis dicebat secus. Tamen istis allegatis dixit & conclusit, quod Dominus Rex paratus erat audire informationem eorum qui vellent eum super aliquibus consuetudinibus informare, & illas consuetudines de quibus esset informatus: quod essent bonæ & rationales, faceret obseruari. Quæ responsio audita cum non videretur sufficere Prælatis, statim dictus Episcopus Eduensis respondit pro Prælatis in modum qui sequitur: Primo commendamus bonam responsionem generalem, dixit sic. Laudabitur Princeps populi in prudentia sermonis sui. Eccles. 9. capite. Et sic, ad hoc commendauit (quantum ad bonam & generalem responsionem) Domini Regis propositum & sermonem prolatum.

Quantum vero ad illa quæ Dominus Petrus dixit quæ pariebant obscuritatem, & poterant dare materiam aliis Dominis temporalibus impediendi iura & consuetudines Ecclesiæ, & quia non erat clara responsio, vt videbatur Prælatis: dixit sic dictus Dominus Episcopus, *dicit mater ad filium, fili quid fecisti nobis sic?* Et prosecutus est admiratiue loquendo, & curialiter conquerendo de responsione facta: & postea respondit ad ea quæ dixerat Dominus Petrus de Cugne- C riis. Primo ad 6. *cum ad verum* dixit, quod superius est responsum de dictione ista (temporalium) quia possunt esse in eodem subiecto, vt superius probatum est, nec obstat quod dicebat idem Dominus Petrus, quod non possunt esse in eodem subiecto, quæ sunt diversa & sunt sub eodem genere, vt homo & asinus, non possunt esse in eodem subiecto: sed si essent sub diversis generibus, vt albedo, & dulcedo in lacte, bene possunt esse in eodem, respondebatur quod hoc dictum non erat verum: Quia iustitia & temperantia sunt duæ diversæ virtutes & sub eodem genere sunt, & tamen sunt in eodem subiecto. Præterea illæ species diversæ, homo & asinus non compatiuntur in aliquo: sed aliæ de quibus agitur, sic. Item ad illud quod dicebatur de rasura capitis, quod ibi sunt corona & rasura, & corona designat excellentiam & dominium, & rasura significat quod non debent thesaurisare in temporalibus ibi cor applicando: Sed temporalia dicuntur illis subiici, non ipsi temporalibus, vt *in dicto cap. duo sunt genera*, innuitur & probatur. Item ad D illud quod dicebatur de regula: respondebat dictus Episcopus, quod regula est pro Ecclesia, vt supra per iura probatum est. Item consuetudo facit regulam pro Ecclesia. Item iura semper excipiunt in quocunque dicto consuetudinem: quare non obstat dictum suum. Item ad illud quod dicebat de decretali, *Nouit*, respondebat dictus Episcopus quod licet in dicta decretali, *Nouit*, casus fuerit in persona Regis: tamen ibi expresse dicitur in textu, idem de quolibet Christiano. Et licet loquatur ibi Papa, idem tamen est in aliis Episcopis in diœcesibus suis. 63. *di. Valentinianus.*

Quare conclusit dictus Episcopus quod placeret Domino Regi, magis claram & magis consolatiuam dare responsionem Prælatis, ne ab ipsius præsentia recederent contristati: & ne daretur laicis materia, E iura & consuetudines Ecclesiæ impugnare: quia de ipsius Domini Regis bona conscientia nullatenus dubitabant. Et tunc fuit hoc responsum ex parte Domini Regis: quod non erat intentionis suæ, consuetudines Ecclesiæ, de quibus sibi constaret, impugnare.

Postmodum die Dominica sequenti, iterato venerunt Prælati ad Dominum Regem apud Vicenas, & proposuit Dominus Senonensis vltimam supplicationem factam per Prælatos, & vltimam responsionem factam pro parte Domini Regis. Ad quod cum Dominus Bituricensis significasset Prælatis, Dominum Regem dixisse vt non timerent Prælati quia nihil suo tempore perderent, & quod defenderet eos in suis iuribus & consuetudinibus, quia nolebat tempore suo exemplum dare aliis Ecclesiam impugnandi: Quæ verba asseruit ibidem se dixisse: de his verbis idem Do- F minus Senonensis nomine Prælatorum regratiatus est Domino Regi. Secundo dixit idem Dominus Senonensis, quod quædam præconisationes factæ erant in præiudicium iurisdictionis Ecclesiasticæ: quas supplicabant reuocari. Tunc Dominus Rex respondit ore proprio, quod non erant factæ de suo mandato: nec aliquid sciebat: nec eas ratas habebat. Tertio dixit quod de aliquibus abusibus de quibus temporales erant conquesti, taliter ordinauerant Prælati, quod Dominus Rex & cæteri, merito deberent contentari. Quarto supplicauit Regi quod vellet eos consolari de benigna sua responsione clariori. Tunc respondit dictus Dominus Petrus pro Domino Rege, quod placebat Regi si Prælati emendarent ea quæ essent emendanda & corrigenda, expectare vsque ad festum Nativitatis Domini proxime venturum: infra quem terminum nihil innouaret. Et si infra dictum terminum Prælati non emendassent emendanda, vel correxissent corrigenda, Dominus Rex apponeret tale remedium, quod esset gratum Deo & populo. Et sic Prælati receperunt licentiam à Domino Rege, & recesserunt.

Regis responsio pro Ecclesiastica libertate.

G *Explicit quidam libellus de iurisdictione Ecclesiastica, factus per Dominum Petrum Bertrandi, & in consilio conuenientibus Prælatis regni Franciæ, verbo tenus in gallico per ipsum deputatum ex parte ipsorum Prælatorum, recitatus.*

EIVSDEM REVER. PAT. AC D.D. PETRI BERTRANDI (QVI FVIT DIOECESIS VIENNENSIS) EDVENSIS Episcopi, & Cardinalis T. S. Clementis, de origine & usu iurisdictionum, siue de spirituali & temporali potestate; tractatus.

H CHRISTI ac individuæ Trinitatis inuocato auxilio, hoc opusculum aggredimur. Ad cuius materiæ euidentiam, quæruntur quatuor: Primo quæritur, vtrum potestas sæcularis per quam populus regitur quantum ad temporalia, sit à Deo. Secundo quæritur, vtrum præter potestatem laicam seu sæcularem, sit vel esse debeat alia potestas iurisdictionis necessaria vel expediens ad bonum regimen populi:

Tertio quæritur; vtrum hæ duæ potestates seu iurisdictiones possint concurrere in vna persona; ita quod vna & eadem persona habeat vtramque potestatem seu iurisdictionem: Quarto quæritur; vtrum potestas spiritualis debeat dominari temporali, aut econtra.

Primo quæritur vtrum potestas secularis per quam populus regitur quantum ad temporalia sit à Deo. Et arguitur quod non: quia *quæ à Deo sunt, ordinata sunt*, vt dicitur in Epistola ad Romanos, sed in potestate vel auctoritate domini temporalis, inueniuntur multæ deordinationes; vtpote quia puer dominatur seni, & stultus sapienti: ergo talis potestas seu dominium non est à Deo. Ad hoc facit, *extra, de electio c. venerabilem, paragr.* j Item Oseas dicit ex persona Domini, de malis Principibus, *Ipsi regnauerunt & non ex me*: ergo videtur quod potestas malorum Principum non sit à Deo. Ad hoc facit, *viij. quæst. prima c. audacter.* In contrarium est quod dicitur in Epistola ad Romanos. xiij *Non est potestas nisi a Deo. xxiij. quæst. vij. cap. quid culp. sur.* & ; *qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit v. quæst. iij. c. qui resistit*: quod non esset, nisi potestas & dominium esset a Deo ordinata. *Responsio.* Dicendum est quod potestas & dominium regendi populum, est a Deo, quantum ad debitum, non autem semper quantum ad acquisitionem vel vsum; videlicet quando male acquiritur, vel post acquisitionem homo male vtitur. Primum, patet sic. Illud quod est debitum esse in hominibus secundum rectam rationem, est debitum esse in eis secundum diuinam ordinationem; quia ad hoc Deus rationem hominibus indidit, vt ipsi secundum rationem, viuant: sed secundum rationem, debitum est potestatem regiminis esse inter homines; ergo illud idem est secundum diuinam ordinationem. Maior patet, sed minor probatur: quia illud est secundum rectā rationē in moribus, quod est secundum conformitatem ad bonitatem quæ est in rebus naturalibus (quia ars imitatur naturam. *digest. de adopt. l. adoptio*) potestas dominij & regiminis est secundum conformitatem bonitatis; quæ est in rebus naturalibus, ergo, &c. Minor, per syllogismum adhuc probatur: quia in naturalibus inferiora reguntur per superiora, & multitudo per vnum. Denique totum vniuersum, ad modum Exercitus ordinatur sub vno Principe qui est Deus, vt dicitur xij. Meta, ergo, & cæt. Item Philosophus dicit primo Politico, quod in omni potestate ordinata, naturale est & expediens quod vnus principetur, & cætera sint subiecta, ergo in pluralitate hominum, debitum est & expediens quod vnus principetur & cæteri sint subiecti: In hoc autem consistit ordo & ratio potestatis & dominij: ergo potestas & dominium, ad regendum populum, est hominibus secundum debitum rationis & diuinæ ordinationis. Ad hoc, facit. *digest. de origin. iurisdiction. l. ij. paragr. nouissime.* Non est ergo intelligendum quod auctoritas iurisdictionis seu regiminis sæcularis sit a principio quo creauit genus humanum, commiserit alicui regimen hominum aliorum, aut quod dederit speciale præceptum seu fecerit specialem ordinationem qui præesset alijs, sed solum auctoritas iurisdictionis seu regiminis sic est à Deo, quia secundum rectam rationem quam Deus indidit homini, debitum & conueniens est temporalem auctoritatem regiminis esse inter homines, & quod ipsi inter se de hoc conueniant. Quamvis enim à principio quo Deus hominem creauit, dederit ei vt præesset piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestijs terræ, vt dicitur in Genesi; tamen nulli hominum commisit specialiter dominium super alios homines, nec de hoc fecit speciale præceptum, nec specialem ordinationem. Sic igitur & non aliter auctoritas iurisdictionis sæcularis inter homines est a Deo, nisi in aliquibus de quibus Deus specialiter ordinauit & mandauit quod præessent terræ & Genti, vt infra dicetur. Sed priuilegia paucorum non faciunt legem communem: super quibus vide quod notat, *Inno. extra de foro compe. c. licet, ex susceptio.* Dico tamen quod assecutio potestatis seu dominij, & vsus non semper est à Deo: videlicet quando modus perueniendi ad potestatem seu dominium, vel modus potestatis iam adeptæ vel dominij est malus vel illicitus: de quibus intelligitur illud quod dicit Oseas, *ipsi regnauerunt & non ex me, Principes extiterunt & non cognoui.* Modus autem debitus perueniendi ad potestatem seu auctoritatem regendi populum est duplex: videlicet, per hæreditariam successionem, & per electionem. Sed modus perueniendi per hæreditariam successionem, non potest esse primus; qui enim succedit alij, non est primus, quia ille alius præcedit. Igitur primus modus perueniendi debite ad auctoritatem regiminis est per electionem Dei vel hominum. Et ille qui est per specialem electionem Dei ratus fuit & quasi priuilegiatus: ille autem qui est per electionem & consensum populi est communis. Omnis autem alius modus perueniendi ad auctoritatem regiminis; puta per violentiam potentiæ, vel astutiam fraudulentiæ, est illicitus. Et, si aduertimus processum sacræ Scripturæ, inueniemus clare quod potestas iurisdictionis temporalis seu sæcularis quantum ad quatuor imperia (videlicet Assyriorum & Chaldæorum, quantum ad primum, Medorum & Persarum, quantum ad secundum; Græcorum, quantum ad tertium; Romanorum, quantum ad quartum) non fuerunt a principio legitimè introducta, sed per violentiam vsurpata. De imperio enim Assyriorum & Chaldæorum patet, illud enim incepit a Nembroth, de quo dicitur in Genesi, quod *ipse cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram Domino*, id est, oppressor hominum, sicut ibidem exponitur per Magistrum historiarum, & aliquos expositores. Vnde per violentiam & oppressionem aliorum, ipse acquisiuit sibi regimen & imperium, & fuit principium regni eius Babylon & Arach, & Calanne in terra Sennaar, de qua egressus est Assur qui ædificauit Niniuen vt in eodem dicitur. De imperio autem Medorum & Persarum, quod fuerit per violentiam introductum, patet in Daniele; vbi legitur quod interfecto Balthasar Rege Babylonis, per Cyrum & Darium translatum fuit imperium & regimen in Medos & Persas. Nec obstat quod de Cyro prædictum fuerit per Esaiam, vbi dicitur sic: *Christo meo Cyro cuius apprehendi dexteram vt subijciam ante faciem eius gentes, & dorsa Regum vertam*: ac per hoc, videtur quod ipse voluntate & auctoritate Dei (& sic legitime) successit in regnum & imperium; cuius oppositum, dictum fuit: scilicet quod hoc imperium vsurpatum fuit per violentiam, & non legitime introductum. Et dicendum est ad hoc dupliciter, Vno modo, quod Cyrus de quo auctoritas Esaiæ loquitur; non successit primus in imperium, sed Darius, & sic prima introductio illius imperij fuit per solam violentiam vsurpata. Altera solutio est, quia secundum beatum Augustinum, Deus cum sit summe bonus; non sineret mala fieri nisi ex malis sciret elicere bona. Et quia Deus præuidit quod Cyrus (adepto imperio) permitteret filios Israël exire de captiuitate, & redire in Hierusalem ad cultum Dei (quod fuit valde bonum & cessit ad magnam gloriam Dei) ideo permisit quod veniret ad imperium, licet per violentiam & vsurpationem: quia ad hoc secuta sunt duo bona, scilicet interfectio Regis Balthasar qui vasa domini exposuit ad bibendum concubinis suis, vt legitur in Daniele; & liberatio populi Dei, de captiuitate Babylonica. Auctoritas ergo Esaiæ superius allegata, qua dicitur, *Christo meo Cyro*, &c. non est sic intelligenda, quod ipse auctoritate Dei obtinuit imperium; sed per eam datur intelligi omnipotentia resistendi, in Balthasar & Regibus sibi adhærentibus, & ordinatio Dei de liberatione populi: quod satis innuit Textus ille vbi dicitur; *accinxi & non cognouisti me te fuisse*; &c. quasi dicat accinxi te fortitudine ad bellum contra Regem Babylonis & auxiliatores eius, sed tu non cognouisti me, quia in bellando non

habuisti

Rom. 13. — Osee 8. — Modus perueniendi ad potestatem est duplex. — Electio, prior est successione. — Imperia, initium habuerunt à violentia. Gen. 10. Assur ædificauit Niniuen. Dan. 5. — Isa 45. — Legitimum ne fuerit Cyri imperium. — Deus nō sinat mala fieri nisi ex malis sciat elicere bona. — Dan 5. — Isa 45.

A

habuisti oculum ad Deum, ego tamen totum ordinaui ad liberationem populi mei. Et sic illa auctoritas non arguit quod Cyrus fuerit legitime adeptus imperium. Post imperium Medorum & Persarum successit imperium Græcorum, non per viam legitimam electionis vel hæreditariæ successionis, sed per meram violentiam potentiæ & armorum; sicut clare patet in principio primi libri Machabæorum vbi dicitur quod *Alexander Rex Græcorum percussit Darium Regem Persarum & Medorum, & constituit prælia multa, & interfecit Reges terræ; & sic obtinuit imperium.* De imperio autem Romanorum, clare patet ex Chronicis & diversis historiis quod simili modo intruncauit per potentiam & sæcularem prudentiam. Ex quibus, patet quod potestas sæcularis (quantum ad quatuor imperia sibi invicem succedentia) non fuit à principio legitime introducta, sed per violentiam vsurpata. In signum huius, hæc quatuor imperia seu regna ostensa sunt Danieli in visione, sub similitudine non hominum sed bestiarum; quia non insurrexerunt per viam rationis, sed impetu sensualitatis, quantum ad primam sui originem. Si autem processu temporis hæc regna reducta sunt ad statum legitimum, oportet quod hoc fuerit accedente consensu populi, expresso vel interpretatiuo. De regno autem Israel, legimus quod habuit legitimum initium: Saul enim primus Rex, forte fuit electus auctoritate Domini, & ex consensu populi, eo autem reprobato propter inobedientiam, electus fuit David à Deo, & vnctus per Samuelem, vt legitur in primo Regum; & filij eius successerunt ei in regnum, ex ordinatione Dei. Ad rationes respondendum est, & iam patet de facili responsio ad primam rationem: quia quamuis in acquisitione potestatis & iurisdictionis, & in eius vsu vel abusu possit esse deordinatio: tamen in ipso ordine superioris & subiectionis, in quo consistit Dominium & auctoritas iurisdictionis, non potest esse inordinatio; sicut ordo non potest esse inordinatus, quia iam non esset ordo. Ad secundam, responsum est in corpore solutionis. Ratio autem in oppositum solum probat quod potestas iurisdictionis est inter homines à Deo, inquantum Deus indidit hominibus rationem, per quam, debitum est, in hominibus esse talem potestatem per bonum regimen eorum. Canonistæ aliter respondent ad hanc rationem & sic, cum dicitur quod *non est potestas nisi à Deo*, intelligas, iubente vel sinente, xxvj. q. v. *nec mirum*. Sic respondetur in dicto. c. *audacter.*

B

Imperia cur Danieli præuisa in similitudine bestiarum

Regnum Israel habuit initium legitimum. 1. Reg. 16.

Ordo non potest esse inordinatus, alias non esset ordo

C

Rom. 13.

Secunda Quæstio.

Secundo, quæritur, vtrum præter potestatem laicam vel secularem, sit vel debeat alia potestas iurisdictionis necessaria vel expediens ad bonum regimen populi. Et arguitur quod non: quia pluralitas principatuum non est bona, vt dicitur, xij. *Meta.* in fine: sed pluralitas potestatum & iurisdictionum dispartitarum, quarum vna non continetur sub alia, arguit pluralitatem principatuum, quorum vnus non est sub alio; ergo talis pluralitas non est expediens neque bona: ideo præter potestatem sæcularem (de qua in præcedenti quæstione dictum est) non oportet aliam ponere quæ non sit ei subiecta, vel econverso.

D

Item, sufficit populo quod viuat virtuose: sed ad hoc sufficit potestas sæcularis quæ per pœnas, & præmia, & leges intendit homines facere bonos & virtuosos & operatores bonorum, vt scribitur ii. Ethicorum & *digest. de iustit. & iur. l. i. paragr. i.* In contrarium est, quod Christus dedit Petro & Apostolis potestatem excommunicandi, dicens: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam ethnicus & publicanus*, ij. q. i. c. *si peccauerit*, cum ibi notatis. Et subdit, *amen dico vobis, quæcumque ligaueritis super terram erunt ligata & in cælis, & quæcumque solueritis super terram erunt soluta & in cælis*; xxiiij. q. vij. c. *quodcunque*; xxij. q. j. c. *si heres*; *l. ebedi. cap. soluta ad finem*: hæc autem potestas data Apostolis ad bonum regimen populi, est alia a potestate sæculari; ergo, &c. *Responsio.* Videndum est primo, ad quid ordinatur potestas iurisdictionis; & ex hoc, secundo apparebit propositum. Quantum ad primum, sciendum est quod potestas iurisdictionis ad hoc ordinatur vt homines arceantur à malis, & inducantur ad bonum. j. Petri. ij. dicitur de potestate iurisdictionis, quòd est *ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum*, iiij. distinct. cap. *facta sunt leges*; & ad Romanos, *vis non timere potestatem: bonum fac, & habebis laudem ex ea: nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali.* Ex hoc, ad propositum, dicendum est; quod si bona (ad quæ facienda homines debent induci, & mala à quibus homines debent arceri) pertinerent solum ad præsentem vitam ciuilem & politicam; tunc sufficeret ad regimen populi potestas iurisdictionis sæcularis, nec aliqua alia esset necessaria: cuius ratio est, quia per virtutes morales & acquisitas (& maxime per prudentiam & iustitiam quæ debent esse in rectore) potest sufficienter regi & dirigi vita præsens moralis & politica, sic præcise accepta: sed hæc possunt & debent inesse Principi sæculari habenti potestatem regendi populum, quantum ad præsentem vitam ciuilem & politicam. ergo præter potestatem sæcularem, nulla alia potestas est necessaria ad regendum populum in vita ciuili & & politica, sic præcise accepta. Sed quia vita fidelium Christianorum non tendit solum ad bona & mala præsentis vitæ: immo principaliter tendit ad bona vitæ, & ad ea acquirenda, ordinat omnia bona vitæ præsentis, secundum illud Matthæi: *primum quærite regnum Dei & iustitiam eius.* Summe etiam horret inter omnes pœnas, illam quam post mortem corporis anima & corpus finaliter tenent perpetuo in gehennam, vnde Matthæus dicit: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus animam autem non possunt occidere, timete eum qui potest animam & corpus mittere in gehennam*: & idem habetur apud Lucam, & xj. q. iij. *nolite*, xxiij. q. vj. *in principio*; xxxj. q. ij. c. *Lotharius*; *de pœnitent. distin. i. cap. quanuis sanctam*; *versiculo, sic est regnum* i. ei. Ideo inter fideles Christianos, ne exorbitent à fine quem intendunt, &, vt, si errauerint in via, reducantur ad eam, necessaria est potestas ad quam pertineat, eos ad finem prædictum dirigere & deuiantes corrigere, & ad rectam viam reducere, non solum exortationibus sed pœnis congruentibus. Et quia ad hoc non sufficit potestas secularis, quæ de se nihil nouit de donis & præmiis vitæ futuræ, nec de meritis seu demeritis quæ ad eam perducunt seu abducunt; ideo, præter eam, inter Christianos necessaria est alia potestas spiritualis quam Christus verus Deus & verus homo dedit beato Petro, quando ei commisit regimen vniversalis Ecclesiæ. Ioann. vltimo c. & prius promiserat dicens: *& tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cælis.* Et differt hæc potestas, quantum ad suam primam originem, à potestate sæculari; quia origo huius potestatis fuit à Deo immediate: videlicet à Christo, tradente eam certæ personæ; scilicet Petro, pro se & suis successoribus, à quibus deriuatur in alios. Potestas autem sæcularis non fuit à principio sic instituta, sed modo quo dictum est in prima quæstione, in corpore solutionis; quamvis in quibusdam regnis, & maxime in regno Iudææ, fuit aliquid simile, vt dictum fuit in fine eiusdem quæstionis. Vnde sequitur quod potestas spiritualis & Ecclesiastica non solum est in se legitima, sed etiam quantum ad suam primam acquisitionem, quod nō potest dici de prima acquisitione potestatis secularis, saltem quantum ad imperium. Ad primum argumentum dicendum est, quod pluralitas principatuum quorum vnus non subest alteri, non est bona,

Mat. 18.

E

F

Mat. 6. 33.

G

H

Potestas [illegible] secularis subest [illegible] Christi [illegible] spirituali.

sed

A

sed non est sic in proposito; quia inter omnes Christianos, potestas principatus secularis subest aliquo modo potestati iurisdictionis spiritualis & Ecclesiasticæ, vt patebit in sequentibus: igitur, &c. Ad secundum, dicendum est quod non debet sufficere populo fideli, qualis est populus Christianus, quod viuat virtuose quantum ad virtutes morales & politicas, de quibus loquuntur morales Philosophi; sed oportet quod viuat secundum virtutes Theologicas, quæ dirigunt actus fidelium & Christianorum ad vitam beatam: de vita & virtutibus Theologicis ad eam dirigentibus, nihil nouit ratio naturalis nec potestas secularis super eam fundata.

Tertia Quæstio.

B — *Duæ species eiusdem generis proximi, non se compatiuntur in eodem subiecto. Alia, 2.*

Tertio quæritur, vtrum hæ duæ potestates seu iurisdictiones possint concurrere in vna persona, puta, quod vna & eadem persona habeat vtramque potestatem seu iurisdictionem. Et videtur quod non; quia duæ species eiusdem generis proximi non se compatiuntur in eodem subiecto: sicut homo & asinus, albedo & nigredo: sed hæ duæ potestates & iurisdictiones sunt duæ species eiusdem generis proximi; ergo non compatiuntur se in eadem persona, ad hoc facit. *ff. pro. suo l. si in alia, circa principium*; ibi cum dicit, *neque enim idem, & pro suo & clam possidere potest*: & quod ibi notatur, ad idem facit quando legitur xxij. *quæstione v. c. cum humilitatis: xxxv q. v. c. cum renunciaui*, item quod apud Matthæum dicit Christus; *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, xxiij. q. v. c. sed in morte, & ca. conuenior; Extra de cleric. coniug. c. ex parte.* In quo, videtur innuere diuisionem prædictarum iurisdictionum (. spiritualis videlicet, & temporalis) & personarum in quas cadunt quia temporalis cadit in Cæsarem, spiritualis vero in Prælatos qui gerunt vices Dei in terris: igitur prædictæ duæ iurisdictiones, non debent esse in eadem persona. Item Christus qui spiritualem potestatem dedit Ecclesiæ in Petro & in successoribus eius; abiecit à se omnem potestatem secularem; vnde cuidam dicenti sibi; *Magister, dic fratri meo vt diuidat mecum hæreditatem*; respondit, *O homo quis constituit me iudicem & diuisorem inter vos?* & cum populus vellet eum facere Regem; fugit; item coram Pilato dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo: xxiij. q. iv paragr. i.* Item ipse soluit Tributum, vt legitur apud Matthæum xj. *q. i. c. magnum*, quod non fecisset si fuisset dominus temporalis. Non videtur autem probabile quod ipse dederit maiorem potestatem Petro & Ecclesiæ, quam in seipso voluit habere; ergo Christus nullam temporalem potestatem dedit Ecclesiæ. Constat autem quod spiritualis potestas non cadit in Principem secularem; ergo istæ duæ potestates seu iurisdictiones non sunt in eadem persona iustè. Item primâ Petri & dicto. c. *magnum*, dicitur; *subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi tanquam præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis*: ex qua auctoritate, videtur quod tota temporalis potestas pertineat ad solos Reges & Principes seculares. Item istud idem cauetur lege Imperatorum, qua dicitur sic: *Magna enim dona à Deo collata sunt, sacerdotium, & imperium; sacerdotium vt diuinis, imperium vt humanis præesset.* In corpore autem, *quo ope. Epis. ad or. perdu. in principio, colla. prima.* Ad idem legitur in canone, auctoritas; sacra Scriptura, Pontificum & regalis potestas, huius mundi gubernacula regũt. *distin. xxvj. c. duo sunt quippe.* Igitur a principio. Potestas Ecclesiæ se extendit solũ ad diuina & spiritualia? Potestas vero secularis ad temporalia. Et isti sunt termini antiqui non debent transgredi: secundum illud Prouerbiorum & 12. *q. ii. c. i. cum sequentibus: ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres.* Item, officia debent esse impermixta, alioquin sequeretur confusio: sed aliud est officium spiritualis iurisdictionis, & aliud est officium iurisdictionis temporalis, ergo hæ duæ non debent misceri in eadem persona. Ad hoc, facit. *Extra de præbend. cap. cum singula, lxxxix. distinc. cap. singula, xvj. quæst. v. cap. presbyteros. 3.* In contrarium arguitur sic, quia in primitiua Ecclesia & quasi in initio ipsius nascentis Ecclesiæ, Petrus damnauit sententialiter pro crimine furti (quod est crimen ciuile) Ananiam & Saphyram, pœnâ mortis temporalis; quæ est pœna ciuilis; & sic videtur quod potestas data Petro & Ecclesiæ extendat se ad delicta ciuilia, & ad pœnas ciuiles, & non solum ad spiritualia. *Responsio.* Ista quæstio non est dubia quantum ad istud, quod primâ facie quæritur, videlicet vtrum potestas secularis & Ecclesiastica possint simul eidem personæ conuenire vel competere; quia certum est quod sic, vt manifeste declarabitur. Sed aliqua argumenta statim facta arguendo ad quæstionem, implicãt vnum quod est apud aliquos dubium, vtrũ videlicet potestas iurisdictionis Ecclesiasticæ extendat se aliquo modo ad ea quæ subsũt iurisdictioni sæcularis, sicut sunt actiones personales laicorum, & mixtæ. Quantum ad primum quod quæritur principaliter. dicendum est quod vtraque potestas, secularis, & Ecclesiastica, possunt eidem personæ competere: sed potestas seu auctoritas iurisdictionis spiritualis & temporalis sunt huiusmodi; quia nullam oppositionem vel repugnantiam habent: ergo possunt eidem personæ competere. Maior de se patet: sed minor probatur, quia ad homines qui per prudentiam & scientiam sciunt humana facta bona vel mala rectè discernere, & per iustitiam debite ordinare (præmiando bona, & puniendo mala) pertinet de aliis iudicare: & hoc est verum, tam secundum philosophiam moralem, quæ dicit quod prudentia & iustitia sunt propriæ virtutes principis, quam secundum sacram scripturam quæ de sapientia iudicandi dicit: *diligite iustitiam, omnes qui præestis populo*: & Salomon, vt digne posset iudicare populum, petiit à Domino sapientiam, vt dicitur. 3. Regum: de iustitia vero dicitur sapientiæ primo: *diligite sapientiam qui iudicatis.* Sapientia autem seu prudentia, tam de diuinis quam de humanis cognoscendis & ordinandis, non habent inter se oppositionem; quia virtus non opponitur virtuti secundum morales Philosophos & secundum veritatem: imo quælibet virtus quodammodo iuuatur per aliam: & propter hoc habent inter se quandam connexionem, talem adminiculatiuam: ergo auctoritas seu potestas spiritualis & secularis, iudicandi tam de spiritualibus quam de temporalibus; non habent inter se aliquam oppositionem seu repugnantiam, quin possint rationabiliter eidem personæ conuenire, immo vna iuuatur & fulcitur per aliam. Ad hoc facit quod legitur in Psalmo: *Quam dilecta: ambulabunt de virtute in virtutem; de pœnitentia, distin. i. c. dum sanctam, versi. sed quidam*: & videatur quod notatur, 32. *q. v. c. ita ne aliqua.* Secundo patet de auctoritatibus sacræ scripturæ, accipiendo exempla in ea scripta quæ tradita sunt nobis, vt auctoritas similia faciendi: *quæcumque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt*, sicut dicit Apostolus ad Romanos. Et ideo, omittendo paganos & infideles qui sunt foris & extra Ecclesiam; de quibus *nihil pertinet ad nos iudicare*, sicut dicit Apostolus in Epistola priore ad Corinthios: loquamur de iurisdictione quæ est & debet esse inter fideles & Christianos, & fuit in populo Dei ex eo tempore quo Dominus præcepit Moysi vt educeret populum de terra Ægypti: & inueniemus quod pro toto tempore quo Moyses vixit & eduxit filios Israël de terra Ægypti vsque ad Iordanem, quadraginta annis ipse præfuit in iurisdictione tam spirituali quam temporali, ita quod in eadem persona Moysi concurrit vtraque auctoritas. Quia enim habuerit potestatem spiritualem, patet ex pluribus legis veteris, in quibus legitur quod ipse sacrificia obtulit Domino, & Aaron ac filios eius consecrauit in sacerdotes; quia autem fuerit dux & princeps populi, habens plenitudinem iuris-

dictionis

Margin notes:

Luc. 12. — C — *Ioan. 6.* — *Ioan. 18.*

Christus soluit Tributũ Cæsari, sicut ca-
Mat. 22.

Spiritualis potestas non cadit in principem secularẽ. 1 Petr. 2. 13.

D — *Prou. 22.*

E — *Petrus damnauit sententialiter pro crimine furti Ananiã.*

F — *Sap. 6.* — *3. Reg. 3.* — G — *Psal. 83.* — *Rom. 15.*

Pagani & infideles sũt extra Ecclesiã. 1 Cor. 5. 12.

H — *Moyses semper præfuit temporali & spirituali iurisdictioni. Num. 11.*

A

dictionis totius in populum Dei, quantum ad temporalia; patet in veteri lege in Exodo, Leuitico, Numeris & Deuteronomio, in quibus nullus legitur iudicasse, populum in temporalibus nisi Moyses vel substituti per eum; videlicet septuaginta viri, de quibus legitur in libro Numerorum, & alij de quibus legitur in Exodo. Et sic, patet quod officium sacerdotis non exclusit Moysen ab officio iudicis in temporalibus; sed potius reddidit eum magis idoneum tanquam magis familiarem Dei, cuius est omne iudicium. Item Samuel Propheta, simul fuit sacerdos & princeps populi in temporalibus, sicut apparet in primo libro Regum; & quando petiuit regem, displicuit Domino & dixit: *non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* Nouissime vero, tempore Machabæorum reductum est regnum ad sacerdotes: & iidem fuerunt pontifices & reges seu duces populi, habentes regimen tam in temporalibus quam in spiritualibus, sicut legitur primo & secundo Machabæorum, de Iuda Machabæo, Ionata, Simone & Ioanne filio Simonis: qui in omnibus tam spiritualibus quam temporalibus præfuerunt populo Dei. Ex quibus, apparet quod dicitur, quod Prælatos qui habent iurisdictionem temporalem, nec de temporalibus iudicare, multum dissonat à scriptura veteris testamenti. Scriptum est enim in Deuteronomio, *Extra qui filij sunt legiti. cap. per venerabilem, Si sit difficile & ambiguum apud te iudicium inter sanguinem & sanguinē, causam & causam: lepram & lepram: surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, & venies ad sacerdotes Leuitici generis & ad iudicem qui fuerit illo tēpore, quæresque ab eis; qui iudicabunt tibi iudicij veritatem sequerisque eorum sententiam:* & subditur: *qui autē superbierit nolens sacerdotis imperio obedire & decreto iudicis, morietur homo ille.* Ecce, quā manifeste dicit quod ad sacerdotem pertinebat iudicare non solum inter lepram & lepram, quantum ad cerimonialia & irregularitatem legis, sed inter sanguinem & sanguinē, quantum ad criminalia, & inter causam & causam, quantum ad ciuilia. Veniamus autem ad nouum testamentum, & ad legem Euangelicam, & inueniemus idem: Constat enim quod tempore Constantini, plures Prælati, Papa videlicet, & alij, habuerunt non solum potestatem iurisdictionis spiritualis, sed etiam temporalis. De Papa patet, hoc 26. *distinctione cap. Constantinus*: de cæteris Prælatis in regno Franciæ & Theutoniæ, & in pluribus aliis mundi partibus constitutis; notorium est quod ipsi à principio fundationis suarum Ecclesiarum; vel à tanto tempore de cuius contrario non extat memoria, cum potestate spirituali & Ecclesiastica obtinuerunt & adhuc legitime obtinent Ducatus, Comitatus & Baronias cum iurisdictione temporali. Vnde dicit Baldus in *c. nimis de iureiurando*, quod clerici possunt habere feuda à principibus, & propterea facere eis homagium. Quis autem auderet dicere quod assumptus in Episcopum, teneretur proprio patrimonio resignare seu renunciare? Credo quod nullus sanæ mentis. Et tamen aliqui nobiles habentes ex patrimonio potestatem iurisdictionis temporalis, assumuntur pluries ad Episcopatus; & tunc simul habent vtramque potestatem, spiritualem videlicet & temporalem. Sic igitur patet quod potestas spiritualis & temporalis iurisdictionis, possunt eidem personæ competere, nec in hoc quæstio est dubia. Illud autem quod aliqua argumenta implicant: videlicet vtrum sola potestas iurisdictionis Ecclesiasticæ seu spiritualis possit se extendere ad aliqua quæ videntur pertinere ad iurisdictionem temporalem, sicut sunt actiones personales laicorum, & mixtæ; est magis dubium. Circa quod est intelligendum quod aliqua possunt pertinere ad aliquam potestatem seu iurisdictionem tripliciter: Primo, ex se: secundo, ex vsu: tertio, ex principio seu consuetudine. Videamus ergo primo, quid competit Ecclesiæ ex se, quantum ad iurisdictionem spiritualem: & primo, quantum ad personas: secundo quantum ad negotia seu causas. Quantum ad personas, dicendum est quod omnes Christiani cuiuscunque gradus vel status seu conditionis existant, subsunt iurisdictioni Ecclesiæ: Cuius ratio est, quod scriptum est ad Romanos: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo.* Inter Christianos enim duplex est potestas: temporalis scilicet & spiritualis, siue secularis & Ecclesiastica: & vtraque est à Deo secundū modum in præcedentibus expositum: & ideo vtrique potestati subsunt Christiani, sed differenter: quia potestati temporali vel seculari subsunt Christiani, quia inter Christianos potest esse, & est, & fuit illa potestas legitima; sed solum vt ciues: Potestati autem spirituali & Ecclesiasticæ subsunt vt Christiani & fideles; quia potestas illa fundata est super fidem, per Christum nobis traditam. Igitur omnes Christiani & fideles, viri & mulieres, clerici & laici, Reges & Principes subsunt iurisdictioni spirituali & Ecclesiasticæ. Et cum prædictam iurisdictionem habeat Papa, sine limitatione loci & personarum: ideo omnes Christiani vbicunque sint, debent ei obedire: cæteris vero Prælatis Episcopis, & Archiepiscopis, & Patriarchis, in territoriis seu diœcesibus sibi commissis, tenentur obedire omnes Christiani manentes in eis. Et ideo Clemens Papa dicit, & habetur, *Extra de maior. & obed. cap. omnes*: quod omnes Christiani principes terræ, & cæteri homines, Episcopis obedire debent, vt beatus Petrus præcipiebat. Ab hac tamen obedientia seu subiectione, Papa, qui est supremus in Ecclesia, potest aliquos eximere: & sic patet quod omnis Christianus, cuiuscunque status vel conditionis existat, subiectus est iurisdictioni spirituali seu Ecclesiasticæ. Vtrum autem iurisdictio Ecclesiastica seu spiritualis extendat se ad omnes actiones personales omnium Christianorum, non solum clericorum sed laicorum: dicendum est, quod de se & iure suo extenditur ad cognoscendum & iudicandum de omnibus peccatis; non solum de illis quæ sunt contra articulos fidei & sacramenta, in quibus principaliter fundatur religio Christiana: sed etiam de omnibus mortalibus: quod patet: primo, ratione irrefragabili, sic. Cuius est considerare finem, eiusdem est iudicare de his quæ debent ordinari ad finem; quia ratio eorum quæ ordinantur ad finem, sumitur ex fine; debet enim intendens aliquod bonum, finem eligere & ea quæ sunt congrua fini, & tollere ea quæ finem impediunt: Verbi gratia: Medicus considerat sanitatem corporum; & certe eius est iudicare de iis quæ seruant sanitatem, & de his quæ eam impediunt, vt ab eis abstineatur: & consimiliter est in omnibus. Sed corpus ordinatur ad animam, etiam secundum gentiles Philosophos; & temporalia ordinantur ad spiritualia; & omnes actiones Christianorum debent ordinari ad consequendam vitam æternam tanquam nostrum finem vltimum, secundum fidem catholicam in sacra scriptura traditam: ergo cuius vel quorum est considerare de salute animæ & de spiritualibus; sicut est Prælatorum, curam & regimen animarum habentium, vt sunt, Papa & alij Episcopi & Archiepiscopi, eorum est iudicare de actionibus personalibus hominum, per quas possunt deuiare à salute sua peccando contra quamcunque materiam; siue contra bonos mores, peccando in seipsum vel in proximum, verbo vel facto, seu quocunque alio modo: & in hac ratione fundatur *c. nouit, Extra de iud.* Secundo, patet ex auctoritate diui Matthæi, vbi dicit sic: *si peccauerit in te frater tuus, corripe eum inter te & ipsum solum, si te audierit lucratus eris fratrem tuum: si te non audierit, adhibe tecum vnum vel duos testes, vt in ore duorum vel trium stet omne verbum, quod si non audierit, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audierit; sit tibi tanquam ethnicus & publicanus, id est excommunicatus.* Et constat quod loquitur de iurisdictione Ecclesiæ quam habent Prælati. Nam ibidem subditur Amen dico vobis: quæcunque ligaueritis super terram erunt ligata & in cœlo. Igitur sine vlla dubitatione ad Ecclesiam pertinet (iure sibi à Deo, collato) cognoscere & indicare de quocunque peccato. Vnde beatus Paulus

Marginalia: Exod. 18. 1. Reg. 8. 7. — Deut. 19. — Prælati, in pluribus mundi partibus, habent non solum spiritualem, sed etiam temporalē iurisdictionem. — Aliqua possunt pertinere ad aliquam iurisdictionem tripliciter. — Rom. 13. — Inter Christianos duplex est potestas. — Papa potest aliquos eximere à subiectione spirituali potestatis. — Temporalia ordinantur ad spiritualia. — Mat. 18.

lus excommunicauit fornicatorem notorium, vt legitur in Epistola priore ad Corinthios, & 24. quæ. 7. c. audivimus, circa medium. Cum igitur peccata contingant circa actiones personales hominum, & circa contractus, de omnibus his pertinet ad Ecclesiam iudicare: maxime si intentetur actio per modum iniuriæ vel cuiuscunque alterius peccati, tam inter laicos quam inter clericos, vel inter laicum & clericum, quicunque eorum sit actor vel reus. Nec in prædictis potest dici, quod reus trahatur extra forum suum: quia omnes Christiani, in quantum Christiani sunt, pertinent ad forum Ecclesiæ, vt supra dictum est. Et hoc est, quod expresse dicitur in canone 11. *quæst.* 1. *c. quæcunque*: vbi dicitur sic: *quæcunque contentiones inter Christianos ortæ fuerint, ad Ecclesiam deferantur, & ab Ecclesiasticis viris terminentur*: & , si obedire noluerint, quousque obediant, à liminibus Ecclesiæ excludantur. Nec propter hoc enervatur iurisdictio principum secularium qui de actionibus & contractibus subditorum suorum, videlicet laicorum, habent cognoscere, & etiam iudicare: & quæ prædicta iurisdictio, eis non aufertur nec impeditur. Si enim actor voluerit, poterit reum trahere ad iudicium seculare: & tunc iudex laicus cognoscet: si autem vult eum trahere ad iudicium Ecclesiæ, potest: præcipue, intentando actionem iniuriæ vel peccati: quia quilibet laicus Christianus est vtrique iudicio subiectus sive subditus, vni, vt civis; alij, vt Christianus. Et quælibet potestas, potest in eum exercere iudicium suum, si ad illud vocetur. Sed in optione actoris est evocare reum ad hoc vel ad illud iudicium, & non ad vtrumque, & sic potest intelligi illud quod habetur in decretis. Dist. 21. capit. vbi dicitur quod Christus commisit beato Petro iura cœlestis imperij & terreni: & qui hoc privilegium Romanæ Ecclesiæ detrahit, in hæresim labitur & hæreticus est dicendus. Verum quamuis hinc sit ius Ecclesiæ sibi a Deo collatum, tamen ipsa non semper vsa est isto iure, nec vbique, partim ad vitandum scandalum, ne putaretur quod Ecclesia magis quæreret emolumentum pecuniæ quam correctionem vitiorum, partim propter malitiam aliquorum tyrannorum in quorum terris plures Ecclesiæ sunt fundatæ, qui propter suam violentam potentiam non permiserunt Ecclesiæ vti iure suo. Sed in regno Franciæ Christianissimo in quo reges fuerunt Ecclesiæ devoti, a principio quo fuerunt Christiani: Ecclesia liberius vsa est iure suo, & tanto liberius, quanto plus appropinquat sedi regni. Sic igitur patet primum, scilicet quantum extendit se iurisdictio spiritualis ad aliqua quæ videntur pertinere ad iurisdictionem temporalem. Quantum ad secundum, scilicet, quantum extendit se ex vsu & consuetudine, non potest vno verbo dici; quia non omnes Ecclesiæ habuerunt nec habent eosdem vsus & consuetudines: sed quædam vtuntur pluribus, quædam vero paucioribus. Veruntamen si vsus ille consistat circa actiones personales & contractus, modo quo supradictum est; non est in hoc acquisitio iuris novi, cum hoc competat Ecclesiæ iure suo vt statim dictum est: sed est executio iuris primi dati à Deo, quod fuit forsitan quandoque impeditum & postea expeditum vel saltem non impeditum quantum ad executionem; vel est executio iuris prioris: quia nihil prohibet aliquid competere Ecclesiæ duplici iure. Si autem vsus ille sit circa actiones mere reales; vt dicitur esse in quibusdam Ecclesiis, paucis tamen, dicendum est quod ad hoc consuetudo potest in talibus locum habere, & dare iurisdictionem, sicut expresse dicitur, *Extra de iud. c. novit*: vbi dicitur sic: *non enim intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum* (scilicet Regem) *spectat iudicium: nisi forte iuri communi per speciale privilegium vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum.* Igitur per consuetudinem potest alicui acquiri ius cognoscendi & iudicandi de feudo alterius. Alioquin frustra poneretur illa exceptio: *nisi forte*. Et fortiori ratione potest consuetudo locum habere in aliis mere realibus non feudalibus. Istas rationes proposui ego Petrus Bertrandi coram domino Rege Philippo qui nunc est, in illa persecutione quam habuit tunc Ecclesia gallicana, quæ tamen per Dei gratiam sopita fuit sine scandalo.

Privilegium, quid sit.

Nunc restat videndum de tertio, videlicet quid competat Ecclesiæ, ex speciali privilegio seu concessione. Et notandum est, Privilegium (proprie dictum) esse illud quod continet specialem gratiam concessam alicui, contra vel præter ius commune: & isto modo Ecclesia non indiget privilegio humano, quantum ad iurisdictionem in spiritualibus, & in delictis: & in quibus potest notari peccatum: quia hanc habet à Deo, sicut patet ex his quæ dicta sunt in primo articulo huius quæstionis: & ideo non indiget quod ab alio concedatur ei. Sed quia executio huius iuris plurie & in pluribus locis impedita fuit: si aliqui devoti Reges aut Principes ordinaverunt & statuerunt quod Ecclesia non impediretur in executione huius iuris, talis ordinatio potest largo modo vocari privilegium: non ex eo quod conferat ius, sed quia tollit impedimentum executionis iuris debiti: & sic Ecclesia Gallicana dicit se habere plura privilegia à Regibus Franciæ, sancto Ludovico, & Philippo eius filio & fratre dicti Ludovici qui omnes per ordinationes & statuta sua prohibuerunt, ne Ecclesia impediatur in executione iurisdictionis, quæ ei competit de iure vel de consuetudine. Rex etiam Franciæ in coronatione sua iurat seu promittit se servaturum Ecclesiis sui regni privilegium canonicum, in quo includitur quod servetur iurisdictio Ecclesiæ, quæ competit ei non solum de iure, sed de consuetudine, quia canones decernunt, consuetudinem approbatam habere vim iuris. Et sententia excommunicationis fertur contra impedientes iurisdictionem quæ competit Ecclesiæ de iure vel de consuetudine antiqua: *Extra de immun. Ecclesiæ c. quoniam vt intelleximus lib. 6.* De iurisdictione autem in causis mere realibus, quamvis ipsa competat quibusdam Ecclesiis, paucis tamen ex consuetudine: vt supra dictum est, tamen quod competat alicui Ecclesiæ, ex privilegio cuiuscunque Principis vel Domini temporalis, ignoro aut vix concedo pro moderno tempore, quia cum ipsi conentur auferre Ecclesiæ iurisdictionem, quam habet a Christo in omnibus peccatis, & per consequens, in omnibus actionibus circa quas potest intentari actio peccati; vix est credibile quod ipsi dent sua, qui conantur auferre aliena. Veruntamen Theodosius & Carolus Magnus Imperatores, temporibus suis omnia iudicia Ecclesiæ concesserunt, vt habetur 11. q. 5. *c. quicunque & c. sequenti*; & allegatur per Innoc. *Extra de iud. c. novit*: quamuis postea, talia fuerint abrogata. Et videtur circa hoc quod legitur & notatur, *Extra de foro compe. c. ex transmissa, & c. ex tenore*; & quod notatur in dicto. *c. licet.* Et sic patet quod iurisdictio spiritualis & temporalis possunt rationabiliter eidem personæ competere, & quod sola iurisdictio spiritualis extendit se ad omnes Christianos tam clericos quam laicos, quantum ad omnes actiones personales in quibus potest inveniri ratio peccati. Et sic vsa est Ecclesia in regno Franciæ; & est privilegiata quod non impediatur vti iurisdictione in iis quæ competunt ei de iure vel consuetudine. Ad rationes autem in oppositum, respondendum est: Ad primam, cum dicitur quod duæ species eiusdem generis proximi non compatiuntur se in eodem subiecto; vt homo & asinus; albedo & nigredo: dicendum est quod ista ratio deficit in se; & facientes eam, contradicunt sibiipsis. Deficit quidem in se; quia maior, non est vera vniversaliter, sed solum in illis in quibus ex speciali ratione invenitur repugnantia essendi simul: verbi gratia: In omnibus naturis per se subsistentibus est repugnantia essendi in eodem subiecto, quia quælibet ex natura sua nata est constituere proprium subiectum suppositum, vt homo & asinus. Item in oppositis, est repugnantia ex natura oppositionis;

Privilegia Ecclesiæ Gallicanæ à Regibus Franciæ concessa, iuramento quod præstat Rex Franciæ in coronatione.

Privilegiata Ecclesia Gallicana circa vsum suæ iurisdictionis.

&

& ideo in quocunque genere invenitur oppositio inter aliquas species, omnes species illius generis sunt incompassibiles, sicut patet in albedine & nigredine & omnibus coloribus mediis; quia omnes habent oppositionem inter se, saltem imperfectam. His autem exclusis: species generis proximi possunt esse simul in eodem; ut patet de virtutibus tam moralibus quam intellectualibus. Potest enim idem homo simul habere omnes virtutes morales, temperantiam, fortitudinem, iustitiam, & sic de aliis: immo, qui habet unam perfecte & complete, habet omnes, sicut patet ex 6. ethicorum, & in moralibus supra allegatis. Cum igitur potestas regiminis tam spiritualis quam temporalis innitatur vel saltem debeat innixi virtuti; maxime prudentiæ & iustitiæ quæ debent esse in rectore: patet quod istæ virtutes decenter possunt eidem inesse.

[Potestas innixi debet virtutibus. Mat. 22.]

Item; qui fecerunt istam rationem dixerunt quod Episcopi & Archiepiscopi qui habent ducatus, comitatus & baronias ex fundatione Ecclesiarum suarum, vel ex propria hæreditate seu ex acquisitione; bene possunt habere iurisdictionem temporalem: & constat quod habent spiritualem; ergo habent utramque simul. Igitur aut non sunt duæ species eiusdem generis proximi (cuius oppositum dicunt in minore propositione) aut duæ species eiusdem generis possunt simul esse in eodem subiecto; cuius oppositum assumunt in maiore propositione: & sic quocunque dato, semper sibi contradicunt. Ad secundam rationem; cum dicitur quod in illa auctoritate Domini apud Matthæum; *reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*; innuitur divisio prædictarum iurisdictionum & distinctio personarum in quas cadunt: dicendum est quod secundum veritatem textus Evangelij, intentio Christi non fuit in illo loco facere distinctionem prædictarum iurisdictionum, nec signare personas in quas cadunt; sed respondere tentativæ quæstioni Iudæorum, qui cum reputarent se solos esse de popolo Dei (aliis, existentibus paganis & idololatris) non credebant aliqui eorum quod tenerentur ad solvendum censum Cæsari pagano Imperatori; sed immunes esse à censibus & tributis, quia vacabant cultui Dei veri; & ideo cum Herodianis qui erant de gente Imperatoris, venerunt ad Christum proponentes ei hanc quæstionem; *licet dare tributum Cæsari an non?* ut, si diceret, *non*: accusarent eum apud Imperatorem: si diceret, *sic*: accusarent eum apud Principes sacerdotum tanquam dicentem contra libertatem cultus Dei. Iesus autem sciens nequitiam eorum, ostenso sibi numismate census insculpto imagine Cæsaris, respondit, *reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*: id est; Cæsari censum sibi debitum, & Deo cultum in oblationibus & sacrificiis secundum ritum legis. Loquebatur ergo de redditione debitorum, & non de divisione iurisdictionum aut personarum in quas cadunt. Sed dato, sine veritatis præiudicio, quod loqueretur de divisione iurisdictionum: tunc secundum eorum expositionem, per hoc quod dicitur, *reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo*: intelligitur iurisdictio Prælatorum. Sed constat quod iurisdictio eorum est suprema, & ad omnia se extendit, & ab ipsa omnis iurisdictio Principum secularium dependet, *non enim potestas est nisi a Deo*, ergo iurisdictio Prælatorum, quam in terris exercent vice Dei, est suprema inter omnes, & ad omnia se extendit, & ab ipsa omnis alia iurisdictio dependet; quod adversarij invitè concederent.

[Rom. 13.]

Nec ad præsens volumus hoc asserere simpliciter & absolute, sed tantum asserimus, quod cum iurisdictio spiritualis quam habet Ecclesia à Christo, respiciat finem ultimum, videlicet salutem æternam, propter quam acquirendam (& ne eam perdamus) Christus prædictam potestatem dedit Ecclesiæ in beato Petro & successoribus eius: Iurisdictio autem Principum secularium, se extendit solum ad bona & mala præsentis vitæ civilis: quæ omnia inter Christianos debent ordinari ad futuram vitam sicut ad finem:

[Iurisdictio spiritualis & temporalis, ad quem finem se extendat.]

Consequens est quod spiritualis iurisdictio Ecclesiæ se habet ad iurisdictionem secularem; sicut ars quæ considerat finem, se habet ad artem quæ considerat illud quod ordinatur ad finem: puta militaris ad equestrem, & equestris ad frenifactivam sive rectivam. Constat autem quod ars quæ considerat finem, imperat arti quæ considerat illud quod est ad finem, sicut ars militaris quæ considerat victoriam, imperat equestri; & similiter est in aliis, ut dicitur 1. ethic. ergo potestas iurisdictionis spiritualis habet imperare potestati iurisdictionis temporalis; & hæc illi tenetur obedire in casu suo. Verbi gratia: aliquis laicus iuste excommunicatus per Ecclesiam, contemnit excommunicationem longo tempore, nec vult redire ad gremium Ecclesiæ! certe Ecclesia potest præcipere Domino temporali, sub cuius dominio excommunicatus manet, quod compellat eum per captionem bonorum & etiam personæ si necesse fuerit, ut satisfaciat & redeat ad obedientiam Ecclesiæ: &, si dominus temporalis recusat hoc facere; potest & debet excommunicari. Vnde sanctus Ludovicus statuit quod si aliquis maneret excommunicatus per annum, quod compelleretur per gentes regias ad faciendum se absolui, & hoc, in pluribus partibus regni Franciæ observatur quotidie.

[Ordinatio Ludovici, contra eos qui per annum in excommunicatione insorduerunt.]

Ad tertiam rationem de Christo qui abiecit à se (ut dicunt) omnem iurisdictionem temporalem; dicendum est, quod qui dicit Christum non habuisse omnem potestatem secularem seu temporalem & spiritualem, contradicit eius verbo, Matthæi ultimo. c. ubi legitur Cristum dixisse; *data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*. Et Apocalypsis primo, dicitur: *Princeps regum terræ*. Sed bene contingit quod habens potestatem & auctoritatem iurisdictionis, non utitur ea in propria persona; nec decet quantum ad omnia: immo minora debent committi minoribus, & mediocria mediocribus, & maiora supremis; sicut consultum fuit Moysi in Exod. quod constitueret iudices qui minora & faciliora iudicarent tantummodo, & difficiliora remitterent Moysi iudicanda. Et Apostoli dixerunt in actibus; non est æquum nos derelinquere verbum Dei & ministrare mensis: & per hunc modum Christus, licet haberet omnem potestatem, tamen summum opus ad quod venerat, fuit instituere nos de fide sua, & de redemptione nostra per ipsum facienda: propter quod, circa ista quasi totaliter vacavit dimittendo minora quæ per alios fieri poterant; & ideo parvipendit dictum illius qui petebat dividi hæreditatem inter se & fratrem suum: quia ad minores poterat recurrere.

[Exod. 18.] [Act. 6.] [Christus in hoc mundo circa duo principaliter vacavit. Ioan. 6. 1. Cor. 5.]

Fugit etiam cum populus vellet eum facere regem; propter duo: Primo, quia cum ipse rex esset ex se; noluit hoc regnum habere ab hominibus, neque per homines: secundo, ut nobis, qui puri homines sumus, daret exemplum fugiendi honores mundi, quando conferuntur intuitu commodi temporalis, sicut turbæ voluerunt Chrillum facere regem, quia paverat eos quinque panibus & duobus pileibus. Quod autem dixit coram Pilato: *Regnum meum non est de hoc mundo*: non negavit propter hoc, se esse regem; imo postea expresse concessit & confessus fuit. Nam cum Pilatus dixisset ei, *ergo rex es tu?* respondit; *Tu dicis, quia rex sum ego, Ego enim in hoc natus sum & ad hoc veni in mundum ut testimonium perhibeam veritati*: nec dixit regnum meum non est in hoc mundo, cum regnum eius sit in cœlo & in terra, sed dixit, *regnum meum non est de hoc mundo*, quia nec electione mundanâ nec successione humana fuit rex, sed unitione beatâ; quamvis parum aut quasi nihil usus fuerit iurisdictione temporali. Et dico, *parum*: quia quando fecit flagellum de funiculis & eiecit ementes & vendentes de templo & nummulariorum mensas evertit; videtur fuisse usus potestate seu iurisdictione temporali: unde & Iudæi dixerunt ei, *dic nobis, in qua potestate hoc facis?* Veruntamen quia principaliter venerat nos redimere & salvare; quasi omnes actus eius versabantur

[Christus parum usus iurisdictione seu potestate temporali. Ioan. 8.]

circa eruditionem nostram, & pauci aut nulli circa exercitium cuiuscunque iurisdictionis: non quod utramque potestatem non haberet; sed ut saluti nostræ totaliter intenderet: sicut dicit S. Ioannes: *non enim misit Deus filium suum in mundum ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum.* Expleto autem sacramento nostræ salutis per mortem Christi & eius resurrectionem, Christus commisit Petro regimen Ecclesiæ tantum quantum necessarium erat & expediebat cum regimine Ecclesiæ. Et quia utraque potestas temporalis & spiritualis est ad hoc necessaria, ideo utramque potestatem contulit Petro. Et de potestate quidem spirituali nullus Christianus dubitat: de potestate autem temporali, patet in libro Actuum, ubi legitur quod Petrus damnavit iudicialiter Ananiam & Saphyram pro crimine furti & mendacij: Raro autem nusquam legitur alibi quod ipse Petrus fuerit usus hac potestate temporali, quia propter paucitatem credentium super quos fuit sibi data potestas, intentio Petri & aliorum Apostolorum & discipulorum fuit ad convertendum alios ad fidem per prædicationem, & miraculorum operationem, sicut dicitur Matthæi ultimo, *c. illi autem profecti prædicaverunt ubique domino cooperante & sermonem confirmante sequentibus signis.* Multiplicatis autem fidelibus per conversionem gentilium tam Principum quam subditorum, vere remansit, utraque potestas, vel remanere debuit apud Ecclesiam; quia cuius est iudicare de fine, eiusdem est iudicare de iis quæ ordinantur ad finem, ut supra dictum est. Quod autem dicitur ulterius quod Christus soluit tributum; patet ex textu Evangelij ibidem, quod Christus non soluit tanquam debitum, imo antequam solueret, declaravit Petro se non esse debitorem tributi: soluit tamen ipsum, ad evitandum scandalum: unde dixit: *ne autem scandalizemus eos*, &c. Ad illud quod postea dicitur: *subiecti estote omni humanæ creaturæ*, &c. Dicendum est quod beatus Petrus non loquitur de subiectione unius ad alterum quo ad iurisdictionem; quia sic oporteret quemlibet esse subiectum cuilibet, quo ad iurisdictionem, & è converso, quantum ad Christianos quibus omnibus loquitur dicens: *subiecti estote omni humanæ creaturæ*: quod est absurdum; scilicet, quod idem respectu eiusdem sit Dominus & subditus: sed loquitur de subiectione quoad meritum humilitatis, quæ apud omnes debet servari; magis tamen respectu regum & ducum & aliorum qui in sublimitate constituuntur: Et sic respondet & bene, Innoc. *Extra de iudic. c. novit.* Ad aliud dicendum est quod tam sacerdotium quam imperium sunt à Deo per modum in præcedentibus expositum. Sacerdotium quidem ut præcellet divinis & spiritualibus, quantum est de prima & principali intentione sacerdotij. Sed quia divina & spiritualia perturbantur & quæcunque impediuntur per abusum hominum circa temporalia: ideo ad sacerdotium, secundario & ex consequenti, pertinet impedimenta & perturbationes tollere, & impeditores ac perturbatores ferire gladio spirituali. Et isti sunt veri termini iurisdictionis spiritualis, & temporalis Ecclesiæ, quos transgredi non licet, quia iurisdictio temporalis nullo modo se extendit ad spiritualia, de quibus nihil novit: Iurisdictio vero spiritualis se extendit ad actiones hominum circa temporalia: quæ ordinantur ad spiritualia tanquam ad finem, quatenus abusus hominum circa ea, potest impedire finem. Ad ultimum, cum dicitur quod officia debent esse impermixta, alioquin sequeretur confusio; dicendum est quod illud habet locum quando plures intromittunt se simul de eodem negotio; quod non est in proposito, quia de spiritualibus nullus potest se intromittere, nisi iudex Ecclesiasticus; de temporalibus vero non intromittunt se simul iudex sæcularis & iudex Ecclesiasticus, quia nullus pro eadem causa debet simul trahi ad diversa iudicia; sed in optione actoris est recurrere ad unum eorum, & ille solus habet tunc cognoscere de illo negotio & iudicare; & sic nulla est confusio.

E

QVARTA QVÆSTIO.

QVarto quæro, utrum potestas spiritualis debeat dominari temporali. Et videtur quod non: quia iurisdictiones sunt distinctæ ut in *Authent. quomodo oportet Episcopos, & c. in principio. colla. 1. de consecratione distinctione 3. c. celebritatem*, in fine. Non ergo Papa debet se intromittere de potestate temporali, sed debet temporalia dimittere Imperatoribus, Regibus, & aliis Dominis temporalibus; 8. *distinctione cap. quo iure argument. extra qui filij sunt legi. cap. lator. & cap. causam*: aliàs poneret falcem suam in messem alienam: *de election. cap. venerabilem*: quod non est faciendum. *ult. quæst. 3. cap. primo.* Præterea secundum Hugo Imperator à solo Deo habet potestatem in temporalibus: Papa vero in spiritualibus: & sic iurisdictiones sunt distinctæ, ut dicunt primæ concordantiæ. Et licet Imperator coronam recipiat à Papa; gladium tamen ab altari recipit, 93. *distinctione cap. legimus.* Et etiam, fuit antè Imperium quam Apostolatus.

Imperator potestatem habet à Deo scilicet & Papa.

F

Propterea potestas spiritualis indiget temporali multotiens, 23 *quæst. ult. cap. administratores*: ergo non dominatur ei. Præterea si spiritualis dominaretur temporali, haberet dominium temporalium, sed dominium earundem rerum non potest esse simul & semel in solidum eodem tempore, apud plures: *digestis commo. lege si ut certo. §. si duobus vehiculum*: ergo nullus alter haberet dominium; quod est falsum: ergo, &c. Contrarium videtur, nam Christus commisit summo Pontifici vices suas, ut habetur apud Matthæum, & 24. *quæst. capite prima quodcunque*, sed Christo *data* erat *omnis potestas in cœlo & in terra*, apud Matthæum, ergo summus Pontifex qui est eius vicarius, habebit hanc potestatem, *Extra de translatione Episcop. cap. quanto.* Respondeo & dico quod potestas spiritualis debet dominari omni humanæ creaturæ, per rationes quas Hostiensis inducit in summa, *qui filij sunt legitim. §. qualiter & à quo.*

Mat. 16. Mat. 28. Summus Pont. potest deponere Imp. de gradu.

G

Item quia Iesus Christus filius Dei; dum fuit in hoc mundo, & etiam ab æterno, naturalis Dominus fuit: & de iure naturali, in Imperatores & quoscunque alios depositionis sententias ferre potuisset & damnationis, & quascunque alias, utpote in personas quas creaverat, & donis naturalibus & gratuitis dotaverat, & etiam conservabat, & eadem ratione etiam eius vicarius potest. Nam non videretur discretus Dominus fuisse (ut cum reverentia eius loquar) nisi unicum post se talem vicarium reliquisset, qui hæc omnia posset. Fuit autem iste vicarius eius Petrus apud Matthæum. Et idem dicendum est de successoribus Petri: cum eadem absurditas sequeretur, si post mortem Petri humanam naturam à se creatam, sine regimine unius personæ reliquisset. Argumentum ad hoc, *qui filij sint legi. cap. per venerabilem*, ultra medium, de hoc notat Innocent. *in cap. licet de foro compe.* Et ideò Bonifacius octavus motus multis aliis efficacibus rationibus & exemplis & auctoritatibus sacræ scripturæ, declaravit, dixit, & definivit subesse Romano Pontifici omnem humanam creaturam, de necessitate salutis; ut in Decretali, *unam sanctam: extravaganti, in titulo de maioribus & obedientibus*: quam de verbo ad verbum in fine huius Opusculi inserere curavi, quoniam elucidat & declarat materias huius quartæ quæstionis.

Mat. 15.

Motivũ Bonifacii Octavi.

H

Ad argumentum in contrarium, respondeo. Ad primum, cum dicitur quod iurisdictiones sunt distinctæ, &c. dicit Hostiensis, sic: ego iurisdictiones distinctas assero & utramque à Deo processisse, ut dicit Auth. *quod oportet Episcop.* tamen quanto altera magis Deo appropinquat, tanto est maior; ergo sacerdotium maius: quod probatur ex ordine scripturę dictę Auth. Et sic intellige quod nõ multũ discrepãt sacerdotium & Imperiũ

A

Vnctionis Episcopalis & Regiæ discrimē.

ut *in Auten. de non alien. & permutandis rebus Ecclesia, §. si minus, collat. 2.* Non multum discrepant quoad principium unde procedunt; sed multum discrepant quoad maioritatem. Inde est quod caput Episcopi inũgitur, sed armus Regis;& Episcopus chrismate; Rex oleo; ut sciatur quod Episcopus est vicarius capitis nostri,id est,Iesu Christi:Et ut ostendatur quanta sit differentia inter auctoritatem Pō ificis, & Principis potestatem. *Extra de sacra unctione cap. 1. versiculo, unde in veteri testamento.* Et eodem modo respondetur ad secundam oppositionem. Et quod dicitur antè fuisse imperium quàm Apostolatum; hoc non facit ad propositum, quia potestas non ratione temporis dicitur maior, sed ratione potius dignitatis. Nam & si Andreas primus venit ad fidem quam Petrus,Prælatus est tamen Petrus Andreæ; cum in Apostolorum catalogo semper Petrus quasi præcipuus præmittatur; non quod Petrus sit prior sive potior tempore, sed potior dignitate.

B

Petrus Apostolorum præcipuus. Dominium est duplex.

Ad tertium argumentum, dico quod licet (ut supra dictum est) omnis humana creatura subsit Papæ;& sic potestati spirituali; non tamen sequitur quod habeat dominium omnium rerum temporalium. Ad cuius declarationem est sciendum quod est duplex dominium:est enim quoddam dominium iure divino,quoddam aliud iure humano; 8. *distinctione capite quo iure.* Divinum dominium est illud,quod est apud Deum supra omnem creaturam: Ipse enim Deus, creator est omnium universorum; qui enim manet in æternum,*creavit omnia simul*:Item in Genesi: *In principio creavit Deus cælum & terram.* Et vide de hoc, quod legitur & notatur. *C. de summa Trinitate & fide catholica capite primo.* Isto iure divino, *Domini est terra & plenitudo eius, de Decimis, capite tua nobis: dicto capite quo iure.* Istud dominium, est verum dominium,simplex & absolutum; & unus est Dominus omnium creaturarum, Deus: & ideo, proprie loquendo: omnes creaturæ, proprietates,res,& possessiones, & bona alia, in bonis nullius sunt vere, absolute & proprie, nisi Dei.

Eccl. 18. Genes. 1. Ps. 23. 1.

C

Circa quod dominium,dicit Hostiensis,*de voto & vo.redemption.capite quid super, in magna glos.versiculo, mihi tamen videtur sic:* Mihi videtur quod in adventu Christi omnis honor & omnis Principatus & omne dominium & iurisdictio,de iure & ex iusta causa. per illum qui supremam manū habet,nec errare potest, omni infideli subtracta fuerunt & ad fideles translata: quod hoc iustà causà probat sapiens: *Regnum de gente ad gentem transfertur propter iniustitias & iniurias & contumelias & diversos dolos.* Quod hoc factum sit, probatur: *de constitutione, capite translato:* & hoc, in persona Christi filij Dei vivi,qui non solum sacerdos fuit sed & rex. Lucæ 1. *ecce concipies in utero:* &c. usque: *& regni eius non erit finis.* Vnde & ipse dixit apud Matthæum: *Auferetur à vobis regnum, & dabitur genti facienti fructum eius.* Huius autem regni & sacerdotij principatum perpetuum commisit filius Dei Petro & successoribus eius: ut patet in eo quod legitur & notatur, *de hominibus capite pro humanitate libro 6. & c. per venerabilem, qui filij sint legi. §. rationibus, per totum* & maxime in versiculo finali.

Eccl. 10. Matth. 21.

D

Dominiū legale,sive humanū

Et de tali dominio divino dico,quod omnis temporalis potestas est subiecta spirituali, & debet potestas spiritualis potestati temporali dominari. Aliud est dominium quod secundum legistas vocatur legale dominium;& ita nominat Accursius, *digestis de verborum significatione lege recte*: secundum vero canonistas, vocatur humanum: ut, *in dicto capite quo iure.* De isto legali vel humano dominio dicit Innocentius sic,quod est ius quod ad aliquem spectat vel acquiritur de iure naturali,ut sunt dominij,obligationes, & huiusmodi, &c. innuens expressè quod rerum dominia & obligationes sunt de iure naturali, id est, de iure gentium; non autem à iure civili vel Imperatore, ut actiones, *ut digestis de iustitia & iure, lege ex hoc iure, institutione de rerum divinarum. §. fere.* Ita notat Innocentius: *de constitutione capite quæ in Ecclesiarum*: & Compostellanus dicit ibidem quod à iure gentium descendunt dominia. Sed per leges Principum distinguuntur modi per quos rerum dominia acquiruntur:

E

digestis de acquirendo rerum dominio per totum, & institutione de rebus divinis per totum: & sic intelligit quod legitur, 8. *distinctione capite quo iure:* & sic concordant in hoc quod dominia sunt de iure gentium. Sed videtur mihi quod dominium rerum legale vel humanum, fuit à Deo collatum humanæ creaturæ, & non fuit ab initio introductum iure gentium vel civili:Nam Deus omnia quæ creavit, fecit propter rationabilem creaturam: & omnia subiecit rationabili creaturæ: & sic reservato sibi universali & vero dominio omnium creaturarum, huius dominij utilitatem concessit ab initio humanæ creaturæ, quo ad usum:quod videtur intelligere Accursius *C. de iure dominij lege in rebus:* super verbo, *naturaliter* ubi dicit quod iure primævo non distinguebantur dominia nisi quantum ad usum,*&c.*

Genes. 1.

F

Vnde, ante ius gentium omnia fuerunt communia quousque iure gentium usibus primorum parentum appropriarentur, ut unusquisque quod suum esset, sciret. Vnde lex dicit,quod iure gentium dominia sunt distincta: non dicit introducta; ut *dicta lege digestis de iustitia & iure lege ex hoc iure.* Cum enim iure gentium dividantur dominia; sequitur quòd ante divisionem erant dominia communia *argumen.digestis communi divid. lege 4. circa principium*,cum ibi notatis. Vnde ex concessione divina, utilitatis dominium quod est quoddam dominium legale vel humanum respectu veri dominij divini, non dicitur dominium; sed in se consideratum dicitur verum. Istud vero dominium legale vel humanum (prout erat in communi) non debet dici iuris gentium; sed divini: prout vero cuilibet appropriatur vel acquiritur hoc dominium, sic consideratum, est de iure gentium. Et tale dominium non est apud Papam tantum, sed apud omnes qui iustè acquisiunt:& ex quo semel acquisitum est, non licet Papæ vel alicui alteri auferre vel occupare sine iusta causa:

G

quia esset contra ius naturale divinum, quo unicuique dictum est,ne faciat *alteri quod sibi non vult fieri*,ut in principio Decretorum, & Dominus dicit in Esdra: *Ne transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt patres tui, 9. quæstione prima capite, nullus alterius.* Facit ad hoc, *C. de cohorta, lege si quis, libro 12.* Et hoc intelligo, *sine causa:* quia ex iusta causa posset aliquis privari ab homine vel à iure, tali dominio. *digestis de religiosibus & sumptibus funerum, lege si quis sepulchrum, C.pro quibus caus serm. libe.acce. per totum:* & *digestis,& Cod.de bonis damn.* per totum.

Potest quis,ex iusta causa privari dominio rei suæ.

Vnde,per hoc respondetur ad argumentum;quod quantum ad humanam creaturam,illa subest spirituali potestati, sicut dictum est:Sed dominium rerum aliarum esse apud singulos qui iustè acquirunt, verum est de dominio legali vel humano: sed dominium divinum est apud Deum; nec est contradictio, diversisque respectibus accepto dominio. Ad illa iura communia quæ dicunt quod Imperator est Dominus mundi! *digestis ad legem Rom. de iact. lege deprecatio:* Respondeo ut notatur *Cod. de quadri. præscript. lege bene à Zenone.*

H

Hoc loco non adiecimus Bonifacianam extravagantem, Vnam sanctam Ecclesiam: *quam paulo supra in hac eadem postrema quæstione se,ut in huius opusculi fine verbo ad verbum insereretur, curasse ait: Licebit enim cuivis illam perlegere inter extravagantes communes de* Maioritate & obedientia *Proinde finem hic capit utilissimus Tractatus R. P. ac D. Petri Bertrandi Cardinalis & Episcopi Eduensis, de utraque potestate.*

E

NICOLAI

CABASILÆ

DE VITA IN CHRISTO,

LIBRI VI.

EX IACOBI PONTANI Societatis IESV Præfatione ad Lectorem, in Philippi Solitarij Dioptram.

EXTABAT *etiam in Bibliotheca Bavarica Nicolaus Gabasilas* περὶ τῆς ἐν χριστῷ ζωῆς *sive* de vita in Christo, *opusculum sane doctum ac pium, & ad animos Dei amore inflãmandos mire appositum, quod Dioptra adiungere propter rerum convenientiam placuit, speramusque pari fructu evolutum iri. Volebamus inscriptionem ita reddere,* DE VITA CHRISTIANA. *Sed cum ille non tam vitam Christianam præceptis formet, quam quemadmodum illa cum Christo in Deo abscondita sit, ostendat idque trium sacramentorum vi & virtute potissimum, Baptismi, Vnctionis sive Confirmationis, & Eucharistiæ, verius fuit simpliciter,* DE VITA IN CHRISTO *inscribere, secundum verba græca scilicet. Fuit Cabasilas vir illustris, cuius honorifica mentio in historia Ioannis Cantacuzeni nostra lib. 3. cap. 73. & 99. ubi Sacellij curator, sive Præfectus nominatur, qui à Curopalata libro de officialibus palatij Constantinopolitani, & officiis Magnæ Ecclesiæ sic describitur.* (ὁ σακελλίου *subaudi* ἄρχων) χαρτῶν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, καὶ τὸ σακέλλιον, cuius est, in Ecclesias Catholicas, & res sacellorum, *id est, rerum ad sacras ædes, & sacella pertinentium. Eiusdem oratio in fœneratores in eodem codice Bavarico sequebatur, multo emendatior profecto, & longior, quam Augustæ superioribus annis est edita. Quam si legerint isti qui fœnerando homines occidunt (sic enim Cato Censorius, interrogatus quid esset fœnerari? quod hominem, inquit, occidere) quid amplius nefariæ improbitati suæ prætexant, non habebunt. Occurrit enim, & confutat illorum rationes universus.*

INDEX LIBRORVM.

NICOLAI

CABASILÆ

DE VITA IN CHRISTO,

LIBER PRIMVS.

Vitam in Christo per divina Baptismi, sacræ Vnctionis & Communionis mysteria constitui.

F

VITA, quam in Christo traducimus, in hoc sæculo enascitur illa quidem, & hic inchoatur; verum in futuro perficitur absoluiturque cum nimirum ad illum extremum diem perveneri-mus. Ac neque præsens hoc ævum, istuc de quo loquimur vitæ genus integrè cumulateque in animos hominum introducere, & inserere potest: nec futurum, nisi hinc principium duxerit. Nam nunc qui dem caro tenebras offundit; & quæ inde nebula corruptioque existit, incorruptionem non possidebit. (1. Cor. 15.) Vnde Paulus hisce vinculis exsolui, & esse cum Christo vehementer sibi conducere arbitrabatur. (1. Phili.) *Desiderium habens*, inquit, *dissolui, & esse cum Christo, multo magis melius.* Ventura autem vita quos à facultatibus & sensibus ad ipsam necessariis desertos acceperit, iis beatitudinem nullam afferet: sed in fœlici illo immortalique mundo, ipsi mortui, & infœlices habitabunt. Nam lumen quidem exoritur, & sol puros emittit radios, oculus autem tum non formatur. Et odoris fragrantia large copioseque effusa implet omnia, at nares, sive olfactum qui non habuerit, non eum hinc accipiet. Ita mysteriis cum filio Dei amicos illo die communicare licebit, & quæ audiverit à patre suo, ea ab eodem cognoscere; sed ipsos amicos eius etiam cum auribus eo advenire necesse est. (G) (Ioan. 15.) Nec enim illic primùm amicitiam dabitur coniungere, & aures tum demum aperire, vestemque nuptialem conficere, & (Mat. 22.) alia demum comparare, quæ sponsus ille requirit: verum istorum omnium officina est quod hic ætatis degimus. Quibus porro isthæc non suppeditaverint, antequam decedant, iis nihil cum vita illa commune erit. Testes sunt quinque virgines fatuæ, & vocatus ad nuptias; qui quoniam instructi non venerunt, nec illæ oleum amplius, nec iste vestem acquirere potuerunt. (Mat. 25. Mat. 22.)

Omnino, interiorem hominem, novum, & qui secundum Deum creatus est, mundus iste parturit; (Ephes. 4.) qui hic fictus formatusque & ita perfectus, in illum perfectum, & nullo senio fatiscentem mundum generatur. Quemadmodum enim fœtum, quandiu materno clausus utero, in tenebris & in nocte vivit, natura ad spiritum in hac luce ducendum adornat, atque ad vitam quæ illum exceptura est, tanquam ad canonem, seu regulam quandam conformat: (H) ita sanctis quoque usu venit. Et hoc est, quod Paulus Apostolus ad Galatas scribens ait: (Galat. 4.) *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis.* Veruntamen infantes nondum nati vitam hanc non cognoscunt: at beati de futuro sæculo multa etiam in hoc sæculo prænoscunt. Hoc ideo fit, quod illis vità hac frui nondum contigit, tametsi certo contingeт. Nec enim adhuc in locis illis ubi delitent, radius lucis conspectus est: nec eorum aliud quidquam, quibus vita hæc nostra nititur ac sustentatur. At nobiscum aliter res habet: quibus vita quam expectamus, cum hac quasi colligata, & commista est, & illius sol etiam nobis benigne illuxit, cœlesteque unguentum in regionibus graveolentibus effusum, (Ps. 77.)

& panis angelorum hominibus quoque impertitus est.

Quapropter non solum instrui, ac præparari ad vitam illam, sed iam secundum eandem etiam vivere, & agere sanctis hominibus in hac mortalitate conceditur. *Apprehende vitam æternam*, inquit Paulus epistola ad Timotheum. Et alibi, *vivo autem iam non ego, vivit vero in me Christus.* Et divinus Ignatius. *Aqua viva saliens in me, intus mihi dicit, veni ad Patrem.* Et alia complura, quibus refertæ sunt sacræ literæ. Super omnia vero, cum ipsa vita sanctis semper affutura promittitur. (*Ecce*, inquit, *ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*) quid aliud, nisi hoc ipsum nos cogitare & colligere convenit? Haud enim cum semina vitæ per terras sparsisset, ignemque & gladium misisset, statim abscessit, hominibusque seminum ad fringem perducendorum, & conservandorum, ignia accendendi, gladiis utendi curam reliquit; sed ipsemet præsens adest, operans in nobis velle & perficere, ut Paulus ait. Et ignem ipsemet accendit, & admovet; & gladium ipse tenet. Ad summam, *nec securis gloriabitur absque eo qui secat in ea*; & quos deserit, qui solus est bonus, iis nihil boni evenire queat. Cæterum sanctis se non affuturum tantummodo, sed etiam apud ipsos mansurum, & (quod insignius est) mansionem apud eos facturum Dominus promisit. Quid multa? etiam illis ita amanter copulari & uniri scribitur, ut unus cum ipsis spiritus efficiatur. *Qui enim adhæret Deo, unus spiritus est cum eo.* Similiter Pauli vox est, *ut sitis unum corpus, & unus spiritus, sicut vocati estis.*

Sicut autem benignitas Dei inexplicabilis est, & charitas eius erga genus humanum omnem dicendi facultatem superat, soli divinæ bonitati congruens, (ipsa siquidem est *pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum*) ita consequitur, ut eius unio cum iis quos diligit, quamlibet unionem, quam quis cogitatione percipere potest, multis partibus vincat, nec aliqua comparatione pro dignitate declaretur. Quamobrem scriptura pluribus exemplis opus habuit, quibus coniunctionem illam arctissimam exprimeret, quod unum minime satis esset. Et modo quidem habitatorem & domum inducit; modo vitem & palmitem; modo nuptias; modo membra & caput, quorum nullum plene respondet; nec enim per ullum horum veritatem exacte licet attingere. Amori & charitati parem esse & coniunctionem maxime oportet. Divinæ autem charitati quid tandem æquari potest? Deinde quæ copulationem, & unionem inprimis significare videntur, nuptiæ sunt, & membrorum capitisque apta coagmentatio. Atque ista quam plurimum distant, multumque abest ut rem ante oculos ponant. Etenim coniugium nunquam adeo coniuges coniugabit, ut alter in altero sit & vivat, id quod in Christo & Ecclesia cernitur. Vnde sanctus Apostolus, cum dixisset de matrimonio, *sacramentum hoc magnum est*, adiecit continuo, *ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*; ostendens, non illas sese nuptias, verum hasce potius admirari. Membra autem connexa quidem sunt capiti, & per eam connexionem atque copulam vivunt; qua dirupta moriuntur. At vero ista membra Christo magis, quam suo capiti coniuncta videntur, magisque hac, quam illa cum capite commissura, & compage vivere; quod beati martyres demonstrant, qui illud iucunde pertulerunt; hoc ne audire quidem voluerunt. Nam caput quidem, ipsosque artus cum voluptate posuerunt; à Christo autem ne voce quidem tenus seiungi, divellique potuerunt.

Nondum dixi, quod inprimis inusitatum, & singulare est. Quid enim alteri magis coniungatur, quam ipsum sibimet ipsi? Et tamen hæc ipsa coniunctio sive unio coniunctione illa inferior & imperfectior est. Beatorum quippe spirituum unusquisque unus & idem sibi ipsi est: Salvatori nihilominus magis quam sibimet copulatur: plus enim illum quam sese amat. Quod dicimus, Paulus confirmat, optans anathema esse à Christo propter salutem Iudæorum, quo illius gloria augeatur. Quod si humanus amor tantus est, divinus quantus sit, æstimari non potest. Si enim qui mali sunt, tantam bonitatem exhibuerunt, quid de illa bonitate memorabimus? Cum porro amor tam sit excellens & eximius, necesse est etiam conglutinationem, ad quam amantem adigit, humanum ingenium sic deprimere, ut se nec ad similitudinem quidem, seu collationem inveniendam queat extollere. Sed rem ad hunc modum consideremus.

Cum multa sint, quibus per vitam egemus, aëre inquam, lumine, alimento, vestibus, ipsis naturæ facultatibus, & membris, fit tamen, ut nullius usum ea omnibus semper, & ad omnia desideremus, sed nunc istud, nunc aliud adhibeamus, alias alio ad præsentem necessitatem inserviente videlicet. Vestem quippe induimus, quæ alimoniam non præbet; sed cibum appetentibus, aliud quærendum est. Lumen ad animam ducendam non facit. Aër vicissim lumine nobis non radiat. Sensuum & membrorum officio non usque & usque fungimur; sed cum oculus, tum manus interdum otiosa est, cum auscultare quippiam oportet. Contingere, seu tractare aliquid cupientibus manus sufficit, vel odorari, vel audire, vel intueri volentibus, nihil commodat; sed ea missa ad aliam facultatem respicimus. At Salvator in ipso viventibus sic semper, & omnimodis adest, ut quibuscunque eorum necessitatibus consulat, & ipsis sit omnia, nec alio prorsus se vertere, nec aliunde quærere quidquam sinat. Non enim egent aliquo sancti, quod ipse non sit. Generat namque ipsos, & educat, & alit, & lumen ipsis est, & halitus, & fingit ipsis oculum semetipso & illuminat semetipso, & se cernendum præbet. Et cum sit alitor, simul est alimentum. Et ipse est qui panem vitæ dat; ipse, inquam, est qui dat: & vita est viventibus, & unguentum spirantibus, & vestimentum operiri cupientibus. Nempe is est, per quem ambulare possumus, & ipsa via, & insuper terminus viæ, adeoque diversorium. Membra nos sumus, ipse caput. Certandum est? unà certat. Præclarè certamus? Præses & arbiter certaminis est. Vincimus? nostra corona est. Sic undecunque mentem nostram ad seipsum advertit, nec ad aliud patitur effundi nec ullius rei amore implicari. Etsi enim hic cupiditates debellaverimus, ipse eas coërcet ac sedat. Et seu illuc eas, seu alio, etiam aliam viam occupat, transeuntesque manu comprehendit. (*Si ascendero in cælum*, inquit, *tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua*) coactu quodam admirando, & suavi tyrannide ad se solum nos trahens, sibique copulans, & astringens. Atque hanc illam esse vim & necessitatem opinor, qua in domum suam ad convivium compulit, quos convocavit, cum servo diceret, *compelle intrare, ut impleatur domus mea.*

Vitam igitur in Christo non in venturo tantum sæculo affuturam, sed in præsenti etiam adesse sanctis, & secundum illam eos vivere atque operari, ex his quæ dicta sunt perspicuum fit. Vnde autem ita vivere liceat, & quod Paulus ait, in novitate vitæ ambulare, quid inquam facientibus Christus ita coniungatur, & adhærescat, aut quo alio nomine res appellanda est, deinceps disseremus.

Faciendorum itaque aliud à Deo, aliud à studio & diligentia nostra aptum est: & illud quidem opus eius solius est, hoc nostram quoque contentionem desiderat, vel potius, à nobis tantum præstatur duntaxat, quantum gratiæ innititur, nec thesaurum prodit, nec lucernam iam accensam extinguit; cum scilicet nihil superindocimus, quod vitæ adversetur, mortemque progignat. Huc enim bonum omne, & omnis virtus humana collineat, ne quis gladium in semetipsum adigat, nec fugiat fœlicitatem, & coronam è capite excutiat: Quoniam essentiam ipsam vitæ Christus ipsemet præsens, modo quodam, cui explanando verba non reperiuntur, animis nostris serit. Vere enim adest, & principiis vivendi opem fert, quæ ipsemet adventu

suo attulit. Adest autem, non vt primum victu, congressu, consuetudine nobiscum communicans: sed alia quadam ratione meliore perfectioreque, secundum quam concorpores, & eiusdem vitæ participes, & membra illi euadimus, & si quid aliud eodem pertinet. Quemdamodum enim benignitatem, qua impulsus inimicos adeo dilexit, tantisque beneficiis cumulauit, nulla lingua consequatur: & vt proinde coniunctio eius, qua amicis suis deuincitur, omnem quæ animo informari, aut nominari potest, coniunctionem post se relinquit: sic item modus quo adest, & benefacit, admiratione dignus, & facienti mirabilia soli conueniens est. Mortem enim, quam ipse pro vita nostra vere obiit, signis & notis quibusdam, velut in pictura imitantes, rebus ipsis renouat, & instaurat; ac vitæ suæ consortes præstat.

In sacris namque mysteriis sepulturam eius adumbrantes, & mortem annunciantes, per ea generamur, & fingimur, & excellentissimè cum Salvatore coalescimus. Hæc enim sunt, per quæ in ipso, ut Paulus ait, vivimus, movemur, & sumus: Siquidem baptisma quidem esse, & prorsus subsistere in Christo largitur. Id enim mortuos, perditosque complexum, primum in vitam introducit. Sacra autem unctio, natum perficit & consummat, actionem tali vitæ respondentem inserens. Divina deinde Eucharistia vitam hanc & sanitatem continet, atque conservat. Parta enim servare, & vitam retinere, panis vitæ donum ac munus est. Idcirco hoc quidem pane vivimus, unguento autem movemur, postquam à baptismo accepimus ut essemus, Et hoc pacto vivimus vita à mundo isto aspectabili ad inaspectabilem conversa, & non quidem loco, sed vita, & vivendi rationibus commutatis. Nec enim ipsi ad Deum evecti sumus, nec ad illum ascendimus: quin ille potius ad nos venit, & descendit, sed quæsiti sumus: nec nos quæsivimus: quia non ovis pastorem, nec drachma patremfamilias quæsivit: ast ipse de cœlo in terram prospexit, & invenit imaginem suam, venitque in loca, in quibus errabat ovis, quam in humeros sustulit, & ab errando cohibuit: non inde homines transferendo: sed in terris manentes & cœlestes reddidit, & vitam iis cœlestem impertivit. Non in cœlum nos subduxit: sed cœlum ad nos inclinavit, & deduxit, sicut Propheta ait, *inclinavit cælos & descendit*. Proinde per hæc sancta mysteria tanquam per fenestras in tenebrosum hunc mundum sol iustitiæ ingreditur, vitamque huic mundo conformem morte afficit, ac cœlestem excitat, & lux mundi mundum vincit; quod his verbis insinuat: *Ego vici mundum*. In mortali & fragili corpore stabilem æternamque vitam intulit.

Sicut enim in domo quapiam, illapso solis radio lucerna cernentium oculos ad se amplius non advertit, verum claritas radij eam longe vincens dominatur; consimiliter in hac vita per mysteria futuræ vitæ splendor immissus, & animas inhabitans, vitam quæ in carne degitur, vincit, pulchritudinemque & claritatem mundi huius obscurat. Et hæc est vita illa in spiritu, qua omnis concupiscentia carnis, iuxta Pauli vocem triumphatur. *Spiritu ambulate*, inquit, *& desideria carnis non perficietis*. Hanc viam fecit Dominus noster, cum ad nos veniret, & hanc portam in mundum ingressus aperuit, & ad Patrem reversus, claudere non sustinuit: sed ex eo per hanc ad sanctos accedit; quin potius omni tempore adest, & nobiscum est, & erit semper promissum ac receptum illud suum efficiens. Quocirca non est hoc aliud, nisi domus Dei, & hæc est porta cœli, dixit Iacob Patriarcha; per quam non solum Angeli in terras descendunt (cuilibet enim initiato adsunt) sed etiam ipsemet Angelorum Dominus. Hanc ob causam & Salvator quando baptismum suum ceu in tabula præmonstrans, baptismo Ioannis ipse quoque ablui non refugit: cœlum aperuit; docens, hoc esse per quod cœlestes illas regiones visuri simus. Quin etiam, quibus verbis, affirmavit, non posse qui sacro fonte ablutus non sit, in vitam ingredi, iis ipsis lavacrum istoc introitum, & portam quandam illius esse indicavit. *Aperite mihi portas iustitiæ*, exclamat David, has, ut arbitror, portas aperiri desiderans. Hoc enim est, quod multi Reges & Prophetæ videre cupierunt; delapsum scilicet in terras portarum istarum artificem. Propterea item si ingressu isto potiatur, perque portas hasce introeat, gratias se Deo acturum profitetur, qui murum divisit. *Ingressus enim in eas*, inquit, *confitebor Domino*, sut qui ab hisce portis maxime ad perfectissimam divinæ bonitatis, benignitatisque erga genus humanum cognitionem aspirare potuerit.

Quod enim clementiæ & benignitatis indicium excellentius, quam lavantem aquâ, à sordibus animæ purgari? unctum unguento regnare in regno cœlesti? convivio excipi ab eo, qui suum ipse corpus & sanguinem apposuit? homines deos, & filios Dei fieri? naturamque nostram divinis honoribus coli, ac pulverem in tantum gloriæ fastigium extolli, ut iam divinæ naturæ, & honoris, & deitatis consors sit? Cuinam aliquid tale eveniat? quam, quæso, novitatis, & insitatæ rei magnitudinem prætermisit; Hæc enim est virtus Dei, quæ operuit cœlos, opinor, creaturam universam supergressa est, & omne opus Dei præcelluit, maiestate scilicet, & præstantiâ exsuperans. Omnium namque divinorum operum, tam multorum, bonorum, magnorumque nullum est, quod non ipsa sapientiam, & artem fabricatoris omnium videatur, potestque, si vult, editis meliora & maiora edere, quantum profecto dicere nequimus. Quod si adeo bonum, & eximium Dei opus fieri potest, ut cum illius sapientia, potestate, & arte contendat, &, ut verbo dicam, eius infinitati exæquetur, & veluti vestigium totam eius maiestatem, amplitudinemque ostendat, hoc arbitror esse vicisse. Nam si hoc Dei opus semper est, bonum communicare, & eius rei causa agit omnia, & hic est finis atque scopus tum eorum quæ hactenus ab eo facta sunt, tum eorum quæ in posterum fieri ab eo possunt, (bonum enim diffundi ac propagari ait Dionysius,) quod faciens Deus universorum, communicavit bonum omnium maximum, & quo nobilius dare nequit, id fuerit supremum illud, & pulcherrimum bonitatis opus, & extremum bonitatis eius.

Huiusmodi porro œconomiæ opus est, quam pro salute humana suscepit & administravit. Hic enim non simpliciter qualecunque bonum naturæ humanæ communicavit, sibi potioribus reservatis, sed ipsam totam plenitudinem divinitatis, omnes divitias suas naturales in eam congessit. Idcirco & iustitiam Dei in Evangelio præclare revelari Paulus scribit: *iustitia enim Dei in eo revelatur*; inquit. Si qua enim est iustitia, & virtus Dei, ea erit, omnibus affluenter bona sua impertiet, ipsaque communio beatitudinis. Hanc ob causam mysteria sacratissima portæ iustitiæ merito nominentur, quoniam Dei erga genus nostrum suprema benignitas & bonitas, quæ est divina virtus & iustitia, hunc nobis introitum in cœlum patefecit.

Immo vero etiam alio modo, indicio quodam, & iustitia hoc trophæum constituit Dominus, & hanc portam, & hanc viam nobis est largitus. Non enim captivos rapuit, sed liberationis pretium persoluit, & fortem alligavit, quod esset potentior; & iustâ sententiâ eo condemnato, regnavit in domo Iacob, in animabus hominum tyrannidem evertens; non quia evertere potuit; sed quia eam everti iustum erat. Atque hoc David indicans, ait, *iustitia, & iudicium præparatio sedis tuæ*. Non solum autem iustitia has portas aperuit; sed etiam iustitia ipsa per eas ad genus nostrum venit. Prioribus enim temporibus, priusquam Deus ad homines delaberetur, iustitia in orbe terrarum nusquam inveniebatur. Ipse enim Deus de cœlo aspiciens quæsivit; quem latere non potuisset, si ulla extitisset & tamen non invenit, *Omnes enim*, inquit, *declinaverunt*,

[A] [*Psal. 13.* *Psal. 84.* *Isa. 9*] *runt, & inutiles facti sunt : non est qui faciat bonum ; non est, usque ad unum.* At postquam veritas de terra, in tenebris atque umbrâ mendacij sedentibus exorta est, tunc etiam iustitia de cœlo prospexit, & tum primum vere, perfectéque hominibus apparuit ; & iustificati sumus ; primùm quidem à vinculis, & a ratione reddenda liberati, eo qui nihil sceleris admiserat per mortem crucis pro nobis respondente, qua pœnas luit eorum, quæ nos nefarie ausi fueramus : deinde per mortem illam & amici Dei, & iusti evasimus. Non enim tantummodo nos liberavit, & cum Patre in gratiam reduxit mortuus Salvator ; sed insuper [*Ioan. 1.*] *dedit nobis potestatem filios Dei fieri.* Copulans quidem sibi naturam nostram, per carnem nobis compatatus est: nostrum autem unumquemque carni suæ copulans, virtute mysteriorum videlicet, hoc modo iustitiam suam, & vitam in animabus nostris exoriri facit. Ita veram iustitiam per sacra mysteria & cognoscere hominibus licuit, & eâ rite fungi.

[B] Etsi enim multi iusti, & amici Dei in scriptura memorentur, antequam adveniret, qui iustificaret & reconciliaret, tamen illud inprimis cogitandum est, quod primum ad seculum ipsorum, post ad futurum attinebat, eos potuisse, & paratos fuisse ad iustitiam, veluti ad sublatum aliquod signum accurrere, persolutóque pretio, quibus tenebantur vinculis levati, oblatúmque lumen aspectare, & demonstratâ iam veritate, à figuris & umbris recedere. Et hoc iusti ab improbis differebant, cum essent alioqui propemodum iisdem compedibus irretiti, eandémque tyrannidem paterentur. Nam illi mancipium, & servitutem illam iniquo ferebant animo, optabántque carcerem destrui, & vincula illa disrumpi, & tyranni caput à vinctis conculcatum videre cupiebant. His autem præsens rerum status nihil habere horribile videbatur, & servitute ipsa lætabantur. Quales & beatis illis temporibus [G] erant, qui solem super se exortum nec admittebant, & quibus possent modis extinguere moliebantur, nihil prætermittentes, quo se radium obscuraturos arbitrabantur. Vnde & illi, ubi rex apparuit, è tartareo dominatu erepti sunt ; hi vero in vinculis permanserunt.

Sicut enim inter ægrotos, qui curationem omni diligentia exquirunt, & medicum minime aversantur, iis qui ne sentiunt quidem se ægrotare, & a medicina resiliunt, meliores & tolerabiliores esse solent : his medicus medetur, opinor, & convalescentes alloquitur, idque nihil dubitans, si noverit artem suam morbi sævitiæ non imparem esse ; ad eundem modum etiam iustos & amicos quosdam illis sæculis vocavit Deus. Quod enim in se erat, id præstabant, & pro virili iustitiam colebant ; quod eos solutione dignos reddebat, cum is in medio esset, qui solvendi potestatem habebat. Ast neutiquam solvit. Atqui si hæc erat [D] [*Eccl. 44.*] vera iustitia, ipsi quoque corpore hoc deposito in pace, & in manu Dei esse debuerunt. Nunc autem ex hac luce abeuntes, inferi excipiebant. Veram quippe iustitiam, & cum Deo amicitiam, Dominus noster non è remotissimis & peregrinis locis tanquam ab exilio reduxit : sed ipsemet primus in mundum introduxit, & iter in cœlum ferens, non quod erat invenit : sed ipse illud munivit, & ambulavit. Nam si fuisset, utique alius priscorum illud capessiuisset. [*Ioan. 3.*] *Atqui nemo ascendit in cœlum, nisi filius hominis qui est in cœlo.* Quando enim peccatorum veniam, pœnarúmque immunitatem ante Dominum in cruce suffixum adipisci non licuit, quid de iustitia existimabimus ? Haud enim consentaneum erat, ut arbitror, ante reconciliationem in choro amicorum collocari, & adhuc vinculis circundatos, [*Exod. 12.*] pro coronaris promulgari. Vt summatim dicam, si agnus paschalis ille omnia confecit, quid his posterioribus opus fuit? Nam si typi, & imagines quæsitam fœlicitatem attulerunt, veritas, & res ipsa inania sunt. Per [*Ephes. 2.*] mortem vero Christi inimicitias convelli, & medium parietem è medio tolli, pacémque & iustitiam tempo-

[E] ribus Salvatoris exoriri, & omnia demum huiusmodi, quemnam adhuc locum habeant, si ante sacrificium illud iusti, & amici Dei erant ?

Est & aliud in promptu argumentum. Tunc quidem lex Deo nos consociavit : at nunc fides, & gratia, & si quid his affine est. Manifestum enim hinc, tum quidem communionem hominum cum Deo meram servitutem, nunc vero filiorum adoptionem & amicitiam esse. Lex etenim servis datur, amicorum autem filiorúmque gratia, fides, fiducia est. Ex quibus omnibus patet, quemadmodum Salvator [*Coloss. 1.*] *primogenitus est mortuorum*, nec poterat quisquam defunctorum ante ad vitam immortalem reviviscere, quam ille redivivus existeret ; eodem modo etiam ad sanctitatem, & iustitiam hominibus ipsum solum præivisse ; & Paulus confirmat, Christum præcursorem pro nobis in sancta introiisse scribens. [*Heb. 9.* *Coloss. 2.*] Introivit enim postquam seipsum obtulit Patri, & volentes introducit, sepulturæ eius consortes ; non sane perinde ut ille morientes : sed [F] mortem illam in lavacro baptismi cogitationi subiicientes, & unctos, & in sacra mensa annuntiantes, modóque ineffabili pro epulis sumentes ipsum qui mortuus est, & resurrexit. Et ita per has portas introductos, ad regnum, & ad coronas ducit.

Portæ istæ illis paradisi portis multo maiorem venerationem & utilitatem habent. Illæ siquidem nulli aperientur qui per hasce prius non intraverit : hæ vero quamvis clausis illis, patent. Et illæ quidem etiam educere potuerunt, intus versantes : hæ tantum introducunt, neminem educunt. Et illæ occludi poterant, occlusæque sunt ; super his quod velum fuit, omnino discissum, & medius paries sublatus est : nec datur amplius maceriam excitare, & portas illi aptare, & pariete intercedente mundos invicem, superiorem, inquam, inferioremque dirimere. Non enim simpliciter duntaxat aperti ; sed & diducti, & quasi diffissi sunt cœli, ut Marcus ait. [*Marc. 1.*] Quare ostensum est, non iam portam & postes, neque velamentum ullum relictum esse. [G] Qui enim supernum mundum his qui infra sunt reconciliavit & coniunxit, & pacem fecit, parietémque [*Ephes. 2.* *2. Tim. 2.*] medium maceriæ destruxit, non potest negare semetipsum, ut B. Paulus inquit. Portas enim illas propter Adamum apertas, eo non persistente, in quibus persistere oportebat, etiam claudi utique consentaneum erat. Has autem Christus ipsemet reseravit, qui peccatum [*1. Petr. 2.*] non fecit, & in quem peccare non cadit. [*Psal. 118.*] Iustitia enim eius, inquit David, manet in æternum. Vnde eas patere semper prorsus necesse est, & ad vitam quidem intromittere, à vita autem nulli exitum dare. *Veni*, inquit Salvator, *ut vitam habeant.* [*Ioan. 10.*] Hæc est enim vita, quam Dominus secum attulit, mysteria ista usurpantes, eius mortis & passionis participes & consortes facti, sine quo mortem effugere non possumus. Neque enim non [*Ioan. 3.*] baptizatum in aqua & Spiritu sancto fas est in vitam [*Ioan. 6.*] ingredi : neque qui non comederint carnem filij hominis, & biberint eius sanguinem, vitam in se ipsis habere queunt. [H]

Altius porro istuc discutiamus. Vivere Deo non licet, si peccatis non simus mortui. Posse autem peccatum interimere, solius Dei est. Debebatur id quidem hominibus. Nam cum volentes victi essemus, redintegratâ saltem pugnâ, ut vinceremus æquitas postulabat. Non licebat autem, & longe aberat, cum iam servi facti essemus peccati. Quo enim pacto eo cui serviebamus superiores discederemus ? Certe etsi etiam maiores eramus, tamen [*Mat. 10.*] *non est servus maior Domino suo.* Quoniam igitur quem debitum hoc complecti, & victoriam hanc reportare dignum erat, iis serviebat, quos armis subigere oportuerat, Deus autem, in cuius potestate ista sunt, nulli quidquam debebat, a quo id. o certamen neuter aggrediebatur, & peccatum vivebat, & iam ut ex vera vita trophæum nobis exoriretur, fieri non poterat, cum alius deberet, alius posset. Hanc ob causam hoc & illud convenire, coniungique necesse fuit, & unũ eundémque naturam veram gerere, tum eius qui certamini

esset idoneus, tum eius qui vincere posset. Fit, & Deus quidem agonem pro hominibus assumit, natus homo; & homo debellat peccatum, purus omnis peccati, quia Deus erat. Et hoc quidem pacto opprobrium cessat, & peccato prostrato, victoriæ corona redimitur. Ast nondum etiam homo quilibet aut propterea vicit, aut certavit, aut vinculis illis solutus est. Et hoc sane Salvator ipse fecit per ea quæ assumpsit, in quibus unicuique hominum potestatem dedit interficiendi peccatum, & societatem fortitudinis eius consequendi. Quoniam enim post victoriam illam coronari, & triumphare oportebat, ipse autem plagas, crucem mortem, & huiuscemodi mala expertus est, & ut Paulus ait, *proposito sibi gaudio, sustinuit crucem, confusione contempta*, quid sit? Ille scelus nullum conseivit, ob quod pœnas tam diras exsolveret, nullo se delicto obstrinxit, nec patravit quippiam, unde illum vel impudentissimus sycophanta accusare potuisset. Plagæ autem, dolor, mors ab initio adversus peccatum excogitata sunt. Quid enim concederet illi, quanquam benignus Dominus? Haud enim æquum est, perditione & morte lætari bonitatē.

Hebr. 12.

Quocirca post peccatum continuo mortem, & dolores immisit Deus, non magis ut reum supplicio mulctaret, quam ut ægroto medicinam admoveret. Quia igitur actionibus Christi huiuscemodi animadversio non conveniebat, nec ullum morbi vestigium Salvator habebat, quod accepto medicamine tolleretur, ad nos illius potionis efficacitas transit, & peccatum in nobis hærens enecat, verberáque innocentis fiunt supplicium pro his, qui multis criminibus sunt involuti. Et quoniam pœna ingens erat & singularis, maiorque, quam ut eam hominum scelera adæquarent, non hic con[illegible], ut contracta crimina expiaret; sed tantum bonorum cumulum adiecit, ut & in cœlum ascenderent, & illic Dei consortes regni fierent, terreni, inimicissimi, vincti, servitute oppressi, itque despecti. Pretiosa enim erat mors illa, quantum mens humana comprehendere nequit: etsi ab homicidis illis parvo venditus est libens Salvator. Et hæc una pars illius summæ paupertatis & ignominiæ, ut quod omnino venditus esset, in eo servile quiddam sustinens contumeliis lucraretur dedecus enim pro nobis, & opprobrium in lucris numerabat: pretij autem exiguitate insinuaretur, eum ad mortem pro mundo perpetiendam gratis venisse, & hoc illi munus dare. Sponte & ultro est mortuus, cum homini nec facultatum, nec vitæ civilis atque communis gratiā ullam imposuisset iniuriam, & beneficiis illos interfectores suos omni spe ac desiderio longe maioribus antevertisset.

Sed quid ego illa commemoro? Deus mortuus est: Dei sanguis in cruce effusus est. Quid hac morte pretiosius? quid venerandum magis fieri queat? Quod tantum scelus hominum fuit, ut id eluere deberet ipsa iustitia? Quale vulnus, quod tam nobile auxilium posceret? Oportebat enim supplicio aliquo peccatum aboleri, commissorúmque adversus Deum iusta pœna expensa, accusatione liberari. Nam qui pœnas suscepit, super iis propter quæ suscepit in iudicium amplius non vocatur. Hominum vero reperiebatur nemo, qui ipse integer, & à labe purus pateretur, quando nec sibi quidem ullus sufficiebat, neque genus humanum universum, si millies mori licuisset, commeritum supplicium dare potuisset. Quid enim pro dignitate patiatur servus impurissimus, qui regiam imaginem contrivit, & in tantam celsitudinem contumeliosus fuit? Idcirco Dominus ipse, ab omni peccato alienus, multa nefanda perpessus moritur; & homo hominum causam patrociniúmque suscipiens, cruciatus excipit; & genus suum piaculis absolvit; compeditis libertatem donat, qua ipse, ut Deus & Dominus, non egebat. Quantum gratiā igitur vera vita per necem Salvatoris ad nos dimanarit hæc sunt.

Modus, quo hanc vitam in animas nostras derivemus est, ut mysteriis initiemur, nempe ut abluamur; ut inungamur; ut sacrosancto convivio nos expleamus. Hæc qui faciunt, ad eos Christus venit, in illis habitat, illis copulatur & adhærescit, & peccatum elidit, vitámque suam, & strenuitatem impertit, in partem victoriæ suæ admittit (ô bonitatem) ipsos coronat, & certantibus præconium tribuit. Quamobrem autem, & qua nam ratione fit, ut à lavatione, & unctione, & mensâ victoria, coronáque obveniat, quæ laborum, sudorum, periculorumque præmia sunt? Quia tametsi non certamus nec laboramus ista obeuntes, nihilominus illius agonem laudibus celebramus, victoriam suscipimus, trophæum adoramus; & erga bellatorem fortissimū eximium incredibilémque amorem ostendimus; vulneráq; illa, & plagas, & mortem ad nos trahimus, & qua via possumus, nobis vendicamus, ipsámq; carnem mortui, & redivivi gustamus. Vnde non iniuriā, bonis è morte & agonibus illis profluentibus perfruimur.

Si quis enim tyrannum captum, & pœnis addictum conveniens eximat, coronā condecoret, ob tyrannidem veneretur, & eo pereunte moriendum sibi existimet, adversus leges exclamet, & contra iura indignetur, neque id cum pudore, ac improbitate dissimulata; sed proterve, ac deos testans, & se in eo ostentans, quam sententiam in hunc feremus? nonne iisdem cum tyranno suppliciis mulctandum censebimus? Planum hoc quidem cuivis. Nonne igitur prorsus contrarium facit, qui Regem bellicosissimum admiratur; eius victoriā exultat; coronam ei plectit; plausum excitat; & theatrum totum commovet; ante triumphantem, cum voluptate in genua procumbit; caput eius deosculatur, dexteram complectitur, atque adeo vehementer, & prope ad insaniam Imperatorem, reportatamque ab eo victoriam diligit, quasi ab eodem caput suum coronā ornandum sit? Nam hic partem quandam præmiorum à victore capiet, apud iuste rem æstimantibus, sicut ille alius, opinor, tyranni victoriæ socius erit. Si enim improbis quæ eos accipere decent concedemus, voluntatisque & animi habenda est ratio, neutiquam fas est bonos suis emolumentis privatum ire. Quod si hoc etiam accesserit, ut qui victoriam illam peperit, ipse victoriæ præmiis non indigeat, & illud instar omnium ducat, sui amantem ac studiosum in theatrali multitudine conspicuum cernere, & hoc certaminis sui honorarium reputet, coronari videlicet amicum; quomodo ille non iure, & convenienter admodum, sine sudoribus periculisque è bello coronam auferet? Hæc sane nobis conciliare possunt lavacrum illud, & cœna; sobria cœna, inquam, & modestæ unctionis deliciæ conciliare possunt: Nam cum insaniamus, tyrannum detestamur conspuimus & aversamur. Fortissimum autem bellatorem collaudamus, in oculis ferimus, adoramus, & toto pectore diligimus, & abundantiā amoris, tanquam pane pascimur. & veluti aqua circumfluimus. Liquet porro etiam prælium hoc ab illo nostri causa susceptū esse: & ut nos vinceremus, ipsum mori non recusasse. Quocirca non est parum consequens, nec absurdum, ab hisce mysteriis nos ad coronas pervenire. Nos enim quam potuimus alacritatem studiúmque demonstravimus, & audientes fontem istum habere mortis & sepulturæ Christi efficientiam, & credimus omnes, & libenter accedimus, & immergimur. Non enim exigua donat, nec mediocribus dignatur. At ille sese post mortem, & sepulturam suam ad ipsum applicantes amanter suscipit, non coronam aliquam porrigens, nec gloriam iis suam communicans; sed ipsum victorem, ipse semetipsum coronatum communicat, & è sacro fonte exeuntes, ipsum Salvatorem in animabus nostris portamus, in capite, in oculis, in ipsis visceribus, in membris omnibus, à peccato purum, ab omni corruptione liberum, qualis resurrexit, & discipulis apparuit, & in cœlum profectus est, qualis redibit, thesaurum hūc exacturus.

Sic nati cum sumus, & veluti specie quadam atque forma Christo signati, ne aliam speciem admittamus, vitæ aditum ipse occupat: & per quæ ad vitam sustentandam aërem spiritu ducimus, & alimoniam capimus, per eadem ipse in animas nostras ingreditur, & portas

ambas

ambas sibi attribuit; illi quidem ut unguentum & suavis odor: huic ut cibus aptus & conveniens. Etenim illum & spiramus, & pro nutrimento habemus. Et cum ita semetipsum per omnia nobis implicuerit, commiscueritque, suum corpus facit, & nobis idem fit, quod membris caput. Propter hoc enim quia caput, etiam bonorum eius omnium participes ac socij sumus. Nam quæ capitis sunt in corpus transire necesse est; quod quis non immerito admiretur, quod cum nec cruciatus, nec mortem cum eo pertulerimus, sed solus decertaverit; tamen postquam ad coronationem ventum est, tum nos sibi consortes esse voluerit. Est igitur hoc etiam eiusmodi humanitatis, ut verbis exprimi nequeat: nec procul autem à ratione, rerumque consequentia. Post crucem enim Christo conglutinati sumus; quo nondum mortuo, nulla nobis cum eo communitas intercessit. Ille enim erat filius, & dilectus; nos scelesti, & servi, & animo hostes. At postquam necem pertulit, & pro libertate nostra pretium est impensum, & diaboli carcer destructus, tunc libertatem, & adoptionem filiorum recepimus, & beati illius capitis membra facti sumus. Ex eo igitur quæ capitis sunt, nostra quoque sunt. Et nunc quidem nullo peccato obligati ab aqua ista discedimus, & cum eo in eadem gratia consociamur, ac propter unguentum, & propter mensam eadem vitâ cum ipso vivimus; in futuro autem sæculo dij cum Deo, & eorundem cum illo hæredes, & eodem regno cum ipso regnantes vivemus, nisi nos ipsos sponte volentésque in hac vita excæcaverimus, ac vestē regiam disruperimus. Hoc enim solum super vitam acceptam de nostro addimus, ut dona contineamus, & gratiam custodiamus, nec coronam abiiciamus, quam multis sudoribus & laboribus Deus nobis contexuit. Hæc est vita in Christo. Quam conflant quidem mysteria; sed ad eandem præterea humana diligentia nonnihil confert. De qua disserere volenti, ubi de unoquoque mysterio seorsum prius disputaverit, tum demum de actione cum virtute coniuncta ordinatim tractatio succedet.

DE VITA IN CHRISTO,

LIBER SECVNDVS.

Quem ei utilitatis fructum divinum baptisma conciliet.

SACRIS itaque mysteriis vitam sacram contineri, & cohærere, libro proxime superiore demonstratum est. Quomodo autem unumquodque per se ad eam pertineat, sequitur ut indagemus. Vita in Christo non aliud est, quam conglutinari in Christo. Quo autem modo unaquæque initiatio initiatos cum Christo conglutinet, nunc explicabimus. Licet igitur cum Christo compingi eos, qui pertransierunt omnia, per quæ ille transivit, factique sunt, & perpessi omnia quæ ille. Christus itaque carni & sanguini omnis peccati expertibus coniunctus, & unitus est. Cúmque Deus esset ab initio, etiam hoc, quod postea factus est, divinitate affecit, humanam naturam videlicet. Tandē carnis gratia mortem quoque subivit, & in vitam sese revocavit. Oportet ergo & in carne illius consortem, & in divinitate participem, & in sepultura, ac resurrectione socium esse, qui cum eodem colligari desiderat. Ideo in undam salutarem immergimur, ut illius morte moriamur & resurrectione resurgamus. Ungimur autem, ut regiæ unctioni & Deitati illi consociemur. Edentes vero panem sacratissimum, & divinissimum poculum haurientes, carnis ipsius & sanguinis, quæ assumpsit, participes reddimur. Ea ista via copulamur ei, qui pro nobis incarnatus, & deificatus, & mortuus est, & resurrexit. Quid igitur? num & eundem cum illo ordinem tenemus? Nihil minus, sed ubi ille desiit nos incipimus, & à quibus ille incepit, in ea nos desinimus. Descendit enim ut nos ascendamus, & cum eadem sit via proposita, illius negotium descensus fuit, nostrum ascensus est. Itaque ut in scalis, quod illi descendenti extremum erat, hoc morbi ascendentibus primum est. Deinde aliter etiam propter ipsarum reconditionem non licet. Baptismus enim est generatio, sive ortus. Unguentum, sive chrisma actionis & motionis rationem habet. Panis autem vitæ, & poculum Eucharistiæ, verus est cibus, & verus potus. Atqui non datur motu cieri, aut ali, priusquam natus sis. Adhæc baptismus hominem cum Deo in gratiam restituit; unguentum donis illic repositis dignum efficit: virtus sacræ mensæ etiam carnem, & sanguinem Christi cum initio communicat. Est autem impossibile, ante reconciliationem cum amicis habere consuetudinem, & ea promereri præmia quæ ipsorum sunt propria, malignósque & peccatis subditos, de carne comedere, & de sanguine bibere eorum, qui nullo delicti genere implicantur. Quocirca primum lavamur, postea ungimur: ita iam mundos, & suaveolentes mensa excipit.

Et hæc quidem hactenus. Iam de singulis mysteriis docere pergamus, quam utilitatem sacræ vitæ apportent. Ac primum de baptismo, quænam ad isthanc vitam commoda inde progigni queant.

Est igitur baptizari idipsum, quod secundum Christum nasci, ipsamque essentiam, & substantiam accipere, cum antea nihil fueris: id quod multis è locis perspicere licet. Principio ex ordine ipso, hoc enim est primum mysteriorum, quo consecramur, & hoc ante alia Christianos in vitam novam introducit. Deinde ex ipsis nominibus, quibus id appellitamus. Postremo ex eius cæremoniis & precibus, quæ in eo conferendo usurpantur. Ordo igitur ab initio hic est, ablui primum; post inungi, atque ita demum sacratis epulis accumbere; quod profecto evidens argumentum est, & principium vitæ, ac fundamentum, & præstructiones huiusmodi penes lavacrum esse: siquidem & Christus cum iis omnibus quæ nostri causa toleravit, quoniam & baptismo lustrari oportebat, eum primo loco non detrectavit.

Nomina autem quorsum tandem alio spectare possint? Generationem, & regenerationem, & reformationem, & sigillum, sive signaculum nuncupamus. Præterea baptisma seu immersionem, indumentum, unctionem, donum, & illuminationem, & lavacrum: quæ omnia hoc unum valent, & volunt, his qui secundum Deum sunt, & vivunt, initiationem istam essentiæ primordium esse. *Generatio* quidem non aliud, quam istuc ipsum haud absurde videtur significare. Similiter *regeneratio*, & *reformatio*, tantum hoc adsignificant, nunc demum natos formatósque, alios quoque natos fuisse, & forma perdita, nunc ista altera generatione ad pristinam speciem, formámque revertisse: quemadmodum cum materiæ statuæ alicuius formam amissam statuarius reponit, imaginem regenerat, & reformat: siquidem & hoc ipsum, quodcunque tandem in nobis est baptismatis opus, species quædam & forma est; imaginem enim quandam in animabus nostris depingit, & insculpit, formámque inserit, morti & resurrectioni Salvatoris conformes efficiens. Hinc *sigillum*, sive *signaculum* quoque dicitur, quando nos ad regiam effigiem, & ad beatam illam speciem fingit. Species autem materiam complexa, informem de cætero esse non patitur. Insuper *indumenti*, & *baptismatis*, seu *immersionis* nomine afficimus hoc mysterium; dicitúrque qui initiatus est, & indutus, & baptizatus, sive immersus. Significans vero Paulus, *indumentum*, & *sigillum* eodem spectare; nunc quidem Christianis inscriptum & formatum, nunc quasi vestimentum circumdatū esse

rmat. Nam Galatis ita scribit: *Filioli, quos iterum turio, donec formetur Christus in vobis.* Et: *quicunque Christo baptizati estis, Christum induistis.*
Etenim aurum, argentum, & æs, donec igne colliquefacta fluant, materiam intuentibus nudam exhibent: unde & aurum tantummodo, aut argentum, aut ea ipsa materia nominatur. Vbi vero instrumento reo ad formam recipiendam compulsum fuerit, non n materia, sed forma prius apparet: sicut vestea ius, quam corpora videntibus occurrunt. Ea quo am nomen aliquod proprium adipiscitur: statua im, aut annulus, aut quodcunque tandem huiusmoterum, quæ iam non materiam, sed formam & spem duntaxat significant, appellatur. Ac fortassis an- n propterea salutaris baptismatis dies etiam Chrianis est *ὀνομαστήριος*, (id est, eo nomina baptizatis imponuntur) quoniam tunc fingimur & formamur, vitáe nostra informis, & incircumscripta, faciem, & terinum, ac limitem certum accipit. Insuper ab eo qui os cognoscit tunc primum cogniti (& ut Paulus ait, *nc autem cum cognoveritis Deum, immo cum cogniti is à Deo*) vnicem illam significantem, cognomen norum illo die audimus, velut tunc plane cogniti. Deo um cognitum esse, hoc est, vere notum esse. Quapropter & David de his quibus cum hac sancta vita hil est rei, *non ero*, inquit, *memor nominum illorum r labia mea.* Ignoti enim & obscuri sunt, qui semel lumine illo procul removerunt. Neque enim oculis picere valentibus citra lumen quidquam est aspectaile: neque Deo notum, quod inde radium lucis non cepit. Causa est, quod re ipsa ne est quidem omnio, quod illo lumine non manifestatur. Et hac ratione *ovit Dominus qui sunt eius.* Et rursum, fatuas virgines on se novisse ait.

Idcirco baptisma *illuminatio* dicitur, quoniam verom ll: præstans, notus Deo facit, & in lumen illam producens, à caliginosa improbitate seiungit. Ob id ipsum tiam *lavacrum*, quia illuminatio. Sic enim dat cum lue defæcatum ac purum habere commercium, cum omne inquinamentum, quo divinus radius ab animabus nstris excluditur, velut medium parietem diruit. *Charisma* autem, sive *donum*. Nam ad generationem spiritualem suam quid est, obsecro, quod prius quisquam onfert? Etenim haud secus quam in generatione natualt se res babet: nec ipsam quidem voluntatem, bonoum è baptismo existentium afferimus, si quis penitius ein introspexerit. Libet enim ea quæ sunt cogitare: ast æc *in cor hominis non ascenderunt:* nec potest qu spiam ea mente concipere, donee experiatur. Nam cum audimus libertatem, & regnum esse proposita, vitam quandam fœlicem cogitamus, quam animus humanus complecti queat. Atqui istuc omnimodis aliud est, ingenioque ac desiderio nostro superius. *Vnctio* autem sive *chrisma* appellatur, quia Christum propter nos vnctum nitiatis inscribit: & sigillum est, ipsum Salvatorem noprimens. Vnctio enim vbique, per totam formam corporis suscipientis perfecte penetrans, & illud adaptans, psum vnctum ex ipso expressum & signatum facit, & formam ostendit, & sigillum est revera. Docuimus porro sigillum idem quod generationem posse: sicut idem quod sigillum, indumentum & immersio. Sed quoniam donum, & illuminatio, & lavacrum eodem quo formatio generatióque pertinent, patuit, omnem baptismatis appellationem vnum illud significare, nempe hoc lavacrum generationẽ, & vitæ in Christo principium nobis esse. Vtrum autem cæremoniæ, & quæ recitantur, in hoc mysterio, hanc vim habeant, clarebit iis, qui initiationem istam particulatim expenderint.

Cernitur enim qui ad mysterium hoc percipiendum accedit, antequam initietur, nondum Deo reconciliatus, nondum à veteri dedecore ac turpitudine immunis. Precatur quippe initiator ante aliam cæremoniam, vt a quo occupatus est dæmone, liberetur. Nec solum alloquitur Deum pro eo, sed & ipsum catechumenum adoriens, tyrannum increpat, & flagello insectatur. Flagellum est *nomen illud super omne nomen.* Tantúmque abest ut vivát, & filius atque hæres sit, vt adhuc in tyranni mancipio versetur. Nam qui cum maligno rationes habet, is a Deo penitus recedit. Hoc vero est prorsus mortuum esse. Quare etiam veluti ad exanimem adhuc accedens initiator, in faciem eius sufflat: quæ insufflatio vitæ cœlitus inferendæ tecta significatio est. Quæ sequuntur, respondent. Omnia enim sunt quasi modo procreatorum, & præsentia, quæque in manibus sunt despicientium, & ad modetamen aliud translatorum. Vrgetur enim è duplici mundo hunc contemnere, illum honorare: & vitæ huic quidem valedicere, illam vivere; & vitæ ducem hunc velis remisque fugere, illum quam studiosissimè sequi. Igitur quia præsentia deponit, satis indicat, quorum semet nondum adhuc reconciliatus condemnet. Quia autem visa pulchriora, & à se præsentibus anteposita, ab hoc mysterio accipit, ostendit, se quod baptizatus sit, vitam laudabilem exordiri. Templum quippe ingressus, vestem deponit, & calceamenta solvit, veste & calceis, quæ ad vitam sunt necessaria, priorem vivendi rationem insinuans. Præterea ad occidentem conversus, spiritum ore emittit, vitæ in tenebris actæ indicium; manus extendit, & tanquam præsentem, sibique incumbentem malignum repellit, & ceu impurum scelestúmque abominatur, fœderique inimicissimo & infideli & causæ omnis exitij renunciat, amicitiámque longe acerbissimam dissuit; & odium amplectitur; & è tenebris ad diem procurrit, atque ad Orientem respiciens, solem quærit; expeditúsque è tyranni manibus, regem adorat, & contempto spurio, legitimum dominum agnoscit, illi subiicit & totá animá servire optat: & ante hæc in eum, vt in Deum credere. Et ad enim pertinentia cognoscit. Nam & hoc beatæ vitæ initium est, vera de Deo cognitio. *Scire enim iustitiam tuam, & virtutem tuam*, ait Salomon, *radix immortalitatis.* Sicut ignorare Deum, mortem invexit à principio. Postquam enim Adamus divinam benignitatem ignorans, eum qui bonus est, invidum existimavit; & oblitus sapientiæ, se latere sapientem est arbitratus, dominum despicatui ducens, fugitivo adhæsit. Atque ob id paradiso expulsus, & vitá spoliatus, & doloribus cumulatus, mortem denique perpessus est. Itaque ad vitam, & ad Deum properanti, cognitionem de Deo præire prorsus est necessarium.

Et dum denudamur, intimámque tunicam exuimus, nos modo viam in paradisum ducentem, & quæ illic degitur vitam ingressos ostendimus. Adam enim cum à beatis illis septis in nuditatem incidisset, ab ea ad hæc miseranda gestamina devenit. Nos contra à pelliceis tunicis ad nuditatem venientes, & per idem medium incedentes, nos eodem reverti itinere, & ad regiam vestem recuperandam festinare demonstramus: & vnde, & per quæ ille in hunc mundum descendit, nos hinc reverti. Sit autem & illud signum nuditatis, quod nunc porò ad verum lumen accedimus, nihil afferentes, vnde vmbra mortis, & quæ beatum radium animarum humanarum intercipere queant, sicut vestimenta, vt murulus quidam inter lumen hoc, & corpora intercedunt.

Verum enimvero Dei vnctio & aliûs rei indicium esse, & aliorsum spectare potest. Recordor enim lapidis Iacob, quem oleo delibutum obtulit Deo: & reges, & sacerdotes hoc ipso, oleo, inquam, populo & Deo consecratos: qui sibi quidem neutiquam, sed Deo & Reipubl. vivunt, propter quam instituti sunt. Et nos quoque à vita propria, & à nobis ipsis, Deo desciscimus. Hoc autem est pristina forma recepta, illi similes fieri, & symbolum proprium, Christianorúmque cognomini inprimis conveniens. Vngimur enim, & cuius similitudinem concupiscimus, Christus est, qui divinitate humanam naturam vnivit: siquidem & in vnctione cum ipso communicamus: quandoquidem illius vnctionis hæc vnctio signum & nota est, idque initiator his quæ super initiato, & uncto recitare consuevit.

E
Phil. 2.
F
Sap. 15.
G
H
Gen. 28.

A

consuevit, significat. Sunt quippe eadem illa, per quæ David vnctionem Christi, regnúmque indicat. Sacerdos enim, *ungitur hic*, inquit (initiatus puta) *oleo exultationis*. David autem, *unxit te* (alloquitur Salvatorem) *Deus Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis*: participes vocans nos, quos propter benignitatem regni socios facit.

Psal. 44.

Hucusque igitur nondum vivimus. Signa enim sunt hæc initiando, & principia quædam, & præparationes vitæ. Postquam autem aquis coopertus ter, emerserit, Trinitate super eo nominatâ, tunc totum quod desiderabatur accipit, & generatur, & formatur generatione & formatione diei, sicut inquit David, suscipitque præclarum signaculum, & omni quam quærebat fœlicitate potitur, fitque lux, qui nuper erat tenebræ, & subsistit, qui nihil erat, atque à Deo in familiarem, & filium cooptatur, à carcere, & extrema servitute ad regium thronum provectus. Hæc enim aqua aliam quidem vitam tollit, aliam efficit; & veterem hominem occidens, novum exsurgere facit. Hoc maximè intelligunt, qui re ipsa experti sunt. Deinde & quæ in ipso mysterio cernuntur, hoc dant per omnia conijcere. Nã quod aquam subiens semet occultat, videtur fugere vitam, quæ hoc cœli spiritu alitur. Fugere autem vitam, hoc est emori. Rursum, quod emergit, & in aere ac luce conspicitur vitam consectari, & adipisci videtur. Propter hoc & Deum hic fabricatorem vocamus, quod ibi hæc vitæ primordia sunt, & fabricatio secunda, priore præstantior: imago enim exactius quam antea effingitur; & statui in typum similitudinémque divinam expressius formatur. Idcirco & purius archetypũ proponi nunc oportebat. Etenim qui baptizantur, Deum ad sacrum fontem invocantes, non eum nomine Dei appellant, quod est Trinitati commune, nec eo satis Theologice, hoc est, non perspicue, & discrete divinitas indicatur; sed plenius, & consummatius eum nominantes, proprietates uniuscuiusque subsistentiæ celebrant.

Psal. 138. Ephes. 5.

B

C

Subest & alia causa. Etsi enim una benignitate generi nostro Trinitas salutem dedit, tamen quælibet sacratum ἐκ τῶν, proprium quiddam contulisse prædicatur. Pater enim reconciliatus est, Filius reconciliavit, Spiritus sanctus inter amicos iam adscriptis donum datus est. Et ille quidem liberavit; hic pretium factus est, quo liberati sumus: Spiritus ipsa libertas est: *ubi enim spiritus Domini*, iuxta Pauli vocem, *ibi libertas*. Et Pater quidem formavit, Filius reformavit: *Spiritus est qui vivificat*. Nã & prima fabricatione Trinitas adumbratur. Pater nempe fingebat, Filius manus erat fingenti, Paracletus spiritus erat vitam inspiranti. Et quid ego istis immoror? In hoc divinorum operum solo Deus discretus est. Nam cum multa sint merita quibus omni ætate Deus creaturam est prosecutus, nullum invenias, quod ad Patrem solum, aut ad Filium solum, aut ad Spiritum S. solum referatur: sed omnia Trinitati communia sunt, quia scilicet una potestate, providentiâ, & fabricatione efficit omnia. In œconomia autem, qua genus humanum instauravit, etiam ista novitas contigit, & salutem meam voluit quidem Trinitas communiter, & ut restitueretur providit; non tamen etiam communiter eam operata est. Per se enim nec Pater, nec Spiritus, sed solum Verbum, & solus Vnigenitus operatus est, qui carnem sanguinémque assumere dignatus est, verbera, cruciatus, mortem excepit, & resurrexit, per quæ natura revixit, & quibus baptisma, nova generatio, & reformatio constituta est. Itaque personis distinctum Deum in divino lavacro appellare oportebat (in nomine scilicet *Patris, & Filii, & Spiritus sancti*) eos, qui sacram formationem, quæ sola Deum discretum ostendit, reportarent.

2. Cor. 3.

Ioan. 6.

D

Quid ergo? num etiam œconomiam & maxime in baptismate laudamus? Nos vero laudamus, non per ea quæ dicimus, sed quæ facimus. Trinam enim immersionem, & emersionem, quis non videt triduanam Salvatoris mortem, & resurrectionem, quæ totius œconomiæ finis est, exhibere, oculisque subiicere? Nec temere, opinor, quod Theologicum est voce edimus; œconomiam autem rebus cum silentio exprimimus. Illud enim erat ab initio, & per vocem tantummodo in hominum notitiam intelligentiámque penetravit: hoc factum, & humanis oculis conspectum, & manibus contrectatum est. Vnde & beatus Ioannes ambo hæc, hoc & illud de Salvatore gemino cognoscens, dixit quidem, *quod erat ab initio, quod audivimus*: subiunxit tamen: *quod vidimus oculis nostris, & manus nostræ contrectaverunt de verbo vitæ*. Præterea Theologicum illud credere tantum oportet, & probatio fidei in voce consistit (quæ enim, inquit Paulus, corde ad iustitiam credimus, ea ore ad salutem confitemur) œconomia autem & imitanda omnino, & operibus demonstranda est. Eius enim vestigia sequi oportet, qui pro nobis mortuus est, & resurrexit. Idcirco Trinitas quidem in voce est; passionem autem, & mortem per aquam repræsentamus, nos ipsos ad beatam illam speciem atque formam informantes.

E

1. Ioan. 1.

Rom. 10.

1. Petr. 2.

F

Ex dictis itaque patet, nos vndique ex his quæ circa baptismum considerantur, & ex ordine ipso, & ex vocabulis, quibus afficitur, & ex cæremoniis, & verbis quæ in eo administrando adhibentur, illud discere, vitam in Christo à lavacro essentiæ suæ principium capere. Quid autem sit ipsum hoc, esse vitam, deinceps exsequamur.

Quoniam enim alia perdimus, alia sumus, & alia proijcimus, alia servamus, si constabit quid utrumque horum sit, constabit etiam, quid sit ipsum hoc, *secundum Christum subsistere*. Est igitur illud quidem peccatum, hoc iustitia; & illud vetus homo, hoc novus. Sed accuratius hæc dispiciamus.

Cum peccatum duplex sit, & in utrumque cadat, hoc est, & aliud in actione, aliud in habitu versatur & hæreat, actio ipsa aliquando non adest, neque manet: sed simul ac patrata est, esse desinit, sicut telum mox vt vibratum est, præterit. Relinquit autem vulnus peccatum actionis, his qui illud operati sunt & vestigium improbitatis, confusionem, & reatum pœnæ. Habitus autem à perversis actionibus, veluti morbus quidam, corruptâ voluntate animabus inditus, stabilis est, & vinculis insolubilibus animam astringit, sensúsque & cogitata in servitutem redigit, & captos tractat ut qui pessime in actiones sceleratissimas eos inducens, per quas ipse conflatus est, & quas semper parit, generatus & generans secundum idem, & in orbem quodammodo: vnde nullus peccandi finis, dum habitus actiones producit; accessione autem actionum habitus augescit: & ita vtrisque malis invicem perpetuo progredientibus, peccatum vivit, ego vero mortuus sum: siquidem non heri, nec nuper peccatum cœpit initium: sed ex quo nati sumus. Mox enim ut Adamus maligno sua concredidit, bonúmque Dominum contempsit, & voluntate distortus ac perversus est, & anima sanitatem illam ac bonum habitum perdidit, etiam corpus eadem via incessit, séque illi accommodans, sicut instrumentum in manu artificis, simul perversum est. Anima namque cum corpore propter arctissimam coniunctionem conspirat. Signum huius rei, rubescit enim corpus cum illam pudet: & cum illa angoribus obsidetur, contabescit. Procedente autem naturâ, & genere nostro à primo illo corpore latius se diffundente ac propagante per corpora posterorum, etiam pravitas, velut quippiam naturale, didita est.

G

H

Quia vero corpus non solum ex animæ motibus simul afficitur: sed & suos cum ea communicat (gaudet enim simul anima, & simul dolet: & temperantes quidam sunt atque ingenui, quia corpus sic est affectum, & natum) ideo sequebatur, etiam vniuscuiusque animam, primi Adami vitiositatem pro hæreditate adire, ab anima quidem illius ad corpus, à corpore autem illius ad posterorum corpora, & ab ipsis corporibus ad animas dimanantem. Et sic est vetus homo. quem cum vt vitiositatis seminarium à primis parentibus accepe-

A

cimus, & cum eo in lucem sumus editi, nullum diem peccati purum vidimus, nec à pravitate liberi unquã spiravimus: sed ut Propheta ait, *alienati sumus à vulva, erravimus ab utero*, [Psal. 57.] nec infœlici illo patrimonio, peccato videlicet, ab auctoribus generis nostri ad nos propagato, nec hæreditate malorum contenti fuimus: sed adeo vitiis nos insuper inseruimus, & infandas divitias exaggeravimus, vt posterioribus priora obruerimus, imitatorésque ipsis exemplaribus multo deteriores evaserimus. Et quod maximum est omnium, nullæ dantur mali huius induciæ: sed morbus assidue serpit. Et fortasse propter hanc rationem genus humanum ipsum se curare nullo modo poterat, quod nunquam propemodum libertatem gustavisset, neque, cum expertum non esset, vel ad desiderium saltem illius pertingere, & voluntatem libertatis assequi, contráque tyrannidem exsurgere posset. Ab hisce vinculis teterrimis, ab hoc supplicio, ab hoc morbo, ab hac morte fons iste liberat: & ita quidem facilè, atque expeditè,

B

vt nec tempore indigeat: tamque plenè ac perfectè, vt ne vestigium quidem relinquatur. Nec solum à vitiositate liberat; sed habitum quoque contrarium ingenerat. Ipse enim Dominus per mortem suam peccati occidendi potestatem nobis dedit: & per resurrectionem vitæ novæ hæredes instituit. Mors siquidem illa quatenus hoc ipsum est, mors videlicet, vitam peccatis obnoxiam, & peccandi habitum interimit. Quatenus supplicium est, pœnas peccatorum tollit, quibus propter actionum perversitatem debebamus. Atque ad hunc modum ab omni habitus & actionis peccato lavacrum hoc puros præstat, quatenus nos huius vivificæ mortis participes reddit.

Et quoniam per lavationem hanc etiam resurrectionis consortium obtinemus, vitá nos alit Christus, donat, & membra fingit, & facultates indit, quibus ad futuram vitam profectis opus erit. Ideirco enim & criminibus statim absolvor, & sanitatem mox adipiscor,

C

maxime, quia Dei solius opus est, qui tempori & moræ non potest alligari. Deinde neque nunc generi nostro benefacit ita, vt tempore egeat; sed benefecit. Non enim nunc pœnas Dominus luit eorum quæ peccavimus: neque nunc medicinam parat, & membra format, & vires addit: sed iam formavit, & addidit, & paravit. Ex quo enim in crucem ascendit, spiritúmque efflavit, & redivivus prodiit, hominum libertas constituta, speciésque & pulchritudo conciliata, & nova membra adornata sunt. Tantum accedere, & sese gratiæ offerre opus est. Et istuc in nobis baptismus efficit: vt nimirum mortuos cum vita, & vinctos cum libertate, informes & corruptos cum beata forma coniungat.

Persolutum est pretium: nunc tantum è vinculis eximus. Vnguentum effusum est, & odoris fragrantia complevit loca omnia: solum vt id spiremus relinquitur. Immo ne istuc quidem: nam & spirare posse, à Salvatore nobis comparatum est: sicut posse exsolvi: sicut posse illuminari. Etenim lux non solum orta, &

D

[Ioan. 1.] in mundum ingressa est: Sed & oculum sui videndi creavit. Nec vnguentum tantummodo effudit: sed eiusdem quoque sensum donavit. Nunc sanctum istuc lavacrum ablutos huiusmodi sensibus, & facultatibus devincit. Nam vt materia specie carens, & informis in aquam hanc demergimur, & in ipsa formam quandam elegantem reperimus. Ob hæc subito nobis enascuntur bona omnia: sunt enim prius præparata. *Prandium meum paratum est, tauri mei, & altilia occisa sunt,* [Luc. 14.] inquit, *& omnia parata: venite ad nuptias.* Hoc solum restat, vt vocati, ad hoc festum occurrant. Occurrentibus autem quid tandem ad fœlicitatem adhuc deesse poterit? nihil vtique. In venturo quippe sæculo parati ad Christum accedimus: at nunc quidem cum accessimus, preparamur. Tunc prorsus necessarium erit, omnibus rebus instructos accedere: in præsenti necesse est, ut postquam accessimus, omnia quibus nos instrui oportet, accipiamus. Tunc fatuis virginibus ad sponsum aditus non patebit: hic autem ad convivium,

E

& propinationes vocat. Tunc enim non dabitur mortuum reviviscere, luminibus orbatum aspicere, deformatum ac perditum denuo formari ac refingi. Ast in hoc ævi curriculo tantum voluntas, & animi alacritas requiritur, & hæc omnia consequuntur. Ait enim, *ego veni in mundum, ut vitam habeant:* Et, *lux venit in mundum.* [Ioan. 10. Ioan. 3.] Atque hæc immensa Dei benignitas est, omnia ipsum præstitisse, per quæ è calamitatibus nostris erepti sumus: reliquisse tamen quippiam, quod ad libertatẽ ipsi conferremus: nempe salutem nostram baptismo cõmittere, velléque accedere, vt hinc nobis totum imputetur, meritorumque suorum in nos collatorum gratiam nobis debeat. Proinde cum loti confestim forte de vita exierimus, nihil nobiscum præter sigillum afferentes, perinde ac si pro istoc regno certavissemus, ad coronas vocat. Quibus igitur malis, quemadmodúmque animas baptismus absolvat, ex dictis clarum est.

F

Quandoquidem vero & vitam quandam tribuit, per eum qui resurrexit, age, quænam sit illa vita investigemus. Est igitur rationi consentaneum, non esse eam, quam prius vivebamus: sed ea meliorem, naturæque propriam. Nam si priorem adhuc degeremus, quid amplius etiam mori opus esset? Sin aliam, idem valentem, hoc non erat resurgere. Si angelicam, quid nobis commune cum illis? Homo enim lapsus est: lapsum autem esse hominem, & resurgentem fieri angelum, hoc non esset hominem reformari. Quemadmodum statuæ contritæ, non effigies humana, sed alia quædam facies imponitur: & hoc est in aliud quodcunque formare, non statuam reformare. Quam ob causam sequitur, vt vita hæc & humana, & nova, & antegressa honestior, meliorque sit, quæ omnia in sola Salvatoris vita reperiuntur. Est enim nova, quoniam veteri affine nihil habet. Melior, quantum comprehendi animo non potest: est enim vita Dei. Naturæ propria, quoniam erat vita hominis, & qui eam vivebat, sicut erat Deus, ita verus item homo, & propter humanam na-

G

turam omni peccato vacans. Quamobrem nobis renatis Christi vitam exoriri plane necessarium est. Ob id quoque peccati expertes ab aqua ista discedimus. Quod & hinc satis perspicitur. Generatio enim in baptismo, futuræ vitæ principium est, novorúmque membrorum, & sensuum acquisitio, & vitæ illius cœlestis præparatio. Præparamur vero ad vitam illam futuram non aliter, quam si Christi vitam hic inchoëmus, qui pater est futuri, sicut Adam præsentis sæculi: [Isa. 9.] vitæ siquidem pereuntis ille hominibus caput & dux fuit. Sicut namque vita hæc humana traduci non potest, nisi quis sensus Adami, & vitales facultates istas humanas acceperit: pari modo nec ad beatum illum mundum quisquam vivorum pervenire potest, qui vita Christi traducenda non se ante eo comparaverit, & secundum ideam, atque imaginem eius formatus non fuerit. Aliter Baptismus est generatio: ille generat, nos generamur. Est autem in confesso, vitam generati vitæ generantis similem esse.

H

Hic porro quispiam miretur. Non enim abluti modo, sed iam etiam quibus non contigit sese virtute mysteriorum ad vitam immortalem præparare, & simpliciter homines universi, corpora non senescentia [1. Cor. 15] recipient, resurgentque incorrupti. Dignum enim admiratione, resurrectionis, quam sola Christi mors in mundum invexit, fore socios, qui baptismum non susceperint, per quem vivificæ mortis communionem acquirimus. Si enim medicum fugerunt, & opem aversati sunt, & medicinam quæ sola prodesse poterat repulerunt, quid restabat, quod eis ad immortalitatem opitularetur? Sane ex duobus alterum evenire æquum & consentaneum videtur, aut vt omnes omnibus deinceps fruantur, quorum Christus nobis morte suá causa fuit, & simul resurgant, atque cum eo vivant & regnent, & reliqua fœlicitate circumfluant, siquidem *bonorum nostrorum non eget:* [Ps. 15.] aut si omnino oportebat, & nos quodcunque etiam conferre; qui fidem ad Salvatorem non attulissent, nec in vitam revocari.

Licet

Licet igitur illud ad hanc obiectionem respondere. Resurrectio est naturæ instauratio. Ista autem gratis dat Deus. Sicut enim fingit nos non volentes: ita quoque refingit, nihil ad id commodantes. Regnum porro illud, & Dei contemplatio, & cum Christo versari, voluntatis sunt deliciæ. Quocirca iis tantum qui voluerunt, & dilexerunt, & desiderarunt, eæ conceduntur. Hos enim par est delectari præsentibus, qui absentia concupierunt. Ast qui ea non volunt, hunc iis frui est impossibile. Quo enim pacto voluptatem capere, & lætari queat, tam præsentibus, quem absentium nulla tetigit cupiditas? Cum tunc ne desiderare quidem, conatumque ad prioni studere possit, quia illam pulchritudinem non videt: & sicut Dominus ait, *quem mundus non potest accipere, quia non videt eum neque novit eum.* Cum cæcus hinc egressus in vitam illam devenerit, omnique vi sentiendi & facultate privatus per quas & cognoscere Salvatorem, & amare, & velle cum eo, & posse vivere licet, mirum accidere nemini debet, si omnes quidem immortaliter, non omnes autem beate fœliciterque victuri sunt. Nam divinam circa naturam providentiã omnes nullo discrimine, & æque sentient: eius autem voluntatem donis ornandi, soli experientur ex omnibus, qui Deum pie sanctéque coluerint. Quia nimirum Deus omnibus quidẽ omnia bona vult, & omnibus æque sua communicat, tum per quæ voluntate sua benefacit, tum per quæ naturam restituit & instaurat. Nos vero Dei beneficia in naturam, quoniam ea effugere non possumus, iis, quanquam citra voluntatem, universi homines afficimur. Nam & de invitis bene meretur, & humaniter cogit, quando beneficentiam eius amoliri quidem à nobis volumus, non tamen possumus. In eo genere donum resurrectionis numeremus. Haud enim in nostro situm est arbitrio, neque nasci à principio, neque à mortuis excitari, aut non excitari. Quæ autem a voluntate humana pendent, puta, boni electio, peccatorum remissio, morum integritas, animæ puritas, erga Deum charitas, horum merces est suprema beatitudo. Atque ut vel hæc amplectamur, vel devitemus, penes nos est. Unde nolentibus in promptu est iis frui: volentes qui tandem frui queant? Nec enim nolentes volunt, nec volentes coguntur.

Deinde propter illam rationem. Quoniam Dominus solus naturam quidem à corruptione, animum vero à peccato exemit: illud primogenitus factus mortuorum: hoc pro nobis primus in sancta sanctorum ingressus: utpote peccato sublato, & Deo nobis reconciliato, & medio pariete dissoluto: & seipsum pro nobis sanctificavit, ut & nos sancti simus in veritate, liquet, solos, & merito solutum iri & à corruptione, & a peccato, qui & voluntate, & natura ad eum fuerint aggregati: hoc, quatenus homines, illud, quatenus adventum eius, passionémque dilexerunt, & mandatis eius paruerunt, eadémque cum illo voluerunt. Illi alij unum habent: alterum non receperunt: & ut in hominibus essent, hoc quidem ipsis contigit: ut autem salutem suam Salvatori committerent, & cum eo qui animo voluntatéque bonus est, communicarent, non contigit. Hos peccatorum condonatione, & corona iustitiæ, tanquam voluntate & sententia dissidentes carere consentaneum est, & perire alteram libertatem, nec esse quidquam impedimenti, quo minus, cum eandem cum Christo naturam obtineant, etiam redivivi è sepulchris existant. Etenim baptisma solum beatæ vitæ in Christo, non etiam vitæ causa est: quandoquidem Christi mors, & resurrectio omnibus æqualiter, & simpliciter vitam immortalem conciliavit. Ea propter resurrectio universis mortalibus commune donum est: remissio autem peccatorum, & cœlestes coronæ, & regnum cœlorum iis tantummodo tribuuntur, quibus debitam consummationem addere licitum fuit: qui hinc se instituunt, ut vitæ illi, sponsoque sint idonei, geniti quidem nova generatione, quoniam Adam ille novus est: decore fulgentes, & pulchritudinem à lavacro acceptam conservantes; *quia speciosus forma est præ filiis hominum:* & caput erectum habentes, ut olympionicæ, quia corona est: aures autem, quia Verbum est: oculos, quia sol iustitiæ: nares, quia unguentum est sponsus ille, & unguentum effusum: habitu autem honesti, propter nuptias: Et hæc quidem huiusmodi sunto.

Existit hoc loco alia quæstio, quam decet non negligere. Si enim velle, & committere se, & accedere, donorum baptismi compotes efficit, & hæc fugere, est fugere omnem beatitudinem; qui abiecta communione, & priore sententia apud se reprehensa, & Christo abnegato, ducti pœnitudine sceleris sui ad Ecclesiam redierint, cum consequens sit, eos ad lavacrum statim adduci, & de integro mysticas cærimonias adhiberi, ut qui totum funditus perdiderint: Sacerdos tamen auctoritate legis Ecclesiasticæ sacro tantum oleo corpora inunctos, citra ritum alium, ordini fidelium restituit. Quid ad hoc respondendum? An cum hæc duo pietatem nostram erga Deum contineant, tum accepisse oculum à mysteriis, tum eius usum habere, & radium illum intueri, Christianissimi proditoribus unum perit, alterum illud manet habitus, inquam, & facultas ad videndum? Causa hæc est, quia hoc quidem volentibus perdere licet: quando in nostro arbitrio est, aut solis lucem aspiciendã delectari: aut adversus radium eius claudere oculum: eruere autem ipsum oculum, structuramque illam penitus vitiare, nobis est nimium quam difficile. Si enim facultatum animæ, cum quibus nos natura genuit, disperdere nullam possumus, minime omnium illam poterimus, quam nobis regenerans ipse Deus per se indidit: siquidem & ipsum quod in nobis obtinet principatum, quodcunque tandem est, format, & componit lavacrum: sive id rationis & mentis autonomia, sive aliud quodcunque existimandum est, cui omnis animæ virtus cedit, & ad nutum illius sese accommodat: cui nihil imperat, quodque mutari à nulla re potest. Sed nec ipsum semetipsum mutat, nihil enim se ipso melius fieri queat. Sed neque a Deo mutari æquum est. Haud enim de donis suis ullo nos spoliabit: *Dei enim dona, sine pœnitentia sunt,* inquit Apostolus. In summa, infinitæ bonitatis cum sit, cupit, & dat nobis omne bonum: ita tamen ut prærogativam suam libera voluntas nostra semper retineat. Tale est baptismatis bonum. Non enim mentem coarctat, neque opprimit: sed cum sit vis & facultas, utentibus prodest: non utentes autem manere malos, manere improbos non vetat: sicut & sanum habere oculum in tenebris ambulare volentibus impedimento non erit. Huius rei testes sunt hi sceleratii, qui postquam abluti, & omnia illius mysterij adepti fuissent, in extremam impietatem perversitatémque præcipitarunt. Quamobrem, quia facultates inditas non deposuerunt, ut altera formatione non egentes, sacerdos nequaquam lavat: sed unctione spiritualem illis gratiam immittit, pietatis, inquam, & timoris Dei, & charitatis, & virtutum huiusmodi, quæ ad voluntatem sensúmque pristinum revocandum valent. Hoc enim in his qui initiantur unguentum potest. Et hæc quidem hactenus; ad reliqua pergamus.

Constat igitur ex his quæ disseruimus, eos vitam Christi vivere, qui per baptismum denuo nati sunt. Quæ sit autem vita Christi, id est, quæ sit illa conditio, qua baptismo fruiti, & unda salutifera abluti, vitæ Christi communicant, nondum planum est factum. Quod pœne totum excellentius est, quam ut hominum verbis declarari possit. Est enim virtus venturi sæculi, ut Paulus docet, & ad vitam aliam præparatio. Sicut ergo virtus oculorum, aut coloris lepos, nisi lumen accesserit, non perspicitur: nec possunt vigilantium res cognoscere qui dormiunt, quamdiu dormiunt: similiter nec nova membra, & facultates, quæ sola ad futuram vitam requiruntur, in hac vita, quidnam plane sint, & quod illis decus insit, cognosci possunt: cognato enim mundo, & lumine conveniente opus est. Atqui Christi mẽbra sumus, & hoc efficere baptismi est negotiũ. Splendor autem membrorum, & elegantia in capite consistit. Haud enim pulchra videbuntur membra, capiti

non consociata. Sed horum membrorum caput nunc latet, in futura vita apparebit: tunc etiam membra splendebunt, & patebunt, cum capite existentia videlicet. Hoc significans Apostolus, *mortui estis*, inquit, *& vita vestra abscondita est cum Christo in Deo: Cum autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Et beatus Ioannes, *nondum apparuit quid erimus: cum autem apparuerit, similes illi erimus.* His de causis virtutem vitæ huius nunc perfectè ne sancti quidem ipsi cognoscunt: sed maximam partem se ignorare confitentur, in ænigmate autem, & in speculo, & ex parte se aiunt cognoscere. Et quæ cognoscere possunt, nec illa saltem consequi verbis possunt. Sentiunt & noverunt ea puri corde. Quod autem impossibile est voces, aut sermonem ad ea quæ cognita sunt exprimenda opportunum reperire, id ipsum beati status illius ignorantibus quoddam signum est. Sunt enim quæ audivit Apostolus in paradisum, & in tertium cœlum raptus, *arcana, verba*, inquit, *quæ non licet homini loqui.* Sed quæ de vita illa cognoscuntur, & dici possunt, & non apparentia demonstrant, sunt ea nimirum, quæ ab initiatis cum virtute perficiuntur.

Nova indoles ablutorum, qui stationem suam servant. Insuetata virtus, & humanis legibus superior, cuius nec sapientiam, nec exercitationem, nec ingenium, nec aliud quippiam vt humanum accusare licet. Nam & anima ad talia prompta est, quæ nec fingere atque comminisci hominibus facile est: corpus autem alacritatem eam non comprimit; sed labores suffert tantos, & tam multos, quam animæ collibuerit. Quanquam & corporis, & animæ virtus circumscripta est, & ad quemvis laborem neque hæc, neque illud durare potest: sed possunt quidam superari: in quibusdam hæc desperat, illud fatiscit. Cæterum beatas illas animas, & corpora illa nihil subigit: sed quæcunque dolorum & laborum genera nec ipsa cogitatio libera conceperit, omnia perpetiuntur, & tam multa patienter sustinent.

Nondum dico, quod est summe novum. Quidam nec sustinuerunt, nec tolerarunt. Non enim spe maximorum præmiorum, & vitæ melioris præsentem vitam proiecerunt, iudicio quodam & ratiocinatione ad hanc audaciam aggressi. Et passi quidem sunt, sed non libenter: sicut ægroti medicorum ignem & ferrum patiuntur. Sed istuc est inprimis novum, quod quidam plagas ipsas dilexerunt, ipsos labores expetiverunt, ipsam mortem amabilem censuerunt, quanquam moriendi necessitas nulla esset proposita. Alij enim gladios, & tormenta, & mortem optarunt, & ea iam experientibus crescebant spiritus. Alij per vitam dura agere & pati, proculque remissionibus, ac voluptatibus degere, & has delicias arbitrari, quotidie mori. Et sequebatur corpus, & contra corporales leges dimicantibus auxilium afferebat. Atque hæc non duo, tres, aut viginti, nec viri duntaxat, aut adolescentes: sed multa millia, vel potius innumerabiles, sexus vterque, ætas omnis. Hoc vero potissimum eluxit in martyribus: quorum alij & ante persecutiones erant fideles; aliis in ipsis persecutionibus veram vitam Christus inseruit. Simul vero persecutoribus fidem in Christum ostendebant, & nomen eius enuntiabant, & mori cupiebant, & vno eodémque clamore carnifices provocabant, quasi ad aliquod bonum oblatum properantes, & mulieres, & puellæ, & viri, & pueri & cuiusque instituti, ac status: nam & hoc apponendum est, quia non parvum discrimen affert. Etenim non similiter ad certamina & labores affectus est, qui in sudoribus & qui molliter atque in otio vivit, & gladium atque mortem non iisdem oculis miles, & aulœdus aspiciunt. Horum nihil admirabilem illum impetum repressit, nec retardavit, quo minus omnes æqualiter ad eundem Philosophiæ apicem aspirarent. Sed quia vna erat, quæ omnes parit, & format virtus, omnes extremam virtutis metam contigerunt, & bonum illud (Deum) honorarunt, & dilexerunt, supra, quam naturæ consentaneum erat. Quidam pro eo etiam animas suas contempserunt. Etenim mulieres scenicæ, & viri perditissimi & huiusmodi hominum colluvies verbum communis nostræ salutis susceperunt, aliamque vitam & mores induerunt, ad pulchram harmoniam adaptati, atque istuc ita repentè & facilè, quam cito & levi negotio personam mutabant. Compluribus etiam non ablutis in chorum hunc referri contigit, quos ab Ecclesia aquâ non baptizatos, ipse sponsus Ecclesiæ baptizavit. Multis itaque & nubem humidam de cœlo, & aquam vltro è terra erumpentem dedit, & sic demum eas lustravit. Multos occultè reformavit.

Sicut enim quæ desunt Christo, membra Ecclesiæ Paulus, & si quis ei similis, supplet: sic nihil absurdum, quæ desunt Ecclesiæ, ipsum caput Ecclesiæ supplere. Si enim sunt, quibus membra caput videntur iuvare, quanto iustius est, quæ membris desunt, ipsum caput adiicere? Et hæc quidem ad istum modum se habeant. Ad priora redeundum est.

Huiuscemodi igitur virtutem, qua istæ ausi sunt, & alacritatem tantam attulerunt, & magnanimos ausus ad finem perducere potuerunt, in natura hominum haud inveniri, verbis demonstrare nihil attinet. Quia vero causa horum gratiæ baptismatis necessario adscribenda est, quæramus iam modum, quomodo in ipsis lavacrum illa operatur. Manifestum est igitur, labores illos & agones, amantium fuisse, & Christi iacula atque philtra ipsos ad hanc rerum novitatem impulisse. Quæ porro causa amoris, & quid illis factum, vt adeo diligerent, & vnde ignem tantum susceperint, age consideremus.

Etenim cognitio amorem gignit, & procreat: nec possis quidquam pulchrum amare, nisi ante didiceris quam pulchrum sit. Et quoniam hoc scire & perfectè cumulatéque, & imperfectè contingit, par fuerit amorem quoque perinde se habere. Et pulchra quidem ac bona, quæ plene cognoscuntur, etiam plene diliguntur, & quemadmodum tantæ pulchritudini convenit. Quæ autem amantibus admodum nota non sunt, eorum quoque amor imbecillis est. Igitur illud fit perspicuum, cognitionem aliquam Dei, & sensum ipsis à baptismate immissum, & eos bonum liquido cognovisse, pulchritudinémque persensisse, & de bonitate eius gustavisse, experientiâ, inquam, perfectiore, quàm doctrinâ possit discentibus subiicere. Nam cum rerum cognitio bipartita sit; vna quam quis auditione haurit; alia quam per se ipse consequitur, illo modo non ipsam rem attingimus: sed in verbis, vt in imagine quadam, non autem accurate, in ipsius speciei simulacro, seu effigie eum cernimus. Fieri enim nequit, vt ei per cuncta similem in rerum natura inveniamus, qui pro exemplo ad illius cognitionem sufficiat. Expertum vero esse, est in res ipsas incidisse. Vnde hic ipsa species in animam incurrit, & desiderium excitat, veluti vestigium bono respondens. Illic ab idea ipsius rei propria deserti, per quæ autem cum aliis communicat, obscuram quandam, & exilem eius imaginem nacti, eâ desiderium & amorem rei metimur. Quare non amamus, quantum est amandum, nec patimur, quantum illud potest facere, cum ipsam speciem non degustaverimus. Sicut enim diversa species naturæ cuiuslibet etiam diversam rationem in anima producit, sic & amorem. Igitur si Salvatoris charitas in nobis nihil novum, nec valde admirandum præ se tulerit, satis apparet, nos solis de eo vocibus potitos: è quibus quonam pacto bene liceat cognoscere, cui nihil est simile reperire, neque quod illi & aliis commune sit, nec exemplum ad quod comparetur, neque quibus ille exemplo sit? Quomodo hunc bonitatem perspiciemus, & vt eius bonitate dignum est, eum amabimus?

Qui porro adeo amant, vt naturæ finibus egressi, maiora & studeant efficere, & possint, quam homines fas est cogitare, hos ipse sponsus vulneravit, ipse radium pulchritudinis suæ oculis ipsorum immisit. Magnitudinem enim vulneris telum, & vulneratorem amor

declarat.

declarat. Et hoc à veteri testamento novum differt, & hoc melius habet, quod tunc quidem verba erant, quæ erudirent: at nunc præsens ipse Christus ineffabili quodam modo animas tractat. Sermone enim, doctrina, & legibus homines finem exoptatum attingere non poterant. Si enim verbis potuissent, operibus non eguissent, & illis quidem excellentissimis, Deo incarnato, crucifixo, & mortuo. Atque hoc Apostolis, religionis nostræ parentibus ab initio claruit. Nam cum omni doctrina, & quidem ipsius Salvatoris imbuti ac pasti, eius actionum, miraculorumque, & beneficiorum, quæ naturæ nostræ præstitit, spectatores facti essent, quæque hominum causâ sustinuit, & illius in vitam reditum, in cœlos ascensum vidissent, cum, inquam, hæc omnia didicissent, nihil tamen novum, nihil generosum, nihil spirituale, nec vetustate melius ostentarunt: donec baptismo tincti sunt, quo adepto, & paracleto eorum animis illapso, & ipsi evaserunt novi, & vitam novam apprehenderunt, & cæteris sese duces in ea præbuerunt, Christique amorem sibi & aliis implicuerunt. Quanquam enim cum sole versabantur, non tamen spiritualis lavacri adhuc expertes, radium sentiebant. Ad eundem modum & sanctos deinceps omnes perfecit Deus, & cognoverunt eum, & dilexerunt: non sermonibus nudis affecti: sed lavacri virtute præparati, ipso formante & aptante, qui diligitur, qui cor mundum creat, & aufert lapideum, & reponit carneum, stuporem eiiciens. Et scribit quidem, verum, ut Paulus ait, *non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus*: & non legem simpliciter, sed legislatorem ipsum, ipse semetipsum. Hoc in multis sanctorum, manifestissimeque perspectum est, quos cum neque verbis veritatem discere potuissent, nec miraculis absconditi virtutem agnoscerent, susceptum lavacrum Christianos præclarissimos subitò demonstravit.

Beatus itaque Porphyrius, cum illis temporibus viveret, quibus Christi lex totum orbem subigebat, præconiumque sacrorum vocem mortales universi audirent, & martyricis certaminibus trophæa ubique statuerentur, quæ evidentius quam vox ipsa, Christo veræ deitatis testimonium darent, cum evangelium millies audivisset, torque fortissimorum militum, & miraculorum spectator fuisset, nihilominus in errore permanens, mendacium veritati anteponebat. Postquam vero, idque per ludum baptizatus est, non Christianus solum illico est redditus, sed ad ipsorum quoque martyrum societatem aggregatus. Mimus enim cum esset, & eam artem factitaret, non dubitavit hanc quoque audaciam audere, ut risum conciliaret. Et baptismo illudebat, seque in theatro in aquam immergens, Trinitatem exclamabat. Ac spectatores quidem, quibus drama dabatur, cachinnum tollebant: ast illi iam non ridiculum nec scenicum erat quod agebatur: sed generatio vera, & reformatio, & idipsum mysterium, quod alioqui est. Exivit enim pro mimo animam gerens martyricam: corpus præclarum, velut ad philosophiam, & labores exercitatum: linguam, quæ pro risu tyranni iram provocaret. Et ita serius fuit ille, qui per vitam actitabat ludicra, tantámque propter Christum alacritatem adhibuit, ut multis cruciatibus exhaustis, libens moreretur, & nec linguâ proderet, quem amabat.

Sic etiam Genesius Christum dilexit, similitérque cognovit, & ut apparet, utroque animo inimico, & hostili accessit. Sed postquam animæ oculum illi aperuit, qui oppugnabatur, suam pulchritudinem ei demonstravit, illico super bonitate obstupefactus, longe diversissimum sensum præ se tulit, & pro hoste amicissimus evasit. Erat enim amor ille ecstasis, quia a se captos extra fines humanos constituebat. Et hoc docens Propheta, *sicut obstupuerunt*, inquit, *super te multi*, (quando super cruce & morte Christum alloquitur) *sic inglorius erat inter viros aspectus tuus, & forma eius inter filios hominum.*

Ardalion autem insignis ille, ipse quoque pro alio ludicro, quo spectantes iucundè recreabat, baptizatus est. Erat siquidem ridiculus, & istiusmodi voluptates ad spectandum confluentibus præbebat. Baptizatus est autem, non symbolis, nec imaginibus Christum patientem imitatus, sed rebus ipsis. Etenim pulchram confessionem, & martyrum tolerantiam recte imitabatur, & in cruce nudus, ludens à ludentibus suspendebatur. Verum ubi Christum est professus, & plagas sensit, repentina mutatione animæ cum voce conspiravit, quodque simulabatur, mens vere complexa est, eratque omnino, quod se per ludum vocabat, Christianus, plagásque & ludentes, & vocem fictam opus tale sequebatur, & cum Christum se diligere affirmaret, eodem puncto temporis diligebat, amore ut flamma ab ore ipsum cor afflante. Cúmque aliis bonum de bono thesauro cordis ad os veniat, Ardalioni thesaurus cœlestis fluminis per os in cor venit. O virtutem Dei inexplicabilem: Non enim benefactis, non coronarum communicatione, neque saltem bona spe sibi conciliatum, sed plagarum, & ignominiæ consortem ut accepit, sic eum cepit, & occupavit, adeoque amicitiâ suâ dignatus est, ut ei persuaderet, quæ prius vel auribus respuebat. Exemplo à consuetudine, temporis longinquitate molitâ & confirmata discessit, animúmque ad habitum penitus penitúsque contrarium transtulit, & à re omnium pessima, pravissimáque ad optimam omnium transivit. Nihil enim potest mimo inveniri scelestius, nec martyre sapientius. Quid his commune? &, si naturam spectemus, quomodo cohæret, plagas & opprobrium parere amorem, & propter quæ Christianismo nuntium mittere etiam fidelem par videbatur, per ea captivum facere, & subigere inimicum, quibus ille hostis erat? Quis enim persecutionem passus delectari possit, his amorem persuadere, in quorum odio inimicus ante se exercuerit, ac pro inimicissimo & persecutore amicum & studiosum sibi parare? De his igitur ita explicatum esto.

Adhæc sermo doctrinæ nihil videtur contulisse quidem, totum vero baptismi virtus operata esse. Nam verba communis salutis nostræ etiam Ardalion audiverat, multosque martyrum, ætate sua liberrime se Christianos prædicantium miracula viderat: nihilo secius cæcus, & lumini adversarius manebat: donec susceptis Christi stigmatis, & bonam confessus confessionem baptizatus est. Hic enim baptismi scopus est, Christum apud Pilatum testificantem, quamque ad crucem & mortem usque patientiam egregiam adhibuit, imitari; per imagines autem, & symbola sacrorum istorum imitari. Licet nihilominus rebus ipsis cum discrimine capitis, tempore vocante, religionem palam ostendere. Multis etenim omni memoriâ excogitatis ægrotanti generi nostro medicinis, sola Christi mors veram vitam, & bonam habitudinem afferre potuit. Quare hoc ipsum, nova generatione generati, beatam vitam vivere, & ad sanitatem disponi, nihil est aliud, quam pharmacum istuc bibere, & pro viribus confiteri confessionem, tormenta perpeti, & morte plecti.

Hæc novæ legis efficacitas est: sic generatur Christianus: & hac via ad philosophiam admirabilem perducitur, operibus quidem optimis deditus, fidem autem immobilem conservans, non demonstrationibus ad fidem compulsus, neque legibus adactus mores instituens: sed virtute divina concitatus & hoc & illud suscipiens, & per utrumque sacrosanctam Christi effigiem induens. *Non enim est regnum Dei in sermone*, inquit, *sed in virtute: & verbum crucis nobis qui salvamur Dei virtus est.* Idcirco & spiritualis est lex ista, quia spiritus totum operatur: illa scripta, quoniam litterarum & vocum tenus procedebat. Quocirca & umbra, & imago fuit: res autem & veritas, quæ nunc fiunt. Verba enim ad ipsum esse rerum imaginis proportionē habent: quas, priusquam apparerent, multis ante sæculis lingua Prophetarum Deus significavit. *Feriam*, inquit, *fœdus novum, non secundum pactū, quod pepigi cū patribus*

eorum. Sed quod? *hoc erit pactum*, inquit, *quod feriam cum domo Israel, in domo Iuda. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam.* Non per voces compositam, & concinnatam: sed ipse ego legislator per me, absque medio. *Non enim amplius docebit unusquisque fratrem suum, & unusquisque proximum suum, dicens, cognosce Dominum: quoniam omnes cognoscent me, à minimo usque ad maximum.* Hanc & David legem adeptus, beatam illam vocem emisit: *quoniam ego cognovi, quod magnus est Dominus.* Ego cognovi, inquit, per experientiam, non vt, qui aliis docentibus id audiverim. Quò & alios inducens, *gustate*, inquit, *& videte, quoniam bonus est Dominus.* Quin etiam multis, & variis sermonibus beatus ille Dei bonitatem collaudavit. Sed quasi verba rem ipsam æquare nequeant, ad experientiam eorum, quæ in Deo laudantur, audientes provocat. Hanc experientiam baptizatorum animabus sacer fons inserit, & ex opificio opificem, menti veritatem, desiderio solum desiderabilem demonstrat. Ideo & magnum desiderium, & amor ineffabilis, & charitas prorsus singularis: quoniam non est quo egeat, & omnia conveniunt, & nihil dissonat, & insuper est omnis excellentia. Sic enim rem dispiciamus.

Desiderium animabus indidit Deus. Si bonum illud assequi debemus, & veritas intelligenda est, hæc duo vtique pura omnino desideramos, bonum à malo, veritatem à mendacio. Nemo enim deceptus lætatur, nec delectatur in errorem inductus, & pro bono in malum incidens. Hæc concupiscentibus pure consequendi nonquam adhuc facta est copia: sed quod à nobis bonum, & verum appellatur, non magis hoc est quod appellatur, quam contrarium. Vnde apertum fit, hic neque charitatis, neque gaudij in nobis tantam vim reperiri, quanta reperiretur, si quæ diligere, & quibus gaudere oportet, præsentia adessent. Neque amoris vinculum quantum sit, nec magnitudo illius incendij nota est: quia quod amatur, nusquam est. Iis autem qui Salvatorem gustaverunt, adest idipsum quod desiderant, ad quem humanus amor velut ad canonem aliquem, & finem ab initio comparatus est: velut thesaurus ita magnus, ita latus, vt Deum possit capere. Hac ratione & omnia bona in vita consequuntur. Nulla intercedit satietas, nec quidquam desiderium definit: sed adhuc sitimus, ac si nihil desideratorum obtinuissemus. Animarum quippe humanarum sitis quidam aquâ infinitâ indiget: cui mundus iste finitus, qui possit sufficere? Et hoc est quod dominus tectius Samaritanæ ait, *qui biberit ex hac aqua, sitiet iterum. Qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Hæc enim est aqua, quæ animarum humanarum appetentiam sedat. *Satiabor* inquit, *cum apparuerit gloria tua.* Etenim oculus comparatus est ille quidem, vt ad lumen percipiendum sufficiat, & auditio ad sonum, & vnumquodque quibus congruit: animæ autem desiderium ad Christum fertur solum, & hoc illi diversorium, quia & bonum, & veritas, & quodcunque amabile, ejus est. Quem qui assecuti sunt, eos nihil impedit amare, pro eo quantus amor ab initio animabus est insitus: & gaudere quantum natura gaudere potest: & si quid ipsis virtus, & regenerationis aqua adiecit. In bonis enim vitæ huius, nomen mentientibus, neque amor neque gaudium vigere potest. Nam etsi quid bonum videtur, inane veri boni simulachrum est. Hic autem cum nihil sit quod obstet, admirabilis & ineffabilis amor, & charitas quantam verbis nemo descripserit, ostenditur. Maxime cum ad se ipsum vtrumque horum affectuum instituerit Deus, vt ipsum diligamus, eoque solo gaudeamus. Et est consequens, vt existimo, rationem quandam ad bonum illud infinitum servare, & hunc, vt breviter dicam, modum esse. Consideremus igitur, quanta sit eius magnitudo.

Deinde excellentiæ & illud signum est. Omnium enim bonorum, quæ vltro nobis præbuit, solam compensationem ducit amorem, quem si à nobis retulerit, nomina expungit. Qui ergo bonis innumerabilibus pari velut pondere respondet, quomodo apud Deum iudicem non sit excellentissimus? Certum est porro, gaudium æquare omnino charitatis magnitudinem, & amori coniunctam esse per omnia voluptatem, & maximum comitari maximam. Itaque humanis animabus charitatis & gaudij insignem quandam, & admirabilem materiam esse repositam, & præsente vere pulchro & dilecto, efficacissimam esse patet. Et hoc est quod Salvator gaudium plenum vocat. *Petite*, inquit, *& accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Quapropter cum spiritus quoque venisset, suáque dona contulisset, fructuum inde orientium primas, charitas, & gaudium tulerunt. *Fructus enim spiritus*, inquit, *est gaudium, & charitas.* Ideo videlicet, quod in his primum sensum sui ipsius animabus præbet adveniens Deus. Sentientes enim illud bonum, & amare & gaudere necesse est. Quoniam & forma aspectabili hominibus apparens, hoc signum agnitionis suæ à nobis exigit. Et hoc docuit, & hoc statim induxit: vel potius propter hoc ad sensum vsque se demisit, & huius causa totum fecit. Etenim ob hoc se natum esse, & ob hoc venisse in mundum ait, *ut perhiberet testimonium veritati.* Atqui veritas ipse erat vtique, tantum non dicens, vt me ipsum ostenderem. Hoc etiam nunc baptizatis adveniens præstat, & testimonium perhibet veritati, bonum opinionis tantum, eiiciens, veritatem contra introducens, & præostendens, & quod ait ipse, ipse semet illis manifestans. Hoc autem esse verum, lotos hoc lavacro Deum quodammodo experiri, ex rebus ipsis, vt memoravi, elucet.

Quod si etiam testimoniis est opus, cum multi sint, & Dei amantes, & qui apud eum plurimum potuerunt, qui testimonium dicant, sufficiet vnus instar omnium Ioannes, qui animam solis radio lucidiorem, & linguam auro splendidiorem habet. Sed enim verba ipsa huius linguæ recitemus oportet. Sed quid est, *gloriam Domini speculantes, secundum eandem imaginem transformamur?* Evidentius quidem hoc declarabatur, cum signorum dona in Apostolis operabantur. Quanquam haud erit difficile hoc ipsum perspicere & nunc, fideles habenti oculos. Simul enim vt baptizamur, etiam vltra solem refulget anima, spiritu perpurgata: ac non solum intuemur in gloriam Dei, verumetiam inde recipimus splendorem quendam: non aliter quam si argentum mundum ad radios solis expositum emittat & ipsum radios, non ex suapte natura tantummodo, verum insuper ex fulgore solis. Similiter & anima repurgata, & argento facta lucidior, accipit radium à gloria spiritus, & hunc vicissim ex se remittit. Eoque dicit, *speculantes secundum eandem imaginem transformamur*, à gloria spiritus in gloriam nostram, quæ in nobis gignitur: & quidem talis, qualem convenit gigni à Domini spiritu.

Et post pauca. Vis hoc tibi demonstrem evidentius ab Apostolis? Cogita Paulum, Nonne vestes illius vim exercebant? Cogita Petrum, Nonne & vmbra illius habebat vim? Neque enim nisi regis imaginem gessissent, & splendor illorum submovisset ab accessu, tantum miraculorum vestes, & vmbræ illorum edidissent. Nam regis vestes etiam latronibus sunt formidabiles. Visne videre gloriam hanc etiam per corpus relucentem? *Intuentes*, inquit, *in faciem Stephani, viderunt tanquam vultum angeli.* Verum nihil hoc ad intus fulgurantem gloriam. Sicut enim Moses in facie velamen habebat: ita hi in animo velamen circumferebant; immo multo amplius. Quod enim in Mose, sensibus erat impositum, hoc autem incorporale. Quemadmodum ignescunt à corporibus splendidis corpora, lucem suam in vicina transfundentia, atque de propria luce communicant: sic accidit & fidelibus. Hanc ob causam videlicet subducuntur à terris, quibus hoc contigit, nec quidquam nisi cœlestia cogitant. Heu mihi, nam hîc par est etiam amaros edere gemitus, quod cum tanta fruamur nobilitate, nec ea quidē scimus quæ dicuntur,

eo

eo quod res celeriter nobis pereant, & ad sensibilia obstupescamus. Siquidem hæc ineffabilis ac tremenda gloria, ad vnum vsque alterumve diem in nobis manet. Iam vero etiam illam extinguimus, inducentes negotiorum sæcularium hyemem, nubiúmque densitate depellentes radios. Hactenus Chrysostomus.

Non igitur vsque ad cogitationem, & æstimationem, & fidem tantum baptizatis licet Deum cognoscere; sed & maius quiddam, & rei vicinius in aquis istis est invenire. Fulgorem enim illum Dei cognitionem in animo collocare, & mentis lampadem esse existimare, non videtur aliqua ratione niti. Hunc enim post vnum alterumve diem, turbis & tumultibus initiatos invadentibus evanescere contingit: ast fidem qui sollicitudine adhibita ignoraverit, & tam brevi tempore, nemo est. Sed licet & molestiis conflictari, & de divinis disserere probe nosse; & quod maius est, perturbationibus addictum esse vitiosis, & salutis ac veræ philosophiæ rationem non nescire. Vnde liquet, hæc Dei sensum esse quondam citra medium radio qui inde procedit animam ipsam occultius feriente. Huius radij symbola sunt, quæ in baptismo cernuntur. Omnia enim plena sunt splendore lampades, cantus, chori, triumphi, nihil quod non sit hilare. Vestis tota fulgens, & ad speciem lucis parata. Quæ caput tegit, & ipsum spiritum habet depictum, & figuram fert, qua adventus eius obscurius indicatur. Etenim linguæ similis est, prout vestem gestare caput, & schema portare potest, quo spiritus Apostolos à principio baptizans visus est, exprimitur. Quoniam & hic partem corporis ipsorum tunc insedit, & erat super caput cuiusque videre ignem in figura linguæ: ut ni fallor, specie linguæ occasionem causamque descensus indicaret, quod Verbum sibi coævum interpretaturus veniret, & docturus ignorantes; hoc enim linguæ munus est, quæ intus cogitata effert, non apparentium animi motionum nuntia. Etenim hic quidem (λόγος) eum qui generavit, generatum spiritus prædicat. *Ego* (inquit ad Patrem) *glorificavi te, & ille me glorificabit.* paracletus nimirum. Propterea igitur in hac figura illis se obiecit. Symbolum autem cogitationem nostram ad illud miraculum, & diem illum fœlicem deducit, quæ prima baptismatis promissi pensionem vidit: vt sciamus, eos, in quos primum spiritus venit, posteris communicasse, & illos suis posteris, & ita progredientem ad nos venisse, nec defecturum donum, donec nobis id ipse suppeditator contrahat. Tunc igitur beatis Dominus purum sensum suiipsius præbebit, cum interiecta, & luminibus officientia sublata fuerint.

Act. 1. Act. 2.

Ioan. 16.

Nunc autem, vt licet, carnis crassitie cooperti huius sensus inexplicabilem lætitiam, & insignem charitatis fructum percipiunt, penes quos est magnitudo recte factorum, & admirabilium operum demonstratio, quique cum victoriis, & coronis peragrant omnia. His enim armis instructi, nec atrocibus, nec iucundis vincuntur. Etenim gaudium tristibus dominatur: iucunda autem nec trahere, nec dissolvere, tantâ vi amoris coagmentatos, & constrictos possunt. Hoc est baptismatis opus, à peccatis absolvere, homini Deum reconciliare, Deo hominem adoptare, oculum animabus aperire, divinum radium degustare, & vt simul dicam, ad futuram vitam præparare. Itaque recte facimus, dum ei generationis nomen, & eandem notionem habentia imponimus. Et demum Dei cognitionem in animabus initiatorum exoriri facit, quæ est vita, basis, radix vitæ: partim ipso Salvatore affirmante, æternam vitam, in cognoscendo solum verum Deum, & quem misit Iesum Christum, sitam esse: partim ad Deum Salomone dicente. *scire te, radix immortalitatis.* Quod si & ratio adiungenda est, quis nescit, veram essentiam excellentiámque hominum in hoc ipso, in ratiocinando scilicet, & cognoscendo positam esse? Quod si ita est, in omnium optima cognitione vtique, & à mendacio libera posita fuerit. Dei autem notitiâ (ipso oculum animæ aperiente, & ad se convertente) quæ cognitio melior, & ab omni errore purior? Hic est fructus baptismatis.

Ioan. 17. Sap. 15.

Ostensum est porro hactenus, vitæ in Christo principium, essentiæque & vitæ hominum, & præstantiæ secundum veram vitam, mysterium baptismi causam esse. Quod si hæc non in omnibus baptizatis cernuntur, non continuo infirmitatis damnandum est mysterium: sed initiatis eius culpa damni tribuenda est, qui aut non bene ad gratiam parati sint: aut thesaurum prodiderint. Quanto enim iustius est, discrimen hoc ad ipsos referre initiatos, dissimili modo baptismare vsos, quam initiationem vnam eandémque in omnibus contra accusare? Certum est enim, neque naturæ, neque exercitationis dictorum bonorum cumulum, sed baptismatis opus esse. Iam si & contrarium inde evenit, quomodo non est absurdum, id ipsum posse illuminare, & non posse? & cœlestes facere, & nihilo terrenis sublimiores? Sed neque solem reprehendemus, nec pro obscuro damnabimus, quia radium eius non omnes aspiciunt: ab aspicientibus potius suffragia colligemus. Nec recte fecerimus, si illuminationem aliud posse arbitrabimur, quam id ipsum, vnde appellatur.

DE VITA IN CHRISTO,

LIBER TERTIVS.

Quam ei vtilitatem sacrum unguentum, sive chrisma conferat.

Sic porro spiritualiter fabrefactos iam, & ad hunc modum generatos, etiam actionem, generationi huic convenientem, & motum consentaneum sortiri oportebit. Hoc nobis divinissimi vnguenti vsurpatio conciliat, quod in spiritualibus efficientiis efficaces facit, hunc quidem in hac, alium in illa, alium in pluribus, vt quisque ad mysterium paratus accesserit. Et nunc perinde, vt antiquis temporibus, initiatis evenit. Manus enim Apostolorum baptizatis imponebantur. Nam cum imposuissent manus Apostoli initiatis, ait Scriptura, spiritus dabatur. Et nunc in eos qui vncti sunt similiter Paracletus venit. Cuius rei nota & signum est. Cum vetus lex reges, & sacerdotes æque vngeret, Ecclesiæ lex illos vngens, his manus etiam imponit, & spiritus gratiam ambobus precatur: quo ostenditur, & hoc, & illud eodem spectare, & ambo eandem vim habere. Deinde & nominibus inter se affinia sunt & illud chrisma, & hæc spiritus communio. Nam & sacerdotum inaugurationem sanctissimi sacerdotes χρῖσιν, *unctionem* appellant: & rursus, quibus mysterium vnguenti conferunt, eos Spiritus sancti participes esse & precantur, & credunt. Et Initiationem quid tandem sit, mox andis exponentes, spiritualis doni sigillum vocant: hoc enim super vngendis pronuntiant.

Act. 8. & 19.

Præterea Christus ipse Dominus, qui non effusum in caput vnguentum accepit, sed per Spiritum sanctum vnctus est: quoniam spiritualis operationis omnis, propter assumptam carnem thesaurus fuit, & non Christus solum, sed & chrisma. *Vnguentum effusum,* inquit, *nomē tuum,* illud à principio, hoc posterius. Quamdiu enim non erat, cui Deus sua impertiret, vnguentum erat, in se ipso manens. Postquam autem beata illa caro est condita, quæ omnem plenitudinem divinitatis suscepit, vt Paulus ait, & cui non ad mensuram dedit Deus spiritum, vt Ioannes testatur, sed omnes naturę suę divitias

Isa. 61. Cant. 1. Colos. 1. Ioan. 3.

divitias in eam contulit, tunc in ipsam effusum iam vnguentum, iure chrisma & est, & nominatur. Nam communicati, hoc ipsi & chrisma, seu vnguentum esse, & effundi fuit. Nec enim mutavit locum, nec divisit murum, nec transcendit: sed quod ipsum à nobis arcebat, quodque ipsemet fecerat, id nullum in medio reliquit. Deus enim ab hominibus non loco distabat, qui implet omnem locum: sed differentia distabat, & natura se ipsam sibi à Deo arcebat, differendo omnibus quæ habebat, & nullà cum eo communitate consociata. Nam ipse quidem Deus solum Deus, natura nostra homo tantum erat. Vbi vero caro deificata, & natura humana ipsum Deum hypostatice sortita est, murus seu paries iam vnguentum extitit, & discrimen illud locum de cætero non habet, quando una hypostasis, sive subsistentia cum illud quidem esset, hoc facta est: quæ hypostasis intervallum diremptionémque inter divinam humanámque naturam tollit, communis naturæ vtriusque terminus: siquidem distantium haud possit communis terminus reperiri.

Sicut ergo, si alabastrum aliquo artificio queat in vnguentum mutari, & in ipsum transferri, non ultra erit aliis incommunicabile, nec intra, nec in se ipso manens. Eodem modo nostra natura in divino corpore divinitatem induta, quod à Deo genus humanum intercludat, nihil est. Vnde quo minus beneficiorum eius participes simus, re nullâ nisi peccato impedimur. Quoniam autem murus duplex erat, naturæ, & voluntatis perversitate corruptæ, illum Salvator incarnatus, hunc in crucem actus sustulit. Peccatum enim crux delevit. Hinc post baptismum, qui crucis illius, & mortis vim habet, ad unguentum, communionémque spiritus accedimus. Obstaculis enim ambobus sublatis, Spiritum sanctum super omnem carnem effundendum nihil remorabitur (Ioel. 2.), quantum, inquam, in præsenti vita conceditur. Nam ad continentem cum Deo cohabitationem, mortalitas tertium est impedimentum, & mortale adhuc corpus gestantes, ænigma & speculum transcendere non sinit (1 Cor. 13). Itaque hominibus tripliciter a Deo distantibus, per naturam simpliciter, per peccatum, per mortalitatem, vt eo pure potiantur, & sine medio cum illo vivant, Salvator fecit, quæ adversabantur, omnia deinceps removens. Primum, quod naturæ humanæ factus consors: alterum, in cruce mortuus: extremum vero murum, (mortis tyrannidem puta) omnino è naturæ finibus per resurrectionem profligavit. Ideo Paulus ait, *novissime inimica destruetur mors* (1. Cor. 15). Non eam inimicam appellasset nisi nobis ad veram fœlicitatem obstaret. Hæredes quippe mortis Dei, à corruptione liberari necesse est. *Non enim corruptio*, inquit, *incorruptelam possidebit* (Ib.). Post communem námque hominum resurrectionem, cuius causâ Salvator resurrexit, speculum & ænigma recedent: Deúmque facie ad faciem videbunt, qui quidem erunt mundo corde (Ib. & Mat. 5.).

Opus igitur initiationis huius est, vim & efficientiam boni spiritus impertiri, ipsáque vnctio Dominum Iesum introducit, in quo tota hominum salus, omnis spes bonorum, & vnde nobis sancti Spiritus consortium, & per quem ad patrem accessus. Reformatio enim humana Trinitati, ut communi effectrici adscribenda est: sed eam reipsa, & per se λόγος (Verbum) operatus est: non solum quando cum hominibus commoratus, humana fecit ac tulit, & *oblatus est*, vt inquit Paulus, *ad multorum exhaurienda peccata* (Heb. 9.): sed ex eo tempore semper operatur, quamdiu nostram naturam gerit, propter quam ipsum advocatum apud Deum habemus (1. Ioan. 2.). Per seipsum vero *emundat conscientiam nostram ab operibus mortuis* (Heb. 9.), & per semetipsum spiritum dat. Atque hoc sane mysterium superioribus ætatibus donis sanitatum, & prophetiæ, & linguarum, & huiusmodi, baptizatos exornabat, quæ immensam Christi potentiam universis hominibus luculenter testabantur: his enim tunc opus erat, quando Christianismus adhuc fundabatur, & religio adhuc construebatur. Etiam talia quibusdam inde collata sunt & nostro & paulo superiore sæculo: nempe futura prædicere, & dæmones expellere, & solis precibus morbos depellere. Nec superstites modo, sed iam tumulis mandati eadem æque poterant, spirituali efficientiâ beatos ne mortuos quidem deserente. Quæ autem Christianis semper vnguentum istuc conciliat, & quæ omni tempore opportuna sunt, ea sunt donum pietatis, precationis, charitatis, castitatis, & aliorum, quæ suscipientibus percommoda accidunt: etsi multos Christianos hæc fugiunt, & quanta sit huius mysterij vis, latet, & iuxta illud quod in Actis scribitur, *neque si Spiritus S. sit, noverant* (Act. 19.), quosdam in ipsa initiatione, quod ante ætatem hoc mysterium adipiscuntur, ad dona intelligenda inepti: quosdam florentibus annis, quibus ad flagitia conversi, oculum animæ excæcant.

Igitur revera spiritus initiatis sua munera largitur, *dividens seorsum singulis prout vult* (1 Cor. 12). Nec Dominus benefaciens nos relinquit, quibus cum vsque ad consummationem sæculi futurum se est pollicitus (Mat. 28.). Non enim est inanis, & supervacanea hæc initiatio: sed sicuti remissionem peccatorum à divino lavacro, & à sacra mensa Christi corpus accipimus, nec ista ante desinent, quam ipse horum fundamentum palam advenerit: eodem modo, & sacratissimo vnguento Christianos frui convenit, & donorum sancti Spiritus participes evadere prorsus oportet. Qui enim consentaneum foret, sacrorum initiamentorum alia quidem efficientiam suam complecti, istius fructum nullum esse? & in iis quidem secundum Paulum arbitrari promissorem fidelem esse (Heb. 10.), de hoc ambigere? cum aut de nullo bene, aut de aliis etiam paria sentire necesse sit, quando quidem eadem virtus per omnia operatur, & vna vnius agni immolatio, eiusque mors, & sanguis perfectionem omnibus confert. Datus est igitur vere Spiritus sanctus, illis, vt aliis queant benefacere, & vt Paulus loquitur, Ecclesiam ædificare (1. Cor. 14), eventura prædicentes, aut mysteria tradentes, aut morbos verbo profligantes: his, vt ipsi fiant meliores, pietate, aut castitate, aut charitate, aut præstanti humilitate illustres. Possumus enim animo, & moribus pudicitiam colere, & nos ad iustitiam exercere, & ad preces charitatémque incumbere. Aliæ item probitates consectandæ sunt. Præterea possumus à Deo excitati perturbationibus imperare, & humanitatem æquitatémque colere, & in reliqua philosophia Christiana versari.

Quemadmodum enim vitia quædam feralia sunt in hominibus, qui à spiritibus malignis exagitantur: sic contra ipso Deo movente, divinæ virtutes, & supra humanum captum reperiuntur. Qua ratione dilexit beatus Paulus, mansuetus fuit David, & alius aliud eximium ac laudabile, & vltra modulum humanum habuit, ac demonstravit. Scribens enim Philippensibus, ait se illos diligere *in visceribus Iesu Christi* (Phil. 1.). De Davide Deus, *inveni virum secundum cor meum* (1 Reg. 13). Immo etiam fides donum est spirituale, quod Apostoli Salvatorem poscunt, *adauge*, inquiunt, *nobis fidem* (Luc. 17.). Et ipsemet Salvator sanctificationem à Patre illis precatur, *sanctifica eos*, inquit, *in veritate* (Ioan. 17.): deditque Deus illi quod precabatur. *Et ipse spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus* (Rom. 8.), virtutem precandi suppeditans vti reor. Et prorsus iuxta hanc rationem Spiritus sanctus est spiritus sapientiæ, & spiritus intellectus, & consilij & fortitudinis, & pietatis, & aliorum, à quibus nomina sortiuntur, quibuscum sua communicat (Isa. 11.). Vniversis igitur initiatis, mysterium quod suum est facit: quanquam cognitio donorum, & studium divitiarum istarum vtiliter collocandarum, non omnibus inest: aliis quidem propter immaturam ætatem nondum id intelligentiâ assequentibus; aliis quia præparati non sunt, nec debitam alacritatem perferentibus. Quorũ quibusdam postea delictorum pœnitentia & lachrymæ, & vita ad virtutis amussim directa infusam animabus gratiam monstravit. Vnde & Paulus ad Timotheũ, *noli negligere gratiam*, inquit, *quæ in te est*; quod nihil

proficia

proficiamus, quamvis donum acceperimus, si socordes & ignavi simus. Et quod labore vigiliisque opus sit his, qui animam istorum actricem habere concupiscunt.

Quocirca si quis bonus charitate, aut puritate castitatis, aut humilitate summâ, aut pietatis eximiâ, aut aliquo demum horum excellit, quæ hominis facultatem exsuperant, causa unguento sacratissimo tribuenda est, credendumque ipsi quidem data esse, quando unctionis mysterio donatus est: postea vero illum ad actionem se dedisse. Idem de iis sentiendum, qui exquisite dicturi, & animos impulsuri, & alioqui ægros sine ullo molimine sanaturi sunt, & qui alia dona acceperunt, eos videlicet illa à mysterio accepta habere. Si enim nec ipsa mysterij collatio initiatos spiritualium operum exsecutores reddit, nec quæ tempore procedente ipsi spiritualiter operantur, initiationi in acceptis referenda sunt, quid necesse est initiari? Quorsum porro nobis divina hæc unctio conducet, cum, propter quod expetitur, suppeditare non possit. Nec illud meritò respondere queat, quanquam unctio hunc nobis fructum non pariat, posse tamen nos adiuvare. Si enim quæ promittit, & ad quæ tota tendit, quæ initiator orat, & quæ initiando persuadet mox accepturum, si hæc consequi non dat, aliud inde bonum haudquaquam exspectandum est.

Quod si non est inane mysterium, quia nec aliud Christianum ullum (*non enim inanis est*, inquit, *prædicatio nostra, neque inanis fides vestra*) si quam operationem spiritualem invenire est inter homines, & ex orbe illo spiritualium gratiarum, eam ad hasce preces, & unctionem sacram referre necessario debemus. Plane enim, non est, non est inquam, ullum bonum, inde hominibus Deo reconciliatis præstitum, quod non per mediatorem inter Deum & homines constitutum nobis sit collatum, neque ut mediatorem inveniamus & apprehendamus, & illius bona assequamur, ab alio ex omnibus, quàm à sacramentis adipiscimur. Nam hæc nos illi quasi consanguineos, & cruciatuum quos sustinuit, & gratiarum, quas propter carnem accepit, participes efficiunt. Cum enim duo sint, quæ homines Deo commendent, & quibus tota salus humana fulcitur, alterum ut mysteriis sacratissimis initiemur: alterum, ut animum ad virtutem appellamus, humana, inquam, diligentia, nihil aliud opus fuerit, quam data servare, & thesaurum non procedere.

Relinquitur ergo, solam mysteriorum virtutem omnium bonorum nobis largitricem esse. Atqui horum alius effectus, & opus est, spiritus, illiusque donorum communio à sanctissima unctione pendet. Idcirco, tametsi non ipso initiationis tempore, sed multo post, spirituale donum ad rem conferre quis poterit, nihilominus causam, & unde robur illud, ignorare non convenit. Nam & baptismi illuminatio mox quidem ablutorum animabus immittitur: at non tunc ab omnibus cernitur: sed à quibusdam probis post intervallum cognoscitur, qui multis sudoribus & laboribus, & charitate erga Christum oculum animæ perpurgarunt.

Propter istam unctionem, domus orationis ad preces nobis auxiliantur. Unctæ enim unguento, hoc ipsum nobis fiunt, quod vocantur. Quoniam effusum unguentum, advocatum est nobis apud Deum & Patrem, & ob hoc ipsum, quod effusum est, & chrisma factum, & usque ad animam nostram effusum est. Altaria autem Salvatoris imitantur manus, & panem à mensa distributâ, velut ab incorruptâ illâ manu, Christi, corpus accipimus, & sanguinem eius bibimus, velut illi quos Dominus primos tali convivio accepit, poculum plane tremendum propinans. Quoniam enim ipse idem & sacerdos est, & altare & hostia & offerens, & quod offert mysteriis tem divisit, & illud pani benedictionis hoc unguento tribuit. Etenim altare quidem est Salvator, & sacrificans propter chrisma. Altare enim inde ab initio institutum est, ut ungeretur: & sacerdotibus hoc erat sacerdotes esse, inunctos esse. Sacrificium autem propter crucem & mortem, qua pro Dei & Patris gloria mortuus est: mortem porro, & immolationem illam annunciamus, quoties, inquit, panem hunc comedimus.

Insuper & unguentum, & unctio est Dominus propter Spiritum sanctum. Idcirco facere quidem sanctissima omnium, & sanctificare, at sanctificari, & quidvis tandem pati non poterat. Hæc autem altaris, & sacrificantis, & offerentis, non oblati & sacrificati erant. Nam & altare sanctificare dicitur, *altare*, inquit, *quod sanctificat donum*. Panis vero propter carnem sanctificatam, & deificatam, & quæ ambo hæc, tum unctionem, tum plagas accepit. Inquit enim, *panis quem ego dabo, caro mea est*, quam ego dabo (videlicet sacrificans) *pro mundi vita*. Ideo offertur quidem ut panis, offert autem ut unguentum, & semet, carnem deificans, & nos unctionis consortes accipiens. Cuius typum Iacob subostendens, cum lapidem oleo unxisset, Domino dedicavit, ei ungendo offerens: sive carnem Salvatoris summum angularem lapidem insinuans, quatenus divinitatis effudit unguentum verus Israel, mens quæ sola novit Patrem: sive nos, quos ex lapidibus excitavit filios Abrahæ, participes unctionis faciens. Spiritus enim sanctus super unctos effusus, & alia nobis, & spiritus adoptionis filiorum est. *Et testimonium*, inquit, *reddit spiritui nostro, quod filij Dei sumus, in cordibus nostris clamans, abba pater*. Ad hæc prodest sanctissimum unguentum volentibus in Christo vitam exigere.

DE VITA IN CHRISTO,

LIBER QVARTVS.

Quam ei commoditatem pariat sacrosancta Communio.

POST sacram unctionem ad sanctam mensam progredimur, quæ vitæ huius, de qua agimus, finis ac meta est; quam cum attigerimus, nihil iam nobis ad quæsitam & optatam fœlicitatem deerit. Non amplius quippe mortem, & sepulchrum, & melioris vitæ communitatem, sed ipsum qui resurrexit: neque donorum spiritus quantum capi potest, sed ipsum benefactorem, templum ipsum, in quo totus gratiarum orbis situs est, inde accipimus. Est enim in unoquoque mysterio, & in hunc ipsum, ut ita dicam, ungimur, & abluimur: seu unctio, & ablutio nostra ipse est, & idem ipse nobis cœna est. Adest autem his qui initiantur, suaque in eos illis munera confert: non sane eodem modo in omnes: sed abluens lutum vitiorum tollit, & ablutum formam suam imponit: ungens autem, in operibus Spiritus sancti actuosum ac strenuũ facit, quorum ipse propter carnem factus est thesaurus. Postquam vero initiatum ad mensam, ad corporis videlicet sui dona comedenda adduxerit; totum immutat, & in habitum suum transfert, ac lutum de cætero non lutum (regali nimirum effigie suscepta) sed iam ipsius regis corpus est, quo beatius cogitari nihil potest. Quamobrem & mysteriorum extremum est, quoniam ultra non proceditur: nec apponi quidquam potest. Clarum est enim, primum egere medio, & hoc, extremo. At vero post Eucharistiam haud superest quo tendamus? verum hic consistentes, illa dispicere oportet, per quæ thesaurum ad finem usque conservare possimus.

Baptizatis igitur nobis Sacramentum illud quæ debet præstat omnia; nos tamen perfecti nondum sumus. Nondum quippe dona sancti Spiritus habemus,

quæ à sacratissimo unguento pendent, a Philippo baptizatis, propter beneficium istuc nondum Spiritus sanctus contigerat, sed insuper Petri & Ioannis manibus opus erat. *Nondum enim*, inquit, *Spiritus sanctus in quemquam eorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Eo adepto, & initiatione suam in nobis virtutem exercente, gratiam quidem datam tenemus, cætera autem præstari à benefactore non admodum necesse est. Fieri enim potest, nos quorundam pœnas debere: nec prohibet quidquam, & data nos corrumpere, & officij numeros non explere. Cuius rei multi sunt testes. Et Corinthiis id Apostolis etiamnum vivis, accidit. Nam ex his qui spiritu erant pleni, qui prophetabant, qui linguis loquebantur, aliisque ornamentis conspicui erant, tantum tamen aberat, ut prorsus divini, & spirituales essent, ut invidiâ, ambitione importunâ, contentione, & huiuscemodi vitiis laborarent. Et hæc illis exprobrans Paulus, *adhuc carnales*, inquit, estis, & *secundum hominem ambulatis.* Atqui spirituales erant, quod ad partem aliquam gratiarũ attinet: sed hoc eis ad omnem nequitiam ex anima eiiciendam minime sufficiebat. In Eucharistia vero tale nihil est. In quibus enim panis vitæ ea operatus est, per quæ mortem evitarunt, & neque cœnantes ullo scelere obstricti sunt, neque ollum superinduaerunt, nemo tales accusaverit. Non enim potest, non potest, inquam, hoc mysterium per omnia operari, & initiatos à qualicunque imperfectione vindicare. Cur ita; quoniam hoc est mysterium operari, quando eo affectos nihil eorum quæ adesse possunt, deficit. Mensæ enim promissio in Christo nos, & in omnibus Christum habitare facit. Ait enim, *in me manet, & ego in eo.*

Christo in nobis manente, quid amplius requiratur? aut quod bonum nos effugiat? In Christo manentes quid aliud desiderabimus? Ille habitator noster, & ipsa habitatio nostra est. O nos tali habitatione beatos: & beatos iterum, quia eiusmodi domus incolæ facti sumus. Quo namque bono egere poterunt sic affecti & constituti? Quid vitiositati, & in tanta charitate versantibus commune sit? Quid tandem mali tanto bonorum cumulo se opponat? Quid enim vel præsens subsistere, vel absens ingruere queat, quando Christus adeo familiariter nobiscum est, & nos totos penetrat, omnia interiora possidet, & nos cingit ac protegit? Nam tela extrinsecus iactata, ne in nos incidant prohibet, undecunque se obiiciens, est enim domus: &; si quid intus vitiosum est, disiicit & expellit, est enim incola, & domum suam totam implet. Non enim aliquid eius, sed eum ipsum continemus: nec radium aliquem ac lumen, sed solem ipsum in animas recipimus: ut inhabitemus & inhabitemur, ut induamur & induamus; & permisceamur, & unus spiritus cum eo evadamus. Etenim anima, & corpus, & facultates omnes repente spirituales existunt, quoniam anima animæ, corpus corpori, & sanguis sanguini coalescit. Quid inde? præstantiora prævalent humilioribus, & à divinis humana superantur, quodque de resurrectione Paulus scripsit, *mortale absorbetur à vita. De cætero vivo iam non ego*, inquit, *vivit vero in me Christus.*

O mysteriorum magnitudinem. Quantum est enim Christi mentem, ac sensum nostræ menti copulari, & voluntati nostræ illius voluntatem, & corpus illius nostro corpori admisceri? Qualis nostra mens, divinâ mente obtinente imperium? Qualis voluntas, beatâ illa voluntate superante? Qualis terra, ab igne illo longe victa? Hæc porro ita evenire, Paulus testificatur, dum se nec mentem ac sensum, nec voluntatem, nec vitam suam habere: sed hæc omnia Christum sibi factum esse confirmat. Ait enim, *nos sensum Christi habemus.* Et, *an experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Christus?* Et *puto autem quod & ego spiritum Dei habeam.* Et, *diligo vos in visceribus Iesu Christi.* Ex quo patet, ei summam cum illo voluntatem, consensionemque fuisse in omnibus. *Vivo autem iam non ego*, inquit, *vivit vero in me Christus.*

Adeo perfectum est hoc Sacramentum & omni Sacramento excellentius, bonorum fastigium, & apicem complectens: siquidem & omnis humanæ industriæ finis ultimus hic reperitur. Deo enim ipso in seipso potimur, & Deus nobis, coniunctione absolutissimâ coniungitur. Unum enim cum Deo spiritum effici, quid hac consociatione possit esse perfectius?

Quare & aliis Sacramentis perfectionem sola Eucharistia impertit, eaque adiuvat, dum initiant: quandoquidem sine ea perfecte non initiant. Iuvat etiam secundum initiationem in ipsis initiatis, cum radium è Sacramentis emanantem, & peccatorum tenebris oppressum recuperare opus est. Nam deficientes, & sceleribus extinctos ad vitam revocare, unius sacræ mensæ munus est. Homo quippe lapsus non potest humanis viribus erigi, nec improbitat hominum humanâ iustitiâ expiari. Nam peccare, res in ipsum Deum contumeliosa est. *Per prævaricationem enim legis*, inquit, *Deum inhonoras.* Et maior quædam, quam pro homine virtus exigitur, quæ crimen aboleat. Minimum enim adversus maximum se iniuriose ac petulanter gerere, immane quantum est facile. Sed petulantiam hanc, & iniuriam pari honore compensare, hoc vero nemo potest, præsertim si iniuriosus plurimum illi debitor fuerit, & quidem tam insignium, ut ne dimidij quidem ulla memoria sit. Necesse est enim, qui crimen purgare studet, etiam detractum honorem læso reparare, & plus debitis rependere aliaque restituere, alia quibus iniquior fuit, velut æquali pondere superaddere. Quod si neutiquam paria consequimur, maiora quis consectetur.

Quapropter hominum nullus sibimet Deum, suam retribuendo iustitiam reconciliare potest. Nec vero vetus lex inimicitias istas componere valuit; nec in gratiæ lege viventibus, ad pacem hanc consequendam studium & diligentia suffecerit. Nam & hoc, & illud virtutis humanæ opera, & humana iustitia sunt; siquidem & legem ipsam B. Paulus hominum iustitiam appellat. *Iustitiæ enim Dei*, inquit, *non sunt subiecti, suam iustitiam constituere quærentes.* De veteri lege loquitur. Tantum quippe duntaxat contra vitia nostra valebat, quantum est ad sanitatem præparare, medicique manu dignos efficere. *Lex enim*, inquit, *pædagogus noster fuit in Christo Iesu.* Et S. Ioannes in eum qui venturus erat post ipsum baptizabat: & universa philosophia humana, omnisque labor ad germanam iustitiam quasi initiamenta, & præparationes quædam sunt.

Quare quoniam per nos, & à nobis ipsis iustitiam hanc præstare nequibamus, *Christus ipse nobis iustitia factus est a Deo Patre, & sanctificatio, & redemptio, & inimicitias in carne sua dissoluit*, & Deum nobis placat: non solum cum naturæ communicat neque solum quando morte occubuit: sed semper, & unicuique hominum: tum ut cruci affixus: nunc ut epulum dans, si resipiscentes veniã rogitemus. Solus enim & universum honorem parenti refundere, & de ablato satisfacere potuit: illud vitâ, hoc nece suâ. Mortem siquidem, quam pro gloria Patris in cruce pertulit, contumeliam à nobis illatam æquantem, maiore cumulo reponens, honorem, quem ei peccando nos abstuleramus reparavit.

Magnum utique pretium. Vita autem omnem honorem reddidit, & quo illum honorare, & Patrem honorari consentaneum fuit. Etenim præter multa, magnaque opera quæ exhibuit, quæ Patri gloriæ maximæ fuerunt, tum vitam totam ab omni peccato puram gessit: tum accuratissime, & perfectissime leges sibi ab eo datas executus est: non tantum iis quas ipse servavit (etenim *Patris mei præcepta servavi*, inquit) sed etiam quas hominum vitæ præscripsit, solus cœlestem philosophiam terræ præmonstrans & inserens.

Præterea miraculis ipsis, quorum causam & auctorem Patrem prædicavit. Præter hæc omnia, quis non videt,

videt, hoc uno solo, cum hominibus versatum esse, & adeo integre carni implicitum fuisse, quo clementiam & benignitatem mittentis se plenissime, & manifestissime demonstravit, gloriam, quam omnes ei convenientes tribuere debebant, conciliatam esse? Si enim bonitas eius benefactis metienda est, & generi humano per œconomiam Deus adeo benefecit, ut eo pertinentium nulli parceret: sed omnes divitias suas naturæ humanæ includeret (etenim *in ipso habitat*, inquit, *omnis plenitudo divinitatis corporaliter* [Coloss. 1.]) perspicuum est, nos in Salvatore supremam, & extimam benignitatem eius cognovisse; & per ea quæ præstitit, solus homines erudivit, quantopere Deus mundum dilexerit, quantaque sit eius erga genus nostrum cura & sollicitudo. Vnde & Nicodemum ad Patris humanitatem agnoscendam hinc inducit, & istuc bonitatis eius sufficiens indicium esse vult. *Sic Deus dilexit mundum*, inquit, *ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* [Ioan. 3.]

Si enim pater maiora & meliora beneficia in naturam collocare non potuit, quam in filij ad nos descensu collocavit, planum est, filium ei maiorem gloriam bonitatis & humanitatis parere non potuisse, quam hinc est consecutus.

Hac de causa isto modo Salvator per se ipsum, ut se, & genitore dignum est, eum honorat. Quid enim aliud Dei honor sit, quam excellentem eius bonitatem demonstrari? Atque hæc est gloria, quæ iam pridem ei debebatur, & à mortalium nemine persolui poterat. Hinc, *si pater*, inquit, *ego sum, ubi est honor meus?* [Malach. 1.] Soli namque filio omnia consentanea erga Patrem præstare licuit.

Itaque hoc ipsum ostendens, se solum potuisse hoc negotium conficere, postquam opus omne absoluit, Patrem honore affectum his verbis alloquitur: *ego te clarificavi super terram, manifestavi nomen tuum hominibus.* [Ioan. 17.] Recte. Est enim Verbum, & genitoris expressam fert imaginem, *splendor gloriæ, & figura substantiæ eius.* [Hebr. 1.]

Et quoniam quia carni copulatum est, cum sensu viventibus evasit intelligibile, omnem mentis quæ ipsum genuit, bonam voluntatem nuntiavit. Ad quod & illud spectare opinor, quod Philippo Patrem videre cupienti ait. *Qui videt me, videt & Patrem.* [Ioan. 14] Et hinc est apud Isaiam, *vocabitur nomen eius magni consilij angelus.* [Isa. 9.] Sic igitur nihil ad gloriam Patris prætermittens, solum medium parietem inimicitiarum destruit, & hominem criminibus absoluit. [Ephes. 2.]

Quoniam vero secundum alteram naturam, nostram, inquam, & humanam duplici natura constans Iesus Patrem honoravit, & de corpore & sanguine suo admirabilem illam coronam ei nexuit, ideirco solum Christi corpus remedium adversus peccatum est, & unica peccatorum abolitio sanguis eius. Nempe ob hanc quoque causam à principio conditus est, ut Patrem glorificaret, sicut ipse confitetur, se ad hoc natum esse, & ad hoc venisse in mundum [Ioan. 18.]; & per omne tempus deinceps, tantummodo quidquid hinc faceret egit, huius unius rei gratia etiam atque etiam maioremque in modum laboravit. Hoc namque corpus plenitudinis divinitatis thesaurus fuit, & omnis peccati expers erat, omnem iustitiam implebat [Mat. 3.], generis consortibus (hominibus) Patrem quem ignorabant, promulgabat, tum per ea quæ loquebatur, tum per ea quæ patiebatur. Immolatum est nimirum in cruce, & quæ immolationem præcesserunt, pavidum, anxium fuit, sudore diffluxit proditum, comprehensum est, iudicium iniquum subiit, sub Pontio Pilato testimonium perhibuit, bonam confessionem, ut Paulus inquit, pœnasque confessionis huius in cruce moriens dedit. Et flagella tergo, manibus & pedibus clavos, latere lanceam excepit. Flagris coopertum doluit, & confixum clavis cruciatum est. Hic sanguis è vulneribus erumpens solis lumen obscuravit, & terram concussit, & aerem sanctificavit, & mundum universum à peccati sordibus lavit. Itaque sicut scriptæ legi omnino spirituali lege opus fuit, imperfectæ perfecta, ei quæ non potuit perfectum facere servientem, ea quæ potest [Hebr. 9.]: eodem modo qui post baptismum in gratiam peccaverunt, suppliciumque deprecantur, illorum laboribus, sudoribus, & lacrymis sanguine novi Testamenti, & immaculato corpore opus est: utpote citra hæc illis nihil valentibus.

Divinus porro Dionysius & ipsas initiationes ritè peragi, & munus suum facere posse negat, si sacra cœna non accesserit: multo minus laborem & iustitiam hominum, peccata emaculare, & alia efficere posse credendum est. Deinde & hoc unum est de Sacramentis, de peccatis pœnitentes, & seipsos sacerdotibus aperientes, ab omni pœna apud Deum iudicem eximere, qua efficientia similiter potiri nequibunt, qui sacris epulis non accubuerint. Quocirca quanquam semel invitamur, sæpius tamen ad hanc mensam accedimus: quandoquidem homines natos semper Deum offendere contingit, noxis autem exire conantes, pœnitentia, laboribus & triumpho quodam de peccato indigent. Atque hoc contra peccatum facient, si, quod solum est adversus hominum peccata medicamentum, adhibitum fuerit.

Sicut enim oleastrum sibi insertum oliva hortensis mox in se convertit, & fructus postea neutiquam oleastro convenit: ita & humana iustitia ipsa quidem per se ipsam ad nihil conducit; sed in his qui Christo copulati fuerint, carnique & sanguini eius communicaverint, continuo bona amplissima progenerat, peccatorum remissionem, & hæreditatem regni, qui iustitiæ Christi fructus sunt. Vt enim à sacra mensa Christi corpus accipimus, & quod præstantius est, corpus nostrum longe vincit: ita sequitur hic, ut iustitia nostra Christi iustitiæ speciem vultumque in se capessat. Corpus enim solum nominari existimemus licet, multo autem iustius animæ & actioni eius hanc communionem tribuendam: quandoquidem *qui adhæret Christo, unus spiritus est cum eo.* [1. Cor. 6.] Quibus verbis declaratur, hanc communionem & coalescentiam in anima, & mente potius consistere. Ideo non corpus solum, sed animam quoque, & mentem, & voluntatem, & quæcunque humana assumpsit, ut nobis totis uniri posset, nosque totos pervaderet, & in seipsum resolueret, cum omnibus omnia, nostris sua conglutinasset. Vnde peccantibus adaptari, & cohærere non potest: quoniam hac tantum ratione nulla nobis cum illo consociatio. Nam cætera omnia & humanitet à nobis suscepit, & sua nobiscum humanius coniunxit. Illud erat Deum in terras descendisse: istud nos hinc in cœlum subvexisse. Illud ipsum hominem factum esse: hoc hominem Deum evasisse. Et illud quidem naturam probris ac dedecore penitus liberat, quia in uno corpore, & una anima peccatum devicit: hoc unumquemque hominem à peccato vindicat, Deoque commendat. Hæc porro illis humanitate præstant. Quoniam enim nos ascendere, & bonorum eius participes fieri non valebamus, ipse ad nos descendit, nostramque conditionem subiit: adeoque perfecte iis, quæ assumpsit, coaluit, ut per quæ nobis quæ à nobis sumpsit, reddit, per ea seipsum communicet, & carne, sanguineque humano constantes, Deum ipsum animabus suscipiamus, & corpus & sanguinem, & animam & mentem ac voluntatem Dei æque ut hominis. Oportebat siquidem & aliud esse, & aliud fieri ægritudini meæ medicinam. Si enim Deus esset tantum, non ita uniretur. Qui enim nobis cœna fieret? Si autem esset tantum quod nos sumus, nobiscum non sic egisset. Nunc cum utrumque sit, hoc quidem hominibus, ut homo iungitur, & coalescit: illo naturam extollere & excitare, & in seipsum transferre potest. Facultates enim potentiores, si in infirmiores inciderint, consistere eas in iisdem non patiuntur. Et ferrum igni impositum, nihil ferri retinet. Terra item & aqua in ignem coniecta, igni mutantur. Quod si facultatum cognatarum vali-

diores

diotes sic in imbecilliores agunt, quid de illa singulari, & admirabili facultate existimabimus?

Constat igitur Christum infundere, & miscere se nobis, mutare nos, & in se transmutare, tanquam aquæ guttam modicam infusam immenso unguenti pelago. Tantum quippe incidentibus in se unguentum, istuc præstat, ut non solum plane odoratos, nec unguentum spirantes tantummodo, sed fragrantiam ipsam habitu, & bonum odorem ipsius unguenti propter nos effusi reddat: *Christi enim bonus odor sumus*, inquit. [Cant. 1.] [2. Cor. 2.] Hanc vim & gratiam apud communicantes cœna habet; si quidem omni labe carentes eum accesserimus, nihil postea novi sceleris consciverimus. Sic enim affectis, & paratis nobis, nihil perfectam Christi coniunctionem nobiscum retardabit. *Sacramentum hoc magnum est*, copulam istam efferens, beatus Paulus ait. [Ephes. 5.] Hæ sunt enim nuptiæ laudatissimæ, quibus castissimus ille sponsus Ecclesiam ut virginem sponsam ducit. Hic enim Christus chorum sibi affixum alit. Hoc solo mysterio *caro sumus de carne eius, & ossa de ossibus eius.* [Genes. 2.] Hæc sunt, quibus Apostolus nuptias definiens, Christum esse sponsum docet, & eum sponsam habere Ioannes, huius connubij auspex & conciliator ait. [Ioan. 3.] Hoc sacramentum lumen est iam purgatis: in his autem, qui etiamnum purgantur, purgandi facultatem habet contraque malignum & turbulentas animi motiones decertantes, sicut athletas in gymnasticis certaminibus ungit. Illis namque nihil restat aliud, quam velut pulso ab oculis vitio, lumen mundi admittere. Qui autem unde purgari queant; adhuc indigent, eos quidnam aliud quæso purget? *Sanguis enim filij Dei emundat nos ab omni peccato*, inquit Ioannes Christo charissimus. [1. Ioan. 1.]

Victoriam porro contra malignum, à Christo solo dependere quis nescit? cuius solius corpus trophæum adversus peccatum erexit, & per hoc oppugnatis afferre auxilium potest, in quo ipse passus est, & tentatus vicit. Quoniam enim carni cum vita spirituali nihil rei est, quam etiam hostiliter odit (*concupiscit enim*, inquit, *caro adversus spiritum*) ob id excogitata & inventa est caro contra carnem, contra terrenam spiritualis; & lex carnis abrogatur, & caro cedit spiritui, & adversus legem peccati fert subsidium. [Galat. 5.] Quia namque caro ista beata nondum compacta & coagmentata erat, vitam spiritualem vivere nemini omnium concedebatur: quando nec ipsa lex servabatur: tametsi non admodum recondita & abstrusa: nec efficiebat quidquam in hominibus, cùm natura nostra deteriora sequeretur. Infirmabatur enim lex per carnem, & alia carne opus habebat, quæ robur eius tueri posset. Nam *quod impossibile erat legi*, inquit, *in quo firmabatur per carnē, Deus mittens filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne.* [Rom. 8.] Quam ob causam carne hac semper egemus, & crebris dapibus nos reficimus, ut lex spiritus in nobis operetur, & vitæ carnis locus nullus relinquatur neque occasionem inveniat in terram devergendi, sicut gravia corpora, adminiculis & sustentaculis destituta. Est enim sacramentum perfectum secundum omnia: neque requisunt aliquid qui eo impertiuntur, quod non eximie suppeditet.

Quia vero materiæ nostræ vitiositas sigillum immotum manere non sinit (*habemus enim thesaurum istum in vasis fictilibus*) ob id non semel, sed assiduò medicinam capessimus, figulumque luto semper assidere oportet, & confusam effigiem iterum iterumque reparare, & frequentes sentire nos manum medici, qui materiam fatiscentem redintegret, & labantem voluntatem erigat, ne mors imprudentibus obrepat. [2. Cor. 4.] *Nam cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo. Et sanguis Christi emundat conscientias nostras ab operibus mortuis, ad serviendum Deo viventi.* [Ephes. 2.] [1. Ioan. 1.] Veram namque vitam sacræ mensæ virtus à sacro illo corde in nos derivat: & ut Deo pariter serviamus, inde nobis conceditur. Si enim hæc est sincera Dei servitus, subiici, obtemperare, ipso movente & impellente facere omnia, non video quomodo magis Deo subiici possimus, quam si eius membra fiamus. Quid enim tandem magis cuipiā imperet, quam caput membris? Sane quidem, ut membra Christi simus, in hoc mysterio perfectius, quam in quovis alio, ipse panis vitæ nobis largitur. Quemadmodum enim propter caput, & cor membra vivunt: sic, *qui manducat me*, inquit, *& ipse vivet propter me.* [Ioan. 6.] Vivit etiam propter alimentum: at vero sacramentum aliam rationem habet. Nam nutrimentum, utpote quod ipsum vita caret, vitam nobis à se ipso inserere non queat: sed quia vitam corporis quam invenit sustentat, comedentibus vitæ causa videtur. Ast panis vitæ ipsemet vivit, & propter illum vere vivunt, quibus illum communicarit. Unde alimentum in eum qui alitur, transmutatur, & piscis, & panis, & quidquid aliud cibariorum est, in sanguinem hominis convertitur. Hic prorsus fit contrarium. Panis enim vitæ ipse movet eum qui pascitur, & transfert, atque in seipsum mutat; quodque meritò cordis & capitis est, movemur & vivimus, quantum in ipso est, ut ipse movetur & vivit. Hoc idem indicans, videlicet, non instar escarum se vitam nostram alere, sed quam ipse habeat, eam ultro nobis inspirare, & velutì cor, aut caput membris vitam impertiri, & vivum panem sese appellavit, &, *qui manducat me*, inquit, *& ipse vivet propter me.* [Ibidem.]

Planum est igitur, Deum in spiritu & veritate adorare, & illi sincere servire, sacræ mensæ deberi: non solum quia ut Christi membra simus, & hac ratione similitudinem quandam illius consequamur, ab hisce mysteriis habemus, verumetiam, quia mortui servire viventi non possumus. [Ioan. 4.] Cæterum vivere, & ab operibus mortuis immunem esse impossibile est, nisi quis hanc cœnam frequentissime ineat: Sicut enim Deum, *cum sit spiritus, in spiritu & veritate oportet adorare*: ita vivos esse decet, qui vivum colere statuerunt. *Non est enim*, inquit, *Deus mortuorum, sed viventium.* [Luc. 20.]

Secundū rectam rationē porro vivere, & cum virtute commercium habere, etiam Deo servire est. Sed hoc servorum quoque officium atque opus censeatur. [Luc. 17.] *Cum enim feceritis hæc omnia*, inquit, *adhuc dicite, quia servi inutiles sumus.* Hæc autem latria (servitus sive cultus) a filiis duntaxat præstatur: & nos non in servorum, sed in filiorum ordinem, & locum vocamur: ob id carnem & sanguinem eius participamus. *Pueri enim*, inquit, *carni & sanguini communicarunt.* [Heb. 2.] Quemadmodum namque ipse, ut pater noster fias, & verba illa promere queat, *ecce ego & pueri mei quos dedit mihi Deus*, carnis & sanguinis consors nobis factus est: sic & nos, ut illius filij evadamus, necesse est vicissim carnis & sanguinis eius participes esse. [Isa. 8.] Atque isto modo non solum ei per sacramentum hoc membra reddimur: sed insuper filij, ut libentes ei, & animo volente instar filiorum pareamus. Diligenter item: quemadmodum membra scilicet. Sic enim servitus fit admirabilis, & eximia prorsus. Quocirca & hæc & illa, filiorum, inquam, & membrorum imago inducenda est, quando una ad rem ante oculos ponendam satis non est. Quid enim admirationis habet, nullo per se motu præditos, velut membra, à Deo ceu à capite moveri & incitari? Quid singulare, velut patribus carnis Patri spirituum subiici? Ast utrumque simul, naturam excedit, cum arbitrij libertate retentā, ut filij, subesse possumus tanquam membra.

Et hæc est illa prædicanda filiorum adoptio, non in voce & appellatione consistens, ut in rebus humanis; nec usque eo honorabilis. Nam inter nos, adoptati cum adoptantibus nomine solo communicant, & eo usque illis communis est pater, nulla intercedit generatio, nulli partus: hic autem & generatio est vera, & communio cum unigenito, non tantum nominis, sed rerum quoque ipsarum, sanguinis, corporis, vitæ. Quid enim præstantius, quam cum ipse Pater unigeniti sui membra in nobis agnoscit? cum ipsam filij formam in vultibus nostris intuetur? *quos prædestinavit*, inquit, *conformes fieri imaginis filij sui.*

Et quid ego istam humanam adoptionem metor cum hic ipsa naturali generatione astrictius quiddam, magisque cognatum sit, & ita nati magis Dei filij sint, quam eorum, qui ipsos secundum corpus procrearunt: idque eo amplius, quanto amplius illorum, quam materiæ ad conceptum suppositæ sunt. Quid enim est, quod veros patres nobis facit? quod ex ipsorum carne carnem hanc habemus, & è sanguine illorum vita nobis conflata est. Hoc vero & in Salvatore acquirimus. Caro enim ex eius carne & ossa ex eius ossibus sumus. Sed utriusque communionis haud mediocre intervallum est. Nam in naturalibus qui nunc est sanguis filiorum, parentum iam non est: sed illorum fuit, priusquam filiorum esset. Atque hæc est origo generis, quia qui sanguis nunc est horum, antè illorum erat. Ex sacramento autem istoc sanguis quo vivimus, etiam nunc sanguis Christi est. Et caro, quam nobis coagmentat, corpus Christi est, & communia insuper membra, communis vita.

Atque Hæc est vera communio, cum ambobus idem eodem tempore adest. Nam si uterque habet, tam hic, iam ille, hoc non potius fuerit communicare, quam dissidere ac discrepare. Non est enim quod coniugat, quoniam non habent secundum idem ambo, quod uterius solus habet. Quocirca nec vere mutuum in ullo communicant, nec communicarunt. Sed quia idem est, quod prius erat huius, nunc est illius, species quædam communionis, & imago, dicenda est magis, quam communio. Sicut enim non esset quis contubernalis ei, cum quo eandem domum habitaret, si post illum habitaret, nec magistratus & reipub. curandæ socius alicui, qui magistratum post illum occœpisset: sed qui, præterquam quod eodem modo ædes easdem incoleret, & iisdem quoque rebus cum imperio præesset, etiam eodem tempore præesset: tali modo se res hic habet. Nam carne & sanguine non admodum cum parentibus nos, nec eodem tempore in his nobiscum ipsi communicant. Christo autem revera communicamus, cum quo semper & corpus, & sanguinem, & membra; & omnia hæc habemus communia. Quod si hoc filios efficit, communicare carne & sanguine, nos maiore cognatione cum Salvatore per sacram mensam devinctos, quam per naturam cum parentibus ipsis, manifestum est. Iam vero, non cum semel nos vivos procreasset, formassetque, ut illi, se removit: sed nunquam non adest, & unitus est, & hoc ipso quod adest, nos vivificat & format. Et seiunctos quidem à parentibus nihil vetat superesse à Christo autè separatis, præter mortem nihil exspectandum est. Sed cur maius quiddam non dico? Pingere ipsis in semetipsis filios, qui à parentibus non dirimantur, haud conceditur. Sed quia alij generarunt, alij generati sunt, hoc eos prorsus dirimit, ac seiungit. Esse autem filius in mysteriis, in commercio & communicatione positum est, & separari ac seiungi, hoc est non amplius esse, sed omnino periisse.

Itaque si nomen cognationis communionem aliquam significat, & eos indicat, opinor, qui communitate sanguinis copulati sunt, sola erit sanguinis communio, sola conatio, & filiatio, secundum quam cum Christo communicamus. Itaque & naturalis generatio in his obscuratur. *Quotquot autem eum receperunt*, inquit, *dedit eis potestatem filios Dei fieri*. Non sunt nati ex sanguinibus, tametsi nati sunt, & qui eos genuerunt, carnem induti fuerunt, & partus ille hunc præcessit. Sed vetustiorem recentior tot partibus vicit, ut illius neque vestigium, neque nomen supersit. Et ita sacer panis novum hominem introducens, radicitus veterem eiicit; nam & istuc sacræ mensæ quoddam munus est. Etenim qui receperunt eum, inquit, non sunt nati ex sanguinibus. Quoties autem ipsum recipimus, toties verbum hoc experimur; & in quo mysterio dictum sit hoc, *accipite*, inquam. Certum est in cœna nos hac voce invitari, in qua Christum & manibus vere accipimus, & ore suscipimus, & animæ admiscemus,

Ioan. 1.

& corpori copulamus, & sanguini immergimus. Et iure quidem. Sic enim Salvatorem & accipientibus, & usque ad extremum vitæ retinentibus, ipse caput idoneum & conveniens est, & ipsi eidem membra decentia. Eadem autem generatione membra capiti generari æquum erat. Non enim è sanguinibus caro illa, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri; sed ex Deo Spiritu sancto extitit. *Quod enim in ea natum est*, inquit, *de Spiritu sancto est.* Et membra isto modo nasci consentaneum est, quandoquidem & ipsa capitis generatio beatorum istorum membrorum generatio est. Hoc enim est constituta esse membra, natum esse caput. Quod si etiam cuique principium vitæ est generatio, & vitam inchoasse, est natum esse, quoniam vita ipsi adhærentium Christus est, ipsi Christo vitam hanc ingresso, natoque nati sunt.

Matt. 1.

Tantus bonorum acervus è sacra mensa nobis exoritur. A pœna liberat, pudorem ex peccato orientem exterit, pulchritudinem reparat, Christo ipsi arctius alligat quam naturalia vincula queant alligare. Ut simul & semel dicam, quovis mysterio excellentius vero Christianismo perfectos reddit.

Hic multis venit in mentem admirari super hoc sacramento quomodo cum sit excellentissimum omnium, ipsoque baptismo maius, in criminibus tamen eluendis minus eo posse videatur. Ille enim nihil exigit laboris; hoc antecedere labores debent. Et purgatorum quidem ibi, ab iis, qui maculam nullam prorsus contraxerunt, nullum est discrimen: ad cœnam autem ventitantium, multis peccatorum insunt vestigia. Et ut distinctius pleniusque dicamus, cum tria ista in peccatis considerentur; peccantis perversa actio: pœna ob eam luenda: inde iniecta animæ proclivitas: ab actione peccatorem ipsum per se discedere oportet, factoque fine ad lavacrum venire: cætera baptismus nihil quoquam moliente, simul & semel è medio tollit, & pœnam videlicet, & morbum. Itaque & ipsum qui peccavit interimere quodammodo creditur. Etenim aquis immoritur, & novus homo est, quem lavacrum producit. Sacer autem panis, quem mœstum acceperit, & pro eo ac dignum est de peccatis dolentem, à crimine liberat, animæ pravum habitum abolet: non autem occidit, non enim de integro reformare solet, & hunc solum peccati terminum immobilem relinquit, & manere sinit, non quidem crimini obnoxium amplius, audacem tamen. Sunt porro qui notas adhuc morbi ferunt, vulnerumque pristinorum cicatrices, si minus quam par est eorum sanandorum ipsis cura fuerit, & virtuti medicinæ non æqualem animæ præparationem attulerint, & purgatio ista hoc ab illa differt, quod non mortificare, & refingere dicitur peccatorem, & quod manentem peccatorem cum purget tantummodo, ne hoc quidem nobis citra laborem. Hæc autem nihil ad Sacramentum, sed ad ipsam rei naturam pertinent, ut intelligamus, oportere criminibus irretitos hic quidem initiatos, illic sacram cœnam obeuntes purgari.

Et quidem de laboribus requisitis illud dico. Baptismus nondum formatos, nec bonum cursum currendum ulla virtute præditos accipiens, non temere in nobis hæc omnia gratis operatur, & à nobis nihil requirit; utpote qui conferre nihil possimus. Mensa autem proposita formatis iam, & viventibus, & valentibus nobis ipsis sufficere, viribus, datisque armis uti sinit, & bonum persequi, non iam portatos, neque tractos, sed ipsos sponte ac per nos concitatos atque commotos, velut iam gnaros currere. Quid enim referebat facere ut acciperemus, quibus utendum non erat? Quid corroborare & armare domi dormiturum? Si enim neque primo nascentibus, neque postea purgari volentibus certandum & laborandum est, nescio quando nobis ipsis commodemus. Iam, quod hominis opus, si virtutis curriculum auferas? Immo vero quid opere nostro deterius si nihil eorum quæ laudantur, facientes, in improbitate animam continenter occupatam habeamus? Itaque

locum operum hominibus, opportunitatemque certaminum concedere oportebat; qui quidem ut perfecti viri essent, à mysteriis iam accepissent, possentque opus naturæ conveniens operari, & illucescente die, quem fecit dominus, non dormire de cætero: sed ad opera incumbere, & ut David inquit, *ad opus suum, & ad operationem suam exire usque ad vesperam.*

Ps. 117. Ps. 101. Ioan. 9.

Sicut enim post hunc diem venit nox, quando nemo potest operari, sic & ante hunc diem nox erat, quando summa erat operandi imbecilitas, & quo ambulandum esse, nemo sciebat, cum adhuc nox terras teneret, in qua (ut est in Evangelio) *qui ambulat, nescit quo vadat.* Sole autem exorto, radiisque per sacramenta ubique diffusis, nullam operum laborumque humanorum dilationem perpeti par est: sed comedi panem hunc in sudore vultus nostrum, (quia pro nobis factum; præterea quia solis ratione utentibus destinatus est) & quod ait dominus, operari cibum, qui permanet; quod est iubentis, ne otiosi, nec inefficaces ad hanc cœnam veniamus. Si enim otiosos Pauli lex etiam mensâ intercunte excludit (*si quis laborare non vult*, inquit, *nec manducet*) quibus operibus ad hanc mensam vocati egebunt?

Ioa. 11. Ge. 3. Ioa. 6. 2. Tes. 4.

Sic igitur sacra dona attingenda, & ob hoc ante sacramentum per semet purgare se oportere, ex dictis liquet: quod non inferioris modo, sed etiam potentioris mysterij esse, inde apparet. Primum enim, si melioribus Deus maiora donat, qui misericordiam statuit, & iuxta Prophetam in pondere & iustitia omnia facit, multo magis melioribus nobis, utpote iam per sacramenta initiatis, & ob virtutem iam luctaris beneficit, quam prorsus non ablutis. Relinquitur ergo & gratiam hanc illi præstare, & initiatos donis secundis meliora consequi. Est autem illud baptisma, hoc cœna sacra, quam tanto perfectiorem existimare convenit, quanto eam obire valentibus maiore præparatione opus est. Haud enim æquum est, mains volenti cuilibet, minus per certamina, aut sacramenta purgatis contingere: quin contrarium potius hinc conjectare fas est, putareque, illud esse perfectius, quod nisi multis & generosis laboribus non emitur.

Is. 28.

Deinde & hoc sciendum, Christum, qui præbet epulum, certaminis nostri socium, & adiutorem esse. Adiutor autem manum porrigit non iacentibus, non ægrotantibus, sed à robore & audaciâ firmis, & adversus adversarium animosè, beneque dimicantibus. Ipse enim Christus nobis operans, in unoquoque sacramento omnia fit, plastes, aliptes, opitulator, & abluens, & ungens, & nutriens. Ibi enim à principio membra fabricatur: hic spiritu corroborat: in mensa vero adest perfecte, & unà certamen sustinet. Defunctis demum certamine munerator erit, & sanctis iudex sedebit laborum, quorum ipse pars magna fuit. Adhæc cum victores redimere oportebit, idem quoque corona erit. Ad agones igitur pro philosophia audendos, & ad excellentiam consequendam, fingens & ungens confert omnia simul certans, non omnia: & tempore quidem certaminis nihil. Nec enim aliptem, & plasten licitum quidquam prætermittere, quæ athletam parare ac disponere possunt, neque commilitonem communis ratio sinit in se omnia recipere, & alium quidem delicias facere perpeti, ipsum solum ad certamen aggredi. Atqui nec ipsum qui certaminis præmia proponit, aut qui ipsemet corona est, ungere certatores, aut formare aut medici partes agere decet: nec ad victoriam, aut fortitudinis, aut roboris, aut virtutis cuiuscunque alterius quidquam athletis apponere: sed solum quæ est, & emituit, eam condecorare nosse. Est autem fortibus melius coronati, quam certando vincere, & melius vincere, quam formari atque ungi. Hæc enim propter victoriam fiunt, victoria propter coronas quæritur. Quod si hoc signum est imperfectæ, inferiorisque sortis, non ex omni parte purgare, nec præparare, ac fingere, extremus beatitudinis terminus minus ad felicitatem valetet: puta, Deo coronante potiri, & sub velamine, in sacra mensa eius participem fieri: quasi mensa & præparationem quandam, & purgationem haberet, coronarum vero ex his neutrum. Quæ cum ita sint, mirandum non est, si cœnæ mysterium quamvis perfectius, minus tamen purget.

Insuper etiam præmium est hoc donum. Huiusmodi autem præmia non constituunt, neque faciunt fortissimos, sed ostendunt, & ornant. Non enim in cœna purgatio tantum, & auxiliator, sed & præmium est Christus, quod certamine persunctis reportandum est. Quid enim aliud sanctis pro laboribus in hoc ævo tolerasis dignius rependatur quam Christum accipere, & cum eo esse, Et Paulus emigrationem post cursum illum in hoc extremum desinere ait, nempe cum Christo vivere & versari. *Dissolui* inquit, *& cum Christo esse, multo magis melius.* Quod hæc mensa præstat insigniter. Etsi enim in aliis quoque mysteriis Christum invenire licet, sed eatenus, ut præparationem inde feramus, quo cum eo esse possimus. Hic autem, ut iam pure cum accipiamus, & cum illo simus. Vbi enim in aliis reperias unum corpus, & unum spiritum, & manere in ipso, manentemque vicissim habere in se ipso? Propter hoc, ut arbitror, etiam Christus ipse beatitudinem iustorum cœnam nuncupavit, in qua ipse ministraret. Sic igitur panis vitæ primum est. Quoniam vero donum istuc suscipientes terram adhuc calcant, & ut viatores, pulvere inquinantur, & pedibus offendunt, grassatorumque manus timent, pro præsenti necessitate ipsis plane sufficit hic panis, & vires sustentat, & dux est, & purgat, donec divertant, ubi secundum Petri verba bonum est hominem esse, ubi aliis nullus locus, in regione à negotiis molestiis libera iam manentibus, solus autem corona ipsis Christus est, cum eis familiarissime versans. Igitur ut purgandi vim habens, & ad hoc à principio institutum, inquinamento omni liberat. Vt autem nos in certaminibus adiuvat, quorum ipse Christus dux fuit ante, primus ad ea aggressus, robur adversus oppugnantes largitur. Quia vero etiam præmium est, labores quibus debeatur postulat. Qui igitur cœnam ut præmium, & ut supremam beatitudinem habet, quomodo cæteris minus posse nihilominus conijcietur?

Philip. 1. Ioan. 6. Luc. 12. Mat. 17.

Idem de altero decernendum, existimandumque perfectioni mysterij non repugnate. Non enim quia non multum potest, peccatis perditum non refingit: sed quia cum primam formationem, seu characterem adhuc ferat, alio insigniri nequit: sicut ante dictum est: quem delere, & ex animabus semel baptizatorum eradere, nec extremæ quidem improbitatis est, nec id poterunt, quamvis pactam communi Domino servitutem abnegare non dubitaverint, quem illis nec summa philosophia, nec nuda confessio imprimere potuit. Deinde quia universe melius est hominem esse, quam mortuum & contritum esse, sine quo non datur refectio (etenim mors est veteris monetæ, & hic est qui mori potest, quem pulvis produxit. *Securis enim*, inquit Evangelista, *ad radicem arboris posita est.*) Ablutus autem, iam novum hominem portat. Quomodo igitur morietur, Adamo adhuc coniunctus, qui amplius non moritur? Et pro quo tandem moreretur, cùm pro quo accipiendo mori oportebat, cum adhuc in anima gestet? Hoc autem nec ab ipso lavacro consequi licet. Quî ergo hoc mysterio illud fit melius, in eo, quod æque in neutro invenitur? Nec enim ea baptismi vis est, ut iam extantes, & formatos denuo generare queat: & sacra lex neminem ideireo bis abluit, neque id disciplinæ & ordinis gratiâ: sed quod bis in eodem generari sit impossibile.

Matt. 3.

Atqui, occurret aliquis, hic est baptismus, si religionem coram persecutoribus confessus moriare. Quid igitur multi aquis initiati, & hoc stadium decurrerunt, & alterum hoc lavacrum susceperunt? Huic quæstioni ita occurremus. Qui ad Christum se adiungere, & unà cum eo vivere instituerunt, eos commendat, quod illius manu præclare ficti formatique sunt. Commendat etiam, quod per virtutem ipsi per semetipsos,

ipsos, & per laudatos agones accesserunt. Aqua igitur baptizati, hominem fingit, & id vnum potest: mors pro Christo oppetita, sine dubio vtrumque potest, & quod aqua dare valet, & quod à nobis præstandum est. Proinde nondum initiati propositum est quidem baptisma, & fictio, testimonium de Christo, & sepultura cum Christo, in quibus baptismi finis & scopus est. Proposita est item virtus, sudoribus pro bono illo supremo adipiscendo, & extrema tolerantia laborum plena. Initiatis porro primum non contingit, qui iā facti formatiq; sunt, & viuunt; secundū contingit. Etenim exercitationem pietatis, & virtutem, & an Christum nouerimus, & amemus super omnia quæ amari possunt, & firmissimam spem in illum, hæc, inquam ferrum, & ignis, & grauissima quæque tormenta manifestè ostendunt. Horum causa baptismate semel initiatos, eodem rursus vti minime fas est, cū donare non plus queat, quam quod inde acceptum retinemus. At martyrium subire etiam atque etiam fas, quod non solum generare & formare, sed etiam coronas ob facta generosa plectere nouit: & propterea profanis adhuc ambo, initiatus alterum tribuitur. Nihil enim nouum, cum quid ad vtrumque est vtile, eos qui vtroque non indigent, propter alterum vti, & id solum quo egebant adipisci; siquidem & sacræ mensæ dona purgare, qui ea nondum susceperunt, & iam purgatos illuminare consueuerunt. Et tamen nihil obstat quin ob alterum ad mysterium accedant, qui prius obtinuerunt. Et de his satis.

Sed vnde huc delapsa est oratio, quod perfectam hominum erga Deum communionem operatur, siue rem illam latriam, siue filiorum adoptionem, siue vtrumque velimus appellare, sacra cœna est: quod nos Christo arctiore cognationis vinculo astringit, quam parentibus ex ipsis natus esse. Neque enim exile quoddam corporis initium, & modicam sanguinis materiam nobis præstruit: sed corpus sanguinemque perfectè nobis communicat. Neque tantum est vitæ causa, vt parentes sed etiā vita ipsa. Neque ideo dicitur vita, quia vitæ causa sit, quo modo Apostolos lucem nominauit, quia luminis duces auctoresque nobis fuerunt: sed quia quo verè viuere licet, ipsemet est, ipsa vita, quādo & sibi adhærentes ac deditos sanctos ac iustos facit, non solum instituens ac docens, quæ oportet, & animam ad virtutē exercens, quamque illa facultatē ad verā rationem habet, in opus educens: sed & ipse illis factus à Deo iustitia, & sanctificatio. Tali enim maxime modo hoc ipsum sanctis, nempe beatos & sanctos esse, contingit, quod adest illis sanctus & beatus, propter quem ex mortuis viuentes ex stultis sapientes, ex tetris improbis atque sceleftis sancti & iusti euadunt. A seipsis namque, & humanâ naturâ studioque nihil illis suppeditat, vnde proprie sic appellentur: sed & sancti dicuntur propter sanctum, & iusti, & sapientes propter eum, qui cum ipsis est iustum & sapientem. Et absolute, si quis vere inter homines magna hæc, & veneranda audire dignus est, inde hæc cognomenta adipiscitur: præsertim quando domestica, & quæ ab illis præstare possunt tantum abest vt iustos eos ac sapientes efficere queant, vt illorum iustitia mera improbitas & sapientia euidens stultitia sit.

Deinde etsi virtus inprimis venerabiles redderet, & ornaret, quoniam tamen iustitiam, & sapientiam quæ ex Deo est, familiarius, & studiosius amplectimur quam humanam, ab illa potius quam ab ista nominari nos decet. Sicut enim ab extraneis & alienis nomen non trahimus; sed à propriis, & in natura nostra insitis & afficimur, & vocamur (non enim domus, aut vestis ad hos vel illos mores nos finxerit: neque vitij aut virtutis nomen imponat) ita illa diuina magis animos nostros temperant, & nomen commune efficiunt, quæ magis nostra sunt. Quæ autem sunt Christi, nostra magis sunt, quam nostra netipsorum. Nostra sunt enim, quia membra, & filij facti sumus, eique carne, sanguine & spiritu communicamus. Propius autem nostra non iis tantum quæ ab exercitatione, sed iam etiam iis, quæ a natura veniunt; quandoquidem, vt docuimus, interior, nobis cum ipso quam cum parentibus cognatio est. Hac de causa nec humanam philosophiam inuenit, nec istorum certaminum tenus nos progredi voluit, sed hanc in Christo vitam nouam viuere, & illam exhibere iustitiam obligamur omnes: quod non fecisset nisi hæc vita nobis foret aptior, officioque nostro præclare conueniret. Ob hoc enim *Christo per baptismum consepulti sumus, vt in nouitate vitæ ambulemus.* Et ad Timotheum, *Apprehendit vitam æternam.* Et, *estote sancti iuxta eum qui vocauit vos sanctus.* Et misericordes, non misericordiâ humanâ: sed *sicut pater vester cælestis misericors est.* Et, *diligite inuicem, sicut ego dilexi vos:* quo amore Paulus dilexit, *in visceribus Iesu Christi.* Vnde & Saluator ipse discipulos pacem agitare iubens, suam ipsius pacem illis immisit. Ait enim, *pacem meam do vobis.* Et ad Patrem, vt inquit, *dilectio qua dilexisti me, in ipsis sit.* Et plane, sicut generatio diuina quædam, & supra naturam est, sic & vita: & viuendi institutum, & philosophia, & omnia hæc, noua & spiritualia sunt. Atque hoc significans Saluator Nicodemo, *quod natum est ex spiritu,* inquit, *spiritus est.* Vnde & Paulus, *vt inueniar in illo, non habens meam iustitiam, quæ ex lege est: sed quæ ex fide est Iesu Christi, quæ ex Deo est iustitia in fide.*

Docet autem Scriptura, hanc esse regiam vestem: nam nostra seruilia sunt. Libertas porro & regnum, ad quod festinandum est, quomodo seruorum præmia erunt? neque enim regno digni apparebunt, si nihil nisi seruorum virtutem præstiterint. Sicut enim *corruptio incorruptionem non possidebit, oportet autem corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem:* ita nec seruorum opera ad regnum illud nobis queant sufficere; sed iustitia ex Deo requiritur. Hæredem enim oportet esse filium, non seruum. *Seruus enim,* inquit, *non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum.* Quamobrem vnumquemque eorum, qui ad hanc hæreditatem cernendam venerunt, prius abiecta conditione serui, filium se ostendere oportet. Quod est formam, & faciem vnigeniti indutos, cum hoc decore & elegantiâ genitori nos sistere. Et hoc est a filio Dei omni seruitute liberari, vereque liberos esse; quod Iudæis Christum dicere voluisse intellige, cum dicit, *si filius vos liberauerit, vere liberi eritis.* Liberat enim & qui seruierant, filios Dei efficit: quoniam ipse cum sit filius, & omni peccato vacet, & corpus ipsis, & sanguinem, & spiritum, & sua omnia communia facit. Hac enim ratione nos & refinxit, & liberauit, & deificauit, germanum, & liberum, & verum Deum seipsum nobis admiscens. Et sic Christum, qui vera est iustitia, nostrum bonum, supra quam ipsa naturalia, sacra cœna nobis facit. Itaque & gloriamur bonis eius, & quasi nostra essent recte facta, celebramur, indeque nominamur, si in commune permanemus. Et si quis vere sanctus & iustus, & quodcunque tandem laudabilium audit, appellationem ex iis quæ à Christo sortitus est, accepit. *In Deo,* inquit, *laudabitur anima mea.* Et, *benedicentur in eo omnes gentes.* Vnde humanum nihil, sed quæ Christi sunt poscimus; vt ea in animas nostras cum importauerimus, cum iis hinc discedamus, & ante coronas hanc Philosophiam omni modo, & has nouas diuitias exhibeamus, nullo superaddito falso numismate, quoniam hanc solam ad promerendum regnum cœlorum apportare possumus.

Quia enim præmium, quod pugnâ defuncti accipere debent, Deus ipsa est, necessarium videtur sane, præmio respondere, & diuinos esse etiā agones, Deumq; athletis non solum alipten esse, certaminumque auspicem, sed & ipsum in ipsis virtutis munere fungi. Et ita finem qui quæritur, cum præparatione, & præparationem cum fine congruere. Sicut enim in has terras nos mittens, nihil nobis fecit, nec exegit, quod vltra naturam esset: sic ex his terris nos dimittens, atque ad Deum adducens, nihil nos humanum habere permisit: sed ad omnia quibus nobis opus fuit, se accommodauit,

& quæ ad finẽ illum cõmodare possent, nihil in se otiosum reliquit. Siue enim morbum quis hoc malum nostrum, & negotium medicum dicat, non solum ipse ad ægrotantem venit, cumque aspectu suo, & tactu dignatus est, & quibus ad curationem egebat, per se illi ministrauit, sed & ipsa medicina, & diæta, & quodcunque aliud ad sanitatem recuperandam prodesset, ipse factus est. Sive refectio est, ex reipsa, & corpore proprio, quod deerat resarsit, quodque pro perdito restituit, ipse est. Non enim vnde finxit, ab eadem materia refinxit. Sed illud quidem fecit, puluerem è terra accipiens: pro altero autem suum ipsius corpus tradidit: vitamque reparans, non animam in natura consistentem pulchriorem facit, sed sanguinem suum in corda initiatorum effundens, suam ipsius vitam ipse oriri facit. Tunc enim inspirauit spiritum vitæ, vt legimus: nunc autem spiritum suum nobis communicat. Etenim *misit Deus*, inquit Paulus, *spiritum filij sui cordibus nostris, clamantem abba pater.* Siquidem & cum luce opus esset, tunc dixit, *fiat lux, & facta est lux.* Sed illa tanquam servis. Nunc Dominus ipse *illuxit in cordibus nostris, qui tunc de tenebris dixit lumen splendescere,* Pauli vox est. Et vt simul dicam, prioribus temporibus per creaturas hasce aspectabiles generi nostro bene faciebat, mandatisque & legationibus, & legibus hominem regebat, partim angelorum, partim hominum tenere eorum vsus operâ. Nunc citra administrum, ad omnia seipso vtitur.

Consideremus rem aliter. Ad saluandum genus humanum non angelum misit, sed ipse venit. Discere oportebat homines qua de causa venisset, non itaque in regione certa subsistens, auditores accersiuit: sed ipse oras peragrans quæsiuit, quos sermonum suorum participes faceret, amplissima que bona in lingua portans, beneficus egentium domos intrauit. Quin & ægrotantes sic ipse adiens, manoque contrectans, bonæ valetudini restituit. Et oculos fecit cæco nato, lutum illinens, quod ipse cum in terram spuisset, & digito subegisset, fullit, & aluit. *Et accepit*, inquit, *& tetigit loculum.* Et venit ad monumentum Lazari, vocemque cominus emisit. Quanquam & procol, si voluisset, & verbo, & nutu solo & hæc, & his maiora omnia operatus esset, qui cœlum quoque hoc modo condidit. Verum hæc eius potentiæ argumentum euidens fuisset illud: benignitatis fuit indicium, quam demonstraturus venerat.

Atque etiam apud inferos vinctos exsolui cum oporteret, partes eas non Angelis, aut Archangelis commisit: sed ipsemet in carcerem descendit. Cumque captiuos non gratis, sed pretio recipere libertatem æquitas postularet, sanguine persoluto eos eripuit. Hoc modo inde vsque ad extremum diẽ à peccatis liberat, pœnam dimittit, & sordes animarũ nostrarum eluit. Etenim ipse est qui purgat. Quod Paulus indicans, *per seipsum*, inquit, *purgationem peccatorum faciens, sedes ad dexteram maiestatis in excelsis.* Propter hæc & ministrum eum appellat, & ipse semet ministrantem, & à Deo patre missum in mundum, vt ministraret. Quodque præcipuum est omnium, non in hac vita duntaxat, quando cum humana infirmitate visus est, & venit, non vt iudicaret mundum, tum quæ serui sunt præstitit, & quæ Domini sunt, abscondit omnia: sed tunc etiam in futurũ, quando cum virtute adueniet, & cum paterna gloria apparebit, in ostensione, in regno suo, *Præcinget se*, inquit, *& faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Merito, per quem reges regnant, & principes imperant. Hoc quippe modo germano, veroque regno fini regnauit, ipse sibi ad regnum sufficiens, & sic rexit, quorum principatum obtinuit, hilarior quidem in amicos, seuerior in principes, & maiore amore quam pater, & vt se magis cognatum quam membrum membris, & corde ipso magis necessarium declararet. Non timori cedens, non mercede capi se patiens: sed ipsemet sibi potentia regni sui, & solus ipse sibi subditos obstringens. Timore enim, aut mercede acceptâ regnare, profecto non est ipsum regnare: sed spes & minæ de exacta obedientia accusandæ sunt. Quemadmodum igitur non legitime regnat, cui regnare est aliunde: sic neque vere Deo seruimus, si aliquo dictorum modorum subiecti sumus.

Quia vero necesse erat ipsum sincerissimo imperio regnare, (nec enim erat fas alio) inuenit quo pacto id perficeret. Et hic modus erat admiratione dignissimus. Contrariam quippe viam teruit. Et vt verus Dominus esset, naturam serui suscepit, & seruis ministrauit, vsque ad mortem crucis. Et sic animas seruorum cepit, & voluntatem nullo adminiculo in potestatem redegit. Huius rei gratia & Paulus, sciens hoc ministerium esse causam regni, *quia humiliauit semetipsum*, inquit, *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum.* Et Isaias, *Propter quod ipse hæreditabit multos, & fortium diuidet spolia: pro eo quod tradidit in mortem animam suam, cum iniquis reputatus est.* Propter primam enim fabricationem, Christus naturæ nostræ Dominus est. Propter nouam autem creaturam voluntatem subegit, quod vere est inter homines regnare, quando arbitrium rationis, & voluntatis libertatem, quæ hominem faciunt, hic vinxit, & subacta duxit. Hinc, *data est mihi omnis potestas*, inquit, *in cælo & in terra*: velut nouum quiddam sibi accidisset ante sæcula mundi Domino, quoniam cum cœlestibus etiam humana natura communem Dominum agnouit. Quin & illud Davidis, *regnabit Deus super gentes*, hoc regnum innuit, secundum quod gentes concorporales sunt, & comparticipes, vt Paulus ait. Nam quòd corporibus & animabus simul & semel ita vnitus est, hoc non corporum modo, sed animarum quoque, & voluntatum Dominum fecit, obtinetque vere sufficiens, & integrum regnum, ipse illud per se sicut anima corpus, & membra gubernans. Reguntur enim, qui hoc iugum complectendum existimarunt, quasi non cum sua ratione viuerent, nec voluntate liberâ viuerentur. Ait enim, *vt iumentum factus sum apud te.* Et hoc est aliquem odisse, & perdere animam suam, & quia perdit seruatæ, quando ita dominata fuerit, noua creatura, & nouus Adam omnimodis veterem oppresserit, nihilque generationis, nihil vitæ, nihil mortis, nihil veteris fermenti relictum fuerit.

Etenim vetere quidem Adamo è terra corpus coagmentatum est: nouus autem ex Deo, inquit, natus est, vtriusque vitæ veraque mensa testimonium est. Illam quidem tellus submittit: nouum autem hominem cœlestis de sua carne alit. Quare & cum dissoluuntur, ille in terram redit, ex qua prodiit: hic ad Christum vadit, vnde assumptus est, & vterque dignitati effectoris sui finem congruum facit. *Qualis enim*, inquit, *terrenus, tales & terreni: & qualis cœlestis, tales & cœlestes:* nec propter animam tantum, sed etiam propter corpus ipsum, nam & ipsum cœleste, quomodo vtrumque ibi simul terrenum. Et anima quippe in manibus habitat cœlestis: & corpus est membrum illius. Et animam quidem non habet, at spiritu viuentis plenum est, & post finem prioris vitæ, fœlicius viuit quam dici possit: siquidem nec vere mortuum est omnino. Ait enim Salomon, *visi sunt mori*: nec id sapientibus: sed, *insipientium oculis.* Sicut enim *Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur*: sic Christi membra mortẽ nõ videbunt in æternũ. Quomodo enim gustarent mortẽ, quæ à corde semper viuente pendent?

Quod si nihil est præter puluerem quod videtur, nihil mirũ. Diuitiæ enim sũt intus. *Vita enim vestra abscondita est*, inquit. Et thesaurus est in vase fictili. *Habemus enim*, inquit, *thesaurũ hunc in vasis fictilibus.* Vnde quibus quæ foris sunt apparent tantũ, illi lutum tantummodo cernunt. Christus autem cum apparuerit, etiã ipse puluis suâ pulchritudine conspicuus erit, quando vt membrum illius fulgens cõspicietur, & similis erit soli, parique claritate coruscabit. *Fulgebunt iusti*, inquit, *sicut sol in regno patris eorum*: regnum Patris vocans radios illos, quibus ipse splendens, visus est Apostolis, ipsũ regnũ & quod venit

in virtute, ficut ipfe ait his, qui eum viderunt. Fulgebont autem & iufti in die illo vna claritate, & glotia his quidem fufceptione, ipfo autem commuoicatione: micantibus. Panis enim hic, corpus hoc, quod hinc ab hac menfa eò portantes venient, hoc eft, quod fuper nubes tunc omnium oculis confpicietur, orientique & occidenti inftat fulguris, puncto temporis pulchritudinem fuam demonftrabit. Cum hoc tadin viuunt fancti, & à mortuis lux non recedit: lumen enim iuftis femper adeft, & ad vitam illam hoc illuftrati perueniunt, quo cum femper fuerunt, ad illud tunc currentes. Quod enim cuique tunc refurgentium eueniet, vt offa, & partes, & membra cum capite ad integritatem corpori illuftrandam conueniant, hoc item Chrifto Saluatori, communi omnium capiti continget. Etenim fuper nubes tantum corufcans, propria vndecunque membra recipiet, Deus in medio deorum, fpeciofus fpecioforum agminis coryphæus.

Et quemadmodum onera elata, vinculis enbibentibus diruptis in terram tendunt, mediumque locum, feu centrum ftatim petunt: fic & corpora fanctorum terræ affixa funt illa quidem, & corruptioni alligata, tyrannidi fubiecta manent: & ideirco ingemifcimus, inquit, in hoc habitaculo. Cum autem libertas affuerit, impetu incredibili ad Chriftum ferentur, vt proprium locum recipiant. Quare Paulus oftendens curfum illum cohiberi non poffe, vocat raptum. *Rapiemur* inquit. *in nubibus obuiam Chrifta in aera.* Et Saluator ait fe illos fufcepturum. Tunc, inquiens, *duo erunt in agro, vnus affumetur, & alter relinquetur.* Illud fignificans, nihil effe humanum, nec in ipfis fitum, vt moræ locus fit aliquis: fed ipfe trahet, ipfe rapiet, qui non poteft feruire tempori. Sicut enim ab initio non expectauit, vt quæreretur: fed ipfe aberrantes quæfiuit, demonftratoque itinere deinde ambulare non valentes, ipfe fublatos in humeros portauit, & labentes reparat, & inertes corrigit, & abfcedentes aduocat, & omnino de falute illis inftare non definit: fic etiam tunc extremum curfum ad ipfum currentes, ipfe excitabit, & volantibus ipfe alas faciet. Ideo & aquilas nos nominat ad corpus congregatas. *Vbicunque enim erit corpus*, inquit *illic congregabuntur & aquilæ.* Et enim à menfa ad menfam venient, ab abfcondita adhuc ad manifeftam: à pane ad corpus. Nunc enim panis illis eft Chriftus, adhoc vitam humanam viuentibus, & phafe: tranfeunt enim hinc in cœleftem ciuitatem. Quando autem *mutabunt fortitudinem, & affument pennas, ſiue aquilæ*, iuxta Ifaiam, tunc ipfi corpori à velamentis nudo infidebunt. Quod fignificans & B. Ioannes, ait *videbimus eum ficuti eft.* Nec enim panis Chriftus eft illis, quãdo vita in carne iam finem habet: nec phafe iam manentibus. Corporis autem paffi figna multa fert. Etenim cum ftigmatis cernuntur manus: & veftigia clauorum pedes habent: & nota infixa in latus lanceæ adhuc extat. Hæc cœna ad corpus illud fert: fine qua impoffibile eft illud adipifci, perinde atque erutis oculis intueri. Si enim non habent vitam in femetipfis, qui hanc cœnam non cœnant, qui immortalis eft, mortuorum membrorum quomodo poteft effe caput? Vna eft enim menfæ virtus; vnus qui conuiuium in vtroque mundo apparat. Et hoc partim quidem eft thalamus: partim ad thalamum præparatio: partim fponfus ipfemet. Vnde qui non cum his donis ad vitam hinc abierint, nihil confequentur. Quibus autem gratiam accipere, & feruare contigit, & in gaudium Domini fui intrarunt, & cum fponfo in cubiculum nuptiale conuenerunt, & aliis perfruiti funt in cœna deliciis, non tunc ea adipifcentur: fed quod apportantes venerunt. Chrifto confpecto liquidius fentient Et hæc eft ratio, fecundum quam regnum cœlorum intra nos eft.

DE VITA IN CHRISTO, LIBER QVINTVS.

Ad facrorum, diuinorumque myfteriorum abfolutionem altare etiam neceffarium effe.

SACRORVM myfteriorum vis & ratio hæc eft, & ad veram vitam hunc in modum nos excolunt præparantque. Cæterum quia altare omnis initiationis, & confecrationis principium eft, feu facra cœna vfurpanda, feu vnctio accipienda, feu facrificium faciendum, feu quæ in baptifmo præcipua participanda fint; fi infuper de ipfo, & ritu quo confecratur, comparaturque, pro virili noftra egerimus, nihil nos vel curiofum, vel fuperuacaneum facturos equidem exiftimamus. Perfectius autem conditionem eius explanabimus, fi tanquam de myfteriorum bafi, aut radice, aut quo alio nomine appellari debet, differamus. Quare & quæ confecratoris manibus fiunt, & quibus altare conftet, indicemus: omnibufque ordine expofitis, fingula deinde quid occultæ fignificationis habeant inquiramus.

Primum hierarcha, feu Epifcopus brachia, & corpus reliquum linteatus, & cinctus, Deo fuper humo (quanquam non nudâ) fe profternit, precatufque vti ftudio fuo propofitum ac defideratum finem confequatur, ad operam refurgit, pofitamque menfam prehendens, eam apte locat, ac ftabilit: non id tantum aliis iubens: fed ipfe quoque manus admouens. Ita fic locatam vbi calidâ abluit, cum precibus, vt ea non folum fordes apparentes, fed etiam contagionem à dæmonibus illi afperfam purgandi vim habeat, mox eandem vino notæ optimæ, & oleo rofaceo, vt arbitror, perfundit. Secundum hæc facrum vnguentum adhibet, vngendoque, crucis figuram tertium exprimit, ac Deo canticum illud propheticum, & celebertimum accinit. Poftmodum candidam illam linteo obuelat, & ftragula vefte pretiofa exornat, aliaque lintea fuper iis expandit, quæ quidem facro vnguento, quemadmodum menfa, delibuta, & ad extremum menfæ fuperiniecta, facris tabulis proxime fubeffe oportet. Hac cærimonia functus linteo fe cauit, indutufque ftolam hierarchicam in vicinam aliquam facrarum ædium egreditur: vbi acceptis fanctorum martyrum offibus, ad hoc ipfum paratis, & fuper altera altaris tabellarum repofitis, in quo venerabile donum collocat, & operiens, quibus illud operit, admodum reuerenter tollit, fupraque caput portans, ad domum quæ fanctificatur, fiue dedicatur inter lampades, cantus, fuffimenta, quibus eum incedentem multi cohoneftant, progreditur. Ita procedens, vbi templum attigit, ante ianuas claufas confiftit, iubetque ipfis Dauidis vocibus eos qui intus funt, portas regi gloriæ aperire, & viciffim audit, quæ ille, Saluatore cœlum confcendente angelos angelis contra refpondentes introducit. Portis iam patentibus, ingreditur, facrum vas illud coopertum fupra caput habens. Simul ad altare, & ad ipfam menfam acceffit, fuper ea deponit, tegumentumque remouet, iacentefque in vafe diuitias tollit, & thecæ, quæ capacitate refpondeat, imponit. Poft hæc vnguento facratiffimo illis fuperfufo, fub facra menfa condit. His ita confectis, domus iam domus orationis, menfa vero ad facrificium idonea, & parata eft, & facrificatorium prorfus eft. Rationem autem propter quam his cæremoniis illa fiant; hifque à facerdote peractis, quorum domus

& mensa nos moneant, nunc singula considerantes doceamus.

Amictus igitur, & quod sic ad cærimoniam, consecrationemue altaris obeundam accedit, altaris humani typum refert. [Psal. 50.] Iniquitatem quippe omnem abluisse, & super niuem dealbatum esse, vt David loquitur, sese contraxisse, in semet conuoluisse, in se descendisse, Deum perfecte habitare in anima, & cor altare facit. Horum indicia, hams, albus, & nitidus amictus illius, quod totus ad Deum est conversus, & ei corpore proprio supplicat. Et ita cum, per quæ potest, in seipso altare prius effecerit, deinde templo manum vltimam imponit: maxime cum & in artificibus, & omnino in quibuslibus opificibus, ante operam manuum cogitatio in seipsa opus componat, & quod composuit, illud pro regula manibus præscribat, quam illæ in materia subiecta exprimunt. Quin etiam pictores archetypum pingunt, artemque à tabulis, quas imitantur, ducunt. Possunt etiam memoria, & simulacris quæ animo retinent pro exemplis vti. Hoc porro non pictoribus duntaxat, sed statuariis quoque, & architectis & opificibus demum vniversis vsu venire certum est. Et si quo artificio posset anima artificis istis oculis videri, in ea aut domum, aut quoduis operum sine materia videremus.

Deinde hierarcham exemplar altaris non hoc solum facit, quod harum rerum ipse actor est sed quod vere templum Dei & altare esse, sola ex rebus quæ sub aspectum cadunt, humana natura potest. Itaque manibus hominum fixum & locatum imaginem & typum huius seruat. Ex quo oportebat rem ante imaginem in schemate hoc apparere, & veritatem formis antecedere. [2 Reg. 7. Leuit. 26. & 2 Cor. 6.] Qui enim dixit, *nunquid domum tu ædificabis mihi ad habitandum? habitabo*, inquit, *inter vos, & inambulabo.*

Illud item significat, opinor, volentem aliis commodare, ante sibimet debere profecisse: & rebus manimis tantam virtutem immittere postulantem, sibi prius hæc vtilia reddere (sicut & Episcopum Paulus æquum censuit vrbi & populis profuturum, à domo sua incipere) [1 Tim. 5.] & bene administraturum domum, seipsum secundum rectam rationem prius regere. Opus est autem Deo ad hoc opus: sine cuius ope, nec aliud quidquam, nedum mysteria; in quibus totum opus illius solius est, peragere queat. Quia vero communis est dominus, non per subsidiarios consuluit seruis suis, nec curatores misit: sed ipsemet venit, & omnia quæ salus nostra requirebat, per se ipsemet præstitit. Quam ob causam, hierarcham illius se discipulum ostendentem, sua manu altare statuere, & firmare conueniens est, vnde omnes nobis salutis occasiones profluunt. [Ps. 144.] Et hæc agit Psalmum in ore habens, *exaltabo te Deus meus, rex meus*, qui gratiarum actionem erga Deum, & memoriam eius mirabilium complectitur. [Ephes. 5.] Si enim Pauli lex gratias agere præcipit in omnibus, quanto, iustius, in eo quod est bonorum summa, & caput? [Psal. 22.] Post hunc alium psalmum adiungit. *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*, in quo non simpliciter Dei benignitas laudatur: sed eius ipsa hæc præsentia beneficia attinguntur. Nam & baptismatis illic mentio, & diuinæ vnctionis, & poculi, & mensæ factum panem afferentis. Baptisma autem, & aquam requiei, & locum herbæ quietis vocat, atque à Deo bene pastus in hoc se habitaturum ad extremum affirmat. Et quoniam peccatum & labores audacibus peperit, & nobis terram spinis repleuit, aquâ peccatum eiiciens, adversus labores aqua requiei, adversus spinas & tribulos locus herbæ virentis haud absurdè, vt puto, nominatur. Diversorium postremo, quia bonum vltimum quod quærimus, & in quo quiescimus, Deum hic est accipere. Dici autem & illa de causa aqua requiei potest, quia concupiscentiam naturæ sedat, & quiescere facit. Quod *multi Prophetæ & reges voluerunt videre*, inquit. [Lucæ 10.]

Cur porro Deo procidens, & preces concipiens templi solum non contingit? Ait quia consecrationem nondum adeptum nec ad mysterium est idoneum? Et nondum facta domus orationis, quomodo orantem immediate sustineat? Siquidem & contra, Mosen terram [Exod. 3.] sanctam calcaturum, calceamenta soluere necesse erat, nihil medium ad colloquium afferentem: sicut & tunc Deo addictum populum Hebræorum terram Ægypti in [Exod. 12.] calceamentis calcare oportebat.

Hoc facto, aquâ lustrali mensam abstergit. Quoniam enim hominem dominum omnium, quæ visu percipiuntur, communis tyrannus in seruitutem redegit, postea in omnia sensibilia, ceu in palatium rege prostrato irruit, & inuasit. Quamobrem assumpta inde materia in vno quoque mysterio, quodam purgatiuo, adversus maligni vires opus est: sicut & aquam, qua initiatorem necesse est baptizare, sacerdos vbi precibus ab omni diabolica malignitate purgauit, sic demum carmen rituale, & initiatorium pronuntiat. Eadem ratione mensam prius aquis malorum depulsoribus abluit, & simul modum demonstrat, quo ad bonum sit eundum, qui est declinare prius a malo. [Psal. 30. Psal. 50.] Itaque & super malis hominibus cantatum Psalmum in hac expiatione recitat, *Asperges me hyssopo & mundabor: lauabis me, & super niuem dealbabor.* Et post hoc Deo gratias agit, eum veneratur, quod in omnibus consecrationibus facit: omnia quippe ad Dei gloriam administranda sunt, præcipueque mysteria, quanto omnibus conducibiliora, & Dei solius sunt.

Cæterum quia ante diuinam gratiam non solum deprimere se, sed etiam virtutes ipsi consociabiles quantum possumus, præstare oportet, quod aliter suppeditatorem gratiæ non acquirimus (Deus enim optata largitur non dormientibus, sed precantibus: & certantem vngit: & castitatis donum dat, castitatem exercenti, per quæ exercenda est, & vniverse vbique, desiderium eius quod quæritur, non votis solum, sed etiam ipsis operibus demonstrandum est) ideo ante diuinissimum vnguentum, quod altari gratiam à Deo apportare consueuit, his quæ apud nos bene olent, mensam humectat, vino & oleo rosarum: ex quibus hoc voluptatem tantum nobis generat: illud etiam vitæ prodest: vt humanis omnibus illatis doceat, quod cum vitam nostram repleant quorum alia necessaria, alia iucunda sunt, se amborum offerre primitias. Nam & ipse cum venisset, & vitam dedit, & amplius addidit, non modo in vitam nos reuocans, & vincula mortis abrumpens: sed & reges constituens, & immortales delicias nobis impertiens, & adhuc mysterium adiiciens, quod cum omnem mysterij vim contineat, ad ipsum quoque sacrificium plane pertinet.

Et quia his duobus ipsum ab initio Saluator confecit, *cum accepisset panem*, inquit, *& benedixisset*, manum illam, & vocem quærimus. [Mat. 26.] Vocem igitur sacerdotes mittunt: ea est efficax, vtpote illius iussu. Inquit enim, *hoc facite in meam commemorationem.* Pro manu est vnguentum. Etenim ipsum Iesum induit vnguentum, ait diuinus Dionysius. Sed Apostoli quidem etiam manus suas addebant: etenim & hanc gratiam habebant. Eorum successores hac initiatione egebant, voce potentes tantum. Primis quippe sacerdotibus altare erant manus. Eorum successoribus per ipsos Christus domus, mystas recipientes ædificauit.

Dum autem vnguentum mensæ affundit, nihil quale antè verborum adiicit: sed hoc ipsum tantummodo carmen Deo canit, vocis hebrææ syllabis paucis definitum, sensu autem sanctissimum, chori sanctorum Prophetarum. Etenim licet laudare, longo sermone, facta cum virtute enumerantes: & licet verbis paucis inclusâ laudatione, eum qui laudatur quasi coronare. Conuenit autem, vt arbitror, primum laudandis operibus vel præteritis, vel adhuc futuris, vt contemplantibus eorum loco sint voces. Alterum puto esse instantium, & eorum quæ fiunt, quando rebus per semet apparentibus, verborum prædicantium [Matt. 11.] vlla est necessitas, nisi quatenus ad voluptatem, & admirabilitatem demonstrandam facit. Sicut & Prophetæ vsq.

ad

ad Ioannem prophetarunt. Nam tempus secutum, quid nuntiis indigebat, cum adesset, qui nuntiatus fuerat? Nihil enim nisi illum proclamare, & honorare reliquum erat. Quod & angelia videbatur, quibus primum visus est, cum in terras venisset, quorum, *gloria in altissimis Deo* circum ipsum choros ducentium vox erat. Sic ergo hierarcha, postquam vocatum benefactorem in ipsis operibus agnouit, nec recitat quidquam priorum precum, nec opera benignitatis recenset, cum ante oculos versentur: sed hoc solum facit carmine mystico exultat.

Lucæ 2.

Quia vero altaris virtus vnguentum est, huic virtuti & subiectam materiam congruere oportet. Sic enim aget melius: sicut & ignis, & lux, vt existimo, per idonea corpora. Quoniam & nomen ipsum Saluatoris, quod inuocatum potest omnia, non in omnium ore, æque vim & potentiam suam ostendit. Proinde quærens consecrator, quid corporis vnguento congruum subiiciat, martyricis ossibus aptius nihil inuenit. Hæc vbi vnxit, & inuncta mensæ imposuit, mysterium perficit. Nihil enim Christi mysteriis propinquius & cognatius est, quam martyres, quibus cum illo & corpus, & spiritus, & schema mortis, & omnia communia. Qui & viuis assistebat, & morientium corpora non relinquit: sed animabus coniunctos, aliquo modo etiam surdo huic pulueri adest, & commiscetur. Et si alicubi in hisce rebus, quæ oculorum sensum mouent, Saluatorem invenire & habere licet, in his ossibus licet. Ideo ad templum veniens, quò illa inferenda sunt, iisdem vocibus portas illis aperit, quibus si Christum ipsum inferret. Et ad cætera quod attinet, æque vt sacra dona honorat. Præterea Dei templum verum, & altare sunt ossa hæc: hoc autem manu constructum, veri templi imitatio. Igitur decebat illud huic apponi, & ad perfectionem huius illud assumi: sicut in legibus nouam, ad perficiendam veterem.

Psal. 33.

Postquam ritus omnes iam absoluit, & ad sacrificium atque ad preces domum parauit, lucernâ super altare accensâ, exit. Primum quidem, vt reor, tempus ostendens, quo à principio est editum. Circa vesperam scilicet, ad prima lumina. Deinde vt hæc lucerna illam lucernam in memoriam nobis reducat, quam accendit, qui drachmam perdidit: quam terrâ multâ & tenebris obrutam inuenit, vtpote sub terra apud inferos iacentem. Hoc enim sibi vult, credo, verrisse domum, omnia retexisse videlicet, & in lucem eduxisse, qui & infernum ingressus lumine suo impleuit.

Lucæ 15.

DE VITA IN CHRISTO, LIBER SEXTVS.

Quo pacto eam à mysteriis, sacramentisque acceptam conseruare oporteat.

QVæ igitur vitæ in Christo ad Christum ipsum referuntur, quæque ad illum duntaxat pertinent, hæc sunt. Quoniam vero prima vitæ istiusmodi constitutio ab vnica Saluatoris manu pendet, semel autem constitutam depactamque conseruare, in eaque persistere, etiam studij ac diligentiæ nostræ opus est, & omnino hic quoque humanæ partes officiique nostri labor requiritur, ne acceptam gratiam corrumpamus: sed ad exitum vsque nostrum sartam tectam retineamus, & thesaurum inde comparatum in manibus habentes hinc abeamus, quibus rebus id effici possit, restat vt in hoc negotio deinceps inuestigemus. Et merito sane disputationis nostræ de vita in Christo hanc quoque partem facimus. Sicut namque in rebus humanis rationi consentiens est, & fieri consueuit, vt vitam accepisse non satis habeamus, neque ideo inertiæ ac somno nos dedamus, quasi iam omnia suppeditent: sed insuper quibus eam modis ac viis tuamur circumspiciamus; ita se in hac tractatione res habet, & quæ prius à nobis differendo tradita sunt, iis sequentia coniungenda. Cumque docuerimus vnde, & quomodo, & quid nobis fieri sustinentes, vitam adipiscamur, sequitur iam, vt quid agendum sit ne adeptam fœlicitatem prodamus, demonstrandum videatur. Hoc vero aliud nihil est, nisi virtutem colere, rectæque rationi conuenienter viuere. Quæ argumenta veteres multi, non pauci item recentiores totis libris persecuti sunt: nec quidquam quod dicto opus fuisset, prætermiserunt: & periculum est, ne inutiliter operam consumamus. Quia tamen quæ ab initio nos ad scribendum excitarunt, eadem de his verba fieri postulant, & nisi ea addamus, non est integra futura disputatio, omissis quæ separatim cuique generi vitæ humanæ congruunt (multa autem sunt genera) iisque tantum consideratis, quæ communiter omnes Deo debemus, pro facultate dicendum est. Neque enim eandem virtutem quispiam dixerit esse oportere rempub. administrantium, & priuatorum: neque eorum qui aquis tincti salutaribus nihil nouum Deo promiserunt: & qui vitam in solitudine agitantes, castitatem, & paupertatem sibi profitendas delegerunt: & in aliena vsque adeo dominari nolunt, vt sua ipsorum abiiciant.

Quod autem omnium à Christo nomen trahentium commune debitum est, sicut ipsa appellatio, quodque omnes æque præstare oportet, cuius negligentes, quidquid prætendant, non possunt supplicium deprecari siue ætatem opponant, siue artem, siue fortunam & conditionem quamcunque, siue morbum, siue corporis habitudinem, siue vitiosos locorum recessus, siue solitudinem, siue vrbes, siue tumultus, siue aliud quoduis rerum omnium, ad quæ accusati perfugere solent, vtpote cui obsistere nihil queat, quod demum vniuersis licet, est Christi voluntati non repugnare: sed latas inde leges quam diligentissimè seruantes, ad arbitrium illius vitam moresque instituere. Neque istuc maius viribus humanis dicendum: non enim legirupis pœna esset proposita: & Christianorum nemo est prorsus, qui ad omnia ipso opere exequenda obligatum sese ex ipsa conscientia sua non intelligat: quia à principio cum ad eum se adiungerent, polliciti sunt omnes æque se plane per omnia ipsum imitaturos: & postquam semet hoc fœdere obstrinxerunt, ita demum mysteriis sunt donati. Sic autem mandata Christi communia debita fidelibus omnibus cum sint, & iam volentibus seruatu possibilia, & summopere necessaria sunt, & sine iis ad Christum non perueniunt, quia ab eo maxima, & pulcherrima parte, voluntate nimirum consilioque discrepant. Necesse est enim voluntate cum eo conspirare, cum quo communem habemus sanguinem: non partim concordes, partim discordes illic amare, hic bellum contra gerere: & filios quidem esse, sed reprehensione dignos: & membra quidem, sed mortua, in quibus nihil conducit tanquam palmitem genitum esse, & coaluisse, cum in vera vite non manseris. Qualis palmes tandem in ignem exteriorem mittitur.

Ioan. 15.

Quapropter qui vitam in Christo traducere apud animum statuit, sequitur vt à corde, & capite illo aptus sit atque dependeat; non enim aliunde viuimus. Quod quia non possunt, qui non eadem volunt, eademque nolunt, ad Christi voluntatem nostra voluntas, quantus hominis captus est, asuefacienda & exercenda est, & ita instituenda, vt eadem appetat, iisdemque gaudeat. Pugnantia siquidem inter se desideria ex vno corde exoriri nequeunt. Malus enim homo, inquit, de prauo corde suo non aliud quam prauum proferre nouit, & bonus bonum. Et quemadmodum fidelibus

Matt. 12. Ador. 4.

in Palæstina, propter consensionem voluntatum erat cor unum, & anima una: eodem modo, si quis una mente & sententia se cum Christo non coniunxerit, sed via præceptis eius contraria incesserit, cor suum cum eo non eodem dirigit: sed ab alio corde suspensum esse liquet. Etenim è diverso secundum cor suum invenit David, quia, *legem tuam*, inquit, *non sum oblitus.* [1 Re. 13. Psal. 118.] Quod si vita destituuntur, qui à corde illo non pendent, & pendere non possunt, qui non eadem volunt, ut vivere queamus, quo pacto eadem quæ Christus amat, iisdemque cum ipso gaudere possimus, age videamus.

Est igitur omnis actionis initium desiderium sive petitio, appetitionis autem cogitatio. Quare enitendum inprimis, ut oculum animæ à vanis rebus abducamus, & bonis cogitationibus cor semper plenum habeamus: ut ne aliquando vacuum, improbarum cogitationum sedes ac domicilium fiat. Cum sint porro multa, quibus meditandis animam occupari, & mentem cum voluptate studium impendere consentaneum est, omnium & ad loquendum, & ad cogitandum ratio mysteriorum iucundissima & fructuosissima videtur, indeque divitiæ nostræ manarunt. Cogitemus ergo licet; quales eramus antequam initiaremur: quales post initiationem facti simus: & qualis fuerit prius servitus: qualis quæ nunc potitur libertas, & regnum: quantaque nobis bona iam præstita, quanta sint reposita. Et ante hæc omnia, quis nobis cuncta isthæc largiatur, quanta eius pulchritudo, quam bonus, quomodo genus humanum dilexerit, quam ingens etiamnum illius erga nos amor. [Philip. 2.] Nam si hæc mentē præoccupaverint, animamque obtinuerint, non facile cogitatio aliorsum respiciet, nec desiderium à tam bonis tamque delectabilibus rebus alio transferet. Beneficia enim Dei multitudine & magnitudine excellunt: & amor quo ad hæc tribuenda est impulsus, humanum captum præstantiâ suâ longe vincit.

Sicut enim amor humanus, si modum excedat, & maior sit, quam ut capiatur; amantes de statu mentis deiicit: ita amor erga homines Deum exinanivit. Haud enim in loco suo manens, servum quem diligebat ad se vocavit: sed ipsemet descendens quæsivit, & opulentus ad pauperis diversorium devenit, accessit, amorem suum per semet indicavit, & redamari concupivit, contemptusque non recessit, & ad contumeliam non est indignatus, & repulsam passus, foribus assidet, & quo amorem suum demonstraret, nihil non egit, cruciamentaque pertulit, & mortem denique obiit. Cum enim duo sint, quæ amantem produnt, & de eo quodammodo triumphant, omnibus rebus, quibus licet, benefacere amato, & atrocia eius causa perpeti, doloresque excipere, si res postulet, posterius longe maius amicitiæ indicium est, quam prius. Deo autem ab omnium malorum sensu remoto cum pati non liceret, posset vero ut humanus homini benefacere, sustinere pro eo verbera, tolerare cruciatus nequaquam, & charitas esset infinita, nec signum ad eam declarandam suppeteret, nec tamen ignorari oporteret, quam vehementer amaret: sed summæ charitatis documentū nobis dandum esset, & supremus amor ostendendus, huiuscemodi exinanitionem machinatur, & molitur, & efficit, per quæ dira pati, & dolores sentire posset: & ita ea ut quæ sustinuisset eximium amorem suum testatum reddens, ad se converteret eum, qui quod se odio haberi crediderat, bonum illum Dominum fugiebat.

Quod autem omnium maxime novum est, non solum crudelissima passus, & ex plagis ac vulneribus mortuus est: sed etiam redivivus, & corpore incorrupto excitato vulnerum horum vestigia adhuc servat, & ea in corpore suo portans, cum iisdem ab angelis conspicitur, eaque sibi ornamento ducit, & lætatur eum se tam multa pro nobis passum hac ratione ostendit. [Psal 15. Actor. 2.] Et alia quidem quæcunque sunt corporis huius abiecit, habens corpus spirituale, in quo nec gravitatis, nec ponderis, nec crassitiei, nec ullius alterius huiusmodi affectus corporei relictum est; notas vulnerum nequaquam abiecit, nec ipsa prorsus extrivit: sed propter amorem erga hominem ea sibi amanda, & retinenda existimavit: quia per hæc perditum invenit, & vulneratus cepit quē amabat. Alia enim de causa adhuc cōstare vulnerum monumenta in corpore immortali quomodo consentaneum fuisset, cū ea aliquando in mortalibus & interitui subiectis ars & natura obducant atque deleant? Verum, ut apparet, pro nobis sæpius excruciari cupiebat: quod quia non poterat, quod corpus eius corruptionem semel effugisset, & simul percussoris se hominibus parcere volens, saltem notas suæ necis in corpore servandas, & vestigia vulnerum, quæ semel cruci affixus accepisset, perpetuis sæculis gestanda censuit: ut pateret omnibus, pro servis crucifixum, & lanceâ latus sibi eminus apertum esse, & cum splendore illo ineffabili etiam hæc regem condecorarent. Quid cum hoc amore comparabimus? quid similiter aliquando dilexit homo? Quæ mater tam tenere, & ardenter ex se genitos, quis pater adeo complexus est filios? aut quis tandem quodcunque bonum tam insano amore est prosecutus, ut propterea quod diligebat, id æquo animo non sustineret solum, & amorem suum erga ingratum non mutaret: sed ipsa quoque vulnera maximi faceret?

Quanquam hæc non tantum impense amantis, sed mirabiliter etiam honorantis sunt: siquidem istuc summi honoris est, naturæ nostræ infirmitates non erubescere: sed cum ipsis vulnerum vestigiis, quæ ut homini, & infirmo contigerunt, in regali throno considere. Neque vero naturam universē tam eximie cohonestavit, ast singulos neglectum ivit: sed ad hoc diadema omnes invitavit, servitute exemit, filios reddidit, cœlum omnibus aperuit, viaque commonstratâ, & quomodo eò subvolare liceret, insuper alas dedit. Nec his contentus, ipse nihilominus præit, & sustentat, & desides adhortatur.

Nondum attuli quod maius est. Non tantum horum tenus cum servis est Dominus, quæque eorum sunt participat, neque manum duntaxat, sed seipsum nobis quantus quantus dedit. Quocirca templum sumus Dei viventis, & membra hæc, Christi membra sunt. [1. Cor. 3. & 6.] Membrorum istorum caput Cherubim adorant. Hi pedes, hæ manus ab illo corde reguntur ac pendent.

Hæc animo secum volutare tam utile, tamque iucundum est, ut nihil supra. Hæc enim nobis perpendentibus, & hisce commentationibus in anima invalescentibus, primum quidem nulli pravæ cogitationi aditus patebit. Deinde perspectis beneficiis amorem erga bene meritum cumulare licebit. Cum sic mirifice dilexerimus, etiam mandatis eius obtemperabimus, & velle nostrum ad illius arbitrium aggregabimus. Ait enim, *si quis diligit me, sermonem meum servabit.* [Ioan. 14.] Ad hæc dignitatis nostræ excellentiam agnoscentes, eam sufficienter prodigemus: nec servire servo fugitivo sustinebimus, utpote regni adepti nobis conscij. Os ad sermones cum scelere coniunctos non aperiemus, si mensæ recordabimur, & qualia sanguis linguam hanc purpuraverit. Oculos illicitis quinam adiiciemus, per quos mysteria tremenda hausimus? Ad malum pedes non movebimus, non manus extendemus, si in his mentem animi sese exercentem habebimus. Sicut igitur Christi membra, hæc & sancta sunt, & tanquam phiala illius sanguinem continent: vel potius totum ipsum Salvatorem induta sunt, non ut vestimentum, nec tanquam pellem agnatam: sed tanto penitius, quanto hoc indumentum indutis plus quam ipsæ compages, ipsa ossa coagmentatur & coalescit. Nam hæc vel nolentibus quis amputaverit: Christum autem semel indutum, nemo neque hominum, neque dæmonum invitos ac nolentes exuerit. *Non substantia*, inquit Paulus, [Rom. 8.] *non futura, non altitudo, neque profundum, neque aliqua alia creatura*, quantacunque virtute excelluerit.

Martyrum Christi pellem detrahere, & mutilare Malignus tyrannorum manibus, membra concidere,

A

ossa comminuere, intestina effundere, viscera distrahere potuit ille quidem: hoc autem vestimentum eripere, & Christi sanctos nudare, tantopere ejus inventa fefellit, vt per quæ illos se arbitrabatur posse exuere, per ea ipsa imprudens magis indueret. Quid igitur hoc corpore sanctius, cui Christus magis quam vlla concretio naturalis inhæresit? Hanc ejus majestatem & sanctimoniam venerabimur, & custodiemus, si claritatis ejus tam admirandæ conscij, animo eam omni tempore intuebimur. Si enim templa, & vasa, & quodcunque dedicatum, quando hoc ipsum (esse dedicatum videlicet,) cognoscimus, omnibus tutum à prædonibus servamus, multo minus nobiliora prædæ exponemus. Nihil enim sanctius homine, cujus naturæ divinitas sese copulavit.

Phil. 2. Mat. 24

Cogitemus enim, cui *flectatur omne genu, cælestium, terrestrium, & infernorum*. Et quis venturus sit in nubibus *cum virtute & maiestate multa*, incomparabili splendore præditus. Homo hic erit, perinde vt Deus. Et vnusquisque nostrum Sole clarius fulgere revera poterit, supra nubes tolli, spectare corpus illud Dei ad se pansis brachiis accedere, placidéque intueri. Apparentem enim Dominum bonorum servorum corona circumfundet, illóque fulgente, ipsi pariter fulgebunt.

B

Psal. 81. & 44.

Quale spectaculum, innumerabilis multitudo hominum supra nubes, homines sublime elati & volantes? celebritas, cujus nullum extat exemplum: Populus deorum circumdans Deum: Pulchri circum speciosum; famuli circum Dominum, non invidentem illis splendoris communionem, nec arbitrantem gloriam suam imminutum iri, si multos regni sui socios acceperit, quod faciunt, qui hominibus imperitant; qui subjectis, quanquam omnia dederint, ne per somnium quidem sceptri societatem concedunt. Non enim vt servos tractat, nec servorum eos loco habet: sed amicos numerans, & ipsius amicitiæ legem illis servans, quam ab initio ipse constituit, communia facit omnia: neque hoc aut illud tantum, sed ipsum regnum & diadema eis præmium dat. Quid enim aliud sibi volens B. Paulus, hæredes quidem Dei esse dicit, cohæredes autem Christi, & regnare cum Christo, qui cum eo gravia pertulerunt? Quid tam jucundum, ut possit cum hujus spectaculi jucunditate contendere? Cœtus est beatorum, populus lætantium. Et ille quidem coruscans in terram è cœlo descendit: terra vero solos alios soli justitiæ vicissim producit, & omnia lumine complentur. Hinc, qui exercitatione, afflictione, & laboribus, & contribulium sollicitudine studium & alacritatem suam Christo probaverunt: inde qui morientem imitati gladio, igni, morti sese tradiderunt, cicatricibus in corporibus fulgidis conspicui, & vestigiis vulnerum, ut trophæorum quadam inscriptione triumphantes, corona fortissimorum, vulneribus illustrium, juxta Regem, qui, quod occisus est, vicit, & quod Paulus ait, *propter passionem mortis*, gloriâ & honore coronatum.

Rom. 8. Malac. 4

C

Hebr. 2

Hæc commentandi argumenta nobis sumentibus, & omni tempore cogitantibus, tum naturæ nostræ dignitas, tum Dei benignitas nota fiet. Hoc maximè à pravitate nos arcebit, & si forte labemur, facilè reparabit. Cum enim multa sint, quæ salutem nostram impedire queant, præcipuum est, quod peccato quocunque admisso, non illico ad Deum conversi veniam rogitamus; sed erubescentes, & metuentes, viam ad illum molestam ac difficilem, illúmque iratum nobis & inimicum, & eum accedere volentibus singulari præparatione opus esse opinamur. Humanitas porrò Dei hujusmodi cogitata ex anima funditus expellit. Nam qui probe cognovit, quam mansuetus sit, & illud ignorat, *adhuc te loquente dicet, ecce adsum*, quid enim remoretur, quin statim vt peccavit, eum adeat? Hæc enim communis hostis adversum nos machinatio, & dolus est, dum ad peccatum sollicitat, confidentiam & audaciam excitare: teterrima jam ausis, prolapsisque, pudorem ac timorem absurdum injicere vt cum illo modo cadere fecerit, hoc resurgere non sinat: seu potius, illo à Deo

D

Isa. 58.

abducat; hoc ad eum reverti non permittat, atque ita viis contrariis in vnum barathrum pertrahat.

E

Sed hæc omni diligentiâ cavenda sunt, nempe ante peccatum audacia, & post peccatum pudor ac timor, nihil enim commoditatis habent. Non enim timor iste caret, sed stupor quidam ac torpor animabus est: nec erubescimus vulneribus, vt auxilia curationémque inveniamus, sed vt oculos Salvatoris effugiamus: sicut Adam se abscondit, propter vulnus manum medici fugiens (propter quod eum quærere debebat, ne peccatum de ipso triumpharet) vxorem autem objiciens, vt quantum in ipso erat, mollitiem animi sui tegeret ac velaret. Et sicut post illum Caïn, quærens latere, quomodo se posse latere putabat, cum cujus oculis patent omnia. Conduceret enim & timere, & erubescere, & macerati animo, & corpus submittere, cum hæc ad Deum nos expedire potuerint. *A fructibus eorum*, inquit, *cognoscetis eos*.

Genes. 3. Genes. 4. Hebr. 4. Mat. 7.

Et quoniam non modo pudor ac timor, sed gravis item tristitia peccatum excipit, etiam hæc Dei humanitatem optimè cognoscentibus nihil nocuerit. Nam etsi scelestissimorum facinorum sibi sint conscij, non ideirco spem veniæ projicient: scientes, nihil adeo indignum esse veniâ, vt Dei clementiam vincat. Tristitiâ autem afficientur salutari, & curabunt, vt eam amplificent: illam alteram, bonas spes labefactantem, fugabunt. Geminam itaque super peccato perpetrato tristitiam & dolorem esse, & alteram ad emendationem pertinere, alteram ea affectis exitium parere testes luculenti sunt; prioris nimirum B. Petrus: posterioris nefandus Iudas: quorum illi bonam voluntatem mœstitudo servavit, Christóque amaræ lachrymæ æque commendatum & charum reddiderunt atque ante negationem fuerat: hunc ad laqueum adegit, & abiit vincula portans, quando omnibus libertas concedebatur, suâ vnius hominis expiatione desperatâ, quando quod mundum vniversum expiaret, effundebatur. Cæterum vt multo ante gnari illam admittamus, hanc fugiamus, vtriusque perturbationis discrimen consideremus: altera enim hoc habet, vt nobis bene, altera vt male faciat. Quoniam enim quoties peccamus, & Deo, & nobis ipsis nequam sumus, de offensa in Dominum dolorem capere, nec vllum detrimentum afferet, & per quam opportunum fuerit. De nobis vero ipsis cum nimis gloriosa suffragia tulerimus, deinde ea refutata viderimus, quia quæ fas non erat cōsequi, iis exciderimus, ideo contristari, & plangere, & acerbâ pœnitudine in medullis cruciari, quasi jam vita vitalis non sit, quoniam in talia mala inciderimus, hanc tristitiam, vt mortis matrem haud dubiam, & ad inferos ducentem aversari ac repellere oportet. Istam quippe arrogantia, & quod nosmet magnis quibusdam rebus dignos existimamus: superiorem amor singularis erga Dominum excitat, & evidens cognitio, quanta ab eo beneficia acceperimus, & quam multis nominibus cum illi obstricti simus, nec vnum tamen persolvamus, sed insuper malis bona compensemus. Quemadmodum igitur arrogantia crimen est, ita & dolor ejus causa ab anima susceptus, crimini affinis est. Et rursus tum charitas erga Christum summe prædicanda est: tum ejus jaculis convulneratos dolere, macerari, & colliquescere, prudentes summæ beatitudinis loco ducunt.

F

Act. 1.

G

Quoniam vero tristitia divinæ gratiæ plena à charitate procedit, charitas autem in cogitationibus Christum, illiúsque benignitatem complectentibus posita est, operæ pretium fuerit, eas memoria & animo versare, & ab hujusmodi opera nunquam feriari: sed de industria & per semetipsos hæc meditari, secúmque reputare: & in conventibus sermonis delicias, colloquiorúmque materiam facere, & conari insuper, vt nullo negotio distracti ac districti. Studium istue assiduo quoad vita suppeditaverit, si fieri possit, retineamus; sin minus, at longo tempore, vt animæ altius imprimantur, & eos penitus possideant. Neque enim ignis in quæ inciderit in ea quidquam aget si ea continenter

H

non contingat: neque cogitatio intermittens, animam ad quamcunque affectionem aptaverit: sed tempus multum, continuatúmque requiritur.

Cogitationes igitur a bonis & jucundis sensibilibus cupiditatem accedentes, quia sensus à principio in nobis operantur, & illas inde oriri contingit, contubernales nostræ, & coævæ sunt, & persuadent facilè quæ voluerint: tum quia jucundæ sunt: tum quia multo jam tempore nobiscum sunt. Qui autem mentis rationes, illúsque Philosophiam serius attigerunt, his multa diligentia est necessaria, vt in brevi tempore, & assiduâ consuetudine ad bonum afficiantur: quod repente arripit: sed sero valde, multísque jam aliis plenos ingreditur. Vix enim contenta, & acri exercitatione diuturnum cum illis aliis commercium præcidentes, vera opinatorum, & bona solida jucundorum loco inducere possimus. Vnde nec mirandum, si cogitationes optimæ haud vbique malas superent, & melioribus deteriores nihil concedant apud eos, qui ratione vtuntur. Nam jure optimo sufficere sentio, vt bonus esse possis, non hoc ipsum si didiceris, quid nobis bonitatem persuadeat; sed si, quod necesse est in eo etiam meditando immoreris, & cogitando insistas: & cum rectam rationem cognoveris, non eam solum intra te habeas; sed ea quoque vbi opus est vtare: sicut & cibus, & arma, & medicina, & vestis, non simpliciter quibus adsunt, quique ea possident, commodum faciunt vtentibus ipse visus commodat. Quod si pravæ cogitationes incumbentes mentem detineant, bonæ tantummodo gustatæ sentiantur, deteriora vincunt, & pravæ quidem actuosæ cum sint, animæ regionem insident, aliæ vt victæ & otiosæ prorsus exterminantur. Nihil igitur novum, non ædificare architectum, aut Medicum non sanare, aut opificem quemcunque non suum munus obire, quamdiu artem non adhibet: nec illud mirum, si quis rectam rationem habens, agentem porro non habens, nullum diligentiæ fructum capit. Vtatur enim quispiam armis contra invadentes, quatenus convenit eos interficiens: arte autem, secundum ipsam agens. Nos vero cogitationibus optimis sicut consiliariis vtimur, mentem advertentes, non vt cum didicerit quæ oportet, noverit, sed vt cum cognoverit, persuadeatur, veréque bonorum amorem concipiat: quod sedulâ meditatione eget, quando contra in malis occupari, & immorari, animæ exitiosum est: simpliciter autem eorum notiones, nihil habent mali. Quamobrem quomodo hic fugienda, ita illic consectanda est meditatio.

Velle igitur bonum difficultatem non habet, nec res ista studio creditur indigere. Ad accipiendum autem conservandúmque cum labor sit necessarius, studio ac via quadam opus est, qua ad certamina hæc volentes aggrediamur: quandoquidem haud facile talis labor capessitur. Quod autem vbique ad certamina velut athletam vngit, amor est eorum, pro quibus certamus. Hic enim labores, etsi admodum cruciabiles suavitate condit. Amorem autem honestorum nihil aliud accendit, quam attendere illis animum, & eorum elegantiam perspicere. Et hic est ignis, qui ex meditatione Dei in anima Prophetæ exarsit. *Et in meditatione mea*, inquit, *exardescet ignis*. [Psal. 38.] Quia alibi ostendens, circa quid meditatio versetur, & cujus viri sit opus, hoc quidem ait beati viri, illud Dei legem. Beatus vir, inquit, dies & noctes in lege Dei meditabitur. [Psal. 1.]

Iam vero si meditatio circa literam legis hunc ignem accendere potest, quid facturam existimabimus legem spiritus? [Rom. 8.] quæ sola verum Dei amorem hominibus inseruit, & rogum quendam amoris inflammavit, quam nulla res poterit extinguere, non aspera, non jucunda, non instans, non futura. Quam ob causam cœlo demissus linguis igneis apparuisse mihi videtur, quoniam charitatem, instar ignis omnia depascentem intulit: siquidem & primum legislatorem ipsum charitas in terras apportavit, & ipsum legislatoris corpus, humanitatis ejus pignus ac fructus est: & præterea ipsius lex tota amore scatet; & hunc omnibus quibus potest modis ostendit, hunc introducit, hunc suadet, hunc à nobis si retulerit, sufficienti munere sibi sua in nos merita compensata arbitratur. Non enim quasi servis obligatis imperat: sed quasi multis propter ipsum defatigationibus perfunctus, longáque consuetudine & amore devinctus, statim vt ad eum se contulerint, ad communionem rerum suarum vocat. Ego quidem pro te ignominiose decertavi, inquit, multísque laboribus coronam neavi, quam vos citra laborem accipietis. Pro his aliud nil exigo, nisi vt me ametis.

O inexplicabilem bonitatem! non solum tam eximiè diligit, sed etiam amari à nobis tanti æstimat: quod vt consequatur, nihil omittit. Nam quid aliud fuit cur cœlum, terram, solem, & aspectabilem mundum conderet? Ejus vero qui non cernitur, qualis pulchritudo, & quomodo ab eo nutu solo constitutus sit, & omnem quam in hæc inferiora curam conferat, non alio fine docet, quam vt ad se conversis amorem sui suadeat. Et omnino, sicut in amore ferventes, sapientiam, bonitatem, & artem demonstrat, vt injicere nobis sui amorem possit. Proinde rei hujus tantam rationem ducit, & adeo magni eam æstimat, vt cum pro ea fecisset omnia, quæ Dei natura patiebatur, non quiesceret: sed ad aliam naturam se daret, quâ ad idem atque vteretur, vt quæ persuadere non poterat, eo quod Deus esset, ea homo factus posset, & per vtraque, tum domestica, quæ veniens afferebat, tum extranea quæ assumpserat, charum sibi ad amicitiam suam adjungeret. Sic lex spiritus, jure lex est amicitiæ, indéque ad beneficia agnoscenda nos exercet. Quare studiosè in eam incumbendum est.

Primum quidem, quoniam neque sudor hic vllus, nec labor est, nec sumptus, nec infamiam, aut probrum parit, nec ob aliud illius quippiam viliores sumus: sed & artes tractare nihilominus licitum est, & quodcunque studium sectari nihil vetat. Et dux exercitum ducet, & agricola terram colet, & opifex vrgebit opus, & hac quidem de causa nihil eorum quæ facere consuevit, prætermitteret. Non in remotissima loca abeundum, nec insueta alimonia adhibenda, nec permutanda vestis, nec corrumpenda valetudo, nec aliud audendum facinus: sed licet domi suæ manentem, nihilque suarum facultatum amittentem, cum hisce cogitationibus quotidianum habere commercium. Quid ergo talia bona fieri prohibet, pro quibus etiam labores perferre æquum erat, si ita res tulisset? Si enim homines natos, & vi cogitandi præditos, quidquid tandem, & qualecunque cogitare oportet, quomodo non optima quæque cogitanda sunt? Et, si inania abjectáque, & ea quibus cogitantes vtilitatem nullam consequuntur, nunquam existimata sunt fortunam, aut artem, aut copias, aut quodcunque ad vitam conferens vlli deteriora effectura, minimè omnium bonas cogitationes in hoc crimen vocare, & quod bonum est, pro malo accusare par est. Atqui isto modo bellare nemini expedit. Porro nihil prorsus insuavitatis, ac molestiæ habent, non magis, quam ipsum gaudium, quod vere appellari possunt. Sive enim optimis lætamur, nil melius fieri poterit cogitationibus, quæ Christum, & illius benignitatem complectuntur: quoniam neque ipsarum rerum, in quibus est vltimus bonorum finis, neque proprium quidquam suave & amicum, quamvis multo labore quæsitum invenias, quod nobis præ istis conveniat. Non enim secundum sanguinem tantummodo genitis, nec ipsis genitoribus simpliciter, sed jam etiam nobis ipsis cognatior Christus est, vt antea docuimus. Hinc animæ cogitatrici nihil peculiarius quam in ipso occupatam esse. Itaque & per quæ familiaris & cognatus nobis est, & quæ optima est omnium jucundior est consuetudo baptizatis animabus, quam alia quæcunque tandem: intelligo autem post lavachrum non valde squalentibus; sicut Hebræi, quos admirabilis ille Stephanus incircumcisos corde & auribus nominabat. [Act. 7.] Nec damnum igitur vllum humanæ

vitæ

vitæ propter istas cogitationes importari, & in iis gaudium ac voluptatem inesse, ex dictis patet. An vero vtilitas quoque insit, & juvent, contineántque pulcherrima & opportunissima omnium, id quoque jam patuit, & apparebit deinceps evidentius, cum accuratius de ipsis differemus.

Primum enim bonis cogitationibus animam distineri, hoc ipsum malarum cogitationum cessationem & otium inducit. Hinc consequens est, radium, seu lucem mysteriorum à vitio purum ferre, quod nobis citra laborem bonorum omnium cumulum affert. Deinde necesse est & ipsas cogitationes medicinis à semet depromptis officium suum præstare, & cor quam optime afficere, sicut à pravis cogitationibus malæ affectiones nascuntur: nam virtutem eodem modo ex bonis exoriri rationem habet. Plane enim in omni negotio vt hanc vel illam voluntatem suscipiamus, hoc illúdve dicamus, aut faciamus, aut patiamur, aut quidquid tandem illud est eligamus, cogitatio & ratio nobis auctores sunt. Et hoc modo magistri virtutis, discipulis suis opportuné cogitationes optimas ingenerant: & contra, mali dæmones fœda simulachra nunc excitant, vt ista viâ hi ad turpissima, illi ad honestissima agenda provocent.

Est igitur cujusque laudatæ meditationis, videre, quomodo actiones ex virtute proficiunt: Christum autem meditari, & quæ is pro mea salute amanter laboravit, cogitationibus percurrere, apertè vitam à nobis quæsitam continet, pérque omnia beatos reddit. Et vt istuc manifeste cognoscamus consideremos, illæ sanctimoniæ, propter quas earum cultores Christos ipse beatos prædicavit, an non omnes ab hisce cogitationibus proficiscantur. Quos ergo tandem, qui solus & vere beatus est, beatos judicat? Pauperes spiritu, lugentes, mites, esurientes & sitientes justitiam, misericordes mundo corde, pacificos, persecutiones, & omne probrum propter justitiam, & promptum Christi studium sustinentes. Hi sunt qui beatam vitam ap prebeo ferunt. Si igitur ab his cogitationib. hunc chorum pulchre formatum, & coronas inde contextas inveniemus, omnibus planè constabit, operam & meditationem in hisce rationibus collocatam, viam secotam, & transitum, & gradum, & quo quis nomine appellet, ad beatam vitam esse.

Matt. 5.

Paupertas in spiritu, & *non sapere*, vt Paulus ait, *plus quam oportet: sed sapere ad sobrietatem*, quorumnam fit, nisi IESV paupertatem scientium, qui & naturâ, & convictu cum servis communicavit, cum esset dominus, & factus est caro, cum esset Deus: & dives elegit egestatem, pertulitque ignominiam Rex gloriæ: & circumductus est vinctus, qui genus nostrum vinculis solvit: accusationem violatorum legis in se suscepit, qui legem impleturus venerat, & judices passus est, insanienti populo ac cædis avido gratificantes, *cui omne iudicium dedit pater*. Hæc quem saltum non deprimant?

Rom. 12. — Matt. 5. — Ioan. 5.

Ad hæc, superbiâ à bonis operibus (quando visa fuerint excellere) excitatâ, actiones Christi meditatus, se et, non solum nihil se magnum cum virtute præstitisse; sed neque ad servitutis suæ jugum à cervicibus despiciendum quicquam præstare potuisse, qui nec adeptam libertatem conservare sartam tectam potuerit. Ille enim sanguine suo nos emit, & ita magno acquisitam libertatem nobis donavit. Quis porrò liberatorum in his quæ accepit permansit, spiritualésque divitias vsque ad finem à prædonibus tutas retinuit, ac non hanc magnam sanctimoniam suam reputavit, levia adversus gratiam peccare? In quo igitur nobis male consciis licebit gloriari, quibus propria virtus ipsa propter seipsam ad nihil est vtilis? In qua si quid inest boni, Deus id absque labore nostro indidit. Ac neque ipsas extrinsecus saltem divitias nobis donatas, inanimati thesauri instar tuto servare contigit adeo nequam sumus. Post novam enim creationem, & sepulturam in aqua, & mensam ignis plenam vsque eo ad virtutem imbecilles reperiuntur etiam sapientissimi homines, vt illis sacrâ mensâ crebro sit opus, & sanguine purgatorio, & supernâ manu, ne in extremam improbitatem præcipitent. Et horum testes sunt non obscuri, qui pro honesto & virtute quemvis laborem aggressi, postmodum omnia nefanda committere sunt ausi. Qui montibus se mandaverant, & omnem tumultum, vitámque communem ceu pestes fugerant, ut Deo soli vacarent, omnia sanctitatis officia (quantum in homine situm est) cum laude expleverant, vt & omnium maxima apud Deum possent, quia paulum de spe erga ipsum remiserant, nec amplius omnia illi sincere committebant, in primis nefanda perpetrarunt, & improbitati nihil reliqui fecerunt. In quo igitur efferemur? In recte factis? atqui nihil eximium fecimus. In magnis nostris? Atqui nostra non sunt. An quia servavimus quæ accepimus? Imò prodidimus. Sed signaculum Christi fecimus. At hoc ipsum signaculum sic non fecimus; superbis enim nihil cum illo negotij, qui *mitis est, & humilis corde*. Et contingit propter hujusmodi cogitationes superbiam ipsam in se corruere, & vtrinque morbum evanescere. Sive enim sapimus, quæ oportet, non magnum sapimus: sive magnum sapimus, hoc ipso Christum procul abesse à nobis sentientes, & nos nullius pretij esse, intelligentes, super nobis ipsis, ut abjectis, nihil egregium sapiemus.

Mat. 11.

Quin etiam sequitur vt lugeant & fleant, qui Christi acta meditantur. Si quis secum reputet videlicet, quæ pro salute nostra, novo & inaudito modo gessit, & quanta sit ignavia nostra, quique nos tenet somnus. Sive enim pretiosissimorum jactura nos contristat, & memoria eorum quæ amisimus lachrymas elicit, hic discimus quantas divitias cum in manibus habeiemur, & liceret retinere, nos projecimus: sive conscientia multæ iniquitatis erga tam studiosum benefactorem animam mordet, & macerat, hinc maxime manifestum evadere queat, quam præclarâ ille erga nos mansuetudine, & humanitate vsus sit, quam vicissim nos adversus illum socordes extiterimus. Primum enim è cœlo descendit vt quæreret, & vt cognatâ nos voce alloqui, & oculis aspicere valeret fecit: vt sive genere affinem diligimus, sive optimum, vtrumque ipse sit, & duobus istis, quæ vbique amorem conciliant, in ipso coëuntibus, plurimum ad amorem nostrum alliciendum possit. Deinde amicitiam acturus, illud quoque adjecit. Quoniam enim vnusquisque seipsum diligit, simul naturæ consortem diligit. Sed quanto quis sibi, quam cuivis homini est propinquior, tanto se quam illum amplius diligit. Vt ergo & hac ratione meliorem locum obtineret, quam est diligi (quod tamen est summe optabile) & ne quasi homophylo gauderemus: sed sicut a nobis ipsis diligimur, ita ipse ab omnibus diligi posset, non satis habuit homophylus noster esse, eandémque naturam assumpsisse; sed & corpus idem, & sanguinem, & spiritum suum nobis communicat: & quod de amicis hyperbolica parœmia dicitur, hoc vere ipse vnicuique sibi adhærentium sit, alter ego.

Iam vero si ille quidem tantopere nos quæsivit, nullúmque amicitiæ munus reliquit; sed & benefactorem, & fratrem se ostendit, nobísque pro nobis ipsis fuit, & hoc non voluntate, nec nutu solo, quo cœlum hoc fecit, sed sudoribus & laboribus, quod neutiquam illi conveniebat, & angore, & contemptu, & plagis, & ad extremum morte, nos autem non solum gratiæ erga tam multis modis propitium nobis ac benevolum obliti sumus: sed ita insuper stolidi sumus, vt iis inhæreamus, quæ ille odit, & à quibus nos avocat, illa complectamur; & ad quæ hortatur, hoc fugiamus, adeóque nefarie nos gerimus, quæ non lamenta, quas non lachrymas meremur? Qui alia quidem aliquo numero & loco ducimus, Salvatorem autem, & beneficia ejus despicimus, quasi ea ad alios pertineant, & non pro nobis ineffabilis illa providentia suscepta sit. Et familiaribus quidem, nostrísque studiosis vt ad vsum necessaria ne desint, ad

officium

A officium spectare arbitramur. Quin etiam verbis, operibus & artibus omnibus in vita requisitis, seu arandum, seu militandum sit, seu aliquid per nos ipsos agendum, vbique æquitati consulimus, & oblatam occasionem libenter arripimus, & omnino consuetum, æquum, justum, & hujusmodi nomina vbique & multum in ore nostro versantur: solum autem de iis quæ vere nostra sunt, quo pacto ea vt decet custodiamus, & per quæ nobismetipsis quod justum est reddamus, sollicitudine nulla tangimur, quodammodo cæteris omnibus indigniores nos ducentes. Si non aliud, saltem ad rerum novitatem converteremur, quæ omnia concussit, & traduxit, in qua quæ super cœlos erant, ima terræ videtur: terra autem supra ipsum cœlum ascendit. Et vinctus quidem est communis mundi tyrannus: qui vincti erant, ejus caput conculcant. Et Deus gestare corpus visus est, idque plagis & vulneribus cedens, & sanguinem, quem in cruce profudit. Præterea, corpus mortuum hominis, terræ solum concussit, & mortuos excitavit. Quorum munus aliud nullum erat, nisi Dominum agnoscere, & è terra resurgere, & cœlum respicere: qui postquam hæc facta sunt, adhuc dormiunt, & tanquam statuæ à tonitribus nihil afficiuntur, quo non miseriores?

B Quomodo autem non justum est, vniversum vitæ spatium luctus tempus existimare? Quæ enim flemus, obsecro? Morbum? An vero in nobis non ægrotat, quod est præstantissimum? Paupertatem? Atqui pejus ista, quam pauperes ipsi conflictamur, quanto hæ magis necessariæ, & multo meliores sunt divinæ. Et paupertas quidem necessario cum præsenti vita desinit: hanc autem calamitatem mors tollere non potest: quin potius, vt nobis longe ignominiosior sit in futuro, necesse est. Sed insania est miserabilis: Quid? an non malus dæmon animum nostrum furenter exagitat, in quem tantam amentiæ vim effundit? Si enim super enses ambulare, sese præcipitem dare, amicos præterire, & malevolentissimis supplicem fieri, si hæc, inquam, insanientium sunt, nonne amantem fugimus? nonne hostem asciscimus? nonne ad gehennam currimus, dum omnia, quæ eo impellunt designamus? C Quare omnium scelerum conscientia impeditos & oppressos, flere & lugere nos consentaneum est. Atque vtinam horum conscientia nobis contingat, & quæ sunt, esse arbitrari: & non etiam in hoc infelices simus, vbi malorum versemur ignorantes, si bonam animæ habitudinem, & divitias, & sanitatem nesciamus, quæ nobis à Christo præparata, citra laborem, nihil nisi voluntatem afferentibus consequi licet. Valde enim triste sit, cum felicitate perfrui liceat, eligere miseriam, & cum possimus in luce vivere, non recusare in tenebris sedere.

Hæc vero non solum inertibus lachrymas possunt elicere, sed probissimis etiam, & his maxime, quanto & maius sentiunt detrimentum. Etenim & his, & gravioribus semet condemnant, & extremis se suppliciis multandos censent, cum cogitant, Deum nudum, cruce interemptum, cui omnia serviunt, & eum à nobis compensationem vicissim exigere; quia cum esset D Deus, naturam hominis suscepit, ut nos ex hominibus dij fieremus: Et cum terra quidem cœlum, cum servitute regnum, cum ignominia, in qua eramus, veram gloriam permutasse, pro quibus cœlorum conditor terram induit, & natura Dominus, in forma servi apparuit, & gloriæ Rex *sustinuit crucem confusione contempta*. Heb. 12.

Cum multa sint, per quæ germanam philosophiam Salvator in mundum invexit, mansuetudinis, & moderationis in ira, lenitatisque adversus lædentes plurima omnium & maxima exempla dicendo, faciendo, patiendo proposuit. Nam ne longe abeamus, pro iis à quibus erat læsus, carnem & sanguinem induere sustinuit, & eos solutum venit, quos atrocissimorum scelerum accusare poterat, & à quibus injuriosè tractatus fuerat. Postea miraculis, quibus homines naturæ integritati restituebat, quanquam invidis oblatrantibus, non desiit benefacere: sed cum, quod dæmonas ejiciebat è corporibus, Beelzebub, & princeps dæmoniorū, & maledicentissima omnium audiret, ejicere perseverabat, & vnum de discipulis à se alienatum tantum abfuit, vt E Matt. 9. choro expelleret, vt etiam non secus cum eo versaretur, quam versari amicum cum amico par est. Captus quoque cum homicida communicavit, & secretissima proditori, corpus & sanguinem ipsum præbuit: & tandem se complectendum, osculandúmque ab eodem dedit. Miris modis mira, & nova audiebantur. Quibus benefecerat, pro illis mortuus est, & ipsi gladio eum confoderunt, qui beneficia acceperant. Cædis cupidus interfectoribus præivit. Osculum, cædis tessera fuit. Et dum ista pateretur, tam mitis erat & humanus, & cum à discipulo quodam vnus de canibus illis percussus esset, non negligeret plagam, sed auriculam tangeret, ac subito sanaret. Luc. 22. Et cum ita signum edidisset immensæ virtutis, ac supremæ mansuetudinis, neque illam timentes, nec istam reverentes non perdidit. Neque ignem in scelestos pluit, neque fulminibus eos percussit, quamvis ista, & si quid istis atrocius mererentur. F

Quē Angelorum chorus præ dolore intueri non poterat, trahentes sequebatur, & dabat vinciendas manus, quibus se submittebant vincula morbi, & dæmonum tyrannis solvebatur. Et qui percusserat illum in maxillam, servum perditissimum, cum posset, non est vltus: sed mansuete admodum humaniterque responso dignatus, quantum in ipso erat, perversitatem ejus correxit. Deinde eum cum morte condemnassent scelerati judices, silentio sententiam tulit, suppliciúmque subiens, & jam cruci affixus, erga interemptores vsque eo amorem non deposuit, vt Patrem rogaret, ne sceleratis facinoris in ejus vnigenitum commissi pœnam vllam exigeret. Nec modo veniam eis rogavit: sed insuper defendit, ea voce, quæ flammantem charitate, & miseratione plenum animum facilè indicaret. Ait enim, *Pater dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Luc. 23. Et tanquam pater filios amans vnicè, & ob ætatem illorum G imprudentiæ misertus correctorem illis mitigavit. Ac tunc quidem cum istis vocibus expiravit: postquam autem resurrexit, & festi consortes accipere oporteret amicos, in quibus perdurabat bona voluntas, immemor injuriæ, quo se in mediis periculis turpi fugâ deseruissent, discipulos convocavit, expressóque loco, quo profecti ipsum convenirent, vbi affuit, non fugam objecit, nec quippiam hujusmodi meminisse visus est. Matt. 28. Et postquam ad communicandum mortis ejus, & ad extrema quæque perferenda, quorum prius absentium adhuc nec speciem tulerant, eos confirmavit, pace & Spiritu sancto, & aliis hujusmodi donis impertitos toti orbi præfecit, & super omnem terram Principes constituit.

Et hæc quidem toti choro communiter fecit. Coryphæo autem, qui, cujus amorem & charitatem singularem sæpius expertus fuerat, eum prodiderat, qualia præstitit? Non modo enim negationem ejus in medium non protulit, nec pacti commonuit, quo se cū magistro in mortem iturum affirmarat (quod ille statim, nec brevi intermisso tempore violaverat) sed & nuntiis resurrectionis ad eum ante alios missis, sic eum honoravit, Marc. 16 H & congressus amantes appellavit, & num ab eo plus, quam ab aliis diligeretur percunctatus est. Cúmque Ioan. 21. Petrus respondisset, se diligere, adhuc idem interrogat: audiróque iterum, amo te, denuo quærit an ab ipso diligatur. Atque vt mihi videtur, quæsivisset crebrius, nisi Petrus contristatus respondere recusasset, quod is qui nosset omnia, ad cognoscendum amorem sui multa verba exigeret. Quanquam ista nec amicum ignorantis, nec ignorantem se fingentis erant; quorum alterum fuisset errare, alterum decipere, neutrum sinceræ veritatis. Sed volebat sic ostendere, se injuriæ propter priora pacta contempta plane oblitum, non enim denuo ea postulasset: quod fuit amorem in Petro accendere, qui jam propemodum extinguebatur. Talia enim

sciscitati,

sciscitari, & ad talia respondenda provocare, ad amicitiam plus omnibus valet, & rerum ad amorem pertinentium memoria atque sermo non solum amicitiam augere, sed & nondum existentem generare potuit. Atque hæc quidem hujusmodi sunto.

Marc. 11. Matt. 5. Salvator ergo hunc in modum in operibus suis ita vacavit: quo docente, & leges ferente, quid mitius ac lenius? Sane & preces ipsas, & sacrificium non se admissurum ait, si cum ira aut sacrificemus, aut precemur, & remissionem peccatorum, commune omnibus donum, quod secum de cœlo apportavit, mutuo irascentibus nunquam daturum: tametsi omnem lapidem moveamus, & flumina sudorum lachrymarúmque fundamus, etsi ipsum corpus gladio & igni objiciamus. Tanti fecit ille mansuetudinem; & qui ejus vitam meditantur, eos ita mitem animum erga eos à quibus offensi sunt, gerere æquum est. Quod etiam indicans, si meam mansuetudinem nossetis, inquit, etiam cor vestrum mansuesceret. *Discite à me, ait, quia mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem animabus vestris.* *Mat. 11.*

Præterea sic meditationis de Christo mansuetudo materia fiet. Non potest enim sacræ mensæ desiderio, & amore non incendi, qui in hujusmodi cogitationibus vitam consumit: quam cuivis cuilibet injuriarum memori contingere nefas sit, resistet iræ, & ab odio puram servabit animam. Hic enim sanguis ad reconciliationem à principio effusus, merito iracundiæ furorique servientes aversatur. Et quanquam ad Patrem clamavit super interfectoribus, sicut Abelis sanguis à Caïno effusus, non tamen apud eum sceleratos accusavit: nec, vt ille, de fratre vindictam poposcit: quin contrà absolvit, & vox occisi veniam occisoribus conciliavit. *Genes. 4.*

Quin etiam excellentissimè justitiam excolunt, qui in his commentationibus sunt assidui: ex quibus apparet, mundi Dominum adeo honorasse justitiam, vt versaretur cum servis, cum damnatis, cum occisis, cum mortuis, vt omnibus quod deberetur redderet. Ac Patri quidem gloriam & obedientiam, quæ illi pridem debebatur, persolvere nemo poterat, nec tyranno vincula, contemptum & dedecus cui iniquum ademit imperium, & spurium invasorem à nobis judicio & justitiâ deturbatum expulit.

Misericordiam autem & dolentium dolere vicem & aliena mala sua ducere, vndenam potius, quam ex hujuscemodi cogitationibus quispiam adipiscatur, in quibus cernimus nos ipsos minimè misericordiâ dignos, præter omnem expectationem misericordiam consecutos, & captivitatem, & servitutem illam, vincula illa, & furorem ejus, qui nos captivos duxit? Et ille quidem affligendi nos finem nullum faciebat, quem immitiorem, & immaniorem, semper experiebamur. Nos autem vndiq; consilio egebamus, quiq; manum nobis dare posset, nullus reperiebatur. Ac illi quidem quæ volebat in nos licebat, velut empta mancipia raptabamur, nobis autem malorum nullum solatium, nec remedium vel à nobismetipsis, vel aliunde suppeditabat, non ab iis qui supra nos, non à naturæ sociis, sed æqualiter omnibus hominum generi commodare difficile erat. Et quid dico remedium? quibus nec meminisse medici prorsus, neque eum rogare licebat. In hac miseria conflictantes, non legatus, non nuntius, sed ipse Dominus, cui rebellabamus, & in quem frangendis impetus ejus contumeliosi eramus, ipse est miseratus, misericordiâ infinitâ, & verbis inexplicabili, & supra quam conveniebat. Non enim tantum libertatem nobis cupivit: neque dolorem nostrum suum duxit, sed à nobis in se dolores nostros ascivit atque transtulit; & placuit eis sors miserâ illa, vt nos beatos efficeret. Etenim *in diebus carnis suæ*, vt Paul. ait, multis visus est miserabilis. Et miseratione sane fuit in qua morte moriens: *Plangebant enim*, inquit, *& lamentabantur eum*, cum ad mortem duceretur. Nec id ij solum, qui tum vivebant, & spectabant, fecerunt: sed & Isaïas multo ante cum prævidisset illud spectaculum, non temperavit lachrymis: sed tanquam super mortuo lamentans, vocem miserabilem emisit. *Vidimus eum*, inquit, *& non habebat speciem, neque decorem: sed species ejus inhonorata, & deficiens, præter filios hominum.* *Heb. 5. Luc. 23. Isa. 53.*

Quid cum hac compassione conferri potest. Siquidem non cogitatione & voluntate sola miserorum mala sentit: sed rebus ipsis, nec molestorum esse particeps satis habet: sed in seipsum totum suscipit, nostráque morte moritur.

His rationibus ad miserandos homines natura nobiscum conjunctos, quid magis nos impellat? Si enim prius asperum quidvis perpessum esse, recens eadem passis conciliat, dum in iis suas calamitates recognoscunt, quid non passi sumus? Nonne amissionem patriæ vere vestræ? nonne paupertatem? nonne morbum? nonne servitutem indignissimam? nonne insaniam extremam? Et his omnibus *per viscera misericordiæ Dei nostri* liberati sumus. Igitur & nos misereamur, si quis quocunq; horum incommodorum jactatur, & misericordiam conservis rependamus, quam nobis communis Dominus antè præstitit. Et hoc monens Salvator, nempe erga proximum oportere nos induere mansuetudinem, pro exemplo divinam benignitatem intuentes, *estote*, inquit, *misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est.* *Luc. 1. Luc. 6.*

Mundare autem cor, animámque ad sanctitudinem exercere, cujus contentionis aut diligentiæ, aut quorum sudorum potius, aut cogitationum, & meditationis opus ac materia fuerit? Imò quod quis accuratius rem considerans, non opus meditationis de Christo, sed ipsam sine dubio meditationem dixerit. Primum enim in optimis cogitationibus versari, & à malis cogitationibus discedere, hoc autem est cor purum esse. Cum enim duplex sit nobis vita, dupliciterque nascamur, vna spiritualis, altera corporea, & spiritus in his quæ concupiscit, adversus corpus pugnet, corpus adversus spiritum, cum contraria fœdus inire & conspirare impossibile sit, omnibus est apertum, vtra concupiscentia per memoriam cogitationes obtinuerit, ab ea alteram profligatum iri. Deinde sicut carnalis vitæ, & generationis memoria, & occupatio animi in talibus perditissimam cupiditatem, & inde existentem contaminationem affert: eodem modo lavachri generationem, & congruentem eidem alimoniam, & alia hujus novæ vitæ assidua memoria vsurpantes, à terra in ipsum cœlum transferre sit consentaneum. *Galat. 5.*

Quoniam autem *Christus est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ solvit, inimicitias in carne sua*, qui pacis causa omnia molitus est, quid pace præstantius apud eos, quibus studio est res ejus animo volvere ac revolvere? Nam & ipsi sectabuntur, Pauli jussu, vt nihil æque: & in ea recolenda aliis præibunt, & odium inutile deponent, frustráque belligerare desinent, scientes, pacem adeo pretiosam, vt Deus ipse dives, & omnium Dominus, cum in terras venisset, vt eam hominibus compararet, nec inveniret quidquam dignum, suum ipsius sanguinem pretij loco impenderit. Quia enim jam productorum, & extantium nihil videbat quæsitæ paci, & reconciliationi conferendum, aliam novam condidit naturam, sanguinem scilicet sibi suum, quo dato mox reconciliator, & princeps pacis fuit. Sanguinem igitur illum adorantes, quid tandem aliud cum virtute conjunctum consectantes rem suam se putabant agere, quam vt reconciliationis, & pacis hominibus auctores sint? *Eph. 2. Rom. 14. Isa. 9.*

Quod si vniversam justitiam, virtutem, inquam, quantum sit bonum, & qualis ejus pulchritudo, in moribus & vita vnius Salvatoris est videre, vtpote qui solus ipsam contrariorum puritatem perfectè ostendit (etenim peccatum non fecit; nec princeps hujus mundi veniens, & invidens oculos circumferens invenit, in quo animam illam accusare posset, nec in quo ejus pulchritudinem reprehenderet) certū est, amorem erga Christum, & erga virtutem, ejus vitam meditantes adepturos, quamvis aliud nihil faciant, aut incipiant. Sic enim abundè licebit & virtutis, & Salvatoris pulchritudinem intelligere, & intellectam amare, quando in omni re intelligentia sive cognitio amorem procreare *1. Pet. 2. Ioan 14.*

consuevit;

consuevit: siquidem & Evam fructus ligni, idque vetiti, hoc modo pessundedit. *Et animadvertit mulier, inquit, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectúque delectabile.*

Amorem Christi & virtutis sic adeptos, etiam persecutiones propter hæc sustinere convenit, & eum rea postularis, fugam non recusare, & probrosissima quæq; audire, idque cum lætitia, vtpote maximis pulcherrimisque præmiis in cœlo repositis. Amor enim certantium erga præsidem, remuneratorémque certaminis etiam hoc potest, & de præmiis nondum visis, facit eis fidem habere, & jam tunc futurorum spem solidam gerere. Sic Christum semper cogitantes, meditantésque & moderatos reddit, & humanæ infirmitatis gnaros, vt lugeant, eosdémque & mites, & justos, & humanos, & modestos facit, & pacis concordiæque interpretes, adeóque Christo, & virtute circumseptos, vt pro iis non solum patiantur: sed gaudeant etiam iniustis multari, & in persecutionibus exultent. Et, vt summatim dicam, bona amplissima, & quibus beatitas constat, ex cogitationibus istis percipere possumus: & ita in eo qui summe bonus est, mentem custodire, solitam pulchritudinem servare, animam meliorem reddere, acceptásque à mysteriis opes tueri, & regalem tunicam non rumpere, nec sordidare. Et idcirco quemadmodum mentis compotem esse, & ratione vti, humanæ naturæ proprium est; sic res Christi contemplari, opus esse cogitationis existimandum est. Maxime, quia exemplar, ad quod hominibus respiciendum est, sive opus est agere aliquid ipsos in seipsis, sive alia in officio præeundum, solus est IESVS, qui & quæ propria nostra, & quæ in consuetudine convictúq; posita, primus, medius, vltimus, veram hominibus justitiam ostendit. Deinde & præmiũ ipse est, & corona est certantibus afficienda. Itaq; ille ante oculos ponendus, & quæ illius sunt, accurate perpendenda, & quatenus licet, ad eorũ intelligentiam enitendum, vt sciamus, quomodo laborandum. Præmia enim athletis agones metiuntur, & in iis defixi, labores ferunt tantum tolerantiæ adhibentes, quantum illa pulchritudinis habere cognoverunt.

Præter hæc omnia, quis nescit, cur nos ipse solus sanguine suo emptos acquisierit? quia non est alius, cui serviendum, & propter quem nobis ipsis, qua corporibus, qua animabus, qua amore, qua memoria, qua mentis actione vti debeamus. Ideo & Paulus, *non estis vestri*, inquit, *empti enim estis pretio magno.* Etenim propter hominem novum hominis natura ab initio est cõdita, & mens & appetitus illius ergò parata sunt: & cogitationem accepimus, vt Christum cognoscamus, appetitum seu desiderium, vt ad illum curramus: Memoriam habemus vt illum portemus, quoniam & dum fabricaremur, ipse nobis archetypũ erat. Non enim vetus Adam novi, sed novus veteris exemplũ esse debuit. Etsi enim dicitur, novum ad similitudinem veteris esse genitum: sed propter corruptionem, quam ille cœpit, hic hæreditavit, vt naturæ imbecillitatem medicina à semet deprõpta tollat & vt Paulus ait, *absorbeatur quod mortale est à vita:* vt propter naturam ipsam archetypum nobis vetus Adam sit, priorem illum scientibus: cui autem omnia, antequam fiant, in conspectu sunt, antiquior ille secundi exemplum sit. Et juxta proprietatem & imaginem quidem illius fictus est: sed non mansit, vel potius ad illum tetendit, sed non apprehendit. Vnde & legem ille suscepit, hic servavit. Et obedientiam quidem vetus abjecit, novus restituit, *vsque ad mortem, mortem autem crucis*, vt Paulus ait. Et ille quidem legem violans, visus est imperfectus in his quę habere hominem oportet: Non enim erat supra naturam lex, cujus transgressionem punire fas erat: hic autem perfectus erat in omnibus, & *patris mei mandata servavi*, inquit. Et ille quidem vitam imperfectam mansit, nullis adjumentorum indigantibus perfectissimus, immortalis, nunquam, parens hominibus factus est. Et ad immortalitatem nat ra sane ab initio impellebatur, quam serius attigit, in corpore Salvatoris, quod ipse in vitam nunquam desituram cum à mortuis excitasset, dux immortalitatis generi nostro evasit.

Atque vt totum eloquar, verum hominem, & perfectum, & morum, & vitæ, & aliorum gratiâ omnium, primus & solus Salvator ostendit. Siquidem hic vere est hominis finis, & intuens extremum (vitam puta incorruptam) finxit eum Deus. Siquidem ei corpus à corruptione, & mens ab omni peccato libera fuit. In hoc enim perfecti ratio consistit, cum artifex ipse quæ putaverit oportere, omnia præstiterit: quando & simulachri elegantia extremâ artificis manu inducitur. Si igitur ille multum à perfectione abfuit, hic perfectus erat in omnibus, & de sua perfectione hominibus impertiit, & genus totum humanum ad se aptavit, quomodo posteriora priorum non exempla, & hunc archetypum, illum vero inde sumptum, & expressum non existimabimus? Absurdissimum quippe est putare, omnium perfectissima ad imperfecta exigenda, & melioribus exempla deteriora præponenda, & à cœcis præeundum videntibus. Non enim quia illa tempore priora, adeo jure admittanda: sed quia hæc perfecta sunt, imperfectorum principia esse debere credendum est: & illud cogitandum, etiam ad hominis vsum multa prius parata fuisse.

Propter hæc omnia igitur & natura, & voluntate, & cogitationibus Christum homo desiderat, non propter deitatem tantum, quæ est omnium finis: sed & propter alteram naturam. Et hic quidem (Christus) diversorium est amorum humanorum, hic deliciæ cogitationum, & præter hunc quodcunque aut amare, aut cogitare, manifesta est ab officio aberratio, & à primis naturæ principiis deflexio. Vt autem ipsum semper meditari queamus, & in hoc studio perseveremus, ipsum cogitationum argumentum horis omnibus invocemus. Omnino autem non præparatione ad preces opus est, nec locis, nec clamoribus est invocandus: non enim est locus, vbi præsens non sit nec est, vbi nobis non adsit, qui quærentibus se ipso corde propior est. Consequens autem est, etiam constanter credere, quæ precamur, nobis eventura: nec ideo dubitare, quia sumus improbi, sed fidere, quia Christus est, qui super ingratos & malos invocatur. Quia tantum abest, vt à quibus offensus est servos peccantes velit negligere, vt nondum se invocantes, neque vllam ipsius rationem ducentes, in terram delapsus, prior vocarit. *Veni enim*, inquit, *vocare peccatores.* Iam qui nec volentes ita quæsivit, qualem se invocatus exhibebit? & si dilexit cùm odio haberetur, quomodo nos repellet dilectos? Quod & Paulus significans, *si cum inimici essemus*, inquit, *reconciliati sumus Deo per mortem filij eius: multo magis reconciliati salvi erimus in vita ipsius.* Quin formam quoque supplicationis cogitemus. Non enim quæ amicos æquum est petere & accipere, ea petimus consequi: sed quæ servi obnoxij, & maxime rei rogare permittuntur. Non enim vt nos coronet, dominum invocamus: nec vt alia hujusmodi nos gratia dignetur, sed vt misereatur. Misericordiam autem, & veniam, & debiti dimissionem, & hujusmodi ab humano petere, & petentes non vacuis manibus abire, si non fas est reos, quos tandem fas est? siquidem *non est opus valentibus medicis.* Si enim omnino moribus receptum est, homines ad Deum voces misericordiam elicientes mittere, vtiq; peccatorum vox miserorum, & misericordiâ dignandorum vox est. Imploramus autem Deum & lingua, & mente, & cogitationibus, vt omnibus per quæ peccavimus, pharmacum solum salutare adhibeamus. *Non enim est*, inquit, *aliud nomen in quo nos oporteat salvos fieri.*

Ad hæc porrò omnia sufficit, & studium intendet, & adnascentem ex anima socordiam eximet, panis verè cor hominis confirmans: qui de cœlo veniens, vitam nobis attulit: qui in pastum omni modo quærendus est, & hæc cœna frequentanda, famea fugienda: nec quia tanto mysterio parum simus idonei, diutius quam par est hac mensa abstinenda, tota anima reddenda imbecillior, atque deterior: sed super peccatis confitendis

confitendis accedendi sacerdotes, & bibendus sanguis, in quo purgandi vis est. Prorsus autem non ita terris nos criminibus obligabimus, ut à sacra mensa excludamur, si in his cogitationibus simus quam exercitissimi. Sicut enim nefandorum est, cum peccaverint peccatum ad mortem, tamen audere ad sancta accedere: sic iis, qui tam gravi morbo non laborant, paucim hinc fugere, non conducit. Illos enim animo cum carbonibus adhuc pugnantes, cavere oportet ignem, nec eum contubernalem, ante reconciliationem accipere: his animo bene constitutis, & aliter infirmis, medicinâ corroborante opus est, & accedendum ad magistrum sanitatis, qui *languores nostros tulit, & dolores nostros ipse portavit*: nec morbo obtendendo (pro quo depellendo orandum est) medicus fugiendus. Sanguis column hic sensibus nostris ianuas imponit, nihilque noxium transire finit. Quinimo ianuas obsignans, exterminatorem repellit, & cor, cui infusus est, templum Dei efficiens, melius quam Salomonis muros sanguis ille typicus, in eo malum idolum constitui non permittit (abominationem desolationis, inquit, in loco sancto) sed spiritu principali animum confirmans, sicut precatur David, prudentiam carnis ei subiicit, & homo altissimâ tranquillitate fruitur.

Et quid ego de mysterio pluribus dissero, cum pluribus ante dictum sit, quid eo impertitis bonorum afferat? Sed si sic cum Christo versemur, initiatione sive sacramentis, precibus, meditatione, cogitationibus, ad omnem virtutem animam exercebimus, depositum custodiemus, ut Paulus iubet, & à mysteriis nobis collatam gratiam servabimus. Sicut enim ipse est initians, ipse mysteria: ita qui custodit in nobis quæ dedit, & qui manere in his quæ accepimus facit, idem solus est. *Quoniam sine me*, inquit, *nihil potestis facere.*

Finis Libri Sexti.

EIVSDEM NICOLAI

CABASILÆ, ORATIO CONTRA FOENERATORES, NVNC Primum Latine Edita.

SVNT qui male docti, & nescio quibus rationibus nixi autument, legem, qua fœneratio interdicitur, servare, nullo modo necessarium esse: verum servantes eam mereri laudem: transgredientes reprehensionem non mereri. Primùm, nullam legum antiquarum ita positam ac latam videas, ut eam volentibus proterere licitum sit: sed omnis transgressio, & inobedientia mercedem suam acceperunt. Deinde fœneratio inter crimina haud numeraretur, nec fœnerantes probris incesserentur, si ista ratione lucrum facere liceret; concessa enim nemo iure vituperet. Nunc autem David ipse factum istuc in crimine ponit, & in iis quæ sceleris arguuntur apertè numerat. Et partim quidem, dum flagitiosam civitatem reddit notam omnibus, in eius accusatione & hoc non tacet: *& labor*, inquit, *in medio eius, & iniustitia: & non defecit de plateis eius usura, & dolus*: partim dum super Salvatoris adventu lætum affert nuntium, & quantis genus humanum dignaturus sit bonis, quantis erepturus malis, explicat, usuram & malorum cumulum insectatur: *ex usura*, inquit, *& iniquitate liberabit animas eorum.* Et dum vituperat, & dum iniquitati, dolo, & iniustitiæ eam copulat, magnitudinem sceleris demonstrat.

Ad hæc videamus, quare in gente Hebræorum adeo magnâ & è tot tribubus commistâ, in qua multum erat vitiorum, parum probitatis, lex ista obtinuerit in omnes communiter, & usura, una cum cæde, furto, aliisque vitiis è republica pulsa sit. Si enim criminis expers erat, unde legi tanta potestas? Nec enim excellitas quædam animi multitudinem sub legem subiiciebat, quoniam non omnes liberales, & altâ mente præditos fuisse certum est, inter quos tenacitas, avaritia, sordes passim vigebant. Porro ab adulterio, à cæde, à perfossione parietum, tametsi lex pœnam non sanciret, tamen pericula, cum quibus eiusmodi facinora necessario perpetrantur, inde avocarent: fœneranti autem nullus putatur labor, nec est periculosum negotium: sed id solum augere quæstum nihil laborantibus oportet. Quid igitur homines minimè ingenuos ad lucrum adeo molestiis vacuum contemnendum induceret, si tam grave supplicium propositum non esset? Hebræos autem hanc legem sic reveritos, ex eo patet, quod etiam hodie eadem sunt opinione ac sententiâ, & eam honore prosequuntur: tametsi in multis longe quam maiores ipsorum ignavius religionis instituta colunt. Et hæc quidem hoc modo dicta sint.

Quoniam igitur fœnori dare Hebræis criminis fuit, quibus multa nobis vetita indulgebantur, quæ pœnæ ob istiusmodi lucrum Christianos manebunt, quibus & consistere in vetustis culpa est; & scriptam legem iustitiâ non exsuperare, est regno cœlorum excidere? Etenim fornicatio illis non videbatur tam absurda, & istiusmodi flagitium dedecori non erat. Apud nos autem, *nec nominetur*, inquit. Quin etiam aspectus lascivus cum peccato coniunctus est. Atque illi quidem iurare etiam lege iubebantur, quod nunc hypocritarum, & improborum, & huiusmodi farinæ hominum est. Et illis quidem inimicum odisse permittebatur: nunc ipsum istuc punitur, adeoque non ignoscitur, ut hac noxa irretitus, nec aliorum peccatorum veniam rogare audeat; quod veniam nullo modo consequantur, qui à quibus læsi sunt, cum iis in gratiam non redierint, etsi millies illorum pœniteat, etsi flumina lachrymarum profundant. Atque ita quod unicum malorum humanorum remedium erat, ad morbum hunc depellendum nihil valet; sed laudatissimâ pœnitentiâ, & sudoribus eius, & sacrificiis propitiatoriis est potentius: Fructum quoque bonorum operum capere non sinit, quantumvis eximia & summis digna laudibus fuerint: sed quemadmodum nebula superfusa omnia corrumpit: sic malignitas animi propter veterem iniuriam, malum teterrimum omnia vitiat. Hebræis tamen licebat. Commodare autem fœnus, neutiquam licebat. Quo igitur loco inter piacula usuram constituemus, quando tam nefando scelere nihil videmus improbius? Nam illa permisisse, hoc vetuisse, quid aliud quam quod dixi ostendit?

Et adhuc audebit quis usuram à crimine immunem statuere, quâ odium in homines, & libido, & peccata maxima tolerabiliora apud Deum legislatorem iudicantur? Et quid est insanire, nisi novæ legis disciplinam veteri inferiorem arbitrari, & Christum in mundum venisse, non ut legem impleret, sed ut evacuaret, atque everteret? Quod si hæc est manifesta impietas, & plenitudo legis Christus est, doceant illi melius ac sapientius esse contemnere legem quam servare, & usuram humanitatem admirabilem, & fraudatores istos compilatoresque humaniores esse iis, qui gratis dant mutuum. Necesse est enim, qui hoc non possunt, in alterum è duobus incidere, aut cum Iudæis novæ legi obsistere, eorumque insaniæ quasi quandam hæreditatem adire; aut si hoc fugiunt, fundamentum quod à principio constitutum est, non convellere, & usuram extremo supplicio addicere; quod amplecterentur, si vel tantillum saperent.

Sic enim se res habet. Oportebat hominibus legem contingere sapientiorem, & meliorem: & aderat legislator (cui enim id potius committeretur?) literam illam loco movens. Quoniam autem à charitate Dei, & proximi

proximi vniversa lex pendet, homicidam morte multans & adulterum, & furem, & falsum testem reum faciens, & vsuram tollens, & odium adversus proximum propulsans, & tales quædam leges ad mutuam charitatem homines invitantes, solum poterant facere, ut benemeritus amaretur, & ut qui non incommodasset, ei vicissim nihil incommodaretur, in quorum neutro vera inest humanitas: Nam & non odisse, nondum est amare: bene meritum autem diligere, non hominem, sed beneficium amantis est. Cum hoc modo charitatem, quæ à veteribus illis litteris aberat, inducere oporteret (hoc enim erat impleri legem) quem alium huic provinciæ, quam ipsius legis consummatorem præponere æquum erat? itaque induxit. Non enim testamentum aliquod tertium exspectamus; nec alium populi ductorem moderatoremque, qui meliores leges ferat. Proinde opus fuit lege non solum, *non habebis odio proximum*, sed etiam, *diliges proximum.* *(Deut. 23.)* Quod si diliges, etiam bene de illo merebaris non tantum vt remuneteris, sed etiam vt beneficiis antevertas. Atque ita non solum non dabis fœnori argentum tuum fratri tuo, id est, nihil ab illo lucraberis: sed quod his maius quiddam est, cum indigente tua facies communia. Hæc perfectissime præstanda sunt: quorum negligentes decantatam illam gehennam circa impedimentum experientur. *Hoc enim est mandatum meum*, inquit, *ut diligatis invicem*: *(Ioan 15.)* non vnum de mandatis, sed ipsum mandatum. Ergo si hæc est vniversa lex Christi, hæc est quæ coronas habet, & propter eam nobis gehenna & tenebræ, & illa omnium gravissima intentantur. Si enim totam legem violare, non est nefas, nescio quotquam tandem peccatorum pœnas simus luituri: aut quis vapulaturus sit multis.

Et quid his opus est, cum ipsam legislatoris sententiam legere, eaque propositum confirmare liceat? *Discedite à me maledicti*, inquit, *in ignem æternum*: *(Luc. 12. Mat. 25.)* non quia fœnus accepistis; sed quia de vestris facultatibus his qui egebant nihil tribuistis. At cum illam si sua non proferentes tam graviter multat, emunctores istos, & compilatores quonam mittet? Tu autem cum quæstu tuo fœneratitio te gehennam effugiturum censes? Et sanæ mentis esse putas? & quomodo non potius stolidior, & tanto extremis suppliciis dignior, quanto nec nosti vbi malorum sis: nec cum impendus sis, verecundaris, nec erubescis, nec vitare barathrum quæris: sed fixis oculis radium intueris?

Quid? quod pessimum est omnium, quibusdam vitiorum illorum insignium vsura etiam eleemosyna videtur, & fœnore, velut quibusdam virtutibus initiari gloriantur, enumerantque tanquam beneficiis à se affectos, quibus commodarint, & à quibus eadem opera lucris aucti sint. Hem stultitiam. Tu honestus, qui tabulis nomina eorum, quibus pecunia fœnori data est inscribis, quas humo oporteret obruere? Et qui das vt lucrere, es misericors? Ita & agricolam dixeris terram alere, quia serit frumentum, vt plus recipiat: vel potius epulationem anthropophagi vocabis, opinor, benevolentiam, quia bene & pulchre saginat hominem, vt compinguefactum devoret. Et tu igitur das, vt fructu ex alienis laboribus percepto, pecuniam tuam cumules. Itane vero misericors es? Et non te pudet rei omnium turpissimæ sceleratissimæque pulcherrimum nomen imponere?

Sed multos à paupertate vindicavi, inquit. Non quia tu id deliberares, sed ita evenit. Tu enim tantummodo compendia tua cogitabas, hoc ipsum mutuum dando spectabas, vt mutui nomine bona pauperis ad te transferres. Quod si ille mutuo bene collocato rem suam amplificavit, paupertatemque domo sua eiecit, non tuum hoc opus est. Quod si etiam istuc dederimus, certe, quatenus commodasti, non quatenus eum fraudasti, profuisti. Nunc me, non accusaris à nobis quod das mutuum, nec quod sortem repetis: sed quod insuper vsuram exigis. Hoc non profligas paupertatem, sed inducis: nec aliquid tuorum in pauperem confert: sed eius rebus manus tuas implet; ac tibi quidem pecuniam exaggerat, illi domum exinanit: hæccine humanitas, & cura pauperum? Et quid obstat quin occidere, putetur servare, & defraudare suppeditare, & fame cruciare pascere, & plagas incutere, favore prosequi? Sic res omnes permiscebis. Ridiculum, nugæ, nihil simplex hic & sincerum. Immo vero si ridiculum, sustineri posset: nunc ploratus & stridor dentium vsuratorum fructus est, & cum dæmonibus, & damnatorum infelici turba perpeti atrocissima. Ait enim, *discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis eius.* *(Mat. 25.)*

Nihil ad me ista, ait fœnerator, qui pauperi argentum, & victum, & vestes commodavi. At non de propriis, quandiu in manibus est vsura. Lex autem iubet de suis communicare. *(Tobiæ 4.)* Si tu vero vsuras omnes in pauperes effundas, primum nondum tua prodigis. Deinde cur accipis, tantaque audacia suscipienda, unde tibi nihil prodes, Dei legem violas? Quod si minus das, quam accepisti, neque tua das, & adhuc aliena retinere deprehenderis, & tanto deterior es, iis qui in gehennam mittuntur, quanto tolerabilius est nec bene cuipiam, nec male facere, quam malefacere.

Sed lex, inquit, communi bono adversatur. Oportet enim in civitatibus creditores esse. Atqui sublato fœnore nulli sint necesse est qui dent mutuum. Deus quidem quod conducere censuit, hoc lege præscripsit. Tu legem antiquas, & meliorem ferendam putas, quam Deus tulerit, & communi hominum consulendum sapientius, prospiciendumque humanius. Sane si Athenis progressus in medium, Solonis leges abrogandas suadere institueres, moriendum tibi foret, antequam vocem ederes: nunc Dei legem accusans, & quidem iniuriæ publicæ, non hanc temeritatem putas insaniam? non amentiam extremam? nec fulmen metuis? Quin immo non erant nobis verba facienda ad tam insipientes æque ac temerarios. Ne tamen existimentur aliquid dicere & quosdam in errorem deducant, omnium sæculorum respublicas bene temperatas consideremus, in quibus fœnori exercendo locus nullus fuit.

Primum, Hebræi quo infeliciores fuerunt, quia legem servarunt? nonne felicissimi? nonne trophæis floruerunt? nonne hostium regiones occuparunt? Qui porro nunc Palæstinam habitant barbari, & genus tam frequens Latinorum, tantum legem non adorantes, nonne bene habent? Solis nobis nescio quid intelligentibus sapiens hoc genus creditorum, novam quandam reipub. salutem, iniquitatem scilicet invenit, & student persuadere hominibus, quæ primo homini primus impostor persuasit, mandatis Dei suam sententiam anteponere, & illa negligenda, suis autem adhærendum, vt omnium optimis: & violare leges, nihil esse piaculare; & insuper id audentibus, vtile: quemadmodum veterator ille *non*, inquit, *morte moriemini: sed eritis sicut dii.* *(Gen. 3.)* An non tales sunt horum voces? Et hæc sentientes non contremiscunt, nec erubescunt: sed in quibus ipsi reipub. detrimentosi sunt, & propter quæ vltimis mactandi essent cruciatibus, horum legem divinam accusant. Deus enim vtrumque præcepit, & creditores esse in vrbibus, & vsuras abesse ab vrbibus. Hi vero, quia non liceat fœnerari, ideo nec mutuum dandum putantes ipsi creditores ex vrbibus tollunt, & ea de re legem reprehendunt. *(Luc. 6.)*

Quinquam si mutuum non poterat purum esse ab vsura, & natura aliter non sinebat, sed necessitate eveniebat, vt sublatis vsuris neque creditores esse possent, æquum erat culpam tribuere legi, quæ non exegisset fœneratores, induxisset autem per eos, quos necessario non exegisset. Quod si fœnerandi necessitas nulla prorsus est, nec natura quidquam vetat gratis commodare, & testantur id omnes mortales, qui tuam sententiam despiciunt, tu autem pravitate animi absque spe lucri non audes dare mutuum, quid voluntatem tuam crimine absolvis, & quorum te ipsum debebas, eorum legem accusas, publicorumque malorum

arcessis, quorum tu ipse reus es? Si enim aliquid inexpugnabile prohiberet creditorem esse, & eo posses confugere, unde ostenderes te non volentem peccare, merito veniam impetrares, & reprehensionem amolireris. Nunc voluntatem prætexens, & absque lucro velle te quidem dare mutuum profitens, non autem permitti, rem ridiculam admodum facis, si crimina criminibus tuendo te defendis, & in quo accusaris, quod animo sis improbo, id nobis pro responsione obiici posse existimas. Non enim potes dicere, te non posse dare mutuum; sed non velle absque fœnore. Sic porro & adulterum, & homicidam appellabimus, quoniam perversâ voluntate talia non reformidant, & quo minus bonus esse velit, excusari nemo potest.

Ad hæc, si quidem laudi danda esset fœneratio, in vituperationem caderet lex, quæ, quod sancire oportebat, id reiiceret: ac te rem non malam complectentem haud quisquam in vitio poneret. Si autem quiddam ab humanitate alienum atque improbum est, qui à turpibus te abducit, laudem ferat etiam. Cæterum tu inde ad aliud facinus currens, malumque malo commutans, fœnerari scilicet cum eo quod est non dare mutuum, à temetipso apertæ nequitiæ coargueris. Nam si, quod ab istis sceleribus depulsus es, ad alia transis, quique te à prioribus cohibuit, eum ut causam posteriorum accusas, etiam illud concedes, improbitatis, grassatorum, & effractariorum leges causam esse, quæ dum palam alienis facultatibus ditari non patiuntur, ad nocturnam pravitatem eos compellant. Neque enim latrones solitudinibus & montibus se credentes, gladium in viatores stringerent, si ipsis urbes habitantibus, & cupiditati indulgentibus, iudicia & legum iura liceret contemnere. Consimili modo parietum perfossoribus quid nocte opus erat, & insania adversum mortuos, si vivos per diem obsidere, & quos liberet suis rebus citra metum exuere ac spoliare lex permitteret? Et plane, nullum perniciosorum ac sceleratorum invenias, qui non lege coactus, ab illis maleficiis abstinuerit, ad hæc autem sponte, ac volens aggressus sit. Quid ergo? illosne ut insontes dimittemus, in leges vero ab illis nefariè commissorum culpam conferemus? Et illos quidem pœnarum immunes vagari libere sinemus iudices autem, & leges, & iura, quibus nihil est in hominum vita salutarius, tanquam piacula è civitatibus expellemus? Quod si hoc nec mente captus dixerit, nec ipsis met talia audentibus, credo, placuerit; sed leges ubique gentium hominibus scelerate agendi causa non sunt, & qui peccant, præmia condigna referunt, & constitutam sibi pœnam luunt, cur tu eiusmodi defensione innoxium te fore confidis, quæ nulli improbo unquam profuit? Neque igitur ad fœnus faciendum incumbens supplicium effugies: neque propter interdictum fœnus credere pecuniam recusans, & communionem dissipans (quæ genus humanum congregavit, & homines ad civilem cultum deduxit) atque ita reipub. damnum iniungens, per leges tueri te poteris: verum utrumvis peccaveris, inhumanitatis convincêris. Nam qui proximum non amant, facile & hoc, & illud audent.

Et quid labis habet, inquit, si à paupere nihil, à divite autem fœnus exigamus? Multum profectò. Hoc enim est contra leges venire, pecuniam commodatam cum auctario recipere. Pauperem vero eludere, fame premere, vestibus spoliare, hoc iam non fœnus, sed gravius quoddam scelus est: quandoquidem & fures delinquunt crudelius, si egenum spoliaverint, & multo amplius, si ipsi copiosi fuerint; & scelestiores insuper censentur, si, à quibus beneficia acceperunt, in eos ipsos malefici extiterint. Verum enim vero leviora crimina propter graviora pœnis non carebunt. Cum igitur lex in illa vindicet, sine dubitatione hæc infestius odit, & severius multat. Nam si in quacunque pravitate aliis tolerabilius, aliis sceleratius peccantibus, hos tantum deprehensos puniret legislator, videretur alia patrata ignoscere. Quoniam autem iudicum sententiæ & hos, & illos damnant, patet, leges, secundum quas ad iudicium & pœnas utrique rapiuntur, contra leviora item latas esse. Porro nec definitum est commissum grandius, nec datur, quo non detur minus. Quorsum igitur lex, cum non sit, in quo ponatur? Nam fure effractor utique peior est. Itaque, si placet, hunc in crucem agamus, illum ut tolerabilius reum absolvamus. Sic lex semper procedens, finem non inveniet. Sicut ergo lex non occides, non parricidam, nec fratricidam, aut quemcunque certum interfectorem, sed simpliciter homicidam persequitur: ita quoque & furem, & adulterum, & maleficum quemque. Eodem modo illud, *non fœneraberis fratri tuo*, non est usuram dividentis, & unam vetantis, alteram statuentis: sed omnem usuram exterminantis.

Deut. 23

Atqui lex imperatoria (occurrit ille) hac viâ lucrum consectari permisit, quod nunquam fecisset, si in eo peccatum inesset. Quomodo non stultum est sic ratiocinari: Homines istuc permiserunt: & non cogitare potius, Deum hoc fugere iussisse? & non esse vitiosum hoc lucri genus ex lege humana coniicere, & cum Deus hoc ipso quod prohibuit, vitiosissimum esse testetur, nihilo tamen magis vitiosum arbitrari? Quanto melius iudicares, iuxta Dei iudicium ferens sententiam, quam legibus hominum assentiens? Mihi vero & comparare quicquam legi divinæ extremæ videtur audaciæ, & egestas rationis: nedum laborare apud homines parum pios, ut eis persuadeas, vtri legum potius obtemperent. Age enim, si discendum foret, num usura in peccatis ducenda, utrum tu magistrum eligeres? nonne Deum, si vel tantillum saperes? Iam si legibus ita pugnantibus alteram servando necesse est, alteram floccipendere, utram violans, per alteram te defendes? certe non per humanam. Est enim imbecilla defensio, si quis dicat, ideo se divinam legem contempsisse. Nam inferiores revereri, ut superiores prodas, quam veniam mereatur, quando crimen maius est? Perinde ut si quis mandatum regis posthabeat, quia miles aliquis, aut calo secus mandavit. Parum abest, quin talis etiam defensionis huius suæ pœnas debeat. Et iure quidem, quia non ex ignorantia, aut oblivione, sed consulto id fecit. At tu, si recte facias quibus te suppliciis dignum deputes, quandoquidem plus quam Salomon hic, & tu tanto intervallo minor es Deo, quam rex calone nobilior, quantum dictu aut credi nequit. Ac proinde tanto es iniuriosior, quanto maius inter Deum ac regem discrimen. Cur te non pudet cum scelestis Pharisæis mandatum Dei solvere propter traditionem hominum? Et tamen non omnium legislatorum est idem hac in re iudicium: idemque sensus. Sunt, qui usuras introduxerunt: sunt qui profligarunt; ut si cætera eorum instituta omittentes istuc solum inspiciamus, veniam aliunde accipi, aliunde admitti, & non magis propter unos te crimine solui, quam propter alteros astringi videamus.

Matt. 12

Mat. 15.

Etiam, inquit. Sed qui permittunt, antiqui sunt. Hoc tu absurdissime ad patrocinium assumis; quasi minores seu posteri semper deteriores sint. Deinde quomodo non animadvertis, te ipsum quoque iuniorem illis esse, qui legislatorum alios seligis, alios repudias? Considera, amabo, quanto antiquior legislatore tuo ille legislator, qui à principio usuras interdixit. Quin tu etiam tuo calculo divinæ legi suffragari. Quare si legi addenda est antiquitas, & eam ad reverentiam illius pertinere existimandum, hoc quoque pœnam commeruisti, qui quod antiquissimum est, despicis.

Præterea qui penitius rem intuebitur, fatebitur eos ipsos qui usuram concedunt, eandem ut longe probrosissimam condemnare. Multis sane indiciis & clare demonstrant, se de illa male sentire. Primùm omnium non licere ait lex ulli optimatum, neque sacerdotum fœnerari. Quibus autem permittatur, in his licere vilioribus ac plebeis maiorem usuram, melioribus & honoratioribus minorem accipere. An illi, obsecro, hanc legem omnino legem, & fœnus bonum ac iustum,

an turpe potius credebant, a quo viros bonos excipiunt? Opinor enim leges, & siquid honestum ac sanctum est in civitate, magis decere optimos civium, quam fæcem vulgi. Ac de illis quidem in primis legislatores loquuntur, de infimis secundo loco, quod illi nimirum in legibus servandis aliorum duces esse debeant, quos ipsorum in vestigiis convenit insistere. Hic autē plane secus evenit, & in usura improbissimi mortalium præcedunt; sequuntur, quibus quiddam morum istorum adhæret, & tanto magis, quanto supremæ pravitati sunt viciniores. Idcirco, cum legislatoribus visum sit ita ferre, rei perversitas inde apparet. Pessimis plurimum fœnerari, optimis nequaquam aiunt convenire: reliquis, quo sint meliores, eo a fœnore magis temperare: quo vitiosiores, eo se in id magis effundere. Quinam usuras quispiam strictius vetet, & è repub. proscribat, quam istiusmodi legibus? Fœneratores quippe per homines improbos quibus hanc licentiam impertiunt, dedecorant: & hoc illis supplicium irrogatur apud eos, qui patrocinari videntur. Etenim ignominia quoque criminibus nonnullis quondam pro pœna infligebatur, & eá Græci multos scelestissimos prosequebantur, ambulabantque infames, & quæ vel in rempub. vel in privatum admisissent, tali animadversione piabant. Nec ineptè infames reddunt, dum quæ melioribus interdicta sunt, eorum illis potestatem largiuntur. Paridem, fabulæ narrant pro in adiudicatione dearum pulcherrimam offendisse: hi vero lucro impio permittendo, homines inhonestos atque improbos declarant. Et ut indumentum vile putridumque dives nullus aspexerit, mendicus contra illud accipiat, & eo se contegat: sic lucrum ex usura partum, velut è cordace (saltationis impudiræ genus est) aut è stuprorum perpessione, aut è re aliqua impura mercedem, boni malis dimittunt. Qua pœna quæ tandem acerbior? si vere homo sis, & quæ hominem decent appetis, & non in humana figura suem imitaris. Perspicuum est igitur usuram nec ipsos qui eam concedunt extra crimen ponere.

Quid ergo ita sanciunt? Inquit. Improbitatem tuam terminis circumscribunt, ne ipsi sorti æquale, aut paulo minus accipias; sed discas, quamquam invitus, mediocriter esse nequam: quomodo item petulantibus fœminæ meretricæ permittuntur, nec urbibus exturbantur, ad maius malum cavendum videlicet, ne nuptarum pudicitia insidiosè attentetur. Quod inde claret. Etenim concessi fœnoris modum transilire vetuerunt, intra modum se tenere minime vetuerunt. Et danista plus quam constitutum est non accipiet, etiamsi syngrapham exhibeat, & obæratus id valde spoponderit. Idem hinc manifestius liquet, quod minus non est expressum, nec ut fœnus maximum, ita etiam minimum est decretum: sed integrum est semper mutuum dare, quamvis debitor nihil se usuræ nomine daturum paciscatur nec dedit. Quid pacisceatur? Si cum silentio mutuatus fuerit, & creditor fœnoris non meminerit, ac postea eum forte id poposcerit, nugas aget.

Iamne perspicis legem istam super usuris non esse usuras volentium, sed usuras evertentium? Quod si id tam libere, apertèque non faciunt, ut in sacrilegiis, aut latrociniis, nihil mirum, cum in multos præterea improbos, legislatores non animadvertant, à quibus tamen Deus pœnas reposcit acerbissimas. Tabulis eorum lectis, nemo invidum ad tribunal accersitum coarguet; & memores iniuriarum per eos omni carent molestia: Compluribus item sceleribus, quorum reis gehenna præmium est, legibus supplicia nulla decernuntur. Ideo nimirum, quia cum gemina vita sit hominibus, geminum similiter est iudicium. Legislatores futuram vitam nobis non faciunt, nec apud iudicem illum nos accusant: sed ut gubernatoribus in mari curæ sunt vectores, dum durat navigatio, ultra portum quid iis conducat, quærere, suarum partium non censent; nec de domesticis quidquam cum iis agunt: ita & conditores legum videas vitam hominum quæ hic degitur moderantes & constituentes, quid in futurum illis fiat, & qua ratione pœnis sempiternis elabantur, nihil pensi habere. Quamobrem nihil vetat in civili consuetudine tantummodo bonos, peccatis obrutos hinc emigrare: & hic clementiæ, ac iustitiæ opinionem ademptos, ibi referri inter scelestissimos, deteriorēmque calculum sortiri.

Quæ cum ita habeant, & aliud sint præsentes pœnæ, aliud quod nos manet iudicium, noli præsentibus futura metiri: nec spera te Deo usurum benevolo, cuius leges despicere es ausus, etiamsi iudices tuæ naturæ consortes non male de te existiment, illud inter multa cogitans, legislatorem neminem sordes & avaritiam, & adversus egenos inhumanitatem in quoquam horum reo persecutum, & qui quemquam horum apud illos accuset, deteriore loco ipso accusato futurum, & causâ casurum; Deo autem de his ipsis criminibus iudicium exercente, gehennam supplicium fore. Itaque ut invidus, & iniuriarum non potis oblivisci, & odio proximi imbutus, & nulli quidquam benefaciens, & similia perpetrans, quanquam apud terrenos iudices insons, meliorem è cœlo sententiam non habet cur exspectet: idem tu de fœneratore cogitato.

Vnde ergo victus nobis, inquit, qui nec agriculturam didicimus? nec mercaturam facere scimus, nec ad ullam artem quæstuariam sumus idonei? Quod si & sacrilegi, & latrones idem prætexant, num iis sceleris facultatem dabis? Igitur effractores parietis; &, si latro raptum te vestibus exuerit, & plagas imposuerit, nihil iniuriæ intulit, &, si leno uxoris castitatem corruperit, nihil nocuit, nullam enim quamcunque artem norunt. Fructum ergo iudicij tui capies. At enim puto oportere, imo tam est necessarium, quam quod maximè, non solum quibus vita indiget quærere; sed etiam circumspicere, unde accipiendum sit; utpote tota civili iustitiâ hic consistente. Si enim de pecunia, possessionibus, gloria, similibusque semper controversamur, & horum nihil est, quod non ab aliis ad nos perveniat, quoniam à principio in vitam ingressi nihil horum nobiscum simul ingressum est: sed & agrum accepimus, & vestem, & equum, & quidquid facultatum habemus, clarum est, hoc distare iustos ab improbis, quod illi à quibus oportet, hi à quibus haud oportet, accipiunt. Si differentiam hanc sustuleris, & pecuniarum, possessionumque dominos non iustitia, sed vis & necessitas creaverit, actum est de iustitia universe, nugabunturque iudices, & legum tabulæ inanes erunt, ac supervacaneæ, & tu potentiorum lucrum eris, & tu fortunis tuis à nullam artem scientibus, & suas ipsorum leges sequentibus everteris. Ne ergo necessitate nitere, nec dicas opus esse: sed hoc ostende, te iuste adeptum esse quod habes.

Cui vero iniuriam inferimus, inquit, si à volentibus accipimus? Deo ipsi maxime, in quem, eius legem frangens, contumeliosus reperiris. *Per prævaricationem enim legis Deum inhonoras*, ait Paulus. Deinde ipsis quoque, quibus detrimento es, & qui te nihil offenderunt. Non enim consilio ac sponte argentum suum abiiciunt, sed eo abs te privati patiuntur, & iacturam iacturâ sarciunt, graviorem leviore. Quia enim chirographo eos obligasti, & ne, cum mutuo iterum egebunt, abs te repellantur, te ipsorum bona depascentem perferunt. Insuper & ipsi reipub. officis, & legem à Deo latam impugnas, cœlestemque vindictam provocas.

Ac ne tam gravem affirmationem meam vilipendas, testem dabo Basilium, quem summovere non audebis, cuius celebre est nomen apud omnes. Cum enim quodam tempore fames, & siccitas regionem eius obsiderent, quærens ille, unde calamitas, & quid faceret nubes tam steriles, terram tam infœcundam; radicem & principium mali huius apud vos fœneratores invenit. Quod ut credas, en tibi verba ipsius. Scinde libellum æris alieni iniustum, ut sic peccatum solvatur. Dele gravissimorum fœnorum nomina, ut terra solitum tibi fœnus reddat. Ære namque, & auro, ac similibus fœcundis metallis præter naturam fœtus

1 Tim. 6.

Rom. 2.

Hom. in divites avaros.

e dentibus,

edentibus, inte germina quæ naturaliter pariunt, sterilia fiunt, & ad habitantium mulctam fructibus carent. Hæc ille.

Viden' quot malis urbes cumulas? Quid tantum incommodi importavit homicida, aut fur nocturnus, quos capite punimus, ut & terram corrumperet, & acrem vitiaret, & civitates communibus hominum utilitatibus spoliaret? Tantum abes, ut aut nullum iniuste lædas: aut ignoscenda audeas; aut culpæ minutæ affinis sis. Tu interim & conventuum, & institutorum vitæ, & victus humani es particeps, hominum pernicies: credisque Salvatori, & eius mysteriis ac legibus salutiferis, quibus leges fers contrarias. Quæso te: non pudet communicare illius mensæ, cui tantopere adversaris; nec, antequam cum eo in gratiam restitutus sis, horres te illi contubernalem iungere, & donis ita susceptis fructuose te accubuisse existimas. Atqui sanguis hic pretium redemptionis est; tu vero proximum in servitutem redigis. Et ille quidem, ut tu nihil debeas, effusus est; tu fratrem etiam reddentem mutuum, nondum debito solutum. Adeo igitur adversantem Deo, audere sacras inire epulas quantis plenum est periculis? *An æmulamur Dominum?* inquit Paulus, *nunquid illo fortiores sumus?*

Mat. 26.

1. Cor. 10

Post hæc omnia illud cogitando versare convenit, rationem reddere oportere: Sub rege enim Christo constitutos, omni iniquitate, & omentià fœnoris liberatos esse testatur Propheta. *Ex usura*, inquit, *& iniquitate liberabit animas eorum.* Te autem nondum solutum, sed etiamnum vinculis implicitum, & usuræ mancipium ubi collocabimus? Alterum siquidem necessarium est; aut Prophetæ bonum nuntium nullo effectu evanescere, aut te unum de his non esse, qui a Christo cohonestantur. Quod si absurdum est prius concedere, tu de altero videris, & an ex te tuâ sententiam tuleris. Si vero Christianus es, & te illi populo annumeras, usuras abiicies, nec propter quæstum adeo infandum divinas leges aspernabere, vitamque cum Christo contemnes, nec gehennam, & vermem, & fletum, & stridorem dentium, & horribiles tenebras parui facies.

Psal. 91.

Mat. 8.

Sed iam pro te proposita satis dictum opinor, nec video quid amplius dicendum sit. Tu, aut persuasus his mores immutabis: aut saltem ex hac oratione mea te omnium gravissima audendo; & Deo, & communi hominum de multis obnoxium esse cognosces.

EIUSDEM NICOLAI
CABASILÆ,
DE DIVINO ALTARIS SACRIFICIO, GENTIANO Herveto Aurelio interp.

AD LECTOREM
Admonitio.

EX plurimis de religione nostra controversiis, quæ a cacodæmone capitali humani generis hoste, nostris temporibus excitatæ sunt, nulla maior, nulla Christianæ reipublicæ perniciosior esse videtur eâ quæ ia iis quæ ad sanctissimi Domini nostri corporis & sanguinis mysterium pertinent, à receptissima omnium fidelium persuasione aliena invehit. Cum enim præcipua atque adeo tota salutis nostræ spes, quæ ut est certissima, ita neminem confundit, ex hoc pendeat, si & Christi corpori, tanquam membra capiti, uniamur: & uberrimum qui ex eius passione percipitur, fructum decerpamus, qui alterutri aliquid detrahit, aut de eo male sentit, ut summo criminis est affinis, ita etiam exitio sit proximus, nisi resipiscat, necesse est. Atque eorum quidem, qui hodiernis temporibus a perpetuo & unica Ecclesiæ consensu se seiunxerunt, de hac re sententia in duas se partes diviserunt. Oecolampadiani enim seu Zuingliani, aut, ut vulgo per antiphrasin dicuntur, Sacramentarij, quod sacramentorum dignitati quantum possunt detrahunt, idque sibi laudi esse ducunt: ii, inquam, Oecolampadiani veterem Berengarij errorem revocantes, in Eucharistiæ sacramento esse tantum corporis & sanguinis signum non autem verum corpus & sanguinem asserunt: quod autem fiat ullum in altari sacrificium, nullo modo admittunt. Lutherani autem, cum in hoc cum orthodoxis sentiant, quod in hoc sacramento sit verum corpus & sanguis Christi, & quod in altari peragatur sacrificium, in eo rursus toto, ut aiunt, cælo aberrant, quod panem & vinum simul cum Christi corpore remanere existimant, cum constet post consecrationem, quæ panem & vinum in corpus & sanguinem convertit, symbolorum seu signorum solas remanere species conversâ iam & mutatâ eorum substantiâ. Deinde quod solum laudis & gratiarum actionis sacrificium esse putant, cum præter laudem & gratiarum actionem, sit etiam verum & expiatorium pro peccatis sacrificium. Accedit iis, quod nec sanctorum in ea memoriam fieri, nec pro defunctis orare nec pro ullo homine privatim preces in eo fundi velint, & ideo sanctissimum Missæ canonem, tanquam rem impiam & execrandam detestantur, quod offerendi vocabulo utatur, sanctorum in eo memoria agatur, pro defunctis & separatim pro vivis aliquibus, & iis maxime pro quibus orare iubet Paulus, oretur. Ad eorum autem confutandos errores, alij alia, ut unicuique eorum magis expedire visum est, via ingressi sunt: alij enim productis sacræ scripturæ testimoniis: alij efficacibus argumentis solidisque rationibus: alij antiquissimorum quoque & probatissimorum doctorum auctoritatibus adversus eos decertarunt. Maxima certe laude omnes digni sunt, qui nostris adversariis (quid ai enim adversarios vocem, qui cuiusmodicunque sint eorum protestationes, suâ certe relictâ statione nobiscum amplius non stant?) qui nostris inquam, adversariis ostenderunt, se non modo eis ulla ex parte cedere, sed veritate & ratione esse eis etiam longè superiores. Mihi ad eorum reprimendam & frangendam audaciam, summamque pervicaciam penitus infirmandam, & ad populum in fide & officio continendum, nihil melius & validius esse videtur, quam si unicum & perpetuum omnium gentium, quæ Christo nomen dederunt, hac in re consensum nobiscum facere ostendatur. Quamvis enim ad probandum quid in iis quæ de fide & religione exoriuntur controversiis sequendum, sit iure debeat sufficere sancta Romanæ Ecclesiæ auctoritas, quæ quod à Diva Petro Apostolorum principe Christique vicario est traditum, perpetuâ tot pontificum serie uno & eodem tenore semper servavit, & à qua, tanquam à sanctissimo totius orbis oraculo, de rebus ad fidem pertinentibus si ulla exorta esset dubitatio, responsa in hodiernum usque diem data sunt: tamen quoniam harum sectarum auctores, sua tum demum decreta firma & stabilia fore existimantes, si petram suo loco moveat, eam frustra quidem, sed magno tamen conatu labefactare conati sunt, externa etiam evocare auxilia non fuerit alienum, non quod non satis per se possit petra supra petram, hoc est, supra Christum fundata, omnium hæreticorum quantiscunque copiis, duce Christo, qui eam fundavit, resistere: sed ut cum universo mundo planum factum fuerit, omnes qui Christi fidem ubique terrarum susceperunt, recte nobiscum sentire, & hæretici suæ vecordiæ morbum agnoscentes, donec adhuc est medicinæ locus, ad optimum medicum, nempe Christum revertantur, & qui primo quidem aspectu probabilibus, sed non minus venenatis quam futilibus, si recte ponderentur eorum argumentis adducti, aliquam eis fidem habuerunt, eos deinceps, ut deploratos & immedicabili peste affectos fugiant & aversentur: reliqui vero, hoc accepto veluti antidoto: si eas omnino vitare non possint, quod esset consultissimum, de sua certe salute & cautiores

& securiores evadant. Hoc itaque primum statuendum est, quod id quod ab omnibus gentibus & nationibus qui Christum colunt, ubique citra ullum discrimen servatur, id non possit non esse à Christo & Apostolis traditum: quod autem à Christo & Apostolis traditum est, id non esse cum omni veneratione amplectendum, suscipiendum & retinendum, est plane impium & nefarium dicere. Cum itaque apud omnes Christianas nationes, Sacerdotes divinum sacrum facientes, post consecrationem, per quam verum effici Christi corpus & sanguinem, exterioribus tantum signis remanentibus, apud omnes in confesso est, statim dicant, Tui mandati memores *(nempe eius quod dixit Christus, Hoc facite in mei recordationem)* tibi offerimus, *omninò necesse est hoc esse sacrificium à Christo institutum, & per manus ab Apostolis ad nostra usque tempora traditum. Porro autem cum id & in remissionem peccatorum ubique offeratur, & in eo de sanctis memoria agatur, & pro vivis ac defunctis tam generaliter quam pro aliquibus nominatim oretur, non est dubium altaris sacrificium, quod Hebraeo vocabulo ab Apostolis relicto Missam dicimus, & peccata expiare, & tam vivis quam defunctis, & tam generaliter quam privatim aliquibus applicari ac prodesse, idque, velint nolint Lutherani, à tempore Apostolorum ad nos usque pervenisse. Quo fit ut canon Missae, quem ij tantopere exsecrantur, apud alios omnes fideles iure sacrosanctus, ut est, dicatur & habeatur. Rogentur omnes omnium nationum sacerdotes, & omnes uno ore respondebunt, hoc quae dixi omnia ita habere. Rogentur Aethiopes, qui Chaldaea lingua utuntur, & ij haec ita esse non inficiabuntur. Rogentur Armenij, qui licet fortasse in nonnullis aliis aliquando à nobis dissenserint, in his quidem certe nobiscum semper optime convenere. Rogentur Graeci, & ij ea ita esse affirmabunt ut interim mirentur ullos esse omnino Christianos qui audeant aliter sentire. Quanquam quid eos rogare opus est, cum Venetiis haud ita pridem sit editum eorum ἱερατικὸν seu sacerdotale Graecum, ex quo poterit eorum sacrificandi ritum quilibet studiosus cognoscere. Sed quoniam pulcherrimam eorum linguam non cuivis scire datum est, hanc reip. Christianae navavi operam, ut Divi Chrysostomi, & Divi Basilij λειτουργίαν, hoc est, sacrificij seu missae rituum ordinationem, ex eorum sacerdotali, in linguam Latinam verterem. Quae ut facilius intelligerentur, Nicolai quoque Cabasilae, viri inprimis pij, & docti compendiosam in eam interpretationem illis adiunxi: & ut qui sublimium rerum contemplatione delectantur, per hoc sanctum, & mysticum sacrificium, ad ea quae sunt ab omni materia remota, mente versanda deducantur, & Deo, quoad eius fieri potest, uniantur, Maximi Monachi optimi Dionysij interpretis, de Mystagogia Ecclesiastica, hoc est, de introductione ad sacra Ecclesiae mysteria, opusculum adieci.*

Ex quibus omnibus non dubito, studiose lector, quin si ea diligenter perlegeris, non levem sis ex eis utilitatem accepturus: nempe, ut non omni vento doctrinae circumactus, à Cynosura, hoc est à Christi Ecclesia, optima fidelium duce, oculos minime dimoveas. Hoc autem onus eo lubentius suscepi, quod cum Lutherani, ut suam causam vulgo probabiliorem & plausibiliorem efficiant, & Graecos pro se facere iactitant, & eo nomine pulcherrimam linguam apud bonos quidem, sed plus satis simplices, in invidiam vocent: ij his quidem certe perlectis facile intelligent, quam longe lateque Graeci ab eis dissentiant, & pro parte orthodoxorum una cum caeteris Christianis nationibus faciant.

Es tamen admonendus studiose lector, ut 29 & 30. caput libri Cabasilae caute legas, ex quo imprudens fortasse quispiam posset facile colligere aliud sentire Graecos de verbis consecrationis, quam Latina Ecclesia sentiat, cum res tamen aliter habeat. Ut autem ad ea legenda tutius accedas, operaepretium fortasse fuerit te paucis praemunire. Primum itaque oportet intelligas Graecos Latinorum sententiam saepenumero non satis intellexisse: ubi autem fuisset exposita, facile consensisse. Quod usu venit in concilio Florentino, cum de spiritus sancti processione ageretur.

Cum enim existimarent Latinos duo principia statuere, & ideo ab eis dissentirent, ubi rem aliter habere intellexerunt, facile acquievere. Similiter hic noster Cabasila videtur existimasse Latinos credere se per solam verborum Christi narrationem Christi corpus & sanguinem conficere, cum tamen nemo Latinorum dubitet non sufficere formam consecrationis, nisi adsit consecrantis sacerdotis institutum ac propositum. Quo accedente, forma verborum in persona Christi prolata, dicitur esse efficax, & habere convertendi potestatem, virtute ipsius Christi summi sacerdotis. Item etiam falsò arbitratur Latinos contemnere orationes, quae fiunt à Sacerdote super dona, post verba Christi recitata, & ex ritu consecrandi pronunciata. Id enim falsum esse liquet ex canone Ecclesiae Latinae, in quo ponuntur tres ad minus orationes post consecrationem super divina munera: Prima est: Supra quae propitio, &c. Secunda: Unde & memores. Tertia Haec omnia semper bona creas, sanctificas, & benedicis. Quanquam secundam quoque orationem aliter interpretatur, quam Latini intelligant, ut statim dicetur.

Quod autem videtur esse in hac opinione, ut existimet post verba consecrationis adhuc remanere panis & vini substantiam, nec nisi post sacerdotis orationes & benedictiones fieri conversionem, id ipse falsum vel ex ipsius Basilij & Chrysostomi sacrificandi ritu facile potest perspici.

Nam post verba consecrationis super panem & vinum prolata, sacerdos & Diaconus ea utique ostendunt ut adorentur. Quinimo ipsi etiam ad mensam ter adorant: quod non fieret, nisi re ipsa facta esset conversio. Deinde si per benedictiones & orationes, quae consequuntur & dicuntur à sacerdote, fieret conversio, non fieret conversio panis ante conversionem vini Nam post utriusque benedictionem & orationem, *tandem dicit sacerdos, Mutans spiritu tuo sancto, & tamen si vera sunt quae dicit, per orationem sacerdotis fieret mutatio tam panis quam vini in suo ordine. Eius itaque expositio nec secum satis constaret, neque Christi ritui & ordini consecratio Graecorum, si ea esset eiusmodi, responderet, qui primo suum corpus vere confecit, deinde sanguinem, non utraque simul. Dicendum est ergo Latinorum & Graecorum esse mentem, ut eodem veritatem consecrationis referant, alioqui sermo Christi non esset opifex, ut ait Chrysostomus, quem quidem adducit Cabasila tanquam suae opinioni contrarium, nec eius tamen authoritati in diluendo satisfacit. Nam quod attinet ad vim verborum, & Crescite & multiplicamini, quibus ut alia addantur, requiritur, nempe matrimonium, alimentum, & caetera: id in causa est, quod ea ad futurum referantur, & quae requirebantur includerent. Hic autem, Christus veram & re ipsa subsistentem sui corporis praesentiam significavit, & ita ut ipse fecit fieri iussit, ut sermo eius esset efficax & operans eo ipso momento quo dicitur, non quando iam transijt, ut videtur sentire Cabasila. Nec obstat quod in missa Chrysostomi & Basilij, post prolationem verborum Christi, dicit sacerdos: Fiat corpus, Fiat sanguis, &c. Non est enim intelligendum tunc primum fieri conversionem, quae iam paulo ante facta est: sed ut ostendatur quod licet sermo Christi in voce transierit, tamen remanet effectus potentia eius sub symbolis, seu speciebus panis & vini. Similis modus loquendi invenitur Marci quinto, de muliere profluvio sanguinis laborante, quae posteaquam à Christo sanata est fide, & eius fimbriae vestimenti contactu, à Christo nihilominus audit, Esto sana à plaga tua, quae tamen iam sanata fuerat. Sed hoc dicere voluit Christus, ut licet tactus fimbriae transijsset, effectus tamen inde consecutus perseveraret. Cum itaque Cabasila interpretetur locum illum Canonis Ecclesiae Latinae ut ut suo sensui congruat, id dissidet ab intelligentia Latinorum qui id aliter accipiunt. Nam perferri, sive sursum ferri, interpretatur mutari. Latini autem intelligunt offerri per manus sancti Angeli, Christi scilicet, qui est magni consilij Angelus. Vel etiam Angeli, seu Angelorum, qui orationes & vota nostra Deo offerunt, ut legitur in libro Thobiae, & Actuum x. Postremo, quod dicit post sermonem Christi, dona altaris, panem & vinum adhuc vocari, id quidem verum est, de*

vino

vino autem non itidem invenio, calix enim vocatur in missa Chrysostomi, & Basilij. Quamvis autem id verum esset, nihil tamen obstaret, cum res in quas alia convertuntur soleant retinere nomina earum quæ conversa sunt: ut patet in virga Mosis: & aquâ in vinum conversâ, Ioan. 2. Immo vero etiam Latini interdum vocant vinum sanguinem Christi. Ait enim sanctus Cyprianus, lib. 2. epist. 3. Quomodo autem de creatura, vitis novum vinum cum Christo in regno patris biberemus, si in sacrificio Dei patris vinum non offerimus. Et Hieron. quæst. 2. ad Hedibiam: Panis qui de cœlo descendit, corpus est Domini, & vinum quod discipulis dedit, sanguis illius est novi testamenti. Hæc autem quæ à nobis dicta sunt, confirmat concilium Florentinum, quod Armenis dedit formam & ritum consecrandi Ecclesiæ Latinæ, quem quidem receperunt, ipsis Græcis nequaquam reclamantibus. Hæc, visum est admonere, ne quis existimaret Græcorum sensum, quod ad corporis & sanguinis Domini confectionem attinet, à Latinorum sententia, hoc est ab Ecclesiæ veritate, dissidere. Quod posset fortasse quispiam ex his duobus capitibus colligere. Cætera autem quæ sunt in hoc libello, sunt eiusmodi, ut nihil magis pium nec magis Christianum dici aut fingi possit. Ea itaque studiose lector fac legas, & æqui boni consulas, & si quid spiritalis commodi ex eis percipias, Deo omnis boni auctori & datori age gratias. Vale & fruere.

NICOLAI

CABASILÆ

COMPENDIOSA INTERPRETATIO in divinum sacrificium.

EX MAGISTRO Sacri Palatij.

Gentianus quidem in sua quæ hic præfigitur admonitione excusans Cabasilam, dealbat Æthiopem: constat manifestissimè illum fuisse schismaticum, & odio in Romanam Ecclesiam incensum, librum hæreticum de processione Spiritus sancti contra S. Thomam Aquinatem composuit, & multa furoris sui ubique indicia prodit. Vixisse fertur ad annum salutis 1300. Alia de ipso in apparatu Possevini inspice. Opus istud in quibusdam cautissime legendum, in his præsertim quæ cap. 29. & 30. adversus Roman. Ecclesiæ doctrinam nefariè disputat.

CAPUT I.

Quid sibi vult in summa universum sacrificium.

SANCTÆ sacrorum mysteriorum celebrationis opus & effectus quidem est, donorum in divinum corpus & sanguinem mutatio. Finis autem, ut fideles per ipsa sanctificentur, peccatorum remissione, & regni cœlorum hæreditate simul acceptâ. Præparatio autem & quæ ad opus, & hunc finem conferunt preces Psalmodiæ & sacrarum literarum lectiones, & ut semel dicam, omnia quæ ante donorum sanctificationem, & post sanctificationem sacrosanctè dicuntur, & fiunt. Et si enim gratis dat nobis Deus sancta omnia, & ad ipsum nihil afferimus, sed sunt revera gratiæ; ut tamen ad ea recipienda & conservanda apti simus, à nobis necessario postulat, nec sanctificationem impertietit, nisi iis qui ita effecti & dispositi fuerint. Ita baptizat, ita ungit, ita convivio excipit, & sacrâ mensâ impertit. Hoc autem significavit in parabola seminis. Exiit enim, inquit, qui seminat, non ut terram aret, sed ut seminet, nempe quod oratio & omnis præparatio à nobis afferri debet. Quoniam ergo ad assequenda sacramenta ita erat necessarium, ut qui recte haberent, & parati essent, accederent: oportebat hoc inesse in sancti sacrificij constitutione, & inest. Hanc enim in nobis habent potestatem preces, Psalmi, & si quid sacrosanctè in ea fit & dicitur: Nos enim sanctificant & disponunt, partim quidem ut recte suscipiamus, partim autem ut sanctificationem conservemus & retinere pergamus. Dupliciter autem sanctificant. Uno quidem modo, quo ab ipsis precibus iuvamur, & Psalmis, & lectionibus. Preces enim ad Deum convertunt, & peccatorum remissionem conciliant, & psalmodiæ similiter eum nobis efficiunt propitium, & quod illinc dependet momentum attrahunt. Sacrifica enim, inquit, Deo sacrificium laudis, & liberabo te, & glorificabis me. Sacrarum autem scripturarum lectiones, Dei benignitatem, & humanitatem annuntiantes, & rursus iustitiam, & iudicium, & eius metum in animas nostras immittunt, & dilectionem in eum accendunt, & ita ad eius servanda mandata multam promptitudinem, & animi alacritatem afferunt.

Hæc autem omnia, & Sacerdoti & populo pulchriorem & diviniorem animam efficientia, utrosque ad susceptionem & conservationem aptos reddunt qui est finis sacrificij: privatim autem ac seorsum Sacerdotem, ut non indigne ad sacrificium peragendum accedat, præparant, quod quidem est mysterij celebrandi opus, ut dictum est. Hoc ipsum autem etiam in multis precum locis situm est, & precatur Sacerdos ne videatur indignus proposito, sed puris manibus, & anima, & lingua, & mysterio serviat; & sic ab ipsa verborum, quæ dicuntur, & canuntur, potestate, ad Sacrum celebrandum adiuvamur. Alio autem modo ab his, & præterea omnibus quæ in sacrificio peraguntur, sanctificamur, quatenus in eis videmus Christum figuratum, & ea quæ pro nobis fecit & passus est. Etenim in Psalmis & lectionibus, & omnibus quæ à Sacerdote per totam sacri celebrationem fiunt Servatoris nostri humanæ naturæ susceptionis œconomia significatur, quæ eius quidem prima sunt, iis quæ in sacrificio sunt prima, significantibus: quæ vero secundo loco, secunda: quæ autem postremo loco, ea quæ consequuntur, & licet iis qui hæc vident, omnia habere ante oculos. Donorum enim sanctificatio, ipsum sacrificium, eius mortem annunciat, & resurrectionem, & assumptionem, quoniam preciosa hæc dona in ipsum corpus dominicum mutantur, quod hæc omnia suscepit, quod crucifixum est, & resurrexit & in cœlos ascendit. Quæ autem ante sacrificium dicuntur & fiunt, ea quæ ante mortem fuerunt, adventum, ostensionem, & perfectam manifestationem. Quæ autem post sacrificium, patris promissionem, ut ipse dicit, sancti Spiritus ad Apostolos descensum, gentium ad Deum per illos conversionem & communionem, & est universa mysterij celebratio, veluti una quædam imago unius corporis reipublicæ Servatoris, omnes eius partes ab initio ad finem, per ordinem, & inter se convenientiam sub aspectum deducens. Unde Psalmi quidem, ut qui canuntur in prooemiis, & adhuc ante eos quæ in donorum propositione & fiunt & dicuntur, primum tempus Christi œconomiæ significant. Quæ autem post Psalmos, sacrarum literarum lectiones, & alia, id quod sequitur. Nam & si dicatur alius esse usus lectionum & Psalmodiarum, ea enim adsumpta esse, ut scilicet ad virtutem nos ungant, & ut Deum propitium reddant, nihil tamen prohibet quo minus & hoc & illud possint, & eadem, & fideles ad virtutem inducant, & Christi œconomiam & dispensationem in carne significent. Quemadmodum enim vestes, indumenti quidem usum implent, & corpus tegunt: eo autem quod tales vel tales sunt nonnunquam & artificium, & vitam & dignitatem eorum qui induti sunt significant; ita etiam se habet in his. Quia enim divinæ scripturæ,

& verba divinitus inspirata, & hymnos Dei comprehendunt, & ad virtutem adhortantur, eos qui legunt & canunt, sanctificant. Quia autem talia electa sunt, & ita sunt ordinata, & aliam habent potestatem, & sufficiunt ad significandam Christi peregrinationem, & eius institutionem. Neque enim ea solum quæ coluntur & leguntur, sed ea etiam, quæ in celebrando peraguntur, eodem modo se habent: Fit enim unumquodque, præsentis vsus gratiâ: significat autem etiam id quid ex operibus vel actionibus, vel passionibus Christi. Quemadmodum oblatio Evangelij ad altare, oblatio pretiosorum donorum. Fit enim vtrumque vt vsus postulat, illa quidem, vt legatur Evangelium, hæc vero, vt sacrificium peragatur: significant autem vtraque, Servatoris ostensionem & manifestationem; illa quidem, incipientis manifestari, obscuram & adhuc imperfectam: hæc vero, perfectissimam & vltimam. Sunt autem etiam eorum quæ fiunt, nonnulla quæ nullum vsum implent, sed alicuius tantum rei gratiâ significandæ fiunt, sicut panis punctio, & quæ in ipso fit crucis inscriptio, & quod ferriculum, quod ipsum pungit, est ad formam lanceæ factum, & postremum, aquæ in sancta immissio. Porro autem in alijs etiam sacramentis multa talia invenietis, quemadmodum in baptismo, eos qui sunt baptizandi, & calceos & vestes oportet exuere, & ad occidentem respicientes, manus extendere, & insufflare. Sed hæc quidem illic docent, quantum maligni odium in nobis esse oportet, & quomodo necesse est eum se gerere, qui est verus Christianus futurus, & si quid aliud huiusmodi in sacramentis aliam habeat significationem. Quæ autem fiunt in mysterij donorum celebratione, id Servatoris susceptæ carnis œconomiam omnia referuntur, vt eius contemplatio nostris oculis subiecta, animas sanctificet, & sic apti efficiamur ad sacrorum donorum susceptionem. Sicut enim tunc cum fuit, orbem terræ erexit, ita semper considerata, pulchriores eos qui ipsam contemplantur, & diviniores animo efficit, imo quod magis est, ne tunc quidem quicquam iuvisset, nisi considerata & credita fuisset, & ea de causa fuit prædicata, & vt crederetur, Deus innumerabilia machinatus est, nempe quod non pateret quod suum est facere, & homines servare, si eos qui ab ipsa servandi sunt, eam fuisse latere. Sed tunc quidem prædicata, reverentiam in Christum, fidemque & dilectionem ingrati animi hominibus, cum antea non essent, fabricabatur. Nunc autem ab iis qui iam crediderunt diligenter considerata, beatas has affectiones eis quidem non inserit, sed initas conservat, & renovat, & auget, & in fide quidem firmiores, in pietate autem & charitate, ipsos ferventiores efficit, quæ enim cum non essent, vt fierent effecit, ea multò facilius servare, & custodire, & renovare poterit. Hæc autem sunt, cum quibus ad sacra accedere necesse est, & sine quibus vel eò aspicere est omnino nefarium, religio, fides, dilectio in Deum valde vehemens. Propterea oportebat contemplationem, quæ in nobis hæc posset inserere, in sacrificij constitutione significari, vt non mente solum, sed etiam quodammodo oculis videremus multam divitis paupertatem, eius peregrinationem qui omnem locum obtinet, probra eius qui est benedictus, passiones eius qui est impatibilis, quantum odio habitus, quantum dilexit, quantus cum esset, quantum seipsum humiliavit, & quid passus, & quanam re à se facta, hanc coram nobis mensam paravit: & ita salutis novitatem admirantes, & propter misericordiarum multitudinem stupore perculsi, revereamur eum qui sic misertus est eum, qui sic servavit, eique credamus animas, & vitam commendemus, & corda accendamus igne suæ dilectionis: & quum tales fuerimus poterimus, & sciente & familiariter in mysteriorum igne versari. Non enim sufficit ad hoc vt nunc tales simus, ea quæ Christi sunt aliquando didicisse: & ea scire, sed necesse est etiam tunc mentis oculum illic figere, & ea actu contemplari, omni alia electa cogitatione, siquidem ad sanctificationem illam, aptam, & accommodatam, vt dixi, sumus animam reddituri. Si enim tenemus quidem rationem pietatis, adeo, vt de ea rogati recte respondeamus, quando autem oportet mysterijs imbui: non recte omnia consideramus, nec mentem adhibemus, nulla est nobis illius cognitionis utilitas: non enim potest nobis ullam earum quæ dictæ sunt affectionum immittere, ex iis enim quæ tunc nos detinent, cogitationibus afficimur, & tales habemus affectiones, quales illæ possunt efficere: Propterea talis excogitata est figura, partim quidem non verbis solum significans, sed omnia etiam sub aspectum deducens, partim autem quæ toto sacrificij tempore appareat. Vt per illam quidem, agat in animas facilius, & non sola contemplatio, sed etiam affectio & passio in animis insideat, vtpote evidentius nobis per oculos impressa imaginatione: per illam autem non det locum oblivioni, neque sinat cogitationem ad aliquid aliud convertere, donec ad ipsam mensam deduxerit, & ita illis cogitationibus refecti, & vigentem memoriam habentes, simus sacrorum mysteriorum participes, sanctificationi sanctificationem inducentes, contemplationem sanctificationi, sanctificationem mysterij, & transformati à gloria in gloriam, in eam quæ est omnium maxima, ab ea quæ minor est. Et hoc quidem sibi vult totum, vt summatim dicam, sacrificium deinceps autem unumquodque ab initio, quoad fieri poterit, sigillatim considerandum est. Primum quidem preces quæ fiunt initiis, & sacræ benedictiones, & sacra cantica, & lectiones: postea ipsum sacrum opus, ipsum sacrificium: post hoc autem sanctificatio, qua per ipsum sanctificantur animæ Christianorum, & vivorum & mortuorum. Præterea autem & quæ ea consequuntur, populi & sacerdotis ad Deum cantica & preces, si quid etiam consideratione & contemplatione indiget; ante omnia autem, & in omnibus, quæ per totam mysterij celebrationem apparet Servatoris susceptæ carnis œconomia, quid eorum, quæ ad illam pertinent, per quodnam eorum quæ in Sacri celebratione fiunt, significatur.

CAPVT II.

INitium autem ducamus ab eorum, quæ in propositione fiunt & dicuntur, contemplatione, & ipsa eorum allatione, donorumque oblatione. Cur enim non statim ad altare ducuntur & sacrificantur, sed primum tanquam dona Deo dedicantur? Quia offerebantur quidem Deo sacrificia ab antiquis, ratione earentium animalium cædes & sanguis: offerebantur autem etiam dona, quemadmodum vasa aurea vel argentea. Corpus autem Christi etiam utraque habere videtur. Etenim sacrificium quidem postea extitit, quando pro gloria patris est interfectus, dedicatus autem erat & oblatus Deo ab initio & donum erat ipsi pretiosum, & tanquam assumptum ut nostri generis primitiæ, & propter legem, quòd erat primogenitus. Ea de causa, quæ nunc offeruntur, per quæ corpus illud significatur, non statim ad altare ducuntur & sacrificantur, sed hoc quidem fit postea, prius autem Deo dedicantur, & dona pretiosa Deo, & fiunt, & vocantur. Ita fecit Christus. Quando enim panem & vinum manibus acceptum ostendit Deo & Patri, tanquam dona, ea Deo offerens & dedicans, ostendit. Et undenam hoc constabit? Ex eo quod Ecclesia hoc facit, & ea dona vocat. Non enim id faceret, nisi Christum hoc fecisse sciret. Audivit enim ipsum iubentem; Hoc facite, & non dissimiliter eum esset imitata.

A

CAPVT III.

Quod hæc dona Deo offeruntur tanquam vitæ humanæ primitiæ.

SEd quænam est figura donorum? Fructuum primitias offerebant antiqui, vel pecorum, vel armentorum, vel aliarum possessionum. Nos autem, tanquam vitæ nostræ primitias, hæc dona Deo consecramus, vt quæ sunt humanum nutrimentum, per quod corporea vita constat: & non constat solum per nutrimentum vita, sed etiam per ipsum significatur. Vna enim cum eo comedimus & bibimus, post resurrectionem dicebant de Christo Apostoli, vt ostenderent, quod viventem ipsum viderent, & Christus, quem excitavit, mortuo iussit dari quod comederet, vt nutrimento vitam ostenderet. Quamobrem est satis probabile eum qui nutrimento vesci incipit, videri ipsam vitam inchoare. Sed dixerit fortasse quispiam, quod etiam omnia fere quæ ab antiquis Deo offerebantur, poterant hominem alere: erant enim fructus, pro quibus agricolæ terram colunt, & animalia esculenta. Quid ergo? illane omnia erant vitæ humanæ primitiæ? Nequaquam, nihil enim illorum est proprie nutrimentum humanum: commune est enim aliorum animalium: hæc quidem, volucrum, & eorum quæ herba vescuntur: illa vero ferarum, quæ carnem devorant. Humanum enim illud dicimus, quod ad solum hominem pertinet, confectione autem panis opus habere vt comedat, & vinum conficere, vt bibat, est solius hominis proprium. Et hæc quidem est forma donorum oblationis.

B

CAPVT IV.

Cur consentaneum ut vitæ humanæ primitiæ essent hæc dona.

C

QVæ est autem causa, & quæ ratio, quamobrem oporteat nos primitias vitæ Deo hæc dona offerre? Quod Deus vitam nobis pro his muneribus remuneratur: & par erat munus à remuneratione non omnino discrepare, sed aliquid cognatum habere, & illius existentis vitæ ipsum quoque esse quodammodo vitam, & maxime, quoniam ipse est & doni legislator, & remunerationis suppeditator, qui iuste iudicat, & omnia lance & statere ponderat. Ipse iussit panem, & vinum offerre. Ipse pro eis retribuit panem viventem, & calicem vitæ æternæ. Vnde quemadmodum Apostolis pro piscatione piscationem reddidit, pro piscatione piscium, piscationem hominum: & diviti, qui de regno interrogaverat, pro terrenis divitiis cœlestes divitias pollicitus est: at contra hic, quibus vitam æternam erat daturus, dico autem vivificum suum corpus & sanguinem, eis offerre iussit ea quæ brevis & momentaneæ vitæ causæ sunt, vt pro vita, vitam reciperemus: pro temporali, æternam, & gratia, gloriæ fit retributio, & nostri misericordia, habeat aliquid iustitiæ, & impleatur illud eloquium: Ponam misericordiam meam in statere. Et hoc non solum fit in hoc sacramento, sed etiam in baptismo, & vitam vitâ commutamus, & illam quidem prodigimus, hanc vero pro illa accipimus.

D

Sed vitæ quidem profusio, mors est in quadam imagine & pictura, resurrectio autem est vera vita. Quia enim Servator, qui & mortuus erat, & resurrexerat, novam suam vitam nobis quoque voluit impertiri: iussit nos etiam ex hoc magno dono ipsi aliquid offerre. Et quid hoc est? imitari eius mortem. Et quomodo? cum corpus in aqua, tanquam in sepulchro, absconderimus, & hoc ter ostenderimus, tanquam iam mortis & sepulchri nos socios acceperit, nova sua vita dignatur. Et hæc quidem ita habent.

E

CAPVT V.

Cur non totus panis offertur, sed pars quæ scissa est.

POrro autem illud etiam notandum est, quamnam ob causam, non panes simpliciter, sed quem ipse Sacerdos ex eis abscindit, hoc & donum facit, & Deo offert, & ad altare allatum consecrat. Et hoc est proprium oblationis. Alia enim dona, ij qui possidebant, ea ab iis quæ erant eiusdem generis separabant & in templum afferebant: & in manibus Sacerdotum ponebant: Sacerdotes autem suscipiebant, & offerebant, vel sacrificabant, vel quicquid aliud fieri oportebat, ex iis quæ oblata erant.

F

Corpus autem Domini ab eo ipso Sacerdote, & ab iis quæ erant eiusdem generis, separatum, & ablatum, & assumptum, & Deo dedicatum, & postremo sacrificatum est. Ipse enim seipsum à nostra massa separans, separavit Dei filius. Ipse autem donum Deo dedit, ponens id in sinu patris, utpote ab illo sinu ipse nunquam separatus, sed illi etiam hoc acquirens & apponens, ut simul ac formatum esset, Deo quoque esset datum: postremo autem ipse quoque in crucem egit & sacrificavit: propterea panem mutandum in ipsum corpus, ipse Sacerdos & ab iis quæ sunt eiusdem generis & naturæ abscindit, & Deo offert, ponens in sacra tabula, & postea ad altare allatum sacrificat.

CAPVT VI.

Cur in pane effingit Sacerdos passionem Christi.

G

ABscissus ergo panis, donec in propositione situs est, panis purus & simplex, qui nihil aliud accepit, nisi quod Deo est dedicatus, & donum effectus, quando etiam significat Christum in illa ætate ex qua donum factus est. Factus est autem ab ipsa Nativitate, quemadmodum prius dictum est, quod etiam propter Nativitatem donum erat secundum legem, quia erat primogenitus. Quia autem, quæ postea factæ sunt in illo corpore passiones propter salutem nostram, crux & mors, antiquis prius figuratæ sunt: ea de causa etiam Sacerdos hic priusquam panem ad altare afferat & sacrificet, illos typos & figuras prius in ipso conatur ostendere. Et quomodo interea dum ipsum à panibus integris auferens, facit donum Domini passionem & mortem in eo scribit, veluti in tabula, & omnia quæcunque facit, partim quidem ad usum pertinentia, partim vero de industria facta, ad hanc significationem deducuntur, & sunt ea quæ tunc fiunt, salutarium passionum & mortis activa narratio. Hic erat autem mos antiquus, & activè nonnunquam & narrabant, & suadebant & prædicabant: Etenim Propheta cum vellet ostendere Hebræorum captivitatem, seipsum ligavit: & Agabus postea hoc ipsum fecit, significans Pauli vincula. Dicunt etiam quendam ex divinis patribus, rogatum quid est Monachus, nihil quidem respondisse, sed qua indutus erat vestem exutam conculcasse. Porro autem ipsam Domini mortem, & à Christo susceptæ carnis œconomiam, veteres non solum verbis, sed etiam factis & ipsi significabant: & à Deo discebant. Cuiusmodi erat mare, quod virga scindebatur, & rubus qui in flamma ardebat: & Isaac, qui à patre ad cædem ducebatur, & alia per quæ ab initio significabatur mysterium. Sacerdos etiam ea videtur facere, quæ de illo novit sacrificio, & verbis narrans, & factis ostendens, quoad eius fieri potest, ut in ea materia ostendatur: propemodum dicens; Ita venit ad passionem Dominus. ita mortuus est, ita in latere punctus est, ita à puncto latere sanguis & aqua tunc illa effusa est. Et hæc facit, primum quidem, vt ostendat, sicut dixi, quod huius veritatis & rerum typi, & scripturæ

H

quædam

quædam ante præcesserunt, & præsignificaverunt hominibus, quemadmodum ipse priusquam panem ad altare afferat & sacrificet, ea quæ ad sacrificium pertinent in ipso describit.

Deinde ostendens quod hic panis festinat mutari in illum verum panem crucifixum, sacrificatum: præter hæc autem omnia, quoniam mortem Domini oportet annunciare: vt nullum modum annunciationis & narrationis prætermittat, ad quam innumerabilia ora non sufficerent, eam, & verbis & factis recenset.

CAPVT VII.

Quid est Domini recordatio.

ET primum pane accepto, à quo oportet sacrum panem abscindere, dicit; In recordationem Domini & Dei & Servatoris nostri Iesu Christi, ex illius præcepto. Hoc enim, inquit, facite in meam recordationem. Et non de pane illo hoc solum dicit, sed de vniverso quod celebratur mysterio, vt qui hinc sacrum operari incipiat. Nam etiam Dominus postquam vniversum mysterium peregit, hoc dictum subiunxit: Hoc facite in meam recordationem. Sed quænam est hæc recordatio? & quomodo in rei sacræ celebratione Domini meminimus, quid agentis, quomodo se habentis? Dico autem, quid de ipso reputantes, quid narrantes? an quod mortuos suscitavit, & cæcis visum dedit, & ventos increpavit, & ex paucis panibus ad satietatem millia aliquot nutrivit, quæ eum & Deum esse, & omnia posse ostenderunt? Nequaquam: sed ea potius quæ videntur significare imbecillitatem, crucem, passionem, mortem, in his nos iussit facere eius commemorationem. Et vndenam hoc scire possumus? Ita intellexit Paulus qui quæ eius sunt, optime novit.

Ad Corinthios enim scribens de mysterio cum narrasset Dominum dixisse; Hoc facite in meam recordationem, subiunxit: Quoties enim panem hunc comederitis, & de calice biberitis, mortem Domini annunciabitis. Hoc ipse etiam Dominus ostendit in traditione sacramenti. Cum enim dixisset: Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus, non adiecit eis miracula, dicens, quod mortuos suscitavit, quod leprosos mundavit. Sed quid? Passionem solum & mortem: Quod pro vobis frangitur. Qui pro vobis effunditur. Et quænam est ratio, quod non miraculorum, sed passionum meminit? Quoniam hæ sunt illis tanto magis necessariæ, quod hæ quidem sunt nostræ salutis efficientes, & sine his minime possit homo resurgere; passiones, inquam: illa autem tantum demonstrant. Fiebant enim miracula, vt crederetur Dominus esse vere Servator.

CAPVT VIII.

De iis quæ in pane fiunt.

QVoniam ergo oportet hoc modo facere Domini commemorationem, propterea cum dixit Sacerdos, in recordationem Domini, subiungit ea quæ significant crucem, & mortem. Panem enim abscindens, veterem de salutari passione refert prophetiam: Sicut ovis ad cædem ductus est, & cætera, & verba, & facta, quantum ipse potest, narrans. Nam cum panem ad hunc vsum fecerit, vt donum eximat, hoc ipsum etiam facit exemplum propositi: ad significandum recessum Domini à mundo in viam quæ est ad patrem per mortem, eam captivam abducentis, sicut ipse dixit. Relinquo mundum, & vado ad patrem: & quia sæpe figens ferrum, deinde scindit panem, in tot partes dividit sermonem propheticum, vnamquamque partem sermonis accommodans vnicuique parti sectionis, vt ostenderet sermonis munus esse narrationem, quia sicut hic panis, ad hoc vt Deo offeratur & consecretur, ab eo quod est eiusdem generis & naturæ, separatus est, ita etiam Christus ab hominibus secessit, quorum naturæ per suam humanitatem fuit particeps, & tanquam ovis ad cædem ductus est, & eo modo sublata est de terra vita eius: & adiectis iis quæ sequuntur in prophetia, cum panem in sacra tabula statuit, ille facit & dicit, per quæ ipsum sacrificium, & mors Domini annunciatur. Sacrificatur, inquit Agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Hæc dicit & facit quæ declarant modum mortis. Crucem enim in pane imprimit, & ita indicat quomodo sacrificium factum est, nempe per crucem. Post hoc etiam ad dexteras partes panem pungit, illius lateris ictum narrans per percussionem panis. Propterea enim etiam ferriculum quod percutit, vocat lanceam, & ipse habet factum instar lanceæ, vt illam lanceam in memoriam revocet, & ita facto ea narrans, etiam historiæ verba legit. Et vnus militum, inquit, lancea latus eius pupugit. Similiter etiam sanguinem & aquam quæ illinc fluxit, & verbo narrat, & facto ostendit. Infundens quidem in sacrum calicem vinum & aquam: subiungens autem illud: Et statim exiit sanguis & aqua. Et hæc quidem, recordatio Domini, & mortis eius narratio.

CAPVT IX.

Cur Dominus hoc iussit facere in sui recordationem.

SEd quanam de causa hæc iussit, & ad quid respiciens, hanc recordationem a nobis exegit? Ne ingrati & immemores essemus. Est enim benefactoribus ab iis qui beneficio affecti sunt, quædam gratiæ relatio, eorum meminisse & eorum per quæ beneficio affecti sunt. Huius autem conservandæ memoriæ homines multas rationes excogitarunt, sepulchra, statuas, columnas, dies festos & celebres, certamina; quorum omnium vnum est institutum, non sinere, vt viri præclari & præstanti virtute, oblivione mandentur. Tale est etiam quod dicit Servator: Alij quidem alia oblivionis quærunt remedia, vt recordentur eorum qui ipsos beneficio affecerunt: vos autem in meam recordationem hoc facite, & quemadmodum civitates, fortium virorum per quos victoriam assecutæ sunt, vel qui eis salutem attulerunt, aut res earum recte gesserunt, columnis inscribunt: ita etiam in his donis nos mortem Domini adscribimus, in qua vniversa sita fuit adversus malignum victoria. Et per statuas quidem, civitates solum habent figuram corporis benefactorum: nos autem ab hac oblatione non habemus figuram corporis, sed ipsum corpus eius qui se gessit fortissimè. Hoc ipsum etiam antiquis constituit, ut in figura facerent, id quod nunc est in rerum veritate. Id enim erat pascha, & agni occisio, in memoriam revocat cædis illius ovis & sanguinis qui servavit Hebræis in Ægypto primogenita. Et hæc quidem est ratio recordationis.

CAPVT X.

Quænam post commemorationem in oblatione dicuntur, & quod donorum oblatio, eadem & gratias agit, & supplex petit.

SAcerdos autem adhuc facit oblationem, & uniuscuiusque panis ex iis qui offeruntur partem auferens, facit sacrum donum, non eadem dicens & faciens quæ ab initio, per quæ mors Domini significabatur, quia quæ semel dicta sunt, de universo mysterio dicta esse intelliguntur. Omnis enim donorum oblatio fit in recordationem Domini, & per id universum mors eius annunciatur.

annunciatur. Quænam etiam sunt quæ recitantur? In gloriam sanctissimæ Dei matris, ad honorem huius vel illius sancti: in peccatorum animarum remissionem vel vivorum vel mortuorum. Et quid hæc sibi volunt? Gratiarum apud Deum actionem, supplicationis materiam & occasionem, causam donorum oblationis. Ita enim habet: Nullum donum frustrà datur, sive Deum colere, sive hominibus gratificari oportet, sed alicuius boni gratià, quod vel factum est, vel speratur. Vel enim pro iis quæ accepimus, benefactori donis gratiam referimus: vel si nulla adhuc fuerint, eum qui dare potest, vt assequamur, colimus & observamus. Hæc autem dona, propter vtrunque Deo offerri videntur, & quia accepimus & vt accipiamus, & Deo gratias agentes & ei supplicantes. Gratias agentes, pro beneficiis quæ accipimus: supplicantes, ut accipiamus. Dona itaque, & in gratiarum actione, & in supplicatione versantur: Sed quænam sunt quæ iam nobis data sunt? quæ vero quæruntur? Eadem omnino, remissio peccatorum, regni hæreditas, hæc enim ipse iussit peti ante omnia. Ea sunt quæ iam accepit Ecclesia, ea sunt & quibus supplicat. Et quis est modus, quo hæc bona iam assecuta est, & quis, quo nondum assecuta est, & vt assequatur orat? Primum quidem assecuta est, & ad ea potestatem accepit. Etenim accepit potestatem vt filij Dei fierent, & hoc est solum commune donum, quod Christianis omnibus per mortem Servatoris datum est. Hoc est enim divinum baptisma, & alia sacramenta, per quæ a Deo adoptamur, & regni cœlorum hæredes efficimur. Deinde ipsius quoque regni actu fuit hæres, in innumerabilibus, qui sunt ex suo choro, quos in cœli misit coloniam, quos primogenitorum in cœlis descriptorum Ecclesiam vocavit beatus Paulus. Ita ergo Ecclesia hæc magna bona est consecuta. Propter suos autem filios, qui adhuc currunt ad bravium, & vt semel dicam, eos qui in hac vita adhuc vivunt, quorum finis est incertus, & eos qui excesserunt non cum bona firmáque, & stabili spe, regnum nondum est assecuta, ea de causa meminit quidem mortis Domini: Meminit autem sanctorum, quibus plena sua obtigit perfectio; meminit & eorum qui nondum perfecti sunt: pro illis quidem agens gratias, pro his vero supplicans. Itaque primæ quidem oblationis partes, & etiam secundæ versantur in agendis gratiis, quæ autem consequuntur, in supplicatione, in recordatione domini, in gloria beatæ suæ matris, in intercessione sanctorum. Gratias, inquit, agimus quod morte tua vitæ portas nobis aperuisti, quod matrem ex nobis accepisti, quod tantam gloriam homo est assecutus, quod habemus intercessores qui sunt eiusdem gentis, & iis qui sunt eiusdem nobiscum generis tantam libertatem impertiisti. Illud enim, in gloriam & intercessionem idem est, quod pro gloria & pro intercessione, quemadmodum & illud. In remissionem peccatorum, idem est quod pro remissione peccatorum. Illud autem. Pro aliquo, habet duplicem significationem Vel enim pro præsenti, vel pro eo quod speratur. Beatæ autem virginis gloriam, & sanctorum intercessionem & libertatem, quis nescit esse bona præsentia? Pro præsentibus autem bonis dona offerre, nihil aliud est quam manifesta gratiarum actio. Præterea autem & illud, in recordationem Domini, per ea quæ prius dicta sunt, evasit manifestum significare quandam erga ipsum pro morte sua retributionem & gratiarum actionem. Propterea enim ante omnia in donorum oblatione hæc verba dicuntur, quod mors illa nobis causa fuit omnium bonorum Vltimo autem loco facit supplicationem, petens remissionem peccatorum, & requiem animarum, & alia huiusmodi. Hoc est enim grati animi, non quid opus sit statim dicere, nec quod deest postulare: sed potius ea quæ iam accepimus primum memorià repetentes, pro eis illi gratias agere, & illum glorià afficere, & sic iia quæ sunt nobis necessaria, Dei gloriam præferre.

CAPVT XI.

Cur dona cooperiuntur, & de iis quæ dicuntur.

QVia autem, quæ in pane dicta & facta sunt, per quæ mors Domini significabatur, nihil aliud sunt quam typus & figura: panis autem adhuc panis mansit, neque quidquam aliud accepit quam vt Deo donum esset, & ideo fere typum Dominici corporis in prima ætate, quoniam illud quoque ab initio donum fuit, vt ante dictum est: ea de causa miracula quæ in illo facta sunt, cum recenter esset natus, & adhuc in præsepi positus, sacerdos in pane recitat & ostendit. Super eum enim imponens Asteriscum qui dicitur, seu stellulam: Et ecce, inquit, stella veniens stetit supra, vbi erat puer. Deinde & quæ multis antè seculis de ipso à Prophetis dicta Deo convenientia: ne propter carnem, & id quod apparet, homines de ea parva & divinitate indigna existimarent. Verbo Domini cœli firmati sunt. Dominus regnavit, decorem indutus est. Operuit cœlos virtus eius, & sapientiâ eius plena est terra. Et hæc dicit, & tegit panem, & calicem pretiosis peplis & undique suffumigat. Etenim tunc tegebatur quidem Dei incarnati potentia vsque ad tempus miraculorum, & testimonium de cœlo. Sed qui hæc de eo loqui sciebant, Dominus regnavit, decorem indutus est, & omnia quæ dicta sunt Deum decentia: & ipsum agnoscebant, & vt Deum colebant, & quod in eo erat in tegumentum quærebant. Et hæc tacite significans Sacerdos, tectis, donis, dicit. Tege nos in tegumento alarum tuarum, & suffumigat undique. Hæc cum sic dixit, & fecit & oravit vt omnia huius quod peragitur sacri, sibi rite & ex instituto succedant, venit ad altare, & stans ante sacram mensam incipit sacrificium.

CAPVT XII.

De glorificatione in principio.

SAcrificium autem incipit à glorificatione. Benedictum est regnum Patris & Filij & Spiritus sancti. Quæ ad Deum fit allocutio, est gratiarum actio, glorificatio, confessio, petitio. Prima autem omnium est glorificatio, maxime quidem, quod peccatorum grati animi est, ad Dominum accedentes non sua statim in medium adducere, sed quæ solius Domini pure sunt. Tale quid autem est glorificatio Qui enim petit, sua volens pulchriora facere, seipsum prædicat: & qui gratias agit, clarum est quod propriis bonis gaudens ei qui illa suppeditat gratias agit. Qui autem glorificat, seipso dimisso & suis omnibus, ipsum propter ipsum, & ipsius Domini potentiam & gloriam glorificat. Præterea, ipsa etiam natura & rei probabilitas, hic primam glorificationem exigit. Protinus enim ad Deum accedentes accessibilem eius gloriam, & potentiam, & magnitudinem mente cogitamus, quod quidem, admiratio, & obstupefactio, & quæ sunt eiusmodi consequuntur, hoc autem glorificatio necessario sequitur. Procedentes autem, eius benignitatem & humanitatem discimus: quod consequitur gratiarum actio. Post hoc, insignem eius benignitatem & humanitatis divitias consideramus, nostram improbitatem illius sufficiens esse signum ducentes quod cum tales simus nos beneficiis afficere nunquam cesset. Hoc enim signum, etiam ante alia, nos docet quam est benignus & humanus Deus, quod in nobis, quod ante ipsos oculos. Nostrorum autem malorum apud Deum meminisse, hoc est quod nominatur confessio. Quartum autem petitio. Consentaneum enim est confidere, quod illa quorum egemus petentes, ea consequemur, post eas considerationes, in quibus Dei in nos benignitatem & humanitatem edidicimus.

Qui enim iis qui mali adhuc erant bonus fuit, quidnam erit mutatis & quod primi peccata dixerint iustificatis, convenienter ei quod à Propheta dictum est? Dic primus peccata tua, vt iustificeris: In compellendo ergo Deo, primum locum habet glorificatio. Quapropter ante omnes preces & omne sacrificium sacerdos glorificat Deum. Cur ergo ter Deum glorificans efficit, & non singulariter? Non enim benedictus Deus, vel benedictum Dei regnum, sed divisim per personas: Benedictum Dei regnum, Patris & Filij & Spiritus sancti. Quia per primam Christi incarnationem didicerunt homines, quod tres personæ Deus est. Huius autem Domini incarnationis mysterium sunt sacra quæ celebrantur. Vnde in eorum exordiis oportebat Trinitatem resplendere, & prædicari. Post glorificationem autem, introducit petitionem dicens: In pace Dominum oremus, Illud enim, Quid oremus vt oportet nescimus: &, ne multa & supervacanea loquamur, docens nos quæ oratione facienda sunt & primo docet modum, nempe quod in pace orare oportet. Quid ergo post glorificationem statim iussit petere eos, qui neque prius confessi sunt, neque Deo gratias egerunt? Quia dum pacem dixit, illa etiam comprehendit, si quis velit exacte considerare. Neque enim qui non est contentus iis, quæ sibi in vita eveniunt, potest in se pacem habere, sed qui est gratus & in omnibus agit gratias, ut præscribit lex beati Pauli: nec qui non habet puram conscientiam: fieri autem non potest vt sit pura conscientia sine confessione. Qui ergo orat cum pace, gratias agentem & confitentem prius habuit animam. Ad hæc autem etiam petitio quam faciunt, eos & gratias agentes & confitentes ostendit. Quid enim petunt? misericordiam? Hæc autem est petitio eorum qui rei aguntur, qui quando omni sui defendendi ratione abiecta, nihil possunt dicere quo se iustificent, & causam suam tueantur: hanc vocem postremo, ad iudicem emittunt, non iure, sed ex eius clementia ea quibus indigent assequi expectantes. Hoc autem est eorum qui multam quidem iudicis esse benignitatem, & clementiam, magnam autem esse suam improbitatem vitamque testantur. Quorum hoc quidem est confessionis, illud vero gratiarum actionis. Hortatur autem Sacerdos in initio populum ad orationem, ut qui talis sit qui ad orandum est ordinatus, & ideo sit populi propositus intercessor & mediator, ut eius operans oratio multum valeat sicut dixit Iacobus Apostolus. Operatur enim oratio iusti, quando illi etiam omnino pro quibus preces fiunt ex se omnia contulerint, morum bonitatem, preces, lenitatem, & æquitatem, & quocunque alio sciunt Deum delectari. Quæ est autem eorum prima protinus petitio? Pro superna pace, & salute animarum nostrarum. Cum prius docuisset quomodo se habentes orare oportet, nunc etiam docet quid sit primum petendum, superna scilicet pax, & animarum salus. Ita enim iussit Christus petere primum regnum Dei, & iustitiam. Regnum enim salus animarum: superna autem pax, Dei iustitiam significat. De qua dixit Paulus: Pax Dei quæ supereminet omnem mentem, quam Dominus reliquit discipulis, ascendens ad Patrem: Pacem, dicens, relinquo vobis, pacem meam do vobis. Sicut enim illic nomen iustitiæ, non significat solum eius quod æquum est, distributionem, sed absolute omne genus virtutis: ita hic etiam nomen pacis est quid universale, est enim omnium simul virtutum & universæ philosophiæ fructus. Neque enim fieri potest vt pacem perfectè habeat, cui vel una aliqua virtus de[fit]: sed necesse est, ut qui pacatus est futurus, per omnes veniat, oportet ergo seipsos primum exercere ad pacem quæ potest haberi ab hominibus: deinde à Deo petere suam pacem, sicut se habet etiam in unaquaque virtute. Est enim temperantia, quæ paratur per exercitationem: & est temperantia, quæ à Deo datur animæ, & charitas, & oratio, & sapientia, & in aliis eodem modo. Propterea etiam Sacerdos de pace illa primo loquitur quæ est in nostra potestate, & à nobis recte geri & administrari potest: & cum ea iubet ad Deum facere orationes, deinde de ea quæ à Deo datur, & pro ea hortatur Deum orare. Oremus, dicens, pro superna pace. Pacem autem dicit, non eam solam quæ est inter invicem, quando nulli male volumus, nec vllius sumus iniuriæ memores: sed eam etiam quæ est erga nos ipsos, quando cor nostrum non condemnat nos. Magna est autem pacis utilitas, vel potius ea est omnino necessaria. Vt perturbata enim mens cum Deo conveniat, minime fieri potest: primum quidem, propter ipsam perturbationis naturam. Quemadmodum enim pax multos vnum reddit, ita etiam perturbatio vnum multa efficit. Quomodo ergo adaptari & convenire poterit vni & simplici Deo? Propterea quod neque recte orare, neque aliquid boni ex oratione consequi potest, qui orat, sine pace. Sive enim ira hominem perturbat, & acceptæ iniuriæ memoria pacem ex anima eiecit, nec peccatorum quidem veniam inveniet ex oratione, tantum abest ut ullam gratiam assequatur. Si quis peccatorum suorum causâ à conscientia pungitur, & habet cor quod eum accusat, & ea perturbatione agitatur, omni apud Deum libertate privatus est, vt ait divinum eloquium, & quando orat, sine libertate loquitur, hoc est, sine fide. Qui autem sine fide orat, frustra orat, nec ullam ex eo sentit utilitatem. Propterea iubemur etiam cum pace Deum orare, & ante omnia supernam pacem petere: postea autem etiam pro aliis liberaliter preces fundere, non solum pro Ecclesia, & imperio, & utriusque præfectis, vel iis qui sunt in periculis, & rebus adversis opprimuntur, sed pro omnibus omnino hominibus universæ terræ. Pro pace enim, inquit, universi mundi, maxime quidem, quia sciunt suum Dominum esse communem omnium Dominum, & quod omnia ei curæ sunt tanquam sua opera & si quis eorum curam gerat, magis eum colit, quam si ei sacrificet. Præterea autem, vt sentit beatus Paulus, ut nos sub eorum tranquillitate quietam vitam agamus, in omni pietate, & honestate. Et non solum pro iis quæ ad animam conferunt, sed etiam pro bonis corporalibus necessariis oramus, bonâ aëris temperie, & fructuum terræ fertilitate. Vt sciamus esse omnium autorem & suppeditatorem Deum, & ad illum solum respiciamus, quoniam etiam panem ab ipso petere quotidianum cum aliis iussit ipse Christus.

CAPVT XIII.

Quid sibi vult misericordiæ ubique petitio.

Illud quoque quærendum est, quam ob causam Sacerdos quidem iubet orare pro multis & diversis, circumstantes autem fideles rogant solum misericordiam, & eam solam omnino vocem ad Deum emittunt. Primum quidem vox eiusmodi, vt dictum est, gratiarum actionem & confessionem continet. Deinde a Deo petere misericordiam, est eius regnum petere, quod se petentibus daturum Christus est pollicitus, & alia etiam quibus opus habemus se adiecturum: & propterea eis hæc sufficit precatio, utpote quæ omnia simul possit. Et vndenam sciri potest, quod misericordia Dei eius regnum significat? Ex eo quod Christus præmium misericordium narrans, & quam ab eo accipient benignitatis remunerationem, nunc quidem illos misericordiam assecuturos, nunc vero regnum dicit: perinde ac idem fit, & ab ipso misericordiam assequi, & regnum accipere. Beati enim inquit, misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Deinde alibi veluti seipsum interpretans, & quid sit misericordiam consequi significans. Dicet, inquit, Rex iis qui sunt à dextris, dicens ad misericordes: Venite benedicti Patris mei, hæredes esse parati vobis regni. Et alioqui si quis ex iis quæ faciunt homines misericordes, voluerit divinæ misericordiæ opus perspicere, ea nihil aliud inveniet valere, quam ipsum regnum.

Quid ergo misericordes? Esurij, inquit, & dedistis mihi comedere: sitivi & potum dedistis mihi. Ergo & Christus quomodo miseretur, eis suam mensam impertit. Quænam est autem illa? Vt comedatis, inquit, & bibatis in mensa mea in regno meo. Et ut scias illius mensæ splendorem, & quod non est servorum, sed Regum, scias ministrum esse ipsum omnium Dominum. Accingitur enim, inquit, & eos faciet accumbere, & accedens ministrabit ipsis. Quinetiam vestiet enim cuius misertus fuerit, quum sit nudus. Dabit ergo vestem regalem: e domo enim, & ex suis eum induet. Nihil est autem apud eum servile, cum sit Rex, sicut nihil est apud nos e domo regale, quum servi simus. Hoc est autem indumentum nuptiale: Quo qui induti sunt, necesse est eos regni esse. Nihil enim habet Rex, quod cum in eis reprehenderit, ex nuptialibus ædibus eiiciat. Quid præterea? domum eis suam aperiet, & introductos faciet quiescere. Hospes enim eram, & me collegistis. Sed qui hac gratia dignati sunt, non amplius servi Dei, sed filij. Servus enim, inquit, non manet in domo in æternum. Filij autem etiam hæredes, non regni solum, sed etiam eius qui regnum complectitur. Hæredes enim, inquit, Dei, cohæredes autem Christi. Ita a Deo petere misericordiam, est petere, vt regnum sibi liceat assequi.

CAPVT XIV.

De commendatione seu deposito.

POstquam autem oraverit pro omnibus, iubet eos Deo seipsos commendare, dicens: Sanctissimæ, intemeratæ, superbenedictæ, gloriosæ dominæ nostræ Deiparæ, & semper virginis Mariæ, cum omnibus sanctis memoriam facientes, nos ipsos, & nos invicem, & omnem vitam nostram Christo Domino commendemus, & custodiendos deponamus. Non est omnium Deo se ipsos commendare, & custodiendos tradere. Non sufficit enim dicere, sed oportet etiam Dei consensum habere. Hoc autem omnino indiget libertate: libertatem autem facit pura conscientia, quando cor nostrum nos non condemnat, quando quæ sunt eius, curamus: quando vt eorum quæ sunt eius, curam geramus, nostra negligimus. Tunc enim & ipsi vere à cura nostri recedimus, & Deo eam secure committimus, quando firmam & stabilem fidem habemus quod depositum nostrum suscipiet, & servabit. Quia autem res tanta consideratione & studio indiget, propterea nunc quidem sanctissimæ Dei matris, & omnium sanctorum cœtus invocato auxilio, ita commendationem seu depositionem facimus: hoc enim sibi vult illud, commemorate, vocare, orare. Nunc autem fidei unitate, & sancti Spiritus prius petitâ communione, deinde nos ipsos & omnem vitam nostram Deo commendamus, & custodiendam tradimus. Quid est autem unitas fidei? Homo, inquit, duplici corde, est instabilis in viis suis, duplici corde, hominem vocans eum qui est dubius & minime firmus & stabilis. Qui enim talis est, is in vtramque partem declinans, in neutra parte firmiter ingreditur. Huius autem contrarium per unitatem significatur, id quod scilicet est firmum, constans & stabile. Qui enim constanter credit, vnum quidpiam de re credit, vel esse, vel non esse. Qui autem est dubius, eum ad vtrunque declinare vel ex ipso vocabulo manifestum est. Hoc ergo, fidei scilicet unitas, est id quod est immobile, & ab omni dubitatione liberum. Sancti autem spiritus communio, illius gratiam significat. Dicitur autem communio, quia quum Dominus per crucem, intericctum sepis maceriam, quæ inter nos & Deum erat, diruisset, quoniam eos qui tunc disiuncti erant, nullo modo posse convenire, & communicare cognoverat: deinceps sancti Spiritus ad Apostolos adventus hoc efficit. Hic enim sanctum baptisma & omnis fons divinarum gratiarum, hominibus apertus est. Et ut dicit beatus Petrus, divinæ naturæ socij facti sumus participes.

Opus est ergo & fide firmâ & spiritus auxilio ei qui seipsum Deo est commendaturus, & se ei custodiendum daturus. Neque vero unusquisque seipsum solum, sed etiam nos invicem commendamus. Oportet enim non tantum quærere quod suum est, sed etiam aliorum, propter legem charitatis.

CAPVT XV.

De Antiphonis quæ dicuntur, & precibus quæ in ipsis sint.

INterea autem dum petitiones præit Diaconus, & sacer orat populus, Sacerdos intus orat per se submissa voce, pro astantibus, & pro hac sancta domo, vt eis divites effundantur misericordiæ & miserationes à Deo: & adiicit causam propter quam & ipse hæc petit, & Deus quæ petivit iuste præbuerit, non quod digni sunt qui sunt accepturi, non quod eas iure accipere mereamur, sed quia tibi convenit omnis gloria, honor & adoratio. Propter tuam gloriam, inquit, hæc te rogo. Benignum enim & munificum esse in nos qui sumus indigni, ad tuam gloriam pertinet: hoc autem, scilicet glorificari, tibi convenit, vt est illud B. David: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Propterea cum perfecit orationem, hanc causæ allationem, quia & est in extrema parte, & est glorificatio, legit omnibus audientibus, vt omnes hymni participes accipiat, & Deus ab omni Ecclesia laudetur. Audientes ergo, sunt hymni cum illo participes. Postquam enim ille dixit, & glorificavit, fideles omnes Amen dicunt, & cum hoc verbo acclamarunt, omnes illius voces, ut proprias sibi assumunt. Deinde sacras Psalmodias incipit quidem Sacerdos, implent autem universi ij qui circumstant, divinitus inspirata sacrorum Prophetarum verba canentes: Bonum est confiteri Domino, & psallere nomini tuo altissime. Principio conveniens statim verbum, quia de ipso dicit hymno, quod est bonum, quod oportet omnino scire ante omnem hymnum, appellans confiteri gratias agere, hymnos canere. His autem & iis quæ sequuntur cantatis, Diaconus fideles ad orationem adhortatur. Interea autem dum peragebantur psalmodiæ & fideles orabant, Sacerdos postquam intus ad Deum fecit orationem & generaliter pro toto corpore Ecclesiæ, & seorsum pro iis qui sanctam domum eius ornant, & eam undiquaque splẽdidam reddere desiderant, vt & ipsi ab ipso glorificentur: causam adiicit in primis opportunam & conveniẽtem. Quia tua est potentia, tuum est regnum. Apud Reges, inquit, est gloria, & posse splendidos efficere quos voluerint. Tu autem Rex æternus, & tua est potentia, & tuum est regnum. Et cum hanc causæ redditionem utpote quæ sit glorificatio, omnium fidelium auribus inclamavit, & nos hymni ad Deum participes effecit, sicut & prius: rursus incipit psalmodias, & fideles eas complent. Deinde petunt a Deo petitiones, quas præit Diaconus, ut ante dictum est. Sacerdos autem rursus facta oratione pro iis qui unà cum eo precantur fidelibus, vt quæ unusquisque privatim petit à Deo consequatur, prout ei utile fuerit: & præterea vitam æternam in futuro; adiicit causam, ipsius bonitatem & clementiam. Quam utpote ultimam, postquam omnibus audientibus dixit, incipit tertiam psalmodiam. Quæ dum canitur, Evangelium introducitur stipatum lampadibus, omnibus iis deducentibus qui sunt ministri altaris, Diacono ipsum afferente, vel si non adsit, Sacerdote. Sacerdos autem, quando est ad altare ingressurus, stans parvo interiecto spatio ante fores, donec completa fuerit psalmodia, orat Deum, ut S. Angeli unà cum eo ingrediantur, instante ad altare & sacrificium correcteur, & sint cum ipso glorificationis

participes; & adiicit causam: Quia & ab hominibus & ab Angelis convenit ipsum glorificari & adorari: Hoc enim sibi vult illud: Omnis gloria, honor, & adoratio ab omnibus qui Deum glorificare, honorare, & adorare sciunt. Et hæc precatus, ingreditur ad altare, & ponit super sanctam mensam Evangelium.

CAPVT XVI.

Significatio sacrificij in summa.

NEcesse est autem ab alto sigillatim persequi verba psalmodiarum, si prius illud dixerimus, quod mysterium incarnationis Christi significatur quidem per ipsum sacrificium: significatur autem etiam per ea quæ præcedunt sacrificium, & per ea quæ post sacrificium & fiunt & dicuntur. Sacrificium enim mortem ipsius annunciat, & resurrectionem, & assumptionem, quoniam pretiosa dona in ipsum dominicum corpus mutantur, quod resurrexit, quod in cœlos ascendit. Quæ autem ante sacrificium fiunt, ea quæ ante mortem fuerunt, adventum, ostensionem, perfectam manifestationem. Quæ vero post sacrificium, patris promissionem, vt ipse dixit, Spiritus ad Apostolos descensum, gentium per illos ad Deum conversionem & communionem. Et est universa mysterij celebratio, veluti unum quoddam corpus historiæ ab initio usque ad finem convenientiam & integritatem conservans, adeo vt vnumquodque eorum quæ fiunt vel dicuntur, separatim aliquid ad universa confectionem conferat. Vnde Psalmi vt qui in divini mysterij celebrationis exordio canuntur, primum tempus Christi incarnationis significant. Quæ autem ea consequuntur, nempe sacrarum scripturarum lectiones, & reliqua, id quod deinceps sequitur. Atqui alia esse causa dicta est scripturarum & psalmodiarum, quod sint scilicet præpurgationes & præparationes ad sacra mysteria. Sed nihil prohibet ea & hoc, & illud posse, & eadem & fideles sanctificare, & incarnationis mysterij œconomiam significare. Quemadmodum enim vestes implent quidem vsum amictûs, & corpus tegunt, eo autem quod tales sunt vel tales, & studium vitæque exercitium significant, & dignitatem eorum qui induti sunt: ita etiam se habet in his. Quod enim sunt omnino divinæ scripturæ, & verba divinitus inspirata quæ canuntur & leguntur: eos qui legunt & canunt, sanctificant. Quod autem talia electa sunt, & sic ordinata, etiam aliam habent potestatem: & sufficiunt ad significandum Christi adventum, & eius institutionem. Non solum enim ea quæ canũtur & dicuntur, sed etiam quæ sunt, eodem modo se habent, & fit vnumquodque propter vsum præsentem: significat autem etiam aliquid ex operibus, vel actionibus, vel passionibus Christi. Sicut est Evangelij ad altare allatio, preciosorum donorum importatio. Fit enim utrunque quidem ad usum, illa quidem vt Evangelium legatur, hæc vero vt peragatur sacrificium. Significant autem vtræque Domini ostensionem & manifestationem, illa quidem eius incipientis manifestari, adhuc obscuram exilémque & imperfectam: illa autem perfectissimam & ultimam. Sunt autem etiam eorum quæ in mystica celebratione fiunt, quæ nullum vsum implent, significandi autem gratiâ tantum fiunt, vt lancea & panis punctio, & crucis inscriptio, & postremo aquæ calida in sancta iniectio. Quinetiam in aliis sacramentis multa eiusmodi inveneris: quemadmodum in baptismo eos qui sint tingendi, se & calceis & vestibus exuere oportet, & ad occidentem aspicientes, manus tendere, & insufflare. Hæc enim & alia eiusmodi nullum quidem vsum ad sacramentum inducunt: sed docent eum qui initiatur, odium, & inimicitias, quas adversus malignum gerere necesse est, & quomodo oportet malignũ aversari, eum qui verus Christianus futurus est. His ita se habentibus, contemplemur sigillatim universum sacrificium, quatenus servatoris incarnationis fert imaginem & primùm psalmodias.

CAPVT XVII.

Interpretatio primæ Antiphonæ.

PRima ergo est adhortatio ad glorificationem, incipientibus conveniens. Bonum, inquit, confiteri domino. Hymnus ad Deum & patrem, & de vnigenito: Bonum est confiteri domino, & canere nomini tuo altissime, altissimum patrem dicens, dominum unigenitum. Bonum laudare filium, & patrem. Et quid hæc sibi volunt? Ad ea quæ sunt deinceps dicenda exordium ducit. Est enim vtrisque communem hymnum dicturus. Quomodo? Clamabit ea quæ sunt filij: per quæ pater quoq; glorificatus est. Quænam est enim laudationis occasio? Filij exinanitio & paupertas, in carne opera & passiones, ea enim vocat misericordiam, & veritatem. Misericordiam quidem, quod omnium miserrimè affectos, cum eius essemus inimici & hostes, propter multam suam benignitatem & clementiam non despexit: & non solum nostræ calamitatis misertus est, sed ipsorum etiam malorum fuit socius & particeps, interitus & mortis: & non solum nos erexit à gravi illo casu, sed regno etiam & maximis bonis dignatus est. Quocirca Paulus quoque, Quando, inquit, benignitas & humanitas apparuit servatoris nostri, Dei, vt quæ tunc primum ostensa & manifestata est quanta sit. Et Dominus, *Sic Deus dilexit mundum*, insignem dilectionem hoc verbo ostendens. Misericordiam ergo his de causis vocat susceptæ carnis œconomiam. Veritatem autem, quia velut umbræ & figuræ vetera omnia ad eam respiciebant. Propterea de ea loquens Propheta, Iuravit, inquit, Dominus David veritatem. Quæ sunt enim quæ iurata sunt? Domini per carnem peregrinatio, & recta vitæ institutio. De fructu, inquit, ventris tui ponam super sedem tuam, ipsum servatorem significat. Et vndenam hoc sciri potest? Gabriel docuit in iis in quibus arcanum partum significans, & quantus sit qui nasciturus est docens, Dabit ei, inquit, Dominus Deus sedem David patris sui, & regnabit super domum Iacob in secula, & regni eius non erit finis. Sed ipsa veritas est & iudicium & iustitia. Quonam modo? Quia servator in ea eiecto peccato, & diabolo interfecto, non insigni aliquo robore, nec quod potentia vinceret hoc fecit, sed iudicio & iustitia, sicut dictum est: Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ: sicut, & nos in iudiciis adversarios sententiâ iudicum vincimus. Propterea, Nunc est, inquit, iudicium mundi huius, nunc princeps mundi huius eiicitur foras. Hæc sciens beatus Dionysius, divinæ bonitatis maxime infinitam dicit benignitatem, defectricis multitudinis, dæmonum scilicet, potentiam adversus nos dissolvere, non per potentiam, tanquam exuperantem, sed vt mystice dicit traditum eloquium, in iudicio, & iustitia. Quia ergo quod laudatur, non solum est misericordia & veritas, sed etiam iustitia & iudicium, propterea subiunxit Psalmographus: Quoniam rectus Dominus noster, & non est iniquitas in eo: Bonum annunciare, inquit, mane misericordiam tuam, & veritatem tuam per noctem. Diu & noctu, inquit, oportet Deum laudare. Hoc enim est illud, Mane & per noctem. Et hæc quidem prima psalmodia.

CAPVT XVIII.

Quid significant in principiis sacrificij quæ canuntur Prophetica.

SEcunda autem psalmodia ipsum regnum laudat, & decorem, & potentiam filij Dei, quæ ex inanitione & paupertate ei accessit. Sed quis est hic usus horum

verborum Propheticorum, & quidnam significant servatoris susceptæ carnis œconomiæ? Principia eius præsentiæ, quando aderat quidem, sed non cognoscebatur à multis, quando in mundo erat, & mundus ipsum non cognovit, tempus quod fuit ante Ioannem, prius quam accensa esset lampas. Tunc enim ei adhuc opus erat dictis Propheticis. Postea autem apparuit ipse qui prædicabatur, & non erat amplius ipsi Prophetis opus, sed præsentem ipsum ostendit Ioannes, & ante Ioannem ipse pater. Propterea, Omnes, inquit, Prophetæ Prophetarunt usque ad Ioannem. Hoc ergo tempus, quod fuit ante Ioannem, significant Prophetica quæ canuntur, quando etiam pretiosa dona, per quæ Christus significatur, nondum in medium adducuntur, sed seorsum cooperta reposita sunt. Et hæc quidem sic. Ipsa autem psalmi verba consideremus. Dominus regnavit, decorem indutus est. Cognitionem qua ipsum cognoverunt homines, & ei subiecti fuerunt, regnum appellavit, quando & decorum, & pulchrum & potentem eum cognoverunt, vt nosse oportebat. Hoc est illud servatoris, data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra, quia cum iis qui sunt in cœlo, etiam ij qui sunt in terra, verum dominum agnoverunt. Nam & si quis ea quæ deinceps sequuntur percurrat, eadem omnia inveniet. Regni itaque & potestatis modum narrans Propheta, dicit: Etenim firmavit orbem terræ qui non commovebitur, firmamentum fidem dicens. Stare fecit eos qui errore commovebantur, & sibi colligavit. Talis est enim, qui erat, minime stare potest. Dominus autem, Euntes inquit, docete omnes gentes, baptizantes ipsos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, quod est doctrina fidei. Sed non sufficit hoc ad regnum, fides: neque perfectè subiectæ fuerint gentes hoc modo. Propterea cum eo etiam mandatorum observationem oporteret adiicere; Propheta quidem, Testimonia, inquit, tua credibilia facta sunt valde. Dominus autem, ei quod de baptismo dixit, de mandatis quoque sermonem adiecit, dicens: Docentes eos servate quæcunque mandavi vobis. Quæ enim servator mandata, Propheta vocat testimonia. Et hæc vbique in scriptura invenies, testimonia Dei leges appellante. Post hæc, Domum decet sanctificatio domine. Sanctificationem vocans sacrificia: dona, omnem cultum qui Deo debetur: qui dicens decere domum Dei, ostendit non esse vacuam domum Dei neque Deo destitutam, sed ipsum in seipsa habere domus Dominum. Si enim ea Deo esset vacua, non decerent eam illa quæ soli Deo conveniunt. Hoc autem etiam Dominus iis quæ dicta sunt adiecit, pollicitus se semper futurum cum Ecclesia: (Ecclesiam autem, domum Dei viventis vocat Paulus: Dicit enim; vt scias quomodo oportet in domo Dei versari, quæ est Ecclesia Dei viventis.) Ecce ego vobiscum sum. Et quod ille, in longitudinem dierum dixit, Dominus dicit, Omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Et hæc quidem psalmodia est adeo exacta Prophetia eorum, quæ per crucem & mortem à servatore gesta sunt.

CAPVT. XIX.

Interpretatio tertiæ Antiphoniæ.

QVæ autem sequitur, videtur esse quidam occursus, tanquam domino iam accedente & apparente: & ideo in ingressu Evangelij & ostensione ponitur & canitur, per quam Christus significatur. Quod autem Christi apparitionem ante oculos animæ habens Propheta, hanc cecinit psalmodiam, maxime quidem ostenditur ex gaudio & lætitia, qua ea de causa ipse plenus videtur, & alios omnes vocat ad societatem: Venite exultemus domino. Non poterat enim homo gaudere, nisi dominus cum eis versaretur, quia solus Christus nobis gaudium attulit: & si quis, antequam ille in terram veniret, gavisus est, in iis quæ ad illum pertinent, initiatus, gavisus est. Sicut Abraham exultavit, inquit, vt videret diem meum, & vidit, & gavisus est. Et ipse David, Redde mihi lætitiam salutaris tui. Quam enim habebat lætitiam in Christo antequam peccaret, eam per peccatum amissam vt reciperet, Deum oravit. Quemadmodum ergo si dixisset, Venite & illuminemus, lucis præsentiam significasset: ita cum dixit, Venite exultemus domino, ostendimus eum apparuisse qui affert lætitiam. Deinde etiam Servatorem hunc Dominum appellat. Servatorem autem, & salutem, & salutare Christum vocat scriptura, & ex divinis personis solus filius fuit nostræ salutis opifex, & per seipsum universum effecit, quemadmodum dixit Paulus: Per seipsum purgationem faciens peccatorum nostrorum. Quod etiam ipse ostendit exemplo boni pastoris, qui non misit qui ovem perditam quæreret, sed ipse quæsivit, & invenit, & sustulit, & in humeris gestavit. Propterea etiam cognomen sortitus est, quod rei conveniret, appellatus Iesus. Præoccupemus faciem eius in confessione, faciem apparitionem eius dicens; ne expectemus eum videre eum domi fuerit, obviam eamus in confessione, scilicet glorificatione. Et in psalmis iubilemus ei. Deo convenientem ei reddamus honorem. Ipse quidem in servi forma esse elegit, nos autem Dominum ne ignoremus, & carne offendamus, ne eò abducamur, vt vilia & abiecta de excelso, animo concipiamus, propter id quod apparet. Quia Deus magnus Dominus, & Rex magnus super omnem terram, qui in hac carne tegitur. Et quæ deinceps sequuntur omnia Deo convenientia adiecit. Et sunt eiusmodi quidem Prophetica, & opportunè canuntur.

CAPVT XX.

De ostensione Evangelij, & de hymno ter sancti.

HIs autem peractis, Sacerdos stans super altare, in altum tollit Evangelium, & ostendit, Domini ostensionem significans quando cœpit multis apparere. Per Evangelium enim Christus significatur, quemadmodum & Prophetici libri dicuntur Prophetæ, quemadmodum diviti ab Abraham dictum est: Habent Mosen & Prophetas, dicebat autem libros. Quia autem eo qui prædicitur ostenso, & per seipsum apparente, verbis Prophetarum nemo vult attendere, propterea ostenso Evangelio cessant Prophetica. Canimus autem si quid est novi testamenti. Vel enim sanctissimam Dei matrem, vel alios sanctos laudamus vel ipsum Christum canticis celebramus, propterea quod nobiscum versatus est, vel ob ea quæ dum nobiscum versaretur passus est vel fecit. Propter quæ Ecclesia diem festum semper celebrat. Deinde etiam ipsum vt Trinitatem Deum decantamus, qualem ipsum esse nos docuit Servatoris apparitio. Hic autem hymnus, ab Angelis quidem dictus est, acceptus est autem ex libro Psalmorum sanctorum Prophetæ. Collectus est autem à Christi Ecclesia, & Trinitati dedicatus: Hoc enim, Sanctus, quod ter canitur, est Angelorum: illud vero, Deus & fortis & immortalis, est beati David, ubi dicit, Sitit anima mea ad Deum fontem vivum. Hæc autem suscepisse & illis conjunxisse, & supplicationem adiecisse, dico autem illud, Miserere nostri, est Ecclesiæ eorum qui Trinitatem unum Deum & sciunt & prædicant: partim vt ostendatur veteris testamenti cum novo convenientia: partim autem, vt Angeli, & homines fiant una Ecclesia & chorus unus, per Christi adventum, qui est supercœlestis & terrenus. Propterea, postquam est ostensum & allatum Evangelium, hunc hymnum canimus, propemodum clamantes, quod is nobiscum versatus, nos statuit cum Angelis, & in illo choro posuit. Et hæc quidem hoc modo.

CAPVT XXI.

De oratione in hymno, & de sacris acclamationibus.

SAcerdos autem ante hanc laudationem, Deo supplicat ut hymnum suscipiat, & laudatoribus gratiam retribuat. Et quamnam gratiam? hymno convenientem, vt sanctificet ipsorum animas & corpora, datâ peccatorum veniâ, vt eum in sanctitate colant omnibus diebus. Et causam adiicit: Quia sanctus es, & in sanctis requiescis. Vere enim sancti est delectari sanctis & sanctificare. Et cum hoc exclamavit, & glorificationem adiecit, cantandi hymni ter sancti sacro populo hoc veluti signum proponit: & cum ipsi, vt mos est, glorificationi Amen subiecerint, hymnum incipiunt. Post hymnum autem, Sacerdos iubet omnes non socorditer & negligenter stare, sed ea quæ fiunt & canuntur attendere πρόσχωμεν enim, quo vocabulo vtuntur, idem est quod, Mentem adhibeamus. Deinde precatur pacem omnibus, & sapientiam in memoriam revocat, cum qua oportet ad mysteria accedere & mentem adhibere. Quænam est autem sapientia? Cogitationes mysterio convenientes, cum quibus oportet audire & videre ea quæ fiunt & dicuntur, eos qui fide pleni sunt, qui nihil habent humani. Hoc est enim Christianorum sapientia, & hoc sibi vult sapientia, quæ in multis locis sacrificij fidelibus acclamatur a Sacerdote, harum scilicet cogitationum recordatio. Ita enim nos invicem admonemus & in memoriam revocamus, integram cogitationem vno verbo in auditorum animis renovantes. Quid autem hac in mentem revocatione opus est? Magna est oblivionis tyrannis & nulla humana affectio tam frequenter & tam facile hominem subvertit, vt hæc affectio. Quia autem cum convenientibus cogitationibus necesse est stare & mysterij esse participes, & sacrarum eius auditionum & contemplationum, nisi eis frustra sumus interfuturi & tempus consumpturi, hoc autem non est facile: propterea opus est quidem ipsos a nobis ipsis excitari & esse sobrios: opus est autem externa admonitione, vt nostram mentem ab oblivione assidue surreptam, & ad vanas curas attractam, possimus recipere. Hoc etiam sibi vult canticum quod canitur, dum pretiosa dona ad altare afferuntur.

Omnem, inquit, de victu sollicitudinem deponamus. Et hæc quidem hoc verbum significat. Hæc quoque acclamatio, *recti*, habet adhortationem. Quæ est autem adhortatio? Vult nos esse certamini intentos, qui ad Deum & divina mysteria accedimus, & non socorditer, sed cum studio & diligentia, omnique reverentia in eis versari, sive videre, sive dicere, sive audire aliquid ex sacris oportebit: & hoc primum signum ostendere huius studij & reverentiæ, corporis erectionem, vt non sedentes, sed recti hoc agamus. Talis est enim habitus & figura supplicum, talis habitus servorum, qui ad nutum Dominorum omnem mentem erectam habent, vt statim ad ministerium, postquam iussum arripuerint, recta currant: nos autem sumus Deo de maximis supplices & omni servitutis genere servi. Et horum quidem verborum hæc est ratio.

CAPVT XXII.

De lectione scripturarum & ordine earum, & significatione.

POst ter sanctum hymnum, legitur liber Apostolicus: Deinde Evangelium, hymno prius Deo ab Ecclesia cantato. Cur autem ante lectiones sacrarum scripturarum, Deum laudamus? Quod in omnibus oportet hoc facere, quibus ille nos perpetuo donat, maxime autem propter assecutionem magni alicuius boni, quale est divinorum eloquiorum auditio. Sed in Apostolo quidem hymnus eum supplicatione. Additur enim illud, Miserere. In Evangelio autem puram a supplicatione facimus hymnodiam, vt sciamus quod Christus per Evangelium significatur, quem qui invenerint, iis omne quod quæritur est in manibus. Etenim intus est sponsus, & non opus est eis de vlla re supplicare, cum omnia habeant. Sicut nec consentaneum ieiunare filios sponsi quamdiu est cum eis sponsus, sed eum tantum venerari & laudare, quandoquidem & Angelorum hymnos, qualem ipsum Prophetæ docent, propter eandem rationem, solum hymnus est ab omni supplicatione liber. Sed quid sibi vult hic sacrarum literarum lectio? Si vis quidem usum scire, dictum est. Nos enim præparant & præpurgant ante magnam mysteriorum sanctificationem. Sin autem quæris significationem, Domini manifestationem significant, qua manifestatus est paulatim post ostensionem. Primum enim ostenditur complicatum Evangelium, quod Domini apparitionem significat, per quam ipsum tacentem Pater ostendit, quando ille nihil loquens prædicatoris voce opus habuit. Hæc autem perfectiorem manifestationem significant: per quam publice cum omnibus conversabatur, & seipsum docebat, non solum ex iis quæ ipse dicebat, sed etiam ex iis quæ docuit Apostolos dicere, Mittens eos ad oves quæ perierant domus Israël. Propterea leguntur quidem literæ Apostolicæ, legitur autem ipsum quoque Evangelium. Cur non ergo primum Evangelium? quia perfectioris manifestationis signa sunt, quæ per ipsum Dominum, quam quæ per Apostolos dicuntur. Quia autem non repente, & vno simul tempore apparuit hominibus Dominus quanto erat robore, & quanta bonitate: hoc enim est secundi eius adventus: sed viâ procedens, ab eo quod est minus apertum, ad id quod est manifestius processit. Ea de causa eos qui eius ostensionem paulatim factam volunt ostendere, Apostolica legere ante Evangelia est consentaneum. Propterea enim etiam quæ perfectam eius ostensionem significant vltima servantur, vt manifestum erit in iis, quæ consequuntur.

CAPVT XXIII.

De petitionibus post Evangelium.

POstquam autem lectum est Evangelium, iubet Diaconus populum orare. Orat autem intus ipse sacerdos per se, vt preces illorum à Deo suscipiantur. Deinde cum Deum magna voce glorificavit, ipsos quoque socios & participes glorificationis accipit. Quamnam autem orationem ab omnibus fieri maxime convenit post Evangelium? nisi pro iis qui servant Evangelium, qui imitati sunt benignitatem & humanitatem Christi, qui per Evangelium significantur? Et qui sunt hi? Præsules Ecclesiæ, populorum pastores, qui rempublicam ordinant. Hi enim, si servant quod professi sunt, quæ illic tepita sunt pulchre servant & docent, & quod deest Christo, vt censet Apostolus, adimplent post illum, illius gregem illi convenienter pascentes. Præterea autem etiam sacrarum domorum extructores & curatores & virtutis doctores, & si vlli quomodocunque communi Ecclesiæ & sacris sunt utiles, ad eum numerum referuntur, & communes preces assequi digni sunt. Ad sacrificium autem iam processuris, cui nefas est interesse eos, qui non sunt mysteriis initiati, quos nos catechumenos adhuc vocamus, quod ad auditionem usque & quantum doctrina solum licuit, Christianismum susceperunt, eos eiicit e choro fidelium, lectâ prius pro eis oratione. Oratio autem est, vt ipsi perficiantur, tempus baptismi assecuti. Causa autem

orationis

orationis, est Dei gloria. Vt & ipsi, inquit, nobiscum glorificent omni ex parte venerandum & magnificum nomen tuum. Quam postquam etiam tanquam glorificationem inclamavit & fidelium populum glorificationis participem accepit, aliam facit orationem, in qua primum quidem Deo agit gratias, quod dignus omnino habitus sit coram eo stare, & manus ad eum tollere pro se & aliis: præterea orat, vt dignus semper habeatur hoc facere cum pura conscientia. Causa autem huius quoque orationis est Dei gloria. Quoniam te decet, inquit, omnis gloria: & ita postquam pro more cum populo glorificavit, rursus apud se orat pro seipso, & populo, & seipsum quidem sanctæ mensæ non condemnandum exhibeat, purum ab inquinamento carnis & spiritus: eos autem qui unà precantur, fideles, vt esse mysteriorum participes digni habeantur, absque reatu & condemnatione, & præterea cœlorum regno digni habeantur. Et orationis rursus causa est Dei gloria, in quam omnia facere iubet Paulus, dicens: Omnia in gloriam Dei facite. Hic sit, inquit, nobis semper scopus, Deum glorificare. Agricolæ laborum sibi finem proponunt, fructuum productionem, propter quos lubenter laborant: mercatores autem lucrum, & alij aliud. Vos autem in omnibus quæ facitis, gloriam Dei quærite. Servi enim sumus, hoc Domino debentes ministerium, vt qui pro ipso & ab initio conditi sumus, & postea empti: propterea invenies Ecclesiam, Dei gloriæ ubique curam gerere, & hoc verbum susque déque clamare, & eam per omnia laudare, & eam omnia existimare, & ad eam omnia facere, orationes, preces, mysteriorum seu sacramentorum celebrationes, adhortationes, quicquid sacrum. Et hæc quidem hoc modo.

CAPVT XXIV.

In introductione sacrorum donorum ad altare.

SAcerdos autem, postquam eum clamore Deum glorificavit, venit ad dona & cum ea in caput valde honeste & reverenter sustulit, egreditur: & sic ea ferens, ducit ad altare, de industria circumducens in templo propter populum, quiete & pedetentim. Ipsi autem canunt, & genua cum omni reverentia & religione inflectunt, rogantes vt eorum sit memor in donorum oblatione. Ipse autem procedit comitatus lampadibus & suffitibus, & ita se habens, altare ingreditur. Hæc autem fiunt quidem ad vsum, oportebat enim afferri & in altari reponi dona quæ sunt sacrificanda, idque cum quam maximo fieri potest honore & reverentia. Ita enim introducebantur dona Dei, quandoquidem & Reges, cum oporteret ipsos dona offerre, rem non aliis committebant, sed ipsi per seipsos ferentes, ea coronati introducebant.

Possunt autem hæc etiam habere significationem vltimæ Christi ostensionis, per quam maxime Hebræorum invidiam accendit, quando etiam profectus est via quæ ducit à patria in Ierusalem, in qua oportebat eum sacrificari, quando & in asino vectus, vrbem ingressus est, à multis deductus, & canticis celebratus. Oportet autem etiam tunc ad sacerdotis genua procidere, & orare ut illis orationibus nostri meminerit. Neque enim est alius modus supplicationis qui tantum possit, & qui magis firmam & stabilem nobis spem præbeat, quam qui fit per hoc venerandum sacrificium, quod impietates & iniquitates mundi gratis purgavit. Si qui autem eorum qui Sacerdote cum donis ingrediente humi procumbunt, tanquam corpus & sanguinem Christi, dona quæ deferunt adorant & alloquuntur, ab ingressu præsanctificatorum donorum decepti sunt, ignorantes differentiam huius & illius sacrificij. Hoc enim in ipso ingressu non sacrificata habet dona, & nondum perfecta: illud autem perfecta & sanctificata, & corpus & sanguinem Christi. Et hæc quidem sic habent.

CAPVT XXV.

De precibus post pretiosorum donorum introductionem & preceptis Sacerdotis ad populum.

SAcerdos autem dona quidem ponit super mensam: Ipse autem, ut qui iam versetur in mysterij celebratione, & venerandam sit hostiam contrectaturus, adhuc seipsum componit, & per preces purgat, & ad sacrificium præparat, & non solum seipsum, sed circumsistentem etiam multitudinem præparat, & disponit ad gratiam oratione, & inter se invicem dilectione, & fidei confessione. In his autem consistit universa præparatio, quam Dominus iussit, dicens: Estote parati. Hæc enim fides & opera: fides quidem quæ apparet per confessionem: opera autem per charitatem, quæ finis omnis boni operis, & summa omnis virtutis. Sed hæc quidem paulo post. Ante hæc autem fideles qui circumsistunt orare iubet pro iis pro quibus tunc orare oportet. Pro propositis, inquit, donis orate Dominum. Pro eo quod est propositum Deo supplicemus, vt dona sanctificentur, & ad finem perducatur, quæ fuit ab initio propositio. Deinde cum alia etiam adiecit pro quibus oportet Deum orare, & tandem eum seipsos, & inter se invicem, & totam suam vitam iussit Deo commendare: deinde cum ipse quoque ultimam orationis partem, quam apud se ad Deum fecit, audientibus omnibus ut mos est, alta voce clamavit, & glorificavit, & ipsos glorificationis participes accepit, postea pacem omnibus inter se invicem precatur, & suadet.

Postquam enim dixit, Pax omnibus. Subiungit, Diligamus invicem. Quoniam autem pro se invicem precari, est præceptum Apostolicum, propterea populus quoque ei ipsam pacem precatur, dicens: Et cum spiritu tuo. Quia autem nostram inter nos invicem dilectionem, etiam amor Dei, Dei autem dilectionem, fides in eum perfecta & viva consequitur, propterea qui dixit dilectionem, & se invicem diligere hortatus est, statim introduxit confessionem fidei: vt in concordia, inquit, confiteamur. Et fideles clamant quem confiteri oportet, Deum, sanctam Trinitatem.

CAPVT XXVI.

De confessione fidei, & de iis quæ post ipsam sacerdos fidelibus suadet & precatur & de iis quæ illi ipsi respondent.

DEinde Sacerdos adhuc iubet omnes dicere quæ de Deo didicerunt, & credunt, veram sapientiam de qua dicit Apostolus. Sapientiam autem loquimur inter perfectos, quam sapientiam mundus non cognovit, scilicet mundi sapientes, & qui sensibilium cognitione nihil maius nec altius norunt, neque omnino esse credunt. In hac sapientia iubet omnes portas aperire, ora nostra, aures nostras. In hac, inquit, aperire sapientia, eadem assidue & dicentes, & audientes, & hoc non socorditer, sed diligenter facite, & attendentes vobis ipsis. Ipsi autem omnem exclamant confessionem fidei symbolum. Deinde sacerdos, Stemus, recte, stemus cum timore. In hac, inquit, confessione stemus, nec propter aptum ad persuadendum hæreticorum sermonem moveamur. Stemus cum timore: quia magnum est periculum iis qui dubitationem aliquam de hac fide in anima susceperunt.

Ita firmiter in fide stantibus, inquit, etiam donorum nostrorum ad Deum oblatio secundum rationem fiat. Qui autem secundum rationem? In pace. Attendamus, inquit, sanctam oblationem in pace offerre. Recordemini enim verborum Domini: Si offeras munus tuum, & recordatus fueris quod habet quispiam aliquid adversus te, primùm reconciliare, deinde accedens offer munus tuum. Fideles autem respondent: Offerimus non solum cum pace, sed etiam ipsam pacem loco muneris & alius sacrificij. Misericordiam offerimus ei qui dixit: Misericordiam volo, & non sacrificium. Misericordia autem est fœtus firmæ & puræ pacis. Quando enim animam nulla perturbat affectio, nihil vetat quo minus ea sit plena misericordia, & sacrificio laudis. Hæc autem postquam dixerunt, precatur sacerdos quæ sunt omnium divinissima & maxima. Gratia Domini nostri Iesu Christi, & dilectio Dei & Patris & communicatio sancti Spiritus, sit cum vobis omnibus. Et ipsi etiam eadem pro Sacerdote orantes: Et cum spiritu tuo, ad eum respondent, convenienter præcepto quod iubet pro se invicem orare. Hæc autem oratio sumpta quidem est ex epistolis beati Pauli. Postulat autem nobis à sancta Trinitate bona, omne donum perfectum: & hæc ab vnaquæque ex beatis personis proprio quodam nomine appellat. A filio quidem gratiam: à patre vero, dilectionem: à sancto autem Spiritu communicationem. Quia enim filius iis qui nihil contulerant, sed etiam adhuc debendi rei erant, seipsum nobis servatorem præbuit: etenim cum impij adhuc essemus, inquit, pro nobis mortuus est: eius nostri cura, gratia est. Quia autem pater per passiones filij humano generi reconciliatus est, & dilexit inimicos, propterea ea quæ ille in nos fecit, appellatur dilectio. Quia autem amicis ex inimicis effectis oportebat eum qui dives est in misericordia, propria bona communicare, hoc facit Spiritus sanctus qui venit ad Apostolos. Propterea illius in homines benignitas communicatio dicitur. Sed dixerit quispiam, hæc omnia bona, cum advenit Servator, hominibus data esse: quid est ergo adhuc opus ratione pro bonis quæ iam data sunt? Clarum est, quod ne ea accepta amittamus, sed ea perpetuo habeamus: & ideo non dixit: Dentur vobis omnibus, vt ea quæ iam data erant, sed sint cum vobis omnibus. Non recedat, inquit, à vobis gratia quæ data est. Postquam autem eos eiusmodi oratione dignatus est, & sic animas erexit, cogitationes eorum à terra extollit, & dicit: Sursum corda habeamus. Quæ supra sunt cogitemus, non quæ in terra. Illi autem consentiunt, & dicunt se illic corda habere, vbi est thesaurus noster, ubi est Christus in dextera patris sedens. Habemus ad Dominum.

CAPVT XXVII.

De sanctificatione donorum, & quæ eam præcedit gratiarum actione.

QVi autem pulcherrime & sanctissime sic affectus est quid restat, nisi vt ad gratias agendas convertatur Deo, qui bona omnia suppeditat? maxime primum sacerdotem imitans, Deo & patri gratias agentem, antequam daret sacramentum communionis. Ipse etiam ante orationem mysterij, per quam sancta consecrat, hanc gratiarum actionem fundit ad Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi. Gratias agamus Domino, & cum omnes consenserint, & dignum & iustum est, dixerint, ipse Deo offert gratiarum actionem: & postquam ipsum glorificavit, & cum Angelis laudavit, & gratias pro bonis omnibus egit quæ ab æterno in nos contulit, & postremo arcanæ eius, & quæ omnem sermonem & rationem excedit incarnationis meminit, deinde pretiosa dona consecrat, & totum sacrificium peragitur & quomodo. Cum venerandam illam cœnam narravit, & quomodo ipsam ante passionem dedit sanctis suis discipulis, & quod accepit calicem, & quod accepit panem, & actis gratiis sanctificavit, & quod dixit ea per quæ significavit mysterium & cum ea ipsa verba dixit, deinde procidit, & orat, & supplicat, divinas illas voces ipsius vnigeniti Servatoris nostri etiam in donis propositis applicans, ut suscepto eius sanctissimo & omnipotente Spiritu, convertatur quidem panis in ipsum corpus, & vinum in pretiosum & sanctum eius sanguinem. Hæc quum oravit, & dixit, universum sacrificium peractum & perfectum est, & dona sunt sanctificata, & hostia integra, & perfecta effecta est, & magna hostia & victima, quæ pro mundo mactata est, supra sacram mensam sita cernitur: panis enim non amplius figura Dominici corporis; neque donum ferens imaginem veri doni, neque ferens aliquam descriptionem ipsius Servatoris passionum tanquam in tabula: sed ipsum verum donum, ipsum sanctissimum corpus Domini, quod omnia illa vere suscepit, probra, contumelias, vibices, quod crucifixum, quod interfectum, quod sub Pontio Pilato pulchrum testimonium confessum est, quod colaphis appetitum, contumeliis affectum, sputa passum est, & fel gustavit. Similiter & vinum, ipse sanguis qui exiliit occiso corpore, hoc corpus, & sanguis qui ex Spiritu sancto constitutus est, natus ex Maria virgine, qui sepultus est, qui resurrexit tertio die, qui ascendit in cœlos, & sedet ad dexteram patris.

CAPVT XXVIII.

Vndenam Sacramentum firmiter & secure credimus.

ET quænam est fides? Ipse dixit: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus. Ipse etiam iussit Apostolis, & per illos universæ Ecclesiæ, hoc facere. Hoc enim, inquit, facite in meam recordationem. Non iussisset autem facere, nisi esset potestatem daturus, vt possent hoc facere. Et quænam est potestas? Spiritus sanctus, qui ex alto Apostolos armavit, sicut à Domino ipsis dictum est: Sedete in civitate Ierusalem, donec induamini virtute ex alto. Hoc est opus illius descensus. Non enim semel descendit, deinde nos reliquit, sed est & erit semper nobiscum. Propterea enim eum misit Servator, vt nobiscum maneat in æternum. Et alium, inquit, advocatum mittam vobis, vt maneat vobiscum in æternum spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt ipsum, nec cognoscit ipsum: vos autẽ cognoscitis ipsum, quia apud vos manet, & est in vobis. Is per manũ & linguam sacerdotum mysterium peragit. Neque vero spiritum solũ misit ad nos Dominus, vt maneat nobiscum: sed ipse etiam pollicitus est, se nobiscum mansurum vsque ad consummationem sæculi: sed paracletus quidem adest invisibiliter, quia ipse corpus non gestavit. Dominus autem videtur & contrectatur per veneranda & sacra mysteria, vt qui nostram naturam & susceperit, & ferat in æternum. Hæc est sacerdotij potestas, hic est sacerdos. Etenim qui seipsum semel obtulit & sacrificavit, à sacerdotio non cessavit, sed perpetuum hoc sacrificij munus nobis obit, per quod etiam est advocatus pro nobis ad Deum in æternum. Qua de causa ei dictum est, Tu es sacerdos in æternum. Propterea nulla est fidelibus de donorum sanctificatione dubitatio, nec de aliis mysteriis, si secundum propositum & sacerdotum preces peragantur. Et hæc quidem hactenus.

Duo hæc integra capita nempe 29. & 30. merito in totum essent expungenda, nam delirat Græcus iste schismaticus existimans non solis verbis istis consecrationis confici Eucharistiam, sed aliis quoque, quæ ex Græcorum Liturgiis apponuntur. Verum fœdum istum Græcorum errorem egregie confutarunt Bessarion Cardinalis Nicænus libro

A *de verbis consecrationis, & alij innumeri orthodoxi. Vide Bellarminum lib. 4. de Eucharistia, cap. 12. 13. 14.*

CAPVT XXIX.

HIc autem Latini quidam nostra reprehendunt. Dicunt enim post verbum Domini, accipite, comedite, & quæ sequuntur, ad hoc ut sanctificentur dona, nullâ amplius opus habere oratione, ut quæ à verbo Domini perfecta sint: propterea qui post quam hæc verba dixerint, panem & vinum nominant, & tanquam nondum sanctificati precantur sanctificationem, præter id quod infidelitate laborant, inquiunt vanam quandam rem & supervacaneam faciunt. Quod autem hoc verbum est quod dona perficit, beatus inquiunt Chrysostomus testatur, dicens, quod quemadmodum B opifex sermo, hic scilicet, Crescite & multiplicamini, semel quidem à Deo dictus est, semper autem operatur: ita etiam hoc verbum semel à Servatore dictum, perpetuo operatur. Qui ergo suæ orationi magis confidunt, quam verbo Domini, primum quidem eum accusant imbecillitatis: Deinde sibiipsis magis videntur confidere: & tertio, rem tantam, nempe sacramentum, à re dubia videlicet humana oratione, volunt pendere, & quod oportet firmissime credere, efficiunt plenum dubitatione. Non enim necesse est eum qui orat, exaudire, etiam si sit virtute Paulus. Hæc autem omnia non est solvere difficile: & primùm ab ipsis verbis divi Ioannis quibus nituntur. Si enim hoc verbum id potest quod sermo opifex, illud consideremus. Dixit Deus, Crescite & multiplicamini. Quid ergo? Post illum sermonem nullo adhuc egemus, & nullo nobis alio opus est ad generis incrementum? an etiam matrimonio & coniunctione, & alia cura opus est, & sine his fieri non potest, vt genus constet & propagetur? Ergo sicut illic ad liberorum procreationem matrimonium necessarium ducimus: & post matrimonium pro eo ipso rursus oramus, nec videmur opi- C ficem Sermonem habere despicatui, scientes ipsum quidem esse causam generationis, sed hoc modo per matrimonium, per nutrimentum, per alia: ita etiam credimus ipsum esse quod operatur mysterium, Domini scilicet verbum, sed sic per Sacerdotem, per eius interpellationem & orationem. Non enim per omnia simpliciter operatur, neque quomodocunque: sed multa sunt quæ requiruntur, sine quibus non faciet quæ sua sunt. De morte autem Christi, quis nescit eam esse solam, quæ peccatorum remissionem in mundum introduxerit: Sed illud etiam scimus, quod post mortem illam etiam fide & pœnitentia & confessione opus est, & Sacerdotum oratione, nec potest homo solui à peccatis, nisi hæc præcesserint: Quid igitur? mortemne illam despicimus, & eam impotentiæ condemnamus, quod existimamus non sufficere quæ eius sunt, nisi etiam nostra ipsorum afferamus? Neqnaquam. Neque ergo merito accusandi sunt qui orant ut dona perficiantur. Quandoquidem nec orationi confidentes sibi ipsis con- D fidunt, sed Deo, qui se daturum est pollicitus. Contrarium enim postulat orationis ratio. Hoc est enim quod orationis causa est iis qui orant, quod sibiipsis non fidant de iis quæ petuntur: sed credant se à Deo solo ea inventuros. Et hoc clamat is qui orat, dum seipso relicto ad Deum confugit quod suam condemnavit potentiam, & propterea universum Deo permittit. Non est, inquit, hoc meum, neque mearum virium, sed te indiget & tibi universum committo: & maxime quãdo quæ sunt super naturam & omnem vincunt rationem, oramus, ut quæ sunt mysteriorum. Tunc enim soli Deo confidere orantes omnino necesse est. Hæc enim neque potuisset homo cogitare, nisi Deus docuisset: nec desiderare, nisi ille suasisset: neque expectasset accipere, nisi qui à mendacio est alienus, eam spem dedisset. Quare nec pro iis quidem orare ausus esset aliquis, nisi ipse certe ostendisset, quod ea vult peti & suppeditare iis qui ea prompte petunt. Propterea nec dubia est oratio, nec finem habet incertum, quum ipse Dominus per omnia ostenderit se velle dare. Propterea mysteriorum sanctificationem orationi Sacerdotis credimus, non tanquam alieni humanæ, sed tanquam Dei potentiæ fidentes. Non enim propter orantem hominem, sed propter Deum exaudientem, neque quod ille rogavit, sed quod veritas se esse daturum est pollicita. Quod autem Christus ostendit se hanc semper velle nobis gratiam dare, nec dicere quidem opus est. Propterea enim in terram venit & sacrificatus est & mortuus, & propterea altaria & Sacerdotes & omnis purgatio, & omnia præcepta & doctrinæ & adhortationes, ut hanc nobis mensam apponat. Propterea illud etiam Pascha se desiderare dicebat, quod hoc verum Pascha erat discipulis traditurus? propterea iussit, Hoc facite in meam recordationem, quod vult semper, à nobis sacrum fieri. Quæ ergo fuerit orantibus dubitatio de eo quod petitur, si accepturi sunt? quod hi quidem orant ut acipiant: qui autem dare potest, dare cupit. Ita qui sanctificationi donorum per orationem confidunt, nec Servatoris voces despiciunt, nec à re dubia, humanâ scilicet oratione, mysterium dependere oportere statuunt, ut Latini nos frustra criminantur. Nam etiam sanctissimum unguentum, quod eiusdem esse ordinis cum divina communione dicit Beatus Dionisius oratione peragitur, & sanctificatur. Quod autem operando sacramento deserviat & sanctificet, nulla est piis dubitatio, & sacerdotis & Pontificis ordinatio simili modo per orationem peragitur. Oremus enim, inquit, pro ipso, ut veniat in ipsum gratia sanctissimi spiritus: post impositionem manus, iis qui ordinat ad clerum clamat, & in ea quæ fit in Latinorum Ecclesia Pontificis ordinatione, postquam infudit, unguentum in caput eius qui ordinatur, qui ordinat, optat locupletem S. Spiritus gratiam in eum descendere. Peccatorum quoque remissio pœnitentibus datur per orationem Sacerdotum, & ultimum olei sacramentum similiter perficit Sacerdotum oratio, quod etiam corporalis morbi medelam & peccatorum remissionẽ dat iis quibus peragitur, ut habet Apostolica traditio. Infirmatur enim aliquis in vobis, inquit, accersat Presbyteros Ecclesiæ, & orent pro ipso ungentes eum oleo, & oratio fidei servabit laborantem, & suscitabit eum Dominus: & si peccata fecerit; remittentur ei. Qui ergo orationem in sacramentis reprobant, ad hæc quid dicent? Si enim est incertum quod fit à precibus, ut ipsi dicunt, incertum quidem est an id sit Sacerdos quod esse dicitur: incertum autem an unguentum possit sanctificare, & ita nec sacramentum quidem constare potest sacræ communionis, cum neque sit vere Sacerdos, nec altare. Neque enim verbum Domini ab idiota privatave persona dictum, efficiendi sacramenti vim ipsi habere dixerint, neque sine altari. Altare enim supra quod panis ponendus est, unguento sanctificatur, quod quidem unguentum precibus conficitur. Præterea autem peccatorum remissionem quis Sacerdos nobis certo dabit, si de eorum oratione dubitetur? Et nihil omnino aliud restat, quam ut omnem Christianismum de medio tollant, qui eorum novitates sequuntur. Videtur ergo quod illius potius, si ita censent, in dubio virtus sita est, resque in magno periculo versatur iis qui à paternis traditionibus & quæ in iis est securitate, aliena excogitant. Quod enim orationibus Deus annuit, & dat Spiritum sanctum iis qui ipsum petunt & nihil sit impossibile iis qui cum fide ipsum rogant, ipse dixit Deus: nec ulla ratione fieri potest quin hæc vera sint. Quod autem tale quid evenerit iis qui quidpiam ex eloquiis narrant, nusquam dicitur. Et oratione quidem sacramenta peragere, tradiderunt patres, qui ab Apostolis & qui eis successerunt, acceperunt, & alia sicut dixi, & sacram Eucharistiam, post multos alios & magnus Basilius & Ioannes Chrysostomus magnæ Ecclesiæ doctores, quibus qui contradicunt, eorum nullam rationem ducere oportet eos qui

pij esse volunt. Quod autem sermo Domini, qui de mysteriis in forma narrationis dicitur, sufficiat ad donorum sanctificationem, nullus neque Apostolus, nec doctor dixisse cernitur. Sed quod semel à Domino dictus, eo ipso quod ab illo dictus sit sicut opifex sermo, semper operatur, & dicit etiam beatus Ioannes. Quod autem nunc dictus à Sacerdote, eo quod ab ipso dicatur, hoc possit, nullo ex loco sciri potest, quandoquidem nec ipse sermo opifex operatur, quod in unoquoque eorum quæ fiunt, ab aliquo homine dicatur, sed quòd semel à Deo dictus sit.

CAPVT XXX.

Quod etiam in Latinorum Ecclesia, eodem quo apud nos modo sacrum celebratur mysterium.

QVod autem os eis omnino obstruit, est quod etiam Latinorum ecclesia, ad quam se referre videntur, post verbum Domini, pro donis orare non recusat. Ij autem ideo falluntur, quod Latini non statim post Domini prolatum sermonem orant, & quod non apertè petunt sanctificationem & mutationem in corpus Dominicum, sed aliis utuntur nominibus eò ferentibus, & quæ tantumdem valent. Quæ est autem oratio? Iube sursum ferri dona hæc in manu Angeli ad supercœleste tuum altare. Dicant enim quid hoc est, Sursum dona deferri. Vel enim localem eis translationem precantur à terra & inferioribus locis in cœlum, vel dignam aliquam & ab humilioribus ad altiora mutationem. Sed si primum quidem, quid hac nobis oratione opus est, ut à nobis tollantur sancta, quæ apud nos esse & in nobis manere & oramus & credimus: tanquam hoc sit, esse Christum nobiscum usque ad consummationē sæculi? Quomodo autem non credunt, si hoc Christi corpus & cognoscunt, quod & in nobis est, & est supercœleste, & sedet ad dexteram patris? quo ipse novit modo. Quomodo autem fuerit quod nondum est supercœleste, ipsum corpus Christi, quod est supercœleste? Quomodo autem etiam sursum feretur in manu Angeli, quod super omnem principatum & potestatem & virtutem & omne nomen quod nominatur? Sin autem dignam aliquam & in melius mutationem orant, non video quomodo non sint insigni impietate futuri, si etiam ipsum esse Christi corpus cognoscunt, & ad melius quid & sanctius id venturum esse credunt. Vnde manifestum est eos omnino scire ea adhuc esse panem & vinum quæ sanctificationem nondum susceperunt, & propterea pro ipsis quidem orant, vt quæ oratione adhuc indigent. Orant autem vt ea sursum ferantur, ut quæ adhuc inferius sita sint & ad altare, vt quæ nondum sint sacrificata, ut illic posita sacrificentur. Opus autem habent manu Angeli, nempe quod secundæ humanæ Hierarchiæ (vt vult divinus Dionysius,) à prima Angelorum Hierarchia auxilium feratur. Hæc oratio nihil aliud confert donis quam mutationem in corpus & sanguinem Domini. Non enim locus super cœlos Deo separatus, in quo oportet sacrificare, altare illud existimandum est. Ea enim ratione non multum differemus ab iis qui in monte Samariæ dicunt esse locum ubi oportet adorare, vel Hierosolymis, sed quoniam, ut ait beatus Paulus, vnus Deus vnus etiam intercessor Dei & hominum Iesus Christus, omnia quæ intercedendi vim habent, & sanctificationem nobis præbent, solus est ipse Servator. Quænam ergo sunt quæ intercedendi vim habent & sanctificationem nobis præbent, solus est ipse Servator. Quænam ergo sunt quæ intercedendi vim habent & sanctificant? Sacerdos, hostia, altare. Etenim & altare sanctificat, vt vult sermo Domini. Altare enim, inquit, quod donum sanctificat. Ergo quoniam solus ipse est qui sanctificat: solus fuerit Sacerdos & Hostia & Altare. Et quod Sacerdos quidem & hostia, ipse dixit: Pro ipsis enim inquit, ego sanctifico meipsum. Quod autem etiam altare, sanctissimus testatur Dyonisius, dicens in libro de unguento: Si enim est divinissimum nostrum Altare Iesus, divina divinarum mentium consecratio, in quo, vt vult eloquium, consecrati & mysticè tanquam holocaustum sacrificati oblationem habemus, supermundanis oculis aspiciamus ipsum divinissimum Altare. Ad hoc supercœleste altare orat Sacerdos dona sursum ferri, quod est sanctificari, in ipsum supercœleste Christi corpus mutari, non locum mutanti & à te ea translata in cœlum, quoniam videmus ipsa adhuc apud nos esse, & post orationē nihilo secius. Quoniam enim altare sanctificat dona ei superimposita, idem est orare vt dona sanctificentur, & in altari posita esse. Quæ est autem sanctificatio, quæ altare sanctificat? dona imposita & quo ipse Sacerdos seipsum sanctificavit? Oblata esse Deo dona & sacrificata. Quoniam enim idem est & sacerdos, & altare, & hostia, idem est à sacerdote sacrificatum esse, & in hostiam illam mutatum esse, & in illo supercœlesti altari posita & dedicata esse. Propterea si cum aliquod horum trium receperis; ores, universum oras, habes quod petis, perfecisti sacrificium. Vestri quidem Sacerdotes, tanquam hostiam Christum aspicientes, orant vt dona in illo ponantur, verbis diversis & sermonibus vnam & eandem rem orantes. Et ideo nostri Sacerdotes, postquam oraverint vt dona in divinum corpus & sanguinem mutentur, recordantes supercœlestis altaris, non amplius orant vt dona ad ipsum sursum ferantur, sed tanquam iis iam sursum latis & susceptis, orant vt nobis dimittatur gratia & donum sancti Spiritus. Oremus, inquit, pro sanctificatis donis. Vt sanctificentur? Minime. Sunt enim sanctificata, sed vt nos sanctificent, vt Deus qui ea sanctificavit nos quoque per ea sanctificet. Clarum est ergo, quod contemnere orationem pro donis post sermonem Domini, ne Latinorum quidem omnino est Ecclesiæ, sed paucorum quorundam & recentiorum, qui ei quoque in aliis detrimentum afferunt, vt qui ad nihil aliud se tam opportunè gerunt, quam ad aliquid novum dicendum & audiendum. Et hæc quidem de oratione.

CAPVT XXXI.

Quanam de causa Sacerdos ad donorum sanctificationem, non filium, sed patrem invocat.

SEd quanam de causa, non filium ad dona sanctificanda vocat sacerdos, cum is sit, & sacerdos, & sanctificet, sicut dictum est, sed patrem? Vt scias quod Servator habet illud, nempe sanctificare, non ut homo, sed ut Deus, per divinam potentiam, quam habet communem cum patre.

Hoc ipsum etiam volens Dominus significare, quando peregit mysterium, in cœlum aspexit, & patri panem ostendit. Ea de causa etiam nonnulla miracula ita videbatur facere sub specie orationis ad Deum, vt ostēderet non esse hæc humanæ naturæ per quam habuit matrem in terra, sed suæ divinitatis per quam Deum habuit patrem. Porro autem quando crucem erat ascensurus, volens significare duas voluntates, divinam scilicet, & humanam, suæ quidem divinitatis voluntatem patri attribuit, humanitatis autem voluntatem suam esse dixit. Non sicut ego volo, inquit, sed sicut vis, & non mea voluntas, sed tua fiat. Quod enim ipse etiam hanc habuit voluntatem, quam patris implevit, ex his ipsis etiam verbis manifestum est, in quibus videtur separare voluntatem suam à voluntate patris. Hoc enim, Non voluntas mea, sed tua fiat, est eius qui assentitur & vult eadem. Id etiam ostendit quando Petrum increpavit, qui crucem eius & mortem deprecabatur: & præterea quando dixit, Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam ego patiar. Pascha, inquit, ante passionem desideravi prope-

modum

modum dicens, Desiderio desideravi ipsa passionis videre vestibula. Et hæc quidem hactenus.

CAPVT XXXII.

De sacrificio ipso, & quid est quod sacrificium suscepit.

DE ipso autem sacrificio operæpretium est illud quærere. Quia enim non figura sacrificij, neque sanguinis imago, sed vere ell mactatio & sacrificinm, quæramus quid est sacrificatum, panis an corpus Domini? videlicet quando dona sacrificantur, prius quam sunt sanctificata, an postea. Et si panis quidem est quod sacrificatur, primum quidem quodnam fuerit panis sacrificium. Deinde non est hoc nobis mysterium, videre panem mactatum, sed agnum Dei qui sua morte tollit peccata mundi. Sin autem ipsum Dominicum corpus sacrificatur, hoc certe ne fieri quidem potest. Non enim amplius occidi vel percuti potest, cum iam ab interitu & corruptione alienum & immortale effectum sit. Quod si fieri posset vt adhuc aliquid tale pateretur, oporteret esse & qui crucifigerent, & omnia alia convenire quæ illud sacrificium effecerunt, siquidem non figura mactationis, sed vera mactatio esse ponitur. Deinde quomodo Christus semel mortuus, & suscitatus, non amplius moritur: & semel passus est in consummatione sæculi: & semel dicitur oblatus, ut multorum peccata offerret? Si enim in unaquaque mysterij celebratione ipse sacrificatur, quotidie moritur. Quid ad hæc ergo dicendum est? Sacrificium neque antequam panis sanctificetur, neque postquam est sanctificatus, peragitur, sed eo ipso tempore quo sanctificatur. Sic enim necesse est, omnia quæ Deo creduntur, conservari, & nihil omnino excidere. Quænam autem ea sunt? Sacrificium hoc non esse imaginem & figuram sacrificij, sed verum sacrificium, non esse panem id quod sacrificatur, sed ipsum Christi corpus, & prætetea unum esse agni sacrificium, & quod semel factum est. Et primum videamus, an non figura, sed re ipsa sacrificium sit mysterij celebratio. Quod enim est ovis sacrificium quæ ab eo quod non est omnino occisum, in occisum fit mutatio, hoc etiam hic fit. Panis enim qui est insacrificatus mutatur tunc in id quod est sacrificatum. Mutatur enim à pane non mactato in ipsum corpus Christi quod vere mactatum est. Vnde qnemadmodum in ove mutatio, vere sacrificium operatur: ita iam hic propter hanc mutationem id quod peragitur, verum est sacrificium, mutatur enim non in figuram; sed in rem mactationis, in ipsum corpus Christi quod sacrificatum est. Sed si panis quidem manens fuisset sacrificatus, panis esset qui mactationem suscepit, & fuisset mactatio tunc panis sacrificium. Quoniam autem utraque mutata sunt, & insacrificatum & panis: & factus est pro insacrificato quidem sacrificatus, pro pane autem corpus Christi: propterea mactatio illa non in pane, sed tanquam in subiecto considerata, corpore Christi, non panis, sed agni Dei sacrificium, & est, & dicitur. Clarum est autem quod his positis, nihil necesse est multas fieri oblationes corporis Domini. Quia enim sic hoc sacrificium agno non tunc occiso, sed pane mutato in agnum occisum, clarum est quod fit quidem mutatio, sed non tunc fit occisio, & sic id quod mutatur quidem, multa, & mutatio sæpe: id autem in quod mutatur, nihil prohibet vnum & idem esse, sicut vnum corpus, ita etiam occisionem corporis vnam. Et hæc quidem de his.

CAPVT XXXIII.

De orationibus post sacrificium, & quanam est oratio, propter quam hic meminit sanctorum, & præcipue sanctissimæ.

SAcerdos autem, peracto sacrificio, & pignus Dei benignitatis videns; agnum eius propositum, tanquam iam intercessore acceptu, & secum habens advocatum, notas facit suas ad Deum petitiones: effundit preces cum bona iam & firma spe: & quorum panes proponens meminit, & pro quibus preces in celebrandi mysterij præparatione fecit, & dona obtulit, & vt ea susciperentur, supplicavit, ea his iam susceptis, vt in opus exeant orat. Quænam autem sunt hæc? Communia, & vivis, & iis qui excesserunt. Vt pro donis gratia demittatur à Deo qui illa suscepit: separatim autem defunctis quidem animarum requiem, & regni hæreditatem cum sanctis consummatis: Vivis autem, vt sint sanctæ mensæ participes, & sanctificentur, & nemo eius in iudicium vel condemnationem particeps remissionem peccatorum, pacem, fertilitatem, rerum necessariarũ suppeditationem & postremo vt regno digni apud Deum appareant. Quia autem oblatio sacrificij, non solum versatur in supplicatione, sed etiam gratiarum actione: quemadmodum in proœmio celebrationis mysterij, quando sacerdos tanquam dona Deo dedicat quæ offeruntur, & gratiarum actionem ostendit, & supplicationem: ita etiam nunc sacrificatis, & perfectis donis, & per ea Deo gratias agit & offertur supplicationem, & ponit quidem gratiarum agendarum causas, adiicit autem etiam supplicationis materiam. Et quænam sunt causæ agendi gratias? Sancti, sicut prius dictum est. In iis enim Ecclesia invenit quod petebat, & quod orabat assecuta est, nempe regnũ cœlorum. Quæ est autem materia supplicationis? qui nondum sunt consummati, qui opus habent oratione. Et de sanctis quidem, Prætera offerimus tibi, inquit, rationabilem hunc cultum, pro iis qui in fide prius requieverunt, Patribus, Patriarchis, Apostolis, Prophetis, Evangelistis, Martyribus, Confessoribus Continentibus & quolibet spiritu in pace consummato, præcipue autem sanctissima intemerata Domina nostra Deipara & semper virgine Maria: & deinceps enumerat omnem sanctorum cœtum. Hi sunt Ecclesiæ agendarum Deo gratiarum causæ. Pro iis offert rationabilem hunc cultum, tanquam Deo gratiarum actionem, & præ cæteris omnibus pro beata Dei matre, vt quæ omnem sanctitatem excedat. Propterea nihil pro eis orat sacerdos, sed potius eos orat, ut ab eis in orationibus adiuvetur. Quia non ad supplicationem, sed ad gratiarum actionem, ut dictum est, facit pro ipsis donorum oblationem. Post hæc affert etiam supplicationem & enumerat ea pro quibus supplicat & precatur omnibus salutem, & si quod bonum est vnicuique congruens & conveniens.

In quibus hæc etiam dicit, Prætetea offerimus tibi rationabilem hunc cultum, pro orbe terrarum, pro sancta Catholica & Apostolica Ecclesia, pro iis qui in veneranda Reipublicæ administratione versantur, pro fidelissimis & Christi amantissimis Imperatoribus nostris. Et hæc orat. Et ita quidem beatus Ioannes duplicem sacri huius cultus habitum esse significans, gratiarum actionis & supplicationis, seorsum quidem ponit eos pro quibus agit gratias, seorsum autem pro quibus supplicat. Divinus autem Basilius admiscet supplicationi gratiarum actionem. Et ita facit vbique in sacri mysterij celebratione, & omnes fere eius orationes invenerís, quæ utramque vim habent. Meminit autem etiam sanctorum, quorum & divus Ioannes etiam in eodem loco sacrificij, sed non eodem modo. Postquam enim oravit vt omnes digni habeantur communione

sacramentorum,

sacramentorum, non in iudicium, vel in condemnationem, subiungit. Sed ut inveniamus gratiam cum omnibus Sanctis, qui tibi à sæculo placuerunt, maioribus nostris, avis, Patribus, Patriarchis, & quæ sequuntur: deinde præcipue sanctissima. Sed hæc quidem verba habent supplicationem: ostendunt autem etiam gratiarum actioné, & Deum generis benefactorem prędicant, vbi meminit eorum hominum qui ab ipso sanctificati sunt, & consummati, propemodum dicens: Vt des nobis gratiam, quam sanctis prius dedisti: ut nos sanctifices, sicut & alios prius sanctificasti, qui sunt eiusdem generis nobiscum. Et de iis quidem hæc sufficiunt.

CAPVT XXXIV.

De eis Sacerdos pro se orat pro sacris donis, & de iis quæ iubet fideles orare.

SAcerdos autem postquam omnibus ea quæ par est oraverit, etiam pro se orat vt à donis sanctificetur. Quanam sanctificatione? Vt accipiat remissionem peccatorum. Hoc enim est donorum principale officium. Et vndenam potest hoc sciri? Ex iis quæ Dominus dixit, Apostolis panem ostendens: Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum. Et in calice similiter, Memento, inquit, Domine etiam meæ indignitatis, & condona mihi omne delictum voluntarium & involuntarium. Et ne propter mea peccata prohibueris gratiam sancti Spiritus à donis propositis. Remissionem peccatorum dat sanctus Spiritus iis qui sunt donorum participes. Hæc, inquit, gratia in me ne prohibeatur ex donis propter mea peccata. Dupliciter enim dicitur gratia operari in preciosis donis. Vno quidem modo per quem ipsa sanctificantur. Alio per quem gratia nos per ipsa sanctificat. Primo ergo modo, in donis gratiam operari nullum potest humanum malū vetare. Sed quemadmodum eorum sanctificatio, non est humanæ virtutis opus, ita nec fieri potest ut eam hominum vitium prohibeat. Secundus autem nostro etiam studio & diligentia indiget. Nos enim gratia per dona sanctificat, si nos ad sanctificationem aptos & accommodatos repererit. Sin autem in nos imparatos inciderit, nec vllam utilitatem attulerit, & plurimum etiam detrimentum damnumque dederit. Hanc gratiam, sive est solum remissio peccatorum, sive cum illa etiam aliud donum dator, iis qui cum pura conscientia sacram hanc cœnam sumunt, orat sacerdos ne à donis prohibeatur, vt quæ possit prohiberi per humanum vitium. Hanc facit orationem etiam paulo post cum vniversa communiter multitudine: postquam enim omnibus concordiam precatus est, vt vno ore & corde Deum glorificent, sic quoque disponit annuncians misericordiam magni Dei & Servatoris nostri Iesu Christi. Deinde iubet eos rogare Deum & ad eum facere illam orationem quam dixit, omnium sanctorum implorato auxilio: hoc enim, scilicet memoriam facere omnium sanctorum, est invocare, orare. Et quid dicit? Oremus Dominum pro donis sanctificatis: non ut ea sanctificationem inscipiant (propterea enim dixi ea sanctificata, ne tu hoc putares) sed vt ipsam nobis impertiant, hoc enim est, benignum & clementem Deum, qui ea suscepit, gratiam nobis vicissim remittere. Oremus, inquit, pro donis, ut in nos operentur, ne ad hanc gratiam non sit potens: sicut quando cum hominibus versabatur hoc omnipotens corpus, in nonnullis civitatibus non poterat signa facere, propter eorum incredulitatem. Cum autem hæc ad populum sic clamavit, deinde ipse quoque per se submisse orat de iisdem Deum precans, vt sint venerabilium mysteriorum participes cum bona conscientia, fruantur autem sacrâ mensâ, peccatorum remissione, Spiritus sancti participatione, regni hæreditate, & non in iudicium vel in condemnationem. Deinde postquam precatus est omnibus Dei auxilium, & custodiam, iubet etiam eos orare, vt totum diem, perfectum, sanctum, pacificum, & sine vllo peccato transigant, habentes custodem Angelum pacis, fidelem, propter Angelum mendacē, cui non est tutum sua credere. Oramus autem pro bono Angelo, non vt tunc nobis detur, datus est enim ab initio vnicuique fidelium Angelus: sed ut operetur, & suo officio fungatur & custodiat, & nos ad viam divinam deducat, & non abscedat succensens propter nostra peccata: ad hæc remissionem peccatorum, & omnia quæ sunt bona & vtilia nostris animabus, & mundo pacem, & præterea in futurum securitatem, in pace & pœnitentia transacto reliquo vitæ tempore, vt sit Christianis finis qui eis convenit, deinde vt seipsos & inter se invicem Deo commendent, & per totam eorum vitam vnitatem fidei & sancti Spiritus communicationem petentes. Quid autem sibi vult fidei vnitas, & sancti Spiritus communicatio, & quam ob causam iis indigemus, prolixe ante dictum est.

CAPVT XXXV.

De oratione à Deo tradita, & inclinatione capitum & gratiarum postea actione ad Deum, & glorificatione.

SEd cum sic ipse ædificavit, & ad bonum omni ex parte instituit, & comparavit, tanquam iam perfectos, & divina adoptione dignos: Deum rogat ut digni habeantur orationem illam cum ipso libere facere, in qua audemus ipsum patrem vocare. Postquam autem omnes illam cum eo dixerint, ipse quoque vltimam eius partem ad Dei glorificationem exclamavit, orationem concludit. Post hoc pacem precatur omnibus. Quum autem eorum nobilitatem sic in mentem revocavit, & patrem Deum vocavit, deinde etiam tanquam Dominum iubet agnoscere, & quæ sunt servorum in ipsum ostendere, & ei capita inclinare, & eo habitu servitutem confiteri: & inclinant non solum tanquam nato à Domino, & opifici & Deo, sed etiam servi empti, ei qui emit pretioso sanguine vnigeniti, pro quo etiam duplices servos nos acquisivit, & filios suos fecit: etenim & servitutem auxit & maiorem reddidit, & adoptionem effecit vnus & idem sanguis. Omnibus autem capita inclinantibus, sacerdos apud se Deo gratias agens pro eorum quæ sunt creatione, precatur ea quæ sunt utilia omnibus, mentionem faciens apud eum, & nominis vnigeniti, & gratiæ eius & benignitatis, tanquam sic petita accepturus, vt ipse Servator professus est: Omnia enim, inquit, quæcunque petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Deinde adiecta glorificatione, audientes circumstante multitudine, laudat sanctissimam Trinitatem, & cum eo glorificationis participes accepit, deinde rursus ad seipsum convertitur, & submissa voce per se precatur. Orans autem vocat ipsum Christum victimam, sacerdotem, panem, vt ipse per eum secum communicet.

CAPVT XXXVI.

De iis quæ Sacerdos clamat ad populum sancta elevans, & de iis quæ illi vicissim ad eum clamant

ET ad mensam & ipse accessurus, & alios vocaturus, quoniam non absolute omnibus sacramentorum communio est licita, ipse quoque non omnes vocat, sed vivifico pane accepto, & elevato, eos qui digne sunt ipsius participes futuri, vocat. Sancta, inquit, sanctis propemodum dicens: Ecce panis vitæ quem

A Accurrite ergo participes futuri, sed non omnes, sed si quis sanctus. Sancta enim sanctis solis permittuntur. Sanctos autem hic non dicit virtute perfectos, sed quicunque ad illam quidem tendunt perfectionem, sed nondum sunt assecuti, etenim eos nihil prohibet sanctorum effectos mysteriorum participes, sanctificari, & hanc partem esse sanctam, sicut & universa Ecclesia sancta esse dicitur, & beatus Apostolus scribens ad universum populum, Fratres sancti, inquit, vocationis supercœlestis participes. Sancti enim vocantur, propter sanctum cuius sunt participes, & quo corpori & sanguini communicant. Membra enim illius corporis existentes, carnes ex carnibus eius, & ossa ex ossibus eius, donec ei coniuncti sumus aptamque compagem & connexionem servamus, vivimus, vitam & sanctificationem per sacramenta ab illo capite & corde trahentes. Postquam autem abscissi fuerimus, & à sanctissimi corporis integritate exciderimus, frustra sacra mysteria B gustamus: nec enim transmittetur vita ad membra mortua & abscissa. Quid autem quod membra abscindit ab illo sancto corpore? Peccata vestra, inquit, dividunt inter me & vos. Quid igitur? Omne peccatum facit hominem mortuum? Nequaquam, sed id solum quod est ad mortem: & ideo ad mortem dicitur. Est enim peccatum non ad mortem, ut vult beatus Ioannes, & ideo eos qui sunt mysteriis initiati, si non eiusmodi peccata peccant, quæ a Christo separant, & mortem afferunt nihil prohibet mysteriis communicantes, sanctificationis esse participes, & propter rem & nomen, ut quæ sint adhuc viva membra, & capiti coniuncti sint. Et ideo cum clamavit sacerdos, sancta sanctis, fideles contra exclamant: Vnus sanctus, unus Dominus Iesus Christus in gloria Dei Patris. Nemo enim ex se habet sanctificationem, nec est humanæ virtutis opus, sed ex illo omnes, & per illum, & quemadmodum si multa specula sub sole posueris, omnia quidem resplendent, & radios emittunt, & videberis multos soles videre; vere autem est unus sol, qui fulget in omnibus: C ita etiam unus sanctus, nihilo secius in gloria Patris. Deum nemo glorificavit eâ quæ ipsi convenit gloriâ. Vnde Iudæis exprobrans dicebat: Si Deus ego sum, ubi est gloria mea? Sed solus unigenitus dedit ei gloriam quæ debetur. Quamobrem etiam cum esset in passione, dixit patri: Ego te glorificavi in terra. Quomodo enim glorificavit? Non alia ratione, quam illius sanctificatione hominibus ostensâ, sanctus apparens, sicut ipse est sanctus pater. Sive enim tanquam huius sancti Patrem, Deum intellexerimus, filij splendor est gloria Patris: sive tanquam Deum propter humanitatem, est omnino gloria opificis, opificij dignitas vel virtus.

CAPVT XXXVII.

Quid significat aqua calida in mysteria iniecta.

D ITa autem convocatis ad sacram cœnam fidelibus, ipse primum est eius particeps, & quotquot sunt eiusdem ordinis, & quicunque sunt ministri altaris, aquâ calidâ prius in calicem iniectâ, ad significandum sancti Spiritus ad Ecclesiam descensum. Descendit enim tunc, universâ incarnationis Dominicæ peractâ œconomiâ: nunc autem oblato sacrificio, & consummatis donis, versatur cum iis qui digne fuerunt eorum participes. Vniversa enim humanæ à Christo susceptæ naturæ œconomia, in sacro Eucharistiæ mysterio, in pane, tanquam in tabula inscripta (nam & infantem ipsum, tanquam in figura contemplamur: & ad mortem ductum, & crucifixum, & in latere punctum: deinde etiam ipsum panem, in illud sanctissimum corpus, quod hæc vere sustinuit, & resurrexit, & assumptum est, & sedet ad dextram Patris, mutatum) oportebat etiam horum omnium finem post hæc significari, ut E esset integra mysterij celebratio, universo negotio, & incarnationis dispensationi fine affectuque adiecto. Quod est cuius opus, & quis effectus Christi passionum & operum & dictorum? si quis ea, quod ad nos attinet, consideret, nihil aliud sunt quam sancti Spiritus in Ecclesiam adventus. Oportebat ergo eum post illa significari. Atque is quidem significatur aquâ calidâ in mysteria infusâ. Hæc enim aqua, cum & aqua sit, & ignis sit particeps, significat sanctum Spiritum, qui etiam aqua dicitur, & tanquam ignis apparuit in Christi discipulos delapsus: hoc autem tempus illud tempus significat; tunc enim descendit, postquam omnia quæ ad Christum spectabant peracta erant. Nunc autem perfectis & consummatis donis hæc aqua immittitur. Per mysteria autem significatur Ecclesia, quæ est corpus Christi, & membra ex parte, quæ & tunc accepit Spiritum sanctum & postquam Christus F in cœlos assumptus est, etiam nunc accepit donum spiritus, susceptis donis in altari supercœlesti, id nobis contra remittente Deo, qui illa accepit, ut antea dictum est, quòd idem est intercessor & tunc, & nunc, & idem spiritus.

CAPVT XXXVIII.

Quanam ratione mysteria significant Ecclesiam.

SIgnificatur autem Ecclesia in mysteriis, non tanquam in signis, sed tanquam in corde membra, & in arboris radice ramus, & sicut dixit Dominus, tanquam in vite palmites. Non enim est hic solum nominis communio, vel analogiæ similitudo, sed res eadem. Etenim corpus Christi & sanguis mysteria: sed Ecclesiæ hæc sunt cibus & verus potus: & eorum particeps effecta, non ea mutat in corpus humanum veluti aliquem alium cibum: sed ipsa in illa mutatur vincentibus iis quæ sunt præstantiora. Nam etiam ferrum cum G igne habens consuetudinem, fit ignis: non autem dat igni ut fit ferrum: & quemadmodum ferrum inflammatum, non ferrum, sed ignem aperte videmus, ferri proprietatibus omnino ab igne deletis: ita etiam Christi Ecclesiam si quis videre potuerit, eo ipso quod ei unita est, & est eius carnis particeps, nihil aliud videbit quam ipsum corpus Domini. Propter hanc rationem, Vos estis corpus Christi, inquit Paulus, & membra, ex parte. Non enim Christi in nos curam & providentiam, instructionemque & admonitionem, & nostram in eum subiectionem significare volens, illum quidem caput, nos autem membra appellavit, sicut & nos cognatorum vel amicorum membra vocamus, hyperbole utentes: sed illud ipsum significans quod dicebat, fideles scilicet iam per hunc sanguinem viventes in Christo vitam & vere ab illo capite dependentes, & hoc corpore indutos. Propterea non est à ratione alienum hic Ecclesiam per mysteria significari.

H CAPVT XXXIX.

De vocatione fidelium ad communionem, & quæ ostensis donis dicunt fideles.

SAcerdos autem, postquam particeps fuit sanctificatorum, ad populum convertitur: & ostensis sanctis, vocat eos qui participare voluerint, & iubet accedere cum timore Dei & fide, neque contemnentes, propter id quod apparet, neque dubitantes, quòd sit supra rationem id quod creditur, sed eorum dignitatem agnoscentes, & quod sunt vitæ æternæ causæ iis qui illorum sunt participes, credentes accedere. Ipsi autem pietatem ostendentes & fidem, & adorant & benedicunt, & Iesum qui in eis intelligitur, ut Deum celebrant:

& ut sit splendida glorificatio, ex verbis Propheticis eam faciunt: Benedictus qui venit in nomine Domini. Deus Dominus, & apparuit nobis. Ego veni, inquit, in nomine Patris, & non accipitis me. Si quis venerit in nomine proprio, illum accipietis. Hoc germani Domini, hoc unigeniti, patrem laudibus afficere. Illud autem, est servi fugitivi arrogantia & defectio. Hæc quum scivisset Propheta, & intellexisset quidnam distinguit bonum pastorem à lupo, eminus benedicit venientem in nomine Domini, Dominum Patrem dicens, & eum qui apparuit eundem Deum esse dicit. Iisdem ipsi quoque verbis utentes, tanquam nunc ad eos venientem & apparentem Christum benedicunt.

CAPUT XL.

De Sacerdotis pro eis oratione, quam effatur ipsis post communionem.

Deinde iis qui fuerunt participes mysteriorum precatur Sacerdos à Deo salutem & benedictionem. Et quæ est oratio? Serva Deus populum tuum, & benedic hæreditati tuæ. Et hoc est verbum propheticum quemadmodum ipse etiam Propheta alibi dicit: Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam fines terræ, tanquam à patre dictum filio. Quod enim tanquam Deus habuit ab initio, eius postea tanquam homo hæres factus est.

Cur ergo, cum idem etiam nobis est Opifex, non dicit, Benedic opera tua, quorum tu es effector, sed hæreditatem tuam? Ut maiorem eis reverentiam exhiberet, paupertatem quam pro nobis sustinuit, ei in mentem revocans. Pro eo, inquit, te oro, quod ipse sustinuisti te esse cum servis, & mandatum accipere, & stare eum iis qui accipiunt, eum omnia habeas: & appellari hæres, cui nihil est acquisitum: maxime cum perfectioris meminisse nostræ cum Christo necessitudinis magis ipsum movet ad misericordiam. Est autem hæreditas, multo creatione perfectior necessitudo. Multo enim amplius & melius nos possedit hæres effectus, quam prius habuit cum est fabricatus. Ex creatione enim, humanæ solummodo naturæ dominium obtinuit. Ex hæreditate autem, rationis & voluntatis Dominus constitutus est, quod est vere hominibus imperare. Illud enim est commune & iis quæ carent ratione, & iis quæ sunt inanimata. Omnia enim naturâ Deo subiiciuntur, ut quæ sint eius opera. Sed quomodo per hæreditatem, rationis & voluntaris constitutus est Dominus? Quia cum in terram descendit, & crucifixus est, & resurrexit, ei nostram rationem subiecimus & voluntatem. Rationem quidem, quod cum Deum verum cognovimus & universæ creaturæ Dominum. Voluntatem autem, quia eum dileximus & eius dominium, & iugum eius cum gaudio humeris sustulimus. Ita Deus homines perfecte accepit, ita vere possedit. Hanc possessionem Esaias Propheta longe ante desiderans, dicebat, Domine Deus noster posside nos. Hæc est possessio & hæreditas, quam dicitur Unigenitus à Patre accipere. Et talis quidem est oratio.

CAPUT XLI.

De gratiarum actione & glorificatione quæ fit postea.

Hic autem universum completur sacrificium, & divinæ Eucharistiæ mysterium finem accipit. Nam & dona sunt sanctificata & sacerdotem sanctificarunt, & omnem qui eum circumsistit chorum; & per ipsos reliquum Ecclesiæ cœtum perfecit & sanctificavit. Propterea in Dei gratiarum actionem & glorificationem & ipse Sacerdos desinit, & qui eum circumsistunt fideles. Et ille quidem, Benedictus Deus, inquit, nunc & semper, & in sæcula sæculorum.

Populus autem canit procœmium cantici acceptum ex dictis propheticis: Impleatur os nostrum laude Domine, ut celebremus gloriam tuam: Non sumus, inquit, sufficientes, Domine, ne hymnum quidem & laudem tibi offerre, pro bonis quibus nos dignatus es. Sed tu hoc quoque nobis dona. Quonam modo? Implens os nostrum laude: & quemadmodum das orationem orantibus, ut sciamus quænam oportet & quomodo petere: ita etiam ad laudem tuam, da ori facultatem. Deinde orant, ut quam acceperunt sanctificationem habentes permaneant & gratiam non perdant, nec donum amittant, ab eius manu adiuti, Conserva nos in sanctificatione. Quid agentes? (Etenim iis quoque quæ à nobis proficiscuntur opus est.) Toto die meditantes iustitiam tuam. Iustitiam dicentes, quæ in mysteriis consideratur, Dei sapientiam & benignitatem quemadmodum Paulus accepit: Non enim erubesco, inquit, Evangelium Christi: Iustitia enim Dei in ipso revelatur in omnes & super omnes credentes. Huius iustitiæ meditatio potest in nobis sanctificationem conservare. Nam & fidem in Deum auget & charitatem accendit, & nihil mali animam subire permittit. Non ergo frustra ante diximus, quod sine cogitationibus quæ conveniunt mysteriis, fieri non potest ut in nobis constet & permaneat sanctificatio.

CAPUT XLII.

De iis qui dormierunt an sanctificentur à mensa, sicut & ii qui vivunt.

Hoc quoque præter ea quæ dicta sunt, necesse est examinare. Duobus enim modis sanctificare censetur divinum hoc & sacrum mysterium. Uno quidem modo intercessione, oblata enim dona, eo ipso quod offeruntur, eos qui offerunt, sanctificant, & eos pro quibus offerunt, & Deum eis propitium efficiunt. Alio autem modo, participatione, quia fit nobis verus cibus & potus, ut dicit Dominus. Horum modorum, primus quidem est communis vivis & mortuis, etenim pro utrisque offertur sacrificium. Secundus autem modus solis viventibus permittitur, mortui enim non possunt amplius comedere nec bibere. Quid igitur? Propterea nec sanctificantur hac sanctificatione quæ provenit ex participatione & deteriori sunt hac in parte conditione mortui quam viventes. Minime. Nam & Christus ipsis seipsum communicat, eo modo quo ipse novit. Et ut id fiat apertum, consideremus causas sanctificationis, an non etiam animæ mortuorum se habent, sicut & viventium. Quænam sunt autem causæ sanctificationis? nunquid corpus habere, pedibus ad mensam currere, manibus sancta accipere, ore sumere, comedere, bibere? Nequaquam: Ad multos enim qui hæc fecerunt, & ita ad mysteria accesserunt, nulla rediit utilitas, & pluribus malis obnoxii recesserunt. Sed quænam sunt causæ sanctificationis iis qui sanctificantur, & quæ sunt quæ Christus à nobis exigit? animæ purgatio, in Deum dilectio, fideles, desiderium mysterij, alacritas ad participationem, fervens appetitio, sitientes currere.

Hæc sunt quæ hanc sanctificationem attrahunt, & cum quibus necesse est eos qui accedunt esse Christi participes, & sine quibus fieri non potest. Sed hæc omnia non sunt corporalia, sed dependent à sola anima. Nihil ergo prohibet etiam animas hoc posse mortuorum, sicut & vivorum. Si ergo animæ quidem ad suscipiendum mysterium sunt paratæ & promptæ: is autem in cuius est potestate sanctificare & perficere, vult semper sanctificare, & seipsum semper impertiri desiderat quid est prohibiturum hanc participationem? Nihil

omnino.

omnino. Ergo dixerit quispiam. Si quis etiam vivorum, bona quidem quæ dicta sunt in anima habeat ad mysteria autem non accedat, habebit illinc nihilo secius sanctificationem? Non quidem, sed si quis non potest corporaliter accedere, sicut defunctorum animæ, quales fuerunt ij qui in desertis errabant montibus seu speluncis & foraminibus terræ, qui altare aut sacerdotem nullo modo videre poterant. Eos enim Christus ipse hac sanctificatione invisibiliter sanctificabat, Vndenam potes scire? Quod vitam in se habebant, non habituri nisi huius essent sacramenti participes. Ipse enim Christus dixit, Nisi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Et vt hoc significaret, multis horum Sanctorum misit Angelos dona ferentes. Si quis autem cum posset, ad mensam non accesserit, fieri non potest vt quæ ex eis provenit, sanctificationem assequatur: non quod non accessit solummodo, sed quod cum posset, non accessit, & propterea clarum est, quod bonis quæ debentur sacramentis, vacuam habet animam.

Quæ est enim ad mensam adeundam alacritas, & quod desiderium in eo qui eum facile potest ad eam accedere, non vult? Quænam est autem fides in Deum apud eum qui non timet minas quæ in Domini verbis fitæ sunt, adversus eos qui hanc cœnam contemnunt? Quomodo autem amare credetur, cui cum liceat accipere, non accepit? Propterea non est novum, si animis à corporibus liberatis, quæ nullius huiusmodi vitij insimulari possunt, hanc mensam Christus impertiit. Illud enim novum est & admirabile, quod homo qui in corruptione & interitu versatus, ab interitu alienum corpus comedat. Quod autem anima quæ est immortalis substantia, sic eius quod est immortale particeps, modo sibi conveniente, quid mirum? Si autem hoc novum & admirabile, per ineffabilem humanitatem & arcanam sapientiam invenit, quomodo perficeret: id quod est probabile & consentaneum quomodo non facere credetur?

CAPVT XLIII.

Quod anima eius qui communicat, sit principaliter significatio.

QVoniam autem iis etiam qui adhuc vivunt cum corpore, datur quidem donum per corpus, sed primum pervadit in animæ substantiam, & per animam in corpus transmittitur. Et hoc significans beatus Paulus: Qui adhæret, inquit, Domino, vnus est spiritus, vtpote quod in anima primo & principaliter hæc vnio & coniunctio consistat.

Illic enim proprie Dominus. Illic etiam sanctificatio quæ proficiscitur ex virtutibus & humanis studiis, & illud quod peccat. Corpori autem omnia fiunt ex anima: & quemadmodum à malis cogitationibus quæ ex corde exeunt, inquinatur: ita etiam illinc est ei significatio, sicut quæ a virtute: ita etiam quæ à sacramentis. Nonnulli autem morbi etiam corporales, quorum causa fuit animæ improbitas. Quod volens significare Servator, in liberanda à morbo anima, quod est eam liberare à peccatis, à corpore infirmitatem depulit. Si ergo nec ad sanctificationis quidem susceptionem, habet anima opus corpore sed illud eâ potius, cur sunt magis mysterij participes animæ quæ corpus habent, quam quæ ab eo sunt liberæ? Quod sacerdotem vident, & ab eo dona sumant? Atqui illæ etiam habent æternum sacerdotem, qui omnia eis factus est, qui etiam iis qui ex vivis vere sumunt, impertit. Non enim omnes quibus dat sacerdos, verè sumunt, sed illi omnino soli quibus dat ipse Christus. Sacerdos enim omnibus vt semel dicam, qui accedunt, Christus autem dat iis solum qui participes esse digni sunt.

Caute lege: etenim Græci, & Cabasilas rectè sentiunt de vera & reali præsentia corporis Domini in Eucharistia, forsan vere intelligi digne & fructuose.

Vnde clarum est, quod qui animas sacramento perficit & sanctificat & vivos & mortuos, solus est ipse Servator. Ex dictis vtique omnibus fit illud manifestum, quod quæcunque ad sacri mysterij celebrationem pertinent, sunt communia & vivis & mortuis. Causæ enim sanctificationis, cum ad animam pertineant, etiam vtrisque insunt, & id quod primo ac principaliter & proprie sanctificationem suscipit, idem: & sacerdos qui sanctificat, idem: quod solum adest iis qui vivunt in corpore, non est in iis qui è vivis excesserunt: vt etiam qui mysteriis indigni sunt, videantur sanctificari, quoniam dona ore sumunt. Illic enim nec accedere quidem potest quispiam, si sit imparatus, sed solis iis qui digni sunt datur participatio: hoc autem non tribuit vivis sanctificationem, sed contra, habet vltimum supplicium, & propterea multum abest, vt vivorum genus sit eis hac in re superius. Præterea autem etiam propter illam rationem clarum est, quod non solum licet, & quod nihil vetat, sed etiam quod illas animas necessario consequitur sanctorum donorum participatio. Si enim esset aliquid aliud, quod illic animis & delectationem & quietem præberet, esset illud præmium iis quæ puræ sunt & mundæ, & non eis hac mensa necessario opus esset: nunc autem id quod omnem voluptatem & beatitudinem iis qui illic sunt efficit, sive dicas paradisum, sive sinum Abrahæ, sive ab omni dolore & tristitia pura & lucida & viridia & refrigerantia loca, sive ipsum regnum, nihil est aliud quam hic calix & hic panis. Hæc enim sunt intercessor, qui pro nobis in sancta fuit præcursor, qui solus ducit ad patrem qui solus sol animarum, qui nunc quidem apparet & participatur, vt ipse voluit, velata carne: tunc autem videbitur & participabitur sine velis, quando videbimus ipsum sicut est, quando ad cadaver convocabit aquilas, quando succingetur, & eos faciet discumbere, & accedens ministrabit ipsis quando fulgebit in nubibus, & per eum iusti resplendebunt vt sol, vt ei coniuncti, vt novit mensa coniungere, quietem assequantur, vel aliquid boni illic percipiant vel parum vel magnum, absque eo fieri omnino non potest.

CAPVT XLIV.

De Christi intercessione.

ESt enim intercessor, per quem omnia assecuti sumus bona, quæ à Deo nobis data sunt, vel potius semper dantur. Non enim postquam semel fuit intercessor, & omnia nobis tradidit pro quibus intercesserat, recessit, sed semper intercedit, non verbis quibusdam & precibus, sicut solent legati: sed re ipsa. Quænam autem ea res est? Sibi coniungere & proprias per se gratias impertiri, pro vniuscuiusque dignitate & modo purgationis: & quemadmodum lux quæ per se visum præbet videntibus, quibus defecerit, iis quoque visus defuerit: ita etiam cum Christo consuetudinem esse perpetuam animis necesse est, si sint omnino victuræ & quieturæ. Neque enim sine luce potest videre oculus: neque fieri potest vt sine Christo vera vita & pax insit in animis: quoniam ipse est qui solus Deo reconciliat, qui eam pacem facit, sine qua nulla spes est, vt qui Dei sunt inimici, sint eius bonorum participes. Sive ergo ab initio quis Christo coniunctus non est, sive coniunctus non mansit, est inimicus, & à divinis bonis alienus. Quid est enim quod humanæ naturæ Deum reconciliavit? Omnino quod hominem vidit filium suum dilectum. Ita etiam vnicuique homini reconciliatur, si quis gerat formam vnigeniti, & illius ferat corpus, & appareat vnus cum eo spiritus. Sine his autem, vnusquisque ipse per se est homo vetus, qui Deo est invisus, qui cum eo nihil habet commune. Si ergo credendum est animis requiem procedere ex oratione Sacerdotum & oblatione sacrorum donorum, antea credendum est hoc quoque eo modo fieri, quo solo fieri potest,

A vt homo quiescat. Quis sit autem modus, dictum est: eo scilicet quod Deo sunt reconciliati & non sunt inimici. Hoc autem quomodo? Quod sunt contemperati, & unus facti sunt spiritus cum dilecto, in quo solo pater complacuit. Sed hoc est sacræ mensæ opus, quod sermone ostensum est per ea quæ dicta sunt vivis similiter & mortuis.

CAPVT XLV.

Quod iis qui dormierunt perfectior sit sanctificatio.

NVdæ autem corporibus animæ plus habent commodi ad sanctificationem, quam eæ quæ vivunt in corporibus. Purgantur enim & peccatorum remissionem accipiunt per orationes Sacerdotis, & donorum intercessionem, nihilo minus quam eorum qui vi- B vunt.

Sed non peccant amplius, nec nova veteribus crimina adiiciunt, vt faciunt vt plurimum viventium animæ, sed tantummodo vel nulli sunt rationi reddendæ obnoxiæ, vel semper vtique de criminibus detrahunt: & ita ad Servatoris participationem promptius & melius se habent pluribus in corpore viventibus, atque adeo etiam seipsis si essent cum corpore. Quinetiam hoc ipsum solum quod scilicet sunt nudæ corpore, efficit vt sint multo aptiores ad participationem mysteriorum, quam fieri posset si essent tectæ corpore. Cum enim sint illic multæ & diversæ mansiones, vt omnis virtutis modus honoretur, & nihil sit non remuneratum apud iustum & clementem iudicem: quemadmodum qui sunt maximis digni præmiis & perfecti, perfectæque beatitudinis hæredes, Paulus, & si quis est eiusmodi, ea potius fruuntur dissoluti, quam cum in hac vita aderant: ita qui mediocres in hac quiete collocati, eos consentaneum est melius se habere cum hinc C recesserint, quamdum vivunt cum corpore. Ostensum est autem quod omnis quies animarum & omne præmium virtutis, sive parvum, sive magnum, non est aliud quam hic panis & hic calix, quæ ab utrisque, vivis inquam & mortuis, convenienter participantur. Propterea enim Christus quoque sanctorum in futuro fruitionem, cœnam vocavit, vt ostenderet nihil illic esse præter quam mensam, ita etiam pro defunctis, sicut & pro vivis, est divinum Eucharistiæ sacrificium: & cum dupliciter ut dictum est sanctificemur, ipsi quoque duobus modis sanctificantur: & neutro modo sunt ij qui migrarunt, deteriori conditione qui iis vivunt, sed aliquo modo etiam meliori.

CAPVT XLVI.

Quomodo eadem semper dona à Deo suscipi possunt.

D ILlud autem deinceps consideremus. Quod enim ex sacro mysterio omnes sanctificantur fideles, clarum est ex iis quæ dicta sunt. An autem etiam semper, operæpretium est quærere. Quoniam enim donorum est oblatio sacrificium, dona autem non semper à Deo suscipiuntur, sed sunt nonnulla, quæ propter eorum qui offerunt improbitatem, & odio habentur, & repudiantur: & multæ sunt huius rei & apud veteres, & apud eos qui vivunt in gratia, probationes: quæramus nunquid hæc dona nonnunquam frustra sacrificantur, non sanctificata, vt quæ non sint accepta, vt sacrum profitetur mysterium, vt quæ non semper à viris bonis, sed nonnunquam etiam à malis offerantur. Quod enim Deus etiam hæc dona aversatur, quando fuerit sceleratus is qui offert, clarum est ea eo quod facit Ecclesia. Quando enim novit qui mortalia peccant; non sinit eos hæc dona offerre, & si ausi fuerint, non suscipit, sed eos à donis repellit. Sed quoniam omnes tales recte non novit Ecclesia, sed plures latent, & eorum dona sacra mensa suscipit: quid de illis donis oportet statuere, an Deo non esse accepta, & omni esse sanctificatione destituta? & si hoc datum fuerit, incertum quando sancta, cum de moribus eorum qui offerunt, vel vt plurimum dubitetur, vel ij omnino ignorentur: & ita hæsitantes, & sine fide ad sacramenta accedentes, necesse est fideles nihil ab eis iuvari. Quid ad hæc ergo dicendum est. Quod cum sit duplex donorum oblatio, prima quidem eius qui ea dona defert in manus sacerdotum: secunda autem Ecclesiæ ad Deum: prima quidem oblatio quando est improbus qui offert, est vanis & nihil confert offerenti, quoniam ipse est malus. Non enim ea quæ offeruntur, ipsa per se sunt Deo execranda. Omnis enim Dei creatura bona est. Secunda autem quæ fit à bonis viris, & pro Dei gloria & à sanctorum, & totius orbis salute, & omni, vt semel dicam, iusta petitione, nihil vetat quominus sit accepta. Nulla enim donis inquinatio illata est à manibus eius qui ab initio obtulit, sed pura manentia, etiam à sanctis oblata & sanctificantur, & sanctificant, eos qui accedunt. In nullo enim rationis expertium animantium, vel animatorum, potest insidere aliqua peccati macula. Peccatum enim est morbus voluntatis, & solum est eorum quæ sunt ratione prædita, peccato inquinari. Cur ergo, si semper pura sunt dona quæ à malis offeruntur, ea lex Ecclesiæ non suscipit? Vt eos qui offerunt admoneat, vt cognoscant maximam Dei iram quam ipse ostendit, qui etiam creaturas suas quibus non habet quod quicquam criminis obiiciat, propter ipsos aversatur & habet odio: & cum hæc intellexerint, timeant, & vitam corrigant: ipsa autem dona nullius vitij condemnat. Propterea nihil prohibet quominus ea sint accepta & sanctificentur, cum secundam oblationem faciant boni viri. Sed dixerit quispiam: Atqui non omnes qui offerunt sunt viri boni, sed nonnulli etiam laborant extremo vitij morbo. Vnde ad eandem dubitationem nostra rediit oratio. Quando enim vtrosque oblatores Deo esse invisos contigerit (contingit enim) vndenam donis accedet, vt Deo grata sint & accepta, & sancta & sanctificantia? nusquam, sed tunc quidem vere accepta non sunt. Sunt autem dubia, eo quod de moribus eorum qui offerunt & sacrificant dubitatur. Nemo enim, inquit, certo novit quæ sunt hominis, nisi spiritus qui est in ipso: & ita multa est circa sacrum mysterium infidelitas & dubitatio, certitudo autem nusquam, & sanctorum participatio nihil proderit fidelibus, qui sine fide participant. Hæc dixerit & dubitaverit, si quis putat ipsum Sacerdotem esse Dominum horum donorum oblationis, sed non est. Sed quod eorum quidem oblationem proprie efficit, est gratia sanctificans. Hoc enim est oblatum esse, esse sanctificatum. Qui autem quotidie sacrificat, est illius minister. Nihil enim domo affert, neque aliquid audet facere vel dicere ex suo iudicio vel ratione: sed illa solum quæ illinc accepit, sive res est, sive sermo, sive factum, eo quod iussus est modo offerens, Deo reddit: & ita dona quæ prout ei placet, Deo semper offerunt, necesse est semper ei esse accepta. Quid tum enim, si is qui offert, in iis quæ ad se pertinent malus est? Illius enim improbitas donis nihil adiicit, neque reddit oblationem deteriorem, sicut nec medicamentum salutare esse prohibetur, quod simplex & idiota, & qui artem nihil callet, hoc composuit, si modo iubente medico, & eam compositionem tradente id composuit. Fuerit enim non propter eius qui inseruit imperitiam vanum, sed propter artem eius qui tradidit, salutare. A ministri enim inscitia nihil accepit, ab arte autem medici omnem suscepit compositionem. Ita hic etiam gratia vniversum efficit. Sacerdos autem solum est minister, nec ipsum quidem ministerium domo prolatum habens. Nam id etiam habet à gratia. Hoc est enim sacerdotium, potestas quædam ministratrix sacrorum. Sed quod fideles quidem

sanctificant

sanctificant omnia dona & semper, ut quæ Deo semper accepta sint, clarum est ex iis quæ dicta sunt.

CAPVT XLVII.

Quatenus sunt accepta.

Sequitur ut etiam consideremus quatenus sunt accepta. Quid enim hoc sibi vult, Esse donum acceptum, etiam apud homines? Quidnam facientes, dicitur ea dona suscipere? An quod manibus sumimus & ea in sinum ponimus? Nequaquam. Multa enim sunt quæ nec qui accipiunt ferre, nec suscipere possunt, quemadmodum si sit ager qood datur, vel domus, vel quid tale. Sed quidnam fuerit accipere, in omnibus donis? In propriis statuere, propria & domestica efficere, & ea ratione ea accepta esse dicuntur. Deus autem hæc dona ita propria & familiaria efficit, ut ea faciat esse corpus & sanguinem vnigeniti. Sic ergo huic familiaritati nihil potest simile excogitari: nec quatenus sunt accepta potest modus inveniri. Præterea autem, etiam ex remuneratione facile sciri potest quam acceptum fuerit ei qui accepit, id quod datum est. Quæ est ergo hic remuneratio? Ipsum rursus Christi corpus & sanguis. Accipiens enim à nobis panem & vinum Deus ipsum reddit filium. Et vndenam, inquit, sciemus quod hæc dona nobis pro iis quæ offeruntur à Deo dantur? Ex his quæ is qui illis rectus est, dicit nobis dicens: Accipite. Ita enim ostenditur donum. Hac voce & qui donat & qui accipit, & quod donatur, significatur. Potest etiam alias aliquid accipi, tanquam depositum, quo non fas est uti eos qui acceperunt. Tu autem ne hoc existimes, sed scias esse tuum, quo te etiam vti iussit, dicens: Comedite. Ita sunt dona Deo accepta & tam insigniter, propterea semper sanctificant omnes Christianorum animas, & vivorum & mortuorum, quæ sunt adhuc imperfectæ & egent sanctificatione. Sancti enim perfecti ac consummati, stantes cum Angelis, in cœlestem hierarchiam jam adoptati, non egent amplius hierarchia terrestri.

CAPVT XLVIII.

Quænam ratio propter quam sanctos his donis veneramur & colimus.

Hvic autem consequens est illud quærere: Si enim hæc sancta, Deo quidem donantur, eos autem sanctificant qui sanctificatione indigent: quamnam ob causam etiam jam sanctificatos, & ex omni parte perfectos, hac donorum oblatione coli credimus, & quando eos aliquid orantes, in auxilium vocaverimus, horum donorum ministerium pollicemur, tanquam vel ipsis ea donaturi, vel pro ipsis, vt fiant meliores? Quod quidem est etiam alius modus donorū oblationis quam prius dixi, per quem hæc dona fiunt etiam sanctorum, quando Deum tanquam pro gratiarum actione offeruntur, quod eis perfectionem & consummationem dederit: sunt enim Dei dona, vt quæ ei donantur. Sunt & fidelium, vtpote iis qui auxilio indigent, vt auxilia: sunt etiam sanctorum, quod eorum gratia Deo donantur.

Quod enim mea gratia datum est, ego accipio, quicunque is sit qui accipit. Non enim omnia quæ nobis vndecunque donantur, nostris manibus accipimus, sed etiam amicorum & familiarium, & vt semel dicam, omnium quibus donator donat, vt nobis rem gratam faciat. Propterea etiam Dominus, pauperibus accipientibus, quia qui eis suppeditant, ejus gratiâ hoc faciunt, ipse se dicit accipere. Ita etiam sancti hæc dona accipiunt, quod eorum gratiâ Deo donantur. Quemadmodum enim propter Christi dilectionem illud fit, ita hoc etiam propter dilectionem sanctorum. Quia enim valdè eos diligimus, eadem bona nostra esse ducimus, & eis de felicitate gratulamur tanquam ipsi bonorum participes. Ita etiam gaudentes donis ipsis à Domino datis, gratias agimus ei qui dedit, & pro gratiarum actione dona offerimus. Non propter hoc autem solum ij dona acceperūt, quod propter eorum dilectionem fit donorum oblatio, sed quod hoc etiam est eis jucundissimum & longe gratissimum dico autem quod Deus per ipsos gratias accipit, & glorificatur. Quemadmodum enim est maximum peccatum, malorum hominum, quod blasphematur nomen Dei per ipsos, ita sanctis est magnum beneficium, & magno studio appetendum, quod per ipsos Deus glorificatur. Hoc & cum corpore viventibus erat perpetuum certamen, postquam in cœlum migrarunt, continuum est opus, & voluptas, & illius beatitudinis caput. Si enim quando bona eis in spe solum erant, Deo gratias perpetuo agebant, & omnia ad ejus gloriam faciebant, cujusmodi oportet eos in talibus existimare, quando multo major quidem est eis gratitudo & beneficii recordatio, cum jam omni virtute perfecti sint, bona autem non sperant amplius, sed ipsa experientia discunt Domini benignitatem: quando vident quales ex qualibus facti sunt, pro terrenis soles, pro servis contemptis honorati filij, & regni cœlestis hæredes, pro reis, potentes vel alios è reis eximere, per eam quam habent apud Iudicem dicendi libertatem. Propterea nulla est, inquam, eis Deum laudandi satietas. Vnde nec existimant se ipsos solos sufficere ad agendas gratias. Vnde volunt etiam omnes Angelos & homines ad ejus laudem celebrandam habere adjutores. Vt eorum debitum gratiarum scilicet Deo actio, eo propius pro dignitate fulvatur, multiplicata per laudatorum additamentum. Et hoc testantur sancti Azariæ filij, qui cum ignem vicissent, & eam tunc gratiam à Deo accepissent, quando quidem oportebat ipsos propter hanc admirabilem & inopinatam salutem Deo gratias agere, qui eos servaverat, & eum laudare, non satis habuerunt, si ipsi soli laudarent, nec suum auxilium sufficere existimarunt, sed etiam Angelos convocarunt, & omnia hominum genera, & cœlum ipsum, & solem, & astra, & terram, & montes, & omnia rationis & animæ expertia, & omnem, ut semel dicam, creaturam. Tantum est Deum laudandi apud sanctos desiderium, etiam adhuc cum corpore viventes, & multo magis postquam à corpore discesserunt.

Vnde si quis eorum recordatus, eorúmque honoris, beatitudinis & gloriæ, Deum qui eos coronavit laudaverit, tribuit eis gratiam omnium gratiarum præstantissimam, & maxime quando non solis vocibus laudem celebrat, sed etiam donorum pro gratiis agendis oblatione, & donorum Deo adeo acceptorum & pretiosorum supremo honore. Tunc enim, quemadmodum ipse Servator propitius ipsa suscipiens, & super omnem cultum legalem, suum corpus & sanguinem retribuit: ita etiam ipsi ei gaudentes, ut nullo aliorum, quibus ipsos colere videmur, totos seipsos nobis præbent ad ferendum auxilium in omni re quæ nobis conducit. Dominum enim suum omni ex parte imitantur.

CAPVT XLIX.

Adversus eos qui dicunt sanctorum quæ fit in sacro mysterio, memoriam esse Sacerdotis pro eis ad Deum supplicationem.

Sed hic nonnulli decepti sunt, non gratiarum actionem, sed pro sanctis ad Deum supplicationem, eorum memoriam esse putantes, nescio vndenam accepta hac cogitandi occasione. Neque enim ex ipsis rebus est hæc credere consentaneum, nec ex ipsis verbis sacrificij. Et quod rerum quidem verisimilitudo

multum abest vt hæc concedat, hinc apertum est. Si enim pro sanctis orat Ecclesia, illa omnino oraverit, quæ semper orare consuevit. Quænam autem sunt quæ orantur iis qui dormierunt? Remissio peccatorum, regni hæreditas, quæ in sinu Abrahæ cum consummatis sanctis. Hæc sunt oratio Ecclesiæ: Præter hæc nihil eam orantem inveneris iis qui emigrarunt. In his definita est nostra ad Deum supplicatio. Non enim quicquid desideraverit quispiam, id etiam fas est orare. Sed hic quoque lex est & terminus quem non licet transgredi. Quid enim orabimus, vt oportet, nescimus, inquit, sed ipse spiritus interpellat pro nobis: hoc est, quæ orare oportet nos docet, ita enim Ecclesiæ doctores acceperunt. Considera ergo, si præter ea quæ dicta sunt, in omnibus sacrorum mysteriorum celebrationibus inveniri possit orans Ecclesia, & non invenies. Ergo orabunt quidem iis qui rei non sunt, remissionem peccatorum, tanquam adhuc reis & obligatis: Orabunt autem sanctis, tanquam non sanctificatis, cum sanctis requiem: Orabunt perfectis consummationem, tanquam nondum consummatis, & sic necesse est eos alterutrum peccare. Vel enim confitentes beatitudinem & perfectionem sanctorum, lubentes volunt apud Deum nugari & inanem pro eis orationē contexere, quod est virorum divina ludibrio habentiū, potius quam Sacerdotum: vel serio facientes orationes, tanquam existimantes se sanctos per eas juvare, eorum gloriam inficiantur, quod est blasphemare non ipsos tantum, sed etiam Deum ipsum, vt qui promissa non servaverit quæ promisit, se eos glorificaturum, & regnum impertiturum: vel potius vtrumque est manifesta blasphemia: hoc quidem tanquam omnino negantium sanctorum beatitudinem: illud autem, tanquam facientium ea quæ faciunt qui negant. Quos enim beatos esse credunt, vt qui in filiorum ordinem relati sunt & ipsius regni hæredes, eos nullo esse munere affectos & inhonoratos & reos, eo ipso quo pro eis talia precātur, testantur. Ita ergo harum rerum gratiā absurdū esse videtur, si quis existimet Ecclesiæ pro Sanctis ad Deum oblationem esse supplicatoriam. Videamus autem etiam ipsa verba: Præterea offerimus tibi rationabilem hunc cultum pro iis qui in fide requieverunt, majoribus, Patribus, Patriarchis, Prophetis, Apostolis, Prædicatoribus, Evangelistis, Martyribus, Confessoribus, continentibus, & omni spiritu in fide consūmato, præcipue sanctissima, intemerata, gloriosa Domina nostra, Deipara & semper virgine Maria, sancto Propheta præcursore & Baptista Ioanne, Sanctis & benedictis Apostolis, & omnibus Sanctis: quorum precibus respice nos Deus, & memento omnium qui dormierunt in spe resurrectionis & vitæ æternæ, & fac illos quiescere vbi respicit lumen vultus tui. Hæc sunt verba in quibus nulla continetur pro sanctis ad Deum supplicatio, nec eis Sacerdos quicquam consuetum precatur. Sed aliorum quidem fidelium qui dormierunt, faciens memoriam, statim adjicit pro eis orationem: Fac eos, inquit, requiescere, vbi respicit lumen vultus tui. In sanctis autem totum est contrariū. Non enim pro eis facit intercessionem, sed ipsos potius intercessores statuit. Quum enim dixisset, & sanctos annumerasset, adjicit: Quorum intercessionibus visita nos Deus. Quod autem maximè ostendit non orationem aliquam & supplicationem, sed pro sanctis gratiarum actionem esse hæc verba, est quod etiam Dei mater in catalogo ponitur. Neque enim poneretur, si is chorus aliqua intercessione egeret, vt quæ est vltra omnem intercessionem, non solum humanæ hierarchiæ, sed etiam Angelorum, quum sit ipsis etiam sanctissimis mentibus incomparabiliter sanctior. Atqui Christus est, inquit, qui hoc peragit sacrificium. Quid ergo mirum, si etiam pro sanctis & matre intercesserit? Sed hoc nullam habet rationem. Non est enim hic modus intercessionis Christi. Fuit enim intercessor Dei & hominum, sed non verbis quibusdam & precibus, sed seipso, nempe quod cum Deus & homo esset, Deum hominibus conjunxit communem terminum, seipsum vtrisque naturis injiciens. Existimare autem ipsum, per preces quæ fiunt in sacrificio, semper intercedere, est omni blasphemia & absurditate plenum.

Et si enim ipse est qui peragit sacrificium, non tamen omnia quæ illic dicuntur fiunt, ei attribuemus. Mysterij enim opus & finem, sacrificari scilicet, & sanctificari fideles, ipse est solus qui peragit. De his autem preces sunt orationes & supplicationes Sacerdotis. Illa enim sunt Domini: hæc vero servi, & hic quidem precatur: ille vero preces perficit, & Servator quidē donat: Sacerdos vero pro iis quæ data sunt, agit gratias: & Sacerdos quidem offert: Dominus vero dona accipit. Offert enim etiam Dominus, sed seipsū patri, & dona hæc quando ipse facta fuerint, quando in ejus corpus & sanguinē conversa & mutata. Quia enim seipsum offert, ideo dicitur idem esse & qui offert, & qui offertur & suscipit. Offerens quidem & suscipiens vt Deus, oblatus autem vt homo: Panem autem & vinum, dum adhuc dona sunt, offert quidem Sacerdos, suscipit autem Dominus, & quid agens dona suscipit? Ea sanctificans, in suum corpus & sanguinem mutans. Hoc enim est suscipere proprium, & familiare efficere, vt dictum est. Hic est modus quo Christus hoc sacrificium celebrat. Hæc sunt quæ ei sacerdotium constituunt. Si autem præter ea quæ dicta sunt, etiam orationes quæ fiunt in mysterij celebratione, vel omnes, vel aliquas Christi voces esse dixerit, nihil hac in re ab impiis differet, qui ejus gloriæ detrahere ausi sunt. Lege omnes orationes & scies verba illa omnia esse servorum verba. Lege etiam eam in qua sanctorū meminit, quam audent Christo tribuere, & invenies nihil illic convenire filio, qui est patri honore æqualis: omnia autem servorum. Primum enim non in vna persona, sed cōmunis est generis gratiarū actio, & vt qui peccarunt, & non sunt despecti à Dei misericordia & clementia, agunt gratias: & gratiarum actio, non ad patrem solum, sed etiam ad filium ejus & sanctum Spiritum: & Dei matris tanquam Dominæ servi meminerunt, & ejus sanctorum intercessionibus, vt à Deo visitentur, & eorum cura habeatur, petunt. Hæc autem quidnam commune habent cum vno Domino vnigenito, Dei filio, peccato non obnoxio, omnium Domino? Gratias agimus, inquit, tibi, & filio tuo vnigenito. Christus ergo gratias agit filio Dei vnigenito, & ecce, duo erunt filij, vt voluit insania Nestorij: adeo est impium & stultum existimare Christum pro sanctis intercedere, ejusmodique legationis & intercessionis munus ei tribuere. Ostensum est autem hæc ne esse quidem Sacerdotum: Restat ergo hæc verba non esse supplicationem, sed gratiarum actionem. Certe, inquit, sed non permittit dictio, quæ aperte supplicationem indicat. (Pro) enim præpositio hoc vult significare: non omnino, non semper enim eum qui rogat, ostendit. Non enim solum quando supplicamus, sed etiam quando gratias agimus, hac dictione vtimur. Et hoc ex multis sciri potest, & ab ipsa etiam proposita oratione. Pro his omnibus, inquit, tibi gratias agimus & vnigenito tuo filio & Spiritui sancto, pro omnibus quæ scimus & quæ nescimus, tibi gratias agimus. Agimus tibi gratias etiam pro hoc sacrificio, quod ex nostris manibus suscipere dignatus es. Videmus hanc dictionem proponi etiam in gratiarum actione. Ad hunc itaque errorem nulla relinquitur excusatio. Ita ergo fieri non potest vt sit supplicatoria sanctorum commemoratio. Eam autem versari in gratiarum actione, hoc ipsum ostendit, quod non est supplicatoria. Duorum enim alterum necesse est eā vel supplicari, vel gratias agi.

Et hic duobus modis apud Deum commemorationem facimus bonorum quæ nobis à Deo sunt, vel vt accipiamus, vel quod eam jam acceperimus. Et est illud quidem supplicatio hoc vero gratiarum actio. Ostendit autem hoc etiam, quod Dei in homines donorum sit longe maximum, sanctorum consummatio, & ideo non ipsi Ecclesiam hoc nomine gratias agere esset

nefarium. Et quid dico esse donorum maximum, sanctorum consummationem? Hæc certe est vniversum Dei donum. Omnium enim bonorum quæ in nostrum fecit genus, hic est finis, hic fructus, chorus sanctorum, & hac de causa cœlum nobis est fabricatum, terra, & quicquid videtur: propterea paradisus, propterea Prophetæ, propterea ipse Deus in carne, & Dei sermones & opera, & passiones, & mors, vt à terra, in cœlum migrent homines, & regni quod illic est, fiant hæredes. Si est ergo omnino gratiarum actio in sacro mysterio, & hæc dona tam in gratiarum actione quam in supplicatione versantur, omnino necesse est gratiarum agendarum & summam & causam esse, ipsos sanctos consummatos.

Omnino autem quid in nobis causa est gratiarum actionis, an non quod acceperimus quod petimus? Cuivis hoc clarum est. Ergo idem est propter quod gratias agimus, & quod petimus. Quid ergo petit à Deo Ecclesia? Quod ab ipso petere iussa est. Eius regnum, videlicet vt fideles eius sint hæredes: vt fiant sancti, sicut is qui eos vocavit, sanctus est. Si hæc autem, à Deo rogat & postulat, clarum est quod pro iis ipsis quoque agit gratias. Orat vt fideles in sanctitate perficiantur, & propterea pro sanctis iam perfectis & consummatis, ei qui perfecit, gratias agere est necessario consentaneum. Propter hanc pro sanctis gratiarum actionem, hoc sacrum mysterium Eucharistia dicitur. Etsi enim aliorum quoque multorum hic mentionem faciat, sancti tamen sunt finis omnium, & pro quibus illa petuntur. Vnde quando pro illis agit gratias, agit gratias pro sanctorum perfectione. Quemadmodum enim quæcunque fecit Dominus, ea fecit ut chorum sanctorum statueret, ita etiam Ecclesia, vbi illum laudat pro omnibus, ad sanctorum chorum respiciens hoc agit. Ea de causa quando tradidit, servator sacramentum, patri gratias agens tradidit, quod per ipsum nobis cœlum esset apertum, & hunc primogenitorum cœtum illic congregaturus. Eum imitans Ecclesia, non solum supplicantem, sed etiam gratias agentem facit donorum oblationem. Et hoc quidem aliunde ostendit, maxime autem ex oratione, in qua totius sacrificij scopus continetur. Cum enim recensuisset omnia quæ nobis à Deo data sunt, & gratias egisset pro omnibus: & postremo addidisset Domini in carne adventum, & huius sacramenti traditionem, & quod nobis quoque hoc iussit facere, subiunxit, Recordantes ergo salutaris huius præcepti, & omnium quæ pro nobis facta sunt, crucis, &c. & enumeratis deinceps omnibus quæ crucem consecuta sunt, deinde dicit, Tua ex tuis tibi offerimus: de omnibus, & per omnia, te laudamus, te benedicimus, tibi gratias agimus Domine, & oramus te, Deus noster. Vides? Beneficiorum, inquit, recordantes, hanc tibi donorum oblationem facimus, hoc autem est gratias agere, pro bonis iam nobis donatis, donis benefactorem honorare. Deinde etiam apertius ostendens gratiarum actionem, ait, Offerentes oblationem hanc, te laudamus, te benedicimus, tibi gratias agimus Domine, & rogamus te Deus noster.

Hoc ergo est institutum donorum oblationis, laudare, gratias agere, supplicare, vt à principio diximus, vt eadem & in supplicatione & in gratiarum actione versetur. Et hæc facimus, inquit, duorum recordantes, & præcepti quod nobis dedit, dicens: Hoc facite in meam recordationem: & omnium quæ pro nobis facta sunt. Beneficiorum enim, vt semel dicam, recordatio nos ad retributionem adhortatur, & ad aliquid omnino offerendum ei qui nos prior innumerabilibus beneficiis sic affecit. Præcepti autem memoria, & ipsa forma retributionis nos docet, quænam ipsi dona offerre oporteat. Illam ipsam oblationem admittimus, quam ipse vnigenitus tibi ostendit Deo & Patri, & gratias agimus, quia ipse etiam eam ostendens egit gratias. Præterea ad hanc donorum oblationem nihil domo afferimus. Neque enim dona sunt nostra opera, sed tua omnium opificis. Nec nostrum est inventum hæc colendi forma, sed neque nostrâ sponte hoc voluimus: neque domo & ex nobis ipsis ad eam impulsi fuimus: sed ipse docuisti, ipse adhortatus es per vnigenitum. Et ideo quæ tibi offerimus, ex tuis quæ nobis dedisti, tua sunt in omnibus & per omnia. Ita etiam pro ipsa qua aguntur gratiæ oblatione, aliam rursus gratiarum actionem Deo debemus, quia nihil eius nostrum sed, tota est illius donum, & hoc ipsum quod id volumus & operamur, idem est qui in nobis operatur, vt ait divinus Apostolus. Propterea hoc quoque in orationibus dicitur: Gratias agimus tibi pro sacrificio, quod è nostris manibus suscipere dignatus es. Quæ ergo docent, sanctorum in sacrificio commemorationem non esse ad Deum pro ipsis supplicationem, sed gratiarum actionem, hæc sunt.

CAPVT L.

Quot modis fit in sacrificio sanctorum commemoratio, & quæ differentia.

Videamus autem quoties & in quo sacrificij loco fit hæc commemoratio. Fit enim bis primum quidem in eius principio, quando dona offeruntur: secundo autem, quando sacrificantur. Quia enim duplex est oblatio, hæc quidem tanquam solummodo donorum, & munerum, vt antea dictum est: illa autem tanquam sacrificij; necesse est etiam eos pro quibus offeruntur & primæ & secundæ oblationis meminisse. Itaque quemadmodum in prima, In recordationem, inquit, Domini & Dei Servatoris nostri Iesu Christi, ita etiam in secunda, Recordantes ergo eorum quæ pro nobis facta sunt, crucis & aliorum quæ Christus pro nobis sustinuit. Quod enim hic sibi vult crucis memoria & aliorum quæ crucem consecuta sunt, hoc illic est Domini commemoratio. Non enim, vt miracula facientis Servatoris, sed vt crucifixi & morientis, tunc Sacerdos meminit, vt in illo loco per multa ostensum est. Et rursus sicut in prima, Ad gloriam sanctissimæ, ad intercessionem sanctorum dicit, ita etiam in secunda, pro sanctis omnibus, præcipue sanctissimâ. Sicut enim illic excellentiam ostendit, eam aliis omnibus præferens, ita hic quoniam post aliquos alios eius meminit, illud præcipue adijcit: & quemadmodum in prima, post sanctos, eorum qui agebant misericordiam, meminit: & pro quibus supplicat, vivorum & mortuorum ita etiam in secunda. Est autem differentia: in secunda enim narrat oblationem, dicit enim: Offerimus tibi hunc cultum rationalem: & simul etiam ponit causas oblationis, vel prius dicens, vel subiungens memoriæ passionum Servatoris, memoriam sanctorum. In primo autem ponit solas causas oblationis: In memoriam Domini, in gloriam sanctissimæ, & quæ sequuntur. In quibus meminit & eorum pro quibus agit gratias, & eorum pro quibus supplicat. Quæ est ratio, quod in hoc quidem facto se offerre ostendit? De pane enim detrahens, id Deo offert: & ideo non opus fuit verbis quæ hoc significarent: in secunda autem oblatione nihil facere cernitur, sed fit quidem oblatio, fit autem invisibiliter. Gratia enim sacrificium latenter operatur per sacramentales orationes sacerdotis. Opus ergo fuit verbis, quæ prædicarent eam, quæ non apparebat, oblationem.

CAPVT LI.

Cur sacerdos vocat sacrificium, cultum rationalem.

Ea de causa eum etiam vocat cultum rationalem aut verbalem, quod nullum inducit factum, sed solis vtens verbis sacramentalibus, hanc offert oblationem. Prima enim oblatio, est factum quod fieri potest ab homine, & ideo quum fiat ab homine, actiuus

cultus fuerit. Secunda autem, mutatio donorum in divinum corpus & sanguinem, quæ est sacrificium, cum sit supra vires humanas: operatur enim gratia, orat autem solum Sacerdos. Vnde & si re vera opus est & factum, sacrificium: sed tamen quia ipse nihil agit, sed tantum dicit, merito non activum, sed rationalem aut verbalem cultum se offerre dicit.

CAPVT LII.

Quare Eucharistia solum vocatur mysterium.

Illud quoque est operæpretium quærere. Quoniam enim sacrum mysterium in gratiarum actione & supplicatione versatur, cur non etiam utrumque, sed Eucharistia, hoc est gratiarum actio tantum dicitur? Ab eo quod est amplius, plures enim sunt causæ gratiarum actionis quam supplicationis: plura enim accepimus, quam ea sunt quibus adhuc opus habemus. Hæc enim pars, illa vero totum. Quæ enim rogamus accipere, pars sunt eorum quæ accepimus. Omnia enim accepimus, quod ad Deum attinet, & nihil prætermisit quod non dederit, sed hæc quidem assequendi nondum tempus habemus, sicut est corporum incorruptibilitas & immortalitas & regnum in cœlis: illa vero accepta non retinemus sicut est remissio peccatorum & alia dona, quæ per sacramenta nobis suppeditantur: alia autem perdidimus, quia male usi sumus, ne redderemur deteriores, sicut consolationem & sanitatem & divitias, quibus tanquam deliciarum & nequitiæ instrumentis usi, non ad lucrum malus, ut Iob, præsentibus bonis privamur. Vnde clarum est quod supplicationis nullum locum reliquit Deus: agendarum autem gratiarum occasionem omnem suppeditavit, sed nos nobis ipsis inopiam propter socordiam parantes, egemus supplicatione. Videamus enim de quibus supplicamus. De remissione peccatorum? sed eam copiosam accepimus absque ullo nostro certamine & contentione, per sacrum baptismum, cur ergo eam rursus petimus? Quia rursus peccatis obnoxij facti sumus. Sed quæ nam causa est quod obnoxij sumus? Nos ipsi. Ergo nos etiam supplicationis causæ sumus. Præterea de regno, ut eius hæredes simus, supplicamus? atqui data est nobis hæreditas. Etenim filij Dei facti sumus, qui regno indutus est. Quis enim hæres, nisi filios? Quid autem rerum paternarum hæredem effugit? Nihil. Quomodo ergo petimus id quod iam datum est? Aliena à filiorum adoptione perpetravimus, postquam ex Deo nati sumus & ad eum honorem pervenimus: pro filiis mali servi facti sumus, & propterea tanquam de se aliena & quæ nihil ad nos pertinet, supplicamus. Ergo nos quoque huius supplicationis nobis causæ sumus. De bonis autem corporalibus iussit Dominus, Petite primum regnum Dei & iustitiam, & hæc omnia adiicientur vobis: &, Ne sitis solliciti de nutrimento, & de indumentis, & pater vester cœlestis quicquid opus fuerit suppeditabit. Nos autem quando eis egemus, vel propter socordiam & infelicitatem nostram hoc patimur, & quod de eis præceptum non servamus: & tunc egestas nostrum est opus, & quæ propter eam fit supplicatio: Vel propter Dei providentiam & benignitatem, sicut Iob, ut maiora & præstantiora bona consequamur. Et tunc illa egestas Dei opus est: non præbet autem orationis aut supplicationis, sed glorificationis & gratiarum actionis materiam. Quemadmodum Iob dicebat: Sit nomen Domini benedictum in sæculum sæculi. Vides quod omnia quæ à Deo in nos proficiscuntur, nos ad glorificationem & gratiarum actionem tantum deducunt, orationum autem & supplicationum nos causæ sumus. Propterea omnium bonorum & corporis, & animæ, in nostris ad Deum interpellationibus memoriam facientes, ad gratiarum actionem omnium commemorationem facimus, sive ea nobis adsint sive non adsint. Ille enim semel dedit omnia, & apud se nihil reliquit. Et hoc sciens Beatus Paulus iussit pro omnibus gratias agere, scribens: Semper gaudete in omnibus gratias agite. Hac de causa perfectissimam & exactissimā nostram cum Deo collocutionem, mysterij communionis celebrationem, in quo mentionem facimus, non huius vel illius gratiæ, sed omnium, ut semel dicam, Dei bonorum & quæ actu nobis sunt & futura sunt, Eucharistiam, hoc est gratiarum actionem, nominare erat consentaneum, non ex iis, quæ in miseria versantes, & eam implorantes rogamus, sed ex iis quæ Deus in nos confert beneficiis; nec ex nostra paupertate, sed ex divitiis illius benignitatis. Quia enim in ea Deo supplicamus, & gratias agimus: sed gratiarum quidem actio, Dei opus est, ut dictum est: supplicatio vero humanæ imbecillitatis: & gratiarum quidem actio, propter plura: supplicatio vero, pro paucioribus. Illa enim propter omnia, ut semel dicam, bona: hæc vero, in nonnullis: propterea oportebat ex melioribus & pluribus ei nomine imposito, appellare Eucharistiam. (Ita enim etiam homo dicitur animal ratione præditum, licet sit alicuius particeps quod caret ratione, ut qui à meliori & maiori parte vocetur.) & maxime quia primus qui id ostendit, Dominus noster Iesus Christus, non supplicans, sed solum patri agens gratias, hoc mysterium peregit & tradidit: & ea de causa, quod illud esse accepit, hoc vocat, Eucharistiam nominans. Et hæc quidem hactenus.

CAPVT LIII.

De communi propter sacramentorum communionem gratiarum actione, & ultima oratione.

Sacerdos autem eos qui sunt sacramentorum participes, pro participatione iubet agere gratias Deo qui impertiit, idque non ociose, neque obiter & socorditer, sed attente & diligenter. Hoc enim sibi vult illud, Recti, non iacentes, nec sedentes, sed animam & corpus ad ipsum intendentes. Deinde cum alia quoque quæ consueverunt, Deum orare suasit, egreditur ab altari & stans ante fores, legit quæ fit pro omnibus orationem. Hic autem illud notandum est quomodo post sacrificium, & quæ fit propter ipsum glorificationem, tanquam omnibus quæ Deo debebantur peractis, cum Deo conversationem, & illam altitudinem veluti relinquens, ad hominum allocutionem videtur paulatim descendere, idque sancte, & ut decet Sacerdotem. Etenim omnia hoc facit, & modus orationis & locus ostendit eum descendere.

Prius enim ad altare, & apud se, & nullo audiente, & ad Deum intentus, orat, nunc autem ab altari egressus, & in medio populi existens, omnibus audientibus, pro Ecclesia & omnibus fidelibus communem facit orationem. Deinde etiam oblatum panem, ex quo sacrum panem abscidit, in multa divisum tradit fidelibus, ut qui sanctus sit, eo quod templo fuerit dedicatus & oblatus: illi autem cum omni reverentia suscipiunt & dexteram deosculantur, ut quæ sanctissimum servatoris corpus recenter tetigerit, & quæ ex eo procedit sanctificationem & susceperit, & iis qui attingunt impertiri credatur. Interea autem eum quoque qui illis horum bonorum auctor est & suppeditator, glorificant; & glorificatio scripturæ, Sit nomen domini benedictum, & quæ sequuntur. Et cum hoc sæpe clamaverint, Psalmum postea legunt, plenum glorificatione & gratiarum actione: Quis est autem Psalmus? Benedicam Dominum in omni tempore. Pane autem distributo, & psalmo peracto, precatus Sacerdos populo ultimam precationem, non solum ab altari disiunctus, & omnibus audientibus, sed etiam ad ipsam multitudinem dirigens verba orationis, maiorem nunc quam ante ostendens cum multis consuetudinem.

Quæ

Quæ est autem oratio? Vt misericordiam assecuti servemur, vt qui in domum nihil afferre possimus quod sit dignum salute, sed ad solam respicientes eius qui servare potest benignitatem & clementiam. Propterea enim hic etiam multorum meminit intercessorum, qui ad hoc nobis laturi sunt auxilium, & ante omnes, sanctissimæ Dei matris, per quam & ab initio misericordiam sumus consecuti. Proœmium autem orationis, Christus verus Deus noster: non ex adulterinis & iis qui falso nomine appellantur, quos multos aliquando colluimus, sed quem postea vix invenimus, Verus Deus noster: propterea etiam illi convenit, tanquam Deo omnis gloria, soli honor & adoratio, qui est cum patre eius principio carente, & sanctissimo, & bono & vivifico eius spiritu, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Amen.

GREGORII PALAMÆ,

ARCHIEP. THESSAL.

PROSOPOPOEIÆ, ID EST, EX Habitis per fictionem personarum orationibus, stilo mixto, dialogico & maxime iudiciali, confirmatio; Quid mens in iudicio contra corpus contendens coram iudicibus, dicere possit.

EX MAGISTRO S. PALATII.

HIc est impius ille & schismaticus Gregorius Palamas Episcopus Thessalonicensis Romanæ Ecclesiæ perduellis, de quo accipe dignum elogium, quod vir disertissimus Gennadius Scholarius Episcopus Constantinopolitanus in defensione quinque capitum Concilij Florentini cap. 5. sect. 13. in recentiores Græcos invectus hisce verbis protulit: Græcos quamvis flagitiosissimos, & stultissimos, si solum adversus Latinos dicant, omnium sapientissimos arbitramini, ô vos Græci schismatici. Inter alios quidem multos quendam qui vocatur Palamas, & Ephesi Marcum. hominem nec satis mente compotem, sed tumidum sapientiæ ostentatorem, nulli virtute vel sanctitate sublimes, quia loquuntur solum, & scribant contra Latinos, extollitis & celebratis, eorúmque imagines exornatis, festúmque agentes diem colitis ac velut sanctos adoratis. Hæc ille. Gregorius Acyndinus Græcus libros scripsit adversus imperitiam Gregorij Palamæ. Agit de hoc Acyndino Gretzerus in notis ad Ioannem Cantacazenum. Ioannes Beccus Constantinopolitanus Episcopus collegerat epigraphas seu sententias pro processione Spiritus sancti ex Patre & Filio. Sed Gregorius Palamas ediderat refutationem earundem sententiarum Ioannis Becci, At Bessarion Cardinalis Nicenus insignem Apologiam pro Becco contra Palamam composuit. Extant hæc tria opera Monachij in Bibliotheca Bavar. num. 135. Constantin. apud Manuelem Eugenicum servatur Græce scripta disputatio, qua duo doctores disserunt de processione Spiritus sancti, scilicet Emanuel Chrysoloras, cum Gregorio Palama Metropolitano Thessalonicensi. Vbi etiam habetur liber Palamæ contra Beccum. Fuit Emanuel Chrysoloras ille, qui tempore Bonifacij IX. circa annum Domini 1399. In Italiam veniens, Græcarum disciplinarum & literarum doctrinam in eam Provinciam invexit, cum Græcæ literæ in Italia iam diu exolevissent. Vide Platinam in Bonifacio IX. & Matthæum Palmerium in Chronico. In Bibliotheca Vaticana asservatur liber Græcus M. S. de erroribus Palamæ, & Palamitarum Apostasia. Hic igitur Palamas male sentiens de processione Spiritus sancti à filio, alijsque erroribus fœdatus, bellum adversus Romanam Ecclesiam implacabiliter gessit: ut iam quo loco hoc eius opus quod hic ponitur, & cætera eius scripta sint habenda, facile quisque orthodoxus agnoscat, simulque dispiciat, quam vanè & impudenter Græci schismatici hunc Palamæ prænomen sanctissimi & sapientissimi affingant.

Nota.

PROTHEORIA SEV Præmeditatio causæ.

ANIMI partis utentis ratione discrimen, qua à ratione carente & patibili differt, veterum alij aliter declararunt: quidam equorum ferocium bigis irascentem & concupiscentem animi partem similem facientes, aurigæ ratiocinantem: quidam venatori viro ratiocinantem, equo cui insidet concupiscentem, cani adiutori irascentem comparantes: quin etiam locorum discriminibus seiungentes, rationem vt principem in cerebro, tanquam in arce summa, è propinquo quasi satellitio sensuum munitam ac defensam: iram in corde, cupiditatem in iecinore collocant. Eximiæ vero sapientiæ Apostolus, evidentius animi partem rationis participem ab experte distinguens, illam spiritum & interiorem hominem: hanc carnem, & exteriorem hominem appellat: deinde contrarietatem earum patefaciens, cerno, inquit, alteram legem quæ in membris meis est, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me sub legem peccati. Orationes autem quas corpus & mens seu ratione utens, & patiens animi pars, vicissim habuerunt, exiliter admodum Stoicus Cleanthes est commentus, sic eas faciens loquentes; Quid animæ vis factum tibi, mihi indica. Quicquid fieri, ô ratio, desidero; Id regium plane est. Quidam etiam Ecclesiæ sapientum doctorum, Iamborum scriptor, ait alibi; Tibi quid exoptas fieri: Mentem meam soleo rogare: Visne Gygis, res has & illas? Nos vero in iuveniliori quodam dicendi genere huiusmodi insistentes, ad iudicialem formam dialogi rationem protendimus, & vt rei species honestior & æquior esset, iudices assidentes constituimus, ac partes accusatoris animus rationis particeps, defensoris corpus tenet: hæc enim cum ficta quædam describenda sunt permittuntur. Nec quispiam novitatis crimen inferat orationi, haud nescius quo pacto, & ad imaginum, & ad personarum figmenta, sophistarum ac declamantium meditationes provectæ sunt. Quod autem assumptivus status sit, agnitu non est ei difficile qui in civilibus quæstionibus exercendis & meditandis aliquandiu versatus est: potius intelligendum est, cum argumentum gravem sententiarum materiam suppeditaret (sæpe enim motum rerúmque naturæ contemplationem attingit) nos tamen quoad licuit, via rationéque artificiosa, re ad civiliorem stilum revocatâ ad iudicialium orationum speciem accommodasse. Quod si per omnia assumptivi generis capita hæ non procedant orationes, nihil mirum: nam nec in omnibus alijs argumentis omnia incidant necesse est; hæc quæ præmeditari oportuit, hoc modo præmeditata sint.

Declaratio assumptiva.

SI apud alios qui non intelligerent accurate quam patior contumeliam ab hoc mecum coniugato corpore, hoc præsens certamen instituerem, mihi ipse facelcerem, illisque conflarem negotia: nimirum ad rem pertinere ducens, si singulatim ea quibus me malis onerat hæc mihi contubernalis calamitas, exponerem: verum cum apud vos omnium virtutum cultores, mihi quantam passas sim iniuriam divina providentia vt id facerem concessum sit, qui hoc ipso quod cum eo luctari periculum fecistis, manifestum dicendorum argumentum præcepistis, non admodum mihi videor operosum aut alioqui molestum futurum vobis tale certamen aggressa. Satis enim est brevi quadam oratione percurrisse, & duntaxat in memoriam vobis revocasse, quas mihi solet vitiorum impressiones & occasiones exhibere, indéque vt suffragia feratis postulare. Itaque paululum vestro in rebus divinis contemplandis intermisso studio, audite me, per vestros vos obtestor, virtutis ergo & multos & magnos sudores, & iure ne meum corpus reprehendam, necne, vt arbitri iudices iudicate, ne posthac inter nos dissideamus atque discordemus: sed intelligamus vtrum nostrum alterum afficiat iniuria. Nam, quod miserabilius est, præter convitia quibus insolentius in me debacchatur, etiam eorum quæ immerito indignéque patior, me auctorem causámque facere non veretur. Iam vero progressura ad ea oratione explicanda quæ contumeliose contra me audet, nihil incommodius factura mihi videor, si paulo altius initium sumam.

Ego, viri beatissimi, genere divina sum, & è superna illa nobili prosapia originem duxi, vt quæ sim dei spiraculum & imago primaria, omniumque terrenorum regina, non enim de me hæc magnifice prædicare verebor, tantum ne ostentare mea videar apud vos alioqui magniloqua, qui probe nostis ac in honore meam habuistis coluistisque dignitatum amplitudinem. Postquā enim illa quæ nostri primarium exemplar est bonitas, ad bene faciendum suo ingenio apta, mundum intelligentem & sub intelligentiam cadentem, hocque cœlum universum, & quorum capax cœlum est, procreavit, tandem in compendium contulit, in vnámque temperationem, & molitionem velut in craterem quendam contraxit rem vnam omni genere rerum mixtam, & multipotentem, id nimirum quod & dicitur, & est homo. Hinc ego intelligens & immortalis cum sensili & mortali colligata sum, & cœlestis cum terreno copulata, & cum ancilla hera, quibusnam rationibus ita Deo visum nescio: fortassis vt ambo simul eodem ad officia virtutis exercenda iugo hærentia conspirantiaque, alterius alterum natura frueremur: illud, vt præstantioris conspiratione nobilitatum, & communicatione cum immortali degustata, immortalitatem superinduceret: ego hanc cum deteriori copulatione, tanquam cippo reflexa, modice de me sentiendo, & gloriatione de imaginis dignitate cohibenda remittendáque, & non superbiendo, & à Deo, ut primus Lucifer, deficiendo, sed potius humiliter & demisse sub eius manum validam me subiiciendo, ita Deo adhærerem ego, mihi corpus; neque pusillum quidem aut ego à vitam præstante causa, aut hoc à me animante abduceretur: Istas rationes opificis reputantes, non linum lino, sed semper se moventem cum aliunde moto, & simplicem cum iuncto permiscent & implicant, quid enim ab illis innumerarum rerum potentibus connecti nequeat? Ac quæ ab ipso statim ortu incommoda subivi, non est huius temporis de iis tragœdias excitasse, tantum date mihi vt ea paucis deplorem. Simul ac cum hoc mortali coalui, ac antequam fœtus vitam accepit, in vtero cum sepulto vna sepelita, & velut in duplici spelunca. Saræ mortuæ cadaver Abraham sepelivit, ita & ipsa duplici monumento infodior, nam ex sapientum sententia, si corpus est meum sepulchrum: id vero in vtero tumulatur: quidni duplici loculo, fœtu quem embryon, vocant, & vtero consepelior? talibus me complexu suo primùm recepta & amplexatam amictum corpus excepit humanitatis officia: talibus hospitiis & fœderibus prehensam accepit. Quæ vero posthac succedunt, germana, vt aiunt & eodem colore contacta, ex eadem que arte figlina, sive natura fingente. Illinc enim quasi e tumulo prodeuntes vna sepulti, vterino quidem sepulchro defungimur: ego vero in corporeo etiamnum infixo hæreoque. Atque veluti eiusdem vitæ facta inter miseros coemptione, calamitosam vitam inchoamus: nec lætamur quasi à tenebris in lucem eruperimus, & auram vitalem trahamus, & almum solem amplexemur: neq; circum genitricem exultantes lasciviamus, ut agni, vituli, hinnuli circum matres: sed illud, cum ex locis calentibus repente in aerem frigidum incurrat, ex commutatione angitur, & acriori dolore conflictatur: ego vero ægritudinū acerbarum consensu ipsa quoq; crucior. Hinc & eiulatus natalitiis cantibus ex adverso respondentes, & vndique devincientes fasciæ & cunabulorum vincula, sepulchralibus ligamentis cognata, & lectuli seu cunæ, evidens imago monumenti, vt hinc etiam mihi molestiæ conduplicentur, secundis his mihi post prima vinculis impositis, non enim à sapientibus illepide multis appellationibus & coniugatis id vocatur, sepulchrum, custodia, amictus, monumentum, δέμας, ἀπὸ τοῦ δέμειν a vinciendo, & tabernaculum, quod in eo tanquam in taberna de via diversetur: deinde sic illud colligatum, lacte nutritur, & sensim augetur: ego vero, tanquam fluvio fæculento cuidam illigata, hinc invalido debilique, & sinu perpetuo influenti atque effluenti, velut submersa corripior, & in extremæ dementiæ fundum præceps devolvor, nec potis sum quidpiam mente dignum, mihique proprium efficere, humido gurgite immersa. Verum enimvero hæc, tametsi alioqui misera, tolerabilia tamen, & qualia nemo iure reprehendat, ut quæ naturæ legibus, & originis immutabili serie conexionéque gubernentur: illud miserius quod ex amentiæ fundo enatans aliquando, & lumine rationis inchoans circumfundi, corporeis membris ad perfectionis statū procedentibus, neque tum plane pure dementia defungor: quemadmodum nec ex ebrietate, vel sopore gravi, vel veterno convalescentes vertigine, aut ob oculos offusis tenebris illinc natis in totum statim repurgantur. Cæterum hasce dementiæ malas sortes & tempus, & perceptio disciplinarum abradat a mente, & scientiā ac prudentiam insculpat, sed imperiosam altricem facultatem, & perpetua ciborum & potuum quotidianorum quasi tributorum pensa, quæque inde mihi adversæ facultates ab illa nutriuntur, concupiscētem & irascentem, quodnam tempus aut quæ doctrina omnino remittere evertereve possit: harum servitutem quis excussisse glorietur? quis voracem inexplebiléq; ventrē, & gulam furentem, ieiunij lupato & fræno continentiæ sine vobis cohibeat, qui naturæ contemptores inusitata prudentia estis: & qui collatione cum angelis, mortalibus corpusculis induti, & iam divorum natura superiores vos palam præstantes, nihil novi est, si longe supra corpus evolaveritis: ut hac mihi sint oratione vestræ res eximendæ. Cæterorum autem qui nunc mortales vitam degunt, quis à cupiditatibus alioqui alienus irascentis animi fremitum compescat? quis vel sapientiæ sapientior ita sit, ut cupiditati nihilominus quā aspis, mortiferum venenum iaculanti, & ad præcantricē vocem obstinatius obsurdescenti medeatur? aut quasi vas illud electionis, ut viperam adhærescentem excutiat? quis evangelice progenitus, & educatus, quemadmodū Azarias & socij pueri, non coluit corporearum voluptatum assecelam locupletem & pecuniosum, vt illi non coluerunt ex auro & argento, ære & ferro manufactum simulacrum? quis, vt paucis absolvam, vētris ingluviei, scortationis, avaritiæ catenam divulsit, nec iis inter se funiculo triplici longóque, & cætera vitia contrahēte nexis constrictus tenetur? Eæ sunt enim, opinor, apud Salomonem amatæ filiæ tres hirundinis sanguinariæ, id

est

est carnis, quæ sugendo quicquid animale, quicquid in me vitale sit exhauriant. Horum corpus meum, hæc criminor: horum nomine hanc accusationem facito, reum contumeliæ & iniuriæ postulans: quia natura, vt nostrum genus conservaretur, molienté, permiscentéq; & alimento, & generis propagationi, voluptatem, ut hac tanquam esca pellectus homo, ad ciborum perceptionem, & legitimum cubilis muliebris vsum conciliaretur vivus, & vita functus non periret: harum rerū nemini accusabilium, & naturalium, quasi legum non scriptarum, sed iam more usitatarum captatâ facilè occasione corpus, ad quarum voluptatum licentiam non affertur: enimsnam satiandi libidinis terminos non cauperat: nunc esculentorum sarietates exigit, nunc cuisū suavissimis & magnâ difficultate parabilibus cibis infartum, facere non potest quin sarietur, iterúmq; rebus quibus abundat obrutum deglutit: & præsentia improbat, absentia desiderat: neque vina quæ patria tulit, cordi sunt, sed ut aqua quæ vicinos agros alluit, nihili æstimatur, & peregrinorum sitis accenditur: neque vestimenta quæ ad æstum & frigus arcendum sufficiant, solum quæruntur, sed quæ sint ex materia viâ parabili, & arte supervacaneâ curiosius & delicatius elaborata, ad ea me vi cogit, vt per ancillas cibariorum, obsoniorū, & textilium administras sibi obsequar, & infinitis suis serviam libidinibus suppeditandis, & veluti tributis conferendis iis quæ præter necessarium vsum exiguntur: nun vt ea decore, & in rem suam absumat, sed ad libidines voluptuosas præceps abutatur. Quam igitur me vitam trahere putatis, viri Deo dicati, cum eo ita misere dementante oberrantem & subservientem? aut quibus absurdis sceleribus turpissimè non impingentem? istane mediocria videntur? an ego frustra temeréq; alioqui indignor. Nam si quotidiana, eáque sine quibus non constaret, exigeret, non quiritarer: si nuditatis operimentum, simul & ab aëris immensis iniuriis præsidium postularet, libens equidem præberem: si vulgaribus abuteretur; si solum modicam & frugalem vitam rectam censeret, non iniuriæ loco ducerem, talia suppeditare, neque actionem postularem, neque diem iudicij dicerem, vt hoc certe tempore iure facio, quippe quod cum impetu suis cupiditatibus contra mandatum Apostoli, provideat; semel enim à naturali necessitate commodissimam nactum occasionem, omnem pervagare nefandam voluptatem non desinit. Plane enim quod ait D. Paulus de peccato: Per legem scriptam peperit in me omnem cupiditatem; captatâ enim per mandatum occasione, decepit me, & occidit: idem etiam in nos incurrit, inventa enim occasione ex lege naturali, id est, alimenti & fermenti usu, mea caruncula, omnem in me excitavit cupiditatem, & propter rerum necessariarum indigentiam, primum me ad eorum legitimum usum trahit, deinde ab usu naturali ad alienum & contrariū naturæ abusum pertrahit, tum à continuo & frequenti abusu ab ingurgitandi & deliciandi habitum: tandem me prorsus decipiens interficit. Nam deliciis irretita sive fœmina est sive mens, vivens mortua est, mea enim mors est, oblitam propriarum mihi actionum, in pecuariis voluptatibus corporis percipiendis versari: quando: ut alter Apostolus scribit, attrahor & inescor à carnis cupiditate: cupiditas autem concipit, & gignit peccatum: peccatum autem absolutum procreat mortem. Ab uberibus enim ipsis in more positum est, vt cum ad iucundum quidvis profundatur, ad id autem quod sensum exasperat, indignetur, iis exerceatur affectionibus quæ ex voluptate & dolore nascuntur. Hinc & ira vires & potentiam in corde, in iecinoréque voluptas exercet: qui principes affectus ita diuturnâ commentatione corroborantur, vt & mei partem rationis participem consentientem habeant, abducántque morigeram, vna quadam ratione, aut enim dolo, aut violentia trahunt. O quoties intelligentiam mihi voluptas suffurata est! quoties; Quæ faciam ego non sum malorum nescia: Consilium at iratus meum impedit animus. Iracundiam quoque & voluptatem universa perturbationum turba consequitur. Equidem conor uni mihi principatum debitum asciscere: verum ab hac populari dominatione avertor, idemque mihi accidit, ut si qua nobilis puella parentibus orba relinquatur: quæ cum multarum ancillarum domina sit, nondum autem imperare didicerit, contemnunt, aut etiam colludere docetur: at sertus agnoscens quæ quibuscum corrumpatur, familiæ capescit imperium, & illas in ordinem servilem reducit, & castigat: illæ vero pristinâ licentia herili lasciviáque refertæ, erubescunt, & in heram insurgunt: vt etiam quidam servi feruntur, heris peregre profectis morantibúsque, & familiæ heri, & uxorum viri successisse: deinde in reversos heros insurrexisse, & armis decertasse: quemadmodum item alij postea: Româ fugitivi magnis prælis cum persequentibus & fugitivariis dimicarunt. Tale quoddam contra me servile bellum concitat naturâ mihi servum corpus, aut etiam acrius, quod illorum partim armis, quāquam difficulter, tamen perierunt, una cum servitute vitam quoque posuerunt: partim interea pugnando restiterunt, dum heros ferro dimicantes viderunt, & in se pariter irruentes: ubi autem illi deponenda censuerunt arma, & inermes flagra duntaxat tanquam servis intulerunt, itaque revocarunt in memoriam, qui quibuscum auderent gerere bellum, tum ad se denique redierunt, & pristinam dominationem agnoverunt. Hoc vero meum servile hostiléque malum est indomabile, seditiosum, fugitivum, quod nullo pacto in servitutem adducas: nec rationem ullam teneo, qua superior evadā: nam neque iure belli, neque lege iustæ servitutis expugnare possum: sed quoquomodo congrediar omnibus proverbiis obnoxia teneor, lapidem coquens, aërem verberans, æthiopem dealbans, flammam cædens, in aquis scribens, ex arena funiculum nectens. O factū incredibile: duarum rerum rationis expertium potestas meæ fidei credita est: alterius mecum intrinsecus & è propinquo, alterius remotius & extrinsecus coniunctæ: verum hæc exterior servitutem passa est, & subiiciendi legibus acquievit: nullum enim animantium ratione destitutorum, idoneum obsequium præstare recusat: sed iugum impositum cervici bos tollit, ac terræ crassitudinem aratro perfringit, idque facit, cervicibus cornuum acies, quasi alteras hastas, prætensas habens: neque levipes equus ministerium fugit: sed etiam ferox & petulans, ore tamen frena recipit, sessorem & pacem agitantem & pugnantem vehit: paret asinus, licet naturâ tardus sit, ad onus portandum vocatus: & quemadmodum ferocitate exultātem equum coërcui, iidem tardissimū asinum adhibito pugillo & fuste celeriorem feci; quid hæc mansuefacta pecora & subiugalia dico? non vrsus, non pardalis, ferarum immitissimæ, non ipse elephantus, magnitudine aggeres terræ superans, non leo rex aggrestium animantium, nostrum detrectant imperiū: sed & in vrbibus per forum & theatra ducti, spectatoribus otiosis voluptatem cum stupore & miraculo præbent, neque sublimibus avibus ad fugam satis fuit aëris ingens altitudo: vt neque piscibus ad latebras profundissimum maris fundum, ac hoc rationis expers, ferinū & belluinum, ita mansuefacimus vt res fert, & domamus: alterum vero genus domesticum, & cui continenter insidere nobis præscriptum est idque moderari, nescimus quonam pacto mitigemus, & ad obediendum clementer adducamus: & tamen genus illud natura prorsus ad rationem obsurdescit: hoc auscultat, & modo quodam ad eam convertitur, at quod à ratione alienum est omnino, rationi magis obsequitur, quam quod natura insignitur & ducitur ratione. Illud quoque suppeditat & labore suo parat corpori profutura: corpus vero auxilio mihi datum ad obeunda præclarissima virtutis munera, contrarium & magis renitens deprehenditur: potiúsque vt secum aberrem à ratione, quam ut mecū ipsum vnà ratione utatur, vi cogit. Ac superius explicata causa est: quod cum esset mihi honorificus ortus, non intellexi primum, scilicet cum fatua caruncula unà iuveniliter desipiens, sive enim materiæ sordibus,

vt Chaldæorum verbis vtar, & quisquiliis simul demersa, & velut ostreato indumento circumdata, comparatione similitudinéque pecudes & amẽtes naturas refero, serius tamen intelligere demens, & stolida aliquãdo sapere incipiens, admitor mihi primordium conveniens vindicare, corpori eiúsque membris imperare cũ ratione, & ad munus cuique congruens revocare. Illa tamen ipsa sermonem etiam præoccupantia, plane factis proclamarunt quæ cives nobili viro, vt est in evãgelica parabola, per legatos quos miserat, nunciarunt: Nolumus vt tu regnes in nobis, ducunt enim citius quam ducuntur, renituntúrque familiaribus & amicis potius quam asciscunt quæ sunt optima: magisq; retrahunt quam trahuntur. Atque mihi considerate quæso primũ aures & oculos: illæ, vt Ecclesiastæ verbis vtar, audiendo, hi videndo non satiantur: quoniam illis semper patentibus fores occludere non licet: his quanquã palpebrarum tegumentum vallum est, & aversio, ex sẽtentia magni Iob, dispositione vana videant: quid tamẽ hæc ad eorum momẽtum promptissimum & celerrimũ supra modum, & inexplebilem curiositatem? Deindéq; linguam, indomabile malum, mundum iniquitatis, vt Iacobus frater Dei loquitur: quæ etiam prius quam rationi liceat dicenda considerare, præceps ad nunciandũ suâ sponte præsilit, foris effutiens, quæ non oportet: tã etsi to septis naturæ circumvallata sit. Quid vero gula canalis quidam omnium capax? quid insaniens furẽsq; tangendi sensus? rationi ne auscultare novit, & appetitionum modum constituere? Quid vero cor, cum effervescens & ad vltionem incitatum tumultuatur? quod quãobrem canino ritu latrans Homeri poëma fecerit, ac non potius leonino more rugiens, admiror: postremo animosa particula cupiendi cui rite comparari possit? Scyllæ ne, immortali perniciei, an renascenti Hydræ? an Typhoni capitibus centum prædito? Tot instrumentorum barathris, & artuum vallis, vndique mea consepta est altius habitatio: in quibus absurdæ & rationis expertes facultates, velut omnimodi serpentes in ferinis Libyæ speluncis, latitant: quas cicurare mansuefaciéque pollicetur illa quidem dignitas imaginis: at si qua sursum emergunt, deorsum vna cõvolvuntur, nam illa magis feroci- ut sæpéque numero efferantur. Quod vos quoque subsentientes, & ne quid inde mali vobis accideret caventes, ex hominum omni consortio, ferarum altricibus lucis occupatis, vos adducendos censuistis, antra suis tegumentis munita, terræque penetralia solis radiis impervia subeuntes, per deserta vasta sub dio vagatis, vt corporis sensibus ad malorum ingressus obstructis, pars illa ratione carentis animi ferociens, alimentis destituta quiescat? & rationis compotis pars intelligens, à rerum sub sensum cadentium perturbationibus vacans, otiosa rebus intelligentiâ solâ percipiendis incumbat. Esto sic sane, equidem his paucis demonstravi palam, quanta servile corpus in me inveniliter moliatur: quod tametsi talium iniuriarum auctor manifeste revincatur, non tamen abstinebit quominus contra etiamnum dicat, qualia sæpenumero libertime dicendo, non mutiendo ritu servorum, insolentius audet: ita nimirum omnibus in rebus, quasi natura hostile mihi renititur, factis dictisque repugnans, & omnino, nullum in pactum, nullum in fœdus coiens. Itaq; quicquam eorum quorum nunc accusatur, ac in primis illos ciborum pereuntium malignos quæstus, & perpetuam exactionem se vel agere vel pati negaturum est. Nam cum sit natura compositum & semper fluens, meatibus tum abditis, tum apertis, necessario respondentem inanitioni repletionem requirit, quam cum nõ aliter quam per cibos & potus natura molita sit, idcirco nihil se peccare dicet, naturæ legibus sequendis, & quæ statum conservent appetendis, si ad tempus legitimum sufficere, nec male habere, egere medico, omnino defessum concidere, iacturámque earum actionum facere quas mentis causa cum labore susceperit, velit. Hi vero, hi, inquam, beati iudices, vsitati corpori meo prætextus sunt, si quando delabens aut irruens ad lasciviã fræno vitæ durioris revocem. Vt enim lactantes infantes à mamma depulsi plorant itidem & hoc ab iis quibus familiariter assuetum erat, avulsum luget, & indignans obstupescit, morbos & vinculi quo inter nos colligamur dissolutionem, excessum è vita iniustum, & ab agendarum rerum studiis cessationem cogitans. Nam quod hæc manifesta ironia, dissimulantia, tergiversatio & versuta recusatio sit, vobis non est ignotum qui experiundo didicistis, & edocti estis, naturam corporis, in rebus honestis operam & laborem impendendo, in naturam impatibilem quasi ferrum & adamantem indurescere, quod vero non pro foribus hæc contentio sit, id quoquẽ perspicuum tametsi est, argumentis revincã expositúmq; & planum faciam. Non sane prorsus quod nutriaris neque quod nutriendo lætetis, ô stupidum corpus, criminamur: ea criminamur quibus, malis aut afficimur, aut deteriores simus. Quis enim mente præditus, & naturæ rationes vel mediocriter contemplatus, maledictis impetat cum alias facultates, tum maxime altrices? Alimenti abusum ex legem in deliciis & inexplebilitate reprehendimus. Non autem idem est τρυφὴ, quod τροφὴ, deliciæ quod alimentum, sed alterum ab altero longioribus interstitiis differt quam Mysorum & Phrygum fines differunt, tametsi vicinitate nominũ ea propemodum conveniant, tu vero aut stupidis, aut malignis moribus præditum, accusationem abusus ad naturalis vsus calumniam traduxisti: idemq; aut nescisti, aut te nescire versute simulasti, veluti nos adulterij vel ebrietatis accusantes quẽpiam, calumniateris, quasi conviciis nuptias cupidas & sobrium vini potum insectemur. Itaque neque te, ô mea Crux, in iudicium vocamus, ob rerum necessariarum vsum, sed quia tu hanc nactum speciosam occasionem, non desinis, vt iterum illud apostolicum vsurpem, omnem in me cupiditatem efficere, primum quidem vtens alimento sicco humidóque: deinde præter & contra quam par sit abutens, eo incumbens, ad vniversam omnémq; voluptatis illecebram delabens & irruens, & vna me corripiens, & exhibens, negotia. Nam duplici & gulæ & ventris intemperantiæ flatu exagitatum, vel potius triplici in (satietatibus enim, aiunt, Venus est, prætereo enim tũc horum comitem malorum legionem) quid non mihi difficultatum & miseriarum infers? Nam dum es inane, repleri desideras: vix plenum es, denuo laboras inanitate, ac iterum exquiris compleri: quando item fame divexaris, ad satietatem te cibis oblectas: cum exsaturatum es, voluptatis illecebras quæris: quin potius, & esuriens, & plenum, neque satietatis modum, neque voluptatis satietatem nosti: in quo ego misera sum, pari pœna damnata qua illæ fabulosæ Danaides, vt in infinitum, vt illæ, tibi exhauriam, dolio pertuso: aut etiam eadem patiens quæ divinus ille David, huic profundo cœno, in quo nusquam subsistas, illigata, ad imum perpetuo delabens fundique nescium, quod enim extremum profundum tuarum appetitionum inventum est, quod tandem postremum subsistat, & tuo vlterius progredienti obsistat impetui? non est aliud quicquam, nisi quis mortem malorum omnium domitricem dicat: miserior vero multo sum alioqui, quod imprudens nesciáque te malam bestiam in sinu foveam, & pullum petulantem meo malo pingue faciam. Nonne nutritum & fotum malam mihi gratiam refers? mordens, vt serpens, calcitrosum, contumaciter ignominiam inurens, nec amplius domabile: non persuasionis blandiciis deliniris, non vi frænaris, non probitatis ergò labores attingis: quid aio, labores non attingis? præclare mecum ageretur, si contra non niteteris: si ad tibi grata charáque, mihi autem ingratissima inimicissimáque, non violenter tecum corripetes: si meam pulchritudinem amabilem luto, vt apud Salomonem illa sus auream inaurem, non obvolueres. Ne mihi quæso, beate cœtus, succenseatis, si invehar in hanc indomitam malámque pecudem tam acerbe, cuius tyrannicam rebellionem, ille quoque tantus Paulus mundo crucifixus, non iam vivens, sed in

se viventem & loquentem Christum gestans, circumspectius observabat, & indignans veluti deplorabat, miserum se vocans hominem, & anxius quærens à corpore mortis huius liberatorem: in quod etiam tanquam generosus Athleta, coronámque metens, vehementius irruens, non prius desiit ferire calcibus & crebris sugillationibus notare, quam in servitutem adduxerit, morigerúmque fecerit. Esto sane, inquit, at tibi licebat naturâ subdito mihi servitutem imponere, quæ notas inurere velles, apostolicam secuta formam, illudque sapiens præceptum; Asino fœnum & baculus, servo panis & flagra. O ludibrium, quibus me dissimulationibus deludit, nunc fateris te mihi subditum esse naturâ: nunc mihi verbis adblanditis, quod subiicere liceat, factis perpetuo repugnans. Ego vero quod tu velut asinus petulans, fustibus, cædendum sis, & vt malus servus, verberibus lacerandum, intelligere ipsa sero cœpi, verum agedum mihi percunctanti responde; Quando quæso, quaque ætate mihi datur te subiiciendi potestas, cùm nunquam cum Apostolo dicere possis, te legi Dei subiectum esse? vtrum ne puerili & adulta? at tum mentis impotentia desipiens, me ipsa non possum vti intelligeréque quanto tibi præstem. An vero iuvenili an virili? at tum omne malum erupit, & inde bellum vehementius inchoatur, me iam meipsam agnoscente, & convenientis primordium asciscente, & alio vitæ victúsque genere meliori vtendum, & legi Dei acquiescendum esse censente: hoc autem se à grata & coæva consuetudine divelli non patiente, cum ab ortu ad vigesimum vsque annum iuventutem in omni libertate licentiáque contriverit, & ventris ingluviei studuerit, & solam voluptatem exercuerit; Nec dictum facile est, quam robustis impetibus mihi quasi res novas molienti, & præter æquum dominanti, renitatur: ac mihi diuturnam consuetudinem & naturalem legem quasi murum quendam obiicit: idque potissimum, quia recens socium opitulatorem, ventris affectum eo tempore vehementem nactum, & insuper avaritiam, ambitionem; & si quid aliud horum comes cum tali tantóque cœtu coit, mihi adversatur, astutia bellica fallit, & sub peccati legem captivam abducit, persuadétque vt & ipsa faciam, facientique consentiã, quod neque probo, neque volo. Ita parere didicit: ita leges obediendi colit. Hic operæ pretium fuerit, amici Dei iudices, vt non cædam fustibus, vt asellum agaso solet, ita præter naturam superbiens, & effrenate lasciviens, & non amplius pecuario fasto tumescens, sed belluino fremitu rugiens, nec rebellans, & manifesto tyrannidem occupans, flagris & pugnis, vt heri solent mancipia, fœdem: sed ferro, quod aiunt, ignéque animadvertam, & illustris semel pugnam conseram, cominus hostem aggressa, & aut ipsum honestam degens vitam exhibeam, aut idem quod generosus Sampson faciam patiárque, convellam, inquam, quod iniuriam faciat: & cum hoste cadente læta simul excedam. In me igitur illud quoque quadrabat, quod proverbio quiritantur. Ah! quam grave est id hominibus malum? Quũ quis bonis non vtitur his quæ noverit. Nam ego certo sciens in tam rebelle non esse verberibus animadvertendum, sed vt hostile odio prosequendum, non tamen bono hoc animi consilio vtor; ab innumeris enim affectionibus depulsa impedior. Quæ sunt hæ non enim vos celabo. Pudor; parcitas, misericordia, metus non intrepidus, sed lethalis. Pudet me huius, vt conservi, & vt aliquando me adiuvantis, si non hoc tempore, fortassis in futurum; & vt sodalis, amici, socij, coæqualis. Parco abstineóque tanquam ab ærumnoso, infelici, misero. Ac me vicem eius graviter miseret, nescióque quonam modo cum afflicto condolesco, cum oppresso unà molestiam capio, cum dolente cohæresco. Præterea caveo ne offensionibus acceptis imprudens ruat, & mihi causam earum rerum quas ipsum attentaverit, aut vinctis custodiam perfodientibus ac elabentibus aut servos corrumpentibus inquisitionibus & tormenta vehementioribus, attribuat. Quantum enim audax & temerarium est, quando lautius nutritur, tantum ab ærumna qualibet occurrente vexatum, commoritur; non modo enim morbo laborans, sed & frigore, vigiliis, esurie, sitique labascens ac deficiens humi provolvitur, concitátque ad misericordiam hostes, nedum me nascendi ac vivescendi, & profecto renascendi atque reviviscendi sociam & participem. Me miseram, quid patiar aut faciam, cum tam multiplicibus malis prædito socio coniuncta, iisdémque affecta? cum quo à pueris in eundem ignorationis fundum depellor, & cum quo iuveniliter ad contumelias prolabenti corripior: cum ipsum membris viget suis, equidem indigne fero, cúmque me ad nefanda facinora rapit: cum rursus adfligitur misere, reflexa distorqueor, & mansuesco. Quo supplicio, qua pœna non est dignum tam vecors & ingratum, & in me contumeliosum, ita clementem & miserabili commiserescentem, vt ne liberorum quidem amans mater in sua ipsius viscera esset affecta? At ita sane adolescens, ita iuvenescens, & virilem ætatem attingens, me non solet auscultare. At senescẽs mite ductiléque & tractabile est ad ea quæ decent instrumentum? vndenam? quod certe membrorum vigore nexúque soluto, & ingenito calore extincto, immobili torpore tabefactum veluti compeditum est, & veteris arboris exarescenti trunco simile, scilicet tale possit res aggredi serias & honestas, quod sustentátium & senescenti succurrentium indiget. præclare vero mecũ ageretur, nisi etiam suas mihi calamitates inureret, & quibus abundat, senilibus malis me refarciret, delirio inquam, errore & veterno. Nam si verum est, mentem Tithono consenescere, & bis pueros senes fieri, ad repuerascendum profecto ætatum conversione revertimur: ac corpus quidem videt & odit obtusius: ego vero senis delirantis lippitudine cæcitatéq; tanquam tenebris offundor, nec acutius iam cernere possum. Et illud cum aliarum rerum obliviscatur, alimẽti tamen in perpetuũ meminit: & genuinis non amplius dentibus in alveolis infixis, tamẽ maxillis molaribus destitutis molit vt potest, quas etiam proverbium quoddã vt & Scipionem, seni largitur: ego vero non iam disciplina & memoria vtens, neque sane denuo vt didici, præcepta recordans solum ingurgitor oblivionis poculo, itaque paulatim è sublimi ad puerilem regredior ætatem. Tametsi enim temperationibus adversis affecti sunt & pueri & decrepiti senes: quod illi humidi sint & calidi, hi sicci & frigidi; vtraque tamen ætas sapientiæ vsum ac prudentiæ mihi negat: nimirum, quando puerile corpus sub perhumido sincipite, cerebrum gestat aquosum, vt nihil intelligens infans sapio: quando vera calvaria senio eminens paret, nihil ab vua passa, vt in proverbio est, absimilis, rursum vt infans reputor. Affectiones enim exuperantes & corporum naturam, nec minus mei partem ratiocinantem labefactare vehementer possunt. Omitto reliqua recensere quæ has ætates, primam, & postremam dico sorores germanas consequũtur excrementa superflua, calvam depilatam: accedit huc os salivosum & edentulum, lachrymosi & humentes oculi, nares mucosæ, pedes partim nondum, partim non amplius ad ingrediendum habiles & apti; membrorũ item tremula inconstantia, & totius corporis conquassatio, sed quovsque recitare contendo corporis omnia tristia mala quibus affectum, aut me misere ad condolescendũ attrahit, aut miserius ad collætandum corripit? Igitur multis prætermissis, ac morborum examinibus præteritis, à quibus, dum fovetur, riget, artubus torquetur, &, vt paucis absolvam, dum male habet, concrucior; summatim colligam infestiora mala quibus immeritò afficior; Vt naturalibus facultatibus abusum ad vitiosã satietatem & delicias fuerit, demonstravi: viq; mihi conanti providere, & ad moderatius vitæ genus revocare, restiterit, & insurrexerit, liberam vivendi consuetudinẽ vt legem immobilẽ prætendens, & vt indomitus quispiam vitulus, iugum servitutis ignominiose despiciens & iniuriam spirans, & taurino more sæviens: quodque gravius, vt naturæ fixas & certas leges transiliat. Nam

cum

A cum statutum sit, vt me ducem, quæ rationis sum particeps, & ad imperandum habilior & aptior, sequatur, ipsum potius imperare mihi contendit, ut velim, nolim, ad vnà suppeditanda voluptatis efficientia pertrahar, & indecore me cum eo geram, veluti quadam duplici telo manu armata, violentissimâ captivitate, & impostura nihil non alliciente pertracta. Molestiarum etiam quas aspergit mihi, tum in puerili, tum in ætate senili, etsi naturâ inculpabilium, miseriam tamen multiplicatum, tragœdiam obiter attigi. Quasi enim non sufficerent ætatis vigentis & fervescentis ad res turpissimas mala, etiam quæ huic interiacent, suas quoque calamitates huc conferunt. Et omnibus in rebus quantas quotâsque mihi contumeliosas ærumnas hoc lene corpus infundat, leviter aperui. Ne posthac igitur tam inhoneste imago Dei ab hâc lutea coniuge turpetur, & domina mancipati dominationi subiiciatur, vestrum est & reliquum, iudices, suffragia ferre, iniuriæque reo pœnas

B constituere, nec vt ego posthac iniuriam patiar, permittere. Si enim evangelicus ille iudex, neque Deum formidans, neque homines reveritus, vindicationem aggressus est, quanto magis vos vindicabitis me, qui & religione sancti estis, & rerum humanarum providi? Nam ei merito ne pateatur, si eius naturæ quod est luctuosum & miserabile convertatur ad supplicandum: sed ab eius seditione manifestâque tyrannide vos abhorrentes, à duobus alteram iuste faciendum statuatis: aut vt mihi detur ita meo tractandum arbitrio, torquendum, flagris cædendum, inedia suffocandum, omni tormentorum genere cruciandum, vt à me gestorum ratio nulla reposcatur, etiam si mutilavero, & omnino confecero: aut apostolica æmulatione, Satanæ communi, diro & publico tortori tradam. Quorum enim vasa feræ terrenæ incolent, vt est in Oraculo (incolunt autem perturbationibus incidentibus) eorum & pœnæ sint mortalium suffocatrices. Ita verberatum, demens mentem feret seque tandem agnoscet, & à petulantia cessabit, ex eòque quod erat armatura iniustitiæ, ad iusti-

C tiæ commodum instrumentum convertetur. Itaque in posterum seditionibus non agitabimur, nec altero alterum iugo nitemur: sed concordi conspiratione & consensu iunctas operas in rebus honestis & seriis collocabimus, & coniugatorem nostrum colemus, ac nobis ipsis promissam illam beatitudinem, intercedentibus vobis arbitris & legatis, comparaturi sumus.

Altera declamatio; quæ & ipsa est assumptiva refutatio: Quibus verbis corpus contra mentem, in iudicio contendens coram iudicibus uti possit.

IN me quot convitia, quot contumelias, quanta cavilla congesta Mens ista gravis effuderit, quasi comœdiam ageret in theatro, non accusaret in foro, audistis sane, divinissimi iudices, soluta enim & liberâ linguâ, ne quid plus dixero, large effuséque usa est, non tanquam conservo, aut, ut ipsa loquitur, coniugato parcens, sed ut in mancipium, argento redemptum invecheos, & tantum non pugnos crebros impingens. Ego

D vero postquam vestra mihi æquitas dicendi locum dat, nihil sum levis momenti vitiosive dicturum: bona enim verba dicantur necesse est: sed quæ crimina intentavit mihi, ea ut potero dissolvere conabor, semel autem hoc tempore mihi concessâ ex æquo dicendi facultate, vos orabo obtestabórque, ut meam dominam interea mitigetis, siquidem indigna se pati censens, irata meam audit orationem, idque aliam contumeliam interpretatur, quod initio sim ausum contradicere: neque vobis veniat in mentem quemadmodum neque Iob ille divinus suorum ipsius famulorum de se iudicium vilipendebat, ut alicubi ipse inquit: nec profecto mentitur, nam præter alia bona & honesta, etiam hominis veracis testimonium accepit. Neque certe Deus ab ipso Iob in iudicium vocatus, ut convitiatorem reprehendit. Quinetiam apud divinum Esaiam, Venite, inquit, & disceptemus cum viris delinquentibus: & apud magnum Davidem inducitur iustificatus, & vincens cum iudicatur. Igitur & hæc quæ Dei refert imaginem,

E exemplis bonitatem illam imitetur, & magno prædita animo patienter banc, sive iudicationem appellare, sive etiam disputationem oportet, sustineat, eisdémque rationibus animi quibus ille, fortitudinis adamantina anteaque statua, famulares contra se iuris actiones ferebat. Vtrumne, aiebat beatus ille, non sicut & ego in utero fui, illi quoque fuerunt? Quod si forte perinde ratiocinari dicerêque ac ille iustus Iob, reculer, vt ego talem vice versa dicam, concedite, quanquam dissimiliter similia: quia ille herus erga famulos æquabili animo utebatur: hic erga dominam ego servum libertate utor. Nunquid non & ipsa manu Dei creata est, vt ego fictum? non enim se Dei creaturam negabit, tametsi fortassis figmentum; ut quæ divina sit inspiratio:

F neque male feriatis hominibus decepta persuadebit unquam, quod essentiæ divinæ defluvium sit, qui quidem quantum magnifacere & extollere studuerunt eam, eiusdem cum Deo naturæ definientes, tantum imprudentes eandem convitiis affecerunt, ad bestias, frutices & cucumeres deprimentes, nec ei solum immodicum honorem & infamiam, sed & supremæ illi naturæ contumelias intorquentes. Nam cum constituisset Deus hominem effingere (ad initium enim proprium mihi revocanda est oratio) non terræ, non aquis iussit, ut hunc quoque sicut & alia animantium genera producerent, sed accepto pulvere ipse conformavit: & ut conformatio divinior est, ita & mea species antiquior, non enim quadrupedem & pronam fecit, non alvo capitéque in terram protensam & prostratam semper, sed rectam & totam sublimem, parvis quidem iisque duobus plantarum vestigiis terram leniter attingentem, sursum autem caput attollentem, aerem puriorem respirando carpentem, & cœlestes pulchritudines contemplantem; ac nativis quidem nudam indumentis, &

G ad se tuendam præsidiis inermem, manibus tamen communitam, proprio animi rationis participis, & industrio & versuto exercendis artibus instrumento: quarum operâ tutius induitur contra incommoda omnia, quam lanigeræ & longis pilis munitæ animantes: tectiúsque, quam quotquot aut coriis aut squamis nativis obducuntur: & pulchrius, quam bene alatæ aves: armata est autem validius ad se defendendam, propugnaculis manu factis, quam eæ iis quæ vel ungulis vel cornibus pugnant, aut dentibus & unguibus. Ita vero mihi studiose artificiosêque formato, Deus vitæ spiraculum inspiravit, & id ex ambobus temperatum, hominem & suam imaginem nominavit, & ut pedestribus, natatilibus & volatilibus imperaret, præcepit, & ego sine mente quippiam agere nequirem, ut nec mens sine me. Statim enim quæ præcipua est imaginis nota, in animantes imperium exercere, quomodo mens corpore destituta, aut initio recte potuit, aut in eo postea perseveravit? qua ratione conscensus fuisset e-

H quus, nisi meæ manus fræna fabricassent: qua ratione bos insidisset sulcos, nisi iisdem iuga aratráque conficientibus? Quod si mentis excogitatione hæc reperta sunt illud est quod nunc dicebam, alterius operâ egere alterum, illa excogitat, ego quod est excogitatum, industriâ meâ perficio. Ipsa rationes artificiosas videt & proponit, manus meæ materiam dociIem & tractatu facilem suppeditantes, eius quod animo informatum est speciem conficiunt: & non iam servum, quanquam ut servum aut instrumentum, hæc subministro, sed vt particeps eiusdem dignitatis cum mente conficiente, imaginis exemplo, & honestarum actionum adiovans causa sum. Nixum enim fretúmque naturæ hominis ratione atque descriptione, confirmaverim, non mentem solam neque corpus solum hominem dici, sed utrumque simul, quem ad imaginem suam fecisse Deus dicitur. Nimirum, quemadmodum cum homine communico, ita & ab humana dignitate participo. At tale cum sim,

me

me tamen optima mens è catalogo tantæ nobilitatis expungit, & veluti spurium abdicat, me servum, se divinam inspirationem, reginam, & meam dominam appellans. Ac potuissem equidem operosius & efficacius hunc tractare locum, suaderéque ne amplius servum vocaret me conservum & imperij consort, virtutisque particeps & vitæ tum præsentis, tum speratæ; sufficiant tamen quæ dixi hactenus apud vos, quibus ad obeunda certamina hæc generosa corpora exposita sunt, vt ne dum in hoc sæculo spiritalibus donis, vt socia & consortia laborum, fruantur, verum etiam in expectata regeneratione, simul cum beatis suis spiritibus regnent, & vt sol colluceant: cæterùm non admodum hac de re contendam. Appellet vt sibi fas visum fuerit: potentia referciatur, suo quidvis arbitrio ferat, agit: vtatur me quemadmodum volet: duntaxat ne vitio mihi vertat innoxia, neque me culpa vacant culpet. Audistis enim quibus de rebus accuset me, quod ali, quod indui velim animale manens adhuc, & dum ab animalibus facultatibus gubernor, necdum in spiritale transformatum. Aliam enim vitam id, aliámque victus rationem (vt in proverbio est) desiderat, nunc vero fluidum cum sim, & sine facultatibus appetentibus constare non possim, quidnam quæso delinquo, si naturæ instinctu ciborum & potuum cupiditate teneor? Quam sibi contumeliæ notam mens inurit, quæ hæc eadem mihi suppeditat? Quasi non audierit Apostolum clamantem: Nemo suam carnem odit: sed enutrit & fovet. Quo pacto enim aut initio subsistitisset, aut postea constitisset, nisi sufficienter aleretur? Quippe statim ac in vtero formor, quasi planta vel inter plantã & animal medium quid, per eas secundas quas appellant, sive per vmbilicum, alor sanguine menstruali: illinc autem progressum lactis rivulo per mammam nutricor, adusque dentium ortum. Vbi vero animandi natura cupida mihi dentibus oracutis & latis instruxit, vt & secare & conficere facile cibum potuerim, tum denique mensam solidioribus esculentis extruxit; ita sane natiuis corporum congenitum est alimentum, eàque naturæ cognatio est, & si non est eorum verbis fides habenda, qui lapidibus nonnullos ali aiunt, facto tamen credendum est, quod animatorum nullum careat alimento, vt arbores & herbæ & quidquid radicibus fultum terra parit, & omnimodi animantia. An vero dæmones & sydera libamentis illis & odoribus, exhalationibus terræ hæc enutriantur, id Græcanicis ac prophanis Poëtis, & Philosophis dicentibus, haud facilè assentiar. Nam illi cœtũ dæmonũ opinabantur esse corporũ & materiæ voluptatésq; avidum, & astris animos tribuebant. Itaque cum animatum corpus omne sit alimentarium, quicquid animatum est naturæ lege nutriatur & vivat necesse est: quod autem non nutritur neque vivit, id ne animatum quidem est. Quamobrem Servator noster non modo quos mortuos ad vitam revocavit edere jussit, sed & ipse mortuus ac jam reviviscens comedit & bibit, argumentum insolubile repetitæ vitæ alimenti perceptionem proponens. Et natura quidem servatrix ita corporis sanguinem procreans, sanguine materno fœtus ore nondum præditos: infantes edentulos, lacte, perfectos & absolutos, omni genere varietatéque ciborum alit: nec, dum crescit, nutricatur & educit, adultum vero & jam inhabilem crescendo ætatem attingens derelinquit: sed ad senectutem & decrepitam ætatem vsque, tanquam bona nutrix ducenti spiritum adest, nunquam discedens, non noctu, non interdiu. Dormientium etenim non quiescit altrix facultas, sed insomnis & pervigil bonæ nutricis instar, inspiranti præsto est, nũquid non bona faciens? ea certe quæ per os molita in ventrem demittuntur, concoquens ac digerens, primúmque in succus convertens, deinde ad jecur attrahens & in sanguinem mutans: illincque per venas omnibus partibus suam cuique portionem distribuens, & cuique congruum & proprium conglutinans; Ac multam gratiam providentiæ huic qua nos administramur, debemus, per quam quæ pe-

perit initio, eadem & in posterum charitate complectitur, nec sinit disperdi dissiparíque, alimentis excogitatis ac paratis. Et natura quidem, vt dictum est, ita format, conformat, coagmentat. Mens autem rationis compos, & corpus incolens, naturæ contrarias leges constituit, vt alia quæpiam imperiosa domina: & quia quotidianum semper alimentum quæro, me gulosum & inexplebile dolium: quia nutrimento lætor, luxuriosum & voluptuosum nuncupat, deliciarum enim finibus alimentum metitur, quod iis quæ comedimus & bibimus natura dulcedinem inoxerit, vt suavitate quadam ad gratius & avidius percipiendum cibum alliciamur, nec tristes quotidianis alimentis advehendis condolescamus. Novas enim leges, nova nomina fingit, aliena quædam & absurda, tum legibus ferendis, tum nominibus imponendis decernent, quasi nefas sit, ali cum voluptate, quod talis τροφῆς τρυφή, id est alimentorum deliciæ sint. Ego vero quod naturã naturæque legibus gubernor, vt alar mihi licere, ex omni necessitate cõsequentibus & animi hilaritate & voluptate, censeo: nec deliciæ criminabiles eæ sunt, sed charum alimentum & naturæ congenens. Quod si quis oppressus mœrore, vel pane vesci prorsus oblitus fuerit, vel cinerem tanquam panem comederit, & potum cum fletu miscuerit, alia ratio hæc est, quæ ad propositam vobis quam planiorem agitamus, controversiam non pertinet. Si vero naturalem quæ nutriendo percipitur, voluptatem, luxuriam definit, multo prius quæ in procreandis liberis est, flagitiosam nominabit. At neque nuptialis, neque etiam altrix voluptas vllis mente præditis crimini datur, quin potius admirationi est. Nam illa de genere quod sensim effluit, successione; hæc corporis inanitatem, alimento supplet se reparat: itaque neque divina mens à sua decidit ipsius dignitate, neque prorsus contumelia divexatur, ea concedens quæ à natura decreta sunt & sancita: & operam conferens, ac vna suppeditans ea quæ sunt præcipua, & maxime corpori necessaria: etsi de talibus hæc erecta fremit, quibusque criminibus aliorum taxat delicias, iisdem ipsa magis delectans revincitur. Considerate enim quæso, quanta jactet; contumeliam & servitutem ignobilissimam censet quod initio mei curam gerat, & ad vivendum necessaria comparet: ac dissimulanter cavillatur se præstantioribus adhærescendi non esse compotem, & deterioris curam habere, idcirco cujusdam ancillæ opsonatricis & panificis speciẽ induit, quæ alioqui domina est, & suam studet inviolatam felicitatem conservare. At mihi si hæc apud alios desidens sermonibus jactaret, fortassis his præstigiis imponeret: non vero cum apud vos nihil recti, nihil sani dissimulet, manifesto indecorè facit. Vos etenim qui hic sedetis tacentes; tergiversationes hujus perspicuè revincetis, qui nobilitatis imaginis illius, si qui alij, bonam vobis partem vindicastis, & absque perturbationibus ac veluti citra materiæ contagionem in corpusculis mortalibus vitam egistis: tamen & corporum ex parte curam geritis, apostolica æmulatione vobis ipsi comparantes & administrantes idonea: neque corporum talem aversionem tam indignè tulistis, quam animorum à statu meliori lapsum: neque verborum nexus & series vos tam ad commiserationem trahit, quam aureæ catenæ virtutum alia solutio: sed vt per omnia justi, justè, beatissimi judices, & corporum jura divino præcepto persecuti estis, nec ob id vos deteriores evasisse censuistis, nec ad conditionem coquorũ & mensæ structorum descendisse, vt ex mea mente nunc audistis. Etenim equidẽ, amici Dei judices, neq; conspicio quænam ex mei cura menti contumeliæ nota inuratur. An vero hera curãs ancillas, hac ratione fuerit ignominiosa? aut gubernator navem onerariam instruens, ex hoc periculosius navigabit: aut miles arma recudens & repurgans ac bellatorem alens equum, imperitiæ rei militaris idcirco damnabitur, aut inter milites desertores enumerabitur? Quid non ad hos respicis qui in corporibus sine corporis contagione vitam duxerunt,

& corpora non oderunt, quin potius adamarunt quantum oportuit, ô frustra corpus exosa, contentionisque vanæ ac inutilis amans? Quid non magni illius recordaris Apostoli, qui in Paradisum vsque ad tertium cœlum raptus est, & verba quæ non licet eloqui hominibus audivit: & tamen vsque denuo progressus, contumeliæ loco non putavit, suis ipsius manibus coriaceam artem exercere, & suis ac sociorum necessitatibus inserviendo subvenire. Oratione supergrediamur ipsum Paulum, & ejus tertium cœlum; num Deus in suo statu semper consistens ad sese reflectitur, & supra hanc vniversitatem erectus sedet? vnúmne rerum quæ post eum subjacent nulla cura, nulla providentia tangitur, neque etiam infirmarum rerum nostrarum procurationem habet? an vero adeuntans providenter, de sua ipsius ob id dignitate & gloria quicquam mittit? Quonam igitur modo corpori conjugata mens curam congeniti corporis, indignum se studium reputat, & hanc rebus secundis providentem solertiam repudiat, supra vos efferens sese, quorum etiamnum humi gradientium conversatio in cœlis est? supra jam cœlum corporibus appetentes Apostolos: supra bonitatis ipsius exemplar illud, quod omni carni largitur alimentum: cujus ex similitudine nobilitatem magni fiec jactans; non similiter ad inferiorum dignitate providentiam convertitur; & tamen summum illud bonum plusquam plenum & nullius omnino indigens, nullius opus vsquam habet eorũ quibus providet: hæc vero sæpenumero me & vt instrumento famulari eget, & vt adjuvante causa ac adminiculo, & quo absente nihil generosum in primis perficiet. Sed fortassis ab his rationibus repressa, se non injuriam dicet ex necessariarum mihi rerum suppeditatione passam, sed quod longe supra necessitatem & vsum partim insatiabili cupiditate, partim voluptatis aviditate progressum, hanc mecum corripiam, & invitam præcipitem; hoc enim fere dicebat, quando se voluptatibus absurdis mancipari, & meis decipi præstigiis asseverabat. Id vero refutare quoque facile est, ac docere audaxne facinus & temerarium sit, ita siva sistu, sive contendendi studio incitatam, ea in me accusare se nescire, quorum ipsa rea sit, cum oportuisset integere hæc: sed infaustum nihil dicam, admiratione vero dignum est, qui fiat vt sibi contraria loquatur imprudens. Nunquid non sursum deorsum versans orationem, Christi famuli judices, primariam dignitatem prætendebat, quod imago divina atq; totius ratione carentis naturæ regina esset, ac me famulum, sed dominam nuncupabat? Quonam igitur modo de repente facta mutatione, sursum versus flumina procedunt fontes, ac ostendere conatur me veluti ducere ac circumducere imperiosius, se autem vt mancipium agi ferrique? & quicquid criminis ambobus delinquitur, id ad me vt auctorem primum rejicit? Quod si ipsa imperat, ego pareo, quantæ impudentiæ est alteri sui delicti & peccati notam inurere? Roganti enim mihi responde, ô reprehendendi & accusandi libidine flagrans, tunc à domino constituta es quæ conservo mutuum præstes obsequium, quod est in Evangelica parabola, quasi fidelis & prudens administra familiæ, vt des escam in tempore? qui fit igitur vt non fideliter & prudenter assignatum munus administres, désque tempore & modo cibum, & ut fidelis increpes infidele, vt prudens castiges & emendes imprudens, & omnino potestatem in tibi credita administratione liberam exerceas, & ornes optime? At te corripi violentia tibi subditi dicis, & ad easdem ad quas ipsũ ineptias te transversam agi. Talibusne prætextibus censes te, quam male suum munus obeunti minatus est ille, membrorum divulsionem, evasuram? Atqui talis opinio vana est & inanis, à principatu enim omni eorúmque subditi peccant pœnæ exiguntur, sive imperatorem, sive pædagogum, sive parentem, sive doctorem dicas, etsi alioqui probi sint, eorundem criminum rei sunt, vt si vel imperator cum exercitu deserat aciem, aut pædagogus cum puero colludat, aut pater cum filio lasciviat, aut cum discipulo magister inertiæ & otio indulgeat, duplici pœna, censeo, horum vnusquisque punietur: altera, quod clanculum eum corrumpat, quem potius se meliorem redditurum pollicebatur: altera quod eorundem reus quorũ ille deprehendatur: vt vice versa duplici venia digni subditi censeri debent apud eos qui plus summo jure quam clementer rem dijudicant: altera, propter eorum naturam quæ semper ducem & ad honestatem promoventem requirit: altera, quod quem ad bonum præfectum acceperat, in contrarium depravantem & provocantem invenit. Nihil vero tam ad virtutem & vitium allicit, quam princeps ea faciens quæ ad alterutrum exhortantur, & exemplo suo ad similia perpetranda trahens quemadmodũ & chara mihi mens duplices dabit pœnas, vt quæ neq; quod in homine fuerit inordinatum correxit, quæque cullærata fuerit, & voluptatis illecebras, simul excitarit. Si vero suffocat aqua, aiunt, quid opus est adbibere? Mihi autem fortassis venia quæpiam dabitur, quod heram consequar, quæ vt ista delinquam me doceat. Qualis enim, aiunt, hera, talis & canis. Vt autem clarius demõstratũ sit, quod à me non ipsa corripiatur ad turpissima quæque, sed ipsa magis voluptates abripiat, méque secum pertrahat, me quæso patienter audiatis, ab orationis cursu paulum digredientem, & ad tragœdiarum omnium causam, quam explicare mens erubescit, recurrentem. Non sinceram, viri judices, intelligentem vitam, & a corporeo sensu ablegatam noster animus sortitus est, sed vtrique vitæ ei subjectæ insidet, tùm plantariæ, tum vitali, a quibus constitutio nostra corporea gubernata conservatur. Nam dolore & voluptate quasi gubernaculo temperamur: dolore, cum inanitate laboramus, aut aliter angimur: voluptate, cum explemur, & nulla perturbatione vexamur, ex opificis naturæ providentia, affectionibus ejusmodi nobis ad salutem ingeneratis: si enim dum deflumus & corrumpimur, non angeremur, neque dum latiamur lætaremur, ita vt neque conficientiâ, neque conservantia sentiremus, subitò periremus imprudentia. Nunc vero provida natura quasi manibus duabus vtens, fatigatione atque delectatione, illa pungens, hac inescans, ad edendum & bibendum exsuscitat fugientes esuriendi dolorem, & edendi voluptatem, quod est alimentum, persequentes: verum primario loco, vt qui ex esurie mœror nascitur, amoveatur: secundario, vt saturandi licentia detur. Animus autem rationis compos aliter se nutrire per se novit, & præstantiori quadam ambrosia frui: verum cum, vt diximus, erga sibi subjectas facultates non intoleranter, nec implacabiliter affectum sit, consensu quodam etiam iis patientibus condolescit, & sane cum anguntur simul angitur, & cum lætantur collætatur: vel potius, si rem accuratius definire placet, & vt aiunt artis medicinæ studiosi, primum ipsa rationis consensione patitur, propterea & prima ad amovendum dolorem exurgit, sui causa maxime: deinde, vt est dictum, subditorum juvandorum gratia. In eo igitur sapientis naturæ providentia fuit, ne maxime principalis animus, supra mala positus emineret impatibilis, & sensibus nullas difficultates quæ secundis & inferioribus interveniunt, hauriret; ad eorum enim nulla prorsus curanda converteretur. Si enim ita stimulata, condolescens, & consensu laborans, videtis quomodo pigrescat, delicias faciat, & quæ revera communis est fortuna, vt infortunium deploret, multominus profecto corpus respexisset, si corporis adversitates eam naturæ decreto non attigissent. Nunc vero, siquidem aliud quidppiam, & hoc quoque constitutum est optimè, vt consensione dolorum agatur, & eo simul adducatur, vt, quemadmodum ait quispiam, vicissim & ex parte labores capessat, & molestiarum liberationem communiter conquirat. Quibus enim quorumlibet incommodorum communio est, iisdem communiter, & ab iis liberatio curæ est. His ita demonstratis,

in

In eundem locum iterum recidit oratio: ac superius expositæ memores estote parabolæ, in qua fidelem & prudentem dispensatorem suum dominus constituit, vt sibi obsequatur, dando suo tempore cibo, nunquid non ad animi partem rationis participem accommodatè fidelem & prudentem œconomum assumpsimus, vt quæ præclare possit ex abundanti prudentia gubern reparabilem & amœnem vitam? quam etiam in eo munere constitutam dominus beatam prædicat, si prudenter & fideliter administret: ac plura se commissurum ejus fidei pollicetur, sin autem domini vt moram facientis oblita, conservos pulsare contumeliosè, non providenter, cœperit, totámque se comedendo ac bibendo fruendis voluptatibus dederit, cum ebriosis, partes dico tum quæ alere, tum quæ ali possunt, quæ extrinsecus allapsis satietatibus semper referciuntur, vtrúm ne, cum redierit dominus, qualia nunc coram vobis, prætexet, ac hujus insolentis contumeliæ causam in nos transferens, quasi decipiamus, & eus vi corripiamus, perversi servi supplicia defugiet? nónne discerpetur, & sors ei cum hypocritis constituetur, vt quæ tanquam in theatro, hac vita, personam cujusdam matronæ sanctæ & divinæ induta fuerit, & omnem incuriam ac dementiam tuitio dissimularit: libere vero omnibus nefandis voluptatibus servierit; & vt intemperans ancilla, indecorè se gesserit & turpius inebriarit? quod puto. Nam ei cunctis facultatibus præfectæ hæc cura demandata est, vt & sagaciter molestiam exhibentia provideret, & idoneam medicinam adhiberet, vt illinc perspicuum est, si quando enim mens in curandis rebus divinis excessu nimio, vel, me nescio, morbo corripiatur, qui cogitationis non movendas chordas moveat, nec esuriei, nec alimenti, nec aliûs voluptatis memor sit, tum ego quoque nulla harum rerum cura, nulla sollicitudine tangor, quonam igitur modo primas ego partes teneo, & procurandi, & dandi cibos, & tempus eorum ac modum definiendi munus sortitus voluptates præripio, deindéque ipsam, quod est magis ridiculum, ad eas corripio? Ita mollis ipsa est & delicata, ego vero robustum ac violentum. Verum enim vero ne singulis partibus renitens defensio contentiosa videatur & pertinax, tua gratia concedo me primum voluptatibus inhiare & compleri: insuper te quoque ad voluptates fruendas à me corripi: tu postea domina, & rebus nostris imperans, cum oportet puniendo cohibere, & infensam esse ligurtitioni, vehementiúsque increpare, potius ad eandem turpitudinem suscipiendam vt mancipium vna provolveris, & illa gravi, sancta rigidáq; dignitate humi prostrata, de qua glorians & magnifice sentis, mecum voluptati captiva servàque voluntaria constringeris. Nec te pudet pati profitentem eadem, quæ fabulosus ille serpens, cujus caudam aiunt de capite conquestam esse, quod motionis repetitiæ dux semper esset, ipsa totius molis se convolventis attraheretur extrema. Tandem vero ad persuadendum aggressam, vt in hoc serpendi munere principatus sibi deferretur: deinde per præcipitia saxáque cum cœca ferretur, ipsum caput & reliquum serpentem cum eo labefactatum fuisse. At quemadmodum illic, siquidem de cauda caput conquestum fuisset, eam accusans injuriæ, ridiculum & stolidum videretur: ita etiam tu quoque in hac causa, vt quæ animi parti rationis experti, caudam trahenti & cœcæ. (Nam mens, ait quispiam, videt) ductandi cedas imperium, & te ipsam ejus fidei cõmittas quod ad perniciem pertrahat. Videntes enim cœcorum, non cœci videntium duces sunt: & bos currum, non bovem currus trahit, & lapis ad perpendiculum dirigitur, non perpendiculum ad lapidem componitur. Quid vero puero, contra proverbij præceptum, gladium cõmittis? quis venenum propinatum combibens, majus quippiam ad se vel excusandum, vel defendendum habuit, quam mortis deprecationem? An primus homo à muliere prima quæ de perniciosa gustaverat arbore, posterior accepto cibo comedens, veniam apud Deum meritus est: aut vt vi correptus mortem effugit? Cupiditas enim & ira sub animum rationis participem subjectæ sunt: non vt ad voluptatis suavitatem illa delabens, secum ipsam contrahat: hæc vero ad ferinam sævitiam erumpens, secum abducat: sed vt ad captandam & habendam honestatem conveniant & conspirent: cupiditas, vt equus frænis bene moderatus, sublimen efferens, & ad vere desiderabilia concitans: Ira, veluti generosus canis, vnà pro iis & adversus ea quæ oportet belligerans & propugnans: vtraque nimirum a ratione per diuturnam consuetudinem ad bene parendum & obediendum domita atque cicurata. Verum mens alioqui temulenta facta, & valde suæ strenuitatis negligens, effœminatur quasi vecors, & deteritur, ac quantum à constanti immobilique concentu decedit, tantumdem ad cursum perturbationum accedit: quantúmque paulatim ab imperando desciscit, tantum illa servituti mancipatur. Itaque nulla vi cogitur, nec ad peccandum & delinquendum invita rapitur: sed quod Herculem passum fuisse fecisséque Græci ac prophani scriptores testantur. (Ferunt enim illum post belluas & scelestos homines perdomitos, postea volentem Lydæ fœminæ Omphalæ nomine, servisse) idem mihi videtur mentis ratio perpeti. Nam quæ sunt in homine belluinæ malignæque perturbationes, cum eas sub suam potestatem subjicere posset, lubens tamen voluptati animique appetitionibus servit; vel etiam vt alter primas, magnus, ille Samson ab insidiatrice muliercula, eadem voluptate decepta, suum magnum robur ridicule prodit & nuda, ac non jam ipsum veluti comam jactans, facilè à perturbationibus alienigenis captiva ducitur, & excœcatur oculis ad honestas res & bonas perspicacibus, pistrinóque illigatur, & circum eundem voluptatum orbem, quorum initium est & veluti stimulus ventris ingluvies, innumeras ærumnas perpetiens convolvitur, & quasi lasciviis pueris, cupiditati & iracundiæ ludibrio est. Ita mens sponte se malis immergens, ipsa sibi omne contumeliæ genus intorquet, & vndique cooperta miseriis, indecorè lascivit; deinde ob hoc voluntarium infortunium de se conquesta, suæque deploratione calamitatis defuncta, mihi crimen intentat & malorum causam attribuit, &, vt videtis, pœnas exigit: ac conviciis aspergens, quid non in me cavillatur? quid non irridet? sepulchrum me vocat, catenam, fæcem imam, & ex Chaldaïcis nugis, materiæ sordes & quisquilias dolium pertusum, crucem. Atqui si vere sum ego monumentum, qui fit vt non hanc persuadeam ad Dei similitudinem effictam mortem studiosè meditari, sed ad delicias quod ait, pertraham? si catena, qui fit vt non comprimens à peccando cohibeam, sed ad nefandam meretriæ licentiam corripiam? Quæ catena non arcet ab injuria & maleficio, sed eo vinctum vel invitum compellit? Quod monumentum non membra quæ sunt super terram mortificat, & animæ vitam omni ex parte beatam largitur, sed potius vivificat & adversus animam exsuscitat? Aut igitur ego neque sepulchrum, neque catena sum, siquidem ad delicias corripior, & vna pertrahor: inconsideratè & inaniter talibus cavillis illudor, aut monumentũ re vera & catena sim, ac magnæ hinc incontinentiæ seipsam mens ream facit, quod & alligata mihi, & consepulta delectetur, & vivens mortua sit, ac supra modũ extollitur, tametsi crux ego sim ei data: hoc enim nomine me quoque lubens appellat, vt etiam dolium pertusum, dissimulans quot & quantorum bonorum ego sim conceptaculum, vt non multo post de multis pauca degustans sum demonstraturus. Si vero pertusum quoq; sum, at certe sensuum meatibus omnino specularibus, lucidis & nunciis comprehensionis rerum, vt id etiam statim apparebit, quod per hos hauriens & sese referciens in me veluti temulentiæ pristinæ vomitum effundat, & turpissime debacchetur. Tu meos sensus, & eorum facultates maledictis vexas, si eluvies & lustra ferina cognominans, quorum opera mox mis affecta beneficiis ita ingrato & immemori animo es?

nónne discendi artibus tanquam pontibus, vt ad res contemplandas quæ sub intelligentiam duntaxat cadunt trajiciaris, vsa es? Quonam pacto eas initio sine meis sensibus comparasses? Arithmeticam ne aut harmonicam disciplinam habuisses vnquam, nisi auris extitisset, an numerorum propositiones, aut geometriã, aut astrologiam, nisi lumen oculorum eluxisset? an doctrinam de pulsibus & medendi scientiam, nisi tangendi & gustandi sensus tibi viam patefecisset? meis igitur sensibus oblatis, tuis convulsis pontibus, quid tibi reliquum aliud supersit, quam humi, & inter res sensibiles volutari, vel ne has quidem in totum attingere, neque quantum terræ meditullium est, vita sentiendi compote frui, sed sola si res ita ferat, plantaria; & tum vere sub monumentum carceremque cæcum defossa, materiæ sordibus submersa, & profundæ illigata fæci, cæcam talpæ aut cujuspiam plantarum nis vitam trahas, me solum vt ipsa comice perstringis, ostreato indumẽto circundata? Nunc vero te certe cæcutiẽtem ab ortu ad cognoscendum oculatam feci, ad Philosophiã admovi, & degustato lumine per ipsum vt terræ concretionem, maris refusionem, cœli conglobationem, & omnia quæ sunt in cœlo miracula tanquam in speculo intuereris, concessi: vtque partibus omnibus concordem concentum, qui ineffabilibus sonis opificem conclamat exaudieris, & ex rerum creatarum magnitudine, pulchritudine, concinna motione, movens illud immobile & primum & ipsissimũ bonum informavi, & ad cujus exemplaris primarij imaginẽ facta fueris, memoriã renotavi. Atqui hoc præclarius quid menti possit accidere, quã ex iis quæ meis sensibus hauriũtur, Deũ reperire? Nec solum ita per me primũ ad Deũ ascendit, sed etiã à Deo delabens, eo per me rursũ redit. Nã per me pœnitẽdi & veniã impetrandi locũ invenit, si enim à me disjũcta & extra corpus fuerit, ne pœnitere quidẽ peccati primũ potuerit, vt neq; qui deciderunt Angeli: nunc vero mea conjugatio hoc quoque bonũ ei largita est. Quantas enim & quotcunq; turpitudines asperserit, eæ meis sudoribus eluuntur, & nive candidius clarificantur: nam scapia herbam omnem abluentium, & præter hyssopi quamvis aspersionẽ extat ea quæ defluit è meis, vt ipsa dixerit, speluncis, vt ego, fontibus pellucidis, lachryma, media, humi cubitus prædurus, flexis genibus deprecatio, in precibus defixa immobiliter constanterq; intentio, pectoris percussio, è pectore prodiẽs gravis fumus, interioris inflãmationis indicium, aliaque ex quibus multipotens pœnitendi miscetur medicamentũ. Tot numero bonorũ novi recondere thesauros ego, ex mentis meæ sententia persuasum, & nihil continens dolũ. Sed inepiè fortassis & præter decorũ apud vos quibus talia trita sunt, singula dicẽdo persequor itaq; summatim & paucis ostendendũ, quod quæ mihi à mente vitio vertuntur, ea potius passum sim quam fecerim: quæ autem facio naturã duce, quæque conficio hæc sunt. Philosophia enim per quam ad Deum attollimur, in contẽplationem & actionẽ secta, siquidẽ contemplatricẽ ea vitam amplexetur, per me naturæ opera perspicit, & per disciplinarum pontes ad eas res quæ ratione intelligũtur transmittitur, & postremò, quod aiunt, ad ipsum Theologiæ limen volando conquiescit: sin præ contemplandi pontibus, agendi scalã malit, hic etiã magis me laboribus propriis ædificans, omnes actionum gradus invenit. Dicam, quod omnibus eminet, per me ab Angelis paululũ diminutus homo, multum supra Angelos excellit (quis enim Angelorũ possit quæ Deus passus est, & vt homo mortẽ imitari potuit?) per me vtiq; cæsum, tortum, lauratũ, & postremo morti traditum, & divino corpori Servatoris conformatũ: in quo & peccatum condemnavit, vt in nobis Dei justitia cõpleretur. Domina autem & mens sciscitatur ex me, quando, quaq; ætate sibi subjectum esse possim, ego nihil cunctatum ita simpliciter respondebo: Fequando non possim, quaque ætate sim inobsequens, ipsa sive bonum, sive pravum sit, me ducendo vocet? vt ex artibus perspicue liquet. Nactum literarum studiosam & amantem honestatis mentem, pædagogos sequor, magistris pareo, in scholis & auditoriis assideo, & de liberalibus disciplinis & doctrinis quid inculcatum non exprimo? rursus sum ego mentem exercendis artibus illiberalibus aptam sortitum? doceor iterum ædificare, aut lapidibus struere, aut stans subjectis incudibus obstrepentibus fabricare: aut guttulis à terra exundantibus, collectis stagna conficere, aut contra sævos ventos, furentes fluctus obluctari, nonnunquam etiam in profundũ deorsum verso capite, natans feror, & militariter disjectum & scissum ictibus omnibus obsto, ne dicam ad quas exercendas artes vanas & inanes vi coactum instituor, quum præstigiatoribus execrandis subjicior, doceórq; funem extremis pedibus scandere & ambulare, subjectis pugionibus tripudiare, capite demisso salire, lapillos & ferri particulas devorare; atque rerum ita difficilium atq; miserabilium, & alioqui operosarũ quam non à puero exercitationem conficio? vigentem attingens ætatem me pertinax & ambitiosũ præstorem excedens ætatem, nihilo minori conatu elaboro: corroboratum & senescens, addiscere non cesso etiam quo l excogitatu sapientius sit quam quæ juvenes moliuntur: & vt in vno versum dicam, nihil est quod at te parari, quod doctrina tradi possit, ad quod non adducat, nihil factis, nihil dictis menti volenti repugnans, vt neq; animãtium subjugalũ & inanimatorum instrumentorum obsequentissima quæque. An etiam ad obeunda virtutis munia, illis longe jucundiora, facilia, naturæ cõgruentia, ineptum & adversarium, & veluti repugnans, seditiosum, hostiliter sum affectum? At id sibi dicenti non crederent egregij victores illi martyres & hi judices virtutum cultores, qui corporum certaminibus, incorporeorum naturas expetarunt. Verum tempus est, vt enarum quæ diximus summa capita recenseamus, & opportuniora congruentioráq; percurramus. Accusatrix mea mens convicta est, nihil sani vitio vertere: sed frustra insurgere mihi, & quæ inculpata sunt accusandi studio & calumniosè, quæque mihi permittuntur à natura, culpare. Defensione mea comprobavi, nullam aut injuriam aut contumeliam me Dominæ famulum, imperatrici obsequens, instrumentum ei quæ suo me arbitrio vtatur, inferre potuisse: sed ipsam potius sua socordia torpescentem, & imbecillitate mollescentem, malam evadere: & cum oportuisset integere, hanc etiam pœnas exigere. O calamitosum & miserum me! quis parcet? quis miserebitur? quum etiam cognata mens & mecum conjugata non miseretur, neque meis afflictationibus referta satietur: sed præterea quæ nũc patior, & in posterũ patiar ejus opera, insuper aliud recentius excogitat, inquisitiones, lites & contentiones; tribunalia, diros tortores, quasi non ea quæ miserum patior ipsa peccãte sufficiant. Dei æqualitatem fastuosa concupivit, & statim ego mortalitate sum interceptum, & ad pulverem matrem reversurus: ne quæ mediæ interveniunt calamitates & obscœnitates memorem, nuditatem, ficulnea velamenta, & coriacea indumẽta, aculeatarum spinarum & tribulorum acies. Invidia rursus conflagravit, & mihi tabe liquefactus vultus concidit; vbi vero fratrem exosa fratrem est ausa trucidare, ego statim tremulum & queribundum ac imposito signo notatum & convictum vagabar. Impegit mens in legislationem, vel Prophetiam, vel sacerdotij dignitatem, & mihi maledicentiæ supplicia firmiter inhibentur, ac statim leprosum efficior. Ipsa Angelo fausta nuntianti diffidit, & mea lingua silentio compeditur, hæc astu fœminæ malæ decepta est, & ego excæcor, & in pistrinum detrudor. In pauca multa contraham: aut sum cum mente colligatum humili ac illiberali, & nocte dieque sustineo continuos labores, ad quotidianum cibum cumque parcum & tenuem, ad lænam, vel substrictam quandam & brevem tunicam, vel tegendis humeris penulam comparandam: aut cum vitam voluptuosam amplexante, & multo deterioribus malis affligor, dum singulis horis inexplebiliter in ventrem infercior, & immodicis

cibis,

A

cibis, potibus, rebus venereis distendor & tumpor: hinéque quot morborum agminibus obluctor? aut enim ad lectum decumbens, aut vt attonita quædam ruina languesco, aut febre colliquesco, aut articularibus morbis pedum & manuum torqueor: tum & carnificibus medicis mercenariis curandum medicamentis & laniandum, nonnunquam etiam tortoribus inhumanis dæmonibus, exponor. Mecum hanc vitiorum tragœdiam agat ille vocalissimus Apostolus, quæ, mente omnes habenas & fræna laxante, in me peccando conferunt scortatores immanes, & quotquot contra naturales vsus accenduntur, vt me ignominiâ notent insolenti: quoque modo pessimè corrumpendi, me templum Dei corrumpunt, meáque membra quæ sunt Christi membra, scortorum membra faciunt. Cæterùm non his mens nullorum non malorum memor contenta est, sed vos supplex rogat & obtestatur, vt sibi licentiam detis vtendi me suo arbitrio, torquendi, fame necandi, in exitium Sathanæ tradendi. Nescit enim sapiens, se plane desipientem in ea incidere quæ sunt in proverbio: Capram ferre non possum, mihi bovem imponite. Nam si quæ in nobis ex inordinata materia

B

ægritudines adnascuntur, eas vt decet Philosophum non fert, indignatur, & gravia se pati censet, quæ non esset passa, si mecum ira divina calamitates illatas accepisset, in fastu inflata superbit. Verum hæc ex vestro dependent arbitrio, & quicquid visum vobis fuerit, in eo tanquam in divina sententia, tum quæ facienda, tum quæ non facienda sint definiente, nos quoque acquiescemus.

IVDICVM SENTENTIA.

VEstras vtriusque vicissim cum orationes audiverimus, tuam, mens rationis particeps, quod tibi subditum est, vt intemperatum & inobediens accusantis; tuam rursus, pars animi ratione carens, defendentis te nihil delinquere vt animus intelligens temerè calumniatur: nobis autem de vtriusque orationibus arbitria facienda sunt, & controversiæ sedandæ, ne frustra nostram & contemplandi studio debitam vitam interruperimus, hic sedentes, jam dicimus quæ ex longis experimentis, & à divinis scripturis accuratè

C

didicimus. Hanc itaque sententiam ferimus: Si carnis sensum, ô mens, accuses, vt rebus honestis ac virtuti consentaneis adversarium, & tibi obediendi impotem, imprudens in Manichæorum opinionem delaberis; existimant enim execrandi illi, intelligentem animum opificium esse boni, rationis expertem, mali: & idcirco neque virtutem capessere, aut grata & opificio bono convenientia sentire posse. Sin ipsa hoc non ais, sed effrenem & obsequentem ejus intemperantiam accusas, vt ne teipsam quasi non insipienter modereris, sed divino tibi munere concessum administrum perpetuo criminateris, culpas quod meritò culpandum non est. An non Imperator, Doctor, Magister cujuscunque is fuerit, ipsi rationem reddunt, & pœnas luunt eorum quæ, qui ab ipsis ducuntur, Magistrorum incuriâ atque negligentiâ peccant? Id ne sapientes quidem exteros latuit: siquidem Philosophorum apud illos quidam, adolescentem conspicatus lascivientem & flagitiosum, nullum in eum maledictum contulit, sed pædagogum percussit, in-

D

quiens: Quid enim talia doces? Sin autem dicas, magnum illum Paulum, in epistola quam ad Romanos scripsit, carnem accusare, audi quid velit, & ad quid hæc Apostolus loquatur. Nam ante Domini adventum & mors terribilis erat, terribilis, & mortis imperium habens: propterea & apud Esaïam aiebant; Edamus & bibamus, cras enim moriemur.

E

EIVSDEM
PALAMÆ,
IN VENERABILEM DOM. ET DEI AC SALVATORIS
nostri Iesu-Christi, nihil nocere visa vox quicquid Maldonatus *putiditatis* notet, Transformationem; vbi probatur quod in ea est Lumen, increatum esse, Orat. I.

F

NOTA.

Ad dignoscendum in quibus erravit Gregorius Palamas, legenda sunt quæ habentur tom. 11. Conciliorum novissimæ editionis pag. 1872. consulendus quoque P. Petavius, S. I. tom. 1. dogmatum Theologicorum à p. 84.

LAVDAMVS nosquoque ac admiramur, magnificum hoc Dei opus oculis conspicuum considerantes, omnem videlicet creaturam. Laudant & admirantur scrutantes, etiam Græcorum sapientes: Verùm nos quidem in ejus, qui condidit gloriam: Illi verò contra rerum authoris gloriam: *Servierunt* enim dementi consilio *creaturæ magis, quàm Creatori.* Sic nimirum & Propheticas Apostolicásque ac Patrum voces, etiam nos enucleamus, id verò in eorum qui legerint vtilitatem, divinique Spiritus, qui per Prophetas & Apostolos ac Patres locutus est, laudem: conantur autem etiam exponere, qui pro tempore pravæ hæresis existunt antistites, in eorum tamen damnum, qui illis crediderint, veræque fidei labem, qui Spiritus vocibus contra Spiritum abutantur. Quin ipsam quoque Evangelij gratiæ doctrinam, quæ sublimis sit, senilibúsque auribus atque animis congrua, à Deo afflati Patres nostri suo ore ac stylo explanantes ac velut tenuantes, etiam nobis qui sumus imperfecti, convenientem efficiunt: haud secus ac matres filiorum amantes, solidiorem masticando escam, vel ipsis dum lactentibus vtilem, & quam facilè excipiant digerántque, reddunt: nam & humor salivaque ex ore matrum corporalium, pueris cibus efficitur; sensáque ex divinorum Patrum cordibus, in escam audientium ac credentium animabus apposita proclivè cedunt. Hominum verò nequam ac Hæreticorum ora, veneno mortifero plena sunt, quo, verbis vitæ commixto, ipsa hæc mortifera inconsideratè audientibus ingerunt. Caveamus, igitur illos, qui Patrum expositiones non recipiunt, sed à seipsis contraria inducere conantur; ac qui voces quidem in litera positas se colere simulant, piam verò intelligentiam repellunt; magisque fugiamus, quàm fugiat quis à facie serpentis. Nam serpens quidem mordendo corpus, temporaneè necat, animam separans, quæ sit immortalis: hi verò ipsi animæ infixo morsu à Deo abjungunt, quod est æterna mors animæ immortalis. Istiusmodi igitur omni virtute fugiamus, ad eósque qui pia ac salutaria docent, velut Patrum traditionibus consona, confugiamus. Istiusmodi verò nunc dixi, hæcque exordio ad Vestram dilectionem oravi, quod hodie ve-

Rom. 1. 25. Inanis viri jactátia, in quem insanè hæreticum vertenda omnia.

G

H

A

nerandam Christi in monte Transformationem solenniter colimus, déque ejus Lumine instituenda nobis oratio est, in quod etiamnum Lucis hostibus multum certamen est.

Mat. 17.

Age igitur parum initiò & à fronte, quæ leguntur hodie, ponamus Evangelicas voces, ad mysterij explicationem ac astruendam veritatem. *Post dies sex assumit* IESVS *Petrum & Iacobum & Ioannem, & ducit illos in montem excelsum, & transfiguratus est ante eos. Et resplenduit facies eius sicut sol.* Hoc primum ex Evangelio perspiciamus necesse est: vndenam Christi Apostolus & Euãgelista Matthæus, sex dies enumeret, post quos Dominicæ Transformationis dies advenerit. A quo igitur die? Ab eo scilicet, in quo Dominus docens discipulos suos aiebat, *Venturum Filium hominis in gloria Patris sui.* Addidítque, dicens: *Sunt quidam de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant Filium hominis venientem in regno suo:* nempe Patris gloriam ac majestatem, suúmque regnum, propriæ Lumen Transformationis vocans.

Mat. 16. 27.

B

Luc. 9. 28

Hoc quoque Lucas Evangelista insinuans manifestiúsque exponens, *Facti sunt*, inquit, *post hos sermones, fere dies octo. Et assumpsit* IESVS, *Petrum & Iacobum & Ioannem, ascendit in montem, vt oraret. Et facta est, dum oraret, species vultus eius alia, & vestitus eius albus refulgens.* At quonam modo inter se consentiunt, cùm alter quidẽ octo palam dies intercessisse dicat à pollicitatione ad apparitionis diem; alter verò, *Post sex dies*, habeat? Audite ac intelligite: Octo erant in monte, & sex apparebant. Nimirum hi tres, Petrus & Iacobus & Ioannes, qui cum IESV ascenderant. Viderúntque ibi versantes cum IESV, eique colloquentes, Moysen, & Eliam: sed Pater & Spiritus sanctus invisibili prorsus cum Domino ratione erant: alter quidem voce sua testatum reddens, esse hunc Filium suum charissimum, alter verò in nube lucida pariter effulgens, Filiique, secum & cum Patre Lucis conjunctionem ac vnitatem ostendens. Horum enim opulentia, conjunctio est vnáque splendoris profulsatio: Sic igitur sunt octo. Quemadmodum igitur nihil hic dissonat sensus ab octonario; sic neque Evangelistarum vlla discordia est, quod alter dixerit *Post dies sex*, Lucas verò, *Facti sunt post hos sermones fere dies octo*; sed vtrisque velut spectandam nobis, eorum, quæ secretius simul, & quæ palam in monte consociata essent, speciem dedere. Sic enim quis ad literam quoque rite considerans, inter se concordes divinos Præcones adverterit. Octo namque dies dixit beatus Lucas, non ab eo dissidens, qui *Post sex dies*, dixerat; sed velut complexus, tum eam diem, qua sermones habiti essent, tùm qua Dominus transformatus est, vti & Matthæus dat intelligere, si quis solerter animum attendat. Quamobrem etiam is, qui propositionem μετὰ, quæ diem sequentem significat, posuit; Lucas verò dimisit. Non enim dicit, post dies octo, velut ille, *Post dies sex*; sed, *Facti sunt fere octo dies.* Sic nihil sensu dissentanea Evangelistis conscripta narratio est; quin & magnum aliquid atque mysticum, eò quod dissentire videntur, altrinsecus nobis insinuant.

Sex & octo in Dominica Trãsformatione.

Greg. Theol. orat 40. p 639.

C

Ita Chryso. alij tere.

D

Ac quæso dicendis animum adhibete, quotquot ad summa semper altáq; contemplationum tenditis. Quid causæ est, cur alter quidem *Post sex dies* dixerit; alter verò octonarij factâ mentione etiam septenarium superaverit? Idcirco nimirum, quod spectaculum Lucis Dominicæ Transformationis, sacramentum octavæ est (futuri scilicet sæculi) post mundi sex diebus conditi requiem, sensúmque superatum, sex in nobis modis efficacem elucens. Quinque enim præditi sensibus sumus, quibus si addatur, qui in sensu est, prolatitius sermo; senariam nobis sensuum operationem vimque efficit. Nedum verò sensum superat, verumetiam sermonẽ omnem excedit, quod regnum Dei dignis promissum est. Quamobrem post pulchram horum, seni partibus exercitorum, cessationem (cujus cessationis dignitate septima magnificè pollet) per octavam virtute ac facultate præstantis operationis, regnum Dei elucet. Atque hanc Spiritus virtutem, qua Dei regnum, his qui digni existunt, conspicitur, vt auctor est D. Lucas, ostendens Dominus discipulis, antea dixerat: *Sunt quidam de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute.* Idcirco nimirum, quod videntibus, videndi quæ inaspectabilia sunt, virtutem præbeat; præpurgatâ eis lethiferâ animóque exitiosâ luce, quæ peccatum est. Ejus vero gustus, mali intentione ac pravitatis initium est; qua præpurgati non gustant animi mortem, mente quoque ac animo (vt ego existimo) impolluti servati, virtute futuræ apparitionis.

E

Sunt quidam de hîc stantibus, qui non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei veniens in virtute. Vbiq; est hujusce rerum vniversitatis Rex, ac vbiq; est ejus regnum. Quare quod dicitur venturum regnũ Dei, non aliunde advenire significat; sed ipsum manifestari virtute divini Spiritus. Idcirco aiebat, *veniens in virtute*: quæ virtus non quovis modo quibusvis accedit, sed his qui stant cum Domino: hoc est, qui firmi sunt in ejus fide, Petróq; & Iacobo & Ioanni affines sunt; quos videlicet Verbum prior ad montem excelsum (supra humanam scilicet abjectionem) subduxerit. Nam ea quoq; ratio est, *Cur Deus in monte informetur ac appareat* (juxta eum qui dicit) *partim ipse ab specula sua descendens partim verò à terrena nos humilitate attollens, vt vel leviter capiatur à natura creata, & quantum illi tutum est, qui ipse capi non potest ac incomprehensibilis est.* Ejuscemodi autem informatio, nihil intelligentiâ deterior est, sed longè præstantior ac sublimior, vt quæ divini Spiritus virtute fiat, ejúsq; impressio existat. Non itaq; accedit ac decedit, aut circũscribitur, vel sub sensus facultatem cadit lumen Dominicæ Transformationis, tametsi oculis corporeis visum est, atq; id ad modicũ tempus, & in montis exiguo vertice, sed juxta eum qui ait: *A carne ad spiritum tunc translati Domini discipuli sunt, sensuum immutatione, quam in illis Spiritus fecit.* Inque eum modum viderunt, cujus illis & quantum commercium indulsit, inexplicabilis illius Luminis divini Spiritus virtus.

F

Greg. or. 42. p. 683

Divina illustratio intelligentia major.

Alia auctoritas, sed hæc nihil ad Palamæ scopum.

Quod non intelligentes, qui nunc in illud blasphemant, sentiendi creatáq; virtute Apostolorũ præcipuos arbitrati sunt vidisse Lumen Dominicæ Transformationis; eámq; ob rem in creatorũ sortem detrahere conantur, nedum Lumen illud (Dei scilicet majestatem & regnum) verumetiam divini Spiritus virtutem: qua divina manifestat, his, qui digni sunt.

G

Hæc in Deo, ipse Deus, ad extra, effecta.

Et transformatus est ante eos: hoc est, ipsis cernentibus, illis coram. Quid est, *Transformatus est*, ait Aureo ore Theologus? *Tantisper aperuit modicum aliquid Deitatis, vti placuit, ac discipulis Deum inhabitantem ostendit. Factum enim est dum oraret* vt ait Lucas, *species eius alia, splendens vt sol*, vt Matth. scribit *Vt sol* autem dixit, non vt aliqui lumen illud ejusmodi æstimet, quod sensu capiatur (apage mentis cæcitatẽ, eorum qui illis quę sensu percipiũtur nihil sublimius cogitare possunt) sed vt intelligamus, quod sol est, his, qui sensu vivunt, sensúq; conspiciunt, id Christum vt Deũ esse, his qui spiritu vivũt & spiritu vident; nec opus esse alio lumine in Dei visione, his qui divinis dotibus præditi sunt. Æternis enim ipse Deus lumen est, & non aliud. Quid enim alio opus lumine, his qui maximo illo lumine freti sũt? Dum autem oraret, sic effulsit, arcanúmq; illud lumen arcanâ ratione primis Apostolorũ (cùm & summi Prophetarum adessent) manifestavit; vt ostenderet orationẽ parentem esse beati illius spectaculi, noverimúsq; virtutis cum Deo necessitudine ac mentis cum illo vnione, splendorem hunc parari ac apparere: qui cunctis præbeatur ac videatur, qui bonorum operum diligẽtiâ, sinceráq; oratione continuè in Deum intendant. *Vera enim pulchritudo*, inquit, *summeque amabilis, solo mundo videri animo potest*; quæ videlicet circa divinam beatámque naturam est. Cujus fulgoribus atque gratiis qui intendit aciem, ejus velut floridum quoddam jubar (eo imbutâ ejus pupillâ) percipit. Quamobrem etiam

Chrys. Aliquid Deitatis in proprio effectu.

Luc. 9. 29 Mat. 17. 2

H

Ita Massaliani, Deũ ipsi humana quasi industria à se iactant videri.

Moyses

Exo. 34. 29. Greg. Theol.

Muyses enim Deo fabulando, vultu clarificatus est. Videtis Moysem quoque, cum ascendisset in montem transformatum esse, atque ita Domini gloriam vidisse? Verùm passus ille est Transformationem, non est operatus, iuxta eum qui ait, *In hoc me modò fert temperatus veritatis fulgor radiusque, ut Dei splendorem tum videam, tum patiar.* Enim vero Dominus noster Iesus Christus, illum à se splendorem habebat. Vnde nec ipse opus oratione habebat, quo, divina luce corpus splendesceret; sed ostendebat vnde Sanctis Dei splendor accederet, ac qua illis ratione videndus esset. Nam & *Iusti fulgebunt sicut sol in regno Patris eorum*, sicque toti divina lux effecti, tanquam divinæ Lucis germina, Christum videbunt, qui divina atque arcana ratione Iucis fulgoribus præfulsit; cuius ex Deitate claritas naturâ procedens, corporis quoque communis in Thabor monstrabatur, ob vnitatem ac singularitatem personæ. Sic nimirum & vultus eius, eiusmodi Lucis munere, tanquam sol splenduit. Qui autem inter nos Græcanica eruditione, ac sæculari profanaque sapientia gloriantur, nec viris spiritualibus in Spiritus doctrinis morem gerere nunc non, sed & rebellare, in animum inducunt, dum Lumen audiunt Dominicæ in monte Transformationis, quod Apostoli oculis viderunt, ad lumen statim sensile ac creatum devehuntur, in illudque detrahunt, immateriatum illud inoccduumque ac æternum Lumen, quodque nedum sensum, sed & mentis vim omnem excedit; homines scilicet in terra versantes, ac qui supra terrena nihil cogitare possint. Tametsi is ipse, qui eo fulsit Lumine, in creatum antè ostendit, quod Dei regnum appellat. Non enim Dei regnum servum est & creatum. Solum enim universorum nullius imperio mancipabile atque invictum est, nimirum tempus excedens ac ævum. *Neque fas*, inquit, *est, Dei regnum vllis cœptum sæculis esse aut temporibus, aut ab eis attingi.* Hoc nos illorum credimus hæreditatem esse, qui saluti donantur.

Matt. 13. 43.

Inepta rudis hominis doctoris fugillatio.

Greg. Theol. Ita de ipsa in se Deitate Personisque Non assumptis, sed à supræ humanitati collatam deitati. Negat.

Quandoquidem verò etiam Dominus transformatus splenduit, illamque claritatem (sive maiestatem) & splendorem & lumen ostendit; minusque verinius est, qualis in monte discipulis apparuit, ergone Lumen aliquod assumpsit & in æternum habiturus est, quod prius non haberet? Apage blasphemiam. Nam qui hoc dicit, tres in Christo naturas opinabitur, tum scilicet divinam atque humanam, tum Lucis illius. Non igitur aliam, sed quam occultè habebat, claritatem, hanc manifestauit. Habebat autem sub carne latentem splendorem divinæ naturæ. Ergo divinitatis est Lumen illud, & increatum est. Quandoquidem etiam ex Theologorum doctrina Christus transformatus est, non assumendo quod non erat, nec quod in illud immutatus sit, sed manifestando suis discipulis id quod erat: nempe illorum aperiens oculos, & ex cæcis reddens videntes. Vides, ad illam Lucem quod attinet, cæcos esse oculos, qui ex naturæ rationibus vident? Ergo ne illud quidem Lumen sensile est, neque videntes, oculis sentiendi vi quoquo modo præditis videbant, sed qui virtute divini Spiritus essent immutati. Immutati itaque sunt, inque eum modum immutationem viderunt, non quam tunc recens, sed quam ab ipsa assumptione nostra nacta conspersio sit, quæ Dei Verbi vnione deitate imbuta sit. Hinc quoque quæ in virginitate inauditâ ratione concepit pepertique, ex se natum Deũ in carne agnouit. Symeon quoque qui eum tanquam infantem in manus susceperit? Annsque Anna quæ & ipsa occurrerit. Elucebat enim velut per tenues membranulas vitreas divina Virtus, illis affulgens ac irradians, qui oculos cordis mundos haberent.

Negat: cognoverunt fidei lumine & prophetiæ, non visibili luce.

Quid verò etiam causæ est, cur è reliquorum choro Principes assumit, ac subducit, eosque seorsum solos: Nimirum ut quidpiam magnum insinuet atque mysticum. Quonam igitur modo magnum ac mysticum sensilis lucis conspectus, cuius ipsi quoque electi, priusquam subducerentur, copiam habebant, ac cum illis qui relicti fuerunt? Quid verò etiam illi opus Spiritus virtute, ac quæ per eam erat, accessionia, seu oculorum immutationis, ad Lumen illud intuendum, si quidem eiusmodi erat quod sensu perciperetur atque creatum existebat, Quomodo autem maiestas & regnum Patris ac Spiritus, lumen quod sensu percipitur? Quo postremò modo in eiusmodi maiestate & regno in futuro sæculo veniet Christus, quando nec aëre nec luce nec loco opus erit seu aliorum eius generis; sed, teste Apostolo, Deus erit nobis pro omnibus? Sin autem pro omnibus, omnino etiam pro Lumine. Vnde rursus probatur, illud quoque Lumen esse deitatis. Nam & Evangelistarum Ioannes divina doctissimus, per Revelationem ostendit, Futuram ac manentem illam civitatem, *non habituram opus Sole aut Luna, vt in ea luceant: Claritas enim Dei illuminabit eam; & lucerna eius est Agnus.* Num illic quoque nobis palam Iesum ostendit, qui nunc in Thaborio divinè transformatus sit? qui vt lucernam quidè corpus habeat? Lucis autem locum, quæ in monte, his qui vna ascenderant, discipulis claritas Deitatis effudit. Quin & de civitatis illius incolis ait idem, *Non egebunt lumine lucernæ & lumine Solis, quoniam Dominus Deus illuminabit super illos. Et nox vltra non erit.* Quodnam igitur Lumen, penes quod non est immutatio aut vicissitudinis obumbratio? Quodnam illud Lumen invertibile inoccuumque? Nonne Deitatis Lumen? Sed & Moyses atque Elias (ac præcipuè Moyses, qui Anima esset, non in corpore ageret) quonam modo visi sunt ac clarificati per lumen sensibile? Nam hi quoque *visi tunc in maiestate, dicebant excessum, quem completurus erat in Ierusalem.* Quomodo verò etiam agnoverunt Apostoli, quos nunquam antè viderant, nisi eius Luminis occultâ detegendi vi?

1. Cor. 15. 28.

Apoc. 21. 23.

Apoc. 22. 5.

Iac. 1. 17.

Luc. 9. 31.

Enim vero ne vestrum animum diutius trahamus, reliquas Evangelicas voces, in sacratissimi divinique sacrificij tempus reservemus: credentes verò, vti ab eis didicimus, qui à Christo illuminati fuere; quippe qui soli certò sciant. Secreta enim mea mihi, meisque, ait Deus per Prophetam. Rectè igitur, vt docti sumus, credentes, ac Christi Transformationis mysterium intelligentes, procedamus ad eius Luminis illustrationem; pulchritudinisque claritatis quæ nihil deteritur amore accensi, mentis oculum à terrenis cogitationibus emundemus; quicquid placet aut pulchrum est contemnentes, quod nihil stabile est: quod licet dulce videatur, æterni tamen cruciatus paratum est; ac licet corporis vero statu conducat, fœdam nihilominus animæ induerit peccati tunicam: illam scilicet, ob quam ligatis manibus ac pedibus, in ignem illum tenebrasque exteriores eiicitur, qui incorruptæ coniunctionis indumento caret; quibus liberemur omnes illustratione & agnitione immateriati æternique Luminis Dominicæ Transformationis, in eius gloriam æternique ipsius patris ac vivifici Spiritus, quorum vnus idemque splendor & divinitas & claritas & regnum & virtus, nunc & semper, & in sæcula sæculorum Amen.

Isai 24. 16.

Mat. 22. 13.

PALAMÆ, TRACTATVS in eandem venerandam Domini Transformationem; in quo probatur, quanquam increatum est illius divinissimum Lumen, haud tamen Dei essentiam esse. Orat. II.

ESAIAS Propheta de Evangelio vaticinatus est; *Sermonem breviatum dabit Dominus super terram.* Est autem concisus sermo ac breviatus, qui paucis verbis, multum sensûs complectitur. Igitur denuo consideremus, quæ ante nunc consideravimus, Evangelicorum verborum, ac quæ sunt reliqua addamus, sensuque intemerato qui repositus est adhuc saturemur, ac toti divinum afflatum hauriamus.

Isai. 10. 23.

Mat. 17. 1.

In illo tempore; *Assumit Iesus Petrum & Iacobum & Ioannem, & ducit illos in montem excelsum, & transfiguratus est ante eos: Et resplenduit facies eius sicut sol. Ecce nunc tempus acceptabile: ecce nunc dies salutis*, Fratres, dies divina novaque ac sempiterna, non intervallis dimensa, quæ non augeatur ac minuatur; quam noa non interrumpat. Etenim Solis iustitiæ dies est, apud quem non est transmutatio nec vicissitudinis obumbratio. It, ex qua die. propensâ Patris voluntate sanctique Spiritus cooperatione, super nos clementissimâ bonitate lucens, nos à tenebris in admirabile lumen suum eduxit, tempus omne producit super caput lucens, qui sit Sol occasum nesciens. Cumque Sol iustitiæ sit ac veritatis, non sustinet lucere, & vt exactè illis cognoscatur, qui mendacium colunt, & iniustitiam in excelso loquuntur, sive qui opera iactant; sed se illis conspicuum facit qui operantur iustitiam & veritatem amant, seque illis eredit ac illos fulgoribus recreat. Atque id est quod Scriptura loquitur, *Lux orta est iusto*, & quæ illi socia est, *lætitia*. Idcirco etiam Psalmodus Vates ad Deum canit, *Thabor & Hermon in nomine tuo exultabunt*; nempe quæ postea in monte facta est, ea divina illa illustratione, his qui noverunt lætitiam iam prope delineans. Esaias autem *Solve omnem colligaturam iniquitatis; dissolue colligationes violentorum contractuum, omnem syngrapham iniustam discinde.* Quid inde? *Erumpet matutinum lumen tuum, & sanitates tua citò orientur; & anteibit coram te iustitia tua, & gloria Domini conteget te.* Et rursus, *Si abstuleris à te colligationem, & desieris extendere digitum & verbum murmurationis; & dederis esurienti panem ex anima tua, & animam humiliatam repleveris, tunc orietur in tenebris lumen sicut meridies.* Nam & alioqui soles quoque ipsos facit, quibus Sol isti manifestè illuxerit. *Fulgebunt enim & Iusti sicut Sol in regno Patris eorum.*

Abiiciamus igitur, Fratres, *opera tenebrarum, & operemur opera lucis*; vt non solùm, velut in tali die, honestè ambulemus, sed vt etiam filij diei efficiamur. Et venite, & ascendamus in montem, vbi Christus resplenduit, vt ibi gesta conspiciamus. Quinimò qui tales simus, talis diei digni extiterimus, ipsum nos Dei Verbum per tempus subducet, & vt ascendamus præstabit. Nunc verò contendite, rogo, mentis oculum, & intendite ad Evangelicæ prædicationis lumen, vt hactenus transformemini renovatione mentis vestræ, atque ita divinum cœlitus fulgorem attrahentes, efficiamini conformes similitudini claritatis Domini, cuius hodie vultus in monte vt Sol resplenduit. Quomodo sicut Sol? Erat quandoque, quando solatis lux, non erat in disco hoc velut in vase. Nam Lux primigenia est; globum autem die quarta produxit, qui omnium auctor est ac productor, coniuncta ei luce, qua diei patentem simul, ac interdiu lucens sidus effecit. Sic quoque Lux divinitatis erat aliquando quando in Christi corpore tanquam in vase non erat. Nam Lux quidem prææterna est; quam verò ex nobis Dei Filius massam assumpsit. postea tandem nostri causâ producta est, Deitatis in se plenitudine receptâ, qua deificum sidus Deique fulgoribus micans effecta est. In eum modum *resplenduit* Christi *facies sicut sol: vestimenta autem eius facta sunt alba sicut lux.* Marcus autem ait, *Splendida & alba valde sicut nix; qualia fullo super terram non potest candida facere.* Eadem itaque luce splenduerunt, tum adoranda illa Christi facies, tum vestimenta: haud pari tamen claritate; sed facies quidem eius resplenduit sicut sol; vestimenta autem; vt quæ illius propè corpori adhæserant, lucida facta sunt. Ac per hæc ostendit, quænam stolæ gloriæ futuræ sint, quas induent qui futuro illo sæculo Deo propinqui erunt, quænam item indumenta immunitatis a peccato, quibus Adamus per transgressionem exutus, nudus apparuit ac erubuit.

Sanè quidem D. Lucas; *Facta est species eius alia & vestitus eius albus refulgens*: quæ illic gesta sunt omnia, nulla comparatione convestiens. Marcus verò assimilat quidem vestimenta; dicendo tamen, *Splendida, alba valde sicut nix*, sic quoque ostendit, imagines & exempla à vestimentorum illorum conspectu deficere. Nam nix alba quidem est, non verò etiam splendet, quippe quæ & inæqualem semper superficiem habeat, velut quæ tota ex tenuibus quibusdam flatuoso spiritu exstantibus bullis composita est, ob interceptum commixtumque aerem. Cum enim nubes needum perfectè constiterit, nec interceptum aërem exprimere potuerit, frigoris vehementiâ concrescit. inque eum modum per aërem fertur atque volitat, spumæ haud absimilis, tum scilicet ratione albedinis, tum & partium inæqualitatis. Tanquam igitur non sufficeret nivis albedo, ad eius spectaculi dulcedinem exhibendam, una adiuncta fulgendi notatio est. Præterea etiam vt Evangelista illis monstraret fuisse eam Lucem aliquid luce superius, per quam splendida albaque facta sunt illa vestimenta. Non enim lucis est, vt quibus ea affusa sit, alba faciat ac splendida; sed vt quali colore existant aperiat. Illa verò, vt par est obtexit: quinimò, immutavit, quod eius lucis non est, quæ in sensum cadit. Quodque adhuc inauditum magis, vbi etiam immutaverat, nihil tunc immutata ea servavit, vti brevi post liquebit: Vbi hæc illius ignis, qui humano usu cognitus sit? Idcirco Evangelista, nedum præcellentem voltus splendorem illum atque decorem, sed & vestimentorum eximiam gratiam ostendens ac venustatem, illis subduxit quæ naturâ decorem habent, ea ratione, qua nivis albedini fulgorem copulavit. Quia verò etiam ars, maioris aliquid pulchritudinis naturæ videtur asciscere ac adinvenire, his quoque ea arte fucis pulchritudinem illam anteponens; *Qualia*, inquit, *fullo super terram non potest alba facere.*

Planè divinius lumen nemo at inficias, etsi creatũ erat.

Enimverò, quod propter nos carnem assumpsit prææternum Dei Verbum, verè existens Sapientia Patris, & quod verbum Evangelicum in ipso omnino portet, cuius velut vestitus litera est, alba quidem & plana, simulque etiam fulgida ac splendida velutque margaritis interlucentibus limpida, quinimmo maiestate plena, augustaque & apposita his, qui in spiritu, ea quæ sunt Spiritus, videant, ac quæ in literâ positæ sunt voces, divinè & vt Deum deceant, graviterque dilucidant. Istiusmodique ostendit Evangelicæ prædicationis verba, *Qualia fullo super terram* (nempe sapiens huius sæculi) non potest dilucidare. Et quid dico dilucidare ac explanata cognoscere. Vt enim ait Apostolus, *Animalis homo non capit quæ sunt Spiritus, nec potest cognoscere.* Quamobrem etiam velut rei sensui subiectas, sic quæ mentem superant, divinasque accipiens illustrationes, errore accipit, se illis immiscens quæ non vidit, ac inflatus sensu carnis suæ.

Mysterium Christi vestium luce albarum & fulgentium.

Verùm Petrus, beatissimâ illâ visione animo collustratus, inque divinum amorem maiusque desiderium elatus, nihil iam amplius ab eo seiungi Lumine sustinens, *Bonum est nos hic esse*, aiebat ad Dominum. Et, *Faciamus hic tria tabernacula, Tibi unum, & Mosi unum, & unum Eliæ; nesciens quid diceret.* Nondum enim tempus aderat in integrum restitutionis. Quin nec cùm advenerit, opus nobis erit tabernaculis manufactis. At neque servi Domino exæquandi erant, paria iis tabernacula erigendo. Nam Christus quidem tanquam verus Filius in Patris sinu existit: Prophetæ verò, convenienter ut veri Abrahæ filij, in sinu Abrahæ habitabunt. Cùm ergo hæc Petrus nesciens loqueretur, *Ecce nubes lucida obumbravit eos*; nempe Petri sermones interrumpens, ac quodnam Christum tabernaculum deceat, ostendens.

Verùm quænam hæc nubes & quomodo lucida cùm esset, obumbravit eos? Num illa Lux est inaccessibilis, in qua Deus habitat &, *Amictus Lumine sicut vestimento? Posuit* enim inquit, *in nube ascensum suum, Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius.* Tametsi, vt loquitur Apostolus, *Solus* habet *immortalitatem, Lucem habitans inaccessibilem.* Quamobrem idem hic loci est Lumen & tenebra,

ob excellentem luciditatem umbraculum præstans. Sed & quod Apostolorum oculis prius Lumen conspectum est, inaccessum esse sacri Theologi testantur. *Hodie* namque, aiunt, *Lucis inaccessæ abyssus; hodie divini fulgoris incircumscriptus radius, in Thabor monte Apostolis splendescit.* Magnus quoque Dionysius, cùm caliginem, Lumen inaccessum esse dixisset, in quo Deus inhabitare dicitur, *In hanc*, inquit, *subit, quisquis Deum scire ac videre meretur.*

Dionys. de Myst. Theolog

Igitur eadem Lux erat, quam prius Apostoli è vultu Domini videbant emicare, & quæ postea obumbrabat nubes lucida. Sed tunc quidem tenuiori radio videre præbebat; longè postea clariore micans iubare, invisibilis eis erat ob excellentem limpiditatem: atque in eum modum divinæ perennisque Lucis fontem, Solem iustitiæ obumbrant Christum. Nam in ipso hoc cunctorum oculis exposito Sole, eadem lux tum videre præstat affuso radio, tum rursus visum adimit, cùm quis oculos in eum ipsum intenderit. Solis enim splendor maior est quàm pro nostrorum luminum temperatione: verū Sol quidē sensibilis vti nactus est, non vt adhibet, lucet; ac ne quibus duntaxat velit: Sol autem veritatis ac iustitiæ Christus, qui nedum naturâ naturalique splendore & claritate, verum etiam convenienti voluntate præditus sit, quibus duntaxat velit, & quantum velit providè ac salubriter suæ lucis radios affundit. Quamobrem arbitrain suo Solis in morem apparuit, visusque est Apostolorum oculis: idque ideo haud procul in utrique distantia; deinde splendidius emicans, vt voluit, ob excellentem claritatem Apostolorum oculis invisibilis fuit, qui in nubem lucidam ingressus sit. Sed. *Et vox de nube facta est, Hic est Filius dilectus meus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* In Iordane quidem Domino baptizato, aperti sunt cœli, eademque vox facta est; ex illa planè maiestate, quam & postea Stephanus, apertis ei cœlis, cùm esset plenus Spiritu sancto, intendens oculos, vidit; nunc verò ex nube, quæ Iesum obumbravit. Hæc igitur eadem est cum supercœlesti Maiestate Dei. Qua ergo ratione erit lumen sensibile, quod est supercœleste? Docebat autem Paterna è nube vox, cuncta illa, quæ ante Domini Deique nostri ac Salvatoris Iesu Christi adventum exstiterunt, sacrificia, legislationes, adoptiones, imperfecta fuisse, nec vnquam ex primaria Dei voluntate exstitisse ac peracta esse; sed indulgentius concessa, ob futurum hunc Domini adventum ac apparitionem: Hic verò est, in quo, vt in Filio charissimo, paret perfectè adhibet & requiescit; sibique placet. Quamobrem etiam eum audire, atque ei obsequi iubet. Vnde etsi dicat, *Intrate per angustam portam: quia lata & spatiosa est, quæ ducit ad perditionem; angusta vero & arcta via est, quæ ducit ad vitam*: ipsum audite. Etsi dixerit, Lumen istud esse regnum Dei; ipsum audite, ac illi fidem accommodate, talisque Lucis vos ipsos dignos præstate.

Luc. 9. 35. Mat. 17. 5. Luc. 3. 2. Mat. 3. 17. Act. 7. 55. Vid. Stephan. quid corporum in imaginaria visione.

Mat. 7. 13.

Mat. 16. 28.

Mat. 17. 6.

Verùm lucidâ nube emicante, Paternaque voce è nube insonante, *Ceciderunt*, inquit, *discipuli in faciem suam.* Non propter vocem, cùm hæc aliàs quoque sæpe facta sit, non solùm in Iordane, sed & salutari passione adinovente Ierosolymis Domino enim dicente, *Pater! clarifica nomen tuum*, vox de cœlis facta est, *Et clarificavi, & iterum clarificabo.* Ac quidem nimis turba vocem audivit, & tamen nemo eorum cecidit. Hic verò, non solùm vox, sed & Lumen incomprehensum cum voce emicuit. Idcirco meritò non propter vocem, sed propter Lucis excellentiam ac eximiam claritatem cecidisse in faciem Discipulos viri divini agnoverunt. Nam & priusquam vox ederetur *timore exterriti erant*, vt ait Marcus, planè à divina illa apparitione.

Ioan. 12. 28.

Mar. 9. 5.

Verùm cùm hisce omnibus, divinum eximiumque ac increatum Lumen illud proditum sit quonam se rursus vertent, quidve comminiscentur, qui plus æquo profanæ & animali addicti disciplinæ, quæ sunt Spiritus intelligere non possunt? Nempe in aliud se pronè præcipitium demittunt. Non enim divinam claritatem ac maiestatem, non Dei regnum, non decorem, non gratiam, non splendorem, quemadmodum a Deo & à Theologis didicimus, esse dicunt; sed Dei illud Essentiam statuunt, quod prius rem sensum moventem & creatū dicebant. Deus autē in Evangelijs, nedū sui ipsius & Patris communem esse maiestatem ait & claritatem, verum etiam sanctorum Angelorum, vt beatus Lucas conscripsit. *Qui me enim*, inquit, *erubuerit & meos sermones in generatione hac, hunc Filius hominis erubescet cùm venerit in maiestate sua & Patris & sanctorum Angelorum.* Qui itaque hanc maiestatem ipsam Dei essentiam esse affirmant, eandem tum Dei tum Angelorum essentiam dicturi sunt, quod extremæ impietatis est. Nec solùm Angeli, sed & qui inter homines sancti sunt, eius claritatis ac regni existent participes. Verùm Pater quidem & Filius cum sancto Spiritu, eam à naturâ maiestatem & regnum habent: sancti verò Angeli pariter & homines, per gratiam illius, existunt participes, qui divinam inde illustrationem recipiant. Quin & Moyses quoque & Elias, in eadem ac ille visi maiestate, id nobis manifestarunt; Moyses autem non solum nunc in Thaborio, divinæ consors claritatis effulsit, sed & quando vultus eius clarificatus est, ita vt non possent filij Israel intentis oculis in eum aspicere. Atque id confirmat, qui ait, *Immortalem Spiritus claritatem, in mortali Moyses suscepit facie.* Is quoque qui adversus Eunomium, negantem Omnipotentis maiestatem cum Filio esse communicabilem, respondit. *Nec si de Mose sermo esset, vel sic quidem eiusmodi doctrinam admitterem.*

Ita Leo Allatius in suo de Consensu utriusque Ecclesiæ; quod li... minus... pere dis... plicet. Luc. 9. 26.

Luc. 9. 31.

Exod. 34. 29.

Basil. c. contra Eunom.

Communis igitur unaque maiestas est & regnum & splendor seu claritas, tum Dei, tum Sanctorum eius. Propterea etiam psallit Psalmodus Propheta. *Et splendor Dei nostri super nos*: communem vnamque Dei Sanctorumque substantiam seu essentiam, nemo hactenus ausus est dicere. Ac quidem Verbi Deitatis & carnis in monte divinus splendor modò ostensus est: communem verò Deitatis essentiam & carnis, vt dicant, Eutychis est & Dioscori, at non eorum qui piè sentire ac loqui velint. Atque hanc quidem maiestatem & claritatem videbunt omnes, cùm Dominus ab Oriente ad Occidentem lucens parebit: quin & nunc quoque viderunt qui vnà cum Iesu montem ascenderunt, nemo verò stetit in subsistentia & essentia Dei, Deique naturam aut vidit, aut enarravit. Ac quidem divinum illud Lumen mensurâ datur, magisque ac minus recipitur, pro eo ac digni sunt qui suscipiunt indivisè divisum. Atque in promptu est: vultus enim Domini supra solem resplenduit; vestimenta verò splendida facta sunt & alba sicut nix. Quin & Moses & Elias, in eadem visi sunt maiestate. Nemo tamen horum tunc temporis Solis in morem resplenduit. Sed & ipsi Discipuli, istud Lumen partim viderunt, partim in ipsum intendere oculos nequiverunt. In hunc itaque modum mensuratur ac indivisè dividitur, magisque ac minus recipit Lumen illud, ac quidem partim modò, partim postea cognoscitur. Vnde & D. Paulus, *Nunc*, inquit, *ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus.* Indivisa vero omnino & incomprehensibilis Dei essentia, nec vlla substantiarum est, quæ magis minusque recipiat. Præterea etiam devotorum Messalianorum est, vt à suis qui digni sint, existiment divinam videri essentiam. Nos verò, qui tum veteres, tum huius nunc ævi Hæreticos vitemus, regnum & maiestatem & splendorem, Lumenque arcanum, & divinam gratiam, non Essentiam videre Sanctos credentes, eiusque consortes esse, ad lucis gratiæ illustrationem procedamus; vt, agnoscamus ac veneremur trinæ Lucis Deitatem singularem, nulla vi verborum explicabilem radium utrique effulgentem, ex natura vna trinè subsistente: mentisque oculum ad Verbum, quod nunc super cœlestes axes cum corpore collocatum est, intendamus, quod nimirum à dexteris maiestatis divinæ sedens, velut ex edito hanc ad nos vocem mittit. *Si quis vult hunc*

Claritas Dei, vt à Deo quæ... nec ipsa Dei claritas ... physicè. Psal. 89. 17.

Ier. 3. 8. Etiam Greg. Orat. 2. de Theol. sic malè intellecta, vulgò... in confusionem quasi in... vlt... 70. huius vocis... falsa omnia, aliter intellecta quam de Dei effectu in creatura. 1. Cor. 13. 9.

claritati

claritati adstare, quoad licet imitetur, & incedat, quam in terra viam teaui, ac quam ostendi disciplinam. Aspiciamus itaque animi oculis magnum illud spectaculum; Naturam nostram cum æterno fœdere Deitatis, qui sine materia est. Igne versantem; pelliceasque tunicas, quas ex transgressione induimus (terrenas scilicet carnalesque cogitationes affectusque) ponentes, stemus in terra sancta, suam quisque terram, sanctam virtutis cultu, sublimique contemplationis conatu exhibentes; quò fiduciam habeamus, in Dei Luce versantes, ac accurrentes illuminemur, perennesque illuminati gratias agamus, in laudem ac gloriam trini singularissimique Splendoris, nunc & semper, & in sæcula sæculorum, Amen.

PHILOTHEI EPISC. CONSTANTIN.

ORDO INSTITVENDI DIACONVM, Videlicet quomodo ministrat Diaconus cum Sacerdote in Magno Vespertino & diluculo & Liturgia.

EX MAGISTRO S. PALATII.

Fuit Philotheus Constantinopolitanus Episcopus, de quo plura scripta extant apud Ioannem Cantacuzenum lib. 4 histor. Sedit in schismate Græcanico. Vide quoque apparatum sacrum Possevini. Huius Philothei extant varia opera Græca in Bibliotheca Bavarica, n. 94.

Gretserus quoque tomo 2. operis de Cruce, eiusdem Philothei orationem edidit, vt ait idem Possevinus.

CAPVT I.

SCIENDVM quod nusquam alias induitur in vespertino & diluculo, nisi in vespertinis Sabbathorum & diluculis dierum Dominicalium totius anni. Similiter in vespertinis & diluculis festorum Dominicalium & Dei Matris. Pariter induitur in vespertinis & sanctissimis diebus Sanctæ & magnæ quadragesimæ & in die festo annuntiationis & in vigilia sanctæ passionis, & prorsus in omnibus vespertinis habentibus introitum. Pariter est, & in diluculis in quibus cantatur magna doxologia. In omnibus vero liturgiis totius anni si vult ministrare & adveniente tempore abit sacerdos cū diacono, & ambo tres pœnitētias faciunt coram imagine Domini nostri IESV CHRISTI, omnibus sedentibus fratribus faciunt, quinetiam pœnitentias tres coram imagine Deiparæ virginis, in medio templi vnam, & in choro vnam, & postea ingrediuntur sacrarium. Et accepto Diaconus stæchario, & horario ter versus orientem adoratione facta accedit ad sacerdotem, & dicit: *Benedic, Domine, stæcharium & horarium.* Et sacerdos benedicit ipsum, dicens: *Benedictus Dominus noster nunc & semper & in sæcula.* Deinde induit vterque suas stolas. Hoc nunc non sic fit: Verum sacerdos solus adorat & solus incendit tantum superhumerali indutus, lectore facem tenente & *Iubete* exclamante. Diaconus vero induitur circa tertiā antiphonam Psalterij, & dicit paruam collectam. Quod si non est versuum repetitio, induit se postquam primus Psalmus dictus est, & dicit magnam collectam: & præeunte Diacono cum cereo, sacerdos sacris ianuis egressus solito more totum templum incendit, Diacono ante sanctas valuas exclamante, *Iubete*, omnibus erectis dicente. At postquam totum suffumigauerit templum sacerdos, egreditur & in vestiarium se confert, vbi illic incendens, ingreditur per speciosas portas: & cum cantu exclamat, *Domine miserere*: rursusque sanctis imaginibus thure aspersis, ingreditur per sanctas portas, & incenso supra sanctam mensam effuso, exclamat: Gloria sanctæ & consubstantiali ac vivificæ, atque indiuiduæ Trinitati, assidue nunc & semper & in sæcula sæculorum. Et post *Amen*, monachus ad hoc ordinatus cantat primum Psalmum. Verum sacerdos sacris ianuis clausis stat intra sanctum tribunal. At cum incipiunt cantare illud: Te manum tuam aperiente exit cum canonum magistro, & faciunt pœnitentiam. In medio vnam, & sic reuertitur sacerdos ad proprium locum. Et tunc canonum magister dicit versus in medio templi stans. Verum cum cantant illud: Omnia in sapientia fecisti, discedit sacerdos, & dicit preces lucernarij, stans ante sanctas valuas, idque conspicuus, & postquam omnia cōplent dicit magnam collectam. Hæc quidē ita sunt disposita dum vigilia est, quod si non est vigilia: nihil tale fit, neque pœnitentias agunt, neque ante sacerdos incendit, neque sanctæ valuæ aperiuntur, sed ante ipsas sanctas portas inconspicuus stans, solo ceruicali indutus, exclamat illud, *Benedictus Deus noster, assidue nunc & semper & in sæcula sæculorum.* Et monachus ad hoc destinatus incipit primum Psalmum, Infusionem. Et dicit sacerdos preces lucernarij. Et post completorium dicit sacerdos vel diaconus stans in loco assueto, magnam collectam, In pace Dominum oremus, & reliqua.

Sciendum quod sanctæ portæ nunquam aperiuntur nisi in initio magnarum vesperarum, cum solus incendit sacerdos in omnibus introitibus scilicet vesperarum & liturgiæ sancti Evangelij: Similiter aperiuntur dum dicitur, Accedite vsque ad complementum divinæ liturgiæ seu Missæ.

Sciendum præterea quod si non gestauerit diaconus in initio vesperarum, si est stichologia, id est, versuum repetitio, induitur cum cantatur tertia Antiphona Psalterij: sin minus, induitur cum cantatur primus Psalmus, vt dictum est, sic autem induit se: facit pœnitentiam adstanti, & per obliquum, ingreditur in sanctum suggestum, vbi inuenit sacerdotem stantem: Nam ipse prius ingreditur, & accipiens stæchoriam eius diaconus, accedit ad sacerdotem & dicit: *Benedic, Domine, stæchoriam eius. Diaconus accedit ad sacerdotem & dicit: benedic, Domine stæchoriam cum horario.* Et sacerdos benedicit, dicens: *Benedictus Deus noster nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen*, & sic ipso indutus diaconus finita sticholagia, exit, & in consueto loco stat, & paruam collectam dicit: Iterum atque iterum in pace Dominum oremus, & reliqua. Et tunc exclamat sacerdos, *Enim* tua est potentia, & tuum est regnum, & virtus & gloria Patris & Filij & Spiritus sancti, nunc & semper & in sæcula sæculorum. Et sic cantatur Psal. ille: Domine clamaui. Et versus solito more. Quibus ad finem perductis & decantatis, accipiens diaconus thuribulum & thus in ipsum coniiciens, accedit ad sacerdotem qui est in sancto suggestu, & dicit, Benedic Domine: & respondet sacerdos: Benedictus Dominus noster nunc & semper & in sæcula sæculorum. Et tunc incendit diaconus sacrarium, & totum templum: Et conuertens se deponit thuribulum hic expectans. Cum vero cantauerit gloria & tunc ingreditur sacerdos & induit peritrachelium & fasciam & casulam, & fit introitus. Accipiens enim diaconus thuribulum & thus

thus immittens, petita, vt diximus, à sacerdote benedictione, exit cum ipso sacerdote per portam quæ tendit versus austrum, sanctis ianuis apertis & præeuntibus lectoribus duobus cum facibus ac diacono cum ipsis tenente incensum. Egreditur etiam retro sacerdos demissam portans casulam: & sic abeunt in assuetum locum. Vbi lectores manualia deponunt in medio templi hinc inde. Verum sacerdos stat è regione sanctarum valuarum: stat etiam & diaconus à dextris sacerdotis parum oblique & aliquantum se inclinans tribus digitis dextræ manus horarium tenens dicit secrete, ita vt solus audiat sacerdos, *Dominum oremus.* Tunc sacerdos secrete hanc orationem dicit *vespere & mane & meridie*: Qua finita surgentes, & diaconus sacerdoti dicit, ostendens simul versus orientem cum horario quod tribus digitis dextris tenet: Benedic Domine sanctum introitum: & benedicit sacerdos versus, *Benedictus introitus sanctorum tuorum Domine.* Deinde diaconus discedit: & sanctæ imagini, quæ est in statione proxima, incensum dat etiam proxime, rursusque in loco in quo prius stabat, stat, expectans finem versus, quo completo ingreditur diaconus & stat in medio: & cruce cum thuribulo facta, exclamat, *sapientia recta* & subito monachus ad hoc destinatus cantat, *lux iucunda.* Lectores vero iterum faces, quas tenent, tollentes præcedunt vsque ad sanctas valuas. At diaconus ingressus suggestum sanctum subsellij gradum sanctum mensaeo incendit: & sacerdos adorans ante sanctas valuas ipsis salutatis ingreditur, & tunc sanctæ valuæ clauduntur. Postquam vero *lumen iucundum* ad finem productum est, dicit diaconus *Attendamus*: & sacerdos, *Pax omnibus.* Et iterum, diaconus, *Cum sapientia attendamus*, & cantat lectionem quod pertinet ad diem, quo completo diaconus egreditur, & collocatus in solito loco, dicit, *Dicamus omnes ex tota anima, & ex tota mente nostra, dicamus, & reliqua.* Et post exclamationem dicit sacerdos, *Pax omnibus*: Diaconus, *Capita nostra domino inclinemus.* Et dicit orationem: *Domine Deus noster qui inclinasti cælos*: & exclamat, *sit potentia regni tui benedicta.* Et post exclamationem cantatur versus orationis: Quibus decantatis ingrediens Diaconus accepto thuribulo & thure in illud proiecto, benedictione solito more a sacerdote petita, egreditur vna cum sacerdote per Australem portam, clausis ante sanctis ianuis, & præeuntibus facibus. Deinde transeuntes per speciosas portas cum omnibus solito more incendit. Deinde post complementum versuum stans in consueto loco, dicit: *serua, Domine, populum tuum & benedic hæreditatem*: Et cantatur, *Domine miserere*, quadraginta vicibus. Postea rursum dicit Diaconus, *Iterum oremus pro piissimis, & à Deo custoditis Regibus*: & cantatur. *Domine miserere* per 30. vices: Et rursus dicit: *Iterum oremus pro remissione peccatorum huius serui Dei, sancti monachi, pro omni in Christo nostra fraternitate,* & reliquas postulationes. Deinde hoc pacto dicit sacerdos: *Pax omnibus*, Diaconus, *Capita nostra Domino inclinemus.* Et sacerdos conuersus ad occasum: stante Diacono à dextris ipsius & tribus dextræ manus digitis horarium tenente, dicit orationem hanc alta voce: *Domine multum misericors Iesu Christe Domine noster*, & cantatis de ordine versibus, præeuntibus etiam cereis, ingrediuntur omnes templum, & manualia ponuntur super vtrumque præparatum tetrapodium, in quo iacet cum frumento discus, & quinque panibus, prout mos est offerre in Ecclesia. In vtriusque vero partibus disci, vasa duo sunt plena, vnum quidem vino, alterum vero oleo. Ac vinum ponitur ad sinistram, oleum autem ad dextram, sacerdos vero vna cum Diacono stat intra speciosas portas, & completis serie versibus, dicitur illud, *Nunc dimittis*, & Trisagion, id est, ter sanctus hymnos. Et post *Pater noster*, exclamat sacerdos, *Quoniam tuum est regnum.* Et cantatur dimissorium diei. Quod si est Dominicus dies, cantatur illud, *Deipara virgo.* Si vero magni alicuius sancti recordatio, troparium sancti secundo iteratur &, *Deipara virgo* semel. Quod si festum Dominicale est, aut Dei matris, quod ad festum spectat, ter dicitur. At postquam vltimum dimissorium cantatum est, elata voce & tamen lente Diaconus benedictione è sacerdote super incenso petita in gyrum ac in modum crucis panem incendit. Deinde cum dicit: & rursum panes ante separatim. Verum cum appropinquat sacerdos, stat ad dextrum eius latus, Diaconus tribus dextræ manu digitis horarium tenens. Et postquam absolutum est troparium cum horario, quinque panes ostendens, dicit, *Dominum oremus*: & sacerdos orationem incipit: *Domine Iesu Christe Deus noster qui benedixisti quinque panes*: & postquam cantatum est, & dictum à fratribus, *Benedicam Dominum.* Ingreditur Sacerdos vna cum Diacono sanctum suggestum. At fratres Psalmum dicunt, vsque ad, *non minuentur omni bono.* Verum sacerdos intra sanctum suggestum exclamat, *Benedictio Domini super nos sit ipsius gratia & benignitate nunc & semper & in sæcula sæculorum*: & sic exuunt sacras stolas & exeunt, & absoluta lectione, dicit sacerdos versum, *Sanctis precibus Patrum nostrorum.* Quod si non sunt vigiliæ, post absolutionem ex serie versuum, secreto ingreditur sanctum suggestum, Et post trisagium exclamat, *Quoniam tuum est regnum & potestas & gloria*, & cantatur dimissorium. Verum Diaconus extra stans, post troparium exclamat, *Benedic*, & sacerdos intus, *Qui es Benedictus Dominus Deus noster nunc & in sæcula sæculorum*, & cantatur illud: *Confirma Domine Reges*, & fratres cantant *venerationem*: & rursus sacerdos lente. *Gloria tibi Deus spes nostra, tibi gloria*: & dicunt fratres, *Gloria & nunc, Domine Benedic*: & sacerdos aperiens sanctas portas demissum phelonium gestans, Diacono extra ipsas à dextris stante & solito more horarium tenente, hanc dimissionem dicit: *Christe vere Deus noster, intercessionibus intaminatæ tuæ matris, sanctorum & venerabilium Apostolorum miserere nostri & serua nos tanquam bonus & benignus & misericors Deus.* Quod si Dominicale festum est, facit dimissionem pariter ac in festo: Quod si magni alicuius sancti fit mentio, exclamat dum dimittit populum nomen ipsius sancti. Quod si est festum simplex, post dimissionem accipiens Diaconus incensum, egreditur vna cum sacerdote præeuntibus cereis, & fit nihil in magno vespertino, si non est Dominica, nihil horum dicitur, sed post dimissionem in media nocte factam incendit sacerdos solito more, diluculo si est vigilia, post finem lectionis statim ad hoc ordinatus monachus dicit sextum Psalmum. Quod si non est vigilia, verum dominica, cantatur modicus canon & ad finem dicitur illud, *vere dignum est*, Sciendum quod in mesonyctico, id est, quod dicitur media nocte extra magnas portas fit magna ἐκτενη, id est, extensio, & sacerdos stans ante sanctas portas facit magnam λιτανεὶ pro custodia ciuitatis huius, & cantatur, *Domine miserere*, quadragesies, & fit dimissio. Sacerdos vero sanctum suggestum ingressus & superhumerale accipiens solo velothyro aperto, exclamat, *Benedictus Dominus noster nunc & semper.* Et cantatur Trisagion cum consuetis Psalmis, & rursus Trisagion. At sacerdos dum cantat, incendit totum templum egrediens ab Australi parte & omnes etiam fratres & exclamat inter duo trisagia cum *Pater noster*, Etiam illud: *Quoniam tuum est regnum.* Debent autem diligentiam adhibere cantores & qui incendit, vt cum exclamat sacerdos, statim ante Iesu Christi imaginem prostent. Postquam autem super omnem populum incensum dedit & absoluta sunt, quæ solito more cantantur troparia, in sancto suggesto exclamat sacerdos & dicit: *Gloria sancta, & consubstantiali & viuifica & indiuiduæ Trinitati.* Et statim monachus ad hoc ordinatus incipit 6. Psalmum. Cum vero inceperit dicere, *Domine Deus salutis meæ*, discedit sacerdos & stat ante sanctas portas inconspicuus, & dicit secrete matutinas preces. Verum post absolutum 6. Psalmum dicit magnam colle-

ctam,

ctam, & sic cantatur illud, *Dominus Deus*, & reliqua sequentia, ut moris est. In completione vero uniuscuiusque sessionis facit sacerdos parvam collectam & exclamat in prima quidem sessione: *Quoniam tuum est robur & tuum est regnum & potestas.* In 2. vero, *quoniam bonus & benignus Deus es istis. Quoniam benedictum est & glorificatum, venerandum & magnificum nomen tuum.* postquam cantata sunt ea quae cantari solent dum ascendunt fratres. Ubi dicitur Evangelium ingreditur sacerdos una cum Diacono sanctum suggestum, & postquam benedixit sticharium, induit illud Diaconus solito more quemadmodum & induit sacerdos superhumerale, & phelonium. Et postquam absoluta est antiphona, cantatur hymnus diei festi aut dominicalis. Et postea dicit Diaconus, *Dominum oremus.* Et exclamat sacerdos, *Quoniam sanctus es Deus noster, & tibi gloriam damus.* Postea cantatur illud, *omnis spiritus*, Deinde Diaconus dicit, *sapientia recta audiamus Evangelium Dei.* Sacerdos, *Pax omnibus.* Et statim profert lectionem Evangelij huius diei. Populo post eius absolutionem dicente, *Gloria tibi Domine, gloria tibi.* Diaconus, *Attendamus.* Et legit sacerdos Evangelium: Quo perlecto cantant fratres, *Christi resurrectionem intuiti*, &c. Idque si est dominicus dies & quinquagesimum Psal. cum cantu. At sacerdos demisse phelonium gestans & Evangelium ante pectus portans, exit & stat in medio templi, Diacono ad dextram eius existente cum cereo ardente. Et tunc fit salutatio Evangelij à sanctis fratribus consueto more.

Alijs autem diebus non salutatur Evangelium, nisi saltem in dominicis, quo absoluto cantantur consueta troparia: & egressus Diaconus statim solito loco & alta voce dicit, *Serva Deus populum tuum & benedic hereditatem tuam. Respice populum tuum in misericordia & miseratione. Exalta cornu Christianorum & mitte super nos benedictiones tuas abundantes, idque intercessione intaminata Domina nostra Deipara semperque virginis Mariae, virtute veneranda & vivifica crucis tuae, ac intercessionibus sanctarum caelestium virtutum incorporearum.* Deinde cantatur illud, *Domine miserere* duodecies, sicque exclamat sacerdos, *Misericordia & commiseratione atque humanitate.* Postquam vero canones decantati sunt, sacerdos quidem exit & stat in assueto loco versus partem chori dextram. Et Diaconus prius benedictione ab ipso accepta, initio sacrarium omne incendit. Deinde exit per australem portam & signum crucis facit ante sanctas portas: Deinde incendit, primum quidem omnes imagines quae stant in dextra parte templi, & vadit ad signum mansionis, ubi signo crucis facto convertit se versus occasum, & in medio templi stans signum crucis facit. Deinde discedit, incendens primum quidem imaginem quae est in statione proxima, postea vicinum suum & deinceps fratres qui sunt in dextra chori. At postquam incensum omnibus dedit, stat in medio chori, & versus austrum spectans signum crucis facit, incensum quidem fratribus dans, à quibus subinde salutatur, ipsis & paululum resalutatis. Post vero crucis signum factum in dextra chori parte, & sanctis imaginibus, quae illic sunt, incensis, fratribus iterum incensum dat desursum ab imaginibus veniens & tanquam tendens versus speciosas portas, salutans & etiam paululum fratres resalutans. Cum autem chori partem absolvit, rursus in medio stat versus urbem spectans & signum crucis faciens, exit ubi est populus, cui cum incensum dedit, ingreditur per speciosas portas & versus orientem signo crucis facto sibi proximum incendit. Rursusque in medio crucem facit, & sanctas imagines incendens ingreditur & thuribulum deponit. Et ingressu, paulum capite demisso vicinum à longe salutat & stat in loco. Verum post finem tertij cantici dicit Diaconus *iterum atque iterum Dominum oremus: Auxiliare, salva & miserere nostri intercessione intaminata & superbenedicta virginis Maria* Et exclamat sacerdos: *Quoniam tu es Dominus noster & tibi gloriam referimus.* At post sextum canticum facit sacerdos parvam extensionem stans ante sanctas portas inconspicuus. Et exclamat. *Tu es noster Rex pacis, & tibi gloriam referimus.* Ad octavum vero canticum facit sacerdos cum Diacono [ἐκτενής.] ad latus dextrum poenitentiam proximo sibi, & ambo ingrediuntur sanctum suggestum, sacerdote postquam Psalmus octavus absolutus est, alta voce dicente: *Deiparam matrem luminis in canticis magnificemus*, & cantat initium ordinis octavi festi diei, & sic egrediens stat in consueto loco. At Diaconus solito more incensum dat, & conversus sedet in suo loco. Post vero nonum canticum, facit Diaconus parvam collectam: Et exclamat sacerdos. *Quoniam laudant te omnes virtutes caelorum & tibi gloriam referunt.* Postquam autem doxologia incoepit, ingreditur sacerdos sanctum suggestum & Diaconus hac absoluta dicit, *Compleamus matutinas preces nostras Domino*, & reliqua, subitoque subiungit sacerdos. *Pax omnibus.* Diaconus, *Capita nostra Domino inclinemus.* Et sacerdos orationem secrete dicit: *Domine qui in altis habitas*: & exclamat: *Tuum enim est misereri & servare*: Diaconus, *sapientia.* Sacerdos *Christe Deus qui semper benedictus es.* Et cantatur illud: *Confirma Deus leges.* Sacerdos, *sanctissima Deipara salvifica nos.* Deinde rursus dicit, *Gloria tibi Deus spes nostra, gloria tibi, & fit dimissio.* Quod si sit Dominicus dies, dicitur illud. *Qui resurrexisti à mortuis, intercessionibus intaminatae matris, sanctorum illustrium & gloriosorum Apostolorum & omnium sanctorum miserere & salva nos Deus propter tuam bonitatem.* Si vero est festum Dominicale, aut memoria alicuius magni sancti, datur sanctum oleum sic: omnibus congregatis prope imaginem adorationis, & psallentibus, Diaconus in gyrum incendit à proximo incipiens, posteaquam tamen sanctae imagini incensum dedit. Sacerdos vero stans oblique versus imaginem unguentarium tenens, advenientes in fronte ungit & benedicit. Verum quando omnes uncti sunt, exclamat. *Exaudi nos Deus salvator omnium finium terrae & eorum quae sunt in mari longe & propitius sis peccatis nostris & miserere nostri.* Deinde altius profert: *misericors enim & benignus existis, & tibi gloriam referimus Patri & Filio & Spiritui sancto, nunc & semper & in saecula saeculorum: Amen. Pax omnibus*: Diaconus: *Capita nostra Domino inclinemus.* Et Diacono horarium tenente, ut moris est, dicit sacerdos, orationem demissum phelonium gestans, *Domine Iesu Christe Deus noster, intercessionibus superbenedictae gloriosae Dominae nostrae Deiparae semperque virginis Mariae.* In die festo Evangelismi Ramorum & Dominica Paschae fiunt haec extra mansionem, fiunt & sanctificationes cereorum vesperi & mane & prima mensis Augusti, ubi Diaconus crucem portans exit, sacerdote consequente & incendit Diaconus & in orationibus solum dicit, *Dominum oremus.* Sacerdos vero omnia facit prout consuetudo est & scriptum invenitur in libris.

EIUSDEM

EIUSDEM

PHILOTHEI PATRIARCHÆ CONSTANTINOPOLITANI IN SSS. Basilium Magnum, Gregorium Theologum & Ioannem Chrysostomum Laudatio.

A IACOBO PONTANO, Societ. IESU, *Theologo edita.*

MAGISTROS nostros discipuli laudibus efferamus. Parentes liberi pro eo ac decet honoremus. Tres Philosophos, & Ecclesiæ sapientes atque oratores, Ecclesiæ filij, augustæque Trinitatis adoratores pro virili concelebremus. Orationem citra controversiam eloquentibus, & divinum simul, humanúmque λόγον spirantibus, eorum admiratores, & per eos cœlestibus imbuti mysteriis pro munere consecremus. Orationem, non qualem ipsi repudiarunt ac reiecerunt: sed qualem se dilexisse iidem testificati sunt. Neque enim quia virorum illorum excellentium præstantia & cogitationes nostras, & dicendi copiam tantopere vincit, ut ne medium quidem magnitudinis eius possimus attingere, idcirco etiam silendum, illorumque prædicatio penitus recusanda est: quin toto pectore annitendum, ut potius quem debemus, hunc Patribus nostris amorem pro virili persolvamus. Inde siquidem apertum fiet, nos nec ingenij excelsitate, nec eloquentiæ viribus confisos, verum fide tantummodo, & charitate, atque ut ita dicam, ipso debito compulsos, vel maius quoddam onus, quam pro humeris sustulisse: quando & Deum ipsum, quanquam natura Imperatores ac Principes universos infinitis partibus excedentem, ut possumus, veneramur, & quæ suppetunt, seu obolos duos, seu frustum panis, seu calicem aquæ frigidæ seu longe minimum quippiam eidem pie offerimus, ac libamus. Nec usque in hunc diem, aut sordium, aut corporis postulatus est quisquam, quia non aliquid pro dignitate, sed pro tenuitate sua obtulerit. Illi magis in reprehensionem incurrunt, qui quod poterant, sponte neglexerunt: quandoquidem & illustrium istorum præclarum illud consilium est, *in conspectu Dei* (iuxta eius oraculum videlicet) *non apparere vacuum*: nec, quoniam quis ab omnibus relinquitur, ideo omnia relinquere: sed hoc offerre, ad hoc offerendum animo ac voluntate paratum esse: pro hoc imbecillitati veniam cogitare, & unumquemque ex his quæ propria possidet, fructum Deo dedicare.

Exod. 23.

Adesdum igitur admiranda sane Patrum Trinitas, magnæ illius Trinitatis mysteriorum conscij, & amici, & ministri, post primos, inquam, discipulos, & ministros, & amicos Verbi. Deductores sponsæ, & ipsimet sponsi, & simul filij veræ ac principis sapientiæ, quam & vos iuxta sapientem illum amavistis, & à iuventute vestra exquisivistis: & cum qua supra quam ille præclare coniuncti & copulati estis. Adesdum ergo fidei, & doctrinæ sacræ stabilimentum, cuius divina est oratio, & lingua ignea: qui & anima, & lingua, & cætera omnia estis aurei. Et quanquam nullum mihi vinculum vobiscum, nec honos par, nec ulla coniunctio: & quanquam de vobis tam excellentibus viris habenda oratio vires meas, ut dixi, multum superat, tamen ad commune vestrum encomium mihi opitulamini, & ingenium excitate, verba subministrate, linguámque inaspectabili modo dirigite, & me manu ducite, virtute spiritus illius, qui in vobis habitavit. Oportebat nimirum de vestris laudibus dicturum, vestram quoque intiguem illam, ac sapientia refertam eloquentiam, vestrasque voces habere: solæ enim illæ tem pro dignitate conficerent. Alioqui, Petrum ego, & Ioannem, & Paolum, coryphæorum, ac primorum discipulorum Apostolorumque Verbi triadem, Spiritus sancti præcipua domicilia & instrumenta affirmatem ego dignos esse, qui hoc negotij susciperent, & æquo honoratis, amicis, ac studiosis sui, & certaminum sociis congruentem atque accommodatam laudationem contexerent. Verumquoniam id vobis quoque assentientibus fieri protsus nequit, tenuitatem nostram moderate feretis, sat scio, vos, qui aliena lenitis incommoda: vos humani, & qui modestiam locis omnibus revera commendastis, Christúmque in hoc etiam, ut si qui alij, mirandum in modum imitati estis. Præsertim cum haud a nobis excogitatis & inventis, sed vestris potius de Deo, & inter vos sermonibus confidentes, vestra vobis quantum possumus retribuamus, id quod deinceps oratio declarabit.

Sap. 8.

Leges itaque & locos encomiorum, à profanis dicendi magistris præscriptos, qui patriam, genus, divitias, corporis item robur, speciem liberalem, & similia curiose inprimis inquirenda & scrutanda censent, in hoc argumento præteribimus, non solum quod hi viri omnia illa despexerunt, seseque supra res infimas, & supra mundum ipsum extulerunt; sed quod ipsimet, quemadmodum equos generosissimos, aut abiectissimos non ex forma, aut colore probari; ita nec hominem externis depingi ac describi totum & decorum percommode scripserunt, & iis duntaxat ad eorum præconia partem aliquam utemur, quæ ipsorum inprimis propria & germana sunt, & quibus sui similes, ac Dei amicos, martyres, inquam, Patres ac Doctores suos in scriptis suis admirabiliter collaudarunt. Specto igitur neminem alienarum orationum censorem ac iudicem, alienius ineptiæ, aut furti nos damnaturum, si eorum verbis, divinisque dictis ac sententiis uberius adhibitis, cum ipsos, tum orationem nostram cohonestaverimus, idque remote fortassis ab oratorum consuetudine, ut nonnulli existimabunt. Primum enim non solum à iustitia ac pietate abhorrent, sed rapinæ & avaritiæ quoque affine arbitror, ubi ipsimet sua proferre in medium possunt, nos illis sermonem non cedere, locúmque dare, & cum silentio (sicut in mysteriorum ritibus) auscultare: verum impudenter, & confidenter agere, & propria audere contra obtrudere. Deinde istuc nec inusitatum est, nec à more sanctorum optimorúmque virorum alienum. Constat enim non modo maiores nostros, homines sapientes & integros istam rationem perstudiose tenuisse in orationibus, quas de clarissimis hisce viris contexuerunt: sed insuper hos ipsos sapientiæ doctores inclytos in suis ipsorum voluminibus id factitasse comperimus, ut sua a semetipsis velut mutuarentur & cum sacra mysteria tractarent, & cum vicissim sese, & amicos sanctis laudibus prosequerentur: qua quidem ratione huius rei quasi typum & exemplar imitatoribus suis præmonstrarunt. Iam si tertiam responsionem requiris, est in promptu etiam tertia, ardor, & amor incredibilis, & ut ita vocemus, malacia quædam erga scripta, & tonitrua illa divina, & sine dubio sacrum nectar, quo nos illa sive audiendo, sive legendo, sive scribendo, sive ut usus postulavit adhibendo satiari & expleri nunquam potuimus. Quamobrem ad eos, eorúmque laudes deprædicandas aliquando accedamus.

Hi secundum altissimam, veréque inexplicabilem ac divinam providentiam, quæ multo ante (ut ipsi quoque docent) magnarum rerum principia, & fundamenta ponere solet, in medio Christi Ecclesiæ nati sunt, sive terrenam, & corpoream generationem, sive supernam, sublimem ac divinam, quam Sancti David

diei generationem, & nocturnæ generationi contrariam dixit, sive ambas spectare voluerimus. Et cum hanc solam (spiritualem generationem) sibi & matrem, & nutricem, & patriam, & genus, & quidquid est huiusmodi, statuissent, primum ab ea aliti sunt, fideique ac pietatis purum, ac sine dolo lac, introductorios & initiatorios sermones eius hauserunt, & cum illis, ac post illos orbem disciplinarum liberalium excoluerunt. Vbi vero perfectioribus illis doctrinis, externáq; sapientia opus fuit (requiritur enim, inquiunt ipsimet, etiam vis dicendi ad animi sensa explicanda: intelligentia siquidem, quæ explicare se nescit, motus torpentium est) suis telis rectæ doctrinæ fidei adversantes, & apud semetipsos sapientes ac scientes feriendos, & supercilium, inanémque inflationem, ac spiritus illis detrahendos existimarunt, neve in ipsorum disciplinis ruditas & imperitia, sacræ rationis nostræ imbecillitas ab insipientibus existimaretur, etiam in illis, non leviter, nec molli brachio, ut quispiam dixerit, verum adeo sedulo, & insigniter se exercuerunt, ut supra fieri nihil posset. Cúmque fœlicitatem ingeniorum pari diligentia cumulassent, quibus duobus scientiarum, artiúmque robur continetur, ut ait (Nazianzenus) brevi spatio omnes earum candidatos superarunt. Sic igitur oratoriam facultatem, & philosophiam, immo omnes Philosophiæ partes non infœlici successu perceptunt. De Astronomia vero, & Geometria, déque numerorum proportione, cum tantum didicissent, inquit (puta Nazianzenus) ut ab iis exagitari non possent, qui his rebus instruntur, id quod iam dixi, supervacanea & curiosa (quod iterum magnus ille scribit) vt pietatem sectantibus inutilia, contempserunt. Quanquam & ea sic callerent, ut nescires hæc ne, an illa magis in illis admirarere. Ita secundum scopum suum genere si isti, & quemadmodum tales oportebat, cum res suas in his quoque instituissent, modicum mundo & scenæ gratificati sunt, multitudinisque desiderio quoquo modo servierunt. Nec enim tanquam in theatro histriones plausum captarunt, aut se magnifice ostentarunt: sed hic item Deo virtutique potissimas partes tribuerunt, & in iudiciis oppressorum causam, quantum ingenio & arte valebant agentes, sancitisque iustitiæ legibus patrocinantes, & eam pro virili sua corroborantes, brevi admodum sui ipsorum, & Dei evaserunt, totóque mundo, & omnibus quæ in eo sunt relictis, ad vitam solitariam, sive potius angelicam conversi, omnes tum veteris, tum novi Testamenti libros, vt inquit, meditando sic perscrutati sunt, quomodo ne vnum quidem alius: & ditati sunt contemplatione, ditati quoque morum ac vitæ splendore, vtrumque mirabiliter connectentes, catenam vere auream, & quæ à plerisque haud connectatur; vita quidem ad contemplationem duce utentes, contemplatione autem vitam ipsam obsignantes. Quin vt accuratius, quod res est dicam, non solum his recte supra alios funguntur, & hanc catenam mutuo præclarissime connectunt, verum etiam horum habitum longe præstantissimum, & scientiam in admiratione ponendam consequuntur eorúmque magistri à posteris suis omnibus, sacerdotij, vitæ solitariæ, & vt paucis complectar, actionis & contemplationis canonibus, formulis, præceptis, sacris videlicet commentariis & opusculis relictis, appellantur: quæ quidem propter magnitudinem & abundantiam gratiæ quantum debemus suspicere non possumus. Hinc illis ad Deum ascensus, & speculatio, excellentissimáq; unio, & illuminatio: quodque desiderabilium supremum est, secundum similitudinem habitus. Quo qui pervenerunt, inquit, eorum contemplatio omnis quiescit, quando nec in amplitudine sua habitus, nec mens quāvis contemplandi ac penetrandi summa vi prædita, quidquam sublimius reperit.

[Margin: 1. Pet. 2.; Rom. 11.; 1. Cor. 8.]

At enim illis ipsis potius etiam deinceps orationem concedamus. Iidem namque simul agendi illa, & explicandi exquisiti præceptores & artifices sunt: nec erit unquam, qui cum ipsis de hac palma contendat. Cuicunque igitur contigit, per rationem & contemplationem terrena mole, & hac carnea nube, sive tegumento perruptis, cum Deo versari, purissimæque luci, pro captu humanæ naturæ commisceri, hic beatus est: & quia hinc sursum ascendit: & quia inde deificationem nactus est, quam sincerum philosophiæ studiū conciliat, mentisque supra terrenum binarium evectio, propter eam, quam in Trinitate unitatem intelligimus. Qui autem ob animæ cum corpore coniunctionem factus deterior, lutóque tantopere implicitus hæret, ut nec veritatis lumen intueri, nec supra hæc infima se attollere valeat, quanquam desuper oriundus, & ad superna vocatus, hic mihi ob cæcitatem videtur miser, tametsi caducis circumfluxerit: tantóq; miserior, quanto magis rebus ad voluntatem fluentibus delusus, & aliud bonum, vero bono præstantius credere in animū induxerit: malum utique malæ opinionis fructum carpens, ut aut tenebris damnetur: aut ut ignem videat, quem ut lucem non agnovit. Hæc non multis, inquit, tam nostræ ætatis, quam veteris memoriæ hominibus studio fuerunt (pauci quippe sunt Dei, licet omnes ipsius figmenta sint) legislatoribus, belli ducibus, sacerdotibus, Prophetis, Evangelistis, Apostolis, pastoribus, toti spirituali cœtui; inter omnes vero his etiam, ut nemini magis, de quorum laudibus nunc disserimus.

Hæc mea est Theologorum Trinitas, Basilius, Ioannes, & Gregorius. Haud enim timebimus vel eos qui ante, vel eos qui post hos numerantur. Qui ita inter se hærent, tam sunt unanimes, claritatéque & virtutis honore pares. Quæ cum aliis certavit, cum aliis eodem numero habita est, alios superavit, nemini ut ego sentio, primas concessit. Et aliorum quidem sermonem & doctrinam, aliorum actionem perfecte expresserunt. Illorum item māsuetudinem, horum zelum, aliorum discrimina, quorundam plura, nonnullorum omnia imitati sunt. Et aliud ab alio bonum sumentes, sicut qui formas scitissime pingunt, dicendi peritos actione, rursum in agendo exercitatos, eloquentia & doctrina post se reliquerunt. Aut si mavis, ab eloquentia celebratos eloquentia, actione autem in agendo excellentes antegressi sunt, & in utroque mediocres, alterius præstantia superarunt: in altero autem eminentes, hoc ipso præcurrerunt, quod ambobus singulari modo usi sunt. Et sane novum miraculum, omnique oratione superius eos nominandos arbitror, quod mirifice omnium aures atque animi obstupescant. Propter hæc nempe Petro, & Paulo, & filiis tonitrui, corúmque sociis illos annumerari æquius fuerit, quam alios quoscunque Christi discipulos: ac propter hos ante alios quoscunque Christum, post reditum ab inferis in cœlum proficiscentem dixisse existimandum, *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad cōsummationem sæculi*, illustrem successionem, & communem horum cum ipsis apostolatum ministeriúmque, honoris item æqualitatem insinuantem.

[Margin: Mat. 28.]

Vera autem & iusta me dicere, nec ob singularem quo eos diligo amorem quidquam (vt alicui videri possim) non conveniens ad gratiam de his Patribus affirmare, inde constabit. Etiam hos Christus discipulos & Apostolos divino spiritu, quemadmodum illos instituit, & Evangelium, & prædicationem, & communem hominum salutem perinde illis commisit. Etiam hi linguas igneas desuper à spiritu descendentes, divisionémque, & distributionem gratiarum, & insignium operationum, vt illi suscipiunt: nec humanis ac barbaris, sed angelorum linguis, & vocibus arcanis cœlestibúsque loquuntur: divinóque spiritu imbuti, à Deo inspiratarū scripturarum sublimia, & recondita interpretantur, & prophetant, & cum Prophetis miro quodam modo non aspectabilem aspiciunt, revelationibúsq;, & mysteriis inexplicabilibus dignī habentur. Et miranda opera efficiunt, & morbos desperatos, vt illi, sola Christi imploratione curant: nec corporum tantummodo, sed animarum quoque: immo vero per peccatum iam mortuas in vitam restituunt, quod maius est, quam corporibus spiritum reddere. Præterea dæmones à membris

[Margin: Act. 2.; 1. Cor. 12.]

humanis

humanis fugant, vitiosarum affectionum, dæmonúmque dij, per gratiam, ab eo, qui solus per naturam Deus est, creati: vt olim ad magnũ illum Mosen, *ecce*, inquit, *constitui te Deum Pharaonis*: quibus verbis Ægypti cladem & plagas, atque in profundo mari extremam Ægyptiorum perniciem obscurius significavit quas legislator & ductor admirabili illius potentia invexit. (Exod. 7.) (Luc. 1.)

Primum igitur discipuli, & ministri Verbi, ab eo ad gentium vocationem missi, hoc habitu spirituali, & omni armorum genere propter salvandos homines, adversus diabolicam in eos dominationem, induuntur. Ait enim. *Euntes prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient: linguis loquentur novis: serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt.* (Marc. 16) Quæ omnia nimirum iuxta Domini promissa, à mendacio aliena, eventus comprobavit, quando Apostoli adversum gentiles, idolorúmque cultores sibi adversantes, sermone parum egerunt: maximã uque partem, vel potius pœne totum signis inusitatis, & prodigiis confecerunt: & hanc ex ethnicis congregatam Ecclesiam, sponsam et immaculatam, secundum Paulum, exhibuerunt. (Ephes. 5.)

Græcorum porro superstitione, falsorum deorum, & creaturarum adoratione, & dæmoniaca in homines tyrannide Christi virtute per sanctos Apostolos pulcherrime de medio sublatis, aliam viam tentat persecutor, non iam palam, & aperte (haud enim istiusmodi certaminum, ut vndique expulso ac devicto, locus ei de integro dabatur) sed dolo complurium deorum cultum, & ἀθεΐαν rursus inducens: quam enim à principio quondam contra protoplastos in paradiso fraudulenter peperisset, multisque sæculis naturam nostram ea tyrannide oppressam tenuisset, ad se denuo divinum cultum honorémque revocare impudens laboravit, nec crucem, nec Dei sanguinem reveritus, per quæ crudele eius imperium destructum est: sed post destructionem adhuc cauda palpitans draco, & ad ultionem . lucta nque amens, & impius seipsum turpissime exsuscitans. Hoc autem nihil aliud est, quam improbissimarum hæresum contra Christi Ecclesiam nova tyrannis, & inanis fidei persecutio: post Nerones, inquam, Traianos, Decios, Diocletianos, Maximianos, & Maximinos, & quotquot primæ impietatis & ἀθεΐας præsides ac duces extiterunt, Sabellios, Arios, Apollinarios, secundæ ἀθεΐας defensores nobis excitans, & Ecclesiæ Christi persecutores, non minus quam illos, nisi etiam acerbiores: quod cum Christi nomen ferrent, inquit, (magistrorum enim meorum verba iterum usurpabo) Pseudochristi & Christianorum opprobria erant: quibus & facere impietas, & pati decens videbatur: quod non putarent nos affici iniuria neque in nos magnificum martyrij nomen convenire: sed nos etiam hic furari quodammodo veritatem, & pati ut Christianos, cum interim ut impij pœnas exsolveremus. Atque ideirco excitatum est nobis, inquit, cornu salutis & lapis angularis, sibi nos & nosmet mutuo eadem compage coniungens. Immissa est suo tempore admiranda hæc Theologorum Trinitas: aut ignis purgans fœces ac sordes: aut ventilabrum rusticum, quo levitas & gravitas dogmatum secernitur: aut ferrum, nequitiam radicitus exscindens. Et Verbum suos sibi adiutores invenit: & Spiritus qui pro ipso spirare velint nanciscitur. Hinc secunda vocatio & apostolatus, & Evangelij nova prædicatio, chori Patrũ Theologorum, inquam, contra secundam impietatem, & ἀθεΐαν, Apostolorum scilicet post Apostolos, & Evangelistarum post Evangelistas, & Theologorum post Theologos: & Petrus, & Ioannes, qui videntur, & sunt columnæ Ecclesiæ Christi: & post illos tertius illis cõglutinatus, & æque honorandus Paulus, tametsi tẽpore paulo posterior: zelo tamen, studio, arte, & Evangelicis certaminibus par, eiusdémque & confœderatus: ipsi (Galat. 2.) vertices, & præsides chori huius, sicut ante memini.

Verum enim vero, primorum discipulorum, & Apostolorum, robur in signis ac portentis, in linguis, revelationibus, vaticiniis consistebat, per quæ universum sub sole mundum vivificarunt, & ad ea verbis non multis opus habuerunt, id quod supra tetigi. At istis principibus, Apostolorum successoribus ac Theologis, ne hic quidem ulla ratione pauperibus, in sermone, & circa sermones atque doctrinam omne certamen ac robur fuit. Quoniam non adversus idola, manifestúmq; creaturarum cultum, sed contra subdolam quandam, & occultam in Deum impietatem, & novam erga creaturas servientem conflictus à gubernatoribus istis navis Ecclesiæ totius mundi suscipiebatur. Quid enim sibi volebant persecutores, cum unigenitum, & consubstantiale, & honore æquale Dei Verbum communi nomine Deum appellarent, & idem nihilominus ad creaturam usque deprimerent: connaturalem porro, & eiusdem throni socium spiritum nec Dei vocabulo nominarent, & ad creaturam ordinem similiter detraherent? Perversa, inquam, divisio & ἀθεΐα Arij. Quid Sabelliana commistio, & trium in unum confusio, vt secundum illos neque tria, neque unum esset, quod adoratur, nova & absurda ἀθεΐα. Quin etiam Christi nomen gerentes, dubium Christianis, sive Christianorum simplicioribus & rudibus certamen, & veritatis inventionem faciebant. Quocirca ab ipsis magistrorum coryphæis opera omnis in sermonem & doctrinã collata est, ut dixi, eundémque & domesticos erudire, suadendóque ad pietatis numeros componere, & alienos amoliri oportebat: immo vero improbarum opinionum patronos redarguere, blasphemias in altum loquentes: *posuerunt quippe in cælum os suum*, & B. David ait, *& lingua eorum transivit in terram*, dum cœlum in terram inclinant, & cum creatura naturam supramundanam numerant, quam neque comprehendere creata res potest: & si ex benignitate quippiam nobiscum factus est, ut nos humi iacentes ad se attraheret. Cæterum illi quidem tales sunt, & ita se habent. Alij Senacheribi, & Nabuchodonosores contra Hierusalem, & Iudæam inveniuntur: aut Darij & Xerxes, & ille fama notissimus, & innumerabilis adversus Græciam Persarum exercitus. (Psal.)

At enim præstat magistris hisce rursum auscultare, sua ita docentibus, ut melius nulla lingua, nullum ingenium possit. Erat, inquit, cum vigerent res nostræ, & bono loco essent; quando scilicet ista supervacanea, verborúmque fucis, & arte instructa tradendæ Theologiæ ratio ad divinas caulas accessum neutiquam reperiebat: contra simplex & ingenua oratio pietas ducebatur. Sed postquam Sexti, & Pyrrhones, & contradicendi studiosa lingua, haud secus, quam gravis quidam morbus, & prava consuetudo Ecclesias nostras corrupit: & nugacitas visa est eruditio; & quod Actorum liber de Atheniensibus refert, ad nihil aliud vacamus, quam ad dicendum audiendumve aliquid novi. Hunc furorem Arius ille, à furore (à Marte) nomen sortitus, inchoavit: qui etiam petulantis linguæ supplicium pertulit, in locis sordidis anima expirata, quod illi piorum votis & precibus, non morbi alicuius violentia contigit, atque instar Iudæ, propter similem Verbi proditionem disruptus est. Alij in morbum succedentes, artem impietatis fabricati sunt, qui divinitatem Ingenito definientes, Genitum, & Procedentem simul Deitatis finibus excluserunt, nominis duntaxat communione Trinitatem venerantes: quin ne illuc quidem ei relinquentes. (Act. 17.)

At nos scientes in vnum tria contrahere impietatis esse, & novitatis introductæ à Sabellio, qui primus cõtractionem divinitatis commentus est, & triadem dirimere naturis divinitatis peregrinam & inusitatam sectionem esse, & vnum pulchre conservamus (deitati videlicet) & tria (quod ad proprietates attinet) pie docemus: nec per unum deitatem confundimus; nec per tria distrahimus: sed intra metas pietatis manentes, immoderatam

in utramque partem inclinationem reprehensionémque devitamus. Quamobrem mediam ac regiam viam secantes (in quo & virtutis laus sita est, vt moralium rerum peritis placet) credimus in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, consubstantialitatem, vnam eandémque gloriam, quibus & baptismi perfectio nititur, & nominibus, & rebus ipsis. Nosti enim, initiate, illum esse negationem ἀθεΐας & confessionem Deitatis; atque ita consummamur, vnum quidem in essentia cognoscentes, & adoratione communi, atque indivisa affirmantes; tria autem in hypostasibus, sive (quod quidam malunt) in personis, ne inepti sint, qui de his litigant, quasi in verbis potius, quam in rebus pietatem nostram constituamus. Sed times, ne τριθεΐα id est, triplex divinitas tibi exprobetur. Tu quod habes bonum tibi retine, in tribus scilicet unionem: mihi pugnam sine: patiare me navim compingere, tu navi utere. Etiamsi alius sit, qui naves fabricetur, tamen tu me tuam sine fabricare. Tu hanc securus habita: & licet eius causa nihil laboraris, nihilominus cursu prospero navigabis. Aut incole domunmeam, qui hæc construxi & paravi, quamvis ad ea studium operamque nullam impenderis. In nubem ingrediamur. Da mihi tabulas cordis tui. Sum tibi Moses, & si hoc dictu est audacius. Inscribo digito Dei novum decalogum: inscribo compendium salutis. Quod si quæ bestia hæretica, & rationis expers est, intra maneat, aut periculum erit, ne sermone veritatis lapidetur.

Non temere igitur, neque à scopo aberrans ego illa de istis, qui sunt æquales Apostolis, & Apostoli, & Theologorum antesignani antea protuli, etiam hos cum Petro & Paulo, & filiis tonitrui, primi illius chori capitibus in mundum à Christo missos, qui secundam ἀθεΐαν & creaturarum cultum post illos, & cum illis, virtute Verbi, veræque ac primæ sapientiæ, igne spiritus penitus exurerent, & Ecclesiam eius, defectionis discrimini proximam, propter hyemem, ventos contrarios, & procellas, dæmonum artificio concitatas calefacerent, ardorémque pristinum redaccenderent. Per quos videlicet consequimur, vt sancte vivamus, ut sacerdotio bene fungamur, & doceamus, & audiamus, & Evangelicam atque Apostolicam fidem agnoscamus. Et quo vitam sine offensione ac pariter degamus ab ipsorum sapienti providentia accipimus. Audistis enim cœlestes ipsorum voces, quas nobis per eos Spiritus sanctus divinitus est locutus. *Intonuit enim revera de cœlo Dominus, & altissimus dedit vocem suam,* etiam per hosce magnos: *& illuxerunt coruscationes tuæ orbi terrarum: & commota est, & contremuit terra: & fundamenta montium conturbata sunt à facie Domini, & a facie Dei Iacob.* Quæ porro ista, & quam ab iis Ecclesiæ iactationem tempestatémque importari iudicabimus? hos esse opinor, qui à terra, è cerebro suo clamant, & quæ spiritus sunt, citra spiritum loqui non reformidāt. *Quos ego non misi*, ait Dominus, *& ipsi prophetabant.* Præterea instigantem illos, & docentem loqui talia, ducem auctorémque scelerum ab initio: quem divina Scriptura montem magnum, & Leviathan nuncupare consuevit, lumine faciei Domini agitatum, & quassatum, & vertigine correptum. *A facie formidinis Domini*, inquit magniloquentissimus Isaias, *& à gloria fortitudinis eius.* Atque vt ad sapientissimum Davidem revertar, *in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Vnde & insignis ille Paulus de se, & coapostolis illud interpretatus est. Et, *cœli enarrant gloriam Dei,* inquit, *& opera manuum eius annuntiat firmamentum. Et dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Nihil enim prohibet etiam diem vocare spiritus gratiam, propter luminis splendorem, & claritatem; & eandem rursus noctem, propter profunditatem nempe, & difficultatem, in quam habet contemplatio. *Posuit enim tenebras latibulum suum,* divinum pura verbum suum, & profundum cognitionis ac sapientiæ, hosce lucis ac diei filios docentis: quos si quis etiam noctem nominaverit, mea sententia ab eo quod decet nihil faciet alienum, propter incurrentem carunculæ huius caliginem, & tenebras, quæ lumen gloriæ Dei intercidunt, vt cum eodem Propheta iterum dicam. *Deus meus illuminabit tenebras*, inquit. Et, *signatum est super nos lumen vultus tui.* Et, *sit splendor Domini Dei super nos.* Idem rursus: *Non sunt loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum*: horum sermones illos, & de cœlo delatas voces, sive tonitrua prænuntians: quæ omnium aures atque linguas ab extremis terrarum usque ad extrema comprehenderunt, omnésque mundi fines magniloquentia sua occuparunt. De quibus sane inclytum quoque Isaiam vaticinatum reor. *Super montem excelsum ascende tu, qui Evangelizas Sion*, Ecclesiam Christi, inquam. *Exalta in fortitudine vocem tuam, qui Evangelizas Hierusalem. Exaltate, nolite timere. Sacerdotes loquimini ad cor Hierusalem, dimissa est enim iniquitas illius.* Et hæc quidem hactenus.

Sed quoniam & spectatoris Dei, & legislatoris Mosis, similiter eiusdem spectatores, & legislatores, de Deo philosophantes & docentes hi paulo ante meminerunt (ait enim, in vrbem ingrediamur, da mihi tabulas cordis tui. Sum tibi Moses, quamvis hoc dictu audax sit, inscribo digito Dei decalogum: inscribo compendium salutis) ne hoc quidem transeundum opinor, quin pro viribus consideremus: præsertim cum ab ipsis adeo sublimiter, & magnifice prolatum sit. Quid igitur? quæ est oratio mea? Hi quoque, ut Moses ille clarissimus, pastorali virga ab eo qui est, sibi tradita, duque Pharaonis, & hostilis exercitus eius appellati, in tenebrosam, & persecutricem Ægyptum, in perversam, inquam, & ratione carentem ἀθεΐαν descenderunt, divinoque verbo, & digito Dei, sicut ille, plagis sævissimis eam flagellarunt. Deinde etiam populum Domini inde educentes, *in manu potenti & brachio excelso*, & profundum falsæ infidelitatis ligno crucis, atque in eo suffixi admiranda imitatione, & communi salute, quam in medio terræ ipse solus operatus est, post illum, & cum illo pertransierunt, Ægyptumque, & superbam mentem, Pharaonem dico, qui animo cernitur, cum omnibus copiis summerserunt, equos, & ascensores, & duces ibidem marinis aquis obruerunt, & victoriale carmen cum ipsi ceciuerunt, tum populum Domini similiter cauere docuerunt. Iidem cum Mose montem conscenderunt, Amelech improbum pravarum motionum architectum extensione manuum, & figura novi mysterij, ineffabilibus intelligentiæ efficacitatibus prostraverunt; qui post primam illam illustrémque victoriam, Dei populum impudenter iterum invaserat. In columna lucis & nubis per solitudinem iis præiverunt. Manna quod sub rationem cadit, Christum, inquam, in alimoniam immortalitatis affatim his præbuerunt. De petra percussa, lateris Domini videlicet, melle, novo quodam modo eos saturarunt: idque tanto excellentius, quanto hæc typis illis, & adumbrationibus excelsiora, maiestatisque plenïora sunt. Quid amplius? Dei iussu Sinai monte conscenso, sine fulguribus, tonitruis, procella, & caligine (quibus initiati exterrentur) & ignem perrumpunt, & cum Mose nubem ingrediuntur, & in tabulis non lapideis, sed in cordibus carnalibus, digito Dei (vt cum ipsis rursus dicam) novum decalogum, & compendium salutis inscribunt: & hic quidem sacrosanctæ Trinitatis, & divinum Christi œconomiæ mysterium, illic Evangelio affinem vivendi modum, mandatorúmque implendorum viam insculpunt (*fides siquidem sine operibus mortua est*, ut opera sine fide; quod etiam ipsi docuerunt) inde non iam cum Mose, sed plus quam Moses anima, & vultu glorificantur. Quod enim ille in vultu gerebat, hi magnificentius, & sublimius in animabus habebant. Hoc quoque ab ipsis, quanquam de aliis dictum. Quin imo Christus etiam ipse hoc ipsum in persona primorum discipulorum, Apostolorúmque suorum confessus est. *Multi*, inquit, *Prophetæ & Reges voluerunt videre quæ vos videtis,*

&

& non viderunt: & audire quæ vos auditis, & non audierunt.

E monte divinæ apparitionis Deo similes effecti, & numine afflati, & soles novi descendunt. Quin potius intra nubem (vt ipsi loquuntur) mysteria docendos cum Petro, & filiis tonitrui arcano inducunt, & vna secum introducunt, claritatéque illa, mysticisque splendoribus altissimæ Trinitatis, & fontis luminum cor illuminant: non vulgata tantum, multorúmque auribus non ignota, nec secreta illa mysteria, vt aiunt ipsi, verum illis interiora quoque, magisque mystica docentes. Habes enim, inquit, mysterij notiora, & multorum aures minime fugientia: cætera intus, Trinitate largiente cognósces: post baptismum & purgationem videlicet, quæ apud te sigillo munita abscondes. Quænam autem illa, & qualia sint, & unde veniant, iidem initiatos rursus docent in eodem spiritu, tametsi adhuc obscurius, nec omnino citra speculum, & integumenta, propter obstantem nebulam, & carnis caliginem, quibus implicati sumus.

Mat. 17.

Huius divini & boni spiritus, ô cœlesti numine instincti doctores, charismatibus & efficientia vos quoque repleti estis, & per hæc totum intra vos habetis, vnum de sancta Trinitate, totum in vnoquoque habitantem, & totum cum Deo manentem, & implentem hoc Omne, & super Omne, & extra Omne existentem, iuxta doctrinam vestram. Suscepistis nimirum & ipsi linguas igneas cum Apostolis in editissimo ædium loco: hoc est, in excelsæ mentis vestræ custodia & contemplatione; non quemadmodum illi è publicanis, & sutoribus, & piscatoribus vocati, unctique in Apostolos, & discipulos (*placuit enim tunc Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Quia*, inquit, *in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum*) sed ab oratoribus, philosophis, dialecticis, & sapientibus ad veram, & antiquissimam sapientiam atque apostolatum venistis: vt etiam per inferiorem sapientiam, velut sarcinatriam quandam, & ministram stulta sane, & imbecilla externorum sapientia redargueretur. Ad salutem nostram egressi estis, ceu alij quidam per gratiam, & formatores salvandorum, in virtute omnium opificis, & formatoris, quique solus secundum naturam Deus est.

Ephes. 4. Act. 2. 1. Cor. 1.

Ac Moses quidem eximius ille tarditatem & gracilitatem linguæ, ac vocis suæ, & postea Hieremias immaturitatem ætatis corporeæ excusantes, prophetandi munere, & divini apostolatus officio fungi cunctabantur, prædicationemque differebant. At vos admirabili super hoc revelatione, & oraculis inde acceptis, omni timiditate abiecta, & humanis cogitationibus penitus depositis, vocantem prompte, vt generosi, ut virili robore præditi, secuti estis, & ipsi quoque cum Isaia, *ecce ego adsum, mitte me*, aperte dixistis. Vnde etiam excellentius quam ille è divino, & singulari illo altari, tanquam forcipe carbone intellectuali, spiritus operatione accepto, non solum Iudæos, Syros, Ægyptios, aut hos aut illos: sed orientem & occidentem, Aquilonem & Austrum, & qua per orbem salutare Dei verbum divulgatum est, ad officium, & curam vestram pertinere existimastis, illum (orbem inquam) agitatum stabilire, & quassatum linguis oppositis, sana veritatis doctrina corroborare annitentes.

Exod. 4. Ierem. 1. Isa. 6.

Porro qui magnæ Cæsareensium Ecclesiæ tunc præclare præfuit (Basilius) & quasi sacrum quoddam Prytaneum, aut omnium orbis Ecclesiarum speculum, & curiam eam habuit, illinc verbo & opere præest universis, omnibúsque viribus, & ingenio, cum excellenti quadam spiritus virtute eas administrat, scribendo, docendo, admonendo, mandando, disputando, confutando, hortando, reges, præfectos, duces, principes, clerum, populum, communem vitam traducentes, & solitarios, viros perinde ac mulieres, regiones totas, & urbes: pro nequam pastoribus, & propagatoribus impietatis se ipsum subiciendo: sermone & scriptis oratorem, philosophum, theologum agendo, spirituque adiuvante, pietatem libris conficiendis eruditissime defendendo, ut nihilominus ipsi cum magno Paulo dicere liceat, *instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?*

2. Cor. 11.

Alij vero amplissimæ huius, & reginæ urbium (Constantinopolis) sacrum præsulatum ac principatum divina providentia suo tempore sibi commendatum cum accepissent (Gregorius Nazianzenus puta, & Ioannes Chrysostomus) vterque sublimibus & divinis, quibusque magnum & admirabile Dei regnum splendet, quæque ipsum exquirentes sequuntur, eandem vere maximam, & omnium, quotquot vbique terrarum extant civitatum principem reddiderunt; per quam, & ex qua velut è carceribus, aut sancto propugnaculo prodeuntes, divina oratione sua, & doctrinis venerabilibus orbis terrarum fines obierunt; tantúmque antecessores & successores omnes, quotquot nimirum huius vrbis princeps sacerdotium, & pontificiam præfecturam cum Evangelica disciplina post primos ac præcipuos Christi discipulos administrandam adepti sunt, antecelluerunt, ut propemodum maximam partem universi ab Ecclesia ignorentur, & præ his nec de nomine quidem cognoscantur: quanquam & multi in medio creati, & a doctrina moribúsque non vulgare præconium consecuti fuerint. Verum hi vtriusque splendoris magnitudine, non aliter quam sideribus solis claritas, obscuritatem attulerunt. Quod si qui etiam post generosos istos in Ecclesiarum maximæ principatum ingressi, non humile quiddam, & præclarum cum laude aut præstare visi sunt, aut præstiterunt, mox illa inde appellatio, & nomen novum à fidelibus inditum est, tacitis quæ pastores singuli gerebant nominibus.

Neque vero magnos istos viri, mulieres vulgus omne suis nominibus appellat: sed uni Theologi, alteri Chrysostomi vocabulum cum ingenti quadam voluptate & reverentia attribuit: & ostendit etiam hinc Ecclesia, neque id sine spiritu Dei, vt arbitror, illos primos, & propemodum solos secundum primos Apostolos, totius Ecclesiæ per terrarum orbem & pastores & doctores esse. Et hac eadem de causa ipsorum doctrinæ dogmatisque, & Theologiæ perinde vt sacris tabulis, divinisque Evangeliis adhærens, eáque vt animam & vitam suam æstimans, nec appellationibus, nec sacris eorum nominibus abstinere vult: quin etiam quos magistros post illos amant, & in quibus illorum imaginem, & eruditionis vestigia vel cernunt, vel cernere saltem sibi videntur, hos eorum cognomentis afficiunt, amorē suum erga magistros illos quoquomodo indicantes (solent enim, inquit, qui vehementius quempiam diligunt, libenter etiam eius nomen usurpare) & consultissimum illorum nominibus honorantes, demonstrantésque, non procul illos ab vmbris & simulacris solium illorum abesse. Nam & hoc ipsis magnum quiddam est.

Quæ item sapiens quidam paulo ante nostram memoriam secum admirans, & præstantiam cuiusque generis sapientiæ, & orationis fontem, sublimitatémque & amplitudinem doctrinæ magnorum istorum mirifice obstupescens, ac velut imaginem quandam eorum excellentiæ effingere volens, sic, qui tunc aderant familiares est allocutus: Si quis huic grandi & excelsæ columnæ, in cuius supremo Imperatoris statua est collocata (illam videlicet columnam dicebat, quæ ante portas maximi templi Dei sapientiæ visitur) si quis igitur huic alteram talem imponeret (licet enim fingere) & super ea insuper tertiam locaret, crassitudine altitudineque similem, in vertice huius tertiæ columnæ ego tres illos totius orbis magistros constituerem, & quidquid sub sole gentiū est, inde simul eos docere humi autem, ad basin primæ columnæ omnes simul sapiētes ac magistros in orbem circumfusos, suas ipsorū discipulinas tradere oportere affirmarem. Tanta est, inquit, horum Patrum dignitas, & auctoritas. Et hæc quidem

ille. Ego vero etiam huic sermoni pridem suffragor, optiméque, & ut par fuit, dictum sentio, idemque assimaturum quemlibet autumo, qui illos noverit.

Ac Basilius sane, & Gregorius Magni, factis, doctrina, divinarúmque scripturarum explicationibus, disputationibus Theologicis, & morum præceptis Christi Ecclesiam cohonestarunt: nec satis queo dicere, in quo à me dictorum id cumulatius præstiterint: propterea quod in omnibus summe claruerint; nec possint illa à quoquam ullo modo inter se comparari. Quanquam quod cum maioribus nostris, tum coævis etiam hominibus visum est, ad Theologiæ montem [Mat. 17], & Verbum magis accesserunt, divinásque voces illas, & singularé, perfectissimamque de Trinitate Theologiam a Deo Verbo, quod fuit in principio apud Deum [Ioan. 1], secretissime susceptum, omnes docuerunt: sicut & nos iam utcunque ex admirandis, & Theologicis ipsorum verbis demōstravimus: siquidem & ad hæc generosos illos tempus, Ecclesiarúmq; conditio & necessitas magis vocabat: quas nec modica tempestas, & bellum grave tunc opprimebat, cum proh dolor, sacerdotes, & pastores in Deum impie agerent, & vehementer insanirent, ut S. Hieremias ait [Hier. 2], Imperatoribus patrocinantibus, & *ebriis* acerbe ulciscentibus, aulicisque nihilominus cum eunuchis, & gynæceo, contubernali, inquam, seu domestica ista societate improbitatis auctori una militante, atque opem ferente. Atque huiusmodi gubernatoribus ducibúsque Christi Ecclesia indigebat. Idcirco & huc desuper vocati, ut iam diximus, Deique panoplia, & munimētis cincti, *& gladio spiritus, quod est verbū Dei*, [Ephes. 6.] in manus accepto, errorum arces viriliter everterunt, fortem in nequitia virtute spiritus alligarunt, & vasa eius diripuerunt: sicut in Evangelio Christus ait [Luc. 11.], nunc quidem enim Præfectis & Imperatoribus, nunc cum Ecclesiarum præsulibus, & lupis potius, & crudelibus gregum dilaniatoribus, non pastoribus, nunc cum Iudaismum & Gentilismum sectantibus decertantes, & usque ad exilia, mortem, lapidationes, impietatem in Ecclesia concionibus persequentes: & si pericula, & mortes, & calamitates illas omnes divino adiuti auxilio, propter nos videlicet & salutem nostram tolerarunt.

Ioannes autem, lingua aureus, etsi alio orationis genere nullo excelleret, & sola profecto Theologia, quam eximiam & admirabilem consecutus est, & ex dimicationibus contra Græcos ac Iudæos, eorúmque & similium perversa opinantium, Arianorum puta, Sabellianorum, Macedonianorum, Manichæorum, ac Valentinianorum, Marcionistarum, fatúmque contra voluntatis libertatem impie inducentium subversione gloriosum sibi nomen comparasset. Nunc ex ore illius aureo, & lingua Theologica, flumina Theologica erumpentia, quantum terrarum salutaris Christi disciplina complexa est, irrigarunt. Sermonum porro eius potabile, suavissimúmque pelagus, & sublimium atque lectissimorum sensuum infinitam abyssum, & humano captu superiorem abundantiam, altitudinem pariter, & perspicuitatem, iucunditatem, & dulcedinem illam inexplicabilem, rhetoricámque persuadendi efficaciam, & cum veritate orationis nervos & impetus, quibus Græcos alioqui eloquentia celebres præ se pueros fuisse ostendit, quibúsque totam veterem, & novam scripturam explanavit, profundáque illius, & comprehensu difficilia in lucem apertúmque protulit, venerabilium mysteriorum cæremonias celebravit, & sanctos Patres ac Martyres collaudavit, & orationes de moribus, & suasorias, tanquam fontes quosdam perennes, & fluenta fluminum semper manantium ex corde gratia pleno emisit: quorum nunc multitudinem supra elegantiam, nunc elegantiam supra multitudinem, immo enim vero utrumque semper admireris: ut etiam fabulosus ille Sirenum cantus nugæ, & ludus cum istis collatus videatur. hæc, inquam, & istiusmodi non solum nemo pro dignitate laudare: sed nec particulatim saltem enarrare, & describere utcunque poterit, nisi cyatho Atlanticum mare, & cotyla vastum Nilum metiri, aut Euphraten exhaurire velit. Illa autem mundum, ut dicebam, complexa non per Græcos & Romanos duntaxat, sed etiam per Syros, Ægyptios, Mauros, Hispanos, Gothos, Triballos, Scythas, omniúmque barbarorum voces & linguas admirabiliter, & cum gloria & stupore maximo sese diffuderunt.

Cæterum hæc trium communia sunt: non modo, quod his & talibus eorum unusquisque plenus est: sed quod nec proprium quippiam sine paribus sibi honore possidere cupiunt, verum quod habent, commune faciunt, & cum amicis honorisque sociis communicant, & vicissim sapientes isti sua impartiunt, & invicem ex æquo mutuantur, propter honoris æqualitatem, conspirationem atque consensum, & amorem mutuum videlicet.

Basilij siquidem Magni hoc peculiare aiunt esse, motiones animi ex Theologiæ rationibus subtilissime, & eruditissime perspicere & examinare, divini opificij providentiæque modos expendere, mores & habilitates animarum ingeniose observare, atque ita de his singulis disserere, ut sermoni inanimo inspirasse animam, & eius verba vivere videantur, sicut ipse de quodam rhetore non Christiano testatur.

Gregorij quodammodo peculiarem aiunt esse Theologiam, & genus orationis reconditum in rebus Theologicis, sublimes intelligentias, verba, compositionem & elocutionem sublimia: quocirca commune Theologorum nomen quodammodo suum unius effecit, quando ipsum solum, & peculiariter Theologum, post filium tonitrui, primúmque Theologum & Evangelistam fidelium Ecclesia nominat. Eius etiam est brevitas, & acrimonia, & paucis verbis ac syllabis magna illa & eximia valde comprehendere: ut argumentorum præstantiæ, & admirabilitati astrictior dictio non modo nihil officiat: sed cum singulari quadam sublimitate perspicuitas quoque, & novus quidam ornatus, sententiarúmque perpetuitas & perfectio adsit, & præclarus vir insuper secundum omnia Rhetoricæ causarum genera commendationem mereatur: & sive suadeat, sive laudet, sive iudicialem controversiam disceptet, ubique sibi similis, ac summus sit, & nihil interim à gravitate & sublimitate sua vel tantillum discedat.

Et quoniam ornatus, & gravitatis, seu granditatis, & quasi roboris cuiusdam eius in dicendo mentionem habuimus, hoc quoque necessario adiungendum duco, Gregorium solum ex Græcis omnibus, in Græca, Atticáque sapientia & lingua, si quisquam alius, exercitatum fuisse: nec necesse habuisse, illorum item legibus, & moribus servitutem servire: sed Atticæ quidem dictionis fucum & curiositatem, ut inane supervacaneum quiddam aliis reliquisse: de græca autem sapientia quod purum, honestum ac simplex est assumentem, antea non visam orationis ideam, seu formam, compositionémque & phrasin, veluti legislatorem ipsum, & dicendi magistrum insignem invenisse. Ex quo in admiratione, & nimium quantum clarus fuit, apud eos præsertim universos, qui supra cæteros eloquentiā colerent & amarent, & adhibere in scribendo artificiū scirent, ut animis & auribus à subtilitate, festivitate, & nobilitate, incredibilique & divina iucunditate, & melle orationum illius suspensi penderent: torperent autem omnes simul ad hanc minime communem, & inimitabilem ideam cum stupore mirantes, quænam, & unde extitisset, naturalémque ornatum illum, & ad describendum difficilem, ambrosiam quandam & nectar; seu (ut ex divina scriptura potius dicam) orationes eius panem angelorum, & sacrum manna existimarent, quibus sapientissima, & humana superior mens atque lingua tam sacrosancta illa de Theologia & divinitate tam mirifice edidisset.

Illa præterea de rerum fabricatione procurationéq; & magnum illud magnæ circa nos œconomiæ Christi sacramentum quam sancte, & divine tractaverit, quis dicendo consequatur? Et veteri scripturæ novam conciliavit, & quemadmodum figuræ & umbræ legis ad

Evangelicam

Evangelicam perfectionem, veritatemque transierint, completæque fuerint, omnibus patefecit, tam ingeniose ac dextre, sapienterque, tanta persuasionis vi, adeo perspicue, & quantum dici non potest, dulciter, & modo tam mirifico, vt & hinc potius Ecclesia Christi veneranda mysteria non solum sublimiter videre ac intueri, sed multo etiam sublimius pati, ac sentire, & percipere, & ad illam œconomiam salutemque evehi, pulcherrimaque, & altissima mutatione immutari queat. Quare iisdem pene laudibus quibus Patres doctissimi, & martyres, condecoratus est: qui scilicet propter eximia librorum monumenta, quæ reliquerunt, non minus, quam propter sacras actiones, & Apostolicam vitæ rationem, certaminaque ab Ecclesia decantati & honorati sunt.

In poësi autem, & versibus varioque metrorum genere, quæ de compluribus argumentis, & pleraque ad communem Christianorum institutionem diverse composuit, in poëticæ demum orationis, & disciplinæ exercitatione, quis Græcorum poëtarum ei se opposuerit, nec illi in his artis perfectionem, facultatemque concesserit? De quibus etiam non nemo nostrorum sapientum in eius laudatione non extra stuporem dixit, tantum in istis & facultate, & doctrina & artificio valuisse, vt etiamsi aliarum literarum rudis fuisset, nec ad tantum in illos fastigium præstantiamque pervenisset, ex carminibus istis, & poetica sola prædicari vbique, & apud omnes eruditos pro magno & singulari viro haberi potuisse. Atque hæc hactenus.

Quoniam igitur hi tres magni sunt simul, magni quoque seorsum considerati, adeoque privata sua inter se libenter communia fecerunt, vicissimque communicarunt, sicut à me paulo supra commemoratum est, itaque ingens est, & admiranda eorum gloria, & magnificentia, & æque in doctrina, & actionibus, & per omnia plena coniunctio, consensus atque conspiratio: vt quod in proverbio est, ex vnguibus leonem cognoscas, etiam illa dictis convenienter adiiciam.

Cum adversus Iudæos & Gentes ipsorum invectivas, & confutatorias orationes lego, & eorum qui post ipsos eodemque sæculo cum ipsis vixerunt, Christianos se fingentium, & interim impietatis insaniam similiter ructantium, Noeticam eluvionẽ, sceleratorumque extremam perniciem videre videor, cuius impetu propugnatorum impietatis ac tyrãnorum muri scelesti, ac monimenta deiiciuntur quæ non à quovis, quanquam volente, deiici ac disturbari possunt, propter eorum habitum, inquam, & versutiam. Quando de Filio, & Spiritu, vnaque in Trinitate divinitate, & quomodo comprehendi non possit, scripta lego, Deum quem habeo dilucidius magisque intelligo, veramque monarchiam simul, & Trinitatis mysterium ex ipsis perdisco: & eminentias, & summissiones, & coniunctionem, divisionemque personarum simul & naturæ, tempori item obnoxias generationes & processiones, corporalem dissolutionem, & fluxum, secundum naturam minus & maius: & Deum comprehensum, & deorum multitudinem, inæqualitatemque Iudæorum, & Gentilium respuo, Theologiæque, & speculationis certæ rationes edoceor, quatenus edoceri me fas est: & Deum vnum legitime ac pure in Trinitate adoro, qui nec cœpit, inquit, nec aliquando desinet, ceu pelagus essentiæ infinitum & immensum, omnem cogitationem temporis ac naturæ exsuperans, mente sola adumbratum, & hoc ipsum perquam exiliter ac mediocriter: non ex iis quæ eius natura continentur, & secundum ipsum, sed quæ circa ipsum sunt: nec super his deitate effusa, ne deorum catervam inducamus: nec his deitate circumscripta, ne paupertatis divinitatem condemnemus, aut propter monarchiam cum Iudæis, aut propter multitudinem cum gentilibus sentientes. Quando quæ de divina fabricatione ac providentia scripserunt evolvens discutio, naturæ & divinæ potentiæ rationes animadverto, productarumque rerum cognitionem adipiscor, & video id quod proprie est, extra omnia, & super omnia esse: & quo pacto, quæ neutiquam sunt, condat, & vt sint efficiat, naturasque & facultates procreet, & efficientias, & proprietates, & communitates, & discrimina, & vniones, & habitus, & privationes, & motiones, & mutationes, & alterationes vnicuique congruenter det, sicut ipse dare novit, & rationes proprias impertit singulis, quibus res nostra miro modo, & supra quam dici, aut cogitari queat, moderatur: quæque apparent in quibusdam inæqualitates, & imparitates, plusquã æqualia, & nimis ad amussim directa perspicio. Quando de sublimi sacerdotio exquisite ab eis conscripta audio, Dei voces de cœlo delapsas audire me arbitror, & à terra terrenisque recedo, angelorumque linguis, tum primum divina mysteria disco, quales ipsorum sunt, homi ambulantibus, materiaque constantibus sine corpore propemodum loquentes, cœlestiumque mysteriorum revelationem, & bonum ordinem hominibus præscriptum ac patefactum cerno: & Prophetas, Evangelistas, & Apostolos, & priscam, ac novam scripturam vniversam simul docentem quo pacto, & quando ad inaccessum accedere, quando se subducere, quando ad accersentem adire oporteat: illud, inquit, propter infirmitatem propriam: hoc propter vocantis potentiam. Et quomodo speciosum Ecclesiæ Christi corpus varie regendum, & tractandum sit, spectatis temporibus, rerum, voluntatum personarumque discriminibus, moribus & sententiis, educatione, exercitatione, institutione communiter & sigillatim, communc omnium caput Christum intuendo, inque operum nostrorum calculum expectando. Et quemadmodum cum Deo explorandi ac probandi sint, qui ab eo ad hæc vocantur, nec tempori, nec potentiæ, nec amicitiæ gratificando: ne non bene negligantur, qui propter iam dicta digni sunt: contra, male deligantur, qui propter ignaviam indigni sunt: vt ita vtrimque ab eo quod bonum & perfectum est, turpissime deflectamus: nimirum bonum ipsum aspernantes, & malum asciscentes, & incorrupto iudici pœnas hinc & inde debeores.

Iam quod ad virginitatem celsissimam, & regulas ac descriptionem monasticæ angelicæque & secum habitantis vitæ attinet, quid ego dicam? quando non solum in his diligentissime se exercuerunt cum Antonio, Ammone, Paulo huius familiæ primariis supra omnes alios: sed etiam legislatores, & duces, & magistri horum appellantur: vt propemodum eorundem duntaxat sit & egregia facere, & dicere, & scribere, & aliis talia præcipere. Nam quis affectiones animæ & carnis accuratius examinavit, maxi[m]eque in fœminam appetitum naturalem, & cum ea convenientiam consensumque vt ita dicam, & quinam naturæ motus sint, qui arbitratus, qui consuetudinis, qui pessimi, perversissimique habitus, & à quibus propter vehementiam ægre liberari possis: & vnde his principia & causæ, vnde incrementa & alimenta: rursum, quæ favore & auxilio Dei hæc destruant, aboleant, veramque virginitatis incorruptionem efficiant: quæ scilicet est animæ vera virginitas & puritas, omnem, & practicam, & contemplativam virtutem includens, & studiosum ad Evangelicam perfectionem deducens, angelicum, inquam, & monasticum vivendi institutum, & virginitas & ordo divinis functionibus occupatus.

Porro hi Patres præter iam enumerata, legitimas quoque nuptias, viduitatemque celebrarunt & cum illis coniunxerunt, quidque in vtroque vtile, quid noxium esset, difficultatemque & facilitatem ex sanctis Scripturis, & ipsa rerum experientia omnibus diserte ostenderunt: vt in omnibus *perfectus sit Dei homo*, & in nullo plane deficiat. [1 Tim. 5]

Quis non eum de pœnitentia, & compunctione & præclarissima humanitate ageret, nobilium istorum scriptorum argumenta perpendit, & docendo secutus est? qui vt ob pondus peccatorum ad desperationem præcipiter celeriter inde retrahantur, pe[...] divinæ benignitatis explicant, & orationem v[...] porrigunt: duros autem & audaces, & à compunctione abhorren-

tes, timore examinis rerum in hac vita perpetrarum, iudicijque ac pœnarum terrore, & implacabilitate iudicis ad timorem Dei, & dolorem animi adducunt. Humanos vero, & pauperum amantes, & compatientes esse, adeo vehementer & dictis & factis docuerunt, & adeo maximi hanc Dei imitatricem, divinamque fecere virtutem, vt propemodum hanc solam probaverint esse, quæ peccatorum sordes supra alias purgare, & tentationibus animi, & corporis simul liberare, & ab omnifaria morte servare, suaque pulchritudine praxin vna, & contemplationem ornare queat, & postremo benedictos patris, & hæredes regni à constitutione mundi præparati, eius cultores a Christo pronunciatos esse, Dei filios, & Deos nominatos secundum gratiam, & imitationem per illam veri ac solius secundum naturam Dei. Humilitatis autem, & charitatis, vere sublimium, & perfectos efficientium, omnis denique virtutis post Christum & primos Apostolos athletæ, artifices, & prædicatores summi, quinam præter beatos istos reperti sunt? Qui tam pauperes spiritu, & corde contrito, ac vere mites, humilesque fuerunt, vt ipsius Christi exemplaria quædam, & simulacra secundum hæc eadem appellentur, iuxta verbum illius, *discite*, inquit, *à me quia mitis sum, & humilis corde*: & hominibus item & doctores & auctores, & magistri admirabiles, divinaque prototypa hæc faciendo, disserendo, scribendo facti sint?

Mat. 25. — Mat. 11.

Quod si etiam charitatis in proximum ille secundum divina oracula supremus omnium terminus est, eum non modo diligere vt seipsum: sed necessitate postulante, animam quoque eius causa, vitamque contemnere (*maiorem enim charitatem nemo habet*, inquit, *quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis*; quod quidem Christus cum dixisset, mox opere ipso implevit, cum semet pro nobis in mortem tradidit. Paulus autem discipulus post illum solus est ausus pro Iudæorum salute talia sibi imprecari: *optabam*, inquit, *anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem, qui sunt Israelitæ*) an non similiter isti ad supremam lineam processerunt mandatorum extremæ perfectissimæque charitatis, idem cum B. Paulo non dubitantes dicere? Quid enim de semetipsis hac in re scribunt? Audeo, inquit Chrysostomus, maius quiddam de nobis, quam Apostolus, affirmare. Adeo vos complector, adeoque revereor hanc decentem stolam, & colorem continentiæ, & sacros hosce conventus, & augustam virginitatem, & puritatem & nocturnam psalmodiam, & amorem in pauperes, & hospites, vt etiam anathema à Christo esse, & pati instar damnati velim, tantum vt staretis nobiscum: & communiter Trinitatem celebraremus.

Ioan. 15. — Rom. 9.

Sed hæc quidem propter illos, qui ab Ecclesia Christi extranei sunt videlicet, adeo mirabilia, & Dei imitatione referta, sicut dixi. Videamus nihilominus quæ propter internos, & legitimos, divinitatemque spiritus confitentes, & adorantes dixerit. Vellem, inquit, si possem, ante oculos vobis constituere, quam erga vos gero charitatem. Nihil quippe mihi vobis est amabilius, ne ipsa quidem lux ista. Millies enim optarem ipse orbari luminibus, si ita animas vestras convertere possem: adeo mihi salus vestra huius lucis aspectu iucundior est. Nam quid iuvant radij solis, quando oboris vestri causa ægritudo, oculis magnas offundit tenebras? Tunc enim lux bona & grata est, quando hilaritate hauritur: animæ enim mœrenti, etiam molestiam videtur apportare. Huius veritatis absit vt vnquam periculum facistis. Veruntamen, si quando contigerit ex vobis peccare quempiam, me dormientem convenite. Si non sum similis paralyticis, si non amentibus, & vt loquar cum Propheta, *& lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum*, & nisi quis indicet me supra modum ambitiosum, videres me quotidie fontes lachrymarum emittentem. Harum mihi conscia est domuncola, & solitudo. Credite mihi, spem salutis meæ pœne abiicio, dum enim vestra defleo, nunquam mea mala lugendi otium mihi est: ita mihi omnia vos estis. Si sensero vos proficere, præ gaudio mala mea non sentio. Si videro non proficere, præ animi dolore rursum mea dimitto, vt qui exultem vestris bonis, etsi mala habeam innumera: contrister autem vestris malis etiamsi innumerabilia adsint mihi recte facta. Quid enim sperem ego, si vos non proficiatis? Cur autem me quidquam tristem reddat, si vos recte geratis? In sublime videor evolare, cum boni quippiam de vobis audio. Implete gaudium meum. Liceat vobis salutem assequi, me autem propter vos reddere rationem. Vobis dari salutem, me accusari, quod muneri meo non satisfecerim. Non enim curo, vt per me salui sitis: sed solum, vt salui sitis, quacunque ratione. Hoc vnum est votum meum, quod progressus vestros desidero, quod vos amo, quod vos complector, quod vos mihi estis omnia, & pater, & mater, & fratres, & filij: & si liceret cor nostrum rumpere, & vobis omnibus exhibere, videretis in magna latitudine intus esse & vxores, & filios, & maritos. Eiusmodi enim est virtus charitatis animamque vel cœlo ipso capaciorem facit.

Ps. 37.

Talia sunt sanctorum, & ter beatorum istorum Patrum, talia, inquam, de charitate, & pro charitate Dei & facta, & dicta, qualia nos hic partem aliquam ostendimus: adeo admiranda, & vltra modum egregia, & terrenis istis, humanisque verbis superiora, soloque Deo, ipsorumque anima & virtute digna, & quæ ne admirari quidem pro dignitate ob excellentiam magnitudinemque possis. Quinimo, & denuo singularibus eorum verbis pro his ipsis etiam in his vtar; hoc longe præstat, hoc diuturnis illis laboribus ac sermonibus multo est conducibilius, quos nunc omnes scriptitant, qui ambitione quadam tenentur, atque ideo fortasse circa fidei doctrinam quædam innovantur. Hoc multis vigilijs, & chameunijs est præclarius, quarum commodis fruuntur, qui eas obeunt. Hoc fama celebratis exilijs, fugis, lapidationibus, contumelijs, iniurijs multo est lucrosius, & gratiosius. Pro illo enim hæc etiam perpeti voluerunt. Quamobrem & illud, *si diligis me, Petre, pasce oves meas*, ad nobilem illum coryphæum, tertium à Christo prolatum, ad se nihilominus plane prolatum rati, etiam sic eum amare, vt ipse amari volebat, verbis & operibus cum Petro studentes, animam quoque, vt ille, pro grege dederunt, & mercedem sacræ functionis in Evangelio prædicando, divinum & inæstimabile præmium à Christo retulerunt. Quid enim deinceps beato discipulo ait? *Amen amen dico tibi: quando eras iunior, cingebas te, & ambulabas vbi volebas. Quando autem senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet, quo tu non vis. Hoc autem dixit*, inquit, *significans qua morte esset clarificaturus Deum.* Perinde ac si diceret, postquam munus pastorale meum, & gregem meum suscepisti, vt ego volo, & ita me diligere confessus es, hoc præmium dignissimum à me reportabis, vt per mortem & crucem me sequaris, itaque glorifices Deum, & glorificeris à Deo.

Ioan. 21.

Hæc & vos, ô generosi, æmulantes, & loquentes, operibusque aperte & insigniter demonstrantes, & Petro illo admirando etiam hac in parte nihilo inferiores, similibus item præmiis, & appellatione honestati, & cum illo à Christo facti estis *lux mundi, sal terræ, civitas supra montem, & lucerna supra candelabrum posita*, quæ in totius mundi domo luceat. Neque ista tantum, sed etiam claves regni cœlorum ideo vobis creditæ sunt. Neque quantum est spatij ab Hierusalem vsque in Illyricum, sed orbem maiorem Evangelio obiuistis, & filij tonitrui non quidem nuncupamini, sed revera estis: & super pectus Iesu recumbentes, inde sermonis efficacitatem, profunditatemque intelligentiarũ trahitis.

Matt. 5. — Mat. 16. — Rom. 15. — Marc. 3. — Ioan. 21.

Pœnas autem protomartyris Stephani illustres isti experiri permissi non sunt, lapidantium & occultorum illorum mactatorum quosdam Deo cœlitus cohibente, ob salutem eorum, quibus ipsi salutem pepererunt, vt & ante diximus: aliis pudore & reverentia erga illos captis, succensentibus animis, lapidesque manibus

portantibus.

A portantibus. Quare & ego supra, ordine, honore, certaminibus per omnia Apostolorum Christi principibus pares eos esse confirmavi, & cum Mose collocavi: quin supra Mosen, & veteris Testamenti Prophetas, & legislatores perfectos, & Dei spectatores: utpote qui divinam illam legem, sacraque vaticinia scriptis suis illustrarint, & illorum transitum à litera ad spiritum omnes mortales docuerint. Quod si Moses pro Israele Deo irato dixit, *si dimittis illis peccatum, dimitte: sin autem, dele me de libro, quem scripsisti*, ob ardentem gregis sui amorem cum eo perire non recusans; sane etiam hic, si inquisieris, apud pastores & legislatores meos amplius quiddam invenies. Non enim hi cum sibi charis etiam intente Mosis exemplo optabant: sed pro ipsis potius subire discrimina, & Cum Christo pro amicis animam ponere, quo illi salute potirentur. Sed neque illud cum Mose hi Deo obiecerunt, inobedientibus irati videlicet, *cur afflixisti famulum tuum, & quare non inveni gratiam coram te, ut imponas pondus universi populi huius super me? Nunquid ego concepi omnem hanc multitudinem, ut dicas mihi, porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iuravi patribus eorum.* Non sic super his quos pascebant etiam beati hi locuti sunt: sed illa nimirum, quæ & altissima sunt, & satis prædicari nequeunt, quæ ipsi per se ipsos digne nos docuerunt.

Exod. 32

Num. 11.

B

Magna igitur hæc & excelsa, imo si ita dicere fas est, & magnis maiora, & excelsis excelsiora, virorumque tantorum virtuti & moribus respondentia, & potentiæ cuiusdam, quæ omnem doctrinę amplitudinem sibi vendicarit. Sic enim statuo (vt ex ipsorum scriptis de ipsis rursum loquar) si qua fuit, aut erit tuba, late per aërem resonans, aut Dei vox mundum implens, aut terræ vniversæ tremor, ex novitate aliqua miraculoque, hæc esse illorum voces & sensa, quibus omnes alios antecellunt, & infra se relinquunt, quanto nos bestiarum naturæ antecellimus.

C

Ac illic quidem ita se habent, talesque sunt, quod ad nos, & totam simul Christi Ecclesiam attinet, vt nemo ex omnibus in his cum ipsis conferri, aut contendere vllo modo possit. Nobis autem, inquit, quænam alia hodierni conventus gratia? quæ compotationum iucunditas? quæ fori? quæ Principum, & familiarium ipsorum voluptas? quæ monachorum, aut coniugatorum? quæ externæ, aut Christianæ philosophiæ sectatoribus? vna & per omnia maxima, illorum scripta, & labores. Neque enim scriptores posteri aliunde, quam ex ipsorum libris copiam suam petunt. Prætereuntur & tacentur vetera, & quæ nonnulli divinæ doctrinæ insudantes laborarunt: nova clamantur, & prædicantur, censeturque is doctissimus, qui in ipsorum monumentis quam accuratissime volutatus fuerit, & verbis ea commode efferre, audientesque erudire potuerit. Etenim hi tres studiosioribus ad imitationem præ omnibus sufficiunt: qui id, quod inprimis novum, & admirationis plenum est, in omnibus prædictis habuerunt, vt primi, & soli à seipsis, propriisque sermonibus, & scriptis laudari possent, de omni genere scientiæ, scriptionumque forma & vi singulari: obstupescentibus simul omnibus, & magnis istis oratione cedentibus, quod principio asserui.

D

Itaque in aliis hominibus diligentibus & socordibus, sapientibus & indoctis, græcis & barbaris, & cuiusque demum generis illos videas diligere, & diligi inter se, quibus eadem studia sunt in amoribus, quique eodem semper curriculo pari alacritate decurrunt: quandoquidem (vt proverbio fertur) simili similis gaudet. Ast quos nunc laudamus, tam incenso, tamque inflammato amore simul omnes quasi ex composito prosequuntur, quam nec verbis dici, nec animo capi queat. Et Christi quidē discipulos atque imitatores omnes, Apostolos, inquam, & Martyres, & Pastores, & Doctores, sanctorumque & iustorum totam multitudinem, propter eorum erga communem Dominum charitatem, & eius imitationem pro viribus excellenter honorant, diliguntque: veruntamen studio, & præcipuo quodam amore non æque, nec secundum omnia singuli in omnes effunduntur: sed hi istos, alij illos, & alius alium vehementius diligunt, & in iis colendis sunt assidui, & pro decoro ac facultatibus donariis afficiunt. At tres istos omnes diligunt, commendant, suspiciunt, plausibus tollunt, in ore semper habent, exilientes, cantantes, collaudantes, & quid non præclarissimum de iis claris etiam vocibus prædicantes: eos Patres, magistros, bene meritos, secundum Deum salvatores, gubernatores. Theologos, fidei columnas, orthodoxæ fidei propugnatores, hæresum eversores, sanctarum Scripturarum explanatores, sapientes, & Ecclesiæ philosophos atque oratores, omnia nobis simul post Deum & cum Deo factos pronuntiantes: imo vero, qui omnia nobis fiunt, & fient, neque vnquam fieri desinent. Ista, istorumque non dissimilia nemo non de hisce magnis admirabundus exclamat. Iam qui in eorum facium munus, & humanarum animarum procurationem, Ecclesiarumque gubernationem successerunt, quid opus est dicere, quomodo à divina ipsorum Theologia, linguaque pendeant, & quomodo ipsos quæque ipsorum sunt, magis quam hunc aërem spirent, tanquam sacrorum dogmatum magistros, Evangelicæ vitæ duces, & canonas sacerdotum: & omnis boni archetypos, & charitatis, prudentiæ, fortitudinis, temperantiæ simul & iustitiæ, & omnis sapientiæ ac eloquentiæ, omnis divinarum humanarumque rerum sciētiæ formas & regulas tutissimas illos habeant: ac neque dicere, neque facere, neque docere neque adversum sanæ fidei nostræ oppugnatores, sine ipsorum decretis atque consultis, disputandi forma ac methodo, & à Deo inspirata doctrina disputare audeant. Siquidem & cum illis versari familiariter videntur, & quæ illorum sunt, ab ipsis illis intellectuali ac sensibili modo simul, sancta quadam ratione audite: illud propter illorum è superis obumbrationem, amoremque quem gerunt nostri singularem: hoc propter sacra eorum volumina. Nec enim nos ita deseruerunt, vt omnino deseruerint.

E

F

G

Quid plura? Si isti vsque ad consummationem sæculi in carne, in mundo, atque inter homines mansissent, & novo portento vita illorum ad communem fructum cum vniversitate hac supra naturæ cursum duravisset; quemadmodum cœlum & sol, & reliquus ille siderum chorus, aut magnorum horum corporum quaternarius, per quæ creatura hæc sub sensum & aspectum cadens potentia conditoris cohæret, & citra solutionem custoditur: aut anima quædam communis, & vitalis vniversi virtus: hoc & nobis conduceret, si quid aliud ex omnibus, quavis æstimatione maius, & magnæ providentiæ, ac virtuti omnipotenti consentaneum. Sed quoniam & hi homines nati erant, nec poterant naturæ legem effugere, nec pulverem terræ non reddere, debitum persolvunt, ne substantia quædam à materiæ concretione libera, ac peregrina, nobis tantum assimilata videantur; quæ nova illa, & hominis captum excedentia præstat, redditurque suo tempore pulvis pulveri: vt tandem à diuturnis agonibus, laboribus, sudoribus, & omne genus periculis respiret, & imagini quod fuit secundum imaginem purius, perfectiusque restituitur. Cæterum admirabilitas ipsorum nunc longe maior, & nimium miris modis sublimior atque excellentior est. Nam quamvis hinc demigraverint, non tamen à nobis discesserunt, corporibusque separati, spiritu arctius nobiscum coniunguntur. Ecclesiæque Christi inseparabiliter adsunt, magnam illam & pastoralem provinciam validius complectentes, & pro grege dimicantes, & lupos perfecte occidentes (quos prius, dum hic viverent, pastorali baculo, & funda sermonis abigebant) quanto & invidia, & malignitate, & lapidationibus, & persecutionibus, & exilio, & mortibus omnigenis modo superiores dicuntur, & faciunt, nec patiuntur, & quæ supra naturam sunt, res præclarissimas ipsi naturam transgressi, per sublimissimam doctrinam suam, & admonitiones communes nunc magis efficiunt. Ac lingua

Gen. 3.

H

Gen. 1.

quidem

quidem silet, & antea labia natura clausit: facti autem commentarij, & orationes e divino instinctu profectæ, dogmatumque de Deo vivi, & animati thesauri, & orthodoxa divinitatis eius cognitio, quæ vt pretiosissimum patrimonium nobis reliquerunt, innumerabilium linguis & ore decantantur. Vivunt quidem illi in Christo vitam illam beatam, ab omni interitu semotam: vivunt nihilominus apud nos quoque hic loquentes, vt diximus, & mundum cum Christo salvum præstantes.

Agedum, totus illorum amans chorus me circumsistat, detque mecum illorum laudibus operam. Qui pastores estis, & pastores & magistros celebrantes. Qui in sacrario versamini, & in sacra mensa operamini, huius ordinis, sacrarumque precationũ principes ac præceptores. Philosophi, & sapientes, dialectici, & scriptores, & oratores, quique primam, & altissimam, quique humanam & inferiorem sapientiam colitis, horum exercitatores & artifices, & duces & excelsos magistros, & oratores. Et vt paucis comprehendam, monachi, & coniugio copulati, solitariam vitam agentes, & in medijs hominum cœtibus degentes, simplicitate quadam contenti, & morum exactiorum cupidi: qui vel contemplationi, vel rebus agendis sunt dediti. Ego vero etiam Apostolos invito, & Prophetas, quotquot ante, & post Christum extiterunt, & legislatores, & duces, & sacerdotes: siquidem & illi plenius hoc cognoscunt & amant, eorumque omnigenis virtutibus atque scriptis exornantur, & encomijs, verbisque & operibus quasi coronis revinciuntur.

Verum ô pastores sapientes, & magistri & parentes, & duces, & defensores post primum, & solum pastorem, magistrum, defensorem, ac Dominum Ecclesiæ suæ: o servatores post primum servatorem, & benefactores post primum benefactorem: & dispensatores fideles ac prudentes, *quos constituit Dominus super familiam suam*, hanc dico Ecclesiam ipsius: qui dedistis, & datis, iuxta verbum ipsius, conservis *tritici mensuram in tempore*: quos idcirco, vt sequitur, *super omnia sua constituit*: ô Prophetarum, Apostolorum, Martyrumque consortes, certaminumque socij, & adiutores, & commilitones: ô anima, & lingua, & os, & mens, & sapientia, & virtus, & corona gloriæ, & celebritas, & honos omni honore prestantior, & claritas, & fama, & gloriatio, & basis, & firmamentum Christi Ecclesiæ: habetote etiam à nobis hanc inelegantem, & brevem orationem, seu magnam, & sublimen potius: illud propter seipsam, imbecillitatemque propriam: hoc propter vos, & verba vestra, quibus ipsa tota innititur, & simul contexitur, quod vestra erga humiles & abiectos humanitas & summissio non refugit. Respicite nos de cœlo propitij, & hunc Christi iuxta ac vestrum gregem invisite: quem sudoribus & longis laboribus collegistis, olim parvum & imperfectum, iuxta verbum vestrum, neque liberis fruentem pascuis, neque ovile implentem, iamque nihilominus vestra inspectatione, sedulitate, providentia indigentem, incultum & horridum, ac sylvescentem post illam multiplicem diligentiam vestram, vti vineam illam, *quæ facta est dilecto in cornu, in loco pingui*, vt apud Isaiam legimus: parco enim quæ sequuntur dicere, ne panegyrim contaminem. Quoniam nunc magis in Christo vivitis, & res nostras maiore miseratione, clariusque intuemini, purius, & altius in lumine magnæ Trinitatis, & inde sine medio, absque speculis, & repræsentationibus illustrationem capessentes: quam decet omnis gloria, honos, adoratio, imperium, maiestas & magnificentia, nunc, & in omnium sæculorum æternitatem, Amen.

Mat. 42. — 1. Thess. — Isai. 5. — 1. Cor. 13

F I N I S.

R.P.D. NICOLAI

ORESMII,

LEXOVIENSIS EPISCOPI: DE MVTATIONE Monetarum: Tractatus.

EX MAGISTRO S. PALATII.

Fuit hic Nicolaus Oresmius Caroli V. Francorum Regis cognomento Sapientis præceptor, qui multos Aristotelis, Ciceronis, aliorumque Auctorum Libros convertit in gallicam linguam, florebat circa annum Domini 1378. Vide Annales Franciæ, & Genebrard. lib. 4. Chronographiæ.

EX GALLIA CHRISTIANA tomo 2.

Nicolaus Oresme Theologus Parisiensis, Collegij Navarrici Maior Magister, Sanctæ Capellæ Canonicus, & Caroli V. Regis Præceptor; ex Decano Rotomagensi fit Episcopus Lexoviensis anno 1377. scientiæ Theologicæ ac prophanæ in Parisiensi schola ætate sua Coriphæus, vnde & illi Carolus V. iussit plurima opera versione Gallica donare, imprimis Ethica Aristotelis, 1370.

Præter tractatum de mutatione monetarum quem hic habes, Composuit opus perutile inscriptum de communicatione idiomatum; item aliud contra Astrologos iudiciarios, sed vtrumque vt puto desideratur. Morte sublatus anno 1382. sepulturam accepit in Cathedrali iuxta portam chori sinistram.

PROLOGVS.

Quibusdam videtur quod aliquis rex aut Princeps, auctoritate propria possit de iure aut privilegio liberè mutare monetas in suo regno currentes, & de eis ad libitum ordinare: ac super hoc capere lucrum aut emolumentum quantum libet: alijs autem videtur oppositum. Propter quod, intendo in præsenti Tractatu de hoc scribere, quod secundum philosophiam Aristotelis principaliter videtur mihi esse dicendum; incipiens ab origine monetarum, nihil temere asserendo, sed totum submittendo correctioni maiorum, qui forsan ex eis quæ dicturus sum poterunt excitari ad determinandum veritatem super isto; ita ut, omni cessante scrupulo, omnes in unam possint sententiam pariter convenire, & circa hoc invenire quod principibus & subiectis, immo toti Reipublicæ proficiat in futurum.

CAPVT I.

Propter Quid moneta sit inventa.

QVANDO dividebat Altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum. Inde multiplicati sunt homines super terram, & possessiones prout expediebat divisæ sunt. Ex hoc autem contigit quod vnus habuit

de

A de vna re vltra suam necessitatem: Alius vero de eadem re habuit parum aut nihil, & de alia re fuit è contrario. Sicut forsan quis abundavit ovibus, & pane indiguit, & agricola, econverso. Vna etiam regio superabundavit in vno & defecit in alio. Cœperunt ergo homines mercari sine moneta: & dabat vnus alteri ovem pro frumento, & alius de labore suo panem vel lanam, & sic de aliis rebus: quod adhuc longo tempore postea fuit institutum, vt narrat Iustinus. Sed tamen in huiusmodi permutatione & transportatione rerum, multæ difficultates acciderunt. Subtiliati homines vsum monetæ invenere, quæ esset instrumentum permutandi ad invicem naturales divitias, quibus de per se subvenitur naturaliter humanæ necessitati. Nam ipsæ pecuniæ dicuntur artificiales divitiæ: contingit enim, his abundantem, mori fame: sicut exemplificat

B Aristoteles de rege cupido qui oravit vt quicquid ipse tangeret, aurum esset: quod dij annuerunt: & sic fame periit, vt dicunt Poëtæ: quoniam per pecuniam non immediatè succurritur indigentiæ vitæ, sed est instrumentũ artificialiter adinventum pro naturalibus divitiis leviter permutandis. Et absque alia probatione clarè potest patere quod nummisma est valde vtile bonæ Communitati civili, & Reipublicæ vsibus opportunum, immo necessarium, ut dicit Aristoteles 5. Ethicorum. Quanquam de hoc dicat Ovidius: Effodiuntur opes irritamenta malorum, Inque nocens ferrum ferroque nocentius aurum, prodeat, &c. Hoc enim facit perversa malorum cupiditas, non ipsa pecunia quæ est humano convictui multum accommodata, & cuius vsus per se bonus est. Inde ait Cassiodorus, Pecuniæ ipsæ quamvis vsu celeberrimo viles esse videantur, animadvertendum est tamen quanta à veteribus ratione collectæ sunt, &c. Et in alio loco dicit quod constat monetarios in vsum publicum specialiter esse in-

C ventos.

CAPVT II.

De qua materia debeat esse moneta.

ET quoniam moneta est instrumentum permutandi divitias naturales, vt patet ex capitulo præcedenti, conveniens fuit quod adhuc tale instrumentum fuerit aptum: quod fit, si sit attrectabile seu palpabile & leviter portabile, & quod pro modica eius portione habeantur divitiæ naturales in quantitate maiori; cum aliis conditionibus quæ postea videbuntur. Oportuit igitur quod nummisma fieret de materia preciosa & rara, cuiusmodi est aurum: sed talis materia debet esse in competenti abundantia: propter quod vbi aurum non sufficeret: moneta fit cum hoc de argento: vbi autem ista duo metalla non sufficerent vel non haberentur, debet fieri mixtio aut simplex moneta de alio puro metallo. Sicut antiquitus fiebat ex ære vt narrat Ovi-

D dius in primo fastorum dicens: Ara dabant olim, melius nunc omen in auro est, victaque concessit prisca moneta novæ. Similem etiam mutationem promisit Dominus per Esaiam, dicens: pro ære afferam aurum, & pro ferro afferam argentum: hæc enim metalla sunt ad monetam aptissima. Et vt Cassiodorus inquit: primus enim dicitur aurum & argentum Ninus rex Assyriæ reperisse & humano vsui summâ laude tradidisse: & ideo non debet permitti quod tantum ex eis in vsus alios applicetur, quod residuum non sufficiat pro moneta quod Theodoricus rex Italiæ rectè advertens: aurum & argentum, quod more gentium in sepulchris mortuorum erat reconditum, iussit deponi & vsui monetæ ad vtilitatem publicam fecit afferri, dicens culpæ genus esse inutiliter in abditis relinquere mortuorum, vnde sic vita potest sustentari viventium. Rursum nec expedit politiæ quod talis materia sit nimis abundans, hac enim de causa moneta ærea recessit ab vsu, vt ait Ovidius, forsan etiam quod ob hoc humano generi

Isa 60. 17.

Ninus, Rex Assyriæ.

provisum est vt aurum & argentum quæ sunt ad hoc aptissima non facilè habeantur in copia: & vt non possint per alchimiam faciliter fieri, sicut aliqui tentant, cuilibet (vt ita dicam) iuste obviat ipsa natura, cuius opera frustra nituntur excedere.

E Alchymystæ, repugnante natura, frustra nituntur.

CAPVT III.

De diversitate monetarum & mixtione,

MOneta, vt dicit primum capitulum, est instrumentum mercaturæ. Et quoniam contingit quod cuilibet expedit mercaturam fieri aliquotiens magnam seu grossam, quandoque vero minorem, & plerumque de parvis vel parvam: inde est quod conveniens fuit

F habere monetam preciosam quæ facilius portaretur & numeraretur & quæ magis esset habilis ad mercaturas maiores. Expedivit etiam habere argenteam: minus scilicet preciosam, quæ apta est ad recompensationes & æquiparantias faciendas, & pro emptione mercimoniorum minorum. Et quoniam aliquotiens in aliqua regione non satis competenter habetur de argento, secundum proportionem divitiarum naturalium: immo porciuncula argenti quæ iuste dari deberet pro libra panis vel aliquo tali, esset minus bene palpabilis propter nimiam paruitatem: ideo facta fuit mixtio de minus bona materia cum argento. Et inde habuit ortum nigra moneta quæ est congrua pro minutis mercaturis. Et sic, convenientissime, vbi non abundat argentum. Sunt tres materiæ monetarum: prima aurea, secunda argentea, & tertia nigra mixta. Sed advertendum est & notandum pro regula generali, quod nunquam debet fieri mixtio nisi tantummodo in minus precioso metallo de quo consuevit fieri minus preciosa moneta: verbi gratia, vbi haberetur moneta ex au-

G ro & argento, mixtio nunquam facienda est in moneta aurea: Si tamen aurum talis naturæ fuerit, quod monetati possit in mixtum; & est causa; quoniam omnis talis mixtio de se suspecta est, nec facile possunt auri substantia & eius quantitas in mixtione cognosci: propter quod nulla mixtio debet in monetis fieri nisi propter necessitatem iam tactam, & tunc facienda est vbi suspicio est minor, vel deceptionis minoris, & hoc est de minus precioso. Rursum nulla talis mixtio facienda est nisi duntaxat pro vtilitate communi, ratione cuius, moneta est inventa ad quam naturaliter ordinatur, vt patet ex prius dictis. Sed nunquam est necessitas nec apparet communis vtilitas faciendi mixtionem in moneta aurea vbi habetur argentea, nec videtur posse bona intentione fieri, neque vnquam facta est in communitate prosperè gubernatâ.

CAPVT IV.

De forma seu figura monetæ.

H CVm primum cœpissent homines mercari sive comparare divitias, mediante moneta: nondum erat in ea aliqua impressio vel imago, sed vna portio argenti vel æris dabatur pro potu vel cibo: quæ quidem portio mensurabatur ad pondus: & quoniam tædiosum erat ita crebro ad trutinam recurrere, nec bene poterat pecunia mercatoris æquiparari per pondus: Cum hoc etiam, Venditor, vt in pluribus, non poterat cognoscere metalli substantiam sive modum mixtionis: ideo per sapientes illius temporis prudenter provisum est quod portiones monetæ fierent de certa materia & determinati ponderis, & quod in eis imprimeretur figura quæ cunctis notior significaret qualitatem materiæ nummismatis & ponderis veritatem, vt amotâ suspicione posset valor monetæ sine labore cognosci. Quod autem impressio talis instituta, sit nuntius & in

signum veritatis materiæ & ponderis, nobis ostendunt antiqua nomina monetarum cognoscibiliū ex impressionibus & figuris, cuiusmodi sunt libra, solidus denarius, obolus & similia quæ sunt nomina ponderis appropriata monetis, vt ait Cassiodorus. Similiter siclus est nomen monetæ, vt patet in Genesi, & est nomen ponderis vt patet ibidem. Alia vero monetæ nomina sunt impropria, accidentalia seu denominatiua: à loco, à figura, ab actore, vel aliquo tali modo: portiones autem monetæ quæ dicuntur nummisma, deberent esse figuræ & quantitatis habilis ad contractandum & ad numerandum, & de materia numerabili ac etiam ductibili ac receptibili impressionis siue tenaci. Et inde est quod non omnis preciosa res apta est vt fiat nummisma: gemmæ enim, piper & talia non sunt ad hoc apta nata sed præcipue aurum & argentum, sicut fuit supra tactum.

Gen. 23. 15.

CAPVT V.

Cui incumbit facere nummisma.

ADhuc autem fuit antiquitus ordinatum & propter deceptionem cauendam quod non licet cuilibet facere monetam aut homini signum vel imaginem imprimere in suo proprio argento vel auro, sed quod moneta, vel characteris impressio fieret per vnam personam publicam seu per plures à communitate quoadhoc deputatas: quia sicut præmissum est, moneta de natura sua instituta est & inuenta pro bono Communitatis. Et quoniam princeps est persona magis publica & maioris auctoritatis, conueniens est quod ipso pro Communitate faciat fabricare monetam & eam congruâ impressione signare: hæc autem impressio debet esse subtilis & ad effigiendum seu contra faciendum difficilis. Debet etiam prohiberi ne aliquis aut extraneus princeps, vel alter fabricaret monetam similem in figura & minoris valoris. Ita quod vulgus nesciret distinguere inter istam & illam, hoc esset malefactum: nec aliquis potest de hoc habere priuilegium quia falsitas est, & ca'la iuste bellandi contra talem extraneum.

CAPVT VI.

Cuius sit ipsa moneta

QVamvis pro vtilitate communi princeps habeat signare nummisma, non tamen ipse Dominus seu proprietarius est monetæ currentis in suo principatu. Moneta siquidem est instrumentum æquiualens permutandi diuitias naturales, vt patet ex primo capitulo. Ipsa igitur est ipsorum possessio quorum sunt hominū diuitiæ. Nam si quis dat panem suum, vel laborem proprij corporis pro pecunia, cum ipse eam recipit, ipsa est sua, sicut erat panis vel labor corporis qui erat in eius potestate liberâ, supposito quod non sit seruus. Deus enim a principio non dedit solum principibus libertatem ad dominium rerum: sed primis parentibus & toti & posteritati, vt habetur in Genesi. Moneta igitur non est solius principis. Si quis autem vellet opponere per hoc, quod Saluator noster, ostenso sibi quodam denario, interrogauit dicens: cuius est imago & inperscriptio hæc? & cum responsum est? Cæsaris. Ipse sententiauit dicens: Reddite igitur quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ Dei sunt Deo. Ac si diceret: Cæsaris est nummisma ex quo imago regis in eo est impressa. Sed inspicienti seriem Euangelij patet faciliè, quod non ideo dicitur Cæsari deberi denarius, quia erat Cæsaris imagine superscriptus, sed quoniam erat tributum. Nam, vt ait Apostolus; Cui tributum tributum, & cui vectigal, vectigal. Christus ita signanit per hoc posse cognosci cui debeatur tributum; quia illi debebatur qui pro republica militabat, & qui ratione imperij poterat fabricare monetam. Est igitur pecunia communitatis & singularium personarum. Et ita dicit Aristoteles 7. Politicæ: & Tullius circa finem veteris Rhetoricæ.

CAPVT VII.

Ad cuius expensas fabricanda sit moneta.

SIcut ipsa moneta est communitatis; Ita debet fabricari expensis communitatis, hoc autem conuenientissime si huiusmodi expensæ accipiantur supra totam monetam, per hunc modum quod materia monetabilis, sicut aurum, quando traditur ad monetandum, vel venditur pro moneta, detur pro minori pecunia quam possit ex ea sub certo precio taxato haberi, verbi gratia, si ex marca argenti fieri possint, laij. solidi, & pro labore & necessariis ad monetandum eam requirantur duo solidi, erunt pro monetatione lxiij. Hæc autem portio taxata debet esse tanta quod sufficiat abundanter omni tempore pro fabricatione monetæ. Et si moneta possit fieri pro minori precio satis congruum est quod residuum est distributori vel ordinatori, scilicet principi vel magistro monetarum, & sic sicut quædam pensio: sed tamen huiusmodi portio debet esse moderata & sofficienter satis parua, si monetæ sufficerent debito modo, vt dicemus postea. & talis portio vel pensio esset excessiua hoc foret in damnum & præiudicium totius Communitatis sicut potest vnicuique faciliter apparere.

CAPVT VIII.

De mutationibus monetarum in generali,

ANte omnia sciendum est quod nunquam sine euidenti necessitate mutandæ sunt priores leges, statuta, consuetudines, seu ordinationes quæcunque tangentes communitatem. Imo secundum Aristotelem in 2. Politicæ. Lex antiqua positiua non est abneganda pro meliore noua, nisi sit multum notabilis differentia in bonitate earum: quoniam mutationes huiusmodi diminuunt ipsarum legum auctoritatem & reuerentiam, & multo magis si frequenter fiant. Ex hoc enim oritur scandalum & murmur in populo & periculum inobedientiæ: Maxime si tales mutationes essent in peius. Nam tunc forent intolerabiles & iniustæ. Nunc autem ita est quod cursus ipsarum monetarum in regno debet esse quasi quædam lex & quædam ordinatio firma, cuius signum est, quod quædam pensiones & quidam redditus annuales taxati sunt ad precium pecuniæ; scilicet ad certum numerum librarum vel solidorum. Ex quo patet quod nunquam debet fieri mutatio monetarum nisi fortè emineret necessitas, aut fortè euidens vtilitas pro tota communitate. Vnde Aristoteles, 5. Ethicorum, loquens de nomismate, veruntamen, inquit, vult manere magis. Mutatio autem monetæ (prout in generali possum perpendere) potest imaginari fieri multipliciter. Vno modo in forma seu figura præcise, Alio modo proportione. Alio modo In apellatione. Alio modo in quantitate vel pondere: & alio modo in substantia materiæ: in quolibet enim istorum quinque modorum sigillatim aut pluribus simul, potest mutari moneta. Bonum est igitur istos modos discurrendo declarare & per rationem inquirere si aliquo eorum potest iuste mutari moneta: & quando & per quam & qualiter & propter quid.

CAPVT

CAPVT IX.

De mutatione monetæ in figura.

Figura impressa seu character monetæ potest dupliciter innovari. Vno modo, non prohibendo cursum monetæ prioris, vt si princeps in moneta, quæ fit suo tempore, inscriberet nomen suum, permittendo insuper cursum præcedentis: & hæc non est proprie mutatio, nec est magna vis si hoc fiat, dum tamen non implicetur cum hoc alia mutatio. Alio modo potest innovari figura faciendo novam monetam cum prohibitione cursus antiquæ & est proprie mutatio: & potest fieri iuste propter alteram duarum causarum: vna est si aliquis princeps extraneus vel aliqui falsarij maliciose effigierint vel contrafecerint modulos seu aureos monetarum, & inveniatur in regno moneta sophistica, falsa & similis bonæ in colore & figura: tunc qui non posset aliter remedium apponere, expediret mutare modulos & figuram impressionis monetæ. Alia causa posset esse, si forsan antiqua moneta esset vetustate nimia impeiorata, vel in pondere diminuta: tunc cursus deberet prohiberi, & in nova meliore esset facienda impressio differens vt vulgus sciret per hoc distinguere inter istam & illam. Sed non videtur mihi quod princeps posset inhibere cursum prioris monetæ sine altera istarum causarum: alias enim talis mutatio esset præternecessaria, scandolosa, & Communitati damnosa: nec apparet quod Princeps ad talem mutationem posset moveri nisi altero istorum modorum; videlicet, aut quia vult vt in quolibet nummismate inscribatur nomen suum & non aliud: & hoc esset facere irreverentiam prædecessoribus suis, & ambitio vana: aut quia vult plus fabricare de moneta, vt ex hoc habeat plus de lucro iuxta illud quod tactum est supra: & hæc est prava cupiditas, in præiudicium & damnum totius Communitatis. *Cap. 7.*

CAPVT X.

De mutatione proportionis monetarum.

Propottio est rei ad rem comparatio, vel habitudo: sicut in proposito; monetæ aureæ ad monetam argenteam debet esse certa habitudo in valore & precio. Nam secundum hoc quod aurum est de natura sua preciosius & rarius argento, & ad inveniendum vel habendum difficilius: ipsum aurum æqualis ponderis, debet prævalere, sicut forsan esset proportio. xx. ad vnum, & sic vna libra auri valeret. xx. libras argenti, & vna marcha. xx. marchas: & vna vncia. xx. vncias, & sic semper conformiter: & possibile est quod sit vna alia proportio, sicut forte. xxv. ad tria: & quævis alia: verumtamen ista proportio debet sequi naturalem habitudinem auri ad argentum in preciositate, & secundum hoc instituenda est huiusmodi proportio quam non licet voluntarie transmutare, nec potest iure variari nisi propter causam realem & variationem ex parte ipsius materiæ: quæ causa raro contingit, vt, si forsan notabiliter minus inveniretur de auro quam ante, tunc oporteret quod esset carius in proportione ad argentum & quod mutaretur in precio & valore. Si parum aut nihil sit mutatum in re, tunc hoc nullo modo posset licere principi. Nam si huiusmodi proportionem ad libitum immutaret: ipse per hoc posset attrahere sibi indebitè pecunias subditorum: vt si taxaret aurum ad parvum precium & illud emeret pro argento & inde augmentato precio rursum venderet aurum suum vel monetam auream, vel conformiter de argento; illud esset similiter sicut si poneret precium in toto frumento regni sui & emeret & postea venderet pro maiori precio. Quisque certe potest clare videre, quod ista esset iniusta exactio & vera tyrannis, immo videretur violentior & peior quam illa fuerit quam fecit Pharao in Ægypto: de qua Cassiodorus ait, Ioseph, legimus contra famem funestam emendi quidem tritici dedisse licentiam: scilicet, tale posuisse precium vt suæ subiectionis avidus populus se venderet, potius alimonia mercaturus: quale fuit rogo tunc miserum vivere, quibus acerba subventio libertatem suam videbatur adimere, vbi non minus ingemit liberalitas quam potuit scire captivus? Credo virum sanctum hac necessitate constrictum, vt & avaro Principi satisfaceret, & periclitanti populo subveniret: hæc ille. Istud autem monopolium monetarum adhuc esset verius tyrannicum, eo quod foret magis involuntarium & Communitati non necessarium, sed præcise damnosum. Si quis autem dicit, quod non est simile de frumento quod aliqua spectant specialiter ad principem, in quibus potest statuere precium prout placet: sicut dicunt aliqui de sale, & fortiori ratione de moneta. Istud autem monopolium seu gabella salis aut cuiuscunque rei necessariæ Communitati, iniusta est: Et si qui Principes statuerent leges hoc eis concedentes, ipsi sunt de quibus dominus per Isaiam prophetam dicit: væ qui condunt leges in quibus & scribunt & iniusticias scripserunt, &c. Rursum ex primo & 6. capitulis satis patet quod pecunia est ipsius Communitatis: Ideoque & ne princeps possit maliciose fingere causam mutationis proportionis monetarum in præsenti capitulo assignatam, ipsi soli Communitati spectat discernere si & quando, & qualiter, & vsquequo immutanda est huiusmodi proportio: nec princes hoc debet sibi quomodolibet vsurpare.

Gen. 14. *Isa. 10. 1.*

CAPVT XI.

De mutatione appellationis monetarum.

Sicut fuit dictum capitulo 4. quædam sunt appellationes seu necessaria accidentalia monetarum denominativa ab actione vel à loco: & ista, quasi nihil vel modicum faciunt ad propositum. Sed alia sunt magis essentialia & appropriata nummismati: sicut denarius, solidus, libra & similia, quæ denotant precium, sive pondus, & quæ fuerunt alia consideratione & magno mysterio ab antiquis imposita. Vnde Cassiodorus: animadvertendum est: inquit, quanta ratione ipsæ pecuniæ à veteribus collectæ sunt: sex millia denariorum, solidum esse volebant; scilicet vt radiantis metalli formata rotunditas ætatem mundi quasi sol aureus convenienter includeret. Senarium vero quem non immeritò perfectum antiquitas docta definivit, unciæ, qui mensuræ primus gradus est, appellatione signavit quam duodecies similitudine mensium computatam, in libræ plenitudinem ad anni curricula collegerunt. O inventa Prudentium! O provisa maiorum! exquisita res est, quæ & vsui humano necessaria distingueret & tot arcana naturæ figuraliter contineret: merito igitur dicitur libra quæ tanta rerum est consideratione trutinata: hæc ille. Si autem alio modo vtamur pro nunc istis nominibus & nummis? nunquam tamen immutanda sunt frustra. Sint igitur gratia exempli tres modi nummismatis. Primum valeat vnum denarium: secundum, vnum solidum: & tertium, vnam libram. Si igitur appellatio vnius immutetur & non alterius: iam variabitur proportio. Sicut qui vocaret vel faceret valere primum nūmisma duos denarios aliis non mutatis, proportio esset variata; quod non licet fieri, vt patet ex capitulo præcedenti nisi forte rarissime: & hoc ad præsens non curo. Oportet igitur si proportio remaneat immutata, & vnum nummisma mutare appellationem quod aliud etiam proportionabiliter immutetur: vt, si primum vocetur duodenarius, secundum vocetur. 2. solidi: & tertium, duæ libræ. Si autem non fieret alia mutatio, oporteret mercimonia ad maius precium comparare

A proportionabiliter seu appellare. Sed talis mutatio non fieret frustra & non est facienda quia scandalosa esset, & appellatio falsa. Illud enim appellaretur libra quod in veritate non esset libra: quod est inconveniens vt nunc dictum est: veruntamen nullum aliud inconveniens sequeretur vbi non essent pensiones vel aliqui reditus pecuniæ assignati: vbi vero essent, statim patet quod cum inconvenientibus prædictis huiusmodi reditus ex tali mutatione proportionaliter minuerentur; aut crescerent irrationabiliter & iniuste, ac etiam in præiudicium multorum: nam vbi pensiones vel reditus aliquorum essent minus parui, deberent per alium modum specialem augeri & non isto modo præiudiciali & damnoso: hæc igitur appellationis mutatio præcisa nunquam est facienda, & maxime Princeps in nullo casu debet hoc attentare.

CAPVT XII.

B

De mutatione ponderis monetarum.

SI pondus nummismatis mutaretur, & cum hoc variaretur proportionabiliter precium & appellatio cum figura: hoc esset facere aliud genus monetæ, sicut qui faceret de vno denario duos, vel aliquid tale sine perditione vel lucro: & istud posset licite aliquotiens fieri propter aliquam transmutationem realem in materia monetabili, quæ non potest nisi rarissime contingere, sicut in quadam alia mutatione dictum est. Nunc autem volo dicere de præcisa mutatione ponderis seu quantitatis monetæ quæ fieret appellatione & precio non mutatis. Et videtur mihi quod talis mutatio est simpliciter illicita potissimè Principi qui nullo modo potest hoc facere nisi turpiter & iniuste. Primo namque superscriptio in nummismate per Principem ponitur ad designandam certitudinem ponderis & materiæ qualitatem, sicut fuit ostensum supra. Igitur si non correspondet veritas in pondere, patet statim, quod esset falsitas vilissima, & deceptio fraudulenta: sæpe enim mensuræ bladi, & vini, & aliæ signatæ sunt publico signo regis, & si quis in istis fraudem committeret, reputatur falsarius. Omnino autem consimiliter superscriptio nummismatis significat mensuram ponderis & materiæ veritatem. Quam igitur sit iniquum, quam detestabile, & præcipue in principe sub eodem signo pondus minuere quis sufficeret explicare? de hoc enim ad istud propositum Cassiodorus libro Variarum, inquit: quid enim tam nefarium quam vt præscriptionibus liceat etiam ipsâ certissime qualitate peccare vtque proprium datũ, hoc per fraudes noscatur esse corruptũ. Adhuc autem princeps per hunc modum sibi posset adquirere pecuniam aliam, & pecuniam alienam potest movere ad mutationem huiusmodi faciendam: recipit enim nummismata boni ponderis, & ex eis acciperet & fabricaret nummismata cum tempore mutilato pondere. Et hoc non est aliud, quam quod in multis locis sacræ Scripturæ prohibetur à Deo. Vide (ait sapiens) pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumque abominabile apud Deum. Et in Deuteronomio dicitur, quod Deus abominatur eum qui facit hoc. Et ideo divitiæ taliter congregatæ in malum domini sui consumuntur in brevi: quia (sicut ait Tullius) malè parta malè dilabuntur.

Cap. 10.

C

Cap. 4.

Prov. 26. 10.
Deut. 25. 15.

D

CAPVT XIII.

De mutatione materiæ monetarum.

AVt materia nummismatis est simplex aut mixta, vt patuit ex capitulo tertio. Si simplex: ipsa potest propter defectum dimitti: vt, si nihil aut modicum anti possit inveniri, oporteret ipsum desinere monetari: & si de novo reperiretur sufficiens abundantia eius, incipiendum esset facere monetam ex ipso, sicut aliquotiens fuit factum. Rursus, aliqua materia deberet dimitti monetari propter abundantiam excessivam: propter hoc enim ærea moneta olim recessit ab vsu vt dictum fuit in eodem capitulo tertio. Sed huiusmodi causæ eveniunt rarissime: & in nullo alio relinquenda est, vel assumenda noviter pura sive simplex materia monetarum. Si autem in tali materia sit mixtio, ipsa debet fieri solum in minus precioso metallo per se monetabili, vt probatum fuit in eodem capitulo tertio, & in nigra moneta, vt cognoscatur purum à mixto: hæc etiam mixtio debet esse secundum certam proportionem, sicut decem de argento contra vnum: vel contra tria de alio metallo, vel aliquo modo, sicut expedit, secundum prius dicta in capitulo tertio: & ista proportio potest mutari propter aliquam proportionem seu variationem realem in natura materiæ vel æquivalentis: & dupliciter: aut propter defectum materiæ: sicut qui non haberet argentum nisi multum notabiliter minus quam ante: tunc posset diminui proportio argenti ad reliquum metallum in nigra moneta: aut si haberetur de argento abundanter plusquam ante, tunc plus de eo deberet poni in illa mixtione. Sed sicut prædictum est, istæ causæ valde raro contingunt: &, si forsan talis casus aliquotiens evenerit, adhuc huiusmodi proportionis sive mixtionis mutatio facienda est per Communitatem ad maiorem securitatem habendam, & deceptionis maliciam evitandam, sicut de mutatione proportionis monetarum dictum est in capitulo 10. In nullo vero alio casu debet mutari mixtio talis sive proportio mixtionis, potissimè nunquam potest hoc licere principi propter rationes factas in capitulo præcedenti, quæ de directo faciunt ad propositum: quoniam impressio monetæ est signum veritatis materiæ, & huiusmodi mixtionis: hanc igitur mutare esset monetam falsificare: propter quod in quibusdam nummis inscribitur nomen Dei vel alicuius sancti & signum Crucis quod fuit inventum & antiquitus institutum in testimonium veritatis monetæ in materia & pondere. Si igitur princeps sub ista inscriptione immutet materiam sive pondus: ipse videtur tacitè mendacium & periurium committere, falsum testimonium perhibere ac etiam prævaricator fieri illius præcepti legalis quo dicitur: non assumes nomen Dei in vanum: etiam ipse abutitur hoc, vocando monetam: nam secundum Huguitionem, moneta dicitur à monco: quia monet ne fraus in metallo vel pondere fiet. Rursum, princeps per hunc modum ad se posset trahere populi substantiam indebitè, sicut fuit dictum de mutatione ponderis in priori capitulo, & multa alia inconvenientia sequerentur: immo pro certo ista falsitas esset peior quam in mutatione ponderis, quia magis est sophistica & minus perceptibilis, & magis posset nocere & plus lædere Communitatem: & propter hoc, vbi fit talis mutatio vel nigra moneta, Communitas debet custodire penes se, in loco, vel locis publicis, exemplar istius proportionis, & qualitates mixtionis pro vitandis periculis: ne videlicet princeps (quod absit) vel Monetarij mixtionem huiusmodi occulte falsificarent. Sicut etiam apud Communitatem servantur quandoque aliarum mensurarum exemplaria.

E

F

Cur signum S. Crucis inscribatur monetæ.

G

Exo. 20. 7

H

CAPVT XIV.

De mutatione composita monetarum.

MVtatio composita est, quoniam plures mutationes simplices implicant in vnam; sicut qui mutaret simul proportionem monetæ, vel mixtionem materiæ, vel cum hoc etiam pondus. Et sic quandoque multiplicantur combinationes possibiles mutationum simplicium superius positarum: Et quoniam nulla mutatio simplex debet fieri, nisi propter reales & naturales causas iam dictas, quæ rarissime accidunt: Sciendum

quod

quod adhuc rarius, imò forte nunquam continget vera occasio faciendi mutationem monetæ compositam. Sed si forsan contingeret adhuc fortiori ratione quam de simplici, talis mutatio composita nunquam debet per principem fieri propter pericula & inconvenientia prius tractata, sed per ipsam Communitatem: nam si ex mutationibus simplicibus indebitè factis tot abusiones sequantur, sicut prædictum est, ante multò maiores & peiores sequerentur. Namque debet esse vera & iusta in substantia & pondere, quod nobis signatum est in sacra scriptura: vbi de Abraham dicitur: quod ipse emit agrum pro quo dedit siclos.cccc.argenti probatæ monetæ publicæ. Si igitur ipsa foret bona & non mutaretur indebite: cum ipsa sit longo tempore durabilis, non oporteret de ea multum fabricare, nec plures monetarios ad expensas Communitatis habere: & in hoc esset vtilitas communis, sicut tactum fuit capitulo 7. Vniversaliter igitur ex præmissis concludendum est quod nulla mutatio monetæ, sive simplex, sive composita, est solâ Principis auctoritate facienda: & maxime vbi hoc vellet facere propter emolumentum & lucrum ex tali mutatione sumendum.

CAPVT XV.

Quod lucrum quod provenit principi ex mutatione monetæ sit iniustum.

Videtur mihi quod principalis & finalis causa propter quam princeps vult sibi assumere potestatem mutandi monetas, est emolumentum vel lucrum, quod inde potest habere: aliter enim frustra faceret tot & tantas mutationes. Volo igitur adhuc plenius ostendere, quod talis acquisitio est iniusta: omnis enim mutatio monetæ, præterquam in rarissimis, accipit simpliciter involuntarie pecuniam subditorum, quod prohibet cursum prioris monetæ, melioris fortè, & quam quilibet plus vellet habere quam aliam: deinde præter necessitatem absque vtilitate, quæ ex hoc posset provenire subditis, ipse reddit eis pecuniam minus bonam: Et si faciat meliorem quam ante, hoc tamen est vt deteriorem in posterum & tribuat eis minus æquivalenter de bona quam receperat de alia: Et qualitercunque sit ipse retinet perfectè partem pro se: in hoc igitur quod ipse supra pecuniam recipit incrementum contra & præter naturalem ipsius vsum, ipsa acquisitio par est ipsi vsuræ, & peior quam vsura: eo quod est minus voluntaria, vel magis contra voluntatem subditorum, & absque hoc quod possit eis proficere & præter necessitatem penitus. Et quoniam lucrum feneratoris non tantum excedit, nec ita præiudiciabile generaliter multis, sicut illud quod contra & supra totam Communitatem impositum, non minus tyrannice quam dolose, ita vt sit mihi dubium an potius debeat dici violenta prædatio vel exactio fraudulenta.

CAPVT XVI.

Quod tales mutationes monetarum quantum est ex se non sunt permittendæ.

Aliquotiens ne peius eveniat & pro scandalo evitando permittuntur in Communitate aliqua inhonesta & mala, sicut lupanaria publica. Aliquando etiam pro aliqua necessitate vel opportunitate permittitur aliqua negociatio vilis, sicut est ars Campsoris: vel etiam prava, sicut est vsura. Sed de tali mutatione monetæ pro lucro accipiendo non apparet aliqua causa mundi, quare tantum lucrum debeat an possit admitti: quoniam per illud non evitatur scandalum, sed potius generatur, vt patet satis ex octavo capitulo: & multa inconvenientia inde sequuntur: quorum aliqua iam tacta sunt, & adhuc aliqua postea videbuntur: nec est aliqua necessitas sive opportunitas hoc faciendi, neque potest reipublicæ expedire: cuius rei manifestum signum est, quod mutationes huiusmodi sunt noviter adinventæ, sicut iam tactum est in capitulo præcedenti. Neque enim sic factum est in civitatibus aut regnis olim prospere gubernatis: nec vnquam reperi historiam quæ de hoc faceret mentionem, hoc excepto, quod in quadam epistola Cassiodori scripta nomine Theodorici Regis Italiæ, vna parua mutatio in pondere facta, durissimè reprehenditur, & multum efficaciter reprobatur, quam quidem efficaceius fecerat pro quibusdam stipendiariis persoluendis. Vnde prædictus rex Boëtio de hoc scribens inter cætera dicit: Quapropter prudentia vestra lectionibus erudita dogmaticis scelestam falsitatem à consortio veritatis eiiciat, ne cui sit appetibile de illa integritate aliquid subducere. Et quibusdam interpositis, rursum inquit: Mutilari certe non debet quod laborantibus datur, sed à quo actus fidelis exigitur compensatio imminuta præstetur. &c. Si vero Italici seu Romani tales mutationes finaliter fecerunt, sicut videtur ex quadam prava moneta veteri, quæ quandoque reperitur in campis: hoc fuit fortè vna de causis, quare eorum nobile dominium devenit ad nihilum: sic igitur patet quod istæ mutationes tam malæ sunt, quod de natura sua non sunt aliquatenus permittendæ.

CAPVT XVII.

De quibusdam inconvenientibus tangentibus Principem quæ sequuntur ex permutationibus monetarum.

Multa & magna inconvenientia oriuntur ex taliter mutando monetas quorum aliqua principalius respiciunt principem. Alia totam Communitatem & alia magis partes ipsius Communitatis. Vnde brevi tempore nuper transacto quamplurima talia in regno Franciæ visa sunt evenire, aliqua etiam iam tacta sunt, alia tamen expedit recitare. Primo namque nimis turpe & nimis detestabile est principi fraudem committere, monetam falsificare, aurum vocare quod non est aurum, & libram quod non est libra, & sic de talibus prius positis 12. & 13. capitulis. Præterea sibi incumbit falsos monetarios condemnare: quomodo igitur potest satis erubescere, si reperiatur in eo, quod in alio deberet turpissima morte punire. Rursum magnum scandalum est, sicut dicebatur. 8. capitulo, & vile principi, quod moneta regni sui nunquam in eodem statu permanet, sed de die in diem variatur: & quandoque in vno loco plus quam in alio pro eodem tempore. Item sæpissime ignoratur, his durantibus temporibus vel mutationibus, quantum valeat hoc numisma vel illud, & hoc mercari seu emere vel vendere monetam, seu alterari de precio, quod est contra eius naturam: & sic, rei quæ debet esse certissima nulla est certitudo seu potius incerta & inordinata confusio in vituperium principatus. Item absurdum est & penitus alienum à regia nobilitate, prohibere cursum veræ & bonæ monetæ regni, & ex cupiditate præcipere immo cogere subditos ad vtendum minus bonâ monetâ: quasi velit dicere quod bona est & mala, & è converso; cum tamen talibus dictum est à Domino per prophetam: *væ vobis qui bonum dicitis malum & malum bonum.* Et iterum: dedecus est principi irreverere prædecessores suos, nam quisque tenetur ex dominico præcepto honorare Parentes suos: ipse autem Progenitorum videtur detrahere honori quando bonam monetam eorum abrogat, & facit eam cum eorum imagine scindere: & loco monetæ aureæ quam ipsi fabricaverunt facit monetam æneam in parte: quod videtur fuisse figuratum in Libris Regum, vbi legitur quod rex Roboam abstulit scuta aurea quæ fecerat pater eius Salomon, pro quibus fecit scuta ænea. Idem quoque

Isa. 5. 20.

3. Reg. 14.

Roboam perdidit ais quinque partes populi sui pro eo quod ipse voluit in principio nimis gravare subditos. Adhuc autem rex debet nimis abhorrere tyrannica facta: cuiusmodi est mutatio talis vt prædictum est sæpe, quæ etiam est præiudiciabilis & periculosa pro tota posteritate regali sicut in sequentibus diffusius ostendetur.

CAPVT XVIII.

De aliis inconvenientibus totam communitatem tangentibus

INter multa inconvenientia ex mutatione monetæ, quæ totam communitatem respiciunt. Vnum est quod prius tangebatur principaliter: quod princeps per hoc posset ad se trahere quasi totam pecuniam Communitatis, & nimis depauperare subiectos. Et quemadmodum quædam ægritudines cronicæ sunt aliis periculosiores & sunt minus sensibiles, Ita talis exactio quanto minus percipitur, tanto periculosius exercetur: non enim ita cito gravamen ipsius sentitur à populo sicut per vnam aliam collectam: & tamen nulla fere talis potest esse gravior, nulla generalior, nulla maior. Rursum: aurum & argentum propter tales mutationes & impeiorationes minorantur in regno, quia non obstante custodiâ defertur ad extra vbi carius allocantur; homines enim conantur suam monetam portare ad loca ubi eam credunt magis valere. Ex hoc igitur sequitur diminutio monetarum materiæ in regno. Item illi de extra regnum aliquoties contrafaciunt & afferunt similem monetam in regno, & sic attrahunt sibi lucrum quod rex ille credit habere. Adhuc etiam forsitan ipsa monetæ materia in parte consumitur fundendo eam & refundendo totiens quotiens solet fieri vbi mutationes exercentur: sic igitur materia monetabilis tripliciter minuitur occasione mutationum prædictarum: igitur non possunt vt videtur longo tempore permanere vbi non permaneret materia monetabilis muneris ab aliunde: & sic tandem princeps non haberet vnde facere posset sufficienter de bona moneta. Item propter istas mutationes, bona mercimonia seu divitiæ naturales de extraneis regnis cessant ad illud afferri in quo moneta sic mutatur: quoniam mercatores cæteris paribus perdiligunt ad ea loca transire in quibus recipiunt monetam certam & bonam. Adhuc autem intrinsecus in tali regno negociatio mercatorum per tales mutationes perturbatur & multipliciter impeditur. Præterea his mutationibus durantibus, reditus pecuniæ, pensiones annales, locagia, censuræ & huiusmodi similia non possunt bene & iuste taxari seu appreciari: vt notum est. Item nec pecunia potest secure mutuo dari seu tradi, & sic de talibus: immo multi nolunt ista charitativa subsidia facere propter tales mutationes: & tamen sufficientia materiæ monetabilis, mercatores, & omnia prædicta alia sunt necessaria aut valde bona & vtilia naturæ humanæ: & opposita, sunt præiudiciabilia & nociva toti communitati civili.

CAPVT XIX.

De aliis inconvenientibus partem Communitatis tangentibus.

QVædam partes Communitatis, occupatæ sunt in negociis honorabilibus aut vtilibus toti reipublicæ, vt in divitiis naturalibus ad crescendum vel tractandum pro necessitate Communitatis: huiuscemodi sunt viri Ecclesiastici, Iudices, milites, agricolæ mercatores, artifices & similes. Sed alia pars auget divitias proprias vili quæstu, sicut, Campsores, mercatores monetæ sive billonatores: quæ quidem negociatio turpis est prout dictum est supra. Isti igitur qui sunt quasi præter necessarij reipublicæ: & quidam alij sicut receptores & tractatores pecuniæ: & tales capiunt magnam partem emolumenti sive lucri provenientis ex mutationibus monetarum: & maliciose aut fortuito ditantur inde contra deum & iustitiam, quoniam ipsi sunt tot divitiis immeriti & tantis bonis indigni. Alij vero depauperantur ex hoc, qui sunt optimæ partes illius Communitatis. Ita quod princeps plures & meliores subditos per istud damnificat, & sic nimium gravat, & tamen non totum lucrum in ipsum, sed magnam partem habent isti prædicti, quorum negociatio vilis est, & admixta cum fraude. Rursum quando princeps non facit præstare populo tempus & modum futuræ mutationis monetæ quam intendit facere; aliqui per cautelas aut amicos hoc secrete provident, & tunc emunt mercimonia pro moneta debili, & postea vendunt pro forti: & subitò fiunt divites & nimium lucrantur indebite contra naturalis mercationis legitimum cursum. Et videtur esse quodammodo genus monopolij in præiudicium & damnum totius communitatis tendens. Adhoc per tales mutationes necesse est reditus taxatos ad numerum pecuniæ aut iniuste minui, aut iniuste saltem augeri, sicut tactum fuit ante in capitulo de mutatione appellationis monetæ. Item princeps, per tales diversificationes & sophisticationes monetarum, dat malis occasionem faciendi falsam monetam: aut quia non nimis est contra conscientiam eorum ipsam falsificare ex quo apparet eis quod illa facit princeps: aut quia nimis est contra conscientiam eorum quod falsitas non ita cito deprehenditur, & possunt facilius & plura mala his stantibus perpetrare quam si semper curreret bona moneta. Præterea, istis stantibus, quam innumerabiles perplexitates, obscuritates, errores & inextricabiles difficultates accidunt in computis demissis & receptis. Oriuntur etiam inde materiæ litigiorum, & variæ quæstiones, malæ persolutiones debitorum, fraudes, inordinationes abusiones quam plurimæ, & inconvenientia multa quæ nescirem explicare, forsan quibusdam enumeratis prius, maiora & deteriora: & hoc est difficile videre.

CAPVT XX.

Si Communitas potest facere tales mutationes monetæ.

CVm moneta sit communitatis, vt ostensum est, capitulo sexto, videtur quod ipsa communitas possit de ea ad libitum ordinare. Igitur etiam eam potest quomodolibet variare, & super hoc capere quantum placeat, & de ea facere sibi potestatem mutandi monetas. Sed hoc est contra honorem regni, ac tentare principem exhæreditare, immo ipsum depauperare & statu magnificentiæ destituere non tam iniuste, quam etiam vituperabiliter pro tota communitate quam non decet habere principem, nisi excellenti statu pollentem.

CAPVT XXI.

Responsio ad prædicta & conclusio principalis.

QVamvis in solutione primi argumẽti forsan multæ difficultates possent occurrere. Verumtamen breviter transeundo pro nunc occurrit mihi, quod, ne princeps fingeret talem necessitatem esse quando non est, sicut fingunt tyranni, vt dicit Aristoteles, determinandum est per communitatem vel per valentiorem eius partem, expresse vel tacite, quando, qualis vel quanta necessitas imminet. Expresse dico, quod adhuc debet congregari communitas si adsit facultas. Tacite vero, si fuerit tam festina necessitas quod populus vocari non possit, & tam evidens quod postea appareat

notorie

notorie; tunc non licet principi aliquid recipere de facultatibus subditorum per mutationem monetæ, sed per modum mutui, de quo postea facienda est restitutio plenaria. Ad aliud cum dicitur quod princeps potest habere privilegium mutandi monetas; primo non intromitto me de potentia Papæ: sed puto quod nunquam hoc concesserit nec concederet: quoniam sic ipse daret licentiam malefaciendi, quam nullus bene operando meretur accipere. De Imperatore autem Romano, dico quod ipse nulli principi potuit vnquam privilegium dare faciendi illud quod sibimet non liceret: sicut est talis mutatio monetæ, vt patet ex prædictis: de communitate etiam dictum est in capitulo secundo, quod ipsa non potest mutare monetas nisi in certo casu: & tunc si ipsa hoc committeret principi cum limitatione rationabili quod eodem capitulo potest & aliis apparere; iam hoc non faceret princeps tanquam principalis auctor, sed tanquam ordinationis publicæ executor. Ad aliud autem, cum dicitur quod communitas cuius est moneta potest se spoliare suo iure & illud totum principi tradere & sic totum illius monetæ devolveretur ad principem: Primo videtur mihi quod hoc nunquam faceret Communitas bene consulta; nec etiam sibi licet quomodolibet mutare monetas aut male vti re sua, vt dictum est capitulo xxii. Item communitas civium quæ naturaliter est libera, nunquam scienter se redigeret in servitutem aut se subiiceret iugo tyrannicæ potestatis. Si igitur ipsa decepta vel nimis territa vel coacta concedat principi tales mutationes non advertens inconvenientia quæ sequuntur & ex hoc serviliter se fore subiectam, ipsa potest hoc statim vel quomodolibet revocare. Item res quæ spectat alicui quasi de iure naturali non potest ad alterum iuste transferri. Sic autem pertinet moneta ipsi liberæ Communitati, vt satis patet ex capitulis primo & sexto. Sicut igitur communitas non potest concedere principi quod ipse habeat auctoritatem abutendi vxoribus civium quibuscunque voluerit, ita non potest ei dare tale privilegium monetarum quo ipse non posset nisi male vti, exigendo tale lucrum supra mutationem earum: vt satis patet ex multis capitulis. Per hoc etiam patet illud quod additur vlterius de communitate non concordi in ordinatione monetæ, quomodo potest condescendere quantum ad hoc in principis arbitrium. Dico quod sic potest quantum ad aliqua & ad tempus: sed non sibi concedendo potestatem tanti lucri sumendi super indebitis mutationibus supradictis. Ad aliud argumentum sumptum ex capitulo septimo de hoc quod princeps potest aliquod emolumentum habere super monetam: Respondetur faciliter quod hoc est quasi quædam parua pensio & limitata, quæ non potest quantumlibet augeri per mutationes prædictas, sed stat sine mutatione quacunque. Ad aliud, & conceditur quod princeps potest habere reditus, quia debet habere magnificum & honestissimum statum: sed isti reditus possunt & debent alibi assignari & aliter sumi quam per tales immutationes indebitas, ex quibus tanta mala & tot inconvenientia oriuntur sicut est ante ostensum: posito etiam quod aliqua istorum redituum essent supra monetam: ipsa tamen debent esse certæ & determinatæ quantitatis sicut, supra quamlibet marcham quæ monetaretur, duo solidi vel sic, & tunc istud esset absque quacunque mutatione sine lucri augmento irrationabili & enormi quod potest provenire ex detestabilibus mutationibus sæpe dictis. De quibus vtiliter concedendum est quod princeps non potest eas facere aut taliter lucrum accipere nec de iure communi seu ordinario nec de privilegio sive dono concessione peracto, sive quavis alia auctoritate vel alio modo quocunque, nec potest esse de suo dominio nec sibi quomodolibet pertinere: imo illud sibi denegare, non est ipsum exhæreditare, aut maiestati regiæ contraire: sicut mentiuntur falsiloqui, adulatores, sophistici & reipublicæ proditores. Rursum cum princeps teneatur hoc non facere, ipse non meretur habere aliquam pensionem vel dominium pro abstinendo a tali abusiva exactione: hoc enim aliud non videtur esse nisi precium redemptionis à servitute, quod nullus rex aut bonus princeps debet à subditis exigere. Item supposito & non concesso quod ipse haberet privilegium capiendi aliquid supra monetam pro faciendo eam bonam & pro tenendo eam in eodem statu: adhuc etiam ipse deberet tale privilegium perdere in casu in quo tantum abuteretur quod ipse mutaret & falsificaret monetam pro suo lucro non minus cupide quam turpiter augendo.

Princeps debet restituere subditis, quod ab eis sumpsit iniuste.

Adulatores sophistici, Reipub. proditores.

CAPVT XXIII.

Quod Tyrannus non potest diu durare.

IN istis duobus capitulis intendo probare, quod exigere pecuniam per tales mutationes monetæ, est contra honorem regium & in præiudicium totalis regalis posteritatis. Sciendum est igitur, quod inter principatum regium & tyrannicum, hoc interest quod Tyrannus plus diligit & quærit proprium bonum quam commune conferens subditorum: & hoc nititur, vt populum teneat sibi serviliter subiugatum. Rex autem è contrario, vtilitati privatæ publicum præfert: & super omnia, post Deum & animam suam, diligit bonum & libertatem publicam subditorum. Et hæc est vera vtilitas & nobilitas principatus; cuius dominium quanto est nobilius tanto melius, quanto est magis liberorum sive meliorum, vt ait Aristoteles, & eo diuturnius quo in tali proposito intentio regis perseverat, dicente Cassiodoro, disciplina imperandi est amare quod multis expedit: quotiens enim regnum in tyrannidem vertitur, non longo tempore post custoditur: quia per hoc ad diminutionem, translationem aut perditionem omnimode properatur: maxime in regione temperata & remota à servili barbaria: vbi sunt homines conversatione, moribus & natura liberi, non servi, nec sub tyrannide per consuetudinem indurati, quibus servitus foret inexpediens, involuntaria, & oppressio tyrannica simpliciter violenta: igitur non diu permansura. Quia sicut ait Aristoteles: Violenta citissimè corrumpuntur: Ideo dicit Tullius quod nulla vis imperii tanta est quod premente metu, possit esse diuturna: & Seneca in tragediis inquit; violenta imperia nemo continuat diu: moderata durant. Vnde principibus destitutis improperabat dominus per prophetam dicens, quod imperabant subditis cum austeritate & potentia. Adhuc autem propositum declaratur aliter: ait enim Plutarchus ad Traianum Imperatorem, quod respublica est corpus quodammodo, quod divini numinis beneficio veluti animatur, & summo æquitatis agitur nutu, & regitur quodam moderamine rationis. Est igitur respublica sive regnum sicut quoddam corpus humanum & ita vult Aristoteles quinto politicæ. Sicut igitur corpus male disponitur quando humores excessive fluunt in vnum eius membrum, quod sæpe ex hoc inflammatur & nimium ingrossatur reliquis exsiccatis & nimis attenuatis, tolliturque debita proportio neque tale corpus potest diu vivere, Ita conformiter est de communitate vel regno, quando divitiæ ab vna eius parte attrahuntur vltra modum. Communitas namque vel regnum, cuius partes principantes in comparatione ad subditos, quantum ad divitias, potentiam & statum enormiter crescunt, & sicut monstrum vnum aut vnus homo, cuius caput est ita magnum, & tam grossum quod non potest à reliquo corpore sustentari. Quemadmodum igitur talis homo non potest se iuvare nec sic diu vivere: ita neque regnum permanere poterit, cuius princeps trahit ad se divitias in excessu, sicut fit per mutationes monetæ, vt patuit capitulo 20. Rursum sicut in mixtione vocum non placet aut delectat æqualitas nimia vel indebita quæ totam consonantiam destruit & deturpat, immo requiritur proportionata inæqualitas & commensorata

Imperium violentum ...

Ezec 34.

qua perseverante eminent læti blanda modulamina chori: Sic etiam utiliter quod omnes partes communitatis æqualitas possessionum vel potentiæ non convenit nec consonat, sed & nimia disparitas armoniam reipublicæ dissipat & corrumpit ut patet per Aristotelem quinto politicæ: potissime vero ipse princeps qui est in regno velut tenor & vox principalis in cantu, si magnitudine excedat & à reliqua communitate discordat, regalis politiæ melos tunc erit turbatum: propter quod secundum Aristotelem adhuc est alia differentia inter Regem & Tyrannum. Tyrannus vero vult esse potentior tota communitate cui præsidet violenter: regis vero temperantia est tali modeтamine moderata, quod ipse est maior atque potentior quam aliquis eius subditus. Est tamen tota communitate inferior viribus & opibus, & sic in medio constituitur. Sed quia potestas regia communiter & leviter tendit in maius: ideo maxima cautela adhibenda est & pervigil custodia, immo altissima & principalis prudentia requiritur ad eam præservandam ne labatur ad tyrannidem: præcipuè propter adulatorum fallacias qui semper principes ad tyrannidem impulerunt ut ait Aristoteles, ipsi enim ut in libro Hester legitur; aures principum simplices & ex sua natura alios existimantes callida fraude decipiunt, & eorum suggestionibus regum studia depravantur. Sed quoniam eos evitare aut extirpare difficile est, Ipse Aristoteles dat aliam regulam, per quam regnum potest longo tempore conservari. Et est quod princeps non multum amplificet dominium supra subditos; exactiones, captiones non faciat, libertates eis dimittat aut concessiones non impediat, neque utatur plenitudine potestatis, sed potentia iuris ex consuetudinibus limitata vel regulata. Pauca enim ut ait Aristoteles, sunt iudicis vel principis arbitrio relinquenda. Aristoteles enim adducit exemplum de Theopompo Lacedæmoniorum Rege, qui cum multas potestates atque tributa populo remisisset ab antecessoribus imposita, ipse quidem uxori plorante & improperante turpe esse, regnum minoris emolumenti filiis tradere quam suscepisset à patre, Respondit dicens: Trado diuturnum. O divinum oraculum: O quanti ponderis verbum & in palatiis regum literis aureis depingendum: Trado, inquit, diuturnius; ac si diceret, plus auxi regnum duratione temporis, quam ut diminutum moderatione potestatis. Ecce plusquam Salomon hic: nam si Roboam de quo supra memini à patre suo Salomone regnum sic compositum recepisset & tenuisset nunquam decem de duodecim tribubus perdidisset nec sibi improperatum fuisset, Eccles. 47. prophanasti semen tuum inducere iracundiam ad liberos tuos & cæteris stultitiam tuam ut faceres imperium bipertitum. Sic igitur ostensum est quod dominium quod ex regno in tyrannidem vertitur oportet ut celeriter finiatur.

Regis & Tyranni discrimen.

Adulatores impellunt principes ad tyrannidem.

Mat. 12. 42.

Eccl. 47.

CAPUT XXVI.

Quod capere lucrum ex mutatione monetarum præiudicat toti regali potestati.

DEclarare propono quod mutationes prædictæ sunt contra honorem regis & generi regio præiudicant. Pro quo tria præmitto. Primo, quod illud est in rege vituperabile & successoribus eius præiudicabile per quod regnum disponitur perditioni, aut ut ad alienigenas transferatur: nec rex posset satis dolere vel flere qui esset infelix, ita miserabilis qui per negligentiam suam aut per malum regimen eius aliquid faceret unde ipse vel hæredes sui perderent regnum tot virtutibus auctum, tanto tempore gloriose servatum, necnon in periculo animæ suæ gloriosæ foret si ex defectu sui populus pateretur tot pestilentias & calamitates & tantas, quot & quantæ solent accidere in dissipatione sive in translatione regnorum. Secundo suppono quod per tyrannisationem regnum perditioni exponitur, sicut declaratum est in capitulo præcedenti: Et quoniam sicut in Ecclesiastico scribitur, Regnum à gente in gentem transfertur propter iniustitias & iniurias & contumelias & diversos dolos; tyrannis autem iniuriosa est & iniusta. Cum hoc etiam ut ad spiritalia descendam, absit, quod in tantum degenerarent Francigenarum corda libera, quod voluntarie servi fiant. Ideoque servitus ei imposita durare non potest; quoniam si magna sit tyrannorum potentia, est tamen liberis subditorum cordibus violenta & adversus alienos invalida. Quicunque igitur dominos Franciæ ad huiusmodi regimen tyrannicum quocunque modo traherent ipsi regnum magno discrimini exponerent & ad terminum præpararent. Neque enim regnum Franciæ generosa propago tyrannisare didicit, nec serviliter subiici populus Gallicus consuevit. Ideo si regia proles à pristina virtute degeneraret procul dubio regnum perderet. Tertio suppono tanquam iam probatum & sæpius repetitum, quod capere vel augere lucrum super mutatione monetæ est factum tyrannicum, dolosum & iniustum, cum etiam non possit continuari in regno, quod quidem regnum non sit iam quoad illa multa in tyrannidem versum. Unde non solum inconvenientia sequuntur ex illo, sed oportet quædam mala alia esse prævia, alia concomitantia: quia hoc non potest à viris consuli qui non sunt in intentione corrupti atque ad omnem fraudem & nequitiam tyrannicam consulendam parati, ubi viderent principem ad hoc inclinari vel posse flecti. Dico itaque recolligendo, quod res per quam regnum perditioni disponitur turpis est & præiudicabilis regi: sed hoc est protrahi vel converti à hæredibus suis præiudicabile: & hoc fuit primum suppositum in tyrannide, & hoc fuit dictum, & ad hoc vertitur per mutationes monetæ ut dicitur, tertium: igitur exactio quæ fit per tales mutationes est contra honorem regis & præiudicialis toti potestati regali, quod erat probandum. Hæc igitur ut præmisi, sine assertione dicta sint cum correctione prudentum. Nam secundum Aristotelem civilia negotia plerunque dubia & incerta. Si quis igitur amore veritatis inveniendæ his dictis voluerit contradicere vel contrascribere bene faciet; & si male locutus sum perhibeat testimonium de malo: sed si cum ratione, ne ipse videatur gratis & voluntarie condemnare quod non potest efficaciter impugnare.

Eccl. 10.

Ioan. 18. 23.

GERARDI

ZUTPHANIENSIS VIRI PII IUXTA AC ERUDITI OPUSCULA DUO, ad vitam corrigendam recteque instituendam quibusuis accommoda.

I. *De reformatione interiori seu virium animæ.*

II. *De spiritualibus ascensionibus.*

EX CATALOGO SCRIPTORUM Ecclesiasticorum Abbatis Spanhemen.

GERARDUS *Zutphaniensis, natione Teutonicus, vir in divinis scripturis studiosus*

& eruditus; secularium quoque litterarum non ignarus, ingenio subtilis & clarus eloquio, nec minus conversatione quam scientia scripturarum præferendus. Edidit quædam ad eruditionem devotorum fratrum pertinentia opuscula, quibus nomen suum cum gloria transmisit ad notitiam posteritatis. E quibus vidi tantum.

De reformatione interiori
Lib. I. Homo quidam descr.
De ascensione spiritali
Lib.I. Beatus vir cuius est.
Sermones varios
Lib.I. De cæteris nihil reperi.

Ex scriptis suis apparet eum virum devotum & religiosum fuisse, & alicuius ordinis: quanquam ignoretur à nobis. Sunt vero qui scribant eum canonicum extitisse regularem, quod veri simile transimus. Claruit in Gymnasio Colonien. & varia scripsit.

Creditur floruisse circa ann.Dom.M.CCCXC.

EX BIBLIOTHECA ECCLESIAST. Auberti Miræi.

Gerardus Zutfanius, ab urbe & patria sic dictus, ex primis clericis vitæ communis apud Daventrienses a Gerardo Magno institutis, scripsit pios duos libellos, de reformatione virium animæ, & de spiritualibus ascensionibus, de quibus præclarum dat testimonium, in Gerardi vita, Thomas Kempensis, Licet, inquit, brevi vixerit tempore, gratissima tamen nobis reliquit doctrinæ monumenta. Erat enim studiosus valde in scripturis sanctis; sicut patet in duobus libellis ab eo editis. Obiit autem Gerardus ætatis 31. Christi anno 1398.

LECTORI PIO S.

Suscipe hic pie Lector Gerardi Zutphaniensis opuscula duo, quæ lecturus, si gratus fueris, non infimas nobis gratias ages, vel propterea, quod accurate excusa, nec minus à mendis purgata prodeunt. Taceo lectionis utilitatem, qua interioris hominis cognitio palam hic, nec vix alibi brevius se tibi offert. Docet enim varias animi affectiones, & quando hæ pestiferæ, quando perniciosæ, quando intolerabiles, aut etiam quando bonæ sint internoscere, docet per gradus in corde spirituales ascensiones disponere. Verum offendet fortasse orationis phrasis simplicior, aut dictionis inelegantia, sed hoc tolerandum, quandoquidem in theca vili, non raro gemma aut margarita admodum pretiosa latet. Mallent scio hodie curiosi quidam eloquentiam, quam veritatem: præstat tamen vere eruditum esse, quàm eloquentem: felicior autem cui contigit utrumque. Nam si alterum abesse oporteat, mallem elegantiam quam eruditionem abesse. Quid enim mihi confert sermo politus, & nihil erudiens, nec post se fragem relinquens ullam pietatis? Quamobrem si eruditionem, si pietatem, si brevitatem hic spectes, parum aut vix phrasim desiderabis politiorem cultioremve: nisi in eorum sis numero, qui quicquid venusto politóque fuerit sermone aut dictum aut scriptum, æstimant pietatem, verba non virtutem quærentes, nec mores pietate, sed linguam solum verbis ornare cupientes. Quum tamen Christiani sit, non a verbis, sed à moribus commendari. Nec si verborum lenocinio Christi præcepta proferimus, sed si Christi verba pietate ac moribus præstamus, laudamur. Et certe huius Gerard., Thomæ Kempis, Bonaventuræ, Divi Dionysij Carthusiani, Ioannis Lanspergij, aliorúmque piorum lectio utilior, ad virtutem deque amorem erudiens, quam Vallæ, Pogij, similiúmque elegantia (rectius dicerem lasciviâ) inficiens. Vale pie Lector. Ex Carthus. Coloniens. Anno M. D. XXXIX.

INDEX
CAPITVM LIBRI PRIMI, QVI EST DE REFORMATIONE Virium animæ.

INDEX.

CAPITUM LIBRI SECUNDI, QUI EST DE SPIRITUALIBUS Ascensionibus.

De

F I N I S.

GERHARDI
ZVTPHANIENSIS
VIRI PIISSIMI,
OPVSCVLA II. NEDVM Religiosis, verum & quibusvis, vitam corrigere instituentibus, accommoda. Primum est de reformatione interiori seu virium animæ: Alterum, de spiritualibus ascensionibus.

CAPVT I.

De lapsu hominis à statu rectitudinis, & de ordinatione virium animæ.

HOMO quidam descendit de Ierusalem in Iericho. His verbis mystice humani generis lapsus describitur; ac sub significatione Ierusalem & Iericho, à quo statu rectitudinis, ad quam defectionem corruit, designatur. Siquidem homo iste, Adam protoplastus rectè intelligitur, in quo totum genus humanum quod per seminalem rationem in eo fuit & ex eo prodiit, non incongruè subauditur. Iste igitur homo descendit de Ierusalem in Iericho, id est, de statu rectitudinis & innocentiæ, ad statum vel potius casum mutabilitatis & miseriæ. Sed dicam apertius, à qua Ierusalem ad quam Iericho iste homo descenderit. Ierusalem, visio pacis dicitur: Iericho vero luna, quoniam mutabilitatem innuit, interpretatur. Tunc autem homo iste recte in Ierusalem fuisse dicitur, cum per vires apprehensivas, intellectum videlicet & rationem cæteràsque vires, clare ac perspicaciter discerneret, ac etiam ipsum Deum mūdis & intellectualibus oculis ac mentalibus extasibus, etsi non per essentiam, intueretur: Per vires etiam appetitivas, scilicet voluntatem, irascibilitatem & concupiscibilitatem, cæteràsque vires, potentias & affectiones sibi inditas omnimodam pacem & tranquillitatem possideret; cum breviter omne quod debuit, clare intellexit, atque sine appetitu contrario seu quavis contradictione, immo cum delectatione voluit & appetiit, sicut se debere appetere rationis iudicio intellexit. Sed homo iste dum Deo subesse noluit, cui soli subesse debuit, etiam suum inferius, vires videlicet inferiores, sibi rebelle factum est, atque sibiipsi gravis, quia subesse contempsit, atque ita homo factus est sibiipsi gravis, & propria eius vita facta est ei tentatio; & continuo secundum varios motus concupiscentiarum & suggestus desideriorum mutatur ut luna, & nunquam in eodem statu permanet; donec ad illum statum redeat

unde

unde ad hanc mutabilitatis miseriam est prolapsus. Merito igitur homo de Ierusalem dicitur in Iericho descendisse.

CAPVT II

De duobus exercitiis, in quibus devotus se poterit exercere circa lapsum suum à statu rectitudinis.

ECce homo, ubi fuisti, & ubi corruisti: Quid amisisti, & quid invenisti: quid sis, & quid fuisti. In Ierusalem fuisti, in Iericho corruisti. Amisisti pacem, tranquillitatem & gaudium, lætitiam & quietem: Invenisti inquietudinem, tristitiam, labores & dolores, & continuam mutabilitatem. Fuisti intellectuali lumine plenè illustratus, ab omni fæce concupiscentiarum depuratos. Nunc autem ea ignorantiæ nubilo excæcatus, omniáque ossa tua concupiscentiarum fæcibus medullitus sunt infusa. In his duobus quicunque devotus es, quicunque rectam & directam viam in exercitiis spiritualibus obtinere desideras, iugiter versare, in his stude te iugiter exercitare. Primo, ut semper ante mentis oculos habeas, unde cecidisti, & quid fuisti, ut inde intelligas quid esse debeas. Secundo ut frequenter discutias, sæpe revolvas, quid modo sis, seu qualis sis, ut inde perpendas quantum ab eo statu distes unde cecidisti, & sciat quanta tibi restat via ut ad illum statum proficiendo redeas.

CAPVT III.

De primo exercitio, & quod homo devotus in omnibus exercitiis suis habebit præ oculis finem suum qui est puritas cordis & charitas.

PRimo igitur semper ante mentis oculos habe, quid fuisti, & unde corruisti, ut scias quid esse debeas, & ad quid per exercitia tua tendas. Finis enim exercitiorum tuorum ad quem tendere debes est, ut possis redire, & illi statui unde, ut dictum est, corruisti propinquare. Sicut autem viator qui finem viæ suæ nescit, & locum quo pergit non considerat vel attendit, frequenter errat, multum laborat & parum proficit. Sic si in exercitiis tuis spiritualibus finem exercitationum non attendis vel consideras, frequenter multum laborabis, & à fine tuo æque distabis. Sæpe per ardua in ieiuniis & vigiliis & similibus multum fatigaberis, & parum in vera spiritualitate proficies. Hic autem finis tuus, ut dictum est, debet esse ut statui unde corruisti, possis propinquare. Vt autem de hoc fine tuo enucleatius sub aliis vocabulis intelligas, scire debes, quod duo sunt tibi fines in omnibus exercitiis tuis præfigendi. Vnus principalis seu ultimatus, & hic est charitas. Alius secundarius, & dispositivus, seu ultima dispositio ad finem principalem, & hic est puritas cordis. Ad hæc igitur duo, charitatem scilicet, & cordis puritatem, debes in omnibus exercitiis tuis oculum intentionis dirigere eaque semper fixa præ oculis habere, ut penes hoc cognoscas quantum in tuis exercitiis, proficias vel deficias, quia tantum proficis, quantum his propinquas, & tantum deficis quantum ab illis recedis. Sicut verbi gratia, Sagittarij signum aliquod constituunt, penes quod advertunt, an artificiose bene vel male sagittent, quod aliàs si nullum signum constituerent, sed in vacuum aërem sagittarent, penitus ignorarent. De his duobus finibus constituendis, dicit Augustinus in tertio libro de doctrina Christiana: Omnia in sacra scriptura valent ad charitatem nutriendam & corroborandam, & cupiditatem vincendam. Et secundum Apostolum: Finis præcepti est charitas, de corde puro, &c. Et item de his duobus finibus Abbas Moyses in prima collatione patrum, multum pulchre disserit, & diffosius declarat dicens inter cætera: Incassum molitur hæc exercitia, videlicet vigilias, ieiunia, aliaque similia, quisquis his velut summo bono contentus, intentionem cordis hucusque defixerit, & non ad capiendum finem videlicet cordis puritatem, omne studium virtutis extenderit. Sed ne cogites quod hi duo fines ab eo differant quem supra diximus finem esse debere exercitiorum tuorum, ut videlicet illi interiori statui nostro unde sumus prolapsi, redeuntes propinquemus, quia idem est cor purgare, ad puritatem cordis vel ad charitatem tendere, & illi statui propinquare. Quod ut melius intelligas, scire debes quod secundum Augustinum: Charitas est motus animi ad fruendum Deo propter se. E contrario autem: Cupiditas est motus animi ad fruendum se vel quolibet corpore non propter Deum, id est, breviter, quivis appetitus vel motus inordinatus ad delectandum in creaturis. Quantum autem secundum Augustinum, regnum cupiditatis destruitur, tantum regnum charitatis augetur. Cor autem purgare nihil aliud est, quam cupiditates extinguere. Cupiditates & inordinatas concupiscentias extinguere, est vires animæ reformare. Vires animæ reformare, est statui unde corruimus, propinquare. Ergo quantum cor purgamus à cupiditatibus, tantum animæ vires reformamus à cupiditatibus, tantúmque regnum caritatis in nobis ædificamus, & statui unde lapsi sumus propinquamus. Igitur breviter finis tuus ad quem omnem mentis intentionem, omnem conatum & laborem debeas dirigere & ordinare, est, ut cum Dei adiutorio quantum poteris vires animæ tuæ deordinatas & indispositas ex lapsu tuo in protoplasto, ad id & secundum id ad quod & sicut tibi fuerunt à Domino Deo utiliter inditæ, studeas reformare. Intellectum scilicet, ut Deum cæteráque, & maxime spiritualia & divina cognoscenda, intelligas. Voluntatem & appetitum, ut Deum aliaque diligenda & appetenda diligas atque ames. Memoriam, ut spiritualibus & cœlestibus vacans iugiter inhærere. Sic affectiones cæteras, amorem, timorem, odium, spem, gaudium, & tristitiam; ut tantum amemur, timeamus, odiamus, speremus, gaudeamus, & tristemur vére amanda, timenda, odienda, speranda, & de quibus iuste gaudendum & tristandum est. Itaque hoc modo statum illi tranquillitatis internæ, quem in lapsu primi hominis amisimus, propinquamus. Tantoque magis tranquilli & quieti erimus, quanto in isto profecerimus. Vnde quidam hoc considerantes, vocant in cordis puritate proficere, esse, ad impassibilitatem tendere. Hoc modo cor purgare & vires animæ reformare, est virtutes menti inserere. Nihil enim aliud est virtus secundum beatum Basilium, quam bene uti motibus à Deo naturaliter nobis insitis: Istud est vere & spiritualiter converti, vires scilicet animæ & affectiones à Deo & recto statu suo aversas, deordinatas & indispositas, ad debitum statum suum convertere, reducere & reformare. In isto est vera perfectio. Tanto enim unumquodque est perfectius, quanto plus appropinquaverit suo fini. Hæc est pietas Dei qua Deus colitur, habens promissionem vitæ, quæ nunc est & futuræ.

CAPVT IV.

De secundo exercitio, videlicet de hominis reformatione, & quibus exercitiis homo poterit ad sui cognitionem pervenire.

VIdisti homo, qualis & ubi fuisti, quid amisisti, quò rursum proficiendo debeas redire, & ad quem finem omnia exercitia tua dirigere, ad hoc videlicet, ut cum Dei adiutorio vires animæ tuæ reformes, cor tuum à cupiditatibus & affectionibus inordinatis

& noxiis concupiscentiis purges. Nunc igitur secundo vt diximus, debes diligentissime discutere qualis modo sis, & quantum à prædicto statu & fine tuo distes, id est, quam sint vires & affectiones animæ tuæ deformatæ, indispositæ & deordinatæ, quamque multis & variis cupiditatibus cor tuum sit pollutum. Si enim non sentis, quomodo & in quibus vires potentiæ & affectiones animæ tuæ deformatæ sunt, quomodo reformabis? Si ignoras quibus cupiditatibus cor tuum est sordidum, quomodo quæso purgabis, cum nihil in te videas purgandum? Igitur ante omnia in hac parte teipsum disce agnoscere, & quid purgandum fuerit scire, vt ita in te verum esse probes, quod cognitio propria initium sit salutis. Tria autem sunt præcipue quibus tuam deformitatem poteris agnoscere, & quibus cupiditatibus pollutus fueris edoceri. Primum est, vt te ipsum diligenter discutias. Secundum est, vt tuos defectus ab aliis frequenter & libenter audias. Tertium, vt viriliter vitiis resistendo, eorum in te fortitudinem per eorundem contra te resistentiam experiaris. Per primum teipsum vides, vt qualis fueris discas. Per secundum audis, vt quod vidisti credas, & fiat fides ex auditu. Per tertium quodammodo manibus palpas vt omnino contradicere quin ita sit nequeas, ne in aliquo valeas dissimulare.

CAPVT V.

Qualiter homo per discussionem sui venit ad propriam cognitionem, & quomodo homo debet se de toto statu suo discutere.

VT igitur teipsum per diligentem discussionem tui ipsius discas agnoscere, esto tui ipsius iustus iudex & rigidus imperator tui microcosmi, frequenter vel saltem sæpe ascende tribunal, & accersitis coram te quibus regimen regni tui, id est, tuiipsius commisisti. Et primo à principalioribus, id est, intellectu, affectu & memoria rigidissime discute quomodo vnaquæque officium suum expleat, & quantum distent a sua originali institutione pro qua inditæ sunt tibi. Vide vtrum ne ratio tua sit erronea. Vide vtrum se implicet circa curiosa relinquens salubria. Vide vtrum ne decepta proprio iudicio magis de se sentiat quam debeat, magis scilicet scire, magis sanctum esse, & ita contra te in regnum suum introducat superbiam, volentem te aliquid esse vel te ferentem super alios. Item an introducat pertinaciam, sibi melius quam quibuscunque aliis credentem, & ita te sua deceptione facias indocibilem, informabilem, bonorum consiliorum incapacem. Et de multis aliis sibi commissis, coge propriam rationem tibi rationem reddere. Deinde examina affectum de sibi commissis. Vide quid amet, quid odiat, & præcipue vide unde lætetur, unde tristetur & perturbetur. Vide vtrum ne concupiscibilitas sæpe contra tuum imperium introducat appetitum gulæ, luxuriæ, avaritiæ. Vtrum ne irascibilitas iracundiam, desperationem, & sic de aliis. Deinde voca inferiores officiales circa minora occupatos.

Vide si ne oculus sæpe impudice respiciat, si ne auris lasciva & nociva libenter audiat. Et breviter totum statum tuum secundum interiorem & exteriorem hominem diligenter examina, si scilicet omnia tibi à Deo vel hominibus commissa, sicut debes, fideliter & diligenter studeas adimplere. Item vide præcipuè an cum omnibus charitatem teneas. An nonnunquam lædas conscientias aliorum scandalo, inquietudine, singularitate vel novitatum præsumptione.

CAPVT VI.

De quotidiana examinatione in communibus excessibus.

DEbes etiam quotidie aliam de te facere examinationem licet breviorem, videlicet de quotidianis excessibus tuis, vt scilicet omni die videas vtrum ne fuisti negligens in orationibus tuis & meditationibus, & piger in operationibus. Vtrum ne fuisti negligens ad resistendum tentationibus, ad expellendum malas affectiones, in quibus forsitan immoratus es, & sic de aliis multis. Si autem homo prædicto modo districte te examinaveris, tunc invenies quantum vires animæ tuæ sint deformatæ, quantum affectiones immundæ, quantúmque à Ierusalem descenderis, & vere in Iericho mutabilitatis, & in regionem dissimilitudinis prolapsus sis: Inveniésque quod inimici hominis domestici eius, vt exclamare opus habeas, Amici mei & proximi mei adversum me appropinquaverunt & steterunt: Et qui iuxta me erant, id est, vires animæ interiores, quæ maxime iuxta eam sunt, de longe steterunt, motibus suis impugnando. Invenies quod solum tibi velle adiaceat, & in nullo alio in te perficere invenias. Igitur velle tuo & voluntati tuæ districte præcipias, vt omne quod per istam discussionem invenisti in te & in regno tuo neglectum, dirutum vel male actum, ipsa voluntas disponat, reædificet & emendet. Hoc autem tunc facies, si de omnibus fervidâ voluntate proponas te emendare.

CAPVT VII.

Qualiter homo secundò potest venire ad cognitionem sui, si libenter audit suos defectus ab aliis.

ET vere homo multum in tui cognitione per prædictam discussionem, sive in generali de toto statu tuo & ordinatione, sive etiam de quotidianis defectibus in speciali proficeres, si te sine dissimulatione, sine palliatione & palpatione iudicares, si velum proprij amoris & ad teipsum inclinationis, quod in te oculum cæcat vel extinguit, & iudicium rectum pervertit, removeres. Nunc vero zelus ipse quem ad te nimium geris, non sinit te recte de teipso sentire & iuste iudicare. Inde est quod frequentius in fundo cordis tui nescio quomodo teipsum excusas vel alleviando blandiris, etiam in vitiis & defectibus quos aperte in te vides. Hinc est quod sententiam quam de te ipso profers, non sustines patienter ab aliis confirmari, nec qualem te iudicas ab aliis vis reputari. Si vero teipsum vis agnoscere, & sanctos qui propriæ cognitioni studuerunt, imitari, summo conamine stude ut vitia tua etiam ab aliis frequenter tibi innotescant, vt sic tibi fiat fides de teipso ex auditu aliorum. Vnde egregius doctor Augustinus, scribens ad sanctum Hieronymum: Video, inquit, interdum vitia mea, sed malo ea audire à melioribus, ne forte dum ipse de me sententiam profero, meticulosam forsitan mihi potius quã veram videar intulisse sententiam. (Epist. 8.) Et ergo dicit B. Bernardus, quod sæpe in istis nos melius videt oculus alienus quam proprius. Tanto siquidem alienus verius de nobis sententiat, quanto liberior ab inclinatione ad nos vitiosa, quã nos à vero de nobis iudicio præpedimur.

CAPVT VIII.

Qualiter homo per pugnam & resistentiam contra vitia venit ad cognitionem sui.

SI scis homo qualiter per tuam discussionem teipsum discernere debeas, & qualiter ab aliis tua tibi

vitia

vitia referentibus debeas libenter audire; ut quod tu discrevisti queas firmius credere, accede ad tertium, quod est his duobus efficacius ad tui cognitionem promotivum, quod in nullo sinit ut vitia dissimules, sed facit te ea quodammodo, ut ita dixerim, manibus palpitare. Hoc autem fit ita, si sancti Spiritus ardore succensus, incipis viriliter cupiditates tuas & appetitus inordinatos, quos per præmissam discussionem vel experientiam tuam in te reperisti vel sentis, eiicere & expugnare, non permittens ad horam in te quantum in te est, tales motus sive superbiæ, sive inanis gloriæ, gulæ vel luxuriæ immorari, sed subito cum eos percipis, statim surgis & accingis gladium tuum super femur tuum, & te præparas ad bellandum. Sed & cum te non impugnant nec infestant, tu ea impugnas, quærens quomodo contraria vitiis tuis & passionibus agens poteris ea si fieri potest radicitus extinguere & extirpare. Verbi gratia, Sentis te nonnunquam appetitu gloriæ ferri, moveri altitudinis & dignitatis ambitione, gulæ, luxuriæ, & aliorum motibus agitari, hinc tu velut alter Phinees zelo ignitus fervida voluntate incipis omnia agere quæ huiusmodi concupiscentiis etiam iam quiescentibus sint contraria & eorum expulsiva, omnia scilicet vilia & despecta agere, loqui, &c. Sed cum hoc facere & continuare incœperis, tunc vere in te senties, & ut dictum est, quodammodo manibus palpabis fortitudinem in te vitiorum & passionum, & deordinationem virium animæ & affectionum. Insurgent enim contra te ea, quæ laboras extinguere vitia, viriliter se contra te defendentia. Et tu rursus iratus insurges contra ea, & fiet inter te & tua vitia grandis & gravis lucta, ita ut nonnunquam resilias & iterum resipiscas, nonnunquam deficiaris & iterum resurgas, atque multoties fatigatus cum videris legem carnis tuæ tam fortem & tam importune legi mentis & voluntati tuæ resistentem, clamare necesse habeas ex sententia cum Apostolo: Quis me liberabit de corpore mortis huius? Et item cum Propheta: Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, sicut onus grave gravatæ sunt super me, & cætera. Atque ita vere disces cognoscere quam sis plenus inordinatis concupiscentiis & nocivis cupiditatibus, & hæ quantum validæ sint in te & radicatæ. Ecce, inquit Chrysostomus super Matthæum: Ostendo tibi magnam & insuperabilem persecutionem in corpore tuo. Incipe resistere desideriis tuis, & tunc intelliges quam fortes spiritus desideriorum malorum persequuntur te. Hæc est enim pugna gravissima, qui potuerit odire quod amat, & amare quod odit. Hæc Chrysostomus. Ecce ergo quam directa & rectissima via ad tui cognitionem in hac parte. Sane quamdiu ipsa vitia impugnare non incipis, nec legitime resistis, ipsa quodammodo abscondita sunt ab oculis tuis. Latent enim in te, ut ea perfecte non sentias. Audi de hac re expertissimum in hac materia: Impugnari, inquit, signum est quia pugnamus, quod est dicere: Si pugnamus, impugnationes & resistentias vitiorum sentimus. Si vero nos desides ab impugnatione cessamus, efficimur stupidi & insensibiles, eorum impugnationes & resistentias non sentientes. Et audi elegantem cuiusdam patris super hoc similitudinem: Cum ianua aperta fuerit & intrat & exit quicunque velit, non auditur sonitus pulsantis, sed solum cum fuerit clausa. Ita si aditus cordis tui pateat vitiorum affectibus, cum videlicet diligenter non consideras quales affectiones in te nutrias, nec viriliter resistis, tunc importunas earum & validas non percipis suggestiones. Hinc est illud B. Hieronymi: Pessima tentatio est nulla tentatione pulsari, id est, non sentire pulsari, cum nullus sit sine tentatione, cum tentatio sit vita hominis super terram. Quomodo vitiis resistere, & contra ea legitime pugnare debeas, inferius de reformatione voluntatis, clarius ostendetur.

CAPUT IX.

Quod in pugna vitiorum discernuntur desides & fervidi & quod desides retrocedunt.

HÆc pugna contra vitia, & eorum contra nos resistentia, est aqua contradictionis, de qua Dominus ait: Apud aquam contradictionis probavi te. Hic enim vere velut in fornace tribulationis probat & discernit dominus inter legitimos & desides bellatores. Nam usque ad hanc aquam, omnes indifferenter cum Gedeone egrediuntur ad bellandum, sed cum usque ad hanc aquam ventum fuerit, desides, illegitimi & tepidi, ad lambendum aquas incurvant genua, id est, a propria concupiscentia abstracti & illecti ac tentatione victi, fortitudinem incurvant & dimittunt, non potentes ad tempus modicum tentationem sustinere, sed redeunt, Alij quidem simpliciter in Ægyptum mundanæ conversationis: Et quidam fiunt, ut crescant & proficiant in hoc seculo. Et hi sunt, quos movet pes superbiæ, appetitus honoris & alti status. Nam ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem. Quidam autem ut sedeant super ollas carnium & comedant pepones, &c. Et hi sunt, qui computrescunt sicut iumenta in stercore suo, vitiis videlicet carnalibus. Sunt vero alij, qui non redeunt corpore ad mundum, nec ex toto in Ægyptum, sed tamen nec volunt ingredi terram promissionis, sed manent ab ista parte citra Iordanem, cum dimidia tribu Manasses, ut pascant pecora sua, volentes esse de Israël, nec tamen ingredi terram promissionis. Hi sunt, qui volunt esse spirituales, nec tamen perfecte ad virtutum exercitia se conferre, sed laxam & tepidam vitam ducentes, alentes & pascentes gregem pecorum suorum, id est, desideriorum. Et hi sunt fervidis multum periculosi consilio & exemplo.

CAPUT X.

Qualiter homo ex cognitione sui, sit idoneus ad admonendum alios.

SEd non ita tibi contingat quicunque esse desideras legitimus præliator; sed ad tempus sustine, quando tentatio graviter incalescit, sciens quia nulla tentatio vel tribulatio dura potest esse diuturna, sed consummationis eius videbis finem. Et tunc si perseverans fueris, percipies huius pugnæ fructus dulces & multiplices. Sed forte laborem & dolorem in hac pugna bene sentis, sed fructum non attendis. Adverte igitur homo quantus & quam utilis inde tibi fructus oriatur. Primus autem fructus, qui inde oritur tibi, est scientia qua fragilitatem tuam & vitiorum fortitudinem liquido cognoscens, noveris omnem fortitudinem tuam ad dominum custodiendam, dicens: Dominus fortitudo mea, & refugium meum, & cætera. Ego autem, in me scilicet, ad nihilum redactus sum & nescivi. Nescivi, inquam, priusquam hoc prædicto modo discerem. Indeque in amorem & charitatem Dei, qui te tam fragilem, tam pie protegit, contra tam fortes vitiorum spiritus, accenderis. Secundo, ex hac pugna & ex his quæ in expugnandis vitiis pateris & experiris, scientiam & experientiam tibi acquiris, qua eris idoneus & aliis, qui similibus vitiis & vitiorum præliis inquietantur, consulere & ad rectam viam dirigere, ac congrua medicamina de arcanis cordis tui sicut tibi ex multis experientiis collegisti & abscondisti, proferre. Unde Apost. 2. Cor. 1. Benedictus inquit Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, ut possimus & ipsi consolari eos qui in omni pressura sunt. Ecce Apostolus ex

A

ſua preſſura habuit vnde alios in preſſuris depreſſos conſolaretur, ita & tu. Et vere ſi ſolum ex libris, his qui ſpiritualibus vitiorum tentaminibus grauantur vis conſulere, eris ſicut æs ſonans aut cymbalum tinniens, nec ipſi te, nec ipſe teipſum intelliges, ſed eris tu ſicut cæcus diſputans alicui de coloribus. Vnde Sapiens: Qui non eſt tentatus, quid ſcit? Qui non eſt paſſus, qualia ſcit? Nec hoc diximus quaſi tuæ experientiæ & non diuinæ ſcripturæ debeas inniti, ſed potius vt in te ex diuina ſcriptura & tuâ experientiâ fiat vna indiuiſibilis & dulcis harmonia, quia ſicut in ſcripturis legis, ita in te experiaris, & ita eris idoneus ad alios admonendum, quia ſentis quod legis, & non ſolum profers ex verbis vel mortuis meditationibus, ſed ex ſententiis. Denium iſta tibi ſcientia hoc confert, vt nunquam peccatoribus quibuſlibet criminibus prolapſis indigneris, ſed ex corde compatiaris, vtpote qui in te ipſo copioſam materiam per prædictam pugnam inuenis compatiendi, iuxta illud Sapientis: Ex teipſo cognoſce tem proximi tui, immo certe ſi perfecte prædicta expleueris, nullius peccata ſicut tua reputabis, quæ non ſicut tua agnoueris. Non ergo peccatores à te repelles, ſicut falſe iuſtus & arrogans Phariſæos, ſed pie compatiendo, debes totis viribus niti, ſi quem eorum potueris eripere de laqueis inimici; ſiue hoc feceris piis admonitionibus, ſiue correptionibus tuis, vnumquemque prout ratio exigit, & conditio cuiuſcumque corripiendo vel admonendo, ſciens quod non eſt precioſius munus à Deo in hac vita quam zelus animarum, pro quarum ſalute Chriſtus de cœlo deſcendit, & mortem amariſſimam tolerauit. Hoc eſt enim ſecundum Bedam, excellentiſſimum genus vitæ, ſi te à vitiis purgaueris, & alios ad bonam conuerſationem traxeris. Eſto igitur animarum zelo feruidus, omnes trahe amore, nondum conuerſos, timore terre: Iam incipientes de tentationibus præmoni, & induc vt crimina confiteantur, omnibus in tentationibus & paſſionibus conſule, conforta, dirige pro vt tibi viſum fuerit vnicuique conuenire. Nec dicas: Sufficit mihi mea ſaluatio, pro me volo eſſe ſollicitus, non pro aliis. Quiſquis hoc dixerit, non comeditur zelo Dei. Ecce quam magna confert tibi vtile prælium quo contra vitia tua prælians. Inde enim tibi cognitio tui, charitas Dei dilectio & compaſſio proximi, zelus animarum, & ſcientia inſtruendi errantes.

B

C

CAPVT XI.

De compunctione, & quibus modis homo in compunctione ſe poterit exercere.

EX hac ſcientia ſalutiferâ deinde alius tibi naſcetur fructus precioſus, videlicet compunctio ſalutaris. Naſcetur autem iſta compunctio hoc modo. Cum enim, vt dictum eſt, totis viribus vitiis te opponis, & illa acriter reſiſtunt, ſæpe incipis & non proficis. O quam ſæpe egrederis tanquam victurus & reſilis, quoties mones & non promoues, quoties incipis & iterum ceſſas. O quoties conaberis & non datur victoria, & cum incipis nonnunquam deficis. Ecce vnde ſancta triſtitia, dolor dulcis, ſuſpiria ſuauiſſima & compunctio ſalutaris. Certe ex conſideratione imperfectionis tuæ, & ex deſiderio perfectionis vitæ, ex deſiderio perfectionis & impaſſibilitatis & puritatis cordis, à quibus te adhuc longiſſime diſtare conſideras, inde tibi & ſancta compunctio & triſtitia ſalutaris, quæ licet animum interius deprimat, non tamen durum vel rancoroſum facit, ſed humilem & manſuetum, exterius vero dulcem, ſocialem & affabilem, miſericordem & patientem, & ad omnem laborem, reddit parátiſſimum ſpe & deſiderio proficiendi. Hoc eſt vnguentum precioſiſſimum quo præſentia vulnera animæ ſanantur, præterita delentur, & futura præcauentur, Deus placatur, & homo hominibus & Angelis amabilis efficitur. Quamvix autem veris luctatoribus ea compunctio quæ ex conſideratione deſcendit propriæ infirmitatis & deſiderii maioris perfectionis magis ſit in promptu, & fortaſſis nonnunquam cæteris compunctionibus fructuoſior: Sunt tamen adhuc ſecundum Gregorium quatuor qualitates quibus iuſti viri anima in compunctione vehementer afficitur. Videlicet ex conſideratione malorum præteritorum, cum homo cogitat peccata quæ fecit, & ſtatum ſuum in quo fuit. Et ſi placet tibi ſecundum hoc genus te exercere in compunctione, vide ea quæ infra dicentur de reformatione memoriæ, de generalibus modis exercendi ſe in memoria peccatorum. Aut certe ex conſideratione iudiciorum Dei, cum ſcilicet homo conſiderat quod diuina iudicia ſint inſcrutabilia, & inde timet aliqua in ſe eſſe vnde poſſit reprobari à diſtricta iuſtitia Dei. Et pro hoc genere valeant ea quæ dicentur poſtea in de reformatione memoriæ, de memoria mortis, inferni, & extremi iudicij. Aut cum homo conſiderat mala, quibus dum adhuc viuit neceſſario ſubiacebit, ſcilicet concupiſcentiis & vitiis. Et hoc eſt genus compunctionis, quæ maxime ſurgit ex prælio contra vitia, de quo ſatis patet ex dictis. Aut cum homo bona ſupernæ patriæ contemplatus quæ quia nondum adipiſcitur, lugens conſpicit vbi non eſt. Et pro hoc quarto genere, eſt memoria cœleſtis patriæ, de quo vide infra ſuo loco. Potes autem hæc & ſi qua alia genera compunctionis ad duo reducere; quia omnis compunctio, vel ex amore ſurgit vel ex timore. Et hoc eſt irriguum ſuperius, & irriguum inferius, quod petiit Axa filia Caleb à patre ſuo. Vides ergo quomodo de tentationibus & continuâ vitiorum pugnâ compunctio oritur, quæ tam multa bona operatur. Ipſa enim à ſpirituali egeſtate nos liberat. Scriptum eſt enim: Qui ſanus & ſine dolore eſt, in egeſtate erit. Item de compunctione & triſtitia ſcribitur illud: Vir in doloribus laborat ſibi, & vim facit perditioni ſuæ. Vnde vt in collationibus patrum dicitur, nulla virtus ſine dolore perficitur. Item Ioannes Climacus, Etiam ſi magnas & altas conuerſationes exequimur, cor autem mœrens non poſſideamus, ipſas quaſi vanas & adulterinas exiſtimemus.

D

E

F

G

CAPVT XII.

De reformatione trium virium animæ, ſcilicet intellectus, memoriæ, & voluntatis.

SI quæ dicta ſunt non ſolum intellexiſti, ſed inſuper exercitio & experientiâ attigiſti, haud dubium quin te omnibus viribus animæ tuæ deſtitutum, omnibus affectibus deordinatum inueniſti. Reſtat proinde vt vehementi & ardenti deſiderio ad earum reformationem & debitam diſpoſitionem inflammeris, viam quærens qua ad id facilius poteris peruenire. Vt autem pro hoc modum qualemcumque ſimplicem & facilem habeas, quædam hic in ſequentibus de præmiſſarum & affectionum reformatione inſeruntur. Scias igitur quod licet anima multas habeat vires, potentias & affectiones, tres tamen in ea præcipue ſunt vires, vnde omnes aliæ quodammodo dependent, quibus reformatis cæteræ quoque reformari videbuntur. Sunt autem hæ tres; Memoria, intellectus & affectus ſeu voluntas, & de earum reformationibus ſingillatim agendum eſt.

H

CAPVT XIII.

Quod intellectus reformatur per ſcientiam.

INtellectus hominis & ratio deformati ſunt & quodammodo cæcati per ignorantiam. Idenque neceſſe

est hominem in his reformari per scientiæ illuminationem. Duo autem sunt quibus homo illuminatur ad scientiam, & maxime spiritualem quantum sufficit ad propositum, videlicet experimentum & doctrina.

CAPVT XIV.

De reformatione intellectus per experimentum.

EXperimento autem tu homo quasi per quandam connaturalitatem scientiam tibi acquiris, cum de his quibus iugiter per visum & assuefactionem adhæres quodammodo connaturalis efficiaris, sicut superius satis euidenter ostendimus, quomodo per iugem vitiorum extirpationem & resistentiam internarum passionum, scientiam tibi acquiris, qua poteris cæteris similiter tentatis salubriter subuenire. Sic etiam de aliis dicendum est. Nam per experientiam & cõsuetudinem deuotionis qua homo iugiter se exercet in deuotis exercitiis, acquirit magnam notitiam circa materiam deuotionis, sic per hoc quod homo per sancta exercitia & pia virtutum opera transit de virtute in virtutem, notitiam quandam adipiscitur de virtutum naturis, & de earum distinctis gradibus discrete discerni, & clarius apprehendit; præsertim experientia in multis, & præcipuis materiis diuinæ scripturæ melior est magistra. Iuxta illud Prophetæ: A mandatis tuis intellexi. Non itaque dicit: Mandata tua intellexi, sed à mandatis, quod est dicere: Quia studiose mandata tua Domine obseruaui, & diligenter me in eis exercui, idcirco datus est mihi intellectus vt intelligerem diuinam scripturam. Et certe tibi, qui non sicut multi, quæris literam occidentem, sed medullam scripturarum interius viuificantem secundum sanctorum sententias, non tam laborandum est erga libros commentatorum, sed potius omnem industriam & intentionem cordis debes dirigere erga emundationem vitiorum. Quibus expulsis, confestim cordis oculi sublato velamine passionum, sacramenta scripturarum in multis naturaliter contemplabuntur. Et si quidem laborem aliquem lectioni scripturarum adhibere libuerit, quod vtique satis expedit tibi tanquam Christiano philosopho, lectio debet esse admonitio non occupatio: nec expendens multum temporis vt scripturam addiscas, sed potius vt per lectionem ad puritatem cordis inflammeris.

CAPVT XV.

De reformatione intellectus per sacram lectionem, & qualiter scriptura sit legenda.

DOctrina autem qua scientia acquiritur in duobus consistit, vt dicit Anselmus in lectione scilicet & sermocinatione. In electione autem tibi, qui solum puritatem cordis in ea quærere debes, alia debet esse intentio, atque alius modus legendi, quam illis qui quamvis bonam, aliam tamen habent intentionem. Frequenter enim talem fructum & lucrum de lectione homo recipit, cum quali intentione & affectu ad lectionem accedit. Quapropter summopere stude, vt quantum tibi possibile fuerit, ita affectatus & compunctus ad studium venias, & totam intentionem tuam ad cordis puritatem dirigas, sicut superius satis dictum est, & ita omnia quæ legeris, ad illum tibi affectum & illam intentionem obsequentur. Deinde vide vt studium tuum non sit fortuitum & casuale, ita videlicet ne nunc in vno libro, statim postea, vt moris est curiosis, in alio legas. Aut nunc hic vnum folium, deinde longe subsequens folium percurras, sed integrum librum de principio ad finem, congruâ deuotione & debitâ reuerentiâ ac diligentiâ perlegas. Tertio, habeas tempus certum pro studio, & non sit tempus ad hoc casuale sicut occurrit. Quarto, quia labilis est humana memoria, & vix de pluribus retinet pauca, tu omnia quæ legis retinere non poteris, ideo semper ex lectione aliquid debes extrahere, quod tuo proposito conueniat, quod te ad puritatem cordis admoneat, quodque ruminans vtiliter memoriam occupes, ad hoc, si aliud non haberis salubrius, pro reformatione & occupatione memoriæ recurrendo. Vnde Augustinus: Auditor verbi similis debet esse animalibus, quæ ob hoc quod ruminant munda esse dicuntur, vt non pigeat cogitare de his quæ in alueo cordis accepit; vt cum audit sit similis terenti, cum vero audita in memoriam reuocat, sit similis ruminanti. Quinto, vt etiam lectio tibi proficiat ad inflammationem affectus, sicut ad illuminationem intellectus, ideo lectionem tuam nonnunquam debet interrumpere oratio, vt de lectione facias affectum, de affectu orationem, & ores Deum ex desiderio cordis, vt id possis opere & exercitio perficere, quod quæris in scripturis indagare. Sexto, quia vt frequenter dictum est, finis tibi in omnibus exercitiis, lectione & quibuscunque aliis esse debet, vt puritati cordis poteris appropinquare, ideo amplius circa studium talium librorum immoraberis, qui te ad hoc magis informant, & inflammant, vtputa libri morales & deuoti. Si vero quandoque ad tempus aliud perlegere placuerit, eò videlicet, vt post ferculum grossum auidius sumas delitiosum, vel alia huiusmodi causâ, semper & continuè redire debes ad libros deuotos, iuxta illud Senecæ: Probatos itaque semper libros lege, & si quando ad alios diuerti libuerit, ad priores redi.

CAPVT XVI.

Qualiter intellectus reformatur per aliorum informationem & consilium.

SErmocinatione autem ratio & intellectus reformantur, dum aliorum eruditionibus nostra ignorantia illuminatur. Et hoc fit dupliciter scilicet vel maiorum consilio, vel familiarium colloquio. Sane plurimum confert ad rationis nostræ illuminationem, vt non nostro iudicio inhæreamus, sed omnia exercitia nostra seniorum examini referamus, examinanda proponamus, ab eis examinata diligenter obseruemus. Hoc enim præcipuum est, quo minus discretus & paruulus in Christo, nondum exercitatos sensus habens pro discretione boni & mali, illæsus à diaboli illusionibus & seductionibus ac propriæ ignorantiæ periculis defendatur, vt in sanctorum patrum collationibus & institutis, diffusius pertractatur. Itaque si tibi non credis, ac indiscretus fueris, locum discretionis suppleat obedientia alicuius viri melius & clarius te illuminati.

CAPVT XVII.

Qualiter intellectus reformatur per hoc quod quis super tentationibus & passionibus suis consulit alios.

COnfert etiam interdum nondum modicum ad rationis illustrationem, familiarium alicui tuorum nonnunquam familiari & humili colloquio cor tuum humiliter aperias, conferens, consulens, & conquerens secum de his quæ in tentationibus vitiorum, concupiscentiarum & similium agitantur. Sæpe enim ex minimo poteris aliquid addiscere, sed si ad hoc assuetus fueris vt nil quod in te agitur relinquas absconditum, sed quicquid fuerit perducas continuo ad lumen, inde tibi pudor bonus nascetur adducens gloriam. Erubesces enim vitiis consentire, confunderis semper in eodem statu permanere & non proficere, magis exinde humiliaberis, sciens, quod alius talem te nouerit, qualem teipse te erubescis. Inde magis compungeris,

dum huiusmodi occasione memineris peccatorum tuorum.

CAPVT XVIII.

De reformatione memoriæ, & tribus gradibus reformandi eam.

NVnc de reformatione memoriæ agendum est. Ad cuius perfectam reformationem in hac vita habendam, tribus distinctis gradibus ascenditur cum labore. Quorum primus est, ipsam memoriam cum labore ab euagatione illicitâ refrenare, & diuinis vel vtilibus cogitationibus quodammodo inuitam occupare. Secundus est, iam sine importuna euagatione bonis meditationibus posse intentum esse, & in latitudine cordis sui secum deambulare. Tertius est, quodammodo in Deo esse absorptum, vt scilicet homo in Deo per deuotas meditationes absque strepitu cogitationum, imaginationum & fantasmatum, dulciter & cum delectatione requiescat.

CAPVT XIX.

De certis materiis & temporibus ad meditandum deputatis.

SI autem toto corde memoriam reformare volueris, summopere tibi expedit vt certas materias tibi præfigas, quibus vilioribus non occurrentibus memoriam possis occupare. Vnde in collationibus patrum dicitur: Necesse est mentem, quo recurrat, cuive principaliter inhæreat non habentem, per singulas horas atque momenta pro incursuum varietate mutari, atque ex his quæ extrinsecus accedunt, in illum statum continuo transformari, qui sibi primitus occurrerit. Si igitur proficere desideras, & citius Dei adiutorio memoriam reformare, determinatas tibi deputa materias, quas terendo & ruminando discas in illis & in aliis latissime & affluenter in spiritualibus speculari. Quamuis etiam pro reformatione memoriæ & cæterarum virium omni tempore debeas laborare, attamen consilio beati Hieronymi, non modicum iuuat vt certis & deputatis horis tibi singularius vaces, & repleas animam tuam diuinarum pabulo scripturarum. Dicit autem Hieronymus, quod ad hoc expeditior est hora matutina. Bernardus dicit, quod hora matutina & vespertina. Vnde his duabus horis maiori conamine & singulari præparatione te debes occupare spirituali studio, lectione videlicet & meditatione. Horâ enim matutinâ homo est magis sobrius & magis dispositus ad spirituale exercitium, cum nec dum inuolutus sit mundanis tumultibus. Item nunc est initium diei, vnde debet se homo præparare circa diem, & sæpe qualem tunc se per aliquam deuotionem & affectum præparauerit, in tali affectu & deuotione perseuerabit tota die. Item in initio diei meritò maiori deuotione debet offerre primitias laborum suorum Christo Domino, & se ei deuotius commendare. De vespere autem cessant mundani tumultus, vnde quietius potest quis se spiritualibus exercere. Item est finis diei, quare merito vel gratias Deo referet pro bene gestis, vel pro male actis veniam implorabit, ac etiam contra nocturna fantasmata per deuotam meditationem se armabit. Hac etiam hora aptius fieri poterit ea, de qua dictum est, discussio defectuum suorum & excessuum quotidiana. Scire etiam debes, quod quamuis omnia quæ in diuina scripturâ reperiuntur, imo cœlum & terra, & omnia quæ in eis sunt, de Deo loquantur & instruant, non tamen omnia æque conueniunt ad vtiliter meditandum. Sed ea debes potius ad meditandum assumere, vnde amplius timore concuteris, vel accenderis ad amorem. Sunt autê quædam generalia circa quæ frequentius exercitia deuotorum versantur, videlicet memoria peccatorum, qua compunguntur ad compunctionem & dolorem. Memoria mortis, qua, vt omnia mundi huius oblectamenta, gloriam, honorem, altum statum vilipendant, accenduntur. Memoria extremi iudicij, qua inflammantur ad bona opera peragenda, vt tunc cum iustis mereantur accipere præmium meritorum. Memoria pœnarum infernalium quæ omnia illicita licet dulcia respuant timore tormentorum. Memoria cœlestis gloriæ, vt hic quiescant & exultent in spe, ac vt illâ sint gloriâ digni, conantur se veris virtutibus adornare. Memoria beneficiorum Dei, & maxime beneficij incarnationis, ne gratiæ largitori inueniantur ingrati. Vt autem de his cogitare eo promptius ad manum habeas, aliqua generalia de vnoquoque præmissorum vnde tu valeas plura elicere hic inseruntur, vt datâ occasione sapienti sapientior fiat, & ex paucis plura eliciat, sicut ipsi congrue cogitanti. Esto igitur animal mundum ruminans & reuoluens ea & ipsis similia in corde tuo, vt ita inutilia & vana possis à memoria remouere.

CAPVT XX.

Qualiter fiat memoria peccatorum.

VT tibi de memoria tuorum criminum nascatur cōpunctio, talibus stimulis te concute meditando. Cogita, & vt sentire valeas diligenter stude, quantum vnumquodque peccatum Deo displiceat. Reuolue, quia superbia Luciferum eiecit de cœlo. Inobedientia Adam de paradiso proiecit. Luxuria subuertit Sodomam & Gomorrham, & pene totum mundum in diluuio submersit. Christus pro peccato sustinuit mortem amarissimam, ne peccatum multum remaneret & suæ iustitiæ non satisfieret. Cogita secundo quod Deus aliter iudicare non poterit quam opera nostra merentur. Est enim Deus æquitas quædā intelligibilis, incommutabilis atque indeclinabilis, non minus pœna malorum quam bonorum gloria. Igitur tibi reddet iuxta opera tua. Non igitur palliemus vel blandiamur nobis quasi non sit ita durum, & quod Deus sit misericors. Cogita de peccatis tuis præteritis ante cōuersionem. Cogita quam multa sint in locutione, opere, consensu & in cogitatione: Tot enim sunt vt nequeas numerare. Cogita quam turpia, præcipue quantum ad carnalia, in quibus tamen minus immoreris, ne delectatio surrepat. Cogita quam grauia, quibus Deum offendisti, & rursum Christum quodammodo crucifixisti. Cogita de peccatis tuis post tuam conuersionem, quod semper tam negligens, tam tepidus & tot annis sine profectu fuisti, & vide de singularibus tuis criminibus, numera ea si potes in conspectu Domini, & pete veniam de præteritis, adiutorium de præsentibus, & cautelam contra futura. Deinde cogita in quantum pro istis satisfecisti, certus quod quicquid hic non reddideris, in futuro à te exigetur vsque ad minimum quadrantem. Nullum enim malum impunitum erit, sicut nec aliquod bonum irremuneratum. Demum cogita, quod iudicia Dei sunt inscrutabilia, nescis si in gratia, nescis si vere conuersus fueris, nescis quid in te lateat quod Deum non latet, sed offendit, nescis si eris perseueraturus. Hæc rumina, hæc cogita, & si bene senseris ea, non altum sapies de teipso. Caue tamen desperationem si profundius huiusmodi meditationibus te immerseris, atque ita huiusmodi meditationes dirige, non vt absorbearis à nimia tristitia & deiectione, sed vt instigeris ad vitæ emendationem & tolerantiam omnium tribulationum.

A

CAPVT XXI.

Generalis modus ad formandum meditationes de morte.

DE morte tua ita poteris formare tuas meditationes. Primò vt horam mortis semper suspectam habeas, cogita quod improvisa mors veniet, quia sicut fur veniet, quando minime sperabis, quando minime dispositi, quando adhuc diutius vivere te sperabis, & cum adhuc multa agere cogitasti. Revolue deinde ordinem quo ad mortem devenitur, & habe te nonnunquam sicut tu statim esses moriturus, & melius senties quæ sequuntur. Cogita itaque qualiter mortem præcedet grauissima infirmitas, cuius aliæ infirmitates non sunt nisi præcones. Vide grauitatem huius infirmitatis. Cogita horrorem naturalis inclinationis appetentis permanere. Cogita deinde cum iam homo se senserit hinc transiturum, siue medicis hoc dicentibus, siue ipse per se senserit, quantus tunc erit clamor conscientiæ, quantus remorsus in eo qui se non disposuit. Tunc enim ipsa peccata ad memoriam confluent. Et cogita quantum de singulis peccatis tuis & passionibus propriis singulariter tunc dolebis quia ea non vicisti. Cogita si tali articulo mortis esses constrictus, & vitiis ac concupiscentiis ligatus, quanto desiderio desiderares vnam horam vel annum sanitatis pro emendatione. Cogita homo cum ad illam horam veneris, & hinc transibis, ac tempus præteritum comparaueris ad æternitatem ad quam transibis, quam breue tibi videbitur. Tota vita tua apparebit breue somnium, & tibi erit totum tempus & vita tua ac si per modicum spacium, puta per mediæ leucæ perrexisses. Cogita quantus erit dolor cum videris quod propter tam paruam delectationem illa sempiterna gaudia amisisti. Cogita quam amara erit separatio, cum ab his quæ vitiosa dilexisti separaberis, puta, ab honore tuo, qui hic in alto statu totis viribus honorem quæsisti, vel à voluptatibus tuis, & sic de aliis consimilibus. Considera dispositionem morientis, quomodo corpus nigrescit & rigescit, oculi contabescunt, & cætera. Cogita quomodo dæmones sint tibi tanquam leones rugientes præparati ad escam, expectantes animam. Deinde imaginare, quomodo anima in egressu suo à corpore cum inceperit considerare regionem ignotam, & quod tot dæmones eam expectent, quam invite exiret, quam libenter rediret ad corpus suum, sed non potest, quia clausæ sunt fenestræ sensuum & aditus vitales, cogitur ergo transire ad cateruas inimicorum. Cogita quomodo tunc singuli spiritus vitiorum ad eam occurrent, quærentes sua in ipsa, spiritus superbiæ superbiam, spiritus luxuriæ quæ sua, & sic de aliis. Vltimo adverte, quomodo anima egressa de corpore statim statuetur ante tribunal iudicis, & tunc feretur sententia, quæ ex hoc tunc vsque in æternum non revocabitur, & tunc vbicunque lignum ceciderit ibi manebit. Demum cogita, quomodo tandem corpus sepulturæ tradetur & perpetuæ obliuioni. Hospes hic fuit vnius noctis & abiit, & memoria eius recessit de terra. Poteris autem modum hunc ex contrario assumere de morte iustorum. Nam ipsi videntes se de hoc mundo migraturos, gaudent in testimonio conscientiæ, exultant quod liberantur de istis miseriis. Et quia hic non fuerunt ligati concupiscentiis, non dolent hinc exire, & sic de aliis.

CAPVT XXII.

Generalis modus ad formandum meditationes de pœnis inferni.

DE pœnis infernalibus, imaginare ipsum infernum secundũ quasdam similitudines à sanctis super hoc positas. Aspice igitur chaos horribilissimum, locum subterraneum, puteum profundissimum & totum ignitum. Item imaginare civitatem horribilem & magnam, & penitus tenebrosam obscurissimis & terribilissimis flammis succensam, clamantibus, vlulantibus & plangentibus vniversis præ inexplicabilibus doloribus. Talibus & similibus similitudinibus poteris cogitare. Cogita de pœnarum acerbitate. Dicitur enim ignis ille ad ignem nostrum tanti esse caloris, quanti noster ignis est ad depictum. Et ita cogita de frigore & fœtore. Huius pœnalitatis acerbitas patet ex stridore dentium, ex gemitu, planctu & blasphemia Dei, & sic de aliis. Cogita de pœnarum multiplicitate. Ibi est enim ignis inextinguibilis & obscurissimus, frigus intolerabile fœtor horribilis, tenebræ palpabiles. Ibi erit pœna in omni sensu. In visu per horribiles visus & aspectus dæmoniorum. In auditu per lamentabiles gemitus & clamores, &c. Cogita de miserabili societate & crudelitate tortorum sine omni misericordia, qui in torquendo non fatigantur nec ad misericordiam commouentur. Insultabunt enim dicentes: Vbi nunc gloria, vbi nunc altus status, vbi nunc superbia, &c. Cogita quomodo ibi per membra, quibus quis peccauit, eisdem & punitur, ita vt in omnibus membris malus ibi pœnam sustineat. Cogita etiam de pœna interiori, videlicet de remorsu interiori conscientiæ & verme eorum, qui non moritur. Quis potest sufficienter cogitare quantum doleant, quod illam pœnam modicis laboribus & breui tempore non euaserunt? Item internæ passiones maxime regnabunt in eis. Erunt enim maxime iracundi & invidi, & erunt ita simul sicut canes rabidi, &c. Item recordabuntur priorum delectationum ad augmentum pœnæ. Vnde ibi lamentabuntur dicentes: Quid nobis profuit superbia? &c. Cogita de duratione pœnarum, quod scilicet nunquam sit finem habitura, non post mille millium annorum, imo non post annos quot possent in mille millibus numerari, quia nulla est ibi redemptio, nullus finis.

CAPVT XXIII.

Generalis modus meditandi circa extremum iudicium.

DE extremo examine cogita, quantus tunc fiet terror. Ipsa enim Angelica tuba, mirabilia terrenda signa, fulgura, coruscationes, percutient corda hominum & pauere facient. Cogita si potes magnitudinem iræ iusti iudicis venientis contra eos, qui eum offenderunt & quantum mali terrebuntur. Imaginare quomodo & quam amara fiet ibi divisio. Ponentur enim iusti, humiles, mites ad dexteram, superbi, inuidi, &c. ad sinistram, in æternum amodo non coniungendi. Nunc sunt duo in mola vna, in domo vna, & vnus assumetur, vnus relinquetur. Cogita quid timoris, quid horroris, quid admirationis erit superbis & claris huius mundi? cum se abiectos, pauperes, viles & despectos, quos insanos putabant, ad dexteram Christi in gloria viderint assistentes? Tunc pœnitentiam intra se agentes, dicent: Ecce hi sunt quos aliquando habuimus in derisum. Econtra, iusti stabunt in magna constantia adversus eos, qui se angustiauerunt. Cogita quomodo ibi omniũ operum & cogitationũ fiet redditio. Ierusalẽ enim scrutabitur in lucernis, id est, hi qui apparẽt velut sancti investigabuntur ibi, & quicquid occultum

in

in eis fuerit ad lumen veniet. Testes erunt Angelus & diabolus, qui ostendent omnia quæ fecimus, vbi & quando: &c. Item proprium scelus & totus mundus dabunt testimonium contra peccatores. Cogita quomodo ibi Christus exhibebit passionis suæ insignia, & quomodo per signa illa exprobrabit nobis quod ea contempsimus. Cogita de illa tremenda horribili & irrevocabili sententia: Ite maledicti in ignem æternum. Cogita de dulcissima invitatione iustorum ad sempiternam cœnam, per illam vocem: Venite benedicti patris mei, &c. Cogita quam magna sint opera misericordiæ & pietatis, cum ea solum Christus ad iudicium suum adducere videatur. Cogita quod iusti ibunt in vitam æternam, iniusti autem in supplicium sempiternum. Et hæc duo loca per chaos magnum divisa semper manebunt.

CAPVT XXIV.

Generales meditationes de gloria cælesti.

DE gaudiis supercælestibus, imaginare locum illum per imaginarias similitudines a sanctis pro nostra capacitate inventas. Est enim civitas ex auro mundissimo gemmisque preciosissimis mirabiliter cõstructa. Singulæ portæ ex singulis margaritis. Est campus speciosissimus omnium florum pulchritudine decoratus. Ibi æstatis amœnitas, ibi odoris suavitas, &c. Cogita quantum potes, quantum erit gaudium ex visione sanctissimæ Trinitatis, in qua relucet exemplar omnis bonitatis, omnis suavitatis. Quam videndo omnia scienda scies, & quicquid volueris in illa habebis. In eius enim visione beatificaberis. Cogita de visione humanitatis Christi, quomodo qui hic fuit propter nos pauper & vilis homo, ibi sublimis erit Deus & homo. Cogita de gaudio quod habebis ibi ex societate gloriosæ virginis Mariæ, omniumque sanctorum Apostolorũ, Martyrum Virginum & Confessorum, & quomodo de cuiuslibet gaudio gaudebis & tu. Cogita de dotibus, quas ibi corpus tuum recipiet, quæ sunt immortalitas, impassibilitas, summa agilitas & maxima speciositas. Cogita de dotibus animæ quibus ipsa replebitur, quæ sunt plenitudo scientiæ, iustitiæ & lætitiæ. Cogita ex his dotibus quam multa alia consequeris, videlicet securitatem qua non timebis eiici, non timebis à tentatione vinci. Inde tibi summa libertas, inde sanitas, inde voluptas, inde amicitia, inde honor, inde concordia. Et breuiter habebis ibi quicquid volueris, & quicquid volueris non habebis.

CAPVT XXV.

Breuis modus meditandi circa beneficia Dei.

VT circa beneficia Dei innumera, aliquem modum habeas meditandi, & memoriam tuam reformandi, scias quod in his triplici consideratione poteris tuas meditationes variare & dilatare, vt nunc tua meditatio versetur circa ipsum benefactorem, nunc circa ipsa beneficia, quæ tibi multipliciter elargitur, vt nunc circa ipsum cui benefacit. Considera quod ipse benefactor tuus Dominus Deus ita tibi benefacit, vt nihil a te repetat, quia nec te nec aliquâ creaturâ indiget. Considera quod sit infinitæ potentiæ, cuius potentiam declarat vniversitas & multitudo creaturarum suarum. Considera quod sit immensæ sapientiæ. Et hoc attende ex pulchritudine & ordine totius vniversitatis. Attende igitur quantæ sit bonitatis, quod hic talis, tantusque Dominus modicum enceniolum tibi tribuit, imo quantæ bonitatis, quod tantus de tantillo dignetur cogitare. Considera quam sollicita sit tanta maiestas circa te in tribuendo beneficia, modo quo tibi maxime expedit. Ab æterno disposuit ea tibi donare. Ab æterno & semper de te actualissime cogitauit, & talia beneficia tibi præordinauit. Ita sollicitus circa te, sicut circa integrum orbem vel vniversitatem creaturarum. Ita enim hic magnus rex tibi & circa te intendit ac si vacaret à singulis. Et hoc affectum tuum non modo cum ad gratitudinem & amorem accenderet, si singula divina beneficia toti generi humano collata, ita tibi attraheres, & ita ex eis te ad gratitudinem intelligerẽs obnoxium, ac si tibi soli fuissent collata. Verbi gratia; Ac si pro te solo crucifixus esset, & homo factus, propter te solum creasset cœlum & terram. Et hoc docet nos Chrysostomus. Affectu etiam tanto illa sua beneficia tibi dat, quod si etiam minimum quid tibi daret, gratissimum merito deberet esse. Perpetua inquit, charitate dilexi te. Et ex perpetua & maxima charitate donat sua beneficia. Circa teipsum autem, cui tantus donat sua beneficia, attende quam vilis sis, quam plenus malitiis & concupiscentiis, sicut tibi superius satis est ostensum, cum diceretur de discussione tui, & propria cognitione, & de memoria peccatorum. Circa beneficia dupliciter forma meditationes. Primo, circa hoc quod mala tua tibi benignissime dimisit. Secundo, quod innumerabilia tibi contulit dona & munera. Dimisit enim tibi tot mala quod fecisti, de quibus supra dictũ est, imo dimisit tibi tot quot facere potuisti, à quibus te præseruauit. Attende etiam quod longanimiter te expectauit in peccatis, & non occidit sicut meruisti. Circa autem beneficia, quæ tibi dedit cogita, quam multa, quam bona, quam vtilia, quam magna, quis enumerabit ea, quis intelliget, quis loquetur? Etiam attende vt hic modum habeas cogitandi. Cogita quod tibi dedit dona naturæ, dona gratiæ, & dona superexcellentiæ. Percurre aliqua de singulis. Nam in quolibet sunt multa bona valde. De dono naturæ est quod creauit te, & ab æterno te prædisposuit creandum, non creauit te pecus, sed hominem. Dedit tibi visum, auditum, & cætera: & singulis creauit sensibus ea quæ sibi congruunt oblectamenta. Item dedit tibi animam immortalem, cui dedit rationem, ingenium & industriam, qua omnia materialia posset intelligere. Dedit tibi mentem vel intellectum, qua immateriales spiritus, scilicet Deum & Angelos intelligeres. Propter te omnia in terra creauit, omnia elementa ad tuam vitam, diversa animantia ad tuum nutrimentum. Dedit dona gratiæ. Primo quod voluntatem tuam ab eo aversam ad se revocauit, & ei gratiam suæ iustificationis infudit, quæ solum ab ipso descendit. Dedit voluntatem vt te velles emendare, tempus & locum ordinauit, vt posses. Ad donum superexcellentiæ spectat, quod propter te misit filium suum incarnari, vt esset amicus & frater tuus, qui propter te mortuus est, & crucifixus, & seipsum dedit in altaris sacramento, misit tibi spiritum sanctum, & hoc in signaculum acceptationis, in privilegium amoris, in annulum despensationis. Cogita quam multa egit ab initio mirifica cum genere humano. Propter genus humanum locutus est cum patribus, apparuit in figuris, loquebatur in Prophetis, eduxit de Ægypto, induxit in terram promissionis, & infinita mirabilia, operatus est. Vt quid autem lectum tuum in cognitione veri illuminaret, & affectum tuum traheret ad amorem boni.

CAPVT XXVI.

Sequitur vita Christi sub compendio collecta.

NIhil apparet vtilius quo salubrius occupes memoriam tuam, quam mysterium incarnationis Iesu Christi. Frequenter igitur, imo quotidie aliqua horâ pertracta in corde tuo aliquid de vita vel de morte Domini tui Iesu Christi. Cogita quomodo Dominus Deus tuus post multas præsignationes figurarum,

A post multa Prophetarum oracula, misit Angelum suum ad sacratissimam virginem Mariam vt consensum præberet, atque in eius vtero conceptus est, & nouem mensibus immoratus. Cogita quod Dei filius, cuius magnitudinis non est finis, factus est infantulus, in præsepio vagiit, pannis inuolutus est. Cogita quod tanquam peccator circumcisus est, vt tu à superfluis concupiscentiis possis circumcidi. Et nomen accepit vt Iesus vocaretur, vt intelligeres quia suos, non autem alienos esset saluaturus. Cogita quomodo adhuc rex paruulus, magos ad se traxit ab Oriente stellâ præuiâ, à quibus adoratur. Et quod ipse esset Christus, testimonium adhibent scribæ & prophetia de loco Natiuitatis eius apertius declarante. Cogita quomodo ipse primogenitus creaturæ, tanquam lege primogenitorum obligatus oblatus est in templo. Cogita quod B adhuc paruulus fugiendo in Ægyptum, Regis Herodis insidias & persecutiones declinauit. Cogita deinde, quod à duodecimo anno vsque ad tricesimum, tanquam vnus de populo incognitus, & ignotus, omnium Dominus latitabat, vt te doceret, vt non surgas ad agenda publice in quibus laus & honor conquiri potest nisi prius sederis diutius te humiliando. Surgite, inquit, postquam sederitis. Cogita deinde, quod ipse purissimus & mundissimus ab omni macula, vt omnem iustitiam impleret, à Ioanne baptizatus est, & vt aquas baptismatis sanctificaret. Cogita qualiter vt nobis exemplum tribueret tentationibus resistendi, ipse à diabolo tentatus est, vicitque, atque nobis dedit exemplum legitime contra inimicos præliandi. Tunc deinde paucos de mundo abiectos homines & humiles elegit, cum quibus paucis, totum mundum incepit gladio prædicationis debellare. Ciuitates circuibat & castra, noctes ducebat in oratione peruigiles. Cæcis visum tribuit, surdis restituit auditum, leprosos mundabat, dæmones eiiciebat. Omnes quoque quibuscumque languoribus detentos sanabat, ac multa miracula faciebat, quæ si per singula scriberentur, vt sanctus dicit Euangelista Ioannes, totus mundus non caperet. C Volens autem hostiam offerre propter quam venerat, allatum à discipulis asellum, cæli terræque Dominus ascendit, magno triumpho & laudum præconiis, pueris Hebræorum clamantibus: Osanna in excelsis. Ierusalem ingreditur, eiusque ruinam, & animæ nostræ cæcitatem & impuritatem, tactus misericordiæ visceribus amarissimè deplorabat.

CAPVT XXVII.

De cœna Domini, & præparatione ad sumptionem Corporis Christi.

INter omnia memoralia Christi, præcipue recordatione constat esse dignissimum, finale illud conuiuium Dominicæ cœnæ. Ideoque nonnunquam specialius & deuotius tuas circa illud formabis meditationes. Cogita igitur quantæ fuerit humilitatis, quod Dominus Christus cum illis pauperculis discipulis suis, præcipue cum Iuda proditore, eadem mensâ & scutellâ cœnauerit. Quodque pedes eorum humilitatis volens exemplum altius imprimere, prostratus humiliter abluebat. D Quantæque pietatis & charitatis hoc fuit, quod eosdem discipulos tam dulcibus colloquiis verbisque exhortatoriis confortabat. Sed super omnia quotidie, & maxime Dominici corporis sacramenta sumpturus, memoriam facias deuotissimi illius mysterij quod ibi primitius erat institutum. Siquidem postquam agnum paschalem typicum cum discipulis suis comedit more Iudæorum, ex tunc verum agnum paschalem comedendum dedit. Consecrauit enim corpus suum, atque discipulis tradit manducandum, quibus & potestatem tribuit idipsum consecrandi aliisque tribuendi. O vere magna munificentia. O inaudita largitas. O charitas superexcellens, qui seipsum dedit, quid poterit negare? Quid vltra faceret; Omnia quæ potuit, pro nobis fecit, omnia quæ habuit, dedit. Dedit regnum suum, dedit seipsum. Ideoque in hac cœna dicebat: E Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facite. In memoriam scilicet eorum quæ propter te in carne gessi. Quia propter te derisus, illusus & crucifixus sum. In mei, inquit, memoriam. Hieronymus: Hanc nobis memoriam reliquit, quemadmodum si quis peregre proficiscens aliquod pignus ei quem diligit derelinquat, vt quotiescunque viderit, possit eius beneficia & amicitias commemorari; quem si ille perfecte dilexerit, sine ingenti desiderio vel fletu illud videre non potest. Ideoque Saluator hoc tradidit sacramentum, vt semper commemoremur quia pro nobis mortuus est. Hoc igitur cum accipimus à sacerdotibus, commemoremur, quod corpus & sanguis Christi est, vt non simus ingrati tantis beneficiis. Hoc sacramentum omnium sacramentorum excellentissimum, ægrotis est medicina, peregrinantibus diæta, debilesque confortat, valentes delectat, languores sanat, sanitatemque seruat. F Fit homo mansuetior ad correptionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obediendum promptior, ad gratiarum actionem deuotior. Item hoc sacramentum sensum munit, & in grauioribus peccatis tollit omnino consensum. Si igitur post sumptionem huius gloriosissimi sacramenti non tam sæpe, non tam acerbos motus sentis iracundiæ, inuidiæ, luxuriæ, & cæterorum huiusmodi, gratias age corpori & sanguini Domini, quia virtus sacramenti operatur in te, & gaude quod pessimum vlcus accedit ad sanitatem. Aduerte tamen quod effectus sacramentorum solet esse secundum dispositionem & præparationem accipientium. Neque enim Iudas hæc præmissa dona accepit qui corpus Domini suscepit, si tamen suscepit. Ideoque summopere studendum est, G vt quantum potueris ante eius sumptionem te digne præpares. Qui enim corpus & sanguinem Domini indigne sumit, iudicium sibi manducat & bibit. Tria autem sunt quæ à te exigit huius sacramenti digna susceptio, scilicet corporalem munditiam, puritatem conscientiæ, & actualem deuotionem. Corporalis autem munditia aliquando est ex decenti, aliquando necessario requisita. Puritas autem conscientiæ, præsertim à criminibus, ipsa est necessaria. Ideo vide vt ante susceptionem huius sacramenti contritionem habeas, atque si fieri potest ante conspectum Domini humiliter lachrymas fundas, quibus te laues à peccatis tuis quæ fecisti, & bonis quæ omisisti, & quæ facere potuisti corde, ore & opere. Gregorius in libro dialogorum: Necesse est vt cũ hæc diuina mysteria agimus, nosmetipsos Deo in cordis contritione mactemus, quia qui passionis Dominicæ mysteria celebramus, debemus imitari quod agimus. Sequitur deinde confessio omnium peccatorum de quibus te vrget conscientia, præsertim notabilia, quæ omnia expedit vt confitearis, & de ignotis reddas te culpabilem sacerdoti. In his igitur duobus, contritione & confessione, lauas conscientiam ab impuritate. Actualem autem deuotionem in te faciunt timor & amor. Timor incutit reuerentiam, Amor autem desiderium & affectum. Habeas igitur reuerentiam & timorem. Terribilis enim est hæc mensa, ad quam cum debita reuerentia & congrua vigilantia necesse est vt accedas. H Siquidem in hac sacerdotali mensa, nunc præsens est Christus, & qui vltimam cœnam cum Apostolis ornauit, ipse istam quoque consecrat. Non enim homo est qui proposita corpus Christi facit & sanguinem, sed ille qui pro nobis crucifixus est Christus. Sacerdotis ore verba proferuntur, & Dei virtute consecrantur & gratiâ. Quomodo igitur tu ad illam mensam, ad præsentiam Christi, ad tactum filij Dei intrepidus audes accedere, quem Ioannes Baptista tangere contremiscit, Petrus Apostolorum princeps se præ formidine repulit dicens: Exi à me Domine quia homo peccator sum, quem tremunt potestates, & adorant dominationes? Denique cogita, quod

quod iste quem sumis, erit judex tuus. Time igitur ne si indigne sumpseris, & sine reverentia, post mortem invenias iratum, cum ad ejus tribunal præsentatus fueris judicandus. Cogita quod licet mille millibus annorum te ad hoc sacramentum per puras orationes, sanctissimas meditationes præparaveris, nihil esse ad condignam sumptionem etiam si haberes merita omnium sanctorum, quanto minus tu qui tepide, qui sine devotione & sine præparatione accedis? Item attende propriam vtilitatem, modo superius dicto, & reputabis te indignum, & acquires reverentiam congruam, & hoc maxime valet pro hujus sacramenti digna susceptione, vt quantum poterit fias vilis in oculis tuis. Habe etiam desiderium ad hujus reverendi sacramenti susceptionem. Panis enim iste, vt dicit beatus Augustinus, esurientem quærit hominis interioris. Diversi autem diversimode affectum ad susceptionem hujus sacramenti sibi formant. Aliqui enim trahuntur amore vnionis Christi, vt ipsum in se sæpius amplexentur. Aliqui trahuntur desiderio sanationis passionum suarum & desideriorum malorum, vt eum quasi medicum ad se vocent, per quem ab omni infirmitate curentur. Aliquos trahit conscientia delictorum, eo quod hoc sacramentum institutum sit in remissionem peccatorum. Aliquos trahit amor & compassio proximi, vt succurrant per hanc hostiam vivis simul & defunctis, & sic de aliis. Vt autem desiderium tuum accendatur, cogita quod Christus omnium dolores ad se accedentium tulit, & ipse infirmitates nostras portavit. Mulier immunda accedens retro, sanata est. Peccatrix pedes osculans mundata est. Chananæa dum importune sequitur exaudita est. Leprosi accedentes curati sunt. Dæmoniaci, paralytici, & cuncta naturæ monstra dum accedunt & credunt, salutem consequuntur. Nam virtus de illo exibat & sanabat omnes. Publicani & peccatores accedentes veniam merentur, nec eorum convivium despexit. Igitur cum feceris quod in te est, accede in fide & fiducia sperans de infinita Dei pietate. Debes etiam præcipue ante hujus sacramenti susceptionem, devotissime Christi passionem percutere. Nam specialiter in memoriam passionis hoc sacramentum legitur institutum. Si autem quæris, quo affectu te magis debeas excolere, timoris scilicet & reverentiæ, an amoris & desiderij. An debeas vt multi, cum importuna desiderij festinantia anhelare. An, vt nonnulli, conscientiæ stimolo & timoris magnitudine, magnitudinem sacramenti attendens & propriam infirmitatem considerans, magis debeas frequentius præ formidine affectu retrahi & elongari. Ad hoc sancti responderunt vtrumque affectum commendantes, vniuscujusque conscientiæ, quod ei melius visum fuerit, relinquentes. Festinavit siquidem Zachæus vt Dominum gaudens in domum suam reciperet, Centurio propriæ vilitatis conscius, repulit eum, dicens: Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum, &c. Vnum tamen est quod generaliter omnibus tutum videretur, vt scilicet ex reverentia timentes, spem & desiderium non relinquamus, nec ex spe & fiducia amittamus timorem & reverentiam, sed inter hæc vtraque fidentes & timidi fluctuemus. Ait enim S. Gregorius: Nihil nobis securius quam sub spe timere. Simpliciter tamen loquendo dubium non est, quin melior sit affectus amoris quam timoris. Sed quod est simpliciter melius, in casu est pejus & pluribus periculosius.

CAPVT XXVIII.

De generali modo exercitandi se in Passione Domini.

Circa passionem Dominicam in qua te præ cæteris exercitiis ardentius & devotius exercebis, vt ea quæ in sacris Evangeliis legeris, ad tuam vtilitatem melius scias reflectere ac dirigere ad propriam vtilitatem: Scire debes, quod tria sunt in quibus tua consideratio circa mortem Salvatoris nostri fructuosissime speculatur. Sunt autem hæc tria, opus, modus, & causa. Opus, vt ipsam passionem sicut facta à sanctis Evangelistis narratur, studiosa & devota mente pertractes, & invenies Christi mirabilem patientiam, & excitaberis tu ad compassionem. Cum autem sacramenti Dominicæ passionis historiam in mente tua revolvis, vt ad literam opus nostræ redemptionis contempleris, diligenter debes ad hoc niti, vt quoties audis Christum vel IESVM hoc fecisse vel sustinuisse, per nomen IESVS, in mente tua repræsentetur, non homo solum, nec solum Deus, nec sola deitas vel humanitas, sed in mente formabis conceptum personæ vnius quæ simul est Deus & homo, & in qua deitas & humanitas sine essentiarum permixtione in vno supposito coegerunt. Itaque Christus vel IESVS cum dicitur, Deus & homo, id est, persona deitatis & humanitatis designatur, ita vt quicquid Deus fecisse firmiter fide Catholica retineamus, quicquid homo sustinuit Deum credamus & cogitemus sustinuisse. Verbi gratia, cum legis Christum flevisse super Lazarũ vel Ierusalem, in mente tua concipies, non nudum hominem, quoniam tunc minus mirabile est hominem flevisse. Sic cum audis Christum in cruce pependisse, non hominem solum in mente cogita, sed hominem Deum; & amplius miraberis, & multo plus ad devotionem accenderis, & moveberis ad compassionem. Et quidem omnibus fidelibus IESVS vel Christus, Deum hominem repræsentat. Sed quanto id lucidius & clarius attendere poteris, tanto eris devotior in Christi vita, morte, miraculis & factis. Si hominem cogitas, inde tibi facilior cogitatio, quia humanitatis conceptus est menti tuæ propinquior & facilior. Si hominem cogitas, inde fiducialius adorabis, securiusque acceder. Si hominem cogitas, magis movebit te ejus exemplum, mitiras scilicet, humilitas, mansuetudo, quia melius intelligis quid sit homo mitis & humilis quam de Deo. Si Deum cogitas, inde omnia quæ fecit & patitur, vel loquitur, vel respondet, magis videbuntur cordi tuo admiranda, reverenda, terrifica, & metuenda. Vt cum dicitur: Hymno dicto surrexit IESVS. Si hominem IESVM imaginaris, hæc est tua devotio, quam dulcis homo, pius & mitis surrexit, volens ire & se offerre ad mortem. Si Deum hominem attendis, id est, ita IESVM concipis quasi personam deitatis & humanitatis, statim cum dicitur, surrexit IESVS, etiam si nil plus audis, aliquid mirificum menti tuæ repræsentatur, scilicet, quod Deus surrexit & ad mortem ivit. Ita de omnibus factis, & maxime verbis & responsionibus Christi. Hunc nos modum de Christo vel de IESV meditandi, sacra Evangelia docent, quæ fere nullum factum vel miraculum referunt in quo Christi simul humanitatem & divinitatem non manifestent. Ita invenies in Christi baptismo, tentatione, miraculis, & maxime in pluribus locis in passione. Nam adversarios prostravit deitate, sol obscuratus est, clamans voce magna, emisit spiritum, ita vt etiam ex hoc Centurio gentilis Deum intelligeret. Ex humanitate autem omnia passus est. Item hunc modum habuit in suis meditationibus devotissimus doctor Bernardus, ait enim super Cantica: Siquidem, inquit cum nomino IESVM, hominem mihi propono mitem & humilem, corde benignum, sobrium, castum, misericordem & omni denique sanctitate & honestate perspicuum, eundem ipsum Deum omnipotentem Sumo mihi itaque exemplum de homine, auxilium de omnipotente. Secundo, circa opus passionis Christi, vt magis accendaris ad compassionẽ, debes diligenter advertere, quotiescunque legeris in passione Christi aliquas pœnalitates sibi inflictas, eodem genere pœnalitatis seu eodem gradu pœnarum Christum in sua passione vltra omnem hominem fuisse afflictum. Quod ex multis causis poteris considerare, quæ te vt passionis Christi amaritudinem sentias,

multum movebunt si bene consideraveris. Vnusquisq; enim homo in eodem gradu pœnalitatis plus, minúsve patitur, quanto pœnam plus senserit sicut notum est. Tanto autem quisque pœnam facilius & acrior sentit, natura vivacior, & sensus ejus facilius percipit, sed Christus erat natura vivacissimus, ideo quælibet pœna sibi inflicta erat ei gravissima. Cogita ergo si illa crucifixio & illa elevatio manuum & pedum de qua Propheta ait: Foderunt manus meas & pedes meos, alteri cuivis hominum fuisset intolerabilis, quãto gravior & acerbior Christo in sui natura delicatissima, nobilissima & vivacissima? Item secundum Augustinum, Christus non patiebatur nisi volens. Ipse enim passiones voluntarie sibi assumpsit, & tantum patiebatur, quantũ voluit seu sponte assumpsit, Christus autem patiebatur vt satisfaceret pro peccato nostro. Credendũ est quod ipse perfectissime satisfecit, & igitur amarissimam etiã pœnam assumpsit. Peccatum enim primi hominis pœna infinita indiguit ad satisfaciendum. Et hæc ratio est Bonaventuræ. Item erat pœna eo gravior quo à peculiari suo populo inflicta, cui meritò dicere poterat: Popule meus quid tibi facere debui & non feci? tu autem quid mihi pejus retribuere poterat quam fecisti? Item pœna Christi erat in omni sensu, in omni mẽbro, sicut invenies si bene opus passionis in mente tractaveris. Item devote imaginare interiorem Christi pœnalitatem, quæ forte exteriore pœna non erat minor imò forsitan multo major. Quæ interior pœna causabatur in eo ex nimio zeli fervore pro humano genere, in quo tamen ad majorem partem videbat passionem suã fore inutilem propter propriam malitiam. Item hæc interior pœna surrexit ex maxima compassione suæ dilectissimæ matris. Item ex miseratione Iudæorũ. Item ex dolore discipulorum & peccatorum eorum, & maxime Iudæ. Item ex nostra cœcitate & ingratitudine. Cum autem legeris vel in mente revolveris, quomodo Christus fuit flagellatus, irrisus, delusus, consputus, crucifixus, & cætera. Noli solum cogitare de pœna exteriore, sed ita Dominum IESVM respice in talibus pœnis quasi hominem Deum exterius summa pœnalitate afflictum, & etiam vltra quam humana mens comprehendere potest, interius tribulatum & dolorosum. Et vero si ita respicis Christum in quavis afflictione constitutum, si non condoles, valde mirandum est; cum revera si perfectè comprehenderes animal brutum ita inexplicabili pœna affligi, humanitatis affectu compatereris, quanto magis Domino Deo tuo? Et hoc de opere. Circa modum autem patiendi si diligens fueris & devote timaveris, invenies præcipue humilitatem, mititatem, & generaliter omnium virtutum perfectum exemplar imitandum. Vt autem modum patiendi in Christo in te melius sentias, debes in omnibus quæ de Christi passione legis vel cogitas, semper in mente tua revolvere, quomodo Christus se habuit in verbis, in responsionibus, in factis, in pœnis, quomodo se habuit tam interius quam exterius, & quomodo illa pro vt loco & personis congruebant, optimo modo formabat; & hoc poteris in Evangelio invenire, vel certe si ibi non est expressum, ex teipso formare. Nam nullus Christianus ignorat, quin in omnibus optimo modo se habuit. Igitur de modo ita debet cogitare. Cum, verbi gratia, legis: Stetit IESVS ad Pilatum præsidem, &c. Cogita primo modum stationis, quam humilis fuit, forte inclinato capite, demissis oculis. Deinde de modo prolationis verborum, quam leni & dulci voce deprompsit, ita vt te delectaret audire aliquem hominem ita loquentem: Nam vox ejus non minus dulcis, quam facies decora. Deinde cogita quomodo interius se habuit, & planum est quod stetit cum summa humilitate non habens invidiam contra Pilatum & Iudæos, sed compassionem. Sic cogita quando Iudæi clamaverunt: Crucifige, crucifige eum, &c. quomodo Christus ea audivit. Certe summo dolore, ex compassione & zelo, & tamen exterius humiliter se habuit. Et sic omnia pertracta, imitans modum Christi se habendi secundum loca & tempora, & invenies omnem virtutem in Christo & optimum modum in quo se habere potuit. Maxime autem diligenter attende modum, quo interius se habuit compassione vel zelo, &c. Circa tertium scilicet causã, ita lege & cogita de passione Redemptoris tui, vt scias quia tu es causa. Passus est enim propter tuam redemptionem, illuminationem, justificationem & glorificationem. Itaque semper attrahe tibi hoc beneficium, quasi pro te solo passus sit, vt supra dictum est. Item cogita sẽper quicquid legeris vel cogitaveris, quasi dicat tibi Christus: Hoc feci vt tu sequaris vestigia mea, te humilies, patiens sis, tollas crucem tuam & sequaris me, quia non est servus supra Dominum suum.

CAPVT XXIX.

Passio Christi breviter collecta ad modum fasciculorum.

Fasciculus I.

FAsciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Loquitur anima devota, designans se Christi amaritudinem simul collectam, jugiter in suo pectore circumferre. Vt autem etiam tu quicunque memoriam tuam per meditationem mortis reformare desideras, qui in promptu habeas fasciculos qui in memoria tui commorentur, passionem Christi hic tactam solummodo ordine Evangelistarum inseruimus compendiose, vt ex illis paucis, secundum illa tria quæ dicta sunt opus, modum & causam, habeas materiam copiose meditandi, & de paucis plurima colligas. Cogita igitur quomodo solemni illa cœna, de qua supra dictum est celebrata, & hymno dicto. Christus Deus & homo, videns appropinquare tempus suum, surrexit vt iret ad mortem, hoc est opus quod fecit. Cogita igitur vt supra dictum est, de modo quomodo se habuit intus & extra, eundo, fugam discipulorum prædixit, Petrum asserit se ter negaturum, & alia quæ loquebatur, hoc iterum opus. Cogita quomodo exteriori verba illa deprompsit, & quali interiori protulit affectu. Et sic facias vbique, nec opus est semper repetere. Assumpto Petro, Iacobo & Ioanne, ait: Tristis est anima mea vsque ad mortem. Relictis illis solus orat in monte, finita tertia vice oratione, ex imaginatione mortis & interno dolore & timore, factus est sudor ejus sicut sanguis, innuens per hoc ineffabilem pœnam suam, nam de nullo vnquam aliquid tale legitur: Tunc Angelus suum Dominum confortavit. Cogita quomodo Christus inimicis suis obviavit, & sponte se obtulit, & eos verbo suo in terram prostravit. Deinde à Iuda osculatur, à Iudæis capitur, trahitur, vincitur, & ad domum Annæ adducitur, & omnes discipuli fugerunt. Et hic sit tibi fasciculus vnus memoriæ commendandus. Et hic si placet, potes diligenter aspicere Christum, quis sit iste qui patitur ista, vt te subdas ei per rationis assensum. Crede igitur & cogita ipsum esse veraciter Dei filium, omnium principium, salvatorem omnium & retributorem omnium.

CAPVT XXX.

Fasciculus II.

IN domo Annæ confessus veritatem, à servo nequam percutitur. Cogita hic opus, modum & causam, vel saltem aliquod eorum, sicut sibi congruit. Deinde in domo Caï, hæ vbi Scribæ & Pharisæi expectabant, adducitur, illuditur, percutitur tanquam blasphemus, falsum testimonium quæritur, non invenitur. A pontifice adjuratur. A Petro ter negatur. Sed Christus Petrum respiciens, exire & flere amarissime compulit,

Mane autem facto, ad Pilatum vinctus ducitur. Cogita modum quo ipsi ducebant eum, quia pessimo, tanquam latronem vel maleficum, &c. Cogita modum quomodo ille ivit, quia humillimo & patientissimo, &c. Judas videns quod petebant Christum ad mortem, tantum in se doluit, quod tam dulcem hominem tradidit, ut se laqueo suspenderet, & retulit pecuniam cum qua emptus est ager, sicut prædixit Ieremias. Coram Pilato multipliciter innocenter accusatur, mittitur ad Herodem, & ab eo ut fatuus deluditur & irridetur. Hic diligentissime considera qualis est qui patitur, & ei configurare, ut compatiaris innocentissimo, mitissimo, amantissimo, & nobilissimo. Et hic sit fasciculus secundus.

CAPUT XXXI.

Fasciculus III.

POst hæc petentibus hoc Judæis, dimittit Pilatus Barrabam, & tradidit IESUM crucifigendum, victus importunitate Judæorum & timore Cæsaris. Tunc IESUS, more & schemate Regis multipliciter illuditur, chlamyde induitur, spinis coronatur, arundine percutitur, & ut Rex in derisum adoratur. Hic homo cogita modum, attende causam, quomodo scilicet Christus se habuit, & quomodo Judæi se habuerunt. Causam quare tanta sustinuit: Vadens ut crucifigatur, proprium portat patibulum, populus sequitur, & mulieres flentes. Quibus ait: Nolite flere super me, &c. Ad montem ducitur Calvariæ & crucifigitur. Et hic diligenter pertracta modum crucifixionis. Aut enim primo crucem erexerunt, & Christus ascendit ad crucem, aut certe crucem posuerunt ad terram, & Christum super eam posuerunt. Nam alius modus non apparet. Et quicunque fuerit modus revolve quam sit lamentabilis. Et hic tertio speculum conveniu considerate, quantus sit iste qui tanta patitur, ut ad ipsum possis egredi per admirationis aspectum, quia immensus est potestate, speciositate, felicitate, æternitate. Admirare igitur majestatem annihilari, speciositatem decolorari, felicitatem tormentari, æternitatem mori. Et hic sit tertius fasciculus.

CAPUT XXXII.

Fasciculus IV.

PEndens IESUS in cruce sitit. Cogita opus quomodo Christus pendet. Cogita modum & causam. Cogita quid sitit, orat pro crucifixoribus, blasphematur in cruce, & irridetur à prætereuntibus, à principibus, à latrone. Titulus verissimus & indelebilis, IESUS Rex, inscribitur. Stat mater IESU dolorosa sub cruce, quam Christus respexit, & Joanni commisit, fiunt tenebræ. Designans tandem quanta sua esset pœna, & quod humanitas quodammodo fuit deserta, eo quod non fuit redundantia virium supernarum quibus fruebatur, ad inferiores quibus patiebatur, clamabat: Eli, Eli, &c. Accepto aceto consummatis jam omnibus, cum nihil restabat agendum, clamans alta voce, emisit spiritum: innuens quod si vellet, quamdiu vellet, viveret, & quod nullus animam suam à se tolleret, sed quod ipse eam sponte poneret. Et hic debes considerare assimilationis amictum, quali forma passus sit. Passus est enim sicut verus agnus liberalissime respectu proximi, severissime respectu sui, obedientissime respectu patris, prudentissime respectu adversarij. Stude igitur ad habendum secundum effigiem imitationis Christi, scilicet benignitatis, severitatis & perspicuitatis. Et hic sit tibi fasciculus quartus.

CAPUT XXXIII.

Fasciculus V.

LAtronum ossa confringuntur, Christi os non minuitur, ne figura de hoc evacuetur. Latus ejus aperitur, unde profluunt Ecclesiæ sacramenta, velum templi scinditur, sepulchra mortuorum aperiuntur, ut inde mortui in die resurrectionis cum Christo resurgerent. Hic considera quanta pro te passus sit, & crucem amplectere per passionis desiderium, ut sicut ipse passus est injuriam, convitia, ludibria, supplicia, sic & tu passionem Christi imitando amplectere pro eo omnem passionem plenam injuriis convitiis, suppliciis, ludibriis. Et hic sit fasciculus quintus.

CAPUT XXXIV.

Fasciculus VI.

PAssio Christi non solum memoriam reformat per devotam meditationem, nec solum inflammat desiderium ad devotionem, quinimo præcipue illustrat intellectum, & ducit ad cognitionem veritatis. Siquidem in universitatis cognitione maxime 7. erant clausa ante Christi passionem, quæ sunt in ejus passione reserata. De quibus intelligi potest illud Apocalypsis: Aperta sunt signacula ejus 7. Primum signaculum fuit Deus admirabilis, qui per crucem manifestatus est esse summa sapientia, in eo quod diabolum decepit, summa justitia in quantum quæsivit redemptionis pretium, summa misericordia, quia tradidit pro nobis filium. Secundum signaculum fuit spiritus intelligibilis, qui manifestatus est per passionem, quantæ sit benignitatis quantum ad Angelos, quia Christum permiserunt crucifigi, quantæ dignitatis quo ad homines: nam propter eos Christus crucifixus est, quantæ crudelitatis quo ad dæmones, qui Dominum Deum suum fecerunt crucifigi. Tertium signaculum est mundus sensibilis, qui in morte Christi probatur esse locus tenebrarum, in quo regnat cæcitas, quia lucem veram non cognovit, sterilitas, quia Christum infructuosum reputavit, impietas, quia innocentem condemnavit. Quartum signaculum fuit paradisus, qui per crucem apparet esse locus plenus gloriæ, lætitiæ & opulentiæ, in eo quod Christus propter ejus restitutionem factus est vilis, pauper & miser. Quinto, per mortem Christi infernus manifestatus est esse plenus omni egestate, vilitate & paupertate, quoniam si hæc Christus passus est propter peccati deletionem, multo magis damnati hæc patientur propter justam operum retributionem. Sextum signaculum fuit virtus laudabilis, quæ per crucem Christi probatur esse pretiosa & fructuosa. Pretiosa, quia Christus ante voluit vitam corporalem perdere quam contrariari virtuti. Speciosa, quia in contumeliis relucebat virtus. Fructuosa, quia unus perfectus actus virtutis infernum spoliavit, cœlos aperuit, perditum restauravit. Septimum signaculum per crucem apertum est, in eo quod apparuit reatus culpabilis quam detestabilis sit; cum ad sui remissionem indigeat tam magno pretio, tam grandi piaculo, tam difficili medicamento. Et hic sit fasciculus sextus.

CAPUT XXXV.

De exercitio Orationis.

SUccinctè & compendiosè materias tetigimus, in quibus ut plurimum versantur votorum meditationes. Sed si vis amplius meditationes eas in talibus dilatare, stude ex divinis libris plurimam materiam de his colligere, & ad tales materias trahere

studiis

studia divinarum scripturarum. Siquidem lectio scripturarum, meditationibus semen subministrat unde meditatio affectum generet, affectus ad orationem recurrat, qua fructum veræ virtutis impetret. Hæ sunt utiles occupationes devotorum, si bene assumantur lectio, meditatio, & oratio. Sed quia de lectione & meditatione aliqua diximus, pauca etiam de oratione dicamus. Sciendum igitur quod orationes possunt esse duplices. Quædam enim sunt prolixiores, sicut septem Horæ Canonicæ. Quædam breviores, quas homo format, sicut affectus ejus suggerit, vel necessitas vel desiderium postulat. Ante orationes longas & maxime Matutinas & Vesperas, ut supra tactum est, debet se homo præparare per aliquam devotam meditationem de morte, de judicio, de peccatis & consimilibus, ut ante orationem concipiat aliquem affectum timoris, amoris, admirationis vel spei, &c. quia ex talibus affectibus orantis surgit omnis virtus & vigor orationis, secundum Hugonem. Breves autem orationes, quas Augustinus ad Probam, jaculatorias nominat, ubique & in omni loco, in labore, in studio debes mittere ex fervido desiderio, nunc pro expugnatione vitiorum, nunc pro liberatione pœnarum, nunc pro remissione peccatorum, nunc pro regno cœlestis patriæ. De his brevibus orationibus dicit Cassianus, & Augustinus ad Probam, quod sancti Patres in Ægypto orationes breves quidem, sed creberrimas, utilius fieri censuerunt. Licet autem corporis necessaria etiam à Deo petere debeamus, multo tamen frequentius petenda sunt nobis dona gratiæ & cœlestis gloriæ. Ardentius ergo debemus petere pro veris virtutibus, pro expurgatione vitiorum. Maxime autem semper in omnibus orationibus nostris debemus habere ante oculos illa vitia quæ magis nos infestant, & contra quæ nos amplius repugnamus, & cum gemitu & singultu pro illorum extinctione Dominum deprecari. Habeas etiam te quibusdam signis admonitum, quibus ad orationem exciteris, ne ex pigritia tua negligas, ut videlicet orės quoties te exire contingat, sicut sancti Patres facere consueverunt, secundum Hieronymum. Item quando te apprehendit tentatio ne succumbas, quando de excessu increparis, & de consimilibus. Ora etiam nonnunquam pro defunctis, quia pium est, ut dum in æterna vita fuerint, pro te orare non negligant. Clamant ad nos quotidie: Miseremini mei, miseremini mei, &c. Si quando vero diffidit tua conscientia ad Deum orare, conscia suorum excessuum, arripe illud genus orationis quod obsecratio dicitur, id est, roga aliquem sanctorum ut pro te deprecetur clamando: Sancta Maria ora pro me.

CAPUT XXXVI.

De reformatione voluntatis, primo à culpa.

Dicto de reformatione intellectus & memoriæ, consequenter agendum est de reformatione voluntatis. Sed quia non solum vires animæ sunt destitutæ in lapsu primi hominis, sed quia, heu, multi per actuale peccatum spoliati sunt gratia Dei & culpa propria deformati: Ideirco duplici indigent voluntatis reformatione. Prima, qua eis infundatur gratia & justificatio. Secunda, qua pronitas voluntatis & inclinatio appetituum restenetur. Prima reformatio, de qua non nisi modicum dicemus, quia non est tantū ad propositū sicut secunda. Secunda fit, quæ per pœnitentiā. quæ tribus partibus constat, contritione, confessione, satisfactione, integratur. In naturalibus dicitur res conteri, quando res dura frangitur vel imminuitur in partes minutas. Ita similitudinariè cor hominis durum dicitur, quādiu aversum à Deo moratur in peccatis, non credens divinæ motioni trahenti voluntatem à peccatis. Tunc conteri dicitur, quia ab illa obstinatia & duritia mollitur & frangitur. Sine hac contritione, gratia quæ per peccatum mortale amittitur, nunquam recuperatur. Cave ergo homo, cor durum & insensibile, à quo gratia divina resilit. Est autem cor durum secundum Bernardum de consideratione, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Nihil autem tantum valet contra cordis duritiam, quantum compunctio, de qua superius satis dictum est. Post contritionem sequatur confessio simplex, humilis & fidelis. Humilis, ut cum vera compunctione peccata nostra confiteamur, non recitando sicut fabulam: Sicut quidam faciunt qui spiritum compunctionis non habent. Nam qui spiritum compunctionis per sui discussionem eo modo quo supra dictum est, acquisierunt, facilè in lachrymas prorumpunt, imò sæpe peccata sua sine lachrymis dicere non possunt. Sit etiam humilis; ut humiliter & subjectè te habeas ad confessorem, in omnibus te sibi subjiciens ad satisfaciendum, & tanquam in omnibus assistens judici, loquere & responde. Sit etiam humilis, ut non dicas quædam, quæ licet turpia, tamen propter aliquam secularitatem inde velis laudari, sicut quidam qui acute disputando alium superaverunt, &c. Sit etiam simplex, ut non excuses intentionem, sed simpliciter quicquid conscientiā remordet confitere. Et ut fidelius cōfitearis, potes tuos defectus quotidianos, secundum Antonium, in scriptis notare. Sit etiam fidelis, ut in spe veniæ confitearis. Item salvo jure debes meliori quem invenire poteris confiteri, & maxime viro spirituali, cui conscientiam tuam possis committere, & consilia ab eo recipere, & cui in omnibus acquiescas. Satisfactionem ad confessoris arbitrium prompto animo adimplebis, eò quod sine satisfactione pœnitentia non sit integra, ideo neque sufficiens.

CAPUT XXXVII.

Quod locum superiorem & occupationem exteriorem voluntas ordinata de suo refugit sed ex imperio suscipit.

De secunda autem reformatione, qua inclinatio voluntatis ac pronitas appetituum per devota & sancta exercitia sub freno rationis moderatur. Sciendum est quod debite ordinata voluntas, in multis aliter vult & velle debet ex suo, aliter ex aliorum imperio vel forsitan bonorum consilio. Atque aliter reformatur voluntas respectu sui, aliter respectu superioris. Siquidem de ratione voluntatis bene ordinatæ & reformatæ existit, ut semper sibi velit vacare, vitare tumultus, nonnunquam tamen superioris imperio cogitur invita exterioribus officiis deservire. Breviter autem sicut ad præsens occurrit, specialiter sunt duo in quibus ordinata voluntas semper ex suo vult aliud & aliud ex aliorum imperio vel forsitan consilio. Sunt autem hæc duo, exterior occupatio in tumultu, & gubernatio aliorum sive locus superior. Hæc enim duo, voluntas ordinata ex suo semper debet refugere, ac etiam cum cogitur, debet ea non ex desiderij libidine suscipere: sed potius propter onus charitatis tolerare. Nam humilis obedientia in omnibus injunctis fideliter & humiliter est implenda, & semper obedientia exercitiis propriis est anteponenda. Super his sunt innumera dicta sanctorum. De exteriori enim occupatione dicit Bernardus: Absit, absit, ut qui Deo vacat, ad tumultuosam aspiret fratrum officialium vitam. Martha semper insufficiens sibi & minus idonea videatur, alitque magis id operis quod administrat optet imponi. Item de his duobus loquitur Augustinus 19. de Civitate Dei: Itaque (ait) à studio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium: Locus

vero

vero superior sine quo regi populus non potest, etsi teneatur atque administretur vt deceat, indecenter tamen appetitur. Quamobrem otium sanctum quærit charitas veritatis, negotium justum suscipit necessitas charitatis, quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur suscipienda est propter charitatis necessitatem. Hæc Augustinus. Idem asserit Gregorius sæpissime in libris Moralium. Idem dicit Thomas de Aquino in 2.2. quæst. 185. Nemo ergo sua voluntate sibi debet assumere honorem, nisi qui vocatur à Deo vt Aaron, nemo ad exteriores tumultus nisi coactus aspirare. Sed sunt nonnulli qui in spiritualibus tædio victi, exteriora ministrare tota voluntate cupiunt, & à superioribus suis importunitatibus licentiam acquirũ: Alij vero superbia superati, nec contenti in humilitate, similiter cogunt superiores suos molestiis, vt consentiant, quod ad altiora conscendant & gravius inde ruant, qui tamen in eo se credunt immunes à peccato, eo quod habeant licentiam superioris, sed decipiunt miseri seipsos. Nam Deus non irridetur. Nam vt ait ille devotus Anselmus in libro suo de similitudinibus: Licentia quidem opus seu factum excusat, non autem voluntatem. Non igitur excusat tuam voluntatem, qua tantum ad alia anhelas, & ad superiora aspiras ascendere, quod habes superioris licentiam, imò etiam si sine molestia vel importunitate tua promoveris, tu autem lætus & voluntarius libenter assumis locum superiorem, non excusaris. Nam obedientia secundum Augustinum, quantum in prosperis habet de suo, in tantum hominem non excusat, sed ipsa libido voluntatis obedientiam annihilat. Esau benedictionem perdidit dum foras, tanquam ad tumultum egressus esset quamvis licentiâ sui patris. Itaque quantum ad hæc duo, tunc voluntas est ordinata, cum hoc de proprio quantum in se est, totis viribus refugit. Sed si cogat necessitas, obedientiâ tractus suscipit. Ita ergo in omnibus esto prompta voluntate subjectus, vt tamen quantum in te est non separeris à Rachelis amplexibus, nec periculose involvaris mundi tumultibus, vbi flant varij venti tentationum. De aliis autem reformationibus voluntatis scilicet ad Deum, ad æqualem, &c. satis patebit ex postea dicendis.

CAPVT XXXVIII.

Quod aliter pugnandum est contra vitia carnalia, aliter contra spiritualia.

SEcunda voluntatis reformatio, de qua diximus, per expurgationem vitiorum acquiritur. Nam extinctis nocivis desideriis quibus trahitur, voluntas erit ordinata & reformata. Ideo de extirpatione vitiorum & expurgatione concupiscentiarum in sequentibus erit dicendum. Et primo in generali, postea in singulari, de singulis vitiis capitalibus. Primo ergo sciendum quod aliter expugnanda sunt vitia carnalia, aliter spiritualia. Carnalia enim melius vincuntur per fugam & remotionem omnis occasionis qua possit memoria circa objecta horum vitiorum generari. Spiritualia autem facilius vincuntur, si homini inter alios plures conversanti talia fiant continua exercitia, quibus ipsa spiritualia vitia irritata hominem inquieterent, vt ita tandem homo impatiens suæ inquietudinis, viriliter resistendo vincat. In carnalibus igitur apprehende fugam. In spiritualibus quære & desidera vt his tibi fiant contraria exercitia, vt passio tua irritetur, & irritata tandem velut fatigatione sua in se sopita resiliat & requiescat.

CAPVT XXXIX.

De modo operandi manibus.

IN vitiis autem carnalibus si vis venire ad victoriam, devita ante omnia otium, quod est sentina omnium vitiorum, præcipue autem carnalium. In desiderio est enim omnis otiosus. Et circa gulam aliaque similia semper gulosi memoria versatur & agitatur dæmonibus & desideriis infinitis. Sed videndum est hic, cur operemur manibus, & quare non jugiter spiritualibus adhæreamus. Secundo, qualia opera manualia præ cæteris debeamus operari. Tertio, quomodo se homo in opere manuum exercebit in spiritu ad pietatem. Ad primum, multiplicem in dictis sanctorum poteris responsionem invenire. Cum enim tu sis fragilis, nondum totus spiritualis effectus, idcirco oportet te interdum corporalibus occupari, ne tædio victus relinquas propositum spirituale, sicut Angelus Domini visibiliter ostendit beato Antonio. Inde est quod Cassianus dicit: Qui jugiter non est contentus aliquid manibus operari, non potest diutius in cella remanere. Item, cum tu sis plenus malis concupiscentiis, oportet te primo cor tuum expurgare duris laboribus antequam in spiritualibus jugiter quiescas. Inde dicunt Doctores quamvis hujusmodi occupatio in quantum occupatio, retrahat hominem à vacatione spirituali: in quantum tamen impedimenta vacationis removet, scilicet concupiscentias, multum juvat & promovet ad vacandum. Item tertio cor nostrum vagum est, & fluctuat inter cogitationes varias, sicut navis in mari; oportet igitur vt ligetur anchora, opere videlicet manuali, vt dicit Cassianus. Item quarto, minores occasiones tentandi habet diabolus in nobis occupatis, quam otiosis. Hieronymus: Semper te diabolus inveniat occupatum, &c. Occupatus enim ab vno dæmone impugnatur, otiosus vero innumeris dæmonibus devastatur. Item quinto, opus manuum admonet nos de peccato & lapso nostro. Nam in statu innocentiæ non laborassemus cum fatigatione. Dico autem, cum fatigatione, licet enim Adæ jussum fuerat vt operaretur Paradisum, non hoc fecisset cum dolore & fatigatione, sed cum quiete & dulci contemplatione Dei in visibilibus, secundum Augustinum super Genesim. Post lapsum vero dictum est homini: In sudore vultus tui, &c. Item de labore manuum habes, vt sis liber & non indigeas applaudere aliis: Potes etiam nonnunquam tuis laboribus pauperibus subvenire: & amplius laborare, sicut legitur de sanctis Patribus in Ægypto. Item ex labore manuum duriori, sæpe exprimitur dulcis compunctio secundum Bernardum. Item labor durus admonet nos, vt intendamus illuc vbi labor nullus, quies summa, quia 6. diebus operabimur, 7. autem die, post quem alius dies non erit, dicet spiritus vt quiescamus à laboribus: Et multæ sunt aliæ rationes. Propter hoc sancti Patres in Ægypto summo studio & indicibili desiderio ad opera manuum se dederunt credentes se tanto in interiori puritate proficere, quanto essent in opere manuali fideliores: Idemque ipsi propter opus manuum à sancto Bernardo, Chrysostomo, Augustino & Hieronymo tanta excellentia commendantur. Inde pene omnia vel longe plura Monasteria ad operandum manibus sunt instituta. De secundo dicit Bernardus, quod pro spiritualibus exercitiis non omnia corporalia æque conveniunt, sed illa quæ cum spiritualibus majorem habent convenientiam & similitudinem, de quibus inter cætera est sacram scripturam scribere, sicut ibi dicit Bernardus. Vnde plures sanctorum Patrum scriptores erant. Omnes discipuli & fratres in Monasterio sancti Martini scriptores erant. Sanctus Hieronymus inter cætera manualia, Rusticum admonet de opere scripturæ. Ambrosius

proprios

proprios libros quos dictabat, propria manu scribebat. Hieronymus semper aut scribebat aliquid aut docebat. De tertio, videlicet quomodo te habebis infra opus. Primo ante omnia sicut te exerces exterius in opere, ita interius in virium animæ reformatione, meditando, interdum orando, te exercebis. Neque enim propter hoc quod exterius occuparis, ideo necesse est vt cor tuum vacet interius, sed sicut dicit Augustinus in libro de opere Monachorum, potes infra opus meditari, & cantica divina cantare secundum eum. Secundo debes fideliter & cum desiderio operari, discretè tamen & moderatè, sciens quia non solum corruptibile aurum vel argentum recipies, sed etiam immarcessibilem coronam in cœlis. Maledictus igitur qui facit opus Domini negligenter. Tertio debes operari in silentio. Silentium enim secundum Prophetam est fortitudo nostra: Semper vbi non exigit necessitas vel vtilitas exercendi se ad pietatem, valde est expediens. Paulus: Obsecramus in Domino IESV vt cum silentio panem suum manducent.

CAPVT XL.

De origine aggrediendi in extirpatione & expurgatione vitiorum.

ACcedentes autem viciniùs ad extirpationem vitiorum & concupiscentiarum, qua ipsa voluntas reformatur. Primo dicendum quo ordine aggredi debet, qui in hoc bello cupit legitime decertare. Super hoc ergo audi Hugonem de S. Victore, qui de hoc in libro de amore, hunc tibi ordinem demonstrat. Purgationis igitur tuæ sollicitus: Primo necesse est, vt passiones quibus impugnaris attendas: Deinde quæ sint quibus maximè fatigaris, inspicias: Postremo per quæ instrumenta, quibus passionibus magis obvies, sagaciter perquiras. Quibus inspectis, congruum instrumentum cuilibet passioni objicias, & quæ magis impugnat, ferventiori instantia vt ipsa obtineatur insistas. Nec sic tamen extinctioni vnius passionis tota vehementia insistendum est, vt ad cætera comprimenda instrumentum corporale deficiat. Hæc Hugo: Est igitur rectus ordo aggrediendi, vt discas primo quibus vitiis oppugnaris, & quibus infestaris amplius. Et hoc debes discere ex his quæ superius diximus de tui ipsius cognitione per exercitia, acquirenda. Secundo debes discere quæ remedia sint contra vitia quibus impugnaris efficaciora, & hoc poteris discere ex his quæ sequuntur infra. Tertio debes aliqua eligere magis te infestantia, & hæc majori sollicitudine debellare.

CAPVT XLI.

Quod pugnandum est contra vnum vitium.

SVnt autem multi qui volentes vitia extinguere, in confuso contra omnia bellum arripiunt, pugnantes contra omnia, sed nulla devincunt, sed quasi in incertum currunt, & vacuum aërem verberant. Sunt alij qui hodie vnum vitium insequuntur, & cras contra aliud pugnant, qui quoniam debitè non persequuntur, nullum sequuntur ad internecionem. Tu autem non sic, sed ordinata acie procedas ad bellum. Debes enim vnum vitium arripere quod est tibi magis molestum atque illud persequi donec deficiat; contra illud omnem intentionem mentis & conatum dirigere, quoties resilis iterum incipere, pro illius extinctione sæpe orare, sæpe ignita emittere suspiria, fundere lachrymas, nec tamen ita totum te contra istud vnum dabis, vt ab aliis obruaris, sed habebis quendam horrorem generalem contra omnia vitia, & ab omni, latere vnum oculum, vt scilicet quando aliud vitium insurgat, illi viriliter resistas. Sed principalis intentio & conatus erit contra istud vnum aut duo. Diligenter etiam considera, quod quilibet quodammodo specialem habet in se inclinationem vitiosam, à qua, si homo diligenter perspexerit, singula vitia & excessus, vel saltem plura trahunt ortum & originem. Contra hanc generalem inclinationem debes maxime generalia tua exercitia ordinare, & semper habere præ oculis. Vnus est scrupulosus, alter perplexus, tertius implexus, iste audax, ille timidus, hic lætus, ille tristis, ille naturaliter nimium quietus, iste vero gloriæ & laudis cupidus. Et ex qualibet tali inclinatione excessiva, alia dependent vitia & originantur. Hanc inclinationem videtur notasse quidam in vitis patrum, cum dixit: Non debet homo contra omnia vitia pugnare, sed quilibet homo habet vnum vel duo vitia vnde cætera oriuntur; & contra illud vel illa debet præliari. Sed multi quærunt, quamdiu debeant contra illud vnum vitium contra quod bellum arripuerunt, pugnare, quando cessabunt, quando contra aliud certamen inibunt. Potest responderi: Si quæris quousque contra illud vnum pugnabis, principaliter omnem intentionem & conatum contra illud dirigens modo prædicto, & debes tamdiu pugnare, donec ipsum vitium adeo deficiat & debilitatum sit, vt statim cum surrexerit, ipsum ratione possis comprimere & refrenare, & tamdiu quamdiu ipsum vitium est tibi cæteris passionibus magis infestum. Vnde Hugo in libro de amore: Nec importunius laborandum est, vt quælibet passio sentiatur, sed cum surrexerit, secundum rationis judicium compescatur. Aut certe quæris, quousque contra illud vnum pugnabis, semper ad minus contra ipsum generalem habens horrorem, resistendo cum timore & anxietate: Et tunc tamdiu pugnabis contra ipsum, donec anima exeat de corpore & libereris ab hoc corpore corruptibili & affectionibus vitiosis, secundum Bernardum. Credite mihi, inquit idem Bernardus super Cant. & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & sopita denuo excitantur. Parum est ergo semel putasse, sæpe putandum est, imò si fieri potest semper. Quia quod semper putari oporteat, si non dissimules, invenis quantumlibet in hoc corpore manens, profeceris. Erras si putes vitia emortua & non magis compressa. Velis nolis inter fines tuos habitat Hiebusæus, subjugari potest, exterminari non potest, &c. Vnum igitur vt ait, in tanto discrimine consilium est, observare diligenter, & mox vt renascentium capita apparebunt, prompta severitate succidere.

CAPVT XLII.

De duobus veris bellatoribus necessariis.

EYa nunc milites Christi spirituale bellum ingressuri, induite vos armaturam Dei, arripite gladium & scutum, gladium virilitatis & strenuitatis, scutum patientiæ, vt sitis viriles in aggrediendo contra vitia, vt sitis patientes in sustinendo eorum impetus & dolores. Qui enim virilis est in aggrediendo & fervida voluntate & fiducia incipit bellare contra vitia, sciens tamen se gravia passurum, signum est victoriæ. Hoc enim pro signo victoriæ habuerunt hostes Iudæ Machabæi, si torrentem inter eos medium prior pertransiret, victor existeret, nec ei resistere possent. Sic enim milites Christi futuros se victores præsignant, si ad obstacula intrepidi tentationes, resistentias, persecutiones, & adversa ferre parati sunt. Et hæc constanter pertranseunt dicentes cum Propheta: In Deo meo transgrediar murum, id est, quodcumque difficile resistens mihi, Dei adjutorio superabo. Sic Christus licet sibi gravissimam mortem sciret imminere, & tantum natura ejus horreret, vt sanguinem sudaret, spiritu tamen promptissimus inimicis obviavit, dicens: Quem quæritis? Sic Christus exivit in desertum

ad hoc vt tentaretur; vt videlicet doceret legitimos bellatores, quod semper ipsi debeant aliquid arripere pro emendatione, quamvis difficile videatur, quamvis postea inde tententur, ita ut maledicentes diei prosperitatis, in hac vita sint parati suscitare Leviathan, secundum scientiam beati Iob. Debes etiam esse patiens in sustinendo non desperans etiam si septuagies septies in die cadas, sed semper surgere, semper præliari, nullâ cedere difficultate, nulla terreri vitiorum fortitudine. Si sæpe incipis & non proficis, noli propter hoc desistere & à prælio fugere. Recogita quod Chrysostomus dicit, quod hæc sit lex agonis & certaminis, & quod non ille sit victus qui sæpe vulneratur, sed qui ad ultimum cessit. Audi quod magnus præliator David de lege certaminis suo scribit militiæ principi 2. Reg. 11. cum in bello multi fuissent vulnerati. Non, inquit, frangat te res ista, varius enim est eventus prælij, & nunc istum, nunc illum consumit gladius. Et vere varia sunt desideria, varius motus eorum, & varia hominis dispositio, & secundum hoc bene vel male succedit ei. Cogita si non proficis vitium extinguendo, proficis tamen cumulando meritum laboribus tuis, & si vitia non extinguis nec minuis, certe tamen humiliaris in cognitione tui, eò quod sentis fortitudinem vitiorum, quod alias non faceres. Cogita quod semper pugnare vicisse reputabitur, vere si ita fueris virilis in aggrediendo, & strenuus in sustinendo, non poteris non proficere. Si enim non proficis vitium extinguendo forsitan amplius non proficiendo proficis, id est, propter multos tuos labores inde amplius promereberis.

CAPVT XLIII.

De septem vitiis capitalibus in genere.

Itaque armato tibi præliandum est contra septem duces vitiorum, quæ sub regina superbia militant, & devastant multorum corda. Ipsa enim superbia, initium omnis peccati regina est, habens sub se septem duces, & hæc sunt octo vitia capitalia. Quæ ideirco dicuntur capitalia, quia habent sub se multa alia vitia quæ exinde derivantur. Et duces, quia habent & ipsa sub se quæ ei militant multitudinem vitiorum. Itaque capitalia dicuntur illa vitia, quæ de sui ratione habent ut alia ex eis vitia sequantur. Et illa quæ secundum rationem sui habent ut directe insequantur, dicuntur aliorum vitiorum filiæ vel soboles. Verbi gratia. De inani gloria statim venit contentio secundum sui rationem, quia vane gloriosus non vult vinci, & sic de aliis. Sunt autem capitalia vitia octo secundum assignationem Gregorij, scilicet: Superbia, vana gloria, invidia, ira, tristitia, avaritia, gula, luxuria. Ex quibus alia innumera vitia generantur. Devictis autem his octo, cætera conquiescunt, sicut si obturatur fons, cessabunt rivuli. Quia autem hæc vitia sub una regina militant, invicem confœderantur, invicem auxilia præstant, & mutuo sibi assistunt, ita ut ubicumque una mente devictâ intraverit, conduces suas ad se vocet; ut, ubi gula vicerit, sola sine luxuria non diu permanebit, & hoc ab aliquibus dicitur concatenatio vitiorum.

CAPVT XLIV.

De certamine contra gulam.

Videtur autem incipiendum certamen contra gulam. Primò, quia quamdiu gula in nobis dominatur, aliorum vitiorum certamina magis occulta videre non possumus. Item ut dicit Gregorius: multi quandoque ardua & magna incipiunt, sed quia gulam non vincunt, omnia quæ fortiter egerunt, turpiter perdunt. Qui enim nequit aliquem in propria terra, in natura carnali debellare, quomodo vincet in terra longinqua? Est autem gula inordinatus & immoderatus appetitus cibi, & oppugnat arcem concupiscibilitatis. Si vero eam devicerit, quod ex hoc poteris conjecturare, si in concupiscibilitate accendatur vehemens, id est, inordinatus ignis desiderij ad cibum, videlicet, vel accelerans ad comedendum ante tempus, vel perurgens ad nimis comedendum, vel nimio desiderio, vel cum nimia effusione & inhæsione cordis super cibum, hic est titulus triumphalis & natura gulæ. Statimque introducit familiam suam ad se & filias suas, quæ tot sunt secundum Ioannem Climacum, ut vix possit numerari. Gregorius tamen ponit istas: Scurrilitatem verborum, multiloquium, detractionem, vituperium, ineptam lætitiam, lasciviam mentis & carnis immunditiam. Quomodo hæ filiæ ex ea sequantur, satis patet: Ioannes Climacus plures duces assignat qui militant sub gula, scilicet somnium, cordis duritiam, otiositatem, risus patrationem, contradictionem & insensibilitatem.

CAPVT XLV.

De remediis gulæ.

Circa remedia gulæ: vt radicaliter intelligas, eius remedia, debes diligenter advertere, quod inquantum in homine vires animales intenduntur, id est, cogitatio, meditatio, speculatio, &c. intantum vires naturales remittuntur, id est, concupiscibilitas. Et inquantum ipsa anima se occupat circa vires suas interiores, quas hic appellamus rationem, intellectum, id est, animales, intantum minus concupiscit viribus suis naturalibus, id est, appetitibus corporalibus. Et ita omnia illa quæ faciunt animam interius utiliter occupari, sunt in viribus animalibus, & quæ eius desiderium internum augent, remedia sunt contra gulam, imo contra omnia vitia carnalia. Hinc est quod dicit Hieronymus ad Rusticum: Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis. Hinc est quod dicit Ioannes Climacus in hac materia expertissimus, quod carentia doloris & oblivio mortis est occasio gulæ. Breviter quælibet vacantia interna vel vacuitas à desideriis bonis & meditationibus sanctis, sunt origo vel augmentum præcipuum vitiorum carnalium. Vnde Chrysostomus, loquens de luxuria: Est, inquit, animæ vacantis passio. Et bene in desiderio est omnis otiosus, præcipue intus vacans à divinis. Remedia igitur sunt, timor mortis, iudicij & inferni bene cordi impressus, si homo interius occupetur, desiderium regni cœlorum, desiderium perfectionis, imo quodlibet bonum internum desiderium, ut devotio, maxime compunctio, lachrymæ, oratio, hæc enim cor hominis intus occupant: Et secundum Hieronymum, desiderium desiderio, affectus affectu expellitur. Igitur miles Christi, eousque tibi calcanda est gulæ concupiscentia, & extenuanda mens tua, non solum ieiuniis, verumetiam vigiliis, lectione quoque & crebrâ compunctione cordis, quibus se forsitan illusam vel victam reminiscitur ingemiscens, nunc horrore vitiorum, nunc desiderio perfectionis & integritatis, nunc timore gehennæ, nunc spe & desiderio cœlestis gloriæ accensa; donec huiusmodi curis ac meditationibus mens occupata ac possessa, ipsius cibi refectionem, non tam iucunditate concessam, quam oneris vitæ impositam sibi recognoscat, magisque eam necessariam corpori quam desiderabilem animæ sentiat attributam.

Id est vires animæ.

CAPVT XLVI.

De virtute sobrietatis, & eius gradibus.

SObrietas arcem concupiscibilitatis contra gulam deberet custodire. Est enim virtus, qua corporis alimenta cum moderamine admittuntur. Et debet sobrietas præcipue esse vigil contra duo, videlicet ne primo excedatur in cibi quantitate. Secundo ne excedatur in cibi qualitate. Sed de quantitate difficile discernitur. Hic tamen in omnibus potest esse continentiæ finis, ne quis inata mensuram capacitatis suæ, saturitatis oneretur ingluvie, & sciat quod melior est rationabilis cum moderamine quotidiana refectio, quam per intervalla longum arduúmque ieiunium, ubi postea exceditur in quantitate, unde æquale moderatúmque semper tenendum ieiunium est. Et hic propria experientia melior est magistra, ut discat homo quantis indigeat. De qualitate, sunt quidam qui semper appetunt delicatiora, & est præcipue hoc luxuriæ nutrimentum. Sunt alij, qui etsi non delicata appetunt, tamen alia quam alij; & est vitium singularitatis. Et hos vocat Augustinus in libro de doctrina Christiana superstitiosos, si hoc faciunt contra communem morem. Alij districte iudicant, ad quid valeat ille cibus, & quomodo noceat ille, & hi potius vitia accendunt & nutriunt, dum sanitati carnis tantopere attendunt, medici non monachi, morum neglectores, ciborum observatores. Contra quos invehit Bernardus super Cant. vehementer. Primus gradus sobrietatis est, ut patienter sustineas & feras, cum non habetur cibus ad libitum. Secundus est, etiam velle his quæ possunt haberi, amore sobrietatis, paupertatis, & boni exempli carere. Tertius est, posse abstinere sine difficultate ab habitis delectabilibus.

CAPVT XLVII.

De pugna & natura luxuriæ.

SI gulam non viceris, sed ipsa te vicerit, statim advocat sororem suam, imo primogenitam suam, id est, luxuriam, cuius adventus indicia sunt, per quæ naturam eius poteris cognoscere. Statim enim in vi concupiscibili accendit amorem & inclinationem & affectum ad fœminas aut suscitat motus in carne & facit titillationes. In his enim duobus est passio luxuriæ, quia aliquando magis viget in carne, & hoc poteris videre per motus carnis & titillationes. Aliquando magis in anima per affectionem & inclinationem ad actū illicitum vel ad personam affectu illicito. Et hunc motum affectus poteris considerare per imagines mulierum in te depictas. Si autem hæc bestia admittitur, statim introducit filias suas, quæ sunt, Cæcitas: Nam sicut homo in gula hebes efficitur, id est, non habens claram notitiam, sed obtusam, ita in luxuria fit homo totus cæcus & excæcatus; Secunda inconsideratio mortis & inferni, inconstantia cogitationum & desideriorum, amor sui, & præcipitatio ad peccatum, odium Dei, affectus præsentis seculi, desperatio futuri seculi.

CAPVT XLVIII.

De remediis luxuriæ.

COntra istud vitium est præ cæteris certamen longum & durum, imo vero viribus nostris contra hoc specialiter non possumus proficere. Vnde radicale remedium secundum Augustinum, in pluribus locis libri confessionum, & de continentia, & alios sanctos est, ut homo cor suum humiliet, & cognoscat suā fragilitatem, & humiliter recurrat ad misericordiam Dei, postulans ab eo continentiam cum sapiente. Tam diu enim hoc vitio impugnaris donec te bellum gerere super vires agnoscas. Sunt plura alia remedia utilia. Et attende hic, quod dictum fuit de gula, quod luxuria est animæ vacantis passio, ergo omnia illa quæ illam vacationem removent, sunt etiam remedia contra luxuriam. Sunt quædam remedia quæ magis luxuriam removent ab anima, ut contritio spiritus, frequens oratio, continua meditatio mortis & inferni, & similium. Horum præmissorum remediorum ratio patet ex his quæ dicta sunt de gula. Item repressio interiorum affectionum & malarum cogitationum, quod maxime fit per alia devota & spiritualia desideria. Item sunt quædam remedia quæ magis extingunnt luxuriam à carne, ut ieiunium. Maxime autem est tenendum contra hoc vitium æquale moderatúmque ieiunium. Item opus manuum instabiles cordis pervagationes coercens. Sunt quædam quæ iuvant directe contra utraque, id est luxuriam tam in carne quam in anima, sicut est custodia diligens sensuum. Hi enim sunt fenestræ, per quas hoc vitium intrat. Item fuga societatis mulierum, nec familiaritatem habere cum eis, nec solus cum sola maxime in secreto loqui, nec domus earum secundum Hieronymum frequentare. Examina igitur teipsum, an hæc passio magis se habeat in te ea parte carnis, an ea parte animæ, & secundum hoc viriliter arripe remedia. Contra hoc vitium pugnat virtus angelica, castitas, ad quam ascendes tribus gradibus, Primus, ut viriliter cum labore abstineas ab actu carnis cum proposito sic manendi, & neges semper consensum motibus illicitis. Secundus, ut ita per remedia prædicta & alia similia, caro tua spiritui subiugetur, ut rarius tenteris & facilius tentatio cedet imperando magis quam reluctando. Tertius gradus castitatis est, ita domitas habere carnis concupiscentias, quod via rarissime & tenuissime sentias & talem te induisse affectum, ut cum nausea & horrore inde audias vel loquaris.

CAPVT XLIX.

De philargyria.

POst luxuriam sequitur philargyria vel avaritia, quæ passio vexat tepefactos in Dei servitio. Nam raro impugnat legitime pugnantes, præsertim si degunt sub alterius cura. Remedium tibi sit, ut scias aliquam artem, labore manuum victum & vestitum conquirens, illis sis contentus. Item de Deo confidere qui non relinquit sperantes in se. Summa remediorum si vis ad plenum vincere, relinque omnia quæ habes, & alterius curæ te committe, cum aliis vivens in communi. Huic autem vitio in principiis obsta, ut non admittas desiderium cuiusque rei. Sicut enim hoc vitium in principio facile vincitur, ita si semel admittatur potest cunctis difficilius excludi. Primus gradus quo proficis contra hoc vitium in contemptu mundi est, nihil habere iniuste, & divitiis non abuti ad peccatum, & eleemosynam facere. Secundus nihil habere superfluum, sed necessariis esse contentum. Sed multi necessitatem suam valde amplificant, sed non est tutum ut homo sibi in hoc confidat, sed potius alteri. Tertius est, nihil possidere in hoc mundo, sed duntaxat capere usum necessarium & frequenter pati penuriam in cibo, potu & vestitu.

CAPVT L.

De ira.

TRia prædicta vitia arcem concupiscibilitatis oppugnant: quartum autem vitium quod est ira, debellat irascibilitatem & est nociva bestia, sibi nocens

&

& alios scandalizans, virus mortiferum, animam interficiens, & Spiritum sanctum expellens. Et enim natura non est dissimilis vitio superbiæ. Sicut enim superbia est quædam inflatio vel tumor cordis, id est, quædam interior elevatio, ita passio iræ est quædam conflatio & commotio & superbis vicina, quia superbi sunt indignativi & iracundi, ita ut dicit Hieronymus super Ecclesiasten, quod pene semper ita venit de superbia. Nec mirum si semper mititas comitatur humilitatem, ut nunquam videris verum humilem iracundum, quid mirum si ira comitatur superbiam? Et est aliquando subito veniens & transiens. Aliquibus non venit subito, sed permanet apud eos, & fit vel rancor vel invidia vel aliquid huiusmodi. Aliquando autem utroque modo. Cum autem ira vim irascibilem obtinuerit, statim introducit ibi familiam suam, quæ sunt rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio & blasphemia. Remedia contra iram sunt ista. Primo eos tacendo comprimere, & accensam flammam in corde suffocare. Nota autem quod secundum Ambrosium in libro de officiis, verus prælator eousque, per timorem meditationémque mortis & consimilium, & maxime devotam compunctionem, qua secundum Climacum ita extinguitur ira & indignatio sicut ignis aquâ, deberet mentem reprimere & mansuefacere, ut motum tranquillitas usu quodam & affectione & proposito in naturam verteretur. Sed quamdiu non potest, sed passio movet, reprimat eam sub freno rationis; & hoc fit, ut primo dictum est, linguam & alia membra refrenando ne excedant. Item quod homo, quando senserit commotionem, statim admittat rationem, & attendat quam nociva sit ira, quanta veniant inde damna; quia quasi semper comitatur tristitia, & læsa conscientia, scandalum proximorum, offensio Dei, & consimilia. Si vero ut dicit Ambrosius, passio adeo sit valida ut nequeas eam reprimere, tunc fugias vel localiter vel aliis te occupando. Multum iuvat contra iram, si quoties quis in ira excesserit, iam sopitâ commotione seipsum duriè redarguat & reprehendat, & humiliter se reum det, toto corde veniam ab illis petens quos offendit. Gradus autem quibus contra iram ascenditur, patent ex dictis. Primus est, iræ resistere, cohibendo linguam & cætera membra ne excedant foris. Secundus, cum homo iam per exercitia didicit non turbari ex adversis, sed est quasi in loco munito non curans ea quæ sibi fiunt contraria: Tertius est, gaudere in tribulationibus, gloriari cum assunt, & desiderare cum desunt.

CAPUT LI.

De invidia & ortu eius.

QUintum certamen est contra invidiam, quam beatus Gregorius ponit inter vitia capitalia, eo quod ex sui ratione habeat ut alia vitia inde sequantur: licet Cassianus & Isidorus eam inter capitalia non enumerant, eo forsitan quod ipsa ex vitio capitali suam ducit originem. Ut autem huius vitij naturam per suum effectum in re comprehendas, scire debes quod invidia est de bono alterius. Invidiæ enim obiectum est bonum fraternum, inquantum est sibi malum. Hoc autem dupliciter contingit vel tripliciter. Uno modo inquantum sibi imminet malum, & sic invidemus quod inimicus noster vel aliquis qui nobis non placet sit noster prælatus, timentes ne nos deprimat, & hoc in casu staret sine peccato. Alio modo, inquantum respicimus bonum proximi, non quod sibi invidemus illud, sed quia dolemus nobis abesse, & hoc est interdum bonus zelus: Tali enim invidiâ debemus omnes tendere ad humilitatem, charitatem & obedientiam. Alio modo fit istud, inquantum bonum fratris est diminutivum nostræ præcipuæ gloriæ. Unde invidia est præcipue circa illa in quibus gloria consistit. Unde generaliter vani, gloriosi & pusillanimes sunt invidi, quia isti timent imminui gloriam suam, illi faciliter timent se superari. Hæc invidia ubicumque venerit, filias suas tandem secum adducit, quæ sunt odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi & afflictio in prosperis eius.

CAPUT LII.

Quomodo ad dilectionem proximi pervenitur, & servatur.

INvidiam vero dilectio proximi expellit, ideo de ipsa dilectione proximi aliqua dicamus. Et primo quibus mediis dilectionem inter nos mutuo servare possimus. Deinde quomodo quilibet talem se exhibere debeat, ut ipse diligatur ab aliis, & alios ipse diligat; & ex his sufficienter remedia invidiæ apparebunt. De primo scias quod vera, perfecta & indirrupta dilectio solum inter tales inviolabiliter servatur, qui sunt unius propositi, unius velle & nolle, & quodammodo vitiis omnibus expurgati, ut in 16. collatione patrum dicitur. Et ita summa erit dilectio in patria, & fuisset vera in paradiso, si non primus homo cecidisset. Attamen sunt quædam media quibus dilectio inter nos acquiritur & servatur, etsi non perfecta. Primum est, quod & invidiæ summum est remedium, ut unusquisque toto corde omnia quæ mundi sunt, ex quibus contentio, rixa vel invidia oriri possit, cordialiter despiciat & calcet, sive sint divitiæ sive honores. Secundum, ne quis sapiens sibi, sequatur propriam voluntatem nulli acquiescens, & hoc causat maxime discordiam & rancorem. Tertio, ut sciat homo omnia quæ utilia sunt ac necessaria postponenda bono charitatis. Nam si habeam fidem ita ut montes transferam, si linguis angelorum loquar & hominum, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. Ideo super omnia exercitia in omnibus operibus, præ omnibus debemus quærere charitatem fraternam. Nec est aliquod quod tantum angeli & Dominus Angelorum in nobis invenire desiderant, sicut fraternam unionem & mutuam charitatem. Quarto, ut unusquisque iracundiam summopere & alia quibus fratrem offendit, caveat & devitet. Et si quando contra fratrem excesserit, humiliter satisfaciat: & si frater contra eum sine causa rancorem conceperit, quantum in ipso est in ipsum studeat pacificare. Hæc habentur in 16. collatione patrum. Sed videamus quæ sunt illa quibus inter mundanos carnalis vel officialis amicitia nutritur, & quæ ipsi utuntur in vanitate, nos vertamus ad meritum gloriæ & amicitiæ augmentum. Dicit autem Augustin. 4. libro confessionum, quod ea quæ amici seculares in amicis quærunt, sunt colloqui & corridere, & vicissim benevole obsequi, simul legere libros dulciloquos, simul nugari, & simul dehonestare, & consimilia. Ita sunt aliqui habentes amicitiam non spiritus Dei, licet tamen non turpem vel nocivam, qui simul cavent mutuam offensionem & se invicem palpant in vitiis. Non autem talis inter nos debet esse amicitia. Audi Hugonem de hoc bene tractantem in libro de amore: Fruamur itaque nos invicem in sanctificatione, ut sciat unusquisque vas suum possidere, & proprium corpus in sanctificatione & honore, non in passione desiderij. Fruamur in iustitia, ut in spiritu libertatis mutuo nos coërceamus, mutuo corripiamus: quia meliora sunt vulnera amici, quam fraudulenta oscula inimici. Ergo si mutua delectat verborum collatio, fiat sermo de moribus, fiat sermo de scripturis nunc de miseriis huius vitæ ingemiscamus, nunc de spe futurorum bonorum congaudeamus, nunc mutui secreti revelatione recreemur, nunc simul ad illam beatam visionem Iesu ac bona cœlestia suspiremus. Si vero nonnunquam utile est, tensum animum ad inferiora quædam & iucunda laxemus. Sint laxamenta illa plena honestatis, vacua

levitatis, & si careant nimio pondere, non tamen careant ædificatione. Hæc Hugo. Et ita etiam curis sunt gaudia interponenda, & maximè inter amicos, dulci & devoto colloquio, sollicitudinum & curarum obliviscamur, & tunc maxime decet ut lætam faciem præferamus. Et hæc sunt nutrimenta charitatis, ita tamen ut vitia non palpemus, sed humiliter & benigne de vitiis nos mutuo increpemus. Hoc enim secundum Hieronymum, est maximum signum dilectionis, si etiam de minimis quibuslibet excessibus fratrem corripiamus. Igitur admoneamus proximum de peccatis, de moribus inordinatis, de verbis iocosis, duris, vanis, & consimilibus: Et quem viderimus excedere in spiritualibus exercitijs, reducamus ad viam, admoneamus de passionibus, duritiâ, singularitate, & huiusmodi. Igitur ut dicit Bernardus, ferveat etiam in nobis zelus iste, ferveat amor iustitiæ, odium iniquitatis: Nemo fratris vitia palpet, peccata dissimulet nemo: Nemo dicat: Nunquid custos fratris mei sum ego? Nemo quod in se est æquanimiter ferat, cum viderit ordinem deperire, minui disciplinam. Est enim consentire, silere cum arguere possis, & scimus quia similis pœna maneat facientes & consentientes.

CAPVT LIII.

Quomodo ita se homo habebit ut diligat, & diligatur ab omnibus.

Nihil itaque melius est, quam ut Deum & proximum diligas, & mutuam charitatem habeas. Nihil utilius quam ut tu ab aliis diligaris. Primum clarū est, quia in dilectione activa, id est, qua diligimus nos, consistit legis impletio & finis præceptorum: Secundum quod dicit Ambrosius: Itaque primò, inquit, puro omnes diligamus affectu, caveamus omnes offensiones, simus omnibus fideles in auxilio tempore opportuno, in infirmitatibus, simus omnibus fideles in consilio cum indigent, in tentationibus, gaudeamus cum gaudentibus, facilè cedamus, libenter obsequamur. Si ita ipsi omnes diligamus, idem sentientes, idem volentes, nosmetipsos in charitate perdentes, facti omnibus omnia charitatis affectu, infirmis infirmi, fortibus fortes, haud dubium quin ab omnibus diligamur. Nihil enim secundum Augustinum tantum provocat ad amandum alios, quam si nos prius provocaverimus amando. Igitur si vis amari ama, ut quidam ait. Audi quomodo debemus nos reddere amabiles. Ait cœlestis Ambrosius. Itaque id agamus ut cum sedulitate commendemus æstimationem opinionémque nostram. At primum placiditatem mentis & animi benignitatem influamus in affectu hominum: popularis enim gratia est omnibus bonitas, nihilque tam facile humanis sensibus illabitur. Nam si mansuetudine morum ac facilitate, moderationéque præcepti & affabilitate sermonis, verborúmque honore ac patientia sermonum modestiæque adiuvetur gratia, incredibile quantum proderit ad cumulum dilectionis. Igitur secundum Bernardum: Exhibe te inter fratres officiosum, affectuosum gratum, humilem, tractabilem, infirmitates eorum tam corporum quam animarum libenter supportans: Iuva obsequiis, conforta colloquiis, consiliis informa, orationibus fove. Itaque si sic feceris probas te diligere, ideoque ab omnibus diligêris.

CAPVT LIV.

De acedia, & remedia.

Sextum certamen est contra acediam. Cuius natura est ut tædium boni generet, animi torporem causet, mentem gravet tristitiâ, ad somnum & dissolutionem inclinet, horrorem loci & cellæ fastidium, fratrum contemptum & aspernationem gignit, nil operis libet, maxime spiritualis: nam interdum opus manuum arripit, ut possit spiritualia, orationem & consimilia relinquere. Huius filiæ sunt malitia, id est, voluntas machinandi malum, desperatio, pusillanimitas, rancor, id est, odium inveteratum, torpor circa præcepta Dei, evagatio mentis circa illicita. Summum remedium contra acediam est, nunquam cedere, sed repugnando acediæ obviare, & eam vincere laborando. Attamen potest homo opera sua variare ut nunc oret, nunc legat, nunc meditetur, ut si unum non sapit, sapiat aliud, sicut febricitanti gustum infectum habenti apponuntur multa fercula: ita contra tædium cordis, valet varietas actionis. Item valet compunctio. Qui enim luget seipsum, non novit acediam, ait Climacus. Item ligetur iste tyrannus memoriâ offensionum & delictorum, & percutiatur opere manuum, & intentâ meditatione futurorum bonorum.

CAPVT LV.

De tristitia & pugna contra eam.

Nota quod tristitia mala duplex est. Nam quandoque dicitur tristitia generaliter, ita ut versetur circa omnes passiones. Nam in omni passione est invenire tristitiam & delectationem, secundum quod suum obiectum adipiscitur vel ab eo repellitur. Et hanc superabis tristitiam, in quantum singula vitia extirpaveris: si multum, multum: si parum, parum: si omnia, ipsam necas, sed ad hoc quis idoneus? Alia est tristitia specialis, scilicet circa divina tædium, & ista potest comprehendi sub acedia. Tristitiæ origo difficulter est cognoscibilis, eo quod tam multas habet origines, omnia videlicet vitia & affectiones. Contra hæc duo vitia, tristitiam & acediam, pugnat charitas Dei, quæ nunquam est otiosa, contra acediam, & cuius fructus est gaudium, contra tristitiam. Ad quam charitatem triplici gradu provebaris. Primus est, sic uti licitis & concessis, ut tamen illicita devites. Secundus, ferventiori desiderio omnia quæ Dei sunt studiose facere, & in se & in aliis promovere. Tertius est, tanto affectu æstuare ad Deum, quod sine ipso quasi vivere non possis. Valet etiam contra tristitiam devota confabulatio in bona societate, memoria benignitatis & misericordiæ Dei. Item devotus cantus, ut dicit Iacobus.

CAPVT LVI.

De vana gloria & pugna contra eam.

Si omnia prædicta vitia viceris, quod sine maximis laboribus & multis doloribus non fit: si tamen fit, tunc amplius necesse est à vana gloria cavere. Hæc enim occulte virtutibus se ingerit, ita ut vix à spiritualibus semper valeat comprehendi. Hæc est multiformiter vana, semper & in omnibus vanitatem ingerens, in vestitu, in apparatu, in loquela, in taciturnitate. Si veste pretiosa indutus fueris, adest: si humili, amplius gloriatur. Si loqueris, gaudet, quasi bene dixeris. Si taces, laudat te, velut humilem. Ipsa semper suggerit, & magnum desiderium ingerit ad illa in quibus laus & honor consistit, etiam per magna pericula & labores, & maiorem fortitudinem dat suis amatoribus, quam spes cœlestis beatitudinis veris præliatoribus. Ipsa est quæ multis tantum desiderium ingerit, ut si ignores, putes Spiritum sanctum ultra communem cursum cordi illius superabundanter & contra ordinem charitatis influxisse, ita ut aliquis pauper, miser & nudus, virtutibus vacuus, passionibus plenus multos velit & desiderat de sua paupertate locupletare. Tantum enim desiderium ingerit, ut refrenari nesciat, non acquiescat consiliis. Verum, audiamus super hoc exemplum, ut cautiores circa hanc suggestionem reddamur. Audi quanto

desiderio

desiderio tales ferveant. Plenus sum, inquit Heliu arrogans, & coartat me spiritus uteri mei. En venter meus quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas dirumpit: loquar & respirabo paululum, aperiam labia mea & respondebo. O quanto ardebat iste desiderio, sed vanæ gloriæ. Videbat enim secundum Gregorium, sanctos prædicatores pro locutione sua venerari, ideo locutionis eorum celsitudinem & non utilitatem intentionis imitari cupiebat. Neque enim hoc amavit quod illi, sed hoc summopere appetivit ut clarus hominibus ostenderetur. Hæc eadem bestia suggerit gradum clericatus, presbyterij, vel diaconatus: si quis tamen vellet eum cogere, nam per se non vult, ne ipse videatur appetere. Vide super hoc exemplum in libro de institutis cœnobiorum Cassiani. Non possunt varietates huius bestiæ explicari, sed ubicunque proieceris eam, semper stat aculeo recto sicut tribulus. Ipsa enim sicut allium, quoties unum tegmen removeris, aliud adhuc habet interius. Vbi autem ipsa intraverit, matrem dolosam sequuntur filiæ perversæ, quæ sunt inobedientia, contentio, iactantia, hypocrisis, pertinacia, discordia, novorum præsumptio seu inventio. Quam vanam gloriam, si vincere desideras, cave summo studio, ne quicquam intentione vanæ gloriæ incipias facere, cogitans illud Salvatoris: Receperunt mercedem suam: Et illud: Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent, confusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Et illud: Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Secundò debes niti, quod bona intentione incepisti, simili custodia ab inquinatione vanæ gloriæ custodire. Item: Quicquid singulare est, & unde laus & gloria posset cōqoiri, semper vitandum est bellanti contra hanc bestiam, nam inde nutritur. Principium privationis vanæ gloriæ secundum Climacum, est custodia oris & amor ignominiæ. Medium vero est præcisio omnium vitiolarum intellectualium adinventionum vanæ gloriæ. Finis autem si finis, & abyssi utique est finis, ea quæ sunt ad ignominiam consummantia, coram multitudine miserabiliter adinvenire. Chrysostomus: Vnicum vanæ gloriæ remedium est, orare Deum ut ipse te liberet.

CAPVT LVII.

De pugna contra superbiam.

VLtimo aggredienda est ipsa superbia, vitiorum regina, vitiorum radix, virtutum omnium devoratrix, quæ tantæ est fortitudinis & severitatis, ut Luciferum eiiceret de cœlo. Attamen puer David confidens in Domino per humilitatem, Goliam quantalibet esset staturæ enormitate erectus prostravit. Est autem superbia duplex. Vna spiritualis, pulsans virtuosos de perfectione. Alia carnalis, quæ minus perfectos pulsat de aliqua excellentia exteriori. Nam natura primæ est, in corde suo magna merita sibi depiogere, specialem gratiam sibi attribuere, quantum se Deus diligat cogitare, mirari quod non faciat miracula, turbari quod Deus non dat sibi nescio quid speciale, alios velut carnales despicere, &c. Et hæc est multum periculosa, plus quam vitia carnalia. Nullum vitium est quod ita omnes virtutes exhauriat, cunctâque iustitiâ & sanctitate hominem exspoliet quemadmodum huius superbiæ malum. Qui autem huius nequissimi spiritus laqueos vult evadere, debet in singulis virtutibus, in quibus se senserit profecisse dicere ea sententia: Gratia Dei sum id quod sum, & cogitare Deum esse qui operatur in nobis velle & perficere, pro bona voluntate. Item diligenter considerare, quia bona nostra non sunt à nobis, sed dona Dei, de quibus districtè rationem sumus reddituri. Item quam multis malis bona nostra sunt permixta, tepiditate, hypocrisi & huiusmodi. Item considerare quam multa sint in nobis mala & vitiosa. Item attendere meliores nobis homines & Angelos, ut ita in comparatione eorum vilescamus nobis.

CAPVT LVIII.

De carnali superbia.

CArnalis superbia his indiciis demonstratur. Est enim clamorosa, amara dum tacet, & indignabunda, dissoluta in lætitia, risus eius irrationabilis & sine causa, in tristitia est severa & dura, reprehendit cum rancore non ex compassione, verba profert passim sine aliqua cordis gravitate vel ponderatione, expers patientiæ, charitatis aliena. Audacter minitatur, sed pusillanimiter iniuriam patitur, difficulter alicui obedit, exhortationem recipere spernit. In propria voluntate permanens, semper vult propria statuere, nunquam alterius diffinitioni acquiescere. Non vult consilium ab aliquo recipere, magis sibi credens quam sapientioribus. Huius remedium primum est, obedientia simplici corde suscepta & humiliter exhibita. Secundum, ut intimo cordis affectu fratribus nostris humilitatem exhibeamus, in nullo eos lædere acquiescentes. Item semper niti nos exercere in humilibus operibus, vilibus & despectis officiis, puta ministrare in coquina, lavare scutellas, purgare domum, semper officia viliora eligere, humili habitu, humilibus gestibus incedere: hæc si in consuetudinem venerint, cor ad humilitatem inclinant. Item honorem fugere, magis semper eligere ministrare quam ministrari. Superba vocabula & nomen iactantiæ etiam à propria familia devitare. Item omnia signa & quæque facta, iactantiã vel vanitatem prætendentia declinare. Humilitas quæ contra superbiam pugnat tres gradus habet. Primus gradus est, ut homo seipsum cognoscat infirmum, inopem boni, vitiosum & si quos alios habet defectus, & non elevet se supra se. Secundus est, cum homo talem se desiderat ab aliis reputari, qualem ipse se noscit in veritate, scilicet vilem, inopem, superbum, & huiusmodi. Tertius est, quando homo etiam in magnis virtutibus & honoribus non extollitur, & nihil ex hoc sibi blanditur, totum in illum refundens à quo totum accepit, & ei in integrum restituens. Talis fuit humilitas Christi, & talis est sanctorum Angelorum in gloria.

CAPVT LIX.

De quatuor in omnibus exercitiis spiritualibus attendendis.

COmpendiosè diximus quomodo vires animæ debeant & possint per sancta exercitia reformari, & ad quem finem, & per quæ media debeamus nostra exercitia dirigere & ordinare. Vnum adhuc in fine adiungimus, quod devoto currenti in stadio non convenit ignorari. Hoc autem est, ut scias penes quæ habeas tua exercitia regulare & examinare. Itaque scire debes & diligenter notare, quod in regulandis & examinandis tuis exercitiis an tibi conveniant & expediant, quattuor exemplaria debes inspicere ne possis errare. Primo ergo attende quod tua exercitia divinis scripturis, dictis sanctorum & exemplis sint concordantia; secundum enim B. Iob sententiam, semel loquitur Deus in scripturis, & secundo idipsum non repetit contra scripturas. Itaque quicquid scripturis dissonat non immerito est suspectum. Sed quia plures, scripturas ad suum sensum trahunt, non autem suam voluntatem ad scripturas retorquent, unde sæpe eos contingit errare. Hinc etiam secundo expedit, ut tua exercitia exponas alicui homini illuminato & purgato, & cum eo de his conferas. Vnde quidam; Ante omnia inquit, illud quærant & faciant Christo Iesu servire volentes, ut & loca & modos & mores & institutiones

& adinventiones & studia sibiipsis convenientes eligant per spiritualium patrum obedientiam & familiarem Deo ipsorum cogitationem. Sed non omnibus quo ad hoc de tua conscientia confide, sunt enim senes qui non proficiunt. Tertio in uniuscuiusque exercitiis hoc erit advertendum, ut secundum dispositionem exteriorem & interiorem, & statum eius sint ipsi expedientia atque proficua, non enim omnibus conveniunt omnia, neque quæ conveniunt æque omnibus conveniunt, sed magni magna onera portent, parvis autem tutius est parvum onus. Vt autem scias quæ tibi magis sint proficua, duo debes attendere, scilicet inclinationem tuam vitiosam, de qua superius dicebam; & ita ordina exercitia tua, ne illa fortificetur & tu pericliteris. Secundo tuam inclinationem virtuosam, ut in veris virtutibus ad quas amplius fueris inclinatus, te exerceas affectu ferventiori: nam in talibus, cæteris paribus, salvâ semper humili & promptâ obedientiâ, magis proficis. Vnde beatus Ambrosius in libro de officiis: Quærendum, inquit, in omni actione quid personis conveniat, temporibus & ætatibus, quid etiam singulorum ingeniis sit accommodum. Sæpe enim quod alterum decet, alterum non decet: Aliud iuveni aptum, aliud seni; aliud in periculis, aliud in rebus secundis. Hæc Ambrosius. Quarto debes attendere, vt tua exercitia non sint temporanea, id est, tantum ad tempus permanentia, sed usque ad finem tuum, scilicet puritatem cordis, iugiter te ducentia. Sunt quidam qui nunc hoc volunt, nunc illud, nunc se sic exercent, nunc sic, in nullo fixi, omnia arripientes, permanentes in nullo, ideóque in neutro proficientes. De quibus dicit Bernardus: Suspectam haben levitatem, qua id sæpe quod facilè volumus antequam probemus, experti iam nolumus, uno prope momento idipsum & cupientes & respuentes, tam leviter quam irrationabiliter. Quales, utique frequenter, non experimur paucos, qui una vix hora in una voluntate durantes, aurâ levitatis impulsi, vagi & instabiles, hac & illac mutant pro experimento iudicium, imo sine iudicio fluctuantes, tot de se consilia præsumunt, quot loca revisi, semper quod non habent cupientes, & quod habent fastidientes. Hæc Bernardus. Sicut enim leges publicæ sine magna ratione mutari non debent, eo quod populus iam assuefactus sine labore eas servat, & novas difficulter arriperet: ita & tu exercitia tua continua. Medicina crebro mutata turbat, non sanat. Non convalescit planta quæ sæpe transfertur. Non prodest, nec corpori accedit cibus qui statim sumptus eiicitur. Vnde dicitur in collationibus patrum. Vnicuique utile est ut secundum propositum quod semel elegit summo studio & diligentia ad operis incepti perfectionem pervenire festinet, & nequaquam a sua quam semel elegit perfectione recedat. Itaque sic ordina tua exercitia, ut in eisdem perseverans, post huius exilij incolatum, multis ornatus virtutibus & sanctis operibus, dignus introire in gloriam æternæ beatitudinis inveniaris. Amen.

LIBRI SECVNDI,

QVI EST

DE SPIRITVALIBUS Ascensionibus.

CAPVT I.

De quinque necessariis in vita spirituali proficere disponentibus.

BEATVS vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in corde disposuit in valle lachrymarū in locum quem posuit. Novi, homo, quod ascensionum sis cupidus, quodque exaltationem vehementer concupiscis. Rationalis enim ac nobilis creatura es & magni cuiusdam animi, ideoque altitudinem & ascensum naturali appetis desiderio. Nec vituperandus appetitus, si fuerit ordinatus, si videlicet ad originalis tuæ dignitatis celsitudinem desideras ascendere, si de valle lachrymarum & miseriæ egredi concupiscis. Sed hinc egredi, & illuc ascendere, non est nisi per ascensiones & gradus virtutum in corde proficere. Quātum enim in corde proficis, tantum & ascendis: quantum vero deficis, tantum & descendis. Igitur in corde debes disponere ascensiones, nec tamen te confidas propria virtute ascensurum, sed habita iugiter in adiutorio altissimi, & in protectione Dei cœli commorare. Si sic ascendis, laudabilis est ascensus: Nam beatus es, & nomen viri tanquam viriliter agentis, non immerito tibi congruit, recepturus proinde in præmium æternam beatitudinem & gloriam sine fine manētem. Hæc tibi quinque disponenti ascendere, ordine quamvis retrogrado in verbis propheticis, brevibus verbis, sed plenitudine sensus proponūtur. Primum enim tibi proponitur quo debes ascendere, in locum videlicet quem Dominus posuit, quem non incongrue possumus intelligere statum naturalis tuæ rectitudinis in quo te idem Dominus quondam posuit & creavit, ut videlicet in illum locum ascensiones in corde disponas, unde prius descensiones disposuisti. Secundo tibi proponitur locus à quo egredi debeas per ascensum, cum dicitur in valle lachrymarum. Quæ quidem vallis congrue accipitur defectio & destitutio tuæ naturalis dignitatis, in qua velut in basso constitutus, rursum ad montem unde cecidisti debes ascendendo redire. Tertio tibi innuitur qualiter ad ascendendum te debeas præparare. Nam ascensiones in corde debes disponere, modum & exercitia quibus te vis in anteriora extendere priusquam ascendere incipias in corde diligentius pertractando, ut ita in corde prius cogitando disponas quibus exercitiis melius recuperes amissam dignitatem. Verum quia ascensus iste non est in currente vel ascendente, sed ex dono Dei miserentis; ideo quarto tibi consulitur à Domino adiutorium & auxilium postulandum, quia nulla est industria tua, nisi te in omnibus divina gratia comitetur. Sed ne ascensus huius difficultate territus vel laboribus victus iterum resilias, præmium tibi promittitur, cum dicitur, beatus vir. Siquidem si in cordis ascensionibus proficis, beatus es, hic quidem in spe, postmodum vero in re, hic habens beatitudinem viæ, quæ est in virtutibus & iustitia, illic beatitudinem patriæ habiturus. Sane ipsas virtutes & iustitias cum habueris quodammodo futuram Beatitudinem habes in sua, ut ita dixerim, causa. Sicut etenim res naturalis vi quadam productivâ vel seminali ratione in

se

se continet vt sit effectus alicuius productiva: Ita virtutem & iustitiam futura beatitudo, & æterna felicitas comitatur. Breviter ergo recollige vnde vel quo debeas ascendere. Quondam eras in alto monte naturalis tuæ & primordialis dignitatis constitutus, sed inde voluntarie es prolapsus in vallem quandam balsam. Ab hac igitur valle rursum debes egredi, paulatim ascendere ad montem vnde cecidisti. Sed antequam incipias ascendere, debes in corde tuo scalam erigere, & modum quendam proficiendi quo illuc melius devenire valeas, ordinare. Sed adhuc in pede vel ascensu scalæ positus in te deficiens & altitudinem eius prospiciens, debes sursum manus extendere ad Dominum, qui est innixus supremæ parti scalæ, & clamare: Trahe me post te, & ita beatus eris, & sempiterna beatitudine perfrueris. Sed de his omnibus in sequentibus dicetur clarius singulatim.

CAPVT II.

De loco & statu naturalis & primordialis dignitatis, in quo Deus hominem constituit in principio, & de multis donis quæ contulerat ei.

IGitur si tibi Dominus ascensiones in corde disposuit, atque ad spiritualem ascensum provocavit, si mentale vis exercitium arripere, ante omnia debes descensum tuum vel lapsum cognoscere, vt inde noveris tibi ascendendum, vbi te cernis misere prolapsum, atque illuc cognoscas te debere redire a valle lachrymarum, ad locum in quo te Dominus posuit, & ad quem te ordinavit. Diligenter igitur adverte, quod, Dominus Deus qui te ad suam imaginem & similitudinem creavit quondam in tam sublimi dignitate te posuit, tam alto monte donorum naturalium & gratiarum collocavit, vt nisi ad essentialem Dei visionem proficeres, vix altius ascendere posses. In paradiso siquidem voluptatis fuisti positus, foris & intus omnibus bonis repletus. Foris fruens loco amœnitatis & deliciis voluptatis. Intus vero plenus rerum notitia & affectuum, quietâ & pacificâ concordiâ. Dederat enim tibi Dominus liberalissimus vires intellectuales sive cognoscitivas, intellectum, rationem & sensum, vt videlicet Deum per intellectum cognosceres & immaterialia intelligeres: per rationem de inferioribus recte discerneres, omnia in laudem Dei referres. Per sensum exteriorem rerum materialium particularia & præsentia. Per interiorem vero & horum etiam absentium imagines & simulacbra attraheres pro adiutorio rationis. Dedit etiam vires appetitivas, voluntatem scilicet vt Deum super omnia amares, cætera vero propter ipsum & in ordine ad ipsum amando referres. Dedit vim concupiscibilem, vt omne bonum appeteres & summum bonum super omnia desiderares. In qua vi concupiscibili varias posuit & delectabiles affectiones, videlicet affectionem amoris, vt ipse te amor per se moveret & inclinaret ad bonum, affectionem gaudij, vt in Deo summe delectareris & iocundareris in intuitu beneficiorum Dei & in confideratione operum & mirabilium, eius &c. Dederat item vim irascibilem qua firmiter Deo adhæreres, & si quid ab hoc te posset separare, repelleres indignanter. In qua etiam affectiones suas delectabiles posuit, spem, audaciam, vt esses vtilis ad bonum aggrediendum & sperans adipiscendum. Ecce quam multa bona tibi tribuit, in quanta montis sublimitate te collocavit. Intellectus fuit illuminatus, ita vt quamuis primus parens, quamvis et crederimus Deum per essentiam non vidit, ipsum tamen puro mentis intuitu & contemplationis excessu speculabatur. Nullam tibi passionem seu affectionem indidit malam, id est, quorum obiectum est circa malum sicut odium, tristitia, & hoc actualiter moventem; ne quicquam esset quod te intus perturbaret. Nec erant tunc istæ vires, potentiæ vel affectiones sibi invicem contrariæ, vt lex carnis legi mentis repugnaret. Nondum enim erat corpus quod corrumpitur, ideoque nec animam aggravabat. Sed istas vires optimo modo in te ordinaverat, vt inferiores superioribus sine contradictione, sine quovis appetitu contrario obedirent. Sensus enim obediebat rationi, ratio menti. Mens autem ipsa soli Deo fuisset subiecta. Appetitus sensitivus scilicet vis concupiscibilis & irascibilis voluntati & appetitui rationali promptissimè obediebat. Et ita in interiori homine summa erat concordia, & quodcunque volebat ipsa voluntas in hoc parebant reliquæ vires & affectiones inferiores. Voluntas autem omnia agere debuit ad intellectus consilium vel dictamen rationis. Intellectus autem signatus super te lumine vultus Domini, naturali scilicet & gratuitâ illustratione plene novit quid foret agendum vel dimittendum. Et huiusmodi virium & affectionum concordia, pacifica ac concors obedientia dicebatur & nominabatur à sanctis iustitia originalis. Ecce homo hic est locus tuus, in quo te posuit Dominus Deus tuus: hic est status tuæ rectitudinis in quo te creavit, & in quem ascensiones in corde tuo disposuit. Vide bone statum rectitudinis quem adhuc erectione corporis figuras, licet corde longissimè. vt statim dicetur ab eo sis peregrinatus & dic cum lachrymis, Stantes erant pedes nostri affectuales in atriis tuis Ierusalem.

CAPVT III.

De valle lachrymarum ad quam homo per lapsum primi hominis decidit, & de virium animæ destitutione, & deordinatione quam incurrit, & hic est primus lapsus à statu nostræ rectitudinis prædicto.

AVdisti homo de loco in quo te Dominus posuit, & ad quem debeas ascendere; vide nunc vallem lachrymarum ad quam prolapsus cecidisti. Proh dolor tantâ gloriâ & honore sublimatus protoplastus primus parens noster cum esset in honore non intellexit, sed se à creatoris sui imperio avertit transgrediens præceptum divinum. Ideoque graviter cecidit & nos omnes in eo. Nam omnes in eo fuimus vi quadam productivâ vel seminali ratione. Itaque cecidimus omnes, & vt Bernardus dicit: Cecidimus simul in lutum & super acervum lapidum. Vnde & coinquinati sumus originali culpa, sed & collisi & confracti, & in omnibus viribus & potentiis animæ optime, vt præmissum est, dispositis, graviter vulnerati. Amissâ etenim iustitiâ originali ipso casu & iusto Dei iudicio, ipsæ vires & affectiones à suo statu prolapsæ, diminutæ, sunt pariter & deordinatæ, non autem omnino destructæ, sed contrario modo se habentes quam prius habuerunt, sibiinvicem motibus suis & impulsibus contrariantes & repugnantes. Siquidem vt quotidie ne dicam continue, experiris, nisi totus insensibilis sis, ipsa sensualitas, vis scilicet concupiscibilis & irascibilis voluntati sunt rebelles, & contrariæ, sed & ipsa voluntas quamvis non semper, frequenter tamen agit contra rationem. Vnde contigit vt nunc istæ vires & effectus longe aliter movent quam à Deo fuerunt institutæ, pronæ ad malum & proclives semper ad illicitum concupiscendum. Siquidem ratio ipsa cæca facta, erronea & obtusa sæpe falsa pro veris recipit, frequenter inutilibus & curiosis se involuit. Voluntas facta curva, sæpe deteriora eligit, carnalia diligit, spiritualia & cœlestia vilipendit. Vis autem concupiscibilis destituta est & quodammodo prolapsa in concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & carnales voluptates, id est, gulam, luxuriam & avaritiam. Irascibilis vero deordinata est & prolapsa in superbiam vitæ, & gloriam mundanam. Spes non sperat de Deo, sed vel in divitiis vel in propriis meritis,

ritis, vel sperat plus vel minus iusto. Tristamur de amissione divitiarum, & de despectu mundi. Gaudemus de gula & luxuria. Irascimur fratri. Breviter, ex amissione originalis iustitiæ omnes affectiones pronæ sunt in malum ab adolescentia, imo à conceptione sua. Nam ipsa anima ex carne concupiscibiliter concepta contrahit fomitem & concupiscentiarum inclinationem ad malum. Sane Christus morte sua preciosissimâ à culpa originali nos redemit; vt huiusmodi virium destitutio vel lex carnis iam non sit culpa, cum ad eam non habendam non obligamur ne sit damnatio aliqua his qui sunt in Christo Iesu: Sed in pristinum statum rectitudinis nequaquam nos restituit, nec vires animæ reformavit, sed ad nostrum exercitium & meritum nobis eas reliquit per sancta exercitia reformandas. Ecce hæc est vallis lachrymarum, status miseriarum, ad quem cecidimus, & vnde resurgendi ascensiones in corde debemus disponere postmodum ascensuri.

CAPVT IV.

Quod homo non solum progressus est à statu rectitudinis in lapsum primi hominis, sed etiam illectus concupiscentiis longius abiit ad impuritatem cordis, & quid sit impuritas cordis, & hic est lapsus secundus.

MAgna vero & magna nimis distantia inter vallem lachrymarum, vbi nunc es constitutus, & locum in quo te Dominus olim posuerat, videlicet statum tuæ rectitudinis, ideoque magnus ascensus necessarius, vel certe multæ necessariæ sunt ascensiones, magnoque opus est labore si illuc via redire. Sed vtinam hic permansisses, vtinam hic quievisses, & non longius discessisses, sed heu tu fili prodige quarundam meretricum, id est, concupiscentiarum abstractus illecebris iuisti ad partes adhuc multo remotiores, imo vt ait sanctum Evangelium, in longissimam regionem abiens post concupiscentias tuas, & fornicans cum meretricibus, id est, cum concupiscentiis. Nam quoties concupiscimus, toties, vt ait Hieronymus, fornicamur. Itaque omnia bona & portionem bonorum naturalium & gratuitorum quæ tibi contigerat, consumpsisti. Siquidem in casu primi hominis, vt præmissum est, pronitatem concupiscentiarum ad infima contraximus: vt nisi eis continuo resistamus, ipsarum impetu cogimur descendere ad inferiora. Tu vero non solum eis non restitisti, sed te eis inclinans cum ipsis descendisti, & desideriis & affectionibus carnalibus, & rebus mundanis adhæsisti, atque proinde si qua in te remanserat ad bonum inclinatio, vel donorum naturalium vel spiritualium amisisti. Insuper huiusmodi rebus vilibus desiderio & affectu inhærens, quodammodo ipsis connaturalis & conformia factus es, & ita contraxisti quandam quasi limositatem & viscositatem in concupiscentiis & viribus, qua quasi glutinosâ lubricitate inferius ligatus quodammodo retineris, & hæc dicitur propria impuritas cordis. Sicuti enim in rebus naturalibus res dicuntur & efficiuntur impuræ eo quod rebus vilioribus admiscentur: Nam aurum immundum efficitur si argento, & argentum si plumbo admiscetur: Ita, homo, anima tua rationalis quæ est dignior omnibus temporalibus creaturis, impuritatem & immunditiam contrahit ex hoc quod rebus temporalibus subiicitur per amorem; & ex hoc quod huiusmodi adhæret per affectionem & per desideria ipsis affixa, assueta & conglutinata, immunda fit & impura. Et siquidem affectu carnali rebus carnalibus adhæserit, attrahit quandam limositatem quæ carnalitas dicitur & vnde homo carnalis efficitur. Si vero affectu mundano adhæserit rebus mundi & vanitatibus, impuritas illa dicitur vanitas, & homo efficitur sæcularis: & ita divina scriptura distinguit inter homines carnales & sæculares. Ecce cernis quid sit impuritas cordis de qua in scriptura legis, & forsitan non intelligis. Certe ipsa est illa affectio quæ inordinate ad infima inclinaris & adhæres, sive ad gulam, sive ad luxoriam, vanam gloriam, vel superbiam, vel hominum laudem per eam traheris, cordis impuritas appellatur, quam impuritatem in casu primi hominis contraxisti, sed ex tua assuefactione, affectione & adhæsione multo amplius addidisti, vt qui sordebat prius, sordescat iam amplius. Ecce hic est secundus descensus tuus, in quem quanto longius descendisti, eo opus habes pluribus ascensionibus, vt redire possis ad statum rectitudinis vnde cecidisti.

CAPVT V.

De tertio hominis descensu per peccatum mortale quod longissime abiit in dissimilitudinis regionem.

SEd nec adhuc filius prodigus cessat longius ire atque amplius petere. Nam quo plus it eo amplius petit quia à Deo aversus recedit. Quid plura: Omnibus consumptis cum meretricibus venit in regionem dissimilitudinis, vbi se subiecit vni civium regionis illius, & hic eum posuit vt porcos eius pasceret, id est, breviter per peccatum mortale se diabolo subdidit, & in omnibus motibus concupiscentiarum & desideriorum satisfecit. Ecce homo quo nunc devenisti in regionem dissimilitudinis, non apparet vestigium virtutis. Hæ sunt tres descensiones quibus à statu rectitudinis in regionem dissimilitudinis longissime descendisti.

CAPVT VI.

De tribus examinationibus, & qualiter homo per memoriam peccatorum recuperat sensum, maximè ut sentiat ultimum descensum, scilicet per peccatum mortale.

POstquam descensus tuos vidisti, congruum esset ascensiones disponere; sed quoniam peccatum frequenter comitatur cæcitas & insensibilitas vt qui peccato premitur, non tamen sese sentiat peccatorem, sed fit stupidus & nascitur ei frons meretricia & duritia cordis vt nec Deum iam timeat, nec homines vereatur. Igitur antequam ascendas studiose teipsum debes discutere, & omnibus modis quibus possis niti, vt sensum recuperes quo descensum agnoscas & peccata tua deplores. Igitur vt noveris quantum per vltimum descensum videlicet per peccatum actuale mortale graviter sis prolapsus, & de loco in quo fueras cum haberes naturam integram & non viciatam, positus discessisti, debes teipsum diligenter discutere & districte examinare, vt tandem oculos aperias & videre possis quo iaceas prolapsus. Districte igitur etsi non semper, sæpe tamen teipsum iudica, formans in te primo & pertractans quantum Deo vnumquodque peccatum displiceat, quantumque horreat, & detestetur. Vt autem hoc melius sentire valeas, diligenter rumina, & donec ex affectu sentias studiose pertracta, quod adeo displicuit Deo superbia, vt nobilissimæ quondam creaturæ suæ non parceret, sed Luciferum de cœlo proiecit. Cogita an tibi parcet, quia forsitan melior aut nobilior es. Cogita quod Adam propter inobedientiam expulit de paradiso, & totum genus humanum originali iustitia spoliavit. Propter luxuriam subvertit Sodomam & Gomorrham & in diluvio pene totum mundum submersit. Et plura talia his similia recitat tibi divina scriptura. Cogita quod tantum Deo peccatum displicuit quod potius ipse voluit moriens satisfacere pro peccato Adæ, quam ipsum secundum suam iustitiam dimittere impunitum. Si autem adeo duri cordis es, vt ex hoc adhuc non expavescas lapsum tuum, sic forma meditationem tuam, studiose pertractans, quod

divina

divina iustitia aliter iudicare non potest quam opera tua merentur. Est enim Deus intelligibilis quædam æquitas, inconvertibilis atque indeclinabilis, non minus pœnâ malorum quam gloriâ bonorum. Certus igitur esto quod reddet tibi secundum opera tua, nec relinquet aliquod malum in te impunitum. Si igitur hoc modo intus revolveris, non credo quin timore concurreris horrore obstupescis. Tûc igitur tertio veniat memoria, & in medium producat omnia peccata tua præterita, gravia maximeque maxima. Cogita quam multa peccata commisisti. Pene enim omni die, omni hora ante conversionem tuam graviter deliquisti. Quis numerabit quot peccata commisisti corde, ore, & opere. Deinde percurre singula, & vide quam gravia sunt quibus Deum omnipotentem & terribilem iudicem patremque dulcem & benignum, qui pro te tanta fecit & sustinuit, offendisti, & quodammodo iterum crucifixisti. Deinde revolue quam sint quædam eorum turpia, maxime quantum ad carnalia, quæ tamen magis succinctè debes transcurrere, ne immunda subrepat delectatio immoranti. Quamvis etiam iam ad Dominum sis conversus, non tamen hanc vilipendas memoriam peccatorum, sed & tunc adde vt etiam summâ diligentiâ pertractes peccata tua quæ post conversionem commisisti. Cogita singula vitia quibus adhuc sordes. Cogita in singulari de superbia tua quanta est, quantum concupiscis honorem, laudes desideras, ad altum statum aspiras. Cogita quam tepide, quam infructuose tot annos in divino servitio expendisti, vix scis invenire profectum, & in his peccatis quæ post conversionem commisisti, forsitan gravius puniet te Deus tanquam magis ingratum. Deinde cum hæc ita in cogitatu tuo examinaveris, diligenter pertracta quam modicam pro his omnibus fecisti satisfactionem, quam modica fuit tua contritio, quam parua opera in nullo satisfactoria, sciens certissime quod vel hic vel in futuro secundum Bernardum, centuplum reddes quod hic simplo solvere posses. Hæc igitur & his similia cum peccator in cogitatione revoluerit, & se timore percussum, & dolore interno perfusum senserit: tunc cor suum humillime & dolore plenum immediate dirigat ad Deum suum orationem faciendo, & ipsius bonitatem & misericordiam cum summo desiderio implorando: mutationem vitæ & emendationem morum promittendo & promissionem Dei adiutorio adimplendo. Hanc tamen formulam meditandi aut similem ita debes dirigere, vt non incidas in desperationem, sed inflammeris ad satisfactionem & emendationem, vt promptus ad omnem laborem & omnium passionum tolerantiam efficiaris.

CAPVT VII.

De secunda examinatione qua homo seipsum discutit de toto statu suo interiori & exteriori, & per quam venit ad hoc vt sentiat primum descensum & vitium animæ destitutionem.

VT autem primum lapsum & descensum tuum per Adam & vitium animæ tuæ destitutionem melius cognoscas, imo etiam vt generaliter omnia vitia & passiones evidentius sentias, debes nonnunquam tempore opportuno aliquam de te & toto statu tuo facere diligentem discussionem & studiosam examinationem. Examina igitur primo diligenter tuum interiorem. Vide ad quid vires animæ movent, quam longe, quam prope secundum id quod debent, vel secundum id quod tibi à Deo datæ fuerunt, vt prius audisti. Examina rationem. Cogita an non sit in multis erronea. An non curiosa & occupata vanis, relinquens salubria. An non decepta, suis credens diffinitionibus, non consentiens humilibus, & ita pertinax. An non superba, credens seipsam esse aliquid cum nihil sit, melioribus se præferens, nolens ab aliis doceri. Indicibilis & indocibilis, & incapax bonorum consiliorum. Deinde examina memoriam. Vide quales meditationes frequentius habeas: Nam quod plus diligis vel times inde frequentius cogitas. Deinde examina appetitus tuos. Cogita vnde tristaris, vnde turbaris, vnde gaudes & lætaris, quid speras & quid odis; & tunc bene videbis quam longe sis prolapsus. Vide quales bestiæ ascendere soleant vim tuam concupiscibilem, vtrum gula, luxuria vel avaritia. Vide quales feræ transeant per tuam irascibilitatem, an scilicet leo superbiæ, canis iracundiæ, basiliscus invidiæ. Deinde examina exteriorem hominem. Nam motus inordinati hominis exterioris sunt indicia interioris deordinati. Vide si non sæpe excedis verbis duris, detractoriis, adulatoriis, iocosis, vaniloquiis vel multiloquiis. Item, vide præcipue an cum omnibus charitatem teneas, an nonnunquam lædas conscientias aliorum scandalo, inquietudine, vel novitatum præsumptione. Item an ferveas zelo ad alios charitativè admonendum vel etiam humiliter increpandum. Item, si opus tibi commissum studeas fideliter adimplere. Item, examina te de lectione, meditatione, oratione, & sic de aliis, quomodo in singulis huiusmodi te habeas vel eas soleas ordinare.

CAPVT VIII.

De tertia examinatione qua homo quotidie discutit se de excessibus quotidianis, qua homo discit sentire impuritatem cordis, & de revelatione passionum.

VT autem secundum descensum tuum, quo videlicet propriâ concupiscentiâ abstractus impuritatem contraxisti, sentire valeas: Tertiam adhuc debes de te facere examinationem, & hoc quotidie & maxime, vt vult Bernardus, post completorium. Tunc enim singulis diebus debes diligenter respicere, & districte examinare quoties malâ assuefactione tuâ traheris ad illicita, maxime quoties viscosa & glutinosa tua impuritas illo te die deiecit. Verbi gratia, ad illicita cogitanda, ad vana in oratione ruminanda, ad ociosa vel noxia verba proferenda, aut si illo die sanctas meditationes ex negligentia non assumpsisti, aut impuritate tuâ victus fuisti sine affectu boni. Item, si noxiâ assuefactione tractus tentationibus aditum præbuisti, non respuisti nec restitisti. His tribus distinctionibus si diligens trapezita fueris, & iudex iustus teipsum iudicaveris, scisso velo proprij amoris, & ad teipsum inclinationis, vt in nullo tibi blandiaris, in nullo te palpes vel aduleris, haud dubium quin multum proficies in tui cognitione. Sed quis vnquam seipsum odio habuit? Amor autem pervertit iudicium & zelus nescit sapere. Ideo vt quod in profers per sententiam firmius credas ex relatu aliorum, stude sæpius, frequenter curato tua tibi vitia ab aliis intimari. Nam sæpe alienus nos melius videt oculus quam proprius, eo vtique melius in quo liberius sine inclinatione de nobis poterit iudicare. Quinimo frequenter post præmissas examinationes de tuis tentationibus, de tuis passionibus & vitiosis inclinationibus, cum aliis debes conferre, consulere & conqueri, vt melius informeris eorum consiliis, plus humilieris cum ipsi te noverint qualis sis, & amplius compungaris cum te ab ipsis audis vitiorum, quæ etiam tu te per præmissas examinationes invenisti; dummodo tamen tales sint qui ex hoc quod te talem audiunt non peiorantur, sed magis tua humiliatione ædificantur. Adhuc autem vnum est quod circa præmissas scilicet secundam & tertiam examinationes debes advertere, quod licet per huiusmodi discussiones discis interna vitia cognoscere, inordinatas concupiscentias & affectiones videre & vitium animæ tuæ deordinationes

consider are,

considerare, veruntamen quantum in te huiusmodi affectiones sunt validæ & radicatæ & quodammodo in naturam transformatæ, nunquam plene & perfecte videre poteris, donec manum apponas & eas totis viribus studueris extirpare; vt ita earum fortitudinem & resistentias experiaris.

CAPVT IX.

Quod homo debet exercitia sua prius in corde disponere & cum spirituali viro discutere antequam ascendere; & quod sancta exercitia non sunt leviter mutanda, sed quod in ipsis est perseverandum donec ad finem perveniamus.

ASscensiones in corde disposuit. Priusquam ascendere, id est, proficere incipias in spirituali profectu, debes in corde tuo modum tibi congruum disponere, quo possis ad finem tuum, qui est puritas cordis vel charitas pervenire. Discrete & sollicite examina, quid tibi congruit, quid tibi melius expedit, si nescis, alios interroga, imo per alios dispone ascensum. Ordina inquam finem aliquem in corde tuo, cuius gratiâ omnia opera tua & exercitia perficias. Ordina deinde gradus, exercitia & modum aliquem quomodo ad finem illum devenies, atque finem pariter & media in corde fortiter fige. Et hoc, vt videtur, est ascensiones in corde disponere, id est, modum aliquem & exercitia per discretam & diligentem tui & aliorum discussionem arripere, & cordi tuo fortiter infigere & imprimere: & inde tibi multiplex eveniet vtilitas. Et primo quidem vt omnia ordinate agas, secundum quod in corde tuo disposuisti, & non casualiter sicut quidam qui hodie se in isto, cras in alio exercentes sunt fluidi & vagabundi, omnia arripientes, & in nullo proficientes, omnia tentantes, & in nullo consummantes, fortuite omnia prout occurrunt agentes, cũ de nullo se in corde disposuerint, nec sint fixe de aliquo deliberati; tu autem non sic, sed omnia facies secundum quod in corde ascensiones disposuisti, ad hoc omnia opera & exercitia dirigas, vt illo modo proficias, & ad exemplar quod in corde posuisti consummes. Omnia, inquit Dominus Moysi, facito ad exemplar quod tibi monstratum est in monte. Tu autem omnia stude perficere secundum exemplar quod discrete in corde disposuisti. Si artifex non prius in corde suo formam & dispositionem domus quam ædificaturus est disposuerit fabricans domum typicam, nunquam debite domum exteriùs produceret, vel in debita dispositione fabricaret. Ita oportet vt & tu ascensurus, prius tibi scalam in corde erigas, ad cuius exemplar omnia foris agas. Sic Deus prima causa omnium, non nisi ad essentiale omnium rerum exemplar & ideas res ipsas in congrua dispositione & forma produxit in esse. Secundo ex ista prædispositione in corde, tutus eris à deceptionibus. Qui enim nihil sibi determinati exercitij vel spiritualis modi præfigunt, tot recipiunt de suis exercitiis consilia, quot viderint aliorum facta, credentes omni spiritui, in nullo stabiles, in nullo fixi, sed in omnibus vagabundi. Ideo illas debes ascensiones prius diligenti examinatione in corde disponere, vt secundum eas vsque in finem possis vitam tuam regulare aliorũ vitam & exercitia laudans, non tamen assumens vt volt abbas Nestor. Item debes exercitia tua in corde discretâ moderatione disponere, vt cum quadam alternatione & refocillatione te teneas stabilem, & non in quodam vno opere importunius incubantem, alia penitus non curando vel vt invalida relinquendo, tædium aut infirmitas, & si quid huiusmodi te vincat. Nam quod caret alterna requie, durabile non est. Ita ergo nunc lege, vt post sis validior ad orationem, nunc meditare, nunc operare vt sibi mutuo reserviant, & hæc omnia te stantem teneant sine tædio de vno ad aliud transeuntem. Harum autem ascensionum in corde dispositio sit divinis scripturis conformis & spiritualis viri discussione approbata.

CAPVT X.

Quod aliter debet homo in corde disponere de fine, aliter de his quæ sunt ad finem.

ALiter autem in corde debes disponere de fine tuo, aliter de his quæ sunt ad finem. Finem enim tuum videlicet cordis puritatem, & charitatem, ita in corde tuo debes figere & immobiliter imprimere, vt nullo casu, nullo consilio, nullius imperio ab eo discedas nec ab actu virtutis interiori vel charitate, sed omnia opera, omnia exercitia ad finem debes dirigere, & ad ipsum semper oculum reflectere. Sicut enim nautæ qui portum præ oculis non habent, quod navigant, vage hinc inde, nunc ad orientem, nunc ad occidentem secundum ventorum impulsus navigant & nesciunt si recedunt vel propinquant, ita est qui bona opera facit, & nescit finem puritatis, sed permittit vitia in se dominari, nescit quantum in vera spirituali vita proficit vel deficit. Ea vero quæ sunt ad finem ita debemus in corde disponere & ordinare prout melius possunt nos ad finem charitatis vel puritatis ducere: cum vero nos in tali fine puritatis vel charitatis impediunt, libere relinquere. Non enim ita debemus insistere lectioni vel meditationi, vt eum charitas exegerit, non nisi cum murmure & tristitia eam relinquamus, incurrentes sic tristitiæ vel alterius vitij impuritatem, propter quam extirpandam, sacra lectio vel meditatio fuerat arripienda. Nec in talibus exercitiis, ita ex toto debemus esse fixi sicut in fine, sed quando charitas exigit vel obedientia, humiliter ad tempus non ad semper deserere. Quæ enim secundum Bernardum, pro charitate sunt instituta, contra charitatem non debent militare.

CAPVT XI.

De tribus ascensionibus contra tres descensus præmissos iterum reducentibus ad locum rectitudinis.

NVnc de ascensionibus quibus ascendere & redire debeas, restat subsequenter dicere. Audisti autem prius quod tribus descensionibus quasi tribus longissimis dictis à loco in quo te Dominus posuit, recessisti: ita nihilominus tribus ascensionibus illuc necesse est redire. Prima autem ascensio ipsa est qua ascendis iterum ad cor tuum. Longe enim egressus es à corde tuo per peccata, nec potes spirituali exercitio in corde proficere nisi redeas ad cor. Secunda ascensio, cum iam ad cor redieris, ascendas de corde impuro per concupiscentias, ad cor purum, & huiusmodi ascensio est puritas cordis & charitas, & transit contra secundum descensum. Tertia ascensio equidem ipsa est in corde, qua videlicet ascendis contra inordinatas affectiones innatas ab Adam, vel iam inolitas à teipso, & hæc principalius ordinari potest contra primum descensum.

CAPVT XII.

De prima ascensione contra peccatum mortale, & de tribus gradibus huius ascensionis & de contritione.

NVnc igitur surge & sursum ascende, incipe ad cor tuum pergere. Sicut autem peccatum mortale

triplici

triplici descensu complevisti. Nam aversus es à creatore tuo per superbiam, in qua est formalis ratio peccati, conversus es ad creaturam per delectationem, ac deinde per operationes contra legem divinam Dei tui transgressus es præceptum: Ita tribus gradibus oportet te contrario ascendere. Primo ut avertas cor tuum à creaturis & à peccatis & habeas quandam cordis firmam aversionem, & firmum quoddam propositum Deo tuo serviendi, & nunquam te creaturis per illicitam delectationem subiiciendi, etiamsi mille mortibus mori te oporteret. Hoc autem in genere debes proponere, non autem super hoc in singulari te examinare, dolebisque multum quod tantum à Deo tuo recessisti, quod tantum eum offendisti, & quodammodo iterum crucifixisti. Ecce talis aversio ipsa est vna ascensio, cuius nomen est contritio, qua cor tuum quodammodo à sua duritia frangitur. Sicut enim in naturalibus res duræ dicuntur conteri, cum in partes minutas franguntur vel minuuntur, ita metaphorice cor dicitur conteri, quando ipsum à sua duritia emollitur, quod prius aversum à Deo durum & obstinatum fuit in peccatis, non cedens divinæ motioni, non admittens instinctum Spiritus sancti, sed obturans aurem ne audiret. Vel cor durum secundum Bernardum l. de consideratione, dicitur, quod nec compunctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, &c. Conteritur autem quando iam liquefit compunctione, & emollitur pietate.

CAPVT XIII.

De confessione quæ est secundus gradus huius ascensionis.

QVia vero in peccatis tuis Deum per superbiam contempsisti, ideo necesse est vt te homini Dei vicario claves habenti humiliter subdas vice Dei, & ei tanquam Christo Domino iudici tuo assistens humiliter & contrite & dolorose peccata tua confitearis. Humiliter videlicet te in omnibus accusans, & propria peccata agnoscens, in moribus, in gestis, in prolatione verborum, in responsionibus, singulisque aliis tanquam iudici tuo assistens te habeas. Cave ne, vt quidam, magna crimina confitens, inde quæras laudari, vnde à Deo mereris reprobari. Sicut nonnulli quod in scholis acute solebant arguere confitentur, &c. Noli etiam peccata tua vel intentionem tuam excusare, sed dic simpliciter & humiliter quod remordet tuam conscientiam. Debes etiam contrite & dolorose confiteri, exercens te ante confessionem ad compunctionem modo quo postea habebitur, ut ita contritus & dolorosus venias ad confessionem. Et si hoc bene feceris, nequaquam sicut quidam faciunt, peccata tua sicut fabulam proferes, vel ita simpliciter proferes sine dolore quasi de alia seculari materia loquereris, sed si vere spiritum compunctionis concepisti, interdum difficile erit tibi, imo vero lachrymas cohibere nequibis. Et certe scire debes quod secundum intentionem contritionis & humilem verecundiam, peccata tibi in confessione remittuntur. Si etiam fieri potest, talem tibi debes confessorem eligere, qui discrete & prudenter sciat absoluere vel ligare, cui animam tuam poteris fiducialiter committere, cui statum tuum, vitam tuam, & omnia exercitia tua secure poteris exponere, ab eodem super singulis consilia recepturus. Cumque talem confessorem inveneris, noli eum leviter variare. Diversi enim medici, diversis vtuntur medicinis. Medicina autem sæpe mutata non sanat, sed turbat ægrotum. In his tamen omnibus semper salvo iure & obedientia Ecclesiæ & superioris. Scire etiam debes quod multo plus sunt satisfactoria bona opera tua à sacerdote tibi iniuncta quam sponte à teipso assumpta, præcipue propter vim clavium Ecclesiæ & propter humilem obedientiam confitentis. Ideo cum vulnera tua sacerdoti tuo exposueris, & ipse sicut merito debet, levioribus vti voluerit medicamentis, insta opportune nonnunquam importune vt tibi non parcat, sed quæ sibi pro tuo statu & emendatione expedire videbuntur audacter iniungat, & promptum exhibe ad tolerandum. Et hic est secundus gradus primæ ascensionis qui dicitur oris confessio.

CAPVT XIV.

De satisfactione quæ est tertius gradus primæ ascensionis.

TErtius autem huius primæ ascensionis gradus est, vt sicut exhibuisti membra tua arma iniquitatis peccato per varia peccata & mala opera; ita nunc facias ea arma iustitiæ in satisfactionem: vt scilicet contraria contrariis cures, faciens contraria illis criminibus quæ commisisti, & maxime illis vitiis & passionibus, quibus frequentius impugnaris, in ieiuniis, in vigiliis, laboribus, aliisque devotis exercitiis, & hoc, vt dictum est, maxime ad iniunctionem tui confessoris, quia sic sunt tibi magis meritoria. Et hic est vltimus gradus primæ ascensionis, & dicitur satisfactio. His tribus gradibus prima ascensio finitur, & his tribus partibus pœnitentiæ redis ad cor, & Deo pariter reconciliaris.

CAPVT XV.

Incipit secunda ascensio contra secundum descensum, qua reditur ad cordis puritatem, & quod impuritas cordis in tribus consistit, contra quæ tria tribus ascensionum gradibus proficiscitur in ista secunda ascensione.

ECce homo sanus factus es & Deo reconciliatus, vade & procede vlterius & amplius noli peccare, sed magis stude de virtute in virtutem proficere, nec putes sufficere quod per pœnitentiam sis Deo reconciliatus, vt ad eius familiaritatem accipiaris & perfectam charitatem. An ignoras quod Absalon reconciliatus patri suo, nondum tamen faciem eius videre meruit, nisi in domo propria aliquanto tempore remaneret. Ita & tu si vis faciem Dei mundo corde conspicere, noli hoc subito præsumere, sed stude prius in corde tuo parlatim ascendere, & per ascensiones cordis te longo tempore exercere, & ad puritatem cordis pervenire, probans te & repurgans septuplum, exinaniens vsque ad fundamentum in eo, usque dum fex cordis & immunditia sit exinanita. Siquidem, vt supra diximus, cum homo redit ad eos qui fuit egressus foras post concupiscentias, licet reconciliatus sit & per gratiam purgatus à culpa, manent tamen adhuc reliquiæ & immundæ feces peccatorum in anima, id est, affectiones noxiæ & immundæ, & limosæ viscositates per peccatum acquisitæ, per assuefactionem inolitæ, quas oportet expurgare, & successive de illis egredi & ascendere. Et hoc est de corde impuro ad cordis puritatem proficere & ascendere contra secundum descensum prius assignatum. Sed & contra hunc descensum necesse est tres ascensiones in corde disponere. Siquidem impuritas cordis tui & affectuum in tribus constare videtur. Primo in hoc quod nimis inordinatâ affectione inhæres rebus infimis, vel inclinaris inordinate ad eas, puta gloriæ vanæ, honori, laudi, gulæ, luxuriæ, &c. amans non amanda. Secundo consistit impuritas in hoc quod non amas amanda, sed affectus & appetitus ita sunt immundi, & impuri, & malis humoribus infecti, vt spiritualia & cœlestia nil eis sapiant, sed quodammodo nauseam habeant super cœlesti manna, nihil moventur super memoria regni cœlorum & similibus. Et hæc impuritas potest dici odium non odiendorum, id est; non

appetentium

appetentium appetentia. Tertia cordis impuritas est quædam cordis infirmitas vel inhabilitas, qua homo etsi iam purgatus affectionibus & aliquantulum etiam reparatus spe, attamen inidoneus seu minus sufficiens redditur, vt Deo per fervidam perfecti amoris affectionem inhæreat vigore charitatis deficiente. Contra istas cordis tui impuritates, oportet te tribus ascensionibus successive ascendere, id est, tribus virtutum gradibus proficere. Nam contra primam impuritatem ascendimus per timorem Domini, qui quasi violenter cor concutit & rumpit à noxiis inferiorum affectionibus & inhæsionibus. Contra secundam impuritatem proficimus per spem, quia spes cor nostrum levat, & de cœlestibus ei gustum recuperat, dando affectum cœlestia adipiscendi. Contra tertiam impuritatem, charitate ascendimus, qua Deo vnimur & ei adhæremus. Sed de his plenius per singula est dicendum.

CAPVT XVI.

De primo gradu huius ascensionis, qui est in timore, quomodo videlicet cor nostrum per timorem abstrahitur à noxia affectione & inhæsione.

CVm igitur cor tuum adeo concupiscentiarum illecebris inebriabit, ipsis ita affixum & impressum sit, vt vix possit avelli, lugens inde nisi noxiæ delectationis, & hac nocivæ refectionis, oportet vt amaritudine quadam hæc respergas, sicut solent fœminæ parvulos ablactantes vbera sua respergere rebus quibusdam amaris, vt gustata amaritudine avertant se ab vberum dulcedine, & tandem vberum obliviscantur. Ita oportet vt cor tuum timor Domini rebus amarissimis impleat. Verbi gratia: Plenus es mundi concupiscentiis, carnalibus vitiis, toto desiderio anhelas ad altum statum, ad gloriam mundi, difficile est tibi carere cibis delicatis, grave est tibi despici, vilipendi, &c. Veniat timor Domini in cor tuum, respergat omnes huiusmodi rerum dulcedines quibusdam amaritudinibus, proponens tibi & terrens te & ostendens, quam cito omnis mundana delectatio transit, quamque magnam & inexplicabilem pœnam pro qualibet inordinata delectatione, quamlibet modicâ, sis recepturus, quamque severe & terribiliter adveniet iustus iudex, super his te puniturus. His & similibus, oportet cor tuum amaricari ac timore percuti & terrore perturbari & ita violenter à suis delectationibus donec earum obliviscatur, avelli. Itaque noli negligere ex huiusmodi & similibus meditationibus facere quoddam lixivium, quod licet sit amarum, est tamen mirabiliter malorum humorum, id est, concupiscentiarum purgativum; quo perungas seu laves omnem delectationem mundi, & facilè eam respues & abominaberis, territus amaritudine qua eam perunxisti. Vt autem hoc genus lixivij quod ex timore compunctio appellatur, quoties placuerit conficere possis, ecce modum describimus conficiendi.

CAPVT XVII.

Quod compunctio quæ ex timore nascitur varie & diversimode in exercitio & meditatione potest assumi.

COmpunctio ex timore multipliciter nascitur. Primo cum quis peccata sua præterita ad memoriam reducit, & quantum Deum offenderit, quantamque pœnam meruerit, anxie recordatur, & inde tremens ac timens amarissime lacrymatur. Secundo cum quis defectus proprios, passiones animæ & desideria noxia adhuc in se, etsi non regnantia, agitantia tamen & vexantia diligenter discutit, & quod tam parum in eis expugnandis profecit eiulans & dolens recordatur. Tertio cum quis peccatorum meminerit quæ post conversionem suam perpetravit, quæ etsi non sunt criminalia, non tamen per ea dubitet Deum offendi quotidie, & ideo lugendo & timendo deplorat. Et de his tribus dictum est supra de tribus discussionibus vel examinationibus. Quarto cum homo considerat quod iudicia Dei sunt inscrutabilia, & nescit homo an sit dignus odio vel amore, & licet sciat se pœnituisse, nescit tamen an solo timore percussus, an ex gratia infusa compunctus & contritus; & ita totus horrore concutitur nesciens & incertus quid de eo fiet in futuro, an sit damnandus vel saluandus. Quinto cum homo brevitatem vitæ suæ diligenter attendit, & se adhuc tam parum profecisse intelligit, & inde timore succenditur & intus compunctio irroratur. Sexto cum districti examinis & futuri iudicij meminit, quo iudex vnicuique iuxta opera sua redditurus adveniet, vnde peccata sua agnoscens expavescit. Septimo cum homo magnitudinem & multitudinem pœnarum infernalium pertractat, & cum se his dignum esse cognoverit vel cogitaverit, multum incipit lugere & timere.

CAPVT XVIII.

De utilitate compunctionis & quomodo cor purificat.

HÆc si in corde tuo studiose ruminaveris, & ex istis vel eorum aliquibus frequenter cor tuum repleveris, omnia dulcia fient amara, tunc transit mundus a corde tuo & concupiscentia eius, sed & concupiscentia carnis & concupiscentia oculorum inde evanescit, nullamque foris senties amaritudinem, huiusmodi amaritudine interius adimpletus. Et ita cor tuum incipiet omnem dulcedinem mundi & affectionem & adhæsionem respuere, sive sit gloria mundi, vel honor, vel favor popularis, & gulam & luxuriam penitus abominari. Verum vt in promptu habeas, hoc genus compunctionis conficere, ecce sicut modum descripsimus conficiendi sic ponamus & artem, materiam vnde conficitur colligendi.

CAPVT XIX.

Generalis modus ad formandum meditationes de morte.

MEditare igitur homo, & ab oculis tuis nunquam recedat, quod post modicum sis ab hac vita in aliam ignotam regionem transiturus, & omnes res mundi, gloriam & honorem, & quæcunque alia in quibus in hoc mundo delectaris, hic sis relicturus. Omni enim hora, omni die fini & vltimæ horæ tuæ propinquas. Scrutare igitur & quantum potes in te interdum affectum transforma hominis morientis, & forma in te & meditatione tua, quasi statim moriturus esses, & iam sit præsens quod sine dubitatione adhuc tibi præsens erit. Vide igitur sic affectatus, quantus tibi dolor inest, quantus conscientiæ remorsus, & internus clamor de malis delectationibus tuis, quantum dolebis quod te non emendasti, & à delectationibus te non avulsisti, quod Dei præcepta transgressus es. Nam in illa hora videbis quid meruisti & quid commisisti. Adduc ante oculos singulas delectationes vide singula vitia & passiones quibus modo dulciter delectaris. Cogita quam amarum erit tibi tunc à delectationibus separari, & quantum dolebis quod vivens non fuisti concupiscentiis mortuus. Deinde cogita & forma in te talem affectum, vt si anima tua statim deberet exire, quàm libenter omnem delectationem relinqueres, quàm grataneer omnem laborem & pœnitentiam arriperes, si vitam posses obtinere. Cogita deinde in illa

hora

hora quam breve videbitur tibi omne tempus vitæ tuæ & delectationum tuarum. Tunc videbis totum tempus tuum transisse, quasi somnium vel sicut vmbram maxime cum perpendis instare æternitatem quæ nunquam finietur. Deinde cogita, quantus tibi erit dolor, quod pro tam minima delectatione brevissimi temporis amisisti delicias, lætitiam & gloriam sempiternam. Cogita etiam quod omnes istæ delectationes nihil tibi tunc amplius conferent quam amaram mortem facient amariorem. Tanto enim difficilius hinc separaberis quanto pluribus rebus, inordinatis concupiscentiis fueris alligatus. Vnde sapiens: O mors quam amara est memoria tua homini sano, & pacem habenti in substantia sua. Cum autem talem affectum in te formatum & cordi tuo impressum senseris, tunc procede vlterius cogitans quod illa hora certissime veniet & est tibi inevitabilis. Omnes enim homines moriuntur, & mille generationes à principio seculi preterierunt, ita & tu sequeris. Deinde cogita quod illam horam determinate præscire non poteris, sed improvise veniet forte hoc anno, forte hoc mense, forte hac septimana, quia sicut fur ita in nocte veniet, quando nihil de hoc cogitabis, sed multa te acturum cogitabas. Nonnunquam etiam vt eo plus timor concupiscentias tuas excruciet & expurget, revolue ordinem quo ad mortem devenies. Siquidem mortem communiter præcedit infirmitas gravissima. Cogita quanta hæc erit infirmitas quam gravis debilitas, quando cor tuum præ nimio dolore rompetur. Cogita quomodo tunc erit cor tuum depressum, ac si totum mundum super se contineret, tum propter infirmitatis magnitudinem, tum propter naturalis inclinationis esse suum appetentis mirabilem horrorem, tum propter timorem de peccatis & de futuro iudicio, & sic tandem sequitur mors. Item aliquando propone oculis tuis imaginem alienius hominis morientis, & diligenter respice formam, modum & ordinem, quibus ad mortem devenitur. Nigrescit totum corpus, omnia membra rigescunt, oculi versantur, &c. Deinde cogita qualiter dæmones advenient expectantes sicut rugientes præparati ad escam, si quid de suo in anima potuerint invenire, & qualiter immundi spiritus animæ egredienti obviabunt, quærentes in ea opera sua, vt secum eam trahant ad infernum profunda. Deinde cogita qualiter anima de corpore egressa, statim ante tribunal iudicis statuitur, iam tunc sententiam receptura, quæ ex hoc tunc vsque in sæcula non mutabitur. Deinde sequere funus ad sepulturam, & vide quomodo caro misera propter quam tantopere quæsivit delectationes, terræ traditur, & vermibus esca paratur, & traditur perpetuæ oblivioni. Ex istis & similibus bene considerabis, quod gaudium & delectatio mundi sit instar puncti, transit sicut vmbra, & quod homo sit hic velut hospes noctis vnius. E contrario nonnunquam debes tibi affectum assumere iusti viri morientis, & ad mortem bene dispositi, cogitando quam lætus talis erit qui prius pœnituit, & se à delectationibus purgavit, & nihil hic vitiose dilexit, & sic de singulis.

CAPVT XX.

Generales meditationes de extremo iudicio, quibus homo poterit sibi incutere timorem.

DEinde oculum mentalem verte ad extremum iudicium, vt ex eius memoria amarissima amarescant omnia dulcia. Cogita igitur quantus timor, quantus clamor, quantaque fiet admiratio, cum tuba Archangelica sonuerit, cum fulgura terribiliter splendescent, tonitrua mugient, cum ad terrendum peccatores sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum. Cogita quid cordis tunc habebit peccator. Cogita qualiter tunc vniversi mortui resurgent tractantes vnusquisque secum quid boni egit vel mali. Et boni quidem cum ineffabili lætitia expectabunt iudicem. Iniusti autem, indicibili terrore timebunt de adventu & facie iudicis, dicentes: Montes cadite super nos & operite nos à facie iudicis, tempus enim abiit & recessit, non est quo eant & emant oleum meritorum. Egredere deinde & speculando occurre, & vide iudicem, venientem cum potestate magna, cum senioribus populi comitantibus Angelis vniversis & sanctis. Deinde revolue amarum illud divortium, cum separantur oves ab hœdis. Et nunc quidem sunt duo in domo vna, in mola vna, sed tunc vnus assumetur, & vnus relinquetur, nunquam amodo coniungendi. Transforma in te affectum eorum qui à sinistris sunt, quibus dicetur: Ite maledicti in ignem, &c. quomodo lamentabuntur, dicentes: Ecce hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, quantus eis dolor, quantus luctus. Deinde assume affectum eorum qui à dextris sunt, quanto repleti sunt gaudio, quod pro tam modicis laboribus æterna præmia meruerunt. Cogita quam districte fiet ibi examinatio operum, locutionum, & meditationum, & malarum affectionum, omnia ibi nuda erunt, aperta etiam quæ hic fuerunt palliata. Nam Ierusalem scrutabitur in lucernis, & invenientur nonnulli Babylonij qui cives putabantur fore Ierusalem. Testis erit ibi diabolus, qui ostendet nobis peccatum quod commisimus, tempus quando, & locum vbi peccavimus, & dicet: Æquissime iudex, iudica hunc esse meum ob culpam qui tuus esse noluit propter superbiam. Accusabit propria conscientia, sed & sancti Angeli accusabunt. Ibi Christus insignia passionis suæ ostendet, & malis beneficia incarnationis improperabit, eò quod ea contempserunt & ingrati fuerunt. Deinde proferet iudex sententiam diffinitivam, à qua nullus appellare potest, nullus contradicere nullus subterfugere, nullus se defendere valebit. Cogita quid amaritudinis, quid doloris, quid horroris contineat sententia illa: Ite maledicti. Cogita quid dulcedinis, quid admirationis & gaudij habeat vox illa. Venite benedicti. Interdum etiam cogita de particulari tuo iudicio, & forma meditationes ex præmissis suo modo.

CAPVT XXI.

Qualiter homo per memoriam pœnarum infernalium timorem acquirit & compunctionem.

DEinde verte oculum ad regionem damnatorum & carcerem miserorum diligenter scrutans, quæ ibi agantur, qualis sit illa mansio, & quis locus. Quia autem mens nostra cæca melius per visibilia & sensibilia ducitur ad notitiam invisibilium, ideo vt illas pœnas melius sentias potes tibi assumere similitudines à sanctis super hoc in scripturis positas. Aspice igitur infernum, chaos horribilissimum, locum subterraneum & profundissimum, totumque tenebrosum, puteum profundissimum & totaliter ignitum, fornacem totam incensam & terribiliter flammantem, civitatem magnam, tenebrosam, obscuram, totam incensam & ardentem, plenam infiniti populi multitudine, clamantibus vniversis, & miserabiles sonitus dantibus & eiulatus præ dolore & ardore, & ex invidia se mutuo mordentibus, tanquam si canes rabidi simul essent coniuncti. Cogita deinde pœnarum acerbitatem. Ibi est calor nimius, cui noster hic calor in nullo est comparabilis. Ibi frigus intolerabile, cui nullum frigus mundi in aliqua comparatione potest æquari. Et ita cogita de singularum pœnarum intensionibus & cruciatibus. Cogita de pœnarum multiplicitate. Ibi ignis inextinguibilis abundans ardore, carens tamen luce. Ibi intolerabile frigus, fœtor pessimus, tenebræ palpabiles, vermes immortales. Ibi est pœna in omni sensu, in omni membro. Visus videbit larvales dæmonum facies mirabiliter suo terribili aspectu affligentes. Auditus nil aliud audit quam fletus, planctus, & vlulatus,

& vocem illam, heu heu, væ væ, vt quid fuimus nati, vt quid a Deo creati, vt quid non perimus, maledictus Deus, & maledicta trinitas, quæ nos creavit ad hanc pœnalitatem. Ecce hoc est carmen quod ibi cantant continens lamentationes & væ. Cogita de illa miserrima societate dæmoniorum, & crudelitate tortorum, quoniam sunt sine misericordia, in torquendo non fatigantur, ad misericordiam non commoventur, sed pœnam omnibus modis quibus poterunt augebunt. Ipsi insultant, dicentes: Vbi nunc gloria, vbi voluptas, vbi honor, vbi altus status, vbi divitiæ immensæ, vbi potentia, vbi dignitas, vbi prælatura, vbi dominium? Quid nunc prosunt omnia quæ fuerunt, tam brevia, tam cito transeuntia? Cogita quod quivis ibi plus in illis membris punietur, per quæ amplius deliquit, sive in lingua, sive in corde: Et quantum plus quis se extulit & in deliciis fuit, tanto plectetur ibi pœna graviori. Cogita etiam de pœnis interioribus, & maxime de privatione visionis divinæ, quæ excedit omnem pœnam aliam. Cogita quod sunt æternaliter anathematizati & electi ab illa superna & gloriosa civitate Ierusalem, nunquam illuc redituri. Cogita de verme conscientiæ, qui nunquam moritur, qui non cessat, clamat & affligit, quod propter tam modicum gaudium ad instar puncti, ad illas pœnas descenderunt. Item cogita de passionibus animæ, iræ, & invidiæ, quibus affliguntur. Nam iracundia, &c. invidia, &c. maxime in ipsis regnant. Item diligenter rumina pœnarum æternitatem, quæ omnibus pœnis gravius affligit, pœnarum nullus est finis, nulla ibi redemptio. Post mille millium annorum non propinquat finis, quia nullus est finis. His & similibus meditationibus timorem Domini concipies, & compunctionem salutarem conficies, vt sic affectiones tuas à rebus infimis avellas. Oportet autem te longo tempore in his exercitiis immorari, & cum huiusmodi meditationibus ac aliis virtuosis operibus maxime in remediis vitiorum, de quibus postea dicetur, ipsas affectiones expurgare, alias vlterius ascendere non possumus. Nam quantum affectiones carnales & terrenas abiecerimus, tanto amplius spirituales adiiciemus: si parum, parum: si multum multum. Ergo à timore Domini secundum prophetam debemus parturire spiritum salutis. Est enim initium sapientiæ timor Domini, & in ipso debemus nos studiose exercere, & cor nostrum purgare, vt ad charitatem possimus pervenire. Vnde sapiens: initiandi sunt à timore, vt ad charitatem perveniant. Vides ergo quam congrue divina scriptura puritatem cordis fidei ascribit, iuxta illud: Fide purificans corda eorum, eo quod timor qui est in primis effectus fidei, evellit & extrahit cor ab immundis affectionibus & vitiosis inquinamentis. Est igitur primus gradus secundæ ascensionis, qua tenditur ad puritatem cordis, fides vel timor, qui est eius effectus.

CAPVT XXII.

De secundo gradu secundæ ascensionis, qui fit per spem & desiderium cælestium & spiritualium rerum, quibus purgatur & sanatur homo à secunda impuritate cordis.

Sicut fides timore futuri iudicij ac suppliciorum metu, facit vitiorum contagia declinare, concutiens quodammodo medullitus omnia interiora & extrahens ab inferiorum vitiosa affectione & inhæsione: Ita consequenter spes mentem nostram de huiuscemodi affectionibus avulsam, sed non elevatam, imo timoris pondere depressam de præsentibus avocat, & ad superiora elevat, & vniversas corporis voluptates vel mundi vanitates cœlestium præmiorum expectatione contemnit, incipiens suspirare sursum, & mente aspirare ad illud sublime gaudium quod spes interius repræsentavit. Igitur si cor tuum iam ab infimis abstractum timore senseris, noli iam stare, noli te esse in tuto putare. Si stare cœpisti iam descendisti; Siquidem cor tuum vacuum ab affectionibus esse non potest. Si igitur sit noxiis vacuatum, impleatur cœlestibus & sanctis affectionibus, alioquin rursum descendet. Vnde etiam cum te in timore purgas, expedit vt interdum in spe respires. Sed multo aliter ad spem ascendit, qui diutius iam in timoris profectu cor purgavit. Igitur contra secundam cordis impuritatem quæ in eo consistit, quod affectus tuus adeo est concupiscentiis infectus vel ex reliquiis concupiscentiarum depressus & infirmus factus, vt non sapiant ei cœlestia, ascenditur per spem. Nam spes saporem æternorum ingerit, & affectum ad superiora restituit. Sicut igitur superius dictum fuit, quod homo per adhæsionem, commixtionem, sive affectionem inferiorum fit impurus, Ita & per adhæsionem & affectionem superiorum fit purus, & acquiritur quædam puritas cordis, id est, affectus ad cœlestia & spiritualia, & hoc fit per spem. Igitur ô homo, imaginare super te locum quendam, totum inquietum, totum turbulentum, & in continuo motu existentem, & totum turbidum & impurum, te vero in medio consistentem. Quanto igitur descendis ad locum infra, tanto magis efficeris inquietus per concupiscentias, instabilis per varia desideria, impurus per immundas affectiones, & per mixtionem immundorum. Quanto vero supra ascendis per iugem meditationem, continuam affectionem, desiderium & spem & cœlestium admixtionem, tanto magis eris quietus & stabilis, vnam illam desiderans, esse scilicet in atriis Ierusalem: tanto etiam eris purior per meliorum te admixtionem.

CAPVT XXIII.

De compunctione per amorem, qualiter se in ea exercebit.

Superius cum per timorem tremefactus cœpisti coactus ascendere, medicinam quandam tibi dedimus malorum humorum, quibus ab ascensu impediebaris, purgativam. Sed quia adhuc infirmitas tibi ex huiusmodi humoribus remansit, & infectio gustus, vt minus possis ascendere, quia minus spiritualia sapis, ideo ad sanitatem tuam recipe aliam medicinam de spe veniæ generatam, videlicet compunctionem ex amore. Nam si per spem desideras ascendere, in hac compunctione maxime debes te exercere. Conficitur autem huiusmodi compunctione præcipue duobus modis, licet multis aliis modis possit confici. Primo cum iam timore & timoris horrore excitatus diu ascendisti, multa bona opera & devota exercitia perfecisti, & à noxiis concupiscentiis fueris depravatus, & adeo ascendisti vt ad spem venias. Cumque in spe steteris tunc à longe videns Ierusalem cœlestem civitatem visionis pacis, quod in timore non potuisti, incipis sæpe ad eam respicere, & eius admirandam pulchritudinem considerare, cuius illectus pulchritudine incipis suspirare, gemere, & plorare, & quod adhuc sis tam remotus, cupisque dissolui & esse cum Christo, clamans: Quis liberabit me de corpore mortis huius. Itaque considerans te adhuc ab illa superna Ierusalem longius peregrinari, incipis dulciter flere ac sæpius deplorare, quod non poteris illuc pervenire. Secundo nascatur hæc compunctio, cum studiose in corde tuo ruminas & enumeras beneficia Dei, quæ tibi tam multa & iam magno affectu dedit, incipis considerare tuam ingratitudinem, & quodam interno desiderio incipis dilatari & extendi in amorem Dei tui, qui tibi tanta contulit beneficia. Et hæc est compunctio pietatis, nascens de fonte charitatis, quæ valet mirabiliter contra secundam impuritatem cordis. Vt autem de præmissis duobus modis habeas vnde te possis ad hanc compunctionem facilius inflammare: sequitur modus quo possis formare & erigere meditationes tuas de cœlesti beatitudine.

CAPVT

CAPVT XXIV.

Generalis modus formandi meditationes de regno cælorum, ad habendam compunctionem & desiderium ad ipsum obtinendum.

POtetis autem de cœlesti illa patria similitudines sensibiles assumere à Sanctis pro nostra capacitate adinventas. Est igitur civitas illa gloriosissima amplitudine, & capacitate permaxima, ex auro mundissimo, gemmisque preciosissimis mirabiliter constructa, singulæ eius portæ sunt ex singulis margaritis. Est autem campus speciosissimus omnium florum pulchritudine decoratus. Ibi semper est ætas amœnissima. Ibi odorum suavitas fragrantissima & omnium delectabilium copia. Cogita & totis viribus teipsum totum ad cogitandum recollige, vt videas quantum sit gaudium Deum semper per essentiam intueri summam & individuam Trinitatem mundo cordis oculo inspicere, in qua relucet omnis pulchritudinis, omnis dulcedinis, omnisque bonitatis exemplar essentiale, in qua visione omnia videbis, omnia quæ velis scies, ex ea visione omni bonitate, omni gaudio & lætitia replebetis. In ea beatus eris, & beatissimâ beatitudine, quæ Deus est, perfrueris. Cogita quantum sit gaudium Domino Iesu semper assistere, & eius sanctissimam & gloriosissimam humanitatem semper aspicere, cum Petrus videns eum transfiguratum, optabat sic semper permanere. Quam magnum est gaudium videre illum in regno suo sublimem & gloriosum, qui pro nobis in hoc exilio quondam pauper venerat exul pariter & peregrinus. Cogita quantum sit gaudium interesse societati cœlestis curiæ, quanta lætitia reginam cœli matrem Dei cum cæteris virginibus intueri, quanta lætitia & exultatio interesse agminibus Angelorum, lætari cum Patriarchis & prophetis, Apostolis, Martyribus, & Confessoribus. Cogita de dotibus corporis tui, quibus ipsum corpus beatificabitur, videlicet de eius immortalitate, impassibilitate, summa agilitate, & glorissima speciositate. Cogita de dotibus animæ, quibus ipsa anima implebitur iam beata, quæ sunt plenitudo scientiæ quantum ad vim rationalem, repletio iustitiæ, quantum ad vim concupiscibilem, superfluentia lætitiæ, quantum ad vim irascibilem. Cogita ex his dotibus principalibus quam multa alia magna dona & ineffabilia consequêris, videlicet securitatem, vt iam non timeas cites, non timeas à carne, satanâ vel mundo vinci. Item libertatem ad faciendum quodcumque volueris. Item voluptatem mundissimam & iucundissimam in corpore & in anima. Item amicitiam, amorem, honorem, concordiam & perfectissimam charitatem. Et breviter omnia colligendo habebis quicquid volueris, & quicquid nolueris non habebis.

CAPVT XXV.

Qualiter homo ex memoria beneficiorum Dei inflammetur ad devotionem, & accendatur ad compunctionem.

VErum vt maiorem habeas fiduciam sperandi, & futuram gloriam obtinendi, debes nonnunquam signa dilectionis quæ tibi Dominus tuus exhibuit studiose revoluere, & eius beneficia diligentius considerare, & tali consideratione accendi, quasi quibusdam stimulis ad reamandum. Cogita igitur primum quam sit magnum signum dilectionis Dei tui, quod te qui toties eum offendisti, toties ad eum terga vertisti, toties ab eo recessisti, toties gravissime peccasti, quoties reverti volebas ipse te suscepit, dolenti peccata indulsit, emendantem & corrigentem adiuvit. Dinumera beneficia naturalia, quæ tibi contulit si potes. Creavit te, & esse dedit tibi ex nihilo, sed esse pulchrum & speciosum, sensibile, & vivum, quinque sensibus decoratum. Dedit tibi præ cæteris creaturis inferioribus intellectum, quo cæteris animantibus præemineres & Deum tuum cognoscere posses, & veritatem ipsam intelligere: & huic intellectui tuo lumen vultus sui infudit, & magnam claritatem luminis naturalis dedit. Dedit tibi memoriam quâ similium rerum simulachra reponeres, donec alicuius tibi placeret reminisci. Similiter dedit intellectum possibilem, vbi intelligibilium species iterum occurrendas collocares. Fecit animam tuam tantæ dignitatis, tantæque nobilitatis, vt nihil eam replere, nihilvé posset ipsi illabi, nisi sancta & gloriosissima Trinitas, vnus Deus, ad cuius imaginem & similitudinem te creavit. Quid plura? Dedit solem vt luceret tibi per diem, lunam vt tibi luminaret per noctem, omnemque inferiorem creaturam ad tuum fecit obsequium, & ad tuum ministerium ordinavit. Deinde cogita de donis gratiæ tibi collatis. Dedit enim tibi contritionem & dolorem de peccatis, & ab iniustitia revocavit, & iustitiam infudit, quod est solius Dei, quod tamen multis negavit. Dedit & inspiravit voluntatem quod te velles emendare, tempus & locum ordinavit, vbi & quando te emendare posses, & hæc omnia multis te melioribus non dedit. Cogita de donis supereexcellentiæ, quæ tibi contulit, videlicet quod dedit tibi dilectissimum suum filium. Primo in incarnatione: Nam propter te natus est, propter te crucifixus est; deinde in altaris sacramento in cibum & in potum. Misit tibi Spiritum sanctum in signaculum acceptationis, in privilegium amoris, in annulum desponsationis. Vt autem te amplius ad amorem, devotionem, & compunctionem pietatis eleves, cogita quam multa propter salutem tuam Dominus ille magnus peregit. Siquidem locutus est cum patribus, apparuit in figuris, loquebatur in prophetis, eduxit de Ægypto, induxit in terram promissionis, & infinita miracula & mirabilia fecit. Vt quid autem fecit hæc omnia, nisi desiderio & amore tui, vt tu cœlorum regnum & æternam beatitudinem posses promereri, vt in cognitione cœlestium intellectum tuum illuminaret, & affectum ab infimis purgaret. Hæc omnia spem tuam & affectum sursum debent erigere in amorem Dei tui. Vt autem hæc & similes meditationes de beneficiis Dei amplius te moveant, debes tenere hunc modum, & talem affectum formare in meditando, vt diligenter inquiras magnitudinem & potentiam benefactoris qui tibi hæc omnia contulit. Nam est potentissimus, vt potes videre in rerum creatione. Est sapientissimus, vt apparet in earum gubernatione, & providentissimâ dispositione, vnde pro magno debes habere, si quid quantumlibet modicum tibi tribuerit. Secundo debes advertere & cogitare quanta sollicitudine, & quanto desiderio hæc tibi beneficia tribuit. Ab æterno hæc tibi dare disposuit, ab æterno prædisposuit, ab æterno de te actualissime sine cessatione cogitavit, & tibi benefacere ab æterno præordinavit. Sic fuit semper & est circa te sollicitus, sicut erga integram vrbem vel totum orbem, sic intendit tibi sollicitus pro te ac si vacaret à cæteris. Tertio omnia beneficia divina generaliter humano generi collata, ita tibi debes assumere & attrahere ac si tibi soli forent collata; vt cogites: Ecce propter me totum mundum creavit, & omnia in eo, propter me crucifixus est, &c. Et istud non modicum ad amorem, charitatem & gratitudinem te accendet, & tantis beneficiis amplius obnoxium te reddet. Sed & teipsum debes attendere & mirari, quod tam vili, tam indigno, tam tepido, & tam ingrato tanta beneficia, tanto tribuit affectu & amore.

CAPUT XXVI.

Incipit de tertio gradu huius ascensus, qui est in charitate cordis, & in quo consistit iste ascensus, & qualiter homo potest scire, quando venit ad istum gradum puritatis vel charitatis.

IN præmissis ascensionibus & ascensionum gradibus versatur omnis labor incipientium & proficientium, & hucusque magnis laboribus & multis doloribus, vigiliis, ieiuniis, lectionibus, meditationibus, opere manuum, aliisque devotis exercitiis & operibus pietatis laborant vt huc veniant. Nec potest huc ascendere tepidus, aut negligens, vel remissus, non mollis, aut piger. Siquidem non est parui laboris in prima ascensione præteritam vitam dimittere, plangere & pœnitere, & dignos fructus pœnitentiæ facere. Sed multo maioris laboris vel saltem longioris est inveteratam consuetudinem priorem vincere, inordinatam affectionem, & inclinationem ad inferiora, deserere immunditiam & impuritatem, & affectionem contractam expurgare, appetitum gulæ extinguere, luxuriam deprimere, iram suffocare, superbiam debellare, & sic de aliis affectionibus vitiosis, quæ omnia spectant ad purgationem timoris. Sed adhuc multo plus laboriosum vel saltem altior gradus est deinde totam animam & affectiones quantum ad hunc gradum pertinet ad cœlestia erigere, & per spem in cœlestibus habitare. Ecce quanta & quam magna sit inter ascensionem & ascensionem ascensio, inter timorem & spem, quantum ad præsentem considerationem distantia ascensus & labor perveniendi. Sed qui hucusque bene profecerit, iam vicinius puritati & charitati propinquat, licet adhuc per aliquos gradus eum ascendere oporteat. Oportet enim quod longo & diuturno tempore in istis duobus gradibus timoris & spei ascendendo & descendendo se exerceat, affectiones noxias, superbiam, iram, gulam, &c. conetur debellare, humilitatem, castitatem, cæterasque virtutes quodammodo in naturam transformando. Sunt autem duo in quibus perfectio istius tertij gradus, puritatis & charitatis consistit. Primum quod homo iam induit affectum virtutum, & ipsum quodammodo in naturam transformavit, ita quod virtutes operatur, non iam ex timore pœnæ coactus, non ex spe remunerationis attractus, sed solo bonitatis affectu indito delectatus; & eodem affectu puritatis & charitatis ipsam malitiam & immunditiam perhorrescit, amore videlicet & desiderio virtutis interius habituato, & in interiori delectatione virtutum; nec operatur iam ipsas virtutes reluctando obluctationibus imo ipsarum virtutum affectum medullitus retinens; quicquid illi virtutum affectui contrarium fuerit, non solum non corde recipit, verum etiam summo detestatur horrore. Iste est qui operatur bonum propter bonum, boni delectatus affectu. Nam qui superata impugnatione vitiorum, pacis iam securitate perfruitur, & transit in ipsius virtutis affectum, ingem statum illius boni cuius iam totus est, retentabit, quia damno intimæ puritatis nihil credit esse damnosius. Nec enim charius ac preciosius quicquam præsenti iudicat puritate, cui pœna gravis est vel virtutum perniciosa transgressio. Huic nec reverentia humanæ præsentiæ, quicquam adiiciet honestatis, nec minuit solitudo, sed vbique secum semperque circumferens arbitrum, non solum actuum, sed etiam cogitationum suarum, conscientiam, nullam mentis recipit impuritatem. Secundum est quod sicut affectus virtutum est in eo habituatus modo prædicto, ita affectus sit Deo per ardentem amorem vnitus, & ad divinæ voluntatis beneplacitum semper ex fervore paratus & in divina speculatione erectus. Siquidem ei adhæret per fervidum amorem, & ad eius intuitum omne perhorret vitium & peccatum, eius amore & intuitu zelo semper est accensus, veritatem vbique zelat, fervet sapientiæ studiis, huic amica sanctitas vitæ, & morum disciplina, cuius mores erubescunt iactantiam, abhorrent detractionem, invidiam nesciunt, superbiam detestantur, omnem humanam gloriam non solum fugiunt, sed & fastidiunt & contemnunt, omnem in se carnis & cordis impuritatem vehementissime abominantur & persequuntur, omne denique tanquam naturaliter quod malum est respuunt, & quod bonum est amplectuntur. Hic est mons pinguis, in quem qui ascenderit ingrediens & egrediens, pascua inveniet. Ingrediens intus in vi concupiscibili, inveniet gaudium in Spiritu sancto, longanimitatem, benignitatem, modestiam, &c. In irascibili fortitudinem, constantiam & perseverantiam, patientiam, &c. Intellectu sæpe vltra se ascendit ad summum divinæ speculationis, licet per speculum in ænigmate. Foris egreditur, & cognitione & pulchritudine creaturarum in amorem ascendit creatoris. Compara istum statum ad illum de quo superius fuit dictum; Adam fuisse constitutum, & vide quantum iste ab illo distat. Hic est status perfectionis, hic est mons puritatis & perfectus ascensus perfectionis veræ charitatis. Qui potest ascendere, ascendat: qui potest capere, capiat. sed discedant segnes laborem fugientes. Quamvis hic status perfectionis, nisi Dei speciali gratia à nemine acquiritur, gratia tamen dormientibus, negligentibus, & non cooperantibus non datur, ergo militiæ species amor est, discedite segnes; successivè tamen possunt repere & diutius exercitiis appropinquare.

CAPUT XXVII.

De tribus gradibus ascendendi contra tertiam impuritatem, quibus homo successive disponitur, vt Deo perfectius possit inhærere.

SEd quia superius dictum fuit, quia tertia impuritas cordis consistit in quadam inhabilitate & indoneitate adhærendi Deo & cognoscendi eum. Vnde etiam affectibus iam purgatis & spe receptâ, fortsitan non tamen semper homo est idoneus & habilis Deo adhærendi, & in ipso quiescendi per affectum, cum tamen hoc vnum esse diximus in quo altiur gradus puritatis & charitatis consistit. Ideo dicendum quomodo homo successive ascendendo fiat ad hoc idoneus, vt sic fiat plenius purus qui tertiam expurgat impuritatem. Vnde iterum oportet te novas ascensiones in corde disponere, quibus discas, & assuescas iugiter Deo per charitatem adhærere. Pro quibus ascensionibus disponendis scire debes. quod Christus Iesus Deus & homo, Dei & hominum mediator, ipse est via per quam ad divinitatis notitiam simul & amorem debes ascendere secundum Augustinum 7. confessionum. Ad hoc enim præcipue Christus carnem assumpsit, vt qui Deum spiritualiter intelligere non potuimus, per Christum verbum caro factum ascenderemus ad notitiam & amorem spiritualem. In Christi ergo vita & morte, constitue tibi triplicem ascensionem per devota exercitia. Prima ascensio sit, vt affectu quodam dulci & desiderio cordiali, licet quodammodo carnali adhæreas Christo, comiteris Christum, iugiter circa Christi vitam & mortem affectatus, & eius præsentiâ & recordatione in his exercitiis delectatus. In hac prima ascensione vel primo affectu potes diversimode variare tuum exercitium, sicut Christum in vita multi diversimode affectati & variis intentionibus sequebantur. Apostoli enim primo sequebantur eum solâ eius præsentiâ corporali delectati. eius colloquio recreati, eius dulcedine & affabilitate allecti. Et tu etiam primo hoc modo sequere Christum, esto in eius comitatu. Cogita

quam

quam fuerit eius præsentia dulcis. Cogita corporis elegantiam & speciositatem: Nam speciosus forma præ filiis hominum. Attende suaves eius sermones & dulcissimam doctrinam, & attende modum quo Christus se in omnibus habuit, quam dulciter & benigne verba illi melliflua protulit. Attende modum quo interius se habuit, quia ab intra mitis, benignus, & suavis. Attende incessum maturum, aspectum venustum. Cogita in Christo profundissimam sapientiam in corde, venustissimam eloquentiam in ore, optimam morum dispositionem in exteriori compositione. Hoc modo Apostoli sequebantur, alij quidam sequebantur, vt eorum Christus sanaret infirmitates. Sequere & tu eum interdum hoc modo & humiliter prostratus adora eum dicens: Domine, si vis, potes me mundare: vel, Iesu fili David, miserere mei. Quidam sequebantur eum propter miracula eius. Et tu mirare potentiam eius in miraculis. Naturam mutat, elementa commutat, dæmones fugat, omnemque infirmitatem sanat. Ex his disce eum esse Deum, qui naturæ suos effectus primò indidit naturales, salua sibi semper obedientia, in omnibus etiam ad effectus supernaturales producendos. Et similibus modis potest variare exercitium & affectum in primo ascensu. Sed scias, quod licet hæc exercitatio in te spirituali satis vtilis sit, scilicet occupare se circa mores & gestus Iesu Christi Domini nostri, tamen quantum ad ascensum ad Christi amorem non sufficit, imo per se parum prodest. Quid profuit inde Pilato, Herodi, vel Pharisæis, quod Christi mores vel gestus, aut præsentiam corporalem viderunt, qui eum imitari noluerunt? Igitur terminus huius primæ ascensionis secundum Bernardum super Cantica, erit tibi, vt sicut Apostoli hoc affectu tracti omnia, mundi divitias, & cæt. reliquerunt: ita & tu in isto gradu perseverabis, vt cor tuum illa suavitas occupet, & totum sibi ab amore vniversæ carnis ac carnalis illecebræ vendicet, id est, breviter, homo cor suum in tali exercitio debet extendere in affectum & amorem humanitatis Christi, vt omnis affectus suus & appetitus ad dulcedinem humanitatis Christi transferatur. Secundus ascensus per vitam & passionem Christi est, iam aliquantulum altius ascendere, & non solum circa Christi humanitatem se exercere, sed vt Bernardus dicit, in homine Christo Deum invenire licet, non Deum nudum, neque nudum hominem, sed Christum Deum pariter & hominem comprehendere, Christumque vt Deum pariter & hominem diligere, diligere & adorare. Multum quidem fructum in exercitio confert circa vitam & passionem Christi Domini, si quoties legis vel cogitas Christum hoc vel illud fecisse vel sustinuisse, talem tibi conceptum de Christo Iesu poteris formare, vt tibi lucide Deum & hominem repræsentet, id est, vnam personam significet, quæ simul est Deus & homo, & quicquid legis vel cogitas Christum fecisse, sive in mortuis suscitandis, sive in miraculis faciendis hominem fecisse Christum non dubites; quicquid Christum legis sustinuisse, sive in manuum perforatione & pedum conclavatione, Deum credas indubitanter sustinuisse, & hoc propter personæ vnitatem, in qua divinitas & humanitas sine naturarum permixtione substiterunt, & hoc credit quilibet verus Christianus; sed quanto lucidius concipit devotus, tanto in Christi vita, passione & miraculis pinguior erit affectus. Si Christum hominem cogitas, inde tibi dulcis affectio & magna fiducia, quia homo mitissimus, benignissimus, nobilissimus, suavissimus, totus decorus, gratiosus, & formosus. Inde tibi fiducia accedendi, adorandi, & facilior conceptus: nam facilior est nobis humanitatis notitia, vtpote menti impressa, quam Dei à mente remotissima. Sed si Christum Deum cogitas, inde tibi omnia verba, facta, miracula, gustui magis apparent metuenda, terrenda, horrenda, & admiranda. Et sic si vtrumque in Christo intelligis & concipis, magna tibi nascetur devotio, amor & fiducia, & rursum timor, & reverentia. Tertius ascensus est iam per humanitatem Christi ad spiritualem affectum assurgere, & iam ipsum Deum per speculum in ænigmate mentalibus oculis intueri, & sic ex humanitate ad notitiam & amorem divinitatis pervenire. Et hic maxime abiicitur tertia mentis impuritas per adhæsionem & transformationem, incipit quodammodo homo vnus spiritus cum Deo fieri, & extra seipsum transgredi, & ipsam veritatem intueri, & ad vnionem & adhæsionem habilitari. Vnde Augustinus septimo Confessionum: iam, inquit, admonitus redire ad meipsum, intravi ad intima mea duce te, & potui; quoniam factus es adiutor meus, & vidi qualicumque oculo animæ meæ, supra eundem oculum animæ meæ, supra mentem meam lucem Domini incommutabilem, non hanc vulgarem & conspicuam omni carni, nec quasi ex eodem genere. Grandior erat, tanquam si ista multo, multoque clarius clarescceret, totumque occuparet magnitudine, non hoc illa erat, sed aliud, aliud valde ab istis. Qui novit veritatem, novit eam: & qui novit eam, novit æternitatem, charitas novit eam. O æterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas, tu es Deus meus, tibi suspiro die ac nocte. Ecce hic est vltimus ascensus in hac peregrinatione donec ascendamus ad Dei essentialem visionem. Sed caveat hic bestia ne tetigerit montem hunc, caveat impurus adhuc ne appropiet: Nam bestia quæ tetigerit montem, ipsa lapidabitur. Vt etiam circa has ascensiones modum habeas te exercitandi, etiam hic sicut & in præcedentibus generalem modum meditandi de vita & passione Christi Iesu curavimus annotare.

CAPVT XXVIII.

De figuris, & Prophetiis, & scripturis circa incarnationem Christi.

Circa opus nostræ redemptionis versatur materia totius divinæ scripturæ, & omnia in scriptura ad ipsum referuntur. Ipsum futurum, testamentum vetus pronunciat, ipsum factum & impletum, novum clarius demonstrat. Cogita igitur quam multa in figuris, gestis, factis, oraculis, apparitionibus, per Reges, Prophetas, Sacerdotes, ipsum opus præcesserunt, & ex hoc intellige magnitudinem huius operis, quod exigit gratitudinem. Cogita tuam ingratitudinem & in affectionem respectu desiderij antiquorum. Pertracta antiquorum desiderium. Mirare tuam & multorum circa hoc opus tepiditatem.

CAPVT XXIX.

De annunciatione Dominica.

Cum præmissas figuras implendi venisset iam plenitudo temporis, & Christo desiderium patrum implere placuisset, missus est Angelus Gabriel, qui Virgini nunciaret Dominum incarnandum. Hic exulta iam patrum desideria & præcedentia oracula impleri. Attende Angeli reverentiam ad Mariam. Mirare Dei humiliationem. Considera virginis exaltationem: Nota Mariæ humilitatem, castitatem, aliasque virtutes. Nota eiusdem iam lætitiam, exultationem, & iucundam devotionem. Nec obliviscere ministerij quod exhibuit Elisabeth.

CAPVT XXX.

Vita Christi sub compendio usque ad Cœnam.

Dehinc Dei filius, cuius magnitudinis non est finis, factus est parvulus infantulus. Cogita quod Deus

parvulus vagiit, & lachrymatus est in præsepio. Attende hic paupertatem. Nota humilitatem. Angelorum mirare concursum. Pastorum ausculta colloquium. Vide Ioseph stupentem. Aspice Mariam iubilantem. Nota faciem & dispositionem pulcherrimi pueri. Sed & attende parvuli magnitudinem interiorem. Mirare sapientiam, & reverenter osculare præsepe pueri. Octavo die circumciditur, & Iesus vocatur. Attende quod sine peccato assumpsit peccati remedium. Compatere, quod tam tener puer læditur, & fundit pro te sanguinem. Considera quomodo lacrymatur exterius, interius homini compatiebatur. Cogita de dulci nomine Iesus. Sume exemplum teipsum circuncidendi. Apparens deinde stella fulgida magos duxit ad Christum. Cogita magorum devotionem, & sequere eos, & devotissime offer cum eis Christo quicquid habes, id est, animam tuam. Considera quantam vilitatem & paupertatem magi invenerunt, nec Christus aliter se disposuit propter magorum adventum. Nota hic triplex testimonium de Christo nato, stellæ, Magorum, & Iudæorum perhibentium testimonium de Christo, vt ne vacilles in fide. Maria deinde Christum obtulit, & oblatione pauperum redemit quasi primogenitum. Cogita Mariæ, Annæ, Simeonis, & Ioseph processionem, & devotus occurre vel aspice, & attende dulce colloquium & magnam devotionem. Attende Christi simul & Mariæ matris humilitatem. Christus adhuc parvulus fugatur ab Herode. Attende Christi patientiam & disce pati. Sequere peregrinantes, attende colloquentes, in omnibus disce paupertatem & humilitatem. A duodecimo autem anno usque ad tricesimum, ipse rex gloriæ in populo absconditus latitabat, non docebat, nec mirabilia faciebat: sed dum tam diu tacuit, tacendo maxime docuit, & nihil faciendo maximum quid egit, docens te non cito ad docendum surgere, nisi sedendo prius & humiliando. Tricesimo vero anno à Ioanne baptizatur. Cogita Ioannis reverentiam, qualiter ad Christi tactum tremuit. Cogita Christi humilitatem, qui se Ioanni subiecit, & omnem iustitiam, id est, perfectam humilitatem implevit. Nota qualiter hic se tota Trinitas personarum ostendit, qualiter pater Christum ad prædicandum misit, dicens: Ipsum audite, &c. Dehinc quadraginta diebus & quadraginta noctibus in eremo ieiunans, postea tentatur à satana. Cogita Christi in eremo conversationem, quid ibi fecit, de devota eius oratione & contemplatione. Nota ibi eius humilitatem, quia fuit cum bestiis, secundum Marcum. Cogita mirandam Christi patientiam, à dæmone portatur, & sustinet. Cogita quam sapienter satanæ restitit, & tibi exemplum contulit resistendi. Mirare eius dignitatem, quia Angeli ministrabant ei. Extunc quosdam abiectos eligens piscatores, cum eisdem, prædicationis gladio, cœpit totum mundum debellare. Nota eius communem vitam cum Apostolis. Nota eius dulcem conversationem. Considera secretum eorum colloquium in domo, in via. Vide quomodo ipse inter eos est, sicut qui ministrat, cum eis comedit vna mensâ & scutellâ, non habet privilegium, &c. Extunc deinceps visus est super terram, & cum hominibus conversatus. Siquidem inter homines ambulans, & vbique verbum Dei seminans multa miracula, quæ nisi à Deo fieri non potuerunt, fecit; cæcis visum, surdis auditum restituit, dæmones fugavit, leprosos mundavit, breviter, omnes sanavit, & tot miracula fecit, quæ vix scribi possunt. Orantibus peccata indulsit. Vbique prædicabat. Parabolas mysticas proponebat, in quarum vna pastorem se dixit ad ovem perditam reducendam, advenisse. Nota hic & attende quomodo frequenter sequebatur Christum multitudo maxima, nonnunquam quatuor millia vel quinque millia etiam vsque ad eremum. Sequere & tu, & esto circa Iesum, vt verba eius audias, faciem Christi & Apostolorum inspicias, & [illegible] & miracula videas. Volens autem hostiam offerre, propter quam venerat, vt se agnum verum paschalem ostenderet, quinta die ante Pascha per allatum à discipulis asellum, cœli terræque Dominus ascendit, magnoque triumpho & laudum præconiis pueris Hebræorum clamantibus, Osanna in excelsis, Ierusalem sanctam ingreditur. Nota asinationis regis Christi humilitatem, quomodo sedet, quomodo est ornatus, qualem habuit regiam familiam. Cerne Iesum Ierusalem cum appropinquaret & videret, lacrymantem & deflentem, magis autem animam peccatricem.

CAPVT XXXI.

De Cœna Domini.

Cvm autem iam tempus patiendi eius instaret, ipse qui suos semper dilexerat vsque in finem dilexit eos. Siquidem transiturus ex hoc mundo, cœnam fecit magnam, mirabilem, plenam mysteriis, & gravidam sacramentis. ad quam invitavit Apostolos. Desiderio, inquit, desideravi hoc Pascha manducare vobiscum. In qua cœna multa mirabilia fecit, imo mirabilium omnium suorum quoddam memoriale & compendium instituit, dans escam timentibus se in memoriam mirabilium suorum. Hoc, inquiens, facite in meam commemorationem. Hieronymus: Hanc vltimam nobis memoriam reliquit, quemadmodum si quis peregre proficiscens, aliquod pignus ei quem diligit relinquat, vt quotiescumque videt possit eius beneficia & amicitias commemorari, quem si ille perfecte dilexit, sine ingenti desiderio vel fletu illud videre non potest. Ideoque salvator hoc tradidit sacramentum, vt semper commemoremur, quia pro nobis mortuus est. Hoc igitur cum accipimus à sacerdotibus, commemoremur quia corpus & sanguis Christi est, vt non simus ingrati tantis beneficiis. Sunt autem in hac cœna multa tibi omni devotione & reverentia revolvenda, omnique pietate colenda. Meditare igitur, quomodo in hac cœna ipse Dominus magnus & laudabilis nimis, pedes discipulorum & sui traditoris lavit, inclinans se vsque ad terram, & præcingens se linteo, vt nos instrueret suæ humilitatis exemplo. Cogita modum, quomodo Christus in hac lotione se habuit exterius & interius, quia exterius humillime & diligentissime lavit: Interius summa humilitate & devotione opus suum perfecit. Respice piissimum magistrum & Dominum sedentem ad mensam vnam, & comedentem ea scutella vna cum discipulis. Cogita quam abundanter Christus in hac cœna refecit discipulorum corda infundens doctrinarum fluenta. Denique sermonem ipsis fecit singulis verbis ignitis, quasi amoris facibus scintillantem quem Ioannes Evangelista cæteris acutius videns, & altius volans, solus copiose descripsit. Cogita qualiter agnum typicum comedit, & tibi quomodo verum agnum & Eucharistiæ sacramentum manducare debeas, figuravit. Sed super hæc omnia mentalibus oculis & devotissimis desideriis semper recogitare, & ad eos tuum reducere debes ipsum excellentissimum Sacramentorum quod ibi instituit. Mirare Christi largissimam munificentiam, & huius Sacramenti profundissimam dignitatem. At dum huius dignissimi Sacramenti facis memoriam, in mentem tibi veniant omnia quæ Christus pro te gessit in carne. Hoc enim est quod ait: Hæc quotiescumque feceritis in mei memoriam facite, eorum scilicet quæ pro te gessi in carne, quod propter te homo sum factus, propter te amarissime & multa passus, propter te tandem crucifixus. Verum quia tibi per tot arduas & difficiles ascensiones gradienti adhuc multa restat via & magnus ascensus, hic cibus est tum mè necessarius in hac via qua graderis. Vnde & nomen sumpsit, vt viaticum appelletur. Bernardus: Corpus Christi ægrotis est medicina, peregrinantibus dieta, debiles confortat,

valentes

valentes delectat, languorem sanat, sanitatem servat, fit homo mansuetior ad correptionem, patientior ad laborem, ardentior ad amorem, sagacior ad cautelam, ad obediendum promptior, ad gratiarum actionem devotior. Ideo necesse est tibi ut frequenter te ad sacram huius Sacramenti præpares communionem. Nam sicut hic cibus bene & digne susceptus, magnam & multam confert animæ gratiam, ita male dispositis, maiorem infert culpam & mortem, non sui culpâ, sed vitio recipiens. Sunt enim frequenter effectus Sacramentorum secundum dispositionem accipientium, ut ad bonum vel ad malum cooperentur. Vt autem ipsum digne possis suscipere in tribus te debes exercere ad huius Sacramenti dignam susceptionem requisitis, quæ sunt corporalis munditia, puritas conscientiæ, & devotio actualis. Corporalis munditia, interdum est de congruo, interdum vero est necessario requisita secundum quod corporalis immunditia est diversa, & secundum quod habet variam causam & originem. Puritas autem conscientiæ ipsa est tibi præcipue & ante omnia necessaria. Ideóque ante reverendi huius Sacramenti sumptionem, maxime debes teipsum secundum primam & secundam examinationem discutere modo superius posito, & sic ad contritionem exercere & ad compunctionem inflammare, ut scilicet doleas de peccatis commissis, corde, ore, & opere, & insuper de his quæ facere omisisti. Ac deinde eo modo, quo dictum est, accede confessorem & confitere peccata tua, præcipue graviora, sed & poteris confiteri peccata tua notabilia, communia & ignorata. Tertio debes te exercere ad actualem devotionem, quæ videtur in duobus consistere, ut ad sumptionem huius Sacramenti, scilicet timorem & reverentiam habeas, atque insuper actuali amore unionis ad Christum, & desiderio movearis. Igitur tibi timor inducat reverentiam, adducens interius obtutibus huius Sacramenti profundissimam dignitatem, & dignissimam & metuendam profunditatem. Itaque ut reverentiam huius Sacramenti & dignitatem intelligas, & non insensibilis sine timore accedas, diligenter adverte quis est quem sumis, quis sis qui sumis. Sumis enim eum quem Ioannes Baptista tangere tremuit, quem Petrus Apostolorum princeps à se expulit, præ formidine ei non audens appropinquare, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator sum. Ipse quem sumpturus accedis, adorant dominationes, tremunt potestates. Ipse iste quem sumis, erit iudex tuus, & eius tribunali iudicandus astabis. Ipse est in cuius manus anima tua hinc egressa deveniet ab eo prout meruit receptura. Vide igitur quanta reverentiá debeas accedere. Attende quod nihil tantum Deum offendit, quantum temeritas præsumptuosa & irreverentia inverecunda. Cogita deinde tu quis es. Certe homo tepidus, negligens, vitiosus. Reduc ad memoriam qualis sis ex tribus examinationibus præmissis. Cogita deinde quod quamvis mille annis te præparaveris, nullatenus sufficeres ad condignam Sacramenti huius sumptionem, etiamsi omnium Sanctorum meritis gauderes, & Angelorum & hominum puritate floreres. Quomódo igitur audes accedere sine timore, sine reverentia, qui vix ad modicum tempus te in corde disponis præparare. Time ne dicatur; Ecce tradentis manus, mecum est in mensa; si videlicet secundum Bernardum, susceptum Christum tradis vitiis superbiæ, invidiæ, & sic de singulis. Time indigne suscipere, ne iudicium tibi manduces & bibás. Non tamen sit hic timor tantus, ut desiderium penitus excludat & devotionem tollat. Nam panis iste secundum Augustinum, quærit esuriem hominis interioris. Vnde necesse est te etiam habere desiderium & amorem. Multis autem modis poteris desiderium tuum inflammare erga huius reverendi Sacramenti sumptionem. Nonnunquam debet affectum tuum inflammare amor unionis Christi, ut Christum ad te sæpius venientem, mentis affectu & intimo possis cordis tui desiderio amplexari. Nonnunquam vero trahere debet affectum tuum sanitatis internæ desiderium, ut cum te vides concupiscentiis & passionibus plenum, & teipsum in te deficientem, & perficere non valentem, tanquam medicum piissimum ad te introducas Dominum Iesum, cuius nomen dicitur Iesus, id est, salvator. Nonnunquam debet accendere desiderium tuum conscientia delictorum. Cum enim sentis te gravibus peccatis Deum offendisse, atque legis Christum hoc Sacramentum in remissionem peccatorum instituisse, non est mirum si ad ipsius inflammaris susceptionem. Item debet trahere affectum tuum amor & compassio proximorum, ut scilicet per hanc hostiam possis succurrere vivis & defunctis, & sic de multis similibus. Pro maiori autem desiderio tuo inflammando, & exercitando potes diligenter ex vita Christi revolvere, quomodo ipse dolores & infirmitates omnium desiderantium, adorantium, & in se credentium tulit, & infirmitates omnium ipse portavit. Siquidem mulier accedens retro & humiliter, sed & cum fiducia, tangens eius fimbriam, est sanata. Peccatrix pedes eius osculans, est mundata. Chananæa, dum importune sequitur, exaudita est. Leprosi accedentes, curati sunt. Dæmoniaci, paralitici, & cuncta naturæ monstra, dum accedunt & credunt, salutem consequuntur. Nam virtus de illo exibat, & sanabat omnes. Publicani & peccatores accedentes, veniam promerentur, nec eorum convivium despexit. Igitur cum feceris quod in te est, cum reverentia & timore, cum desiderio pariter & amore accede, sperans de infinita Dei pietate. Cum etiam ad huius Sacramenti sumptionem disposueris te, debes te in memoria passionis Dominicæ diligentius exercere. Inter prædictos autem duos affectus, timoris scilicet & amoris fluctuat mens & exercitium devotorum, & alij qui quidem magis ad eius sumptionem ardenti desiderio anhelant & frequentius accedunt. Alij timore & reverentia huius Sacramenti territi, attendentes Sacramenti dignitatem & propriam vilitatem, periculúmque indigne sumentium, magis se retrahunt, & præ formidine ab eius sumptione se cupiunt elongari. Verum uterque affectus recommendandus est, & interdum ex desiderio accedere, interdum ex reverentia dimittere laudabile est, pro loco & tempore opportunis. Et secundum Augustinum uniuscuiusque conscientiæ relinquendum est quod faciendum videtur. Vnum tamen omnibus indubitanter securum est, ut scilicet nec ex reverentia desiderium & spem excludamus, nec rursum ex spe & desiderio relinquamus reverentiam & timorem, sed inter utrumque affectum medij fluctuemus, aliquando plus de uno habentes, aliquando plus de alio. Ait enim beatus Gregorius: Nihil enim nobis securius quam sub spe semper timere. Affectus tamen amoris absolute loquendo excellit. Sed quod absolute est melius, in casu sic & est multis periculosius, magisque timendum.

CAPVT XXXII.

De Passione Dominica, & de tribus in quibus homo debet se exercere circa passionem Christi.

VAdam ad montem mirrhæ. Et tu homo devote si montem mirrhæ, id est, amaritudinem pœnitentiæ per carnis mortificationem vis arripere, atque per timorem & spem ad montem & ascensionem puritatis vis ascendere, nihil tibi utilius quam ut nonnunquam mirrham primam de morte salvatoris tui studeas colligere: Inde enim tibi mirrha amara timoris præservans à putrefactione vitiosæ delectationis, dum vides Dominum tuum ascendisse montem mirrhæ, id est, montem Calvariæ vel magnitudinem pœnæ, propter peccata tua sustinuisse. Inde tibi nonnunquam è contra spes & devotio & unguenta pretiosissima timoris, amoris, gratitudinis compassionis, & huiusmodi emanabunt.

Igitur ut te labor non terreat, amaritudo non deiiciat, spes trahat, devotio alliciat, gratitudo, amor, & compunctio cogant ascendere montem puritatis, prius valde speculando ad Christum, qui non incongrue potest dici mons mirrhæ propter amaritudinem passionis acerrimæ. Debes autem primo ad ipsum ire, devote passionem suam velut mirrham primam vivaciter colligendo & cordi tuo imprimendo. Et hoc fit dum Christi passionem circumspecte, morose, & devote ruminas, diligenter ad literam seu secundum sensum verborum speculando. Secundo debes ad Christi passionem tanquam mirrham ire, & inde aliqua ad tuam utilitatem trahere, sive medicinam contra vulnera passionum, sive exempla virtutum. Tertio debes ad ipsum ire, & ex illa mirrha prima mentem tuam ad devotionem perungere, & amorem inflammare, & teipsum promptum efficere ad omnium tolerantiam tribulationum. Vt autem Christi passionem ad literam devote relegere valeas & circumspecte dirigere, scire debes quod talis meditatio passionis Dominicæ simpliciter ad literam, id est, simpliciter facta & gesta, & pœnalitates Christi in passione considerare, maxime inducit compassionem & devotionem ad Christum ex compassione. Vt autem melius compassionem & devotionem ex huiusmodi meditatione elicias, debes summopere hoc quod prius dictum est attendere, ut semper Christum quo lucidius poteris unam personam concipias, quem Deum & hominem esse & fuisse non dubites. Cum igitur legis Christum talem pœnam sustinuisse, vel sic & sic respondisse, vel tacuisse, cogita semper & in conceptu sic forma, ut nomen Iesus tibi Deum & hominem repræsentet, & sic Christum devotius & maiori reverentia aspicies, multoque amplius compatieris. Si enim humano affectu bruto animali compateris intense afflicto, quanto magis compatereris Christo, si eum non solum ut hominem pulcherrimum, dulcissimum, mitissimum, nobilissimum, amantissimum, gratiosum & decorum in conceptu assumeres, verum insuper ut Deum omnipotentem, metuendum, reverendum, adorandum creatorem & iudicem tuum, mentis tuæ oculis repræsentares? Secundo, ut Christo amplius compatiaris & pœnalitates eius medullitus animam tuam gladio doloris transverberent, debes Christum in quavis pœna constitutum, non solum respicere, quasi exterius summo dolore afflictum, sed etiam summopere cum diligentissime interius cernere omni dolore repletum, & absynthio universæ amaritudinis inebriatum. Primo igitur quoties legis aliquam pœnalitatem, vel aliquod opprobrium Christo illatum, non per illud ita accipias Christum passum & sustinuisse, sicut si alius aliquis homo per eandem pœnam sustinuisset, sed indicibiliter aliter & amplius ultra omnem hominem. Cuius causas debes in corde diligenter colligere, quoniam sunt multum ad compassionem motivæ & inductivæ. Igitur notum est, tantum præcise unumquemque aliqua pœna sensibili torqueri & affligi, quanto plus aliquis sensuum illam pœnam tanquam sibi inconvenientem sentit. Sed & iterum non est dubium sensus alicuius hominis tanto plus & citius pœnam sentire, & ex eadem torqueri, quanto sensus illius hominis fuerint vivaciores. Christus autem natura vivacissimus, & complexionis dignitate nobilissimus extitit, ideo maximam sustinuit pœnalitatem ultra quemvis alium hominem. Vide ergo, si est aliquis dolor similis sicut dolor eius. Cogita ergo si tibi vel alteri tenero homini intolerabilis esset pœna, caput spinis perforati, totum corpus acerrime flagellari, &c. quanto magis Iesu Christo homini & Deo fuit illa pœna gravissima in natura sua nobili & delicata. Secundo Christus patiebatur tantum quantum voluit. Nam secundum Evangelistam Iesus turbavit seipsum non passio, sed ipse seipsum. Item oblatus est, quia voluit. Sed quia Christus passionem suam assumpsit pro satisfactione originalis criminis, quod tantum fuit, ut totum genus humanum iustitia originali spoliaret, & ipsam naturam inficeret, & æterna beatitudine spoliaret: Et item assumpsit passionem & mortem, ut ipse esset hostia sufficiens pro omnibus hominibus; & quia Dei perfecta sunt opera, videtur omnino quod Christus assumpsit mortem amarissimam. Vnde Ieremias: O vos omnes qui transitis per viam, videte si est dolor similis sicut dolor meus, ac si diceret, nequaquam: imo dicunt doctores, quod dolor eius & passio fuit adeo acerbissimus & afflictivus, quod excederet dolores omnium hominum, quos ab initio sæculi passi sunt vel passuri. Præterea tertio non modicum auxit Christi dolorem, quod hanc passionem à tali populo sustinuit, cui tot beneficia contulit, cui merito dicere potuit: Popule meus, quia ego Deus tuus, quid pro te facere potui & non feci; tu vero quid mihi peius rependere posses, quam quod acerrimam mortem inflixisti? Vnde propterea compatiens huic populo orabat: Si possibile est, transeat a me calix iste, id est, ab hoc populo infligendus, ut quidam sancti voluerunt. Sed & passio Christi fuit in omni membro, in omni sensu. Manus gratiosæ perforatæ, Caput spinatum, totum corpus flagellatum, &c. sicut potes per singula currens studiosius perscrutari. Item eius passio fuit opprobriosissima derisione, confusione, scandalo, sputationis, capitis velatione, plenissima, ut nunquam simile legisti, & hoc ex maxima invidia Pharisæorum. Item ut melius amaritudinem passionis Christi sentias, hoc habe pro regula, ut quoties Evangelista ponit absolute aliquam pœnam Christo inflictam, adde tu in corde valde vel maxime vel severissime, &c. ut verbi gratia: Percussit eum servus Pontificis, cogita tu valde graviter, sicut dubium non est, quamvis certum gradum percussionis vel afflictionis scire non poteris. Adverte nunc etiam & diligenter in corde colloca causas afflictionum & dolorum internorum Christi, quæ forsitan sensibilem pœnam præcellebant. Hæc autem interior afflictio surgebat primo ex fervido Christi zelo pro humano genere salvando. Pro quo tamen ad maiorem partem passionem suam videbat infructuosam & inutilem, licet pro omnibus esset sufficiens & superabundans, non autem efficiens propter malitiam multorum. Item habuit maximam compassionem cum sua matre benedicta omnibus amaritudinibus repleta. Item gravabatur interior pœna Christi ex miseratione Iudæorum. Item ex dolore discipulorum, & peccato præcipue Iudæ. Item ex nostra cæcitate & ingratitudine, pro qua & flevit super Ierusalem, dicens: Si cognovisses & tu, &c. Ecce nunc pio oculo respice Christum in passione sua constitutum. Lege eius passionem, & respice eum non solum exterius afflictum, sed interius exteriúsque totum dolorosum, totum afflictum, & amarissimis doloribus repletum. Et valde mirandum est, si ita respicis Deum & hominem afflictum, & tantis tribulationibus circundatum, & non moveris affectuosa compassione. De secundo autem, quomodo tibi utiliter passionem Christi assumere debes ad fructum & utilitatem, ad imitationem scilicet virtutum, vel fugam vitiorum, debes summo conamine ad hoc affectum & intellectum tuum dirigere, ut in omnibus gestis, verbis & responsionibus Christi quæ in historia legis passionis Dominicæ, sentire possis, quomodo Christus se habuit interius & exterius, quomodo Iudæi, Pilatus & Herodes, Maria mater Domini, Maria Magdalena pro loco & tempore se habuerunt interius & exterius. Et sic invenies in Christo passo omnium virtutum copiam, & contra omnia vitia summa medicamina. Verbi gratia, cum legis: Stetit Iesus coram Pontio Pilato præside: Cogita primo modum stationis, quomodo Christus se habuit exterius, quia inclinato capite, oculis in terram demissis, & sic de aliis motibus humilibus. Similiter cogita de responsione eius, & de modo proferendi verba; quam humiliter, quam leniter, & pie protulit. Cogita de modo, quomodo se habuit interius in his

omnibus,

omnibus, & invenies eum absque rancore, absque invidia, absque impatientia, humilem & mitem corde. Sic cogita de modo quomodo se habuerunt Iudæi exterius, quia horribiliter & perverse, magnis clamoribus, & durissimis vocibus eum accusantes, clamantes: Reus est mortis: Crucifige, crucifige eum: Si non esset hic malefactor, non tradidissemus eum tibi, & sic de singulis. Cogita de modo, quomodo se interius habuerunt, & invenies quod ex invidia stridebant super eum dentibus suis, & movebantur contra eum ex magna invidia & iracundia. Sic cogita de beatissima virgine Maria & Magdalena, quomodo se habuerunt in moribus exterioribus, quia dolorosæ, non tamen inordinate & incomposite, maxime Dei genitrix, quæ nec unquam venialiter peccavit per aliquam deordinationem. Cogita modum quomodo se interius habuerunt, & invenies maximum dolorem & summam tristitiam. Et si ista bene tractaveris, invenies in Christo omnium virtutum summam & compatiendi materiam, & debita medicamina vitiorum. Tertio quomodo ex mirrha passionis Dominicæ possis mentem tuam tanquam pinguet ex adipe devotione inungere, & ad charitatem affectum tuum inflammare, debes cogitare, quod tu homo es causa tanti doloris, tantæ amaritudinis. Itaque ut supra dictum est, attrahe tibi hoc beneficium, quasi pro te passus sit solum Christus. Et inde gratitudo oritur. Nam passus est propter tuam illuminationem, redemptionem, iustificationem & glorificationem: Propter tuam illuminationem ut sequereris exemplum eius, & intellectus tuus illuminaretur in cognitione veritatis. Igitur omnia quæ legis Christum fecisse, attrahe tibi quasi propter te solum facta, & cogita semper quasi Christus dicat tibi: hoc feci, ut sequaris me: Propter tuam redemptionem, quia propter peccatum originale eras perpetue damnatus. Cogita ergo quam grave est peccatum tuum propter quod expiandum tantum exigitur medicamentum, tantum pretium; & inde tibi nascetur timor & horror peccandi, & sic de aliis propter tuam iustificationem. Inde gratitudo oritur, quod tantum voluit pati, ut tu dignus possis haberi iustificatione Dei. Propter tuam glorificationem, & inde maxime tibi exurget amor quod ille qui te non indiguit, nec bonorum tuorum eget, propter tuam gloriam tanta voluit sustinere. Sed quia homo hunc montem mirrhæ, id est magnitudinem amaritudinis non potes simul in corde colligere vel apprehendere, sed necesse est, ut successive per exercitium recolliga, & continue in corde reponas: Ideo pro faciliori tuo exercitio passionem Christi sub brevibus particulis hic ex Evangelio collectis, annexinius, pro lucro meditationum & adminiculo exercitiorum.

CAPVT XXXIII.

Passio Christi breviter tacta, & particulis divisa.

Particula prima.

IGitur celebrata illa solemni & regali cœna, Christus Deus & homo surrexit, atque cum discipulis cœpit ad mortem inimicis obviam properare. Verum eundo dulci colloquio discipulos de sua passione instruxit & præmunivit, dicens: Quod percusso pastore, dispergendæ essent oves gregis. Petrum præmunivit, & quod eum negaturus esset, prædixit. Hæc ad literalem sensum & devotam meditationem trahens, ante omnia cum reverentia & pia dulcedine recole personam Christi Deum simul & hominem, & ita, quæ dicit & loquitur diligenter cum reverentia & admiratione & pietate ausculta. Deinde ad tuam utilitatem & morum informationem diligenter considera, quam dulciter verba protulit, quam benigne se habuit, quam dulci colloquio admonuit. Considera etiã quam fuit ab intra dolorosus & de morte imminente contristatus, &c. Deinde cogita tertio quod pro tua redemptione iam incipit ire ad mortem, & pro te immolari, & compungere ad devotionem & lachrymas. Et hæc & his similia pertracta ubicunque tibi convenit secundum tria prius dicta, ne sit opus ammodo iterare. Deinde relictis aliis discipulis & assumptis duntaxat tribus principalioribus ad ipsos colloquendo, ait: Tristis est anima mea usque ad mortem. Sed & illis relictis solus ivit in montem orare; ubi post tertiam orationem tantus ei & tam immensus factus est horror & timor, ut præ magnitudine horroris, sanguinem sudaret in terram defluentem, quod de nullo unquam homine quantumlibet afflicto legitur. Et ecce Angelus Dominum suum confortat. Procedens autem promptissime, licet mirabiliter pœnam horreret, inimicis suis obviat, & verbo unico in terram prosternit. A Iudá patientissimus Dominus osculum suscipit. Deinde crudeliter a Iudæis capitur, vincitur & trahitur. Tunc omnes discipuli relicto eo fugerunt. Ipse autem ad domum Annæ primum ducitur, ubi graviter in maxillam à servo nequam percutitur. Et si volueris, poteris te hîc diligentius exercere, considerando quis sit iste, qui ita opprobriose trahitur & ducitur, & cogita ut prius, quod homo benignissimus, mitissimus, mansuetissimus, &c. Sed & secundum deitatem cogita quis sit iste, ut te ei subdas per rationis assensum. Crede igitur & cogita ipsum veraciter esse Dei filium, omnium principium, salvatorem omnium, & omnium retributorem. Et hæc sit particula prima mirrham Dominicæ amaritudinis colligendi.

CAPVT XXXIV.

Particula secunda.

TRahitur autem in domum Caiphæ, ubi scribæ & sacerdotes eum expectabant. Cogita quomodo Christum trahebant, quia perverse & dure. Cogita quanta aviditate pharisæi expectabant, qua invidiâ pleni. Cum autem à principe adiuratus veritatem fuisset confessus, tanquam blasphemus percutitur ictibus gravibus, tanquam si sibi false nomen Prophetæ usurpasset, facie velata percutitur, conspuitur & irridetur, & falsum testimonium contra eum quæritur, sed conveniens non invenitur. A Petro cæteris discipulis fortiore negatur, Christi tamen respectu admonitus, amarissime deplorat peccatum. Mane autem facto tanquam latro per plateam iudici adducitur adiudicandus morti. Videns autem Iudas quod ad mortem peteretur, tantum in se doluit, quod tam dulcem magistrum suum tradidit, ut seipsum præ amaritudine & dolore, laqueo suspenderet, & retulit triginta argenteos, cum quibus emptus est ager, iuxta Prophetiam Hieremiæ. Deinde multis clamoribus, falsis accusationibus, concurrente totâ populi multitudine, est coram Pilato accusatus. Missus & ductus per plateam ad Herodem, ab eo ut fatuus irridetur. Hîc diligentissime considera, qualis est qui patitur, & ei configurare ut compatiaris innocentissimo, mitissimo & nobilissimo, & amantissimo.

CAPVT XXXV.

Tertia particula.

STante autem Iesu humillimè coram Pilato præside, magnus tumultus & clamor validus invaluit, clamantibus ipsis Iudæis: Crucifige, crucifige. Nos legem habemus, & secundum legem nostram debet mori, &c. Tunc Pilatus Christum fecit durissime per totum corpus flagellari; & in figura regis tanquam illicite se regem nominasset, multipliciter illuditur,

A ac chlamyde induitur, Caput spinis coronatur, arundine graviter verberatur, ut rex genibus flexis irrisorie adoratur. Hic homo diligenter attende modum quo Christus se habuit, quomodo Pilatus sedens in throno, tanquam Dominus foret Christi Domini & iudex eius; Nescis, inquit, quod potestatem habeo dimittendi te. Attende modum quomodo Iudæi se habuerunt, vide causam cur Christus hæc omnia sustinuit, nisi propter te redimendum. Iterant & multiplicant clamores Iudæi. Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Crucifige, crucifige. Tunc Pilatus timore Cæsaris victus, tradidit Christum crucifigendum. Exiens autem, ut crucifigatur, ipse suum portat patibulum. Sequentibus se mulieribus, ait: Nolite flere super me, &c. Considera autem hic, quantus & quam gloriosus rex cœli & terræ, & Dominus sabaoth sit iste, qui sic illuditur regis schemate, ut sic ad ipsum possis egredi B per admirationis aspectum. Est enim immensus potestate, speciositate, felicitate, æternitate. Admirare igitur maiestatem annihilari, speciositatem decolorari, felicitatem tormentari, æternitatem mori.

CAPVT XXXVI.

Particula quarta.

DVctus in montem Calvariæ, incipiunt se lictores disponere ad crucifigendum, exuere Christum vestibus, & sic de singulis. Cogita tu diligentissime modum crucifixionis, quia aut crucem primo erexerunt, & Christus crucem deinde ascendit. Et tunc quomodo pendet primo brachio uno fixo & altero non, & cogita Christi patientiam & modum quo se habuit, aut certè crucem ponentes primò affixerunt, & deinde erexerunt, & tunc considera Christum ia-C centem super crucem manus proprias extendentem, & ita erigitur. Respice deinde Christum in cruce lachrymantem. Sitit in cruce. Orat pro crucifixoribus. Blasphematur à prætereuntibus, à Pharisæis & latrone. Titulus verissimus & indelebilis scribitur, Iesus Nazarenus rex Iudæorum. Stat virgo benedicta mater Christi gloriosa, sub cruce Christi doloribus plena, quæ utique tanto ampliorem habuit dolorem, quanto ferventiorem amorem. Tandem Christus matrem suam Ioanni commisit, fiunt deinde tenebræ per totum mundum. Clamans proinde eli, eli, quanta sua foret pœna, & quod humanitas à divinitate quodammodo fuit deserta, designavit. Et hoc propterea, quod nulla fuit redundantia virium superiorum, quibus fruebatur ad vires inferiores, quibus patiebatur. Igitur accepto aceto, cum iam nil restaret agendum vel implendum, clamans voce magna, spiritum misit, innuens quod quam diu voluit vires sibi retinuit, & quod nullus animam suam à se tolleret, nisi ipse eam poneret. Vnde præcipue Centurio ex hac voce motus, di-D cebat: Vere filius Dei erat iste. Et hic considera quali forma Christus passus est, ut eum studeas imitari. Passus est enim sicut verus agnus liberalissime respectu proximi, severissime respectu sui, obedientissime respectu patris, prudentissime respectu adversarij. Stude igitur ad habendum habitum secundum effigiem imitationis Christi, scilicet benignitatis, severitatis, humilitatis, & perspicuitatis.

CAPVT XXXVII.

Particula quinta.

OSsa latronum & crura confringuntur, ipsi autem os non minuitur, ut prophetia integra servetur. Latus eius unus militum aperuit, unde sanguis & aqua exivit, & sacramenta Ecclesiæ consecravit. Velum templi scinditur. Sepulchra mortuorum aperiuntur, ut inde in die resurrectionis cum Christo re-E surgerent. Hic considera quanta pro te passus est Christus, & ex omnibus prædictis montem myrrhæ ascende, id est, totam passionem Christi & amaritudinem, acerbitatem revolve. Passus est enim Christus inimiciam, convitia, ludibria, supplicia. Sic & tu Christi passionem imitando amplectere pro eo omnem passionem plenam iniuriis, convitiis ludibriis & suppliciis.

CAPVT XXXVIII.

Qualiter devotus in suis ascensionibus passionem Christi debet dirigere, ut per timorem ascendat, per spem proficiat, per charitatem Deo inhæreat, & intellectus illuminetur.

F SI vero plenius vis scire, quomodo passio Christi generat dolorem, & ita proficit in prima ascensione, quomodo timorem incutit, & ita iuvat in primo gradu secundæ ascensionis. Si vis scire quomodo spem elevat & charitatem auget, intellectum illustrat, & affectum informat, debes diligenter in Christi passione & morte investigare & inquirere septem veritatis illuminationes, quarum cognitio ante Christi passionem admodum erat occulta, sed in passione velum est scissum & veritas reserata, ut de his dici possit illud Apocalipsis, Aperta sunt signacula eius septem. Si igitur vis te exercere ad timorem, si vis erigere ad spem, respice primum signaculum in Christi passione reseratum. Est autem signaculum hoc, Deus admirabilis. De quo in passione ostensum est, quod ipse sit summa sapientia, qui tam prudenter diabolum decepit, non autem per infinitam potentiam suam violenter oppressit. Secundo ostensum est in passione quod ipse sit summa iustitia, in quantum quæsivit redemptio-G nis pretium. Tertio ostensum est, quod ipse sit summa misericordia, in eo quod pro nobis tradidit filium suum unigenitum. Si ergo vis te exercere ad timorem, quid magis timendum quam quod Deus est summa iustitia, qui elegit subire mortem potius quam iustitia sua relinqueret peccatum originale inultum. Si iterum in Christi passione vis te exercere ad timorem, spem & charitatem, diligenter lege apertum signaculum, secundum, quod est spiritus intelligibilis. Qui manifestatus est per Christi passionem esse maximæ benignitatis, & hoc quantum ad Angelos, qui Dominum suum permiserunt crucifigi. Secundo manifestatum est quod sit eximiæ dignitatis, & hoc quantum ad homines pro quibus Christus fuit crucifixus. Tertio manifestatum est quod sit maximæ crudelitatis, & hoc quantum ad dæmones qui eum crucifixerunt. Si igitur vis timorem incutere, cogita quod adversarij tui tam sunt crudeles, quod nec Christo Domino pepercerūt, sed tentaverunt, & crucifigi fecerunt. Utique non par-H cent tibi, hic tentando, & in futuro, si promerueris, puniendo. Si vis spem erigere, cogita quod illi spiritus Angelici tantæ sint benignitatis, libenter orationes tuas ad cœlum deferent, & pro te Domino supplicabunt. Si vis ad amorem inflammari, cogita quod Christus tanti te reputavit, tantúmque amavit, ut pro te redimendo voluit crucifigi. Si incipias ascendere à concupiscentiis, & delectat te præsens seculum nequam, lege apertum signaculum tertium quod est mundus sic sensibilis. Nam ipse in morte Christi probatur esse locus tenebrarum, in quo regnat cæcitas, quia lucem veram non cognovit. In quo regnat sterilitas, quia Christum infructuosum reputavit. Impietas, quia innocentem Christum condemnavit. Et ita huiusmodi speculatione mens tua avellitur ab amore mundi. Si vero vis plenius cor tuum forsitan infixum oblectamentis mundi abstrahere, exercendo te in passione Christi, lege apertum signaculum quartum quod est infernus. Qui manifestatus est esse per Christi mortem plenus omni egestate, vilitate & paupertate. Quoniam si hæc

Christus

Margin notes: Vide tractatum præcedentem 34. — 1 — 2 — 3 — 4

A Christus passus est propter peccati deletionem, multo magis damnati hæc patientur propter istam operum retributionem. Item si vis compunctionem ex timore conficere de peccatis tuis, vt per eam à concupiscentiis libereris, lege signaculum quintum in patrone teseratum, id est, reatum culpabilem, qui ex hoc mirabiliter probatur Deo detestabilis quod ad sui re-5 missionem indigeat tam magno pretio, tam grandi piaculo, tam difficili medicamento. Item si vis cor tuum ab amore mundi aliquantulum separatum, sur-6 sum per spem erigere, lege signaculum sextum apertum, id est, paradisum desiderabilem, qui ex passione aperitur, & monstratus est esse locus plenus gloriæ, lætitiæ & opulentiæ, in eo quod Christus propter eius restitutionem factus est vilis, pauper & miser. Item si vis te accendere ad cordis puritatem, & ad exercitia virtutum, lege apertum signaculum se-7 ptimum quod est virtus laudabilis, & invenies in morte Christi quam sit virtus pretiosa, speciosa & B fructuosa. Pretiosa, quia Christus ante voluit perdere vitam, temporalem quam contrariari virtuti. Speciosa, quia in contumeliis relucebat. Fructuosa, quia unus perfectus actus virtutis infernum spoliavit, cœlum aperuit, perditum restaurauit.

CAPVT XXXIX.

De resurrectione Dominica.

Tertia autem die Christus victor mortis resurrexit, & nos resurrecturos monstravit. Si igitur Christo passo fuisti compassus, nunc resurgenti congaude. Cogita devote qualiter anima Christi ad infernum descendit, quid ibi egit, de gaudio sanctorum patrum, & tristitia dæmoniorum. Cogita de timore C custodum. Cogita de custodia Angelorum, circa sepulchrum quorum nunc refertur unus solus sedere, nunc stare, nunc super lapidem, nunc in sepulchro, nunc duo & hi diversimode, per quod ostenditur multitudo Angelorum circa sepulchrum & varia visitatio mulierum. Cogita quomodo amor & desiderium Magdalenam & alias fœminas frequenter cogebat currere & sepulchrum Domini visitare. Cogita de variis Christi apparitionibus. Cogita de dulcibus eius colloquiis cum discipulis. Cogita cur Christus in Galilæa voluit apparere, nisi ut tu debeas de vitiis transmigrare. Vnde pascha dicitur transitus. Sed & in Galilæa, id est, transmigratione & mutatione corporum nostrorum, in regno cœlorum Christum videbimus post generalem resurrectionem.

CAPVT XL.

De gloriosa ascensione Christi.

D Post quadraginta dies resurrectionis ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem sanctorum patrum. Meditare de gloriosa processione ascendentium cum Christo. Nam sancti sequebantur, Angeli venientes obviabant, & tunc inter se quæstiones illas formabant, de quibus Esaias: Quis est iste, qui ascendit, &c. Cogita de tristitia Apostolorum & gaudio. Cogita de Angelis redeuntibus & Apostolos consolantibus. Disce & tu ascendere ad Christum, sed per ascensiones prius dictas, vt relinquas hic vitium, quia nullum vitium ascendit cum salvatore, vt dicit Augustinus.

CAPVT XLI.

E *De missione sancti Spiritus.*

Deinde de cœlo Dominus in linguis igneis misit Spiritum sanctum. Vide quomodo deinceps fuerunt Apostoli confortati & in charitate fundati. Meditare cur Spiritus sanctus in igne, cur in linguis, & cur in utrisque simul, & cur in aliis creaturis apparuit; & itide proprietates talium rerum in te habere. Cogita effectus & dona sancti Spiritus, & multa similia circa Spiritus sancti missionem.

CAPVT XLII.

F *Quod perfecte in hac vita nullum de præmissis tribus gradibus possumus consummare.*

Istis tribus gradibus ad puritatem cordis & charitatem ascendimus. In primo siquidem Deum quærimus, sed non invenimus, per fervidam videlicet charitatem. In secundo circumeuntes plateas cœlestis Ierusalem & in tabernaculo eius offerentes hostiam vocificationis magni desiderij, invenimus nos vigiles qui custodiunt civitatem, sancti Angeli scilicet, quos per spem & desiderium contemplamur. Sed nec est ibi quiescendum, sed adhuc ascendendum. Paululum, inquit, cum pertransissem eos, id est, ad tertium gradum ascendissem, inveni quem diligit anima mea. Itaque in primo, mundi concupiscentia descritur In secundo niens superius sublevatur. In tertio quiescit G in Deo quieta. Nec tamen putes quod aliquem istorum graduum usque ad summum vel perfectum in hac vita possumus ascendere. Nec enim in hac vita possumus omnes concupiscentias expurgare, cum neque ipse Paulus perficere invenit, id est, perfectionem, quæ est in non concupiscere secundum Augustinum. Sed nec quam diu vivimus possumus omnes affectiones sursum levare, quin aliquid remaneat in terra. Corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Sed multo minus possumus tam parati & idonei fieri, ut possimus iugiter Deo adhærere. Quoniam quamdiu sumus in corpore, peregrinamur à Deo. Sed isti sunt gradus & profectus, quibus nostra fragilitas ascensiones debet disponere, & successive quantum poterit proficere ascendendo.

CAPVT XLIII.

H *De tribus, quibus sustentatur & promovetur spiritalis ascensio, scilicet lectione, meditatione, & oratione.*

Verum quia non est humanæ fragilitatis, cordis semper insistere ascensionibus, & spiritualibus affectionibus & exercitiis, & difficile est ascendenti nunquam descendere, nisi habeat in quo fatigatus requiescat, nisi cibum secum habeat, quo sustentetur in via. Ideo sicut superius designatis tribus descensibus triplicem posuimus discussionem pro ipsorum descensuum pleniori habendi notitia: Ita iam erectâ scalâ ascensionum tria assignemus sustentamenta, in quibus requiescere valeas fatigatus, quibus possis te reficere deficientem in via. Sunt autem tria ista, lectio, meditatio, oratio. His tribus nutritur & perficitur omne spirituale exercitium. Hæc sunt quodammodo cibus in via. Quoniam sicut Deus dedit corpori panē,

vinum,

vinum, &c. ad sustentationem suam, ita præmissa tria contulit Deus animæ in hac peregrinatione pro sua refectione, vt dicit Augustinus. Lectio autem magis pertinet ad primum ascensionis gradum, qui in timore perficitur. Nam lectio secundum Hugo. ad incipientes pertinet, qui vtique in primo gradu à timore concipiunt, & parturiunt spiritum salutis. Meditatio magis spectat ad secundum gradum, id est, proficientes, qui iam lectionibus instructi sciunt secum in corde suo deambulare. Oratio vero quamvis ad omnes spectet ascensus, præcipue tamen & proprie ipsis congruit, qui in tertio ascensionis gradu incipiunt Deo adhærere. Est enim oratio hominis Deo adhærentis affectio, & familiaris quædam & pia allocutio. Sed videamus quomodo ista tria nos in ascensionibus præmissis promovent & adiuvant & sustentant, si debitè dirigantur & discretè assumantur.

CAPVT XLIV.

Qualiter sacra lectio adiuvat & sustentat ascendentes, & qualiter sit ad profectum spiritualem ordinanda & dirigenda.

IGitur timore percussus & compunctione depressus, affectu quoque & desiderio ascendendi inflammatus lectionem tibi arripe ad tuum profectum, ita videlicet vt te semper ad ascendendum admoneat, ad proficiendum hortetur, vt quicquid legis ad ascensum puritatis & charitatis tibi proficiat, vel viam ascensus per sancta opera & exercitia ostendendo, vel affectum tuum ad ascendendum inflammando, timorem incutiendo vel per spem sublevando. Itaque vt quidam ait, Christiano Philosopho, lectio admonitio debet esse, non occupatio. Hoc autem facile fiet si secundum doctrinam Augustini, initium cum volueris legere sit timor Domini, si videlicet timor intentionem & affectum tuum regulet, vt non nisi profectum quæras spiritualem ad cordis puritatem, & sicut ille sanctus Antonius, de quo refert Gregorius in 4. Dialogorum, non quæras scientiam verborum, sed fletum compunctionis inquiras, quatenus per hoc excitata mens tua inardescat, & ima deserens ad cœlestia bona tendat. Sane vt tibi lectio pro spirituali ascensu sit fructuosa, multa sunt tibi attendenda, videlicet quid legis, quando legis, quomodo legis, & ad quid legis. Quid legis. Non enim quæ leges omnia quamvis etiam vtilia æque proficiunt ascendenti. Vnde illarum scripturarum lectionibus magis debes incumbere, quæ tuum affectum magis inflammant ad spiritualem profectum & ascensum, quam quæ in rebus difficilibus & curiosis illuminant intellectum & acuunt curiositatem, sicut sunt materiæ disputabiles. Lectio etiam difficilium scripturarum non reficit animum teneriorem, sed nonnunquam frangit eius intentionem. Illos autem libros præcipue debes legere, qui vel instruunt te de moribus, de extirpatione & natura vitiorum, de exercitiis virtutum & spirituali profectu, vel illos qui in te augent devotionem & inflammant affectum ad Christum & ad cœlestia. Et si interdum alios legeris, quamvis ex causa, statim debes redire ad materias devotionis. Quale enim habes continuum studium in scripturis, talem tibi formas affectum, tale sentire, & talia sæpe meditaris. Secundo debes attendere quando legis. Lectio enim vt sit fructuosa, non debet esse ex abrupto & casu fortuito, sed tempore & hoc fixo. Homo præcipue debet diligenter animum ex sacra lectione reficere, ut habeat unde in suis exercitiis, cum melius non occurrit, memoria occupetur. Itaque lectio non nos retineat in se occupatos, sed ulterius dirigat ad devotas meditationes & spirituales orationes, & illæ sua dulcedine & affectione dirigant ulterius in opus & fervent delectabiliter operantes. Tertio debes attendere, quomodo legis. Sunt enim qui librum ex toto ante percurrunt antequam incipiant. Alij nunc unum folium student in principio, statim deinde aliud folium in medio vel in fine, & sic casualiter percurrunt. Fastidientis autem stomachi, vt quidam ait, est multa degustare, quæ vbi varia sunt & diversa, inquinant, non alunt. Tu vero integrum librum tibi elige qui proposito conveniat, mores informet, devotionem augeat, quem timor Domini, vt dictum est, præcedente, à principio usque ad finem congrua devotione & debita reverentia debes studere. Quarto debes advertere ad quid vel propter quid legis. Et certe principalis intentio tua, sicut in omnibus exercitiis debet esse puritas cordis non vanitas, non tantum vt scias, sed multo minus vt sciaris, sed vt tibi proficias, & aliis pro tuo modulo. Debes igitur vt immediatius lectionem ad puritatem referas semper aliquid de lectione extrahere quod tuo proposito conveniat, quod memoriam occupet, quod te ad proficiendum admoneat, vt sis animal mundum quod consuevit ruminare. Sed & alios fructus potes in lectione quærere, vt scilicet nunc legendo, nunc orando, nunc operando exercitia varies, & tædium mentis devites, & ita te teneas stabilem. Stude ergo in omnibus quæ consueveris exercere, delectationem aliquam invenire: Delectatio enim servat operantem in opere. Time in omnibus tædium mentis. Et hic debet tibi esse unus in omnibus finis, vt te serves perseverantem delectabiliter in tuis operationibus & exercitiis. Item vt lectionem immediate dirigas ad puritatem, sæpius lectionem oratio interrumpat, vt de lectione formes affectum, & de affectu surgas ad orationem. Hæc de lectione.

CAPVT XLV.

De modo meditandi.

MEditatio vero dicitur, cum ea quæ legisti vel audisti, studiosâ ruminatione in corde tuo diligenter pertractas, & per ea affectum tuum circa aliquod certum inflammas vel illuminas intellectum. Itaque ascendens, & iam in spe proficiens, frequenter in corde rumina, præcipue quæ te ad profectum iuvant puritatis, quæ timorem incutiunt vel augent amorem. Vt autem meditationes tuæ tibi sint fructuosæ, & vt faciliter assuescas bonis meditationibus, duo debes diligenter considerare. Primum est, vt animo tuo de quibusdam vtilibus materiis provideas, quibus intentus proficiat, & fructuose occupetur. Siquidem, vt aiunt sancti, anima tua est sicut mola, quicquid ei imponitur molit, si nil imponitur, se consumit, & vanis & otiosis implicatur. Si autem nil certi vel determinati, ad quod utilioribus non occurrentibus recurras, tibi præfigas, necesse est te quibuslibet rebus occurrentibus aditum in te præbere. Facilè enim cor tuum quibuslibet occurrentibus adhæret, si non intense alicui sit affixum. Sed & si non habeas aliquid ad quod recurris, sæpe proponis devote meditari, & antequam occurrat vnde mediteris, perit propositum, voluntas negligitur, & rursus incidis otiosa. Quæ autem materiæ tibi sint utiliores ad meditandum & proficiunt tibi ad ascensum, superius audivisti. Sunt enim memoria peccatorum tuorum, memoria mortis, extremi iudicij, pœnarum infernalium, memoria cœlestis gloriæ, beneficiorum Dei & passionis Dominicæ, & si qua huiusmodi. Has etiam meditationes secundum tempora poteris variare, illas assumendo quæ tempori congruunt & pro tempore devotioni magis deserviunt, ut tempore quo peragitur vel recolitur in Ecclesia memoria Dominicæ passionis, tu te Ecclesiæ conforma meditationes tibi formans amaritudinum & passionum Christi. Sic facito & in aliis festivitatibus præcipuis Ecclesiæ, vt circa materiam festi versetur tuum exercitium, iuxta consilium Beati

Bernardi.

Bernardi. Secundum est, quod licet homo omni tempore, omni hora, pro sua fragilitate niti debet, ut animam suam repleat sanctis meditationibus, & spiritualibus ac devotis affectionibus, consilio tamen beati Hieronymi, debet sibipsi homo aliquas horas deputare, quibus singularius animam exerceat scopendo quodammodo spiritum, & incalefaciendo ad spirituale desiderium. Ad hoc autem secundum Hieronymum maxime conveniens est hora matutina: Hac enim hora homo magis est sobrius, & ad spirituale exercitium melius dispositus, & necdum involutus mundanis tumultibus. Hac igitur horâ homo debet præcipue niti, ut se excitet in aliquam devotionem, quoniam frequenter homo per totam diem in tali desiderio remanet ad quale se de mane excitavit. Tunc enim homo summo conamine studeat aliquam devotionem à Domino petere, vel per devotum exercitium ipse studeat in corde producere devotis meditationibus se exercendo & se præparando ad matutinas suas legendas vel decantandas. Similiter faciat de vespere antequam vadat dormitum. Tunc enim in horrore visionis nocturnæ, quando solet sopor cæteros homines occupare, ipse diligentius studeat, venas divini susurri percipere orans Dominum post quotidianam examinationem quam tunc facturus est, ut indulgeat quæ male egit, & gratias agat de his quæ laudabiliter adimplevit. Sed & contra timorem nocturnum, tunc acrius per affectus puros, per orationes devotas se armabit. Et si sacram scripturam tunc legeris, sit lectio tua præcipue de materia aliqua devota, non de veteris testamenti historia, sicut consulit beatus Benedictus. Quod autem dictum est de meditationibus, ut certis temporibus singulariter exerceantur, id idem multum expedit in omnibus exercitiis, ut scias quando unumquodque sis arrepturus, & quando ad aliud te versurus, ut habeas tempora orandi, tempora legendi, ut omnia fiant ordinate. Vnde B. August. Optima est gubernatio ut omnia suis temporibus distributa gerantur ex ordine, ne animum humanum turbulentis implicationibus involuta perturbent.

CAPVT XLVI.

De oratione & modo orandi.

ORationem vero quocunque pergis, ubicunque eris, in domo, in agro, ipsam tecum sume, ad ipsam semper habe refugium & recursum. Debes autem circa orationem quatuor attendere. Primo de affectu orationis, qualem videlicet orandi debes affectum induere, & qualem modum orandi assumere. Secundo quales orationes, breves an prolixas debeas legere. Tertio pro quibus debeas orare. Quarto quomodo te habebis in oratione & de attentione mentis in oratione. De primo igitur scias, quod vigor orationis & virtus surgit ex affectu orantis. Magis enim audit Deus desiderium cordis, quam clamorem oris. Ideo semper affectum aliquem & desiderium tibi assumes & indues secundum modum exercitij vel meditationum quibus pro tempore occuparis, ut semper oratio tua procedat de radice cordis, non tantum ex labiis oris, procedat semper vel ex affectu timoris, mœroris, dilectionis, admirationis, congratulationis, &c. Vnde breviter, ut modum habeas secundum prædicta: Si te in prima examinatione discusseris & inveneris peccata tua multiplicata super numerum arenæ maris, forma in te affectum humilitatis vel mœroris, & assume personam servi qui Dominum suum offendit, & ex tali affectu forma orationem, dicens: Secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Si in secunda & tertia examinatione te discutiens inveneris cor tuum repletum malis concupiscentiis, & vitiosis desideriis, forma iterum affectum humilitatis, & assume personam infirmi advocantis medicum & dic: Sana Domine animam meã, quia peccavi tibi. Item: non est sanitas in carne mea, a facie iræ tuæ non est pax ossibus meis: Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, &c. Si te in secundo ascensu in timore per meditationes mortis, vel iudicij, vel inferni exercueris, assume affectum timoris, & assume personam rei astantis coram iudice cum timore & tremore quasi iam convictus, contra quem de iure proferenda est sententia, & dic: Noli me condemnare. Non intres in iudicium cum servo tuo, &c. Vel, Domine ne in furore, &c. Si autem in spe te exerces per memoriam regni cœlorum, assume affectum amoris & ora ex fervore cordis, dicens: Vnam petij à Domino hanc requiram ut inhabitem in domo domini. Item, quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus, & sic de aliis affectionibus quas ex illis formare poteris, & assumere debes sicut exercitium tuum exigit, & meditatio tua requirit. De secundo debes scire, quod aliquas formare debes orationes prolixiores, aliquas breves. Prolixiores dicimus horas canonicas vel alia similia, scilicet ad quæ aliunde obligaris vel voluntarie assumis. Et ante has orationes semper debes facere quod admonet Propheta, dicens: Scopebam spiritum meum, &c. donec incalescat spiritus tuus ex devota meditatione, & affectum & desiderium vel ex timore, mœrore, vel amore, & sic de singulis concipiat. Et hoc præsertim ante matutinas & vesperas, assumendo meditationes de extremo iudicio, de peccatis tuis, de hora mortis, de pœnis inferni, de beneficiis Dei, de passione Christi, secundum quod tunc tibi convenit. Aliæ autem sunt orationes breves, quas beatus Augustinus iaculatorias vocat in epistola ad Probam. Et has sicut sancti patres consueverunt, debemus continue in promptu habere, semper ignitis desideriis emittere formando de lectione affectum, & dicamus: Declaratio sermonum tuorum det intellectum, &c. Similiter oratio interrumpat meditationem, interrumpat operationem. Sed hic non oportet tantam fieri mentis præparationem, sufficit enim ex meditatione devota iam præsenti, mentem aliqualiter ad Dominum elevare. Pro tertio vero scias, quod quamvis corporis necessaria etiam sint à Deo petenda: multo amplius & sæpius debemus orare pro divina gratia, pro remissione peccatorum, pro adeptione regni cœlorum, pro expugnatione vitiorum & acquisitione virtutum. Maxime autem & quasi semper ante oculos versetur id vitium, contra quod principalius pugnamus, sicut infra dicetur, pro cuius extinctione ignitis debemus orare desideriis. Sed & debes orare non solum pro teipso, sed exemplo universalis Ecclesiæ debes interdum orare pro defunctis in purgatorio, pro amicis tuis si tentati, si tribulati, si infirmi, si peregrinantes. De quarto scias, quod in brevioribus orationibus quas utique habebis creberrimas, magis expedit ut ex affectu concepto, vel meditatione formata ita te habeas in oratione quasi Deo præsente colloquereris, petens ab illo gratiam aliquam, vel tentationum liberationem, formans ex te verba secundum tuum affectum, vel assumens verba ad illum affectum deservientia, iam composita & formata. Sed hunc modum in prolixioribus orationibus difficilius & grave maxime capiti est continuare. Et ergo oportet ut devote attendas quod legas, & inde moderate formes affectum & devotionem ex sensu in oratione, custodiens cor tuum ab evagatione. Interdum cum te in oratione conscientia urget, & Christum fiducialiter timore percussus adorare formidas, secundum consilium B. Iob convertere ad aliquem sanctorum & deprecare eum ut oret pro te, quod genus orandi dicitur postulatio. Clama, sancta Maria, ora pro me, &c. Sed & pro brevibus & magnis orationibus habe tempora constituta. Breves autem orationes maxime debes arripere, quando te tentatio comprehendit, ne te deiiciat. Quando exibis domum, ut Dominus custodiat introitum tuum & exitum tuũ, sicut sancti patres

consueverunt, secundum Hieronymum. Item quoties tibi peccatum innotescit, sive per admonitionem alterius, vel tui examinationem, & sic de aliis.

CAPVT XLVII.

Incipit ascensio tertia, qua debellando vitia ascendimus de virtute in virtutem, & vires animæ destitutas rursum reformamus, præcipue de duobus quæ impediunt ascendentes ascensu spirituali.

Bene cor hominis altum Propheta describit, ad cuius summitatem vel summum apicem non nisi tot ascensionibus pervenitur. Nec mirum tamen si altum dicitur ipsum, cum superior eius portio si bene esset ordinata, immediate Deum attingeret & ei soli subesset, ita ut si in superiori parte mentis tuæ stares, adeo alte respiceres, ut ipsum Deum cernere posses, quamvis non per essentiam, propter tuam indoneitatem, vel oculorum adhuc impuritatem & infirmitatem. Igitur altus mons est humana mens, ad quam ascensiones in corde disponimus. Sed utinam labor esset solummodo ex altitudine ascensus & multitudine graduum ascensionum, essetque alias via tuta ab hostibus, essetque plana & directa ad ambulandum in ea. Sed nunc hæc duo plurimum impediunt & retrahunt ab ascensu, videlicet multitudo hostium ascensum ipsum obsidentium, & ignorantia viarum. Siquidem ipsa via quæ ducit ad vitam arcta, est à dextris & à sinistris ab inimicis circumclusa, qui ascendentes per eam, mittentes sagittas ignitas, graviter vulnerant. Ipsi enim hostes viam obsidentes intendunt arcum, ut sagittent tendentem ad cor immaculatum & cordis puritatem. Vincula etiam, id est, rerum inferiorum affectiones ad pedes proiiciunt, ut ita laqueis suis vel infra trahant, seu à dextris, vel sinistris à via regia præcipitent: ita ut videas mille cadentes à sinistris viæ huius, decem vero millia à dextris eius. Vnde & ipsi inimici simul narraverunt ut absconderent laqueos, atque adeo occultaverunt, ut dicerent: quis videbit eos. Sed & via ipsa multa habet diverticula. Sunt enim circumquaque à dextris & à sinistris iuxta viam multæ semitæ quæ videntur bonæ, sed novissima earum ducunt ad inferos. Sed & inimici magis nituntur sæpe decipere viatum seductione, quam opprimere violentà tentatione. Induunt enim ipsa vitia frequenter splendorem & decorem virtutum, & iungunt se ascendentibus, quasi aliunde & non de parte adversariorum venientes, quemadmodum Gabaonitæ populum Dei deceperunt.

CAPVT XLVIII.

Qualiter vitia vires animæ occupant & impediunt spiritualiter ascendentem.

Sicut autem superius diximus, vires & potentiæ animæ concupiscibilis & irascibilis, & animæ affectiones homini à Deo fuerunt datæ; ut quoties ipse homo supra vellet ascendere, vel infra descendere; prædictæ eum vires & supra ascendentem & infra descendentem, sine labore, & sine timore inimicorum deberent deducere cum quiete. In casu autem primi hominis ipsæ vires destitutæ factæ sunt contrariæ, & castrametati sunt ibi inimici nostri. Superbia etenim vitiorum regina & satanæ primogenita, ipsa nunc in harum virium arce habitat, & loco superiori, & in reliquis affectionibus & potentiis & appetitibus, iuxta viam qua te oportet ascendere constitutis, septem duces, id est, septem vitia capitalia disposuit ad viam custodiendam, qui calcaneum observent ascendentis. Itaque sicut ex superius dictis apparuit, quoniam via graduum directa est per castra concupiscibilis & irascibilis, &c. quæ sunt ab inimicis propter lapsum primi hominis quodammodo possessa, videlicet gula, luxuria, &c. Ideo oportet te successive contra vitia ista, quæ in præmissis viribus commorantur, prælium arripere, atque contra concupiscentias ex primo descensu in nobis surgentes continue præliari. Et ita tertia ascensio cuius gradus nunc disponimus, quodammodo ordinatur contra primum descensum in Adam. Non est autem ista ascensio supra præmissas ascensiones altior, sed collateralis, vel certe una & eadem est ascensio cum præmissis, diversis respectibus, & modis variis exercitandi. Ipsa est autem priores ascensiones promovens & adiuvans, rectificans & præparans, sine qua nullus potest in præmissis ascensionibus ambulare.

CAPVT XLIX.

De quibusdam vitia deserentibus, & se ad alia spiritualia conferentibus, & de origine affectionis.

Erraverunt igitur nonnulli, & directam viam civitatis habitaculi non invenerunt, qui dimissis in se vitiis regnantibus, cœperunt per magnas devotiones & alta & ardua exercitia spiritualia ascendere. Nam quà horà non putabant, hostium insidiis & venatorum laqueis supplantati sunt, seroque sunt experti quod non est tutum cohabitare serpentibus concupiscentiarum, & motibus habituatis vitiorum. Siquidem, ut ait B. Gregorius: Nonnulli ordinem certaminis ignorantes, edomare gulam negligunt, & iam ad spiritualia consurgunt, & multa sæpe quæ magnæ sunt fortitudinis faciunt, & tamen postmodum per carnis illecebram, omne quod fortiter egerunt perdunt, & dum venter non restringitur, per carnis concupiscentiam simul cunctæ virtutes obruuntur. Et eodem modo dicendum de aliis vitiis. Hæc est autem tutissima via, in hoc securissima devotio, dulcissima & pura affectio, cum videlicet inordinatis affectionibus ab anima repulsis, delectamur actibus virtutum internis; hoc enim est vere in Domino delectari, in charitate scilicet, castitate & humilitate. Aliæ vero interdum devotiones possunt esse deceptoriæ. Sane ut super hoc, quantum ad præsens sufficit, habeatur aliqua discretio, sciendum quod devotio in proposito dicitur dulcis quædam affectio, vel inclinatio affectuosa ad bonum, vel incitatio quædam dulciter trahens affectum. Talis autem delectatio vel affectio potest esse duplex, vel dupliciter oriri, sicut ad propositum sufficit. Nam est interdum talis affectio subito veniens & cito transiens, quamvis nonnunquam vehementer concutiens. Et ista videtur oriri ex desiderio alicuius appetibilis vel amabilis. Verbi gratia: Cum homini aliquod delectabile proponitur, sive ab extra per auditum, sive ab intra per suggestum, statim affectio amoris ad hoc trahitur; quem deinde sequitur motus ad prosequendum, & dicitur desiderium, vel fuga ad repellendum, & dicitur odium. Et isto modo sæpe incipientes habent devotionem ad bonum, & dulcem inclinationem salvo dono Dei, quod desuper frequenter infunditur. Imo vero hoc modo sæpe homines secularissimi, & in peccatis mortalibus existentes, habent tales affectiones: maxime autem mulieres, & homines molles, leviter secundum appetitum mobiles, & secundum desiderium agitabiles. Frequenter enim tales, cum audiunt de regno cœlorum, commovent desiderio, cupientes dissolvi & esse cum Christo. Sed & vana gloria sæpe vehementer desiderium ingerit dulce, & quasi melle intoxicato linitum. Hoc modo efficiuntur homines vani, audientes legi de aliquo forti præliatore, ad quem propter fortitudinem auditam, amor eorũ fuit inclinatus. Vnde cum talem postea audiunt victum

vel

vel necessum misericordiâ commoventur, & nonnunquam vanissime lachrymantur. Et multi sicut de facili concipiunt, interdum & momentaneum, & subitaneum ad aliquod bonum, affectum, ita e contra subito alium recipiunt affectum ad mundum, vel ad carnem gulæ, vel luxuriæ. Vnde multi homines decipiuntur, quorundam tales affectiones quasi magnas devotiones multifarie extollentes. Verum etiam & si huiusmodi affectus fuerit circa gloriosam carnem Christi, nequaquam in eo meritum charitatis vel veræ devotionis consistere arbitrandum est, sed in tantum esse utilem & accipiendum, quantum inordinatas affectiones & passiones vitiosas per ipsum extirpamus vel extinguimus, ut supra etiam fuit tactum. Nec tamen talis affectus respuendus est, sed tenendus & in adminiculum charitatis, & contra vitiosas affectiones in adiutorium est assumendus, sed meritum charitatis & veræ devotionis in eo non est collocandum vel ponendum. Vnde Hugo in libro de amore: Nec putes quod secundum momentaneos affectus Dei æstimandus sit amor, sed potius secundum continuam humanæ voluntatis qualitatem. Multi autem hic decipiuntur, meritum & perfectionem in hac dilectione vel inclinatione affectuosa requirentes. Sed vt ex dicta origine & causa considerare poteris, affectuosa dilectio, vel talis dulcis inclinatio, etiam circa carnem Christi, vel quæcunque huiusmodi interdum plus afficit minus diligentem & minus perfectiorem. Non enim tantum diligit quisque, quantum hanc dilectionem sentit, & quantum tibi in illo statu diligere videtur; sed quantum in virtutibus, in humilitate videlicet & patientia aliisque virtutibus, & charitate fuerit fundatus, & in servandis mandatis fidelis habetur. Talis autem dulcis affectus in Deum, etiam interdum carnalis est & fallax, & humanitatis potius quam gratiæ, cordis quam spiritus, sensualitatis quam rationis, ita vt magis accendat ad minus bonum, & minus ad maius, & ad id quod sapit amplius, quam ad id quod expedit. Est autem alia devotio, cum iam, verbi gratia, post longa certamina, post multa exercitia, divinâ cooperante gratiâ, iam ipsa vitia imperio rationis subegit, indutus quodammodo naturali affectu boni, & dulciter in eis delectatus & requiescens. Hæc non est transitoria, sed quodammodo medullis animæ infusa, & per habitus virtutum in animo radicata, semper prompta ad Dei beneplacita adimplenda, sive ad quælibet agenda, sive sufferenda. Si hoc fit cum dulci affectione & delectatione, ipsa est vera devotio & voluntatis continua & permanens qualitas, penes quam amor debet æstimari. Quantum vitia extinguis, quantum in virtutibus proficis, tantum in hac devotione, nisi à Deo tibi dispensatorie subtrahatur.

CAPVT L.

De tribus necessariis his qui volunt legitime contra vitia præliari, videlicet strenuitate, severitate, & benignitate.

ITaque noli teipsum decipere, noli putare quod poteris ascendere, nisi vitia studueris extirpare. Quia autem non invenis in te bonum, id est, in carne tua, sed ipsa vitia in te castra metata sunt contra te in concupiscibili & irascibili, & sola voluntas tua tecum est, nam velle adiacet tibi, ideo ipsam voluntatem necesse est armari contra omnia huiusmodi genera vitiorum. Oportet autem quod sit armata à dextris & à sinistris. Sint igitur hæc eius arma, strenuitas, severitas, benignitas. Diffinitur autem strenuitas secundum Bonaventuram, quidam vigor animi excutiens omnem negligentiam, & disponens animam ad faciendum opera bona vigilanter, confidenter & eleganter. Severitas est quidam vigor animi, restringens omnem concupiscentiam, & habilitans animam ac ferventem reddens eam ad amorem asperitatis, paupertatis & vilitatis. Benignitas autem est quidam dulcor animi, excludens omnem nequitiam, & habilitans animam ad benevolentiam, tolerantiam & internam lætitiam. Hæc tria sint tibi arma, ut scilicet sis strenuus abiiciendo negligentiam, & ad opus etiam durum & arduum strenuus ad incipiendum. Sis deinde severus, ut cum iam pugnam contra vitia arripueris, & eorum fortitudinem in te per experientiam sentis, quam aliter vix sentire potes, noli cedere, noli fugam arripere, sed inceptum viriliter prosequere, severissime concupiscentias insequere, usque ad internecionem, usque dum deficiant. Sis tertio benignus, & cum frequenter vulnera suscipis & sæpe deiiceris, noli cadere in animi perturbationem, in malam tristitiam, in deiectionem, in desperationem. Hæc tria arma si habueris, non sit tibi cura quod parvus sit numerus, contra tuorum tot catervas vitiorum: E cœlo enim est victoria, & æque facile est Domino vincere in multis & in paucis. Attende Ionathan filium Saulis cum suo armigero duntaxat, plurimos occidentem, Iudam Machabæum, Ionathan & Simonem fratres, Gedeonem aliosque plures milites strenuos, non in se, sed in Domino sperantes, cum paucis multos occidentes.

CAPVT LI.

Quod in spiritualibus exercitiis proficienti, sit expediens vel necessarium habere ductorem virum spiritualem.

SEd quia ut audisti circa præmissas ascensiones sunt viæ multæ, & inter ipsas ea quæ ducit ad vitam difficulter agnoscitur: noli sine ductore ascendere, noli sine ductore incedere qui & viam noverit, & astutias hostium non ignorat. Solet Deus hominem per homines frequenter instruere, & ad rectas ascensiones & veras vias admonere. Væ illi qui sibi confidit & solus sine doctore incedit. Nam leviter incidit in venatorum laqueos, & cum inciderit, non habet sublevantem. Igitur ad nostram humiliationem, vult ut ductores sequamur. Sic enim totum populum Israëliticum per Mosen ductorem, induxit ad terram promissionis, cuius consilio populus omnia faciebat, cuius monitioni acquiescebat. Sic Loth de Sodomis, non per se ipsum, sed per ductorem, scilicet Angelicum cogitur exire, & ascensum montis ascendere. Sic Christus Cornelium per se non instruxit, sed ad Petrum, instruendum destinavit. Sic Paulum direxit ad Ananiam. Et hoc est quod ait ille devotus Eunuchus legens in curru Esaiam: Quomodo air possum intelligere, nisi aliquis me docuerit, & innumera talia reperis in scripturis. Igitur cum ascensiones in corde disponis cælum ascensurus, ductorem tibi elige, hominem spiritualem, cuius eruditione, cuius monitione & examinatione omnia tua exercitia perficere studeas & adimplere. Hæc est doctrina tutissima, & sanctorum Patrum sententia antiquitus approbata.

CAPVT LII.

Quod pugnans contra octo vitia capitalia, quodammodo pugnat contra omnes inordinatas affectiones.

IGitur si arma arripuisti, si ductorem qui te præcedat consulendo & dirigendo invenisti, tempus est ut prælium aggrediaris. Itaque pugnandum tibi est, contra omnes inordinatas affectiones, quæ maxime surgunt ex vitiosa animæ destitutione per primum tuum descensum à iustitia originali. Quamvis autem

vitiosæ affectiones animæ sunt plurimæ ab ascensu te retrahentes, verum una est regina & septem duces, unde omnes aliæ vitiosæ passiones oriuntur; quibus devictis & in locis earum contrariis virtutibus introductis, omnia inordinata desideria conquiescunt, & per certamen contra illa octo, quodammodo vires restituuntur, dum earum noxiæ motiones freno rationis moderantur. Sunt autem hæc octo vitia quæ interdum dicuntur principalia, quasi principes aliorum vitiorum, interdum capitalia, eo quod de ratione eorum sit, ut alia vitia ex ipsis oriantur. Illa vero vitia de quorum ratione est ut ex ipsis procedant, filiæ eorum dicuntur. Interdum vero dicuntur mortalia inquantum morte culpæ occidunt, & à vita gratiæ separant & a Deo qui est vera vita. Non tamen hæc octo semper sunt mortalia, nec etiam ex genere suo. Sunt autem hæc octo superbia, vana gloria, acedia, invidia, ira, phylargyria, luxuria, gula.

CAPVT LIII.

De modo pugnandi contra vitia, & quod homo non debet contra omnia simul, sed contra unum principale decertare.

NOn autem debes contra omnia ista simul pugnare: sicut nec potes præmissis ascensiones simul ascendere. Non in uno anno, ait Dominus, eiiciam eos a facie tua, sed paulatim, ne terra redigatur in solitudinem. Igitur iuxta traditiones sanctorum Patrum, hunc ordinem servabis, certamen contra hæc vitia ingressurus.

Primo autem ante omnia teipsum diligenter discutiens, secundum formam examinandi prius traditam inquiras, qualia vitia in te lateant vel pareant, deinde quæ sint in te vitia magis fortia, & magis te infestantia. Deinde quæ remedia sint contra singula vitia efficaciora. Quo facto contra unum vitium prælium arripies, quod est tibi præ cæteris magis infestum. Igitur contra illud unum principale certamen arripe, expugnationi illius totis viribus insiste, omnem laborem & sollicitudinem principaliter retorque ad illud expugnandum, contra illud iugiter Deum implora, illud tibi in oratione versetur semper ante oculos, pro illius extinctione lachrymas indesinenter funde, gemitus & suspiria ad Deum devote emitte. Nec tamen ita tibi contra unum illud pugnandum est, ut cætera vitia non impugnes, sed ita contra id unum principaliter pugnabis, ut generalem tamen contra omnia vitia habeas sollicitudinem & horrorem. Quinimo, quantum contra unum magis strenue & sapienter certaveris, tanto plus generaliter omnia vitia horrebis. Scire etiam tibi convenit, quod sicut in naturalibus ex diversa commixtione, quatuor humorum sanguinis, videlicet choleræ, flegmatis, & melancholiæ diversæ causantur complexiones naturales: ita in diversis hominibus secundum interiorem hominem ex diversa commixtione affectuum, & ex corruptione vitium per fomitem secundum naturalia, sunt diversæ dispositiones morales, sive inclinationes ad mores, & variæ dispositiones vitiosæ, vel etiam virtuosæ. Hinc est quod unus magis inclinatur ad luxuriam, alter magis ad iracundiam. Et frequenter homo habet unam quandam inclinationem, quasi massam quandam, unde cætera vitia quasi oriantur, vel maior pars; quæ forsitan non absurde dici possit moralis complexio. Siquidem unus est tristis, alter perplexus, tertius implexus, quartus scrupulosus, quintus querulosus, sextus in exercitiis suis afflictus, septimus occupatus. Et hæc omnia, ut videtur, ex quadam interiori indispositione vel animæ, vel organorum proveniunt, & sunt melancholicis non dissimiles suo modo. Alius autem est lætus, vagus, hilaris & dissolutus, &c. Debet autem unusquisque statum suum interiorem modo prius habito diligenter inquirere, & secundum hoc ascensiones virtutum in corde disponere, & vitiorum remedia suo exercitio ordinare, & semper illam suam inclinationem vitiosam habere suspectam, ac omnibus modis iuxta rationis imperium refrenare. Cum autem illud unum vitium de quo superius fuit dictum, adeo per devotum exercitium, per virile prælium debilitaveris, ut rationi obediens contradicere non præsumat, sed si quando se erexerit, statim rationis imperio sine prælio refrenetur, tunc aliud vitium simili diligentiá debes inquirere, quod te plus infestat: & contra illud modo consimili præliari. Noli tamen putare, quod aliquod vitium adeo in te radicitus possis evellere, ut non sit opus amodo saltem generali sollicitudine & horrore contra ipsum debellare. Etenim, ut ait Bernardus: Vitia semel putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & sopita denuo excitantur.

CAPVT LIV.

Quod secundum diversitatem naturæ vitiorum, diversimode sit contra ea decertandum, & in quo consistit illa diversitas vitiorum.

ADhuc autem de modo præliandi contra vitia scire expedit, quod contra prædicta octo vitia & ab eis procedentia, non sit eodem modo præliandum, sed sicut diversa est natura vitiorum, ita varia sunt contra ea prælia arripienda. Siquidem carnalia vitia melius vincis fugiendo omnem occasionem & materiam tibi de ipsis subtrahendo. Spiritualia vero melius expugnas, occasiones quibus ipsa irritantur & contraria fiant, habendo & fortiter resistendo. Secundo considera adhuc aliam diversitatem & variam naturam vitiorum. Sunt enim quædam vitia quæ semper ex aliis oriuntur, & sine alio vitio per se non veniunt, quale vitium est invidia: & tunc non tam contra illud vitium, quam contra ipsum vnde habet originem, debes præliari. Tertio adverte aliam vitiorum diversitatem, & naturam tentationum. Nam sicut sunt quædam vitia quæ aperte ad malum trahunt, & suo impetu volunt animam opprimere, sicut est luxuria vel iracundia, & his debes resistere cum labore & dolore: sic sunt alia quæ suo impetu non impellunt, sed seducendo fallunt, & talia sunt sæpius etiam contra appetitum, sicut tentatio de excessu vigiliarum, ieiuniorum, & huiusmodi. Et hic non tam opus est fortitudine, quam discretione. Vnde secundum Bernardum, novisse in hac parte est vicisse, & credere est vincere. Sunt autem adhuc alia vitia, quæ pariter suo impetu impellunt & bonitatis apparitione: sicut est, verbi gratia, affectus inordinatus ad prædicandum, qui seducit sub pallio zeli animarum, impellit appetitu laudis, & impetu reputationis. Et hæc est periculosissima tentatio. Vnde hic primo opus est scire & credere esse tentationem, nec tamen scire vel scivisse est vicisse, sed & opus est eius impetum laboribus & exercitiis refrenare.

CAPVT LV.

Quod tres sunt ascensus contra unumquodque vitium, id est, tres profectus ad oppositam virtutem.

HIs igitur ad cautelam tuam de vitiorum certamine in generali præmissis, nunc ad vitiorum singulorum certamina singularia descendamus. Prius tamen scire debes, quod contra quodlibet vitium quod arripis debellandum, ascensiones debes in corde disponere, & quosdam profectuum gradus, vt scias quantum ad virtutem ipsam ascendis vel descendis ad ipsum vitium. Igitur contra quodlibet vitium tres potes

distinguere

distinguere gradus, quorum primus est incipientium, & pertinet ad primum gradum ascensionis ad cordis puritatem, qui est in timore. Secundus est proficientium, & pertinet ad secundum gradum secundæ ascensionis, qui in spe agitur. Tertius gradus est perfectorum, & pertinet ad ultimum gradum ascensionis ad puritatem.

CAPUT LVI.

De ascensionibus contra primum vitium, quod est gula.

PRimum autem certamen est contra vitium gulæ. Inde primo diabolus primum hominem tentavit & superavit; inde secundum hominem primo tentavit & succubuit. Item hoc vitium est situm quasi in finibus naturæ. Si igitur ipsum non putamus superare, quomodo spiritualia superemus extra fines nostros carnalis naturæ nos impugnantia. Contra istud vitium ascendimus per virtutem sobrietatis, per quam ascensiones in corde disponimus, contra gulam debellandam. Sobrietas autem virtus dicitur, qua corporis alimenta cum recto moderamine admittuntur. Triplicem autem gradum vel ascensum contra vitium gulæ debes in corde disponere, ut possis gulæ appetitum refrenare, & quantum adhoc vim concupiscibilem reformare. Primus ascensus contra gulam, id est, primus gradus virtutis sobrietatis est, patienter ferre cum non potest haberi cibus vel potus delectabilis, & non contristari, cum non habentur interdum, desiderata ad libitum. Sed in hoc gradu gulosus multa patitur certamina, & gulæ tela. Vnde opus habet, ut hic aliquandiu stans prælietur & gulam superet. Scias ergo quod natura gulæ est, ut causet in concupiscibili inordinatum appetitum cibi & potus quo impediatur ab ascensu, & talis affectus vel appetitus inordinatus, aliquos cogit ante tempus comedere, aliquos cogit se nimis, id est, nimio desiderio & effusione super cibos effundere, aliquos cogit inordinate cibum delicatum quærere, alios compellit excedere in nimia quantitate. Vt autem totam familiam eius cognoscas, & scias contra quæ debeas pugnare. Adverte quod principaliter filiæ gulæ sunt secundum Gregorium, scurrilitas verborum, multiloquium, detractio, vituperium, inepta lætitia, lascivia mentis, immunditia carnis. Vt autem hunc affectum impuritatis, qua per affectionem inclinamur vitiose ad cibos, purgare & expurgare valeas, advertere debes generaliter pro expurgatione omnium vitiorum carnalium, quod in anima est triplex vis motiva corporaliter, videlicet vis naturalis, quæ est motiva humorum, & inde sæpe gula & luxuria trahunt originem. Alia est vis vitalis qua homo exercet motus vitales. Tertia est vis animalis qua homo exercet imaginationem, cogitationem, &c. Quantum vero virtus animalis remittitur, & homo minus eam exercet, tanto vis naturalis intenditur & augetur. Et hinc est quod homines accidiosi & tepidi, & qui intus delectationem non habent, in meditationibus, in spiritualibus desideriis, maxime vitiis carnalibus periclitantur. Vnde Salomon: In desiderio est omnis otiosus. Hinc est, secundum Cassianum, quod gulosus nescit, nisi de cibo & potu & quæ ventris sunt, cogitare. Hinc est iterum secundum Chrysostomum, quod mulieres maxime tentantur vitiis carnalibus, quia minus ab intra sunt sollicitæ. Vnde & Chrysostomus de luxuria dicit, quod est animæ vacantis passio. E contra est, quod quantum vis animalis intenditur, tantum naturalis remittitur, sicut patet in studiosis. Et hinc est quod inquit beatus Hieronymus ad Rusticum: Ama scientiam scripturarum, & vitia carnis non amabis. Quantum igitur homo interiori & exteriori occupationi, & sollicitudini cum delectatione fuerit intentus, tanto amplius carnalia vitia superabit. Ergo remedia gulæ & etiam luxuriæ, sunt omnis sollicitudo, & interna ad bonum affectio, sicut est compunctio, quæ valde valet contra gulam & luxuriam, similiter devotio, sacra lectio, quælibet exterior utilis occupatio cum affectione interiori. Istis igitur & similibus remediis, oportet te pugnare contra gulam, ut tandem ascendas ad superiorem gradum, qui est ut ita proficias, ut iam prompta voluntate velis, & sine magno appetitu contrario possis abstinere ab illis cibis delectabilibus qui possunt haberi, & esse contentum simplicibus & communibus cibis, & abstinere a delicatioribus, puta vino, &c. In isto gradu stas tutius, non tamen adhuc es sine impugnationibus, licet debilioribus. Vnde ut ad tertiam ascensionem pervenire possis, eius tibi calcanda est concupiscentia remediis prædictis, ieiuniis, vigiliis, lectione, & crebra compunctione cordis, quibus te forsitan illusum vel victum reminisceris, ingemiscens nunc horrore vitiorum, nunc desiderio perfectionis & integritatis ascensus; donec huiusmodi curis ac meditationibus mens occupata pariter & possessa, ipsius cibi refectionem non tam iucunditati concessam, quam oneri vitæ impositam sibi recognoscat, magisque necessariam corpori, quam desiderabilem animæ sentiat attributam. Et nunc attingis tertium ascensum, cum talem iam indutus fueris affectum. Est autem iste tertius gradus & ascensus, quo homo ita edomavit gulam, & adeo reformavit vim concupiscibilem, ut sine aliqua difficultate ab habitis delectabilibus possit abstinere, & contentus esse necessariis in qualitate & quantitate, & quo simplicior cibus, eo magis diligatur. Cum autem adeo gulam superaveris, sobrietatem in locum eius ordina, quæ diligenter observet, maxime qualitatem & quantitatem in cibo. Qualitatem videlicet, ne delicata quæras vel singularia, quantitatem ne mensuram excedas. Nam quamvis varia est capacitas mensuræ hominum, unus tamen in omnibus est finis continentiæ, ne quis iuxta mensuram capacitatis suæ oneretur ingluvie. Maxime autem videat sobrietas, ut semper æquale moderatumque ieiunium observetur.

CAPUT LVII.

Ascensiones ad debellandum vitium luxuriæ.

SEcundo oportet te ascensiones contra luxuriam disponere, ut ipsam valeas superare. Siquidem & ipsa in vi concupiscibili sedem collocans, neminem quem perfecte possederit, permittit in corde ascendere, sed tanquam bestiam facit computrescere in stercore suo. Ascendimus autem contra eam, & debellamus per virtutem castitatis, quæ est sobrietatis, quæ gulam debellavit, filia, & ab ea præcipue nutritur & augetur. Hæc autem castitas est virtus magna origine cœlestis. Hanc sancti Angeli ab ipso Domino omnium fontali principio didicerunt. Hanc Christus de cœlo ad terram attulit, & matrem suam virginem gloriosam huius virtutis discipulam præfecit aliis imitandam. Huius autem castitatis triplici ascensu vel profectuum gradu ascendimus contra luxuriam, & devincimus eā. Primus est continentia ab actu carnali, cum proposito sic manendi, & omnibus illicitis motibus consensum negandi. In hoc ascensu est homo adhuc in labore pugnæ, & non multum distat ab inimicis cum sola voluntas castitatem eligit affectu repugnante. Igitur oportet ut in hoc gradu constitutus viriliter armeris ad præliū. Nam contra illud vitium est longum & immane bellū præ cæteris vitiis ac diuturnum. Vt autem scias quomodo istud vitium debeas oppugnare, debes ipsius naturam & modū quo te impugnat diligenter advertere. Naturam autem habet duplicem. Vnam ex parte carnis, alteram ex parte animæ. Ex parte carnis naturam habet motus in carne, & ascensiones membrorum excitare. Ex parte autem animæ ingerit affectus fœminatū,

& inclinationem ad eas: Ingerit imaginationes earum vel familiaritatem, &c. Filiæ eius secundum Gregorium, sunt septem, cæcitas mentis, inconsideratio mentis & inferni, inconstantia cogitationum & desideriorum, amor sui, præcipitatio ad peccatum, odium Dei, affectus præsentis seculi, desperatio futuri seculi. Vt autem motus hos & affectiones devincas diligentius cōsiderandum, quod hoc vitium, ut ait Chrysostomus, est animæ vacantis passio, id est, sine exercitio, sine desiderio existentis. Vnde quantum eam tuum timore, sollicitudine, compunctione repleveris, tanto minus tentaberis. Et hinc est quod in somno, cum vires animales sunt sopitæ, hæc bestia amplius infestat. Pro specialibus tamen remediis, nota quod hæc passio interdum magis se habet ex parte carnis, aliquando magis ex parte animæ. Et cum tamen in carne fuerit, in anima suscitat affectionem, & e contra cum in anima fuerit, statim movet carnem. Sunt autem quædam remedia magis pro sanatione huius vitij ex parte carnis, videlicet ieiuniū quod est unum principale remedium: Item opus manuum, vigiliæ, labores, tribulationes, &c. Ex parte animæ contritio spiritus, devota oratio, frequens & sancta meditatio, sollicitudo mentalis & spiritualis exercitatio, studiosa & intenta interiorum & exteriorum occupatio. Item custodia sensuum ubique in platea, in domo, &c. Item repressio interiorum cogitationum. Item nullam familiaritatem habere cum mulieribus, nec solus cum sola loqui, nec in secreto secundum Hieronymum nec frequentare domos earum. Item maxime valet humilitas & mititas; Vnde sapiens: Cum scivi, quia aliter continens esse non potui, abij ad Dominum & deprecatus sum, &c. Quamvis autem sine humilitate nullius unquam vitij poterit triumphus acquiri, in hoc tamen vitio singulariter indigemus gratiā divinā. Igitur his & similibus exercitiis te exercitando, tandem ascendis altius, videlicet ad secundum gradum castitatis, & secundum profectum contra luxuriæ vitium. Est autem secundus gradus, cum per maceratione carnis & alia præmissa exercitia affectus mundatur, & caro ita spiritui subiugatur, ut rarius sentiant & facili labore tentatio cedat, impetrando tamen magis quam reluctando. Sed super hunc est adhuc altior & tertius gradus, cum videlicet per longa exercitia & multos labores, divinā adiuvante gratiā, ita concupiscentias carnis edomuisti, quod vix rarissime & tenuissime sentiantur, & talem induisti castitatis affectum & amorem, vt horreas & detesteris omnes motus carnales, quod nauseam inde quodammodo patiaris.

CAPVT LVIII.

Ascensiones contra avaritiam.

TErtio oportet te ascensiones disponere contra avaritiam per contemptum divitiarum & virtutem paupertatis. Et sunt sicut in præcedentibus tres ascensus. Primus est, nolle habere quicquam iniusti lucri, & de iuste habitis facere eleemosynam, & non abuti pro propria facultate ad vitia. Verum si radicitus vis hoc vitium evellere, habens victum & vestitum, & quibus tegaris, his sis contentus. Vel certe quod est summum remedium, omnia pro Christo relinquere, & sub alterius cura & provisione degere, & nullius rei, quamquam minimæ, admittere proprietatem. Item confidentia de Deo, qui non derelinquit sperantes in se. Secundus ascensus est, non solum iustis esse contentum, sed & solis necessariis contentari, nihil velle habere superfluum in victu, vestitu & hospitio, & sic de singulis. Tertius autem gradus est, nihil possidere in mundo, & nihil velle habere, & in omnibus necessariis frequenter pati penuriam. Filiæ autem avaritiæ sunt sex, scilicet, proditio, fraus, fallacia, periurium, inquietudo, & contra misericordiam cordis obduratio.

CAPVT LIX.

Ascensus contra iracundiam.

HIs tribus devictis tanquam principalioribus affectionibus concupiscibilitatis, ascende contra vim irascibilem devincendam & expugnandam. Et hic occurrit primo, ascensus disponere contra vitium iræ. Contra quod triplex ascensus vel profectu virtute mititatis proficitur. Primus est, vt discat homo motus iræ per pugnam cohibere & exprimere, ne erumpat foras per verba vel facta illicita. Est autem natura vel motus iracundiæ triplex, secundum Gregorium. Nam quosdam movet subitaneè & cito recedit, quosdam tardius commovet, & iam motos non cito deserit, quosdam & cito commovet, & tardius relinquit. Filiæ eius sunt rixa, tumor mentis, contumelia, clamor, indignatio, blasphemia. Itaque in hoc primo gradu constituti, reprimamus nos, vt dum motus iracundiæ sentimus, non foras erumpamus. Vt autem hoc melius facere possimus, continuè ante pertractare debemus ea contraria quæ nobis possunt contingere, & fore occasio iracundiæ, vt antequam veniant simus scuto patientiæ præmuniti. Item ad hoc valet cum labore reprimere, & accensam flammam interius suffocare. Item quod homo vertat se ad alia negotia, vt commotionis suæ obliviscatur. Item magnum remedium esset, si homo adeo esset compos sui quòd posset admittere consilium cogitando quam multa mala sequantur iram. Etiam conscientiam lædit, puritatem mentis turbat, Spiritum sanctum de corde fugat, proximum scandalizat, famam confundit. Item compunctio est venenum iræ. Climachus: Quemadmodum aqua extinguit ignem, ita veracis luctus lachrymarum profluvium naturam habet occidere, & extinguere omnem flammam furoris. Item intenta meditatio mortis, refrenat iracundiam. His autem & huiusmodi exercitiis homo proficit donec secundum gradum mititatis vel patientiæ attingat, qui est, cum homo ex vsu & consuetudine sustinendi contraria, & refrenandi impatientiam, didicit iam non terreri vel turbari adversis, sed quasi in loco munito inconcussus, circunstantes adversarios intuetur. Tertius autem ascensus est, gaudere in tribulationibus, gloriari cum allum, & desiderare cum deliquit.

CAPVT. LX.

Ascensus ad dilectionem proximi, & contra invidiam.

AScensus contra invidiam sunt profectus & gradus dilectionis proximi. Quorum primus est nullum odire, nulli malum cupere, nullius velle bonum impedire, in necessitate proximo auxilium subventionis non subtrahere, & breviter, vt nulli faciat vel cupiat malum cum voluntatis consensu, & bonum optet & faciat sicut sibi velle deberet, si ind geret. Charitas autem sicut superius dictum est, ad quam maxime per dilectionem proximi ascenditur, ipsa est finis ascensionum. Vnde sicut charitati Dei & proximi nihil est præponendum, ita invidiæ nihil postponendum. Ante omnia igitur unitatem & pacem debemus retinere, in quo est vinculum perfectionis: Nihilque est aliud in quo sancti Angeli tantum delectantur, nihil in quo tam expresse similitudinem cœlestis Ierusalem repræsentamus, quam si charitatem & unionem cordium servemus, idem omnes dicentes, idem sentientes, caventes lædere conscientias aliorum scandalo, singularitate, vel novitatum, vel dissuetudinum præsumptione. Vnde hoc mandatum Christus toties recessurus à nobis replicavit, ut arctius imprimeret. In hoc, inquit, cognoscent omnes quod mei estis discipuli,

si dilectionem habueritis adinvicem. Itaque maxime expugnemus hoc vitium, quod proprie dæmonibus ascribitur. Invidia enim diaboli intravit mors in orbem terrarum, sequuntur eum qui sunt ex parte eius. Est autem summum remedium invidiæ, nihil amare eorum quæ mundus amat, honores, divitias, voluptates. Inquantum nos aliquod terrenum diligimus, intantum si per aliquem ab eo impedimur, ad invidiam concitamur. Nota tamen quod motus displicentiæ super bono alterius, non semper dicitur proprie invidia. Aliquando enim habemus displicentiam in bono alterius, inquantum cedit in nostrum vel aliorum nocumentum, vt si invideo alicui de Domino suo, quia tyrannus est & iniuste alios deprimit; & hic motus semper est de bono temporali, & est quandoque bonus, quandoque vitiosus. Aliquando etiam habeo motum displicentiæ de bono alterius, vel tristor inde, non quia ille illud bonum habet, sed quia video me illo bono carere. Et hæc est quandoque bonus zelus, & ita vult Hieronymus, vt invidia de virtutibus sit inter nos, & contentio, quis humilior, quis obedientior. Tertio autem contingit ista displicentia de bono alterius, inquantum est gloriæ vel honoris mei diminutivum, & hæc est propriissime invidia. Et non est inter personas multum distantes, quia illius gloriæ vel honor qui multum & excellenter est supra me non imminuit gloriam meam, sicut rusticus non invidet regi de sua gloria, sed forte frater regis quia potuit eligi in regem. Sic Esau odivit Iacob, sic Absalon invidit Salomoni. Filiæ autem invidiæ quæ ex ea sequuntur, sunt odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, & afflictio in prosperis eius. Secundum remedium est, vt homo diligenter perpendat, quod etiam si alius illo careret bono, de quo ei invidet, attamen ipse illud non haberet. Item timere vindictam Dei, qui homini non dimittit peccata sua, nisi ipse dimittat proximo suo. Item vt homo studeat illi quem odit magis esse obsequiosus, affabilis, & benignus. Secundus autem contra invidiam ascensus, & ad dilectionem proximi profectus est, sic alterius profectui congaudere, & bonum alterius diligere quasi proprium, & sic eius adversitati compati sicut propriæ, & aliena lucra sua deputet ex affectu pietatis. Tertius autem ascensus, est diligere inimicos ex affectu, & eâ dulcedine erga odientes & persequentes se affici, sicut erga singulariter dilectos, & non solum res temporales, sed etiam corpus pro fratribus ponere paratum esse.

CAPVT LXI.

Ascensus & expugnationes contra acediam.

SIcut dilectio proximi expugnat & destruit invidiam, ita per ascensus ad dilectionem Dei superamus acediam & tristitiam malam. Amor enim Dei ferventer facit operari. Nam operatur magna si est: Si vero operari renuit, amor non est. Similiter actus charitatis & gaudium in Spiritu sancto est contra tristitiam. Primus autem gradus dilectionis Dei est, sic diligere concessa, & sic eis vti, vt tamen illicita devitentur. Et in hoc gradu positus, operaris tantum saluti necessaria, devitans ne tantum deiiciat te acedia, vt omittas necessaria agenda, vel sub præcepto mandata. Verum hic ascensus bassus est, & non est bonum in eo diu manere. Vnde necesse est, vt per continuam exercitationem in bonis operibus teipsum frangas, acediæ tuæ resistendo, & bonis operibus & devotis exercitiis affectum inflammando, vt tandem delectationem acquiras, & affectum in sanctis exercitiis & bonis operibus; vt iam non solum agas saluti necessaria, sed pleniori affectu & ferventiori accensus, incipias pro parte devictâ acediâ agere omnia quæ Dei sunt, & ad illa agenda esse studiosus, & etiam ad consilia adimplenda. Et hic ascendis ad secundum gradum dilectionis Dei & contra mentis acediam. Quandiu autem impugnaris ab acedia & nondum huc perveneris, scias hoc summum esse contra acediam remedium, vt nunquam cedas, sed semper viriliter resistas. Vt autem naturam huius bestiæ agnoscas adverte quod motus & agnitio huius vitij principaliter trahit ad duo, videlicet loci mutationem, & exercitiorum variationem. Mutationem loci hoc modo procurat. Ipsa enim mentem tuam primo tædio aggravat & deprimit, & omnem delectationem in spiritualibus tollit. Anima autem sine delectatione esse non potest. Incipit igitur statim ad recreationem carnalem aspirare, & locum illum in quo nullam habet delectationem velle deserere. Itaque statim tibi causat loci horrorem, cellæ fastidium, ad omne bonum maxime spirituale fastidium. Nam interdum libenter corporalia arripit, vt minus spiritualibus occupetur. Denique tandem incipit loca remotiora extollere & illic commorantes fratres beatificare, ac præsentes vero fratres quandam aspernationem tanquam ad minus spirituales concipere. Itaque cum anima tædio affecta nullam consolationem invenit, statim locum deserit, aut in somnolentiam incidit vel dissolutionem, quærens solatium ad tempus, mutationem exercitiorum, ita licet occulte sub pallio inducit. Cum enim anima gravatur huiusmodi exercitiis, confingit quædam alia leviora amplius illa extollens & reputans magis meritoria, vt puta visitare infirmos, vel certe monasterium construere, in quo malus & acediosus discipulus peior magister & rector efficiatur. Itaque volens acediam legitime devincere, ante omnia locum tuum ne deseras. Nam quanto locum plus mutaveris, tanto magis erit mens tua in exterioribus vaga, in spiritualibus acediosa. Vnde Bernardus. Impossibile est animum fideliter alicui vni affigere; qui non prius alicui loco perseveranter affixerit corpus suum. Cumque ægritudinem animi de loco ad locum fugere nititur, sic est qui vmbram corporis sui fugit. Quanta etiam mala ex hoc veniant quod quis sua exercitia leviter mutet, dictum est supra.

¶ Filiæ acediæ sunt sex secundum Gregorium, scilicet malitia, id est, voluntas machinandi mala, desperatio, pusillanimitas, rancor, id est, odium inveteratum; torpor circa præcepta Dei, evagatio mentis circa illicita. Compunctio si acediosus eam acquirere posset valde valeret contra hunc morbum. Climachus. Qui luget seipsum, non novit acediam. Idem. Ligetur iste tyrannus memoriâ offensionum & delictorum: & percutiatur opere manuum, & trahatur intentâ & attentâ meditatione futurorum bonorum. Item contra tædium cordis multum valet varietas actionis: vt nunc homo oret, nunc legat donec affectum aliquem concipiat, & cogat se in his operibus quibus maxime attædiatur. Verum si homo strenuus & severus & benignus fuerit in suis devotis exercitiis & sanctis operibus, & diutius se perseveranter in talibus exercitaverit, iam tandem incipit sperare, & affectum charitatis incipit dilatare, & quodammodo æstuare ad Deum vt quasi sine ipso vivere non possit coartatus desiderio soluendi & esse cum Christo. Et hic est tertius gradus charitatis de qua acedia superatur. Tristitia autem mala est duplex. Dicitur enim quandoque tristitia generaliter, prout est circa omnem passionem, & tunc valde difficulter comprehenditur eius origo. Alio modo est quidam torpor & gravitas thædiosa in spiritualibus, & tunc potest comprehendi sub acedia, & contra eam ascenditur per gradus charitatis Dei. Nam actus charitatis est gaudium. Remedium est contra tristitiam, si est ex desperatione, memoria benignitatis & misericordiæ Dei & intuitus beneficiorum eius. Item quod homo sit libenter in bona societate, vbi de Deo loquuntur vel materia spirituali. Item illud Iacobi: Tristatur aliquis in vobis, oret æquo animo & psallat. De bona tristitia satis patet ex dictis de compunctione.

CAPUT LXII.

Ascensiones contra vanam gloriam extinguendam.

Contra vanam gloriam nulla virtus est contraria, ideoque per nullam virtutem possumus contra eam ascendere vel gradus ad devincendum ordinare. Ipsa enim magis ex virtutibus generatur, ex bonis operibus operatur. Ipsa enim primo pulsat in carnalibus, in vestibus, in parentibus, in dignitatibus, &c. Et quem hoc modo superare non poterit, per humilitatem supplantat. Quocunque processeris hunc tribulum semper stat aculeo recto, quicquid feceris quicquid egeris, ipse se immiscet & cor tuum ad vane gloriandum instigat. Filiæ vanæ gloriæ sunt septem, scilicet inobedientia, contritio, iactantia, hypocrisis, pertinacia, discordia, novorum præsumptio seu inventio. Itaque & si non habemus aliquam specialem virtutem qua vanam gloriam debellare possimus, ascensiones tamen maxime contra eam sunt necessariæ. Sit igitur primus gradus & ascensus contra eam vt homo diligenter & summo conamine studeat ne aliquid gloriæ vanæ intentione incipiat, vt custodiat os, ne loquatur vnde laudem acquirat, præcipue tali intentione & præcogitatione. Similiter caveat talia opera agere vnde singulariter possit laudari vel apparere, &c. Istum autem gradum facilius ascendit, si studiose in corde ruminaverit, quod quicquid tali intentione inceperit & peregerit, quod non solum nullum præmium recipiet, sed & pœnam magnam habebit. Vnde diligenter recogitet illud: Amen dico vobis receperunt mercedem suam. Sed & illud Psalmi: Quoniam Deus dissipavit ossa eorum qui hominibus placent, cõfusi sunt, quoniam Deus sprevit eos. Item, si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. Secundus ascensus est quod sicut homo cavet ne bona sua agat vt videatur vel appareat hominibus, ita summo studio caveat ne se vana gloria in medio adiungat & sacrificium maculet, & quod homo semper studeat illa amplecti in quibus deprimi vel vilipendi possit, & abiiciat omnia illa in quibus possit oriri gloria & honor. Sed & ipsa vana gloria vt ab hoc ascensu deceptoriè trahat, frequenter, non violenter, sed fraudulenter hominem decipit, id est, aliquando suggerit aliquod magnum arripiendum, non intentione gloriæ, sed zelo Dei. Verbi gratia: suscipere officium prædicationis, presbyteratus vel diaconatus ordinem, vt possit domino animas lucrari & aliis formam præbere vitæ exemplaris, sed est appetitus vanus & repellendus. Nam eo ipso homo ad talia indignus efficitur, si ex appetitu ad talia afficiatur. Vnde beatus Gregorius: Sicut is qui invitatus renuit, quæsitus refugit, est sacris altaribus admovendus, sic qui vltro ambit vel importune se ingerit, est proculdubio removendus. Vide notabile exemplum de quodam hoc morbo decepto, in vndecimo libro de Institutis cœnobiorum Cassiani. Tertius ascensus est altus & non multis ad eum ascendunt. Est autem quando homo vanitate iam sufflatâ & deiectâ, adeo diligit abiectionem & despectum mundi, vt nonnunquam coram multitudine aliqua faciat vel agat quæ sunt ad ignominiam miserabiliter consummatam ex amore abiectionis & appetitu ignominiæ.

CAPUT LXIII.

De ascensionibus contra superbiam debellandam.

Nunc vltimo ad thronum, vbi superbia sibi sedem collocavit, necesse est ascensiones disponere & inde ipsam superbiam vitiorum reginam ad modum Iezabel reginæ deorsum præcipitare. Oportet autem contra eam ascendere per gradus humilitatis. Quorum primus est, quod homo in veritate cognoscat seipsum esse infimum, inopem boni, vitiosum, & si quos alios habet defectus, & non elevet se super se. Quod si interdum tentatione victus fecerit, seipsum redarguat & castiget.

Sed ab isto gradu retrahere nititur ascensorem duplex superbia, videlicet carnalis & spiritualis. Nam carnalis hominem decipit & suggerit ei quod sit melior quam est in veritate propter scientiam, propter divitias, propter parentum dignitatem vel quodcunque huiusmodi, & non permittit hominem seipsum & propriam vilitatem in veritate cognoscere. Signa autem per quæ istam carnalem superbiam in te vel in alio poteris agnoscere secundum Cassianum sunt ista. Inest primitus in loquela clamor, in taciturnitate amaritudo, excelsus & effusus in lætitia risus, irrationabilis in severitate tristitia, in reprehensione rancor, facilis in sermone, verba passim sine vlla cordis gravitate erumpentia, expers omnis patientiæ, charitatis aliena, audax ad contumelias irrogandas, ad tolerandas pusillanimis, ad obediendum difficilis, ad recipiendam exhortationem implacabilis, ad resecandas suas voluntates infirma semperque suas diffinitiones statuere contendens, incapax consilij effecta, id est, in omnibus suo potius credit quam seniorum consilio. Vt autem hanc carnalem superbiam deprimens, ad primum prædictum ascendas humilitatis gradum, necesse est, vt prius humilitatem veram fratribus tuis intimo cordis exhibeas affecto, in nullo acquiescens eus lædere vel contristare. Item vt continuo te exerceas in humilibus operibus & despectis officiis, vt puta in coquinæ servitiis vel necessariis: domum scopando vel scutellas lavando, humili & abiecto habitu tanquam pauper incedas, &c. Item humiles mores & verba habere, novissimum locum eligere, vocabula iactantiæ devitare, sicut vocari rabbi vel Domine, &c. & nihil omnino iactantiæ proponere. Item horam mortis nostræ semper ante oculos habere. Hæc & his similia cum in consuetudinem venerint, mentem ad humilitatem inclinant & tumorem eius deprimunt. Est autem alia superbia spiritualis quæ mentem intumescere facit, & supra se elevat quasi de multis suis virtutibus & magnis meritis quæ sibi attribuit, vel se spiritualiter habere gloriatur, vel sibi à Deo vel propter sua merita data arbitratur. Et hæc est multo periculosior quam vitia carnalia. Nullum est aliud vitium quod ita omnes virtutes exhaurit, cunctâque iustitiâ ac sanctitate hominem spoliat atque denudat, quemadmodum hoc superbiæ malum, quod in virtutum iam fastigio collocatos, gravissimâ ruinâ deiicere ac trucidare solet. Sed vt etiam hunc tumorem interdum deprimas & ad præfatum humilitatis gradum ascendas, debes in omnibus virtutibus in omni profectu, in omnibus bonis operibus, ex toto corde, & ex sententia dicere & sentire: Non ego, sed gratia Dei mecum, & gratia Dei sum id quod sum, & Deus est qui operatur velle & perficere pro bona voluntate. Item diligenter considerare propriam vilitatem, diligenter perpendere, quod bona mentis tuæ non sunt tua, sed Dei dona, & de ipsis rationem redditurus sis. Mala vero tua, ipsa sunt tua, & pure mala & ex pluribus circumstantiis gravia, & gravissimis suppliciis digna. Bona nostra non sunt pure bona, sed multipliciter imperfecta. Negligentia, tepiditas, hypocrisis, vana gloria, &c. adeo sæpe bona nostra coinquinant, vt & nobis parum sint meritoria, & Deo minus accepta. Item debes frequenter superiores & meliores te attendere, tam homines quam ipsum dominum Iesum Christum qui ait: Discite à me quia mitis sum & humilis corde; vt sic aliorum comparatione vileceas tibimetipsi. Hæc autem cum homo diutius actitaverit, & in his diutius se exercuerit, incipit seipsum qualis est, in veritate agnoscere. Verum si affe-

ctuose se in his exercuerit, & perseveranter in eis permanserit, ex tunc incipit affectum induere, vt qualem ipse se cognovit vilem, inopem, &c. in primo ascensu, talem etiam, imo potios viliorem quam meliorem, nisi inde scandalum proximo oriatur, desiderat se ab aliis reputari, quantum in ipso est. Et hic est secundus ascensus & secundus gradus humilitatis. Tertius vero gradus & ascensus est, cum homo per humilia exercitia & veritatis cognitionem talem inducit humilitatis affectum, quod etiam in magnis virtutibus & sublimibus donis non extollitur & nihil sibi ex ipsis blanditur, totum ei à quo omnia bona sua recipit, refundens & in integrum restituens. Talis fuit humilitas Christi, talis etiam est humilitas Angelorum & Sanctorum in gloria.

CAPVT LXIV.

Incipit quarta pars de descensionibus spiritualibus, quae sunt in duplici differentia, videlicet ad seipsum & ad proximum.

AVdisti nunc ô homo descensus quibus descendites, id est, audisti qualiter ascensiones in corde debeas disponere, & quibus exercitiis & gradibus ascendere, quomodo per devotam orationem debeas divinum auxilium implorare, quale quoque sis præmium recepturus. Et hæc sunt illa quinque quæ tibi in principio proponebantur. Sed quia divina scriptura de his ascensionibus alibi loquitur, dicens: Vidit Iacob scalam erectam, & Angelos Dei ascendentes & descendentes in ea, miraris fortitan quomodo in his ascensionibus Angeli viri vtique sancti descendunt. Nam quod ascendunt non est mirandum. Quamvis autem hoc non absurde possit intelligi, quod etiam ipsi sancti viri quamdiu peregrinantur, quamdiu prægravantur in corpore quod corrumpitur, non ita possunt continue & indesinenter ascendere, quin aliquando corruptibilitatis pondere gravati deficiant in ascensu, & descendant ad tempus relaxando exercitium spirituale: Aliæ tamen sunt descensiones vtiles & ad propositum magis convenientes, quibus etiam veri ascensores & viri spirituales interdum pro tempore ascensiones suas interrumpunt & assumunt sibi vtiles descensiones. Vt autem breviter has descensiones comprehendas, duæ sunt huiusmodi descensiones. Vna qua homo descendit ad seipsum. Secunda qua descendit ad proximum, & hæc vtraque descensio est tribus gradibus subdistincta.

CAPVT LXV.

De primo descensu quo homo descendit, quantum ad seipsum de gradu superiori ad inferiorem.

PRimo igitur homo descendit ad seipsum, cum verbi gratia, aliquis in altiori ascensu constitutus, & ad sublimiorem gradum provectus, interdum tamen descendit, vt se perfectius in inferiori gradu exerceat, ne semper supra ascendens, negligens amittat quod inferius iam acquisivit. Neque enim ita quis in his ascensionibus ad anteriora se debet extendere, quasi non esset penitus opus ad posteriora respicere, sed ita debet ad anteriora se extendere, & de virtute in virtutem proficere, vt nequaquam negligat gradus ad quos devenit vel per quos ascendit: vt quod iam obtinuit, summopere studeat custodire, verbi gratia. Per timorem prius fuisti compunctus & per meditationes mortis tuæ, extremi iudicij & pœnarum inferni, multa bona egisti, ac deinde venisti ad spem, & memoria cœlestis gloriæ & beneficiorum Dei, dulcius te ad compunctionem amoris incitasti. Nunquid iam timorem debes relinquere? nunquid iam ex toto meditationes mortis & iudicij debes omnino postponere? Non ita, sed interdum per spem ad superiora debes ascendere, & ad cœlestem gloriam speculari, vt eius pulchritudine alliciaris ad vlterius ascendendum. Interdum vero per timorem debes descendere, & vanitatem mundi & brevitatem vitæ tuæ, & acerbitatem pœnarum infernalium studiosius contemplari, vt terrearis inferius descendere. vt sic ante traharis per spem, à posteriori vero per timorem, quasi quodam aculeo procedere & ascendere compellaris, ut ita semper in tuis exercitiis inter timorem & spem & charitatem ascendas & descendas; donec ipsa charitas fuerit perfectissima, foras mittens timorem, ne videlicet in torporem vel securitatem incidas, aut præsumptionem. Sic vtique Angeli, id est, viri sancti ascendunt in cœlum per affectum & desiderium, & descendunt in abyssum vel viventes in infernum per diligentem considerationem. In quo tamen gradu amplius quivis se debeat exercere, discretione opus est, vt discernatur secundum profectus, status & conditiones personarum. Sic itaque ascendendo & descendendo vtrumque pedem Christi cum Maria amplecteris peccatrice. Sic misericordiam & iudicium cum Propheta Domino decantabis. Ad hos duos ascensus & descensus, omnia quæ in scripturis sunt, referuntur, secundum Augustinum: vt videlicet misericordiam ames, timeas potestatem. Vnde Propheta sanctus in divina locutione, hæc duo se narrat solummodo audivisse: Semel, inquit, locutus est Deus duo hæc audivi, quia tibi Domine est misericordia, & tu reddis vnicuique iuxta opera sua; propter hæc duo, Prophetæ, propter hæc duo omnes sunt scripturæ. Audi beatum Gregorium hunc tibi ascensum & descensum recommendantem. Quamvis, inquit, securitati timor semper longe videatur abesse, nobis tamen nihil est securius, quam sub spe semper timere, ne incauta mens aut desperando se in vitiis deiiciat, aut extollendo de donis ruat. Ante districti enim & pij iudicis oculos quanto de se mens sub spe trepidat, tanto in illo robustius stat. Si ergo non vis vt veniat tibi pes superbiæ, quo cadunt omnes qui operantur iniquitatem, noli a timore pedem totaliter removere.

CAPVT LXVI.

De secundo descensu quo interdum necesse est hominem descendere ad morum exteriorum & gestuum disciplinam.

SEcundo etiam ô homo nonnunquam ad te ipsum debes descendere, & exteriorem hominem debite in moribus disponere & ordinare, vt interior tua devotio & interna sanctitas in gestibus exterius & moribus elucescant. Itaque rege mores tuos exteriores, vt sis tibi custoditus, sis aliis exemplaris, sis amabilis vniversis. Hoc autem optimè complebis, si tria in exterioribus moribus studueris observare. Primo vt mores tui sint maturi. Secundo, vt sint humiles. Tertio, vt sint benigni. Maturitas reddit te exemplarem aliis. Humilitas custoditum tibi. Benignitas facit amabilem vniversis. Maturitas autem in hoc consistit, vt homo non sit levis ad currendum, nec pronus ad risum, nec curiosus vel verbosus seu ioculator. Hæc maturitas caput tegit, intus mentem componit, & totum corpus exterius ab insolentia custodit. Caput tegit, ne leviter hinc inde circumferatur, oculos ne vagentur, aures ne curiose auscultent, & sic de singulis. Morum humilitas deprimit cervicem, humile format responsum, & gestus complanat, vestitum simplicem amat, sese inter novissimos locat, ostentationis notam declinat, singularitatem fugit, ad aliorum obsequia agilem facit & promptum. Benignitas facit affabilem & compassivum afflictis, tractabilem & exorabilem & flexibilem ad consilia impertienda, communicativum sui &

suorum

suorum in bono, hilarem modestum iucundum & fidelem & socialem, gratum & beneficum. Hæc autem benignitas quantum ad quædam signa exteriora benignitatis, quam philosophus amicitiam vocat, est necessaria ad socialiter convivendum. Nullus enim ait, potest per diem vivere cum tristi & non delectabili. Ideo ex quodam debito naturalis honestatis constringeris, vt aliis delectabiliter convivas per benignitatem. Vnde præcipue cum inter alios fueris, debes te benignum ostendere & delectabilem exhibere, & in conventu multorum mentis tristitiam quadam vultûs hilaritate te decet dissimulare. Veruntamen effusa dissolutio cavenda est, ne sub prætextu pietatis nutriatur vitium vanitatis. Ergo vt ait Hugo: Si cum aliis fueris, & mutua delectat verborum collatio; fiat sermo de moribus, fiat sermo de scripturis, nunc de miseriis huius vitæ congemiscamus, nunc de spe futurorum gaudiorum congaudeamus, nunc mutui secreti revelatione recreemur, nunc simul ad illam visionem Iesu, ac bona cælestia suspiremus. Si vero nonnunquam vtile est, vt intentum animum ad inferiora quædam & iocunda laxemus, sint laxamenta illa plena honestatis, vacua levitatis, & si careant nimio pondere, non tamen careant ædificatione. In his ergo tribus maturitate, humilitate & benignitate, tota exterior motuum disciplina consistit. Humilitas autem maturitatem temperat, ne elata videatur. Benignitas, ne austera & indignabunda.

CAPVT LXVII.

Tertia descensio quantum ad seipsum; qua homo fragilis non diu vel semper spiritualibus valens insistere, necesse habet se in opere manuum exercere.

TErtio debes frequenter ascendere & opus aliquod corporale vel manuale arripere, imo certe ita debes exercitium tuum ordinare vt quotidie teipsum in opere manuum suis & certis temporibus exerceas, & suis rursum temporibus in ascensionibus cordis proficias; quã quam à cordis profectibus forsitan manibus operans non impediris. Potes enim infra opus orare, meditari, in timore te & desiderio exercere. Sancti patres nostri hoc pro regula habuerunt, vt quanto fidelius se ad opus manuum conferrent, tanto ad altiorem puritatis & charitatis ascensum & spiritualium profectum sperabant se perventuros. Itaque homo fragilis cum sis, noli te angelum putare qui semper vtitur cibo spirituali, quem tu nescis, vt tu etiam velis semper spiritualibus adhærere, sed te ipsum certis temporibus exerce in opere manuali multiplici ratione. Primo ne tædio victus iam etiam in toto relinquas spirituale exercitium. Nec reputa te ferventiorem, & magis spiritualem quam fuit magnus ille Antonius, qui nisi talem ascensum & descensum inter opus manuale & spirituale ab angelo didicisset, tædio victus ad seculum redivisset. Ideo vult Cassianus, quod qui non est quotidie contentus aliquid manibus operari, non potest in cella finaliter perseverare. Secundo enim quamvis ad modicum interdum illa manualia ab illa vacatione te retrahunt postea tamen valentiorem ad eam te reddunt. Nam vt audivisti non potes cum concupiscentiis ascendere: Sed ipsæ sunt quæ ascensum impediunt. Ideo istas concupiscentias oportet te vincere, præcipue opere manuali. In desiderio est enim omnis ociosus. Sic sæpe ergo opus manuum deservit spirituali ascensioni, inquantum impedimenta removet ascendendi. Tertio, cor tuum valde est instabile, & hinc inde velut navicula in fluctibus maris fluctuans, sic quatitur diversis affectionibus & meditationibus. Igitur vt dicit Cassianus: Cor tuum velut quadam ancorâ te decet figere, pondere videlicet, & occupatione alicuius operis manualis. Quarto, quoniam plures aditus tentandi inimicus in nobis reperit ociosis quam in occupatis; siquidem occupatus, vt aiunt, vno dæmone tentatur, ociosus vero innumeris dæmonibus devastatur. Quinto, si diligenter advertis ipsum opus manuum, vtiliter te admonet ad ascensum. Primo enim admonet te de loco, in quo te Dominus posuit vnde cecidisti. Nam ibi constitutus in quietis plenitudine, non te cũ labore oportuit operari: Et si adam positus erat, vt scriptura dicit, vt paradisum operaretur, non tamen cum labore; sed eum colens cum summa delectatione, & considerans in inferioribus potentiam, sapientiam, & benignitatem creatoris, in laudem eius ferebatur. Est igitur secundum Bernardum: Opus manuum quasi vulnerum ligamentum, vnde corriperis & admoneris de culpa. Siquidem post culpam, datum est hoc præceptum legis naturalis: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Quoties igitur manibus operaris, toties admoneris de culpa transgressionis. Item per opus manuum admoneris quod sex diebus, scilicet totâ vitâ qua hic vivis, oportet te laborare: Nam tempus est laborandi. Septimo vero die finitâ vitâ præsenti dicet spiritus, vt à laboribus requiescas. Admoneris igitur manuali opere illinc tendere, vbi te non oportet laborare, sed tantum vacare & videre, quoniam suavis est Dominus. Sexto opus manuum reddit te liberum, ne sit tibi opus aliis applaudere, & aliorum aliqua desiderare, sicut Apostolus scribit ad Thessaloni. Septimo, secundum Bernardum, ipsum opus manuum sæpe sicut corpus suo pondere & mole deprimit, ita nonnunquam compunctionem dulcius exprimit, & efficit puriorem. Propter hæc & multa alia, sancti patres nostri præcipue in Ægypto tam fideliter laboraverunt, & propter labores eorum à sanctis tam sublimiter extolluntur: Veruntamen ne à cordis ascensionibus longe discedas, ea debes magis opera corporalia, quantum in te est, semper eligere, quæ cum spiritualibus videntur maiorem convenientiam habere, sicut sacros libros scribere, quod minus ab ascensu impedit, & est spiritualiter amplius fructuosum. Quot enim libros sacros scribis, quasi tot veritatis præcones facis, & quot ex eis compunguntur & proficiunt, tot eris particeps meritorum. Hinc opus scripturæ beatus Bernardus, magis approbat. Plures sanctorum patrum scriptores erant. Omnes fratres & discipuli in monasterio sancti Martini libros scribebant. De opere scripturæ inter alia beatus Hieronymus Rusticum monachum specialiter admonet. Plures sancti libros suos tum ex humilitate, tum ad devitandum ocium, propriis manibus scribebant, vt de Ambrosio legitur & Hieronymo. Sane cum manibus operaris, non debes mente ociari, sed ad pietatem cordis te exercere, orando aliquid aut meditando, seu certe quod scribis dulciter ruminando. Imo etiam secundum Augustinum de opere monachorum, poteris infra opus devote aliquid decantare. Nec enim opus manuum ista plus impedit, quam seculares à suis carminibus impediuntur manibus laborantes. Debes autem fideliter operari, non sicut seculares, qui recipiunt solum mercedem transeuntem, tu autem non solum mercedem temporalem, sed immarcessibilem coronam in cœlis. Attende quod sancti angeli, laboribus occupatis pastoribus specialiter natum Christum Dominum nunciaverunt. Noli tamen in labore esse nimius vel importunus, sed moderatus & discretus. Debes præcipue in opere manuum silentium custodire. Silentium enim in quo iuxta Prophetam est fortitudo nostra, & si vbique & semper est servandum, nisi necessitas cogat vel vtilitas suadeat, maxime tamen in opere manuali, iuxta illud Apostoli: Obsecramus in Domino Iesu, vt cum silentio panem vestrum manducetis.

CAPVT

CAPVT LXVIII.

De ascensionibus ad proximum, vel propter proximum. Et primus descensus fit ad superioris iussionem.

Similiter necesse est sæpius propter proximum ab istis ascensionibus descendere, id est, ad tempus cessare; non in toto deserere ascensiones. Tribus etiam modis propter proximum descendimus, quia vel propter superiorem, vel propter æqualem, vel propter inferiorem. Propter superiorem debes ascendere; cum verbi gratia, licet tu, quantum in te est, semper appetis tibi vacare, vel cum Lazaro peccata tua deflere, & compunctione, ex memoria peccatorum tuorum vel extremi iudicij, &c. te conficere, vel cum Maria ad pedes Iesu prædicantis sedere, id est, in vita & passione Christi mentaliter exercitare, vel quovis magno ascensu: Et ecce venit superior tuus & vocat te, iubet exire, mandat descendere statim sine mora; Martha ad pedes vicarij Iesu, id est, superioris procedat, id est, tota humilitate & devota promptitudine descendat, & inclinet se ab interiore suo exercitio, quod si Maria adhuc in domo remanserit, & tantum se circa interiora à quibus invita vellitur, occupans, etiam si sedeat ad pedes Iesu, murmuret Martha, etiam si deploret fratrem, intret necesse est Martha domum interiorem, scilicet hominem, & vocet eam sub silentio, id est, occulte teipsum reprehendas, dicens: Maria, Magister adest, & vocat te. Ad est ille, cuius disciplinæ te commisisti, superior tuus, hic vocat te & iubet exire, quid adhuc sedes? Nunquid non melior est tua vocatio, quam devota obedientiæ impletio? Quo audito, surgat ipsa Maria, & procidat similiter ad pedes Iesu, dicens: paratum cor meum, paratum cor meum. Paratum, vt ad tuum imperium mihi vacem. Paratum cum iubes, vt exterioribus ministrem. Hoc autem non solum ad iussionem patris tui obligaris, sed etiam nonnunquam fieri debet ad exhortationem fratris ex charitate. Omnia enim exercitia sua sancti patres libentius postposuerunt, tantum vt obedientiam inviolabiliter servare potuissent, atque hoc super omnia reputabant, si non suam voluntatem, sed alterius adimplerent. Et quamquam obedientia præcepti vel necessitatis est magis necessaria, noli tamen discutere, an tenearis vel non, quia sæpius obedientia charitatis est magis meritoria, & charitatem auget devote impleta.

CAPVT LXIX.

De secundo descensu ad proximum, quo proximo condescendimus auxilio vel consilio, admonitione vel correptione.

Secundo ad proximum debes descendere, proximo condescendere, compassione motus & pietate, auxilio & consilio subvenire, vt scilicet corporaliter afflictos iuves, & eis succurras, sed multo amplius si videris spiritualiter afflictos adiuvabis quantum poteris admonendo, corripiendo & attrahendo, in tentationibus & tribulationibus consulendo & confortando. Nisi enim Paulus de tertio cœlo descendisset, & de alto statu mentis suæ infirmioribus se inclinasset, neminem attraxisset, sed descendit factus omnibus omnia. Et carnalibus quidem Iesum prædicabat & hunc crucifixum, spiritualibus autem spiritualia comparabat. Sic & tu sis omnibus omnia, singulis succurrens, prout eorum necessitas exigit. Si corporalis vrget infirmitas ex corde compatere, libenter ministra, quantum in te est, præcipue domesticis. Si rerum constringit paupertas, si potes, tribue eis, & succurre etiam necessitatem interdum patiendo, ut non de superfluo, sed de necessario offeras cum vidua, vt ex tua paupertate & necessitate quam pateris in cibo & vestitu, & sic de alijs, succurras. Si non poteris subvenire rebus, saltem pijs admonitionibus. Nam verbum bonum est super donum optimum. Et maior est eleemosyna spiritualis quam corporalis. Vndè maxime si stans in ascensionibus cordis tui, subitus videris aliquos à Christi iugo aberrare, descende festinanter & relinque ascensum, si ita tibi pro tempore visum fuerit expedire, attrahe, admone, corripe. Nec dicas in corde tuo: sufficit mihi mea salvatio, pro meo volo esse sollicitus non pro alio. Nunquid ego superior eius sum? Nunquid ego custos eius constitutus? Ecce talem cogitationem non genuit zelus Dei. Sed vt ait beatus Gregorius: Inquantum gratiam supernæ aspirationis accepisti, à pravitate proximum revoca, æternum regnum vel supplicium eo modo quo superius dictum est, erranti annuntia, vt dici angelus merearis. Sic igitur verbum admonitionibus impende prout tibi pro vnoquoque visum fuerit expedire. Cogita secundum Bedam, quod inter homines sublimior & Deo gratior conversatio esse non potest, quam eorum qui se castigant à vitiis, qui virtutum studiis animum subigunt, insuper etiam alios quotidiano exercitio, ad authoris sui gratiam student convertere, & crebra animarum fidelium acquisitione gaudium semper patriæ cœlestis student augere. Hæc autem non de prædicatione publica intelligimus, sed de privata admonitione & fraterna exhortatione, de qua dicitur: Vnicuique mandavit Deus de proximo suo. Prædicatio ergo publica non sine summo moderamine à quovis, maximeque à iuvenibus debet attripi, nisi quodammodo sint virtutum pleni & gratiarum, ad modum conchæ, quæ non effudit nisi ipsa prius fuerit plena, secundum Bern. super Cantica. Et verecundum & periculosum est, vt qui non habet nisi modicum olei exponat illud, nisi forsitan ad Prophetæ iussionem, ne plus contra ordinem charitatis, alios quam seipsum diligere videatur. Similiter debes descendere spiritu lenitatis permotus & fratri compassus, cum videlicet videris aliquem peccare, vel inordinate se regere, quocunque modo hoc perpenderis, ut ei pie condescendendo per fraternam correptionem valeas eum superius trahere, & perducere ad emendationem. Nec debes quantum in te est permittere in aliquo vitium regnare, sed compassione & humilitate præcedentibus, debet te zelus moderatus & discretus comedere, vt vbi emendam præsumis, non cesses increpare. Semper tamen attendas te ipsum, ne & tu tenteris. Ferveat igitur, vt Bernard. ait, in nobis iste zelus, charissimi, amor iustitiæ, odium iniquitatis. Nemo, fratres, vitia palpet, peccata dissimulet nemo. Nemo dicat: nunquid custos fratris mei sum ego? Nemo quantum in se est, æquanimiter ferat ordinem deperire, mimi disciplinam. Sic ergo debes proximo subvenire auxilio, vt si corporaliter egeat eleemosyna corporali, succurras si vero spiritualiter egeat, misericordiam spiritualem & auxilium spirituale libenter impendas. Secundo, debes proximo tuo subvenire consilio instruendo & dirigendo errantem, maxime in tentationibus, & spiritualibus exercitiis. Sed videas ne alios doceas quod ipse nescias. Melius est humiliter profiteri ignorantiam, quam præsumptuose velle docere. Sit igitur consilium tuum semper divinæ scripturæ consonum. Ea tamen quæ in consilio recipis, vel de quibus cum alijs consulendo percipis, si secreta fuerint, cave ne publices maxime de tentationibus aliorum. Inde enim sæpe pericula veniunt, ut in secunda collatione patrum dicitur. In consilijs et mandandis, caveas ne sequaris tuam passionem vel inclinationem. Nam illa pervertit iudicium, & zelus sapere nescit. Item antequam des consilium, maxime arduum, diu deliberato, & non quod prius occurrerit, edicito, sed delibera te submisso semper tuo consilio

silio sentire aliorum; ne pertinax inveniaris, & velis te magis consentire humilibus, quam tibi consentiri. Vnde nullius tu consilium debes vilipendere: Deus enim sæpe revelat parvulis, quæ abscondit à sapientibus; sed omnium consilia attendas, non tamen suscipias, sed omnia probate, Apostolus ait: quod vero bonum fuerit, ipsum tenete humiliter consentiendo finaliter.

CAPVT LXX.

De tertio descensu, quo necesse habet superior descendere propter curam & solicitudinem subditorum.

SI vero sub te habueris inferiores, tunc te oportet multo amplius & frequentius descendere, imo sæpissime ascensiones deserere, vt vaces subditis in custodia & disciplina. In custodia, vt serues stantes qui tam digne conversantur. In disciplina, vt corrigas errantes & minus ordinate conversantes. Aliàs certe Dominus sanguinem animarum subditorum de manibus tuis requiret: Et nisi fratrem tuum minimum quantum in te est adduxeris, faciem Ioseph viri salvatoris non videbis. Vide hic quam periculosus est status superior, quo necesse est vt homo seipsum deserat, & sæpe dum negligit perdit. Nam dum foris homo multum occupatur & interius otiatur, nonnunquam ascensiones negligit, & ad cor durum descendit, & insensibilis fit, solum exteriora sentiens, & spiritualia non degustans, sicut bene ostendit B. Bernardus in I. lib. de consideratione. Igitur consilio sanctorum, quantum in te est, semper locum superiorem, & nimiam occupationem exteriorem devita, salvâ semper humili & prompta obedientiâ. Cum vero aliquis cogitur exterioribus occupationibus deservire, debet valde solicite quandocunque potest, vel tempus habuerit, ad interna recurrere, & sibiipsi vacare, ne, vt dictum est, insensibilis efficiatur. Vnde ait sanctus Gregorius: Sancti, inquit, viri qui exterioribus ministeriis deservire officij necessitate coguntur studiose semper ad cordis secreta refugiunt, ibique cogitationis intimæ cacumen ascendunt, & legem Domini quasi in monte percipiunt, dum postpositis tumultibus actionum suarum temporalium in contemplationis suæ vertice supernæ voluntatis sententiam perscrutantur. Vt enim exterioribus officiis inoffense deserviant, ad cordis secreta recurrere incessabiliter curant, & cætera.

De quatuor, in quibus incipientes Deo servire, debent esse cauti, si proficere volunt.

QVatuor autem sunt in quibus novi & incipientes cauti debent esse, si volunt proficere. Primum, vt ab illa voluntate qua ad religionem venerunt, & à primo novitiatus fervore non tepescant, sicut cuidam in Apocalypsi improperatur; Habeo adversum te quod caritatem primam reliquisti, quapropter pœnitentiam age, & prima opera fac. Caritatem primam relinquunt, qui cum primò sint ferventes & devoti ad omnia, postea tepidi effecti & desides, tradunt se levitatibus, & vitia quæ expugnare venerant, permittunt sibi dominari, servientes Deo pro libitu suo, non pro eius beneplacito voluntatis. Vnde Dominus filiis Israel præcepit: Mementote diei huius, in qua egressi estis de Ægypto. Dies qua de Ægypto egredimur, est bona voluntas qua educimur de seculo. Huius semper meminisse debemus, vt à fervore illius nunquam retrocedamus. Vnde quidam volens religionem ingredi de seculo, quæsivit de quodam sancto patre, quomodo vivere deberet. At ille dixit ei: vide qualis primo die fuisti, & sic semper vive: Hoc est, considera statum voluntatis tuæ in prima die qua religionem intrare disposuisti; quam humilis tunc fueris, quam paratus tunc obedire ad omnia, tam aspera quam despecta, quam patiens ad correptiones & penurias & labores, quam verecundus & timoratus, quam solicitus vt emendares vitam tuam, & dies quos in seculo perdidisti recuperares, quam parum curans rumores seculi quærere vel referre, nec detractionibus intentus, nec aliquibus curiositatibus occupatus & quomodo fugisti & abiecisti omnes carnales affectus & effectus, & te totum obtulisti Domino holocaustum vivum, vt nihil deinceps in te vivat de vita peccati, sed tota mactetur & immoletur Domino obedientiæ ferro, per sacerdotis ministerium, id est, prælati tui, vt Christo in te Innovato resurgas. Secundum hanc formam semper postmodum stude vivere, ne aliter in schola religionis dediscere & retrocedere magis quam proficere videaris. Sicut illi qui vadunt ad studium litterarum, & tempus vane consumentes, redeunt domum, expensas solum computant consumptas, quia quid profecerint non apparet: sic & nos quando tempus in religione expensum computamus, & profectus virtutum exiguus est, cum forte in novitiatu devotiores & ferventiores fuerimus quam post plures annos. Hoc enim est verecundum & valde nocivum, ad Hebr. 5. Cum deberetis magistri esse virtutum, propter tempus quo diu in religione fuistis, rursum indigetis vt vos doceamini quæ sint elementa exordij sermonum Dei, id est, necesse habetis doceri sicut rudes novitij, quomodo incipiendum esset servire Deo, & facti estis qui lacte opus habetis, non solido cibo, id est, tales estis qui mollibus blandimentis puerilium consolationum & carnalium foveri indigeatis, & fortia exercitia virtutum pati non valeatis in duris reprehensionibus & contumeliis, in necessitatibus, in persecutionibus pro Christo. Omnis enim qui lactis est particeps, expers est sermonis iustitiæ; Parvulus enim tam meritis quam virtute. Secundum est, à quo incipiens debet esse cautus, ne moveatur malis exemplis tepidorum ad imitandum ea. Sicut quidam infirmi spiritu videntes alios apud se desides in servitio Dei, ociosos & verbosos, elatos & rebelles, ambitiosos, & aliis modis vitiosos, dicunt apud semetipsos: Si aliis hoc licet, quare non & mihi? Et proniores ad malum, exemplum sumunt ab his quos deteriores vident, & gaudent se socios invenisse vitiorum, ne soli possint erubescere, quia si parcitur aliis, volunt & sibi in similibus parci. Contra hoc devotus Dei servus, apud se respondere debet: Ego veni pure pro Deo, non pro aliquo alio, ideo nolo aliquem sequi ad hoc vt à Deo retrocedam; quia si tantos hic discolos scivissem, nunquam eorum societatem elegissem. Vnde solos illos imitari debeo, qui ad hoc informant me, propter quod religionem intravi, id est, vt apprehendam Deum, & satisfaciam ei de peccatis meis, & promerear gloriam sempiternam. Fictor & artifex nobile opus volens facere, quærit non alia quam meliora exemplaria quæ potest habere. Et viator non quærit viam ab ignorantibus, sed à scientibus eam, & qui sæpe ambulaverunt per eam S. Ioannes: Noli imitari malum, sed bonum. Tertium est quod cavere debet, ne iudicet temere facta aliorum, maxime vbi nescit qua de causa vel intentione fiant. Sicut enim non videmus aliorum cogitationes, ita nec intentiones eorum, quare hoc vel hoc fiat. Vnde quicquid aliquo modo potest excusari, semper ad meliorem partem interpretemur, si volumus trãquillum cor nobiscum habere & cum aliis, & alios non turbare, & Deum non offendere; quia sæpe iudicamus malum esse, quod in se non est malum, & peccamus per temeritatem, vsurpando nobis iudicia Dei de occultis cordium. Magistri nostri vice Dei aliquando id possunt iudicare per coniecturas circumstantes; alios non expedit per nos esse iudicandos, donec plene eruditi in omnibus per donum discretionis spirituum, & vere spirituales effecti, omnia diiudicemus, & nos a nemine iudicemur, sicut clare videns qui cæcum videt, nec tamen à cæco videtur,

eum

cum cœcus non videat seipsum. Ad Roman. 14. Tu quis es qui judicas alienum servum? Suo Domino stat aut cadit. Sæpe enim merentur temerarij judices aliorum, vt aut in similibus, aut gravioribus excessibus cadere permittantur; vt discant ex sua infirmitate compati alienæ. Luc. 6. Nolite judicare, vt non judicemini: In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini. Quartum in quo cauti esse debent novitij, vt non frangantur adversitate vel tentatione, sed cogitent quia ad hoc venerunt, vt omnia quæ eis in hac vita possint accidere, sustineant propter Deum, sicut qui intrat bellum, scit quod non quietem & delitias, sed laborem & vulnera oportet eum expectare. Act. 14. Oportet nos per multas tribulationes intrare in regnum Dei. Luc. vlt. Oportet Christum pati, & ita intrare in gloriam suam.

FINIS.

RADVLPHI DE RIVO DECANI TVNGRENSIS, DE CANONVM observantia Liber.

Nota Melchioris Hittorpij.

RAdulphum de Rivo nihil fecisse diligentius quàm vt divina officia scrutaretur, nihil magis exoptasse, quàm vt eis antiqua dignitas constaret, omnisque ab eis novitas exularet, cùm ex hoc ejus libro satis perspicitur, tum magis etiam perspiceretur, si ea ejus scripta quæ Romæ reliquisse, indéque se expectare scribit, extarent. Quod optare quidem præstare vero nequaquam possumus. Est vero hoc suæ diligentiæ studijque non leve etiam argumentum, quod Româ Antiphonarium Romanum antiquum ad Tungrenses suos secum attulerit, ad cujus velut regulam exploraret, & suæ & aliarum Ecclesiarum officia.

De quo quidem Radulpho cum apud Trithemium nihil inveniamus, quod in Tungrensis Ecclesiæ Calendario reperitur, subjicimus.

Anno millesimo quadringentesimo tertio, in die sancti Huberti, videlicet tertia die mensis Novembris, obiit M. Radulphus de Eeda, aliàs de Rivo, Decanus, dum vixit Ecclesiæ beatæ Mariæ Virginis oppidi Tungrensis, patriæ diœcesis Leodiensis.

Ex Auberti Miræi Bibliotheca Ecclesiastica.

RAdulphus Rivius Decanus Tungrensis, præter alia, scripsit Kalendarium Ecclesiasticum, Lovanij ex Codice Iacobi Pamelij, 1568. typis editum.

PROPOSITIONVM Series.

I. *Vt Canonicam vitam professi, in Canonicis officiis canones servent & Canonicos bonos mores.*

II. *In rebus Ecclesiasticis auctoritas præ omnibus est sequenda.*

III. *Sanctæ matris nostræ Romanæ Ecclesiæ, & sanctorum Patrum antiquæ traditiones, doctrina, & statuta serventur: quia illorum transgressores graviter puniuntur.*

IV. *Cessante auctoritate, mores & instituta Maiorum sunt servanda.*

V. *Auctoritate & vsu discrepantibus, vsus cedat auctoritati & veritati.*

VI. *In divino officio est à novitatibus omnimode abstinendum.*

VII. *Officium divinum Majorum auctoritate, non diversorum arbitrio, regi debet.*

VIII. *Multorum exemplis & auctoritatibus probatur, sanctis patribus Psalmos in vsu continuo fuisse, & in divino debere officio frequentari.*

IX. *Psalmi vltra alias sacras Scripturas affluenter laudationes divinas & omnem affectum continent salutarem.*

X. *Omni Dominica octodecim, Festivitatibus novem Psalmi, & quoties tres lectiones & tria responsoria dicuntur, salva hebdomada Pascha & Pentecostes, duodecim Psalmi ad noctis vigilias psalluntur: Cæteris horis secunda psalterij deputatur.*

XI. *Nec ad vigilias noctis, nec alias in officio divino legatur, nisi sacra scriptura, & alia scriptura ab universali Ecclesia approbata.*

XII. *Similiter in eodem officio Cantus debet esse authenticus & approbatus.*

XIII. *Hymni Ecclesiastici, Capitula, Orationes, in officio observanda authentica esse debent.*

XIV. *De nocte in vigiliis, & septies in die laudes Domino sunt canendæ.*

XV. *Dominici dies festive, feriales vero humiliter debent inofficiari.*

XVI. *In officio temporali observando Adventus Domini, Quadragesimale, Paschale, & Quotidianum tempus specialiter denotentur.*

XVII. *Quolibet vsu sancti Dei sub diverso gradu venerantur: partim ex Evangelio, partim ex Vrbe, partim ex generali consuetudine, partim ex patria atque loco.*

XVIII. *Dies sanctorum novem lectionum, in morem Dominicalem: trium vero lectionum, more feriali sunt inofficiandi.*

XIX. *Solemnitates majores aliquando officio vigiliæ præveniuntur, aliquando per octavas extenduntur.*

XX. *Officia mortuorum & Virginis gloriosæ, obligatoria sunt, & ab omnibus observanda.*

XXI. *Laudabili multorum vsu servantur etiam certis temporibus alia particularia officia, vt Psalmorum Pœnitentialium, & Gradualium, & in Quadragesima totius Psalterij, & si qua sunt plura.*

XXII. *Ordo sanctæ Romanæ Ecclesiæ non ex vsu Fratrum Minorum, sed ex sacris Canonibus, scripturis authenticis, libris nostris antiquis, generalique & locorum proportionali consuetudine colligatur.*

XXIII. *Sanctarum Missarum Officia Romanæ Ecclesiæ suis Dominicis & sanctorum diebus fideliter observentur, & in illis patrum traditiones humiliter custodiuntur.*

PROPOSITIO I.

Vt Canonicam vitam professi, in Canonicis officiis canones servent & canonicos bonos mores.

REligiosis patribus, Dominis, Priori de Windeshem, & suis Comprioribus, Fratribusque Ordinis S. Augustini diœcesis Trajecten. aptum modum vivendi ad ambulandum in via Dei, in

A in qua alius sic, alius sic ibat. Apostolus veritatis, primæ ad Corinthios decimoquarto, in fine, scribit: Omnia honeste & secundum ordinem fiant à vobis. Honestum propter se est eligibile, vt dicitur primo Rhetoricæ. Et secundum B. Augustinum: Honestum sua dignitate nos allicit, & vtilitate trahit. Et vt dicit B. Augustinus libro de natura boni, cap. 3. Omnia quanto magis moderata & ordinata sunt, tanto magis vtique bona sunt: Quanto autem minus moderata, minus speciosa, minus ordinata sunt, tanto minus bona sunt. Et libro de vera religione, capite vigesimoquinto: Nihil est ordinatum, quod non sit pulchrum. Et sic ait Apostolus: Omnis ordo à Deo est. Et beatus Bernardus in quibusdam dictis: Discretio omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit & decorem & perpetuitatem. In præmissis igitur verbis admonemur, in agendis reproba fugere, digna & vtilia quærere, & quærita secundum suum ordinem custodire. Nam qui ordinem agendorum in Dei obedientia non custodit, agenda perturbat, & in periculum peccati se ponit. Si

B igitur in omnibus actibus nostris custodire tenemur honestatem & ordinem, incomparabiliter magis, honeste & secundum debitum ordinem ea, in quibus Deo obligamur, facienda sunt: vt in illis honesta, digna & approbata, non apocrypha, dubia vel reproba admittamus, & ordo in omnibus approbatus teneatur, vtque nec plus nec minus, quam oportet, obseruetur. Charissimi, si sacri Canones Ecclesiastici, per vt à sanctis patribus fuit instituti, & illis cessantibus, tam locorum ordinis vestri, quam cæterarum religionum canonici bono moreet, omissis sæcularibus vsibus, in locis partium vestrarum, in quibus nunc Religio reuirescere incipit, acceptarentur, omnia honeste & secundum ordinem fierent à vobis, & apud vos nulla diuersitas, nulla varietas seu discrepantia in diuinis Officiis & cæteris obseruantiis regularibus ad loca alia appareret. Omnia enim legenda, cantanda, & in diuino Officio

C seruanda, ex Canonicis Scripturis, Maiorúmque statutis, ac vestræ & cæterarum Religionum vsibus generalibus, dudum ante sunt præscripta: ita vt Deo militantes, opus non habeant sæcularibus negotiis implicari. Sed quia non id quod traditum est, sed quod ex sæcularibus quibusdam Ecclesiis visum fuerit, tenendum æstimatis, antiquæ Traditiones humana præsumptione corrumpuntur, ordo rei perturbatur, regula vestra offenditur, & inter confratres qui sunt in Brabantia, & inter vos & diuersa & varia sine causa in Ecclesiis celebrantur. Hanc igitur diuini & Canonici Officij diuersitatem, in vnam concordiam honeste & secundum ordinem, & secundum præceptum regulæ vestræ infra ponendum affectans deduci, & dudum in partibus, & deinde Romæ plura ex diuersis Ecclesiis & libris scriptitaui, proponens omnia in vnu fasciculum, postquam Romæ scriptitata, quæ adhuc sunt in via, recepero, colligare. Ex paucis tamen, quæ mecum detuli, & aliis scriptitatis, modo charitati vestræ aliqua offero, antequam regiones ad messem albæ fiant, super imperfectis veniam humiliter postulans & deuote.

Propos. 7.

D

PROPOSITIO II.

In rebus Ecclesiasticis auctoritas præ omnibus est sequenda.

Catholica enim auctoritas † valet ad fidem Ecclesiæ. Vnde B. Augustinus in libro contra Manichæos, & ponitur vndecima distinctione. Palam est, quod in re dubia, ad fidem & certitudinem valet Catholicæ Ecclesiæ auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum vsque ad hodiernum diem succedentium sibi Episcoporum serie, & tot populorum consensione firmatur. Regitur enim Ecclesia, auctoritate, Traditione generali, & speciali. Vnde Augustinus libro de fide Christiana, & ponitur eadem distinctione,

† fidem Eccl. Aug. lib. 1. c. 1. contra Fundam Manich. & hinc auctoritas Ecclesiæ poseft ... ex

Catholica Ecclesia per orbem diffusa tribus modis probatur existere. Quicquid enim in ea tenetur, aut auctoritas est scripturarum, aut † traditio Maioru vniuersalis, aut certe propria & particularis † constitutio: Sed auctoritate tota constringitur, vniuersali traditione Maiorum nihilominus tota: Priuatis vero constitutionibus & propriis informationibus vnaquæque pro locorum varietate, prout cuique visum est, subsistit & regitur. Et idem Augustinus alio loco dicit: Euangelio non crederem, nisi me commoueret Catholicæ Ecclesiæ auctoritas. Extra hæc autem introducta, resecari debent. Vnde idem doctor, cujus doctrina tota Catholica fulget Ecclesia, ad inquisitiones Ianuarij de diuersis moribus Ecclesiæ, lib. 1. scribit, & ponitur 12. distinctione: Omnia talia, quæ neque sanctarum scripturarum auctoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inueniuntur, nec consuetudine vniuersalis Ecclesiæ roborata sunt, sed diuersorum locorum diuersis moribus innumerabiliter variantur; ita vt vix, aut nunquam omnino inueniri possint causæ, quas in eis constituendis homines secuti sunt; vbi facultas tribuitur, sine vlla dubitatione resecanda existimo. Quamuis enim neque hæc inueniri possit quomodo contra fidem sint, ipsam tamen religionem, quam misericordia Dei paucissimis & manifestissimis celebrationum sacramentis voluit esse liberam, seruilibus oneribus adeo premunt, vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui etiamsi tempus libertatis non cognouerunt, legalibus tamen sarcinis Sacramentis, non præsumptionibus humanis, subjiciuntur. Ex qua auctoritate notandum, quod in officio Ecclesiastico, cæteris paribus, sunt seruanda faciliora & breuiora, præsertim in congregationibus paucorum.

E tribus, vt tradit de August. † trad. vniuersalis, † institutio, † institutio.

Epist. 119 cap. 19.

F

PROPOSITIO III.

Sanctæ matris nostræ Romanæ Ecclesiæ, & sanctorum Patrum antiquæ Traditiones, doctrinæ, & statuta seruentur, quia illorum transgressores grauiter puniuntur.

G

Dist. 19. c. Enimvero.

Enimuero quia in speculum & exemplum, sancta & Romana Ecclesia, cui Christus sanctum Petrum & ejus successores præesse voluit, posita est: ideo ab omnibus, quicquid statuit, quicquid ordinauit, perpetuo & irrefragabiliter obseruandum est, decimanona distinctione, Enimuero vnde S. Calistus Papa scribit omnibus Episcopis, & ponitur duodecima distinctione. Non decet à capite membra discedere, sed juxta scripturæ testimonium, omnia membra caput sequantur. Nulli vero dubium est, quod Apostolica Ecclesia mater sit omnium Ecclesiarum, à cujus vos regulis nullatenus conuenit deuiare: Et sicut filius venit facere voluntatem Patris, sic & vos implete voluntatem matris vestræ, quæ est Ecclesia; cujus caput, vt prædictum est, Romana Ecclesia existit. Et capite sequenti ad idem beatus Gregorius: Præceptis Apostolicis non dura superbia resistatur, sed per obedientiam quæ à sancta Romana Ecclesia & Apostolica auctoritate jussa sunt, salubriter impleantur, si ejusdem sanctæ Ecclesiæ Dei, quæ est caput vestrum, communionem habere desideratis. Et B. Leo Papa: Hoc vestræ indicimus charitati, vt ab Apostolicis institutis, nullo vlterius recedatis excessu: quia inultum esse non poterit, si quisquam Apostolicas Regulas in aliquo crediderit negligendas, 11 distinct. Hoc vestræ. Et B. Gelasius ait: Decreta venerabilium sanctionum, nos quoque magnopere custodire nitimur. Et infra: Cum sedes Apostolica super his omnibus, fauente Domino, quæ paternis canonibus sunt præfixa, pio deuotóque studeat tenere proposito, satis indignum est, quenquam vel Pontificum, vel Ordinum subsequentium, hanc obseruationem refutare,

H

quam

quam B. Petri sedem & sequi videat, & docere: Satisque conveniens sit, vt totum corpus Ecclesiæ in hac sibimet observatione concordet, quam illic vigere conspiciat, vbi Dominus Ecclesiæ totius posuit principatum: de consec. dist. 2. Basilicas. Idem habetur vndecima distinctione. Nolite. Et B. Gregorius dicit, Ecclesiasticæ moderationi omnino est conveniens, vt quæ ordinata fuerint, vel decisa, nulla in posterum debeant refragatione turbari, 25 dist. quæst. 2 Ecclesiasticæ. Et Iulius Papa dicit: Ea quæ sunt ab Apostolis, eorúmque successoribus instituta, nulla desidia negligantur, nulla † discessione violentur, nulla concertatione turbentur, eadem quæstione, c. Amputato. Et Leo Papa, Ius traditæ nobis antiquitus dignitatis, intemeratum haberi debet, ita vt à regulis præfixis, nulla aut negligentia, aut præsumptione discedere liceat, 25 quæst. 2 Igitur. Et Leo IV dicit, ideo permittente Domino, Pastores sumus effecti, vt quod Patres nostri sive in sanctis Canonibus, sive in mundanis affixere legibus, excedere minime debeamus. Contra eorum quippe saluberrima agimus instituta, si quod ipsi divino statuerunt consilio, intactum non servamus, 25. quæst. 1. Ideo. Et Leo Papa dicit: Quod sanctorum Patrum canones spiritu Dei conditi sunt & totius mundi reverentia consecrati, 25. quæst. 1. Igitur. Quia vt dicit sanctus Agatho Papa: Omnes Apostolicæ sedis sanctiones ita accipiendæ sunt, tanquam divina voce B. Petri firmatæ, 10. dist. Sic omnes: Et sicut dicit B. August. lib. 3 confessionum, prope finem, & ponitur 8 distinct. Quæ contra mores: Quando Deus aliquid contra morem aut pactum quorumlibet jubet quamvis nunquam ibi factum sit, tamen faciendum est. Et si omissum sit, instaurandum est. Et si statutum non erat, instituendum est. Quia si hoc licet Regi in sua civitate quanto magis Deo regnatori vniversæ creaturæ suæ ad ea, quæ jusserit, sine dubitatione serviendum est? Et B. Bernardus in libro de præcepto & dispensatione: Ait siquidem Papa Gelasius: Vbi necessitas non est, immutabilia maneant sanctorum Patrum decreta. Leo quoque Papa: Vbi necessitas non est, nullo modo violentur sanctorum Patrum constituta. Et infra: Vbi ergo necessitas fuerit ad vtilitatem Ecclesiæ, qui potestatem habet, ea dispenset. Ex necessitate enim fit dispensatio legis. Transgressores autem sanctorum Canonum valde puniuntur; quia dignum est, vt severitatem Ecclesiasticæ disciplinæ sentiat qui salubriter à sanctis Patribus instituta contemnit, 55. distinct. Nullus, in fine. Nec alicui fas sit, sine sui status periculo, vel divinas constitutiones, vel Apostolicæ sedis decreta temerare, 25. q. 1. Nolli. Et si quis in illa commiserit, veniam sibi honoris deinceps noverit denegare, eadem q. c. Omnia. Et qui sacris obedire Canonibus nescit, nec sacris ministrare altaribus, nec communionem accipere sit dignus, e. q. c. Hac consona. Et ab Adriano Papa constitutum est, vt execrandum anathema fiat, & velut prævaricator fidei Catholicæ semper apud Deum reus existat, quicunque deinceps Romanorum Pontificum decreta in quoquam crediderit violanda. Nam vt beatus Gregorius scribit Bonifacio defensori: Nimis est asperum, & præcipue bonis Sacerdotum moribus inimicum, vitit quempiam quantacunque rationis excusatione, quæ bene sunt ordinata rescindere, & exemplo docere suo cæteros sua quandoque posse constituta dissolvere, 25. q. 11. Institutionis. Et Stephanus Papa scribit: Reum quippe ante conspectum divini judicis se noverit esse, qui nititur viliter diffinita rescindere, aut ausu quolibet violare, 25. q. 9. c. Loci. Et iterum B. Gregorius dicit: Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis Apostolicis voluerit contraire decretis, nec locum deinceps inter Sacerdotes habeat, sed extortis à sancto fiat ministerio, nec de ejus judicio quisquam postea curam habeat. Quoniam jam damnatus à sancta & Apostolica Ecclesia pro inobedientia atque præsumptione, à quoquam esse non dubitatur, 19. distinct. Nulli, & sanctus Damasus Papa ait, & ponitur 25. q. 1. Violatores Canonum voluntarij graviter à sanctis Patribus judicantur, & à sancto Spiritu, cujus instinctu ac dono dictati sunt, damnantur. Quoniam blasphemare Spiritum sanctum non incongrue videntur, qui contra eosdem sacros Canones non necessitate compulsi, sed libenter, vt præmissum est, aliquid aut proterve agunt, aut loqui præsumunt, aut facere volentibus sponte consentiunt. Talis enim præsumptio manifestè vnum genus est blasphemantium Spiritum sanctum: quoniam vt jam prælibatum est, contra eum agitur, cujus nisu & gratia sancti Canones editi sunt. Et beatus Bernardus vbi supra: In quo inobedientiæ crimen absque dubio sit, apud Samuelem advertite. (1. Reg. 15) Quasi, inquit, peccatum ariolandi est, repugnare: & quasi scelus idololatriæ, nolle acquiescere. Non ait, Non acquiescere: sed, Nolle acquiescere: Vt non mandati simplex ipsa transgressio, sed voluntatis superba contentio, scelus idololatriæ reputetur. Non enim idem est, Nolle obedire: & Non obedire. Hoc quippe interdum erroris est, Nonnunquam & infirmitatis: illud vero aut odiosæ pertinaciæ, aut contumaciæ non ferendæ: Quod & ipsum repugnare, est resistere Spiritui sancto. Et si ad mortem vsque perduraverit, blasphemia est, non remittenda sive in hoc sæculo, sive in futuro. Non ergo qualiscunque mandati præteritio criminalem facit inobedientiam: sed repugnare, & nolle obedire, secundum beatum Bernardum. Ista maxime hinc collegi propter sanctum Canonem, in die, infra Propositione 10. prædicandum; cujus contemptus & contrarius vsus, mortale periculum non evadunt.

PROPOSITIO IV.

Cessante auctoritate, Mores & instituta Maiorum sunt servanda.

Mos enim antiquitus perdurare debet, 65. distinct. Mos antiquus, & vetusta traditio semper obtineant, vt in caso. Vnde Augustinus ad Casulanum Episcopum, & ponitur in dicta epistola, & vndecima distinct. In iis rebus, de quibus nihil certi statuit divina scriptura, mos populi & instituta Majorum pro lege sunt servanda. Et sicut Prævaricatores Legum Divinarum, ita & Contemptores consuetudinum Ecclesiasticarum coercendi sunt. Ad idem B. Gregorius, 12. distinct. Scit S. Romana Ecclesia, quod nihil obsunt saluti credentium, diversæ pro loco & tempore consuetudines, si illis Canonica non obsistat auctoritas, pro qua eis obviare debeamus. Vnde nihil judicamus eis debere vel posse resistere. Et idem sanctus Papa, B. Augustino Anglorum Episcopo scribit, & ponitur 12 distinct. Novit fraternitas tua Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua meminit se esse nutritam. Sed mihi placet, vt sive in Romana Ecclesia, sive Galliarum, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus Omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas, & in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc in fide † novella est, institutione præcipua, quæ de multis Ecclesiis colligere potueris, infundas. Non enim pro locis res, sed pro rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibuscunque Ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige: Et hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem depone. Hæc ille: Non videtur ergo beati Gregorij fuisse consilium, vt voluntarie per privilegium ad vnam arctaremur Ecclesiam sæcularem in horis Canonicis observandis.

† dissensione.

† nova.

PROPOSITIO V.

Auctoritate & usu discrepantibus, usus cedat † veritati.

al. † auctoritati & veritati.

VNde beatus Isidorus in synonimis, & ponitur 11. distinctione, cap. 1. Vsus auctoritati cedat: pravum usum lex & ratio vincat. Et Nicolaus Papa Michaeli Imperatori eadem distinct. cap. 2. Consequens est, ut quod ab hujus sedis Rectoribus plena auctoritate sancitur, nullius consuetudinis impediente occasione, proprias tantummodo sequendo voluntates, removeatur, sed firmius atque inconcusse teneatur. Et Cod. quæ sint long. consuet. lib. 2, Canonizata eadem distinctione. Consuetudinis usúsque longævi non vilis auctoritas est, verum non usque est sui valitura momento, ut aut rationem vincat, aut legem scriptam. Et beatus Augustinus lib. 2. de unico baptismo, & ponitur octava distinct. Veritate manifesta, cedat consuetudo veritati. Item nemo consuetudinem rationi & veritati proponat, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit. Et beatus Augustinus in libro de baptismo parvulorum, & ponitur ead. distinct. e Qui contemptu, Dominus in Evangelio, inquit: Ego sum veritas. Non dixit, Ego sum consuetudo. Itaque veritate manifesta, cedat consuetudo veritati. Revelatione igitur facta veritatis, cedat consuetudo veritati. Quia & Petrus qui circumcidebat, cessit Paulo veritatem prædicanti. Igitur, cum Christus veritas sit, magis veritatem, quam consuetudinem, sequi debemus, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit. Et beatus Cyprianus ead. distinct. Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante nos est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, cum per Esaiam Prophetam loquatur Deus, & dicat: Sine causa colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes, Esa. 29. Item Marci 7. In vanum colunt me, docentes præcepta & doctrinas hominum. Relinquentes enim mandata Dei, tenetis Traditiones hominum. Et sequitur: Vnde irritum fecistis præceptum Dei, ut Traditiones hominum servetis.

Ioan. 14.

Esa. 29.

PROPOSITIO VI.

In divino officio est à novitatibus omnimode abstinendum.

DEpositum custodi, devitans prophanas vocum novitates, prima ad Timotheum cap. ult. in fine. Depositum est, quod custodiendum alicui datum est, dictum ex eo quod ponitur. Præpositio enim, de, auget depositum: ut ostendat, totum fidei ejus commissum, quod ad custodiam rei pertinet, ff. depo l. 1. in princ. Cum ergo sacri Canones sint custodiendi, extra de const. c. 1. apud vos tamen qui ab illis Græcè Canonicorum & Latinè Regularium nomen vendicastis, à sancta Romana Ecclesia specialiter depositi sunt, non tradentis, sed recipientium gratia. Igitur custodite sacri Canonis depositum, quod vos ad exactissimam custodiam obligat, & cujus ratione tenemini de levi culpa. Prophanæ vero vocum novitates hic accipiantur novi cantus, novæ historiæ, novæ lectiones, vel orationes, & cætera hujusmodi nova, quæ Patres nostri non coluerunt, de quibus infra latius proponetur. Hæ prophanæ vocum novitates secundum Apostolum sunt devitandæ: quia in rebus novis constituendis, evidens debet esse utilitas, ut recedatur ab eo, quod diu æquum visum est, ff. de constitutione Princ. l. In rebus. Novitates enim sine causa inducendæ non sunt, quia mutationes sunt periculosæ, & reprehenduntur quia novitates inducunt, 11. distinct. Quis nesciat. Et contra Ecclesiæ ritum præsumpta novitas, mater est temeritatis, soror superstitionis, & filia levitatis, secundum B. Bernardum in epist. ad Canonicos Lugdunen. Vnde Augustinus, & ponitur in epistola superius allegata: Ipsa quippe mutatio consuetudinis, etiam quæ utilitate adjuvat, novitate perturbat. Et Nicolaus Papa inter cætera sic scribit Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo, & ponitur 12. distinct. Ridiculum est, & satis abominabile dedecus, ut Traditiones, quas antiquitus à Patribus suscepimus, infringi patiamur. Et beatus Maximus in quodam sermone de Martyribus: Magni itaque periculi res est, si post Prophetarum oracula, post Apostolorum testimonia, post Martyrum vulnera, veterem fidem tanquam novellam, discutere præsumas, & post Martyrum sudores, ociosa disputatione de veritate Religionis contendas. Et Zosimus Papa, Narbonensibus, & ponitur vigesimaquinta, quæstione prima: Contra statuta patrum condere aliquid vel mutare, nec hujus quidem sedis potest auctoritas. Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxerunt reverentiam. Et B. Gregorius Maxentio Magistro pro causa Theodori: Grave nimis est, inquit, contra veterum usum Sacerdotes sibi quicquam arripere. Idem: Omnia quæ usus antiquitatis statuit, intemerata serventur. Et Leo IV. scribit Iudici Sardiniæ: Nec mos, nec noviter introducta consuetudo nostræ Ecclesiæ, nostris Prædecessoribus fuit, contra statuta canonum nova vel inusitata præsumere. Et beatus Gregorius Felici Episcopo, & ponitur vigesimaquinta, quæstione secunda: Si ea destruerem, quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed eversor esse juste probarer, testante veritatis voce, quæ ait: Omne regnum in se divisum, non stabit: & omnis scientia & lex adversum se divisa, destruetur. Et idem sanctus Papa ait: Absit hoc à me, ut statuta majorum cum Sacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam. Mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbo, ead. quæst. Quod vero infideles etiam & pagani immutationes antiqui cultus similiter non admittebant, qui legata ad modos illicitos & insuetos converti statuerunt in modos licitos, & honestos, ut in lege civili, ff. de usufru. lega. l. Legatum, quæ dicit: Legatum civitati relictum est, ut ex reddittibus singulis annis in ea civitate memoriæ conservandæ defuncti gratia spectaculum celebretur, quod illis celebrare non licet. Quæro quid de legato existimes? Modestinus respondit: Cum testator spectaculum coli voluerit in civitate, sed tale quid ibi celebrare non liceat, iniquum esse hanc quantitatem, quam in spectaculum defunctus ordinavit, in lucro hæredum cedere. Ergo adhibitis hæredibus & Primoribus civitatis, dispiciendum est, in quam rem converti debeat fidei commissum, ut memoria Testatorum alio & licito genere celebretur. Hæc sæcularis lex confundit nostrates, qui nova festa componunt, quæ in præjudicium temporalis officij non est licitum observare.

Luc. 11.

PROPOSITIO VII.

Officium ergo divinum maiorum auctoritate, non diversorum arbitrio, regi debet.

HÆc propositio concluditur ex præmissis, & in speciali traditur in regula Canonicorum, ubi sic dicitur: *Et nolite cantare, nisi quod legitis esse cantandū. Quod autem non ita scriptum est, ut cantetur, non cantetur.* Ubi venerabilis Hugo de S. Victore in expositione regulæ sic dicit: Non enim decet, ut cantus & usus Ecclesiasticus fieri debeat secundum arbitrium diversorum, sed firmiter servandus est secundum scripta & instituta Majorum: Similiter cæteræ consuetudines Monasterij eorum auctoritate & discretione ordinandæ

sunt. Si quid autem mutari oportet aut constitui, non debet hoc citò aut leviter fieri, nec arbitrio tantum duorum aut trium, sed convocatis fratribus, sicut sanior pars canonicæ congregationis decreverit, ordinandum est. Et notandum, quod in omnibus auctoritas Ecclesiastica magis imitanda est, quam ratio: Quoniam auctoritas semper obedientiæ & humilitatis, ratio nonnunquam præsumptionis. Hoc autem servandum est in ordine, vt semper maturitas & gravitas teneatur. Nunquid levitate vsus sum, inquit Apostolus, secundæ ad Corinthios primo capite prope finem, vt apud me sit, Est, & Non? Honestum quippe & religiosum, non facile quicquam aut leviter variare. Et 11. distinctione dicit Iulius Papa: Nolite errare fratres mei, doctrinis variis & extraneis nolite abduci, & instituta Apostolorum & Apostolicorum virorum, Canonésque habeatis: & contra Apostoli voluntatem nolite circumferri omni vento doctrinæ, duodecima distinct. cap de his. Gelasius Papa II. in quadam epistola ad fratres Regulares Canonicos, præcipit vt officiorum celebrationes apud eos juxta omnem Catholicæ Ecclesiæ consuetudinem celebrentur. Cum Norbertus novam quandam religionem Canonicorum sub Regula B. Augustini instituisset, Galterus Magalonensis Ecclesiæ, quæ ordinis vestri existit, Episcopus in quadam epistola ad fratres Regulares Calmosiacenses scripta, sic dicit: Sit dominus Norbertus religiosus & sanctus, sit multis & diversis virtutibus pollens, sit in divinis scripturis exercitatus, sit in prædicatione præcipuus: plus illis sanctis Patribus, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ credere, quam sibi debemus; quorum memoria miraculis coruscat, quorum exemplis quotidie fovetur & dilatatur Ecclesia, per quorum etiam studium Canonicus ordo hodie floret & fructificat. Ipse enim licet inter homines pro ostentatione bonus appareat, vtrum tamen ante Deum electus sit, ignoramus. Porrò Canonici officij mutationem, quam nescio per quas Antiphonarum & Psalmorum varietates, trifaria temporum permutatione prædicat esse sequendam sacris Canonibus & ipsi B. Augustino obviare testamur. Si enim Canonici vocamur, & Canonicam vitam professi sumus, Canones à Romana Ecclesia matre nostra nobis datos, à quibus etiam vocabulum sumpsimus, amplecti præ omnibus, & præcipue in Ecclesiæ officio imitari debemus, ita vt & hæreticus comprobetur, qui contra falsas aut novas opiniones aut gignit, aut sequitur. Vt ergo nos cum nimia præsumptione in alternatione officij errare monstremus, sanctos Patres nostros in medium deducimus, quibus ab hac superstitione tam vos, quam nos defendimus. Et deinde capite, Si instituta, cap. Quis nesciat, vndecima distinctione supra allegatis, cap. In die, de consecratione, distinctione quinta inferius solemnizando, Ca. Observetur, C. illa autem, duodecima distinctione, C. In his rebus, vndecima distinctione, & C. Illud te breviter, duodecima distinctione, positis & insertis concludit: Ecce quibus auctoritatibus & consuetudinibus religionem vestram imò totam Ecclesiam ab illis vanis institutionibus excusamus? Et in fine concludit, Volumus, tum rogamus & consulimus, vt ab hujusmodi † contentionibus discedatis: per quas & schisma suscitari, & scandalum in populo Dei potest exoriri. Revertamur ad verba regulæ: *Et nolite.* Imperativus sermo est, cadens sub præcepto, vt in simili in Cle. Exivit, 5. Vt autem hoc de verborum significatione, de officio fratrum Minorum declaratur, vbi Dominus Papa verba Regulæ B. Francisci, *vt clerici faciant officium secundum ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, dicit esse præcepti, & tanquam obligatoria, à fratribus observanda: Vnde prævaricantibus in crimina fiunt. Quod igitur præcipitur imperatur, quod imperatur, necesse est fieri. Si non fiat, pœnam habet. Vbi consilium datur, offerentis arbitriũ est: Vbi præceptum, necessitas servientis, secundum beatum Gregorium, & ponitur decimaquarta, q. 1. Quod præcipitur. Sequitur in Regula, *Cantare.* Generaliter videtur intelligendum de omnibus sive psallendis & legendis, sive cantandis, quæ in divinis officiis dici debent, propter rationis identitatem, quia communi sermone omnia Cantica dici possent. Sequitur; *Nisi quod legitur in scripturis approbatis.* De reprobis enim non loquitur sanctus doctor. Sequitur: Quod autem non ita scriptum est: Istud videtur superfluum, cum prius quæ scripta non sunt, nec per consequens legi possint, prohibuit decantanda. Sed prius de ipsis canendis, hic vero de modo canendi præcipit. Vt ea quæ cantanda sunt, non aliter, nec alio modo, quam secundum quod scripta sunt, decantentur. Deuteronomij duodecimo in fine: Quód præcipio tibi, hoc tantum facito Domino, nec addas quicquam, nec minuas. Tria ergo præcipit regula, vt quæ scripta sunt, observentur: non scripta abjiciantur, nec scripta aliter quam scripta sunt, decantentur. Et supponit, prout verum est, quod omnia sufficienter habentur in scripturis. Non dicit Regula, quod à sæcularibus consuetum est, quod à Iurisperitis consultum est, quod à Papa impetratum est, sed quod scriptum est, quod præceptum est, quod institutum est, hoc legatur, hoc cantetur, hoc in officio observetur. Non scripta vero, nec vniversaliter consueta refutentur, vt suprà Propositione 2. Si objiciatur, imò videretur, quod relictis sacris Canonibus, Episcoporum statutis, & Generalibus consuetudinibus, modus psallendi Ecclesiæ Metropolitanæ sit sequendus, quia scriptum est 12. distinct. c. de iis. De consecratione distinct. 1. Altaria. Et distinct. 2. c. Institutio. Respondetur, quod dicta cap. loquuntur in iis, quæ nec canonibus, nec statutis nec generali consuetudine determinata sunt, vt quæ per ventum doctrinæ hinc inde exagitantur, vt dicitur in prædicto cap. de iis, sed in aliis certis, certa & determinata sunt sequenda.

for. † cõstitutionibus.

PROPOSITIO VIII.

Multorum exemplis & auctoritatibus probatur, sanctis Patribus Psalmos in vsu continuo fuisse, & in divino debere officio frequentari.

IMpleamini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & Hymnis & Canticis spiritualibus cantantes & psallentes Deo in cordibus vestris, ad Ephes. 5. cap. Et concordant. ad Colossenses cap. 3. vt infra Propositione duodecima. Tria principaliter in officio divino frequentamus, videlicet Psalmos, Lectiones, & cantus. Et hæc tria in dictis verbis Apostoli intelligi possunt, vt ex quibusdam dictis B. Hieronymi tradit Amalarius de Officiis Ecclesiasticis libro suo quarto. In lectionibus enim tam majoribus, quæ in vigiliis nocturnis leguntur, quam parvulis, quæ dicuntur ad alias Horas, & Capitula appellantur, laudem Dei agimus & pronunciamus. Omnis autem laus Dei, largo nomine Hymnus dicitur. Antiphonæ autem, Responsoria, & metrici Hymni, manifeste Cantica sunt, quia altiori voce per notulas diversificantur. Si igitur in dictis verbis Apostoli, per Hymnos, Lectiones & Capitula atque Orationes, & per Cantica, Antiphonas, & Responsoria, & Laudes Dei metricas, quas vulgariter Hymnos appellamus, intelligere volumus, omnia divinarum laudum officia habebimus. Sequendo igitur præceptum Apostoli, primo de psallendis, secundo de legendis, & tertio de cantandis videamus. De Psalmis autem, quia principaliores sunt, aliqua quæ in psalterij expositionibus reperiuntur, præmittamus, ad exhortandum devotos, vt sic continue in Psalmis se exerceant. Et primo de illorum frequentatione probatur propositio antedicta. Cassianus libro secundo de institutis cœnobiorum per plura capitula tradit, quod

antiqui Patres Orientales per Psalmos principaliter Officium divinum celebrabant: quia in congregatione viventes, quotidie bina vice conveniebant, scilicet de nocte & hora vespertina, & certum numerum Psalmorum persolvebant. Aliqua Monasteria plures, & aliqua Monasteria pauciores, donec cœlitus, Angeli magisterio, numerus declararetur, vt infra Propositione 10. dicetur. Ad Tertiam autem, Sextam, & Nonam, in eorum cellis certum numerum Psalmorum similiter persolvebant: Et cuilibet Psalmorum, orationem jungentes, in vigiliis noctis & vespertina synaxi, lectiones de veteri & novo Testamento adjungebant. Damasus Papa, secundum Sigebertum & omnes scriptores Chronicarum, instituit Psalmos in Ecclesia nocte diéque cantari, & rogatu B. Hieronymi in fine Psalmi dici, *Gloria Patri*. Vt autem Chori in duas partes divisi, ipsos Psalmos alternatim decantarent, jam tempore Constantij Imperatoris in Ecclesia Antiochena instituerunt primi Flavianus & Diodorus viri probatæ vitæ & doctrinæ. Quod inde ad terminos totius orbis vsque pervenit. Hæc Sigibertus. Beatæ recordationis Ambrosius in officio suo, quod Mediolanen. servant, primam partem Psalterij quindenatim, secundam vero partem, septimanatim persolvi instituit. Sancti vero Patres, Hieronymus ad mandatum S. Damasi Papæ prædict., & B. Benedictus Psalterium taliter diviserunt, vt qualibet septimana, ex integro in officio divino psalleretur. B. vero Augustinus in lib. Admonitionum, qui regula secunda dicitur, capitulo 6. Psalmos secundum tempus anni sub certo numero tradit decantandos, quamvis ille modus nunc non sit in vsu. Leo Papa, Hormisda, & plures alij sancti viri in studio & frequentatione Psalmorum leguntur floruisse. B. Hieronymus plures sacratas virgines, & alias personas ad Psalmorum lectiones in suis epistolis exhortatur. Vnde scribit ad Rusticum Monachum, & est epistola 75. & ponitur de consecratione, distinct. 5. Nunquam de manu tua aut oculis tuis liber Psalterij discedat. Discatur ad verbum Oratio sine intermissione: Vigilet sensus, nec vagis cogitationibus patens sit. Corpus & animus tendat ad Dominum. Iram vince patientia. Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis. B. Augustinus Psalmos à vobis frequentari voluit, cum dicit in Regula: Psalmis & Hymnis cum oratis Deum, id versetur in corde, quod profertur in voce: Et inter cætera opera sua, Volumen quod super Psalterium scripsit, quantitate & dulcedine præcellit. Vnde de eo cantatur in Hymno: Et propinas potum vitæ de Psalmorum nectare. Et in Antiphona: Flebat igitur vberrime in Psalmis & Hymnis, & Canticis. Et in fine libri de vita Christiana, quem videtur scripsisse sorori suæ, inquit: Ante omnia inaccessibiliter Domini tui meditare mandata, orationibus & Psalmis instanter incumbe, vt si possibile est, nemo te aliquando non legentem inveniat aut orantem. Et cum fueris talis, nostri memento, qui te tantum diligimus, vt quod tibi præsentes præstare non possumus, conferamus absentes. Et in vita sua legitur, quod in lecto suæ ægritudinis, septem Psalmos Pœnitentiales in pariete fecit, quos jugiter legebat, & vbertim flebat. Græci autem ex Institutione B. Basilij Magni, in divino officio multum continuant Psalmodiam, vt Romæ audivi. In Pragensi Ecclesia Metropolitana Bohemiæ, agitur jugis & continua laus Dei die noctúque per psalmodiam, horis videlicet & temporibus, quibus alia divina non celebrantur. Et felicis memoriæ Carolus IV. Ecclesiasticus Imperator, ad hujusmodi continuam laudem agendam, aliud quam Psalterium congruentius non invenit. Psalterium enim, vt scribunt expositores, in Ecclesia Dei plus frequentari debet, ex eo, quia est consummatio totius Theologiæ. In eo enim describuntur præmia bonorum, & supplicia malorum, rudimenta incipientium, progressus proficientium, perfectus pervenientium, vita activorum & speculatio contemplatorum, vt dicit Cassiodorus in prooemio. Item frequentius legitur propter spem veniæ, vt nullus quantumcunque peccator desperet, cum audit peccatorem tantum, scilicet David, tanta gratia sublimatum: sicut ex Saüli conversione & promotione, de Dei misericordia plene certificamur. Vnde & epistolæ ejus frequentius in Ecclesia leguntur. Item, quia David apertius & perfectius loquitur de Christo, quã alij Prophetæ, ita, quod magis videtur evangelizare, quam prophetare. Item, quia nulla scriptura alia habet tot orationes immixtas, & tot salutares affectus, pro quibus assequendis fiunt orationes. Propter rationes igitur prædictas, juste in orationibus Psalmi inveniuntur, & in frequentiori vsu Ecclesiæ habentur. Hinc est quod omnes viri Ecclesiastici, & præcipue religiosi, ad hunc librum per diligens studium merito debent se transferre, vt ea quæ tenentur quotidie orare & psallere, discant intelligere, & sic intelligendo gustent interiori gustu dulcedinem ipsius Sapientiæ, salutaris scilicet libri divinæ laudis. Nam secundum B. Augustinum: Si Sacerdos Psalterium ignorat, nomen Sacerdotis vix in eo constabit, 28. dist. Quæ ipsis Sacerdotibus. Et præter vtilitates supra positas, etiam ex hoc, distractiones per varias cogitationes plurium phantasmatum, diaboli instinctu & suggestione incidentes, ac ipsos orantes & psallentes periculosè impedientes, facilius evitantur, tædium psallendi & orandi melius tollitur; Interesse divino officio quilibet eo amplius delectatur, fructu orationum suarum non privatur, meritum suum augetur, tota cœli curia lætificatur & jocundatur. Notandum vero, quod Ambrosiani vtuntur speciali translatione Psalterij: Romani autem habent translationem B. Hieronymi, quæ Romana appellatur, ex qua officium Ecclesiæ est sumptum. Aliæ nationes vtuntur translatione Hieronymi, quæ dicitur Gallicana, quam nos habemus. Et hanc apud paucos bene correctam & distinctam invenietis, nisi in antiquis Psalteriis & apud Carthusienses.

Vide in Sigbert.

Translatio varia psalterij.

PROPOSITIO IX.

Psalmi vltra alias sacras scripturas affluenter laudationes divinas & omnem affectum continent salutarem.

SIcut olim manna habuit omne delectamentum, & omnem saporem suavitatis: ita nunc Psalmi habent effectum omnium orationum, & sensum cujuslibet intentionis. In choro canentium, sunt verba Deum laudantium: in ore justi, verba gratias agentis: in ore peccatoris, verba veniam deprecantis. Pro defunctis, verba animæ de supplicio ad Deum clamantis, & quocunque se intentio canentis converterit, illuc se sensus Psalmorum canentis conformabit. Cum maledicente maledicit membra diaboli, vt ibi: Maledicti qui declinant à mandatis tuis. Cum benedicente, benedicit membra Christi, vt ibi: Benedicti vos à Domino, qui fecit cœlum & terram. Dum cogitas Psalmos, Christus in mente tua est: Dũ ore Psalmos decantas, Christus in ore tuo est: Dum meditaris Psalmus, hunc ex meditatione fructũ capies, ut in ipsis tibi vtrumque occurrat Testamentum. Psalmorum devotio præsentiam Christi conciliat, Angelorum congratulationem generat, ignotos mentis affectus suscitat, mala purgat, dæmones fugat gladio spiritus, quod est verbum Dei, quia devotionem psallentium sustinere non possunt. Psalmorum radices non in terra, sed in cœlo fixæ sunt: quia ibi est Christus, qui omnium Psalmorum materia est & intentio. Ibi est conversatio Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, quæ et à prima sui Psalmorum partem continet. Devotionem psallendi docet Apostolus, cum dicit 1. ad Corint. 14. cap. Orabo spiritu, orabo & mente: psallam spiritu, psallam & mente. Devotioni psallentium, congratulationem

Psal. 118

Psal. 133

angelicam adesse docet Psalmista, qui ait: In conspectu Angelorum psallam tibi. [Ps. 139.] Quod psallentibus admisceri soleant sancti Angeli, idem Psalmista manifestat, [Psal. 67.] vbi ait: Præuenerunt Principes, id est, Angeli, coniuncti psallentibus. Vnde cauendum est, ne propter nostram desidiam Angeli recedant. Si enim boni spiritus se à nobis elongauerint, impetum malorum quis sustinebit? Cauendum est etiam, ne maledictionem [Hier. 17.] incurramus Prophetæ, dicentis: Maledictus omnis qui opus Dei facit negligenter. Dignum quippe est, vt mens nostra concordet cum voce, quando ad diuinum opus assistimus: & cum diligentia à præsentibus vniuersis quisque se retrahat, & diuinis inhæreat, vt cœlestia ei dona reuelentur. Nihil enim est in hac vita mortali, in quo possumus familiarius Deo inhærere, quam in laude diuina. Psalmorum deuotio, Spiritui sancto mentem præparat, & omnium gratiarum dona meretur. Vnde ait Augustinus de laude & cantu psalmorum, & secundum alios Gregorius: Prophetiæ spiritus non semper Prophetarum mentibus præsto est: quatenus cum hunc habent, tunc se cognoscant ex dono habuisse, cum haberent. Vnde propheta Helisæus cum de futuris requisitus, Prophetiæ spiritum deesse cognouit, Psalten fecit sibi applicari, vt Prophetiæ spiritus per laudem psalmodiæ descenderet, [4 Reg. 3.] atque eius animum de futuris repleret. Cum enim intente agitur vox psalmodiæ, per hanc omnipotenti Deo ad cor iter paratur: vt intentæ menti, vel prophetiæ mysteria, vel compunctionis gratiam infundat. Vnde [Psal. 49.] scriptum est, Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo ostendam illi salutare Dei. In sacrificio igitur diuinæ laudis, ostenditur iter ad Iesum: quia dum per psalmodiam compunctio infunditur, via nobis in corde fit, per quam ad Iesum in fine peruenitur. Nullus itaque mortalium potest mente aut verbis virtutes Psalmorum explicare. Si intente consideres, in Psalmis inuenies Dominici verbi incarnationem, Passionem, Resurrectionem, Ascensionem, integram confessionem peccatorum, integram deprecationem Misericordiæ diuinæ, omniumque rerum, quæ tibi accidunt, dignam gratiarum actionem. In primis confiteris miseriam atque infirmitatem tuam, & per idipsum inuitas Dei misericordiam. Si à Deo merueris, vt tibi reuelet secreta Psalmorum, omnes in eis inuenies virtutes. Si vis pœnitentiam agere, & peccatorum confessionem, non celeritate verborum, sed intenta mente decanta septenos David pœnitentiæ Psalmos, & celerrimam experieris Dei clementiam tuam mentem spirituali gaudio illuminare, & magnam tibi spei indulgentiam promittere. Si vis orare, laxa mentem tuam in virtute Psalmorum, quorum initium est [Psal. 24. 30. 85. Psal. 69. 53. 66. Psal. 16.] Ad te leuaui, In te Domine speraui, Inclina Domine, Deus in adiutorium, Deus in nomine tuo, Deus misereatur nostri, Exaudi Domine iustitiam. Et nullatenus humanus sensus potest tam perfecte miseriam ac tribulationem tuam, angustiasque tentationum explicare, & Dei misericordiam implorare. Si vis Maiestatem Dei laudare, omniumque beneficiorum gratias agere, [Ps. 104. 105. 106. Ps. 102. 103.] decanta Psalmos, quorum titulus est, Alleluia, aut etiam, Benedic anima mea Dominum: & sacrificium dulce super mel & fauum offers omnipotenti. Si humanis vel spiritualibus tentationibus affligeris, vt a Deo videaris derelictus (plerumque enim sanctos suos vt probentur, ad tempus derelinquit) intima mente decanta Psalmos, Deus Deus meus respice in me, Exaudi Deus orationem meam cum deprecor, Saluum me [Psal. 21. Psal. 63. Psal. 68.] fac Deus quoniam intrauerunt: & clemens Deus statim pondus tentationis tibi alleuiabit. Si præsens vita est tibi fastidiosa, & ardenti desiderio ad videndum Deum omnipotentem & supernam patriam attendis, hos Psalmos [Ps. 83. 62.] decantas, Quemadmodum. Quam dilecta, Deus Deus meus ad te, & cæteros & complebit desiderium tuum. Si in tribulationibus derelictum à Deo te intelligas, compunctus corde hos Psalmos decanta, Vsque quo Domine: Deus auribus nostris: Miserere mei Deus, mi- [Psal. 12. Psal. 43. Psal. 56.] serere mei, quoniam in te confidit: Exaudi Deus orationem meam, & ne despexeris: In te Domine speraui: & statim visitabit angustias tuas propitius. Accepta autem quiete & prosperitatis tempore, hos psalmos [Psal. 54. Psal. 30.] decanta in laudem Dei, Benedicam Dominum: Benedic anima mea, primum: Exaltabo te Domine [Psal. 33. Psal. 102. Psal. 144. Dan. 3.] Deus meus Rex. Et semper siue prosperitatis siue aduersitatis tempore, hymnum trium puerorum psalle. Nullus mortalium huius hymni virtutem explicare potest, in quo omnis creatura ad laudandum Creatorem inuitatur. Si in diuinis laudibus, & mandatis cœlestibus exerceri cupis, Psalmum, Beati immaculati, frequenta: [Ps. 118.] Et licet vsque in finem vitæ, huius hymni virtutem scruteris, illum intelligere perfecte non poteris: In quo nullus est versus, in quo non legitur vel Via, vel Lex, vel Mandatum, seu Verba, vel Iustificationes, vel Sermones, aut Iudicia Domini descripta: Et ideo non est opus, vt per diuersos libros animo diffundaris. In psalterio enim solo vsque ad obitum, habes materiam legendi, docendi, scrutandi. In quo inuenies Prophetas, Euangelia, Apostolos, omnesque diuinos libros spiritualiter atque intelligibiliter ex parte tractatos atque descriptos. Item de laudibus Psalmorum, & eorum salutaribus effectibus dicit B. Augustinus, prout in pluribus Psalterij expositionibus annotatur: canticum psalmorum, animam decorat, inuitat Angelos in adiutorium, effugat dæmones, expellit tenebras, efficit sanitatem, omni peccatori refectio mentis est, delet peccata, simile est eleemosynis, sanctorum auget fidem, sicut sol illuminat, sicut aqua sancta ficat, sicut ignis peccatum exurit, sicut oleum defluit, oleum est misericordiæ, sol † iustitiæ, pars Angelorum electa, Deum ostendit, [† lætitiæ] diabolum offendit, voluntatem illicitam extinguit, asperitatem eiicit, omnem furorem deprimit, iracundiam frangit, laus Dei est assidua, simile est melli. Canticum Psalmorum carmen est electum apud Deum, omne peccatum expellit, vinculum charitatis nectit, omnia penetrat, omnia suffert, omnia implet, omnia docet. Cor lætificat, sensus aperit, animam impinguat, & totum hominem clarificat, omne malum occidit, perfectionem instruit, excelsa demonstrat, desiderium regni cœlestis donat; pacem inter corpus & animam facit, ignem spiritualem in corde accendit, contra omnia vitia solicitudo est, certamen bonum quotidie est, radices omnium malorum extirpat. Sicut lorica induit, sicut galea defendit, spes est salutis, consolatio doloris, protectio laboris, notitia veri luminis, fons sanctitatis, omnem iuuenem castigat, regnum cœlorum super terram dat, tædium animæ tollit, tuba est mirabilis. Qui diligit Canticum Psalmorum assidue, non potest amare peccatum. Qui habet laudem Dei in corde suo, postremo apud Deum gaudebit, & animam suam in cœlo viuificabit in secula seculorum, Amen. Nedum propositiones duas iam præmissas; sed & omnes alias præcedentes ponere delectabat principaliter propter propositionem iam sequentem.

PROPOSITIO X.

Omni Dominicá octodecim, Festiuitatibus nouem Psalmi, & quoties tres lectiones & tria Responsoria dicuntur, salua hebdomada Paschæ & Pentecostes, duodecim Psalmi ad nocturnas vigilias psalluntur: Cæteris horis secunda pars psalterij deputatur.

SVmite Psalmum, & date tympanum, Psalterium iocundum cum cithara, & laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus. [Psal. 80. Ps. 146. ibid.] Et vt Deo nostro iocunda decoraque in psalmis sit laudatio, dictam propositionem, pro qua principaliter aliæ præcedentes sunt

A

Psalterij duæ partes.

præmissæ, efficaciter comprobemus. Pro qua sciendum, quod Psalterium duas habet partes; primam vsque, *Dixit Dominus*, pro officio nocturnali: secundam, ab inde pro officio diei. Primam partem Ambrosius divisit in decem nocturnos, nullo Psalmo prætermisso, quos vulgus sui loci, digurias appellat. In prima diguria sunt sedecim Psalmi, in secunda quatuordecim, in septem sequentibus, decem & decem: in vltima, octo Psalmi consistunt. Istæ decem diguriæ in officio Ambrosiano frequentantur per totum annum de quindena, ad quindenam: scilicet vna hebdomada, Feria secunda, tertia, quarta, quinta, sexta, quinque primæ: & altera hebdomada, eisdem ferijs, aliæ quinque. Sabbato autem & Dominica Ambrosianum habet certa cantica. Et dictæ Diguriæ dicuntur etiam in festis quibuscunque exceptis tribus vel quatuor festis Domini, & excepta hebdomada ante Nativitatem Domini, & ante pascha, & post pascha. Secundam vero partem psalterij pro horis diurnis prima, tertia, sexta, nona, vesperis, & completorio Ambrosianum habet divisam, sicut habetur in Officio Romano. Vnde credendum est, quod Hieronymus in illa parte Ambrosium sit secutus. Venerabiles vero Patres, Hieronymus & Benedictus, ex sanctorum Patrum obseruatione considerantes totum psalterium ex integro, qualibet hebdomada persolui debere, aliter psalterium distinxerunt. Nam pro aliquibus horis diurnis, certis psalmis reseruatis, residuos omnes in septem nocturnos distribuerunt, videlicet Hieronymus pro Dominica octodecim, & Benedictus duodecim: Ambo vero pro qualibet feriarum similiter duodecim psalmos deputantes. Festivitates autem beatus Benedictus in numero psalmorum Dominicis adæquauit, vt cap. 33. Hieronymus vero illas respectu Dominicæ mediauit: quia illis tantum nouem Psalmos dedit, & si tres psalmi addantur, qui more Romano in festivitatem vigilijs de festo persoluuntur, vt dicam infra Propositione vigesimaprima. Similiter in festivitatibus ad noctem psalmi duodecim habebuntur. In secunda autem parte psalterij distribuenda, Benedictus discrepat ab Ambrosiano & Hieronymo. Eius autem

C

divisio ex sua Regula sciri potest. Vtriusque autem divisione licet aliâ & aliâ, totum psalterium qualibet septimana, nisi festivitas occurrat, est complendum. Vnde beatus Benedictus tandem capite trigesimotertio sic concludit: Hoc præcipue commonentes, vt si cui forte hæc distributio psalmorum displicuerit, ordinet, si melius aliter iudicauerit, dum omnimodis attendatur, vt omni hebdomada psalterium ex integro numero centum quinquaginta psalmorum, psallatur, & Dominico die semper à capite repetatur ad Vigilias, quia nimis iners deuotionis suæ seruitium ostendunt Monachi, qui minùs psalterio cum canticis consuetudinarijs per septimanæ circulum psallunt, cum legamus sanctos Patres nostros vno die strenue impleuisse, quod nos tepidi vtinam septimana integra persoluamus. Hæc ille. Quare autem beatus Benedictus omni nocte duodecim psalmos tam de tempore, quam de sanctis, beatus vero Hieronymus priori nocturno Dominicali & cæteris ferialibus noctibus similiter duodecim psalmos deputauerunt, non humana, sed divina exstitit adinuentio. Vnde Cassianus lib. 2. de institutis cœnobiorum cap. 4. Igitur per universam Ægyptum & Thebaidem, duodenarios psalmorum numerus, tam in vespertinis, quam in nocturnis solennitatibus custoditur, ita * vt post hunc duæ lectiones, veteris scilicet ac noui Testamenti, singulæ subsequantur. Qui modus antiquitus constitutus, idcirco per tot sæcula penes cuncta illarum provinciarum monasteria intemeratus nunc vsq; perdurat; quia non humana adinuentione statutus à senioribus affirmatur, sed cœlitus Angeli * ministerio Patribus fuisse delatus. Et cap. 5. sic ait: Cumque pro suo vnusquisque feruore, infirmitatis immemor alienæ, id statui debere censeret, quod contemplatione fidei ac roboris sui facillimum indicabat, parum discutiens quid generaliter plenitudini fratrum possibile esset, in qua necesse est infirmorum quoque partem maximam reperiri, diversoque modo enormem Psalmorum numerum instituere pro animi sui virtute certarent, at alij quinquagenos psalmos, alij sexagenos, nonnulli vero, nec hoc quidem numero contenti, excedi eum debere censerent, essetque inter eos pro Religionis Regula, piæ contentionis sancta diversitas, ita vt tempus Solennitatis vespertinæ, sacratissimæ succederet quæstioni, quotidianos orationum ritus volentibus celebrare, vnus in medium psalmos Domino cantaturus exurgit. Cumque sedentibus cunctis; vt moris nunc vsque in Ægypti partibus, & in psallentis verba omni cordis intentione defixis, vndecim psalmos, orationum interiectione distinctos, contiguis versibus parili pronunciatione cantasset, duodecimum sub Alleluia responsione consummans, ab universorum oculis repente subtractus, quæstioni pariter & cæremonijs finem imposuit. Ex hinc venerabilis Patrum Senatus, intelligens Angeli magisterio congregationibus fratrum, generalem Canonem non sine dispensatione divina constitutum, decreuit hunc numerum tam in Vespertinis, quam in Nocturnis conventiculis custodiri. Hæc ille. Sed in dicto psalmorum numero, & in psalmis ad Vigilias noctis decantandis in communibus * ferijs quotidianis hodie multi, maxime sæculares Regulam sanctæ Romanæ Ecclesiæ & sanctorum Patrum constitutiones seruare contemnunt. Et ne super hoc, ignorantia à quoquam valeat allegari, in decretis Iuristarum, de consecratione distinctione quinta, capit. In die, huiusque positus est, & scriptus sacratissimus Canon magni viri Gregorij Papæ VII. editus in sacra Synodo generali. Qui etiam Canon ne in Ordine vestro contemnatur, positus est de verbo ad verbum in Epistola Magalonensis Episcopi superius allegatâ. Et illum omnes super Officio Divino scribentes, in eorum operibus consueuerunt ponere, & vt dictus numerus seruetur, sæpius allegare. Est autem talis tenoris: In die Resurrectionis vsque ad sabbatum in Albis, & in die Pentecostes vsque ad sabbatum eiusdem hebdomadæ, tres psalmos tantum ad noctem, tresque lectiones antiquo more & cantamus & legimus. Omnibus alijs diebus per totum annum si Festivitas est, novem psalmos & novem lectiones dicimus. Alijs autem diebus, duodecim Psalmos & tres lectiones recitamus. In diebus Dominicis, octodecim Psalmos, excepto die Paschæ & Pentecostes, & novem lectiones celebramus. Illi autem, qui quotidianis diebus, tres psalmos & tres lectiones tantum videntur legere, non ex Regula sanctorum Patrum, sed ex fastidio & negligentiâ comprobantur facere. Romani autem diverso modo agere cœperunt, maxime à tempore quo Teutonicis concessum est Regimen Romanæ Ecclesiæ. Nos autem & Ordinem Romanum investigantes, & antiquum morem nostræ Ecclesiæ, statuimus fieri, sicut supra notauimus, antiquos Patres imitantes. Hæc ibi. Ponite hæc verba in cordibus & in animis vestris, & suspendite ea pro signo in manibus, & inter vestros oculos collocate, & docete filios vestros, vt illa meditentur. Quia hic est aptus modus vivendi ad ambulandum in via Dei, in qua alius sic ire contendit, & pauci recte, maxime sæculares, & religiosi plores. Omni igitur Dominica per totum annum, quando non tenetur Festivitas, dicendi sunt octodecim psalmi, etiam in tempore paschali, præter diem Paschæ & Pentecostes, & similiter etiam in Dominicis infra Octauas maiores, vt Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Assumptionis & Nativitatis Mariæ, Petri & Pauli. Item in omnibus diebus trium lectionum, sive de Tempore sive de sanctis agant, & per Octauas maiores, & etiam tempore paschali præter dictas duas hebdomadas, ac Vigilias noctis soluendus est nocturnus duodecim psalmorum sertalis. Et hoc seruant Mona-

Quid sit Diguria.

B

D

al. * duntaxat, vt post hæc duæ.

al. * magisterio.

E

F

G

H

al. * feria

Deut. 11.

steria

steria Ordinis vestri in Italia & in partibus superioribus Occidentis, & vbique prout Guillielmus in suo Rationali Divinorum, vbi loquitur de septem diebus paschalibus. Item & idem servat sæculares Ecclesiæ per Alemanniam, Religiosi plures, vt Domini de domo Teutonicorum. Carmelitæ satis * probe servant. Et præterea secundum distributionem beati Benedicti, idem servant Cartusienses, Cistercienses, & cæteræ Religiones Monachales. Immo obediendo dicto sacro Canoni, & servando beati Benedicti Regulam in psalterio hebdomadatim persolnendo, inter Canonicos & Monachos differentia aliqua non existit. Nam vbi Monachos dicit Nocturnum secundum suam divisionem, Canonicus in simili die Nocturnum dicere tenetur, secundum Romanam divisionem. Et cum Monachi à sua Regola adhuc non declinauerint, tamen Canonici quamplores in diversis Nationibus à dicto Canone diversimode declinarunt. Primo autem plures Nationes per totum tempus paschale, tres tantum psalmos, & tres lectiones dicere contendunt, & dicunt, allegantes quod Alcuinus Magister Caroli & Ludouici filij eius, rogatu Bonifacij Archiepiscopi Moguntini, approbante Concilio Moguntino, illud instituisset. Sed hoc reprobat Guilhelmus in loco supradicto, & dicit oppositum concludi in Ascensione Domini, vbi sunt novem Responsoria, & Psalmi, cum eorum Antiphonis. Sed hæc institutio Apostolicæ auctoritati præiudicare nec debet, nec potest, præsertim cum evidenter statutis sanctorum Patrum videatur repognare. Nam constitutiones contra canones & decreta præsulum Romanorum, vel bonos mores, nullius sunt momenti, 10. dist. Constitutiones. Indubitanter ergo refutare debemus, quicquid tam evidenter Apostolicæ auctoritati videmus contraire, vnde totius Christianæ religionis & ordinis exordium & formam recepimus: cum & securius obseruetur quod provida antiquitas & auctoritas instituit, quam inconsiderata novitas & infirmitas adinvenit. Sunt & alij sæculares, qui extra tempus paschale, de sanctis trium lectionum, nunquam nocturnum persoluunt, sed novem psalmos de ipsis sanctis dicere volunt, & dicunt. Sed quod hi psalmi illo casu dici possint, nec auctoritate, nec ratione probatur. Et quod non est sanctorum Patrum decreto sancitum, superstitiosis non est adinventionibus præsumendum, de translatione, Inter corporalia. Imo secundum præmissa, omnino est reprobandum. Nec loca vestra de privilegio nuper obtento se defendere debent. Nam sicut iuramentum non est vinculum iniquitatis, nec debet nutrire peccatum: ita nec privilegium. De privilegio cap. Ex tuarum. Et si Canonici seculares, quibus durus est hic sermo, abierunt retro, & cum dicto Canone amplius nolunt ambulare; numquid & vos vultis abire? Certissime vos qui inter Religiosos & Ecclesiasticos viros in canonica degitis vita, debetis cum monachis, qui non declinauerunt, remanere. Nam dicit Nicolaus Papa, quod Religiosi Canonici à sanctorum monachorum consortio non sunt seiuncti, 20. quæst. 3. cap. Præsens clericus, prope finem. Licet irregulares Canonici regulæ inseruiant laxiori. De sta. mon. quod Dei. Suscipite igitur suave iugum Domini, quod à sancta sede Romana vobis imponitur, licet importabile videatur. Vnde scribitur 19. distinct. In memoriam beati Petri Apostoli, honoremus sanctam Romanam Ecclesiam & Apostolicam sedem, vt quæ nobis sacerdotalis mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ magistra rationis. Quare servanda est cum omni mansuetudine humilitas. Et licet ferendum ab illa sancta sede imponatur iugum, illud tamen feramus, & pia devotione toleremus. Imo vt dicit Bernardus libro de præcepto & dispensatione: Perfecta obedientia legem nescit, termino non arctatur, neque contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in latitudine charitatis: & ad omne quod iniongitur, spontanea, vigore liberalis alacrisque animi modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur. Et cum propter dicti canonis obligationem, in Dominicis paschalibus supra dictis, & infra Octauas maiores occurrentibus psalmi Dominicales sint persoluendi, tamen ad primam propter temporis incunditatem Dominicales quinque recitentur. Et similiter cum tempore paschali in feriis, & in diebus sanctorum trium lectionum, dicitur Nocturnus ferialis, ad laudes tamen psalmi consueti leguntur. In numero autem psalmorum ad primam, tertiam, sextam, vesperas, & completam, concordant satis nationes: Saluo, quod aliqui in prima Dominicali extra tempus paschale, ex quadam desidia omittunt dictos quinque psalmos, post ipsos octodecim subsequentes. Psalmus autem *Confitemini*, more Ambrosiano, omni Dominica, etiamsi festivitas agatur, & in hebdomada paschali, est addendus. Psalmi quoque vespertini quotidie ad psalterij complementum continuari debent: Saluo, quod de Nativitate Domini, de Apostolis, de sancto Stephano in Antiphonario Romano Psalmi cum Antiphonis proprijs habentur. Et quando Dominicales in hebdomada Paschæ & Pentecostes, & in die Ascensionis persoluuntur. In festivitatibus quoque ad secundas vesperas fratrum Minorum vsus ponit psalmos Dominicales, vltimo secundum festivitatem mutato, Galli vero in maioribus Festivitatibus, per psalmos *Laudate* solennizant: sed Alemanni, vbi possunt, se tenent ad feriales. Nunc de psalmorum antiphonis aliquid in genere addatur. Sciendum quod tres horæ principales, scilicet Vigiliæ noctis, & Laudes, & Vesperæ, magis solenniter sunt decantandæ: quinque vero paruæ horæ, humiliter sunt faciendæ. Inde est quod secundum Ordinem Romanum, in psalmis in dictis horis quoties laus sanctæ Trinitatis, *Gloria patri* cantatur, semper sequi debet antiphona. Antiphonæ enim pertinent ad psalmos decantandos. Et ita beatus Gregorius ad singulos psalmos dictarum horarum antiphonas ordinavit. Sed aliqui aliquando in laudibus, aliquando in vesperis hunc decorem peruertunt, de quo posterius dicetur. Dictæ vero quinque horæ minores seruari debent sub vna psalmorum antiphona. Imo in Ambrosiano officio non habent antiphonas. Et Benedictus, in minoribus congregationibus concedit in illis psalmos dici directaneè sine antiphona. Et debent antiphonæ imponi ante inchoationem psalmorum. Et hoc obseruetur, etiam si quis priuatim dicat horas, vt servant Romani & Ambrosiani. Cantantur autem psalmi Ambrosiano & Romano more in fine versuum per tonos: In medio vero Ambrosianum psalmos in omni tono psallit plane. Romanum autem officium habet diversas mediationes. In quibus sunt diversi mores secundum diversas Ecclesias & nationes: tamen Romæ in antiquis libris vidi mediationes satis nostro vsui concordantes.

PROPOSITIO XI.

Nec ad vigilias noctis, nec aliàs in officio divino legatur, nisi sacra scriptura, & alia scriptura ab universali Ecclesia approbata.

DE auctoritate sanctæ scripturæ dicit Augustinus de vnico Baptismo, libro secondo, & ponitur nona distinctione: Quis nesciat sanctam scripturam canonicam tam veteris quam novi Testamenti certis terminis contineri, eamque posterioribus omnium Episcoporum literis ita proponi, vt de illa omnino dubitari ac disceptari non possit, vtrum verum, vel vtrum rectum sit, quicquid in ea constiterit? Qualiter autem sacra scriptura per anni circulum sit legenda, tradit

beatus

*proprie

Ioan. 6.

beatus Gelasius Papa 15. dist. c. Sancta Romana, dicens: Quod Pentateuchus ponendus est in Septuagesima usque ad decimumquintum diem ante Pascha, à quo usque in cœnam Domini ponitur Hieremias. In triduo ante pascha tres primæ lectiones de Lamentationibus Hieremiæ: tres mediæ de tractatu sancti Augustini in psalmum 57. Exaudi Deus deprecationem. Tres ultimæ de Apostolo Paulo; vide eas ibi annotatas. In pascha, & infra hebdomadam, Homiliæ pertinentes; In octaua Paschæ, Apocalypsis, Actus Apostolorum, & Epistolæ Canonicæ, usque ad octauam Pentecostes. Et abinde usque ad Calendis Augusti, ponuntur libri Regum & Paralipomenon. In mense Augusto, Salomon: In Septembri, Iob, Tobias, Hester, Esdras: In Octobri, libri Machabæorum: In Nouembri, Ezechiel, Daniel, & minores Prophetæ: In Aduentu, Esaias, usque in Natiuitatem Domini. In Natali & Epiphania Domini, tres primæ lectiones de Esaia: deinde sermones vel Homiliæ ad ipsum diem pertinentes. In Natali sanctorum Stephani, Ioannis, Innocentum, & Syluestri, Homiliæ de ipsorum die. In Dominica post Natiuitatem Domini, usque in Septuagesimam, ponuntur Epistolæ Pauli. Et beatus Benedictus cap. 18. dicit: Codices legantur in Vigilijs tam veteris quam novi Testamenti diuinæ auctoritatis; sed & Expositiones earum, quæ a nominatissimis doctoribus Orthodoxis Catholicis Patribus factæ sunt. Ex usu beati Bernardi cap. 41. Quando tenouatur Historia, Liber ille, qui tunc inchoatur, cum sua præfatione incipiendus est in Ecclesia, & legendus in Refectorio. Item eodem capitulo; Cum libri Machabæorum perfecti fuerint, legimus quatuor libros Evangeliorum in Refectorio tantum usque ad Pascha, & dimissis Passionibus, quod reliquum est, finiatur. Hæc ibi. Sic itaque in primis Deo offerendis tota scriptura partim ad Vigilias nocturnas, partim ad Refectorium persoluatur. Præterea in dicto capitulo, Sancta Romana, beatus Gelasius tradit hæc opuscula, in Ecclesia Catholica recipienda, ex quibus in diuino officio legi potest, scilicet B. Cypriani Martyris Carthaginensis Episcopi, beati Ioannis Chrysostomi, beati Hilarij, beati Ambrosij, beati Augustini, beati Hieronymi, beati Isidori, beati Leonis Papæ. Item Opuscula atque Tractatus omnium Patrum Orthodoxorum, qui in nullo à sanctæ Romanæ Ecclesiæ deuiauerunt consortio, nec ab eius fidei prædicatione, sed usque ad finem, in illius communione, Dei gratiâ perstiterunt. Item Origenis nonnulla Opuscula, quæ vir beatus Hieronymus non repudiat. Præterea Vitas Patrum, Antonij, Hilarionis, Pauli, & omnium Eremitarum, quas tamen B. Hieronymus scripsit. Et Actus B. Syluestri, & scripta de inuentione S. Crucis Dominicæ. Apocrypha autem quæ in Diuino Officio, omnino repudiari debent, tradit in dicto cap. videlicet itinerarium B. Petri Apostoli, quod appellatur sancti Clementis. Actus, nomine Andreæ Philippi, Petri, & Thomæ Apostolorum, liber de infantia Saluatoris, de Natiuitate beatæ Mariæ, & de Transitu B. Mariæ. Istæ enim scripturæ legi non debent. Et B. Augustinus lib. 2. contra Faustum, cap. 2. legendam B. Thomæ Apostoli apochrypham dicit. Vide de hoc in Summa Lombardica de sancto Thoma. Venerabilem autem Bedam Anglorum Doctorem, nec Romani, nec Carthusienses legunt. Sed Gallici & Teutonici cum Anglicis, ex eius homilijs quinquaginta cum Commentis suis super Marcum & Lucam sæpius habent lectiones. Vitam B. Agnetis scripsit Ambrosius, & vitam B. Benedicti scripsit Gregorius: ideo illas duas Vitas duntaxat legunt Carthusienses Passiones & vitæ Sanctorum Andreæ Apostoli, Laurentij, & Sebastiani, Clementis, Ioannis & Pauli, Mauritij, Martini, & Nicolai, Ceciliæ, Agathæ, & Luciæ, æqualem auctoritatem cum cantu ipsorum habere videntur, cum eorum Cantus, quos Romani continent Antiphonarij, ex illorum vita & Passionibus sint recepti. Vitæ etiam eorundem Nicolai, & Martini, Augustini, Ambrosij approbatos auctores videntur habuisse. Passio vero beati Gregorij, tam a B. Gelasio, quam in Martyrologio, apocrypha reputatur. Et Passionem B. Margaretæ vidi Romæ apud Lateranum in dicto Canone B. Gelasij Apocryphis annumeratam. Passionem B. Vincentij, dicit Milleloquium à B. Augustino descriptam. Passio Matthæi Apostoli hæresim habet contra declarationem Benedicti XII. de visione faciali. Passio B. Barbaræ, qua vtuntur nostrates, omnino videtur apocrypha & contemnenda, quia multa habet incredibilia, vt quod fontem fecerit, & seipsam baptizauerit, & de ouibus in locustas (& secundum alios) in lapides conuersis, & de oratione sua in extremis. Non enim credi debet, quod Sancti in extremis tales præsumpsissent orationes, sicut quidam fabulantur de beata Catharina. Et de decem millibus Martyrum, qui fabulosè (dicam donec aliud videro) finguntur, omni genere Passionis Christi perpessi fuisse in monte Ararat prope Alexandriam, nec eorum Passio in aliquo Martyrologio authentico annotatur, nec ipsorum diem Romæ in aliquo Calendario antiquo potui reperire. Vnde dicit B. Cyprianus de lapsis, & ponitur quinquagesima distinctione. Si quis præpostera: Quod si sancti Martyres mandent aliqua fieri, quæ non sunt scripta in lege Domini, antè sciendum est: illos à Deo impetrasse quæ postulant, & tunc facere quæ mandant. Neque enim statim videri potest, diuina Maiestate concessum quod fuerit humana pollicitatione promissum. Nam Moyses Exodi 32. cap. pro peccatis populi petiit, nec tamen veniam, quam petiit, accepit. Similiter Passiones sanctorum Bartholomæi, Simonis & Iudæ, Petri & Pauli, Vitæque & Passiones aliorum sanctorum multorum, quas hinc inde sub quadam deuotione indiscretâ colligunt sacerdotes, periculose in officio diuino leguntur. Et apud vos, & in Ordine vestro simpliciter etiam in vna lectiuncula legi non debet, nisi de quo constiterit euidenter, quod ab Ecclesia fuerit approbatum. Nam vt dicit beatus Augustinus ad Hieronymum, & ponitur 9. dist. Si ad scripturas sanctas admissa fuerint vel officiosa mendacia, quid in eis remanebit auctoritatis? Quæ tandem de scripturis illis sententia proferetur: Cuius pondere contentiosæ falsitatis obteratur improbitas? quasi dicat, Nullius. Officiosa autem secundum Glossam dicuntur, quæ continent pietatem, quæ nulli obsunt, & alicui prosunt. Sicut inofficiosum dicitur testamentum, quod est contra officium pietatis. Et ideo sæpius miratus sum, quomodo* adeo reprobas seu incertas scripturas afficiunt: ex quo Ecclesia Catholica sufficientes habet pro salute nostra in officio perlegendas. Vt autem Legenda fiant honeste, & secundum ordinem, sequuntur verba memorati B. Gelasij Papæ, quæ ponitur in dicto Canone, Sancta Romana, vbi sic dicit: Gesta sanctorum Martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confessionum triumphis irradiant, quis ita esse Catholicorum dubitet, & maiora eos in agone fuisse perpessos, nec suis viribus, sed Dei gratia & adiutorio vniuersa tolerasse? Sed ideo secundum antiquam auctoritatem vel consuetudinem, singulari cautelâ, in sancta Romana Ecclesia non leguntur: quia & eorum qui scripserunt, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus, aut idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, scripta esse putantur, Sicut cuiusdam Cyrici & Iulittæ, sicut Georgij, aliorumque passiones huiusmodi, quæ ab hæreticis perhibentur conscriptæ: propter quæ (vt dictum est) ne vel leuis subsannandi oriretur occasio, in sancta Romana Ecclesia non leguntur. Nos tamen cum prædicta Ecclesia omnes Martyrea, eorumque gloriosos agones, qui Deo magis, quam hominibus noti sunt, cum omni deuotione veneramur. Hæc ibi. Et videtur notandum, quod idem beatus Papa, quamvis in vno loco dicti facti Canonis vitam B. Syluestri, Canonicis scripturis annumerauerit, sub his verbis:

Vide Baronium in notis ad Mart. Rom. 22. Iun.

* plures.

Item Actus B. Syluestri Apostolicæ Sedis Præsulis, licet eius, qui ſcripſit, nomen ignoremus: à multis tamen in Vrbe Romana Catholicis legi cognoſcimus, & pro antiquo vſu, multæ hoc imitantur Eccleſiæ: tamen in ſequenti parte dicit, In die ipſius B. Sylueſtri, Sermones vel homilias in Officio Diuino legendas eſſe: Per hoc innuens, vt legenda & cantanda in Eccleſia Dei vltra omnia debeant eſſe pura, clara, & facilia, abſque hæſitatione quacunque. Et addendum eſt præmiſſis, quod decorem lectionum, quem idem beatus Papa ſtatuit in Natali Domini & in Epiphania, vtpote, quod in primo Nocturno legatur de veteri Teſtamento, in ſecundo Sermones, in tertio Euangelij expoſitio, Romani extendunt ad Dominicas magis præcipuas, ſcilicet in Aduentu, & à Septuageſima vſque ad Paſcha. In octaua Paſchæ, in die Aſcenſionis, in quinque feſtis Petri & Pauli, in Natiuitate Mariæ, in tribus diebus poſt Natiuitatem Domini: vt in iis diebus in primo Nocturno legatur de veteri Teſtamento vel nouo, in ſecundo Sermones, in tertio Homilia Euangelij. Similem decorem faciunt de S. Laurentio Martyre magno Romano, vt in primo Nocturno de eius paſſione legatur, in ſecundo Sermo, in tertio Homilia. Et ad reuerentiam Dominicalis Feſtiuitatis obſeruãt, vt in ipſa Dominica Lectiones Reſponſoriis concordent vbi cadere poſſunt. Quamvis per hebdomadam. Biblia in alia parte continuetur: vt ſic Feſtiuitas Domini, ſicut feſtiuitas Sanctorũ, cõtinuationem Bibliæ interrumpat. Sciẽdum etiã quod Romani more fratrum Minorũ nõ legunt de Sanctis Romanis Lectiones chronicales, ſumptas ex põtificali Chronico Damaſi, & cæterorum: ſed eorum Eccleſiæ habẽt libros antiquos, ſermonibus, & homiliis multis, & ſanctorum paſſionibus plenos, prout videmus apud alias Nationes, libros Eccleſiaſticos conſtitutos, nec dictorum fratrum ſenſus eſt ordinatus ad Romanæ Eccleſiæ antiquas conſuetudines, vt infra dicetur Propoſitione XXII.

PROPOSITIO XII.

Similiter in eodem officio Cantus debet eſſe authenticus & approbatus.

VErbum Chriſti abundet in vobis abundanter, in omni ſapientia, docentes, & commonentes voſmetipſos in pſalmis, hymnis, & Canticis ſpiritualibus in gratia, cantantes in cordibus veſtris Domino, Ad Coloſſenſes 3. cap. Quamvis prius hæc tria, Pſalmi, Hymni, & Cantica differenter intellecta ſint: tamen hic hymnos & Cantica intelligamus ea, quæ voce ſonora in laudibus ſiunt diuinis. Et nunc ſpecialiter de iis cantandis in Eccleſia Dei ſiet ſermo. Pro quo ſciendũ quod ab initio, Diuinum officiũ omnimode conſtitutũ erat in ipſis pſalmis, abſque hoc quod aliqua cantarentur, ſed cuilibet Pſalmorũ Alleluia cum oratione adiungebatur. Et huiuſmodi orationes in antiquis Pſalteriis reperiuntur elegantes. Bina autem vice ſancti Patres conueniebant ad pſallendum: videlicet in nocte ad Vigilias, & hora lucernarij ad Veſperas. Perſolutis autem ſuo numero pſalmis, lectiones ex veteri & nouo Teſtamento addebantur, ſed in Sabbato, & Dominica tantum de nouo. Ad tertiam autem, ſextam, & nonam in eorum Cellis ſimiliter pſalmos, ſed pauciores, perſoluebant. Miſſæ autem in Eccleſia Dei primitus ſiebant cum lectionibus vtriuſque Teſtamenti & Euangelio, abſque Cantu. Ad quas Cæleſtinus Papa pſalmos, ſicut ad alia officia, decantari inſtituit. Legitur autem in hiſtoria Tripartita libro tertio, capitulo octauo, beatum virum Ignatium vidiſſe Angelos in cælo antiphonatim cantantes, & antiphonarum vſum in Eccleſia Antiochena inſtituiſſe, & exinde vſum antiphonarum ad Eccleſias cæteras tranſiiſſe. Vnde Iſidorus libro tertio Etymologiarum: Antiphona ex Græco interpretatur vox reciproca, duobus ſcilicet Choris alternatim pſallentibus, ordine commutato, ſiue de vno ad vnum. Quod genus pſallendi, Græci inueniſſe traduntur. Tamen ex hoc vniuerſaliter in Eccleſiam Dei cantus non fuit introductus: ſed poſtmodum tempore Theodoſij iunioris, ſicut in Vita beati Ambroſij legitur, in Eccleſia Mediolanenſi, Cantus & hymni cœperunt frequẽtari. Et tempore ſucceſſiuo à beato Ambroſio apud Latinos, & ad Miſſam, & ad alias horas diuinas, cantus publicus cum Hymnis metricis eſt introductus. Vnde in Chronicis legitur, quod Ambroſius ritum Antiphonarum in Eccleſia canendarum, primus à Græcis tranſtulit ad Latinos. Hic etiam poſt Hilarium, hymnos canendos, primus compoſuit. Officium enim Ambroſianum ad Nocturnos, & Matutinas, atque Veſperas, Laudes, necnon ad Miſſam, habet ſolennem, & fortem cantum omnino alium à Romano, quem hodierna die, ſonorã & forti voce ſeruant Clerici ciuitatis, & diœceſis Mediolanenſis. Et exinde apud Romanos B. Gregorius & Vitalianus Papæ cantum Romanum receperunt, qui per eos ſeu per alios ſub tenore & tono qui hodie cantatur, vbique extitit magis plane dulcoratus, & ordinatus. Romanus iſte Antiphonarius deinde in Franciam tempore Pipini per Stephanum Papam delatus fuit, vt dicit Vualafridus. Et tempore Caroli Magni in Alemannia publicatus. Vnde Sigibertus in Chronicis, Anno ſeptingẽteſimo ſeptuageſimo quarto, Carolus Rex offenſus diſſonantia Eccleſiaſtici cantus inter Romanos & Gallos, & iudicans iuſtius eſſe de puro fonte, quam de turbato riuo, bibere: duos clericos Romam miſit, vt authenticum cantum à Romanis diſcerent, & Gallos docerent. Et per hos primum Meten Eccleſia, & per illam omnis Gallia ad auctoritatem Romani cantus reuocata eſt. Idem Anno ſeptingenteſimo nonageſimo Carolus, honeſtati Eccleſiaſticæ omnino intentus, legẽdi & pſallendi diſciplinam diligenter correxit. Perpendens enim iterum Gallos à Romanis in cantando diſcrepare, Metenſis vero, ſola naturæ leuitate paululum quid diſſonare, per Cantores rurſũ ſibi ab Adriano Papa à Roma directos, diſſonantiam cantus correxit. Hæc ibi. Omnis autem Cantus Eccleſiaſticus conſiſtit in antiphonis, ſuper quas pſalmi pſalluntur, quæ à B. Ignatio initium habuerunt: aut in Reſponſoriis ad lectiones ordinatis, quæ Itali ſcribuntur repetiſſe. Vnde Iſidorus lib. 6. Etymologiarum: Reſponſoria Itali tradiderunt. Qui inde Reſponſorios cantus vocant, quod alio deſinente, alter reſpondeat. Inter reſponſoria, & antiphonas hoc differt, quod in reſponſoriis vnus verſum dicit, in antiphonis autem Chori alternant verſus. Antiphonæ enim generaliter dicuntur ſiue ſint illi cantus, quos vulgariter antiphonas appellamus: ſiue inuitatoria, quæ Benedictus appellat Antiphonas; ſiue ſecundum officium Romanum, Introitus, Offertorium, & poſtCommunio: ſiue ſecundum officium Ambroſianum, Pſallenda, Ingreſſa, Antiphonæ, poſt Euangelium, Offerenda, Confractio, & Tranſitorium. Reſponſoria vero ad lectiones adiunguntur in vtroque Officio, & in Ambroſiano ad Veſperas, & in vtroque ad lectiones in Miſſa. Sed in Romano, in Miſſa, nominantur Gradualia: & in Ambroſiano, Pſalmeli. Et quia Cantus Miſſalis modicum conſueuit alterari, videamus de cantu Vigiliarum, Laudum, & Veſperarum. Pro quo prænotetur quod antiphonæ & reſponſoria ad vnum diem, vel obſeruationem pertinentia, vocantur hiſtoria. Omnes autem Nationes ſatis vniformiter habent hiſtorias temporales, ſiue de Tempore, Antiphonario Romano concordantes. Sed de ſanctis, ſiue de diebus ſanctorum Italianæ Eccleſiæ, Romano magis ſe conformant: quia proprias hiſtorias ſanctorum minus admittunt. Deinde Eccleſiæ Gallicanæ, deinde Anglicanæ, & poſtremo Alemanniæ Eccleſiæ ad hiſtorias ſanctorum proprias magis ſe dilatauerunt. Sed quo ad antiphonarium Romanum, hoc ſuſtinendum eſt, quod in ordine Reſponſoriorum, & in verſibus eorundem occurrunt ſæpe apud diuerſas

Lib. 10. 19.

Nationes

Nationes & Ecclesias varietates. Nam nec similes versus communiter habentur, nec idem ordo responsoriorum, & antiphonarum vbique seruatur. Imo in libris Romanis sæpius eandem notavi varietatem. Ideo notandi videntur, qui in ordine Responsoriorum, aut in versibus scrupulum ponunt, & in Propositione X. supra dicta largam conscientiam admittunt. His præmissis, per historias temporales, & sanctorum breviter transcurramus, donec de Vrbe veniat id quod erit magis perfectum. Sancti ergo Dominici dies excellentius in Romano, quam Ambrosiano officio historiis solennibus sunt decorati. Singulæ namque Dominicæ in Adventu, & à Septuagesima vsque ad Pascha, propriis historiis decorantur. Tempus paschale per quindenas, & tempus post Epiphaniam, & Trinitatem secundum quantitatem temporis, & deinde ab Augusto per menses, propriæ historiæ imponuntur. Præterea festa Domini nota, & tria festa Virginis gloriosæ, Angelorum, vtraque festa S. Crucis, & Baptistæ, Petri, & Pauli, Andreæ, & Ioannis Evangelistæ, Stephani, Laurentij, Clementis, Sebastiani, Innocentum, Ioannis & Pauli, Mauritij martyrum, Martini, & Nicolai Confessorum, Agnetis, & Cæciliæ, Agathæ, & Luciæ virginum. De sanctis Paschalibus, & in communi de Apostolis, de Martyribus, de vno Confessore, & de vna Virgine, propria gaudent historiis in Antiphonario antiquo Romano, quamvis aliquæ sint incompletæ. Et nostrates ab Ecclesia Gallicana, historias de sancto Remigio, & de sancto Dionysio, & Laudes de S. Briccio proprias habent commodatas, Stephanus Tungrorum Episcopus de inventione S Stephani, & de S. Lamberto, & de S. Trinitate proprias ordinavit historias, vt dicit Sigibertus in libro de illustribus Viris, quæ communiter in istis partibus observantur. Monachi de S. Benedicto historiam habent sumptam ex dialogo B Gregorij, & secundum tonum Romanum, & in Antiphonario Romano decantatam. Religiosi * Antiphonas novem Lectionum communiter servant historiam B. Augustini sumptam ex libro suarum confessionum: sed de his duabus historiis nihil ad sæculares. De præmissis historiis aliquæ sumptæ sunt hinc ex sacra scriptura secundum verba congruentia, & duæ, ex Psalterio, scilicet Domine ne in ira: & , Si oblitus: aliæ, ex Lectionibus seu Passionibus, quæ tunc leguntur: aliæ ex Sanctorum sermonibus sive dictis prout plura Responsoria, & antiphonæ reperiuntur de Nativitate Domini, & de B. Virgine. Omnes autem prædictæ historiæ, auctoritatem habere videntur ex libris antiquis Romanis, quorum Exemplaria mecum etiam detuli, saluis iis, de quibus præmisi. Carthusien. autem nec Responsoria, nec Antiphonas admittunt, nisi sumptas de sacra scriptura. Nec moveat, quod fratres Minores sæpius non habent antiphonas seu Responsoria antiqua Secularium à Romanis recepta: quia plura in libris Romanis reperta, ab eorum vsu resecaverunt. Item antiphonæ nocturnales trium dierum post Natalem Domini, & de sanctis Petro & Andrea, quibus seculares vtuntur, non sunt de Antiphonario Romano, in quo aliæ breviores & faciliores continentur, sed à Gallicis compositæ asseruntur. De beata autem Virgine Antiphonæ, Ecce tu pulchra, & cæteræ pro nocturnis, & longiores ad Benedictus, & Magnificat de Canticis sumptas sæculares plures observant. Cum autem etiam si resecarentur omnes Antiphonæ, & Responsoria, de quibus certa auctoritas non habetur, adhuc remanerent sufficientes pro congregatione pauciore. Ideo Ordo vester multum curiose inquirere debet, quæ Responsoria & quas Antiphonas in officio admittatis quia in iis omni spiritui non est credendum. Historiæ temporales frequentius abundant in Responsoriis, vt etiam pro diebus ferialibus plura supercrescant. Sed aliqui Religiosi, vt Prædicantes & eos sequentes ferialia resecaverunt, & Dominicalia secundum ordinem repetunt feriarum. In Romano tamen vsu primum Dominicale nunquam repetitur in feriis, sed omnibus expletis, si sit feria, incipitur à secundo. Et quibus hoc placet, videant Fratrum Minorum notas. Item Gloria patri Responsoriorum, Romæ in libris antiquis reperitur integre cantatum ad notam Toni, sicut facimus post introitum. Et quia posteris non placuit totum cantari, ideo decise cantatur in quolibet octo Tonorum vsque *Sicut erat*, Et ita cantant Carthusienses, Colonienses, Leodienses, & plures solennes Ecclesiæ. Post *Gloria Patri*, repetitio debet esse brevior, quam post versum, vt etiam servant Romani & Cartusienses. Sunt etiam in officio divino, brevia Responsoria, quæ in officio Romano ad parvas Horas, vt ad Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, & Completorium dicuntur, & de Psalmis sumuntur, excepta Prima. Versiculi vero parui, qui in Ambrosiano, & in libris antiquis Capitula nominantur, similiter de Psalterio sumi debent. Benedictorum vero officium in parvis Horis versiculos habet, & ad Laudes, & Vesperas, & ad vnicam lectionem æstivalem, Responsorium breve. Auctoritate vero Romanâ, & beati Patris Benedicti Responsoria, nec brevia, nec magna dici debent cum Alleluia, nisi tempore paschali. Vnde idem Benedictus in Regula cap. 34. Responsoria vero nunquam dicantur cum Alleluia, nisi à Pascha vsque ad Pentecosten. Et in hoc puncto in parvis Responsoriis plures abutuntur contra Romanum vsum sanctum, & decorem cœlestem, Alleluia facientes; quod sancti Patres duntaxat dicto tempore sine intermissione dici voluerunt, id alteri tempori non concedentes.

Fn.* a L. qui vel a tem. In M.S. erat 8.

PROPOSITIO XIII.

Hymni Ecclesiastici, Capitula, Orationes, in officio observanda, authentica esse debent.

De Hymnis canendis, & Salvatoris & Apostolorum habemus exemplum, de consecratione distinctione prima, cap. De Hymnis. Nam ipse Dominus Hymnum dixisse perhibetur, testante Matthæo Apostolo. Et Hymno dicto, exierunt in montem Oliveti. Et Paulus Apostolus tam ad Ephesios, quam ad Colossenses, de hymnis cantandis scripsit, vt supra Propositione octava & duodecima. Est autem hymnus, laus Dei cum cantico: vt est hymnus, *Gloria Patri*, qui in fine psalmorum dicitur: & hymnus, *Gloria in excelsis*, quem Angeli Christo nato cecinerunt: & hymnus, *Te Deum Laudamus*; ab Ambrosio & Augustino compositus, vt probatur in Prooemio Milleloquij, & cæteri hymni metrici, quos beatissimi Doctores Hilarius & Ambrosius ediderunt, vt in dicto capite de hymnis. Sanctus autem Thelesphorus Papa instituit, vt in nocte Nativitatis Domini, fierent tres Missæ, & in illis Hymnus angelicus, *Gloria in excelsis*, diceretur, de consec. dist. prima, cap. Nocte sancta. Deinde Symmachus Papa natione Sardus, & Stephanus tertius natione Siculus constituerunt, vt omni die Dominico, & in Festivitatibus sanctorum Apostolorum & Martyrum, dictus hymnus angelicus, Gloria in excelsis ad Missam cantaretur. Sic itaque idem hymnus sanctorum Patrum auctoritate ad festivitates duntaxat est constitutus: & tempore tristitiæ, vt in Adventu & in Septuagesima intermitti debet. Nec Leo Papa nonus in huiusmodi intermissione aliquas excipit festivitates, de consecratione, distinct. prima, cap. Hi duo hymni. Et quoniam hymnus, *Te Deum Laudamus*, pariter sonat laudem sanctæ Trinitatis, sicut hymnus, *Gloria in excelsis*: ideo Romanâ observatione introducta est Regula, vt hi duo hymni pariter vnus in Laudibus, & alius in Missa debeant cantari, & pariter intermitti, vt ponit beatus Innocentius Papa tertius, extra de celebratione Missæ, capite Concilium, in fine, vbi idē Papa aliam dat nobis auctoritatē: vt sicut ad Festivitates Dominicales & Sanctorum hi duo hymni suis temporibus decantantur: ita eisdem temporibus, in diebus

Mat. 26.

Luc. 2.

profestis,

A

profeſtis, hoc eſt, procul a Feſtivitate, ſcilicet in diebus privatis, quando tres ſunt lectiones, dicti duo hymni cantari non debent, vt inter commemorationem & ſolennitatem differentia oſtendatur. Et hoc debent obſervare, qui diligunt decorem domus Dei. Nam ſicut decor eſt, illos in feſtivitatibus ſervare, ita decet eſt illos dimittere in diebus privatis. Quanto enim has glorificationes diebus privatis magis ſupprimimus, tanto illas iucundius in Feſtivitatibus ſuſcipiemus. Et iſtud videtur decere ordinem veſtrum. Nam idem ſequuntur plures religioſes. Et ſi ita ſcriptura eſt, vt cantari non debeant extra Dominicas & Feſtivitates, ſecundum præceptum Regulæ non cantentur. De hymnis autem metricis valde cavendum eſt, ne cantentur aliqui, niſi approbati & editi, vt ſupra dictum eſt. Reprobi autem vt plurimum noſci poſſunt, vel quia non ſunt generales, vel quia metrum habent corruptum. Ad Primam autem, Tertiam, Sextam, & Nonam Hymni conſueti more Romano non mutantur, & in minori congregatione ſub facili Tono ſervari debent. Nam hoc generaliter cuſtodiendum eſt, vt quinque parvæ horæ ſub humilitate ſerventur, & tres maiores feſtivius celebrentur. Ad quod accedit auctoritas beati Benedicti qui in minore congregatione Pſalmos in parvis horis directanee dici permittit. Aliquorum autem congregatio paucis temporibus illos horarum hymnos cantat ſub Tono feſtivitatis, vltimo verſu variato. Et aliquorum vſus ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam, tempore Natalis Domini, habet hymnum, *Agnoſcat*, qui in Hymnariis Romanis reperitur. Sed qui quotidie in Feſtivitatibus Hymnos conſuetos omittunt, & ad eaſdem horas dividunt hymnum Feſtivitatis, nec auctoritatem habent, nec exemplum, ſed nimium abutuntur. Ideo illos ſequi non debetis: ſed in humili congregatione veſtra, humillima decantare. Qui in Completorio Hymnum poſt Capitulum dicunt, agunt contra auctoritatem Romanam, & Ordinem beati Benedicti, in quorum Officiis ſtatim poſt Pſalmos locatur, ſicut in aliis quatuor parvis horis Hymnus dicitur ante Pſalmos. Et in Ambroſiano, tam in Completorio, quam in eiſdem parvis horis dicitur ſimiliter ante Pſalmos. Præterea in Ambroſiano Officio ad Matutinas ſemper dicuntur duo hymni, in principio & in fine. Et ſimiliter in Romano & Benedictino officio, ad Nocturnos dicitur vnus hymnus, & ad Laudes alter: & hoc ſervant omnes Religioſi & Italici, Gallici, & Anglici, Alemanni autem in hoc degenerant, ad Nocturnos, nullum dicunt; & ad Laudes raro. Ex quibus videtis, quos ſequi debeatis, Hymni autem ſubſequentes, videntur obſervandi. In adventu ad Veſperas, *Conditor*: Ad Nocturnos, *Verbum*: Ad Laudes, *Vox clara* Ad Completorium, ſecundum aliquos, *Veni redemptor*, qui eſt Ambroſianus de Nativitate Domini. Item de Nativitate ad Veſperas, *A ſolis*: Ad Completorium, *Fit porta*: Ad Nocturnos, *Corde natus*: Ad Laudes, *Chriſte redemptor*: Ad parvas horas, *Agnoſcat*, vt ſupra. In Epiphania, ad Veſperas ac Laudes, *Hoſtis Herodes*: Ad Nocturnos, *Aptæ vnigenitus*: vel Ambroſianus, *Illuminans altiſſimus*. Dominicis quotidianis in Sabbato, *Deus creator*, qui eſt Ambroſianus Veſpertinus quotidianus cuius meminit Auguſtinus libro 7. Confeſſionum, quando per ſomnum a luctu anxio in dolores mortis Matris recepto fuit curatus. Et hunc hymnum fratres Minores, & alios plures malè omittunt, quia authenticus eſt, & multum pulcher. Ad Nocturnos in hyeme, *Primo dierum*: & ad Laudes, *Æterne rerum conditor*, qui in Ambroſiano, omni die dicitur in principio ad Matutinas. Item ad Nocturnos in æſtate, *Nocte ſurgentes*: & ad Laudes, *Ecce iam noctis*. In ſecundis Veſperis Dominica, *Lucis creator*. Feria ſecunda, in Nocturno, *Somno*: In Laudibus, *Splendor paternæ*, qui eſt Ambroſ. temporalis in fine Matutinorum: In Veſperis, *Immenſe*. Feria tertia, in Nocturno, *Conſors*: In Laudibus *Ales diei*. In Veſperis, *Telluris*: Feria quarta, in Nocturno, *Rerũ creator*: In Laudibus, *Nox & tenebræ*: In Veſperis *Cœli Deus*: Feria quinta, in Nocturno, *Nox autem*. In Laudibus, *Lux ecce*: In Veſperis, *Magne Deus*. Feria ſexta, in Nocturno, *Tu Trinitas*: In Laudibus, *Æterna Cœli*. In Veſperis, *Plaſmator*. Sabbato, in Nocturno, *Summe Deus*: In Laudibus, *Aurora iam ſpargit* Omnes iſti hymni feriales Romani, vſu vnicam & facilem habent notam. De noſtris autem Alemannis, aliqui omittunt Nocturnales, vt Colonienſes: aliqui, omiſſis laudum hymnis, Nocturnales ponunt ad Laudes, vt Leodienſes: alij, omnes feriales omittunt, & Dominicales æſtivales in feriis repetunt, vt Prædicatores. Securius eſt, ſequi morem Romanum. De Quadrageſima ſunt * hymni, *Audi benigne*: Ad Nocturnos, *Ex more*: In Laudibus, *O Nazarene*. Secunda quindena, Ad Veſperas, *Nunc tempus*: In Nocturno, *Clarum decus*: In Laudibus, *Iam Chriſte*: Ad Completorium, per menſem, *Chriſte qui lux*: qui eſt Ambroſianus. Aliorum vſu ſunt alij hymni Quadrageſimales, cum in his raro vſus ſe concordent. De paſſione ad Veſperas, *Vexilla*: Ad completorium, *Cultor Dei*: Ad Nocturnos & Laudes, *Pange lingua*, quia fit diviſio. De Reſurrectione ſunt hymni, *Ad cœnam agni*. Ad Completorium, *Ieſu noſtra*: &, *Aurora lucis* cum verſibus, qui dividi poſſunt ad Nocturnos & ad Laudes; vt faciunt Prædicatores. Romani habent in Nocturno [ ] & in Laudibus dicunt hymnum, *Aurora*, integre. Eſt & Ambroſianus, *Hic eſt dies verus*. De Aſcenſione, *Feſtum nunc celebre*, *Æterna cœli gloria*, & *Hymnum canamus*: & Ambroſianus, *Optatus votis*. De Sancto Spiritu, *Veni Creator*: In Nocturno, *Iam Chriſtus aſtra*: qui eſt Ambroſianus. In Laudibus, *Beata nobis*. De ſancta Trinitate ad Veſperas, *O lux beata*: In Nocturno, *Tu Trinitas*: In Laudibus *Omnium*. De Nativitate Ioannis *Vt queant laxis*: qui eſt prolixus, & dividi poteſt per Nocturnum & Laudes. In Ambroſiano eſt, *Almi propheta*. De Apoſtolis Petro *Aurea luce*: & hymnus, *Feſtum per omnes* Ex quibus Minores aliquot verſus habẽt, reliquos reſecant. Eſt Ambroſianus, *Apoſtolorum paſſio*. De ſancto Laurentio ſunt plures, *En Martyris*: *Martyris Chriſti*, qui Sapphicus, & Ambroſianus Apoſtolorum. De Aſſumptione, *O quam glorifica*: &, *Gaude viſceribus*. Et pro quolibet feſto ad Veſperas, *Ave maris ſtella*: Ad Nocturnum, *Quem terra*: & ad Laudes eius portio, *O glorioſa*: & Ambroſianus, *Myſterium Eccleſiæ* De ſancto Michaele ad Veſperas & Laudes, *Chriſte ſanctorum*: In Nocturno, *Tibi Chriſte*: & Ambroſianus, *Myſteriorum*. De ſancto Martino, locales plures habetis. Ambroſianus habet, *Bellator armis* In Dedicatione Eccleſiæ communiter habetur, *Vrbs beata*: qui dividi poteſt, Ambroſianus habet, *Chriſte cunctorum* De Apoſtolis ad veſperas, *Exultet*: In Nocturno *Æterna Chriſti munera*: qui eſt Ambroſianus prolixus, & Romano more partim capitur in Nocturno Apoſtolorum, partim in Nocturno Martyrum. De Apoſtolis ad Laudes, *Ortu phœbi*. De vno Martyre ad Veſperas & Laudes, *Martyr Dei*: In Nocturno, *Deus tuorum*: qui eſt Ambroſianus. Sed ibi prolixior aliis placet, hos duos è contra dici. De Martyribus ad Veſperas, *Sanctorum meritis*: In Nocturno, vt ſupra: In Laudibus, *Rex glorioſe*. De vno Cõfeſſore, *Iſte Confeſſor*. Sunt alij duo, *Ieſu Redemptor omnium*: *Ieſu corona celſior*: qui eſt Ambroſian. De vna Virgine ad Veſperas & Laudes, *Ieſu corona virginum*: qui eſt Ambroſianus, In Nocturno, *Virginis proles*. Omnes autem prædicti hymni, & adhuc plures alij, reperiuntur Romæ in hymnariis antiquis & aliqui in Officio Ambroſiano: Neceſſarij autem hymni & authentici admitti debent. Et ſecurius de communi cantabuntur, quam locales & apocryphi admittantur. Quo autem loco ad Laudes & Veſperas hymni dici debeant, infra dicetur Propoſitione XIV.

Fort deeſt * ad Veſperas.

De Capitulis.

Nunc de Capitulis videatur, Sciendum quod ſicut ad Vigilias noctis leguntur lectiones magnæ, ita ad Laudes & Veſperas, & ad quinque parvas horas dicuntur parvæ lectiones, ſive lectiunculæ quas ſanctus Benedictus in Regula ſua vocat Lectiones Et ita ſæpe

appellantur in multis scripturis. Communi autem vsu sæculari, appellantur Capitula. In Ambrosiano autem & sæpius in quibusdam antiquis libris, Versiculi parui, qui de Psalmis recipiuntur, appellantur Capitula. Et ita ponitur de consecratione, distinction. 5. cap. Convenit. Recipiendo autem priorem significationem, notandum, quod regulariter Romano more in officiando Dominicas & festa, habentur tria propria duntaxat Capitula, ad Tertiam, Sextam, & Nonam, quorum primum repetitur ad vtrasque Vesperas, & ad Laudes. Et hoc sumptum est ab Ambrosio, qui duntaxat ad Tertiam, Sextam & Nonam ponit huiusmodi propria Capitula, licet pauca. Et iste modus dicendi seu repetendi Capitula, est multum generalis in orbe religiosis, Italicis, Gallicis, & Anglicis. Et sicut lectiones nocturnales non sunt vbique eædem, ita in huiusmodi Capitulis raro est concordia. Nam vnus vsus habet ista, & alius alia. Omnia tamen vbique sumuntur, & sumi debent de sacra scriptura, & secundum beatum Benedictum ex corde recitari. Alemanni autem plures alium modum habent capitulandi. Nam ipsorum multæ Ecclesiæ in officiando habent sex propria Capitula & Orationes, scilicet ad vtrasque Vesperas, Laudes, Tertiam, Sextam, & Nonam. Inter quæ præcipuum existit Capitularium Stephani Tongrorum Episcopi. Idem enim Episcopus, vt dicit Sigibertus in libro de Viris illustribus, ad Robertum Metensis Ecclesiæ Episcopum, in qua nutritus fuit, scripsit librum Capitularium, in quo per totum anni circulum singulis Dominicis & Festivitatibus maioribus Capitula & Orationes recollegit. Huiusmodi autem Capitulis & Orationibus viuntur multæ Ecclesiæ harum partium aliquæ integrè, aliæ in multis particulis, variaverunt, vt Traiectenses. Aliæ, vnica Oratione contentæ, solum Capitula receperunt, & hoc sequuntur fratres vestri de Viridi Valle. Et quoniam generali vsu Mundi, in huiusmodi Capitulis esset sequi libros Ecclesiarum, nec in illis tenetur identitas, sicut nec in lectionibus Matutinis: videtur quod fratres vestri de Amsteyn retinere licite potuissent absque scrupulo Capitularium Viridis vallis, quod auctorem prædictum habere noscitur. Indiscretus enim scrupulus esse videtur, formare conscientiam de hoc vel illo Capitulo, Responsorio, Versu, & huiusmodi recitando, dum tamen sint authentici & Romani per præmissa, & non habere conscientiam de vno integro psalterio aliquando omittendo, vt supra Propositione decima. Vidi etiam sæpe in libris, Monachorum, & aliquando sæcularium, pro vno officio Dominica vel Festivitate, plura Capitula notata generaliter, nec assignatum specialiter, vt ad hanc vel illam Horam recitentur. Multi quoque Alemanni ad omnes Horas vnicum ponunt Capitulum, sicut & in Romano, vnica dicitur Oratio. Hic tamen modus capitulandi, nec auctoritatem habet, nec exemplum.

Sequitur videre de Orationibus, in quibus vsus generalior existit, vt vnica pro omnibus Horis habeatur. Ambrosianum quoque officium plures dicit Orationes, & in officio proprias plures habet. Similiter Monachi illas multiplicant, & dein magis Alemanni. De orationum vero auctoritate facienda dicitur in quodam paruo Rationali, quod dicitur Micrologus, capite quinto, in hæc verba: Alias quoque Orationes nisi antiquas & Gregorianas, difficillimè admittunt, vtpote quæ in antiquioribus, & emendatioribus Sacramentariis maxime inveniuntur. Nam octavum Aphricanæ provinciæ Concilium cui sanctus Augustinus, imo ducenti quatuordecim Patres interfuerunt, capitulo duodecimo ita constituit: Nullæ preces, vel orationes, vel Missæ, vel Præfationes, vel commendationes, vel manus impositiones dicantur nisi in Concilio fuerint probatæ. Item tertium Carthaginense Concilium, cui item sanctus Augustinus interfuit, capitulo vicesimotertio: Nullus ad altare Patrem pro Filio, vel Filium pro Patre nominet, sed semper Orationem ad Patrem dirigat, nec qualibet oratione vtatur, nisi probatâ. Oratio quidem ad Patrem dirigenda est, iuxta Domini præceptum, qui discipulos suos ita instruxit, cum interrogarent eum qualiter orare debuissent: Cum stabitis, inquit, ad orandum, dicite: Pater noster, hæc vbi supra. Stephanus Tungrensis in Capitulario supra dicto ad Capitula singula, singulas adiunxit orationes, & valde multas sumpsit ab Ambrosiano, & ex officio Monachorum. Romæ etiam in libris vidi orationes, Veneranda nobis: &, Supplicationem servorum tuorum, ad Collectam apud S. Adrianum, & alias plures à fratribus Minoribus omissas. Hæc dico, ne credatur, quod omnia officij Romani ab eisdem fratribus observentur. De hoc latius Propositione XXII. Omnes autem Orationes quorumcunque vsuum, de quibus certitudo non habetur iuxta præmissa Concilia, tanquam Apocryphæ respuantur. Nam sufficiunt pauciores, vt dicam Propositione XXIII. in fine Missæ.

PROPOSITIO XIV.

De nocte in vigiliis, & septies in die laudes Domino sunt canendæ.

SAncti Patres, vt supra dictum fuit propositione 13. per Psalmodias observabant quinque horas, scilicet Vigilias noctis, Vesperam, Tertiam, Sextam, & Nonam, Deinde quia scriptura sæpius iungit Mane & Vespere, addita est laus Matutina. Multorum quoque episcoporum statutum erat, vt clerus & populus mane & sero preces & orationes Deo funderent cum *Pater noster*, & Symbolo. Ideo ad hoc introductæ sunt duæ aliæ horæ, Prima, & Completa, vtraque cum precibus, Oratione Dominica & Symbolo. Itaque octo sunt Canonicæ horæ, scilicet Vigiliæ nocturnæ, & septem diurnæ, ex scripturis auctoritatem habentes. Vnde B. Benedictus capitulo 15. Vt ait Propheta: Septies in die laudem dixi tibi. Qui septenarius numerus sacratus, à nobis sic implebitur: si Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Vesperæ, & Completorij tempore, nostræ servitutis officia persolvamus. Quia de his Horis dicit Propheta, Septies in die laudem dixi tibi. Nam de nocturnis Vigiliis idem ipse Propheta ait: Media nocte surgebam ad confitendum tibi. Ergo his temporibus referamus laudes creatori nostro super iudicia iustitiæ suæ, id est, Matutinis, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperis, Completorio, & nocte surgamus ad confitendum ei. Hæc ibi. Ad idem concordat Cassianus lib. 2. de institutis cœnobiorum, & extra de celebratione Missæ. cap. 1. Et quamvis seculares iungant Vigilias Matutinis laudibus, & abusive vtrumque appellent Matutinas: tamen sunt distinctæ horæ, & divisim à Monachis per orationes terminantur. Igitur vigiliæ noctis, sunt per tres nocturnos & novem lectiones, vt Dominicis & festivitatibus seu per duodecim Psalmos, & tres lectiones duntaxat, vt diebus privatis, Ambrosiano autem officio omnes Matutinæ fiunt cum tribus lectionibus per totum annum, nisi in Nativitate Domini & Epiphania, vbi novem fiunt lectiones. Quia illos duos dies Domini, extra tempus Paschale, duntaxat festivitates reputat, In Parasceve autem habet sex Lectiones. Vigiliæ autem sunt Canonicæ horæ per se, non habentes cum aliis parilitatem: sed Laudes & Vesperæ inter se, Item, Prima & Completorium inter se: & Tertia, Sexta, & Nona inter se habent parilitatem, & similem officiandi Ordinem atque modum. De parilitate Tertiæ, Sextæ, & Nonæ, satis evidens est: de aliarum parilitate videamus. Quod autem Laudes & Vesperæ, simili modo debent officiari, habemus duo Iura posita in Decretis, 12. dist. c. vlt. Et de Consecratione, dist. 5. capite, *Convenit*. Primum est Concilij Bracar. quod sic dicit: Placuit omnibus communi consensu, vt vnus atque idem psallendi ordo in Matutinis

vel

vel Vespertinis officiis teneatur, & non diversæ ac privatæ, neque Monasteriorum consuetudines cum Ecclesiastica regula sint permixtæ. Matutini officium appellat, quod vocamus Laudes. Vtrobique ergo debet esse idem ordo psallendi, quia ambo similiter incohantur. Vtrobique sunt quinque Psalmi, qui vtrobique debent habere quinque antiphonas. Vtrobique dicuntur Capitulum, Hymnus, Versus, Canticum cum Antiphonis, Oratio cum memoriis similibus. De monachorum consuetudine ideo dicit, quia in Benedictino officio ad laudes sunt quinque Psalmi, & ad Vesperas tantum quatuor. Et Laudes in principio habent psalmum directum, alias in illo officio pariliter inofficiantur. Secundum est Consilij Agathensis, quod sic dicit: Convenit, Ordinem Ecclesiæ ab omnibus æqualiter custodiri. Vnde statuendum est sicut vbique fit vt post Antiphonas collationes ab Episcopis vel presbyteris dicantur, & Hymni Matutini vel vespertini diebus omnibus decantentur, & in conclusione Matutinarum. Missarumque post hymnos, Capitula dicantur: & plebs completa oratione ad Vesperam ab episcopo dimittatur cum benedictione. Hæc ibi. Et expone post antiphonas, id est, post Psalmos antiphonatim dictos in Laudibus & Vesperis, Collati[illegible], id est, Lectiones, quas capitula nominamus, in [illegible]tione præcedenti. *Et Hymni matutini.* No[illegible] vtrobique debet hymnus dici, *Missarumque*, [illegible], complementorum in Vesperis, *Capitula*, hoc est, versicul. parva, vt in propositione præcedenti. E sic uo a ordinem, vt ad Vesperas, & ad Laudes post quinque Psalmos antiphonatim dictos, sequatur Lectio, hoc est, Capitulum, deinde Hymnus cum versu dicantur, & ita generaliter servatur. Debent igitur Laudes & Vesperæ eodem ordine inofficiari. Sed a multis iste ordo tripliciter immutatur, addendo, subtrahendo, & transponendo. Addendo, vt qui laudibus versiculum sacerdotalem præponunt, & ad Vesperas in certis † cantibus Responsorium cantant, quorum vtrumque Romani nusquam faciunt. Sed vtriusque generalis consuetudo contraria prævaluit, cuius rationem ponunt Rationalia divinorum. Subtrahendo, vt qui in Laudibus aliquando nullum habent hymnum, seu aliquando decurtatum. Et isti manifeste offendunt dictum Concilium, Romanum, Benedictinum, & Ambrosianum Officium, quorum quodlibet semper habet hymnum. Transponendo, vt qui alio ordine dicunt Hymnum in vno, quam in altero. Additio tolerari potest, subtractio autem & transpositio videntur vitiosæ. Completorium vero & Prima, fere similem habent Officiationem: Quia vtrobique est Hymnus in vno ante, & in altero statim post Psalmos. Vtrobique fit confessio & absolutio: & vtrobique sub quatuor Gloria, sunt quatuor Psalmi. Et vtrobique capitulum, responsorium parvum in Romano, versus, preces, & cætera sub collecta, sed Completorium præcellit in cantico. Et quia sicut cæteræ horæ parvæ, solam debent habere antiphonam: ideo excellentiori vsu, psalmi completorij directanei sunt cum alleluia, & ad Canticum antiphona collocatur. Et præterea propter hanc parilem Officiationem quando Prima habet, *Miserere mei Deus*, vsu approbatiore Completorium præcedens semper illud idē habet. Cum enim festivitas præcedit, illa in secunda vespera terminatur, (vt infra dicetur propositione 19.) & Completorium ad diem pertinet subsequentem. Et sciendum, quod Ambrosiano, Benedictino, & Romano more Completorium per totum annum est vniforme, nec aliqua mutantur, nisi propter tempus aliqua subtrahantur. Prima vero Ambrosiana est vniformis. In Prima versus responsorij in Nativitate Domini, in Apparitione, Resurrectione, & Ascensione generali vsu sic mutari solet. Eisdem temporibus, & in Adventu, & in Quadragesima atque Pentecoste, secundum vsus celebriores, & multorum scripturas, Antiphonæ duntaxat transmutantur. Cætera semper vniformia remanent, nisi in triduo ante Pascha & hebdomadā sequenti. Antiphona etiam S. Trinitatis in Prima, vniformis esse debet, nisi in Adventu, & Quadragesima, in Nativitate, Apparitione, Resurrectione, Ascensione, & Pentecoste, & de Virgine gloriosa. Sed propter parilitatem completorij & primæ supradictam, ad mutationem antiphonæ Primalis, multi ab vniformitate completorij declinantes, mutant in illo hymnum & antiphonam ad *Nunc dimittis.* Alij temporibus quibus versiculus responsorij in prima mutatur, mutant etiam in Completorio capitulum cum versu. Alij vero quoties libet, in festivitatibus completorium mutare volunt. Nimiā mutatio vitiosa videtur, nec stabilibus religiosis congruere, qui facilia & brevia sequi debent. Communiore autem vsu servatur ad Primam capitulum, *Domine miserere*: Oratio, *Deus qui ad principium*: cum oratione, *Actiones nostras*, quæ sunt Ambrosianæ. Ad Complet. Capitulum, *Tu autem*, & Oratio, *Illumina quæsumus Domine.* Et convenit, vt vtrobique intercessi Virginis gloriosæ, & omnium Sanctorum invocetur in oratione sicut fit in Ambrosiano. In officio autem Capituli, quod fit post Primam, fiunt tria: primo memoria sanctorum in recitatione Martyrologij, cum versu, *Pretiosa*: & capitulo *Sancta Maria.* Secundo, memoria defunctorum in anniversariis recitandis, cum *Miserere mei Deus*, & Collectis. Tertio, quia tunc ad labores diurnos præparari debemus. Adduntur preces congruentes dicendo ter, *Deus in adiutorium*, Et contra B. Benedictum cap. 55. agunt, qui huic versui triplicato quicquam addunt. Deinde ter *Kyrie eleison, Pater noster*, cum Versu, & *Respice*, & Oratio. *Dirigere*, Ambrosiana. Item Romanum Officium ad Primam & Completorium habet preces ex causa dicta supra in principio: Ad cæteras vero horas nequaquam, nisi de tempore agatur. Ambrosianum autem quotidie in parvis horis duntaxat, post Lectiunculam, quam capitulum dicimus, habet Responsorium breve, Versiculum Kyrie eleison ter, Pater noster, cum precibus & Collecta. Benedictinum autem similiter habet ad omnes horas: sed ad parvas, nullum dicit Responsorium. Dictæ quoque quinque parvæ horæ deberent observari sub humilitate: & Vigiliæ Laudes, Missæ & Vesperæ, magis, eleganter. Vnde magis solenne est, vt hymni parvarum horarum in eorum nota facili non mutentur. Et in Ambrosiano officio quasi omnes hymni eandem habēt notam.

fot. † cō mun ta tibus: aut
† canonicantibus abbreviatio hujusmodi, hic erat cantibus.

PROPOSITIO XV.

Dominici dies festive, feriales vero humiliter debent inofficiari.

CONstituite diem solennem in frequentationibus vsque ad cornu altaris: quia sanctus dies Domini est, nolite contristari. Diem enim Dominicum Leges seculares iubent omnimode venerari. C. de feriis, L. Dies festos. Omnes enim dies festivi, qui ex facto Domini nomen habent, vt Dominicus dies Nativitatis, Circumcisionis, & cæteri, vltra alios dies Sanctorum sunt honorandi. Vnde in Consilio apud Compendium, & ponitur de feriis capitulo primo, Omnes dies Dominicos, à Vespera in vesperam cum omni veneratione decrevimus observari. Constituite ergo diem solennem, scilicet Dominicum, in frequentationibus: Ita habet Romana & Ambrosiana translatio, id est, vt frequenter Dominicis diebus servetur officium Dominicale, nisi magna festivitas occurrat. Vsque ad cornu altaris, hoc est, etiam Officium Missæ Dominicale observando. Et hoc excellentius observatur in officio Ambrosiano: in quo die Dominico nullius Sancti etiam Virginis gloriosæ festivitas agitur, sed occurrens in illo, transfertur. Romanus autem vsus cæteris vsibus post Ambrosianum melius se habet: in quo omnia festa novem lectionum cedunt Dominicis nisi sint B. Mariæ, S. Crucis, Ioannis Baptistæ, Apostolorum, & proprium

cantum habentium. Quando autem propria Historia in alia Dominica locum habere non potest, omnis festivitas differtur. Vnde festum Matthæi Evangelistæ, in Dominica non tenetur Romano vsu. Et in adventu, & à Septuagesima vsque in octavam Paschæ inclusive nullum festum agitur in Dominica: quia Dominicæ interim occurrentes propriis historiis decorantur. Propter quod præcipiunt Statuta Coloniensium & Leodiensium, vt in Adventu Domini, & in Quadragesima nullum festum in Dominica observetur. Vrbanus tamen VI. Purificationem faciebat in Dominica septuagesimæ observari. Romanâ igitur consuetudine secundum Micrologum cap. vltimo, In omni Dominica, Ecclesiastico conventui cum officio Dominicali satisfacimus, nisi aliqua multum celebris festivitas in ipsa die occurrat. In quibus non minus quam pro Dominica populus solet congregari, quas & in aliis diebus solennissime celebramus, & nisi propter historiam, vt est dictum. Abusus est ergo nimius, vt festum S. Andreæ in Dominica teneatur: Cum Romana consuetudo, Metropolitanum Statutum, & omnes de officio scribentes obvient huic modo. Quorum autem Sanctorum officia in feriis servanda sunt, posterius dicetur. Nunc de officiis Dominicalibus pauca perstringamus servanda, nisi aliud assignetur. Generaliter autem quæ antiphonæ in Vigiliis, Laudibus, & Vesperis super Psalmos ex Psalmista dici debent, in his servetur vsus loci, & librorum continentia. Quia in Antiphonario Romano aliquando ad eundem Psalmum sunt plures Antiphonæ vt supra *Dixit Dominus*, Antiphona *Sede à dextris*, & Antiphona *Dixit Dominus*, de quibus vnus vsus habet vnam, alter aliam. De Capitulis, & Hymnis, & Orationibus dictum est supra, Generali consuetudine secularium & monachorum, quando nova historia est inchoanda, ad vesperas Sabbatinas ex iucunditate Responsorium cantatur. Et regulariter servatur secundum, nisi aliud habeatur speciale, vt Sabbato primo Adventus Responsorium *Ecce dies veniunt*, Versiculus Sabbatinus, Vespertina oratio; cæteris diebus versiculus. *Dirigatur*. Ad vtrumque, *Magnificat*, & ad *Benedictus*, sequamur libros, & in suffragiis, loci vsum. Ad Vigilias noctis in hyeme, aliqua sunt longiora & plura, vt Invitatoria & hymni, in æstate secus. Vnde in hyeme sunt plura invitatoria Dominicalia de Psalterio, in æstate solum, *Venite exultemus*, Vtique autem servetur Hymnus, vt supra dixi.

Invitatoria.

Ad tres vero nocturnos Dominicales in libris Romanis, & in omnibus vsibus mundi sunt novem Antiphonæ communes de Psalmis sumptæ semper observandæ, nec in aliquo tempore alterandæ, nec in toto Antiphonario Romano reperi alios Nocturnales, saluo quod dicam de duabus Dominicis ante Nativitatem Domini, & ante Pascha. Prædicatores, & quidam alij habent quasdam antiphonas metricas, *Pro fidei meritis*, cum aliis, quæ tanquam apocryphæ, omnino respuendæ: & quia captivæ sunt tam in metro, quam in verbis: similiter respuantur quædam aliæ, quæ incipiunt [*] in versiculis tam Dominicarum, quam feriarum, secundum Romanum sequimur vsum. Romani post *Pater noster*, non dicunt versum, sed habent absolutiones ante lectiones, quæ secundum ferias repetuntur, quæ piæ & religiosæ videntur. De lectionibus & Responsoriis fiat, prout supra positum est. Romani in vltimis Responsoriis similem modum servant, vt quoties *Te Deum* dicitur, vltimum omittatur, & *Gloria patri* ad penultimum observetur. Sed dictum modum non sequuntur aliæ Nationes. Ad Laudes Dominicales super *Benedicite* in Antiphonario Romano, multæ habentur antiphonæ, quæ in hyeme secundum ordinem dicuntur: In æstate autem, sola, scilicet *Tres pueri iussu regis*. Super reliquos autem quatuor Psalmos aliqui servant antiphonas per alleluia, vt Fratres Minores. Alij vero cuilibet Psalmorum suam tribuunt Antiphonam iuxta considerationem datam Propositione decima. Et hæ in dicto antiphonario ponuntur, scilicet *Regnavit Dominus*, cum aliis. Romano enim ordine, qui mente tenendus est, in Vigiliis noctis, in Laudibus, & in Vesperis, quælibet laus sanctæ Trinitatis post Psalmos decantatos, suam antiphonam habere debet subsequentem. Et hic decor officij divini, vt in dictis Horis hoc fiat, & in aliis partis, vnica antiphona decantetur. De Psalmis Primæ Dominicalibus dictum est propositione decima. Et respuatur ille abusus apocryphus, vt sicut *Te Deum* sequitur ad *Gloria in excelsis*, quod ita *Confitemini* in Prima, sequi debeat ad *Credo in unum Deum*. De responsoriis & versibus ad Tertiam, Sextam, & Nonam, omnes vsus concordant. Sed in antiphonis Dominicalibus ad Primam, Tertiam, Sextam & Nonam, vbi in Romano laus Dei agitur per tria alleluia, aliæ Nationes illam agunt per antiphonam *Sancta Trinitatis*. Quando festivitas in Sabbato vel feria secunda occurrat, primo casu festivitas habet secundas Vesperas, nisi sit Dominica præcipua: Secundo casu Dominica habet illas, nisi fuerit duplex. Missæ vero Dominicales, quando fit servitium de illa in Dominica, non debent omitti, etiam tempore Paschali, & infra octavas maiores, & in Sanctorum Vigiliis, sed festive decantari, prout beatus Gregorius illam eo die instituit decrevit quidam, de hoc, Propositione vltima. In servitio feriali ad singulas horas, ad officium mortuorum, ad horas beatæ Mariæ, & ad septem Psalmos in [illegible], & ad preces & orationes, & in aliis punctis [illegible], observandæ sunt prostrationes, quarum vsum loca vestra congrue recipere possunt à Carthusiensibus & Cisterciensibus, quos non multum perpendi à secularibus distare. Ex Romano vsu autem quædam preces habentur ad Vesperas, Laudes, Tertiam, Sextam, & Nonam servandæ, quibus iungitur *Miserere mei Deus*. Et similiter ad preces Completorij, atque Primæ. Ad Vigilias vero noctis singulæ feriæ habent Invitatorium sub simili Tono, Versiculum proprium post Nocturnum, & laudes proprias: Versiculum ante Laudes, *Fiat misericordia*, & ante *Benedictus*, versiculum, *Repleti sumus*, & quando opus est, Antiphonæ ad *Benedictus*, & *Magnificat*. Lectiones vero & Responsoria sumuntur ex historia Dominicali. Quando superexcrescentia Responsoria dicta sunt, tunc iterum incipitur à secundo Responsorio Dominicali, vsu Romano. In Responsoriis & Versiculis ad Tertiam, Sextam & Nonam, omnes concordant. Officium autem mortuorum in Vesperis, Vigiliis, & Laudibus observatur, vt Vigiliæ dicantur secundum ferias, secundum vsum communem, & Missa fiat pro eisdem. Et de modo observandi Officium mortuorum, instruamini à Carthusiensibus & Cisterciensibus ante dictis. Nam in hoc officio cum Secularibus se conformant. Septem Psalmi Pœnitentiales cum precibus & altero Psalmo & collectis, servandi sunt in illis locis, quæ illorum vsum habent. Et idem de quindecim Psalmis Gradualibus cum eorum sequelis. Ad maiorem Missam aliquando repetendum est Officium Dominicale cum Epistolis & Evangeliis de Feria quarta & Sexta. Aliquando servandæ sunt Missæ peculiares de beata Virgine, de sancta cruce, suo tempore, de sancto Spiritu, & similes, secundum exigentiam ordinis & loci. Et præmissa, de vtroque servitio Dominicali & Feriali intelligenda sunt, vbi aliæ proprietates non habentur, nec etiam assignantur.

De Antiphonis nocturnalibus.

Hi vi- deo-us quædam desse.

PROPOSITIO XVI.

In officio temporali observando, Adventus Domini, Quadragesimale, Paschale, & Quotidianum tempus specialiter denotentur.

VT autem servitium temporale honeste & secundum ordinem fiat, tam Ambrosiano quam Romano ordine considerantur quatuor tempora supradicta, in quibus in quibusdam ex tempore ipso singularia observantur.

Adventus

A Adventus Domini apud Romanos incipit primâ Dominicâ poſt craſtinum Catharinæ. Ambroſianus Adventus habet ſex ſeptimanas, & incipit Dominica poſt Martini. Apud Romanos etiam in Adventu Domini, ieiunium agitur. Adventus partim eſt lætitiæ, quia Alleluia, dicitur, & cantus in iucunditate cantatur: Partim triſtitiæ, quia *Te Deum, gloria in excelſis*, & *Ite Miſſa eſt*, reticentur. Nec in feſtivitatibus ſine auctoritate dici debent, vt propoſitione decimatertia, & in nigris veſtimentis fit ſervitium. In quatuor Veſperis Dominicalibus, & in tribus ſabbatinis dicuntur ſuper Pſalmos Antiphonæ de Dominica præcedenti. Reſponſorium in omni Veſpera Sabbatina dicitur. Nulla feſtivitas in Dominica ſervatur, ſed transfertur, vt ſupra in præcedenti propoſitione dicebatur. Ad Primam, tertiam, Sextam, Nonam, ſecundum vſum, antiphonæ ſerventur. In reſponſoriis & verſibus concordant omnes nationes. De capitulis & Orationibus vt
B ſupra. In Evangeliis Dominicalibus à Romano diſcrepant cæteræ nationes. In tribus prioribus Dominicis dicendæ ſunt ad Nocturnos, Antiphonæ de Pſalterio: & omittendæ illæ tres *Hora eſt*, cum aliis, quia non ſunt Romanæ, nec in hoc tempore ſpeciales. Et maxime ex eo, quia iſti ſancti dies Dominicales debent habere novem Antiphonas, adeo & magis, quam ſancti, Martinus, Laurentius, & quicunque cæterorum. Invitatorium feriale in Tono feriali, *Regem venturum*, Verſiculi & cætera de Dominica, Lectiones ex Eſaia. In prima & ſecunda hebdomada. Reſponſoria incipiantur à ſecundo Dominicali, expletis ferialibus, & Laudes ex Pſalmiſta. In tertia hebdomada ſemper eveniunt quatuor tempora, quæ habent proprias Homilias cum Reſponſoriis. Vigiliæ obſerventur cum novem lectionibus. Vna hebdomada in qualibet feria habet proprias Laudes, quæ in antiquis Antiphonariis repoſitæ, ſunt incompetenter in quarta hebdomada. Immo debitò ſitu collocari debent cum ſuis Antiphonis ad *Benedictus* & *Magnificat* in tertia hebdomada, in
C qua ſunt quatuor tempora, & continuari in ſuis feriis vſque ad Vigiliam Nativitatis. Antiphonæ vero ad *Benedictus* & *Magnificat* tertiæ hebdomadæ dicendæ ſunt ad tres Nocturnos Dominicales Dominicæ quartæ. Si feſtum Luciæ cadit in Dominica, in Sabbato præferatur, vt Laudes feriæ ſecundæ habeant locum. Antiphona *Nolite timere* ad *Benedictus* dicenda eſt in Dominica, quando feſtum Thomæ à Dominica in diem Lunæ differtur. Et quando idem feſtum Thomæ cadit in feriam quintam, ſextam vel ſabbatum, Laudes & Reſponſoria illius anticipanda ſunt in ſimili feria, in hebdomada præcedenti. Dies vero hebdomadæ quartæ, quantum opus eſt, recipiunt Antiphonas ſuper *Benedictus* & *Magnificat* ſuperecreſcentes. Et per iſtas breves conſiderationes evitabuntur longæ tabulæ, quas aliqui poſuerunt: hic per ſeptem Adventus. Quando Vigilia Nativitatis cadit in Dominicam, in hebdomada præcedenti à feria tertia, eius officium ſupereſcens, quod in Dominica locum non habet, debet præveniri, in ipſa Dominica cæterum officium perſolui.
D Secundum Rationalia divinorum hene anthentica, de Octavis Stephani, Ioannis, & Innocentum, infra Octavas nulla memoria ſervatur. Vide infra propoſitione 19. Dominica poſt Nativitatem Domini, ex Reſponſoriis eiuſdem ſuperexcreſcentibus, novem habet Reſponſoria, quæ communiter huic Dominicæ ſolent aſcribi. Item habet propriam homiliam, & proprium officium Miſſæ, à cuius Introitu intitulatur. Hæc hiſtoria ita eſt imponenda. Si aliqua trium dierum poſt Nativitatem in Dominica evenerit, in illius octava imponetur cum memoria de Octava. Si vero aliqua trium dierum poſt diem Innocentum in Dominica cadat, in illa plenè imponatur. Et eiſdem tribus diebus eius officium ſuppleri oportet, quando Nativitas Domini venit in Dominica. Ad Vigilias autem noctis, Pſalmi Dominicales cum Antiphonis de Nativitate cantentur. Et ſecundum beatum Gelaſium legetur de

De hiſtoria Dum medium ſilentiũ.

E epiſtolis Pauli, vt propoſitione decima dictum eſt. Cætera ſuppleantur de die Nativitatis. Et huius obſervantiæ auctoritas nedum ex uſu Carthuſienſium habetur: ſed & ex trigeſimoſeptimo capitulo Micrologi, quod ſic dicit: Si Nativitas Domini vel aliqua ſubſequentium ſolennitatum in Dominica evenerit, Officium *Dum medium ſilentium*, poſt Natale Innocentum ad privatos dies congrue ſervatur, ſicut & in aliis Dominicis agimus, ſi aliquando celebrius in iis feſtum habuimus. Idem etiam Officium Romano more recipitur, ſi quando ab Octava Domini vſque ad Epiphaniam Dominica evenerit. Omnis etenim Dominica a Nativitate Domini vſque ad Ephiphaniam, ex antiqua Traditione illud obtinebit, quæ tamen celebriori feſto occupata non fuerit. Nam cum hoc officium de Nativitate Domini agat, convenientiſſime illis Dominicis adaptatur, quæ & reliqua officia de eadem ſolennitate
F ſolent obtinere. Non enim illi ſunt audiendi, qui hoc officium, eo quod de nativitate agat, nunquam poſt octavam Domini dicendum exiſtimant: cum tamen ipſi Vigiliam Epiphaniæ de Nativitate Domini ex integro inofficiare ſolent & debeant. Ipſi quoque ſi Dominica in octava ſancti Stephani vel aliorum venerit, Dominicam de octava inofficiant: dum tamen Eccleſiaſtica ſolennitas non pro octava S. Stephani, ſed pro Dominica agatur. Hoc autem ſancti Patres in diſpoſitione officiorum ſummopere procuraverunt, vt officium ſemper inſtãti celebritati concordaret, nec clerus aliud, quam populus in Eccleſiaſticis, celebritatibus obſervaret. Præterea omnes Dominicæ ſolennitates ſibi invicem affines, hoc habent privilegium, vt obſervatio earum adinvicem continuetur, vt Reſurrectionis vſque ad Aſcenſionem, & Aſcenſionis vſque ad Pentecoſten commemoramus, & omnes Dominicas his ſolennitatibus interpoſitis, de eiſdem inofficiamus. Sic igitur & Nativitatis Dominicæ vſque ad Epiphaniam memoriam agimus, niſi in quantum feſtis Sanctorum, vel Octavis eorum ſatisfacere cogimur. Eodem quoque
G modo infra hunc terminum occurrentes Dominicæ, officium de Nativitate poſſidebunt. Et capitulo ſequenti eiuſdem Micrologi, Quamvis autem duæ Dominicæ multotiès eveniunt eo tempore, nunquam tamen ambas Dominicali officio occupari feſta Sanctorum permittent, niſi eo tantum anno, dum Vigilia Epiphaniæ in Dominica evenerit. Vnde & ſanctus Gregorius ſatis competentet vnum Dominicale officium eo tempore ordinavit, eo quod & ibi vna tantum Dominica, omni pene anno occurrat: quæ huiuſmodi officio indigeat. Nec hoc vtique ſanctus Gregorius, vel poſt Epiphaniã, vel poſt Pentecoſten ſervare curavit, vt tot officia ſemper haberemus, quot Dominicæ poſſent evenire. Nam optime prævidit, huiuſmodi inæqualitatem repetitione officiorum facile emendari poſſe. Vnde & nos, cum Vigilia Epiphaniæ in Dominica occurrit, prioris Dominicæ officium pleniter repetimus, ſicut & in Dominicis poſt Epiphaniam, & poſt Pentecoſten, quoties neceſſe fuerit, iuxta Romanam conſuetudinem facere debemus.
H Sicut enim hiſtorias Dominicarum, in quantum tempori ſufficit, repetimus, nihilominus & eorum officia Miſſæ repetere poſſumus. Nam & Miſſæ officium Dominicale, alteri Dominicæ, quæ eiuſdem obſervantiæ eſt, non incompetenter, immo competentius adhibebitur, quam ſingulis privatis diebus: qui dum Dominicarum officia recipiunt, ex feſtivis Ferialia efficiunt. Hoc tamen non ex Eccleſiaſtici Conventus neceſſitate, ſed ex propria devotione vſitamus. Non ergo minus congruum videatur, ſi idem officium in alia Dominica, vt Eccleſiaſtico conventui ſatisfiat, repetatur. Hæc ibi. Ex præmiſſis ita late ſcriptis ſciant illi ſe errare, apud quos officium huius Dominicæ, nullo caſu, in Dominica locum habet. Octavæ autem prædictæ tres minores, & Vigilia Epiphaniæ, trium ſunt lectionum cum Nocturno ſecundum Carthuſienſes. Si ſit Dominica prædicta hiſtoria imponetur, ſecundum eoſdem. Infra octavam Epiphaniæ ſerventur Pſalmodiæ, ſine

Micrologus.

Te Deum, vt supra Propositione decima & decimatertia. Epistolæ Pauli legantur secundum beatum Gelasium, & maxime quia propter angustiā temporis sæpe non possunt plene legi. Dominica infra octavam, tàm ex Romana consuetudine, quam ex reverentia Dominicæ, servetur Homilia & officium Missæ Dominicæ primæ. Etiamsi propter pluralitatem hebdomadarum vsque ad Septuagesimam, repetendum videatur: sicut & alia duo officia, *Omnis terra*, &, *Adorate*, cum multoties sex occurrant hebdomadæ his officiis inofficiandæ. Et provideatur, vt historia, *Domine ne in ira*, in aliqua Dominica imponatur, anticipando vel differendo festa, vel octavam Epiphaniæ prævenie[illegible], quando erit opus. Et quando alia Dominica non superest, imponendo eam plene Dominica infra Octavam. Et religiosum valde existit, vt omne officium proprietatis temporale imponeretur, prout possibilius fieri poterit. In Septuagesima autem pentateuchus incipitur, vt supra propositione vndecima. Vnde & Alexander Papa secundus constituit, vt omissâ historiâ de alleluia, quam habent plures libri, Responsoria de eadem historia in eadem Dominica imponantur, quæ etiam in sequenti Dominica Sexagesimæ repetentur, vt dicit Micrologus capitulo quadragesimoseptimo: & ita servant communiter libri nostri. Gregorius autem septimus, vt legi Romæ apud Lateranum, instituit, vt dicta Dominica Sexagesimæ, suâ historiâ propriâ de Noe decoraretur, & Dominica Quinquagesimæ historiam de Abraham occuparet. Et hoc suppleverunt plures Religiosi, qui Responsoria de Noe & Abraham in libris nostris coniuncta, iis duabus Dominicis posuerunt, & Laudes Dominicales deficientes addiderunt. Idem sequitur Antiphonarius, quem de Romā apportavi, & videtur conveniens supplementum. Alleluia autem idem Alexander Papa in Sabbato Septuagesimæ ad Vesperā iussit dimitti. Et Leo Papa nonus de Consecratione, dist. prima, *Hi duo Hymni*, dicit, quod isti duo hymni, *Alleluia*, atque *Gloria in excelsis Deo*, solummodo in novo Testamento inveniuntur ab Angelis decantati, quos pariter in Septuagesima intermittimus. Et in eodem Decreto vide causam huius intermissionis. Benedictini autem & Ambrosiani servant Alleluia vsque ad Dominicam Quadragesimæ. Vide in Regula, capitulo trigesimoquarto.

Secundum tempus notandum, est ipsa sancta Quadragesima. Sciendum quod Laodicense concilium, capitulo quinquagesimo primo constituit, vt Natalitia Martyrum in Quadragesima non celebrentur, sed eorum commemoratio fiat in diebus Sabbatorum vel Dominicarum. Et ex Consilio Martini Papæ, & Ponitur ibidem in capitulo sequenti, Non licet in Quadragesima Natales Martyrum celebrare, sed tantum in Sabbatis & Dominica pro commemoratione eorum oblationes offerre. Quod hic soli Martyres nominantur, hoc ideo, quia nondum apud antiquos memoria Confessorum adeo celebris fuit. Sancti quoque Patres, vt dicit Micrologus cap. 48. in Toletano Concilio constituerunt, vt annunciatio sanctæ Mariæ, de Quadragesima in xv. calendas Ianuarij transferretur, vbi annuatim solenniter & convenienter ante Natale Domini posset celebrari: Vtpote cum omnia illius temporis officia, de eadem resonent Annunciatione, vt in Ambrosiana servatur Ecclesia, in qua, eadem Annunciatio solennissime agitur in Dominica ante Nativitatem Domini. Et præterea in Ambrosiano officio, nullum festum in Quadragesima servatur, prout dicta Concilia statuerunt. Et propterea antiquitus festa Gregorij & Ambrosij ad dies ordinationis eorum transferebantur, Gregorius scilicet ad diem tertium Septembris, & Ambrosius ad octavam Andreæ, & Benedictus ad diem Translationis suæ in Iulio. Sed postea Annunciatione in Romana Ecclesia ad locum suum redeunte, similiter alij apud nos redierunt. Et exinde retenta est translatio Benedicti. Ambrosius tamen apud Romanos & Mediolanenses remanet in octava. Sic igitur in istis quatuor festis, memoratis Conciliis est generaliter derogatum: ergo & in reliquis observari deberet nec admitti in Quadragesima quodcunque aliud festum novem lectionum. Beatus Petrus ieiunium Quadragesimale primus dicitur instituisse, vt supra: sed beatus Telesphorus ab eodem septimus constituit, vt clerici septem hebdomadis ante Pascha ieiunarent. Vide 4. dist. cap. Statuimus, & capitulo sequenti. Et beatus Gregorius dicit in capitulo sequenti, quod à Quinquagesima propositum ieiunandi suscipiant, & in Quadragesimali tempore nec vxorem ducere, nec convivia facere conveniens est, de pœnitentia, dist. 7. Nec vxorem. Diebus autem privatis Quadragesimæ, pensum servitutis nostræ augmentare debemus in orationibus & operibus bonis, vt omnino tunc efficiamur religiosiores. Et hoc augmentum fit, quia ad *Miserere mei Deus*, in septem horis superadduntur septem Psalmi pœnitentiales, & *Inclina* vel altero in sexta adiuncto. Vigiliæ mortuorum cum novem lectionibus celebrantur. Post primam, decem Psalmi de Psalterio recitentur, quolibet die decem, bini, & bini sub vno *Gloria*, cum Litania, septem Psalmis iterum & orationibus consuetis. Huiusmodi seu alia particularia officia in ipso sancto ieiunio addi debent. Antiphonæ, Responsoria magna, & Versiculi ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam vbique concordant, & continentur in Antiphonario Lateranensi. Sed hæc Responsoria Fratres Minores male omiserunt. In die Palmarum sunt Antiphonæ decem nocturnales vndiquaque collectæ. Cæterum Dominicis dicantur ex Psalmista ex causa supradicta. Cætera satis patere videntur ex libris, & vsu generali.

Tertium tempus est Paschale, quod à numero dierum Quinquagesima latine, & Græce Pentecoste in scripturis dicitur. Prima hebdomada, quasi pro vna die computatur. Vnde Psalmi Dominicales ad vigilias per totam hebdomadam, terni & terni distribuuntur. Et hunc servat totus mundus, & testatur Antiphonarius Lateranensis antiquus; ideo in hoc erraverunt Fratres Minores. Ad laudes per totam hebdomadam quandoque Antiphonæ, dicuntur, vt supra propositione decima. Vesperæ à *Kyrie eleison* inchoantur, cum Psalmis Dominicalibus per tria interstitia, cum Cantu Missali & *Magnificat* & tribus orationibus. Et ita beatus Gregorius Vesperas huius hebdomadæ ordinavit, vt vidi Romæ in pluribus libris antiquis, & eas cum tali initio servat totus mundus. Quas Vesperas, iidem fratres male alteraverunt. *Confitemini* vero, ex Ambrosio per totam dicitur hebdomadam, cuius officium terminatur in Nonā sabbati subsequentis. Dominicâ in octavis Paschæ, sabbato præcedenti, more Romano dicuntur Psalmi Sabbatini. Capitulum, Responsorium, hymnus, & cætera, de historia. Ad Vigilias Psalmi Dominicales sub tribus antiphonis, aut sub novem, si habeantur. In primo Nocturno legitur de Actibus Apostolorum: In secundo, Sermo: In Tertio, Homilia, vt dixi in Propositione vndecima Responsoria de die Paschæ, & sequentibus. Ad Laudes super tres primos Psalmos, tres Antiphonas secundum notam trium primarum Antiphonarum de Laudibus Paschæ super *Benedictus*. Antiphona, *Alleluia, Surrexit*: super *Laudate*, Antiphona per *Alleluia*. Ita habetur in antiphonario Lateranensi. Cætera prout in libris. Per hebdomadam, Invitatorium Paschale; dicto hymno legetur nocturnus cum sola Antiphona, ad nonā Primæ. Lectiones de Actibus, Responsoria de historia, incipiendo à secundo, Simili modo servatur historia, *Dignus es*: & historia, *Si oblitus*. Et Dominicis ipsis Paschalibus Ordine Romano cantatur Officium Gregorianum ad Missam, & hoc videtur sequendum. Sanctus Marcus Evangelista, Philippus, & Iacobus, & inventio, servantur in Dominica, si in illa eveniant. Non autem aliud festum novē Lectionum. Ascensio Domini & eius octava servantur cum novem lectionibus sub simili officio. Et Dominica infra, cum totidem, etiam cum Psalmis Dominicalibus

sub

sub tribus, vel novem antiphonis, prout haberi possunt. Nocturnus autem cum Antiphona nocturnali, de die magis congruenti dicatur. Omnes antiphonæ per octavam, dicuntur in Laudibus & ad Vesperas. Nec tempore præcedenti, nec per has Octavas dicitur, *Te Deum*, nisi serventur novem lectiones. In hebdomada Pentecostes, Officium videtur satis generale, & ad Laudes & Vesperas dicantur omnes Psalmi.

Quartum tempus est quotidianum, quod incipit à Vesperis Sabbati post Pentecosten. Super octava vero Pentecostes, magna est adhuc diversitas. Cum enim Romani in hac Dominica imponerent historiam Regnum, nec servarent festum Trinitatis; aliæque Nationes, ut Alemanni, eadem die servant Octavas Pentecostes, in hebdomada & Dominica sequenti servantes officium Trinitatis. Alij, ut Græci plures, illo die plenum faciunt festum Trinitatis, cum Octavis maioribus. Hodiernis vero temporibus Romæ & in Curia Romana, solennis habetur festivitas sanctæ Trinitatis in octava supra dicta, quod etiam plures Alemanni cœperunt sequi postea. Per octavam autem sanctæ Trinitatis & Sacramenti, servetur Nocturnus ferialis cum sola Antiphona competentiori. Responsoria dicantur secundum ordinem, nec *Te Deum*, nec *Gloria in excelsis*, servatur, sed, *Ite Missa est*. Omnes Antiphonæ in Laudibus dicantur & ad Vesperas Antiphonæ & Psalmi feriales. De historiis usque ad Adventum, & officiis Missarum notus est duplex ordo. Unus, Antiphonæ Sabbatinæ cum Lectionibus & Responsoriis: Alter, Homiliarum, Antiphonarum ad *Benedictus*, & *Magnificat*, & ipsius Missæ. In repetendis Responsoriis per ferias, expletis ferialibus, incipiendum est à secundo. Octavæ Petri & Pauli, Assumptionis, & Nativitatis Mariæ per suos dies, etiam in Dominica non recipiunt historiam, sed Homiliam, Missam de Dominica cum memoria. In Septembri sunt Responsoria quatuor historiarum, quarum tres per beatum Gregorium non sunt completæ, tamen usus Romanus ex illis facit quatuor historias Dominicales. Aliæ autem Ecclesiæ quam plures, duas faciunt coniungendo incompletas. Quicquid sit religiosum est, in quatuor temporibus illius mensis, à novem Lectionibus vacuis, cantari de tempore, & in Dominicis & aliis diebus taliter aptari, ut omnia peracantentur. Nam Romanus usus, Octavâ Nativitatis Mariæ integre servatâ, reliquas omnes festivitates transfert, etiam festum Matthæi, ut Historiæ imponantur. Et licet prius dictum sit, adhuc repeto, quod nulla vis est facienda in ordine Responsoriorum seu in versibus eorundem, quia in his raro libri concordant, etiam eiusdem loci, dum tamen cætera omnia honeste & secundum ordinem Canonicum à vobis fiant.

PROPOSITIO XVII.

Quilibet usu Sancti Dei sub diverso gradu venerantur: partim ex Evangelio, partim ex Urbe, partim ex generali consuetudine, partim ex patria atque loco.

Congregate illi Sanctos eius, qui ordinaverunt Testamentum eius super sacrificia, Sancti autem Dei omnes, congregati sunt cum Deo Abraham, & eorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Eorum autem nomina, quorum notitia habetur, & Passiones collignuntur in Martyrologio Ecclesiæ: non tamen singulos in sacrificiis laudis divinæ venerari valemus. Sed ex omnibus aliqui congregati debent, & in aliqua Matricula publica annotari, ut ipsos, cum eorum dies occurrerit, debite veneremur. Et hanc Matriculam Calendarium appellamus. Congregare ergo Deo nostro Sanctos suos in Ecclesiæ Calendario, qui ordinaverunt Testamentum Christi: super sacrificia laudis [illegible] illi exhibendam omnimode obligamur. In congregando autem dictos Sanctos, imponendi sunt in huiusmodi Calendario Sancti Dei, quos ex sancto Evangelio, seu ex officio beati Gregorij Romano venerari tenemur: necnon & illi, quos Ecclesiæ generalis consuetudo veneratur & colit. Et ut omnium usu sunt inscribendi, eosque in Calendario in principio præscripto annotavimus. Et si [illegible], Bartholomæus, Ambrosius, Chrysogonus, Martinus Papa, Eustachius, Linus, Chrysanthus & Daria, Septem Dormientes, & si qui sunt alij, apud Romanos aliis diebus inscribuntur, quam apud nos, sedes Apostolica super hoc præcipit, ut in hoc consuetudo regionis observetur, Extra de observatione ieiuniorum, Consilium. Et de verborum significatione, Quæsivit. Et præterea quilibet usum in Calendario proprio ascribere debet eos Sanctos, qui in illa terra vel loco specialiter venerantur. Et ne in his & aliis erretur super Calendario Ecclesiæ emendato, recurrere convenit ad Ecclesiam Cathedralem. Et ita præcipitur in Statutis Coloniensium & Leodiensium. Nec in huiusmodi Calendario inscribendi sunt Sancti, quos in officio non veneramur. Alias Calendaria fiunt intricata, & simplicibus sacerdotibus datur occasio omittendi officium feriale. Nec præterea cuiquam liceat instituere, ascribendo aliquos sanctos, ut ipsis fiat singulare officium contra auctoritates supradictas. Sanctis igitur Dei, quos venerari tenemur, sic congregatis & inscriptis, videamus de eorum officiatione. Pro quo notum est, quod æqualiter omnes venerari non debemus, nec possumus, nec generaliter est consuetum. Ideo aliqui transeunt sub simplici commemoratione, alij sub tribus lectionibus, alij sub novem. Qui autem ex eis novem debent habere lectiones, ita sciri potest. Primo namque dies Sanctorum, quia à Clero & populo celebrantur, sive auctoritate Romanâ sive Diœcesanâ, necnon duplex festum habentes, cum novem lectionibus, debent observari. Et præterea hi dies Sanctorum, quos Statuta episcopalia cum tot lectionibus præcipiunt observandos, simul ter cum novem lectionibus teneantur. Notum est autem, quod festa Domini, & sex Matris, Inventionis sanctæ Crucis, duodecim Apostolorum, Nativitatis Baptistæ, Laurentij, Michaelis, & Dedicationis Ecclesiæ, auctoritate Apostolicâ a Clero & Populo celebrantur. Et similiter generali consuetudine, Patronus Ecclesiæ, Conversio Pauli, Cathedra, & ad Vincula Petri, Festa Martini & Nicolai, Magdalenæ & Catharinæ. In Statutis autem Coloniensium, Agnes, Georgius, Pantaleon, Decollatio Ioannis, Exaltatio Crucis, Gereon, duodecim millia Virginum, Severinus, Cunibertus, & Cæcilia. Et secundum Statuta Leodiensium, Servatius, Lambertus, Dionysius, & Hubertus, à Clero & Populo celebrari præcipiuntur. Et ita quilibet adiungat Festa celebria sui loci. Item ex Constitutione Bonifacij Papæ VIII. Festa principalia duodecim Apostolorum, quatuor Evangelistarum, & quatuor Doctorum, sub duplici festo in Ecclesia celebrantur. Generali etiam consuetudine, Barnabas Apostolus, Clemens Papa, Benedictus, Dionysius, Agatha, Agnes, & Cæcilia, Divisio Apostolorum, habent festivitatem novem Lectionum. Et secundum Statuta Coloniensium, Fabianus & Sebastianus, Ægidius, Lambertus, Dionysius, Mauritius, & Remigius. Et secundum Statuta Leodiensium, Dominicus, Franciscus, Leonardus, & undecim millia Virginum, novem obtinent lectiones in suis locis & Diœcesibus. Et similiter in aliis Diœcesibus, Episcopi suo Clero determinare debent, quæ festa illi teneantur sub novem lectionibus observare. Nam sicut episcopi eorum populo determinant eorum festa celebranda (ut de consecratione, dist. 3 cap. *Pronunciandum*, Extra de feriis, capitulo *Capellanus*) ita ipsorum clero, eorum festivitates debent determinare. Et si in aliqua diœcesi determinata non habentur, tunc super hoc discretio magna est adhibenda, ut in hoc attendatur generalis & rationalis observantia totius Diœcesis; Adhibita hoc

Calendarium hic exercitus Lovanij caret.

moderamine, ut non faciliter multa sub novem lectionibus acceptentur. Nam videmus ex Statutis ante dictis, quamvis in locis eorundem, multa sint corpora Sanctorum, & plures Sancti locales, ut in Colonia S. Mauritij, S. Evaldi, Eliphius, Heribertus, & alij plures, & in Leodio Theodardus, Remaclus, Mono, Oda, & cæteri multi, (habuit enim illa Ecclesia triginta episcopos canonizatos) tamen dicti episcopi moderati fuerunt in novem lectionibus instituendis. Et secundum B. Bernardum ad Canonicos Lugdunenses, festivitates non sunt multiplicandæ; quia hæc frequentia gaudiorum, Patriæ est, non exilij: & numerositas festivitatum, cives decet, non exules. Et videmus in usu Carthusiensium, Cisterciensium, Prædicatorum & cæterorum, quod paucas habent festivitates singulares seu speciales. Festivitates enim Carthusiensium speciales sunt, Antonius, Vincentius Barnabas, Bernardus, Mauritius, Dionysius, undecim millia Virginum, Catharina, Thomas Cantuariensis, & ratione ordinis, duo Hugones cum festo reliquiarum. Et, si obiciatur de usu Fratrum Minorum, omnia sub novem lectionibus servanto, Respondetur, quod quamvis Romani ultra alias Nationes, plures habeant festivitates, propter pluralitatem localium Sanctorum, tamen dicti fratres extra usum antiquum Romanum, in novem lectionibus valde abutuntur, & eorum abusus non est sequendus, sed omnino detestandus, ut per Dei gratiam ex scripturis de Urbe venturis latius suo tempore declarabo, & infra dicam propositione vigesima secunda. Hoc igitur sit nunc præcipuum & magnum principale, quod honeste & secundum ordinem debet fieri a vobis, videlicet, ut discrete recipiantur, & secundum auctoritatem possibiliorem in locis vestris admittantur locales festivitates novem lectionum. Nam ubi de Domino nostro Iesu Christo servatur una festivitas, scilicet Dominicalis, ibi de eodem sex feriæ subsequuntur. Et quod in hac proportione unius ad sex, dies servorum suorum festivi & privati esse debeant, mysterium habemus ex Evangelio. Nam ubi Dominus noster in superiori gradu posuit unum Apostolum, ibi in inferiori posuit sex discipulos: Et ubi elegit duodecim Apostolos, ibi designavit sexies totidem discipulos. Sexies enim duodecim, faciunt septuagintaduo, qui est numerus discipulorum Christi. Ipsi enim facta Domini, Præcepta sunt: Quia dum aliqua tacitus facit, quid agere debeamus, innotescit, secundum B. Gregorium in Homilia. Sicut ergo pauci sunt dies Dominici, & multæ feriæ, ac pauci Apostoli, & multi discipuli: ita paucæ debent esse festivitates, & multæ feriæ, seu dies sanctorum trium lectionum. Sit etiam ad hoc summa ratio, ut Psalterium continuetur, in quo principaliter officium existit, ut superius est probatum. Et si bene computes & ordines, non erunt tot festivitates in anno, sicut sunt Dominici dies: Quia servi non debent esse supra eorum Dominum; nec discipuli supra Magistrum. Et credendum est, huiusmodi observationem magis gratam esse ipsis Sanctis Dei ad finem, ut Psalterium, sacra scriptura, officium mortuorum, septem Psalmi pœnitentiales, quindecim Psalmi Graduales, & huiusmodi serventur iusto ordine, & paucæ fiant festivitates. Non enim sancti Dei appetunt indebitas laudes, sed ut rationabile fiat obsequium nostrum. Viso ergo, qui sancti venerandi sint sub novem lectionibus: videamus, qui sub tribus, seu sub memoria venerentur. Et in primis notetur, quod omnes illi sancti Dei, quibus in Calendario præmisso Missam ascripsimus, in Gregoriano officio & ubique propriam Missam habent, & omnium usu sub tribus venerantur lectionibus, nisi concurrant cum maiori festivitate, quo casu commemorationem habent, & Missam ad partem habere debent. Hi ergo in primis ad minus cum tribus lectionibus diebus suis sunt sic venerandi. Ideo in Calendario suprad icto, illis annotantur tres lectiones cum Missa, & eorum pauca, proprium habent historiam. Præter istos, diversi hinc inde diversorum usu cum tribus lectionibus servantur: ut apud Carthusienses, Polycarpus, Blasius, Petrus Martyr, Cyricus & Iulita, Leo, Margareta Christina, Nazarius cum aliis, Germanus, Eusebius, Lucia, & Euphemia, Tecla, Fides, Crispinus & Crispinianus, Eustathius cum sociis, Brictius, Columbanus, Linus, Vitalis & Agricola, Silas Apostolus, Saturninus & Eulalia. Et præterea Fabianum & Sebastianum, Inventionem Crucis, Inventionem Stephani. Dominicum, Remigium, & Franciscum servant cum tribus lectionibus, quos alij servant cum novem. Aliquos vero servant sub commemoratione, vel quia concurrunt cum maiori, vel infra Octavas maiores, ut Sylvestrum, Paulum primum Eremitam, Hilarium Alexandrum cum aliis, & cæteros cum memoria subnotatos. Diebus autem à festivitate, seu octavis maioribus vacuis, vel servant cum tribus lectionibus, sanctos occurrentes, vel officium feriale. Aliquorum tamen usus, ut Prædicatorum & sequacium, in huiusmodi diebus habent aliquos sanctos inferioris gradus, quos etiam sub commemoratione duntaxat servant in officio temporali. Et iste & tertius modus commemorationis propter sancti humilitatem. Ecce primo exempla in usu Teutonicorum de Prussia, qui ultra sanctos propriæ Missæ supra in Calendario inscriptos, servant cum tribus lectionibus Antonium, Timotheum, † Chrysogonum, Basilium, Vitum & Modestum, Paolinum Nolanum, Pantaleonem cum aliis, Germanum, Octavam Laurentij, Bernardum, Ægidium, Lambertum, Remigium. Et cum novem lectionibus Mauritium cum sociis Cosmã & Damianum, & sub memoria in officio feriali, Maurum, Emerentianam, Polycarpum, Vedastum, & Amandum, Scholasticam, Ammonum, Perpetuam & Felicitatem, Potentianam & Petronillam, Nicomedem, Medardum, Quiricum & Iulitam, Christinam, Donatum, Romanum Eusebium, Rufum, Euphemiam, Leodegariũ, Fidem, Martham, Crispinum & Crispinianum, Narcissum, Quintinum, Leonardum, Martinum Papam, Brictium, Agricolam & Vitalem, Saturninum Episcopum. Eligium, Barbaram, Sabam, octavam Andreæ, Damasũ, Lazarum, de Episcopis vero Hierosolymitanis, quia eorum titulus est, Hospitales beatæ Mariæ Hierosolymitani, sub tribus lectionibus servant dies Simeonis & Alexandri, & sub memoria, dies Matthiæ, Zachariæ & Marci Episcoporum. Collige ergo causas venerationis Sanctorum. Nam sub novem lectionibus, Sancti venerantur, vel quia à Clero & Populo celebrantur, vel quia habent duplicia festa, vel ex statuto episcopali, vel æquipollenti. Et sub tribus lectionibus fiunt, vel quia in officio Romano habent proprium officium Missæ, vel quia ad hunc honorem in illo usu sunt assumpti, & sub memoria transeunt; vel quia cum maiori concurrunt festivitate, vel occurrunt infra octavas maiores. (Et hi duo modi sunt generales,) vel propter eorũ humilitatem, quorundam usu. Et hunc modum servant plures, ut Leodienses tempore Paschali de sanctis illis, qui propriam non habent Missam. Considerate Domini & Fratres mei, quam rationabiliter, & quomodo quasi pariliter Fratres Carthusienses ad eremum positi, & Domini Teutonici ad pugnam ordinati, in eorum Religionibus obsequium faciunt salutare, de Sanctis videlicet propter officium temporale Dei summi, paucos eorum sub festivitate & tribus lectionibus observantes: quamvis in omnibus tribus lectionibus utrique eorum Nocturnum servent iuxta decimam Propositionem. Seculares quoque Ecclesiæ communiter diebus quotidianis, Sancto occurrente, Officium repudiant tẽporale. In contrarium autem servant Cistercienses, qui similiter aliis usibus raras habent duodecim lectionum festivitates. Alios vero Sanctos quoslibet servant sub sola memoria Et in hoc præcedunt Carthusienses.

† Chrysostomũ

PROPO

PROPOSITIO XVIII.

Dies sanctorum novem lectionum, in morem Dominicalem: trium vero lectionum, more feriali sunt inofficiandi.

NOn est discipulus super magistrum, neque servus super dominum suum. Sufficit enim discipulo, ut sit sicut magister eius, & servo, sicut dominus eius. Matth. 10. cap. Servus gaudeat se esse in Domini familia, nec illum decet ut ultra dominum decoretur. Sanctis ergo Dei, qui sunt servi Domini, iucundum esse debet, si dies eorum officientur proportionabiliter officio, quod de Christo eorum Domino observatur. Vnde dies sanctorum novem lectionum, qui festivitates appellantur, sicut Dominicæ, de Vespera in Vesperam officiari debēt. Et hoc ponit B. Benedictus cap. 13. sic dicens: In Sanctorum vero festivitatibus vel omnibus solennitatibus, sicut diximus Dominico die agendum, ita agatur: Excepto, quod Psalmi, vel Antiphonæ, vel lectiones ad ipsum diem pertinentes, dicantur. Modus autem supra dictus teneatur. Hæc ibi. Similiter observationes Sanctorum trium lectionum sequi debent modum privatum officij ferialis, ut infra declarabitur. Et iste est decor divini officij in utrisque, ut Dominicalia in festivitatibus, & ferialia seu privata in diebus sanctorum trium lectionum, serventur. Etsi prærogativæ Dominicales & privilegia novem lectionum ad dies privatos applicarentur, ex hoc officium deturpabitur, & deordinabitur ipse ordo. Sancti enim Patres valde studuerunt, ut in observationibus Ecclesiasticis cōcordia servaretur, & omnis dissonantia vitaretur. Festivitates igitur aguntur Dominicali more cum utrisque Vesperis: in quibus & ad Laudes quandoque Antiphonæ super Psalmos sunt cantandæ semper & ubique, ubi haberi possint, ut supra Propositione X. Ad priores Vesperas, Psalmi feriales cum Antiphonis ferialibus, nisi propriæ habeantur. In Responsorio Vespertino usus multorum existit, ut in officio duplici, Responsorium ad Vesperas utrasque cantetur. Et si festivitas à populo celebretur, ad Vesperam primam servetur, Suffragia, ut in Dominica dicantur, & in solennitatibus abbrevientur. Invitatorium autem sit solenne, & Hymnus utique ad nocturnos cantetur: in quibus super novem Psalmos, novem antiphonæ omitti non debent. Lectiones & Responsoria sint authenticæ: Responsoria novem cantentur, *Te Deum*, *Gloria in excelsis*, & *Ite Missa est* dicentur, quando in Dominica dici possint. Sin autem, servus super Dominum non existat, nisi ex dispensatione Domini speciali. Missa communiter de ipsa festivitate celebrari consuevit. Ad secundas Vesperas, omnes Antiphonæ de Laudibus super Psalmos feriales repetuntur: nisi festivitas habeat speciales, sicuti de Apostolis, & secundum multorum usum de aliquibus aliis quidam servant. Quod si duæ festivitates novem lectionum seu festivitas cum Dominica aut una ipsarum cum die trium lectionum, in unum diem concurrant, quarum utraque plenum per se exigit officium, celebrior ex integro observetur, & alterius memoria tantum agatur. Si autem utraque plene observanda videtur, altera differatur in diem sequentem: sicut S. Gregorius Papa festum S. Pauli, post festum S. Petri voluit observari. Nam illam usurpationem, quæ ex duobus officiis in uno die observandis, unum incompositè compingit, videlicet ut unum Nocturnum de uno festo, & reliquos de alio observemus, Sanctorum Patrum auctoritas non admittit, quæ semper in officiis concordiam custodire præmonuit, ut supra: Quia si utrique eodem die satisfacere niteremur, debita officiorum reverentiâ neutrum celebrasse convinceremur. Sic itaque festivitates convenienter inofficiantur, si proportionaliter quantum officium permittit, Dominicis adæquentur. In duabus vero festivitatibus continue occurrentibus, communis Vespera officiari non debet ex integro, ut abusive quotidie faciunt Minores. Sed observandum est, quod dicit Micrologus cap. 55. in hæc verba: Omnes authentici Antiphonarij, secundam Vesperam S. Stephano concedunt ex integro: unde & reliquis festivitatibus per annum, hoc exemplo secundam Vesperam ex toto concedimus, etiamsi maior festivitas subsequatur. Non enim congruum est, ut Psalmos Vespertinales tantummodo præcedenti festo, reliqua vero subsequenti tribuamus. Nam sancti Patres nullum nobis inde exemplum reliquerunt, qui potissimum nos concordiam officiorum singulari diligentiâ servare docuerunt. Summa tamen festivitas si quando minorem subsequitur, secundam Vesperam prioris festi, sibi ex toto non incongrue vendicabit, ut Octava Domini, secundam Vesperam S. Sylvestri, Vesperam quidem de quolibet festo uniformiter perficimus: deinde alterius festi, si necesse fuerit, post *Benedicamus Domino*, memoriam facimus, ut de S. Stephano, & de S. Ioanne observamus. Parilis consideratio omnino suo modo, habenda est in diebus trium lectionum. Nam sicut novem lectiones ad formam Dominicarum observantur, ita tres lectiones observentur ad modum feriarum. Et hoc bene custodiunt monachi Carthusienses, & Domini Teutonici supradicti. In Officio igitur Sanctorum trium Lectionum in omnibus punctis fiunt prostrationes, prout eodem tempore in officio fierent feriali. Ad primam Vesperam, quando locum habet, Antiphonæ & Psalmi feriales dicuntur: Capitulum, Hymnus, Versus, Antiphonæ ad *Magnificat* cum Collecta, de ipso Sancto, Suffragia ut in feriali Officio. Completorium & Prima, per totum & cum Psalmo *Miserere*, sicuti in Officio feriali. Invitatorium autem canitur in Tono feriali. Et cantato hymno de Sancto, psallitur Nocturnus ferialis, ut probatur propositione decima. Lectiones de sacra scriptura legantur secundum omnes Doctores, Responsoria, Versiculi, & Versus Antiphonæ ad Laudes & cætera serventur de ipso Sancto. Vigiliæ & Vesperæ mortuorum, Psalmi Graduales & Pœnitentiales cum eorum sequelis, sicut in feriali officio observentur. *Te Deum*, & *Gloria in excelsis*, nusquam dicantur prout nec fit in officio feriali; & ita scriptum est, ut supra probatum fuit Propositione decima tertia: Ergo tenendum & cantandum. Ad Tertiam, Sextam, & Nonam, multorum usu Antiphonæ dicantur de sancta Trinitate. Missa vero servatur de ipso Sancto, si propriam habet, sine *Gloria in excelsis*, & cum *Benedicamus Domino*. Et sicut in diebus sanctorum trium lectionum ad preces Completorij & Primæ addimus *Miserere mei Deus*: ita Carthusienses ad horas singulas, quia in illis preces habent, in eisdem diebus similem addunt Psalmum. Et in ea parte eisdem diebus, dicti monachi discrepant ab usu nostro. Volenti igitur respicere ad Officium feriale, facile erit observare dies sanctorum trium lectionum. Sed verum est quod tam Monachorum, quam nostro usu in eisdem diebus, tam tempore paschali, quam octavis maioribus occurrentibus omittuntur preces non solitæ, & cætera prout in paschali tempore hæc solent omitti. Officium vero Sanctorum trium lectionum, in ipsa Missa terminandum est. Nam ut dicit Micrologus cap. quadragesimoquarto, iuxta Romanam consuetudinem, nullius Sancti trium Responsoriorum mentionem facimus post Missam, sive illa cantatur ad Tertiam, sive ad Sextam. Imo cum ipsâ Missâ mentionem Sancti finimus, & reliqua de ferialibus dicimus. In festo autem novem lectionum, omnia usque ad secundam Vesperam de festo agimus. Hæc ibi. Et hunc terminum servant Carthusienses. Hæc igitur est simplex observantia in tribus lectionibus, ut totum fiat proportionaliter modo feriali secundum supra dicta. Sed eam multi multipliciter alterant & corrumpunt. Aliqui enim dies sanctorum trium lectionum distinguunt intitulando per Titulum trium Responsoriorum & aliunde. Alij vero

per Titulum, Si feria inclusa Dominicæ, vel excepta. Alij per Collectam, & sine Collecta, & per Missam, & per tres lectiones, cum *Te Deum*, & si Dominica, novem. Alij cum *Te Deum*, & sine illo, & diversis alijs modis. In quibus aliquorum abusus ab omnibus privatis & particularibus officijs dies Sanctorum triū lectionum absolvit in certis diebus, sicuti in novem lectionibus observatur. Sed omnium usibus reiectis, pia & religiosior observantia esse videtur, sequendo modum simplicem supra dictum; quem Fratres Carthusienses, Domini Teutonici, & solenniores Religiosi approbant & sequuntur. Et credendum est, quod sanctus Pater Benedictus, qui omnium Sanctorum spiritu plenus erat, ab Officio Romano noluit omnimodè discrepare, sed cum eodem (salvis paucis) se concordare; ut unum ad aliud adæquanti, modicâ distantiâ apparebit.

Camer. Traiect. Leodien. In Viridi Valle.

PROPOSITIO XIX.

Solennitates maiores aliquando officio Vigiliæ præveniuntur aliquando per octavas extenduntur.

VT dicit Alexander Papa tertius, qui cœpit anno Domini 1159. Extra de ferijs capitulo secundo, Licet scriptum sit, de Vespera ad Vesperam celebrabitis Sabbata vestra: Festorum tamen principium & finis, iuxta eorum qualitatem, & diversarum regionum consuetudinem debet attendi: & sicut magnitudo diei exigit, prius incipere, & tardius terminari. Regulares termini Festivitatum, auctoritate sanctæ scripturæ ponuntur de Vespera in Vesperam. Sed ex earum magnitudine in officio Vigiliæ præveniuntur citius, & in officio Octavarum latius extēduntur. Ideo de istis duobus consequenter videamus. Officium Vigiliæ obtinent Festa Domini, duo Festa suæ Matris, scilicet Assumptionis, & ex Constitutione Gregorij XI. quando Romam venit, Nativitatis Mariæ, & dies Ioannis Baptistæ, Laurentij, & ut dicit Innocentius tertius de observatione ieiunij, cap. 2. Omnium Apostolorum Vigiliæ sunt in observatione ieiunij celebrandæ: præter vigilias Apostolorum Philippi & Iacobi, & Ioann. Evangelistæ. Quoniam eorum Festivitates infra solennitatem paschalem, istius autem intra Natalem Domini celebratur, Vt dicit Alexander tertius de verborum significatione, capitulo, *Quæsivit*, in vigilia B. Matthiæ, nisi in Dominica evenerit, ieiunium celebratur. Hæ autem vigiliæ, quæ ieiunium habent, consequenter obtinent & Missam. In Antiphonario vero, quem de Roma detuli, in Assumptione Mariæ à Matutinis incipit officiū vigiliæ, sicut in Nativitate Domini videmus. Officium quoque Ambrosianum de maioribus solennitatibus loci, ut Gervasij & Protasij, Nazarij & Celsi, Naboris & Felicis, Simpliciani & Dionysij, & cæterorum localium, etiam in vigilijs servat proprium Missæ officium. Quod etiam aliæ Nationes de eorum Patronis, & similibus præcipuis servare consueverunt, ut Leodienses de S. Lamberto, Traiectenses de S. Martino. Pia autem & religiosa consuetudo solemnium Ecclesiarum existit, ut sicut ieiunium servatur in vigilia, ita & servitium servetur in horis temporale, cum memoria sanctorum, si qui tunc occurrant, prout tempore ieiunij facimus in Adventu & in Quadragesima: Et hoc idem in alijs sanctorum vigilijs, pro quibus Missa dicitur, pie dicunt observandum: quamvis non habeant ieiunium sub præcepto. Missa de vigilia servanda est propter ieiunium modo feriali. Et ut dicitur in Micrologo, cap. 55. Hoc quoque in omnibus vigilijs congrue observatur, ut Nona de futuro Festo peragatur, si tamen post Missam differtur, videlicet, ut postquam de Festo post Missam incipimus, nullam deinceps cum Nona dissonantiam Officiorum faciamus; quam maxime S. Patres in dispositione eorundem devitare studuerunt.

Lev. 23.

Roma Antiphonarium attulit.

Quod si vigilia in Dominica cadat, Officium Dominicale, quod est maius, propter eam non immutatur. Et Missa de vigilia, vel de Dominica, de mane, vel Sabbato vel alias loco congruo imponatur.

Dicto de vigilijs, quibus Festivitates prius incipiuntur, dicendum est de Octavis, quibus tardius terminantur. Et primo notandum, quod secundum usus approbatiores, ut Carthusiensium & cæterorum, & prout in pluribus rationalibus legitur, huiusmodi Octavæ sunt duplices, scilicet, maiores & minores, in maioribus octavis, prima & octava dies & Dominica infra, novē habent lectiones: cæteri autem dies habent tres. Prima autem & octava dies simili Officio celebrantur, ut in festivitatibus. Dominica autem infra, Officio ab ipso die principali mutuato, servatur Dominicaliter: quia ad utrasque vesperas dicuntur Psalmi de die, & ad vigilias noctis Invitatorium, Hymnus, novem Responsoria, * Laudes, & cætera de ipso die. Et ad tres Nocturnos dicuntur Psalmi Dominicales sub tribus vel novem Antiphonis, prout in festivitate recipi possunt Lectiones autem sex de historia, quæ tunc leguntur cum homilia Dominicali, & *Te Deum*. Ad utrasque Vesperas & Matutinas, memoria de Dominica. Ad primam Psalmi, *Deus in nomine. Confitemini*, & cæteri. Missa de Dominica cum memoria festivitatis celebretur. Privatis autem diebus, Invitatorium erit parvum, & sub Tono feriali. Hymnus autem de festo. Nocturnus vero ferialis sub una Antiphona de Nocturnis festi, quæ magis congruit recitanda. Lectiones de historia currenti, Respōsoria secundum ordinem de ipso die: Primo, secundum usum Romanum omisso. Et ipsis expletis, iterum à secundo incipiatur. Nec *Te Deum* nec *Gloria in excelsis* dici debent, ut probatum est propositione decimatertia. Quinque Antiphonæ ad Laudes super Psalmos communes teneantur. Ad vesperas super psalmos feriales, Antiphonæ quinque de Laudibus, si non dicantur feriales. Cætera officientur de ipso die. In octavis autē minoribus, diebus singulis intra octavas nulla facienda est mentio de ipsa solennitate: sed ipsa octava dies tenenda est sub tribus lectionibus, prout tenetur unū aliquod simplex festum trium lectionum. Vnde scribitur in Micrologo, cap. 44. Iuxta Romanam auctoritatem, nullorum sanctorum Octavas observare debemus: nisi unde aliquam certam traditionem à sanctis Patribus habemus. Eorum quoque quorum Octavas celebramus, nullam quotidianam mentionem per interiacentes dies agimus: quia nullam auctoritatem inde habemus, exceptis de sancta Maria & de S. Petro, quorum memoriam & alio tempore non cessamus frequentare. Et idem scribitur in rationali, quod dicitur gemma Ecclesiæ. Festivitates autem sanctorum novem lectionum, infra octavas maiores servandæ sunt cum memoria octavarum. De cæteris autem sanctis fiat tantum memoria: si tamen propriam Missam habeant, illa cum *Ite Missa est* cantetur. Huiusmodi autem octavas maiores habent, Nativitas Domini, Epiphania, Ascensio, Trinitas, & Sacramentum, Assumptio & Nativitas Mariæ, Petrus & Paulus, Minores vero habent Andreas, Laurentius & Martinus, & secundum Carthusienses, Ioannes Baptista. Et addendum est, quod dies privati infra octavas maiores reputantur, quasi forent temporis paschalis. Vnde in eis non servantur prostrationes, preces cum *Miserere*, & cætera huiusmodi, quæ paschali tempore omittuntur, ut etiam faciunt Carthusienses. Qua consideratione plures Alemanni eisdem diebus ad vigilias noctis servant tantum tres Psalmos cum tribus Antiphonis, ut tempore paschali facere consueverunt. Sed hoc reprobatum est supra Propositione decima.

for. * Lectiones.

PROPOSITIO XX.

Officia mortuorum & Virginis gloriosæ, obligatoria sunt, & ab omnibus observanda.

SAncta ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur, secundo Machabæorum, duodecimo capitulo in fine. Et nulli dubiũ, quin totum ad laudem Dei pertineat, quicquid suæ Genitrici dignè fuerit impensum, ut dicit beatus Hieronymus in vers. *cogitotis*. Inde est, quod ne dum Apostolicis constitutionibus, sed generali omnium nationum consuetudine, officia de utrisque secundum temporum congruentiam persolvi debent. De officio autem mortuorum præcipitur ext. de celeb. Miss. c. Cum cantatur. De officio vero B. Virginis legitur in Chronicis, quod Vrbanus II. qui novem præfationibus prioribus decimam de B. Maria Virgine addidit, ut infra dicetus, in Gallias veniens, concilium apud Claremontem urbem celebravit, anno Domini 1096. de mense Novembri: In quo statutum est, quod horæ B. Mariæ Virginis quotidie dicantur, Officiumque eius diebus Sabbatorum solenniter fiat. Ideo primo aliqua de officio mortuorum differantur: de quo advertendum, quod idem officium omnium more habet vesperas & vigilias atque Laudes absque cæteris horis, necnon officium Missæ. In vesperis vero, tam in Antiphonis quam in Psalmis, ubique est concordantia. Et in Antiphonis ad *Magnificat* servatur usus. In Vigiliis sunt novem Antiphonæ, novem Psalmi, & novem lectiones. In Psalmis tertij Nocturni, aliqualis usuum est discrepantia. In lectionibus Romani, Ambrosiani, Benedictini, & quasi omnes usus concordant, salva variatione 9. lectionis: In Responsoriis similiter usus aliqualiter discrepant. Ideo quilibet teneat suum usum. In Laudibus modica differentia existit. Generalis plurium usus est, ut vesperæ, & vigiliæ dicantur die præcedenti, & Laudes die sequenti post Matutinas. Et quodlibet dictarum trium horarum cum suis precibus, Psalmis & Orationibus terminatur: Aliqui tamen vesperas & vigilias simul iunctas, uno fine concludunt. Et in dictis tribus officiis servantur prostrationes, quando illæ fiunt in officio principali. Singulares autem esse videntur quidem Alemanni, qui lectionibus generalibus cum suis Responsoriis non contenti alias etiam lectiones cum Responsoriis confictis nituntur observare. Nec tales singulares novitates Religiosi sequi debent, quos communia & facilia decet observare. Et sicut dictæ tres horæ suis diebus servari debent, ita etiam eiusdem officij Missa eisdem diebus debet conventualiter celebrari. Hoc autem officium intermittitur aliquando propter dierum incongruentiam, ut in hebdomadi paschali, & triduo præcedenti: aliquando propter ipsius diei festivitatem: ut in omnibus novem lectionibus & maioribus * & aliquorum usu tempore paschali, & per octavas maiores. Sed in hoc conveniens discretio habeatur. Et ut facilius observetur, aliquorum usus habet, ut Psalmodia cum Antiphonis, minoribus diebus planè dicantur, Lectiones autem & Responsoria decantentur. In Quadragesima vero & Adventu servantur novem Lectiones cum Responsoriis. Cæteris temporibus secundum ferias tres Lectiones cum suis Nocturnis dicantur. In diebus depositionum & anniversariis defunctorum, novem Lectiones sunt servandæ. Qui præmissis subtrahere vult, hoc faciat suo iure.

for. * festivitatibus.

De officio Virginis gloriosæ

Officium autem Virginis gloriosæ, omnium more habet septem horas sicut principale. Et convenienter potest sic servari, ut ad vigilias noctis illud dulce dicatur Invitatorium, *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum.* Hymnus, *Quem terra.* Romano usu tres Nocturni cum novem suis Antiphonis dicuntur secundum ferias: utpote Dominica, feria secunda & quinta, de primo Nocturno, feria tertia & sexta, de secundo: feria quarta & sabbato, de tertio. Et hinc utique congruit, ut sufficienter iterati, Nocturnum non impediant sabbatinum. In Lectionibus tribus matutinalibus sunt multæ diversitates. Aliqui dicunt de Ecclesiastico, *In omnibus requiem, &c.* Aliqui tres parvulas, de sermonibus Augustini. Aliqui tres parvulas sine auctore, quarum initium est, *Sancta Maria piarum piissima.* Omnibus reiectis, religiosum videtur, in hac parte sequi Carthusienses, ut de Evangelio Lucæ 1. cap. tres legantur lectiones. Prima, *In mense autem sexto missus est Angelus Gabriel,* usque ibi, *dixit autem.* Secunda, ab inde usque, *Exsurgens autem Maria.* Tertia ab inde finiatur, *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.* Et addatur. *Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reversa est in domum suam.* Responsoria tria satis sunt consueta. *Te Deum* dici non debet, ut probatum fuit propositione XIII. Ad Laudes Romano more quinque Antiphonæ, *Assumpta est Maria* cum aliis. In capitulis, orationibus & hymnis servetur usus. Laudabili more in hoc officio fiunt quædam suppletiones, ut quia in Ambrosiano & Benedictino ad horas dicitur Litania, Kyrie eleison, quam quotidie tantum in Completorio & Prima dicimus: Ideo in hoc officio suppleatur, ut ad parvas horas more Benedictino post capitulum absque responsoriolo dicatur versiculus, & ad singulas horas ante orationem dicatur Romano more, *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Dominus vobiscum,* vel, *Domine exaudi. Oremus.* Suffragia vero ad Laudes & vesperas fiunt secundum devotionem. Romani dicunt de eorum Patronis Petro & Paulo, & de omnibus sanctis. Aliorum devotio ad parvas horas iungit tres orationes de B. Virgine, de Spiritu sancto, & de omnibus sanctis. Vnde ad Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam, in Hymno convenienter præmittitur versus, *Veni creator.* Ad quinque autem parvas horas congrue distribuuntur quindecim Psalmi Graduales, maxime eorum usu, qui illos non dicunt ante vigilias noctis. Et Benedictini, qui eosdem Psalmos ad principales certis diebus servant horas, ordine transmutato in officio B. Virginis ad Primam, Tertiam, Sextam & Nonam dicunt illos Psalmos, quos in eisdem horis in eodem officio dicimus principali. Ad vesperas super Psalmos notos dicentur quinque Antiphonæ, *Dum esset Rex*, cum aliis, ut dictum fuit propositione X. & servant Romani. Et si aliquæ memoriæ in officio principali, ea causa omissæ sunt, & illæ in hoc officio suppleri possunt. Præterea hoc officium in usu Romano ad Laudes, vesperas & parvas horas in Adventu & post Nativitatem Domini, habet Antiphonas singulares & alias proprietates, quæ ex usu Fratrum Minorum sciri possunt. Et tempore paschali in tribus Evangeliis Antiphona *Regina cæli.* Hoc officium intermittitur aliquando propter temporis incongruentiam, ut in hebdomada paschali, & triduo præcedenti: aliquando ne bis dici videatur, ut quando servitium principale fit de Virgine gloriosa: & aliquando in paucis solennitatibus maioribus: super quo recurrendum est ad usum Carthusiensium & similium regionum, & non ad notas Fratrum Minorum, quæ contra ea quæ Romæ vidi scripta, in hac parte nimis se laxant. Item secundum usum plurium, singulæ horæ huius officij sive in choro, sive extra privatim dicantur, ante horam principalem dicuntur, excepto Completorio, quod dicitur post horam principalem. Sed secundum usum Fratrum Minorum, qui Romanus dicitur, Matutinum & Vespera dicuntur ante, & parvæ horæ dicuntur post horas principales. Omnium usu generali diebus sabbatinis, quando propria Missa non occurrit, cantatur Missa de Virgine gloriosa, cuius officium in omnium Missalibus secundum tempus anni continetur, de qua scriptum est, quod in illa nec *Gloria in excelsis*, nec *Credo* dici debeat, ut allegatum fuit supra propositione XIII. Vt autem diebus sabbatinis servitium principale fiat de B. Virgine, festo maiore non occurrente, sunt diversitates.

stites. Nam solenniores Ecclesiæ & Religiosi illud nõ servant, ne Nocturnus sabbatinus continue omittatur: Innitentes rationi Alexandri Papæ III. ext. de fer. c. 2. in fin. Cum singulis diebus in officio privato laus persolvitur Virginis gloriosæ: Et isti in eodem privato officio secundum ferias dicunt Psalmum & antiphonam trium Nocturnorum, ut supra præmisi. Alij vero sunt, qui omissionem dicti Nocturni non ponderantes, dictis diebus faciunt servitium principale de eadem cum novem antiphonis atque Psalmis: & isti uniformiter dicunt, per totum annum, officium privatum. Quanquam sit etiam, si ex devotione sic fieri conveniat, servitium principale, tamen in illo dictus Nocturnus non videtur omittendus, iuxta ea quæ dicta sunt supra propositione X. Et tunc huiusmodi servitium fieri possit sine prostrationibus, septem Psalmis, & cæteris, sicut fit tempore paschali, & infra octavas maiores. Quamvis autem in septimanis vacantibus servari possit Missa de Patrono, tamen huiusmodi laudatio extendi non debet ad horas principales, ne officio feriali præiudicium nimium generetur. Nec enim scripturam, nec exemplum habemus, hoc licite fieri posse.

PROPOSITIO XXI.

Laudabili multorum usu, servantur etiam certis temporibus alia particularia officia, ut Psalmorum Pœnitentialium & Gradualium, & in Quadragesima totius Psalterij, & si qua sunt plura.

DE laude septem Pœnitentialium Psalmorum dictum est supra propositione IX. officium autem eorum congruenter fit hoc modo. Iidem Psalmi absolute incipiuntur, & singulatim cum *Gloria Patri* dicuntur. In fine ultimi *Alleluia*, vel *Laus tibi*, versus, *Intret oratio.* Deinde prostratis *Kyrie eleison*, preces maiores, cum Psalmo *Inclina*, & prælibatis orationibus ad hoc recollectis, de omnibus sanctis, pro Papa, pro Pace, pro Episcopo, pro Imperatore, contra hæreses, pro familiaribus, pro iter agentibus, pro populo, pro peccatis, pro serenitate, pro vivis & defunctis, & huiusmodi necessitatibus. In usu Leodiens. sunt 13. hoc autem officium dici debet post Primam in diebus trium Lectionum extra tempus paschale, & octavas maiores. Et ita communiter servatur, ut vidi notatum in quodam ordinario Romano. Sed Innocentius III. mandavit suis capellanibus, ut solum in Quadragesima diceretur, & hoc sequuntur Fratres Minores.

Quindecim autem Psalmi Graduales, tripartite dicuntur: primi quinque pro defunctis, sub uno *Requiem æternam*, cum *Pater noster*, versiculo & collecta. Alij quinque pro nobismetipsis & amicis nostris sub uno *Gloria*, cum *Kyrie eleison*, versiculo & collecta. Reliqui quinque pro omnibus fidelibus similiter dicuntur sicut medij, & hoc officium servant à prælibatis Religiosis, in tribus Lectionibus ante Matutinas. Pauci tamen illud servantes, curant etiam servare dictos septem Psalmos. Sed alij Religiosi & sæculares, meliori ratione moventur, qui utrique officio in hoc satisfaciunt, quia quindecim Psalmos Graduales ad quinque parvas horas in quotidiano officio S. Virginis continuant, & septem Psalmos Pœnitentiales suis diebus servant, & in hoc servitium diei alleviatur, & septem Psalmi non omittuntur. Orationes autem, quas ad quindecim Graduales adiungunt in prima & post septem Psalmos, satis sunt suppletæ. Diebus tamen quibus de B. virgine fit servitium, principale officium huiusmodi quindecim graduum, congrue locum habet. Itaque quia in sancta Quadragesima sancti Patres voluerũt officium Ecclesiæ cum alijs bonis operibus omnimode augmentari, ut supra Propositione XVI. ideo in augmentum divini cultus eiusdem temporis, diebus ferialibus Quadragesimæ, & novem lectionibus vacantibus, dicta prima leguntur Psalterium hoc modo. Recepta cum prostratione venia, incipit sacerdos: *Deus in adiutorium, Gloria, Laus tibi.* Deinde quotidie leguntur decem psalmi de psalterio bini & bini sub uno *Gloria*, post ultimum *Laus tibi*. Vers. *Intret.* Deinde Litania tota: qua dicta, omnibus prostratis, dicuntur preces maiores, cum septem Psalmis & orationibus supradictis. Et ad *Per Dominum*, surgant omnes. Alij autem servant alia officia particularia, tam in Quadragesima, quam in diebus privatis. Sed officia iam prædicta, iugiter congrua videntur, & devota.

Prætérea Romani in festivitatibus in quibus volunt solennizare in vigilia, de sero faciunt quoddam officium, quod vocant vigiliam, sub hoc modo: Pulsatis signis, absolute incipitur antiphona; & dicuntur tres Psalmi cum tribus antiphonis, & versibus, *Pater noster*, cum tribus Lectionibus & Responsoriis, sicut fit in uno Nocturno matutinali. Et cantato *Te Deum*, vel *Te decet*, officium concluditur cum oratione & *Benedicamus Domino.* In vigilia SS. Apostolorum Petri & Pauli, hoc officium fit in S. Petro cum novem Lectionibus & suis Responsoriis. Et antiqua antiphonaria Romana in dicta vigilia, & in vigilia Nativitatis Domini, continent novem antiphonas cum suis Psalmis & novem Responsoriis ad hoc officium ordinata. Huiusmodi autem vigiliarum officium est bene multiplicatum in festivitatibus more Ambrosiano, cum canto processionali ad hoc ordinato. Inde est quod in multis Ecclesiis collegiatis plebanus in festivitatibus in vigiliis de sero cantat Matutinas. Officia autem alia particularia, ut sunt processiones, tam festivæ, quam rogationum, benedictiones diversarum rerum, ad usum Ecclesiasticum pertinentium, & cætera huiusmodi, sunt satis communia atque nota.

PROPOSITIO XXII.

Ordo sanctæ Romanæ Ecclesiæ non ex usu fratrum Minorum sed ex sacris Canonibus, scripturis authenticis, libris nostris antiquis, generalique & locorum proportionali consuetudine colligatur.

CElebris olim & gloriosa erat Romana Ecclesia, ut de sub eius pede effluerent aquæ vivæ, & velut ex fonte rivi tam rerum omnium faciendarum, quam Ecclesiasticæ Regulæ emanarent. Inde est quod omnes scripturæ nobis iniungunt, ut illius sequamur auctoritatem, & ordinem teneamus. Vnde ait beatissimus Papa Innocentius Decentio Episcopo, & ponitur in Epistola Magalonensi supra propositione septimâ allegata & undecima distinctione. Quis enim nesciat, aut non advertat id, quod à Principe Apostolorum Petro Romanæ Ecclesiæ traditum est, ac nunc usque custoditur, ab omnibus debere servari? nec superinduci aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde videatur accipere exemplum: Præsertim cum sit manifestum, per omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam, insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores Sacerdotes constituerunt. Aut legant, si in his provinciis alius Apostolus invenitur aut legitur instituisse. Quod si non legunt, quia nusquam invenitur, oportet eos hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit, à quâ eos principium accepisse non est dubium: ne dum peregrinis assertionibus student, capitis institutionem videantur omittere. Et adde quæ allegata sunt supra Propositione III. Sed quo ad divinum officium, hodie omnium credulitas & opinio divulgavit, quod nullæ Ecclesiæ servent in illo ordinem sanctæ

Romanæ Eccleſiæ, niſi Fratres Minores, nec in aliquorum niſi in ipſorum breviariis & libris contineatur, ex eo quia beatus Franciſcus in Regula præcipit, ut clerici faciant divinum officium ſecundum dictum ordinem, ubi Breviaria habere poſſunt. Huius autem rei Romæ contrariam didici veritatem. Nam olim quando Romani Pontifices apud Lateranum reſidebant, in eorum capella ſervabatur Romanum officium, non ita complere ſicut in aliis urbis Eccleſiis collegiatis. Imo clerici Capellares, ſive de mandato Papæ, ſive ex ſe, officium Romanum ſemper breviabant, & ſæpe alterabant prout Domino Papæ & Cardinalibus congruebat obſervandum. Et huius officij ordinatium vidi Romæ à tempore Innocentij III. recollectum. Et iſtud officium breviatum ſecuti ſunt Fratres Minores. Inde eſt, quod breviaria eorum & libros officij intitulant, ſecundum conſuetudinem Romanæ Curiæ, non autem curaverunt mores aliarum Eccleſiarum Vrbis Romæ recipere & obſervare. Et ſi dictum officium capellare, debet dici Ordo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, fecerunt quod regula iubet: Sin autem. Aliæ autem Nationes orbis Romani, libros & officia ſua habent è directo ab ipſis Eccleſiis Romanis, & non à capella Papæ, ſicut ex libris & tractatibus Amalarij, Vualfredi, Micrologi, Gemmæ, & cæterorum de officio divino ſcribentium colligitur evidenter. His ergo præmiſſis, videamus an dicti Fratres, qui ſingularem uſum cum Regula ſervant ſingulari: An cæteræ nationes & Religioſi magis appropinquent in Divino Officio, ad ordinem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ. Et ſive in errore, ſive veritate, dico quod uſus Fratrum Minorum magis diſtat à vero ordine Romano, ſequendo dictum officium capellare, quod ſic deducitur: Secundum B. Auguſtinum lib. 19. de civitate Dei, cap. 13. Ordo eſt parium diſpariúmque rerum cuique loco diſtribuens diſpoſitio. Et lib. 2. de ordine rerum dicit, quod ordo eſt per quem aguntur omnia, quæ Deus conſtituit. Et libro eiuſdem ſecundo, Ordo eſt quo Deus agit omnia quæ ſunt. Et ſuper Epiſtolam ad Galatas. Conturbatio eſt ordini contraria. Quando igitur in divino officio omnia aguntur ſecundum quod conſtituta ſunt à Romana Eccleſia, & ſecundum rectam diſcretionem quodlibet in ſuo loco diſtribuitur, tunc eſt ordo quem præcipit Romana Eccleſia. Et ubi contrariū fit, ibi eſt conturbatio. Sed hæc propinquius fiunt in aliis regionibus & per alias Nationes. Igitur &c. Minorem declaro in his, quæ nunc occurrunt, & latius Deo dante declarabitur in ſcripturis ex Vrbe venturis. Primo in legendis & cantandis Lateranenſes & aliæ Romanæ Eccleſiæ habent ſermones & homilias integras, paſſionéſque ſanctorum, & huiuſmodi in copioſa multitudine. Item in Antiphonariis antiquis Romanis habetur cantus de ſanctis Nicolao, Sebaſtiano, Mauritio, Et Reſponſoria magna ad Tertiam, Sextam, & Nonam in Quadrageſima, & Pſalmi Dominicales ad Vigiliam in hebdomada paſchali diviſi, & Veſperæ paſchales per *Kyrie eleiſon* ordinatæ, & Antiphonæ in Dominicis ſuper *Benedicite* multiplicatæ, & in diverſis aliis locis diverſæ Antiphonæ & Reſponſoria. Item in propriis ſanctorum Miſſis, eorum officia in diebus eorum aſcripta habentur, & cætera multa, quæ ubique per orbem ſervantur & habentur, ſequendo Eccleſias Romanas. Sed Fratres cauſa brevitatis capellam ſequendo, hoc vel omiſerunt, vel alteraverunt. Et eodem modo abbreviato ſæpius legunt de ſanctis Chronicas Damaſij, vel ex Pontificali. Item ſedes Apoſtolica nobis aſſignat feſta novem lectionum generalia, & de localibus commiſit diœceſano mutanda, ut ſupra propoſitione decima-ſeptima. Vnde apud omnes religiones & nationes ultra novem lectiones generales paucæ conſtitutæ ſunt locales & multæ trium lectionum. Sed fratres hodie omnes eorum ſanctos & octavas maiores ſervant ſub novem lectionibus; & nullos ſub tribus. Ex qua obſervantia evenit in uſu eorum continua perturbatio, & magna confuſio propter tranſpoſitiones, quas tam de Dominicis, quam de octavis faciunt. Nam de ſex locis vel perſonis eorum uſum ſervantibus, vix duo in eundem ſanctum novem lectionum eodem die concordabunt. Vnde raro propter hoc nocturnum dicunt cum ſeptem Pſalmis & cætera ferialia raro ſervant, & ſacram ſcripturam omnimode in officio negligunt, & defunctis ſimiliter in officio eorum continuum præiudicium faciunt. Item ſedes Apoſtolica vult hanc proportionem, ut ſicut in urbe ſervantur ſancti Romani Pontifices, & alij ſancti urbis locales, ita in aliorum uſu alij ſervent ſanctos ſuos locales. Et ſicut Romani non tenentur ad noſtros locales, ita nec nos ad ipſorum locales. Sed fratres contra generalem conſuetudinem huiuſmodi, à dicta ſede tacite approbatam, in eorum uſu adducunt locales Romanos, ut Higinum, Anicetum, Soterem, Pium, Cletum, Marcellum, Eleutherium, Ioannem, Felicem, Silveriū, Anacletum, Victorem, Innocentium, Evariſtum, Pontianum, & Melchiadem Romanos Pontifices. Et præterea Anaſtaſium Martyrem in die Vincentij, cuius monaſterium ſituatur ultra ſanctum Paulum. Gilbertum confeſſorem de Anglia, & ſanctos 40. martyres de Armenia, qui habent Eccleſiam prope Coloſſeum. Apparitionem S. Michaelis de Apulia. Eraſmum martyrem de Caieto, Rufinam & Secundam virgines & martyres de Laterano, Naborem & Felicem de Mediolano, Symphorianam cum ſeptem filiis martyres de Tiburto, Paſtorem presbyterum & confeſſorem, qui erat de ſocietate Praxedis & Potentianæ virginum Romanarum. Suſannam virginem & martyrem, quæ habet Eccleſiam prope thermas, duodecim fratres martyres in die Ægidij, ubi Vrbanus IV. mandavit Ægidium teneri ſub novem lectionibus. Cerbonium Epiſcopum de Populonia, Tryphonē & Reſpicium martyres, quorum Eccleſiam habent Auguſtinenſes. Ferium de Nive. Vtraſque dedicationes trium maiorum baſilicarum, & Sabam abbatem, cuius abbatia ſtat ultra S. Alexiū. Et non ſine myſterio de omnibus prædictis localibus Romanorum nihil proprietatis habetur in officio Gregoriano, quaſi generaliter non ſint tenendi. Et præter iſtos in aliis diverſis Eccleſiarum urbis Kalendariis, vidi alios Romanos Pontifices atque ſanctos quamplures locales annotatos, tam ſub novem, quam ſub tribus lectionibus, quos fratres omiſerunt. Et quamvis in Kalendariis Vrbis antiquis multi locales ſancti ſub novem lectionibus annotentur, tamen in eiſdem in numero copioſo vidi ſanctos ad tres lectiones annotatos. Et in hoc ab initio defecerunt notæ fratrum Minorū, quod non notaverunt ſanctos novem lectionum, ut ſic omnes alios habuiſſent ſub tribus lectionibus: ſed indiſcrete quædam nota eorum, quam tamen hodie non ſervant, duntaxat quatuor vel ſex ſanctos ad tres ponit lectiones, quaſi regula eorum exiſtat, ut omnes alij ſub novem lectionibus teneantur. Et in hac parte contrariantur omnibus aliis religionibus & nationibus, & contra huiuſmodi confuſionem novem lectionum ſatis ſcripſi ſupra propoſitione XVII. Item ſedes Apoſtolica præcipit, ut ſuper diebus ſanctorum ſervetur conſuetudo regionis: ſed Fratres de prælibatis ſanctis ſervant contrarium, ut notatum fuit propoſitione XVII. Item ſicut Fratres ſervant feſtivitates ſanctorum ſui ordinis, ut Franciſci cum maioribus octavis, Antonij Paduani, & S. Claræ, qui non ſunt de officio Romano, quare non ſimiliter Romani habent ſanctos ſuos locales, ad quos Fratres non tenentur? Item beatus Gregorius in lib. Graduali & Miſſali ſanctis Dei proprias Miſſas habentibus ſuos tantus & Epiſtolas cum Evangeliis in eorum diebus aſcripſit, Remiſſiones faciendo quando iterato dicerentur prout cōmuniter habent libri ſæculares: Sed fratres in eorū libris de toto ſcripſerunt unum commune Sanctorum confuſum, aggregando introitus per ſe, deinde cætera per ſe. Et prætera omiſerunt Epiſtolas & Evangelia tempotales & feriales, quæ in libris Romanis continentur. Itē de genuflexionibus & cæremoniis antiquis plura

Ecclipsi ex oratio.

plura similiter omiserunt, fortè quia in capella Papæ non servantur. Sciendum tamen quod Nic laus Papa III. natione Romanus, de genere Vrsinorum, qui cœpit anno Domini 1277. & palatium apud S. Petrum construxit, fecit in Ecclesiis urbis amoveri Antiphonarios, Gradualia, Missalia, & alios libros officij antiquos quinquaginta, & mandavit ut de cætero Ecclesiæ urbis uterentur libris & Breviariis Fratrum Minorum, quorum regulam etiam confirmavit, unde hodie in Roma omnes libri sunt novi & Franciscani: Et forma notularum in cantu antiqua, quâ tam Ambrosiani, quam Alemanniæ nationes utuntur, cum pluribus aliis observationibus Ecclesiasticis ab urbe relegata. In officio ergo divino ordinem S. Romanæ Ecclesiæ observabimus, si Fratrum usu omisso, sacros canones, scripturas authenticas, consuetudines locorum generales. & in dubiis libris antiquiores sequamur; & in aliis particularibus dictam servemus proportionem, ut de sanctis localibus superius declaratur.

PROPOSITIO XXIII.

Sanctarum Missarum Officia Romanæ Ecclesiæ suis Dominicis & Sanctorum diebus fideliter observentur, ut in illis patrum traditiones humiliter custodiantur.

IEsus Christus primus & summus Pontifex & sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, non quidem Leviticus, sed Evangelicus, non veteris, sed novæ legis in nocte cœnæ pridie quam pateretur in cruce, in memoriam suæ mortis instituit, & tradidit Apostolis formam, & verba consecrationis sui corporis & sanguinis in Eucharistiæ sacramento, sicut ex sanctis Evangeliis docetur & colligitur evidenter: Nam quoties hunc panem manducamus, & calicem bibimus, mortem Domini annunciamus, 1. ad Cor. 11. circa finem. Vnde cum dixit Iesus, Hoc facite in meam commemorationem, expresse instituit hoc sacramentum, & tacite destituit agni Paschalis typicum sacrificium, ut ait Isidoros super Matthæum, & ponitur de cons. dist. 2. Accipite. De hoc vide quartum sententiarum dist. 8. De forma consecrationis sanguinis Christi, à sanctis doctoribus verius creditur & tenetur, quod ea sit forma, quæ in canone habetur, qua ex primitiva traditione Apostolorum & sanctorum Patrum Ecclesia utitur generalis. Sunt enim multa adiecta, quæ nullus Evangelistarum legitur expressisse: lege super hoc pulchra dicta Innocentij Papæ III. Lext. de celeb. Miss. cap. cum Matth. Apostoli enim de forma & materia huius sacramenti, sicut de Domino Iesu Christo acceperunt, ita & servaverunt, & sanctæ Ecclesiæ tradiderunt, quo ad actum celebrandi. Quo ad modum seu ritum, tempus, locum atque ornatum sacrarum vestium & vasorum, nonnulla, prout decuit, ordinarunt. Et eorum exemplo atque doctrinâ similiter fecerunt successores. Vnde in gestis sextæ synodi dicitur, quod Iacobus frater Domini secundum carnem, cui primum tradita est Hierosolymitana Ecclesia, & Basilius Cæsariensis Episcopus, tradiderunt nobis Missæ celebrationem, de consecrat. distin. 1. Iacobus. Ab initio siquidem cum adhuc esset novella Ecclesia, Apostoli cum sanctificatione crucis & oratione Dominica, prout in quibusdam scripturis veteribus reperitur, & in quotidianis vestibus & ligneis calicibus celebrabant. Sed Beatus Clemens, ut dicit Gemma, tradente beato Petro, usum sacrarum vestium ex lege superposuit. Sanctus Soter natione Campanus, qui cœpit anno Domini 175. interdixit mulieribus sanctas vestes altaris contingere, & incensa circa altaria deferre, distinctione 23. sacrosanctar. Vnde nonnisi à sanctis hominibus vestimenta sacra contingantur, nec aliis usibus commodentur, de consecrat. distinct. 1. cap. in stam. &c. Vestimenta, nec nuptiarum prætenditur ornatibus, c. d. Ad nuptiarum. S. Zephyrinus XVI. Papa, vitreis vasis: Sanctus vero Vrbanus Papa I. argenteis constituit celebrari, de consec. dist. 1. vasa. De quibus sanctus Bonifacius Episcopus & Martyr interrogatus, an in vasis ligneis liceret conficere. Respondit, quondam sacerdotes aurei erant, & calicibus ligneis utebantur: & nunc è contra. In his autem sicut & in reliquis cultibus, magis & magis per incrementa temporum decus succrevit Ecclesiarum, cap. vasa. Vnde etsi non ex argento, saltem ex stanno, non ex ære vel aurichalco fiat calix, c. d. Et calix. Sanctus Stephanus natione Romanus, qui cœpit anno 258. præcepit, ut vestimenta Ecclesiæ quibus Domino ministratur, & sancta sint & honesta, in cap. vestimenta, supradicto. Sixtus II. qui cœpit anno 261. constituit, ut Missa super altare celebraretur, quod antea non fiebat. Felix I. natione Romanus, qui cœpit anno Domini 266. constituit super memorias Martyrum Missas celebrari. Sanctus Sylvester I. natione Romanus, qui cœpit anno Domini 315. constituit, ut diaconi dalmaticâ uterentur in Ecclesia, & pallio linostino eorum læva tegeretur. Primo siquidem sacerdotes ante casularum usum, dalmaticis induebantur. Postea vero cum casulis uti cœpissent, dalmaticæ diaconibus sunt concessæ. Item constituit, ut sacrificium altaris non in serico panno aut in tincto, sed in puro lineo ab Episcopo consecrato celebretur, sicut corpus Domini in sindone linea munda sepultum fuit, de cons. d. 1. Consulto. De dicto Vrbano legitur, quod aquam admisceri censuit, sicut & Apostolica traditio docuit de hoc, de cons. dist. 2. c. 1. & tribus c. seq. nec una coniungantur, ut in c. didicimus c. dist. B. Bonifacius I. natione Romanus, qui cœpit anno Domini 425. interdixit ne moniales seu quæcunque mulieres sacra vasa seu pallas altaris contingerent. Et qualiter sacræ vestes lavari debeant, dicitur in c. nemo per ignorantiam de cons. d. 1. De hora Missæ celebrandæ sanctus Telesphorus martyr natione Græcus, qui successit Sixto anno Domini 139. constituit in nocte Nativitatis Missas celebrari, & hymnum angelicum solenniter decantari. Reliquis vero temporibus ante horam tertiam illas minime celebrandas: quia & eadem hora Dominus crucifixus est, & super Apostolos Spiritus S. legitur descendisse, de consecrat. distinct. 1. nocte. In Quadragesima autem hora vespertina c. d. solent. Similiter eadem hora seu in noctis initio in sabbatis quatuor temporum, & in sabbato sancto, 65. dist. Secunda patribus, &c. Ordinationes. Celebrationes enim ordinum iuxta decreta sanctorum Patrum, tam sero fiebant in sabbato, ut potius Dominicæ, quam sabbato adscriberentur. Vide Micrologum c. 29. Ex hac antiquitate hodie servatur, ut diebus ieiuniorum Missa in Nona dicatur, & aliis diebus ad Tertiam. Etsi ambo concurrant, Missa de festo ad Tertiam festive dicitur, & de ieiunio ad Nonam. Et ita fit Romæ, & in Colonia. In Collegiis servatur, ut maior Missa dicatur ante ultimam horam ante prandium, & si occurrant duæ, prima ante penultimam horam imponitur. De præsentibus autem necessariis, infra tangetur. Presbyter cum se parat ad Missam, iuxta Romanam consuetudinem decantat Psalmos, Quam dilecta, Benedixisti, Inclina, Credidi, Kyrie eleison, Pater noster. Et ne. vers. Ego dixi, vers. Converte, vers. Fiat misericordia, vers. Sacerdotes, vers. Protector noster, vers. Domine exaudi. Oratio, Aufer a nobis, Actiones, secundum Microlog. cap. 1. & 23. Eo introeunte ad altare, cantatur Antiphona ad Introitum, quæ abinde in Romano, hoc nomen, & in Ambrosiano, nomen *Ingressa* meruit habere. Cœlestinus I. natione Romanus, qui cœpit anno Domini 418 in ordine XLI. constituit ut Psalmi David C. & L. ante sacrificium canerentur antiphonatim ex omnibus, quod ante non fiebat, nisi tantum epistola B. Pauli, & S. Evangelium recitabatur. Ex hoc instituto excerpti de Psalmis, Introitus, Gradualia,

A Offertoria ante sacrificium, communiones inter communicandum cum modulatione ad Missam in Ecclesia Romana cantari cœperunt secundum Sigibertum & alios in Chronicis. Non autem intelligendum, quod Cœlestinus primo introduxit Psalmos dici particulatim ante sacrificium, imo ab initio diu ante enim à patribus sunt servati. Vnde Cassianus lib. 3. de institutis monachorum cap. 10. Verum ne hoc quidem ignorandum, die Dominica unam tantummodo Missam ante prandium celebrari, In qua psalmorum atque orationum seu lectionum pro ipsius collectæ vel communionis Dominicæ reverentia solennius aliquid impendentes, in ipsa tertiam sextámque pariter consummatam reputant. Quoties igitur idem a diversis constitutum reperitur, intelligi debet, quod posterior, constitutum vel observatum à prioribus, vel innovavit & authorizavit, vel emendavit, declaravit, publicavit, aut quid simile fecit. Ecce de Epistolis & Evangeliis legitur, quod successores Apostolorum, Epistolas & Evangelia legi statuerunt. Vnde præcipitur in canonibus Apostolorum & ponitur de cons. dist. 1. Omnes, ut fideles ad sacramenta solenniter convenientes, scripturas Apostolorum & Evangelium audiant, & in oratione usque in finem Missæ perseverent. Alibi scribitur, quod Epistolam & Evangelium Alexander Papa ad Missam legi constituit. Item B. Hieronymus presbyter Cardinalis Epistolas & Evangelia, ut hodie habet Ecclesia, collegit & ordinavit, ut in libro qui Comes dicitur, habetur: & ipse ait scribens ad Constantium Episcopum. Et Damasus Papa, ut nunc moris est, legi censuit. In Ambrosiano autem officio copiose habentur per totum annum Epistolæ & Evangelia, sæpe cum Romano officio concordantes, & sæpe differentes. Item etiam officium in Festivitatibus & Dominicis pulchrũ servat ordinem: Nam ad Missam post Gloria in excelsis, & Kyrie eleison ter. Deinde legitur prima lectio de veteri Testamento cum Responsorio, quod Psalmelum vocat, & nos Graduale. Secunda de novo Testamento cum Alleluia & Versu, ut Romani. Tertia de sancto Evangelio, ante quod, & post quod cantantur antiphonæ, quæ dicuntur ante Evangelium & post Evangelium, quibus carent Romani. Officium autem Ambrosianum longe præcessit Romanum, ut supra Propositione XII. Et qui videt Ambrosianum, aperte cognoscit, quod cantus Missæ, Epistolæ, & Evangelia, & plures Orationes, Responsoria & Antiphonæ, & cetera Officia, recepta sunt ab illo. Et huius signum est, quia cantus concurrentes utrobique sunt eiusdem Toni, ut introitus, *Gaudeamus*, utrobique est primi Toni. Sed nota Ambrosiana est fortior, durior, & magis extensa. Revertamur igitur ad initium Missæ. S. Damasus Papa natione Hispanus, qui cœpit anno Domini 370. præcepit, ut presbyter confessionem faceret antequam accederet ad altare. Sacerdos igitur paratus veniens ad altare, Romano ordine dicit Antiphonam, *Introibo*, cum Psalmo, *Iudica*, & facit confessionem, quam Micrcareolog. cap. 23. breviter sic ponit: Confiteor Deo omnipotenti, istis sanctis, & omnibus sanctis, & tibi frater, quia peccavi cogitatione, locutione, in opere, in pollutione mentis & corporis. Ideo precor te, ora pro me. Misereatur tui omnipotens Deus, & dimittat tibi omnia peccata, liberet te ab omni malo, & cõservet te in omni opere bono, & perducat nos Iesus Christus filius Dei vivi in vitam æternam, Amen. Indulgentiam & remissionem omnium peccatorum nostrorum, tribuat nobis omnipotens & misericors Dominus, amen. Huic confessioni concordant Prædicatores, & dicunt: Absolutionem & remissionem, &c. quæ verba ex Evangelio sumuntur. Quodcunque solveris, &c. Et, Quorum remiseritis, &c. In Romano officio introitus cantatur cum versu de Psalmo, *Gloria Patri*, & repetitione, quod non fit de ingressa Ambrosiana. In Graduali B. Gregorij ad introitus annotantur semper duo versus de Psalmo, sicut hodie observamus de *Requiem*. Aliqui scripserunt, quod ex statuto Cœlestini, totus

Mat. 16 Ioan. 10.

E Psalmus olim cantabatur. Sed quo B. Gregorio adscribitur, quod introitus modulando composuit, intelligendum est, quod multos introitus ex psalmis addiderit: quia valde multi ab Ambrosio sunt recepti. *Gloria Patri*, Nicena synodus composuit de cons. dist. 1. d hymnis. Sed Damasus Papa ad Psalmos cantari censuit. Kyrie eleison Sylvester Papa de Græcis sumpsisse scribitur, quod Greg. Papa ad Missam instituisse dicitur. Sciẽdum quod Græci & Ambrosiani multum ad horas frequentãt Kyrie eleison. Et in Missa Ambrosiana dicitur ter Kyrie eleison in tribus locis post *Gloria in excelsis*, & post Evangelium, & in fine Missæ. In Romano vero dicitur novies in uno loco, cum Christe eleison, quod Græci & Ambrosiani non dicunt. Item Ambrosiani ad eorum *Kyrie eleison*, ad *Gloria in excelsis*, ad *Credo*, ad *Sanctus*, unicam servant notam. Et de *Gloria in excelsis*, & *Sanctus*, in Graduali beati Gregorij Romæ paucæ sunt notæ. Et credendum quod plures notæ secularium super illis sine auctoritate existant. Ideo humilitati locorum vestrorum congruere videretur, ut super illis sequeremini Carthusienses.

F De laude angelica dictum est supra propositione 13. Microl. c. 2. & c. 45. dicit, quod capitur in omni festo, quod plenum habet officium, hoc est, novem lectiones, nisi in Adventu, die Innocentium, & Septuagesimã. In his tamen diebus secundum Microl. c. 45. natalitia Apostolorum & festa sanctæ Mariæ, *Gloria in excelsis* recipiunt iuxta Romanam consuetudinem. Sed in hoc secundum prudentiores, statur consuetudini regionis, nec post meridiem legitur dicendum, nisi in cœna Domini ubi chrisma conficitur, & in Sabbatis Paschæ & Pentecostes. Sacerdos deinde ad populum versus, dicit, *Dominus vobiscum*: quod est sumptum de veteri testamento, scilicet de libro Ruth. Et *pax vobis*, de novo testamento de Evangelio accepta. Responsio, *Et cum spiritu tuo*, de epistolis Pauli. *Amen*

G vero, de Apocalypsi: quæ Apostolicus ordo, tradente Domino, dici docuit, & Clemens Papa seu Anacletus dici constituit Ambrosiani in Missa sæpius dicunt, *Dominus vobiscum*, *& cum spiritu tuo*, absque versione, & *Oremus*. Notandum secundum Micrologum cap. 2. quod hæc verba plures exigunt respondentes, & unum salutantem. Sicut enim pluribus salutantibus inepte respondetur, *Et cum spiritu tuo*: ita incongrue salutatur per *Dominus vobiscum*, nullo vel uno tantum adstante: Hoc utique beatissimi Patres Apostolici, Anacletus quidem a beato Petro quintus, & Soter, de quo supra in ordine decimustertius, eorum decretis firmaverunt, ut sacerdos semper vel tertius esset, dum Missas celebraret, de consec dist. 1. c. Hoc quoque statũ est. Non enim solus presbyter Missarum solennia, vel alia divina officia potest sine ministri suffragio celebrare, de fil. presb. in fin. Zacharias vir Apostolicus, in ordine nonagesimustertius constituit ne sacerdotes ad celebranda Missarum solennia cum baculo intrarent, nec velato capite altari adstarent, de consec. d. 1. Nullus episcopus. Sancti quoque Patres in Aurelianen. concilio, c. 3. constituerunt, ut ad salutationes sacerdotis non solum clerici & Deo dicati, sed & omnis plebs cõsona voce respondeat, secundum Microlo. c. 2. *Flectamus genua* in ieiuniis quatuor temporum, præter Pentecostes, in feria quarta ad priorem orationem: in feria sexta ad principalem, & in sabbato ad quatuor priores orationes dicitur. In illa de camino, genuflexio more trium puerorum prætermittitur, qui statuam gentiliũ adorare noluerunt. Et iuxta Romanum Ordinem, in Missis quadragesimalibus post salutationem genua flectimus. Idem fit in utraque oratione feria quarta post palmas. Sed has genuflexiones Fratres omittunt, quia in capella Papæ non fiunt. Sequitur oratio, quæ specialiter, collecta vocari videtur. Illa nãque apud Romanos fit super populi collectionem dum colligitur, ut procedat de vna Ecclesia in aliam ad stationem faciendam, ut in die Cinerum apud S. Anastasiam, Oratio, *Concede*, quando statio est ad Sanctam Sabinam, & apud sanctũ Adrianum, in die

H

Assumptionis, Oratio, *Veneranda*. Et in die Nativitatis Mariæ, Oratio, *Supplicationem servorum*, quando iuxta constitutionem Gregorij Papæ, Litania exit à S. Adriano ad S. Mariam maiorem. Et has duas collectas, quia non capellares, Fratres sine causa omittunt. Iuxta Romanum autem Ordinem, ut dicit Microl. c. 4. non nisi unam orationem ante lectionem dicere debemus, ut Amalarius à multis in prologo libri sui de officiis se ab ipsis Rom. didicisse fatetur. Hoc utique & institutio officiorum exigere videtur, ut sicut ad unā Missam, unam tantum lectionem & unum Evangelium legimus, & unum introitum, imo unū officium cantamus, ita & unam orationem dicamus. Sed plures illas adeo multiplicant, ut auditores ingratos efficiant. Sed sapientiores observant, ut in Missa aut unam, aut tres aut quinq; aut septem dicant: unam, propter Romanam traditionem: tres, quia Dominus ante passionē ter oravit: quinque, propter quinque partitam eius passionem: septem, quia S. Apostoli septenarium Dominicæ orationis, ad consecrationem eorumdem mysteriorū, frequentasse leguntur. Vsu Leodien. ultra quinq; non dicuntur. In Nativitate Domini, Romani ad Missam secundam orationem de S. Anastasia adiiciunt: quia tunc statione in Ecclesia eiusdē martyris agunt: Et in hoc illos imitamur, licet nō eandem adiectionis occasionem habere videamur. Sed Rabanus Moguntinus Archiepiscopus in lib. Sacramentorum à ministris Ecclesiæ S. Petri in Roma sciscitatum se refert, quādo in Missa plures orationes occurrunt, ut in dicta Missa secunda, & in Dominicis quibus festa recoluntur, quot orationes soliti essent celebrare ante epistolam: Et responsum sibi dicit unam tantum. Vnde dicit, à scripto S. Ambrosij & S. Augustini se didicisse de ordine orationum in Missa: In dicta scilicet Missa, in loco ubi corpus S. martyris requiescit, dicatur oratio de S. Anastasia iuxta Romanum morem: Et ubi hoc non reperitur, dicantur de incarnatione. Eodem modo in cæteris festivitatibus, & in omnibus aliis diebus, quibus celebramus Missas per annū secundum eum. Inde est quod in antiquioribus libris eodem die Missæ sunt duplicatæ. Vt in inventione S. Crucis: in die S. Augustini, Decollationis Ioannis, Omnium Sanctorum, &c. Ex unitate ergo Missæ quotquot sint orationes, prima semper per se est dicenda, etiamsi sint tantum duæ secundum Romanum ordinem & usus approbatiores. Scimus etiam quod Ambrosianum officium in Missa dicit quatuor orationes: Primam, super populum post ingressum: Secundam post Evangeliū super sindonem: Tertiam, ante præfationem, sicut nos: sed illam alte dicit: Quartam, post communionem: & hunc numerum servamus in Quadragesima, licet non hoc ordine. Et post primam orationem dicit *Gloria in excelsis*, dein *Kyrie eleison*: sed nos ordinem conversum servamus post Introitum, *Kyrie eleison*, & *Gloria*, deinde orationes dicentes. Orationes autem Missæ copiose B. Ambrosius ordinavit, & S. Gelasius post eum auxit. De ipsarum authoritate dixi supra propositione decima-tertia. In Evangelio præcipitur, ut patrem in nomine filij petamus, & accipiemus. Ideo pene omnes orationes, per *Per Dominum* concludimus. Paucissimæ, pro competentia sensus, aliā conclusione finiuntur. In qualibet conclusione memoriam S. Trinitatis observare solemus, Romanus ordo & antiquissima exemplaria nomen Dei sic interponunt, ubi dicitur: Qui tecum vivit & regnat Deus in unitate Spiritus S. Et Ambrosiani adhuc servant. Sed moderni postea subiungunt, & hæc subiunctio apud Romanos & nationes alias hodie tantum invaluit, ut antiqua traditio sine scandalo locum habere non possit. Secundum Romanam auctoritatem, nulla oratio *Per eum qui venturus est*, concluditur, nisi per quam diabolus adiuratur. Quando oratio dicitur, omnes adstantes secundum antiquam SS. Patrum traditionem, in signum confirmationis, Amen, subiungere debent, ut communem orationem quam sacerdos pro omnibus Domino obtulit, confirment. Vnde & in ipsa secreta, *Per omnia secula seculorum*, altius dicit, ut præmissa oratio, per *Amen* à populo confirmari possit. De lectione & Evangelio supra dictum fuit. Romani ex ordine Ambrosiano solam lectionem admittunt: nunc de veteri, nunc de Novo Testamento cum Responsorio & Alleluia. Et hodie, ut dicunt, Ecclesiæ plures civitatis Mediolanensis ex more Romano sola lectione cum Alleluia contenti sunt. In Ecclesia tamen maiore semper servatur antedictus decor, quem in Romano officio in quatuor Missis Nativitatis Domini duntaxat receptum videmus. Vnde aliquæ Ecclesiæ Italianæ in tribus Missis ipsius diei Graduale post primam interponunt lectionem, morem B. Ambrosij imitantes. Et in vigilia Graduale dividunt primam partem post primā lectionem, & versum post lectionem secundam decantando. Fratres tamen nostri has primas lectiones à Romano officio amoverunt in sex feriis quartis ante Sabbata ordinationum. In Romano duæ sunt lectiones cum duobus responsoriis. Et Micrologus cap. 52. dicit, quod feria secunda & quarta post palmas, duæ lectiones continuatim, ut in Nativitate Domini, leguntur. Gradualia & Alleluia Ambrosius in suo officio multa ordinavit. Et Gregorius ad Missam tam illa, quam alia in Romano officio imposuit. Abbas Nokerus sequentias aliquas pro neumis de Alleluia composuisse dicitur, quas Nicolaus Papa ad Missam cantari concessit. In antiquis libris Romanis aliquas vidi sequentias, multi autem multas introduxerunt. Quilibet gaudet de suis novitatibus. Securius videtur, in illis sequi Carthusienses & Cistercienses. Iubili autem seu neumata Gradualium & de Alleluia, resecandi non sunt, nisi cum illorum loco sequentiæ decantentur. Solis subdiaconibus Romana auctoritas concedit, ut sacris vestibus induti, epistolam legant, vt dicit Micrologus capitulo octavo, trigesima-quarta distinct. Si subdiaconos. Nam beatus Hormisda à Beato Petro Papa quinquagesimus tertius, cap. tertio, illum deponit, quicunque non ordinatus, officium ordinati usurpaverit: quod utique nec ex consecratione, nec ex Ecclesiastica consuetudine unquam promeruit. Canones etiam alios, nisi ad hoc ordinatos, in Ecclesia legere, vel in publico psallere, vel Alleluia dicere, vel aliquem exorcizare in diversis conciliis prohibuerit. Sed de epistola (con. de vi. & ho.) dicti cap. ut clerici dicunt, ut ibi. Nihil autem obstat, quin sacerdos in Missa inferiorum ordinum officia, si necesse fuerit, expleat: quem & omnes inferiores obtinere constat, qui & in Missa sacris vestibus est indutus, sine quibus altari, iuxta Romanum Ordinem, ministrare non debemus. Vnde congruentius ipse epistolam & evangelium legat, quam hoc per inordinatum expleri permittat. Anastasius I. natione Romanus, qui cœpit anno Domini trecentesimo quarto, mandavit, ut cum sancta Evangelia in Ecclesia leguntur, nullus sedeat: sed omnes Dominica verba intente audiant, & fideliter adorent, de consecratione distinct. 1. Apostolica: Quæ reverentia, ut aiunt, & Apostolicæ lectioni apud Græcos exhibetur, ut dicit Microlog. c. 9. Diaconus autem cum Evangelium legit, iuxta Romanum Ordinē, in ambone vertitur ad meridiem, ubi & masculi conveniunt. Sacerdos vero in altari ad sinistrum cornu legit, ut in dextra parte expeditior sit ad oblationes suscipiendas & sacrificium perficiendum. Sed ut diaconus similiter ad Aquilonem se vertat, usurpatio iam hodie inolevit, ut quasi pro ordine teneatur. De hoc Microlog. latius d. cap. 9. Ordo quoque præcipit, vt Evangelium lecturus, in fronte & in pectore sibi crucem faciat. Item præcipit Romanus ordo, ut incensum cum luminaribus præcedat Evangelium, cum ad altare seu ad ambonem portatur. In Evangeliis Dominicalibus & plurium festorum, sæpius adinvicem discordant Ambrosiani, Romani, & aliæ nationes. In quibus libros nostros antiquos imitamur, non utique sedi Apostolicæ, si aliter insserit, præiudicantes. Symbolum Nicenum, id est, *Credo in unum Deum*, sanct. Marcus natione Romanus successor Silvestri, qui cœpit

Quid his notis significare scriptor voluerit, divinare nequimus.

anno

anno Domini 339. vel 40. statuit ut post evangelium in Ecclesia alta voce dicatur. Deinde eiusdem symboli formam, quam Græcorum & Latinorum confessio prædicat, & quam post Nicenum Concilium sancti patres tradiderunt in sancta & universali synodo secunda apud Constantinopolim celebratâ tempore B. Damasi Papæ circa annum Domini 387. idem sanctus Papa in solemnibus diebus ad Missam cantari instituit, & iuxta canonem cantari debet in omnibus Dominicis per totum annum, in omnibus festivitatibus Domini, & sanctæ Crucis, sanctæ Mariæ, sanctorum Apostolorum, omnium Sanctorum, dedicationis Ecclesiæ; nec immerito, quia de his singulis in eodem symbolo aliqua reperitur commemoratio. Item per octavas Paschæ & Pentecostes, quæ cum die principali, pro una festivitate computantur. Et ut dicit felicis memoriæ Innocentius III. de celebrat. Miss. cap. consilium. In profestis diebus cum Missarum solennia in honore beatæ virginis celebrantur, hoc symbolum in Romana Ecclesia non cantatur, ut intra solemnitatem & commemorationem differentia ostendatur. Ex quo sequitur, quod per alias octavas maiores cantari non debet. An autem in die octavarum in diebus sancti Michaëlis, Nativitatis Ioannis Baptistæ, Mariæ Magdalenæ, Marci, Lucæ & Martini, sit cantandum opiniones sunt & argumenta. Et quidem, *Angelus & Virgo, Martyr, præsul sine Credo.* In prima autem & secunda Missa noctis Domini, non cantatur, etiamsi doctum sit, ut festivius in missa maiori suscipiatur. Genuflexio, quam quidam ad verba, *Descendit de cælis*, inchoant: & in verbis, *Et resurrexit* terminant, nullo exemplo probatur. Concilium enim Nicenum genuflexionem Dominico die interdicit, de cons. distinct. 3. Quoniam. Et aliis præcipuis festivitatibus fieri non debet, de f. r. cap. 2. In hoc symbolo decantando religioni vestræ non congruit modus secularium per notas fractis. Sequimini ergo monachos Carthusienses, à quorum consortio non estis seiuncti, ut supra allegabatur. Offertorium autem quod inter offerendum cantatur, quamvis à prioribus populi consuetudine in usum Christianorum venisse dicatur, cum quis specialiter addiderit officiis nostris, ut quædam Chronica dicunt, apertè non legimus, sicut & de antiphona quæ ad complendum dicitur, possumus fateri, cum vere credamus priscis temporibus patres sanctos obtulisse in silentio vel communicasse. Quod etiam hactenus in sabbato sancto Paschæ observavimus, sed diversis modis & patribus per tempora decus Ecclesiæ processit, & usque in finem augeri non desinet. Alij vero offertoria B. Gregorio adscribunt. Verum est autem, quod multa recepta sunt ab officio Ambrosiano & B. Gregorio, qui plura alia ordinavit, & omnibus versus quam plures annotavit, qui tam Romæ, quam in libris nostris antiquis continentur. Quibus hodie resecatis, offertorium eo morosius percantatur. Finito autem Evangelio, statim est offerendum de consec. dist. 1. Omnis, dum & offerenda cantatur, quæ nomen de oblatione mutuavit. Nam ordine præpostero deinceps offertur, postquam proposita oblatione in altari sacerdos populum hortatur ad orandum. Sanctus Alexander natione Romanus Papa V. à B. Petro, qui cœpit anno Domini 121. præcepit ut panis tantum & vinum aquâ mixtum, in sacrificio Domini offeratur, quia de latere Domini sanguis & aqua simul perfluxerunt, de cons. distin. 2. In sacramentorum. Vnde S. Cyprianus: In calice inquam Dominico, aqua vino deesse non debet, ne populus qui per aquam iuxta Apocalypsin significatur à Christo separatus esse videatur, ead. distinct. cap. 2. 3. & 4. Præcepit etiam idem Alexander Papa, ut hæc oblatio ex azymo fieret in modica quantitate, dicens: Quanto paucior, tanto potior. Rursusque præcipit populum adspergi aqua cum sale exorcizata & benedicta, de consec. distin. 3. Aquam. In componenda oblatâ in altari, est duplex modus: unus Romanus, quem servant Itali & Alemanni cum duobus corporalibus, quorum utrumque pure lineum debet esse, de consecr. dist. 1.* Consules. Gallici vero cum uno tantum, iuxta Romanum ordinem, secundum Microl. cap. 10. Oblata in corporali posita, calix ad dextrum collocatur, quasi sanguinem Domini suscepturus, quem de Dominico latere credimus profluxisse. Gallicani vero, calice de plica unius corporalis cooperto, oblatam ponunt ante, quod etiam multi faciunt cum duobus ministrantes. In quibusdam Chronicis legitur, quod Leo I. de quo infra, constituit, ut finito offertorio, super oblatam incensum in memoriam mortis Christi ponatur. Idem alibi scribitur, statutum in Concilio Rothomagensi. Microl. cap. 9. dicit, Romanum ordinem non concedere, ut oblatio in altari thurificetur, quod Amalarius à multis in prologo libri sui de officiis, Romanos devitate fatetur, quamvis modo à prælibatis, immo pene ab omnibus, usurpetur. Romanus Ordo, ut dicit Microl. cap 11. nullam orationem instituit ante Secretam. Iuxta Gallicanum autem Ordinem compositâ oblatione dicit sacerdos: Veni sanctificator omnipotens æterne Deus benedic hoc sacrificium tuo nomini præparatum, per Christum Dominum nostrum. Et inclinatus ante altare, non ex aliquo ordine, sed ex Ecclesiastica consuetudine dicit: Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offerimus in memoriam passionis, resurrectionis, ascensionis Domini nostri Iesu Christi, & in honorem sanctæ Dei genitricis Mariæ, sancti Petri, & sancti Pauli, & istorum, atque omnium sanctorum tuorum, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: Et illi pro nobis dignentur intercedere in cælis, quorum memoriam agimus in terris. Per Christum. Erectus autem presbyter, populum hortatur ad orandum, dicens: Orate pro me. Quod Leoni Papæ adscribitur. In dicta Oratione, *Suscipe*, Nativitas Christi commemorari non debet, cum secundũ Apostolum, in eiusmodi sacrificio non Nativitatem Domini, sed mortem eius annunciare debeamus. Et si diligentiores ordinis observatores in huiusmodi orationibus multorum consuetudini cedant: superflua tamen summopere devitant. Vnde Prædicatores, aliis omissis, tres tantum articulos ponunt. Nam præmissis versiculis. *Quid retribuam*, &, *Calicem*: In accipiendo utrumque, quando utrumque tenetur elevatum, breviorem dicunt orationem; Suscipe sancta Trinitas hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam passionis Domini nostri Iesu Christi, & præsta, ut in conspectu tuo tibi placita ascendat, & meam & omnium fidelium salutem operetur æternam: Per Christum. Item de profundis inclinati; In spiritu humilitatis, &c. Et tertio versiculo, Orate fratres, ut meum pariter & vestrum in conspectu Domini sit acceptum sacrificium. Ambrosiani hoc loco habent prolixas & plures orationes. Secretæ orationes dicuntur eo ordine, quo & primæ. In Ambrosiano dicuntur alte. Post secretam orditur sacerdos præfationem in Canonem, in qua superni cives merito commemorantur, quia ibi adesse creduntur, Vnde & angelicus hymnos subsequitur. *Sursum corda*, de Ieremia: *Gratias agamus*, de Apostolo est sumptum. Ideo autem sacerdos ut dicit beatus Cyprianus, ante orationem præfatione præmissâ, parat fratrum mentes, dicendo, *Sursum corda*: ut dum respondet plebs, *Habemus ad Dominum*: admoneamur, nihil aliud se, quam Dominum, cogitare debere, claudatur contra adversarium pectus, & soli Deo pateat, nec ad se hostem Dei, tempore orationis venire patiamur, de cons. dist. 1. Quando autem stamus, Præfationes, ut dicit Gemma, Dionysius Areopagita putatur composuisse. Ambrosius librum præfationum ordinavit, ex quo in Lombardica multæ præfationes allegantur. In qualibet autem Missa Ambrosiani officij, propria decantatur præfatio. B. autem Gelasius I. de quo supra propositione 11. tractatus & hymnos in morem B. Ambrosij composuit, & inter cætera præfationes & orationes canto & limato sermone fecit. In antiquissimis etiã nostris Missalibus multæ continentur. Pelagius autem primus

Cõsultõ.

De Præfatione.

natione Romanus, qui cœpit anno D.L V I I I. novem præfationes in sacro catalogo decrevit tantummodo recipiendas, de consf. d. 1. Invenimus. Sed Sigibertus hoc ascribit Pelagio II. Vrbanus II. qui cœpit anno Domini 1088. antiquis novem præfationibus decimam de B. Virgine addidit in Concilio Placentiæ celebrato anno 1095. quæ habetur 70. dist. Sanctorum, de altero eius concilio in Francia, dixi supra propositione 20. Generale est præfationum, ut eorum temporibus & diebus in omni Missa continuentur, ubi propria non habetur. Ar. de celeb. Missæ, Consilium, ut præfatio de nativitate usque ad Epiphaniá, nisi in die Ioannis, & Octavis de Epiphania per octo dies; de ieiunio a die cinerum usque Palmas tam in Dominicis, quam in earum feriis, ut dicit Microl. c. 50. In die Palmarum & quatuor diebus sequentibus de S. Cruce: de Resurrectione, à Vigilia Paschæ usque ad Ascensionem: Et de Ascensione, abinde usque ad vigilias Pentecostes. Et de sancto spiritu, abinde usque ad Trinitatem, & quoties de S. Spiritu recolitur, de sancta Trinitate, quoties de ea cantatur, & per suas octavas. Et Dominicis diebus inter Trinitatem & Adventum, tam in Missa Dominicali, quam in festo novem lectionum cantantur. Et hoc servant Anglici, Alemanni, & multæ nationes. Et Micr. c. 60. dicit hanc præfationem ex authoritate Romana in diebus Dominicis frequentandá. Sed fratres sequuntur brevitatem capellarem. De sacramento, & per octavas iterantur præfatio de Nativitate Domini; de sancta Cruce, de beata Virgine, & de Apostolis, quoties de illis celebratur, & per eorum octavas continuantur, & de Evangelista repetitur. Sixtus primus natione Romanus, successor Alexandri, qui cœpit anno Domini 129. constituit, ut hymnus, Sanctus, Sanctus, Sanctus, ante sacrificium diceretur, dimidium de Esaia, dimidium de Evangelio sumens. Item constituit, ne sacra vasa tangerentur nisi à ministris Domini consecratis consec. dist. 1. In sancta Apostolica. De hoc supra latius dictum est. Hunc hymnum & ipse sacerdos dicere debet, ne sua prece se privet, qui & suas & aliorum voces angelicis laudibus admitti in præfatione deprecabatur.

Orationem quam Canonem sive Actionem propter regularem sacramentorum confectionem Romano more appellamus, quis composuit aperte non legimus, nisi quod B. Gregorius quendam Scholasticum illum composuisse testatur. Hic scholasticus creditur fuisse B Gelasius. Multa tamen eidem canoni à sanctis prælibatis successive inserta legimus, prout in sequentibus colligatur, tam ex Decretis, quam ex gestis Pontificum Romanorum. Sanctus Clemēs primus natione Romanus, ap:ę consecrationem orationem instituisse dicitur: Vnde, *Te igitur clementissime pater*, à quibusdam ei attribuitur. S. Alexander, de quo supra ipsius Dominicæ passionis commemorationem interserere iussit. Vnde orationem, *Vnde & memores*, quidam ipsi attribuunt. De signis autem, quæ super oblationem à diversis diversè fiunt secundum Microl. cap. 14. nos ab Apostolica sede potissimum formam sumere decrevimus, unde totius Christianæ religionis ordinem & originem suscepimus. Nam & illi sedi nostro tempore Deus gubernatorem, reverenda inquam memoria Gregorium Papam imposuit, qui sub decem suis antecessoribus à parvo Romæ nutritus & eruditus, omnes Apostolicas traditiones diligentissime investigavit, & investigatas studiosissime in actum referre curavit. Hunc ergo doctorem religione & auctoritate præcipuum, immo Apostolicam traditionem per ipsum in considerandis mysteriis potissimū imitari decrevimus. Sicut nos ipsi per ipsum & episcopos, qui eum imitati sunt, accepimus imparem numerum semper in dispensatione signorum super oblationem observamus, videlicet unam crucem vel tres, vel quinque faciendo; Et hoc utique non sine certi causa mysterij. Nam in una & tribus, trinum & unum Deum intimamus: In quinque autem quinquepartitam Domini passionem significamus. Merito autē impar numerus in Ecclesiasticis officiis frequentatur, quia nunquam in duo æqualia, unitate impediente, dividitur, sicut unitas sanctæ Ecclesiæ nullatenus eam in duo secari patitur. Inprimis ubi dicitur. Hæc dona, hæc munera, hæc sancta sacrificia, tres tantum cruces super panem & vinum communiter facimus, nec unquam panem à calice separamus in consignatione, nisi ubi separatim nominantur in canone. Ita autem illa communiter signamus, ut erecta pars crucis tantum super panem, transversa autem super calicem protendatur. Nam erecta pars crucis, corpus Dominicum sustinuit: transversa autem, ipsius brachia distendit. Vnde & calix congrue sub brachia eius collocatur, quasi de latere Dominico sanguinem Domini suscepturus. Romana auctoritas nomina vivorum fidelium internumerare permittit, in primo *Memento*, & in secundo, nomina defunctorum, ut infra dicam. Recitatio autem publica nominum ante preces, inhibetur ead. dist. cap. fin. Microl. cap. 13. dicit, quod secundum antiquiores & emendatiores sacramentarios, in canone superfluunt sequentia verba: Primo ibi, & rege nostro, & omnibus orthodoxis atque Catholicæ & Apostolicæ fidei cultoribus. Nam in sequēti oratione, omnium vivorum commemoratio est concessa. Item illa, pro quibus tibi offerimus, quia offerentes non nisi in tertia persona scripti reperiuntur. Item pro circumstantium, habet circumstantium. Item in oratione, *Vnde & memores*, superfluit *eiusdem*. Item in secundo *Memento*, sic habet: *Memento etiam Domine & eorum nomina, qui nos præcesserunt cum signo*, &c. Sed hoc antiquæ Romanæ traditionis exercitio, iam non sine scandalo locum habere videtur, quod iuxta Apostolum & Evangelium, devitare debemus. Nimis autem temerarium videtur, ut nos antiquo canoni ad libitum nostrum adiiciamus, nisi quæ à sanctis patribus adiecta vel adiicienda esse cognovimus, præcipue cum inter sanctos patres nulli aliquid adiecisse legantur, nisi qui & Apostolicá auctoritate præditi, hoc facere potuerunt. Optimum ergo videtur, ut in hac causa terminos patrum nostrorum non excedamus, nec nos Apostolicæ auctoritatis reos efficiamus, si quod soli Apostolicæ competit potestati, canonem nostris interpositionibus præsumimus augmentare.

Siricius Papa natione Romanus, qui cœpit anno Domini 388. secundum quædam Chronica instituit in canone Missæ, *Communicantes, & memoriam venerantes*, &c. Aliorum autem sanctorum nomina annumerare non debemus, nisi quos antiquitus descriptos in canone reperimus. Excepto, secundum Microl. c. 1, in oratione post *Pater noster*, ubi iuxta ordinem quorumlibet quantumlibet sanctorum nomina internumerare possumus. In summis quoque festivitatibus quædam canoni in illo loco, ubi dicitur *Communicantes*, vel *hanc igitur oblationem* interponimus, quæ tamen ex antiquioribus & emendatioribus sacramentariis interponenda esse didicimus, videlicet in natali Domini, in Epiphania, in Cœna Domini, in Pascha, in Ascensione & Pentecoste. Et hæc in suis tantum diebus principalibus interponi debent, Et sex diebus, per quos festivitates Paschæ & Pentecostes sunt extensæ. Gregor. III natione Romanus, qui cœpit anno 731. in basilica B. Petri oratorium faciens in honore omnium sanctorum, adiecit in canone, *Quorum solennitas hodie in conspectu tuæ maiestatis celebratur, Domine Deus noster, in toto orbe terrarum*: quod quia specialiter ad illam pertinet celebritatem non est canoni, qui generaliter dicitur, annotatum. Principium orationis, *Hanc igitur*, ascribunt S. Leoni magno, de quo infra. B. autem Gregor. I. adiecit, *Diesque nostros in tua pace*, usque, *Per Christum*, ut omnes scribunt, & dicetur. De verbis autem consecrationis institutis dictum est supra, ubi ad Decret. Innocent. III. fuit remissum. Sacerdos autem humiliationē Christi usque ad mortem crucis nobis indicat, quando se usque ad altare inclinat, dicendo: *Hanc igitur oblationem*. Et statim in sequentibus narrationē de Dominica passione orditur: quam usq; ad, *Supplices te rogamus* obser-

vtrumque iuxta altare se inclinans, Christū in cruce inclinato capite, spiritum tradidisse signat. Et ibi, *Vt nobis fiat corpus & sanguis*: subauditur, hæc oblatio. Et hic congrue super vtrunque tres cruces facimus, licet quinque dictiones ad hoc aptas habeamus, ne quinarium, de quo supra, excederemus & quintam crucem super calicem, quasi quinti vulneris indicem, vnde sanguis cum aqua profluxit, competenter faceremus. In canone igitur Passio Domini potissime commemoratur, iuxta Evangelium. *Hoc quotiescunque*, &c. & Apostolum, *Quotiscunque igitur*, &c. Vnde sacerdos secundum Microl. ca. 16. per totum canonem in manuum expansione, tam mentis devotionem quam Christi in cruce extensionem præsignat: iuxta illud: Expandi manus meas tota die. Digiti ergo pro superflua cautela non semper contrahantur: male enim cauti sumus, si Christum imitari summopere non studemus. Congruit ergo vt manus infra canoné expandamus, observato, ne quid digitis præter corpus Domini tangamus, nec manus remittere debemus, nisi sanctæ cruces fuerint faciendæ. In oratione, *Supra quæ*. Leo I. natione Tuscus, qui cœpit anno Domini 443. in ordine 47. & in homiliis declarandis multum valuit, vt omnia chronica dicunt, addidit, *sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*. Ad orationem, *Supplices te rogamus*, profunde est inclinandum. Et hic supplenda sunt sanctorum dicta, quibus adstitutus, totam curiam cælestem, scilicet Virginem gloriosam, choros Angelorum, omnesque Sanctos tempore consecrationis adesse. In *Memento* secundo post mortem Christi, sequitur memoria mortuorum: quia nec alij defuncti commemorandi sunt, nisi qui in Christi morte redempti, in Christo hanc vitam finierunt. Vnde in Concilio Cabilonen. scribitur, & ponitur de cons. d. 1. visum quod memoria facienda est pro spiritibus in omnibus Missarum solennijs loco competenti. Et hunc morem antiquitus Ecclesia tenuit, vt hoc ipsum ex dictis B. Augustini confirmatur. Sacerdos in verbis, *Nobis quoque*, vocem exaltans, centurionem designat, qui visâ morte Christi, voce exaltatâ dixit: Vere filius Dei erat iste. Sancti martyres hic & superius, non ordine quo passi sunt, inscribuntur. Vnde notari potest, quod canon ab eodem, vel tempore eodem, non fuerit ordinatus: Quatuor hic cruces super calicem fiunt, & quinta in eius latere iterum vt prius, ad laterale vulnus dominicum signandum. Vnde calix iuxta Romanum ordinem ex eodem latere tangitur. Incongrue autem, secundum Microl. ca. 17. duæ cruces in latere fiunt, quia in latere Christus nisi vnum vulnus habuit. Sed reverendæ memoriæ Gregorius Papa fecit, vt prædiximus, quod B. Anselmus Lucen. Episcopus ita ab eo se didicisse testatus est. Et hoc ita semper observavit, nobisque itidem observandum firmissime inculcavit, secundum Microl. Hic in Ambrosiano fit confractio, & cantatur Antiphona, quæ ex ea confractio appellatur. Ad *Per omnia secula seculorum*, corpus cū calice levatur, & statim depositum cooperitur: quia & Ioseph Domini corpus in cruce levavit, & in sepulchro depositum lapide operuit. Hucusque calix pro cautela opertus videbatur. Deinde magis pro mysterio operitur: quia sicut Christus tres dies coopertus tacuit in sepulchro ita & nos corpus Dominicū & calicem cooperimus, quousque tres articulos orationis expleamus, vtpote Dominicæ orationis præfationem, Dominicam orationem, & illam quæ sequitur, quæ embolis Dominicæ orationis nuncupatur. Gregorius I. natione Romanus, doctor egregius, in ordine 61. qui cœpit anno Domini 592. inter multa vtilia quæ Ecclesiæ fecit & instituit, antiphonarium regulariter centonizavit, & vtiliter compilavit. Kyrie eleison à clero ad Missam cantari præcepit: Alleluia ex Hierosolymorum Ecclesia, in vsum Romanæ Ecclesiæ extra Septuagesimam cantari fecit, & à Septuagesima vsque ad Pascha. *Tractus*. In canone, *Diesque nostros in pace tua disponas*, vsque ad, *Per Christum Dominum nostrum*: Et post canonem consecrationis, *Præceptis salutaribus moniti*, superaddidit, & Dominicam orationem se adiecisse in registro suo asserit, vbi quibusdam inde murmurantibus, humili responsione satisfecit: Inconveniens esse asserens, vt oratio quam Scholasticus composuit, super oblationem diceretur, & illa prætermitteretur, quam ipsi Apostoli ex institutione Dominica in confectione eorundem sacramentorum vsitasse creduntur. *Præceptis salutaribus*, &c. *Pater noster*, &c. *Libera nos* Domine ab omni malo, præsentibus, præteritis & futuris, & intervenientibus beata & gloriosa semper Virgine Dei genitrice, & beatis Apostolis Petro & Paulo, atque Andrea. (Hic nominet, secundum Microl. c. 25. quotquot sanctos voluerit, cum omni* (s) Da propitius pacem in diebus nostris, vt ope misericordiæ tuæ adiuti, & à peccato simus semper liberi. Hic patenam accipiat, & osculatam deponat, secundum Microl. *& ab omni perturbatione securi*: hic & ad *Per Dominum*, super patenam fit confractio, primo à latere dextero, ad designandum Dominici corporis percussionem: Deinde maior pars in duo frangitur, secundum Microl c. 17. Vna pars in calicem mittitur, Vna à sacerdote ante calicis participationem sumitur, & tertia communicaturis seu infirmis dimittitur. Quid istæ partes significent, dicit Sergius Papa de cons. dist. 2. Triplex, & lib. 4 Sentent. dist. 12. Gallicano autem more super calicem fit confractio. Particula missa in calicem, Romano ordine sub silentio dicit sacerdos: Fiat commixtio & consecratio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, accipientibus nobis in vitam æternam, Amen. B. Innocentius Papa I. natione Albanen. in ordine 43. qui cœpit anno Domini 407. constituit pacem dari post confractionem sacramentorum, de cons. d. ii. pacem. Et congrue pax datur ante communioné, quia iudicium sibi manducat & bibit quicunque non prius fratri suo repacificatus, communicare præsumpserit. Cum adstanti pacem damus, dicere solemus, *Pax tecum*. Responsio, *Et cum spiritu tuo*. Sergius I. natione Syrus, in ordine 87. qui cœpit anno Domini 677. constituit vt in tempore fractionis Dominici corporis, *Agnus Dei* à clero & populo decantetur: videlicet, vt ille nobis propitietur, qui pro nobis innocens oblatus est. Inclinatus autem dicit, antequam communicet, Domine Iesu Christe, qui voluntate patris cooperante Spiritu sancto per mortem propriam mundum vivificasti, libera me per hoc sacrosanctū corpus & sanguiné tuum, ab omnibus iniquitatibus & malis meis, & fac me tuis inhærere mandatis, & à te nunquam in perpetuum separari qui cum Patre. Cum distribuit Eucharistiam, dicit, *Corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi proficiat tibi in vitam æternam. Amen.* Omnes debent communicare & interim cantatur Antiph. quæ de communione nomen mutavit, cui & psalmus subiungendus, secundum Microl. c. 18. cum *Gloria patri*, si necesse fuerit. Et hæc Antiph. semper habet eundem psalmum cum introitu, si non habet proprium, ex quo sumpta videatur, Romæ in antiquis libris huiusmodi versus annotantur, In Ambrosiano appellatur transitorium.

(subiungendum est fortasse, & humilitate.)

Orationem, quam inclinati dicimus, antequam communicemus, non ex ordine, sed ex religiosorum traditione habemus, scilicet: *Domine Iesu Christe, qui nobis*. Item & illud, *Corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi*, quod dicimus, cum aliis Eucharistiam distribuimus. Sunt & aliæ multæ orationes, quas quidem ad pacem & communionem privatim frequentant: Sed secundum Microl. c. 18. diligentiores antiquarum traditionum observatores, nos in huiusmodi privatis orationibus brevitati studere docuerunt, potiusque publicis precibus in officio Missæ occupare voluerunt. Nam B. Innocentius Papa scribens B. Augustino & Aurelio episcopis, asserit, quod nos plus communibus & publicis, quam singularibus & privatis orationibus proficere poterimus. Non est authenticum autem, quod quidam corpus Domini intingunt, & intinctum pro complemento communionis populo distribuunt. Nam ordo Romanus contradicit, & Iulius quoque Papa in ordine XXXVI Episcopo Ægypti scribés, huiusmodi intinctionem penitus

probibet, & seorsum panem & seorsum calicem iuxta Dominicam institutionem sumenda docet. Vnde & B. Gelasius Papa in ordine I I. scribens quibusdam episcopis, excommunicari illos præcepit, quicunque sumpto corpore Dominico, à calicis participatione se abstinuerunt, nam vt ipse eodem Decreto asserit, huiusmodi sacramentorum divisio sine grandi sacrilegio provenire non poterit. Postquam omnes communicaverunt dicit sacerdos sub silétio hanc orationem iuxta Romanum ordinem. Quod ore sumpsimus, mente capiamus, & de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Qua finita sequitur oratio, sive orationes post communionem dicendæ, quæ eodem numero & ordine orationibus ante lectionem, sive secretis ante præfationem dictis, debent respondere. Quæ vtique orationes non pro his qui communicaturi sunt, sed qui iam communicaverunt, iuxta proprietatem sui nominis agunt: ergo & ante ipsas communicare non negligant, quicunque earundem orationum benedictione foveri desiderant. His ita finitis; subsequitur, *Benedicamus Domino*; sive, *Ite missa est*, si tamen ad festum sunt, quod *Gl[oria] in excelsis* habere debuit: respondent omnes, *Deo gratias*, iuxta Apostolū pro collatis beneficiis agentes. *Ite, Missa est*, a quo Missa nomen accepit, de veteri testamento sumitur, vbi scilicet Pharao populum ire iussit: sive vbi Cyrus populum à Babylone ire præcepit. *Benedicamus Domino*, sumptum est de psalterio: *Deo gratias*, de Apostolo. Et hæc dici Leo Papa constituit. Benedictionem episcopalem Martialis Episcopus A[p]ostol[or]um discipulus, ex magisterio Apostolorum tradidit, quas probabile studium servientium auxit, Ambrosius dicere cœpit. Iique mos ex eo vbiquequaque convaluit. Apostolicus autem hanc tantum, quæ finita Missa dicitur, dicit. Finitis omnibus, osculatur altare, dicens; Placeat tibi sancta Trinitas obsequium servitij mei, & præsta, vt hoc sacrificium quod oculis tuæ maiestatis ego indignus obtuli, mihi & omnibus pro quibus illud obtuli, te miserante, sit propitiabile, Per Christum Dominum nostrum. Exuens se vestibus sacris, cantat hymnum trium puerorum. Vnde sancti patres in 4. Toletano, ca. 14. decreverunt, vt sacerdos Excommunicationi subiaceret, qui eundem hymnum post Missam dicere neglexerit. Psalmum quoque, Laudate Dominum in sanctis eius, in gratiarum actione subiungens, Kyrie eleison, Pater noster, Vers. Confiteantur tibi Domine omnes, vers. Exultabunt. vers. Exultant iusti. vers. Non nob is. vers. Domine exaudi orationem meam. Deus qui tribus pueris. Oratio, Actiones nostras.

Videmus ex præmissis, quam curiose omnia in sancto Missæ officio servanda sunt constituta & authentice introducta, quæ omnia nos monere debent, ne officia Romana a suis locis sine causa mutemus, aut aliter quā scripta sunt, observemus. Nam B. Alexander, cuius supra mentionem fecimus ait: Sicut hæc oblatio omnes alias præcellit, & potior est cæteris, ita potius excoli debet & venerari, de cons. d. 1. nihil. Excolamus igitur & veneremur sanctas missas Gregoriani officij, & ante omnia Missas Dominicales cum earum glorificationibus omnino diebus Dominicis, nisi maior festivitas impediat, honoremus: nec eas ponamus sub vtilitia feriali. Missæ igitur Dominicales inter Pascha & Pentecosten, inter Octavas maiores, & quæ in vigiliæ sanctorum in Dominica occurrunt, & si quæ sint aliæ, in eorum Dominicis cum debitis glorificationibus imponantur: nec putandum sufficere, vt in feria Dominicalis lætitia obscuretur. Epistulæ & Evangelia, quas a Romana habemus Ecclesia, non omittantur, Missæque aliæ propriæ & speciales cum Dominica & aliis festis occurrentes, primo mane vel alias horâ congrua suppleantur. Missa pro primo mane in diebus Ioannis Evangelistæ, Ioannis Baptistæ, & Laurentij, & si quæ aliæ sint, non negligantur. Quando autem eodem die B. Gregorius duplices ordinavit, vt in vtroque festo Sanctæ Crucis, in die Augustini, in die Decollationis, in die omnium Sanctorum, & si quæ aliæ sint, illæ omnino in aliquo loco suppleantur ipso die. Et hoc observetur, quoties propter maiorem, festivitatem occurrentem: Missa Gregoriana locum summum nequit habere.

MANVELIS CALECÆ ORD. PRÆDICAT. Sapientissimi viri OPERA.

LECTORI.

MANVEL Calecas, Vir eruditus ac verè Theologus, vt monumenta monstrant. Ipse leipsum Græcum profitetur, tum l. 4. contra Græcos, n. 8. tum & in Epilogo eiusdem libri, vbi sic ait, *Obtestor autem, ne ferant graviter, si eiusdem secum patria & generis cum simus, diversum ab illis iter, veritate ostendente, pergere voluerimus.* Cuius verò gentis ac generis, non indicat. Sit fortè ex ea ipsa familia [e]x qua Ioan. iste Calecas habetur Sæculo 11. [Fa]bnius Bibliot. p. 570. Ioa. Calecas Patriarcha Andronico Palæologo imperatore, de quo Allat. de Symeonum Scriptis ad Gretzerr Notas in Orat. Ioan. Calecæ: & nomen indicat.

Calecam Ordini Predicatorum vindicat, ipse eius splendidissimum Lumen, Ioannes Cardinalis a Turrecremata, Summâ de Ecclesia, l. 2. c. 93. *Vndo Emmanuel Calecas & Græcus magna sapientia Frater Ordinis Prædicatorum*: cuius testimonium tantò gravius est, quantò ipse, Vir tantus, Calecam propius attigit, eiusdem ac ille sæculi, sin minus omnino æqualis; at certè suppar; per id tempus, quod inter Concilium Lugdunense & Constantiense intercessit. Id enim extra dubium videatur, quicquid de Manuelis certâ adhuc ætate certetur. Galesinum non probat Allatius l. 2. c. 18. n. 4. de Perpetuo consensu Latinæ Græcæque Ecclesiæ, qui interfuisse Concilio Lug. sub Greg. X. Calecam existimet; quodque ipse Calecas lib. 3. n. 18. & lib. 4. n. 7. dictam Synodum congregatam fuisse & confirmatam scribat ante annos plures; fateri necesse est annos non paucos illi supervixisse: quot verò, incompertum est. Fuisse vnum ex illis Confessoribus, qui odio fidei à Græcis malè habiti sunt, post Concilium Lugd. & Andronico seniore Imperatore, ipse insinuat, cùm sic ait, l. 4. n. 8. *Prorsus verò è nostris, nunquam defuerunt, ex his qui aliquid esse videbantur, qui Romana Ecclesia faverint: suorum quidem separationem, irrationabilem & præter Ecclesiasticas Leges Patrumque Theologiam esse arbitrantes; se autem ad illos conferentes, ignominiis quidem affecti. sive etiam fugati, ob veri confidentiam ac prædicationem; quibus & qui hæc scribit adiunctus est; gratias Deo quod sit dignus habitus*, &c. Etiam Palamitæ, in quos Calecas stylum strinxit, eâ, quæ hic repræsentatur, lucubratione, in Catholicos dire sævierunt, eos etiam, qui aliàs pari illis odio Latinos insectabantur, vt in Gregora aliisque ostendit Ioann. Cyparissiota.

Præter libros contra errores Græcorum, & ea quæ pro luce ipsa laudatissima; alia eius feruntur, Liber de Trinitate, hoc initio, [illegible]. Sermones quidam Allatio laudati in de Symeonum Scriptis. Grammatica extat in Bibl. Regia. Item excerpta ex laudatis Libris adversus errores Græcorum, in quibus

Augustini aliorumque Patrum Latinorum auctoritates felicissimè Græcè redditæ. Absolutissimus liber de Fide & Principiis Fidei, quem ex Hispania, cum aliis MSS. Græcis Codd. non levi ære, almi Galliæ Cleri indulgentiâ ac liberalitate, mihi redemptum, hîc Tibi integrum emendatumque repræsento: Accurata Viri tractandi methodus, rata Scripturæ, Patrum, Conciliorum, auctoritate, atque traditione.

Qui extat Liber in Ædibus FF. Prædicatorum *Constantinopoli adversus errores* Græcorum editus, nihil Calecæ attinet, sed certum auctorem Pantaleonem habet; vt non unus fuit hac palæstra clarus in clarissimo Hæreticorum ac Schismaticorum prælis, verè Apostolico Prædicatorum Ordine.

MANVELIS CALECÆ, ORD. PRÆDICAT. De Essentia & Operatione.

F. FRANCISCO COMBEFIS, ejusdem Ordinis Interprete.

ID nobis hîc loci, quasi defungentibus, finis propositus est, vt latam à Synodo de divina *Essentia* divinaque *Operatione*, deque illis mota Quæstione, sententiam, clarius retexamus; quò scilicet, ii qui æmulationem quidem habent, sed non secundum scientiam, erudiantur ad legitime certandum, vnde sibi & coronam acquirant; qui autem ex simplicitate ignorant, doceantur; nam, vt auctor est divinus Apostolus, *Qui ignorat ignorabitur*; iique adeo etiam, qui proclive, seu potius temere ac maligne alios calumniantur, eisque detrahunt, iniustitiæ arguantur Hanc nimirum sententiam, vniversa Synodus, præsidente Imperatore, sæpius conveniens, ipsa promulgans atque conscribens, tanquam rectæ Fidei columnam sibi proposuit, ac velut pietatis regulam, reliquis tenendam tradidit, necnon *Tomum Palamæ* appellandam sanxit. Id enim verò, eorum qui ista lecturi sunt, ante omnia animis ratum esto ac constitutum, fuisse tempus cum hæc Ecclesia, sententiam aliam huic contrariam antè edidit; ac testantur, qui etiam num superstites, Synodo illi interfuerunt, Actusque ipsi eo in negotio Synodales, Andronico Imperatore, habiti; ac denique quæ de illis gestorum monumentis conscripta sunt: Quocirca dubium est, vtra harum sententiarum veritate nitatur. Liquet enim fieri non posse vt affirmatio & negatio simul veræ sint, vel vt illa dicatur atque credatur Ecclesia Catholica, quæ de iisdem fidei Capitulis, modò sic, modò aliter, maximè contraria decernat, teneatque & palam scriptis factisque enuntiet. Necesse est enim, vt Ecclesia Catholica, verum semper dicat; nam & qui eam non audierit, Ethnicum & Publicanum fore, Dominus statuit.

Vt igitur certa ac destinata ratione ordientes, eius quæ nunc obtinet, de divina Essentia ac Operatione, quæstionis sententiam retexamus, hancque ipsam in seipsa, cuiusmodi sit, contueamur, observandum est; illi, quem dixi, Synodi Tomo, sex capita ac quæstiones conclusionesque, ostendenda proposita esse, deque illis vniversim tractare. Primum est, Esse in Deo distinctionem Essentiæ & Operationis. Alterum, Hanc Operationem increatam esse. Tertium, Discretionem hanc ac distinctionem in Deo non facere in eo compositionem. Quartum, Deitatis nomen, non solum dici de Dei Essentia, verum etiam de vidina Operatione. Quintum, Dei Essentiam illius Operationi eminere ac superiorem esse. Sextum, Non participari Deum ratione Essentiæ, sed ratione Operationis. Ex eiusmodi sane quæstionibus, quas & luculentius, vt sibi videntur, ostendunt ac probant, quænam sit istorum hominum fides patet; quanquam etiam ex his quæ dicunt, ipsis eorum verbis, à nobis monstrandum est; quo nimirum, eorum quæ proposita sunt, scopus clarius ipse elucescat, nec quisquam per calumniam aliquid eis à nobis obiici arbitretur.

Liquet autem, ex ea, quæ in Tomo habetur, sententia, non proposuisse eos, de illa distinctione, qua vnus Deus, nullis verbis explicabili ratione, Hypostasibus discernitur; tribus scilicet subsistentiis ac tribus personis, Patris & Filij & spiritus sancti; quin potius Patre & Filio & Spiritu sancto, quandoquidem sancta Trinitas vna res est quæcunque tandem illa sit, vnaque Essentia: nec Personarum alia quidem per se subsistit nec est vere; vel alia sui ipsa ratione participabilis est, alia ex se participari non potest. Aliaque complura missa facio, quæ de Essentia & Operatione loquuntur, distinguendo ac discernendo, vt monstrabitur; sed secundum aliam distinctionem ac discretionem, cuius ipsi auctores existunt; quæ vtique, vt illi existimant, ipse Deus trine subsistens in Essentiam & Operationem (seu magis, in Essentiam & Operationes) discernitur. Manifestum autem est, hanc Operationem etiam Deitatem illis nuncupari: quinimmo Deitates; quod ipsum ex iis quæ credunt ac scribunt clarius innotescet. Etenim de hac ipsa re in eodem Tomo, ante earum quas diximus Quæstionum editionem, aiunt: *Cœpisse venerabilissimum Chartophylacem & Principem Philosophorum vt est Ecclesiastica consuetudo, ex vnoquoque sciscitari, quænam eius esset sententia, de dogmaticis illis Capitibus, de quibus sigillatim sermo habitus, atque examen institutum esset; omnesque vno ore, tanquam uno afflatos Spiritu, eum eo quod vnitum est, eam quoque quæ Deum deceat, discretionem ac distinctionem divinæ Essentiæ ac Operationis palam confessos esse; increatamque divinam Operationē haud secus ac Essentiam, amplexos esse; audientesque hanc quoque à Theologis vocari Deitatem, quod sic dicatur libenter habuisse. Inter quæ, sanctissimus quoque ac Oecumenicus Patriarcha rogatus, vt & ipse sententiam suam proferret, vbi prius disseruisset de distinctione divinæ Essentiæ & Operationis: ac quos Sancti dicunt, distinctionis modos omnes pulchre sigillatim distinxisset; prætereaque vnitam eam & inseparabilem à divina Essentia monstrasset, (in quibus etiam increatam divinam Operationem, ac Sanctis Deitatem vocatam, asseruit) totus deinde ad eos qui dissiderent admonendos atque hortandos versus est.*

Hinc liquet, Operationem, quam discretam ab Essentia dicunt, eandem illos & Deitatem fateri & increatam. Vnde etiam de duabus multisque Deitatibus distinctis illis sermo est. Apertiusque monstratur, & ex iis quæ scripsit Palamas, qui huius sententiæ ac opinionis antistes fuit; ac ferè quidem in omnibus astruit, maximè verò in ea Oratione, cuius initium istud est: *Afflante Spiritu prolatas Patrum sententias secuti.* Hic enim, Barlaamum & Acindynum in illis traducens, ait: *Vociferantur in eos, qui eandem ac Patres confessionem colunt ac servant; vt qui duas increatas Deitates quovis modo dicant, quorum altera emineat, altera inferior existat, non intelligentes nimirum crimen hoc in sanctos Patres nostros intorqueri, seu ad illos spectare.* Item rursus *Ignorant itaque miseri, Sanctorum sic accusatores fieri, ut est auctor Theologus; idipsumque fere illis accidit, ac iis, qui metu mortis, ipsi sibi guttur frangunt; ne scilicet parum*

alquid

Marginalia: A; B; C; D; E; F; G; H. Rom. 10. 2. — 1. Cor. 14. 38. — Palamæ Tomus vt fidei regula ecclesiæ traditus: ipse pridem in eadem Ecclesia dãnatus. — Mat. 18. 17. — Tomi Palamæ & Synodi Sententiæ capita. — Palamitarum Synodi sententia, vt plures in Deo Operationes, sic & Deitates. — Palamæ plurium in Deo Deitatū sententia.

aliquid laboris ponant atque operæ, exquirendo quænam hæ Deitates, & quidnam in eis præ eminens superiusque. Rursus in Dialogo, cuius titulus, *Barlaamites & Orthodoxus, Alia autem, quas dicunt Sancti, Deitates, sive vnu, sive duæ, sive plures.*

Ex his igitur manifestum est, loqui eos de multis Deitatibus. Quod autem discreta hæc in Deo (id est, Deitates hæ) non sola ratione discreta sint, sed & res existant, & non simpliciter nomina; hoc quoque multis astruunt, dum ante Quæstiones sic aiunt, *Orsi sunt qui dissentiunt, accusare Archiepiscopum Thessalonicensem. Erat autem eiusmodi accusatio, Quod nimirum ille, in quibusdam eorum librorum, quos scripsit, duas ac plures Deitates scribat, quæ emineant, & quæ inferiores existunt. Itemque sæpius sermonem ac dicam repetentibus ac contrepuntibus, hasque vtique voces accusantibus, ait Thessalonicensis, Exigua mihi verborum ratio est: de dogmatis rebusque certamen habeo.* Paucisque interiectis, *Ego sanè duas aut plures distinctasque Deitates in sancta Trinitate, ita nimirum ut alia quidem Patris sit, alia Filij, alia Spiritus sancti, nec sensi vnquam, nec sentio, sed Operationes quasdam & processiones natura & ab æterno Deo competentes, Deitatis nomine appellavi, existimans me consentaneè Sanctis loqui.*

Quæst. I. Lumine Deitatis

Quamobrem ex dictis clare liquet, plures eos Deitates increatas fateri, easdemque illas res esse affirmare. Quod autem negavit, dicens, *Nec sensi vnquam, neque sentio*, vt solummodo simplicioribus fucum faceret, & in quibus minimè accusabatur, illa inficiatus est. Neque enim crimen inferebant, quasi aliam Patris, aliamque Filij, atque aliam Spiritus sancti Deitatem diceret, sed quod vnum Deum in Essentiam & Operationem, seu etiam Operationes, divideret, quas singulas increatam Deitatem, & rem in Deo ab eius distinctam Essentia, ac ab ea aliam, vocaret. Denique, cur has Deitates resque esse affirmet, in sequentibus statim subiecit rationem. Subdit enim, *Hæc verò dixi, decertans adversus Barlaamum illum & Acindynum, qui solum Dei Essentiam increatam dicunt*; tanquam nimirum etiam alia sit præter ipsam, quin & multæ, vti ipse fatetur. Itaque quod is inficias, id fatetur; perindeque est ac si diceret, Vnam dico, & non vnam, &, Vnam dico & plures. Clarè enim affirmavit, dicens, *Sed divinas Operationes ac processiones, natura & ab æterno Deo competentes, Deitatis nomine appellavi.* Hæ autem sunt Operationes, quas ab essentia distinguit, & esse increatas ait, vt quæ natura & ab æterno Deo competant, ac disertè Deitates vocat.

Hæc ipsa confirmant in Anathematismis, quos Synodico adiunxerunt, adversus eos, qui multas eorum Deitates non confitentur. Clamant enim, *His qui sentiunt ac dicunt, Deitatis nomen duntaxat dici de divina Essentia, & non confitentur, iuxta Sanctorum divinitus inspiratas de Deo sententias ac voces, necnon Ecclesiæ pium sensum, nihilominus etiam de divina Operatione dici, sicque vnam rursus modis omnibus Deitatem asserunt, Patris & Filij & Spiritus sancti, sive Operationem quis dicat, Anathema sit.*

Synodi cum Dominicæ Orthodoxæ, vt vocatur, quæ fit. a. Quadr. in memoriam restitutionis Imaginum.

Enim vero fieri non posse, vt duæ hæ ac plures Deitates, in vnam numero coeant, vti frigidis verbulis isti somniantes affirmant, solumque ratione vnam esse secundum potestatem, quod ita sentiunt ac docent Magistros calumniantes, ex sequentibus liquebit. Nec enim satis illis fuit, vt sic quovis modo Dei Essentiam & Operationem inter se dividerent, easque distingui dicerent; verùm etiam multos in eis discretionis ac oppositionis modos adhibuerunt, quorum nullo fieri potest, vt Essentia & Operatio reipsa in vnum conveniant, vnaque Deitas existant; vti hi simplicioribus falsò suadent. Perro examinemus. Horum enim nonnullos, illorum probro, seu potius vt eorum falsa opinio ac sententia palam fiat ac evertatur, ex eis quos confessi sunt creduntque, in ea quam Synodice ediderunt, eorum religionis atque fidei nova regula (Tomo scilicet) hic loci exponemus.

Primus itaque discretionis Essentiæ & operationis modus, vt illi suo de Deo sensu existimant, in eo est quod in Deo aliud Essentia Dei est, aliud in eo non est eius Essentia. Secundus, Quod in Deo aliud est trinè subsistens eius Natura, atque aliud Persona. Vnde & aiunt in Tomo, velut hanc tueantur positionem, sic eis concepto sermone hacque verborum forma, *Sed neque aliud quid nisi Deitatem præter trinè subsistentem Deitatem, nec Essentiam Divinam aut Angelicam, nec Hypostasin seu Personam, sed Operationes quasdam ac processiones; seu emanationes, natura & ab æterno Deo competentes, Deitatis nomine appellavi.* Rursumque in eodem Tomo, post iam dicta Quæsita de Luce in monte Thaborio (etenim hanc quoque vnam multarum numeroque superiorum Operationum statuunt, cuius per se vis circa ea quæ collucebant ac illustrabantur) in hæc verba concludunt, *Increatum esse Lumen Dominicæ Transfigurationis, nec illud Dei Essentiam esse.* Itemque in suis Anathematismis, qui dicant ac confiteantur, *Lumen quod in Dominicæ Transformationis monte eluxit, increatum esse; negent tamen illud esse superessentialem Dei Essentiam, quod hæc omnino invisibilis, extraque omne commercium maneat, sed potius claritatem naturalem seu gloriam esse dicant superessentialis Essentiæ, ex illa indivisè manantem, Deique clementia ac benignitate illis factum conspicuam, qui mente purgati essent, cum qua gloria ac claritate, Dominus noster ac Deus venturus est in secundo tremendoque suo adventu, vt iudicet vivos & mortuos.* Rursumque in iisdem, *His qui non confitentur, iuxta divinas Sanctorum voces ac sententias, piumque Ecclesiæ sensum, nec creaturam esse divinissimum illud Lumen, nec Dei Essentiam, sed increatam ac naturalem, gratiam illustrationemque & Operationem, ex ipsa divina essentia inseparabiliter semper manantem, Anathema sit.* Rursumque in eodem Tomo circa finem Quæstionum, *Nobis verò omnino sermo est, non de hac Operatione atque Virtute (de Filio scilicet & Spiritu) sed de communi trinè subsistentis Deitatis, quæ non est Hypostasis ac Persona, sed naturâ, altiorique supra naturam ratione, vnicuique divinarum Hypostaseon seu Personarum inest.* Hæc quidem communiter sentiunt ac docent; seorsim verò ac privatim horum dogmatum auctor ac pater, in suo, *Theophanes ac Theotimus*, Dialogo, sic magnificis verbis effert, *Quanquam enim neque Hypostasis seu Persona, neque Essentia hæc Deitas est, nihilominus tamen increata ac Dei Essentiæ coæterna est.*

Tertius modus distinctionis illis excogitatus ac adinventus, in eo positus est, quod Essentia quidem habet; Operatio verò, habetur. Post Quæstiones enim ait Synodus, *Quanquam enim quidam Sanctorum, Potentiam dixerunt seu Virtutem & Operationem Filium & Spiritum sanctum, verùm vt Patris, eaque ratione, quod vnusquisque Hypostasis seu Persona perfecta est, atque Operationem seu Potentiam ac Virtutem habens.* Rursusque in prima Quæstione: *Porro quod habet ab eo quod habet, aliqua ratione prorsus distinguitur. Siquidem igitur nulla est distinctio divinæ Essentiæ & divinæ Operationis, fieri non potest ut Dei Essentia habeat Operationem. Quod autem non habet Operationem, iners ac inefficax est. Quod verò iners & inefficax nulliusque actionis est, illud neque in rerum natura ac verè est.*

Quartus modus distinctionis est, quod divina quidem Essentia singulariter, Operatio verò, pluraliter enuntietur. Atque Synodus in Tomo ante Quæstiones, *Distinctionem tamen divinæ Essentiæ ac divinæ Operationis, sive etiam divinarum Operationum, vt quæ sanè intelligendam atque dicendam hortati sunt.*

Ac

Ac rursus in sexta Quæstione locum quendam magni Dionisij calumniantes, aiunt, *Plurali numero eas proferens, ostendit non esse Dei Essentiam. Nunquam enim illa plurali numero profertur. Vocando autem illustrationes, omnique principio ac fine carentes (æternas scilicet ac immortales cognominans) divinas ac increatas illas ostendit.* Sed & celeberrimus Nilus Thessalonicensis, in Oratione seu libro, cuius initium, *Regula est Theologiæ*, ait, *De distinctione autem divinæ Essentiæ & divinæ Operationis istud dicimus; Essentia quidem, una est; hæc verò, plura: unum verò & multitudo, alia ac diversa.*

Quintus modus distinctionis, in eo est, Quod divinam quidem Essentiam causam vocant; Operationem verò, quod est ex causa ac quasi effectum. Sextus, Quod Essentiam quidem operantem, Operationem verò, quæ operetur (vt sic dicam) ac quasi operatione fit, vocitant. Septimus, Quod Essentiam quidem aiunt quæ insigniatur, Operationem verò, quæ insigniat, notaque ac character seu dos insignitæ existat.

De quinto igitur illo distinctionis modo, in prima Quæstione, post longam de illo disputationem, concludentes adijciunt, *Vnum verò ac primum propriumque quis dicat distinctionis genus, penes scilicet causam & quod est ex causa, seu effectum.*

De sexto autem in quarta Quæstione velut corollarium quoddam edunt aiuntque, *Pariter quoque ostensum est, agere & agi* (quasi dicas habere Operationem ac edere, & quod Operatio habeatur atque edatur) *non solum in creatis, verum etiam in increatis atque æternis dici posse. Nam & qui dissentiunt, dum gratiam operatam audiunt* (quæ scilicet agatur atque operatione habetur) *confestim creatam esse sentiunt.*

De septimo autem in quarta Quæstione aiunt, *Qui autem creatam divinam Operationem dicunt, qua insignitur divina natura, ipsam quoque necessariò divinam naturam creatam exhibent ac repræsentant.*

Octavus modus distinctionis Essentiæ & operationis, quod divina Essentia omnino imparticipabilis est, eius verò Operatio, participabilis. Nonus, quod Essentiam quidem indivisibilem statuant, Operationem verò divisibilem. Decimus, quod Essentiam innominabilem dicant, Operationem verò eiusmodi quæ nomen habeat. Vndecimus, quod Essentiam quidem inintelligibilem omnique conceptu maiorem asserant, Operationem verò quæ intelligatur ac mente concipiatur. Duodecimus, quod Essentiam quidem invisibilem, Operationem verò visibilem doceant.

In prima enim Quæstione, vbi distinctionem quæ est penes causam & quod est ex causa, seu effectum, ostendissent, aiunt, *Distinguuntur vero inter se, ea etiam ratione, quod divina operatio participetur ac indivisè dividatur & nominetur, ac quodammodo, quamvis obscurè, ex effectibus suis intelligatur: Essentia verò imparticipabilis & indivisibilis ac innominabilis sit, ut quæ nimirum omni nomine sit superior ac prorsus intelligibilis*, quibus quatuor istos oppositionum modus vnà contexunt.

De duodecimo autem in vltima Quæstione, de Lumine scilicet Thaborio sermonem habentes, aiunt, *Sed & omnes Sancti, illustrationem & claritatem seu splendorem & Deificationem & Deitatem ipsum vocant, paulò etiam visu firmiorem* Nimirum visibile illud, quod *paulò etiam visu firmiorem* dicunt, astruentes. Clarius enim verò hor in dogmatum Pater in suo *Barlaamites & Ortodoxus* Dialogo, in hæc verba rem interpretatus est. *Vides hunc Theologum (nempe Gregorium) non solum invisibilem Deitatem novisse, sed & visibilem? quæ & ipsa increata sit, quandoquidem est & eius Lumen.* Ac rursus in eodem Dialogo, *Vides apertè, nedum qua omnimodis invisibilis & inintelligibilis est ac imparticipabilis, sed & qua Sanctis duntaxat videri potest & participari & intelligi, Dei Deitatem esse.*

Tertius-decimus discretionis modus est, quod Dei Essentiam immobilem dicunt; Operationem verò, motum. Quartus-decimus, quod Essentiam absolutam; Operationem verò, habitudinem seu relationem. Quintus-decimus, quod Essentiam inimitabilem; Operationem verò, imitationem ac quod imitatione editur, portento comminiscuntur.

Sanè talia asserunt in prima Quæstione. Aiunt enim, *Sed neque tanquam extra divinam Essentiam sit, esse illam existimavimus, sed qui essentialem & naturalem hunc Dei motum esse ut Theologi sentiunt, sciamus, ex divina Essentia tanquam ex iugi fonte progredi dicimus ac scaturire.* Manifestum ergo est, tanquam ex immobili divina Essentia, eiuscemodi motum procedere. Non enim motus quasi ex motu extiterit. Nam & huius quoque motus quærendus sit, & sic in infinitum. Declarat tamen etiam in multis suarum lucubrationum, qui horum primus auctor ac inventor est. In Oratione enim seu libro, cui titulum voluit, *Confutationes & absurda*, ait, *Divina Essentia manente immobili, Deitas hac naturâ habet ut moveatur ac impartiatur.* Rursusque in eodem, *Haud sanè enim Elisabeth, Spiritus sancti Essentia impleta est; Est enim hæc immobilis, & quæ nec tangi nec capi potest.*

Non solum autem in eum modum penes motum & immobilem divinam discernunt Essentiam & Operationem, sed etiam, vti dictum est, penes relationem seu habitudinem, & quod absolutum est, penesque imitationem & quod inimitabile est, hæc in omnibus palam asserentes, ex iis quæ Dyonisius, de aliis loquens, ipse ritè sanèque locutus est, *Quantum scilicet qui absolutus ac inimitabilis est, imitationes præcellit ac relationes seu habitudines.* Absolutum enim & inimitabile, de Essentia divina acceperunt; relationes verò seu habitudines & imitationes, de increatis & naturalibus & essentialibus, vt vocant, in eo existentibus, Dei Operationibus.

Clarius quoque etiam in quarta Quæstione de his disserunt, *Mora enim*, inquiunt, *hinc etiam à sancta Synodo quæstione, Num quis Sanctorum increatam Deitatis gratiam dixerit; ac num etiam relatio seu habitudo & imitatio seu simulacrum, tum verè existant, tum de increatis dicantur, allata sunt Sanctorum auctoritates, declarantes, hæc non semper dici de iis, quæ creata sunt*, Paucisque interiectis, *Quocirca nec deificum Spiritus sancti donum, ipsa scilicet Deitatis gratia, creata est, eo quod relatio est ac habitudo erga illos, qui deitate donantur.*

Sextus-decimus distinctionis modus est, quod Dei Essentiam eminere dicunt, ac sua Operatione superiorem: Operationem verò, inferiorem illa gradum tenere. Vniversimque de distinctione penes hanc inæqualitatem, quinta dictarum Quæstionum, quæ in Tomo habentur, aiunt, *Posteaquam verò liquidò constitit, divinam Operationem Deitatem vocari, quæsivimus demonstrari à Theologis, Num Deus essentialiter divinæ Operationi, atque his quæ essentialiter circa eam considerantur, emineat; Visumque est, istud etiam uno Sanctorum omnium calculo prædicari.* Peculiariter autem etiam Palamas in sua adversus Acindinum Epistola, hæc ait: *Est ergo Deitas, quæ inferior est, deinumque est eius qua sit superior, & qua illa eminentior est: nec solum Deitas, sed quæ increata Deitas sit; supraque illam Deitatem Deus existit.* Idemque in libro adversus Symeonem Legum custodem ac præsidem, *Nisi enim submissa aut subiecta vel inferior, sive quid eiusmodi Operatio dicta fuerit, non verè magnus Dionysius, aliique eius generis Patres, eminere docent Dei Essentiam, ac illa superiorem esse. Non enim eminere est, nisi ubi quid eminenti inferius est.* Quamobrem, si iuxta sententiam Synodi, visum est divinam Operationem esse Deitatem: Hocque ostenso, quæsitum abundè est; Num Deus essentialiter illi emineat sitque ea superior; quod & vno omnium calculo, aiunt, prædicari; quomodo non perspicuè, tum ex iis quæ communi consensu, tum quæ seorsim, ab eo qui ista-

tum

rum dogmatum auctor fuit, scripta sunt, ipsa Deitas dicatur inferior ac minor, Deusque essentialiter eminens ac illa superior? Hoc enim etiam illi quasi liberalius admittunt, sic absolutè concludentes, *Siquidem Deus essentialiter sua Deitate superior est*; vt liqueat per eas auctoritates, quibus in hac parte calumniosè vtuntur, cur distinctionem penes excellentiam ac submissionem vndique commenti sint. Hoc enim illis moribus comparatum, ne à seipsis loqui videantur, in quibus palam est eos blasphemare, sed cuiusdam vetustiorum per calumniam adducta sententia, eādem ipsam nudam subiiciunt; scilicet quæ dicta ab eis sunt in suum detorquentes scopum, vt suam inde nequitiam astruant. Idque hic etiam præstare omnino convincuntur. Deum enim essentialiter sua Operatione (quæ ipsa Deitas nuncupatur) maiorem illique eminere, adducta auctoritate probantes, per ea quæ adduxerunt, quod modis emineat declararunt. Atque aliud quidem, ordine vocant, aliud necessaria consequentia, aliud situ, aliud quantitate, aliud qualitate.

Ac sanè decimus septimus illis adinventus est distinctionis modus penes ordinem, ratione prioris ac posterioris; quem vtique distinctionis modum tum ex magno Basilio astruunt, dicente in suis Confutationum libris, de discretione quæ occurrit in divinis Personis, non de Essentiæ & Operationis, vt illi existimant, ipsa distinctione, *Aliud quoddam est ordinis genus*, ac subiungente, *In eiusmodi enim prius, causam dicimus: posterius, quod est ex causa*; tum ex magno Athanasio, dicente, *Nomen, Deus naturâ posterius est*. Quia igitur divina quidem Essentia causa est; divina verò Operatio ex causa est; colligunt priorem esse divinam Essentiam; posteriorem verò, divinam Operationem.

Decimus-octavus illis adinventus est distinctionis modus, penes necessariam consecutionem; quod divina quidem Essentia præeat: vt id quod ad naturam spectat; divina autem Operatio sequatur, vt id quod ad voluntatis sententiam. Ac probare nituntur ex verbis magni Athanasij, dicentis (alio tamen sensu) adversus Arianos, in hunc modum, *Siquidem Deo tribuunt velle, quod attinet non entia quid ni agnoscunt & quod Dei (divinarum scilicet rationum) est voluntate superius?* Ac rursus dicentis, *Quemadmodum voluntati opponitur, quod est prater voluntatis sententiam, ita eminet, praitque voluntati, quod ex natura est.* Ex his enim necessariam inferunt consecutionem, quandoquidem quod ex natura est, voluntati eminet, illaque superius est; divina autem voluntas est Dei Operatio; fit ergo ut quod ex natura est etiam divinæ Operationi emineat, illaque superius existat. Verùm sic ait Athanasius, *Eminet, praitque voluntati quod est prater voluntatis sententiam.* Iam itaque secundum eandem consecutionem, quod est ex natura, sequeretur ad id quod est præter voluntatis sententiam, & divina Operatio divinam Essentiam.

Decimus-nonus illis adinventus est distinctionis modus, penes situm. Essentia enim divina superior est; divina autem Operatio, inferior. Id verò etiam ex magno Basilio per calumniam nituntur astruere, dicente *Quamobrem si quid sæculis ulterius mente conceperis, illud quoque Spiritus est.* Quòd ex dicto concludentes aiunt, *Quænam verò existimandum esse sæculis ulteriora, prater scilicet ante sæcularia? Quæ autem sæculis priora sunt, omnia increata sunt, quibus divinus Vir dixit Spiritum sanctum superiorem esse.*

Vigesimum distinctionis modum commenti sunt penes quantitatem; Quod divina Essentia infinities infinitè superemineat; divina autem Operatio infinities infinitè subsidet ac inferior existat. Idque vt astruant fucum faciunt, divum Maximum adducentes per calumniam, qui apertissime comparationem eiusmodi de Deo ac rebus ab eo creatis protulerit; nempe Deum, infinities infinitè eminere; iis omnibus quæ participant ac participantur; quod illi, de increata, vt vocant, naturali & essentiali Dei Operatione acceperunt: Hincque adeò colligunt, *Siquidem divina Operatio ex illis videtur quæ participantur, quidni & ei Deus infinitè eminet?*

Hinc & illis quasi corollarij loco vigesimus primus distinctionis modus quæsitus est, penes qualitatis (vt sic dicam) superlationes & submissiones. Quod nimirum Dei quidem Essentia, vt quæ sunt sancta, superexcedat; Operatio verò, vt quæ non sunt Sancta, superexcedatur: Quas vtique qualitatis ratione excellentias ac submissiones, ex duplici maximè magni Dionysij sententia se existimant probare, omnino tamen contra Viri sancti mentem. Atque vnus locus est, quo Caij dubitationem solvit, qua ab eo quæsierat. *Quinam fiat, ut qui est super omnia: etiam super divinitatis ac bonitatis principium existat?* ostendit, quod deitatis ac bonitatis principium dicitur, ipsam esse, quæ ex nobis ad Deum habitudo est ac imitatio; quòd & nos Deum imitemur, non ille nos; quæ & illorum quæ deificantur & bonificantur, divinitatis ac bonitatis principium est, quatenus divinitate ac bonitate donantur. Ac velut concludens, subdit, *Qui est omnis principij supra quàm principium, etiam sic dicta divinitate ac bonitate, haud secus ac divinitatis & bonitatis principio, superior existit: in quantum inimitabilis, incomprehensusque & absolutus, imitationibus habitudinibusque antecellit, iisque quæ imitantur ac impartiuntur.* Alter locus est, quo explanat quonam modo dicatur *Sanctus sanctorum, & Deus deorum, & Dominus dominorum, & Rex regum*; declaratque hæc dicendo, eam designari excellentiam, *ut quantum præstant sancta, vel dominantia, vel divina, vel regia, iis quæ non sunt, ipsisque participantibus ipsa per se participationes, tantum omnibus sublimior sit, qui est super omnia, omnibusque participantibus & participationibus, auctor ipse imparticipabilis, praecellat.*

Epist. 2. ad Caiū.

De Divin. nom. c. 12.

Hinc manifestissimè inveniri dicunt sub missam divinitatem eandemque ipsam participationem nuncupari & imitationem & habitudinem. Explanant verò omnia hæc in Fidei suæ formula, vt hoc probent: Postquam nimirum visum est, divinam Operationem divinitatem dictam increatam esse, quæsisse demonstrati, Num Deus essentialiter illa superior sit; visumque esse etiam, hoc communi omnium calculo prædicari; illa omnino omnibus confirmantes, quæ dogmatum auctor in suo Dialogo, cui titulus *Barlaamites & Orthodoxus* privatim conscripserat. Ait itaque, *Divinitate (Operatione) eius, qui cuncta novit, Deus priusquam fiant, quam magnus Basilius Spiritu inferiorem dixit; naturâ verò posteriorem magnus Athanasius, eâ quæ verè divinitas appellatur, quæ circa divinam naturam est, ut Gregorius Nyssenus asseruit; hac nimirum Dei Essentia, quæ omne nomen superat, quæ nulla proferri voce potest, circa quam praeterna semper Virtutes sunt ac Operationes, quæ ipsa Divinitas à propria sua Operatione nominatur, quomodo non superior existat? Sed & magnus Dyonisius in medium adducendus est. Hic enim apertius Dei Divinitatem dicit, unam alteri praecellentem.* Rursusque in eodem Dialogo, *omnino verò cum hæ virtutes sint rebus superiores (omnia enim quæ participant, ex illis quæ participabilia sunt, ortus sui habent originem) idemque est ac si dicamus, hæ participationes atque virtutes, nunquam cœperunt, ut auctor est D. Maximus tametsi iuxta eundem, Deus etiam iis omnibus quæ participabilia sunt; infinities infinitè emineat.* Rursusque libro quarto adversus Acindynum, cuius initium est, *Susurrans igitur, Alio autem loco clarius D. Dionisius, ipsas quidem virtutes ac participationes, illis quæ participant superiores dicit: Idem verò est ac si dicat rebus creatis. Quicquid enim creatum est, participatione (ac quasi precariò) esse habet: Deum verò, hisce virtutibus ac participationibus superiorem dicit, dum ita scribit,* Quantum præcellunt, &c. Ex his igitur liquidò patet strues omnis ac probatio excellentiæ Essentiæ divinæ, ac demissionis illius Operationis; elucetque maximè exterior quidam præcellentiæ modus. Quantum

enim

enim creata inferiora sunt iis participationibus, quas participant, tantum quoque hæ participationes inferiores sunt Dei Essentia. Liquet enim ex illa auctoritate, qua est vsus ad probandum horum dogmatum Auctor. Hoc verò præter impietatem, ingentis plenum dementiæ est.

Præter hos verò, vigesimus secundus illis modus adinventus est, per respectum ad creaturam; Quod nimirum divina Operatio, eorum quæ extra sunt, effectrix sit; divina autem Essentia nullius eorum quæ sunt extra, sit effectrix. Nam vt videtur, cùm omnino illis constitutum esset, vt trinè subsistentem ac beatam illam naturam, nedum ab humanarum rerum gubernatione, sed & à creatione, proscriberent; eiusque loco Lucem illam, quam ipsi commenti sunt, vti dictum est, inducerent, ac cùm illam, vnam e multis illis Operationibus statuerent; noluerunt eam Dei Essentiam dicere, sed Dei Operationem; vberius quoque ea efficacia erga creaturas, distinctionum momenta divinæ Essentiæ divinæque Operationis, concludentes. Ac quidem Operationem (perinde autem dicatur Lucem illam) effectricem causam ac creatricem omnium creatorum docent; divinam verò Essentiam, nullius prorsus eorum quæ sunt in creatura, ipsam per se auctorem esse credunt. Aiuntque in prima quæstione, *Ex Deo quidem de creatis quoque dictum est; de Essentia autem, de nulla vnquam dictum est creatura: quinimmo id prorsus à Sanctis vetitum est.* Hæreseon verò Auctor ac Parens in suo, *Theophanes & Theotimus*, Dialogo, *Non verò*, inquit, *vllius rei extra effectricem divinam Essentiam.* Hæc verò dum dicunt, quicquid fabulosum ac portentosum fingi animo potest, excesserunt. Quam enim tantis à divina Essentia differre dixerunt, vti ostensum est, divinam Operationem, hanc ipsam vnamque rursus rerum hanc universitatem prius condidisse, ac postea conservare, asseverant. Consentaneè igitur huic argumento, etiam sequentes distinctionis modos contexunt.

Vnde vigesimus tertius modus est, Quod Operatio quidem, creatis rebus propinquat; divina verò Essentia inaccessa est. Vigesimus quartus, quod divina quidem Operatio, si accipiatur, hæc incolumia præstat; divina verò Essentia, priusquam accepta fuerit, eadem consumit. Vigesimus quintus, quod Operatio illis commixta, non confunditur; Essentia verò si commercium vllum ineat, confusionem patietur. Vigesimus sextus, quod Operatio quidem inferius ad creaturam venit, ab eaque participatur & impartitur, & sanctificat ac illuminat: insidetque, & eos qui sunt digni, deificat, Essentia verò eiusmodi est quæ non prodeat, ac incommunicabilis manet, nec prorsus in creatis habitat, aut illuminat, vel insidet, aut illa sanctificat. Decimus septimus, quod Operatio quidem est propriè Deitas, & vita & sapientia & virtus; Essentia verò ipsa per seipsam non est deitas, neque vita neque sapientia neque virtus. Vig. oct. quod Operatio omnium hæreditas est, finisque desiderabilium; Essentia verò, nec cuiuscunque hæreditas est, nec beatitudinis finis.

In hunc modum inaccessam omni creaturæ dicunt divinam Essentiam, & intactam & incomprehensam, & quæ non prodeat sitque incommunicabilis, non vt inde eius excellentiæ magnitudinem efferant (bene enim esset hæc illi magnificè exque decoro tribuere, iuxta sanctorum Doctorum de Deo doctrinam) sed hoc entientes, vt eo prætextu, vt videtur, quàm procul ab humanis eam rebus proscribant. Maiorique temeritate ac audacia, si à nobis participetur, duorum alterum necessariò illi eventurum asserunt. *Aut enim*, aiunt, *naturam consumet priusquam accipiatur; vel si illius hæc particeps facta fuerit, confusionem vtique patiatur.* Sic cultis illis ac magnificis verbis instructio adversus Essentiam divinam mendacio, obque excellentem eius terrorem ac maiestatem ab humanis eam rebus submonentes, palam iam ac fiducia Lumen illud inducunt, illudque ipsum divinam Operationem esse asserunt, atque eam ponunt quæ inferius ad creaturam veniat, & ab omnibus participetur placidè simul ac benignè, eusque qui sunt digni, deificet ac sanctificet, insideatque atque conservet; quæ videlicet omnia fiat, vt salutem & incolumitatem universis præstet.

Cæterùm, quod divinam Essentiam, eiusmodi sentiant, quæ nec adiri possit, ac ea quæ adeant, consumat, sequentia confirmant. Post Quæstiones enim, circa finem Confessionis suæ, volentes hoc crimen sobtegere, sic aiunt, *Dei quoque Essentiam, idcirco quod Sancti inaccessam eum dicant & imparticipabilem, eiusmodi existimare quæ corrumpendi vim habeat, eos qui ita sentiant (ô audaciam ac temeritatem!) impios asseveravere, idque adeò cum Deus Mosi locutus sit*, Nemo videbit faciem meam, & vivet. Proinde quibus videntur depellere, ne Dei Essentia existimetur, corruptionem ac interitum afferre, iisdem ipsis imprudentes, hanc illius vim prorsus æstimandam probant. Quid enim aliud hæc eis vult ludificatio, *Idque adeo cùm Deus Mosi locutus sit*, Nemo videbit faciem meam, & vivet. Si enim verò hoc amoliebantur, esse eam quæ corruptionem ac interitum afferat, alicuius loci meminissent, quo Deus quæ nostra sunt vivificare ac conflare perhibetur, non eius quo oppositum confici videatur. Clarius verò qui à principio hæc adinvenit. Quinto enim libro adversus Acindynum, cuius initium est, *Verùm quis possit contrariam mentem suadere. Hæc igitur*, inquit, *divina natura, ipsa secundùm se si participetur, aut confusionem patietur, vt naturam quæ vim patiendi habet, prius consumet, quàm fuerit assumpta.* Quod autem dicatur, Mortalem hanc naturam consumere, cuinam alij, quàm ei quod corrumpit ac interitum facit, tribuatur? Quanquam enim *Deus ignis consumens*, Scripturæ verbis dictus est; id tamen quod omnem consumat pravitatem, non verò quod humanam naturam. Quinimmo, idcirco quod illi propositum est, vt salutem ei præstet, malitiam credimus vitiumque abolere ac corrumpere.

Ex his verò, cùm alia multa, tum etiam non leve absurdum colligitur, quod attinet ad Dei verbi Incarnationem. Quia enim beata semperque virgo Dei Genitrix, ex castissimis ac virginalibus sui sanguinis rivulis Deo Verbo carnem commodavit, concepitque & gestavit ac enixa est ipsum Deum hominem Verbum, nec inde consumpta aut corrupta est; in eorum sententia, non ipsummet Dei Verbum concepit, sed quæ ipsa non verè existit, aut substantiam habet, Operationem sustulit. Præterea verò, ex transmutatione panis & vini in Salvatoris Corpus & Sanguinem, emergunt adversus illos absurda, nec ipsa exigua nec pauca.

Alias oppositiones refert ipse dogmatum, auctor ac parens, libro quarto adversus Acindynum, cuius principium est, *Susurrans igitur, quæ est in magnum illud Lumen, blasphemiam*, aitque, *Velut quæ imparticipabilis ac incommunicabilis, nec ipsa à se excedens maneat, divina eius Essentia, cùm nimirum Lumen participetur, & ad creaturam inferius exeat; hoc est, eis qui digni sunt, se conspicuum faciat eosque deitate imbuat.* Qui verò tertios retrò illis Patriarcha Philotheus ille fuit (quem & in Sanctorum album adscripserunt, eo scilicet nomine quod eam strenuè doctrinam propugnasset, sceleratum aliàs caput multisque mortibus dignum) in libro quem hoc titulo prænotavit, *Nullam divinarum Operationum creatum esse*, quemadmodum illi aiunt, inquit, *Quæsuam invidus dæmon procaci audacia Ecclesiæ Dei invexit, ipsam Dei Essentiam in hominibus inhabitantem, expiandos expiare, atque eos qui illuminantur, illustrare, eos denique qui profano aliquo æstu ab honesti rectique tramite deflexerint, reducere; prorsusque in rebus creatis inhabitantem hoc operari, quod à vobis audimus (ac vtinam ne esset quidem!) tenebrosum verè dæmonum inventum?*

Cùm itaque omnia tribuant Operationi, consequenter etiam verè eam ac propriè divinitatem vocant, vitamque & sapientiam ac reliqua absolutè illi usque ratione, divinam quoque Essentiam hæc esse ac nuncupati

Exo. 33. 20.

Deut. 4. 24.

Absurdum ex Palamitarum opinione, Verbum non verè incarnatum esse.

Philotheus Patriarcha, suis inter Sanctos latus, homo sceleratus.

existimant. Nam in Tomo post Quæstiones ait Synodus, *Quomodo igitur æquum est, naturalem & communem Deitatis trine subsistentis Virtutem perimere, ob quam ipse Filius ac Spiritus à Theologis Virtus laudati sunt?* Is quoque qui illorum primus Patriarcha fuit, nempe Isidorus, ait, *Tuam verò ac propriè Deitatem, Operationem dicimus; haud raro vero desiderio atque amore, etiam naturam. Quod igitur illa sibi communes sunt, vtriusque Deitatis Trias est, increatum Te canimus, vtramvis aliquis dicat.* Hæc verò Ecclesiæ Canticis seu modulis, divinus hic Vir coaptavit. Non solum enim quibus crediderunt, hæc se sentire scripto consignarunt; sed & quibus in Ecclesia Canticis celebrandum sanxerunt. Ante hunc verò, horum antesignanus ac parens, in Libro, cuius initium est, *Spiritu afflante dictatas secuti Patrum sententias*, ait, *Deitas, etiam Dei natura nuncupatur: verùm autem magisque propriè, Operatio.*

Isidorus Palamitarũ primus Patriarcha C Pli.

Hoc ex principio, multarum quoque Divinitatum ac Operationum turbam liberaliter admittunt; partim quidem, ex iis quæ ante Quæstiones, quasi nimirum obiectis satisfaciendo, affirmarunt. Nam cùm dixissent, *Sed & quibus accusabant Archiepiscopum Thessalonicensem, velut qui multas Deitates dicat*, non adiecerunt, ipsum non dicere; sed potius ut dicere astruerent, verbis sequentibus vsi sunt, dicentes, *Idcirco nimirum, quod divinas omnes ac trium Hypostaseon (seu Personarum) Virtutes & Operationes asserit increatas esse.* Quamobrem, non hoc sustulerunt, Dicere illum plures deitates; sed magis esse illas increatas, hisce probaverunt. Partim verò, ex iis quæ seorsim talium dogmatum magister ac antesignanus, in suo *Barlaamites & Orthodoxus Dialogo*, conscripsit. Nam cùm dixisset, *Vna est trium Personarum divinitas, id est, Natura & Essentia, essentia omni superior, simplex, invisibilis, imparticipabilis, nulla mentis vi ullo modo cogitabilis*, subiunxit, *Quas verò Sancti alias dicunt Deitates, sive vnam, sive duas, sive plures*, aliaque adstruens; ad declarandum esse plures Deitates, Quod si, *Non de vocibus illi sermo est*, vti dixit, *sed de dogmatis deque rebus certamen habet*, quomodo non & has Deitates res existere, rectè quis dicat? Nam & illi, per ea quæ fatentur, istud affirmant. In Epistola autem ad Episcopum Cyzicenum, cuius initium est, *Scire Te volo*, ait, quòd *Multiplicationem Deus non patitur, tametsi quis per eum modum duas aut plures Deitates dicat.* Sexcentaque alia desumere licet ex eorum libris ac scriptis, vnde sic eâ ipsorum de multitudine turbaque Deitatum, opinionem esse liqueat.

Videntur autem in hanc evasisse superstitionem, eò quòd non existiment, Deum ipsum per se vna Virtute posse omnia producere, eademque gubernare ac incolumia præstare (ob summam nimirum eius perfectionem & simplicitatem & vnionem) sed hac quidem, istud; illa, illud, atque alia, aliud. Qui enim tertius, vti dictum est, eorum Patriarcha fuit, in illis Capitulis quæ edidit, capite octavo, ait, *Quæ de Deo dicuntur ac scribuntur, nomina, divinarum eius Operationum nomina sunt. Nimirum, habet Deus Virtutem & Operationem operantem in omnibus quæ vita prædita sunt, sive humanam vitam dixeris, sive divinam; vocaturque illa Dei Operatio, Vita. Habet in illis qui illuminantur Virtutem & Operationem, lumen; & vocatur illa Operatio, Lumen seu Lux. Præ illis autem pariter Virtutem habet & Operationem, in illis qui deificantur operantem deificationem; diciturque illa Operatio, Divinitas.* Has itaque cùm sic discretè alias ab aliis nominant, pluraliter divinas Operationes ac Deitates appellant; cùm verò, vnitè (quemadmodum etiam rerum hanc universitatem vnum mundum solemus vocare) tanquam de vna Operatione sermonem habent. Ex eo autem quod ille dixerit, *Habere Deum Operationem, in omnibus quæ vita prædita sunt, operantem, sive humanam vitam dixeris, sive divinam*; liquet eos existimare, vna eademque Operatione præstari, velutque effici, tum Dei vitam, tum vitam humanam; vnaque & eadem sapientia constare Dei sapientiam, & humanam sapientiam; aliaque similiter. Hoc namque sibi vult, quod in ea, quæ in Tomo habetur, Fidei Formula ac Confessione, dicunt, nempe, *Tum operatione præstare, tum præstari (agere scilicet & agi) nedum de creatis, verùm etiam de sempiternis ac increatis posse dici.*

Philotheus.

Ex his igitur, velut vnum quendam mundum atque ornatum acervantes, sortem esse dicunt ac possessionem omnium Iustorum, totam Lumen illud visibile confingentes, ipsumque omnium desiderabilium supremum statuentes. Quemadmodum enim harum quamlibet seorsim participationem appellabant (sapientium nimirum sapientiam & viventium vitam) sic & omnes collectim, ipsam per se participationem vocant. Ostendunt verò se ita sentire, per totã ferè ipsorũ Fidem. Quid enim sibi vult, quod in Tomo aiunt. *Quæ operatione præstatur increata gratia, quæ & deificatio & deificum Spiritus donum vocatur, & affectio increata seu habitus, & motus ab æterno naturalis & essentialis Essentiæ Dei? Et ipsa est quæ participatur ab omnibus, cum Dei Essentia maneat prorsus imparticipabilis.* Apertius tamen, qui hanc primùm Fidem adinvenit, posteaque, eo quo voluit modo, composuit, in libro quem prænotavit, *Redargutiones & absurda*, ostendit. *Quid igitur*, inquit, *Dei naturam ac Essentiam possidebunt? Haudquaquam, sed vivificam Gratiam, quæ & regnum appellatur: quæ videlicet: tametsi non sit Dei natura (hoc enim imparticipabilis est) est tamen naturalis Dei Operatio naturaliter illi comes, & quæ circa illum intelligatur, inseparabiliter illi hærens. Quamobrem etiã qui illius hæres ac possessor est, Dei dicitur possessor & hæres.*

Sed & alij plurimi modi, illorum inserti decretis occurrunt. Nec enim hic nobis propositus finis, vt omnes impræsentiarum repræsentemus; sed quantum sufficit, vt eorum impudentiæ audaciam ac temeritatem, novatæque fidei crimen, ostendamus, quo nimirum, vnum perfectissimum, simplicissimumque Deum, in sexcenta, parvaque & magna, sicque diversa, diviserunt; & ad eorum blasphemiæ prodendam falsitatem, quod cùm hæc aliaque eius generis, damnanda temeritate circa Deum præsumant, postea inficiantur, pusque hac in parte adscribunt, quorum illi iure rei tenentur; ac erroris item magnitudinem pauca ob oculos ponendam, iis qui ignorantia laborant, vt noverint, quam imprudentes fidem teneant, & in quod periculum animæ præcipites ruant, cuiusmodi est & ille distinctionis modus, à nobis nihilominus dicendus, ad probandum alios quoque plures istiusmodi apud illos, vti dictum est, extare.

Auctoris hoc in libro scopus.

Hæreticorum ingenii, sui obtegendi, piosque calumniandi.

Nam hoc quoque effutire ausi sunt, Essentiam quidem sui ratione immortalem esse; Operationem verò, ratione quidem essentiæ, esse immortalem; sui autem ratione, νέκρωσιν (quasi dicas, mortificationem ac mortis auctorem) Ait namque Palamas, in Libro *De divina & deifica participatione, Sin autem illi per hunc modum & immortaliter vivunt & moriuntur; multique qui ante hoc vivunt, mortui sunt, vti ostendis qui vita ac mortis arbiter es; sit ergo vt & Deitas mortificatio ac mortis auctor existat, cùm per naturam immortalis maneat.*

Conclusum itaque est, non aliunde, sed ex eis quæ publicè Synodica cognitione promulgarunt, & ad Fidei Formulam ac confessionem conscripserunt, ac crediderunt; quinimmò credunt, atque eos qui non ipsi credunt ac mortem gerunt, diris publicis subiiciunt, Esse nimirum in Deo distinctionem divinæ Essentiæ & divinæ Operationis, quam per hunc ferè modum explicarunt, Quod in Deo, aliud quidem est Dei Essentia, aliud autem non est Dei Essentia; atque aliud quidem est trinè subsistens natura, aliud autem non est subsistentia seu persona; aliud habet, aliud habetur; aliud vnum est, aliud multitudo, aliud auctor est & causa aliud quod ab auctore & causa est; aliud est operans aliud operatum; aliud quod insignitur, aliud insigniens; aliud imparticipabile, aliud quod participari potest, aliud indivisibile, aliud divisibile; aliud nomine expers, aliud quod nominatur; aliud nullo mentis cogitatu perceptibile

aliud

aliud quod intelligatur; aliud invisibile, aliud visibile; aliud immobile, aliud motus, aliud absolutum, aliud affectio seu habitus ac habitudo, aliud immutabile, aliud imitatio, aliud prius aliud posterius, aliud superius, aliud inferius; atq; aliud quidẽ vt secundũ naturã, præit; aliud verò, vt præter naturã aliud, vt imparticipabile infinities infinitè supereminet; aliud verò, vt quod est participabile, infinitè inferius est: ac aliud quidẽ, vt quæ sancta sunt, eminet; aliud verò, vt quæ nõ sũt sancta, subiacet.

Antitheseon duplex classis.

Hæ quidem antitheses eo ordine distributæ, quod vtique decorum ac magnificum est, tribuunt Dei Essentiæ, summopere verò deprimunt, quam vocari docuerunt increatam Dei Operationem; quæ autem sequũtur, secus omnino, divinam quidem Essentiam deprimunt, victoriam verò rursus tribuunt divinæ Operationi. Divina enim Operatio, rerum quæ sunt extra effectrix est; divina verò Essentia, nullius eorum quæ sont extra, effectrix est; atque illa quidem creatis rebus accedit, hæc verò inaccessa est, atque illa quidem percepta, ea incolumia præstat, hæc verò postquam percepta sit, eadem consumit. Illa iis commixta, non confunditur: hæc, si percepta fuerit, confusionem patietur; atque Operatio quidem, inferius ad creaturã venit, & ab ea percipitur, & communicatur, & sanctificat & illuminat & insidet, & eos qui sunt digni, deificat; Essentia verò a se non excedens ac incommunicabilis manet, nullo prorsus modo habitans in creatis, neq; sanctificans, nec illuminans, neque insidens, nec illa deificans. Ac quidem illa, verè ac propriè deitas est, & vita & sapientia & virtus; hæc autem sui ipsa ratione non est deitas, neque vita neque sapientia neque virtus. Atque illa quidem omniũ hæreditas est ac possessio, finisque appetibilium; hæc autẽ neque hæreditas seu possessio vllius cuiusquam est, nec beatitudinis finis. Ergone fieri possit, vt quæ sic diversa sunt atque distincta, in rem vnam vniformem & simplicissimam perfectissimamque, qualis est Deus, vnam denique Deitatem conveniant? seu potius vna Deitas existant, Pater, Filius & Spiritus sanctus, vt ipsi (mirabiles scilicet Theologi) portento confinxerunt, dicentes, vti superiùs expositum est, in suis Anathematismis, *Iis qui sentiunt ac dicũt, Deitatis nomen de sola Essentia dici, nec iuxta pium Ecclesiæ sensum nihilominus in divina ipsum Operatione poni, sicque rursus vnam modis omnibus Deitatem Patris & Filij & Spiritus sancti docent, Anathema*, vt ipsi aiont. Ergo possibile? aut non impossibile, sicut impossibile, quod est & non est, quodque verè subsistit, nec verè subsistens est; quodque invisibile, & quod visibile est; quodque infinities infinitè eminet & quod toties sicque inferius est; ac quæcunque alia modi superius recensiti habent. Hoc sanè an fieri possit cogitandum relinquitur quibus vel mica iudicij ac sanæ rationis est.

Palamitarũ insania, Non esse Deum compositum, qui ex rebus seipso diversis constet.

Sic igitur, postquam his, quos diximus, aliisque pluribus distinctionis ac oppositionis modis, vnum Deũ in Essentiam & Operationem diviserunt; deinde tanquã essentia, & quod essentia caret, quodque subsistit, & quod non verè existens est, ac reliqua sic opposita, in vnum coeuntia, compositionem non facerent (compositum enim est, quod ex multis atque distinctis constat, sive quod multis in idem coeuntibus, integrum ac perfectum extat, vt vera ac recta Theologorum doctrina est) non fieri compositionem affirmant, ex divina Essentia; exque iis, quæ illi realiter distincta, coexistere ipsi existimant, contra omnem rationem, omnemque Sanctorum doctrinam. Non enim sic omni sensu ac iudicio destituti Patres, vt quod ex distinctis ac diversis constat, quorum distincta sit, diversaque ratio tum re tum ratione, simplex esse affirmarint, vti ipsi per calumniam illis tribuunt, Iudæorum more ad literam crassiùs legentes, quæ ab eis conscripta sunt, deque aliis dicta, ad alia perperam referentes, quod vbique erroris illis causa fuit; non rarò etiam ad literam longè alienissimam à Magistris viam ineuntes, quod & ipsum sequentibus liquebit.

Denique quod non fiat compositio, ait Palamas, in Libro, cuius initium, *Afflante Spiritu dictata Patrum, Increatum adiacens, vnam & æqualem simplicemque, in ea conspectam discretione, deitatem facit. Etenim quicquid increatum est, pari etiam gaudet honore ac vnitum est, nec in iis quæ sunt increata, in vnum coeuntibus, esse compositionem vnquam contigerit.* In alio quoque cuius initium, *Susurrans itaque Neque verò hæc intelligere potuit, qui in his compositiones insipienter animo cogitavit, Ea quæ increata veréque simplicia sunt, si in vnum conveniant, nullam facere compositionem.* Quique Patriarcha fuit Philotheus in nono suorum ipsius Capitum, *Nos vero qui ex Sanctorum dictis noverimus, ne hominem quidem, naturales ipsius proprietates facere vnquam compositum; ac neque artium rationes ac scientias, Nemo enim vnquam hominem compositum dixerit, quod naturam habeat & naturalem operationem, vel quod naturam & artem, puta Grammaticam; vel Fabrilem, aut Agriculturam. Cumque se ita in hominibus res habeat, quid de Deo dicendum, qui eximia quadam ratione ac supra quàm ferat natura, omnia habeat? Sed tunc existit atque dicitur compositio, cum duæ res, quæ singulæ propriam subsistentiam habeant, & quarum quælibet, ipsa per se absque alia esse potest ac intelligi, cum, inquam, talia compositionem ac vnionem inter se, in vnam hypostasim vnumque subsistens, inierint. velut in homine corpus & anima; vel in domo, lapides & ligna & ferrum. Hæc enim singula per seipsa cum sint singulare quoddam, id est, hypostasis, cum inter se compositionem vnionemque inierint, tunc dicitur compositio sive vnio, duarum rerum, sive etiam plurium, per se existentium.* Hæc autem quantam viri dementiam arguant, ne dicendum quidem.

Philothei ineptias ac dementia, explicanda compositionis ratione.

Similiter quoque in Tomo simul omnes pronuntiant, *Post hæc quæsivimus ex Sanctis, Num liceat aliquam in Deo intelligere compositionem ob divinæ Essentiæ & Operationis distinctionem. Ostensumque est omnium Sanctorum communi celebratum præconio, nullam inde in Deo existimandam esse compositionem.* Sed & in Anathematismis suis in hæc verba enunciant, *Iis qui sentiunt, ac dicunt omninò propterea aliquam in Deo fieri compositionem, nec fidem Sanctorum doctrinæ habent, docentium Ex naturalibus nullam in natura extare compositionem, ita vt distinctio hæc nihil prorsus offendat divinæ simplicitati, Anathema*, vt ipsi volunt.

Palamæ aliæ blasphemiæ, Deorum pluralitas.

Quia verò pariter alia quoque valde impia ac absurda dogmata illis adinventa sunt, quæ non cadunt sub divisionum modis, necessarium est etiam hic quædam ex illis exponamus, vt hinc quoque novæ illorum Fidei falsitatem ac dementiam ostendamus. Quas enim de novo Divinitates conflaverunt, quandoque etiam Deos vocant. Palamas sanè in quadam suarum Orationum de Lumine, duplex scilicet Numen volens ostendere, *Non solum Deus est, qui sit super ea quæ sunt, id est, entia* (nempe Operatio, de qua illis sermo erat) *sed & supraquàm Deus. Nec solum supra omne quod affirmatur, est; sed & supra id omne quod negando removetur, eius excellentia quæ est supra omnia, omnemque excellentiam, quæcunque illa sit, superat.* Rursusque in eodem, *Sed neque ex Theologia illud audivit, Tunc omnium loco nobis fore divinam naturam, vt inde tandem persuadeatur Deum esse hoc lumen.* Item libro secundo adversus Barlaam altera capita, quem prænotat, *Catalogus absurdorum quæ sequuntur, Enimvero, quandoquidem sunt quæ Deum participent, Dei autem, quæ omnem essentiam superat, Essentia, prorsus imparticipabilis est; planè aliquid intercedit inter Essentiam imparticipabilem & ea quæ participant. per quod ea quæ sunt Dei participent.* Paucisque interiectis, *Porro alium nobis Deus quærendus est, qui neq̃ sit ipse à se perfectus, à se efficax, ipse seipsũ per seipsũ videns, verũ etiã bonus. Omninoque nobis Deus quærẽdus est, in hũc ferè modũ participabilis, cuius singuli participatione conveniente pro participantis ratione & modo, cum existentes, tum viventes, tumque divini erimus. Est igitur aliquid medium inter creata & illam imparticipabilem (vt sic dicam) superessentialitatem.* Essentiam scilicet vim omnem ac modum essentiæ su-

petantem (*nec vnum duntaxat, sed & plura, totque adeò, quot nimirum etiam bæ participantia, cuius munere per se sunt, media scilicet illa. Virtutes enim sunt superexcellentis illius essentia, qua videlicet simpliciter ac vnite præhabeat ac contineat participabilium omnem multitudinem.* Idcirco in quibusdam suarum lucubrationum quandoque etiam effutivit, dicens, *Quot sunt res in specie, tot sunt & Divinitates, alia aliis superexcellentes, alia inferiores.* Rursus idem in Libro, cuius initium est, *Non est nobis, amice. Et hunc itaque divinum splendorem & gratiã Operationem, & donum sanctissimi Spiritus, Spiritum sanctum divina Scriptura appellant sed & Deitatem & Deum, & vim deificam, & per se bonitatem & bonificam. Rerum quoque universitatis auctorem ac conditorem divina eadem Scriptura vocant divinam hanc gratiam, Operationem ac donum, ex superessentiali Trinitate procedens, teste Dionysio Areopagita.*

Quoque Patriarcha, fuit Isidorus, in quodam suorum Modulorum, ait, *Esse Te quidem, non verò quid esse significare intelligimus, Deum autem Operationem.* Ad hæc verò Patriarcha Philotheus ipse quoque in suis Canticis, sic ait, *Venite nova nunc sepulchri, pro Luce aspectabili, ante illustrem diem suscitationis regni Lucis, fruamur, eũ vt Deum in sæcula laudantes.* Præterea Palamas in suis Orationibus, quas *Priores & posteriores* prænotat, hæc dicit *Lumen tamen ipsum vere existens spiritaliter videre dicunt; quod sit ipsum, & non symbolicã existat. Cum enim semper existat, sitque immateriale & quod mente possit intelligi, id neverunt rei ipso periculo.* Rursus quoque in alia suarum Lucubrationum, cuius initiũ est, *Susurrans,* hæc ait, *Itaque Lumen illud tum symbolicũ est, tum lumen verum: nec quovis modo verum, sed ipsum existit Lumen verum.* Ac rursus in eodem Libro, *Quamvis habeat quod Lumen appellatur, sed & verum vocatur Lumen, quinimmo, ipsum verum Lumen, quod Deus induitur tanquam vestimentum.* Præterea addit, *Esse iam contemperationes quasdam ac mixtiones eiusmodi Luminis fieri, iis qui vident.* Atque in quadam earum quæ dicta sunt suarum de Lumine Orationum, *Verum est, cum versatur cum vidente; quandoque diversum videtur: Quandoque quidem assurgit supra corpus, attollitque in altitudinem nullis verbis explicabilem: quandoque rursus etiam corpus coaptans, proprioque impartiens splendore & pace ac dilectione, deiformique voluptate & tranquillitate adimplẽs, oculis corporeis, ô miraculum! comprehensum efficitur. Quandoque radiis in morem intelligibilibus circumfusum, etiam oculis conspecta illa præstat, his, qui digni extiterint; nullam interim ipsum prorsus vocem emitteat ac sonum: quandoque ei qui videt, per arcana verba & ineffabilia (vt ita dicam) clarè loquitur. Ac primum apertè ita affatur, Ego sum, noli timere. Ego sum; Non enim Deitas à me separatur, qua per communionem illis deitatem præsto, qui deificantur. Ego sum qui adsum, & deificationem operor. Num vides omnia in me, & me præ omnibus? Verùm propter te in te fio omnia. Propter te, etiã tibi visibilis fio.* Rursusque in alia, cuius initium, *Convenienter sanè Scriptura,* hæc ait. *Vnus in cõtemplatione spiritus, cũ illis qui per puram orationẽ interpellant, Lumen efficitur; quod videatur, & ab eis non dividatur.* Rursusque in alia, *Sciũt initiati & aiunt, Non contagium exiguis quibusdam partibus atque viribus necessitudinem præstans, sed velut commixtionem cum anima esse, Luminis gratia in ea moram & habitationem; mirabilem sanè velut arcanã ac penè inauditam* Rursus, *Coniugalis societatis vnio, maius quid reliquis videtur habere: at neque illa, naturalis quasi concretio est neque commixtio, sed quadam ex consuetudine ac velut adhæsione vnum plura fiunt.* Erunt enim, inquit, duo in carnem vnam: *solumque in carnem; sed non etiam in spiritum. Dei autem, cum iis qui promerentur, vnio, scientia omnem modum excedit, quod tota ac integra sit, eiusque Spiritus, qui sermone penetrabilius, omnes peruadit mundos Spiritus.*

Præterea docent, Tres Deitatis Personas, quà personæ sunt quodam modo inter se non discerni; sed contrariè vicissim ad virtutes atque Operationes, se Personas habere. Atque Palamas in Libro ad Paolum Asẽn. *Cùm dirimitur Deitas secundũ Hypostases, indiscreta manet ac indistincta, quoad Operationes: cùm verò secundum virtutes ac Operationes dirimitur, indiscreta ac indistincta manet, quoad Hypostases.* In alio quoq; cuius initiũ, *Convenienter sanè Scriptura, Vt ita enim Deitas, quod attinet ad Hypostases, quodque ad Operationes dirimitur, diversitas cernitur secundum vtramque discretionem, quæ se contrario modo ac vicissim habeant: Nam divinarum quidem Personarum propria nomina, communia sunt Operationibus; quæ verò Personæ communia sunt, propria nomina sunt divinarum Operationum.*

Ad hæc docent non sufficere trinæ subsistenti Deitati, ipsam per se existentem ac verè subsistentem virtutem atque Operationem; sed aliam quoque necessariam esse, quæ non sit ipsa subsistẽs. Atque Palamas in quodam suorum Dialogorum, *Habet quidem Pater sapientiam & virtutem, & vitam & Operationem (nempe Filiũ) essentialem & naturalem: Filius verò num virtutis expers & vitæ & Operationis seu efficacitatis, aut etiam tota Essentia sancta Trinitatis?* In Tomo quoq; Synodicè decernunt ac pronuntiant, *Ex his nimirum, sancta Synodus ostẽdit, eum qui dicat solummodo Filium & Spiritum sanctum increatas esse Dei Operationes, tanquam non sentiat communem trium Personarum naturalem Operationem, pridem extinctã ac abolitam Marcelli, Photini & Sophronij hæresim audere denuo in Ecclesiam Dei insinuare ac proferre* Paucisque interiectis. *Nobis vero plenus sermo, non de hac, sed de illa quæ communis est trinè subsistentis Deitatis, quæ ipsa non est Hypostasis seu persona, sed natura, eximiaque ac supra naturam cuique divinarũ Hypostaseon seu Personarũ inest.* Rursusque in eodem, *Quomodo igitur rationi consentaneum, communem trinè subsistentis Deitatis inficiari virtutem, cuius ratione Filius & Spiritus sanctus Virtus a Theologis laudantur,*

Item docent, Qui apud illos mundati sint, taliumque Operationum effectus, increatos & ipsos reddi. Atque Palamas in Epistola ad Acindynum, *Vides clarè increatam esse Gratiam? Nedum autem talis gratia increata est, sed & effectus talis Dei Operationis increatus est. Sic quoque magnus Paulus, non iam amplius temporalem vivens vitam, sed divinam ac æternam Verbi in ipso habitantis, æternus ac immortalis effectus est.* Paucisq; interiectis, *Itaque creatus erat Paulus, quandiu vitam agebat Dei iussu ex non entibus factam cùm verò non iam illam vivebat, sed eam quæ Dei inhabitatione præstatur, increatus extitit per gratiam: Quisquis denique, vivens atque efficax solum Dei Verbum in se nactus est.* Rursusque in eodem, *Quidnam igitur aliquis modo, vel si nullam divinarũ Operationum rationẽ habeat; vnum esse increatum cõcesserit, nõ addẽdo naturâ, cum per gratiam multi sint increati & dij: ac deitate eiusmodi, quæ pro eorum ratione illis conveniat, præditi?* Ac rursus, *Enimvero sunt quidem hi omnes per gratiæ munus increati, vti sanè etiam dii: ipsa verò gratia increata est, sicut paulò antè probatum est.* Ac rursus, *Dei Operationes increatæ sunt, tametsi earum plerique effectus res creatæ sint.* In Oratione quoque, cuius initium est, *Contentiosius quidem. Quinã igitur fiat vt gratia increata non sit, cuius munere qui eius fuerint participes, principij experies & increati, immortalesque & sempiterni atque cœlestes secundùm illam, Patrum sententiâ dicti sunt?*

Præterea docent esse multas Dei Hypostases. Ait enim Palamas, *Quia verò multas & distinctas Hypostases & virtutes & Operationes habet Deus, nisi vna aliqua causa (seu auctor) in illis sit, multa & distincta erunt divinitatis principia.* Atque id confirmat, ex eo quod iidem præterea sentiant, doceantque; quod nimirum, multas has Operationes, quas non verè existentes ac subsistentes dicebant, ipsas iam quoque Essentias esse dicant Quãobrem ait Palamas in Oratione ad Ænum, cuius initiũ, *Sublato verè pudore, Atqui iuxta magnificũ reipsa divinoque Spiritu afflatum sanctorum Patrum sensum, piè quis etiam Essentiam vocet, quamlibet divinarum Operationũ.*

Præterea ausi sunt impudentissimi hominum dicere, Certa quadam ratione ac proportione respondere, sicut

Ps. 103. 2

Missali... [illegible]

Gen. 2. 24

Hebr. 4. 12.

Palamitarum Montis sancti Monachorum infulsa innouatio.

Legalia mysteria Evangelicorum documentorum traditionibus, sic has quoque novis Palamæ decretis & opinionibus. Editus enim à Patriarcha Philotheo Tomus quasi ex Montis sancti Monachorum persona, Palamæ commendatitius, hæc habet. *Quæ plenè vulgata, cunctisque communiter cognita, ac palam prædicata sunt per M sen decreta. Legis fuerant mysteria, solis Prophetis in Spiritu prævisa; Sanctis autem futuro ævo promissa bona, Evangelica sunt disciplina mysteria, his, qui per Spiritum digni habiti sunt qui ea sciverent, ipsisque adeò mediocriter in arrhabonis partem concessa atque provisa. Verum sicut si quis Iudæorum, non vel ignosa pietate Prophetas audiens, dicentes Verbum ac Spiritum Deo coæternos ac prææternos esse, aures continuisset, nempe arbitratus se voces audire, quibus illi pietas interdiceret, eique quam pij confiterentur voci contrarias, ei nimirum quæ dicit,* Dominus Deus tuus, Dominus vnus est; *Sic & nunc fortè alicui accidat, qui mysteria Spiritus, iis duntaxat cognita qui virtutis cultu purgati sint, religiosa pietate non audiat. Verum sicut rursus prædictionum eventus, quæ tunc erant mysteria atque arcana, manifestis consentire ostendit; credimusque nunc in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, trinè subsistentem Deitatem, naturâ vnam, sic & futuro sæculo temporibus suis patefacto, secundum ineffabilem Dei vnius in tribus Personis manifestationem mysteria atque arcana manifestius consona cunctis videbuntur. Sed & illud nihilominus observandum, quanquam postea finibus terræ sonuerit, trinè subsistentis Deitatis fidem, nequaquam efficere doctrina vanos principatus; Prophetæ tamen illa, ante etiam rerum eventum, certò cognoscebant; his autem qui tunc illis credebant, non satis suadere poterat: eodem ergo modo, ne nunc quidem non nescimus Confessionis verba, quæ palam prædicantur, tum scilicet eorum, quæ nunc mysticè in spiritu dignis prælucent.*

Deut. 6. 4.

Hæc ex multis, ac quæ numerum excedere videantur, ex absurdis blasphemisque Palamæ, eiusque Synodi dogmatis, quantum operæpretium videbatur, hic loci exposuimus; multitudinem ipsam molestam existimantes, quâ proinde abstinendum duximus. Puto autem satis esse quæ allata sunt, ad probandum eorum fidem, extra fidei Catholicæ ac Apostolicæ, quam Sancti prædicant, fines prorsus positam esse, idque adeò ex ipsis eorum verbis & sermonibus ac sententiis, quæ communiter privatimque conscripserunt, ac scripto credenda tradiderunt, eosque qui non credunt, publicis in Ecclesia diris ac anathemati subiecerunt. Nam pars quidem, ex Palamæ Libris & orationibus dogmatisque sumpta est, qui eius fidei magister duxque fuit, cuius merito nedum vivens honores consecutus est, quod ita crediderit docuitque, Thessalonicensis Archiepiscopus factus; verum etiam mortuus, hymnis ac hostiis, pari munere ac qui olim Ecclesiæ Doctores pietatis laude claruerunt, Athanasius, Basilius, Chrysostomus, ac reliqui, quotannis festivè celebratur; pars verò, ex iis quæ in Tomo disertè ipsisque claré verbis habentur; in quo Ecclesia tota vniversaque Synodus, præsidente Imperatore, hanc illius firmissimè fidem, velut pietatis regulâ rectæque fidei columnam, reliquis tenendam tradidit, ac quem perinde ac sacra Evangelia colunt, nihilque non moliuntur vt ille consistat ac firmitatis obtineat robur: sed & seorsim, velut religiosissimi, ac qui in omnibus pro veritate pugna functus sit, conventus ille Ecclesiæ, illius in eo memoriam facit, simulque ab eo quovis loco dicta, ceu rectissimè dicta scriptaque ad pietatis normam, laudans sanciensque tradit.

Palamas erroris mercede Archiepiscopus fuit, & Sanctus.

Aiunt itaque in Tomo post Quæstiones prope illius finem, *Cæterum, quem sæpius sacratissimum Thessalonicensem Metropolitam diximus, qui nihil dissentaneum divinis eloquiis vel scribat vel sentiat; quin potius, qui etiam pro communi nostra pietate & traditione; pro eo ac honesti rectique ratio postulat, depugnet, nedum per calumniam, illi, seu magis Ecclesiæ, obiectis nugis, modis omnibus superiorem, sed & Ecclesiæ ac pietatis tutissimum defensorem & propugnatorem, adiutoremque decernimus ac pronuntiamus. His autem eo eventu peractis, adhuc reliquum erat, nobis hoc satagentibus, vt scilicet dicam inferre volentium crimen omne dilueremus, nec ea quæ in sacratissimi Thessalonicensis Lucubrationibus ac scriptis; Ecclesiæ hostes erroris nota aspergerent ac sigillarent, indiscussa omittere, quanquam ex iis quæ in sancta Synodo examinata sunt, hæc etiam omnia meritò videri possint comprehensa. Cum itaque potentissimus Dominus noster ac Imperator, hæc seorsim illius conscripta manu nactus esset, ac nobis ea porrexisset; nos singula quaque in sacratissimi Thessalonicensis codice legimus serioque examinavimus, convenientes in magnam Ecclesiam, diemque in ea communi conventu, non semel, sed bis, terque ac sæpius transigentes, sacratissimumque Thessalonicensis Ecclesiæ Metropolitam, in his quoque sacris Theologis consentaneum invenimus, eius verò accusatores, multis magnisque hæresibus obnoxios, dictisque Theologorum palam contradicentes;* tumque hæc illaque subiiciunt, compluraque alia mgantur, haud secùs ac impudicæ mulieres, suam ipsarum turpitudinem aliis tribuentes.

Synodi pro Palama sententia.

Celebrant verò eum, in iis etiam, in quibus non credentes ipsorum blasphemiis anathemate feriunt. Aiunt itaque, *Gregorij sanctissimi Metropolitæ Thessalonicensis, qui Synodicè in maiori Ecclesia Barlaamum, & Acindynum, Hæreseon auctores ac inventores abdicauit;* tumque adiectis, in quibus eos calumniæ non piget, nec mendacij, abundè subiiciunt, *Qui pro communi Christi Ecclesia verisque ac certis de Deitate decretis sapienter admodumque strenuè scriptorum monumentis, sermonibusque ac disputationibus depugnavit, vnamque Deitatem & Deum vnum trinè subsistentem, operationis ac voluntatis facultate præditum, omnipotentem, per omnia increatum, secundum Scripturas & Theologos harumque interpretes, prædicavit, quique horum omnium & verbis & factis & consocius & adstipulator & consentiens diligensque curator ac propugnator extitit, æterna memoria;* vt volunt ipsi. Quomodo autem vnum Deum dicat, manifestum est ex antè dictis; velut nimirum, quod ex multis atque diversis seu distinctis vnum conflatur. Quomodo verò voluntatis ac operandi vi præditum, velut scilicet qui multas atque diversas seu distinctas operationes in se contineat; atque vt multis suorum scriptorum locis, omnipotentem eum vocat, Non quia divina essentia & infinita, omnemque vincens plenitudinem omnia potest, estque omnia, & vita & sapientia & bonitas & virtus seu potentia, ac si quid aliud absolutè illi tribuitur; ac sicut Damascenus dicit; *Deus est Essentia omnium creatrix ob summam perfectionem & simplicitatem & vnitatem:* sed ita dicit omnipotentem, velut qui in seipso multas omnesque complectatur virtutes, seu vires, tum ipsas inter se, tum ab essentia divina, quomodo in superioribus recensuimus, distinctas. Hoc verò est, divinæ essentiæ, quæ sit perfectissima, ac qua nihil perfectius, perfectionem quasi adnectere, adiunctis illi dotibus, ac si oculis videndi vim, ac quod videant, adiungas, cuius nec meminisse decet in divina natura, quæ nullius auxilio egeat.

Quia igitur vniuersa eius Ecclesiæ Synodus, in ea, quam edidit, suæ fidei Regula, profitetur, nihil se dissonum ab eloquiis divinis, aut scribentem Palamam aut sentientem, eius discussa causa deprehendisse; quinimmò pietatē, pro officij ratione, propugnantem; quodque sæpius convenientes in magnam Ecclesiam, singulaque in eius Libris ac scriptis contenta, legentes ac examinantes; sacris Theologis consentientem, consocium que ac compugilem, nec non veritatis fidei defensorem, ipsum invenerint; ex eiusmodi hisque affinibus liquet, qui eius Ecclesiæ cùm censeantur, hunc Tomum velut Catholicæ ac inculpatæ fidei confessionem servant, negare non posse, quæ viquam generi in dicta Palamæ sunt, hanc quoque eorum fidem esse. Ac forte qui post illi, ipsius dictis patrocinari in animum

Deprehensi patentum erroribus Palamæ libri è segregabūt.

induxerunt, partim quidem argumentis in contrarium impares, partim verò sic palam absurda erubescentes, ex eiusmodi non pauca sustulerunt. Verùm eius ipsa pauca residua, illius de divinis opinionem, vt ea habuerit, abundè testabuntur. Nam etsi nihil eius sermonum extaret literis consignatum, quod communi ac receptæ fidei traditioni dissonum videretur, vnus ipse Tomus, sufficiens de viro eiusque fidei testimonium præbens, atque illo contentæ Quæstiones, probationesque ac sigillatim sententiæ distinctionesque, abundè essent, vt omnem illius horumque fidei novationem repræsentaret. Isque adeò ex iis quæ dicta sunt, liquet.

Quæ igitur mota Quæstione de divina Essentia & Operatione, universa Synodus sæpius conveniens disceptansque decreverit ac pronuntiarit, quomodo item de Palamæ fide in illo contenta Tomo prædicet, ac quænam illa sit, quasi compendio ac rudi minerva dictum est. Quod verò huius Synodi Tomus, consentire cum sacris Doctoribus palam mentitur; primumque inter absurda ipsa conspicua, ac quo dato secuta sunt reliqua, istud est, quod penes Essentiam & Operationem Deum diviserunt, tanquam penes ens & non ens, verè existens seu subsistens, & non verè existens aut subsistens, quod oculis videri non potest & quod oculis videri potest; perindeque dicas; penes Dei essentiam, eiusque vitam & sapientiam & virtutem seu potentiam & bonitatem, aliaque similiter; qua nimirum Dei Essentia, sive Deus, vivit, & sapiens & potens & bonus per seipsum est, in æterna & immobili identitate, vna eademque stabilitate, consistens; cuncta ipse existens eaque omnia quæ sunt, citra omnem comparationem excedens; Necessarium est hoc loco, vt sactorum Doctorum quædam repræsentemus, in quibus idem in Deo ac indistinctum asserunt Operationem & Essentiam, vitamque & sapientiam & virtutem, cunctaque omnino quæ absolute ei tribuuntur, idem esse reipsa: nihilque distincta esse, seu differre ab eius Essentia; vt & Palamæ decreto dissentanea esse & abhorrere à Sanctorum doctrina & traditione eluceat (perindeque dicas, Tomi huius ostendatur falsitas) nosque adeò amaram falsamque auditionem (eam scilicet, quam modò exposuimus, blasphemiam) dulci sermone ac potabili (vera nimirum Sanctorum doctrina) eluamus.

A Doctoribus, confutata Palamæ doctrina.

Id enimverò ante omnia, velutque in antecessum, sciendum est, Operationem (ἐνέργειαν Græci vocant) tribus modis apud Sanctos dici. Vt enim auctor est Dʼ Anastasius Ierosolymitanus, ἐνέργεια (id est, Operatio) tripliciter dicitur; tum nimirum virtus seu potentia qua Deo comparatum vt operetur; tumque habitudo ab operante ad id quod operatione præstatur, ac denique qui ex illis effectus consequitur. Sed & Sanctus Ioannes Damascenus, eodem modo. Operatio igitur (id est, ἐνέργεια) modò quidem facultatem operandi significat; modò verò, operari; modo autem, quod operatione efficitur, & ἐνέργημα dicunt. Neque igitur dissidentibus de tertio illo seu effectu, sermo fuit, neque verò de secundo (de habitu scilicet seu habitudine, quæ à nobis Deum inter operantem, effectusque illi editos media intercedere intelligitur) Hæc enim sunt extra Deum. Quæ autem sunt extra Deum, creaturæ sunt, quanquam alia aliis dignitatum præstantia nobiliora sunt, vt ait magnus Basilius in Antirrheticis, sed de virtute & operatione, per quam habet operari, & secundùm quam est Operatio seu actus, & ens & forma & vita & sapientia & bonitas, vel si quid aliud est, quod omni semper mentis comprehensione superius inoenitur. Hoc enim quod rei cuique est ἐνεργεία) quasi *operatione*, actu scilicet) esse; quicquid tandem illud sit. quod velut perfectio & forma, & (vt quidam vocant) ἐντελέχεια, actus nimirum subiectæ cuiusque rei consideratur: in iis quidem quæ creata sunt, a subiecto, in quo est, distinguitur, pro rerum creatarum duplicitate & distinctione ac compositione; velut si hæc ens & non ens, perfectum & imperfectum, quod tribuit formam & quod recipit: in Deo autem, qui totus Operatio subsistens ac perfecta est, actusque, & à quo procul abest quod est potentia, ac imperfectum est, ob summam perfectionem & simplicitatem, idem est eius Operatio, seu actus, cum Essentia, qua est. Perindeque dicas, idem esse vitam cum eius essentia; sic similiter in aliis, quæ Essentiæ Dei tribuuntur: Alioqui enim, tum eius vita, expers essentiæ esset, tum essentia, vitæ, quodque alterum altero ad existentiam ac perfectionem vicissim indigeat, primum summumque bonum compositum atque imperfectum exhibet. Quocirca non est dicendum Deum habere operationem aut vitam aut bonitatem (id enim, esse Deum quidpiam particulare ac imperfectum designat) sed totum esse operationem, & totum vitam, & totum bonitatem per se subsistentem, ob summam perfectionem & simplicitatem & vnitatem. Habens enim, ab eo distinguitur, quod habetur. In Deo autem, nulla realis distinctio est; alioqui non esset Deus vna essentia, vnumque, quicquid tandem illud sit, excepta duntaxat Personarũ seu Hypostaseon distinctione ac discretione quæ non rerum per se differentiam & distinctionem facit, sed numerum discretionis personalis penes Trinitatem inducit. Nam, vt auctor est Damascenus, in his duntaxat tribus hypostaticis proprietatibus distinguntur inter se, tres sanctæ Hypostases seu Personæ, Paternitate, Filietate & Processione. Ac sicut ridiculum esset dicere, quod mare aquam habeat, quandoquidem maris omnis coalitio aqua est; sic magis ridiculè dicatur, habere Deum essentiam & intelligentiam, aut vitam, sed esse totum essentiam & totum intelligentiam, & totum vitam. Idemque de reliquis dicendum, quæ simpliciter & absolutè Deo tribuuntur. Ac liquet ex subiunctis. Theologia enim propositam veritatem probabit.

Lib. 1. c. 8.

Ac sanè primùm ipse Dominus ait, *Ego sum vita & veritas, & lumen.* Si igitur non erat Filius ac Verbum Dei qui hæc loquebatur; sed aliud quid præter eius essentiam, essentiæ expers nec verè existens aut subsistens; quale denique volunt esse vitam & veritatem, ac prorsus Operationem, qui hæc aliud quid ab Essentia esse statuunt, cuiusmodi etiam dicunt Lumen, quod in Thaborio, in Dominica Transformatione apparuit. Sic verò, si hoc dederimus ac supponamus, consequens est actum esse de divinæ Incarnationis mysterio; aut, siquidem ipsum verè erat Dei Verbum, vnus scilicet sanctæ Trinitatis, qui hæc de seipso loquebatur, vti profectò & erat & est (tota enim divina natura in vna suarum Hypostaseon seu Personarum, incarnata est, vti Sanctorum traditio habet) sequitur necessariò confitendum, veritatem ac vitam idem in Deo esse ac essentiam.

Ioan 14. 6 & 8 12.
Non distingui realiter in Deo Essentiã ab operatione.

Deinde beatus Paulus, ait, *Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Quod si quis duas in Deo esse sapientias dicat, vnam quidem subsistentem, alteram verò quæ essentiæ expers existat, nihil dicit. Cùm enim perfectissima sit, omnemque excedens plenitudinem Dei sapientia, virtus ipsa subsistens, Dei Filius, per quem facta sunt omnia, superfluum est aliam quoque essentiæ expertem nec verè existentem, ac si ipsa per se subsistens non sufficeret, illi adiungere, simulque emergunt compositionis Deique imperfecti absurda. Non enim hic possint dicere vnam numero esse geminam sapientiam, quemadmodum Filium sapientiam ex Patre sapientia dicimus; velut etiam vitam ex vita, & lumen de lumine; vnam tamen numero sapientiam confitemur & vitam, unamque rem. Haud tamen hoc loco id dici queat. Quid ita? Quod nimirum has dicant inter se realiter distingui, ita nimirum, vt altera essentia sit, altera essentiæ expers. Quorum autem tanta distinctio est, nunquam contingat vnà consistere, remque vnam numero fore. Patrem vero & Filium dicimus nihil prorsus realiter vllove modo distingui iuxta fidei assertionem. Sed & qui hæc dicat, reprehendit Athanasius in suis adversùs Arianos

1 Cor. 1. 24.

Nam Andreas Ierosol. vel Anastasius Sinaita Lib. 3. cap. 26.

Basil. adversus Eunom.

In creatis, distinctæ ab ipsis perfectiones in Deo verum esse ac ipse Deus.

Nempe, non distingui ab absolutis nõ inter se. Orat. 3. p. 409.

libris,

A

libris, hisce verbis. *Ubi enim prorsus invenerunt in divina dictum, vel ab ullo omnino audierunt, tanquam alius sit Verbum, præter hunc Filium, ut & talia ipsi comminiscantur? Quomodo verò non hæc quoque portentosa eorum ludificatio, quòd dicant Sapientiam quidem Patri coexistere, eam tamen Christum non esse?* Et rursus: *Non enim in vita vivit, quam alioqui vita non fuerit.* Præterea quoque in libro de ipsius Verbi in carne Dispensatione: *Si enim ipse Vita est, quomodo vitam accepit?* Ad hæc Apostolus de Filio Dei dicit, *Cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus.* Quamobrem idem sunt hoc loco, figura & splendor, substantiáque & gloria idem ac essentia. Omnésque adeo Christi Ecclesiæ Magistri, omnem diversitatem ac duplicitatem, realémque distinctionem in Deo tollunt. Magnus Basilius dum scribit adversus Eunomium, ait: *In Dei forma, in Deo essentia est: Nec enim aliud forma est, aliúdque essentia, ne sit compositus. Omnis imago, aut essentia aut forma, aut figura, aut species, aut coloris imago est: Deus autem in nullo horum, sed in essentia solummodo est.* Beatus quoque Ioannes Damascenus ait: *Essentia & forma & natura, idem sunt in Deo.* Et rursus: *Deus simplex est omnisque expers compositionis:* Quod autem ex multis atque distinctis conflatum est, compositum est. Si igitur increatum, immortale, principij expers, esse creatorem, æternum, habere providentiam, essentiales in Deo differentias dixerimus, ex tam multis conflatum, ipsum compositum, non simplex erit, quod extremæ impietatis est. Idem: *Non debet in Deo dici qualitas, ne eum compositum dicamus ex essentia & qualitate.*

De Incar. p. 596. Hebr. 1. 3

Basil. contra Eunom.

B

Dialect. c. 3n. Lib. 1. c. 7

Lib. 1. c. 9

Sanctus Maximus Capitibus suis ad Elpidium, *Omnis intellectio, sicut in substantia omnino existentiam habet velut qualitas, sic & circa substantiam qualitatibus imbutam motum habet. Non enim aliquid absolutum ac simplex, per seipsum subsistens, potest eam accipere, quod nec ipsa absoluta ac simplex est. Deus autem utroque modo omnino simplex existit; ac tum substantia est sine subjecto, tum intellectio, omni prorsus carens subjecto.* Idem in iisdem Capitibus: *Deus, sive substantiam dicamus, non habet potentiam intelligendi (ut sic dicam) passivè, quæ ei naturaliter cointelligatur, ne inde compositus existat; sive dicamus intellectionem, non habet naturaliter sibi subjectam substantiam, in qua recipiatur: sed ipsum secundum essentiam Deus intellectio est, totúsque ac solum intellectio, ipsúmque secundum intellectionem essentia, & totus essentia & solum, & super essentiam totus, & super intellectionem totus, eo quod unitas indivisa & impartibilis & simplex existat.* Idem: *Ne habitus & habitudo quæras in simplici & infinita substantia (sancta nimirum Trinitate) ne illam creatorum more, compositam facias.* Idem in Scholiis in sanctum Dionysium: *Solus Deus verè ac propriè simplex est, verèque ac propriè Unum & Unitas & Monas: Cuncta verò à Deo secunda, dualitates sunt (ut sic dicam) & composita. Etenim spiritalia, & quæ mente intelligimus, ex substantia sunt ex constitutione differentia, qua res singulæ discernuntur. Quicquid enim aliquid habet quod una intelligatur ad substantiæ suæ seu essentiæ manifestationem, non verè ac propriè simplex est. Quæ verò in sensum cadunt, ex materia & forma sunt composita.*

S. Max. Unitas Dei propriè simplicitas.

C

D

Præterea D. Dionysius, *Non dividendum*, ait, *pulchrum & pulchritudinem, in auctore & causa, quæ universa in uno comprehendit. Hæc verò in quovis ente in participationes, & ea quæ participant dividentes, pulchrum dicimus, quod pulchritudinis particeps est, pulchritudinem verò, participationem: Superessentialis autem pulchritudo, eadem & pulchritudo & pulchrum nuncupatur.* Rursúmque, *Porro non aliud bonum esse dico, atque aliud vitam, nec plures auctores seu causas, aliásque, aliarum effectrices Deitates, quæ supereminentes, & quæ inferiores existant.* Et rursus: *Sin autem in Deo bonum substantia est, is, qui à bono mutatur, quandoque quidem ens, quandoque verò nihil erit.* Idem, *Esto igitur, ad ipsam jam sermone procedamus boni nuncupationem, quam singulariter Theologi supra-quàm-Deo deitati & ex omnibus tribuunt, ipsam puto divinam substantiam Bonitatem vocantes.* Rursus, *Quod bonum sit, tanquam essentiale bonum, in ea quæ sunt omnia, bonitatem extendit.*

De divi. nomi. c. 4 §. 7.

E

Præterea, Quæ adversùs Manichæos Synodus coacta est, ait: *Bonum in Deo essentia est, in genitis autem seu creatis, accidens.* Ad hæc magnus Basilius in suis ad Amphilochium de Spiritu sancto Capitulis: *Spiritus sanctus bonus est, sicut bonus est Pater, & bonus qui ex bono natus est, essentiam habens bonitatem.* Rursus, *Interest autem hoc divinis Potestatibus ac Spiritui sancto, quod huic quidem, natura sanctitas est, illis verò ex commercio ac participatione est, quod sunt sanctæ.* Hæc quoque ipsius sunt in Epistola ad Neocæsarienses: *Nisi Spiritus sanctus simplex est, ex essentia & sanctitate constat. Et quis verò sic demens, ut Spiritum sanctum compositum dicat?*

Synodus contra Manich. Basil. ad Amphil.

Ad Neocæsar.

Præterea D. Chrysostomus exponens illud, *Ego sum lux mundi*, ait, *Igitur si vita aliud est, aliud verò lux, aliud autem essentia aut substantia, compositum erit & non simplex.* Et rursus exponens illud, *In principio erat Verbum. Illud brevi post viderit quis etiam lucem dictum; lucémque rursus vitam nuncupatam, & vitam veritatem.* Rursus ibidem, *Hoc autem dixit, nempe, In ipso erat, non ut compositum opinemur, sed ut paulatim ad celsa decreta provehamur. Quia enim nemo vulgi facilè in animum inducturus erat, quomodo eius vita, ipsa per se ac verò existeret, prius dixit quod erat humilius, móxque erudiens auditorem, ad id quod sublimius provehit. Nam qui dixerat,* Dedit ei vitam habere; *hic rursus ait,* Ego sum vita. Porro observa, quemadmodum sanctus compositionem, existimet, si quis aliud quid vitam in Deo, aliud lucem; aliúdque essentiam existimet, uti superius dixit.

Chrys. in Ioan. variis locis.

F

Ioan. 8. 12 & 1. 1.

Ioan. 5. 26. & 14. 16.

Præterea D. Cyrillus in Actis tertiæ Synodi, ait, *Quemadmodum unitas nunquam dividatur in duas unitates. Quæ enim in hæc dividatur, non unitas fuerit, sed binitas, ut sic loquar: sic & unum, quod summa conservatum unione est, haud in duo dividi possit. Etenim simplex erit universorum Deus.* Idem in Thesauris exponens illud, *Sicut Pater habet vitam in semetipso*, ait, *Hoc loco, his qui nolunt rectè intelligere ingentis blasphemiæ periculum oritur. Si enim Pater dicitur habere vitam in semetipso, aliud quidpiam est, præter vitam quæ in ipso est. Hoc autem si dederimus, quædam velut duplicitas ac compositio circa illum intelligetur. Atqui id est absurdum.* Idem alibi, *Si enim aliud quidem est Deus, aliáque præter ipsum, quæ in eo est, scientia, erit compositus & non simplex. Quod verò exploratum sit esse simplicem, non aliud quid præter ipsum, quæ in eo scientia est. Nos autem non sic, alioqui essemus aliquid per essentiam ab æterno; sed in essentia positam habemus bonitatem.* Et rursus, *Deus charitas est, juxta Ioannis vocem; nec ipse quidem aliud quid, aliud verò quod in ipso est: Est enim simplex, omnique carens compositione.* Rursus, *Non enim erit natura simplex universorum Deus; sed magis compositus ex quo duobus constans, siquidem quæ in eo vita est, alia ab ipso est.*

Cyril.

G

Ioa. 5. 26

1. Ioa. 4. 8

Præterea Nyssenus in Confutationibus, *Igitur si etiam Filius una vita sincera ac pura est, ab omni duplici ratione ac compositione remota, nulláque præter eius vitam res subjecta est. Quomodo enim in eo qui simplex est, aliena rei commixtio ulla existimari possit? &c.* Idem in Oratione Catechetica, *Non enim compositione vacat, quod alterum in altero dicatur esse. Sed omnino necessarium, cùm explorata simplicitas sit, ipsum Verbum vitam esse, non vitæ participationem.*

H

Nyssen. adversus Euno.

Orat. Catech.

Præterea sanctus Augustinus, quem Oecumenicæ Synodi præcellentissimum doctorem testantur, eúmque qui ejus sermones non recipiat, anathemati subjiciunt. Is igitur libro 7. de Trinitate, ait: *In illa simplicitate non aliud est sapientem esse, quàm esse, sed eadem ibi sapientia, quæ & essentia.* Adhuc in eodem

Aug. de Trin.

A

libro: *Nefas est dicere, substare Deum ac subjici bonitati suæ; & non potius bonitatem substantiam esse, nec bonitatem esse Deum, sed in eo vt in subiecto esse.*

Athan. contra Arian.

Ad hæc magnus Athanasius Orat. de Filio, *Nisi enim substantialis sapientia ac verbum essentia præditum & qui sit verè, Filius est, sed simpliciter sapientia & verbum & Filius in Patre est, fuerit ipse Pater compositus ex essentia & verbo.* Idem in Oratione Apologetica pro Synodo,

Orat. pro Synodo Nicæn.

Si quis igitur Deum compositum esse existimat, quasi accidens in substantia, agatur, vel esse quædam quæ eius essentiam compleant, vt cùm Deum dicimus, ac Patrem vocamus, non ipsam eius invisibilem & incomprehensam essentiam significemus, sed aliquid circa ipsum, is Synodum reprehendat, quæ scripserit Filium ex Patre esse: intelligant tamen, qui sic opinantur, duo se hac blasphemare: quod nempe tum Deum, corporeum quendam inducunt, tum Dominum, non ipsius Patris, sed eorum quæ sunt circa ipsum, Filium esse mentiuntur. Sunt & ista ejusdem Athanasij, illa Oratione, qua ostendit Homoousij vocem ritè positam à Patribus Nicænis.

Ex orat. pro defensione vocis ὁμοουσίου.

Proinde nec creaturam ipsius veri Dei opus esse dicetis, siquidem quod Pater quodque Deus dicitur, non ipsam eius qui verè esse essentiam significant, sed aliud quidpiam, quod vos confingitis. Sin autem hoc valde indecens ac vel cogitatu impium est. Paucisque admodum

B

interjectis, *Quamvis enim comprehendere non possumus quidnam tandem est, dum tamen Pater & Filius atque omnium conservator audimus, non aliud quid, sed ipsam beatam simplicémque & incomprehensam, eius qui verè est, essentiam designari intelligimus. Quin vos quoque, cùm Filium ex Deo dixeritis, nimirum ex Patris substantia illum esse dixistis.* Idem in eadem Orat. *Decebat vos (Arianos nimirum) non dicere Filium ex Patre esse, sed ex iis quæ sunt circa ipsum, vt hoc caventes, ne Deum verè Patrem diceretis, sic compositum eum qui simplex est, & corporeum intelligeretis, insolentioris blasphemiæ auctores existeretis.* Porro ex Sancti hujus dictis liquet, nomen Deus & Pater & Creator, & vniversorum conservator, ipsam beatam essentiam significare, tametsi nulla nomina quid illa sit repræsentent, eósque, qui circa Deum alia quædam præter ejus essentiam esse dicunt, naturalia Deo & essentialia ac increata, sive vitam, sive bonitatem, sive quodvis tandem eorum, ex quibus aiunt Deum cognosci, eúmque qui secundùm essentiam invisibilis est, secundùm illa visibilem fieri, statuúnt esse quædam quæ ejus essentiam

C

compleant, Deum qui simplex sit, compositum corporeúmque intelligentes, insolentioris blasphemiæ auctores existere, aliúdque quidpiam circa ejus essentiam fingentes, quod & cogitatu impium sit, dicere.

At Theologi, vt eo se absurdo expediant, quæ dicta sunt pro munere docent ac tractant. Eadémque ratione, quas in Deo dicimus rerum rationes, nihil ab ejus essentia aiunt differre. Sanè quidem D. Chrysostomus exponens illud, *In quo sunt Thesauri sapientiæ & scientiæ*, ait: *Vide, tametsi videtur magnum aliquid dicere, verùm id quoque submissius dixit, propter simpliciores; nam ipsa verè sapientia, verè scientia est.* Sanctus vero Maximus, exponens magni Dionysij auctoritatem, *Imagines quasdam & simulacra divinorum eius exemplarium*, *Vniversorum Auctoris* inquit, *exemplaria, quæ habet, æterna sunt Dei cogitationes, per quas, & ex quarum ratione omnia in eo erant, cùm alia ab eo non essent.* Rursúsque in iisdem Scholiis, *Neque Deus in loco est, nec quæ sunt in eo, in ipso sunt vt in loco: sed ea habet velut qui seipsum habeat, & in illis atque illa existat.* Ejusdem ex iisdem, *Etenim si eius essentia alia est, quæ vero intelligit alia sunt ab ipsa, carebit ipse intelligentia, id est, eius essentia. Si quid verò habet, ipse à se, non ab alio habet. Quod si à seipso & ex seipso intelligit, ipse ea est quæ intelligit. Igitur, cùm sit verè ens, novit ea quæ sunt, vt qui est. Ergo si se ipse intelligendo, ea quæ sunt intelligit, ipse est ea quæ existunt.*

Chrysost. epist. ad Colo. 3

De div. nom. S. Max.

D

E

Absurda ea Palamitarum doctrina, Deũ esse verè cõpositum.

Atque hæc hactenus, exque multis pauca. Nos verò ea quæ dicta sunt colligentes, concludendo observamus, ex dictis manifestè probatum, fore, primum: Si aliud quidem Dei essentia est, alia verò quæ sunt in ipso, puta, vita & sapientia & bonitas, & si quid ejusmodi absolutè Deo tribuitur, quæ ab essentia, ipsaque inter se realiter distinguantur, quo modo in superioribus recensuimus; sicque ad essentiam comparantur, vt sine illa, ipsa per se subsistere non possint, quemadmodum Thomas ex Palamæ fidei rationibus decrevit ac prædicavit, illa omnino in essentia sint vt in subjecto, ipsáque illorum sit capax; sitque adeò materia, vel hujusmodi quod materiæ respondeat. Quod enim alteri subest vt in eo existat, aut est materia, aut aliquid materiæ simile; sicque adeo, essentiæ quidem, privatio inerit ac vis passiva; quæ verò in ea sunt velut habitus & qualitates & formæ aut operationes, perfectiones erunt istius essentiæ; quodque multa concurrant, vnum consurget, ac erit compositum quod ex illis est. Duarum enim minimum rerum in vnum concursos, quarum vna non est idem re & ratione cum alia; aut quod alterius suscipiendi capax est, in quo illud existentiam habeat, quibus convenientibus conflatur vnum, vel quod multis in idem confluentibus perficitur, aut quovis alio modo quis definiendo dixerit, compositum est. Quod enim cum alio quodam completur, tametsi ab eo inseparabile est, compositum est.

F

2. Fore Deũ imperfectũ.

Alterum, Fore Deum imperfectum. Vnumquodque enim eorum quæ in essentia sunt, vim complendi esse habiturum est, partisque rationem ad totum. Omnis enim pars, aut quod parti affine est, illique respondet, imperfectum est. Idcirco communissima de Deo notio, omnem ab eo partium excludit rationem. Hincque adeo nec Deum Patrem neque Filium aut Spiritum sanctum partem dicimus vnius & totalis ac supra quam plenæ Divinitatis.

3. Fore finitum.

Tertium est, Cum eo quod est imperfectum esse, etiam inducendum in Deo quod est finitum. Quod enim ex duabus rebus constat, non est infinitum. *Binarius enim nec principio caret, nec fine*, inquit B. Maximus, *qui nimirum vtrinsque vnitatis finem altera nullus fit.* Vnde nec tres vnitates in Deo, sed sicut vnam essentiam, sic & unam Vnitatem eandem in tribus Personis indivisam, profitetur fides Catholica atque agnoscit.

Max.

G

4. Fore circumscriptum.

Quartum, cum eo quod est finitum esse, in Deo locum habebit hoc, quod est circumscriptum. Non enim Deus totus ex toto sua essentia erit & vita & sapientia, atque alia quæcunque Deus dicitur & est; nec totus omnino perfectissimus erit, vt ait Dionysius tertiodecimo cap. de Divin. nom. sed aliud quidem ejus sapientia, aliud bonitas, aliud lumen, aliud essentia; finietúrque vnumquodque ab altero, à quo realiter distinguitur, omniáque simul ab essentia. Sed & horum quodlibet, in quantum contrarium, effectum, ad quem ordinatur, & non alterius (putà sapientiam, & non vitam) operabitur; non verò quæcunque à Deo in creaturas benigna diffusione emanant, virtus erit finita. Quod autem finitum est, sanè etiam alicubi circumscribitur. Hæc autem longè abhorrent à Dei intelligentia. Communi enim notitia, eum simplicem, impatibilem, omnis expertem compositionis, perfectum, infinitum, incircumscriptum confitemur.

H

5. Fore non primo vnũ.

Denique si Deus, eorum quæ distincta concurrerunt conflato vnum est, primò quærendum quis hæc distincta copulaverit. Deinde, Deus ipse, quod sit vnius particeps, unum erit. Sic verò, nec propriè, nec primò Vnum fuerit; sed sic vnum, velut ea quæ ex diversis rebus constituuntur.

6. Non perfectissimũ.

Præterea, erit aliquid Deo melius & præstantius: Meritò enim, quod participatur, eo quod participat, ac quod vim habet vt plura distinctáque vniat, id primum, meliúsque ac præstantius audiat. Nam & Dei vita & bonitas, & quæcumque alia dicunt ab essentia, ita vt contra illam dividantur, nec essentia hoc ipsum sit quod

bonitas,

bonitas, ac similiter in aliis, planè præstantiora extiterint quàm essentia. Id enim propter quod aliquid sapiens aut bonum aut justum est, vt quod forma sit ejus quod impartitur, actúsque perficiens, eo præstantius ac melius est. Vniversim enim quo quid impartitur, ipso quod impartitur, melius est. Hîc verò, virtutes istæ, vt quidem actus perficiens essentiam, aliquid nobilius sunt ac præcellens; vt verò ipsæ per seipsas non possunt subsistere, sed ab essentia mutuantur esse; súntque hæ quidem essentiæ expertes, illa verò essentia est; ac quæcunque demum alia contra dividendo affetunt novi Theologi, minus aliquid sunt ac deficiens; omninóque alterum altero indigens, vti dictum est.

Ad hæc, si in Deo sunt vita & sapientia & bonitas ac essentia, potiori longè ratione erunt in eo discrete contraria; contrariorum scilicet rationes: Omnium enim rationes in Deo sunt; inter quæ omnia, sunt & contraria. Omnia tamen, ipsáque adeò contraria, vniformiter, vnitè, absolutè, comprehensim, singulariter in omnium causa, vti docet Dionys. 4. de Divin. nom.

Dion. de div. nom.

velut scilicet in Monade vniformiter subsistit omnis numerus, quæ nimirum ipsa in se singulariter atq; vnitè quicquid numerorum est, habeat: ac velut in centro omnes circuli lineæ, vna coëxistunt copulatione, rectæq; omnes vniformiter vnitas in se signum habet; sic & vniversorum natura omnes cujúsque naturæ rationes, vna inconfusa adunatione in se complectitur; nec proinde vita & sapientia & bonitas, res sunt in Dei essentia, præter eam realiter aliæ ac distinctæ. Ex dictis etiam manifestè, & Scripturis & Sanctorum dictis & auctoritatibus liquet, illam & Essentiam nullius alterius rei præter ipsam esse capacem; nullóque alio indigere, ob summam perfectionem & simplicitatem & coadunationem. Aliter enim opinans dicta a nobis absurda non effugiet, similíque Scripturis ac Sanctorum doctrinæ adversa dicet.

Ex iis verò quæ dicta sunt pariter liquet, nihil in Deo Essentiam ac Operationem differre. Quia enim ij, qui re ipsa distincta atque diversa ab ejus essentia, in Deo ponunt, vitam & sapientiam & virtutem & bonitatem, ac reliqua quæ illi tribuuntur, Dei operationes atque operationem vocant, ac velut perficientem operationem (seu actionem) ei assignant, qua vivit, poténsque ac bonus est, éstq; operatio seu actus, quicquid tandem est: Hoc autem probatum est non esse aliud ab ejus essentia; vtique manifestum est, nec ejus operationem, qua efficax est, vimque agendi habet, juxta nimirum primò assignatam vocis ejus ἐνέργεια significationem, pro eo ac Sancti subtiliter artéque digesserunt, aliud a Dei essentia esse. Hoc nihilominus ipsis eorum verbis ex Sanctis declarare animus est.

Maxim.

Sanctus itaque sanctus Maximus in fine secundi capitis primi Centenarij, cujus initium est, *Bonum per essentiam propriè est*, ait, *Deus ex bonitate, éxque providentia propriis operibus, non verò ex essentia sua cognoscitur. Operationem verò (ἐνέργειαν) opera dicimus, non operationis virtutem seu facultatem; illa enim non est aliud quàm Dei essentia, ne compositio in Deo existimetur* Idem in ... *Cuique homini qui bonum accepit à Deo, doctrina ipsa in se parta est. Quamobrem Deus essentia est essentia omni superior, & virtus omnem excedens virtutem, & operatio omni operationi eminens.* Idem in Scholiis in B. Dionysium, *Ipsa supra-quàm bonitas, quæ mens sit & tota operatio seu actus, in seipsam conversa operatio est.*

Greg. Nyss.

Nyssenus in Expositione Cantici canticorum, *Natura est, cunctis eminens virtus ac operatio; cujus opera, cùm alia omnia, tum cælestia decora sunt.* Idem in Confutationibus, *Nihil de his differens* (nempe Eunomius) *neque ostendens, quo pacto eadem à nobis operatio (ἐνέργεια) ac essentia asseratur, postremò subdit*, & quæ in eo libro sequuntur. Observandum itaque hoc locum est, quod Eunomius, ipse quidem operationem ab essentia dividebat; crimini verò vertebat Orthodoxis, quod idem eam esse sentirent. Vnde etiam dicit in suo Opere, *Non decet eos qui credunt veritati, ex aliorum sententia absque examine certóque judicio, operationem essentiæ vnire.*

Eunomij propositio, operationem esse aliud ab essentia.

Athan. contra Arianos.

Sed & magnus Athanasius, cùm Hæretici dicerent, Filium imaginem esse operationis Patris, & non essentiæ, istud assumit vt minorem propositionem syllogismi; majorem verò à se ipse ponit, ac sic ait, *Quandoquidem dicitis Filium imaginem esse operationis, operatio autem idem est ac essentia; ergo Filius imago est essentiæ.* Adeóque dividere operationem, qua Deus efficax vimque operandi habet ab essentia, veterum Hæretic. fuit sententia atque mens.

Theod. Grapt.

Sanctus verò Theodorus Graptus (vultum scilicet Iambis inscriptus) in sua adversus Eusebium Iconomachos lucubratione, in hunc modum tradit, *Aliud essentiam aliudque operationem, haud secus ac in iis quæ corporaliter considerantur, sic nimirum & in Dei Verbo posuerunt, quod pietatis cultoribus usus est. In simplicibus enim & incorporeis, in nullo differre noverunt. Non enim hæc inter se dividenda sunt, ne quod omnem excedit simplicitatem, compositum intelligatur. Neque enim divina essentia vnquam ipsa efficax & quasi virtutis expers extitit; nec operatio carens essentia.* Iidem in iisdem, *Quorum diversæ naturæ sunt, eorum sunt & operationes: quorum eadem sunt operationes, eorum etiam pari dignitate naturæ; propter nimirum contrarietatem eorum, nã convenerunt, vti se doctrina Ecclesiastica sensúsque habet. Sic namque piè intelligatur, divina quidem operatio, æterna; quoniam ipsa à se operatur, quod non divisa sit operatio ab essentia, sed eandem rationem recipiat, ob naturæ simplicem ac incorpoream proprietatem.* Hæc & ille ait.

Maxim. Indistincta quæ sunt idẽ.

Quomodo autem se habeat, quæve ejus indoles sit quod idem est, tradit divinus Maximus, quo loco ostendit, *Esse in Christo distinctionem rerum, id est substantiarum.* Subdit itaque, *Quæ enim inter se non prorsus eadem sunt, vnam ac eandem essendi rationem haudquaquam recipiunt. Quæ enim eadem omnino inter se sunt, nec distinctionem recipere possunt.* Idcirco ex sancti Maximi sententia, dici non potest operationem, vel etiam minimum in Deo ab essentia distingui, & vnam eandémque recipere rationem, atqui recipit: in simplicibus enim & incorporeis, nulla horum distinctio est; quocirca nullam distinctionem possunt admittere. Sin autem non minimum, sed vno aliquo ex recensitis oppositionum modis distinguuntur, nulla quoque potentia fiat, vt eandem rationem recipiant.

Basil. adversus Eunom.

Hæc & magnus Basilius in Confutationibus confirmat, dicens: *In simplici & incorporea natura, eandem operatio seu virtus cum essentia recipit rationem.* Itaque etiam ex hujus Doctoris sententia, si quis aliud quidem dicat Dei essentiam, rem verò aliam ejus operationem, sicque distingui, vt aliud quidem essentia sit, aliud essentiæ expers, fieri non potest vt Deus simplex natura ac incorporea sit. Ejus enim ratio quod expers essentiæ est, nunquam vna eadémque fit cum essentiæ ratione: fiétque, vt & in iis quæ sunt composita, essentia & operatio idem sint. Ac denique, vel ipse quoque Deus erit compositus, velut ipsi sumus; siquidem in illo aliud essentia est atque aliud operatio; vel etiam composita simplicia erunt & incorporea, velut Deus; si quidem quod idem essentia & operatio sit, perinde illi nobísque convenit. Enimvero, ad nos quod attinet, distincta sunt re & ratione essentia (seu substantia) virtusque & operatio: Nam essentiæ quidem (seu mavis, substantiæ) ratio est, per se subsistere: virtutis verò ac potentiæ, principium efficiens esse: operatio autem ex sua ratione forma est, actúsque potentiæ, quatenus potentia est: vtraque verò, substantiâ caret, súntque ambo essentiæ expertes seu substantiæ, & in substantia existunt, vt in subjecto; ac verò mutuò inter se egent. Quia verò corporea ac composita, in eum se modum habent; Deum verò simplicem esse & incorporeum exploratum est; fit planè vt omnia hæc vnum sint in Deo cum essentia, juxta ac Sanctos docet.

A

Sin autem quis dicat, Fore, vt quamvis distinctio maneat, pro eo ac velit, secundùm increatum eandem rationem recipiat, is nihil dicit. Primùm, eo quod Doctor simpliciter locutus sit, non secundùm aliquid distinctionem dixerit. Deinde, quia etsi secundùm increatum, non tamen secundùm ipsam essendi rationem, stante distinctione, eandem operatio cum essentia rationem receptura sit. Alterum verè esse dicunt ac subsistere, alterum negant, ac quæcunque alia distinguendo diis adinventa sunt. Nam si rationale animali adjunctum, ab animali sic absolutè dicto diversam fecit definitionem, nunquam omnino fiat, ut quæ tantis distant eandem rationem recipiant. Quin & in ipsa increati ratione, infinities infinitè inferioris differentia, qua Operationem ab Essentia discernunt, eandem ejus cum Essentia rationem fore, nunquam prorsus sinet. Quod enim Dei Essentia inferius est, nedum quod infinities est inferius, factum vtique ac creatum est. Vt enim sanctus Epiphanius Oratione adversus Aetium auctor est, *Vnum est quod facit ac creat in una essentia perfecta Trinitate, reliqua verò omnia facta sunt & create*. Quamobrem nec nos adoramus, quicquid Dei essentia inferius est. Atque vt dixit magnus Basilius in Confutationibus, *Quæ à Deo secunda sunt, creata, ac nobis conserva sunt*. Atqui verùm est, etiam essentiam eandem cum Operatione rationem recipere, vti Sancti definiunt. *Ac quidem nescimus quænam tandem ratio sit, ipsum tamen totum, hoc quod est, quovis nomine designamus. Lumen enim*, inquit, *eum dicimus, & vitam & bonitatem; totum quod est, vitam; totúmque lumen & totum bonum*. Atque, vt idem ipse aiebat, *Omnis imago aut essentiæ, aut forma, aut coloris imago est; Deus autem in nullo horum, sed in essentia solummodo est*. Ex quibus etiam liquet, cùm Operationem seu virtutem aut actum eum dixerimus, ipsam nos ejus Essentiam ponere; ac qui solam eum Operationem seu virtutem ac actum dixit, ipsam solam Essentiam, tametsi diversis nominibus, dixit. *Sive enim*, inquit, *Essentiam dixerimus, totus Essentia est, & solum: sive intelligentiam, totus est intelligentia, & solum; sive operationem, totus est operatio, & solum; eo quod Monas est indivisa, nullisque partibus ac simplex; ac ne compositum intelligatur, quod omnem excedit simplicitatem*.

E Epiph. in hæresi Aetiana.

B

Basil. adversus Eunom.

Basil. supra.

C

Sic & beatus Cyrillus secundo ad Hermeiam dicit, *Est quidem Deitatis natura, una & simplex: dicimus autem eandem esse vitam & virtutem & sapientiam & gloriam seu majestatem*: Quamobrem idem diversimode nominatur, secundùm diversos conceptus & rationes. Ostendit & magnus Basilius scribens ad Eustathium. Atenim, *Divini omnes tum conceptus tum nomina, ad vnum subiectum animum ducunt. Nec enim boni appellatio, ad aliud quidpiam significatum fert, ad aliud verò sapientis & potentis & iusti nuncupatio, verum quicquid dixeris, vnum in omnibus significatum existit. Quanquam Deum dixeris, eundem ostendisti, quem & reliquis nominibus*. Alibi quoque, *Divina omnia nomina, quæ divinæ naturæ tribui solent, ipsa quidem alia aliis æquipollent, in eo quod subiectum indicant, secundùm tamen aliam atq; aliam earum vim ac expressionem, mentem nostram ad idem ducunt*.

Cyril. ad Herm.

Basil. ad Eustat.

D

Hæc & S. Maximus in Dialogo adversus Anomœum ita edisserit. *Ipsa Dei substantia, ipsa etiam immortalitas est: nec solum immortalitas, sed & incorruptio & iustitia & sanctificatio & redemptio & dominatio & virtus. Nec Deus illa est compositorum more, sed ea dicitur penè diversos conceptus & rationes. Immortalitas quidem, quod ab omni immunis interitu atque fine est; incorruptio, quod insolubilis vita; iustitia, pro æquitate; sanctificatio, quod servet à peccato; redemptio, quod vitam nostram ab interitu & corruptione præstet incolumem; dominatio, quod sub imperio teneat omnia, virtus, quod nihil ei obniti queat*.

Maxim. in Dial. contra Anom.

Vna hæc S. Maximi doctrina, solvendo sit omnes auctoritates, in quibus aliud atq; aliud dicitur. Quemadmodum enim hic, *Aliud est immortalitas, aliud verò immortalitas*, éstque distinctio secundùm rationem; non verò realis; sic & vbicunq; ejusmodi aliquid à Sanctis dictum occurrit; aliud atque aliud in Deo dicemus; id verò ratione, non item re, ne plura in Deo absurda fateri necesse habeamus, ac quàm procul à Sanctorum scopo rapiamur, necessariò aliud atque aliud dicitur: hoc quoque secundùm essendi rationem realiter distinguatur.

Maximi doctrinæ vis & perspicuitas.

E

Ad hæc, dicente Anomœo: *Si Deus aliis gignit, aliis creat, compositus est*, subjungit Maximus: *Non dico, Aliis gignit, & aliis creat; sed, Aliter gignit & aliter creat*. Nam & cùm aliquis eodem gignat & creet, nihil vetat aliter eum gignere & aliter creare; ac quod genitum est, ab eo quod creatum, distinctum ac diversum esse; ipsúmq; gignens ac creans necessariò simplex esse. Sin autem aliis gignit & aliis facit ac fabricatur, quasi diversis membris sive organis atque viribus vtens, non potest non compositum esse.

Dialog. a contra Anom.

Deus itaque, cùm sit vna eadémq; res, secundùm diversos ad ea quæ sunt, respectus; aliis aliísque modis nominatur, quod propter nostram tenuitatem, eum, qui supra quàm plenus est summámque ejus perfectionem, vno nomine aut cōceptu significare non possumus. Ac quidem secundùm nostram rationem, vita & sapientia & virtus seu potentia, aliud atque aliud sunt. Horum enim cujusque distincta diversáque ratio est, sive definitio: secundùm rem verò, idem sunt. Velut granum tritici dicitur atque est semen & fructus; & sicut punctum in linea, & initium vocatur, & finis; initium quidem sequentis; finis verò, ejus quod antecedit. Puncto igitur & initium & finis tribuuntur secundùm diversam rationem, atque distinctos subtiles cogitatus. Non tamen initium & finis sunt diversæ res, sed vtriq; vna eadémq; res subjecta est, nempe punctum. Ad hæc etiam accessus & recessus non sunt res diversæ: idem enim reipsa in vtroque motus est; sed distinguuntur sola ratione secundùm has considerationes.

Vnde nobis distinctio rationis, maximè in ordine ad Deū.

F

S. quoque Cyrillus in secundo Thesaurorum dixit, *Habet ut gignat Pater natura; habet etiam vt creet, conditoris potentia, per Filium; nec propterea compositus est: sunt enim fructus eiusdem naturæ*. Idem rursus, *Facere quidem ac creare, operationis est; generare autem, naturæ*. Similiter quoque Damascenus ait, *Divinæ naturæ opus, sæculis anterior generatio, opus verò divinæ voluntatis ac consilij, creatio*.

Cyril.

G

Damasc.

Ad hæc, sicut habet ille Scripturæ locus, *Qui genuit glebas roris*, non eadem ratione tum glebas, tum Filium produxit. Producit enim Deus & Pater Filium; producit verò etiam creaturas. Vt enim docet magnus Athanas. *Causa est Dei natura, Filij & Spiritus, ac omnis creatura*. At Filium quidem sine tempore & coæternè inque eadem natura ex seipso gignit, creaturas verò in tempore diversæque naturæ ac creantis potestate, extráq; se produxit. Liquet & ex Maximi sententia, effecta aliter atque aliter ex Deo esse, non alio atque alio. Non enim alio gignit, atque aliis creat. Atque vt idem ait, *Totus gignens, ac totus condens ac creans, non tamen eadem ratione, sed totus gignens vt totus essentia (totus enim Filius Deus ex toto est) totus condens ac creans, vt totus ipse à se verè existens operatio actúsqua. Totus item sapientiam præstans & bonitatem, vt totus sapientia & bonitas & virtus seu potentia*. Quatenus enim ea vi præditus est vt naturam suam communicet, gignit; quatenus verò vt secundùm artem similitudine sua impartiar, creat; ne vllus modus participationis desit ejus qui perfectus, bonúsque & summus est. Porro talia, solum credimus; vt autem se habeant, accuratè illi duntaxat est cognitum.

Iob. 38. 28.

Athanas.

Maxim. Dialog. a contra Anom.

H

Atque vt ex obscuris simulacris ad vniversorum Auctorem provehamur, exili ratione res magnas ponderantes, velut si quis ex Sole, Solem alium procedentē, mox ac ille primos in animum incurrit, vnà cum illo gignēdi ratione elucere intelligat, eodem se prorsus modo ac ille habentem: túmque rursus eum Solem, cùm aliquoi vnus sit, in plura similitudinis ratione multipli-

Divinæ processionis simulacra.

plicari

plicari cogitaverit; velut in aqua videmus & speculis, manente illo immobili, nec vllam subeunte mutationem, sed in seipso, vt illi natura comparatum est, consistente. Ac sicut ex eodem vultu multi distinctè vultus resoltant, qua ipsa ratione B. Dionysius, imagines quasdam ac simulachra divinorum ejus exemplarium dixit babere creaturam, quæ videlicet exemplaria, præternas in Deo artis more rerum rationes appellavit D. Maximus: quas habet, non vt alia à se, sed velut qui ipse se babeat, & cum illis vnum existat, vti superius expositum est ex Doctoris huj s sententia.

Exemplaria in Deo, ipse Deus. Dionys. Max. de div. nom. Aug. 7. de Trip.

Postremò S. August. accedat. Is enim, lib. 7 de Trinitate, vbi dixerat, *Quomodo creatura, quæ multiplex dicatur, non etiam dicatur simplex*, postea quam respondit de creatura, sic ait de Deo *Deus autem dicitur quidem multiplex, magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, ac si quid aliud non indignè sit videtur dici: Verum ejus magnitudo est, quo & sapientia: Non enim mole magnus est, sed virtute; eadémque est bonitas, quæ vtique & sapientia & magnitudo ejus est; eadémque veritas, quæ illa omnia: Nec ibi aliud est beatum esse, aliud verò magnum aut sapientem aut bonum, aut prorsus ipsum esse:* quibus verbis significat, Deum multipliciter intelligi ac nominari, eisque multa hæc vt in subjecto, in nostra mente, alia atque distincta; vnum verò in Deo illis omnibus respondere.

Nyss adversus Eunom.

Præterea Nyssenus in Confutationibus, *Siquidem enim nullum nominum peculiari aliqua notione, seu ratione, assumitur, sed cuncta alia aliis, ob eius quod significatur confusionem confusa sunt, frustra fuerit multis de eodem uti nominibus, sicut eius quod significatur, nulla sit distinctio, qua nomina alia ab aliis discreta sint.* Tum vbi ostendit, singulis nominibus peculiares tribuendos conceptus ac rationes, non tamen etiam res distinctas illis in Deo respondere, subdit: *Nos enimvero, quod illis conceptibus subjectum est, non vnà cum illis dividimus, sed quicquid tandem secundum essentiam est, vnum esse credentes, id quod intelligitur convenienter se habere cum omnibus suis conceptibus arbitramur.*

Dionys. de divin. nom.

Ad hæc magnos Dionysius cap. 2. de Conjuncta ac discreta Theologia, Divina omnia nomina dicit, ipsumq; adeò bonitatis nomen nisi quis de tota Deitate dici fateatur, ipsum blasphemare ac, quod nefas, super unitam Vnitatem audere dissecare.

Hæc item de Operatione adjiciamus. S. Cyril. Thesaur. lib. 2. ait: *Si igitur Filius, omnis Patris operatio est ac virtus, per quam omnia operatur, quinam fiat vt natura creata sit?* Idem, *Igitur Filius eiusdem ac Pater natura est, ut qui eandem potestatem habeat ac virtutem, quinimò, qui ipse vivens & essentialis Operatio & virtus & sapientia Patris existat.*

Athanas. ad Serap.

S Athanasius in Epist. ad Serapionem: *Cùm enim vnus sit Filius, vivens scilicet Verbum, vnam sit necesse est perfectam plenámque sanctificans & illuminans eius Vitam, quæ ipsius Operatio, donúmque est, ac ex Patre procedere dicitur; idcirco quod ex Filio, quem ex Patre esse exploratum est, elucet atque mittitur, datúrque.*

Manifestè igitur ex dictis hoc quoque ostensum est, Dei Operationem seu virtutem qua est efficax ac vi agendi pollet, non distingui ab ejus Essentia; sed idem esse Essentiam & Operationem seu virtutem. In natura enim simplici & incorporea Operatio eandem ac Essentia rationem recipit, ne quod omnem excedit simplicitatem, compositum intelligatur, juxta nobis expositam Sanctorum doctrinam; quod nobis probandum propositum erat.

Palamitarũ plures deitates Dique.

Ejus contrarium Synodus in Palamæ Tomo decrevit ac sanxit: Nec quovis modò solum distingui, sed eo qui superius recensitus est, dividi atque opponi, nova fide conscripsit. Quod verò non illos pudet, quod sic divisam in Deo ab ejus essentia operationem, seu magis operationes, Deos illas ac Deitates fatentur, inde id quoque manifestum est, communi Christianorum de Deo opinioni eorum commentum hoc contrarium esse. Fides enim Catholica, vnum Deum vnámque Deitatem tradit; idque innatum velut communis quædam primáque conceptio eorum animis est, qui vnum Deum confitentur. Quamobrem si plures Deitates adoiserit, hunc necesse est plures quoque Deos confiteri. Hincque est vt nec plures Deitates in sancta Trinitate confiteamur, eo quod tres sunt Hypostases ac Personæ, ne & tres Deos, Patrem & Filium & Spiritum sanctum perinde confiteri necesse babeamus. Hi autem plures admittunt Deitates, vt ex dictis manifestũ est; quocirca etiam necesse est vt plures Deos fateantur. Clariúsque ex Sanctorum dictis monstrabitur.

Greg. Theolog.

Statim namque ait magnus Theologus, *Nobis verò vnus Deus, quod vna Divinitas.* Hincque adeò liquet, quibus non sit vna Divinitas, nec vnum esse Deum. Quænam verò est Divinitas? Ipsa nimirum vnius Dei trinè subsistens essentia. Sic enim idem ait, *Vnum enim in tribus Deitas, & tria vnum, in quibus est Deitas, aut, quod verius ac propriè magis dicatur, quæ est Deitas.* Consultò vocem *in his* cavit, ne qua compositio existimaretur, velut Deitas aliud esset in personis, adjecitque, *Quæ est Deitas*; nimirum ipsas personas Deitatem vocans, Patrem scilicet & Filium & Spiritum sanctum.

Sed quid necesse hoc eis absurdum imponere, cùm ipsi disertè confiteantur ac scribant, asserántque, Quamlibet harum operationum atq; virtutum, nullo inconveniente Deum prædicandam esse; idq; in Canticis & confessionibus Deo tribuant? Non enim velut sequatur ex eorum positionibus, Deorum illis multitudinem tribuimus, sed ex illorum ipsa confessione repræsentamus. Cùm autem hasce operationes ac Deitates multas esse dicant ac increatas, & quæ numerum superent, quæ vtique etiam aliæ ab aliis, similque ab essentia distinguantur, sicut quod essentiæ expers est ab essentia, quodq; subsistens est ab eo quod non ipsum verè existat, quod est visibile ab eo quod invisibile est, quod est inferius ab eo quod eminet, & infinities infinitæ juxta oppositionem quas commenti sunt genera, liquet fore, & in Deo, Dij (vt eorum verbis loquar) tantummet se & ab essentia distinguantur.

Maxim. Greg. in patris epitaph. & 1. de pace. Psal. 4. 3.

Hi tamen divinum Maximum audiant, dicentem *Quod subest initium non habet, Deitas non est.* Gregor. item Theologum, partim quidem Oratione Funebri in suum patrem, dicentem, *Quonam verò modo mensuram admittit, quod est infinitum; vt quæ rerum finitarum affectio est, ea sit & Deitatis, gradibus superioribus inferioribúsq; commotis?* Partim verò in prima Oratione de Pace, *Vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium; vt non vnam, aut simplicem Deitatis naturam inducatis, sed tres nimirum inter se peregrinas ac abhorrentes & dissipatas; ne mirum dictu, excessibus defectibúsque pugnantes?*

Nicæn. Synod. & Ephesinæ

Præterea sancta & œcumenica prima Synodus, in hunc modum in Actis pronuntiat, *Fides autem Catholica unam Deitatem novit, Patris & Filij & Spiritus sancti, præter quam non reputabitur alia.* Ad hæc sancta & œcumenica tertia Synodus, sic & ipsa in Actis pronuntiat, *Si quis non confitetur in sancta Trinitate vnam Deitatem, vnum regnum & dominationem, anathema sit.*

Greg. Nyssen.

Gregor. Nyssen in Orat, *Quæ sit Christiani professio. Deitatum numerum in multitudinem turbámque producere eorum duntaxat est, qui multitudinis Deorum errore laborant: Deitatem autem prorsus negare, illorum sit impietatis, qui Deum tollant.* Idem in Confutationibus, *Excepta duntaxat divina natura, quod sit increatum, nihil est; increatúmque inter & increatum, nihil quis interesse putaverit.* Quibus item ad Pulcheriam scribit, *Nihil aliud præaternum est, præter Patrem & Filium & Spiritum sanctum.*

Sophron.

S. Sophronius Patriarcha Ierosolymitanus, *Sicut vnum Deum, vt sentiamus, accepimus, sic & vnam Deitatem confiteri docti sumus.* Ejusdem, *Vnam confiteor sanctæ Trinitatis Deitatem Vnam hanc agnosco æternam, ingenitam, principii expertem, increatam.* Idem in dicta jam suæ Fidei professione, *Numeratur sanctissima Trinitas, non essentiis ac naturis, vel distinctis Deitatibus, Absit; sed Hypostasibus duntaxat seu Personis, &*

proprie

[*Damasc.*] *proprietatibus.* S. Ioannes Damascenus, *Non Deitatum Trinitatem seu Hypostaseon: nec Personarum Vnitatem, sed Deitatis colimus, eos qui hanc dividunt, scindimus.*

[*Ius Civile.*] Quin Leges quoque civiles, haud exiguam asserendæ vni Deitati habuere diligentiam. Sic enim libro sexagesimo Iuris habetur, *Christianus est, qui vnam credit Deitatem in pari potestate, Patris & Filij & Spiritus sancti: qui autem contra ea quæ dicta sunt, sentit, Hæreticus est.* Ex eodem libro Codicis, *Qui non sentit sanctam Trinitatem in vna Deitate pari potentia, nec Christianus audit, sed demens est & Hæreticus & infamis, dignúsque qui pœnis subjiciatur.*

Sanè igitur, quod Synodi sententia de Essentia & Operatione, pro ea Fide quæ in Palamæ Tomo scripta est, contraria sit pugnétq; omnino communi & exploratæ de vno Deo opinioni, eíq; quæ à Sanctis omnibus in Christi Ecclesia prædicatur, fidei, abundè probant, quæ dicta sunt, nisi quis surdus est, ac sponte excutire velit. Fortè verò non desit, qui miretur, quomodo in tantam dementiam ac insaniam illi abrepti sint; quæve illis causa, vt talia, ficq; cõtraria de Deo sancirent. Planè ad hoc quod spectat, etsi dignũ sit admiratione; nihil tamen propensius mirandum. Multas quippe ejusmodi corruptiones inveniet quis in sæculo extitisse, atq; extare. Facilius namq; est, vitij commercium inire, quam impartiri virtute, &, [*Matt. 18. 7. 1. Cor. 11. 19.*] *Necesse est vt veniant scandala.* Et, *Oportet & hæreses esse, vt qui probati sunt in vobis, noti fiant*, vt ait Paulus. Deinde, hæc illius Ecclesiæ sunt, ejúsq; facinora, quæ in multas magnásq; atque apertas prolapsa hæreses, multísq; multorum in solum auctor extitit, tum ipsa diu naufragium passa, tum quæ alios plures pari secum naufragio merserit. [*Græcorum olim hæreses, et [illegible] o go.*] Quod si id illi olim quasi insolitum éxque antiquo more, quid mirum nunc etiam aliquid simile illi accidisse, cùm sapientia divinorúmque meditatio ac exercitatio genti deest? Sin verò etiam causam aliquam dicere necesse est, nimium superbia sapientiæq; opinio hujus causa corruptionis fuit; quatum prius, Deum hominibus inimicum constituit: [*1 Petr. 5. 5. Sap. 1. 4. Gal. 6. 3.*] *Dominus enim superbis resistit.* Et, *In cor incompositum Deus non introibit*: altera verò illos qui ea præditi sint, plenos proprij sensus ac contentionis facit, eò adducens, vt levitate mentis, esse se aliquid ex seipsis, cùm sint nihil existiment: Hincque adeo contingit, vt sol quos omnea contemnunt, ac neque videre neque audire videantur; [*Psal. 57. 5. & 9.*] *velut aspides surdæ similes & obturantes aures suas, quæ non exaudiunt vocem incantantium*; de quibus etiam dixit Psalmista, *Cecidit ignis super eos, & non viderunt solem*: Et, [*Ephes. 5. 6. Rom. 1. 26.*] *Propter quæ venit ira Dei in filios diffidentiæ.* Et, *Propter quæ tradidit illos in passiones ignominiæ*, juxta quod Scripturæ verbis proditum est.

Hæc itaque, num hujus corruptionis causæ fuerint, indéque illa ortum habuerit, aliis dicendum relinquo: ad præsens autem quod attinet, ex subjecta Quæstionis materia, corruptionis causa extitisse videtur: primùm quidem, [*Palamitæ sui erroris causæ propriæ.*] quod cùm illis constitutum esset, vt de Essentia & Operatione loquerentur, non ante distinxerunt quot modis Operatio dicatur, cùm illa tribus modis & dicatur & intelligatur, vt dictum est, nec statuerunt de qua illis sermo erat; quod ipsum in causa fuit, vt non compositè aptéque de proposita Quæstione loquerentur. Ex quo illis contigit, vt non rectè decernerent; Operationem, qua Deus agendi vi præditus ac efficax est, ab ejus realiter distinctam Essentia temerè pronuntiantes, ac ipsum suam esse Operationẽ negantes. Qua vtique ratione, ipsum hoc secundùm se impossibile videtur, vt dicatur, Dei Essentiam non esse ejus Operationem. Est enim contradictio, ac si quis dicat, Dei Essentiam non esse ejus Essentiam. Dictum est enim, Operationem, qua Deus agendi vi præditur ac efficax est, ejus Essentiam esse.

Secundò, Quod cùm Operatio, vti dictum est, multipliciter dicatur, quæ vbivis locorum Sancti de Operatione vno sensu locuti sunt, illi alio acceperunt: idémq; penè illis accidit, ac si qui de cane loquẽtes, alter quidẽ de cane terrestri disputet, alter de marino aut sidereo sermonem instituat. Hoc enim alij aliis furere videantur, bellóq; implacabili pugnare, eo scilicet errore qui ex varia ejus vocis acceptione est.

Tertiò, Quod quam Sancti secundùm rationem distinctionem dixerunt, ipsi in Deo secundùm rem intellexerunt: inque eum modum, distincta ratione, distinctas illi res tradiderunt.

Quartò, Quod ea quæ Sanctis dicta sunt de discretione divinarum Personarum, velut de discretione Essentiæ & Operationis in Deo dicta acceperunt: nempe nescientes duorum alterum necesse est, vt vel operationem Personam subsistentem ponant, vel etiam Filium & Spiritum sanctum non subsistentes, quod ita opinantur, dicant; & vt per se verè actu existere, vt ipsi loquuntur, non existimentur.

Quintò, Quod ea quæ dicta sunt per circumlocutionem, de distinctis rebus intellexerunt. Velut cùm [*Damasc.*] Damascen. ait: *Trinæ lucis Deitatem, singularemque ex vna trinè subsistente natura effulgentem nitorem: Genitorem principij expertem, ejusdémque naturæ Verbum Patris, & Spiritum sanctum conregnantem*, quà nempe hæc circumloquendo gratè variat. Non enim aliud intelligendum; ita omnium ut rem aliam velit, Trinæ lucis Deitatem; aliam verò, singularem effulgentem nitorem; aliam autem, vnam trinè subsistentem naturam; ac postremò aliam, Genitorem, Verbúmque & Spiritum. Nec cùm magnus Hierotheus in Amatoriis Canticis, dicit: [*De div. nom. c. 4. §. 17.*] *Quod Deum vna quædam simplex virtus est, ex seipsa & per seipsam & in seipsa seipsam revolvens, atque in seipsam semper eodem modo revertens*; penès diversas has propositiones, necesse habebimus Deum in diversa atque distincta dividere; ac neque cùm ait B. Dionys. [*De div. nom. c. 1. §. 5.*] *Deum ex se, [illegible] procedere.*

Sextò, Quod ea quæ dicta sunt Sanctis de Essentia & Operatione, in rebus creatis, ac si dicta in Deo essent, sic & in eo se habere voluerunt. Vt cùm S. [*Dionys.*] Dionys. dicit: *Nihil in rebus esse absque naturali operatione.* Ac rursus, *Quod nullam habet operationem, neque est, neque aliquid est, neque vlla prorsus eius positio, seu affirmatio est.* Hæc enim de rebus (id est, iis quæ sunt) dicta sunt. *Nihil* enim, inquit, *in rebus.* Deus autem nulla rerum est, nec ejusdẽ ac illæ ordinis aut qui rebus connumeretur, sed supra res, ac ea quæ sunt, incomparabiliter eminens. Cùm item Ioann. Damascen. sic ait: [*Lib. 3. c. 24.*] *Aliud est operatio, aliudque operativum (vt sic dicam) atque: aliud opus, & aliud operans. Est enim operatio, efficax ac substantialis naturæ motus: operativum autem, natura, ex qua operatio procedit: opus verò, operationis effectum: operans denique, qui vtitur operatione, id est, hypostasis, ipsa scilicet subsistens persona*: Nam & ipse ad ea quæ sunt, seu ad res attendens, hoc ita distinxit. Quod enim non hæc loquatur de Operatione, qua Deus vi agendi præditus est, sed de illis sermonem habeat, quæ creatis adnumerantur, primùm liquet, ex eo quod Sanctus hæc loquens, non addiderit: In Deo aliud est Operatio, aliud quod vi agendi præditum est, & quæ sequuntur. Vel in Deo se hoc dicere, sed sic simpliciter. Deinde ex eo quod dixit, Operatorem vti sua operatione. [*Vti virtute, in Deo non dicitur. Damasc.*] Deus enim non vtitur aliquo, in eo quod condit ex nihilo, vel quod omnino facit vel creat, ac si ipse non sibi sufficeret. Nam quod Deus & Pater per Filium suum operetur, nihil doctrinæ officit. *Non enim tanquam per instrumentum aut servum, sed tanquam per naturalem virtutem* ait idem Sanctus: idémque est ac si dicas, eum per seipsum condere, seu facere & creare. Ait enim: [*Ioan. 5. 17.*] *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Vna enim substantia est, Pater & Filius, vnáq; virtus & vna res, quod illi de Operatione & Essentia non dicunt. Magis autem etiam ex eo liquet, quod hanc Operationem motum vocant. Nam in Deo non dicimus motũ. Etenim motus secundùm se imperfectus est: fit enim alicujus finis gratia: Deus autem, cùm sit omnium finis finalissimus (vt sic loquar) aliis quidem auctor est vt moveantur; ipse verò, immobilis est. Vnde

etiam

A

De Divin. nom. c. 9. § 9.

etiam cap. nono libri de Divinis nominibus ait D. Dionysius: *Quid verò etiam cùm rursus aiunt Theologi procedere atque moveri, eum, qui immobilis est?* Si enim est in illo operationis motus, erit communis forma patibilis virtutis rerum, & factricis eius virtutis. Motus enim, actus est & perfectio ac forma vtriusque virtutis seu potentiæ, quatenùs potentia est; velut ædificatio, eius quod ædificari habet, & quod vim habet ædificandi. Nulla autem Dei ac rerum est communis forma.

Septimò, Quod de ipsa quidem Operatione, qua Deus agendi vi præditus est, quandoque Sanctis dicta, ad hæcque de vita & sapientia & potentia seu virtute & bonitate, nempe potentia seu virtus, & vita & sapientia & bonitas: quinimmò, ipsa per se sapientia, ipsa vita, ipsaque potentia seu virtus; quæ videlicet pro humanæ locutionis modo, humaniùs (vt ita dicam) crassiusque tradita sunt; cùm non contingat aliter eam, quàm pro eo ac illi comparatum est, concepta atque nomina proferre; sic vt dicta sunt, etiam in Deo se propriè habere crediderunt. Vt, verbi gratia, quia dicitur Deum habere vitam, aut virtutem aut sapientiam aut operationem, Et, *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso*, & quæ sunt eiusmodi, ea his illi, aliud quidem quod habet, aliud id quod habetur, esse statuerunt, Sanctorum de his expositionibus animum minimè attendentes, aut verò attendere nolentes; id quidem quod habet, Patrem verbi gratiâ, aut Deum, vel Essentiam esse decernentes; quod verò habetur, vitam aut sapientiam, aut potentiam seu virtutem, aut operationem, quâ Deus (quicquid tandem acto est) in æterna immutabilique identitate subsistit. Ita nimirum illis ferè evenit, ac si, quia etiam Scriptura dicit, *Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me.* Vel *Audivi vocem tuam deambulantis in paradiso ad vesperam, & abscondi me.* Sive, *Odoratus est Dominus odorem suavitatis.* Aut, *Pergam ad vos in furore obliquo, dicit Dominus*, ea his vsque & similibus, Deum statuerint rem quandam esse humana præditam forma, & sentientem ac irascentem, & quæcunque alia divina Scriptura loquitur ob auditorum imbecillitatem, ex his ad alia nobis altiora iter pandens. Tametsi Deus, nedum vitam habere dicatur aut operationem, verùm etiam Essentiam, seu substantiam, vt auctor est Iustinus in Libro adversùs Græcos; totumque comprehensum in seipso esse habere, vt sentit Gregorius Theologus. Quandoquidem igitur aliud esse dicunt id quod habetur, remque aliam id quod habet; consequens fit in illorum sententia, aliud esse Deum, atque aliud eius essentiam ac substantiam, ac rursùs ipsum aliud esse, aliudque esse illius.

Io. 5. 26.

Ps. 118. 73.
Gen. 2. 10.
Gen. 20. 21.
Lev. 26. 24. 28.

C

Iustin. contra Græcos.
Greg. Naz. in Theologicis.

Præterea iuxta eorum Theologiæ regulas, Deus expers essentiæ erit; nec essentia Dei seu substantia Deus futura est. Iuxta enim divisionem, quam induxerunt, habentis, & eius quod habetur, nunquam fiat vt alterum eiusmodi existat quod alterum, quod attinet ad esse; etenim nolunt operationem esse essentiam, neque verò essentiam, id esse admittunt quod operatio est.

Ad hæc, quandoquidem operationem qua Deus operativus (vt sic dicam) est, sive etiam vitam, qua vivit vt quæ habeatur, non verè esse aut subsistere posuerunt, sequetur illis vt nec essentiam verè esse aut subsistere ponant; siquidem ipsa quoque sic profertur, vt quæ habeatur, iuxta quod dicitur, *Vtique Deus essentiam habet.*

D

Sin autem quod non verè ac per se est, expers essentiæ est; consequens erit vt id quoque blasphement; Nempe vt Dei essentiā dicant essentiæ expertem esse. Quod verò expers essentiæ est; nihil est: sicque ea quæ sunt, ex non ente atque nihilo erunt. Simulque eis accidit vt credant in non ens. Ac sanè, quod expers essentiæ est, auctore sancto Maximo, Deus non est.

Iust. contra Græcos.

Item quandoquidem numen Deus, eius quam sic ponunt operationis nomen est, atque vt illi tradunt, operatio est; diciturque Deum habere essentiam, idcirco id quod habet, operatio est: essentia verò, est id quod habetur: falsumque iam est quod dicunt, quod nimirum essentia operationem habeat, & quod operatio habeatur. Secus verò maximè verum est, habere quidem operationem, essentiam verò haberi. Cumque adeò id quod habetur, ab eo fit quod habet, procedatque tanquam id quod à causa est (nam hoc quoque in sua Fide dicunt, simul fatebuntur essentiam ex operatione esse. Et quomodo aiunt Essentiam quidem causam esse; operationem verò, quod ex causa, nempe essentia. Hoc enim etiam illorum positionibus contrarium est.

B

Ad omnes verò auctoritates, in quibus sermo ex humana ratione humilior est, quod ex consueto loquendi more, obque humanam imbecillitatem, talia per eum modum dicta sunt aut dicantur, satis nobis erit vnus beatus Chrysostomus, exponens illa verba, *In ipso vita erat*, homilia sexta expositionis suæ in Ioannem. Quod enim ex eo quod dixerat, *In ipso vita erat*, sequebatur compositionem in Deo opinari, tanquam ex essentia & vita ille constaret; causam assignat, cur ipsam verè ac per se existentem Vitam, dixerit vitam habere. Ait itaque: *Hæc verò omnia dixit non ut compositionem opinemur, sed ut paulatim ad celsa dogmatum provehamur. Quia enim non facile quis se vulgo intellexerit, quomodo eius vita ipsa verè ac per se existat, prius quidem illud dixit, quod humilius est: deinde eum qui eruditus sit, ad id ducit quod sublimius est. Nam qui dixerat*, Dedit ei vitam habere, *hic rursus dixit*, Ego sum vita. *Ac rursum*, Ego sum lux. *Quocirca illud lux & vita & pulchritudo & bonitas, non sic intelligenda sunt, quasi aliquid in aliquo, tametsi ita dicantur, pro earum captu & imbecillitate, qui non facile intelligere possunt, quomodo horum quodlibet, ipsum verè & per se existentia gaudeat.* Hic porro locus vnus sufficiens est, ad solvenda omnia, quæ dicunt, Deum habere operationem, & esse aliquid in eo, esseque operationem ex essentia, ac si qua alia sunt eius generis. Liquet autem, etiam eos, qui needum intelligere possunt, vitam ac lucem ipsam verè ac per se existentem, eorum classis esse atque generis, quibuscum in Scriptura indulgentius, pro eorum captu agitur, quorum etiam causa, tali sermonis demissione illa vtitur: alioque modo Theologiam illis loqui qui rudimentarij sunt ac inducuntur, aliuque iis qui sunt perfecti: nec semper discendum esse, ac nunquam intelligendum, puerorumque immanentes disciplinis, perfecta defici par est doctrina, qui ea Paulo audiamus, *Litera occidit, spiritus autem vivificat.* Et, *Omnes qui in lege gloriamini, à gratia excidistis.* Tametsi tot in divina Scriptura continentur voces, quibus ab humilioribus ad sublimiora mente erigamur. Quare, quod fieri nequeat vt hæc omnia per se existant vt res propriæ, vnū quid per se existens necesse est vt ea omnia existimemus; quæcunque scilicet in nobis & subiecta sunt ac prædicata, infinitiesque plura secundùm vnum ac idem existens.

Chrysost. hom. 6. in Ioan.
Ioan. 14.

F

Ioan. 5. 26.
Ioan. 11. 2 [?]
Ioan. 8. 12

G

2. Tim. 3. 7.
2. Cor. 3. 6.
Gal. 5. 4.

Octava huius corruptionis causa, quod ea, quæ quibusdam locis à Sanctis dicta sunt de Dei Essentia, tanquam de Operatione, qua ille vi agendi præditus ac efficax est (id enim Sanctis promiscuum habetur, vti probatum est) ipsi pro libito de Operatione, quæ à Dei Essentia dividitur, modo superius relato, acceperunt. Ait enim magnus Dionysius, quod & postea illi secundus Ioannes Damascenus iisdem verbis exposuit, nempe, *Divinam illustrationem atque virtutem, vnà cùm sit & simplex & indivisa & boniformis, in dividuis variantem cunctisque tribuentem quibus propria natura præstatur incolumis, simplicem manere: quæ multiplicetur quidem individuis individuè, dividuaque; in suam ipsa simplicitatē colligat atque convertat. Cuncta enim illius desideria tenentur, & in ipsa existentiam habent, cunctisque pro ea ac illis natura comparatum est, impertit: estque ea, eorum quæ sunt, esse, eorumque quæ vivunt, vita; eorum quæ rationē mentium more sunt, ratio, eorumque quæ intelligentium more; intelligentia; cùm ipsa supra mentem, supraque rationem, & supra vitam, ac supra essentiam existat.*

H

Dei essentia & virtus, pro eodem. Dionys. & Damascenus.

His itaque vt validissimis vtuntur, ad probandum,

A Divinam essentiam, nullius eorum quæ extra sunt esse effectricem. sed operationem seu virtutem, quam tantopere ab essentia distingui dixerunt, illaque infinities infinitè inferiorem esse; hanc nempe creatis propinquare, eaque incolumia præstare, atque ad creaturam inferius venitare, eiusque illam participem esse, & sanctificare, & illuminare, & insidere, & eos qui digni sint deificare, proprieque deitatem & vitam & sapientiam, & virtutem & hæreditatem Sanctorum esse, ac beatitudinis finem; ac quæcunque alia in priori parte antè dicta sunt, in qua eorum fidem, ex iis quæ illis scripta sunt ostendimus. His itaque vtuntur, vt ea probent quæ dicta sunt, ignorantes quod ita dicitur, *Divina illustratio ac virtus, cùm una sit, omnia omnibus fit*, de essentia divina dictum esse, vt & ipsamet abundè testantur verba, quæ palam Theologiæ explicandi more Dei essentiæ congruant, ac omnem illi excellentiam tribuant, vti etiam dixit magnus Dionisius in libro de Divinis nominibus; *Deum* nimirum *providentia cunctis rebus adesse, omniaque in omnibus omnium salutis causa fieri, cùm in se ipse maneat, inque sua identitate nullo extra processu secundùm unam incessabilemque virtutem consistat.* Ac rursus in iisdem ait, *Ipsam de se in sacris tradidisse Eloquiis, Esse se omnium causam seu auctorem, & principium & essentiam & vitam*, & quæcunque alia sigillatim Deum nobis fieri recenset, tanquam qui principium sit, omni principio eminens. Sic enim etiam Damascenus in duodecimo capitum suorum Theologicorum; vt à Beato illo editum est, dicens, *Deus omnium essentia ac principium est; eorum quæ sunt, essentia, eorum quæ vivunt, vita.* Quod itaque in illis *Divinam* dixit *illustrationem atque virtutem*, in his *Deus*, dicit; juxta quod nimirum sentit Gregorius Nyssenus Oratione adversus Græcos, dum sic ait, *Sin autem Deus nomen est essentiam significans, qui unam sanctæ Trinitatis essentiam confiteamur, unum meritò Deum sentimus: quandoquidem unius essentia nomen unum, Deus est.* Liquet igitur, quod ita dictum est; *Divina illustratio & virtus, quæ una sit & simplex & indivisa*; de essentia divina dictum esse. Sic enim etiam de illa dixit beatus Maximus, *Ipsa supraquam bonitas, quæ mens existat. totaque operatio seu virtus, in seipsam conversa, virtus seu operatio est.*

Lib. 1. c. 12.

Greg. Nyssen. adversus Græcos.

Maxim.

B C

Sic quasi vniversim delineando, rudique penicillo complectendo, hæc huius corruptionis causæ extiterunt. Idque illis ita evenit, quià lumen illud oculis aspectabile, quod sibi confinxerunt, Deitatem & Deum, ac Lumen verũ supremumque appetibilium vt assererent, in animam induxerunt, quod vtique, nec Dei Essentiam, neque personam, sed virtutem seu operationem, ac quicquid in Deo virtutis est seu operationis statuerunt: Sive eum errorem ex quorundam olim Massalianorum, sic dictorum, deliriis, sibi acervarunt, qui prius quidem visibilem Dei Essentiam blasphemiâ dicerent, tumque Catholicæ Synodi auctoritate consutaque revincti, hoc Hæreseos invenerunt confugium, vt dicerent, Non sibi oculis aspectabilem divinam Essentiam, sed videri Lumen increatum, quod ab æterno inest Deo, ac neque Dei Essentia, nec hypostasi seu persona; sed virtus ac operatio est; sive ex quorundam Monachorum, virtutem simulantium (rudium scilicet hominum ac seductorum) haud sanæ mentis in somniis, qui Numen ipsum se capere posse arbitrarentur, ac corporeis oculis comprehendere; modò in angulo tenebricoso sedentes, nixaque pectori barba ac mento, oculumque sensibilem cum omni mente in ventris medio (circa nimirum vmbilicum) continentes, aërisque nare attractionem, ne libera prodeat respiratio, cohibentes, intus in visceribus rimentur, vt inveniant locum cordis, huicque se exercitio diu noctuque impendant. Sic enim inventuros aiunt indeficientem iugemque lætitiam; ac mentem confestim visuram, quæ nunquam hactenus noverat. Videt enim interiectum cordi aërem, seque totam lucidam ac discretionis plenam.

Palamitarum Antistites Massaliani ac Monachi rudiores.

D

Vndecunque igitur, sive ab his, sive ab aliis, sive ipsi à se huiusce luminis copiam eiusmodi nacti sint, aliis dicendum relinquo. Non pauci enim de iis rebus tractatus librosque conscripserunt. Liquidò autem constant quæ dicta à nobis sunt, & ex his quæ dicit, Sermone suo de Vigilantia & Attentione, Symeon quidam, qui fuit Præpositus Monasterij, quod Xyloceti cognomento appellatur, cui & Iunioris Theologi appellationem indiderunt, rerum eiuscemodi discipuli ac magistri. Quanquam ipse quoque Palamas, Oratione quarta ex illis quas *Priores* prænotavit, hæc ait, *Sic comparatum à prævaricatione, ut homo interior, pro eo ac exterior gestu habituque compositus est, similitudinem ineat ac conformetur. Qui ergo fiat, ut non magnum aliquid ei præstetur, qui mentem in seipsam convertere studet, ut non rectà, sed circulari & absque errore motu moveatur, ea ratione, quod non huc ac illuc oculum circumagit: sed velut cuidam fulcro ac sustentaculo, suo illam pectori, seu umbilico, cui, innitatur admoneat. Ad hoc enim quod circulariter, velut externè, quanta facultas est, seipsum convoluit, cum mentis in eo accurato motu affinique illi ratione, etiam aspectu quãta possibilis est, mentis vim, per eiusmodi corporis habitum gestumque intra cor mittit.* Eius generis itaque ingens iucunditates & lumina, omnemque earum rerum scenam, hic quoque, vt videtur, laudans, in divinis habuit. Vnde etiam in Epistola ad Menam hæc ait, *Si quis non recipit exultationem salutaris Iesu quam & gestientis animi motum ac exilitionem Patres multis locis vocârunt spirantem vim, ac viventis cordis agitationem, talis, puto, eius needum sensum fecit.* Ac rursus, *Divinus autem Esaias qualem nos Spiritum accipere & parere ait? Nonne Domini Iesu, qui in igne Fidelibus operatur, ac implet salutem? Quisnam verò ignis cadit dæmonas, eosque fugat, quemadmodum ait divinus Pater Ioannes? Nonne Domini Iesu qui intùs in eius memoria accenditur? Porrò Altissimi odor, quisnam alius, nisi fervor Spiritus sancti, qui & per nares quandoque arcana ratione procedit?* Quę vtique in Orationibus suis de Lumine, quas *Priores* & *posteriores* prænotat, inque hunc modum exponit. *Hunc nimirum ignem, ipsum in hypostasi ac subsistentem spiritualiter se videre aiunt, quod quidem existentiam habet & non symbolicum est; semper enim existens est*, & quæ sequuntur. Quæ vtique iam antè dicta sunt libro primo, vbi horum hominum fidem ostendimus.

E F G

Symeon Novus Theologus.

Palamas ipso Omphalopsychus.

Isai. 16. 18.

Hinc autem arguentibus quibusdam, quod palã Dei Essentiam oculis aspectabilem natéque aspicabilem affirmaret, nimirum vt absurdum vitaret, peiore malo blasphemiam lenire conatus est; andetque essentia omni superiorem Dei existentiam ac supraquam vnitam vnitatem, scelestè reali distinctione in Essentiam & Operationem, seu potius Operationes, dividere; aitque in quadam dictarum Orationum, *Lumen hoc, non Dei quidem Essentiam esse: Nam illa non potest tangi. Angelum non esse, quippe cùm Dominicos ferat characteres.* Ac rursus, *Lumen hoc visio erat, non divina natura, sed claritatis seu maiestatis natura eius, quam & Discipulis Dominus tradidit, & per eos, cunctis eius Fidelibus.* Paucisque interiectis. *Quamobrem etiam humana natura, claritatem dedit Deitatis, non tamen naturam: Aliud ergo est Dei natura, aliudque eius claritas. Cæterum quamvis aliud sit à divina natura, haud tamen rebus connumerari debuerit.* Atque vt eiusmodi sermonibus suis fidem astruat, vtitur lumine quod in Domini Transformatione effulsit, eadéque de illo Lumine disserit, in diversis suarum Orationum locis; cuius vestigiis inhærens Synodus, quam superius exposuimus, Fidem confirmarunt. Idcirco multis offenderunt, per eas, quas dixi, causas in errorem impulsi; præsertim verò per vocum homonymiam, aliamque ac aliam earum acceptionem, ex qua factum est, ut nedum Operationis nomen, quod eius generis est ac ὁμώνυμον, vt ostensum est, malè intellexerint, ipsi seipsos spontè, ad claram veritatem excæcantes, sed & virtutis seu potentiæ, & bonitatis & vitæ & sapientiæ. & per se vitæ & sapientiæ, & providentiæ & voluntatis: ac inde velut in tenebris ac confusione nihil discernentes, adversus communẽ Fidem, ipsique adversus seipsos processerint, quæ digna barathro sint, concludentes.

H

Ac

Ac liquet (dicendum enim pauca, vt Arrianis affinem horum errorem pravamque expositionem probemus) Ait sanctus Maximus capite 25. tertij Centenarij de Charitate, *Quatuor divinas proprietates, quarum sit virtutis ut res contineant, & tueantur praestentque incolumes, ob summam bonitatem Deus communes fecit, productas in rerum naturam substantiae rationis participi ac intelligenti, nempe eo quod est, & quod semper est, itemque bonitate & sapientia. Harum duas substantiae tribuit, hoc quod est, ac quod semper est; duas vero reliquas, voluntatis ac sententiae animi habilitati, ut quae ipse per essentiam est, etiam creatura fierent per participationem. Idcirco etiam creatura, ad Dei imaginem & similitudinem dicitur esse facta: Et quidem ad imaginem, velut quod est, eius qui est: & quod est semper, eius qui est semper; licet non sine principio, at sine fine tamen ad similitudinem verò, ut bonus, eius qui bonus est; & ut sapiens, eius qui sapiens, qui per gratiam, eius qui per naturam. Et quidem ad Dei imaginem est, natura omnis ratione utens: ad similitudinem verò, ea solum quae bona & sapiens est.* Item in eisdem, *Immortalia omnia, & ipsa immortalitas, bonaque omnia, & ipsa bonitas: virtuteque praedita omnia, & ipsa virtus, Dei palam existunt opera* Paucisque interiectis, *Deus enim omnis vitae & immortalitatis, bonitasque & virtutis conditor est.*

Maxim. Cent. 3. c. 25.

Ipsae formae & abstractae, Dei opera.

Hincque adeò manifestum, cùm ait hic Sanctus, in iisdem ipsis immediatè capitibus, *Deum infinities infinitè, his quae participant & quae participantur, eminere,* ad has creaturas, hasque perfectiones, quas è Deo per gratiam habemus, & quadam similitudine, aliaque nominis ratione, ac quarum sumus participes, velut artefacta artificis, respiciendo, illa dicere; ita nimirum vt participantia dicat ipsa subiecta; quae verò participantur, quae nobis congenea sunt atque propria; quorum, per gratiam indulto nobis commercio, boni & sapientes & iusti & immortales dicimur, & qui semper simus, vt quorum nullus finis sit futurus: Non enim eadem bonitate & sapientia & immortalitate, nos pariter, Deusque boni & sapientes & immortales sumus. Quamobrem meritò aiebat, Deum infinities infinitè his praecellere, velut propriis effectibus; haud sanè verò, suae ipsum sapientiae & vitae ac immortalitati infinities infinitè praestare, quemadmodùm illi intellexere. Hoc enim est ac si diceretur, Ipsum seipso superiorem esse, cùm tamen nihil seipso superius sit, ac vel maximè infinities infinitè.

Rursus magnus Dionysios, de Divinis nominibus ait, *Non esse contrarium, quod Deus ipsa virtus seu potentia, aut ipsa vita dicatur, & quod ipsius vitae aut pacis aut virtus seu potentia conditor. Nam haec quidem, ex illis quae sunt, ac praesertim ex iis quae primò sunt, tanquam auctor eorum omnium quae sunt, dicitur, illa verò, ut qui supra omnia, eaque quae primò sunt, superessentialiter superexistat.* Ac rursus, *Ipsum per se esse, ipsam vitam, ipsamque Deitatem dicimus, principij quidem & deitatis & causae ratione, unum omnium, principium omne essentiamque excedens, principium & causam, participationes verò, quae ex Deo, cuius nulla participatio est, ex providentiae rationibus emanant virtutes, ipsam essentia, ipsam vita, ipsam deificationis vim quarum ea quae sunt, convenienti illis ratione commercio, & entia sive res & viventia & divina sunt & dicuntur, aliaque similiter. Quamobrem etiam, qui Bonus est, ipsorum primò conditor esse dicitur, tumque ipsorum universalium; exinde ipsorum particularium, ac tum eorum quae universim, tum quae in parte singulaque ipsa participant.* Ac rursus, *Quidam verò divinorum nostrorum sacra doctrina magistrorum, ipsius etiam per se bonitatis ac deitatis conditorem aiunt, eum, qui supraquam bonus & supraquam Deus est: nempe ipsam per se bonitatem ac deitatem dicentes, quod ex Deo bonificum ac deificũ donũ procedit.* Quae omnia D. Maximus in Scholiis ad illa illustrans, cũ aliis haec quoque dicit, *Cùm deitates inferiores audis, intellige Angelorum atque hominum iustorum.*

De Div. nom. c. 11. § 6. Deus ipsa vita, & ipsius vitae conditor.

Maxim.

Sed & ipse sacer Dionisius in iisdem ut hunc modum magis explicans verbisque attemperans. *Non aliud verò bonum esse dico, atque aliud quod est, aliudque vitam, aut aliud sapientiam: neque multos auctores, aliasque aliorum productrices superexcellentes inferioresque deitates.* Quod autem ea quae dicta sunt, sint extra Deum, eamque ob rem Sanctus creata esse intelligat, atque eorum opificem Deum esse ponat, liquet vel ex ipsis qui dogmaticam Panopliam composuerunt. Ipsi enim vocem ὑποστάτης pro eo quod est δημιουργός (conditorẽ scilicet & opificẽ) interpretati sunt: Sic enim etiã illic paraphrasi redditum est. Ostendit verò etiam ipse, cùm sic ait, *Qui est, totius esse secundùm virtutẽ omni esse superiorem causa* ὑποστάτης καὶ δημιουργός *(condẽs scilicet & efficiens seu creans)* est. Totius esse ait, haud planè sui etiam ipsius esse.

Dionys.

Panoplia Dogmatica.

Observatu autem dignum est, quaecunque sanctus Maximus rerum participationes dicebat, virtutem, bonitatem, vitam, sapientiam, quod est semper (quod & infinitatem vocavit) aliaque, quorum innovatorum ac conditorum (vt ipse loquitur) creatura per participationem consors est, eiusmodi magnum Dionysium dixisse, ipsam per se bonitatem, ipsam vitam, ipsam sapientiam, ipsam essentiam, ipsum esse, & quae his affinia sunt. Haec verò sic nominat, quod has participationes ab illis dividens, quae participant, ipsasque secundùm se subtili cogitatu absque subiecto sumens; putà virtutem ac potentiam absque eo qui potens est, & sapientiam absque eo qui sapiens, vitamque absque eo quod vivens, vnumquodque ipsum aliquid dicit, verbi gratia, ipsam virtutem ac potentiam; ac si hoc solum vera putaque ac puta virtus sit & potentia, ipsaque vita: similiterque etiam reliqua. Velut etiam ipsam humanitatem, & ipsam albedinem, quae praedicentur absque subiectis. Haeque adeò primò entia vocat. Participationes enim naturâ priores sunt iis quae sunt, & quae participant. Vnde etiã primò horum omnium confessim Deum conditorem dicit. Non quod tempore priora sint, iis quae ab illis denominationem sortiuntur, sed quod naturâ. Non enim haec secundùm se esse habẽt, sed in aliis. Deinde auctorem dicit vniuscuiusque vniversorũ participationis; tũque particularis vniversorum. Idemque in iis praestans, quae cuiusque participant, primò Deum auctorem ait eorum quae vniversè ipsas participant, deinde eorum quae particulatiter participant. Abstrahens enim mens participationes, ab iis quae participant, primò eas considerat vt participationes; tumque vt tales participationes; puta ipsas bonitates, ipsas sapientias, sive quovis alio modo dicas; tumque velut huius illiusve ipsam sapientiam & ipsam bonitatem. Haec itaque Deum vocari ait, ex iis quae sunt; putà; potentem, sapientem, iustum; & maxime ab his, quae primò sunt; putà, ipsam virtutem ac potentiam, ipsam sapientiam, ipsam iustitiam. Sunt enim haec naturâ, non tempore priora. Propterea etiam velut eorum quae naturâ priora sunt, primò ipse vt parens, conditor atque opifex dicitur; deinde specierum; tumque individuorum. Idcirco ait, *Haec quidem ex his quae sunt nominantur, ac maximè ab his quae primò sunt,* Illa verò, supra-quam ipsam vitam, supra-quam ipsam sapientiam, supra-quam ipsam bonitatem, quatenus omnium conditor & opifex, supra omnia, & ipsa quae primò sunt, superessentialiter est. Idcirco licet haec, Deumque ipsam vitam & ipsam sapientiam, & ipsam virtutem ac potentiam vocemus; principij tamen Deique & causae ratione, vnum vniversorum, principium omne excedens & essentiam, dicimus principium & causam; participatione verò, atque ratione eius quod ex causa est, quae ex eo qui omnem excedit participationem, providentiae vires derivantur ac facultates. Quemadmodum igitur ab his quae participant, quae creata sint, Deus sapiens, seu bonus, seu iustus nominatur; sic & à participationibus, quae ipsae creatae sint; putà, ab ipsa sapientia, ipsaque iustitia, ipsa sapientia, ipsa iustitia nominatur, vt eorum auctor, secundum eam Theologiae vim, quae rationi causae nititur: ac rursus super ipsam sapientiam, & super ipsam iustitiam, secundùm eam quae inficians est quatenus nihil prorsus est eorum quae sunt.

Primò entia, ipsae formae, priores naturâ.

A

Manifestum igitur est ex iis quæ dicta sunt, vitam omnem & sanctitatem & simplicitatem & virtutem & bonitatem & sapientiam, quoad nos, naturales dici participationes: quoad Deum verò, participantia, velut artefacta exemplaris causæ secundùm eius similitudinem producta, aliaque ratione idem ac ipse nomen sortita. Ac quia Deus, non alia bonitate quæ in ipso est & immortalitate & sapientia vel noscitur, vel nominatur, sed ab illis quæ in nobis sunt, quæ & circà ipsum dicuntur, velut circa nos esse dicuntur nostra prædia atque opera: siue effectus vocare libeat, siue actiones, ἐνεργείας Non enim ex suis ipsius, sed ex iis quæ sunt circa ipsum, aliam ex alio colligentes repræsentationem, in vnum aliquod evadimus exile veritatis simulacrum, vt Auctor est Gregorius Theologus; idcirco etiam eius bonitas & sapientia & simplicitas, illius effectus dicuntur à sancto Maximo. Præterea verò circa ipsum essentialiter considerati, vt operationes seu actus: essentialiter verò, quia non secundùm participationem, sed secundùm essentiam suam, ostendit Deum hæc esse, sapientiam, bonitatem, vitam, & reliqua vniformiter & vnitè.

Dei cognitio ex creatis, non ex ipsis quę sunt in illo Gregor. Theol Orat. 38. & 42.

B

Proinde, quæ dicuntur Dei participationes, aliæ quidem sunt naturales; quæ sunt creatæ; aliæ verò exemplares ac velut artificiales, quæ sunt ipse; & hæ sunt increatæ: habetque illas Deus, vt qui ipse se habeat. Atque naturales hæ participationes, Dei opera dicuntur à sancto Maximo, non cœpta in tempore, non quod omnis vita essentialiter in illo existat, siue realiter; ipsa nimirum secundùm se vegetabilis & rationis expers, & rationalis & intelligens; sed secundùm suam rationem, propter suas in Deo principij expertes rationes, quæ in eo nunquam cœperunt; sed, vt dictum est, illas habet, vt qui ipse se habeat. Et sicut quæ in nobis sunt vitæ & simplicitates & infinitates principij expertes dicuntur, propter principij expertes eorum in Deo rationes, sic quæ in Deo est vita & simplicitas & infinitas & immortalitas, circa Deum essentialiter dicuntur, propter id quod est circa ipsum (naturales scilicet participationes) ex quibus est, vt ea quæ ipse est, quasi circa ipsum intelligamus, secundùm modum nostrum intelligendi. Nec necesse est, vt modum intellectùs nostri tribuamus Deo: Nam nec lapidi tribuimus immaterialitatem, tametsi eum immaterialiter intelligimus.

Participationes naturales & exemplares; De opera, & Deus ipse. Non cœpta Dei opera.

C

Intelligentis modus, non ipsius rei modus.

Præterea liquet, quæ in nobis est, deitatem creatam esse. Si enim sunt dij multi & domini, vt ait Paulus, præter vnum primum natura Deum & Dominum, manifestum est etiam eorum deitatem illis propriam perfectionem esse, secundùm magis & minus, ac velut qualitatem, habitumque Dei munere acceptum, ad constitutionem ac perfectionem naturæ vtentis ratione, imaginisque ac similitudinis accuratam rationem seu expressionem. Tribuit enim Deus nobis donum, quo dij ac boni fieri possumus, eique per imitationem accedere. *Estote* enim, inquit, *misericordes, sicut Pater vester cœlestis*. Et, *Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi*. Donumque illud velud semen quoddam nostræ ad eum reformationis, mentibus nostris rerum Auctor inseruit, qui ad imaginem ac similitudinem suam nos condidit; estque in nobis congenitum principium, quo dij bonique efficiamur; ac primum inter Dei dona dicitur, vt quod multorum in nobis bonorum, dummodò velimus, existat principium. Bonorum enim quæ in nobis à Deo sunt, similitudo primum beato Dionysio ponitur, cui similitudini, ipsisque similibus, siue etiam imitantibus, donumque ipsum participantibus, Deum eminere, idem ait, ac prorsus omni quæ dicatur, participationi. Quemadmodum enim superessentialis dicitur, super essentiam omnem creatam, non quod ipse suæ ipsius essentiæ emineat; sic & supra principium & supra deum, supraque bonitatis & supra deitatis principium, velut supra omne principium & causam nostræ quovis modo perfectionis; ac supra omnes dono gratiæ deos, supraque omnem eorum deitatem, omneque donum & gratiam quæ nobis competit, exque nostri ratione existit.

Deitas in nobis creata. 1. Cor. 8. 5.

Luc. 6. 36. Ephes. 5. 1.

D

Similitudo primum in nobis Dei donum. Dion. de Diuin. nom.

E

Occasio igitur seu ratio & donum, vt dij bonique evadere possimus, θεαρχία dictum est, & ἀγαθαρχία (deitatis scilicet ac bonitatis principium) sequiturque deitatis hoc principium, coævum nobis esse, ac propterea creatum, habitumque ab omnium Deo, animo nostro inditum; abusu quidem principium immediatè efficiens; quemadmodum etiam timor initialis dictus est principium dilectionis ad Deum; propriè verò, formale, naturæ nostræ vtenti ratione competens ad perfectionem suam nanciscendam. Sicque adeò Deus deitatis ac bonitatis principium efficiens est: Auctore enim Dionysio, *Forma est in iis quæ forma carent, ut forma principium*: quod verò in nobis deitatis ac bonitatis principium dicitur, formale principium est, quo dij & boni sumus. Huic autem Deus eminet, velut qui formæ expers sit in formis, ac formâ superior. Quamobrem etiam Deus, ex his vt creatis, tanquã eorum auctor, affirmatè laudatur; deque eo rursus, velut qui illis emineat, ea negantur. Meritò igitur deitas hæc etiam donum appellata est quo, dij bonique efficimur, Dionysio, Epistola ad Caium Monachum, rogante, *Quomodo qui est supra omnia, etiam supra principium deitatis & bonitatis sit*. Cui respondens, ait, *Si divinitatem & bonitatem intelligas rem ipsam bonifici & deifici doni, quo deificamur & boni efficimur*, & quæ sequuntur.

F

Epist. 2.

Secundùm illud igitur, secundum quod aliquid tale redditur, secundùm hoc & specificatur, eique coævum est, quod specificatur, illique tum proprium, tum ex eius ratione ac proportionatum, atque hæc imitatio est. Deique illa imitatio, eius muneris vi, quo nullum à Deo nobis maius donum est, qua Deo similes, vti dictum est, quoad licet, accuratè efficimur, forma vocatur ac species, his, qui imitantur, & ad illam se habent, prout imitantur; quamquam ipsa hæc imitatio, quatenus intentum illi exemplar non assequitur, *imitatio inimitabilis*, & ipsa magno Dionysio dicta est: id est, imitatio, quæ rem ipsam imitari satis nequeat. Virtus namque seu actio imitatur quidem ipsa essentiam, non tamen potest præter creaturas imitando illud assequi; hincque adeò est, vt Deus illis emineat. Denique subdit, *Quatenus is, qui inimitabilis omnique solutus habitu est & absolutus, imitationibus & habitibus, hisque quæ imitantur & quæ participant, antecellit*.

G

Eadem Epist.

Sed & deifica dicta est hæc imitatio, vel quod secundùm eam imbuti sumus, qui per gratiam dii sumus, ac similitudinem incolumem servamus; vel quod causa est atque ratio vt tales evadamus. Quemadmodum etiam divinum Baptisma deificum donum continuè appellatum est, vocatque Dionysius Deifica lumina Scripturæ oracula.

Siquidem igitur divinitatis bonitatisque principium imitatio est, eorum, quæ Deum imitantur, & participatio eorum, quæ participant ex imitatione obveniens, quibus omnibus Deus eminet, palam est illud creatum esse. Nam ut auctor est magnus Basilius, *Quæ à Deo secunda sunt, creatura sunt, & nobis conserva, tam etsi alia aliis præstantiora ac nobiliora sint*.

Ad Amphil. de Spiritu sancto.

H

Præterea ex dictis liquet, etiam Providentiæ nomen, ex illis esse, quæ sub vna voce multa diversaque significent. Est enim Deus vti creationis, sic & providentiæ vis, vniversorum substantia ac virtus. Sunt & quas dicebam providentiæ vires, ex Deo existentes, naturales scilicet proprietates; ac quæcunque beatus Maximus dixit res conservare eisque incolumitatem præstare; consubstantiata scilicet rebus singulis & specificantia, illisque propria: quibus sublatis, quæ participant à proprio & naturali decident ordine. Atqui etiam aër participatio censendus est, sic nobis ad respirandum, quò vitam confoveamus, affusus. Sed & sensus providentiæ vires intelligimus, iisque quæ nobis insunt incolumitatem præstantes; Medicinam item & Iurisprudentiam, omnemque prorsus virtutem & scientiam & artem.

Providentia, nomẽ ὁμώνυμον. De Charit. cent. 3. c. 25. Aër participatio, & sensus

Ad hæc & Dei Timorem, aliaque, cùm mens huma-

Dona Spiritus. Isai. 11. 2.

na

na dirigente & consilio atque motore egeat, homini à Deo concessa; sive spiritum Sapientiæ dicas, sive Scientiæ & Fortitudinis, ac, quæ eius generis sunt, non erraveris, qui Providentiæ vires nobis a Deo provenientes, hæc pronunties.

Deus ipse & quā curā impendit rebus. Maxim. Damasc. Athan.

Quia verò Providentia dicitur is quoque qui providet, Deus; estque etiam providentia, auctoribus S. Maximo ac Damasceno, quæ à Deo cura rebus impenditur; atque magnus Athanasius Oratione adversus Græcos, *Ex eo quod Deus Verbum homo factus est, universorum providentiam innotuisse, ac qui eam subministret sitque illius auctor, ipsum Deum Verbū*, quodque iam dictas participationes, quas mens ex illis quæ participant subtili cogitatu dividens, singulas ipsum aliquid vocat, rebus creatis accenseri paucis sermo ostendit. Idcirco meritò aiebant, D. quidem Maximus, *Deum, cunctis iis quæ participant & quæ participantur infinities infinitè eminere*: D. verò Dionysius, ipse à seipso dubium ac quæstionem solvens, quid ipsam divinitatem, regnumque & dominationem & deitatem existimet; quidve ipsi velit nominum duplicatio; putà, cur dicatur Deus ipsa sanctitas ipsarum sanctitatum, ipsaque divinitas ipsarum divinitatū, aliaque solutionem subiungit. Quia nimirum, *Quanto præstant, iis quæ non sunt, ea quæ sunt sancta, vel divina, vel dominantia, vel regia; ac rursum, ipsæ participationes, ipsis participantibus; tantò rebus omnibus est sublimior qui est super omnia; cunctisque participantibus & iis quæ participari possunt imparticipabilis.*

De Divin. nom. c. 12.

Enim verò, si ea quæ sancto Dionisio primò entia vocantur, in Deo subsisterent, essentque increata, & quę hoc quod est esse different; haudquaquam Deus vnus res atque vnum ens communi omnium calculo haberetur; nisi fortè eiusmodi vnum, vt sunt ea quæ ex multis, vnius participatione, vnum sunt: nec sane Deus eorum conditor diceretur, aut ea produxisse: at neque aliorum quidpiam antiquius illis diceretur; proque generum ac specierum indole particularius vniversaliusque in eis cerneretur: Nam quod habet aliquid se antiquius, neque increatum est, neque æternum. Sic enim idem Doctor ait, *Primum donum ipsius esse, cùm ipsa supraquam bona producat, merito ab antiquiore & prima participationum laudatur.* Non itaque de illis diceretur, quod & ipsa esse participent. Nam quod primò est, id nullius particeps est. Sic enim ipse ait, *Etenim principia sunt, & primò sunt, & tum principia sunt. Et si viventium, quatenus vivunt, principium dicere ipsam vitam, similiumque, quatenus similia sunt, ipsam similitudinem, & copulatorum, quatenus copulata sunt, ipsam copulationem, & ordinatorum, quatenus ordinata sunt, ipsam ordinationem, & similiter in aliis, quæcunque hoc aut illud, aut vtrūque, aut multa participando, vel hoc vel illud, vtrumque aut multa dicuntur, ipsas participationes ipsasmet primum esse participare invenies: & quod sunt, primùm esse, tumque huius aut illius principia esse & quod esse participant, & esse & participari.* Non diceret sanctus Maximus in suis ad eum locum Scholiis *Rerum autem principia, intellige, quæ primò in creatione sunt producta: nec quod ea quæ sunt, hæc participent, pro sua necessitudine.* Quod enim est *pro necessitudine* ac convenienter, hoc significat quod est naturale.

De Divin. nom. c. 11. § 6. — De Divin. nom. 5. § 6. — Ibid. § 5. — Maximus ibi.

At neque hoc de illis diceretur à beato Dionysio, Esse hæc in eis, quæ sunt, principaliora, nec propriè dici primò esse. Subdit enim, *Si autem vult Clemens Philosophus, exemplaria ad aliquid dici, quæ sunt in rebus principaliora, procedit quidem, cùm sic loquitur, non per propria totaliaque (ut sic dicam) & simplicia nomina. Sed si cōcedamus etiam hoc rectè dici, oportet meminisse Theologiæ, quæ ait,* Non ostendi illa tibi, ut eas post illa; *sed ut per horum quadam proportione cognitionem, ad omnium causam, quod possumus, adducamur.* Vide palam in istis Sanctum dicere, non esse eundem post illa, nec colenda esse ut increata. Imagines enim sunt & simulachra eorum, quæ primò sunt, exemplarium, quæ sunt Deus ipse. Habet enim hæc Deus, vt qui ipse seipsum habeat, & in eis sit; non quæ sint alia præter ipsum: per quæ simulacra & imagines, proportione quadam ad primam causam provehimur. Verùm si hæc quoque increata essent, vtique etiam exemplaria vocarentur, omninoque ac propriè primò entia dicerentur. Quodque maius est, Si hæc, quibus Deus tantopere præcellit, in Deo sunt & sunt increata, reliquum est esse in Deo, vt asserunt novi Theologi, quæ nec entia sint, nec sancta, aut domina vel regia, habebitque Dei Patris Essentia in se naturalia, quæ comparentur velut ens & non ens, (quod & illi fatentur) velutque sanctum & non sancta. At nec ipse diabolus dixerit, esse in Deo aliquid non sanctum, neque dominum, neque regium. Perinde autem est, ac si quis blasphemiā, in Deo asserat esse quid immundum & servile & servum.

Ibid. § 9. — Exod. 33. 40. Deut. 11. 26. — Palamitarū potentissimus error & blasphemiæ. De Divin. nom. c. 11.

Ipsi nihilominus in iis quæ dicta sunt, Invento divinitatis nomine, ipsiusque vitæ, & virtutis providentiæ, ac si quid eiusmodi alia aliaq; ratione, sive etiā humano more crassius dictum est, talibusque iisdem vocibus diversis nominum significationibus impediti, quæ iā dicta sunt, sanciverunt, sic à vera Sanctorum mēte abhorrentia, ac lumen tenebris adversatur: talibusque, quæ digna sint barathro concludentes, superioribus iam expositam suam Fidem confirmarunt, nullam rationem habentes vel communium, eaque maiestate convenientium de Deo opinionū, vel Scripturæ, vel etiā Doctorum. Perq; eundem modum, omnes etiam, quas vsurparunt, Sanctorum auctoritates, in Tomo exposuerunt, velut est illud magni Athanasij, dicentis, *nomen Deus secundū est à natura*: neutiquam ne hic quoque intelligentes, cùm nullum sit nomen vel definitio essentiam Dei, ac quod quid est esse, repræsentans, cuncta nos nomina in secundis ex effectibus collecta, Deo tribuere ex quibus sapientē, potentem, iustum eum intelligimus. Idque adeò causæ est, cur magnus Athanasius Dei nomen secundum dixerit; vel quia postea Deus appellatus est, hominibus ex nihilo in rerum naturam productis. Illi vero Operationem, Dei nomine significatam, secundum ab Essentia dicunt, quanquam Theologi dicant, *Deus est sempiterna Essentia, universorum opifex auctorque*; perinde abutentes pervertentesque detorquentes magni Basilij verba, in Confutationum libris, cùm ait, *Est quoddam ordinis genus*; subditque, *In hoc igitur, primum Auctorem dicimus, secundum vero, quod est ab Auctore*, non intelligentes, quod prius dicitur & secundum non inducere naturarum, rerumque diversarum distinctionem, quando hæc non temporis ratione, sed ratione duntaxat Auctoris, & eius quod est ab Auctore, ipsiusque adeo ordinis, considerantur; vti res se habet in Deo & Patre, ac Filio, dictaque verba vsurpasse Basilium, loquendo de ordine, quem inter se habent divinæ personæ, Pater & Filius; non vt illis distinctionem Essentiæ & Operationis seu virtutis, vti Palamas abusus est, significaret. Sin autem, eandem incommutabiliter Essentiæ ac Operationis rationem concedant, vti se res habet in Patre & Filio, quorum vna substantia est; tumque distinctionem, quæ est penès Auctorem & id quod est ab Auctore, faciant; aut potius duorum alterum necessarium erit, vt vel Patrem & Filium distinguant, distinctione penès Essentiā & Operationem, vt ipsi loquuntur; vel etiam Operationem seu Virtutem, Essentiā & personā subsistentē Patri, & Filio & Spiritui sancto cōsubstantialē admittāt.

Athanas. expositio. — Basilii locus vindicatus.

Rursus cùm magnus Athanasius adversus Arianos dixerit, *Si velle circa ea quæ nō sunt, Deo tribuunt, quidni id quod est voluntate superius, in Deo non agnoscūt? quodque sicut voluntati adversatur, quod est contra mentem & consilium, sic antecellit præitque voluntati, quod est secundùm naturam.* Ex his concludunt, vti dictum est secundùm eandem consequentiam, divinam Essentiam ad divinam se Operationem habere. Itaque hic quoque non intellexerunt, idem respectu diversorum, quæ ex illo sunt tanquam effectus ex causa, per comparationem ad illa diversimodè nominari. Quemadmodum vnus ac idem homo (vt sub exemplo, loquar) & pater dicitur, & ædificator, duxque & Imperator, si res ferat, per respectum ad effecta, eaque quæ ex illo sunt: filij tamen

Athanas. locus vindicatus.

men ratione, pater dicitur, vt natura & genus, auctorque in eodem genere, aliorum verò ratione causa dicitur & auctor velut artifex. Itaque Deus etiam & Pater (vt brevi sermone res magnas expendamus) ad Filium quidem & Spiritum quod spectat, vt natura se habet: quod verò ad creaturas attinet, vt voluntas & consilium, vnà cum Filio & Spiritu dicitur. Voluntas namque causa dicitur, in iis, quæ fieri contingit & non fieri; quæ nimirum sub voluntatem & consilium cadunt. Quodque natura ad vnum semper se habeat, vt in finē proprium; ignis ignem, & homo hominem generat; quæ verò ex voluntate pendent, multa sunt & diversa; ideirco Pater semper gignit Filium, & producit Spiritum sanctum, absque vllo principio aut fine: creaturas verò vnus Deus, Pater & Filius & Spiritus sanctus, tanquam vna voluntas effectus in rerum naturam producit, secundùm tempus ipsius voluntate constitutum.

B

In Deo potius quod Pater quàm quod Creator.

Præterea eos latuit, quod dicunt Theologi, Maius esse Patri Genitorem esse Filij sui & productorem Spiritus sancti, quàm esse rerum auctorem ac creatorem. Vniversim enim in omnibus, naturæ finis ac speciei, potior est quam artis. Ideirco, quia Ariani Deum & Patrem creatorem quidem ac artificem dicebant, Patrem, verò naturâ nequaquam admittebant, ait Sanctus. Si id quod minus est dignitate concedunt, quidni tribuunt quod maius est? Et, si voluntate auctorem & causam sentiunt, quidni quod dignitate præstantius est ac superius (quod nempe secundùm naturam est) Deo ascribunt? Quemadmodum enim in iis, quæ ex causa sunt, natus est & nimus, sic quoque in nominibus, quibus hæc exprimuntur, alia aliis nobiliora & venerabiliora esse existimamus.

Basilij locus ad Amphiloch. minus vind catus.

Rursùs cùm magnus Basilius in iis quæ scribit ad Amphilochium, ita dixerit, *Quamobrem si quid supra sæcula mente conceperis, hoc quoque Spiritu inferius existit;* ipsi in Tomo, ea quæ sæculis superiora sunt, prææterna esse existimant. Quæ verò ante sæcula sunt, increata, quibus Basilius Spiritum superiorem dixerit. Hincque, vti dicebamus, concludunt divinam Operationem inferiorem esse divina Essentia. Nesciebant enim hoc velle Sanctum, Nedum has creaturas, Spiritum sanctum vnà cum Patre & Filio, vt qui vnus Deus sit, condidisse; sed & longè his plures: adhucque si liceat mentis cogitatu, superatis etiam sæculis, quorum Spiritus conditor est, creaturas eff ctusque concipere, quicquid denique animus informarit, supra illa ille Spiritum sanctum, nec quicquam vetare quin illa creare possit. Deus enim est Patri & Verbo consubstantialis. Idcirco etiam dixit, *Si quid etiam supra sæcula mente conceperis, hoc quoque Spiritu inferius, & extra Spiritum existit. Quæ autem extra Spiritum sunt, etiam nobis conserva sunt, quantumvis maiore præstantia excellentiusque, alia aliis nobiliora sint.*

C

De Div. nom. c. 4. § 8. Dionysij locus vind catus

Rursusque dicente D. Dionysio, *Divinas Mentes moveri circulariter, dum principio fineque carentibus pulchri benique splendoribus uniuntur*, inde arbitrati sunt esse principij expertes quasdam virtutes & deificationes; ipsosque, qui deificentur principij expertes ac increatos pronuntiarunt. Sanè quidem nullum Angelos habituros finem, vna omnium fides est; principij verò expertes quonam modo quis credat, eos, qui essendi principium nacti sunt, & sub tempore procreati? Non bene itaque hîc quoque intellexerunt, appellare Sanctum, quæ circa Deum versantur, Angelorum intellectiones, motus ac considerationes. Subdit enim, *Sive admissiones exceptionesque vocare decet, sive considerationes*. Quodque intellectiones hæ & notitiæ ac illustrationes ab eodem in eundem desinunt, & circa Deum versantur, moveri eos, circulariter dixit: quodque circa principij ac finis expertem sint ii motus, *principij & finis expertes*, dixit. *Pulchri* autem *ac boni* dicuntur, vel quia ob primò pulchrum ac bonum eas nacti sunt Angeli, quomodo pulchri bonique creatio dicitur: vel quia ad pulchrum & bonum referuntur, pulchrique & boni simulacra sunt.

D

E

Angelorum illustrationes ipsæ nugæ.

Quandoquidem igitur Sanctus, hasce illustrationes νοήσεις (quasi mentis apprehensiones ac considerationes vocavit, manifestum est non ille illas increata quędam in Deo, sed notitias circa Deum versantes; vti dictum est, quibus, alij magis, alij minus ei vniuntur. Quanquam si etiam æternas eas diceret, ne sic quidem turbari oporteret ob principij expertis (ἀνάρχου) rationem. Semper enim beati Angeli sine vlla interruptione eas intellectiones habent. *Semper* enim, inquit, *vident faciem Patris mei, qui est in cælis.* Sed & quod adiectum est *circulariter*, non patitur esse illas principij expertes, vt illi acceperunt. Non enim Deus in modum circuli, principij ac finis expers est, sed absolutè ac indefinitè. Ad eundem modum, reliquas etiam sanctorum Doctorum sententias, quibus in Tomo vsi sunt, malè exposuerunt; praveque detorquendo, novitatem suam confirmarunt: quamvis nedum Sanctis palam adversantur, sed & secum ipsi committuntur. Falsum enim, vt aiunt, tum veritati pugnat, tum ipsum sibi. Qui enim fieri potest, vt quod infinities infinitè inferius est Dei Essentiâ, ab ea rursus inseparabile sit, vt illi aiunt? Quomodo verò ex Essentia, quæ non sit vita, producitur vita. Prius enim necesse est vt Essentiam vitam supponamus, vti etiam Vita ex Vita, & Lumen de Lumine, de Patre & Filio dicitur. Quomodo autem quod his inferius est, propriè Deitas nuncupatur, idque cum nec essentia sit, nec hypostasis seu persona? Quomodo quæ propriè ipsa Deitas est, in Deo motus est? Quomodò operatum? Quod enim operatum est, etiam generatum esse omnique est. Generari autem & fieri, in materia & forma dicitur, in quibus locum habet quod potentiâ est, & motus ac generatio. Quomodo autem est in Deo, quod nihil est? Hoc enim est, quod neque essentia, nec hypostasis seu persona; ac neque accidens est. Atqui, ait magnus Basilius l. 4 adversus Eunomium, *Ingenitum in iis eo aut essentiam esse seu substantiam, aut accidens. Præter hæc enim, nihil aliud est.* Quamobrem si præter substantiam & accidens, etiam tertium aliquod (nempe Operationem novisset) haud plane in ea divisione omisisset. At quomodo rem dicunt, quod nec substantia est, nec hypostasis seu persona, sed neque accidens? Quomodo, ex eo quod est subsistens, id quod non est subsistens, expersque essentiæ seu substantiæ est? Atqui ait Gregorius Nyssenus in libris adversus Eunomium, *Quod expers substantia est, Deum non esse.*

Mat. 18. 10.

F

Basil. 4. versus Eunom.

G

Greg. Nyss.

Ac rursus, hæc novorum dogmatum portentosa nugacitas est credere in nihilum. At quam rationem habet, vt quod non est per se subsistens ac substantia caret, trium subsistentium conditorem ac auctorem inducant; ipsumque supremum desiderabilium dicant, & beatitudinis finem & hæreditatem Sanctorum? At quomodo rursum quod nec substantiam habet nec subsistens est, Dei naturale, sive etiam naturalia, astruunt? Atqui, qualia alicuius naturalia extiterint, tale necesse est esse & quod ex naturalibus proficiscitur. Quomodo non manifesta contradictio, vt Dei essentia modò quidem immobilis dicatur, modò autem operans & causa operationis? Quod enim operatur & causa est, vi movendi ac operandi præditum est. Quonam igitur modo Deus immobilis dictus est? Quomodo verò dicunt, Naturalia Dei, ipsa per seipsa visibilia esse; essentiam autem, esse invisibilem; idque cùm Paulus dicat, *Nunc quidem videmus in umbris & in ænigmate, tunc autem videbimus facie ad faciem.* Et, *Quæ videntur, temporalia sunt, quæ verò non videntur, æterna.*

H

1. Cor. 13. 12.

2. Cor. 4. 18.

Omitto dicere, Quod non est sanctum, nec divinum neque regium, vt ij illoquuntur (ô temeritatem proiectamque audaciam) in Deo naturale, increatum eique coæternum esse. Hæc cùm dicant, taliaque per blasphemiam evomant, eoque dementiæ provexerint, in quibus pudere illos deberet, ac quorum nomine par esset abscondi; illi secus, etiam insultant, eosque qui eorum blasphemiis motem non gerant, criminantur, ac sextæ Vniversali Synodo contradicere aiunt; quod in ea dictum sit de Christo, *Esse Deum perfectum*

Dionys. Divin. nom. c. 11.

&

& hominem perfectum, atque utriusque naturæ utramque nosse operationem, quæ ex utraque indivisè substantia atque natura procedat. Existimant enim ex illis se errorem suum concludere, *non intelligentes neque de quibus loquuntur, neque de quibus affirmant.* Cùm multa habeam dicere, unius duntaxat mentionem faciam, quod pervicacioribus sufficiat.

1. Tim. 1. 7

Maximi sententia omnia Palamitarũ una evertens.

Nemo clarius fortiusque D. Maximo adstruit ac vindicat, esse in Deo idem Essentiam & Operationem. Nam quid ait? *Deum, sive essentiam dicamus ac substantiam, totus essentia est & substantia, & solum, sive intellectionem, id est, operationem actúmque, totus operatio actúsque est, & solum. Cúmque omnia simpliciter sit, cum essentia, seu substantia est, non in subiecto, tum intellectio non habens prorsus subiectum: Nam & ipsa spiritalia, & quæ solo mente intelliguntur, ex essentia existunt & constituente differentia. Quæ enim à Deo secunda sunt, omnia binaria sunt ac composita, solus verò Deus verè simplex est. Quicquid denique eiusmodi est, ut in eo aliquid ad eius declarandam substantiam velut cumulo adiectúmque intelligatur; non verè ac propriè simplex est. Sed & operationem, opera dicimus, non operationum: hæc enim non aliud est præter Dei essentiam ac substantiam, ne in Deo compositio existimetur.* Et, *Essentia seu substantia non est discreta ab operatione, sed eundem recipit rationem, ob simplicis omnique compositione vacantis naturæ proprietatem.* Hæc ex D. Maximo & Theodoro Grapto in superioribus iam exposita, quibus aliud nihil significatur, quàm idem esse in Deo eius operationem, eiúsque essentiam, quod planè iis quæ in Tomo asserta sunt, adversatur. Si ergo is, qui hæc sentit, ut ipsi obganniunt, sextam Synodum convellit, palam est sanctum Maximum, & Theodorum Graptum ipsi adversari, qui idem essentiam & operationem ponant, aliosque plures Sanctorum illis superiorum.

Idem Synodo Lateran. nullo modo d. vi. Synod.

Sin autem stultum prorsus est hæc dicere (non enim exigua pars eius Synodi vir fortissimi pectoris B. Maximus fuit, cuius tanta in eam exstitere munia, cùm per ea tempora viveret, ut pro illius sententia, Hæreticorum Constantinopoli, Sedísque Patriarchalis factione ac furore, dextera illi manus linguáque abscissa sit) palam est, nec eum qui dicat in simplici & incorporea natura, eandem cum essentia rationem recipere operationem, quique hæc ab invicem minimè distinguat, ne compositum intelligatur quod omnem simplicitatem excedit; intellectionemque solum ac totum Deum nullo subiecto doceat, ac quæcunque S. argumento hoc perhibent; eiusmodi, inquam, virum nihil sextæ Synodo adversari liquet. Nemo verò hunc illúmve ac singulos quosque SS. Doctorum excipere audeat, obiiciendo quod singuli sunt, non esse universam Synodum. Illi enim sunt, qui Synodos impleverunt; ac si quis singulos excipiat, universos simul excipiet, cunctásque perinde Synodos eiiciet; quicquid denique Sanctis scriptũ est, otiosum & inutile nullíusque ad finem roboris efficiet. Simul verò etiam ipse seipsum evertet, cùm ut aliquid concludat, illos ipsos in testes adhibere voluerit.

Patrum etiã singulorum magna quædam auctoritas.

Sextæ Synodi scopus.

Sin verò etiam amplius aliquid dicendum est, non hoc ipsum spectabat Synodus, ut Essentiæ divinæ à divina Operatione distinctionem monstraret; sed quod cùm Christus duæ naturæ esset (deitas scilicet & humanitas) in una hypostasi seu persona, indéque duæ voluntates sive operationes, nunc quidem ut Deus miracula ederet, nunc verò ut homo operaretur, nulla vitij labe; cùm Hæretici unam in Christo naturam, vel unã effectam divinam voluntatem blasphemiã dicerẽt, sive per commixtionem, sive quod absorptum esset quod spectabat ad hominis naturam. Itaque necesse est, ut utraque natura sic se habeat ad suam operationem, ut & illa se naturâ habet ad seipsam. Quia verò divina natura simplex est & uniformis ac qualitatis expers, quæ præter se nullius sit capax, manifestum est hanc quoque operationem esse, si quid illa sibi ipsa est: humanam autem, quæ una quidem subiecto sit, at quæ multas res complectatur, pro sui ratione itidem convenientem operationem habere.

Sed neque propositio *ex* causam ubique significat; neque auctorem & quod est ab auctore inducit. Neq; enim quando ex nihilo cuncta dicimus, nihilum auctorem vel causam significamus. Quid enim etiam nihilũ præstiterit? At neque cùm Theologi, modò quidem Deum ex seipso procedere dixerint, modò verò, quæ verè est, ipsam deitatem ex seipsa nullo auctore vel causa esse; multáq; alia, Deum qua Deus, in causam & quod ex causa est, ob eam propositionem dividere, necesse habebimus. Quamobrem nec cùm Synodus operationem ex essentia dicit, causam & quod est ex causa intelligemus, sin autem, multa absurda sequentur.

Manifestum autem est, ut sit relatio realis, duo quædam requiri. Eiusdem enim ad seipsum nulla realis relatio est; ut cùm dicimus, Idem est sibi idem. Præterea, ea, ad quæ dicitur relatio, res esse necesse est, & non conceptus ac rationes. Generis enim ad speciem relatio rationis est; quemadmodum genus ipsum & species, quæ non nisi in mente subsistunt. Item debent hæc esse quanta, cuiusmodi sunt duplum & subduplum; aut cõparantur se velut causa producens & quod est ex causa, uti filius ad patrem, vel conditor aut artifex, ad rem conditam vel artefactam, aliáque similiter. Quandoquidem igitur Essentia & Operatio non sunt idem secundùm rem, ut aiunt novi Theologi, nec quovis modo conceptus sunt & rationes, sed res distinctæ: nec verò quanta sunt, cùm nulla in Deo sit quantitas; sícque habent inter se velut causa & quod est ex causa, uti astruit Tomus; nihil autem in Deo est quod substantiæ expers existat, ac non subsistat, ne sit compositus, ut Sanctorum doctrina est, necesse est plures tribus in Deo esse personas, sicque Deus non Trinitas erit, sed personarum turba infinita, cùm eorum sententia Operationes quoque infinitæ sint. Verùm dicendum, ex quo nullum sequatur absurdum, præpositionem *ex* relationem significare, quæ est subtili cogitatu & rationis; hocque habere secundùm rationem operationis, quæ principiũ posset, uti etiam ex essentiæ ratione habet quod per se subsistat, eo quod substantia sit; uti etiam quod vitæ effectrix sit, eo quod etiam vita sit, quodque multa ex nihilo producat, quod & creator sit; ac quod demum faciat, quod & operatio sit. Non tamẽ, quod eadem res sit quæ hæc omnia secundùm diversos respectus ad res habitudinésque recipiat, unumque ac idem sit quod nostris omnibus conceptibus nominibúsque respondeat, ut in superioribus dictum est; sequitur etiam rationes alias aliis concurrere ac confundi. Etsi enim essentia ex operationis ratione opus facere habet, non tamen etiam hoc habebit quatenus essentia est. Si enim duo quædam idem sint secundùm rem, nec tamen eadẽ sint ratione, quod ex ratione unius est, non sequitur quod est ex ratione alterius. Putà, principium & finis cùm sint idem secundùm rem, ratio tamen principij nõ sequitur rationem finis vicissimque. Non enim finis est, ex quo linea; nec principium, in quod linea.

Ait verò etiam primùm magnus Athanasius, túmq; etiam magnus Maximus, qui idem ac ille dicat, in Dialogo adversus Anomæum, dicente Anomæo, *Aliud est essentia; atque aliud hypostasis seu persona*; Respondet, *Aliud atque aliud, non ut res.* Anomæoque subiungẽte, *Ergo compositio est*, addit Maximus, *Dixi aliud & aliud, non ut res, sed ut aliud quid significante essentia, atque aliud hypostasi ac persona. Velut granum tritici dicitur, estque & semen & fructus; aliud verò est quod significat semen, atque aliud id quod fructus.* Admittens itaque Sanctus, Patris hypostasim seu personam essentiam esse ac divinitatem, non tamen admittit duas divinitates, quẽadmodum etiam sunt duæ hypostases: idcirco nimirum quod idem non eodem modo divinitatem significet & hypostasin. *Nam divinitas*, inquit, *quod quid est esse significat; hypostasis verò seu persona, esse.*

Si igitur illic quoque est esse, & quod quid erat esse, idẽ, ob summam simplicitatem; verùm quia hypostasis quidem seu persona eiusdem rei esse significat; Divini-

tas verò, quod quid erat, Divinitas quidem velut commune accipitur (una enim est trium divinitas) alia verò ipsius esse ratio est; quandoquidem hypostaseon personarúmq; ac nostrarum, eadem quidem eius quod quid esse ratio est; alia verò ipsius esse. Similiter igitur etiam de Essentia & Operatione; non quia eadem res sunt Essentia & Operatio, necesse est, ut quod ex Essentia sequitur, ad rationem Operationis sequatur, vicissimq; quod non etiam eadem sit ratio. Essentia enim seu substantia significatur, ut res per se subsistens; Operatio verò, secundùm quod à nobis significatur, ut quod est ab aliquo: eadémque res, quatenus quidem per seipsam subsistit, essentia dicitur seu substantia; quatenus verò essentia etiam operans intelligitur, operatio seu actio nuncupatur. Idcirco nimirum, quod modo nostro intelligendi, essentiam primùm subiici necesse sit, seu substantiam, túmque eandem etiam operari. Ac per hunc modum, ipsum operari & operatio, ea essentia esse dicuntur, ob relationem scilicet rationis. Etenim ut auctor est Damascenus, *Etiam ipsum operari, operatio dicitur.* Hæc igitur Dei operatio, ipsa eius essentia est, quæ & operari intelligatur, ac quæ in ordine ad res creator dicatur, aut gubernator, aut providentia, aut quidpiam eiusmodi, cum relatione rationis, subtilique mente cōcepta. Res enim ad Deum realiter referuntur; Deus verò ipse non ad res refertur, secundùm diversa in eo existentia, sed relatione rationis, ea iis quæ creata sunt, accepta.

Dam. l. 3

Operæpretium verò ut & illud sedulò advertamus, Multa ea humani sermonis consuetudine usuque dici solere. Dicuntur enim quædam, quæ aliter valeant intelligi, quam vulgo videatur, uti se hic quoque res habet, in Actis scilicet sextæ Synodi *Innata & substantialis qualitas Dei* dicta est, cùm apertè prohibitum sit qualitates in Deo dicere. Vniuersim tamen dicendum, Ea quæ crassius pro corporum ratione exque usu humanæ infirmitatis ac quadam ad eam accommodatione dicta sunt, non sic propriè accipienda, sed ita, ut à litera ad spiritum transeuntes, convenientem sensum spiritalem ac considerationem nanciscamur; ne scilicet in absurdas de Deo sententias adducamur, ac Sanctos alios aliis committamus.

Sextæ Synodi verba exposita.

Præterea, his qui morem non gerant eorum novitatibus, absurdum illud adiungunt, quod in Tomo comminiscuntur, eum scilicet qui non communem operationem naturalem trium personarum sentiat, Marcelli & Photini & Sophronij hæresim pridem extinctam, in Ecclesiam Dei temerario ausu inducere. Sanè quidem esse Filium Dei operationem Dei ac Patris, Deique ac Patris subsistentem virtutem, ac similiter Spiritum S. allatis in superioribus Sanctorum dictis ostensum est, eiusmodi verò operationem, quæ nec essentia, nec hypostasis seu persona in Deo sit, substantiæ scilicet expertem, increatam, tantis distinctam ac abhorrentem à Dei essentia ac Tomus docuit, nemo Sanctorum dixit. Quinimmò, eos qui hoc dixerint, procul arcent, quod & iam multis antè probatum est; nuncq; etiam probabit D. Chrysost. in expositione Epistolæ ad Philippens. *Marcellus*, inquit, *& Photinus, & Sophronius, Verbum, operationem esse dicunt. Hanc verò operationem inhabitasse in eo qui ex semine Dauidis est, non essentiam subsistentem.* Ait verò etiam Greg. Nyssen. *Deus operantem significat: Deitas verò, operationem: Nullus porro trium operatio est, sed potius unusquisque illorum operans.*

Talem itaque operationem S. eliminant, essentiæ expertem nec subsistentem, qualem Hæretici sentiebant; qualis demum operationis imaginem Ennomius ponebat Dei filium, eum non subsistentis simulacrum dicens. Operationem verò Nyssenus essentiam dixit & naturam & deitatem, non aliud tamen præter essentiā. Eiusmodi enim operatio, eādem cum essentia rationem recipit, uti etiam Damascenus significavit, dicens, *Deitas, naturam significat, Pater verò, hypostasin, seu personā.* Quamobrem, si Deitas, ut auctor est Nyssenus, operationem significat, ut verò auctor est Damascenus, naturam, operatio atque natura idem sunt. Eoque spectans Nyssenus ait, quod deitas operationem significat, non tamen ut quidam volunt non subsistentem operationem, quemadmodum hæretici sentiebant.

Hæreticorū operatio non subsistens.

Deitas, operatio & natura.

Ex his manifestum est, primùm quidem, eos qui cōmunem trium operationem non subsistentem ponunt, ipsos esse qui Marcelli & Photini & Sophronij hæresin perperā inducunt: ac sicut illi, ipsos quoque necesse erit dicere, non accepisse carnem subsistens Dei Verbū inque persona existens, sed non subsistentem operationem; maximè cùm & dicant Dei essentiam creaturæ incommunicabilem esse, alioqui fore ut consumat naturam, priusquam capiatur, aut illius commercio commixtionem passuram. Quæ verò non subsistit operatio, eam esse quæ omnia condidit, facit & illuminat, & sanctificat, & quæcūque de illa in superioribus dicta sunt. Secundò liquet inducere indigere Dei essentiam hac operatione, subsistentem non subsistente, qui dicant in Tomo, *Quomodo igitur par est æquae ratione, communem trinè subsistentis diuinitatis virtutem negare, ob quam Filium ac Spiritum Theologi virtutem laudavere?* Vnde sequitur, non esse totum Deum operationem, nec totum essentiam, nec totum vitam & sapientiam & virtutem; omninóque totum per omnia perfectissimum. Ac tertiò palam est, eos compositum & imperfectum, finitúmq; & circumscriptum Deum facere, eáq; quæ in superioribus dicta sunt, omnia absurda inducere. Quanquam ut habet Sanctorum doctrina, nisi in Deo Filius & Spiritus subsisterent, non esset Deitas simplex, sed composita. Ait enim S. Maximus, exponens dictū illud Theologi, quod ait, *Idcirco, Monas à principio in binariam mota, Docet Deus Angelicam mentem aut humanam indivisè primo intuitu ac consideratione, monadis rationem, ne ulla diuisio primo Auctori inducatur. Tum verò prouehit, ut diuinam atque arcanam eius fœcunditatem recipiat, dicens mysticè occultéq;, haud committendum ne unquam bonū illud infœcundum Verbi & Sapientiæ, Virtutisque sanctificantis existimetur, quæ consubstantialia sint ac subsistant, ne Deitas composita videatur, tanquam hæc illi accidentia sint, non ipsa hæc semper existat.*

Absurda ex Palamitarum operatione non subsistente.

Greg. Theol. Orat. 35. Maxim.

Ordo divinæ scientiæ in mente nostra vel Angelica.

Ac demum, cùm nihil in Deo sit non subsistens, superest necessariò duorum alterum, ut aut multas operationes multas hypostases seu personas esse confiteamur, aut Filium & Spiritum S. non subsistentes credamus. Vtrumque verò Catholicæ fidei adversatur. Quæ enim ratio, cùm multa in Deo Verba, diversæque operationes & virtutes essentiæ subsistentiæque expertes inducantur, ut solus Dei Filius & Spiritus S. Virtutes subsistentes dicantur. Vel, cùm reliqua non subsistant, ut aiunt, quænam exceptio, ut non ea illorum ratione, ipsi quoque Filius & Spiritus subsistentia non deficiātur? Atqui, ea quæ sit immensum ab essentia deficiant, ab eo quod est verè excidisse fatebuntur. Atque adeo, id ipsum quod essentiam omnem excedit, ac Dei maximè proprium est ac singulare, profectò non entis defectu laborabit, in seipso illud habens. Eo autem dato, etiā malitiæ subiacebit. Nominis enim diminutio, malu fit accessio: hincque illud oritur, quod est entis privatio. Vt enim se quodque habet ut sit ens ac substantia, sic quoq; ut bonum sit. At qui si horum quodlibet seorsim à reliquis ab eisque distinctum Deus est, quid est quod Græcos reiicimus? Sin autem Deus non est, ex non Diis complebitur quod Divinum est, quoddamque multarū partiū & inæqualiū prodigium, tā multis aliis dissimilibus concurrentibus, Deus animo cogitanti occurret.

Præterea, cùm id quod actu cuiusque est, illius esse sit; ac rei cuiusque unum sit esse substantiale; si in Deo plura sint esse actu, sequitur non unam eius formam fore ac speciem, quicquid tandem illa sit, sed plures: aut unam quidem illius esse formam substantialem, reliquas verò per accidens.

Ad hæc verò, cùm fides doceat Deum tria esse & unum, unum quidem ratione essentiæ tria verò quantum ad hypostases seu personas: Quatenus enim sunt tres personæ numerū recipientes, nō sunt unū Superest

ergo,

ergo, ut unum comperat ratione essentiæ. Siquidem igitur illud ipsum unum, quod penes essentiam est, in tam multa quis dissimilia dividat, iuxta eas quæ dictæ sunt istorum hominum antitheses, unum in Deo indivisum nusquam occurreret, quod verò sit indivisum, cõmunis fides Sanctorúmque proposita doctrina fidem facit.

Cùm plura quoque alia eius generis, ex aperta veráque SS. Doctorum theologia afferre liceret, partim ad eorum corruptionem repræsentandam, quâ sic palam scripserunt ac fidem ediderunt, partim ad ipsorum confutanda mendacia, ac ostendendum, multa SS. dicta alieno à ratione ausu, animique pravitate in malũ sensum traxisse, nec ut consonè divinis Scripturis loquerētur, vel minimùm curasse: in quàm multa item absurda præcipites ferantur, ac quanta de Deo explorata per eos sublata sunt, omnémque SS. Theologiam dilabi, & modo synodica hæc sententia robur habeat, Vlterius prosequi supersedeo, hoc cavens ne prolixitate tædio lectorem afficiam. Sufficiunt enim ea quæ dicta sunt, his, quorum non exæcata omnino sunt animi lumina, ad ostendendum, eos, qui asserta in tomo de fide teneãt, fidem confiteri, quam non noverunt Patres nostri; alienam scilicet ab ea, quæ à sanctis prædicata & in Catholicâ & Apostolicâ Christi Ecclesia: Quodq; à principio dicebam, cum duplex in hac Ecclesia extiterit synodus, duplexque ac contraria prolata sententia sit, quod attinet ad quæstionem de divina essentia & operatione; Obscurúmque videri possit utra harum sententiarum veritatem comitem habeat (sunt enim inter se contrariæ) certum omnino, ex iis quæ dicta sunt, exploratúmque est, eam quæ nunc viget, mendacio fulciri ac blasphemiam habere. Proinde quæ hæc astruit prædicátque Ecclesia, hoc amisit, ut S. Catholica & Apostolica esset, de qua quotidie confitemur; quærendum ubinam terrarum illa sit, quandoquidem fieri non potest ut Ecclesia Christi deficiat. Adversus enim eam, quæ falsa nunc circa fidem profitetur, uti prius non rarò, nunc quoque portæ inferi turpiter prævaluerunt.

EIVSDEM SAPIENTISSIMI VIRI MANVELIS

CALECÆ

ORD. PRÆDICAT.

DE FIDE

Déque Principiis Catholicæ Fidei, ut ex divina Scriptura & à Catholicis Ecclesiæ Magistris accepimus.

CAPVT I.

Ad eum qui quæsierat.

Discendi studium, viris qui sapientiæ laude polleant, omni meritò dignum laude habeatur, ac tum maximè, cum eorum quæ pulcherrima sunt atque optima, discendi ardor incessit. Id enim planè animi utentis ratione proprium existit; unumque eiusmodi est, quod scientiâ ac sapientiâ homines augere possit: Vti etiam veterum aliquis quodam loco ait, *Discendi cupidus si extiteris, scientiæ copiam nancisceris.* Liquet enim eum qui diligit, omnino quæsiturum, ac verò quærendo inventurum. Qui autem invenit, utique & intelliget & sciet; hincque adeo fiet, ut humani animi proprietas illi constet incolumis, meritoque qui eiusmodi est, & rationalis existit, & iustè eâ appellatione gaudebit: Vti vicissim, qui earum rerum quæ honestæ sunt, nullam aut quærit aut invenit, neque verò scit; is, amisso quod vere homo est, *iumentis insipientibus comparatur.* Idcircò etiam Christus, ipsa veritas, ipsa sapientia, earum nos rerum sollicitos volens, quæ honestæ sunt; modò quidem dicebat, *Petite & dabitur vobis: omnis enim qui petit, accipit; & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur.* Modò autem, *Scrutamini Scripturas.* Nam ut ait B. Paulus, *Quæ olim scripta sunt, ad nostram iam tum doctrinam scripta sunt.*

Isocrates ad Demonicũ. Mat. 7. 7. Ioa. 5. 39. Rom 15. 4.

Tu igitur, veritatis te amore teneri, multis ostendis; modò quidem, cùm indisciplinatos illos arbitraris, qui eruditionem literásque ac sapientiam animi damno ducunt: modò autem, cùm tibi ipse damno maximo ducis, quod te pro facultate, ac quantum assequi licebat, doctrinis sapientiáque imbui haudquaquam contigerit. Versari te autem in iis qua maxima sunt animique salutem iuvant, vel istud prodit, quod impræsentiarum à nobis de his percontaris ac doceri quæris, quæ ad nostram Christianorum fidem spectant. Sanè verò, cùm tuum illum discendi ardorem laudem, hoc non laudo, quod nos tales arbitratus sis, qui tuo illi desiderio explendo essemus. Operæpretium fuerat, rem eiusmodi ex aliis quærere, Viris scilicet qui vita purissima ac quotidiana Legis Domini meditatione fulti, quantum sufficit, talia quærentibus ipsi reddere possint. Nos verò, cùm hæc omnia deficiant, quî fiat ut res eiusmodi alios doceamus, qui & ipsi ab earum peritis, perinde doceri debeamus? Enimverò, quibus haud satis ex officij ratione videatur, ut quibus magna non suppetunt, nec quæ tenuia pro facultate existunt, minimè præbeamus; ac cùm aliàs amicitiæ iure obsequi gestiamus, quicquid iis de rebus, de quibus quæsisti, ex Scriptura ac Ecclesiæ Magistris, Dei subministratione assequi licuit, id verò cum timore tibi reddere connitemur; sic nimirum ut ex immenso velut æquore, pauculas guttas haurientes, haud magnam ornatæ dictionis ac vocum elegantiæ rationem habeamus; imo etiam, quoad licet, claritatis gratia, negligamus, unum hoc spectantes, ut quæ vera sententia rectissimáque promemus, Sanctorum undique sermonibus muniantur. Sicque eius rei in omnibus sanctè nobis servanda religio est, ut iam ipso exordio nihil nos à nobis atque proprium dicturos, profiteamur, unumque hoc duntaxat collaturos, ut quæ sancti Patres, divini afflatu Spiritus, locuti sunt, hæc verò exponamus, uti manifestè liquebit, ex iis quæ edemus, nimirum in singulis, quæ à nobis dicenda sunt, aperiendo, quid ea in re illi senserint, ac quicquid dixerimus, ex Sanctorum libris petita auctoritate firmando, indéque verbis fidem astruendo: ne mentis nostræ fœtus loqui videamur. Quibus enim sermo de Deo vertitur, is optime loquitur, non qui Ventiloquarum more, quæ sunt ex genio avida loquacitate profert, sed qui divinæ Scripturæ sententiis

Sent. Sic & Damasc. præfat. ad Cosmã Maiumæ Episcopũ. Sent.

Sanctorúmque expositionibus omnia consona promens, ex eius nihil sententia, sensisque minuit, nec verò quicquam addit. Quocirca ego ipse, nisi de quibus rogasti Capitibus, Sanctorum firmissimè sententias tenerem, ne vel hiscere, aut quicquam loqui, mihi indulgerem; tum nempe hoc veritus, ne in Dei sermone aliquid à veritate alienum imprudenti obreperet, tum planè sciens in magno versari periculo, qui falsò de Deo vel sentiat, vel loquatur. Nihil enim maioris periculi, quodve magis ad interitum ducat, quàm si quis circa Deum errore laborans, ea quæ non sunt, ac si essent, sentiat ac opinetur: uti vicissim nihil utilius maiorisque frugis, quàm ut ea quæ vera sunt, sermone eloquatur.

Sent.

Operæpretium autem putavi, ante quæsita, pauca quædam de aliis summè necessariis disserere: quorum ipsa disputatio hoc præstabit, ut ipsa penè tractatio plena & absoluta videatur: ac vel maximè, quod ne vulgarem quidem quæstionem, quantum satis sit, assequi liceat, aut levioris nodos difficultatis exsolvere, quin ad universaliora quædam quæsitisque propria recurrendo, sic per illa, via quadam ac ordine ad ipsa evadamus.

CAPVT II.

De Deo Vno.

CRedimus & confitemur, unum ac solum esse verum rerum huius universitatis Deum, cuius nec principium neque finis sit; æternum, nulli interitioni obnoxium, immortalem, omnipotentem, infinitum, invisibilem, nominis, circumscriptionis, corporis expertem; bonum, simplicem, qui nullo deficiatur, perfectissimum. Ex ipso enim in veteri lege discimus, *Audi Israel: Dominus Deus tuus, Dominus unus est.* Et, *Non erunt tibi dij alieni præter me.* Ac rursus per Esaiam Prophetam, *Ego primus Deus, & ego post hæc: ante me non fuit alius Deus, & post me non erit; & non est præter me:* qui ex nihilo cælum & terram, & quæ horum ambitu continentur, omnia in rerum naturam produxit: hisque priores, incorporeas atque cœlestes potestates: non quasi antè non posset aut nesciret, tum demum hæc condidit, cùm aut potuit, aut eius illi mentem venit; uti ferè in hominibus, qui sunt imperfecti, vixque tandem paulatim attingunt perfectionis metas, usu venit: sed ipse perfectissimus ac semper potens, citra omnem mutationem motúmque, cùm placuit, sua incitatus bonitate, omnia quæ decreverat, condidit. Qui à nulla creatura, quod per essentiam est, noscitur, sed solus ipse à seipso se novit, ut Vir ille divinissimus Damasco ortus, ait; *Deus seipsum ex beata sua essentia cognoscit, per quam, & in qua, cuncta creavit.* Quod autem Deus sit, aut sit unus Deus, sapiens, iustus, bonus; hoc de illo solùm novimus; atque id quidem mediocriter, ac quantùm pro facultatis suæ modulo mens humana potest assequi. *Deum enim nemo vidit unquam: unigenitus Dei Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit,* inquit Ioannes Evangelista. Vt verò auctor est beatus Paulus, *Invisibilia eius, à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Sed & magnus Basilius adversus Eunomium decertans, sic ait, *Par sanè est ut ipsam essentiam cunctis inspectam existimemus, uno duntaxat Vnigenito excepto ac Spiritu sancto. Ex Dei autem operationibus animis assurgentes, auctorémque, per ea quæ facta sunt, intelligentes, illius bonitatis ac sapientiæ sensu imbuimur. Id enim est, quod Dei notum est; quod cunctis hominibus Deus manifestavit.* Item Sanctus Maximus in Capit. de Charit. *Cùm de Deo disputaturus sis, seu eum cogitaturus, ne ipsas eius rationes quæsieris: Non enim mens humana invenire poterit; at neque aliorum cuiusquam, quæ à Deo secunda sunt; sed eas considera, quoad per facultatem licet, quæ sunt circa ipsum; æternitatis scilicet, infinitatis, immensitatis, bonitatis ac sapientiæ; potentiæ item, qua conditor est, qua providet, qua iudex existit. Hic enim inter homines magnus Theologus est, qui vel tantisper horum ipsas rationes adinvenit.*

Dei unitas, ac communi ei des. Deut. 6. 4. Isa. 44. 6 & 45. 10. Mundi creator: Angelorum, illa anterior.

Et nulla in Deo mutatio.

Damasc.

Dei nomen, eiusque ignoto. Ioa. 1. 18

Rom. 1. 20

Lib. 1. contra Eunom. p. 15.

Cent. 2. c. 27.

Cæterum, quod ne horum quidem rationes mens humana comprehendere valeat, hic quoque Vir sanctus declaravit: in Theologicis verò ipse clariùs docet, dum ait, *Vnum est superæternum & superessentiale bonum, sancta trinè subsistens Vnitas, Pater & Filius & Spiritus sanctus, trium infinitorum infinita natura connexio ac quasi concretio; ipsa eiusmodi, ut eius quod est esse, & sic esse, & quid ac quale esse, inaccessam prorsus rebus rationem habeat. Fugit enim omnem mentium cogitatum, quæ naturali sua occulta intimitate nulla unquam ratione excedat, omnique omnium notitiarum notitia infinitè emineat.* Hic itaque, nedum quid Deus sit, arcanum prorsus ac inaccessum affirmat, verùm etiam quæ circa eius naturam existunt. Quicquid enim in Deo esse dicatur, ac vel ad id quod est esse, aut quid esse, aut quomodo qualiterve esse referatur, nedum quod quid est esse cuique essentiæ ratio ineffabilis & arcana nobisque ignota est; sed & ipsum esse. Quanquam enim Deum esse novimus; hoc solùm significamus, esse eum verè; non item quidnam sit repræsentamus. Simili quoque ratione, quonam modo sit, ignoramus. Etsi enim scimus esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum, quonam tamen id modo sit, ac qualis illic Paternitas Filietásque & Processio, nescimus. Quin ne hæc quidem, quid Deus per essentiam sit, significant. *Ingenitum enim & Genitum, ac quod processit, circa naturam,* inquit Gregorius Theologus. Et quidem esse Deum sapientem, seu bonum, scimus; quidnam verò illud sapiens ac bonus sit, nescimus. Bene igitur dicebat Sanctus ille quem retuli, *Eius quod est esse, & sic esse, & quid ac quale esse, inaccessam prorsus rationem, divinam illam naturam habere.*

Cent. 1. ex quoque c. 1. Ignota nobis ipsa quæ sunt circa Deu.

Greg. Orat. 35.

Maxim. qui supr.

Eandem itàque de eius essentia, déque aliis omnibus, quæ in eo sunt, habemus notitiam. Si enim quæ de illo dicuntur nomina, illius explicarent essentiam, planè fieret Deum longè plurimis compositum esse. Ait enim divinus Basilius scribens adversus Eunomium, qui Dei essentiam ingenitum doceret esse, *Quonam igitur pacto non prorsus deridiculum, quod creandi vis essentia dicatur? aut providendi vis rursus essentia; ac omnino vis omnis & operatio, essentia ponatur:* Gregorius item Theologus Orationibus suis Theologicis, ait, *Sive etiam immortale ac minime malum, nec ulli iniuriæ alive mutationi obnoxium Dei essentia. At, si hoc demus, multa erunt Dei essentia, non una. Deus itaque innominabilis est, nec quicquid dicatur earum, quæ sunt circa ipsum, eam quid sit repræsentat. Nec enim ex suis ipse nominatur, sed ex iis quæ sunt circa ipsum, sic nimirum ut aliam ex alia speciem colligamus, ad unum quoddam veritatis tenue simulacrum,* ut auctor est idem Theologus. *Non enim dimisit Deus, ut eius omnino ignorantia laborantes vitam ageremus, verùm,* ut ait Damascenus Theologus (quæ eius ineffabilis bonitas est) *placuit illi ex iis quæ nostra sunt nominari, ut ipsius penitus notitiæ expertes essemus.*

Lib. 1 contra Eunom. p. 15.

Orat. 35. p. 569.

Orat. 36. p. 589.

De fide l. 1. c. 1.

Quod enim uti diximus, sola bonitate mundum omnem condidit; ac postremò hominem, uti verus Scriptura docet, ut creatis omnibus in aspectum cadentibus præesset, ad imaginem & similitudinem suam formavit, idque adeò in causa est, cur & præditum ratione formarit; licet nobis eadem rationis facultate, quam nobis Deus indidit, præditis, eius gloriam laudisque materiam, iis ex rebus colligere, quas oculis usurpamus; atque hoc modo conceptum quendam de Deo assumere. Etenim naturæ divinæ maiestatem mundus prædicat, ac iis qui animum attendunt, eum, quo auctore conditus est, clamat. Vt sub exemplo loquar, Quandoquidem in res creatas continentes, mutationi

Gen. 1. Mundi creatio, homo in eo princeps.

Dei cognitio ex mundo mutabili.

alteratio

alterationique intelligimus esse obnoxias, quæque gignantur & crescant ac corruptione intereant. Nam & Angeli, tametsi incorporei sunt ac vacant materia, si tamen cum Dei purissima simplicitate conferantur, ipsi quoque compositi sunt; quocirca etiam intelliguntur mutationi obnoxij, Mundúsque universus, nec ipse à corruptione immunis existit. Hæc simul conferentes, quatenus ratione præditi sumus, in hunc modum argumus. Cùm omnia in aspectum cadentia mutabilia sint, eaque aliis alias qualitates motu detergente assumant; liquet etiam esse creata. Quicquid enim creatum est, hisce obnoxium affectibus est: ac quicquid his affectibus est obnoxium, creatura est. Sin autem hæc creata sunt, planè aliquo auctore sunt creata, estque necesse eum qui condidit, increatum esse, & ab omni mutatione immunem. Nam, si & ille creatus est, liquet ab alio creatum esse. Ac rursus, si & ille creatus est, adhuc & ipse ab alio hoc ipsum nactus est, sicque in infinitum, dum ad aliquid deveniamus reipsa increatum. Quod si increatum, nulli etiam mutationi obnoxium. Si autem nulli obnoxium mutationi, ipsum explorate Deum.

Angeli ipsi compositi.

Ex his igitur indéque rursus, quod mundus ex multis diversisque seu distinctis & contrariis compositus, eodem iugiter ordine consistit, tantáque continetur moles ac conservatur. Nec enim temerè ac casu se res ita habent: Nam neque domus, neque navis continerique ac servari potest, cùm nemo est qui regat & administret atque gubernet. Ex his aliisque quibusdam eiusdem generis certò concludimus, Deum increatum esse & immutabilem, qui & creata omnia, visibilia invisibiliaque condidit, quique hæc optima ratione, velut sua opera, insuperabili potentia agit, gubernatque ac regit. Atque hinc credimus mundum non casu extitisse, uti malè quidam opinati sunt.

Ex mundi gubernatione eiusque immutatione.

Rursus simili ratione in hunc fere modum argumentamur. Si dixerimus esse plures Deos, necesse est ut distinctos diversosque eos statuamus. Vbi enim multitudo, ibi etiam distinctio seu diversitas, ac contrarietas existit. Sin autem distinctos diversosque eos statuimus, quinam fiat ut sint perfecti? Qua enim ratione alter ab altero differt, ea illo deficitur, cui illud desideretur, defectúque laborat, ut vel sapientia vel potentia, vel alia quædam excellentia ei desit. Alter itaque altero egebit, atque adeò neque perfecti erunt nec incircumscripti. Nam neque fieri potest, ut sint multa per se infinita ac incircumscripta. Per accidens tamen nihil vetat, cuiusmodi est mare infinitum, infinitéque fusa camporum spatia. Quonam igitur modo qui sic alter altero egeant, verè increati omnisque expertes finis sint, ac immortales Dij?

Dei unitas, ab eius infinitate.

Ad hæc, cùm ubi distinctio ac discretio, ibi & inæqualitas sit & contrarietas, siquidem concordes animis sint, ac cùm distincta discretáque existant, unius sint participes, qui ad unum cogantur, potiori longè ratione illud Deus erit, quod sic distincta discretáque unione cogit. Nam & quod ordinem imponit, eo maius est & perfectius, quod impositum recipit. Nec aliter contingat, si quis etiam unumquemque partem imperio subiectam tenere (quæ Græcorum opinio fuit) dixerit. Quæremus enim, Quidnam porro sic inter illos distributis partibus, alios aliis præesse constituerit; putà, alium cœlo, terræ alium, aliumque rebus aliis dominari? Potiori enim ratione illud Deus extiterit. Sin autem (quod & necessariò contingat) inter multos atque discretos diversosque pugna sequatur, contrariisque affectibus eâ iam turbâ dissideant, dissolvetur mundus, cùm ij quibus regitur ac gubernatur, sic diversi, ac secum ipsi pugnantes, extiterint. Ex his itaque concludimus esse unum Deum perfectum ac infinitum, incircumscriptumque, huius rerum universitatis conditorem ac gubernatorem; quod ita esse, etiam divina Scriptura disertè tradit.

Quod nisi uno rectore, concordia non sit. Damasc. l. 1. c. 5. Gregor. Orat. 35.

Rursus, cùm quicquid movetur, ab alio moveatur, dum exquirimus istud etiam, ac illud quis moveat, longo tandem processu, necesse est ut ad rem aliquam veniamus, quæ moveat quidem reliqua, ipsa verò à nullo moveatur. Primus enim Motor, immobilis est: hicque adeò unus Deus est, quo nihil prius intelligatur. Igitur hinc quoque concludimus, Deum immobilem esse & immutabilem, infinita virtute seu potentia præditum. Nisi enim ea infinita præditus esset, potentiam voluntati parem eique comitem haudquaquam haberet; *attingens* citra omnem laborem *à fine usque ad finē fortiter, omniaque suaviter disponens* ac regens.

Quod Deus primus motor.

Infinita Dei potentia. Sap. 8. 1.

Præterea, nisi Deus infinita potentia præditus esset, nec infinitus nec incircumscriptus, neque perfectus esset. Quia verò infinitus & incircumscriptus & perfectus est, infinita quoque virtute ac potentia præditus est. Ac siquidem ea præditus est virtute & potentia infinitus & incircumscriptus & infinitus est. Quicquid enim est finitum, huius potentia ac virtus minimè infinita est.

Dei simplicitas.

Præterea, quia rem quamlibet ex quatuor elementis videmus constare, & in ea resolvi; ad hæc verò etiā elementa ex materia ac qualitatibus constituta, ratione solum subtilique cogitatu in ea dividi, putà, terram in materiam & qualitates in ea existentes, frigiditatem scilicet & siccitatem; quibus accedunt gravitas, figura, color, ac quod medium universi locum tenet, quæ utique earum rerum proprietates existunt, quæ compositæ sunt. Similiter quoque reliqua, si quis animo consideraverit, eodem modo se habere inveniet, quamobrem etiam imperfecta sunt & dividua & composita; idcirco Deum simplicem individuúmque ac perfectionem asserimus, qui nihil eiusmodi habeat, nec ex diversis rebus, cuiusmodi sunt quæ ex elementis constituta sunt, consistat. Etenim ait Damas. in Theologicis suis Capitibus, non dicendam in Deo qualitatem, ne eum compositum ex substantia & qualitate dixerimus. Si quidem enim compositio in Deo dicatur, erit in eo dissolutio. Compositio enim pugnæ origo est; pugna verò, divortij; divortium autem, dissolutionis. Atqui Deum incorporeum & infinitum & immensum & simplicem, nullique interitioni aut labi obnoxium, cum lex naturalis docet, tum Scriptura prædicat ac loquitur: Nulla ergo in eo dissolutio seu interitus: id enim procul abhorret à Deo.

Dam. l. 1. c. 4.

Ex his autem colligimus, Deum ubique esse. Ei enim qui incircumscriptus sit ac infinitus, cunctáque noverit, comes est, ut ubique præsens sit. Nam, ut auctor est, divinarum rerum scientia clarissimus Dionys. *Divinum, individuum est, totum prorsus ubique existens. Neque pars in parte corporum more dividitur; sed totum in omnibus, totumque universis præstans ac eminens. Ac videtur quidem esse, diciturque unius Dei discretio longéque fusa multiplicatio; est tamen Deus eius deitatis origo eique eminens, superessentialiter unus Deus, sibi ipse individuè individuus unitus, inque multis incommixtus ac immultiplicabilis.* Rursúsque illo prior ait Scriptura, *Nonne cœlum & terram ego impleo, dicit Dominus?* Cœlū quoq; eius sedes dicitur, terra verò scabellum; quibus Scriptura significat, esse illum ubique ac cuncta replere, nec quicquam extra ambitum efficacissimæ summæque comprehensionis virtutis eius excedere.

Dei immensitas.

De Div. nom. c. 2. § 11.

Isa. 66. 1.

Ad hæc, quoniam videmus esse in mundo viventia, sapientiáque ac bonitate prædita; eorumque in se rationes, ut omnium auctor, Deus præhabet. Ait namque Apostolus, ipsum omnia esse, exque ipso facta esse, & in eo constare; Atque ut divinissimus Ioannes in Apocalypsi ait, quendam de Senioribus sibi dixisse, *Cuncta erant, & facta sunt.* Idque exponens divinus Maximus, Ideas ait, quod erant; imagines verò & simulacra idearum, seu exemplarium, quod facta sunt, intelligimus eum qui viventia condidit, & creata omnia in sapientia fecit, Angelosque & homines sapientia imbuit, ac qui lumen oculis subiectum produxit, vitam esse & lucem & sapientiam: hicque adeo longè illic perfectius, quàm in rebus oculis subiectis elucere. Ait namque divinus Dionys. quæ in effectis perfectiones

Deus omnia & in eo omnis. 1. Cor. 8. 10. Col. 1. 16. 17. Apoc. 21. Cap. 5 de div. nom. § 1. 3. 4.

existunt,

A

existunt, longè prius in causis existere; iisque abundè ac essentialiter effecta inesse: cuncta denique in omnium Auctore existere, quæque alia aliis contraria sunt, comprehensione singularique una ratione & uniformiter ac unitè. Etenim Deus cuncta producens, illis omnibus, tum nimirum inanimis, tum stirpibus, túmq; præditis ratione tum ea carentibus, pro ipsorum ratione convenientes perfectiones tribuit; résque singulæ Auctori suo Deo uniuntur, quantum eius participes sunt. Participant autem magis & minus, pro suæ nimirum perfectionis rata ratione: nempe inanima, ea duntaxat ratione, qua sunt: stirpes vero, etiam qua vivunt: brutæ animantes, quod & sunt & vivunt & sentiunt: ratione prædita, quod & sunt & vivunt, & sentiunt & intelligunt; virtutisque & sapientiæ & iustitiæ ac reliquorum commercium ineunt. Sed & utentium ratione distinctio est, aliorúmque præ aliis maior præstantia. Angeli enim perfectiores sunt, à mortaliū scilicet corporum contuuctione liberi; homines vero illis imperfectiores, qui subiaceant malis corporis. Quin & hi quoque alij aliis præstare possint, si modo in Deū conversis animis, acri diligentia illi similes effici studuerint. Quantum enim ad ipsum convertumur, tantū similes ei efficimur; quantumque ei efficimur similes, tantū illius participes reddimur; ac quantùm illius reddimur participes, tantum ipsi unimur, æterno nimirum omniū Auctori, qui omnium sedes ac quies est.

Creatorum distinctio, maiorque & minor eorū perfectio.

B

Absit itaque unqoam dicamus, quæ in nobis perfectiones ac dotes sunt, easdem ac suprema Dei perfectio esse. Non enim eadem vita Deus & homines vivunt, aut eadem sapientiá ipse & Angeli atque homines sunt sapientes (est enim id absurdum) nec eadem bonitate ille ac nos boni sumus. Consequens enim foret, nos quoque, perinde ac ille, Deos esse. Quorū enim pares dotes sunt ac perfectiones, pares sunt & essentię. Quamobrem Deus citra omnem comparationem, tum nobis, tum iis omnibus, quæ in nobis sunt, eminet. Nos enim ex tempore ac participatione omnia sumus, quæcunque tandem habuerimus; Deus autem æternè atq; naturá vereque ac primò bonus est, sapiens, conditor, vita, sanctimonia (quicquid denique aliquis eum dicit) ut rerum prima causa summáque origo. Cúmque Deus naturá bonus sit, nunquam malorum auctor extiterit. Eius enim qui vere ac propriè bonus sit, id proprium est, ut quæ bona sunt, semper præbeat. Sin autem videmus quædam mala in mundo evenire, eorum tamen nec ipse auctor est, nec ulla alia contraria Potestas, sed cùm ipsi à bono recedamus, in malo invenimur: isque adeo mali ortus est ac effectio; uti etiam tenebrarum, lucis abscessus. Nos ipsi itaque eius auctores sumus. Qui enim eum, qui ab omni immunis affectu est, per prava opera ad iracundiam provocemus, pro delictorum ratione pœnas luimus. Atque hæc quidem apud nos usuque humano mala videntur, qui eorum causas nesciamus: Sin autem quis rectè iudicare noverit, ipsa quoque bona offendet, quippe cùm nostræ causa fiant utilitatis. Nam & Medici ægrotum secant ac urunt, ut pristinæ sanitati restituant. Siquidem igitur causas reputantes, gratias agentes sustineous, commodum ex illis reportamus: Emundamur enim à delictis ac castigamur, atque adeo melioris frugis inde efficimur. Sin autem velut saxa duri perseveramus, adhucque offendimos, qui irremediabiliter in mala intenti simus, à Deo derelinquimur, ipsóque abs se alienos effectos abdicante, à diabolo, cui nos per mala opera devinximus, agimur ferimurque.

... Deus ... Auctor ... & quies. *Aurea ... perfectionum & ... creatarū* *Axioma.*

C

Deus nō mali auctor, sed sola voluntas devians à bono. De div. nom. g. 4

Mala pœnæ, ipsa bona intelligentibus.

D

Quæ igitur à Deo fiunt, alia propensioris sunt voluntatis, cum eius faciendo voluntates, bona ab eo atque munera consequimur; alia secundum permissionē ac quasi indulgentiam, cùm peccantes, emendationis causa punimur, & ut ad meliorem frugem reducamur, alia secundum derelictionem, per eum, quem diximus, modum. Atque alia quidem ut alij erudiantur, contingunt, alia verò ad probationem ac copiosiorem mercedem, ut res se in Apostolis habuit ac Sanctis reliquis.

Divina voluntas ut dict.

Æ... à Deo.

E

Prorsúsque nihil citra causam contingit, tametsi illorum nos rationes lateant. Nam ne passerem quidem in laqueum incidere, sine Patris nostri voluntate, in Evangeliis audivimus. Cùm autem nos Deum contristare, aut ad iracundiam provocare dicimus, haud necesse ut aliquam ei passionem affingamus; uti neque ut manus aut pedes, iuxta quod scriptum est: *Manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me.* Et, *Audivi vocem tuam deambulantis in paradiso ad meridiem, & abscondi me.* Neque verò oculos palpebrásque & visum & os, atque talia (hæc enim ex corporibus assumentes, humanóque ritu usurpantes, occulto quodam pioque intellectu de Deo dicimus. Fieri enim non potest, cùm simus homines, ut aliter Deum intelligamus, déque eo loquamur, nisi pro humano ritu simulacris, figurisque ac symbolis usi fuerimus, inquit Damascenus) sed quia perversa voluntate malisque operibus ab eo ipsi abscedimus, *ob quæ venit ira Dei in filios inobedientiæ*, uti scriptum est; hincque adeò contingit in doloribus ac ærumnis versari malisque affici, uti etiam apud homines usu venit, cùm servi heris immorigeri fuerint, idcirco humana usi consuetudine, dicimus, contristasse nos Deum, Deumque nobis iratum esse. Non igitur quæ extra rationem existat, ulla eiusmodi affectio Deo tribuenda sit. Nam Deus quidem ab omni immunis affectu ac labe est, nos verò iis obnoxij atque mortales sumus, ex quibus hæc sumpta sunt. Velut etiam cum dicimus, *Dominus propitius factus est nobis*, Et, *Domine refugium factus es nobis*. Et, *Dominus dilexit nos*, nullum in eo accidens ponendum est. Non enim cùm ante non esset, postea refugium factus est; nec cùm prius non diligeret, postea dilexit. Quomodo enim, qui ante mundi constitutionem dilexit, quos prædestinavit, quemadmodum Scriptura testis est: sed motus omnis ac mutatio circa nos contingit. Postquam enim ad eum conversi, ipsum invenerimus, ab eo nos dicimus cœpisse diligi, cuius humanitatis ac clementiæ periculum faciamus, qui nimirum recedendo à Deo & ad eum accedendo, odio habeamur, aut diligamur. Rursus verò ad eum accedimus, vel ab eo recedimus, non locorum intervallis (nam Deus ubique est) sed accedimus similitudine; recedimus verò ac elongamur, dissimilitudine. Etenim naturæ conditor velut semen ad eum enitendi animis nostris inseruit, quo velut stimulo ad Dei imitationem urgemur. Ait enim, *Estote misericordes, sicut Pater vester cælestis*: Et, *Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi.* Divinus quoque Dionysius, in libro de Divinis nominibus, *Deum*, inquit, *qui est super omnia, aiunt nulli esse similem: largiri tamen divinam similitudinem, his qui ad ipsum convertantur.* Ac rursus, *Hæc itaque dicenda Deo similia, quæ sunt ad Dei imaginem & similitudinem. Neque enim Deum eis similem dixerimus; nam nec homo suæ similis imagini est. Sed similiendo primùm est eorum bonorum, quæ nobis à Deo insunt,* Sive enim Sancti, sive dij, sive servi sumus, sive domini, ad similitudinem sumus conditi. Hoc enim sensu ait Apostolus, *Renovamini in novitate sensus vestri.* Hæc enim novo homini dicuntur, qui renovatur in agnitione Dei secundùm imitationem eius, qui eum ad imaginem creavit. Non itaque Deus mutatur, quemadmodum dicebamus; sed nos sumus quos mutatio attingit, uti etiam lumen, ægris oculis grave est ac molestum; sanis verò atque robustis, lene ac suave, non pro sua, sed pro eorum imbecillitate ac mutatione.

Mat. 10. 29. *Deum cōtristari, eiusque ira.* *Psal. 118. 71.* *Gen. 3. 10*

F

Eph. 5. 6.

Ps. 98. 8. & 89. 1. Rom. 8. 29.

G

Insitum nobis semen enitendi ad Deum. *Luc. 6. 36* *Eph. 5. 1.* *De div. nom. c. 9 p. 151. Lansel.*

Deus, nō nobis similis; sed nos illi.

Roman. 12 *Col. 3. 10*

H

Simili quoque ratione, cùm & Creator Rexque ac Dominus dicatur, non hæc illi postea adveniunt; sed motus iis in rebus intelligitur, quæ ex tempore sunt, cùm ipse ab æterno ante omnia sæcula, & Creator & Provisor & Dominus atque Rex sit. Hæc verò illi à nobis tribuuntur, posteaquam in tempore conditi sumus, quod & illa ad nos dicantur. Etenim præerat quidem creatura in rerum Auctore, sed non ut creatura atque factio seu opus, sed ut ratio ac exemplar. Idcirco erat Deus ante omnia sæcula rerum opifex ac

Ab æterno Creator, & quasi fundamento; quod solū in tempore creaturæ ad eū dicatur.

Conditor

A

Conditor, nulla tamen relatione ac absolutè: quam verò ad creata relationem habet, cùm ad terminum temporaneum dicatur, propter illa est ac nuncupatur. Sin autem quis eam in Deo ab æterno putauerit, necessariò etiam creata Deo coæterna dabit. Deus itaque cùm perfectus sit, & ab æterno condendi pariter ac providendi potestate fultus postea etiam conditor atque provisor, rebus conditis à nobis appellatus est, quod relatio hæc ad eas attineat. Cùm enim creata non essent, liquet quod nec eorum creatio dicebatur, nec conservatio. Ait enim cui cum fratre inscriptus Iambis vultus, Theodorus, *Quorum enim fuerit providentia, cum nemo sit qui per eam salvus ac incolumis præstetur? Providentia enim eorum est, quæ in singulos geruntur.* Sed & divinus Gregorius Nyssenus, *Quemadmodum*, inquit, *haud atque nisi ægrotantium causâ esset Medicus; nec misericors atque humanus ac ejusmodi nominaretur, nisi cui illa opus essent: ita neque omnium conservator ac cuncta tenens, nisi omnis creatura, ipsam continente ac conservante indigeret.* Postremò Damascenus, *Providentia*, inquit, *est quam Deus curam adhibet rebus.*

Theod. Graptus. Vitam repræsentavi ipsumet auctore in O i CP. Gregor. Nyss.

B

Lib. 2. c. 30.

Pedes autem atque incessum, manusque ac talia, cùm de Deo, humano more, uti dicebamur, assumimus, certa quadam ratione cum iis quæ crassius pro corporum ratione sumpta sunt, etiam conceptus exponimus. Nempe hoc vult Scriptura, ut ex pedum gressu Dei adventum & præsentiam significet, sive ut his qui egent, opituletur, sive ut inimicus ulciscatur, vel aliorum aliquid operetur; quod nimirum pedum officio atque munere, accedere ipsi soleamus. Manus autem cùm dicimus, divinæ virtutis ac potentiæ vim in omnibus efficacissimam promptissimamque innuimus; quod nos etiam necessaria munia longéque præstantiora, manibus nostris impleamus. Porro dexteram vocamus, quò ejus in Sanctos opem significemus; ea scilicet ratione quod nos quoque in iis quæ majorem honestatem habent suntque præstantiora ac maximo egent robore, proclivè dextera utamur. Cùm autem Dei oculos, visumque & palpebras dicimus, ejus vim omnium inspectricem, ac, quam nihil lateat, scientiam significare volumus; quod hoc potissimùm sensu perfectiorem scientiam ac certitudinem nanciscamur. Os autem ejusque sermonem seu locutionem, ejus voluntatis manifestationem vocamus; quod scilicet usu humano oris munere ac locutione animi sensa aperiamus. Atque ut summâ dicam, ejusmodi omnia in Deo dicimus, ut ex nostris operationibus ac virtutibus, quæ nobis superiora sunt intelligamus, résque humanas, eorum quæ majora sunt exemplum faciamus, uti ferè illis accidit, qui in exiguo laterculo ac tabella, cœli orbem depingunt; idemque in aliis omnibus nominibus quæ de Deo dicuntur.

Membra corporea de Deo dicta. Pedes.

Manus.

Dextera.

C

Oculi, visus.

Os.

Vere itaque (quod initiò dicebamus) Deus innominabilis est, ut qui omni nomine superior sit; nec ejus essentiæ terminus, seu definitio est. Nam si ea vis definitionis est; ut rem, de qua dicitur, contineat ac manifestet, quînam fiat, ut quod infinitum est ac incircumscriptum, ulla definitionis vi atque nominis manifestetur ac comprehendatur? Ac, si rerum notitiæ sunt, quonam modo intelligetur, quod rebus omnibus omni quoque substantia (seu essentia) ac ipso postremum esse, superius est? Quod si supra omnem essentiam, palam est & supra omnem esse notitiam. Alio autem modo ex virtutibus ac operationibus, tum intelligitur, tum & nominatur, multisque nominibus dicitur. Etenim dum affirmando, eum esse dicimus, ut est illud. *Ego sum qui sum*, ac simpliciter, ut rerum auctorem, & qui erat estque & futurus est, nominamus, non ipsum quidnam sit repræsentamus. Siquidem Deum (*Græcè* Θεὸν) appellamus, non ejus declaramus naturam, sed quod vel currat (ἐκ θέειν) resque obeat, ac curet; vel ἐκ τοῦ αἴθειν, quod scilicet comburat, sumpta nominis appellatio est (*Deus* enim *ignis est, consumens* omnem pravitatem) quod nempe res, pro eo ac natæ sunt, præstet incolumes: vel ἀπὸ τοῦ θεᾶσθαι, quod scilicet omnia contueatur; nihil quippe eum latere potest, omnium denique inspector est. Sapientem dum dicimus, quod ita nuncupamus, ea sapientia quæ in mundo elucet, accipimur, uti Magnus Basilius dixit primo capite Libri Proverbiorum, prout fusque textus ille, *Dominus creavit me initium viarum suarum*, de sapientia sic in mundo elucente loquitur; quæ vix non vocem emittat, per ea quæ oculis conspicua sunt, factáque hæc Deo auctore loquatur. De hac enim etiam Prophetæ quænam sit in quæstionem vertunt ac disputant, uti etiam eruditissimus Sirach ait, *Radix Sapientia cui revelata est, & astutias eius quis novit? Unus est Sapiens, metuendus nimis sedens super thronum suum: ipse creavit eam, & effudit illam super omnia opera sua.* Si potentiam ac virtutem eum dicimus, hoc significamus, esse omnium eorum quæ facta sunt conservatorem, vimque qua hæc contineantur ac incolumia persistent subministrare. Ac rursus, ex rerum conservatione Providentiam ipsum appellamus. *Deus enim rerum omnium curam gerit*, ut ait Magnus Athanasius, libro 2. contra Arianos. Lucem verò dicimus, ut auctorem lucis, & ut animorum, ratione vitaque nitentium, splendorem. Nam si ignorantia & peccatum tenebræ dicuntur, planè fit ut scientia vitaque religiosis moribus instituta, lux sit. Nam & divinus Dionysius, quo loco divinam Lucis nuncupationem exponit, *Bonum*, inquit, *quod omni luci eminet, Lux nuncupatur, eo quod ignorantiam ac errorem fuget, mentisque oculos scientia impleat. Ego enim*, inquit, *Lux veni in mundum*. Et, *Lucerna pedibus meis verbum tuum & lumen semitis meis*. Et, *Lux mandata tua super terram.* Deinde verò Vitam dicimus, quod natura, omnisque naturæ utentis ratione ac quæ ejus expers existat, vigor ac constitutio sit. *In ipso enim vivimus & movemur & sumus.*

Deus innominabilis. Perinde Dionys. Greg. & Damasc.

D

Damasc. l. 1. c. 9. & 11. De multa nomina ex creatis explicata.

Exod. 3. 14. Qui est. Deus. Θεός. Deut. 4. 24.

E

Sapientiâ ac sapiens. Pro. 8. 22. Sapientiâ creata.

Eccl. 1. 6.

Potentiâ seu virtus.

F

Providentia. Athanas. contra Arian. Lux. De Divin. nom. c. 4. Joan. 12. 46. Ps. 118. 105 Esai 26. 9 V 12. Dion. 6. c. de Divin. nom. Act. 17. 28

Omnia itaque vocatur, velut omnium auctor; nec his tamen ejus essentia quid sit ostenditur. Sic enim ait Damascenus, Ut auctor omnis essentiæ atque omnium quæ sunt, tum qui est seu ens, tum essentia dicitur. Utque auctor omnis rationis ac sapientiæ, præditique ratione ac sapientis, Ratio dicitur utensque ratione, Sapientiaque & sapiens similiter, etiam Mens ac mente intelligens, Vita ac vivens, Potentia & potens; nec aliter de omnibus reliquis. Cùm itaque ex iis nominibus quæ affirmandi ratione dicuntur, ejus minimè ostendatur essentia; potiori longè ratione neque ea iis, quæ per negationem feruntur. Nulla enim negatio ac inficiatio, ullius rei quid est essentiámque significat, sed quid non est, cùm rei amotio, non cujusquam positio sit. Cùm enim essentiæ, aut principij aut ve temporis expertem, aut invisibilem aut incorruptibilem dicimus, hoc significamus, supra essentiam, principiumque & tempus omnemque aspectum ac corruptionem esse; non quod non sit ac existat, velut id quod nusquam prorsus est aut existit; sed quod secundùm excellentiam extra res omnes est, nec ulla est rerum, sed cunctis eminet. Simili quoque ratione, supra quam Deum dum dicimus, iis omnibus qui per gratiam dij sunt, eum superiorem significamus. Immobilem quoque, quod à nullo mobilis sit, sed potius ea ipse vi polleat, qua omnium motor existat. Incorporeum item, quod corpus non existat; nec non ingenitum (Græcè ἀγένητον, quod increatum significat, dum uno ν scribitur. Genitum verò ex Patre, dum duplici) quod à nullo procreationis ortum, & ut esset, acceperit. Infinitum verò, quod nullum habeat terminum; nec humano ullo cogitatu comprehendatur.

Lib. 1. c. 3.

G

Negantia nomina, Dei essentiam non declarant.

Quid. τὸ ὑπέρ-ουσιον; &c.

ὑπέρ-θεος.

H

Ingenitus, sic & Greg. & Damasc. etsi nec ipsi alii que istud observant.

Hactenus autem ex iis quæ affirmatè dicuntur, convenientius sit Deum nominari. Affirmationes enim, existentiam & quod est significant negationes verò, privationem entisque absentiam. Porro nobilius meliusque quod ens est, eo quod non ens; existentiáque nihilo ac privatione. Nam & existentia atque ens, ad bonum spectant, non ens verò & privatio, ad malum. Bonum enim ens est, entisque auctor & existentiæ: Malum autem non ens, bonique & entis privatio.

Affirmantia convenientiora in Deo.

A

Nobiliora essi- nomina Deo convenientiora.

Ac rursus, ex iis quæ affirmatè dicuntur, convenientius à nobilioribus ac iis quæ ad ipsum magis accedant, nominabitur. Porrò nobiliora illa existunt, quæ magis ipsum participant. Præstat igitur ab his eum nominare, Solem, Lucem, Diem, Vitam, Ignem, Spiritum, Aquam, vt qui Bonum vitale existat, quàm tenebras ac noctem, aliáque dictis contraria. Nominatur enim Deus etiam nox ac tenebræ; quæ sunt quidem affirmantia, at quæ vim excellentis negationis habeant.

Deus nox ac tenebræ.

Deum enim tenebras vocamus, ob ejus occultam ignotámque essentiam; non quod Deus tenebræ sit, sed quod non sit lux, qualem nimirum oculis vsurpamus, sed supra omnem lucem. Eodem autem modo rursus etiam Lucem dicimus, vt non esse tenebras significemus, quales sunt quæ animo intelliguntur; qui nimirum hocce istis studeamus, vt quicquid in Deo cogitaverimus omnémque de eo mentis informationem ab ipso removeamus, velut qui essentia omni ac cogitatu superior sit. Haud rarò verò etiam ex vtrisque (affirmatione & negatione) ipsum nominamus, vt cùm dicimus, *Superessentialis essentia, Supra quàm deus Deitas, Principium principio omni superius*; vt nimirum qua parte infitiando loquimur, esse Deum supra ea quæ sunt, eúsque qui dij per gratiam vocantur, ac quod vis tandem dicamus principium, significemus; quò scilicet Deum his omnibus eminere intelligamus, nec divinæ naturæ Majestatem, ad corporalem vllum cogitatum animíque informationem detrahamus; qua parte verò affirmatè efferimus, veram essentiam, verúmque Deum & verum principium ipsum comprehendamus, omnémque privationem imperfecti conceptus ac cogitatus ab eo removeamus.

B

Infitiationis in divinis ratio & vsus, ac affirmationum.

Vnde quamvis Damascenus affirmanti Theologiæ in Deo magis tribuat, divinus verò Dionysius, neganti, eáque ratione videantur inter se dissentire, sensu tamen jam explicato, rectè dispicientibus valde etiam consentire comperiuntur.

Igitur, vt dicebamus, Essentiæ quidem ratione Deus innominabilis est, ad operationes autem ac virtutes quod attinet, multiplex nominibus est. Nam Divinum, id quod eadem est, vnum naturâ est: verùm operationibus ac virtutibus varium est. Vt enim auctor est divinus Apostolus, *Deus per visibilia* iésq; oculis subjectas, *conspicitur*; cúmque hæc multa sint & diversa; meritò etiam multis eum nominibus, quatenus auctor ac causa est, indigetamus.

Rom. 1. 20.

C

Divine nomina plura ex creatis.

Teste enim beato Gregorio, ex illis nominum segetem trahimus. Ait enim, *Quæ in universo miracula conspiciuntur, Theologicorum nominum materiam ministrant; vnde Sapientem, Potentem Sanctum, Bonum, Beatum, Æternum, Judicem, Servatorem, & quæ eius generis sunt, eum nuncupamus.* Nomina itaque sensáque, pro humanæ mentis ratione ac facultate ex operationibus ac virtutibus, cogitationibus nostris collecta, quæ multa sint ac diversa, aliáq; masculinè, femininè alia, atque alia neutro genere proferuntur, vim habent ostendendæ Majestatis, vt auctor est Magnus Basilius, Confutationum lib. 3. atque vnum nobis Deum significat. ad ejúsque nos conceptum ducunt; ad vnum scilicet exile quoddam ac obscurius illius simulacrum & repræsentationem, ut Gregorius Theologus loquitur; nec quicquam nominum illa prolatione, mentísque ac intelligentiæ imbecillitate, cogimur, ut vel masculum vel feminam illic intelligamus; sed omnem cogitatum omnemque infirmitatem, quæ rerum ortui ac interitioni obnoxiarum affectio sit, procul abigamus: atque id verò necesse ut faciamus.

Basil. adversus Eunom. Orat. 16. p. 589.

D

Docet verò rursum idem quoque Magnus Basilius, libro quidem ad Eustathium, *Divina sensa atque nomina, ad unum subjectum mentem manuducere; ac quæcunque dixeris nomina, id quod omnibus significatur, unum esse: Sive Deum dixeris, eundem ostendisti, quem & nominibus reliquis.* Priore verò adversus Eunomium, sic disertè ait, *Dominus noster Iesus Christus, cùm de seipso verba faceret, & Deitatis in homines affectum ac Incarnationis gratiam subaperiret, quibusdam proprietatibus, quas in eo considerare possimus, eam significavit. (Ipsum enim seipsum & vitam & panem & vitem & pastorem & lucem nominavit: non quod multis nominibus præditus sit: nec enim cuncta hæc nomina eodem inter se tendunt. Siquidem aliud lux, aliud vitis, aliud via, aliud pastor significat: sed cùm unum quiddam sit, quatenus subjecti rationem habet, unaque substantia & simplex omnique vacans compositione, alias alster seipsum nominat, sibi ipse diversas appellationes subtili mentis cogitatu rationibusque inter se distinctas accommodans. Pro operationum enim effectorumque diversitate, atque ad ea quæ beneficio afficiuntur necessitudine, diversa quoque sibi nomina tribuit. Nam cùm se mundi lumen dicit, partim inaccessam divinæ gloriæ Majestatem hoc nomine significat, partim quod splendore scientiæ, eos, qui mentis oculos depurgatos habent, illuminet. Vitem verò, quod omnes qui in eo per fidem radices egerunt, bonarum operationum fertilitate enutriat. Panem autem, quod partis animi utentis rationis convenientissimus cibus est, eius vigorem continens, ac proprietatem servans incolumem, semperque à seipso quod defluit sarciens, nec ad ægritudinem, quæ ex bruta animi affectione inolescit, prolabi sinens. Ita si quis singula nominum pertractabit, varias rationes ac conceptus possit invenire, quamvis unum secundum substantiam iis omnibus subjiciatur. De Deo, unum hoc comprehendi potest*, ait Gregorius Theologus, *quòd infinitum est.* Gregorius item Nyssenus, *In eo quod comprehendi non potest, eius cognitio est.* Hæc enim ejus propriissima nota ac insigne, quod ejus natura, concepto omni propria quasi nota distinguente ac insignienter, superior est.

Epist. 80. p. 903.

Contra Eunom. l. 1. p. 14.

E

Ioan 1. 7. & 14. 6. & 6. 35. & 15. 1. & 11. 14. & 8. 12.

Divina nomina, eorumque ratio.

F

Orat. 34.

Deus nobis incomprehensus.

Id verò cùm se ita habeat, si quis quærat, Quomodo alioqui Scriptura dicat, Vidisse Deum Prophetas, cujusmodi est illud, *Vidi Dominum Sabaoth, sedentem super solium excelsum & elevatum*, & quæ sunt ejus generis, non ideo sublata Dei infinitas est: Ait enim Gregorius Theologus in Theologicis suis Orationibus, *Etsi quis cognovit Deum, aut cognovisse Scriptura teste dicitur, eatenus cognovisse censendus est, quatenus uberioris splendoris particeps sit, quàm qui minus luminis divinitus accepit. Ita exuperantia hæc, plena & omnibus numeris absoluta cognitio habita est, non ad rei ipsius veritatem, sed ad aliorum modulum & facultatem perpensa.* Sed & Prophetarum visa in eisdem spectra vocat, deque illis quæ iis conspecta sunt, universè fert sententiam. *Ita & hæc, sive diurnum quoddam hoc spectrum, solis viris sanctis spectabile, sive minimè fallax noctis visio; sive mentis impressio quædam & informatio, sic cum rebus futuris ac cum præsentibus versans; sive arcanum quoddam aliud prophetiæ genus, dicere nequeo: Novit hoc Prophetarum Deus, & qui hisce modis afflantur. Cæterum neque hi, de quibus sermo, nec quispiam alius eiusdem generis atque ordinis, in Dei substantia & essentia stetit, ut Scriptura loquitur, nec Dei naturam aut vidit, aut aliis prodidit ac manifestavit.* Quin & de Abrahamo sic ait, *Non ut Deum vidit, sed ut hominem aluit.* Præterea, quam & ipse cum Mose præsenti vita à Deo cognitionem & videat & experiatur, enarrans, *Aliquantum*, inquit, *prospiciens, non primam ac purissimam vidi naturam, sibique ipsi, id est, Trinitati notam, & quanta primo velo obtenditur, & à Cherubim obtegitur; verùm quanta postrema est & ad nos pertingit. Ea autem est, ut quidem ipse cognitione assequor. Majestas illa, sive etiam, ut divinus David appellat, Magnificentia, quæ in rebus ab eo creatis productisque ac gubernatis elucet. Hæc enim Dei posteriora sunt, quæcunque post eum existunt, nobisque ipsius Numen declarant.* Quænam verò sic declarantia, ejúsque velut notæ existant, ut ostenderet, adjecit, *Non secus videlicet ac Solis in aquis umbra ac simulacra, infirmis oculis solem repræsentant; quandoquidem eum obtueri non liceat, ut pote lucis puritate sensum superantem.* Cunctaque demũ concludens, *Ad hunc itaq; modum*, inquit, *pro Theologi munere de Deo disputabis, vel si Moses Deúsq; Pharaonis extiteris; vel si ad tertiũ ipsum cœlum, velut Paulus, evaseris, illoque superior effectus Angelicam*

Isai. 6. 1.

Orat. 34. p. 548.

G

Ib. p. 550. Visionis Prophetiæ gradu.

Ier. 23. 18.

Ib. 549.

Ib. p. 538.

H

Dei posteriora nobis nota.

Ps. 8. 2.

Simile.

Exod. 7. 1.

2. Cor. 12. 2.

stationem

[A] [Lib. 1. p. 14.] *stationem atque ordinem nactus fueris.* Magnus verò Basil. lib. 1. adversus Eunomium, ait: *Quæcunque apud Theologos de Dei essentia conscripta videntur, tropologia quadam, seu etiam allegoria ad alias mentem sententias ac cogitationes avocant.* Ad hæc etiam divinus Chrysostomus in iis Orationibus [Orat. 2. p. 331. 332. 318], quas de Incomprehensibili habuit, nec à Seraphim quidem videri Deum asserit. Sed & Prophetarum Sanctorúmque visiones omnes, συγκαταβάσεις (nos *condescensus* dicamus, si ita liceat loqui, seu demittentia se Dei inclinationes) declarant. Exponens verò etiam quidnam sit condescensus subjungit, dicens: *Est autem condescensus cùm apparet Deus, non sicuti est, sed cùm se pro eius facultate, qui videre potest, sic seipsum exhibet, videntium imbecillitati commetiens, quod se spectandum præbet.* In veteri quoque Testamento, tanquam ex Dei persona dicitur [Osee 12. 10.]: *Ego visiones multiplicavi, & in manibus Prophetarum assimilatus sum.* Divinus autem Dionys. [De div. nom. c. 6 p. 318 Lansel.] sic ait: *Quòd si etiam Clemens Philosophus, quæ in rebus principatum tenent, exemplaria ad aliquid dici sentit, progreditur, quam tradit doctrinam, non ex propriis, rectisque omnino exprimentibus ac simplicibus verbis. Sed ut concedamus hoc etiam rectè dici, tamen meminisse debemus Theologiæ, quæ ait,* [B] [Exod. 33. 40.] *Non ostendi tibi, ut ambules post ea, sed ut per horum certa quadam ratione notitiam, ad universorum causam* (omnium scilicet Auctorem) *quoad licet provehamur.*

Non igitur dicemus videri Deum secundum essentiam suam. Sic enim Sancti rem amoliuntur, ut nec in symbolis naturalibus, quæ ex terrenis fortè rebus, pro humani sensus ratione intelligamus, ejus essentiæ comprehensionem admittant. Tum enim Greg Nyssen. [Cant. 3 l. lb. Nyss.] ad illud, *Quæsivi eum, & non inveni*, ejusmodi hærens sententiæ, *Quinam etiam*, inquit, *inveniri possit, quæ nulla indicet earum rerum, quæ in notitiam veniunt? non forma, non color, non circumscriptio, non quantitas, non locus, non figura, non comparatio, non conjectura, non proportio; sed extra omnem comprehensionis vim atque conatum, semper invenitur.* Tum quoque divinus Maximus, [C] [Sic sæpe Maxim. cui accidentia creata sunt sine quibus non.] ejus quod est Quando & Vbi & Quomodo conceptum à Deo removet, quod humanæ mentis conjecturam omnem excludit. Quod enim de rebus conjicimus, vel in eo positum est, ut quomodo illæ se habeant intelligamus; cujusmodi est, cùm collatis vtrinq; rationibus, ac veluti subducto calculo, certè aliquid concludimus; vel vbinam aliquid existat; vt Vbi fumus, vbi & ignis aut in eo quòd quis aliquid fecerit; puta, mulier hæc lactat, planè igitur peperit. Si enim Deū, cùm adhuc in carne mortales sumus pro nostri sensus modulo & ratione videre non possumus, quænam erunt quæ in promissionibus bona Sanctis reposita sunt, de quibus ait Apostolus [Hebr. 11. 39.]. *Et hi omnes testimonium per fidem promeriti, non acceperūt promissionem, Deo de nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur;* ante scilicet futuram in integrum restitutionem. Quonam autem modo idem Apost. ait [1. Cor. 13 12.]: *Videro nunc in speculo & ænigmate, tuncque visuros facie ad faciem.* Beatus quoque Dionysius [De cœl. hier. c. 1.], [D] Quamdiu versamur in corpore, *non aliter posse divinum radium nobis illucere, quàm sacrorum velaminum varietate ad mentes sursum evehendas obtectum, Paternáque in nos cura, per res nobis familiares, naturali quadam convenientia ac necessitudine coaptatum.* Idque clarius distinguens exponénsq; divinus Maximus, *Absque figuris*, inquit, *ac symbolis, fieri non potest, vt qui in carne versamur, quæ immaterialia sunt & incorporea intueamur.* Id verò quonam modo contingat, idem rursus docuit quasi ex Apostolo. Nempe, omnem sæculi hujus scientiam, quantumvis sublimis ac celsa sit, si cum ævi futuri scientia conferatur, elementarem esse, ac veluti viventis personæ simulachrum, quod vera apparente vita ac scientia, minimè futurum sit. [1. Cor. 13 9.] *Sive enim*, inquit, *scientia cessabunt, sive prophetia evacuabuntur;* vt minimùm auctor est Apostolus, dum ait: *Cùm autem venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.*

Quonam igitur modo cuncta hæc constabunt, ac quæ superioribus Sanctis dicta sunt, si quis Deum secundùm essentiam dicat videri? [E] Sin autem aliquem turbat, quod in Prophetarum aliorúmq; Sanctorum visionibus Dei nomen extat, vt est illud, *Apparuit Dominus Deus Abrahæ.* Et, *Dixit Dominus ad Moysi de Rubo*, aliáque, ne singula quæque percenseam. Verùm ait admirabilis Dionysius [De div. nom. c. 4. §. 11.], *Aversum à ratione stupidúmque animi esse, non earum quæ dicuntur vim finémque attendere, sed vocibus animum proclivè adhibere.* Quippe Iudæorum hoc crimen est. [Scripturæ scopus attendus nō solæ voces.] Si enim non vocibus, sed rerum scopo attendere animum libuisset, quin & ipsi Christum Dei Filium confitendo, vnà nobiscum Christiani essent ac audirent, nihil quicquam obstaret: quibus planè nos etiam similes efficiemur, si Scripturas hoc modo exponimus. Quin & illis deteriores videbimur, quòd & Deum corpore concretum intelligemus, iisdémque ac corpus affectibus obnoxium existimabimus. Statim enim Lex vetus à Deo data Mosi esse dicitur, hincque est cur à Deo conscripta nuncupetur. [Exod. 31. 18. Hebr. 2. 2.] Apostolus tamen de illa dicit: *Si qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus; & omnis prævaricatio & inobedientia accepit iustam mercedis retributionem;* & quæ sequuntur. [F] Rursus, Scriptura idipsum de Moyse nobis enarravit, dum ait [Exod. 3. 4 Act. 7 35]: *Et vocavit eum de Rubo.* Atqui non Deus erat, qui inde vocavit, vt ex sacris Doctoribus qui locum exposuerunt, liquidò audire licet. Rursus etiam Deum Abrahæ hospitio susceptum ait [Gen. 18. 13. Hebr. 13. 2]; quod tamen non Deus, sed Angeli essent, docet divinus Paulus. *Hospitalitatis*, inquit, *nolite oblivisci: per hanc enim inscientes quidam Angelos exceperunt hospitio;* quod sic loquitur, Abrahamum subinnuens; de quo etiam ait Greg. Theol. *Quid Abrahamū Dei convivam fecit?* Alibi verò dicit, *Non ut Deum vidit, sed ut hominem aluit.* Rursus quoque alio loco scribit [Orat. 34. & 42.], *Deum crucifixum, idque latronum medium;* quod si Deitatis ratione dictum intelligamus, [G] in quantam sermo blasphemiam vertemet? Sin autem ratione carnis assumptæ existimabimus, à vera intelligentia nihil abscedamus.

Ad hæc Manue, ait Scriptura [Iud. 13. 22.] dixisse, *Periimus, mulier, Deum vidimus:* nempe Deum vocans, quod conspexerat, illiq; apparuerat signum. Ac rursus [Greg. or. 39 p. 628 Psal. 81. 1 1. Cor. 8 5], *Deus stetit in cœtu deorum, in medio autem, deos dijudicabit.* Paul. autem, *Siquidem sunt multi dij, etiam sunt.* Mitto alia dicere, quæcunque Scriptura Deum divinásque apparitiones vocet [Divinæ apparitiones per Angelos.], quæ Sancti multifariam multisque modis dicta visáque informarunt; quæ omnia procul esse à divina essentia, & per Angelos velut scenica quadam repræsentatione exhibita, monstravit sanctus Dionysius [De cœl. hier. c. 4. §. 3.], quæstionem solvens, de divinis apparitionibus, quæ immediatè fiant; docénsque, Sanctos omnes Patres, tum qui Legem præcesserunt, tum qui secuti sunt, hoc nactos, vt per Angelos ad Deum provehenterentur.

Accedit quod & Baptisma Θεοφάνεια (ac si dicas divinam Deiq; operationem) vocamus, quod in eo Christus carne visus sit; & Spiritus sanctus descendisse dicatur, [H] [Baptismus vt Θεοφάνεια.] quanquam tunc in specie columbæ, ad Christi dispensationem implendam, ex aëreo corpore ex tempore formatæ, visus sit, vti Sancti tradunt, ac præcipuè Aug. in lib. de Trinitate, auditáque voce dicimus Patrem cognitum esse. Igitur si ante, póstque Legem Sanctis visa, essentiam Dei dixerimus, cogemur & auditas illis voces ex Deo Deique voces dicere; adeo vt etiam loquendi organa illi tribuamus; quod absurdum pariter ac ridiculum est.

Hæc verò cùm se ita habeant, haud rectè dicamus, Scripturam Sanctósq; in his propriè vocibus vsos, sed magis illis abusos, ac promiscuè earum rerum nomina ac proprietates, quæ nullis figuris, nulláque forma repræsentari possunt, figuris tribuisse [Figuræ & signa rerū ipsa nomine insignitæ. 1 Cor. 10. 4.]; cujusmodi est illud Pauli, *Petra autem erat Christus*, hæcque illos, communi nomine non eadem nominis ratione (ὁμωνύμως vocant, nos *æquivocè*) dicere; eorum scilicet nominibus, quæ simulachro repræsentantur, repræsentantia vocantes; quæ planè multa sunt ac diversa, aliásque

A

Ose. 12. 10.

aliter se habentia conspecta sunt. Simulachra enim in manibus Prophetarum extiterunt: Sanctique symbola seu signa, & condescensus (vt sic loquar, inclinantis se nimirum majestatis demissiones) indiciáque exposuerunt; vt liquet ex iis quæ sic exponendo ediderunt. Qui autem his omnibus figuratur ac simulachro repræsentatur, vnus idémque ac incommutabilis in sempiternum est. Quod autem scriptura Deum Sanctis apparuisse illísque cōspectum esse refert, nihil prorsus aliud vult ac significat, quàm accepisse illos ejus notitiam ac cognitionem, pro suæ facultatis ac puritatis modo, per signa illa quæ sibi exhibita conspexerunt. Nam & quæ de Deo cognitio habetur, ac quod intelligitur, Dei visio nuncupatur, ac qui eam nactus est cognitionem, Deum vidisse perhibetur. Etenim ait Gregorius Theologus Orat de Filio, *Qui Filium cognovit, seu intelligit (hoc enim significat illud,* Qui vidit) *Patrem quoq; cognovit seu intellexit.* Divus item Chrysost. quo loco Evangelicæ hujus sententiæ meminit: *Respondit Iudais, & dixit: Non quia Patrem vidit quis, nisi qui ex Deo est, hic vidit Patrem,* ait, *Visionem hoc loco, cognitionem vocat*; quam vtique cognitionem seu notitiam, ex Salvatoris quoque miraculis, his qui tunc aderant contigisse docet. Ait enim: *Cur vero non statim ascendit in naviculam? Nempe hoc satagens, vt miraculi magnitudinem augeret, ac Deitatem suam clarius manifestaret.* Hæcque adeo miracula, idem ipse *eius gloriam ac claritatem vocat,* expositione sua in Ioannem *Hu igitur omnibus,* inquiens, *miraculis ab Evangelista collectis, quæ in corporibus, quæ in animis, in elementis; præceptis denique, arcanis illis cælestibus bonoribus, legibus, disciplina, suadendi vi, futurorum promissionibus, cruciatibus eius ac tormentis, in admirandam hanc illam cœlestísque doctrinæ plenam vocem erupit,* Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis *Neque enim miraculorum gratia Christum duntaxat admiramur, sed & passionum ac cruciatuum, quod nempe cruci affixus ac verberibus cæsus: quod alapas acceperit, quod consputus, quod ab illis ipsis, in quos beneficia contulerat, in maxilla percussus. Nam & in his ipsis, quæ probri & ignominia plena esse videntur, illud idem rursus verbum meritò proloquamur; quod & ipsa rem gloriam appellarit.* Sic quidem divinus Chrysost. Magnus autem Basil *Ex eo,* inquit, *quod venti & mare obedierunt ei, Deitatem illius cognoverunt.* Enimverò cognitio hæc cùm perfectior fuerit, regnum cœlórum à Grego. existimatur. Etenim Orat. de Constitutione Episcoporum. *Regnum Dei,* inquit, *nihil aliud esse existimo, quam eius, quod purissimum ac perfectissimum est, adeptionem. Perfectissima porrò rerum omnium est Dei cognitio. Verùm eam, quandiu in terra versamur, partim tenemus, partim percipere studemus, partim denique in futurum ævum reservemus.* Oratione verò in Lumina, futuram mercedem vnà cum præceptis suscipiendá ac credendam hortatur. *Eam lucem,* ait, *iis, qui animo & mente purgati fuerint; hoc est, Deum, sese cuiq; pro eius puritatis ratione, ipsa videndum cognoscendúmque præbentem, id quod regnum cœlorum appellamus: iis contrà, qui animi cæcitate laborant, tenebras esse, hoc est, abalienationem atque aversionem, à Deo, pro hebetudinis ac secutientia modo, qua quisque in hac vita affectus fuerit.* Hanc porrò Dei cognitionem Sanctis repositam, quam à resurrectione speramus, *vnionem, vim omnem mentis excedentem,* vocat sanctus Dionysius, per quam erit *Deus omnia in omnibus,* vt auctor est beatus Paulus. Verum de his postea, nunc verò liquidissimè omnibus patet quod dicebamus, Dei nullum nomen esse, eundémque rursus multa nomina habere. Eius quidem nullum nomen est, quod ad essentiam attinet; habet verò ac nominatur ex illis miraculis, quæ in vniverso elucent. Sic & Gregorius Nyssenus aiebat: *Quæ in vniverso miracula conspiciuntur, materiam præbent vt eum sapientem & iustum, & quæ sunt eiusmodi, vocemus.* Simili modo vtrunque rectè diximus, *Deum non ninem vidisse vnquam*; ac rursus, eundem & Prophetas & Sanctos vidisse, alia scilicet atque alia ratione: alterum quidem, quod Dei natura comprehendi non possit, infinitáque & immensa majestas sub velamine continetur: alterum, ob cognitionem quam de illo per signa quædam, pro aspicientium ratione, earúmque rerum quæ aspectu cernuntur conjectura ac informatione, habemus.

Orat. 36. quæ est 2 de Filio, p. 592.

Ioan 6. 46. Hom. 34 in 1. ad Cor.

B

Hom. 11 in Ioan p. 79.

C

Orat. 29. p. 494.

Orat. 40 quæ est in sanctū Bapt. p. 671.

D

De div. nom. c. 1. §. 7.

1. Cor. 15. 28.

Dei nullum nomen & multa.

Ioan c. 18 1. 4. 6. &c.

E

Idipsum de participatione dici potest. Nam & Dei sumus participes. Ait enim, *Inhabitabo in eis, & inambulabo.* Et, *Ego & Pater veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Sed non pro eo ac ille se naturâ habet ac deitate. (Hæc enim Massalianorum hæresis est) sed sicut ait, quæ in illos celebrata Synodus est. Sic enim habet: *Fit adventus quidam ac præsentia Paracleti, Deúsque in Sanctis habitat, non pro eo ac se naturâ ac deitate habet. Sin autem Massaliani quidam extiterunt, qui se Dei essentia participes esse dicerent, ex eorum aliquid, quod pro eorum convenienti ratione sit, sese demutantis; nos talem impietatem in illorum caput reijcimus. Potius enim S. Dionysij sermones secuti dicimus, Dei occultum omne, ita vt non eluceat, elucere, & quod imparticipabile est, citra participationem participari; quodque à se minimè exeat, non exeundo procedere, ac cùm in se maneat, vbique versari sibique omnibus præsentiam præstare; cum aliis societatem ac participationem, quantum ex natura, assequi liceat, ineuntibus, non quasi ipsa aliquid demutetur. Aliter enim Deus per naturam suam præsens est, quatenus nihil ipsi obstare habet; aliterque ex providentia rationibus, cum omnia in omnibus fiat; ac rursum aliter in nulla rerum est, quatenus ipse per seipsum existens, nulla prorsus rerum vlla ratione est.*

Levit. 26 12.

Ioan. 14 23.

F

CAPVT III.

De Deo uno, qui est Trinitas.

VNum hunc ac verum Deum, rerum vniversitatis conditorem ac qui eam conservet, bonorum fontem, ac quo auctore singula quæque constent, credimus ac confitemur, Patrem & Filium & Spiritum sanctum. Quod verò sic sentimus, non humana ratione ex creatis discurrendo collegimus, sed ex revelatione accepimus. Quia enim ex creatis sensus opera id nulla ratione capere poteramus, necessarium nobis fuit vt divina revelatione doceremur. Ipséque adeò Dei Filius vnus è sancta Trinitate, quæ ejus bonitas est, factus homo (qua de re paulò inferius, ex sacris pariter Scripturis colligentes pro virili dicturi sumus) revelavit nobis Trinitatis mysterium, ne humana seducti doctrina, creaturas colamus.

G

Trinitas, sola revelatione nota.

Ac prius quidem per Prophetas rei hujus veritatem obscurius indicavit, sapienti consilio ab idolorum cultu paulatim homines retrahens; deinde verò ipse per seipsum consonè prioribus clarè docuit: quod sanè sic mirum extraque omnem vsum, vt vim omnem mentis ratione vtentis excedat. Etenim Vnitatem in Trinitate credimus, & Trinitatem in Vnitate; ac neque Vnitas trium Personarum confusionem ac velut concretionem conflaturamque inducit, nec Personarum numerus Monados (id est, essentiæ) vnitatem discernit: quin & vnum est secundum essentiam, & tria Hypostaseun (id est, Personarum) ratione. *Distinguuntur* enim *vnite & distinctim connectitur,* vt ait Gregorius Theologus. Ac rursus, *Vix vnum animo concepi, cum statim tribus circumfulgeo. Vix tria distinguere incipio, cùm statim ad vnum mentis intentionem fero.* Nam in hominibus quidem, qui tres homines sint, non vnus sunt; nec rursus qui vnus, tres existunt: in Deo autem, cùm vnum tria sunt, tum tria vnum; quæ sanè, vti dicebam, omnem mentis vim excedunt.

H

Greg. or. 37. p. 598

Orat. 39 p. 630.

Orat. 40. p. 668.

Hanc vnionem ac distinctionem Dominus noster I. Christus tradidit, dicens: *Euntes in mundum vniversum, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris,*

Math. 28 19.

A

& Filij, & Spiritus sancti. Eo quidem quod ait, *in nomine* singulariter, vnam essentiam significavit (tres enim, qui duo sint ac tria, singulari numero nunquam profetantur) quod verò addidit, *Patris, & Filij, & Spiritus sancti* tres Hypostases, (id est, Personas) vnius essentiæ docuit. Cùm autem alio loco dixit, *Ego & Pater vnum sumus, vnum* quidem, essentiæ tribuit, illud verò, *Ego & Pater*, personis assignavit. Magnus quoque Athanas. hanc Theologiam secutus, *Ter*, inquit, *clamant* Sanctus, *quod tres Hypostases, semel verò* Dominus, *quod vna Divinitas.* Hæc Fidelibus abundè sufficiant. Hactenus qua homines nituntur, cognitio pervenit. Hucusque Cherubim pennis obteguntur.

Athan. de humana Christi natura, t. 2. Greg. orat 42. p. 679.

Hanc igitur sequuti regulā, quā de Deo (qui sancta Trinitas est) loquimur, velútq; in medio constituti, quæ sunt vtrinque absurda evadimus. Quā nempe vnam essentiam seu substantiam confitemur, Arij eliminantes doctrinam, tres essentias, Patrem & Filium & Spiritum sanctum asserentis, ac vnà cum nominibus etiam subjecta dividentis: Quā verò tres personas confitemur, Sabellij itidem dogma respuentes, qui vnam Deum personam dicebat, ac modò quidem vt Patrem, modò verò vt Filium, ac modò vt Spiritum sanctum sese exhibere.

Fides, Arij Sabelliique media.

B

Est igitur Deus vna essentia, ac tres personæ: ex his, vna Pater, vna Filius, vna Spiritus sanctus. Ac Patrem quidem, Filij ac Spiritus auctorem confitemur, Filium verò & Spiritum, qui ab Auctore sint. Ex illo enim est, Filius quidem gignendi ratione, Spiritus verò, processione. Quocirca cùm Filius & Spiritus ad vnum Auctorem (Patrem) referantur, Deum vnum tres personas inter se conjūctas sentimus, Deumq; singulas, si per se considerentur. Nam & Pater Deus perfectus est nullo defectu laborans, Filiusq; similiter, ac perinde Spiritus sanctus. Nec magis Deus est, vel Pater quàm Filius vel quàm Spiritus, vel Filius magis Deus, quàm Pater aut Spiritus; aut denique Spiritus magis Deus, quàm Pater aut Filius. Sed cùm vnam Personarum intellexerimus, perfectum eam Deum ac essentiam perfectam cognoscimus: ac cùm rursus tres personas animi cogitatione copulaverimus ac connumeraverimus, vnum eundémque ac perfectum essentialiter Deum cogitamus; idémque ipse ac vnus Deus significatur, cùm dixerimus Pater, Filius & Spiritus sanctus, & cùm solùm Patrem dixerimus, aut Filium, aut sanctissimum Spiritum.

Pater, vnus auctor Filij & Spiritus. Greg. orat 39.

C

Non hoc dico, quod Pater & Filius sit & Spiritus sanctus (hoc enim Iudaïcum est, Sabelliique opinio) sed quod vna quævis divinarum personarum, perfecté nulloque defectu Deus est; ita vt nihil desit, quod ad essentiam attinet, de vna totáque ac perfecta deitate. Non enim totius deitatis pars quidem Pater, pars verò Filius, ac pars Spiritus sanctus. Nam Deus partem aut membrum non habet. Pars enim quid imperfectū est. Accedit etiam, quod ejus ratio compositionem ac circumscriptionem inducit; ac quod vnaquæq; trium personarū totum existit. Nam & Pater, Deus totus est, & Filius, Deus totus, & Spiritus sanctus, totus Deus. Idq; causæ est, cur non dicamus, totam vnam Deitatem in tres istas personas dividi velut genus in species, vel speciem in individua, vel tanquam totum in partes. Neque dicimus Patrem simul & Filium & Spiritum sanctum majorem esse aut pleniorem Deum, quàm Filius aut Spiritus; vel Patrem simul & Filium, quàm Spiritus, vel Patrem solum, Filio aut Spiritu solo, majorem esse vel pleniorem, aútve minorem, quantumvis personarum ratione numerus increat; sed confitemur totam eandem vnámque perfectam perfectè in perfecto Patre, totámque perfectam perfectè in perfecto Filio eandem, ac totam perfectam perfectè eandem in perfecto Spiritu sancto, Ac rursus: Totum Spiritum sanctum in tota eadem, totúmque Filium in tota eadem, ac totum Patrem in eadem tota Rursúsque: Totam totum Patrem, totámque totum Filium, & totam totum Spiritum sanctum. Ac rursum: Totus in toto Filio &

D

Spiritu sancto perfectè est Pater, totúsque in toto Patre & Spiritu perfectè Filius, ac totus in Patre & Filio perfectè Spiritus sanctus Vna enim essentia est Patris & Filij & Spiritus sancti, cùm neutrum sine altero sit, aut intelligatur.

E

Propterea ait Gregor. Theologus Orat. in Lumina, *Vnum aliquod trium animo informans, totum hoc esse existimo, pleréque mentis oculos, eius magna pars diffugit. Non possum eius comprehendere magnitudinem, vt ei quod deficitur, quod amplius est tribuam. Cùm tria mentis considratione contraxero, vnam facem conspicio, lumen vnam dividere seu commetire non valens.* Etsi ergo Patrem Deum perfectum & increatum rerúmq; opificem dicimus, pariterque etiam Filium & Spiritum sanctum, non tamen tres Deos, aut tres increatos, vel tres rerum opifices dicimus, ob vnius essentiæ vnitatem & quod Filius & Spiritus ad vnum Auctorem referantur, nēpe Patrem. Quod igitur dicebamus, Deum vnamquámque personam secundùm se consideramus, ob consubstantialitatem Deúmq; vnum tres simul alias in aliis intellectas cōfitemur, ea scilicet ratione vt principatus vnus conservetur, manente rursus ac incolumi sua cuiq; proprietate. Necesse enim est, vt & personales proprietates inconfusas ac immobiles confiteamur, Deúmque vnum in tribus personis adoremus: Patrem quidem, vt Patrem, Filiúmque vt Filium, ac Spiritum sanctum vt Spiritum sanctum, quemadmodum in eadem Oratione de his loquitur. *Nam alioqui quomodo proprietas fuerit, si movetur éxque alia in aliam muttetur?* Magnus quoque Basil. in lib. de Fide, *Filium*, inquit, *ac Patrem dixi: Has mihi serva proprietates. Hac itaque manens, quod est, Filius, cuncta est quæcunque Pater, iuxta Domini vocem, cùm ait: Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt.* Chrysost. quoque in quodam suorum Sermonum. *Proprietatem cum aio, Patrem, Patrem intellige, & Filium, Filium, & Spiritum sanctum, Spiritum sanctum* Hæ enim proprietates inter se minimè commutantur Etenim Pater, propriè veréque Pater est; & Filius, propriè veréque Filius; & Spiritus sanctus, propriè veréque Spiritus sanctus. Apud homines quidem, nihil vetat, esse eundem & patrem & filium, nempe alterius patrem alterius filium, quod persona multitudo est; quo etiam fit, vt in hominibus non propriè pater dici queat veráque paternitas, ob materiæ diversas qualitates, defectúsque ac varietates. In Deo autem, quem Vnitatem ac Trinitatem ex fide educti sumus, ac in quo nullam aliam personam, præter illas traditione vlla accepimus, nefas est aliam non verè ac propriè semper Patrem confiteri, alium non propriè ac verè semper Filium, alium non propriè semper veréque Spiritum sanctum.

Greg. in S. Lumina

F

Orat. 39 p. 621. de Fide, t. 1. p. 500. Ioan. 16. 15

His affini serm. 5. de Incomp.

G

Solus Deus vere pater.

Cavendum igitur, cùm trium illarum personarum vnitas sic se habeat, eo quod vnus Auctor existat, quemadmodum diximus Catholicæ fidei sceri doctrina, ne vel nudo cogitatu mentisq; figmento, vllam in eis divisionem ac separationem intelligamus. Ait enim Greg. Theologus, argumenti vim in Hæreticum intendens. *Times tu generationem, ne quid patiatur, qui ab omni passione immunis existit? Ego creaturam timeo, ne irrogata iniuria, iniustáque hac confessione Deum amittam; qui vel Filium a Patre, vel à Filio Spiritum scindam substantiam.* Magnus quoque Basilius Epistola ad Gregorium fratrem: *Neque enim qui semper in Patre est avelli à Patre poterit, nec vnquam ab Spiritu sui substantia abiungetur, qui in eo cuncta operatur.* Verùm sic personarum vnitatem tribus hypostasibus servare convenit, sicq. in illis, pro ingenij nostri facultate intelligenda ac credēda sit, vt vnicam essentiam sentiamus secum ipsam vnitam ac indivisam. Dei enim essentia, tres hæ personæ est. Quinimò, ne vnio quidem in eis dicenda est; sunt enim ipsæ vnio; hoc est, essentiæ vnitas & identitas; ipsa nimirum essentia Neque enim sanctæ hæ tres hypostases ac personæ præter essentiam sunt, sed vna essentia, vt dicebamus. Hoc verò solum inter se distinguntur divinæ Personæ, quod alia quidem Auctor est,

Personarum in essentia vnitas. Orat 13. p. 210.

H

Epist. 43

A

aliæ verò ex Auctore. Hoc est, Pater quidem, principij expers est ac causæ, à nullo habés quod est Pater, quod illo prius intelligatur: Auctor vero est Filij & Spiritus sancti. Eorũ vero qui ex Auctore sunt, alter Filius est, ex Patre genitus, alter Spiritus sanctus, ex Patre procedens, sed non genitus. Est enim hic alius existentiæ modus nullis verbis explicabilis atque arcanus Ideirco, Filius quidem, velut genitus seu natus, Patrem habet sui Auctorem, & ad eum tanquam Filius refertur: Pater vero, ejus Pater dicitur. Verùm Spiritus sanctus qui à Patre procedat, non ab illo procedit quatenus Pater est (sic enim etiam Spiritus, esset Filius) sed ex Patre, qui & ipse Productor sit. Quamobrem etiam ad illum refertur Spiritus, vt procedens, non quatenus Filius, illéque vt ad Spiritum comparatur, Spiritus Productor, non Pater, nuncupatur. *Spiritus* enim, vt est auctor Gregor. Nyssen. *Patrem non habet.* Prorsúsque nefas in Trinitate duos Filios dicere, aut duos Patres, vel duos Spiritus, vt quod fidei traditioni adversetur. Sic enim non propriè erit Pater aut Filius vel Spiritus, quemadmodum dicebamus: sed mutatio in Trinitate, trium que personarum confusio, ad proprietates quod attinet, conspicietur, quod absurdum est. Verùm vnam hanc distinctionem in illis tribus ex traditione servandam accepimus: vt scilicet alterum quidem Patrem dicamus, alterum Filium, alterum Spiritum sanctum. Vt enim ait Gregor. Theologus Orationibus suis de Filio. *Proprium autem eius, qui principij expers est, nomen, est Pater: eius autem, qui citra principium genitus est, Filius: illius denique, qui citra generationem processit seu etiam progreditur, Spiritus sanctus.* Damascen. quoque in Theologicis suis capitibus, *Propter Patrem habent Filius & Spiritus, omnia quacunque habent: hoc est, idcirco quod Pater illa habet, exceptis innascibilitate & generatione ac processione. In his enim duntaxat personalibus proprietatibus inter se tres personæ distinguuntur.* In hta itaq; omnia earum posita distinctio est quod Pater quidem Pater est, ac neque Filius neque Spiritus: Filius verò, Filius est, ac neque Pater neque Spiritus: Spiritus autem Spiritus est, ac neque Pater neque Filius. Non enim hæc nomina naturarum distinctionem important, vt ait Gregorius Theologus Orationibus suis de Filio, dum dicit, *Neque essentiæ nomen est, Pater, neque actionis, sed relationis, modúmque explicans, quo se Pater ad Filium habet, & quo Filius ad Patrem.* Atque vt ait Magnus Basil. Confutationum lib. 1. *Tacendam iurè dixerim vocem* Ingenitus, *cùm vox Pater idem ac illa polleat; præterquam quod ob relationem, Filij rationem vnà secum coniunctè inducit.* Vt autem pro virili, clariorem horum intelligentiam nanciscamur, principiis Fidei adhærentes, in hunc modum dicamus.

Nyssen.

B

Orat. 35. quæ est 2 de Filio, p. 592.

Lib. 1. de Fide, c. 8.

C

Orat. 35. quæ est 1 de Filio, p. 573.

Lib. 1. contra Eunom.

Quandoquidem ex Fide habemus Deum ex Deo gigni, duæ personæ intelliguntur, altera quæ gignat, altera, quæ gignatur, habéntq; oppositionem quam vocant *Ad aliquid.* Cùm enim quatuor sint oppositionũ genera, quòd nimirum opposita quadrifariàm dividantur, vel penes contraria; cujusmodi sunt *album & nigrum*: vel secundùm privationem & habitum; vt sunt v.g. *videt, cæcus est*: alterum enim habitus est, nempe videre, alterum verò privationis. Vel secundùm negationem & affirmationem, vti sunt, *Est homo, non est homo*: vel secundùm Ad aliquid; vti sunt, *pater, filius: magnum, parvum.* Cùm igitur quatuor sint genera oppositionum, quæ in substantiis intelliguntur, Ad aliquid, secundùm rationem causæ seu auctoris, & ejus quod à causa ac auctore est, in sancta Trinitate locum habent; quod nimirum juxta relationem Ad aliquid, inveniatur aliquid producens sibi simile, vt qui ex se gignit filium sibi similem in eadem specie. Quæ verò aliter opponuntur, cùm alia quidem res diversas invehant; alia imperfectas, alia, quæ nec existant in eo Deo qui verè ac propriè est, eodémque modo se semper habet, ac perfectissimus est, nullum habeant locum, procul amandantur. Dicuntur verò Ad aliquid, quæcunque eo quod dicuntur ad alia dicuntur, & ad ea

D

Sola in divinis oppositio relativa.

E

relationem habent, per se minimè dici possunt; cujusmodi sunt, pater, filius, servus, dominus. Hæc enim non per se dicuntur, sed ad alia, quibuscum relationem habent & necessitudinem; vnde etiam relata vocantur. Etenim patris nomen, non in seipso sistit, sed alio spectat, nempe ad filij nomen, pariter patrem respicit. Quamobrem neque pater est absque filio, neque filius sine patre. Vterque enim vnà secum conjunctè per relationem alterum inducit. Aliàque secundùm hanc formam eodem se modo habent. Absoluta verò nomina dicuntur, quæ se his contrario modo habent; quæcunque scilicet per se dicuntur, & non habent relationem ad alia; sed sunt absoluta & in habitudine libera: cujusmodi sunt, pulchrum, bonum, justum. Hæc enim per se dicuntur, nec ad alia referuntur.

Quandoquidem igitur in divina Trinitate dictus est Gignens, & qui Gignatur, duæ personæ intelliguntur, habéntque inter se oppositionem quæ est Ad aliquid. Est enim alia quidem causa seu auctor, altera, quæ ex causa seu auctore est. Ratio verò & proprietas oppositionis est, vt alterum oppositorum non sit ejusmodi ac est alterum. V.g. album impossibile est esse nigrum, & nigrum album, qua ratione opponuntur. Quod cùm ita se habeat, fieri non potest vt idem simul auctor sit & quod est ab auctore; hoc est, eundem qui gignat & qui gignatur, cùm duæ tantum personæ Patris & Filij intelligantur. Nam si plures personæ subjectæ sint, vti contingit in hominibus, nihil vetat eundem & patrem esse & filium, quemadmodum diximus. At, cùm duæ supponantur personæ, atque alia quidem propriè pater sit, alia verò filius, vt se res in sancta Trinitate habet, eundem & patrem & filium esse, omnino fieri non potest. Quin & inter homines, vt sub exemplo loquar, si consideremus duas personas, quarum altera genuerit, altera genita sit, etiam in illis per eundem modum relatio ac habitudo invenietur incommunicabilis. Fieri enim non potest, vt qui alterum genuit, is ipse genitus sit ex eadem persona quæ ex ipso genita fuit. Est enim inter illos oppositio Ad aliquid, nec alter eorum ejusmodi ac alter existit. Eodem itaque modo etiam in sancta Trinitate, in Patre & Filio duæ Personæ intelliguntur, suntque necessariò ob processionis rationem; quod Scriptura doceat Filium nasci; ac neque Pater Filius sit, nec Filius Pater, secundùm oppositionis rationem.

F

G

Rursus, quia in Fide dictum est, Deum ex Deo procedere, secundùm eundem oppositionis modum fieri nequit, vt idem sit qui producit & qui producitur. Neque enim idem quoad eundem auctor est, & qui est ex auctore. Hoc enim oppositio haudquaquam sinit. Pater verò Deus quidem est ex quo Deus nascitur & Deus procedit, verùm ex Deo non est. Nam si & ipse Deus ex Deo est, vel ex Filio erit, vel ex Spiritu, vel ex seipso, vel ex alio. Sanè vero ex Filio & Spiritu minimè est, quod ipse eorum sit auctor, nec fieri possit vt Pater ex suo Filio sit, vel ex eo qui ex ipso processit. Ex se ipso autem non est: nunquam enim fiat, vt quæ verè existit, persona, ipsa à se auctore ex auctore, existens, cõsistat. At neq; ex alio est, esset enim Deus non Trinitas, sed quaternitas seu etiam vltra quaternitatem. Verùm nos Deum Trinitatem esse docti sumus. Quamobrem est quidem Pater Deus; non tamen ex Deo est: Filius verò, Deus est ex Deo Patre genitus; itémque Spiritus Deus, ex Patre vt ex producente procedens.

H

Causa igitur atque ratio, cur Deus sit tres Personæ, processio est: quod nimirum alia auctor dicta est, aliæ, quæ sunt ex auctore, idcirco quia Deus ex Deo nascitur, proceditque Deus ex Deo. Sequitúrque necessariò, esse propriè Patrem & Filium & Spiritum sanctum; nec naturas inducere ista nomina, sed relationes significare; modum scilicet quo se habeant inter se divinæ Personæ, vt aiebat Greg. Theologus, nullámq; iis communem esse confusionem. Siquidem enim propter vnitatem essentiæ Filius in Patre est & Pater in Filio,

Orat. 35. & 1. de Filio,

suntque

suntque aliæ in aliis tres Personæ, quæ & ἀδιαχώρησιν sancti vocant, velut dicas *immeatationem*; nulla inde mutatio ac confusio personalium proprietatum intelligitur; *nec vt coalescant vnaque velut consententur, sed vt cohæreant aliaque in alia existant*, iuxta eundem Gregorium. Sed & Gregorius Nyssenus, quibus scribit adversus Eunomium, *Secundum aliam vtique aliamque mentis considerationem, alter in altero esse dicitur: Filius quidem in Patre, velut quæ in imagine relucet pulchritudo, in forma principe ac exemplari, Paterque in Filio, velut exemplaris decor in sua imagine.*

Nys. adversus Eunom.

Sola processio Trinitaté multiplicat.

Processio itaque in causa est. Etenim nisi Deus ex Deo nasceretur, Deusque ex Deo procederet, non esset processio. Si autem processio non esset, nec essent tres Personæ, quo tandem modo Deus Trinitas prædicaretur, Nam & secundùm alia nomina, quæcunque sunt absoluta, nec habentia relationem, quibus Deus aut sapiens, aut bonus, aut conditor nuncupatur, nullam secundùm se personarum distinctionem admittit, quod non sint hæc nomina relata, nec in ipso ad alia dicantur sub quadam habitudine ac oppositione, aut processionem significent, vti se habent quæ sunt Ad aliquid, cuiusmodi sunt Pater, Filius, Gignens, Genitus; producens & Qui producatur; quæ & Processionem significant, necessarioque personas induunt ac distinctionem.

Idcirco peræquè paritérque Pater sapiens, bonus & conditor est, Filiusque sapiens, bonus & conditor, vt vnus Deus, ipse in tribus sapiens, bonus ac conditor existens. Idemque in reliquis omnibus nominibus accidit, quæ eodem modo se habent. Conveniunt enim ac concurrunt, velutque de vno dicuntur, quæcunque nullam inter se habent oppositionem, ac neque Trinitatis, neque Vnitatis rationi adversantur. Secundùm hæc itaque per se Deus personaliter non discernitur: Ad nos enim est, quod & bonus & conditor, & providentia, & omnium inspector, omniumque, omnipotenti virtute conservator, & reliquus dicitur. Sed & creaturæ Pater nuncupatur, & *Pater miserationum* & misericordiæ. Cùm tamen hoc dicit Scriptura, non intelligimur Patrem Filiumque discerni. Quinimò nihil minus etiam Filium ac Spiritum, creaturæ patrem discimus; sic nimirum vt vnum Patrem, Patrem & Filium & Spiritum sanctum, omnisque creaturæ auctorem dicamus. Si enim Pater, Patris persona intelligeretur, qua rat one Filij Pater dicitur, cùm nimirum creaturæ Pater dicatur, plane & Filius vnus omnium censeretur. Enimvero divina Scriptura, Filium Patri consubstantialem docet ac æternum. Proinde alia ratione Filij Pater, atque omnium Pater, dicitur; alterum nempe relatè ac per se ipsum, alterum absolutè & ad creaturam, vti diximus: quamvis tunc quoque Patris persona intelligitur; deque illo ait Apostolus, *Vnus Deus, Pater ex quo omnia.* Subdit enim, *Et vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia:* Sic nimirum vt istis, originalem causam Patrem innuat; Filium, creatricem; perfectricem, Spiritum sanctum.

Nomina communia, quibus Deus ad creaturas dicitur, non in se distinguuntur.

Eccl. 23. 1.4.
2. Cor. 1. 3
1. Cor. 8. 6

His itaque discretis atque distinctis, ad essentiam quod attinet, eiusque ratione, Deus Trinitas non est: quod verò ad divinas atque arcanas processiones, Trinitas est, ac Trinitas prædicatur. Quod enim Deus ex Deo sit, hoc demum Personas facit. Quamobrem non prius tria intelliguntur (tres scilicet personæ) quàmque aliud gignens est, aliud quod gignitur, atque aliud quod producitur ac velut proiicitur. Sic enim citra processiones, tres essentiæ inducentur, quod Arianorum opinionis est; atque adeò neque Deum vnam essentiam confitebimur, peribitque vnius doctrina principatus. Hoc enim admisso, licebit cuique dicere tres essentias ac tres Deos, quod in Græcos, vt dicant, reiicimus.

Porrò quod Vnitas & Trinitas sit; duplex est ratio Theologiæ; altera discreta; altera absoluta vocatur. Cùm enim Deum vnum, bonum, sapientem, iustum diximus, taliaque de eius bonitate & providentia disseruerimus, nulla Patris & Filij & Spiritus sancti discretio intelligitur. Idque Theologia vnita vocatur, quæ ex nominibus absolutis consistit. At, cùm vnum Deum Patrem & Filium & Spiritum dixerimus deque processionibus & proprietatibus hypostaticis seu personalibus locuti fuerimus; modus hic differendi de Deo, Theologia discreta nuncupatur, quæ ex nominibus discretis constituatur.

Theologia coniuncta & discreta: perinde Dionys. Damasc. &c.

Idem porro sunt essentia & natura, personaque & hypostasis. De his enim etiam, ait, Gregorius Theologus, *Non disceptabimus de nominibus, quandiu syllabæ ad eandem intelligentiam ferent.* Denique etiam proprietatem & hypostasim seu personam idem esse Vir ille sanctus ait. *Deum porro cùm dico, vno eodemque trino lumine perstringimini. Trino quidem, quantum ad proprietates.* Exponens autem quidnam dixerit proprietates, adiecit, *sive hypostases.* Ac istud quidem ait in Orat. in Lumina. In Orat. verò in beatum Athanasium, cùm dixisset, *Cum vna essentia & tres hypostases à nobis piè dicerentur*, subiecit; *quod alterum, naturam; alterum, trium Personarum proprietates declaret.* Illic itaque cùm proprietates priores posuisset, eas hypostases interpretatus est, in istis verò, hypostases exponit proprietates.

Orat. 39. p. 630.

Orat. 21. p. 395.

Cùm itaque Deum sapientem, bonumque ac viventem dixerimus, Deum vnum ac essentiæ communitatem significamus: cùm verò nomen discretum protulerimus (nempe personale vnius divinarum Personarum) putà, Patrem, aut Filium, aut Spiritum sanctum, eandem rursus communitatem cum quodam proprio significamus. Etenim Damascenus Sanctique alij sic hypostasim seu personam definiunt, *Commune cum proprio*, seu proprietate. Non enim Deus aliud est, aliud tres Hypostases seu Personæ. Ait enim Gregorius Theologus, *Deum porro cùm dico, Patrem nimirum & Filium & Spiritum sanctum dico.* Et iterum, *Vnum enim in tribus Deitas est; & tria vnum, ea scilicet in quibus est Deitas: vel, vt magis propriè dicam ac exactè, quæ est Deitas.* Cavit illud, *in quibus*, ne intelligeretur compositio, ac si aliæ essent Personæ in alia essentia, adiecitque quod accuratius ac magis proprium est, dicendo, *quæ est Deitas.*

Lib. 3. c. 16. Hypostasis seu Persona, τὸ aliud ab essentia. Orat. 39. p. 630.

Divinus quoque Maximus, *Non quasi aliam Vnitatem atque aliam Trinitatem didicerimus esse, sed eandem verè quæ Vnitas & Trinitas dicatur; alterum verò, existentia modo.* Ac rursus alio loco, *Eadem Vnitas est atque Trinitas; tota Vnitas eadem, & tota eadem Trinitas: tota vnitas essentiæ ratione eadem, totaque Trinitas ratione Hypostaseon seu Personarum eadem.* Quocirca benè dicebatur, Deum vnum esse secundùm essentiam, ac tria (id est, tres Personas) secundùm processiones: sic nimirum vt nulla trium distinctio sit, quàm quod alterum auctor est, alterum ex auctore; ac quod ex auctore, alterum nascendi ratione, alterum processione. Hoc ipsum scribit Gregorius Nyssenus, dum ait, *Nulla evariatione eandem Dei naturam considerantes, distinctionem penes auctorem, ac quod ex auctore est, minimè inficiamur; qua vna ratione alterius ab altero discretionem concipimus; quod nimirum, hic quidem auctor sit, illud verè ex auctore. Nam si Vnitas aliud est, sive Deitas, atque aliud Trinitas (nempe Hypostases seu Personæ) quaternitas est id quod Numen est. Sin vero etiam proprietates alia sunt à Personis, ad septena vsque futura progressio est.* Cæterum beatus Maximus, eandem Vnitatem dixit ac Trinitatem; alterum quidem, essentiæ ratione; alterum verò, modo existentiæ. Sed & divinus Athanasius, libro cui titulus est, *Nicænos Patres ritè vocem ὁμοούσιος (id est consubstantialis) vsurpasse. Quare nec creaturam, eius qui est, Dei fabricam dicturi estis; siquidem voces illæ Pater & Deus, non eius Qui est, essentiam, sed aliud quidpiam (vt vos confingitis) significant. Verùm id absurdum, ac vel cogitatu solum valde impium. Sin autem cùm audiamus.* Qui sum. *Et*, In principio fecit Deus cœlum & terram. *Et*, audi Israël, Dominus Deus tuus, Dominus Deus est. *Et*, Hæc dicit Dominus

Maximus.

Nyss.

Non occurrit in libro Athan qui extat eo ferè argumento.
Exod. 3. 14.
Gen. 1. 1.
Deu. 6. 4.
Zach. 1. 13. &c.

Omnipotens, *non aliud quidpiam, sed ipsam eius Qui est, simplicem & beatam & incomprehensam essentiam significamus. Quamuis enim quidnam tandem sit comprehendere non possumus, cùm tamen Pater & Filius & Omnipotens audimus, non aliud quidpiam, sed ipsam eius Qui est, essentiam significari intelligimus. Quia & vos cùm dixistis (nempe Ariani) Filium ex Deo esse, nimirum ex Patris substantia eum esse perhibuistis.*

Rectè igitur dicebamus, cùm & Deum & Patrem dicimus, vnum nos eundem significare Deum, nempe, eundem ipsum tum absolutis nominibus significari, tum discretis; ac quidem absolutis, cuiusmodi sunt Deus & bonus, essentiæ communitatem & totalitatem significari; personalibus verò, cùm nimirum Patrem dicimus aut Filium aut Spiritum, eandem rursus communitatem ac totalitatem, cum eo quod proprium est, designari. Nam etsi Sancti, Aliud quidem essentiam, aliud verò personam esse dicant, non tamen tanquam aliam atque aliam rem seorsum existimant; sic nimirum vt personam essentia carere, ac essentiam persona seu subsistentia, contingat; quod Magnus Basilius Epist. ad Terentium Comitem absurdum pronuntiat. Etenim essentia omnis seu substantia, quibusdam proprietatibus insignita consideratur, habentque proprietates essentiam seu substantiam, circa quam considerantur. Hypostasin enim ac personam dicimus, *Commune vnà cum eo quod proprium est.* Cæterum hoc sensu dicuntur Sancti, vt ait Magnus Basilius in eadem Epist. *Quæ est ratio communis ad proprium, eam esse essentia ad hypostasin, seu personam.* In Epistola verò ad Gregorium fratrem de distinctione Essentiæ & Hypostasis, ait, *Communitatis ratio ad essentiam spectat: Hypostasis verò ac persona cuiusque proprium signum ac nota est.* Cæterum, quod commune est, illi respondet ac affine est, quod est absolutè; quod verò proprium, illi quod tali modo est. Nam nomen Deus, velut communius in Deitate assumimus, non quodvis personalium ac propriorum nominum, vt est Pater aut Filius. Nam neque vicissim dicuntur. Est enim Pater quidem & Filius & Spiritus sanctus, vnus Deus: at non etiam omnino Deus Pater est. Etenim Pater Deus est, non tamen Filius aut Spiritus est. Præterea verò, nisi commune hic essentiam significet, ac quasi vniversali respondeat, sed ita se habeat, velut cum dicimus, *Homo est animal rationale*, sequetur, quæ essentiam omnem excedit, Deitatem, haud secus ac genera & species per complicationem in sola mentis consideratione consistere. Verùm qui Damasco oriundus Theologus est, eam opinionem evertit, dicens, *In creatis quidem, personarum divisio seu discretio, ipsa re consideratur. Re ipsa enim Paulus à Petro seiunctus conspicitur, communitas verò & coniunctio atque vnitas, ratione intelligitur ac mentis consideratione.* Paucisque interiectis, *In sancta autem & supersubstantiali cunctisque eminenti ac incomprehensa Trinitate, è contra se res habet. In ea enim commune ac vnum, ipsa re intelligitur, discretio verò ac quasi divisio, subtili mentis cogitatu consideratur.*

Essentia vt aliud ac proprietate.

Epist. 349 p. 1330.

Epist. 43.

Lib. 1. c. 8.

Ex his igitur patet, quod dicebamus, Essentiæ communitatem, sive essentiam communem, tum nominibus absolutis significari, tum eandem rursus essentiæ communitatem relatis nominibus discretè (quippe personaliter) intelligi. Ac liquet, Paternitatem & Filietatem & Spiritietatem (si ita loqui liceat) omninoque proprietates in relatis duntaxat consistere; nec esse aliam discretionem, præter divinas personas; præter hoc scilicet, quod alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus. Vti neque aliud est vnio quàm essentia. Si quidem enim alia discretio est, quàm quod alius Pater est, alius Filius, alius Spiritus; erit & vnio alia præter essentiam. Id verò absurdum est: sic enim erit aliquid præstantius quàm essentia; quandoquidem quod vnitatem præstat, illo melius est ac nobilius, cui illa præstatur. Nec alia res est Paternitas aliaque Filietas, atque alia Processio: Nam si horum diversæ sunt rationes ac oppositiones contrariæ, consequens erit Deum ex contrariis ac oppositis constare.

Hæc & Magnus Athanasius dicit in disputatione adversus Anomæos, cùm ii scilicet in compositionem inde cogerent, quod aliud Essentiam, atque aliud Hypostasin seu Personam dixisset. Addit enim, *Non velut rem, aliud & aliud essentiam & hypostasin dixi; sed quod aliud quid essentia significet, aliudque hypostasis. Vt granum tritici dicitur & est tum semen, tum fructus, non vt res alia atque alia: aliud tamen declarat semen atque aliud fructus.* Idem itaque reipsa sunt essentia & hypostasis. Sunt enim vna essentia. Verùm aliud significamus, cùm eam hypostasin diximus, aliud verò quidpiam, cùm essentiam. Nam hypostasis in divinis, relatum aliquid significat, essentia verò, absolutum. Hocque essentia ac hypostasis differunt; quod altera simpliciter dicatur; altera, tali modo. Hoc itaque Sancti volunt, cùm dicunt. Non esse idem essentiam & hypostasin; Ac si dicerent, Non idem esse in Deitate quæ omni essentiæ eminet, absolutum, & quod relatum est. Nam relatis quidem, discernuntur divinæ Personæ absolutis verò connectuntur. Non sunt autem idem vnio & discretio. Etenim essentiæ comes vnio est, hypostasibus verò ac personis, comes discretio.

Dial. 1. circa medium. Multo c. 14. vt Maxima habens, cuiusque ex eo auctores.

Quod verò Filium ex Patre nasci dicamus ac generari, nullam (velut in rebus corporeis) fluxionem aut sectionem intelligimus; sed totum ex toto, ac perfectum ex perfecto sentimus. Idemque dicendum de Spiritu sancto: Quemadmodum enim Deus aliter fabricatur; aliter verò homo. Nam Deus quidem absque vlla mutatione & ex nihilo; homo autem cum mutatione & alteratione, atque ex aliqua re supposita; sic etiam aliter quidem Deus gignit, absque vlla passione ac labe, & vt ratio est ex mente: aliter autem homo, cum passione scilicet & labe, nec nisi locia mulieris opera accedente.

Gregor. Orat. 35. p. 587. Damasc. L. 1. c. 8.

Vtque Magni Basilij in his vtamur verbis, in ea quam ad Canonas scribit, Epistola. *Non enim à Patre in Filium partibus scissa essentia est: neque per effluxum genuit; neque per productionem ea ratione quia stirpes fructus producunt, eduntque: sed arcanus est, vimque omnem humani sermonis ac cogitationis excedit, divinæ generationis modus. Abiecti enim revera ac carnalis animi est, quæ æterna sunt, iis quæ intereant ac sint temporanea, similia facere; atque ea versari opinione, vt pari modo Deum sentias ac res corporeas gignere, cùm potius à contrariis momenta ad pietatem in hunc modum captare operæpretium habeas, Cùm se mortalia ita habeant, haud sanè sic se habent immortalia. Neque igitur divina generatio abneganda est, nec committendum vt corporalium rerum cogitationibus animum polluas.* Etenim sicut vnam quidem esse Deum novimus; non tamen quid ille sit perspectum habemus; sic & tria est (tres scilicet personas) scimus; quid verò illa sint (ac quid personæ) nescimus.

Epist. 300

Et vt ait divinus Dionysius, *Patrem quidem Deitatem fontem ac originem, Filium autem ac Spiritum sanctum ex Deo orsunda germina, ac velut flores omnique essentia superiora Lumina, ex sacris Oraculis accepimus: quonam autem modo sese hæc habeant neque eloqui possumus, nec mente cogitare.* Cæterũ credimus Patrem, Lumẽ ingenitum esse, Filium, Lumen genitum; Spiritum sanctũ, Lumen procedens: triaque (tres scilicet Personas) vnum Lumen. Ac Pater semper erat, Filiusq; sẽper erat, & Spiritus sanctus semper erat. Non enim Pater mutatus est ab eo quod Pater non erat vt esset Pater; neque Filius, neque Spiritus sanctus; sed ab æterno nullaque fluxione Filium sibi consubstantialem generat, & producit consubstantialem sibi Spiritum; non ita tamen, vt prius quidem gignat Filium, tumque Spiritum producat (hoc enim sentire impium est) sed simul tum Filij generatio est, tum Spiritus sancti productio. Simul enim est Auctor, & quod est ab Auctore. Natus verò ac genitus Filius, non absens Patri est, aut ab eo seiunctus; verùm ex illo procedit, & in illo penesque

De Divin. nom. c. 2. §. 7.

ipsum

A

ipsum est vt eadem res: similiterque etiam Spiritus. Est enim Dei Filius Sermo vivus vereque existens, eiusque vivens & substantialis ac perfecta virtus, seu potentia; pariterque Spiritus sanctus substantia viva & perfecta vereque existens, ac virtus Patris, seu potentia, non qui ex aëre extrinsecus accedat, sed qui in vniversorũ Deo naturâ causam ac originem habeat.

Theologiæ argumentum, nota de Deo, vel de illo revelata. Rom.1. 12. 1.Tim.3. 6. Rom.1. 20.

Dei itaque essentia omni mentis cogitatu superior, ignotæque processiones, fides silentio colit, nec hæc quisquam rimatur; sed si quis quærenda sibi indulgeat, stultus fiet, & in iudicium diaboli incidet. Quæ autem sunt circa Deum, vti dicebam, & à creatura mundi per ea quæ facta sunt intelliguntur ac conspiciuntur; quódque Filius Patri consubstantialis sit & Spiritus sanctus; hæc nempe de his tradita, illa sunt in quibus Sanctorum omnis Theologia versatur; ac sequuntur qui pietati student. Imperiti verò & rudes, vbi quempiam de Deo loquentem audierint, statim putant Dei essentiam rimari; quænam ipsa sit, ac, quonam modo, Filius ex Patre gignatur, & Spiritus sanctus procedat: proiiciuntque & aversantur eum, qui talis sit. Qui verò hæc agunt, quod in ipsis est, omnem veterem pariter ac novam Scripturam evertunt; ac quas illarum Sancti expositiones tradiderunt: qui nempe omnia hæc nulliusque frugis facere velint, cùm sanè omnia ad correptionem nostram & vtilitatem scripta sint. Hi planè nec cum ab eius adversariis veritas discerperetur, eius ætatis hominibus consensissent, vt pro ea certarent; prohibentque, ne quantam pro facultate licet, ex divinis Scripturis homines Dei intelligentiam hauriant: illis quoque vt adigentes pro sua rusticitate (ne imperitia ac barditate dicam) vt & ipsi brutarum animantium more vitam instituant. Sicque, nedum humanum genus hac lædunt, ne pro facultate, animum in Deum intendant, ac, quod ex suis rationibus est, laudum ei cantica deferant, eiusque celebrent gloriam; sed & propemodum Deo nobilioris eius creaturæ (nempe hominis) damnum inferunt, dum non laudari ac magnificari ab hominibus, cuius gratia homo formatus est, præstant.

B

1.Cor.1. 12.

G

Gen.1. 26.

Ioan.17. 3.

Vtrosque igitur, quod ad eos attinet, damno afficiũt; tum nempe Deum, tum humanum genus. Ergo non cogitant hominem ad Dei imaginem fuisse conditum, eámque ob rem ad eum debere recurrere, ac per veram contemplationem bonaque opera cum eo similitudinem inire? Nesciunt verò etiam, hanc Christum dixisse vitam æternam, vt Patrem suum cognoscant, & quem misit ille, Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum. Eius autem rei vera causa est, quod nolint loqui de Deo, pro eo ac nobis per divinas Scripturas & Synodos Oecumenicas, nec non per Ecclesiæ Doctores, traditum; qui videlicet rectè hæc intelligant, & in eis cum multa modestia religiosiusque incedant. Qui quidẽ à seipsis loquantur nihil, nec quasi ex ventre imperitè eructent quæ placeant: sed qui exploratè recepta ponant, deinceps que componant, atque ad aliquod verum, quodque exploratum sit iuxta divinas Scripturas deveniant: quod, inquam, secundum communes Christianorum de Deo conceptiones existat nec quicquam prorsus ab eis dissideat. Qui eiusmodi est, & apud Deũ, & apud Sanctos omnes laudem habet; qui nempe quò naturæ scopus dirigit, incedat, statuatque quæ sunt divinæ Scripturæ, ac tum sibi ipse, tum illis, quorum minor scientia sit, vtilitatem afferat.

Sacerdotis neglectiusque sacræ scientiæ, vnde Veri Doctoris ac Theologi regula.

D

Productionis personarum & creaturæ discrimen.

Sunt itaque Filius & Spiritus ex Deo: est verò & creatura. Verùm Filij ac Spiritus auctor Pater est, omnis verò creaturæ causa, Pater est & Filius & Spiritus sanctus, tanquam vnus Deus ac vnus Conditor. Ille quidẽ Pater auctor est vt Pater (secundum nimirum nomina discreta) & Productor: hic verò, secundum absoluta, in quantum tria (tres scilicet Personæ) vnum sunt. Vnde etiam tanquam vnus Deus intelligitur, Pater & Filius & Spiritus sanctus, tanquam vnus creaturæ opifex ac auctor. Ac Filius quidem ac Spiritus ex Deo & Patre naturâ sunt ac essentialiter: creatura verò, ex Deo qui est Trinitas; verum opificij ratione seu creatione. Ait namque Damascenus; *Post hæc etiam facta creatura est; non tamen ex Dei substantia; sed ex nihilo in rerum naturam eius voluntate & potentia producta est.* Cùm autem consimili vndique ratione Deus & Pater rerum omnium opifex sit, Filiusque ac Spiritus, tanquam vnus opifex ac rerum auctor, Patrem nimirũ rerũ causã quasi originale: Cuncta enim quæ Filij sunt ac Spiritus, ad eum referuntur: causam verò effectricem dicimus Filium; consummatricem denique, Spiritum sanctum, quemadmodum ait Magnus Basilius ad Amphilochium.

E

Athan. l.2.c.2

De Spiritu sancto c.16. p.180.

Cogita mihi originalem causam ac primariam, eorum quæ sunt, Patrem; creatricem seu effectricem: Filium; perfectricem ac consummatricem, Spiritum sanctum: Sic nimirum, vt Patris quidem voluntate sint administratorij Spiritus; Filij verò operatione producantur ac esse nanciscantur. Spiritus autem adventu ac præsentia, perficiantur. Idcirco etiam aiebat beatus Paulus; *Vnus Deus Pater, ex quo omnia.* Patris nempe personam subindicans: *& vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia; & vnus Spiritus sanctus, in quo omnia.* Ioannes quoque Evangelista ait, *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.* Per ipsum verò dicit, non tanquam per organum aut servum, seu rem aliquam eiusmodi, sed quasi per naturalem, & quæ verè existat, virtutem; sicut etiam mens nostra operatur per suam intellectionem. Quanquam nec istud exempli, satis sermoni congruum est. Deus siquidem rebus omnibus longè eminet.

1.Cor.8. 6. Rom.16. 15.

F

Ioan.1.3. Basil. ad Amphil. 18.

Sed & reliqui Sancti eodem modo docent, Operari omnia Patrem per Filium in Spiritu sancto. Et rursus, *Per quem accessum habemus ad Deum & Patrem.* Magnus quoque Basilius in iis quæ scripsit ad Amphilochium, *Via ad Dei cognitionem ac fidem ab vno Spiritu, per vnum Filium, ad vnum Patrem.* Ac rursus in quodam capite cuius hic titulus, *Spiritum vnà cum Deo glorificari ostenditur, Nec sine Filio Pater operatur, nec Filius sine Spiritu.* Adhucque fusius de his disserens in Epistola ad Gregorium fratrem de differentia Essentiæ & Hypostasis, sic ait, *Omne bonum, quod ad nos ex divina virtute venit, eius gratiæ operationem esse dicimus, quæ omnia in omnibus operatur, vti ait Apostolus,* Omnia autem operatur vnus & idem Spiritus, dividens seorsim singulis prout vult. *Quærendo autem, Num ita dignis adsit bonorum suppeditatio, vt quæ ex solo Spiritu sancto sumat exordium, rursus Scriptura duce instituimur, vt suppeditationis eorũ bonorum, quæ Spiritus in nobis operatur, auctorem & causam Vnigenitam Deum esse credamus. Per eam enim omnia facta esse, & in eo constare, dicimus ex divina Scriptura. Quando igitur & ad eum sublimem sensum evaserimus, divina rursus Scriptura insinuatione docemur, per eam quidem Virtutem, produci omnia ex nihilo vt esse habeant, non tamen etiam ex illa & absque principio: sed est virtus quædam ingenitè & absque omni principio consistens, eius ipsius, qui omnium auctor ac causa sit. Filius enim ex Patre est, per quem omnia, cum quo vnà semper inseparabiliter eique coniunctus intelligitur Spiritus sanctus. Nemo enim Filium mente assequatur, quin ante ei affulserit illustrantis virtus Spiritus.* Quin & alia plura eius generis in ea Epistola dicit. Sancti enim in omnibus hoc enituntur, vt indivisam essentiæ vnitatem, vnamque cum Personarum distinctione secordine, Patris & Filij & Spiritus sancti ostendant potentiam.

Rom.5.2.

Ad Amphil.c.18 p.191.

Epist.43. p.878.

G

1.Cor.12. 6 & 11.

Ioan.1.3. Col.1.17.

Præterea, procedere Spiritum ex Patre per Filium, constanter asserunt, qui à prima ad septimam Synodum Magistri Sanctique claruerunt. Ait namque Magnus Athanasius, *Porro fieri non poterat vt in Trinitatis laude Spiritus sanctus assumeretur, nisi processionis modo ex Deo esset per Filium non effectione, velut creatura, vt loquuntur;* nempe Hæretici. Magnus quoque Basilius, *Quinam ergo fiat vt separentur, quæ inseparabilia sunt: Verbum ex Deo, ac Spiritus ex Deo per Filium.* Sanctissimus verò Constantinopolitanus Patriarcha Tarasius, enacta septima Synodo, rectæ Fidei formulam Episco-

H

Ad Amphil.

Tharas. in VII. Synod.

pis

Lib. 1. c. 13. Lib. 1. c. 13. Adver. Eunom. 1.

pis Orientalibus mittens, *Credimus*, inquit, *& in Spiritum sanctum, qui ex Patre per Filium procedit, & Deus & ipse noscitur.* Damascenus quoque. *Ipse itaque mens est, Rationis abyssus; Verbi Pater, & per Verbum, Spiritum explanantem producens.* Ac rursus, *Spiritus sanctus, occulta Deitatis explanatoria vis, ex Patre per Filium procedit.*

Quod tamen & creatura per Filium, & per Filium Spiritus dicitur, quonam differant docet Gregorius Nyssenus 1. Confutationum. *Spiritus qui Patri coniungitur, eo quod increatus est, ab eo rursus seiungitur, quod Pater non est, sicut ille: à necessitudine verò cum Filio, quòd perinde increatus est, exque universorum Deo vt auctore existentiam habet: distinguitur rursus, eo, quod illi proprium est; quod neque tanquam Vnigenitus à Patre productus est, & quod per ipsum eluxit Filium. Rursus verò à creatura quæ per Vnigenitum condita est, ne vllam cum ea Spiritus sanctus communionem habere intelligatur, ex eo quod ex Patre per Filium eluxit, in eo a creatura Spiritus discretus est quòd immutabilis & ab omni variatione ac labe immunis est.* Etenim Spiritus verus Deus ea vero Deo est, immutabilis ac invariabilis: creatura verò, mutabilis mutuoque deterente variabilis. Ac quidem Spiritus, eodem ordine est ac Pater & Filius, ac ab vtroque, velut vna essentia, inseparabilis est. *Non enim decebat, vt vel Filius vnquam Patri deesset, vel Spiritu Filius careret,* vt auctor est Gregorius Theologus.

Orat. 46. p. 711.

Epist. 43

Magnus item Basilius in Epistola ad Fratrem, *Qui Patrem suscepit, is vnà Filium & Spiritum virtute suscepit.* Nec vllam vllo modo sectionem intelligere licet aut divisionem, vt vel Filium sine Spiritu concipiamus, vel Spiritum à Filio disiungamus. At creatura, infinities infinitè inferior est quàm pro Spiritus essentia. *Etenim quæ à Spiritu extranea sunt, eadem nobiscum servitute tenentur,* quemadmodum idem ipse dicit in tertio Confutationum libro, *quanquam maxime dignitatum præstantia, alia aliis præcellere videantur.*

Lib. 3. contra Eunom.

Epiph. Hær. 52. p. 239.

Divinus quoque Epiphanius adversus Secundianos scribens, *Quæ sunt*, inquit, *post Patrem & Filium & Spiritum sanctum, ritè creata sunt, ab ipsoque citra invidiam vt consisterent essentque in rerum natura, præclarè processerunt.* Ac quidem Spiritus sanctus nullius particeps est, neque sanctificatur aut perficitur. De eo enim dictum est Gregorio Theologo, *Erat igitur semper participabilis, non particeps; perficiens, non ipse perficiatur.* Damascenus item, *Omnia implens essentia, omnia continens; mundum; quantum ad essentiam implens, interim ipse maior quàm vt mundus vim illius ac potentiā capiat.* Creatura verò & particeps est, & sāctificatur & perficitur Spiritus S. operatione. Ait enim de eo rursus divinus Basilius, *Spiritus sanctus ex Deo existens, fons est bonitatis, vitæ vitam præbens, gratia perficiens, per quem homo adoptionem filiorum recipit, & quod mortale est, immortalitatem, Patri Filioque per omnia coniunctus.*

Orat. 44. p. 7. Lib. 1. c. 8. Greg. Orat. 37. p. 6.0.

Ad Amphil. eiti non oc curri.

Sancti enim, vti dicebamus, quemadmodum Filium Patri consubstantialem ac counitum, ab eoque inseparabilem, de Deo tractantes tradunt, sic quoque Spiritum Filio Patrique coniungunt atque vniunt, vt Deum verum, vnicosque ac eiusdem essentiæ, servato ordine quem inter se Pater Filiusque habent. Ideirco quandoque quidem Magnus Athanasius, velut in libello ad Serapionem, ita scribit, *Cùm eadem ordinem ac naturam Spiritus ad Filium habeat, qualem Filius habet ad Patrem; quomodo, qui Spiritum creaturam vocat, non hoc ipsum necessario etiam de Filio sentiet?* In tomo quoque ad Antiochenos. *Devovendi verò etiam qui Spiritum sanctum creaturam esse dicunt, atque à Christi substantia divisum.* Quandoque verò Magnus Basilius, vt quibus ad Amphilochium scribit. *Sicut se habet Filius ad Patrem, sic se habet ad Filium Spiritus, iuxta traditum in Baptismo sermonis ordinem. Quod si Spiritus Filio copulatus est, atque Filius Patri, vtique etiam Spiritus Patri copulatus est:* Omninoque Sancti, dum loquuntur de Patre & Filio & Spiritu sancto, qui vnus ac verus Deus est, studentque trium Personarum indivisam communionem rectu sensu exponere ac prædicare, quod vna essentia sit, ac inter se Personarum ordo, eiuscemodi verbis contexunt quam de Deo tradunt doctrinam.

Epist. ad Ei non sunt omnia verba. Citat. Georg. Metoch. 11. Greg. Orth. p. 984. & p. 175.

Ad Amphil. c. 17 p. 187.

Quod autem Trinitas vnus Deus sit, Patremque & Filium & Spiritum Personas esse verè existentes & Perfectas; ac quamlibet verum Deum esse, tum nos vetus Scriptura docet, tum nova, quam nobis datam dicebam ex revelatione divina. Hanc verò omni diligentia affectati Viri sancti, quæ in superioribus exposita nobis sunt, Theologica ediderunt. Vt igitur nos etiā divinæ Trinitatis mysterium ex divina Scriptura ipsis eius verbis disertè expositum ac prædicatum intelligamus, pauca quædam de Filij generatione & Spiritus processione explicabimus, quæ ea Dei doctrina, eorumque qui ex revelatione fidem acceperunt, velut oracula quædam ac divina responsa, colligemus.

De Patre quidem nullus Hæreticorum in dubium vocavit esse verum Deum, sæculis omnibus anteriorem: ac ne Infideles quidem, tametsi eum Filij Patrem non dicunt, nec qui produxerit Spiritum sanctum. Quando verò alij neque prorsus Filium neque Spiritum confitentur, velut Iudæi, alij verò confitentur, sed non vt Scripturis consentaneum est; sed magis ipsis adversantur; statim dicemus.

Ps. 2. 7. Ps. 88. 27. Vexati loci adversus Iudæos de Messia

Dicitur itaque in divini Davidis Psalmis, *Ego hodie genui te.* Et, *Ipse invocabit me; Pater meus es tu.* Iudæi cavillantes, & vt hæc evertant, aiunt; tanquam ex Dei persona ad Davidem referri. Sed arguuntur ex sequentibus: ait enim, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & possessionem tuam terminos terræ.* Liquet autem Davidis regnum exiguo limite fuisse comprehensum. Sin autem Salomoni convenire dicant, quod ita dictum est, *Ipse invocabit me; Pater meus es tu.* Atqui sequitur, *Et ponam in sæculum sæculi semen eius:* Hæc autem Salomoni non contigere. Proinde datur intelligi, cùm quædam horum verborum aptari possint Davidi & Salomonij, alia verò nullo modo possint; dicta quidem esse, vt moris est Scripturæ, de Davide & Salomone; sed vt alterius figura erant, in quo omnia fuerunt adimpleta.

Pro. 30. 4. Mat. 11. 27. Mar. 1. 1. Hebr. 1. 1.

Rursus ait Salomon in Proverbiis, *Quod est nomen eius, & quod nomen Filii eius?* In Evangelio autem, *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius.* Ac rursus, *Initium Evangelii Iesu Christi Filii Dei.* Item Apostolus Paulus, *Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissimis diebus istis locutus est nobis in Filio.*

Iob. 38. 28.

Quod verò Scriptura paternitatis nomen & generationis, patrisque & filij, haud rarò de rebus creatis dicat, vt est illud Iob. *Quis est pluviæ pater, aut quis genuit stillas roris? Ex cuius verò vtero gelu processit; aut gelu in cœlo quis genuit?* Ideirco distinguens, à creatis, Filium genitum vocans, ait esse & Deum, vt præ creatis eius excellentia monstretur Ait enim, *In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Quod autem Verbum Filium dicat, paucis interiectis addit, *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis: Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre.* Esaias quoque Propheta, ait, *Puer natus est nobis, & Filius datus est nobis, cuius principatus factus est super humerum eius; & vocabitur nomen eius Magni consilii Angelus, Deus, fortis, Potens, Princeps pacis, Pater futuri sæculi.*

Ioan. 1. 1. & 14.

Isai. 9. 6.

Isai. 1. 2. Ps. 81. 6. Col. 2. 9.

Sin autem etiam de aliis ait Scriptura, *filios genui & exaltavi; ipsi verò spreverunt me.* Vel vt est illud, *Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes;* nullum tamen aliorum dixit esse Vnigenitum Filium Dei: nec de vllo alio dictum est, *Habitare in eo plenitudinem divinitatis* quod dè isto dicit Scriptura. Præterea verò ait de seipso Filius, *Omnia mea, tua sunt, & tua, mea sunt.* Et, *Omnia quæ habet Pater, mea sunt.* Et. *Hæc est vita æterna vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum.* At verò etiam Apostolos, *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.*

Ioan. 17. 10. & 16. 15. & 17. 3. Phil. 2. 6 Mat. 28. 19.

Cæterum Scripturæ testimonia tertium Patri ac Filio Spiritū connumerant. Ait enim Christus, *Euntes in mūdum*

dum universum, docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Evangelista quoque Ioannes, *Tres sunt qui testimonium dant, Pater, Verbum & Spiritus sanctus.* Ac rursus. *Cùm autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.*

A 1. Ioan. 5. 7. Ioan. 15. 26.

Quod autem sit verus Deus inde liquet, quod adoratio & cultus seu servitus (λατρεία) soli Deo debeatur. Ait enim vetus Scriptura, *Dominum Deũ tuum timebis, & illi soli servies.* Atqui Sancti etiam serviunt Spiritui sancto. Ait enim Apostolus, *Nos sumus circuncisio, qui Spiritui Dei servimus.* Præterea, sanctificare homines, eius proprium opus est; qui verè ac propriè Deus est. Dicit enim Deus in veteri Testamento, *Ego Deus qui sanctifico vos.* Atqui etiam Spiritus sanctus sanctificat. Ait enim Divus Paulus, *Sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi, & in Spiritu Dei nostri.* Similiter Dei opus proprium est & vivificare. Porro dicitur in Evangelio, *Spiritus est, qui vivificat.* Et Apostolus, *Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Ac rursus ait Dominus, *Sicut Pater suscitat mortuos & vivificat.* Vivificare autem in divino Spiritu est. Scribit namque Apostolus, *Si Spiritus eius qui suscitavit Iesum Christum à mortuis* (quà scilicet homo erat) *habitat in nobis; qui suscitavit Iesum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora nostra, per inhabitantem Spiritum suum in nobis.*

Argumét. pro Deitate Spiritus. Deut. 6. 13. Phil. 3. 3. Levit. 20. 20. 1. Cor. 6. 11. B Io. 6. 63. Rom. 8. 13. Io. 5. 21. Rom. 8. 11.

Pari modo inhabitare in Sanctorum mentibus, Dei proprium est. Ait enim Apostolus, *Vos estis templum Dei viventis, quemadmodum ait Dominus, Quoniam inhabitabo in eis.* Idipsum verò Apostolus Spiritui sancto tribuit: Ait enim, *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* Rursusque ait Apostolus, *Spiritus autem omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Comprehendere autem omnia quæ Dei sunt, nulli creaturæ competit. Ait enim Dominus, *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius.* In Esaia quoque velut ex persona Dei dicitur, *Secretum meum mihi.*

2. Cor. 6. 16. Levit. 26. 12. Rom. 8. 9. 1. Cor. 10. Mat. 11. 27. Isai. 24. 16.

Rursus, proprium Dei opus monstratur, inter preces revelare mysteria. Dicitur enim Danieli; *Est Deus in cœlo revelans mysteria.* Hoc autem opus probatur Spiritus sancti. Ait enim Apostolus, *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum sanctum.* Ac iterum, *Spiritus autem loquitur mysteria.* Præterea in Actibus dicitur, *Anania! cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto?* Paucisque interiectis, *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Igitur Deus est Spiritus sanctus.

C Dan. 2. 28. 1. Cor. 2. 10. 1. Cor. 14. 2. Act. 5. 3. 4.

Longioris porrò operæ sit, quærendo testimonia proferre; quibus Filij ac Spiritus Deitas comprobetur; quod nempe amborum persona verè existens sit; ac vterque verus perfectusque Deus sint. Quodque in vnum auctorem (Patrem scilicet) referantur, ex quo sine tempore esse habent; exque eo quod est, sit quod est ac verè existens est, manifestum est, etiam Patris personam id esse quod est, ac verè existens & perfectum est: quod omnibus in confesso est. Cumque adeò Deus, Deus verus sit & perfectus, & ratione vitaque præditus; hæc autem ex Deo sint (ambæ scilicet Personæ) nec in Deo vllum sit accidens; manifestum est, hæc etiam (Filium nimirum & Spiritum) verè existentia esse ac subsistere: vtrumvis enim altero comprobatur. Sicque adeò Deus tres personæ est vnaque essentia ac vna res, vt planè divinæ Scripturæ, ac quas Sancti expositiones adhibent, palam declarant. Vtriusque enim Testamenti paginæ, Sanctorumque in ipsa commentationes, eam in rem testimonijs longè exuberant.

D

Ex his verò aliud planè nihil discimus, quàm quæ sæpius dicta sunt: Nempe, vnum Deum esse Patrem & Filium & Spiritum sanctum; nec in vllo alio distingui, quàm quod aliud est Pater, aliud Filius, aliud Spiritus. Hæc enim Sancti divinarum personarum proprietates hypostaticas vocarunt. Nec sola ratione distinguuntur. Nam eorum quodlibet verè est ac subsistit; non tamen re, quæ sit alia præter essentiam. Vna enim trium essentia est, dictaque est persona, *Commune cum eo quod proprium est.* Quapropter relativis (vt sic dicam) nominibus realiter distinguuntur, penes relationes quæ in personis verè existentibus intelliguntur; iis scilicet quæ sunt ex auctore, & quæ ipsa auctor existit. Quanquam in nobis etiam, exempli causa; cùm quis Petrum & Ionam dixerit, vtroque hoc nomine hominem significavit. Quique adeò Petrum ex Iona dixit, eundem rursus hominem etiam filium. Iona Patre natum designavit: nec verò, cùm horum vtrunque hominem absolutè dixit, alium nominavit, atque alium cùm relationem habentibus nominibus significavit. Hæc enim vna nominum diversitas est, quod absolutis quidem, hominum essentiam velut per se ac absolutam significavit; relationem verò habentibus, eandem rursus sic se habentem, ita nimirum vt hoc pater sit, illud filius; vti etiam in superioribus dictum est, cùm de iis loqueremur: sin autem in quibus dividua materia est ac esse in actu distinctum, tum absolutis nominibus eorum essentiam, tum relationem habentibus eandem ipsam sic se habentem ac tali modo, significamus; nec propterea Petrus, qua homo est, diversus à Iona est, aut sola ratione ab eo distinguitur, (liquet enim proprietatibus, Petrum alium esse, atque alium Ionam) quomodo in deitate, in qua vnum in actu est, vnaque & eadem trium personarum essentia, aut sola ratione erit distinctio, aut penes aliud quid præter essentiam?

E Vera realisque distinctio in divinis summáque vnitas. Maximus. Dial. cũ Eunom. Damasc. l. 3. F

De his itaque tum modò, tum & in superioribus dictum est. Porro hisce nominibus significantur divinæ Personæ. Pater siquidem causæ expers dicitur, principium, causa sive auctor, genitor, productor, maior: quod Damascenus intelligendum censet, qua ratione causa est & auctor. Dicitur habere Spiritum, *Spiritus* enim *Patris*, inquit scriptura. Ipsum quoque mittere dicitur: vnde & eius subministrator vocatur, sed & Filium dicimus ab eo esse missum: ipse verò neque a Filio, neque à Spiritu mittitur. Porrò missio, nullam distantiam inducit aut separationem trium personarum. Vbi enim Filius est, ibi est & Pater & Spiritus; quinimmo nec aptè dicatur ibi: nam Deus vbique est. Quamobrem etiam dixit Chrysostomus, *Deus non mittitur*, ea scilicet ratione qua est Deus: qua verò ratione persona est, mittitur. Quomodo enim Vir beatus sic negasset, cùm ipse Dominus dicat mitti Spiritum? Non ergo distantiam aut separationem inducit: propter ignorantiam verò, effusamque mentibus nostris caliginem, Deum nobis abesse dicimus. Cùm verò lux scientiæ ac veritatis cordibus nostris affulserit (nam & ea ratio est cur Deus Lux vocetur) Deum nobis advenisse ac præsentiam exhibuisse dicimus.

Patris nomina. Greg. Orat. 36 p. 586 Mat. 10. Ioan. 14. 26. G Hom. de Spiritu sancto, doc. t. 6. Dei in homine absentia & præsentia.

Ait verò etiam Gregorius Theologus, *Missionem Patris* (seu quod miserit) *propensam eius voluntatem existima; ad quem refert quæ sua sunt, tum honorem habens tanquam principio temporis experti, tum ne Deo adversari videatur.* Ac rursus in Oratione de Spiritu sancto, *Cuncta verò quæ hic humilius dicuntur: quod nempe detur quod mittatur, quod distribuatur, gratia, donum, insufflatio, promissio, interpellatio, ac si quid eius generis est: ad auctorem primum referenda sunt, vt vnde sit ostendatur, nec trium Deorum errore, tria principia divisa admittantur.*

Orat. 38. p. 618. Orat. 37. p. 612.

Filius autem nominatur, qui ab auctore est, genitus, soboles. Ait enim idem, *Horum autem, alter soboles, alter processio.* Vnigenitus, principium. Nam ait idem. *Principium ex principio.* Sapientia, Verbum. Potentia Patris, imago, splendor, Figura substantiæ eius. Viva ac substantialis eius operatio. Eius voluntas. Etenim ait Damasc. in Theologicis suis Capitibus. *Ne multis dicam, Non est aliud Patris Verbum, sapientia, potentia, voluntas, præterquam Filius.* Divus quoque Cyrillus Thesaurorum libro vigesimo primo ipsum voluntatem

H Orat. 35 p. 562. & 575. Lib 1. c. 13. Thes. 12. p. 112. & 7.

appellat,

appellat, dum ait. *Filius est vivens & substantialis voluntas verbum. Ergo idem eius voluntas Patris.* In septimo quoque, *Est verò*, inquit, *Filius Patris Verbum. Ergo idem eius voluntas est.*

Quin & alia voluntas extra Dei essentiam legitur ac humano more intelligitur. Ait namque Magnus Athanasius in disputatione adversus Arium. *Dei essentia neque cœpit; neque desinit: Non ergo cœpit imago autve desinit: voluntas verò, & cœpit & desinit.* In quæ verba observat beatus Maximus, atque, *Voluntas non idem est cum Dei essentia: Nam voluntas, & incipit & desinit: quod autem incipit & desinit, non potest esse idem cum eo quod neque incipit neque desinit.* Iustinus quoque Martyr in libro adversus Græcos, *Essentia, inquit fieri non potest vt non existat, voluntatem autem ac consilium, contingit esse: voluit enim Deus, & factus est sol, non autem voluit vt & aliter sol fieret: nec enim necesse erat.* Magnus item Basilius, *Cuiusnam verò ope egeat, qui sola voluntate creat, vnà ac velit consistente quod creatum sit. Præterea vocatur Dei Filius Patris definitio atque ratio, nec à veritate aberravit, qui sic eum se habere ad Patrem, ac se definitio habet ad definitum, & vt se ratio seu Verbum habet ad mentem dixerit.* Hæc enim habet Gregorius Theologus Orat. 2. de Filio. Ex quibus manifestum est; Non eo modo quo Dei Filius, nuncupatur sol & lumen & panis & gutta, & margarita, quæ nomina pro humano vsu ex creatis trahuntur, nec cùm illa non essent eorum nomenclaturam sortibat (sunt enim hæc ex operationibus conflata) sic quoque Verbum vocari ac rationem, ac rursus Patrem, Mentem: sed ita, vt quamvis in creatorum nullum esset ratione mentisque intelligentia præditum, ex quo nomen sumere oporteret, nihil tamen obstaret quin Mens existeret, Ratioque ac Verbum. Siquidem enim ante omnia sæcula ex Patre est: &, *Qui vidit ipsum, vidit Patrem*: hoc est, Qui cum intellexit (sic enim idem ipse Gregorius ibi locum exposuit) ac, *quæ genitoris propria sunt ac singularia, in se naturâ habet*, vt auctor est Cyrillus Thesaurorum libro secundo, palam est: sic semper se habere velut definitionem ad definitum, eiusque Patris definitionem ac Rationem seu Verbum.

Quod verò verbum apud nos non verè ac per se existat, ac cum mente easdem duntaxat atque obscuram similitudinem habeat: illic autem plenum aliquid sit ac quod vere in natura divina eiusdemque cum Mente naturæ & per se existat, Filius nuncupatur: idque ad quod relationem habet, Pater. Nam & apud nos, quod ex aliquo est, eandemque naturam cum eo, ex quo processit, nactum est, humani sermonis vsu filius vocari solet: quanquam etiam Patris nomen inde potius ad nos venisse, quàm à nobis sumptum esse, ait Apostolus. *Ex quo omnis ex communi patre cognatio in cælo & in terra*; cui planè & Damascenus assentitur.

Ad hæc, Filij Spiritum vocat Scriptura Patris Spiritum. Ait enim, *Misit Deus Spiritum Filij sui.* Etiam dicitur quod ex Patre per ipsum procedat (non autem dicitur quod Filius ex Patre per Spiritum gignatur) quod item per eum præbeatur, detturque ac mittatur; ex quo est, vt illius *dator & subministrator atque arbiter* dicatur, quemadmodum Gregorius Theologus in precatione Filium laudavit ac cecinit. Nam & ipse quidem Filius ait. *Cum autem venerit Paracletus, quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis qui à Patre procedit*: Sancti verò, in quibus Damasc. in Theologicis scribit. *Insufflavit enim & dixit, Accipite Spiritum sanctum. Quemadmodum ex sole tum radius, tum fulgor procedit. Est enim sol radij pariter ac fulgoris fons: per radium verò nobis fulgor communicatur: isque est quo illustramur, ac qui à nobis percipitur.*

Porrò Spiritus sanctus, Spiritus Dei dicitur, Spiritus Patris, Spiritus Filij. Spiritus veritatis, ab Auctore existens, procedens, processio; atque vt Damascenus in Dogmaticis suis ait, Spiritus Christi, Spiritus Domini, ipse Dominus, Spiritus adoptionis, veritatis, libertatis, sapientiæ. Etenim horū omnium effector est. Adhuc verò ex operationibus vocatur Spiritus Fidei, Spiritus lenitatis, Spiritus timoris Dei, & reliqua quæ explanat beatus Chrysostomus, in sermone quem de illo scripsit.

Ad hæc dicitur Filij imago, vt ait Paulus, *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri Imaginis Filij sui.* Præterea dicitur ῥῆμα, Verbum Filij, vt idem rursus ait. *Portans omnia Verbo virtutis suæ; per ipsum purgationem faciens nostrorum peccatorum.* Magnus quoque Basilius, in eo capite quod prænotatur. *Quid ni etiam Spiritus dicatur Filij Filius*, ait in Hæreticum argumentum intorquens. *Non quod non sit ex Deo per Filium, sed ne Trinitas, immensa quadam turba existimetur, quæ Filios ex Filiis, seu nepotes, vt contingit in hominibus, habere videatur. Sed dices. Si Dei Verbum (λόγος) Filius est; Spiritus verò ipse Filij Verbum (ῥῆμα) quidni Spiritus Filij Filius dictus est?* Præterea Magnus Athanasius in libro ad Serapionem, *Vitam* appellat *sanctificatricem ac illuminatricem*; itemque *eius operationem* (*seu nomen*) *donumque* Ait enim, *Sicut Filius vnigena proles est, sic & Spiritus, qui per Filium datur atque mittitur, vnus est non multa, neque vnum è multis, sed ipse Spiritus. Cùm enim vnus sit Filius vivens Verbum, vnam necesse est esse perfectam plenamque sanctificatricem ac illuminatricem Vitam; quæ eius operatio (seu nomen) donumque est:* Quæ nimirum idcirco ex Patre dicitur procedere, quod ex Filio, quem ex Patre fatentur omnes, elucet, mittiturque ac datur.

Quin hoc quoque necessariò observandum, Haud tatò quæ de personis dicuntur, nomina, de Deo absolutè sumi. v. g. Deus ipse totus & absolutè dicitur sapientia; Pater scilicet & Filius & Spiritus sanctus: sed & Filius sapientia dicitur, Alium igitur conceptum habemus, cùm de Filio, aliumque cum de ipso Deo nomen vsurpatur. Nam de Deo quidem absolutè dicitur, perindeque intelligitur Pater sapientia & Filius sapientia & Spiritus sapientia, ceu vnus sapiens vnaque sapientia. In Filio autem, discretè: Filius enim genita sapientia, non idem est ac Pater sapientia gignens, vel idem ac Spiritus; quod nimirum ad id attinet, quod est gigni. Similiter & Pater Filij proprij dicitur; dicitur verò & creaturæ, sed vnumquodque modo proprio, vt paulò antè dicebamus. Ac rursum, dicitur Pater & Filius & Spiritus, communiter Spiritus, *Spiritus enim*, inquit, *Deus est; & qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare.* Verùm alio modo Spiritum Patris dicimus. Tunc enim vt subsistentem ac per se propriè existentem, eum consideramus; & qui velut Processio, ad Patrem Processionis Auctorem, referatur. Etenim Spiritus procedit à Patre. Propterea diligenter curandum vt quæ in tribus Personis vsurpamus, divina nomina, talia assumantur, quæ proprietatibus personalibus conveniant, & ne in ea re decipiamur.

CAPVT IV.

Quæ tandem simulacra ac imagines de sancta Trinitate Sancti tradant.

PORRO sanctæ huius ac beatæ Trinitatis nullum aliquod ex humanis rebus exemplum ac simulacrum illi proprium licet assumere; cùm illa, supra omnem essentiam, omnemque mentis cogitatum, citra omnem comparationem longè emineat. Quodnam vero ex humanis rebus sumptum exemplum ac simulacrum proprium existat, quæ omnes in ingi ortu & interitu, defluxuque ac mutatione conspiciantur? Sicut tamen ex iis quæ ex humano sunt vsu nominamus, ne eius penitus expertes cognitionis simus (quod ita voluisse ex bonitate nulla verborum vi explicabili, Damascenus docet) non vt eius naturam, quid sit, ostendamus, sed vt qualis tandem sit, exhibeamus; eodem etiam modo

ex

ex iisdem similitudinem trahimus, ipsámque repræsentamus, ut ad obscuram unitatis ac trium Personarum proprietatis intelligentiam veniamus. Etenim necesse est, ut cum unitate, distinctionem quoque confiteamur; quo nimirum Unitatem in Trinitate, & Trinitatem in Unitate credamus.

Cùm itaque eo animo Sancti essent, ut aliquod nobis simulacrum traderent, quò unam illam atque arcanam essentiam, tres personas verè ac per se singulas existentes animo conciperemus, Gregorius quidem Theologus sic profert. *Oculum quendam & Fontem ac Fluvium mihi proposui.* Ac, *Rursus Solem & Radium & Lucem cogitavi.* Ac rursus ait, *Quemadmodum enim lucis radij, cùm indivisam inter se naturalem necessitudinem habeant, nec à luce seiunguntur, nec ab inuicem dissecantur, & ad nos usque lucis munus transmittunt. Sic & Saluator noster ac Spiritus S. (Patris gemellus splendor ac radius) & ad nos usque ministrant veritatis lumen, iidemque Patri uniti sunt.* Ac rursus, *Quemadmodum enim fieri non potest, ut inter mentem & cogitationem animumque diuisio ulla ac dissectio intelligatur; sic neque ut Spiritus sancti ac Saluatoris Patrisque media ulla unquam dissectio ac diuisio intercessisse cogitanda est.* Ac rursus, *Indiuidua in diuiduis (ut uno verbo dicam) Deitas; ac velut in tribus Solibus inter se cohærentibus, una lucis commixtio & contemperatio.*

Orat. 37. p. 611. Orat. 45. p. 720. Orat. 45. p. 719. Orat. 37. p. 601.

Nyssenus quoque in Oratione de Spiritu S. adversus Macedonianos, ait, *In quibus ea, quæ ad bonum spectat, operatio, nihil minus aut diuersum habet, quomodo rationi consentaneum est, ut qui numeri ratione ordo est, minoris cuiusdam perfectionis naturali diuersitate, signum esse existimetur? Velut si quis in tribus facibus divisam conspiciens flammam, quæ diffunditur per medium summitatem accendentem, deinde afferat, maiorem in priore flamma esse calorem; in sequenti verò inferiorem esse, minorique præstantia diuersitatem habere. Tertiam denique, nec ipsa iam ignis appellatione gaudere, etsi perinde ardeat, luceatque, ac quæ sunt ignis omnia efficiat.*

De Spiritu S.

Sanctorum verò alij, Fontem & Fluvium Paludémque dixere; Ignémque & flammam & lucem. Diuinus quoque Cyrillus, radicem & ramum, fructúmque accepit Rursúsque in Thesaurorum lib. sic ait, *Ait Christus cum Iudæis disputans.* Si autem in digito Dei eiicio dæmonia, profectò pervenit in vos regnum Dei. *Digitum hoc loco, Spiritum S. vocat, qui ex diuina substantia velut enascatur, exque illa naturâ pendeat, haud secus ac digitus ex manu humana. Etenim Dei brachium atque dexteram Filium vocant diuinæ Scripturæ, cuiusmodi est illud,* Salvavit eum dextera eius, & brachium sanctum eius. *Et rursus;* Domine excelsum brachium tuum, & non cognoverunt; cognoscentes autem confundentur. *Quemadmodum igitur brachium naturâ toti corpori consertum est, cuncta operans quæcunque animo libuerit; perungitque ex more eam in rem utens digito; sic Dei quidem Verbum ex ipso & in ipso naturâ aptatum, ut sic dicam, innatúmque consideramus; ad Filium verò naturâ ac essentialiter à Patre pertingentem Spiritum, per quem ungens omnia, sanctitate imbuit. Non ergo extraneus alienúsque videtur à diuina substantia Spiritus S. sed ex ipsa & in ipsa naturaliter; haud secus ac digitus in manu illi congeneus est; ac rursus manus in corpore, nihil diuersam ab eo substântiam habens.* Alio autem loco idem, Patrem quidem Rosam stirpem, Filium verò, Florem; Spiritum S. Odorem nuncupavit.

Thesaur. Luc. 11. 20. Ps. 97. 1. Isa. 26. 11

Rursus Sancti mentem nostram sermonémque & spiritum exemplo assumunt, qua ratione in homine sunt, qui inter res creatas nobilitate præstat, quatenus ad Dei imaginem fuit conditus. Verùm hoc quoque longè deficit à veritate. Etenim sermo noster ex disciplina accedit, ac voce profertur, fertúrque in aëra, ac per aërem fusus dissipatur; neque verè existit, ac neque semper est, neque idem ac mentis substantia est; sed exilem quandam ac obscuram communionem habet, ea scilicet ratione quod mentis conceptum enunciat, producitque in publicum, ac qualis sit interior animique sermo significat. At Dei Sermo verè ipse existit, ac semper est. Non enim fuit unquam, cùm Deo Sermo deesset; efficaxque & omnipotens & perfectus est, idémque omnino cum eo ex quo est; illi coæternus & consubstantialis, à quo seiungi atque divelli nulla ratione potest. Non partim quidem similis, partim verò à similitudine abhorrens. Perinde quoque Spiritus: noster quidem flatus est non verè existens, quem ab aëre exterius trahimus, diversæque prorsus à mente nostra substantiæ est. At Spiritus Dei sanctus, verè ipse ac per se existens, & vivens & perfectus est, haud secus ac Filius, efficax, à se mobilis, creator; cuius voluntati comes potestas sit (tametsi ad primum Auctorem, velut etiam Unigeniti omnia, quæ sunt Spiritus referantur, ut auctor est Gregorius Theologus. Una enim essentia, unaque potestas Patris & Filij & Spiritus sancti) qui neque cœperit, nec sit desitutus unquam, ex universorum Deo ut auctore habens originem: qui à Patre & Filio excedere nequeat; nunquam enim Sermo defecit Patrem, neque Filium Spiritus, uti Sanctorum doctrina est; de quibus psallit beatus David, *Verbum tuum Domine in æternum permanet.* Et, *Verbo Domini cæli firmati sunt, & Spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Et, *Emitte Spiritum tuum & creabuntur.* Iob quoque, *Spiritus diuinus qui creauit me, flatus verò Omnipotentis qui docet me.*

Mens, Sermo, Spiritus. Ps. 118. 89. Ps. 32. 6. Ps. 103. 30. Iob. 33. 4.

Nihil itaque verbo nostro (seu sermoni) ac spiritui proprium, cum Dei Verbo ac Spiritu: sed obscuram quandam ac tenuissimam ex eiusmodi coniecturam in Deo, qui Trinitas est, assumimus; ac ostendimus etiam in humanis ac rebus creatis extare quædam, in quibus singulis tria inseparabilia considerentur, nec ab invicem divisa, quæ (ad essentiam quod spectat) unum existant ac totius cuiusdam rationem habeant; solumque differentiis quibusdam inter se discreta consistant, cum singula quæque proprietatum ratione, non hoc quod reliquum existant. Velut, fontis oculus, non est fons, neque fluvius, neque fons oculus est, autve fluvius, neque fluvius oculus est aut fons. Ac rursus in fonte, & rivo & lacu, neque fons rivus est, aut lacus, neque rivus fons est, aut lacus, neque lacus, fons aut rivus, tametsi unum sint secundùm essentiam, quippe quæ aqua existant. Ac rursus mens, neque sermo est neque spiritus, nec sermo, mens aut spiritus est, neque spiritus, sermo aut mens, quanquam hæc velut totum quoddam esse videantur, & ab invicem inseparabilia sint, tametsi essentia distinguantur, uti se res etiam habet in sole & radiis & luce; ac similiter etiam in reliquis exemplis.

Humana exempla à veritate Trinitatis deficientia.

Hæc enimverò, uti dicebamus, Sancti assumunt, ut nos quoque tantisper inde eò provehamur, ut personas in Deo ipsas proprie ac per se subsistere, proprietatibus incommunicabiles, ac inter se inseparabiles, intelligamus, utque item cùm infidelium quispiam accusaverit, cur unum Deum tria dicamus ac tria unum, possimus etiam exemplis ex humano usu peritis huic tali os occludere, ostendentes ne in rebus ipsis istud deesse, quamvis omnino deficiant ac quàm longissimè absint ab eo, ut tum unionem cum distinctionem, quæ est in divinis, satis exhibeant. Quomodo enim quæ serva sint atque subdita, Domino, ac creaturæ Creatori, videri possint perfectionibus paria? Idcirco non omnes proprietates earum rerum, quas exempla enumerando attulimus, in Deo assumimus, sed quantum in eis est, quod necessitudinem cum eo habeat, quod sic velut simulacro ac imagine repræsentatur, sic nimirum, ut ex alio quod Pater & Filius inseparabiles sint, ex alio, quod divinæ personæ consubstantiales atque coniunctæ, habeantque inter se ordinem, ac una earum potentia sit & operatio, aliudque ex alio habeamus, intervalla vero & defluxiones ac compositiones transitusque, ac si quæ reliqua nostræ indigentiæ sunt, iis demum rebus quæ oriuntur & intereunt proiiciamus, uti etiam ait Gregorius

Orat. 37. p. 612.

Exemplum in homi-nis & imag.

Theologus, *Nihil est in quo mēs mea gradū figere queat, dum, quod imaginor, in exemplis considero: nisi fortè quis ea animi æquitate sit, vt cùm vnum quid ex proposita imagine acceperis, reliqua præcidas.* Nam & exemplum vbique, partim dissimile est, rei quam repræsentat, partim illi simile. Si enim in omnibus simile est, non iam exemplum est eius rei, cuius summam præfert similitudinem, sed idem prorsus ac illa est. Sin verò rursus in nullo habet similitudinem, ne sic quidem exemplum ac imago futurum est. Vsu enim humano, exemplum similitudinem quandam, idque ex parte, cum eo quod imagine repræsentatur, habet. Sic tamen in nobis ac pro humano vsu: in divinis autem Personis, Filius, qui Patris imago dicatur, per omnia illi similis est, qui ex illo substantialiter, veráque ac per se existentia, omni procul remoto accidente, sit.

Tertia, August. clarissa in Concilio Eph. eiusque opinio de verbo nostro.

Sanctus autem Augustinus; quem & quarta Synodus præcellentissimum Ecclesiæ Magistrum appellavit, non sermonem qui ore profertur, in divini Verbi imaginem assumit, sed qui intus animo repositus est. Hincque adeò Spiritum sanctum, dilectionem vocat; quæ, sive dilectio, sive amor, proprietas est naturæ vtentis ratione. Omni enim menti natura competit voluntaris vis, & vt velit. Inclinatio enim ac pondus in id quod proprium est secundùm naturam, omnibus rebus inest: verùm in iis quæ sensu carent, illud ipsum secundùm naturam, inclinatio vocatur ac pondus; cuiusmodi in terra est, quod in medium propendeat; in igne verò, sursum tendat. In iis verò quæ sensu prædita sunt, eius appetitio quod est proprium & ex natura. In iis autem quæ intelligunt ac ratione vtuntur, voluntas seu dilectio; quæ post rationis iudicium, vel amplectatur ac diligat, quod iudicio bonum probatum est, vel contrarium respuat.

De Div. nom. c. 9. 3. 6.

Hanc itaque dilectionem, quæ vtentium ratione proprietas existit, in divina quoque Mente existere dicit. Vnde enim aliunde esset in nobis bonum ac perfectio, nisi ad nos ex illo veniret, in quo omnis perfectio simpliciter eximieque intelligitur residere? Vt enim auctor est divinus Dionysius, quæ in effectis perfectiones sunt, longe prius existunt in causis. Malorum quidem quæ sunt in nobis (defectuum scilicet ac vitiorum) in Deo nullus est locus: perfectionum vero si quæ nobis competunt, vel maximè. Nimirum Sapientiæ definitio, est *Divinarum humanarumque rerum cognitio.* Hæc porro in nobis imperfectè & cum discursu motuque ex vno in aliud, pro mensura nostræ facultate, conspicitur. Ab hoc enim ad illud procedit, ac transit, nec confestim per præmissas ad conclusionem devenit. Deo autem, ad sapientiam quod attinet, vtrum hoc adscribimus, quod est divinarum humanarumque rerum cognitio, longe sanè magis excellentiusque ac perfectius; quæ verò in nobis sapientiæ accidunt, hæc vero prolicimus.

Perfectiones sunt pariter in Deo, sed depurata Sapientia.

Substantia.

Quæmadmodum igitur rursus Deus & est substantia & nuncupatur: nuncupatur vero etiam homo, ac quicquid in rebus per se existens est. Quicquid vero substantiæ, ac eius quod est per se esse, perfectionis est (quæ nimirum ipsa eius definitio est, Res scilicet per se existens, quæ vt consistat nullo præterea egeat) hoc vtique ei, qui verè est, Deo tribuimus. Quod est vero obnoxium esse tempori & mutationi & corruptioni, quæ sunt propria materiæ, quæ ipsa ortus ac interitus vicissitudinem affectat, omnino à Deo removemus. Eodemque modo se res in bonitate & iustitia, ac reliquis habet.

Sin verò quia id quod dicimus improbet, ac se rectè habere neget, planè ex eius sententia congruat, vt dicamus Deum neque substantiam, neque sapientem, neque bonum esse; ne scilicet humanis appellationibus videamur ipsum honorare: quod absurdum est, Quanquam istud verum dictu est (quod nempe dicebamus) Deum neque lucem neque tenebras esse; nec noctem nec diem, neque hoc illudve, non velut id quod nusquam prorsus est, sed quia non eiusmodi est, quale

De Myst. Theol. c. 1.

nos per diversos conceptus ex diversis nominibus mente informamus ac intelligimus; sed supra omne quicquid est citra omnem comparationem eminet.

Charitas.

Eodem itaque modo, dicitur quidem in Deo dilectio; dicitur verò & in nobis ad eius imaginem. Verùm abest plerumque à nobis, id cuius amore afficimur; nec rarò etiam in nobis pravus amor, prava animi ratione parente, oritur. Deo autem nullum abest bonum, quodcunque amaverit; vnde nec cupiditas, seu desiderium, de illo dicitur, sed sicut ipse sibi est quod intelligitur, vt ait Damascenus, *Deus ipse seipsum ex beata essentia sua intelligit*: quam ipsam intellectionem innuens Gregorius Theologus, *Moveri eum ait in seipso; contemplatione*, Divinus quoque Dionysius, *Sic enim videntes coluerimus fontem vitæ seipsum effundentem, inque seipso consistentem, vnamque quandam potentiam simplicem, à se mobilem, à se efficacem, se non deserentem; sed scientiam scitatiis omnibus eminentem, semperque ipsam per seipsam sese continentem.* Vel etiam, vti beatum Hierotheum induxit hoc ipsum dicentem, atque addentem, *Qui ex seipso & per seipsum ac in seipso velut convoluatur, semperque in seipsum eodem modo vertatur.*

Damasc.

Greg. Theol.

Dionys.

Cap. 4 de Divin. nom. §. 14.

Ioan. c. 1.

Quemadmodum igitur ipse sibi res est quæ intelligatur, sic & sibi res est quæ ametur. Quandoquidem enim Ioannes Evangelista Dei Filium ter Verbum appellavit; Verbum autem refertur ad Mentem: est enim ex iis quæ relationem habent & sunt Ad aliquid: Verbum namque Dei dicitur atque est. Omnes enim Dei Verbum concorditer Filium credimus, necessarioque ad illum comparatur, tanquam Verbum ad Mentem, illeque ad Filium, tanquam Mens ad Verbum. Non enim nomina hæc (Mens ac Verbum) ex humano vsu assumpta, etiam in Deum translata sunt, velut Margarita, Agnus, Sol, aliaque eiusmodi (quæ ipsa verè & secundùm essentiam suam apud nos extent, ac quadam similitudine etiam prædicentur de Deo) sed substantialiter propriéque ac excellenter: Ac vel si nullum in hominibus verbum extaret aut mens, quinimmo etsi in creatis ne vel vnum esset intelligens ac rationis facultate præditum (seu sermonis) ex cuius similitudine Verbum nominari deberet: Verbum enim naturæ intelligentis perfectio est. Quia igitur vera in Deo Mens est, Verbum etiam verum est: longeque illic prius excellentiusque, modò duntaxat veram in Deo Mentem verumque Verbum confiteamur; quod maximè necessarium est, atque iis quæ intelligunt, suntque prædita facultate rationis ac sermonis, naturà comes: huicque præterea necessariò ipsa comes dilectio ac amor est. Hoc enim sublato, tollitur & voluntas ac velle: quæ naturæ vtentis ratione ac sermone proprietas est.

Mens & Verbum propriè in Deo.

Deus ipse sibi intelligibilia & quod amerat non aliquid extra.

Quemadmodum igitur Deus ipse sibi obiectum ac quod intelligitur est: eaque ratione Verbum producit sibi simile, vti etiam mens nostra (exempli causa) dum intelligit aliquid, ex seipsa verbum gignit illius rei quam intelligit, putà Solis, seu cuiusdam alterius rei. Verbumque illud (id est, definitio) ei rei quæ intelligitur, simile est: omnem illius speciem habens, excepta duntaxat materia, in quibus intelligibile, quidpiam rerum materialium est. Cùm itaque Deus ipse sibi sit intelligibile, ipse seipsum intelligit, inque hunc modum intelligit cuncta alia, eo quod ipse rerum auctor sit, earumque rationes ante omnia sæcula indivisè nullaque compositione præhabeat ac comprehendat. Non enim res singulas intelligendo, verbum producit eis simile: sic enim illæ, causa ei cognitionis essent ac scientiæ. Id namque nostræ naturæ est, quæ rebus posterior & imperfecta ac dividua est: sic & ipse sibi amoris obiectum est. Est enim ipse supremum bonum, nec præterea quicquam est. Qui porro ipse sibi amoris obiectum existat, ipse se diligit: inque hunc modum abs se creata omnia diligit: ea ratione, quod res quælibet in eo consistant quod est ex natura, eamque teneant perfectionem, quæ illis conveniat.

Idcirco etiam Filius Dei Sapientia ac rerum Ratio

seu

A

Filius, Sapientia: Spiritus Dilectio ac Charitas.

seu Verbum, propriè maximè dicitur. Spiritus verò, quem Augustinus Dilectionem vocat seu Charitatem, Virtus consummans ac perficiens Theologorum vocibus laudatus est. Ac sicut divinus Sermo ac Verbum duplicem habet relationem, ad eum cuius Sermo ac Verbum est, ac velut ad causam auctoremque, ex quo processit, vt ad ipsum ait Theologus, *O magna Mentis Proles fœtusque ac expressio!* Et quasi ad intelligibile, velut definitio ad definitum. Se enim habet quasi Dei ac Patris definitio, vt rursus de illo ait Theologus, *Patris definitio, atque Ratio*: Quodque *sic ac mentem ex qua est, sese habeat, ac se habet definitio ad definitum.* Nam hoc quoque ait in Orationibus de ipso Filio, quare & expressionem eum vocavit: Qui quidem ea ratione qua Patris definitio est atque Ratio Verbumque, nec maior Deo ac Patre est, nec minor, sed per omnia æqualis: Quare etiam Invariabilis Patris Imago dicitur, & *figura substantiæ eius, Æqualis* item *forma signaculum, in seipso Patrem ostendens*, vti beatus Basilius in precibus ad eum, laudavit. Hæc namque Rationis (τȣ̃ λόγȣ) perfectio est (id est, definitionis) vt nec definitum excedat, nec quicquam minus illo habeat. Sic quoque Dei Dilectio ac Charitas, duplicem habet relationem ad eum, cuius Dilectio ac Charitas est; tum quod ab illo progreditur, tumque etiam quod amoris obiecto adæquatur (Deo scilicet) cuius est Dilectio ac Charitas. Vtraque enim ex Auctore existentium divinarum Personarum (Filius scilicet ac Spiritus) tota ex toto Deo esse fide creditur; quanquam diverso procedendi modo. Ac sicut divinum Verbum infinitum est, eo quod intelligibile ipsum est infinitum; sic quoque divina Dilectio ac Charitas infinita est, quæ amoris obiecto adæquetur. In tantum enim res quælibet amoris obiectum est, in quantum est bona: Atqui Deus infinita bonitas est, Ideireo etiam & quam a se profert Dilectionem ac Charitatem, infinita est, si modò exæquanda est divinæ bonitati, estque necesse eam perfectè diligere. Sicut si perfectè seipsum intelligit; necesse est vt Verbum obiecto intelligibili adæquetur: quod vtique etiam ita est: quippe exploratum est, nihil dissimilem aut evariantem ipsum Dei Imaginem esse.

Orat 36. p. 590.

Hebr. 5. 3

B

Filii & Spiritus, vt Verbum & Amor cũ Deo æqualitas.

C

Verbum Deo coæternum, & Dilectio.

Vnũ so lumque, &c.

Enim verò eius Verbum illi coæternum est: Deus enim cùm semper actu intelligat, ex se semper Verbum genuit gignitque; sic & quam ex se Dilectionem profert ac Charitatem, illi coæterna est: Semper enim sibi ipse præsens est ac semper bonum vult; nunquam verò quod malum est. Ac sicut Deo vnum intelligibile est, ipse nimirum sibi ipsi: quamobrem etiam necesse est vnum, solumque Dei Verbum ex ipso genitum esse, ex quo etiam Vnigena Dei Verbum nuncupatur; sic & vnum amoris obiectum, ipse sibi ipsi. Id verò cùm ita se habeat, vna solaque eius necessariò Dilectio est seu Charitas, nempe Spiritus sanctus.

Quia igitur Dei Verbum sibi ipsum æquale est & coæternum, vnumque solum & perfectum (Non enim velut sermo noster ac verbum, quod paulatim ex imperfectis conceatum vix ipsum consistat) sic & Spiritus sanctus ipse sibi æqualis & coæternus, vnusque & perfectus & solus est. Quia verò etiam tum Verbum tum divina Dilectio (divina vtraque hæc Persona) totum est & ex toto: ac quidem altera (Verbum scilicet) nihil evaricans Dei Imago est; altera vero (divina nimirum Dilectio) divinæ bonitatis æqualis est, quanquam secundùm diversum procedendi modum: vtraque Deus verus est. Quid enim in divinis æquale Deo, quin & ipsum substantia sit Deusque? Hincque adeò necessariò est ac colligitur, tria (tres scilicet personas) vnam substantiam seu essentiam esse.

D

Verbum verus Deus, & Dilectio.

Præterea, Quandoquidem nullum in Deo accidens est: gignitque Verbum, ac ex seipso producit Dilectionem seu Charitatem superest vt divinum Verbum, non eiusmodi verbum sit, quod ore profertur aut animo repositum manet, nec divinus Spiritus aëreum quidpiam atque accidens confingatur; sed hæc quoque essentia seu substantia, vnaque ipsa ac eadem cum Dei ac Patris essentia, in eadem specie eademque forma (quicquid tandem in Deo species sit ac forma) esse existimentur. Ex substantia enim seu essentia, substantia ac essentia naturaliter procedit, cùm illa pro eo ac illi naturâ comparatum est, suum finem agit; idemque, siquidẽ vnus semper cuique finis proprius existit.

E

Enim verò, quæ in nobis dilectio est seu amor duplex est, ob eorum quæ amori habentur discrimen ac impuritatem. Vnde etiam prava in nobis existit dilectio, cùm res vitæ huius, quæ sunt pravæ, diligimus; atque amor impurus, quando & nostra ratio necessariò prava est. In Deo autem amoris obiectum vnum est (ipse nimirum sibi ipsi) ac sanctissimum, quippe supra res omnes incomparabili excessu eminens ac clarum. Divina quoque Dilectio ac Charitas sancta est & vna. Quia verò ea quæ occultam habent motus sui originem, spiritus nomine vocamus; sic enim etiam ventos appellamus spiritus, quod incertum nobis sit vnde illi procedant; idcirco divina hæc Dilectio ac Charitas, Spiritus Dei sanctus appellatur. Quanquam etiam divina generatio perinde occulta ac ignota genitæ omni naturæ est; veruntamen in quantum generatio vocatur vsitatiore vocabulo, notior ac velut familiarior humanæ naturæ videtur; quàm Spiritus sancti processio. Huius enim processionis, vix vllam coniecturam ac convenientiam in rebus humanis invenire possumus; cùm ex iis quæ in sensum cadunt, ad spiritalium notitiam aliquam ac cogitatum veniamus.

F

Spiritus cuius ignota origo ac obscura.

Deus ergo est Dei Verbum; Deus verò divina Dilectio ac Charitas, idemque cum Patre atque Filio Deus; eiusque processio, Dilectionis ac Charitatis processio est. Quodque in natura sermonis vi seu rationis, ac intelligendi facultate prædita, duæ tantum interius intelliguntur processiones; vna quidem rationis sermonisque & verbi processio, qua obiectum in notitiã eadem intelligit; alteraque dilectionis seu voluntatis, qua bonum intellectu cognitum, nisi præsens sit, concupiscit, præsens autem diligit. Cùmque adeò necesse sit, vtramque illam divinæ Menti adesse vti probatum est, sitque intellectionis processio, Sermonis seu Verbi Filiique operatio, superest alteram (Dilectionis scilicet ac Charitatis) esse Spiritus sancti, esseque Spiritum sanctum divinam Dilectionem ac Charitatem, qua Deus seipsum diligit.

Cognitionis processio & amoris.

G

Tale igitur etiam in sancta Trinitate Augustini, ac sequacium Doctorum, exemplum; estque reliquis connaturalius ac magis oppositũ. Nam cùm omnes Theologi, Patrem dicant ac Filium sic se inter se quadam proportione habere, ac se habent mens ac verbum; alij quidem ferè omnes Deum Verbum comparant cum verbo, quod apud nos ore profertur; at Augustinus, in interiori verbo ac quod in animo residet, assumit similitudinem. Illic enim tum esse ad imaginem positum est, tum prima ratio ac sermo, qua rationales (sermonis scilicet & verbi ac rationis compotes) sumus pariter ac vocamur, sive in corpore versamur, sive non. Quod verò sic extrà verbum fiunt, interioris signum est, diversaque ab illo ratione eodem ipso nomine censetur. Siquidem enim ex verbo illo prolatitio rationales & ad Dei imaginem diceremur, reliquum foret neque omnino rationales, neque ad Dei imaginem dicendos, cùm post mortem verbum quod ore profertur minimè habituri sumus, nec aëreum istum spiritum trahemus.

Lib. 5. de Trinit.

Ex verbo mentis & interioris aptior comparatio.

H

Verbum itaque interius citra omnem comparationem nobilius est: decet verò vt ab iis quæ nobiliora sunt ac convenientiora, divinorum similitudines ducamus. Ac quidem quæ alij afferunt, duntaxat imago sunt; quæ verò Augustinus, etiam magnam similitudinem habẽ; vt & Infidelis inde ad intelligentiam Trinitatis provehatur; qui n c audite quæ sunt Scripturæ sustineat dummodò probo animo sit pollensque ingenio, contentioni minime studeat. Absolutum enim congit, cùm præterea etiam consentiat divinæ Scripturæ.

Verbi interioris & Amoris, suadendæ fide Trinitatis.

Quinimmo ex illa potissimùm habet probationes: Ac cui libuerit, eius rei testimonia; in iis libris quos scripsit B. Augustinus de Trinitate, invenerit.

Enimvero quandiu quis verbum filium esse inficiari non poterit, is neque Patrem verè mentem dicere recusabit, non qualis apud nos mens est, sive Angelica; sed divina & infinita, ac quæ omnibus mentibus infinitè emineat, cuius tamen, mens humana exemplum ac imago quædam existat. His consequens fit, ut & dilectionem necessariò ponamus in Deo. Est enim hæc utentium ratione proprietas, uti dictum est. Sed & verbi ex mente processio, clarius manifestat eam processionem, ideirco quod sine passione ac materiæ expers existat, quàm carnalis hæc generatio. Similiter quoque dilectionis ex voluntate processio, manifestior imago est processionis Spiritus sancti ex Deo, quàm corporalis hæc Spiritus processio. Quamobrem penes animum sumendo imaginem, convenientius divinam mentem, verbúmque ac dilectionem appellabimus, quàm à corpore nuncupando, Patrem & Filium & Spiritum. Quia tamen in Deo verbum verè existens est & perfectum parique substantia, ei, ex quo processit, filius nuncupatur, consueto nobis loquendi genere. Quocirca etiam antiqui pietatis Magistri, ac potissimum M. Athanasius in iis, quæ adversus Arium scripsit, eos qui dicerent esse filium ac Spiritum Patre posteriores, io eam adigebant absurditatem, ac si Deum mentis expertem ac voluntatis assererent. Hoc enim illi absurdius ducebant, quàm si absque filio ac Spiritu diceret. Nam hoc quoque cuivis substantiæ immateriali tribuet. Liquet igitur convenientius vocari Deum mentem ac voluntatem, quàm Patrem ac spiratorem. Porro summæ rem absurditatis habebant, inferri Deum mente carere ac voluntate, inde scilicet quod Filius ac Spiritus posterius Patre existere ponebantur; quod nimirum mens necessariò verbum habeat ac sermonem; nec mens ulla sit quæ illo careat. Qui item voluntate præditus est, cùm ratione utatur atque sermone, omnino dilectionem habet seu amorem: Bruta enim ac muta animalia, cùm sermonem ac verbum seu rationem non habeant, neq; id velle rite dicantur, in quod appetitu incitantur. Moventur enim naturali vi atq; instinctu. Ac rursus qui volens est, is nunquam fiat, quin dilectionem ab ipso procedentem habeat. Dilectio enim à voluntate procedit.

Mens & verbum in Deo magis propria nomina, quam Pater & Filius. Orat. contra Arian. p. 151. Cum de mente & verbo Deum, ab illis non ... esse Patrem sine filio.

Voluntas falsum intelligentia.

Cæterum habet Deus verbum ac Spiritum, ut qui habeat seipsum. Alioqui enim, eò quod habeat, alicui in mentem veniet esse illum compositum. Quin hoc quoque dicitur, habere Filium Patrem; ac similiter habere Spiritum, quo Auctore producitur. Igitur quod attinet ad vim vocis huius *habere*, non magis erit Pater habens, quàm qui habeatur. Quin hoc quoque Ecclesiæ in cõfesso est, divinas personas quasi circuitu quodam inter se recurrere, sibique immeare: Non tamen inde sequetur consusio. *Non enim*, inquit Gregorius Theologus, *ut quasi coalescant ac misceantur, sed ut cohæreant.* Sive etiam ut locutus est Gregorius Nyssenus, cuius & superius allata auctoritas est, *Secundum aliam atque aliam rationem, alter in altero esse dicitur; Filius scilicet in Patre, velut imaginis decor in principe forma ac exemplari: Paterque in Filio, velut exemplaris decor ac species in sua imagine.*

Habere in divinis personis & habe...

Circumincessio personarum.

Orat. 30 p. 550. Adver. Eunom.

Quod si hîc Augustinus Spiritum S. ut est dilectio à Patre dixit ex voluntate; reliqui verò sancti Filium Patris voluntatem ac consilium dixerunt, quæ & superius exposuimus; Veluti nimirum Damascenus, *Non est Patri verbum, sapientia, virtus, voluntas alia quàm filius.* Divinus verò Cyrillus in Thesauris, *Filius viva est & substantialis Patris voluntas.* Magnus item Athanasios, *Divina substantia neque cœpit, neque desinit. Neque ergo cœpit divina imago, aut ve desiit: Voluntas autem & cœpit & desinit.* Hæc illi quod dicant, haud turbari oportet; quòd SS. sententiæ sint, sitque hominum ratione utentium, ac qui piè sentire velint, ut quæ dicta sint à Sanctis, omnia amplectantur; nec sicut in eis quę væneunt, alia quidem reiiciant, alia verò seligant, sed cuncta recipientes ac custodientes velut Spiritus voces, sic operæpretium exponere satagant, ut & communissimis de Deo conceptionibus & principiis fidei, nec non Sanctorum multitudini consentiant: sic tamen, dum eorum nobis Sanctimonia nulla suspicione laboret. Quod illis servemus necesse est; non sic nostro, Sanctorum sententias verbàque, usurpemus consilio, ut alios aliis committere videamur, ac velut qui se mutuò evertant, inducere. Non enim æquum est, ut sibi invicem adversari existimentur. Id enim nec iis hominibus satis congruat, quibus tantisper rationis lux affulgeat; tantum abest ut Sanctis, qui motore Spiritu cuncta exposuerunt: quò scilicet homines, illis tanquam pietatis Magistris animum adhibentes, ac per eos veritatē nanciscentes, in hunc modum in Christo necterentur.

Lib. 1. de Fid. c. 13. Thes l. 1. p. 2. Dialog. 1. cum Anom. qui & Maximo adscribitur. Sanctorū dicta amplectenda & exponenda.

Sanctorū ab Spiritu doctrina eiusque finis.

De his igitur quæ Sanctis dicta sunt, ita sentiendum, talique in omnibus utendum regula est. Sin minus, præstat, ut dicamus nos non intelligere eorum quę dicuntur sententiæ vim, quam ut convenientes exque ratione de Deo sententias evertamus, uti ait M. Basil. Hic autem possumus dicere, Sanctos, secundum diversos respectus idem alia atque alia ratione declarare. Nam Filius quidem ex Patre est, tanquam verbum ex mente. Secundum hanc considerationem etiam voluntatem ex voluntate dixerunt, quemadmodum ait Greg. Theologus, *Patri generatio, gignendi voluntas est, ac voluntas ex voluntate.* Secundum quem utique modum, filium sapientiam ex sapientia dixerunt, ac virtutem ex virtute. Cæterum Spiritus S. ex Patre est, velut dilectio à voluntate: ideirco etiam distincta processio est. Creatura verò, tanquam ab una voluntate, à Patre est & Filio & Spiritu S. Vna enim est trium personarum, quod attinet ad creaturas, voluntas.

Basil.

Greg.

Id verò est, quod & B Maximus ait, in disputatione cum Anomœo. Nam cùm ille dixisset, *Si Deus aliis gignit, atque aliis condit, compositus est*, respondet, *Non dico aliis gignere, atque aliis condere; sed, aliter gignere, aliter condere.* Cæterum divinus Spiritus, qui sit à Patre dilectio & charitas, peculiari quodam modo dicitur. Est enim dilectio ac charitas nomen relationem habens: unde & persona est. Non enim sicut bonitas, aut vis tenens omnia ac conservans, aut providentia, quæ relationem habent ad creaturam, nec sunt in ipso Deo; sed sic est dilectio ac charitas, quod relatè procedit. Ac sicut verbum ex mente relatè dicitur; quanquā verbum seu sermo de toto Deo communiter & absolutè dicatur; etiam dilectio ac charitas dicitur. *Deus enim*, inquit, *charitas est.* Propriè tamen ac relatè, alterum de Patre dicitur, nempe mens, alterum de filio, scilicet verbum; alterum de Spiritu, nimirum charitas & dilectio. Per hunc modum; etiam Spiritus mens dicatur, ea ratione qua est Deus, velut est istud moduli.

Dialog. 1. qui & Athan. tribuitur.

Dilectio communiter & relatè.

1. Ioa 4. 8.

Mens & verbum.

Tu Vita, Amor, Lux, Mens.

Similiter etiam filius. Non tamen sic relatè dicitur, ut ea quæ sunt ad aliquid; ita nimirum ut & verbum à filio procedat, vel ex Spiritu. Nisi enim sic se res haberet, vetaret nihil quin unus Deus in plures personas procederet, quod Trinitatis rationi adversatur. Quicquid verò vel Trinitatis, vel unitatis rationem convellit, procul amandandum est.

Similiter Deus sapientia absolutè dicitur; ac necesse est istud nomen commune esse Patri & Filio, nec non etiam Spiritui. Quæ enim per verbum sapientia elucet, quæ est ipsum verbum, Patris substantia est. Patris autem substantia seu essentia, ipsi Filioque communis est. Peculiarius tamen sapientia tribuitur Filio; cúmque una numero sit, uti dictum est, Patris Filiique sapientia, non tamen genita sapientia eadem est atque gignens, quod nempe ad hoc attinet quod est genitam esse. Hoc verò etiam antè dictum est.

Sapientia.

Quod verò diximus Augustini exemplum, suas ex scriptura probationes habere, verum est. Longè enim ante Augustinum, divina Scriptura hoc dixit, in Catholica Ioannis Theologi. Hic enim dicendo, *Deus Charitas est*, videtur quidem sic simpliciter & absque

1. Ioa 4. 8.

distinctione

distinctione Deum dixisse, ac si diceret, verè eumdixuic. Consonat enim hoc communi de Dei existimationi. Ipse enim & charitas & sapientia & omne bonũ existit. Volens tamen clarius mentem suam aperire, quem Deum indistinctè dixerat charitatem, eum etiã ex Deo esse adiungit. Dicto enim, *Charissimi, diligamus invicem, quia charitas ex Deo est*; adiecit, *Et omnis qui diligit, ex Deo natus est.* Quibus ostendit, eam se charitatem Deum dixisse, quam ex Deo dixerat. Est igitur charitas, Deus ex Deo. Ait enim, *Quod Deus est charitas*, &, *Quod charitas ex Deo est*, ac denique, *Quod qui diligit, ex Deo natus est.* Quonam verò modo, is qui diligit ex Deo nascatur, paulò post dicit. Verùm illud, *Deus ex Deo*, esse ex aliquo significat. Id verò Patri minimè congruit; quippe cùm immunis à causa sit, hoc est, a nullo esse habeat. Superest igitur ut vel Filio vel Spiritui sancto conveniat. Atqui Spiritui sancto id adscribit. Ac liquet. Sequentibus enim facta mentione Dei dilectionis, non qua nos eum diligamus, sed qua ipse dilexit nos, *Misit Filium suum*, inquit, *propitiationem pro peccatis nostris.* Hinc docuit & modũ quo nos invicem diligamus, ac quod sic diligamus, Deum in nobis manere, vicissimque Deum diligentes, invicẽ diligere atque in eo manere. Cogitantes enim quantũ nos Deus dilexerit, convertimur ut eum vicissim, atque alios diligamus. Non enim fieri potest, ut qui Deũ diligit, non etiam proximo amicitia iungatur. Ideirco aiebat, *Qui diligit ex Deo natus est*, nempe ex charitate, quam dixit esse Deum ex Deo. Vnde & ait, *Nos autem diligamus, quia ipse prior dilexit nos.*

Docuit igitur ex iis quæ dicta sunt, Dei dilectionem hoc præstare, ut nos Deum atque invicem diligamus, atque in eum modum in Deo maneamus, & Deus in nobis. Id verò clarius in sequentibus exponit. Cùm enim dixisset, Deum charitatem esse, subiungit, *In hoc cognoscimus quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Igitur Spiritus sanctus, ex quo dedit nobis, facit ut in Deo maneamus, & ipse in nobis. Quamobrem quod prius dixit charitatis opus (nempe ut in Deo maneamus, ac vicissim Deus in nobis) hoc nunc sancti Spiritus dixit. Ergo Spiritus sanctus est charitas, quam Deum esse & ex Deo dixerat. Ipse igitur Spiritus sanctus significatur, ubi legimus, *Deus charitas est.*

Deus igitur Spiritus sanctus ex Deo procedens, cùm homini datus fuerit (dari enim eum & mitti, nemo eat inficias, dicente Domino, *Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam.* Et, *Quem mittet Pater in nomine meo*) Cùm inquam, Spiritus homini datus fuerit, ut novit ipse qui mittit, & ipse qui mittitur, Spiritus S. *qui ubi vult spirat*, in Dei ac proximi dilectionem hominẽ accendit; tuncque verè ex Deo nascitur, spiritali scilicet regeneratione, qui neminem oderit, nec cogitet malum. Atque id quod ab Spiritu datur, charitas est. *Charitas*, enim, inquit, Apostolus, *effusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Idcirco etiam, ut ait Augustin. *Spiritus sanctus, Dei donum appellatur (cùm sit Deus) & charisma*; quod etiam ait M. Basilius. Gratiam enim perficientem & adoptionis charismà vocat, ac futuræ arrhabonem hæreditatis. Cyrillus quoque, Filij donum vocavit: *Quod utique donum*, inquit idem Augustinus, *quidnam aliud propriè intelligatur, quam dilectio ad Deum adducens, ac extra quàm, quodvis aliud donum ac charisma dixeris, ad Deum non adducit.*

Quod verò Spiritus sanctus charitas & donum munúsque appelletur, multas ex Scriptura affert auctoritates, ac tandem sic ad verbum addit, *Valde longum omnes recensere. Præterea verò, quinam eis in sui possit sufficere, quibus ea quæ diximus non sufficiant?* Illud enimverò hi docendi sunt ut siquidem Dei donum iam dictum Spiritum sanctum intelligunt, cùm audient, *Spiritus sancti donum*, istud loquendi genus agnoscant, cuius illud exemplum est, *In expoliatione corporis carnis.* Quemadmodum enim corpus carnis nihil aliud

v.7. — v.10. — v.7. — v.19. — v.13. — Spiritus S. Deus ex Deo. — Ioa.15.26 & 14.26 — Ioan.3.8 — 1.Cor.13.5. — Rom.5.5. — Spiritus S. donum & charisma. Vna Charitas ad Deũ adducit, & sine ea nihil. — Act.2.38 Col.2.11 — Donum Spiritus, ipse Spiritus.

est quàm caro; sic nec donum Spiritus sancti aliud quicquam est, quàm Spiritus sanctus. In tantum igitur Dei donum est, in quantum datur, iis quibus datur. Penes se verò Deus est, etsi nemini detur. Nam Deus erat Patri Filioque coæternus, antequam ulli daretur. Sed neque quod alij dent, ac ipse detur, illis minor est. Sic enim datur tanquam Dei donum, ut & ipse seipsum det ut Deus, non enim dici potest, non esse eum sui iuris ac potestatis, de quo dictum est, *Spiritus ubi vult spirat*: & apud Apostolum, cuius iam superius meminimus, *Omnia autem hæc operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Neque ibi subiectio est eius qui datur, & dominatus eorum qui dant, sed eius qui datur, dantiúmque concordia.

Ac, ne quis dicat, ad eum modum dictum esse, *Deus charitas est*, quo dictum est, *Tu es patientia mea.* Et, *Spes mea*, inquit, *in eis*; dicemus, non sic dictum esse, *Deus est charitas*, quod non sit essentia illa charitas, quæ digna est ut Deus nuncupetur, sed quod charitas, Dei donum sit, quemadmodum dictum est ad Deum, *Quia tu es patientia mea.* Non enim prorsus inde dictum est, quod Dei substantia, nostra patientia sit, sed quod ab ipso illa nobis proveniat, uti etiam alio loco legimus, *Quia ab ipso patientia mea.* Hunc enim sensum facile refellit scripturarum locutio. Idem enim est, *Tu es patientia mea*, cuiusmodi est, *Domine spes mea.* Et, *Deus meus misericordia mea*, aliaque plura similia. Non autem dictum est, Deus mea Charitas est, aut, Tu es mea charitas; sed ita, *Deus charitas est*, quemadmodum dictum est, *Deus Spiritus est.* Qui verò hoc non discernit, à Deo intelligentiam quærat, non ut res à nobis exponatur: Non enim aliquid clarius dicere possumus.

Liquet verò etiam, quæ abs scriptura filio tribuuntur & Spiritui sancto, fidem adstruere his quæ dicta sunt de verbo, quod est in Deo, & de charitate, quod nimirum hæc illis convenienter assignentur. Manifestum enim est ex iis quæ iam in superioribus dicta sunt, Dei filium illius esse verbum, ac velut Dei prolem, intelligentis seipsum. Sequitur igitur ipsum Dei verbum, velut à divina sapienter mente conceptum genitúmque, sapientiam vocari. Quod enim verbum in animo repositum est, sapientiæ nomen solet sibi vendicare, sicut etiam operationes ac species, habituum ferè nomina mutuantur, ex quibus procedunt. Quod enim iustè fit, iustitia plerunque nuncupatur: quodque viriliter ac fortiter, fortitudo: ac universim, virtus, quæ honestè fiunt exque virtutis ratione. Secundum hunc itaque modum, etiam quod sapienter intelligitur, sapientia cuiusdam nuncupatur. Hincque adeo Apostolus, *Christum Dei sapientiam* appellat. Sapientiam itaque in Deo dicamus necesse est, quatenus seipsum cognoscit, sed per suam duntaxat essentiam (*Deus* enim, inquit, *ipse seipsum ex beata sua essentia cognoscit*) Dei sapientiam habitum esse impossibile est; sed est eius essentia. Neque enim res patitur, aliquid nõ verè existens, autve accidens in Deo dici. Ipsum porro in Deo conceptum sapientiæ verbum, eius qui intelligit sapientiæ manifestatio existit: uti se res habet in nobis, apud quos habitus omnes manifestantur per actus. Necesse enim est ut velut per obscura quædam exempla, ex humanis rebus ad Deum subvehamur.

Quia igitur Sapientia etiam lux appellatur, in quantum in clara scientiæ operatione actúque consistit: lucis verò manifestatio, eius splendor est, & ex illa procedit, etiam divinæ sapientiæ verbum convenienter lucis splendor nominatur, quemadmodùm Apostolus de filio dicit, *Qui cùm sit splendor gloriæ.* Vnde etiam Filius, Patris manifestationem sibi ipse tribuit dicens, *Pater! manifestavi nomen tuum hominibus.* Quæ etiam in creaturam dona sunt ac effecta, inveniet quis Filio ac Spiritui sancto à divina Scriptura adscribi; alteri quidem, ea ratione qua verbum est, alteri, qua dilectio & charitas existit.

Hoc enimverò manifestum est, per ea munera quæ

Io.3.8. — 1.Cor.12.11. — Ps.70.5. — Ps.141.6. — Ps.61.6. — Ps.58.18. — Ps.70.5. — Ps.58.18. — 1.Ioa.4.8. — Ioa.4.24. — Verbum, Dei se intelligẽtis; eiusdẽ Sapientia. — 1.Cor.1.24. — Damasc. — Lucis splẽdor. — Heb.1.3. — Ioa.17.6.

hominibus à Deo tribuuntur, hoc nos nancisci, ut similitudinem cum eo ineamus. Illis enim perfecti, ad Deum, qui perfectissimus est, accedimus. Quæ igitur sapientiæ existunt & quæ veritatis, ac potissimum quæcunque fidei hærent documenta & contemplationes, convenientius quis in Dei Verbum eiusque Sapientiam referat. Omnes enim hominum sermones rationésque, sapientiæ item ac veritates, primi illius Sermonis ac rationis Verbique & Sapientiæ imagines sunt, fixáque in Deo habent sua exemplaria. Vnde etiã Scriptura rerum formationem ac distinctionem Dei Verbo tribuit, dicendo, cuncta per ipsum sapienter cõdita esse. Id verò est, non quin omne donum perfectũ de supernis sit, descendens à Patre luminum (omnia enim illius per verbum & in Spiritu sunt) sed quod diversa donorum genera, maiorem quandam affinitatem cum diversis personarum proprietatibus videntur habere. Etenim sapientiæ sermo, quo Deum cognoscimus, à Deo nobis contraditur, cùm proprium sit repræsentans Filium. Similiter verò etiam charitas, qua Deum diligimus, peculiariter propriéque repræsentat Spiritum sanctum. Sicque adeò quæ in nobis est charitas, quanquam effectus est Patris & Filij & Spiritus sancti, propria tamen ac peculiari ratione in nobis esse dicitur per Spiritum sanctum. Vniversúmque, quam ex donis perfectionem adipiscimur, quod per eam, quoad licet, divinæ perfectioni similes reddimur, à Deo nobis tribui dicitur. Quemadmodum sapientiam nobis Deus tribuit, in quantum divinæ Sapientiæ, quoad eius fieri potest, similes reddimur. Itemque Spiritum sanctum dare dicitur, in quantum diligendo Deum, dilectioni seu Charitati (nimirum Spiritui sancto) similes efficimur: qui videlicet secundum dilectionis modum procedit qua Deus diligit seipsum, ut Augustinus loquitur.

Ioan. 1. 3. Iac. 1. 17.

Personis appropriata.

Vt itaque dictum est, rationis verbique dona & sapientiæ, primæ, Rationi, Verboque ac divinæ Sapientiæ adscribenda sunt: dilectionis verò opera & charitatis, Spiritui sancto adaptari noscuntur. Denique Paulus Dei dilectionem donis omnibus anteponit. *Reliqua*, enim, inquit, *quandoque evacuabuntur: at Charitas*, inquit, *nunquam excidit*; ac qui eam non adeptus sit, etiãsi linguis Angelorum loquatur & hominum, factus est velut æs aut cymbalum tinniens. Huius sic illustris doni, nulla alia cõvenienter causa assignanda est, quam divina dilectio ac Charitas, qua animi in divinũ amorem accenduntur. Quæ enim post primum sunt, à primo sunt. Quamobrem etiam quicquid in nobis divinæ charitatis est, primæ meritò charitatis opus esse credatur. Verùm, quæ sic Deo homines coniungat, gratiam hanc, Paulus tribuit Spiritui sancto. *Charitas enim Dei*, inquit, *effusa est in cordibus nostris.* Cúmque liceret totam Deitatem huiusce munificentiæ auctorem dicere, peculiariùs quodammodo eam tribuit Spiritui sancto, addendo, *Per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*: Nempe ad divinam charitatem ut primam ac auctorem referens, quæ in nobis charitas est, quam per Spiritum dixit effusam esse.

1. Cor. 13. 8. & 13.

Charitas, donorum Dei maximum, Spiritui S. peculiariter tribuitur.

Rom. 5. 5.

Sed & quod Deus in nobis habitet, nosque in illo (quæ maxima est hominis felicitas) cuius potius quàm dilectionis ac charitatis opus esse dicamus, cuius est, ut eos qui amant, alios in aliis constituat? Quin & huius quoque causam, ut diximus, Scriptura ad divinum Spiritum refert. Ait enim, *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis.* Quia verò ex bona voluntate, quã quis erga aliquem habet, contingit ut eum in filiũ adoptet ut inde adoptantis hæreditas ad eum attineat; meritò filiorum adoptio Spiritui sancto tribuitur, quemadmodum ait Apostolus, *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater.*

Dei in nobis nostrá in eo habitatio. 1. Ioan. 4. 13.

Filiorum adoptio.

Rom. 8. 15.

Sed & inde quod quis alicuius amicus constituatur, quicquid inimicitiarum est, tollitur: Istud enim amicitiæ adversatur, quodque adeò amici alij aliis propensè indulgeãt, si quid deliquerint. Sic enim amicitia ac dilectio præstat, ut alij aliis utantur amici, ac faciles offensas remittant. *Charitas enim*, inquit, *omnia suffert, omnia sustinet.* Auctor quoque libri Proverbiorũ, *Charitas operiet multitudinem peccatorum.* Quia igitur per Spiritum S. amici Dei constituimur, consequens est ut & peccata per eum nobis dimittantur. Idcirco ait Dominus, *Accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Iis quoque qui blasphemant in Spiritũ S. negatur venia peccatorum, ut quos deficiat, per quẽ delictorum venia hominibus præstatur.

Peccatorum remissio.

1. Cor. 13. 7. Prov. 10. 12.

Ioan. 20. 22. Mat. 12. 31.

Hinc etiam, quod per Spiritum sanctum renovari & emundari, seu ablui dicamur, quemadmodum ait Propheta, *Emittes Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Sed & quod homines alij aliis velint secreta communia ac consilia, inde est, quod sint amici ac se diligant, quod & Christus his verbis declaravit, *Iam non dicam vos servos, sed vos amicos; quia omnia quæ audivi à Patre, retuli vobis*; velut idem sit amicum esse, & adhibere arcanorum socium. Quia igitur Spiritus S. munere, per quem charitas Dei effusa est in cordibus nostris, ait scriptura revelari hominibus divina mysteria. Paulus enim ubi dixerat, *Scriptum est, quod oculus non vidit, nec auris audivit, quæ præparavit Deus, his, qui diligunt eum*; subiungit, *Nobis autem revelavit Deus per Spiritum sanctum.* Et hoc igitur argumentum est, quæ ex Deo est, charitatem ipsum esse Spiritum sanctum, cùm per illum divina mysteria Sanctis revelentur; quod omnes ubique charitatis opus esse norunt.

Renovatio. Psal. 103. 30.

Secreta communia. Ioan. 15. 15. Vulg. ἐγνώρισα notafeci.

1. Cor. 2. 9.

Quia verò etiam eorum quæ intus animo cogitantur, interpres est, quæ per linguam enuntiatio est, operæpretium est, ut linguarum donum illi adscribamus, qui scientiam revelat mysteriorum. Atque id rursum ostendit ipse Christus. Martyrum enim ad Reges & Præsides pro fide responsionum instantiam ac solertiam, Spiritui sancto assignavit. *Non enim*, inquit, *vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Vnde etiam in Symbolo scriptum est de Spiritu sancto, *Qui locutus est per Prophetas.* Non solum autem ad amicitiæ propriè iura spectat, ut qua affectione amicus unum amico efficitur, sua illi secreta detegat; verùm exigit eadem unitas, ut inter amicos sit rerum communio ac societas. Cùm enim homo, alium se, amicum habeat, necesse est ut velut sibi, illi opituletur, qua ratione suis cum facultatibus impartitur. Quamobrem etiam proprium est amicitiæ bonum, ut bonum amico velit, ac ei benefaciat. Vnde & Ioannes Evangelista ait, *Qui habet substantiam mundi huius, & videt fratrem suum necessitatem habere, clauditque viscera sua ab eo, quomodo manebit charitas Dei in illo?* Idque in Deo maximè locum habet, cuius velle ut faciat efficacissimum est. Eamque ob rem haud immeritò à Deo omnia dona dari dicuntur per Spiritum sanctum, uti Apostolus ait, *Datur per Spiritum sermo Sapientiæ, alij verò sermo scientiæ secundum eundem Spiritum.* Posteaque multis enumeratis, *Hæc omnia*, inquit, *operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.*

Donum linguarum, Spiritus.

Mat. 10. 20.

1. Ioan. 3. 17.

Donorum distributio.

1. Cor. 12. 8. & 11.

Quin hoc quoque eximiæ charitatis certum indicium est, ut amicus cum amico versari quærat, ac mutuo delectentur congressu; nec prorsus alius ab alio separari sustineat. Quod autem homines cum Deo versentur, per illius obtingit contemplationem, sicut ait Apostolus, *Nostra autem conversatio in cœlis est.* Quia ergo Spiritus sanctos præstat ut Dei amatores simus, meritò per eum etiam hoc nanciscimur, ut Deum contemplemur. Vnde ait idem Apostolus, *Nos autem revelata facie, gloriam Domini quasi ex speculo repræsentantes, in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, quasi à Domini Spiritu.*

Ph. 3. 20. Vt cum Deo colloquimur. 2. Cor. 3. 18.

Porro amicitiæ proprium est, ut & amicos amici præsentia gaudeat, eiusque & factis & dictis delectetur, atque ab eo, quicquid molesti acciderit, consolationem atque levamen inveniat. Hincque adeò est, ut cum ægro animo sumus, ad amicos maximè, levandi

A

mœroris causa confugiamus. Quia igitur Spiritus sanctus amicos Dei nos constituit, ipsumque in nobis, ac nos in illo habitare facit, vt in superioribus ostensum est, par est vt eius munere lætitiam ac consolationem adversus sæculi molestias omnes pugnasque à Deo consequamur. Vnde etiam ait Psalmista, *Redde mihi exultationem salutaris tui, & Spiritu principali confirma me.* Apostolus quoque, *Regnum Dei est iustitia & pax & gaudium in Spiritu sancto.* Itemque in Actis Apostolorum dicitur de Ecclesia, *Quod ædificabatur ambulans in timore Dei, & consolatione Spiritus sancti replebatur.* Atque id causæ est, cur & Dominus Spiritum sanctum vocet Consolatorem.

Spiritalis cōsolatio. Ps. 50. 14. Rom. 14. 17. Act. 9. 31. Ioa. 16. 7.

Quin & nullius servitutis iugo premi atque libertas, tanquam maximum bonum & solicitis animis quæritur & adamatur. Qui ergo non supplicij metu, vt servi, sed divina Charitate ac amore Deo placere student, hi constantiam tenent, qui liberè ac sponte bono adhæreant, nec vlla necessitate aut vi, servorum more, illud exerceant. Ac qui eiusmodi sunt, æquum est vt Filij ac amici Dei audiant. Plena ergo, omnique metu soluta libertas (in qua etiam maximè antiquæ imaginis ingenuitas elucet) velut à divina Charitate, ab Spiritu sancto præbetur, his, qui per gratiam vt filij Dei sint & dicantur consecuti sunt. *Quicunque enim*, inquit Paulus *Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Et rursum, *Vbi Spiritus Domini, ibi libertas.* & , *Si Spiritu ducimini, non estis sub lege.*

B

Vera libertas. Rom. 8. 14. 2. Cor. 3. 17. Gal. 5. 18.

Hinc est & quod Spiritus, carnis opera dicitur mortificare, quatenus per carnis libidines atque vitia à vero bono recedimus, ad quod nos Spiritus sanctus per Charitatem dirigit, vti Apostolus ad Romanos scribit, *Si Spiritu opera carnis mortificaveritis, vivetis.* Multa vero etiam alia possit quis invenire, quibus opera Charitatis propriè Spiritui sancto accommodari monstretur; vt inde palam fiat, Spiritum sanctum ex Deo procedere vt Charitatem, quemadmodum Filius vt Verbum Notitia, seu cùm ambo ex divina mente & Patre existentiam habeant.

Vitiorū carnis mortificatio. Ro. 8. 13.

C

Atque hæc hactenus. Alius verò quidam Sanctorum, hoc satagens, vt solùm vnionem ac distinctionem tantisper declararet, tres faces inter se æquales animo cogitavit, in vna accensas domo. In ea namque trium lumen tanquam ex vna, vnum conspicimus; vnaque sublimata, eius lumen illi comes sequitur, cùm duo reliqua lumina secundum se nec quicquam minuantur neque augeantur. Liquet igitur tria hæc trium facium lumina, cùm à nobis vnum conspicerentur, secundum se discreta & non confusa extitisse. Neque enim aliòqui incommixtè ac velut per se existens vnum illud, posteaquam subductum est, cerneretur. Sic igitur etiam tres personas, ad essentiam quod attinet, vnum cogitamus, quæ tamen, quibus illis incommixtæ ac inconfusæ proprietates manent, inter se velut circuitu redire ac commeare intelliguntur; etsi mens nostra, pro eo ac decet, non satis assequatur.

Trinitatis imago.

D

Magnus autem Basilius, ad eam rem declarandam Arcum cœlestem assumit. Is cœlo pluvia rorante, aëreque circumfluo, Solisque radio ex obliquo, nubium densitatem subeunte, ac tum orbem suum cuidam nubium directè defigente, conspicuus apparet. Quemadmodum enim Arcus, cùm unus ipse secundum aëris substantiam sit, multos in se repræsentat colores, eorumque palam distinctio, nobis innotescit; quanquam alij ab aliis seorsim à nobis sensu percipi non possint: sed quodammodo & continuus & discretus est, ac penè sensum fallit, quod medium ex se commiscet discernitque distinctos in eo colores, dignosci non possit. Sic & in communi Deitatis essentia, insignientes proprietates elucent, cùm ad essentiam quod spectat, nulla in Personis intelligatur distinctio; eaque omnis in proprietatibus solummodo versetur: vt & vnionem in essentia, & discretionem in personis noverimus; quanquam sicut in Arcu alterum ab altero haud satis discernere possumus: sic quoque hic, alterum ab altero disiunctum minimè intelligatur, qua summa vnione nectuntur. Sin autem in iis quæ humano vsu didicimus, ipsa à nobis, vnio ac discretio haud satis percipitur, quomodo non longè potiori iure in Sancta Trinitate vnius Dei, quæ omnibus eminet, omnemque cogitationem incomparabilibus modis excedit, rationum comprehensio impossibilis erit?

Basilij similitudo Arcus cœlestis, Epist. 43. p. 811.

E

CAPVT V.

DE DEI VERBI INCARNATIONE iuxta Scripturas.

His ita consideratis iuxta Scripturæ ac Sanctorum doctrinam, adhuc credimus & confitemur, vnum ex sancta Trinitate, Filium Dei, novissimis sæculis propter nostram salutem eximia sua clementia ac benignitate, humanum corpus assumpsisse ex sancta Dei Genitrice semperque Virgine Maria; exque ea natum absque peccato, eundem Deum perfectum & hominem perfectum; duplici natura in vna persona, duplicique distincta pro naturarum ratione illisque consentanea, voluntate præditum, altera quidem, nimirum divina; altera vero, humana. Quandoque enim operabatur vt Deus: quandoque verò vt homo agebat ac perpetiebatur. Nam mortuos quidem suscitare, & paralyticos adstringere, cæcisque oculos reparare, atque id genus opera præstare, divinitatis erant, eumque verum Deum esse, certa argumenta: esurire verò & sitire & fessum esse, crucique & sepulturæ & morti fuisse traditum, hæc sanè humana erant & quæ eum verè hominem proderent.

F

Incarnationis Christi Ecclesiastica cōfessio.

Divina opera & humana.

Hoc sanè mysterium (Deum scilicet hominem esse factum) miraculorum quæ à sæculo audita sunt, omne vincit miraculum. Neque enim in Christo humanam solum naturam confitetur Ecclesiæ fides; Deitatem verò non natura, sed participatione in eo extitisse, vt senserunt Photinus & Paulus Samosatensis: nec duntaxat specie tenus & apparentia Dei Filium factum esse hominem, quod Manichæi senserunt. Nec docet Ecclesia Dei Filium in humanam conversum carnem, vti aiebat Apolinarius; neque solam eum assumpsisse carnem, inanimem tamen rationisque ac mentis expertem, ac cui loco animæ vna Deitas extitisset, quod ipsum Arius sensit de Christo; Apolinarius verò ex Scriptura convictus ac persuasus, non mutatum esse Dei Filium in humanam carnem, eóque transiens, quod solummodo sentientem animam assumpserit, absque tamen intelligentia & mente, quæ sunt propria animæ vtentis ratione, vti hoc ipsum dicebat Apolinarius. Nec quod anima Christi ante mundum condita fuerit, quod ipsum Origenes sensit.

Incarnationis mirabile mysterium.

G

Hæreticorum de illo opiniones.

Apolinarii dogmatum inconstantia.

Nec quod humana anima & corpus humanum, in Christo in vnum coiverint, vti se res habet in reliquis hominibus, inque eo homine vt in templo proprio Christus habitaverit (per gratiam scilicet) velut in reliquis omnibus Sanctis, vti docuit Nestorius. Neque duas hypostases seu personas, nec vnam naturam aut voluntatem. Nihil enim horum sentit Ecclesia Catholica, quæ nugaciter commenti sunt Hæretici qui & reprobati sunt ab Vniversalibus Synodis, ab illis abiecti, vt qui aliena à sana fide de Christo senserint. Sed confitetur & prædicat in Christo divinam naturam perfectam, & humanam naturam perfectam, ex anima scilicet rationali & humana carne constitutam, vnitasque fuisse ambas has naturas, non per solam inhabitationem, nec secundùm aliquod accidens, velut homo vnitur vestimento; nec sola personali relatione ac proprietate (hoc est, necessitudine, soloque nomine) sed secundum vnam hypostasin vnumque subiectum. Ac sicut in Trinitate in vna natura plures personæ consistunt; sic in Incarnationis mysterio, in

H

Ecclesiæ fides.

pluribus naturis (nempe duabus) vna consistens persona est. Etenim hoc solummodo stare possunt quæ in Scripturis de Incarnatione tradita sunt. Cùm enim Scriptura nullo discrimine quæ Dei sunt, homini tribuat, & quæ sunt hominis, Deo; vt cùm dicit, Hic homo cœlum & terram firmavit; &, Dominus gloriæ crucifixus & mortuus est, necesse est vnum eundemque esse, de quo vtraque dicta sint: & quia de illo dicuntur contraria, vt sunt, obnoxium passionibus & non obnoxium, mortale immortale; &, Qui est, fit; & increatus creatur, & quæ sunt eiusmodi; nec fieri potest, vt hæc de eodem & secundùm idem verè dicantur (quî enim fiat, vt idem secundum idem mortale simul & immortale creatum & increatum existat?) confitetur Dei Ecclesia, secundùm alium aliumque modum dici omnia, quæ de Christo dicuntur; ita nimirum, vt divina quidem illi conveniant, secundùm quod est Deus; humana autem, quatenus homo factus est. Etenim secundùm Dei formam, *Omnia per ipsum facta sunt*, ipseque & Pater vnum sunt. Et, *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso* (nempe, genuit eum Vitam, vti exponit divinus Chrysostomus) *Et ipse est verus Deus, Vita æterna.* Itemque omnia quæ habet Pater, eius sunt. Ait enim, *Omnia mea, tua sunt; & tua, mea sunt; & clarificatus sum in eis.* Secundùm verò servilem hominis formam, quam assumpsit, *Factus est ex muliere, factus sub lege*, &, *Non venit vt faceret voluntatem suam, sed eius qui misit eum.*

Nomina in Christo ratio. Ps. 32.6. & 35.6. 1. Cor. 2. 8. — Ioan. 1. 3. Ioan. 10. 30. Ioa. 5. 26. 1. Ioan. 5. 20. Ioan 17. 10. Gal. 4. 4. Ioa. 6. 38.

Multa itaque de Christo dicuntur nomina; idcirco nimirum quod ambæ naturæ in unam personam in ea coiverunt. Ex illis, quædam ei conveniunt, vt Deus est, quemadmodum diximus, hæcque adeò nomina de illo dicuntur ante vnionem: Sed & ante vnionem conveniunt etiam ea omnia quæ de illo prophetìcè dicta sunt: Cuiusmodi est illud, *Deus noster manifestè venit.* Et, *Ecce Rex tuus venit.* Illud item, *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*, pro eo ac dicat, videbitur & conversabitur. Illud quoque, *Dominus creavit me initium viarum suarum*, pro creabit me. Hoc enim Sanctorum quidam de carne Deo Verbo creata intellexerunt; & quod sequitur. *Ante autem omnes colles gignit me*, Deo Verbo ante omnia sæcula ex Deo & Patre genito tribuerunt: quidam verò de sapientia quæ in mundo elucet interpretati sunt. Eosque rei testis Magnus Basilius primo capite Proverbiorum, cuius lupta auctoritatis opportunè meminimus.

Ps. 49. 3. Zac. 9. 9. Bar. 3. 38. Prou. 8. 22. — Locus expositus Hebr. melius *Possedit me*, ut & Vulg.

Hæc itaque ante vnionem illi congruunt: alia quidem secundum divinam naturam: alia verò propheticè, vti dicebamus. Quod verò in vna persona humanam sibi naturam inconfusè immutabiliterque copulavit, eratque idem ipse simul Deus & homo, ac quod ob arcanam eam vnionē caro Deitatis divitias nacta est, hoc est deificata est, & vt Gregorius Theologus de hac carne dicat, *Ausimque dicere, vna etiam Deitatis consortem ac Deum*; sibi invicem naturæ nomina communicant, quem & modum reciprocationis vocant: Ac quidem aliàs à præstantiore parte sermonem facimus, dicendo, carnis deificationem, ob eas divitias, quæ ex naturali carnis cum Dei Verbo vnione ac coniunctione, carnis cum Dei Verbo vnione ac coniunctione, carni accesserunt: aliàs verò à deteriori (carne scilicet) Verbi incarnationem vocamus, exinanitionem, humanationem, humiliationem. Cuncta hæc, ex parte humanitatis intelliguntur, Verboque ac Deo, cùm nihil Ipse inde passus sit, quod spectat ad essentiam suam, tribuuntur: Aliàs denique, etiam ex vtrisque nomina contexímus, cùm vnionem, commercium, vnctionem, naturarum coniunctionem, & (vt sic loquar) conformationem dicimus; quæ videlicet in natura carnis intelliguntor. Hæc enim Dei Verbo vnita fuit, vnctaque & deificata, vt quæ minor erat atque egena. Divinæ enim naturæ in carnem; totam complexa, immeatio (quam vtique & vnionem vocamus) hoc ei commercium tribuit, & vt Deificatio, & vnctio & conformatio à divina natura circa carnem illamque afficere, intelligatur.

Orat 46. p. 685. — Christi nomina ex Deitate & humanitate mixtim ac seu utraque.

Hæc itaque in vnione convenit dicere. Post verò vnionē conveniunt etiam omnia, quæ prius ante vnionem competebant, quæ nempe spectant ad naturam divinam, & quæ propheticè (vti dicebamus) de illo dicta sunt. Nec enim natura divina in carnis vilitatem mutata est; sed post etiam vnionem idem erat Deus perfectus & homo perfectus. Quamobrem etiam verè dicetur, Qui natus est ex Virgine, Deus est sæculis omnibus antiquior creaturæ opifex ac conditor. Quæ post vnionem dicuntur, hæc & ante illam nequaquam dicere convenit, Neque enim ante Incarnationem natus est ex Virgine, aut cum hominibus conversatus. Nihil itaque eorum, quæ vnionem sequuntur, ante illam de illo dicere convenit, nisi fortè propheticè, vti dictum à nobis est.

Quæ Christo nomina, pro unoquoque statu cōvenientia.

Conveniet itaque post vnionem, quæ naturæ divinæ propria sunt, quæque ex parte humanitatis sumpta sunt, de illo dicere, cuiusmodi est, Partus ex Virgine, ætatis augmentum; cuncta denique, quæ postea ob peccatum naturæ humanæ advenerunt, quorum nulli subiacebat, qui de Spiritu sancto conceptus erat, ac per omnia ab omni peccati labe purissimus manserat. Quæ igitur corporis ratione de Christo dicuntur, cuiusmodi sunt, Esuriit, sitivit, laboravit, oravit, in agonia fuit, quæ nimirum naturales corporis passiones sunt, nullique labi obnoxiæ, ita dicuntur, vt nulla prorsus inde passione divina natura afficiatur, tametsi Dei Filius dicatur esurisse ac sitisse; ob summam vndique immeationem ac vnionē divinæ naturæ incommixtè citraque omnem confusionem cum carne; haud secus ac anima in corpus, ignisque in ferri naturam incommixtè pervadit, suique copiam, vt sub exemplo loquar, materiæ facit.

Ad humanitatem igitur attinet omnia quæ humilius dicuntur, vt est illud, *Quid me quæritis interficere?* Quod item interrogat, *Vbi posuistis Lazarum?* Quod sub ficum cucurrit, quod secessit; illud denique, *Finxit se longius ire.* Eodem etiam illud spectat, *Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* Illud item, *Factus pro nobis maledictus.* Nec non illud, *Ipse Filius subiicietur ei, qui subiecit sibi omnia.* Hæc enim dicebat per arrogationem, sibi ipse hominis personam attribuens, & se in eadem nobiscum classe constituens, Nos enim eramus qui derelicti fueramus ac quibus opus esset vt subiiceremur, vt qui peccato mortique obnoxij eramus, nec divinis præceptis obsequebamur. Ille verò, *Peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore eius.* Quamobrem neque vt Deus derelictus est (cùm sit vnus Deus cum Patre) neque verò peccavit vt homo; quare neque derelictus est, nec opus habuit vt subiiceretur: sed hæc locutus est, sibi arrogans quod humanum est, vti dictum est. De illo enim dicitur. *Qui tollis peccata mundi.* Et, *Ipse infirmitates nostras accepit, & languores nostros portavit.*

Ioa. 5. 19. — Ioa. 11. 34. Matt. 21. 9. Mar. 11. 13. Luc. 9. 10. & 24. 28. Mat. 27. 46. Gal. 3. 13. 1. Cor. 15. 28. Isa. 53. 9. 1. Petr. 2. 22. — Ioan. 1. 29. Isa. 53. 4. Mat. 8. 17.

Illud autem, *Pater maior me est*, quidam Sanctorum dictum existimaverunt ratione causæ (auctoritate scilicet principij.) Non tamen Pater quatenus Filij causa ac auctor est, hoc sibi vindicat quod maius est. Sic enim, ea ratione etiam Filius à Patre distingueretur, vt à causa existens, sive vt id quod ab auctore est ad quod attineat, id, quod minus est: Itaque eum modum Pater à Filio distinguetur, penes maius & minus; quod velut fidei Catholicæ adversum, nemo vnquam locutus est. Ait verò etiam Magnus Athanasius in libro adversùs Apolinarium, *Maiorem se Patrem dicit & Filius, & qui Patri suo honorem habeat.* Quemadmodum igitur Pater à Filio honore non discernitur, sic neque quod maior est, quatenùs Filij sui causa ac auctor est: sed maior est vt simpliciter causa seu auctor, principiumque. Ac sicut dicitur Pater Filij principium; cui tamen principio, non etiam assignatur finitio. Ac sicut Magnus Basilius, Patrem Filij originalem causam ac primam dixit; sive etiam vt,

Greg. Orat. 36. p. 582. Ioan. 14. 28. — Dial 2. cū Anomæo.

Gregorius

Ad. Amph. de Spir. ſancto. Orat. 36. p. 611.

Gregorius Theologos, *Ad primum referendum cauſam*, Nec huic cauſæ etiam ſecunda quædam cauſa ſecundis quaſi curis atque opera adiuvans, aſſignatur (ſic enim duplex extabit creationis principium) eodem modo etiam maioris vox in Patre dicta cauſæ ratione, vti Sanctorum quidam dixerunt, de cauſa exponenda ſecundùm ſe, & non vt ad aliud quidpiam dicitur. Alioqui Filius vt minor ad maiorem ſe referetur, quod eſt abſurdum.

In Io. Hom. 74

Alij verò Sanctorum ſecundùm quod homo erat, expoſuerunt. Divus quoque Chryſoſtomus, *Cuncta hæc dixiſſe* ait, *pro Diſcipulorum infirmitate.* Dici itaque poteſt, hoc Chriſtum locutum eſſe, pro eo ac Diſcipuli exiſtimabant; quod nimirum illi Patrem maiorem, vt ſimpliciter auctorem, putabant, non velut ſuam ipſe naturam ſpectaret ac perſonam. Quemadmodum etiam ad eum qui dixerat, *Magiſter bone*, reſpondit, *Nemo bonus, niſi ſolus Deus.* Ad Diſcipulos quoque qui interrogaverant de die & hora & conſummatione, *Nemo*, inquit, *ſcit, neque Filius, ſed ſolus Pater.* Sic enim illi tunc exiſtimabant, & ad eorum mentem, ſe illis accommodans, loquebatur, quod necdum quæ illius erant clarè noverant. Multaque alia eius generis etiam aliis locis figuratè dicta ſunt in Scriptura, cuiuſmodi eſt illud, *Factus eſt Adam quaſi vnus ex nobis.* Sic enim ille animo conceperat, Fore ſcilicet vt Deus fieret, cùm revera hoc minimè factus ſit. Magnus autem Baſilius, illud, *Nemo bonus niſi ſolus Deus*, accipit & ipſe quidem ratione humanitatis, ait enim, *Multa etiam Dominus loquitur ex parte humanitatis.* Sumit verò etiam ratione divinæ naturæ. Etenim in vna earum quas ad Amphilochium ſcripſit, ſic ait, *Non enim extra boni naturam Filius ſe conſtituit, cùm hæc diceret; ſed cùm Pater ſit primum bonum, vocem nemo, ſic dictam intelligimus, ut ſubaudiatur, primus. Illud item*, Nemo novit Filium niſi Pater; *Non enim illis verbis Spiritui ignorantiam tribuit, ſed imprimis Patri teſtatur competere, quod ſuam ille naturam noverit; Ad eundem modum etiam illud*, Nemo novit horam neque diem, *eius vocem eſſe qui eorum quæ ſunt, ac futura ſunt, primam notitiam ad Patrem referat, quique in omnibus Patrem primum Auctorem hominibus innuat.*

Luc. 2. 88 — Gen. 3. 22 — Epiſt. 391 p. 1167. — Ibidem. p. 1167.

Mat. 24 36.

Ad hæcque rurſus in eadem Epiſtola, ad Matthæi auctoritatem, *De die autem illa & hora nemo ſcit, neque Angeli cœlorum, niſi ſolus Pater* hancce adhibet expoſitionem; *Dixiſſe nimirum ut ſe diſtingueret ab Angelis, non autem eodem ſe numero cum ſervis comprehendiſſe, velut pari ignorantia ipſe laboraret. Silens ergo Dominus ſuam perſonam, de qua exploratum eſſet, in ea Matthæi auctoritate, Angelos dixit neſcire, ſolum autem Patrem ſcire; nempe Patris cognitionem per reticentiam, ſuam ipſius eſſe dicens. Ipſe enim dixit*, Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt. *Et*, Sicut novit me Pater, & ego cognoſco Patrem. Marci autem auctoritatem, *De die illa & hora nemo ſcit, neque Angeli in cælo, neque Filius, niſi Pater* ſic exponit, *Nemo ſcit, neque Angeli Dei; ſed neque Filius ipſe ſciret, niſi Pater.* Hoc eſt Niſi Pater Filio ſciendi auctor eſſet. Quia enim ex illo naſcitur, eique conſubſtantialis eſt, eandem cum Patre & ſubſtantiam & notitiam habet. *Et quia*, inquit divinus Cyrillus, *quicquid Filij eſt, ex Patris ſubſtantia procedit, ne Filius quidem rerum ſcientiam noſſet, niſi Pater.*

Ioan. 16 15. — Ioan 10. 15. — Mar. 13 33.

Ioa 17. 5. — Naturalis Chriſti claritas. Damaſc. Rom. 14

Atque hæc quidem ita: Illud verò, *Pater clarifica me claritate quam habui apud te, antequam mundus eſſet, apud te*, tum ob manifeſtationem inter nos dictum eſt, tum ob aſtruendam fidem. Vt namque ait Damaſcenus, *Ipſe quidem clarificatus erat atque eſt; nobis tamen eius claritas perſpicuè cognita ac certò explorata non erat, iuxta ac ait Apoſtolus*, Qui declaratus eſt Filius Dei in virtute ſecundum Spiritum ſanctificationis ex reſurrectione mortuorum. *Per miracula enim & reſurrectionem adventumque Spiritus ſancti, manifeſtatum eſt mundo, eſſe Filium Dei.* Quibus palam eadem ac divinus Baſilius loquitur, dum ille ait,

Baſil.

Mari & ventis obtemperantibus, illius Deitatem cognoverunt. Ac ſanè naturalis Dei claritas ac gloria hæc eſt, Naſci ex Patre ſempiternè & abſque principio; quemadmodum etiam ſi quis in creatorum ſortem detrahat, quod in ipſo eſt, Dei claritatem atque gloriam deſtruit. Sic etiam conſequenter, qui Deo & Patri coæternum parique honore ac conſubſtantialem confitetur, eum clarificat ea claritate, quam ante omnia ſæcula habebat.

Diviſio in Chriſto mente tenus.

Dicuntur verò etiam quædam de Chriſto, ut mentis cogitatu dividitur. Si enim ſubtili cogitatu Dei Verbi naturam ac carnem diviſerimus (quæ quidem actu minimè ſeparari poſſunt) ſervus dicitur atque ignorans. Nam quæ natura aſſumpta eſt, ſerva erat & ignorans; ac niſi caro Deo Verbo vnita eſſet, ſerva atque ignorans foret. Ob vnionem tamen hypoſtaticam, nec ſerva erat, nec pro humana imbecillitate, ignorantia vlla laborabat. Secundum hunc modum, etiam Patrem appellavit Deum ſuum.

Ioan. 17. 10.

Nomina Chriſto partita & vſus.

Cùm itaque multa nomina ſecundum diverſas rationes de Chriſto dicta ſint, operæ pretium eſt vt quæ ſublimiora ſunt, divinæ naturæ tribuamus; quæ verò humiliora, divinæ: quæ autem communia ſunt, compoſito; vni ſcilicet Chriſto; qui Deus eſt & homo. Ac neceſſe eſt, vt communia hæc nomina ac parti vtrique convenientia, vnius Chriſti eſſe intelligamus; cunctaque ex illo proficiſci opera, vt ex vna perſona, cùm tamen unumquodque opus ad id, quod ei proprium eſt, referatur; ita nimirum vt divinum opus, in deitatis referamus naturam; humanum verò, humanitati adſcribamus. Aliud porro eſt divinũ opus; aliud autem humanum. Dumque eam teneamus fidem, non errabimus. Ex quibus omnibus naturarum, quæ vnitæ ſunt, diſtinctio noſcitur, quodque, vt Sancti (ac imprimis diviniſſimus Cyrillus) loquuntur, non idem ſint in naturali qualitate Deitas & humanitas; tametſi vnus ſit Filius & Chriſtus & Dominus, qui nimirum perſonæ ratione ſit vnus, cùm nullo modo vnio hypoſtatica inde dividatur, quod naturalem diſtinctionem agnoſcimus.

Deitatis & humanitatis naturalis diſtinctio. Cyril.

Incarnationis ſolius Filij Patris beneplacitum & Spiritus ſancti.

Cum hac autem Incarnatione, nihil Patrem ac Spiritum habuiſſe commune confitemur, præterquam voluntatem ſolam ac beneplacitum: Beneplacitum autem & voluntatem cum dicimus, ab eo beneplacito bonaque erga nos voluntate Filium haudquaquam ſeiungimus. Vnus enim Deus eſt cum Patre & Spiritu, vnaque & individua natura. Vnde etiam cùm dicimus, Quod in mundo erat ob aſſumptam carnem, quodque per eam ipſum Filium Dei ac Deum agnoſceremus, nunquam tamen Patri abſens erat: ſed & natus ex Virgine verſanſque in terra, ac cuncta vt homo ſuſtinens, inſeparabilis cum Deo & Patre ex quo æternaliter naſcitur, & cum divino Spiritu, erat. Nunquam enim Deus fuit Verbi expers. Meminiſſe enim debemus, non decuiſſe ut vnquam Filius Patri deeſſet, aut Filio Spiritus; nec fieri poſſe vt vlla ſectio aut diviſio in ſancta Trinitate intelligatur; ita nimirum, vt aut Filius à Patre, aut Spiritus à Filio disiungatur: quod aiunt Gregorius Theologus & Divus Baſilius, docetque, illos ſecutus, Damaſcenus, his verbis, *Neceſſe verò eſt Verbum etiam Spiritum habere.*

Orat. 43. p. 441. Lib. 5. contra Eunom. & c lib. 1. c 7

Tota Deitas in vna Perſonarũ, toti vniꝰ naturæ humanæ. De Div. nom. c 2. Col 2 9. Rom 1.

Quia verò dicebamus Eſſe quidem Deum vnam ſubſtantiam, quæ & Trinitas eſt; Patremque Deum perfectum eſſe, ac ſimiliter Filium, necnon Spiritum ſanctum; idcirco dicimus, iuxta ac ſanctus Dionyſius, cunctique alij Sancti docent, Totam divinam ſubſtantiam in vna ſuarum perſonarum incarnatam eſſe. Quippe cùm dicat Divus Paulus, *Habitare in eo omnem plenitudinem divinitatis corporaliter*; hoc eſt, in carne eius. Qui autem hæc dicunt Sancti, eodem modo etiam Dei Verbi Perſonam, toti humanæ naturæ in vna hypoſtaſi dicunt eſſe vnitam. Nam & in nobis, tota humana natura in ſingulis perfecta exiſtat; vt exempli cauſa iſtud afferam. Neque enim aliquid

ei

ei desideratum ; quin ea quæ perfecti sunt hominis, assumpsit omnia ; corpus scilicet atque animam intelligendi ac ratione vi præditam, horumque proprietates, quæ nullam criminis labem habeant. Quod enim horum aliquo deficitur, nec homo censeatur.

Epist. 1. ad Cledó p. 740

Totum itaque assumpsit hominem, vt ei, qui totus corruerat, salutem impartiretur. *Nam quod assumptum non est, curationis est expers.* Nullum verò cum peccato, siue quod mente agitur, siue quod actu perpetratur, vnquam habuit commercium. Peccatum quod in mente agitur, vocamus, cùm quis consenserit animoque destinauerit vt malum operetur ; actum verò, cùm & operibus rem peregit. Horum verò Christus nihil, cuncta verò quæ naturæ sunt, vacantque omni crimine, hæc habebat ; cuiusmodi sunt, fames, sitis, formido, lassitudo, mortis anxius timor eiusque fuga ac recusatio ; quæ quidem hominibus natura insunt, horumque corruptioni subiacebat : ei verò corruptioni, quæ est peccato, vel qua corpus post mortem dissoluitur, nequaquam obnoxius fuit. Idcirco etiam iuxta eos, qui dicti sunt, affectus, Christi corpus corruptibile dicimus, quatenus scilicet versans nobiscum, morte functus est : incorruptibile verò post resurrectionem, cùm iis quibus sustentatur corpus, pro praesentis vitæ necessitate, nihil ei opus esset, nec ulli vnquam dissolutioni se corruptioni subiaceret. Sin autem etiam post resurrectionem cibum accepit, non tamen id pro naturali exstitit ratione. Quare diuino igni & vt ipse nouit, consumptam eam escam dicimus. Certa verò consilij ratione istud actum est, ad conciliandam fidem resurrectioni, sicut & quod manibus humanis contrectaretur, quamquam huic contrarium videbatur, quòd clausis ianuis ingressus est. Nam quod palpari potest, etiam corrumpi necesse est ; & quod incorruptibile est, palpari non potest.

Peccati mentis & operis nullū in Christo.

Quæ in illo passiones, quæ item...

Greg. Papa Hom. in Evāg.

Prorsus verò eius corpus incorruptibile erat, quod ianuis clausis ingressum est. Verùm sicut natus homo, cuius partu effusus est, seruauit virginem, atque duo hæc copulauit hominibus inconnexa, virginitatem ac partum ; sic hic quoque, nouo quodam vimque omnem mentis superante modo, Saluator noster, corpus suum post resurrectionem & incorruptibile exhibuit & palpabile, vt nempe exhibendo incorruptibile, ad spiritalia certamina atque præmia fideles prouocaret, quod verò præbebat palpabile, ad fidem confirmaret. Vt itaque eiusdem nobiscum naturæ, diuersæ tamen claritatis, corpus suum ostenderet, seipsum & palpabilem exhibuit & incorruptibilem. Quandiu igitur, vt supra dicebamus, in mundo versabatur, mortis particeps ; iisque omnibus, quas diximus, naturalibus ac innoxiis passionibus obnoxius fuit (idcirco nimirum, quòd assumpserat perfectum hominem) in quibus vt homo certauit, modumque quo hæc in nobis moderanda sint, ostendit ; nec committendum vt bruto quodam impetu extraque rationem, naturæ nostræ dominentur.

Etenim vt homo, humanam voluntatem habuit : verùm illa subiecta erat Diuinitatis ipsius voluntati, nec contrariè mouebatur ; sed hæc quoque vt homo volebat ac faciebat ; quæcunque nimirum diuina eius voluntas suadebat. Concedente enim diuina natura, propriis humanæ naturæ innoxiis passionibus pro tempore afficiebatur vt & spontaneam mortem eligeret ; ac rursus eadem concedente ipsam recusaret. Ait enim ipse, *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam.* Et, *Nondum venit hora mea.* In nobis autem non ita accidit ; quin potius liberi arbitrij motu, haud tarò praua voluptate seducti, carnis voluntatem præferimus, quæ Dei voluntati aduersatur animique perfectioni. De hac enim dictum est, *Caro concupiscit aduersus spiritum ; spiritus aduersus carnem.*

Humana Christi voluntas diuinæ subiecta.

Ioan. 10. 18. Ioan. 2. 4.

Gal. 5. 17.

Ex his porro soluitur etiam illa quæstio, Quid causæ sit, cur ante annum trigesimum signa edere non cœperit ? Cùm enim omnium consensu exploratum sit, Deus cùm esset, factum esse perfectum hominem, vno dempto peccato : liquet, in quantum Deus erat, etiam cum pueriles ac infantiæ annos ageret, potuisse signa hæc humanitus edere. Tametsi enim ait Euangelista, *Iesus autem proficiebat sapientia & ætate & gratia*, non ita intelligendum, quasi paulatim cresceret, atque ab eo quod est potentiâ, ad actum perfectiorem (vti se res in hominibus habet) procederet. *Quid enim eo, quod à principio perfectum erat, perfectius esse possit ?* Sed quia in eius vultu gestuque, vt homo erat, venustas atque gratia elucebat : quodque paulatim per operationes, pro cuiusque ætatis gradu congruentes, ipsius detegebatur diuinitas : vt auctor est Gregorius Theologus. Quia enim ætatis humanæ ac scientiæ perfectio, illo maximè consummatur tempore, idcirco etiam ipse cùm esset factus homo, sicut reliqua omnia susceperat (nam etiam circumcisus est & in templo oblatus, pro eo ac Lex iubebat : ait enim ipse, *Non veni soluere Legem, sed adimplere*, ne Dei aduersarius videretur) manifestum est secundum eundem modum etiam animo destinasse vt signa operaretur, pro eo scilicet ac humanæ naturæ habitui ac perfectioni conueniens aptumque erat : vt nos iactantiæ non studere doceret, statimque cùm affectus vigeant, ad certamina ac tentationes prosilire. Nam & ipse aduersus affectus secundum id tempus decertauit. *Ductus est enim*, inquit, *Iesus in desertum a Spiritu, vt tentaretur à diabolo.* Ne enim specie tenus & quasi spectro hominem assumpsisse videretur. Nam si etiam cùm se ita res habuerit, non defuerunt rursus, qui sic contigisse dicere ausi sint ; nisi ea consilij ratione res administraretur, quidnam dicturi essent ? Quanquam etiam prius quibusdam exhibitis vel obscurè sese demonstrabat. Stella enim in antro & Angeli ac Magi : itemque in Templi medio legere, ac nonnullis Scribarum, cùm litteras non didicisset, os occludere, etsi non intellexerunt qui aderant, hæc tamen eum Deum esse indicabant. Assidue tamen de multis coram concionari atque docere, discipulorum turba comite, variaque patrando miracula, Magistri etiam dignitate assumpta atque munere, id verò vt non satis puerilem hominum ætatem addecens, prius repudiauit ; ne, quemadmodum dicebamus, quasi spectro sensusque spectatorum ludificando, omnia gerere videretur.

Cur dilata Domino signa ad ann. 30. Luc. 2. 52.

Orat. 40. p. 343.

Luc. 2. 21. 22. Mat. 5. 17.

Mat. 4. 1.

Sic pessim Chry...

Mat. 2. 2 Luc. 2. 9. 46.

Alioqui verò, vt ait Gregorius Theologus Orat. in Lumina, *Quoniam repositum illi erat ut salutis hominum causa mortem subiret, omnia vtique, quæ ad passionem spectabant, ad passionem concurrere oportebat ; ministrum, ostensionem, Baptismum, testimonium de cælo, prædicationem, multitudinis concursum, miracula ; & velut vnum corpus fieri, non diuulsum, nec temporum interuallis disiunctum & interruptum. Etenim ex Baptismo & prædicatione, turba confluentis commotio (sic enim Scriptura tempus illud vocat) Rursus ex populi multitudine & frequentia, signorum editio & miracula, quæ Euangelio admouerent. Ex his nata inuidia, odium : ex odio, insidiæ & proditio. Hinc postremò crux, & quibus omnibus salutem consecuti sumus.* Assumens ergo humanam naturam, & vt homo certamen omne decertans : victoque aduersario, ipse semper inuictus perseuerans, multaque passus, quorum nos eramus rei, vt qui propria voluntate ac consilio peccantes, alieni à Deo facti eramus, postremò mortuus atque sepultus, illos potius est, qui ob peccatum, humanum genus imperio mancipauerat ; eoque cõdemnato, ab illius nos exemit seruitute, qua cruce functus est ac morte. Si enim ob primi Adæ culpam, velut labem quandam ad nos vsque diffusam, diuina sententia in nos latam mortis pœnam incurrimus, quomodo non potius, Filij Dei morte iustificabimur ; eius scilicet, qui veterem Adam sine peccato assumpsit, ac nouus ipse Adam exstitit. Siquidem, vt ait Apostolus, *Damnationem peccati soluit in carne sua*, interempto peccato. Ac si propter veterem illum inimici & à Deo desertores facti sumus,

Orat. 40. p. 659.

Christi in carne dispensatio.

Rom. 5. 15.

1. Cor. 15. 45. Eph. 2. 14.

sumus; quomodo non per ipsum etiam admovebimur, interque Dei necessarios ac amicos cooptabimur?

Diabolus namque à Dei gloria prolapsus qua superbia in eum elatus est, animi mortem incurrit; Siquidem à Deo recedere, hoc animi mortem definiunt. Corporis verò mortem, in eo positam quòd animus à corpore separetur, non subiit, eò quòd expers corporis erat. Non ferens autem priore se honore excidisse, hominemque Dei gloriam consecutum esse, invidit nobis quod Deo propinqui facti eramus, veluti que obiecta esca capiens, à Dei mandatis abstraxit, atque peccati noxam invexit. Sic itaque duplicem nobis mortem conscivit; primam quidem, animi, tumque etiam corporis, cuius ea peccatis, inducta nobis necessitas fuit. *Mortem enim*; inquit, *Deus non fecit, nec delectatur in perditione hominum.* Etenim mors, peccati damnatio est. Idcirco etiam nobis, qui mortale corpus induti sumus, inducta est. Medij enim mortalis sortis ac immortalis à Deo formati fueramus, vt siquidem in bono ac honesto perseveraremus, immortalitatem consequeremur; sin autem malum diligeremus, mortem sustineremus. Qui enim liberi arbitrij conditi simus, nullam exterius vt vel virtutem amplectamur, vel vitium sequamur, necessitatem habemus. Vnde & meritò digni damnatione ac laudibus sumus; quippe qui motus principium, cùm aliquid agere voluerimus, ea nobis habeamus.

Diaboli ex peccato mors, & nostra

Nostra duplex, animi & corporis. Sap 1.13. 1.Cor.15. 56.

Dei itaque Filius factus homo, animi quidem mortem non sustinuit. Quomodo enim, qui ex Virgine natus esset; & in cuius ore non est inventus dolus? Idcirco nec corporis quidem morti obnoxius erat, qua ratione ab omni immunem culpa vitam traduxerat. Operam tamen conferente diabolo per Deicidas Iudæos sponte eam suscepit propter nos. Mori enim poterat, quod veterem Adamum induerat. Et quia vt moreretur in causa non fuit peccatum originis, suum rursus corpus recepit.

1.Petr.2. 23.

Diaboli itaque morte, duplicem passi sumus mortem; vnaque ac simplici Christi morte illi sponte suscepta, à morte liberati sumus & per eam vivificati. Atque, vt Esaias loquitur, *Livore eius nos omnes sanati sumus.* Tametsi enim corpore morimur, quod mortale corpus habeamus, credimus tamen rursum nos corpora nostra recepturos in claritate, cùm Christus apparuerit vita nostra, vti auctor est beatus Paulus; quamvis agone quo mortem superavit, nihil ei à nobis operæ collatum sit. Ob naturæ tamen communitatem, quam omnem in vna persona accepit, & quod Dominum herumque eum invocamus & Salvatorem laudamus, ac victoriæ illi cantica canimus pro mortis trophæo, socios nos victoriæ facit ac libertatem tribuit. Deo enim Patre & Filio & Spiritu condemnante diabolum, quod iniustè eum morte affecerit qui nullius peccati ipse reus erat, teneri à morte ipsa vere Vita non potuit, sed tanquam Dominus gloriæ excellenti potentia tenebrarum principem vnà cùm Subiectis et potestatibus profligavit, eorumque robur dissolvit; atque in eum modum, Sanctorum quidem animas (cuius spe tenebantur) disruptis vinculis absoluit, libertatisque munere donatas, vità secum reduxit; eorumque præterea, qui tunc recens in eum crediderunt. Resumptoque suo corpore, triduanus mortis victor revixit, contritis Principis vasis, ac ceu captivum carceri ac vinculis addixit.

Isa.53.5.

Col. 3.4.

Christi victoriæ nos socij.

Act.2.24 Luc.11. 22.

Deinde etiam se Discipulis conspicuum fecit, & manducavit; ac palpari voluit, ob fidem resurrectionis solùm astruendam; vti diximus; ac demum cunctis videntibus in cœlum ascendit; cùm in nullo sic vnquam contigisset. Nam Elias raptus est, non in cœlum, sed, *quasi in cœlum* raptus perhibetur. *Nemo enim ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo.* Ac quidem Elias, alio sublevante; Christus vero, ipse à se ferebatur in cœlum. Qui igitur *primogenitus ex mortuis & primitia dormientium* factus sit, spem nobis præbuit, fore vt & nos eodem modo resurgamus, ipsique coram sistamur, qui noster auctor exstat salutis, vt aut immortalem gloriam, aut supplicia reportemus, tunc nimirum, cùm (sicut credimus) secundò iterum veniet vivos atque mortuos iudicaturus.

Act.1.3. 4 9. Singularis Domino in cœlum ascensus. Ioan. 3. 13. 4.Reg.2. 11.

Col.1.18 1.Cor.15. 20 2.Cor.5. 10.

Is igitur qui adversus humanum genus efferebatur, ac velut nidum, sic terrarum orbem comprehensurum gloriabatur, à nobis nunc Christi Dei simul hominisque cultoribus illuditur ac deridetur, quique qui clamemus, *Apparuit gratia Dei salutaris omnibus hominibus; erudiens nos, vt abnegantes impietatem & sæcularia desideria, sobrie & pie vivamus in hoc sæculo.* Non enim iam deinceps nobis exprobrabit ac condemnabit, quod ne vnus quispiam sit, qui eius peccati signaculi capera sit; ita nimirum, vt ei illi communicantes ac socij, sub potestate ac communione ipsius diri mundi rectoris ac peccati auctoris necessariò simus. Habemus enim ex nostro genere velut donatum hostiamque offerre, quam scilicet Dei Filius citrà omnem peccati labem assumpsit carnem; perfectum nimirum hominem; quo cum etiam congressus hostis; penitus profligatus est. *Venit enim*, inquit, *princeps mundi huius, & in me non inveniet quicquam.* Et, *Nunc princeps mundi huius eiicietur foras.*

Isai.16. 14. Exclusa in Christo diaboli in nos gloriatio. Tit.2.12.

Ioan.14. 30. & 12.31.

In cœlum ergo receptus, sedensque à dextris Dei ac Patris, quem nobis per se ipse reconciliavit, ob peccatum ab eo aversis ac cum mundi rectore fœdere sociatis etiamnum Deum ac Patrem interpellat pro nobis, vti ait Paulus. Ac quidem ea ratione qua est homo, obsecrat; vt autem cum patre & Spiritus vnus Deus est, supplicum suscipit vota. Magna itaque hominibus collata dignitas; magna fiducia, ingens honos. Audenter enim dixerimus, Deus hominibus ministrat: Homo omnium Angelorum religioso famulatu adoratur & colitur: Habemus in cœlis fratrem & amicum. Ipse enim primus in multis fratribus voluit appellari. Ait enim, *Dicite fratribus meis.* Et *Non iam vocabo vos servos, sed amicos.* Ita sanè vt nobis contingat quod Paulus ait; *Gratia salvati sumus, & non ex operibus Legis.* Quid enim tali vnquam gratia maius fuerit, quòd Dei Filius propter nos cùm nihil ipsi prærogassemus, sponte sua homo factus à simulacris & errore atque Legis vmbra nos liberaverit, verumque nos ac iustum cultum docuerit: Mediatorque noster ac Pontifex factus, ipse à se chirographum peccati nostri disruperit, Deoque admoverit, ac cum illo reconciliaverit, suisque Fidelibus necessitudinem secum, mercedem donaverit, vt firmissima spe sæculum hoc transeuntes, cùm emigraverimus, ac post rerum vniversitatis in integrum restitutionem, cum eo versemur.

Christi in nos munera. Rom.8. 34.

Act.26. 23. Ioan.20. 17.& 15. 15. Eph.2.8 Christi Gratia, nostra salus.

Col.2.14.

Est itaque in dextera Dei & Patris, *qui est in sinu Patris*, quamvis inter nos vti pollicitus est, vsque ad consummationem versatur: regitque & conflat nostram vitam, quæ in abscondito intelligitur, quam & inde iam per Sacramenta auspicamur: consummationem verò illius in futurum expectamus, si modò non negligentem operam adhibere videbimur, tanta nimirum socordia, vt exiguæ temporaneæque voluptatis causà; tantum munus prodamus, sed omni diligentia, per illius mandata ab eoque tradita Sacramenta, in patriam nostram contendamus, atque ad eam recursamus: eique vt capiti tanquam membra nectamur, ac sicut palmites in vite maneamus: non verò foras proiecti, nullo vnquam tempore extinguibilis ignis pabulum efficiamur.

Ioan.1. 18. Mat 28. 20. Col.3 3. Vita in Christo origo per Sacramenta.

CAPVT

A

CAPVT VI.

De VII. Sacramentis.

Sacraméta, & eorum necessitas secũdũ paſſionem Chriſti.

TRadita enim nobis ſunt quædam divina Sacramenta, quibus licet initiatos ſanctificari (eos ſcilicet qui in ipſum credunt) ac quod eſt votorum adipiſci. Quia enim Chriſti mors velut vniverſalis quædam cauſa eſt humanæ ſalutis, ac neceſſe eſt cauſam vniverſalem ſingulis quibuſque effectibus aptari; planè neceſſarium erat vt quædam hominibus remedia darentur, quibus beneficium Chriſti morte paratum, illis coniungeretur, ac quibus ſpiritalis conſtituitur vita, velut ferè humana ipſa vita conſtatur. Hæc verò per ſenſilia fieri traditione accepimus, quod & homo cùm ſenſilis ſit, per ſenſilia, ad ea quæ ſpiritalia ſunt, erigatur. Quia verò in humana vita duplex occurrit ordo; alij enim ſunt qui ſubminiſtrent ordinentque corporalem vitam (nempe parentes) alij verò qui ſubminiſtrationem ordinemque ſuſcipiant, qui nimirum civitatem legibus inſtituunt, ac pro magiſtratus eam officio regunt. Ad eundem modum ſpiritalis vita conſtituitur.

B

Greg. Orat. 40 p. 641.

Baptiſmus regeneratio; omnium delictorũ extinctio

Quemadmodum igitur vnaquæque res per generationem vitam accipit; ſic nos quoque ſecundum ſpiritalem vitam per Baptiſmum regeneramur; quo non ſolum à primis parentibus contracta peccati labes aufertur; ſed & quicquid illi delictorum commiſſum ſit qui eo initiatur; ante baptiſmum ſcilicet; non quæ poſt ipſum committuntur. Vt enim ait Gregorius, *Remiſſionem habet eorum delictorum quæ commiſſa ſunt, non quæ committuntur.*

Orat. 40. p. 661.

Quod igitur in Baptiſmo conſpicuum eſt, aqua eſt; ſancta Trinitas verò ſpiritaliter aſſiſtens (in quam baptizari præceptum accepimus) hanc regenerationem tribuit. Quem Baptiſmum, etiam Chriſtus ſuſcepit: non quaſi ipſe emundatione indigeret, ſed vt naturam noſtram innovaret ac inſtauraret, modumque nos perfecti Baptiſmatis doceret. Quæ enim priore extiterant, cùm figuræ ac præparationis rationem haberent, imperfecta erant: quando nimirum etiam ſanctæ Trinitatis myſterium declaratum eſt, Filio, qui baptizabatur, Paterna voce in aëre formata, hominumque aures implente, eius dilectionis præconium habente; ac Spiritu ſancto in ſpecie corporali columbæ in ipſum deſcendente.

C

Matt. 28. 19. Matt. 3. 15. Luc. 3. 21. Chriſti Baptiſmi perfectio Mirè leſtata in eo Trinitas.

Vnguenti Sacraméntum: Noſtri vocant Confirmationẽ.

Ita etiam Græci: nobis ſolain fróte vnctio; ſed & Manuũ impoſitio, qua illi carent.

D

Rurſus verò, quia quod natum eſt, per augmentum ad debitam devenit quantitatem, nobis quoque per Vnguenti vnctionem ſpiritalis roboris perfectio confertur. In hoc enim elucet ſpiritale robur ac perfectio, cùm Chriſti fidem in conſpectu hominum confiteri audemus, nec vllo pudore aut metu ſeu ignavia, ab ea confeſſione deterremur. Atque etiam id cauſæ eſt, cur in fronte accipiamus, vt fidem confiteri minimè erubeſcamus. In manibus item ac pedibus, vt arma virtutis ac iuſtitiæ hæc Deo exhibeamus. Vnde & Chriſti ſigno conſignamur; eius ſcilicet Crucis, qua & ipſe Chriſtus pugnavit ac vicit; vt oſtendamus ſub quo Imperatore militiam geramus. Porro vnctio hæc ex oleo & aromatibus paratur, vt tum bonam famam in mundo converſantes ex operibus habeamus, quæ velut odoris fragrantia latè diffundatur; tum verò vt ſicut Athletæ in arenam deſcenſuri vngebantur, ſic & nos pro Eccleſiæ decretis, cùm tempus vocaverit, decertemus.

Euchariſtia, cibus ſpiritalis.

Rurſus quemadmodum corporalis vita naturali indiget cibo vt augeatur & roboretur ac contineatur ſeu conſervetur; ſic & in ſpiritali vita ſpiritalis cibus datus eſt; vt per eum, qui ſunt renati, & conſerventur & augeantur. Eſt autem iſte cibus, perceptio Chriſti Corporis atque Sanguinis; paniſque ac vini ſymbolis traditur, quod his communius homines ad corporalem cibum vtantur. Per hoc autem Sacramentum, Dominicæ paſſionis memoriam ac præſentiam accipimus. Ipſe enim *Dominus noſter Ieſus Chriſtus,* vti ait ſacrum Evangelium, *qua nocte tradebatur, Accepit panem, & gratias agens, fregit* (in fruſta ſcilicet conſcidit diviſitque) *dixitque Diſcipulis ſuis, Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis frangitur in remiſſionem peccatorum. Similiter & calicem, poſtquam cœnavit, dicens, Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Adiecitque, *Hoc facite in meam commemorationem.* Itaque, per hoc Myſterium annuntiamus eius mortem, & quaſi ei per affectuum ſeu vitiorum mortificationem commorientes, per ipſum vivificamur & in gloria reſurgemus. Ait enim Apoſtolus, *Quotieſcunque manducaveritis panem hunc, & calicem eius biberitis, mortem Domini annuntiabitis,* eiuſque reſurrectionem confitebimini, *donec veniat.*

E

Luc. 22. 19. 1. Cor. 11. 23.

1. Cor. 11. 26.

F

Transmutatio in Euchariſtia, ipſis Chriſti verbis. Gen. 1. 11

Quonam igitur modo convertantur panis & vinum in Chriſti Corpus & Sanguinem, humanus ſermo eloqui non poteſt: Quia tamen creaturæ arbiter, hoc modo ſe rem habere teſtatus eſt, quemadmodum credimus eius verbo mundum ex nihilo conditum eſſe; ac ſemel quidem in principio dixiſſe, *Educat terra herbam fœni*; hactenuſque divino impellente, ac vim præbente præcepto, germina ſua educere; ſic quoque iſtud Sacerdotis miniſterio contingere credimus; vt & panis in Corpus eius, vinum in Sanguinem convertantur, ob eius qui dixit potentiam. Et, vt ait Divus Chryſoſtomus, *Stat Sacerdos ſolum formam implens: at vis omnis, verborum eſt.* Ipſe enim dixit, *Niſi manducaveritis carnem Filij hominis & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Caro enim mea verus eſt cibus.* Et rurſum; *Qui manducat me, vivet.* Itaque citra omnem dubitationem illa debemus percipere, mundam firmamque de illis habentes fidem. Et, vt quodam loco ait divinus Chryſoſtomus, ſic quiſque animo affectus ad divina accedat Myſteria operæ pretium eſt, *ac ſi ex ipſo Domini latere hauſturus ſit.* Niſi enim eam de illis fidem haberimus, nedum nihil ex eis fructus conſequamur ob noſtram incredulitatem, verùm etiam ad æternam hæc condemnationem ſumemus. Idemque contingit, ſi prægravante peccatorum ſarcina, iiſque multis obruti, nulla prævia emundatione, ea percipiamus. Etenim iis ſimiles videbimur, qui Domini Corpus dilacerant. Idcirco ait Apoſtolus, *Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat & de calice bibat.* Et, *Qui indignè præſumit Corpus & Sanguinem Chriſti, iudicium ſibi manducat & bibit,* eritque *reus Corporis & Sanguinis Chriſti.*

Eadem penè Hom. 83 in Matt. & in 1. ad Cor. Ioan. 6. 54. 55. 58.

G

Hom. 84 in Ioan. Neceſſaria ad Euchariſtiam, eius veritatis fides, & mentis puritas. 1. Cor. 11. 28. 29.

Dei potẽtia cõvertendo ſubſtantias in Euchariſtia.

Ad eos ergo qui dubitant de converſione panis & vini, in Chriſti Corpus & Sanguinem, Dei potentiam opponimus. Nam ſi Deum omnipotentem agnoſcunt, nulla rei huius hærebit dubitatio. Si enim naturali vi, ſubiecta aëris materia in ignem mutari poteſt; potiori longè ratione Dei virtus, qui omnem rerum ſubſtantiam produxit, nedum ſecundùm ſpeciem, verùm etiam totam panis & vini ſubſtantiam, in carnis ac ſanguinis ſubſtantiam mutabit. Sin autem rurſus aliquis, ob ea quæ ſenſui apparent, huic transmutationi abrogat fidem, cogitet divina nobis ita proponi, vt ſenſilium rerum involucro obtecta ſint. Idque adeò in cauſa eſt, cur ſub panis vinique ſymbolis (quæ nobis eſca conſueta eſt) hæc ſumenda tradiderit; ne quid horridum ac inſuetum ſenſui videretur. Haud tamen rem ſpecie tenus ac figura geri exiſtimamus. Potens enim eſt, vt diximus, Deus, tum ſubiecta dona tranſmutare, tumque rurſus priora accidentia conſervare.

H

Sacramẽtorũ ratio & nemerus ex analogia ſpiritalis vitæ cũ corporali.

Contingit itaque ſpiritalem vitam, affinitatem quandam & ſimilitudinem cum corporali habere. Quemadmodum enim in illa naturales vires intelliguntur, quibus aliquid naſcatur & augeatur ac nutriatur;

ſic

A fic & in ifta. Baptifmus enim, quo fpiritalis hominis regeneratio præftatur, cum gignendi facultate convenit. Vnguenti perfufio, quo fpiritale augmentum ad perfectum robur perducit, cum augendi facultate, Sacramentorum perceptio, qua fpiritalis cibus præbetur, cum nutrimento.

Rurfus verò quoniam accidit etiam impedimentum aliquod in vita corporali, quatenus ægra quifque valetudine exiftit; neceffariò ejus qui fic ægrè habet, exterius peritis remediis reparanda fen fovenda valetudo eft. Id verò in fpirituali vita confideratur: Homo enim quòd arbitrij voluntate prædictus eft, peccare poteft, cùm extra rationis metas, ac fecus,eft fuadeat Myfteriorum quibus impartitus eft, puritas atque fanctitas, aliquid egerit. Siquidem igitur ægritudo hæc ac perverfio in animo folùm contigerit, per Pœnitentiæ Sacramentum emendatur. Sin autem à peccato, quo laborat animus, ægritudo ad corpus tranfit; quod fic illi conducit qui peccatum commifit (fæpe enim contingit, ægritudine laborare aliquem propter peccata, vt erudiatur) emendatur per Vnctionem fancti olei, quem Extremam Vnctionem vocant.

Pœnitentia.

Vnctio infirmorum.

B *Pœnitētia à Baptifmo.*

Datur igitur peccatoribus poft Baptifma, quæ per Pœnitentiam & Confeffionem præftatur, curatio & emendatio. Non datur autem ea curatio, quod quis eodem rurfus Baptifmate donetur, per hunc fcilicet modum. Quia enim per Baptifma cum Chrifto cruci configimur, vt ait Apoftolus, *Quotquot baptizati fumus in Chrifto, in morte ipfius baptizati fumus.* Et rurfus, *Confepulti igitur cum eo fumus per Baptifmum.* Sicut non convenit Chriftum denuò crucifigi, fic neque peccantes poft Baptifmum par eft iterum baptizari. Ac ficut qui naturalem ac corporalem vitam per generationem nacti funt, fi in morbum aliquem perfectæ hujus vitæ adverfantem inciderint, non quòd denuo generentur, fed alio immutationis modo, morbo liberantur atque fanantur; fic fieri nequit, vt Baptifma (quæ fpiritalis generatio eft) repetatur; vt nimirum peccata poft Baptifmum commiffa illo deleantur, fed id præftatur per Pœnitentiam. Quifnam verò fit Pœnitentiæ modus, quotve ejus partes, quales item effe oporteat, qui huic muneri præfecti fint viri fpiritales,ac quomodo Pœnitentes ad eos accedere debeant: quæ eorum falutis excogitanda ratio; quove modo à peccatis contingat liberari, alterius operæ fit: Præterquam quòd fpiritualium Virorum ex recta ratione horum arbitrium eft ac difpenfatio; quæ & intelligent,qui Doctorum hoc argumento fcripta legerint.

Rom. 6. 34. Col. 2. 12

C

Spiritales, i. Confeffarij.

Quia verò, vt dicebamus, ex animi ægritudine, morbus quidam in corpus diffunditur, ob eorum (animi fcilicet ac corporis) mutuam habitudinem ac neceffitudinem, qui vtique morbus vtili Dei confilio provenit: Etenim caftigatio eft, ob eam, cujus homo reus eft, pœnam; fi modò ejus morbi vim cum gratiarum actione fuftinuerit. Haud raro tamen per eam ægritudinem impeditur homo ne bonum operetur, ac ne operando, fpiritalem falutem confequatur; idcirco Extremæ Vnctionis Sacramentum (Olei fcilicet junctis precibus inunctio) datur. Eftque fpiritalis hæc curatio, vt à corporis morbo liberemur, qui impedimento eft ne fpiritalia opera præftemus. De quibus divinus Apoftolus fcribit: *Infirmatur quis in vobis? Inducat Prefbyteros Ecclefiæ & orent fuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei falvabit ægrotum, & eriget eum Dominus; & fi in peccatis fuerit, remittentur ei.* Sin autem aliqui hujus vi Sacramenti à corporis morbo minimè liberantur, haud tamen in illis dandum vitio fit. Sæpe enim etiam corpore fanari; vel fi dignè Sacramentum aliqui fufcipiant, ad fpiritalem falutem non conducit. Fortè enim nec pro eo ac vtile eft, corporis illa fanitate vtentur. Non tamen inani conatu nullóque fructu Sacramentum fufcipiunt, tametfi corporalis fanitas non fequatur.

Extremæ vnctionis ratio & finis.

D

Iac. 5. 14

Sanitas corporalis cur nō femper præftetur.

E Iuvat enim fecundùm alium modum: Incorporei namque morbi (pronitas fcilicet ad malum, bonique præftandi neglectus) Pœnitentiæ medicamine, vti diximus, curanda funt. Quia tamen homo, qua vel laborat fegnitie, vel quibus fæculi variis curis diftrahitur, quas dicebam, ægritudines, in fcipfo perfectè non fanat, Sacramentum hoc ad falutem homini datum eft; quò nimirum ejus fufceptione id impleat, quod ad illius curationis, quam præftat Pœnitentia, perfectionem defiderabatur, ejúfque damnationis reatu liberetur, cui idcirco obnoxius eft, quia Pœnitentiæ canonem non peregit; vt fcilicet nihil in eo refiduum fit, quò animus excedens futuram gloriam confequi impediatur.

Animi perfecta curatio à Pœnitentia.

Extremæ vnctionis finis.

Præterea contingit nec meminiffe, nec verò noffe quæ quis commifit omnia peccata, vt per Pœnitentiam illa delere poffit. Quin & quotidiana peccata funt, fine quibus fieri non poteft vt vita hæc tranfigatur: Quibus omnibus neceffariò per hoc Sacramentum emundatur. Vnde & addit, *Et fi in peccatis fuerit, dimittentur ei.* Vnde liquet Sacramentum hoc extremum effe, velut fcilicet fpiritalis omnis fanationis fignaculum, efféque his qui morbo laborant adhibendum: ac præcipuè illis, qui eum,cujus rei erant,canonem non expleverunt. Efféque adeo iterum illis adhibendum, fi in eam neceffitatem devenerint. Nihil enim vetat, ob naturæ infirmitatem, quin homo in eadem delicta relabatur, vt & fæpius eodem curationis genere indigeat: vti etiam contigit in vita corporali, in qua eædem accidunt ægritudines, eadémque rurfus illis curandis adhibenda remedia funt.

Oblitorū, ignotorum, quotidianarū culparum emundatio.

F

Rurfus, quia corporalis vitæ auctores, ejúfque ordinatores feu rectores, duobus modis confiderantur: vel fcilicet fecundùm naturæ fœcunditatem, quod fpectat ad parentes; aut fecundùm politicum regimen ac principatum, ad vitæ tranquillitatem pacémque confervandam, quod Regum muneris eft ac Magiftratuum: fic quoque in fpiritali vita, funt qui fubminiftrent ac cuftodiant fpiritalem vitam; idque illi fpirituali duntaxat minifterio præftant, quod fpectat ad Ordinis Sacramentum: funtque adeò qui & fpiritalem fimul & corporalem vitam conferant. quod illo Sacramento præftatur, quo vir vxórque conveniunt vt prolem gignant, religiosáque pietate ac Dei cultu enutriant. Alioqui enim nequit fieri vt humanum genus, dum rerum hæc vniverfitas ad extremum immutetur, permaneat. Quod item Nuptiæ, nihil turpitudinis habeant: Quanquam enim Virginitas nobilior eft, haud proinde execrabiles Nuptiæ nihilque honorabiles. Vnde & Chriftus fua eas præfentia honoravit in Cana. Ex ratione tamen cùm aliis vtendum Sacramentum, tum ifto. Si enim vel in hoc vel in reliquis, quod fit ex ratione deficiat,nedum nullam afferunt vtilitatem, verùm etiam alieno à ratione vfu plurimum nobis damnum creant.

Ordo & Matrimonium.

G

Heb. 13. 4 Ioan. 2. 1

De illis itaque Sacramentis, quæ nobis data funt ad naturæ noftræ fpiritali vita regenerationem ac curationem, hæc fub compendio percurrimus: quæ verò in eis altiora funt & fubtiliora, his qui divinas Scripturas legent, & ab Ecclefiæ Dei Doctoribus clarius manifefta fient.

Quinetiam à diabolo fcelefta quædam, pro ejus ratione, tradita Sacramenta funt ad Myfteria, iis, qui Filij Dei nomen abnegant ac quod ille homo factus eft, ipfique diabolo fefe mancipent, aut qui etiam fub Dei nomine pietatis larva ab eo feducuntur. Nam apud hos quoque jejunia funt & cerimoniæ feftorúmque folennia, & luftrales expiationes & lumina, dum nimirum, fe Nequiffimus in Angelum lucis transfigurat: quanquam ne nobis quidem defunt lumina & illuftrationes; haud tamen qualia veritatis Teftes (fancti nimirum Martyres) in ergaftulis conftituti viderunt; quæ & ipfis quandoque Infidelibus confpecta funt, ad eorum revincendam pervicaciam ac condemnationem, Sanctorúmque fiducia augendos

H *Diaboli profana myfteria.*

2 Cor. 11 14.

augendos animos, arrhabonémque ac spem certámque expectationem præstandam, excepturæ illos beatitatis; ac demum vt inde elatesceret, Martyrum opera ac passiones Deo accepta esse. Illa verò ac diabolica, animum turbant, terrorémque ac horrorem ingerunt. Tantóque hæc à se inuicem distant discrimine, vt nostra Mysteria ac Sacramenta, veræ sint lustrationes, quæ in cœlum prouehant, Deíque regnum concilient, ac ipsi Deo coüniant, si modò solùm convenientem pietatem fidémque erga traditam nobis ab ipso fidem habeamus, sanámque eam verbis pariter & operibus custodiamus. Prophanæ verò expiationes, quales sunt eorum qui Dei Filium ejúsque Incarnationem negant, ad tenebras exteriores ducunt, ac diaboli hæredes efficiunt; illos scilicet qui ab eo seducti errore'q; abacti per idololatriam & alias quasdam falsas doctrinas, ejúsque execrandas lustrationes, animum ei attendunt; vel etiam, vt opinantur, superstitiose falsóque, nec vt decet, Deum adorant. Quæ porro ex fide citra vllam dubitationem de Filij Dei Incarnatione credimus, ista compendiosius tradita sunt.

CAPVT VII.

Adhuc de Incarnatione, ex rationum momentis, quantum res patitur.

Congruentia Incarnationis Verbi.

VT verò etiam rationem in illis quæ sunt de fide nobis consentientem habeamus, & vt cùm Infidelium aliquis exprobraverit: Quomodo Dei Filium incarnatum atque mortuum esse dicamus, respondere possimus, Nullum inde absurdum sequi; quin istud tum justissimum esse tum decentissimum, nec rem aliter geri debuisse, jam dicimus.

Cunctis manifestum mortalibus est, omnia ratione prædita (Angelos scilicet atque homines) per rationem operari; ac eumprimis res in illis manifesta est, qui ædes ædificant, ac reliquis omnibus artificibus. Architectus enim extruendarum ædium formam sitúmque mente sua concipit; sicque ac talem domum ædificandam animo designat, illáque instructus ratione ædificat. Ac rursus, ea casu aliquo dissoluta, per eandem qua prius considerat, ac secundùm eandem rationem instaurat; si modò ita animo comparatus est, vt eandem in omnibus cum priore illique similem domum velit reædificare. Hæc autem ratio seu sermo, interior dicitur residéusque in animo; ac præ reliquis, vti diximus, Dei Sermonis seu Verbi imago est.

Verbum interius ac sermo, Dei Verbi expressior imago; ipsa tamen deficiens.

Per hunc enim sic in animo residentem sermonem ac rationem, rationales dicimur, sive dormimus, sive tacemus, non per eum qui ore profertur. Hic enim sermo non semper est. Sermo igitur interior & in animo residens, longè nobilior sermone prolatitio est, qui scilicet verba quædam atque nomina exterius profertur. Hic enim propter illum consistit, ac quodammodo illi accidens existit. Hincque adeò fit, vt non sic aptè ac convenienter prolatitius sermo in exemplum assumatur ac simulachrum divini Sermonis seu Verbi; sed vt potius qui in animo residet, vt qui nobilior sit. Nam etiam debemus divina repræsentare, ex iis, quorum major præstantia sit. Nihil porro in creatis mente nostra, in eáque sermone ac verbo seu ratione, præstantius occurrit; vnde etiam hujus ratione homo dicitur Imago Dei. Veruntamen hic quoque valde à Dei Sermone ac Verbo deficit. Dei enim Sermo ipse verè existens ac efficax est; in animo autem residens, mentis accidens est. Ex iis enim quæ oculis videntur ac mente intelliguntur, sensuum operà menti advenit; quandiu scilicet versatur in corpore illique conjuncta est. Idcirco etiam imperfectus est, qui paulatim contexatur, ortúque posterior sit. Ipsum enim penes quod intelligendi facultas, ac locus specierum quæ in intellectum cadunt, mens est, quæ substantia est. Quæ autem postea menti sua vi ab exterioribus sensuum operà, corpore jam organis perfecto, adveniunt, cuncta hæc accidentia sunt. Vnde etiam eum qui multa novit, multa doctum dicimus, seu qui multa didicerit.

Quia igitur etiam Deus rationalis (seu magis Sermone Verbóque præditus) est: ac qui diffiteatur nullus est, nec ejus Sermo ac Verbum accidens est (Absurdum quippe vt vllum in Deo dicatur accidens) sed verè existens & vivens perfectúmque est; idcirco dicimus Deum per Verbum suum cuncta condidisse. Cùm ergo per ipsum facta sint omnia, ac per illud homo factus fuerit atque formatus, per ipsum nihilominùs, eum qui contritus fuerat, conveniens fuit reparari: Per hunc scilicet modum.

Hominis reparator, qui conditor Deus Verbum.

Quia enim humanum genus ex illis est, quæ à Deo ratione vtentia condita sunt; homo quatenus ratione liberique arbitrij facultate præditus, reliquis inanimatis & animatis brutisque animantibus præcellit: quod item alia propter hominem condita sunt, vt per rationem & scientiam illis præsit. Bruta namque animantia nullo consilio omnia faciunt ad quæ moventur, naturali vi in illa incitata; haud secus ac terra & arbores sine ratione & voluntate ac consilio fructificant.

Ejus reparandi convenientia. Gen. 1. 26

Idcircò conveniens erat, eam homini curam adhiberi, qua repararetur; potiori nimirum ratione, quàm si vllum aliud creatorum visibilium collabi contigisset ac conteri; quod ille à vera rectáque via deflexerat & exorbitaverat, atque ab honore sibi divinitus concesso exciderat. Exerrarat verò & exciderat, quod non ita vitam instituerat, vt à principio illi Deus constituerat, sed quod voluntatem suam, quæ cœlestia quærere debuerat, perverterat; eumque hæc diligere ac velle & quærere oporteret, terrena & corporalia prætulerat, cupiditates sectatus & desideria ac libidines à ratione longè abhorrentes. Id verò homo aggressus est, quod facultate arbitrij ornatus formatus fuerat, nec ei Deus virtutis necessitatem indiderat, vt coronam & honorem dignámque mercedem consequeretur, vt qui ipse à se bonum eligeret.

Virtutis cur libera facultas.

Sua itaque voluntate homo erraverat, secundum quam hominis perfectio consideratur, atque à Dei gloria exciderat, ob perversam nimirum suam voluntatem. Quamobrem etiam mortis damnatus est, quòd mortali natura præditus erat, ejusmodi scilicet quæ mori posset. Quod ipsum impensa Dei humanitate ac clementia factum est, ne malum immortale foret; sed peccandi finem homo faceret, quem mortis memoria ejúsque metus in officio contineret. Nam & ideò mortali corpori conjunxerat animam, vt, si qua præditus erat facultate arbitrij, mala eligeret, confestim mortis sententiam, corpore mortali, incurreret, quod omnino immortale futurum erat, si bona, & quæ ex Dei essent voluntate præoptaret. Medius enim mortalem inter & immortalem sortem conditus fuerat.

Mortis indicta necessitas ex Dei misericordia.

Sathan verò, cùm ex Deo exciderit, haud tamen mortis damnatus est, quod mortali natura, sicut nos, præditus erat, qua scilicet mori posset. Hincque adeò est, vt homo, mortis memor, pœniteat; ejusque rei illi facultas est, quandiu versatur in mutabili hoc corpore: Post mortem verò, minimè futura est, sed semper immutabilis erit, eum qui illi obtigerit locum retinens. Dæmon verò nulla pœnitentia dicitur, qua præditus natura immobili est. Quod enim mors hominibus est, id casus est Angelis.

Nulla à morte homini pœnitentia, vt nec lapso diabolo.

Quia igitur exploratum est, convenienti eos ratione à Deo judicari; decebat per ejus Verbum humani generis depelli morbum atque sanari, per quod etiam à principio humana natura formata fuerat. Quia verò morbus ille peccatum erat, cujus auctori mala voluntas extiterat, decebat vt & curatio propria esset ac pro morbi ratione apposita. Vti etiam Medici, pro morbi atque ægroti ratione solent adhibere remedia;

A

Hominis congrua mutatio.

quorum illud commune effatum, *Contraria contrariorum medicamenta.* Si verò propria aptáque futura curatio erat, si homo, qua ratione liberi arbitrij facultate præditus est, propria voluntate bonum eligeret (quippe qui ipse propria eadem voluntate malum elegerat) ejúsque ipsa voluntas (siquidem illa prosperaretur, rectéque in honesti via procederet) cœlestia divináq; diligeret, odio habens ac projiciens, quæ antè mala voluerat. Sicut enim voluntatis perversio est, odisse bona, sic ejus rectitudo est, eadem diligere. Hæc enim homo si præstaret, omnino propria essent aptáque, ac sic emendationem nancisci posset.

Reparationis per Angelū inconvenientia. Nemo purus homo ad eam sufficiens.

Angelum porro id præstare non decebat, quòd proprium minimè futurum erat. Nec enim per eum homo fuerat conditus, vt per eum contritus repararetur: nec qui peccaverat, curationem erat quæsiturus, sed pro alio alius, quod non satis ad justitiæ erat normam exactum. At neque vt quisquam hominum rem præstaret fieri poterat, quod omnes peccato obnoxij essent. Etenim ipsum hoc primum, quod ex viro per mulierem cum libidine nascantur, ex primorum parentum peccato descendit; vt, vel si alia omnia deessent, hoc saltem omnes peccato subjacerent. Idcirco etiam dæmon animarum Sanctorum compos erat, quòd nullus hominum à peccato omnino liber existebat; præ ejus, nimirum insatiabili cupiditate injustáque rapacitate ac peccati similitudine, qua illi cum hominibus (aliis plus, aliis minus) commercium erat: eóque commercio, regni sui signum ac signaculum (peccati scilicet) in eis habebat: vt & juris quædam hæc species esset. Id verò etiam avaris injustísque raptoribus inolitum; semper occasiones quærunt, vt quæ minorum sunt ac vicinorum, ab eis avulsa, ditionis suæ jurisque efficiant. Necesse demum erat quendam existere hominem ab omni prorsus peccato immunem, vt non suos ipse defectus emendandos haberet; sed aliorum iis susceptis peccatis, pro eis apud Deum satisfaceret, cui homines inimici hostésque erant; quod mala tum diligebant, tum & agebant.

B

Dæmonis dominatus.

Satisfactionis Christi necessitas.

Vt itaque id homines præstarent, vti dictum à nobis est, fieri non poterat, quod quisque hominum peccato obnoxius esset: idcirco propensa Dei Filius voluntate, per quem omnia condita fuerant, nostram naturam ab omni immunem peccato assumpsit. Vnde etiam nasci ex Virgine voluit, vt omnino liber esset à peccato originis; sicque vitam instituere, vt nullum in eo peccatum extaret: sed omnis virtus elucere, quibus & docuit & egit: qui nempe norma omnibus propositus ac exemplum ad salutem esset, modúmque ac viam curandæ humani generis ægritudinis, virtutis cultu rectæque in eis voluntatis, mortales prædoceret. Etenim suo ipse exemplo docuit, qui fiat vt, quo laboramus morbum emendemus.

G

A peccato immunis origi nis, quod ex Virgine natus, non conceptus ex libidine est.

Incarnationis effectus, Dei dilectio, spes beatitudinis.

Primùm enim apparuit per hoc mysterium Dispensationis, sic nos Deum dilexisse, vt & Filium suum hominem fieri voluerit, hincque adeò vt nos ipsum diligamus egregiè suasit; qui nempe excellentem ejus erga nos dilectionem intelligamus: Inque hunc modum illius auxilio atque gratia, ostensa nobis prementes vestigia ipsúmque secuti, adepturos nos beatitudinem speramus (in Dei scilicet visione positam) ad quam ipse nos traxit. Homo enim suæ conscius infirmitatis, nunquam se ad eam evasurum existimaret, nisi tantam in se Dei dignationem videret, vt & Deus homo fieret, ac nisi ad se Deus nos invitaret. Nisi enim fieri posset, vt nostræ facultatis modulo ad Deum ipsi eniteremur, nunquam ille ad impossibilia, quod impossibile esset, provocaret.

D

Itaque, qui inter Dei figmenta principem locum tenet, homo, inde verum agnovit Deum, quod Deus homo factus est; abscedénsque à dæmonum cultu ac errore, sanitatem indeptus est. Non enim par erat vt Deus, qui bonus sit, figmentum suum omni destitutum ope relinqueret.

Deinde, quia dicebamus peccatum hominis in hoc positum esse, quod mala concupiscat bonáque corporalia, nequaquam verò bona sempiterna; quonam modo fieri possit, vt huic malo remedium adhibeatur & homo ad Deum assurgat, quibus egit atque passus est liquidò ostendit. Etenim Parentes pauperes elegit, qui tamen virtute perfecti essent, ne quis glorietur qui carnis infirmitate circundatus sit. Penè mendici vitam egit, vt contemnendas pecunias homines doceret. Nulla dignitate mundano cultu sublimis vita traduxit, vt ab inordinata bonorum cupiditate hominum compesceret animos. Lassitudinem, famem, sitim, verbera in corpore sustinuit, vt doceret homines voluptati, deliciis, molliori vitæ animum addicentes, à virtutis bono non abscedere. Postremò mortem pertulit, vt nemo mortis metu deterritus veritatem deserat. Probrosissimam crucis supplicio elegit mortem; vt nemo pro veritate probrosam mortem defugiat. Itaque conveniens erat, vt Deus homo fieret; quo nimirum exemplo suo homines ad virutem provocaret; vti ait beatus Petrus, *Christus passus est pro nobis, nobis relinquens exemplum; vt sequamur vestigia eius.*

E

Christi in carne virtutis informatio.

1. Petr. 2. 24.

F

Christus fidei doctor.

Quia verò non sola virtutis opera sufficiunt, vt æternam quis beatitudinem consequatur, sed necessaria quoque veritatis de Deo cognita est: nec verò fieri poterat vt homo veritatem docens, quæ de Deo est, certam omnino fidem haberet: Homo enim & decipi & decipere potest: ea quoque ratione decebat, vt Deus factus homo veram fidem doceret, quò illa nihil ambiguum, velut à Deo & homine tradita, haberet. Esse autem se Deum docuit per miracula, quæ nulla humana virtute possunt præstari. Quia tamen poterat, eos qui tunc præsentes erant ac videbant, tunc crediturus; posteros verò, figmenta esse, fore objecturos, huic quoque excogitata cautio est. Nam si is, qui hanc docuit fidem, & qui miracula fecisse narratur, dives fuisset, ingénsque imperium ac copias haberet, venire in mentem alicui poterat, illius doctrinam ac miracula figmenta esse, humanáque potentia & auxilio recepta esse. Ne verò quisquam dicat, sed Dei potius opus esse omnes confiteantur, cuncta infirma ac projecta elegit: Matrem pauperem, egenam vitam, Discipulos ac Prædicatores, homines rudes & idiotas. Reprobari voluit & ad mortem vsq; reum peragi, vt posteri intelligerent, ejus doctrinam & miraculum non humanæ virtutis, sed Dei potentiæ existimanda esse. Vnde etiam quicquid ageret ac pateretur, humana infirmitas divinæ virtuti semper comes erat. In Nativitate enim paupercula quædam cernebantur, specus, fasciæ, & quæ ejus generis sunt; verùm ab Angelis laudabatur, ac stella duce à Magis adorabatur. Tentatur à diabolo, sed Angeli ei ministrant. Mendici vitam ac pauperem egit, verùm suscitat mortuos & cœcis visum restituit. Cruci affixus mortem obit, & Latronibus accensetur; verùm Sol in ejus morte obscuratur, terra tremit, petræ convertuntur, aperiuntur monumenta, mortuorum corpora resurgunt.

Fidei adminicula; miracula, paupertas, &c.

G

Humilia aliáq; in Christo conjuncta.

Si igitur his ita gestis alia quis prætereà, vt ad fidem inducatur, quærit signa, vel saxis durior erit, quippe cùm illa in Christi morte scissa sint. Ad eundem verò modum etiam discipulos elegit & ad prædicandum misit, illiteratos, ignobiles, pauperes, piscatores; quos præcepit abjectos esse, contemptum ferre, non congregare divitias, honores, gloriam. Hi enimverò cùm se sic haberent, miracula edebant, vt & eorum doctrina divina videretur, non ex humana sapientia ac virtute profecta. Eadem patrabant miracula atque his majora. Nam eorum vmbra mortuos suscitabat. Ipse enim dixit, *Qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora illis faciet.* Omnia verò sustinebant, qui nimirum in Christi passionem ac mortem aspicerent, qui eis locutus erat, *Si me persecuti sunt, & vos persequentur.*

H

Matt. 28. 52.

Discipuli illiterati, contempti.

Act. 5. 15

Ioan. 14. 12.

Ioan. 15. 20.

Qui verò homo voluntati suæ indulserat, transgressúsque

A

Christi pro nobis satisfactio ex justitia digna scilicet compensatione.

gressusque erat, ac ratione Deo injuriam fecerat, quod creatorum ab ipso nobilissimum (ejus quippe factum hæreditatem) malis operibus subduxerat; ac idcirco pœnæ maximæ reus erat, quo & Deus injuria affectus citra omnem comparationem cunctis major ac præstantior est: nec vllus erat qui tantæ injuriæ pœnam in se posset recipere, vti dictum à nobis est; hanc Dei Filius factus homo recepit, cunctáque perpessus est, quorum nos eramus rei, nósque redemit ex inimicis nostris, qui velut propria spolia, peccati reatu addictos, detinebant. Sicque in eo impleta justitia est: Peccator enim & qui offendit facitque injuriam, pœna affici debet. Nostri verò loco, Dei Filius factus homo pœnam sustulit, inque eum modum justa ratione nancisci nos libertatem obtigit. Si enim alio modo eam essemus consecuti, sive Dei decreto & potentia, sive per Angelum, haud illa nobis, justitiâ comite, parta esset. At enim Deus justus est. Quemadmodùm igitur exposcebat justitiæ ratio, ita factum est. Sufficiens verò humani generis offensæ solutio à Dei Filio facta visa est, qui nimirùm assumpta carne, omnino infinitæ dignitatis, omníque, tum vt Deus, tum vt homo obnoxius peccato esset. Quantum igitur ejus dignitas præstabat, tantò & facilius hominum cum Deo inimicitiam dissolvere potuit.

B

Nec enim latet, qui majori pollet dignitate, putà Rex, sive alius quispiam procerum, dum preces offert ad injuriam aliquam diluendam, potiùs exaudiri, quàm si quis pro eadem injuria supplicet, putà miles, sive quisquis alius dignitate inferior est. Idcirco decebat vt Deus per hunc modum homo fieret, vt qui infinita dignitate pollebat, hominum peccata dissolvere posset; quod nemo vnquam alius potuisset, non Angelus, non homo: Nullus enim pari dignitate cum Verbo Deo homine est.

Peccati permissio, pro conditione humanæ libertatis.

Eam igitur ob causam haud dicendum est, potuisse Deum non permittere vt homo in peccatum caderet. Hoc enim liberi arbitrij rationem tollit: Deus autem rerum ordinem non tollit, sed servat incolumem. At neque par est vt dicamus, potuisse absque peccati dissolutione hominem emundare. Hoc enim justitiæ tollit ordinem. Liquet, igitur Deum per mortem Filij sui rerum ordinem servasse incolumem, sive quis naturam spectet, sive justitiam. Nec absurdi aliquid sequitur, eo quod dicamus Dei Filium factum esse hominem ac mortuum esse. Accedit, non hoc spectandum in Dei operibus, potuisse hoc aut illud tali vel tali modo fieri, sed quomodo convenientius quodque factum sit; ac num optimum sit quod sic se res habeant, ac se habent.

C

Sin autem idcirco quod dicimus Deum mortuum esse, infidelium aliquis dubitet, quonam id modo fieri possit, vt existimemus Deum in naturam humanam mutatum esse? Respondemus id nos non dicere. Nempe corpora sunt, quæ alia in alia mutantur: putà aër ignis efficitur, quod in ignem mutetur. Incorporea verò, suæ vis efficacia corporibus vniuntur, eáque pervadunt ac penetrant; quemadmodum anima corpori vnitur. Quod si anima corpori vnita non mutatur secundum substantiam, potiori longè ratione cujus summa simplicitas, Deus ac magis quàm vllus verbis assequatur, nulla sui mutatione corporibus vniri potest. Quin & ignis, ignitum faciendo ferrum, non mutatur in ferri naturam. Verùm alio modo Deus in creatis habitat, illisque vnitur, aliis plus, aliis minus, qui nempe pro eorum naturæ modulo ac perfectionis extra omnem participationem participari dicatur. In hac autem carnis assumptione, quam sibi ipse Deus condidit, altiori modo, ac qui in eo solummodò contingat, abstrusiúsque ac magis quàm mens vlla comprehendere valeat (nam neque naturæ divinæ vim ac efficacitatem mens humana satis assequi potest) tantúmque vnitus est, vt quæ vnione conserta sunt, alia ab aliis inseparabilia maneant; tametsi quo tempore morte functus est, anima à corpore tantisper abscesserit.

Corporũ aliorũ in alia mutatio, spiritualis cum eis vnio.

D

Greg. Theol.

Dei in Christo singularis vnio & sine exemplo.

E

Quodque summa hæc vnio sit, alterum alterius nomine nuncupatur, Deus homo, homo Deus; ambóque, vna scilicet hypostasis ac persona, idem Deus & homo secundùm aliud atque aliud. Quemadmodum etiam homo videns atque audiens, non secundum idem videt auditque; sed alterum quidem, quà facultate videndi, alterum, quà audiendi præditus est.

Exempla deficientia.

Hujus autem vnionis, nullum proprium exemplum est. Si enim velut naturalem potentiam in corporibus consideratam exempli loco produxerimus, aut qui in corde versatur, sermonem, forísque intermedia voce manifestatur, vel animi ad corpus, vel ignis ad ferrum illo incensum habitudinem nexúmque dixerimus, nihil quod sit proprium dicturi sumus. Hæc enim non ipsa verè ac per se existentia, magísque continentur atque habentur, quàm ipsa contineant ac habeant. At Dei Filius, ipse vere ac per se existens, vivénsque ac perfectus est; ac velut quid nobilius præstantiúsque, assumptam humanam continet habétque.

F

Neq; demum sicut dicimus naturam humanam ex duabus partibus (anima scilicet & corpore) constare. Nam & anima(tametsi omnium judicio corpore nobilior est, imperfectior nihilominus, est, quam vt vna ipsa hominem perfectum constituat) sic quoque eodémque modo dicimus, Christi naturam, ex parte conflari deitate ac humanitate: Deitas enim nusquam pars est: Nam omnis pars, quid imperfectum est: nec Deitati, cùm perfectissima sit, vlla additio fit: sed sic dicimus, Christi hypostasin seu personam ex Deitate esse & humanitate; non velut ambo hæc ejus partes sint, sed quod ambæ naturæ immutabili nexu in vnum copulentur. At neque dicimus ex duabus substantiis vnam quandam tertiam naturam contemperatam esse; sicut vinum & aqua in vnum temperantur, quod neutrum eorum est, sed quod etiam post vnionem maneat duplex natura, aliáque ab alia distincta, non hypostaticè ac personæ ratione (vnam enim confitemur hypostasin ac personam) sed quod attinet ad naturarum proprietatem.

Non dicendæ partes in Christo; Deitas & humanitas.

Inconfusa vnio & distincta.

G

Quod verò vno omnium consensu receptum est, divinam naturam infinitis modis nobilitate præstare; ac cùm ea quæ minora sunt præstantioribus quasi cohæreant velutque ab eis pendeant: idcirco non dicimus Naturam humanam Dei naturam assumpsisse, sed, Deum naturam humanam non quasi in Deum illa mutata sit, sed quod Deo cohæserit, illique copulata sit. Idcircò velut quid ipse præstantius, humanam habet naturam, habetúrque ipsa à divina natura. Velut hominem, cùm principalius sit ac nobilius, manum habere dicimus, non autem quod manus habeat hominem. Siquidem igitur partes essent Deitas & humanitas (ita nimirùm vt ex eis vna natura communis consisteret, vt ex anima & corpore conflatur homo) diceremus, tum Deum habere hominem, tum & humanitatem habere Deitatem, vti etiam se res habet in anima & corpore: Dicimus enim, Anima corpus habet, ac, Corpus animam habet.

H

Divina humanáque persona Christus, seu suppositum.

Quia igitur vnigenitus Dei Filius (Dei scilicet Verbum) naturam humanam, quod eam assumpserit, habet, fit consequens esse eum suppositum, seu hypostasin aut personam naturæ humanæ. Habens enim aliquam naturam, ejus naturæ hypostasis dicitur. Vt quod equi naturam habet, hypostasis seu suppositum equi esse dicitur. Ac siquidem natura quæ habetur intelligens sit, tunc persona potius nuncupatur. Ac rursus, quod ab æterno habet divinam naturam, non ex compositione, sed simplici (vt ita loquar) identitate, etiam divinæ naturæ hypostasis dicitur, seu persona, quatenus scilicet humanis vocibus divina explendescere possunt. Itaque Dei Filius hypostasis est seu persona duplicis naturæ, divinæ scilicet atque humanæ, in vtraque verè existens.

Sin autem aliquis dicat: Cùm natura humana non sit accidens, sed res verè existẽs, & substantia singularis

humana

Non persona, quod à præstantiori habetur: nec aliter S. Doct.

humana præter Dei Verbi hypostasin esse videatur, quidni duæ hypostases seu personæ intelligendæ sunt in Christo? Quod nimirum illud vocatur hypostasis, quod non ab alio principaliori ac nobiliori continetur. Nam manus hominis, substantia quædam est, nec tamen hypostasis dicitur; quod cùm homo habet, res scilicet principalior nobiliorque. Nam nisi sic esset, vetaret nihil plures personas pluresque hypostases in homine confiteri. Itaque etiam humana in Christo natura, à præstantiore (divina scilicet natura) assumpta est: ac ideò, cùm ab illa habeatur, non jam propriè ac per se hypostasis dicitur. Christus enim, ob personæ ac hypostasis vnitatem, vnus est; nec duo propriè vocari potest. Duas tamen naturas habere propriè dicendus est. Etenim in vna hypostasi sive persona, idem est Deus & homo, vti sæpius dictum est.

Christianæ fidei caput, Trinitatis confessio, tum incarnationis.

Gal. 6. 14.
1. Cor. 1. 18.

In Christi passione ac morte quanta recondita.

1. Cor. 1. 23.

Itaque necesse est ut citra vllam dubitationem mysterium Incarnationis Filij Dei confiteamur. Etenim Christiana fides, primò quidem in confessione sanctæ Trinitatis consistit; singulariter verò, in eo vt glorietur in cruce Domini nostri IESV CHRISTI, atque in ea salutem expectemus. *Verbum enim Crucis*, inquit Paulus, *et si iis qui pereunt stultitia est, nobis tamen qui salutem consequimur, Dei virtus est.* Ac si quis quod decet ac officij est, religiosa mente in passione ac Christi morte consideraverit, tantam offendat sapientiæ altitudinem, vt semper de illis animo cogitanti, majora pluráque theoremata sensúsque occurrant; ipsóque rei periculo verum esse agnoscat, quod ait idem Apostolus: *Nos prædicamus Christum crucifixum; Iudæis scandalum, Græcis autem stultitiam. Nobis autem vocatis Iudæis atque Græcis, Christum Dei virtutem & Dei sapientiam.* Ac rursus, *Quod stultum est Dei, sapientius est hominibus.* Per fidem itaque Trinitatis & Incarnationis Filij Dei confessionem, speramus ex Dei auxilio, quod nobis in hac vita per Sacramenta præstitur, atque liberi arbitrij opera, futuram nos beatitudinem post mortem consecuturos; tunc scilicet, cùm fuerit mortuorum resurrectio ac judicium extremum.

CAPVT VIII.

De futura Mortuorum resurrectione.

Resurrectio futura, Deus iustus est.

ETenim cum iis, quæ sunt fidei capita, resurrectionem mortuorum oportet nos credere: Primùm quidem, quia cùm Deus justus sit, necesse est vt justa rependat præmia: vt scilicet mala, malis, bona, bonis retribuat. Sin autem hoc dederimus, tum fruitio erit, tum punitio. Sin autem hæc erunt, etiam erit judicium: sin autem judicium, etiam retributio ac merces operarij. Ergo quia Deus justus est, futura resurrectio est. Resurrectio autem, corporum; nam anima, immortalis est. Corpus enim (quod sit organum) cum anima commercium habet, in quibus illa appetitu ducitur ac incitatur, sive contrariis, sive non. Idcirco illi debetur, vt eadem ac anima, vel gloriam, vel dedecus ac probrum consequatur. Si quis porrò fidem his non accommodat, quod sic corpora intereant, innumerásque vicissitudines aliorum in alia transmutatione subeant; at spectata Dei omnipotentia, nihil erit impossibile: quippe quem credamus scire omnia, antequam fiant, rerúmque hanc vniversitatem quasi pugillo continere. Siquidem igitur ita exploratum est, sanè nec humanum corpus, quanquam innumeras subeat mutationes, cùm mundi ambitu contineatur, Deum vbique præsentem atque omnia continentem fugit: quin ejus voluntati, qua pollet omnipotentis, opus eorum erit. Cùm enim omnia ex nihilo in rerum naturam produxerit; qui fiat

Resurrectio Dei possibilis.

Dan. 13. 42.
Isa. 40. 12.

id præstare non possit? cùm præsertim subjecta non desit materia, quanquam ob multas variásque mutationes in minimum quid illa redacta sit. Non enim materia prorsus interiit; sed quodammodo manet, tametsi res nobis obscura sit. Sin autem eadem materia multorum generationi inservit, quod cuique attinet, id verò assumetur, supplebitque divina virtus quod ad plenam corporis molem deficiet.

Arg. à naturali rerum reparatione.

Licèt verò etiam ex rebus corporeis, ejus rei simulachrum quoddam indiciúmque assumere. Triticum enim in terra putrescens, rursus germinat, inque eandem tritici speciem reparatur ac surgit; cumque id quotannis fieri videamus, præ consuetudine nihil mirabile esse existimamus. Sin verò quis ea de re cum illis sermonem haberet, quibus nunquam quod sic natura geritur exploratum esset, nec seminum vim atque indolem pernoscerent, is apud illos nec fidem obtineret. Aiunt verò etiam quoddam animal circa Orientis plagas longioris esse, túmque ipsum emori, éxque ipsius putri materia sine coïtu velut vermem enasci, quo idem anima in eadem specie reparetur, in quo rursus idem accidat, juxta ac exposcit tot annorum à Deo constituta periodus. Alia quoque animalia, ex alia gignuntur materia, quanquam id humanam excedit facultatem, nec semper eadem ex iisdem; purà vespæ ex equino capite, éaque bovino apes, & ex aliis alia. Quibus ostendit Deus, haud in aliis, quæ majoris aliquid miraculi habeant, fide nutare, quorum ipse doctor extiterit, ac quæ solus, velut omnipotens, exitu præstare possit.

Phœnicia fabella.

Animalium aliorum ex aliis procreatio.

Sola sublata resurrectione atque operum retributione, consequens fit vt innumera absurda admittenda sint. Nempe muta animalia meliori nobis sorte futura sunt; quatenus illa vitam vivunt molestiis solutam; nos verò & iis afficimur, & in periculis versamur, ob divinam præsertim veritatem. Vt quid enim multa hominum turba virtutem ac castitatem delegit, spretis mundi delitiis, tuendáque veritate ad mortem vsque certamen desudavit? Atqui liquet nos homines aliis omnibus præstare; cúmque Deus justus sit, non sic frustra, rerum ab ipso conditarum nobilissimam (nos scilicet, quos ad suam fecit imaginem ad séque trahit) ærumnis confici sineret, nisi cuique pro eo ac æquum justúmque est, ac pro laborum cujúsque ratione mercedem ac præmia redditurus esset. Sublatus erit & Dei cultus, & parentum honos, quáque alij alios prosequimur, veneratio & pudor, amicitiáque & rectitudo omniúmque societas: leges quoque & judicia & quæ ejus generationis sunt omnia. Vt quid enim hæc futura? cujus verò gratia? cùm omni fine careant. Ac siquidem vera est hæc doctrina, necesse erit vt alij aliis quasi bestiis vtamur, ac neque cibi aut potus modum vllum teneamus, nec aliorum cujusquam ejus generis, sed omnem voluptatem quæramus, vitámque mollem ac dissolutam vivamus. Quæ omnia absurda sunt, ac tum Deo omnium Conditori, tum humanæ dissentanea dignitati.

Absurda negata resurrectione, brutorum meliorem sortem.

Præterea, cum corporis cum anima vnio naturalis sit, ejúsque ab illa separatio innaturalis, necessariò sequitur, sic nimirum innaturaliter corpore ab anima separato, non in perpetuum mansurum ita separatum. Nam corpus naturaliter animæ à Deo vnitum est, ad eum modum quo se materia ad formam habet. Mors autem peccati reatu superveniens, animam à corpore disjunxit. Ejus itaque illa disjunctio innaturalis fuit. Quod autem est innaturale, haud diu durare contingit. Vt sub exemplo loquar, Lapidi naturale est ferri deorsum; innaturale verò vt & sursum feratur, cùm quis vt ipsum impulerit. Quod sic igitur violenter feratur ac renitente natura, non diu durat. Brevi enim rursus redit ad id quod est ex natura, vt nempe deorsum feratur. Itaque etiam anima à corpore sejuncta (quod illi innaturale est) non in eo in sempiternum manebit. Quod enim innaturale est, vt dicebamus, brevi redit ad id quod

A naturali vnione animæ cum corpore.

A

ex natura est. Futurum est, ut pio eo ac Deus juste sanxerit, quælibet anima proprium corpus suum resumat, quod ei naturale est, & in perpetuum indissolubile maneat. Atque id resurrectio est. Resurrectio enim, eius quod ceciderat secunda quasi erectio ac suscitatio est.

Nec tamen ambigendum, quonam modo futurum ut quæque anima suum corpus agnoscat. Inest enim animæ erga corpus nobis ignota, ac quam verbis explicare non licet, necessitudo. Quemadmodum enim inter humana corpora nullum occurrit quod elucentes in ipso characteres orisque lineamenta, per omnia cum alio corpore eadem habeat; sic & aliam quandam cum eis proprietatem, cuique animæ erga corpus suum inesse fatebimur. Etenim anima, certi cujusdam corporis perfectio est; actus scilicet ac forma. Quo etiã fit, ut ad suum duntaxat corpus inclinationem, ac cum illo contemperationem naturaliter habeat. Nec hoc illi ponderis unquam abscedit, tum etiam cùm seiuncta fuerit à materia. Hincque necessariò sequitur, hanc naturaliter formam esse materiæ humani corporis,

B

hanc illius, nec ut alterius sit, ulla unquam ratione fieri posse; quod & causa est, cur animæ inter se sint distinctæ. Animorum enim multitudo penes corpora sumitur; non quasi illa animorum causa sint: simul enim cum eis sunt, nec alterum alteri præexistit; sed ob eam quæ animabos erga corpora inest, cognationem, quam naturi comitem, seu illis insitam, habent. Non itaque fieri potest, quæ unius actus est & forma, eandem esse alterius. Nam & cùm duæ similes magnitudines sint, abstracta eorum materiali forma à materia (quod quidem impossibile est; nisi vel subtili duntaxat cogitatu, aut etiam divina virtute) non aliter hæc inter se differant, quàm quod magnitudo hæc huius corporis forma est; alterius verò, reliqua. Proinde inest animabus inclinatio quædam erga corpora, erit animorum cum eis unio, Deo istud præstante, qui omnia potest; tunc nimirum, cùm sicut præfinivir, quod potentia est, in actum progredi voluerit, ac quod est innaturale, in id quod ex naturæ rationibus sit.

C

Primùm igitur hisce rationibus aliisque pluribus inducti quæ spectant ad resurrectionem haud impossibilia ducimus. Accedit, quod ut illis indubitatam omnino fidem adhibeamus, ex fide compellimur. Quia enim à Dei Filio salutis nostræ auctore à peccato & morte liberati sumus, in quæ Adami trangressione prolapsi eramus. Nedum enim illius peccatum in omnes pertransivit, ob naturæ communionem, eandemque in ea quæ mala sunt, ac deteriora incitationem; morsque per peccatum in mundum intravit, ut & Apostolus ait. *Per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors*; necesse erat ut per Christum utroque liberaremur. Ait namque idem Apostolus, *Si enim unius delicto mors regnavit per unum, multò magis abundantiam muneris & iustitia accipientes, regnabunt per unum Iesum Christum.* Vt igitur utrumque nobis in ipso monstraretur, cùm mori, tum resurgere voluit; alterum quidem, ut nos à peccato mundaret, uti ait Apostolus. *Quemadmodum statutum est hominibus semel mori; sic & Christus semel oblatus est ad multorum delenda peccata.* Alterum verò, ut nos

D

à morte liberaret. Id circo ait Apostolus, *Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium: quia per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum.*

Mortis itaque effectum in Sacramentis recipimus, quod scilicet attinet ad peccati remissionem. Etenim Sacramenta, virtute passionis Christi operantur. *Consepelimur* enim *ipsi per Baptismum*, ac Communicando, mortem ejus annunciamus; cunctisque mortuos nos peccato pollicemur. Effectus autem resurrectionis Christi, quod attinet ad hoc, ut ipsi immunes à morte simus, in fine sæculorum videbimus, cùm omnes per Christi potentiam resurgemus. Vnde ait Apostolus, *Si mortui non resurgent, nec Christus resurrexit. Ergo vana est fides nostra. Ergo adhuc sumus in peccatis nostris.* Ac rursus, *Si enim credimus quod Iesus mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt, per Christum adducet cum eo.* Et rursus, *Si Christus prædicatur quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem mortuorum resurrectio non est, nec Christus resurrexit; si autem Christus non resurrexerit, inanis est prædicatio nostra.* Atque rursus ad Timotheum scribens, *Stultas & sine disciplina quæstiones devita. Multi enim proficiunt ad impietatem, & sermo eorum ut cancer serpit, ex quibus est Hymenæus & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicentes Resurrectionem esse iam factam.* Hi enim non existimabant fore corporum resurrectionem, sed animi à vitio ad virtutem mutationem, & ab errore ad veritatem; Denique notitiam ac fidem esse resurrectionem dicebant. Quod Apostolus evertit, omnisque sacra Scriptura, quæ ipsorum corporum resurrectionem futuram dicat. Ait namque Apostolus, *Seminatur corpus animale, resurgit corpus spiritale.* Et rursus, *Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* In Evangelio autem à Christo dictum est, *Venit hora, & nunc est, quando mortui audient vocem Filij Dei; & qui audierint, vivent.* Et rursus, *Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius, & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ; qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.* Ait verò etiam Iob, *Redemptor meus vivit, & in novissimo de terra surrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum.* Et divinus David, *Auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur.* En, de corporibus loquitur. Tum subdit, *Emittes Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Esaias quoque, *Resurgent mortui, & suscitabuntur qui sunt in monumentis.* Beatus quoque Ezechiel, *Factum est*, inquit, *dum prophetarem; & ecce commotio, & admovit ossa, os ad os, unumquodque ad juncturam suam. Et vidi, & ecce super ea nervi & carnes oriebantur, & ascendebant super ea; & pelles extentæ sunt super illis desuper.* Tum docet quonam spiritu jussi reversi sint; sed & alia plura ejus generis de futura resurrectione nobis tradit divina Scriptura. Ex quibus manifestum est suscitanda cadavera, nec infinitæ Dei potentiæ quicquam impossibile fore.

Quia igitur nedum ejusmodi sermonibus resurrectio confirmatur, sed & ipse Christus à mortuis surrexit; ita nimirum ut visus sit & contrectatus, comederitque; quod ipsum non erat ex naturæ rationibus; neque enim cùm suscitatus esset, cibo indigebat; sed ad adstruendam resurrectionem; sicut neque nos comedemus aut bibemus post resurrectionem; sed subtilia nullique læsioni obnoxia, & incorruptibilia corpora nostra recipiemus; cujusmodi erat Domini Corpus januis clausis ingressum: Sed & Lazarum quatriduanum jam mortuum suscitavit, vt suæ specimen deitatis ederet, suæque ac nostræ fidem astrueret resurrectioni. Sæpiusque à necessariis notisque omnibus visus, agnitus est atque creditus; quod sanè non fuisset, nisi proprietates ejus insignientes personam in eo fuissent incolumes.

Cùm hæc ergo in hunc modum se habeant, operæpretium est vt firmiter credamus resurrectionis mysterium, divinis nobis oraculis proditum; quam à Deo, agnitæ veritatis præmio, consequemur. Nam neque Christus *Primogenitus mortuorum* audiret, nisi & illi comites sequerentur. Erit itaque dies magna & illustris, in qua Filij hominis adventus erit, cum majestate, de quo Daniel Propheta scribit. *Aspiciebam in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi Filius hominis veniens: & vsque ad antiquum dierum pervenit, & oblatus est ei; & datum est ipsi principatus & honor & regnum, & omnes populi, tribus,* &

Marginalia: Rom. 5. 12. — Rom. 5. 17. — Hebr. 9. 27. — 1. Cor. 15. 20. — Christi mortis effectus, & resurrectionis. Col. 2. 12. 1. Cor. 11. 26. — 1. Cor. 15. 12. — 1. Thes. 4. 13. — 1. Cor. 15. 12. — 2. Tim. 2. 23. & 16 — 1. Cor. 15. 44. & 53. — Ioan. 5. 25. & 28 — Iob. 19. 25 — Ps. 103. 29. — Isai. 26. 19. — Ezech. 37. 7. — Christi resurrectio fidẽ astruens nostræ resurrectioni. — Ioan. 20. 19. Ioan. 11. 14. — Dan. 7. 13

E F G H

& lingua servient ei. Potestas eius, potestas æterna, quæ non pertransibit: & regnum eius non corrumpetur. Atque adhuc, *Aspiciebam donec throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit; & flumen ignis trahebat in conspectu eius. Mille millia ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei. Iudicium sedit, & libri aperti sunt*, & quæ sequuntur.

Itaque venturus est Filius hominis in maiestate sua cum Angelis suis: omnesque à mundi creatione à mortuis resurgent; *nosque qui vivimus & residui sumus, simul cum illis rapiemur in nubibus obviam Domino in aera*; astabitque omnis sexus hominum, vt iudicet vivos & mortuos. Iudicabit autem, non vt simpliciter homo (in carnis scilicet humilitate) sed cum maiestate potentiæ Deitatis. Sicut enim dicimus, Dominum maiestatis, quà homo erat, erucifixum esse & mortuum; sic iudicabit quidē vt homo, sed vt Dominus maiestatis. Tūc *Omne genu flectetur, cælestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confitebitur, Quia Dominus Iesus Christus est in gloria Dei Patris.* Ac quidem princeps tenebrarum tradetur *in incendium ignis* cū Angelis suis, quemadmodū ait Dan. Propheta. Hunc enim *interficiet spiritu oris sui*; quandoquidem *omnia portat Verbo virtutis suæ*, vt auctor est divinus Apostolus. Reddetur verò singulis quibusque hominibus, iuxta opera eorum. Ac quidem Iusti, pro cuiusque virtutis, Deique ac fidei exantlatorum laborum ratione, convenientem corporibus ac animabus splendorem recipient ac illustrationem; Mali verò, eodem modo pro cuiusque malitiæ ac pravitatis ratione, tenebras iusto præmio respondentes, animabus suis corporibusque recipient. Etenim ait ipse Dominus, *Fulgebunt Iusti sicut Sol.* Beatus autem Paulus, *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* Splendorisque diversitatem ostendens, subiungit, *Alia est claritas Solis, & alia claritas Lunæ. Stella differt à stella in claritate.* Rursumque ait, fore, vt & ipsum corpus nostrum transformetur, vt sit conforme corpori claritatis Filij eius. Præterea ait, ipsam naturam liberatum iri à servitute corruptionis, in claritatem libertatis filiorum Dei: Nempe hoc volens, Fore, vt & reliqua creatura splendidior sit. Etenim, vt Sanctorum quispiam ait, *Quemadmodum in nostri gratiam subiecta fuit corruptioni, sic vnà festi particeps erit ac triumphi pro victoria hominum, eiusque laboris mercedem recipiet, quo servivit, in hoc conserens vt Electi.* Idcirco etiam ait Isaias, Solis lucem septemplicius fore; Lunamque quali nunc sol fulgore micaturam: fore denique novam terram ac cælum novum.

Tunc Apostolicum illud implebitur, *Cùm tradiderit regnum Deo & Patri, tunc & ipse subiicietur ei, qui subiecit illi omnia.* Pii enim ac iusti, præsenti ævo ad Christum attendentes; proque eo ac ille in mandatis dedit, virtutem colentes, per ipsum spiritalem suam administrant vitam; quæ quidem nunc in Christo abscondita est, postea verò vna cum ipso est manifestanda. Idcirco etiam illi eius hæreditas vocantur ac regnum; quos nimirum vt homo, per mortem suam ac sanguinem Deo ac Patri adducit. Per ipsum enim accessum habuimus ad Deum & Patrem, cui omnia subiecit; ad hæcque seipsum, vt *primogenitum in multis fratribus* fieri dignatum, nostræque salutis Pontificem & dispensatorem effectum, vt hominem adducet Patrique subiiciet: Vt autem Deus, qui cum Patre & Spiritu sit, minimè subiiciendus est.

Hæc itaque, vt quidem homo, subiiciendus est, quod carnem creatam assumpserit: vt autem Deus, perinde sibi subiectos subiiciet, vt qui vnus cum Patre ac Spiritu Deus sit. Idcirco etiam vt Deus, cum Patre & Spiritu, vel vnus iudex, iudicaturus est: vt verò homo, solus ipse Iudex sedebit. Etenim cum illis quæ corpus insigniunt, eiusque propriis notis venturus est, vt & Iudæi intelligant, eundem ipsum esse, qui ab illis in crucem actus est; indeque arguantur, cunctique videant Infideles ac compungantur; quotquot nimirum ævo hoc prædicatum illum non receperunt, nec eius doctrina conversi sunt, sed in suo errore permanserunt. Etenim de illo ex eo quod homo dictum Danieli est, *Et datus est ei principatus & honor & regnum.* Ac rursus, quod ipse Dominus ait, *Pater non iudicat quenquam; sed omne iudicium dedit Filio.* Quod ipsum de illo accipitur, quatenus homo est, vti diximus: Divus tamen Chrysostomus in sua in Ioannem expositione, etiam de divina generatione interpretatur, dicens, *Et vt intelligas hanc particulam, dedit, idem quod genuit, significare, audi ex alio loco idipsum declaratum.* Sicut enim Pater vitam habet in semetipso, sic dedit & Filio vitam habere in semetipso. *Quid igitur? prius ipsum genuit, inde vitā dedit? Erat igitur sine vita genitus? Verùm hoc nec dæmones dixerint. Præter enim impietatē etiā ingentis dementiæ dictu sit. Quemadmodum igitur*, Vitam dedit, *sibi vult, ipsam genuit vitam: sic &* dedit iudicium, *hoc significat, Iudicem eum genuit.* Quia enim nemo vulgi facilè intellexisset quonam modo eius vita ipsa verè existens sit; prius quidem id quod est humilius, dixit; deinde verò cùm iam instructi essent, ad id quod sublimius est, provehit. Qui enim dixerat, *Dedit ei vitam habere*, hic rursus ait, *Ego sum Vita.* Ac rursus, *Ego sum Lux.*

Vti igitur dicebamus, ad coarguendos Infideles ac condemnandos, eorumque probrum ac dedecus sempiternum, vt homo venturus est cum potestate & maiestate magna; vt & ab eis (quoad fieri potest) vt homo conspiciatur. Vnde etiam non vt bonus qui bonus sit, illis videbitur: Iustis verò, etiam perquam bonus. Ac illi quidem vt hominem solummodò videbunt; Iusti verò vtraque ratione, & vt hominem & vt Deum. Ibuntque illi quidem in supplicium æternum, hi verò, in vitam æternam.

CAPVT IX.

De Futura in integrum restitutione.

Quod enim splendor corporis Christi nedum Sanctis conspicuus futurus sit, verùm etiam malis, affirmat & beatus Augustinus. *Videbunt enim & ipsi in quem pupugerunt; & videbunt in maiestate magna & potestate. Non enim in infirmitate*, inquit, *secundum quam iudicatus est, eum videbant, sed in potentia maiestatis, qua est iudicaturus.* Tumque inducit difficultatem, quod merces ac præmium in repromissionibus repositum, in eo sit, vt Deus videatur. *Beati*, enim, *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*; quinam fiat, vt & mali in maiestate sua eum videant? Quam & solvens, ait, Non Deitatis visionem bonis & malis communem fore (hanc enim Sanctis propriam esse) sed corporis in maiestate visionem. Tradet igitur regnum Deo & Patri, nempe adducendo Fideles ac Patris suique & Spiritus sancti (qui Deus vnus ac verus est) visionem ac cognitionem, *vt sit Deus omnia in omnibus.* Nunc quidem credimus & speramus, quod non videmus. *Quod enim videt quis, quid & sperat?* Itaque Apostolus, *Si autem quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus, donec Rex in requie sua erit.* Et rursus, *Quandiu sumus in corpore, peregrinamur à Domino. Per fidem enim ambulamus, non per speciem.* Et, *Nunc vita vestra abscondita est in Christo: cùm autem Christus manifestabitur vita vestra, tunc & vos manifestabimini cum ipso in gloria.* Et, *Nunc quidem per speculum & in ænigmate; tunc autem videbimus facie ad faciem.*

Hæc enim nobis promissa visio est; quæ sit finis omnium operationum, ac lætitiæ æterna perfectio. *Filii enim Dei sumus*, inquit Ioannes Evangelista, *& nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quod cùm apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est.* Ipse etiam Dominus ait, *Hæc est vita æterna*,

Margin notes: A; Ibid. 9.; Mat. 25. 31.; 1 Thess. 4. 16.; 2. Cor. 2. 8; Phil. 2. 10.; B; Dan. 7. 11.; 2. Thess. 2. 8.; Hebr. 1. 3.; Mat. 13. 43.; 1. Cor. 15. 44. & 41.; Phil. 3. 20.; Rom. 8. 21.; C; Creaturæ immutatio pro futuri hominum specie triumphi. Isai. 30. 26. & 65. 17; 1. Cor. 15. 24.; Col. 3. 3; Christi hæreditas & regnum. Rom. 5. 2; Rom. 8. 29.; D; E; Dan. 7. 14.; Io. 5. 22.; Hom. 38. in Ioan.; Ioan. 5. 26.; F; Ioan. 11. 25. & 8. 12.; G; Christi corporis gloria, bonis & malis conspicua in iud icio. Augustin. Tract. 19. & 21. in Ioan.; Ioan. 19. 37.; Mat. 24. 30.; Mat. 5. 8.; 1. Cor. 15. 24.; 1 Cor. 15. 28.; Rom. 8. 24.; Cant. 1. 11.; 2. Co. 5. 6; Col. 3. 3.; H; 1 Cor. 13. 12.; 1. Io. 3. 2.; Io. 17. 3.

A

Psal. 90. 16

Ps. 26. 4.

vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. De hac etiam in persona Dei ait David, *Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum.* Et quasi ipse à se, *Vnam petij à Domino, hanc requiram: vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: vt videam iucunditatem Domini.* Itaque à fide, quæ in præsenti est, ad futuram illam nullaque verborum vi explicabilem iucunditatem deveniemus. Etenim ait, *Ipse, Pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia ego à Patre exivi. Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum & vado ad Patrem.*

Io. 16. 17.

Ita igitur hic credimus, Ipsum vnum ex Sancta Trinitate, ex Deo & Patre ab æterno & illibatè, nihilque eo excedendo, natum, æqualem illi secundum substantiam, verumque eius Filium ac Verbum, per quem facta sunt omnia, descendentem de cœlis, carnem ex sancta Dei Genitrice semperque Virgine Maria, propter nostram salutem, absque peccato citraque omnem mutationem & labem, assumpsisse, ac, quatenùs homo, crucifixum esse, factum pro nobis maledictum, mortuumque, anima comite in infernum vt Deum descendisse, dieque tertia resurgentem à mortuis, humanum genus vnà secum suscitasse; atque in cœlos receptum, in Dei ac Patris dextera consedisse: nempe quod à dextris dicitur, paris cum eo dignitatis honorem significante: eundem rursus venturum vt iudicet vivos & mortuos.

Fidei In carnationis formula.

B

Gal. 3. 13

Si igitur his fidem accommodamus, citra omnem dubietatem futuram gloriam ac visionem consequemur. *Qui enim habet mandata mea*, inquit, *& servat ea, ille est qui diligit me. Qui autem diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum.* Et, *Si diligitis me, mandata mea servabitis; & ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere*; ij scilicet qui mundi amore tenentur. Et, *Iterum veniam, & accipiam vos ad meipsum; vt vbi ego sum, & vos sitis.* Et, *Volo, Pater, quos dedisti mihi, vt vbi ego sum, & illi sint mecum; vt videant claritatem, quam dedisti mihi; quia dilexisti me ante mundi constitutionem.*

Io. 14. 21.

Io. 14. 15.

Io. 14. 3.

Io. 17. 24.

C

Semper igitur *cum Domino erimus*, vti auctor est beatus Paulus, & gaudebit cor nostrum, & gaudium nostrum plenum erit, nec aliquis ipsum tollet a nobis, vti Dominus ait; quando non in proverbiis loquetur nobis, sed palam de Patre suo annuntiabit nobis. Cùm ait, *De Patre*, seipsum vnà ac Spiritum sanctum dat intelligi. Vnus enim Deus cum Patre ac Spiritu est. Hoc est, Non amplius signa erunt ac simulacra, cùm futura sit visio facie ad faciem. Etenim ait Apostolus, *Cùm venerit quod perfectum est, tunc evacuabitur quod ex parte est.* Huius contemplationis imaginem ac figuram habuit Maria, quæ sedebat secus pedes Iesu, & audiebat verba illius. Nam virtus, quæ actione geritur, estque contemplationis origo, non vltra nobis permanebit, sed cessatura est, vt quæ solandi causa corporalis laboris consistat. Quæ autem hic habetur contemplatio, etsi eius cessabit contemplandi modus; at nobis tamen origo erit futuræ contemplationis. Nam, vt ait Dominus, *Qui non credit, iam iudicatus est.* hoc est, suæ condemnationis inde iam præiudicium habet. Sic rursum, Vitam æternam dixit, vt Patrem suum, Deum verum, cognoscant, ipsumque adeò Dominum nostrum Iesum Christum, quibus cum vtrque Spiritus sanctus intelligatur; quatenus scilicet vera de eo fides & contemplatio ac cognitio, adipiscendæ beatitudinis causa nobis ac ratio futura est. Tantum enim quis ævo illo visurus est, quantum hoc fide fulsit; vitæque huius contemplationis ænigmatis, veræ contemplationis decus succedet, secedente nimirum post hanc vitam, fide ac speculo, dissoluto nobis mortali hoc corpore, melorique statu reparato atque reassumpto. Ex quibus liquet, qui circa fidem hoc ævo

1. Thess. 4. 17.

Ioan 16. 22. & 25.

In cœlo nulla proverbia, sed nuda veritas.

1. Cor. 13. 10.

Luc 10. 39.

Actio vitæ cessatura: contemplatio, altiore statu perficienda.

Io. 3. 18.

Io. 17. 3

D

erraverint, nec veram de Deo cognitionem nacti sint, ne illic quidem contemplationis compotes fore, sed profanos habendos, ac qui sinistræ partis impleant numeros.

E

Sine vera fide, nulla salus Deique ævo illo contemplatio.

Idcirco virtutem quæ actione geritur, vt quæ imperfectior est, eorum qui inducuntur ac quasi novitiorum esse dicunt: quæ autem contemplatione, opus esse perfectorum. Vnde & Dominus ad Martham, quæ actionis typum gerat eiusque referat modum, dixit, *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima. Porro vnum est necesse*, versari scilicet circa Dei verbum. *Beati* enim *qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* De Maria autem, *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Ab hac enim contemplatione, ad futurum illud gaudium veniemus, quod à nobis nemo auferet: sic nimirum vt imagines, exemplaribus fidesque contemplationi locum cedant.

Luc 10. 41. Luc. 11. 28.

Hanc contemplationem vocat sanctus Dionysius (cuius supra meminimus) *vnionem supra intelligentiam*; maiorem scilicet quam pro mentis nostræ facultate. Mens enim humana per discursum habet vt intelligat. Ab vno enim ad aliud, exque altero ad alterum subinde cogitando procedens, postremò ad conclusionem devenit, rei, quæ in quæstionem vocatur. Vnde & imperfectam habet cognitionem, vt quæ non immediatè, sed paulatim ad conceptus perfectionem evadat. Verùm hic modus tunc non erit: Nam si esset, tum imperfectum nobis gaudium ac lætitia constaret. Non enim statim & sine medio adimpleremus, vt nobis comparatum est, possumusque recipere, sed eius semper laboraremus inopia, cuius sumus capaces & nobis potest obtingere. Quomodo igitur dictum est, *Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur?* Et rursus, *Satiabor cùm apparuerit gloria tua*; tuncque adeò commixta quædam tristitia & dolor cum nostra lætitia foret. At quonam id fiat, cum nec malos quidem tormentis cruciatos à Iustis videri ducamur, ne quid eiusmodi illis contingat. Quomodo verò etiam pro Defunctis quotidie precamur, eos illic collocari, vbi non est dolor aut gemitus, sed vita immortalis? Non enim quod nacti sumus tantum delectat, quantum mœroris affert, quod nobis desideratur. Cumque adeò intento frustrari fine, vbique dolorem faciat, qui fiat non inde nobis conflandum dolorem, præsertim verò, quò re maximi ponderis nos frustrari, eiusque suspensos expectatione esse contigerit? Semper enim maius aliquid animo appetemus; nec consecuti, quo nunquam levandi simus, mœrore afficiemur. Quod nimirum cupiditas in infinitum tenderet. Accedit fore, vt perinde emenso vitæ huius curriculo, fide ac spe comite vivamus. Atqui futurum vt desiderium omne & spes inquisitioque cesset, visque omnis desiderij, Dei contemplatione nobis impleatur, cùm illud deinceps in nullam aliam rerum trahatur.

F

De Divin. nom c. 1. §. 4. p. 443. Vnio in Beatis supra intelligentiã, Dei cognitio sine discursu.

Mat. 5. 6. Ps. 16. 15

Preces pro Defunctis. Is. 35. 10.

G

Qua itaque ratione humanæ naturæ comparatum est, & quantum quisque capere potest, Dei nobis contemplatio illucescet; statimque ac immediatè, post expletum extremum iudicium, quisque illius heres futurus est. Id enim Sanctus *vnionem* vocat *supra intelligentiam*, immediatam scilicet cum Deo consuetudinem; supra quam scilicet mens humana consequi potest. Idque Paulus dicebat *facie ad faciem*; Ioannes verò Evangelista, *Videbimus eum sicuti est*. Hanc porro arcanam mentis visionem & contemplationem, Iustorum scilicet hereditatem & sortem, quam beatus Dionysius *vnionem mente superiorem* vocat, magnus Gregorius Theologus *regnum cœlorum* affirmat, quem & prius, iis quæ exposita sunt, id vel maximè sentientē ostendimus. In ea enim Oratione quam habuit ob Plagam grandinis, vbi futuri illius status meminit, provocatque auditores, vt memoria recolant, quæ Iustos & iniustos exceptura præmia sint. *Quis*, inquit, *illic patronus; quæ tergiversatio? quæ falsa defensio? quod artificiosum verborum lenocinium? quando propo-*

1. Cor. 13. 12. 1. Io. 3. 2.

H

Orat. 15. p. 230.

nentur

A

Dan. 7. 9. 58.

nentur throni, & Antiquus dierum præsidebit, & libri aperientur, & igneus fluvius volvetur; & lux à fronte, & parata tenebræ; & procedent qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ, nunc in Christo absconditæ, qui autem mala egerunt, in resurrectionem iudicij, quo ij qui non credunt à Verbo eos iudicante, iam condemnati sunt. Atque illos quidem lux excipiet, sanctaque ac regiæ Trinitatis, purius iam ac clarius illucentis, totamque se cum tota mente miscentis, contemplatio (in qua ego, vel sola maximè regnum cælorum positum esse censeo) hos autem simul cum aliis, vel potius ante alia; istud excruciabit, quod à Deo proiecti sint, atque iniustam in conscientia sempiterna ignominia notam gerant. En Gregorius quoque Sanctorum hæreditatem esse docet Dei contemplationem; totumque æum toti menti misceri, quod & Regnum cœlorum vocat.

Ioel. 2. 3. Io. 5. 29. Col. 3. 3. Io. 3. 18.

Regnum cœlorũ, Trinitatis contemplatio.

B

Haud tamen in dubium vocandum, qui fiat, vt quod ait Paulus, *facie ad faciem* videamus Deum; ipseque Dominus, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Sanè quidem videbimus, pro eo tamen ac mentis nostræ facultas patitur, quanta scilicet nostra cognoscendi vis ac intelligendi. Nunc quidem in umbris videmus & ænigmatis, quæ idem Gregorius Theologus Orationibus suis Theologicis dicebat, *Dei numinis posteriora Deo iudicia:* Exponensque quænam hæc intelligenda iudicia, velut sententiam claudens subiecit, *Non secus videlicet ac Solis in aquis umbra atque simulacra infirmis oculis Solem repræsentant: quandoquidem eum obtueri non possumus, vtpote lucis puritate sensum omnem superantem.* Tunc verò non in umbris nec in ænigmatis, sed ipsum Deum, vti loquuntur Sancti; non eius perfectè perspectam habentes substantiam. Non enim ea mentis nostræ vis est, vt paribus illi modis respondeat, alioqui haud secus ac ille Dii essemus, principij expertes, infiniti, incircumscripti, perfecti, ipsum cognoscentes, vt ipse seipsum cognoscit: sed sic eum videbimus, velut cum superatis quæ in aquis extant, Solis umbris, in ipsum oculos solem intenderimus. Tunc enim rectè dicamur videre solem; tametsi eum perfectè non perspiciamus, nec quanta eius magnitudo, nec quanta substantia ac suppositum lucem gestans; nec denique quanta eius omnia ex quibus compositus est. Et hoc quidem velut exemplum assumptum est, vnde nec eius omnia & in Deo vsurpanda sunt, ne præter alia, etiam Deum circumscriptum intelligamus

1. Cor. 13. 12. Mat. 5. 8

Orat. 34 p. 538.

Dei visio præsentis ævi, & Beatorũ in patria.

Simile.

C

Beati ergo erimus, quod id quod non videmus, citra omnem dubitationem credimus. Per fidem enim, ad arcanam sanctæ Trinitatis contemplationem deveniemus, Deumque, iuxta quod Salvator pollicitus est, visuri sumus, quando ipsa supremi Boni possessione beati, nullius egebimus; sed vita æterna & gaudio & exultatione, pro eo ac cuique comparatum est, pro fidei nostræ ratione atque laboris, implebimur. Etenim mansiones multas apud Deum esse audivimus; ne paulatim id cuius capaces sumus accipientes, imperfectam & cum mœrore habeamus æternam illam Dei contemplationem ac iucunditatem, atque illic etiam spe desiderioque vitam sustentemus: Tumque continget nobis Deum ipsum habentibus, cuius nobis adeptione omnis sedanda contemplatio est, quod Propheta ait, *Iustus autem ex fide vivet.*

Io. 10. 29.

Mat. 5. 8.

Io. 14. 2.

Heb. 2. 4

D

E

CAPVT X.

Peroratio.

VT igitur ad Bonum in spe nobis repositum perveniamus, necesse est vt credamus, ac sanctæ Dei Ecclesiæ, quam vnam Sanctam Catholicam & Apostolicam confitemur, decreta firmiter teneamus; Quæcunque nimirum de vno ac trinè subsistenti Deo prædicat; nec non quæcunque de Christi mysterio, deque futura resurrectione docet; cunctaque sanè ac verè servemus; vt neque quod ad finem spectat, nec quod ad disciplinam, quicquam claudicemus. Ad eum quidem qui ex sola fide æternam vitam se adepturum præsumit, dixit Dominus, *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine intrabit in regnum cælorum.* Et, *Quid me dicitis, Domine, Domine, & non facitis quæ dico vobis?* Ad eum verò qui sine fide sperat salutem, infit Apostolus, *Sine fide impossibile est placere Deo*; & sine fide opera mortua esse, vt & fidem sine operibus.

Vera fides, sanctique mores necessaria ad salutem.

F

Mat. 7. 21. Luc. 6. 46 Hebr. 11. 6. Iac. 2. 20 26.

Sunt verò etiam quidam impij, seu Hæretici, quibus non rarò certa consilij ratione, futura à Deo revelantur; sicque liquet ex gestarum rerum monumentis, velut etiam se in Caipha res habuit; qui cùm Pontifex esset anni illius, vt Evangelista ait, prophetavit expedire vt vnus homo periret pro populi salute. Quin & quandoque in Dei nomine miracula faciunt. De illis enim dixit Dominus: *In illa die multi dicent mihi, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & dæmonia eiecimus, virtutes multas fecimus? & nunc confitebor illis, Nunquam novi vos: discedite à me operarij iniquitatis:* quos vtique & cavendos monet, dum ait, *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Idcirco, qui eiusmodi sunt, primùm à fide, tum à vita morumque disciplina examinandi sunt. *A fructibus* enim *eorum,* inquit, *cognoscetis eos*, Proprius verò maximè homini fructus, mentis rationes sunt ac consilia, quibus proditis noscitur, num veræ Christianorum consentiat fidei, necne. Ad vitam quoque morumque disciplinam quod attinet: etsi simulant ac decipiunt; brevi tamen deprehenduntur.

Io. 11. 50.

Mat. 7. 22.

Mat. 7. 15

G

Quæ igitur ab Scriptura sacra, & à Sanctis Deique Ecclesiæ Magistris, de sana Christianorum fide docemur, ista ferè sunt; quam & corde credere debemus ad iustitiam, & ore confiteri ad salutem, vti Doctor Gentium decrevit. *Nisi enim eam quis fideliter crediderit, salvus esse non poterit*, vt Magnus Athanasius in Confessione Fidei ad Iulium Papam Romanum scriptam adiecit; cuius planè etiam Gregorius Theologus in eius Encomio mentionem faciens, *Solus ille*, inquit, *aut cum valde paucis ausus est veritatem scripto profiteri.* Hanc vocans Veritatem, quam is ad Iulium Fidei Professionem scripsit.

Rom. 10. 10. Symbolum Athanasij.

Orat. 21. p. 394.

De hac autem nostra Fide, nos quoque eam complentia summè necessaria capita paucis conscripsimus, quæ, Tu quidem, Amice, à me postulasti, nunc autem, tibi reddita habes, quamvis non satis strenuè, & quantum sufficiat, sed pro virili nostra facultate, quanta nimirum donavit Deus, pro meæ lectionis exiguæque diligentiæ modulo ea subministratis. Quin ne hæc ipsa quidem dicturus eram, quod & initio operis præfatus sum, nisi certò à Sanctis prædicari nossem, eorumque auctoritates in promptu haberem. Mihi enim semper quidem ea inita ratio est, vt superiores, & in eis optimos, sequar; præsertim verò in divinis iam mihi indixi servandam consuetudinem, vt nihil sentiam, nihil dicam, quàm quod Scripturæ visum fit divinoque Spiritu edoctis Ecclesiæ Magistris: nihil denique scribam, cuius non apertam certamque aucto-

H

Calcem tractandi methodus.

titatem.

A

ritatem, ex sacra Dei Scriptura, eiusque Interpretum, quos Dei Ecclesia & laudavit, & suo præconio claros reddidit. Idque manifestè liqueat ex illis quæ edidimus, magisque clareat, modò quis solum ea quæ scripta sunt, sine dolo rectoque iudicio percurrat. Nihil enim prorsus à me ipso intuli, sed id solum, quod ea quæ diversis locis à Sanctis dicta sunt, ipse hic collegi, ad eorum qui lecturi sunt, firmandam fidem, eiusque veritatem constabiliendam. Quanquam ne id quidem facturus eram, nisi tu à me exegisses, at neque te exigente, si tibi & otium & libri & eruditionis facultas ad hæc sparsim posita colligenda, ac memoriæ penu reponenda brevi sententia comprehensa, suppeterent; ne videamur superbè aggredi ad hæc conscribenda, ac diaboli morbo laborare, cuius vel nudam speciem necesse est vt procul amandemus.

1 Tim. 3.6.

B

Simile igitur aliquid fecit, ac si quis, quam profitemur Fidem accipiens; nempe, *Crede in vnum Deum*, & quæ sequuntur, id illo probari diceret Scripturæ testimonio, istud alio, aliudque alio, & sic deinceps in finem vsque. Vnde neque meipsum ob eam collatam operam laude dignum existimo; nisi quis fortè dicat, ac puto meritò, ea me ratione laudem promeritum, quod nihil proprium dixerim, autve Scripturis Sanctisque dissonum. Id enim Patrum fidem profiteri sit ac conscribere; quo nomine multi coronantur. Sin autem ideirco dicam haud æquum esse me laudem consequi, quod alij laboraverunt, & ego in laborem illorum intravi; longè potiori ratione nec par fuerit inde mihi vituperium creari. Vtrumque enim in Scripturæ doctrinam Sanctosque redibit. Eadem enim rursus dico, Nihil à me, atque proprium me dixisse, sed quæ ab Scriptura sacra ac Dei Ecclesiæ Magistris docentur de sana Christianorum Fide, hæc selegisse, eaque ipsa claritatis causà rudi sermone paucisque perstringendo quoad licuit, defunctoriè leviorique opera in præsenti libro exposuisse.

C

EIVSDEM MANVEL.

CALECÆ,

VIRI DOCTISSIMI,

CONTRA GRÆCORVM Errores.

LIBRI QVATVOR.

OLIM, LATINE VERSI, ab Ambrosio Camaldulensi;

NVNC EX BIBLIOT. BAVARICA, in lucem prolati, & notis illustrati,

D

A PETRO STEVARTIO, LEODIO, SS. Theologiæ D. Professore, & Academiæ Engolstadiensis Procancellario, &c.

PRÆFATIO.

DOMNO S. AC BEATISS. PAPÆ Martino, Ambrosius.

PARVI præceptis tuis, Domne beatissime, opusque illud clari & eruditi viri Manuelis Calecæ contra Græca levitatis errores, quod insignis Theologiæ cultor Magister Antonius Massanus zelo fidei succensus, Constantinopoli ex vrbe regia secum advexit: commode vtinã, atque vtiliter: prompte certe, atque obtemperanter ex Græco converti. Qua sane in opere, vir ille optimus, ita suscepti muneris implevit officium, vt diligentiam in se desiderari (meo quidem iudicio) passus non sit. Caute enim vt in re tanta congruum fuit, subtiliterque, pro materia dignitate procedit, eosque præclari bellatoris instar, suis potissimum reuincit armis: atque insolitum errorem, imo ingenitum contentionis studium, ab ipsis, vt ita dicam, fũdamentis aperit, detegit, nudat, ipsumque radicitus euellit.

E

Id equidem eo libentius transtuli, quo & à te, cui omnia fideli obsequio debeo, iniungebatur: & ob antiquam gentem, ac dudum inclytam, & omni genere laudis illustrem, Quis enim nesciat Græcos olim cum sapientia, & eloquentia, tum fide, ac religione, cæterisque virtutũ meritis, cunctis fere mortalibus excelluisse? Ægre, vt par erat, ac moleste ferebam, huiusmodi diutius impeditam laqueis, plagisque irretitam: obque id, iam pridem summis calamitatibus ita obtritam, & consumptam, vt vix vllum vestigiũ pristinæ gloriæ, ac dignitatis seruet: cupiebamque te potissimum auctore, ac duce, eam, etsi non in pristinam dignitatem, priscam sanctitatem, faciemque restitui, id quippe maius est, quam vt optandum nobis sit: at saltem ab internecione liberari.

F

Tuum quippe est, & esse intelligis, Papa beatissime, *errantes homines ad rectum revocare iter, atque ad imitationem veri, æternique pastoris, cuius vices in terris agis, ouem perditam, ac per devij erroris anfractus male liberam, atq; in perniciem suam gradientem studiosè requirere, inventãque ac sacris humeris impositam ad ovile reuehere. Tua inquam, gloria in primis est, adeo divinum opus, tam præclarum facinus, tota animi intentione suscipere, nihilque diligentiæ omittere, dum id conficias: vt quo pastore occidua Ecclesia plures ante annos divisa fœderata est: eo auctore, Orientis etiam Ecclesia, maiore longe, ac deteriore scissurã segregata, sub vno capite, reliquo Ecclesiæ corpori iũgatur: ne diutius à cætera compage disiecta præda, ac pabulum barbaris sit: neu, inde Christianum nomen funditus tollatur, vbi primo, exortum est, quo quid dici gravius, quid cogitari indignius potest?*

Ioan. 10.

G

Gratulor sanctæ menti tuæ, Domne beatissime, *gratulor felicitati: teque ad id opus divinitus instinctum mirifice exulto: quo, nihil gloriosius, nihil esse possit illustrius. Hoc, si efficere potueris, poteris autem, Christo miserante, qui te ad hoc munus elegit: plurimum ad tuorum meritorum cumulũ accessisse, nemo nisi iudicij, ac rationis ignarus denegabit: quando non solum reficiendis diu collapsis sacris ædibus: verum, multo dignius instauranda universali Ecclesia, omni studio incumbis. Sed enim laudes tuas prosequi propositum non est. Sum memor ipse mei. Facient hoc excellentiora ingenia: Mihi sat fuerit, pro ingenij tenuitate, satisfecisse iussioni tuæ.*

Sane, id opus, quod auctor ipse continuatã dictione vno volumine inclusit, nos vtilitati legentium, fastidioque consulentes, quia prolixum valde videbatur, in libros quatuor, commoda distinctione divisimus: vt per huiusmodi veluti metas, lectoris animus à iugi certaminis exercitatione requiesceret: & alacrior ad reliqua perlegenda, intentiorque semper assurgeret. Si quid autem in hac interpretatione vel obscurius fortasse, vel inconcinnius positum prudens lector offenderis: partim id interpretationis necessitati: partim etiam immodicæ celeritati acceptum referas. Nam & materia ea est, adeoque angustis terminis constricta, vt interpreti tutum non fuerit, auctoris vestigia longius deserere: ne, sua potius compilasse, quam aliena transtulisse videretur: & celeritas tanta fuit, vt opus mensium, vno fere mense traduxerim. Neque enim ignorat sancta eruditio tua, quæ celeritas, imo verius præcipitanter effundantur, de re præsertim ardua, & angustissima, & quæ nulla tractari cautius debet. De Trinitate enim omnis fere serma est, ea accuratè dici, ornaríque non posse. Fideliter tamen me transtulisse, constanter asseveraverim. Incolumem sanctitatem tuã, ac prolixa ætate tranquillam, & florentem, Christus Deus noster omnipotens seruare dignetur Domne sancte, ac beatissime Pater.

H

INCIPIT

INCIPIT AVCTORIS Prologus.

QVONIAM quidem fraternæ dilectionis cura maxima babenda est, cunctaque pro illa agenda, atque molienda sunt, ita iubente Domino: nihil vero gratius, nihilque vtilius est, quam de Deo & audire, & loqui: ex quo fit, vt & qui dant, & qui accipiunt, magna consequantur emolumenta: vitamque inde sempiternam adipiscimur. [Mat. 5. & 19.] *Hæc enim*, inquit, *est vita æterna, vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum*: [Ioan. 17.] quæque scilicet divinitatis, & quæ humanæ dispensationis sunt: tuque à nobis exegisti pro modulo virium nostrarum edoceri: vt sese habeat SS. Patrum de processione Spiritus rectissima opinio: de qua scilicet, cum Græci, Latinique dissentiant, dissensio etiam, atque vtriusque Ecclesiæ divisio, necessario secuta est. Scire enim cupis, quibus vtraque Ecclesia rationibus nititur, atque vltra ex his rationabilius sentiat, prætereaque, dicente Domino: [Mat. 10.] *quæ dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & , quæ in aure audistis, prædicate super tecta.* Apostolo item terribile silentij indicium insinuante, ac dicente: [Actor. 20.] *testificor vobis hodie, quia mundus sum à sanguine omnium: neque enim dissimulaui nuntiare vobis omnem veritatem, atque consilium Dei*: atque hoc ipsum faciendum admonente: [Tit. 2.] *Hæc enim*, inquit, *admone, & contestare coram Deo*: Et si de Deo, ac divinis rebus, loqui illis potius conveniat, qui semper in lege Domini meditantes, purgatiori vita, & intelligentia sunt: à quibus nos longissime remoti sumus: plurimis tamen rationibus me ad scribendum hortantibus, atque impellentibus, aggrediar, facultate, qua potero, quæ à sanctis Patribus de hac re scripta sunt, Christo duce, moderate, ac simpliciter, seruato compendio, tibi conabor exponere: plurimis scilicet omissis, (nam longissimum esset, omnia prosequi) paucisque solummodo positis: quibus constare possit: quæ nam illis de hac re fuerit opinio: vt ex hac moderatione nostra, & tu, quod ab amico requisisti, consequaris: & ipse, dum illorum prolixitate non terreor, brevitatemque temporis non pertimesco, meliore iam animo sim: illi me vindictæ subdendum non esse, quæ illi intentatur, qui talentum abscondit

Non igitur tacebo: cum præcipue de veritate fidei mihi sermo futurus sit: neque ambigam, quin per te ad alios quoque manaturæ sint literæ nostræ, quos alloqui ipsi non possumus, & eorum obtestari de veritate fidei: his autem licebit illos alloqui, iuxta edictum: [Mat. 25] atque ita, dum multiplicabitur verbi ministerium, mihi ipsi fidelis servi merces excompensabitur. Quanquam vero pauca de multis appositurus sim: si quis tamen iurgio, & contentione repositis, ipsam, per te se ipsam, veritatem rei, ex his, quæ firma, & rata sunt indagare pergat, longe brevioribus, atque ipsis tantum fidei principiis hanc illustrari posse comperiet: eoque facilius, quo Deum talibus auxiliari certum est, qui cum pietate quærunt. [Rom. 8. Ioan. 5. Luc. 11] *Cooperator*, inquit, *Deus est omni quærenti bonum.* Isque qui scripturas hortatur *scrutari*, seque daturum *petentibus*, *pulsantibusque* aperturum pollicitus est: non permittet huiusmodi longius à veritate aberrare.

Quoniam igitur dictum est: [Prou. 9.] *da sapienti occasionem, & sapientior erit*: qualem te esse scio, quem nihil pro contentione, nihil pro vanitate facere, solamque rerum veritatem sapienter, ac prudenter inquirere pro comperto habeo: promptius iam, quod quæritur, explicare aggrediar. Neque sane ignarus sum, complures iam plurimos de hac re scripsisse libros: qui, licet veritas paucioribus indigeret verbis, multis tamen ipsa indiguerunt, vt eam contra illos tuerentur, qui contentionis studio illam lacessere tentabant.

Cæterum, sicut vnusquisque fidelium fidei profert confessionem. [Rom. 10] *Corde enim creditur ad iustitiam: ore autem confessio fit ad salutem*: quid prohibet hanc etiam communi fide comprehensam veritatem, sicut à sanctis Patribus accepimus, proferre, atque aliis tradere: nunc quidem amicitiæ implendo munus: nunc autem docendo: nunc studiosis illius consulendo: nunc revincendo adversarios: atque omnino Sanctorum hac de veritate doctrinam, quam à Patribus nostris accepimus, quamque illi à maioribus suis per successionem acceperant proponendo, atque omnia honesti, & æqui, fraternæ dilectionis causa dispensando, nihilque omnino omittendo diligentiæ. Non itaque gloriæ cupidi scribimus, sed amici votis morem gerentes, eorum, quæ prædiximus, gratia, laborem hunc suscepimus. Nec nostra dicimus, sed quæ à sanctis Patribus, illorumque successoribus scripta legimus, ea, seruato disputationis ordine, hinc inde collecta, breuiter: strictimque posuimus: hac in re sola, si sic dici oporteat, gloriantes: quod Sanctorum de ea re opinionem, largiente Deo, nos & scire, & tueri constanter ostendimus. Neque sane ignoramus plurimos, in quorum manus ista forte peruenerint, quibus odiosa est veritas, hac ipsa nostra constantia, & confidentia, ad iaculandum in nos consilia, & maledicta provocandos: contraque penitus agendum nobis est, contrariaque incedendum via, quam si rumusculos inanes captaremus. Nam si quidem humanam gratiam, & gloriam aucuparemur, nunquam nos auditorum odiis exponeremus: sed, quæ illis grata fore putaremus, ea loqueremur.

Constat ergo, nos, nisi veritatem rebus omnibus prætulissemus, nunquam in hunc verborum campum descensuros: in quo, laboris plurimum, ac difficultatis: humanæ vero gratiæ minimum.

Ipsum itaque sanctum Spiritum, de quo nunc nobis sermo instituitur, primum inuocantes, ita demum, quæ proposuimus, aggrediamur. Vtemur autem pro documentis, ipsis initiis fidei, & quæ ex eis assumpta, ac deriuata sunt, quantum in Deo, divinisque rebus, probationibus vti fas est. His etiam, quæ à catholicis Ecclesiæ Magistris dicta sunt.

Vt quoniam, quibus maxime rationibus ostendi possit eiusce quæstionis veritas, primum inquiris: deinde, quæ illis obiiciantur, exponi, ac deinceps vel obiecta refelli, vel quæ ambigua videantur, declarari postulas: eum & nos in sequentibus ordinem per omnia seruabimus. Ex quo, si prolixiores fortasse erimus, quam susceptæ brevitatis ratio poscebat, necessitati indulgendum erit. Hinc autem initium sumemus.

MANVELIS CALECÆ LIBER PRIMVS, CONTRA GRÆCOS DE Processione Sancti Spiritus.

CVM Dominus noster Iesus Christus discipulis dixerit: [Marc. ult.] *Euntes in mundum vniversum, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, non modo aliquis est in nominibus ac rebus sanctæ Trinitatis ipsius Patris, & Filij, & Spiritus sancti, qui necessario, ac semper in se ipso idem sit ex ipsis nominibus insinuatus: atque

A

De ord. in divinis lege Greg. de Valent. 2, de Trinit. cap. 4.

vt se ad invicem habent secundum pronunciationem ea nomina: ita etiam ad invicem divinæ personæ ordinatæ sint? quem ordinem servantes, atque honorantes, necessario immota etiam hæc nomina proferre debeamus, nihil ex tradito nominum ordine, ac positione immutantes, si velimus nobis ipsis in confessione rectam Trinitatis servare rationem? An ordo ille nullus est, eaque nomina temere posita sunt: atque in nostra potestate est, vt illa proferre velimus, ita vt nullo servato ordine patris nomen aliquando præponere aliquando item postponere liceat: aliquando item Spiritum præferre Filio? quasi etiam divinæ illæ personæ, quæ nobis his nominibus insinuantur, inordinate se ad invicem habeant, atque alias aliter.

B

Lege en p. Parisiensi edit. Anno 1603 Ad Ancillas Dei fol. 765. Mat. 28

Et quoniam, quæ proponimus, Sanctorum dictis, ac sententiis adstruere, ac firmare instituimus, adsit nunc Magnus Basilius, nosque quid hic sentiendum sit, doceat. Ait enim in Epistola ad Canonicas, cuius initium est, *Quanto nos mærore confecerit prius fama subtristior, quæ auribus insonuerat nostris. Spiritus autem S. Patri quidem, & Filio connumeratur: quia & supra creaturam est: tertius autem ordine locatus est, sicut ex Evangelio docemur, dicente Domino: Euntes baptizate in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. Qui autem illum vel præponit Filio, vel Patre seniorem dicit: hic reluctatur quidem Dei ordinationi, atque à sana fide alienus est, non eum, quem accepit, glorificationis modum servans, sed sibi vocum novitatem ad placendum hominibus excogitans.*

Et paucis interpositis, veluti concludens ait: *Itaque fidei abnegatio est, æque enim impium est illum & ad creaturæ ordinem deducere: & Patri, aut Filio, tempore, vel ordine præponere.*

*Ita vocat Caleca lib. 5 R f. contra Eunomium ex quorū primo hoc test. petitum est.

Idem in * primo lib. quæstion. cuius initium est: *Siquidem omnes vellent:* cum præsupposuisset, duplicem esse ordinem: naturalem alterum: alterum inventum: atque naturalem quidem, sicut est creaturarum ordo Conditoris ratione instituta, numerique locatio, causarumque ad causalia habitus: Inventum vero, atque artificiosum, sicut in artibus, & disciplinis, ac similibus, adiecit: *Horum ergo prima suppresso, Eunomius, secunda speciei ordinem memorat, dicitque: non oportere in Deo dici ordinem: cum ordo secundus ab ordinatore sit. Illud autem vel non vidit, vel sciens, prudensque præteriit, esse ordinis speciem, non ex nostra positione constantem, sed ipsa naturali consequentia contingentem: sicut igni, ad eam, quæ ex se manat, lucem. In his enim primum causam dicimus, secundum quod ex eo prodit, non intervallo ista ab invicem disseparantes, sed cogitatione prius causam nobis, quam causali fingentes. Quomodo igitur fas est ibi negare ordinem, vbi secundus, & tertius est: non ex nostra positione, sed ex naturaliter insita consequentia? Cuius ergo rei gratia ordinem in Deo recipi abnuit? arbitratur, si efficere, atque demonstrare possit primum in Deo nullo modo alio intelligi posse, reliquum iam sibi fore substantia ipsius inæqualitatem atque eminentiam ostendere; Nos autem eo quidem ordine, quo causa, manantibus ex se rebus, præponuntur: Filio Patrem præpositam dicimus, natura autem differentia negamus.*

C

Eunomius negabat ordinem esse in divinis.

* L. 3. contra Eunomium.

* Idem in tertio quæstionum: *sicut enim Filius ordine quidem secundus à Patre, quia ex illo est & dignitate: quoniam initium, & causa illius essentia Pater est: & quia per ipsum accessum habemus ad Deum, & Patrem, natura vero non iam secundus est, quia Deitas in vtroque vna, ita scilicet, & S. Spiritus, etsi Filio subiicitur ordine, & dignitate non tamen aliena, sed vnius eiusdemque naturæ cum Patre, & Filio omnino est.*

D

Non extat hæc Epist. in Par. ed. ita.

Item in eodem: *Cum ipse Dominus ordinem tradiderit baptismi salutaris.*

Idem in epistola ad Eustachium, cuius initium est: *Eos quidem, qui præventi sunt alia fidei confessione,* sic ait: *Oportet autem & eos fugere, qui eam consequentiam, quam nobis tradidit Dominus immutant. vtpote, qui aperte contra pietatem pugnant: & Filium quidem præponunt Patri, Filio vero Spiritum S.*

E

Idem vero in Epistola ad Greg. fratrem, cuius initium est: *quoniam multi commune substantia: Qui vero Spiritum cogitat, ipsumque in se ipso intellexerit, & Filium vna cogitatione comprehendit. Qui autem hunc mente suscepit, à Filio Spiritum non divisit: sed consequenter quidem secundum ordinem: coniuncte autem, secundum naturam trium in se ipso personarum fidem iuxta identitatem commiste formavit. Et qui Spiritum dixerit solum, eum quoque cuius est Spiritus, ea confessione comprehendit. Et quoniam Christi est Spiritus, atque ex Deo, sicut ait Apostolus: veluti ex catena, qui vnam summitatem comprehenderit, alteram simul attraxit ita, & qui Spiritum trahit, per ipsum, & Filium, & Patrem simul trahit. Et Filium qui veraciter acceperit: habebit vtraque ex parte, hinc ipsius Patrem: hinc Spiritum S. consequentem. Neque enim sectionem, aut divisionem cogitare licet, vt aut Filius sine Spiritu intelligatur, aut Spiritus à Filio dissepararetur.*

F

* ἀγκυρωτός. Ancoratus.

* Hoc est, personam: nam in Græco est hypostasis.

Gen. 24.

S. quoque Epiphanius in quodam opere suo, quod appellant * *anchoram, tertium lumen,* tertiamque à Patre, * substantiam Spiritum S. appellat.

Sed & D. Chrysostomus in quodam sermone suo super illud dictum Abrahæ *Pone manum tuam super femur meum,* ait: Itaque divinarum quidem personarum discretor ordo sanctis cognitus fuit: qui vero naturas in sancta Trinitate discerneret, omnino reiiciendus.

Theologus quoque Gregorius, in secundo sermone suo od Lumina, de S. Trinitate sic ait: *Velut in tribus contiguis solibus* vna est collatio luminis.

Posito igitur vnum esse, ac tria Deum: & altero ex his quidem de essentia, & vnitate substantiæ concesso: de altero, videlicet de Trinitate hypostaseon, seu personarum, de earum ad invicem ordine, ex his, quæ dicta sunt, videamus.

G

De hoc ordine multa S. Epiph. in Ancorato.

Quoniam itaque magnus Pater Basilius Eunomium insimulat, ordinem in Deo pie non recipientem, Quippe hunc abnegare, irrationabile esse arbitratus: atque eum quidem, qui circa traditionem nominum immutat ordinem, novitatis vocum appellat *inventorem*, eumque Dei ordinationi resistere asserit, ipsum Dominum hunc tradidisse ordinem dicens: *Qui autem Spiritum* Patri præponit, aut Filio, eum à sana doctrina alienum denunciat: quippe novitatem introducentem circa divinarum personarum ordinem: hanc autem ipsam novitatē, atque immutationē ordinis, habere abolitionem divinarum personarum, totiusque fidei abnegationem esse docet: nihilque differre, verum Spiritum S. ad creaturæ ordinem redigas: an ipsum Patri, vel Filio in ordine præferas. Tertium enim, inquit, in ordine locatum esse in Evangelio à Domino docemur: Constat profecto ordinem esse in S. Trinitate, secundum quem prima quidem persona Pater est: secunda Filius, tertia, Spiritus S.

Et quia non solum Patri Filius, & Spiritus S. verum & sibi invicem iunguntur: id autem de his dicitur, in quibus ordo est, & quæ ex se invicem pendent, nullo medio intercedente, omnino ordinem ad invicem personæ habent.

H

Sed & is, qui catenæ Trinitatem comparavit, liquet quia medij ad primum, & tertij ad medium ordinem reddidit, quo circa ait: qui Spiritum cogitat, & Filium vna cogitatione comprehendit: &, qui Spiritum dixerit solum, eum quoque, cuius est Spiritus, ea confessione comprehendit. Et, qui Filium suscepit, à Filio Spiritum non divisit. Neque enim licet aut Filium sine Spiritu intelligi, aut Spiritum à Filio disparari. Quæ, nequaquam ita se haberent, nisi Filius, & Spiritus sanctus ordinem ad invicem haberent, secundum quem, alter referretur ad alterum. Nam in his, quæ soluta sunt, & quæ simpliciter absque vlla relatione, & ordine se ad invicē habent, non cogimur alterum cogitando alterum quoque cogitatione complecti. Id quippe illorum solum est, quæ ordinem ad invicem habent: secundum quem necessario etiam simul cogitantur.

Ex

S. Athan. Epist. ad Serapion.

Ex quibus constat, quia non Pater solus ad Filium, seu ad Patrem Filius ordinem habet, sed etiam Filius ad Spiritum sanctum. Hoc & Beatiss. Athanasius apertissime in epistola ad Serapionem de Spiritu S. posuit: *Eundem, inquit, ordinem, ac naturam habet Spiritus ad Filium, qualem ad Patrem Filius.*

S. Basil. ad Amphiloc.

Magnus quoque Basilius in XVII. ad Amphilochium scribit: *Sicut igitur habet Filius ad Patrem: ita & ad Filium Spiritus, iuxta eam, quæ nobis in baptismo traditur, verborum connexionem.*

Constat igitur ex his, quæ dicta sunt, in S. Trinitate personarum divinarum ad invicem esse ordinem. Qui enim Filij, & Spiritus ad Patrem ordinem tollit, Filij autem, & Spiritus ad invicem confundit, ordinis bonum Deo ex dimidio tollit. Bonum enim ordo est, atque ordinatum esse. Quia enim in his, quæ sunt ordin. præclarum quiddam, & optimum est, quod & cœlestia simul, & terrena continet: omne autem optimum à Deo manat: multo autem magis in Deo, velut in principali causa, bonum illud excellentius inesse intelligendum est. Nam, vt ait D. Dionysius in lib. de divinis nominibus: *Quæ in causalibus sunt perfectiones, eas in causis ipsis longe potius, ac prius inesse manifestum est.*

D. Dion. l. de divinis nominib.

Quis vero iam adversus tam eximios Ecclesiæ Magistros contendere præsumat, aperte in Deo trium ad se invicem personarum ordinem eicientes? itaque licet quidem absolute, ac simpliciter, cum ita tres personas numeramus, tertiamque solam insinuare volumus, aliam præponere, aliam subiicere, vt est illud Apostoli, *Gratia Domini nostri Iesu Christi, & Charitas Dei, & Patris, & communicatio S. Spiritus*: aut quomodocunque aliter. Porro volentibus divinarum personarum nomina, eo ordine pronuntiare, quo æterne, ac semper similiter ad invicem habent, & quo Trinitatis perfectio designatur, nulla ratione conceditur. Quocirca Mag. Basilius in * 4. quæstionum ait: *Non tamen quia primo hic Sancti Spiritus Apostolus meminit, secundo Filij, tertio Dei & Patris continuo putandum est perversum, aut immutatum esse ordinem. Ex nostro quippe more initium sumpsit. Quando enim dona suscipimus, primo distribuenti congredimur: deinde mittentem concipimus animo, tum ad ipsum bonorum fontem, causamque cogitatione convertimur.*

2. Cor. 13

* L. 4. contra Eunom.

Quod si ex more nostro initium sumentes, primo meminimus Spiritus, à quo in nos munerum largitas manat; deinde Filij, ac tertio per Filium ad patrem tendimus: liquet, quod illic incipientes, primo patris, deinde Filij ac tertio Spiritus Sancti, secundum Trinitatis proprium, ac sempiternum ordinem meminimus. Itaque, si quem sacerdos baptizaret, atque ita baptizans pronuntiaret. *Baptizo te in nomine Patris, & Spiritus & Filij*, Ecclesia huiusmodi baptizatum, quasi baptismo consecratum, nunquam admitteret: eo quod non iuxta Domini traditionem baptizatus esset: secundum quam dominum, ac rectum Trinitas, Patris scilicet, & Filij, & Sancti Spiritus, vt se ad invicem habet, tradita est nobis, quam immutare non licet. Quippe eos, qui immutarent S. Basil. cavendo monuit, vtpote pietatem aperte oppugnantes: &, neque in Trinitate baptizantes, neque hanc iuxta Domini traditionem confitentes. Apparet id quoque ex ordinem, quo naturæ discernuntur, vt Eunom. volebat; in S. Trinitate Sanctos omnino abnegare: eum vero quo personæ discernuntur, secundum quem * *causa*, atque *causale* cum coæterno, & consubstantiali inducitur, & docere, & vt pium, ac religiosum, amplecti, ac suscipere, neque idem cuncta idem asserere, atque denegare.

Observa hanc opinionē Calecæ de for. bapt.

* More Græcorum Patrum ac Scriptorū *causā pro principio* usurpat.

Præter hæc autem, quæ dicta sunt, nequaquam esset Trinitas Deus, nisi tria invicem connecterentur, ac secundum ordinem suum unirentur: sed tria simpliciter, ac temere (quippe sublata unitate, quam ordo in multis efficit) inordinata essent, ac plurima, imo potius nihil. Neque enim vel tria, vel quatuor esse ullo modo possent, nisi Trinitas, vel quaternitas animo ante conciperetur. Quoniam igitur trium unam connexionem confitemur, sicut unam etiam essentiam, primoque loco Pater est causa, necesse est esse & tertium. Sublato quippe tertio, nec primum erit. In plurimis enim ubi primum est, necessario, quæ post primum sunt, connexionis serie ad primum referuntur. Atque hoc maxime in S. Trinitate, ubi trium unam fatemur connexionem.

Rursum, quoniam tertium à Patre Spiritum S. Doctores prædicant, profecto tertius non esset primo sublato. Tertium enim ideirco dicimus, quia refertur ad primum. Et hoc itidem non ita esset, nisi & primum ad secundum haberet ordinem. Alias quippe neque trium connexio esset, neque unitas: sed tria, ut diximus, simpliciter, ac temere inordinate se habentia, atque ab invicem disparata. Sed hoc his quæ à magistris Ecclesiæ dicuntur, communique confessioni fidei contrarium omnino est. Primum enim, & secundum, & tertium fatemur, unamque connexionem S. Trinitatis, eaque sibi invicem coniungi, & connecti serie, supra iam dictum est. Hæc autem aperte ordinem commendant. Liquet igitur ex his, quæ dicta sunt: quandoquidem ordo discreta significat; qui consubstantialis ordinem esse dicunt, eos in divinis peccare. Ita enim unitatem reddent potius, quam ordinem. Nam personæ tres, in quantum sunt invicem consubstantiales, iuxta eiusdem substantiæ rationem, unum sunt. Porro unius ad se ipsum, secundum rem, ordinem esse, impossibile est.

Præterea, & à Patre esse, ambobus commune cum sit, unionis potius, quam discretionis ad invicem causa est, nisi aliud aliquid adiiciatur. Quippe & omnes homines, eo ipso quidem, quod ex Adam originem trahunt, invicem uniti sunt: certis vero rationibus, & proprietatibus ab se distinguuntur. Ita utrumque ex Patre esse, dicere, satis non est ad exprimendum eum quem habent ad invicem, ordinem. Sed enim hypostaseon, seu personarum ad se invicem iuxta incommistam, atque inconfusam rationem, ordinem esse, dicere, irrationabile omnino est. Esse enim incommistas ad invicem, servantes sibi suarum proprietatum terminos, necesse est: neque enim alias ordo servaretur: non tamen ideo necesse est, incommistarum, in quantum incommista sunt, ordinem ad invicem servantes, nisi etiam habitus ad invicem quidam illis inesse videatur. Ex quo sane ordine ad invicem, & habitu, suarum etiam proprietatum termini confundi, miscerique non possunt. Quo etiam remoto, incommistum illud secundum se, inordinationis potius, quam ordinis fieret causa. Quærendum igitur in personis divinis, quænam sit ordinis earum ad invicem causa, quæ item incommistionis secūdum proprietates suas. Alias enim, præterquam quod nihil conficitur, imperitiæ quoque evidens argumentum est, causale quasi causam ponere. Igitur oportere quidem necessario ordinem in divinis personis immobilem fateri, neque esse in nostra potestate, ut libuerit, traditum immutare ordinem, eosque, qui immutant, ut quo aperte oppugnant pietatem, vitandos esse, satis ex superioribus ostensum est.

Quoniam vero unitatem, ac Trinitatem Deum confitemur, ac iuxta unitatem quidem neque ordo, neque processus, neque personarum numerus inspicitur: Vna enim res essentia est omnino indiscreta, unusque ad se ipsum secundum rem, ordo, aut discretio non est. Reliquum est, ut ordinem, numerumque personarum iuxta processus suos fateamur.

Duo omnino processus in Deo nobis traditi sunt. Alter, secundum nativitatem; alter, iuxta processionem. Deum quippe ex Deo nasci, Deumque itē ex Deo procedere, divinis literis docemur. At Filij quidem à Patre immediatum processum, S. Basil. in I. L. adversus Eunom. lib. ita commendat: *Initium quidem Patris nullumque horum medium.* Rursumq; in eodem: *Vt enim stulta est interrogatio in eo, qui sine principio, atque ingenitus est, superius aliquid quærere & hic in eo, qui sempiterne cum Patre est, nullumque habet medium inter se, & genitorem.*

Idem rursus in ea, quam supra memoravimus ad Canonicas Epistola: *Se enim Deo superior est Spiritus, non iam ex Deo est, si autem ex Deo est, quomodo an iquior est illo, ex quo est? At, ne unigenito quidem prior est, nullum enim inter Patrem, ac Filium medium est.*

Gregorius etiam Nyssenus in * 1. adversus Eunomium libro, sic ait: *Pater quidem sine Principio, atque ingenitus intelligitur. Ex ipso autem, iuxta contiguam rationem, inseparabiliter unigenitus Filius cum Patre simul intelligitur.*

* Exstat hic lib. Græce in Bibl. Bavarica.

S. item Cyrillus in 1. * Thesaurorum ait, *Gignit Filium Pater nullo medio.*

* Alii lib. istos vocant Thesaurum.

Idem super Evangelio Ioannis, cum id verbum exponeret, *hoc erat in principio apud Deum*, ita ait: *Esse autem cum Filio Patrem intelligimus, propter substantiæ incommutabilitatem: atque ideo, quod omnino contiguus sit, nullo medio, ei, quod ex se naturaliter processit.*

Magnus idem Basil. in * Epist. ad Gregorium fratrem de differentia essentiæ, atque * substantiæ, ait: *Filius autem solus, qui unigenitus de ingenito effulsit lumine, nullam iuxta proprietatem personarum communionem habet ad Patrem, vel ad Spiritum sanctum.* Gregorius item Nyssenus super oratione Dominica; in eo tractatu, qui incipit: *Umbra continens futurorum lex, Unigenitus, inquit, Filius ex Patre à S. Scriptura nominatur; atque hactenus eius proprietas fertur.*

* Est Epist 43. in edit. Paris.
* Græce est ὑποστάσεως. Quo potius terminū vel personæ vocabulum adhibendū ut vitetur æquivocatio.

S. quoque Anastasius Antiochiæ Episcopus * in lib. suo de dogmatibus, cuius initium est: *Salubris fidei nostra rationem*; ait: *Spiritus, ut dixi, dicitur Deus, & sanctus Deus. Hæc autem ambo composita nomina ei congruunt; qui proprie Spiritus sanctus appellatur, sicut & Patris vocabulum causæ; & Filij, ei, qui ex causa nullo medio prodit, accommodatur.*

* Ex oratione eius, quinque de recta fidei dogmatibus quæ exstant tom 1. Bibl. ss. PP. citat enim Gen. sect. 5.

Ita igitur Filij ex Patre processum, nativitatem scilicet immediatam discimus, secundum quam & unigenitus, & solus de solo dicitur, personalemque suam, ac substantialem proprietatem hinc accipit, quod & genitus est, & à Patre, Spirituque distinguitur. Quippe hanc eius propriam agnitionem nobis magistri tradiderunt, quod solus ipse unigenitus de *ingenito lumine* prodeat. Dictum est enim veritatis terminum, & rationem hactenus illi proprietatem sistere, ut scilicet immediate, & continenter, ac genite ex Patre sit, ulterius autem nullatenus progredi. Quippe cum & Spiritus ex Patre quidem sit, nec tamen hactenus processus illius proprietas, atque agnitio subsistat.

Dictum est autem, & Filij vocabulum ei proprie congruere, qui sit ex Patre, nullo interiecto medio. Quanquam præter hæc, & Patris, & Filij nomen habitum ad invicem, ac relationem individuam reddit. Aliud enim causam, aliud vero causale commendat. Atque ista quidem ita se habent de Filio.

Sancti vero Spiritus processum à Patre per Filium esse didicimus: ex quo videlicet constat, quia non sine medio ex Patre prodit. Ait enim Gregor. Nyssen. in libr. quem ad Ablavium scripsit, cuius initium est: *Iustum quidem fuerat, vos, qui omni virtute polletis, pugnare*, sic ait: *Immutabilitatem naturæ confitentes, causæ ad causale differentiam non abnegamus; in quo solo alterum ab altero distingui intelligimus: quia, alterum quidem, causam esse; alterum vero, ex causa credimus. Atque eius quod ex causa est, aliam rursus differentiam agnoscimus. Aliud enim est, quod ex primo continenter manat: aliud, quod per hoc ipsum ex primo prodit, ita ut unigeniti nomen absque ulla ambiguitate Filio maneat; & ex Patre Spiritum esse, dubitandum non sit; cum & Filij meditatio, ut ita dicam, & sibi unigeniti honorem servet, & Spiritum naturali ad Patrem habitu non excludat.*

Vide Bell. l. 2. de Christo c. 25. ubi hoc testi. profert & explicat. & Gen. pro Cōc. Flor. sect. 3.

Quoniam igitur Theologia nostra duplex est, unita scilicet, atque discreta. At illa quidem secundum unius essentiæ unitatem, hæc autem iuxta personalem processuum distinctionem: unum quidem Deum incommutabilem in se ipso, atque indiscretum secundum essentiam, aut naturam confessus, unius enim ad se ipsum, nulla ut dictum est, secundum rem, discretio esse potest; cum deinceps, ut sese ad invicem habeant personæ divinæ ratione processus enucleare vellet; in *causam*, & * *causale* primo discrevit. Causam, Patrem; causale vero communi appellatione Filium, ac Spiritum vocans, quæ etiam, ex causa, appellat, atque solum iuxta causam & causale, divinas distingui personas.

* Causatum.

Deinde, cum causalia hæc, Filium & Spiritum sanctum causæ, causalique ratione communiter à Patre discernerent: quippe cum causalia sibi invicem communicent: hæc rursus ab invicem distinguit varietate processus, atque ita ferme ait: *Et si enim ambo à Patre cum sint, eo invicem communicent, quod causalia sunt; inde tamen differenter esse habent. Quocirca aliam rursus horum differentiam agnoscimus.* Denique horum alterum, videlicet Filius ex primo, id est, ex Patre continenter est: alterum, videlicet Spiritus, per hoc ipsum, quod ex primo continenter est, id est, per filium, qui ex Patre, nullo interiecto medio, esse habet: Primum quidem, utpote causam, Patrem nominans, quod autem *contigue* vel *continenter*, pro eo, quod est immediate, posuit: Spiritum vero, ex Patre per medium filium. Ut Pater quidem, qui ex nullo est, eo ipso à Filio discernatur, & Spiritu, quod Pater ipse, atque initium sit: Filius autem ex illo immediate genitus, eo ipso discernatur; à Patre quidem, quod nascendo ex illo prodit: à Spiritu vero, quod ipse quidem immediate, & *incontinenter* ex primo: Spiritus vero per se ex primo manavit. S. autem Spiritus à Patre quidem distinguatur, quia ex ipso est: à Filio autem; quia non immediate ex primo est, ut Filius: sed per illum, qui continenter esset ex primo.

Vide & merito aliam dixit esse differentiam. Quod enim immediate ex primo est, quodque per medium ex primo, processus ratione differunt: quamvis causæ, causalisque ratione, processus differentia generaliter nequaquam differt.

At, ne forte quispiam ob hoc Filij medium, confusionem aliquam personalium proprietatum consequi arbitraretur; putaretque Filium naturali ad Patrem habitu alienum esse; non ait * sed hæc potius Filij mediatio, personarumque secundum processionum differentiam discretio, inconfusas proprietates servat, alias servari non valentes. Hoc enim ordine posito, etiam unigeniti honor indubitanter manet in Filio. Solus enim ex solo est, atque eius substantiæ proprietas hactenus fertur: Spiritusque per Filium connectitur Patri, quemadmodum & in omnibus, in quibus est series: extrema primis per media iunguntur: ideoque subiungit: Cum Filij mediatio, & sibi ipsi Unigeniti servet honorem; & Spiritum, naturali ad Patrem habitu non excludat. Atque ista quidem Nyssenus Gregorius.

* Aliquid videtur deesse.

Quæ vero secundo in Nicæa convenit, sancta synodus Universalis ait: *Credo in Spiritum sanctum ex Patre per Filium procedentem, ipsumque Deum esse agnitum.*

Id ipsum & S. Tarasius Constantinopolitanus Episcopus, qui eiusdem synodi pars magna fuit: in epistola, quam ad Episcopos, & Sacerdotes Antiochiæ, Alexandriæ, ac S. Civitatis scripsit: cuius initium est: *Plurimis, atque eximiis dispensationibus hominum vitam Deus, ac Dominus noster disponens, ac dirigens*: quæ & suscepta, & laudata est, ac per omnia, rite se habere, ex rescriptis eorum comprobata, post plurima ait: *Et in Spiritum sanctum, qui ex Patre per Filium procedit, ipseque Deus esse cognoscitur.*

Gen. sect. 5.

S. quoque Sophronius Hierosolymitanus Episcopus, expositione fidei suæ ait: *Credo in Spiritum sanctum, ex Patre & Deo sempiterne procedentem: qui & ipse lumen agnoscitur: & vere Patri, ac Filio coæternus est.*

Magnus item Athanasius, in eo libro, qui inscribitur reprehensio simulationis Meletij, & Eusebij, cuius initium est; *Homo ad similitudinem Dei factus est*, ita ait: *Esset autem impossibile, in Trinitatis maiestate spiritum glorificari: si non ex Deo per filium procederet, sed ex Deo factus, & creatus esset, ut heretici dicunt.*

S. quoque Basilius, quodam capitulo, cuius inscriptio est: *cur & Spiritus filij non filius est*, ait: *Non quia non sit ex Deo per filium: sed, ne Trinitas existimetur multitudo infinita, ac, sicut in hominibus contingit, filios eam ex filiis arbitremur.*

Item alio in loco, qui inscribitur: *Nisi quispiam Spiritum ex Deo esse dicit, ne Verbum quidem: Quonam*, inquit, *pacto separentur inseparabilia, verbum scilicet ex Deo, & spiritus ex Deo per Filium.*

Gregorius præterea Theologus virginitatis laudes versu heroico scribens: ita canit.

Spiritus æterno manat de lumine lumen
Per sobolem, unusquisque tribus splendor deitatis.

S. etiam Maximus, cum exponeret, quid sibi velit apud Prophetam Zachariam, candelabrum aureum: & quæ super illo erat, lampas ac lucernæ, ait: * *Spiritus sanctus sicuti naturaliter per essentiam Dei, & Patris est, ita etiam Filij, secundum essentiam, velut ex Patre essentialiter per Filium genitum ineffabiliter prodiens.*

Ioannes item Damascenus * in XIII. ipsius Theologiæ capitulo, cuius initium est: *Deus incomprehensibilis est*: ita de patre ait: *Ipse quidem est mens verbi, abyssus, verbi genitor, ac per Verbum splendifici spiritus productor.* Idem, in eodem: *Spiritus sancti paterna vis insinuativa arcani Deitatis, ex patre est per filium prodiens.* Ita igitur plurimorum testimonia docemur, Spiritum sanctum ex Patre, per filium procedere: hoc est ex patre non sine medio.

* Citat Berlaam, lib. 2. de Christo c. 25. sub § Gen nad. sect. 5
* In edit. B lib. est c. 15. l. 1. fidei or tho. ci at etiã Gen. sect. 3.

Quoniam ergo secundum processus variam rationem, personarum quoque varietas designatur: quippe Filij processus immediate Filium tradit ex Patre subsistere, atque immediate nativitatis ratione ex ipso habere substantiam: Spiritus autem processus per filium ipsum esse commendat: ex Patre enim per Filium procedere supra monstratum est: Processus autem vocabulum sancti Spiritus personæ proprium est: sicut etiam Nativitatis proprium Filij: Gigni enim, ac procedere, amborum personas insinuat: constat Spiritum sanctum ex Patre per Filium habere substantiam. Et illud simul constat, quod & immediate, & mediate, & continenter, & per eum, qui continenter est, ex Patre esse, differentes divinarum personarum processus insinuat, nasci que, ac per Filium procedere, substantialia Filij, ac Spiritus cum sint, personarum ipsarum, Filij scilicet, ac Spiritus proprietates sunt, quibus ad invicem, atque ad Patrem discernuntur. Quocirca genitus alius, procedens appellatur: sicut etiam quisque ex substantiali termino sui esse nominatur, atque hoc ipso à reliquis distinguitur. Quippe, unice ex Patre progredi, propriam Filij agnitionem esse, Basil. adstruit: atque hoc à Patre discerni & à Spiritu: eum scilicet per hanc proprietatem suam, nullam ad Patrem, atque ad Sanctum Spiritum communionem habeat: Et quæ in hanc sententiam prædicta sunt. Spiritus autem à Patre quidem, veluti à *causa causale* distinguitur: à filio autem: per causam, quam habet à Patre, per ipsum procedens: hac scilicet processus differentia: quod ille, immediate, atque continenter ex primo: hic autem ex primo quidem, sed per illum ipsum continenter manantem procedit.

Epist. 41.

Præterea Mag. Basilius, in ea, quam prædiximus ad Gregorium fratrem, epistola, manifestius de ipso ita loquitur: *Spiritus*, inquit, iste: *hoc habet indicium, & signum proprietatis suæ, quod post filium, & cum filio nascitur, atque ex Patre subsistit.*

Quem igitur plurimis in locis SS. Patres tertium tradunt, id est, à Patre tertium, à Filio secundum, iuxta personalem ordinem: cum hic iste post filium, & quem ex primo Nyssenus Gregorius manare dixit: iste apertius: *ex Patre*, ait. Quoniam vero ea particula, qua dicimus, Per: nullum illic temporis intervallum introducit: quippe temporales moculæ, nullum in æterna vita locum habent: quodque temporis ratione prius dicitur, inde penitus eliminatum est: idcirco, quod per filium dicitur, ob id dici potest, quia simul, & cum Filio est: tamen ob personarum discretionem ex processu ipso apparentium, quem satis, *per* particula commendat: dum neque simul tollit: & personarum ordinem eum processu Sancti Spiritus insinuat, alias indicari difficile valentem, à Theologia commodissime ea particula assumpta est.

Itaque quod Nyssenus ipsum ait ex primo esse per eum qui continenter manaret ex primo: hoc & Magn. Basil. itidem fatetur, quia enim ex Patre, atque post Filium est, aliter ita esse non posset, nisi ex primo per medium procederet. Sin autem ex Patre per Filium procedit: liquet profecto, cum personanali serie, tertium à Patre esse. Id autem est esse post Filium, vt Doctor inquit:

Nyss. lib. 1. con. Eunõ citat Gen nad. sect. 6.

Hoc ipsum Nyssenus idem lucidius expressit in 1. quæst. adversus Eunomium libro: *Spiritus*, inquiens, *Patri, ex eo, quod increatus est, iungitur: atque ab eo rursus, quia Pater, ut ille, non est, disparatur, coniunctione vero, quæ illi cum Filio ratione increati est: atque ex eo, quod substantia causam unam ex Deo omnium habet: ea, rursum proprietate distinguitur, quod neque unice ex Patre subsistit: & , quod per ipsum Filium prodiit. Rursus etiam, cum per unigenitum creatura subsistat, ne commune aliquid ad hanc Spiritus sanctus habere putetur: quia, & ipse per filium prodiit: illa [i]stabili, atque incommutabili ratione Spiritus sanctus à creatura discernitur.* Si igitur, id solum, quod vnice filius ex ingenito lumine est, propria illius cognitio est, qua à Patre, spiritusque distinguitur: id autem est ex Patre sine vllo medio esse: Spiritus autem sanctus à Filio, ea proprietate discernitur, quod per Filium ipsum sit, atque procedit: constat profecto Spiritum sanctum ex Patre sine medio non esse. Id quippe est esse vnice ex Patre, quod Filij personæ proprium est. In eo enim, quod neque vnice ex patre, sed per Filium sit, propriam Spiritus agnitionem, Doctor esse ait.

Verum, quia vtrumque, & Spiritus scilicet, & creatura, esse per Filium dicitur, quomodo intelligendum sit, adiecto differenti processionum modo definivit. Sanctum enim Spiritum sine tempore stabilem, atque incommutabilem: quia per Filium naturaliter, & essentialiter, & iuxta insignem Athanasium, ex Deo procedendo, consubstantialis est Patri, ac Filio, creaturæque pariter conditor cum Patre, ac Filio, vtpote vnus creator: Creatura vero temporalis, commutabilis, atque variabilis est: per Filium enim fictionis, conditionisque ratione producta est, longissime à substantia Patris, & Filij, & Sancti Spiritus remota. *Vt enim*, inquit Damascenus: *Creatura postmodum non ex creatoris substantia est facta*: nullus itaque mente, ac ratione præditus, commune aliquid ad hanc habere arbitrabitur Spiritum sanctum: ex eo, quod dicitur, ipsum atque creaturam prodiisse per Filium: nisi quantum creata ad creatorem, & facta ad factorem communia sunt. *Stabili enim*, inquit, *atque incommutabili ratione Spiritus à creatura discernitur.* Nunc autem arbitrandum est, id, quod dicitur, prodiisse, vel manasse, æternam ante omnia secula substantiam Sancti Spiritus non significare. Primum enim cum docere institueret, quo pacto Deus Trinitas in se ipsa personaliter ante secula distingueretur: non quomodo se haberet ad creaturam, hoc dixit. Atque vtinam sic, vt hic, quod dicitur prodiisse in creatura, subsistentiam ex Deo, creaturæque essentiam aperte significat: ita & in Spiritu sancto, cum dicitur: eius ante omnia secula processum commendat: atque eo magis, quo etiam æterne per filium & esse, & prodire, ac procedere à Theologis asseritur. Deinde magistros item audire fas est, vt hoc, quod dicitur, prodiisse, æternos processus Filij, Spiritusque commendat, quod in sequentibus probabitur.

Gregor. Theologus in sermone de Spiritu sancto sic ait: *Emanationis, habitusque ad invicem differentia, appellationis quoque illorum differentiam fecit*, Hic emanationẽ idẽ intelligi voluit, quod processum. Processiones autem differentes sunt nativitas atque processus. Recte ergo dictũ est Differentes processiones personarũ id efa fecisse: vt aliud genitũ, aliud procedẽs, & sit, & dicatur,

Essoint. 5 de Theologia.

Liquet igitur ex his, quæ dicta sunt, idem esse, cum dicimus; Filium esse & vnigenitum, & sine vllo medio ex Patre, genitumque esse, seu personam, ex persona gigni: idemque esse, cum dicimus: spiritum esse, & procedere: atque ex primo per medium esse: &, ex Patre per Filium procedere: neque sine medio, neque vnice esse, neque continenter ex primo. Hæc enim contra eundem dicta convertuntur. Quæ enim persona in S. Trinitate Filius est, hæc sine medio, & continenter ex primo est. Et, quæ genita, hæc vnigenita est. Rursum, quæ procedit, hæc spiritus est: & quæ mediate, hæc non continenter: quæ autem non continenter: hæc non genita, sed procedens est. Porro, quæ per filium procedit ex patre, ea non Filius est. Hæc namque Nativitatis definitio est, ex primo immediate prodire. Processionis autem, ex primo per medium.

Et quoniam divinarum personarum subsistentiæ æternæ, atque immutabiles sunt: semper enim erat Trinitas Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus definitiones etiam personalium * substantiarum, ipsæ * substantiales earum proprietates prorsus æternæ, atque incommutabiles sunt. Et illud idem constat: quia, si tollantur processiones, proprietates etiam, ac personæ simul esse desinent. Nam, si nascendi quidem, aut geniti ex primo esse absque medio, ratio, ac definitio est: procedendi vero, seu procedentis, per filium esse: omnium autem verum est, sublatis definitionibus rerum quibus illæ subsistunt, & illas simul auferri. Nam qui rationale homini tulerit, esse simul hominem abstulit.

* Ὑποστασ.
* Hypostaticæ.

Et hinc liquido constat, sublatis geniti, ac procedentis rationibus, huiusmodi ablatione, nativitatem ac processionem tolli, simulque etiam, Trinitatem, Deum esse. Ex quibus hoc etiam conficitur, vt qui ex Patre solo procedere Spiritum sanctum asseverat, necessario illum, ex Patre esse sine medio confiteatur. Porro huiusmodi confessione proprietatem substantiæ illius, ac personam illius esse in S. Trinitate vna tollet. Atq hinc neque tertium à Patre secundum sanæ fidei rationem, ac traditionem SS. Patrum confitebitur. Ita nihil prohibebit etiam Filium esse confiteri Spiritum sanctum, sine medio ex Patre procedentem. Filij quippe appellatio secundum Theologos, ei proprie congruit, qui sine medio ex patre est. Ex quo sequitur, vt quod illinc sine medio est, Filius sit. Proprietatem enim filij eam esse deprehendimus, ex patre esse sine medio, quod eum etiam genitum facit: sicque personalium proprietatum confusio erit: & aut duo filij ex patre erunt ambo sine medio: atque ideo neuter primogenitus: aut duo Spiritus sancti. Quæ enim vigeat necessitas, & distributio, si sint ambo ex patre sine medio: aliam personam esse filium, aliam Spiritum sanctum: ac non potius vel duos filios esse in S. Trinitate, vel duos spiritus.

Præterea, neque * habitus vllus Filij, ac Spiritus ad invicem esse diceretur, neque haberemus qua proprietate, seu confessione, Filium à Spiritu distingueremus. Ex quibus sequeretur necessario, vt ne Trinitatem quidem confiteremur esse Deum: sed tria simpliciter, ac solute seorsum singula. Quippe sublato ordine, primum, ac secundum, & tertium non diceremus: sed, vnumquodque primum, essetque convenientius, ac magis proprium, *Dualitatem*, Deum dicere Patrem scilicet, ac Filium, vel Patrem & spiritum: eoque Pater causa illorum sine medio, eademque ratione esset, ordinemque solum causæ, ac causalia simpliciter haberet.

* habitudo.

Esset præterea indifferens numerare Patrem, & Filium, & Spiritum, sive Patrem, & Spiritum, & Filium: imo, sicut Spiritus Filij dicitur Spiritus, & imago, naturalisque, & viva virtus, & operatio, & quæ in sequentibus dicentur: ita etiam Filius, Spiritus Filius æquabiliter, atque indifferenter secundum hæc omnia à sacris literis, sanctisque Patribus diceretur. Nam si similiter se ad invicem haberent, æque scilicet ex Patre sine medio subsistentes, sibique invicem consubstantiales: & nomina profecto simili ratione ex altero ad alterum converterent. Quæ enim consubstantialia sunt, ac sibi coæqualia convertuntur ad invicem. At, hoc minime hactenus inventum, imo omnino interdictum est. Namque Gregorius Nyssenus * super oratione Dominica, sic ait: *Filius autem sancti Spiritus neque est neque dicitur*, neque convertitur habitualis hæc, vt ita dicam, consequentia.

* Extat inter opera Nysseni.

Præterea absurdum est, ex solo patre putare esse Spiritum sanctum, ac eundem per filium procedere. Hæc enim apertissime sibi invicem contraria sunt, ac se invicem destruunt. Nam quod dicitur per Filium, mediante Filio, esse dicitur: quod autem ex solo, sine medio Spiritum ex Patre procedere significat. Sed ista, postea videbimus.

Illud modo ex his, quæ supra diximus, ostensum est: quod hi, qui propter pronuntiationem nominum, suæque mentis præsumptionem, id quod dictum est, per filium procedere Spiritum sanctum, non proprie, ac substantialiter dictum exponunt, solisque verbis divinarum ad se invicem, personarum ordinem esse asserunt, peccant. Aiunt enim; *quoniam prima persona, Pater scilicet, & Pater, & productor dicitur: & Filius quidem ad Patrem secundum ea, quæ ad aliquid dicuntur, convenienter redditur: Filium enim dicentes, & Patrem vna intelligimus. Spiritus autem, etsi à Patre esse dicitur, ad productorem tamen proprie, ad Patrem autem improprie refertur: cum Pater etiam productor sit, & intelligatur. Est enim idem, & Pater, & productor.*

His autem ita positis, ita inferunt: *Itaque quandoquidem spiritum ex patre dicimus: quoniam patrem dicentes, & filium vna intelligimus: idcirco dicitur spiritus per medium Filium, atque per filium ex patre procedere. Cum autem rursus primum productorem dicimus, eadem ratione, quoniam productorem dicentes, vna etiam id, quod productum, cogitamus: si quando Filius ex productore dicatur, tunc Filius per medium spiritum, seu productum ex productore esse proprie dicetur, quippe producti nomen propter productorem intelligitur primum: atque consequenter Filium ex productore per productum nasci. Nihil enim prohibet*, inquiunt, *etiam hoc dici: sine medio scilicet Spiritum ex Patre, quasi ex productore procedere: Filium vero ex productore, qui & pater est, per spiritum nasci.*

Sed liquet profecto, eos, qui spiritus per filium processionem ita pervertunt, Trinitatis ordinem tollere, confusionemque proprietatum personalium, sublatis item personis, introducere. Liquet simul eos SS. Patribus, Ecclesiæ magistris, repugnare, dum sine medio spiritum ex patre esse volunt: spiritumque filio præponunt: nihilque prohibere dicunt, etiam filium ex productore per productum nasci: ex quo filium secundum ordinem tertium à patre confitentur: putantes se propter pronuntiationem nominum, eorumque intelligentiæ subtilitatem, vt voluerint, divinum etiam, & æternum, atque immobilem mutare ordinem posse, quod, neque in creaturis fieri, possibile est. Neque enim in his, si causale causæ prætulerimus in ordine: ac, de calore differentes, ignis primo mentionem fecerimus, iam etiam continuo calor ignis causa erit, aut solis radios, neque dictionis nostræ gratia, res etiam suum ordinem immutant. Sed ita isti nimium inepti, & garruli ratiocinatores sentiant.

At vero SS. Patres ordinis istam novitam, ipsius substantiæ privationem, totius Fidei negationem esse aiunt: Eunomiumque causantur, quod ordinem in Deo non suscipiat: eumque, qui immutat substantiam, Dei ordinationi refragari definiunt: ipsum Dominum tradidisse ordinem in salutaris baptismi traditione asserentes, secundum quem, alia ex personis prima: alia, secunda, alia tertia personali ordine est: nihilque differre aiunt, vtrum quis Spiritum sanctum ad creaturam deducat, an illum filio, vel patri præferat, non solum temporis ratione, sed ordinis. Quocirca rite * magister eos fugiendos ait: qui & ordinem, quem tradidit nobis Dominus, immutant: vt qui manifeste veritati reluctantur: & filium præferunt patri, vel filio præponunt Spiritum sanctum.

* S. Basil.

Quamquam

Quanquam iuxta superiorem ratiocinationem, quoniam per filium omnia facta scripturæ sanctæ inducti auctoritate credimus: Filium vero cum dicimus, Patrem quoque vna intelligimus, nihil prohibebit dicere, à filio per patrem creaturas magavisse: vt necessario iam, & pater filij, & spiritus medius sit. Et quoniam à filio Paracletus mitti perhibetur: Filij autem mentionem facientes, mente simul & patrem comprehendimus: eadem ratione, & per patrem mitti spiritus dicetur. Atque idem ferme erit, ac si quis architecti cujuslibet filium, ex architecto per domum diceret natum: quia architectus ad domum refertur. Nam simul atque architectum cogitaveris, & domus simul occurrit.

Id autem illorum absurditatem in primis arguit, quod Theologi secundum ea, quæ supra exposuimus, aliquando ex Deo per verbum, aliquando per filium ex Deo spiritum esse ajunt. Nam si hujusmodi ratiocinationem veram esse arbitrarentur, cum dixissent, per verbum, nunquam ex Deo dicerent: sed per verbum, ex mente. Verbum quippe, juxta rationem nominis, non ad Deum; sed ad mentem refertur. Per filium autem, cum dicerent, nunquam adiecissent, ex Deo per filium, sed per creaturam. Hujus quippe Deus, Deus est: imo vero neque id quidpiam prohiberet dici Filium ex Deo per creaturas nasci. Deus enim ad creaturas refertur. Idem autem Deus, & pater filij esse intelligitur. Sed hujusmodi nugas, atque ineptias absit, vt doctoribus sacris, vnquam in mentem venisse putemus: ne magis sophistas illos quam magistros pietatis ostendamus, alia per alia dicentes, atque ex ea parte nostram intelligentiam obnubilantes, quos oportebat obiecta elucidandi magistros esse, vt re vera sunt. Neque sane nobis expedit, quæ ab illis aperte, & vtiliter dicta sunt, perverse accipere: ex quo & illis irrogamus injurias, & nobis ipsis dispendium salutis acquirimus.

Certe lucidius promendæ veritatis magistri aliis cum essent, dixissent vtique, si ita veraciter esse putavissent: Spiritum ea Patre per filium dici tantummodo, non tamen esse, ac procedere. Quoniam vero id non dixerunt, expositionem hujusmodi omnino reiecisse comprobantur. Nempe & Damascenus de patre ait; *Ipse quidem est mens verbi abyssus, verbi genitor, & per verbum spiritus productor.* Dicere igitur secundum illos debuerat, verbi commentator, tacito *genitoris* nomine. Verbum enim ad mentem refertur, non ad genitorem. Oportebat item, cum productorem spiritus per se solum dicere, suppresso, quod ait, *per verbum.* Spiritus quippe ad productorem refertur. Nunc vero, quando productorem per verbum, ait: Verbum autem, neque ad patrem, neque ad productorem relativum est, solamque refertur ad mentem: omnem profecto hujusmodi curiositatem, vt maxime ridendam, ac perniciosam resecat.

Dam. l. 1. fidei ort. c. 5.

Præterea vero, & quod dicitur, proprie: & non proprie: & quod secundum se & Accidens in divinis personis habebis locum. Proprie enim quod dicuntur & secundum se, ad Accidens opponitur. Insuper, & quod à patre, non proprie spiritum esse asserunt, à patre vtique non discernerent. Sed ista, vt diximus, intelligentiæ Theologorum omnino adversantur: qui monumentis suis divinas personas discreverunt. Quod ergo jam dictum est, constat ex his, quæ prædiximus: qui ordinem tollit, eum ipsum quoque personarum processum, ac per consequens, personas etiam ipsas sustulisse. Nam secundum processus sui rationem: alia quidem sine medio procedit ex patre: alia vero per medium Filium ex patre, esse habet: liquet profecto, sublatis * substantialibus processibus, personas quoque simul auferendas: neque jam ordinem vllum, neque Trinitatem nobis reliquam esse. Quocirca rite dictum est, ordinis ejusce novitatem, ipsius esse substantiæ abolitionem, totiusque fidei abnegationem.

* Hypostaticis.

IV.

Neque vero ista solum, quæ diximus, ordinem in S. Trinitate commendant, personarumque processum, per quem Filius quidem sine medio, ex primo est: Spiritus autem sanctus ex primo per medium: sed ex alijs plurimis, quæ à magistris dicta sunt, discimus & Filij mediationem, & Sancti Spiritus naturalem, essentialemque processum.

Magnus quippe Athanasius, in 3. contra Arianos libro, cujus initium est: *Qui Arij sectantur insaniam, vt intelligi datur, decreverunt semel Apostata fieri, transgressoresque veritatis*: ita ait: *Non spiritus Verbum coniungit patri, sed hoc à Verbo potius accipit Spiritus.* Et post pauca: *Quia enim Verbum in Patre est: Spiritus autem ex verbo datur, ideo nos vult accipere Spiritum: vt, cum illum acceperimus, tunc habentes Verbi Spiritum, quod est in Patre, & nos unum fieri in Verbo propter Spiritum; ac per ipsum in Patre videamur.*

Idem in Epistola ad Serapionem de S. Spiritu quæ incipit: *Litera sacri in nos affectus tui, mihi in eremo reddita sunt*, ita ait: *Ignorant, quoniam ut qui dividunt à Patre Filium, unum esse Deum tollunt: ita, quod à verbo dividunt spiritum: non iam unam in Trinitate Deitatẽ servãt.*

Idem rursus in alia, de S. spiritu ad eundem epistola, cujus initium est: *Fortasse miraberis: Non enim*, inquit, *extra verbum est spiritus, sed in verbo cum sit, in Deo per ipsum est.* Est post pauca: *Cum autem spiritus in verbo sit, liquet profecto, in Deo per verbum esse spiritum.*

S. autem Basil. in quodam capitulo, cujus inscriptio est: *Conglorificari cum Deo spiritum*, ait: *Quod autem in iisdem divinis operibus, Trinitas glorificatur, unius divinitatis testimonium certum est: quod neque sine filio pater operatur: neque sine spiritu filius.*

Idem in alio capitulo: quod inscribitur: *quod ex divina natura Trinitatis unitas insinuatur*, ait: *Nunquam fuit pater sine filio, neque sine spiritu filius.*

Idem in XVI. ad Amphilochium: *Vt igitur se habet ad patrem filius, ita & ad filium, spiritus, iuxta verborum connexionem, nobis in baptismo traditam. Quod si spiritus filio serie connectitur: pater autem filius, & spiritus, patri scilicet.*

Idem vbi supra: *Vnus autem & Spiritus sanctus uni patri per unum filium connectitur.* Et post pauca: *Est igitur iter ad agnitionem Dei ab uno spiritu per unum filium, ad unum patrem, atque è converso: naturalis bonitas, naturalisque sanctificatio, ac regia dignitas, ex patre per unigenitum ad spiritum penetrat. Ita & personæ consentiunt, atque unici principatus pium dogma non decidit.*

Damascenus in IV. Theologicorum ipsius capitulo: *Deus, inquit, Spiritus Sanctus est medius ingeniti, ac geniti: & per filium patri connectitur.* Si igitur per hæc omnia filij in S. Trinitate mediatio elucet, quomodo sine medio ea patre spiritus est, aut quomodo qui sine medio asseverant spiritum à filio non dividunt? Quomodo vnam in Trinitate deitatem se servare confitentur? Quomodo secundum illos, extra verbum Spiritus non est? Quomodo id servare poterunt, quod dicitur: Neque Filium sine spiritu facere, sicut neque sine filio patrem? Quomodo non erit sine spiritu Filius? Quomodo sanctificatione naturali, & naturali bonitate ex patre per vnigenitum ad Spiritum sanctum pertingere, personas iuxta traditum ordinem confitebuntur, qui spiritum ea patre solo esse dicunt? Vnicuique principatus pium dogma, quomodo non illis decidet? Quænam vero necessitas, nunquam vel fuisse, vel fore sine spiritu Filium? Nam si sunt ambo ex patre sine medio, non ista magis de spiritu ad filium, quam de filio, ad spiritum dicentur? Si enim ista propter consubstantialitatem dicerentur: omnino illorum ad se invicem conversio fieret: quippe hujusmodi convertuntur: sed constat profecto, propter ordinem, atque habitum ad invicem ista dicta esse, secundum quem, personæ divinæ substantiam sempiterne habent, juxta processus differentiam, qui etiam immobilis est; quia, & substantia immobilis est. Idcirco etiam dictum est: Filius autem Sanctus Spiritus neque est, neque dicitur, neque convertitur habitualis ista consequentia.

Certa magnus quoque Athanasius in tomo, quem

ad Antiochenos scripsit: *Oportet*, inquit, *& eos anathematizare, qui asserunt; spiritum sanctum à Christi essentia divisum esse.* Qualiter igitur & qui spiritum creaturam esse sentiunt, & qui illum vtcunque alias dividunt, huic sententiæ obnoxij sunt. Sed dicendum potius, juxta Basilium, nullo modo fas esse vel sectionem vllam vel divisionem cogitare: quasi vel Filius sine Patre intelligatur: vel à Filio Spiritus disseparetur: neque decere penitus, vt aut Pater sine Filio, aut sine Spiritu Filius vnquam fuerit, juxta Theologum Gregorium in sermone de Pentecoste. Nisi enim, vt dictum est, personalis ordinis ratio cogeret, secundum quem, vt se ad invicem habent distributione processuum constat, nihil prohiberet etiam sine Spiritu intelligi Filium. Nam juxta vnitatem essentiæ, neque * habitus, neque discretio personarum est. Aut igitur vna persona esset Filius, & Spiritus: aut, nullatenus ad invicem se haberent. Quæ enim nihil ad se invicem habent, nihil necesse est, dum alterum intelligitur, & reliquum simul intelligi.

Cæterum, sicut cum Patrem cogitamus, & Filius necessario subsequitur: cum hic ex eo substantiam cœperit, ille dederit, atque hinc simul & * causa & causale intelligitur: ita etiam, dum cogitatur Filius, quoniam simul & spiritum cogitare necessario cogimur, omnino ordinis, atque ad invicem habitus ratio causa est, per quam ex patre per filium esse spiritus habet: & secundum quam ex primo per medium & esse, & procedere à Theologis asseritur, atque ad invicem & discernuntur, & referuntur.

Verum enim vero ipsa quoque à SS. Patribus de S. Trinitate nobis tradita exempla, vel similitudines, prædictum divinarum personarum ordinem, consubstantialitatemque commendant. Denique & Gregorius eximius in suis Theologicis sermonibus, ait: *Oculum & fontem, fluviumque animadvertimus:* Oculum quidem, in imagine Patris accipiens: fontem autem Filij, Fluvium vero S. Spiritui assignans: Sicut igitur in tribus his ordo inspicitur, secundum quem aliquid sine medio ex primo per medium. Ac per fontem fluvius, non quasi per Instrumentum prodiens, per ipsum substantiam habet: Ex vna quidem re eademque substantia illis inest: aqua enim sunt: ordine vero substantiæ, ab invicem differunt: pari modo, præsupposita vna in S. Trinitate, essentia, tertia persona ex prima, per mediam naturaliter, atque essentialiter substantiam habet: vnde, & per illam procedere dicitur.

Hoc & Ioannes Damascen. de Spiritu concinens, ait: * *Tanquam fluvius Deitatis ex patre per filium procedens.* Idem etiam Theologus: *Solem*, inquit, *animadverti, radium, & lucem.* Sicut ergo lux ex sole per medium substantiam habet naturaliter scilicet, atque essentialiter. Consubstantialis enim est radio, sine quo lux profecto non esset: ita & de Sanct. Spiritu dicendum, qui ex patre per filium procedere à Theologis conceditur.

His consentientia & Damascenus in suis * Theologicis capitulis loquitur dicens: *Spiritus per filium tanquam ex sole radius: per radium vero nobis fulgor traditur.* Prorsus vero nunquam per patris radium, Filium videlicet, fulgor spiritus daretur, nisi per ipsum naturaliter, haberet esse, alias quippe per instrumentum esset.

Idem præterea Theologus: *Individua, si breviter dicendum sit in dividuis deitas est, ac velut in tribus solibus contiguis, una est lucis contemperatio.* Si igitur se invicem continere hoc est, tertium ex primo per medium esse: aliter quippe non esset Trinitas Deus, neque individua Deitas; vna enim est luminis contemperatio, liquet profecto vna cum consubstantialitate etiam personarum servari ordinem, secundum quem tertia est ex prima per mediam.

Nyssenus etiam in libro de sancto spiritu contra Macedonianos, incommutabilem personarum divinarum secundum essentiam, ordinemque illarum ad invicem tradens, eosque insimulans, qui propter personalem ordinem, filiique mediationem, imminutionem introducere auderent, addidit: *Veluti si quis in tribus luminibus divisam intuens flammam: causam vero tertij luminis primam flammam esse supponamus; quæ, ex distributione per mediam supremum intenderit. Deinde, in prima flamma calorem abundare parat: in sequenti vero decrescere, eamque imminutionem in minus vergere: tertiam ne ignem quidem iam dici etiamsi similiter ardeat, & luceat, & cuncta quæ sunt ignis operetur.*

Et ex hoc igitur exemplo liquet, tertium ex primo per medium essentialiter esse habere. Ex distributione enim medij supremum incendi dictum est; Atque vna quidem flammæ substantia est: non tamen, quod secundum substantiam est in vllo trium minus inspicitur.

Summus etiam Chrysostomus in psalmo XCIII. *Fontem quidem appellat patrem, flumen autem filium, aquam vero fluminis Spiritum sanctum:* testimonium assument Domini, qui ait; *qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum.* Quod exponens Evangelista, *Hoc autem*, inquit, *dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum.* Sicut ergo aqua fontis per fluvium naturaliter manans, per ipsum substantiam habet, atque eum ordine vna, & eadem aquæ substantia, quantum in humanis, fragilibusque rebus possibile est, apparere cernitur, ita & de filio ac S. spiritu dicendum.

Alij autem SS. Patrum ignem flammam, & lucem, in imagine Trinitatis assumpserunt; ex quibus eadem colligere licet. Beatus item Cyrillus in thesauris suis radicem, ramum, fructumque pro similitudine scripsit: atque patrem, rosam, florem, filium, odorisque fragrantiam spiritum S. appellavit: filiique spiritum ita esse dixit, quasi vaporem ex aqua, ac veluti qualitatē eius. Sicut igitur fructus ex radice per ramum naturaliter prodiens, substantiam ex radice per ramum accipit, non ex radice, sine medio: sublata vero rami mediatione, fructus constare non poterit. Atque vna, & naturalis qualitas, & ordo elucet: itidem & de sancto spiritu dicendum, in quantum exempli permittit infirmitas.

Beatus idem Cyrillus in thesauris ait: *Christus Iudæos alloquens; Si autem*, inquit, *in digito Dei ejicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei. Digitum hoc in loco Spiritum sanctum ait, quodammodo divina essentia exortum, atque ex ea naturaliter pendentem: sicut & digitus ex humana pendet manu Brachium quippe Dei, & dexteram, Filium sacra litera appellant, vt est illud: Salvavit sibi dextera eius, & brachium sanctum eius. Ac rursum, Domine, excelsum est brachium tuum, & nescierunt: scientes autem confundentur. Sicut ergo brachium naturaliter toti corpori coaptatum est, cuncta operans, quæque menti visa fuerint. Vagit autem, consueto digito ad hoc utens: ita & Verbum Dei ex ipso, & in ipso naturaliter, atque essentialiter coaptatum, ut ita dixerim, atque exortum cogitamus: in filio autem naturaliter item, & essentialiter peaetrantem à patre Spiritum sanctum, per quem omnia inungens sanctificat. Non igitur alienus, ac remotus à divina essentia videtur Spiritus sanctus, sed in ipsa, atque ex ipsa naturaliter est sicut neque à corpore digitus ipsi manui ingenitus atque una exertus. Et manus rursum in corpore non alterius, quam ipsius substantia existens.*

Hoc in loco per scripturæ imaginem Ecclesiæ magister ostendit, & personarum ordinem, quo ex invicem pendent, puta manus corpori, digitos autem manui, vel brachio cohærent: secundum quem ordinem etiam tertius ex primo per medium est, quemadmodum & digitus, naturali ad se connexione, & substantia, ac virtute pertingente per brachium. Sicut & magnus ait Basilius, naturalem bonitatem, regiamque dignitatem ex patre per vnigenitum ad spiritum pertingere. Neque hoc solum, sed & omnia ex patre per filium in Sanct. spiritu & producta esse, & constare, Theologia docuit. Ipsum ergo personarum ordinem doctor ostendit, earumque consubstantiale, hinc necessario insinuavit Vna enim est corporis, & brachij, & digiti naturalis,

essentialisque

* σχέσις

* αἰτία καὶ αἰτιατόν.

* Gen. sect. 3. he Theo. ... tribut.

* Gen. sect. 3 et capitul 38. Theolog Damasceni.

Ioan. 4.

Luc. 11.

Psal. 97.

A essentialisque substantia: quamvis neque manus sit digitus, neque digitus manus, quia neque manus per digitum corpori coaptata est. Quocirca ostenso etiam per hanc imaginem personarum ad se invicem ordine, cōsubstantiale protinus addidit: *Non igitur*, inquit, *alienus, neque remotus à divina essentia est Spiritus S.*

Certe & B. Augustinus, quem summum, & excellentissimum Doctorem universales synodi prædicauerunt, sicut ex gestis synodalibus constat: *Humanam mentem pro patre in imagine sumit, Verbum autem, quod insitum, atque intimum dicitur, pro filio: qui & apud Ioannem Euangelistam Dei Verbum dictus est:* Patrisque definitio, & Verbum, & germen, & voluntas, & sigillum à Gregorio Theologo appellatus est: secundum quā maxime imaginem in homine Dei imago servetur. Voluntatem vero; quæ naturaliter omnibus rationalibus, & intellectualibus inest, divino spiritui assignat: partim quidem ex divinis literis, exempli huius occasiones sumens: partim, quia intellectualis, & rationa- B lis, ac volens Deus & dicitur, & est. Neque enim ratione, & voluntate prædita unquam protulisset; nisi hæc prius in se longe excellentissime haberet.

Quemadmodum vero Patris definitio, & verbum insitum, essentiale, ac substantiale est: ita & huiusmodi voluntas est, secundum quam Deus se ipsum vult, sicut & secundum verbum suum, se ipsum intelligit. Nullum enim est in Deo accidens. Verbum igitur sine medio ex mente: Voluntas autem ex mente per Verbum est. Impossibile est enim quemlibet, quodlibet, aut quomodolibet velle, nisi prius cogitaverit, quid velit. Itaque voluntas per verbum, & ex verbo procedit. Ideo & bruta animalia, quia verbo, & ratione carent, neque volunt, neque velle dicuntur: sed naturali motu irrationabiliter ferri. Quoniam igitur verbum ad mentem refertur, voluntasque necessario ex mente per verbum prodit: quod propositum erat, hinc etiam ostensum est.

C Atque exempla quidem, quæ Sancti assumunt, huiusmodi sunt. Sicut autem * fluvius non est sine medio ex oculo; neque lux esse aliter posset, nisi ex sole per radium: neque viua aqua ex fonte sine medio, sed per fluvium manat: neque fructus ex radice sine rami medio. Hoc enim rerum ordinem, ac substantiæ processum confundit, & perimit. In his, & in cæteris, quæ propositionis, exemplis, eadem profecto ratione & S. Spiritus rationabiliter ex patre sine medio non dicitur. Tertius enim à patre secundum personalem ordinem ponitur, atque per filium esse, ac procedere a Theologis asseveratur. Dicere autem ex patre sine medio esse Spiritum S. eorum est, qui unam lucis contemperantiam dividunt: quodque dicitur, tres personas se invicem continere, catenæque Trinitatem assimilari, ac cætera huiusmodi exempla: quæ, quadam rectitudine, ordinem in S. Trinitate intelligi volunt, neque enim aliter constaret: omnino negant omnia: atque à filio spiritum iuxta trianguli positionem dirimunt: cuius latera in base à se disterminantur. Sed hoc D prædictum pervertit ordinem: &, quæ de hoc à SS. Patribus dicuntur, aufert omnia. Ita enim cogitare licebit, sectionem, ac divisionem filij & spiritus, ac filium cogitare sine spiritu. Et, cum filium dicemus, neque invicem contineri: & contraria omnino sequentur omnia his, quæ à Sanctis dicta sunt, Sed id sane ineptum, insulsum, atque impium.

* Ita habet M.S.

Ne tamen id quempiam conturbet, nullus, quæ in materia contingunt, Deo tribuit. Localia quippe, temporaliaque intervalla, & quæ fluxui, ac mortalitati sunt obnoxia, materiæ relinquimus. Si quid autem perfectionis, atque ad creatorem similitudinis in eis est, id Deo longe dignius adscribimus. Hinc enim consubstantiale divinarum personarum, ordinémque ad invicem eorum clam tollimus: sicut in fonte, & fluvio, & viva aqua habet. Hinc ordinis immobile, nullatenus personalibus proprietatibus motis: neque enim fontis oculus, fons dicitur: neque fons, fluvius. Neque E rursus sol, radius vocatur: neque radius est, quæ per hunc manat, atque diffunditur lux: cum & ipse certe sit lux. Servandi tamen ordinis causa, singula singulis nomina distributa, & separata sunt. Sicut neque pater filius est: neque filius pater: neque Spiritus S. pater aut filius.

Atque aliunde quidem personarum vnio insinuatur. Basilius quippe eximius iridis exemplo usus est. In quâ, cum unio, discretioque colorum, suaviter, & modice appareat, non tamen processus ulla in his ratio inspicitur. Aliunde autem processus cum ordine differentia colligitur, vel plura esse ex uno, alia esse ex alio, in unam aliquam veritatis similitudinem phantasia colligente. Oportet enim nos, quamdiu in umbris, & ænigmatibus vivimus, his rebus, quæ nobis notiores sunt, veluti quibusdam adminiculis ad Deum niti: credentes quidem principaliter, ac necessario, his, quæ inde manant, sententiis: consolationem vero etiam ex his, quæ videntur, quantum licet, capientes, quantúmque creaturæ in se ipsis creatorem exiliter insinuare F possunt; visibiliáque, invisibilem vehicula quædam ad primam veritatem exhibentia.

Vnde & Gregorius Theologus ait: *Nihil est, quod mihi animum sistat sufficienti in exemplis id, quod imaginari, & conspicari pergo:* nisi quis unum aliquid sumēs præ gratitudine proiiciat reliqua. Si enim propter illa, quæ materiam, atque universaliter creata sequuntur: neque essentiæ identitatem, neque ordinem, ex his quę dicta sunt, exemplis in Deo æquabili proportione invenimus: nequaquam dicere quispiam poterit, nihil hæc nobis exempla prodesse, quasi frustra a Sanctis fuerint, ac sine certa ratione suscepta.

Sic igitur divinæ Trinitatis ordine, filiique me- G dio, multipliciter à SS. Ecclesiæ magistris roborato, constat: quia, si qui Sanctorum aliquam dixere geminum radium, ac gemina lumina Patris, Filium, ac Spiritum; ramumque duplicem, ac secunda patris, id quod à Gregorio Theologo quidam verbis dictum referunt: non adversantur his, quæ dicta sunt: neque sibi ipsis, neque invicem contraria sunt. Neque etiam illi divinarum personarum ad invicem ordinem, earúmque processum tradere instituebant, cum ista dicerent: sed simpliciter, tres tantum esse personas, causaliaque à patre esse filium, & Spiritum sanctum, causámque unde cuncta manarint. Per hæc enim indicant omnia ad patrem referri. Namque sub *causalis* definitionem, utraque deducunt iuxta priorem discretionem.

Quod & Nyssenus fecit Gregorius, unum Deum in causam, & causale discernens, sive in causam, & quod ex causa. Deinde subiiciens, eiusque, quod ex causa est, aliam rursus differentiam intelligentia assequimur. Alterū enim continenter: alterum vero per eum ipsum qui continenter, atque alterum genitum, procedens alterum, & si quid huiusmodi perfecte discernentibus dictum est. Iuxta quam sane rationem, & qui secunda patris dixit filium, & Spiritum S. id solum significare H voluit, à patre ista causalia esse, utraque sub causalis includens definitione. Nam iuxta quod causalia sunt, secunda etiam causæ iuxta personalem ordinem communiter dici possunt.

Sed enim hic ipse in aliis ista perfectius distinguens, ut emanationis, habitúsque ad invicem differentiam, appellationem quoque fecisse differentem. Rursumque in versibus ait: *Vnum esse Deum ex patre per filium in Sanctum spiritum, manente Deitate perfecta in tribus perfectis.* Ne id quidem, quod ait Damascenus, Spiritum sanctum medium esse ingeniti, & geniti, prædicto reluctatur ordini. Neque enim per hoc ille personarum ordinem, substantialémque processum tradere intendit.

Damasc. l. 1. c. 13.

Cæterum cum hæretici consubstantialem patri filium vix confiterentur: Spiritum autem sanctum hoc honore, ac dignitate, penitus non dignarentur: SS. Patres hunc, Deum verum, ex Deo vero esse, atque ex

A

Deo secundum scripturas procedere scientes, non secundum nativitatis progressum, sed secundum processum: est, aiebant, quidam etiam alius substantiæ modus, processus scilicet, secundum quem alia persona ex Deo prodit: & hic est, quo procedit Spiritus S. eiusdem essentiæ cum patre, & filio: qui, neque ingenitus, neque sine * causa: non enim Pater est; neque, rursum genitus, quia nec Filius, iuxta scilicet nativitatis processionem. Ideirco medium ingeniti, & geniti Spiritum S. doctor * hic dixit. Vbicunque enim tribus terminis positis, tertius ab utroque reliquorum denegatur, dialecticæ consuetudinem medius in aliorum negatione esse cernitur. Si enim spiritum à patre * secundum esse putavisset: nunquam ipsum ibidem per filium, patri coniungi dixisset. Hoc enim quorundam malignitatem arguit, magistrúmque sibi ipsi, atque aliis consentire evidenter ostendit. Ne hoc quidem unquam dixisset, Spiritum S. ex patre per filium procedere, patrémque productorem spiritus per verbum esse. Hæc enim apertissime sibi invicem contraria sunt.

* principio.

* Dam.

* Hoc est, esse ex filio, et secundum.

B

Si quis tamen processum per filium spiritus, consubstantiale significaré velle asseveret: primum quidé, secundum consubstantiale nullus in Deo personarum ordo est. Nam ea ratione, qua consubstantiales sunt, una res est divina essentia, individua omnino, & indiscreta. Consubstantiale autem, nullam prorsus discretionem introducit. Iuxta vero processus rationem, atque eum, qui inde sequitur, ordinem, personarum numerus invectus, & admissus est. Itaque, qui consubstantialis ratione dictum putat, ex patre per filium spiritum procedere; unicam illam essentiam, causam discretionis ponit, quod proprie Arianorum est; atque omissa discretione personali, tres essentias ab invicem divisas necessario fatebitur: ac præter omnem rationem causale, quasi causam ponet. Quippe huiusmodi processio naturalis, atque essentialis cum sit: quæ producuntur consubstantialia sibi invicem ostendit.

Deinde, etsi consubstantiale signari his verbis veraciter dicitur, principaliter tamen personarum ordo commendatur. *Per*, enim particula, ut ait Basil. ad Amphilochium scribens, personas primo discernit. Consequenter autem etiam consubstantiale introducit. Sicut enim filius, quia ex patre est, idcirco etiam illi consubstantialis est: ita & in S. spiritu, dum ex patre per filium naturaliter atque essentialiter à Theologis asseritur: primo, hæc per filium processio, eiusque discretio insinuatur, d. inde, etiam consubstantialitatis apparet ratio. Naturalis quippe & essentialis ista processio esse pro confesso habetur. Vnde, & M. Basil. in lib. contra Sabelliũ, & Anomæos, cuius initium est: *Adversatur gentilitati Iudaismus: Patrem, & filium*, inquit, *confitemur, naturæ autem identitate, quoniam ex patre filius est: itidem igitur & in filio, & S spiritu dicendum.*

C

Qui enim æquali causa prodit, hoc est naturaliter, atque essentialiter: constat, quia eiusdem etiam naturæ cum producente, & cum eo, per quem procedit, est.

Quanquam etiam iuxta proposita exempla, si quis ea etiam consubstantiale tantummodo indicare arbitratur cum consequente processuum ordine, consubstantialitatis quoque rationem introducit. Nam, cum Vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in Vnitate credere summa fidei nostræ sit, hæc per omnia, quæ à magistris dicta sunt, simul inferuntur, ac se invicé tenent: ut, qui alterum confessi fuerint, & reliquum etiam confiteantur. Et sic principaliter ordo, consequenter autem consubstãtialitas, ut dictum est, in personis, lucide apparet.

D

Constat autem ex his, quæ dicta sunt, eos, qui per filium procedere ita intelligi volunt, exemplis suis utentes, ut lux per vitrum aut aërem, vel, sicut aqua per canalem, aut homo per ianuam, contraria omnino fidei confessioni, ac SS. Patribus sentire. Illi enim per filium essentialiter procedere affirmant. Isti autem, essentialiter quod dicitur, & naturaliter, per ea, quæ afferunt, tollunt. Neque enim naturaliter, atque essentialiter, vel aqua per canalem prodit, vel homo per ianuam, vel per aërem, aut vitrum etiam lux. Quin imo neque ordinem ista divinarum personarum subinsinuant, neque processum. Sunt enim alterius omnino substantiæ, quæ in exemplis assumuntur, nullusque in eis processus naturalis inspicitur.

E

Quocirca neque lux per aërem proprie, sed in aëre dicenda est. S. autem spiritus & in filio est, & per filiũ prodit, non igitur istiusmodi exempla, vel divinarum personarum ordinem, vel consubstantialitatem indicant. Imo, si quidem eis fidem habere voluerimus, ministrationis officium filio attribuemus, sic, ut etiam proportionis ratione ministri impleat munus. Verum hoc & ineptum est, & impium. Ea igitur, quandoquidem in ipsis nulla unitatis ratio, nullus ordo est, ut noxia, nihilque ad id, quod proposuimus, accommodata reiiciantur: Idque ideo maxime, quoniam eis nullus Sanctorum usus est. Et illud autem simul apparet, Spiritum sanctum, non quia per filium datur, & mittitur: ideo etiam per filium procedere asseverari: Dari enim, quod dicitur, temporale est: procedere autem, æternum. Neque possibile est, quod temporale sit, id eius, quod supra tempus est, causam esse. Itaque secundum substantialem processum suum ex patre per filium procedere S. Spiritus asseritur, substantia quippe, sicut & processio, æterna est.

F

Illud autem una insinuatur, illum à filio ideirco dari, & mitti, quia, secundum substantialem processum suum, etiam per ipsum est. Vt enim contra Arium scribens magnus Athanasius inquit: *A quo dari oportebat spiritum nisi ab ipso, cuius est? Alias quippe minister esset filius, si quod non per se naturaliter procederet, dare diceretur.* Simul etiam fateri cogeremur, filio, & Spiritui sancto temporaliter aliquid accidere: illi scilicet, dare: huic dari.

Porro id, quo posito, ineptia simul, & mendacium sequitur, ineptum sit, & mendax necesse est. Ex quo, liquet, non esse geminum processum spiritus: temporalẽ alterum, alterum, sine tempore. Primum quidem, quia nullus SS. Patrum hoc dixit. Deinde, quia, si id concedatur, inepta, & indigna plurima emergent. Sed unicus sane processus, atque æternus est, secundum quem ex patre per filium S. procedit spiritus. Creaturis autem quæ aptæ, ac dignæ fuerint, ad huiusmodi processus capiendam notionem, atque illustrationem, prodire, ac lucere, & profundi, ac dari per filium dicitur, atque tunc, quod in se ipso æternum est, illis temporaliter contingit. Vnus enim omnino, ac semper hic processus est. Deo enim nihil unquam novum accidit per summam illius simplicitatem, atque perfectionem. Creaturis vero, idem temporalis & apparet, & dicitur: non, quod illi tempus adiiciatur: sed illis potius, quæ secundum tempus agnoscunt, atque suspiciunt.

G.

Itaque secundum id quidem, quod dicitur, ex quo: unicus est: secundum autem, quod dicitur, in quod: geminus est huiusmodi processus. Vnice enim, ac singulariter procedit ex patre per filium procedens velut ex uno principio, secundum unicum illum, ac simplicem processum suum procedere dicatur: adiecta tamen creatura, ad quam sanctificandam procedere dicitur: tunc is, qui ex Patre per filium procedit, ex patre, etiam per filium mitti, atque donari intelligitur. Atque ille totus ex patre per filium S. Spiritus processus ad creaturam, missio vocatur, quæ in tempore fit propter creaturam, quæ temporali sui participatione fruitur: temporali illo spatio non Deo, sed nobis applicato. Et est unus quidé, sed ratione differens. Neque enim, quia temporaliter accipimus nos, ideo temporale aliquid in Deo dicere debemus, imbecillitatem conditionis nostræ illi applicantes. Neque, si quis hactenus cæcus, nunc primum respicere, ac solis radiis cœpit frui: ideo etiam vel ex sole radius, vel ex radio lux nunc manare cœpit. Constat quippe & antequam cæcus aspiceret, solẽ & radiũ, & lucem similiter adfuisse: radiúmque similiter perstrinxisse fulgore oculos.

H

Quocirca etiam mirabilium patrator Gregorius, in

libro,

A — S. Greg. Thaum.

libro, cuius initium est: *Immitissimi, atque alieni ab Apostolica conf. ssione*, processionem banc emissionem sempiternam appellavit. Atqui huic nunquam esset temporalis æternitas. Ait denique, *Ingenitus quidem pater cum sit, genitus autem ex patre filius, sanctúsque spiritus ex patris essentia sempiterne per filium emissus.*

Sed & Theologus Gregorius in libro, quem ad Heronem philosophum scripsit: emissionem S. Spiritus, propriam dixit: temporale autem nunquam esse poterit sancti Spiritus proprium. Certe enim, si, quoniam à filio datur, & mittitur, idcirco etiam per eum procedere dicitur: nostri igitur causa substantiam habet: secundum quam ea patre per filium est. Sed & quem introducunt temporalem, sequitur, ut & ipse propter nos substantiam habeat. Quod si datur: erat utique, quando non erat: rursúmque cum fuerit, esse desisset. Sed hæc impia sunt. Non ergo, quod proponitur, verum est. Præterea & eximius Basilius in IV. quæstionum ait: *Non in tempore, quod prodiit, ex Deo prodiit, & si in tempore efficax illius actio reddatur:* mentionem scilicet de S. Spiritu faciens.

B

Quoniam igitur Spiritus sanctus ex patre per filiū naturaliter, & essentialiter, & æterne procedere à Theologis asseritur: quod autem procedere dicitur, processus ratione illum habere substantiam indicat, sicut etiam gigni: Filium nativitatis ratiōne subsistere: omne autem, quod per aliquod essentialiter substantiam habet, ex illo etiam est: constat profecto, Spiritum S. ex filio esse, atque procedere. Aut enim quod dicitur, *per*, nihil in S. Spiritus processione commendat: aut commendat quidem, sed imperfectum aliquid, aut instrumenti implet vicem, aut, sicut per locum, aut tempus, aut certe per filium naturaliter, & processus ratione, atque essentialiter procedere Spiritum S. secundum proprium modum substantiæ commendat. Sed cum cetera in sancta, atque supersubstantiali, & simplici Trinitate nusquam locum habeant, omnino necessario relinquitur, ut dicamus, *per*, à SS. Patribus non frustra insertum, atque id una commendare, quod ex patre per filium substantialiter iuxta unam, eandémque processionem procedit Spiritus sanctus. Prorsus enim, *per*, in quibus assumitur, præcedenti causæ concurrit ad eandem efficientiam, quam illa spectat. Atque hoc late patet singula inspicientibus.

C

Nam cum fructus ex radice per ramum prodeat: ramus iuxta seminalem naturæ rationem, quæ in radice est ad efficientiam processus fructuum cum radice cōtendit. Atque in prædictis omnibus exemplis, qui ingenium exercere voluerit, idem apparere perspiciet. Sed in his quoque, in quibus ars operatur, serra, verbi gratia, per quam faber gradum ligneum facit, ad illum, non ad alterius generis affectum artifici cooperatur. Neque enim illi ad calefaciendum, sive dealbandum cooperabitur: idque, per quod trahitur machina, trahenti ad pertractionem oneris cooperabitur.

D

Ac si quidem serra, homo esset, sicut & faber, & idem homo, quemadmodum in patre & filio, idem est Deus, secaret & ipsa, sicut & faber: quodque per serram fieret, idem esset, quod à serra fieret. Si autem in quibus est natura differens, ea, per quæ aliquid fit, cooperantur his, qui se primo movent, ac pro modo suo una causa fiunt: vel sicut instrumenta, vel alias quomodolibet iuvantia, atque conferentia: multo magis in patre, & filio, ubi perfecta identitas, atque incommutabilitas est filij ad patrem: &, æqua Deitas secundum eādem, & unicam S. Spiritus ex patre per filium substantialem processionem, ipse filius communicabit patri, non instrumentaliter, seu serviliter, sed essentialiter, atque naturaliter, utpote naturalis ei, quæ substantialiter insita illi est virtus. Nam si in his, quæ minora sunt, per eandem, atque unicam cum patre vim etiam filio reddere creditur, in quibus utique substantiæ est infinita varietas: multo magis in sancto spiritu, qui eiusdem cū patre, & filio naturæ atque essentiæ est. At id, quod dicitur, per filium omnia producta esse, & filium, vnam

E

cum patre causam, vnumque conditorem commendat. Itaque longe magis, quod dicitur per filium procedere, ipsum quoque filium vnum cum patre productorem esse, necessario fateri coget: eoque magis, quo & per verbum productor spiritus dicitur. Nam, si pater solus productor esset, ac producere illi substantiale esset, non productor per verbum dictus fuisset. Quæ enim substantialia personarum sunt, communia cæteris esse non possunt. Exempli causa: si pater per aliquem pater esset, paternitas illius substantiale esse non posset. Sed de his postea dicetur.

Nunc Cyril. admirabilis auctoritate sua, quod proposuimus, roboret. Is enim in secundo ad Hermiam libro, sic ait:

Sanctum autem spiritum dices, qui ex Deo patre per filium naturaliter profunditur. Ac, sicut in figura respirationis oris nostri suam nobis substantiam indicat.

Si igitur figura respirationis oris nostri pro exemplo sumpta est, quod per filium spiritus procedat. Os enim patris filium SS. Patres esse aiunt: vel etiam propter insufflationis illius significationem, quando insufflans Spiritum S. discipulis Dominus dedit: sicut in cōsequentibus monstrabitur. Hoc autem propriam nobis substantiam significat, constat: quia, sive per filium procedere dixerimus; sive insufflationis figuram susceperimus: ex vtroque horum spiritus substantiam, tam præcipuo doctore tradente docemur. Sin autē ista vera cōsentientibus initiis fidei, Doctoribusque sacris, & omnibus ita attestantibus; verúmque omnino comprobatur, quod per aliquod substantiam habeat, id etiam ex ipso esse: liquet profecto, nisi quis omnino impudens esse velit, Spiritum S. ea filio esse: quandoquidem per ipsum substantiam habet, ac per ipsum procedit.

F — Ioan. 20.

Cæterum nos ea SS. Patribus apertius docebimus, *per*, & *ex*, in divinis rebus tantundem valere: qui, ista in his indifferenter accipere, vt pium, monuerunt: aliter autem intelligere, hæreticæ malignitatis esse docuerūt. Hi enim præpositionum differentia, differentes etiam naturas in S. Trinitate subintroducere moliebantur. Ait enim præclarus Basil. in his, quæ ad Amphilochium scripsit: *non solum in diuinis literis vsus vocum immutantur: sed iam alia, pro aliarum significatione ponuntur sæpius, atque ex sua, in alienam transeunt. Denique in his particulis, per, & ex, altera alterius sæpe significationem sumit, ut est illud: Possedi hominem per Deum: quod idem est, ac si dixisset, ex Deo. Atque alibi: Quæcunque mandavit Moyses Israeli per præceptum Domini. Ac rursum: Nonne per Deum est horum declaratio? Per Deum dixit, pro eo, quod est, ex Deo.* Et hæc quidem Basilius.

G

Sanctus autem Cyrillus in quinto ad Hermiam ait: *Quid autem? Nonne credendum est dicenti: Ego sum via, veritas, & vita? qui cum ita aperte, ac singulariter se ipsum vitam esse dicat, nonne patrem, ac Deum hoc ipsum munere excludere videbitur, nisi ambos unius esse natura dederimus, ac per utrumque in nos æqualiter vitam manare, idque non quasi ex duobus, sed quasi ex uno omnia vivificante Deo.*

Ex[...] libri inter opera S. Cyrill.

H

Idem in sexto ad Hermiam: *Quodcunque sanè à patre gestum fuerit, id omnino filij efficientia est: & quodcunque dictum fuerit per filium perfici, hoc prorsus pater effecit: Omnia enim per ambos æqualiter fiunt.*

Idem in quadam ad Nestorium epistola; *Quia ergo carne sumpta, Et filius hominis est appellatus, fateri necesse est, illum per carnem ex muliere genitum.* Et post pauca: *Verbum, quod ex Deo patre est, ex sancta virgine nascitur.* Itemque: *Natus est, secundum nos, ex muliere.* Item in sermone habito coram Imp. Theodosio, cuius initium est: *Humana gloria supremum fastigium: Verbum*, inquit, *quod ex Deo patre est, manifestatum est in carne. Natum est enim per sanctam Dei genitricem virginem, forma serui assumpta.*

S. item Ioan. Damasc. *Deum genuisti mater S. incarnatum ex te.* Et rursum: *Per te mater virgo sancta lux est orbi reddita.*

Ac rursum: *Ex te massam meam sumpsit.*

A

* Anomæum.

S. autem Maximus in dialogis adversus* Anomium: *Mundis*, inquit, *munda sunt omnia. Namque apud nos iuxta S. scripturæ intentionem, per quem, idem est quod, ex quo. Denique dicit B. Paulus: Fidelis Deus, per quem vocati estis in communionem filij eius.*

D. autem Chrysost. super Evangelium Ioannis, cum exponeret, quod dicitur: Omnia per ipsum facta sunt, ait: *Verbum, ex quo, quod veluti solius patris præcipuum, ac singulare asseris, etiam de filio Paulus loquens posuit: Ex quo inquiens omne corpus per nexus, & iuncturas compactum, & connexum crescit in augmentum Dei. Neque hoc solo contentus, aliunde quoque nobis ora obstruit. Illud, per quem, quod imminutionis esse dicis, patri assignans. Fidelis enim*, inquit, *Deus est, per quem vocati estis in communionē filij ipsius.* Et rursum: *Per voluntatem Dei. Atque alio in loco: quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia. Neque filio solum attribuitur ex quo, sed & Spiritui S. Ait enim ad Ioseph angelus: Ne timeas accipere Mariam coniugem tuam; quod enim in ea natū est, ex Spiritu S. est.*

Coloss. 2.

1. Cor. 1.

Mat. 1.

B

S. præterea Cyril. ad Palladium scribens, per interrogationem, ac responsionem, fere in princ. libri, quem inscripsit, *De spirituali cultu*, ait: *Variabilis profecto spiritus non est. Aut, si huic morbo variationis subditur, ad ipsam, diuinam naturam hæc macula reflectitur, si quidem Dei, ac patris est, quin etiam filij, cum ex utroque essentialiter, scilicet ex patre per filium profundatur spiritus.*

Neque sane multis verbis agendum est, ut ea exponantur: quæ sunt apertissima. Constat enim ex his, quæ dicta sunt, *per*, & *ex*, in divinis rebus tantundem valere. Et quoniam spiritus S. ex patre per filium procedit, ex filio etiam procedit. Et illud simul constat eos, qui dicunt, *per*, & *ex*, tunc tantum æquivalere, cum in creatura assumuntur: ut illud: *per filium omnia facta esse*: idem esse, ac si diceretur, ex filio: Increatis autem negant, non recte arbitrari: D. enim Cyrillus spiritum patris, & filij essentialiter ex vtroque, videlicet ex patre per filium profundi declaravit. Liquet itē, eum identidem putare, ex utroque, patre scilicet, & filio spiritum dicere, & ex patre per filium, ut dictum est. Sed & Basilius eximius in 5. c. ad Amphilochium, particulam, *ex*, filio congruere ostendens, illud allegat: *Ex meo accipiet*: atque illud, *cognovi virtutem ex me exisse*, Ipsique, qui contradicunt, gratiam, & efficientiam increatam arbitrantes, per filium, atque ex filio procedere differenter, confitentur. Et id præterea constat, eos, qui, *per*, tantummodo filio assignant, *ex*, auferentes minorem patre filium necessario dicturos. Hoc quippe minutionis signum hæreticos sumere, Chrysostomus ait. Non igitur, *per*, S. spiritui reddere, ulla necessitas coget. Neque enim dictus est Filius ex patre per spiritum nasci, neque filium ex spiritu ratio qualiscunque dicere urgebit.

Ioan. 1.

C

Ioan. 16.

Luc. 8.

Præterea, plurimis in locis opusculorum suorum SS. Patres, ex filio esse S. spiritum commendant. Ac primum Gregorius Theologus in lib. de Spiritu sancto à contrario rationem formans: *quid ergo deest spiritui, ne filius sit? nisi enim aliquid deesset, filius profecto esset.* Hac autem obiectione posita, protinus adiungit: *Non illi quippiam deesse dicimus. Deus quippe nullius egens est. sed, emanationis, ut ita dicam, habitusque ad invicem differentia, differentem illorum appellationem fecit.* Hunc autem filij ad Spiritum S. habitum, atque è contra, Nyssenus etiam Gregorius, super oratione Dominica affirmat dicens: *Filius autem S. Spiritus nec est, nec dicitur: neque cōversionem accipit habitus, ista consequentia.*

D

Lege Basil. l. 2. de Christo c. 25.

Quoniam igitur propter materiæ omnimodam amotionem, supremæque illius essentiæ identitatem, atque incommutabilitatem, neque secundum maius, aut minus, primumve, aut postremum, neque secundum aliam ullam eminentiam ordo, atque habitus in divinis personis à Theologis accipitur: neque enim fas est, huiusmodi rebus locum ullum in Deo esse: solum autem secundum relationem, causamque, & causale suscipitur: quemadmodum in patre, ac filio, relatio, & habitus & traditur, & creditur: sed & in patre, ac spiritu similiter, iuxta scilicet traditam differentiam processuum, liquet: quia etiam traditus à Sanctis filij, ac spiritus ad invicem habitus, eadem ratione necessario redditur: ut aut filium spiritus, aut spiritum filij causam fateamur, maxime, quia, ut dictum est, divinas personas in sola causa, causalique discerni deprehendimus. Alias enim ad alterutrum filius, ac spiritus habitualiter non referentur: neque traditus servaretur habitus. Atqui Filius S. Spiritus neque est, neque dicitur: neque convertit habitus ista consequentia. Neque enim iuxta expositum illius substantiæ processum ex patre per spiritum nascitur. Quocirca, neque filij causa spiritus est.

E

Reliquum est igitur, filium sancti Spiritus fateri causam, quia, dictus est ex patre per filium procedere, secundum scilicet substantialem illius processum: iuxta quem & processus ratione, esse, habet: & ordo ad alterutrum, & habitus: ac per consequens, discretio servatur. Vnde, merito dictum est; non converti habitus istam consequentiam, quandoquidem, neque personarum processus, ac substantia convertitur. Neq; enim Filius ex patre per spiritum nascitur. Ex quo sane manifestum est, etiam ex filio Dei procedere spiritum sanctum.

F

Nyssenus præterea Gregorius in primo quæstionum adversus Eunomium, circa finem: cum præmisisset, sola causæ ratione patrem filio præferri, addidit: *Idem & de sancto Spiritu nobis sentiendum. Solo quippe ordine differunt. Vt enim coniungitur patri filius, atque ex eo esse habens, substantia tamen ratione posterior non est: ita & unigenito iungitur Spiritus sanctus, sola quippe causa ratione præspicitur, ac præfertur filius substantia spiritus.*

Deinde, ne quis ex hisce verbis, prius, atque posterius, localia etiam quædam, ac temporalia intervalla Deo accidere arbitraretur: ex quo substantiæ indivisibile, atque identitas, singularitásque tolleretur, secutus adiunxit: *Temporales autem moræ in æterna vita, locum non habent: ut cum causæ ratio præferri dicatur: in nullo tamen S. Trinitas sibi discors esse possit.*

G

Et quoniam præcogitari in sancta Trinitate, quod dicitur, eorum est: in quibus cogitatio, & habitus videlicet secundum personas est: Cogitatio autem, & habitus, in quibus discretio est, esse solet: Discretio vero in sola causa, & causali est, atque accipitur: colligitur iam, præcogitari quod dicitur, solum secūdum causam, & quod ex causa est, in sancta ac Beatiss. Trinitate à SS. Patribus dici.

Hic, si quis rursum priora inferat: vt, quoniam scilicet pater, & pater, & productor est, patérque ad filium continenter redditur: productor ad id, quod producitur, refertur, cum ex patre spiritus dicatur, filium, antequā patrem, cogitare compellimur: eo quod patris nomen ad filium redditur: quippe mens nostra, quæ ad invicem relativa sunt, simul cogitare consuevit. Spiritus enim ex patre, non secundum quod pater, sed secūdum quod productor est, dicitur. Spiritus enim iuxta S. Maximum, patrem non habet. Cum vero spiritus ex productore dicitur, productum spiritum ante filium cogitare necessario cogimur: quod productoris nomen ad productum referatur: per medium autem productorem, & patrem simul, & filium animo versare.

H

Si quis igitur hæc, & huiusmodi de eo, quod præcogitari dicitur, asserit, per quæ hæc habitum, ac discretionem filij, & spiritus, causamque, & quod ex causa est, una excludere nititur: hic necessario cogetur, aliquando quidem spiritum ex patre per filium procedere, fateri: aliquando vero filium ex productore, per productum gigni. Imo, id quidem aperte & dicunt, & scribunt. Nihil enim prohibere iuxta ratiocinationem suam patri etiam filium præponere. Atque hac ratione, & per invicem & ex invicem erunt. Sed enim hoc & falsum, & blasphemum esse, supra iam declaratum est. Hac enim ratione: non quia filius ex patre est, idcirco ex patre esse dicitur: neque quia Spiritus sanctus ex patre per filium procedit, secundum sub-

stantialem

stantialem eius, æternúmque processum, ideo ita procedere à Theologis asseritur: sed, quia dicitur, ideo se ita habet: dictioque nostra rei causa est, ac pro arbitrio dictionis, ac phantasiæ nostræ, immobilis, æternisque personarum ordo alias aliter habebit, simulque, ne discretio quidem filij, ac spiritus reddetur. Sed ista sane & inepta, simul & perniciosa sunt.

Quocirca etiam rectissime dicitur: ordinis istam novitatem substantiæ ipsius abolitionem esse, totiosque fidei abnegationem: æqualisque impietatis esse, Spiritum sanctum creaturam confiteri, eumque vel patri, aut filio præponere, non solum tempore, sed ordine. Id quippe aufert, unde est, sublato vero, vnde est, & quomodo est, simul auferetur, ac persona esse desinet. Deinde, quid dicturi sunt, cum pater asseratur secundum causæ rationem ante filium: mente concipi, atque cogitari? Hic enim ista illorum expositio locum non habet. Ait enim doctor, *Qua ratione pater ante cogitatur, quam filius: eadem ratione filium ante Spiritum S. cogitari.* Atqui pater causæ, causalisque ratione ante filiũ cogitatur. Præmissum est autem, & filium ante Spiritũ S. causæ ratione cogitari ante spiritum, ea scilicet causa, quam ipse habet ad spiritum, secũdum quam procedit ex patre per filium; non tamen secundam eam, quã habet pater ad filium. Hoc enim mens humana nõ capit: neque cogitari filium ante Spiritum S. fas est, ut doctor ait. Quoniam igitur eadem omnino ratione præcogitatur ante filium pater, atque ante spiritum filius: constat, quoniam filius Spiritus S. causa est.

S. item Athanasius in 1. contra Arianos lib. post multa sic ait: *Dominus Deitatem, & maiestatem suam discipulis ostendens, non iam se ipsum minorem, sed maiorem, & æqualem esse significans, dabat quidem Spiritum sanctum, & dicebat: Ego ipsum mittam, & quæcunque audierit, loquetur.*

Et paucis interiectis, quo nam modo pater filio sit maior exponens ait: *Maiorem se Patrem Dominus dixit, non magnitudine aliqua, vel tempore, sed quia ex ipso patre natus est.* Sed & Damascenus in capitulo de S. Trinitate, cuius initium est: *Credimus igitur in unum Deum, maiorem patrem filio, causæ ratione ait.* Si igitur vt dictum est, pater filio causæ ratione maior est, sanctúsque Athanasius, maiorem spiritu filium dixit: constat profecto, dum maiorem dicit, causam illum esse S. Spiritus significare voluisse. Sin autem & pater filio humanitatis assumptæ ratione maior à quibusdam dictus est: spiritus sanctus certe incarnatus non est, ut minor filio susceptæ carnis gratia dicatur.

Etsi enim Magnus Basil. in IV. contra Eunomium, quod dicitur maius secundum causam in patre tenuere videtur: huiusmodi illic causam sanctus interdicit, quæ secundum tempus, aut magnitudinem, aut aliam quamlibet id genus excellentiam causale præcedat, sitque illo honorabilior: nõ tamen patrem filij esse principium negat: constátque illum in primo adversus Eunomium, quod maius in patre secundum causam dicitur: sicut in S. Trinitate causa intelligenda est, omnino suscipere, atque confiteri.

Ait autem & Theologus Greg. *Volo patrem maiorem dicere, ex quo & æqualibus, ut sint æqualia, ipsumque esse est. Hæc enim omnes dabunt: vereorque, ne principium minorum principium faciam: atque hac veluti honorifica prælatione, ipsum contumeliis afficiam.*

Cum itaque pro confesso habeatur, causale illi consubstantiale esse, ex quo est, profecto non recusabit præclarus Doctor patrem filio maiorem causæ ratione dicere: ad eos præsertim, qui maius quod dicitur pie suscipiunt: neque ex nominibus blasphemiæ occasiones aucupantur. Idcirco & D. Athanasius, cum dixisset filium spiritu maiorem, etiam *æqualem* addidit, ut omnem aditum blasphemiæ obstrueret. Quoniam igitur maior filio pater, filiusque spiritu causæ ratione dictus est. Filius ergo spiritus sancti causa est, etsi filij, ac S. spiritus omnia ad patrem refluant, ex quo illis & esse, & æquales esse, est.

Absolute nõ bene sonat, dicere Patrẽ filio maiorẽ ratione principij, quia nil maius in sacrosan. Trinitate, ut habet symbolum S. Ath. Ce loca tamen mẽtem suã sensus bene explicat.

Magn. præterea Basil. in 3. quæstionum, cuius initium est: *Vix tandem satiatus.* Illic enim Eunomio S. sanctum natura tertium esse asserente: ipse, ordine quidem tertium, & valde confitetur. Instat autem acriter contra id, quod natura tertius dicebatur, & addit: *Quæ enim urget necessitas, quandoquidem ordine, ac dignitate tertius est spiritus, natura quoque tertium fateri? Dignitate enim secundum à filio, cum ab ipso esse habeat, & ab ipso accipiat, & adnuntiet nobis, atque omnino ex illa causa pendeat, pietatis ratio commendat. Natura autem tertium, neque ex sacris literis didicimus, neque ex his, quæ dicta sunt, secundum rationem consequentia colligi potest.*

L. 3. con- tra Eunomium: Vide Bell. l. 2. de Christo c. 2.

Hic apertissime summus vir Spiritum sanctum ex causa filij pendere, ex ipsoque suspensum esse, atque ab ipso accipere, & esse, habere, ut pium & maxime religiosum probat. Hoc autem, si quis non esse Basilij contendat, adiectúmque exemplaribus dicat, penitus delirat. Quippe in vetustissimis codicibus ita scriptum invenitur: quos quidem codices pro antiquitate sua, antequam schisma oriretur, conscriptos esse, nullus ambigere omnino possit: quorum obliterati nonnulli cernuntur: quibusdam hoc illius viri dictum quasi adulteratum suscipere nolentibus, ac ferro contra muros apices impie vtentibus.

Cæterum contextus ipse verborum, ipsáque allocutio, sibi ipsi, & auditori congruit mirifice. Ex ipsis quoque istis sancti intentio satis quæ sit apparet. Ait enim eum à filio secundum, hoc est, à patre tertium ordinis ratione esse: quod ipsi etiam ex prædictis asseritur. Hoc igitur in loco causam apposuit, cur spiritus à filio secundus sit, quod scilicet ab illo, esse habeat. Hoc enim enunciationis species exigit: sicuti, cum, verbi gratia, dicimus: hic rationalem habens naturam, discit; idem enim est, ac si diceretur: quia rationalem naturam habet, idcirco discit. Discere quippe *causale* est: rationalem autem naturam, quod dicitur, quasi pro causa sumitur. Nusquam enim est, ubi huiusmodi enunciationis species non causam, atque causale significet, cæterum vel quasi præteriens ponitur, vel quia præter hoc, est & hoc. Verum in S. Trinitate, cum nulla differentia alia, nisi sola secundum causam relatio inspiciatur, propter summam simplicitatem: prætereuntque quod dicitur, & re, & verbo, inde omnino auferetur huiusmodi enunciationis species.

Hinc causam, inde causale secundo nobis loco à causa * commendat. Secundo enim loco esse propter processum divinarum personarum in S. Trinitate à Theologis asseritur. Spiritus sancti autem ex patre per filium processum Theologia tradit: per quem scilicet & secundus à filio, & à patre tertius dicitur. Horúmque causa est, ex patre per filium processus. Vbique autem causale causa saltem cogitatione præcedit. Atque ubi causale est, causam quoque esse necessario sequitur, causaque sublata, causale quoque protinus tollitur. Sanctus ergo vir, qui tertium à patre confitetur spiritum, atque à filio secundum, iuxta personalem ordinem, quique ordinis huius insolentem novitatem, fidei abnegationem arbitratur: & quæque alia prædixit, qua ratione causale ponens, ut pium, deinde; à filio esse habere subiungens, eam, quæ consequitur, causam, quasi alienam denegabit?

* Basil.

Nam, si secundum esse, causale est, huius autem, quod esse habeat à filio, & quod absolute per filium procedat, causa subiicitur: causale vero nunquam sine causa est: quomodo non necessario eum causali causa quoque consequitur? Nam, si neque secundus à filio est, neque à patre tertius: ne a filio quidem esse habebit. Quoniam vero & hic, & plurimis aliis in locis, ipsum & secundum esse, & tertium sanctus vir ponit: ac ne ipsi quidem contradicentes, quod dicitur secundus esse, cum cæteris non delent, necesse est, ut causam quoque, cur secundus sit, quæ profecto est, quod ille esse habet ex filio, magistrum posuisse fateantur.

Atque, sicut ipse in eisdem ait: *Sicuti Filius ordine quidem secundus à patre est, quoniam ab ipso est,* & digni-

tate:

tate: quoniam initium, & causa sibi, ut esset, pater est: Et ordine quidem, ac dignitate, secundum esse à patre filium, vt causale posuit: causam vero, quod à patre esset, ipsumque initium haberet, & causam: neque secundus vllo modo esset, nisi esse haberet à patre: parilem modum & in S. spiritu posuit. Neque enim esset secundus à filio, hoc est, à patre tertius, nisi ab illo haberet esse. Itaque vel secundum illum esse ordine, ac tertium una denegent: aut hoc necessario consentientes, & quod esse habeat ex filio una fateri compelluntur. Nempe enim si ex patre solo Spiritum sanctum esse credidisset, quid prohibebat dicere: quia sicut filius ordine, ac dignitate secundus à patre est, quoniam ab illo esse habet: ita & S. Spiritus ordine, ac dignitate secundus itidem à patre est? Hoc enim sibi & multum quidem ad propositum conferre poterat, cum illum eiusdem cum patre essentiæ, Deumque verum esse commendare instituerct.

Nam de patre quidem nullus vnquam hæreticorum fuit: quin æternum, Deúmque verum senserit. Contra autem de filio plurimi sæpenumero senserunt. Verum hoc ille non dixit, cum divinarum personarum ad invicem ordinem, processiúmque differentiam probe nosset, imo interdixit etiam, ut ex his, quæ iam dicta sunt, evidenter ostenditur.

Certe autem, si tertium à patre esse Spiritum sanctum atque à filio secundum, & à Doctoribus cæteris, & à magno Basil. accepimus: id autem nunquam ita esset, nisi tertius esset ex primo per medium, hoc est, ex patre per filium procederet: quomodo id, quod præmisimus, non omni veritate fulcitur? videlicet propter substantialis processus personarum ad invicem apparere ordinem? Quomodo item non idem est, & per filium procedere, quod dicitur, & à filio esse habere: iuxta S. Basilium: quod etiam causam esse posuit, ut à filio secundus sit?

Quomodo autem & esse, & procedere non idem intelligatur, si quidem, quod causam esse constat, ut à filio spiritus secundus sit quod per filium scilicet procedit: pro hoc ille cum à filio esse habere dicere maluit? Quomodo item per filium, & à filio æquabiliter ponens non aperte significat, *ex*, & *per*, tantundem in divinis valere? Neque enim quispiam ad tantum furoris, & amentiæ prorumperet: vt in hoc loco, *A* & *Ex*, particulas ab invicem significationis ratione dirimere tentaret.

Ex his igitur, quod dicitur à filio esse habere, constat sancti viri textum esse. Quin imo & ex his, quæ calumniatores improbi, in hac clausula contra magistri fidem: & veritatem addunt: manifeste quidem sancti sensus elucet: ipsi vero per omnia malignitatis arguuntur, ut eorundem sit pro voluntate, & delere, & adiicere.

Nam præter id, quod in vetustissimis exemplaribus * inferendam protinus malignitatem & positione & forma literarum postmodum adiectam esse, manifeste apparet, ait in subsequentibus sanctus: *Vt enim filius ordine quidem secundus à patre est, quoniam ab ipso est: & dignitate, quoniam initium illi, & causa ut sit, pater est, & quia per ipsum accessus, & adductio ad Deum & patrem nobis est, natura vero non iam secundus: divinitas enim in utroque una: ita videlicet & Spiritus sanctus, etsi filio concedit ordine & dignitate nō iam tamen quasi aliena natura existens.* Vbi ergo ait: *etsi concedit filio ordine aut dignitate:* addiderunt: *omnino, & concedimus.* Vbi vero ait: *Tradit pietatis ratio:* ipsi cum adiectione legunt, & dicunt: *Tradit fortasse pietatis ratio:* ut per hæc tertius esse quod dicitur ordine, & dignitate, omnino auferant, secundúmque esse à filio nullatenus concedant. Quomodo ergo ratio pietatis cum sit secundum esse à filio spiritum, id quod dicitur concedere filio, secundum vero à filio, tertium à patre esse est, quem ordinem Dominus in salutaris traditione baptismatis tradidit, vt & hic & alibi vir iste eximius dixit, hanc esse rationem pietatis asseverans, deinde veluti cunctabundus, & hæsitans, *fortassis*, adiecit? Quomodo, inquā, qui ordinis istam insolentem novitatem, abnegationem fidei esse definivit, nihil differre asserens, sive hunc utcunque quispiam immutet, sive ad creaturam Spiritum S. deducat, eosque fugiendos statuens, qui eam consequentiam, quam tradidit nobis Dominus, immutant, ut qui aperte oppugnent pietatem, ordinis dominicam traditionem, *pietatem*, appellans: is repente mutatā sententia, ista, quasi improbe dicta confutet: *Si omnino ista & concedemus* inquiens? At id magni Basilij sapientiæ, atque prudentiæ minime omnium convenit.

Sed enim nova illum hic, & insueta voce, usum non esse, sed occasionem ex sacris literis cepisse, inde constat, quod de se ipso Dominus ait: *Quæ ego loquor*, Et, *quæ audivi à patre meo, annuntiavi vobis.* At de S. Spiritu: *Ille*, inquit, *me glorificabit, quia ex meo accipiet, & annuntiabit vobis.*

Ioan. 14. Ioan. 15. Ioan. 16.

Porro Ecclesiæ Magistri, ista ut acceperant, ita posuerunt. Denique S Athanas. in epist. ad Serapionem ita ait: *Et filius quidem, quæ, inquit, audivi à patre meo hæc loquor in mundo. Spiritus autem ex filio accipit. Ex meo enim* inquit, *accipiet, & annuntiabit vobis.*

Idem in tertio contra Arianos: *Non spiritus verbum coniungit patri; sed hic spiritus à filio potius accipit.* Ac rursum: *Quæque habet spiritus, ea à verbo accepta habet.*

Beatus item Cyrillus, cum illud Evangelium exponeret: *Ille me glorificabit. Illud ergo*, inquit, *irrefragabile omnino erit, omnique maledicto, & accusatione vacabit, quod ab unigenito spiritum eum accipere aliquid asseritur. Nam, cum per ipsum naturaliter prodeat, quasi suum proprium cum omnibus, quæ perfecte habet, quæ eius sunt, accipere dicitur.*

Idem super illud: *Omnia quæ habet pater, mea sunt. Sed spiritus iste proprius*, inquit, *est etiam unigeniti: consubstantialis enim patri est. Quoniam igitur*, inquit, *inesse Deo & patri cernitur: his qui digni sunt, in spiritu suo revelari, efficereque etiam per ipsum, quæ voluerit; ob hanc causam dixit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis.*

Ioan. 16.

S. item Anastasius Antiochenus Patriarcha in libro de rectis Ecclesiæ dogmatibus: *Spiritus* ait: *sanctus, spiritus veritatis est. Hic autem à patre quidem procedit, à filio autem accipit.*

Magnus item Basilius in Regulis ad monachos, sermone, qui incipit, *Dei clementissimi gratia: Credimus*, inquit, *unum solum Spiritum sanctum paracletum, Spiritum sanctum, in quo signati sumus: in nostram redemptionem, spiritum veritatis, spiritum adoptionis, in qua clamamus abba Pater, qui dividit, & operatur Christi munera singulis ad utilitatem, prout vult, docens, atque admonens, & suggerens quæcunque audierit à filio.* Constat igitur, quia quod dicitur: *ex meo accipiet, in filio*, Doctores sancti susceperunt.

Rom. 8.

Cæterum in creaturis quidem, quæ à Deo accipere dicuntur: quoniam per participationem, atque temporaliter, ut meliores evadant, quodlibet acceperint, dicūtur accipere: hoc in eis minus fuisse significat, quod acceperunt. Quanquam & imperfectioribus mortalium, quando ex imperfecto, ad perfectum proficiunt, nihil prohibet, postquam nati *esse* acceperint: imo & necessarium est, vt dicantur & audire, & accipere peritiam, sive artem, & quæque accepta perficere possunt.

Porro in Sancta Trinitate, cum & materia, & omnis affectio imperfecta, ab ea penitus remotæ sint per summam eius simplicitatem, atque perfectionem: ineptum omnino est, putare, vel filium natum prius ignorasse patris voluntatem, eámque postea, patre tradente, didicisse: quasi postmodum essentiæ suæ scientia adiecta; vel Spiritum sanctum, patris, ac filij scientia postea indiguisse, quasi seorsim, ac paulatim ad perfectionem evaserit.

Si autem Dei quidem verbum patris sapientia est, imo unus cum patre Deus est: sanctúsque spiritus sapiētiæ spiritus cum sit: nihil unquam ab alio audire opus habet: hæc enim ab illa substantia prorsus aliena sunt;

discretio

discretioque in personis divinis sola causæ, causalisque ratione locum habet: liquet, patrem, cum sine causa sit, ideirco ab alio neque accipere, neque audire: Filium vero eum non à se ipso sit sed initium habeat, patrem, non à se ipso, sed à patre, & loqui, & audire dici: quippe cum inde, & essentiam vna, & sapientiam traxerit. Sanctum vero spiritum cum à filio & audire, & accipere dicatur: constat profecto, à quo accipit, inde etiam essentiam traxisse procedendo.

Sive igitur non accipit à filio spiritus: & scripturam vna, atque Doctorum voces erademus: neque iam ex ipso naturaliter, atque essentialiter procedere dicetur: sive, ex ipso accipit, vt ipse filius dixit: ita enim id dictum SS. Patres acceperunt: quæ autem accipit, & habet: quippe iuxta Athanasij sententiam, *quæque habet, à filio accepta habet*: quæ autem habet, huius essentia est, atque totus ipse essentiam vere procedens habet, sicut & filius hanc habet nascens, necessario à filio accipiens, etiam ab ipso habet esse.

Ac sicuti D. Chrysost. illud Evangelicum exponens, *Omne iudicium dedit filio: Quoniam*, inquit, *quod ait, dedit vitam & quod dixit: Iudicium dedit: idem est ac si dicat. Iudicem illum genuit*: eodem modo, scilicet, & quod dicitur audire, & accipere, secundum differentes personarum processus, id commendat eum habere esse ab eo, à quo accipit. Nã si quod dicitur, *dedit*, iuxta Chrysost. eum, ex causa esse, significat, etiam accipere quod dicitur, idem significabit. Quod enim dat causa, id & causale accipit. Vnde & D. Athanas. ad Serapionem: *Accipiet* pro eo, quod est, *suscipiet*, exposuit dicens: *Atqui si filij spiritus est. & à filio omnia suscipit spiritus, vt ipse scilicet Dominus ait.* Vbi vero hoc ait Dominus? illic profecto vbi dixit: *Ex meo accipiet.* Itaque si quod à patre accipere dicitur filius, ab eo nasci est, & quod à filio suscipere spiritus dicitur, hoc est à patre per filiũ procedere, & quoniam eius, quod annuntiare, & suggerere dicitur, accipere causa est: accipere autem, & audire à filio habet, necessario audire, & accipere idem in divinis rebus est: ac magno asserente Athanasio, quæcunq. habet spiritus, à filio accepta habet: per id ergo, quod audit à filio & accipit, totus ex toto esse demonstratur. Et quia nõ aliud est pater, aliud totum filius: sed vnum est totũ pater, & filius: Vna enim est essentia & patris, & filij, quasi ab vno spiritus accipit, servata sẽper differentia gignentis, & geniti. Quocirca etiam à filio habere esse dicitur, ac per filium procedere.

Si igitur iuxta Salvatoris sententiam ab ipso, spiritus audit, & accipit, porro, ab ipso audire, & accipere quod dicitur, ab eo esse habere, significat, secundum communes sanctiones fidei., sanctorúmque Patrum expositiones: qua ratione, magnus Basilius, eum, qui esse ab illo habet, & ab ipso accipit, & annuntiat nobis, ac penitus ex illa causa pendet, quasi alienum denegabit? Illud enim ex sacris literis accepit: hoc autem, quasi consequens, & æquivalens, posuit, veluti conclusionem initia necessario sequentem. Quis autem dicat, nova illum, & asperiore, atque insueta vsum voce, cum ipsa sacra eloquia, & divus ipse Pater cum Doctoribus reliquis, fidésque, atque omnia penitus reclament?

Ex quibus sane manifestum est, dictum illud, sicut supra expositum est, magni patris esse Basilij, ex quo sibi ipsi, & Doctoribus ceteris consonet. In quibus autem exemplaribus non ita invenitur, astum esse apertæ malignitatis, eorum scilicet, qui tuendæ opinionis suæ causa, quæ maxime contra se erant abstulerunt, & magistros nostros iniuriis, contumeliísque affecerunt: partim addendo, partim detrahendo illorum dictis, atque sententiis.

At, si dicat quispiam, Basilium sanctum in eodem contra Eunomium opere, aperte Trinitatis ordinem, tertiumque à patre Spiritum sanctum denegare: cum ipsum Eunomium arguens dixit: *Qui nam vero sancti, & in quibus libris eius doctrinæ auctores fuerint, dicere non potest*: ipse Eunomius scilicet: ipse enim de sancto spiritu dicebat: quod, cum a Sanctis tertium ipsum esse, & ordine, & dignitate, accepisset, tertium etiam natura esse crederet. Si quis igitur hoc auferat: constat quidem ex his, quæ dicta sunt, magnum Basilium ordinem in sancta Trinitate confiteri, tertiumque à patre esse Spiritum sanctum. Hic vero Eunomium insimulat, vel quia ordo iste nec dum ita fuerat à Sanctis declaratus, & simpliciter, more suo, mentientem per hæc, arguit, non habentem, unde id posset asserere manifestius. Imo, nec dum id ita aperte positum fuerat, neque de hac ratione ordinis, quispiam priorum ita disseruerat. Ante enim ea tempora, quibus Athanasius, Basiliusque floruerunt, & quique per eam ætatem fuerunt Ecclesiæ magistri, nullos fuisse publice Doctores legimus: Sive quod magis proprium, ac verum est, quasi derogantem sanctis, atque ipsi veritati calumnias struentem, cum eos tradidisse asserat, Spiritum sanctum tertium esse & ordine, & dignitate, quosdam scilicet substantiæ gradus distinguendo: atque ideo se credidisse, illum natura quoque esse tertiũ: Basilius enim, quod ex prædictis patet, ordine quidem, ac dignitate, tertium fateri, ut pium, amplectitur: tertium vero & dignitate, & ordine secundum naturam, nusquam suscipere perspicitur.

Duplicem enim ordinis speciem in superioribus tradidit, alteram ex his probans: alteram, ut supra declaratum est, improbans. Nam adversus id quidem, quod tertius ordine, & dignitate dicitur: iuxta quem ordinem essentiarum differentiæ, & prius ac posterius, & honorabilius inferri videbatur, tota vigilat intentione? Ad id vero, quod tertius ordine & dignitate dicitur, secundum quem ordinem causa, & causale: initium, & quod ex initio est, & simul, & coæternitas conspiciuntur, sicut igni, ad lucem, quæ ex ipso manat, naturaliter convenit, vt ipse dicit. Vel, sicut lux, & radius, & sol ad se invicem habent: ad hunc igitur ordinem, nequaquam reluctatur: nisi quis eum sui oblitum putet, ac se ipsum destruere.

Simul & hoc ex superioribus apparet: eos, qui ita exponunt, quod dictum est: *Ex meo accipiet*, pro eo, quod est, *ex patre meo*, non recte arbitrari. Summi enim Patrum, hoc, vt supra ostensum est, in filio acceperunt, quasi diceretur, *ex meo, ex mea re*, hoc est, totum ex tota mea plenitudine accipiet.

Præterea si esset hæc vera intelligentia, nequaquam sine additamento diceretur. Nunquam enim possessiva pronomina masculini, vel feminini generis, sine articuli adiectione græcæ linguæ proprietate proferuntur. Dicimus enim ὁ ἐμὸς πατήρ, καὶ ἡ ἐμὴ οἰκία, ἡ πόλις, id est, *hic meus pater, & hæc mea domus*, aut *civitas*. Ita quippe Græcæ, ut diximus, linguæ consuetudo, qua hoc Evangelium scriptum est, proferre consuevit: Alias enim vitiosa esset pronuntiatio. Cum vero sine adiectione dicitur, neutrum esse, & rem significare intelligitur. Exempli causa, εἴ τι τῶν ἐμῶν ἐστι παρά σοι, id est: *Si quid meũ est apud te*, quod per se rem intelligi dat. Ad hæc autem: *ex meo accipit*, sive *accipiet*, præcedentia commendat. Ait enim: *Omnia, quæ habet pater, mea sunt. Ideo dixi vobis, quia ex meo accipit.* Si enim spiritus à filio accipit: Patris autem omnia, & filio communia sunt: manifestũ est ex his, insinuari filium, vnum cum patre, Deum esse: Spiritum autem verum Deum ex patris, & filij essentia denuntiari: quæ sane superni eloquij vis est.

Porro dicere: *Omnia, quæ habet pater, mea sunt: ideo dixi: quia ex meo patre accipiet*: aut nihil significat, aut nihil ad propositum sibi: quippe suscepta ad structuram causá, nihil de filij dignitate concludit: nisi in quantũ dictum est: Omnia, quæ habet pater mea sunt: quod etiam sine eo, quod sequitur, solum per se ipsum dici poterat.

Responderur ad obiectionẽ ex S. Chrys.

Cæterum, si quis Divum Chrysostomum obiiciat, in quodam sermone suo id exponentem, quod dicitur; *ex meo accipiet*: videlicet *ex mea carne*, atque *ex meo corpore*, veluti ex cisterna quadam inde hauriens: Impletum enim fuisse Iesum secundum hominem

A

omnibus gratiis spiritus, ab illo sibi insitis, & in se reconditis, atque ita cæteris distribuisse: vt interim somni huius viri fuisse hunc sermonem concedamus: valde enim suspectus est, eo quod reliquis sermonibus illius minime similis sit: neque sensu, neque dicendi modo, erat enim magis proprium dicere: spiritum ex se ipso ista accipere, cum ipse magis huiusmodi munerum sit fons, quam Domini corpus in quantum corpus: expressiusque diceretur, & verius, filium à spiritu accipere, & dare nobis, cum & ipse ista det: atque eo ma . s, qun & ipse spiritum dat, non ille, filium.

Posito tamen, hunc sermonem esse Chrysost mi, ie ist : docebimos, neque superioribus contraria esse, neque traditam à sanctis Patribus expositionem, hoc posito, nutare. Neque ista sibi adeo contraria, vt vno n-sito, reliquum inconstans sit. Neque enim, etsi, vt homo, filius mittitur, plurimisque Docto um id videtur: non ideo, qui hunc, vt Deum mitti dixerit, continuo blasphemus erit. *Missus enim est*, ait Theologus Greg. *sed quasi homo, sin autem etiam ut Deus, quid hoc?* Et hoc profecto, quasi verum, approbavit?

B

Neque magn. Basil. cum dixisset, filium ordine, ac dignitate à patre secundum esse: quia initium, & causa il- , vt esset, pater fuit: continuo se ipsum destruxit, adiiciens: *& quoniam per ipsum accessus, & adductio ad Deũ, & patrem nobis est:* Vtrumque enim verum est, si quis ista distinguere velit, & iuxta variam intelligentiam accipere.

Ita & Chrysostomus dixisse putandus est, cum hæretici ex eo, quod dicitur Spiritum S. à filio accipere, spiritus substantiam vellent imminuere: sanctus illorum ora obstruere volens, hoc in loco accipere quod dicitur, secundum hominem accepit: vbi autem adversus illos ei pugna non erat, traditam expositionem cum reliquis roborat. Dicens enim Ioannis Evangelio: *Ex meo accipiet:* hoc est, ex mea scientia, ostendit se quod dicitur, ex meo accipiet, vel accipit, *ex filio*, intellexisse. Ipse quippe est Dei sapientia, neque est aliud essentia eius, præter scientiam ipsius. Aliter quippe compositus erit, cum in alio essentia, in alio scientia inspicietur. Et essentia quidem carere intelligentia: scientia vero sine substãtia esse credetur. Enimvero dare, & accipere quod dicitur, causam, causaleque signare monstravit. Hoc autem expositionem, quam prædiximus, roborat.

C

Quemadmodum igitur his, qui maius in patre pie causæ ratione suscipiunt, dicere id quoque non nisi pium est, iuxta sanctorum scilicet doctrinam: Ita & in filio dicendum secundum Athanas. quod scilicet spiritu sit maior: ita ergo nihil prohibebit, etiam ipsius Chrys., traditam expositionem, veram, ac necessariam existimare: maxime cum hodie nulla nos hæreticorum contradictio perturbet.

Si igitur, neque Doctoribus reliquis, neque sibi ipsi contrarius est: quomodo prædictam expositionem illi contrariam dicemus: si, & illo modo alia ratione dici potest, nulla præsertim contradictione perurgente? Colligi autem & hoc ex prædictis potest, quia maius, quod filio secundum causam Athanasius reddidit: hoc Mag. Basil. in spiritu posuit, asserens illum filio concedere & ordine, & dignitate. Nam si spiritus concedit filio, & ordine, & dignitate, constat filium maiorem esse ordine, ac dignitate. Hoc autem etiam ad Amphilochium scribens, indicavit dicens: sicut ergo Spiritus sanctus, eius, ex quo processit magnitudinem insinuat, filij scilicet, de ipso enim sibi sermo erat: Etsi igitur cum filio concedere dixit: vnam tamen vtriusque naturam confitetur: quoniam deitas in vtroque vna. Ac veluti cum pater filio * maior, causæ ratione dicitur: non ideo tamen filius patre minor est. Ita, & cum filius maior Spiritu sancto asseratur: non tamen filio minor Spiritus sanctus intelligitur. Vna quippe trium essentia est. Porro cum huiusmodi secundum personalem ordinem dicuntur, sola causa, atque causali personarum discretio redditur. Nihil enim aliud concedere, vel secundum esse significat, nisi aliam ante se esse personam, quæ ante, mente concipiatur, quam ipse.

D

* Hæc quæ de maiore, & minore, hic & supra sæpius Cal. repetit, pie & commode accipienda sunt, ut & illa de prioritate: ut simpliciter nihil maius aut minus est in SS. Trinitatis mysterio.

E

Porro, qui ita Basilij dictum accipiunt, ut quod ille ait spiritum à filio esse habere, ab ipso dari, habere significare putent, esse p n eo, quod est dari, accipientes: contra omnino sentiunt, quam se habet Doctoris intentio. Ille enim consubstantialem patri filium cum ostendisset: etiam Spiritum sanctum consubstantialem filio, ac per ipsum, Patri, concludere intendit. Cæterum dari à filio, contrarium concludit, nisi quod datur per eum, per quem datur naturaliter, & essentialiter procedere præsupponatur, quando etiam dari, in divinis idem est, quod procedere. Quoniam igitur Eunomius creationem filij Spiritum sanctum esse blasphemabat, dari autem solum quod dicitur: ad hanc illi blasphemiam opitulabatur: sanctus profecto vir, atque doctissimus, nunquam adeo imbecilliter, ac pro inimicis etiam egisset, imo, si omnino putavisset, huiusmodi expositionem ex verbis suis capi posse, vel id nunquam penitus dixisset: aut, cum adiectione, ac præfinitione, iuxta Doctorum consuetudinem dixisset: atque omnino, vt fuit diligentissimus, in hac re inprimis maximam diligentiæ curam habuisset, ne contra quam proposuisset, efficeret.

F

Ex quo item constat, ideirco dici à filio dari Spiritum sanctum, quoniam ab ipso, esse habet. Alias enim ministri fungeretur officio, quod non per ipsum naturaliter procederet, præbens. Liquet etiam, quod dicitur, ab eo esse habere, substantiam spiritus per filium significare.

Præterea, magnus ipse Basilius in IV. quæstionum ait: *Neque enim minus aliquid eramus habituri ad agnoscendum, quod spiritus ex Deo sit: spiritum oris eius ipsum esse audientes:* sed hoc sufficere poterat per se ad indicandum, substantiam eius, ex Deo esse. Si igitur spiritum ex Deo esse, idem est, quod spiritum oris eius dici: Os autem patris, filius à magistris Ecclesiæ dicitur: idem ergo est, spiritum ex Deo esse, dicere, & ipsum filij spiritum dicere. At illud, Sancti Spiritus ex Deo substantiam significat. Itaque & quod filij spiritus dicitur, eandem itidem substantiam spiritus & per filium, & à filio designat. Sufficere itaque ait & hoc ad insinuandam substantiam spiritus. Vnde constat etiam, quia non alias filij diceretur spiritus, nisi per ipsum, & ex ipso substantiam haberet.

G

Quoniam igitur in Deo, & materia, & cuncta quæ sunt ex materia, penitus locum non habent: & neque secundum excellentiam, atque defectum: neque vt possessio, sive factura, sive pars, sive membrum, neque quomodolibet aliter potest hoc huius, aut huius dici, secundum huiusmodi proprietatem: constat profecto, quia cum hoc huius, aut huius à Theologis dicitur, causa insinuatur: aliter enim esse possibile non est.

Ex quo & illud vna insinuatur, spiritum ad filium relative dici, si hæc ad invicem discernere, secundum causæ, causalisque relationem velimus: siquidem iuxta Gregor. Nyssen. *In hoc solum, alterum ab altero distingui deprehendimus quod ille, causa, iste, ex causa sit.* Quod rursus ita divisit: vt alium diceret esse continenter ex primo: alium per eum, qui continenter esset ex primo, manare. Sed iam libri huius continenda longitudo est, vt ad ea, quæ restant, lectoris intentio interim à labore reparata, alacrior, atque vigilantior assurgat.

H

Finis Libri I.

MANVELIS

MANVELIS

CALECÆ,

LIBER SECVNDVS, DE PROCESSIONE S. SPIRITVS contra Græcos.

IESV NOBIS PRÆI, ET DVX ESTO. Te enim duce, non errabimus.

IN sacris literis Spiritus sanctus Dei spiraculum dicitur. *Spiraculum*, enim, *omnipotentis*, ait beat. Iob, *edocet me*. A spirando enim utrunque, & *spiritus* scilicet, & *spiraculum* denominatur. Nam, & magnus Athanasius, in libro qui inscribitur, *Reprehensio simulationis Meletij, & Eusebij*, dixit, *Non nativitati Sancti spiritus processio assimulatur, sed spiraculo; quod spiraculum quasi ex ore prodeat.* Idémque in libro ad Serapionem de Spiritu sancto: *Spiritus iste*, inquit, *spiraculum filij est.* Si igitur spiritus quidem filij est, & dicitur spiritus: spiraculum autem, & spiritus idem est. Spiraculum vero spirantis est; manifestum est, Spiritum sanctum ad filium, quasi ad inspirantem referri. Nam si spiraculum ipsius est; constat, quia ab eo inspiratur, ipseque inspirans est. Spiraculum quippe, vt diximus, a spirando denominatum est.

Iob. 33.

Quoniam vero spiraculum Dei dicitur Spiritus sanctus, vnus autem Deus est pater, & filius; quippe dum vna essentia sit; servata solum personali differentia; qua alius gignit, & alius gignitur; totúsque ea toto Spiritus sanctus asseritor: Neque aliud est totus pater; aliud totus filius; neque dissonum: constat, quia pater, & filius vnus est spirans sanctum Spiritum, quorum ille spiraculum est. Vnde & productor per verbum dictus est.

S. quoque Epiphanius in eo libro, quem inscripsit * Anchoram, sic ait: *Pater erat semper, & filius erat semper, & Spiritus sanctus semper ex patre spirat, & filio.* Verum enimvero, ut germen, & filius idem est, & spiritus, & quod spiratur. Atqui productor per se ad productum dicitur; ergo & ad spiritum dicetur. Itaque, cuius est spiritus & ab eo inspiratur, & ad illum relative dicitur. Ex quibus item constat, quoniam spiritus relative filij spiritus dicitur. Quocirca & hoc ad insinuandam eius substantiam sufficere, magnus inquit Basilius. Nisi enim ita esset, cum spiritum dicimus, in vnam S. Trinitatis personam cogitatio non recentreret, sed in vnum Deum. Et Deus enim absolute spiritus dicitur; atque ita, neque Trinitas esset Deus; neque nos propriis eam nominibus confiteremur: neque in cogitationem trium personarum adduceremur.

* Ancoratus.

Attestatur autem his & S Augustinus in v de Trinitate libro, ita dicens: *Spiritus vero sanctus secundum id, quod scriptum est: quoniam Deus spiritus est, potest quidem universaliter dici: quia, & pater spiritus, & filius spiritus. Itaque & pater sanctus, & filius sanctus, & spiritus sanctus, quoniam, unus Deus: & utique Deus sanctus est, & Deus spiritus est, & potest appellari Trinitas, & spiritus sanctus. Sed tamen ille spiritus S. qui non Trinitas, sed in Trinitate intelligitur: in eo, quod proprie dicitur spiritus sanctus, relative dicitur, cum ad patrem, & ad filium refertur: quia spiritus sanctus, & patris & filij spiritus est.*

Theologus item Gregorius ait: *Emanationis ad alterutrum habitus differentiam: differentiam etiam illorum appellationem effecisse: ut scilicet, alius quidem filius, alius Spiritus sanctus diceretur.*

Sed & Gregorius Nyssenus ait: *Filius autem sanctus spiritus neque est, neque dicitur, neque convertitur habitus ista consequentia.* Vbi vero habitus est, & relationem profecto esse constat.

Quod si quis contendat, ac spiritus nomen inter ea, quæ dicuntur, *Ad aliquid*, ponere omnino renuat: Primum quidem, præter omnem rationem, Patrumque sententias sentire se noverit. Deinde, nobis non de nomine, sed de re maxime sermonem esse audiet. Ipsa igitur persona spiritus, sive productum, sive spiritus, sive procedens, sive aliquid aliud dicatur, Trinitatis tertia persona patris, & filij esse dicitur, & ad patrem, & filium refertur: In divinis autem personis, quod esse alicuius dicitur; aut ex illo est, aut causa est eius, cuius esse dicitur. Nulla enim alia illic differentia est, præter relationem, quæ secundum causam causale est. Aliter enim non esset Trinitas Deus.

Quod autem à quibusdam infertur, vt dicant; *quia & ianua domus dicitur, & Deus, Deus noster, sed neque ianua ex domo, neque ex nobis Deus, penitus absurdum & fœdum est:* Primum enim in divinis personis solum dignitas servari dicitur, vt, quod alicuius dicitur, aut ex illo sit, aut causa eius esse, cuius dicitur, intelligatur: quandoquidem illic nulla est alia differentia. Neque enim ut membrum, aut pars, aut instrumentum, aut possessio, aut quomodolibet aliter, ut in creaturis fit, hoc huius dicitur. Deinde dicitur quidem Deus, Deus Abraham, & Isaac, & omnium, sed iustorum quidem, vt mansio, & sors. Hæreditas enim Sanctorum Deus est; creaturarum vero, cæterorúmque simpliciter, vt creator, & Dominus, suorúmque providentiam gerens.

Ex quo liquet, ne in hoc quidem deesse ordinem secundum ea, quæ dicuntur *Ad aliquid*. Animadvertitur is ordo secundum id, quod perficit, & quod perficitur: quodque regit, & quod regitur. Ideoque neque spiritus secundum personalem proprietatem suam, creaturæ spiritus dicitur: sed secundum quod Deus vnus est cum patre & filio, sanctificans, atque inspirans, aut aliter eos, qui digni sunt, meliores efficiens, atque eos visitans.

Præterea, quoniam productor cum sit eorum, quæ *Ad aliquid* dicuntur, ad solúmque dicatur spiritum: constat & spiritum ex his, quæ *Ad aliquid* dicuntur, esse, atque ad solum referri productorem. Nam, si quid, secundum quod eiusmodi est, ad aliud aliquid dicitur: constat, quia & illud ad primum, quasi ad aliquid dicitur. Si enim homo, secundum quod Dominus, ad alium aliquem dicitur; & ille, vt servus ad eum refertur; quod servus, & dominus ad alterutrum semper relativa sunt: hoc ipsum & in omnibus, quæ quasi *Ad aliquid* se ad invicem habent. Cuius ergo spiritus, spiritus est, ille productor est: spiritusque ad eum, cuius est spiritus, quasi ad productorem refertur. Spiritus autem filij spiritus dicitur: Filius ergo productor S. Spiritus est, & spirans ipsum est. Ideoque processus illius spiraculo assimilatur, & à spirando denominatus est, & spiraculum filij appellatus est. Ac iuxta S. Epiphanium: spiritus ex patre spirat, & filio.

Præterea Basilius in libris contra Eunomium, & Arium: *Spiritus*, inquit, *ad patrem proprietatem intelliga, quia procedit ex patre. Ad filium autem, quoniam audio: si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius.*

Rom. 8.

Quoniam igitur non magis proprius patris, quam filij est Spiritus sanctus: quia est eadem substantia patris, & filij: spiritus autem proprietatem ad patrem vir sanctus intelligit: quia procedit ex patre: necessario & ad filium proprietas eadem ratione intelligenda est. Itaque quod dicitur spiritus Christi, & spiritus filij, ex eo ipsum esse commendat: maxime cum vir sanctus præmiserit dicens, ad ostendendam illius substantiam, ex Deo esse, id sufficere, quod dicitur: *Spiritus oris illius.*

Ps. 32.

Sed & in capitulis quoque ad Amphilochium ait: *Neque hinc solum natura communio ostenditur: sed quia etiã ex Deo esse dicitur: non quasi per omnia ex Deo prodiens, sed quasi spiritus oris illius hinc quidem insinuata proprietate: substantia vero modo ineffabili servato. Et spiritus autem*, inquit, *filij dicitur, quasi proprius illi per naturam.*

Ex his autem constat, quia mag. Basil. proprietatem in divinis personis dicere vult, velut causæ, causalisque consortium. Quod enim dicit, tale est. Cum audimus spiritum S. spiritum oris Dei, intelligimus ipsum, naturaliter ex Deo esse. Hoc est enim proprietas: Modum vero, quo ex Deo est, hoc est procedere ipsum ignoramus. Etsi enim alium quidem gigni, alium vero procedere: atque alium quidem sine medio ex primo; alium vero per eum, qui sine medio ex primo est, substantiã habere credimus; nihilominus tamen modum ignoramus. Hoc ergo cognito: quia est ex Deo naturaliter, consequenter, quomodo sit quæritur.

Itaque proprietas hæc principaliter quidem causam, & *causale* significat. Deinde, consequenter, consubstantiale etiam. Atque huius indicium est: primum quidem, quia consubstantiale nullam indicat discretionem. Proprietas vero differentiam, discretionémque commendat. Deinde, quod consubstantialia quidem invicem, secundum eandem verborum rationem, absque vlla adiectione convertuntur: Pater quippe consubstantialis est filio, & filius consubstantialis est patri. Quod sane consubstantiale hic etiam discretionem præsupponit, ex nominibus patris, ac filij satis apparentem. Proprietas vero non simpliciter, sed cum adiectione: Neque enim dicere possumus, pater proprius filio, & filius proprius patri, sed ita proprie reddemus: Filius quidem proprius est patri filius: Pater autem proprius est filio pater. Illo enim modo indiscrete, & sine relatione ad invicẽ redditur. Sic autem proprietatem filij ad patrem secundum quam ex illo genitus, patrisque ad filium, secundum quam ipsius pater est, reddimus.

Oportebat igitur similiter converti proprietatem, sicut consubstantiale est: siquidem proprietas consubstantiale ipsum principaliter significaret. Nunc vero huiusmodi proprietatem consubstantiale sequitur. Sicut & filius, nomen secundum se quidem processum alicuius ex aliquo significat, in eadem specie, consequenter vero consubstantiale etiam. Quod enim ita processit, necessario etiam consubstantiale est. Non igitur Spiritus sanctus proprius filij secundum naturam diceretur, nisi per ipsum procedens naturaliter, per ipsum etiam substantiam haberet. Quod enim ex aliquo, aut per aliquod secundum æquivocum processum prodit, unaque ex illo esse monstratur, à quo & proprietas maxime elucet, & consubstantiale consequenter, eiusdémque speciei demonstratur.

Idcirco magn. quoque Basil. hinc proprietatem insinuari dixit, quia ex Deo esse dicitur. Quod autem ex Deo esse dicitur, causam ostendit, qua præcedente consubstantiale etiam secundum huiusmodi proprietatem in divinis personis sequitur. Quoniam igitur Spiritus sanctus secundum naturam proprius est filio: constat, quia ad illum veluti ad causam refertur. Vnde etiam consubstantialis illi est.

Mag. item Basil. in expositione 32. psalmi ait: *Sicut igitur creator verbũ firmavit cælos; ita & spiritus, qui ex Deo est, qui à patre procedit, hoc est, qui ex ore eius, ne quid eum exteriorum esse, neque creaturarum, arbitreris: sed, ut quod ex Deo habeat substantiam, glorifices. Omnes enim in eo virtutis simul continet.*

Et post pauca: *Hoc quidem in loco spiritus oris eius dici, ut intelligatur Salvator, sanctissimúsq; eius spiritus. Vbi autem inuenitur? Apostolo scilicet dicente de filio: Ferens omnia verbo virtutis suæ. Virtutem, & verbum filij Spiritũ S. posuit.* Ac rursum: *Quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, & destruet illustratione adventus sui.* Ex quo etiam constat, stultum, & irrationabilem fuisse quorundam malignitatem: qui ex hoc Apostoli dicto Iesus, deseverunt, ne de filio Dei hoc intelligatur. Ex eo enim, quod illatum est, *illustratione*, arguuntur. Futura enim apparitio Domini Iesu creditur, simulque in vetustissimis exemplaribus integritas Apostolicæ sententiæ ostenditur. Hoc tamen in loco sanctus vir os Dei filium esse ait: Dixerat enim superius spiritum ex Dei ore esse, quod idem significare dixit: qui à patre procedit.

Heb. 1. 2. Thes. 2.

S. autem Athanas. Antiochenus Episcopus, in eo libro, quem prædiximus: *Verbum*, inquit, *sine spiritu non est: sicut neque sine verbo mens. Mentem vero esse patrem verbi dicimus. Mens, in qua verbum, cum qua Spiritus, S. Spiritum oris Dei diceas, os enim patris filius.*

Si igitur, spiritus quidem ex ore Dei est; hoc autem idem est, quod qui à patre procedit: Os autem patris filius est: & quod dicitur ex patre procedere, illius substantiam significat: cur non id quoque, quod dicitur filij spiritus, & spiritus oris eius, indifferenter illius substantiam significet: secũdum quam ex patre per filium procedit: ac per ipsum: & ab ipso esse habet.

Mag. item Basil. in IV. contra Eunomium, quasi ex contrario proponens: *Sed dicis* inquit, *Si Dei quidem imago filius est, verbum autem filij, spiritus, cur non filius filij spiritus dictus est?* In has igitur ineptias ipsum impellẽte Eunomio: nisi ex filio esse Spiritum S. crederet, Basilius facillime illi obviasset dicens: quomodo esset spiritus filius filij, qui non quomodolibet ex filio, sive per filium procederet? ita enim se controversiæ huius molestia eximeret. Verum id quidem non dixit: sed, subiiciens quod proposuerat, solvit: *Nos autem & de hoc ad nos ipsos, quantum possibile est, respondemus. Nam ad te quidem etiam facere satis esset, eadem interrogatiuncula tibi quoque immineate. Dicimus igitur: quoniam dicere filium ex filio, divinitatis Trinitatem in suspicionem multitudinis adduceret, audientibus hominibus. In promptu enim erat, suspicari quoniam si filius ex filio natus esset, & ex eo rursus alium nasci, atque rursus alium, ac deinceps in multitudinem crescere. Huius ergo rei gratia, ex Deo quidem esse spiritum Apostolus aperte prædicavit dicens: quoniam spiritum Dei accepimus: eumque per filium manasse, manifestam fecit filius: spiritum ipsum appellans sicut & Dei, & Christi mentem nominans, sicut & Dei spiritum. Filij autem filium appellare caute declinavit.*

Itaque Magn. Basil. filij quidem filium esse spiritum negat, ex filio autem sive per filium prodire asseverat. Quod autem manare naturaliter *procedere* significet, ex eo quidem manifestum est, quod eo verbo etiam in nativitate filij Theologi utuntur. S. enim Cyrillus, in libro, quem ad Valerianum Episcopum scripsit: *Sanctus*, inquit, *per naturam cum sit, quemadmodum & pater, is, qui ex eo manavit unigenitus filius à patre, sanctificatus dicitur secundum quod apparuit homo.*

Sed & ipse quoque Basilius in libro de Spiritu sancto: *Spiritus*, inquit, *nihil sibi quæsitum habet, sed æterne cuncta habet, ut spiritus Dei, atque ex illo manans manare*, posuit pro eo, quod est, *esse*. Patet autem ex præcedẽtibus. *Filij enim*, inquit, *spiritum ipsum nominavit, quemadmodum & Dei, eodem modo esse spiritum filij spiritum, quo etiam est Dei, & patris.*

Idem rursus in eisdem, capitulo, quod inscribitur, *Cur non & spiritus filij filius*: inquit, *Non ideo, quia non ex Deo per filium sit: sed, ne Trinitatis existimetur infinita multitudo filios ex filiis, ut fit in hominibus, habere credita.* Cum dixisset igitur: non ideo, quia non ex Deo per filium sit, ostendit, quia ex Deo per filium est, duabus negationibus pro vna affirmatione vtens. Quem igitur esse per filium dixit: hunc etiam per filium manare indicavit: *esse*, ac, *manare in substantia*, indifferenter ponens.

Nam si, ut quidam putant, manare, manifestationem, qua mundo manifestatus est, signat: quoniam secundum hanc magis filium spiritus manifestat. *Ille enim* inquit, *me clarificabit.* Erit ergo & filius verbum S. Spiritus: At id Gregorius Nyssenus negavit dicens: *Filius autem S. Spiritus neque est, neque dicitur, neque cõvertitur habitus ista consequentia.* Nempe autem sitne,

vel

vel non sit filius Spiritus S. manifestatio nihil potest ostendere: nisi manare, substantiam simpliciter significet, sicut esse etiam: secundum quam scilicet substantiam per filium esse à Theologis asseritur.

Ex his vero illud conficitur, & Spiritum S. non esse filium, quippe emanationis differentia, hoc est, modus differens processus illorum substantiæ, secundum Theologum Gregorium, hunc filium, illum Spiritum S. appellari fecit. Hic enim ex patre sine medio, ille autem, per filium esse perhibetur.

Liquet autem & hoc, quod mag. Basil. eum iure suo consutare obiecta valuisset, dicens: *Qui igitur neque ex filio, neque per filium substantiam habet, filij Filius existimari, credique non posset*: quoniam ea potius sententia sua erat, ex patre per filium, atque à filio esse Spiritum sanctum: ei, vt certissimæ, ac veracissimæ acquievit: maxime cum dixerit, ita esse filij Spiritum sanctum, sicut & patris. Atqui, patris est, secundum quod ex eo est. Et filij igitur eadem ratione est: quoniam scilicet ab illo, esse habet, ac per eum procedit.

Idem præterea Basilius, adversus Eunomium pugnans, asserentem ex solo filio Spiritum sanctum, esse quasi creaturam, sicuti & filium ex solo patre, & ipsum quasi creaturam: arguere quidem illum, quod non sit à filio, sicut creatura interim omittit: tertio id reservans libro: *De hoc*, inquit, *cum plus otij fuerit dicemus.* Circa finem autem secundi libri contra Eunomium, in illum invehens: *Illud autem*, inquit, *cui ex omnibus obscurum esse possit, nullam efficientiam filij à patre divimi: nihilque esse in omnibus, quod insit filio quod à patre alienum sit? Omnia enim*, ait, *mea, tua sunt: &, tua, mea sunt. Quomodo igitur spiritus causam soli filio assignat, ipsiúsq; natura prædicatum: huius accipit creationem? Si quidem ergo duo principia subintroducens sibi invicem contraria, hæc ait: cum Manichæo & Marcione conteretur. Sin vero, ex uno quæ sunt, suspendit omnia, quod dicitur à filio factus esse, ad primam causam relationem habet. Itaque etsi omnia per filium in esse producta credimus, omnium tamen Deum causam esse non tollimus.*

In his vir S. Eunomium exagitat, quod interim à patre non dixerit esse Spiritum S. Sin vero hunc non à filio esse crederet, Basilius facilius eius obiectioni obviasset dicens: *quoniam quidem à filio nulla ratione, esse, habet, quomodo secundum te, ex solo filio est?* Cæterum, id quidem nõ dixit: sed, eum à filio esse, cum pro concesso posuisset, Eunomium arguit, quod à patre illum esse deneget. Ac deinceps, se contra eum armans, ait: *Quomodo ergo, non apertum periculum est, à patre spiritum dividere, id est, eum non esse à Deo & patre, contendere: cum vtrumque nobis Apostolus coniunctè tradat: & nunc quidem, Christi spiritum dicat, nunc autem Dei, ita scribens: Si quis autem spiritum Christi non habet, hic, non est eius.* Ac rursum: *Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est.*

Rom. 8.

Vbi notandum, quia Eunomium insimulans, quod non etiam à patre spiritum diceret, sed divideret à Deo spiritum: ipse, quod coniunctus sit, testimonium ex Apostolo producens, Deo, & Christo coniunctum spiritum commendat, hoc est, ex vtrisque esse. Nam, si à Deo dividi, id est, non esse à Deo: coniungi Deo, & Christo, constat, quod ab ipsis esse significat: Eius autem rei indicium est, quod cum dixisset: spiritum, nunc quidem Christi dici, nunc autem Dei, cum testimonio firmare vellet, quomodo sit Dei: *Nos autem*, inquit, *non spiritum huius mundi accepimus, sed Spiritum, qui ex Deo est*: quasi tantundem valeat dicere, spiritum Dei, & spiritum, qui ex Deo est.

Cum igitur exposuisset testimonium quod coniunctè dicatur Spiritus sanctus, & spiritus Dei, & spiritus Christi, Apostolúmque introduxisset testem, etiam ex Evangelio testimonium ad hoc asserendum assumere voluit: ac deinceps ait: *Cum autem hunc Dominus spiritum veritatis dicat: ipse quippe est veritas, & qui à patre procedit.* Hic idem rursus existimat spiritum veritatis dici, atque à patre procedere, pollicitus enim, testimonium se dicturum, quod coniunctè spiritus Dei, & Christi diceretur: Christi quidem esse, ex eo, quod spiritus veritatis dictus est: ostendit autem Dei esse, quia procedit à patre, quoniam igitur, quod dicitur, spiritus Dei, & spiritus, qui ex Deo est, & qui à patre procedit, eandem significat: quodque spiritus Christi, & spiritus filij, & spiritus veritatis est, & dicitur, causam similiter ostendit. Hæc enim vt * magister docuit, eandem habent vim: ideo etiam dixit: spiritum S. à filio esse habere, atque omnino ex illa pendere causa, idque rationem pietatis tradere: concordátque sibi sanctus vir in hoc, atque in aliis plerisque locis. Ex quibus cõstat, Spiritum S. relative filij spiritum dici, & spiritum Christi, & spiritum veritatis.

* S. Basil.

Nyssenus quoque Gregorius super oratione Dominica: *Vnigenitus*, inquit, *Filius à S. scriptura nominatur, atque hactenus illius proprietas traditur. Sanctus autem spiritus, ex patre dicitur, atque ex filio esse veris testimonio asseritur.* Si quis autem, *ex*, præpositionem hoc in loco à quibusdam adiectam asseveret: Primum quidem in vetustissimis exemplaribus ita haberi invenitur, vel saltem locus notatur: vnde, quorundam nimis insipientium hominum temeritate, particula illa deleta, perspicitur.

Deinde, nihil sibi insolitum dixit vir iste: Quod enim alibi ait: *aliud quidem continenter ex primo, aliud vero per id, quod esset continenter ex primo*, hoc ait & hic vniversaliter: quippe verum est, quod essentialiter per aliquod procedat, & per ipsum sit, ac per ipsum processus proprij substantialem habeat modum, id etiã ex ipso esse. Imo, consona Basilio dixit: Ille quippe vt ex prædictis constat, quod S. spiritus filij spiritus dicitur, in substantia illius intellexit. Quod enim spiritus filij, & spiritus oris eius dicitur, idem esse ait, ac si diceretur, ex patre procedere: atque ex eo, quod dicitur spiritus filij, huiusmodi ad eum proprietatem designari definivit, qualem ad patrem ex patre, quod dicitur, procedere commendat: sufficereque ait, quod dicitur spiritus filij, & spiritus oris eius ad insinuandam substantiam ipsius: neque minus aliquid significare, cum filij spiritus dicitur, quam cum eum ex Deo esse illum audimus. Ille igitur hoc ita exposuit. Pari autem intelligentia id dictum & Nyssenus accepit, quia enim, inquit, Apostolus eum filij spiritum, sicut & Dei nominavit, secundũ eundem morem est spiritus filij, secundum quem & Dei, & patris. Verum, Dei, & patris spiritus dicitur, quasi ex ipso existens. Igitur, & filij spiritum, vt, qui ex ipso sit, & ab ipso esse habeat, accepit. Non ergo nova, neque insueta voce, & intelligentia, beat, iste usus est: sed ex divinis literis occasione sumpta, consentanea magno patri Basilio locutus est.

S. quoque Cyrill. super illud Evangelium: *Alium paracletum dabit vobis*, ait: *Alium quidem paracletum spiritum vocat. Vna quippe in vtrisque substantia ratio, non extra ipsum ponens: sed alteritatis verbum in eo solo dans: quod spiritus ipse propria substantia esset, atque subsisteret. Neque enim filius spiritus est sed cum vere, proprieque cum sit, atque subsistat, hoc, quod est in fide suscipiemus: spiritus enim ei patris, & filij*: Hic notandum, quod ad ostendendum, Spiritum S. substantialiter esse, atq; subsistere hoc, quod est, hoc est à filio discretum esse, adiunxit: *Spiritus enim est & patris, & filij*, Itaque cum dicitur spiritus filij, discretionem quandam oportet intelligere, non consubstantialitatem, ut quidam dixerunt: etsi, quam maxime, vt dictum est, inde consubstantialitas sequitur. Sicuti & à patre quidem discernitur spiritus: quia ipsius est spiritus, vtpote ab ipso prodiens: Ipso autem hoc, quod illius est spiritus, procedit ab illo, consubstantialisque illi est, & filius à patre distinguitur, secundum quod filius est: ac discretio quædam signatur ex nomine: eo autem ipso, quod filius est, omnino etiam consubstantialis est.

Ioan. 14.

Et quoniam in divinis personis discretio relationem secundum causam, causaleque significat: quod autem dicitur filij spiritus, discretionem indicat: constat, quia

cum dicimus spiritum filij, relationem secundum caussam, atque causale signamus. Enimvero id dicere non possumus, referri quidem Spiritum sanctum ad patrem, & ad filium, idem esse, quod proprietates habere Spiritum sanctum, ut ad ipsos differenter referatur: aut spiritum differentem quempiam esse, ac duplicem: aut filium, non secundum essentiam, vnum esse cum patre, quæ identitatem filij ad patrem tollunt, vnumque, ac simplicem spiritus processum, secundum quem ad patrem, & filium refertur, ex patre per filium procedens, vna auferunt.

Deinde, etsi filius ad patrem, & ad spiritum refertur, & pater itidem ad filium & spiritum: sed omnino hæreticum est, etiam de spiritu sancto istud putare, ut ipse quoque, gemina relatione scilicet ad patrem, filiumque referatur. Spiritus enim secundum vnam, ac solam personalem proprietatem suam, ac secundum quod spiritus, ad patrem refertur, & filium; Pater autem & filius ad invicem quidem & ipsi personalibus proprietatibus referuntur: Ad spiritum vero, non hic, verum alia relatione, quam generationis, ac nativitatis,* productionis scilicet, secundum quam, vnum sunt pater, & filius: etsi sunt ad invicem differentiis discreti. Nam, secundum quod ille pater, hic filius est, ad invicem solum dicuntur. Itaque illic quidem fas est, secundum vnum scilicet, ac solum ipsius personalem processum, spiritum sanctum ad patrem, ac filium referri: In patre vero, ad spiritum & filium: ac rursus, in filio ad patrem & spiritum sanctum, omnino impossibile est: Nempe enim, etsi patris persona, vna cum sit, ac simplex, ad filium ac spiritum refertur: dicere possumus: quoniam pater quidem ad differentes personas, spiritum ac filium, refertur, secundum quod sunt personæ differentes: ideo & refertur differenter: spiritus autem sanctus, etsi ad personas differentes refertur, sed non secundum quod invicem differentes sunt, refertur: neque enim ad patrem, secundum quod pater est: esset enim spiritus filius: neque ad filium, secundum quod filius est: ad filium enim sic pater refertur solus: itaque quoniam vnum aliquod, ac simplex est, in patre, ac filio, ad quod refertur spiritus, merito, & vnica relatione ad eos referri dicendus est.

* Spirationis.

* leg. Greg. de Val. T. i comm. Theol. disp. 2. q. o p. 5.

Insuper quoniam idem & vnus Spiritus sanctus indifferenter, & sine aliqua adiectionis varietate, patris, ac filij spiritus dicitur: necesse est, secundum eundem modum, etiam amborum sit: sin alias, filij ad patrem inæqualitas sequitur: similitudinisque incommotabile hinc tollitur. Sicut enim sapientia, bonitas, iustitia, conditionisque ratio, patri filioque distributa, eis itidem, & sine varietate redduntur: ideoque vna essentia, & vna virtus, & vnus Deus est: ita, & in Spiritu sancto, æqualitatis ratio, necessario habenda est. Alias quippe, sicut in illis, cum non similiter patri reddontur & filio: diminutio, varietásque essentiæ filij ad patrem, sequitur, ut dictum est, secundum Arianorum propositionem: profecto & in sancto spiritu cum ambobus similiter, ac sine vlla varietate reddatur, si à nobis dissimiliter, ac varie redditur, idem necessario sequitur: multoque hic amplius, quoniam, & de consubstantialitate spiritus ipsis sermo est.

Id & Magistri Ecclesiæ senserunt. Ait quippe Cyril. beatissimus: cum illud exponeret: *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, Dei enim & patris naturalium bonorum essentialiter socius, consorsque, cum sit eodem modo habet spiritum, quo habere eum pater intelligitur, non inductum, neque extrinsecus iniectum, id quippe sentire, summa vesaniæ est: sed, sicuti unusquisque nostrum propriũ sibi continet spiritum, atque ex intimis visceribus ad exteriora profundit: propter hoc ipsum denique insufflavit corporaliter Christus, ostendens, quoniam sicut ex humano ore procedit corporaliter spiritus, ita, & in diuina substantia, qui ex ipsa est, spiritus deifice, digneque profunditur.*

Ioan. 20.

Idem rursus cum illud Evangelicum exponeret: *Et Deus erat verbum: non ergo,* inquit, *minor est, qui eandem habet efficientiam, quam perfectus pater, genitorisque spiritũ habet proprium natura bonum vivumque, & sibi substantialiter insitum, quemadmodum videlicet & pater.*

Ioan. 1.

Hic, si rursus quis duos processus sancti spiritus ponent, vnum *intempotalem ac substantialem, temporalem alterum, nec substantialem, patri quidem ambos assignet, filio vero secundum ac temporalem, secundum quem & mitti dicitur ab ipso, & dari, & infundi, & si quid aliud huiusmodi de tanta re dici convenientius potest: Primo quidem * id legem ferentis est: neque enim id a quoquam sanctorum dictum est: atque vna hoc ipsum inprimis est, quod minorem patre filium ostendit.

* ἀχρόνον.

* Hoc est, nihil probantis, sed tantũ cũ αὐτοκρατορικῶς asseverantis.

Deinde non dicitur tantum: quia per ipsum mittitur, & datur: sed, quia etiam procedit, quod profecto substantialem S. spiritus processum signat: qui etiam æternus atque ante secula creditur. Sed enim iam supra declaratum est, quæ ineptiæ, quæ indigna huiusmodi homines sequantur. Præter id namque, quod filio, ministri ordinem assignant, etiam accidentia secundum tempus filio, ac spiritui, imperfectionemque simul assignare cogentur.

Sed, ne in has nugas decidamus, dicendum est, secundum mag. Basil. quia, quod ex Deo procedit, non procedit in tempore, etiamsi in tempore eius efficacia appareat: Et quia secundum id quidem, quod dicitur, *ex quo*, vnicus processus; secundum vero id, quod dicitur, *in quod*, geminus esse secundum nostrum habitum agnoscitur, & quæque alia supra dicta sunt. Quandoquam nunquam à filio daretur, nisi ab ipso esset. *A quo enim*, ait magnus Athanasius, *dari oportebat spiritum, nisi ab eo, cuius est?* Alias quippe minister esset filius. Et certe, si priorem illum, substantialémque processum, secundum quem ab eo procedit, pater apud seipsum quasi non communem filio servaret, missionisque tantummodo illum communione dignaretur: ex mensura ergo daret pater filio spiritum, & non, vt Baptista dixit, *non ad mensuram.*

Ioan. 1.

Præterea si quidem missio patri, filioque communis sit, processio vero à patre solo non communicante sibi filio, omnia quidem filij patris erunt: non autem omnia patris, & filij. Non ergo verum erit, quod à veritate ipsa dictum est: *Omnia mea, tua sunt, & tua, mea sunt.* Et illod: *Omnia, quæ habet pater, mea sunt,* quod absurdissimum est, Sanctorúmque sententiis penitus adversum.

Ioan. 17.

Ait enim Cyrillus beatissimus super illod: *Omnia, quæ habet pater, mea sunt. Fructus igitur, & figura expressa paternæ substantiæ filius cum sit: omnia, quæ ipsius sunt per naturam, sibi vendicat: idcirco ait: omnia, quæ habet pater, mea sunt, ideo dixi vobis, quia, de meo accipiet, & annuntiabit vobis spiritus scilicet, qui per ipsum, atque in ipso est.*

Et idem rursus super illud: *Hoc erat in principio apud Deum; Deum,* inquit, *verum ex Deo patre vero genitum seipsum unigenitus ostendens ait: Omnia, quæ habet pater, mea sunt: omniumque proprietatum, quæ patri insunt naturaliter, hæres filius est, ut ex ipso secundum naturam existens, etiamsi non intelligatur esse pater: omnia autem perfecte in se ipso habens, quæ sunt paternæ substantiæ propria atque præcipua.*

Idem super illud: *sicut tu me misisti in mundum:* Quoniam, inquit ex patre, & in patre, *secundum naturam est filius, fructus existens verus substantiæ ipsius, patris proprium spiritum sibi per naturam vendicat.*

Sed & magn. Basil. in lib. de Fide, cuius initium est: *Dei quidem meminisse iugiter: Filius quidem,* inquit, *ut Filius, naturaliter, quæ patris sunt possidet: vt autem unigenitus, omnia habet in se ipso collecta.*

Si ergo, omnia, quæ habet pater bona præcipua, & propria patris, & filius itidem habet: præcipuus autem est spiritus vivens, & substantialiter insitus, isque proprie filij naturæ bonum esse à Theologis asseritur: quamvis etiam præter patrem esse solum, omnia quæ patris sunt filium habere itidem asseveratur: constat profecto quia & filij est Spiritus sãctus, sicut & patris,

ac

A ac secundum eundem modum. Alias enim summa illa cum patre identitate & incommutabilitate, filium excluderemus.

Verum etsi eandem substantiam habet & pater & filius, sicut in divina illa, simplicissimaque natura digne habere intelligitur: eandem tamen pater ita habet, ut à nullo accepisse, cum sine causa sit, intelligatur: Filius autem eandem ita habet, ut à patre acceperit, ut à causa, filiique rationem nascendo sibi vindicaverit. Similiter autem & de spiritu dicendum, quod eandem cum illis habeat substantiam, à patre quidem procedens, à filio autem accipiens causabiliter, hoc est processus ratione: sive ex patre per filium secundum suum substantialem processum, secundum quem ex patre, esse per filium asseritur.

Dicere autem: si omnia patris habet filius, & filius B necessario iam pater est: hominum est parū considerate loquentium, salvatorisque delentium vocem, ac personarum ordinem omnino ignorantium. Neque enim iam esset filius, filius: neque pater, pater, sed mista omnia, & confusa essent proprietatibus sublatis. Cæterum constat servatis tantum proprietatibus, quæ personas commendant, reliqua omnia, esse communia. Namque hic patris, ac sui mentionem faciens Dominus & omnium, *Omnia enim*, inquit, *quæ habet pater mea sunt*, his qui Trinitatem, & unitatem confitentur: dicendo, pater, & filius, intelligendas proprietates dedit, discretionemque personarum. *Omnia*, autem dicendo, cunctæ naturæ bona, quæ pater habet, præterquam esse patrem, intelligi voluit.

Vnde magnus quoque Basil. in libro de fide: *Omnia quæ pater est filium est. Patrem dixi, & filium, has mihi proprietates serva. Manens igitur filius, filius omnia est, quæ pater, iuxta ipsius Domini vocem dicentis: Omnia, quæ habet pater, mea sunt. Rë enim vera imaginis sunt omnia, quæ adsunt primitiva forma.*

Beatus item Cyrillus in secundo ad Hermiam ait: *Cæterum patri credimus filium etiamque æqualiter habentem, præter solum gignere.* Idemque in libro suo, de C Trinitate: *In filio, inquit, unigenito, per omnia simili patri, & æquali, præter id solum, quod pater non est.*

Divus item Chrysostomus in homilia 39. super Ioannem, super illud: *Vt omnes honorent filium, sicut honorant & patrem: Num ergo, inquit, & patrem ipsum appellabimus? Absit. Idcirco enim dixit filium, ut manentem filium, ut patrem honoremus. Qui autem ipsum dicit patrem, non iam ut patrem filium honorat sed permiscet, & confundit omnia.* Ac post pusillum: *Dedit, autem idcirco dictum, ne ingenitum ipsum suspiceris: neque duos patres esse putes. Omnia enim quæ pater est, hæc & filius est, genitus, & manens filius.*

Porro, si quis etiam spiritum S. eiusdem essentiæ cum patre, & filio cum sit, & ipsum quasi necessario se producere subinferat: audiet, hinc quidem esse nihil, quod ipsum se ipsum proferat, ipsumque sui ipsius causa sit: hinc vero nullam aliam nobis personam præter tres, in divinis traditam, ut illam producat spiritus. Itaque cogetur personam aliam, quæ producatur, invenire: quandoquidem, quod producit, & quod producitur, idem esse D non potest; simulque sermonis tolletur fundamentum. Præsupponitur quippe, iuxta sacri eloquij positionem, spiritum produci, vel procedere: solumque, unde, quæritur; & si pater, & filius unus productor est: at quod producit, & quod producitur, idem esse non potest. Sic enim necessario eius, quod dicitur, unde, causa tolletur: hac vero ratione, & quod dicitur ex patre per filium prorsus auferetur. Non ergo est putanda instantia, quam & ea, de quibus sermo est, & quæ à disputationibus concessa sunt, tollunt.

Quanquam etiamsi alia persona detur, hoc ipsum & de illa quispiam inquiret, atque ita nusquam sistetur infinitas. Pari enim ratione, aut in infinitum progreditur processuum numerus; aut, si stabit uspiam, cur non hoc magis in spiritu tertia videlicet persona Trinitatis, ut & Trinitatis nobis confessio servetur; & huiusmodi vanitas omnino arceatur? Nam præter id, quod huiusmodi ratiocinatores vani, nihil concludunt; etiam quæ nobis de Trinitate sunt tradita, moventur. Posito enim etiam ex solo patre esse spiritum, eadem & ad illos nihilominus erit instantia, hæsitatioque manebit. Vt ergo & eis ipsis, & nobis nihil ad disputationem conferens eiusmodi instantia imo etiam proposita destruens abiiciatur.

Ex his ergo, quæ diximus, apparet, & ipsum filij nomen, & multum quidem, ad propositum conferre. Neque enim pater verus, pater esse diceretur; nisi se ipsum penitus communicaret filio: neque filius, verus esset filius, nisi patris omnia haberet in se ipso, sed neque esset incommutabilis imago patris, si illo minor appareret: neque sigillum uniforme esset, quod in se ostendit patrem, iuxta magnum Basilium: *Imaginis quippe sunt omnia, quæcunque insunt primitivæ formæ*, ut ipse ait, & F sicut Gregorius Theologus in sermonibus: de filio dixit: *Hæc enim imaginis natura est, imitationem esse primi exemplaris, idemque esse potius, quam assimulationem, ne sit in alio similis, in alio dissimilis.* Et adiecit; Hic autem eo etiam magis, quo vivens, *viventis est imago.* Sed neque Christ. vera profiteens esset de se ipso dicens: Omnia, quæ patris essent, se habere: Habet autem pater proprium naturæ suæ bonum, spiritum sanctum. Et quoniam unam, eandemque naturam filius ex patre genitus etiam cum patre habet, quis audeat hac præditum filium asserere paternorum bonorum aliis gaudere, aliis privari? Atque hinc omnium, quod dicitur definitionem tollere, cum Dominus patris omnia se habere dixerit? Præterea dictum est; *qui videt me, videt & patrem.* Quod autem dicitur, *videt*, pro eo positum est, quod est, intelligit, ita exponentibus Patribus.

Ioan. 14.

Et hinc itaque constat, quod qui filium sine spiritu cogitat, etiam patrem spiritu destitutum intelliget. Quia enim filius patris est definitio & verbum, & sicut definitio ad definitum, sive definibile: sic se habet filius ad G patrem iuxta Theologum Gregorium: omnino, qui definiti definitionem nescit; neque ipsum definibile, ac definitum sciet. Itaque si quidem pater spiritus sancti causa est, & filius cum eo. Quod si non filius; neque pater quidem. Nam quod in incommutabili imagine non cernitur, id neque in primitiva forma inspicietur. Et qui filium spiritus sancti causam non inspicit, ne patrem quidem causam huiusmodi videre poterit. Quod enim ait Christus, veluti brevis quædam patris, & filij parilitatis, & æqui honoris definitio est. Quantæ igitur, & quam periculosæ audaciæ est, cum tanta sit ambobus incommutabilitatis identatisque ratio, spiritum à filio auferre, contra Domini, patrumque sententiam, ut hinc etiam Imaginis incommutabilitas tollatur essentiæque differentia necessario sequatur, Vnde sane constat, patrem, & filium, unam esse S. spiritus causam, gignendi, nascendique proprietate servata.

Ioannes item Chrysostomus in 38. super Ioannem homilia: Interrogantibus Arianis, quomodo eiusdem esset essentia, qui mitteret, & qui mitteretur, respondit dicens: *Rursus ad humana orationem convertis, neque intelligis, ista propter nihil aliud dici, nisi ut & causam H sciamus, & in Sabellij morbum non incidamus.* Constat ex his, quoniam *mitti*, una quidem divinarum personarum discretionem commendat: simul etiam causam, & causale indicat. Propter nihil enim aliud mitti dictus est, nisi ut causam sciamus, & in Sabellij morbum non incidamus. Si autem mittere, & mitti, causam, & causale significat, à filio autem mittitur spiritus sanctus, liquet secundum D. Chrysostomum, quia, filius causa est spiritus sancti: & quoniam à patre & filio mittitur; pater ergo, & filius unus mittens, unaque causa S. spiritus est. Itaque non solum per id, quod dicitur procedere; cum spiritus ex patre per filium procedere à Theologis asseveretur: verum, per id quoque, quod mitti per filium spiritus dicitur, filius spiritus sancti causa secundum substantialem, & unicum, & simplicem processum, iuxta Ecclesiæ Theologos, fideique

principia esse invenitur. Et illud una apparet, quod non dare solummodo, & *audire* & *accipere*, in divinis, ut supra demonstratum est, causam, & causale, personarumque discretionem, & ab alio esse, & causam esse indicat. Sed & *mittere*, & *mitti*, causam itidem, & causale significat, mittique ab alio *esse* demonstrat. Ideo, & pater mitti non dicitur; quoniam ex nullo est: Filius autem, & spiritus sanctus, quoniam ex causa sunt, secundum sui processus differentiam mitti dicuntur, Filius quidem, à patre solo; quia, & ex solo est: spiritus autem sanctus à patre, & filio: quoniam per ipsum, & ab ipso est. Aliter enim si accipiantur ista, locum in sancta Trinitate non habent, ubi substantiæ incommutabilitas, atque identitas esse, pro confesso habetur.

Liquet autem ex his, quod in filio quidem gigni, *mitti* est, in spiritu vero procedere est. Neque mitti solum, sed quælibet verba, processum simpliciter significantia, filioque ac spiritui convenientia: in altero quidem nativitatem, in altero autem processionem commendant, iuxta scilicet illorum, proprios, substantialesque processus. Hæc enim & sancti Patres dicunt.

S. denique Cyrillus, super illud Evangelicum: *Qui autem accipit illius testimonium, signavit, quia Deus verax est: pater*, inquit, *filium ex propria natura protulit, veluti ex lumine splendorem, secundum ineffabilem, atque inenarrabilem divinæ nativitatis morem, quod ipse quoque nobis ostendit dicens: Vnigenitus ego ex patre exivi, & venio. Exivit quippe ex patre in propriam substantiam filius, & si in ipso semper secundum naturam est, quodque nobis in illo exisse significat, hoc rursum hic mitti indicat.*

Idem super illud: *Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me, sciendum vero*, inquit, *quod per id, quod missum se iterum dicit; non secundum se esse à patris dignitate ostendit, neque enim servilis illa missio intelligenda est, & si quam maxime servili forma vestitus, hæc de se sine crimine loquatur. Missus est autem ita, sicut verbum ex mente; sicut splendor solis ex ipso.*

Idem super illud: *Sciens quia omnia dedit ei pater in manus*: & certe, inquit, *non ignorans; quia omnium habet potestatem, & quia à Deo exivit, hoc est, ex patris essentia natus est.*

Idem super illud: *Credidistis: quia à Deo exivi: Ex eo*, inquit, *quod ait: exivi à Deo, hic rursus putabimus dictum, vel, quia natus sum, atque ex illius substantia illuxi secundum processum, ut essem, & intelligerer, fortasse proprie, ac substantialiter, non tamen penitus divisim. Est enim in filio pater, rursumque, secundum naturam, in patre filius. Sive exivi; pro eo, quod est; factus sum homo. vestram formam, naturamque suscipiens, Quasi enim locus cuiuslibet rei est propria natura, à qua exit, cum ad aliud quodlibet migrat, & quod non erat efficitur.*

Sanctus item Maximus controversiam Anomæi seu Ariani cum orthodoxo in morem dialogi conscribens, Anomæum interrogantem facit; quidnam sit *gignere*, & *nasci*; & *emittere*, atque *producere*? Orthodoxumque ita respondentem introducit: *Pater quidem gignit, hoc est, genuit; filius autem gignitur, id est, genitus est; atque ipse pater emittit spiritum, hoc est emisit. spiritusque procedit, hoc est, processit.*

Consona his, & B. Gregorius Romanus Pontifex in homilia super illud Evangelium; *Cum sero esset die illa una sabbathorum*, loquitur dicens: *sicut misit me pater, & ego mitto vos: Hoc est, ea vos charitate diligo, cum inter scandala persecutorum mitto, qua me charitate pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit, quamvis mitti etiam, iuxta divinitatis naturam aliter possit intelligi. Eo enim ipso à patre filius mitti dicitur, quo à patre generatur. Nam, sanctum quoque spiritum, qui, cum sit coæqualis patri, & filio, non tamen incarnatus est, idem se filius mittere perhibet dicens: Cum venerit paracletus, quẽ ego mittam vobis à patre. Si enim mitti, tantummodo incarnari deberet intelligi. Sanctus procul dubio spiritus nullo modo diceretur mitti, qui nequaquam incarnatus est; sed eius missio, ipsa processio est, qua de patre procedit, & filio:*

Hom. 26 super Evan.

Sicut igitur spiritus mitti dicitur, quia procedit: ita & filius non incongrue mitti dicitur, qui generatur.

Quod igitur ex D. Patris Chrysostomi dictis colligitur, hoc etiam Sanctorum cæterorum sententiis colligi datur: Mitti quippe hoc in patre, ac filio significat, quod & nasci, & ex patre esse habere: etsi iuxta filij humanitatem ista intelligi possint. Porro cum hoc in spiritu sancto non habeat, ideo quod corpus non assumpserit ut filius, restat intelligendum de naturali processu S. spiritus ex filio, quod mitti, & exire, & prodire dicitur.

Ex quibus etiam maxime manifestum est, ut diximus, non duos esse sancti spiritus processus, quod à quibusdam assumitur, hoc enim pluribus arguitur, etsi propter illius temporalem manifestationem, nostrumque profectum, æternum quod est, temporale videatur, ut superius dictum est.

Quod si D. Chrysostomus alio in loco dixit; *Cum vero mitti audieris, noli de divinitate dictum accipere: Deus non mittitur*: dicendum, quod, quia plurimi hæreticorum, ex eo quod dicitur mitti, gradus divinitatum introducentes, unamque, & unitissimam essentiam & deitatem dividentes; aliam quidem mittere, mitti aliam docebant: ideo, præceptor pietatis, illud quidem denegat, ne deitatum introducatur multitudo, deorumque consequentium partim superiorum, partim inferiorum, iuxta scilicet substantiarum differentias: & ait; quia deitas non mittitur, neque Deus, quando secundum Deitatis nomen absolute dicitur, & sine relatione. Per id vero, quod mittere, & mitti dicitur, personarum substantiam, causamque & causale confitetur. Dicitque idcirco dici, quia mittitur, ut causam sciamus, & in Sabellij morbum non incidamus, *mitti* sic accipiens, secundũ quod persona, ex persona substãtiam habet, ex ea prodiens, cum una illis sit essentia.

Itaque secundum quod divina persona est, mitti ponitur: quia & mitti in divinis, ut dictum est, ab alio esse significat. Alias quippe, & sibi ipsi, & Salvatoris sententiis adversaretur apertissime de se dicentis; missurum se paracletum spiritum veritatis: se ipsum *veritatem* dicens, illum scilicet spiritum, quem mittit pater, & qui à patre procedit. Ex quibus id etiam apparet, quod qui per donum sine substantia, non personam, secundum quod persona est, mitti à filio spiritum sanctum dicunt, non recte opinantur. Qui enim ex patre procedit, paracletus est spiritus veritatis, *quem mittet*, quidem, inquit, *Pater in nomine meo*, hoc est, per me. Missurum vero se, ipse quoque pollicetur, qui discipulos doceret, eisque suggereret omnia. Hunc ergo spiritum quis audeat sine substantia dicere, nisi blasphemare velit?

Magnus quoque Basilius in libro de sancto spiritu: *Spiritus*, inquit, *sanctus, nihil sibi acquisitum habens est, sed æterne habet omnia, ut Dei spiritus & ex eo manans, causamque ipsum habens, ut fontem sui.* Vbi notandum; quia Deum causam esse sancti spiritus ex eo, quod fons eius, sit, monet. Ait enim: *Causam ipsum habet, ut fontem sui.* Liquet autem, quia fontis nomen causam significare vult.

Magnus item Athanasius in ea, quam scripsit disputatione orthodoxi, & Anomæi, ex persona orthodoxi ait; *Spiritum autem ingenitum dico: non enim habet generationis auctorem, sed fontem sui: sicut enim fons extrinsecus non gignit, quam fundit aquam, sed ex se ipso inundans habet: ita & Deus fons spiritus est, ut dictum est, largitor eius non illum extrinsecus sumens, sed ex se ipso profundens, scriptum quippe est: Duo enim mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi lacus contritos, qui non poterunt aquam continere. Et Apostolus dicit; qui largitur nobis spiritum, & operatur in nobis virtutes.* Quod autem aqua viva sit spiritus, *Christus docuit dicens: qui biberit ex aqua, quam ego dabo sicut dicit scriptura flumina de vẽtre eius fluent aquæ vivæ.* Et hoc in loco magnus Athanasius; *Fontem*, patrem dixit, spiritum, aquam.

Hiere. 2.

Ioan. 7.

A

Vbi vero enumerat scripturæ testimonia naturalis communionis, ex eo, quod similiter sit pater, & filius, & spiritus sanctus: ibi Christum fontem spiritus dicit, aquam vero sanctum spiritum nominat: Ait denique: *Dicit Salvator iterum, qui credit in me sicut dicit scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ vivæ. Exponens autem Evangelista quid sit aqua viva; hoc autem, inquit, dicebat de spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Dicit enim Propheta: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi lacus contritos, qui non poterunt aquam continere.*

Idem rursus in libro de dispensatione incarnationis Domini, cuius initium est; *qui maligne divinas literas volunt intelligere*: *Novit enim*, inquit. *Propheta apud Deum patrem esse filium fontem sancti spiritus.* Sed & Chrysostomus in sermone de sacramento baptismatis: *Propterea*, inquit, *ostendit se ipsum salvator fontem aquæ vivæ, & aquam vivam spiritum sanctum.* In hymnis quoque psallimus: *Me me dereliquerunt fontem viventis aquæ, Barrabamque petiverunt atque dimiserunt* constat igitur, quod dictum est, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, aliquando personæ patris convenire: aliquando vero etiam filij. Viva autem aqua spiritus sanctus vocatur. Fons itaque spiritus sancti pater, & filius est. Ita quippe, & à sanctis Patribus exponitur. Et quoniam fons quidem spiritus pater est, ut causa ipsius, est autem filius sancti spiritus fons; colligitur, quia una causa, unusque fons sancti spiritus est pater, & filius. Omnia enim, quæ pater habet, filij sunt; & quæ filij sunt ad patrem referuntur. Et illud simul constat, quia, sicut per naturam una est aqua, & quæ in fonte est, & quæ manat ex fonte: ita unum per naturam sunt, pater, & filius, & spiritus sanctus. Sin vero aqua ex fonte manat, profunditur, scatet; manifestum est, quia & spiritus ex filio manat, scatet, atque profunditur. Hæc autem ipsum ex illo esse significant, quippe, filium ex patre manare, fluere, atque profundi, sancti patres dicentes, substantiam eius ex patre significare volunt.

C

Ait quippe S. Cyrillus in quodam capitulo, de æternitate filij, cuius initium est; *Fons sapientiæ Deus vocatur, & est: Erat ergo patri coæternus filius ex paterna substantia veluti ex quodam fonte scaturiens.* Aiunt nihilominus & ipsi patres spiritum sanctum ex filio quoque profluere, profundi, manare, atque procedere. Nam in gestis primæ in Nicæa synodi, in his quæ dixerunt sancti patres ad philosophum per Episcopum Leontium, quorum verborum initium est: *Et illud autem intelligendum, ô amice, iam veritatis philosophe*, sic habetur, *Invenitur spiritus ex patre quidem procedens, proprius autem filij, & ex ipso profluens.* Si quis autem ex his filium spiritus fontem iuxta eum, qui à quibusdam introducitur, secundum processum eius intelligi tantum vult: at eo dato, quæ prædicta sunt, inepta erunt, & absurda omnia.

Præterea, & si dederimus, geminum processum esse, utrumque necesse est filio communem esse cum patre, ne varietas essentiæ filij ad patrem sequatur. Quorum enim est virtus differens, essentia quoque differens est; sicuti quorum æqua virtus est, æqualis & essentia est.

D

Quod si unus processus est, multo magis quod quærebatur: in manibus est. Hoc autem verissimum est, maxime ostenso: hinc quidem, eos, qui duos processus ponunt absurda plurima sequi necessario: hinc vero quoniam mitti & procedere, & profluere divinarum personarum † commendat.

† distinctionem.

Præterea filius imago patris dicitur, spiritus autem filij. Dixit enim Apostolus; *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui.* Cyrillus quoque, super illud Evangelicum, *Sicut tu me misisti in mundum*, ait: *quia enim unigeniti substantiæ imago integerrima spiritus eius est, iuxta id, quod Paulus scripsit. Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imaginis filij eius: omnes, in quibuscunque fuerit, conformes efficit imagini, hoc est, filio.*

Rom. 8.

Idem super illud: *Non pro his rogo tantum*, ait: *Imago syncera patris filius, naturalis vero similitudo filij, spiritus eius.* Idem rursus in thesauris: *Quemadmodum igitur, quoniam imago patris diligentissima est filius: qui eum suscipit, & patrem habet: ita ad parilem figuram analogia recurrente: qui filij imaginem, hoc est, spiritum susceperit, per ipsum omnino habet filium, patremque, qui in ipso est.*

Ioan. 17.

Magnus autem Basilius in 1. contra Eunomium: *Imago*, inquit, *genita, & dicitur filius, & est sapientia, & virtus, & iustitia Dei, non quasi habitus, neque quasi aptitudo, sed vivens substantia, & efficax, & splendor gloriæ Dei. Ideo & toto in se ipso ostendit patrem, ex toto eius gloria resplendens.*

Idem in sermone contra Sabellium, & Anomæum: *Illic autem cum audis imaginem, splendorem gloriæ intellige.*

F

Ioannes quoque Damascenus in Canone in magnum Basilium ait: *Imago patris filius, ac filij spiritus.* Ad hæc sanctus quidem Cyrillus in VI. ad Hermiam ait; *Denique & sanctus David viventem, & substantialiter insitam efficientiam ac virtutem patris filium noscens orabat dicẽs: Manda Deus virtuti tuæ; confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Paulus item sapientis. Christum Dei virtutem, & Dei sapientiam aperte prædicavit.* Idem in quodam capitulo 21. Thesaurorum ait: *Apertissime ostenditur, non alienum esse à filio spiritum S. sed in ipso, & ex ipso esse, ac veluti efficacia quadam naturalis omnia implere valẽ, quæcunque voluerit.* Rursumque in alio capitulo 1. Thesaurorum: *Filius*, inquit, *viva & essentialis efficacia est, & virtus sapientia patris.* Sed & mag. Athanas. 10 epist. ad Serapionem: operationem filij spiritum nominat, plurimisque in locis Doct. sancti, naturalem, & essentialem filij virtutem, & operationem spiritum S. asseverant.

Ad hæc faciem quidem patris filium, filij vero faciem Spiritum sanctum asserunt. Ait enim D. Cyrillus in V. ad Hermiam: *Quod enim*, inquit, *quasi facies Dei, & patris filius sit, Psalmista nos facile docere poterit; aliquando quidem dicens: quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam: aliquando rursus veluti ex persona eorum, qui crediderant in illum: Signatum est super nos lumen vultus tui Domine. Signati enim sumus sancto spiritu ad similitudinem faciei patris, hoc est filij.* Idem super illud: *Operamini non cibum, qui perit: quoniam*, inquit, *non dubium est, quin facies Dei, & patris filius sit. Est ipse penitus & character, in quo signat Deus.* Idem super illud: *Sin autem propter opera ipsa credite; si enim*, inquit, *implevit quidem cælos filius, & terra ultima, hoc est, infernum: quomodo non stolidissimũ omnino est, & præter omnem rationem; ambitus illi applicare nomen? Ne illud quidem venit in mentem quod si facies eius, hoc est, spiritus; facies enim filij vocatur spiritus, implet omnia, nulla ratione ipsum ambitu includi posse.*

Psal. 138.

G

Ps. 4.

Ioan. 6.

Ioan. 14.

Ad hæc magnus Basilius in IV. contra Eunomium: genitorem, & primam formam filij patrem appellavit. Magnus vero ille Gregorius mirabilium patrator Neocæsareæ Episcopus in libro, cuius initiũ est; *inimicissimi, alienique Apostolicæ confessionis; Pater*, inquit, *Domini principium, æterne illum genuit: & prima forma spiritus Dominus.* Præterea sermo quidem patris filius, verbum autem filij spiritus in sacra scriptura dicitur. Ita & magnus Basilius exposuit. Ac proprius quidem patris filius, filij autem proprius, spiritus sanctus à Theologis asseritur. S. denique Cyrillus in libro ad Monachos, cuius initium est: *Advenerunt quidem, iuxta quod consuetum est, in Alexandria: sicut enim*, inquit, *proprium est hominis, sive & cuiusque cæterorum animalium: quod ex eo secundum naturam generatur: ita proprium Dei esse, quod ex illius essentia est, intelligi, & dici debet.*

H

Mag. item Athanas. in 1. contra Arianos lib. *quia enim*, inquit, *Verbum naturaliter proprium est substantiæ Dei, ex ipso quoque, & in ipso est.*

Rursum Cyrillus beatiss. illud Evangelicum exponens: *De meo accipiet*, ait de S. spiritu: *Procedens quippe per eum naturaliter, ut proprius ipsius cum omnibus,*

Ioan. 16.

qua

A

qua habet, perfecte accipere dicitur, qua eius sunt.

Rom. 8.

Si igitur omnes ferme SS. Patres, Apostolicum illud: *Conformes imaginis filij eius*, ita exposuerunt, ut, *conformes spiritui* dicerent, qui est imago filij Dei: imago vero ex quo est, significat: non enim filius imago patris diceretur, nisi ex illo esset: *Cum enim audimus imaginem splendorem*, ut ait mag. Basilius, *oportet intelligere*. Splendor vero manifestissime processum substantiæ designat: constat; quia & spiritus, cum imago filij dicatur, idcirco dicitur imago eius: quia ex illo splendoris instar emanat. Unaque illud apparet, quod nisi etiam à Filio spiritus esset, nequaquam secundum hoc filius ex patre splenderet. Ita nec incommutabilis imago esset. At immutabilis est, personali tamen discretione servata. Dictus est autem ex tota gloria illius illustratus. Si ex tota, totus necesse est totius imago sit, ac secundum hoc minime variabilis. Et quoniam filius totum in se ipso ostendit patrem; hoc autem est, quoniam totus ex toto est. Ait autem ipse Basilius ad Amphilochium scribens: quia, spiritus sanctus ostendit in se ipso filium, & maiestatem eius, unde prodiit; constat, quia, & spiritus sanctus totus, ex toto filio est. Et quoniam unum totum est pater, & filius; neque aliud est totum, pater; aliud totum, filius: patet, quia ex uno toto patre, & filio spiritus sanctus est, servata scilicet discretione patris, & filij.

B

Quoniam vero etiam viva virtus, & naturalis, atque essentialis efficacia patris, est filius, atque hoc omnino, quoniam ex patre est: Virtus quippe in potente, atque ex potente est, efficientiaque ex efficiente prodit: constat, quia etiam spiritus filij naturalis, atque essentialis efficacia, & viva virtus cum dicatur, secundum eundem modum dicitur: servato tamen processu discreti filij, & spiritus; quod hic scilicet immediate, & continenter ex primo; ille per eum, qui continenter ex primo prodeat. Secundum eandem autem rationem, & facies filij dicitur spiritus, & prima forma spiritus dominus sicut & pater filij causæ ratione dictus est. Viva enim viventis imago, & figura substantiæ eius est.

C

Hebr. 1.

Et certe, si sine medio esset spiritus ex patre, id est, ex solo; nunquam dictus esset filius quidem imago patris; Filij autem imago spiritus. Et filius quidem operatio, & virtus patris: Filij autem operatio & virtus, spiritus. Atque filius quidem facies patris; Filij vero facies, spiritus. Et illud una ex his apparet, spiritum patris filium nec esse, nec dici, neque imaginem eius, & quæ alia filij esse dicuntur. Processus quippe differens, emanationisque differentia, hunc, filium, illum spiritum vocari fecit. Si quis tamen, quæ sunt huiusmodi, consubstantialitatem signare asserat, audiat, consubstantialia quidem converti: Filius autem sancti spiritus neque est, neque dicitur, neque convertitur habitus ista consequentia. Sed ne illud quidem usquam lectum est, quod filius, virtus, & naturalis, essentialisque operatio, & imago sit, neque verbum eius, & quæ alia filij spiritus sanctus esse dicitur. Ex quo sane liquet, propter divinarum personarum ad se invicem ordinem, secundum quem, processus, & secundum quem spiritus S. procedit ex patre per filium, ista non posse converti: quia, neque ex patre filius, per spiritum gignitur. Sicut enim pater filij virtus non dicitur, neque operatio, nec splendor, & si quid est huiusmodi: hoc enim esset substantiæ ordinem tollere: eadem ratione, neque filius ista esse S. spiritus dicitur.

D

Porro, si quis imaginem hominum ad Deum, iuxta proportionis rationem in imagine patris, hoc est, filio, & imagine filij, videlicet spiritu, velit accipere, non magis, quod volet, ostendet, quam filium à patris essentia alienabit, spiritumque à filio alienum neque sibi naturaliter insitum blasphemabit. Fateri enim cogetur, filium ad patrem eandem habere rationem, quam habent singuli hominum ad Deum.

Verum ex prædicto secundum processus personarum ordine, ratio etiam consubstantialitatis apparet, constat etenim, quia quod ex aliquo, vel per aliquem, secundum æquivocum processum prodit, eandem inde naturam sumit. Atqui proprium patris filium esse, ut qui ex substantia illius sit, sancti patres asseverant. Magnus enim Athanasius ait: *Quoniam verbum per naturam proprium est essentia Dei, ex ipso, atque in ipso est.* Quæ autem de hoc dicuntur, plurima cum sint propter multitudinem, omittimus, per quæ ex ipso esse, ut proprius sit essentiæ illius, adstruitur à sanctis Patribus. Atque hinc dignosci potest: spiritum ideo filij proprium dici, quia ex essentia ipsius, rursumque eum ideo ex essentia filij esse asseverant: quia, illius substantiæ proprium esse bonum est: Procedere enim per filium naturaliter spiritum, ut ipsius proprium, beatus Cyrillus dixit: ideoque ab eo accipere dicitur, quod per huiusmodi processum esse spiritus sanctus acceperit.

E

Magnus item Athanasius, de eodem in primo contra Arianos: *Nisi enim*, inquit, *esset verbum germen proprium substantiæ patris, quasi splendor lucis: distaret vero natura filius à patre, sufficeret patrem solum dare.* Hic proprium patris verbum ait, seu splendorem lucis. At splendor ex causa lucis est. Et proprium igitur, ex causa esse ostendit.

F

Ioan. 15.

S. Cyrillus super illud: *Cum autem venerit paracletus: si ergo*, inquit, *officium ministri filium implere arbitramini, alienum hoc est, ex Deo & patre procedentem spiritum, qui per naturam sanctus est, nobis largientem, non secundum naturam sanctus est filius, sed participatione sicut & nos.* Hoc exponens, quod ait, *alienum*, ex Deo inquit, & patre procedentem; non propterea alienum dicens, quia ex Deo, & patre sit, sed quia non sit ex filio. Si igitur, quemadmodum proprium est hominis, quod ex ipso secundum naturam natum fuerit: ita & proprium Dei est, quod ex eius essentia est: dicitur autem spiritus proprius filij, quomodo non ideo proprius dicitur, quoniam ex ipso est? Si enim ex ipso non est, ab ipso alienus erit, etsi non sit à patre alienus.

Et illud autem simul ostenditur, quod, nisi esset ex filio, ministri officio filius fungeretur apud patrem. Hæc enim aperte supra iam dicta sunt. Beatus autem Cyrillus manifestius & aliis in locis hæc ponit. Nam in expositione Ioelis prophetæ: *Proprius eius* inquit, *id est, filij, & in ipso, & ex ipso spiritus est, quemadmodum scilicet etiam ipsi Deo, & patri intelligitur.* Ac rursus in laudibus Theodosij Principis: *Baptizantem*, inquit, *Iesum in igne, non alienum immittentem spiritum, servi scilicet, ministri officio; sed, ut Deum cum summa potestate, eum, qui ex se erat, ac proprij sui.*

G

Rursus super Ioannis Euangelio: *Naturalium enim*, inquit, *Dei ac patris bonorum socius, & consors filius essentialiter cum sit, spiritum habet*: Ac post pauca: *Sicut & quisque nostrum proprium in seipso spiritum continet, atque ex intimis visceribus ad exteriora profundit. Idcirco enim etiam corporaliter insufflavit* eum Iesus. Idem in quodam cap. 11. Thesauri sic ait; *Ostenditur evidenter, non alienum esse à filio spiritum, sed in ipso, atque ex ipso esse.*

Ac per omnia si quis S. Cyrillum observet diligentius: ita eum semper inveniet spiritum sanctum proprium esse filij dicere, ut qui ex ipso sit: & quia idem est, spiritum sanctum spiritum esse filij dicere, & proprium ipsius esse; spiritum autẽ filij relative dici, supra monstratum est: sed & magnus Basilius sufficere ait & hoc, ad eius substantiam insinuandam, sicut & quod ex Deo esse dicitur; spiritusque ad filium proprietatem, ex eo quod spiritus filij dicatur, intelligit: sicut ad patrem quoque, quoniam procedit ex patre. Proprietatem enim in divinis personis veluti causæ & causalis communionem accipi vult: qui & ad Amphilochium scribens de S. spiritu dixit: non hinc solum naturæ communionem demonstrari: sed quoniam etiam ex Deo esse dicitur, manifestum est: quia & quod dicitur spiritus proprius filij, hæc omnia vult: quia enim in divinis personis, quod dicitur hoc huius, propriumque hoc huius esse, remota materia, omnibusque illam è vestigio sequentibus, neque ut membrum, neque ut possessio, neque

H

secundum

secundum vllam excellentiam, atque huiusmodi proprietatem dicitur: solum vero secundum causam, & causale; quo solo alterum, ab altero distingui, ac discerni deprehendimus: constat, quia, & quod dicitur proprium filij spiritum esse, secundum hanc solam causæ rationem accipi potest, maxime enim apertissime sancti asseverent, filium quidem proprium patris, quoniam ex ipso est: spiritum vero proprium filij, vt qui in ipso, & per ipsum naturaliter prodeat, atque ex ipso sit; quod significat & filij ad patrem, & spiritus ad filium consubstantialitatem: Neque enim, quoniam consubstantialis est, ideo etiam ex ipso est. consubstantialis quippe ratione, vnum sunt, nullusque ordo, seu habitus, seu processus inspicitur: quia vna essentia est, vnumque illud secundum se individuum est: sed quoniam ex ipso est, idcirco etiam consubstantialis est: sequitur enim huiusmodi causæ, causalisque proprietatem consubstantialitas: sicut & filij nomen, secundum se quidem processum alicuius ex aliquo principaliter indicat in eadem specie, consequenter vero consubstantialitatem esse. Nam, quod ita procedit, necessario etiam consubstantiale est.

Itaque id quidem, quod dicitur istud ex isto esse, vt causa accipitur, porro quod ista propter eiusmodi processum æquivocum, consubstantialia sunt, vt causale est: neque enim causam, vt causale ponere oportet, quod quidam irrationabiliter faciunt; dicentes propter consubstantialitatem dici filium proprium patris, & spiritum proprium filij; & filium quidem imaginem, vivamque virtutem, & substantialiter insitam operationem patris; spiritum vero, imaginem filij, & virtutem, & naturalem operationem, & substantialiter insitam ipsius: Hæc enim omnia causam & causale signare, à sanctis Patribus ostensum est: proprium quippe dicunt, quoniam ex ipso est, & alia, quæ supra posuimus.

Ioan. 15.

Attestatur his magnus Basilius in sermone contra Sabellium, & Anomæum dicens: *Patrem confitemur, & filium; natura autem identitatem, quoniam ex patre filius est.* Et rursus in eodem: *ut imago quidem, varietatem non habet, ut genitus autem, consubstantialitatem servat.* S. autem Cyrillus, super illud: *cum venerit paracletus: itaque cum diceret*, inquit, *non spiritum huius seculi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est, ostendit, non mundani generis, sed divina essentia esse spiritum sanctum.* Idem super illud: *quia descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam*, ait: *quod enim ex patre natus esse filius dicitur, prorsus etiam invitos coget illi consubstantialem eum fateri.* Et rursus in 3. ad Hermiam: *quoniam ex ipsa Dei, & patris essentia ortus est filius, non aliter quam ille esse intelligatur, quantum ad identitatem naturalem.*

Zach. 4.

S. vero Maximus cum exponeret, quid sibi velit apud prophetam Zachariam, *aureum candelabrum*, & super eum lampas, ait: Spiritus sanctus, *quemadmodum naturaliter secundum essentiam Dei, & patris est, ita & filij secundum essentiam est*, quasi ex patre essentialiter per filium genitum ineffabiliter prodiens.

Constat igitur ex his filium patri consubstantialem esse, quoniam ex ipso est; rursumque secundum eandem rationem spiritum filio consubstantialem esse, quia, per ipsum procedit, & in ipso atque ex ipso est. Ista quippe à Sanctis Ecclesiæ magistris, ita traduntur. Si quis autem ideo proprium filij spiritum dicit; quia per ipsum his, qui digni sunt, datur: is non satis animadvertit dari quod dicitur, temporale esse: Proprium autem esse filij spiritum æternum. Nunquam enim profecto quod temporale est, eius causa esse posset, quod supra tempus est. Nam, si homini proprium ipsius, in quantum vivit, semper cum eo est, multo id magis in Dei verbo erit; atque vna minister esset, quod non per ipsum, & ex ipso naturaliter procederet dans. Quanquam, si secundum aliquam consubstantialitatis rationem, qualis de duobus aliquibus consubstantialibus est, in quibus alterum per alterum non est, esset spiritus proprius filij, atque ex substantia filij: esset utique & filius sancti spiritus proprius, & ex substantia spiritus, propter conversionem huiusmodi consubstantialis. At istud, neque dictum est ab aliquo Sanctorum, neque unquam dicetur ab his, qui pie, & catholice de Deo suo sentiunt.

Quanquam huiusmodi consubstantialitas non proprie consubstantialitas est: sed ea, quæ connectit alterum alteri, utpote per ipsum ex ipso naturaliter, atque essentialiter existens. Attestatur que huic assertioni Basilius, cum dicit, non quæ germana invicem sint, consubstantialia dici. Ait enim Epistola ad Canonicas: *Quoniam igitur lux à principio pater est: lux autem genita, filius. Lux vero, & lux utraque est, merito hanc consubstantialem dixerint, ut natura æquum honorem commendarent. Non enim quæ germana sunt, consubstantialia dicuntur, ut quidam arbitrati sunt; sed cum & causa, & quod ex causa substantiam habet, eiusdem natura sunt, consubstantialia dicuntur.*

Idem in sermone contra Sabellium, & Anomæos de patre, & filio disserens ait; *Cum autem unam essentiam dico, noli duo ex uno divisa intelligere, sed ex patre principio filium subsistere. Non patrem, & filium ex aliqua superiori essentia. Non enim germana dicimus, sed patrem confitemur, & filium; essentia vero identitatem, quoniam ex patre filius est.*

Hoc igitur in loco hæreticis quibusdam contra consubstantiale patris, & filij nitentibus, & calumniam inde struentibus; ut, si quidem consubstantialis sit pater filio, eiusdemque essentiæ, ambo, pro patre, & filio, duo inducantur fratres ex una essentia: atque ad has absurditates devolutis, magnus Basilius concedit quidem interim, quæ germana sint, invicem consubstantialia dici: sed tum profecto, cum & causa, & quod ex causa substantiam habet, eiusdem naturæ fuerint. Et addit: *Non enim germana dicimus, sed patrem confitemur, & filium, quoniam ingenitum quidem lumen pater est, genitum vero lumen filius:* quasi & in his, quæ simpliciter consubstantialia cum sint, & ex uno substantiam habeant, sit quidem proprietas: sicuti & multitudo hominum sibi invicem consubstantiales sunt, cum ex vno patre Adam generationem habeant, non tamen tanta est eis proprietas sicuti cum eorum, quæ eiusdem naturæ sunt, aliud est causa, aliud causale, tunc enim proprie consubstantialia dicuntur.

Sicut igitur filius ex patre esse habens consubstantialis illi est: atque ista invicem consubstantialia sunt: esse enim ex spiritu filium, processus ille, secundum quē ex patre per filium procedit spiritus, minime permittit: ita enim cavebimus & duos filios in S. Trinitate confiteri, & consubstantialitatem maxime reddimus. Et illud simul ostenditur, quod nisi sit ex filio spiritus, germana sibi invicem erunt filius, & spiritus. Dicens enim, noli duo ex vno divisa intelligere, non enim *germana* dicimus docuit: quoniam si qua essent, ex eodem solummodo, secundum quod ex eodem essent, germani merito fratresque dicerentur. Itaque cogentur, qui & filium, & spiritum, ex solo, & immediate ex patre ambos dicunt, duos in Trinitate fratres confiteri, duoque ex vno divisa intelligere; vt neque summa consubstantialitatis ratio reddatur, atque vna ordo ille personalis ad invicem omnino auferatur: simulque Trinitas non erit Deus. Sed ista sunt absurdissima. Et illud itaque absurdum, quod ista necessario sequitur.

Neque vero absurda tantum sunt, sed etiam impossibilia, stantibus initiis fidei, doctorumque sententiis prorsus obsistentibus. Addens autem sanctus vir essentiæ identitatem: quoniam ex patre filius sit, ostendit, consubstantialitatem patri, & filio adesse: propterea quod esset filius ex patre. Vnde constat in divinis personis consubstantiale in causa, & causali conspici: non autem è contra, etiamsi coniungantur invicem, sicuti ante causale causa cogitatur. Non ergo filius, & spiritus sibi invicem essent consubstantialia; nisi alterum esset ex altero; maxime, quia etiam secundum consubstantiale

vnum cum sint, nulla diseretio inspiciatur, nisi præcedat relatio, quæ secundum causam est.

Ex his autem quæ scripta sunt, constat, & eos, qui de scriptis Theodoriti contra beatis. Cyrillum opinionem suam adstruere nituntur, SS. Patrum intentionem, intelligentiamque non assequi. Ille enim de S. Cyrillo dixit. *Quod si dicat spiritum esse proprium filij, quasi ex filio, vel per filium substantiam habentem, quasi blasphemum, & impium abiiciemus.* Dixis auté Cyrillus, vt ex superioribus patet, proprium filij spiritū, & in ipso, & ex ipso esse, quemadmodum & in ipso Deo, & in patre esse intelligitur; & sicus proprium ipsius, per eum procedere naturaliter dixit. Ideo, & quæ eius sunt, accipere dicitur, neque serviliter alienum immittere spiritum, sed eum, qui ex eo, propriusque eius est.

Et alio in loco, profluentem ex Deo patre per filium naturaliter spiritum sanctum veluti in figura respirationis oris nostri, propriam nobis indicare substantiam docuit. Hæc autem aperte contraria sunt: neque erubescunt Theodoritum † hæreticum hominem, atque in dogmatibus S. Cyrillo adversarium in causæ suæ patrocinium contra sanctum virum testem proferre. Quod enim hæreticus homo ille fuerit, atque Ecclesiæ septis repulsus, publica gesta testantur. Sancta enim V. vniversalis synodus in 13. capitulo ita definivit; *Si quis impiis Theodoriti scriptis faverit, quæ contra fidem rectam, & Cyrillum, duodecimque illius capitula, quibus ipse eadem, quæ † Theodorus, ac Nestorius prædicti sensisse, deprehenditur, eos, illorumque impietatem fovens, neque prædicta impia scripta anathematizaverit, atque una eos, qui talia senserunt, & sentiunt, & omnes, qui scripserunt contra rectam fidem, Cyrillumque beatissimum, contraque eius duodecim capitula, & in tali impietate mortui sunt, anathema sit.*

† Fuit Nestorian. sed postea ad Catholicā redu*, relicto Nestorio

† Mopsuestenus.

Sancta vero & universalis VI. synodus in 9. capitulo gestorum suorum ita definivit: *Si quis non anathematizat Theodoriti contra rectam fidem, & S. Cyrillum scripta, & Epistolam quæ dicitur Iba, & Theodorum Mopsuestenum Episcopum, & scripta eius: & si quis non suscipit opuscula ipsius S Cyrilli, & maxime contra Theodorum, & Andream, & Nestorium, eosque, qui illis, vel uni eorum similia senserunt, aut sentiunt, anathema sit.*

Eadem fere & quarta, & septima vniversalis synodus continent. Et mirum sane, quod huiusmodi patrocinium isti ex eis potissimum duodecim Theodoriti capitulis consciscunt quæ aperte, & nominate à Sanctis synodis anathemati subiecta sunt. Quæ enim D. Cyrillus contra Nestoriū duodecim capitulis conscripsit, eis Theodoritus totidem capitulis contradicere præsumpsit. Atque in nono proprium filij Spiritum Cyrillo asserente, ille in nono suo dictum illud evomit. Imo, ut apertius viri sancti innotescat intentio, ipsa eius verba apponamus.

EX XII. CAPITVLIS CONTRA HÆRETICVM Nestorium à S. Cyrillo Scriptis, Capitulum nonum.

SI quis, inquit, *unum Dominum Iesum Christum à S. spiritu clarificatum esse, virtute sua ipsius, quasi aliena utentem, atque ab ipso accepisse, ut contra immundos spiritus posset operari, divinaque in hominibus signa perficere; ac non magis proprium ipsius spiritum dicit; per quem divina mortalibus signa monstraverit, anathema sit.*

DECLARATIO EIVSDEM CAPITVLI IN EPHESO HABITA, ab eodem B. Cyrillo, cum eum sacra synodus orasset, ut eis apertius exponeret, quid sibi ista vellent.

HOMO inquit, *factus Dei unigenitus filius, sic etiam permansit Deus; omnia existens quæ & pater, præter solum, patrem esse, propriumque habens ex se ipso prodeuntem, atque essentialiter sibi ingenitum spiritum sanctum, divina patrabat signa. Itaque & homo factus, sic quoque permansit Deus.* Propria igitur virtute per spiritum *faciebat mirabilia. Qui autem dicunt, eum quasi unum ex nobis hominem sanctum efficientia spiritus, non ut propria magis, sed ut aliena, nec divina utentem, & veluti in parte gratiæ à spiritu accipientem, ascensum ad cælos, anathematis merito sententiæ subdentur.* Sed enim ipsius quoque Theodoriti dictum illud arguens ait: *Quoniam vero Nestorius aliena virtute vsum esse Christum, sicut etiam Sanctorum singuli, dicebat, ideirco proprium filij dixi. Erat enim, & est ipsius spiritus, quemadmodum scilicet & patris. Atque hoc nobis insinuat Paulus Apostolus dicens; quia autem in carne sunt, Deo placere non possunt. Vos autem, non estis in carne, sed in spiritu: siquidem spiritus Dei habitat in vobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. Procedit enim ex Deo, & patre spiritus sanctus iuxta Salvatoris vocem. Est autem neque alienus à filio: Omnia enim ille cum patre habet.*

Rom. 8.

Ex his igitur sancti viri mens diligenter intuenda est; vtque ille intellexit proprium esse filij spiritum sanctum: quis enim commodior, & aptior verborum suorum interpres esse possis, quam ille ipse, qui scripsit? Proprium enim, vt propriam filij virtutem, dixit spiritum sanctum, eumque per ipsam operatum: atque ideo essensialiter ipsi innatum fuisse, atque ex eo esse, omniaque habere filium, quæ habet pater, præter solum, patrem esse. Sed & rationem reddens dicti sui, cum diceret, spiritum sanctum filij esse, sicut & Patris, neque enim esse ab eo alienum; quia scilicet patris omnia cum patre haberet: quippe naturalium Dei, & patris bonorum hæres filius cum sit, habet & spiritum, quemadmodum & in ipso Deo, & patre intelligitur, præter solum patrem esse, vt alio in loco ait, ostendit se magis asseverare, quæ in novo capitulo dixerat, quam abnegare, neque Theodoriti opinionem omnino suscipere, vt maxime perniciosam.

Est ergo indigum sane, & iniquissimum, Theodoriti proferre capitula, quæ oblivioni perpetuæ & oblationi tradenda tota synodus sanxit, hisque de B. Cyrilli mente indicare. Potius autem ex his, quæ, se ipsum exponens, ais; quæque alibi plurimis in locis scripsit, mens eius colligenda est. Ex quibus profecto manifestum legentibus sit, eum semper proprium, quod dixit, aut, non alienum esse à filio spiritum, pro eo, quod est, ex filio esse spiritum, intellexisse; sicut etiam ex superioribus manifeste deprehenditus. Quodque mirabilius est, cum Theodoritus S. Cyrillum quibusdam Epistolis insimulans, diceret sanctum virum omissis, quæ contra Nestorium dixerat, ac scripserat, ipsi Theodorito concordem effectum esse, easque epistolas misisset ad plurimos; illique hanc eius mutationem mirarentur, atque obstupescerent: comperta calumnia, B. Cyrillus rescribens dixit: *Domine libera animam meam à labiis iniquis, & à lingua dolosa. Invenio enim me ipsum falsa calumnia expositum.* Ista, qui Theodoriti patro-

Psal. 119.

cinio

cinio nituntur, ita proferunt, quasi dicta sint pro affirmanda Theodoriti sententia; quod sanctus vir, mutata sententia, per filium, atque ex filio esse S. spiritum neget. Hoc autem est hominum contra fidem rerum, contraque sanctorum mentem, improbe nimis mentientium. Hi enim, vt supra declaratum est cum S. Cyrillo spiritum sanctum per filium substantiam habere asserunt, atque esse ex filio, quod procedens sermo apertius docebit.

Constat ergo ex superioribus Theodoritum hæreticum fuisse, atque in his maxime quæ contra D. Cyrillum scripsit. Huiusmodi autem scriptis ad astruendam veritatis regulam, vti minime convenit. Porro, si quis eum postmodum † ab Ecclesia susceptum esse, pœnitentem dicat; nihil ad rem. Illa enim, vnde Theodoriti dicta proferuntur; ab vniuersalibus synodis damnata sunt.

† In Cōcilio Calcedonens.

Liquet autem & id, quod opinari neque ex filio, neque per filium spiritum S. habere substantiam, opinio Nestorij est; cui Theodoritus consors fuit, vt res ipsæ testantur. Et ipse autem Nestorius in symbolo fidei suæ ita pronunciauit. Quod si huius causa aperte non insimulatur, nō id tunc erat synodo propositū, neq; inde plurimi scandalū patiebantur, cum à plurimis ne agnosceretur quidē, neque idcirco synodus collecta esset. Etsi enim erat peccatum, ac mendacium deterius & maius, circa divinitatem, quam circa humanitatis dispensationem, blasphemiæ frena laxare; ratio tamen incarnationis tunc magis vrgebat. Periclitabatur enim tunc fides, cum neque verbum suscepisse carnem, neque Deum hominem factum fuisse plurimi assererent; sacramentumque dispensationis, in quo Christianorum salus est, nomen potius, quam res esse videretur, neque sane opportunum erat, omisso, propter quod convenerant, & propter quod periclitabatur Ecclesia, de his, quæ nihil vrgebant, verba movere; cum principalis quæstio multo tempore, multisque sermonibus, vt enodari posset, indigeret: ne si ab instituto, re infecta, resiliissent, confundere omnia, ac miscere viderentur: dumque, quod erat in manibus, corrigere deberent, neque hoc digne facerent, neque illud, quod intempestive molirentur. Necessariis itaque omissis ceteris, hoc vnum, quod vrgebat, curare persliterunt.

Nam & sapientiores quique medici cum infirmum gemino morbo laborare animadverterint, adversus eum, qui perturbat magis, & sectione indiget, etsi in suo genere minor esse videatur, prius armantur. Et, iudices sæpe numero, reum aliquem nacti plurimis criminibus obnoxium, illud vnum, in quo deprehensus fuerit, omissis interim cæteris, illi maxime obiiciunt.

Neque sane mirandum, si ea Nestorij opinio à SS. Patribus tunc vel existimata, vel confutata non fuerit cum ante illum & Arius, & omnes, qui filium blasphemabant, in spiritum sanctum quoque deterius blasphemi fuerint. Quippe & assumptam à Christo cum carne animam ante verbi incarnationem præextitisse, cœlitusque illam advenisse, Arius asseuerabat. Animarum etenim præexistentias & ipse credebat; nec tamen hoc illi crimen obiectum est, solumque quod filium creaturam diceret, ab Ecclesia fugatus, & eiectus est, cæteræque blasphemiæ illius in memoria non sunt, neque publice de illo dicitur, quod spiritum sanctum blasphemaverit, cum certe & sancti spiritus hostis nihilominus fuerit.

Quod si quis opinetur, debuisse tunc synodum etiam huiusmodi blasphemias saltem redarguere; reprehensum tunc generaliter audiet, cum dicerent? Nemini fidem alteram proferre, aut conscribere, seu componere liceat, præter eam, quam S. Patres tradiderunt, ita de illa statuentes sentiendum, sicuti symbolum continet, secundum videlicet B. Cyrilli expositionem, & secundum epistolas, quas idem vir ad Nestorium scripsit: in quibus aperte confitetur spiritum S. ex filio, atque per filium habere substantiam. Sin vero sanctorum opinio est, per filium, spiritum sanctum naturaliter, atque essentialiter, & æterne procedere: procedere autem, quod dicitur per processum; significat habere substantiam, sicut & nasci per nativitatem: B. item Cyrillus per omnem ferme scriptorum suorum textum, naturaliter per filium procedere, vt proprium ipsius spiritum, propriamque virtutem suam, atque ex ipso esse, divinis rationibus asserit, & quæcunque alia prædicta sunt: quomodo non illum hominem arguit synodus, qui spiritum per filium substantiam habere negabat; & si de huiusmodi opinione, propterea, quæ diximus, latius nihil dixerunt?

Quam igitur absurdum est, per huiusmodi silentium putare sanctam synodum hæretici hominis blasphemiis acquieuisse; quod scilicet spiritus non per filium substantiam haberet; cum id manifeste contrarium sit, & sanctorum patrum præcedentium, & B. Cyrilli scriptis, quæ synodus secuta est, & sequenda ceteris statuit. Hoc enim est Ecclesiæ sanctæ calumniam struere.

Præterea, stolidissimum omnino est, his, quæ S.S. Patres innumeris in locis conscripserunt, non acquiescere; sed, eis neglectis, ea illos dixisse conicere, quæ nunquam dixerunt: atque ex his, quæ illi tacuerunt velle argumenta trahere, quasi disputatione sublata solum silentium; quæ in quæstione sunt, explanare sufficiat, cum certe scriptura dicat: *Ex verbis tuis iustificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*; atque ita facile de rebus arduis velle concludere. Arqui, secundum eam facilitatem; ne perniciosam leuitatem dixerim; spiritum S. Deum verum, de Deo vero appellabimus, neque patri, & filio consubstantialem confitebimur, quoniam in symbolo fidei, non vt de filio, ita & de spiritu sancto id notatum est: hic nempe ex his, quæ silentio suppressa sunt, volentibus malignari aperitur aditus. Quæ vero de spiritu in symbolo conscripta sunt, patri, filioque communia inveniuntur.

Mat. 12.

Quod si sancti Patres, ea, quorum gratia convenerant, non enuntiauerunt, in secunda scilicet synodo, cordati licet, atque sapientissimi: quid mirum, si id omiserunt propter quod minime conuenerant, cum vix paucis tunc esset cognitum? ac propterea, neque Ecclesiastica causa infirmior esset, neque id vllus argueret. Quanquam dici posset, sanctam synodum alio intentam, ad calumniam huiusmodi fortasse non satis instructam, ac paratam aduenisse; sive etiam putasse; eliminato de incarnatione Domini, qui emerserat errore, & hunc etiam vna proiiciendum.

Hanc autem opinionem fuisse Nestorij, ex veteribus liquet, quibus cura fuit ista literis tradere. Nam ex fidei suæ symbolo vix constet, si quis pietate contentus, quæ ille dixit, pie velit accipere. Ait enim; *spiritum S. ex Deo esse putamus, non creationis causa, sed ex divina essentia; & neque filium putamus, neque per filium accepisse substantiam.* Dicens ergo *ex Dei essentia esse, & neque filium putamus*, intelligi dat, quia spiritum hunc & ex Deo esse, & ex illius essentia credit, quod autem non creationis causa, dicit; & addit; *neque per filium substantiam cepisse*; rursus intelligendum dedit; quia, non sicut sunt creaturæ ex Deo per filium, ita & Spiritus sanctus ex Deo per filium substantiam habet, hoc autem verum est. Et simul id constat; quia, de eo, quod non sit ex filio spiritus, nihil hic dixit: sed enim quomodo non filius esse putaretur, nisi per filium haberet substantiam, hoc est, per filium procederet. Itaque, siquidem hic æternam per filium substantiam, processionemque denegat, quomodo non S S. Patribus aperte reftagatur? Nonne iam necessario cogetur filium confiteri, etiam Spiritum sanctum ipsum sine medio ex patre esse credens, secundum scilicet prædictas assertiones Patrum?

Cum igitur simpliciter, ac pia intelligentia possit accipi, quod dictum est: & si nos, non ea mente dictum fateamur; atque hæc opinio nec dum publica, nec

vulgata esset, ac propterea nihil ex eo religio Christiana læderetur, nemoque fere insimularet, verbaque ipsa subtilius disquireret; rebus prætetea maxime necessariis vrgentibus; ne scilicet incarnationis sacramentum verba simplicitet, ac prædicatio inanis videretur: ambagibus omissis ad id, propter quod convenerant, se contulerunt. Liquet autem, quia qui spiritum non etiam esse dicit ex filio, Christum non quasi propria virtute, sed velut aliena vsum confitebitur. Porro id anathemate mulctatum est.

Sive igitur, quoniam imago patris filius est incommutabilis, omniaque patris habet, præter id solum, quod pater non est; sive, quia Christus propria virtute, non aliena spiritu sancto vtitur, vt & id credatur, quod dicitur; *Verbum caro factum est*, necesse est etiam ex filio esse, spiritum sanctum confiteri. Hoc enim idcirco Nestorius negabat, vt contra dispensationem incarnationis se apertius exerceret. Scriptum est item in Evangelio; *sciens autem Iesus exisse ex se virtutem*: Ac rursum in eodem; *quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes*. Languor quoque dæmoniacorum ex his vnus erat, quos sanabat Iesus. Ait enim ipse: *si autem in spiritu Dei eiicio Dæmonia*. Patet igitur, quia manans ex eo virtus, sanctus spiritus erat.

Hoc autem inde etiam constat, quod Dei quidem est, omnia amare, virtus autem illa sanabat omnia. Necesse est ergo Deum esse spiritum sanctum, quem etiam S. Cyrillus dicit esse proprium filij, vt virtutem eius, naturaliter per eum procedentem, atque ideo, ne alienam quidem esse.

Inventum est ergo in Evangelio, spiritum ex filio procedere, quod isti tot quæstionibus ventilant. Prætetea, quod dicitur per filium procedere, omni nos huiusmodi curiosa inquisitione coercet. *Per* enim, & *ex*, tantundem valere, Doctorum auctoritas docuit, veritatisque ratio sese vndique aperit. Verum enimvero, quæ a SS. Patribus lucidius quoque de hac re scripta sunt, iuuat apponere. Sanctus enim Cyrillus quoddam capitulum I I. Thesaurorum libri, ita inscribit: *quid ex patris filiique substantia sanctus spiritus est*. Quod si hoc vir sanctus proposuerat, quis ambigat, propositum voluisse conficere? In ipso igitur ita inscripto capitulo ait: *quoniam igitur spiritus sanctus cum in nobis fuerit, conformes nos ostendit Deo: Procedit autem ex patre, & filio, constat, quia divinæ substantiæ est, essentialiter in ipsa, & ex ipsa prodiens*. Rursus in eodem: *proprius est autem omnino spiritus filij, neque extrinsecus subsistens*.

In alio iterum: *Legem itaque ferente Christo, spiritus ipsius vt in ipso, atque ex ipso, naturaliter existens lege fert*. Ac rursus in alio: *Nullam igitur novit Paulus naturæ filij spiritusque differentiam; sed, vt ex ipso existentem naturaliter, dominationis nomine appellat*. Et iterum in alio: *Necesse est, fateri spiritum ex ipsius essentia filij esse substantiam*. Et in alio iterum: *Est igitur ex filij essentia spiritus*.

Item super Ioannem, super illud: *Et Deus erat verbum. Non ergo*, inquit, *minor est, qui eandem cum perfecto patre habet operationem genitorisque spiritum propria natura habet bonum, viuumque: & substantialiter insitum, sicut videlicet & pater*. Idem super illud: *Et ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis: Dei enim*, inquit, *& patris naturalium bonorum consors essentialiter existens filius, habet spiritum secundum eundem modum, secundum quem & pater habere intelligitur: non inductitium, neque extinsecus advenientem. Stultum quippe, & insanum est, ita sentire. Sed sicut etiam vnusquisque nostrum, proprium in se ipso spiritum continet, & ex intimis visceribus ad exteriora profundit. Idcirco enim & corporaliter ipsum insufflauit Christus, vt ostenderet, quia sicut ex humano ore corporaliter procedit spiritus: ita ex divina essentia, divina ratione profluit, qui ex ipsa est*.

Idem in V I. ad Hermiam ait: *Et, si divinæ naturæ accepto spiritu participes efficimur: quomodo secundus erit à spiritu filius, aut quomodo erit spiritus ipso præstantior, & non magis, vt ipseque, & ab ipso spiritus eius totam habens eius operationem, ipsiusque participationem tribuens*.

Idem in primo de spirituali cultu, cum exponeret tria facta per Moysen signa, in fine de circumcisione filij Moysi disserens ait: *Quem sane filium intellectualis Sephora hoc est, Ecclesia, quæ ex Madian, a quæ ex gentibus est, circumcidit calculo. Figura est ista sancti spiritus, propter maximam eius, infractamque potentiam; quia, etiam ex petra: Christus enim est spiritus, petra autem Christus, sicut & Paulus & sapientissime dixit*.

Item ad Palladium scribens in primo scilicet de spirituali cultu: *variabilis*, inquit, *profecto spiritus non est; aut si variationis subiacet morbo, ad ipsam divinam naturam recurrit macula. Siquidem est Dei, & patris, sed & filij spiritus, essentialiter ex vtroque, ex patre scilicet per filium manans*.

Idem in epistola ad Nestorium tertia, cuius initium est; *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus: Etsi* inquit, *in speciali substantia est spiritus sanctus, ac secundum seipsum intelligitur, secundum quod spiritus est, & non filius, non est tamen ab eo alienus. Spiritus enim veritatis nominatus est, & est Christus veritas, atque ab eo profluit, sicuti & à patre scilicet*.

Idem super Ioël, cum illud exponeret: *Effundam de spiritu meo; secundum enim quod Deus est atque ex Deo secundum naturam filius: natus enim est ex Deo & patre, proprius ipsius, & in ipso, & ex ipso est spiritus*: sicut videlicet ex ipso Deo, & patre intelligitur.

Idem in laudibus Theodosij Imperatoris ait; *Baptizantem*, inquit, *igitur in igne & sancto spiritu; non alienum baptizatis largientem spiritum, servi scilicet, ac ministri in morem: sed, vt Deum secundum naturam, cum suprema potestate suum proprium, & qui ex ipso est*. Et post pauca: *Peccata absoluens eum, qui sibi coheret proprio intingit spiritu: quem immittit ipse quidem, vt ex Deo patre verbum, atque ex propria nobis profundit natura. Communem vero, tanquam rem dispensationi carnis adiungens, & vt homo insufflabat corporaliter. Insufflauit enim, & dixit: Accipite spiritum sanctum Et non ad mensuram dat Deus spiritum iuxta Ioannis vocem, sed, ipse immittit ex se ipso, sicuti videlicet & pater*.

In gestis item primæ in Nicæa synodi, in his, quæ dixerunt patres per Episcopum Leontium, ita habetur: *Inventus est spiritus, procedens quidem ex patre, proprius autem filij, atque ex ipso manans*.

Magnus quoque Athanasius in libro de dispensatione incarnationis, cuius initium est: *qui perverse divinas scripturas volunt intelligere: Ipse*, inquit, *eum superne misit Deus, & ipse eum inferius, vt homo suscepit. Ex ipso igitur in ipsum descendit: ex deitate in humanitatem eius*. Sanctus quoque Chrysostomus in sermone de humanitate Domini nostri Iesu Christi, cuius initium est: *Vere apparuit nobis gratia Dei: Venit*, inquit, *ad nos Christus dedit nobis spiritum ex se manantem, nostrumque suscepit corpus*.

Idem in sermone, qui inscribitur φυλακτικὸν quo scilicet adversus hæreses fideles homines præmunire satagit, cuius initium est; *quoniam ad bonum Deum tendimus. Observandus, & cauendus nobis boni adversarius diabolus*, ait; *Et ita nos custodiet spiritus à Christo manans, in diem futuræ redemptionis*.

Simeon quoque Metaphrastes conscribens passionem sancti Dionysij Areopagitæ, ita inchoauit: *Olim quidē figuris & ænigmatibus fidei mysteria involuebantur, & veritatis iubar vmbrarum nube tegebatur. Postea vero quā magnum salutis sacramentū nobis comparatum est, & is, qui corda nostra singulariter finxit, proprie circa nos benignitatis miseratione sine peccato factus est similis nobis; aliaque subiit, quæ humanæ infirmitatis sunt, vt ego primā recipiam nobilitatem, ac tandem crucis supplicio offectus est mortemque sustinuit. Et ne singula persequar: multa enim in medio fuerunt eius dispensationis sacramenta; fine eius corporalis inhabitatio suscepit: spiritusque inchoat gratia, & in cœlos mens Christus fertur, atque ad paternū*

solium

A *folium redit, procedentemque ex se Spiritum pro informandis infidelibus gentibus discipulis mittit.*

Sanctus Anastasius Antiochenus patriarcha in libro de sectis Ecclesiæ dogmatibus, ait: *Corporis vero proprietatem pro exemplo sumentes divinarum personarum ad invicem, habitum per membrorum proportionem, ac similitudinem commendare instituimus. Hic etenim spiritus oris eius, videlicet Dei spiritus sanctus dicitur, cum os unigenitus sit; & spiritus rursus ex ipso procedens, & missus non solum à patre, sed etiam à filio.* Et post pauca: *Apostoli enim deprecantes, & ut Domino supplicantes, hic qui illius adventu digni essent spiritum sanctum, ve ita dixerim, extrinsecus inspirebant. Salvator autem noster, ex se ipso, veluti ex thesauro quadam, his, qui per vita munditiam idonei, & digni erant, illum prebabat.* Item in eodem libro: *Spiritus S.* inquit, *spiritus oris Dei appellatur. Os enim patris, filius.* Rursus in eodem: *Spiritus sanctus veritatis est spiritus: hic à patre quidem procedit, accipit autem à filio.*

Psal. 32.

Ioan. 15.

B

Magnus item Athanasius in Epistola ad Serapionem; *Unus enim, inquit, filius, cum sit vivens verbum, unam esse oportet perfectam ac plenam, sanctificantem & illuminantem vitam, qua operatio ipsius, & munus est, qua ex patre procedere dicitur; quemam à filio, qui ex patre esse, conceditur, emicat, & mittitur, & datur?*

Item in confessione fidei suæ, cuius initium est *quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat catholicam fidem*, ait; *Spiritus sanctus ex patre & filio est, non factus, non creatus nec genitus, sed procedens.*

Sanctus Epiphanius in libro suo, quem inscripsit Anchoratum: *Spiritus*, ait, *incomprehensibilis est, non alienus à patre, & filio, neque congluttinatio est patris, ac filij.* Et post pauca: *Spiritus sanctus non patris frater, sed ex eadem essentia patris ac filij. Ipse enim unigenitus patris spiritum dixit, atque ex patre procedentem: & de meo, inquit, accipiet; ne alienum à patre, vel à filio existimes.* Et post pauca; *Ex patre & filio, tertius appellatione.* Et post multa: *Ambo in homine insto inhabitant, Christus, & spiritus eius. Si autem Christus ex patre creditur Deus ex Deo, & spiritus à Christo, sive ab utroque, ut ait Christus, qui à patre procedit, & hic de meo accipiet.* Et post pauca: *Sed dicet aliquis; ergo duos esse filios dicimus? Et quomodo erit unigenitus? Tu quis es, qui respondeas Deo: Si enim filium vocat ex se natum, spiritum autem sanctum, quia ab utroque est: qua solum intelliguntur a Sanctis, lucida, lucisflua, lucidamque efficientiam habentia.* Ac post pauca: *Spiritus sanctus, spiritus veritatis est, lumen tertium à patre, & filio.* Et post pauca: *Quemadmodum enim patrem nemo novit, nisi filius, neque filium nisi pater; ita audeo dicere, neque spiritum sanctum, nisi pater, & filius, à quo procedit, & a quo accipit. Et neque filium, & patrem nisi spiritus sanctus, qui veraciter glorificat, qui docet omnia, qui à patre & filio est.*

Ibidem.

C

Et aliquibus interpositis: *Itaque & pater erat semper, & filius erat semper, & spiritus sanctus ex patre spirat, & filio.* Et rursus in eodem: *Emitte, ait David, lucem tuam, & veritatem tuam. Ipse est Dominus, qui dixit; In novissimis diebus effundam de spiritu meo super omnem carnem, & prophetabunt filij eorum, & iuvenes eorum visiones videbunt.*

Psal. 42. Ioel. 2.

Et ea quidem, quæ à sanctis dicuntur, huiusmodi, ita aperta sunt pauca ex pluribus collecta. Quoniam igitur magnus Basilius in Epistola ad Terentium comitem ait; *Quam rationem habet: commune ad proprium hanc habet essentia ad substantiam.* Et idem rursus in Epistola ad Gregorium fratrem de differentia essentiæ, atque substantiæ, inquit, *Communitatis quidem ratio ad essentiam refertur. Substantia vero proprium cuiusque signum est.* Damascenus quoque in suis Theologicis capitulis: *substantia est commune cum proprio, constat, quia, quando coniuncte dicimus essentiam filij: quoniam filius nomen ex propriis est, commune cum propriis significamus.* Sed commune cum proprio substantia est. Ita enim Damascenus definiit. Itaque quoniam ex essentia filij dictus est spiritus, ex substantia eius dictus est: sicque, quod quærebatur, invenimus.

D

E

Quod autem in divinis scripturis idem sit, quantum ad rem, proprietas, atque substantia, sive etiam persona, manifestum est. Gregorius enim Theologus in sermone ad lumina dixit; *Is autem cum dixero, uno lumine, ac tribus illustramine: tribus quidem, secundum proprietates. Exponensque, quid dixerit proprietates, adiungit, sive substantias, sive personas vocare placet.* Item in laudibus sancti Athanasij, cum dixisset, *Una enim essentia, tresque substantiæ*: cum dicantur quidem à nobis, pie protinus adiunxit: *aliud enim naturam indicat; aliud trium proprietates.* Illic ergo cum proprietates posuisset, substantias exposuit: Hic autem substantias, proprietates. Ex quo sane manifestum est, quia proprietatem, & substantiam idem intelligi vult, simulque naturam, & essentiam in Deo æstimat: unam enim essentiam, naturam exposuit. Quoniam igitur commune in Deo essentiæ tres substantiæ sunt, communeque hæc est, quæ singulis est, & propria essentia: una quippe ex tribus est aliqua persona; quodque cuique est, hoc mirabiliter etiam commune est: unum enim tria, & tria unum sunt; in quibus est deitas, sive ut diligentius dixerim, quæ deitas est, iuxta Theologum Gregorium; manifestum est; quoniam sicut trium essentia, substantia est; ita quæque substantiarum essentia & substantia est. Sed tres substantiæ pater est, & filius, & spiritus sanctus, secundum enim hæc relativa ad invicem proprie accipiuntur.

F

Itaque verum profecto est, quod dicitur, quod quando coniuncte filij essentiam dicimus, substantiam eius, sive personam significamus, cum commune quidem essentiam dicendo signetur. Propria vero substantia, per relativum nomen filij insinuetur: substantia quippe commune cum proprio est dicta. Quod cum ex filij essentia dicitur spiritus sanctus, ex eius substantia dicitur. Idem enim, quantū ad rem, essentia & substātia est.

Damascenus præterea in suis Theologicis capitulis, *Deitas*, inquit, *naturam insinuat; Pater autem quod dicitur, substantiam, sicuti & humanitas naturam commendit, Petrus vero substantiam.* Quia igitur quemadmodum patet, ita & filius similiter substantiam indicat; substantia vero commune cum proprio, sicut ipse definivit: commune autem Deitas, vel natura, vel essentia est: Dicitur autem ex filij essentia esse spiritum sanctum, manifestum est, quoniam ex substantia ipsius est.

G

Quoniam vero idem in iisdem ait: *Cum unam substantiarum intelligo perfectum Deum ipsam esse scio, perfectamque essentiam* Dicitur autem ex filij essentia esse spiritus: manifestum est: quia ex substantia ipsius esse dicitur. Et quoniam in eisdem ait: quia solus filius genitus est; ex patris enim essentia sine principio, & sine tempore est natus; & solus spiritus sanctus ex patris essentia non genitus, sed procedens est: Ex patris autem essentia, pro eo, quod est, ex patris substantia, & iste tradit, & omnes consentiunt, quia spiritus sanctus cum ex filij essentia, à Theologis asseritus, & ipsius etiam substantia est: idem enim essentia, atque substantia in Deo est, secundum rem.

Porro si quis ista aliter accipiens, velit, aliud quidem in Deo essentiam, aliud, substantiam significare, necessario fateri, essentiam sine substantia, substantiamque sine essentia cogetur. Ad quam absorditatem, magnus quoque Basilius in prædicta ad Terentium comitem Epistola, orationem necessario deduxit. Et quoniam indeterminate Theologi de divina filij nativitate differentes, ipsum aliquando quidem ex patris essentia, aliquando vero ex illius substantia natum asserunt; aut duos filios natos confiteburæ; alium quidem ex essentia, alium vero ex substantia, aut non esse filij unicam, ac simplicem nativitatem dicet. Idem vero & de sancto spiritu dicitur. Et certe si quidem sunt tres differentes, aliudque patris proprietas, aliud patris persona est, aliud paterna substantia: &, aliud pater, aliudque rursum essentia illius; idemque de reliquis substantiis dicendum: partim quidem Trinitas nobis auferetur

H

A

auferetur, & peribunt omnia, quæ de ipsa pie tradita suscepimus: partim compositus erit Deus, ex tam differentibus ad invicem secundum rem constans. Sed enim ista absorda sunt, & impia. Et illud igitur absurdum penitus & impium, quo posito ista sequuntur.

Quoniam igitur substantia quidem, & persona idem est: substantia vero, & proprietas æque idem est: substantia autem essentia est, vt ex his, quæ supra diximus, constat: manifestum est, hæc omnia idem in Deo esse, secundum rem. Et illud item manifestum est, quod, si aliud essentia, aliud substantia à Sanctis dicitur; sed tamen secundum rem dixerunt, non aliud essentiam, aliud esse substantiam, sed, secundum quod vna, atque eadem res aliter quidem signatur ex nomine essentiæ seu naturæ, aliter ex nomine substantiæ sive personæ. Illud enim communiter, & absolute; hoc autem proprie magis, cum eo scilicet, quod ad aliquid quodammodo habeat: quia enim absoluta ab his, quæ dicuntur ad aliquid, differunt; eorum vero, quæ in Deo dicuntur, alia quidem absoluta sunt nomina, quæ vnum Deum indiscrete significant: alia vero relatiue habent, quæ à nobis Trinitatem commendant: & secundum ea quidem; quæ absoluta & communia sunt, vnita Theologia constat: secundum vero ea, quæ ad invicem relatiua sunt; & secundum ea, quæ ad aliquid habent; discreta contexitur Theologia: Vnitio vero, atque discretio non idem est; neque enim relatiuum, & absolutum idem secundum hoc dictum est, sequitur non idem esse essentiam, atque substantiam. Essentiæ enim nomen quiddam absolutum signat: * substantia vero propriam cuiusque notam commendat, secundum quam ad aliam refertur personam.

B

* Acci- [illegible] m pro hypostasi.

Nam exempli causa, dexter homo, ab eo qui simpliciter homo est, secundum quod simpliciter, & aliquo modo, sive secundum commune; & proprium, differt: etsi secundum rem idem sit dexter homo: quippe & Petrus homo est, & filius Ionæ: neque alterum significat, qui eundem Petrum hominem dicit; alterum vero, cum eundem Ionæ filium dixerit. Secundum vero, quod simpliciter, & aliquo modo dicitur; differentiam tantum indicat: dicendo enim Petrum hominem absoluto, & communi nomine subiectum: eundem verò, & Ionæ filium dicendo, proprio, & relatiuo, & definito nomine: eundem & filium esse ex homine Iona, qui pater illi fuit, indicat. Per vtrumque ergo nomen aliter, & aliter idem significatur, relative scilicet, & absolute: solum autem simpliciter, & aliquo modo differt. Aliud enim essentiam sine habitu significat; aliud eandem, & ad aliquid quodammodo habentem.

C

Attestatur autem his, quæ dicta sunt: Primum quidem magnus Athanasius postea vero etiam sanctus Maximus: atque ambo in dialogis suis adversus Anomæum Anomæo enim dicente, aliud essentiã, aliud esse substantiam, sanctus Maximus respondet: *Aliud, & aliud, non quasi rem; atque illo inferente; num ergo compositio? Sanctus adiungit: aliud, & aliud dixi, non quasi rem, sed vt aliud aliquid essentia, aliud significante substantia. Sicut granum tritici dicitur, & semen est, & fructus: aliud autem quoddam significat semen, aliud fructus.*

Concedens ergo Sanctus ille, aliud esse essentiam, aliud substantiam, non tamen geminam deitatem intelligi permittit: propterea scilicet, quod non idem itidem significet deitas, & substantia, vel essentia, & substantia. Licet igitur idem essentiam, ac substantiam, dicere secundum rem, & aliud essentiam, aliud substantiam secundum significatiua rerum nomina. Et vtrumque tamen verum est. Non enim secundum idem etiam ambo, In quantum essentia quidem commune significat, & idem quod erat esse. Substantia vero idem, & ad aliquid quodammodo habens vel gignentis, vel geniti, vel producentis, vel producti ratione.

D

Dictum est autem à Sanctis non idem essentiam esse, atque substantiam, propter Sabellium maxime. Hic enim vnam personam Deum esse confitens, idem in Deo esse substantiam, & essentiam secundum rem, & libenter quidem confitebatur. Hoc enim illi maxime ad id, quod moliebatur, conferebat. Substantias vero, seu personas relatiuum esse, secundum proprietates, quæ substantias ostenderent, nolebat. Si quis enim paternam substantiam relatiuum dicat, necesse est, & ad quod refertur, simul confiteri. Huiusmodi quippe natura est earum rerum, quæ ad aliquid dicuntur. Idem vero & in substantia genita, & in procedente dicendum est; Hoc autem in Deo posito, necesse est tres substantias, seu tres personas Deum secundum fidei positionem ex processibus, sive relationibus, apparentes confiteri, quod erat contrarium Sabellij proposito.

E

De hoc, quod propositum est, & magnus Basilius In exemplari dictatæ ab eo fidei, cuius initium est: *Eos, qui præventi sunt alia fidei confessione*, ait: *Quidam vero ab impietate Afri Sabellij venientes, * substantiam, atque essentiam idem esse suspicati, inde occasiones concinnandæ blasphemiæ suæ trahunt, ex eo, quod in fide scriptum sit: si quis autem ex alia essentia, sive substantia filium esse dixerit, hunc anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia. Non enim illic idem dixerunt, essentiam, atque substantiam. Si enim vnam, atque eandem intelligentiam insinuarent voces, quid necesse erat vtrasque ponere? Constat vero quoniam aliis quidem ex patris illum essentia esse negantibus: aliis vero dicentibus, quia neque ex essentia, neque ex substantia esset: ita, vtraque, vt aliena ab Ecclesiastica intelligentia interdixerunt. Vbi enim sensum suum expresserunt, ex patris essentia filium dixerunt: non iam adiicientes & ex substantia. Itaque & illud quidem pro abolitione pessima intelligentia positum est, hoc autem salutare dogma manifestat.*

F

* hypostasi.

Hoc in loco magnus Basilius dicentibus Patribus: si quis vero dixerit, ex alia essentia, seu substantia filium hunc anathematizat Catholica, & Apostolica Ecclesia, eos qui hinc conficiebant, idem esse substantiam, atque essentiam culpat, & ait: non enim, quia illic dixerunt, ex alia essentia, sive substantia, inde colligitur, idem esse essentiam, atque substantiam; sed quorundam opiniones fallaces ab Ecclesia eliminantes, vtrisque istis vocibus vsi sunt. Si enim idem ambæ significarent, necesse profecto non erat, vtrasque ponere. Sed quoniam alij quidem negabant ex patris essentia filium esse: quidam vero neque ex essentia, neque ex substantia patris, filium esse fatebantur, idcirco vtraque interdixerunt, pro deletione pessimæ intelligentiæ, anathemati subiicientes: si quis ex alia essentia, sive substantia filium dixerit.

G

Ex quo liquet Sanctum excludere, non idem esse essentiam, atque substantiam. Quod quidam præter sancti viri intentionem pervertentes, in plurimas absurditates incidunt. Neque enim illos culpat, quod secundum rem idem esse essentiam, atque substantiam dixerint: hoc enim verum esse veritas ipsa cum sanctis Patribus loquitur: ipseque in epistola ad Gregorium fratrem attestatur Sed quia, secundum rationem, sive nominum significationem, idem essentiam, & substantiam esse putabant: & non vt ipse ait, essentiam quidem ad commune, vt simpliciter ducebant: substantiam vero, notã propriã in eo, quod aliquo modo ad aliud haberet, definiebant, & ab vtroque nominum vnam, eandemque capiebant intelligentiam, per quam processus, relationesque, simulque tres personas esse Deum auferebant.

H

Itaque confitentur quidem Ecclesiæ magistri, idem essentiam, & substantiam esse: & iidem rursus negant, non idem esse substantiam, atque essentiam dicentes, non secundum idem & ambo, sicut dictum est, contradictionem enim in eodem nunquam simul veram esse posse. Aliud enim secundum rem, aliud secundum nomen accipitur.

Deinde adiicit, quod vbi suum Patres sensum indicare

voluerunt,

voluerunt, dixerunt ex patris essentia filium, satis esse putauerunt ad insinuandum, filij substantiam ex patre esse: ac proxime, veluti si diceretur, eum esse ex paterna substantia. Hoc enim manifestationem habere salutaris dogmatis asseuerant. Salutare autem dogma est, ex patre substantiam habere filium, natiuitatis ratione confiteri: consubstantialem scilicet ei, ex quo est quod sane dogma indicari dixit ex eo, quod dictum est, *ex patris essentia filium esse*. Idē ergo est ex patris essentia, atque ex patria substantia dicere. Idem ex essentia, atque substantia est, secundum rem. Et essentia patris, substantia est patris.

Quoniam igitur & spiritus sanctus ex filij essentia asseritur; liquet etiam, quod ex substantia illius sit: neque enim est vel essentia sine substantia, vel substantia sine essentia. Quamvis & prima synodus in fidei symbolo sic tradidit: *Credimus & in filium Dei natum ex patre videlicet ex patris essentia.*

Constat igitur per omnia, quod siue ex filij essentia spiritus dicitur, siue ex filio, siue ex filij substantia, nihil differt ad eius substantiam insinuandam. Quemadmodum enim ex eo, quod dictum est, filium esse ex patris essentia, substantia illius, inde esse intelligitur: ita & spiritus sanctus, quoniam ex filij essentia à Theologis traditur; ex ipso etiam habere substantiam insinuatur: secundum quam ex patre per filium procedit, & secundum quam, ab ipso habere esse dicitur. Ac sicut indifferenter à Theologis siue ex patris essentia, siue ex eius substantia filius dicitur, ad insinuandam eius ex illo substantiam: ita & spiritum ex filio, siue ex eius essentia, siue ex substantia dicere indifferenter possumus ad ostendendum illum, ex filio habere esse; nisi quis ad omnia, impudens esse velit.

Si quis autem & hic per hoc indicari consubstantialitatem dicat: Filius certe de spiritus essentia non dicitur, neque conuertitur habitus ista consequentia.

Porro si sanctum Isaac proferat dicentem: *Ille frater tuus est, & ex natura tua est*: at id quidem dici fas est, in quibus nullus ordo conspicitur, diuisis quidem secundum materiam: vnitis autem solummodo termino naturæ mortalis, per quam inuicem consubstantiales secundum conuersionem ad inuicem dicuntur, & secundum quam, vnusquisque ex proximi natura, veluti ex quodam subiecto, in propria substantia, ac veluti ex toto pars abusiue diceretur. Cæterum in sancta Trinitate, cum vna sit, ac simplicissima essentia, differentiaque, solo personarum ad inuicem ordine inspiciatur, secundum scilicet substantiales illarum processus. Quemadmodum impossibile est, patrem ex filio, & ex filij essentia dici: & certe cum vna sit eademque essentia patris, ac filij: ita possibile non est filium ex spiritu siue de spiritus substantia vnquam dici propter ordinis terminum, secundum quem ex patre per filium procedit.

Isaac Etem, cuius extant opuscula Ascetica.

Quemadmodum eadem ratione filium ex patre per spiritum gigni, asseuerare non possumus. Quocirca rite dictum est: Filius sancti spiritus neque est, neque dicitur, neque conuertitur habitus ista consequentia.

Constat autem ex his, quæ dicta sunt, & quod magnus Athanasius; idcirco ait: *ex patre procedere dicitur; quoniam à verbo emicat, & mittitur, & datur.* Itaque nisi per verbum, illum pater emitteret, nequaquam esset ex patre procedens. Proprietas enim spiritus, vt diximus, est, ex patre per filium procedere, siue ex primo per medium esse, perque huiusmodi processum procedens est. Filius enim esset, si ex patre sine medio procederet. Nam, ex patre esse sine medio, proprietas filij est, sicut etiam supra docuimus. Quomodo ergo non esse à filio dicatur, qui idcirco dicitur ex patre procedere, quia & à filio, & per filium est? Et illud itidem constat, quia, *procedere*, & *emicare* idem esse arbitratur Athanasius. Idcirco enim ait, *Procedere à patre dicitur, quoniam à verbo emicat*, quasi diceret. Ideo procedens est, quia ex patre per filium procedit, nisi enim per filium; nunquam diceretur, ex patre procedere, sed nasci.

Si enim, vt quidam volunt, emicare quod ait, de temporali, quem illi introducunt, processu intelligi voluit: quam rationem habuisset, simul ista connecteret? Vt enim hunc etiam esse cōcedamus, temporalis illa processio, quid ad eam confert, quæ sine tempore est? quanam vero ratione poneret hanc sempiternæ illius processionis esse causam? Omnes quippe nouimus: *quoniam* causalem coniunctionem pro causa accipi. Non enim, quoniam à filio temporaliter emicat, ideo à patre sine tempore procedit. Ideo tamen eo verbo visus est, vt emicare, pro eo, quod est, *procedere*, diceret: quoniam spiritum illuminantem, vitam appellat, alternatim scilicet conuersione dictionis vtens: quanquam & magistrorum plurimi *emicare* quod dicitur in substantiali personarum processu propriæ substantiæ prætulerunt: sicut est illud, quod canitur *Vnigenitum filium, qui ex patre sine tempore effulsit*: sed etiam procedentem ex patre spiritum *vitam* esse viuentis verbi dixit. Si autem vita ex viuente, nunquam certe erit sine spiritu filius. *Sicut enim pater habet vitam in semetipso, sic dedit & filio vitam habere in semetipso.* Vita autem spiritus sanctus est, quem vna cum patris essentia ex patre nascens trahit. Neque enim est sine vita, qui natus est. Id quippe præter impietatem etiam stolidissimum est, vt ait Chrysostomus, cum illud exponeret: *Dedit vitam.*

Ioan. 5.

Enimuero, quoniam operatio filij spiritus sanctus esse dictus est, subsistens, & substantialiter insita: constat, quia per spiritum operatur. Hoc autem & communis Ecclesiæ opinio est, maxime cum etiam Dominus dixerit: *Si autem ego in digito Dei, eiicio dæmonia: ergo peruenit in vos regnum Dei.* Quod alius Euangelista exponens ait: *Si autem in spiritu Dei eiicio dæmonia.* Filius itaque per spiritum Dei, qui etiam suus est spiritus, operatur. Illud autem, per quod aliquid quisquam operatur, siue quasi mouens est, vt Rex, per quem ciuitatis dispensator administrat, ac gerit omnia: siue, quasi speciale, & ab arte veniens, vt artifex per artem operatur; siue per causam naturalis virtutis suæ.

Leuit. 11. Matt. 12.

Non ergo virtus operantis causa est, sicuti & mens per verbum operans quasi per vim suam naturalem, & efficientiam: causa est verbi, sed non è contra: quippe omnis vis, & actio naturaliter per aliquem prodiens, etiam ex illo est. At, operatur quidem per verbum, quasi per suam naturalem vim. Operatur autem filius per spiritum, quasi per naturalem, atque insitam substantialiter virtutem suam. Ideo, & magnus Basilius in IV. quæstionum ait: *Neque sine filio facit quippiam pater, neque, sine spiritu filius. Filij autem verbum, spiritus: Portans*, inquit, *omnia verbo virtutis suæ.*

Ex quibus profecto omnibus & ordo ad inuicem diuinarum personarum, & vt se inuicem teneant, vnaque cogitentur, & intelligantur constituit. Quoniam igitur spiritus sanctus donum filij, & operatio ipsius est; operatio vero ab operante, donumque à mittente effulget, & mittitur, & datur: liquet, quia ex filio est spiritus sanctus. Vt enim filius per quem pater operatur, ex patre est; ita & de sancto spiritu dicendum, per quem operatur filius. Neque enim sicut id, quod mouet, aut sicut artificialis, atque exemplaris causa, quod *per quem* dicitur, hic locum habet. Donum autem dixit, vel, quia alternatim, & hoc in loco conuersione dictionis vsus est. Donum enim ad *dari*, ac *mitti*, quod dicitur, proprium est. Vel quia dari, ac mitti in diuinis persona, vt supra declaratum est, ab alio esse significat. Per quem nihilominus causam, & quod ex causa est, intelligi voluit. Nempe enim ab eo nunquam daretur nisi etiam ab eo esset: aliter enim ministri fungeretur vice. A quo autem illum dari oportebat, vt ipse ait Athanasius, nisi ab eo, cuius est,

Hoc autem non ita esset, nisi & ad illum referretur. Relatio autem causam, & causale commendat. Filius ergo causa sancti spiritus est. Spiritus enim sanctus per filium non operatur; causaque illa est, quia filius ex patre per spiritum non gignitur. Spiritus autem ex patre per filium procedit. Secundum quam sane rationem, nec filius *operatio & virtus* spiritus sancti dictus est.

Porro, si quis eiusdem beatissimi viri dictum in fidei ipsius confessione præexpositum, quo ait: *spiritus sanctus, ex patre & filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens* ambiguum putat, & quasi adulteratum calumniatur: primum quidem id verum esse, inde manifestum est: quia & Theologus Gregorius in Athanasij laudibus ipsius meminit dicens: *solus ille, vel cum paucis admodum, ausus est veritatem in scriptis confiteri*; & quæ illic addit: quam tunc temporis conscriptam ad Iulium Romanum Pontificem misit, cum insimularetur non rectæ esse fidei. Deinde, & ex eo constat, ipsius veram esse; quod per omnes Occidentis Ecclesias Dominicis semper diebus psallitur, atque adeo celebris est auctor, vt ne à pueris quidem ignoretur; ex illis quidem temporibus vbique diffusa, atque contra Arianorum hæresin, contraque omnes rectæ fidei adversarios, in cunctis Ecclesiis publice cani præcepta.

Symbolum Athanasianum. De hoc symbolo vide eandem disputationem Nicolai Sectarij.

Aut igitur aliam aliquam confessionem tanti viri proferant, cuius & Theologus meminit, & cui traditio Ecclesiæ attestatur: aut si hoc non possunt, istam cum supra exposito dicto suscipiant. Testantur autem hanc ipsam fidei confessionem sancti viri esse, atque id dictum ita se habere, qui contra Latinos multo ante scripserunt: quam sibi vt adversam, frustra labefactare nituntur. Atque, vt intelligi datur, tunc quidem adhuc seruabatur, postmodum vero pertinaciores ad contradicendum facti, omnino illam auferre voluerunt. Etsi modo nihilominus curiose inquirentibus raro licet in vetustissimis codicibus ita habere invenitur. Si quis tamen diligentius inspiciat, nihil hic novum dixisse sanctum virum comperiet. Plurimis enim in locis per filium illum esse ait, & à filio accipere, & ab ipso scilicet accipere, quod accipit. Id autem est, eius esse: quodque paulo ante dicebat, à filio effulgere: quocirca quam à patre procedentem virtutem dixit, spiritum sanctum à patre procedentem intelligi volui: hoc autem ex patre per filium esse, ac procedere. Porro ista his, quæ in fidei expositione posuit, valde consona sunt.

Apparet simul ex superioribus, quia & *prodire*, & *profundi*, & *profluere*, & *inundare*, & *manare*, & *effulgere*, & quæque similia, eandem spiritus sancti substantiam signare, quam ipsam etiam *procedere* significat; non solum, quia, vt dictum est, duo processus sancti spiritus non sunt, vt quidam volunt: Et idcirco ista omnia, ad substantialem processum eius reducenda sunt; cum eos, qui geminos istos processus ponunt, multa necessario absurdissima sequantur: verum quia & Theologi ex patre procedere, & profundi, & profluere, & emitti spiritum sanctum concorditer asserunt, vbi dicere volunt, ipsum ex patre procedere. Magnus quippe Basilius ait: *quia non prodit in tempore, quod prodit ex Deo, etiamsi in tempore fiat eius actio, & æterne habet omnia, vt Dei spiritus, atque ex ipso manans.* Et illud: *Neque enim minus aliquid eramus habituri ad cognoscendum spiritum, ex Deo esse spiritum oris eius illum audientes, sed idoneum & istud nomen erat ipsius ex Deo insinuare substantiam*: verbo *esse*, pro eo, quod est, *procedere* vsus est.

Sanctus quoque Maximus: *Emisit*, inquit, *pater spiritum, hoc est, emisit*: Et ipse de processu eius differens, vt superius constitit, cum sanctorum patrum auctoritate ostenderemus; *emitti*, ac *mitti*, apud eos, pro eo, quod est, nasci, & procedere solere accipi.

Sanctus item Cyrillus ait: *prodit autem ex patre & filio; & constat, quia divina est essentia in ipsa, atque ex ipsa prodiens: ac profunditur à filio, sicut etiam ex Deo & patre.* Sed & in sermone suo ad monachos, atque in expositione divini symboli; sic ait: *spiritus profunditur, videlicet procedit, veluti ex fonte, ex Deo & patre.* Et rursum ad Hermiam: *Nam*, inquit, *animadvertisti, quoniam spiritum quidem veritatis nominans paracletum dominus*: ait denique, *quoniam procedit ex patre: sua omnia proprie ostendens, quæ patris sunt.* Ac rursus in eodem: *intelligisne, quomodo, vt proprium se nobis missurum pollicetur spiritum, qui procedit ex patre? Et spiritum quidem veritatis vocat; profundi tamen ex ipso patre, definiit.*

Sed & magnus Athanasius, in ea quam scripsit disputatione Orthodoxi & Macedoniani, ait: *spiritus natura sanctus, natura incorruptibilis, vt spiritus Dei, & ex ipso manans, sive procedens.*

Quin etiam in filij ex patre substantia insinuanda, prædictis verbis vsi sunt. Magnus enim Basilius in 11. quæstion. ait; *Patris quidem optimi, optimusque filius, ex lumine autem ingenito lumen effulsit sempiternum, atque ex vera vita vivificans processit fons, atque ex ipsa virtute Dei virtus effulsit.* Sed & verbo *effulsit* in quadam mystica sacrificij oratione in spiritu sancto vsus est, de filio dicens: *A quo spiritus sanctus effulsit.* Ac rursus idem in eisdem ait: *Communis præsumptio omnibus simul Christianis inest, quod lumen genitum filius sit ex ingenito lumine effulgens.*

Sanctus autem Cyrillus in vno capitulorum suorum de æternitate filij sic ait; *Erat igitur gignenti patri coæternus filius, veluti à fonte quadam paterna substantia manans.* Et in alio: *qui enim à paterna processit essentia, patrem protinus ostendit eum, qui se genuerat.* Et in alio: *quod ex patris essentia processit verbum.* Atque in alio: *pater produxit ex seipso filium inseparabiliter, atque incunctanter.* Et in alio: *Totum esse filij ex patris essentia procedit.* In alio quoque: *quænam enim passio fieri in sole cernitur, quando gignit lucem? quænam contingit ignis separatio, quomodo emittit ex se ipso fulgorem?* quod si *gignunt ista inseparabiliter, emittuntque impassibiliter, quæ ex iis sunt; nonne longe dignius, & excellentius horum conditor natura sua splendorem imittit?* Psallimus item in canticis *spiritus confessor, & conformis ex patre simul effulsit*, Et item: *Tu Dei mater incunctanter facta es eius, qui ex immortali patre.*

Si igitur eos, qui binos sancti spiritus processus ponunt, absurda plurima sequuntur: verbis autem, quibus filij ex patre substantiam, ac rursus substantialem spiritus ex patre processum sancti significare volentes, eisdem vsi sunt in filio, atque in spiritu indiscrete, & absque vlla determinatione: quomodo non & hic per id, quod dicitur, *profundi*, & *inundare*, & *profluere*, per filium, atque à filio dici spiritum sanctum, necesse sit intelligere eius, ex filio substantiam, secundum quam ex patre per filium procedit: maxime, cum beatus Cyrillus, *profundi*, pro eo, quod est, *procedere*, apertissime tradiderit.

Quia enim duas ex Deo personas procedere, secundum scilicet geminum processum fides tradidit: aliam quidem, secundum nativitatem; aliam vero, secundū processionem: atque alius quidē filio, alius vero spiritui cōvenit; constat, quandoquidem filius ex patre procedere, inundare, & fluere à Theologis asseritur: ista, pro eo, quod est, nasci, vel gigni intelligenda: Cum vero spiritus sanctus sive à patre, sive à filio profundi, & prodire, & profluere dicitur: hæc, pro eo, quod est procedere, accipienda; verbis istis omnibus processum cuiuslibet ex aliquo insinuantibus, & vbique quidem aptari peculiarius valentibus, atque in hoc loco propriam vtrique personæ substantiam affatim reddere; alteri quidem nascendi; alteri vero, procedendi ratione; cum alia quidem sit continenter ex prima; alia, per eam, quæ est continenter ex prima: quippe illi ambobus sunt substantiarum termini.

Verum, quoniam ab omnibus Doctoribus spiritus sanctus ex filio procedere asseritur, liquet profecto,

quia secundum naturam est, vel secundum accidens: Id quippe creaturarum est à Deo non naturaliter procedere: si igitur, secundum naturam ex filio procedit spiritus, hoc autem duobus modis fit; vel secundum nativitatem, vel, secundum processionem: præter ista enim nullus alius in divinis personis secundum naturam processus est: secundum nativitatem vero, processus in spiritu esse non potest: ita enim esset spiritus filius filij: manifestum est spiritus ex filio processum, vt procedentis esse: simúlque constat ex his, *effulgere*, & *profundi*, & *profluere*, quod dicitur, à filio spiritum: ipsum ex patre procedentem, vnicum spiritum sanctum, non donum aliquod sine substantia significare, vt quidam volunt: sicut enim sive filius, sive spiritus effulgere, & profluere ex patre dicitur, ipsæ personæ divinæ signantur procedentes: ita & spiritus à filio profundi, & effulgere cum dicitur, & maxime cum sic conjuncte procedens ex patre per filium profundi, ac procedere dicatur, ipsa divina persona spiritus insinuatur. Procedente enim ex patre spiritum, nemo sine substantia dicere præsumit, nisi quis blasphemare velit.

Illud autem, quod quidam aiunt, sanctos dicere, spiritum sanctum procedere quidem ex patre, à filio autem profundi: Et rursum, procedere quidem ex patre, ab eo autem effulgere: vel, proprium ipsius esse, vel, non alienum, & quæ talia: Per has conjunctiones connexivas, substantialem spiritus processum filio tollentes, patrique solummodo hunc attribuentes, omnino imbecillum est. Hujusmodi quippe illorum mens est quoniam dicitur quidē spiritus ex patre procedere, vnde secundum essentiam illi peculiaris est: non tamen est alienus à filio, spiritus enim filij dicitur, juxta quod sibi etiam peculiaris est. Ideo, & ab eo profunditur, quemadmodum ex Deo, & patre, hæres enim paternorum bonorum est, & proprius ipsius est, vtpote per ipsum naturaliter prodiens, & ex ipso existens. Igitur, etsi procedit ex patre, at neque à filio alienum oportet æstimare secundum eum, quem prædiximus modum. Procedit quippe per filium. Procedere autem quod dicitur, etiam per filium consequitur. Aliter enim non diceretur ex patre procedere.

Attestatur & his magnus Basilius, cum dicit: *Illius quidem ad patrem proprietatem intelligo quoniam procedit ex patre; ad filium vero, quoniam audivi; si quis spiritum Christi non habet, non est eius. Et illud? Neque enim minus aliquid eramus habituri ad cognoscendum, spiritum ex Deo esse: spiritum oris eius audientes eum; sed sufficiebat & hoc nomen ad insinuandum, ipsius ex Deo esse substantiam.*

Rom. 8.

Porro patris os filius est, vt Patres volunt. Prorsus vero, quod sancto spiritui ad patrem est, *ex patre procedere*, patrisque spiritum dici: hoc, & ad filium, ab ipso accipere, & audire, & cætera, quæ filij spiritum esse commendant. Nam & à patre procedere quod dicitur à patre accipere significat. Itaque dictus est quidem spiritus patris, sed & spiritus veritatis est.

Et mittitur quidem à patre, mittitur autem & à filio: quippe æqualiter, ac sine vlla differentia communia patri, & filio sunt, quæ singulis à Theologia assignantur. Atque profluit quidem à patre, proprium autem filij est, vt & ab ipso emanet. Fons enim sancti spiritus & filius ab Ecclesiæ Magistris asseritur. Et habet quidem substantiæ causam ex primitivo lumine; effulget vero per vnigenitum, quoniam per ipsum est, atque per filium quod dicitur, & ipse filius ad patrem reducuntur.

Et dictus est quidem, à patre procedere, procedit vero per filium. Namque ex patre quod dicitur, juxta Patrum sententiam, etiam per filium sequitur aliter quippe procedens non esset. Itaque connectunt magis patri, filium secundum processum, seu processionem sancti spiritus, quam dividunt hujusmodi conjunctiones.

Eorum autem, qui differentiam essentiæ patris ad filij pergunt adstruere, divisim ac differenter ista reddere est: quippe, ita dividentes, essentiæ quoque differentia necessario sequetur. Nempe enim & Theologus Gregorius in suis de divinitate sermonibus, in orationis parte, patrem, & filium, & spiritum sanctum invocans, atque subinferens, *alium quidem bene complacere, alium vero cooperari, alium autem inspirare:* non sane per hujusmodi conjunctiones, sive beneplacitum, sive inspirationem, sive cooperationem personis divisit: neque enim singula horum singulis personarum magis proprie accommodantur, quam reliquis: verum, omnia conveniunt singulis, imo & tota Trinitas, vt vnus Deus inspirat, & sibi bene complacet in bonis, & quodcunq; inchoantibus adjutrix est. Atque vbique penitus quæque personis assignantur vt propria, sine vlla varietate convenient: vbi non opponitur relationis objectio, quemadmodum processio spiritus, filij ad patrem relationi nihil obstat, vt in sequentibus lucidius monstrabitur.

Quod si procedere ipsam dictionem, quæ Græcè ἐκπορεύεσθαι dicitur, in filio inquirunt: primum quidem pluribus supra rationibus ostensum est, quod alia quoque verba hoc ipsum nihilominus significant. Deinde, quia & à Sanctis quoque posita est hujusmodi dictio. Sed & ipsum, quod per filium procedere dicitur, à Patribus commendare sufficit, quod etiam procedit ex filio. Quanquam quibus non sufficiat, quod ex filio spiritus esse sanctus dicitur? cum Sancti hoc plurimis in locis dixerint, cum de personalibus substantiis differerent: verbúmque *esse*, substantivum cum sit, magis etiam cujuspiam ex aliquo substantiam exprimere possit, juxta scilicet proprij processus terminum.

Præterea constat ex superioribus, quod dicimus in filio manere spiritum, quod quidam his objiciunt, qui etiam ex filio proferunt, nihil eos juvat. Qui enim & ex filio spiritum dicunt, & in filio longe prius confitentur namque & sancti, & *in filio* dicunt; & per ipsum, & ex *ipso esse*, addunt. Neq; hoc solum, sed & in patre, & in filio spiritum sanctum manere. Sicut autem in patre manens, etiam ex ipso est, sic & in filio manens, etiam ex ipso est. Non enim profecto quispiam blasphemare audebit, ita in filio manere spiritum, sicut in quolibet Sanctorum, in quibus requiescit quidem, & manet, sed per gratiam, non per naturam.

Præterea vero, quod procedit, in eo, ex quo procedit, prius substiterit necesse est. Neque enim ex illo aliter procederet. In divinis autem personis, simul & in ipso, & per ipsum, & ex ipso est, propter æternitatem, & quod illic tempori nullus locus sit. Sicut ergo filius in patre existens ex ipso est, & spiritus sanctus similiter; pari profecto ratione, & de mansione sancti spiritus in filio dicendum.

Et est quidem id verum, quod ait D. Dionysius, quod divinæ substantiæ in invicem circumeunt, sed non idcirco confusio est, neque hinc immobilis ordo pervertitur, *neque necesse filium in spiritu cum dicimus, etiam ex spiritu esse confiteri*, vt Gregorius Nyssenus ait: *Sed, est quidem filius in patre, sicut pulchritudo imaginis in primitiva forma in propria imagine.* Idem vero & in filio, & spiritu dicendum.

Quoniam igitur ab Orientalis Ecclesiæ magistris, ex filio esse, ac procedere spiritum sanctum traditum constitit, licet plurima omissa sint, quæ afferri poterant ad hoc ipsum asseverandum: nunc jam & ab Occidentalis Ecclesiæ Doctoribus, vt idem asstruere nitamur, admonemur: vt his, qui contradicere nituntur, nulla jam excusatio reliqua sit. Ac primo quidem, quantam illis vniversales Synodi reverentiam, auctoritatémque præstiterint; & à qua fide illorum dicta suscipi conveniat, insinuarium.

Sancta igitur, atque vniversalis quinta Synodus in gestis suis ita ferm. ad verbum, ait: *Sequimur in omnibus sanctos Patres, ac Doctores sanctæ Dei Ecclesiæ, Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium Theologum,*

Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum, Theophilum, Cyrillum, Ioannem Constantinopolitanum, Leonem, Proclum & omnia, quæ ab eis de fide recta, & ad condemnationem hæreticorum conscripta sunt, suscipimus. Imo, & in synodico, quod dicitur, anathemate, plectuntur, qui prædictos Doctores non suscipiunt, neque omnia, quæ ab eis scripta sunt, confitentur. Præcipue vero Augustinum sanctæ universales synodi, ut in earum gestis constat, tertia scilicet, sexta, & septima (Actione) eminentissimum Ecclesiæ magistrum, ac sanctum prædicarunt.

Sed & prænominato sancto Anastasio Antiocheno Patriarcha, sexta Synodus, sic ait: *Suscipimus sanctum Anastasium recta fide respondentem pro tomo sancti, ac venerabilis Papæ Leonis.* Ac rursus: *Sanctum nominat Oriens totus hunc sanctæ memoriæ Anastasium, qui fuit Antiochiæ Archiepiscopus, & qui eum non suscipit, Deus anathematizet.*

S. igitur Hilarius, antiquus Pater, atque venerabilis, & dicendi vi, & Philosophiæ studiis, & Theologiæ sublimitate, & vitæ munditia, & miraculorum ostensione maxime clarus, ita, ut beatus Augustinus de illo dicat: *Mirum sane, si quis Hilarium legens non admiratur eum his, qui in Nicæa convenerunt. Pro unigeniti gloria contra Arium pugnans*, ait in secundo de Trinitate libro, quem contra Arium, & Sabellium conscripsit: *Credimus sanctam Trinitatem, hoc est Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, unum Deum omnipotentem, unius essentiæ, unius substantiæ, unius potentiæ, creatorem omnium creaturarum, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Patrem non ab alio, filium, ex patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum, ex lumine vero, non tamen duo lumina, sed unum lumen: spiritum sanctum à patre, & filio æqualiter procedentem, consubstantialem, & coæternum patri, & filio, pater in seipso plenus Deus: filius plenus Deus ex patre genitus: spiritus sanctus plenus ex patre, & filio procedens. Non tamen tres Deos dicimus, sed unum Deum.* Idem in commentariis in Apostolum, de patre ac filio disserens, ait: *Nihil in sancto spiritu duplex intelligi, quia pater & filius illi esse probantur. Unde ambo unum principium sancti spiritus dicuntur.*

S. item Hieronymus quodam in loco opusculorum suorum, ait: *Spiritus sanctus à patre, ac filio procedens, per omnia patri & filio coæqualis, & coæternus est.*

S. quoque Ambrosius Mediolanensis Episcopus in libro suo de Trinitate ait: *Non quasi ex loco mittitur spiritus, neque quasi de loco procedit à filio procedens.* Idem in secundo de sancto Spiritu libro, ait: *Quod ex aliquo est, aut ex essentia, aut ex potestate illius est. De essentia quidem, veluti cum filius ex patre, vel spiritus sanctus ex patre & filio. Ex potestate autem sicuti ex Deo omnia.*

S. Augustinus autem in IV. de Trinitate, ait: *Nec possumus dicere, quod spiritus à filio non procedat. Neque enim frustra idem spiritus, & patris, & filii spiritus dicitur. Nec video, quid aliud significare voluerit, cum sufflans in faciem discipulorum, ait: Accipite spiritum sanctum. Neque enim flatus ille corporeus cum sensu corporaliter tangendi procedens ex corpore, substantia spiritus sancti fuit; sed demonstratio, per congruam significationem, non tantum à patre, sed & à filio procedere spiritum sanctum. Quis enim dementissimus dixerit, alium fuisse spiritum sanctum, quem sufflans dedit, & alium, quem post ascensionem suam misit? Unus enim spiritus est spiritus Dei, spiritus patris, & filii, spiritus sancti, qui operatur omnia in omnibus.*

Ioan. 20.

Idem in XV. de Trinitate: *Et tamen non frustra in hac Trinitate non dicitur verbum Dei, nisi filius, nec donum Dei, nisi spiritus sanctus; nec de quo genitum est verbum, & de quo procedit principaliter spiritus, nisi Deus pater. Ideo autem addidi principaliter, quia & de filio spiritus sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi pater dedit non jam existenti, & nondum habenti; sed quidquid unigenito verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo, eum genuit, ut etiam de illo donum commune procederet, & spiritus sancti esset amborum.*

Idem in V. de Trinitate: *Quemadmodum filio substantiam præstat sine initio temporis, sine mutabilitate naturæ ex patre nativitas, ita & spiritui sancto esse præstat sine principio temporis, sine mutabilitate naturæ, ipsa ex utroque processio.*

Idem super Ioan. *Corporalis illa insufflatio non spiritus sancti substantia fuit, sed demonstratio per congruam significationem, non tantum à patre, sed etiam à filio procedere spiritum sanctum; quis enim ita demens sit, ut dicat, alium esse spiritum sanctum, quem insufflans dedit: alium, quem postquam assumptus est, misit?*

Idem ad Petrum quendam, postulantem rectæ fidei conscribi regulam, 40. illam capitulis distinxit, quorum singula, dogma continent salubre, atq; ad fidem necessarium. Ait igitur in 8. cap. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, ipsum spiritum sanctum, qui patris, ac filii unus spiritus est à patre, & filio procedere. Ait enim filius: Cum venerit paracletus, spiritus veritatis, qui à patre procedit quo in loco suum esse docuit spiritum sanctum. Ipse quippe est veritas. Et ex filio procedere spiritum sanctum, & prophetica nobis, & Apostolica doctrina commendat. Isaias enim de filio dicit: Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. De quo & Apostolus ait, quem Dominus IESVS interficiet spiritu oris sui. Quem & ipse unigenitus filius Dei, oris sui spiritum esse signanter ostendens, post resurrectionem suam discipulis suis insufflans dixit: Accipite spiritum sanctum; & Ioannes in Apocal. Ex ore ipsius Domini IESV gladium bis acutum procedere dixit.* Ipse ergo spiritus ejus, ipse & gladius ex ore ejus procedens.

Ioan. 15. — Isa. 11. — 1. Thess. 2. — Ioan. 20. — Apoc. 1. & 19.

Idem in lib. de fide catholica *Præsta*, inquit, *mihi, in hac via, quam, te duce, ambulo, sapientiam, & inspira mihi, & doce me per gratiam tuam, quomodo in te inculpabiliter oporteat credere, ut te Deum, unum, æternum sentiam, & incomprehensibiliter trinum in personis credam, patrem ingenitum, filium ex patre unigenitum procedentem ex utrisque permanentem spiritum sanctum.*

Idem in eodem lib. *Hanc fidem per te, & ex te, & in te confiteor, ô beata, & benedicta, & gloriosa Trinitas, ô vera, & summa, & æterna unitas, pater, & filius, & spiritus sanctus, Deus, & Dominus paracletus, charitas, gratia, unio, vera lux, verum lumen ex vero lumine, vera illuminatio, vivens vita, vita ex vivente, viventium vivificatio, fons, fluvius, rivus, unus ex nullo, unus ab uno, unus ex ambobus: Ab uno omnia, omnia per unum in uno. Ex nullo, pater, ex altero, patre scilicet filius; ex ambobus, spiritus sanctus, hoc est, ex patre, & filio. Verus genitor, veritas, genitus, amborum caritas, spiritus sanctus. Unitas una, æqua majestas, æqualis gloria, una, eademque essentia.*

S. quoque Leo Papa, sub quo Chalcedonense Concilium constitutum est; cujus de fide literas, rectæ fidei columnam universa Synodus appellat, in canonicis sanctionibus contra eos, qui pecuniæ gratia, manus imponerent, ait: *Gratia, quæ gratis non datur, & accipitur, gratia non est. At simoniaci non gratis accipiunt; non ergo gratiam, quæ in Ecclesiasticis ordinibus maxime operatur, accipiunt. Si autem, non accipiunt, non habent, neque gratis, neque cum pecunia dare alicui possunt. Quid igitur dant? spiritum mendacii scilicet. Quomodo? id ostendemus. Si enim spiritus veritatis, veritate ipsa testante, ex qua procedit, gratis datur; procul dubio spiritus mendacii esse deprehenditur, qui non gratis datur.*

S. item Gregorius Romanus Pontifex, 10 homil. super illud Ioan. cap. *Cum sero esset die illo una Sabbatorum*, ait: *Sicut misit me pater, & ego mitto vos: hoc est, eo charitate vos diligo, cum inter scandala persecutorum mitto &c.* quæ supra notavimos. Idem cum exponeret illud Cantici Canticor. scilicet: *Odor unguentorum tuorum, super omnia aromata*, ait: *Unguentorum Dominus spiritus sanctus erat, de quo Propheta ad eum dixit: Unxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Hoc oleo, quando incarnatus est, unctus est: Non*

Ioan. 20. — Cant. 4. — Psal. 44

enim

enim primum homo factus est, postea spiritum sanctum accepit: sed, quando de spiritu sancto incarnatus est, simul & incarnatus, & unctus est. Odor enim unguentorum fragrantia S. Spiritus est, qui & ab ipso procedit, & in ipso permanet. Idem in 2. moral. *Spiritus S. nunquam deseruit humanitatem Christi, cujus ex Deitate procedit.*

Ista quidem à Latinis Doctoribus sumpta, pauca de innumerabilibus posuimus: per quæ Græcis valde consentiunt; Dei scilicet spiritu eos, terræ licet, ac maris intercapedine disparatos conjungente, in vna Catholicæ fidei, pietatisque concordia. Neq; enim profectò, benignissimus cum sit, quos verbum vitæ continere, & humano generi expositores eloquiorum suorum præesse voluit, per quos mortaliū misertus errores, ad agnitionem sui errantia corda converteret: vel de veritate dissentire ab invicē, aut fidei duces, Ecclesiæ decretis post BB. Apost. assumi permisisset, qui gubernatorum, ac magistrorum vice præcipitatores, & eversores Ecclesiastici gregis futuri essent. Neq; tanta Concilia errare permisisset; quæ, sic de illis viris statuerunt, vt juberent omnes, qui à Christo Christiani dicerentur, eos revereri in omnibus, nihilq; illorum dictis contraire. Neq; pastores eos esse, ne ad prærupta, & præcipitia, gregem sibi creditū pertraherent. Sed nec Sancti jam essent, nosq cæci cæcos sequeremur, ignorantiæ tenebris excæcati, nec veritatem agnoscentes. Verum, hoc profectò est, oblique in Deum erroris culpā intorquere, idque, cum Salvator noster vsque ad consummationem sæculi nobiscum se fore promiserit, pro quibus redimendis, omnis illi cura fuit, omniáque implevit sacramenta.

Cæterum, si qui B. August. sententiam illam de S. Spiritu, non quasi dogma immobile protulisse arbitrantur; neq; ita illum sensisse, & aliis persuadere voluisse, quoniam aliquo in loco, scriptorum suorum dixerit, *Solis canonicis scripturis, divinis scilicet eloquiis, lectorem incunctanter, ac sine vlla hæsitatione credere, atque assentiri debere: scriptis vero suis, non tantum honoris impendere: sed, si quidem canonicis scripturis concordant suscipere: si vero si vsquam à veritate aberrasset; correctionem, atque emendationem non solum non renuere, verum & libenter amplecti.* Qui ergo talia proferunt, etiam Apostolum Paulum Apostolico choro detrudere cogentur; neque illum veritatis prædicationem scisse fatebuntur.

> S. Aug. in Epist. 19. hoc dictū Hæretici perpetim in ore habent cōtra Patrum auctoritatē.

B. item Dionysium veritate excidisse, ex verbis illius occasionem nacti, dicturi sunt. Ille enim ait: *quoniam non sum dignus vocari Apostolus, & nondum arbitror me comprehendisse.* Iste vero in fine libri de divinis nominibus, *veniam petit, si quid omnino, vel in parte, à veritate aberravit.* Sin autem, quæ à summis viris, per modestiam, & humilitatem dicta sunt, non oportet contra illos, quasi ab illis testimonium sumere: Prorsus & ea, quæ à B. Augustino modestissimè sunt dicta, contra illum proferre in testimonium, imò contra veritatem, fas non est. Alias enim sanctorum maximas virtutes evertemus, Catholicósq; Doctores arbitrabimur circa fidē naufragasse, aliisq, parasse naufragium; eosdémque, & sanctos simul, & nocentes appellabimus, & magistris quidem honorem habebimus; qui vero illis obaudiūt, hæreticos existimabimus. Sed, ista plane inepta sunt & absurdissima. Nam quod B. August. in suis de S. Spiritu sententiis, ne vestigium quidem ambiguitatis ostenderit, ex dictis suis constat. *Non enim possumus,* inquit, *dicere, quod Spiritus S. à Filio non procedat.* Et qui aliter sentiunt, eos dementissimos appellat: *atque hanc fidem ad Deum, ait, aperte confiteri, in qua, & Filio procedere Spiritum S. continetur, & ab ipsis Salvatoris verbis id ostendi asseverat; additque, ipsam propheticam, atque Apostolicam doctrinam, ex Filio procedere Spiritum sanctum, commendare.*

Hæc autem profectò ambigentis non sunt: & Petrum firmissime tenere, ac nullo modo dubitare de processu sancti Spiritus ex Filio admonet. Atque in fine XL. capitulorum, quæ ad eum scripsit, quasi concludens, ait: *Singula, quæ illic dicta essent, tantum roboris ad fidem habere, vt qui vel vnum ex illis abolere niteretur, quasi manifeste impius: communisque pestis execrandus, atque fugiendus esset; & neque in mensa illi, neque in alio quolibet communicandum, neque salutandum, neque sub tectum vocandum ait.*

Constat igitur, quia, quæ de fide crediderat, ea & scribebat, eisque omnes credere, & obtemperare, & monebat, & orabat, vt, quæ essent maxime salubria & vera. Desipuisset enim profectò Augustinus, si, pro incertis rebus, tantam vltionem expetisset.

Quid autem dicturi sunt de Doctoribus reliquis? neque enim omnes ambiguos dicent: Quidam vero, & illum, & cum illo alios plurimos Doctorum errasse de S. Spiritu, nihil mirum esse asseverant. *Homines quippe fuisse, & errare, hominem esse.* Sed ista profectò improborum nimis hominum sunt: & eorum, qui Doctores vna destruere nituntur. Quid enim prohibet eadem ratione, omnes pariter exploderent? Homines enim fuerunt & ipsi, ac veluti in profundæ noctis versati tenebris. Hoc enim concesso, omnes arbitrabimur circa fidem cunctabundos & dubios hærere, nullóque horum judicio vtemur ad sanctarum literarum intelligentiam. Ne isti quidem, qui hæc dicunt, habebunt, vnde sua firmitate possint, mutantibus omnibus. Quibus enim rationibus, quos volunt, magistros arguunt, eisdem & ipsi arguuntur. Nempe enim non omnium sedebunt judices, communes quidem Ecclesiæ Magistros: ipsi vero, veluti sapientiæ, ac scientiæ, thesauros penes se conditos habentes, eósque supra humanam naturam fuisse gloriantes: quæ ipsi proferunt, sola obtinere, ac rata esse, ac firmissima dicere audebunt. Atque, vt datur intelligi, eos quidem, qui omnium consensu, sapientia, & sanctitate floruerunt, fragilitate conditionis humanæ in errorem lapsos dicent, sibi autem ipsi tantummodo errore decipi non posse, peculiare erit?

> Hæreticorū intus te respons adversus patrū testimonia respōsio, Notent hæc Hæretici.

> Pulcherrima in nostros sectarios.

Sed ista, vt superbiæ, stultitiæque plenissima illis relinquantur, quos delectat hujusmodi fatuas, inutilésque gloriolas sequi: maxime, cum, possibile non sit, eosdem & sanctos, consentiente orbe vniverso, fuisse; &, à fide deviasse, sine qua, Deo placere impossibile est, vt ait Apostolus. Nos autem honorem illis ab vniversalibus Conciliis attributum servantes, hósque vt præceptores, & doctores Græcos, Latinósque, sequentes: *In Christo enim* IESV, *neque Iudæus, neque Græcus est aliquid* quodque à quolibet dictum, veraciter eandem habere vim, librantes, sibi ipsis, atque invicem de sancto Spiritu, valde concordes aspicimus.

> Gal. 3.

Alij enim ex Filio procedere aiunt Spiritum sanctum: Alij esse ex Filio, atque ab eo, esse habere, & ab ipso naturaliter prodire, & profundi, & emicare, & profluere, ac per Filium, & ex Filio procedere: &, si quid ejusmodi intelligentiæ proximum ab eis dicitur; quanquam, etsi quæ à Magistris obscurius fortassis de hac re dicta videbantur; prudentiæ fuerat, ea ex manifestis dictis interpretari: ne, propter nos videantur & sibi ipsis, & invicem facti Doctores adversarii: id profectò pro certo habentes quod à Deo traditi Ecclesiæ Magistri, nunquam diversis inter se dogmatibus dissentire possent: per quorum os vnus ille, & divinus Spiritus, de quo sermo est, locutus sit.

His positis, constat ex his, quæ communiter, & singulariter à sanctis Patribus dicta prænotavimus: quod ipsi sancti viri, qui ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum dixerunt, & ex Filio procedere, & ab ipso esse, atque ab eo, esse habere, & ex eo naturaliter prodire, & profluere: &, si quid est hujusmodi, præter id quod ex ipsis fidei principiis necessario sic ista concludunt, ex ipsis salvatoris vocibus occasiones acceperunt: ex Patre quidem illum ideo esse asserentes, quod Salvator in Evangeliis dixerit, *qui à Patre procedit.* Per Filium vero esse, & ex Filio, quia ipsum Dominus, nunc quidem veritatis Spiritum dixerit, nunc autem ipsum discipulis corporaliter insufflaverit. Atque nunc quidem ad discipulos dixerit, quia

> Ioan. 14.

de

de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Nunc vero ad Patrem: *Omnia mea tua sunt, & tua mea sunt.* [Ioan. 17.]

Atque ex eo, quod mitti quidem Spiritus à Patre & donari, & si quid hujusmodi est: mitti vero, & dari, & à Filio itidem dicitur, neque seorsim mittit Pater Spiritum sanctum, ac seorsim Filius; sed ex eo, quod à Patre per Filium, atque ex Patre, & filio vna datione, vna largitione, vna missione datur, & mittitur: quemadmodum scilicet vna processione ex Patre per Filium procedit, atque ex eo, quod Filius consors sit paternorum omnium naturalium bonorum, Patrísque bona habeat propria, atque præcipua. Ac ex eo, quod non serviliter, ac ministri officio à Filio mittitur, vtpote qui est incommutabilis imago Patris. Hæc enim ex prædictis insinuata sunt, etsi plurima sint. Et illud vna apparet, quod quando insufflavit in discipulos Dominus, & dixit eis: *Accipite Spiritum sanctum*, qui ex Patre per Filium naturaliter prodit, & per se procedentem dedit eis. [Ioan. 20]

Hoc igitur, vt dictum est ab Ecclesiæ Magistris, satis supra declaratum est: præcipue tamen magnus Basilius suam hac de re opionem indicans, prædicta confirmat: Nam in quarto contra Eunomium in vno capitulo, quod inscribitur, quod divina natura sit spiritus: *Spiritus enim*, inquit, *viventi verbo ad creandum coniunctus, viva virtus est, & natura divina, ineffabilis ex ineffabili ore prodiens; ineffabiliter per insufflationem in hominem emissa, & secundum formam à Christo corporaliter ostensam, rursus ab ipso per insufflationem restituta. Concurrere quippe oportebat antiquæ novitati præsentem quoque renovationem, & huiusmodi concursionem expressit insufflans, non alius existens, quam is, qui ab initio insufflaverat; sed ipse, per quem dedit Deus insufflationem, tunc quidem cum anima, nunc autem, in animam.*

Magnus quoque Athanasius in epist. ad Serapionem de Spiritu sancto, cujus initium est: *Legi nunc quoque scriptam à tua veneratione epistolam*, ait: *Denique mittente Patre Spiritum, Filius illum discipulis insufflans dedit. Omnia enim quæ habet pater, Filij sunt.*

S. item Cyrillus in I V. ad Hermiam, ait: *Simul enim, atque summi opificis ineffabilibus nutibus natura hominis ad substantiam provecta est, habitu etiam ad Spiritum componebatur. Insufflavit enim in faciem eius spiraculum vitæ, non aliter, vt reor, animali hoc lucem sanctificationis, proprietatisque ad Deum habituro, nisi participatione Spiritus sancti fuisset ornatus. Itaque & quando vnigenitus factus est homo, desertam, ac destitutam antiquo bono, & quod à principio acceperat, inven[...]s naturam hominis, eam rursus in illud transformare curavit, veluti à fonte, propria scilicet plenitudine illum immittens, ac dicens: Accipite Spiritum sanctum, evidentiore insufflatione per carnem spiritus naturam optime signans.*

Præter ista vero, quæ à sanctis viris dicta sunt, quibus aperte indicatur, Spiritum sanctum per insufflationem discipulis datum: quandoquidem hic magnus Basilius spiritum verbo conjunctum ad creandum, quem & vivam virtutem, & divinam dixit naturam à Christo per insufflationem homini fuisse restitutam; quam etiam corpoream appellavit formam ab ipso demonstratam; manifestum sane est, quod quando insufflans dixit: *Accipite Spiritum sanctum*; per hoc ipsum, qui ex Patre procederet, Spiritum insinuavit. Hoc cum est verbo conjunctā fuisse ad creandum, vivam virtutem divinam naturam, paracletum scilicet.

Quod autem *formam*, aiunt Basilius, Cyrillúsque, *adumbrationem per carnem spiritus naturæ*, hoc Augustinus corporalem insufflationem appellavit. Et quia forma, & adumbratio spiritus naturæ est, insufflationem illam non esse Spiritus sancti substantiam dixit, sed documentum per propriam & congruam significationem, quod hic Spiritus sanctus etiam ex Filio procederet. Et merito sane, quoniam enim nihil eorum, quæ a Domino fiebant, fortuitum erat: & quæ in signis traduntur, relationem aliquam ad ea, quæ significant, habent: sicut baptisma, quod per aquam datur, invisibiliter operantem emundationem indicat: emundat quippe aqua, & diluit corporum sordes; mysteriúmq; Dominici corporis in specie panis & vini traditum, mysticum animæ signat alimentum: & quod in linguis igneis Spiritus sanctus delapsus est, rationem profecto habet ad ea, quæ tunc sunt gesta divinitus signa. Ignis quippe Deitatem signat, linguæ, magisterij proprietatem. Ita scilicet, illa insufflatio aliquid significabat. Erat enim argumentum divinæ substantiæ spiritus: quippe nihil corporeum ita divinum indicat spiritum, sicut flatus humanus: sicut enim illa insufflatio per os ex intimis, corporeísque visceribus prodit: ita & ipse Spiritus sanctus cujus forma corporalis spiritus, est, & ex patre per filium substantiam habet. Natura quippe divina dictus est ineffabilis ex ineffabili ore manans. Manare autem, vt supra monstratum est, in substantia Spiritus sanctus accepit. [Act. 3.]

S. quoque Cyrillus ait: *Sicut & vnusquisque nostrum spiritum, qui in seipso est, continet, atque ex intimis visceribus ad exteriora profundit: Idcirco denique & corporaliter illum insufflavit, ostendens: quia sicut humanus spiritus ex humano ore procedit, ita & ex divina essentia, quod ex ipsa est, divine profunditur.* Divinam essentiam, Patrem, & Filium nominat, quorum paulo superius memoriam districtius fecit. Ex quibus etiam constat, ex Patre, & Filio veluti ex vno procedere, ac prodire.

Patet itaque, quod qui per insufflationem factam, non esse datum Apostolis Spiritum sanctum ex Patre procedentem, sed donum aliquod sine substantia dicunt, à SS. Patrum intelligentia discrepant, atque anathemati subjiciuntur. Sancta enim vniversalis quinta Synodus in quodam capitulo ita posuit: *Si quis Theodoro Mopsuestiæ Episcopo favet dicenti, alium esse Deum verbum, & alium, Christum: atque cum cæteris innumeris blasphemiis suis dicere audentem, qui post resurrectionem insufflans in Discipulos Dominus, & dicens: accipite Spiritum sanctum, non dedit eis Spiritum sanctum, sed figuraliter tantum insufflavit; his igitur, qui eadem, & his similia vnquam senserint, & vsque in finem in ea impietate duraverint, anathema sit.*

Ex his, simul ostenditur, non plures Spiritus sanctos oportere confiteri in Deo, vt quidam fingunt: cum Apostolus quidem dixerit, *vnus Spiritus sanctus, in quo omnia*: magnúsque Basilius ad Amphilochium, *vnus Deus, & Pater, vnus, vnigenitus Filius, & vnus, Spiritus sanctus, & ipse singulariter enuntiatus, & per vnum Filium Patri coniunctus, & per ipsam implens venerandam, ac beatissimam Trinitatem.* Et rursus: *via, divinæ cognitionis ab vno spiritu, per vnum filium ad vnum patrem est.* Gregorio item Theologo in libro ad Heronem Philosophum dicente: *Definias autem & nostram religionem, docens vnum quidem nosse Deum ingenitum Patrem; vnum autem genitum Filium, vnum vero Spiritum procedentem ex Patre, sive prodeuntem*: præfato item B. Anastasio in præfato libro ita docente: *Spiritum vero sanctum sic dici, non alterum invenies: Spiritus enim, vt dixi, Deus dicitur, & sanctus Deus. Ambo vero nomina composita ei, qui proprie appellatur Spiritus sanctus congruunt: sicut Patris appellatio causæ, filijque illi, qui sine vllo medio ex causa est.* [Eph. 4.]

Itaque licet quidem plures nominare spiritus: Alium quidem spiritum adoptionis, alium vero spiritum dilectionis, sapientiæ alium, alium fidei, alium timoris Dei: alium consilij, & fortitudinis, & patientiæ, & continentiæ: quippe operationes spiritus, Isaïas spiritus vocare consuevit, secundum Theologum Gregorium. Omnia enim operari vnum, eundémque spiritum Apostolus ait, quæ etiam operationes vocat, dicens: *Et divisiones operationum sunt, idem autem Deus, qui operatur omnia in nobis.*

D. quoque Chrysostomus in sermone de sancto Spiritu, cujus initium est: *Heri quidem, ô amatores Christi adventus sancti, ac venerandi Spiritus à nobis*

lauda

laudabatur : quia , inquit , *quod donatur. Spiritus sanctus est. Vocatur & donum Spiritus sanctus à donatore nomen habens : quando verò Spiritus dicitur , non alium intelligere fas est , quam eum , qui ex Patre proprie, substantialiterque procedit. Sicut enim Filij , & Patris nomen substantiis congruit, ita & Spiritus sancti appellatio vni personæ Trinitatis competit.* Vt enim dictum est, spiritus, & sanctus composita, ei, qui proprie vocatur Spiritus sanctus conveniunt.

Attestatur & his magnus Athanasius in Epistola ad Serapionem , cujus initium est : *Literas sancti amoris tui* ; dicit enim : *Dicite, sicubi in scripturis legistis, Spiritum sanctum simpliciter dici spiritum sine adiectione vel Dei, vel patris, vel meum, vel ipsius Christi & filij, vel à me , quod est à Deo , vel sine articulo Græca locutionis more : ne simpliciter intelligatur spiritus. Nam, si dicatur πνεῦμα, sine præcedente articulo, de quolibet spiritu intelligi potest. Sin vero apponatur articulus vt dicatur τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον , significat Spiritum sanctum , vel paracletum , vel veritatis spiritum , id est , filij, ipso dicente : Ego sum veritas , ne audientes spiritum simpliciter dici , vel sine præcedente articulo , vel sine adiectione subsequente, Spiritum sanctum dici arbitremini. Itaque cum audierimus Spiritum sanctum , vel cum articulo spiritum , non de quolibet spiritu intelligendum : sed de illo, qui procedit ex Patre , spiritu veritatis, vel quomodolibet cum aliqua ex prædictis adiectionibus proferatur.* Nempe enim , si quoniam à spiritu datur spiritale donum, Spiritum sanctum quispiam dicat : Filij etiam , ac Patris dona , Filij ac patres erunt , atque ita nihil prohibebit Trinitatem multiplicare, Imò, cum sit commune donum , & communia munera , horum quoque nihil prohibebit, & Patrem & Filium, & Spiritum sanctum appellare. Sed ista nimium absurda sunt.

Ioan. 14.

Quoniam igitur , *accipite Spiritum sanctum* , dixit Salvator quod solum paracletum significat nequaquam Chrysostomus illi contradicit , non spiritum sanctum, tunc datum dicens : ex eo, quod cœlesti magistro, sanctisque concordat, Chrysostomo habetur honor. Hunc enim arbitrantur quidam dixisse donum quoddam sine substantia Apostolis datum , quia illud dictum exponens , ait : *Nonnulli quidem dicunt , illum non spiritum dedisse, sed idoneos ad percipiendum spiritum illa insufflatione fecisse. Non autem quispiam peccaverit , si dicat, eos , & tunc potestatem quandam accepisse spiritalem, & gratiam , vt peccata dimitterent. Ideo & addidit ; quorum remiseritis peccata , remittuntur eis, ostendens quam speciem operationis det.* Atqui Sanctus per hæc non contradicit. Neque enim, vt suam opinionem ; sed, vt ab aliis invectam objicit. *Quosdam enim*, ait : *dicere, quia non spiritum dedit Christus.* Ac deinde illorum corrigens opinionem : *non autem peccabit quispiam*, inquit , *& tunc eos potestatem aliquam spiritalem, & gratiam accepisse*, dicens : quasi dicat. Illis quidem non videtur Apostolos tunc Spiritum sanctum accepisse, atq; ideo neque illius accepisse gratiam, idoneósque solummodo effectos esse per eam insufflationem ad accipiendum Spiritum sanctum. Consequens enim erat, vt qui eos Spiritum sanctum accepisse tunc negabant : etiam gratiæ perceptionem tollerent , quam sine spiritu cuiquam possibile non erat advenire.

Ioan. 20.

Deinde & suam sententiam infert : *non autem peccabit quispiam, eos & tunc gratiam accepisse*, dicens; quasi illorum sententiam corrigens , qui negabant Spiritum sanctum tunc datum fuisse : ostendit apertius opinionem suam esse, quod tunc acceperint Spiritum sanctum. Nam cum gratia spiritus & ipsa vna adesse intelligitur : Atque hoc inde in primis constat, quod potestatem peccata relaxandi tunc acceperunt per Spiritum sanctum , quod Dei solius est , vt & magnus Basilius in IV. contra Eunom. ostendit, dicens: *Si igitur peccata dimittere nullius est, nisi solius Dei ; dimittit autem peccata per Apostolos Spiritus sanctus, Deus ergo est Spiritus sanctus.* Simul & illud constat , quod , nisi datus esset tunc Spiritus sanctus, Apostoli peccata dimittere non possent : quia vero dimiserunt, liquet, quia dimittendi peccata potestatem vna cum Spiritu sancto acceperunt. Non enim hanc haberent , si ille non adesset. Ideo & Chrysostomus aiebat, neque peccabit, qui dixerit eos & tunc gratiam accepisse spiritalem , vt per hanc in eis Spiritus sanctus habitaret, quem negabant quidam eis tunc à Christo datum fuisse.

Idem Sanctus super Ioan. Evangelio : *Cur autem*, inquit, *rogabo patrem? quia, si dixisset, ego mittam: non similiter profecto credidissent. Nunc enim id maxime agebat, vt sibi crederetur. Illum igitur tunc acceperunt Apostoli, quem dat Christus , dat autem , quem mittit ; quem ergo Christus mittit, hunc acceperunt Apostoli. Mittit vero non donum sine substantia sed ipsum spiritum. Paracletus enim* , inquit , *quem ego mittam vobis à patre , spiritum veritatis, qui à patre procedit.*

Ioan. 15.

Sed ad id quoque commendandum quod Christus spiritum mittat ; adjecit Chrysost. *Postea enim ipse se mittere ait*, dicens: *accipite Spiritum sanctum*. Igitur, qui tunc à Christo datus est, eum Chrysost. & ab ipso, & à patre missum ait. Non ergo vel sibi, vel aliis magistris Ecclesiæ, in his, quæ dixit, contrarius est.

Cæterum ad eos, qui dicunt : *Si tunc Spiritum sanctum acceperunt Apostoli, quid necesse fuit illum die Pentecostes mitti?* dicendum est, quoniam datus est quidem, non autem tota illa sua plenitudine , neque secundum omnem suam operationem; non quod ipse discretus, ac divisus sit , sed propter suscipientium imbecillitatem, qui omnem ejus operationem , & efficientiam tunc prorsus capere nequibant. Postea vero quam ad perfectiora profecerant, tunc, jam omnium gratiarum, donorúmque cœlestium capaces facti sunt.

Quocirca & Chrysostomus : *Nec peccabit*, inquit, *qui & tunc eos accepisse dixerit spiritalem aliquã gratiam, cum spiritus tunc ea sola dignos iudicaverit.* Nam sacerdotij gratiam tunc solam dedit Apostolis inhabitãtem, cujus proprium peccata solvere, atq; ligare: non tamen doctrinæ etiam , & verbi gratiam , hanc enim in die Pentecostes, per linguas igneas dedit. Sed, ne tunc quidem tota illis copia est data. Neque enim quotidie ad majores , perfectiorésque virtutes , potestatésque evasissent. Sed & post Pentecosten, narrantibus Petro, & Ioanne reliquis Apostolis, quanta à Iudæis passi essent, eo quod fiducialiter in Christi nomine egissent: *Mota*, inquit , *facto repleti sunt omnes Spiritu sancto, vt loquerentur verbum Dei cum fiducia.* Nempe enim , si totum in Pentecoste habuerant, quonam tunc spiritu impleti sunt ? Constat vero, quia habebant illum quidem, sed, quia perfecte non habebant, ipso rursus impleti sunt. Semper enim ac jugiter spiritus datur , & per singula ipsius munera, ipse vna ingreditur,

Actor. 4.

Et in actibus Apostolorum scriptum est : *Imponebant Apostoli manus super eum , qui baptizatur , populum , & descendebat Spiritus sanctus super eos.* Datur enim in adoptione baptizatis , & principatum spiritalem in populi regimine suscipientibus , atque in hac differenter, secundum scilicet munera ad Ecclesiæ perfectionem conferentia.

Actor. 13.

Ea ergo insufflatio indicium est, veræ sancti Spiritus effusionis, atq; eo magis, quo & gratia, in qua datus est, solius Dei est. Deus autem est Spiritus sanctus , sed & documentum est ea insufflatio, per expressam significationem, ex Filio procedere Spiritum S. atq; ex eo esse.

Ex quibus etiam id constat, quod, qui nihil mirum esse dicunt, si datur à Filio Spiritus, quandoquidem & à quocunque homine , modo Sacerdos sit , datur : & sicut ab hominibus cum datur , non etiam ab eis procedit : ita, neque à Dei Filio procedit , quamvis ab ipso detur, irrationabiliter , ac dementissime blasphemant. Primum quidem, quoniam eandem proportionem Spiritum sanctum ad Filium habere , quam habet ad homines, putant. Deinde, quoniam à quibuslibet hominibus dari non potest, qui ab Apostolis datus non est. *Imponebant enim manus*, ait, *super baptizatum populum, & descendebat Spiritus sanctus super eos.*

Ibid.

In his autem, quæ à magistris Ecclesiæ dicta sunt, horum etiam concordia notanda est. Sicut enim magnus Athanasius in Epist. ad Serapionem, Spiritum sanctum dixit donum Filij: Ita & Augustinus in lib. de Trinitate, ipsum dixit Filij donum. Tum, quia à Patre Filio datur, tum quia ex Patre per Filium procedit, amborúmque donum esse, addidit. Ac sicut ille Spiritum sanctum, vnam vitam vnius vivi verbi dixit: Ita & Augustinus in lib. de fide vivam vitam, & vitam ex vivente dixit. Et quemadmodum Cyril. ad Palladium, essentialiter illum ex vtroque, id est, ex Patre per Filium dixit; ita & iste ex vtrisque procedere, & in vtrisque perdurare; atque ex ambobus, id est, ex Patre, & Filio esse: Et vt charitatem Spiritum sanctum Augustinus appellavit: Ita & Athanasius ad Serapionem scribens, ait: *Denique Corinthiis, orans in Trinitate orabat, dicens: Gratia Domini nostri* IESV CHRISTI, *& dilectio Dei, & Patris, & communicatio Spiritus sancti cum omnibus vobis. Spiritus enim participes, habemus verbi gratiam, atque in ipso Patre charitatem.* Constat igitur, quia Spiritum sanctum in hoc loco appellavit: ita enim Trinitas insinuabitur, in qua Apostolum ad Chorinthios orasse, ait: Certe & beatus Theodorus Studites de Spiritu sancto, canit: *Tu vita, amor, lumen.* Charitas autem, & amor idem valet.

1. Cor. 13

Sed enim Augustinus quidem rursus gratiam vocavit Spiritum sanctum. Concordat autem & huic S. Basilius in mysticis sancti sacrificij precibus, ad Patrem illic de Filio loquens: *Qui est imago tuæ bonitatis, sigillum forma paris, in se ipso te patrem ostendens, sermo vivus, Deus verus, a quo Spiritus sanctus effulsit, adoptionis donum, arrha futuræ hæreditatis.* Idem rursus in Epistola ad Gregorium fratrem de differentia essentiæ, atque substantiæ, ait: *Omne quod in nos ex divina virtute pertingit bonum; omnia in omnibus operantis gratiæ operationem dicimus*, sicut ait Apostolus: *Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem Spiritus dividens singulis provt vult.*

1. Cor. 12

Porrò, si quærere pergimus, an ex solo sancto Spiritu bonorum largitio initium sumens, ita dignis adveniat: rursus à scriptura admonemur, vt credamus, largitionis bonorum omnium, quæ in nobis per Spiritum fiunt auctorem, & causam, esse vnigenitum IESVM. Omnia enim per ipsum facta esse, & in ipso consistere, a sanctis literis didicimus. In his autem, quam omnia in omnibus operari gratiam dixit, Spiritum S. esse vult. *Omnia enim operatur vnus, atque idem Spiritus* Et addit, *Omnia* nobis per ipsum spiritũ geri.

Notandum vero, & quod per medium dicti illius, quod omnia scilicet per Filium sint facta, Filium auctorem, & causam bonorum, quæ per Spiritum nobis geruntur, ostendit; simul etiam, quæ ante prædiximus de personarum ordine, ex præsenti quoque dicto corroborantur. Procedens quippe, ait: quod per Filium quidem omnia, cum non essent, ad esse producta sint. Non enim neque ex hac virtute sine principio, sed quædam virtus est, sine nativitate, sine principio subsistens, quæ causa est eorum, quæ sunt omnium causæ, & quæ per Spiritum nobis geruntur. De hoc enim illi sermo institutus erat. Sed & voluntatem alio quoque in loco Spiritum sanctum Augustinus appellavit. At vero charitas, & amor, & voluntas tantundem valent. Quod enim quis amat, hoc & diligit, & vult.

Concordant huic & veteres illi apud nos Ecclesiæ magistri. Hi enim, & magnus in primis Athanasius in his, quæ contra Arium scripsit, eos, qui dicerent posteriores patre Filium, & Spiritum sanctum ratiocinando in illam absurditatem induxerunt; veluti si dicerent, sine ratione, & voluntate Deum esse. Et merito, quia enim Deus intelligibilis, ac volens est, secundum communes de hoc intelligentias, scripturæque sententias, rationabilium vero perfectio, rationem, atque voluntatem habere est. omnis autem perfectio, principalius, atque perfectius in Deo sita est: quemadmodũ Deus ipse seipsum intelligens, ipse sibi ipsi intelligibile est: hoc enim est, & movere ipsum speculatione sui: se ipsum vero intelligens, & alia intelligit, vt ait Dionysius eximius: atque hinc verbi, & filij persona cooritur. Quod enim definibile est, ad definitionem relative dicitur: atque ipse est patris definitio, & verbum, & sicut definitio ad definitum; sic habet filius ad patrem, secundum Theologum Gregorium Sed & consubstantialis ei est. Nullum enim accidens in Deo, sic & ipse se ipsum est diligens, & volens, & amans: Ipse quippe sibi est desiderabile, & summum, & bonum, ex se ipso suam producit voluntatem, sive charitatem, sive amorem, quæ Spiritui sancto relative assignant Ecclesiæ magistri. Neque enim alias his, qui negarent Filium & Spiritum sanctum, objicerent quod sine ratione, & voluntate Deum fateri cogerentur; nisi Patrem quidem, mentem, Filium, verbum: Spiritum vero sanctum, voluntatem, relative voluissent dicere.

Et quoniam quantum est, quod diligitur, tanta & dilectio, sive voluntas est; paritis & ipsa Deo est, & exæquans. Est & consubstantialis, quoniam in Deo nullum accidens. Sic igitur & Deus pro confesso habetur Spiritus sanctus consubstantialis Patri & Filio, & coæternus. Nunquam enim fuit sine verbo, & sine voluntate Deus. Ex quo, & quæ prædicta sunt, vna apparent, quod Filius scilicet sit ex Patre sine medio, veluti ex mente verbum. Spiritus autem sanctus ex Patre per Filium, sicuti voluntas, & charitas, & amor, ex mente per verbum, & ex verbo prodit. Impossibile namque est, velle, vel diligere, nisi per verbum, & præcedente verbo. Quocirca etiam merito ex verbo procedere dicitur.

Quia igitur secundum processum voluntatis, sive charitatis, ex Patre per verbum procedere Spiritum Augustinus intelligit, idcirco cum dixisset, ipsum, dictante scriptura, charitatem Patris ac Filij, etiam ex Patre, & Filio procedere concludit. Qua conclusione Græcis quoque Doctoribus, vt supra docuimus, maxime consonus est. Hi enim ex Patre per Filium procedere; & ex Patre, & Filio esse asserunt: quod, qui negat, alterum ex duobus, vel patrem sine verbo, & voluntate, vel duos filios in sancta Trinitate confitebitur, & ambos sine vllo medio ex patre esse posset.

Quod si quis Augustinum percontetur, vnde causam sumpserit, vt Spiritum sanctum donum, & dilectionem Patris, ac Filij diceret: scripta sua testimoniis divinarum literarum roborata, nam, sine his, nihil locutus est, in libris de Trinitate pro se respondebunt, simúlque pro magno Athanasio, qui eadem locutus est. Non igitur expedit, dum conclusiones irrationabiliter negare volunt, etiam, quæ à SS. Patribus dicta sunt, charitatem, seu voluntatem, seu aliquid hujusmodi Spiritum sanctum communiter, ac sigillatim confitentibus vna negare, adversus sanctos impudenter se efferendo, eósque sibi invicem objiciendo. Qua profecto contumelia, nihil vel ipsis, vel Deo indignius, vel gravius irrogari potest, quódque majus est, contra illos mentiendo, se ipsos isti à veritate illorum faciunt extorres: ac deinde putant debitum se illis honorem reddere. Neque sane convenit, ne etiam à Filio esse Spiritum sanctum necessario confiteantur, juxta Patrum veracissimam Theologiam: dum negare volunt, eum à Filio dari, neque mitti, Spiritum sanctum gratiam, sine substantia dicere præsumere, sicut enim dictum est: *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret pro eo*: ita & Spiritum sanctum, scriptura cum Doctoribus clamante dari, ac mitti fatendum est, quoniam dilexit nos: Illud præterea mente repetendo, quod quotidie orantes, dicimus: *Veni paraclete benigne, & habita in nobis.* Et quia *Domine sanctum Spiritum tuum hora tertia tuis Apostolis misisti, hunc à nobis clemens, ne auferas*, Prorsus vero nunquam ab ipso datus fuisset, nisi & ab ipso esset. Aliter quippe minister esset filius. Ideo & dictum est. A quo autẽ dari oportebat, nisi ab eo, cujus est: Et illud item constat, quia neque verbum

dare

daretur, nisi præcedente charitate, secundum quam dilexit nos. Et quia spiritus sanctus charitas dicitur, principaliter ipsum dedit nobis cum dilexisset nos, maxime quia & voluntas, qua se ipsum & diligit, & vult spiritus sanctus appellatus est. Qui enim amicus alicui efficitur, bonam prius voluntatem suam ipsi largitur.

Scire tamen convenit, quæ communiter atque indiscrete sæpe in Deo dicuntur; relative ac proprie in eo dici. Et dicitur itaq; charitas Deus, sicut & mens, & verbum communiter & absolute, sed hoc in loco relative spiritui redditur. Nam & sapientia dicitur quidem communiter Deus; secundum quem respectum tunc nomen hoc patri, & filio, & spiritui S. tāquam vni rei indiscrete commune esse & intelligi necesse est. Vna enim est trium essentia, sicut & vna sapientia, & vna bonitas; &, si quid aliud communiter & absolute, & est, & intelligitur. Sed tamen proprie filio sapientia redditur, quamvis vna ex numero existens trium, eademque sit sapientia & quæ genita est, & quæ genuit, alio tamen respectu eadem non est, secundum scilicet oppositionem gignendi, ac nascendi, quia neque pater filius est, neque filius pater. Ita dicitur quidem & spiritus sapientia, & mens, verum, relative, ac secundum propriam processus definitionem hoc nunquam penitus dicetur: similiter & voluntas communiter dicitur Deus, quia & volens est ipsum præceptum, ac potestas Dei. Et ipse quoque Dei filius voluntas patris, consiliumque eius dicitur, secundum respectum differentem, sicuti & sapientia; sapientia ne invitus pater, pater esse videatur, quod quidam fidelibus, ac piis obiecerunt. Verum, spiritus S. secundum alium modum voluntas relative dictus est, iuxta scilicet definitionem ac proprietatem substantialis processus sui.

Cæterum, si quis velit iuxta prædictam rationem & patrem charitatem dicere, & filium similiter: & hinc absurde personarum introducit multitudinem, easdemque asseret multipliciter procedere.

Sed Augustinus quidem, qui de hoc subtilissime disserir & maxime in libris de Trinitate, vt his, qui volunt legere, perspicuum est: vnam, eandemque charitatem dicit spiritum sanctum, patris & filij, qua Deus se ipsum diligit, & se invicem pater, & filius diligunt, quam etiam connexionem nominat patris, & filij; & vnionem, & quæ illic ait: sicut & vnum verbum est, secundum quod Deus se ipsum intelligit. Nos autem cum SS. Patribus, pro his respondentes dicimus sanctæ Trinitatis ordinem immobilem manere oportere, secundum quem, nec nomina, quæ à processibus substantialibusque modis apparent, commutantur: neque personæ vel præponuntur, vel postponuntur, vel omnino commutantur, sicut enim vnus pater, atque vnus filius, &, neque filius pater, neque pater filius: ita & vna voluntas, seu charitas spiritus sanctus congruere relative scilicet dicetur. Atque idem, neque pater, neque filius, neque mens, neque verbum, secundum personalem ordinem erit aliquando. Et, si vna essentia, & vna charitas, & vnus Deus, cum patre & filio, secundum scilicet communia, & absoluta nomina: quemadmodum & paracletus dictus est quidem, & filius, sed proprie sancto spiritui redditur, quamvis non video, cur magis ex eo, quod spiritus, vel charitas, vel voluntas, vel aliquid huiusmodi dicitur. Talia absurda sequi nonnulli arbitrantur. Ex eo autem, quod spiritus idem dicatur, non itidem.

Eadem quippe ratione dicere quispiam posset, & spiritum spirare alium spiritum, illumque rursus alium, atque hoc in infinitum tendi, similiter, & filium quidem gignere, & qui ex ipso nasceretur aliam itidem personam gignere, & hoc item in infinitum tendi: Verum enim ordinem servare opus est; neque ipsius terminos transgredi, sed intra Trinitatem stare, iuxta traditam nobis fidei regulam, ne deorum introducamus plebem. Itaque talia præsumere illorum est, qui personarum ordinem, & quæ de S. Trinitate traduntur, & confessa tenentur, tollunt, confunduntque, ac permiscent omnia. Sed secundi huius voluminis tandem finis sit.

Finis Libri II.

MANVELIS
CALECÆ,
LIBER TERTIVS, DE PROCESSIONE SANCTI Spiritus.

ET hæc quidem ita se habent. Vt autem quæ superioribus libris sunt dicta, repetentes, quasi in vnum conspectum demus omnia: docuimus primo, tertium à patre esse spiritum S. iuxta personalem ordinem. Deinde, propter substantiales divinarum substantiarum processus, nascendi scilicet, ac procedendi; filium quidem ex patre esse sine vllo medio; spiritum sanctum vero ex patre per filium procedere. Dein, iuxta prædictum ordinem, filij mediationem plurimis in locis à sanctis Ecclesiæ Doctoribus pro confesso tradi: Deinceps omnia exempla, quibus in sancta Trinitate SS. Patres vsi sunt, traditum in divinis personis ordinem, secundum substantiales earum processus cum consubstantialitate insinuare, secundum vtentium intentionem; spiritum deinde S. cum ex patre per filium procedat, per ipsum substantiam habere. *Per*, & *ex*, in divinis apud sanctos, idem significare. Tum filium ad spiritum, spiritumque itidem ad filium, secundum habitum, & relationem habere ad alterutrum, à sanctis tradi. Deinde, quemadmodum pater causæ ratione ante filium intelligitur; ita & filium eadem causæ ratione ante spiritum intelligi: Maiorem spiritu filium, secundum scilicet personalem ordinem à Theologis tradi. Deinde à filio esse habere spiritum sanctum, vtpote ab ipso audientem, & accipientem. Vndecimo deinde loco sufficere, ad indicandum, ex filio esse spiritum sanctum, quia sit, & dicatur filij spiritus. Spiritum sanctum deinde, Christi spiritum dici, eadem ratione, qua & filij spiritus esse asseveratur: spiritum sanctum, *spiritum oris* filij à Theologis tradi, & vtraque, illum ex patre, & filio esse, signare, id est, ex patre per filium procedere. Filium quidem verbum patris dici, spiritum vero sanctum filij itidem verbum, causæ ratione tradi: spiritum sanctum præterea etiam ex filio esse à summis Theologis insinuari: filium, eo quod sit incommutabilis imago patris, omniaque patris bona essentialiter habeat, eadem ratione, vt verum patris filium, spiritum sanctum habere; qua illum habet pater: aliter quippe illud incommutabile tolli. Mittere, & mitti; causam, & causale in divinis personis significare. Fontem esse sancti spiritus filium: spiritum S. imaginem esse filij, & virtutem eius naturalem, ac viventem, & essentialem operationem: quemadmodum & filius hæc omnia patris est. Ac faciem quidem patris esse filium causæ ratione; primitivam item formam spiritus filium; ac proprium quidem patris esse filium, quod ex illo sit: proprium vero filij, spiritum; quasi per ipsum naturaliter, essentialiterque prodeuntem, & ex ipso *esse*, accipientem, atque ex eo existentem. Latinos, Græcosque Doctores communiter, & apertissime ex filio esse, & existere, ac procedere spiritum sanctum divinis rationibus tradere.

Hæc autem omnia pluribus rationibus ostensa sunt, quæ,

quæ, cum vera sint, & firmissima vndique rationibus munita, constat profecto; quia producere quod dicitur, possibile non est, vt patris substantiale sit. Neque enim idem spiritus, tertius simul, & secundus à patre esse potest, neque continenter & sine medio ex primo, & per eum, qui sit continenter ex primo: neque de solo patre procedere, & per filium procedere: neque productor per verbum, & solus productor esse, & cetera huiusmodi, quæ prædicta sunt. Hæc enim euidentissime sibi contraria sunt; &, idem est, ac si neque ex patre omnino procedere illum confiteamur: maxime cum à sanctis declaratum sit, quod nunquam procedere diceretur ex patre, nisi & à filio procederet. Namque procedere ex patre etiam per filium vna complectitur, quippe procedendi definitio est, ex patre per filium procedere, secundum quod etiam à filio discernitur, per proprium sui, differentemque processum.

Porro sublato quod per filium procedere asseritur; etiam ex patre procedere quod dicitur, vna tollitur, sublata quippe cuiuslibet substantiæ definitione, eiusque substantiali proprietate, definitionis quoque nomen aufertur, substantiaque quam definitionis nomen signat, vna tollitur. Quoniam vero veraciter procedit ex Patre spiritus S. per filium etiam procedere quod dicitur asseretur. Ita enim sancti patres procedendi completam definitionem substantiæ spiritus explicuerunt, & quæ dicta sunt, vera esse monstrarunt. Atque vna, vt dictum est, producere substantiale patris esse non potest: Idque, cum ex superioribus constat, tum etiam ex his, quæ subiicimus: quia enim vnitatem, ac Trinitatem Domini fides vera commendat: id quidem essentia, id autem personis; ac præter proprietates, quibus personæ secundum processus rationem distinguuntur, nulla alia est diuinarum personarum differentia, solaque diuina substantia relinquitur: inspiciendum, iuxta fidei concessa principia, quæ nam sit proprietas patris, ipsumque speciale proprium, quod præcipue patris commendat personam, & patrem facit, ac secundum quod ad coæquales sibi personas filij spiritusque distinguitur.

Cum igitur tria communiter de patre dicantur; quod *ingenitus* sit; quod *pater*, quod *spiret*, seu *producat*: Ingenitum quidem, quod causam signat; & si secundum hoc pater à filio spirituque secernitur; patris tamen personam non commendat; solumque designatio, & notio ipsius est, iam subsistentem sequens, vt simpliciter proprium. Duplex enim proprium est. Aliud enim est, proprium, quod substantialem speciem cuiusque commendat, atque ab aliis separat: vt verbi gratia, Paulum esse animal, aliud vero, magistrum fuisse gentium, aut ex tribus Beniamin, discipulumque Gamalielis aut aliquid huiusmodi: proprium quidem, non tamen quasi substantiale ens; sed, vt notio simpliciter.

Præterea nihil secundum negationem habet hoc esse aliquid. Negatio quippe rei, quæ sit ablatio, & eius, quæ non sit, positio est, Negatio autem est quod dicitur ingenitum, & iam subsistentem sequitur, ipsum enim significat, genitum non esse, per quod sine causa esse signatur. Aut igitur substantiale Patris paternitas est, ac gignere est; siue productio & inspiratio; & producere, & inspirare; siue vtrumque simul, siue præter hæc, tertium quiddam. Et tertium illud quidem, nemo hactenus dixit, si quis enim causam dicat; primum quidem nomen eius causa simpliciter erit: sicuti filij quidem, filius nomen; & sancti spiritus, spiritus sanctus: oportebatque pro patre causam dicere, quod, à scripturæ sanctæ consuetudine aborret, quæ semper cum de Deo loquitur, patrem eum vocat.

Præterea, causa vniuersale cum sit, & patris, & productoris, atque creatoris prædicatum est: siquidem, vt prædicatum solummodo accipiatur sicuti genera, & species, & omnia, quæ vniuersaliter contra particularia prædicantur: nulla extra intelligentem animam res est; sed in ipsa solummodo intelligentia est; ita nulla erit res patris substantia; sed solummodo intelligentia; eritque ex non subsistente subsistens, quod absurdum est. Patris enim supersubstantiale nomen & rem significat, ait D. Dionysius.

Quod si rem aliquam significat causa in patre substantialem, si quidem aliud quidpiam, præterquam paternitatem, ac productionem significabit; & perspicuum est, quod aliæ istæ res *paternitas* videlicet, & *causa*, in patre sint. Itaque & aliud aliquid *causa*, præter patrem, productionemque signabit: atque ita, compositio in Deo erit differentium intelligibilium rerum; simulque in Deo perfectius, atque imperfectius erit, neque erit alterum, quod alterum.

Quod si idem est causa, quod paternitas atque productio, satius est pro causa, quod commune est, quæ magis propria sunt substantialia esse: dicere; paternitatem scilicet, seu productionem: quia & de magis propriis substantialibus sermo est, Doctoresque *paternitatem* pro *proprietate* dicunt, quoniam & patrem primum confitentur.

Quod igitur tertium illud quiddam causa substantialis sit, constat ex his, sed tamen neque vtrumque simul, paternitatem dicere fas est. Aut enim ita ambo erunt substantialia, quasi seorsim vtrumque erit pater secundum hanc rationem duæ substantiæ. Possibile enim non est, duo substantialia cuipiam inesse dicere.

Porro hoc ipsum, non duas esse substantias, idem fere est, ac si homo quispiam duas habeat animas. Non enim dicerentur duo esse homines. Vtrumque enim substantiale institum, quod suum est, faciet, & commendabit, sin vero ita ambo substantialia sunt, vt alterum, solum esse non possit; vtrumque imperfectum erit; &, neque patrem solum dicens quispiam, neque productorem, substantiam perfecte, integreque signabit: ita, nec patris personam discernet à reliquis: & tertium aliud quidpiam dicere necesse erit, quod sit substantiæ nomen. Et fortasse causam dicet aliquis, aliud enim possibile non est. At, istud esse impossibile, supra demonstratum est. Sed contrarium, vsu cernitur, qui enim patrem dicit solum personam aliquam; veraciter atque perfecte se putat, ac substantiam dicere. Et hi etiam, qui producere patris substantiale ponunt productorem dicentes, patrem se significare putant.

Non itaque ita productio, ac paternitas ambo simul substantialia sunt, vt alterum solum esse non possit, reliquum ergo est, vel productorem quidem substantiale esse, paternitatem autem sequi, quasi proprium simpliciter atque agnitionem: aut paternitatem quidem substantiale esse, productionem vero, vt agnitionem sequi. Sed si quidem substantiale productio est, paternitas autem sequens proprium, & substantiam significans: primus ergo, & sine medio productiuæ substantiæ processus, producere, vel spirare erit, quasi sine medio substantialem speciem sequens. Vnumquodque enim secundum suam subsistentem, substantialemque proprietatem, prius operatur: per primum autem, & sine medio, etiam alia producit. Hinc igitur per producere quod dicitur, erit gignere, genitumque per producens nascetur: & filius ex patre per spiritum erit, neque erit filius ex patre sine medio; neque tertius à patre spiritus secundum personalem ordinem: spiritusque coniunget patri verbum, plurimaque necessario sequentur absurda.

Quibus, vt prædictum est, & catholica fides & sanctorum Patrum Ecclesiastica doctrina: contraria sentit, ac prædicat. Nempe enim iuxta hanc rationem productorem ex substantiali potius vocare conueniet, quam ex eo, quod substantiam sequitur: quod à scripturæ fide, atque à consuetudine omnino alienum est.

Quoniam igitur nihil eorum quæ prædicta sunt, substantiale est, neque ingenitum, neque causa, neque productio & paternitas simul, quasi alterum esse non

possit:

possit: neque producere tantum quod dicitur, substantiale patris esse potest: restat; vt paternitatem solam patris esse substantiale dicamus, quasi commendantem in proprio, & nemini commune esse patris personam, sive substantiam: productionem vero personam sequi, vt agnitionem simpliciter, ac significationem substantiæ ipsius iam subsistentis. Et consequenter nativitatem quidem filij personam commendare; Processionem vero sancti spiritus personam: atque istas tres proprietates personales, etiam vna substantiales divinarum personarum esse confiteri. Propterea Dominus noster cum Trinitatis mysterium traderet, *in nomine patris, & filij, & spiritus sancti*, discipulos baptizare iussit. Per id quidem, quod dixit, *in nomine*, vnam essentiam signans: per id vero, quod secutus adiunxit, *patris & filij*, & spiritus sancti; proprietates indicans, secundum quas divinæ subsistunt personæ, secundum substantias suas, in suis propriis neque communionem vllam admittentibus, essendi modis. Et quoniam ratio quidem paternitatis est generatio secundum essentiam, filiumque, primo ac sine vllo medio producere: operatur quippe natura in patre, secundum proprietatem personæ, in qua est: Geniti vero ratio est, sine vllo medio ex patre esse: spiritus autem, sive procedentis à patre per *genitum* esse: idcirco patrem ordine præponens, filium subiunxit, vt qui sit ex patre sine vllo medio: tertium vero spiritum sanctum addidit, vt ex patre procedentem per filium.

In singulis enim propria sui ipsius, & substantialis, & constans & substantiva species, secundum quam subsistit prima, & sine medio, eius operatio est, per quam præcogitatam alia quoque operatur: sicut, verbi gratia, in homine, *rationale* substantiale cum sit speciei eius, secundum quam esse hoc quiddam idem hominem habet, ipsa est prima eius, immediata operatio, per quam & alia operatur, quæ constantem eius speciem sequuntur; vt puta, risibile: solis quoque species vna cum sit, secundum quam sol subsistit; principium est primæ. & immediatæ operationis in sole, lucendi: quæ, nullam aliam ante se cogitatam operationem in sole habet. Ac per hanc lucendi operationem, quæ ante omnes alias cogitatur, atque sine medio in sole, est illustrare, siccare, calefacere sol vt possit, habet. Rursumque humanus animus cum per intelligentiam prima sibi, & immediata sit actio, per hanc præcogitatam etiam sequentem operationem, velle scilicet perficit. Operationes enim ista dicuntur; quoniam, & intelligere, & cogitare, & animadvertere, & velle, sicut etiam gignere, operari aliquid est.

Quocirca, quoniam secundum gignendi rationem patris persona subsistit; per ipsum gignere quod dicitur, etiam productor pater erit. Ideo & congrue sane productor per verbum dictus est: spiritusque ex patre procedere. Neque hoc solum, sed & per filium facta esse omnia, accepimus.

Hæc autem prædicta omnia roborant: namque & traditum commendant ordinem; filiumque necessario prius mente concipi, quam spiritum, & à patre tertium secundum personalem ordinem esse spiritum: atque eum ordine personarum ad invicem, qui ex processibus simul declaratur, essentiæ quoque roborator identitas cum tertius primo per medium iungitur, iuxta Gregorium Nyssenum, naturalique bonitate, ac dignitate regia ex patre per vnigenitum ad spiritum sanctum ex patre procedere, non tamen ex productore. Nam, secundum paternam proprietatem patris persona subsistens, secundum hanc primitus, ac sine medio ex se filium gignit: gignendo autem producit & spiritum. Illum quidem continenter ex primo; hunc autem per eum, qui est continenter ex primo. Nisi ergo pater esset profecto neque productor esset.

Vnde etiam dictum est, idcirco illum ex patre procedere, quoniam effulget à filio, & per ipsum est. Nisi enim per filium esset, neque à patre esset. Itaque præcogitato quidem filio propter paternam generationem, secundum quam patris persona subsistit: per filium vero procedente spiritu sancto, proprie admodum spiritus sanctus ex patre procedere à Theologis asseritur; vt, qui non aliter quam ex patre per generationem producatur: Ob quam profecto causam, & SS. Patres coniunctam procedendi definitionem, ex patre quod dicitur, pro eo, quod est ex patre per filium suscipientes, manifestius explicuerunt: hoc ipsum esse ex patre procedere, divinis rationibus asseverantes. Nisi enim secundum paternitatis definitionem, secundum quam patris persona subsistit; nativitas filij, priusquam processio spiritus cogitaretur; nequaquam ex patre procedere, sed ex productore diceretur, atque eo magis, ne & spiritus filius esse quibusdam fortasse videretur, cum procedere diceretur ex patre. Congrue igitur innovatio ordinis, quem Dominus tradidit, ipsius substantiæ abolitionem habere, fideique totius abnegatio esse dicta est. Abnegant fidem scilicet, qui producere quidem vt substantiale ponentes patris, ex ipso sine medio procedere spiritum dicunt.

Attestantur autem his, quæ dicta sunt, hinc quidem scriptura divina vbique, cum de tribus personis loquitur, patrem, & filium, & spiritum sanctum enuncians, quasi; ista sufficiant, divinas illas subsistentias, substantiasque commendare. Hinc etiam Doctores sancti, cum de substantialibus disserunt, solas has discretionis tradunt causas. Ait enim sanctus Ioannes Damascenus: *Vnum Deum agnoscimus in solis proprietatibus Paternitatis, Nativitatis, & Processionis, & secundum causam, & causale, perfectionemque substantia sive subsistentia modum differentiam intelligimus.* Quod si in his solis proprietatibus differentiam intelligimus & ipsæ solæ scilicet personas commendant: si igitur hæc vera sunt, producere prorsus substantiale non est. Conficitur autem, quod qui patris substantialia, plura quam vnum ponunt, paternitatemque & productionem, ingenitumque & causam; veritate excidunt; plurimisque absurditatibus tenentur adstricti: dum & substantiam patris compositam dicere coguntur, traditosque divinarum personarum processus auferre, ac plures, quam sint traditi, inferre, & quæ absurda hoc vno concesso hinc emergere cuivis conspicuum esse potest.

Ex quibus id etiam admirari licet, quomodo, qui spiritum sanctum ex solo patre esse volunt, dum sibi ipsis nimium indulgent, substantiale patris producere ponunt, & quod quæritur, in quo multum laboris vt ostendi posset, primum oportebat adsumi, quasi concessum accipiunt: cum neque communes de Trinitate intelligentiæ permittant; neque id sacræ literæ habeant; neque vllus SS. Patrum dixerit, ab huiusmodi intelligentia adverterint. Sed, cum neque à disputantibus id concedatur, ipsi tamen quasi pro concesso, quod quæritur, præter omnem rationem supponentes, putant se aliquid concludere, plurimaque inepta contra eos, qui per filium, atque à filio esse spiritum sanctum confitentur, colligunt. Quod si tria solummodo trium personarum substantialia esse necesse est, ne plurima absorda, ac indigna sequantur, solisque proprietatibus Paternitatis, & Nativitatis, ac Processionis, subsistentiæ modum, differentiamque substantiarum intelligimus, iuxta SS. Patrum traditionem: liquet, præter prædictas proprietates, nullum aliud substantiale esse, cuiuscunque trium in sancta Trinitate personarum; falsumque esse, quod illi pro concesso ponunt, falsaque omnia, quæque hoc posito concludere, atque arguere se putant: cæteraque ac putida, quæ contra Latinos, immo vero contra SS. Patres longissimis tractatibus conscribunt: per quæ, concludunt, illi quidem, nihil; semper autem in principiis versantur.

Conficitur autem & ex his, quæ dicta sunt, quod eorum, quæ dicuntur, in Deo alia quidem nullam discretionem signant; sed, in tota divinitate indiscrete

dicuntur; sive absoluta, secundum se ipsa dicat quispiam; vt sapiens, bonus, vita, veritas, essentia: sive, quæ per excessum negationis dicuntur, vt invisibilis, incomprehensibilis, supersubstantialis, sive quæ habitum ad creaturam indicant; vt creator, rex, omnipotens. Alia vero propria in Trinitate sunt.

Et propriorum alia quidem duobus communiter sunt, propria vero, ad reliquam. Est enim & quiddam tale proprium, ad aliud aliquid, & quod ad aliquod dicitur proprium, non tamen secundum se ipsum proprium, quasi commendare hoc aliquid possit, vt verbi gratia bipedem esse, homini ad equum, & canem, proprium est. Quæ igitur duobus communiter sunt divinis personis propria, hæc tamen ad reliquam propria: vt causale, proprium est filij & sancti spiritus ad patrem: mittere autem, vel dare, vel emanare spiritum sanctum, commune est patri, & filio ad spiritum: similiter autem & ipsorum esse, ac dici spiritum sanctum. Patris enim & filij ille spiritus dicitur: illi autem huius non dicuntur, neque pater, neque filius, neque spiritus: sed neque sui ipsius est spiritus, spiritus sanctus. Horum autem causale quidem nomine tantum; sed non re, commune habet. Prædicatum enim est solum de vtroque dictum: idcirco etiam non vnum, sed duo causalia dicuntur: si enim esset causale res in filio, & sancto spiritu, vnum essent causale ambo. Mittere autem, & emanare, atque alia huiusmodi, vna res sunt in patre, ac filio, vtrisque mittentibus, & emanantibus, vnus qui mittit, est, & vnus fons. Ostensum est enim, patrem, & filium, fontem esse sancti spiritus, atque omnia patris habere filium secundum eundem modum, præter quam, patrem esse. Ac, patre mittente spiritum, mittit hunc & filius vna datione, & vna largitione, vt ait magnus Basilius. Hæc igitur duarum personarum ad reliquam sunt propria. Alia vero, vnius tantum. Atque horum aliud quidem personæ substantiale est, vt paternitas & nativitas, & processio. Aliud autem personam iam subsistentem sequitur, sed non illam statuit; vt, *ingenitum* in patre, sive etiam *producens* in ipso solo, secundum eos, qui ex solo patre procedere spiritum dicunt. Neque igitur, quæ communiter prædicantur, totius deitatis substantialia sunt: nulla enim per illa, substantia insinuatur, neque, quæ duobus propria ad vnum sunt: nulla enim persona est propter causalis: neque vnus est, qui mittit spiritum sanctum. Pater enim, & filius simul vnus est, qui spiritum sanctum mittit. Communia enim, quæ rem indicant, singulariter quidem in divinis dicuntur: non tamen vna persona secundum illam intelligitur.

Sed neque quod vnius quidem solius personæ est, personam autem sequitur, sicut ingenitum in patre: hoc enim nequaquam sistit, negatio cum sit, sequaturque substantiam, quam affirmatio, insinuat. Aliterque, si genitum non esse ingenitum dicitur, commune erit hoc & spiritui sancto. Et ipse enim est *ingenitus*: neque enim genitus est: substantialia enim personarum omnino consortium reliquarum non admittunt: sed neque producere substantiale esse monstratum est. Paternitatem autem sequi, significativumque solummodo esse paternæ substantiæ.

Ita igitur tres illas proprietates, solas, divinarum personarum substantiales esse dicendum est. Patris quidem paternitatem, atque ipsum gignere, hoc est, se ipsum dare alteri personæ secundum nativitatis processum. Filij vero, nativitatem, ipsumque nasci, hoc est, accipere in seipso patrem iuxta nascendi processionem. Sancti autem spiritus processionem, ipsumque procedere, id est, in semetipso patrem, ac filium accipere, secundum naturalem, essentialemque processum ex patre per filium. Istasque non solum substantiales, sed & personales etiam proprie, & maxime, & peculiarissime dicendum, vtpote personas commendantes.

Porro, quæ proprium aliquid duarum personarum ad reliquam insinuant, proprietates, seu notiones, seu signa duarum aliquarum personarum vocandæ sunt. Quod si cui placeat & ea personalia dicere, eo quod personis attributa, non tamen communia omnium sunt: liceat dicere id quidem, dum tamen id constat, nullam per illa personam commendari: sola enim substantialia hanc habent vim, & quæ vni substantiali communicant, si quidem esset possibile, necesse esset vnam etiam esse personam: alia vero, nullatenus, itaque solis illis tribus proprietatibus divinæ personæ & discernuntur & commendantur: cæteris vero noscuntur solum. Ideoque Damascenus in solis tribus his proprietatibus substantiarum differentiam definivit intelligi, quasi personas commendantibus, non significantibus solum, vt illa est *ingeniti*, quæ patria agnitio est; sed non illum commendat personaliter: præter enim tres prædictas differentias substantiales, cæteris vt notionibus solis divinæ personæ discernuntur, non tamen vt discretionis causis, sed vt discretionis tantum signis.

De notionibus divinarum personarum vide D.Th.1. p.q.32. & ibid. Greg. de Valentia.

Ex quibus constat, quod si quis SS. Patrum patri *ingenitum* reddidit, id non vt substantiale, sed vt agnitionem, & proprium simpliciter attribuit. Si quis autem patrem genitorem ac productorem appellavit, vt Gregorius Theologus in primo sermon. de filio, genitoris quidem nomen; vt substantiale patri separavit. Æquale enim est, patrem ac genitorem dicere: quippe & paternitas, & nativitas tantundem valet. Productoris vero nomen, vt sequens paternam iam subsistentem substantiam, substantiali paternitatis proprio adiecit.

Ac rursus; si quis principium patrem appellavit, non sane etiam substantiale eius proprium significavit, sed substantiam illius indicare voluit. Ipse enim ex nullo: filius autem, & spiritus sanctus, & omnia filij, & sancti spiritus ad eum referuntur. Nam, & qui maiorem filio patrem causæ ratione dixerunt, non vt substantiale maius illud; sed vt notionem patris ad filium tantum reddiderunt: similiter & de eo, quod sine principio dicitur, philosophandum.

Quod igitur divinarum personarum ad invicem habitus cum eorum substantiæ differentia, secundum divinos arcanosque processus appareat, simulque cum ipso relationis habitu, causa, & causale simul introducatur, antea plurimis rationibus constitit. Nunc autem dicendum, quomodo secundum causam, & causale solum, & secundum ipsa prius divinæ personæ discernuntur, atque ipsa discretionis causa sunt; quæ causa, & causale, substantiales proprietates; ipsum patris supersubstantiale nomen, & rem filij, & sancti spiritus commendant.

Præsupposito igitur vnitatem in Trinitate, & Trinitatem in vnitate esse colendam, secundum fidei positionem, & ab his, quæ à sanctis dicta sunt, non discedentes, Damasceno quidem, secundum causam, & causale differentiam in divinis personis intelligente. Nysseno autem Gregorio dicente: *incommutabile natura ipsius considerantes, differentiam secundum causam, & causale, non negamus; in quo solo, alterum ab altero distingui deprehendimus*; quod proposuimus, habebimus: quia enim tria illa vnum cum sint secundum essentiam, sine causa quidem esse omnia, possibile non est. Aliam vero causam se antiquiorem habere, longe impossibilius. Restat, vt trium istorum vnum, reliquorum causa sit. Procedentia igitur inde possibile non est producendi personæ rationes esse eadem: se ipsum enim aliquid producere, ac sui ipsius causam esse, possibile non est.

Itaque procedentia necesse est personaliter distingui; vnita quidem secundum essentiam: nulla enim in ea discretio conceditur: discreta vero, secundum substantias, seu personas; & neque propter vnionem personas confundi; neque propter discretionem, essentiam dividi. Perfecta enim illic, & summa vnio, atque discretio. Atque vnionem quidem vnitas essentiæ, ut dictum est, facit: discretionem vero, secundum causam, & causale, fides confitetur. Atque ea est, quæ secundum se,

neque

neque propter aliud res maxime & vnit, & discernit. Discretio scilicet secundum causam, atque causale. Neque enim discretionem magis confusione liberam cogitare possumus; neque consortium duorum aliquorum maius, quam cum alterum ex altero esse habeat. Namque secundum causam, & causale invenitur aliquid secundum æquivocam causam, sibi simile producens in eadem specie: & secundum quidem quod causa, & causale sunt oppositæ, ad invicem habebunt. Ideo etiam necessario discernentur: secundum autem quod causale, ex causa *esse*, atque essentiam accipit, communicabunt invicem, maxime, cum proprie ad invicem per naturam habeant. Filium igitur ex patre nasci, fides nobis, ac religio tradit. Et quoniam secundum id, quod gignere, & nasci dicitur, oppositio causæ, & causalis, secundum ea, quæ ad aliquid dicuntur, inspicitur secundum id quidem, quod aliud dat, aliud inde prodiens essentiam accipit, duæ necessario personæ intelliguntur eiusdem naturæ.

Rursum, dicente scriptura Deum ex Deo procedere; secundum eandem rationem oppositio secundum causam, & causale etiam hic intelligitur, secundum quam oppositionem, & discerni illa ad invicem & vniri licet. Ita igitur filius, & spiritus sanctus ex patre cum sint, & vniti, & discreti sunt.

Cæterum, quia propter Trinitatis ordinem, atque confessionem, non magis convenit, ista ad patrem, & discreta & vnita esse, quam sint ad invicem filius, & spiritus sanctus: alias quippe inæqualitas in Trinitate esset, neque ad invicem discernerentur. Si auté non discernerentur, vna etiam persona esset: quippe sublata relatione secundum causam, atque causale, sola essentia relinquitur. Constat, quoniam & filius, & spiritus sanctus, ad se invicem & vniti & discreti sunt, quemadmodum filius, & spiritus ad patrem vniuntur, & discernuntur secundum scilicet speciem oppositionis causæ, atque causalis.

Necesse est igitur, si discernendi sunt, vel filium spiritus sancti esse causam, vel spiritum filij. Sed causam quidem esse filij spiritum constare non potest: quia tertius à patre traditus est, iuxta personalem ordinem: quia naturalis & essentialis operatio, & virtus filij, spiritus est: quia imago eius esse dicitur: quoniam spiritus filij à Theologia traditur: qui profecto sancti spiritus filius esse non dicitur: neque enim convertuntur, propter personalem ordinem, atque id maxime, quoniam ex patre per filium esse spiritus traditur, non tamen è contra. Tolleretur autem & id, quod concessum est, filium esse ex patre sine medio: sic enim esset filius ex patre per spiritum; & consequenter spiritus pater, communicans ei, secundum paternitatis rationem.

Restat itaque filium causam esse spiritus sancti; spiritumque per ipsum, & ab ipso esse. Hac ergo ratione, & vniuntur ad invicem & discernuntur, quod etiam Nyssenus indicavit, dicens in sola secundum causam, & causale differentia divinas personas ad invicem distingui. Neque enim de solo patre ad filium, & spiritum sanctum dixit hæc: ita enim solius ad ea, quæ ex ipso sunt, discretionem tradidisset, neque adiecisset: *eius quoque, quod ex causa est, aliam rursum differentiam intelligimus.* Hæc autem & his, quæ superius diximus, consonant. Ante enim spiritum sanctum filium intelligi necesse est; habitumque ad alterutrum habere filium, & spiritum; maioremque spiritu filium causæ ratione dici; atque à filio, habere esse, vt qui ab ipso accipiat, & quæ alia prædicta sunt.

Si quis autem obiiciat, Nyssenum aliam profitentem differentiam aperte videri velle non eiusmodi & hic in filio, & spiritu, qualem secundum causam, & causale reddidit: scire convenit, illum aliam secundum numerum, non secundum discretionis speciem causæ & causalis dicere; ut discernantur quidem scilicet, non tamen secundum causam, & causale: secundum modum vero alterum cum discernantur, puta, sicut contraria discernuntur ad invicem, vel quæ secundum negationem, & affirmationem sunt, vel quæ secundum privationem & habitum; vel secundum aliquid aliud huiusmodi. Constat autem & quia *aliam*, non *alteram* dixit. *Alius* enim quod dicitur, in his, quæ sub eandem speciem sunt & adducuntur, Græcæ locutionis vsus proferre consuevit: *Altera* vero & *alteritas*, in his, quæ vel specie, vel genere differunt, dicitur; nisi forte abusive dicatur: quod profecto *abusive* nunquam Ecclesiæ magister in divinis posuisset: verum, etsi specie eandem, in quantum sub eandem speciem adducitur, causæ & causalis scilicet: quia tamen etiam, quod sine medio ex aliquo, vel quod per aliquod prodit, causale causæ est; per quam prodit: & maxime cum processus æquivocus fuerit: filij vero sit immediata nativitas; spiritus autem mediata processio per filium eius est: simulque causale vtrisque reddidit, & causale insinuans verbum ex causa esse, subdividens etiam ad invicem, secundum causam & causale, discrevit aliquid quidem continenter ex primo; aliud vero per id, quod esset continenter ex primo: in sola namque causa & causali divinas personas discerni deprehendimus. Et quoniam pater quidem quod dicitur, gignentem indicat: filius autem nascentem; sanctus vero spiritus procedentem, seu inspiratum: causæ ergo & causalis, sive principij, & eorum, quæ sunt ex principio nomina sunt sanctæ, & supersubstantialis Trinitatis nomina, patris scilicet, & filij, & sancti spiritus. Et quia paternitas, & nativitas, atque processio solæ sunt substantiales proprietates personarum: proprietates vero idem esse, quod substantias, ostensum est secundum Theologum Gregorium: substantia vero, sive persona patrem, & filium, & spiritum sanctum signat. Ita enim Damascenus definivit dicens: *Deitas naturam indicat; pater autem quod dicitur, substantiam; quia etiam substantia commune cum proprio est*: constat hæc nomina inducere discretionem personalem, ac necessario discreta signare.

Quocirca & hæc sola proprie personalia & substantialia sunt, quæ causæ, causalisque habitum signant, singulaque singulis proprie redduntur, nulla communitatis ratione introducta; sufficiuntque per se ipsa discretionis commendare rationem. Patris enim supersubstantiale nomen & res causam indicat filij, & filij etiam, & sancti spiritus similiter. Quorum filius quidem habitum ad patrem signat; sanctus autem spiritus ad productorem, sive spirantem causalis habere rationem traditur; maxime cum dictus sit spiraculum omnipotentis, filiique spiraculum esse spiritus sanctus: spiraculum vero, spirantis est; & spiritus à spirando denominatus est. Et sicut ait magnus Athanasius, spiritus processio, spiraculo assimilatur. Spiritus autem processio processus est: itaque & inspiratio. Nam & spiritus procedens dicitur propter processum scilicet, secundum quem ex patre per filium procedit.

Constat itaque substantiales proprietates, paternitatem, & nativitatem, & processionem, secundum causam, causale, divinas signare personas; atque ideo substantiales & proprias secundum se, ac proprie dici, solisque his proprietatibus divinarum personarum differentiam intelligi. Et illud item constat, proprietates quidem secundum causam, & causale subsistentes cogitationi processus *ingerere*, rursumque processus causam, & causale, simulque discretionem subinferre. Ista enim per alterutrum colliguntur.

Nyssenus quippe Gregorius discernens ait: *Aliud enim est continenter ex primo; aliud per id, quod est continenter ex primo*, quod enim ante etiam diximus, causam & causale processus huiusmodi commendant: nisi enim processus in divinis esset, profecto neque discretio, neque numerus personarum esset: personarum vero numerus secundum causam, & causale divinæ personæ distinguitur.

Simul autem constat, etiam secundum contraria possibile non esse divinas discerni personas: contraria

enim differentes species commendant, ut album & nigrum, & rationale & irrationale, corpusque & incorporale. Deus autem vna species est, quæcunque tandem sit, si dici liceat: & vna trium essentia & vnitas est.

Neque secundum privationem quidem & habitum: quæ enim imperfecte habent, secundum hanc oppositionem discernuntur; veluti ab aspectu, cæcitas, & à cæco videns. Nulla vero privatio in Deo summi boni est, quippe perfectissimus est: & substantiarum quælibet perfecta est; Deusque totus ex toto verus, ac perfectus est secundum fidei positiones; sed neque vt affirmatio & negatio. Nam, secundum hanc oppositionem quæ sunt ab his, quæ non sunt, discernuntur, vt à falso verum. Porro in Deo nullus non essendi locus est. Deus enim essentia supersubstantialis est, virtusque omni virtute superior, & excellentior, atque incommutabilis veritas. *Deus enim se ipsum negare non potest,* ut ait Paulus. (2 Tim. 2.)

Præterea non est negatio, quod affirmatio simpliciter. Persona autem vna est simpliciter, quod altera: secundum relationes quidem duæ, simpliciter autem una. Nam secundum essentiam, & esse, unitas eis est. *Ego enim, & pater,* inquit, *unum sumus*: (Ioan. 10.) & negatio quidem sequitur ea, quæ per alia indiscreta sunt: signum enim discretionis, non autem discretionem facit. Homo enim & aliud quodlibet animal ratione & privatione rationis discernuntur: cū irrationale, vt species in divisionibus accipiatur. Cæterum non eo, quod homo est, & homo non est. Non enim hoc est, equum esse, quod hominem non esse. Quoniam vero in his, quæ ad aliquid, quæ in essentia inspiciuntur secundum scilicet causam & causale, reperitur aliquid simile sibi producens, in eadem specie, secundum vnivocam causam: Deus autem vnum est essentia; tria, substantialibus proprietatibus secundum causam & causale: oppositio secundum causam & causale in his, quæ ad aliquid dicuntur, locum habet in sancta Trinitate. Ideo, & secundum solam causam & causale, & à scriptura sancta, & à sanctis Patribus, divinas personas discerni, traditum est. Patria enim ad filium tradita discretio, causæ & causalis est; itidem producti & producentis.

Constat autem ex præmissis, quia, *ingeniti, genitique* ratione pater à filio non proprie discernitur. Neque eo quod est nasci, & non nasci. Hæc enim quasi contradictio sibi invicem opposita sunt. Dictum est autem affirmationem, & negationem, nulla posse ratione discernere, sed, sequi ea, quæ iam per alia discreta sunt, cum sit discretionis signum: sicuti ingenitum quod dicitur, iam subsistentem patrem affirmativa, id est, substantiali proprietate, paternitate scilicet, sequitur. Itaque *ingenitum*, & *genitum* patris, & filij ad invicem discretionem non facit, sed subsistentes iam, atque discretos substantialibus eorum proprietatibus secundum causam, & causale: paternitate, ac nativitate discerni significat. Similiter & de eo, quod est nasci, & non nasci dicendum.

Constat autem ex his, & eos, qui dicunt oportere primum esse patrem, & filium, deinde alium quidem gignere, longe à decenti confessione sanctæ Trinitatis aberrare. Nulla enim illic est alia discretionis differentia, præter eam, quæ secundum causam, & causale ex processibus apparet Hoc ipsum enim, quod alius sit causa, alius causale; hoc est, alius quidem sit pater, alius filius, personas simul, & discretionem signat. Itaque, si quidem processus non esset, vt dictum est, profecto, neque numerus personarum esset; consequenter vero, nec Trinitas.

Alij etiam sine processibus, qui sunt secundum causam, & causale, tria ponunt esse Deum: & ita, nihil prohibebit eos, tria cum sint, in Deo confiteri, secundum se sine relatione ad alterutrum, quod, cum essentiæ vnitatem tollat, Arianorum propositio est.

Non solum ergo non oportet primum esse patrem, deinde genitorem, verum, ne cogitari id quidem convenit. Nam si ipsum gignere patris personam signat, quomodo sublato eo ipso gignere, iam erit pater? Aut enim neque pater erit, si dicere fas est, aut certe confusio, aut tertium erit aliquid secundū se, & absolutum, divisum ab essentia filij, & spiritus. Idipsum autem & de sancto spiritu dicendum. Sed ista sane phantasia hominum eorum est, qui sanctam Trinitatem quasi tres homines ad seipsam habere ponunt, eique indigne applicant, quæ in materia contingunt, tamque nihil insensibilibus præstare sentiunt. Porro hæc opinio de Deo nostro indignissime, ac dementissime præsumitur.

Magnus præterea Dionysius discreta dixit patris supersubstantiale nomen, & rem, & filij, & sancti spiritus, cum nulla in his conversio, sive omnino communitas introducatur. Basilius item in Epistola ad Gregorium fratrem, de differentia essentiæ, atque substantiæ ait: *Quocirca in essentia communitate, notiones quæ in sancta Trinitate conspiciuntur, nullum accidens, nullumque consortium admittere dicimus, per quas proprietas commendatur personarum, quæ in fide traduntur, cum singulæ propriis notionibus discrete intelligantur.*

Quoniam igitur accidens, consortiumque non admittere dixit ea, per quæ cuiusque personarum proprietas commendatur; & per quæ singulæ illarum discrete accipiuntur, de propriis secundum se, substantialibusque notionibus proprie differit. Itaque possibile non est, in eadem persona, alterius etiam proprietatem inspici. Nulla enim in his communitas, aut conversio inducitur. Hoc etiam secundum quandam oppositionem contingit, per quam non est vnum, quod est alterum, secundum scilicet oppositionis rationem, secundum quam neque ad invicem convertunt.

Quoniam igitur in sola causa, & causali divinæ personæ discernuntur; istudque vniversaliter, & diffinite dictum est, & ipsa præterea natura dictante, neque enim esse posset sine ordine Trinitas, maxime cum etiā tertius ex primo naturaliter per medium procedere pro confesso habeatur: tria tamen esse sine processu, & ordine, possibile est: cumque & fides personarum indicet discretionem: constat profecto, si discernendi sint ad invicem filius, & spiritus, non alia discretione, quam secundum causam, & causale necessario discernendos esse, qualem in eodem genere, etiam in patre ad filium & spiritum sanctum deprehendimus: illam quidem generationis, hanc vero processionis ratione: secundum quam, neque filius spiritus est, neque spiritus filius: quemadmodum, neque pater filius est, neque filius pater, neque pater spiritus sanctus: neque spiritus pater est, propter necessariam scilicet causæ causalisque oppositionem, nulla in his conversione, sive omni communione subrepente. Nam si nullam communitatem secundum discretionem convertendo intelligere convenit; necesse est duas substantias ad invicem verbo simul accipi, conversionisque servare dignitatem: converti enim in duobus dicitur: neque enim patrem quidem, & filium, quomodo habent ad invicem, inspicere oportet; filium vero, & spiritum non oportet. Ita enim conversionis dignitas personis communiter non redderetur.

Quoniam vero communiter reddere necesse est, sed & discretio necessaria est, nisi dicat quispiam secundum causam, & causale à filio spiritum discerni, neque conversionem, neque discretionem eis reddet, peribitque illi filij supersubstantiale nomen, & res, discretum à filio & sancto spiritu; nulla quidem conversione, sola vero communitate subintrante; atque ita, vna persona erit filius, & spiritus, non ad invicem discreti: sed hoc absurdum est. Neque enim esset Trinitas Deus, confusioque personarum sequeretur: & si quid est huiusmodi. Filius itaque à spiritu causæ, causalique ratione discernitur. Sed, si hoc est, etiam ex filio est. Filium enim de spiritu esse, id prohibet, quod ipse per

filium

filium est. Verum spiritus profecto spiritus non esset, proprietate illius, quæ est secundum processus rationem, mota: quomodo enim esset substantia, substantiali ipsius proprietate mota? quomodo autem esset proprietas, quæ movetur, ac decidit, vt ait Theologus Gregorius.

Simul etiam apparet secundum conversionis rationem ipsius magni Dionysij intentio: qui, principali deitate patrem ad filium & Spiritum sanctum discernere videtur, vt quidam asserunt. Nam si conversio quidem in duobus terminis inspicitur: dictum est autem, ita divinas personas ad invicem discerni, ut nulla tamen conversio * subripiat; non aliter conversionis ratio servatur, nisi duæ simul personæ ad invicem inspiciantur. Itaque principali deitate patrem ad solum filium conferens, ipsum à filio distinguit. Nam si pater & filius, vt se ad invicem habeant, inspiciantur: pater quidem filij fons, filius vero, non patris fons est, sicuti neque pater filius, neque filius pater. Ex patre enim filius, non tamen ex filio pater: maxime, cum & divina generatio gignendo ad id, quod gignitur, habitum habeat, sed non ad id, quod procedit. Atque hoc indicat etiam, quod sequitur, *cum filius pater non sit, neque pater filius*; quod quidem indicat supersubstantialem illam divinam generationem non converti ad invicem, patrem scilicet, ac filium. Et quoniam conversionis dignitas discretionis causa communiter personis necessario reddenda est, eadem profecto conversionis ratione dicere possumus, cum non sit pater spiritus, neque spiritus pater: quoniam ille quidem fons, & radix est filij, ac spiritus. Quæ enim filij, ac spiritus sunt, ad illum referuntur. Spiritus autem patris causa non est. Similiter & in filio, & spiritu dicendum. Neque enim filius spiritus, neque spiritus filius est. *Neque enim convertit*, inquit Nyssenus, *habitus ista consequentia*. Hoc autem secundum aliquam omnino oppositionem contingit; atque ea est, quæ causæ causalisque ratione redditur, secundum quam dictum est, aliud quidem continenter ex primo, aliud per id, quod est continenter ex primo.

Præterea & filius fons sancti spiritus à SS. Patribus appellatus est: neque hoc solum, verum etiam solus filius fons esse sancti Spiritus asseritur: sicut in consequentibus monstrabitur: quod etiam plus est, quam requiratur ad id, quod proposuimus. Et certe possibile non est, iuxta eum, quem quidam introducunt, secundum sancti Spiritus processum, filium fontem esse sancti Spiritus. Eos enim, qui ita ponunt, plurima necessario absurda sequi, supra monstratum est. Non igitur ex sola conversionis ratione sancti viri claret intentio; sed etiam ex eo, quod supersubstantialem divinam generationem patrem appellaverit. Divina enim generatio, ita patri, sicut genitori congruens, ad nascentem filium redditur.

Porro, si quis illud etiam ad spiritum reddere conetur; primum quidem etiam spiritum filium esse dicere cogetur. Divina quippe generatio, ut diximus, genitori congruit genitorque ad filium refertur. Deinde etsi spiritus à patre divinæ generationis ratione discernitur: discernetur quidē & ab hoc pater: non tamen in quātum spiritus est proprie iuxta substantialem proprietatem suam, sed in quantum solummodo ex parte, atque ita solum, vt causale discernetur à patre, non tamen secundum proprietatem suam. Sic autem eundem habebit ad patrem habitum, quem etiam filius. Atque ita, non erit, quam quærimus personarum propria discretio, secundum quam, nulla communitas infertur, & quam accidens, consortiúmque non admittere magnus voluit Basilius dicere.

Sed neque, ut quidam id dictum exponunt, filij ad spiritum discretionem nobis tradidit. Et certe cum esset pollicitus, omnimodam se divinarum personarum discretionem traditurum: Et addidit; *Ita nos divina & unire verbo & discernere studemus: sicut divina ipsa & unita, & discreta sunt.* Itaque iuxta conversionis rationem, & per id, quod addidit, perfectum discretionis coniunctæ, vt dictum est, tradidit modum; causæ & causalis scilicet, secundum quem ex patre per filium procedere à cæteris Doctoribus divinis rationibus monstratur.

Præterea quoniam omnia, quæ in Deo dicuntur communiter, & incommutabiliter personis redduntur; ubi relationis oppositio non obstat: Dicitur autem Deus ex Deo esse; inspiciendum, si non omnibus personis, per aliquam oppositionem congruit. Quoniam igitur Deus ex Deo, quod dicitur, processum ex aliquo designat: pater vero, non procedit ex aliquo: neque enim causalis est: cæterum Deus quidem est, ex Deo autem non est: aliter quippe sine principio non esset: principium sui præcogitatum habens, quemadmodum & filius: neque radix, & fons filij, spiritúsque diceretur. Sed filius, Deus cum sit, ex Deo patre esse dicitur: & spiritus sanctus Deus cum sit, ex Deo itidem patre prædicatur: attestatúrque his etiam fidei positio communisque Ecclesiæ opinio: ita quoniam Deus ex Deo, quod dicitur, filio & spiritui sancto convenit; atque hinc causæ causalisque ratione à patre discernuntur: sub intellectis scilicet differentibus substantiæ processibus: Deus autem est filius, Deus item & spiritus sanctus: necesse est, si fidei principia servare inviolate volumus, aut filium Deum ex Deo spiritu esse, aut spiritum Deum esse ex Deo filio: non enim magis Deum de Deo ad patrem vtrumque, quam ad invicem convenit dici.

Nam relationis oppositio non hoc prohibet. Etenim paternitas quidem ad nativitatem opponitur, vt gignere, quod dicitur, ad id, quod est nasci: & producere, ad id, quod est produci. Nasci vero, & procedere ad invicem non opponuntur. Si enim opponuntur & discernuntur, omnino etiam gignere, & producere, ad invicem opponentur. Atque ita erit pater duæ personæ, compositáque substantia, maximéque iuxta eos, qui, vt dictum est, producere substantiale ponunt. Aut igitur duæ substantiæ partes erit, quas scilicet gignere & producere signabit, vt ad duo etiam, & quod nascitur, & quod producitur proprie referri possit: aut, quod gignitur, & quod producitur, vna persona erit: quippe, & pater gignens, ac producens, vna persona est. Sicut enim neque pater ad se ipsum, secundum quod gignere & producere dicitur, discernitur: ita, neque quod gignitur, atque producitur, ad ea discernetur, ad quæ gignere ac producere redditur. Nihil itaque prohibet relationis oppositio, Deum ex Deo esse dici, ad invicem filium & spiritum. Nisi autem hæc sit, communis essentia relinquitur, secundum quam nulla discretio filij, & spiritus inspicitur. Ideo etiam necessario sequitur, filium, & spiritum vnam personam esse, nulla relativa oppositione obsistente: neutrique horum, vt ad invicem Deus ex Deo dicatur esse, concedetur.

Nam, si quis hoc neget, necesse erit; vt simul neget vel Deum ex Deo esse filium; vel Deum esse filium; vel Deum atque ex Deo esse Spiritum S. aut alium Deū esse filium, alium Spiritum S. Si enim vtrumque filium & Spiritum S. scilicet ad patrem quidem, Deum ex Deo dici concedet, non autem etiam ad invicem; ex dimidio illis Deum ex Deo esse, reddet. Veluti, si ad patrē quidem filium, & Spiritum S. ordinem habere ac discerni concedens, non etiam ad invicem ordinem habere, atque discerni concederet: neque ad invicem perfectas esse substantias confiteretur. Sed enim filius Deus cum sit ex Deo, de S. Spirit. non est, propter illa, quæ sequuntur absurda.

Est igitur Deus ex Deo filio Spiritus sanctus: quandoquidē etiam per ipsum procedere asseritur: solaque causa & causali divinas discerni personas, pro confesso habetur. Et quoniam secundum id, quod Deus est, non discernitur à filio pater: nam, si vterque Deus, non tamen duo dij: vnus enim Deus est: constat ex patre, & filio, veluti ex vno Deo, esse Spiritum sanctum: non secundum quod duo, sed secundum quod vnum sunt,

* fort. subrepat.

producendi ratione scilicet servatis proprietatibus gignendi, ac nascendi: Deus vero est & spiritus sanctus productus, sive procedens secundum suam substantialem proprietatem. Non autem possibile est, idem esse, quod producit, & quod producitur, propter immobilem proprietatem.

Præterea, secundum eandem rationem, quoniam Deus totus, ex toto in divinis personis à Theologis asseritur, Deus enim partem non habet: & non magis quæcunque substantia minus est Deus totus, atque perfectus, quam tota simul sancta Trinitas, secundum fidei positionem: aliter enim ex imperfectis esset Deus, atque ex partibus constaret: quod autem dicitur totus ex toto, à causa esse significat. Quapropter pater quidem totus est, ex toto autem non est, à nullo enim est. Filius autem totus, ex patre toto est: & spiritus totus, ex toto patre similiter. Necesse est ergo, si initia fidei servare volumus, totus cum sit filius Deus, totúsque sit Deus spiritus sanctus: quoniam, ut diximus, nulla relationis obstat oppositio, aut filium totum ex toto spiritu esse, aut spiritum totum, ex filio toto subsistere: qui enim hoc negat, aut totam vnam personam, filium & spiritum sanctum confitebitur, aut non totum ex toto esse filium, neque totum ex toto esse spiritum sanctum, aut, neque filium Deum totum esse, neque spiritum Deum totum, aut aliud totum esse filium, & aliud totum Spiritum sanctum: sed ista profecto inepta & absurda sunt. Neque enim Trinitas, neque essentiæ vnitas ita servaretur.

Enimvero quoniam propter illa, quæ dicta sunt, filius totus ex toto spiritu non est: restat, vt spiritus totus, ex toto sit filio. At filij totum, & patris totum, vnum totum est secundum essentiam, servata scilicet oppositione gignendi, atque nascendi. Itaque totus ex patre toto, & filio, quasi ex vno toto spiritus est, veluti ex patre, & filio, vt ex vno Deo: secundum quidem significationem eius, quod est totus & Deus: &, si quid aliud eis ad invicem commune est, relatione non obsistente, cum vnum sint, secundum rem: secundum vero paternitatem, & nativitatem, * substantiis, vt dictum est, discernuntur: quoniam in his quidem oppositio inspicitur: in his autem nominibus, Deus & totus, scilicet vnitas. Igitur a filio secundum causæ causalisque rationem discernitur spiritus sanctus. Quod si totus ex toto patre dicitur, sed ex patre per filium esse à Theologis asseveratur: sic enim Ecclesiæ magistri complexam processionis sancti Spiritus definitionem illius substantiæ explicuerunt: & secundum illos cum ex patre dicatur, aut ex patre toto intelligere convenit, si curæ nobis est inata illorum traditionem, & simul initia fidei servando, secundum ordinem differentium processuum, atque continentem ab his causæ, causalisq; discretionem, divinas distinguere personas: maxime, cum patris totum non aliud sit, quam totum filij: vnum enim est totum, sicut & illorum vna essentia est: vbi scilicet non obstat relationis oppositio: spiritus autem totus quidem est, eiusdémque essentiæ cum patre & filio, totus vero productus, sive procedens est, secundum suam substantialem proprietatem; non potest autem idem esse quod producit, & quod producitur: nihil est enim quod sui ipsius causa sit; & simul immobilem proprietatem servare necesse est, propter immobilem beatissimæ Trinitatis ordinem.

* hypostasibus.

Præterea, omnium nominum, quæ Deo assignantur, ea quidem, quæ quomodolibet relative in eo dici possunt, personas signant: quædam vero, vnum Deum indiscrete, commendant. Prorsus vero, vbi non obsistit relationis oppositio, non reddere qualecunque nomen in Deo dicitur, personam secundum essentiam imminuere est, cui illud nomen aptissime congruum, secundum rei significationem non redditur. Puta, pater quidem nomen, & filius, & spiritus sanctus, paternitásque, & nativitas, & processio, causaque, & causale, & gignere, & gigni, relati ad invicem dici cum possint, in Trinitate personas indicantia, personis proprie redduntur. Aut enim personarum substantia, aut ipsarum significativa sunt. Sapiens autem, & bonus, & iustus, & creator, & quæque talia vnum aliquid indiscrete Deum signant. Ex his enim nullam cogimur discretionem intelligere in Deo ad seipsum personalem, nisi secundum quædam nomina ad creaturam solum sive potius creaturæ ad Deum: Iustus enim ad creaturā & creator, & omnipotens dicitur.

Substantialium vero, substantiarúmque significativorum nominum; alia quidem personarum singulis vnum vni proprie redditur, quæque substantialia ipsorum sunt, sicuti paternitas, & nativitas, atque processio, paterque & filius, & procedens. Alia vero duobus, vt causale, & mitti, & Deum ex Deo esse, spiritumque & patris & filij spiritum dici. Mittere quoque & emanare, & profundere patrem, & filium; spiritum. Alia vero tribus incommutabiliter redduntur; & vnum Deum sine vlla differentia, vt dictum est, signāt. Verum producere quidem sancti Spiritus non est: hoc enim relationis vetat oppositio, quod enim producit, ad id, quod producitur, oppositum est: quod autem producitur, Spiritus sanctus est; dictumque est esse impossibile, idem esse quod producit, & quod producitur: nihil enim est, quod ipsum sui causa sit, & nulla persona seipsam producit, sicut & in hominibus, exempli causa, fieri cernimus: namque & apud nos cuiuspiam filius, non est ipse ex seipso, neque sui ipsius dicitur, sed patris: & neque filius pater patris sui est, neque pater filius filij sui, propter oppositionis rationem, secundum causam, & causale, quæ non convertit.

Et certe possibile est, eundem & patrem esse, & filium, sed non secundum idem, sive ad idem. Ad aliud vero, atque aliud, vtraque. Sed hoc in Deo locum non habet. Tres enim personas solas Deum esse, fides tradit: quibus proprietates suæ immobiles, & ratæ manent. Non ergo producere, producti spiritus est: sed pater producere spiritum asseritur. Secundum hoc enim à spiritu, vt causa à causali discernitur.

Quæritur autem, an & filio producere commune cum patre sit. Et quoniam patris ad filium secundum paternitatem, & nativitatem, causæ, causalisque oppositio non prohibet hoc, neque vlla hinc confusio sequitur: nasci enim ad gignere quod dicitur, non ad producere relative opponitur, & filius ad patrem, sed non ad productorem, in quantum filius, refertur: idcirco, nihil cogit, producere quod dicitur, à filio auferre, sicut cogimur à filio, gignere omnino tollere; non id permittente ipsius ad patrem oppositione, paternitatis scilicet, & nativitatis; ne, vel vna persona pater, ac filius sit; vel, idem simul, pater, & filius, & neutrum proprie. Quoniā itaque relationis filij ad patrem oppositio, non cogit à filio, producere quod dicitur, auferre; commune penitus est patri, ac filio, producere.

Cæterum, sicut quæ communia sunt patri, & filio, puta, *bonus, sapiens, creator*, &c. cum non æqualiter & immutabiliter filio reddimus, minorem patris essentia filij essentiam facimus: ita quippe non erit sapiens, & creator vnus pater, & filius. Eodem modo, qui producere filio abstulerit, nulla oppositionis necessitate hoc ipsi reddere valente, filij essentiam patris essentia minorem cogetur confiteri.

Porro, si quis Dionysium allegans, ita illum loqui asserat, communia, & vnita patri, & filio; sancto etiam spiritui communia, divina ratio assignat: hoc illum de his, quæ tribus indifferenter redduntur, dixisse noverit, ac de his, quæ dicuntur naturalia, in quibus neque discretio vlla, neque relatio inspicitur. Idcirco etiam *communia*, & *vnita* dixit: producere autem ad id, quod producitur, relative opponitur. Et est, quod producitur, spiritus sanctus. Possibile vero non est, idem esse, quod producit. Neque seipsum producit spiritus: nihil enim sui ipsius causa esse potest: neque alterum, propter traditam nobis Trinitatem.

Commune igitur est patri, & filio producere; & est pater, & filius vnus sancti Spiritus productor, sicut

&

& vnus totus, & vnus mittens, seruata scilicet generationis natiuitatisque discretione. Atque ita filius à sancto spiritu causæ, causalisque ratione discernitur: quia, & per filium procedere dicitur; paterque productor per verbum esse & ea filii esse habere, cum ab ipso accipiat spiritus, à Theologis asseritur.

Ex quibus & illud constat, producere quod dicitur, patris substantiale non esse: hoc autem & supra monstratum est: attestantúrque his à SS. Patribus dictæ sententiæ, quibus asserunt filium, vt filium omnium paternorum bonorum hæredem esse, atque omnia patris habere bona, propria, atque præcipua, omniaque habere, quæ patris sunt, nisi id solum, quod pater non est: generatorisque spiritum habere filium propriæ naturæ bonum, viuenique, & substantialiter insitum; sicut & pater. Libet tamen & ista addere.

Sanctus igitur Cyrillus in thesauris ait: *sicut arbor prodeunti ex se fructui, qualitatem suam naturalem ferre dat: ita & filius, à patre accepisse intelligitur, quæ sibi sunt omnia, cum sit ipse omnia, quæ pater est præter solum patrem esse.*

Et rursus in eisdem: *Non ut indigens à patre accepisse filius dicitur: habet quippe naturaliter, proprium cum sit ipsius verbum & splendor, omnia, quæ eius sunt, præter solũ, esse, & dici patrem. Dicit autem se à patre accepisse, hæreticorũ opiniones, vt Deus præueniens, ac iugulans. Ne quis enim filium inspiciens patris omnia habentem, ex multa valde similitudine, & indemutabili identitate putaret eundem esse patrem, & filium; & in Sabellij errorem laberetur, necessario se à patre accepisse ait, ut sermo inferens, vnum quidem dantem, secundum vero accipientem, dualitatem in propriis substãtiis ostenderet non solis nominibus distinctã.*

Idem in 2. ad Hermiam: *Consubstantialis, & coæternus patri filius, omnia penitus æqua mensura habet, præter solum gignere. Hoc enim solum propriè Deo, & patri conuenit.* Idem in thesauris: *Itaque quodcunque de patre dixeris, hoc etiam de filio præter id solum quod pater ipse est: &, quodcunque filio dederis, hoc & in patre est præter id solum, quia filius ipse est.*

Chrysostomus in 39. homilia super Ioannem: *Dedit autem idcirco dictum est, ne ingenitum ipsum suspiceris: neque duos patres esse putes. Omnia enim quæ pater est, hæc & filius est.* Et post pauca: *Vides incommutabile, & quod vno solo differentiam insinuet, quod iste scilicet sit pater, ille filius. Dedit enim quod dicitur, hanc distinctionem solam necessario inducit: cætera omnia æqualitatem atque indemutabilitatem indicant.*

Magnus Athanasius in 3. contra Arianos ait: *Ita igitur ipsi cum vnum sint pater, scilicet & filius, unaque sit Deitas, eadem de filio dicuntur, quæ de patre, nisi quod solum pater non dicitur.*

Idem in sermone, in quo exponit compositam ab Arianis fidem, in variis illorum synodis, in fine longissimi sermonis ait: *Idcirco enim æqualitatem habet ad patrem filius, uniformibus scilicet vocibus, & quæ in patre dicuntur, hæc & in filio scriptura dicunt, præter solum, patrem eum dici.*

Magnus Basilius in libro suo de fide: *Accipere enim quod dicitur commune, & ad creaturam est: habere autem ex natura, proprium est geniti. Vt ergo filius naturaliter possidet, quæ patris sunt, vt autem unigenitus: omnia habet in seipso comprehensa.* Et rursus in eodem: *Patrem dixi, & filium: has mihi proprietates serua. Manens igitur filius, in eo, quod filius est, omnia est quæ pater, secundum ipsius vocem Domini dicentis: Omnia, quæ habet pater, mea sunt. Reuera enim imaginis sunt omnia, quæ primitiua forma sunt.*

Si igitur omnia, quæ pater est, hæc etiam filius est genitus & manens filius, & omnia, quæ habet pater, hæc & filius comprehensa habet præter paternitatem solam, præterque id solum, quod hic pater est, ille filius: omnia communia sunt. Vna enim in re tantum differunt: cætera omnia æqualitatem, indemutabilitatémque indicant; quomodo non paternitas quidem, atque natiuitas substantiales sunt solæ patris, ac filii proprietates sibi inuicem minime communes; producere autem, patri, & filio commune est: quia, & spiritus sanctus, communis est, & amborum dicitur spiritus, amborúmque spiraculum? Nam spiritus sancti esse principium neque pater est paternitatis ratione sine medio. Ita enim filius esset Spiritus sanctus, neque opponitur natiuitatis rationi: huic enim sola paternitatis ratio opponitur. Itaque secundum id, quod esse dicitur principium Spiritus sancti, non est discretio patris, ac filii, & consequenter proprium patris ad filium, vtrilque enim innatus est congruus: quod si innatus est etiam: nulla enim illic innati priuatio est, communis est igitur patri, & filio.

Quoniam igitur producere patris, substantiale non est, commune autem est patri, & filio, consequenter & filius à Sancto Spiritu secundum causam, & causale distinguitur. In sola enim causa, & causali diuinas personas discerni, & fides tradit, & sancti confitentur, vt ex superioribus liquet.

Verum quidam discretionem filii, & S. Spiritus secundum causam, & causale non suscipientes, eum tamen illis discretionem reddere cogantur: aiunt, discerni eos differentibus ex patre processibus, adducuntque testem Iustinum Philosophum, & Martyrem dicentẽ: quia *sicut filius ex patre, ita & spiritus ex patre est, præterquam substantiæ modo.* Gregorium item Theologum dicentem, & ipsum in sermone de Natiuitate Christi: *Spiritus sanctus procedens quidem ex patre, non autem instar filii: neque enim natiuitatis: sed processionis ratione.* Et contra Heronem: *Filii quidem proprium, Natiuitas: sancti autem spiritus, processio.*

Porro, qui ista dicunt, & suam, & magistrorum vocem penitus ignorant. Nam quicunque sanctorum differentibus processibus discerni dixerunt filium & Spiritum Sanctum, natiuitate scilicet, & processione, siue personalibus proprietatibus ordinem reddentes & processibus, & relationibus, & proprietatibus, illud dixerunt, quasi aliter possibile non sit personarum discretiuas esse, nisi etiam relatiue oppositæ intelligantur ad inuicem. Natiuitas itaque immediatus est ex patre processus, & hoc est ipsius definitio: processio autem per natiuitatem intelligitur: Ideo & filius quidem sine medio ex patre, spiritus autem per filium est. Præter illam autem relationem, quæ secundum causam est, nullam in diuinis personis discretionem intelligere fas est. Nam in sola causa, & causali diuinas personas discerni dictum est: aliter enim omni oppositione, & ordine processuum ad inuicem sublato, nihil prohibebit, earum proprietates in idem concurrere subiectum. Itaque enim filium à spiritu natiuitate discernunt, nihil aliud dicunt, quam spiritum esse per filium: per natiuitatem enim procedere, quod dicitur, est. Similiter cum spiritum à filio processione distinguunt, processu illo à filio discerni confitentur, cuius est definitio, per natiuitatem esse.

Quoniam igitur secundum substantiales processus personarum substantiæ significantur: simulque cum ordine causa, & causale infertur: Et filius quidem secundum processum suum, sine medio ex patre gignitur: spiritus autem iuxta processum suum ex patre per filium procedit: Ideo, ille quidem per natiuitatem, esse, hic autem per processionem, habere esse asseueratur: merito, ambos ex patre quidem aiunt esse, verum substantiæ differre modo.

Porro cum substantiarum modis discretio, & causa, atque causale simul infertur: Id quippe est dicere, aliud quidem esse continenter ex primo: aliud vero per id, quod sit continenter ex primo. Sed & dicere, proprium quidem filii natiuitatem esse, spiritus autẽ processionem: nihil aliud sibi vult, nisi quod filius quidem ex patre sine medio, spiritus autem per filium procedit: Illumque procedere fateri, non autem instar filii. Neque enim natiuitatis ratione, sed processionis discernentis est immediate, quod dicitur, & mediate: sed & quod ait idem Theologus: omnia quæ habet

filius,

filius, spiritus sunt, præter nativitatis, filiique rationem: idem signat, quasi diceret, præter quam esse sine medio. Ipse enim per filium procedit: filius autem per patrem nascitur, & præterquam alius quidem filius est, alius autem Spiritus sanctus. Ipse enim est, qui ait: Emanationis, habitúsque ad invicem differentiam, differentem quoque appellationem illis fecisse: propter eáque idem est, ac si dixisset, præterquam alius quidem causa est, alius causale: si autem Nyssenus quoque discrevit, dum aliud dixit, *continenter, aliud, per id, quod continenter:* Et si quis autem processionem alium substantiæ modum esse dixit, præter nativitatem immediate ex primo, & per medium ex primo insinuare vult.

Ad eam vero confert intelligentiam, & quod dicitur sufficere ad discretionem, genitum, ac procedens dicere: Procedentis enim ratio est, esse per genitum. Itaque verum id quidem est, quod processus divinas discernunt personas, verum non sine ordine, & sine intellectu ad invicem, atque oppositionem, nativitatem ante processum cogitari, processionemque per nativitatem esse, quia & spiritus per filium est, ac propterea necessario causam, & causale subingeri, sed enim impossibile est, vt iuxta illorum opinionem nasci, ac procedere discernatur. Nam, si nullam oppositionem in se ipsis continentes discernere sufficeerent, vt dicunt prolatæ personæ, eadem ratione sufficeret, & gignere, & producere quæ patri insunt, in differentes ipsum personas scindere: Impossibile est enim, apertámque habet contrarietatem, principia propria ac discernere idonea, esse vspiam, atque illic discretionem non esse. Veluti, si quis dicat: peritiam quidem in aliquo esse, ipsum vero peritum non esse. Idem ergo est etiam dicere, per quæ discernuntur causæ, ea esse quidem & in causa, ipsam vero nullatenus discernere.

Itaque æqualiter & in producente & in productis, vel discernent, vel non discernent; si enim, verbi gratia, idem homo generet filium, artémque suam pingendi, ut ita dicamus, illum doceat, natura penitus, & ars filio ac discipulo cum insint: sicut & in patre, & magistro, non magis alterum, quam alterum in plura dividet: eo quod in vtroque sit eadem discretionis causa: Rursúmque, si quis idem sit pater, & lectulorum faber, & natura quidem filium gignat, arte vero lectulum faciat: in lectulo quidem, ac filio, quia est naturarum diversitas, quæ subiecti ratione ipsa discernitur: alterum enim homo est, alterum lignum: quod quidem lignum, si quidem patri & opifici inesset, quemadmodum & homo, & illum necessario discerneret in plures causarum substantias. Vel, siquidem productrix ligni natura fabricare sciret: esset & tunc veluti caosa, lignum & faber, idem secundum subiectum existens, ita & lectulus germen, idem ars & lectulus, neque magis, quod producit, quam quod producitur, discernetur. Itaque cum discretionis causæ in vtrisque æqualiter fuerint, causa scilicet atque causali: æqualiter fuerint, caosa scilicet atque causali: æqualiter ipsa discernet, vel non discernet. Gignere autem atque producere, in vna, eadémque natura est, in qua, & gigni & procedere.

Constat etiam gignere idem esse, quod est paterna proprietas: proprietates vero, idem esse, quod substantias secundum rem, iam supra monstratum est. Tres autem * substantiæ pater est, & filius, & Spiritus sanctos: pater autem, & filius, & Spiritus sanctus verus Deus est, Trinitas vna, & supersubstantialis essentia.

* hypostasis.

Similiter & de eo, quod est nasci, & de eo, quod est procedere, dicendum. Ista igitur æqualiter in producente, & productis, vel discernent, vel non discernent: si quidem igitor discernent, * duæ sobstantiæ erit pater, gignendi scilicet, ac producendi ratione: sin vero hæc in patre discretionis causa non sint, neq; filius & spiritus nascendi, procedendiq; ratione propter easdem causas discernentur ab invicem: sic autem erit vna persona filius, & Spiritus S. Non enim dicere possumus, esse aliquid in productis huc in loco discretionis causam, sicuti in lectulo, & filio discernens natura differens, quod in patre non est. Vna enim trium essentia, ac natura est, ac præter differentiam, quæ secundum causam, & causale est, sancti nullam aliam intelligunt.

* hypostasis.

Quoniam igitur gignere, ac producere in patris natura cum sint, patrem in duas personas non discernunt: idcirco, neque in filij, ac Sancti spiritus natura nasci, ac procedere cum sit, ipsum discernet, nisi aliud adiiciatur: hoc est, nisi oppositionem habeant ad invicem. Vnde, qui eos, variis processibus, nascendi scilicet, ac procedendi discerni dixerũt, vel personalibus proprietatibus relative sibi invicem opponi intelligunt, vt dictum est. Substantiales enim cum sint substantiæ suæ indicant medium, substantiæ autem modus solum secundum causam, & causale constat: nempe enim, quoniam in sola causa, & causali divinas personas distingui dictum est: liquet, quoniam vbi relatio non est, neque discretio erit. Itaque ad quam refertur personarum quælibet, ab illa sola etiam personaliter discernitur. Ergo & differentes ad patrem filij, ac spiritus relationes, eos à patre solum discernunt, non autem ad invicem, nisi etiam ad invicem referantur.

Præterea si nascendo à Spiritu sancto discernitur filius, discretio autem in personis divinis secundum oppositas relationes est, vt diximus: nativitas, in quantum nativitas ad processionem, quasi ad oppositam relationem reducetur: hoc autem possibile non est. Solam enim ad paternitatem ita habet: simulque ita erit spiritus filij pater, multáque impossibilia sequentur. At qui neque secundum contradictionis oppositionem quod nascitur, ab eo, quod non nascitur, distingui potest: quippe huiusmodi discretio, non est filij & spiritus; in quantum spiritus, neque propria ipsius, sed communis omnium, quæ non nascuntur. Simili enim ratione etiam ad omnia, quæ non nascuntur, discernetur filius, eritque filius ad spiritum, sicut quod est, ab eo, quod non est, discernitur. Sed & ista discretio substantialis, & prima non est. Subiiciuntur quippe discreta secundum nativitatem, ac processionem: hoc est, secundum quod aliud quidem est sine medio, ex primo; aliud autem, per id, quod est sine medio, ex primo. Et certe quod nascitur, non est sicut id quod non nascitur, secundum scilicet discretionem naturæ. Non ergo sufficit contradictionis oppositio, per se discernere personas.

Sed & dicere, vnam quamque personam in se ipsa sua personali proprietate sobsistere, atque ab aliis omnibus abunde separari; vt & nativitas, & processio filij, ac spiritus proprietates ad discretionem sufficiant, atque ita causæ discretionem non esse requirendam: nihil ad propositum valet. Quæ enim secundum se ipsa subsistunt, ipsaque ea soggerunt, sufficiunt ad discretionem reliquorum. Petrus enim propria anima & corpore subsistens, his à Paulo, cæterisque distinguitur: quibos vero subsistere in eo est, quod ad aliud referuntur, his etiam hoc discerni est, ad ea referri, ad quæ referuntor. Servus enim verbi gratia, in eo, quod refertur ad Dominum, est, & dicitur servus. Cæterum, relatione sublata, neque servus, in quantum servus erit, quoniam igitur paternitas, & nativitas, & processio secundum causam, & causale subsistunt: filius qoidem, in quantum filius, à solo patre distinguitur; a spiritu autem nulla ratione, nisi & alia aliqua ipsios ad spiritum differentia intelligatur. Solam enim secundum nativitatem sine relatione ad patrem intellectam, vna persona esset filius, & spiritus. Rursum Spiritus sanctus relatione ad spirantem subsistens, nisi inspiretur à filio, ab illo personaliter non differet, sed vna cum illo persona erit differentes habens rationes, vt est nasci, & inspirari, eo quod nullam habeant ad invicem oppositionem, aut habitum: vel, sicut duæ simpliciter differentes erunt, habebuntque differentiam essentiæ, non personalem tantum, quod penitus absurdum est.

Porro,

Porro, si quis pergat contendere, nativitate filium non à patte solum, sed etiam spititu discerni, ne sic quidem effugiet, ne dicat, & à filiu inspitari Spiritum sanctum: quippe filij terminus est, consortem,& hæredem esse patetnorum omnium bonorum. Itaque cum cæteris à patte sibi spiritus quoque causa erit, ac propterea causa discernetur à Sancto spiritu, quæ, in termino nativitatis includitur. Nempe, & procedentis est definitio, ex genitote esse, pet genitum. Itaque, & si spiritus proprierate sua, ptncessione scilicet a filio discernitut ipsa proprietate, quod sit scilicet ex filio,sicque ad eum referatur;disetetionem ad filium habebir. Enimvern nasci, ac procedere si quis ad se invicem incongrua dicens, sufficere per se ad discretionem sine intellecta alia relatione arbitretur, imbecillæ omnino confidit rationi. Ista enim incongrua esse propter causæ, causalisque ordinem contingit. Per se enim sola, vt quidam æstimant .non ad se ipsa dicuntur, verum gigni quidem ad pattem, procedere autem,ad productorem opponitur,- Itaque cum illa opponi dicunt, consequenter discernere, quasi causam, & causale ad invicem dicere cogentur. Siquidem, quod procedit ex gignēte est per genitum: quod autem nascitur sine medio ex generante, est consors secundum proprietatem suam paternorum omnium bonorum.

Præterea, quia dictum etiam est, in sola causa, & causali divinas discerni personas. Et hoc autem quidam contra inferunt: quoniam, si quidem Filins causa sancti Spiritus est, habétque id à patre sumens,sancti Spiritus causa esse præintelligetur in patre, saltem cogitatione.

Patet itaque ante cogitabitur, quam Filius inspirans Spiritum sanctum: sed productioni spiritus ex patre substantia sancti Spiritus concurrens est: prius ergo, quam inspirare Filius intelligatur, subsistit Spiritus sanctus, & per consequens, ab ipso discernitur. Prius autem, quam inspiraret Filius, Filius tantum erat,& non productor. Itaque & si non sit causa Filius, à Spiritu sancto discernetur.

Verum, istod quoque imbecillum est, ea ratione, quod Filij ex patte nativitas primus, & immediatus est, secundum paternam proprietatem processus,& ante processionem sancti Spiritus cogitatur. Per nativitatem enim processio est: quia, & per filium spiritus, procedentisque terminus per genitum esse monstratus est. Quoniam verò filius, in quantum filius, paternorum bonorum omnium est hæres,& omnia,quæ patris sunt,nascendo accipit; gignendo profecto Patet filio initium est: etiam vt sit sancti Spiritus causa. Itaque, si per nativitatem suam, vt initium, & causa S. Spiritus sit filius, pater filio communicabit:simul cum filio hoc habebit, & neque ipse sine filio inspirare intelligetur Spiritum S. Aut enim neque ex patre est, si dici fas sit, aut etiam per filium, atque ex filio est: quippe hoc est procedentis ratio.Et,antequam spiritus cogitetur ex filio, iam hunc producere filius cum patre habet à patre genitus, maxime cum & productor per verbum dicatur patet. Si quidem enim producendo pater filio causam spiritus daret,filius profecto ante caosam cogitaretur, secundum quam spiritus procedit à filio.Nunc autem gignendo est patet initium filio,vt sit S.Spiritus causa. & per filium causa S. Spiritus est, quia & ex ipso per filium procedit Spiritus S. itaque pater & filius, quasi, vnum principium ante Spiritum S. cogitatur.

Quemadmodum igitur solem calefacete sine radiu, cogitare non possumus, neque sine fulgore calorem: ita neque sine filio processionem cogitari possibile est: quippe ratio procedentis est, esse ex gignente per genitum. Et sicut sol & radius, vnum calefaciendi principium est; ita pater & filius vnum Spiritus sancti principium, secundum vnicum eius, simplicémque processum traditur; servata scilicet paternitatis, nativitatisque differentia. Itaque neque re, neque cogitatione potest inspitans pater sine filio intelligi: imo, si quidem ex animo filius, & cogitatione tollatur, neque processionem iam esse possibile erit. Vnde & dictum est; Idcirco ex patte procedere dicitur, quia à filio est. Quod si præcogitati dictus est, tamen prius posterius non est. Nam & causa, & causale, filijque mediatio, ac per filium esse, à sanctis divinis rationibus traditur. Sed & simul,& coniunctus, & inseparabilis nihilominus pro confesso asseveratur. Temporales enim morulæ in æterna vita locum non habent, vt ait Gregorius Nyssenus; eo quod illic nusquam tempori sit locus.

Per hæc ergò omnia, conficitur, quod initio propositum fuit, filium à sancto Spiritu secundum causam & caosale discerni: patrémque & filium, vnum Sancti Spiritus principium esse; servata illorum ad invicem differentia, iuxta SS. Patrum Theologiam; per quam, ex patre per filium procedere Spiritum sanctū, divinis rationibus asserunt. Quoniam vero veritati veritas non reluctatur, & in his maxime sermonibus, vbi de fide agitur, in quibus summa concordia, & ad se ipsos, & ad cæteros Doctores sit necesse est. Aliter enim Deus, homines per eos falli, atque errare permisisset; sive contraria vera esse volens, sive veritate veritatem collidens; veritati autem mendacium obiectum est. Multis autem ex locis demonstratum est, per filium, atque à filio substantiam habere Spiritum S. quod dicitur, verum esse, his, quæ prædicta sunt, suppositis; ad illa nunc proficiscamur, quæ veritati huic prorsus videntur adversari.

Accedat ergo primo S. Ioann. Damascenus: *Spiritum, inquit, filij dicimus, ex filio autem non dicimus.* Hoc si, vt quidem arbitrantur, id insinuare vult,quod non sit ex filio spiritus, neque per filium substantiam habeat, omnino Spiritum sanctum ex patre solo habere substantiam, Doctor præclarus arbitratus est. Hoc, si ita est, etiam ex patre esse sine medio. Si autem sine medio producere etiam substantiale patris, propriúmque eius esse, neque filio commune, substantialia enim personarum propria, cæteris omnino communia non sunt: quomodo igitur pattem productorem per verbum *splendifici* spiritus dicit? quomodo ex patre per filium procedere spiritum plurimis locis nos docuit? quomodo, si nullum ordinem, vel habitum spiritus ad filium habet, dixit: *Oportet autem verbum, & spiritum habere.* Hæc enim sibi iovicem contraria manifestissime sunt; si enim productor per verbum, nunquam profecto erit patris substantiale proprium producere.

At si ex patte sine medio, nunquam per filium procederet;procedere enim per filium quod dicitur:mediationem filij designat, quam & Nyssenus tradit,& omnes vna cum eo Theologi,tertiúmque à patre Spiritum S. secundum personalem ordinem commendat. Porro, sine medio,hoc est,ex solo patte esse, dicere,hæc simul omnia tollit.

Atqui non solum, vt quidam id dictum exponunt, sibi contrarius hic Doctor est: sed his quoque,qui ante illum fuerunt, Ecclesiæ magistris. Illi enim ex filio, atque ex eius essentia illum esse aiunt, & ex ipso prodire, & à filio habere, esse, & ab eo procedere: ille autem,ex filio non esse,non ex illius essentia, neque ex ipso procedere dicit. Hæc autem manifesta contradictio est. Ex quo sequitur, vt vel hic solus Ecclesiæ magister asseratur, solúsque sanctus videatur:neglectis tot sanctis Patribus: piget enim dicere, abiectis: aut illorum multitudinem, atque auctoritatem antiquam reverendo:istum non admittere.

Sed hoc ineptum, ac insulsum est. Oportet enim sanctos omnes revereri, &, quæ ab illis dicuntur, pia intentione suscipere: atque ea ita exponere conari, sicubi fortasse dissentire videantur, vt & sibi ipsis, & aliis Ecclesiæ magistris quam maxime concordes sint. Et, si quidem istud contingat, nihilque de concessis, ac ratis fidei rationibus tollitur; concordem, ac veram expositionem dicere: sin autem, contrarium. Quo

enim

enim posito, absurditas sequitur: & ipsum eiusmodi est. Quanquam, non dici ad id, vt sit res, contrarium non est. Plurima enim vera quidem sunt, non autem dicuntur, hocque, cum ex aliis constat, tum ea ipsis Ecclesiæ dogmatibus. Esse enim filium patri consubstantialem, DEIQVE GENITRICEM SEMPER VIRGINEM prædicari in Ecclesia, atque humanæ naturæ filium Dei secundum substantiam vnitum esse: vera quidem sunt: fuit tamen, quando non dicebantur: non tamen ideo falsa fuerunt. Nam postea necessitate vrgente propter contraria dicentes, etiam vt in Ecclesia publice dicerentur institutum, & formatum est, quid ergo mirum, si & sanctus iste quod non pronuntiabatur, vt multa alia, & tunc, & prius, non dici ait? Non enim profecto per hoc ostendit, quia non est: sed hoc solum, quia in consuetudine dicto non proferretur.

Sed enim eum sibi non esse contrarium, hinc profecto constat. Ostensum enim prius est: quia, vbique, *per*, præpositio, in quibus assumitur, præcedenti causæ cooperatur, atque ad eam efficientiam, quam ipsa inspicit, siue in naturalibus, siue in artificibus quispiam sermonem exercere velit. Ramus enim per quem fructus oritur, eandem, quam radia naturæ intentionem habet. Et serra, verbi gratia, per quam faber gradum facit, ad illum, non ad alterius generis effectum artifici cooperatur. Non enim ad calefaciendum, seu dealbandum illi cooperabitur. Prorsúsque ea, per quæ aliquid fit, cooperantur his, qui prius illa movent, ad illorum nutum vna cum illis causa effecta, vel quasi instrumenta, vel quomodolibet aliter illos adiuvantia.

Si quidem igitur non esset eis differens natura ad eos, qui illis vtuntur, essent & ipsa profecto simpliciter causa, sicut prima illa: sed in patre etiam hoc magis. Siquidem, & eadem esset ad vtentes operatio. Verum in patre, & filio: quoniam vna natura numero inspicitur: & vna eis etiam actio, siue processio est, & vnus, atque idem Deus, merito filij, *per*, & patris, *ex*, significatione non differet: sed ipsa quidem ad, *de*, vel *ex*, transibit: illa vero rursus ad *per*, transferetur, communéque & vnum, atque idem cum patre principium S. Spiritus erit, propter æquam filij ad patrem Deitatem, atq; essentiam eandem, aliámque omnem identitatem, & indemutabilitatem: concesso semel à patre per filium S. Spiritum procedere: Doctoribúsque omnibus clamantibus, non esse fas, differentiam aliquam quomodolibet in hisce præpositionibus intelligere hoc indeterminate monentibus, docentibúsque, in patre, & filio, *de*, vel *ex*, à, per, nihil differre, nisi in quantum substantias discernunt. Ait enim magnus Basilius ad Amphilochium scribens 5. cap. *Vnus Deus & pater, ex quo omnia: & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia. Ista non sunt legem ponentis voces, sed distinguentis potius substantias. Non enim, vt alienum naturæ introducat, sed ut inconfusam patris. & filij intelligentiam commendet, ita pronuntiavit Apostolus.* Et Theol. Greg. ait; *Ex quo, & per quem quod dicitur, non naturas scindentium est, sed unius inconfusaque naturæ proprietates exprimentium.*

Propter hoc igitur, *per*. particula assumpta est, vt consubstantialitatem, simul & personarum ordinem, ac discretionem signet ea processibus ipsis apparentem. In quo sane ordine, ac discretione, filij persona medium obtinet locum, quam semper etiam in communi consuetudine significat, *per*: & ne vel vna persona, pater, & filius existimetur propter præpositionum similitudinem, vel duo, & contra se divisa ambo, spiritus principia videantur, talisve esse filij persona, qualis & patris est, nihil ante se cogitatum habens, quemadmodum & pater. *Ex* enim sistit mentem, & vlterius ire non cogit, principalémque causam quærere, cui, *ex*, principaliter distributa est: *per*, autem alteram quoque personam præter *ex*, includit: & ad illam provehit mentem, principalémque illam designat causam, in qua hæc ponitur: medium & primi, & eius, ad quem processus, siue operatio. Atque ita Trinitatem integre nobis commendat *per*, simulque processus personarum ad invicem ordinem indicat. Sed & essentiæ quoque vnitatem per se tertio connectit, iuxta Greg. Nyssen. Filij mediatione, & sibi vnigeniti honorem servante, & spiritum naturali ad patrem habitu non excludente: *sic enim*, ut ait magn. Basil. *& substantiæ conceduntur, & ipsum unici principatus dogma non decidit.*

Quoniam igitur cum vnitate personarum quoque discretionem confiteri secundum fidem nobis traditam debemus: hæc autem & ambo, alterū quidem ea patre, per filium Spiritum S. procedere dici commendat: alterum autem ex filio dici non ita, ideo Damascenus per filium quidem procedere fatetur; *ex filio autem non dicimus*; adiecit, putans illi, *ex*, personæ non congruere, antequam alia persona cogitatur: sed ei, antequam, nulla; qualis est persona patris. Plurimi vero SS. Patrum, atq; idem sæpius, easdem dictiones in Theologia secundum differentes intelligentias & suscipiunt, & non suscipiunt, & aliquando sic, aliquando aliter, vt magnus Basilius in quæstionibus ad Eunomium, *germen*, filium dicentem non suscipit: dictionem hanc imperfectioribus congruere existimans: quocirca eam maxime ponebat Eunomius. Verum, Theologus Gregorius in primo libro de filio, de eo, & Spiritu sancto loquens ait; *Horum autem alterum quidem germen, alterum vere productum est.* Et causam quidem, & causale in divinis personis dici, vetat Cyrillus beatissimus dicens; *Causam vero, & causale ne nominare quidem fas est, si quis illud scilicet iuxta creaturarum morem accipiat.* Communis autem fides, omnésque Theologi, in sola causa, & causali, divinas personas distingui dicunt: maiúsque quod dicitur, patri, causæ ratione plurimi Doctorum assignarunt. Iuxta opinionem autem Arianorum ab Ecclesiæ ambitu repellitur.

Nihil ergo mirum, si etiam Doctorum alij quidem, *ex*, principali causæ, & ante quam nihil cogitatur, huic soli congruere eam arbitrantes, ea patre per filium procedere Spiritum sanctum, productorémque, patrem, per verbum asseverant: quia filij omnia ad patrem referuntur, non tamen ea filio dicunt. Alij vero & ei, qui ex causa est, vt filio congruere ponentes: cuius pater principalis præcogitatur causa: eo quod unum principium, & una causa sit pater, & filius, sicut & vna essentia: nunc quidem per filium esse, ac procedere dicunt: nunc autem ea filio esse, & prodire, & procedere: secundum sanctorum, vt dictum est, divinas rationes tradunt, per vtraque illi idem volentes, & si syllabis differant.

Placuit ergo Damasceno in huiusmodi Theologia potius vti, *per*, à qua, & consubstantialitas, & vnitas, processúmque, ac personarum ordo, & discretio apparent, quam assumendo, *ex*, causam tantummodo significante: maxime, ne vel vna persona, pater, & filius existimaretur propter præpositionum similitudinem: Vel ne videretur filius nihil ante se cogitatum habere, sicut & pater: ita enim ei visum est: & alia, quæ prædicta sunt.

Sed ista quidem sufficiunt, etiamsi magister dixisset, ex filio non esse spiritum. Nunc vero, non ita dixit, solum; *Ex filio autem non dicimus*: hoc autem nulla ratione contrarium est ei, quod esse ea filio dicitur. Communem quippe tantum vsum per hoc tradit. Si igitur ea expositione suscepta, quam multi volunt, plurima quæ sunt rata, convelluntur, & neque ipse sibi, neque aliis ante se Doctoribus concordat; nostra autem explanatione admissa, nihil tale contingit, eorúmque, quæ rata sunt, nihil omnino decidit: constat profecto, hanc esse veram expositionem; illorum autē falsam & reiiciendam. Ea quibus etiam ducitur verbi illius B. Dionysij solutio, quo ait: *solus fons supersubstantialis deitatis pater est*: qualem enim fōtem magnus iste pater Deo, & patri reddit, ante quem nihil cogitatur: talem Damascenus in filio denegat. Ante hunc enim

pater cogitatur. Et rursus huiusmodi causam à filio Ioannes aufert, qualem Augustinus patrem dixit principalem ipsum causam appellans. *Principaliter enim*, ait, *ex patre procedere Spiritum sanctum*: & addidit: *Principaliter autem dixi: quoniam & ex filio Deo spiritum inuenitur procedere.*

Fontem ergo sancti Spiritus & filium à Doctoribus dici supra monstratum est. Sed quoniam ante filium quidem pater cogitatur, ante patrem autem nihil; ipseque ex patre esse dicitur, atque ad ipsum refertur: *& enim, quod esse à filio dicitur, ad primam causam relationem habet*, secundum Basilij sententiam in libro quæstionum: secundum quem modum & radix, & fons, & solus causa pater dici potest; *ut ostendatur, ex quo quod dicitur, & neq; tria, neque duo principia deorum pluralitate separata suscipiantur*, vt ait Gregorius Theologus in lib. de Spiritu sancto. Ideo & dictum est: *Viuo ego propter patrem*. Et; *de hora illa nemo scit, neque filius, nisi pater*: Et *à me ipso facio nihil*: Et, *sicut audio, iudico*: Et; *mea doctrina, non est mea*, Et; *pater meus maior me est*: & si quid huiusmodi ab eo dictum est, qui omnia ad patrem refert, sicut & de spiritu; alibi quidem ait, *quia mittam vobis paracletum*, alibi autem; *quem mittet pater in nomine meo*: hoc est, per me. Neque enim personam Spiritus S. futurum filium per hoc significat. Illud quidem, vt suam ostendat dignitatem. *Dignitate enim, & ordine secundus à filio est*, iuxta magn. Basil. *maioremque Spiritu sancto filium* magn. ait Athanasius. Hoc autem principium sine tempore honorans; *& ne videretur Deo adversari*; vt ait Theolog. Greg.

Ioan. 6. Mat. 24. Ioan. 8. Ioan. 5. Ioan. 7. Ioan. 14. Ioan. 15. Ioan. 14.

Enimvero ostensum est etiam conversionis ratione, quia patrem ad solum filium conferens vir sanctus hoc ait cum dixisset enim *supersubstantialis enim diuina generationis res non conuertuntur ad inuicem: solus autem fons supersubstantialis deitatis pater est*; addidit; *cum non sit pater filius, neque filius sit pater: & diuina vero generatio hoc signat*; & quæ alia prædicta sunt. Tenemus itaque Doctoris intentionem, alio ex loco sibi ipsi, ac Doctoribus cæteris concordem, qui sunt eiusdem meriti, & in sanctorum cœtu nihilo inferiores. Vt autem quidam volunt, contrarium omnino contingeret. Fontem quippe S. Spiritus filium dicere iuxta invectum ab eis secundum processum: ut vanum, ac plurimis absurditatibus obnoxium, supra confutatum est.

Et certe non solum fontem S. Spiritus, magnus Athanasius filium dixit: sed & solum eum dixit Sancti Spiritus fontem. Theodoritus enim in secundo libro suæ Ecclesiasticæ historiæ XXIII. cap. infert epistolam magni Athanasij ad Afros de Ariminensi Concilio, in qua, ita scriptum invenitur: *Quis autem his congredi velit hominibus, qui neque sua suscipiunt? Nam in decem illorum, & pluribus, ut prædiximus, synodis, alias alia scribentes, satis euidenter, ostendunt, se singulas illarum improbare. Patiuntur autem hoc, quod & Iudæi tunc passi sunt. Vt enim illi solum fontem aquæ viuæ relinquentes, foderunt sibi lacus, qui non potuerunt aquam continere: scriptum est autem apud Prophetam Hieremiam: Ita & isti pugnantes aduersus uniuersalem synodum, foderunt sibi synodos plurimas.*

Sed & in libro contra Arianos, magn. idem Athanasius salvatorem solum Spiritus S. largitorem esse ait dicens: *E contra saluator cum sit Deus, & regni patris semper imperans Spiritus S. largitor solus est.* Hæc igitur ex abundanti dicta sunt, ad ostendendum: quia & filius S. Spiritus fons dictus sit.

Si igitur Doctores sibi ipsis, atque invicem concordes esse, necessario fatendum est: hoc autem nunc maxime fit, nihilque concessorum dogmatum nutat: his ita expositis, vt dictum est: alias autem contra penitus contingit: euidens profecto documentum est, hanc quidem expositionem veram esse solam, omnésque, præter istam, falsas esse.

Patet item dicti illius solutio, quod posuit Gregorius Theologus: *Omnia scilicet, quæ habet pater, esse filij, præter causam*; sicut enim D. Dionysius patrem ad solum filium conferens iuxta conversionis rationem, patrem solum fontem dixit: non enim est filius fons patris; neque enim convertitur: ita & summus hic vir, præter causam habere filium patris omnia dixit; causam scilicet, quam habet ad filium, pater. Siquidem enim arbitrantur per hoc, sanctum virum, nullam omnino causam filio reddere, falluntur. Ipse enim est, qui ait: *ex principio principium*: quin & in oratione, quam facit ad Christum, ita inchoavit dicens: *Te nunc quoque benedicimus, Christe meus, verbum, Sancti Spiritus sine principio seruator*: quam ergo habet pater ad filium causam indicare voluit; aliter quippe sibi ipsi non congrueret, sententiáque fallax videretur. Dicere enim præter causam, omnem causam auferentis esse volunt: hoc autem falsum est. Vel creaturarum enim ipsum certe causam dicent. Attestatur his & ipse dicens: *Omnia quæ habet pater, filij sunt* præter causam: & omnia quæ habet filius, Spiritus S. sunt, præter nativitatem.

Constat ergo, quia patrem ad filium comparans, præter causam, dixit, quam scilicet habet pater ad filium, sicut & quod sequitur, spiritum ad filium comparantis est, relationem illorum ad invicem inspicientis, secundum illorum proprios processus. Dicere namque, spiritum habere omnia, præter nativitatem, nihil aliud significat, nisi præter quam immediatum ex patre esse: quippe cum filius quidem ex patre sine medio sit, iuxta proprietatem suam; sanctus autem spiritus ex patre per filium procedat, quocirca, neque convertitur, quoniam, neque processus illi, & consequenter, neque substantialia convertuntur. Et ex hoc igitur nihil pro se concludunt.

Eadem vero ratione, ne id quidem illis opitulatur, quod ait S. Maximus in Epist. ad Marinum ita scribens: *synodicorum igitur præsentis sanctissimi Papæ, non tot capitula: quot scripsistis, repudiarunt, qui in regia ciuitate conuenerunt. Duo autem sola, quorum alterum quidem de Theologia, continet: quia inquit, etiam ex filio procedere Spiritum sanctum, alterum vero de diuina incarnatione: quia scripsit, non sine primi patris peccato esse Dominum, in quantum homo erat. Et primo quidem concordes Romanorum Patrum protulere sententias. Cyrilli quoque Alexandrini in expositione super Ioannis Euangelium; ex quibus seipsos non filium spiritus causam facere ostenderunt. Vnam enim nouerunt filij, & spiritus esse causam: alterius quidem secundum natiuitatem: alterius vero secundum processionem: sed, ut per ipsum procedere insinuarent: sicque, coniunctionem essentiæ, & incommutabilitatem commendarent.*

Itaque quod S. Cyrillus plurimis in locis Spiritum sanctum ex filio sicut etiam ex patre dicat, eumque ex filio esse, & per ipsum, & ex ipso naturaliter procedere: & quia per ipsum profusus naturaliter propriam nobis substantiam signat, & quæ talia, satis supra declaratum est. Sed & Romanorum Doctorum, Hilarij scilicet, Ambr. & Augustini dicta huic sententiæ congrua produxerunt: qui, & ex filio procedere Spiritum S. docent. Hæc autem mirum, si non etiam causam insinuat. Ea enim ratione, vt datur intelligi, neque cum ex Deo esse, & ex patre procedere spiritus asseritur, causam designabit. Sed ista, præter scripturæ intentionem sunt: nempe, quoniam iuxta S. Cyrillum, Occidentalésque Doctores fatentur huius esse sententiæ, qui evidenter ex patre, & filio, veluti ex vno principio prodire, ac procedere, vt dictum est, Spiritum S. confitentur. Nihil ergo novum à se ipsis introducunt, qui etiam ex filio spiritum procedere fatentur: simulque præsens epistola Romanorum patrum præexpositas allegationes illorum veraciter esse commendat. Aut enim ipsæ omnes sunt, aut ex ipsis aliquæ quas tunc protulerunt. Nō enim profecto fallebatur S. Maximus, aut mentiens ista dicebat.

Quid ergo sibi volunt, cum Spiritum sanctum ex filio quidem procedere dicunt: non autem esse filium

causam Sancti Spiritus adiciunt: quia enim filius quidem ex patre est: Filij autem omnia ad patrem referunt, dictum vero est etiam à sanctis, ex patre & filio Spiritum sanctum, veluti ex vna re, & vno principio esse, ac procedere: propterea, ex huiusmodi sententiis aperuerunt se, filium non propriam, & peculiarem causam spiritus, præter patrem, intelligere. Merito sane. Neque enim duo sunt divisa contra se, atque ab invicem distincta principia sancti Spiritus: neque vt personæ duæ, ita duo etiam Spiritus sancti principia sunt, quemadmodum enim mittit quidem pater Spiritum sanctum: mittit autem hunc etiam filius: neque tamen filius alia missionis causa præter patrem est: neque enim mittit pater sine filio, sicuti neque sine filio facit; quocirca etiam dictum est, vna datione, & vna largitione mittit Spiritum S, ita & de eo, quod proposuimus dicendum, atque eo magis, quo missio idem est, quod processio, vt supra declaratum est. Aut, si hanc nimium contentiosus quispiam substantialis S. Spiritus processionis indicium dicat; profecto, nunquam mitteretur à filio, nisi etiam ex ipso esset: alioqui minister esset filius.

Non itaque vel pater solus causa est Spiritus sancti sine filio: vel sine patre filius, per filium enim procedere dicitur: & pater per verbum productor esse sancti Spiritus asseveratur. Constat hoc etiam ex sequentibus ipsius verbis. Ait enim: *Vnam novimus filij, & spiritus causam patrem*: alterius quidem secundum nativitatem: alterius vero, secundum processionem. Hæc autem prædictis optime consonant. Nam, filius quidem ex patre secundum nativitatis, vel geniti definitionem, ex patre sine vllo medio est. Spiritus sanctus autem iuxta processionis, seu procedentis terminum, ex patre per filium est, quæ, cum ita sint, congrue filius ac spiritus ad vnum principium patrem referuntur, vt filius quidem seorsum non sit causa: Non enim est vel filius, vel quæcunque causa, sine patre: pater vero, ac filius, vna causa, vnumque principium sit S. Spiritus.

Etsi enim, ut supra declaratum est, esse habet à filio, ab ipso scilicet sumens, ac penitus ex ea causa eum pendere pietatis ratio tradit, & quæ alia prædicta sunt: ob id tamen, quod filius quidem sit ex patre sine medio, spiritus autem per filium procedat; ac per ipsum patri coniungatur: quodque filij omnia ad patrem referantur, pater vnum sancti Spiritus principium dicitur, quocirca solus quoque fons deitatis dictus est: fonsque, & radix filij, & spiritus, & solus causa dici potest, quod nihil ante se cogitatum habeat, atque ad ipsum referantur omnia. Vnde & magn. Basil. dicebat: *Naturalis bonitas, & regia dignitas ex patre per unigenitum ad filium pertingit*: Ita & substantias fatemur, piumque vnici principatus dogma non decidit.

Consonant quidem & ista præteritis: verum ne id quidem dissentit, quod sequitur. Nam dicere: *propterea & filio procedere dixerunt: ut per ipsum illum procedere significarent*: nihil est aliud, quam dicere: idcirco, ex filio procedit: quia procedit per filium: quia enim per filium procedit, naturaliter scilicet atque essentialiter procedit. Ita quippe & essentiæ coniunctio, & incommutabilitas declarabitur: quod autem per aliquod naturaliter, atque essentialiter prodit, ex ipso etiam substantiam habet. Itaque, per filium prodire, idem est, quod per filium procedere, hoc enim indicat per filium habere substantiam, quod igitur superius processionem appellavit, hoc in consequentibus per filium prodire, ac procedere dixit.

Constat ergo & ex his, ex filio procedere quod dicitur, idem esse, quod per filium procedere. Porro ista etiam ante sunt dicta. Sed & illud quoque demonstratum est, quod essentiæ filij ad patrem identitas, omnia patris filium habere facit, præter solum, patrem esse. Atque eodem modo, quo etiam pater: aliter quippe essentiæ identitas tollitur, maxime cum dictum sit, vna tantum re, eos differre: quod hic pater sit, ille filius: alia vero omnia, esse communia. Patet itaque causa spiritus est, sicut & filius. Dictum est tamen, eos non asserere filium sancti Spiritus causam, propter illa, quæ prædicta sunt, quod enim ex Damasceno sibi vult, *ex filio non dicimus*: ne duo principia divisa videantur: nec persona filij, vt patris persona, esse, nihil præ se cogitatum habens: hoc & ista in hoc loco sibi vult. Vnum enim principium est S. Spiritus, pater & filius: Etenim neque filius sine patre, neque, sine filio pater. Non enim esset procedens Spiritus S. quia tamen pater sine causa est, ipsi causæ nomē separatum est, quæ causa, ad Spiritum S. relata, filium quoque comprehendit, quia, per filium procedit. Nam ex patre procedere, Doctores pro eo acceperunt, quod est ex patre per filium procedere.

Sic itaque, & quæ in prædicta epistola posita sunt, veritati, & sibi ipsi conciniunt: &, quæ à S. Cyrillo, latinisque Doctoribus de Spiritu sancto dicta sunt, interroganti, S. Maximo Romani allegaverunt. Impossibile namque est, magistros Ecclesiæ, ex filio esse, atque procedere spiritum dicere: & rursus, per filium esse, atque procedere: deinde causam à filio auferre: hoc enim est aperta contradictio, constatque, quia & ipsi contradicentes, quod dicitur ex filio procedere, vt, quo causa significetur, non suscipiunt. *Ex*, enim præpositio, &, maxime in divinis personis, processum cum causa commendat: &, *per*, tantundem valet: non solum, quia vt dictum est, in divinis idem valet, quod, *ex*: sed quia, etiam per se ipsam in quibus assumitur, vbique causam indicat, sive enim per instrumentum, vt per causam, vel, causæ consortium dicimus: sive, per locum: quia causa motus, est locus; & motus omnis in magnitudine, atque distantia: similiter vt per causam, dicimus: sive, per tempus itidem: tempus enim motui plurimum confert: sive in syllogismis extrema per medium connecti dicimus: constat, quia per mediam causam, secundum animi motum, sive transgressionem contingit.

Prorsus vero possibile non est, vt, cum dicimus, *per*, non etiam aliquam causam vna cogitemus, quoniam igitur per filium prodire, ac procedere dicitur spiritus sanctus; causam profecto, & filium esse, necessario datur intelligi. Et simul constat, vt substantialem causam: quippe ab illis consummata, & plenissima perfectione, summaque ad patrem æqualitate, sive unitate longissime remotum est, filium instrumentum ponere, seu locum, seu tempus, aut aliquam imperfectam, & alterius essentiæ causam: si enim in creaturis, vnam causam, vnum creatorem, vnum patrem, & filium commendat *per*: multo sane magis in consubstantiali eis Spiritu sancto vnam causam, vnumque principium, patrem, & filium commendat.

Magnus præterea Basilius ad Amphilochium scribens, VIII. cap. sic ait: *Quod per filium creare pater dicitur, neque imperfectam commendat, creationem patris; neque invalidam filij efficientiam signat; sed unitissimam commendat voluntatem.* Itaque vox ista, *per filium*, causæ ante omne principium, confessionem habet; non in prædicamento causæ conditionalis assumitur. Patet igitur quod in creaturis quidem, *per*, commendat unionem voluntatis; in sancto autem spiritu unionem patris, & filij, secundum substantialem processum Sancti Spiritus insinuat, secundum quem ex patre per filium prodire, ac procedere asseritur, & ex patre, ac filio procedere. Pluribus igitur ex partibus ostenditur, patrem & filium, vnum esse principium, vnamque causam Spiritus sancti: Dictum est tamen, Romanos filium non causam spiritus, propter ea, quæ prædicta sunt, facere. Constat autem ex his, & quia ex filio procedere Spiritum S. non vlla novitas est, neque nova adiectio, vt quidam asseverant. Nam & temporibus S. Maximi à Latinis ita legebatur: *ad quem sanctorum allegationes*, vt ipse ait, *huic sententiæ congruas protulerunt*.

Paucis vero interpositis, in eadem epistola, idem sanctus adiicit, concludens, *Romanos de his sine ratione*

inculpari-

culpari. Liquet igitur, & ipsum approbare, quod dicitur, Spiritum sanctum ex filio procedere, eosque qui ita dicerent, laudare, & qui culparent, insimulare. Essent autem sane ineptissimi, qui propter id, quod dictum est; *ex filio non dicimus*; causam Sancti Spiritus à filio omnino auferentes, ex eo, quod asseritur, ex ipso procedere, hanc, non illi reddunt, cum hanc processionis dictionem, & ipsi Spiritus sancti substantiam commendare definiant. Ex hoc enim rationabilius illi causam reddent, quam per illud auferent.

Nam, si ex patre procedere, quod dicitur, causam commendare confitentur: quomodo non etiam filium, vnam cum patre causam sancti Spiritus fatentur, cum audiant, ipsum etiam ex filio procedere? Imo vero, quomodo ad eos quidem, qui hoc dicunt, efferantur; sanctis autem ita dicentibus, non contradicunt: Quod si, ex filio esse, ac procedere, cum Doctoribus Ecclesiæ, & S. Maximo, & Romanis, qui super hoc S.S. dicta protulerunt, vel coacti suscipiunt, non tamen per hoc causam significari volunt: primum quidem, neque sic deberent ad hanc dictionem omnino indignari, deinde, præter suas opiniones volent: hoc enim, vt quod causam sine medio significet, refugiunt; & neque, cum ex patre procedere dicitur, & ex Deo esse, causam significare cogentur, dicere: quærentque alterum vocabulum, quod substantiam S. Spiritus significet: idque fortassis erit, *esse*, hoc autem in divinis personis idem valet, quod procedere, simulque, quænam, & unde erit ista distributio: in patre quidem, per ista causam signari, dicere; in filio autem, hanc non ita?

At si, ex filio procedere, consubstantialitatem & hic significari dicunt, nempe, sicut spiritus patri consubstantialis est; quia procedit ex patre; ita & filio consubstantialis est, quia procedit ex filio: Nam, & filius consubstantialis est patri; quoniam ex ipso est: siquidem vera prosequitur magn. Basil. dicens: *Porro essentiæ identitas, quia est ex patre filius.*

Attestatur his & Cyrillus Beatissimus *Nasci enim,* inquit, *ex patre per filium, inuitos nos etiam, ac renitentes coget, illi consubstantialitatem reddere.* Sed & quod per illum prodire dicitur, nequaquam essentiæ coniunctionem, immutabilitatémque commendaret: nisi per filium habere substantiam, quod procederet, præsupponeretur: Nam quod ita prodit necessario etiam consubstantiale est, siquidem & hoc in loco verax est S. Maximus dicens: Spiritus S. sicuti naturaliter secundum essentiam Dei & patris est, ita & filij secundum essentiam est, vt, qui ex patre essentialiter per filium genitum ineffabiliter procedat: propter hoc igitur consubstantialis est filio quia, per illum procedit ex patre, hoc autem idem esse, quod ex filio procedere, plurimis ex locis demonstratum est.

Enimvero multo minus illis confert illa Basilij sententia, quam, ut murum inexpugnabilem in suis disputationibus præponunt. Ait denique sanctus vir: *Gignit Deus, non ut homo; gignit autem vere, quodque natum est ex eo, verbum non humanum exprimit. Promit autem verbum verum ex ipso: emittit spiritum per os, non ut humanum; quia, neque Dei os corporaliter est. Ex ipso autem spiritus, non aliunde est.* Primum in his notare convenit; quia *promere*, in filij substantia, sanctus accepit.

Nam, de substantialibus processibus hoc in loco illi sermo est: sicut & Theologus Gregorius emanationem sempiternam substantiam dixit. Et quoniam duæ personarum substantiæ sunt, invicémque differentes, idem protinus adiecit: *emanationis differentia differentem etiam illorum appellationem fecit*, vt scilicet alius quidem esset filius, alius autem Spiritus sanctus. Itaque cum Spiritum sanctum promere dicatur filius, &, quia ab eo Spiritus sanctus effulsit, vt ait in precibus magnus Basilius; Sancti spiritus ex filio substantia evidentissime signatur. Secundo, notandum, quod etiam *emittere*, in substantia Sancti spiritus accepit: hoc autem superioribus concinit; in quibus, à sanctis Patribus ostensum est, *mittere*, & *mitti*, intemporales filij, & spiritus substantias designare, ac, mittere, causam; mitti vero, causale signare.

Sed emittit, inquit, *spiritum, per os.* Os autem patris filius, ab Ecclesiæ magistris exponitur: Idem igitur est, dicere; emittere spiritum per os, & spiritum ex patre per filium procedere. Hoc autem per filium habere substantiam insinuat. Nam procedere verbum substantiæ illius significativum est, constatque per hoc, quod cum filius mittere & emittere dicitur spiritum, ex filio, atque per filium Sancti Spiritus substantia significatur, mittique, ex eo esse significat. *Verum & ex eo*, id est, patre, *Spiritus sanctus* inquit, *est*, & non aliunde. Nempe, ex patre esse Spiritum sanctum ab omnibus conceditur non aliunde autem dixit; quoniam hæreticorum plurimi, ex patris essentia, filium excludere volentes: illum neque ex patris essentia, neque ex substantia illius esse fatebantur: sed, ex alia quadam essentia, atque substantia: quod Arianorum erat propositio: atque id quidem constat ex his, quæ prædixerat magnus Pater Basilius in rescripto dictatæ à se fidei. Indicat autem id, in expositione XXXII. Psalmi dicens: *spiritus, qui ex Deo est, qui à patre procedit, ne illum externam aliquam creaturam esse arbitreris; sed, ut ex Deo habentem substantiam glorifices:* quanquam & hoc, quod ait, *aliunde*; quæ diximus, commendare sufficiat: *aliud* enim, vnde, *aliunde* sumptum est, in rebus maxime natura differentibus dicitur. Pater autem, & filius natura vnum sunt, *Ego enim*, inquit, *& pater unum sumus.* Itaque, non ad filium intuens, sanctus, *aliunde*, dixit; sed, ad creaturas, à quibus illum quidam hæretici habere substantiam dicebant. Et ista igitur sententia, contra illos potius, quam pro illis est. Si autem contra illos, liquet: quia, pro veritate est, ac per omnia superioribus concinit.

Ioan. 10.

Ex his autem, & eius dicti solutio patet, quod in Niceno primo concilio ad hæsitantem Philosophum dictum proferunt: sic enim illic aiunt ad illum Patres. *Suscipe unam divinitatem patris, qui filium ineffabiliter genuit, filiique ex ipso geniti, & Sancti Spiritus, qui ex ipso procedit patre, propriúsque filij est.* Namque, ex ipso patre, quasi digito ostenderent, dixerunt, pessimam contradictionem auferentes; qui non ex ipso patre, neque ex eius substantia, sed ex altera essentia, atque substantia filium esse blasphemabant. Si autem ex patre dicitur, sed iuxta procedentis terminum, ex patre per filium procedit: ita enim ex patre procedere, pro eo, quod est ex patre per filium procedere, acceperunt, eius quod est procedere, connexam definitionem explicantes. Ideirco etiam adiectum est, propriúsque filij est: proprius autem filij à SS. Patribus spiritus dictus est, vt, qui in ipso & per ipsum naturaliter prodit, atque ex ipso est, quippe ab eo esse accipiens.

Ipsa denique synodus per Episcopum Leontium attestatur ad philosophum dicens: *Proprium esse spiritum filij, atque ex ipso manare:* sed, illud quoque, quod ait magnus Basilius: *quoniam communia patri, & filio, communia & spiritui sunt:* optime quidem dictum est: non autem per hoc, quod volunt, conficiunt: hoc enim nihil cogit, spiritum, vel sui ipsius, vel alterius personæ productorem esse: quippe omnia quæ habet persona, cæterarum quoque communia sunt, servatis tamen proprietatibus cuique personæ. Nam, quæ adsunt filio, & patri adsunt, servato tamen alteri patrem esse, alteri filium. Vnde, & ipse Sanctus ait in lib. de Fide: *Omnia filius cum sit, quæ & pater est: Serva mihi has proprietates.* Manens igitur filius, omnia est, quæ pater, iuxta ipsius vocem Domini dicentis: *Omnia, quæ habet pater mea sunt.* Re autem vera, imaginis sunt omnia, quæ adsunt primitivæ formæ Ioann. quoque Chrysostomus LXI homilia super Ioan. *Ego in patre, & pater in me. Nihil enim aliud sum ego, quam quod pater est, manens filius: neque ille aliud, quam ego, manens pater. Et me si quis agnoverit patrem agnovit: &, patrem*

Ioan. 10.
Ib.

si agnouerit, filium didicit. Sic igitur & quæ sunt patris,& filij, communia sunt spiritui sancto,servata sibi proprietate personali.hoc est,manenti spiritui.Porro in huius ratione proprietatis est, esse ex patre per filium. Itaque non iam erit spiritus ex se ipso proferens spiritum sed pater & filius.Illorum enim erat inspirare spiritum sequentem proprium.

Enimuero quod aiunt: *siquidem verum esset ex filio procedere Spiritum sanctum, oportebat antiquos Patres, cum pro unigeniti gloria aduersus Arium pugnarent, ad commendationem ipsius ad patrem æqualitatis, siue unitatis hoc dicere: si enim à minoribus hoc moliebantur, longe magis à maioribus id oportebat facere: quia vero non id dixerunt, liquet, quia non ita opinati sunt:* nullam inducit necessitatem.

Primum quidem,quia Ariani blasphemantes filium esse creaturam: multo deterius de sancto Spiritu senserunt. Creaturam enim filij Spiritum sanctum esse, desipiebant: eúmque ex filio, quemadmodum & omnia esse dicebant: neque hoc solum, sed etiam ex solo filio, quod insinuat magnus Basilius confligens adversus Eunomium, & dicens: *Quomodo igitur soli unigenito causam spiritus applicat, prædicamentúmque ipsius natura, huius creationem facit?* Si igitur etiam ex filio spiritum procedere ipsius obiectum fuisset, nullatenus ad commendandam filij ad patrem honoris æqualitatem efficax fuisset. Et ipsi enim ex illo esse, vt dictum est,confitebantur:sed, vt creaturas:quantum enim ex dictione: non cogebantur essentiæ identitatem confiteri. Si igitur ex eo quidem, quod & filius omnia facit, quemadmodum & pater:& ita etiam filius suscitat mortuos, & vivificat, quemadmodum & pater,non inducebantur, vt patri filium æqualem ponerent: quomodo ex eo, quod spiritus ex ipso esse diceretur:quem creaturam eius desipiebant, atque eo multo inferiorem, persuasum eis esset, vt filium patris dignitate honorarent? Nam in disputationibus, quod vrget magis, ac persuadet, proferunt. Magis autem, si ex patre ipsum procedere à Salvatore audientes,non hinc persuadebantur, Deum esse Spiritum sanctum, quemadmodum & patrem: de patre enim, quin Deus verus esset,nemo dubitavit: quomodo si hunc audientes ex filio procedere, quem creaturam patris,primumque creatum ponebant, inducti fuissent, vt hunc patri consubstantialem dicerent?

Deinde, & sanctos Patres hoc dixisse invenimus. Proprium quippe filij, vt ab eo manantem dixerunt: proprium vero esse filij spiritum,eum per ipsum,& ex ipso esse significat. Porro *manare* verbum, in substantialibus processibus à Sanctis assumptum esse, pluribus supra monstratum est. Sed enim in scriptis,qui per idē tempus claruerunt, Athanasius, Basilius, Nyssenus, Theologúsque Gregorius ex patre per filium esse, & procedere: pro eo,quod est,ex patre per filium procedere acceperunt.

Cum itaque, quod quærimus, inventum fuerit,non expedit plura curiosius quærendo, molestias pati. Simul & per hæc liquido probatur: quia, ex filio esse, causam signat, non solum proprietatem, vt quidam putant, sed causam, præcedente etiam proprietate, vt sæpe dictum est. Eunomius enim ex filio spiritum dicens, & ipse conditionalem causam spiritus filium commendare volebat, divusque Basilius in causa suscepit dicens: *quomodo ergo soli unigenito causam spiritus applicat?* Et certe fas erat dicere sanctum virum. Quod ergo neque ex filio, neque per eum vllo modo est;quomodo ex filio causam id habeat?sed hoc non dixit, cum eum ex patre per filium esse sæpe affirmaverit;atque per filium quidem naturaliter,& essentialiter, & ab ipso esse habere asserens: ad id autem quod creaturæ ratione esse dicebatur obsistens. Itaque cum ex filij essentia asseritur,naturalis,essentialisque substantia Spiritus sancti commendatur.

Præterea secundum prædictam rationem, neque Sabellio ad commendationem divinarum in Trinitate personarum, ex filio spiritum procedere Patres obtenderent. Et hoc enim addunt quidam. Si enim filium & patrem audiens, dicentémque Dominum: *Ego ex patre exivi: & spiritus ex patre procedit,* non inducebatur, vt Trinitatem Deum confiteretur: profecto, si etiam à filio hunc procedere audisset, nihil per hoc magis Trinitatem Deum confessus esset: imo, credi potest eum, & sui similes, de filio ista sæpius audisse, cum personarum differentiam ponerent, causamque & causale, & quæ ordinem ad invicem insinuarent:nam, qui per id temporis Doctores erant, per filium procedere, & ab ipso accipere, atque prodire, & cætera huiusmodi de Spiritu sancto asserebant. Cæterum, si ex evidentissimis scripturæ testimoniis id percipientes, verum non putabant: quomodo si ab hominibus audirent,concinentibus licet scripturis crederent? Nihil igitur ex his necessarium conficiunt.

Ioan 15. 16.

Non solum autem ista proferunt ex Sanctis, nihil eis ad propositum, vt ostensum est, conferentia: imo etiam sibi omnino adversantia: verum & ad ineptias, & nugas ea convertere contendunt: concesso, & ex filio procedere Spiritum sanctum. Ac primo dicunt, *duo principia Sancti Spiritus eos fateri cogi, qui ita ex patre, ac filio procedere Spiritum Sanctum asseverant.* At hoc sanctis Patribus inprimis imputandum fuit, qui per filium, & ex filio esse, ac procedere Spiritum sanctum, & ex patre esse, sicut & à filio divinis rationibus probant. Quod si hoc eos ita asserentes non sequitur;neque enim talia dixissent, si ista eos absurda sequerentur: imo, hæc dicentes, etiam vnum principium fatentur: constat,quia neque illorum dicta referentes,hæc inepta sequuntur.

Deinde, quoniam filij omnia ad patrem referuntur: &, vnus Deus, pater, & filius est: atque vnico processu, sive ex patre per filium, sive ex patre, & filio procedere asseritur Spiritus sanctus: vbinam locum duo principia habebunt? Nam siquidem esset patris substantiale, producere, hoc fortasse haberet rationem: quoniam vero, hoc non est, vt supra docuimus; commune est igitur, patri, & filio producere. Nam si substantiale esset,nunquam ex patre per filium procedere Spiritus sanctus diceretur. Quippe, & quod procedit: & quod producitur, idem omnino est. Itaque pater quidem per filium producit Spiritum sanctum: ipse vero est, qui producitur. Ideirco etiam productor per verbum dictus est. Et tamen, neque causam substantialem esse monstratum est,neque enim rem significat: sed solum prædicamentum est. Si enim rem causa significat, etiam substantialis est, & causale consequenter rem designabit, ac substantiale erit. Atque ita causalia cum sint filius & Spiritus sanctus, vna persona erit nempe quoniam ostensum est, communia esse omnia patri, & filio, vbi non obstat relationis oppositio: producere autem, neque paternitati congruit secundum eius rationem, neque nativitati opponitur. Istæ enim ad invicem solam relationem, atque substantiam habent; ideirco, nihil cogit à filio, *producere,* auferre: alioquin, vt sapiens & bonus, quæ nusquam nativitati opponuntur, filio tollentes, minorem patris essentia filium necessario fatebimur: innata & propria non ei, sicut & patri reddentes: ita & producere: quoniam nativitati non obstat, nisi filio commune cum patre sit:sigillum prorsus vniforme non erit, & indemutabilis imago patris, & vnus cum patre Deus.

Itaque secundum proprias substantiales relationes, paternitatem scilicet, ac nativitatem, discreti cum sint secundum personas pater,& filius,commune indivisum per alia omnia pie observabitur. Non enim, quia duæ sunt personis, ideo etiam per omnia eos dividere convenit:sic enim essent & duo sapientes, & duo boni, & duo creatores, & duo dij, & duo mittentes, quoniam, mittit quidem pater Spiritum sanctum: mittit vero hunc & filius:& qui mittit, initium quomodolibet est eius,quod mittitur.

Ideirco

Idcirco dictum est à Theologo Gregorio, *principium ex principio*: quanquam non video, cur potius ex eo quidem, quod ex patre & filio procedere dicitur Spiritus sanctus: duo sancti Spiritus principia nascuntur: ex eo autem, quod à patre, & filio mitti, non itidem duo oriantur initia, neque tamen duo, vel tres creaturæ dicuntur opifices, & tres dij, & tria consequenter principia: sed constat, quando neque *sapiens*, neque *creator* paternitati, neque nativitati opponitur: hic etiam patri & filio, & sancto spiritui commune est, quando nec eius substantiali proprietati, processioni scilicet opponitur: vnus creator, vnumque creaturæ principium Trinitas. Ac mittere Spiritum sanctum, patri, filioque commune est, quippe cum neque hoc eorum substantialibus proprietatibus obstet. Ideo & vnus, qui mittit, pater & filius est. Similiter, qui producit, vnus est eadem ratione. Sancto autem spiritui mittere, ac producere, vt eius substantiali oppositum proprietati non adest: quod enim producit, ad id, quod producitur, refertur: & quod producitur, ad id, quod producit, vel inspirat itidem. Non autem possibile est, idem esse, quod producit, & quod producitur. Nihil enim sui ipsius causa est.

Præterea, si producens spiritus sit, procedens esse desinet, & spiritus, quod huius proprietas est. Et erit, vel gignendo pater, & quomodo à patre? vel productor, & quomodo spiritus? sed neque tertius à patre erit, iuxta Patrum Theologiam, secundum quam ex patre per filium procedit: sicque, neque procedens, aut spiritus erit. Idcirco, vt obiectum proprietati suæ, *producere* ab ipso alienum erit: &, si sit eiusdem cum patre & filio substantiæ, vt ex ipsis essentialiter, & quasi ab vna re existens: propterea, & qui ex patre & filio procedere Spiritum S. confitentur, neque ex patre dicunt secundum proprietatem patris: Hæc enim ad filium dicitur: neque ex filio, secundum filij definitionem eius quippe ratio ad paternitatem, relationem ac substantiã habet: sed, in quantum vnum sunt pater, & filius, secundum scilicet producendi rationem.

Sicut enim, quando per filium omnia dicuntur, vnitio voluntatis ostenditur, vt ait magn. Basil. ita & cum ex patre per filium procedere spiritus dicitur, vnitio patris, & filij, secundum substantialem processum Spiritus S. commẽdatur: quocirca & vnum principium fatentur, vnumque ipsius processum, vt ab vno: gignendi scilicet ac nascendi discretione servata.

Quanquam & secundum exempla de S. Trinitate à SS. Patribus posita, quod dicimus, extrinsecus congruit. Lux enim, est ex sole per radium: atque ex radio; velut ex vno principio est: fluviúsque ex oculo, per fontem: sive aqua ex fonte per fluvium, & fructus ex radice per ramum, secundum vnum processum, vnumque principium prodeunt. Si autem hoc in materia contingit, multo magis in divinis, atque ab omni materia remotis, quæ sine tempore, & intervallo inspiciuntur.

Tantum vero abest, vt Romani & Latini, duo spiritus principia, duosve processus cõfiteantur: vt eos quoque anathematizent, qui talia dicere præsumunt. Denique in Lugdunensi Concilio, Græcis, Latinisque congregatis, hæc sententia promulgata est: quam, plurimis in locis, Græcis, Latinisque inscriptam literis, & libris, facile, qui quærit, invenit.

Gregorius X. in Lugdunensi universali Concilio: *Religiosa, ac fideli voce pronuntiamus, Spiritum Sanctum ex patre, & filio æterne, non veluti ex duobus principiis, sed ut ex uno: non duabus inspirationibus, vel processionibus, sed una eadémque procedere. Istud à principio confessa est, prædicavit, & docuit, hoc validè, & constantissime tenet, prædicat, confitetur, & docet sacrosancta Romana Ecclesia, mater omnium fidelium, ac magistra: istudque tenet orthodoxorum Patrum, ac Doctorum, Latinorũ, atque Græcorum vera, immobilisque sententia. Verum, quia nonnulli per ignorantiam huius irrefragabilis veritatis, in hæreses varias lapsi sunt: nos, huiusmodi hæresibus, omnem aditum obstruere volentes, sacro simul decernente Concilio, damnamus ac reprobamus omnes, qui negare audent Spiritum S. ex patre, & filio æterne procedere, sive, qui temerariâ audaciâ affirmant, spiritum ex patre, & filio, veluti ex duobus principiis, non ut ex uno procedere.*

Ista ab omnibus eo convenientibus, firma, & rata habita, literisque Græcis, & Latinis scripta, & apud eos durant, & Constantinopolim tunc, cum legatis missa sunt. Quod si nunc ista scripta non ubique cernuntur: alia ratio est. Quomodo enim servata sunt scripta, quorum opus post modicum eversum est? Tantum tamen, ac tam celebrem synodum illam, propter hæc fuisse conflatam, apud plurimos adhuc in memoria est.

Ex his autem evidentius fit, etiam quòd B. Maximus dicat: *Romanos confitentes ex patre, & filio procedere Spiritum S.* non filium fateri S. Spiritus causam: Neque enim filium causâ detrudentes hoc dixerunt: sed, ne duas causas ostenderent, patrem, & filium: sed, ex vna causa atque principio, ex patre, & filio procedere Spiritum S. Ista igitur, vt ait S. Maximus, *non rationabiliter tunc insimulati sunt*, & nunc irrationabiliter calumniis aguntur.

Qui vero duorum principiorum crimen exaggerant, addunt etiam dicentes: *quia genitor, non idem, quod unus productor est. Nam, si esset idem, etiam converteretur. Genitor enim, & productor est: non autem, & productor, genitor. Productor enim est & filius, iuxta eos, qui etiam ex filio dicunt Spiritum S., qui genitor nequaquam non est: quoniam vero non convertitur, differens est. Itaque & duo erũt productores, quod si detur, & duo etiam principia.*

Digni sane sunt, qui ista dicunt, vt & ipsi contra interrogentur: an, idem pater est, qui mittit, & vnus mittens? quippe pater, & mittens est, mittens vero, non continuo est pater. Est enim & filius mittens, qui non est pater: neque enim hoc convertitur, neque ipsi duo principia effugiẽt: qui enim mittit, eius, quod mittitur; causa quomodolibet est: Si autem ex patre, & mittente, non duo colliguntur initia: neque enim pater mittens, & filius diceretur mittere Spiritum sanctum; ne in genitore quidem, & productore istud erit. Sed id dicendum, quod & antea diximus: quæ in Deo dicuntur, vbi non obstat relationis oppositio, nihil prohibere personis, seu personæ, adesse. *Puta, Deus quidem & bonus, & creator: quia, neque paternitati, neque nativitati obiecta sunt: pater, & filius, vnus Deus, & creator, & bonus est: Filius vero, quoniam ad patrem opponitur, non erit idem genitor, ac filius, neque idem filius, & genitor. Producibile vero, vt dictum est, neque paternitati obiicitur, neque nativitati. Commune igitur utrisque est, atque ideo, vnus productor est, neque enim producere quod dicitur: patris, & filij discretionem secundum rem facit: quippe hanc generatio fecit, atque nativitas: sibi secundum se * obiectæ. Quemadmodum igitur idem Deus, ac pater, & idem Deus, ac filius, ita, & idem genitor, ac productor, & vnus itidem filius, atque productor. Et sicuti Deus, qui est pater, & filius cum patre solo non facit discretionẽ rei: ita, neque productor, qui est pater, & filius cum patre solo duas discretas indicat res. Patrem enim, & productorem dicentes, secundum id quidem, quod dicimus pater, patris ad filium discretionem intelligimus: secundum id autem, quod productor, & filium vna cum patre, tanquam vnam rem simul intelligimus. Idem, & de patre, & mittente.

Quoniam igitur quæ patri, ac filio communia sunt, ita ad patrem solum, sicuti ad ambos se habent quemadmodum pater, & productor, non duo facit principia, cum in solo patre intelligatur: ita, neque cum in duobus: quod si genitor, & productor non convertitur, non idcirco duo sunt. Nam & pater, & Deus non convertitur, neque pater, & mittens: sed tamen neq; duo mittentes sunt, neque duo dij, neque duo existẽtia: vnũ enim Trinitas tota est, neque duæ personæ: Deus enim personam non designat, sicuti neq; productor, neq; mittens. Verum quia Deus nomen tribus adest, eo quod nõ

apponatur substantialibus eorum proprietatibus, productor autem duobus, universalius a nobis *Deus*, quã productor intelligitur: non, quod in Deo sit universalius, sive particularius: neque enim Deus genus est, neque in genere continetur, seu specie: sed, secundum significationem nominum: &, sicuti nobis possibile est per hæc divina intelligere, nostri habitus consuetudine.

Quemadmodum igitur pater, & Deus, res vna duabus intellecta rationibus, aliâ quidem universalius, aliâ vero particularius: ita & productor, & pater, vna quidem res ambo sunt, & filius, & productor similiter. A nnbis autem duabus rationibus agnoscitur: alterâ particularius: alterâ, universalius, vt dictum est. Neque enim prævalet humana paupertas vel aliter de divinis loqui, vel uno nomine totum insinuare: quidquid per multa nomina, intelligentiásque comprehendimus.

Quocirca duabus quidem intelligentiis, & rationibus pater, & productor intelligitur, vt dictum est: non tamen hoc rerum facit differentiam: hac enim ratione vnum Deum infinita nomina secundum differentes rationes ipsum re, vt possibile est, significantia, in infinitas res, personásque discerneret. Cæterum solam rationum differentiam inducunt, ea, quæ apud nos quidem sunt differentia: in Deo autem vna ipsius, eadémque substantia: admirabile nomen, & res his omnibus respondens per summam perfectionem, & simplicitatem, & vnionem. Totum enim in se ipso comprehensum esse habet, quasi quoddam pelagus essentiæ immensum, iuxta Theologum Gregorium. In solis autem substantialibus relativarum rerum differentia est. Verum enim vero arbitrantur quoque & patrem & filium *in vnam conglutinari personam, si patri filius communicet, in productione, sive in spiratione Sancti Spiritus, quod neque naturale, neque commune tribus est, reliquum esse aiunt, ut personale sit: at ne adiungunt, quoniam naturalium communio naturæ identitatem in personis indicat: ut personis igitur communio, personalis identitatis significativa erit, ut hinc necessario contingat patrem, ac filium, & duos esse secundum personalem eorum oppositionem, & unum rursus propter identitatem, & communionem productionis.* Atqui si producere * substantiale esset, haberent ista rationem: quoniam vero substantiale id non esse, supra plurimis rationibus ostensum est: inanis est ratio, quodque docere debuerat, supponit. Nam, vt quæ dicta sunt, rursus perspicua fiant, tria tantum trium esse * substantialia ostendimus: patris quidem, generationem: filij vero nativitatem: sancti autem spiritus processionem: quæ etiam personas denotantia, propriæ substantialia sunt: producere autem, sicut & mittere, propria simpliciter ad filium contrariam habentia divisionem, quemadmodum & causa propria simpliciter, & significativa filij, & spiritus: quæ autem ita sunt propria, vt personas sequantur, quæque non sunt substantialia, neque personam denotant, neque duas personas vnam esse faciunt. Neque enim filius, & Spiritus sanctus, vna persona est propter causalis communionem: neque pater, & filius vna persona sunt, propter Spiritus S. missionem: quia, missio personale non est. Similiter ergo producendi ratione pater, & filius, non vna persona sunt: producere enim, substantiale non est.

* hypostaticū.

* hypostatica.

Nihil itaque necesse est vnam personam esse: alioquin etiam mittendi ratione vna persona erunt. Commune est igitur patri, & filio producere: vnusque productor, aut spirans ad productum, & inspiratum, sive spiritum, relationem habet: nascendi scilicet gignendique discretione servata. Non enim ex patre, ac filio est, in quantum duo discreta sunt, secundum relationes suas: sed, in quantum, vnum sunt.

Porro, si quis, secundum quod vnum sunt, unum illud spiritui reddens, qui eiusdem essentiæ, vult etiam spiritum ex se ipso esse sed quemadmodum secundum essentiam filius emn patre vnus est: & pater quidem gignit filium: filius autem non se ipsum gignit: non tamen ideirco alterius essentiæ, quam pater est: ita & Spiritus sanctus eiusdem essentiæ cum patre, & filio existens, ex se ipso tamen non est. Communis enim natura in unaquaque personarum est, secundum proprietatem suam. In patre quidem, vt à nemine habente: alij vero ipsam gignendo dante. In filio autem nascendo ex patre accipiente. In sancto autem spiritu ipsam procedendo capiente, hoc est, ex patre per filium.

Si quis ergo illum etiam producere vult, aut pater erit: & quomodo a patre? aut productor, & quomodo spiritus? Processu quippe sublato, secundum quem, substantiam habet, ordo, & relatio secundum causam, & causale, ipsúmque personam esse, vna tolletur. Non igitur producere habebit quasi oppositum substantiali proprietati suæ.

Putant præterea inde aliam absurditatem sequi, & dicunt: Si *Spiritus sanctus etiam ex filio procedit, maior quidem spiritu filius erit, secundum causam: eritque tertius a patre. Ac filius quidem similior patri, utpote ex ipso sine medio existens: spiritus vero patri dissimilior: neque ita idem, sicut & filius. Erit etiam filio minor, quippe, qui per illum maiorem connectitur patri. Et filius quidem minorem distantiam habebit ad patrem: spiritus autem, maiorem, maxime cum nullius causa sit.*

Atqui ista quoque Doctoribus imputanda potius sunt, si quidem absnrda videantur. Ipsi quippe sunt, qui spiritum à patre tertium docent, sumpta scilicet ab ipso Domino occasione, in salutaris traditione baptismatis, ac per filium procedere dicunt, perque ipsum patri coniungi. *Maiorem*, quoque filium Spiritu sancto, magnus ait Athanasius. Quod si ista à Sanctis dicta sunt: omnino nulla eos, qui ista dicunt, absurditas sequitur. Praetereaque Spiritus sanctus, si à patre quidem alio processu: à filio autem, alio procederet, essétque processus ex ambobus duplex, fortassis haberet rationem, culpare differentiam processuum: quod etiam differenter à patre, & filio distaret spiritus, ac propterea gradus in personis quosdam cogitare: sin vero vnus idémque sibi ab vtroque processus est: similiter etiam, ad vtrumque refertur. Itaque aut similiter vtrique æqualis erit, nihilque distans, atque dissimilis.

Sed enim quemadmodum pater, non magis perfectus est, quam filius: quod ille, causa est: iste causalis sit: neque ideo ab illo distat, etsi secundus ab eo causæ ratione dicitur, divinitas enim in vtroque vna; ita & Spiritus sanctus etsi iuxta vnicum eius, simplicémque processum ex patre per filium est: & ad patrem, & filium veluti ad vnum productorem, inspirantémque refertur: quorum & spiritus est, & spiraculum dicitur: non tamen minor est filio: neque patre minor erit, licet per filium patri coniungatur: alioquin & filius erit dissimilis patri, eo quod causalis sit: etsi, non ita, sicut spiritus: iuxta tamen proportionis rationem.

Et sicuti pater, causæ ratione filio maior, à plerisque Patribus asseritur, neque idcirco tamen patre minor est filius: ita & filius: etsi maior spiritu dicitur, non tamen propterea spiritus ipso erit minor. Quocirca magnus quoque Basilius dicebat: *Et si filio succedit ordine, & dignitate, non tamen aliena natura est.* Ista enim propter causæ, & causalis ad invicem ordinem, & relationem dicuntur. Ordo autem & ad aliquid quomodolibet habere, naturarum non facit differentiam.

Nam, verbi gratia, eo quod amicus sit, vel vicinus, vel magister, nihil in se ipsum alicui accedit, vt propter habitum perfectior in se ipso secundum essentiam sit. Neque si quispiam filium, ac nepotem habeat, tertius maxime erit, vel similior, vel dissimilior avo secundum essentiam, quam filius: quod si in rebus humanis ita contingit, multo magis in divinis personis, vbi vna asseritur natura, ac præter solam, quæ secundum causam, & causale est, differentiam, nulla alia discretio est.

Ad hæc, aliud quoque subiungunt, & dicunt: *Si perfectus est Spiritus sancti à patre processus, superfluus sit necesse est processus ex Filio.* Et hic igitur, si quidem diceretur, duos esse Spiritus sancti processus, locum haberet fortassis hæc ratio. Cæterum, si duos esse & illi negant, qui etiam ex Filio procedere affirmant, vnumque numero fatentur: ridiculum est, conclusionem inferre his, qui propositionem negant. Sancti enim spiritus ex patre, filioque processus, vnus atque idem est, & ab vtroque perfecte procedit, iuxta eos, qui illum dixerunt ex patre per Filium procedere. Et quoniam procedentis est ratio, ex patre esse per genitum: neque pater solus producet spiritum sanctum, neque enim procedens esset, si esset sine medio ex primo: neque Filius solus: non enim diceretur per filium ex patre procedere: sed est ex patre per filium: & ex Filio, quasi ex vna re, vt sæpe iam dictum est: Ideo, magnus quoque Athanasius dixit: *Idcirco ex patre procedere dicitur, quoniam à filio est:* aliter enim procedens non esset, sed aut neque persona esset, si dicere fas sit, aut Filius: quamvis hæc absurditas, & eos nihilominus sequetur: nam, si perfecte à patre mittitur Spiritus sanctus, superfluum erit, & à filio mitti: sin autem imperfecte: non ergo perfectus est pater. Et, si perfecte omnia à patre creata sunt, quid necesse fuit dicere: *omnia per ipsum facta sunt?* sin autem imperfecte, contra patrem blasphemia nihilominus ora laxabunt. Sed, absurda eos necessario sequuntur, qui duos processus ponunt.

Porro, qui vnam tantum rerum omnium productionem confitentur ex patre per filium in spiritu sancto, vnamque missionem, & largitionem, & dationem sancti spiritus ex patre, & filio: Vna quippe datione, & largitione mitti à Theologis asseritur: vnum quoque inspirantem confitentur, differentia ad invicem servata: eos nihil durum aut asperum sequitur. Idem & in processu sancti spiritus dicendum: sicut enim, quod dictum, omnia facta esse per filium, voluntatis vnitatem commendat: ita & per filium procedere Spiritum sanctum, vnitatem substantialis processus eius, productionis, processionisve demonstrat.

Putant præterea necesse esse, *compositum spiritum sanctum confiteri, his, qui illum & ex filio procedere fatentur: vtrumque, quia ab vtrisque accipere necesse est, si autem duo sunt, à quibus accipit: omnino ex duabus compositus erit.*

Sed hoc quoque primum quidem SS. Patribus obiiciendum fuit. Hi enim sunt, qui id, quod dicitur: *de meo accipiet*, pro eo, quod est, *ex filio*, exposuerunt: quique à patre, & filio accipere, atque audire dixerunt, vt supra docuimus.

Deinde, neque ipse Spiritus sanctus aliud existens, aliud à patre, & Filio accipit: sive aliud quidem à patre, aliud autem à Filio: sive igitur per se quis compositionem vult, nihil aliud, quam essentiam & esse, & quod est, accipit: Esse vero, & essentia sancti spiritus, & quod est, vnum quiddam, & simplex est: sive propter eos, qui dant, aut producunt, vnum est pater & Filius. Non enim in quantum, duo sunt; sed in quantum, vnum, ex patre & Filio est spiritus sanctus: sed, quemadmodum Filius totus, ex toto: ita & spiritus totus, ex toto asseritur. Neque aliud quidem totum pater, aliud autem totum, Filius: sed vnum totum est iuxta Fidei positionem, gignendi ac nascendi discretione servata. Nullo ergo modo compositionem cogitare licet: quanquam etiamsi plus, quam tres personæ essent Deus nulla necessitas compositionis esset, & quod extremum, processionis ordine à singulis acciperet. Non enim dantium multitudine, sed ex eorum, qui dant, eorumque, quæ insunt, differentia, compositio indicatur: si autem, quæ dantur, differentia sunt, & quæ insunt, differre necesse est: atque ita compositum erit, quod ex huiusmodi constabit: quod in Sancto spiritu, nusquam habet locum.

Et id quoque, quasi inevitabile percontari pergunt: *vtrum ex essentia an ex substantia est Spiritus sanctus?* si enim ex essentia, quia eiusdem essentiæ est cum patre, & Filio Spiritus sanctus, ipsum quoque producere cogunt, vel se ipsum, vel alterum spiritum, aut Filium: si autem ex * substantia [* Hypostasi]: quoniam duæ substantiæ sunt, patris, & Filij: siquidem ex patris substantia est, constat, quoniam ex patre solo: quomodo igitur ex Filio? si autem ex Filij substantia: aut substantialium confusio erit, aut duo principia, sicut & * substantiæ duæ [* Hypostases]: sed enim, qui ista dicunt, arbitrari videntur: aliud quidem secundum se esse substantiam, aliud vero essentiam: istaque, secundum rem a se invicem differre. Hoc autem & falsum simul, & blasphemum esse, ex superioribus ostensum est, adiectumque secundum quam rationem, aliud essentiam, aliud substantiam, aut non idem in Deo esse, Theologi affirmant: sed dicendum est, sanctorum vestigia, Theologiamque sequendo, ex patris, & Filij essentia esse Spiritum sanctum, vt ea superioribus constitit. Porro patris essentia, patris persona est: sicuti, Filij essentia Filij eadem persona est, per patris nomen, ac Filij * substantiis insinuatis [* Hypostasibus]: pater enim & Filius substantiarum sunt nomina: per nomen autem essentiæ, essentia ipsa apparente. Neque enim essentia, est sine substantia: neque substantia, sine essentia. Nam & substantia dicitur commune cum proprio. Non tamen, quia vnius est essentiæ cum patre & Filio Spiritus sanctus, ideo necesse est, ipsum, vel se ipsum, vel Filium, vel alium spiritum producere. Dictum quippe est, quoniam natura operatur iuxta proprietatem personæ, in qua est.

Itaque patrem quidem ac filium, sive mentem, ac verbum, quæ relative dicuntur secundum proprietatem suam, & spiritum habere, sequitur: proprium enim, quod mentem sequitur, est, ex se ipsa proferre verbum sine medio, secundum intelligentiæ processum. Aliter enim mens, sine verbo esset, verbumque sine mente porro intelligibili, ac rationali, cuiusmodi primum, ac summum Deus est; etiam spiritum habere sequitur, quem voluntatem, seu charitatem, seu quomodolibet eam quis vocare velit, à Theologis dictum, supra monstratum est: quoniam Spiritus sanctus ex mente per verbum, secundum charitatis processum prodit, quem enim mens per verbum intelligit, hunc & diligit, & vult: atque aliter vt sit, possibile non est. Ita igitur voluntas, sive amor, & dilectio ex mente per verbum prodit: præcogitato quidem processu ex mente per verbum, quemadmodum causam ante causale præcogitari dicimus, etsi simul asseritur: quoniam aliud quidem continenter ex primo, aliud vero per id, quod est continenter ex primo.

Quanquam, etsi primam causam patrem vocamus; & consequenter verbum, filium; filium quidem sine medio ex patre nasci dicimus: spiritum vero sanctum ex patre per filium procedere. Itaque patri, & filio, quomodolibet quis divinas personas vocare velit, secundum personarum substantiales proprietates, etiam spiritum habere, sequitur. Ideo & spiritus patris, ac filij spiritus dicitur, & spiraculum patris, & filij, quia, & huius processus spiraculo assimilatur, secundum Athanasium: atque ad patrem, & filium relative dicitur, vt demonstratum est: veluti procedens, & inspiratum ad producentem atque inspirantem: indicat hoc & quod ex patre per genitum est; vt etiam ad patrem atque filium relatio, quasi in vnum producentem, inspirantemque reducatur, quam ob causam, etiam ad invicem simul cogitantur, secundum relationis habitum: nam qui spiritum dicit, & eum simul, cuius est spiritus, cogitatione comprehendit. Ita ergo necessario consequens est, secundum substantiales eorum proprietates, patrem, ac filium habere, ac mittere, & emanare Spiritum sanctum: attestantur hoc hi Ecclesiæ magistri. Gregorius quidem Theologus dicens: *Non enim decebat vel filium patri, vel spiritum filio vnquam deesse.*

S. item Anastasius Antiochenus in ipso suo dogmatico libro: *Spiritus sanctus*, ait, *cum patre, & filio simul apparet, veluti cum mente, & verb.* Damascenus

quoque ait: *Oportet autem verbum etiam spiritum habere.*

Magnum item Basilium ostendimus in quodam adversus Eunomium capitulo dicentem: *Nisi spiritum ex Deo dicit quispiam, ne verbum quidem.*

Quoniam igitur proprium est sequens necessario verbum, & spiritum habere: Omnia autem, quæ pater habet, habet & filius: nisi vero pater habeat, nec filius habet: sin autem non habet: neque verbum erit, neque ex patre: oportet enim verbum etiam habere spiritum, vt rectissime * magister dixit: si enim spiritum ex Deo, & patre dicit quispiam, ne verbum quidem, quoniam vero pater habet & filius habet. Sanctus enim spiritus cum patre, & filio simul apparet, veluti cum mente & verbo. Ac secundum, eundem modum: sic enim sancti aiunt. Deinde concludens infert: *quomodo igitur separari possunt inseparabilia: verbum scilicet ex Deo, & spiritus ex Deo per filium?*

* Basil.

Magnus item Athanasius ait: *quoniam spiritus non est extra verbum.* Et rursum: *Esset etiam impossibile in Trinitatis gloria spiritum glorificari, nisi processus ratione esset ex Deo per filium.* De naturali eius substantialique processu verbum hic faciebat sanctus: secundum quem, est, atque subsistit Spiritus sanctus. *Non est enim extra verbum*, tanquam si diceret: non subsistit sine verbo: per ipsum enim procedit ex patre. Hæc itaque, sic se habent: & quæ alia de hoc prædicta sunt: sancto autem spiritui, secundum suam substantialem proprietatem, sequitur ex mente per verbum esse. Hic enim est procedentis, vel spiritus terminus: secundum quem etiam vt subsistens sit, secundum se persona habet. Vna denique, & eadem essentia, patris, & filij, & spiritus sancti: in patre quidem, paterne est: hoc est, sine causa, adiecta proprietate gignendi, secundum paternitatis terminum: in filio autem, filialiter, hoc est causaliter, nascendi proprietate adiecta, iuxta nativitatis terminum. In sancto autem Spiritu processive, hoc est, causaliter servata sibi proprietate processus.

Quemadmodum igitur pater non esset pater, si etiam filio filius esset: ita enim esset & filius pater: personarumque confusio sequeretur: & certe, cum vna sit patri, ac filio essentia: Et, quemadmodum filius, non esset filius nisi esset ex patre sine medio, id est, nascendo; ita & spiritus sanctus, non esset spiritus nisi esset ex patre per verbum. Nam si ex patre esset, sine verbi medio, nascendo esset, & consequenter, filius. Et, sicut filius ex communione naturæ ad patrem, neque patrem, nec se ipsum gignit: id quippe esset præter filij terminum, per quem persona est: ita & Spiritus sanctus per naturæ ad patrem, & filium identitatem, & communionem, productionem non habebit: quippe alias desinet esse procedens spiritus: & sive gignendo, pater erit: & quomodo à patre? sive productor, & quomodo spiritus? prorsusque, si quidem causa sit filij: consequenter erit ex patre filius per spiritum, tertiusque erit à patre, secundum personalem ordinem: quod profecto est præter filij, ac spiritus terminum.

At neque sui ipsius causa esse potest. Nil enim ipsum sui ipsius causa est. Contradictionem enim ita continebit, secundum idem. Neque alterius spiritus causa esse potest. Hac enim ratione, non esset Trinitas Deus: simulque, nec nobis fides tradidit spiritum, vel sui ipsius, vel Spiritum spiritus. Nempe enim, si Trinitatem excesserimus: nihil prohibebit, & quintam, & sextam personam in divinis quærere.

Hæc igitur velle, hominum est, quæ de sancta Trinitate sunt tradita, auferre nitentium, ipsamque è regione blasphemantium. Neque enim multitudo personarum est: sed vsque ad Trinitatem progressus est numerus.

Quocirca, est quidem Spiritus sanctus ex patris, ac filij essentia, sive ex substantia patris ac filij, secundum traditam rationem, non in quantum duæ substantiæ sunt: sed ea ratione, qua vnum sunt pater, & filius, producendo scilicet, quod vtrique commune est, vt sæpe iam diximus: atque hinc, neque conglutinatio erit patris & filij: nec enim substantiale est, producere: neque vna substantia est, patri, & filius: neque duo principia: quippe vnus producens est. Qui enim producitur, ex patre per filiū producitur, & procedit vno processu: neq, filij causa est: hoc enim præter terminum proprij processus est. Ipse quippe per filium est. Neque sui ipsius, nihil enim ipsum sui ipsius causa est: neque personæ alterius: Trinitas enim personarum Deus est. Atqui, nec filio est minor. Nam & Filius causalia existens, ac secundus à patre secundum personalem ordinem: non ideo tamen patre minor est: ne pater quidem perfectior idcirco est, quoniam ex nullo est. Ista enim secundum substantiales relationes sunt, quæ naturarum non inducunt differentiam.

His igitur ita enucleatis: ac patre quidem ex nullo existente: Filio autem ex vno, & solo patre: sancto autem spiritu ex primo per medium: tertius per medium primo coniungitur. Filij quippe mediatio & sibi ipsi vnigeniti honorem servat, & spiritum naturali ad patrem habitu minime excludit, vt ait Gregorius Nyssenus: sicque iuxta magni Basilij sententiam, & * substantiæ conceduntur, & pium vnici principatus dogma non decidit. Atque ita sermo nobis ad principium redit: quippe, cum à sanctæ Trinitatis ordine inchoaverimus ad ipsum rursum ordinem pervenimus.

* Hypostales.

Si igitur his ita concessis, nihil quidem ex ratis, atque communi Fidei confessione comprehensis tollitur, Fideique principiis ac sanctorum sententiis omnia consonant; eorumque, qui ex patre, & Filio Spiritum sanctum confitentur, veritas vtrinque se aperit, ex propriis scilicet, ac secundum se productis rationibus: nobis quidem id, quod initio instituetamus, Finem accipiet; Constat vero, eos, qui ex patre solo confitentur Spiritum sanctum, veritate frustrari: Ipsum enim Trinitatis ordinem tollunt: per quem alius quidem est, ex primo: atque hinc miscent, & confundunt discretum, & supersubstantiale nomen, & rem patris, filij, & Spiritus S. Spiritumque sanctum ex patre esse sine medio dicentes: ipsum etiam propriè, ac substantialiter esse spiritum auferunt: sublato quippe substantiali eius processu, iuxta procedentis rationem, vel non procedens erit spiritus, vel iuxta nativitatis processum, filius erit, secundum quem, filius, ex patre sine medio nascitur.

Porro verbum Dei vnigenitum, signaculumque vniforme patris, atque immobilem incommutabilemque figuram, & eum, qui ex patre totus ex toto perfecte resplendet, incommutabilemque imaginem, & patris definitionem, ac verbum, maxime paternorum bonorum fraudantes: identitate, quæ illi ad patrem est, perpetuaque constantia excludunt: quod Arianæ impietatis est. Et quoniam, qui non honorat filium, nec patrem honorat, vt ipse Dominus ait: *qui videt me, videt & patrem: quoniam omnia, quæ habet pater, mea sunt:* neque patrem natura, & verum patrem, ac perfectum cogentur confiteri: nisi patri similis filius sit, atque in se ipso patrem, vnde processit, perfecte indicet: præter solum esse patrem, iuxta sanctorum sententiam. Nam qui Spiritum sanctum in filio non conspicit, neque in patre conspiciet. Qui enim videt filium, & patrem videt. Imo, iuxta magnum Athanasium, quoniam à patre procedere dicitur: idem quoniam à filio est, qui eum esse negat ex filio, neque à patre esse confitebitur. Id si ita erit, omnino non procedens erit, sed filius, vt dictum est: duoque filij, in Trinitate erunt: nihil differentes à se invicem: atque ita habitus ad invicem, ac discretio tolletur: sola enim causæ causalisque ratione, divinas discerni personas à sanctis accepimus: &, verbo à causa subdiviso, sanctam Trinitatem ad se ipsam in nullo nisi concorditer habere. Ita igitur beatissimæ Trinitatis seriem atque insolubile ordinis vinculum auferunt, singulasque divinarum

personarum,

personarum, & dignitate congrua, & propria substantia per ea, quæ dicunt, deponunt: sive penitus deiiciunt. Oblique autem huiusmodi blasphemia filium respicit, quæ, & alia plurima absurda secum trahit. Vno enim, inquit, concesso, plurima inepta sequuntur. Et si enim ore non ista confitentur, neque se ita sentire asseverant, etiam, si nolint, in ea pertrahuntur. Et, si filium consubstantialem confiteantur, illa tamen dicunt, ex quibus hoc tollitur. Neque enim sufficit, absurda negare, vel ista ore non dicere, seque ita sentire, denegare, nisi & illa dicere caveant, quibus positis, necessario absurda sequantur. Nam, verbi gratia, Sabellius quidem se iudaizare denegabat: sed divinarum personarum Trinitatem non admittens, in id, vel invitus impellebatur. Et Iudæi quidem honorare se Deum arbitrantur, illius se legem, vt illis lata est, continere asserentes, sed, ita scripturas exponunt, vt eis lex neque vel modice prosit. Neque enim salvare potest, & Deum per ea, quæ dicunt, inhonorant. Qui enim non honorat filium, neque patrem honorat: Et *qui non credit filio, non videbit vitam: sed ira Dei manet super eum*, vt ait ipse Dominus.

Ioan. 3.

Constat ex his vna, non paruam aliquam esse differentiam eorum, qui ex patre, & filio, quique ex patre solo Spiritum sanctum procedere sentiunt. In ipsa namque fidei initia, sanctorumque doctrinam intuentibus, nihil erit differens. Communiter enim hos Deo coniungente, de hoc omnes consentiunt. Illi quidem, & eisdem vtentes dictionibus: hi autem per alias æquivalentes ad eundem veritatis finem contendentes. Veluti, si quis patriam, solum patrium, seu rectam lineam, æquam, vel parilem, vel novem, ter tria dicat: nullaque apud scripturam sanctam, sanctosque patres invenitur contentio, si quis ad solam rei intueatur veritatem: adeo, vt quæ à sanctis omnibus, atque ab vtrisque partibus, pie fideliterque dicta sunt, sibi invicem esse consona, sacrisque literis congrua fateri necessario cogamur.

Verum, pro vtentium expositione, seu præsumptione, seu voluntate, seu alia quavis intentione in totum, & omnino, quod dicitur, differt, prorsusque manifestam contradictionis pugnam habet. Liquet autem id, quod illi quidem tertium à patre Spiritum sanctum confitentur, iuxta personalem ordinem: Et, qui aliter sentiunt, eos divino reluctari ordini existimant: non eam observantes, quam acceperant normam glorificationis: verum, vocis captantes novitatem.

Isti, secundum à patre esse aiunt. Atque illi quidem filium ex patre sine medio nasci confitentur, atque filio præponunt spiritum, eos vitandos arbitrantur, vt aperte pietati reluctantes, quam scilicet nobis Dominus tradidit, in salutaris baptismatis traditione. Isti vero, nihil prohibere dicunt, & Filium dicere ex productore per productum nasci: atque illi quidem filij mediationem cum Ecclesiæ magistris confitentur: isti, hanc manifeste negant. Et illi quidem ex patre per filium procedere: & per eum, qui est, continenter ex primo esse credunt Spiritum sanctum. Hi autem, ex solo patre, hoc est, sine medio ipsum procedere affirmant. Atque illi quidem vnum, & intemporalem, & æternum spiritus processum, secundum quem ex patre per filium procedit, & his, qui secundum tempus possunt, agnoscitur, fatentur: non enim prodit in tempore quod procedit ex Deo, etiamsi in tempore videatur operari. Hi autem, quod per filium dicitur procedere, temporalem quendam processum designare dicunt: ac procedere verbum, quod omnes Spiritus sancti substantiæ significativum acceperunt, vt intelligi datur, ipsi diffitentur, dum processum illum temporalem dicere coguntur: quin, hinc quoque filio, & spiritui temporalia quædam accedere: illi quidem, *dare*: huic autem, *dari* ab illo, atque *mitti*, dicere coguntur.

Atque illi quidem patris omnia propria, atque præcipua filium habere asserunt: præter solum, patrem esse: esse autem filium sine paternitate sola, atque in eo solo differre: alia autem omnia, illis communiter, & absque vlla varietate adesse: Hi autem, ista manifeste negant. Et, illi quidem genitoris spiritum etiam filium habere confitentur, propriæ naturæ bonum, quemadmodum & pater. Hi autem, habere quidem illum, sed non eodem modo, contendunt. Atque illi quidem spiritum ex filij essentia, pro eo, quod est, ex * substantia, affirmant esse: sicut & quod ex patris essentia substantiam ponentes: & substantiam quidem, sine essentia: essentiam vero sine substantia dicere coguntur. Illi, quod dicitur ex filij essentia, causam signare dicunt: si & quod dicitur ex patris essentia: similiterque ex filio, sicuti etiam ex patre, spiritum procedere. Isti, & valde, reluctantur. Illi, sola causæ causalisque ratione, divinas discerni ab invicem personas. Hi, non sola dicunt. Illi, generationem solam, patris substantiale ponunt. Hi, quatuor illius substantialia esse volunt, ex quibus sit, *ingenitum esse*, & *sine principio*. Illi, producere substantiale nulla ratione esse dicunt: contra hi substantiale asserentes: bellum enim pertinacissime susceperunt. Illi, non ex solo patre procedere fatentur. Isti, ex solo & sentiunt, & scribunt.

* Ex hypostasi.

Omitto eam, quæ in præmissis evidentissime se ingerit, variam vtriusque partis pugnam, atque differentiam, & quæ ex his sequuntur: quæ omnia apertissimæ contradictionis sunt. Et ipsi autem aperte indicant, non parvam esse differentiam, dum abstinent ab invicem, seque invicem impietatis insimulant: suusque singoli aliorum communionem fugere, & vitare admonent, vt perniciem, & pestem. Vtra autem pars communibus rationibus fidei, patrumque Theologiæ concinat, ex superioribus claruit, eorumque conscientiæ relinquitur, qui ista lecturi sunt, sub Deo teste, & cuncta inspectante: modo quispiam omni anticipatione, & irrationabili odio ex animo deposito: neque vna aliqua particula, & ea negligenter perlecta: sed omnibus prudenter, & caute decursis, medius ambarum partium iudex sedeat, atque ita de omnibus sententiam ferat. Aperta enim fidei ratio, sanctorumque doctrina exposita est. Atque ita ut quo fierent apertiora, eadem, bis, terque ac sæpius repetita sint: nihilque curiosum, vel ambitionem, ac iactantiam redolens in huiusmodi apparet expositione: neque aliquid syllogismorum adiunctum est: nisi aliquid aperte, & quod ab omnibus concessum esset, sequeretur: Verum ex ipsis salvatoris verbis, eorumque expositionibus, vt à SS. Patribus digestæ sunt, constant omnia prædicta: ne quis nos in persuasione humanæ sapientiæ crucem Christi evacuare dicat, inanemque prædicationem facere: si has argutias persequar, quæ adolescentulis quoque notæ sunt, inde gloriam, inanesque rumusculos aucupans.

Quis enim ignorat, Deum neque genus esse neque speciem, neque in his ipsis contineri: sed initium ipse cum sit omnium, atque omnibus prorsus excellentissime eminens, documentis omnibus superiorem esse? Et si enim Deum esse novimus: quid tamen sit, ignoramus: non tamen, quoniam quid sit ignoramus, ideo profundissima ignorantiæ nocte caligantes, nihil omnino de Deo nostro scimus: neque ergo totum, vt est, scire neque penitus nescire nos, ingenue fatemur: si enim nihil omnino scimus, inanis erit fides nostra: &, si divinos illos, arcanosque processus confitemur: quomodo tamen id sit, neque dicere, neque intelligere possumus, vt ipse se ipsum Deus novit.

Ceterum, nativitatem quidem, alterum, alterum vero processionem, & illum quidem genitum: hunc autem procedentem: & illum, filium: hunc, spiritum illumque sine medio ex primo: hunc autem per eum ipsum, qui est, continenter ex primo esse, cum à fide ipsa, & à SS. Patribus ita accepimus, credimus: quibus subiectis, Trinitatem confitemur: neque propter personas vnitatem dividentes: neque personas, propter vnitatem confundentes.

Non enim, cum de hisce Doctores differunt, Christi crucem evacuant, fidemque in persuasione humanæ

sapientiæ annunciant: quanquam, qui ita loquitur, si omnino syllogismus, & ratiocinationem tollit: primum, quidem, quod humanæ naturæ proprium est: hominumque ad invicem consuetam locutionem & communionem vnam aufert: culpabitque Beatum Paulum eos increpantem, qui per ea, quæ videntur, de Deo colligere ratiocinando nequiverunt, & de creaturis creatorem noscere. Culpabit & Theologus sive de substantialibus, sive de divinis processibus differentes, salvatoris nihilominus sententiam tollet, scripturas iubentem perscrutari.

Rom. 1.

Neque enim obscurum est, eum, qui scripturas perscrutatur, colligendo, & ratiocinando lecturum: quin ipsum quoque Dominum, qui diligenter inspiciat, ratiocinari animadvertet, puta eum infert, dicens: *si autem ego in digito Dei eiicio dæmonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.* Et: *si satanas satanam eiicit, ergo divisus est: omne autem regnum in se ipso divisum, desolatur.* Et rursum: *Itaque, non est mortuorum Deus, sed vivorum.* Et: *si filij Abraham essetis, opera Abraham faceretis: nunc autem quæritis me interficere: hoc Abraham non fecit.* Et: si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare *filiis vestris: quanto magis pater vester cælestis* cum sit bonus, *bona dabit petentibus eum?* & quæ talia.

Luc. 11. & 4. Marc. 12. Ioan. 8. Luc. 12.

Deinde, & se ipsum destruet: Nam, quæ contra ratiocinationē dixit, hæc ratiocinando attenti si quis eum, non ratiocinari, sed à ratione deviare potius ista dicentem pronunciet: quod si huiusmodi ratiocinationem in Deo tantum prohibet, cunctam sanctorum destruet Theologiam: & eam in primis, quam contra hæreticorum errores dimicantes, diligentius, subtiliusque conscripserunt, solisque sensibus divinarum rerum examen, vt intelligi datur, permittit: alterque non ex patre solo procedere putare Spiritum sanctum, documentum admittit, quod vt ita esse probent, omni studio, & ingenio nituntur: eum vero etiam ex filio asserere, non æque probationem admitti: si enim illud, de scripturis, vt putat, nihil peragens, ostendere nititur: multo magis, qui, illum etiam ex filio d ei: ex scripturis, ac Doctoribus, omnibusque secum unà pugnantibus, copiosius id, & manifestius docebit. Non igitur malum omnino est, probare: sed non ad propositum propriis vti principiis: ac putare, fidem naturalibus initiis probari, id malum, & perniciosum est.

Itaque is quidem, qui vtitur communibus fidei principiis, circa id, quod quotidie quæritur, cum de Deo proponitur, concessisque sanctorum sententiis; quibus subiectis, nullo ea his, quæ rata sunt, sublato, conenter concludit; sicut antiquis Patribus de cōsubstantiali disserentibus, plurimisque aliis de fide quæstionibus contingit: nihilominus & illam conclusionem scripturæ esse sententiam, ex illis scilicet principiis pendentem, eaosisque, vnde ducta est, propriam fatendum: illamque Theologicam vocandam, & ex eis, quæ sunt à revelatione, esse; quemadmodum geometricæ conclusiones à principiis Geometriæ non deviantes; alioquin plurima ex his, quæ de fide concessa sunt, quæ aperte scripta non sunt, peribunt.

Verum, si quis dixerit, *quoniam si possibile sit inveniri syllogismum concludentem de scripturis, etiam ex filio esse spiritum sanctum, & ambas habentem propositiones:* hunc ego, vt veritati maxime congruentem, libentissime suscipetem; hunc profecto in his, quæ dicta sunt, liquido reperiet Filius quippe ex patre accipiens, & audiens, ab eo esse habet. Sanct. autem spiritus à filio audit, & accipit. Spiritus S. ergo à filio esse habet. Hic maior quidem propositio, fidei sententia est: minor autem; *quia spiritus sanctus à filio accipit, & audit:* & ista de principiis fidei, salvatorisque sententiis est. Ita igitur Sancti, vt ostensum est, hanc sententiam exposuerunt. Idcirco, & ab ipso illum esse habere dicunt: vt qui, ab ipso accipiat, & audiat, atque annunciet. Et, esse ea filio, & ex eo prodire, & per ipsum, & ex ipso procedere, & si quid huiusmodi prædictum est. Igitur, cum quæsitum syllogismum habeat, contentione desistat, reliquos enim huic similes adiicere omitto.

Enimuero, si quidem omnem syllogismum, qui non ambas de scripturis propositiones habet, falsa putat concludere; & ipse falso suspicatur, & Ecclesiæ magistros, qui talibus pro veritate in Deo vsi sunt, calumniatur: hinc autem constat quod secundum essentiam ex aliquo nascitur, eiusdem essentiæ cum gignente est, Filius autem ex patre nascitur. Filius ergo eiusdem essentiæ est, cuius ille, qui genuit Et hic igitur minor ex nostris assumpta, vera est, quod enim gignitur: eiusdem essentiæ est, cuius ille, qui gignit, non tamen ideo syllogismus falsum in Deo concludit: etsi Dei filius, perfectius, & excellentius eiusdem essentiæ cum patre conspicitur: materia quippe, & omnia, quæ sequuntur, inde longissime remota sunt. Nam, nisi propositiones, quæ de nostris sumuntur, non possunt, quodcunque quæratur in Deo, sicut est, ostendere, eo quod creator creaturis longissime excellat: conclusio iam falsa est, atque contraria: sic enim veritati veritas reluctaretur; & veritatem Deus veritas collideret, vt neque ex visibilibus invisibilia illius conspiceremus, neque creatorem ex creaturæ pulchritudine specularemur. Ista enim magis arcerent à veritate, ad quam, per ea homines adducere volebat. Atque ista dicimus, non quod in superioribus syllogismorum arte vsi simus, quasi nos nunc purgare cupientes: prædiximus enim Sanctorum dicta nos simpliciter exposuisse. Sed quoniam plerique velut, si à differentibus concessum esset, Deum naturalibus principiis subiectū, per hæc dicere aliquid putantur, simplicioresque decipiunt. Sed huius quoque voluminis prolixitas cohibenda est. Cætera, Deo miserante, sequenti 4. & vltimo lib. differemus.

Finis Libri III.

MANVELIS

CALECÆ,

LIBER QVARTVS, CONTRA GRÆCOS.

QVONIAM igitur, iuvante Christo, ac duce ipsa pietate, Spiritum sanctum etiam ex filio procedere, veraciter probatum est: mirum profecto esse non debet, si in symbolo communis fidei dictio illa adiecta est: sed id potius diligenter inquirendum est, vera ne, an falsa sit illa adiectio. Nam, & quid additionem interdixere, adiectionem fidei, corruptaque dogmata conscribere prohibuerunt. Nam in Ephesina synodo; *Lecto*, inquit, *Niceni Concilij symbolo, communiter decernunt, iam nemini licere fidem aliam conscribere, aut proferre, aut tradere his, qui ex Iudæis, vel gentibus, seu, ex alia quavis hæresi ad Ecclesiam veniunt: qui vero hoc præsumpserit: hac & illa patiatur.*

De hoc loco cōcilij Ephesini, lege Bell. l. 2. Christo c. 29.

Fidem *aliam* dixerunt. Eadem vero liquidius, & manifestius aliàs qualibet necessitate pronunciare, contradicentibus quibusdam catholicæ fidei, nihil ipsam fidem vnicam violat. Non igitur communem fidem declarare, interdictum est; sed, vel aliam, vel contrariam inducere, vt ipsæ quoque literæ testantur; sive quibuslibet hominibus interdictum est, ne quisque horum, passim proprium sibi symbolum conscribens, & aliquos a communi confessione separans, cum hoc deceptos baptizet, fiantque conventicula, cuiusmodi tunc plurima fiebant.

Porro

A

Porro ipsa Ecclesia sibi ipsi, docendi, atque aliis dictandi, quæ vera sint, & salubria, licentiam, potestatemque non abstulit. Non enim, postmodum novis in dies blasphemiis exorientibus, in fidei † terminis adiiceret: quæ pios, impiosque discernerent: aut enim necessarium est, confiteri omnia, tunc confessioni fidei plenissime adiecta, & ad futuras novitates vocum sufficere attendas; & post hæc futuris Conciliis minime licere de fide statuere: aut Ecclesiam initio quidem potuisse de dogmatibus statuere, & alia quidem addere, alia, auferre, postmodum vero, hanc amisisse potestatem. At primum illud quidem verum non esse, post hæc acta Concilia testantur: quæ profecto, nunquam convenissent; si prima illa scandalis futuris, satis obviassent. Dei enim est, futura prænoscere. Singula vero Concilia, ad præsens periculum intenta: contra hæreticos pugnant; non, futurum propellunt. Hoc enim incertum est. Illud vero, instat, & vrget. Ex quibus & illud constat: postea, Concilia vtiliter, & necessario fuisse conflata, quoties Ecclesiæ necessitas vrgeret. Nempe enim, eandem vim Ecclesiæ non semper, ac similiter adesse existimare; mysteria fidei tollentium est, maxime, cum Salvator dixerit, se *cum illa vsque ad consummationem seculi futurum.* Si igitur primis sufficienter habentibus, ad occurrendum periculis omnibus futuris, nulla postea necessitas fuisset Concilia cogendi: eandem sic quoque potestatem temporibus omnibus Ecclesiam habere, putandum est, aliterque hac libertate sublata, non parva detrimenta, sed summam perniciem sequi necessario, nisi liceret Ecclesiæ de fide statuere, scribere, atque definire.

† definitionibus & decretis.

B

Mat. 28.

Ex præteritis cognitis, perspicuum est, non adiectionem dictionis, sed alterius fidei conscriptionem interdici: Ecclesiamque non sibi ipsi; sed hominibus singulis de fide statuendi ademisse potestatem. Neque enim in fidei terminis deinceps à sacris Conciliis quomodolibet fuisset adiectum, si ea se potestate privasset. Alites enim, qui ista dicunt, eos etiam, qui in Niceno Concilio convenerunt, anathemati subiicerent, qui non pauca Apostolorum symbolo addiderunt: & eos, qui postmodum Constantinopoli convenientes, & ipsi nihilominus Niceno symbolo adiecisse comprobantur quædam; quædam item abstulisse, nemine insimulante, quia sic visum est. Nempe & reliqua deinceps concilia alias aliter adiecisse aliquid, vel immutasse quis nesciat, cum hæ, vel illæ necessitates, casusque requirerent?

C

Porro Conciliorum de fide sanctiones æque, ac symbolum suscipimus, quæ in ipso complexæ continentur. Sed &, cum B. Paulus dicat: *Etiamsi angelus evangelizaverit, præter id, quod Evangelizavi vobis, anathema sit*; consubstantiale tamen Patres adiecerunt: cum † nemo tamen ante illos hanc dictionem tradiderit. Idcirco etiam à contradicentibus hanc non inveniri in sacris libris arguebantur. Addiderunt tamen, literæ sensum conferentes, & contra adversarios constantes dimicantes, iuxta Theologum Gregorium, qui ait: *Non de verbis, & nominibus pugnamus, dummodo syllaba ad eandem intelligentiam ferant.* Ex certe non propter huiusmodi adiectionem Pauli subiiciuntur anathemati. Prorsus vero synodus omnis pro reprehensione blasphemorum congregata, fidei terminum caponit, per id, quod veteribus dictiones addantur, nova dogmata resecans. Ita enim se res habet. Siquidem esset possibile, sine aliqua contradictione eorum, qui communem fidem oppugnare volunt, manere Ecclesiam in antiquis principiis immotam, nulla fuisset necessitas aliquid quomodolibet adiicere; sed sufficisset ad confessionem fidei, compositum à SS. Apostolis ab initio symbolum breve, simul, ac simplex.

Galat. 1.

† ὁμοούσιον apparet ex illis, quæ docet Bell. l. 2 de Christo c. 3.

D

Quoniam vero primus Arius Dei filium patris essentia detrudere præsumpsit, quod in Apostolorum symbolo scriptum aperte non fuerat, filium eiusdem essentiæ cum patre esse: cum huiusmodi venenum per corpus Ecclesiæ serperet, eaque pestis effunderetur in plures, qui in Nicea convenere Patres, veritatis, ac fidelium curam habentes, Symbolo alio composito, ei *consubstantiale* addiderunt: atque *ante omnia secula filium ex patre genitum, non factum. & ex Deo vero, Deum esse verum*, & quæ tunc adiecerunt, cum Apostoli natum solummodo ex patre dixissent.

E

Erant ista sic: videbaturque tunc abunde munita fides, cum paruo post tempore contra sancti spiritus divinitatem se erexit impietas. Erant enim, qui dicerent Sanctos in Nicea Patres optime de fide statuisse; & patrem quidem Deum prædicasse; filium item pari laude honorasse: spiritum vero sanctum non appellasse Deum. Convenerunt Constantinopoli Patres, & illud, quod nunc legitur, symbolum composuerunt. Cumque Niceni Concilii Patres solum, *& in spiritum sanctum*; credere dixissent, nihilque adiecissent amplius; isti, quæ plura sunt addita apposuerunt de sancti spiritus dominatione, & deitate. Neque solum addiderunt, sed detraxerunt etiam. Nam; cum dixissent illi, *genitum ex patre*, videlicet, ex patris essentia: isti solum ex patre genitum retinuerunt: magnamque omnino differentiam in tribus his symbolis, si verba, & nomina attendas, invenies. Non tamen ob eam differentiam, vel qui in Nicea convenere, aliam fidem, quam ab Apostolis acceperint, composuisse existimantur: vel qui postea Constantinopoli fuerunt, præter patrum fidem, qui in Nicea fuerant, senserunt. Testatur Gregor. Theologus, qui huic synodo interfuit; in epist. ad Cledonium sic scribens: *Nos nihil unquam fidei à SS. Patribus qui in Nicea convenere, pro delenda Ariana hæresi composita, in honore vel prætulimus, vel præferre possumus; sed illius fidei, miserante Deo, sumus, atque erimus. Id autem solummodo elucidavimus, quod de S. spiritu minus dictum fuerat, eo quod tunc huiusmodi quæstio mota non fuerat, quia, unius divinitatis scire oportet patrem & filium, & spiritum sanctum, Deum etiam spiritum fatendo.*

Synodus secunda Oecumenica Constantinopolitana contra Macedonium sub Damaso.

F

In Chalcedonensi quoque Concilio congregati, pro his veluti rationem reddentes; hos neque adiecisse aiunt fidei Nicenorum Patrum, quasi novum quidpiam, & varium dicentes; neque, quod ab illis fuerat relictum, hos implevisse; sed illorum, de S. spiritu intelligentiam, contra eos, qui illius dominationem auferre nitebantur, scripturæ testimoniis fecisse planiorem. Videmus autem, & ipsos, qui illic convenerunt, symbolo Niceno addidisse. Nam cum illi, patri filium consubstantialem tantummodo dixerint, isti addiderunt; *consubstantialem patri secundum deitatem, consubstantialem nobis, secundum humanitatem*; Eutychis in hoc opinionem corrigentes.

G

Synodus Chalcedonensis.

Et, qui Ephesi primum convenerunt, fidei terminum exposuerunt, quo Dei genitrix Beata Virgo prædicatur. Virgo enim solummodo Beata in symbolo appellata fuerat. Et si enim symbolo id adiectum non est, nihilominus symboli † terminum illum veneramur; huiusmodi vocabulum, illiusque sensum, vt rectissime positum suscipientes; atque confitentes: eosque, qui illud negant, execrantes, quibus circa symbolum non maiorem ostendimus rigorem, quam vniversa synodus pro revincendis blasphemiis congregata, fideique terminum exponens, & per eas, quas antiquis addit, dictiones, nova dogmata eliminans.

Synodus Ephesina

† ὅρον, terminum, definitionem, clarius hoc quàm vocabulum *termini*, quo interpres est vsus.

H

Magnus præterea Basilius in Regula ad Monachos SS. Patrum fidem, quæ, vt ipse ait, *fraudari, adulterarique non posset* cum se traditurum pollicetetur, plurima, quæ in fidei symbolo sunt posita, omisit, & de S. spiritu nihil, neque quod ex patre, neque quod per filium procederet, dixit; sed tantum, & in spiritum sanctum se credere dicens, adiectis quibusdam scripturæ [illegible] de S. spiritu; ex patre. ipsum procedere omnino tacuit: cum nihil adiicere; neque demere proposuisset, existimans his, quæ dixisset; etiam quæ tacebat comprehendi.

Ex his perspicue constat, eos, qui auferre aliquid vel addere prohibuerunt; non adiectionem dictionis; sed

fidei

invicem objecta, invicem pervertunt. Imò, vt pluribus docuimus, ex patre esse quod dicitur, esse etiam ex filio subingerit. Sed neque ex patre per filium procedere à Sanctis diceretur: si quidem ista contraria invicem essent. Nam, si aa patre solo dictum fuisset, haberet rationem hujusmodi objectio. Quoniam vero, ex patre tantum dictum est: hoc autem, & ab vtrisque pro confesso habetur, supervacaneum est, atque vanissimum, omisso eo, quod prius, vt ostenderent, curare debuerant, ex solo scilicet Patre procedere, quod contrarium est ei, quod est, ex filio esse: ex patre procedere quod dicitur, quasi repugnans ducere his, qui hoc nullatenus negant.

Cócesso ergo ab vtrisque, Spiritum ex Patre procedere, reliquas jam sententias inspiciendum est, quibus magis conveniant: his ne, qui ex solo Patre procedere dicunt Spiritum sanctum: an vero his, qui hunc ex Patre cófitentur, ac Filio? Hi siquidem illud, quod dicitur, *de meo accipiet*: &, *quem ego mittam*: & *Spiritum veritatis*: & *mittet pater in nomine meo*: & *ego, & pater vnum sumus*: &, *omnia, quæ habet pater, mea sunt*: &, *si in digito Dei* sive in Spiritu Dei, *ejicio dæmonia*: &, *insufflavit & dixit, accipite Spiritum sanctum*: & sexcenta talia, suæ habent confessioni consona. His enim, vt superius dictum est, magistri Ecclesiæ inducti, prædictas de Spiritu S. tulere sententias: &, *per Filium*, & *ex Filio* procedere dixerunt, qui autem ex solo Patre volunt dicere, nullum omnino pro se habent testimonium: imò, & prædicta omnia sibi adversantur, hostésque habent SS Patres, qui illa sic exposuerunt.

[Ioan. 16. Ioan. 15. Ibid. Ioan. 14. Ioan. 10. Ioan. 16. Luc. 11.]

Quod si id objiciunt, scriptum non esse, *ex Filio*. Primum quidem, *de meo accipiet*, & omnia, quæ dicta sunt, ad istud tendunt, nisi vocibus maximis clamantibus Sanctis, illorum aures penitus obsurduerunt. Deinde, neque ex solo patre scriptum est. Itaque non magis pro se, quam contra se, non esse scriptum objiciunt.

[Ioan. 16.]

Si autem, quoniam Filius ex Patre dicitur: & hinc solus, de solo creditur, idcirco & Spiritum sanctum, quoniam ex Patre procedere dictum est, *ex solo*, ipsi adjiciunt: primum quidem, & ipsi adjicientes arguuntur, neque digni sunt, qui audiantur, cum insimulant eos, qui *ex Filio* etiam dicunt adjectionis causa. Eisdem enim & ipsi tenentur obnoxij. Deinde cogentur, si vnigenitum Filium vt solum ex solo confitentur, secundum nativitatis terminum: ita & Spiritum sanctum, sublata ex Patre processione per Filium, vnigenitum fateri Filium vt solum ex solo, quemadmodum Filius solus ex solo est: neque enim ex solo tantum dicimus, sed vnigenitum quoque Filium. Nempe enim quemadmodum in sacris literis *solus verus* Pater dicitur: & *quia nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem, nisi Filius*: &, *qui credit in me, non in me credit, sed in eum, qui misit me*: &, *mea doctrina non est mea*; neque compellimur solis personis, in quibus hujusmodi definite dicuntur, ista distribuere; sed *solus quidem verus*, & Patri, & Filio congruenter aptatur; quasi non objectum illorum * substantialibus proprietatibus; cognoscere autem Patrem, & Filium, & ab eis agnosci, etiam Spiritui sancto distribuitur; eo quod objectum non sit scire illius substantiali proprietati, ac de aliis similiter. Vbi enim non obstat relationis oppositio, nihil prohibet, quod dicitur congruere. Ita neque si à Patre diceretur procedere Spiritus S. & adderetur, *solo*, valide posset hoc & filio negari. Nunc autẽ quando simpliciter à patre dictum est, neq; adjectum est, *solo*, cum etiam producere, vt nativitati non adversum etiam filio conveniat; ac proterea commune esse patri, ac filio, inspiciatur: stultissimum omnimodis est verbum rapere, ac per hoc filium à patria communione secludere.

[* hoc vult dicere esse *solum verum* non esse personale proprietate patris, ac proinde etiã filio cõpetere, non obstãte vocabulo *verus*. Et similiter Spiritũ S. agnosce re patrẽ & filiũ, ab illis agnosci, cõvenitẽ etiã Spiritui S. eo quod *scire* vel agnosci non sit personalis proprietas Spiritus sancti.]

Atqui; vel dispensationis, implens sacramenta, vel discipulis parcens, sui non meminit, quod forte majora de illo non caperent. *Multa enim*, inquit, *habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo*: *sive ad principium suum omnia referens, à quo & ipse est, & sua omnia*, vt ait Theologus Gregor. sive etiam, quod & necessario id credendum esset propter summam, ad patrem æqualitatem, istud dicere omisit. Filius quippe patris est, patrisque definitio & verbum.

[Ioan. 16.]

Quanquam ex superioribus sententiis tantundem valentibus, neque hoc omnino tacuisse deprehenditur: verum quod isti instanter negant, prædicat. Nam scripturæ duplex modus est dicendi, quæ velit. Aut enim puris, proprijsque nominibus, vt, cum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum nominat: sive, cum ex aperte dictis, his etiam sequentia elicit; quemadmodum *consubstantialis* nomen, vt scripturæ congruum intelligentiæ creditum est, quod plurimis aperte positis videretur juxta intelligentiam necessario congruere. Dictum enim est: *Ego & pater vnum sumus*; &, *omnia, quæ pater facit, hæc & filius facit similiter*, & quæ in hanc formã scripta sunt. Et certe his, qui solam intuentur literã, contraria viderentur illi, quod aperte dictum est: *Pater major me est*. Sed tamen, quoniam ex his quæ aperte dicta erant, necessario *consubstantiale* sequebatur, & verũ, & scripturæ consonum esse, judicatum est.

[Ioan. 10. Ioan. 5. Ioan. 14.]

Simili ergo ratione & quod dicitur etiam à Filio esse Spiritum sanctum, non quidem ad literam, & aperte in scriptura positum est; sed ea quæ aperte dicta sunt, sequitur. Quæ autem concessa ex necessitate sequũtur, & illa vera sint necesse est. Quemadmodum in disciplinis conclusiones, quæ principia sequuntur. Scriptum quippe est: *Spiritus veritatis*. At veritas Filius est; & ab eo *audire*, & *accipere*, & *mitti*, & *insufflari* dicitur: quæ profecto omnia Ecclesiæ magistri dum exponerent, per Filium procedere dixerunt, & ab illo, esse, habere; vt ab ipso accipientem, & ex ipso esse, ac procedere, & quæ prædicta sunt.

Si enim, quoniam verbis dictã non sunt, intelligentiam quoque illorum repellamus, plurima profecto & necessaria, & concessa, vt dictum est, ejiciemus. Sed & ipsum *Trinitatis* nomen, & *substantiam*, & *personas*, *ingenitúmque*, quod in patre dicitur, & *consubstantiale*, quia scriptum aperte non est, simul ejiciemus. Atqui, si quis literarum sonis assideat, neque in symbolo communis fidei Salvatoris de sancto Spiritu sententiam concorditer habere confitebitur. Illic enim à patre procedere dicitur: hic autem, ex patre procedere. Sin autem hic, *à*, & *ex*, quantum ad intelligentiam nihil differt, cur & *ex*, & *per*, nihil ab invicem differre non dicamus, cum ex patre per Filium procedere, Spiritum sanctum audiamus: Maxime cum & sancti Patres vniversaliter, *per*, &, *ex*, nihil differre in divinis, definite velint.

Verum, quid necesse est, circa præpositiones tantundem valentes diu immorari, quando & sanctos apertissime audimus dicentes: quia, esse habeat à Filio, & ex ipso sit, atque procedat? Itaque illis quidem, quæ in scripturis aperte sunt posita, cum pia devotione credendum est. Quæ vero illa non dicit, non sunt præcipitanter abjicienda; nisi in eis manifesta absurditas deprehendatur, quæ communis fidei confessionem perimat. Quod, si absuerit, & ista pie sunt admittenda: maxime, etiam necessitate cogente, propter eos, qui fidei veritatem violare moliuntur: imitando in ea re veteres Doctores, qui in rebus arduis, vrgentibúsque necessariis additionibus, & scripturarum sensui maxime congrua, gregem Christi dissipare nitentes dispulerunt.

Et nunc quoque licet in symbolo scriptum non sit de Spiritu sancto, quod Deus verus de Deo vero sit: si cum id venisset in dubium, Ecclesia illum errorem repellere satagens hoc symbolo adjiceret, putanda non esset blasphemare. Nam si quidem omnia aperte scripta essent, nulla hæresis caput attollere auderet. Nunc autem oportet & hæreses in nobis esse, propter quorundam nequitiam, vt probati manifesti fiant. Sed & *scrutamini scripturas*, dictum non esset; si omnia lucide, & aperte scripta essent.

Ita igitur & fidei principiis, & scripturæ testimoniis

non sulum nihil prohibentibus, verum, & plurimum juvantibus, atque hoc aperte ostendentibus, magistris, que Ecclesiæ hoc plurimis in locis aperte asserentibus; hisque, qui contra negant, necessario in magnas ab surditates incidentibus; traditásque omnino de S. Trinitate rationes convellentibus, quæ omnia pluribus plura demonstrata sunt: ex Filio quoque procedere Spiritum sanctum, tempore vrgente, in symbolo adjectum est. Aiunt enim, quoniam post primam Synodum hæresis quædam, quæ Filio Patris nomen applicaret, Græcè. *υἱοπατορία* dicta pullavit, dicens: *Filium Patrem esse Spiritus sancti, ipsum vero Spiritum nepotem Patris.* Quapropter Damasus, qui tunc erat Romanus Episcopus, coacto Concilio, symbolo adjecit, *ex Filio procedere Spiritum sanctum:* illis scilicet obsistens, qui dicerent, eum *ex Filio nasci.* Qui enim ex Patre per Filium procedit, & ex Patre, & Filio procedere dicitur, ex Filio profecto genitus esse non potest. In sancta enim Trinitate, qui ex primo sine medio est, Filius est juxta nativitatis processionem. Spiritus autem sanctus ex vtroque existens, videlicet ex Patre per Filium, juxta S. Cyrillum, præter nativitatis terminum prodit, procedens enim est ex primo per medium. Idcirco adjectione hac contradicentes repulit.

Quando additio illa filioque, ad symbolũ sit facta.

Attestantur his partim antiqui Ecclesiæ magistri, interdum eos refellentes, qui spiritum vel creaturam, vel filij filium dicebant, vt magnus Basil. cum dicit: *Non, quia non sit ex Deo per filium.* & quæ talia, per quæ filium filij esse negant, & per filium procedere dicunt: partim vero & historicus quidam cognomento *Scylix, in ea, quam scripsit historia, additionis & causam, & tempus exposuit. Sunt item, qui dicant quosdam ex Arij væsania, cum vellent filij majestatem imminuere, à solo Patre Spiritum sanctum prodire dixisse. Qui cum vellent blasphemam opinionem tueri: pietatis armis contra pietatem vtebantur, vociferantes non oportere Niceni Concilij quidquam sanctionibus adjici, neque enim illic in processione Spiritus sancti Filium Patri adjectum esse. Atque hæc dicentes Ecclesiam scindebant, religionisque opinionem ab imperitis, ac stultis, vt, qui antiqua reverentur, capiebant.

*Ioan. Scylax Constantinop. sæc. scr. de Imper. Constantinopol. Gesta Vosset.

Indicio enim & B. Maximus in epist. ad Marinum, additionem hanc, non quando Ecclesiarum scissura facta est: sed longe ante, additam fuisse, & fortassis ante sua tempora. Fuit autem eo tempore, quo sexta Synodus conflata est. Propterea, rebus vrgentibus, cum quosdam Occidentalis Ecclesiæ hæc pestis paulatim, ac sensim inficeret: conveniens Synodus, ex Filio etiam Spiritum procedere, symbolo adjecit, ad quod Romani Pontificis suffecisset authoritas, quæ etiam Synodos reliquas roborat.

Lege Bell. l. 2. de Christo c. 21.

Neque sane mirandum est, Romanum Episcopum, Ecclesiæ principem, ipsum convocato Occidentalium Episcoporum Concilio, illud decrevisse. Nam, si provinciæ sæpe singulæ Concilia celebraverunt, eisque auctoritas derogata non est: multo sane magis hoc ille potuit, cum omnibus circum se Episcopis, qui pastor primus, & Ecclesiæ totius pater, vniversalisque Christianorum omnium Iudex esse comprobatur, Apostolica hunc antiquitate principem supremum appellante, decretisque regiis ipsum statuentibus, ac rebus ipsis ita esse clamantibus. Et quo sine, impossibile profecto est, Ecclesiastica negotia tractari, atq; dirigi, sicut * B. Stephanus junior adversus eos, qui, quoniam imagines omnes destruendas statuebant, *εἰκονομάχοι* appellati sunt, testitur: cum illi Concilium Constantinopoli fecissent, non eis licere Concilium celebrare asserens nisi Romanus Episcopus, vel per se ipsũ præsens præsideret, vel ab eo missi, alij, juxta consuetudinem, locum ejus implerent. Nempe enim ab Ecclesia illa nulla vnquam de fide sententia manavit, quam vt blasphemam, & noxiam Ecclesia nunc omnis damnet, seu anathematizet, quando ingentes fluctus, plurimáque naufragia contra Ecclesiam ferre. Nisi enim ita suscipiamus, nescio, quid validum, & ratum suscepturi simus: vel, quid apertissimum licet, atque conspicuum, impudentissime repudiaturi non simus.

Primatus Romani Pontif.

* Extat vita huius B. Stephani inter opera Damasceni edita a Billio

Si igitur ista de illo vera sunt, sine quo possibile non est Ecclesiastica decerni: ad ea decernendum, cum paucis, aut cum pluribus conveniat, minimum refert: simulque, in re aperta, &, quæ ab omnibus Ecclesiæ magistris trita est: de sancti scilicet Spiritus processione, opus non fuisse citare orbem, veluti ea quæstio valde esset ambigua, atque ideo, omnibus communicanda. Qui enim semel percepissent Patri Filium esse consubstantialem, ejúsq; incommutabilem imaginem esse, & Patris habere omnia, præter solum, Patrem esse: & nunc quidem audirent Spiritum veritatis, & Filij esse, & ab ipso accipere: nunc autem per Filium procedere, & ex Filio esse, sicuti etiam ex Patre, & ab ipso habere esse, & quæ talia prædicta sunt: ex Filio etiam procedere, dubitare non possent, maxime cum scirent, quod, qui hujusmodi principia concedunt, id quoque quod ea sequitur, necessario admittunt: vtq; Orientalis Ecclesiæ magistri, Athanasius atq; Basilius, Spiritum à Filio, esse habere dicunt, majorémque Spiritu Filium, causæ ratione asserunt: Cyrillúsque super Ioannis Evangelio, & plurimis opusculorum suorum locis, hoc ipsum clamat: præter Occidentis magistros, qui innumeris in locis dicunt, ex Patre, ac Filio, veluti ex vno principio procedere Spiritum sanctum: opus esse non videbatur, de his, quæ concessa essent, † Occidentales Patres molestias pati.

† Orientales.

Porrò, si quis interroget, quid sit; quod, cum ista additio antiqua sit, non etiam ab Orientalibus symbolo inserta sit? primum quidem, debita subjectione, ac reverentia Romano Pontifici, ejúsque Ecclesiæ secundum Ecclesiasticas regulas reddita, nihil ex hoc in fide, vel differre, vel contra sentire putabantur, quod etiam vere sic erat. Deinde, necesse non fuit, rectam, & congruam de Filio, & sancto Spiritu intelligentiam habentes, cum additione symbolum legere; satis enim erat, etiam, sine ista, legendo, non esse contrariæ opinionis, neque putare eos, qui, cum ista legerent, fidei veritate excidisse, illisque vnitos esse. Nam, & post antiquum schisma, cum rursus vtriusque Ecclesiæ facta esset vnio, Græcos Latini nihil coëgerunt, symbolum cum additione legere, vel aliis Ecclesiasticis ritibus more suo vti, sed tria solum ab eis post factam vnionem, requisita sunt: Primum quidem, vt Romani Episcopi memoriam in dyptychis, hoc est, in canone Missæ facerent. Secundum, vt vniversalem judicem Christianorum omnium putarent, ei secundum antiquam Ecclesiæ consuetudinem reverentiam reddentes. Tertium, vt Romanam Ecclesiam in Ecclesiasticis dogmatibus matrem fidelium, atque magistram sana semper fide esse, crederent. Cætera locis suis manere permissa sunt. Sed nunc quoque in Sicilia, & ea, quæ magna, & antiqua Græcia dudum vocabatur, cum Græci plurimi inhabitent, Orientalisque Ecclesiæ moribus, & ritibus vtantur: quia solum Romanæ Ecclesiæ subditi sunt, non coguntur symbolum cum additione legere; sed sola, vt dictum est, obedientia Ecclesiæ impensa, cum non sint contrariæ opinionis, nihil ab eis amplius exigunt, vna hac re, cætera etiam contineri arbitrantibus Latinis; quippe, non in verbis, sed in sensibus religio nostra consistit, secundum Theologum Gregorium.

His si quis objiciat, oportuisse Græcos etiã vocari, & Synodo de sententia omnium communicare: primum quidẽ, cum nota omnino res esset, necesse non fuit omnibus hanc conveniendi molestiam indicere, neq; necesse est, omnes omnibus adesse Conciliis: sed primum quidem patrem, Ecclesiæque pastorem. Ista enim si à principio per Ecclesiasticas leges separata sũt: & valde convenit, vt, vel per seipsum, vel per nuntios Concilio adsit, ac præsit. Nam, si ille non adjuvat, inania, & hesterna sunt omnia sine hoc enim Ecclesiastica tractari, statuique non possunt; constátque, sive cum pluribus, sive cum paucis, quod ad se pertinet, implere potest.

Alios

Alios vero non opus est vocari omnes, maxime, qui sunt remotiores, quoique vel viæ longitudo, vel alij eventus rerum, quales sæpenumero emergunt, impedierint. Atque ista, cum magna non vrget necessitas, cum quæstio perspicua est, ne orbem vocari opus sit: quando ipse secum facillime magnam partem evocare possit, & cum eis statuere, atque decernere. Deinde, non convenit, vocatus quispiam, an invocatus fuerit, inspicere; sed, an vera sint, quæ statuta fuerint, perpendere: ne videatur quispiam non veritatis curam habere; sed solum, qui vocatus non fuerit, indigne ferre: quod isti modo faciunt, dum honores, ac primatum sectantur, vt sub Romani Pastoris cura, & obedientia, juxta antiquum morem non sint: adjectionem symboli, vt causam rationabilem prætendentes.

Hoc autem non religionis, ac fidei, sed superbiæ potius apertum documentum est. Nam, si additionem impiam existimant, cur sancti Maximi temporibus, atque ante hunc, quando symbolum ita omnis Occidentalis Ecclesia legebat, Oriens totus hanc impietatem non redarguit, neque ab Ecclesia Romana abscissus est? At id quidem illi non fecerunt; imò coacta sexta, & septima Synodo, adjectionem hanc, vt piam liquido comprobavere: neque, quia vocari non sunt, graviter tulerunt, vt modo isti faciunt.

Cur enim & isti, vt illi, his, quæ tunc decreta fuerunt, contenti non sunt? Aut enim istas Synodos execrari necesse est, vt ab hominibus impiis conflatas; atque ita eos, qui in illis fuere, sanctos, vna rejeimus: Vel, istas probare, & qui illas coëgerunt, vt pios, ac religiosos vna suscipere. Hoc autem nostros tunc Occidentalibus congruisse significat. Quocirca, necesse non fuit, vt dictum est, istos congregari; cum vel ex fidei principiis, ac sanctorum sententiis, additionem rectissimam esse, persuasum eis fuisset: vel ab his, qui addiderunt, causam ac necessitatem, consonantiámque, per omnia audissent.

Ac nostri, vt datur intelligi, religiosiores circa fidem, quam illi, modo inquirunt, quod tunc illi non quæsierunt. Constat enim illos tunc, vt veritatis fautores, legitimæque subjectionis servatores cessisse, nihilque inquisisse amplius. Nos autem, nostra quærentes sub prætextu dogmatum Ecclesiæ scissuram machinamur, adjectionem in auxilium sumentes. Atqui nostri quidem, quam diu necessarium debitum servantes obediebant, nihil opus esse arbitrabantur seorsum Concilia facere. Adjectionem quippe vt summe veilem, ac necessariam sciebant. Postea vero quam seorsum esse voluerunt, additionem illam discessionis causam idoneam, vt sibi videbatur, nacti, neque vocati obedire voluerunt. Nam, si convenissent, contra se ferendam sententiam non ambigebant, compellendósque, vt quam ipsi refugiebant, Romano Pontifici obedientiam redderent. Idcirco sæpius ad Ecclesiæ vnionem vocati, adjectionem prius auferri postulabant: quibus responsum est, quod si quidem nulla fuisset adjectionis causa, non fuisset à principio apposita. Erat enim, quando vtraque Ecclesia sine illa adjectione symbolum legebat: atque ex Filio procedere Spiritum sanctum, apud omnes in Ecclesia reticebatur; cum nulla de hoc esset quæstio.

Postea vero quam quibusdam contra dicentibus, positis fidei terminis, filiúmque minorem patre blasphemantibus, quia scriptum in symbolo non esset, Spiritum sanctum etiam ex Filio procedere; ac propterea Filij ad Patrem identitatem, incommutabilitatémque auferentibus, dictio illa, pro declaratione symboli adjecta est: communibus Ecclesiæ magistris concinentibus, quam nefas esset auferre, ne adversa contradicentium opinio locum babeat, ac per hujusmodi abolitionem vera esse videatur.

Siquidem igitur consentitis veritati, pro hac nobiscum stantes: aut vos etiam cum adjectione legite, quæ blasphemis ora obstruit; vel, sine hac legentes, nolite opinionis esse contrariæ, neque nos putare blasphemos. Et sic enim cum veritate stabitis. Non enim in verbis, sed in sensibus, religio nostra consistit. Et, si vultis, hoc tantum vobis indulgemus, vt nobiscum convenientes, rem hanc in commune agitemus; cómunésq; super hac patrum sententias discutiamus, quibus hęc adjectatio vera esse cóprobetur Quo si aliena opinione estis, additionémque istam penitus renuitis: constat quidem, vos circa fidei veritatem cum adversariis errare; háneq; additionem, vobis, & illis vna bellũ indicere, quippe, propter contradicentes adjecta est.

Verum, sicut his, qui negabant Niceni Concilij symbolum, sive id, quod postmodum Constantinopoli editum est, ambo enim vnum fuere, etsi verbis differre videantur: nihil profuit ad Apostolorum symbolum recurrere, quasi tutius, atque religiosius; quod enim cum adjectione fuerat editum negantes, & illud vna negabant: Nam, & quæ postmodum videntur adjecta, in SS. Apostolorum symbolo complexa continentur. Ita nihil vobis proderit Nicenum symbolum, etsi vos hoc tenere jactatis, istam additionem execrantibus, quam illi connexam symbolo, complexámque tradiderunt, & quam ipsi omnino adjecissent; si, vel eis viventibus; quæstio ista fuisset agitata, vel nunc hujusmodi controversiæ adessent; vel, si quos scissent, ad tantum vesaniæ pervehendos.

Atqui vos non, vt ab illis expositum est, sed, cum adjectione legitis: Nam sublato, quod dicimr, *ex filio*, perspicuum est, quia ex solo patre adjectio infertur. Etsi enim hoc verbo non dicitis, cum Deo tamen loquentes, dum, ex patre dicitis, *ex solo*. etiam adjicitis, Deóque, cui mentes nostræ, & corda aperta sunt, hujusmodi fidem, imò perfidiam offertis. Est enim validius sentire, quam dicere. Neque vero id sentitis solum, sed etiam scribitis, cum illos, qui etiam ex filio procedere dicunt, arguere nitimini. Itaque, si vituperatis additionem, ipsi tamen nihilominus adjicitis. Et, nobis quidem adest per omnia, concordia, nihilque illorum, quæ fide continentur, tollimus, vobis autem contra, penitus.

Consideranda autem vobis est Ecclesiæ nostræ dignitas, quæ, nunquam de fide, nisi congrua, sensit, ac statuit: &, quæ sola, vobis omnibus cæteris circa fidem naufragantibus, non solum nihil passa est hujusmodi; verum, & jacentes cæteras Ecclesias erexit: &, sicubi religionis fervor supererat, ad hanc confugiebat, hanc appellabat. Hæc autem, manum porrigens, quæ dispersa erant, in vnum ovile cogebat, atque conjungebat, vt vos melius nostis: Non ergo convenit, vt, cum tale ab initio exemplum habeatis, sempérque ab illa fueritis edocti, nunc mutato ordine, vos illam docere conemini, adversus *quam portæ inferi nunquam prævalituræ*: ille promisit, qui mentiri non potest:

Pulcherrime de Romanæ Ecclesiæ dignitate Calecas.

Mat. 16.

Itaque, vt ex præmissis innotuit, præter omnem rationem est, putare, hanc à veritate excidisse; & occasione religionis circa fidem, dum additionem abjicitis, ejus etiam intelligentiam negando, ab hujusmodi Ecclesia præcidi, sicut & alias ante: nunc quidem propter *consubstantialis* nomen, nunc autem, quod hoc nomen *Deus* de Spiritu sancto scriptum non esset, & alias aliter, propter quas nostis causas, præcidebamini.

Est autem plenum absurditatis, & amentiæ, putare, vobis quidem licere Synodos cogere, ac de fide decreta conscribere; cum nulla illinc sententia manarit, non consentiente vel per se, vel per alios Romano Pontifice; quæ non vt noxia existimata, tenebris damnata sit Et vero, & Ecclesiæ suæ, quæ à nemine vnquam quomodolibet communiter, vel seorsim de fide reprehensa est: &, sine quo, possibile non est, Ecclesiastica statui, & ordinari negotia: non dicere, Concilia cum suis agendo, quod ad se pertinet, Ecclesiastica tractare, ac dirigere: Sed, vobis quidem præsentibus, primum confiteri, & omnium esse principem concedere:

Notent hæc heretici, & in jura pectora demittãt isti impij Lutherani & Calvinistæ, qui se per summam impudẽtiã Evangelicos audẽt appellare.

A omnésque, propter dignitatem in eum respicere debere, arbitrari; vtpote totius Collegij caput, & supremum verticem: Absentibus autem, neque vltimum illi locum relinquere, ne minimum quidem, vt vos seorsim fidei decreta, & dogmata scribitis, ipsi licere in Ecclesiasticis agendo, quæ sua sunt statuere, atque decernere, omnibus illi, quæ habebat ablatis. Hoc autem est vestri causa putare illum primatum, & auctoritatem in sententiis habere: non vos illius causa in Synodis ornari, & posse aliquid putare; sequendo id, quod præter antiquam Ecclesiæ consuetudinem est, veluti, si quis subditum potius, quam principem; & militem plus, quam Imperatorem in decretis bellicis posse asseveret. Sed ista superbiæ aperta documenta habent, & irrationabiliter distribuentium sunt.

Ista tunc nostris ab Occidentalibus responsa sunt, cum adjectionem aboleri postularent. Et tunc, eadem dicunt, & modis omnibus, ad vnionem vocant. Sed, neque modo, neque antea his, quæ dicuntur, assentiri delegerunt. Quomodo igitur, cum sint contrariæ opinionis, etiam vocati, his convenire voluissent, quos circa fidem blasphemare arbitrantur? sed tamen & B hoc factum est: eáque, quam dicunt, evocatio, communisque Synodus, sive nostris ad obedientiam priorem remeantibus; sive, de hujosmodi additione doceri cupientibus, sive per seipsos veritatem agnoscentibus, Lugduni congregata est, & aperte ante plures annos consummata. Vbi, aderat quidem Romanus † Pontifex per seipsum, illius convocationis auctor, atque cum eo quadsingenti ferme Episcopi. Aderant autem & Constantinopolitanæ Ecclesiæ legati, qui illorum implerent locum. Tunc igitur, vt patet, ex illic scriptis commentariis, in quibus & eorum, qui convenerant, nomina, & verba, & dignitates, & omnia omnino memoriæ mandata sunt: communiter ab omnibus est declaratum, antiquissimam Ecclesiæ traditionem esse; & ad S. Trinitatis saluberrimam, & veram fidem, summe necessariam, Græcorúmque, Latinorum Doctorum æqualiter, dogmate, & doctrina roboratam, Spiritum sanctum, ex Patre, & Filio similiter, veluti ex vno principio procedere. Damnant autem, & anathematizant, qui tunc convenere omnes, qui deinceps C duo principia conarentur introducere, & hanc absurditatem Ecclesiæ auribus ingerere. Ea vero sententia, communibus omnium votis enunciata, digesta in eisdem scriptis est.

Synodus Lugdun. celebrata an. Chr. 1274.

† Secundũ Onuphrium. Est is Greg. X. In eisdem Cõcil. etiam Mich. Palæolog. Imp. Constan.

Nusquam vero illic quispiam additioni indignari; sed, vera omnia, & voces, & actiones, quæ Lugduni tunc gesta sunt; &, qui ex nostris affuerunt Concilio, Legatique, & Episcopi confessi, fœderati redierunt; agentes Deo gratias cum omnibus, pro communi fidei concordia, qua in prædictis tribus capitulis simul consenserunt.

Cumque animis conjuncti essent, coacti non sunt symbolum cum additione legere; sed, sicut temporibus Beati Maximi, sic tunc se habebant res. Enim vero quoniam communis vtriusque Ecclesiæ sententia, Spiritum sanctum à Patre, & Filio procedere, verum esse promulgatum est; alitérque sentientes, maledictioni addicti sunt: constat profecto, quia, qui modo istud confitentur, digni sunt, qui asseverentur, & nostras diligere Ecclesias, illarúmque sententiam, quasi vnius D confessionem complecti, atque continere: qui vero, illam sententiam negant, neutram venerari perspicuum est: tertiam autem, nescio quam aliam Ecclesiam habere, ab vtraque separatam, ambabúsque bellum indicentem.

Liquido ergo comprobatur, & quam inquirant Synodum, jam factam esse, eísque non vna decernentibus adjectionem factam, quod quærunt, aliter se habere. Eos tamen vt concedamus neglectos fuisse; nonne extremæ contentionis, atque dementiæ est, non discutere, an vera sit additio: solúmque, quia evocati non sunt, indignari, & moleste ferre? Et quia, ea convocatione honorati non sunt; Deum inhonorant; E quodque vocatis esse visum est, id, quia neglecti sunt, falsum existimare, morbisque suis, atque passionibus divinarum rerum judicare veritatem? Aspernationis enim potius, & contumeliæ, seu cujuslibet humanæ passionis Occidentales insimulandi fuerant, si insimulari merentur; non blasphemiæ, & impietatis, eorúmque criminum, quibus nihil tetrius excogitari potest. Neque tamen contemptus illorum causa, gladium in se impellere debuerant, se ipsos à Christianorum vnitate præcidendo, séque, perniciose, lethalitérque vulnerando; & ex his, quæ contra SS. doctrinam culpant, & quæ ipsi contra sententes addunt.

Quoniam igitur & convenire, & quæstiones de fide solis Occidentalibus seorsum non licere definire, atque de omnibus decernere, aliter, quam putabatur, se habet ratio. Est enim ea opinio obedientiam refugientium fastus, & elationis causa, propter civitatis amplitudinem, imperiique dignitatem, occasionésque quærentium, ac primatum ambientium, quia tamen vocati venerant, vt dictum est; oportuerat sane vnionem vsque in finem servare positis contentionibus.

F Nunc autem permanserunt quidem in ipsa Ecclesiæ vnione tempus non modicum: postea rursus qui justam subjectionem servitutis jugum arbitrabantur, regem novum nacti, ipsúmque libere, & qua ferret impetus, suapte natura ad res novas pronum persuaserunt, vt imperij, quod illis cooperantibus, neglecto fratre, fuerat adeptus, mercedem eis vnionis perversionem daret. Séque perversis omnibus, ad priorem rediere contumaciam.

Est is Andronicus senior Palæologus qui imperium iniit secundum Onuphr. an. Chr. 1283.

† Videtur esse isti quatuor, Beccus Ioseph. Greg. sive Georgius Cyprius, Athanas. Lege Nicephor. Gregor. lib. 6. & 7 Hist.

Præterea, qua ratione hic vnionem vel servaret præsentem, vel absentem requireret, & revocaret, qui imperij sui tempore † quatuor Patriarchas abrogavit, hunc instituens, illum ejiciens; quod ei non licebat, si Romano Pontifici jus suum redderet, quod vnionis fœdera compellerent. Ex qua vna re, de reliquis etiam licet conjicere.

Porrò si quis eam Synodum asserat fuisse violentam: eadem ratione Synodos item reliquas evertere cogemur, quæ in eis concessa sunt, ambigua ponentes omnia, eo quod per singulas leges aliqui fuerint, qui Synodicis sententiis, decretisque interessent: póstque emissam de veritate sententiam, semper fuerint aliqui contradicentes veritati.

G Deinde, nulla vnquam fuit Synodus, præsente, & comprobante Romano Pontifice, vel alio, qui locum illius impleret congregata, cujus non fuerint omnes ratæ sententiæ. Contra vero in his, quæ sine illo, ac præter ejus nutum coactæ sunt, plerásque latas sententias reprobas, & merito explosas scimus, & facile ostendere possumus. Hinc ergo, præsente illo, ac præsidente, sententias ibi pronunciatas, quo pacto irritas esse velint, non video.

Nisi forte Nicenum quoque Concilium dicimus fuisse violentum, partim, quia Constantinus magnus interfuit, contradicentes omnibus viribus coërcens; partim qui a plurimi contradicentium post prolatam sententiam relicti, nihilominus contradixerunt: sicut & in singulis vniversalibus Conciliis contigisse cernimus: non tamen iden sententias illas, vel violenter prolatas, vel irritas audemus dicere. Cur id? quia caput Ecclesiæ intererat, quo sine, negotia Ecclesiastica dirigi, statuique non possunt: & qui, si adsit Synodo H cum quolibet, omnem de fide sententiam inde manantem falsam esse non posse, & esse verissimam credimus. Aliter enim omnia Ecclesiastica erunt ambigua, neque nosse certius poterimus, quæ vera sunt; quanquam cur non potius pacis illius eversionem violentissimam dicamus, quæ & vniversalis Concilij decreta pervertit: quod & Romanus Episcopus præsens comprobavit.

Et certe in vniversalibus Synodis nullæ, illo præsente, latæ sententiæ reprehensæ, vlla vnquam vel locali Synodo, vel cujuslibet audacia rejectæ sunt. Plurimi vero venerabilium Episcoporum, quæ fiebant,

incepa

A

increpabant; quibus facile, pro honestate, & sapientia, dignitatibúsque thronorum concedebatur. quorum etiam nonnulli contradictionem adversum illos relique runt in commentatiis: alij, publicationes, & carceres, & exilia pro vera opinione & fide pertulerunt: per quam, Ecclesiarum pax subjecta Patrum Theologia facta est.

Prorsus vero, & ex nostris nunquam defuerunt ex his, qui *aliquid esse videbantur*, quin Romanæ Ecclesiæ faverint, suorum quidem separationem irrationabilem, & præter Ecclesiasticas leges, Patrúmque Theologiam esse arbitrantes; se autem ad illos conferentes ignominiis quidem affecti, sive etiam fugati ob veri confessionem, atque confidentiam: quibus & qui hæc scripsit, adjunctus est, gratiásque Deo, quod his dignus habitus est. Fortiter autem ferentes omnia, præter hujusmodi repositam mercedem, quemadmodum & prioribus temporibus plurimis contigit, eum pro veritate fidei libere agerent, contradicentésque revincerent. Pro quo fane admirationi & venerationi, postea ris fuerunt. Cur igitur vnionis eversionem non maxime violentam fuisse dicamus non video: quandoquidem, qui ejus eversionis auctores fuerunt; lucra inde, & honores, & gloriam sibi comparaverint. Contra vero qui vnionis studiosi sunt, injuriis omnibus probris, atque contumeliis aguntur, omnibúsque afficiuntur incommodis.

Calecas persecutione & exilium passus propter veritatis confessionem.

B

Præterea, vt dictum est, licebit Concilia omnia evertere, si de fide ambigendi pandatur aditus, derogeturque Synodis fides. Atqui Photius quoque occasionem aliam esse, quam additionem, satis aperte demonstravit: qui primus illectus desiderio Patriarchalis throni sapientior his, qui ante se fuerant, existimatus est. Atque ideo omnia quidem, quæ iste fecit, & quomodo sanctiss. Ignatium variis modis sede deturbavit, quæque machinatus est, & quæ de illo narrant historici, satius omittere existimavi. Sed tamen, quoniam calcatis juribus omnibus per nefas Patriarchalem diripuit thronum; quem adipisci non poterat, nisi permittente Romano Pontifice; necesse enim erat, ex more, ab eo auctoritatem, confirmationémq; venire. Id autem illi erat ambitione sua turpiter excidere; Imperatoris familiaritate fretus, qui & ipse addere potestati suæ cupiebat: quia thronum illum alias consequi se posse desperabat, ad symboli adjectionem confugit: &, quam ante cum cæteris, vt plurimis ante temporibus ita se habentem venerabantur, induxit seditiosiores quosque Ecclesiastici ordinis, hanc impiam existimare, ac per epistolam, quam *circularem* appellavit, contra Romanam Ecclesiam multitudinis odia concitat; ne videretur transgredi subjectionis terminos, si se ipse erigeret, dignitatísque illius sibi ipsi auctor esset. Hinc jam in throno sedens, Ecclesiastica administrabat.

Vide Conc. 8. nuper a Matth. Radero Græco latine editũ, & plene intelliges, qualis vulpes fuerit Photius, vt nihil

C

dicam de Annalio Baron. qui vniũ à Phono nefarie gestarum Cornucopię est. Graphice depinguntur Phot. art. Ambitio totius schismatis principiũ fuit Epistola hæc circularis

D

extat apud Bar. an. 863.

* Omnia hæc elogia Photij invenies in Baron. & Radero.

*Nicol. I.

*Hadr. II.

* Ioan. VIII.

Id Romanus Pontifex ægre tulit, iratúsque, ipsum per epistolas * invasorem promulgavit, *novum Iudam, schismaticum*, ac *seditiosum* vocans, atque maledictionis anathemati subdens, neque Christianum esse contestans. Non solum, quia per nefas invasit sedem, sed quia plurimis aliis criminibus erat obnoxius. Adhuc enim vivebat Ignatius, qui apud illum, quam vim pateretur, exposuerat: sicut antea fecerat Athanasius magnus, Paulúsque confessor, & Chrysostomus ad Romanum Pontificem scribentes, cum Ecclesia injuste pellerentur: omnes denique affecti injuriis, & per vim sedibus detrusi ad Ecclesiam Romanam recurrebant. Ex eo, jam maxima Orientalium Episcoporum pars à Photio se subtrahebant, schismaticum illum appellantes; neq; cum illo sacrificia offerre volebant; eratq; tumultus ingens, insinuantium, quod sibillo plurima contra Canonicas sanctiones provenissent, vt ex his aperte datur intelligi, quæ de hac re tunc literis mandata sunt.

Defuncto autem * Romano Pontifice * successor ejus ad Photium æqualiter iratus, eum literis itidem exagitabat. Postea vero quam Ignatius mortuus est, Romanæ quoque sedi præfuit alius. * Is indignatione

E

contra Photium, ac simultate deposita, Patriarcham appellavit, quo nomine illum Prædecessores sui, dignati nunquam fuerant: misitque omnia, quæ Romano Episcopo, his, qui nuper instituebantur, mitti erant solita, pallium scilicet virgam, atque sandalia. * Tunc & ipse voti compos effectus, pugna adversus Romanum Pontificem posita, Patrem illum, ac sanctum appellabat: *Quemadmodum*, inquiens, *vniversorum Dominus inclinans cælos visitavit nos; non contentus gloria, quam in cælis apud Angelos habebat, nisi humanam quoque assumptam naturam ad se attraheret: ita & communis Pater noster sanctiss. Papa, nos qui longe eramus, affectu paterno visitavit.*

Aliud loquuntur Annal. Baron. an. 879. & seqq.

Nullia tunc de adjectione symboli mentio fiebat. Orientalium tamen Episcoporum pars maxima illi reconciliati non sunt; sed, se ab eo observantes, Patriarcham appellare nolebant. * Oravit ergo Romanum Pontificem, vt, cui Ecclesiarum cura maxime incumberet, mittere juxta consuetudinem Romanæ sedis legatos ad vrbem regiam, qui & illum visitarent, & de omnibus vna decernerent; dissentientésque Episcopos, & sibi invicem, & Patriarchæ vnirent. Mittuntur duo, * Synodúsque tunc facta est infra septa templi famosissimi divinæ Sapientiæ insigniti nomine, pro componenda inter se Orientalium contentione. Quam etiam Synodum quidam octavam appellant. Photium tunc Patriarcham declarantes, qui Romani Pontificis locum tenebant, pace reddita, monent, de cætero, abstinere scandalis, huicque veluti Patr. omnes intendere, fœderatos charitate indissolubili. Nulla tunc mentio de adjectione facta est. Si quis enim in extremo gestorum Synodi ipsius ordine, * de additione dictum putat quod scilicet non oporteat auferre, vel addere; quod etiam quidam ad seducendos simpliciores obtendunt: sciendum est, hoc à quibusdam postea gestis Synodalibus appositum; hinc ostendere nitentibus, hujusmodi additionem fuisse prohibitam: hoc autem rationem non habere, perspicuum est.

F

Primum quidem, quoniam in gestis hujus Synodi, * commentariolum quoddam est, eorum, quæ in eo Concilio erant discutienda, expositionem per ordinem continens, quod legati Synodo proposuerunt: commentarium sibi à summo Pontifice datum asserentes, vt meminissent, quæ in ea Synodo vel dicenda, vel facienda essent. * Neque enim in eo quidquam de additione, vel de symbolo, omnino scriptum est. Et certe id in prima statim fronte ponendum fuit, sive à Romano Pontifice illis de hoc fuisset quidquam imperatum, sive etiam Synodus illa, quam quadringentorum ferme Episcoporum implebat numerus, blasphemam hanc additionem putabat; cur non principaliter de illa verba fecit? Ita enim in præcedentibus Synodis de fide primo loco semper agebatur. Cur autem in Deum blasphemantibus conveniebant, ipsísque de concordia ad invicem tuenda obtemperabant, vel omnino sub silentio se continebant? quando vero, nihil dixisse comprobantur, cui non perspicuum fit, veram eos illam additionem existimasse? Neque enim dici potest, illos ignorasse Latinos cum additione symbolum legere, cum id oriens totus jam tunc saltem à beati Maximi temporibus didicerit?

G

H

* Simulare hæc omnia agit Phot. * De hac pseudosynodo vide Bar. 879. * Male vocatur oct. Vide Rad. prol. in veram & legitimam Synodum 8. * Parum refert, quid vel de addendo vel demendo in illa Synodo fuerit decretum, quia legitima non fuit. Vide Baro. 879. & 880. * commentariolum seu commonitorium hoc habes apud Baron. 879. N. 47. sed fallatum à Photio. * Aliquid actum esse in hac pseudosynodo de illa additione: *filioque*, tradunt recentiores schismatici Græci, qui etiam mentiuntur Ioan. VIII. Pontif. consensisse, vt illud: *filioque* ex symbolo expungeretur: aliquid certe de hac additione fuisse actum, testis est sexta sessio illius falsæ Synodi, cujus summam recitat Baronius, Anno Christi DCCCLXXIX. Nisi dicere velimus, quod quidam haud temere suspicantur, totam hanc Synodum fuisse Photij commentum, nunquam nisi in cerebro ejus celebratam. Aliter tamen sentit Caleca, vt vides.

A

Deinde, vt concedamus, Photium additionem, non admisisse: rationabile certe non erat, posteaquam à Romano Pontifice Patriarcha confirmatus fuerat, verbum de additione movere; ne, vix tandem voti compos effectus, per illum rursus abrogatus, amitteret omnia. Satis autem erat Legatis * atque ipsi in primis Romano Pontifici, subjectione sibi reddita, de cæteris illos recte sentire arbitrari. Itaque nihil vltra inquirentes, reliqua suis locis manere permiserunt.

* Circumvenit Photius vafricie sua legatos Sedis Apostol.

Et illud autem indicat adjectum à quibusdam, quod diarium, quod post plurima Imperatorum anni, subscriptionésque Episcoporum annotatæ sunt, & gloria reddita sit Deo, pro Ecclesiæ vnione. Quæ omnia in fine gestorum Synodalium scribuntur. * Quod autem de non adjiciendo, vel auferendo adjectum est seorsim positum, & ab aliis aperte disjunctum, & separatum est. Non igitur suscipiendum est post eorum, quæ inquirebantur, enodationem, post compositas res, post finem denique Concilij, post illa, quæ in fine Synodorum apponi consueverunt, rursum illos putare de his agere cœpisse, de quibus nulla esset facta mentio. Aut enim principaliter ea res agenda fuit, aut non ita prætereunter, & intempestive, & præter locum debitum agenda. Etsi enim à Synodo dictum concedamus, nihil tamen de hujusmodi quæstione declarat; neque his adversatur, quæ dicta sunt. Aut enim, vt dictum est, fidei alterius adjectionem interdicit, rectæque abolitionem, sive alias, non se Ecclesia hac potestate privat. Quanquam dicere possumus, hac sententia, si Concilij sit, qua declarat sit, nihil oportere auferri, id præceptum fuisse, ne auferretur Occidentalium additio, quam accusabant.

*Non est de his laborandum, Synodus hæc fuit pseudo-

B

synodus. Caleca non satis bene instructus pseudosynodum pro legitima habuit. Quod multis aliis evenit.

Si igitur, vt supra declaratum est, & ante Photium multis ante temporibus, symbolum ab illis cum additione legebatur: ipséque primus, cum voti non potiretur, additionem discessionis reperit causam, vt passim sibi liceret votis perfrui: compos autem sui desiderio effectus, nullum vltra ea de re verbum movit, * subjectionémque debitam per omnia summo Pontifici reddidit, nonne liquet ex omnibus, non additionem, sed superbiam potius, & à nemine velle judicari, schismatis fuisse causam? Obiit autem Photius, cum esset Ecclesiarum vnitas, quæ post illum per decem & septem Patriarchas duravit.

C

* vulpino more.

Ex quo sane constat, celebratam sub Photio Synodum symboli additionem veram, & rationabilem existimasse, ipsúmque illum Romanæ Ecclesiæ communionem elegisse, priore abjecta controversia, quæ illi vt homini obrepserat.

Deinde, vt ait prædictus historicus * *Scylex*, Michaël Patriarcha cognomento * Cerulus, aliis rursum emergentibus casibus, quales hominibus sæpe superveniunt, simúlque invidente pacis adversario, Romanum Pontificem propter * azyma dyptychis dejecit. Habebat autem fautores patritios duos, & Ecclesiæ corruptiorem, & seditiosiorem partem: additq; aliam viri differentiam, ob quam merito videntur elegisse seorsim vivere. Quanquam, si additionis causa Romanum Episcopum dyptychis ejecit, cur non etiam prius? Si autem propter azima, ab initio Romana Ecclesia his sacrificare consuevit. Verum etiam si quis diligentius inquirat, aliam deprehendet esse separationis causam. Iam enim dudum assuefacti jugum obedientiæ excutere, locum sibi dignitatum, & excellentiæ nominum ab initio schismatis hi, qui præerant, aperuerunt, honestate nominum Sacerdotium suum ornare contendentes. Alius enim *vniversalem Patriarcham* seipsum appellavit, quod ante schismatis tempora consuetum non erat. Alios se ipsum * Orbis judicem constituit. Alius *tertium decimum Apostolum* vocari concupivit. Et certe antiquis sufficiebat Episcopos se ipsos solummodo vocare: quos

* Scylax.
* Cerular.

D

* hoc factum est tempore Leonis IX. circa annum Christi MLIII.

Persbiogitur ambitio Græcorũ

E

hi etiam, qui sub ipsis erant, imitantes, non perstiterunt in traditis antiquitus ab Ecclesia nominibus, quandamque sibi superbam dignitatem singuli excogitantes * subscriptionibus addunt: dum alij se *professores*, alij *duces*, *preceptores* alij, alij *primarios* adscribunt, documentum profecto ingenitæ sibi, ac penitus insitæ vanitatis præ se ferentes: per quam non solum Romanæ sedi honorem debitum non reddere, sed ipsi quoque se præferre cupiebant, prorsúsque omnibus præesse. Vt enim sibi ipsis indulgentes, reliquos jam licite increpare viderentur; non adjectionem solam, sed alias quoque plurimas causas invenerunt.

* Imò jam tempore Gregor. Magn. hunc titulum sibi arrogare cœperunt. * Hunc titulum vsurpat Schism. Pat. Alexand. Meletius. * De vanitate in titulis recentiorum Episcop Græcæ, consule Curopalatam de officiis Aulæ Constant. ad cujus calcem integrum Catalogum invenies, quo quisque titulo afficiendus sit.

F

Nam, cum semel adversus Occiduam Ecclesiam de primatu contendere statuissent, ipsáque contentio sensim in ipsorum animabus odiũ gigneret, suisq; gratificari volentes, vt qui possent gratificantibus regia-tificari, proni, & faciles, ad maledicta, & crimina fuerunt;* & ille sapiens, ille optimus, ille cunctis præstare videbatur, qui contra Occiduam Ecclesiam posset aliquid convitiorum jaculari. Cum enim nullus esset, qui corriperet, alius quidem zelum, sed non secundum scientiam habens; alius vero præsumptione consuetudinis inductus; alius, magi[illegible] ab aliis vocari cupiens, & superbiæ vitio cœcatus; alius, vt vel præsentis dignitatis præmia compensaret, vel novam sibi quæreret; alius, veram quidem opinionem habens, sed tempori indulgens, contráque ac sentiebat, proferens cum alias sibi tuto vivere minime liceret, ac, ne plurimis probro esset, & contumeliis, atque injuriis afficeretur, bonisque suis frui non permissus extra synagogam fieret, per multam licentiam, ac facilitatem, singuli irrationabilia, vel iniqua & scribunt, & dicunt.

* Habes hic verã imaginẽ eorũ, qui nunc Ecclesiã oppugnant.

G

Atque Nicenus quidem Eustratius per filium procedere, quod dicitur, exponens, *Sicut prodit homo per januam*, dixit: Dominúmque citavit testem dicentem: Ego sum janua. Ignorans quia janua secundum hominem Dominus etiam secundum nos dictus est. *Vnus vnus enim mediator Dei & hominum est*, vt ait Apostolus: *& per ipsum accessum habemus*: quia per ipsius divinitatem & humanitatem, vno Deo agnito, errore idolorum liberati sumus, virtutisque viam ad Deum perdocentem edocti: ac per voluntatem Dei bonam, & beneplacentem, inimici cum essemus patris, reconciliati ei sumus: hoc denique, id, quod sequitur, intelligi vult.

Eustrat. Nic. Metropolita, cujus extant cõmentarij in 2. libro posteriorũ Analytic. Aristot.

Per me, si quis introierit, salvabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inveniet, Dei contemplationem, cœlorúmque regnum, ad quod aliter ingredi non possumus per Evangelium, & Christi mysteria.

namio.

H

Metropolita vero Methonensis arguens: *Si Spiritus*, inquit, *sanctus esset ex Filio, non super eum baptizatum à cœlo lapsus esset.* Ignorans & ipse, quod magnus ait Athanasius, quia *ipse ipsum desuper, vt Deus, mittit. & ipse ipsum infra vt homo.* Ex ipso igitur, in ipsum descendit. Ex Deitate ejus scilicet in ipsius humanitatem.

Nicol. Methon. in Peloponeso, cujus argumenta contra Latinos solvit, Hugo Ætherian. in suo opere adversus Græcos.

Alij vero, qui subtiliores esse voluerunt, aiunt: *Spiritum sanctum non in columba specie super* IESVM *baptizatum descendisse, sed ipsum illud volatile, columbæ speciem visam sensibilibus oculis in specie sensibili, quod ad insinuandam dispensationis veritatem indicium S. Spiritus fuit; Spiritum S non ipsius spiritus significativum asseverant*: quia enim sensibili specie apparuerit Spiritus S. & Chrysost. super Ioan. attestatur.

Alius vero Patriarcha, *nihil ait esse mirabile, si apud sacras literas, Doctorésq; sacros dicatur filius habere Spiritum S quia hunc & Dei genitrix habuit, & Sanctorum*

singuli:

A

singuli : Vult iste, quemadmodum Sancti habuerunt, ita & filium Dei babere spirirum sanctum. Ita secondum participationem illum babere spiritum blasphemat.

In disputationibus vero & hoc nonnulli blasphemantes dicunt : *quia impossibile est, ex filio esse Spiritum sanctum, quo filius posterior, est, Erat enim, quando non erat ex B. Virgine genitus.* Aut enim vt aperte coniicitur, æternam filij nativitatem negant, temporalem illi solam attribuentes : aut assumptam conditionem humanitatis in Deitatem traoslatam arbitrantur : aut eos, qui ex filio Spiritum sanctum procedere confitentur, putant, ex Christi bumanitate procedere, asserere.

* vide obstinatam impietatē.

* Quidam vero, qui magnus in sapientiæ nomine habitus est, ne, si Apostolus quidem Petrus diceret, etiam ex filio esse Spiritum sanctum, se crediturum asseueranit.

B

* Hoc graphicum est & genuinum schismatici hæreticique supercilium.

Alius, Occidentales culpans, quia ex filio spiritum sanctum procedere fatentur, ** Augustinis quibusdam infelicibus, profanisque Hieronymis, ac tenebrosis Ambrosiis niti ait.* Ignorat miser, dum ista loquitur, nostros quoque Orientalis Ecclesiæ magistros eisdem se criminibus subdere.

* Michaël. Palæologi.

Qui vero iuniores sunt, etiam ex mortuis id asserere conantur. Ac præter mendacium, quo asserunt, *Lugdunense Concilium Tyrannicum fuisse, ip[s]m quoque, qui illud constauit, * regis cadauer, integrum, vt aiunt, perdurans, illius animæ iniquitatem annunciare, quia huiusmodi Concilium coegit ; autumant.* Sensibus quippe de fide iudicant. Quod in cæteris sanctitatis signum arbitrantur, hoc in quibus ipsi volunt, indicium damnationis accipiont, quasi Deo pro illorum voluntate decernente. Quanquam si defunctorum cadauera minime dissolui, indicium sanctitatis arbitrantur : qui de Petri, Paulique corporibus dicturi sunt, Sanctorumque plurimorum, quæ dissoluta in frustra, & in pulverem sunt? Si autem dissoluta plurima corpora Sanctorum vident, vnde ea quæ id passa non sunt, sancta probare poterunt? Quid autem de infidelibus dicturi sunt, & quos ipsi publicis maledictis subdunt : quorum incorrupta cadauera perdurant? Porro si hæc damnationis arbitrantur signa, quomodo Sanctorum corpora honorant?

C

Sed ista quidem hominum eorum sunt, qui, vt intelligi datur, sensu viuunt, & fidem tactu, coloribusque dignoscunt. Si autem *ex fructibus eorum dignoscendos*, ait Dominus : fructus autem primus cuique, vera, quam de Deo habet, opinio est : & opera, quæ fidei superædificantur : desinant tandem tentare Dominum Deum : atque ex his, quæ sunt materialia, & alias aliter secundum tempora, corporum, & locorum, & rerum dispositiones contingunt, earum rerum, quæ sunt à materia remotæ documenta capere.

Deinde, non omnis, qui sana fide est, iam etiam Sanctus, & beatus est. *Non enim omnis*, inquit, *qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum.* Et, *multi dicent mihi in die illa, Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & dæmonia eiecimus, & virtutes multas fecimus? Et respondebo eis, non novi vos: discedite à me operarij iniquitatis.* Quid ergo mirum, si quis rectam fidem habens, & aliis quoque ipsius dux effectus : circa vero reliqua corruptus, ac perditus, damnatus est? & æterno supplicio affectus? Nam ideo tamen illius fides reprobanda est, & falsa existimanda? alioqui fidem solam ad salutem sufficere dicemus. Verum fidem, sine operibus esse mortuam audiuimus. At vero, neque Rex ille, sub quo synodus congregata est; ipsius omnino auctor fuit. Nam, sub eo, qui ante illum regnauerat, collecta est, quam iste compos rerum factus, peregit. Indicio etiam nobis sunt Nicephori Blemmydæ monachi, & presbyteri, cuius in omni virtute, & sapientia nomen insigne apud omnes est: duo ad * Theodorum Lascarim Regem libri de Spiritu sancto conscripti, quibus indicatur, ex filio, & per filium substantiam habere, à sanctis Patribus traditum.

D

* Imperare cœpit, an. Chr. 1255.

E

Addunt præterea, qui ita sentiunt; * *nullum apud Latinos, post schisma signum fuisse* : Quod enim non videtur, neque esse putant. Volunt enim ex Thracia, quæ in Italia, & Germania, Hispania, & in Galliis, ac Britannicis insulis sunt inspicere: vbi post schisma plurimi virtutibus, atque prodigiis insignes Occidentem illustrarunt totum, non ambiguis quibusdam, & obscuris, sed qualia ab Apostolis, eorumque successoribus facta legimus. Quamquam ista quidem modo inquirenda non erant : neque sanctitatis indicio sumenda: *Signa quidem non fidelibus, sed infidelibus* : Et, *nolite gaudere, quia dæmonia vobis subdita sunt : sed gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cælis:* &, quæ in hanc rem à Saluatore dictæ sunt sententiæ.

* Hoc quod de miraculis, græci obiectabant falsissimum esse conuincunt vel soli illi duo miraculorum ingentium patratores Franciscus & Dominicus. Imo in græcos, hæc obiectio optime quadrat. Lege Bellar li.2. de de Christo c.30. & l.4. de Ecclesia c 4.

F

De Eucharistia.

QVidam etiam Dominici corporis, & sanguinis mysterium ex his, quæ dicunt, tollunt: *non etiā apud Occidentales benedictam aquam incorruptam durare dicentes : idque illorum hæreseos indicium asserunt.* Ignorant enim : quia, mysterium quidem illud, omnibus in Christi Ecclesia mysteriis mirabilius, ac sanctius, in quo cum accidentia * in subiecta panis substantia maneant, eo quod quasi sub sensibilibus velamentis traduntur nobis veneranda mysteria, subiectum panis in corpus Domini mutatur. Hoc autem, nisi quis adhibeat congruam diligentiam, necesse est, quæ subsunt in illo accidentia, quod suum est, faciant. Num ergo istud non arbitrabimur Domini esse corpus, quod ipse suæ Ecclesiæ tradidit? si autem istud confitemur, vt accipimus : &, si accidentia, quod suum est, in ipsis ostendere possunt, cur non & in cæteris, si istud contingat propter materiæ subiecta, in quibus mysteria traduntur, non idem confitebimur?

Accidentia Eu[charist]iæ ... dem ... & ... in subiectum, ... subiecto

G

* Hoc est accidentia substantiæ panis, vel accidentia, quæ antea erant in panis substantiâ.

De benedictione aquæ.

Nam, si quod dicunt, *aquā durare minime incorruptam, rem facit ambiguam* ; videant, quid inde sequatur. Vnde enim poterunt Domini corpus firmiter credere, propter eorum accidentia, quæ illic subsistunt? Non itaque efficiunt, quod volunt, sed sacramentum Eucharistiæ ambiguum faciunt. Ignorant autem, quia, quæ in Occidentis Ecclesiis aqua benedicitur, nihil magnum pollicetur: simpliciter autem est aqua benedicta, singulis hebdomadis à sacerdote pro transeuntium devotione, ac fide, vt inde se aspergant, profusa. Ea vero, quam in die magni Sabbati benedicunt, & consecrant, aqua pretiosior, sacro, & tuto in loco posita, quam nemo passim attingit, magnā Ecclesiis cōmoditatē præstat : neque solum per anni circulum incorrupta durat, sed plus etiam durare posset, quod experimento didicimus. Ignorant autem, & quod omne, & quodlibet ex aqua seorsim acceptum, & sine omni macula commutans etiam quomodolibet, prius in se ipso, deinde, quasi purgatum, & colatum, in quantum quisque voluerit, servatum, incorruptum durat, semperque limpidius fit: quod & ipsum experientia docuit. Argumento autem nobis est, & quod in vino, quamvis crassioris materiæ sit, itidem contingit.

H

De tonsura crinium.

QVidam vero etiam crinium tonsuram, non ad consuetudinem referunt ; ornatumque, & turpitudinem non ex consuetudine indicant. Quod enim aliis honestum, quia consuetum : hoc aliis quoniam

A

insolitum est, turpe iudicatur. Verum & hanc inter hæreses adscribunt, aiuntque illos, qui hoc faciunt, *formam Dei violare*: cum certe non omnes ista consuetudine vtantur, *Deique imaginem, & similitudinem mutare*: quasi vel hominis dignitas, esse scilicet rationalem, & ad imaginem, ac similitudinem Dei, propter capillos illi adsit: vel Deus humanæ aliquid formæ, vel crassitudinis habeat, ad cuius imaginem homo cum sit, etiam capillis illi esse similis debeat. Nempe & apud nos oratio ad * tonsuram barbæ invenitur à sacerdotibus dicenda: ne scilicet ad sanctorum mysteriorum communionem accedentibus Saluatoris sanguini capilli intinguantur, siue inficiantur, atque iidem rursus in sumendo cibo necessario quodlibet imbibant liquamen, siue alias quomodolibet defluant, atque ita non parvus error sit. Simulque, quemadmodum vngues resecamus, ne nobis impedimento esse possint: nihil prohibet eadem ratione, si quid impediat, resecare, ornatius, atque humanius nos componendo, mediocritate scilicet in omnibus seruata.

* Lege Bar. Tō 1. an. Christi 57. N. 95 & anno 58. N. 116. & seq. lege epist. Petri Patriarch. Antioch. ad Michaelem Cerul. Patriar. Constantinop. tom. 11. Baron an Io. 54 n. 441.

B

De Sacris imaginibus, & reliquiis, & memoria defunctorum.

Inde etiam Occidentalibus calumniam struunt, * imagines illos non venerari asserentes: qui certe sacris imaginibus plenas Ecclesias habent. Sanctorumque reliquias abiectius tractare: quas ita venerantur, vt nullus alius, preciosisque lapidibus ornant, auroque, & argento tegunt.

* Fuit hæc antiqua Græcorum advers. Latinos calumnia, vt patet ex Nic. Choniate, sed tamen iniquissima. Qua etiam Latinos onerauit Michael Cerularius epist. ad Petrum Antioch. Bar. Tom. X I anno 1054 N. 34. sed à Græcorum criminatione liberat Latinos, Græcus Episcopus Ioannes Citrius, qui in Responsis suis Tom. 1. Iuris Græco Romani, ait, *venerationem preciosæ Crucis Sanctarum que* Latinis cum Græcis esse communes. Item Demetrius Chomatianus in Responsis ad Constantinum Cabasilam Archiepiscopum Dyrrachij *Sanctorum imaginum sunt & Latini cultores, & in suis templis eas erigunt.* Vocat idem Demetrius ex Theophylacto Bulgariæ Archiepiscopo *satanicam sycophantiam.* Si quis dicat, Latinos non colere imagines.

C

Nullam item defunctorum facere memoriam dicunt: pro quibus apud eos tot orationes, & eleemosynæ fiunt, vt dictu difficile sit, adeo vt infinitis pene monachorum, ac pauperum agminibus sufficiant. Neque vero solum corpori necessaria ministrant, verum & monasteria ædificant, quorum structura regiam opulentiam vincit.

Alij vero quorundam etiam defectus Occidentali Ecclesiæ applicant: quippe, ab aliquo illorum iniurias accepit, eum, qui se læsit, circa fidem vltus est. Et hic enim omnis, qui contristat, malæ protinus opinionis efficitur. Si qui vero Christianorum prævaricantur leges: non eos solum, verum illorum quoque Ecclesiam hæreticam,, & infidelem putant. Nautis enim & vilibus, quibusdam, ac vulgaribus hominibus congredientes, de omnibus, vt sibi similibus, sententiam ferunt. Cumque eos præsumptum odium inimicis animis esse fecerit, quod volunt, id putant esse. Prorsus vero quod non vident, vel videntes propter linguæ varietatem non intelligunt, neque esse omnino arbitrantur. Sic malis quidem intendunt: quæ autem sunt bona, & honesta, scientes, prudentesque prætereunt quasi vel ipsi humanam excesserint infirmitatem, aut non plurimi apud eos sint etiam ex honestiorum numero, qui legitima prævaricentur. Hoc enim solum tetigisse satis sit. Imo cum in vita hac bonis mali permisti sint, ac debitum sit errantes ad fidem, Ecclesiamque reducere: Occidentales per omnia volunt esse perfectos: & si quod in eis reprehensibile fuerit: mox hæretici erunt: &, si quis peccauerit, Ecclesia tota in culpa erit. Hac denique ratione, si quis præter Evangelium quippiam admiserit, Evangelium itidem insimulabitur. Illa enim, quæ recte agenda sunt, præcipit: hic autem, illa inhibente, voluptatem iustitiæ prætulit. Nempe enim mali Ecclesiæ nunquam defuerunt: neque tamen illa, minor, aut deterior fuit: neque malorum perversitas, bonis obesse potuit: neque fidem quorundam malitia obtundit. Illa enim sine crimine est: mali autem debitas exsoluent pœnas. Ita, neque, qui duce fide Ecclesiæ graditur, proximi delictis erit obnoxius: sed, vnusquisque rationem pro se reddet, iuxta operum merita.

Mos hic non nostri temporis.

D

Nota hæretic. huius temporis gratiam.

E

* Mali nō prædicant bonia.

Est igitur quorundam nequitia communis quidem Ecclesiæ cœtui scandalum: non tamen inde eius violatur fides: vel qui sibi vniti sunt, inde læduntur. Porro si quis malorum causa, Ecclesiam, vt inhonoram respuit: omnem vna Ecclesiam abiicit, eo quod in ea malis semper locus fuerit. Sic autem etiam Ecclesiam suam abiiciet, tandemque, neque Christianum se ipsum appellabit, nullam sine crimine Ecclesiam habens: si quidem quorundam perditos mores fidei applicat, quos multitudini admistos esse necesse est. Sed ista crudelium iudicum sunt, & à proximi dilectione prorsus alienorum: & neque suam, neque communem infirmitatem sentientium, neque vtilia ex omnibus colligere volentium: Ex malis vero, quæ magis fortasse delectantur audire, scandalum capientium: quæ omnia infirmæ, & vitiatæ conscientiæ indicia sunt.

F

De Ieiunio.

Plurimi item sunt, qui Occidentales, quod non vt ipsi ieiunant, insimulant: hoc autem Pharisæorum criminibus simillimū est. Et certe Armenios in ieiuniis, & huiusmodi obseruationibus, nostros, sine vlla comparatione superare comperiet. Ita enim illi cibis, quando ieiunant, (ieiunant autem plus ceteris) abstinent: vt si quis ex nostris cum illis, ieiunio contenderit, ridiculus futurus sit: non tamen illos ideirco se meliores dicturi sunt. Omnino autem de cibis, & potibus, & indumentis, quæque ipsi faciunt: Latinos, quia consuetudinibus suis, quas ab initio acceperunt, vtentes, nō faciunt, hæreticos notant. Volunt enim, si fas sit, omnes totius orbis gentes, sub vnam inducere consuetudinem: &, quibus ipsi vtuntur, omnes similiter vti: nescientes, se ipsos etiam à plurimis in huiusmodi posse reprehendi: neque possibile est, eandem apud omnes morum normam obtinere.

G

Græcorum arrogans conatus.

Nihil tamen aut nostros, aut illos, vel linguarum differentia, vel morum, vel huiusmodi quidquam, quod non sit commune omnibus, probibet, sub vnam adduci fidem. Nam, & Apostoli, cum totum lustrarint orbem, omnes in rebus omnibus consuetudines suas minime immutare compulerunt. Sed neque si voluissent, eas gentes immutare potuissent: Verum, præcipua quædam, prædicationis Evangelicæ capitula decem ferme, vel duodecim tenere, atque confiteri adhortantes, nullum de ceteris verbum fecere, nisi traditis capitulis aperte repugnarent.

Præclarum est quidem, ab omnibus semper abstinere ieiunando: atque saginam carnis abiiciendo: quis enim id non laudet, quod à S.S. Patribus, vt activæ virtutis species non minima, summa diligentia, & cura apprehensum est? Et fortasse dixerit quispiam Occidentales plus, quam nostros ieiunare, si communiter omnibus omnes comparentur. Vtcumque tamen se res habeat, ieiunium, si cum proximi dilectione, & sine disceptatione, & condemnatione non ieiunantium fiat: mercedem habet. Aliter enim Pharisaicæ elationi comparatum, nocet: &, si quem fructum alium habeat, amittit: *si enim distribuero* inquit, *omnem substantiam meam in cibos pauperum, & si tradidero corpus meum ita vt ardeat: charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Addit etiam Apostolus: *Esca nos non commendat Deo. Et, qui non comedit, manducantem non spernat.*

H

1. Cor. 13.

Si quis autem manducans non manducantem scandalizat: hoc, illi quidem nihil nocet, maxime, si qua vrgeat necessitas, vel locorum, corporumue dispositio. Infirmis enim legem non esse, Apostolus ait: Et, *qui infirmus est, olus manducet.* Et, mundis munda sunt etiam immunda. Immundis vero omnia *immunda sunt. Inquinata enim est illorum mens, & conscientia.* Eius vero conscientiam infirmam claudicare arguit: quod puerilis est sensus, & eius, qui nec dum Evangelicam perfectionem apprehenderit: in qua mutua dilectione, & spiritali litera subiectis legales obseruationes prohibentur. Et, *non quæ intrant per os, coinquinant hominem, sed quæ egrediuntur ex corde*: odium scilicet, inimicitiæ, & quæ talia: ne sepulcra dealbata videamur plena putredine, & paropsidem extrinsecus mundantes, interiorem negligamus immunditiam, cæcitatisque crimen subeamus: si oculi nostri trabem non videntes, in fratris oculo festucam studiose inquiramus: quomodo ergo non maxime læditur, qui amissis caritatis bonis huiusmodi festucas insectatur?

Præterea, in Christi doctrina partim sunt præcepta, vel mandata, partim admonitiones, sive consilia. Præcepta igitur vnusquisque Fidelium seruare, ex necessitate requiritur. Alter quippe mortalibus peccatis sese confodiet. Consilia vero, si quis sequi eligat, perfectionem apprehendit. *Si vis enim*, inquit *perfectus esse, vade, & vende, omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me*: hoc tamen, si quis agere noluerit, spe fidei minime excluditur; si seruet, quæ sunt saluti necessaria. Huiusmodi vero ieiunium non est, nisi statutis quibusdam diebus, vel sextis feriis omnibus, & quadragesimæ ieiunio, quod à S.S. Patribus institutum, qui per contemptum violauerit, peccat quidem, non tamen ideo Fidei naufragium pertulit. Verum in id peccatum incidit, quod per pœnitentiam, & confessionem, Christi cooperante virtute, remissione potietur.

De ieiunio sabbati.

SEd & Iudaizare Occidentis Ecclesiam causantur, quorum plurimi per omne Sabbatum carnibus abstinent, sive pro sepultura & morte Domini, sive pro tristitia & tribulatione, quam sancta mater eius tota die illa habuit, quia Dominus in sepulchro mortuus secundum hominem quieuit. Istud facientes, sicut omni Dominico die resurrectionis eius, & omni sexta feria Crucis, ac mortis illius memoriam agimus. Nempe, ex cuiusque rei intentione quisque vel vituperatur, vel laudatur. Porro intentio prædicta fidei, religionisque cum sit, culpari merito non potest. Neque enim iudaizandi causa hoc facit: immo, ne ipse quidem res vllam habet Iudaicæ obseruationis similitudinem. Iudæi quippe, in quantum possunt, præparati, otiumque ab omni opere agentes, tota illa die Sabbati & comedunt, & bibunt: Hi autem abstinentes carnibus, castigatius in ea degunt, contrariaque illis facere, deprehenduntur. Non itaque qui ieiunat, sed qui illorum otium, edacitatemque imitatur, & *Sabbatizare*, & *Iudaizare* dicendus est. Nam *sabbatizare* pro deliciis, & otio, & requie accipitur: si quidem vera canit ille qui dixit: *in primo ieiuniorum sabbata, sabbatizemus socij, hesternis de laboribus requiescentes*.

Proinde si quis etiam præceptum de non ieiunando in sabbato manasse putat, id in Orientis partibus, vbi Iudæorum erant gens, & patria: merito promulgatum crediderimus: quos Apostoli, cum ad Evangelium doctrinam vocare cuperent; quia Iudaica natio sabbato maxime gloriabatur, ne scandalum in fide paterentur. Apostoli, vt animorum * provisores, omnia effecti vt omnes, seu plures lucrarentur, permiserunt ita esse, vt antea, & ieiunare vetuerunt: quod religionis ratione nihil eos lædebat, qui illud obseruarent. Neque enim, Apostoli, hos quidem à lege, illos autem ab idolorum cultu revocassent, si solis illos consuetudinibus omnibus, quæ Evangelicæ prædicationi non obsisterent, revocare voluissent. Nam, si circumcisionem quandoque ad tempus permiserunt, virtuti prædicationis * obiectam: *si enim*, inquit, *circumcidamini, Christus vobis nihil prodest*: istudque ideo fecerunt, vt plures ex Iudæis acquirerent, quos maxime aliis arbitrabantur excellere: Quid de sabbato dicendum est, in quo & ieiunare, & non ieiunare doctrinæ spiritus non adversatur.

Non tamen hoc per totum orbem prædicandum fuit remota Iudæorum causa. Non enim de comedendo, vel non, Apostolis ita ratio erat; sicut omnia facere pro incremento Evangelij, in ipsis prædicationis initiis; quorum plura tunc permissa, postea permissa non sunt; amota causa, propter quam permissa prius fuerant: sicut & medicus, qui alias præcepit, causis apparentibus, convenientia: quo more, Ecclesiam quoque putare possumus necessario pro temporum qualitate vsam, pro animarum singulari cura. Alias quippe nequaquam virtus Christi per Apostolos Ecclesiæ conseruaretur; neque posset, iuxta emergentes casus, noua disponere.

Non itaque si quis passionem Domini honorare cupiens, illiusque mortem, quantum fieri potest, in se ipso complecti, ac propterea carnibus abstinens, omnique cibo, fuisset ab Apostolis culpatus, imo ad destinatum Evangelicæ prædicationis brauium gradiens, mercede, & laudibus dignus habitus esset. Ipsi etiam sunt, qui dicunt: *litera occidit spiritus autem vivificat.*

Prorsus vero, si quid Occidentis Ecclesiis circa hæc fieri aliter videtur, hoc ab initio, à successoribus Apostolorum acceperunt, Linique & Anacleti, & Xysti de hoc decreta proferunt; quæ rationabile simul, & iustum esse definiunt, sabbati die, ista, vel ista causa expiari, non id tamen ex necessitate præcipientia.

Augustinus quoque antiquus & venerabilis pater in quadam Epistola, de sabbato ait: *quod quando quidam in Occidente moratur, iuxta Occidentalium consuetudinem, & ipse ieiunat. In Oriente vero si versaretur, illos ipsa die non ieiunantes ex antiqua consuetudine, & ipse sequeretur.* Ex quo perspicuum est, antiquam Ecclesiarum fuisse consuetudinem, vt alij hic, alij vero sic facerent: istudque non ex necessitate, sed ex antiqua consuetudine; & vt singulos voluntas tulerit, mosque obtinuerit. Sed & Gregorius Romanus Pontifex, cuius apud omnes præclarum nomen est, officia atque ieiunia, vt modo servantur, Occidentis Ecclesiis tradidit. Hunc enim omnes in omni traditione sequuntur.

De vetustate.

QVi verò ex nostris fortiores sunt schismatici; vetustatem quoque Occidentalibus obiiciunt: per quam concludere pro se arbitrantur, quasi non eadem sit & illis antiquitas: liceat que illam pro se ipsis inferre. Neque sentiunt, dum ista dicunt, idolorum se cultum, quam Christi religionem firmiorem, ratione vetustatis, ostendere. Nam si antiquiora quæque etiam veriora sunt, quid sequatur, manifestum est. Sed & Ecclesiarum vnione, sive etiam symboli additione præsuppositis, vt dictum est, cur non ista magis honorata seruantur? quanquam, quis nesciat, eum tantum illis odium contra Occidentalem Ecclesiam creuerit, vt nullus de vnione, vel per somnium cogitet, amentiaque late diffusa sit, adeo, vt rationem amisisse videantur; pessimaque dispositio omnino invaluerit, omnia illos voluntate agere, nihil rationis examine? Si enim cum iudicio procederent, alia fuisset ratio: nunc autem nullus est *intelligens, seu requirens Deum.*

Nam, quando erant, qui vnionis curam haberent; cōstat profecto, quia aberat contentio, atque in id ipsū distantis, ac disiuncta remeabant. Enimvero, putare, plu-

Rom. 14. Tit. 1. Ibid. — Matt. 15. — Matt. 19. — De ieiunio Sabbati lege Bellarm. de bonis operibus c. 15. Vide etiam Humbertum contra Michaelem Constantinop. Patriarcham & Nicetam Pectora tū Extat liber Humberti Tom 6. Antiquæ lect. c. v. Henrici Canisij & ad cal. cē Tom. XI. Baronij. — * Conatores — * Oppositam. Gal. 5. — S. August. Epist. 1 S. ad Ianuariū. — Mosh. ereticorum nostri temporis, qui Confessionem Augustanam vocant. Confession cum necdum sit annorū octoginta. — Psal. 13.

rimos, qui prolixo tempore ex nostris fuerunt, schisma satis roborare, ignorantium est, quod Occidentales plurimos & ipsi proferre possent, non ridenda, & indigna ingerentes, verum, validissimas, probatissimasque rationes producentes, & quorum sapientia mundum peragrauit: quanquam & id, quod nullus vnquam apud eos inventus est, qui nostrorum antecederet opinioni, suisque reluctaretur in ea controversia, pro qua Orientis & Occidentis Ecclesiæ inter se digladiantur, validum sane veritatis illorum argumentum est.

Quod si quis arbitratur, illorum quemque, vel suis, vt propriis & charioribus fauisse, vel pœna ac supplicio perterritum, nihil contra loquutum fuisse: primum quidem, & nostros suæ maxime opinionis tenaces dixerit quispiam conveniens; neque tamen vnquam defuisse, qui Latinorum Ecclesiæ accederent. Deinde, possibile non est, tanto temporis tractu, fuisse aliquos, qui veritatem pro charitate in Deum, ac fide, futurisque præmiis omnibus præferrent: atque ideo, constanter agerent, sicuti initio aliis alias causis plerique contra Tyrannos maximam ostendere fiduciam, quorum & nomina, & scripta exstant, quemadmodum & alias hæreses apud Latinos reprehensas profligatasque novimus. Namque & apud nos plurima ab illis conscripta servantur. Stultitiæ ergo plenissimum est, *sic accepimus*, dicere, nihilque vlterius inquirere; Quasi post morbum sani fieri erubescamus, neque saltem antiquos imitemur; qui, sæpenumero falsis opinionibus præventi; postea pœnituerunt, cum eis illuxisset veritas, minime erubescentes, sed referentes Deo gratias. Nam, iuxta Theologum Gregorium: *non mali transmutatio, sed mali seruatio facit turpitudinem.*

Est autem id etiam dementius, quasi communem dignitatem præponendo, singulos velle maiores suos circa fidem imitari. Ignorantium enim est: quia Christiani omnes, nunquam hoc ipsum essent, magnum & honestissimum nomen, & res, si dignitatis sapientiam sersissent. Huic enim obsequentes, liquet quia nunquam maiorum fidem idololatriam, vel alias, quomodolibet obortas hæreses, pro veritate commutassent, quas patrea illorum secuti essent. Verum his, illi vale facientes, Christo adiuncti sunt. Nempe enim & Beatum culpabant Paulum, quod non vmbræ legis assidens, Evangelij persecutor esse perstiterit. Et illud simul asserunt, non oportere Occidentales, omisso, quod dicunt, de sancto spiritu, his assentiri debere, quæ dicuntur ab ipsis. Vnde enim istis persuadere poterunt eadem præ se ferentibus; Quomodo & infidelibus de Christi fide loquentur, qui infidelitatem à maioribus suis acceperunt? si igitur talia possunt ad invicem vtrinque converti, quid roboris habebit ipsorum ratio? Nonne ergo magis proprium, & vtile est, omissis anticipationibus omnibus, veritatem ipsam, per se ipsam omni studio & cura indagare? Id sane virorum est, veritatem studiose sectantium, non vt aliquid dixisse videantur, frustra, & irrationabiliter loquentium.

Cum igitur ex nostris non pauci Romanæ semper Ecclesiæ adstricti sint, si quidem aliquis ex ipsis veritate dogmatis, ab eo qui cæcos illuminat, irradiatus, SS. doctrina duce, ac præcedente, calumniatores per Philosophiam, & Rhetoricam obtinere, & cohibere non possit, hunc satuum, ac simplicem dicunt: &, vt sedoctum, ac deceptum obiurgant. Veluti, si cum à fidelibus omnibus exigatur, vt idonei sint ad rationem fidei reddendam, paratique ad satisfaciendum omnibus quærentibus; tunc etiam Plato, & Aristoteles, & Cicero in lingua eis esse debet. Sed enim quorundam isti sapientiam, quia ipsis incumbunt solis summam esse dicunt: ad quos imperitos ire admonent, mittuntque, tumida ista, & inflata discimus.

Cæterum, si quis eorum, de quibus culpatur, rationem reddit, sanctorumque doctrinæ admonet, & quæ obiiciuntur, nihil habere virium ostendit, sive absurditatum lubricum insinuat; vt curiosum, & verbosum, conflictusque amantem, nihilque vtilem existimant: fideique simplicitatem laudant, & piscatorea ingerunt, quasi ipsi ad piscatorum gradū pervenerint, illorumque sapientiam, & signa illos sequentia sint consecuti: Non enim sciunt, piscatores quidem illos, priusquam accesserentur à Domino fuisse. Postea vero quam, illius discipuli effecti sunt, illos ipsos piscatores sapientissimos ab ipso fuisse declaratos. *Benedictus enim Deus*, inquit, *qui piscatores sapientissimos ostendit.*

Et hæc dicunt, non si quis in divinis rebus syllogismis vtatur, Platonisque & Aristotelis admisceat Philosophiam: præclare enim ageretur, si propter fidei reverentiam ista, de scripturarum auctoritate docerentur. Nunc autem & ad ipsos fidei terminos, scripturæque ac sanctorum magisterium impudentes fiunt, cum scilicet ab illis vigeantur: neque principio intelligant, quid velint. Huiusmodi autem cavillationibus pro suffugio, & diverticulo vtantur sepiæ in morem; quæ, vt piscatores effugiat, & lateat, atramentum ante se vomit. Ipsi tamen, cum aliquid dicere videri volunt, in angulo suos alloquentes, obliviscuntur quidem regulas, quas alii ipsi posuerunt, ceu sapientiæ, iactantes fanda, & infanda, & quæ supra diximus, & scribunt, & dicunt.

Atqui, si quidem omnem rationem reiiciendam arbitrantur; quodque præter rationem est, suscipiunt, quid tandem suos istos etiam septem Sapientibus præferunt, quibus conferentes cæteros, ludum esse puerorum dicunt, quibusque omnes cedere volunt? si enim ex illorum sapientia nituntur, plures, atque sapientiores, qui eis adversantur, fuisse comperient. Profecto enim Occidentalium sapientia excellet: si autem quod sapiens & cum ratione est, & ipsi suscipiunt, atque ideo de scripturis persuadere conantur: nequaquam eos, qui secum different, abiicere debebunt, quos id, quod secundum rationem ex his, quæ concessa sunt, pluribus ex partibus sequitur. Non enim his licere sibi vti dicent, aliis vero non itidem licere: quod irrationabiliter distribuentium est.

Contestantur autem & Arium, & eius similes, quotiens eos ratio defecerit, fuisse quidem eos sapientia insignes, vltra sanctos omnes, asserentes; sed veluti hæreticos ab Ecclesia eiectos inferentes: nihilque mirum est, si quis sapiens cum sit, aliud aliquid, præter id, quod ipsi volunt, de fide dicit. Et ipsum enim nihilominus propter sapientiam fuisse damnatum. Hæc autem dicentes, Doctores ambiguos faciunt. Nam, si infidelis est sapientia, cavendum nobis est, ne sapientiæ causa illis obtemperantes fallamur, & cæci cæcos sequentes præcipitemur, atque irrationabilitatem rationis normam assumentes, per hanc veluti in tenebris cæci oberremus: simul autem & contra sanctos mentiuntur.

Neque enim Arius & Eunomius, & alij huiusmodi Basilio & Gregorio, & cæteris sapientiores fuerunt: qui, si quidem irrationabiliter persuadere velint, quis attendere dignetur?

Si autem eos, mente & ratione præditos, atque cordatos dicunt, & se ipsos destruunt. Vnde enim suis, quos in sapientia mirantur, fidem habendam propter hanc ostendere poterunt, si communiter arguatur sapientia? Itaque, non magis contra istos, quam contra alios dicetur, si sapientiæ causa contigerit, vt veritate frustrentur.

Sed profecto sapientia per se malum non est. Non enim quis ea præter rationem vsus est, ipsa continuo in culpa erit. Sed, neque ille sapiens dicendus est, qui mendacia confingit. Neque enim scientia, atque sapientia; sed contra, inscitia & insipientia, qui mentiuntur, vtuntur, & alios fallunt: sicuti neque gubernator merito dicitur, qui navem perdidit, neque medicus, qui infirmum peremit. Neque enim in quantum gubernator est, vel medicus, sed in quantum peritiæ suæ norma vterque excidit, istud contingit. Non tamen propter imperitiam eorum, sive malitiam, vel gubernatio,

vel

vel medicina per ſe malum eſt. Nemo enim per iſta ſeruaretur. Igitur nec ſapientia propter eos, qui illa abutuntur, malum eſt: nemo enim vera diceret, ſapiens qui eſſet; ita & omnes Theologos mentiri diceremus.

Itaque ſi quis modos verborum, ac rerum ſciens, vtque in Deo aliud quidẽ ineffabile eſt, aliud nõ ita; iuxta Damaſcenum enim, neque omnia ſunt ineffabilia, neque omnia effabilia, cõceſſaq; fidei principia ſupponẽs, quid hoc ſuppoſito, ſequatur, quid auferatur, inſpicit, & infert ſequentia principiis conſona. Ac fidem quidem externis quoque rationibus oſtendi poſſe, confidit; ſolam autem propter reuelationem, ſanctorumque Theologiam credit: Philoſophiã vero veluti ancillam Theologiæ adiungit, ac per hanc refutat calumniatores; nihil eos adverſus fidem validum contra inferre arguens: ſicuti prioribus temporibus antiqui Eccleſiæ magiſtri faciebant: quippe iuxta magnum Baſilium in expoſitione ſuper Iſaiam: *Murus eſt dogmatibus noſtris externa ſapientiæ os, non ea permittens volentibus facilia ad capiendum, ac diripiendum fieri.*

Qui huiuſmodi eſt, nunquam propter ſapientiam, norma ſapientiæ ſanctorum in diuinis vtens, vt mentiens culpari poterit: alioquin & illos vt corruptores vna eiiceremus. Hoc enim ipſum Arium Eccleſia expulit, quod plurima ex his, quæ ſcripturæ authoritate & fide conceſſa ſunt, ſubiecta ipſius propoſitione, tollebantur.

Hic autem, vt oſtenſum eſt, nihil huiuſmodi contingit. Qui enim ex ſolo patre procedere dicunt ſpiritum ſanctum, eos omnia, præter ſcripturam, ac ſanctorum rationem, ſequuntur. Qui autem ex vtroque, videlicet ex patre per filium fatentur; eos omnia ſecundum rationem ſequi, comprobatur: cum neque aliquid ex ſuppoſitis tollatur; neque abſurdum aliquod introducatur. At, ille quidem minime vel Catholico, vniverſalique Concilio credidit, vel ad communem Eccleſiam attendere voluit. Idcirco etiam propriam quandam, præter communem, viam ire volens, hæreticus fuit. Hic autem, qui Occidentali Eccleſiæ adhæret, præter id, quod omnibus Catholicæ Eccleſiæ magiſtris congruit, vniverſali etiam ſynodo obtemperet; in qua Orientalibus, Occidentalibuſque convenientibus, communi ſententia definitum eſt, communem eſſe ſanctorum omnium opinionem, à patre & filio procedere ſpiritum ſanctum, Eccleſiamque id confiteri, à qua nulla vnquam fallax de fide ſententia manavit.

Sed, ne Baſilio quidem, & Gregorio cæteriſque ſimilibus crederemus, ſapientiæ cauſa, niſi prius ipſi, hæreticis aliis alia dicentibus, huiuſmodi Eccleſiæ vniti eſſent, atque à Catholicis ſynodis ab ea congregatis probati fuiſſent, atque ad illos tanquam veritatis magiſtros, Eccleſia dirigeret. Sed neque ſanctos eos putaremus, ſi contra illam cum aliis reluctarentur.

Eos enim, qui per id temporis illi non obtemperauerunt ſive contradixerunt, execramur. Non itaque ſolum oportet eſſe ſapientem. Niſi adſint cetera, & principaliter Eccleſiæ dogmata confiteatur, quantumlibet quiſque ſit ſapiens, delirat. Oportet enim Eccleſiam ſtabilem ſemper in veritate conſiſtere, idque ex his, quæ illi ante contigerunt, comprobatur; eique operæ precium eſt obtemperare. Aliter enim incertum eſſet, quis ſapientium vera proſequeretur, niſi id ſubiiciatur, Eccleſiam ſemper neceſſario veritatem ſequi; atque hanc, ambigua omnia diſcernere; atque definire.

De azymis.

Plurimi vero de azymis etiam Eccleſiam in ius trahunt, de quibus ne loqui quidem dignum eſt, ad eos præſertim, qui ignorant Eccleſias ab initio ſemper ſe ita habuiſſe, vt Orientis ſcilicet Eccleſia fermentatis; Occidentis autem azymis ſacrificaret: quodque ad myſterij virtutem vtrumque idem valet: conſtat enim ex tritici ſubſtantia, ex quo ſolo, ſubiectum illud accipi neceſſe eſt: Saluatorque noſter ſecundum legem omnia faciens; *non veni*, inquit, *legem ſoluere, ſed adimplere*: &, *decet nos implere omnem iuſtitiam*: oportebat, vt eiſdem in legali Paſcha vteretur azymis, ſcilicet iuxta traditionem legis, quæ ſublatis fermentatis, azyma tum apponebat. Ex quibus profecto in eadem menſa, myſterium quoque ſui corporis conficiens tradidiſſe cognoſcitur.

Quod Chryſoſtomus quoque atteſtatur dicens; *in illa cœna omnia eum ſecundum legem patraviſſe.* Niſi enim ſecundum legem azymis in cœna illa vſus eſſet, à Iudæis omnino, vt prævaricator legis, inſimulatus eſſet. *Nam cum multi falſi teſtes* inquit, *ſurrexiſſent*, cauſam non invenerunt: maxime cum & proditor cœnæ illi intereſſet, qui, ſi quid tale fuiſſet admiſſum, Iudæis clam renunciaſſet. Quanquam & Dominus ait: *Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum*; in quo ſcilicet etiam myſterium corporis ſui tradendum erat: prædixitque vbi nam cum diſcipulis oporteret eum paſcha manducare.

Si autem paſcha legitimum fuit, omnino etiam legitimis in illo cibis vſus eſt. Neque enim, cum omnia legis impleſſet, eam in Paſcha prævaricari debuit. Commendat hoc & Evangeliſta, cum dicit; *Prima autem die azymorum.*

Prima vero azymorum, ſolennis erat, ac legitimi Paſchæ. Sin vero D. Chryſoſtomus exponens *primam azymorum*, eam, quæ præcedat azyma, dixit, ideo id ait, quia Iudæis conſuetudo erat, à veſpera ſemper initium diei computantibus, è verſpera etiam, ſolennitatem azymorum incboare: quam enim ipſi noctem, partem præteriti diei computamus, initium diei à ſolis ortu facientes; hanc illi diei ſequentis initium computant, quam ergo nos ante azyma, illi primam azymorum dicunt. Quocirca Euangeliſta quoque ſecundum conſuetudinem, *primam azymorum* appellauit, quam Chryſoſtomus ante azyma dixit, veſperam inſinuare volens, in qua Dominus prima azymorum inchoante, cum diſcipulis paſcha manducauit.

Quod ſi dictum eſt; *Et ipſi non introierant in prætorium, vt non contaminarentur, ſed, vt manducarent Paſcha*; non ideo putandum eſt, nondum adveniſſe Paſcha; ſed, quia Iudæis licitum erat, ipſum in quibuſdam caſibus differre. Sicut enim cum eſſet prohibitum Iudæis, extra civitatem ſuam Paſcha facere, ſi qui ſolennitati defuiſſent, poſt hanc in civitate celebrabant: ita & his, qui in civitate erant caſibus quibuſdam differre licebat; ſicuti quidam tunc etiam fecerunt: nequiter quidem; quia morti Iuſtum iniuſte tradentes, arbitrabantur mundos ſe Paſcha ſecundum legem manducare. Diſtulerunt tamen, etſi rationabilem cauſam minime haberent.

Ridiculum vero & illud eſt, quod quidam panis nomen, qui Græce ἄρτος. dicitur ἀπὸ τοῦ αἴρειν, id eſt, ab eo, quod eſt attolli: quia propter fermentum turgeſcit, dictum putantes: Azymum panem, quia fermento careat neque panem appellari volunt. Quaſi vero neceſſe ſit linguas omnes, ita quoque panis nomen derivare.

Latinus enim fortaſſe, vel Perſes à confirmando panis nomen; quia cor hominis confirmat, vel quomodolibet aliter, à proprietatibus ipſam rem ſequentibus deducit. Si autem & azyma cor hominis confirmant, & ipſa omnino panis nomine vocanda ſunt; & ſcriptura, cum de ipſis loquitur, panes vtraque appellat.

Quod indicat B. Evangeliſta Lucas, qui Saluatoris poſt reſurrectionem ad Lucam, & Cleopham in Emaus proficiſcentes locutionem proſequens, poſt quædam inſert: *ſed cum his omnibus hodie tertia dies eſt, quo iſta facta ſunt*; de paſſione ſcilicet loquens; de hac enim ſermo erat: conſtatque quia hæc tertia inter ſeptem poſt paſcha dies fuit, in quibus ſecundum legem eis interdictum erat, vti fermentatis, vel ea vtrunque

Lege Bell. lib. 4. de Euchariſt. c. 7. & ſeqq. Genand. pro Cõcil.

Florent. Humbert. contra Michaelem & Nicetam

Matt. 5.

Matt. 3.

Matt. 26.

Luc. 24.

que circumferre. Atque illic addit, quia cognitus fuit *in fractione panis*.

In ipsa quoque apparitione Domini, qua piscantibus apparuit, scriptum est; *quia invenerunt prunam positam: & piscem superpositum, & panem.* Constat ergo azyma panem Euangelistas appellasse, neque enim eis licebat septem illis diebus fermentatum panem habere, vel circumferre.

Præterea, fermentum pro dolo, & malitia in scriptura accipitur. *Attendite enim*, inquit: *à fermento Pharisæorum.* Et, *epulemur non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ, & nequitiæ, sed in azymis synceritatis, & veritatis*, quia etiam sumptum ex sacra Virgine Domini corpus ab omni peccati labe syncerum, intactum, inaccessũ fuit: idcirco panis quoque azymus, sincerior, ac simplicior cũ sit, merito in sacrificij oblatione assumptus dici potest, in quo, subiectum illud, in Dominicum mutatur corpus. Id enim plenum rationis est, vt ad mysteria, quæ per sensibiles species traduntur, pretiosiores, & quæ sint magis eis, quæ sumuntur, accommodatæ eligantur.

De dormientibus.

ET hoc item Occidentalibus crimen impingunt, quod eos, qui vita excedunt, nisi peccata aliqua impediant, sanctos debita beatitate statim frui dicunt: & consequenter mortalibus peccatis obstrictos; atque ideo, à beatitudine indignos, ad æternos cruciatus pertrahi, quo ad facta mortuorum illa generali resurrectione, singula singulorum animabus coniuncta corpora vna vel fruantur gaudiis, vel suppliciis afficiantur. Qui autem id crimen obiiciunt, sive sacris literis credendum, sive sit observanda ratio, culpari potius merentur, quam culpare ipsi debeant. Nam Dominus quidem, vt ex pauperis Lazari, & diuitis epulonis parabola proposita, constat, quia non verba sine rebus proponebat, concludens adiecit; quod Lazarus quidem mortuus ab Angelis Abrahæ sinibus invectus est: mortuus est autem & diues, & sepultus, atque in flammam abiit. Per quæ post mortem alterius quidem requies, & beatitudo significatur, alterius vero cruciatus, nullum finem habens.

Quanquam & id, quod ad latronem in cruce dictum est: *hodie mecum eris in paradiso*, iam iam futuram beatitudinem commendat. D. autem Paulus dissolui cupit, & esse cum Christo. Cuius rei gratia id cupiebat? *Ingemiscimus enim*, inquit, *scientes quoniam dum sumus in hoc tabernaculo, peregrinamur à Domino: per fidem enim ambulamus, non per speciem.* Speciem dicens creditarum rerum substantiam, atque veritatem. Profecto autem ista non diceret, nisi aperte sciret, post huiusmodi peregrinationem, carnis onere deposito, se per speciem concupitis fruiturum. Aliter quippe, vivere præstitisset quam mori. Nam & corporis ad animam connexio, veluti materiæ ad speciem naturalem est. Omnibus autem eorum, quæ secundum naturam sunt, ac propriorum, inest desiderium: neque dirimi quispiam à naturalibus vinculis eligeret, nisi post dissolutionem præstantioribus se fruiturum crederet, defunctoque dolor inesset, nisi speratis potiretur.

Cæterum cum huiusmodi spes firma sanctis reposita sit, neque in rerum substantiis esse possit, nisi separetur anima à corpore, naturalem coniunctionem sancti fugientes, dissolutionem cupiunt, vt eis destructa materia, liceat eorum, quæ crediderunt, substantiam recipere: donec per summam Dei benignitatem naturalis etiam coniunctio divinius, & excellentius redeat. Attestatur autem his, & quod in testamentis à Ioseph patriarcha dictum est: *moriuntur peccatores, & descendunt in infernum.* Attestantur item & quæ diebus singulis in Ecclesiis canuntur: vt illud, *quoniam in cœlestibus thalamis gloriosi martyres exorant te Domine.* Et illud: *Martyres inclyti, non terra vos occuluit, sed cœlum suscepit. Aperta sunt vobis paradisi porta, intusque accumbentes, lignum vitæ gustastis.* Et illud: *Sanctorum chorus vitæ fontem invenit, & portum paradisi.* Et illud; *quia nunc adsistis Trinitati felix, interpellas pro nobis, qui fide, & affectu memoriam tuã veneramur.*

Et vbique omnino sanctos angelis adesse, & congaudere, & vna choreas agere confitemur venerantes, atque vt pro nobis interueniant precamur, quod profecto non fieret, nisi esset communis Ecclesiæ opinio, etiam, ante futuram mortuorum resurrectionem, Sanctos omnes beatitate perfrui. Alias autem miseri omnino essent, si reposita sibi bona procul intuentes, prompte ex hac vita, & cum voluptate migrarent.

Proinde, quomodo conveniat, illorum aliquo in loco seruatas animas tanto tempore præmiis debitis fraudari, quibus Dominus gaudium æternum repromisit, quosque assumendos ait: *vt vbi ille est, & ipsi sint?* Sed & post hanc vitam cum fide, & spe viveretur, quæ B. Paulus evacuanda, solamque caritatem permansuram dixit in beatitudine, quæ in divina speculatione consistit. Atqui neque Dominus id voluisset, ne, si ipsi quidem, qui debitam beatitudinem percepturi sunt, minus digne ad eam percipiendam se comparassent, eius summa benignitate vltra merita semper inundante, nullo hic prohibente, promissa illis bona penes se recondita servare, mœroris causa suis effectus, meritisque illos honoribus priuans.

Nam, si frustrari fine, mœrorem vbique præstat, quomodo non id Sanctis mœroris erit causa, eoque magis, quo fine maximo, atque dignissimo non potiuntur? semper enim cupientes quærent, & non potientes mœrebunt. Si enim hic ingemiscunt, vbi peregrinantur à Domino, quomodo non id etiam post præsentem vitam patientur, si illic eis cum fide etiam, ac spe vivendum sit? quæ omnia, præter scripturæ normam, præterque rationem sunt.

Porro si quis D. Paulum obiiciat dicentem, *Et hi omnes* Sancti scilicet de quibus dicebat, *non tulerunt repromissionem, Deo melius aliquid providente, ne sine nobis perficerentur.* Sciendum, quia hoc in loco, *perfectionem*, dixit animæ, corporisque vnionem, quæ universaliter erit in futura mortuorum resurrectione. Nam, secundum corporis partem sancti needum beati sunt: quia ipsum needum habent glorificatum, iuxta rationem beatitudinis animæ. Cum vero talis vnio erit, tunc vtraque pars hominis perfecta erit, quod ergo dictum est; *Deo pro nobis melius aliquid providente, ne sine nobis perficiantur*; perfectionem significat, quam diximus, quamque Patribus in spiritu denuntiatam, ante futuram restitutionem non reddidit sine aliis Sanctis, donec Hierusalem illa cœlestis, ex his, qui ante Legem, & in Lege, & in novo Testamento sunt, impleatur, iuxta magnum consilium Dei, & præcognitionem, ineffabilemque dispositionem.

Quocirca, neque putandum est, si modo, qui digni sunt beatitudine: meritis præmiis fruantur nullam iam fore necessitatem illustris Saluatoris adventus venturi iudicare mundum. Tunc enim cum aderit mortuorum resurrectio, singula etiam corpora, iuxta cuiusque animæ vel splendorem, vel obscuritatem, præmiis æqua proportione præfruentur. Præterea, quoniam cum corporalibus lineamentis adveniet in gloria, non sicut in priori adventu in humilitate, necessario omnes resurgentes in regno cum gloria videbunt eum, quando Sancti quidem satiabuntur cum apparuerit eis gloria ipsius perfectam iam etiam secundum corpus consecuti beatitudinem. Et contra impios, & infideles in clarissimo triumpho vincent, triumphatori procedentibus omnibus. *Omnis enim lingua confitebitur, & omne genu curuabitur; cœlestium, terrestrium, & infernorum.*

Qui autem Dominum gloriæ crucifixerunt, ob id

solummodo

A

Ioan. 19.

solummodo illum videre permittentur, vt arguantur: *Videbunt enim, in quem pupugerunt:* quique in hoc mundo prædicatum non receperunt, sed in suo errore permanserunt; confundentur. Nunquam vero corporalia Domini lineamenta videre poslent, nisi & ipsi corpora sua, illorumque effectus habere permitterentur post resurrectionem, iuxta cuiusque animæ proportionem, vt supra dictum est, quo facto, *alij quidem in supplicium æternum, alij vero in vitam æternam ibunt.*

De igne Purgatorij.

PEccatorum vero alia quidem mortalia dicuntur: ea scilicet, quæ animæ mortem inducunt, cuius mors est separatio à Deo. Alia vero, venialia, quæque scilicet rugam quidem aliquam, vel maculam animæ imponunt, non tamen ita, vt per ea æterna beatitate arceantur. Solus quippe Dominus nostra conditione suscepta sine peccato vixit; singuli autem hominum alius altis peccatis tenetur obnoxius. In peccatis enim nati sumus, vitamque sine peccato transire non possumus, quantumlibet virtuti studeamus. Etsi enim quispiam mortalibus abstineat, minoribus tamen illum non implicari, possibile non est: pro quibus quotidie orantes dicimus: *Dimitte nobis debita nostra:* quantumlibet enim quisque peccaverit, minimum licet, reatui subditur, huiusque satisfactio quomodolibet illi persoluenda est. Si quis enim mortalibus peccatis obnoxius, hinc, sine pœnitentia discesserit, æternis suppliciis subdetur, *qui enim talia agunt*, ait Apost. *regnum Dei non possidebunt*, quibus vero nulla iam salutis erit spes, resurgentque in condemnationem, in eundem rursus redibunt locum.

B

Lege S. Th. in opusc. cont. Græcitores in Bell. l. de purgat. & Gennadiũ pro Conc. Flor. c 3

Mat. 8.

Galat. 6

Porro, si quis confessus, priusquam pro peccatis satisfaciat; sive etiam, simul, atque confessus fuerit, pœnitens, in quibus peccavit, ex vita discedat, æterna quidem damnatione liberatur per sacramentum pœnitentiæ, in hoc enim pœnitentiæ remedium indultum est: aliter quippe nulla salutis spes fuisset his, qui in fine pœnitent: debitam vero peccatorum satisfactionem persoluet. Quam enim hic, sive per eleemosynam, aliam beneficentiam, sive per ieiunium, & lacrymas, & huiusmodi afflictionem soluturus erat, iuxta regulas à SS. Patribus positas pro satisfactione peccatorum. Hanc nisi vivens implere permittatur, postquam exierit ex vita, reddet, donec per Dei gratiam, & iustitiam, peccati contagium sibi insitum diluens, mundusque iam effectus, ac dignus, qui vniatur Deo, non habens maculam, neque rugam ea beatitudine fruatur, ad quam præparabatur quidem per pœnitentiæ remedium, & sacramenta cætera ab æterna damnatione per Christi gratiam liberatus, accedere autem prohibebatur, necdum satisfactione debita, secundum divinam iustitiam impleta.

Extat græce & latine liber à

C

Græcis editus contra purgator. quẽ tenebris quã luce digniorem ante aliquot ann. denuo evulgavit Vulcanius Calvinista.

Si enim misericors est, ac pius Dominus, iustus tamen nihilominus est. Neque ita est misericors, vt eius iustitia evacuetur. *Omnia enim in statera, & mensura*, iuxta Isaiam: † aliterque inane esset vel confitentibus ab Ecclesia pœnitentiam imponi, vel pœnitentes tantæ se ipsos tradere afflictioni. Si quidem iniquitatem suam, semel tantum confitentes, iam ab omni reatu liberi essent. At constat, quia peccatis pœnitentiæ afflictionem ingerens, atque hic purgationem breviorem, ac leviorem quam debeatur, decernens, talia iniungit. Alias enim qui per omnem vitam deliciis, & impudicitiæ dediti, ad ipsum iam finem vitæ pœniterent, nihilo deteriores essent, quam hi, qui pro similibus peccatis diutissime in cilicio, & cinere, & lacrymis vsque ad finem perstiterunt. Nihil præterea conferrent, quæ pro defunctis ab Ecclesia fieri præcipiuntur orationes, & eleemosynæ. Pro his enim, qui iam beatitudine potiti sunt, orantes sacrificia offerre opus non est. Quæ enim pro Sanctis officia offerimus; non, vt misericordiam

† *Sap. 11*

D

E

consequantur, offerimus; sed, vt honorantes eos, mediatores pro nobis apud Deum, vt naturæ nostræ primitias opponimus. Pro his vero, qui in inferno damnati sunt, nullam Ecclesia orationem facit.

Perspicuum igitur est, neque pro his, qui beata iam requie potiti sunt, neque pro his, qui in inferno damnati sunt, orationes, ac talia offerri. Vnde necessario colligitur, tertium quendam esse locum, vbi huiusmodi purgatione facta, & reliqua satisfactione persoluta, qui sunt eiusmodi omni macula purgati ad beatitudinem transeunt. Simili vero ratione etiam si quis servatis omnibus mandatis Dei, mortalibusque culpis liber: paruis vero, & quotidianis, sine quibus vita hominis transigi non potest, obnoxius; hinc, sine pœnitentia, & satisfactione decesserit, in Purgatorij loco integre, quod omiserat, reddet. Eum enim, qui mortalibus semper abstinuerit, propter minima ista, vt, qui turpissime, flagitioseque vixerunt, in inferno damnari, iustus profecto iudex nunquam permitteret. Alias enim vita pura nihil à corrupta differret: si, qui sine venialibus culpis esse non possumus (sumus enim homines) æque propter illa, vt quisque perditissimus ob scelera gravissima, cruciabimur. Et, quomodo vnicuique Dominus *reddet secundum opera sua.* Si tot frustra labores nobis, pro illius implendis iussis assumimus? imo vero, quæ nam est salutis spes, si etiam parua quæque peccata, quæ velut vmbra homines sequuntur, æque, vt mortalia damnantur? Nam sine ipsis decedere, illorum est, qui per martyrium consummati, vitamque angelicam imitati sunt, eorumque, qui magnam ostenderunt pœnitentiam, vt latro; &, quos divina gratia præcipue iustificavit.

F

Rom. 2.

Cæterum, vt sordidatum vel parua macula, vniri Deo, & perfrui beatitudine, possibile non est: nihil enim divinæ naturæ profanum appropinquat. Ita, omnibus peccatis expiatum, putare, non admitti ad beatitudinem, cum nihil iam obsistat, irrationabile simul & iniquum est, scripturæque sententiis contrarium. Sic itaque inter beatitudinem, & æternum cruciatum tertius locus relinquitur, in quo huiusmodi peccata purgantur. Eum vero locum ignem esse aiunt; non eum, qui ante faciem Christi *in eius revelatione*, vt ait Daniel, *præcedit*, & quem *Gehenna* ignem scriptura vocat. His enim, qui in illum semel merguntur, nulla est emergendi spes: sed ignis alius, quem purgatorium dicunt, quod in eo delicta purgentur, ac velut in fornace, qui in illum mittuntur, emundantur; istudque ante iudicium extremum. Post hoc enim, nullus, qui mundetur erit, vnoquoque proprium sibi locum æternæ vindicaturo. Solum enim ante hoc iudicium quæ pro animabus fiunt, conferre possunt. Sed &, si qui, adveniente Domino ad iudicandum mundum, modo sanari possint, relinquentur: † *Omnes enim non dormiemus, omnes vero immutabimur: & nos, qui vivimus, qui residui sumus, simul cum eis rapiemur:* Deus, vt qui possit mortis, atque illorum regenerationis omnia in momento persequi; ita & purgationis dolorem, qui multo tempore durasset, breviter contrahens, reddet iuxta temporis, dolorisque rationem, vt omnes illius conspectui assistant, omni quidem motu, cursuque quiescentibus, omnibusque sacramentis, ac dispensationibus impletis. Idem vero & de corporibus, si quem ex his dolorem quis obvenire velit propter consortium ad animam in hac vita, nihil cogitare prohibet.

G

Daniel. 7

Mat. 10.

† Sic legunt Græci. 1. *Thes. 4*

Si quis vero huiusmodi purgationem, in quibus prædictum est, neget, necesse est, vt confiteatur, vel malum aliquod relinqui impunitum, vel, fidelium Ecclesiam, cum macula Christo coniungendam, vel quæ pro defunctis fiunt, nihil valere. Sed primum illud quidem, & si audax dictum est, iniustum ostendit Deum. Si quidem dissimiliter peccantes eisdem pœnis subdit: &, qui differenter vixerunt eisdem dignos censet, non eis, quod iustum est, in statera, & pondere distribuens. Neque enim si clemens, & misericors est,

H

summa in Deo illius iustitia tollitur. Hoc enim est ipsum destruere. Et scriptura vero vbique misericordiam iudicio coniungit, neque, si indulgens, æterna damnatione confitentes eripit. Iam etiam pœnitentiæ afflictionem, peccatorumque satisfactionem tollit. Ita enim solis mysteriis esset cœlesti regno perfrui; quanquam & digne posse satisfacere, gratiæ est. His enim qui in Deum peccant, quid ad propitiandum, seu satisfaciendum posset sufficere? Tamen hominum infirmitati condescendens, & magna parvis commutans, secundum magnam misericordiam ignoscit, neque Ecclesia contritionem, & afflictionem pœnitentibus imponente, atque aliter ad communionem sacramentorum cum fidelibus non admittente; is, qui *scrutatur corda, & renes, & pertingit usque ad divisionem animæ, & spiritus*: minus diligens, quam illa apparebit; concessa quantum quis, & quomodolibet velit satisfactione pro peccatis. Neque tamen iustum esset propter levem maculam arcere à regno. Secundum vero, omnino impossibile est. *Oportet enim*, inquit, B. Paulus, Ecclesiam vniri Christo, *non habentem maculam, neque rugam.* Atque ut dictum est, divinæ munditiæ nihil profanum appropinquat: Gregorio item Theologo dicente; *post restitutionem sanctis esse beatitudinem speculationem S. Trinitatis, quæ tota toti intelligentiæ miscetur: quam etiam solam*, inquit, *ego regnum cœlorum dico*, quomodo fieri hoc posset, si qua in anima perduret immunditia.

Tertium autem his, quæ à Christi Ecclesia pro animabus fiunt, speique fidelium contrarium omnino est: hisque præterea, quæ à Sanctis in historiis, seu revelationibus, seu speculationibus dicuntur, adversatur. Quæ, cum multa sint, sola, quæ Damascenus in sermone suo pro mortuis dixit ante ieiunium quadragesimale, memorabimus. *In quo viventium plurimis revelatum*, ait, *quantum vel eleemosyna, vel orationes, quæ pro defunctis fiunt, illis conferant, neque illi vexationibus, & vinculis, dum ista fiunt, dimittuntur.* Nempe & magn. Basil. in orationibus, quæ in Pentecoste leguntur, requiem sperat, & orat dormientibus eorum, quibus continentur tristium. Et omnis Ecclesia talia pro his orans offert: perspicuumque est, quia non solutionem, ac requiem eorum, qui æternis pœnis cruciantur, orantes petunt. His enim, qui semel illis fuerint immersi, emergendi facultas nulla est. Alias eos, qui damnati eis sunt, contristari necessario putandum est: finemque fore, infinitis cruciatibus putandum. At, id contra communis fidei positionem est.

Quoniam vero; neque pro his, qui sunt in beatitudine; hi quippe optato fine quietissime fruuntur: neque pro his, quos æternus vrget cruciatus, Ecclesia, talia orat; colligitur, quod dictum est, tertium quendam locum purgationis esse: vbi, qui continentur per summam Dei iustitiam, eiusque miserationem infinitam, his, quibus continentur, tristibus eripiuntur: & per charitatis opera benignissimus Deus propitius effectus, pœnalem cruciatum breviori concludens intervallo, ad beatitudinem eos transfert non habentes maculam, vel rugam. Propter hoc enim cura pro mortuis suscipitur agenda.

Huic purgationi B. etiam concinit Paulus dicens; *quale cuiusque opus est, ignis probat: si cuius opus arserit, detrimentum patietur, hic autem salvabitur, sic autem, quasi per ignem.* Opera quidem ardentia dicens facile conflagrantem incendio materiam: quam qui ædificaverunt, penitus ardebunt. Detrimentum enim passa sunt omnia illorum studia, & sine vllo fine torrebuntur. Opera vero, quæ superædificantur, fidei scilicet, & quæ permanent, virtutis dicens opera, qualia iuxta proportionem, sunt aurum, argentum, & preciosi lapides, quæ qui perfecerit, mercedem sumet, salutem scilicet. Sequitur enim. *Hic autem salvabitur.* Verum, & ipse cum dolore, vt scilicet per ignem transiens, purgatusque à brevi sibi inusta macula. Dei enim est, omnino sine peccato esse. De hominibus vero, quantumvis sint mundi, dictum est, *quoniam in multis offendimus omnes*: &, *nemo mundus à peccato, neque infans vnius diei.* Dictum est autem & apud Malachiam, *quoniam, sicut ignis in fornace, & velut herba fullonum, conflabit, & emundabit quosdam.*

Et certe, si Gehennæ ignem hic voluit dicere; quomodo possibile est, vt, qui in eum missus fuerit, salute potiatur? In eo quippe nulla est salutis spes. Constat igitur de igne purgante, & probante, velut aurum in fornace, eos, qui in illum immittuntur, illi sermonem esse. Nam, Gehennæ ignis neque mundabit aliquos, neque probabit.

Quod si quidam Sanctorum, quod dictum est, *salvabitur veluti per ignem*; in igne manebit, exposuit, nihil contrarium est; qui enim purgatur, & probatur, quantumlibet in eo quod se probat, & purgat, necesse est, maneat, vt sordes ponat. Simulque, quod dictum est, *per ignem*, id, quod dicimus, comprobat. *Per*, enim transitum quendam, motumque significat. Eum vero, qui semel in Gehennæ ignem iniectus fuerit, manere semper in eo necesse est.

Attestatur his & D. Chrysost. in 4. super Matt. homilia; *Sancti quidem*, inquit, *per ignium flumen gradientes, nihil triste patientur, imo, inde clariores etiam reddentur.* Sanctos fideles dicit, qui sine mortalibus peccatis, sancte, iusteque vixerunt, hos enim, qui ita vivunt, scriptura *sanctos* vocat. Et quod item dicitur; *si iustus vix salvabitur, peccator vbi parebit?* ad hanc intelligentiam ducitur per eum, qui vix salvatur, illum commendans, qui per purgationem salute fruitur.

Quidam etiam apud nos dictum illud Apostolicum exponens ait: *In expositione Isaiæ S. Basilius hanc distinctionem secundo faciens, ipsum pro purgatione suscepit.* In hanc intelligentiam & Nyssenus Gregorius dictum explanavit. Quorum verborum vim quidam non intelligentes, finem post iudicium vltimum æterni cruciatus dicere putarunt in ipsam intelligentiam & Occidentalem Ecclesiam: quia purgatorij ignis ante vltimum salvatoris adventum purgationem prædicat, qua sublata, plurima absurda sequi necesse est: à nostris culpatur, quasi post iudicium finem cruciatuum fore affirmans. Sed falsum profecto est, ita illam sentire; adeo, vt si qui hoc aperte sentire comprobantur, eos à se abscindat, neque illos ad communionem sacramentorum admittat. Idque perspicuum est, & ex antiquis, & ex iunioribus illius Ecclesiæ Doctoribus, vt ex his, quæ in nostram Græcam scilicet linguam inde translata sunt, si quis legere voluerit, animadvertet. Sed hæc hactenus.

De Sacerdote Diaconi officium implente.

Et illud item adiiciendum est, quod, cum sit sine crimine, culpatur tamen à nostris. Hoc autem est, quod in offerendo sacrificio sacerdos sæpe Diaconi explet ministerium. Improbe sane. Ignorant enim, quia is quidem, qui, quod maius est, habet, etiam quod minus est, eiusdem generis habet necessario. Non autem è converso. Idque omnia inspicientibus, constabit. Homo enim rationalem habens animam, sensibilem quoque, & vegetabilem sub ea, habet. Neque tamen, quæ vegetabili anima vtuntur, sensibili etiam, & rationali potiuntur. Atque idem in aliis, sive humana, sive divina inspicere quis velit. Nempe & Dominus secundum hominem primus existens, & maximus sacerdos, non ideo, quia ministri habitum, & ministerium pedes abluendo monstravit: sacerdotij confudit ordinem. Et hic igitur sacerdos, quoniam inferioris sacerdotij gradus in se ipso continet: constat, quia omnibus, quæ sub se sunt, legitime vtetur.

Non tamen illius ordinem Diaconus implere potest. Nisi enim eos, qui sub ipso sunt, gradus contineret, profecto neque vnquam apud se omnium simul graduum ministerium impleret sacerdos, quoniam vero

Implet

implet; constat, qui illius habens, secundum illos etiam ministrare potest. Est enim irrationabile: omnia simul quidem facere permittere; discrete autem non ita, cum nihil sit, quod prohibeat. Atqui à Diaconi stola dignitas sacerdotalis non excluditur. Non enim sibi invicem ista contraria sunt, vt, cum alterum sit, alterum esse non possit. Neque stola diaconi, causa sacerdotalium graduum existit. Sed horum gratia, etiam stolæ differentia habentibus distributa est.

Quod si eos, qui sub se sunt, in se ipso sacerdos grados continet, constat, quia, quando diaconi seorsim implet ministerium, licet illi stolam etiam illius indui. Aliter autem esset inconveniens, Pontificem aliquem vel exilio, vel alio casu aliquo affectum ministris absentibus; qui, illi in oblatione salutaris hostiæ assistant, non per se ipsum omnia implere, sed, sine sacramentorum participatione diutissime persistere; vel sine ipsis etiam decedere; cum nihil adsit, quod rationabiliter, ac necessario obsistat.

Quod enim dicitur, *non oportere presbyterum in Diaconi ordinem venire*: huiusmodi est, ac si dicatur: Non expedit, vt sacerdotij gradum deserens quispiam, ad Diaconi transcendat ordinem; quia enim sacerdotium, omnes sub se gradus continet, constat, in vna persona quæ alios contineat, maiore sublato, & alia simul auferri. Sicut enim rationalis anima separatur à corpore, otiosa reliqua, & inutilia fiunt; & quorundam sacerdotio sublato, non permittitur his, vel Diaconi, vel subdiaconi gradum continere, atque illius implere ministerium. Sed & aliter, Ecclesia prohibet eos, qui sacerdotij deserunt gradum, minorem quoque apud se continere. Neque enim deessent, qui vel propter Canonis facilitatem, vel sibi honorem comparantes, quem solis Diaconis habere licet, sive etiam aliis quibusdam casibus sacerdotium omnino deserere, quasi sacerdotes ab initio consecrati non essent, ac Diaconorum dignitate vti non vellent. Ex quo, ministeria Ecclesiastica confundi, atque ordine carere contingeret, singulis, quæ sibi gratiora essent, eligentibus. Eam vero licentiam Ecclesia coercuit.

De Duobus Romanis Pontificibus.

ENim vero, qui dissensionibus gaudent; illud quoque criminantur, quod nunc Occidentis Ecclesiam duo agunt Pontifices, ambo pergentes, & genera divisi. Quasi non hoc ipsum eis sæpe contigerit. Quod si ambo Ecclesiasticis non vtebantur, illud omnino in causa est, quod conclusi vndique sint, neque se Ecclesiæ nostræ ita extendat autoritas, hostiliter tamen nihilominus affecti erant. Quanquam vero istud nemo rite laudaverit; cum tamen res ita se habeat, circa res tantum Occidentis versatur ista dissensio. Fides autem vtrisque vna est, quocirca, magis ac magis veritatis firmitas admiranda est: quod, cum illi extrinsecus divisi sint; non tamen fides illis discreta est. Propterea propter principatum solummodo differre, longe levius est, quam fidei ratione separari. Vtrum enim illorum quisque sibi eligat, nullum fidei discrimen incurrit.

Forte loquitur Caleca de schismate tempore Conc. Basil. vel Constan. tunc enim plures fuere. Pontifices et quidem duo, tempore Concilij Basileensis. ex quo de ætate Caleca coniecturam capere licet. quanquam idem casus accidit, maxime quando Vrbano VI. Clemens VII. est oppositus Antipapa, Anno Christi 1378. Quod schisma quinquaginta ipsos annos tenuit. Hoc tamen non habet locum, si Caleca Concilio Lugdunensi interfuit, vt scribit Galesinius in vita S. Bonaventuræ.

De Dominicis Imaginibus.

QVidam vero nostrorum adeo perdita mente sunt, vt etiam Salvatoris imaginem Latinis tantum inscriptam literis, adorare renuant. Ipsam quoque adorationem flexis genibus Deo reddere, hæreticum existimant: neque Evangelistæ memores de Domino dicentis; *positis genibus oravit*; neque sacerdotum admonentium populum voce magni Basilij, ac dicentium; *Iterum, atque iterum curvantes genua Dominum precemur.*

De Crucis Signo.

CAusantur item, quia dum vitale sibi crucis signum imprimunt, transverse à dextris inchoando crucem formant, quasi non virtute signi, sed in compositione vivificæ crucis religio, & reverentia, & speculatio consistat. Atque, vt intelligi datur, cum prius inquisierint, quomodo ea, quæ videtur, crux composita, vel picta fuit, siquidem, vt ipsi volunt, fuerit, tunc adorabunt; sin vero aliter compositio illa cœpta fuerit, omittent. Et simul, quemadmodum quispiam, alium figura crucis signans, transverso à dextris inchoat: quid sceleris admittit, si se ipsum etiam sic signet? Quocirca & Latinorum plurimi mirantur aliquos ad tantum rusticitatis pervenire potuisse, vt etiam circa sanctæ crucis formationem, cum eadem quomolibet formetur, contemplatio, & virtus sit; differentiam fidei si sic, vel sic fiat, arbitrentur, quod neque differre ipsi putant, & quomodolibet formetur, fidelibus esse adiutorium non ambigunt.

Gretse- rũ lege lib. 4. c. 21. de S. Cruce.

De Græcorum in Schismate suo pervicacia.

ITa igitur Zizaniorum seminatores, & scandalorum opifices, his, & huiusmodi, quorum alia quidem odij, & contentionis iudicium habent; alia simplicitatis, & imperitiæ, alia, in criminatores rectius retorqueri possent eis erroribus innexos, quos aliis inurunt, commune corpus Ecclesiæ dividendo dissiparunt, atque in tantum odij, & amentiæ ac temeritatis, eos, qui sub se sunt, perduxerunt, vt tolerabiliores putent, † qui Saracenorum superstitioni execrabili, inserviunt, quam qui Occidentis Ecclesiæ iunguntur: Illorumque potius amicitiam, & communionem, quam Occidentalium eligant, & neque Christianos eos nominent, pluresque etiam de illis ambigant, an nobiscum venerentur Evangelia; nisi quis plurimorum nugacitate transmissa, Christianos eos simpliciter existimet. Cumque quotidie illorum religioni plurimi applicentur: non solum viri, sed & civitates, † & gentes integræ, nihil magnum contigisse arbitrantur.

Merito igitur illi iugo Turcico premuntur.

Hoc maxime fit nostro seculo in conversione Ind. lege de hac re

Porro, si qui Occidentalium Ecclesiam de processione S. spiritus recte sentire asseverant, omnes vna consentientes sanctos, & Ecclesiæ magistros proferentes, simulque communes intelligentias, & fidei principia consonare ostendentes, hos Ario & Sabellio deteriores putant; nullamque de illis iam habendam rationem; vt, qui sponte in perditionem ierint, existimant. Ita enim animarum gubernatores vocant eos, qui ex patre per filium substantiam habere spiritum sanctum confitentur, omnibusque cœtibus, & omni consuetudine, cunctisque communibus illum exagitant. Et nequissime quidem Occidentalium Ecclesiam blasphemant, sacrificiumque, & omne sacramentum, quod apud illam sit, execrantur.

Epistol. p mam Balsami 1 p scrip. Gyracensis Extat eius Epis. Tom. 6. Anlect. D. Henrici Canisij.

Quos sane misereri convenit, ac pro illis orare, quippe cum Dei opus sint, qui vivificat mortuos. Neque enim de quibus dicunt neque de quibus affirmant, sciunt: atque omnino sine sensu, & sui, & aliorum v. vũt.

Sed & si qui propter proximi dilectionem medicamenta eis afferre voluerunt, quæ inimicissimorum sunt, eis tentare visi sunt, ab illis vndique exagitati, & fugati: Id autem solummodo luctati sunt, quod caritatem ad proximum, bonique, & honesti desiderium, & alacritatem ostenderunt.

De Primatu Sancti Petri & Romani Pontificis.

Lege Gennadium pro Conc. Flor. & Bell. l. b de Pont. & Epist. a Barlaam. Gyssec. Ep. Tom 6. Antiq. lect. D. Can.

VT igitur ad prima redeamus, quoniam & à patre, & filio spiritum sanctum procedere communis sanctorum opinio declarat, imo & ipsa fidei principia id verum esse contestantur, easque rationes, quæ contra hanc opinionem inferuntur, nihil valere, supra ostensum est: &, quæ illis absurda obiiciuntur, qui ex patre, & filio spiritum sanctum confitentur, nulli, nisi illis tantum, qui obiiciunt, absurda videri: quodque de additione obiiciebatur, hesternum, ac vile, occasionemque solam primatum quærentium esse, demonstratum est; & contra Ecclesiæ regulas contendere volentium: sed &, quas invenerunt, causas, vt discessio non irrationabilis videretur, ipse quoque contentionis, atque odij documentum sunt: perspicue liquet, nullam illis excusationem relinqui, qui de processione sancti spiritus adversus Romanam Ecclesiam contendere instituerunt. Quocirca, quisque mente, & ratione præditus, eandem cum illa opinionem de S. spiritus processione tutissime tueri debet. Et, quam in symbolo vnam, sanctam, & Apostolicam confitemur Ecclesiam, hanc esse, iustissime asseveraverit; eumque, qui ita confitetur, catholicam fidem tenere, illa duce, non ambiget.

Fidei Romanæ stabilitas, & D. Petri Prærogativæ.

Ad hæc, & illud intuendum, quanta sit Ecclesiæ magnitudo, quanta rerum moles, vtque ab ea, nulla vnquam hæretica sententia manarit, quam B. fundavit Petrus; quæ, semper ad omnes fluctus immobilis perstitit; quia, supra petram, id est, super ipsum Dominum fundata erat, sive super B. Petri, firmissimam fidem: quem illi Dominus, cum corporali præsentia mundum desereret, præfecit, *beatum* illum appellans; *quia non illi caro, & sanguis, sed cœlestis pater veram revelavit fidem.* Inde iam principiis Ecclesiastici principatus iactis, cum interrogatis discipulis, quem esse homines putarent filium hominis, ceteros præveniens, dixit: *Tu es Christus filius Dei vivi.* Cui responsum protinus est: *Tu, es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Rursumque illi hanc commendans dicebat; *si me amas Petre, pasce agnos meos: pasce oves meas.* Et, de quo ait: *Ego rogavi pro te, vt non deficiat fides tua.* Et; *tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Et; quem posuit æqualem sibi, quando Cæsarianis tributum exigentibus, præcepit Petro hamum in mare dimittere, inveniendumque in primo, qui occurrisset pisce, staterem aureum dare exigentibus pro se, & Petro. Id autem est volentis illum æque, ac se honorari pro portione debita, illumque verbum suum continere; quia enim à Domino nihil frustra dictum, aut factum est, necesse est, & quæ Apostolo Petro præcipue præ cæteris dicta, sive facta sunt; magnum aliquid credere significare. Quid autem maius esse potest, quod huiusmodi Ecclesiam suam sub hoc duce gubernari constituit, quam, ut ipse voluit, in Petro solidavit, ut adiuncta rebus verba, ista testantur. Si enim vel multis in humanis rebus principantibus, vel nullo, confusioneque regnante; nihil vel parum consistere posset.

(Mat. 16. — Ib. — Mat. 17.)

Et certe, cum in ipsa omnium natura, singula per ordinem, quod suum est, operentur: quo sublato, mundi totius harmonia solveretur: *Ipse enim*, inquit, *cœlestia, & terrena continet*; quomodo esset possibile, cuncta disponentem sapientiam, *& à fine usque ad finem pertingentem fortiter, suaviterque cuncta disponentem*, gregem suum, Ecclesiam suam, quam, proprio sanguine redemit pro qua, omnis eius ratio, & omne mysterium est, sine gubernatione relinquere, per multas quidem tentationes, & quæstiones in præsenti exercitatam: Ipso vero corporaliter, & sensibiliter hinc migraturo; etsi nunquam ab Ecclesia invisibiliter abfuit: *Ego enim*, inquit, *vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi*.

(Sap. 1. — Sap. 8. — Mat. vlt.)

Nam, etsi post ascensum Salvatoris ad cœlos, nihil indigebant Apostoli aliquo, qui secundum Evangelicam doctrinam, ac conversionem, ac circa dogmatum diligentiam eos informaret: At Ecclesiæ, quas singuli Apostoli ædificaverę, & qui illis successerunt, Petro, illiusque successoribus indiguerunt semper, & indigent. Quem scilicet ordinem in Apostolis primum inchoari decuit, sicut etiam contigit. Omnes enim alias aliter circa fidem naufragantes, aut, id pati periclitantes, Petrus per successores suos, suamque Ecclesiam erexit, atque servavit: quemadmodum ipsum antea Dominus in navi periclitatorum cum ceteris, ac propterea dicentem; *præceptor, salua nos, perimus* increpatis ventis exurgens servavit; quod futuræ obique in navicula Ecclesiæ perturbationis, hæresibus omnibus illam mergere quærentibos, argumentum erat. Cuius regimine suscepto Petrus periclitantem servavit per se ipsum magistro excitato. Neque enim frustra ei Dominus claves regni credidit; fundamentumque se positurum dixit, super quo Ecclesiam suam ædificaturum repromisit: hancque præcipue *pascere Petro*, si se amaret, imperavit: atque in tributi solutione bene pro se ipso respondere voluit.

(Mat. 8. — Ioan. vlt.)

Enim vero, & quod post resurrectionem dictum est *dicite discipulis eius, & Petro*, præ cæteris illum appellantis, atque honorantis est. Sed & discipulorum primus ingressus est in monumentum, & vidit, & credidit, vt, qui princeps Ecclesiæ relinquebatur, primus in Apostolorum choro reliquis resurrectionem Christi nunciaret. Nempe enim, & convenientibus omnibus, primus in concionibus est. Paulus item; *Ascendi*, ait, *Hierosolymam videre Petrum*: velut ad præcipuum quiddam, ad Petrum intendens. Etsi cum propter circumcisionem quidam scandalizarentur, atque in Evangelij prædicatione circumcisionem inferre molirentur: quoniam quidem Apostoli, circa prædicationis initia, ob varias necessitates, maiorumque dispositiones, vt medici curam animarum gerentes: ille quidem, quia gentium magister erat, non cogebatur aliquos accedentium prædicationi circumcidere: Petrum vero eos, qui ex circumcisione crediderant assumens, vt maiora lucraretur, minora ad tempus contemnebat: ab his, qui illorum intentionis erant nescij, invicem dissentire putarentur, cum eo ipso maxime congruerent. Ne enim & in Evangelio circumcisio locum habere videretur: ea, quæ putabatur inter eos differentia, necessario assumpta est. Quod enim sibi valde concordes essent, hinc perspicuum est. Non solum Petrus aliquos, verum & Paulus Timotheum circumcidit, qui Iudæa matre natus erat. Sic enim tunc necessitas flagitabat ad prædicationis dispensationem.

(Marc. 16. — Gal. 1.)

Verum tamen Paulus Petrum minime ignorans: *Ascendi*, inquit, *Hierosolymam, videre Petrum*, veluti aliquod sacrorum montium excellentissimum intuiturus eique honorem redditurus, sive etiam Evangelium cum eo collaturus; vt, vel firmaretur, quod rectum erat, vel suppleretur, quod deerat. Nam, etsi omnis ambitio è choro illo Apostolico erat remotissima; perfecti enim erant singuli; neque duce indigebant: tamen, apud illos etiam ordo vt primos honorum omnium à Domino plantatus fuerat: atque ad Petrum, veluti ad illius successorem, intuebantur omnes. Neque enim fortuito res apud illos gerebatur; sed, velut præsente duce, ab ipso signum expectabant: ac primo concedebant, cum illic in communi cœtu aliquid dicendum erat, vt liquido in Actibus apparet. Primus enim inter omnes, præsentibus aliis, vt ipsius chori princeps

(Act. 1.)

concionari

A concionari deprehenditur, nunc quidem ad Iudæos, nunc autem ad ſodales, cum ſermo eſſet de ſurrogando proditori ſucceſſore, & eligendo. Oportebat enim, vt futurum in Eccleſia Chriſti ordinem ipſi præfigurarent, vt quemadmodum ceteris duces bonorum omnium fuere, ſic etiam ordinis eſſent.

Atqui, ſi illi, cum perfecti eſſent, ordinis tamen curam maximam adhibuerunt, neque ſtatutos terminos tranſgreſſi ſunt: quomodo non eos arbitremur per ea, quæ geſſere, quæ poſteris ſuis hunc modis omnibus ſervandum tradidiſſe? Atque apponebant illi quidem, qui ecediderant, pecunias ad pedes Apoſtolorum: Petrus autem eos, qui Deo mentiti fuerant, Ananiam, & Sapphiram, & ſimul reliquos admonens, ac malignari prohibens, dux, & index veritatis adſtans, mortis eos ſententia mulctavit.

B Scriptum eſt autem & in hiſtoria Clementis, qui poſt Petrum ſucceſſor eius fuit, quod cum ex hac vita Petrus beatiſſimus migraturus eſſet ad Dominum; Clementem convocans, ipſi tradidit, quem acceperat à Domino Eccleſiæ principatum, fideleſque æqualiter, vt ſibi viventi, veluti Eccleſiæ principi eatenus intendebant: ita & ad illum, vt ſuum, ac dignitatis ſuæ ſucceſſorem aſpicere præcepit. *Hunc enim*, inquit, *vobis pro me relinquo.* Nempe & SS. Evangeliſtæ in enumeratione Apoſtolorum, vt chori totius principé Petrum ſemper præponunt. Et Eccleſia vbique principem Apoſtolorum appellat: quippe & in hymnis ſuis Damaſcenus Petrum, & Paulum laudare volens, alium quidem, vt omnium Apoſtolorum principem: alium vero, vt qui vltra ceteros laboravit, laudat. Atteſtatus & D. Chryſoſtomus ſuper Matthæum.

De Conſtantino, & Sylveſtro.

Extat hoc decretum apud Gratianū d. 96. neque Græcis eſt ignotū, vt patet ex Commētariis Balſamonis in Concilia

C ISta, neque Chriſtianorum Reges ignorantes, quorum primus fuit B. Conſtantinus, Sylveſtrum tunc Romanæ Eccleſiæ gubernacula regentem, communi decreto vbique per orbem promulgato, *Petri, & Chriſti ſucceſſorem* appellat; *paſtoremque primum & magiſtrum Eccleſiæ* totius vocat: liquidoque comprobat, ſe quam inter Chriſtianos invenerat conſuetudinem hoc decreto roboraſſe. Neque enim nuper ex gentilium errore converſum ad Chriſtum, novi aliquid in Eccleſia moliri voluiſſe putandus eſt; eique Romam ob cathedram B. Petri dereliquit: indignum exiſtimans, vt ait ipſe, *vbi ſedes ſanctiſſimi mei Petri Apoſtoli, vicarij Domini, & regis noſtri Ieſu Chriſti fundata eſt, Eccleſiaque ipſius principatus; illic etiam terreni imperij ſedem ſtatui, ſed hanc quidem S. Petro, eiuſque ſucceſſoribus deputamus; nos autem quæremus regni ſedem alio in loco,* Bizantio ſcilicet, *ædificare*: Et quæ alia adiecit, & de converſione ſua narrans, & de dignitate ſucceſſorum B. Petri edicta proponens, ſervandaque poſteris tradens; erga quam niſi ſucceſſores imperij parem reverentiam ſervent *ſtatuendas cum crucifixoribus Domini noſtri Ieſu Chriſti, beatorumque Apoſtolorum Petri, & Pauli incurſuros indignationem* indicat.

Præter cætera enim rurſus & hoc ait: *Ordinem ſtratoris nos B. Sylveſtro Papa ſucceſſori Beatiſſimi mei Petri Apoſtoli Vicarij Chriſti implevimus.*

D Hæc & hi, qui poſtea fuere Chriſtianorum reges agnoſcentes, atque in his manere coacti, ſi quidem hæretici fuiſſent, Romani Epiſcopi ſententiam, in quibus poterant, ſecum habere modis omnibus moliebantur, dignitatem eius probe ſcientes, vtque ſufficeret ad omnia ſententia illius: Turpe enim ſimul, atque audax videbatur, Chriſti cum eſſent, imprudenter agere: niſi quis fortaſſis ad omnes leges rebellare inſtituiſſet. Sin vero pij, ac religioſi, eſſent, de his, quæ quomodolibet eſſent ambigua, eius expectabant iudicium, vt, cum illud haberetur, aliis alia dicentibus, nullus vltra amplius inquirere permitteretur.

In ſynodis vero ipſe omnium princeps præſidebat; E & vel per eum, vel per alios, qui vice ſua fungerentur, recta fides roboratur: ſine quo adverſus hæreticos obſiſti nequibat; atque non ſolum non congregare ſynodum, ſed neque contra adverſarios dimicando prævalere, ſine illius auctoritate quiſpiam poterat. Atteſtantur his partim hi, qui per id temporis deliteſcebant, neque vocem liberam pro fide emittere audebant, etſi ipſi optime ſentirent: partim & magnus Baſilius epiſtolis ſuis Occidentales excitans: atque fidei veritate periclitante, vt opem ferant, obſecrans, niſi provideant, id paſſuram aſſeverans, quaſi non ſufficientibus, qui apud Orientales reliqui erant, orthodoxis; aut non audentibus bellum ad deſtructionem blaſphemantium arripere.

F Sed & Theologus Gregorius, in epitaphio ſermone quem in eum ſcripſit, hoc ipſum teſtatur, dicens; *Aderant & Occidentalium Epiſcoporum aliqui ad ſe attrahentes orthodoxos omnes.* Et ſi enim ſemper inter hæreſes aliqui vera de fide ſentientes, reliqui erant, veluti quædam ſcintilla veritatis: Verum, non tantum habebant roboris, vt vel ſynodum cogere, aliaſque obſiſtere auderent, cum ipſi minima pars eſſent, ac ſæpius occulerentur. Aut, ſi coegiſſent, robur ea ſynodus non habuiſſet. Nulla enim ſynodus, non præſente, vel non conſentiente Romano Epiſcopo, vel robur habebat, vel catholica credebatur. Vt enim beatus Stephanus iunior inſinuavit; ſine eo, res Eccleſiaſtica tractari, dirigique non poterat: Iconomachorumque ſynodum, Romano Pontifice non approbante, catholicam appellare renuit.

Hæc autem non Romanæ vrbis gratia, illi dignitas, contigit: ſed quia ſucceſſor B. Petri fuit. Eum vero Dominus pro ſe Eccleſiæ præfecit, atque propter eximiam præficientis gloriam, ſucceſſor eius, & ea, quam per ſucceſſionem cepit Eccleſia, vbicumque terrarum, vel vrbium eſſet ædificata, idem profecto valeret in omnibus Eccleſiæ negotiis, ſiu vero eam, qua ſub cœlo nulla eſſet maior, civitatem oportuit præcipue ad ſedem eligi magnitudini Eccleſiæ Chriſti congruentem: vt, ſicut humanarum illic rerum omnium imperium fuit; ita illic etiam caput Eccleſiæ Chriſti, fidei per totum orbem edicta promulgaret, atque vnde

G idololatriæ præcepta manaverant, inde Eccleſiaſtici principatus vbique terrarum edicta innoteſcerent: ac facilius vnico ſub principatu, vbique prædicatio diffunderetur, idcirco etiam Romam in tantum creviſſe, quantum in humanis rebus dici potuit, vt rerum dignitati æqua eſſet proportio, & vndique nobilitas, & magnificentia fidei Chriſtianæ colligeretur: Id quoque eius eſt, qui contraria, ex contrariis virtutis magnitudine conficit, & fundamenta iacit: atque his, quæ propoſita ſunt, optime quadrat.

Prædicta vero, etiam rebus roborantur. Nam *portas inferi* ſancti eſſe hæreticos dicunt, & omnes omnino qui illi adverſantur; quos Eccleſiæ non prævalituras in Petri petra fundatæ, prædixit Dominus. Conſtat autem, quod aliis quidem Eccleſiis, quas Apoſtoli ædificaverunt, hi, qui varias, & aliis temporibus alias invexēre hæreſes, prævaluerunt. Etſi enim non vſquequaque malitia obtinuit, in quantum tamen obtinuit, prævaluit. Romanæ autem Eccleſiæ, quam Petrus ſolidavit, nullus omnino vnquam prævaluit. Neque enim hoc

Mat. 16.

H quæritur, an aliquis ei præfuerit, qui contrarium aliquid catholicæ fidei pronunciaverit: quanquam & ſi quid contigiſſet eiuſmodi, protinus Eccleſiæ ſententia deiectus, Petri ſede ſimul, & dignitate excidiſſet. Neque enim vltra eſſet Romanus Epiſcopus, neque Chriſti, Petrique Vicarius; aliuſque dignus Apoſtolicæ ſedi ſubrogatus eſſet, Eccleſiæque ſtatus idem perſeveraſſet, nemine illi prævalente: neque vel parum patre illa, vel paſtore deſtituta (eſſet.) Vt inde quoque vera Domini ſententia probetur: *Ego vobiſcum ſum*, inquiens, *omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi*: cum neceſſe ſit, ne nunc quidem infidelium prædictam ſententiam excedere, vt & alia ſimul vera eſſe

Mat. 28.

Extat hæc disputatio S. Maximi in fine octaui Tomi Baronij, de Honorio lege Bellarm. lib. de Rom. Pont. cap. 11.

credantur, & consona per omnia sibi invicem, & cohærentia appareant. Nempe enim & Beatus Maximus in disputationibus adversus Pyrrhum, Honorium, quem aliqui vt hæreticum, Romanum tamen Episcopum, causabantur, purgat: cum hæreticus Pirrus Constantinopolitanam tunc Ecclesiam regeret, & ad munimen erroris sui Honorium proferret: Et vero iste respondit: *Honorium pietatem colere, sibique ipsi, in his, quæ dixit, illius sensum congruere simulque ipsi, & illius verba Pyrrho proposuit, quosdam afferens, illius sensum ignorantes sive etiam calumniantes, falsam de illa disseminasse famam.*

Veram autem fuisse excusationem, hinc liquet. Præter id enim, quod nullus facile crederet, sanctum Maximum mentiri posse, idque cum plurimum temporis Romæ tunc fuerit, pro Ecclesiasticis negotiis, &, neque impia sentiente Honorio, recte sensisset Ecclesia; sed, vel cum illo ipsa falsa; vel, cum ipsa ille vera sentiret: Id profecto verum esse cernitur; & ex his, quæ D. Maximus illum excusans dixit, cum quo & ipse stans adversus Pyrrhum, Constantinopolitanamque Ecclesiam pro pietate pugnabat. Et ex eo etiam, quod nil tale blasphemum de illa per id temporis historia tradidit.

B

Non ergo illud inquiritur: an aliquis ipsi præfectus contra Catholicam fidem vnquam aliquid protulerit, quippe, si quis talis esset, Romanus Episcopus non esset: huiusmodi enim semper vera prosequi necesse est: sedemque illam nonquam patre privari, qui inde de dogmatibus vera decernat: quamvis ne sic quidem tale aliquid contigit. Sed an aliquid vnquam ab Ecclesia Romana, tale prolatum sit, & vel ad modicum ei prævaluerit, quod nunc anathemati communiter subiectum sit; sicut sæpe in aliis Ecclesiis contigit, quæritur: Hoc autem nemo vlla ratione monstrare potest.

Si igitur aliis quidem Ecclesiis portæ inferi prævaluerunt sive parum, sive amplius, nihil refert. Et certe, cum quarundam nonnam vltra quinquaginta annos durasse ostendi possit, id solum sufficit, illarum sententias ab omni Ecclesia anathemati traditas fuisse: contra quas sententias etiam Martyrum fusus est sanguis. Romanæ vero Ecclesiæ, nihil vnquam tale prævaluit: constat, Salvatoris sententiam in ipsa tantum veram esse: &, hanc Ecclesiam esse, de qua Dominus dixit: *Ædificabo Ecclesiam meam.* Et quam alias *conversum Petrum* confirmare præcepit. Alias vero super hanc fundatas esse, & consistere confessionem, & sequentes quidem, vt partes, & membra salubritatem simul habere, atque robur: quando & plurimas vnam existimare convenit: Deviantes autem à capite, & corpore præcidi; & neque aliis esse iam vtiles.

C

Mat. 16. Luc. 22.

Ioan. 15.

Vnde & Dominus monuit *in vite persistere*; seipsum *vitem* dicens & per *vitem* Ecclesiam designans: *palmites* vero fideles nominans, qui per confessionem illius, & bonam conversationem fructum ferrent. Quibus profecto verbis summa Ecclesiæ vnio insinuatur, vt fructum in vite manentes ferant, & nusquam corporis integritate deviantia à capite, membra omnia vivificentur, *virumque perfectum in mensuram ætatis plenitudinis* Christi Ecclesia coangeatur: non è contrario, vel abscissa, mortua fiant, vel ex vite proiecta, igni inextinguibili consumenda damnentur.

Eph. 4.

Psal. 67. In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israel.

D

Ioan. 21.

Atque vnitas quidem Ecclesias Psalmista ait, *benedicere Dominum*: non enim de singulis magis, quam de Ecclesiis dicendum, quæ ex partibus collectæ sunt: Discissas vero, & in opiniones contrarias divisas, sive adversus Ecclesiam, cui nemo prævalebit, reluctantes, vt prioribus temporibus sæpius contigit, *scissa Ecclesiæ membra* magnus Basilius vocat, Psalmi dictum exponens, falsasque synagogas eas appellat: quanquam & consequentia summa per omnia Ecclesiæ Petri adest: Ait enim ad illum Dominus: *pasce agnos meos, pasce oves meas.* Hoc, Ecclesia Romana ad reliquas facere perstitit: aliisque in opiniones contrarias & solitudines, & prærupta, & præcipitia oberrantibus, ipsa, eas ad vnum pastorem, & vnum ovile reduxit: noxiis quidem, mortiferisque graminibus eruens: salubria vero, & læta ingerens, imo & adversus sævientes lupos, mammonæ scilicet, ac Cæsaris, ovesque vastare molientes, pro Christo, proque eius fide ante gregem stans pugnavit: atque omni omnino inquirenti rationem semper reddidit de ea, quæ in nobis est spe; vt ipse Beatus Petrus admonuit. Et, quod Dominus secundum hominem oravit dicens: *Simon, rogavi pro te, vt non deficiat fides tua*: & hoc, in Petri successoribus servatum est, cuius fides in ipsis nunquam defecit. Oportebat enim orationem illam ipsis rebus non posse decidere: *Ego enim*, inquit, *sciebam, quia semper me audis*, & aliquos semper in terra, in illius veritate servari, pro quibus oratio illa fusa: *serva eos in veritate, pater sancte, vt sint vnum* & quæ illic addita sunt: Vndique, & ventis aliis alias contra Salvatoris ædificium se erigentibus, electos illius infractos præcipue in petra stare: &, qui alios servaturi erant, tempestate, vndique iactatos, infirmosque curaturi, ipsius illius primum in tota crepidine solidari, semperque sanos, & inviolatos esse.

1. Pet. 3

Ioan. 17.

F

Quod in Petro, eiusque successoribus, eiusque omnino Ecclesia concurrit. Nam cum Apostolicorum successorum nemo fuerit, quem Satanas non cribrarit vt triticum, Zizania sua subseminans; Petrus, nunquam in suis successoribus defuit; sed etiam per hos, deficientes quoque alios, iuxta edictum, confirmavit.

Neque enim solum de resurrectione Salvatoris, si quis ad hoc id verbum trahat, dictum putare debemus, quod Petrus conversus fratres confirmare debeat; quos multis modis ipse per se ipsum de illa roboravit: sed etiam de Petro per successores suos aliorum corrigente infirmitatem.

Neque magis, ne per negationem Petri deficeret fides, orationem illam fusam esse putandum est: quod, & ipsum verum est, quam, ne vnquam Ecclesiæ confessio, quæ sibi cœlitus revelata est, in suis successoribus infirmaretur, neque vnquam nutaret fundamentum. Orationem enim illam, in eo, quod nunquam Petri defectura esset fides: ad omnes quoque illius successores efficacia virtutis se extendisse, constantissime putandum est: quem Dominus, vt voluit, aliis præferens, per ipsum, roboravit, crepidinem suæ Ecclesiæ subiciens, præsensque invisibiliter in veritate semper conservavit, immo, & vsque in finem iuvans, conservabit. Filius enim hominis in terram veniens, inveniet fidem. Alter quippe inanis esset Ecclesia, quam in terra Dominus statuit, nisi vsque ad consummationem seculi servanda ex omnibus esset, de qua, vt conservanda, prædixit: *Ecce, ego vobiscum sum, omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Quam profecto ideo cæteris præesse voluit, vt aliis, veluti de specula, iura dictaret: ac de longe omnes in eam intuentes, absque ambiguitate illius decreta susciperent: quæ nam sit Ecclesia, manifeste scientes, persuasumque habentes, eam semper vera necessario prosequi.

G

Mat. vlt.

Nempe enim, vt dictum est, aliis Ecclesiis Catholicæ fidei contraria sæpe præferentibus, adeo, vt vera sentientes, maledictis, pœnisque subiicerent; &, mendacij literas, contra veritatem, alios quidem confiteri, alios vero etiam scribere compellerent. Petri vero Ecclesia, Romana scilicet, nunquam in aliquod huiusmodi lubricum prolapsa: in illis quidem Salvatoris sententia impleta non est, *Vobiscum sum*, dicentis, *omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi.* Impia enim sentientibus nunquam ille adest; quemadmodum cum suis est iugiter in eis: hisque velut instrumentis vtens, & quasi inspirans, ac per veritatem fidei à suis sacramentis, & spirituali vita ad cœlestem patriam transferens, vt, vbi ipse est, & ipsi sint.

Ibidem.

H

In hac vero, quoniam nunquam à veritate aberravit, sententia ista & promissio, maxime convenit, vt hinc etiam perspicuum sit, hanc esse Ecclesiam, quam, in Petro ædificaturum Dominus se repromisit.

Matt. 18.

Præterea,

Præterea, quod ab eo dictum est, quod inter fratres differentia aliqua exorta, primum quidem ipsum, qui læsus sit, ad eum, qui se læserit, accedere, & rogare, quæ ad pacem sunt, debere: deinde si illum reconciliare non possit, & alium secum assumere: sin autem, nec sic quidem reconciliaretur, Ecclesiæ tandem nuntiare: cui, nisi obediat, vt ethnicum & publicanum iam esse iudicandum; hoc est, infidelem, & ab Ecclesia præcisum, ea, quæ prædiximus, roborat. Præsupponit enim Dominus, Ecclesiam definitam esse aliquam rem, & hanc, semper veracem, aliis quæ sunt vtilia, & necessaria, annuntiare, atque agere. Neque enim nisi semper verax esset futura, indefiniter per omne tempus ad hanc fideles mitteret, de rebus ambiguis decernentem audituros. Neque, si indefinitum eius, apud fideles definitum esset, scire possent, quo se conferre deberent, vel, sua omnia referre: vt, obtemperantes quidem securi iam, & tuti esse possent: non obtemperantes autem, cum ethnicis se, & infidelibus statuendos scirent.

Notent hæc hæretici.

Sed neque tamen, nisi ea, ad quam mitterentur, Ecclesia; vera semper de omnibus dictare præsupponeretur; scire possent, quando tenuere, quando obtemperare deberent, cum qui ab invicem differrent, veras ambo rationes proferre viderentur; communis vero Christianorum multitudo, simulque infirmitas humana discernere non possent, confusioque, ac pugna Ecclesiasticis in rebus pullulatura videretur: nisi subiecta Ecclesia, definite singula decerneret. Sed & sine culpa omnino essent, omni spiritui se permittentes, nisi aperta & manifesta fidelibus esset Ecclesiastica authoritas: Deo quidem possibilia à cunctis exigente; aliis vero obscura, non valentibus dignoscere: sive omnes omnino oportebat divinarum rerum scientiam ingiter adeptos in tanta confusione rerum, & ipsos ambiguæ fidei veritatem dignoscere: at, id in multitudine contingere, possibile non est. Atque ideo, nunquam hoc Deus ab omnibus exigeret. Et id item, quod dicitur, *cæci cæcos* sequentes præcipitari periclitantur: quique Ecclesiæ inobedientes sunt, cum ethnicis vna censentur, locum non haberet, si Ecclesiam dignoscere, bonumque à malo discernere, possibile non esset.

Pulcherrime de infallibilitate Ecclesiæ.

Nempe, & in fidei symbolo, sicut alia ad salutem necessaria ab eis vt confiteantur, exigitur: ita, & *unam sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam* confiteri, requiruntur: ad quam de omnibus scilicet definituram admittimur: &, cui obtemperantes, molestiis, & scrupulis liberi evadimus. Quam etiam à fidelibus omnibus agnosci, vt possibile, & necessarium exigitur. Et sine qua, nec fidelium communio haberi potest: nec sacramentorum virtute perfrui valemus, nec per ipsa capiti Ecclesiæ, quod Christus est, vniri. Non in verbis, sed in rebus Ecclesiæ Christi positæ sunt res.

Quamvis, etsi qui vbilibet terrarum fuerint, qui de fide aliis alia dicentibus, vera ipsi senserint, laudabiles quidem fuêre, se ipsos, vt partem referentes ad Ecclesiam, atque inde sibi ipsis sufficientes, illi per omnia, quæ ad fidem pertinent, vniti, & aliis quoque hoc modo, quæ vera sunt, dictantes, cuiusmodi S. Maximus fuit, & si quis illi similis est: non tamen ita, vt infinitis agminibus Christianorum, pro magnitudine Ecclesiæ, & dignitate, satis esse possent: quodque in eis, quasi in obscuro erat, ad fidem eorum, quæ dicerentur, omnibus sufficeret: quasi ipsi Ecclesiæ caput essent eius, ad quam mittimur: cuiusque processionem fines terræ esse Psalmista definivit.

Ps. 18.

Hæc cum ita esse necessario concessum sit, aliæ quidem Ecclesiæ, vt dictum est, à veritate sæpius aliter alias aberraverunt: quando de fidei veritate orbe toto inter se non conveniente, illæ falsa & sentiebant, & aliis sentienda proponebant: quosdam vero etiam invitos fateri compellebant: nulla earum esset profecto, ad quam indefinite mitteremur, Ecclesia, de ambiguis salubria, & certa audituri. Manifestum enim est, quia eos quidem, qui tunc ei contradixerunt, & usque ad sanguinem adversus hæreses, quas illa fovebat, reluctati sunt: maxime idcirco admiramur, in tantumque à nobis abest, infideles, & ethnicos eos, quod illi non obtemperaverint, putare, vt etiam debito honore prosequamur, atque annis singulis illorum festos dies celebremus, mediatoresque pro nobis ad Deum proferamus.

Et certe Nestorius, ac Pyrrhus, & cæteri Constantinopolitanæ Sedis Antistites, hæretici tunc temporis, cum omni, quæ sub ipsis erat, Ecclesia, cum essent: se ipsos tamen Ecclesiam illam esse asserebant, quam omnibus sequendam per omnia dictitabant, eosque sibi qui non obtemperarent, ut ethnicos & publicanos puniebant. Qui vero illis obtemperavêre, eos, nos perditos existimamus: quantoque ad impietatem fuêre proniores, tanto ab Ecclesia maiori supplicio affecti sunt: & qui illis consenserunt, anathemate mulctati sunt.

Nullum vero novimus, qui, quovis tempore, cum de fide disputaretur, Romanæ Ecclesiæ obtemperans, similem exceperit damnationem. Imo vero, nullus est, qui tunc adversus quidem Constantinopolitanam Ecclesiam aperte resisteret, quin & Romanam Ecclesiam intueretur, illiusque de fide opinionem, ut veritatis, ac pietatis exemplum, quibus contradicebat, opponeret; eamque, contra inimicos sociam, auxiliatricemque præferret. Et nunc quoque, cum adversantium obscurum nomen sit, communiter, ac privatim illa, & colitur, & coronatur: vt & hinc perspicuum sit, hanc esse Ecclesiam, cui, qui non obtemperat, gentilibus & publicanis Salvatoris sententia connumeratur. Principari quidem & alias Ecclesias, his, quæ ad ipsas pertinent, & sub eis sunt, hasque secure & iudicare & dirigere, cum tempus exigit, quando ad vnam omnes referuntur, arbitrandum est. Sed, nisi adversus caput obluctentur, maxime, cum illis differentia, de fidei confessione fuerit. Tunc enim perniciosissime divisæ à capitis glutino & vivificatione decidunt: metusque est, ne præcisis membris; neque solum absente debita concordia, sed etiam præsente maximarum rerum contradictione; præter id, quod nihil possint, gentilibus etiam publicanisque connumerentur. Quanto enim de maioribus contradictio fuerit, tanto & condemnatio deterior est. Neque enim tantum de communibus istis differentiis putandum est, à Salvatore sententiam, quod Ecclesiæ obtemperandum sit, pronuntiatam esse, quantum de maioribus, & quæ primi in Ecclesia consistunt ordinis; qualia sunt, de dogmatibus, ex quibus est etiam de S. Spiritus processione contradictio, per quam tanto iam tempore Ecclesiæ dissipatæ sunt.

Quibus profecto ita contingentibus, non modo in integritate à capite Ecclesiæ, quod Christus est, non vivificari, & coalescere, verum, & quod habere videbantur, ab ipsis auferri contestantibus rebus, necesse est. Ab eo enim *qui non habet, & quod habere videtur, auferetur ab eo.*

Mat. 13.

Propterea, etsi non pluribus ex patre, & filio procedere Spiritum sanctum verum esse, contrariasque rationes nihil dicere, ostensum esset, res ipsa Ecclesiæ tamen, vt dictum est, dubios persuadere sufficeret, omniaque ab ipsa declarata, singulos nihil reluctando suscipere deceret; sed Christianorum omnium caput ipsam arbitrando; & quam in fidei symbolo, vnam, sanctam, Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam accepimus, eam esse asserendo: ita, Catholicam fidem continere, confiteri, illa tutissime ducente, maxime, si quis etiã ad nationum multitudinem, quæ illam sequitur, intueatur: plurimis quidem in his humana, ac divina sapientia, quantum homini possibile est, summe excellentibus, plurimis item in sacro & religioso habitu per monasteria degentibus, & in lege Domini die ac nocte meditantibus. Sed tamen ostensum est, fuisse tempus, quando Ecclesiæ unitæ erant, & fidei symbolum apud istam legebatur, vt modo legitur.

A Quemadmodum igitur, his, qui primo Ecclesiæ membra dividere volebant, & pro suis desideriis à communi cœtu Ecclesiæ abscindebantur; nullus mente & ratione præditus consentire, simulque cum illis abscindi voluisse, eum nulla id rationabilis occasio suggereret: sed, aut divisionem potius impedire tentavisset; sicut, plurimi tunc temporis, qui pro veritate & Ecclesiæ communione steterunt: aut, malitia invalescente, cæterisque per præcipitia euntibus, ipse super petram stans, atque unionem, quam beti & nudiustertius eum cæteris amabat atque honorabat, servans, Ecclesiæ vnitus esset: ita & nunc, si quis se ipsum, eo tempore, quo Ecclesiæ divisæ sunt, fuisse fingens, ad res cum ratione respiciat, saluti & securitati suæ prospiciens, nulla ratione ab Occidentalium Ecclesia præscindi patietur. Neque enim profecto consilij fuisset, vel, quandó Ecclesiæ unitæ erant in fidei confessione, nulla præsertim probabili ratione discessionem suadente, cum his, qui temere feruntur, simul dividi; vel, cum his, qui modo sunt, aut antea fuerunt adversarij, vllo pacto commorari: cum & modo, & tunc æqualiter fidei negotia se habeant: quantumque attinet ad veratum rerum iudicium, apud prudentes nihil differant.

B Est autem sane irrationabile, his, qui præsunt, alias se aliter hab.ntibus, vt illos impetus tulerit, præscindique ab Ecclesia cupientibus, velle & se vna præscindi. Quasi in illorum potestate sit, vt libet, vtrumque agere; &, qua velint cæteros ducere, veluti mancipia, sublata eis in tantum voluntatis, sententiæque libertate, ut, neque contrarias rerum mutationes eis discernere liceat, neque certam sententiam eligere, pravæque præferre.

Nullus ergo erit tam iniquus index, vt illis quidem & saluti contraria licere aggredi statuat, cæteris autem saluti & securitati suæ consulentibus, non licere, quod sit rationis, eligere. Neque illi quidem, propter suam levitatem & inconstantiam, sine vlla ratione vnitatem dividentes, opinionem prudentiæ habebunt: qui vero hanc omnino servare elegerunt, deterius consuluisse videbuntur. Multo enim magis his, qui in bono vnitatis permanent, sive etiam ad illam

C redeunt, ius atque ratio aderit, quam his, qui contra omne fas, omnemque normam divisa Ecclesia communiter & privatim, seditionis ac divisionis, malorúmque omnium auctores fiunt. Si enim his dividi pro voluntate licebit: & illis ratione licere non dividi dabitur. Et simul perspicuum est, quia nulla synodus nunquam facta est, in qua declaratum sit Occidentis Ecclesiam hæreticam esse, Romanoque Pontifici, Ecclesiasticis sibi ab initio concessis privilegiis iustis vti nó licere; neque illi, iuxta Ecclesiæ antiquas sanctiones, omnes obedire oportere.

Est ergo irrationabile & inconsideratum, discissionem nulla probabili ratione suadente, neque synodo vlla contra illam Ecclesiam ullo in loco sententiam ferente; eos sequi, quos voluntas, & sua levitas circumfert, nihilque validum ac rationabile inferunt,

D imo & plurima quidem fidei, Catholicorúmque Doctorum, ex superflua & fatua contentione, partim auferunt, partim contra seipsos confiteri coguntur. Enimuero quod putant isti, plurimos contentionis suæ socios Episcopos opinionem suam satis roborate, ridiculum est: quasi non apud Romanam Ecclesiam Episcopi totius orbis ordinentur, qui vel nominibus ipsas dignitates exornent, Ecclesia antiquum ordinem per omnia custodiente.

Porro si quis, quod loca ipsa non teneant, obiicere velit, primum quidem, non ex loco sacerdotis dignitas habentibus provenit; aliter enim, & qui ista dicunt, suos Episcopos tollent, qui nominibus solis participant, rebus privati: simulque ab illo Episcopatum consequi, à quo & aliis omnibus sacerdotij dignitas est, totum profecto valet. Deinde & qui videntur thronis præsidere, à quibus nominantur, dignitatem solis nominibus sine rebus adornant, cum civitates ipse ante plurimum temporis ab infidelibus captæ, ac sub iugum missæ sunt. Ex quo fit, vt imperitia sensim, & rusticitate, & cætera morum corruptione crescente, ne simplicissima quidem fidei apud illos rudimenta noscantur, nomineque potius, quam re Christiani ibi sint.

E Si igitur, hos habere concordes magnum aliquid ad divisionem valet; & Occidentis Ecclesia nihilominus eosdem pro se proferet, atque eo magis, quo & Doctores sacros pro se habent: & ipsi per se, de quibus culpantur, rationem facile reddere possunt: quocirca nemo suæ salutis avidus, eliget vna eum suis dividi, partim quidem persuasum habens, Ecclesiæ per omnia obtemperandum esse; & qui non obtemperet, eum inter Ethnicos proiiciendum: partim vero, confessionem de S. Spiritus processione ex patre & filio, plurimis ex locis verá esse, & saluti necessariam animadvertens.

F Quibus veraciter ac firmiter subiectis, nunquam profecto circa exte iora turbabitur huius veritatis studiosus. Aliis quidem propter consuetudinem ab initio concessis: aliis vero item immutatis, sicut & in legibus civilibus contingit, ideo quod secundum tempora alias aliter aliquid eluceat, quod Reipubl. expediat. Sicut etiam medici vivendi rationem alias aliam statuunt, vt illis ars pro vtentium vtilitate dictaverit. Hæc autem nullam inducunt fidei corruption m. Nullus enim vnquam propter exteriora ista, quomodolibet se habeant, sive etiam propter consuetudinem aliquam ut hæreticus insimulatus est.

Igitur cum sententiam de sancto Spiritu ita se habere, vt sentit Occidentalis Ecclesia, plurimis rationibus ostensum sit, iustum profecto non est, à capite velut languente, ipsos primum circa fidem ægrotantes præscindi; atque ita de maximis sine ratione periclitari. Mirum enim est, si quis adeo sit audax, ut cum tanta sint, quæ ad vtilitatem compellunt, ipse non solum dividi, sed & opiniones maxime contrarias tuendo, de sua salute sperare audeat. Suffici bat enim ad periculum, propter superbiam, vel aliam quamlibet huiusmodi causam Ecclesiæ non obtemperando, ab

G ipsa separari. At vero, de processione sancti Spiritus ab ipsa dissentiendo, propter hanc maxime sententiam dividi; quam qui negat, necesse est vt plurima, quæ de fide concessa sunt, simul neget, vt superius monstratum est, & per hanc divisionem bellum pertinaciter huiusmodi veritati indicere: quanta divinæ indignationis animadversio? quanta damnatis his, qui auctores falsitatis præesserunt? quanta item sequentibus inferenda est? qui quantum in se est, commune corpus Ecclesiæ dividunt, seque ipsos lacera Ecclesiæ membra constituunt. *Non solum enim*, inquit, *qui mala faciunt, sed & qui malis consentiunt, digni sunt morte.* Nam de *otioso verbo* rationem reddituri sumus: & *sine fide possibile non est placere Deo*, vt ait Paulus Apostolus. Et *cæcus si cæcum ducat, ambo in foveam cadunt*: quantum in huiusmodi cæcitate periculum illis esse arbitramur, qui tanta levitate feruntur, ac maxime Prælatis Ecclesiæ, quos vigilare pro aliis Paulus monuit, vtpote rationem pro illis reddituros: & à quibus, nisi

H vigilaverint, aliorum sanguis, iuxta scripturæ sententiam, requiretur?

Rom. 1. Mat. 5. Hebr. 11. Mat. 15.

Hebr. 13. Ezec. 3.

Recogitanda item est Scribarum, Pharisæorumque condemnatio; quod neque ipsi ingrediebantur, & qui voluissent ingredi, viam veritatis prohibebant. Si autem Chrysostomus beatissimus pro viduæ iure in tantum contra iniurias potentium perstitit, vt & sede, & civitate fugaretur, quasi quispiam iniquus, & perditus: quomodo non pro iure veritatis ac fidei omnia & facere, & pati prompte & alacriter convenit? Immo, quomodo non imitari decet sanctum Athanasium, qui cum per id temporis Oriens, atque Occidens de *substantia* & *persona* nomine contenderet, hisque syllabis fines terræ collidi periclitarentur, medium se obiiciens,

Mat. 23.

vtrosque

vtrosque placavit: indignum putans eos de nominibus digladiari, quæ ad eandem intelligentiam ferunt, etsi pronuntiatione differre videantur. Quod si præter dilectionem *tradidero corpus meum, ut ardeat, nihil mihi prodest*, & quæ illic de charitate dixit Apostolus: quomodo tutum esse poterit, his, qui à Christianorum grege non solum dividuntur, verum, & de fide contra omnem rationem inimicissime ab eis dissident?

1. Cor. 13

Vtriusque igitur, pro veritate, proque nostra ipsorum securitate, circa id, quod expedit omne studium, omnémque diligentiam ostendere, necesse est: nihil inventioni veri præferendo; neque id patiendo, quod multi, qui exteriora incommoda, & damna pertimescunt, atque ideo, contra salutem suam scientes, ac prudentes pergunt, stolidissime sane, vilissimis rebus tantam rem, adeoque necessariam prodentes; quasi Deo etiam vires nostras, affectúsque cordis ignorante; sed, vitro potius nos ingerendo, atque ad alios proficiscendo, si quid forte, de tanta re commode proferre possint.

Omni igitur anticipatione liberi, atque ab omni contentionis vitio remoti, fretique Dei adiutorio, nihil omittamus diligentiæ: Iniquum sane existimantes, humani quidem, lucri gratia, longa maris spatia mercatores navigare; veritatem autem fidei, tanto propter illam conflato bello, præterire; neque huius inventionem, eiúsque lucrum, plurimis & perennis, & laboribus præponere; maxime cum propter hanc vita nobis æterna proueniat; qui finis est, divinæ circa humanam naturam dispensationis. Quemadmodum enim *qui non credit, iam iudicatus est*: hinc enim iam damnationis initium sumit: & *qui ignorat, ignorabitur*: ita, Dei in hac vita contemplatio, futuram nobis pollicetur; & his, quæ de Deo hic creduntur, &, ut possibile est, apprehenduntur, carneis solutis nexibus, veritatis succedit pulchritudo. Ænigmatibus quidem veritati; fide vero, & spe rerum substantiæ cedentibus, speculo huius corporis soluto.

Ioan. 3
1. Cor. 14

Ex quibus profecto constat, & eos, qui hic in fide falluntur, neque veram Dei scientiam consequuntur, ne futura quidem illa speculatione fruituros, sed profanos fore, atque in sinistra parte collocandos. Si igitur * B. Stephanus pro Salvatoris imagine, plurimique per id temporis, usque ad mortem constantiam suam ostenderunt: & certe, cum res ipsa non immediate circa fidem, primámque Theologiam, sed circa dispensationis diuinæ sacramentum esset; neque statim circa hoc; iniuria quippe solum ad humanitatem referebatur Christi: honor enim imaginis, iuxta magnum Basilium, ad primitiuam formam penetrat: Contra tamen imaginum oppugnatores constantiam usque ad mortem ostēderunt. Quæ nam modo alacritas, quod studium, quod robur, pro veritate proposita de sancto Spiritu ab eis pro merito ostendi potest, qui veritatis amatores sunt, securitatisque suæ, ac salutis curam gerunt, pro qua omnis ratio, omnis sermo, omnéque sacramentum diuinæ dispensationis est?

* S. Steph. Iunior martyr sub Copronymo, ob defensionē imaginum.

Habes, quæ de processione sancti Spiritus petisti, prolixius quidem, quam initio institueram, exposita, sed necessario, ut reor, ipsa materia hanc prolixitatem suggerente. Si ergo sufficienter dicta sunt: agamus Deo gratias: sin vero minus, quam ut studiosorum industriæ plene satisfactum sit; nostram infirmitatem, non materiæ ipsius, sententiæque dignitatem in culpa esse sciant. Illa enim cum per seipsam vera sit, sanctorum etiam Patrum testimoniis nititur. Quorum nos sententias; atque de hac re opinionem, ut petisti, exponentes, nihil à nobis ipsis dixisse, qui recte reputaverit, inveniet. Breuiorem autem in exponendo fuisse, dum celeriter singulis quasi super volitando negotiis me expedire cupio; neque necessarium puto immorari omnibus, cum plurimi multa de hisce disseruerint, merito quispiam culpare possit. Ex his tamen, quæ dicta sunt, quorsum veritas propositæ quæstionis respiciat, cum maxime necessaria comprehensa sint, facillime conspici poterit: si modo, ut initio dixi, remoto contentionis studio, quæ dicta sunt legere, intēte velit.

Epilog.

Obtestor autem, & moneo omnes, qui ista lecturi sint, ne ferant graviter, si eiusdem secum patriæ, & generis cum sim, diuersum ab illis iter, veritate ostendente, pergere voluerim. Optabam certe, sub uno pastore unum ouile esse, omnésque vinculo dilectionis adstrictos, ut ait Paulus, idem sentire; neque esse schismata, scandalis quam longissime fugatis. Sic enim & ipse cū cæteris in unum corpus compactis, & unum caput habentibus, maxima quiete tranquillissime fruerer: neque modo profecto, cum doceri malim, & opus habeam, Doctoris officium mihi minime omnium conveniens sumerem.

Cur ipse Græcus contra Græcos scripserit.

Ex quo fortasse non deerunt, qui me iactantiæ, & ostentationis insimulent: quoniam vero *necesse est, ut veniant scandala: Oportet enim*, inquit, *hæreses esse, ut, qui in vobis probati sint manifesti fiant*: vigilaréque vnumquemque necesse est, ne plurimis passim circumferatur erroribus: & aliis alia dicentibus: ipse dum nescit, amittat omnia: *sine fide enim impossibile est placere Deo*: tunc profecto urgentibus scandalis, prudentiæ fuerit, omni temporis anticipatione, omni populari fatuitate omissis, ipsam in se ipsa verborum veritatem inspicere, & diligentius considerare, Patrúmque regulis per omnia intentum, quocunque veritas duxerit, sequi. Hoc enim plurimis etiam, qui præcesserunt, Ecclesiæ magistris, prioribus temporibus contigit: qui, cum sæpe eis veritas aliter se habere, quam communis esset opinio, visa fuisset, ipsius toti fiebant, periclitantémque modis omnibus iuvabant, ac discerptam revocabant: &, contemnentes omnia, igni, si necesse esset, ac ferro, dirissimisque suppliciis affecti, superabant: quod erat sui officij, implentes, posterisque, quomodo huiuscemodi emergentibus casibus, se gerere deberent, sui exemplo præscribentes. Si quidem igitur, possibile esset, Deo una, & hominibus placere, optandum id profecto magis, & expetendum esset; nullusque sibi alterum in hac re præferri vellet. Quoniam vero duobus Dominis, inuicem contrariis, seruire, possibile non est: *Si enim*, inquit, *hominibus placerem, Christi seruus non essem*. Et, *Prudētia carnis,* inimica est Deo: obedire oportet magis Deo, quam hominibus*. quodq; S. Maximus, cum à ciuibus suis criminaretur, præualente apud eos Monothelitarum hæresi, quoniam Occidentali Ecclesiæ applicatus, suis cōtradicebat, ait; *quod scilicet utrosque diligeret; illos quidem, ut orthodoxos illos autem, ut homoglossos*, id est, eiusdem secum linguæ: id nunc quoque dicendum ad eos, qui criminantur. Amici enim viri existimandi sunt, amiciorem vero necesse est arbitrari veritatem.

Mat. 18.
1. Cor. 11

Gal. 1.
Rom. 8.
* mors est.
Act. 5.

Neque iustum esse putavimus, sive indulgendo amicitiæ, sive quorundam iurgia extimescendo, atque utrinque humanæ passioni manus dando, veritatis omissa ratione, nostra magis, quam quæ Dei sunt, ac proximi inspicere; & nobis ipsis, & illis, ex silentio nostro detrimenta comparare: sed partim quidem timorem Dei, & si dictu audax est, ante oculos habentes; partim vero, quæ sit *voluntas eius bona, & bene placens*, non ignorantes, solámque inde laudem expetentes, etiamsi premendi angustiis simus; omnia, nihil existimare, sed disponere sermones in iudicio, proque illis, ac proximi dilectione, omnia necessario adhibenda arbitrari. Audendum quippe est, etiam contristare, si opus sit, ac verbo, veluti ferro, turgentia vulnera rescindere, atque cum charitate curare.

Quo facto, è duobus alterum continget; aut enim quietiores, & mitiores ad contradicendum fient: aut contrariis, quæ obiiciuntur, rationibus infirmis, debilibúsque deprehensis; exhaustáque ex illorum animis falsi opinione, id lucrabuntur, ut contra veritatem stare pertimescant. Sin vero, & quispiam fuerit intelligens, aut requirens Deum, profecto neque optimam hanc mutationem erubescet. Nam iuxta Theologum Gregorium; *non mali mutatio, sed mali obseruatio habet turpitudinem*.

Vt igitur illis, & nobis non minima emolumenta

quæreremus,

quæreremus, veritatem omnibus prætulimus, ipsumque Spiritum sanctum invocantes, de ipso loqui, te monente, suscepimus. Non *dissimulaui annuntiare vobis omnem veritatem, & consilium Dei.* Vtinam vero ad eorum, qui lecturi sunt, utilitatem labor noster iste proficiat, ut, & qui seminat, fructum metat; &, qui congregat, mercedem accipiat, omnésque simul cœlestem ingrediamur patriam, fruituri gaudio Domini nostri, in laudem, & gloriam unius Dei patris, & filij, & Spiritus sancti, sanctæ, & beatæ Trinitatis, uniusque, & veræ Deitatis. Amen.

Finis Libri IV.

OBSERVATIONES ET NOTÆ,

IN LIBROS CALECÆ, A Petro Stevartio S. S. Theologiæ Doctore, Professore ac Academiæ Ingolstadiensis Procancellario ex variis Græcorum monumentis collectæ.

AD CALECAM VISUM EST nonnulla annotare, ut omnia clariora evadant: & primum de ipso Manuele Caleca quis fuerit.

GESNERUS in sua Bibliotheca *Manuel Caleca scripsit librum Græcum, quo continentur scriptura concordes. Item de fide seu de principiis Catholicæ fidei iuxta traditionem diuinæ scripturæ & Catholicorum Ecclesiæ Doctorum*, posterior hic liber Græce exstat in Bibliotheca Bavarica num. 127. Latinitate donatus, ut audio, à R. P. IACOBO PONTANO, Societatis IESU: tametsi necdum versio hæc in lucem prodiit. Quid operis sit prior, & ubi Græce asservetur, mihi non liquet: ut nec illud quis sit amicus, ad quos & cuius rogatu hunc, quem in manibus habemus, Tractatum scripsit: nusquam enim nomen eius exprimit.

Franciscus Turrianus lib. de sexta & septima synodo: *Vt ex Manuele Caleca Græco, viro magna & doctrina & fide, intelligi potest.* Citat hunc Calecæ librum etiam Bellarminus lib 4. de Pontif. Rom, cap. 11.

Petrus Galesinius Protonotarius Apostolicus in vita S. Bonaventuræ cap. 14. agens de Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. *Gregorius, ut erat Pontifex singulari diuináque sapientia, eum* (Bonaventuram) *esse maluit, cui potissimum Concilij dirigendi curam daret. Græcorum igitur Imperator, Michael VII. Comnenius, Palæologus, Iosephus Patriarcha Constantinopolitanus, Archiepiscopi, Episcopi, & Legati Græciæ Lugdunum aduenerunt frequenti cum cleri multitudine; in qua viri eruditissimi aderant; quorum Emmanuel Caleca, qui luculentis scriptis Ecclesiam Catholicam Romanam adiuuit;* Meminit ipsemet Caleca Cōcilij Lugdunensis lib. 3. & 4. tametsi ex verbis eius ipsum Concilio interfuisse, quemadmodum asserit Galesinius, colligi non potest. Habemus ergo ætatem Calecæ, si nos non fallit Galesinius. Certum est autem ex Epilogo libri quarti fuisse natione Græcum.

Robertus Cōstantinus in Nomenclatore insignium scriptorum *Cyrmanoa Caleca liber de Theologia, de Spiritu sancto.* Et iste *Cyrmanoa nullus alius, quam Dominus Manuel.* Nam Iuniores Græci dicunt κῦρος & κῦρις, & adhuc concisius κῦρ, pro κῦρος, sicut Latini *Domnus*, & Hispani *Don*, pro *Dominus*. Et ut nos honoris causa vocabula *Domini* & *Domni* propriis nominibus præfigimus, ita & Græci sua κύριος, κῦρος, κῦρις, κῦρ. Non videtur Latini sermonis fuisse ignarus, cum citet Latinos Patres, nominatim Sanctum Augustinum & Sanctum Gregorium magnum: tametsi non ignoramus utriusque Patris nonnulla opera, in Græcum sermonem fuisse conversa.

De interprete Ambrosio Camaldulensi.

POssevinus in apparatu, Ambrosius dictus Camaldulensis è Porticu opidulo non procul Florentia *quamobrem & appellatus Florentinus, Ordinis Camaldulensium Generalis Abbas, cuius vitam posteris mandauit Augustinus Camaldulensis, quique ab Eugenio IV. Orator missus est ad Concilium Basileense; scripsit Tractatum de Spiritu sancto contra Græcos, negantes Spiritum sanctum à filio procedere. Tractatum item de Sacramento admirabili corporis Christi. Orationes habitas ad Patres Concilij. Quarum præcipuam dixit Ferrariæ Græco idiomate, coram Emanuele Imperatore, cæterisque Orientalibus Episcopis, atque proceribus. Exstant Epistolarum ipsius libri sexdecim, eleganti stylo conscripti, quarum archetypon Florentiæ, in Bibliotheca S. Marci asseueratur, & initium est: Affectus sum singulari voluptate. Item, libros duos, earum rerum, quas gessit Generalis Abbas. Chronicon item Montis Cassini. Vitam S. Eugeniæ virginis. Vitam S.S. Proti, & Hyacinthi.*

E Græco autem conuertit in linguam Latinam, librum de virginitate scriptum à Basilio. Vitam Ioannis Chrysostomi à Palladio conscriptam. Libros Ioannis in Mathæum. Libros Ioannis ad Stagirium monachum. Homilias eiusdem Ioannis in Mathæum. Libros decem & octo eiusdem Ioannis diuersi argumenti. Vitas Monachorum, & Gregorij Nazianzeni. Vitas S. S. Patrum Ægypti. Libros quatuor Dionysij Areopagitæ. Diogenem Laertium de vitis Philosophorum ad Cosmum Medicem. Ephrem Syri Diaconi aliqua ad eundem Cosmum, & incipit; Dilectissimi. Climacum Ioannis scholastici, in quo agitur de vita, & perfectione Monastica. Obiit anno Domini 1490. apud Camaldulensem eremum triginta millibus passibus Florentia distantem. Hæc Possevinus.

Similia Trithemius, in Catalogo Scriptor. Ecclesiast. & Gesnerus in Bibliotheca. Qui quod dicunt & hunc Ambrosium scripsisse de Spiritu sancto, id plane ad hunc quem ex Græco vertit, librum pertinere videtur, quem Martino V. Pontifici Max. dedicavit, opus profecto subtile, acutum, & varia eruditione refertum est, & luculentus Index eruditionis, qua Caleca instructus ad hoc tam nobile ingenij sui monumentum conficiendum accessit. Græcum exemplar nunquam vidimus. Latinam versionem ex Codice Latino manuscripto Bibliothecæ Bavaricæ exscribendam curavimus; quæ alicubi obscurior est & intricatior, & cui fax ex prototypo accendi potuisset. At quid agas primigenio exemplari tam Auctoris, quam Interpretis destitutus? Index Bibliothecæ Viennensis apud Possev. in calce Apparatus sacri indicat alium Calecam Ioannem nomine; cuius commentarij in quatuor Evangelia, ea in Bibliotheca asservantur.

Quæ causa Manueli ad hanc scriptionem?

DOgmata & instituta Græcos inter & Latinos controversa: quorum primum & præcipuum

processio

processio sancti spiritus non ex solo patre; sed ex patre & filio: de quo capite copiose Calcca noster disputat tribus prioribus libris,

II. Additio illa ad Symbolum: *filioque.*

III. Azyma Latinis in confectione Eucharistia vsitata.

IV. Beatitudo sanctorum: Nam Græci animas, quamvis plene expiatas non credunt statim beatitudinem consequi; sed vsque ad generalem omnium resurrectionem differri; idemque dicunt respectu pœnæ æternæ de illis, qui peccatis mortalibus obstricti, hinc excesserunt.

V. Purgatorium.

VI. Mos vt Sacerdos Diaconi munus impleat; in Liturgia seu Missa. Græci enim nefas existimant, vt alius quam qui præcise tantumque sit Diaconus, Diaconi munus exequatur.

VII. Imagines Dominicæ.

VIII. Signum sanctæ Crucis.

IX. Ieiunium Sabbati.

X. Minus frequentia & stricta jejunia tam apud Latinos quam Græcos.

XI. Eucharistia.

XII. Primatus Romani Pontificis.

XIII. Tonsura.

XIV. Imagines, reliquiæ & commemoratio defunctorum, & si quæ sunt [illegible] huius generis.

Et hæc quidem cap[illegible] eleganter persequitur Caleca libro quarto. Initio [illegible] sub Photio conflati, vix quidquam Latinis vitio vertebatur, quam sententia de processione sancti spiritus ex patre & filio; & additio illa ad symbolum: *Filioque.* Postea eo impudentiæ progressi sunt Græci; vt quidquid in Latina Ecclesia quoquo modo ab ipsorum ritibus & consuetudinibus discrepatent, id Latinis loco criminis & hæreseos obiectarent.

Vt vero melius intelligas, quæ doctissimus Caleca libro quarto disserit, totaque controversia perspectior tibi euadat, adscribere placet nonnulla ex tractatu quodam Manuscripto Bibliothecæ Bavaricæ, Anno Domini M. CC. LII. Constantinopoli à Fratribus Prædicatoribus adversus Græcorum errores composito, in quo multa vnum quasi in fascem comportata & colligata sunt; quæ Græci adversus Latinos deblaterant: quæ exscribere non erit abs re: tum quia Calecæ nostro lumen accendent; tum quia parum in vulgus nota sunt, tametsi valde digna cognitu. Agnoscet autem in Græcorum nugamentis, cavillationibus, calumniis & criminatoribus vivam, spirantemque hodiernorum sectariorũ effigiem, qui non aliter hac ætate cum catholicis agunt, ac olim hodieque impostores Græci: qui, vt schisma & hæresim suam à mẽdaciis & conviciis in recte sentientes, auspicati sunt, ita eandem iisdem mediis ac instrumentis propagant, & continuant. Ita ergo præter cætera, Tractatus ille Constantinopolitanus, tametsi vitiosissime scriptus, vt vix aliquando sensum liceat elicere: sed satius est, vel hæc nosse, quam omnino nihil.

De quatuor causis schismatis.

CAusas sive excusationes Schismatis credimus esse quatuor. Prima fuit divisio Imperij. Licet enim Imperatores, qui regnabant Constantinopoli post recessum Constantini ab vrbe Romana, pro eo, quod totum contulerant Ecclesiæ sicut supra diximus, nullum ius haberent in Italia, interdum tamen vbique regnaverunt. Sed cum infra Italiam vsque ad Romam Barbara gens irruisset, & Summus Pontifex auxilium Imperatoris Leonis, qui erat Constantinopoli, requisisset, & ille negligenter agendo, auxilium præstare Ecclesiæ refutasset; compulsus est prædictus Papa magnum Carolum de Gallicis partibus tevocare, & in Italia Imperatorem constituere, & Ecclesiæ defensorem. Etenim erat ille Leo, vt legitur, valde voluptuosus, & ideo regimine Imperij sui valde remissus. Vnde suo tempore Saraceni Syriam, Turci vero Cappadociam obtinuerunt, & sic facta est divisio Imperij Romani.

Leo III. Pontif. Max.

Secunda occasio divisionis fuit, quia non fuerunt vocati ad Concilium Vltramontanum, quando illa dictio *Filioque* fuit apposita. Verum quia superius causam signavimus, hic subticemus.

Tertia occasio fuit: quam ipsi aliquando nobis in familiari colloquio assignaverunt, scilicet; superba nimis exactio Legatorum Papæ. Dicebant namque referentes, quod quando Legati Summi Pontificis ab ipsa Sede Apostolica annuatim Constantinopolin chrisma deferebant, nisi octoginta libras auri à Clero & vrbis populo, præter alia dona & munuscula eisdem impenderentur, non recedebant. Taceo age, aiebant, de pompa & superbia, quam ipsi ostendebant.

Eadem prorsus fuit Lutheranorũ olim querela, quando de sectione ab Ecclesia molebantur: iniqua prorsus, mẽdax, & calũmniosa vtrobiq; quã eorum iniquiss. discipuli etiamnũ afferunt.

Quarta vero & potissima quantum ad Clerum, fuit depositio Photij Patriarchæ, & excommunicatio ipsius, & aliorum Prælatorum, & quorundam Abbatum. Sed nunquid hæc sufficiunt ad excusationem tanti Schismatis & perditionem tot animarum? Minime sed *occasionem pro facto quærit qui vult recedere ab amico.* Sed quid sequitur in authoritate? *Omni tempore*, inquit, Salomon, *erit execrabilis*, id est vitandus ab omnibus, despectus & vilis, quod præsens dies indicat in Ecclesiis Græcorum. Nam incarcerantur eorum Clerici, & Monachi, sicut cæteri rustici, & populares, exactiones & pedagia fiunt super eos, quemadmodum super Laicos: vt verum sit quod per prophetam scriptum est. *Sicut populus sic Sacerdos.* Translata est *quippe* gloria ab eis sacerdotalis, dignitas & Ecclesiastica libertas in contemptum redacta. Nam quæ vult ipse qui imperat instituere, instituit, & quem vult deponere, similiter deponit. Et merito: vt qui subesse Ecclesiæ Romanæ, & personis Ecclesiasticis contempserunt, subiaceant nunc Laicis Principibus, vel inviti, recognoscant distantiam servitutis, & dominorum orbis terrarum, & convertantur, & clament ad Dominum, & summum Pontificem, & liberet eos.

Prov. 18

Isa. 24.

Hæc autem scripta sunt anno Domini millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo in Constantinopoli à Fratribus Prædicatoribus ad ædificationem Ecclesiæ, & profectum animarum, ad laudem & gloriam Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen.

Quædam admista prædictis.

SIcut in procemio huius opusculi testati sumus, Græcorum Ecclesia, decorque olim sua venustate quam plurimos ad æmulationem fidei provocabat: sed vt morum, ita, & nunc erroris caligine obfuscatus est, quod horrorem sua fœditate aspicientibus incutiat, vt iam non Ecclesia fidelium, sed potius congregatio non immerito Hæresiarcharum possit appellari. Quod licet iam quatuor dictis articulis demonstretur; tamen adhuc in his, quæ subiecta sunt ostenditur. Quod ex dictis Magistri Hugonis Ætheriani nuper exacta huic operi necessaria dignum duximus inserenda. Dicunt enim & scribunt de Latinis sic.

Contra Romanum Pontificem.

R*Omanus Pontifex & omnes partium occidentalium Christiani Sacerdotes, & Laici præter Calabros ante multa tempora extra Catholicam Ecclesiam pervagantur, Evangelicarũ & Apostolicarum traditionum ignari, & à fide alieni. Nam Theotonici à ritibus gentium parum discordant, in Deum impij; sed Calabri & cæteri orthodoxi, sicut antiquitus, & Apostolicæ & Ecclesiæ nostræ alumnæ eius, moribus informati sunt. Cæteri omnes exciderunt; impios à corpore Ecclesiæ non solum mores alios,

* Pleraque huius accusationis capita sunt calumniæ mẽdacia, & inania figmenta.

&

& ignotos amplectentes, verum ipſam Trinitatem ſanctam blaſphemantes. Etenim ſua concinnantes, & alienis adhærentes, neque divinis ſcripturis redarguentibus illorum errores; neque illis, qui eos miſerunt, volunt morem gerere.

Magis ſanctos Patres noſtros, & Doctores ſic ſenſiſſe & inde ſe habere talem traditionem mentiuntur, Nam in ſancto ſymbolo, quod à Patribus noſtris, qui apud Nicæam convenerant, * vniverſali prima Synodo, conſequenter manifeſte ſic definitum eſt, *Et in ſpiritum ſanctum Dominum & vivificantem, ex patre procedentem.* Sed & in ſancto Evangelio evidenter clamitante de Spiritu ſancto, *qui à patre procedit*; ſupra nominati viri addiderunt, *& ex filio*, fallaciter & ad ſuum periculum. Veruntamen, vt opinor, per anguſtiam ſuæ linguæ idem eſſe arbitrati ſunt, ſpiritus ex patre proceſſionem, & cauſam, quæ per filium fit ad nos miſſionem barbare, & inconvenienter intellexerunt.

* Compoſitum eſt.

Pro fermentato azima offerunt, & calumniantur ſanctum Petrum, & ſanctos Patres Romanos Pontifices auctores extitiſſe talis traditionis.

Sacerdotes Principes cum Laicis ad bella proficiſcuntur armati, & in acie pugnant ante alios gradientes. Ieiunant in Sabbatis, &, ſi feſta dies Nativitatis ſit, vel Epiphaniæ, non ſolvunt ieiunium * ſeptimanam edulio caſei dicatam non agnoſcentes, carnes comedunt. Secunda die ova, caſeum, & lac manducant, à quibus minime per totam quadrageſimam ſuos pueros prohibent * Hiſtorias ſanctorum, præter paſſionem Chriſti in Eccleſiis ſuis non deſignant. Et ipſam non picturam, ſed opere plumario in ſimilitudine ſculptilium, & in terra ſimilium faciunt In ſancta templa ingredientes ſuper pavimentum cadunt in faciem, & primo ſuſurrant, Deinde crucem vno digito inſurgentes oſculantur, in hac orationem conſummantes ſurgunt, & ſacras imagines tenuunt oſculari.

* Hebdomas Tyrophagus, reſpondet illi, quæ noſtram ſexageſimam ſequitur: nam dies lunæ poſt ſexageſimam eſt prima feria ſeptimanæ Tyrophagæ Inſigne commentum.

Sanctam Dei genitricem, matrem Domini noſtri Ieſu Chriſti tantum ſanctam Mariam vocant. Secus altare Eccleſiarum quælibet accedit, cuiuſcumque ſit ſexus, ætatis, vel ordinis. Et in ſolennitate Miſſarum mulieres ſedere poſſunt, ſi velint, in ſede Sacerdotum. Sic ſciunt diſtinguere inter ſacra & prophana: comedunt ſuffocata, capta à beſtiis, morticina, ſanguinem, vrſos, fibros quos vocant *caſtores*, ericios & quæque bis ſpurciora contra Apoſtolicum decretum: Sicut Lucas in Apoſtolorum hiſtoria refert his verbis: *Viſum eſt enim ſpiritui ſancto, & nobis nihil vltra imponere vobis, quam hæc neceſſaria, ut abſtineatis vos ab immolatis ſimulachrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione.*

Sacerdotes & Epiſcopi, Sacerdotales ſtolas, id eſt, caſulas non de lana, ſed de ſericis natura contexentes eis operiuntur, cum huiuſmodi ſtola, id eſt caſula vel planeta Chriſti habitum, repræſentant, ſive habitum, quem habuit, quando exutus ſuis veſtimentis indutus eſt clamyde coccinea, quæ de lana contexta erat, qua nos vtimur quadrageſimali tempore. In aliis vero diebus vtimur albis, eo quod Chriſtus agnus immolatus dicatur. Et ideo ex veſtimentis ovium nobis caſulas præparamus.

In ſignum ſanctæ Eccleſiæ deſponſationis annulo, portant, & chirothecas, in dextra quidem ſcribunt, * *Domini dextra*, in ſiniſtra vero, *agnus Dei*. Sacerdotes eorum ſolum in aqua baptizant, & ſalem in eos mittentes baptizandi, baptizandos, poſtquam ſpuunt in ſiniſtra manu & dextra miſcentes ſalivam inungunt.

* Aliter habet Græcus, de quo infra.

Poſtquam ad ætatem pervenerint, peccatis obnoxios oleo perungunt * in remiſſionem peccatorum, & bis baptizari videntur; Iidem Sacerdotes quaſdam purgationes faciunt iugiter, * & aſperſionem, quibus alligantur culparum, Iudaicis ſervientes ritibus: quinque digitis aliqui benedicunt, & cum pollice faciem ſignant, tanquam Monotheletæ: cum debeant diſponi digiti in conſignationibus, quod per eos duæ naturæ ſignificentur, & tres perſonæ prout Chriſtus monſtravit, quando in Cœlum aſcenſurus diſcipulis manibus elevatis benedixit. A ſeptuageſima vſque ad Paſcha non cantant Alleluia: Affirmant non debere aliis linguis Dominum venerari, niſi iſtis tribus, ſcilicet, Hebræa, Græca, & Latina, Mortuos ſepeliunt manibus eorum nequaquam conſtitutis in modum Crucis; ſed deorſum miſſis circa inferiora inſtrumenta.

* Loquitur de ſacram. confirmationis
* Videtur loqui de aſperſione aquæ benedictæ fieri ſolita in Eccleſia.

Omnia cera oppilant Sacerdotes, ter quater in die celebrant ſuper vno altari vbicunque contigerit. * Et vnus ſacerdos ter vel quater celebrat in vno die, cum ſœlix ſit, qui vnam digne poſſit cantare. Tradunt filias ſuas nuptui accipientes conſoceri filium filio ſuo, aut fratri, aut conſanguineo. Si quis Monachus in Epiſcopum promoveatur, carnes manducat intrepide. Et Monachi parua vexati ægritudine carnibus veſcuntur. Communiter autem omnes pinguedine porcina, vtuntur. Venerabilem quidem Crucem aliis diebus in Eccleſia vident, & adorant: in ſancta quadrageſima velant ſindonibus, cum qua occultant Alleluia. Et in * ſancto magno Sabbato de penetralibus educentes ipſam tanquam de ſepulchro reſurgentem demonſtrant populo, de ſubito cum magno clamore cantant Alleluia, & multoties, & per multas horas vociferantur, quemadmodum * Chriſtus ſurrexit. Cum miſſæ celebrantur, & myſteria conficiuntur, plerique aſſiſtentium Laicorum, ſi placet eis, loquuntur & ſedent. Participationem ſanctæ communionis non ſimiliter, vt nos Græci, perficiunt, ſed dicunt, quod qui Miſſam celebrat Sacerdos oſculatur volentem communicare. Promotiones Epiſcoporum, & Laicorum non per omne tempus perficiunt Antiſtites, ſed tantum in anno quater, & per obſervabilem diem. Nam cum anni quatuor tempora ſunt, ſcilicet ver, æſtas, autumnus, hyems: horum temporum initia primum menſis Martij ſcilicet, & Iunij, Septembris, atque Decembris obſervant. In primis hebdomadibus Clericos & Diaconos, presbyter, Epiſcopos promovent: male ſentientes, & barbarice, adventum ſpiritus ſancti * non ſecundum virtutem promoventis & promoti arbitrantes deſcendere, ſed in diebus quibuſdam putant hinc venire, vt inſipientes. Non patiuntur habere Sacerdotes vxorem, & Sacramentorum peragere myſteria Duo fratres duabus ſororibus carnaliter copulari permittunt. Radunt barbas presbyteri more ſuorum militum, præter Apoſtolicam inſtitutionem.

* Inſigne figmentū, extra feſtum Natalis Chriſti.
* Imo in paraſceve.
* *Chriſt iſt erſtanden.*
* Luculentum mend.

Sanctam Eucharistiam negligentiſſime ſpectant. * Nam ad ægros proficiſcentes ſine lumine ipſam deferunt & tribuunt. Et qui caſtra ſequuntur in marſupio ponunt, & portant. In veſtibus, in pileis clerici eorum, Laici non ſunt diſtincti: ad altare velato capite accedunt. Sanctis ac terribilibus locis nullam aut modicam exhibent reverentiam. Ad tempus ſonum repræſentando in nocte Nativitatis Domini matutinæ cantantur, veſicas explodi permittunt circa altare, vt habeant riſus materiam. In diebus Paſſionis cum ambulant extinctis luminibus in Eccleſiis terræ motus faciunt, ſedes, tabulas, parietes percutiunt malleolis, & lagenas conſtringunt: & cum deberent vigilare in orationibus, alii in ſtuporem mentis, alii in riſum convertuntur, & alia quædam in ipſis tenebris fiunt; quæ nec ſatu digna iudicavi.

Mendacia pleraque.

Hactenus Græcanicus Latinorum accuſator vel potius mendax calumniator. Invectivæ huic ſubiunguntur in eodem libro ſequentia.

Græcorum mala Conſuetudines.

GRæcorum intolerabilis eſt redargutio. Vulcanum imitando, qui altero pede claudus dicitur, matrem ſuam ſcilicet ſedē Petri Apoſtolorum principis, contra faciens contemnit, & abhonorat. Porro ſtultam fecit Deus talem ſapientiam. Nam vanitatis opinione pleni, poma, vt tantalus, fugacia quæritat. At vero munda

debet

A

debet esse manus, quæ alias debet tergere sordes. Quare collyrio primum inungant oculos suos, abstersuri saltem deinceps lippitudinem aliquando, & aliorum vitia nequibunt discernere subtiliter. In scatebris quidem temeritatem, in præsumptionis aculeo, in iactantia amaritiam proferendo, & sentiendo, quod prius auditum non est, Spiritum sanctum scilicet ex solo patre procedere, talparum, formicarumque colliculos male fortes extruxerunt. Dividunt utique cum Ario divinam substantiam. Nam ex eorum disputatione patre minor necessario filius reperitur. Confundunt nascentis, & procedentis differentiam, quæ in hoc tamen bene dignoscitur, quod filius ex vno solo, Spiritus sanctus vero ex duobus provenit.

B

Nam cum spiritus imago filij sit naturaliter, sicut Magnus Basilius, Theologus Gregorius, atque Damascenus tradunt, necesse est, habere de ipso existentiam, & procedere: Propterea liber sub imperio Manuelis editus, quem de *Immortali causa* præsignat titulus, cui Græci contradicere non possunt, spiritum ex duobus pariter procedere, inexpugnabilibus argumentis demonstrat. Ergo Græci *locuti sunt falsa: & erraverunt ab vtero matris suæ* Ecclesiæ, quam Christus, Synodi, & Imperatores omnium Ecclesiarum principem constituerunt. Obliti sunt illud Salomonis: *Conserva fili mi patris tui præcepta, & ne dimittas legem matris tuæ. Liga eam in corde tuo iugiter & circumpone gutturi tuo, atque a stultitiis quæ ad rem non pertinent, avertere.* Arefacti conversi sunt in arbores autumnales expediti, non solum scilicet in ramis, verum etiam in plerisque fructibus veritatis, quod tractatu hoc, & capitulo, & ex reliquis quæ subscribuntur, patet.

Psal. 57.

Prov. 6.

Iud. epist.

Contra institutionem Christi Salvatoris nostri fermentata offerunt, cū supercilio enim ignorant, quis dux fuerit illius traditionis Christo in Cœnæ benedicente azyma, quod triū Evangelistarum firmatur testimonio. Dicunt & quod nequaquam tela dignum esset, nisi quod et omnes tanquam magno propugnatori innituntur, asserentes * fermentati panis vitam & animationem conferre. Sed omne corpus artificij, sicut ex se simile non producit, ita vitæ caret animatione. Nimirum causam extrinsecus habet monentem, vt stannum, domus, arca, fermentatus panis, & similia. Quæ vero intrinsecus habent monentem causam naturalia sunt, vt quæque animata. Non autem est in pane vis sanctificationis, sed in verbo. Vnde non videmus fidei contentire huiusmodi eorum factum & assertum. ** quæ penuriam monstrare volentes, vt Armeni, qui nil aquæ lancis suæ immolationi apponunt, superflui inveniuntur. Nam simul frigidam, calidamque denuo, quasi benedictio impotens conficiendi fuerit Dominico sanguini ad consummationem admiscent.

* Videtur leg. fermentato pani fermentum vitā

C

& animationē conferre. Vide Humbert. contra Græcos.

** In M. S. est lacuna: ex alio M. S. restauranda. Videtur tamen Auctor perstrinxisse morem Græcorum ad-

Diebus paschalibus, cum populus communicaturus est * aride præparant, insuper abundantiam conficiunt in Dominicum corpus, & post distributionem reliquiarum acervos; quia durabile non est, sepeliunt. Communicandis panem intinctum præparant, & accedentibus offas porrigunt cum cochleario. Quod Christus nequaquam fecisse legitur. Diaconi eorū qui ad aliquam promotionē incedunt, accipiūt vxores, ne honores perdant, quod contrarium est decimo canoni Nicænæ Synodi: Sacerdotes eorum in plerisque locis viri sanguinum existunt, & inferunt * sacratis manibus: quod propriis oculis Imperatorem sequendo per Cappadociam, Persarumque regiones intuitus sum. Sacerdotibus debitum honorem subtrahentes inter convivia sibi assistere faciunt. Pro facili occasione pœnis & flagellis Sacerdotes & Clericos, instar Paganorum, affligunt. Et vt habeant ridendi materiam in capitibus eorum pileos pugnis conquassant: Cum scriptum sit: *Si quis manum in Clericum iecerit, aut sine causa seu confingens occasionem, anathema esto.*

D

miscendi aquam ferventē calici iā consecrato.

* Forte avide.

* Videtur deesse vox Mortem vel similia Can. Apost.

Actor. 8.

In sorte Simonis Magi de iure ponendi sunt eorum Pontifices, qui nullis Ecclesias sine pecunia largiuntur. Quos vero tangit illud Apostolicum: *pecunia tua tecum sit in perditionem* Sacros ordines, qui gratis debent dari, nisi manus eorum ære grauentur, non tribuunt. Sepulturas in cœmeteriis non faciunt, nisi accepta pecunia à quibuslibet prorsus inficiant. Patriarchæ eorum, & Archiepiscopi, & Archimandritæ secundum quod aliquando fuit in primitiua Ecclesia hæreticorum, ad obtinendos honores & celsitudines à Laicis promoventur. Quod prorsus hoc in tempore tricesimus Apostolorum canon inhibet fieri, qui est huiusmodi: *Si quis Episcopus per mundanos principes dignitatem obtinuerit, excommunicetur, & separetur, & omnes eius consortes.* Sed & tertius canon Synodi, quam Græci septimam vocant, pronunciat, omnem electionem à principibus sæculi factam fore irritam. Vnum solum Sabbatum; quod nos sanctum vocamus, pro sepultura Domini Salvatoris, ieiunio commendaverunt: reliquo vero anni Sabbato, epulæ, balnea, & ludicra, & quælibet penes illos celeberrima esse prætendunt. Sed * errore satis iucunditate traducuntur, quomodo Apostolis sancitum esse sub anathemate mentiendo astruūt, dicentibus: *Maledictus qui in sabbata ieiunauerit, præter vnum.* Nam si propter singularem Domini resurrectionem omnes dies dominici digno cultu venerantur, & propter singularem mortem sexta feria, nonne & propter singularem sepulturam singulis sabbatis, nisi solennitas inhibeat à qua & ieiunium & tristitia abducenda sint, beatus Sylvester allegat?

E

F

* forte leg. Sed errore satis iucundo traducūtur quādo ab Apostolis.

videtur dicere Græcos, solum septem diebus à cœna abstinere: quinque quidem diebus initio ieiunij: pridie paschæ & in vigil. Epiphaniæ. Ieiunant tamen in

Natura quidem hominis à principio ruinam posita est, verum Græcorum gula cum ea certat, quæ è corruptione inest malitia. Nam non solum bis, sed quotiescunque opportunitas aliqua se præbet, alimenta ori immittunt. Hinc est quod in quibusdam diebus Veneris, postposita omni verecundia, carnibus vescuntur: * septem solis diebus in anno ieiunant: quinque pro tota quadragesima in principio suæ illorum septimanæ; sabbato sancto, in vigilia Epiphaniæ Domini. Etenim per omnem magnam quadragesimam, cœna minime abstinent, nec secundum opinionem suam quadragesimam celebrant: cum quadragesima, ieiunium quadraginta dierum significet. Ipsi vero maiorem septimanam à numero quadragesimæ secludentes, * sex hebdomadis quadragesimam claudunt. Tot enim sunt à prima eorum septimana vsque ad sabbatum quod palmarum, arborumque ramos præcedit, in quo vniversaliter ab illis cantatur. ** quæ animæ vtilis est, compleuimus quadragesimā*, a quibus sex septimanis, si sex dies Dominici cum totidem sabbatis subtrahantur triginta solum dies inveniuntur. De Dominicis vero diebus supervacuum est disserere in quibus Christianis omnibus prohibetur ieiunium. At igitur si Græci ieiunant in diebus Dominicis (nam eisdem cibariis vescuntur in sabbatis) anathematis rei sunt Canonis dicunturque anathema: sicut qui in sabbatis ieiunauerit præter vnum. Cum igitur die Sabbatorum ieiuniis vale faciant, & * omnia illa de festivitate, etiam si maior septimana reliquis numeretur, evidentissime constat, eos non habere quadragesimam.

G

Maiore hebdomade, vt patet ex oratione Theophil. de S. Cruce.

* Est initium alicuius cantici pridie palmarū cantari consuet.

* Locus corrupt.

Monachi extra claustrum pernoctantes, vt pecudes singulis horis in plateis ipsi comedunt, de sinu, tanquam ex arca, fructus, vel aliquid vescibile extrahentes manducant. Declinant ad caupones, & calido Lyæo comesta inferiora credunt.

H

Penes Monachos non est vnum marsupium, sed obliti dicentem: *nisi quis renunciauerit omnibus, quæ possidet, &c.* Singuli habent singula Græci nequaquam venerantes præceptum Apostolicum illud: *Vir si comam nutriat, ignominia est illi.* Omnes cum maximo studio incrementis operam præstant. Huius lapsus clerici maxime rei sunt & etiam Monachi, quos nullo modo decet nutrire. In coronæ modum, sicut regula præcipit, tonsuram capillorum non faciunt, sed pene vt mulieres in fronte dividendo discriminant, servatis vndique capillis, vt colli nuda & aurium cartilagines protegant. Mulieres deserto naturali cultu capillorum, comis mortuorum densissimis se ornant contra monitionem

Luc. 14.

1. Cor. 11.

A

1.Pet.3.
* fuco.

beati Petri Apostoli dicentis: *Mulieribus non sit extrinsecus capillatura aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorum cultus.* Mulieres * fusco & puniceo facies suas pingunt, & variis coloribus insigniuntur. Viri & mulieris sacramentum coniugij pro fatali reputant. Nam quotiens alter displicet, vel altera alteri, coram Prætore Vrbano voluntatibus eorum expositis, instrumentis & cingulis præcisis, sine contradictione viri vxores, & mulieres viros, pro libitu accipiunt, contra mandatum, quod dicit: *Quod Deus coniunxit, homo ne separet.*

In domibus suis mansiunculas construunt, in quibus Sanctorum imagines collocant, & eis omne obsequium exhibent lampadarum, cereorum, & incensi: & synodales, quas Patres eorum construxerunt, & Ecclesias in solitudinem sinunt, & in paupertatem redigi: & pænè in cubilibus suis faciunt Missarum solennia celebrari, beato Sylvestro hoc inhibente; *nullus presbyter celebrare præsumat, nisi in locis sacratis, in oppidis provinciarum.* Vxores sacerdotum, chorum ingredientes, oblatos panes de altari tollunt & obsequium Diaconi peragentes, cuncta quæ cunctis suis necessaria sunt officiis Missarũ præparant. Missã circa horã tertiã pænè nullos auditores habens, sacerdos celebrat. Et quod nefas puto, vxori, vel puero filio associatus: quos non habet socios, vel comites salutando dicit, *pax vobis.* Omnibus in quadragesimali tempore sabbatis & Dominicis diebus missas celebrant & dominicum corpus conficiunt. Reliquis vero cum maior incumbit necessitas, missarũ solennitates prorsus abdicantes, præsanctificatis vtuntur. In quadragesima silentio commendant: *Deus Dominus & illuxit nobis*: quod reliquis anni temporibus decantant. Sacerdotes eorum, more Iudaico, promittunt herbas, quæ sunt Dominico sanguine, cum ab illis bibitur, madentes, suffocatorum nec abstinent sanguine. Nam turdos comedunt laqueis strangulatos & alias aues, & intestina sanguine porcino implentes, pro deliciis vescuntur, contra Apostolorum decreta. Sanguine humano porcos alunt, qui artem * minuendi exercent. Cum ad mortuum sepeliendum conveniunt, noti amici & cognati accedentes, ei osculum præstant singulis tanquam * licentiam accepturi, more paganorum ad mortuos intendebant verba hæc: *vade, cum natura te vocauerit; sequemur te.*

* secādi venas.

* vel dictam.

C

Mixturam sanguinis prohibitam à sanctis Patribus, faciunt iugiter. Nam consobrini consobrinas vxores ducunt. In baptizando præter Saluatoris præceptũ Apostolorũque consuetudinẽ duo faciunt multum superstitiosa. Vnum quidem, quod oleum per totum baptizandum perungit sacerdos, ne aquæ tinctura illum pertingat; alterũ verò, quod aquam fieri mandãt calidã infantulũ purgaturã; quod neque Christus, neque aliquis discipulorũ fecisse legitur: quare duo baptismata faciũt cum scriptum sit: *vnus Dominus, vnũ baptisma, vna fides.*

Ephes 4.

Frustra quidẽ arguũt Latinos Græci, quæ per dies Dominicos in Ecclesiis ad sanctificandum populum benedicitur: cum si hæc culpa sit: ipsi multipliciter rei sint. Nam singuli papyris oleo lampadarum ardentium corã imaginibus Sanctorũ intinctis frontes suas perungunt, & aqua se aspergunt à reliquiis Sanctorum contacta: & in singulis Calendis diligentissime aquam sanctificant. Ad quam tollendam de vicinia venientes atque asportantes in domos suas non solum ipsi asperguntur, * vesius delibant. Apostoli, Apostolorumque successores prorsus non etiam cum vxore coire, ne sacerdotium polluerẽt permiserũt. Græci verò sacerdotes de relictis Sanctorũ vestigiis, vt animales, contrahẽtes matrimoniũ, *non percipiunt ea quæ Dei sunt.* Et quod abominabilius est à concubitu mulieris surgentes sancta prophanant mysteria: quæ pollutos, & recenter cum mulieribus coinquinatos, nullo modo admittunt.

* fort. verum etiam delibant.

D

Christum minus posse, quam *νόσον* putat. Nam ex hoc probari potest, quod *Christe eleison* nunquam concinunt: Kyrie eleison frequentissimè cantant in officiis suis. Prælatio sacerdotij apud eos tantum inter Monachos esse videtur. Soli enim Monachi potestatem soluendi, atque ligandi exercent, quæ Petro Petrique successoribus principaliter est tradita. Qua de causa studium singulare pecuniæ sacerdotes in monastico habitu constitutos complectitur: multaque inde facinora profluunt ve euanescant in cogitationibus suis & redargutionibus suis truces.

E

Nam quod in magno Constantini palatio diligentissimè obseruatur, hoc Latinos facientes coarguunt: in Ecclesia vtique dicti palatij, vbi sanctæ constituuntur Reliquiæ, sanctæ Dei genitricis imago post altare sita, quam quodam excellentiæ privilegio vocant *Dominam domus*, statim à capite ieiunij in conclaui clauditur, vsque ad magnum Sabbatum: pannis illius portæ operiuntur. Similiter autem Sancti * mantellis sanctique * Kotamidij * locos quadragesimæ tempore vsque ad illud sabbatum velaminibus tectos custodiunt: sanctæ Dei genitricis imaginem, vt filius parturiat, compellant; eaque mediante, ipsam Domini matrem, vt commater fiat, accersunt, hoc modo: Imagini sindonem connectunt, & baptizatum puerum de manu sacerdotis ipsa vt commater accipiat. Quam superstitionem à se fieri sermone profitentur. Sed quod imago loquatur, aut fidem spondeat pro puero, aut testimonium reddat baptismi, nisi Deum contemnat, quis audeat asserere? Nullam superstitionis speciem volentes omittere, & vivos fratres habentes odio, Sanctos per suas imagines inunitos sibi fratres faciunt. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum quem non intuetur, neque cognoscit, quomodo diliget? Magis autem cum ficta & simulata est & inunita fraternitas huiusmodi, ære conducunt sacerdotem, cum in Ecclesia cantatur Missa: funduntur pro execrabili fraternitate preces non exaudiendæ. Animalis enim est huiusmodi fraternitas non spiritualis. Cerei ad minus accenduntur duo & perungitur oleo fictus frater, & sanctam amplectitur imaginem, quam ausus est dicere fratrem, qui homicida esse conuincitur, cum fratres suos viventes odio habeat.

* Locus corrupt.
* Quid nomini?

F

* fort. loculos.

Contradicunt Christo patenter, & super sanctissimo illius corpore verbis operibusque occursant. Nam, cum ipse in azymorũ panis specie carnẽ suam discipulis dederit: hi asserunt azymos panes in carnem non posse converti per benedictionem. Qua ex re Sacramenti corporis Domini, Latinos aiunt expertes. Sed ô Pelagiana incredulitas: si non credas latinum sacerdotem incruentam immolare hostiam, conficere corpus CHRISTI, Hæreticus es. Nam multi per ipsam immolationem sanctificantur, per quorum reliquias iugiter fiunt miracula. Rursus si credis, Hæreticus. Nam detestaris quod Ecclesia Latinorum conficit corpus Dominicum: & potius vis in sorte Iudæ traditoris annumerari, quam illius sanctissimi corporis * participare. Sed attendere debet Christianus quod sicut vina diversa verbum DEI in sanguinem: ita panes azymos & fermentatos non adeo differentes permutat in carnem. Si forte Latinus sacerdos, quod vix permittitur, in Ecclesiis eorum, Dominica peragat: Græcus non nisi abluto altari ibidem celebrat. Vlterius Latinus cum Græca muliere volens matrimonium contrahere, iuramento compellitur deserere communionem suam, confessionem suam, baptismum, ieiunium sabbatorum, & CHRISTI carnis edulium. Omnis qui in * Regia Vrbe de fratribus Græcorum vxorem ducit, scripto spondet iuramento, quod deinde non manducabit in azymis carnem Domini: nec filios secundum ritum faciet baptizari, neque sacerdoti latino peccata confitebitur, neque à Dominica quadragesimæ vsque ad pascha vescetur carnibus. Græcorum sacerdotes omnibus modis laborant ostendere plus factis quam dictis: quod inviolata fides sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ irrita sit. Nam quemcunque Latinum sibi associant per fidem, sive latenter, sive patenter baptizant. Vnde Latinorum filios mediantibus matribus dicti sacerdotes

G

* particeps fieri.

* Constantinopoli.

H

patribsu

patribus nescientibus rebaptizant baptizatos iam secundum ritum Latinorum.

Quod omnibus dictis superabominationibus detestabilius est. Ex indice hoc mellitum lac inter cæteras Græcorum consuetudines repertum, capiesse: vt cum eo ipsi pectora purgauerint, ter plurium animarum se reus agnoscant.

Hæc ex supradicta libro Bauarica Bibliotheca Constantinopoli olim compasito.

EXSTAT IN EADEM

Bibliotheca Liber, in quo exstant varij Græcorum contra Latinos tractatuli, inter cæteros etiam hic accusationum vel potius mendaciorum Index

I. Docent Latini spiritum sanctum non ex solo patre, sed ex filio procedere.

II. Symbolo fidei addiderunt illud: *Filioque.*

III. In illo; Vnus Dominus, vnus Christus in gloria patris, *addunt: per spiritum sanctum.*

IV. Non scribunt: modicum fermentum totam massam fermentat, sed corrumpit, vt inde azyma sua constabiliant.

V. Sacros canones & sacras literas vix legunt. Canones verò & leges sibi esse aiunt iussa Papæ, qui pro tempore Sedem Romanam tenet, Præcepta verò eorum qui vita functi sunt, siue Patres fuerint, vnà cum illis mori arbitrantur.

VI. Iuramentum planè non arbitrantur prohibitum: eoque ad res planè friuolas & nihili vtuntur, pro nihilo reputantes Euangelicum illud: *Ego verò dico vobis, omnino non iurare*: & mori suo prætexunt, quod & Deus iuret. Exempli gratia. *Iurauit Dominus veritatem*: & , *per meipsum iuraui.*

VII. Periurium ne sauti quidem faciunt. Imo & Papa ab omni periurio eos liberat, si quando pacta conuenta transgredi cogitant.

VIII. Diuina scripta, luminum & Magistrorum Ecclesiæ Chrysostomi, Basilij & Gregorij non recipiunt.

IX. Epistolas S. Pauli contemnunt, quia dicunt eum fuisse ex numero duodecim Apostolorum neque Christum vidisse: neque curant horrificam illam visionem, quæ Damascum eunti obrigit: neque Christi ad Apostolum verba; *vas mihi electionis iste erit: vt portet nomen meum*, neque curant stigmata, nec tertium cœlum, nec immensos eius labores in propagando Euangelio, nec laborum fructum, conuersionem gentium.

O mendacium nullo Oceano eluendû. *Actor. 9.*

Capita de sacrificio Missæ.

X. AZymis in sacrificio Missæ vtuntur & fingunt hæc sibi tradita à S. Petro, eiusque successoribus.

XI. Non accipiunt panem alicuius magnitudinis: neque frangunt, neque distribuunt; vt in mystica cœna Dominus tradidit, * sed frustulum azymi obulare solus sacerdos deuorat.

XII. Siue sit Episcopus, siue sacerdus, ipse solus oblationis sit particeps. Cæteros siue in sacris Ordinibus constitutos, siue laicos, osculo oblationis participes faciunt, nec apud illos locum habet illud. Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam quandoquidem corporis & sanguinis Christi non redduntur participes. In sola parasceve & in articulo mortis omnes communicant. Cæterum neque tunc quidquam accipiunt * ex azymo ab illis consecrato, sed ex quodam alio communi, & non oblato Et huius sui facti hanc reddunt rationem: quia nescimus, quis sit dignus. Quæ causatio aliud reprehensione dignum innuit, quod non vtantur spiritualibus Patribus, hoc est, Confessariis, nam si horum vsus foret non ignorarent, quis dignus esset.

* v. Diabolicam schismaticorum malitiâ.

* Imp. mend.

XIII. * Qui apud illos sanctificationem, hoc est Eucharistiam, percipit, ore eluto, aquam in terram exspuit, & pedibus conculcat. Si ergo mysteria illa sunt Christi, qua ratione ita inhonorantur: si verò inhonorantur, quomodo sunt Christi?

* Mend. si hoc ante Cômum.

XIV. Idem sacerdos apud Latinos bis & ter celebrat, & sacrificat vno eodemque die, idque in vno altari vel diuersis: & rursus diuersi per partes quilibet in vno altari.

XV. Mane celebrat, non tempore à catholica Ecclesia constituto.

XVI. Liturgiam à S. Chrysostomo compositam omnino aspernantur.

XVII. Vna mersione baptizant; verba illa enunciantes; In nomine patris, & filij & spiritus sancti: quo facto Trinitatis personas confundere videntur.

XVIII. Sola aqua baptizant, & baptizandum vngunt saliua in sinistræ manus volam electa, & dextra deinceps excepta: inungant baptismi candidatum. Nec ab Ecclesia Apostolica constitutum vnguentum recipiunt.

XIX. * Baptizatum iam ad virilem ætatem prouectum, & peccatis obnoxium oleo inungunt, in remissionem peccatorum * & sic bis baptizare videntur.

* Loquitur de confirmatione * calumnia.

XX. Episcopi eorum non semper consecrant clericos & Episcopos; sed quater quotannis & solum in solstitiis & Æquinoctiis, vere, æstate, & hyeme: in Mart. Iunio. Septemb. Decemb. & in prima quidem hebdomade Martij vel alterius ex prædictis mensibus feria quarta sacerdotes & Diaconos ordinant, aliosque clericos: sabbato autem Episcopos & alios sublimioris ordinis; descensum S. spiritus illis diebus circumscribentes, neque ordinantis & ordinati virtutem ac probitatem descensionis & aduentus spiritus S. arbitrantes.

Mendac. & calũnia.

XXI. Multos simul ordinant Diaconos, sacerdotes & Episcopos. Successor defuncti Papæ sic constituitur. Eligit hunc synodus; electumque adducunt ad mortuum; integrum ad dimidiatum; acceptamque mortui manum imponunt collo viuentis, arbitranturque hanc esse vnctionem & consecrationem successoris. Et mox pro salute defuncti sacrificium offert, & de cætero strenuè pontificalia munia obire insistit, quasi iam legitimè vnctus.

o nænias o fabellulas Græcanicas.

XXII. In Quadragesima quotidie Missam dicunt, nec vtuntur præsanctificatis.

XXIII. Sacerdotes eorum vtuntur quibusdam expiationibus & aspersionibus in remissionem peccatorum, more prorsus Iudaico.

XXIV. Præcipui Episcoporum apud illos, cum ad Liturgiam celebrandam, processione instituta, ingrediuntur, nudos puerulos antecessores habent, quos lymphis aspergunt, aiuntque eos ex hac initiatione reddi innumerabiles & insuperabiles in bellis.

XXV. Eum, quem ab excommunicatione absoluunt, nudant vsque ad lumbos, percussumque loris vel flagellis dimittunt, quasi iam reconciliatum, & in gratiam receptum.

A
Mend.

XXVI. In æstiuo solstitio accumulant immundorum animalium, vt asinorum, canum & similium, ossa, eaque concremant, & cineres inde acceptos iniieiunt in aquam, eosque ad expiationem & sanctificationem, eorum, qui asperguntur, adhibent.

XXVII. Initio suæ Quadragesimæ, hoc est, fer. 4. primæ hebdomadis, ex illis aqua mistis cineribus aspergunt sacerdotes eos, qui accedunt, in vertice, fronte, & facie, arbitrari inde subsidium & vim ad ieiunium comparari. Ferunt eos cum panibus, quibus vescuntur, huiusmodi cineres admiscere: Quanta vero & quam immensa est hæc abominatio?

Mend. de mat. horum cinerum.

XXVIII. Dominica Paschæ agnum mactant & assant, altarique inferunt & mensæ imponunt, dum Missa celebratur. Qua finita, carnes quidem agni comedunt; ossa autem comburunt: & cineres toto anno asseruant, iisque aspergunt quos volunt ad sanctificationem, vt putant.

B

XXIX. Plerasque Christi Seruatoris festiuitates intempestiue & confuse celebrant, non secundum traditionem Patrum.

XXX. Papa & sacerdotalis eius ordo remittunt cædes, periuria, & reliqua scelera præterita & futura; per quod hunc in modum remissione donatis fores ad omnia facinora patefaciunt, & quod adhuc magis ridiculum est, certo & præfinito tempore remissionem in futurum concedunt, vt ad duos vel tres plures vel pauciores menses, annos. Eundem ludum ludunt etiam quoad præterita, remittuntque definitorum annorum, mensium, vel dierum delicta; nec possunt dicere, quibus Ecclesiasticis institutis & statutis nixi hæc talia factitent.

XXXI. Nuptias innuptas, & non perficiendas ineunt. Nam duo fratres ducunt duas sorores, & qui suam filiam matrimonio iungit, inde iterum consoceri sui filiam filio suo vel alteri cognato poscit.

XXXII. Quinque digitis oblique & celeriter cruces effomant, & faciem ita consignant.

XXXIII. Sacerdotes Diaconos a coniugio arcent; & ab coniugatis sacerdotibus sacra munera accipere, abominantur, qui vxorati præsbyterio vel diaconatu initiantur, vxores suas dimittunt: & hoc in omnibus sibi subiectis prouinciis, lege lata, obseruari iubent. Multi autem quoque tertiam, & nihilominus sacra ordinis ministeria obire pergunt.

C

XXXIV. Multi ex ordine Ecclesiastico impune apud illos scortantur, amatia nocte admissa, quam iterum tectam dimittunt, nec factum hoc fornicationis, sed innoxij somnij & phantasmatis loco reputant.

XXXV. Sacerdotes eorum in prælijs pugnant, & quidem ante alios, manusque suas sanguine contaminant, dum interficiunt & interficiuntur, & homicidæ euadunt, mansueti scilicet Christi discipuli, qui manibus illis cruentis mysticum corpus & sanguinem offerunt.

XXXVI. Iidem barbam radunt, & pilos totius corporis, rati hoc ad expiationem quendam conducere: Quod Iudaicum est.

XXXVII. Sacerdotes & alios ordinis Ecclesiastici insepultos, octo diebus relinquunt, turpis lucri gratia.

D

Sequitur hic in codice magna lacuna: & post lacunam sequentia.

XXXVIII. Eadem Dominica Paschæ intra templum extruunt sepulchrum Domini & Saluatoris nostri, ex vestimentis communibus, & quæ in vsu quotidiano. Ad hoc sepulchrum accurrentes illud non secus adorant; ac primum illud, in quo Christus conditus est; postea quilibet vestimenta sua resumit, & ad corpus amiciendum vsurpat, profanum sanctificantes: & id quod sanctum est profanantes: & velut profanam secnam, tumulum, qui paulo ante

E

illis venerationi erat, dissoluentes, ludentes in non ludicris, puerorum more, qui casas mox destruendas exstruunt.

XXXIX. Communis est illis, vt plurimum altaris mensa & in ea expansa lintea; quibus ex sacrificio vtuntur ad cœnam; & ex cœna ad sacrificium.

XL. Iter facientes secum ferunt azymum suum corpus Christi, tanquam commune viaticum in crumenulis iuxta femora dependentibus.

XLI. Ad altare, cuicunque cupido, ingreditur. Etiam ipso tempore quo sacra peraguntur, cuiuscunque sit, sexus, ætatis, ordinis; imo & ius intra altare dicunt: & cum sacerdotibus aliisque ordinis sacri resident ibi laici, qui aliquando etiam calcaria ferunt, vir absque manibus teuentes clamant & reclamant, quæque consueta sunt in populari prætorio, ea in ipsis altaris sacri abditis patrare audent. Aliquando & mulieres in solio Episcoporum sedent. Adeo apud illos, qui pietate potissimum excellere videntur, sanctum à profano discernere norunt: quodque sceleratius & profanius est, etiam immunda animalia, canes, inquam, ingredi sinunt cum sacra hostia immolatur; & eum, quem pro viuifico ducunt, panem eleuant, canes ad sacerdotum pedes eos, qui templum intrant, allatrant & tam circumstantibus quam sacrificantibus adulantur.

F

XLII. Cum sacra leguntur Evangelia, & Missa peragitur, quin cum & ipsa sacra dona promuntur, quicunque volunt, sedent; nec illos post quoscunque Deo decantatos hymnos sedisse, vitio vertitur. Causam rogati, respondent, se id facere ideirco, ne si stent, tumultum cieant, Denique iniuria afficiant: quasi huiusmodi sessio non sit iniuria, sed honor Dei: Nulla iis lege vetatur introducere in templa canes; vrsos, & id genus alia immunda animalia.

XLIII. Post mensam non accipiunt panagiam seu benedictionem in honorem sanctissimæ deiparæ: quin nos eam ob causam irrident ac subsannant, quasi Græci postquam ad satietatem comederunt ac biberunt, sanctificationis se participes reddant, sic rem sacrosanctam ab ipsis profano loco habitam, ludibrio habent, hoc ipso ostendentes, quam sint in sanctissimam Deiparam irreligioso animo.

G

XLIV. Græcos qui pietate maximè excellunt, Bogomilos nominant: & his aiunt religiosiores Armenios, quos vt germanos amant, nosque Iudæis & Sarracenis peiores blasphemant, Iudæosque vetus testamentum manibus circumferentes, reuerenter venerantur & amplectuntur.

XLV. Cædibus Christianorum consentiunt Episcopi præsertim Papa, beatosque qui eas patrant, pronuntiant.

XLVI. Eos, qui ex illorum numero perimuntur beatos indicant, rectaque in paradisum ingredi dicunt, licet ob auaritiam & homicidium, vel ob alia scelera pugnantes occubuerint.

XLVII. Quocunque letho apud illos quis pereat, semper causantur *τὸ ζίζμιν* eius, sic enim barbara voce fortunam & fatum nominant.

H

De amictu sacro & similibus.

XLVIII. Papa, & eius Vicarij Cidatim gestant, & Mandyam, fœminis conuenientem, & alia secundum mores vestitus in antiquo testamento vsitati.

XLIX. Neque ex lana est, sacerdotalis eorum amictus, significãdo Christo instar agni pro nobis immolato: sed ex pannis sericis variegatis chirothecas vtraque manu dum rem diuinam faciunt, gestant & in dextra quidem scribunt, *tanquam ex nube:* in sinistra, *Agnus Dei.*

L. Episcopi

L. Episcopi apud illos semper gestant annulos rationem hsue reddentes, quos vt sponsi Ecclesiia desponsati semper annulum ferant. Adeo crasse de mysteriis divinis cogitant.

L I. Ecclesisstici eorum & Monachi non vtuntur alia veste quotidiana, quam Laici, nec aspectu sacros à profanis internoscere qoeas, quaodoquidem & mentum radunt, muliebrem in morem; *Gloria enim eorum in confusione eorum.* Vestem commonem ex pilis confectam habent; sacram ex holoserico & lino, adversa fronte institutis eaih. Ecclesiæ repugnantes. Nonnolli Monachorum perpetuo albis indumentis vestiuntur, in signum, vt aiunt, virtutis & munditiei.

L I I. Manducant suffocata & morticina; & à bestiis capta; & sanguinem; & immunda, & vrot, ἢ τὰς τζακάλας, & testodines, & ericios, & cynopotamos, seu canes fluuiatiles, & cornices, & cornos, & delphinas, & mures, & si qoid detestabilius

De cibis & id genus aliis.

L I I I. Non agnoscunt Tyrophagam hebdomadam ab esu casei sic nominatam. Sed in ea vescuntur carnibus: & simul duobus diebus prima Qusdragesimæ septimana. Feria quarta auspicantur ieiunium; causamque reddont, quod ab hac vsqoe ad hebdomadem Palmarum ieiunium qosdraginta dierum compleatur. Tam accurate acentati isti ieiunatores Quadragesimum numerum ineunt.

L I V. In Quadragesima semel quotidie properanter comedentes, vesperi pisces ad satietatem manducant, & inebriantur, quibos & toto die bibere, nolla est religio, & tamen hac vnica sua refectione ieiunium sanctum, cstom & inculpsium à se obitum existimant.

L V. Omnibus Sabbstis & Dominicis diebus torius Quadrsgesimæ caseum & oua liberis danr comedenda; iisdem vescuotor ipsimet promiscue quinta magna feria, hoc est die Iouis sancto.

L V I. Toto anno qusvis quarta & sexta feria pisces comedunt; quin & carnes; quarta quidem feria; omnes; sexta, aliqoi.

L V I I. Quovis Ssbbato ieiunant, vesperi cibū sumentes Nec carnes manducant, & qoamvis in Sabbatū Ipsa Christi Nstivitas, vel baptisma, vel aliod ex primariis festis incidat, ieiunium tamen non solvunt.

L V I I I. Comedont simol cum canibus & cicuratis vtsis, apponunt illis elingendos catinos & scsiclls ex qoibus postea ipsimet rorsus cibom sumont.

L I X. Monachi eorum manducant adipem, & pinguedinem suillam, quæ carnibus adnascitur, hoc est, lardum, & prætextu cuiussuis, etiam exigoi morbi, carnibus vescuntur Monachi & Laici in magna Quadragesima, & si quis Monachus ordinetur Episeopus, impune carnes manducat.

L X. Latini non vno modo ieionsnt in Quadragesima. Nouem quidem hebdomadas οἱ λέγχιοι, sex. Itali, alij, octo, alij, pauciores.

Postea texit. Auctor prolixum Catalogum, & longam threnodiam eorom, qoæ à Latinis Cruce signatis patrata sont, quando Constantinopolim occuparunt, sob Baldoino Flandriæ Comite, deinde mulia nugstur vanissime de converssenria Lstinorum cum Iudæis, cum Armeniis, cum Iacobitis, & aliis damnati nominis hominibus, sed vanitas Græcanica satis superque patescit ex sexaginta capitibos, qoæ exscripsimus, eo consilio, vt omnes intelligant, qualibus mendaciorum portentis, Græcorum scriptores imperitum vulgus à Lstinis, atque adeo à sede Petri abalienarint & abstraxerint, nam pleraque ex sopra dictis capitibus vel sunt manifesta mendacia, vel criminationes, vel ritus adiaphori, quos pro varietate nationum obseruare vel non obseruare nullum penitus sit piaculum.

Quod si capita quædam veritatis quidpiam interspersum habent; id tamen vel malitia vel ex inscitia tot admistis pseudelogiis, obscuratur, vt vix nisi à valde attento verum deprehendi queat v.g. verum est; Latinos quotannis Cenotaphiom, seu, vt ipse vocat, κενὴν τάφον in honorem Christi sepulti excitare, id tamen iste à Parasceue & Sabbato sancto, ad ipsam Resurrectionis Dominicæ solennitatem refert.

Verum est Pontificem summum dare Indulgentias, pro peccatis seu potius pro pœnis peccatorum præteritorum, & quidem certorum annorom, vel etiam plenariam absque temporis præfinitione: præterea dare Indulgentias, vt si quis futuro tempore in peccatum incidat, post legitime peractam pœniteuriam, queat residuum pœnæ redimere. Id iste vel imperitissime vel fraodolentissime ita interpretatur, quasi Papa peccata præterita, præsentia & futura remittat, largamque omnium scelerum perpetrandorum potestatem faciat. Verum est, circa æstiuum Solstitiom, festo die Sancti Ioannis Baptistæ pyras in publicæ lætitiæ signum per compita accendi; at eos construi ex ossibus asinorom, canum, & aliorum immundorum animalium, vanitas est Græcanica; vt & illud; Latinos bis cineribus vti ad expiationem & purificationem animorum. Item ex bis cineribus in capite Ieiunij capita Latinorum aspergi, eosdemqoe cibis admisceri. Quæ omnia putida sunt commenta, ab istis eo ingenio conficta, quo hodie nostri Nouatores Catholicos infinitis mendaciis onerant eo solum fine, vt plebem sibi obnoxiam reddant, & à Pontifice Romano Petrique ouili, ad sua porcilia traducant.

Catalogus auctorum, qui pro Græcis & contra Græcos.

PRima quæstio & potissima, & fere vnica initio erat de processione sancti spiritus, quam Græci ex solo patre; Latini ex patre & filio esse contendunt, & de additione illa ad Symbolum; *Filioque*. His enim doabus controversiis adiecerunt postea Græci, quidqoid litis ac contentionis adversus Latinos excitarunt. Et qoamvis controversiæ semina iacta fuerint à Nestorianis in suo Symbolo, & à Theodoreto contra S. Cyrillum, quæstio tamen hæc sopita fuit, nec in apertum schisma protupit, donec tandem Diabolus ambitiosum Photium nactos, turbas, quas videmus & deploramus, excitauit, qui Photius nulla alia re, nisi ambitione, impulsos fuit, vt satis Caleca noster docet, & fusissime Decimos Annalium Tomus Baronij ostendit, præcipue ad annum 867. vt & multis consequentibos. Et quamvis Photio cathedram Constantinopolitanam adepto, incendium nonnihil quieuerit, vsque ad Michaelem Cerularium Patriarcham Constantinopolitanum, nunquam tamen omnino exstinctum fuit, sed in multorum animis hæsit id, quod Photius tanta contentione & acerbitate Latinis Hæreseos loco obiecerat. Et qoamvis ante Photium hæc quæstio aliquando mota fuisset, vt patet apud Baronium Aono 867. nullus tamen exstitit ante Photium, qui se propterea aliosque Græcos à Latina Ecclesia seiongeret. Primus exstitit Photius, qui hoc iam sacrilegum facinos patrare non horruit.

Primus ergo huius nefarij & perniciosissimi Schismatis Auctor & incentor est Photius, qui illud non modo conflauit, sed & scriptis fouit. Extat in Bibliotheca Bauarica Nom. 115. liber Photij de Processione spiritus sancti contra Latinos, & inter Epistolas eius, Epistola Encyclica ad Patriarchales Sedes, in qua multa de Processione sancti spiritus fatuator. Hunc suom ducem innumerabiles alij secuti sunt, vsqoe ad hæc nostra tempora, qui partim prodierunt in publicum, partim

adhuc in Bibliothecis absque vllo damno latitant. Enumerabo aliquos, sed absque temporis ordine. Primus esto Nicolaus Episcopus Methonæ cuius etiam Calcea meminit libro quatto. Reperitur eius liber de processione sancti spiritus in Bibliotheca Bauarica Num. 116. idemque liber Græcolatinus Num. 101. Ibid.eiusdem libee de Eucharistia in pane fermentato conficienda. Item de ieiunio Latinorum in Sabbato, de Sacerdotum coniugio, & in quadragesima non esse perfectam Missam celebrandam.

II. Nicetas Pectoratus, quem refutauit Humbertus.

III. Nicetas Philosophus Byzantinus, cuius aliquoties Hugo Ætherianus mentionem facit in suo opere contra Græcos pro Latinis. Exstant Syllogismi Nicetæ in Bau.Biblioth. Num. 120.

IV. Metropolita Nicænus, hoc est, Eustratius, de quo noster Calcea.

V. Michael Cerularius Episcopus Constantin. & Leo Achridenus; Exstat Epistola vtriusque nomine scripta ad Ioannem Tranensem in Apulia Episcopum vbi azyma & alia nonnulla Latinis exprobrant. Refutauit hanc Epistolam proprio libro Humbertus Cardinalis, syluæ candidæ Episcopus, & ipse Leo IX. Pontifex. Vide Baron. Tom. XI. Anno Christi 1053. & 1054. Exstat eiusdem Cerularij similis argumenti Epistola apud eund. Baron. & Anno 1054. Græce in Cod. Bauarico. Num. 118.

VI. Theophylactus Bulgariæ Archiepiscopus, qui in cap. 3. Ioan. Latinos ob processionem sancti spiritus perstringit. Et exstat in Bauarica Bibliotheca Num. 116. Colloquium eius de accusationibus Latinorum. Et ex illo de eadem controversia inter Græcos & Latinos citat nonnulla anno DCCCLX vel circiter, vt vulgo creditur; sed sub Michaele Duca circa annum 1073. & sequentibus Imperatoribus vsque ad Alexium Comnenum, in quem Encomiasticam orationem habuit, quæ in Bibliotheca Bauarica asseruatur Num. 116. Vide Baron. Tom. XI. Anno 1073.

VII. Maximus Planudes, qui Syllogismos seu capita contra Latinos de processione sancti spiritus edidit. Exstant in Bibliotheca Bauarica Num. 115. vixit Planudes sub Andronico Palæologo Seniore, cuius missu Legationem obiit Aquileiam ob Venetos à Galatæ incolis violenter oppressos & mactatos Byzantij, vt patet ex Eclogis libri noni Georgij Pachimerij, quas ad finem Nicephoti Gregoræ inuenies Emendandum ergo, quod à nonnullis traditur, eum vixisse tempore Concilij Basileensis.

VIII. Nicolaus Cabasilas, qui scripsit contra S. Thomam de processione sanct spiritus & aliis Græcorum opinionibus, Vixit sub Ioanne Cantacuzeno Imp. vt patet ex Historia Cantacozeni, quapropter errat, qui indicem Chronologicum Auctorum tom. 9. Bibl. S.S. patrum editionis 2. Parisiens. confecit, cum Cabasilam, vt & Nicolaum Methonensem refert ad seculum decimum quintum: cum Cabasila sub Cantacuzeno, Methonensis circa tempora Manuelis Comneni vixerit.

IX. Gennadius Bulgariæ Archiepiscopus, cuius nugæ supersunt in Bauarica Bibliotheca Num. 118.

X. Epiphanius Archiepiscopus Constantinopolitanus, scripsit librum, quando Latini à recta fide defecerint. Biblioth. Bau. Numer. 118.

XI. Iob Monachus, cuius exstat Apologia in Biblioth. Bauar. contra Primatum Romani Pontificis sub Michaele & Theodora Imperatoribus.

XII. Dialogus Andronici Sebasti de processione sancti spiritus. Inter locutores sunt Imperat. & Cardinalis. Biblioth Bauar. Numer. 110.

XIII. Nilus Archiepiscopus Thessalonicensis, scripsit libros 49. contra Latinos de processione sancti spiritus, Pontificis primatu &c. Bauar. Biblioth. Num. 124.

XIV. Marcus Metropolita Ephesi Interfuit Concilio Florentino, interlocutoris munere functus, capitalis Latinæ Ecclesiæ hostis. In orientem reuersus, concordiam factam fregit, & multa aduersus Latinos scripsit: ex quibus in Bauarica Bibliotheca reperiuntur sequentia. Numer. 105. Narratio de Concilio Florentino. Professio fidei, & Epistola vniuersalis ad omnes Christianos, Dialogus Græci & Latini de additione illa ad Symbolum; *Filioque* Num. 155. capitula Syllogistica contra Latinos. Libellus de verbis consecrationis, seu quibus verbis Eucharistia consecretur.

XV. Metropolitani Achrideni (in Bulgaria) prima & secunda συνουσία seu congressio cum Latinis de processione sanct spiritus. Bibliot. Bau. Num. 116.

XVI. Palamas contra Ioannem Beccum de processione sancti spiritus.

XVII. Michaelis Patriarchæ ostensio ad Regē, quod præsanctificatorum mystagogia tradita fuit antiquitus: Et quonam modo huius mystica consecratio fit, & quare prohibita fuere τὰ τέλεια in sancta Quadragesima. Catal. Vat. Bibl. apud Posseu. in fine sacri Apparatus.

XVIII. Germanus Patriarcha Constantinop. de processione S. spiritus. Item de azymis, purgatorio, & de tribus modis administrandi baptisma. Posseuin. in Catal. Bibl. Constantinop. Est iste Germanus non priscus ille & sanctus, sed vnus ex recentioribus, & forsan ille, cuius de S. Cruce & imaginibus exstant orationes aliquæ Tom. secundo de S. Cruce Iacobi Gretseri.

XIX. Metrophanes Episcopus Smyrnensis de processione sancti spiritus. Catal Bibl. Heidelbergensis Num. 216. apud Possen.

XX. Ioannis Patriarchæ Hierosolymitani disputatio cum Latino de Azymis. Cat. Heidelb. Num. 361.

XXI. Hieremias Patriarcha Constantinopolitanus fuse de sancti spiritus processione disputat in secundo & tertio suo Responso ad Lutheranos.

XXII. Maximi Margunij Episcopi Cytherorum Epistola, de processione sancti spiritus. Præter hos sunt multi alij sed istos percensuisse sufficiet. Vbique etiam Balsamon in suis libris Latinos perstringit: Pestilens enim Schismaticus fuit, vt & Ioannes Citrius, Zonaras, Gregoras, Choniates, & alij, quorum monumenta in volumine Iuris Græcoromani continentur.

PRO LATINIS contra Græcos.

Primus sit noster Emanuel Calcea.

II. Demetrius Cydonius. Scripsit pro S. Thoma contra Cabasilam. Posseuin. in Apparatu sacro V. *Demetrius.*

III. Ioannes Beccos Patriarcha Constantinopol. Bibl. Bauar. Numer. 115.

IV. Bessarion Cardinalis suo iure inter primos numerandus, tametsi æuo posterior. Eius plurima partim inedita, partim edita exstant de capitibus inter Græcos & Latinos, controversis monumenta; vt oratio dogmatica, quæ cum Actis Concilij Florentini circumfertur, liber de processione sancti spiritus ad Alexium Lascarim. Liber pro Becco contra Palamam, Oratio ad Concilium Florentinum. Apologia contra Planudem. Apologia contra Marcum Ephesinum. Bau. Bibl. Num. 115. Epistola ad Græcos Num 55.

V. Gennadius Patriarcha Constantinop. pro Concilio

Florentino

Florentino Apologia. Exstat Latinè. Plura ad idem argumentum in Bibliothecis latent: digna, quæ eruditorum industria tandem in lucem extrahantur.

V I. Gregorius Patriarcha Constantinopol. scripsit librum S. Spiritus ad Imperatorem Trapezuntinum. Apologiam contra processionem Marci Ephesini. Apologiam contra Epistolam vniversalem ejusdem Marci, Bibliot. Ban Num. 115.

V I I. Georgius Tsapezuntius ad Monachos, & Sacerdotes Cretæ de processione S. Spiritus. Ejusdem cohortatio ad Ioao. Palæologum Imper. Constantin. vt in Italiam ad Concilium naviget. Bavat. Bibl. Num. 115.

V I I I. Latini cujusdam demorantis in Suburbiis Parisiorum ad Manuelem Palæologum Imper. peregrinum in Gallia, per modum Syllogismi capitularis. Epitome de processione Spiritus sancti, Catal. Vatic. apud Possen.

I X. Disputatio, qua duo Doctores differunt de processione Spiritus sancti, scilicet Manuel Chrysolota cum Georgio Palama. Metropolitano Thessalonicensi Poss. io Catal. Biblioth. Constantinopolitanum, videtur esse Dialogus, cujus inter locutores Chrysolora & Palamas. Nam inter hos duos reipsa curam non fuisse hanc disputationem institutam, inde liquet, quod Palamas longe sit antiquior quam Chrysolora.

X. Iulianus Cardinalis scripsit contra Græcos, de Concilio Florentino, de Papa Eugenio, & de processione sancti Spiritus. Possen. in cit. catal. Constant.

X I. F. Ioannes Ord. Prædicatorum, Magister provincialis scripsit contra Græcos de divina operatione, de fermentato & infermentato pane, & de processione S. Spiritus. Catal Constantinop.

X I I. Fr. Franciscus scripsit ad Manuelem Corinthium Epistolas quatuor: Quarum prima est de azymis. Seconda: Quod Christus dixerit: *Ego te baptizo*, non *baptizetur*. Tertia, de divina actione, déque lumine, quod in Monte Thabor apparuit: num fuit creatum aut increatum: & de transfiguratione Christi. Quarta, de Purgatorio.

X I I I. Nicephorus Blemmyda Græcus magni hominis scripsit pro Latinis contra Græcos, vt apparet ea lib 5. historiæ Nicephori Gregoræ Citatur iste Blemmyda à Caleca lib 4. c 10.

X I V. Andreæ Scocares tractatus contra Græcos de processione sancti Spiritus, de defunctis, de azymo, & de primatu summi Pontificis. Cat Bibliothecæ Card Sirleti apud Possen.

X V. Andreæ Episcopi Megarensis Tractatus de Græcis errantibus, & de eorum erroribus. Idem Catal. Sirl.

X V I. Fantinus Vallaressus Cretensis Archiepiscopus contra obtrectatores vnionis Grecorum Idem Catal. Sirl.

X V I I. Antonius Messana contra errores Græcorum. Idem Cat. Sirl.

X V I I I. S. Thomas contra errores Græcorum.

X I X. S. Anselmus de processione Spiritus sancti contra Græcos.

X X. Hugo Ætherianus scripsit libros tres de processione S. Spiritus contra Græcos.

X X I. Humbert. Card Episcop Sylvæ candidæ scripsit insignem librum contra Michaëlem Constantinop. & Leonem Achridenum in Bulgaria Episcopos. Alium contra Nicenum Pectoratum Vterq; exstat.

X X I I. Barlaam de Seminaria Episc. Gyracensis scripsit eruditas Episto ad amicos suos in Græcia. Exstāt.

X X I I I Leo I X Pontif. Max. in Epist suis, maxime in illa, contra Mich. Constantin. & Leon. Achriden.

X X I V. His accedant Concilia hanc eandem veritatem contra Græcos testantia, in quibus primas tenet Concil. Florent. Græcè & Latinè evulgatum, in quo processio Spiritus S. luculentissime est asserta.

AD DISPVTATIONEM Calecæ de additione illa ad Symbolum : Filióque.

AVdisti, quæ sit sententia Calecæ, de tempore additionis illius ad Symbolum, Filióque. *Nunc audi, quid de ea re scribat Illustrissimus Baronius, Tomo X. anno Christi 883. Num. X X X I V.* Quando, & qua vrgente causa & necessitate id exigente factum sit, vt illæ quatuor Syllabæ Filióque. Symbolo adderentur, modo aperiendum Quamdiu ea veritas non sic impugnata est, vt penitus negaretur; nihil hujusmodi vnquam ab Ecclesia Romana præsumptum est, vt syllabæ illæ inferrentur in Symbolum Nicænum, sive dixerimus Constantinopolitanum, licet (vt vidimus) vehementissimè exigeretur per Legatos à Concilio Aquisgranensi sub Carolo Magno Romam missos, resistente (vt audisti) Leone I I I. Romano Pontifice, eo clypeorum argenteorum nobili monumento antiquitati Ecclesiasticæ consulente. Vbi autem Schismaticorum procacitas eo devenit, vt Catholicum dogma non impugnarent tantum, sed destruerent atque tanquam alienum à Fide Catholica condemnarent, & explodérent velut hæreticum; idque non privatis agerent tantummodo scriptoribus, sed collectis conciliabulis, mentitóque (vt vidisti) nomine vniversalis Concilij, id ipsum decretis Synodalibus confirmarent, atq; confirmatum promulgarent, quod à Photio factum magna præsumptione vidisti; id vbi magno præjudicio Catholicæ Fidei tum præsumptum viderent Romani Pontifices, vbi nec spes esset aliqua correctionis; ad retundendam Schismaticorum temeritatem, non tam inferendas in Nicænum Symbolum illas quatuor syllabas, Filióque, quamdiu antea illatas recipere, sapientissime decreverunt, quo significaretur non communicare Catholicæ Ecclesiæ, qui à Symbolo ab Ecclesia Romana recepto dissentire inveniretur: Quonam pacto quæso iidem paterentur, à schismaticis haberi hæreticos, & vt hæreticos in ipsorum Conciliis condemnari hujusmodi veritatis professores omnes Romanos Pontifices; atque inconsulta Romana Ecclesia, Patriarchas Constantinopolitanos hæredes Photianæ impietatis de dogmatibus definire sententias, & omnes Occidentales Ecclesias condemnare? Quamobrem recipiendum esse cum illo additamento, sed potius explanatione Nicænum Symbolum statuerunt, consentiente vniverso Occidentali orbe Catholico cum plura in Hispania primum, inde in Gallia generalia Concilia (vt est demonstratum) id decrevissent, atque etiam promulgassent. Quod insuper Schismatici Orientales obstinate adeo resilirent, vt ausi essent inferre anathema (vt vidisti) in Romanos Pontifices id sentientes: ipsis renitentibus, inconsultis id facere jure placuit.

Quisnam autem Romanorum Pontificum primus id statuerit, vt reciperetur Symbolum cum iisdem duabus dictionibus, Filióque: scimus viros doctos in his investigandis plurimum laborasse, & ad tempora Nicolai vel circa id retulisse verum si id fuisset: certe Photius altius in ipsum Nicolaum Pontificem declamasset, qui in ea Symbolum intulisset: cum duabus epistolis acerbissime in Romanam Ecclesiam invehatur, si ea in Nicænum Symbolum intulisset, Author Græcus Anonymus, qui inter alia Græcorum monumenta positus habetur in Vellicellana Bibliotheca, id primum factum à Christophoro Papa tradit, atque affirmat, vsque ad illud tempus omnes, qui præcesserunt. Romanos Pontifices in ipsorum fidei professione asseruisse absque alio additamento Spiritum sanctum à

Patre procedere; aitque post recensitos prædecessores Pontifices: Qui vero ipsum sequuti sunt Formosum Bonifacius, Stephanus Romanus, Theodorus, Ioannes, Benedictus, Leo, successores novæ hujusmodi doctinæ Formosi, in omnibus fuerunt ipsi discordes, qui secreto, à Filio quoque procedere Spiritum sanctum asserebat; cum tamen in epistola ad sedes Patriarchales missa de solo patre fecerit mentionem: post quos cum Christophorus Papa Romanus creatus fuisset, in fidei confessione quam misit ad Constantinopolitanum Patriarcham, nempe in Symbolo, à Filio quoque Spiritum sanctum procedere, ausus est dicere. Qua de causa postea à Sergio Patriarcha qui præcessit Cerularium, è dyptichis ipse Christophorus expunctus est, hæc ibi.

Subjicit vero eundem Christophorum, omnes qui post eum successerunt Pontifices, esse secutos, vt pariter in Symbolo ponerent Filióque. hæc sunt quæ ex Græcorum fontibus, cœnosos licet, hausta deponimus. Verum nullo pacto possent tribui istud Christophoro, qui invasor Apostolicæ sedis, mox sede pulsus perbrevi tempore eam tenuit tumultuose. Cæterum rem tantam serio factam esse, summa tranquillitate, convocato Romæ Concilio, qui de his adversus Græcos scripsêre commentarios testati sunt. Græci autem calumniose à Christophoro id factum dixêre, quem novêre infami ingressu turpissimum. Cum tamen rem tantam majori ocio, consultu totius Occidentalis Ecclesiæ,& vrgente necessitate esse peractam,& Pontifice qui in sede Petri legitime sederit, absque controversia à Latinis omnibus affirmetur.

Quod enim à Romano Pontifice legitimo Petri successore, congregato Concilio, sit factum Ætherianus affirmat, qui & de ipsiusdefinitione obiter partem decreti recitat paulo post hic describendam. Quod etiam necessitate vrgente in Concilio Florentino verbis istis assertitur: Maximo in Gallia & Hispaniis Schismate imminente, cum jam ex Filióque passim celebraretur: Romano Pontifici fuit necesse in multorum Occidentalium amplæ dignitatis, magnique consilij patrum conventu, addito, ex filióque Symbolum magis illustrare, hæc ibi. Id ipsum Eugenius Papa in decreto confirmationis ejusdem Concilij factum docet licite,& rationabiliter, vt ait, declarandæ veritatis gratia, vrgente necessitate. A Pontifice Romano itidem congregato Concilio id actum, Ætherianus docet his verbis: Nulla insimulatione, nulla reprehensione, nulláque calumnia notandus est antiquioris Romæ Antistes, quod causa interpretationis dictionem vnam, dico autem ex Filio procedere Spiritum, sanctorúmque plurium Episcoporum. scientissimorúmque Cardinalium consensu habito exposuerit. Licuit enim ei, sempérque licebit fratres confirmare, decreta edere, cudere interpretationes, sicubi aliquid obscure scriptum sit, & de voluntate scriptoris argumentari, judicio voluntatis illius relicto facere, hoc persuadenre. Is enim est, cui oves & agni commissi sunt; & idcirco non solum scripti recitator esse debet, verum interpres illorum, quæ adscripta non sunt, vt caput ovium, Dei pastor. Et post nonnulla, eodem argumento inculcato subjicit, dicens: Qua in re, manifestum, antiquioris Romæ Præsulem, potestatem à Petro accepisse, Fidem renovandi (vt verbis patrum vtar) habendi curam & regnum omnium Sacerdotum, quin etiam omnium Christianorum. Ergo qui resistunt primæ sedis, in ò totius orbis Præsuli, Christi dispositioni resistunt, & nisi resipiscant, contumaciæ judicio plectuntur. Et inferius.

Quare palam & publice fit ex his, nequaquam licere cuipiam omnium calumniari sanctissimam, & magnam, omniúmque Principem Romanam Ecclesiam, quasi aliam Fidem conscripserit, aut composuerit, aut docuerit. Nam neq; affert, neq; perdocet, neque aliud tradit Symbolum, si editum à sanctis Patribus interpretatur, non perpetiens. Fidem labefactari, apud quos semper effulsit: Quæ licet primatum habeat, attamen humiliat seipsam, respondendo, quod Chalcedone celebrata Synodus quondam se calumniantibus respondit: Injuste (inquit) arguor, dum non Fidem, sed memoriam renovo, non apposui, non ademi salutari Symbolo, si dictionem occultam manifestavi. Renovavi enim vt Patres antedicti Fidem, & apposui Nicenæ, Constantinopolitanæ, atq; Chalcedonensi Synodis, sed nullo modo illis contraria, quia dum illorum Patrum vestigia sequor, solummodo quæ tunc quæsita non sunt, tempore post, per interpretationem & appositionem verbi; quod non perspicue ab omnibus intelligebatur, enucleavi. His subjecit ista Ætherianus: Æquum igitur est ratum habere, quod tanta Ecclesia decernit, quod tantus Pontifex enontiat: Sed quisnam fuerit Pontifex iste, silentio reliquit obscurum, qui illis temporibus notus omnibus, etiam absque aliqua expressione, quis esset, habebatur expressius.

Idémque auctor post multa in eandem sententiam, hac definitione, quæ sunt dicta restringit. Quicunque ergo naviculam Petri spernit, incautè navigat, & nisi plumbeas moles pervicacitatis rejiciat: influent maria, &c. Hæc cum Ætherianus dicat, atq; de voce addita, Filióque recitet verba decreti Romani Pontificis, non nisi Pontificis auctoritate, id factum esse aperte significat. Porrò idem pariter Ætherianus eodem commentario Photij de eadem quæstione in Latinos scribentis, quæ retulimus, argumenta egregie solvit.

Quam insuper Photius (vt reliquas calumnias in dicta epistola sparsas confutemus) quam inquam calumniose suæ ipsius sententiæ assertorem appellet Hadrianum Romanum Pontificem, ejus nominis primum, nempe ipsum in literis ad Tarasium datis esse professum, Spiritum S. à Patre procedere, & non à Filio: ne te, lector, diutius in his detineam, & eadem sæpe repetere, iterúmq; tædio scribere sim coactus, perlege, quæ superiori Tomo, suo loco sunt dicta anno Redemptoris octingentesimo septimo, in actione septima Nicæni Concilij posterioris, vbi plura invenies, quibus redarguas impostorem. *Hac Baronius.*

Ad Cap. I X. Libri I V.

HVjus Nicolai Methonensis Episcopi exstant in Bavarica Bibliotheca sequentes libri Num. 101. *Liber de Processione S. Spiritus Græco Latinus. Eiusdem liber de Eucharistia, in pane fermentato conficienda. Liber de ieiunio Latinorum, in Sabbato, & de Sacerdotum coniugio, & quod in Quadragesima non sit perfecta Missa celebranda.* Num. 116. iterum exstat liber *Nicolai de Processione S. Spiritus.* Num. 129. *Eiusdem Nicolai discussio Theologica institutionis. Procli Platonici Philosophi, &c.*

Insigniter porrò hallucinatus est Vulcanius Calvinista, præfatione in librum Nili, de primato Pontificis Romani, quem post Illyricum tenui operæ pretio Latinè & Græcè evolgavit. Nam in primis confundit Nicolaum Methonensem cum Nicol. Cabasila, cum Methonensis vixerit sub Manuele Comneno Imper. Constantinopolitano, cuius res gestas Nicetas Choniates, septem libris descripsit, vel etiam ante Manuelem: Refutatur etiam liber Nicolai Methonensis ab Hugone Ætheriano, qui sub Manuele Comneno Constantinopolit. degebat, vt ipse docet in procœmio sui libri: Nicolaus autem Cabasila vixerit sub Ioan. Cantacuzeno Imp. Constantin. circa ann. 1357. vt patet ex historia Ioan. Cantacuzeni nuper publicata. Itaq; duobus prope sæculis Methonensem à Cabasila distare oportet, cum Manuel imperare cœperit ann. 1143. secundum Chronicon Onuphrij. Cantacuzenus 1341. simili hallucinatione adscribit Methonensi, *Explicationem Missæ, quæ fertur inter Tractatus Liturgicos; & orationes septem de vita in Christo.* Sed non pridem edidit ex Bibliotheca Bavarica Iacobus Pontanus Soc. Iesv de literis Latinis & Græcis præclare meritos. Fallitur Calvinista, opera hæc non sunt Nicolai Methonensis, sed Nicolai

Cabasilæ,

Cabasilæ; cujus fortasse nec proavus ævo Nicolai Methonensis natus fuerat. Non impari ineptia & oscitantia in vnum conflat, Nicol. Methonensem & Nilum Archiepiscop. Thessalonic. cum plusquam sesquisæculo distent, vt notum ea Chronologia, etiam illa, quam Precherus Libri Græcoromano præfixit: vbi Nilus Archiepisc. Thessalonicensis refertur ad annum Redemptoris M. C C C I I I.

Ad Cap. X. Libri IV.

EST is, quem interpres vocat Regem, *rectius appellasset* Imperatorem, *Michael Palæologus, qui in Concilio Lugdunensi Græcanico errore relicto, cum Latinis dexteram iunxerat; ægerrimo id ferentibus cum aliis, tum Andronico filio & successore in Imperio, qui parenti in castris & expeditione Thessalonica, vita functo nullos penitus honores habuit; in quo Nicephorus Gregoras, ad rabiem propemodum schismaticus, ista libro quinto circa finem.* Filius ejus Imperator Andronicus, quamvis adesset, patrem Imperatoria sepultura adeo non honoravit, vt ne plebeia quidem sit dignatus: præterquam quod jussit, vt noctu pauci quidam cadaver procul à castris abductum, multa terra obruerent: id modo cavens, ne Imperatorium Cadaver, à feris discerperetur. In causa erat, quod dum viveret, à recta Ecclesiæ doctrina descivisset quod factum filius, etsi patrem adamabat, & pietate filios omnes atque observantia superabat, ex animo, vt postea dicemus, clam oderat. Ac Michaelis Palæologi hic exitus fuit: viri natura decori, cum gravitate quadam, & digna principe majestate. Erat porrò in eo robur corporis, & rei militaris peritia, diuturni temporis parta exercitationibus. Cum autem & prudentia & eloquentia valeret, in rebus gerendis multo fuit acrior. In Imperij principio, munificentissimus esse visus, vt subditorum animos nimirum sibi conciliaret: deinde modum sumptibus adhibuit, cum varia bella existerent, quæ diuturnos & magnos sumptus citra vllam detrectationem postulabant. Nec desunt, qui eum afflicto animo, & perpetuo turbata conscientia fuisse dicant, ob innovatum dogma, quod eo amplexus fuerat, vt Imperium ad liberos suos propagaret: à quibus id scilicet honoris ei exhibitum, vt ne Imperatoria quidem sepultura ornaretur, Ecclesiæ sanctiones patriæ pietati longe præferentibus.

Ad idem Cap. X.

CELeberrimus fuit iste Nicephorus Blemmyda apud Græcos validúsque Latinæ & orthodoxæ sententiæ adversus Græcos assertor. Quod nec Nicephorus Gregoras dissimulare potuit; qui in libro tertio, vbi agit de Becco Latinorum itidem postea patrono, tametsi prius adversario, testatur Beccum ad Imperatoris Michaelis, & Latinorum sententiam amplectendam, inductum esse lectione librorum Nicephori Blemmydæ de processione sancti Spiritus. Accipe verba Gregoræ. His temporibus magnæ Ecclesiæ Cartophylax erat Beccus, excellenti vir ingenio, & in doctrinæ studiis, ab ineunte versatus ætate: præterea tantis naturæ donis ornatus, quantis quisquam alius, illius ætatis. Nam & proceritate corporis, & majestate vultus, & facundia, & vbertate atque acumine ingenij, omnes ad res apti, aliis dotibus præstabat. Quibus id erat consecutus, vt & Imperatoribus & Principibus, & omnibus eruditis venerabilis, atque illustri apud eos fama esset. Qui cum Imperatorio decreto acrius adversaretur, Imperator nihil non tentavit, tam per se ipsum, quam per alios eruditos, vt eruditis & legitimis rationibus eum adducerent, vt decreto assentiretur. Verum ille ingenij acumine, & copia orationis omnium animos commovebat, eorúmque argumenta veluti Penelopes telam retexebat. Nam Græcarum literarum doctrina, erant qui illum superarent: sed acumine ingenij, & eloquentia, & Ecclesiasticorum dogmatum vsu; omnes cum illo collati, pueri videbantur. Ea spe frustratus Imperator, aliam viam iuit, eúmque & omne fere genus ejus in teterrimos carceres conjicit. Quibus peractis, tandem in mentem venit Imperatori, eandem rem à Latinis ante annos X X V. Ioanne Duca, rerum potiente agitatam fuisse: ac tum doctum extitisse virum, Nicephorum Blemmydam, (*cuius extant nonnulla monumenta, cum alibi, tum in Bibliotheca Bavarica, num. 308. & num. 151. vt testatur illius Bibliothecæ catalogus Ingolstadij typis excusus*) divinarum literarum peritissimum, qui cum se in otium contulisset, multa à sacra Scriptura testimonia, quæ dogmata Latinorum confirmare viderentur, colligere ac conscribere cœpisset; clam ille quidem, infamiæ metu, sed tamen scripsisse quædam. Quæ tum Imperator Becco misit, quibus ille pellectis, Sanctorum libros è quibus Blemmydes ea collegerat, prudenter admodum postulavit, itique lubentissimo Imperatore acceptis, in eo occupabatur, vt diligenter illos legeret, expenderet, ad verbum conferret. Itaque brevi tempore eum testimoniorum acervum coëgit, quæ integra volumina complere possent; & qui dudum acerrime Latinis adversabatur, mutata sententia, victoriam faceret ambiguam. Quamobrem Patriarcha, sede conscensa, Imperatori vnus fuit omnia, & lingua, & manus, & acuti scriptoris calamus, & dicendo, & scribendo, & dogmata statuendo: ejus certaminis adjutoribus Melitenote & Metochite, Imperatorij clericatchi diaconis, & Georgio Cyprio. Nullus tamen eorum omnium ad Papæ rationem liturgiam celebrarat: nisi quod * Fretiorum nonnulli potestate data, semel in Blachernio templo id fecerunt, suffragio cujusdam è familiaribus.

* Fratrū, hoc est Monachorum.

Ad Cap. XII. Lib. IV.

EXperientia multorum constat, Aquam Baptismalem pridie Paschatis, vel Pentecostes consecratam diutissime manere incorruptam, & in lib. prorsus excellenti Reformationis Stiriacæ, Carinthiacæ, & Carniolanæ, edito à R. D. Iacobo præposito Staynizensi, parte prima, c. 9. memorabilis hac de re exstat memoria.

Vbi eius Dom. Commissarij in Weissenfels reformarent, cum in Ecclesiâ sancti Leonardi Fontem Baptismalem clauserunt, & ita conservârunt, & aquâ Baptismali repletum invenerunt, sicut ante viginti novem annos eum aquâ à Sacerdote Catholico consecratâ consignatus fuerat. Cum D. Episcopus Fontem istum aperiret, aqua tam nitida & limpida in eo reperta est, quasi nunc ex fonte prius hausta fuisset, quod D. Episcopum, & totum populum in summam admirationem traxit.

Ad Cap. XIII. Lib. III. De Tonsura crinium & barbæ.

MIchael Cerularius Patriarcha Constantinopolitanus, variorum errorum Latinos insimulat in Epistola ad Petrum Antiochenum Patriarcham, apud Baronium Tom. XI. anno Christi 1054. num. 33. & seqq. Inter cætera sic bacchatur insanus ille Cerularius. Certo scito, quod non vnica tantum sagitta, azymorum videlicet errore confossi sunt Romani (quod omnibus aperte patet) sed multis & aliis diversis: quo propter illos omnino adversari necesse est, & quæ quidem Iudæorum more peragunt talia sunt, vt error, qui illis tribuitur de azymo, & quod suffocatum comedunt

&

& barbam radunt, & sabbata custodiunt, & comedunt immunda, Monachi carnibus vescuntur, nidore videlicet suis, & larido omni, quod usque ad carnem pertinet. Et quod etiam attinet ad primam hebdomadam Quadragesimæ & aliam etiam hebdomadam Quinquagesimæ, qua nos ovis tantum & lacte vescimur, & propterea casei hebdomadam illam appellamus.

Sed præter hæc talia & hujusmodi se habentia, in sacro symbolo hanc etiam adhibent additionem, male & perniciose sentientes. Ita enim se habet: Et in Spiritum sanctum, Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filióque procedit. In sacra etiam Missa illud, vnus, sanctus, vnus Dominus IESVS CHRISTVS in gloria Dei Patris per Spiritum sanctum, alta dicunt voce. Præter hæc, nuptias Sacerdotum prohibent, illos videlicet, qui vxores habent, vt nullo pacto Sacerdotij dignitatem consequantur, permittunt, sed innuptos manere volunt eos, qui Sacerdores esse cupiunt. Duo etiam fratres duas ducunt sorores. Et in sacra Missa tempore communionis alter ministrorum comedens azyma, alios amplexatur, & panem illis largitur. Episcopi annulos etiam gestant in manibus, quasi vxores Ecclesias accipientes, & arrhabonem ferre dicunt. Ad bellum etiam exeuntes, manus suas sanguine coinquinant, & in conspectu suo animas occidunt, & occiduntur: quemadmodum etiam à nonnullis, qui hoc affirmant, accepimus. Sacrum Baptisma ita peragunt, vt eos, qui baptizantur, vnica mersione baptizent: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, dicentes. Sale etiam præterea eorum, qui baptizantur, ora implent. Malè etiam Apostolicum illud accipientes, quod ait: Modicum fermentum totam massam fermentare; ipsi vero ita scriptum habent: Modicum fermentum totam massam corrumpit: contendentes hac modica hujus verbi occasione tollere fermentum, quod panem sublevat & attollit. Quin imò Sanctorum reliquias illorum nonnulli non venerantur, nec sanctas etiam imagines. Sanctos etiam illos & magnos Patres nostros Basilium & Chrysostomum cum reliquis Sanctis non connumerant, nec illorum doctrinam omnino recipiunt. Alia etiam faciunt multa, quæ singula enumerare esset molestum. *Audi lector, inquit Illustrissimus Cardinalis Baronius, quænam Cerularius obijciat in Latinos? quæ cuncta vel omnino falsa, aut levia, nec observatione digna quisque prudens facile iudicabit, & pene talia esse pleraque, quibus non debeant accusari Latini, sed eiusdem Cerularij imperitia egregie sugillanda, & redarguenda temeritas. Illa vero per calumniam illata portentosa mendacia, quibus Latinos non esse cultores sanctorum reliquiarum, atque eorum imaginum, nec connumerare Basilium, & Chrysostomum, cum aliis Sanctis, quæ portentosius ipse mentitur: quis non intelligat? & quod obijcit de Sacerdotibus præliantibus, æque sentias calumniose prolatum. Non id ex institutione prodiit Occidentalis Ecclesiæ, quæ eiusmodi sæpe improbavit, atque damnavit, sed quorumdam vitio, vt alia quæque peccata, quorum vel cogitatio sola ad tribunal perferri debeat pœnitentiæ. Sed audi quæ sint reliqua eiusdem epistolæ, quibus excusat se, Latinorum accidere vitio, vt cum illis non possit inire concordiam, sancireque pacis fœdera, cum talia agant, quibus sint ab omnibus execrandi. Ait enim.*

Cum itaque hoc pacto vivant, & istiusmodi moribus sint educati, & quæ apertè sint legibus vetita, & interdicta, & execrata, facere audeant; quomodo inter eos, qui orthodoxi sunt, collocandi ab iis, qui rectè sentiunt, judicabuntur? Nunquid equidem id ego crederem? Qui vero istos ita sentientes rectè facere fuerint arbitrati, eandem cum illis sortiantur portionem. Nunquam enim nos ipsos æmulabimur in hac ipsorum concordia & confessione. Nec ita, inquam, mente capti erimus, vel nostro sensu privati, vt hanc sequamur viam. Hæc vero hac de causa voluimus nos percurrere, vt scire valens tua beatitudo, quæ ab istis peragantur, non putet eos circa azyma tantum errare quemadmodum nos etiam hucusque putavimus: sed cum noverit illos præter hæc ipsorum errores, cum illis numeret, cum quibus digni sunt vt connumerentur. Quod vero omnium est gravissimum & intolerabile, & eorum amentiam satis supérque declarat, illud est. Dicunt enim quod non acceperunt hæc tanquam vt ab aliis edocerentur; sed potius vt alios ipsi docerent: sunt etiam, vt persuadeant nobis sequi dogmata. Et hoc inquiunt cum imperij potestate & inverecundia majore. Dominus Deus beatitudinem tuam custodiat incolumem multis annorum curriculis pro nobis Deum orantem.

Sed accipe, quod Petrus Antiochenus Cerulario rescripserit. Extat in eius epistola responsoria apud eundem Baronium. Quid nostra interest, quod illorum Sacerdotes barbam radant? quid etiam quod illi annulos gestent in symbolum contracti cum sancta Dei Ecclesia connubij? Nos etenim etiam coronam in capite gestamus, pro veneratione procul dubio Principis Apostolorum Petri, super quem Dei Ecclesia est superædificata. Quod enim impij illi ad contumeliam illius sancti excogitarunt: hoc nos pie ad gloriam, & honorem ipsius facimus. Romani quidem barbam radentes: nos vero in capite coronam gestantes. Auro etiam exornamur & nos, chirothecas, & manipulos, & stolas auro contextas habemus. Quod vero immundis rebus vescantur, & Monachi carnes comedant, & nidorem suillum: invenies etiam hujusmodi res si diligenter inquiras, à nonnullis nostrorum fieri: Bythinij enim & Thraces, & Lydi comedunt picas, corniculas, & turtures, & terrestres echinos quorum vsum indifferentem Patres nostri reliquerunt. Nulla enim creatura Dei est reprobanda, si cum gratiarum actione sumatur: idque nos docet vas illud sindonis è cœlo demissæ. Inquit enim B. Basilius: sicut in oleribus quod noxium est ab invicem segregamus, ita à carnibus quod noxium est ab vtili distinguimus. Herba enim est aconitum, sicut caro vulturis, nihilominus neque tosciamum comederet aliquis sanus mente, neque carnem canis attingeret absque aliqua magna necessitate vrgente, vt qui comederet non male fecisset. In leguminibus vero & oleribus nidorem suillum immiscere, hoc etiam à sanctis Patribus permissum est & decretum, præsertim illis, apud quos bonum oleum non reperitur. Inquit præterea in sua regula B. Basilius, quod ciborum differentia nihil prodest. Socij præterea S. Pachomij sues alebant.

Quod vero suffocata ipsi comedunt, & duæ sorores duobus fratribus commisceantur, puto hæc fieri absque Papæ permissione, vel ab aliis Pontificibus hæc parvi pendi. Id vero contigit fieri propter eorum audaciam, qui hæc facere non dubitant: qualia etiam in nostro Romano Imperio multa præter leges etiam execranda fieri contigit, quæ nos ignoramus. Invenies siquidem etiam in ipsa Constantinopoli, & extra eam multos, qui sanguinem suillum comedunt. Vide itaque venerabilissime Domine, quomodo nos multa eorum, quæ à nostris perperam fiunt, negligentes, & prætermittentes, diligentius, quam par est, res alienas curiose indagamus, & de illis verba facimus.

Erant & olim & sunt hodie inter Græcos duri quidem Capitones, vel potius Rupicones, *qui simpliciter tanquam prophanum & impium damnabant & proscribendum clamitabant, quidquid apud Latinos diversum à suis moribus & ritibus videbant, quasi totus mundus cum Græcanicis consuetudinibus sese conformare deberet: alij benignius & prudentius agendum censebant; inter quos & Theophylactus Bulgariæ Archiepiscopus, inquit Demetrius Chomatianus, in Responsis ad Constantinum Cabalisam Archiepiscopum Dyrrachij, Tom. 1. Iuris Græcoromani in Responso ad hanc quæstionem:* quo jure censetur consecrata à Latinis azyma profana an sancta?

item

item eorum ministerin servientia vasa, & Sacerdotales amictus, & quid hujusmodi, & an consentaneum sit annulum ab iis gestari. *Isti inquam, quibus & Chomatianus suffragatur; præter sententiam de processione Spiritus sancti, vix quidquam in Latinis absolute damnabant; sed consuetudines eorum; quamvis diversas, tolerandas iudicabant: graviterque obiurgat Theophylactus, (cuius verba Chomatianus exscribit) eos, qui omnes Latinorum consuetudines erroribus annumerabant; quarum alia sunt ex religione*; vt exhibere oscula sacris pavimentis, (non enim sane admittamus Satanicam illam calumniam, Latinos venerationem Imaginum non admittere) aliæ sunt ex dispensatione, quæ cum infirmitate dispensat, forsitan quidem & animæ, omnino autem corporalem; vt Monachos in ægrotationibus sumere carnea, idque sobrie, & revera spiritualiter. Quorum nihil distrahere nos potest nequiquam siquidem judices habeat, sententiam ferentes legibus consentaneam: & nisi longa mihi futura esset oratio, & instar historiæ, antiquorum Patrum mores tibi ostenderem immutabiles in fraternarum animarum acquisitionem cedentes: noverant enim non sibi ipsis placere, sed vnusquisque proximo, in bonum & ædificationem. Verum nunc (heu fastum hydropicum) & quis est proximus meus? & statim decem millia dejiciemus vt nostram impleamus voluntatem.

Subdit Chomatianus de Theophylacto. Deinde graviter insectatur, qui indiscriminatim & impudenter Latinicos mores reprehendunt, eósque maximis & rejiciendis erroribus adscribunt. *Tandem de annuli gestatione Latinis Episcopis vsitata sic apud eundem Chomatianum scribit Theophyl.* Annulum ferre iis quidem, qui secundum spiritum ambulant, spiritualiter accipitur. Quemadmodum enim Christus Ecclesiæ, mundarúmque & virginearum animarum nominatur sponsus: sic qui vbique sunt sanctarum Ecclesiarum præsules, sponsi appellantur, annulo accepto, vt spiritus sigillo. Quod & Salvator in digito, id est, sancto Spiritu, se dæmonia ejicere incredulis dicebat Iudæis, qui eum convitio, quasi Beelzebub haberet, consectabantur. Et prodigum filium reversum aureo annulo exornavit, videlicet hunc faciens spiritalem, pro carnali. At Latinis non spiritualiter, sed carnaliter, neque supramundane sed mundane annuli appellatione accipientibus, studio magno affectatum est annulos gestare, vt pote Ecclesiarum sponsis. Ideóque neque hoc illis notam inurit.

Eidem Chomatiano proposita fuit hæc quæstio. An fiandi sit Episcopo, ingredi Latinorum Ecclesias & ibi adorare, (cum ab eis evocatus fuerit Et an iis,) panem fractum distribuet, cum in sancta & Catholica (*hoc est Græca*) Ecclesia, liturgiæ interfuerint Rigidiotes (*schismatici*) plane abnuebant. Clementiores & molliores hoc responsum cum Chomatiano dabant. Episcopus accersitus in Ecclesias Latinorum sine dubitatione veniet. Sanctarum enim imaginum sunt, & hi cultores, & in suis templis eas erigunt. Et accedentibus iis fractionem prompte largietur, cum in Ecclesia Catholica adeunt. Hujusmodi enim consuetudo potestatem habet paulatim eos omnino contrahendi ad sacros nostros mores, & dogmata. Repletur autem & Italia divinorum Apostolorum & Martyrum templis. Inter quæ summum obtinet locum Romæ inclytum Petri Apostolorum coryphæi templum: In quæ nostrates ingredientes, tam Ecclesiastici ordinis, quam Laïci, vota faciunt ad Deum, & Sanctis, qui in eis coluntur, debitam venerationem & honorem exhibent. Nec præjudicium inde vllum sustinent, cum videlicet in Latinorum sunt templis.

Postea reprehendit Balsamonem, qui in Responsis ad Marcum Patriarcham Alexandrinum, quæ exstant ibidem Tom. 1. Iuris Græcoromani, pro sua, qua in Romanam Ecclesiam, ferebatur insania, vniversim aiebat, nil commercij cum Latinis habendum, sed omnia eorum instituta cum Græcanicis non convenientia, rejicienda. Sed hanc Schismatici capitis sui duritiem, nec contribulibus quidem suis vniversis probare potuit.

Proposuerat Ioann. Episcopo Citrio hanc quæst. Constantinus Cabasila Archiepiscopus Dyrrachij, Orthodoxi Romani (*scribe, schismatici Græci*) *in Latinis Ecclesiis sepeliuntur, decantati à Romanis & Latinis simul: item, Latini morientes, à Romanis & Latinis vna carminibus indistincte celebrantur; censura hoc obnoxium est, an non.*

Respondit Citrius. Scripturæ lectio veteris & novæ, item precationes & musici cantus, & divina templa, venerationésque pretiosæ Crucis & sanctarum imaginum, Latinis sunt nobiscum communia. Non est igitur dissentaneum, neque pietatem vllo modo offendens, Latinos sepeliri in Romanis templis, & vt à Romanis Latinísque Sacerdotibus mortuis funebres Psalmi decantentur, neque enim locus facit mortuos apud Deum rejiciendos: & Latinorum de iis psalmodia non est pagana, sed ex divinis nostra sententia, scripturis. *Et nonnullis interiectis, subiungit Citrius.* Restat igitur esse compossibile Christianorum (*Græcorum*) in Latinis templis sepultorum funus: quandoquidem etiam illic pretiosæ Crucis imaginum, est erectio & veneratio.

Pro Cap. XV.

VT *olim livida & invida Iudæorum pectora Christo hanc quæstionem posuerunt*: quare discipuli Ioannis & Pharisæorum jejunant, tui autem discipuli non jejunant: *ita & Græci schismatici olim & hodie posuerunt & ponunt, Latinis hanc quæstionem*: Quare feria quarta & sexta non jejunatis: licet enim feria sexta à carnibus abstineatis, non abstinetis tamen ab ovis, caseo, lacticiniis, &c. Cur Quadragesimam vernam aliquot diebus serius, quam nos auspicamini? Cur vobis ignota sunt jejunia diei festi sanctorum Apostolorum? cur Natalis Christi? cur obdormitionis Deiparæ Virginis? cur illud, quod Transfigurationis Christi festum antecedit? *quæ omnia ieiunia Græcis vsitata sunt, & quidem adeo, vt multi eorum ante festum Apostolorum & Nativitatis Christi integram Quadragesimam sibi æque ac ante Pascha indicant, & quidem summo rigore, vt vel ex his, quæ subnectam, intelliges.*

Anno Domini 1203. proposuerat Marcus Alexandrinus Theodoro Balsamoni varios casus, (qui exstant Tom. . . Iuris Græcoromani l. 5) inter cæteros etiam hunc. Iejunium solvens carnibus, caseo, & ovo, hoc est, qui carnes, caseum, & ova comedit diebus Merc. & Veneris totius anni, venia dignus, an non?

Respondit Balsamon. Sexagesimus nonus canon sanctorum Apostolorum, ait: Si quis Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, vel Lector, vel Cantor, sanctam Paschæ Quadragesimam non jejunat, vel quartum diem, vel Parasceven, præter quam si propter imbecillitatem corporalem impediatur, deponatur: si sit autem Laicus, segregetur. Qui igitur sine corporali infirmitate violat dies Mercurij & Veneris, punitur juxta canonis hujus tenorem. Quando vero propter imbecillitatem coactus fuerit dissolvere, pisci bus vel oleo moderabitur ægrotationis afflictionem. Carnes enim, vel caseum, aut ovum attingere non fuerit concessum, licet extremam efflet animam, neque in magna quadragena, neque in qualicunque Mercurij aut Veneris die. Sufficit enim ei, qui necessario per aridorum esum magnificare debet dies Mercurij & Veneris, per oleum & pisces morbi acerbitatem mitigare.

Vide severitatem schismatici Balsamonis: Qui tamen excipiat quasdam dies Mercurii & Veneris, vt eas quæ nostram Sexagesimam & has quæ nostram Quinquagesimam antecedunt, vt & illas, quæ in Paschalem hebdomadem coincidunt; in quibus omnibus diebus concedit esum & vsum carnium; quod illud septem Paschalium

dierum

dierum intervallum pro uno reputetur die Dominico, vt ait Balsamon.

Proposuit idem Marcus eidem Balsamoni etiam hanc quæstionem: Iejuna diei festi sanctorum Apostolorum, Natalis Christi, & obdormitionis sanctæ Deiparæ, & Salvatoris, inexcusabilia sunt, an prætermittenda & indifferentia?

Respondit Balsamon: Constantinopolitana quidem sancta Synodus, in diebus sanctiss. illius patriarchæ, * interrogata, an oporteat Augusti mensis jejunium servare; respondit, id jejunium mutatum esse, ne cum paganis jejuniis, quæ eodem tempore fiunt, concurrat: multi tamen homines id jejunium adhuc observant. Nos autem cum ea, quæ ad hoc pertineant, consideraverimus defendimus jejunia necessario præcedere hæc quatuor festa: nimirum festum sanctorum Apostolorum, Natalis Christi, transformationis Christi & Dei nostri, & obdormitionis sanctæ Deiparæ, sed tantum septem dierum. Vnum enim est quadraginta dierum jejunium sancti & magni Paschatis. Quod si quis plus quam septem diebus circa festum sanctorum Apostolorum, & festum Natalis Christi jejunet; seu sponte, seu à fundatoria regula impulsus, non vituperabitur. Quomodo autem, & propter quid ante vnumquodque horum quatuor festorum jejunare debeamus, declaratur Synodali decisione, de eo à nobis facta. Qui igitur non jejunant ante vnumquodque horum quatuor festorum, sine vlla omnino excusatione, magnis emendabuntur pœnis.

Similia ferme scribit Balsamon in scholiis ad interrogationes quorumdam Monachorum, quæ exstant post Nomocanonem Photij; vbi ait, ieiunium in Augusto, cœptum olim primo die Augusti, & illud ante Natalem Domini, decimo quarto die Decembris: vtrumque tamen ipse septem duntaxat diebus circumscripsit.

Sed quidquid isti de suis ieiuniis prædicent, melior est charitas & concordia, quam ieiunatio, nec propter diversitatem ieiuniorum scindenda est Ecclesia, præsertim cum Latinis sua quoque sint ieiunia carni maceranda, & in servitutem redigendæ satis apposita, multique ex Monastice vitæ professoribus frequentia & austeritate ieiuniorum cum Græcis certent, si eos non plane superant. Nec necesse est plura hac de re addere, satis Græcorum iactantiam contundit Caleca noster, si cui tamen hæc non sufficiunt, is adeat Possevini libellum, quo capita in quibus Græci & Rutheni à Latinis dissentiunt, complexus est. Exstat in eius Moscovia.

Pro Cap. XVI. Lib. IV. Calecæ.

V*Tea quæ de ieiunio Sabbati Caleca pro Latinis disputat melius intelliguntur, adscribere placet, quæ hac de re disputat Illustriss. Cardin. Baronius, anno Christi 57. num. 202.* Vetus est illa quæstio, de qua tradit Hieron. ad Lucinium scribens, Hippolytus Martyr, & alij nobiles scriptores commentarios edidêre: Cur Romæ ac nonnullis aliis in locis Occidentalis Ecclesiæ susceptus additúsque his est dies Sabbati jejunandus: cum idem jejunium Orientalis Ecclesia execrata esse videatur ab ipsis rerum Christianarum primordiis? Nam (vt vidimus) Ignatius ad Philippenses scribens, hæc ait: Si quis Dominicam diem, aut Sabbatum, vno excepto, jejunarit, hic Christi interfector est. Rursus etiam est de eadem re Apostolicus dictus canon, in hæc verba: si quis Clericus Dominicum diem, aut Sabbatum vno solo dempto, jejunare deprehendatur, deponitor, sin autem Laïcus, à Communione dejicitor. Eadem & apud Clementem. Est quoque canon quidam, sed suppositus sextæ Synodo, quo etiam ab Ecclesia Romana proscriptum dicitur jejunium Sabbati, sed de impostura illa suo loco fusius dicturi sumus. Cur vero tanti criminis reus constituatur ex sententia Ignatij, qui die Dominico, vel Sabbato jejunasset, diligenter causa pervestiganda est. Par quidem ratio in vtrisque licet ex causa diversa provenit. Nam hæretici, de quibus nuper diximus, qui Christi resurrectionem negabant, cum Christiani ea potissimum die gauderent: ipsi in mœrore eandem diem jejunantes ducebant. Alij verò qui Deum Hebræorum orbis conditorem & legis auctorem malum esse Christúmque ad eum destruendum venisse dicebant: quod ille quievisset die septima, & in ejus honorem Iudæi Sabbatum diem colerent, ipsi in ejus contumeliam eadem die Sabbati jejunabant. Horum origo à Simone Mago semel exorta in Menandrum, Saturninum, Basilidem, Cherinthum, atque Carpocratem est infeliciter propagata: testatur hæc de his omnibus Irænus, sed latius Epiphanius, & alij plures.

Vixerunt omnes hi ejusdem Ignatij temporibus, qui suis scriptis eosdem est insectatus, fidelésque vt ab his caverent, & ne sicut hi, Sabbato ieiunarent, admonuit. Horum impietatis hæres factus est Cerdon, cui Marcion successit, quorum omnium licet essent diversi circa rectam fidem errores, in eam tamen sententiam æque omnes conspirarunt, vt Deum, quem dicebant auctorem mundi, traderent esse malum, & quod ad hanc partem spectabat, in eiusdem Dei contumeliam Sabbato ieiunarent. Nam de Marcione hæc memoriæ prodidit Epiphanius. Sabbatum vero ieiunant ob hanc causam: quoniam Dei, inquiunt, Iudæorum est requies, qui mundum fecit, & in septima die quievit; nos ieiunamus hanc, vt ne officium Dei Iudæorum faciamus. Hæc ex ipsorum verbis recitat Epiphanius de causa eius diei suscepti ieiunij: ex quibus etiam exterorum qui eadem de Deo Hebræorum sentiebant, proditur eiusdem ratio instituti. Vnde & manifesta certáque redditur causa, cur orthodoxi Orientales, penes quos ea prædictorum invalescebat hæresis, à Sabbati ieiunio temperarent; & cur illud Ignatius tantopere execraretur. At in eorum detestationem non tantum illud penes eos introductum fuit, vt diem Sabbati absque ieiunio ducerent, sed etiam vt magna cum hilaritate transigerent, sacrósque conventus perinde ac ipsa die Dominica haberent. Sunt de eiusmodi institutione complura antiquorum testimonia; & vt incipiamus à Clemente cuius nomine inscriptum volumen de constitutionibus Apostolicis è Græcorum profluxisse fontibus, qui accuratè perspexerit, hæc apud ipsum leguntur: Sabbatum & Dominicum, diem festum agimus, quoniam illud naturæ conditæ est monumentum, hic resurrectionis. Vnum autem Sabbatum servandum nobis est in toto anno, quod pertinet ad sepulturam Domini, in quo ieiunare oportet, non festum agere, hæc ibi. Eadem complures alij: nam id Socrates his verbis confirmat: Cum, inquit, festa cuiusque septimanæ occurrebant, videlicet Sabbatum & dies Dominicus, in quibus conventus in Ecclesiis fieri solent, &c. sed longe ante Gregorius Nyssenus in oratione quam habuit adversus eos qui ægrè ferunt reprehensiones, hæc eadem in hunc ferme modum: Quibus oculis vides diem Dominicum, qui despicatus es Sabbatum? An nescis quod hi dies fratres sunt? quod si alterum probro affeceris alterum offendis. Et Anastasius Nicænus: Sabbatum, inquit, & dies Dominicus sunt dies sancti, & festi, neque licet in eis jejunare. Sic igitur cum eam diem hæretici (vt vidimus) contumeliis afficerent, quod Deus Hebræorum, quem malum dicebant, cum mundũ creasset, quievisset; contraria ratione Catholici non Iudaïzantes quidẽ, sed vt Deum patrem omnium, creatorem cœli & terræ, solenni (vt par erat) celebritate venerentur, debitisq; rato Numini obsequiis colerent; in eius honorẽ Sabbatum non secus ac Dominicum diem in Christi redemptoris gloriã, celebrandam esse duxerunt: & sicut nefas ducebant die Dominica ieiunare; ita etiã Sabbatò, quod celebris dies esset, execrandũ plane esse putabant. Sed id pie quidem, religiosèque non autem (vt dictum est) iudaïcè; quod faciebant, vt scribit Eusebius, Ebionæi.

At cum hæc servarentur in Oriente; quænam causa subiit vt in Occidente ac potissimum Romæ fideles Sabbato ieiunarent? Sed quænam à nonnullis allatæ sint causæ, primum omnium in medium afferamus. Augustinus scribens ad Casulanum hæc ait: Est quidem & hæc opinio plurimorum, quamvis perhibeant esse falsam plerique Romani, quod Apostolus Petrus cum Simone Mago die Dominico certaturus propter ipsum magnæ tentationis periculum, pridie cum eiusdem vrbis Ecclesia ieiunaverit, & consueto tam prospero ac glorioso successu, eundem morem tenuerit; eumque imitatæ sunt nonnullæ Occidentales Ecclesiæ, hæc Augustinus; eandêque causam affert Cassianus. Alia rursus causa redditur ab Innocentio Romano Pontifice in ea quam ad Decentiũ Eugubinum Episcopum scribit epistola: Sabbato, inquit, ieiunandum esse ratio evidentissima demonstrat. Nam diem Dominicum ob venerabilem resurrectionem Domini Iesu Christi non solum Pascha celebramus, verum etiam per singulos circulos hebdomadarum ipsius diei imaginem frequentamus. At si sexta feria propter passionem Domini ieiunamus; Sabbatum prætermittere non debemus, quod inter tristitiam atque lætitiam temporis illius videatur inclusum. Nam vtique constat Apostolos biduo isto & in mœrore fuisse, & propter metum Iudæorum se occuluisse: quod vtique non dubium est, in tantum eos jejunasse biduo memorato, vt traditio Ecclesiæ habeat, isto biduo Sacramenta penitus non celebrari: quæ vtique forma per singulas tenenda est hebdomadas, propter id, quod commemoratio diei illius semper est celebranda, hæc Innocentius: quibus non tantum Romanæ Ecclesiæ rationabilis consuetudo probatur, sed & Orientalis Ecclesiæ vsu rituque redditur magis magisque firmata, Nam si prædicta ex causa, quod sublatus est sponsus, Orientales iidem (vt dictum est) Sabbato maioris hebdomadæ ieiunare soliti sunt: quænam adduci ea parte potest ratio diversitatis, si eiusdem hebdomadæ per singulas sequentes cuiusque mensis septimanas (Quinquagesima tantum excepta) eadem jejunia quartæ & sextæ feriæ revolverentur; Sabbati vero nequaquam? Vnde & Innocentius iure subdit: Quod si putant semel atque vno Sabbato jejunandum: ergo & Dominica: & sexta feria semel in Pascha erit vtique celebrandum; Si autem Dominici dies, & sextæ feriæ per singulas hebdomadas reparanda imago est; dementia est, bidui agere consuetudinem, Sabbato prætermisso, cum non disparem habeat causam à sexta videlicet feria, in qua Dominus passus est; & quando ad inferos fuit; vt tertia die resurgens, redderet lætitiam post biduanam tristitiam præcedentem. Non ergo nos negamus sexta feria jejunandum; sed dicimus & Sabbato hoc agendum, qui ambo dies tristitiam Apostolis & his qui Christum secuti sunt, indixerunt huiusquè de ratione jejunij diei Sabbati Innocentius; ex quibus patentis mendacij Socrates redarguitur, dum ait, Romæ in Quadragesima jejunare solitos fideles, Sabbato excepto atque Dominica. Sed sicut ea die jejunare fideles Romæ consueverant; ita nefas ducebant, eam feriare diem, ne quid cum Iudæis hac ex parte commune habere viderentur; satisque Christianæ religioni consultum visum, si (quod testamentum, cæteraque misteria translata essent) mutarent etiam Sabbatum in Dominicam, cum ea potissimum dies tot sanctissque esset cumulata Sacramentis, de qua translatione hæc Tertullianus in Apologetico; Æque si diem solis lætitiæ indulgemus, alia longe ratione quam religione Solis; secundo loco ab eis sumus, qui diem Solis otio & victui decernunt, exorbitantes & ipsi in Iudaico more, quem ignorant.

His sic se habentibus, non est quod quis calumniam facere possit, si in sugillationem prædictarum hæresum, non æque ac Orientalis, Occidentalis Ecclesia feriaret diem Sabbati, sed jejunaret: nam tum quod illæ in ipsorum regionibus obortæ essent hæreses, atque potissimum coaluissent magis necessarium illis eius antidoti remedium videretur, tum etiam quod dum illorum hæresim ea ratione improbasse, alia tamen ex parte Ebionæis favisse ipsa occidentalis Ecclesia visa esset; nam & hi pariter colebant diem Sabbatum atque Dominicum, vt de eis scribit Eusebius. Est de ieiunio Sabbati canon Concilij Eliberini, & alius Agathensis, ac pleraque alia testimonia sanctorum Patrum. Non enim Romana tantum ac eidem propinquæ Ecclesiæ id ipsum de ieiunio Sabbati seruare solitæ erant, sed & remotæ etiam, vt tradit Hieronymus scribens ad Augustinum. In Africa enim apud nonnullas Ecclesias, & inter alias Hipponensem eandem consuetudinem viguisse, ex his quæ Augustinus scribit, satis perspectum habetur. At præter antiquiores illos qui eodem argumento tractationes memoriæ mandauere, quæ & excidisse noscuntur, Hieronymus & Augustinus cum de ea quæstione consulerentur, in eandem pariter conspirantes sententiam; cuiusque Ecclesiæ consuetudinem servandam esse, scripserunt: quod & Ambrosius S. Monicæ eadem quærenti æque respondit. Abundet igitur (quod ait Hieronymus) in his vnaquæque provincia in sensu suo: & præcepta maiorum, leges Apostolicas arbitretur. Ac de ieiunio Sabbati satis.

PRO CAP. XXIII.

G*Ræci semper adscribunt imaginibus nomen eius, quem imago repræsentat; neque vllam vel colunt, vel colendam arbitrantur; cui non sit additum nomen, & latinos adeo aversantur, vt si etiam ipsa Salvatoris nostri imago Latinis literis signata sit, renuant eam colere. Similis fere sensus Ruthenus, de quibus in sua Moscevia Possevinus, Ducem Moscevia alloquens.* Quod Rutheni cui mirantur nos piis imaginibus nomina eorum sanctorum quos repræsentãt, non semper (vt ipsi faciũt) adscribere; scito si nominum illorum adscriptio ideo necessaria est, vt quos sanctos repræsentent, ea ea, sancti illi viri agnoscantur, iam eam haud necessariam esse iis, qui illas agnoscerent: Catholicis autem primo aspectu innotescere Christum crucifixum, Beatissimam virginem & plerasque alias sanctorum imagines, quis dubitet? præterea, si nominis adscriptio necessaria sit, quid illa faciet idiotis legere nescientibus, quales plerique omnes sunt Rutheni, cum potius ipsæmet imagines loco literarum, & scripti, idiotis adhibeantur? Quod si dixeris (vt mihi tui dixere) in ipsa nominis adscriptione virtutem aliquam consistere, tu sapiens es, qui intelligas in nobis eiusmodi nullam, sed in sensu ac viva fide sitam esse vim atque virtutem. Ac tamen non improbamus eorum consuetudinem, qui pietate, non superstitione adducti, nomen imaginibus adscribunt, vt alij (cum quod ignorant, intelligant) ea etiam ratione pias à profanis imaginibus, dignoscant; quod sane crebro Latini quoque catholici faciunt.

PRO CAP. XXIV.

I*Mprobant iidem Græci, & Rutheni, eorumque contribules statuas Christi & sanctorum sive sculptas, sive fusas: tametsi pictas admittant; de quibus idem Possevinus.* Errant, Græci, cum putant, non licere Christi Domini imaginem sculpi, non intelligentes sculptilia à Deo fuisse prohibita, vt pronos ad Idololatriam Iudæorum animos, ab eadem averteret, verba enim hæc, non facies tibi sculptile, ad eos pertinebant, qui idola Beelzebub, Dagon, & aliorum dæmoniorum sic adorabant, vt illis etiam immolarent ac thus offerrent. At vero exoriente Christi luce sic Idololatria depulsa est, vt iam liceat veri Dei & hominis Christi Iesu sanctorumque servorum suorum memoriam omnibus piis modis excitare, & ad mentem revocare. Quin vero si illis verbis sculptas sanctorum imagines existimant prohiberi cur item picturam istarum, quales permultas Rutheni

A

venerantur, non putant prohiberi sequentibus verbis? Neque omnem similitudinem: quæ vel in cœlo desuper, vel in terra deorsum. Cur item D. Nicolai sculptam alicubi habent imaginem, sicut ipsi tua in Russia his oculis vidimus.

ARTICVLI REVOCATI PARISIIS IN DOMO PRÆDICATORVM per F. Ioannem Guidonis, Minoritam, Anno Domini 1318.

B

ISTI sunt articuli revocati, Anno Domini 1318. die 2. Octobris Parisius per fratrem Ioannem Guidon, Ordinis Minorum, in domo Prædicatorum. 1. Item quod generare secundum suam rationem formalem non sit in patre. 2. Item quod generare realiter elicitum sit in divinis. 3. Item quod ad generare sive elicitum, sive inclicitum sit in filio. 4. Item quod generare & generari in divinis accepta notionaliter sunt idem inter se in divinis. 5. Item dicere, quod Pater in divinis non sit formaliter generans aliâ generatione quam illâ qua filius formaliter est genitus.

ARTICVLI DE DIVINA ESSENTIA, VERITATE, ANGELIS, ET ALIIS Fidei capitibus, damnati per R. P. D. Episcopum Parisiensem & Theologiæ magistros, Anno Domini 1340.

C

Isti articuli qui sequuntur, sunt condemnati ab Episcopo Parisiensi & magistris Theologia, regentibus Parisius, Anno Domini 1340. in octavo Epiphaniæ Domini.

PRIMO quod divina essentia in se nec ab homine, nec ab Angelo videbitur. 2. Item quod essentia divina, licet sit eadem in Patre & Filio, & in Spiritu sancto, vt est essentia, tamen vt est forma, sive in ratione formæ, est vna in Patre & Filio, & non vna in Spiritu sancto. 3. Item quod Spiritus sanctus, prout est amor, vel nexus, non procedit à Patre & Filio, sed tantum à Patre. 4. Item quod multæ fuerunt veritates ab æterno, quæ non erunt in cœlo empirico cum Angelis, sed in cœlo crystallino, vel aliquo, quod est supra firmamentum, quod præsumebant dicere de beata Virgine. 6. Item quod primum nunc & creatura non est creatio nec creatura. 7. Item quod Angelus in primo instanti suæ creationis fuit malus & nunquam bonus. 8. Item quod Angelus in eodem instanti potest esse in diversis locis. 9. Item quod qui habebit meliora naturalia, habebit de necessitate meliorem minorem gratiam & gloriam. 10. Item quod diabolus nunquam habuit vnde stare posset. 11. Item nec Adam in statu innocentiæ.

D

E

CONSTITVTIONVM CELEBERRIMÆ ARTIVM Facultatis Parisiensis, Professoribus & Magistris observandarum, Capita edita. Anno Domini 1344.

F

Isti articuli, qui sequuntur, fuerunt condemnati in facultate artium Parisius, Anno millesimo, trecentesimo quadragesimo quarto, in festo Nativitatis Domini.

QVOD nullus magister Baccalaureus, vel scolaris in artium facultate legens Parisius, audeat aliquam propositionem famosam illius auctoris, cuius librum legit, dicere simpliciter esse falsam de virtute sermonis: sed crediderat quod auctor, licet ponendo illam habuit verum intellectum: sed vel concedat eam, vel sensum verum distinguat à sensu falso. Causa huius est, quia pari ratione propositiones Bibliæ absoluto sermone erunt negandæ, quod est periculosum; & quia sermo non habet veritatem, nisi ex impositione, & vsu communi accipitur vel aliorum. Ideo talis est virtus sermonis, qualiter eo communiter auctores vtuntur, & qualem exigit materia. Cum sermones sint inquirendi secundum rem subiectam. 2. Item quod non dicat simpliciter, vel de virtute sermonis omnem propositionem esse falsam, quæ esset falsa secundum suppositionem personalem terminorum. Eo quod iste error ducit ad errorem priorem. Auctores enim sæpe vtuntur aliis propositionibus suppositionis. 3. Item quod non dicat, quod nulla propositio distinguenda sit: quoniam hoc ducit ad prædictos errores. Et quia si discipulus vnum sensum propositionis accipit, & doctor alium intellexerit, discipulos false informabitur, donec propositio distinguatur. Similiter si opponens vnum sensum intelligat, respondens alium recipiat disputatio erit ad tantum si nulla fiat distinctio. 4. Item quod nullus dicat novam propositionem nullam esse concedendam, si non sit vera in eius sensu proprio: quia hoc dicere ducit ad errores Prædictos. Quia Biblia & auctores non semper vtuntur sermonibus secundum proprios sensus ipsorum. Magis enim oportet in affirmando vel negando sermones ad materiam subiectam attendere, quam ad proprietatem sermonis. Disputatio namque ad proprietatem sermonis attendens, & nullam recipiens propositionem, præterquam in sensu proprio non est disputatio, nisi sophistica. Disputationes doctrinales & dialecticæ, quæ inquisitionem veritatis attendunt, modicam habent de nominibus sollicitudinem. 5. Item quod nullus dicat scientiam novam esse de rebus, quæ non sunt signa, & quæ non sunt termini, vel orationes. Quoniam in sanctis vtimur terminis pro rebus, quas nobiscum portare non possumus ad disputationes. Ideo scientiam habemus de rebus licet mediantibus terminis vel orationibus. 6 Item quod nullus asserat simpliciter absque oratione vel distinctione istas propositiones vel consimiles, quod Sortes, vel Plato, vel Deus & creatura nihil sunt: quia ista verba primâ facie male sonant. Quia talis propositio sensum vnum habet falsum, videlicet, si negatio in hac dictione nihil impleat, intelligetur eandem cadere supra ens singulariter, sed & supra entia pluraliter.

G

H

ERRORES

ERRORES IOANNIS DE MERCVRIA, Ordinis Cisterciensis.

ARTICVLI *condemnati per magistros Parisienses, anno Domini 1347. & prohibiti omnibus Baccalaureis legentibus, qui legunt, vel legerunt sententias, sub pœna privationis ab omni honore facultatis: quorum articulorum aliqui reputantur erronei, aliqui suspecti, aut male sonantes in fide.*

1. Item quod satis erat possibile, quod per voluntatem aut volitionem creatam Christus aliquid voluit quod nunquam debuit evenire. 2. Item quod Christus potuit dixisse falsum, & asseruisse assertione creata, tam vocali quam mentali. 3. Item qualitercumque vult Deus, vult efficaciter ita esse. 4. Item quod Deus facit quod aliquis peccet, & quod sit peccator, & vult voluntate beneplaciti, quod ille sit peccator. 5. Item quod nullus peccat volendo aliqualiter aliter quod Deus velit eum velle. 6. Item quod Deus aliquid reprobat, quod ipse vult voluntate beneplaciti. 7. Item quod quemlibet peccantem Deus vult peccare voluntate beneplaciti, & facit eum peccare, & vult, quod peccet. 8. Item quod Deus facit malum esse, & peccatum esse. 9. Item quod peccatum magis est bonum: quam malum. 10. Item quod aliquis faciat aliquid omnino, vt Deus vult ipsum facere voluntate beneplaciti, quod talis peccet. 11. Item quod quicumque peccat, conformat voluntatem suam voluntati beneplaciti Dei, sic quod illa vult, sicut Deus vult eum velle. 12. Item quod possibile est Christum secundum voluntatem creatam errasse, & secundum hominem mendacium protulisse. 13. Item quod posset dici, quod anima Christi vnita verbo saltem per accidens posset odire Deum, vel respuere sive detestari. 14. Item quod si aliquis habens vsum liberi arbitrij, incidens in tentationem tantam, quod non possit illi resistere, moveatur ad illecebram cum aliena vxore, non committit adulterium. Et sic de aliis peccatis. 15. Item quod aliqua est possibilis passio, cui voluntas etiam habitâ gratiâ quacumque, sine miraculo non posset resistere, quin eliceret actum secundum illam, & talis actus non est peccatum. 16. Item quod non est peior demeritorie in casu, qui vitiosum habet habitum demeritorium cum actu, quam qui habet consimilem habitum sine actu. 17. Item quod non est peior moraliter, qui vitiosum habet habitum & actum, quam qui habitum eiusdem rationis habet sine actu. 18. Item quod non est melior meritorie, qui habet habitum meritorium & actum, quam qui habet consimilem habitum sine actu. 19. Item quod malus quacumque malitiâ actuali & habituali æqualibus ad invicem non est peior ex actuali simul, quam ex actuali tantum, vel ex habituali tantum. 20. Item quod bonus quacumque bonitate actuali & habituali ad invicem æqualibus, non est magis bonus ex vtraque, quam ex habituali tantum. 21. Item quod nulla creatura, aut nulla circunstantia rei bona, diminuit peccatum, quin sit tantum, quantum foret sine illa cæteris paribus. 22. Item quod peccatum post longam consuetudinem commissum est minus quam foret ante consuetudinem. 23. Item quod odium Proximi non est demeritorium, nisi quia prohibitum à Deo. 24. Item quod probabiliter posset sustineri cognitionem vel volitionem non esse distinctam ab anima, imo est ipsa anima. Et sic sustinens non teneretur nec cogeretur negare propositionem per se notam, nec negare auctoritatem admittendam. 25. Item quod probabile est in lumine naturali non esse accidentia, sed omnem rem esse substantiam; & quod vbi non esset fides, hoc esset ponendum, vel probabiliter posset poni. 26. Item quod non est evidens evidentiâ reductâ ad certitudinem primi principij, quin quodcumque quod est, posset produci nobilius. 27. Item quod tenentes, vt communiter tenetur, quod intentio, volitio, sensatio sint qualitates subiectivæ existentes in anima, quas potest Deus creare se solo, & ponere vbi vult, habent concedere & dicere, quod Deus potest facere se solo quod anima odiret proximum & Deum non demeritoriè. 28. Item quod Deus est causa aliqualiter actus demeritorij, vt demeritorius est. 29. Item quod Deus est causa peccati vt peccatum est, & mali inquantum malum est. 30. Item quod quandocumque voluntas causat aliquid, causat taliter in virtute primæ causæ. 31. Item quod Deus est causa maxima & immediata privationis iustitiæ in actu esse. 32. Item quod Deus est actio & causa peccati, vt peccatum. 33. Item quod Deus est causa cuiuslibet modi actus, & cuiuslibet circunstantiæ productæ. 34. Item quod à Deo est quod actus demeritorius sit, in quantum demeritorius est. 35. Item quod quacumque creatura demonstrata, hæc, est vera. Hæc Chimera intelligitur, hæc Chimera potest intelligi. 36. Item quod quacumque creatura demonstrata, hæc est vera. Hæc res maior Deo potest cogitari. 37. Item quod propter opera alicuius futura bona, Deus prædestinavit aliquem ab æterno. 38. Item quod aliquis prædestinatus est ab æterno propter bonum vsum liberi arbitrij, quem Deus præscivit eum habiturum. 39. Item quod non sic gratis & misericorditer Deus prædestinavit, quin & pro omnibus bonis ipsius futuris vel alterius.

PROPOSITIONES M. NIC. DE VLTRICVRIA, ROMÆ PRIMVM DAMNATÆ; DEIN PVBLICE, per eum, in Vniversitate Parisiensi revocatæ, Anno Domini 1348.

Hi sequentes articuli fuerunt in Romana curia condemnati, & per magistrum Nicolaum supradictum publice in Vniversitate Parisiensi revocati.

DIXI quod multa venerunt ad animam, ex quibus perpendi seu iudicavi bonum esse simpliciter scribere istum tractatum, & quod vlterior dilatio displicebat Deo, revoco tanquam præsumptuosum, suspectum & periculosum.

1. Item quod de rebus per apparentia naturalia; quasi nulla certitudo haberi potest, illa tamen modica potest in brevi tempore haberi si homines intellectum suum convertant ad res non ad intellectum Aristotelis & commentatoris. Revoco tanquam falsum & erroneum. 2. Item quod non potest evidenter evidentiâ prædictâ ex vna re inferri seu concludi alia res, vel ex non esse vnius, non esse alterius, revoco tanquam falsum erroneum, & suspectum. 3. Item quod illæ propositiones, Deus est, Deus non est, penitus idem signi-

ficant, licet alio & alio modo. Revoco tanquam falsum. 4. Item quod dixi & scripsi, quod hæc propositio, homo est animal, non est secundum fidem necessaria, non attendens pro nunc necessitatem connexitatem prædictorum terminorum. Revoco tanquam falsum. 5. Item quod dixi, proh dolor, in principio primo, quando legi sententias, & in epistola secunda & sexta, quas scripsi contra Bonifacium, quod ex eo quod vna res est, non potest evidenter evidentia ducta ex primo principio inferri, quod alia res. Revoco tanquam falsum. 6. Item dixi in locis prædictis, quod ex eo quod vna res est, non potest inferri evidenter, quod alia res non sit. Revoco tanquam falsum & erroneum. 7. Item ex eo quod vna res non est, non potest evidenter inferri evidentia ducta ex primo principio, quod alia non sit. Revoco tanquam falsum. 8. Item ex eo quod vna res non est, non potest evidenter inferri quod alia res sit. Revoco tanquam falsum. 9. Item dixi in epistola tertia ad Bonifacium, quod certitudo evidentiæ non habet gradus. Revoco tanquam falsum. 10. Item in eadem epistola, quod de substantia materiali aliá ab anima nostra, non habemus certitudinem evidentiæ. Revoco tanquam falsum. 11. Item in eadem epistola quod excepta certitudine certitudo, nisi primi principij, vel quæ in primum fidei, non est alia, principium potest reduci vel resolui. Revoco tanquam falsum. 12. Item in epistola quarta ad Bonifacium, quod hæc consequentia a, e', i, prius non fuit, igitur alia res ab a, est evidens evidentia deducta ex primo principio. Revoco tanquam falsum & hæreticum. 13. Item epistola quinta ad Bonifacium, quod hæc consequentia non est evidens evidentia deducta ex primo principio: Ignis est approximatus stupæ, & nullum est impedimentum, igitur stupa comburetur. Revoco tanquam falsum. 14. Item in eadem epistola, quod non scimus evidenter, quod aliqua causa causet efficaciter quod non sit Deus: Revoco tanquam falsum. 15. Item in eadem epistola quod non scimus evidenter quod aliquis sit vel esse possit effectus naturaliter productus. Revoco tanquam falsum. 16. Item eadem epistolâ, quod quibuscunque acceptis, quæ possunt esse causa alicuius effectus, non scimus evidenter quod ad positionem eorum sequatur effectus positivus. Revoco tanquam falsum. 17. Item quod nescimus evidenter, quod in aliqua productione concurrat subiectum. Revoco tanquam falsum, hæreticum, erroneum. 18. Item epistolâ prædictâ, quod nulla potest esse simpliciter demonstratio, qua ex existentia causatum demonstretur existentia effectus. Revoco tanquam falsum, hæreticum & erroneum. 19. Item epistola prædicta, quod non est nobis evidenter notum quod possit fieri aliqua demonstratio à priori realiter differenti. Revoco tanquam falsum. 20. Item quod non potest evidenter ostendi nobilitas vnius rei super aliam rem. Revoco tanquam falsum. 21. Item in prædicta epistola, quod quacunque re demonstratâ, nullus scit evidenter, quin excedat in nobilitate omnes alias res. Revoco. 22. Item quacumque re demonstratâ, nullus scit evidenter, quin ille sit Deus, si per Deum intelligamus ens nobilissimum. Revoco tanquam falsum. 23. Item eadem epistola quod aliquis nescit evidenter, quod vna res sit filius alterius. Revoco tanquam falsum, erroneum, & hæreticum. 24. Item eadem epistola in qualibet re ostensa nullus scit evidenter quin ipse eidem debeat imponere honorem maximum. Revoco. 25. Item epistola prædicta, quod aliquis nescit evidenter, quin ista rationabiliter posset concedi, si aliqua res est, Deus est productus. Revoco tanquam falsum & erroneum. 26. Item dixi in vico straminum, quod non potest evidenter ostendi, quin qualibet res sit æterna. Revoco tanquam falsum. 27. Item epistola sexta ad Bernardum, dixi quod patre demonstrato, non potest evidenter ostendi, quin ibi sit aliqua res, quæ non sit accedens ita in instrumento revocationis. Revoco tanquam falsum. 28. Item dixi epistola septima, quod potest dici sine contradictione ad quam quis posset duci, quod omnis res de mundo est producta. Revoco tanquam falsum, erroneum, hæreticum & blasphemum. 29. Item epistula eadem dixi, quod ista consequentia non est evidens, a est productum, igitur aliquis producens est a, vel fuit. Revoco tanquam falsum. 30. Item epistula nona ad Bernardum dixi quod istæ consequentiæ non sunt evidentes, actus intelligendi est, igitur intellectus est, Actus volendi est, igitur voluntas est. Revoco tanquam falsum. 31. Item dixi semel in vico straminum, quod non potest evidenter ostendi quin omnia, quæ apparent, sint vera. Revoco tanquam falsum. 32. Item dixi in quadam disputatione quod Deus & creatura non sunt aliquid. Revoco tanquam falsum. 33. Item dixi in quadam disputatione, quod contradictoria adinvicem significant idem. Revoco tanquam falsum. 34. Item dixi quod vidi in dictis Aristotelis & commentatoris quæstiones mille determinatas, contra quas non inveni rationes demonstrativas, sed mihi bene occurrunt aliquæ, per quas videbatur mihi, quod ita possent teneri rationes oppositæ, sicut propositæ ab eis. Quas tamen dixi non esse determinatas & oppositas: sed solum probabiles. Istum articulum assero falsum, & revoco sicut iacet. 35. Item quod cum notitia, quæ potes haberi secundum apparentia naturalia, posset in modico tempore multum admirari, quod aliqui student in Aristotele & Commentatore, & vsque ad ætatem decrepitam & propter eorum sermones logicos, deserant res morales, & causam boni communis, intantum quod nunc exsurrexit amicus veritatis, scilicet ipsemet, & fecit sonare tubam suam, vt dormientes à somno excitaret. Contristati sunt valde, & quasi armati ad capitale bellum contra eum irruerunt. Istum articulum reputo falsum & præsumptuosum. 36. Item quod res absolutè permanentes, & quibus dicitur communiter, quod generantur & corrumpuntur, sunt æternæ, sive sint substantiæ, sive accidentia. Revoco & assero, tanquam falsum, hæreticum & erroneum. 37. Item quod in rebus naturalibus non est nisi motus localis disgregationis & congregationis. Ita quod quando ad talem motum sequitur congregatio corporum atomalium naturalium, colliguntur ad invicem, & sortiuntur naturam vnius suppositi, dicitur generatio: quando segregantur, dicitur corruptio. Et quando per motum localem atomalio cum aliquo supposito, quæ sunt talia quod nec adventus eorum videtur facere ad motum suppositi, vel ad id quod dicitur operatio naturalis eius, tunc dicitur alteratio. Istum articulum assero hæreticum, & reputo falsum. 38. Item quod lumen nihil aliud est, quam quædam corpora, quæ nata sint sequi motum solis, vel alterius corporis luminosi, ita quod fit per motum localem talium corporum advenientium ad præsentiam corporis luminosi. Et si dicatur, quod non fit per motum localem: quia in instanti fit. Respondetur quod imo fit in tempore, sicut sonus, licet non percipiamus, quia fit subito. Istum articulum reputo falsum. 39. Item quod vniversum est perfectissimum secundum se, & secundum omnes suas partes. Et quod nulla potest esse imperfectio, nec in toto nec in partibus: Propter hoc oportet totum & partes esse æternas, nec transire de non esse ad esse: nec è converso. Quia ad illud sequeretur necessario in vniverso, vel in partibus eius imperfectio. Istum articulum revoco tanquam falsum. 40. Item quod quicquid est in vniverso, melius est ipsum, quam non ipsum. Istum articulum reputo & assero falsum & erroneum. 41. Item quod duæ albedines, aut quæcumque duo individua eiusdem speciei conveniunt ad sensum vel intellectum, vt eadem res sunt omnino eadem, nec debet eis negari aliquis gradus indemnitatis quantumcumque sint in diversis subiectis vel suppositis. Reputo falsum & erroneum. 42. Item quod præmiatio bonorum & punitio ma-

lorum

lorum per hoc fit, quod quando corpora atomalia segregantur, remanent quidam spiritus qui dicuntur, vnus intellectus, & alius sensus. Et isti spiritus sicut in bono se habebant in optima dispositione: sic se habebunt infinities secundum quod illa iudicia infinities congregabuntur. Et sic in hoc bonus præmiabitur: malus autem punietur: quia infinities quando iterabitur congregatio suorum atomalium habebit semper suam malam dispositionem, vel potest aliter poni, quod illi duo spiritus bonorum, quando dicuntur corrumpi supposita eorum, fiunt alteri supposito constituto ex atomis perfectioribus. Et quod tale suppositum sit minoris perfectionis, idcirco intelligibilia magis quam prius remeant ad nos. Istum articulum assero falsum & erroneum. 43. Item quod omne corruptibile includit in se repugnantiam & contradictionem. Reputo falsum, erroneum & hæreticum. 44. Item quod isti conclusioni: Res permanentis naturæ sunt æternæ, magis est assentiendum quam oppositæ. Et si aliquis dicat eum negare fidem, ex hoc non ostenditur, vel ostendunt quod hoc non possunt dicere, nisi mentiendo. Istum articulum reputo falsum. 45. Item quod actus animæ nostræ sunt æterni: quod aliquando intelligamus, aliquando non, hoc pro tanto est, quia per motum spiritualem redditur aliqua ratio intelligibilis, cum coniunguntur aliqua circa sensum, sicut dicit in rebus permanentibus mutabilibus. Nihil est novum de novo in esse positum. Cum aliqua res est aliquando præsens alicui per motum localem, primo non erat præsens. Istum articulum assero falsum, & reputo hæreticum. 46. Item quod supposita redibunt eadem numero per reditum corporum cœlestium ad eundem situm. Istum articulum assero falsum. 47. Item quod eadem intellectio, quæ nunc est præsens mihi, erit postea præsens alteri supposito. Istum articulum reputo falsum. 48. Item quod potentiæ nihil recipiunt ab obiectis, sed præsentem obiecto, & aliis concurrentibus ad operationem potentiæ aliqua realitas efficitur præsens animæ, quæ prius non erat præsens. Attamen erat alteri præsens, nec fit præsens. Vt sic per resolutionem corporum atomalium, vt dicit: sed quendam motum spiritualem iuxta gratiam. Istum articulum revoco & assero falsum in se, & in ordine ad præcedentem hæresim sapientem, 49. Item sicut vilia tendunt ad centrum & ad terram propter vnigenitatem, quia sunt similia. Ignis autem & corpora alia nobilia ad sibi similia: ita videtur quod ad animas nobiles veniant exemplaria nobilia, & ad viles vilia, & quæ sunt de terra, terrea loquuntur. Vnde talis adventus exemplaris nobilium, vel vilium videtur attestari perfectioni vel imperfectioni animarum: quia talia exemplaria, vt sic non veniunt, nisi propter vnigenitatem. Istum articulum reprobo, & reputo falsum. 50. Item quod si non ponant generationem, non ponent subiectum, sed solum ordinem ipsius causæ post non esse. Puta hoc ens est & prius non fuit, vel si aliquid motum intelligeret, hoc esset respectus fundatus in ente, nec sub alio intellectu concederet conclusionem oppositam philosophorum, ex nihilo, nihil fit. Istum articulum reputo falsum. 51. Item quod desiderium naturale non est frustra. Ideo quicquid desideramus, aliquando adipiscemur. Vnde quicunque cupit ire ad nostram dominam, aliquando ibit. Articulum reputo falsum, erroneum & hæreticum. 52. Item anno trecentesimo, quo fecit istum tractatum, fecit proclamari; quod legeret librum politicæ Aristotelis, sub hac forma, quod quicumque voluerit audire librum politicorum Aristotelis vna cum quibusdam quæstionibus, in quibus disputatur de iusto & iniusto, per quas poterit novas leges condere, conditas, si quæ sunt corrigenda, corrigere, veniat ad talem locum, & inveniet magistrum Nicolaum de Vitricuria, qui docebit omnia ista in dicta lectura. In quadam quæstione determinasse videtur, quod in aliquo casu furtum sit licitum, & exemplificat in casu, qui sequitur. Ponatur quod aliquis iuvenis bene natus, inveniat aliquem, qui in brevi valeat eum instruere in omni scientia speculatiua, quæ potest haberi de rebus creatis, & non velit facere, nisi ille iuvenis det centum libras, quas ille iuvenis non potest habere, nisi per furtum, dixi quod in hoc casu furtum erat licitum illi iuveni. Quod probatur sic: Quod est amabile Deo, illud est faciendum: sed quod ille iuvenis acquirat scientiam perfectam est amabile Deo, & non potest per alium modum, vt dictum est, nisi per furtum. Igitur furtum est faciendum. Istum articulum reputo & assero fatuum, quoad præconisationem: hæreticum quoad determinationem: falsum quoad probationem. 53. Item quod hoc est principium primum, & non aliud: si aliquid est. Istum articulum assero falsum. 54. Item quod Deus & creatura non sunt aliquid falsum & scandalosum provt verba sonant. 55. Item significabile complexe per istud complexum, Deus & creatura distinguuntur, nihil est, assero falsum & scandalosum. 56. Item quod est transitus de contradictorio in contradictorium sine mutatione reali cuiuscumque intrinsece. Istum articulum reputo falsum. 57. Item quod quæcumque distinguuntur summe distinguuntur & æqualiter distinguuntur. Istum articulum reputo falsum. 58. Item quod Deus potest præcipere creaturæ rationabiliter, vt habeat ipsum odio, & ipsa obediens plus meretur, quam si ipsum diligeret ex præcepto: quoniam hoc faceret cum maiori conatu, & magis contra propriam inclinationem. Istum articulum assero falsum. 59. Item si aliquis velit conformare voluntatem suam voluntati divinæ, sequitur necessario altera pars illius definitivæ, vel quod Deus eum instrueret de omnibus necessariis & concernentibus salutem suam, ita quod errare non posset, vel quod non erraret: & si erraret in quocumque actu suo, ille error non esset sibi imputatus nec peccatum: imo mereretur in actu consequenti talem errorem imo plus, vel tantum quantum eliciendo actum oppositum sequendo indicium rationis: istum articulum assero falsum, & reputo erroneum, provt iacet. 60. Item quod in principio primo suo tenuisse dicitur, quod quilibet tenetur plus diligere meliorem proximum se quam seipsum. Istum articulum reputo falsum 61. Item quod magister Nicolaus de Vltricuria prædictus, dicere debeat alte & intelligibiliter, quod propter istos articulos & propositiones per eum revocatas, ac multos alios articulos falsos & hæreticos huius epistolæ & libelli combusti fuerunt; in scriptis, revocare debeat publice, solemniter, expresse propositiones per eum coram nobis revocatas, alios articulos à prædictis asserendo aliquos falsos, aliquos præsumptuosos; Etiam & quod debeat iurare in præsentia nostra ad sancta Dei Evangelia, quod nunquam tenebit aut docebit etiam clam vel palam, & repræsentabit se Cancellario Parisiensi & Vniversitati magistrorum & Scholarium Parisius studentium & etiam Regentium.

CONCLVSIONVM QVARVMDAM ET COROLARIORVM

Revocatio, facta per Simonem Anno Domini 1351.

QVIA ego Simon in respondendo in vesperis exponendo vel declarando terminos quæstionis dixi, hoc nomen, IESVS, dictum est de Deo accidentaliter, & ex parte significat filium Dei qui assumpsit naturam humanam, ponendo conclusiones, posui pro prima conclusione, quod hæc propositio est possibilis, IESVS non est Deus. Probavi ex eo quod humanitate assumptâ, per possibile deposita, Iesus non est Deus. Et intuli quod hæc est possibilis, Iesus potest non esse Deus.

Secundo quod Iesus potest esse, & non esse Iesus. Expositionem & significationem huius nominis Iesus reputo insufficientem, & falsificantem conclusionem & correlarium. Posito namque quod significat hæc oratio, Filius Dei, qui assumpsit naturam humanam, non est Deus.

3. Item posita eadem hæc: Iesus potest esse, & non esse Deus, est falsa, sicut illa, filius Dei, qui assumpsit naturam humanam, potest esse, & non esse filius Dei, qui assumpsit naturam humanam. Hanc conclusionem reputo sicut hæreticam, stante dicta positione.

4. Item post secundam conclusionem intuli primum correlarium, quod Iesus non potest esse non Deus, secundum, quod Iesus non potest definite Deus, correlaria non fuerunt ponenda sine distinctionibus. Ita expono ea, & dico, quod si terminus subiectus Iesus stat pro simplici persona, quæ dicitur Iesus, correlaria sunt catholice tenenda: Si vero idem terminus Iesus pro vno Christo ex persona verbi & humanitate constituto, videlicet pro implicito, quod significat, & pro quo stat in dicto primæ conclusionis, & in dicto primi correlarij ex conclusione primâ illati, ipsa correlaria non sunt catholica, sed falsa: nec etiam stant cum conclusione prima, nec cum correlario primo ex conclusione prima illata.

5. Item posui conclusionem secundam, quod nulla res quæ est Deus, potest non esse Deus. Et intuli correlarium tertium, quod nulla res est aut potest esse, quæ modò non sit Deus, & aliquando possit esse Deus. Correlarium quoque quartum, quod nulla res est, aut esse potest quæ possit incipere esse Deus. Conclusionem sic vniuersaliter intellectam, quod terminus subiectus distribuebatur pro re, quæ per communicationem idiomatum est, vel potest esse Deus. Revoco sicut falsam & hæreticam. Correlaria etiam tali vniuersitate intellecta reputo sicut falsa, erronea & hæretica.

6. Item posui conclusionem tertiam, quod Deus potest aliqualiter se habere, qualiter se non habet, ac etiam esse aliqualis, qualis non est. Et ad probandum hoc induxi pro exemplo, quod Deus pater potest esse homo, & non esse homo. Conclusio, vt posita fuit, non bene sonat in eo quod ratione relatiui reciproci sonat, quod substantiæ Dei de novo possit advenire habitudo, aut qualitas realis. Et ideo intellectus quem habui, fuit exprimendus in his verbis: aliqua creatura se potest habere aliqualiter ad Deum, qualiter non se habet. Exemplum etiam ad conclusionem convenit: quoniam adhuc posito, quod Deus pater potest esse homo, & non esse homo, proprie sequitur quod Deus potest esse aliquid, quod non est: sicut ex decretali arguitur, extra de hæreticis: Cum Christus. Et non sequitur proprie quod Deus Pater possit esse aliqualis, qualis non est, aut aliqualiter se habere qualiter se non habet Ex conclusione tertia intuli tertium correlarium, quod quamvis Iesus fuerit ab æterno semper patri coæqualis, tamen aliquãdo fuit Deus, quando non fuit Iesus. Istud correlarium aliquando Deus erat Deus, quando non erat Deus, male sonat & erronee. Item ex conclusione quarta intuli quartum correlarium, quod incipiebat esse aliquid. Istud correlarium provt in distinctione positum fuit, revoco, sicut erroneum & hæreticum; quoniam filius Dei, quando incipiebat esse filius Virginis, incipiebat esse aliquid secundum quod homo, & incipiebat esse aliquid, quod prius non erat. Ex conclusione quarta intuli vltimum correlarium, quod nunquam hic homo, vllo demonstrato qui est Christus, fiebat Christus. Et probavi ex eo quod nec purus homo fiebat Christus, nec homo Christus fiebat Christus. Correlarium istud provt indistinctè fuit positum revoco sicut falsum & erroneum, quando in sensu, quo homo demonstratus staret pro filio Dei, concedendum esset, quod aliquando hic homo fiebat Christus: quoniam filius Dei, qui nunc est homo, aliquando fiebat homo, dicente Evangelio: Verbum caro factum est, & cæt.

FORMVLA REVOCATIONIS QVORVMDAM ERRORVM,

Facta Parisiis Per F. Guidonem, Ordinis Eremitarum S. Augustini, Anno Domini 1354.

Forma & modus revocationis facta Parisius per fratrem Guidonem, ordinis Heremitarum S. Augustini actu legentis Parisius sententias in scholis dicti ordinis 1354. decimo quinto die mensis May.

ET hoc anno legendo & respondendo, ambulavi in magnis & mirabilibus super me, verbum veritatis non rectè tractando, sed verbis contendendo profanis & vaniloquiis, quæ ad impietatem provocant & audientium subversionem. Ex quibus factus sum occasio scandali in sanctissima facultate & ordine meo. Quod mihi displicet bono corde. Ideirco iuxta piam & sanctam ordinationem domini Cancellarij Parisiensis, ac cæterorum magistrorum reverendorum Theologicæ facultatis: quorum correctioni & ordinationi me submisi, & submitto, dicta mea & scripta volo revocare, & intentionem meam ostendere bonam, non obstantibus dictis & scriptis in forma quæ sequitur. Et licet domini & magistri reverendi istas conclusiones, posuerim, non est intentionis meæ, nec vnquam fuerit, per Dei gratiam, eas sustinere pertinaciter.

REVOCATIO FACTA PARISIVS Anno Domini 1354.

PRimo dixi istam conclusionem, charitas, quæ semel labitur, vel deperditur, nunquam fuit vera charitas. Et tam probavi contra Baccalarium beatæ

Mariæ

Mariæ de Monte-Carmelo. Hanc revoco tanquam falsam & hæreticam, & etiam quæ enervet effectum Sacramentorum, scilicet Baptismi & Pœnitentiæ; & etiam contra decretum Ecclesiæ in capitulo fideli, extra de summa Trinitate & Fide Catholica, in Clement. etiam tanquam seipsam intermentem. Quod enim nullo modo vere est, deseri non potest, vt ait Gratianus, & præsumptuose positum esse, quia eam dixi valde probabilem, & tamen est contra conclusionem & Doctorum opinionem, scilicet Magistri sententiarum, & plurium aliorum. Si quæ vero auctoritates Augustini vel aliorum videantur ad oppositum, intelligendæ sunt de charitate finali, quæ manet in patria, de qua loquitur Apostolus, Corinth. 13. Charitas nunquam excidit: Vel intelligendum est de charitate secundum efficaciam, vt magistermet videtur glossare.

Secundo ex hoc intuli, quod præscitus existens in charitate non potest mereri, vel elicere actum meritorium vitæ juxta scalam vitæ nostræ. Reputo falsum & contumeliosum.

Tertio dixi contra Bacchalarium Prædicatorum conferendo cum ipso, quod homo meretur vitam æternam de condigno, id est, quod si non daretur, ei fieret injuria. Et scripsi quod Deus faceret sibi injuriam, & hanc probavi. Istam revoco, tanquam falsam, hæreticam & blasphemam, & mihi contradicentem in conclusione infra recitanda, quæ dicit: totum est à Deo, ita quod nihil a volontate.

Quarto dixi in disputatione, respondendo de quolibet, quod si nullum esset liberum arbitrium, adhuc esset peccatum. Quod scripsi in hac forma, pono vnum probabile, scilicet, si nullum esset intentum vel volitum, ad hoc esset peccatum tanti mali vel meriti. Probatio fuit, quia imaginato quod nullum esset arbitrium, adhuc esset in Dei contuitu malum. Hanc revoco, tanquam falsam, manifeste erroneam & hæreticam, scandalosam & blasphemam.

Quinto dixi quod bonum meritum est à Deo, ita quod nihil est à volontate, quam in hac forma scripsi, Tanti meriti est ex quanto beneplaciti intenti vel voliti, non ex quanto. Hanc revoco, tanquam falsam, scandalosam, & in fide suspectam, & mihi contradicentem in tertia propositione superius revocata.

Sexto dixi, quod Deus potest aliquem necessitare, præveniendo voluntatem ad bonum actum, quam scripsi in hac forma: Deus quandoque prævenit ita voluntatem puri viatoris, quod non potest in non actû meritorium. Probavi sic: Aliter sequeretur quod homo posset mutare divinum propositum. Secundo quod non posset facere hominem mendacem. Alia sententia probabilis est ista, quod Deus potest aliquem necessitare ad bonum actum præveniendo. Hæc sustineri potest: Probationem tamen adduxi ad hanc scandalosam & in fide suspectam.

Septimo dixi, quod est dare plures vnitates, quæ non faciunt numerum. Quod revoco tanquam falsum, scandalosum, & in fide suspectum, quantum ad Trinitatem in divinis.

Octavo dixi & scripsi, quod nulla creatura rationalis specialiter est in se, nisi quia Deus est sibi esse, & ex hoc intuli in eodem scripto, quod in omni eo quod non est Deus essentialius est non esse, quam esse seipsum. Has revoco falsas, false positas & erroneas.

Nono dixi & scripsi, quod aliquid potest esse sine tempore in merito & peccato. Et probavi quod possibile fuit; vel est aliquod esse in instanti æternitatis in merito, & consequenter in instanti temporis in peccato: & iterato in instanti æternitatis merito. Hanc revoco cum sua probatione, tanquam falsam, fatue positam & in intelligibilem.

ARTICVLORVM LVDOVICI declaratio seu revocatio, per eum facta, Anno Domini 1362.

PRIMO probando primam partem primæ suppositionis, arguitur sic. Ad quodlibet omnem velle, vel nolle respectu cujuslibet producibilis ad extra, sequitur necessario mutatio in voluntate perfecta. Deinde arguitur hypothetice sic: Si Deus de novo aliquid vellet, vel nollet ad extra, seu si in Deo esset novum velle, vel nolle ad extra, ipse intrinsece mutaretur. Igitur velle & nolle dicunt denominationem intrinsecam. Et hæc fuit mens mea per hoc quod dixi in secunda probatione hujus, quod tam velle, quam nolle ad extra, est actus vitalis perfectæ voluntatis, ipsam immutans vitaliter, non intellexi quod per velle & nolle Deus mutaretur intrinsecè, sed quod sunt opera vitalia. Sed quia apud multos iste modus loquendi, velle divinum immutat voluntatem divinam, significat enim quod ipse intellectus mutatur. Et non placet domino Cancellario & facultati quod de cætero in divinis tali modo quis vtatur.

Dixi in secundo correlario primæ suppositionis, quod licet perfectæ voluntatis seu divinæ essentiæ quodlibet intrinsecum sit absolute necessarium secundum suum esse reale: tamen est aliquid intrinsecus contingens, & non est necessarium secundum suum esse formale, patet de nolle & velle ductis ad extra. Istud sic explano, & dico quod nihil intrinsecum Deo est contingens secundum intellectum quem facit tanquam Catholicæ fidei dissonum.

Similiter illud quod dixi in tertio correlario, quod stat Deum esse intrinsece aliqualem, & ipsum posse non esse talem, & tamen ipsum esse talem immutabiliter, debet sic intelligi, id est, stat Deum aliquid velle ad extra, & ipsum posse hoc nunquam velle, & tamen immutabiliter. Quod dixi in probatione hujus quod non est inconveniens quod aliquid sit Deus secundum suum esse reale: & tamen non sit Deus secundum suum esse formale debet sic intelligi, id est, quod aliquid sit Deus realiter, & tamen non aliqua formali denominatione, denominatur quæ sibi non competit præcisè, quia Deus, sed ratione alicujus effectus. Vnde supradicti damnant hanc propositionem, tanquam fidei dissonam secundum intellectum quem facit: scilicet, quod aliquid est Deus secundum suum esse reale, & tamen ipsum non est Deus secundum suum esse formale. Item dixi in nono correlario, quod non stat, intellectum perfectum cognoscere vera contingentia; & illorum ad extra, non esse productivam voluntatem. Item dixi in decimo, quod perfectus intellectus ad esse peccati, vt peccatum est, non potest immediate applicari cognoscitive, & quod ex isto sequitur finaliter peccatum esse, vel deformitatem animæ, non est proprie aliqua veritate verum. Primum est male dictum & falsum: quia ad hoc sequitur, quod Deus non cognosceret peccata; aut voluntatem divinam horum esse productivam, quorum vtrumque est falsum, & secundum fuit aliter condemnatum. Et alia correlaria, pro eo quod primo conveniunt, falsa sunt, & male sonant.

In secundo correlario secundæ suppositionis dixi, quod stat aliquid esse actu miraculosum, & tamē in illo quod sic actuat nullam ponere perfectionem simpliciter. Magistri nostri istum modum loquendi non approbant, scilicet quod Deus actuetur, sicut nec illum, quod Deus immutetur. Item in quarto & quinto correlariis secundæ suppositionis dixi quod perfecta voluntas non intensius diligit prædestinatum; quam diligat præscitum. Et quod non plus intensivè diligit

se, quam diligat Diabolum in esse naturali, non debui ista dicere, quod in auribus audientium male sonant, & falsa sunt; cum secundum Augustinum aliquid diligere sit ei velle bonum. Et ideo intensius diligere est ei majus bonum velle,& ita communiter intelligunt homines.

Correlarium octavum fuit tale, qualibet volitio, qua Deus vult a, esse, non minus distinguitur formaliter à volitione, qua vult b, esse, quam Deus distinguitur à materia prima, realiter. Probavi per hoc, quia qualibet volitio, qua Deus vult a,esse immensè formaliter distinguitur à volitione, quæ vult b, esse. Correlarium hoc est falsum: probatio erronea, quia non est admittendum qualitercumque quod in Deo sint plura immensa, aut plura immensa esse distincta.

Correlarium nonum fuit, nullum velle immensum perfectæ voluntatis continet aliquid ad extra producibile, hoc est falsum, quia velle Dei est causa rerum. In probatione autem correlativi scripsi, quod si potentiæ volitivæ Angeli, volitio domini, quæ est immensa, esset actualis volitio, quod non reputo impossibile, & tamen per hujusmodi volitionem, &c. Prædictum correlarium nunquam putabam possibile, & est erroneum, quia alias fuit reprobatum, nec etiam quicquid ex eo sequitur, in quantum ex hoc sequitur, est impossibile.

In tertio correlario tertiæ suppositionis dixi, quod peccatum esse perfecta voluntas Dei non potest immediate nolle. Et in alio, quod peccatum non est immediate odibile à perfecta voluntate. Ista male sonant, & discordant scripturæ & dictis sanctorum. Hoc autem intuli ex duobus correlariis, quorum vnum fuit quod perfecta voluntas quicquid extrinsecus potest immediate velle, præter immediate nolle, & è converso. Aliud fuit, quicquid immediatè ipsa potest nolle, potest efficere, quæ applicata ad peccatum formaliter sumptum & falsa sunt, & male sonant. Item sextum correlarium fuit, quodlibet extrinsecum perfectæ libertati seu voluntati æque ab ipsa est odibile, sicut diligibile, & è contra. Hæc propositio est erronea, & repugnare videtur voluntati divinæ.

Secunda conclusio mea fuit: Evidentiæ ad contradictoria intellectu divino formaliter, immense formaliter repugnant, dixi in probatione quod qualibet earum immensa. Nunc dico quod illa conclusio cum suis correlariis & sua probatione male sonat, quantum ad hoc quod designantur in Deo esse plura & impense distincta. Quod jam fuit hic & superius reprobatum. Quantum etiam ad hoc quod dicitur & immense repugnant, male sonat, quia ad hoc datur intelligi, quia repugnantia sit intrinsece in Deo.

PALINODIA
Magistri Ioannis de Calore, anno Domini 1363.

ANTEQVAM descendam ad conclusiones, habeo aliqua dicere, quia in primo articulo mearum vespetiarum posui duas propositiones, vnam scilicet, quod summus legislator Deus ipse dignus est infinitis perfectionibus, quas nec habuit, nec habet, nec habere potest. Nec dico, quod ista propositio male sonat, imò reputo eam in sensu categorico falsam, quem sensum facit, nec in isto sensu intellexi eam: sed in sensu hypothetico, scilicet, quod si essent infinite perfectiones imaginabiles, quas Deus non habet, adhuc esset dignus illis perfectionibus. Eodem modo de secunda propositione, scilicet quod infinitæ perfectiones simul in legislatoris essentia sunt dignitas ad infinitas alias. Item quia ex prædicta intuli hoc correlarium, scilicet quod datus legislator dignificavit se in carne ad suam assumptionem hypostaticam, intellexi dignificavit, id est, manifestavit.

Illud autem quod vltra addidi, scilicet, quod si alias non fuisset assumptus, secundum hominem dignus esset, quia frueretur, finiretur. Et illud pluries reiteravi. Dico quod intellexi & protuli tanquam disputabile. Nunc dico quod non est disputabile, & quod est falsum. Item quia proposui in mea conclusione tertij articuli, quod subductâ prærogativâ disparis acceptionis veritatis sub falsitate, staret vt verus cultor non amplius quam falsus mereretur: Et istam pluries reiteravi. Dico quod male sonat, quia procedit ex vna suppositione impossibili. Aliquibus tamen posset apparere possibilis.

DE ALMARICIANORVM Hæresibus, & Concrematione, brevis narratio.

FVERVNT Parisius quidam discipuli cujusdam Almarici nomine studentes Parisius, qui dixerunt mortuo eo, quod illud, quòd aliàs est peccatum mortale, vt stuprum factum in charitate, non est peccatum: impunitatem peccatorum promittentes, Deum bonum, & non justum dicentes. Qui ab Ecclesia propter hujusmodi condemnati, à Rege Franciæ extra portas sunt combusti. Hæresiarcha vero eorum Almaricus à generali concilio Romæ condemnatus est & excommunicatus, & ex civitate exhumatus, & cinis & ossa per sterquilinium sunt dispersa, & meritò.

TRANSCRIPTVM
Scedulæ revocationis quorumdam articulorum Fratris Dionysij Soulechat, Ordinis Fratrum Minorum, publice in disputationibus solemnibus per eum, semel atque iterum facta per eundem Parisius, & in curia Romana, Anno Domini 1365.& 1369.

REVERENDI magistri mei & Domini dixi aliqua in principio meo sententiarum, quæ in nonnullorum auribus male sonuerunt, & ex causa. Ego veritate coactus, & ex ordinatione Reverendi Patris Domini Cancellarij Parisiensis, ac Facultatis Theologiæ Magistrorum, tanquam Ecclesiæ & dictæ Facultatis Theologiæ humilis filius, ipsa dicta in præfato principio meo male posita corrigo sub hac forma. Quia tertia conclusio articuli quarti fuit hæc, quod hæc benedicta, imò super benedicta lex, & dulcissima videlicet lex amoris, de qua loquebar, omnem aufert proprietatem & dominium. Probavi, quia non quærit vindictam quia patiens est, 1. Cor. 13. grossitiem cordis, quia patiens est doloris proximi. Item non est ambitiosa quantum ad honores. Non quærit quæ sua sunt, quantum ad temporalia. Vnde glossa, non æmulatur, id est, non invidet, quia non eam aliena contristat fœlicitas: sed alterius bonum diligit, vt suum. Prædictam conclusionem revoco, tanquam falsam, erroneam & hæreticam. Quia Christus & Apostoli illam legem perfectissimè tenuerunt: & adhuc multi tenent, & per Dei gratiam tenebunt, qui proprietatem,

&

& dominium habebunt. Dico etiam quod auctoritas Apostoli & glossa, per quas probabam, non probant dictam conclusionem, nec sunt ad propositum, vt apparet intuenti textum & glossas autenticas super illo. Ex ista conclusione intuli correlarium primum, quod hæc lex dispensat duo pronomina possessiva, videlicet meum & tuum. Probavi quia ista duo vnum facit, imo etiam omnia in vnum congregat; Sicut Dionysius dicit de cœlesti hierarchia, capit. 1. in principio, omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à patre luminum. Sed & cunctus à patre luminis motæ apparitionis processus, ad nos bonitatis dono veniens, rursum sicut vnum faciens virtus, suscitatione nos adimplet &. convertit ad congregantis patris vnitatem & deificam simplicitatem. Amor enim omnia vnum & vnius facit, scilicet Dei: quia non quærit, quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi. Item intuli secundum correlarium, quod non minus facit omnia communia charitas, quam extrema necessitas. Probavi quia & vnum fit ex amore Dei, & alterum ex amore sui Sed affectio iusti est intentior & eligibilior, quam commodum pro bachalaureo de sancto Bernardo secundo correlario quartæ conclusionis articuli. Igitur confirmavi per Augustinum in prologo contra quinque hæreses, dicentem quod plus obligat charitas quam necessitas. Dico nunc quod ista duo correlaria vt sequuntur ex conclusione prædicta, sunt plura & dico quod auctoritates illæ, quas adduxi, non faciunt ad propositum. Item ex prædicta conclusione intuli aliud correlarium quod fuit quartum, quòd legem hanc dedit Christus discipulis suis principaliter ad actualiter exequendum, non solum habitualiter, probavi, quia dixit, hæc mando vobis, vt diligatis invicem, sicut & dilexi vos. Ioann 15. Per istud correlarium intelligendo hanc legem amoris, auferentem omnem proprietatem & dominium, provt conclusio dicit, Sicut intellectum reputo falsum, erroneum & hæreticum, & contra determinationem Ecclesiæ. Dico etiam quod auctoritas, quam allegavi, non est ad propositum. Item conclusio quarta & finalis mea fuit, quod actualis abdicatio cordialis voluntatis, & temporalis potestatis, dominij seu auctoritatis, statum perfectissimum ostendit & efficit. Probavi quia hoc pro regula perfectionis à Christo datum est. Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Idem Luc. 19. idem Marc. 10. Vnde non dixit, pone in arca, aut in scrinio: sed si videas pauperes, da. Quia, vt dixit Christus, Matt. 26. Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Et dicebam, quod ideo non dicat homo hanc regulam à Deo esse datam, sed animi præparationem, scilicet, si opus sit, quia vbi semper opus est semper debet fieri; Sed quia reuera paruus color sufficit ad excusationem agere volenti. Isti volunt dare intelligere, quod aurichalchum est aurum, & fel mel: sed si ex ignorantia crederent, tamen est, qui quærat, & iudicet quod probe sit. Dicunt hanc conclusionem esse positam vniversaliter. Iden ipsam vniversaliter intellectam dico falsam, erroneam & hæreticam. Quia nec Christus, nec Apostoli statum perfectissimum habuissent, & auctoritates ad eam probandam adductæ, non sunt ad propositum, vt patet per glossas ordinarias & doctores solemnes in hoc studio, & alibi approbatos. Alias probationes, vt probant istam conclusionem reputo falsas, & erroneas. Et vltimam dico falsam, iniuriosam & scandalosam. Ex prædicta conclusione quarta inferebam primum correlarium, quod Christum non abdicasse huiusmodi possessionem, & ius in temporalibus non habetur ex nova lege, imo potius oppositum Quia Matt. 8. filius hominis non habet, vbi caput reclinet Item secundum correlarium est istud, quod hanc legem pro regula perfectionis Christus docuit & exemplo confirmavit. Probavi per regulam nunc dictam: Vade & vende, &c. Etiam quia vocati omnia dimiserunt. Matthæus theloneum, Petrus & alij retia. Matt. 19. Ecce nos reliquimus omnia. Ista duo correlaria revoco tanquam falsa, erronea & hæretica, & contra decretalem domini Ioannis Papæ, quæ incipit, Quia quorumdam. Inter cætera dicentis, quæ quidem assertio continet multa falsa, cum nec Christum expropriationem prædictam, omnis iuris in eu iuscunque rei proprietate, & in eius vsu in se servasse, nec eam imposuisse Apostolis, nec sub voto ab eis fuisse assumptam Evangelica seu Apostolica docet historia; Sed contrarium evidentius manifestet hæc decretalis. Dico etiam quod auctoritates non sunt ad propositum, vt liquide apparet intuenti textum & glossas ordinarias & approbatas. Præterea fuit correlarium quartum, quod intuli: quod abdicatio rerum temporalium secundum animi præparationem, nullam, aut valde imperfectam & fragilem, ostendit & perficit perfectionem. Probavi primo, quia semper habent pauperes. Secundo, quia non valet, nisi ratione actus. Igitur actualis est perfectior. Illum articulum revoco tanquam falsum & scandalosum, nec probationes sunt ad propositum, Item respondendo ad quendam Baccalaureum de domo beati Bernardi, cum ille dixisset, quod Christus talia non abdicavit. Illud negavi, & dixi quod Christus nihil sibi retinuit. Ista duo dicta revoco, tanquam falsa & hæretica: quia Christus loculos habuit propter infirmos, à fidelibus oblata conservans, quæ & suorum necessitatibus, & alijs indigentibus tribuebat. Vt & Christi Evangelium, & B. August. ac etiam determinatio Romani Pontificis hæc testantur. Vltimum correlarium quod posui, fuit, quod non plus curavit Christus de temporalibus, quam faciunt divites de pauperibus. Probavi quia suivit, & non habuit potum, & pro nobis nudus in cruce pependit. Nunc dico quod Christus de temporalibus curavit, quia non omnia abdicavit, vt supra dictum est. Quod autem inuui divitibus, quod non curant de pauperibus, hoc retracto, tanquam iniuriosum illis divitibus, per quorum eleemosynas sustentantur. Hæc igitur omnia male sonantia sic prius expressa in meo dicto sententiarum principio malè posita, revoco & retracto, vt dictum est, promittendo bona fide, quod illa de cætero non tenebo, nec dogmatizabo & ita in eo, veniam humiliter implorans de commissis. Hæc omnia prædicta dictus frater Dionysius iterum Avenione in præsentia Magistri Gulielmi Romani, lectoris sacri Palatij Apostolici, & aliorum novem Magistrorum in Theologia Parisius revocavit, & ad sancta Dei Evangelia iuravit se appellationem, quam interposuerat, non prosecuturum, ac conclusiones prædictas & correlaria, tanquam falsa & erronea & hæretica abiuravit secundum tenorem revocationis alias per eum factæ Parisius modo & forma superius annotatis. Hæc autem revocatio facta est Avenione, in domo præfati Magistri Gulielmi Romani, Anno Nativitatis 1365. die vltimo Mensis Ianuarij, in dictione tertia Pontificatus sanctissimi in Christo Patris & domini nostri, Domini Vrbani, divinâ providentiâ Papæ sexti, anno tertio.

Revocatio articulorum prædictorum facta per eundem fratrem Dionysium in disputationibus solennibus publice facta in Ecclesia Prædicatorum Parisiis, Anno Domini 1369. die Iouis post Quasi modo. De mandato Reverendissimi in Christo Patris & domini, domini Cardinalis Beluacensis Commissarij ad hoc per sedem Apostolicam deputati. Item cum debui exponere dicta mea in Curia Romana coram reverendissimis patribus dominis Cardinalibus Nemansensi & Vabrensi, addidi propositiones, quæ sequuntur, videlicet quod Christus in morte omnia simpliciter abdicavit. Illam reputo tanquam falsam, erroneam & hæreticam.

A Item dixi, quod quando corpus in sepulchro mansit, ibi charitas abstulit ab eo omnem proprietatem & dominium. Istam revoco tanquam falsam, erroneam & hæreticam. Item dixi quod tunc vacavit sedes generalis dominij, vsque ad diem istam, vt sequitur ex prædictis, seu ad sensum prædictarum. Revucavi & revoco tanquam falsum & erroneum.

Item quod aliqui dicunt, quod dixi in prædicta declaratione, primo quod lex amoris, id est, charitas, quæ statum perfectum facit, est inseparabilia à nobis, & quod loquebar de charitate, sive de lege amoris, ex cuius observatione, seu observantia vniuscuiusque status perfectio mensuratur, loquendo de meritoria & in homine vsum rationis habente. Secundo, quia cuilibet creaturæ rationali hæc lex naturaliter est indita. Et tertiu quod Deus secundom hanc legem vivit. Istas propositiones non credo me dixisse, neque dixi, quia istas reputo falsas, erroneas & hæreticas. Prædictas autem propositiones per me revocatas abiuro, & promitto eas de cætero nec tenere nec dogmatizare publice, vel occulte, & veniam petivi, & peto humiliter de commissis. E

Finis Sæculi Decimi Quarti.

B F

C G

D H

BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM, ECCLESIASTICORVMQVE SCRIPTORVM

SÆCVLVM DECIMVM-QVINTVM.

BIBLIOTHECÆ VETERVM PATRVM, ET SCRIPTORVM ECCLESIASTICORVM

SÆCVLVM DECIMVM-QVINTVM.

PIISSIMI AC CHRISTI AMANTIS IMPERATORIS DOMINI MANVELIS PALÆOLOGI, FVNEBRIS Oratio in proprium eius fratrem Despotam Porphyrogennetam Dominum Theodorum Palæologum dicta cùm Imperator esset in Peloponneso.

NOTA.

MANVEL iste secundus Palæologus, Imperium Orientis tenuit per ann. 34. nempe vsque ad ann. 1418. pluresque filios reliquit, Ioannem nempe, Constantinum & alios; quorum Ioannes qui patri immediatè successit, Concilio Florentino interfuit anno 1440. & 27. regnavit. Sub Constantino deinde qui post fratrem Imperio potitus est, & dictus Dracoses, Constantinopolis capta est anno 1453. & Imperium Orientis à Turcis invasum. Vide Gualterum, Spondanum & alios notatis hic annis.

De Manuele porro dicit Possevinus in apparatu, quod dum in Gallia sive peregrinus, sive exul esset, scripserit Apologeticum 156. capitibus comprehensum ad Latinum quendam Parisiis agentem, qui in figura syllogismi ad eum scripserat, in quo Manuel ostendit syllogismum illius Physicum esse atque à Theologica ratione alienum. Extat istud Apologeticum Romæ in Bibliotheca vaticana cum eiusdem Epistolis.

Huius autem, quam hic damus, ab eodem Manuele habitam in Peloponneso funebris Orationis, vbi ad confirmandum Theodoro iuniori Imperium à decessu patrui eò concessisset, in hæc verba meminit Laonicus historiæ Turcicæ libro 4. Porro redeo ad Theodorum Imperatoris filium, Spartę ac reliquæ Peloponnesi principem; qui à Theodoro patruo educatus, ac disciplinis institutus, eius postea demortui principatum accepit. Qua de re Emmanuel pater, Bysantinus Imperator Peloponnesum veniens, cùm filium præfecit Provinciæ, egregiamque super fratre iam defuncto, Orationem funebrem declamavit, eam recitans ad eius sepulchrum Fratremque ac necessarium lugens.

ARGVMENTVM Orationis.

EXORDIVM quidem vehementiùs lugubre, ac quale maximè fratrem, super fratris funere orantem, deceat. Vbi autem oratorem agens, divinissimus Imperator, parum quid etiam generis meminit, haud in eo diutiùs moratur. Porrò deve?us sermone ad viri acta, nec pauca illa, nec vt brevi oratione explicanda forent, excusans, vt quia eorum splendor omnibus pateat, nec à quoquam negetur, haud necesse sit singula enarrare, eo ipso etiam valde exornat: sicque deinceps eius aggressus laudes, primùm de eius pueritiâ disserit, vtque omninò habuerit moribus, ac qualis vir factus, fuerit vniversis: tum verò ad acta ac res gestas procedit: primumque, eorum mentionem facit, quæ quondam in Patrem, eundemque ipsum, ac propinquos alios, cùm ij rebus adversis vterentur, ab eo gesta sunt, narratque vt ille in rebus habuerit: tum gradum faciens ad Peloponnesiaca, primùm meminit eius in provinciam adventûs, vt sola expectatio iuverit, cùm res tantùm in procinctu esset; vtque reipsâ advenerit, sicque lætanter ab indigenis susceptus: quo loco, cùm cœpisset de avunculo ac consobrino dicere, optimè cavet, ne quid in eos, quoad fieri potest, absonum, aut grave dicat. Postmodum Illiriis ad eum commigrantibus, vt cùm dubium esset, num essent recipiendi in provinciam, nec ne, eos ipse, cùm multi secus putarent, optimè coniectans, ac quod conducens esset, consulens, receperit, sicque eorum operâ opportunè vsus: post verò, relatam de vicinis hostibus victoriam memorat,

ac captum Principem, quibus ostendit corroborasse imperium. Tum transiens ad eos, qui ad Barbaros perfugissent, ac ubi primùm aliqua de illis communi sermone locutus esset, nullum ex nomine pro modestiâ notat: pergitque deinde ad ipsum Barbarum, ac ea, quæ ille in ambos molitus esset, inducentibus perfugis, cùm & quadam à se etiam illum provocarent. Ad hæc, meminit, ut cùm ipse, tum frater illum convenerint, cùm necessitas intulisset, ac serus illi constitutum haberent: periculi item inde conflati, ac tristium aliorum quæ illic occurrerunt; utque, ipse quidem Imperator ex Barbari voluntate, Constantinopolim iterum præter opinionem sospes reversus sit; frater autem, qui iam ineluctabili laqueo teneri videretur, summa inde fortitudine ac solertia profugerit in Peloponnesum, eòque reversus, omnia iam, nedum quæ in Peloponneso, sed & si quæ intra Ianuas erant, maximam partem in periculum adducta, sospitaverit: Utque cùm Barbarus, ipse quidem ab Hellade movens, non exiguum aut imbellem exercitum in Peloponnesum misisset, prohibuerit ille, non numeroso quidem exercitu hosti occurrens, sed duci exercitûs congruo stratagemate, rem conficiens, ut ne in provinciam invaderet, atque demum eo facinore, iam concessa Barbaro & ab eo occupata, receperit, ac Imperio vindicarit. Post hæc reversus ad commune illud bellum Barbari, factaque mentione, ut ex crebris cladibus eo victore cùm Christianis, tum Barbaris aliis illatis, res Romanorum graviter affecta essent, necnon suscepta ab ipso navigationis ac itineris ad Occiduas, partes, narrat postea, gesta interim à fratre: ac primùm quidem, ut Corintho, quæ versaretur in manifesto periculo, concreditâ Fratribus, cùm eandem ipsam à Barbarorum salvarit manu, tum inde rebus universis non modicam opem compararit: ad hæc, ut cùm posteà visum esset, reliquam totam provinciam illis cedere, res cum Barbaro omni meliùs spe composuerit, utque recepta provincia, iterùm res eius stabilierit, cùm nulla iniuria Fratres affecisset, atque omninò damni aliquid intulisset. In his porrò diutiùs versatur sermo, quòd tollendæ opinionis causa, per ignorantiam veritatis rei, ut omninò habuisset, apud nonnullos obtinentis, planè præstaret, horum quoque meminisse, nedum aliorum, quæ essent perspicuè bona, quàm silentio dissimulare. Siquidem enim nunc tacerentur, ut quis postmodum tentaret meminisse ad calumniam, utique posset apud aliquos gesta rei ignares, tanquam vera dicens habere fidem, velut non fuissent tacenda hîc, ut quæ de his dici potuissent: cùm relata, ac palam exposita ut gesta essent, in gloriam potius, ex eo forsan quod secus videbantur, cessura essent. Deinde procedit ad comparandum cum antiquis, quando & morbi mentione facta iterum Lugubrior, orationem componit, simulque ostendit nihil minorem fortitudinem in morbo ostendisse, quam in rebus gerendis: cumque hîc subdito quoque auditorum cætui annuisset, ut & ipsi aliquid sibi congruum, pro pluribus ac magnis beneficiis, quibus ille eos demeruisset, loquerentur, eandem rursus næniam resumit, id porro facit, cùm remissione aliqua egens, impedita voce præ doloris vi; eum verò, quia etiam multos alios cupiat audire lamentantes, ob impensum illud ac insanum in fratrem philtrum, pluribus ac magnis de causis, quas ipse odisserit. Quamobrem etiam affectuosius quoque ac lugubrius iterum orditur, tanquam omnino neque narrationem, neque laudes potuerit aggredi, priusquam fuisset tum lamentis. Postmodum tamen ad consolandum descendens, finem dicendi facit, congruis ac aptis laudibus cuique loco intextis, ut neque excedat quod sit probabile, nec eorum aliquid deficiat, quæ dicto opus, ac congrua erant, ut in singulis, quisque arte legens perspexerit.

Ipsi Barbaro assistentes, atque eius existentes curâ.

ORATIO.

ENIM vero quid ad vos etiam loquar Auditores, qui nec ipse valeam dicere vosque videam non valentes puram sermonibus aurem accommodare; Cùm me enim, calamitatis huius immensitate attonitum vox fugit; tùm vos eadem quoque ratione scio affici, quos vir in præsentiarum lamentis prosequendus, præclarè adeò demeruit. Quia tamen haud omnino estis silentij facultatem facturi, qui fortè aliquid præsenti congruum calamitati audituros speretis, utique pro virili quoque dicendum sit. Nam & mihi videor videre succensentes, quòd non citiùs operæpretium aliquid dixerim. Quippe omnibus liqueat, ut tantùm non detis crimini, sermonem hactenus distulisse: haud quidem id lingua; non enim dolor vigens animis, sinit; sed vultibus in nos intentis, planctibusque, & eiulatibus, ac omnibus aliis.

Cùm sanè hæc à vobis meritò exigantur, tum à nobis opere compleantur; quæ sit iustum præstare, vel si nemo exigat: seu potiùs reddere, antequam etiam aliquis repetat Equidem à primâ iam die debitum redditurus eram, ut per facultatem licuisset: haud verò, quem grave adeò vulnus diræ huius calamitatis incessit, possim facilè. Ex quo enim applicatis navibus, vestræ huius oræ, quam ille quondam aut omninò venatu, aut copias ducens, ambulavit, partem aliquam aspexi, profluunt lacrymæ fluminis instar; usque mutum, sermone interdicit. Illa enim hæc regio quam sic ille demeruit, vix non oculis, eius coram subiiciens formam, qui nunc informis iacet, nec omninò sanæ mentis statum retinere sinit. Vosque, viri Auditores, ignoscite, quem ablatus defunctus magnâ parte vitâ sensuque destituit; eique, qui non facile desideriis vestris sit faciendo satis Porrò iure merito ignoveritis, qui nec ipsi, à mortis eius doloribus penitiùs saucii nobis quicquam possitis loqui. Conor quidem ut me debito exolvam, sed invenior nihil conficere. Neque enim mentis omninò potis sum, ex quo amara adeò ac dira sagitta lethale inflixit vulnus, longè illâ lethaliùs amara, quàm celebratâ Homero.

Iliad. e.

Ex quâ sanè die, quem nunc lugemus, in humanis desiit esse, recepturus virtutis præmia, cum quâ vixit, ac est vitâ functus; bifariam divisus, vix etiam spiritum ducere valeo: sic nimirum immensa calamitatis vis velut præfocat. Necdum verò omninò consueta possim obire; at neque spes est, ut possim unquam. Quomodo cum animus sanum quid unquam pariat, post tantam mali læsionem? Quidve etiam loquatur lingua, quæ grandi adeò malo torpeat: ut neque excipiam, præsens argumentum potiores conatûs exigere, quàm pro meâ dicendi facultate: quòd nimirum vir laudum encomiis celebrandus, omni longè laudatione superior sit, debeantque omninò qui eius virtutem funebri oratione sunt dilaudaturi, cùm dicendi peritiâ, tum præcipuè sensûs animi vigore præpollere. Hoc tantùm, ut lugentium medius constitutus sim, ac cùm meis ipsius, tum universorum lacrymis dire mihi animus distrahatur, qui fratrem lugeam; qui amicum, qui discipulum; qui filium: (quanquam etiam per occasionem, quæ patrum quoque ac magistrorum erant, ætate ipse iunior ostendit:) quem, inquam, hæc tanta perturbatione non impleant, eiusque obtuderunt vim ingenij, vel si futurus Orator eorum aliquis existimetur, qui pro dicendi facultate celebres olim habiti sint: Cæterùm

A

terùm puto, lugubris Concio, vt quanquam volens omninò possem, haud permissuros illaudato fratre à sepulchro abire quem sic opera clarum effecere. Quippe res est, in quam cogit ius omne. Sequar ergo quod iuris est, effaborque aliqua, ac lugens virum dilaudabo, qui discessu abhinc suo, grandi adeò luctui vtrosque obnoxios fecit. Verùm haud putem vestro me desiderio facturum satis, quod ex multis conitio.

Vt laudanda patria ac parentes.

Equidem iubet encomiorum ratio, vt Orator, primùm, ac antequam eos exornet, quorum habet propositam laudationem, eorum patriam ac parentes palam omnibus declaret; Idque cum primis, cùm illi, nec exiguâ virtute, nec modicâ gloriâ, clari extitere. Porrò non paucus fore existimo, qui eam legem, vt vsquam alio, hoc maximè argumento, optimam illam ac præclaram, arbitrentur operæpretium esse. Siquidem enim vbi eorum genus est

B

& patria, qui illustres quidem ac clari, haud tamen ad summum gloriæ culmen evasere, ac vt ne quem eorum res lateant; benè prorsus illa habet: Vbi autem eorum gloriæ tantus exuperat cumulus, vt ne cui primas partes cedant, nec eorum prærogativæ ac virtus, orbis lateant fines; tunc maximè non spernenda videatur. Tanta quippe eorum in omnibus, ac omni parte excellentia, iure merito admirationi habeatur. Idque sanè etiam confirmat tempus, quod vniversorum oblivionem faciens, hîc tamen nequiverit præstare quod est comparatum. Tanto siquidem excessu superarunt, crebrâ gloriâ ac honestate, morumque bonitate, ac trophæorum splendore, vt nec facilè ostendi possit: eóque res, neminem latere potuit; convertitque in admirationem, si quos non latuit. Vbi sanè ea concurrerint, videatur lex summè necessaria. Ita verò.

Vt ea laus superflua.

C

Cæterùm libens dicam, quod fortè nonnullis durius videatur, vt tamen veritatis speciem habiturum putem. Planè quidem necessaria lex; haud tamen simpliciter adeò, vt spectemus omnes. Vbi enim ingens adeò concurrit bonorum cumulus, nec vllos omninò latet, omnesque convertit in admirationem, stupentibus omnibus merita; haud prorsus necessaria videatur, eo ipso, quo aliis videatur necessaria. Ita meritò. Quorsum verò? Quòd nimirum eâ ratione existimem positam, vt qui ex bonâ radice, bono satâ solo prodierunt, boni omnibus ostendantur, cùm needum etiam eorum vita sit prodita, ac omnium ore laudata. Qualis enim est arbor, ac quali orta solo, talem quoque necesse sit vt fructum ferat. Hac ergo parte, supervacaneam ac otiosam molitionem puto. Hîc siquidem, eius legis finis, suâ ipse sponte, ac vltrò occupavit. Quis enim nesciat omnium, vt vir ille, sed & eius genus, maximâ vrbium; Constantini, inquam, vrbe; patriâ glorietur, vt & illud ab alio docendus videatur? Quis autem eius parentum nisi maximis laudibus meminisse possit? Vt quis verò, cùm patriam, tum parentes miretur, qui non etiam illis ortum, pari admiratione prosequatur? Cùm sic ergo hæc habeant, nec viri impræsentiarum celebrandi res vllum lateant, vtique otiosum sit, vt id probemus, quod perspicuè clarum est, ac nitamur ostendere, quod nulli sit occultum. Qui enim docere velit, habuisse patriam, Constantini vrbem; parentesque, viros eiusdem principes; bonamque et patriam ac parentes fuisse; haud aliud meâ sententiâ fecerit, quàm vt pleno foro, stadiisque æstum facientibus, extare solem super terram, ceu inscios docere velit.

Sanè vt eâ quis ratione, eam antiquis; optimam illam, positam legem, præsenti argumento omittendam putaverit, haud vllam, ab iis ipsis quibus sit posita, vt ij adhuc in vivis agerent, vlloue sapiente, reprehensionem vnquam tulerit. Neque enim talis celebrando viro patria, aut parentes, vt

E

tis ab invicem honorem mutuari necesse sit: at neque is necesse ab illis habeat; tametsi mutuò honorem sibi addunt, quomodo iuncta lumina, mutuum splendorem ac lucem, vicissim intendunt. Vel ergo præfati sumus, vt sit bona lex, haud tamen impræsentiarum exornando viro necessaria: quin ille, ex propriâ magis virtute, suisque ipse meritis, quàm ea patriâ, ac avis, magnoque illinc splendore, clarus fuerit. Vt autem etiam illa, parentesque ac avi, notum illum, ac suis ipsum meritis clarum notiorem illustrioremque, suâ ipsorum reddiderunt virtute, ac iuxta modò positam imaginem, gloriæ ei cumulus fuerint; iidem nihilo secius ipsi, ac patria, illustrioribus augmentis, ac omnis retrò ætas tulisset, omnibus vbique per illum claruerunt. Quibus ille ornamentis claret; iis quoque patria ac parentes. Sic enim libens in optimis accidit. Rursus verò, claret ille omnibus, sed & patria, & parentes. Verùm sint omnia adscribenda radici. Quanquam enim illustrior quoque redditur patria, aut parentes, vt ingenuum quid præclarumque ediderint: quod tamen ab eis productum est, ad eos recurrit, à domu in domum velut circulo, quod aiunt. Hæc hactenus.

F

Primaria laus parentum ac radicis.

Patriæ laus.

Patriam quidem, vrbem regiam habuit, vrbium matrem. Eius ea celebritas, vbi ipsa sit satis, nec nostris ad gloriam laudibus egeat. Tantò enim vrbibus omnibus, si quæ habent admirationem, antefertur, ac præstat, omnique bonorum cumulo citra comparationem superat, quantò etiam finibus vniversis, gentibusque ac regibus terræ, dominata est: non tantùm exercitûs numerositate ac ferro, quantùm virtute ac ratione præpollens; quodque Constantino glorietur, manu tenente sceptra, eodem reverà, cùm Imperatore, tum duce, vniversisque bonorum custode: quodque maius omnibus est, Deo eximiè caro, cùm sinceræ pietatis ergo, tum propter virtutis totius cumulum. Is vtique vrbis conditor, nec nisi divino nutu ac impulsione; quod ipsum abundè sit, sexcentorum encomiorum loco, sexcentarum vice laudationum, quibus innumeram quandam ostendamus civitatis virtutem. Vbi enim talis est conditor, cœlitusque animo condendæ studium immissum fuit: Quippe extitit vir Deo afflatus, ac cui omnia cum Deo gerentur; superfluum liquidò sit, vt aliâ quis ratione studeat vrbem laudare, tametsi illa, innumera laudum argumenta suggerit.

G

Qualis Constantinus ac qualis consilio urbem condidit.

Laus parentum.

Parentes autem, ac maiorum, quâ genus traxit, catenam, haud per tempus facilè possim percensere; nec verò illorum trophæa, resque eas, quibus illi, antiquis præclarè gesta, suo splendore obscurant. Sanè vt quis hoc persequatur, impossibilia tentat. Mihi verò satis hactenus videtur dictum. Visi itaque in laudis argumentum nobis propositi, parentes avique, haud vllis, si qui vllo vnquam ævo laudem habuerunt, deteriori loco; quin & potiori, vniversorum suffragio habendi videantur: qui nimirum antiquâ successione Augusti ab Augustis optimis, continuâ descenderint serie, honestique ac clari extiterint, non tam dignitatis prærogativâ, quàm quòd vitam è ratione instituendam sanctum habuerint, probéque regendum Imperium, ac demerendam patriam, bonaque omnia subditis conciliandа. Quanquam enim etiam à dignitate ac purpurâ elatiores fierent, ipsi nihilominus claritatem vicissim rependebant, nedum corporis venustâ specie, sed & animi cumprimis honestate. Id quippe ducebant probro, vt externo tantùm ac temporaneo ornatu ambitum præferrent; non vt potius, suis ipsi meritis, ac firmiori decore pollerent. Cùm itaque probo res suas instituentes consilio, nihil divinæ virtuti præhaberent, legitimè ac piè, patres magis, quàm dominos in subditos agentes, regnaverunt; lubentiusque pro eis adeuntes pericula, quàm aliis oria adire moris sis. Verùm prætereo

H

eorum res. Nec enim id nobis fuit constitutum, vt eos laudaremus; sed vt potius, virum nobis in argumentum laudis propositum, ex ipsius propriis, quantâ enituerit virtute ostendamus.

Qualis Theodorus prima ætate.

Ille equidem regiè educatur, multâ à puero indolis bonitate effulsit: atque adeò puerili adhuc ætate agens, quis processu temporis evasurus esset, omnibus ominandum præbuit: vt omninò vtique optimus, patriæ, parentibus, amicis, ac prorsus omnibus, quibuscum esset versaturus, ac quos innatâ illa bonitate esset imperiturus. Tantâ sanè disciplinis omnibus capessendis habilitate fuit, ac sic celeriter omnes percurrit, vt & sophistarum ac ludimagistrorum, ac si qui honestum aliquid docturi videbantur, eximiâ quâdam facilitate ac genio, sedulitatem præverterit. Quamobrem continuè alios ex aliis magistros mutans, quærebat à quo novi aliquid disceret; tanquam qui citò perciperet omnia, si qua illi tradere possent: palamque alternantium ætatum, nedum annos, sed & naturam ac indolem; atque hanc potissimè; subiectum arguebat. Quamobrem, poëtæ illam sententiam, vt nihil minus homines inter referat, vt sermonis vim ac linguam spectes, quàm inter aquilam ac corvum; veram ipse rebus ostendit; sic indole coætaneis præstans, ut neque vllus contentioni locus relictus videretur. Adhuc enim existens puer, adolescentum colebat studia; adolescensque, iuvenum, ac virorum, ac seniorum; prorsusque anteriorem agens ætatem, quæ sequentis ac maturioris essent. Adeò semper agendis rebus occupavit quod esset operæpretium, scientiâ illâ ac studio, mentisque sagacitate. Erat planè dulcis parentibus; erat fratribus, erat sodalibus; erat civibus; erat peregrinis, æqualibus pariter, senibusque, ac cunctis vniversim in omni tempore, ac rerum omni incursu.

Tantis sanè gloriæ cumulis præstabat, gymnasiorum exercitamentis, certaminibusque, ac studiis omnibus, vt neque opus haberet comparatione. Nec verò cùm talis esset, patiebatur invidiam; non valente eâ in illum quod nata est: quin potius habebat omnium admirationem, idque tantâ exuperantiâ, quanta puto victoria erat. Ea porrò ad summum evaserat. Qui verò inquies, vero consonum sit, vt grandi adeò excessu superans, à nullo prorsus invidiam pateretur: Secùs planè comparatum dicemus. Qui enim supra modum superat, nihil invidiæ obnoxius fit. Quæ enim res multam habet admirationem, multo quoque amori esse necesse est. Quod autem est valde charum, ac amori habetur, quâ sibi ratione pro accedente gloriâ, invidiam conflauerit? Quamobrem invidia aberat, vt quis victus esset: aderat verò amoris accessio, quam eius novùm accedens admiratio faceret; vniversique eius gaudebant victoriis.

Egregiæ Theodori dotes.

Cùm natu minimus fratrum esset, nulli tamen cessit, vt ea spectes, quibus quis admirabilis fit. Nam erat prudens, iustus, fortis; ac vel in iis, quæ maximè terrendo videantur, inflexi pectoris: plerasque voluptates; (nec enim usque adeò erat homine maior, ut omnium semper esset Dominus;) omninò spernens; quod spectat ad alias, se ipse continens: haud se dedens pigritiæ; idem ipse moderatus ac magnificens; nihil molestus, aut quicquam intolerabilis, vel ipsis quoque servis emptitiis: gravis, mitisque; œconomiâ præstans, ac magnanimis, ut aliquando deficiente fortunâ ad Romani Imperij hostes; (sic enim illa solemne habet;) idem ipse immotus permanserit; eâdem ad ipsum redeunte; (gaudet enim semper mutationibus:) nihil inde altum sapuerit? Atque cùm quidem victor esset, alienus erat à fastu, qui humanam vitam Euripum sciret: victus verò, nihil graviori ruinâ labascebat: ac si vis, erat invictus, cui nullo modo animus adversorum incursione conciderit. Porrò amicis si quando mutatis rebus iniquiori fortunâ vterentur, pristinam benevolentiam integram volebat, eosdem omninò mores, quacumque rerum vicissitudine ostendens. Nec enim Proteus quis erat, ut pro temporum variâ ratione, mutationem subiret. Noverat temperare remedia, ac contraria contrariis emendare. Noverat nihil in rebus humanis firmum consistere, ac fortunam vicissitudinibus gaudere: atque adeò, cum tranquillo mari navigaret, immanes expectabat fluctus, ac cogitabat tempestatem, seque ipse ad turbationem præparans, cùm illa invasisset, imperturbatus erat. Nam in mediis quoque adversantium ventorum turbinibus, ac minitante procellâ, ut quamprimùm omninò prævaleret, nihil tamen ille animum despondebat; quin multam tranquillitatem sperabat. Quamobrem ferebat omnia, ut nihil abiectum, nihil degeneris animi vitio committeret, vel cogitaret, vel diceret. Nullo rerum statu supercilium attollebat, ac nec verbum iactantiæ protulit, utque alius quis meliora de illo diceret, erubescebat statim, actutumque sermonem ad alia vertebat. Noverat totâ sinceritate servare dignitatem, illæsumque omnino tueri ordinem, nihil præcipitantiùs agere, quodue comparatum esset molestiam creare: excepto ut utile secus suaderet, quod sibi semper, dulci anteponendum duxit: quin magis gratum se omnibus ac læsum miscere: excepto ut lupus aliquis in oves irruens, eius studio arcendus esset: tardus ad vindictam, ac nonnunquam prorsus omittens, cùm magis è re visum esset. Quippe erat in eiusmodi valde segnis: erogandis verò præmiis ac ingenuitate incitatior erat, nec omninò teneri valens; Nili instar suis universos fluentis ubertim irrigans. Sciebat medio, extremè ac summè assequi bona: nec tamen admittebat extrema, quibus innumera pericula hærere sciret: Lubens incedebat tritam viam, quærens in omnibus quod tutum esset: pericula tamen facilis adibat: at non semper, nec simpliciter omnia: Quippe res temerarios ac audaces deceat: sed ubi cum decoro, ac per occasionem vitare non liceret. Vllumne valde modestum dicas? Hic verò, quid non multo excessu eâ parte habuit? Aliumne iræ compotem? in eo maximè suprà quosvis mortales possumus gloriari. Fuit multis præclara lingua? huic quàm maximè. Tantâ siquidem pollebat sermonis facultate, ut omnes in sententiam suam orans cogeret. Vel solùm leniter ridens, iniustè exasperatum sedabat. Vbi autem linguæ vi uteretur, vel Scytharum multam feritatem, in humanis proximos affectus ac benignitatem mutabat. Erat enim urbanus: erat dulcissimus, mansuetus: blandus, omnibus gratiis temperatus. Erat totus tornò facilis, ut ne qua ansa ad crimen pateret: totusque idem prehensu facilis erat, vt quis ad ædificationem bonorum vellet tenere. Hoc quippe sibi congruum reputabat, ut malignis perversisque hominibus omninò, se irreprehensibilem servaret: bonique nihilominus facilis existeret, ac indulgeret, quocunque tandem illi inclinassent. Denique ingruentibus malis: Multa porrò ille, ac gravia tulit: quippe maximos maximè decet probatio: haud se mediocriter superiorem ostendit: cumque tempora mutarentur, ipse nihilominus idem sibi erat: quod planè rarum in humanis accidat.

Scita sen.

Vt quis ergo incomparabilem illum spectet bonorum decorem, haud puto à veritate errans, politam ex adamante statuam, subiectum argumento virum nuncupare possit. Vt porrò talis fuerit, qualem vobis sermo ostendit: imò, ut nedum talis, sed & longè præstantior fuerit: idem ipse liquidò probavit, tum iis quæ egit, tum quæ totâ fere vitâ, mala sustinuit, atque adeò, iis quæ egit perpetiendo, quæque iterum, etiam agendo perpessus fuit. Nunquam enim, quicquid accidisset, quod operæ-

pretium erat, neglexit: nec unquam omninò visus est animo concidisse, obruente mœstitiâ nimiâ, aut metu, alione eiusmodi: at neque effuso admodùm animo, cùm etiam iucundior videretur, vel agerentur festi conventus; non in ludis; non venatione vtens; non re vllâ eiusmodi. At neque molestissimis temporibus, tristibusque nonnullis rebus otiosus erat; ne valde quidem affectâ sanitate, ne quid temporis vacuum perefflueret, quod ut preterit, nulla posthac diligentiâ revocari potest.

Chil. 1. cēt. 6. 96.

Cæterum illud, *Optima mediocritas*: ac, *Ne quid nimis*, omninoque, ut quid antiquis sapientibus, componendis honestate moribus, dictum sit; id ille tánquam ex symbolo colligens, totum re præstabat: atque adeò cùm quisque vnum quid eorum, ac singulare quidpiam effatus sit, ipse vnus omnia egit: sic vincebat vniversis. Ita verò aptus erat, sicque vniversorum animis congruebat, opportunè agens omnia, ac omnes sincerè colens, quanquam nullis noxiè indulgeret, vt ipsi non rarò actores, beneficij se reos agnoscerent, ac agerent gratias, cùm etiam causâ cecidissent, ac essent frustrati fine, supra quàm alij, cùm voti compotes effecti optata accepere. Accidit enim, vt nihil etiam dans, delectes, vtque vicissim dando displiceas. Vniversis se communissimum permittebat; ac maximè gratus congressionibus erat; nec quicquam tamen, morum illâ ingenuitate, rebus officiebat. Erat siquidem plenus architectonicâ scientiâ, tum ad politicos mores, tum ad negotia publica; sibique satis ipse erat, vt & singulis consuesceret pro cuiusque moribus, vtque iterum se vniversis servaret. Noverat vt & videretur hilarior diffundi; vtque nihilominus semper principaliora operæpretium poneret; atque vt nonnunquam res magnas ac admirandas, ludi non inhonesti specie gereret.

Scita sēt.

Cùm sic ergo natus esset, sicque voluntatis haberet, ac ita fuisset institutus, bonáque adeò indole ac ingenio facili præditus esset; in parentes quidem probè implevit, vt quid parentes natorum pietate præstanda optare possint: summo amicis amori fuit; vniversis extitit portus, omnisque eis generis bona conciliavit. Præclaræ adeò res, hostes quoque infensissimos, ad pacis ambienda fœdera, omnique modo exquirenda, impulerunt; atque ut semel inita, rata manere omninò eniterentur. Id porrò agebat viri virtus, cuius, illi formidine, eos postmodum horrebant, quibus fortunâ efferente, terrorem pridem iniecerant. Iam enim factâ rerum mutatione: Quippe in contrarium omninò versæ erant, ac nostræ quidem florebant, illorum autem diffluxerant: vtique necesse erat; vt & ij de sententiâ decedentes, tempori inservirent. Ea itaque in eum præstabant, quæ olim decessores in ipsos soliti erant; eamque diem festæ lucis loco habebant, quâ per nuncium, aliquid ab eo epistolarum accepissent. Quod si etiam aliquid pollicebatur, (id sanè ab impensiori præstantiâ, vt magis præcipere quàm polliceri videretur;) occinebant gaudio acceptâ epistolâ, rem gestam pacis argumentum habentes: quam quidem hanc propter se diligebant: sed ne perire contingeret per eius absentiam: quod pridem secùs existimabant. Sic virtus, quàm fortuna præstat: per quam superbi hostium, cùm eos postea spes fefellisset, plurimum fecit risum.

Hostes viri amicitiam ambiunt

Pulchrè epiph.

Hæc hactenus velut summâ diximus, quibus abundè declaratam puto viri indolem, vt multis laudibus esset digna sin autem singula quoque prosequi oporteat, dicam compendiò, quanta, fuerit facultas. Vt enim beatæ memoriæ viri huius preclara gesta diffusiùs narrentur, iis potius congruat, quorum sit instituti, vt rerum gestarum contexant historias. Quin & eâdem quoque ratione, ne illi quidem gesta omnia persensuero. Vti enim rerum ab eo gestarum magnitudo prohibet, vt ne singulis eius rebus enarrandis memet extendam, sic nec permittor per multitudinem, vt ordine omnia delineam adscribamque. Nec enim numerus facilè iniri potest. Quanquam puto haud vobis gratum fore; vt inquam, non eius res omnes gestas edisseram. Desideratis enim; probè novi ac certum habeo; pro eorum ratione, qui amantes in imagine depictas eorum quos amant, imagines impendiò videre avent; vt & ipsi totam videatis viri præscriptam vitam, quæ tota admirationem habeat. Sed & fortè principi rerum opifici videamur iniuriam facere, nisi res eius totas accuratè edisseramus. Equidem sola vobis voluntate gerens morem, opus postmodum propter rei arduam molitionem detrectabo, qui voluntatem assectari nequeam. Vincit enim liquidò tanta moles nostram virtutem, quæ olim à se debilis, ab orationis nunc specie, multis evasit earlior. Ea multis ergo, iisque præclaris ac magnis, quorum gestorum conscij estis, viro nuper nobiscum existenti; quique nunc, *fuit*: Heu triste argumentum planctuum! pauca quædam ac compendiò, vti sumus præfati, dicemus: ea tamen omninò, quibus qui gessit, verus generi concessus fructus, eximiaque quædam ac ambitiosa largitio, cognosci possit. Nemo igitur, quod plura omittamus, minus vnum ad celebritatem nominis habiturum putet. Eius quippe luculenta ac excellens virtus, nostram abundè implebit inopiam. Singula enim eius gestorum rem confecerint totam, quorum ne vnum est non maximam habens gloriam: nisi quis puerorum more, ea solâ rem externâ facie velit spectandam. Sed & id affirmatim, ex iis quoque, quæ modica ac simpliciora videntur, dum tamen illa certa sint ac propria, nihil sæpe minus cognosci naturam, quàm vt multa quis ac omnis generis opera, ordine producat. Certa dico ac propria, si qua proprietates naturæ satis indicant, ac quibus ceu charactere insigniatur animus boni amans. Pro consilij ergo ratione, pauca quædam ac compendiò, vt licuerit, edisseram.

Ille igitur, Auditores, cuius res præclaræ linguam omnem laudare studentem debilem faciant ac obtorpentem, sive cùm adhuc superstes esset, sive modò cùm defunctus est: cùm Imperatoris optimi, multamque amoris vim in natos ostendentis, proles esset, omninò enitebatur ac contendebat, vt ne quicquam amore cederet. Quamobrem cùm admiraretur, ac si quis alius, amaret Alexandrum, eiusque lubens omnia, quantum liceret, audiret, diceretque: illud tamen, vt cùm Philippus pater quandoque dixisset; *Ego te fili amo*: responderit ille; *Ego quoque te amo meum patrem*: haud illo dignè dictum, cùm tantus esset, omninò arbitrabatur, nec æquus ferebat; quin eius eum pudebat pro viri reverentiâ: nimirum illo accusante; non detractasse pro mendacio excusare, tanquam patris dilectionem præhabenti charissimorum amori, ea verba in promptu non fuissent: *Ego te quoque pater amo, sumque semper amaturus, nec facilè amando superari permittam, qui velim præstare quod ius habet; tum quia per te sim, tum quia amor plurimum, tum quia disciplinis excultus magna à te acceperim, ac maiora sperem accepturum.* Sic itaque habebat ad patrem, nec quicquam dissimili ratione habuit ad matrem. Cùm enim ad omnes modestus esset, nec quicquam contentionis amans, amoris tamen ac beneficentiæ partibus, vniversos vincere contendebat, facilisque vitam amisisset, vt amoris vim quantam haberet, ostenderet. Cùm verò multa ac magna superent, quibus possim rei facere fidem, vbi tamen duorum tantùm meminero, rem satis confecero: quanquam & illa multis de causis sum compendiò dicturus; cùm nec alioqui mihi sermo sit, ad eos qui nesciant.

Alexander minoris in Philippū patrem amoris, suspectior.

Vigebant mala, tristisque nobis fortuna ad summum provexerat. Iam siquidem captâ vrbe, arx ita via non provocabat capturos hostes, cùm miles Persicus muris hæreret. Interim ergo se dux sacramento obstringit; obstringunt quoque præcipui præfe-

Permittitur Theodorus liber in provinciam abire.

A

eſt tribunique, incolumem remiſſuros in provinciam. Erat hæc civitas Macedoniæ metropolis, ac vrbes aliæ: cumque adeo patentibus, meque ipſo, ac quorum de eo deliberare intererat, aſſentientibus res in promptu eſſet, cœpit poſtmodum patrem pœnitere: fui verò ipſe in causâ, tametſi nolens. Sic porrò res habuit.

Me caput ac pedes vulneratum, in ſua ille exceperat genua. Manebat verò immotus, ne minimùm corpus agitans, pro affectione in me ſuâ. Sciebat enim augendum mihi dolorem vt ſe ipſe moveret. Cùm ſic ergo ab amore indivulſus eſſet, manebat meas lacrymas curans. Haud enim facilè ferebat à me ſeparari, qui eſſe ab eo ſeparatum feram. Iam enim ille cum mortuis conditus eſt, noſque adhuc extamus, ac ſuſtinemus ſenſilem hunc ſolem aſpicere, poſtquam Sol ille meus occidit, quem ſupra ſplendentes hoſce radios charum habebam. Interim ergo dum moras trahit, ad me venit qui nunciat, vt pater conſilium mutarit, vitæ aleam veritus vt ſuſpicio foret iniiſſe Theodorum fugam ipſo probante. Vix à me audierat, cùm nullius ſuaſu, autne expectans qui adhortaretur, quique rogaret ne ſtationem deſereret in ſummum adducentem diſcrimen, ſuæ ipſius ſaluti ac vitæ, paternam anteponit voluntatem, ne meum quidem eâ parte conſilium requirens, ac nec matris, quod probis filiis maius omnibus eſt. Sedebat ergo fixis in terram luminibus, dirumque quemdam carnificem animo verſabat: cùm per eum ſtaret, quominus ab omni illâ moleſtiâ, quam triſte illud tempus nobis invexiſſet, liber evaderet, poſſetque bona conſequi, ac ſpes eſſet, nos deinceps liberatum iri, vt ab illis ipſe vinculis, liber evaſiſſet. Maluit nihilominus eodem nobiſcum teneri carcere, qui ipſe per ſe mors videbatur, ac abundè mortis gladio conſiſcendæ metum ingereret. Quamobrem vt ſpectes animi propoſitum, mortem obiit ob nudam patris ſuſpicionem, cui innumera opponere licebat, vt quidem voluiſſet imperium detrectare. Nam neque deerant qui imperatori ſecus conſulerent, in quorum ipſe partes concedebam. Quid enim ille mox elapſus, non pro nobis moliturus eſſet? Erant noctes habiturum inſomnem in ea conſilia vigilem quibus non liberare poſſet: dilucula verò, omnia aggredientem, quæ per noctis ſilentia è re viſa eſſent; ea curantem quæ operæpretium putaſſet, nilque non agentem, vt congruum illa finem acciperent; promittentem; promiſſis ſponſione caventem, ſeſe ſacramento, cùm res ferret, ad eos qui poſſent vlciſci, obſtringentem; nihil denique opportunum negotio, omittentem. Id verò auxilij quod ſuppetebat, graviſſimis intentatis minis, vt quis corporalem nobis læſionem infligere auderet, quo loco ponam? Nihil ſanè adeò nobis præſens ad vitæ præſidium erat. Non verò vnum hoc ac ſingulare præclari loco characteris, vitam eius quantum opus eſt, ſatis inſigniat? Siquidem enim ob levem eam ſuſpicionem, nudum ipſum occupavit patris nutum, mortemque obivit, quæ ſuæ erant partes; quas non mortes ab aperto eum periculo liberaturus, lubens obiret? Nonne Iſaaci præclarus æmulator? Nonne ipſius quoque Salvatoris? Nec enim temerè dictum velim; quando ille in exemplum nobis propoſitus eſt, placetque Patri, vt eum æmulemur. Qui ſic porrò animi in parentes habebat, ſecusne in fratres habuit? Minimè gentium. Etenim cùm triennio ferè in præſidio eſſemus, multæque invaſiſſent ægritudines, atque ad ima pervadentes gravi moleſtiâ torquerent, ac neque inteſtinis ipſis ac capiti parcerent: cumque nulla ſpes eſſet, vt humanam rationem ſpectes, futuræ vnquam liberationis, eò res adegit, vt ipſa omnibus amica vita, præ triſti adeò ac deplorato ſtatu, velut odio eſſet.

B

Remiſit ille vt re patrem in periculum conijceret.

C

D

Cæterùm ita rebus nobis comparatis, quædam cœlitus conſolatio affulſit, peneque obrutos tot triſtibus animos, quod ſatis videretur triſtitiâ levavit, malumque ad tempus mitius reddidit. In eo erat illa conſolatio: Modum taceo, quem ſit ſuperfluum referre: vt Theodorus, pactis quibuſdam iuramento firmatis inde exiret. Ita porrò, vtique dolo hoſtium; pactum erat; vt nihil ille pro nobis moliretur: Licere tamen, vt cum Imperatore ac fratre, pacis causâ loqueretur, quicquid placuiſſet. Vt mox audivi, cœpi animæquior fieri, nec tantùm auditio moleſtiæ fecit quòd ſolus relinquendus eſſem, quantum ſolatij ac gaudij, quòd ille reviviſceret; nempe à præſidio exiret. Mihi certè videbar eum videre: Currit enim velox phantaſia ad quæ quia cupit: conſueta ſectantem, eiuſque ætati congrua; verſari cum æqualibus in armorum palæſtris; in venationibus, in certaminibus; quorum exercitamentis augentur corpora robore ac ſanitate, habetque conciliari gloria. Hæc ego hiſque ſimilia ſocians, gaudium habebam, putabamque aſpicere præmia reportantem, cingi caput coronâ, ac præconis voce renunciari victorem. Multumque ſiquidem ei omnes in eiuſmodi delatum volebant. Iam enim à puero ſortitus erat, vt omnibus, quibus quis certans coronandus ſit, magnificè præſtaret: eàque in eo paribus cum corpore ad perfectum ac robur augente, crementis promovebant. Læta hæc mecum ipſe cogitans, ſenſim triſtia, vt liceret, oblivioni dabam: Illi autem ſubibat vti, quòd non poſſet ſic deſolatum videre.

E

Iterum oblata Theodoro abeundi facultas.

F

Sed & illud angebat. Non enim poterat; qui Dei timore nutritus eſſet, ſpretâ iuramenti religione, cum dolo opem ferre. Qui enim? Qui nihil unquam per fraudem ac vafro animo, etiam capite annuiſſet: Videri autem eorum penitus neglexiſſe curam, quibus nihilo pretioſiorem animam ducebat, id verò prorſus intolerabile putabat. Sic porrò erat magnanimus, vt & iniuſtæ ſententiæ latoribus, reverentiam haberet. Cùm itaque ſtudiis diviſi eſſemus, ſerò tandem, vixque ſuaſi, quà probans ita melius mihi pariter, ac patri per id tempus abſenti, conſultum iri, vt ille cum amicis ac inimicis verſans, ad vtroſque quæ operæ pretium eſſent, negotiaretur, quà affirmans, ſic me affectum, vt malis diriſſimis tentandus eſſem, vt ille obtemperans exire detrectaret. Sic ille, ne falsò quidem vllam mali opinionem inuri ſuſtinebat, famâque ab eius indole, ac animo, inſtitutioneque abhorrente, aſpergi timebat. Sic in nos fraternè affectus erat, vt mecum verſari, quàm cum aliis voluptate frui, potius haberet: carceriſque anguſtiæ, vix illæ aliæ quàm ſepulchri, regiâ illi anguſtiores erant; tenebræque, quàm ſolis ſplendor deſiderabiliores; ac demum, omnia mecum dulciora, quanquam eſſent duriſſima, omnibus deinceps dulcibus, quorum ipſe exors eram. Sic verò rurſus iis, quæ viſa mihi eſſent obſequebatur: vt vel tantùm annuere, abundè eſſet, atque facturum quod volebam, quanquam id flens amarè. At ego: etſi mirum videatur, vt flente illo, æquo ipſe animo eſſem, gaudebam tam, eius ipſius qui fleret, ac patris Imperatoris, amore. Fore enim putabam patri ſolatio, vt ei filius, vt ita loquar, ad vitam rediret. Cæterum, cùm res in promptu omnibus videretur, haud tamen exitum habuit, Deo melius aliquid de nobis diſponente, vt ne nimirum ille, abſque me ac patre exiret. Quod enim impedivit conſilium, omnibus nobis elabendi è carcere, communis cauſa fuit. Verùm rem accuratiùs edisſerere, neque nobis propoſitum eſt, nec poſſit opportunè; cùm & alioqui ſcientibus omnia, ſit ſupervacaneum dicere.

Vir acquieſcit hortatu fratris exire.

G

H

Puto itaque, ſatis ſuperque duplici hac narratione probatum, qualis hic, in parentes, noſque, ac reliquam cognationem eſſet, tanquam *ex vngue leonem*, quod aiunt: porrò traducendi oratio ad vlteriora; vt tamen pleraque eius operum prætertens, pauca tantùm rurſus perſtringar, quibus tamen eius perſpicuè virtus eluceat. Quippe erunt non caſùs;

Chil. 1. cent. 6. 34.

non

non fortunæ; non temporum adversariis iniquiorum: Hæc namque, Neronis ac Sardanapali regna insigniant: sed viri virtute viventis, præclara gesta. Hæc enim maiora sunt, admodum modica. Cùm autem valde splendida, quanti illa fieri debuerint? Nam vt quis nobili prosapiâ ortus sit ac illustri patriâ, admodumque splendidè vivat, ac sit circumfusus servorum agmine, abundetque copiâ divitiarum, ac iis omnibus clarus habeatur, quibus exercitati habent trophæa de hostibus, ac quibus ii qui habent, ab orbis vniversi finibus, honoribus augeantur; hæc vtique monstrosis quoque hominibus, ac alienè à ratione viventibus, suppetant; quibus planè ac virtuti nulla communio fuerit. Quamobrem vir ad Deum profectus, nostrique illic, prout moribus habebat comparatum, vbi & ampliùs licet, iterum curam gerens, recensita omnia magnificè spernebat, ac nihil magni putabat; nec re vllâ volebat admirationi esse, quàm si quæ ipsa, ac ex propriis præclara esset: studiosè verò sectabatur, si qua præclarum ac bonum, exque bonis ac præclaris ortum decerent. Sic namque instructus fuerat, sicque mox natus, vt ita dicam, didicerat. Resumenda nobis subiecta materia.

Ex quibus vera Theodori laus.

Malè res Peloponnesi habebant, eiusque illuc profectio operæpretium videbatur. Fore enim vt statim præsens, mala dissolveret, vti radius nebulam. Tantùm sanè eius mittendi decretum, famâ vbique pervagante, illius provinciæ rebus contulit, quantùm puto nemo facilè potuisset præsentiâ. Eumque ille successum sperans, vt inquam Peloponnesi res solâ eius famâ nominis, quam illic apprimè notam sciret, componerentur: ac vbi paulò post sic reipsâ successisse cognovit, moras aliquas trahendas duxit, dum interim factus omnia, ac vniversa gerens, Imperatorem ac patrem in pristina restitutum videret, à negotiis perfectè liberum, ac blandâ fruentem tranquillitate; videret verò & matrem, matrisque patrem, ac sorores, domum omnes reversos à præsidio, quo Latini tenerent. Nec enim plura hæc referam, idque multis de causis.

Solâ famâ dela[tæ] provinciæ res eius composit[æ].

Sic vtique res successerunt, ac bonum acceperunt finem, Deo benè auspice, vbi ille bello tunc contra Latinos, multam fortitudinem, ac strenui robur animi, multamque ac vigilem diligentiam; multam denique prudentiam, pro patriâ, ac gente, parentibusque, decertans ostendisset. Cùm nihil itaque deesse videretur, quo vir bonus, eo bonus videri possit, delatam Peloponnesi provinciam accipit, non tàm hæreditario iure, quàm in partem, ac iustissimum præmium, cùm impensioris illius gratitudinis in parentes, tum exhibitæ fortitudinis, ac totius eius reliquæ virtutis. Arbitror enim hîc concurrisse, vt qua quis lubens dicat, quò iure admodum delatam viro provinciam velit probare. Accepit ergo neque patris congruentem desiderio, nec verò filij virtuti, sed præsenti magis fortunæ, ac rebus sic afflictis. Atenim videor non accuratè verba vsurpasse. Vt quis enim vero proximiùs dicat, non tam illi Peloponnesus data est, quàm ille Peloponneso. Nihil enim illa per id tempus auxiliari poterat; sed eius magis auxilio egebat; tametsi & ille sic haberet, vt ei nihilo seciùs auxilio opus esset: qui nuper nudus omnibus egressus præsidio, nihil per tempus, commeatûs necessarij comparare potuisset. Commeatum dico, armorum robur, sufficientesque pecunias, in necessaria militum impendendas subsidia, ac omninò in quæ impendi commodum videatur. Quod enim ad ingentes thesauros spectat, confertumque marsupium, ac aurum argentumque malè congesta, ac peius servata, hæc, si affluebant, haudquaquam apponebat cor, Davidis obsecutus consilio. Cæterùm divino planè nutu ac instinctu, avo inde rogante, patruo obsecrante, patris iudicio, matris voluntate, sed & meâ ipsius, ad vos desideratus venit: quanquam non facilè fuit paternis, maternisque avelli manibus; addam verò & meis; nedum ab impensiori illo affectu, sed & quod ex anteactis iam probasset, quàm posset iuvare gravissimis temporibus ac rebus, à quibus necdum perfectè emerseramus. Quia tamen operæpretium erat, vt obtineret quod erat potius, obtinuit quoque, bonoque omine, vnum quid membrum ab vniverso corpore vestri causâ avulsum, vobis illuxit. Sileo res intereà gestas, vt ne narrando prolixus efficiar.

Psal. 61. v. 11.

Sic ergo ille patris pariter, matrisque ac vniversorum precibus optimè instructus præmittebatur, quibus etiam educatus esset, ac promovisset ad meliora à teneris ipsis vnguibus, donec ad vos missus est. Iis precibus deducebatur, cùm à patriâ dimissus navim conscendisset: iis adnavigabat, lugentibus cognatis ac deducentibus; iisque sibi præsto fore sperabat divinum numen. Nihil sine illis aut cogitabat, aut omninò agebat; quâ etiam de causâ conficiebat omnia, cùm difficilia quæque ac tremenda in contrarium ei cederent.

Magna precum instantia.

Quid verò opus singula prosequi, quæcunque Peloponnesi vrbes, vel à vicinis Latinis, vel à Turcis, mala sustinerent; cùm ij, quà à continenti, equis invaderent; quà à mari, piraticis tentarent navibus: ac quot modis ea provincia vexaretur; cùm matris quidem frater, optimâ vir indole, reipublicæ regendæ probè gnarus, qui & Peloponnesi præfecturam gerebat, iam vivis excessisset, nullo relicto filio hærede; sed eius fratre imperij successore; viro quidem probo, atque vt spectes personam, præclaro, ac senectâ venerabili; quem tamen morosior filius; (dicendum enim quod res habet;) quæ essent operæpretium præstare prohiberet; quamobrem omnia simul pessum ibant, *Arabio*, vt dicunt, *tibicine*. Quid verò vobis ceu vnguibus, narratione vulnera refricem? Alioqui frustra hæc narrentur, cùm feceritis ipsi rerum periculum, adeóque probè sciatis. Sint itaque ista hactenus in parte posita: quæ verò post eius deinceps adventum contigerunt, hæc prosequenda operæpretium habeamus.

Peloponnesi status cùm Theodorus adiit provinciam.

Chil. 1. Cent. 7. 32.

Pausa 1.

Vbi itaque navi emissus esset, summâ ab omnibus lætitiâ susceptus est; nec eum in se amorem processu obscuravit, quod plerumque videas accidere: quin potius vniversos demerendo, copiosis semper augmentis illustravit. Festis omnes gaudiis epulabantur; si tamen excipias hostes virosque multâ vesaniâ ac morositate ducentes vitam: quorum primi, cùm iam inevitabili sagenâ conclusos vos putarent, spe deinceps frustrarentur; secundi verò, haud aliud quàm alienis clamitantibus delectari nossent, cùm & ipsi paribus implicati essent: quod planè cùm valdè morosum, tum æqualis dementiæ est. Cùm enim pro suâ ipsorum salute tremere habuissent; ii potius comedebant minores, si qui maiores evaserant, vti in captis piscibus solet. Quos enim sagena clausos habeat; haud suam satis scientes sortem, maiores ipsi, minutiores alios comedunt, quos ipsos rursus grandiores alij sint comesturi; huncque modum, Mercurij rete, vt sic dicam; tanquam in eo, quàm in mari expeditiùs ventrem impleturi, trahunt. Cùm ergo vniversi hostes, ab eo vt terrerent, in terrorem ipsi agerentur; hominesque nocendi artem docti in latibula se subducerent; bonis interim gestientibus quòd ea deinceps tutò admodum præstare possent, ex quibus vrbes divitiis augeantur, altam agentes pacem; quæ & ipsa, divitiis omnibus melior est: consobrinus, cuius paulò superiùs facta est mentio, Turcis se ac Latinis miscens, multis ei modis negotium facessit. Statim ergo confudit omnia, ceu turbo à tranquillitate emergens, cùm necdum res firmiori statu in bono haberent. Erat porrò minis tremendus; ac neque res ad terrorem minores erant, quòd novum haberet conscriptum militem, pluresque indigenæ ab eo sta-

Bonis acceptus Theodori adventus.

Scita metaphora.

Consobrinus Theodoro infestus.

tetit

rent, ac relicta à patre præsidia teneret. Atque vt verbo dicam, exceptâ illâ non è ratione audaciâ, atque vt iniusti belli auctor esset, erat alioqui non degeneris animi, nec verò expers peritiæ bellicæ ac prudentiæ. Cùm ergo omnes in desperationem adacti, fugam consulerent, tanquam videretur non posse fieri, vt tantæ illi malorum inundationi vnus ipse obsisteret: secus ille, mori promptus, quàm vt committeret aliquid, quod minus personam suam ac vitam deceret; sicque, cùm parentes ac genus vniversum; tum præterea eius admiratores virtutis; suamque ipse indolem, probro afficeret. Benè itaque de Deo, ac parentum precibus, suisque adeò ipsius moribus, fretus, ac quòd invasor iniustè imperium pararet, iustè se vim propulsaturum sperabat: reliquis enim omnibus, hostium præstabant partes.

Chil. 1. Cent. 1. s 8.

Enimuerò, cùm eo res statu haberent, *in novaculâ, vt aiunt*: negotium totum probè dirigens sapientia, ac quod cuique conducens esset egregiè dispensans, iuvenem quidem ab humanis tollens, inhibuit agere, quod animo constitutum erat: Dixerit alius; quod ei malum esset; vobis autem Despotam, Peloponnesi totius Dominum præfecit, appellationem rebus confirmantem: Nihil quippe omninò agebat, aut voluebat animo, quàm quod modestè ac è virtute rempublicam gerentem deceret: quæ res famâ volans, eos quoque ad sobrietatem compulit, qui rem eius nihil scirent: plurisque faciebant omnes, vt quod ille gratum haberet, præstarent; idemque dictu sit, quod Deo gratum esset.

Sublato Deus æmulo pacē dedit.

Famâ igitur vbique pervagante, vt vir quidam admirabilis, hæc, ac illa bona vniversis præstaret; non quærens quod suum esset, sed quod aliorum: Non enim latent summorum res: ad eum confluebant, cùm vicinæ, tum longiùs positæ gentes. Nam virtus, res est desiderium habens, bonisque attrahendis, maiori supra magnetem efficacitate pollet. Cùm ergo continens, tum mare confluentes ferebant populos, eratque dulce quid ad spectaculum, quod per illud tempus fiebat. Desertæ pridem vrbes ac loca, novos colonos habebant, saltusque aratro scindebantur, ac tota mundabatur regio: sed & multa loca aspera, nullis olim præterquam latronibus commoda, leniora effecta, ac peritorum arandi manibus cicurata, mandatas arbores, ac omnis generis semina recipiebant. Sed & Illyriorum dena circiter millia, mutato confertim solo, adductis filiis ac vxoribus, substantiisque ac pecore, Isthmum petierunt; fixisque illic tabernaculis, ac stratis lectulis, suarum ipsi rerum nuncij pro inopinato adventu fuerunt. Ad hæc, nullâ morâ, perquàm magnificam legationem ad eum instruentes, percontabantur, quid de illis operæpretium ipsi videretur: sibique constitutum aiebant, vt impetratâ veniâ sedes figerent ac omninò præstarent quod illi visum esset. Ille gaudio receptis legatis, per eos, eius sibi populi duces adesse iubet. Tum verò vt se repræsentassent à prudenti admodum consilio amanter amplexans, innatæque dulcedinis gustum faciens, sibi illectat, ne petitis quidem obsidibus, aut qui fide iuberent, eorum satis ad fidem sacramentum habens: quanquam erant auctores multi: nihil id alienum à ratione dicentes: vt ne vllo modo reciperet: tum quòd multitudo formidini esset; tum quòd scandalum creaturi viderentur, pro eo quod aliis moribus viverent. Cæterùm ille commodat quidem fidem, qui à se ipse fidem haberet. Quod quis enim habet, etiam dat; ac quod est ipse, hoc alios quoque existimat: cùm verò sibi, tum aliis suadet, firmissimis rationum momentis, ne si velint, posse eos quid mali facere; eòque fore vt & nolint: evenitque vti censuerat ipse ac affirmarat: quæ sanè res, tria hæc illi abundè astruit; auctoritatem ad fidem; fortitudinem: prudentiam: quod habuerit fidem: quod fiduciam: quod bene coniectarit. Adeò ergo numerosum militem comparat: nihil illum vulnerum rudem: bello autem cumprimis opportunum, cùm præter hæc tria, nullos posuisset sumptus, sagacem animum, linguæ vim; morum bonitatem; thesaurum planè singula inexhaustum.

Eius fama acciti Plures.

Pulchra sent.

Illyrii in Peloponnesū ad Th d. rum cōcedunt.

Pulchra sent.

Cùm itaque exceptâ Peloponnesi virtute, quæ & ipsa per se non modica esset, maximæ eos haberet accessionis loco, maiori supra omnem existimationem facilitate, benè ex animo omnia constituebat. Quando enim modica quoque accessio non rarò totum præstat, quid non tanta illa, reique adeò bellicæ peritiâ præstans, confectura erat, Neque enim quamquam per se alacres ac strenui erant, omisit, vt meliores efficeret: quinimò, vti eorum in se amorem, sic & meliora omnia eis adauxit, quâ verbis, quâ rebus monstrans, quæ facto opus essent: produntque per eos ab illo gesta; quanquam eis non omnia accepta refero. Qui enim? Nonne enim hostium cepit vrbes? alias quidem expugnando ac cùm obsedisset, alias ipso belli clamore, ac primâ statim irruptione; plures quoque cùm exercitum invadentem occupassent, ac necdum propiùs admoto, sese dedidissent? Nonne solitos terrere in terrorem egit? Nonne iis omnibus fiebat, vt qui ante eius in provinciam adventum, ex prioribus victoriis insolentiores evasissent, attoniti deinceps confusique viderentur, quibus audacia illa, ac quibus attollebant animos, in contrarium dederent? Nonne deprecabantur? Nonne venerabantur? Nonne rapta omnia cum accessione reddebant? Nonne insuper pendebant tributa, vt in somnis vidissent, inexpectato visu territi, è strato prosilissent? Nonne dulcius hoc habebant, quò essent à periculis immunes, quàm quod priùs acceperant? Nonne serviebant sub armis, quibus fuerat festadies, vt vel inermes nostram diriperent. Porrò fileo Principis multam superbiam abundè ex rebus coargutam. Nonne is extremis digitis ac fastu incedebat? Nonne supra nubes? Nonne promoverat ad summam arrogantiam? Ille nihilominus sic animi sensis ac verbis habens; sic verò verbis, inflexione ac habitu, omnibusque, quibus quis animum tumentem prodat, alius ex rebus proditus est, nec id multo deinceps elapso tempore. Paucis siquidem obviam factus, quorum erat equisonum aliqua manus, ac eorum qui nunquam fortè gladium in hostes strinxissent; audax ille; ille arrogans; ille iactabundus, qui multo equite instructus invaderet, multisque vndique armatis circumfusus ac vallatus esset, numerosáque illâ cataphracti militis cohorte præsumeret, nec manus quidem sustinuit conserere, sed & puto prior omnibus arripuit fugam, cùm necdum congressus esset; opportunum arbitrans, vt lanceæ ac ensis loco, stimulos ac scuticam adhiberet. Sanè vbi equum habenis retrò inflexisset, tergaque vertisset volentibus insequi, haud prius à fugâ destitit, quàm eum vnus nostrûm, non hastæ cuspide, sed manibus cepisset. Hic verò, quis? Num dux exercitûs? Haudquaquam. Siquidem enim Achaiæ princeps eo prælio manibus vsus esset, vti & armis habebat vti, haud ab alio puto, quàm ab exercitûs duce, capiendus fuisset. Erat quippe, vir planè strenuus ac fortis; nempe Raoum: Is enim cùm apud me merens, tum vbi Peloponnesum petisset, clarum omnibus viri optimi specimen præbuit. Quia tamen ille nihil retrò aspiciens, totus in fugam effusus erat, haud licuit duci exercitûs, vt deserto ordine longiùs insequeretur. Num verò quis nostrûm vir nobilis, aut omninò fortis, dedititium accepit? Ne id quidem: Nemo talium: ac neque prorsus aliquis spiritûs habens; sed qui tuba haberet agenda præmonere, ac caduceator, cùm turpiter dedititius ille, nihil præter vitam rogaret.

Quanta Theodoro præstitum à novis colonis.

Turpis deditio principis Achaiæ.

Cæterùm ingenui quoque ac nobiles quidam, cùm præter decorum omne in hostium tunc castris militarent; quod & habeat admirationem; & ipsi capti sunt. Planè verò secus oportebat, multis de causis: Nam nos sanguine contingebant; eos demeruamus cùm illi priores nihil contulissent; acceperant non

Græci alii cognati Manuelis cum hostibus capti.

modicos honores; vltrò se sacramento obstrinxerant, cuius religionem etiam homo ferus revereatur, ac velit integram: offenderant, cùm nihil fuissent læsi; pro eo vt darent pœnas, cùm nobis esset in promptu vlcisci, auxilium potius secundò impetrarant, eo eis bello infesto, quo cum paulò post, bello in nos conflato; turpe id factu ac atrox; manûs auxilio iunxêrunt. Planè operæpretium erat, vt & vitam nostri causâ spernerent; Ij verò, cùm ita operæpretium esset, nihil eiusmodi in animum inducentes, nihil nisi nugas omnia cogitabant; cùm vir quisque sapiens, ne minimum quid negligendum putaturus esset. Cæterùm, cui plurium aliorum, eorumque maiorum ac clariorum trophæorum accessione, hoc quoque, splendidum illud excitatum esset, ingenuè ac clementiâ illis vtens, domum abire permisit; quanquam nihil grati animi monumento ab eis accepturum speraret. Quamvis enim ex iis quæ præcessissent haud obscura futurorum notio haberetur, ille nihilominus à naturâ comparatum habens, vt bonus esset, haud sibi faciebat satis, nisi ipsos quoque hostes demereretur. Quamobrem, etsi anteriora liquidò futura indicarent, ipse tamen id solùm spectabat quod honestum esset, ac ne re vllâ à decoro decederet. Eos porrò qui boni esse renuerent, timebat quidem quam minimum; quàm maximè autem miserabatur. Nam natura, quid violentum est; nec vt quis aliquò velit trahere, in adversam partem facilè, inflexeris. Trahebat illa in bonum, illique eius ponderi, melioris habitus cumulo accedebat, quæ ambo sic conserta, in proposito demerendi omnes perfectè tenebant.

Captos Theodorus, libertate donat.

Scita sēt

Quid enimverò de iis dicere spectat, qui ad hostium castra perfugissent, ac cùm lupis, vt ita dicam, versarentur: qui quidem, gentilium suorum carnes comedere cuperent, suasque ipsi comederent? Prolixum esset ab eis perpetrata referre, præstatque omittere, quàm sic atrâ bile laborantibus insultare. Prorsus verò vt neque illi operæpretium habebant pessima patrare, sic nec ego habeam vt in illos ferar. Dicam verò, vnde ille eis animus coaluisset, vt in nos ita insolescerent, qui nihil criminandum haberent, quàm quòd nolent eius subdi imperio, cui iure subditi essent.

Scitis planè Persam illum: Baiazetem dico, Asiæ imperantem, ac Europæ dominum; vt gravis ac intolerabilis existens, ne ferendum quidem in Christianis, principis nomen putaret. Hic illis addebat animos. Eius freti potentiâ, necnon vicinorum nobis Latinorum hostili feritate, nostris imminebant rebus; sed & ferissima bellua vtrisque fidens, in nos invadebat; ambæque partes, partem alteram, vingentium porcorum more, vicissim acuebant ac irritabant.

Vt Orientis Imperio cōflatus interitus

Sic verò habet: (Porrò lubet vniversim dicere, vt præteream singulos:) habet, inquam, vt Christiani in infidelium nobis hostium castris perfugæ, liquidò insani sint, atque adeò iis deteriora agant, qui læso cerebro sunt insani. Illi quippe, vel si gladium in se adigant, nihil tamen læserint animas: nullumque inde contrahant odium, sed multam potius miserationem videntibus faciant: cùm illos omninò necesse sit apud sobrios quosque sibi odium conflare, qui sponte per sensus omnes, animas suas polluant. Ea enim oppidò cupiunt invenire, quorum causâ à principio ad fidei hostes defecere: nempe divitias, & gloriam, ac si qua sunt delectabilia huius vitæ: fieri autem non potest, vt hæc ab illis consequantur, nisi se iis gratos componere studeant, nisi præstent omnia quibus illi gaudent: id autem haud omninò aliud sit, quàm more barbari vivere, ac sponte se nefariis actionibus contaminare. Quæ ergo illis accidunt, longè iis sunt deteriora, quæ furiosis; summóque omnibus odio; nullâ autem miseratione prosequendi videantur; tum quia suâ se voluntate malis dedant, tum quia corporis loco lædant animam: ac quod omnibus miserabilissimum videatur, quòd omninò necessum habeat, vt perdant quidem animas; suumque ipsorum honorem, ac genus vniversum probro afficiant. Cæterùm, quæ ad hæc impellat causa, vel à principio nulla existat, vel vt aliquando extiterit, haud admodum sit duratura. Quamobrem etiam ad instar bullæ citò inflati ac tumentes; qui, inquam, locum optimum ac sortem apud infideles nacti videntur; citò dirumpuntur, inanesque illis animi ac flatus, in nihilum cedunt. Iure id quidem. Vt enim eorum segniùs voluntates sequantur, suspectiores effecti, mox contemnuntur, tanquam eorum studiis minus congruant: ac quanto putas habentur despicatui? Sin autem faciles accedant, iis quæ visa sint Barbaris: Velint illi eorum legibus ac moribus vti, vtque dirâ immanitate genus perdere satagant; hàc quoque non immeritò odium referunt, propter illam in genus ac suos crudelitatem: nec propter mutatos mores, ac quòd ad institutum aliud commigrarint, laudem ab eis habent, tanquam visi faciles ad quæ quis velit. Quamobrem etiam non eis credunt, vt sint in secundis perseveraturi, Iurè equidem. Qui enim facilè adeò mores conculcavit quibus consuevisset, quâ sit ratione accuratè servaturus, quos nuper amplexus est? Item qui malus est in genus ac suos, vtique & in seipsum: Nam pars continetur in toto. At qui malus est in seipsum, in quem alium possit bonus esse? Quinimo vt diligentiùs attendamus, hic talis, suæ ipsius conscientiæ odibilis est: qui verò non vniversis? Verùm quid hæc dico, qui possim quod est maius ostendere? Neque enim sinceram in Christum fidem ac confessionem servare possunt. Vt quid verò? Qui enim pactis cùm Christo iuratis, supremam in eum amicitiam, odiumque in dæmones polliciti sunt, secus tamen deinceps præstant. Imò sit apertiùs dicendum, ac mali indicanda gravitas, quanta sit: Qui lubentes cum Mahomethanis agunt, eisque, cùm fidei hostes existant, contra nos auxilium ferunt, inimicâ acie adversus Salvatorem ac Dominum Iesum, qui existat fidei auctor, consistunt, palamque in eum bellum gerunt.

Furiosis deteriores Christiani perfugæ ad Turcos.

Quàm eorum inanis spes.

Scita sēt

Christū impuggiāt qui Turcis in Christianos opē ferūt

Sed & aliud non bonum sequitur; nisi velis valde malum. Suis quippe illi rebus ac gestis, Mahomethem Prophetam ostendunt. Nam scelestus homo, gentibus à se deceptis, ac compulsis in errorem, victoriam de nostrâ ac Christianorum gente promisit. Qui ergo illis ad victoriam opem ferunt, mendacio vtique fidem astruunt. Quamobrem, vt dicebam modò, nostri illi hostes in infidelium castris perfugæ, insano palam furore feruntur, ac iis, qui læsos habet renes, deteriora faciunt: ac planè, cùm in se ipsi gladium impellant, suas magis ipsorum animas, quàm nos impetunt.

Mahometho afferunt fidem.

Resumpto autem sermone, quæ sunt deinceps prosequamur. Invicem se ad mala provocabant, Satrapa pariter, quique apud eum perfugæ erant: ac quâ ratione vector actuario remis vtens, scapham quidem remigio agit, ipseque vicissim ab scaphâ rapitur: sic illi quoque, eùm in nos, per summam iniuriam infideles illos agerent, ipsi ab eis vicissim raptabantur. Invicem itaque provocantes, invicem irritantes, ac sibi mutuò stimulus, vti in pueros in vos invaserant, ac multâ vi, vestra omnia transversum agentes, labefactaturos putabant. Tametsi nihil conficiebant. Eius siquidem virtus obsistebat, quem illi expugnabant; cuius tanta in eo præstantia erat, vt vbique volenti, benè ei propitio Numine, victoriam præberet.

Quòd verò omnia in vos nefariorum molimina in nihilum cederent, videreturque Barbarorum in Europâ positus exercitus, multis vndique obseptus negotiis, haud facilè in Isthmum posse invadere, iugique incursione regionem vastare ac Satrapæ servire consiliis: consilij inopes, auctores sunt, vt ex Asiâ in Thraciam per Hellespontum transmittat, prætereùnsque, petat Macedoniam, ac inde per Legatos, fratrem meum sibi adesse iubeat, occultè verò immissis susurratoribus, mala gravia comminetur, nisi morem gerens

Baiazetem æmuli dolis instruūt in Theodorum.

accedat;

accedat; plutaque ac magna, quà per legatos, quà brevibus destinatis epistolis, promittat: Hæc autem fore promittenda: Fore vt nihil contristet; vt maximis augeat honoribus, ac quàm brevi remittat, nec quicquam amplius vllâ prorsus re molestiam faciat.

Ita quidem illi ad Satrapam: Ille porrò credit, nequiusque ac illi suasissent, vniversa gerit. Vt enim quis in mala provocet malum, aut etiam in bona, bonum, *Lydum in campum*, aiunt. Hunc ille sanè modum, in Romanorum, seu etiam humani totius generis provocatus malum, suâ ipse sponte incitatior currebat, multaque malitiâ fucbat dolum. Qui enim, nedum cursu, sed & volans, vt & alæ adnasci potuissent, appeteret, qui Satanæ obsequium præstaret, cui id vnum operæpretium est, vt machinas dolosque nectat in Christi fideles? Quanquam & ipse, nihil à se aliud quàm dolos parturiret, donec vlciscente Numine pœnas dedit earum iniuriarum, quibus fideles vexasset. Leoninam itaque ac Vulpinam indutus, ambasque crebrò mutans, destinatum se finem celeriorum putabat. Ille nihilominus, valde vtique perspicuus erat. Eò quippe rem totam moliebatur, vt occurrentem caperet, eiusque vrbes in deditionem acciperet, ac animas simul ac corpora perderet.

Acquiescit ille sponte suâ incitator. Chil. 3. Cent. 4. 56.

Haud itaque fratrem illa laturum: Qui enim potuisset? Veritus tamen, ne vitæ amantior quàm officij ac honoris videretur, periculum pro multis adit. Nec verò illud primum, vti nec postremum adiit. Semper enim minoris æstimavit vitam, præ gloriâ, ac gente, ac siquid vniversim operæpretium videretur: qui hoc quoque perspicuè nosset, vt magistratuum primè primque vtilitas, in subditorum vicissim commodis posita sit. Eorum itaque felicitatem, suam ipsius ratus, omnibus omnia fiebat, vt omnibus benefaceret: Sic illis ac sibi ipsi conducibilia, reputabat pariter agebatque cùm ita honestum suaderet; ferebatque, quæ molesta essent, ac pericula habentia gloriam, facile sustinebat.

Theodorus Baiazetem adit, spreto alioquin causâ periculo.

Principis vtilitas in subditorum cõmodis.

Totus ergo iis cogitatibus plenus, quibus vel Platones, vel Alexandri: pater ille vester; ille amicus, præceptor; prudentiæ doctor: dominus: ille apud vos agens, cùm medici, tum pastoris, gubernatorisque, ac omnium deinceps salutarium rerum pariter ac nominum, perfectè locum tenens; quemque, vt omnia verbo complectar, nullum deficeret bonum: se ipse pro suis, atque adeò plurimis aliis, spernens, Satrapam adit, cùm nullam prius adeundi fecisset spem: imò negasset iturum, vt ex inspiratâ præsentiâ dulciùs afficeret, proque rei inexpectatione gratior tyranno occurreret; simulque ostenderet profectum se voluntate, non quia ille blanditiis aut minis decepisset. Illum itaque, nosque ei socius, qui priores venissemus, Pheris vrbe invenit. Etenim ipsi quoque, accersente illo veneramus, cùm gravis quædam necessitas, pro subditorum depellendis periculis, eo me tunc præmisisset. Hoc porrò interdictum nobis volueramus; vt ne, inquam, adiremus simul. Quippe videbatur haud ita tuta nostra ad eum profectio, cùm ille pridem iniquam in nos necem parturiret. Accidit tamen plenum illud timore, cùm ego adhuc eum domi putarem; isque vicissim idipsum de me cogitaret; ac velut ex condicto essemus profecti; eâdem die, vt benè meminerim; ac si vis, eâdem ipsâ horâ. Sed & accidit quid peius, vt nempe omnes vllo modo Christianorum duces circum Persam stiparent; qui nimirum ad eum itare, eique adesse soliti erant. Multo quippe studio congregaverat, communem omnium interitum meditans. Porrò illi operæ magis pretium putaverant, vt eius conventûs aream subirent, quàm vi iubenti morem non gererent. Res sanè plena periculo omnibus meritò videbatur, vt ad eum vniversi simul confluerent. Neque enim erant qui virum nescirent, eiusque in eos voluntatem: eius tamen mandatis nulle morem gerere, id verò gravioris longè periculi ducebant. Neque enim esse, qui contemptæ iussionis iniuriam ferret, aut sibi ipse quietem imperaturos esset: fore autem, vt omnes vellet perire; atque volens perdere posset. Malum itaque malo præoptantes, suamque Deo commendantes sortem, ac in spe peragentes iter, vitæ se incerto commiserant.

Macedoniæ vrbs munitissima.

Manuel quoque ac optimates Christianorum, à Baiazete dolo congregati.

Enimuerò, quod de me quoque ac fratre persuasum haberent, haud fore simul tunc adituros immanissimam belluam: qui nimirum scirent, non quod accidisset fortunâ, sed quod esset nobis constitutum: magnam partem timorem dispellebat, istamque submovens suspicionem, venire invitabat. Noverant enim fore, vt inferni instar vniversis absorbendis hians tyrannus, iure merito timendum haberet, nec in contrarium consilium verteretur, vt in omnes impudenter putaret sæviendum, cùm nos in potestate positos non haberet. Vbi autem venientes, me cum fratre apud Persam viderunt, ac scientes rem accidisse præter eorum mentem, linguâ ad longum tempus hærente, nihil mutui sermonis conferre potuerunt. Vt autem resumptis animis, serò tandem vixque licuit rumpere vocem, hanc primam mittentes, clamaverunt omnes, *Desperavimus*.

Cùm ergo ii in hunc modum vnà nobiscum congregati essent: O quomodo confluebant omnia, in quem summum aciei cuspidem, vt sic loquar, timores ferebant! venit recens ex Selybriâ Imperator nepos. Hoc porrò abundè sic confudit, vt in desperationem omninò cogeret, ac ceu desperatâ vitâ ad testamentorum cogeret tabulas. Eramus agni in medio luporum, quales Domini oraculum discipulos habet, hostiumque capita, instar aspidum ac scorpionum calcantes, nihil damni ab eis ferebamus, eius ambulantes fide, cuius est potestatis salutem. Meum porrò fratrem haud lætus suscipit homo bellua: cui nimirum aliè esset animo repositum, vt veterem deinceps iram vlcisceretur: at neque morosiùs, vt videbatur: Reverebatur enim, sin factas fratri promissiones; at me saltem; ac ne videretur ne ad horam posse iotùs venenum condere, sed illud statim cogi evomere.

Nepos Theodori ac Manuelis filius Ioannes.

Cùm sic itaque animi haberet, consilium init: Nolim dicere quo auctore: Esto vt eius auctor diabolus fuerit, quem ferebat pectore: vt nimirum nos, totamque nostram stirpem deleret: simulque omnes, qui fidelium rebus præessent, occideret. Iam enim olim ita animo habens, patrandum tunc facinus putavit; vt nimirum, mundata ab spinis regione: Nos spinas intelligens: eius filiis inoffenso pede Christianorum solo saltare liceret. Ac ille quidem consilium hoc agitabat; verus autem Dominus, nihilque mercenarius pastor, secus de nobis decernebat. Iussit porrò duci exercitûs, qui eunuchus erat vt nos noctu interficeret, nec vllo modo rem omitteret: sin autem, comminatus est fore, vt eius capiti staret. Verùm præcepit Deus, vt ne faceret, acciditque non absimile ei, quod in Sarrâ olim accidisset. Vt autem homicida rescivit, nedum ministrum non affecit pœnâ qui non obsecutus esset, vt etiam habuerit gratias, quòd benè distulisset: affirmans mox datâ sententiâ, haud se leviter rei pœnituisse; quæ planè mutatio haud alio evenit quàm Deo auctore.

Vult Baiazetes Græcos omnes principes necare, cũ Manuele.

Gen. 20. v. 2.

His ita gestis: nihil tamen animo Æthiops, nigredinem eluere potuit: Verùm vbi primùm iram evomuisset, gravibusque iniuriis pulsasset nostros; nonnullis classiariorum effodisset oculos, ac manus amputasset; virisque optimatibus multa irrogasset probra; velut eâ vindictâ alienum à ratione furorem sedasset, stultè admodum posteà, quem tot modis læsisset ac confudisset, conciliare nitebatur, muneribus delinitum ac donatum, domum remittens: tanquam flentes quis pueros à nugis, bellariis placet. Eius porrò animus haud obscurus erat. Nimirum eò tota ferebat fabula, vt fratrem postmodum in vincula mitteret. Haud enim tutum videbatur, vt ambos simul appeteret:

A

quanquam poterat præstare: Deo tamen cœcante, se posse nesciebat. Nec id verò Barbarus intellexit, fore vt me deinceps amicum non haberet. Cæterùm arbitrabatur fore, vt summæ ineptiæ verbis deluderet, post tot nostris irrogatas injurias, ac cùm fratrem adhuc in manibus teneret, ejúsque præcipuas vrbes, ceu paterna hæreditate ad ipsum spectantes, repeteret; eáque daret jura, quæ nec bello captis sapiens quis imponat.

Sic ergo affectus Macedoniam, ac tum Thessaliam pertransit, venítque in Helladem ac majorem Achaiā. Illic verò educto rursus exercitu, ac metari volens, quod regionem videret pascuis vberem, ac venationi commodam, necessarióque commeatui abundè opportunam; quadam tandem, haud omninò nota, die, ingenium prorsus detegit, impudentiúsque ac omni retrò tempore eo vtitur, nullo planè deinceps colore valens tegere. Misso itaque lictorum vno, vniversos feritate ac crudelitate vincente, cui nomen Mures, vrbem Argos donari petit, ac alias plures. Iam quippe Monembasiam acceperat, inane pretium redemptionis datam, cum adjacentibus, nec paucis, nec exigua virtute, oppidis. Equidem dimidiarum pollicebatur, vbi accepisset; accipiens verò rursus petebat, qui ad ultimum devorans, ne vnum quem superesse vellet; homo animo Cyclops, cui impietas, cœcitas esset, impudentia, antri rationem haberet. Nam hic quoque pastor erat sine ovium vti Polyphœmus, at hominum sanè vix quicquam à belluis differentium.

B

Bajazet petit donari Argos, iam accepta Monembasia.

Theodorus rebus difficillimis prudentia.

Quid fratrem intereà operæpretium erat facere? Num seductorem ac mendacem illum vocitare? Num coarguere? Submovere? Despuere? Nullum probri genus in eum omittere? Quid enimverò inde commodi retulisset? Præterea ne spem quidem abjecit, vt conserto etiam pede procederet. Enimverò erat obstinaciùs, ac vsque in finem contradicendum? Sic quoque ille habuit, quandiu facere licuit. At nullo modo erat cedendum, quicquid accidisset? Verùm erat non sani capitis, vt cui nudatus ensis incumberet, vsquequaque obstinatus persisteret. Haud enim aliud erat, quàm cum in se impellere. Sed enim erat præstandum quod hostis vellet; ac prodenda omnia vt vna solus constaret? At hi, primùm quidem nihil quicquam hoc sani loquuntur: nec ille vnquam consensurus erat, cui majus omnibus habe-retur, vt ne quid vnquam turpe committeret, quique brevissimos annos cum gloria, longissimis sine gloria lubens præoptasset. Præterea haud is animus homicidæ erat, vt acciperet omnia, ac tum quiesceret: sed vt postquam accepisset, datorem occideret. Erat itaque Hellas per id tempus similis freto Siciliæ: Illa sanè Satrapæ insania, lictorísque minabunda monitio, gravius quid Charybdi ac Scylla videbantur, quarū nudis ipsis nominibus, terror contemperatus est.

C

Pulchra Vlyssis typo descriptio.

Cæterùm, novus hic, omni tibi parte bonus ac solers Vlysses, multos ipse ac omnis generis seductores expertus, suáque adeò sponte malis defunctus, pro iis, qui ejus personam, ac radicem quā esset ortus, contingerent; ab omnibus liberatus, ab spelunca, à fretis, multísque nubium more tremenda multa ac molesta depluentibus: Adhuc quippe hærendum exemplo: incolumis prærternavigavit; omnésque prætergressus noxas, tandem aliquando domum reversus, Penelopem invenit: Peloponnesum, inquam, ei se incontaminatam diligenter servantem: non quidem retexentem telam, procósque tentantes spe alentem; sed eos palam repudiantem; quod longè præstantius est, tantóque illi antecellit, quantò ne verbo quidem visa est castitatem polluere, quod frustra requiras in Penelope. Non defecta enim constánsque prudentia, omnia facilè confecerit: quippe cùm ratio vniversis superior sit.

D

Theodorus multa œconomia illudit Bajazeti.

Tibi itaque bonus Despota, nec pro petitionibus exasperatus, quanquam erant tantò injustissimæ, quantò offerens injustissimus erat: Porrò confertim depluebant, nivis instar ab hyberna nube copia glomerantis: sed neque minis perterritus: Erant verò semper novæ ac posteriores, parte aliqua antiquis ac prioribus deteriores truculentioréſque: nihil acrius, aspetiúsve, aut durius; nihílque rursus illiberale, aut molle, vllóve modo dissolutum prodens, aútve omnino loquens: útque verbo dicam, nihil minus tempori congruum: quin opportunè omnia gerens, pueris ipsis simpliciorem cum ostendit, qui per impudentiam, haud ei aliter ac puerulo putaret illudendum. Hic itaque prudentiam adhibet: Neque omninò in finem vsque tenuit; quod quisque animo defectus passus esset: nec statim dat manus, vt neque nimia renitentia tumentes viri animos abundè acueret; nec tanta illa facilitate, justam hosti suspicionem præberet, quasi dolum animo condens, ac quid machinans, sic ei indulgeret, loquens aliud, ac aliud cogitans.

E

Hunc ille modum solertia vsus, vt nec meliùs posset, nec vllus vniversorum re ipsa vsus esset, vt perinde morum duritiem ac contrariam mollitiem caveret: quorum plerumque alteram alterámque subinde patiantur, qui injuria afficiuntur; sapienter admodum medium tenet iter, ac eo æqualiter incedens, draconem hactenus ad lenitatem componit: quanquam ille, haud eam diu exhibere potuit. Sic itaque velut ejurato custodiente milite, opportunum judicavit, aut mortem oppetere, aut fuga evadere, quod vltimum accidit, vt oratio deinceps ostensura est. Mittit itaque domum epistolas, quales mittentes vellent. Missis autem à Satrapa, vt præsidia, ac Agamemnonis dictam vrbem acciperent, eos adjungit comites, qui eorum sententia, essent tradituri arces. Ij autem provt injunctum erat, lentiùs incedentes, vixdum puto Corinthum aspexerant, cùm præter omnium spem, excepta tamen matris ac mea, virum strenuum vident. Neque enim generosum viri animum nesciebamus, honorísque amantem, ac periculi: Sed neque res præter conscientiam evenerat. Eramus ergo velut suspensa aure, vt vel deprecabilem ac tristem nuncium audiremus, vel quod nemo ante rei eventum ac ipsam rem visam, crediturus videbatur.

F

Theodorus fuga labitur.

Multos equidem tempus exhibuit, fuga lapsos à tenentium manibus, compedésque, ac catenas, & carceres, nihil eorum industriæ ac ingenio comparata ostendit. Sed & quidam hunc modum fuga lapsi, ipsos quoque miraculorum auctores, pro præsidij ratione, quo tenebantur, visi sunt superare. Vt quis tamen Theodori conatum, cum ætate prioribus velit conferre, nihil minus eis generosum exhibuisse invenerit, vt diligenter attendat, cùm tenentem quā polleret malitia, tum modum quo teneret, vtque tentus, tenentis conatus omnes inanes ostenderit. Sic porrò tenebant: Erat illi jubente tyranno fixum tabernaculum, ad ripam cujusdam fluminis: Nomen fluminis Sperchius, profundo vbique gurgite defluens. Ejus ripa tota latè regione assurgens, quod tota fluento ambiretur, vix non insulæ formam exhibebat: Nocturna verò custodia, numerosa cohorte constans, vndique tabernaculo turmatim affusa, totáq; angustias illas diligentia præsidio tenente, ignique ac cantilenis vigilias solante; ne ad horam quidem somno indulgebat. Nedū enim evigilabant vigilias, verùm & noctes totas, ita jubente Satrapa, ducebant insomnes. Ac ne in longum sermonem protraham, erant & reliqua omnia, perquàm his similia, si qua nedùm aliorum accessione, sed & ipsa per se singula, satis ad custodiam videbantur: quæ omnia viri vnius virtute fuerunt exsufflata. Quanquam neque hostibus probabilis vllus inesset timor, vt ille vnquam tot impedimentis prohibitus, posset aufugere, nec nostris omninò tentanda fuga putaretur. Illud quoque jure admodum admirationem habeat: nulli enim ab eo gestorū cedere videatur: vt cùm sæpe solus, vel etiam paucis sociis fugere licuisset, haud tamen sustinuerit, maluerítque aut redire domum cum quibus exivit, aut cum eis mori.

G

Quā arcto tentus præsidio.

Schol. Est hoc flumen quod nunc appellatur Hellas.

H

A

Secum omnes alios liberat.

Norunt sanè vniversi vt aufugerit; quâ nemo alius ratione, nullo amisso vel eorum, qui ab impedimentis sequerentur, ac nec vllo desiderato, cui geminum robur minus suppeteret ad necessarium incessum: vtque fuga lapsus ceu volucris quædam, jam ante profectos sit assecutus, atque ea re, inani cursu fatigatos persequentes ostenderit, eorúmque molitiones ac consilia, haud secus ac eorum capitis pridianam temulentiam confuderit: subtile verò illud fugæ molimen ac modus, quo, quem par erat, despuium ostendit; vtque totum illud inventum, résque interim gesta, sapientiæ plena ac fortitudinis, prudentiámque ac dexteritatem quàm maximam habens extiterit, vt possit enarrari, haud tamen orationis figura permiserit.

Illud enimverò quod satis habere videatur, ac omninò justum sit dicere, operæpretium dicam: Palàm omnibus esse, benè à principio excogitatum opus, meliúsque peractum, ac fine donatum optimo, non nisi divino evenisse nutu. Vt enim ad vnum aliquem mirabilem finem multa concurrerint, neque humanæ sit virtutis, neque eorum quæ à casu ac fortuna sint. Ea res, vniversam quidem Peloponnesum ab imminente servitute liberat: vindicat verò ac asserit libertati, Thebas, Athenas, Megaram, ac alias Græciæ vrbes, quibus Despotæ gener Ranetes nomine, vir vtique prudens, præfectus erat: vindicat denique totum Illyricum, nec non alias plures gentes barbaras. Liquet verò: Qui enim tenebat fratrem; tyrannus, inquam, Persa, cum jurasset, ac multum animi fastu, domum se reversurum, nisi subjugatis omnibus ac deletis, negaret: Nec verò jactantem putes majora quàm pro facultate, quæque non facilè præstare posset ille, inquã, postmodum a plaga demittens oculos: Plagæ enim similis illi fuit fratris mei fuga: neque si qui talia ad gratiam loquerentur, libens andivit, qui summæ ea adulationis verba perspicuè sciret.

Scita sét

B

Multa ex fuga Theodori in rem Christianam commoda.

Multis itaque ac magnis titulis vester Despota præclarus fuit: Quòd mori elegerit ad dignitatem tuendam. Id enim palam immunebat adeunti Barbarum, spirantem, cùm ei subditorum cædes, tum aliorum: Quòd ejus effugerit manus: Nam captus erat, iisque retibus tenebatur, ex quibus nulla spes effugij esset: Quòd bestiam devorandis omnibus inhiantem, ac nihil impedimento fore arbitrantem, inefficacem omninò, ejusque ventrem inanem reddiderit: Quòd eo in periculum adducto, gentes plurimæ ac vrbes præsens discrimen aspexerunt; emergente autem singulari exemplo è Barbari faucibus, è quibus nemo semel ingressus, postliminio reversus esset; palam à servitute vindicatæ sint: quanquam quibus ille tunc saluti fuit, ne minimum quid auxilij ejus afferrent rebus, qui omnium semper rebus studeret: (Nihil porrò de suis loquor.) pro eis quidem periclitanti, auxilij quicquam impenderunt liberando à malis; quò gratis partam salutem acciperent, qui nulla gratia essent digni, nec omninò in eam rem aliquid contulissent.

C

Tituli plures quibus inclytus Theod.

D

Theodorus martyr propositio.

Sed & voluntate Martyr extitit, qui se ipse pro multis tradiderit, proximéq; adierit pericula, ac tristia expertus sit, sustinuerítq; infamiam, ac alia, quibus animus mordeatur, possitque non spretor sæculi, dejici: atque adeò liquet ex omnibus, vt ejus sospitas, vniversitatis hominum salus esset, ac felicitas nedum omniũ illi subditorum, sed & eorum qui non essent ejus ditionis. Sic erat maximè admirabilis; sic multis vtilis, nec quicquam suis, quàm spiritus, minus necessarius: hostibus autem insuperabilis, ac eorum avertens impetus. Rem autem probat, quòd solo ipse in provinciã ac suos adventu, formidabilem illum submoverit, ac avocarit. Mox enim vt superbus homo rem rescivisset, desperãs se quicquam confecturum, elata jamolim vndiq; supercilia demittit, multáq; ignavia, ex multis trophæis, ijs si pariter ac majoribus ob multas ac magnas gentes devictas constitutis collectos ei spiritus, abjicit; traditque agrorum sacramenta illa, quibus se, collum extendens, ac indecorè caput cogitans, grandi clamore, ac supra præconis vocem, obstrinxisset; fitque mitis ex feroce, ac vix non balans ovis instar. Eum qui pridem lupis truculentior habat, dixisses cicuratam belluam, in eum repentè devectum statum, cùm nuper aspectu terribili in humanum rugiret genus. Cupiebat ergo citiùs demigrare, qui nihil se confecturum sciret: sed pudebat repentinæ adeò mutationis, ac vt Euripus ac stultus quis habendus esset, eos pavens, qui ab eo interim fugissent, fugiénsque nemine persequente, ac superioribus verbis rebúsque, contrariè tunc habentes res, ac verba ostendens. Atque vt paucis dicam, nihil ille postmodum prioribus simile, aut cogitare, aut loqui, aut omninò facere videbatur. Fingit verò egregium prætextum tegendi probrum. Ait acceptis à Sultano literis in Orientem vocari, auxilio futurus adversus Temerem Scytham, qui bello lacesseret. Fuit is Temeres, cui brevi post dedit pœnas, eorum, quæ impia gessisset, atque id iusto admodum fœnore. Quia tamen Sultani illæ literæ prætextus erant ac scena, dicebat quidem properè transmissurum Hellespontum, cùm nollet transmittere. Lentè itaque incedens, multum tempus insumit: atque vt velis, sic clam fugiens: moratur verò in Thracia; illicque exercitum cogit, vnde, ac quantum per facultatem posset, ingentésque adeò copias, vt iis Peloponnesi negotium totum, confecturus videretur. Mittit autem qui ejus hanc vniversam regionem populentur, qui nihil quicquam læsisset, quàm vt ne mortis ipse suæ ac cruoris gaudium belluæ faceret. Porrò jubet misso duci, Branzea nomine: Ejus verò haberis, compertos mores, vtque incomparabili odio prosequeretur fideles: vt ne cui parcat, sic nimirum ejus furor efferbuerat.

Vt mutatus Bajazetes à Theodori fuga.

E

Prætexit Bajazetes auxilium in Temerẽ Sultano ferendum.

F

Cæterùm erat quo grandem exercitum necesse haberet cogere, ac subsidio mitteret. Non enim poterat & præsidia servare, ac quas hic tunc temporis occupabat vrbes, nisi illa præsentissimum auxilium præstò haberent. Vobis quippe expugnantibus, ac cùm necessarij commeatus penuria laborarent, omninò necesse erat, vt præsente ille auxilio, præsidiò esset. Erat itaque ingens apparatus; dux exercitus sævus, copiosus miles, nec minori armorum quàm equorum apparatu instructus: nostræ autem res ex multis exiles erant. Ad hæc, apud hostem duces merebant cumplures indigenæ. Quàm verò putas ij impellebant, ac incitabant, vt nostra invaderet? aut quod verius sit dictum, quæ eorum essent propria.

Bajazetes copiis præfect. à in Peloponnesum immissus

G

Belli apparatus in Peloponnesos

Ac neque illud gravissimum aberat: Erant siquidem qui invitantes ingredi Isthmum, necessarium commeatum vbertim subministraturos reciperent. Erant hæc singula haud ipsa per se exigui momenti; quin etiam erant abundè, vt immittenti exercitum spem bonam præberent, immissúmque expectantibus ac invasurum, desperationem ingererent. Sic res habebant, vt dixi: nec tamen conatus viro ex voto successit. Quid autem ex voto dico, quando etiam tota in contrarium cessit expectatio Neque enim copiæ ingredi potuerunt, cùm vos occupassetis angusta itineris, petrosáque, & ardua, ac penitus inaccessa: quarum cassus reditus vrbes omnes, quas Turci occupabant, justè olim ac benè possidenti, ac postmodum possessuro, postliminiò reddidit: omniúmque præclarissimum id videatur, vt cum multo etiam fœnore receperit. Porrò appello fœnus, captas munitiones, quæ essent non spernenda pars hostium.

H

Arcentur Isthmo Bajazeti copiæ, vrbésque recipiuntur.

Ita res habuere, ac vbique gentium prædicantur. Cæterùm multa Infidelium ac impiorum felicitas, seu potius, piorum ac Dei cultorum, ex eorum in Deum offensa, infelicitas, invisum Deo hostem multorum Dominum constituit, quorum ille jure admodum servus erat. Fecit ea res ab eo conscriptum militem, numero ac virtute longè auctiorem, cùm neque alioqui olim exiguus esset, aut ignavus, vel rei bellicæ rudis; longo sensim tempore laborique exercitio

Vt Osmanidarũ ac nostrarum Turcarũ res promoverint, eorúmque virtus bellica.

duratus ferendis molestiis corpori, ac doctus, lubentiùs moratur in aliena, quàm in sua alij, vel si omnium bonorum feracissimam dicas. Has illi copias reliquit pater, cùm ille accepisset à patre, qui & ipse à patre acceperat, vt ille iterum acceperat à genitore Ertogrulea nomine. Hi porrò omnes hactenus promoverunt, sua vtique diligentia & labore ac periculis quæ desudarunt: Nam dicendum est quod res habet: haud tamen adeò potiori ac consummatiori virtute: quò planè sit spes, vt bona quandoque fortuna mutanda sit, iisque destitutis, ad nos iterum defectura, pristino rerum statu restituto, qualis habuit sub nostris majoribus. Quando enim virtus in omnibus superat, cùm sit in nostra positum facultate vt vitam è virtute componamus, haud immeritò speremus fore, vt eorum quondam victores evadamus, qui per tempus nostri victores existunt; qui oderimus vitium, paternæque ac avitæ virtutis imitatores efficiamur; ac æmulatores bonorum operum. Cæterùm, rebus illi; Bajazeti, inquam, felices successus habentibus, nostræ admodum imminutæ erant, ut universi non immeritò desperarent. Idem quippe prosperi hostium successus, ac imminutæ adversariorum vires cladesque eorum, valeant; ac è contra.

A — Schol. Sunt hæ personæ, Ertogrules Ormanes Orchanes Morates ac ipse Baiazetes.

B — Scita sêt.

Porrò jam accedo dicturus, quod planè Ischrymas clerat. Quidam enim, haud illi volgi homines, ac ex plebe infima: primùm quidem occultè, vt poterant: Nam puto eos, res pudebat, tùm verò palam ac liberè, hostibus accedentes: Solent enim primùm clam gesta, postmodum frontem induere, irremediabile nobis vulnus inferebant: An nescio quid illos dicturi estis; num Romanos ac Christianos, ob genus ac Baptisma; an è contrà, propter voluntatem ac acta? Num hostes, ob perversum ac furiosum proximum in patriam animum, an amicos, quòd vobis extiterint gloriæ auctores, tametsi non ex animo illis evenit. Ex iis namque quæ impiè in vos patrarunt, vestrum ex adverso effulsit bonum. Verùm præstet fortè hæc omittere: Interim autem prosequamur quæ reliqua sunt.

Deficiunt Optimates aliqui ad Turcos. Scita sêt.

Invalescebat malum, nec Barbarus scelus admittebat; quin impetuosius in nos ferebatur œstro, nec erat qui contineret, autve fratri auxilium ferret. Tantùm quippe erat vt in me consideret, cujus res multis partibus affectæ essent, ac cui virtus longo attrita bello sic concidisset, vt in summum malorum ventura videretur, nec quicquam, vt humanam spectes rationem, ad spem reliquum esset. Cùm me sanè, tum illum, duplex subibat timor, vt quisque pro se, ac ambo pro invicem solliciti essemus. More enim gigantis procedens calamitas, omnem penè omnino spem salutis excluserat. Interim tamen, mihi, meisque, ac auxiliariorum prudentissimis succurrit in Italiam, Galliásque inferiores, ipsámque adeò Britanniam. proficisci. Fore enim vt per me ipse apud eos qui possent afferre opé, legatione fungens, auctor iis fierem, vt quâ pollent vterentur potentia, nec deinceps, quod habent solemne, moras necterent, ac colluderent. Cunctis itaque consilium laudantibus: Vti enim à me primùm ad Principes ac sociorum optimos, ita postmodum ab illis ad reliquos quibus par esset, res pervaserat; quemadmodum visum erat, sic & factum est. Non enim plura loquar de meipso, nec aliis immorans, ac iis quæ spectant ad longam illam perfectionem, orationem protraham. Cæterùm haud commisi, vt navim quò sors ferret jactandam relinquerem, autve rudi alieni traderem gubernandam, ac cui minoris hactenus scaphæ gubernatio, sive electione, seu hæreditate, seu casu fortunæ obtigisset.

C — Secunda pars.

Manuel rebus alioqui desperatis, ac Occidentales auxiliû rogaturus ipse, accedit.

D

Enimverò quod filios matura satis ætate publicæ rei administrandæ deesset, optima mihi arte conciliatum patruelem, regendæ civitati, usque dum Deo donante reverti contingeret, præfeci. Frater ergo, hac quoque die percussus, meo, inquam, ab urbe ac patria recessu, priori majorem tristitiam concepit. Quippe meâ hinc absentiam, maximæ cujusdam orbitatis loco habebat: Erat planè longa navigatio ac trajectus, multóq; longior terrena profectio. Adeò autem res nostræ incertæ fluctuabant, ut & tardior, nec nisi post multum tempus decursum, reditus in votis habendus videretur. Res sanè ejus omnes, spes non bonas prætendebant, eorum expectatione, quæ ventura erant. Ille enimverò haud omnino despondens animum: quod vel unius tantùm eluctanda incursio alij injecisset; forti animo iis momentis habens, quæ moras non ferrent, malis aliquod remedium quærebat. Ac verò etiam invenit; Modus autem nunc, liquet omnibus, cùm res successit: tunc autem, arbitror, admodum paucis. Sic enim è re erat. Vt enim ulla suspicio fabulæ hostes infesisset; Palam quippe res fabula erat, optima tunc arte adornata, nihil unquam jussisset. Tota enim ratio vt posset obtinere, ab eo erat, ut esset clam. Quamobrem rem etiam cùm multi specie tenus rem viderent, nec scirent quod occultum esset, haud verum aliquid cogitabant. Nimirum, quòd non amplius ferret continua pericula, consilium inisse, ut honesto posthabens vtile, iis se subtraheret. Sic ille ad tempus communis studio utilitatis, gloriam prodidit, celando consilium, qui nusquam non gloriæ causa esset pericula amplexus. Processu quidem sumus exposituri fabulam; Interim autem altiùs reducenda oratio, quo ordine procedamus.

Ioann. Andronici filium vibi per absentiâ regendæ præficit.

E

F

Erant Rhodi in communi agentes vitam, viri castitatem, paupertatem, ac obedientiam, pro voto quo se Salvatori obstringunt, professi, bellúmque in crucis hostes; quam in vestibus, armisque ac insignibus ubique, ad honestatem ac decorum gestant. Ij, triennio jam, ni fallor, donante fratre, Corinthum suæ ditionis habebant, illáque ejus donatio, matris pariter ac meo consilio steterat. Nec verò quis miretur. Haud enim adeò miserabiles aliqui, mollésque ac ignavi sumus, ut eos nobis prælatos velimus. Verùm cùm omninò necessum esset, ut vel civitas ab expugnantibus Turcis caperetur, aut ut aliis traderetur, qui à præsenti eam discrimine, nobis non valentibus, liberare possent; visum omninò est omnibus aliis præferendos, tanquam qui nobis amicè vterentur, quosque fama esset religionis sacramenti observantes esse, eáque pollere potentia, quæ oppidò necessaria videretur, excepta eorum in rem majori alacritate, quàm aliorum qui potentiores essent. Res porrò gesta, tantùm Peloponnesi commodis addidit, quantùm tempus postmodum liquidò ostendit. Ea res, hostium incursiones e invasiones, quantùm probavit experientia, submovit. Neque enim vicini Barbari, fortem satis à se exercitum poterant cogere, nec verò Rhodiorum metu licebat, vt nisi magno priùs numero collecti, ditionis nostræ terras incursarent: ut autem per tempus, ac multis ex locis; quod vnum reliquum erat; grandem ejusmodi exercitum cogerent, résque lateret confines civitates, per quas fama in nostras derivanda esset, id verò opinor, factu impossibile erat. Vt autem hostes detecti sint, triste potius aliquid ferant, quàm fecerint. Ea res, majus quid tunc ad momentum rebus contulit, quàm cùm vir mirabilis, è Romani pridem Imperij ditione avulsam civitatem, eidem adjecit: Ea res, nihil minus sublimem admirandi viri sapientiam, ejusque vniversalem scientiam ostendit, quàm cùm vrbes alias suæ ditionis fecit. Planè verò, *Tempus est acquirendi, ac tempus perdendi*, quæ Salomonis sententia est, vt quis meminerit, cùm ille vniversis tempus distribuit quanquam duorum alterum; dare scilicet cùm sit opportunum, res sublimis animi sit, ac decorum.

Rhodiorum nunc Melites. institutû ac professi. Corinth. accipiût a Theodor.

G

Quam ea traditio Peloponn. rebat côtulerit.

Scita sêt.

H — Vtilitas Theodor. traditio Corinth. quam prius recepisset. Eccl. 3. v. 6.

Cùm enim plerique omninò respiciunt ad res præsentes, futurásque negligant tanquam incertas, vtique paucorum sit, vt patiatur quid sibi subtrahi patiantur, quò maximum quid necdum præsens accesserit. Haud enimverò iis ille similis habebat,

Magnum quid ac rarû dare ac amittere cùm est opportunû.

qui tantùm vident in pedibus posita, quin futuri vt quis alius prævidens, universis deinceps curam adhibebat. Videns itaque fractam viribus urbem à longa obsidione, ac quod futurum esset sub oculos habens; fore nimirum ut obsidentes Barbari ea brevi potirentur, útque statim ea expugnata; mirum quantum promovente malo; plures alias capturi essent; lucri non modici accessionem ejus habuit jacturam, vt ne majori, plures unà amitteret. Eâ porrò molitione iis similis videbatur; qui magna correpti tempestate, merces multas inanibus ipsi salo jactantes, jacturam laeti ducunt: non quia re delectentur, sed ut ne merces totas retinere volentes, cùm tempus adversetur, malè totas amittant. Quamobrem uti anteà longè celeberrimam urbem, multis sumptibus, impensiorique labore, ac plurimis defunctus periculis, in ditionem recipiens, cùm esset magnus, sese magnum ostendit: sic quoque per id tempus, cùm dedisset, quando, ac quibus par esset, atque vt melius alioqui non posset tradi: Tum nimirum cùm non esset servando; atque adeò Fratribus; qui & abunde magnificis pollicitationibus, modis se omnibus nobis deinceps auxiliaturos reciperent.

Simile à jactura tempestatis ergo.

Quàm ergo jure admirandus; ut quod omnino cessurum erat in hostium potestatem, idque Infidelium, hoc ille amicis ac Christianis crediderit, atque eâ re, belli in eos, socios comparaverit? Iam enim olim nobis cum eis necessitudo erat. Vnde cùm aliquando necessarium haberemus ab amicis auxilium, saluti consulturi, præbuerunt illi haud modicum submisso classiario milite, cum sola magnificentia ac juvandi studio agerentur. Nulla enim ratio debiti suberat, ut opem ferrent; neque ferendi ejus sacramentum ullum emiserant, uti in contractu pro Corintho celebrato. Liquet autem ut hæc inter multum referat. Quippe multum præstat ab eis accipere qui præstant ea debito, quàm ab iis, qui ex gratia. Non tam ergo viris civitatem dedit, quàm per eam illos accepit.

Olim [illegible] subsidio.

Scies [illegible].

Enimverò ostendendam puto apertiùs, vt foret malum rem secus habuisse. Vt enim probè temporum rerúmque memineritis, erat omninò statim vrbs Barbarorum manibus diripienda. Quod si menses aliquot (dolo vtique) nihil aut igni, aut ferro deformatam hostes servaturi essent, fuisset ea statim apparens clementia proximis vrbibus præsens occasio, ut & ipsæ deditionem facerent. Par enim erat, vt ita Barbarorum astu deceptæ, iis servire, quàm captæ vastari mallent. Quod enim capta Corinthus earum Metropolis, nihil gravius passa esset, cùm illarum metu detrahebat spiritus, tum spem multam addebat, ut neque illæ passuræ essent. Nam neque ratione duci, cujúsque passim; nec verò exemplo componi, sapientiorum invenerit. Quod si res successisset, planè autem erat successura; in immensum planè malum processisset. Iis itaque omnibus de causis, eam urbem ditionis Fratrum fieri concessit, quò minorum cum primis aliorum civitatum ac oppidorum, ejúsque adeò ipsius quæ pro aliis tradebatur, saluti esset consultum. Velut itaque jam captam ab hostibus, ab eorum abstraxit manu, eam credendo Fratribus. Cùm ergo ipsum hoc sit præclarum, ut simul alias complures vrbes à periculo liberaverit, quomodo non clarum maximè fuerit?

Quanta mala futura à capta Corinth. à Turcis, [illegible].

Cæterùm accepta Corinthi munita vrbe pulchráque, ac magna, Isthmúmque continente, pulchrè in eo ædificata, incessit viros cupido vt totam deinceps Peloponnesum haberent. Bona planè cogitatio, vt eorum quis verba spectet, atq; vt affirmabant, cùm suum illi consilium totæ fidei hominibus aperirent. Sacramentis enim juratis quæ abundè essent, cùm substantiam omnem, tum corpora ac vitam insumpturos dicebant, vt esset necesse, ac magna quædam designaturos pro Christi gloria, vt propugnandæ Peloponnesi provinciam in se liquidò reciperent. Porrò etiam non jurati fidem habebant, vt nihil essent dicturi à sua ipsorum virtute dissonum, vel à fama vbique locorum de eis pervagante, aut denique ab habitu ac ordine, in quo & vivunt & sapiunt, ac conversantur; gloriantur, ac habent honorem, omnique retrò sæculo habituros sperant. Ne quis ergo in Rhodum aspiciens, ac paucas in ea triremes, exiguam quandam ac imbecillem arbitretur Fratrum potentiam. Multi enim cùm lubet ab orbis partibus, quas sparsim colunt, congregantur: viri vtique, quibus nihil operæ magis pretium videatur, quàm si qua ad generositatem, armáque, ac strenuitatem ferunt. Longè enim pluris faciunt gloriosè mori, quàm vt in fugam versi, plagis aversis hostes suos delectent. Habent autem etiam vrbes nec exiguas, nec paucas numero, atque vt pecunias plurimas possunt impendere: ærario collecto ex earum vrbium tributis, piorum hominum religiosa munificentia, vnius ac solius religionis ergo, eisdem concessis: belli nimirum subsidio adversus infideles ac impios. Hæc sanè cùm concurrerent, ambientes Peloponnesi causa Rhodiis fuerunt.

Totam Rhodij Peloponnesum pro admodum consilio ambiunt. Augusta contra fidei, res præclaras, ac potentia.

Sed & id prætereà illi Fratrum cupiditati calces addebat; Nempe Occidui Galatæ, Hispanique, ac Britanni, atque, vt verbo dicam, Latinorum vniversi Principes, eisq; subjectæ nationes, haud quidem facile plerumq; excitantur: sed & quandoque, minima quædam occasio facile provocaverit: semel verò excitati, impetu deinceps feruntur, vt nequeant teneri. Porrò vt velint, multa possunt; idque sæpius actum tempus liquidò ostendit. Subibat itaq; Fratribus, fore vt plures eorum incitationem sequerentur, nec qui magna pollerent virtute, sed deinceps venationi ac mensis, ludicrisque armorum certaminibus dedentes, otio desiderent, quibus majus ad gloriam facinus, ab ipsis majoribus ac olim solemne, postliminiò rediret.

Spectabant ergo, ac multa fiducia persuasum habebant, magnam se inde excituros virtutem, ac fore, vt quod gerebant negotium scintillæ simile videretur natæ accendi in flammam maximam, ac sylvam absumere: útque à Corintho cœpta molitio, in infideles omnes recideret. Hos ergo parturientes cogitationum motus, se ipsi continere nequibant. Quia tamen haud licebat, nec verò erat res facilis, vt potentia vtentes, invitis nobis Peloponnesi dominium vendicarent; consilium ineunt, vt numerata pecunia, cùm ejus Principis voluntate, tum subditorum assensu, suæ ditioni adjungant. Rerum quippe nostrarum miserabilis status, id eos tunc audere fecit, quod eo meliori, ne in mentem quidem venturum esset. Temerarium quidem videbatur, vt ipsi per se, nullo medio consilium edicerent. Quia tamen haud periculo vacare putarent, vt per alios explicarent, ipsimet Despotam adeunt, quanquam non omninò metu soluti; déque rei incerto eventu anxij, via tandem efferre possunt, quorum causa venissent. Porrò, primùm rogant veniam, vt quid minùs ex animo dixerint, tanquam qui probo animi proposito agantur: tùm etiam secundò, vt apud se arcanum teneat, quod dicendum sit: tertiò denique, vt citò respondeat; num rem velit fieri, nécne. Vt autem his ille annuisset, procedunt statim, non tamen recta ac simpliciter, sed velut per cuneos ac anfractus, ejus clam animum venari tentabant. Num tandem defectus esset, ac spem abjecisset, velletque liberari à malis, ac res in tuto ponere. Volebant autem ea præscire, vt possent læti inire pacta, dum ita habere cognoscerent vti ex rebus ac temporum molestia habiturum conjicere putabant.

Rhodij Peloponnesi venditionem sollicitant.

Quia verò latere non poterat virum multa ornatum prudentia, nec modica rerum experientia præditum, quò hæc ferrent, detegunt deinceps, rem totam explicantes, quid animi ac voluntatis haberent. Vt totius Peloponnesi principatum accipere velint, siquidem lubeat tradere, velitque facile provincia

Consilium Theodoro detegunt.

excede

A

excedere, cui deinceps, tot confertim malis, ad ea, quæ continua præcessissent, cumulo ingruentibus, præsidere non posset. Multam ergo pecuniæ vim pollicitii, ac omni modo ejus familiæ commodia adnixuros, nec vllis omissis, quibus in sententiam possent trahere; tandem rogant, vt ediscat quid videatur è re communi; in quæ verba faciant dicendi finem. Respondente illo, in crastinum ab eo audituros: Nec enim decebat vt sic inconsultè responderet: abierunt illi læti, quòd non primo statim congressu, rei spem omnem abjiciendam dixisset, ac ne inconcessa præsumerent. Quanquam est quòd hîc miremur: Par enim erat, vt magis injectas moras molestè ferrent, quodque non statim firma spes facta esset rei conficiendæ.

Quia tunc enim difficillimis vt unquam rebus vtebatur, erat omninò vt certò confiderent lubentissimè suscepturum eorum sermones: quia tamen, qui occasionem nacti à tempore ac rebus, pro talibus ausi essent adire, atque affari, inflexum reputantes ac tolerantissimum iri animum, contentiosúmque ac asperum, planè putabant fore, vt temeritatem ac inanem gloriam, decoro ac vtili præhabenda putaret. Idcirco lubentes acceperunt constitutum terminum, quodque non statim ab eo audissent, *quærere lupi alas*. Sic ergo confusis animis, dubij de futuro rei fine, abierunt. Ille porrò eorum voluntatem, alacrésque in rem animos, ingens oblatum ratus, gratias agebat Christo auxilianti. Sanè quidem in eos audire erumpentes sermones, impendiò desiderabat, eâ se occasione, vos sperans liberaturum à præsentibus malis, ac iis, quæ in procinctu timorem faciebant: quod planè ita evenit, divina cœlitùs gratia conatum adjuvante. Quod tamen eos rei cupidos sciret, nolebat prætendere, vt ne hoc gloriari daret, tanquam videretur ipse invitasse, vti solet in iis quos scimus defunctoriè velle. Quod itaque in votis erat, nec habebat vt efficeret, vt nimirum priores illi à se inciperent, hoc sponte factum videns, eam rei expeditionem, vti par erat, providentiæ adscripsit. Nisi sanè res benè ac ex animo beatæ memoriæ viro, successisset, meritò veritus essem sic simpliciter, vti superiùs vsus sum, verba vsurpare: ac neque ejus bonum desiderium dicturus eram: bonum, inquam, vt spectes tempus, cum quo sunt omnia bona: nec verò vt ingens illud oblatum existimandum esset; quod scilicet Fratres, ipsi à se ac vltrò in pacta convolassent: nec demum, vt ardua molitio in facilem cessisset, providentiæ œconomiam affirmassem. Plures enim, nihil quid quis, aut quamobrem, quove rem modo effecerit, reputantes, rerum duntaxat eventus attendunt: Quod autem jam mihi res à fine suffragetur, eos sermones fiducia dixi. Erit verò deinceps apertius dicendum, intérque alia narranda, implenda erit promissio, quàm de fabula feci. Liquidò enim explicandum veniat, cùm cujus gratia res sit constituta, tum ut propter eam restitutæ res, statum meliorem adeptæ sint.

B

Chil 1. cent 4 81

Lubétissimus Theodor. Rhodios eam suggestioné audit.

C

Videbat quicquid suæ ditionis esset, à multis casuum incursibus, virtute defectum, ob præcipuè impiissimorum invasionem, in longum tempus continuè productam. Aliunde verò sciebat, nullam eos potentiam perinde ac Fratrum suspectam habere. Haud enim eorum res nesciebant, utque ij rami exstant ingentis ac maximæ radicis, quæque ut ita dicam, Occiduas omnes partes occupet. Meritò igitur existimavit, vero consonum arbitratus eos infideles, fore ut ea molitio, iis quidem fructum exitiosum, piis autem ac fidelibus, utilem afferret. Hæc vir admirabilis probè sciens, operæpretium duxit, malum ad tempus nomen asciscere, quò postmodum accedente gloria à parta salute constitutis in periculis, clarus fieret. Itaque accersit Rhodios: loquitur quod illi impendio cuperent, orationis cùm exordio, tum fine è sua compositis voluntate. Audiunt illi lubentes, moxq;

D

Rhodij præ omnibus, Turcis formidabiles. Cujus ij radicis rami.

ad conventa procurrunt, consummant; volucrum pernicitate in suam remeant, rémque gestam majoribus suis denunciant. Ij porrò magnas conscendentes naves, ocyus in Peloponnesum involant: Atque vt ea taceam, quæ media extiterunt, quasdam accipiunt urbes sub sacramentis debitis, ac parte pecuniæ numerata; necessaria admodum cautione, ut nedum possiderent ipsi, sed & quodammodo possiderentur; utque possessione, aut velut inferretur injuria, aut nullo modo inferrent. Hactenus autem processit res: sic quippe fabulæ auctori usum erat.

E

Vrbes aliquas Pelopon. accipiunt numerata pecunia.

Multi Pelopon. rem improbant.

Vbi porrò fama vbique percrebuisset, multis spargitur rumor, jactantur multa verba nescientibus fabulam, veritate ex composito celata. Quamobrem nemo jure reprehenderit, ut sic multos, id tantùm aspicientes quod videretur, nec videntes quod esset occultum, offendi contigerit. Sin autem essent qui repugnare viderentur, ac turbas ciere, urgebat eos, aversa omninò ad alienos voluntas, impensiórque in servatorem suum ac Despotam amor, nec quicquam præterea. Nullus enim adeò puer ac attonitæ mentis, ut non eum ducem ambiret, aliorúmq; omnium ejus loco imperium detrectaret. Id planè meritò. Cumq; frater id sciret, nemini irascebatur: Nam lenis erat, vel in eos, qui per quemcumque modum offendissent. Veniam itaque rogantibus statim indulgebat qui esset clemens.

F

Sanè quidem alij aliud existimabant, nescientium fabulam; ac plerique promptissimum sibi interitum, rem autumabant: At ille, bono animo erat, malúmque omne statim in contrarium vertendum spectabat: Nimirum, Satrapam vt mox esset auditurus periculum esse ne Latini Peloponnesum juris sui facerent, gravi pulsatum metu, in pacis fœdera statim concessurum. Haud quidem id vera voluntate: Quid enim illi ac veritati commune? sed quia potius haberet Peloponnesum nostræ ditionis esse, quàm vt sibi eam Latinorum capreolus ac manus implicaret. Porrò erat in causa non ejus facilis mutatio, aut quia tranquillitatis amans induci posset ad utendum consilio: Mox enim dicturus sum, vt nulla ei ad vllum bonum esset communio: sed quia timeret, ne quam Peloponneso vicinæ vrbes, à Fratribus, qui nobis potentiores essent, injuriam referrent. Sunt enim illi ceu ri vi quidam perennium ac maximorum fluminum; Occiduarum, inquam gentium, ex quibus processerunt.

G

Pulchrũ Rhodior. elogium.

Hæc probè scienti fratri, subibat fiducia, vt esset in bonum cessura fabula. Neque enim fieri posse, ut quæ tunc agerentur, serpentem laterent; néve ut sciens esset quieturus, ac expectaturus vt acciperent finem. Sic ille spei habebat, sicque evenit. Nam cùm rem didicisset, qui à vobis neque literas, neque sermonem, vel ut quid aliud ad pacem provocans dicas, accepisset, in totum mutatus, legationem ab Asia ad vsque Spartam, ad fratrem mittit, feriendæ pacis mandata perferentem, ac longam supplicationem emendandi quæ accidissent. Quod ipsum ita contigit; eóque eventu, quàm omni retrò tempore vobis Despota elatior extitit, quò ita rem providisset ac dispensasset: cœpitque fabula celebrari, ac ejus auctrix sapientia; quodque ille neque personæ congruam gravitatem amisisset, ac ne verbum quidem protulisset, quò vel levi indicio proderet amaritudinem, vt vlla qui ratione offendissent. Erátque gaudens Despota, in gaudentibus subditis; res planè ad spectaculum gratissima. Cùm enim olim jam multo cum amore ac admiratione prosequerentur, multa tunc exuperantia vtrumque præstabant; canebarúrque miraculum, aciei omnes vim impensiorem amoris rependebant. Planè meritò. Quibus enim antea, ne ipsa vita tuta satis esset, fœlices repente evaserant: quod planè ipsa per se dulcia, multis dulciora videri facit. Quî ergo non omnes, miraculo plenam ac voluptate, rem æstimarent, in vestræ salutis negotio gestam, cùm ea ipsa, quibus res vestras deteriori statu habituras putabatis, longè eas meliori

Bajazet. metu Rhodior. pacem petit.

H

fecisse videretis? Pacem sanè quàm maximè desiderabatis: at quàm minimè sperabatis: obtinuistis autem alteram admodum, ac pristinè longè meliorem, multa nihilominus accessione gloriæ, vt is ad vos destinaverit legatos, qui ne videre quidem sustinebat, vt quis vestrûm legationē de pace ad eum obiret. Scitis quos vestrûm, malè verbis ac rebus habitos, vis eorum meliosus emiserit. Res ergo, Deo benè auspice, bonum accepit finem, evenitque, quod precabamur. Qui potiò sic benè rem gessit, eorum meritò audiat Salvator, quibus eam salutem fecit; atque post Deum ab eis honoretur, majoréfque, vt vlli tales hominum studio fuerint vnquam aut putentur, honores accipiat.

Nõnulla Theodori fraus mulier excusata.

Sit verò qui opponat, quadam sem deceptione gestam, ac per scenam. Haud enimverò vt quis sanæ sit mentis, ac rectè sententiam ferre sciat; qui nimirum, nedum simpliciter in res quæ aguntur, sed & abundè in animum agentis, ac omninò vt verbo dicam, in ea, quibus finis habeat videri bonus, aut non bonus, aspiciendum sentiat. Nec enim cujus gerendi ratio quosdam latet, in crimen statim vocandum sit: quin iis quoque, quos valde amicos habemus, nonnunquam consilium occultare præstet. Vt enim nihil bonum, vel si dicas quæ maximè putantur bona, nisi vt aiunt, benè fiat: Sic & omnia bona existimem, vt ea quis bono animo aggrediatur; quod inquam, ad ejus animi propositum attinet. Hæc dico, quod spectat ad amicos: quid enim de hostibus dicto sit opus, quos vt quis licentia bellica decipiens in fugam agat fundátque, majorem consequatur gloriam, quàm vt aperto marte decernens, obtineat: quòd prior quidem victoria, nulla jactura imperatori constet; ad posteriorem autem, necesse habeat suorum plures amittere. Habeo asserti patronos, cùm historiam, tum poesim; súntque plena ejusmodi exemplis cùm Scriptura sacra, tum Oratorum, ac Philosophorum scripta. Vt autem in eos quoque qui non sunt hostes aliquid ejusmodi committi possit, vniversus sæculi vsus confirmat. Sic enim etiam Medici, ac vniversi juvare habentes, haud satò habeant, nihil non agentes, vt quod sit vtile, faciant: atque vt adjicias animum, invenias non paucos viros optimos, personas assumentes, quò sibi benè deceptos amicos, à maximis ac perspicuis malis possint eripere, atque vt illi tandem aliquando malorum periculo exempti, bona obtineant.

Præstat quãdoq; vel amicos consilium celare.

Laudabilius ex insidiis hostes vincere, quã decernẽdo aperto marte.

Sed & viros plures frugi ac prudentia præstantes, hæc ipsa aliis consulere videas, cùm res ferat: sicque alios demitari qui sic egerint, vt & gesta in commentarios referant. Cùm sic ergo hæc habeant, multique nobis cùm recentiores, tum antiqui, multis adstipulentur modis, planum sit, nostram fabulam, optimè quidem adinventam, optiméque lusam, opsimóque nihilominus eventu consummatam, nedum nulli meritò reprehensioni obnoxiam videri, sed & præclaris laudibus esse dignam. Vobis sanè commodo fuit, hostibus autem damno, nec quicquam denique amicis detrimento. Piget enim, vt & lucri aliquid reportasse dicam; qui ipsi quas fecissent expensas in stipendia militum, triremes adornandas, ac reliquum belli apparatum, quem voluissent, suo postmodum arbitratu computantes receperint, nobis integrè reddentibus, ac ne missa quidem voce ad indicium augusti pectoris. Hæc ergo omnia, nequid vituperij, sed & maximam ferant gloriam, quòd sic commodò gesta sint. At neque tota illi intra ratio, rem omninò fabulæ similem concesserit. Equidem optimi hujus consilij auctor multa spe erat, vt molitio per hunc modum esset successura, vti quoque successit profuitque.

Factum Rhodiis satis. pro expensis belli.

Veritus tamen, quod esset futurum: Incompertum est enim, hostisque nihilominus furorem timens: Multo enim ille in nos furore erat: aliquid quoque in secundis habendum secum cogitabat. Vt nimirum si quidem excideret à proposito, ac neque blanditiis immitem illum emollire posset, neque eum ceu larva objecta perterrere, tum quod Fratres in vicinia habiturus esset, tum expectato eorum causa Latinorum adventu, tunc demum, *secundo*, vt aiunt, *cursu*, talia ageret. Viros omnes qui prudentia pollerent in vnum cogeret, omníque sublato velamine, ac amoto fuco, quid ab initio animi habuisset, sincera veritate ediceret. Nihil non egisse, vt ne ab amicis separari contingeret: tum verò ostenderet frustratos conatus, nihilque jam spei superesse, vt hostis reconciliari vellet: præterea omni verborum alióque conatu, quantum liceret per facultatem, eorum excitaret spiritus, essétque auctor, vt ne se vnquam infidelibus dederent, qui moribus ac dogmatis, legibúsque ac omnibus aliis nobis prorsus contrarij essent: quin præ tanto malo, nihil non designare, agere, ac pati mallent: promitteret quoque eis se commoriturum, modò ne ipsi arma abjicerent, sed forti animo studerent vindicare, vtque vel gloriosè caderent, vel de hostibus triumpharent. Quod si tanta vi eloquentiæ polleret, vt in suam illos sententiam traheret, nihil vltra negotium vrgeret, sed in hoc tantum intentus esset, vt Rhodios, quàm posset blandè, remitteret. Sin autem vbi quæ essent in ipso, egisset omnia, dixissétque, frustra se eniti adverteret, *ignémque*, quod aiunt, *cædere, ac petras serere*; tunc planè facultatem faceret, aliquid moliendi, pro sua ipsorúmque salute, postquam malo impares, nihil vltra possent resistere: Moneret verò, quando tanta vis mali, adeóque exhaustæ vires, eos, qui possent ferre opem compellerent quærere, penes Fratres, qui ea occasione venissent, supra quàm penes vllos alios mortales, ejus ferendæ spem sitam esse. Sic enim modis omnibus conducibilius esse. Benè ergo dicebam, rem non omnino fabulæ similem habuisse. Qui enim id absolutè agentis fraude, cùm res ad vtrunque haberet, essétne futura, nec ne? Quòd enim à Bajazetis voluntate penderet, quàm ille omni retrò tempore ab omni humanitatis sensu alienam exhibuisset; longè vero simile erat, manentem impium in priori illa contentione, vale ei dicturum quod congruum esset. Sic autem eo manente, ac pro more, voluntate ac genio vtente, par rursum erat, vt spes Fratrum, in quam erecti domo solverant, evasura esset; quandò pro Peloponnesi vtilitatis ratione, non valentis per seipsam servari incolumem, vtì jam probasse arbitror, vniversis aliis Fratres prætulisset. Hîc porrò dico vtile, quod in malis sit minùs nocens. Neque ergo vt spectes fabulam, néve vt ejus causam, meritò quis viro detrahat, ergo neque illud vituperet quod versabat animo, vt spe bona frustratus esset. Velut enim summa colligens, quæ hoc hactenus dixi argumento, lubens quæram ab omni gnaro, vt res tunc haberent, ac vel modicùm prudentia ornato, quid eum par esset facere, quodve suis dare consilium, vbi jam præstitis omnibus, si qua operæpretium viderentur, nihil tamen valuisset conficere, ac cùm vires hostium ingentes essent, multàque illi astutia ac calliditate essent præditi, jámque Illyrij omnes, Mysique, ac Tribali, superati fuissent, ingénsque cæsus exercitus ad Nicopolim, ex Pannoniis, Celtisque ac occiduis Galatis, collectus; quorum omnium nuda quoque nomina Barbari horrerent; cùm denique socij haud vterentur prospera fortuna, ac quidem etiam mala sorte, terra ac mari superati fuissent; mihique tanto malorum concursu res ad extrema, per longum id deductæ tempus viderentur.

Vt Theodorus quoque secũdò egerit.

Chil. 3. cent. 4. 71. Pulchrè admodũ declaratum eius consiliũ.

Chil. 1. cent. 4. 54. 55.

Erat, inquiunt aliqui, consulendum suis, ac modis omnibus eis suadendum, vt alacres mori pro pietate mallent, cùm primus & ipse alacris exemplo præiret. Bellè quidem: Quid enimverò aliud jam acto egesat tempore, quandiu licuit cùm consulere optima quæque, tum agere? Sed & blanditiis, in-

quit,

A

quit, erat vtendum, optimâque œconomiâ erant magna quædam promittenda. Quî verò aliter poterat consulere? Esto, inquit: Hoc quoque adiiciendum erat, vt, inquam, molestior ingrueret, ac quandoque etiam increpans, minas adiungeret, exprobraret, clamaret, ac eiusmodi omnia multo excessu præstaret. Verùm noverat hæc prorsus nocitura, ac ne minimum profutura. Quamobrem abstinuit austerius tunc remedium, exasperatis ac inflammato humore tumentibus plagis adhibere, qui sæpe olim mirabili arte commodò adhibuisset. Quid ergo aliud sodes, per Deum omisisse videatur, eorum, quæ præstare esset operæpretium? Id ne optimum putes, vt infidelium iugo subiici fineret? Id verò ille omnium pessimum arbitrabatur, suâque prorsus cùm virtute, tum personâ indignum: Christianorum autem imperium subire, quod & magis eorum congrueret moribus, satisque haberet ad auxilium, longè optimum. Quia enim mala exuperabant, nec fieri poterat, vt eos ille in sententiam traheret, atque ad maiorum suorum imitationem cogeret, duorum alterum erat reliquum, vt aut Turcorum, aut quod dicebamus, Christianorum subirent imperium. Videbatur ergo modis omnibus præstare Fratrum dominium. Duorum enim ingruentium malorum, melius illud, quod non peius, iuxta quod habet tritum adagium. Quocirca præoptatum quod leuius, atque id multâ ingenuitate, plenisque bonitate moribus. Vt Fratrum illi dominationi mancipari vellent, constitutum habebat indulgere: nihil facto succensens; fundens verò ab oculis lacrymas, tum propter charorum à se separationem, tum quòd suis pro iis periculis, sospitare non posset. Sic enim parentes quoque comparatum habent, cùm charissima pignora ablegant in alienam, quòd nisi seiunctis ab inuicem, salus non constet. Sin autem meliora eligerent; vt nimirum spem bonam prætendentes bellum instaurarent adversus Barbaros, ac vel Deo auspice vincerent, vel pro libertate ac gloriâ pugnantes, grauia quæque tolerarent, laudare consilium, ac pro-viribus excitare, simulque polliceri vnà commoriturum; ac verò alacrem valde præstare, illis præeuntem.

Christianis quàm infidelibus Christianos subdi multo melius.

B

C

Qui sic ergo animi haberet, cùm quod spectat ad ipsum, tum quod ad suos, quodque ad amicos, ac quod ad omnes, quam instar accusationis videatur dedisse causam? Quis ita ad calumniam promptus, vt pro more calumniari possit? Quam exuperantem procacitatem: quem adeò temeratium ac impudentem, sic abundè præclara gesta non facilè confundant? Quos adeò præfractos; quos procaces, non elingues reddant? Quod os, non aliud è re habens, quàm vt in omnes deinceps insaniat, omni ablegato pudore, illa non obstruant? Imò, quod os, quam linguam maledicam, in benedicentiam ac laudes non convertant? Nonne prudentia comite, bonitate morum, ac scientia politica gessit omnia? Planè adnixus est, quandiu navis potuit gubernaculis cedere, nec ab eis, excipiente tempestate abscessit, nihil partium omittens probi gubernatoris, loquens, consulens, monens, defectos animis erigens, excitans dormientes; animo intentis iubens; omnes ad instantiam operis præcepto provocans; agens ipse ac præstans, quo nauigium vento adverso ac procella iactatum, posset præsentis naufragij periculum cauere.

D

His itaque supra omnium opinionem continuè instans, ad multum satis tempus auertit mala: at cùm deinceps venti rabie furerent, ac mare sæuiùs ferociret; vasaque alia quidem fatiscerent, alia iam contrita essent; nauisque, vt verbo dicam, frænum, respueret, vixque non loqueretur, mox nisi fortuna mutata, esse mergendam: Ille nihilominus quanquam illud exasperatius foret, seque ipso grauius fieret, providendo instabat; suamque illam omnimodam virtutem difficultatibus opponens, hactenus conabatur nauigium servare, ac velut in portum, in pacis tranquilla subducere; quanquam parum aberat, vt ne pacis spem omnem abiecisset. Neque enim erat qui nesciret hostis, quà indolem, quà animum sævitiamque, ac si qua alia iuge ei armorum studium faciebant.

E

Sanè quidem hostis talis erat, eiusque talia studia; malus scilicet, moliens pariter ac agens mala. Verùm quamquam ille hæc probè nosset, sciretque in innata illa ferocitate perseveraturum; nisi omninò extrinsecus immissa necessitas aliqua, spem damni inferendi auferret: minimè mutabatur, vt ne pacis eum eo fœdera sollicitaret. Se quippe arbitrabatur decere, vt nihil omitteret eorum quæ sua essent, nullamque artem, qua pax concilianda videretur, negligeret.

Cùm sic ergo constitutum esset, fiebant crebræ admodum legationes, ac si qua in pacis studia trahere habeant: Satrapa verò, suo prorsus genio vtebatur, nullaque erat spes reliqua, vt vnquam belluæ animus in melius aliquid convertendus esset. Cæterùm Theodorus, pro eius prudentiæ ratione, qua plenus esset, modum invenit, quo in desiderij pacis necessitatem hominem cogeret. Quis porrò hic modus? Initæ scilicet pactiones cum Rhodiis, eorumque huc adventus. Eò quippe Barbarum adegit, vt iam olim elatum supercilium demitteret, vtque à prioribus cogitationibus decedens, fœdus pacisci nobiscum quæreret, plurisque faceret rem obtinere, *adverso*, vt aiunt, *flumine*. Fuit illa prima ratio adventûs Fratrum. Quòd enim expeditos habituri essetis in salutem vestram ac opem, si minus pacis illa molitio pro voto succederet Despotæ, secundùm reipsa erat, ac summæ res desperationis.

F

Chil 3; Cent. 2. 9: lun. Cent. 5. 44.

Videor nihilominus haud satis vocibus accuratus, qui eos auxiliatores ac sospitatores appellem. Vt ij quidem infidelibus præferrentur, Latinorumque dominatio eorum dominationi potior haberetur, omni palam comparatione antiquius: sic magnum quid inter vtrosque refert: Haud tamen illi absolutè sospitatores ac auxiliatores audituri erant, vt ab infidelium liberantes iugo, suo vicissim invitos manciparent. Bonum quidem erat, ac valde bonum, prohiberi immanem belluam, vt ne quod agitabat, totam deinceps Peloponnesum glutiret: quia tamen alia ratione lacrymarum segetem ministrabat, neque puri auxilij res, neque absolutè auxilium, vt vnquam extitisset, erat. Nam neque remedium, vnquam omninò bonum habeatur, vt corpus quidem ab ægritudine liberet, morbum tamen alium subinde inducat, eum quidem priori leviorem; qui tamen corpus afficiat. Quin & hinc liqueat. Vt enim esset quid absolutè bonum, vt ij inquam, vobis imperarent; planè etiam essemus assensuri, lubentesque nostra eis sede, quanquam nulla necessitas cogeret, cederemus. Nec enim vnquam maiorem imperij, quàm veræ vtilitatis rationem habendam putauimus: tanti nimirum vos facimus. Cæterùm quod factum est, liquidò necessitatis fuit, quà soluta, totum statim negotium invtile euasit. Quamobrem prætulistis quod è re erat, cùm Despota, tum & ipsi, beneque concurrerunt omnia, ac neutra parte lanceam inclinastis: quin omnes, in iis quæ bona essent, ac vestris congrua moribus, magnificis vt vnquam coronis aucti, Dei opitulante gratia, permansistis. Hæc verò hactenus.

G

Cæterùm illud minimè silentio prætereundum putem; singulare illud, quod in Fratrum negotio circa Peloponnesios per id tempus consilium initum fuit, eum solum decuisse qui iniit. Quippe habuit profundius aliquid, artisque impensioris, vti ex ipso rerum euentu cuique perspicuum fuit. Nihil enim Agamemnonis illi consilij super Ilium simile habuit; cùm nempe longo bello, necessariique commeatus penuria defectum militem, ad constantiam ac generosæ mentis propositum, prætenso oraculo animare volens, ardens adeò natalis soli, ac patriæ desiderium iniecit, vt ei planè consilium in contrarium cesserit, vniversis abiecta æmulatione ac animi fortitudine, ad naues convolantibus, ac rei architecto, amplam pœnitendi segetem

H

Iliad. 2.

Theodori cum Agamemnonis collatum consilii.

 ministrantibus

ministrantibus: Planè verò secus novum hoc, atque vetus illud consilium habuit, interque ea, nec exigui quid discriminis, nec momenti levis intercessit. Habuit vetus illud necessariam Vlyssis prudentiam; quin & manum. Nam & sceptrum in aliquos necessitate extendit, quo trabentium naves impetum retardaret, prohiberetque præcipitem illum discessum. Hoc autem, cùm valde bonum esset, finem quoque bonum valde adeptum est; remque salus per ipsum parta Peloponneso, ostendit. Accuratissimâ namque scientia, quorundam animis depulit exitiosam segnitiem, ab externa quadam malorum grassatione; in eis auctiorem. Quod enim velut oraculo talia diceret, ac fere palam videretur, qui eius essent ditionis, aliis mancipandi, quibus illi longè præstarent, stimulus quidem ad ea quæ par esset, appetenda fuit, statimque eorum in ipsum amorem velut instaurauit. Vbi enim malis fatiscens generosus animus, in sua aliquid minus dignum ingenuitate ac abiectius inclinauit: Porrò accidant eiusmodi non paucæ in humanis: sæpius quidem in illud procurrit: iam autem proximè factuius, quem rei turpitudinis pigeat, resilit, maiorique feruore impetum in bonum resumit, priorque contentio multa accessione redit. Cursu itaque in illud reflexo, maiori alacritate quærit invenire, ac deinceps invento mordicus adhæret. Sic planè hoc quoque negotio habuit.

Scita sent.

Mox enim audito, quod etsi non futurum, fore tamen videbatur, novùm eis dilectionis in eum flamma, velut à scintillâ mollis obruta cineribus; temporis scilicet casibus, exarsit; cœpitque gloriæ cupidius generosiùs agitari, œstrumque illud amoris in Despotam invalescere, quod tempus obscurans omnia, velut effœtum obsoletumque fecisset: Fuisset ergo Peloponnesus defectæ similis, vt esset visa alios pro eo recipere dominos: cœperunt verò palam bellum Rhodiis indicere, communique conspiratione manantis decretum sacramentis firmatum, vt aut Fratres expellerent, aut mortem oppeterent, charumque Despotam reciperent, quanquam eum minime amisissent. Videtis eius prudentiam? experientiam? politicam peritiam? Quod enim sit visus cedere, cedensque ostenderit præsens discrimen, postliminiò reversos ad id quod operæpretium esset, ipsumque adeuntes fecit esse sospites. Sic verò officij tenaces ac strenui habuerunt, vt & illi spem certam inijcerent, nisi Baiazetes pacem iniret, aut à spe sua frustratum ostensuros, aut cum gloria pugnantes, mortem appetituros: quod vtique volebat ille, inque eum finem præstruebat omnia, agebatque.

Vt affectui eius pouncti a facto Theodori.

Novo itaque veteris belli, vt sic dicam, ducto exordio, cùm se frater ac pariter omnes, pro eo atque decebat, sacramento faustè obstrinxissent, famaque vbique peruagaretur, cùm opus admirationi erat, eius à principio auctor, ac qui benè per omnia consummasset, eximiam quandam referebat laudem. Monembasia ergo reversus Spartam, auctor est Græcis pariter ac Rhodiis, quasdam iam vrbes occupantibus in Peloponneso, vt ne hactenus ferro decernant. Sciebat enim rem cessuram in bonum, vti planè etiam cessit.

Deterret Theodorus suos ac Rhodios ne inter se pugnent.

Eius itaque belli concessis indiciis, bellum ipse in Persas conficit; sperans quidem à Deo auxilium; sed & mortem lubens, tanquam animorum vtilem saluti, ac immortalis gloriæ conciliatricem oppetens. *Pugnent vt morituri*; scripsere quondam Spartani ad suos, *& non morientur.* Hanc ille sententiam auribus insonantem habens, ac laudans, reipsa probauit veram. Necdum enim Spartam venerat, cùm missi à Satrapa legati Lacedæmona occupant, pacemque sanciunt, multa quidem præstare polliciti, nec aliud quicquam vicissim exigentes, quàm vt Fratres redeant in suam provinciam.

Pulchra Lacedæmoniorum ad suos sententia. Solos canes lanus accendor rogat.

Sanè, icto pacis firmissimo fœdere, vt icta cum barbaris paucis fœdera firmitatis robur dicantur obtinere, bellum hoc non exigua gloriâ vobis confectum est, cœperuntque, quæ velut emortua essent, novam induere vitam; ac quæ emarcuissent, revirescere; quæ defluxissent, novum florere; ac brevi Peloponnesus tota, multo decore ornari, ac referta esse. Quamobrem talium opifex nedum videatur vacare culpa, sed & maximâ dignus laude à tali iudicio, cùm hominibus sanæ mentis, tum choris Angelorum, tum etiam Deo, cuius etiam nutu res tota dispensata est. Vt enim ille consilium inierit, ac præclarè confecerit, potueritque terminare, eius fuit procul dubio, cui divinum cœlitus auxilium, abundè suppeteret. Quanquam verò etiam grauia primùm invalere diu quidem, ac multâ vi, hoc quoque divinæ in virum benevolentiæ argumentum fuit. Noluit enim Deus, sine præmio ac occultam eius virtutem fore, quâ nihil pretiosius haberet. Cùm ergo statim posset malum depellere, permisit tamen inolescere, ac auctius fieri, qui athletæ ad victoriam ac coronam fortitudinem præstaret.

Sic itaque propositus pugil, cui & vos, vti membra capiti fuistis compugiles, duo quædam simul eiicit, quorum vel alterum lubens quis eiecisset. Vtrumque enim præclarum, vti res probant. Cùm enim Satrapa, parte aliqua deposita feritate, se mansuetum exhibere certabat: Quippe melotem induerat, quanquam omnino lupus esset: tum Peloponnesus tota, eximiam quandam gloriam, instar splendidæ tunicæ, amicta exaltabat, nedum ob priora omnia; sed & propter ipsam agitationem ac consilium belli Persici, quorum potentia plurimum vigebat. Meritò igitur, omnium laudibus celebremini, cùm caput, tum membra; vos, inquam, ac ille; omnium causa à principio, ad finem quò sic verbo dicam.

Age verò: Quia porrò prorsus necesse erat, vt & quas Rhodij civitates adhuc tenerent, Romano Imperio vindicarentur; vtique etiam vindicatæ sunt: sic autem, eaque arte instructo negotio, vt neque illorum in nos amicitia quicquam imminuta sit, concesserintque vt vrbes reciperemus, ac postmodum arces sponte in manus tradiderint. Virum ergo sic prudentem; sic iustum; sic fortem; sic non inhiantem voluptatibus, aut pigritiæ deditum, sic autem in laboribus ac periculis constantem, sicque in omnibus industrium, ac omninò multa cum modestia animi, bonis refertum, quin nihil dulce ad voluptatem haberet, quàm quod sciret è re communi, vti decursa tota declarauit oratio, remque ipsa experientia dilucidè ostendit, quænam lingua; quæ vox; quæve mens aut prudentia satis laudauerit, vel si vna conveniant commentarij omnes ac poetæ; Nestoresque, ac Vlysses, & Antenores, omnesque oratorum chori, Pythagoræque, ac Platones, vniversique eiusmodi? Cæterùm ipsæ puto res, satis illi benè ad gloriam habeant.

Rhodij vrbes ac arces restituunt illæsa amicitia.

Verùm, vt etiam cippo ac titulo egeat, sibi ipse erexit, fixitque industriè admodum detondens ac poliens, supra quàm vel Phidias possit: hanc inquam, Peloponnesum: Ne quis verò inanimem illam existimet; quod ferunt dixisse quendam Regi Alexandro: Formasse omnem Superum ad eius speciem, habitu decente tantum regem: sed animatam dico Peloponnesum ac rationalem; vos, inquam, probum cœtum, qui instar statuæ, omni illi tempore ad celebritatem nominis, præclara morum honestate habearis. Quorum enim politicæ virtutis scientia, ac morum probatorum societas, fictorem eum, ac aliptem, doctoremque ad optima habuerit, illi planè, ceu vnus perspicuè titulus, multi positi estis, quos ille ad immensum vnum decorem polierit excolueritque.

Adulatoria vox in Alexandrú. Peloponnesij vnus Theodori cippus ac titulus.

Cùm porrò talis existat, iniurius sim, cùm illi, tum omnino virtuti quâ ornatus fuit, vt eius cum præsentis æui hominibus comparationem inire velim. Nihil parentes loquor, sed, *Post inculpatum Pelidem*, inquit Homerus. Videatur ergo antiquis comparandus, iisque veterum, quibus vniuersi præmia virtutis delata velint. Eos autem existimo, qui virtutis ostentandæ causa longam illam nauigationem, alia-

Pausan.

Iliad.

que

A

que deinceps gratia susceperunt, quique nihil ipsi minutiæ auctores, Ilium vastauerunt. Nihil porrò etiamnum dandum putamus, vt cum viris illis optimis fratrem componamus. Fuerunt planè eorum res præclaræ, vt & Homerum laudatorem habere meruerint: Quamobrem etiam eorum hactenus vigens admiratio manet. Sed & nostra talia sunt: Quippe fratrum sunt communia omnia: vt singulis eorum præclaris singula componens, nihil illis deteriora pronunciare possis. Sanè verò probatione in virum vtamur, vt ne quis, velut in fratris gratiam, malè quid hyperbolicum locutos putauerit. Componemus autem quàm maximâ breuitate poterit. At neque quicquam de pietate sumus dicturi, quam vt spectes, ne liberum quidem existimem virtutes comparari; nam neque sunt propriè virtutes, quibus illa non sit radix.

Comparatus Theodorus heroibus qui Troiam vastauerunt.

Nullæ infidelib. propriè virtutes.

B

Agamemnon plurimum populorum rector fuit, magni vir animi, magnificus strenuus: Pelides verò Achilles, vt quisquam alius fortis: velox pedibus, decorus facie, præclarâ stirpe, honoris amans, ac cui potius fuerit annos paucos celebri fama viuere, quàm plures sine gloria. Protesilaus, quis vt quam vniuersi horrent mortem, charam ipse gloriæ causa habuerit, ac sua nece, victores Barbarorum Græcos effecerit. Nestor, Vlysses, ac deinceps alij, multa quadam prudentia pollentes fuerunt, ac vi suadæ magnificè ornati. Tydei filius lancea gloriabatur; Aiax robore, ac procera corporis statura: Teucrus, sagittandi arte: vicissimque Heroes alij diuersis aliis, longè his præstare videbantur. Sic nimirum Hector animi generositate, Antenorque eloquentiæ vi; adeóque & sociorum, alij plures equestri peritiâ, aliisque alij præclari effulsere: nec non plurimi aliis titulis. Eorum plures ab excellenti virtute semidij audierunt, quanquam vitiis scaterent. Porrò habeam commemorare quæ sunt eorum meliora. Neque enim hic dicam turpe lucrum; angustum animum ac illiberalem; amorem voluptatum, eaque demum vitia, quæ quis quærens, sparsa in eis facilè inueniesit. Nec mihi ipse verbo contrarius sum, qui adeò pro virtute admirandis visis, vitia affingam. Sic namque illi habêt, vt quisque bonus sit, haud tamê absolutè ac simpliciter bonus, vti ea, quorum illa sincerè ac tota veritate nuncupatio existit. Cæterùm quibus solis reuera à maiori parte nomen hoc inest: Alij namque alios superent vnâ aliqua qualitate virtutis, aut duplici forte vniuersaliori, alij verò, quòd plures possideant: sanè meritò, multarum cumulus virtutum, melius, vt quidem existimo habeatur, quam paucæ ac perfectiores, aut certè nequaquam videatur deterior.

C

Homo ex parte tantùm ac secundum quid bonus.

Præstes cumulus virtutû vni soli gradu altiori, vel paucis.

Quia ergo nequit fieri, vt quia omnes omnibus partibus superet: Nam Achillem, Nestor: Nestoremque vicissim Achilles omninò superabat: Ille quidem, longo rerum vsu ac prudentiâ; hic autem, vt arma, ac animi robur spectes; sicque prorsus præfatorum quisque, alio ac alio nomine, cùm vincebat alios, tum ab eis vincebatur, vt planè vir nobis in laudationis argumentum propositus, ita quidem admirandorum illorum nonnulli impar videatur, hanc spectata virtute, vt tamen deinceps omnes, aut certè plures in pluribus superet; putem sanè ea ratione, qua multos eiusmodi, multa ac omnimoda virtute superat; addam & malorum fuga; vel illos ipsos superare, vel nihil minus habere, ne & ipse admirationem habeat. Vt enim præclaram à moribus gloriam adeptus viros accuratè comparare vellimus, nedum virtutum quibus pollent qualitates censendæ sint, sed & abundè earum numerus ineundus: ac siquidem, potiores alij; alij plures obtineant, componenda ea aduerso sit horum multitudo, cum potiorum illorum ac pauciorum, qualitate atque præstantia. Nam etiam vt quis drachmas plures in alteram mittat lancem, talenti quoque pondus æquauerint: antique planè talentum, quanquam reliqua deinceps metalla materiæ pretiositate vincit, minoris fiat volenti dueſcere, quam plura argenti. Vbi ergo hæc ita habent, iustiùs putem: alius præferas eum, qui multarum

D

Pulchra similia.

Theodorus in cumulo virtutum præstes.

excellentiis virtutum præfulsit, quàm vel illi tota reliquorum cohors, vt quisque eorum, paucis numero virtutibus, aut vna forte, quanquam etiam sublimiori, turpissimis alloqui vitiis implicatus, præ illo claruerit.

E

quibus ... a aut altera enim vitiis excel. Præstat quis nullis gel. plis prouocantibus, virtutem gessit.

Sed & huius meminisse oportet, vt nimirum tempus illud heroum ferax, homines virtutis studiosos, multo ostentandæ generositatis ardore prouocaret, cùm in athletas per eam coronatos, ac maximum quo aucti essent, honorem aspicerent. Id verò æuo iam nostro minimè occurrat. Cùm enim honoris illa contentio in plerisque dispereat; tum dulcia passim, honestis præferuntur: atque adeò, vt quis vtraque tempora, virosque in eis admirationi habitos, nec non res ab eis gestas, ac prouocantia ad virtutem consideret, maiori virum admiratione habiturus sit, quòd iam talis enituerit, quàm vt alios vidisset; quibus æmulatio ex aliorum virtute accederet. Qui enim multis destitutus est, quibuscum ambitiosa ostentandæ virtutis certamina committat, velut remissior obeundis gloriæ causa laboribus, euadit. Bonumque quò rarius, eò vbique admiratione maius.

F

Secta fens.

Sententia alia.

Cæterùm ex adductis rationibus, illud puto meritò concludendum sit; nulli virum inferiorem videri, atque eorum cuiquam secundum: Dicam enim quod impensioris est modestiæ, eorum reuerentia qui priscis temporibus claruerunt, quibuscum eum comparauimus. Quæ enim illi diuisa habuerunt, hæc velut ex condicto in fratre concurrerunt. Quantum verò vnius etiam viri virtutem, tot taliumque virtuti ex aduerso componere? Siquidem enim ne Alcmenes quidem filio leue sit, aiunt, contra duos pugnare, qualis habeat Despota, qui tot ac tantis æmulis contendit? Nulli sanè eorum, qui omnium olim studiis admirationi fuerunt, primas concessurus sit, vt aut Barbarum, aut Græcum dicas, ac neque eorum optimo; neque vlli planè ea vniuersim.

Enimuerò quanquam tantis pro fratre superlationibus vtor; sed & mei ipse causa: siquidem vnum quid ambo maiuerâ quadam possibili vnitate eramus, faustis rebus, ac infaustis; lætitiis, ac tristitiis: in aliorum, ac nostris victoriis: omni fortunæ discrimine: vtque alis sint, quibus fraterna germanitas, ipsa per se indiuulsa magis habet vniri ac implicari, vt planè ipsa se vnitior atque fortior videatur: haud tamen iactantior videar, nec istam vllam suspicionem faciam vt extra debitum ferar, qui & vera & comperta dicam. Quamobrem neque cauendum putaui vt ne comparationes proferrem: nec verò sum putaturus Quam verò id congruè & è ratione, statim ostendam. Prophetiæ tamen et vetentiâ, ac propter signorum multitudinem, omnes olim cuttus Israëlis moderatores omittam. Rursum autem, iis quos memoraui, Cyrum addam, Alexandrum, Pyrrhum Epirotam, Agesilaum Spartæ quondam Regem, qui se magnum rebus gestis exhibens, Magni quoque cognomen iure adeptus est: Neque enim vir modicus erat. Sanè hi omnes, quique præclara Romæ designarunt, ac vsquam gentium, cùm boni ac ex bonis prognati, sincerè virtutem coluissent, in modum virentium semper arborum, immarcessibilem sui memoriam, nobis reliquerunt. Cæterùm gerebant illi omnia, cùm corpus esset sanum, eaque haberet dispositione, vt animi consiliis omnibus ac agitationibus ministrare posset: Hic autem, admiranda illa conficiebat, nedum sano corpore, sed & cùm illud pessimè à morbo haberet. Is vt mox conspicuus fuit, dirè corpus totum inuadens, ac crebrò percutiens, breui post: O quomodo sustineam dicere! lecto affixit. Illud verò diligenter attendas, quantum esset ad fortitudinis ac generosi animi specimen, vt cùm tantum tempus diris adeò morbus teneret, velutque dente canino membra singula dilaceraret, ipse nihilominus consueta, tanquam nullo impediante præstaret. Planè, magnum quid absolutè vir quisque ingenuus: at cùm multis malis extrinsecus ingruentibus, ipsa quoque interna insurrexe-

G

H

rint,

A

Herculi compar, imo eoque.

rint, prodigio similis, hic talis videatur, vt vel partem alteram, nedum ambas eluctaverit.

At neque minora Herculi, nisi res eius fabulæ sunt, Theodorum nostrum arbitror designasse. Multa quidem is gessit certamina, adeò illa illustria, vt toto latè orbe laudentur. Gessit tamen optima corporis valetudine vtens, ac vigore pollens; haud verò cùm iam senuisset, nec cum morbo vti Theodorus conflictans, qui & Hydrâ longè molestior esset: atque id omninò grauius passum dicas, cuius cum Hercule res componimus, quòd & multos Iolaos habens, nemo tamen hactenus, certaminis illi socius accesserit. Vt quid verò? Quòd ipsa repugnaret natura rei. Quâ enim quis volens ratione, eius morbi partem aliquam tulisset? Aut qui posset laborans, vt quidem eiuentos voluntatem oppidò sequutus esset, à morbi eum laboribus liberare, ac vel ad horam solatij aliquid afferre?

Nihil Iolai ac amici Theodoro rum certamine iuuantes.

B

Talis itaque effectus, omnibus admirationi erat, familiæ ac gentis gloria existens; atque vt velis, humani totius generis, sed nec vlli, cùm miranda adeò opera designaret. Planè id meritò. Magnum sanè vt talis euaserit, atque vt vniuersos eius genium ac mores expertos, in stuporem conuerterit. Haud enimverò, quòd aliis præclarior effectus, vno quidem, vnum quem titulo, ac alio alium, omnesque omnino in parte superarit, admiratione dignum putauerim. Vt enim res aliqua agat quod est comparata, nihil inerit videntibus stuporis fecerit. Haud ergo iure habendus admirationi, ob designatas res mirabiles, vt quis eius probè genus nouerit, ac quibus parentibus procreatus esset, vsque fuisset educatus, ac quibus opesibus studiisque ætates alternasset. Par namque erat, vt qui bona omnia, cùm maximâ ingenuitate, tum studio improbo, nedum matris eiusque parentum, quos illa optimos existentes meritis superasset; sed & patris eiusque progenitorum, collecta haberet, ne quid etiam ab eorum virtute deficeret, aut vllo modo à paternâ fortitudine ac generositate decederet, qui & maiores auosque, haud minus ratione mentis, quàm dignitatis præclaros, ornantibus purpura, diademate ac sceptro, magnificentioribus gestis obscurasset. Cæterùm eos omnes qui patientiæ certaminibus habuerunt admirationem egregiè tunc ac multo excessu superauit, cùm, Heu! eius totum corpus morbus inuasit: quocum lucta illi perpetua fuit, vti & tibi filio eius, ad senectam vsque ac mortem, cùm is, Romanorum felicitati velut inuaderet.

Nihil Theodoro [illegible] morbi [illegible] dignas.

C

Iunior Theodorus [illegible]

Enimverò, hoc sermone deuectus, finem facio narrandi res eius gestas: non quia desint quæ dicam, sed quia dicendi opportunum tempus, coactum ad luctus transire, eaque enarrare quæ vtrosque multâ vi lacrymarum sint impletura, deficiat. Accedo enim grauissima illa dicturus, quorum vir quem lugemus, multam à contubernali morbo experientia fecit, ab eo ferè tempore, vt ita dicam, quo adolescentiæ primos annos excessit. Hic te, charissimum caput, longo tempore consumens, maiori longè admiratione dignum effecit, quàm quæ magnifica trophæa deuictis hostibus præclarè erexisses, cùm te illi, nescientes quàm virtus ferro ac numeroso exercitu præpolleat, facilè admodùm superaturos existimarent. Hic te illustriorem fecit, quàm genus ac dignitas, affusaque corpori gratia, nec non multa illa toto orbe celebrata beneficentia: sed & Iobo illo, vt liceat dicere, reddidit tolerantiorem, viro vtique per patientiam beato, cuius supra mortales omnes toto dirè corpore concisus, specimen dedit; quique cùm primùm ob abundantes diuitias, ac res præclarè gestas, admirationi fuisset, longè postmodum maiori iis amissis fuit, ac postquàm summa quâdam, vt quis alius fortitudine, calamitates sustinuit. Nam sedens in stercore, ex multis amarum longumque stadium confecit, tanquam non gestaret corpus, sed esset imago coloribus picta, æneave aut ferrea, vel adamantina statua, quod & congruentiùs dicatur; cui postmodùm propter figuram, hominis nomen inscriptum esset. Planè verò præclarius ille ab afficiente morbo, quàm ab innumerabili illa beneficentia effulsit, mentisque fulgore, auri omnem fulgorem extinxit, ac pellucidos pretiososque lapides nihili esse ostendit.

Patientia Theodorus, quâ rebus gestis illustrior.

D

Tolerantior Iobo, eiusque per[illegible] stractæ res.

E

Hæc nobis hactenus de viro eximio pro facultate sint dicta. Operæ verò pretium euenit, vt afflati à Deo homines de eo dicerent, qui & ferreum appellant pro tolerantia, qua mortalibus omnibus, si qui vnquam fortes fuerunt, longè præcellentior fuit. Vtinam verò tu quoque, virorum optime, eorum feliciter biographum nactus esses, tuæque omninò res tuæ, quales habent, clarescerent; vti modo eius longè rebus deteriores apparent, quòd eas cœlesti ac valida lingua dilaudante, infirmam meam ac terrenam, tuarum ipse laudatricem sortitus sis. Enimverò illi te apud Deum sint laudaturi, plaudentibus Angelis, totóque Beatorum admirante cœtu. A nobis autem; hoc tibi alia ratione encomium accedat, vt cùm valde cupiamus te ostendere, qualis moribus, ac malorum tolerantia fueris: nedum omninò bona tua assequi non valeamus, at neque propiùs ad illa accedere, aut verò non ita procul abesse. Porrò insistamus scopo, tui illam comparationem exigentes, cum viro in patientiæ exemplum vniuersis proposito: Bona quippe, inuidiam non habent.

F

Sane nec ipse verbum aliquod protulisti, quod murmur haberet. Quid murmur dico: cùm & gratias amplissimas, ei, cuius nutu morbus grassaretur, haberes; Ac nisi pro mei in te amoris œstro insanus videor, potius te viro eximio gratiam egisse prouidentiæ affirmem. Magna enim quædam apud te religiositas obtinebat. Planè, emorientibus membris: O quomodo sermonem sustineam! læsisque articulis, statua fortior videbaris; quanquam corpus malis impar, vtpote conflatum ex puluere; absumebatur. Illud quidem dolens vincebatur: at animus cogi nescius, nihil à morbo lædebatur. Qui enim: nam etiam fiebat illustrior, tanquam si aurum in igne versetur. Haud equidem lubens afficiebatur; lubens tamen ferebat mala, nec nisi maxima quadam grati animi significatione. Vt autem quis inuitus afficiatur, lubens autem pietatis ergo ferat, haud commune præmium consequatur; imò etiam omninò maius, quam vt proprio quis consilio ac voluntate, malorum noxam sustineat. Talia planè tibi ingruebant, ac iactura, ipsa membra erant.

Egregia Theodori cum Iobo collatio.

Scita sent.

G

Voluntaria tolerantia inuoluntariorum præclara.

Enimverò ter ille magnus ac beatus Iob, nullo membro fuit minutus; nec eorum aliquod à morbo labefactum, quanquam totum corpus vermium examine crebrisque plagis adesum esset, inutile remansit. Haud ergo tu, charum caput, leuioribus doloribus quàm quibus eius consumeretur corpus, obluctasti: iis verò diuturniori præ illo tempore attritus fuisti. Sed & illud tuis illis doloribus cumulò accessit, vt nimirum, cùm vel acutissimi essent, immineret Reip. cura, quam vir præclarissimus non gessit. Quamobrem, vti dicebam, statua fortior enituisti. At neque statua, magnum quid vnquam aut paruum dicatur ferre, quando & sensu caret, tu verò regali educatus cura, eademque subinde ætatibus auctus, lenitate, quâ nemo puto vniuersorum, morbi molestias pertulisti. Mortalis quippe existens, ea magno animo ferre optimum arbitrabaris, quæ sunt comparata mortales inuadere.

Qui itaque omnibus rebus gestis fortis enituisses, membris deinceps resolutis, longè fortior ac tolerantior claruisti. Quanquam enim industriè admodum arma manu tractares, cùm bona esses corporis valetudine, vixque non pedes ceruorum pernicitati certarent: hæc tamen haud tantum sint tua: eorum autem iacturam qua tu ratione ferres, vt ne etiam verbum amarius proferre sustineres, id enimverò totum sit tuum, nec eorum vllius qui laudem à patientia habent.

H

Quin & morbi furiosa impressione ac violentia, cùm vis dolorum intensior vigeret, tanquam non indutus carnem, ita patiebaris. Pro eo enim vt lugeres, vociferareris, succenseres vitæ; fortunæ malediceres, te ipse tenebricoso angulo abderes; stragulis opertus

Nihil Theodorus per morbi omisit de suorum cura.

gemeres:

A

gemeres: quod quis longè levioribus obluctans haud dubiè passus esset; ipse magis domus ianuas omnibus patentes volebas, eaque perseveranter agebas, quæ vel sano, morbi aliquid viderentur posse consciscere. Quodque ampliùs præstet, nedum vrgentibus ac rebus momenti operam ponebas, sed & iis quæ quis venia à te accepta facilè compositurus erat; tanta vbique sedulitate habebar. Sed & illud eximiè præclarum, vt vbi hominum vulgi vilioribus negotiis tui copiam fecisses, haud ea postmodum negligentiùs agens, non integrè gereres: quinimò, cùm modica quoque magna quædam indigentibus scires, haudquaquam dimittebas destitutos ope, donec omnia si qua abundè subsidio forent, eis præbuisses: id verò, cùm necessariam quandoque cibi refectionem negligeres, ac somnum ab oculis submoveres, omninoque corporis omnia commoda, tanquam sanus, ac vegeto corpore, potensque gestire, ac velut pro maximis rebus certamen esset, ita sperneres.

B

Sanitatē eorum commodis posthabet.

Sed & illud stupendum, vt & medicis clamantibus, vim te tibi palam facere, qui non omnia necessariis corporis commodis posthaberes, ipse nihilo secius operi intentus esset. Quippe faciliores aures accommodabas querelis patientium iniuriam, quàm monentibus esse consulendum afflictæ saluti. Ab ipsis ferè proieceras manibus si qua medendo viderentur, qui certamen inisses pro iustitiâ. Id enim probo sanè consilio, aueruncum animæ remedium putabas, cui oolebas corporis studium quicquam obesse. Malis itaque grauissimis pulsatus, insuperabilis eras, nec tui deteriorem partem, ei quæ est potior, vi quadam dominari sinebas: ô tu athleta; firmum pectus, animo adamas; robore ferreus, vt quis in animi tuum illud propositum, innatamque voluntatem; non vt in corporis infirma aspiciat, quibus illud cedere, pro sua concreatione ac mortalitate necessum erat. Imò vt & in illa aspiciat, tuam illam generositatem omninò admiretur. Ita enim mala intolerabilia sustinebas, tanquam alius pateretur, ac velut in somnis, ac nudo spectro, non vera videres.

C

Suorum compassio, eiusque cura consolandi illos.

Sed & necessarij plures lecto circumfusi, quorum manibus ægrum curabas corpus, postquam defecta membra id obsequij negarent; vbi vix tandem dolorum vim, quanta esset cognovissent: Non enim ostendebas, qui tem charis valde molestam ferres: haud deinceps necessaria obsequia nisi in lacrymas resoluti poterant præstare, sed manibus tundentes pectus, ac vbertim lacrymarum perfusi imbre, solum irrigabant: quod ipsum gerebatur silentiò, ne te inviti contristarent, quos tui causa contristari scires:

Scita sent.

Solent enim amici, congaudere gaudentibus amicis, ac cum iisdem tristibus pariter tristari. Quia enimverò te hæc non latebant: Qui enim potuissent? nullum tibi concedebas leuamen, donec æquanimiores factos à te dimisisses. Graue siquidem omninò putabas, vt affectus ipse ac æger, ab impensiori amoris vi tibi condolentes, quos supra modum haberes charos, tui ergo affici sineres. Quamobrem quem dolores intolerandi tenerent, quietè ac blandè innatâ illa modestia subridens, verbis supra rosas dulcioribus eos aspergebas, affirmansque leniùs habere, meliorum spe plenos omnes, domum remittebas. Qua re, omnium in te amoris vis iugiter augebatur, cùm tuam illi ingenuitatem, ac amorem ipsos vehementiùs admirarentur.

D

Mat. 5. v. 16.

Sic tibi vita tota certamen pro virtute, ac eo quod esset operæpretium fuit, tuumque illud lumen eluxit coram hominibus, qui tuos quidem, vt nequeat meliùs, demereretis ac bonis augeres, hostes autem, victor superares, quantùm liquidò opera ostenderunt: quanquam in ipso quoque morbo, sic malè habens, vt nec verbis exprimi possit; sic tamen generosè haberes, vt videntes in stuporem converteres, qui nulla intermissione, indefessoque studio, cùm pro tuis, tum adversus hostes, gerenda præstares: Sic nimirum erat per omnia optimus, vir vobis eximiè charus.

E

Nulla quidem vos vnquam eorum satietas capiat, quibus vester ille magnus ostendatur: verùm non possim ampliùs dicere, autue vltra progredi. Cùm enim exiguum terræ spatium, quo generosum corpus, mirabilis animæ illius quondam vehiculum tegatur, aspicio, parùm abest vt ne amens efficiar, nec restat quid agam. Volo dicere, sed torpet lingua: volo loqui, vox verò dolore defecta nequit obsequi; at neque sermonis reliqua organa, vincente pressurâ, voluntatis obsequuntur agitationi; cùm nec animus ipse ac ratio statum retineant. Nihil vos sanè in præsentiarum, ipseque adeò cumprimis, quàm lamenta impensiùs desideratis. Horum ratio, defuncti encomia. Quæ enim laudes defunctos optimos probant, eædem cùm amorem in eos accendunt, tum iacturam ostendunt quàm maximam. Quod porrò iacturam auget ac damnum, vtique etiam augeat tristitiam: ac cursum, quod auget tristitiam, etiam lamenta. Quanquam ergo aliquis ipsos quoque lacrymarum afferat fontes; quanquam omnia sensus expertia, ipsique adeò loculis depositi mortui, vt res ferret, nobiscum lamententur, atque ad infinitum luctum; nulla hæc vobis dolorum futura sint accessio, quin & dolorum haud exiguam aliquam partem auferre videantur.

Pulchra transitio ac prouocatio ad næniam.

F

Scita sent.

Obrutis namque tristitiæ fluctibus animis, præsentior nulla consolatio, quàm luctus occurrat. Non enim id graue, vt lugeas, vt vel torrentes lacrymarum ab oculis mittas, sed quod intus murdet animum, vt & lacrymis vti habeat: torrentis autem in modum flere, iis leuamen quoddam existat, qui ditis casibus obruti sunt. Mihi ergo haud valenti vlteriùs progredi, quique nequeam solus condignè fratrem celebrare: Quippe aliorum malorum hoc cumulò accedit, vt præ dolore animus velut oblæsus ac cæcatus sit: reliquum videatur, vt auxilium à vobis, quantum sit possibile, invenerim. In eo autem sit positum, vt vos quoque dicatis, si qua tempori ac dolori congrua sint, donec ad me sedens, ipse quoque singularis lamenter quæ decent.

G

Quotquot itaque eius bona experti estis; porrò experti omnes: vnam mihi rumpite vocem, vno corde, vno animo, tanquam ab vno quodam ore, huncque eius loculum amplexati, qui in vos, nihil minus patris, quàm Despotæ ac domini partibus defunctus sit, tempori congrua verbis efferte.

Lamentantes.

Quid enimverò? Iubes vocem rumpere hominum os penè mortuorum;

Orator.

Quantum, inquam, per facultatem licet.

Lamentantes.

Erimus dicto audientes, vt à dolore obruente possimus nonnihil emergere.

Par sanè, nobisque optimum erat, vt te priores vitam relinquerremus: nam & modo, revera haud verè vivere possumus.

Pulchri admodū threni ac nænia.

Quanquam enim necdum mortui sumus, vitam tamen quotidie moriendo consumimus, atque ab humanis migrare, quàm vivere desiderabilius ducentes, mortem deprecamur.

Nemo quippe est, qui non à vita liberari cupiat, quanquam pietatis legum observans, ipse sibi manus non inferat.

H

Fieri non potest vt quis vitalem ducat vitam, post tua illa delibata bona.

Multo quidem tempore, ô Despota, iugi nos tuorum bonorum participatione donasti, eaque omnibus omnia affluenter admodum impertisti.

Haud tamen omninò corda implevisti, aut eos qui essent participes in fastidium vertisti.

Nec enim res ita ferebat, autue vt ita ferret, prope erat.

Larga enim à Deo manu divitias immortales fueras consecutus, nec quibus iis consortes fieri obigisses, earum

consortiis

consortiis cupiditas sisti poterat ac cohiberi.

Quamobrem qui omne nobis depluere bonum, moriendo, sitire nos permisisti.

Multam nobis lætitiam fecisti, tuisque ipse laboribus ac periculis ad æmulandum provocasti; tametsi adversa fortuna plerunque vtereris: multisque putantibus sibi facilè, & te, tibique subditos omnes, hiantes absorberent, eorum in contrarium opinionem, vti res exhibita clamant, omnino vertisti.

Nunc autem cœlum, terraque, quis tantam illam calamitatem, dirè satis lamentetur? Quisue tui per omnia optimi factam iacturam, dignè defleat? Quis ferreus, quis ita adamantino pectore, vt tristitiam in finem ferre possit?

Heu, heu, heu; concurrentia mala, ipso hoc quòd migraueris ab humanis!

Qui enim heri ac nudiustertius Peloponnesum beares, eius cum despota, duxque, tum sospitator existens, illum statim res, vita functus, in contrarium demutasti.

Planè verò, pro lætitia, caliginem, pro lumine, tenebras, humana vita miscuisti.

Quemadmodum enim tua nobiscum præsentia, vniversis pariter vniversorum bonorum auctor existebas, ita sæculo exemptus, consuetorum bonorum exortes fecisti. Videantur enim vnà tecum bona avolasse.

O qui provinciam hanc desolatam adeò reliquisti, cuius semper commoda, nedum ignauia vitaque molliori, ac voluptati, sed & necessariis, quàm maximè licebat, prahabuisti! Addam verò, securitati etiam, ac quandoque saluti!

O qui eò tantum quod à nobis separatus fuisti, ab omni nos pariter bono separasti!

O qui versans nobiscum omnino dares vivere, quique moriens, subditos omnes velut enecasti!

O qui tenebris, eorum oppleveris oculos, qui tuos illos dulcis, pulchrosque, ac ridentes, moreis obscuro viderunt prorsus immutatos?

O qui auditum omnem, tua statim audita morte, supra omnem tonitrui vim, ad multum tempus obrigescere fecisti!

O qui corda ac præcordia omnia, instar immanium fulminum, longissimo tempore concussisti pariter ac percussisti!

O qui omnes corporis sensus, omnemque animi facultatem, vel prorsus ad multam horam extinxisti, vel sola obitus fama, igitur obtundas atque obscures!

O iure odibilem horam illam, quæ te mortuum nobis representauit: informem quidem a morte; à multiplici autem ac longa ægritudine, toto corpore adesum!

Quis eas corporis speciem illam olim florentem ac vigentem, illumque decoris cogitans fulgorem, atque indeficientes in eo recolens diffusas gratias: tumque rursus, tristem illam diem, quæ corruptioni tradidit, in memoriam revocans, non omnino vitæ osor, ac mori desiderans inveniatur?

Præstabat ergo, charum caput, subditos omnes tibi commori, quam vt te mortuum aspectuti essent. aut certè quod in secundis esset ponendum, vt tecum confertim, vno tellus sepulchro condendos exciperet.

Quid enim homo habeat vivere, qui tanti boni iacturam perpessus sit?

Hactenus perorauimus, quandò plagà totum pervadente corpus, ipsasque adeò animas, vt sic loqui liceat, consumente, atque mordente, modisque omnibus depascente, non possumus dicere quanta sit opus.

Sic verò: Ego autem quid agam? Quippe vulneravit mala fortuna; dolorque, heu quàm intolerabilis! nec tamen, vti quondam Telephum Achilles, sanatura sit. Porrò autem insanabili plaga, hoc nobis cumulò inæquale accedit. Nam dolor quidem pro intolerabili sua gravitate, dirè lamentari cogit, ac cùm iacturæ communis, tum meæ singularis causa, ad pangendam næniam congruam adigit: idemque rursus alia ratione, torporem ingerens, ac velut enecans, silentio lugere abundè compellit. Qui ergo ad vtrunque compellat, neutrum assequi sinit. Quod enim per idem tempus contrarium iter insequi cogit, vt ad neutrum perveniatur facit. Sic varium est quod vim facit, ac exuperans malum. Valde enim rationē cœcat, ac turbat intellectū, animumque totum velut miscet atque confundit.

Enimverò, ô admirationem pariter ac amorem habens nedum cùm eras vitâ superstes, sed & modo postquam in vivis esse desiisti; iamque amplius quàm toto retrò tempore. Maius quippe desiderium abscondita bona habent ciere: vt quid norma existens iustitiæ, me fratrem visus es iniuria affecisse: Concedens enim quò oportet omninò concedamus omnes, meque retrò te sequi siuens, vitam me non vitalem ac prorsus molestissimam, vivere fecisti. Sed & mihi ipse per alium modum iniuriam feci, qui non te prior vivis excesserim. Par quippe, ac mihi præstabilius erat, vt ne migratione à vita, iuniore te posterior fierem. Atenim, quod minimè æquum erat, nos prævenisti, volentesque indiuulsos à te videri, mendaces coarguisti. Tu quidem corpus relinquens humo, ad Deum abiisti, cùm nos hactenus in terra versemur: par autem erat, primo statim nuncio accepto, vt abiisset ille tuus spiritus, vt & nos deposito corpore, leuique anima ac nudà, pone tuam sequeremur, quòd sic statim assequentes, eius iugi consortio frueremur. Rerum itaque probatione liquet, qui mortuo te superstites simus vitæ nos ipsos, ac corporis amantiores exhibuisse, quàm veraces ac fratris amantes. Sed & illud cogitandum; aliorum cumulò hoc quoque me malum habuisse videndum, multis illud mortibus deterius futurum. Vt enim pie verbum accipias, hoc mihi quoque infortunij fato decretum erat, vt ad multas acerbasque priores plagas, hanc modò tui causa, verè illam lethalem ac maiorem reliquis, acciperem. Videatur hæc nobis a Deo peccatorum indicta mulcta, adversus quam non sit renitendum. Postquam autem placuit, Patri quidem vt gratiam spectes, Domino autem ac curatori, vt naturam, in omnibus erimus gratias agentes; rursumque tempori ac calamitati, quod operæpretium sit, pro facultate reddemus.

Scita sent.

O inauspicatam diem! infaustam reverà horam, in quâ tu, omnium charissimū caput, qui solus fratrum relictus esses, ab humanis migrasti, cùm cognati priùs obiissent, obiissent verò amici; essetque iam defunctus pater, ac omniū cumulò, defuncta pariter esset mater optima, quā quis nesciat planè relictam velut animam, cùm publicis rebus, tum nostris, ut vix non illæ mortuæ relictæ sint, vt eam amisissent: O quàm nunc, multâ me ac bonâ magnaque sensiu cognatione nudatum! Quanquam enim illa pridem iam ad Deum commigrasset, tu tamen abundans mihi solatium relictus superabas, per omnia admirabilis existens: nunc verò tua illa sagitta cumulò ingruens, tametsi ipsâ per se sufficiens perdere, abundè tamen omnes ab illis plagas mihi refricauit, renovavitque, quinimò etiam ampliùs irritauit, ac prioribus deteriores fecit. Nunc verò multis ac omnigenis vulneribus compunctus, quomodo deinceps vitæ reliquias vivam: Nonne liquet vt acerbè, vt molestè; vt omni ferè animi ac corporis privatus sensu, ac quâ quis hostis ac invidus contra nos ratione optauerit.

O amarum illum nuncium; qui per aures in cor incurrens; cùm illud statim concussit; tum maximâ parte emortuum reddidit! Tu quidem ad amantem pariter ac vocantem concessisti, eius virtutis præmia percepturus, quâ dignitatem ornasti, hunc autem mundum, eius pulcherrimo cimelio privasti; te, inquam, ac tuo auxilio: Cæterùm, malis animo sigilli instar in cerâ impressis, hærebit plaga memoriæ immobilis: Quidnam ergo vita sit, homini perpesso talia, taliaque super se reputanti, ac negotiis publicis?

Vnà mecum lugeant, miles pariter ac mercator, virque agricola, atque Monachus, necnon Presbyter: pauper simul ac dives: omnisque ætas ac ordo. Quippe superstes ille, ceu quædam palam anima vniversis erat;

cóque

eóque migrans, mortuos reliquit à quibus discessit. Militibus quidem victoriam præbebat, quibus vbique socius esset, vbi periculi vix maxima vigebat, quod ille primus adiret. Mercatoribus lucri causa erat, ob pacem, partim prudentia, partim armorum vi, præstabat. Agricolis, arandæ terræ libera per eum facultas fiebat, quam neque iis, cum necdum ille calcasset, calcare licebat. Quis autem illo maiori Monachos ac Presbyteros honore habebat? quis verò luculentiùs illo, quo curá vacui possent tueri ordinem, suggerebat? Nihil pauperes emendicare oportebat, quippe quos eius adhuc domi munificétia occuparet. At neque divitiis quoque affluentes demereri omittebat. Se quippe putabat decere, vt universos beneficiis impertiret. Egere namque vel ipsos opulentiores sublimiorum dono, quâ, inquiunt, ratione, in aquis nata, cœlestem imbrem necessarium habent, vt fructum ferant. Quis sic ergo ad præfatos omnes haberet, vllius se communem, cùm vsos deposceret negabat? Haud planè, haud inquam: sed omnibus expeditus erat ac comparatus, qua quis ratione ne vel vni duntaxat. Vbi enimverò tanta bona? Vnà tecum, vti cum onerariá, quas gestat merces, qui bonus esses, abierunt.

O diram caliginem ac atram noctem, quæ multâ quidem acerbitate vitam impleat, sit verò semper duratura! O caliginosam densamque nubem, quâ grando multa depluit, omne deinceps deperdens germen, omnemque fructum, ac segetes, omnemque arborem ac si quid omnino terra germinat quod humanæ vitæ refrigerio sit! O deprecabile tonitru, quod animum fragore concussit! O typhonem, qui oculos cordis cœcauit! O horrenda fulmina, quibus statim mens oblæsa sit? O exitiosum præsterem, animos incinerantem! O plagam, remedium omne auerruncum, nugas ostendentem! O luctum mihi infinitum! O vitam, nisi solo pietatis intuitu, minimè ferendam, quòd haud vltra in votis habendum sit vivere; cùm præcipuè mihi, tum illis universis, qui tuam, amice Dei, indolem perspectam haberent, quàm eximia esset. Erat hoc planè illa ostenta quæ futuram rerum in deterius mutationem pridem significabant. Nos porrò videntes gestiebamus, qui quorundam persuasi vaticiniis, malum in hostes vertendum putaremus. Nunc autem postquam illud in nos euenit, omnesque palam, vt quod ita maximum, ita acerbum, ac sine remedio existat, affecerit, nihil aliud reliquum est, quàm vt lugentes ac lamentantes, totum deinceps tempus in mœstitiá vivamus: non quidem propter illum, qui ab humanis istis, vix quicquam à cœno, ac multá caligine, diversis liberatus, ad indefectibilem illam, ac senij nesciam serenitatem transiuit. Qui enim ita possimus? sed propter nos ipsos, qui sola causa lugendi videamur relicti. Sic autem rem habere, per hunc modum accuratiùs exquiramus.

Fortè visus sit cometes aliquis.

Ille ab humana consuetudine abiunctus, Deum consecutus est; suisque inscriptus beatorum choro, inter quos multi sunt eius cognati; cùm pater vir optimus, tum mater, nihil illo deterior. Sic enim fiduciam facit, eorum pietas, ac morum rectitudo: optima quoque fratrum sodalitas, ac avorum turba, amicique plures. Quanquam ergo à nobis, quos amore prosequeretur, ac quorum delectabatur consuetudine, fuerit separatus; quòd tamen cum parentibus multisque cognatorum ac familiarium, nihil omninò nobis deterioribus agat; ad hæc verò cum beatis, ipsoque insuper Deo, longè vtique iucundiùs habeat, quàm vt versaretur nobiscum, vt vllam rei comparationem inire condeceat: Nobis autem, qui horum fecerimus iacturam, nihil eiusmodi evenit. Nam quid rei possimus consequi, vt illud viro præstet? Liquet omninò non posse quicquam. Quomodo enim, cùm nihil sit tale? At neque triste quid illi acciderit, qui factus sit particeps interminabilis vitæ gloriæque & voluptatis, quæ vitæ illi indefectibili congruæ sint. Nobis autem qui corpus adhuc domicilium habeamus, quod Plato plurium malorum causam appellauit, quibus defuncti sæculo sunt liberati.

Nedum ergo à molestiis plurimis liberatus est, quas necesse est, mundum hunc corruptibilem obvagari, sed & bona nostris sic nuncupatis, longè potiora adeptus est. Quæ enim ævo illo pulchra sunt ac bona, tantò nostris præcellunt, quantò incorruptibilia, corruptioni obnoxiis: tantumque illud amborum discrimen, vt neque linguá deceri possit: mentem quoque carni alligatam intuacadentem ac victam ostendit. Sed & eò quoque vitæ illius deliciæ præstant, quòd à nostrâ illa colluuie puræ sint. Hic enim ne minima quidem lætitia est, ad vsque finem omnique protsus iniucunditate vacans ac molestiá. Atque adeò vt diligenter tantum consideremus, liquebit planè, vt molestior pars superior sit. Quin & illud nobis cumulo incumbens malum, longè mœstitiam molestiorem facit. Præsentis quippe ævi tristia, maximo hoc obiectis fluctu, multis partibus grauiora fiunt: ipsaque adeò, si qua bona ac dulcia humano vsu nuncupantur, ne id quidem quod habent naturâ amplius videntur. Quanquam, quid bonorum memini atque dulcium, quando ea quoque, quæ delicias habeant, absque beatæ memoriæ viro sint, malum est non ferendum; vtque vel hos radios dicas, quorum ille visura priuatus sit. Sed nec bona valetudo, ac si qua sunt per se bona, magni deinceps à nobis fiunt: Quomodo enim, quibus ne ipsum quidem vivere prorsus videatur bonum? quòd enim eorum sine separata corpora, quorum inseparabili vinculo animi iuncti essent, nullum delectabile omnino constare liquit, vtque adhuc quod dicitur, reipsa delectabile putetur.

Scita sent.

Illi quidem, multa pedes grauitate sociis Martyribus choros ducent, qui neque hic incedere poterat, vbi morbus obtinuisset. Mitto enim dicere ejus illos pro virtute cursus, quandiu facultas erat: effulget verò animus, nedum propter fidei zelum: Quippe in eo multus vigebat; propterue periculi quibus pro gente defunctus sit: Multa siquidem obiit ac crebra: sed quia toto etiam corpore à mali acerbitate diuè lacerato, ne verbum quidem vt magnum aut paruum dicas, degeneris miserit indicio animi, quove angustum pectus proderet: atque adeò, quod non multam haberet gratiarum actionem, vti iam superius oratio ostendit. Quamobrem ille, à palæstra ad coronas ac præmia; atque à deterioribus & fluxis, ad potiora ac sine motu constantia vocatus fuit: nos autem vt & ante dicebam, toto deinceps tempore male habituri sumus; qui eo quidem careamus, quem nullo alio estemus redempturi; careamus verò iis quoque bonis, quorum ille auctor esset, quà præbens ad instar fontis, quà nonnunquam consulens seu omni modo providens.

Enimverò sentio haud sanè conclusisse; vosque, cùm præsens auditorum corona, tum si qui forte vsquam hunceee commentarium lecturi estis, veniam errati rogo. Eius forsan dolor in causa fuit, qui hebetiorem molestia animum fecerit. Quodnam verò illud erratum? Iam sum dicturus. Nimirum pronunciam, virum nobis optimum ac eximiè dilectum, omninò immortalibus bonis oportere donatum. Id planè verum. Sic enim probatum arbitror eam spem decere. Nos autem, ipsius iacturam passos, qui maximorum atque plurium nobis bonorum auctor esset, eratque futurus, vt esset superstes, toto deinceps tempore in tristitiis versaturos: Hoc verò absurdissimum: Palamque videatur ænigmati simile, vt cùm is, cui omne vellemus bonum ac cuius causà malum omne sustinuissemus, bona æterna consecutus sit, nos interim, eius ad tempus aliquod privatione tristemur. Sint planè hæc argumento, vt nostra pluris bona, quam eius faciamus; vtque eius lubentes præsentiam haberemus, non propter ipsum ac quod ei commodum esset, sed propter nos ac nostram vtilitatem.

Hud ergo sinceræ dilectionis, quod bis verbis conclusum fuit; sed ab eâ quàm longè remotum, ac velut abortivum. Omnino enim secus oportebat; vt eeius res nostris posthaberemus. Hoc quippe arbitror nos decere, qui ipsis nobis, eum nos impensiùs amare adstruamus.

Me ipse igitur arguens, ac satis puto errorem deprecatus, vicissim hortatum venio, meæ ipsius emendationis ergo vestræque vtilitatis, vt vnà cum vestro Despotâ, eius gaudij causâ quo illic perfruitur, gaudeatis; nec in vestram iacturam aspicientes, quòd ille hinc migraverit, tristitiæ perperam indulgeatis. Quàm maximè enim à ratione alienum; vt cum eo male hic habente doleremus, cumque eodem illic deliciente, non deliciemur. Vt enim quis molestè ferat, bona aliquem æterna, à corpore migrantem consecutum, planè res invidiæ sit; at neque invidiæ, nemo siquidem invideat bibenti ex inexhausto fonte ac perenni. Vt enim fœlici rerum successu invidia conflatur, eò comparatum est, quòd invidi aliorum prosperis rebus; suas minui arbitrentur. Nobis autem, qui nostra bona felicitati eius, nulli deinceps mutationi obnoxiæ, posthabeamus, illi oppidò congaudendum sit. Hic porrò operæpretium monitionem auspicemur. Dico itaque nobis congruum esse, non quidem vt nullo doloris sensu, tanquam stulti essemus, eius privationem feramus: Neque enim grave aliquid, aut violentum dicturi sumus; sed vt conemur leniter ferre, quod providentiæ visum sit; bonisque, quas omnes de illo habemus, expectationibus modestè delectemur. Sanè quidem, vt futuri ævi res nihil esse putaremus, alius nobis sermo esset. Postquam autem omninò etiam docti sumus, veroque omni certius habemus, vmbram esse hoc sæculum, viamque ad futurum illud, haud planè impensior his habenda cura, illorum autem omninò habenda sit ratio. Duorum quippe alterum necesse est: vt qui vitam ita impensè diligamus, vti quisque facto ostendit, vel non credamus esse cum Deo, eâque illum dirè lugeamus, cùm nec cogitatio aliqua, nec ratio teneat: vel contraria sentientes, contraria quoque gemitibus agamus. Cæterùm credimus in loco esse ab omni tristitiâ vacuo, in amicorum ac cognatorum versari choris; esse in lumine, quod aliquando apparens, solem hunc fulgore multo sit obscuraturum: quodque vniversis sit præstantius, credimus esse coniunctum Salvatori Christo, Ecclesiæ totius capiti: cui illa *concorporalis ac cohæres* extitit, iuxta doctrinam Pauli; *in quo*; vtique Salvatore ac Deo, *lapide summo angulari*; *omnis ædificatio constructa*: nam Pauli iterum vsurpabo verba: *crescit in templum sanctum*. Atque vt hæc pariter videantur, haud planè operæpretium sit, vt eum pro eius ad Deum profectione, ac bonis quæ est consecutus, gaudendum esset, tum nostri causâ, ac propter nostram iacturam, grandi tristitiâ impleamur, ac mœstitiâ; nequando ista morosi sint, ac eius qui sibi læta, dilecti commodis anteponat. Vt quis enim sincerè amet, multam lubens molestiam tulerit, quò charta in gloriâ versati ac remissione purâ à crimine concessum sit.

Scita sét.

Vt molesta huius vitæ ferenda, ac proborum mores.

Vt esset lugendus Theod'.

Eph. 3. v. 6. & 2. v. 21.

Scita ent.

Sed & matrem quandóque à viduitate filiam, quam vnigenitam ac pulchram habeat, pro quâ vitam quoque traditura erat, alienam in regionem, clarissimo viro iungendam destinare videas; ac lacrymas quidem, pro prolis separatione, quam non liceat, nec sit facile, forsque etiam nec possibile vt iterum videat, ab oculis mittere; eiusque nihilominus facilem fortunam, suæ ipsius voluptati præferre. Delectatur sanè quanquam lugeat, vt eius charissima proles sit adeptura bona, superatque molestiam voluptas; neque enim aliòqui destinatura erat. Existimo siquidem à gaudio vinci tristitiam, vt contingat charissimos benè habere, ab eo quod amantes molestum quidpiam ac triste ferant. Vt porrò hanc æmulemur matrem, multam quandam consolationem consequemur, quinimò lætitiam, pro abiecturi tristitiâ. Volo autem adhuc rationibus vti, vt maiori solatio, melior nobis opinio obtineat.

Vt magis lætandum pro obitu, matris exemplo.

Scita sent.

Equidem vt credamus charum nostrum, malorum illic dare pœnas, neque nos dolori depascenti vllas demus inducias: ac si quis nitatur consolari, ne ei aures commodemus. Quanquam orator sit, quanquam Philosophus, quanquam pro eloquentiæ vi, magna possit ac glorietur, insanire existimemus, vt se persuasurum speret. Quanquam delirans instet; lapidibus submoueamus, atque inioriis. Sin autem ille Deum timebat, fidemque in illum sincerissimam seruauit; parentes honore prosequebatur, ac suos quidem demerebatur, quin & extraneos quantum liceret; nec eius omninò vita finit dubitare, sed sumus persuasi, vnà cum Martyribus agentem choros, paradisi potiri bonis, ne pro inclyti viri obitu, immodica tristitia impleamur, *sicut illi qui spem non habent*, inquit divinum caput Paulus: sed vel omninò absorbeatur tristiora à spe meliori, aut certè prævaleat illa, quò sunt potiora quæ sperantur, ac animi contemplatione sciuntur, quàm præsentia, ac ea quæ videntur. Quidni autem dico quod est amplius? Certus quippe sum, vt datâ optione, vel post multos decursos annos, regnumque administratum, ac voluptatem perceptam, plurimamque felicitatem, cœlestibus bonis perfrui liceret, aut statim morientes ea consequi, nullis hactenus præfatorum perceptis, postremum hoc omninò electuros, posthabentes quæ sunt æui præsentis, iis quæ futuri. Nonne ergo prorsus absurdum, vt quæ sibi quisque velit, ea nolit pro amicis: Sed & illud pensemus, siquidem eò impensè amemus, pro defuncto lugemus, vitamq; deteriorè putamus quàm si mortui essemus; liquet palam, vt & ille nos amans, idque ea amoris vi, quæ nihil nostro mortalium cedat, quàm citissimè mori voluisset, vt, illo nos priores decessissemus. Atque id meritò. Siquidem enim leuamen tristitiæ invenire possumus posset & ille; sin non possumus, nec ille omninò posset.

1. Thes. 5. v. 14.

Præstat ante charos mori, quam illis superuiuere.

Id ergo ex dictis consequens fit; præstare vt ante charos decedas, quàm vt vivens iis primeris, eorum migratione à vitâ. Ego nihilominus moderatiori sermone vtar: Dico ergo, vt quis nobis illique eligendum proponeret, vt aut ipsi priores illo decederemus, aut è contra, ille nobis prior, argumentum vtriusque præberet haud indicio facilè. Quanquam enim bonum est vivere, iugi tamen vivere tristitia, omninò intolerabile. Quanquam verò optabile à tristibus liberari, vt tamen per mortem, quam omnes horrent, haud vllus puto facilè in animum inducat, vt velit: Tanquam ergo quibus potiora inquirentibus, haud facile sit è re iudicare, lubentes amplectamur quod visum est providentiæ, nostras res melius dispensanti quàm vel ipsi velimus. Sanè enim Deus, omnia scit, potestque ac vult quod universis conducat: nos autem non raro deteriora appetimus, spretis bonis cùm illorum copia suppetit, proque eo vt nobis bona operemur, per ignorantiam quæ nobis sunt mala agimus. Quamobrem existimo nequaquam hic fuisse dictum quod melius est.

Melius saltem quia placitum Deo.

Ne prius ergo templo exeamus, quàm vt ita duntaxat tristitiam animis permittamus, vt eius excessu minimè Deum irritemus, autue dilectum offendamus. Sanè enim futurum est vt ille offendatur, siquidem irritauerimus Deum; idque eius cumprimis causa, ac propter migrationem ipsius ab humanis. Eò autem ipsi nos amatores ostendamus, vt pro chari animâ impendamus, quantum cuique liceat ac putet se decere. Id enim solùm universi in eum conferre habemus: eaque omninò verissima restat, nostræ in illum dilectionis ostensio. Porrò autem illi quoque contulerit, qui fuerit homo, inque cœno corpore habitauerit, quocum nemo omnino purus possit versari: sed & vobis conferat, tanquam qui officiu defungamini in virum optimum ac Despotam, plurimumque

ac

A

ac magnorum bonorum auctorem; inquit eum, qui nunc magnum apud Deum locum habeat, sitque adepturus ampliorem, quando communis generis domus ac mater, terra, spiritui corpus reddet, quo bonis operibus est vsus instrumento, ad gloriam ac lætitiam æternam, quam nos vtinam consequamur propitium nobis reddentes viri illius Deum.

Hæc nos tibi, divina anima, quæ multas prius ornatasque laudationes susceperis, hisque postmodum à multis susceptura, ac iis qui ornatè dicere possint: quando nihil aliud defunctis ad gloriam valet conferri. Porrò videns quæ erant aliorum, gauisus sum: Erant siquidem bona valde, & vt argumento essent facultatis dicendi, quanquam dicentes subiectæ rei longè impares erant. Sic enim omninò accidat, vt quis tuam indolem laudare tentauerit. Mea autem hæc haud scio qualia aliis sint habenda. Quinimò planè scio, palam deficere à rei dignitate, atque ieiuniora esse quàm vt tuam satis virtutem laudauerint, autve propiùs ad eam accesserint. Tu autem benè scio, pro tui in me amoris œstro, quo mea magis gaudeas, quàm amicâ quiete qui illam persequuntur, cùm ea lætus suscipies, tum habebis omnibus potiora. Sed & vos, auditores, arduam spectantes molitionem veniam daturi estis, vt minus liceat mare cotylis metiri, tantumque velut è perenni flumine modicum quid haurientes, gustandum præbuerimus, quò eius aqua quàm sit dulcis, quamque limpida, ex parte ipsa innotuerit.

B

C

DEMETRII

CYDONII,

ORATIO AD GRÆCOS DELIBERATIVA: PORRO Scripta est profecto Romam Imperatore Ioanne Palæologo, Patriarchâ domno Philotheo.

NOTA.

De Demetrio Cydonio in hæc verba Possevinus ex volaterano. Demetrius Cydonius Thessalonicensis, vir doctus, ac Sanctus, Græca Latinaque facundiâ præditus, ex patria decedens, Mediolanum venit, vbi litteris Latinis ac Theologiæ operam dedit. S. Thomæ Aquinatis libros in Græcum sermonem vertit, quæ versio hodieque in Bibliotheca vaticana cernitur. Scripsit & contra Eunomium de divinitate filij &c. Extat eiusdem oratio de vita & morte Basileæ edita.

D

Ioannes porro Imperator, quo Romam profecto, Demetrius hanc quam hic damus orationem habuit, non alius videtur quàm Ioannes Manuëlis filius, quem & in Hungariam profectum auxilia corrogaturum habet Franzes cap. 41. *die 15. Novembris anno 6932. Christi 1424. Imperator Ioannes in Hungariam transiit, fratre suo Constantino Despota instituto, & pro se in vrbe relicto*: quam eius profectionem nec Demetrius silet. Orat autem ista cum iam Græci omnibus pene amissis, vix vrbem saluam haberent.

E

Primum quidem, ô viri, ingentes Deo gratias ago, pro iis nunciis, pro quibus deliberaturi venimus. Quippe ea olim desiderabamus; ac nos mora molestè habebat. Cùm jam autem res pro voto procedere cœperint, quid aliud superest, quàm vt pro reliquis meliora speremus? Operæ verò pretium sit, vt quæ sunt stultorum caueatis, ac quam se multis malis inserant, qui occasiona nesciunt vti, attendatis. Sic autem res habet. Multis providentia, cùm à se, quæ sint conducibilia suggerit, tum foris occasiones instruit quibus salutem consequi possint. Inter hæc verò, sensatorum sit, vt ei pro concessis gratias agentes, bonâ spe freti quæ sunt reliqua conentur adiungere: ij autem qui ad beneficia ab eâ accepta nihil moueantur, nec à se quicquam conferendum putent, sed casu quodam arbitrentur venturam salutem, nedum ex divinis commodi nihil referunt, quin & sequentes augent miserias, eum referentes fructum, eius quâ habent insensibilitatis.

Vtendū occasione conferendo quod est nostrum

F

Hoc vos itaque primùm rogatos volo, vt in animos inducentes; Deum esse, qui omninò pro illatâ nobis à Barbaris iniuriâ velit pœnas reposcere, ea & faciatis & dicere studeatis, per quæ providentiæ quidem collaboretis; vosque ipsos ac patriam & gentem, à turpi hac fortunâ vndique arctantium malorum liberetis. Equidem vt eo animo res capessatis, in vestrum reipsa commodum deliberastis; sicque vt ad libertatis bona, ore omnium laudam cumulò habeatis. Sin autem eos sequi malueritis, qui ex communibus malis, suas ipsi fortunas augere quærunt, ne mancipiorum quidem reliqua nobis sors futura erat: sed est necesse, vt turpi morte, immortalem malorum titulum, patriam relinquamus. Ne eos ergo feratis qui apud vos, socios calumniari conantur, nec eas suspiciones votis vestris aliquid conferre putetis. Hæc sanè alia sunt, quàm eorum, qui quod sit è re communi velint sibi propositum. Quosdam porrò oportebat esse, qui pro universis consulturi essent, ac propriis ipsorum commodis communem vtilitatem prælaturi.

G

Hunc ergo vos modum habere convenit, ac incidentibus rebus cum iudicio vti. Si quis enim optionem dedisset, habuissetisque eligendum quod videretur, omnes puto, præ parentibus, amicisque, ac cognatis, Barbarorum deletionem eratis electuri, qua nimirum nihil vel iustius sit, aut vniuersis magis acceptum. Quid enim ij non iniuriæ nobis intulerunt, aut quo à nobis supplicio affici non merentur? Siquidem enim à Deo, ac religione in Deum inchoandum sit, quod & hominum genus charius habet, nobisque peculiari ambitione vniuersis omninò expetibilius est, quorumnam impietas cum eorum possit impietate conferri? Quorum circa id quod præstabilius sit, cogitationes, aut absonæ magis, aut veris amplius, ac nobis contrariæ? Quod si quis eorum consuetam viuendi rationem, ac alia reputet, plena omnia abominatione inveniet; eaque id exuperantia, vt & argumentis probare, turpius quid videatur. Enimverò, totum sit necessarium tempus, accuratè dicturo, quantis malis ab eorum iniquâ actione per tempus actum vsi simus, ac quantis nunc temporis teneamur. Hi enim ferè soli malorum nostrorum auctores existunt, ac quibus meritò calamitas nostra adscribi possit. Dicam verò non vetera, nec siqua vel scriptorum monumentis, vel seniorum narratione accepimus; sed ea solū, quibus iis nos, ante hosce quadraginta annos læserūt.

Trahit Turcos in inuidiam 1. ab impietate. 2. à consueta viuendi ratione.

H

3. à damnis illatis.

Itaque imperio dominabamini toti Bithyniæ: toti quoque Ioniæ, Cariæ, Pamphyliæ: vniuersæ Phrygiæ, ac toti quam latè colunt, Paphlagones. Trapezuntiorum Principibus, eorum in vos benevolentiæ præmio, concesseratis Imperium: multæ vobis ac pulchræ civitates ac reditus circa Pontum erant, se vsque Phasidem, alij quidem absolutè parebant; alij, haud sibi conducibile arbitrabantur, vt na vobis

Imperij CP. facies nouissimis temporibus, ac priusquā à Turcis deleretur

A

amici ac socij essent. Sileo autem Thraciam ac Rhodopen, ac si quæ gentes, incipiendo à montibus ad mare vsque, istam incolunt regionem. Thessalia autem ac Macedonia, quæ tot habeant vrbes, tot exercitûs, tot populos, nonne vestris moribus ac prætoribus regebantur? Porrò his quoque finibus Epirotæ clausi erant: magnâque parte, dextra sinûs solos vos ex vniuersis dominos agnoscebant. Sed & Peloponnesus, quæ sola ad gloriam domino sufficiat, vt quis eius Imperium teneat, cum aliis servivit. Fuit & aliud nihil iis deterius Imperium, ad mare. A Chelidoniis enim ad vsque Siculum fretum, nulla prorsus insula erat non vestræ ditionis. Atque vt verbo dicam, quod orbis optimum habet, ac vtrinque anni tempestatum intemperiem fugit: atque ad frugum quidem copiam robustum est, atque ad acies ac exercitûs comparatum; quodque pecuniariis obuentibus, fontium vbertatem vincere videatur, id totum nobis ceu honorarium à prouidentiâ

B

seruatum erat: ex quibus omnibus innumerabilia quæ tributis annuis ærario inferrerent; graue erat exercituum percensere catalogos, arduum dicere, quas nedum necessarià aliquà ratione, sed & ad miraculum vndique classes mitteretis. Nam vt audiui, centum quinquaginta magnis triremibus, necessario omni commeatu probe ad bellum instructis, mare nauigabatis. Quod autem Imperium nostrum è cœlo tandem versire videretur, eique omnes ceu palam, crebrò instituto cederent, ac vniuersi ad eius leges suas componerent, hoc enimverò ampliorem nobis honestatem addebat.

Quorsum verò omnia ista disserui? Non enim, vt ipse quidem frustra teram tempus, vos verò, bonorum quæ fuerunt percensione tristitiâ afficiam: sed primùm vt ne animis concidatis, neve reputetis impossibile reverti ad priorem fortunam. Iis enim, qui imperio sunt assueti, tantaque possederunt bona, ac quibus, rerum adeò fortiter gestarum omnes conscij sunt, facillimum est, modò tantùm multam illam ac inenarrabilem inertiam auferant, vt quàm olim, tam quoque nunc dominium protrahant. Deinde firmâ apud vos memoria tenetis, iis nos omnibus illorum

C

violentia esse priuatos, nec quicquam vobis ab eorum iniquâ inuasione reliquum esse. Sane qua ab Hellesponto, & ad Orientem, quàmque latè ad vsque montes Armeniæ tenditur, terra fruebamur, vniuersam nobis auferentes, vrbes quidem funditus everterunt; spoliati sunt templa; sepulchra effregerunt; sanguinibus ac cadaueribus omnia impleuerunt: quod autem spectat ad incolas, animos quidem corruperunt, ad veri Dei ignorationem cogentes, suisque eos impertientes impuris mysteriis; corporibus autem, heu! stupro abusi sunt: sed & omni substantia nudantes, ac abundè libertatem tollentes, infima seruorum simulachra reliquerunt, suis ipsorum augendis facultatibus relicta miseris vtentes virtute. Nec verò his terminis iniuriam sistere satis habuerunt; quin Hellesponto transmisso, vlteriores vrbes coëgerunt seruire, tutiùs modò, quàm nos olim Thraciam incolentes. Quod si etiam eos aliquid effugit impetij nostri, illud nihilominus sese cumulò accepturos sperant.

Cæterùm, dum interim bello in eos occupamur, nec iis impedientibus, iustis copiis adversus eos qui aggrediuntur exire possumus, sumusque ad vtrosque impares, multa nobis circumquaque bella concreuerunt: vt alia quidem amiserimus iis auferentibus; alia propter illos.

D

Quod autem malam omnem fortunam superat, ac cui nihil in vita conferri possit, quotidianæ sunt excursiones, ac quas excursionum cædes patrant ad portas ciuitatis, quodque iam nimis omninò immineant; nos verò tanquam clausæ bestiæ, supremam expectemos plagam. Sileo autem quæ anno superiori, ac nunc sub nostris sunt gesta obtutibus, quantam ij nostræ terræ partem messuerint, quantaque redimendis frugibus reliquis tributa exegerint, ac vt nihil iniuriæ ac insolentiæ reliquum voluerint. Si quis ergo est, cui hæc ferenda videantur, putetque non habere satis, vt læsis iram

ac exacerbationem, in eos qui læserunt commoueant; huius ego insensibilitatem admiror, ac ne quid minimum humani animi habere dixerim. Quid enim iam causæ sit, vt quis vlcisci, quærat, siquidem ista non mordeant? aut qui hæc sustinet, quosnam iustiori titulo odisse possit? Quod si quam pietatis curam agitis, siquam animorum; siquam corporum, & templorum, & patriæ, & sepulchrorum: ad hæc verò, etiam liberorum atque vxorum; nec non securi post modum rerum statûs, ac demum vestræ futuris temporibus apud posteros gloriæ, Deum omninò ac bonam spem prætendentes, enitendum sit vt violentos vlciscamini oppressores, nullis non tentantis ea quibus commeatus aliquid ad bellum comparari possit.

E

Sanè quidem vt quem nulla finem esset invenire, vel dando pecunias, vel nuptiarum fœdera pollicendo, vel pro præteritis nullam fore iniuriarum memoriam iureiurando firmando; ne sic quidem par esset, vt nostra bona nequissimis cedentes, acceptamque ab eis iniuriam obliuioni tradentes, lubentes haberemus, vt quis silentiò fingeret meminisse calamitatum. Nihil enim ego aliud nobis fore video, ab ea stultitia commodi: Sin autem ne id quidem licet respondere; posse fieri, vt qui sic multa iam acceperunt, nec nobis reliquerunt aliquid, quo nos ipsi reparare possemus, pro

F

eò vt ne quod reliquum est, accipiant, hic tandem, velut desecta eis virtute, sistant, aut velut priora omnia, non ad hoc vnum tanquam finem instructa essent, vt nos nostro dominio ac Imperio priuarent, quæ res, vniuersis & sapientibus & consiliariis & vatibus liquidò confessa est; quomodò omni alia cura abiecta, non rei vnius, nempe libertatis, ratio nobis habenda est? Non enim quæ alios servientes, ea & nos, iis nostrum victoribus, manent. Illis siquidem damnum est maximum, libertatis iactura; cùm alioqui vivere sit ignobile, iis fruentes quæ bellum non abstulit. Hic autem nobis, quo primùm die seruitutem sumus professuri, omnium simul malorum initium erit. Cùm enim libertatem auferent, tum omni substantia ad vsque interulam nudabunt, noruntque omnes post plagas, ærumnas ac labores, quantam corporibus sint illaturi iniuriam. Animæ autem captiuum

G

minus quid habet ad iacturam. Nam neque ipsa, à malorum nequam dominio libera esse permittitur. Quinimò eius mors, nulli interitioni comparari debet: siquidem haud æquom videatur, ab omnibus pariter externis bonis, atque à Deo segregem fieri, sine quo, nihil licet sperare boni.

Cùm itaque vltio vndequaque necessaria sit, siquidem ipsi à nobis satis ad bellum haberemus, esset id quidem optimum, cùm ad gloriam, tum ne auxiliarea copiæ procul labore congregandæ essent. Ea quo tamen quotidiana vitæ laxitas, præsentique fortunæ summa quædam inexpectatio, eò nos paulatim præcipitij proveat; haud aliam planè vel à vatibus habemus expectandam vocem, quàm alios advocandos esse, qui nostram vlciscentur iniuriam; siquidem id nobis facultatis ademptum est per Barbarorum impressionem ac iniquam vexationem. Considerandum itaque, quosnam oporteat esse, qui hoc bellu socij depugnare habeant, vt eo, quinam sint eligendi perspicuum fiat.

H

Ante omnia igitur necesse sit, vt idem nobiscum de Deo sentiant. Quippe fieri nequit, vt qui hac parte animis diuisi sunt, quæ sunt amicorum, mutuò sibi vnquam præstanda sperent. Tum verò, vt & aliàs necessarij sint, ac quibuscum consueuerimus: vt inquam, communibus quondam bellis ac administrationibus functi simus, ac aliis vsi commerciis; ac omninò aliquid exstat necesse sit, quod & priùs animos devinxerit. Quis enim inducat in animum, hactenus inter se ignotis hominibus, tantam à prima congressione coalituram amicitiam, vt nec pro se mutuò pericula adire detrectent; quod via aliquis pro maximè necessariis vnquam facilè expectet. Quin & multitudine & audacia animisque, ac rei bellicæ peritia Barbaris

præstare

Classem quinquaginta triremium olim Græcorum classis.

Quid valeat memoria antiqui Imperij.

Multa bella à Turcis Græcis illata.

Occasione belli Turcici alia bella conflata Græcis.

Ne quidem rebus in posterum in tuto positis, non vlciscendi hostes pro illatis damnis.

Nihil à Turcis rerum Christianis, quorum suis eorum omne abolere imperium.

Maxima Turcis iactura animorum captiuum.

Necessaria in belli socius. 1. Religionis ac fidei communio. 2. Anterior consuetudo. 3. Vt potentia ac animus hostibus præstent.

A

4. Vt ne belli eò citius tædeat eos. 5. Vt propositi tenaces existant.

præstare oportet, vt ipsi peregrini, in suâ ipsorum regione pugnantes illos victuri sint, ac victoriis assuetos in fugam versuri. Ad hæc item vt ne primum illud sit congressionis adversus hostes initium; sed & iam talium periculum fecerint, ac quibus priora facinora, futuræ victoriæ existant pignus. Constantia autem, & vt ne ab iis, quæ initiò visa sunt, recedamus, haud novi an quis quid necessarium magis existimet ad belli consummationem. Atque adeò, vt rem auspicati, ante finem animum despondeamus, haud aliud sit, quam vt nos ipsi prodamus, hostesque in nos irritemus. At neque suppetit quo hoc tum quoque vtamur, si pecuniæ desint, imò nisi adsint multa copiâ: Hoc enim est quo fere omnium maximè opus est; ac quibus non aliundè affluentibus, necesse sit confusos recedere. Itaque necessarios habemus divites ac magnificos auxiliarios, qui nedum arma, sed & thesauros domi repositos propter nos ponant: idque cùm vos, ne obolum possitis, ac forte nolitis Reip. causa effundere, tantùm abest, vt soluere mercedem, ac reliquum belli apparatum præstare.

6 Vt sint opulenti ac munifici.

B

Hæc enimverò quibus ornatos oporteat esse, qui nobis sint allaturi opem, eaque fere quà fortunæ, qua virtutis bona, quibuscum pro nobis debeant adire pericula. Sed & alia, vt quis diligentiùs adhibeat animum, possit dicere. Quosnam igitur nobis tales subsidiò accersemus? Quosnam, omnium aut plurium ergo idoneos antagonistas reputabimus? Quibusnam freti nos ipsos credemus? Si quidem enim vt calamitatum percussi omninò defecimus animis, alios prorsus expectet tempus, inque ordinem nobis congruum vocat ac cogit. Fortè aliquis Scythas dicat, qui nec amplius consistant; quique nihilominùs, vt possint, haud sanè velint; neque vt velint, vires sint habituri; ac quibus auxilij mercedem, ne ipsos nostros lapides in argentum mutatos satis esse putauerim. Quin audio ab iis primùm, vastatum esse ac desolatum nostrum solum. Eorum enim per annos singulos millenis turmis incursiones, cùm vrbes hominibus vacuas reddidissent, ac Tartarorum solitudini similes effecissent, Turcis liberam facultatem fecerunt, vt eorum reliquias persequerentur, ac si magnæ febres ac tabes, mortem antecedant. Præterea, quis eos conciliaturus est, ac iussurus, vt obliuioni traditis, quibus se mutuò malis afficiunt, nostri causâ conveniant ad deliberandum? Aut ergo seditionibus divisi, ne se ipsi quidem iuuare poterunt, aut antequàm omninò concordiam ineant, in nos mortuos expectare debemus. Sed & his exceptis, ne nostras quidem calamitates, eorum video expectaturas auxilium: Quanquam enim nunc ipsos diei electos legatos proficisci compellimus, via anno sequenti incepturi sumus expectare auxilium. Sin autem Deus hocce autumno auxilium non mittat, scitis omnes in quantæ tempestatis procinctu simus. Taceo, quòd nec illi vnquam adducendi sunt, vt velint in Turcos bellum suscipere, homines impij, piorum causâ, adversus eos quibus mala eadem communia sint.

Nulla spes subsidij à Scythis & Tartaris.

C

Tartari, viam Turcis desolando provincias præstiterunt: aliæque rationes non expectandi ab eis auxilij.

Enimverò dicat forsitan obiter quispiam; Quid nam in Mysis ac Triballis causari habeas, similibus nobis hominibus, ac Deo addictis, quique multa nobiscum multis occasionibus negotia gesserint; nec sint procul dissiti, vt multum legatis tempus mutuis responsionibus insumendum sit? Equidem nihil contrà opponerem, essemque lubens & ipse assensurus, vt vitis, vnà cum pietate, ac eo quòd notos habeamus, reliqua suppeterent, quæ iis insint, dicimus oportere, qui pro nobis pugnaturi sunt. Sanè quidem pios oportet ac fideles esse, qui bellum sociale inituri sunt, quam vt dotem recipiss, maius ab eis damnum futurum pronuncio, quàm si palam hostes extiterint. Satis verò esse virtutem ad negotia proposita, haud vnquam dicam, nisi quis Deo constitutum velit, vt insolita nos ratione ac prodigio saluos faciat: quin necesse affirmo, vt quicquam velimus socios iuuare, commeatum alium ad bellum suppetere. Nunc autem earum Gentium paupertatem conspicitis, vtque ne apud se quidem sedentibus ac quietis, necessarius commeatus sit: vt item leui occasione facile soluant quæ visa erant: ipsaque liqua iureiurando firmauerant. Ad externas autem expeditiones, quis eos nouit eduxisse? quin omnis ô, quæ eorum vnquam memoria fuit in sæculo? qui nimirum, nisi & ipsi nostris infortuniis abusi, nostramque cum barbaris occupationem, iniuriæ tempus rati, multa è nostris abstraxissent, nunc quoque, vti priùs, nostro viverent iugo mancipati; nosque dominos, vnà cum aliis, ipsi quoque scirent, quos eos potiùs metuentes, haud vnquam nostris rebus dicam consulturos. Sciunt enim vt si ita iudicare velint, multa è nostris iniuriâ occupasse, cùm nulli essent qui prohiberent: quorum se dominos fore arbitrantur, dum ipsi interim aliis intendimus animum. Sin autem respirare contingat, necessarium omninò, vt aut reddant; aut nisi velint, negotia habeant, ac bellum suscipiant, idemque atque à principio periculum adeant. Haud ergo incerta fortunæ tentare velint; ac cùm lucri occasio suppetat, cogi quandoque vt sua ipsi dimiserint. Quin rerum nostrarum malam aleam, muri loco sibi ducunt, vt ne quid mali liquando nobis facultas emergendi fiat, accipiant. Qui ergo præsenti fortunæ leuamen sint allaturi, quibus semper in votis fit vt continuè augeant?

Vt Mysorum ac Triballorũ inutile auxilium

D

quia pauperes: quia Græcorum dirati spolia. &c.

E

F

Quòd autem ista non à solis cogitationibus accidant, sed & ipsas res spectent, ex præfatis licet conficere. Memores estis, quot ad vtrosque destinatis legatis, de hac belli societate locuti estis? Quoties eis & pietatem, & sacra communia, reliquaque commercia in memoriam revocastis? Ergone propterea moti sunt; aut siquid per vim licuit nocere, à nostris abstinuerunt? Enimverò, barbarico obrutis bello, ac cùm tanta nos malorum circumstaret tragœdia, Triballi, alias quidem circumeuntes Macedoniæ vrbes defectione tentabant; alias admotis exercitibus ac machinis occupabant; alias denique in summas angustias mittebant. Mysorum autem crudelitatem, via habeas cui alij comparaveris. Tantùm planè aberat, vt ne iactatis tempestate nostris vrbibus præsidio essent, vt alias quidem, quò facilè caperentur, venderent. Hoc enim iis promptum erat, quòd fame pressis necessariam annonam, commeatu ipsi affluentes, non impertirent; alias sibimet ipsi submisso milite ac ducibus, proprias asserent: ac quidem per se ipsi muros tenebant, ac propria constituebant præsidia; miseros autem incolas, perpetuæ iugo servitutis addictos, à patria abducebant. Sed & modò, nostris cognomina vrbibus oppida in suis ipsi sedibus per eos extruxerunt; tamque immensa vectigalia colligunt, vt ne exigendis Barbarorum immanitas multis partibus ad ea accedat. Tametsi hæc agentes, haud ita habebant, vt nos quidem læderent, sibi autem quod è re esset consulerent: quinimò ea in nos ferebantur odij exuperantiâ, vt modò nocerent nostris, sua ipsi lubentes pariter perderent. Quas enim illi nostras dissipatum vrbes, eorum sedibus muri loco erant; Barbarosque occupantes, futurum eis, loco præsentis malum faciebant. Ac liquet: Iis enim destructis; iam quidem Trinabum muniunt, aliaque obsessæ vrbi præsidio futura, inducunt: sic liquidò quod interiacet Mysorum est præda: Barbari autem, liberiùs eorum invadent terras, quàm colant suas; nunquam alias ipsi quærunt sedes, tanquam nihil ab hostium sedibus suas differre credant.

Mala Triballorum ac Mysorũ in Græcos afflicia.

G

H

Hosne ergo, rogo te, belli socios vocaturi sumus, quibus siquid nobis infortunij accidat, commodo sit cessurum; quosque malis nostris, omnes provectos sciant? Cæterùm quid ea dicai? Optimus enim noster Imperator, post multas legationes ac collatos sermones; quibus in belli societatem adducendos spes abst, ipsum filium, Imperij futurum successorem, ad nuptiarum fœdera cum principis Mysorum filiâ, putans sic polliciendum, adegit. Atqui sciunt omnes, quàm hoc coniugium, Imperatori quidem dedecori

Imperator, filiũ iungit Mysorũ principis filiæ.

fuerit, ac abiectioni; quàmque illi gloriæ ac splendori. Ergone tamà ab Imperatore gratia donati, reveriti sunt beneficium, ac vel minimum quid ad remunerationis speciem conferre cogitarunt? Haud planè: tametsi necdum conciliatâ affinitate, omnia pollicebantur, ac quotquot promissa firmantibus eorum sacramentis adhibebant animum, optimum inisse consilium Imperatorem affirmarent. Enimverò cùm necessitas vocaret, ne nauim ne equitem; ne simplicem militem; ne vnum obolum protulerunt; quin ita in finem vsque improbè sibi agendum putauerunt, vt cùm Imperator in Illyricum ac Pannoniam proficisci decreuisset, ipseque per se viros inducere vt vindicando auxilia darent: primùm quidem illi nihil non moverint, quibus ab eiusmodi optimo consilio retrahendum sperarent: vbi autem minimè persuasissent annuerint quidem, ac rectè habere quod consultum esset fassi sint, quàm citò tamen quas inde licuisset adducentem copias, reverti monuerint: quòd reliquum videretur adiecturos se, ac alacres sociali bello futuros, eiusque gratia nihil non molituros. Atque hæc quidem illi pollicebantur: Num autem verbis res responderint, certò nosse licet, ex iis quæ acciderunt. Olim enim Barbari veniente Imperatore pœnas dedissent, nisi illi sociis ac commilitonibus vias intercluſissent, inque nos æstate, nihil iam timentes Barbaros immisissent. Quamobrem siquis rerum præsentem statum molestè habet, malorum eis imputet causam. Atque adeò, vt illi voluissent promissis stare, non modis omnibus res confundere ac pessundare, olim nos à Barbarorum iniuriâ liberi ageremus, omnique tranquillitate vrbes incoleremus.

Mysorū inania promissa Græcis tū tes labe factant.

Quis ergo, nisi insanus est, vel modicum quid ab illis speraverit, quibus nostra mala, sua ipsorum salute chariora sint ac studiosiùs quæsita? Siquidem ergo vt Scythas nobis auxiliaturos speremus, vanum est: vt Triballos ridiculum, vt Mysos nihil ad spem commodum; nostri verò quorum quidem virtus defecta sit, nulla ratio habenda est, quem præsenti deinceps negotio auxiliatorem vocaverimus? Num fortè Massagetas huc adesse rogabimus, inque belli societatem venire? vel nuncios ad eos mittemus, qui insulas ac mare extra Columnas habitant? Porrò autem consiliarij sit, non vt ab aliis dicta vituperauerit, nihil verò ipse quod è re sit, ac conducibile dixerit: sed magis, vt priùs refutatis quæ non benè dicta videntur, ipse postmodum sententia superauerit: tametsi sunt contradicturi, qui nihil aliud in civitate deliberant ac consilij ineunt, quàm vt iis, qui minus placentia dixerint, contradicant.

Ego autem auditores, eos primùm edicere rogauerim, num quid in præfatis reprehendendum habeant, ostendantque, aut non necesse esse vt hæc omnia adsint, belli nobis futuris sociis, vel ego, quos illi dixerint in crimen vocabo, vrbique vtiles existimatos malos pronunciabo. Sin autem neutrum velint præstare, ipsi priùs causâ cadent, videbunturque nobis contradicere, cùm nullam ipsi sententiam inferant. Quòd si benè & vt, par erat, vtraque diximus, reliquum est communi deliberemus consilio, quinam rerum præsenti statu, futuri sint vrbi vtiles. Enimverò, vt ne nudum temerè sermonem effutire videar, lubenſque præ consilij inopiâ à rebus memet abstrahere, dicam quæ videntur; hoc tantùm rogans vt siquid consilium à vestro alienum sensu complectatur, non priùs tumultum cieatis; sed expectetis reliqua, tumque vel præbeatis assensum vel aliud quidpiam congruum magis temporibus invenire tentetis. Non belli sociorum defectu, Auditores, in eum statum redacti sumus. Minimè gentium: verùm alia nobis in hæc mala inciderenus, in causa extiterunt; eaque occupantia rempublicam, cùm tales essemus, qui belli socij aliis auxiliari possemus, eò nos compulere, vt omni parte auxiliarios quærere necessum habeamus. Porrò nobis sunt belli socij, iique multi ac boni, quique adeò nostra mala molestè ferant, vt sic nos ipse optem nostra ferre, ac nobis condolere. Dicam homines, iubete, ac iras continete.

Venientes nunc Romanos dico, eorumque arma ac fortitudinem: ac mirum, ni ipsum nomen, viros vobis conciliet. Pensate ergo, num quid eorum quæ prædiximus, belli nobis sociis desit; quin potiùs num abundè omnibus, quibus quis auxilietur, præditi sint. Itaque vnde cœpi; à communi, inquam, appellatione, inde ducam exordium. Quosnam Romani Romanis magis necessarios socios habeant? Quinam verò ad fidem comparatiores, quàm qui habent eandem patriam? Eorum namque civitas, nostræ Metropolis est; cumque Coloniæ commune impartisset nomen, ipsa quidem velut propugnaculum in Occidente mansit; nos verò, qui Asiæ præessemus, emisit: vt planè vtrique, vnus idemque populus, videamur; ambæque vrbes vrbs eadem, pro Coloniæ ac Metropolis ratione: nihilque sit quod distinguat, excepto, vt alteram quidem Romulus fundauerit; alteram verò, eius Imperij successor Constantinus condiderit. Quin & Constantinum à quo omnia nostra pendent, sciunt omnes Romanum extitisse, ac quam condidit vrbem, patriæ cognomen tribuentem, honorasse. Hoc enim universis studebat, vt ambas, vt ita dicam, velut commisceret vrbes: vt nedum vnum ipsum ambabus imperare haud satis arbitraretur, vtque in vtraque Imperij sede poneret: nisi abundè iisdem vrbes nominibus censerentur, quò vix non ambæ, vna civitas essent. Mox ergo ac eam condidisset, vna cum nominis appellatione, Romæ etiam dignitas in vrbem illata est: Senatusque Romanus huc commigrauit, novam Romam honestans, quique commigrauerant, maiorum nostrorum parentes extiterunt.

Multis laudata Romanorum societas i. Occidentaliū.

Roma antiqua novæ Metropolis eaque eius Colonia.

Constantini consilium appellando novam Romam.

Idipsum verò quòd attinet ad Imperatorum proles seruabatur; vrbisque conditor apud nos, filios procreabat, inque ea illos constituens, qui eius Imperio successuri erant, Imperium eis cum vrbe tradebat: Romanis Romanorum sceptra in æuum tenentibus; quos fauens tempus, ad nostram vsque ætatem prouexit; atque vtinam conseruet deinceps immortale genus. At nec aliis tunc vtebamur divinorum doctoribus; quin iidem nobis, tum Reipublicæ, tum sacrorum ac religionis præsides erant, quandiu necdum scita illa versutaque apud omnes vigebant; sed tandem finis aliquis contendendi erat. Siquidem ergo multiplex communio mutuam dolere vicem communicantes efficit; eademque vt fortiores, imbecillioribus auxilientur inducit, ad quos iustiori titulo confugiemus hisce omissis? haud secus ac siquis lacessitus ac malè habens, alium quem appellare velit, cùm adsit mater, ac auxiliari possit. Quòd autem Metropolis, matris habeat vicem ductis ab ipsa Coloniis, nemo nescit, nisi quis propriam ipsam vocem intelligere nolit. Ostendunt verò ac probant, quæ Metropoles, adversus omnes qui iniuriam vellent inferre, tanquam ipsæ appeterentur, gesserunt bella: è quibus fidem amplissimam habent, multamque scriptoribus præbent segetem, quæ nostri causa adversus Barbaros isti consummauere. Ac verò miror, vt nec similis necessitas, similes nobis socios in memoriam reducat. Quinam enim alij ad vsque Syriam ac Palæstinam nostri causâ Barbaros persequentes, centum millibus cadaverum ad Orontem, campum operuerunt, ac nobis gratis, quas ablatas amiseramus, vrbes reddiderunt? ac quidem ipsi exantlarunt labores; nostris verò fruenda præmia tradiderunt; libertatem pariter ac pietatem, universis Asiam incolentibus Græcis, ceu fugitivam, postliminiò reducentes; idque cùm beneficio affecti, ne gratias quidem beneficiis agerent: imò neque belló petere vererentur, modisque omnibus eos vexare, qui prompti essent omnia facere, vt ne nos ab hostibus talia pateremur.

Iidem olim Latinis ac Græcis, cùm Imperatores tum pietatis magistri.

Metropolis Coloniæ mater.

Latinorū in Asiâ præclaræ res.

Græcorum ingrati in Latinos mores.

Quisnam verò in alios referat; vt hactenus simus, sicque vtcunque habeamus; præterquam in octingentos illos, qui nostrum cuidam Imperatorum adhærentes; sobrio illi, vtque videtur, prudenti viro; ipsi quidem mortem obierunt, immortali à proposito

Spectata fortitudo cohortis Latinorū

animique

animique generositate gloriam consequentes; nos verò cum à turpi servitute, tum à reliquis huic sorti fortunæque conjunctis, liberarunt: quos verè patriæ nostræ propugnacula ac turres dicas: vt nisi se, tunc illi Barbaris objecissent, ne modò quidem esset cujus gratia deliberaremus. Atque id quidem benè: qui autem haud ita pridem Smyrnam ceperunt, ac portum quidem occuparunt, vbi Barbarorum classis, quæ vniversam terram nostram desolaverat, collecta erat eodémque loco Barbarum ad muros pugnantem peremerunt, quo superstite, nullum erat malorum genus, quod non immineret, vndenam profecti erant; in quorumve gratiam, tem ejusmodi præstabant? Neque enim Scythæ aliqui, aut Mysi talia præsumpserunt; nec ij aliis quàm nobis suppetias venerunt: Qui enim venerant, ab Alpibus navigarant. Scitis verò omnes, quantos vniversis nobis excitaverit fluctus Smyrnæ portus. Quantam verò ejus causa hominum multitudinem, quantasvo opes, cùm prius consumpta existimatis, etiamnúmque annis singulis consumi? Planè stitisset, cui vel fontes initium fuissent. Ac illi quidem periculis defuncti sunt, sumptúsque fecerunt, nobis verò sedentibus, quæ inde sunt lucra, accedunt. Quænam verò hæc dico? Recepti ac salvi quotidie captivi, quibus numerandis ne sufficiebant quidem, qui perscribendis operam ponebant: mercatoribus libera navigatio, vt ne mari arceamur, vt ne hostes rapuerint insulas, quæcunque demùm prius passi sumus. Quæ verò ab eis apud Imbrum gesta sunt, per ipsam obtestor veritatem, cujusnam quis gratia gesta putaverit? Illic ne quoque, vt Barbaros sui causa vlciscerentur, talia designarunt?

Smyrna à Latinis capta, maximo Græcorũ bono.

Enimverò, neque illi vnquam in Adriaticum mare descenderunt, quod ne norunt quidem: nec quis servum ex Italia Ephesi ac Magnesiæ invenerit: nos verò ij sumus, qui vbiq; gentium servi sumus: quorum illi causa exacerbati, paucis triremibus advecti, Barbaros cœperunt, cùm illi centum ac viginti navigiorum classe, Imbrum mancipatent. Quam verò graves ab eis pœnas nos vlciscentes exegerint, sciunt qui hactenus facta illic naufragia memoria retinent. Ferũr enim via quemquam effugisse Barbarorum. Sileo piraticas in Peloponneso naves, ac Barbaros illic internecioni datos: rursúmque gesta in Thessalia, Monte sancto, Hellesponto, ac omnibus insulis. Vix enim præterit dies, quæ non aliquid in Barbaros ab eis designatum ferat: Sic quidem ipsis, vincere, Barbaris autem vinci à principio videtur obtigisse. Nec congressionem assignare licet, quâ nec victores trophæa erexerint. Enimverò cùm ab antiquo cœperint Barbaros prosequi odio, hactenus perseverant, vt nihil vnquam fœderis ineundi meminerint: atque adeò res ejusmodi, nédum ævo hoc, nominis eis afferet claritatem; verùm etiam futuro, magnorum bonorum habet repromissionem. Atqui, quis certius aliquod argumentum velit, vt non ij facilè, tanquam colorem sint sententiã mutaturi, quàm vt diuturno adeò tempore adversus Barbaros depugnantes, neque ipsi vnquam inducias petierint, nec hostibus voluerint concedi. Tanquam verò ab ipsa natura in eos bellum susceperint, sic eorum ruinam lucri maximi loco habent. Quòd autem non nisi grandi ære talia designare potuerint, ridiculus sim vt probare tentaverim. Sciunt verò qui navales instruunt copias, nihil paucioribus indigere ad commeatum bello comparatam navim, atque indigeat vna vrbs tota. Tot verò illi continuè instruunt classes; vt ludus quidem videatur, quam Græci miserunt expugnatum Troiam, sic velut è fontibus, pecuniæ affluunt. Nec hominum, quàm pecuniarum minor copia. Per nationes enim, sodalitiáque ac tribus transeunt, vt videantur patria relicta alio commigrare. Quòd siquis eò moveri dicat, quod nos miserantes, mala nostra suam ipsorum calamitatem ducant; quid vel parentes ampliorum in nos viscerum ostendere valeant? Sin autem, tantæ illius magnificentiæ præmiũ, quam inde consequuntur, gloriam quærant, quandonam ij indueri possint, vt levibus quibusdam ex causis belli socios deserant; qui verò non ita sint auxiliaturi, quorum salute, tantam habeant reportare gloriam? Sin denique, quòd majus veriúsq; dicatur, quòd in suis ac necessariis, quosque vt sua ipsorum membra curent, pietatem videant in discrimen vocari; atque eos, qui cum ipsis ac per ipsos vniversis dominabantur, eorum mancipari servos, quos prius habuissent mancipia, pro omnibus ipsi adierunt periculum, vnum illud sibi proponentes, quò religionem sacratissimam ab impiorum injuria liberarent, quomodo non eximium quid videatur quod ab eis agitur? aut quis illustrius possit afferre pietatis indicium? siquidem blasphemantibus Christum, divinísque ejus legibus, suam ipsorum opponentibus iniquitatem; inque tantas necessitates dictos ab eo Christianos mittentibus, vt ne quidem alioqui liceat vita superstitem esse, nisi eam quis laudet corruptionem, soli se vniversis, adversúsque eos objecerunt. Ac neque civitas est, non insula, non continens, vbi non ij, illius pro pietate zeli assiduè specimen edant, eos ad fletum cogentes, qui irrisioni pietatem habent. Hi sunt qui in Africa ac Carthagine, numerosa triremium classe, ac pedestribus copiis Barbarorum injuriam cohibent: quique in Ægyptum moventes, illorum Metropolim igni, cadaveribus, ac rudetibus repleverint: Asiam verò sic perculserint terruerintque, vt magni æstimet nihil mali amplius pati: qui Hellespontum ac Propontidem incolentibus, auditu solo eorum virtutis, horrorem injiciant. Cùm autem alij quidam in Caucasi montanis insano errore, Deos debitos, Igni deferrent honores, tanquam nulli alij essent, quibus pro Dei gloria indignandum incumberet, correptis armis in eos invadentes, alienam à ratione eorum superstitionem extinxerunt; mittentes coloniam; ac legibus informantes, omnique modo Barbaros delinientes: sic Deus immensam quandam curam pietatis ergo ac religionis illorum animis immisit: vt hæc eorum vita sit, is scopus, vt percutientes ac percellentes Barbaros, ab eorum injuria incolumes servent pietatis cultores.

Imbrus maris Ægæi insula, eiusdemq; in ea nominis vrbs.

Ingẽs ad eã deleta Barbarorũ classis, aliáque præclara à Latinis bello facta designata.

Pulchrè deducit quos bello sacro Latini habuerũt fines.

Videtur Damiatã velle, à S. Ludovico captã.

Caucasi montanos idololatras converterunt ad fidem.

Hos sanè tametsi nollent, bellíque societatem detrectarent, abundè nos oporteret cogere rogantes, promittentes pecunias, omniáque præstantes, quibus nobiscum stare suaderemus, cùm ea dictis, nullis aliis perinde fidere habeamus. Ex quo autem etiam adesse nunciatum est, bellique socios fore spondentes, iis præsto sunt qui necdum eos sibi devincire studebant; atque in memoriam revocantes quæ sæpius in Barbaros nostri causa designassent, Deo quidem reddituri venerunt, necessariam, ac cujus se maximè reos arbitrantur, oblationem, eos autem propter nos vlturi, quos nobis vlcisci non licet; quisne hic consilij audet meminisse, in quo consilium cogere deliberantes, num nos oporteat esse liberos? Perinde enim velle existimo, quem intempestivum timorem prætexunt, seu magis insensibilitatem. Siquidem enim aut non haberemus necessarios belli socios, vel possemus meliores his comparare, ac fortè alios quospiam adjutores invenire liceret, haberet vtique attonitis rationis aliquid per omnia absurdum consilium: postquam verò civitatis robur extinctum est, vtque nos ipsi nobis emergere possimus, impossibile pridem judicatum est; quos verò belli asciveramus socios, ij omnes hostium acceperunt partes; atque ad eas modò redacti sumus angustias, vt percontante ex nobis aliquo, quorum domini simus, ne nudum solum nostri deinceps juris esse respondere possimus; quænam hæc contentio, cujus vitiis omnibus amissis, ipsius quoque nunc amittendæ spei, aleam facimus?

Num rogo ad incertos quosdam destinabimus legatos, dabimúsque pecunias, ac nuptias promittemus, hominésque domi assuetos, ad peregrinas extráque provinciam expeditiones provocabimus; eos autem

qui se gratis in socios belli offerunt, repellemus, vnum hoc porò illis habentes dandum crimini quod nullis nostris indigeant, ac nolentes quidem, inflectere conabimur; si quis autem vltrò veniat, contemnemus, ac socios quidem cùm nusquam apparent, desiderabimus; apparentes verò ac cùm videmus, negligemus; imminentibus denique periculis, dij quidam nobis videbimur, fixámque nobis immortalem felicitatem putabimus? Atqui si vt quidem nihil ab eis mali ac injuriæ expectandum sit, quomodo non importuna nobis deliberatio? sin malorum suspicio nos eò ducit, dicat quis metum, cujus causa non timeat, iis deteriora, quæ timet. Fortes aiunt esse, qui socij veniunt ac quorum generositas ac virtus nota sit: velut data opera infirmiores eligendi sint, vel timidos esse oporteat eos, qui sunt prò nobis in certamen venturi. Vt enim hoc satis sit, oporteátque commilitones ac socios timidos esse atque imbecilles, quidni ex hisce coriarijs cum aratoribus, balneatoribúsque, ac tonsoribus conscripsistis exercitum, iísque copiis ad bellum vos cum fortissimis instruxistis, ac per eos asserendam patriæ libertatem existimâstis? Sin autem aliena hæc ab omni ratione, ne sociorum quidem spes nobis suspecta sit. Porrò lubens dicentem quemdam audivi, haud videri tutum, vt nobis fortioribus sociis vtamur, nisi hostes hostibus commutare velimus: quos patimur, iisdem successuris. Sanè verò, subtile hoc rerum examen, eorum dico, qui jam boni aliquid sperent, non eorum qui redacti sint ad extremas angustias, quales nos quisque dixerit. Iis enim qui huc fortunæ venerunt, hoc superest vt supremam tesseram jaciant.

Iis imbecillibus foret opportunum, quibus res eò ad extremas angustias redacta fuit.

Enimverò quis consilium hoc non ænigmati simile dixerit? Siquidem enim iis, quibus tanquam nobis imbecillioribus sumus vsuri, adversus eos belli incumbit moles, qui nos adeò viribus superant, quomodo non id accidit, quod dixi? nimirum simile quidpiam, ac si quis minora minoribus, primis ac à principio majora videri velit. Id enimverò nec eorum est qui Barbarorum potentiam spectatam habeant, adversus quam indigemus sociorum opera, nec qui nostram, vt sic loqui liceat, virium defectionem, quam oporteat instaurare. Si quis nihilominùs ipsas res in consilium velit adhibere, desinet ea metuere quæ metum non habent, nec decent, ac securus consistet. Equidem vt pecuniis promissis, lucrique cupiditate eorum attollentes animos, in belli societatem traxissemus, dici posset, fore non contentos minoribus, cùm plura lucri facere possent: sin verò adeò ab iis distant qui malis lucris rem augere student, vt nec immensos vereantur sumptus, bonúmque perspicuè insensibilitatem accusent; siquidem nullus eis maximarũ expensarũ finis, quomodò non à sensu abhorret vt minora periculis conjuncta obtineãt, plura eos ac majora profundere, quæ nemine facessente negotium sua possideant? Nam liquet, vel si nos ipsi mercede reddeteremus, ne partem sumptuum classis recepturos. Non ergo quod prudentum sit, ac nescio quorumnam præstiterunt opus, vt cùm quietè, plura haberent labore comparandis, anxiè postmodum ea quæsierint. Sin quis imperare, quàm esse divitem, præstabilius ac augustius putet, eámque illis dicat causam, vt nullis parcant expensis: ipse etiam hominis ratione agentis prudentísque rationem eam admiserim. Etenim nostro Imperio nihil augustius fuit. Ac verò, vt quis virorum studium omne ambitionis dicat, handquaquam erraverit ab eorum mentis proposito: Cogitet tamen, vt nec eorum plures privatæ sortis homines sint; sed vt singuli domum habeant, subjectásque vrbes, ac tribunal, ædituúsque; vtque non facilè aliquis deserat, quæ domi augusta ac præclara habet.

Non temeritatis a Latinorum avaritia.

Præterea nullus aliquis apud illos est aliis imperans, quique iis vtatur, ad quæ placuerit: verùm sit quidem vnus quis, cui ordinis causa atque decoris, & vt ne sit confusio, vniversi subjecti sint: vt tamen solutis certaminibus, multis eorum qui nunc ei subjiciuntur, generis nobilitate ac divitiis cedat, omnique alio splendore ac ornamentis: atque is, vt injuriam velit inferre, haud alios propositi laudatores habuerit. Nec ergo ille injuriam faciens, vniversos contradicentes velit habere; neque ij ob exigua quædam commoda, pravi quidam ac scelesti videri eligant. Quin & nautici in triremibus homines, quibus ad vecturam vtuntur, ex illis sunt vrbibus, ex quibus colonias ac mercatores habemus: sciúntque fore vt nobis victis, portus eis claudantur, aliúsque emittendæ annonæ atque frumenti dominus sit: vtque immunitatem à vectigalibus, quam eis concessimus, amittant: Atque adeò nec futurum ignorant, vt mox capta civitate servituri sint: nec enim vti nos sic illos habuerint; qui velut vi, qua sponte, ex omnibus divitias augeri quærentes, quo vtroque in nos semper vtuntur. Haud ergo, illi in ejusmodi angustias velint incidere: quin vt in Barbaros quidem invadant, ac nobis auxilientur, cum eis conspirabunt: sin autem injuriam inferre tentaverint, nobis potiùs adjungentur, ac ipsos nobiscum vlciscentur. Nam etiam præbendo triremes, ac belli societate hoc volunt, vt vrbs quidem à periculis liberetur; nos verò firmum ejus teneamus imperium, résque antiquam formam retineant: quod ita libera facultas futura sit, vt quò velint, tutò navigent, augeántque suas facultates. Quamobrem vt suspicio esset movere illos adversum nos, palam ipsi contra pugnarent, ac nobis cavendum monerent. Quid ergo mollius effœminatiúsque, quàm vt virtutem cujus nobiscum pars maxima sit, timeamus?

Non ab ambitione 1. quod domi bonis ac orationibus polleat.

2. Quia nullus omnium princeps

præterquã ad usum socialis belli.

3. Quod nautæ mercatores sint Græci affines, ac quorũ apud eos Coloniæ

Enimvero, vt quis eis auxilium quidem prætexi dicat; reverà tamen venire imperandi cupiditate impulsos, & vt vrbis potiantur, oportebat priùs apud ipsos deliberantes, dolúmque, vt licuisset, adumbrantes, sic rem aggredi: nunc verò scimus quàm multis Imperator legationibus ad hæc viros provocaverit, quotque illi vicissim nunciis destinatis, adornare classem, nec se vltrà moraturos significaverint. Quin jam exercitu ab Italia movente, sub ipsum articulum virum præmiserunt, qui jamjam expectandos prædiceret: cui etiam necessariorum cura incumberet, ac in exercitum commeatus provisio. Is autem, non homo vulgaris erat, sed & ipsis familiaris, ac frequenter apud nos versatus, quique benevolæ mentis specimen Imperatori exhibuisset: cujus denique maximè opera Imperator illos advocaret. Siquidem ergo fraudem facturi voluissent invadere, quid rationis vt invasionem prædicerent? Nec enim hoc tutius, vt hoste præmonito ad bellum accingaris. Sin autem quia, tametsi præsentientibus nobis nihil inde amplius fore dixerit, quid jam eos ludenda fabula ac decipiendo spectasse dicemus: nisi quis nullo eos fine agere dixerit. Enimverò, id de nostris hisce sermonibus probabili magis ratione dictum videatur, vt eos jactemus temerè, nullúmque contendendi finem faciamus, qui sedentes lucro deputantes, vt quid criminis studio inferamus, vt quis benè velit. Præterea verò, non hæc Romani à patribus habent, nec eis ea ferenda aut cognata sunt, inquit, Iurisconsultissimus ille. Quosnam enim priores nobis decipientes, sic de ipsis suspicandi ansam nobis præbuere? Enimverò, multorum quidem rogati, patrias vindicarunt ac libertatem: vt autem quis eorum causa, quàm speserant, deterior recesserit, nemo hactenus ostendere possit. Quin apud eos adeò virtus hæc summa est ac exuperans, vt nec desit qui & jam stultitiæ ea parte accuset.

Nihil in consilio fraudis, quòd accersiti rogatique, quòd adventum nunciarent.

Romanorum antiqua ac laudata fides.

Quippe quis fuit, pro agrorum finibus litem alij intentans, ac de iis cum eo digladians. Vbi porrò morte habuit defungi, moriens ipse, filiorum atque vxoris curatorem æmulum ex testamento inscripsit. Ac quidem ille, ei moriens confidit, quocum vivens pugna contendisset. Alter autem rebus ipsis opinionem confirmavit, indignum ac turpissimum ratus, vt adversarij de ipso meliora, quàm ipse de se sentiret: vtque illis huma-

Ejus præclara ac rarum monumentis.

nitatem

nitatem suffragio asserentibus, ipse sibi crudelitatis conscius esset. Itaque eorum laudans consilium qui ejus illi animi auctores fuissent, haud frustra inimicum sperasse, rebus comprobavit. Cùm enim puerum apud se magnificè educavit, tum ejus principatus ac spectantium ad ipsum, curam interim egit, donec ille ejus educatione ac cura, etiam patre, Imperio aptior redderetur: túmque domui præfecit, idoneum jam qui res domesticas tolleretur. Cæterùm quod deinceps sequitur quos non virtutis fideique fines excedit? Cùm enim juvenis, animo juvenili ac ætati congruo esset, nedúmque non quæreret pro beneficiis quibus fuisset affectus gratiam reddere, vt jam quoque correptis armis in eum procederet, qui patris justiùs quàm curatoris omnium suffragio nomen referret; ille, nec illatas a patre injurias in memoriam revocavit, nec in juvenis illa deliria, vt par erat, est exacerbatus; nec denique egit gratias fortunæ, dante ejus ansam stultitia, vt sua ipse eáque, pro quibus ante depugnaverat, reciperet: quinimò, mirabili accessione principium augere, nulla ipse alia mercede, quàm eorum, qui injuriam fecisse videantur. Sic verò etiam quæ patris essent in adolescentem superare contendit, vt quidem paterna majora pietate ferret; velútq; pro pueri petulantia erubescens ipse, nequis ejus eam improbitatem putavisset, alius dicebat juvenis animum ad ea incitare: monebat verò vt malos ejusmodi consiliarios habens odio, testamenti patris ac nuperæ apud ipsum educationis meminisset; admonere doctus, non bellum inferre. Possitq; quis ejusmodi plura ab iis gesta narrare. Siquidem ergo etiam hostibus, eò quòd ipsis habuissent fidem, remittendas iras putaverunt; qui non ridiculum, vt fidem amicis violaturi credantur; cúmque eos sustineant, qui injuria afficere ac contemnere videntur, quid non fecerint eorum gratia, qui & tribuunt, & auxilio adesse precantur? Cùm denique hostibus ratas expectationes velint, qui non major aliquid adversus enguatos sint designaturi?

Dux sociorũ ac Latinorũ auxilio missorũ, cōsobrinus Imperatoris

Enimverò, qui illi exercitui dux præfectus est, consobrinus est nostri Imperatoris: fuitque vtrique avus qui mirabilem eam historiam sæculo reliquit. Quomodo itaque, cùm ille adeò à majorum sustineat deficere virtute, ac aliorum imitari improbam cupiditatem, cùm domesticam liceat justitiam; tum hic cognatum suspectum habeat, quem communio generis mala nostra suam ipsius calamitatem ducere facit. Omninò autem Romani, omni alia impensiùs virtute, justitiam colunt, ac testantur leges, quasque exigunt pœnas, ab iis, qui injuriam faciunt. Datam autem violare fidem, rebúsque agendis deceptione vti, non non laqueo turpius habent; qui neque in bellis, quibus decernatur de rerum summa, ac quibus lege concessum, vt duces deceptione vtantur ac fraudibus mendacium subsidio adhibentes, vincere velint: quinimò prænunciantes vt sint venturi, locáque ac tempora designantes, sic bellum committant; decere magis viros existimantes, cum virtute vinci, quàm ignavè patúmque viriliter victoria potiri. Quandonam ergo belli se socios professi, decepturi sunt, qui ne bello quidem cum hostibus è re putent mentiri? Equidem hoc quoque quæro, siquidem ipse præsens Imperator deliberationi adesset, quænam præclari hi nunc oratores essent dicturi? Sanè vt & illum juberent, vrbis portas claudere iis, quos belli socios ascivisset, haud scio vnde rem facturum putent, quæ deceret. Liquet enim auctores fore, vt nihil eorum servaret, quæ venientibus esset pollicitus atque id nulla cogente necessitate, sed cùm data opera fraudem faceret. Sin autem monerent vt illos susciperet, qui non id quoque modo operæpretium intelligunt? Nec enim daturi sunt, Imperatori quidem congruere, quæ deceant; sibi autem servaturi insensibilitatem: ac tunc quidem, colendam veritatem, modò autem mendacium putabunt; idque, cùm ex ea versutia nihil sit lucri accessurum.

Pulchra eccessio,

Verùm si placet, cùm alia concedamus admirandis istis consiliariis; tum ratum esto, socios quidem omnia instruxisse vt nobis facerent fraudem; ipsos verò prospicere quod futurum sit, ac qua pollent sapientia, illorum secreta prædicere. Illud verò tantùm ex eis percontabimur: siquidem illi destinato nuncio adesse se prædixissent, nihil aliud propositum habentes, quàm vt Christi se hostibus opponerent ac vlciscerentur nostras injurias: quippe cùm legati Imperatoris id ab eis rogassent; venire itaque ideò, cognatis, amicis, patria, ac charissimis domi pignoribus spretis, vt Barbaros quidem malè de nobis meritos vlciscerentur, suísque ipsorum sumptibus Imperatori regnum restituerent; siquidem ergo venientes rogarent, vnà nos pro quibus venirent, ponere operam, quidnam dicturi, quidve facturi essemus? Num satis fuerit vt dicamus, vereri nos belli societatem, omninóque, earum neglecta sollicitudine réque infecta esse recedendum? Quibusnam verò verbis eas suspiciones sitis probaturi, vitósque convicturi, cùm nocere ac injuriam facere meditentur, belli se socios simulare? Quandiu enim nulla perspicua argumenta producetis, delirì videbimini. Sin nullis probationibus convictos remiseritis, verear ne Barbaris omissis, quibus in eos iris ferebantur, in nos dimittant. Palam enim injuria se affectos putabant, tum quia vocati tanquam aliquid prodesse possent, postmodum vt nullius momenti imbellésque homines expellantur; tum etiam quòd mali quidam, quibus sit constitutum lædere, cùm tanquam amicis belli subsidio venissent, habeantur. Deinceps ergo necesse habeamus pugnam instruere, bellique aleam subire: quin potiùs quicquid tandem accidat, inevitabile prorsus ab omnibus vituperium erit. Siquidem enim vicerimus, quæ illi damus crimini, in nos ipsos certa exploratáque victoria faciemus; videbimúrque eò vocasse viros, quò perderemus. Ea siquidem omnium erit persuasio, quandiu nihil suppetet quod accusemus. Sin autem rem malè gêramur, pessima omnia turpissimaque pariter sustiemur.

Genuensis bellum Græcis difficile tametsi Venetis & Aragonensibus eo sociis.

Quod verò hæc potiùs nos maneant, vt contendere velimus, inde liquet, quod ne meminisse quidem possumus absque horrore, eorum quæ postea futura sint. Nemo quippe adeò contentiosus, vt belli aleam tentantibus ferendum aliquid eventorum spetet. Id enim stupor, vt cogitantes Genuensium triremes, vtique nunc non fuerimus submersi, nunc quoque restitutos speremus, non simul reputantes Venetorum milites, Aragonúmque strenuam manum: quasque illi triremes præstabant in belli subsidium, duplo illis hostium plures: ac nostram rursum auctiorem classem, quamque ea nihilominus pugna attriti simus, tametsi multis adeò tuentibus. Meministis quibus tunc patria calamitatibus affecta sit, Sozopolitanos captivos, eversam Perinthum, aliáque, quorum nec ipsam memoriam mitius ferre possumus. Taceo autem, vt neque nos cum tanti essemus, nec socij, ad modicum sæpe hostium illi virtuti obsisti quiverimus. Dico igitur quod omnium communiter ore jactari audio. Si itaque ita habet, vt ij nobis insidientur, nec eorum aliò respiciant consilia, quàm vt nos omnes ad vnum sibi mancipent; nec fieri potest, vt prohibeamus injuriam; quonam eos quis modo humaniores expectet, atque ad lædendum segniores; num accusando, inferendo bellum, vituperiis lacessendo; an amici speciem præferendo, blandéque recipiendo, ac meliora precando? Hoc equidem secundum puto. Nec verò ferendam nobis servitutem dico. Absit, ita sensu destituitur sim ac insaniar, vt aliud quippiam velim libertati prælatum. Sed quia nihil eorum quæ suspecta habemus firmum est; quin potiùs argumentis omnibus liquet, venire omnibus nobis benè affectos; quidnam importuno ejusmodi opus metu, cùm neque si timuerimus majus aliquid sit futurum, quando vel victi ea subire cogemur quæ sunt victorum, vel victores ipsi, velut in sagena mœnibus arctati sessuri sumus, vt jam neque ad terram neque

Multiplex ratio, vt decernēdi Latinis.

ad mare respicere liceat; priùs quidem à Barbaris illa exterminati: hoc autem, ipsi nos propter ejusmodi somnia modò abdicantes. Sin autem indulgentes omnia, nec quòd vocantes ...... hæcce à nobis post offensam modicissima velint exigere, vt receptis quas insumpserint pecuniis, sic domum classem reducant. Hoc enim vos ipsi adversum vos delecti arbitri sanciatis; quænam metallorum venæ ad ejusmodi nobis solutionem satisfecerint? Sanè arbitror, ne ipsa quidem adjectis facultatibus civium corpora, satis fore, vt justè impensas solvamus. Sin denique vniversos animi magnitudine superare volentes, suique omnem justi tationem missam facientes, revertendum significent, domesticis quàm nostris rebus commodiores futuros, nemo ibit inficias, vix non Barbarorum nos manibus tentum iri. Si ergo necesse erit eis mancipari, cur non potiùs illis. Siquidem enim libertas nequit constare, sanè melioribus subjici, leviorem calamitatem facit.

At vocabimus socios! Num invalidos, an potentes? Sanè vt eos vocemus qui non satis sint adjuvando, vtique nobiscum perituros quæremos: Sin autem fortes erimus rursus nos invalidi, eorūq; formidabilis virtus; rursúsque suspecta omnia, nec mali finis vllus. Prorsus verò non intelligo quid nobis deinceps planctus profuturi sint, & vt socios quæramus; siquidem cavere babeamus fortes, nec commodi aliquid ab invalidis simus consecuturi. Quinam autem etiam vocantibus nobis sint morem gesturi, cùm neque mercedem expectent, videántque illos heroas à nobis injuria affectos; quos, si nullus titulus alius foret, vel eo nomine quòd sponte venientes, immortalem virtutis columnam merexerint, colere ac adorare oporteret. Quicquid enim adversus illos tentaverimus dicere, ex iis, quorum omnes illis conscij sunt, nugæ ac inanes criminationes videbuntur: omnibúsque flagellorum omnium rei habebimur; infamiæ, criminis falsi, doli, ignaviæ, proditionis, eritque necesse proni cadentes hostes obsecremus.

Quî non ergo turpissimum, vt cùm benè omnia suscipientibus nobis viros habere possint, iis remissis malis omnibus impliciti malimus; ac cùm probi grati que, liberi aliquid possimus facere, jacturam improbis ingratisque conjunctam moribus, vtiliorem putemus, omninóque data opera contendamus, vt vota nostra ad consilij inopiam redigamus; velut timeamus ne beneficio nescientes afficiamur; tametsi haud ita pridem quos justiùs debuimus habere suspectos, necessitate suscepturi simus. Postquam enim Imperator reversus fuerit: Vtinam verò, ô Salvator, citiùs eam omnibus caput liceat videre! eique Pannonum exercitus comes venerit, quos multis sermonibus, multis opibus, pluribus denique laboribus persuasos, nobis subsidio futuros adducit; præmissísque quibusdam, reversum se nunciaverit, faustúmque adventus sociorum nuncium destinaverit, quid tunc admodum isti fecerit, ac timentes vmbras, dicturi sint? Planè vt ea ipsa placeant, quæ modò placent, jussuri sunt ne quidem Imperatorem intra mœnia recipi oportere. Quomodo autem non pejus aliquid facturi sumus, eorum quæ sub 30. Tyrannis Athenis acciderunt, tot nobis surgentibus tyrannis? Nec enim video vt hæc aliud vocari possint, quàm perspicua tyrannis. Quomodo autem etiam populo suadeant, vt eorum socij efficiantur improbitatis? Liquet enim nihil esse quod non vniversi lubentes ferant, eâ solùm ratione vt videant revertentem. Sed & modò, ipsis eis hoc periculis molestius videtur, quòd is moretur, ab eorum longè oculis positus. Quippè persuasum habent, sine vt præsentibus malis, ejus præsentia remedium sit.

> Ratio à suscipiendis postmodum Pannoniorum auxiliaris copiis ab Imperatore cō ductis ac allectis.

Ad hæc autem, quorumnam criminum reum, grandi adeò pœna punient? Quòd media hyeme omnū spes vincente conatu in Pontum solverit: Isthum ab vtraq; ripa navigaverit, non vt navi superior ferretur, sed velut latentes quasdam sub aquis petras, sic oras fluminis legeret. Venit autem cum paucis cóque comitatu, vt, nec satis ad mensæ instruendæ ministerium habere viderentur: belluas magis quam homines rogaturus, nostriq; causa suasuros arma corripere, ac adire pericula, nimirum alienos homines pro nostra ipsorum salute. Idque adeò vt quanquam non dominus, sed malas quidā ac hostis priùs exitiens, mutato deinde consilio, nostri causa tanta designasset, coronari oporteret, omnibúsq; tum vivum, tum defunctum præmiis honorare. Sin autem, cùm & maximum illud ac divinissimum esset, juréque paterno Imperium teneret, nostri postmodum causa ne Barbaros quidem renuit obsecrare; Nam hac ipsa re, nihil quicquam molestius accidat, viro tum multis solito imperare: quomodo itaque non ipsam Barbarorum sumus superaturi crudelitatē, siquidem meliora ille de illis speravit, quàm ipsi tunc simus exhibituri. Putavi quidem sic illos amicos fore, vt & belli societatem inirent: nos verò iis, quæ designabimus, grave quoddam odium prodituri sumus. Sin verò impios ac sceleratos eos arbitrati, qui tunc ejusmodi aliquid fuerint ausi consulere, laudibus ac plausu, vti planè meritò decet, revertentem Imperatorem sumus suscepturi, nonne & socios vnà cum eo ingredi vrbem permittemus, an potiùs humanitate in eum vsi, campum illis ac miseriam relinquemus, præficiemúsque qui portas ad eos arcendos custodiant? Quod si concordes illos priusquā ingrediantur, vbi jam venerint, discernamus; ac ipse quidem velut noster ac domesticus, consuetos habeat honores; illos autem ceu hostes, suspectos habeamus, eósque neque tecto, neque foro donandos arbitremus, haud planè novi, quid illos in nobis laudaturos putemus, qui ab immanitate ejusmodi ordiamur. Præterea ne ipse quidem Imperator, quam omnes servaverint benevolentiam, sibi congruam putabit; vtque eos, quos magnificis sollicitationibus in spem erigens, huc duxerit, statim derelinquat, vix non vbique gentium prædicaturos, Imperatoris omnem negotiationem, fraudis larvam fuisse.

Sanè ne quorum quidem gratia proterviamus, facilè quis inveniat. Nam vt bello quidem, ac quorum causa socios adduximus, confecto, eis vellemus illudere, haud tantum ingrati illa animi labes periculum haberet. Sin autem iisdem instantibus malis, alia aliáque ratione vocandis ac suscipiendis amicis habemus, non video quid ea novitas spei habeat. Num enim solùm vt subtiles, quidam consuendis fraudibus ac dando verba videamus, sic ista anxiè agimus? Præterea, quid deceptos illos, omniúmque factos fabulam, præstituros putatis? Fors sessuros, ac apud se cohibituros manus, veniámq; pro fraude ipsis facta rogaturos? Verùm haud illi ita philosophari noverunt, ac iræ dominari. Superest ergo vt illi quidem muros tentent, atque eis admoveāt machinas, nos verò obsessæ vrbis feramus incommoda. Insuper enim, nihil vos aliud posse existimo. Quòd si ea vobis res ferenda videtur, vt quid vbique potentibus destinantes legatos, qui in belli societatem inducant, negotium facitis cùm liceat vrbis mœnibus conclusus Barbarorum obsidione premi? Haud enim sanè video, quo nos malo venientes socij liberare habeant, cùm sponte pessima præoptetis. Atque adeò nihil causæ erit cur venturos cum Imperatore non suscipiatis. Sin autem quæ humana sunt ac justa cogitantes, Imperatorem quidem ob susceptos nostri causa labores coronandum putabitis, portásque, cum eo venientibus sociis aperietis, quid vetat vt ne pro istis eadem decernatis? Nec enim operæpretium, vt Romanorum quidem lenitatem caveatis: Pannorum autem crudelitatem ne suspectam quidem habeatis, vtq; eos qui gloriæ studio sua profundunt, nostra concupituros arbitremini; eos autem qui latrocinijs ac furto vivunt, à sua repentè cessaturos arte. Quod si mille istis commisceri formidabile, qui non perspicerè malum majus in viginti millibus? Cúmque eos qui vltrò veniunt; haud tutæ homines fidei asseramus, quanta in illis securitas quos per legatos arcivimus?

Verùm ipsa quoque horum cogitatio ridicula. Sit

verò

A

verò sapientum, ac talis vrbis, quanta hæc nostra civium, vt eos qui ista dicunt, ellebore indigere putent; vtque ejusmodi consiliis, si quis noster hostis sit, magis obsecuturum optent; ipsos verò, cogitationes quæ deceant, assumentes, non quiescere, nec temerè contradicentibus dare licentiā, qui nescio quorum benevolentiam inani illa garrulitate captent: quin vel ipsum deliberationis tempus jacturæ deputantes, hosce suscipere, ceu viros à longo jam tempore, à parentibus, filiis, aliáq; ratione maximè necessariis absentes, próque eorum animi alacritate, providentiæ gratias agere, et palam horum adventum acceptum referētes; non propter quædam levia, quæq; forsan contingant, fortè non cōtingent, ipsius quoque libertatis jacturam facere; vt ne quicquam aliud dicam, eorum quæ vniversis timentur velut in procinctu, atque adeò illis ipsis qui his indignātur. Cogitate enim quò fortunæ redacti simus, quidve possimus sperare, vt istos dimiserimus. Quorum olim Imperij fines, ipsi erant qui orbis, nunc sedemus felicitatem reputantes, vt quis sinat servire. Vrbs verò longè vniversarum sub cœlo beatissima, quamq; omnes, gratiarum ac recreandi causa, munificiq; ornatus, adibant, nunc incolis facta est carcer. Vndequaque habet clausas portas, nec vllus jam tutò in portibus stationem habet: quique appellunt malos foris rumores afferentes, longè pejora intus experiuntur. Cæterùm nobis, intra quidē muros, clamor, egestas, paupertas, lacrymæ; extra verò spectantibus è turribus, Barbarorum exercitus; vastatio agrorum, in aggeribus cædes, ignisque ferox, domos, templa, pulchra quæque ædificia publica, ac prorsus omnia invadens. Quin & blasphemiæ in Deum, atque (quod quis non horreat?) crucis contumelia, ac fidei irrisio, sacrarúmque Imaginum probri causa circumductiones, nec non minæ terribiles, quas ne eveniant, ne ipse quidem Christus, quem adoramus possit impedire.

B

Tristis verè regiæ vrbis facies: cautos nos ac sobrios facere habeat.

Sed & fames vniversa tenet, cùm nec terra reliqua sit, quam colamus, nec latrones liberum permittant, mercatoribus alveū, & vt possint frumenta advehere: quo fit, vt & locantibus operas ars inutilis videatur, non habentibus vt inde paciscantur; militibus, impetū timor retardavit, dominique, fugiētibus servis eorū ipsi vicissim subeant sortem. Vniversa civitatis species, omni parte velut in luctu commutata cernitur: cunctique malorum coïtione tanta stupefacti, animos despondêrunt. Quin hoc quoque sapientū mentem quatit, quòd multi cives adeò servili animo facti sint, vt quid boni, illi Barbarorum servituti inesse dicant, ac Romanos graviora jubere. Quamobrem etiam propalam ad illos proficiscuntur, apúdque illos certis quibusdam temporibus versantur, ovésque, & boves, & equos, ac pecunias, nostræ mercedem proditionis accipiunt: eisque compotantes nostram canunt perditionem; ac hujus domum, vxoris illius speciem, aut etiam pignorum, iis propinant: apud se autem in votis habent, vt ab vniversis adorari homines videant: iisque dictis ac factis reverti præsumpserunt, significantes civibus, nisi taceant, dicturos se suis dominis, ac apud eos graviùs accusaturos, non verentes malos illos dæmones ac pestes appellare. Ij verò horrore tenentur, longósque precantur annos iis, qui meritò agi debuissent: rogantes vt inter pocula eorum aliquid meminisse velint: tantámque libertatem sic apud illos merentes assumpserunt, vt nec pro illis impudētia orare vereantur, omniáq; facere, ex quibus illis obsequantur; quod est vrbem prodere, ac palam vniversorum dominos facere: vt nec jam desint qui optent sub pactis capi civitatem, timentes ne scelestis istis traditoribus contingat occupari.

C

Malorū civium studia ac defectio ad Turcos.

D

Sic publica res in extremas quasdam angustias redacta est, sicque deinceps liberos vivere impossibilibus accensendum videtur; in quas nos angustias conjecit, tum quòd accidentia mala damnáque neglexerimus, ceu rem superfluam, emendare ac instaurare tum quòd diem otio transigere ac ignavia, viros decere putaremus; ac monentes quidem quæ operæpretium essent, haberemus stultos; iis autem qui voluptatibus adblandirentur nostris, præclara quædam præmia proposita vellemus. Ad hæc autem, quòd manifestos hostes sustineremus, ac decipientibus haberemus fidem; eos autem qui nobis accedentes, belli se socios fore pollicebantur, habuerimus suspectos; ea causantes, quibus amicitias dissolveremur. Verùm vt priorum pœnitudine ducti, oblatis nunc Dei providentia voluerimus vti, iisq; repulsis qui secus trahunt, ac ad aures, quibus eas fabulas narrent, amandatis, supremum hoc pro salute cōmuni desudare certamen: fore spero, quod sit dictum Deo auspice: vt nedum domesticæ res benè nobis habituræ sint, verùm etiam longissimè positæ, vtque non solùm patriæ sartam tectam servemus, vniversis comparabilem ac inæstimabilem magis libertatem, sed etiam pluribus imperemus, omnésque pridem nobis subjecti ad nos revertantur, nostrisque vniversi legibus subjiciantur: ac demum vt omni loco fiducia pleni, hostes invadamus. Modò quidem cùm nos attonitos vident, meritò & ipsi contrahuntur, ac servire sustinent, videntes dominos recessisse à rebus. Sin autem contra ausos respicere viderint, etiam ipsi conferent, quæ sunt ipsorum. Haud verò id modicum vt Barbaris externa læsis impressione, nec quæ à suis habent quieta constiterint.

Quibus Græcorū labefactata Respubl.

E

F

Enimverò vt rumoribus, ac iis, quæ communi feruntur fama, aliquid ad fidem dandum sit, erat oraculum quoddam, venturos à mari ac Alpibus, qui vrbem ac nos vlturi essent; foréque vt eos omnes videremus, Barbarorum vi prostrata atque injuria, postmodum illis servire cogentes, quibus priùs imperavissent: adeóque Barbari metum hunc semper animis vigentem habent, vt vbicunque ad deliberandum convenerint, hoc obtineat, haud in nos immoderatiùs esse iniqua vexatione abutendum: sed paulatim esse consumendos, nec in desperationem cogendos, ne omninò illa persuasi, ad eos confugiamus, qui modò sponte adjunt, tanquam eo eventu nihil illis expeditio ac contentio conducibile habeant. Faustè itaque omen suscipiamus, cui & hostes suffragio accedant, nec eorum vota rata faciamus. Quippe absonum meritò videtur, vt cùm illi timeant, exque metu, domi viros manere precentur, eosdem ipsi venientes prohibeamus, sicque hostium cupiditati cooperari videamur.

Oraculū vulgi fama jactatū, & à Turcis creditum ab Occiduis delendos.

G

EIVSDEM DEMETRII

CYDONII ORATIO ALIA

DELIBERATIVA, DE NON reddenda Callipoli petente Amurate.

PAR quidem, Auditores, erat, ne de iis deliberaturi in consilium cogeremur, ex quibus, vtrumvis accidat, probrum vrbi ac periculum accedat, necesse sit: sed vt pro iis, quæ majorem habent gloriam ac sunt potiora, nobis esset orandum; cùm alioqui etiam nostra civitas, nihil vnquam in communibus actionibus, non magnificum ac gloriam habens, ostendere sustinuerit. Quia verò, nos jam felicitas, & vt magna designemus, defecit; adeóque malè actum est nobiscum, vt vnum id nostris jam oratoribus incumbat, vt in malis propositis, quod sit levius inveniāt; quid superest, quàm vt Deum precemur mitiora de nobis decernere, nósq; ipsi, præsenti fortuna è ratione, ac prudentia vtentes, nostræ ipsorum saluti, quandiu licet, studeamus consulere, non velut desperatione acti, majorum virtutem

H

Breve exordiū ac ex visceribus causæ.

ac

A

ac gloriam omninò prodere: sed pro virili, in illa viderи exempla respicere. Quod itaque agitatur consilium, ac invicem quotidiana illa nobiscum publicis cōventibus contradictio, in Chersonesi rebus versatur, ac vrbis Callipolis, quā Murates à nobis pro pace petit.

Propositio, an petenti Amurati sit cedēdi Callipolis.

At verò maxima civitatis pars, eorúmque qui sunt à consiliis, in eo conspirat, vt dandā dicant, atq; id sinē mora, quæ ipsa apertum civitatis periculum habeat. At ego, extremæ rem infelicitatis arbitrans, vt non in eo nostra deliberatio sit, vt hostiū res nobis vendicemus, sed vt nostras ipsi dimittamus, hoc maximè indignandum dixerim, quòd plerosq; nequidem sustinentes aequo animo audire contrarios sermones adspiciam; sed ita toto deditos servituti, atque vt Barbaro placeant, vt minori ille aviditate accipiat, quàm isti desiderio tribuant. Quid enim quis dicet, ad eorum alienum à ratione impetum respiciens; vtque hostes, ac rerum palam communium proditores pronuncient, vt quis obniti velit, ac quid melius pro negotio consulere? Quanquam tamen grande adeò periculum pro concione de adversariis dicturo immineat, haud enimverò è ratione sit, vt eū n cœperim aliqua, à consulendo quod sit è re communi, abstineam. Æquum potiò fuerit, vt & ipsi non molestè feratis, si quorum rationes vestris minus consentire senseritis. Non enim vrbes de rebus extra omnem controversiam positis dispicere solent ac deliberare, sed de obscuris, ac ejus generis, vt de illis quis contraria dicens, haud stultus videatur. Quia ergo modò quoque ponderum ratione, communis conventus ac consilij copiam fecistis, alienum sit à ratione indignari, vt quis adversam opinionem insinuaverit: cùm præsertim penes vos sit ac vestri arbitrij, vt vel probantes sententiam, eā vtamini, vel adversariis victoribus, quæ visa fuerint sequamini. Primùm quidem hoc cogitandum, Callipolim esse, quā boni isti, ac vrbis se curam professi agere, hostibus cedendum admoneant, quam semper rerum nostrarum pretiosissimam duximus, ac momentum maximum habentem ad Barbarorum bellum.

B

Prima ratio vt non ita danda Callipolis à loci in rem Romanā cōmodis.

Sed & in conventibus publicis, ac consiliis, quando cuique quod libeat cum fiducia licet loqui, quod quidem spectat ad alia, plures quis invicem adversantes audierit: ac alios quidem hæc asserentes, alios verò negantes; neminē verò vsq; adeò contentiosum, vt rem aliquā Callipoli præhabendam putaverit: quin vna hæc vbiq; obtinebat sententia, vt præsidiū retineremus, nullisq; vel laboribus vel impensis parceremus, quò illud semper vrbi servaretur incolume. Vt sic autem vniversi de præsidio sentirent, in causa fuit experientia, quodq; eā magistra compertum esset, quantum semper rebus nostris illud momenti attulisset. Quod enim necdum omninò ceu fluctu quodam obruti vniversi fuerimus, ac Græci reliqui quotquot Europam habitant, cùm, qui jam nobis infesti ingruunt, Asiam ducerent ac in castris haberent, illud causa fuit. Quòd nimirum illud, Hellesponti omnibus mœniis opportunissimum, intérque alveum ac fauces positum, vnde solventes Barbarorum naves haudquaquam latere poterant, illic stationem habentibus triremibus nostris, vt liberè cohiberent latrocinantes Barbaros, nostrique vt vrbes totò habitarent, præstaret. Præterea, nedum ex malis quæ cavimus, sed & ex iis, quorum eo amisso fecimus periculum facimúsque, clariùs liqueat, nihil nobis esse, quo non priùs quàm illo cedere debeamus. Vbi enim quæ in Hellesponto ac Propontide facta quassatio, vniversa evertit, hoc quoque Barbaris oppidum tradidisset, cùm Chersonesus tota illis addicta est, tum vrbes Thraciæ, ditioni adjecerunt; ac needum exacto anno, à nobis tributa exegerunt, terrámque è mœnium regione positam araverunt. Quin & vt quis præsentis probri, vtque civitas pro sic ingloriis ac humilibus deliberare cogatur, Callipolim causam dixerit, ac quòd ea amissa sit, neminem fore arbitror qui contradicat. Qui ergo non absurdum, vt iis, quæ præsentia adeò profuerunt, quæque cùm abessent suprema pericula attulerunt, hostibus cedamus, quibus vt recipiant, nihil jam in vrbem intentatum relinquent? Atque id ex præcepto, tanquam in omnibus morem Barbaris gerere oporteat, nostrorúmque illos commodorum facere dominos.

C

D

E

Sed & abundè illud cogitandum, vbi primùm rumor percrebuit, quassatam à Barbaris Callipolim captam esse, quasnam emittebamus voces, ac quis vrbe tota luctus erat? quæve tunc in vrbe tota obtinebat fama? Nonne periisse nos? Non jam omnes, tanquā in sagena, sic teneri à Barbaris muris conclusos? Nonne ipsum jam vrbis solū obnoxium esse periculis? Nonne tunc habebatur, qui necdum periculis exceptus vrbem relinqueret? Omninò memoria tenetis, vt hostium terra suspectiorem patriam haberemus; omnésque in Italiā, ac Gades, matéque Columnis vlterius, tanquam eā tantum ratione à servitutis jugo liberandi festinarent. Quam ergo tunc amissam lugebamus, ac qua serviente, nullum non expectandum malum videbatur, eam sic temerè dimittemus, quòd iterum favens providentia, res nobis reduxerit, tanquam vel jacturæ obliti, vel qui mala quidem fortuna ratione agere novetimus; prospera autem vti non possimus. Tametsi quomodo non omnino sine productius malum, vt quorum domini non sentiamus quid illa commodi habent; amissis autem mœrore afficiamur? ac quidem desideremus, cùm non adsunt; cùm verò redierint, iterum projiciamus: idque cùm sciamus fore, vt amorem minimè extinguamus, sed vt etiam extincta re augeamus. Hoc enim palam, non eorum sit qui telam retexant Penelopes, sed qui seipsos perdant, suáque ipsorum vota odio habeant.

A lectu publico illa prius capta.

F

Atqui, vt nostis ipsi redditibus expeditionéque ac laboribus, cùm priùs Barbaris subjecta esset, vrbem nobis asseruissemus, nec sic par erat expensarū oblitos ac susceptorum laborū, sic rursus illis dimittere. Esset nihilominus aliquid ad rationem probabile, vt eò in præsentiarum negligeremus, quòd in nostra potestate esset iterū cùm vellemus recipere: quanquam alioqui, vt dicebam, stultum sit, vt vltrò tribuentes, denuò conemur recuperare, ac quotidie negotia habeamus. Quòd si nos, cùm tunc capta esset, sic longè eramus, vt ei possemus auxilium ferre, vti puto, vt possimus volare. Scitis enim vt annis singulis super his collecta Ecclesia, haud minoribus pedestribus copiis opus diceremus, ac Xerxes eduxisset contra Græcos: navibus verò pluribus, quàm quibus Græci cœperunt Troiam; pecuniis adeò multis, vt nec singulorum facultates in argentum versæ sufficerent. Sic verò rebus habentibus venerunt alij quidem è longinquis, nobisque, pro eo atque expoliati essemus condolentes, suis ipsorum periculis atque sumptibus, iterum nobis reddiderunt, quæ priùs amiseramus: Quid ergo opus prioribus nos calamitatibus inseramus, ac illorum quidem virorum magnificentiam obscuremus, quibus & titulum nos oportebat erigere, eorum monumentum beneficiorum, quibus nos devinxerunt: ipsi verò, quæ sint furiosi præstemus, qui discissa veste, nudi turpiter incedant: sin autem quis induerit, rursus rideantur, ac eos mordeant, qui misericordia illorum coram agunt.

Quòd nō Græcorū armis capta, nec semel dimissam spes vlla sit iterum recuperandi.

G

Turpe hoc quidem, vt quem liqueat ipsum sibi non sufficere sed velut aliis quibusdā pædagogis egere, qui res ejus custodiant: Vt autem quanquam adjutoribus aliis, ac accentibus volentes inferre injuriā, omniq; modo vt benè ac prosperè habeat providētibus, ipse se de industria det præcipitem, impleatq; hostium vota, hunc jam etiam eorū, qui furore insaniunt, exempla superet. Per Deum rogo: Vt etiam veniant, aut ad nos legatos mittant, qui ereptam Barbaris Callipolim, nobis tradiderunt, ac dicant: *Nos, viri, nulla vobis necessitudine coniuncti: neque enim aliquis nobis apud Byzantios commeatus, nec aliquo à vobis beneficio, aut auxilio accepto, necesse habuimus munus rependere: quin à principio ne quid velletis quidem intelligentes sine interprete, quòd solum Christi nobiscum cultores à Barbaris conculcari audierimus:*

H

Pulchra prosopopeia Christianorū, per quos Græci receperissent Callipolim.

dierimus : ac terram quidem vestram illis ferre fructus ac lucra; urbes autem ab illis esse eversas : ac corpora quidem siqua gladium effugerunt, ubique dispersa servitutem servire, ad hæc autem animas, quas vi, quà suasione ac quotidianâ cum illis consuetudine pelli : sic autem angustam vobis regionem restare, ut ne quidem tributis, quæ pendenda Barbaris habetis sufficiat, omnemque ornatum vestrum ad illos commigrasse, ac deinceps habere in votis, ut saltem servire permittamini: horum famâ ad nos perlata, nostramque ipsorum calamitatem vestra arbitrati mala; ac nec expectatis legatis quibus nos ea doceretis, patriâ quisque sua egressi sumus; dereliquimus verò parentes, amicos, aliosque necessarios, tametsi sedere rogarent, ac cum cognatis, bonis quæ domi iucundè haberent, frui, nec anxios esse, aut ve belli incommoda, ac fortunâ aliorum nobis asciscere. Porro autem erant plerisque nostrûm, etiam uxores ac liberi: ut istis, virorum, istis patrum opera ac cura opus esset. Scitis autem larium amores, utque vel adamantinum pectus uxor lacrymis emolliat, liberorumque imbecillitas, paternos obtutus necessarios habens. Enimverò nihil horum vestra potius habuimus salute. Quin neglectis omnibus, ac grandi classe magnum transmittentes pelagus, marisque ac tempestatum nos casibus exponentes, nulla nobis condita mercede, ac nec sperata, excepta utilitate vestra, venimus pro vobis armati, haud secus ac pro nobis ipsis ac parentibus: multisque ante descensum è navibus defuncti periculis, cum Barbaris magna prohibentibus virtute, non sine grandi discrimine ac labore primis eorum repressis, ad præsidium venimus, cum quidem vobis erat mæsta pretie, nunc autem, quòd habeatis, ne in accessionis quidem partem habitum. Deoque benè propitio, illud quidem cepimus hostesque turpi fuga recedere coegimus, ac demum vestre illic captivos recepimus: armisque ac annona, virisque, ac omnibus necessariis præsidium instruentes, urbem vobis tradidimus, quâ uteremini tanquam propria : quodque hactenus impossibile ore omnium ferebatur, fieri non posse, ut deficiente Callipoli libertatem tueremini; ac quod universi inter impossibilia habebant, ut ea recuperari posset, hoc modò præter opinionem præstitum est; ac quidem vos freti domini estis, potestisque portubus illic positis benè utentes, Barbarorum cohibere latrocinia ac eruptiones. Siquidem, inquam, ista dixerint, fuerintque causam percontati. *Ut quid vos optimi; nullumque agendis, præstitutum vobis volentes finem, ea consecuti quorum tenebamini desiderio, vobis iterum libertatem invidetis, ac mancipari vultis? Hæc enim vobis vult, quòd iterum urbem in manus tradatis Barbaris?* Quid dicturi sumus? quid per Deum responsuri? Planè necesse ut demisso in terram vultu, dicta omnia pudore admittamus, quibus nihil iustum ad defensionem suppetat. Cæterùm, nedum ad illos, verùm etiam ad omnes totâ Europâ Christianos, eum vobis sermonem esse, putandum sit. Sciunt enim omnea, quæ illis huc excurrentibus gesta sint : utque nunc dimittamus, quæ tantis periculis comparata fuerunt, haud planè sunt nescituri. Quos ergo facundos adeò oratores missuri estis ad Italos, Gallos, Germanos, Celtas, Hispanos: ad eos qui continentem, quique insulas habitant; ac qui extra Gades; qui pro probro hoc ac amentiâ omnibus satisfaciant? Atque hæc verò, cùm accusationes nullam rationem admittant; ille, partim quidem pereuntibus condoleant, partim in iras efferveant, quòd susceptos ab eis pro nobis labores cassos reddiderimus. Quas verò etiam ab Ecclesiâ nobis inflictum iri existimatis diras; quæ videat, ut nedum ipsi nos, iis quæ agimus, impiis prodamus, verùm etiam Christianis universis, mali huius efficiamur auctores, quo, inter omnia unquam commissa, nihil quisquam scelestius, aut ue alienum magis ab humanitate dixerit.

Ecclesiæ diræ se Censore in prodit tes infi delibus re Christianam.

Quasnam verò pro nobis preces, seu etiam sacrificia, oblatura sit, cùm sic omnes ultrò videat præoptantes pessima? Quinimò, quomodò non devotos ac execrabiles habeat, eos qui tentant talia? Pro iis enim, qui sibi ipsi ac reliquis bona volunt, Deumque orant ut ea consequantur; non pro iis, qui de industriâ perdūt seipsos, lubentes sacrificia ac preces offerimus, aliaque omnia molimur. Vituperia autem ac maledicta ab omnibus, ut quis prodēs seipsum, abundè alios in idē cogat. Quosnam verò etiam nobis advocabit socios, quive animo pro mittendo nobis auxilio differet : quibusnam verò etiam persuadeat, ut quid faciant pro nobis, ac pericula adeant, cùm studium suum ac operam videat in contrarium versam? Quæ enim Comes eius suasu pro nobis laboravit, horum vos in Barbaros commodum transferre cogitatis. Omninò autem quosnam nobis belli subsidio fore speramus, cùm sciant, nullum laborum, neque ipsis, neque nobis extituri fructum, devictorum nobis præmia hostium, iterum proiicientibus inimicia post confectum bellum, nulloque nobis reliquo, pro quo eis periculorum ergo gratias habeamus; quod unum iis, qui pro aliis decertarunt, reliquum manet ad solatium. Qui enim beneficio donati accepta proiiciūt, ne beneficis quidem pro datis gratias habituri sint. Atqui, cùm neque nostrâ ipsi virtute hostes ulturi simus, ac valentibus ferre auxiliū palā denunciemus ex iis quæ facimus, ut nōs fugiāt, quid superest, nisi ut ambabus vinctis manibus, supplices hostibus accidamus, ac lucri loco deputemus, modò tantùm vitā indulgeāt?

Quocirca cùm deliberatis, num Callipolis tradenda sit, nihil mihi aliud videmini præstare, quam ut quæratis, num maius ad gloriam sit, ac omnibus modis cōducibilius, vitā in libertate agentes, nostris frui rebus, ac eas retinere; vel eis proiectis, amplecti paupertatē; unaque ac iniuriam Barbarorum, pluris aliorum gloriā facere. Enimuerò ipsa hæc omninò emotæ mentis homines ad sobrietatem possint componere. Nemo enim adeò miser, ut cùm aliis imperare liceat, aliis velit obedire; idque maximè viris pessimis ac infensissimis; nedumq; nullam inde habens mercedē, quin & ipse propria conferens. Quòd si qui, nullâ quidem ipsi rationē hisce contradicere audent, quòd & ordine & naturâ rerum ita hæc definita sint, sicque Græci pariter atque Barbari omnes existiment, sinque omnibus inditum à naturâ, ut ne hostibus propria dimittant : timent verò imminentē famem, ac quod segetes quidem iam surgente culmo altas videant, hostesq; nihilominus terram populantes, ac suburbana præsidia capturos, quiq; omnia subinde direpturos comminentur, eoque concedendum volunt, quæ illi flagitant, levius arbitrantes lædi alia, quàm ut patria intereat. Primùm quidem noverint qui hæc orant, non ea dicere quibus mala leviora præstemus; sed potiùs quibus malorū fiat accessio. Neque enim eos ullosve alios dicturos puto, ideirco nobis hæc cōflata mala, quòd urbes nostras non dimiserimus Barbaris; eoq; id mediū fore quo cōmodior fortuna redeat, ut eas tradamus : secùs verò, quòd nostrâ incuriâ captæ fuerint, hoc præsentes nobis invexit necessitates. Illud verò quibus res, cùm magnæ essent, viles factæ sunt ac imminutæ, iisdē conandū sit pristino splendori restituere. Quinimò tantùm abest, ut & modò quæ restant debeamus dimittere, quantùm etiā universus videmus, alia aliaq; novū comparando, non sua proiiciendo, divitias augere. Vos autem haud aliud facitis, quàm si quis membra amputās, corpus vegetū robustumq; existimet servatū iri: vel qui tradendo substantiā volentibus rapere, eā ei ratione facturum se accessionem putet. Enimuerò cōtraria hęc cùm sapere, tùm agere, apertè veris. Satis puto, siquidē Deus mittēs iuberet munera petere, ut ne deinceps adversis essetis usuri, nihil vos aliud priori loco petendū raturos, quàm amissas urbes, tāquā eā duntaxat ratione liceret tū redire ad priorē fortunā, tū eos, ulcisci qui nunc nostra rapiunt faciuntq; iniuriā. Sic ergo, ea ex proposito amittētes, quorū nihil maius possessione, ut illa adessent, optaturi essemus, quod esse sit de nobis ipsi deliberasse putabimus? Quā verò non furiosi homines ac insani habēdi sumus?

Ratio trad. Callipolis ut ne Barbari segetes ac suburbana Constantinopolis diripiant, sana.

Præterea, nec hoc simile, pro nostris antè pugnantes rebus, ad adeūtes pericula, tūq, victos ea amittere, atq; petētib. Barbaris, seu etiā iubētib., eā iacturā ferre. Nā primo modo abest quod est turpe, nec nisi fortunæ damnum est; cuius cùm homines simus, impossibile est semper nos arbitros esse. At autem ipsi sponte

Res probrum sic amittere, ut concedas quod hostis petat ac iubeat.

adversum nos insensissimis serviamus, hoc sanè cùm à Gente, tum ab humanitate totâ longè remotissimum est, nec aliud ostendit quàm insensibilitatem: quod nobis in præsentiarum continget, nisi consilia mutaverimus.

Præterea, vt quidem dignus quis sponsor esset animi Barbarorum: (is planè Deus esset: nec enim vlli hominum concedendum sit ista scire) nimirum fore vt Barbari acceptis quæ modo à nobis efflagitant, deinceps essent quieturi, terminumque iniuriæ in iis quæ data essent, posituri, sic etiam sic turpe foret, ac maiorum hactenus nostrorum facinoribus indignum, rebusque per eos terrâ marique præclare designatis summè contrarium, totamque penitus abolens civitatis gloriam; vt inquam, vel aliquid Barbaris cedere videremur, idque iis in rebus, quibus damnum sit nostris bonis: essetque defodiendus, qui hæc nobis consulere auderet aut suadere. Enimverò vt quis suadeat, concessis iis, quæ modò petuntur, fore vt tutò relictis vtamur; ad eorum modum, qui membrum aliquod ferro ac igni exponunt, quò vivant corpore reliquo: quibus morte acerbius sit omnium probris peti; sileant quidem patriæ bona; evertantur viris fortissimis positæ statuæ ac monimenta; tituli deleantur, quibus posteris virtus civitatis nota fiat: omne ab eâ certamen gloriæ causâ susceptum oblivioni tradatur, ac quid superfluum existimetur velle pro gloriâ pericula adire. Porrò hæc excellentia est, quâ vrbs vrbi, vir viro præstantior est: vel sic Barbaris in omnibus obtemperandum ac manendum iis contentos, quæ nobis habere permittunt. Sin autem nihil minùs sperare licet, nimirum acceptis Barbaros, quæ nunc petunt a nobis, quieturos, quis sermo suadeat, id verò operæpretium esse ac conducere, vt nostris armis hostes instruamus, quò vt videtur, fortiores experiamur. Siquidem enim cùm mercede servirent, furtisque ac latrociniis vterentur ad vitæ commeatum, nostri Imperij cupiditate ducebantur, nullum detrectantes laborem ac periculum, quo sibi illud vendicarent, idque cùm nostri tunc, cùm viris ac milite, tum pecuniis, omnemque navantes operam, fortiter tuerentur, quid nunc facturos sperandum, vbi etiam quæ fortia habebamus, abundè ceperunt, nuncque maximè, quando ærarij quidem pecuniæ omnes insumptæ sunt: earumque reditûs defecerunt; vixque privatis ac singulis suppetat quo familiam possint alere: militiæ robur extinctum sit; pacta cum hostibus soluta: capta demum loca omnia ac præsidia: illi autem, vnà cum Mysorum, nunc quoque Triballorum Imperium triumpho agant, ac suæ reportent factum ditionis: tantillo nobis concesso respirandi otio, donec adversus illos negotium habuerunt. At vbi semel res illic composuerint, ad nos terribiles revertentur; tuncque petent non Callipolim, neque tributa scrupulosiùs exigent, autue segetibus sive vineis comminabuntur immissuros militem: sed exigent libertatem, vtque pari nos atque alij sorte, eorum nos agnoscamus subiectos dominio.

Turcorum primis i[illegible] C[illegible]tis ac Christianorum adhuc integris rebus tũ consilia, tum facinora.

Mysi, Triballi, a: post[illegible] Græ[illegible] à Turcis subiugati.

Quid rogo tunc temporis consilij dabunt sic vbique faciles isti, ac quibus excepto quod est præsens nihil propositum sit? Sanè quidem vt sicut modò cedendas Barbaris res nostras, ita & tunc eorum subeundum iugum hortati fuerint, bonos utique cives ac dignos Reipublicæ defensores se prodituri sunt. Sin autem quod est rationi consentaneum Deoque placitum, atque vt verbo dicam, vniversorum hominum suffragiis comprobatum; sed & nobis consuetum, ac iis quæ à principio civitas designavit, & gloriæ congruum hoc velint consulere, nimirum retinendam esse libertatem, omniumque maximè terribilissimam ducendam servitutem; vt quid modò admonent, quod eius tunc temporis consiliis destructuri sunt? Perspicuum enim est, cum bellum tunc consulent perferendum, pecuniarum itidem, atque hominum, sociorumque, & locorum, atque portuum, omniumque absolutè negotio conducentium accessionem esse cogitaturos. Tunc verò qui tunc provisuri sunt, vt quæ desunt comparare possimus, ipsa modò habitâ sponte ablegabunt? ac quærentes accessionem, vti se compotes fore subtractione arbitrabuntur? Siquidem enim omninò bellum gerendum est, planè præstat rebus instructos rem aggredi, non de industriâ eas minuere, cū quibus necesse est commodiùs geri, vt & cum sociis. Præterea si quis adeunda pericula dicat, ita vt pecuniæ suppetant, non vt pauperes simus; ac omninò vt quàm maximâ licuerit rerum copiâ instructi simus; cæterùm, quod Callipolis oppidulum sit metropolis autem sit civitas maxima, idcircò quod minus est dimittendum esse pro eo quod est maximum: primùm quidem stultum iudicare res ex magnitudine, ac semper quò maius aliquid, eò melius putare; deteriusque, quod minus: velut si quis membrorum corporis oculum deterrimum arbitretur, quòd vtique sit mole minimum, vel eos qui prægrandi sunt corpore, illis meliores existimet, qui sunt modico, ac iustæ staturæ. Sic itaque quod ad Callipolim attinet, nedum ambitum ac numerum turrium oportet spectare; verùm etiam reputare opportunitatem loci, vtque velut arx magnæ huius civitatis videatur: ac quandiu quidem illam tenuimus, cùm Chersonesus, tum Thraciæ vrbes palam nobis obedirent: ex quo autem eam tenuerunt Barbari, tum illa defecerint, tum eo redacti simus, vt quotidie nunc de salute sermones conferamus: grande adeò ad vtraque momentum habet parvum hoc præsidium: vt si missâ magnitudine vtilitatis habenda sit ratio, haud multum quis referre inveniat, vt ea tradatur, aut prodatur patria.

Callipolis; vt parua civitas, at magni momenti.

Præterea, siquidem cum petentibus Barbaris contradicere non audemus, veriti illorum potentiam, dicat quis quid vetet, vt ne secundò ac tertiò petentibus obsequamur? quandiu enim cessaturos illos iniuriam facere, nemo sit qui possit persuadere, nos quoque necesse erit illorum veritos potentiam; hisce sermonibus assentiri. Qui enim semel hostium stupens potentiam, obedire assuevit, haudquaquam minora quidem concessurus est, inque maioribus contentione actutus: quinimò simili omnia ratione feret, quandiu præcipientium potestatem suspectam habebit. Quamobrem, nedum de Callipoli, sitne illa dimittenda, præsens nobis deliberatio est: verùm etiam de ipso vrbis solo; ac si qua omninò reliqua sunt. Haud itaque operæpretium sic deiectis animis vniversa Barbaris cedamus: sed vt etiam quandoque conducibiliùs resistere putemus, arbitremurque artis quadam subtilitate ac periculi faciendi causâ, hæc ab illis proponi: vt siquidem restiterimus, resque nostras defenderimus, palamque fuerit haud permissuros agi nos atque ferri, aliud quid ex eorum rationibus futurum quærant: sin autem ob formidinem concedamus, deinceps iam ceu quorum deiecti sint animi, nihilque non simus concessuri, ita habituri sunt; omnibusque ablatis, tandem ad liberos, vxoresque, ac pretiosissima, ipsamque adeò patriam procedent. Non enim qui sic in minoribus impudentiâ agant, in maximis noverint esse sobrij: sanéque vt hæc concesserimus, haud video vt & tunc eadem nobis impositâ necessitate, haud eâ ratione confici velimus, omninò obtemperandum esse quicquid demum præcipiant Barbari. Sin res ita habet, prudentis consilij erit, priusquam dando quotidiè negotium nobis facessatur, vt vniversis simul ac semel nullâ pugnâ dimissis, malorum, quæ intermedia sunt, periculum, lucri faciamus: vti arbitror potius vno confectum vulnere mori, quàm vt paulatim corpus consummatur. Siquidem ergo qui ventura hæc perspicuè sciatis, futurum quidem inscipiatis; omninóque decrevistis nihil quicquam moliri, aliud hoc fuerit: ac liquet, ne bestiarum quidem, multò minus humanæ eas mentis cogitationes videri. Quippe vniversis à naturâ inditum, vt sua servent, ac quoad licuerit adversus eos, qui vim inferant, depugnent. Quin & infirma admodum animalia, robustè in animalium potentissima irruere videas, cùm ea nocere tentaverint; quò vel iniuriam prohibeant, vel moriendo se vlciscantur, ceu aliud quoddam obsequij genus naturæ illatura, cuius sit lex vt salva illa curet.

Haud committendum vt videatur timere hostem.

Vniversis inditum à naturâ vt se defendant.

Quod

Quod si Callipolim iniquæ Barbaris cupiditatis terminum fore arbitramini, eâque captâ concessurus existimatis, vt liberè reliqua habeamus: sciat quisquis hæc somniat, procul se à vero aberrare. Qui enim multa adeò, quà promittit, quà comminatur, vt eius efficiatur Dominus; quid non facturus putandus sit, vt vrbium maximam, ac cui nihil simile occurrat, ditioni addicat suæ, tantâque opum ac gloriæ accessione, res suas cumulò exornet? Qui ergo non stultum, vt qui videamus sic studiò vendicantem parua, quæ maiora sunt, neglecturum putemus? Velut nimirum, si quis aliquem videat vel vnius oboli cupidum vapulare sustinentem, tumque existimet talenta vltrò spreturum. Insania ac dementia talia sperare. Quin imò, ita naturâ comparatum est, vt crementa ac accessiones cupiditatem hominibus augeant, ceu iis, qui sunt fini propinquiores, cuius ergo vniversa designant.

Rerũ accessione cupiditas crescit.

Nisi ergo Barbarorum cupiditatem irritare vultis, obnitendum est iis quæ petunt, vt ne in aliis molestiores experiamur: neque hoc percontemini, æquúmne sit servantes Callipolim, messem amittere, quò referitis omnia, nostrorumque alios laborum dominos facere: nec vitium cladem sic gravem reputate, vt non desint qui membra sibi, quàm illas exscindi malint. Equidem grave arbitror ac triste id damni, nedum nobis qui sustinemus, sed & vniversis quotquot tempora in eiusmodi necessitates coniecerunt: enimuerò virorum sit, vt non solum præsens attendant, idue curent quod modò triste habet: sin autem peius aliquid in futurum repositum sit, illud aut non prospiciant, aut neglectu, fortunæ permittant: quin potiùs, quod præsens levius triste est, gravissimo postmodum periculo futuro præeligant. Nam esto, deniusque Callipoli traditâ collecturos nos messem: sic quidem, hocce vno duntaxat anno vbertate fruemur: tametsi forte dicat aliquis, ob malam Barbarorum fidem, tem incertam esse. Cùm enim multa sæpe polliciti essent, contrarios pollicitationibus fines intulerunt. Concedo nihilominus servaturos pacta: haud enimuerò omne sæculum; præsens annus erit: quin potiùs ille quidem consummabitur, ac fruges consumentur; rursumque virescent segetes; ac res imbecilli statu erunt; Barbarique venient velut febris periodus, ac escas ipsi necessarias habebimus: Quid ergo tunc sumus datur, quò liceat fruges inferre? Selybriam dicet quis aut Perinthum, velut illi qui substantiæ semper reliquum oppignerant.

Absonũ leve malum præsens gravissimo in futurũ redimere, ac messem annuam vrbiũ traditione.

Enimuerò neque nobis infinitæ sunt vrbes, quibus datis annis singulis messem ac vindemiam redimamus, neque Barbari concessuri sunt vt gratis in deliciis vivamus. Superest ergò vt veniatur ad id quod est caput, illis quidem; flagitantibus vrbem ac libertatem: hæc enim postrema restant: nobisque non valentibus contradicere, vt quibus fruges ac messis obturent ora. Quamobrem necessariò sumus in servorum redigendi sortem. Neque enim ego aliud quid medium video, iniquæ Barbarorum cupiditatis, & vt ipsi nolimus fruges amittere. Atenim his quoque exceptis timeo, ne qui fruges annuas vehementiùs desideramus, longos deinceps annos fame confici cogamur. Nunc quidem tametsi non metamus, advehet mare, quas alij fruges messuerint: idque non ratò scimus contigisse, vel adversis cœlorum influentiis prohibito terræ fœtu, vel etiam ab hisce adversariis læso, id præstantibus quæ modò facturos comminantur. Iis namque casibus, agrorum loco, mare nobis succedit: suntque nostrûm plures qui terram arent ac serant: multi verò etiam qui de longinquis necessarium nobis commeatum invehant: Sæpiusque, cùm civitas vicinæ regionis fruges non intulisset, maiori tamẽ annonæ vbertate vixit: ac planè præcipuum quo hîc alimur, à mari ac mercaturâ pendet, vtque illo excedamus, cogemur famem continuam pati. Quis verò nescit, vt mox Barbari Callipolis oppido potiti erunt, annonæque ac cõmeatûs extiterint domini, fore vt ne vlla frumentaria navis, autve quid aliud necessariarum mercium advehens, ad vrbis portûs appellatur? Quis enim, vt ne alij patiantur famem, pericula adire velit? Quippe necessum est, ut qui portûs nostros petiturus sit, multa pericula subeat, Barbaris illic ingiter ad fauces incubantibus; navibusque, ac triremibus, aliisque navigiis, prohibentibus iter; ac malè tutam navigationem reddentibus. Quocirca vt secus aliquid anni tempestates habuerint: Nec enim fieri potest vt pro voto res semper succedant agricolis; irremediabili fame necessariò confictaturi sumus, cùm neque alij apud nos possint soluere, neque nos inde possimus navigare: sicque fiet, vt qui anni præsentis molestias effugere quærimus, in immensa mala prolabamur, totamque vitam famem patiamur: quod cùm natura minimè ferre possit, superest, vt vel miserè mortem oppetamus, vel miserè magis ducamus vitam, ipsi nos, mœnia tradente.

Quid ergo? Bellum geremus, idque tu iubes? Enimuerò vicissim respondeam: Quid ergo? Serviemus, vosque agitis vt ita habeat? Verùm enim neque ego vos vnquam libertatis proditores dixerim; neque ego, quandiu liceat pacem agere, auctor vnquam fuerim vt præoptemus bellum. At si vos eò res ducant, haud æquum consiliarios cogitare, ac ratione dispicere, quid illæ velint. Nequaquam tamen sic temerè homines, pacem eligunt, aut bella; verùm in quo magis eorum sit constituta salus, ac quo præcipuè votorum compotes fiant, hoc demum alteri anteponunt. Nam & bellum gerimus vt saluti consultum sit; amplexamurque pacem, vt per eam res nostras liceat servare. At pacem agere, quâ simus omnia amissuti, haud aliud sit quàm specioso eiusmodi nomine quod reipsâ est turpissimum, pati. Siquidem ergo agentibus quietè, rebus propriis frui liceat, ipse quoque in eorum concedo sententiam, qui nihil anxiè inquirendum monent. Sin autem verbo tenus constat pacis venerabile nomen, resque ipsa bellum gravissimum est, quomodò iure iis succensetis qui bellum suscipi iubent, in quod ipsa nos rerum necessitas vel invitos cogit? Quod si quis belli discrimina ac difficultates animo reputans inferre bellum detrectet; fuerit quidem ac dicatur alio rerum statu timor iste animi sobrij: hîc autem, nihil non dilatio turpissimum habet. Quid enim non is meritò probri auditurus sit, qui præter libertatem, aliis quoque vniversis privatus bonis, ne quidem tunc moveatur; sed inani spectro, quod adhuc superesse putat, affectu adhærens, illius ergo cùm eis fœdus inire fugere velit, qui cuncta abstulerunt? quique servili vitâ, bono aliquo vel mediocri potiturum se arbitretur; ac neque hoc cogitet, ita servos comparatos esse, ac eam eorum sortem, vt nullis fruantur bonis, sed simul omnia dominis concedant.

Quamobrem vt spes vlla sit, repottaturos nos, quæ ex immensâ quadam otiositate ac ignaviâ amisimus, suscipiendum bellum, nec quicquam rationibus subducendum: non reputandus labor, non periculum, non sumptus, ex quibus ad commodiorem fortunam reddituri simus, ac eò iustè vlturi, qui volunt in servitutem redigere, ac tot iniurias intulerunt. Sin nullum belli eventum bonum ac finem speramus, sed necesse est desiderio frustratos perire, ne ea quidem mors spernenda, quæ honesta sit ac honorabilis, nec gloriâ careat; quam etiam fortes multi ac strenui viri perceperunt, tum viritim ipsi, tum per vrbes. Quid enim ad honestatem honoremque maius, iis qui servarint quod iustum esset, ac pro patriâ, proque civibus, suæmet ipsorum animæ, periculum prætulerint; ac mori, quàm turpe aliquid sustinere maluerint? Nam mors quidem, ceu communis quidam terminus, procreatis omnibus, proposita est; nec fieri potest, vt quis eam caveat, vel si totam vitam otium captet: at cum virtute atque gloriâ mortem oppetere, id iam quidem paucis à Deo præmium conceditur, sitque virorum, tùm concessum rapere, tum vitæ gloriosum finem imponere. Haud sanè decet, quod communi omninò ac

ac necessariâ forte futurum sit spectantes, quod est honestum virtutemque negligere: verùm vt casus ferat haud vtraque accipi posse, virtutem sanè omnimodis colamus, quâ nulla habentibus commodior existit possessio. Tametsi hìc, haud nihil omninò fausti sperantes sumus, bellum suscepturi. Primùm quidem, quòd ius à nostris partibus stet; quodque vt aperto marte cum eis fuerit conserenda manus, nostra semper victoria fuerit, iamque olim Romani, eos subiectos habere consueverint. Ante omnia verò illa in Numen religio, quæ Deum maximè hominibus propitium reddit, multum nobis momentum afferet, atque in bello auxilio erit.

Suis arctior augutatur victor. S: seu ostêdit quo possit sperari.

Præterea, ea quoque Imperia, quæ tyrannicâ vi plurimùm promoverunt, haud quis carò in seipsis laborare videat, plurimaque circumferre occulta illa caduca, quorum vt quis periculum fecerit, ac bello tentaverit, minora quàm pro eorum gloriç opinione invenerit; multaque aggredientibus, quibus ea destrui possint, argumenta occurrent. Testes sunt qui à suis modò defecerunt, eisque palam bellum intulerunt, quibus vt quis iubeat, nonnullisque pecuniis ac belli subsidio eorum conatûs roboret, ac sociam alacritatem ostendat, apti fortè bellatores effecti, in suos convertantur, sibique mutuò inferentes bellum, vel nihil, aut quid modicum nos lædant. Quin & Tribali destinarunt legatos, rogantes vt communi consilio communes hostes vlciscamur, ac nuptiarum societatem ineamus, pollicentesque pecunias, quibus nos excitatum iri sperant: quos firmam belli societatem inituros putandum est, quòd & ipsi experti sint Barbarorum iniuriam: haud verò dicat aliquis eo fine, vt nostras iniurias vlciscantur, aliasque, quæ nunc quidem grave sit sigillatim dicere: quæque nihilominus omnia motum bellum liquidò declarabit. Haud sanè æquum, incidentem eiusmodi rei gerendæ occasionem dimittere, verùm quia ne volentes quidem Barbari permittunt quiescere, sed est necesse vt sedentes ac otiosi, servorum fortunam subeamus, vtendum occasionibus, ac alacri audendum animo, vt vel patriam ac gentiles nostros libertate donemus; ac vel certè strenuum quid ac præclarum designantes, virtutis monumentum posteris relinquamus. Quòd si putatis, fore, vt tradentes Callipolim tutò patriam habitemus, timeo ne brevi eam ipsam amittentes, ne solum quidem in quo habitemus deinceps inveniamus. Quis enim eos qui sua ipsi prodiderint, in suam ipse patriam permittat ascendere? Quis tam celeris consutores auctoresque, honestæ vlli actioni comparatos existimabit? Enimuerò quotquot nostrûm continget Barbarorum manûs effugere, obscuri ignotique in extraneis provinciis sumus vagaturi: sin autem agnoscamur, omnium nos diræ, & vituperia risusque prosequentur. Eosne videri par erat in conventum admitti? prorsus autem ducere spiritum? qui vrbe tantâ potientes; tam multis divitiis, tantâ potentiâ; qui maris ac terræ domini, solóque imperio omnia valentes conficere; illam omnem substantiam molli victu, ac dormientes, luxuriantesque consumpserunt; tandemque ipsam patriam prodentes, nunc ceu commune quoddam piaculum circumeunt? pestes quædam, morbique contagiis alios inficientes? Nos autem, ne quo contradicamus quidem habebimus. Iustæ enim vituperationes ac criminationes, libertatem omnem excusandi auferent; ferre autem sic exceptos, quâ non calamitate molestius? Quapropter necessum vt vrbes fugiamus; fugiamusque conventûs, atque nos in antris quibusdam abdentes, vitam agamus, celantes patriam ac mortem in votis habentes. Haudquaquam verò si mihi creditis. Enimverò, sin priùs hactenusque, modò saltem omni penitus Barbaris negatâ fide, certóque persuasi, eò sua omnia consilia dirigere, vt nos redigentes in servitutem, ipsi res auferant nostras, mancipiorumque obsequiis ac necessitatibus subiiciant corpora, nedum à præsentibus vos consiliis abstinete: quin & vrbi malevolos existimantes, eos qui nobis talia audent consulere, mittamus Callipolim præsidiarios, quique necessaria omnia ad vrbem tuendam provideant pariter ac agant, quò eius firma possessio vrbi maneat: nosque virili assumpto animo facilè contingat vindicare patriam. Dixi quod conducere arbitror: vos eligite quod è re communi futurum sit;

HIERONYMI A SANCTA FIDE, EX IVDÆO, CHRISTIANI; contra Iudæorum perfidiam & Talmuth; Tractatus sive Libri duo.

AD MANDATVM DOMINI PP. Benedicti XIII. facta relatione anno Domini 1412. mense Augusto, in Hispania.

DE HIERONYMO A SANCTA Fide, & eius libris per M. D. L. B.

VNSOR quidem inter huius Bibliotheca Patres videri possit, ac forsan minus bene audire ob Schisma Petri de Luna, cuius medicus fuit, tum & quod Bibliothecariorum nulli ne de nomine quidem cognitus, & non admodum necessaria opera, versatus in eo argumento in quo post Iuliani Pomerii Archiepiscopi Toletani, Rabbi Samuelis Israelita, & Gregentij Archiepiscopi Tephrensis, scripta & disputationes contra Iudaos, pene nihil desiderari posse videatur. At cum illi tamen patres antiquiores non nisi ex scriptura, contra Iudaos egerint: hic vero ex Talmudistarum Rabinorum (Iudaicorum scilicet sapientum (scriptis, non modo ridendos Iudaos nobis propinet; verumetiam vt sine sacerdote & altari, sic sine vlla religione agere conuincat: eoque facilè videatur, Paulo de S. Maria, Burgensi Archiepiscopo, Galatino, & posterioribus aliis in eo scribendi genere praluxisse: cessi demum non invitus, illis prioribus rationum momentis, & in hac Bibliotheca (ornatum pluribus locis & emendatum) locaui. Talmudici autem operis stultitias innumeras, hereses, & blasphemias contra Mosaicam & natura Legem, Dei maiestatem, Christum, Angelum Gabrielem, & testamente veteris Sanctos, cum Indice locupletissimo complexus sit Sixtus Senensis, Bibliotheca sancta libro 2. hic vero auctor fidelis doctus, & pius, ex Talmudicis Iudaorum Rabinis fideliter collegisset multa tam infanda & turpia vt nihil supra li. 2. ca 1. de primi parentis bestialitate, & turpitudinis portentique plenâ staturâ & aliis rebus: Ea non modo vt superflua, consulto, verumetiam conscientiâ vrgente coactus expunxi, ne Christianas mentes & aures offenderent. Idipsum quoque Iudai, sensatiores egisse in suis impressis codicibus cernuntur: quamquam tamen etiam hodie multa id genus in eis supersint, iusto in eos Dei iudicio qui cum Christum (ipsam veritatem) abnegauerint, ad horrenda illa dogmata, etiam Mahumetanorum iudicio damnandi non exhorreant. Quam etiam ob causam, & vt facilius apud te (ô Lector) inuenires fidem quod in calce descriptum est elogium: supra 5000. Iudaorum ex huius

libri recitatione venisse ad Christum; plura illius generis, scilicet bestialissima & horribilissima dogmata (quæ, ut audiat, nullum Christianum pati posse, ipsorum Author non negat) toto posteriore tractatu, non ingulavi.

HIERONYMI A SANCTA FIDE,

TRACTATVS PRIMVS, ad convincendum perfidiam Iudæorum.

Benedictus 11. (sedit) Avenione in schismate contra Bonifacium 9. P. M. ann. plus minus 30.

HÆ sunt rationes, quæ coram sanctissimo in Christo patre & Domino nostro, domino Petro de Luna, in sua obedientia, Benedictus, *divina providentia Papa XIII. appellato, præsentibus dominis Cardinalibus suis, præclaris in sacra magistris, Doctoribus, aliisque multis notabilibus personis, in mense Augusto, Anno Domini M. CCCCXII. Pontificatus sui anno XVIII. per spectabilem virum Magistrum Hieronymum de sancta Fide, ipsius domini Papæ medicum, contra Iudæos, de quorum genere fuit, Messiæ Iesu Christi adventum negantes, proposita & probata fuerunt. Qui quidem, illis probare intendit, & per dicta sanctorum Prophetarum, & per Doctorum seu Rabbinorum authenticorum, authoritates, qualiter Messiæ adventus, per dicta Prophetarum pronosticatus & annunciatus, debebat esse in eodem tempore, & cum illis conditionibus, actibus & titulis, quibus Domini nostri Iesu Christi adventus proculdubio extitit conditionatus. Et quia nec per sacram scripturam, nec alias, quoquo modo reperiri potest aliquem fuisse in mundo, habentem omnium illorum titulorum conditionem, ornatum, & decorem, nisi Christum: necessario adversus illos in præmissa præsentia Apostolica fuit conclusum, eundem Dominum nostrum Iesum Christum fore Messiam ac verum humani generis Salvatorem, in Lege Dei, & per omnes Prophetas promissum & annunciatum. Et quamvis in erronea doctrina per dictos Rabbinos ordinatâ, & per Iudæos ad præsens observatâ, quæ Talmuth appellatur; quamplurimæ vanitates, hæreses, & abominationes sint insertæ, non solum adversus Legem Evangelicam, verumetiam adversus naturæ & Scripturæ legem, divinam bonitatem, essentiam & omnipotentiam, propter quæ, prædictum Talmuth & observatores illius nimirum veniunt acriter puniendi: Tamen cum toto hoc, intentio domini nostri Papæ, pro nunc non est, nisi solum iubere, quod per proprias suorum Doctorum authoritates, eis probetur dictam conclusionem fore veram: scilicet, Dominum nostrum Iesum Christum esse fuisseque verum Messiam, & in Lege prophetatum, quem ipsi præstolantur: Quæ quidem rationes, in sequentibus duodecim articulis summatim & demonstrative continentur.*

Capitulum Primum Tractat & ostendit, quæ sint illa in quibus Iudæi cum nobis Christianis conveniunt & sunt concordes, in quibusque discordes; & qualiter omnis ista discordia dependet ab illa opinione vel dubio, Utrum Messias venit, sive non.

Secundum Cap. probat, quod tempus adventus Messiæ assignatum erat in fine templi secundi & paulo ante illius destructionem.

Tertium Cap. probat, quod ipse Messias in civitate, Bethlehem nuncupata, de terra Iuda nasciturus erat.

Quartum Cap. quod dictus Messias & Salvator de quadam Virgine nasciturus erat.

Quintum Cap. quod dictus Messias debebat esse filius Dei, & non alterius patris carnalis, eo quod est eadem essentia divina cum Patre Deus unus: & quod debebat esse verus Deus secundum divinitatem, & verus homo secundum humanitatem.

Sextum Cap. probat quomodo fuit ab Abrahæ tempore prophetatum, quod Reges Orientis de gente Saba, ad regem Messiam adorandum venturi erant, aurum, thus, & myrrham oblaturi pro muneribus.

Septimum Cap. probat quod ante adventum Messiæ, omnes animæ generis humani descendebant in infernum, propter peccatum primi parentis: & quomodo propter dicti Messiæ passionem & mortem, animæ iustorum, quæ ante ipsum fuerunt, redemptæ fuerunt ab inferno, & in æterno & spirituali gloria collocatæ fuerunt. & quod dicta passio & mors Messiæ, causa est quod animæ omnium illorum qui crediderunt in eum, ab inferni damnatione serventur.

Octavum Cap. probat, quod Messias post tres dies passionis eius habet resuscitare, & postea ascendere in cælum, atque sedere ad dexteram Dei Patris.

Nonum Cap. quod Messias legem atque doctrinam novam daturus erat, & habebat annullare omnia sacrificia quæ antiquitus fiebant in Templo, excepto sacrificio panis & vini; & licentiare & absolvere ea, quæ ceremonialiter in lege Mosaica prohibita erant, utpote comestibilia, & huiusmodi.

Decimum Cap. probat quod post Messiæ adventum, idololatria erat omnino cassanda de mundo, ita quod Deus per omnes gentes erat cognoscendus, & quod gentes erant ab eo principaliter salvandæ, ex quibus erat novum populum creaturus, & sacerdotes etiam ad sanctum Dei servitium ducturus, & post eius adventum, erat per baptismum aquæ & spiritus salvatio fienda.

Vndecimum Cap. probat quod conversatio Messiæ, in humilitate & paupertate nobiscum futura erat. Itaque super asinum, ad templum in habitu pauperis venturus erat, & plurima vulnera & passiones passurus.

Duodecimum Cap. quod eius adventus habebat prius per Ioannis prædicationem in deserto nunciari; & quia Iudæorum captivitas fuerit propter ingratitudinem, quam Iudæi erga eundem Messiam habuerunt, quemadmodum gratis nuncupatur, & quod ab inde ultra Deus clausit cælum, ne aliquam orationem exaudiat Iudæorum, portas tamen conversionis vere pœnitentibus, & baptisari volentibus reserabit, & apertæ sunt.

Nunc autem cuiuslibet articuli intentionem cum Dei adiutorio conabimus declarare.

CAPITVLVM I.

In Quibus Iudæi cum Christianitate conveniunt, & in quibus discordant, & quod omnis controversia consistit; utrum Messias quem præstolantur, venerit, an non.

MAnifestum est per Philosophum, prout recitat Galenus in undecimo *de ingenio*, & in primo, *de morbo accidente*, quod est necessarium unicuique super quocumque actu habenti disputare, ut quodvis principium proponatur ab ambabus partibus concessum, super quod eorum fundetur disputatio. Verbi gratia si duo medici disputabunt: *Utrum in corpore hominis febrem tertianam patientis, phlebotomiam fieri sit necesse:* necessarium est, ut omnes sint concordes in hoc; Quod est quidam languor qui dicitur febris tertiana, qui quidem

ex colera est in corpore humano concretus, quandoque intus invenis, quādoq; foris; & quod humor ille ita peccans, è corpore sit evacuandus necessario. Hoc itaque ab omnibus concesso, venit quæstio: *Vtrum in languore huiusmodi, phlebotomiam fieri oporteat necne*: & vterque tunc eorum, pro suæ opinionis defensione, suas rationes poterit allegare. Ac simili modo fit in quæstionibus, & oppositionibus diversis quæ sūt inter Hebraicas observationes, & doctrinas datas per Messiam in novo testamento: principia etiam per omnes concessa, & ea in quibus omnes concordamus, de quibusque fidem facimus ad fundamentum, principaliter tria sunt.

Primum est, dare authoritatem & plenam fidem omnibus Prophetiis, tam quinque librorum Mosis, quam cæterorum omnium Prophetarum, in tantum, quod quilibet, Christianus sive Iudæus existat, qui aliquid huiusmodi negare præsumpsit, proculdubio hæreticus censeatur. Secundum est, quod credat quod Deus habebat mittere Messiam, ad salvandum. Hic est vnus, de tredecim articulis quos Iudæus credere tenetur, pro vt magister Moyses de Ægypto, & alij multi Iudæorum Doctores enarrant: Inter Christicolas vero non est dubitare, vel non est dubitatum, tota enim Catholica fides, super isto fundatur.

Tertium est, quod idem Messias, de stirpe & linea David esse debebat; & in hoc non est stare necesse, est enim manifestum, & ab vtraque parte concessum. Sed ostensis in quibus concordamus, & in quibus dissentes sumus, videamus propter quæ sequitur tanta discordia & evitata separatio inter nos & illos. Si particulariter hanc discordiam consideremus, in multis illam & diversis causis numeremus, tum in sensibus præceptorum veteris testamenti atque in verbis Prophetarum, tum in ceremoniis per Iudæos observatis, tum in rebus in novo testamento & in Evangeliis sacris, tactis, ac omnibus actibus quos ponit sancta catholica fides in Domino & Salvatore nostro IESV CHRISTO potest reperiri. Attamen in genere illa sumere volentes, videtur prima facie verisimile, quod omnia ad duo puncta principalia possunt reduci. Primum; quod Mosaicam legem Iudæus materialiter observat, & secundum expositiones per magistros Talmudistas, ordinatas. Christianus non eandem legem materialiter observat: sed eam intelligit secundum doctrinam per verum Messiam IESVM-CHRISTVM in Evangelio sibi datam, & eius Apostolos prædicatam. Secundum punctum est, quod Messias iste filius sit David per vtramque partem expectatus. Dicit Iudæus quod nondum venit: Christianus vero, eundem iam venisse testatur, qui quidem fuit ille Iesus Nazarenus, qui in Bethlehem civitate tempore regis Herodis & templi secundi natus est. Ista duo puncta, generales quæstiones, vniversas discordias, particulares controversias, quæ sunt inter Christianum & Iudæum videntur continere. Sed tamen, si bene etiam consideramus, vltimam definitionem resignare volentes, reperiemus quod ambo duo puncta revertuntur in vnum. Quæstio namque observationis Moysaicæ legis, vtrum secundum Iudæum debeat materialiter observari, aut spiritualiter secundum Christianum, ab illa eadem quæstione dependet, vtrum Messias venerit an non. Si Messias nondum venit, pro vt Iudæus opinatur: recte ac licite Iudæus Mosaicam legem materialiter observat, pro vt à suis antiquis prædecessoribus & magistris fuerat observata: quia secundum eius opinionem, aliquis nondum venit qui secreta eiusdem intellectus & observationis eidem Iudæo spiritualiter aperiret. Sed quia Messias (pro vt Christianus credit & affirmat, ac veritas est) iam venit: lex eadem, iuxta eandem doctrinam, tanquam ab ipso data spiritualiter debet observari. Quædam namque Messiæ conditionum, conditio est: quod legis præcepta declaraturus erat, qualiter intelligi & observari debebant. Et de hoc est quædam authoritas posita per magistros Talmuth, in prologo libri qui dicitur *Lamentatio magna*, vbi sic habetur: *Futurum est quod Deus sedebit, & caram illis intentionem Legis atque secreta prædicabit, & per manum Regis Messiæ reserabit.* Vnde sequitur & veritas est: quod quæstio nostra & controversia cum Iudæis, est quærere & investigare diligenter, vtrum ille verus Messias fuerit an non. Cum ergo sit istud principale punctum, in & super quod cunctæ variationes & diversitates quæ sunt inter nos & Iudæos circumferuntur: convenit, principaliter de illo disputare, & idem fundamentum examinare: tanquam illud quod est tempore primum, & vniversorum dictorum sequentium fundamentum, imo omnium & quarumcumque quæstionum, quæ inter Christianum & Iudæum possunt reperiri. Quoniam quidem loquendo in eo quod est principalius disputationis nostræ: dico quod nostra fides catholica tenet, de homine illo qui natus fuit Bethlehem in civitate Iuda, tempore Regis Herodis: & XXXIII. annis post eius nativitatem, & XL. annis ante finem Templi secundi fuit crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad Inferos, tertia die resurrexit à mortuis, & ascendit ad cœlum: fore atque fuisse verum Messiam, in lege atque per Prophetas à Deo promissum. Et vt dicta conclusio plene & perfecte probata sit, eandem regulam in illo servari oportebit, quam bonus chirurgus in curatione vulneris servare consuevit: Quandoquidem vt ipse sanetur infirmus, necesse habet idem chirurgus aperire & instrumento indagare: imo si possibile sit omnes angulos inspicere vulneris vt corruptio & omnis putredo tollatur: Quo facto, tollet medicinas consolidationis vulneri, & super imponet id quo membrum taliter vulneratum ad pristinam valeat reduci sanitatem. Et hæc est intentio Oseæ Prophetæ vbi ait: *Cum sanare vellem Israel, revelata est iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ.* Idcirco, vt sequatur hæc regula & verificatio dictæ conclusionis: oportet omnes argumentationes recitare quas Iudæus contra dictam poterit facere conclusionem; & causas quæ ipsum in errorem hunc impellunt, reserare. Iudæus namque contra dictam conclusionem poterit arguere, dicens: nunquid ignoras tu, Christiane quod Messias habuit solvere populum Israel? Illis namque salvatio proxima est sicut scribitur per multos Prophetas, sed homo iste de quo agitur, fecit contrarium, quia statim post eius adventum venerunt Romani, & regnum eorum destruxerunt, civitatem & templum, ac magnam partem populi gladio interemerunt, residuum vero in hodiernam captivitatem posuerunt: ergo ille non erat verus Messias in lege promissus. Item arguet sic: Vna de conditionibus quam in diversis sacræ scripturæ locis Prophetæ sancti sæpissime prophetarunt, fuit; quod Messias debebat Israeliticum populum congregare & recceptare gentes in Israel, velut Dominum: vnde secundum hoc erat expediens quod tempore sui adventus, Iudæi positi essent in captivitate de qua ipse Messias trahere debebat eosdem & reducere in Ierusalem, Sed iste quem dicis fuisse Messiam, fecit contrarium: quia quando venit, Iudæi erant in Iudæa & Ierusalem, in bona tranquillitate, cum Herode eorum Rege: Et paulo post eius adventum, fuerunt ab eorum inimicis expugnati victi & destructi, à patria expulsi, & per diversas mundi partes dispersi ac positi in captivitate: ergo non erat ille Messias. Item arguet tertio: Messias debuit ædificare templum, vt habetur Zachariæ 6. cap. dum loqueretur de Messia. *Ecce* (inquit) *vir: Oriens, nomen eius: & super eum orietur & ædificabit templum Domino.* Et ideo secundum hoc, in tempore sui adventus, templum debebat esse destructum, sicut est hodie vt ipse veniens reædificaret illud: Sed vice versa, quando iste venit quem tu asseris Messiam, templum in tranquillo statu florebat, & mox & post XL. annos ab eius passione combustum est & omnino destructum: ergo non erat ille Messias. Quarto arguet: ille quem tu dicis esse Messiam operam dedit vt Legem novam perhiberet, per quam

quidem

E ho rabba.

Quatuor rationes Iudæorum contra fidē Christianam.

quidē plurima mutavit Moysaicæ legis, quæ lex & eius mandata vsque in sempiternum servari debuerunt, attestante Malachia cap. vltimo suæ prophetiæ, in fine. *Memento* (inquit) *Legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Oreb ad omnem Israel, praecepta & Iudaica.* Ex quibus verbis, apparet quod illa Lex minime debuit immutari, sed ille quem tu opinaris fuisse Messiam, mutavit illam, ergo non erat ille Messias. Istæ sunt argumentationes quas Iudæus contra Christianum facere poterit, adversus dictam conclusionem. Omnes tamen istas argumentationes liquide possumus & realiter solvere per verba textus, & authoritates, quas cum Dei gratia consequenter proponam. Dico tamen vobis in genere, quo ad præsens: quod causa vnde Iudæo errores isti & alij multi proveniunt, est, quia Iudæi sacræ Scripturæ vocabula materialiter acceperunt: de spirituali autem significatione nil penitus attenderes. Quam si ad plenum per libros de Talmuth & Magistrorum suorum authoritates vestigarent: ad literam liquide reperirent, quod hæc vocabula, scilicet *Sion, Israel, Ierusalem, mons Dei, Templum Domini, civitas Ierusalem*, & alia huiusmodi: quamvis secundum literalem sensum res materiales atque terrenas aliquando significare videantur, secundum tamen moralem sensum, spiritualem habent aliam significationem: quæ vtique sublimius, atque melle & favo dulcius ab homine interiore degustantur. Quarum moralium significationum, Rabbi Moyses de Ægypto, in primo libro suo cui nomen, *Maddabach*, maximam partem in lectionibus de pœnitentia, cap. 8. describit, vbi sic ait: *Pramium quo nullum sublimius est, & bonum post quod nullum aliud bonum est, quod quidem omnes Propheta desideraverunt, multis nominibus illud sacra Scriptura vocat, scilicet mons Dei, tabernaculum Dei, voluntas Dei, templum Dei, domus Dei, porta Dei, &c. Doctores autem, prandium vocant illud, necnon & mundum futurum*: Hæc ille. Item habentur in Talmuth in locis diversis: *Ierusalem inferior est in pari, vel in fronte, Ierusalem superne.* Et Rabbi Salomon, in glossa, in libro de Sanhedria, capitulo quod incipit: *Omnis Israel*, dicit quod illa Ierusalem quam spiritu prophetico ædificavit Ezechiel Propheta in fine suæ prophetiæ, intelligitur de cœlesti Ierusalem. Item habetur in Genesi Rabba (id est, Genesi magna) in quadam authoritate quæ expressabitur vltra, in 8. cap. quod dicit Rabbi Osna, quod istud nomen *Syon*, quod nominatur *Tysaia*, significat paradisum, vbi ait: *Et redempti à Domino, convertentur, & venient in Sion cum laude, & latitia sempiterna super caput eorum.* De isto vocabulo manifestum est quod significat gloriam æternam, per illam authoritatem quæ est in Senhedria, in principio vltimi capituli, vbi sic habetur: *Omnis Israel habet partem in gloria aterna: quod probatur nobis ex Isaia Propheta cap. 40. sic dicentis: Populus autem tuus, omnes iusti in perpetuum hareditabunt terram.* Item, quod istud nomen, *Israel*, dicatur moraliter, propter Gentiles ad fidem Dei venientes, patet per quandam authoritatem quæ est in quodam libro vocato, *Mechelta*, & in libro vocato, *Abboth*, de Rabbi Nathan, super illud Isaiæ 44. *iste dicit Domino, ego sum, & ille vocabit in nomine Iacob, & hic scribet in manu sua Domino, & in nomine Israël assimilabitur.* Et Rabbi Salomon, in glossa: *Iste dicit, Domine ego sum*: hoc dicitur de summe iustis; *& ille invocabit in nomine Iacob*: hoc dicitur de parvulis filiis peccatorum: *& hic scribet in manu sua Domino*, hoc dicitur de peccatoribus qui pœnitentiam egerunt, *& in nomine Israel assimilabitur*, hoc dicitur de Gentibus quæ venerunt ad fidem, & Dei cognitionem habuerunt. Est ergo manifestum per istam authoritatem, quod omnes qui receperunt vel receperint sanctam fidem catholicam, habent nomen Israël. Demum itaque minime dubito quod cum Iudæus, textus Prophetarum iuxta spiritualem significationem considerare voluerit vocabulorum præmissorum, statim argumentorum suorum videbit solutionem, ita quod non impugnabit argumenta illa, nec aliquid impedient in re supra dictæ conclusionis. Ad probationem formaliter dictæ conclusionis, vnam talem faciam rationem sive syllogismum: Homo ille in quo vniversi Prophetarum actus & conditiones tangentes Messiam, concordant: ille verus est Messias: sed in Domino Salvatore nostro Iesu Christo, omnes sine falso concordant & concurrunt; ergo Dominus Iesus Christus & Salvator noster, verus est Messias. Maior est manifesta & concessa per omnes: Minorem vero, probo seu probabo. Sed ante omnia videre oportet, quot & quas conditiones in Domino Iesu Christo reperimus: quibus per sacram Scripturam bene consideratis, ego reperio viginti quatuor conditiones: videlicet,

Causa errorum Iudaei.

Primam, in tempore assignato, quando Messias venire debebat.

II. *In civitate Bethlehem, ipsum fuisse natum.*

III. *De puella Virgine fuisse natum.*

IV. *Filium Dei, & nullius hominis carnalis.*

V. *Verum Deum secundum divinitatem, & verum hominem secundum humanitatem.*

VI. *Quod Reges Orientis de stirpe Sabba, ad eum venerunt cum muneribus ad adorandum, & eius adventum civibus Ierosolymitanis annunciaverunt.*

VII. *Quod eius adventus fuit annunciatus per certum Praconem in deserto.*

VIII. *Quod omnes humani generis anima ab Adam usque ad ipsum, propter ipsius primi parentis peccatum descendebant in infernum.*

IX. *Quod principalis adventus eius intentio fuit vt animas in vitam aternam & spiritualem salvaret, non tantum corpora in vitam temporalem.*

X. *Quod receperit mortem & passionem, vt animas iustorum qui ante ipsum fuerunt, salvaret, & omnium illorum qui post eum crederent, illum videlicet, ut filium Dei, Iesum Christum.*

XI. *Quod post mortem die tertia resurrexit, ascendit in cælum, & sedet à dextris Dei.*

XII. *Quod mox post eius adventum, fuit destructio Templi & captivitas Iudaeorum.*

XIII. *Quod Iudaeorum captivitas propter incognitionem quam contra ipsum habuerunt, facta est, qua dicitur, odium gratis.*

XIV. *Quod dedit Legem, & novam doctrinam.*

XV. *Quod post eius adventum, sacrificia (excepto panis & vini) sunt omnia annihilata.*

XVI. *Quod post eius adventum, omnia qua in Lege prohibita erant (vt cibaria, cateraque huiusmodi ceremonialia) gratiose sunt in usum hominum licentiata.*

XVII. *Quod post eius adventum, idololatria de mundo sublata est, & omnes gentes credunt in Deum.*

XVIII. *Quod salvatio eius, pro maiori parte gentibus facta est, ex quibus, una cum Israel, creavit populum novum.*

XIX. *Quod ex gentibus illis qua venerunt ad fidem, sacerdotes Ecclesia pro cultu fidei consecravit.*

XX. *Quod multa fecit miracula & mirabilia.*

XXI. *Quod eius conversatio fuit humilis & pacifica, in maxima paupertate.*

XXII. *Quod salvatio gentium, post eius adventum fit per baptismum aqua & Spiritus sancti.*

XXIII. *Quod post mortem eius, Deus ne orationes Iudaeorum audiret clausit cælum, neque mirum, quia ei sunt odiosi.*

XXIV. *Quod quamvis porta cœli clausa fiet ne Iudaeorum orationes ingrediantur, porta tamen conversionis, omnibus sunt aperta.*

Conditiones istæ viginti quatuor, in adventu huius hominis reperiuntur, qui quidem Iesus Christus vocatus est; quod si hasinet conditiones haberi omnes in Messia debuisse, constat: quas quidem, neminem reperimus habuisse præter eum: sequitur, me recte conclusisse, dictum Dominum Iesum Christum fuisse verum Messiam in Lege promissum. Probatio huiusmodi, per dicta Prophetarum fieri deberet: veruntamen eo quod eorum vaticinia in quam plurimis locis brevissima sunt & obscura: ita quod quamvis veri sensus eisdem darentur & expositiones, expers tamen veritatis Iudæus, easdem veras nostras (pro vt frequenter facere consuevit) declarationes negaret, & eisdem Prophetis, secundum perversam eius astutiam, alias falsas fingeret glossas & interpretationes: Idcirco divina gratia mediante, verificare intendo prædictas 24. conditiones in vero Messia in Lege promisso haberi debuisse: per authoritates & glossas, per Magistros Iudæorum atque magistros Talmudistas nihilominus factas: quorum vtique verba, nemo Iudæorum ausus esset quoquo modo negare. Item per Caldaicas translationes, quas quidem Onkelos, & Ionathas filius Oziels fecerunt, qui fuerunt tempore destructionis templi secundi, quos ipsi Iudæi authenticos habent in maxima reputatione. Item per modernos glossatores eorum: vt sunt magister Moses de Ægypto, Rabbi Abraham, Aben Ezra, Rabbi Salomon Gallicus, Magister de Zuonda: quorum ordinationibus & dictis, in Legis observatione omnes Iudæi hodie se gruntur. De authoritatibus novi testamenti, & sanctorum Ecclesiæ Doctorum productâ probatione Iudæis faciendâ, nullo modo, ad præsens, me iuvare intendo. Scio namque quod illi probationem huiusmodi non admitterent, quia ipsam omnino suspectam haberent; sed intendo dumtaxat ab eisdem Iudæorum Doctoribus deducere testimonia & probationes: quibus quidem intentio mea plene probata erit vt in sequentibus capitulis continetur.

CAPVT II.

Quod tempus Adventus Messiæ signatum erat, in fine temporis ... Ierusalem, paulo ante templi Dei destructionem.

Hoc patet per Malachiam: *Ecce ego mittam Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis, ecce venit, dicit Dominus exercituum.* In hac Prophetia, sunt tria vocabula, quæ huius adventus appropinquationem significant. Primum: *Ecce*: per quod vocabulum, ea quæ nobis sunt propinqua demonstrantur, imo præsentia. Secundum, *Statim*: quod significat temporis brevitatem. Tertium, *Ecce venit*: quod adventus corroborat velocitatem. Et ob hoc quod dicit, *ad templum suum*, ostendit quod in tempore adventus eius, templum habebat esse in sua constructione tranquillâ: quod est contra Iudæos qui dicunt quod templum habebat desolari, & populus eius in captivitate vastari, antequam Messias veniret. Item Isaias: *Hæc dicit Dominus; Custodite iudicium & facite iustitiam, quia iuxta est salus mea, vt veniat: & iustitia mea, vt reveletur.* Et habetur super hoc in Bretit Rabi Moyse prædicatorio, quod hoc dicitur de Rege Messia, de quo quidem Daniel dicit: *adducatur iustitia sempiterna.* Item Zacharias: *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: ecce Rex tuus venit tibi, iustus & Salvator, & ipse pauper ascendet super asinum & pullum filium asinæ.* Ob hoc quod dicit, *Ecce*, adventus brevitatem significat. Cætera omnia in ista prophetia contenta, tanquam digito, verum Messiam Dominum nostrum Iesum Christum ostendunt. In tali namque habitu, ipse Dei filius Ierusalem civitatem ingressus est. Valde stupendum quoque est, quod omnes isti Prophetæ, concordes & pari voce vnanimiter velocitatem huius adventus vaticinati sunt, si tam prolixa temporum spatia ante dictum Messiæ adventum futura erant: quia nempe ab vltimo dictorum Prophetarum trium vsque in hodiernum diem, vltra mille septingenti anni dilapsi sunt. Quod si dicatur, quod cæteri Prophetæ de huius adventu sic loqui consueverunt contra; quia ecce Balaam in libro numerorum dicit, *Videbo eum, sed non modo, intuebor illum, sed non prope.* Quod quidem (secundum Iudæos) de David Rege Prophetabant: vsque ad eum, quadringenti anni seu plures lapsuri seu fluxuri erant: ea propter necessario ex præmissis prophetiis concluderetur sive concluditur, quod post modicum temporis à Prophetis eisdem, verus Messias de quo agitur venturus erat. Imo etiam si Iudæus concesserit veritatem esse, quod ex dictis prophetiis Messiæ adventus brevitas referetur; quomodo probare potero, adventum huiusmodi in fine templi secundi, ex eodem tempore quo Dominus noster Iesus Christus venit, fuisse? Respondeo, quod valde bene, Deo dante: per multas authenticas prophetias & rationes. Et primo per Esaiam. *Parvulus (inquit) natus est nobis, & factus est, principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis: Multiplicatur eius imperium, & pacis non erit finis.* Nemo dubitat quod ista Prophetia, de vero Messia loquatur. Esset namque impossibile credere, quod homo carnalis cui divina non est coniuncta natura, tam excellentissimis titulis nuncuparetur: & potius quia habetur in Prologo lamentationis Magnæ Rabbi Ioz, Galieus, & cæt. *Nomen Messiæ pax est, scriptum est enim*, pater futuri sæculi, princeps pacis. Item habetur in Sanhedrin; capitulo, col. Israel, dicit: *Rabbi tauhu, quæ est ratio quare quælibet Mem quæ est in medio vocabuli, sit aperta: & ista mem. de, multiplicabitur eius imperium, est clausa. Respondet: quia Deus voluit facere ut Ezechias esset Messias: & venit virtus iudicialis, atque dixit coram Deo: Domine mundi, David, qui coram te tot carmina cecinit atque laudes, non fecisti Messiam, & Ezechiam cui tot miracula fecisti, nec carmen vnum tibi cecinit, faciet ideo quia Deus clausit Mem: eadem hora exivit quædam vox, dicens; Secretum meum mihi: secretum meum mihi.* Et Rabbi Salomon dicit, quod hoc secretum adventus Messiæ, Deus dicebat; meum est: & quod Propheta respondit, *Væ mihi*: id est, affectans quando veniat Messias ille. Dico ergo, quod ab hac authoritate possumus concludere tria. Primo quod Messias est Deus, quia dicti tituli nequeunt præter quam in Deo iustificari. Secundo, quia Messias est de beata Maria virgine natus, ipsâ in sua virginitate manente. Illa enim litera Mem, nomen suum ostendit: & sive in Arabico, quia dicit miria: sive in Latino Maria: vtrumque nomen incipit in Mem. Veruntamen secundum veteram orthographiam h, *lemarba, & multiplicabitur*, debuit scribi cum *Mem* aperta: sed ideo hic singulariter posita est Mem clausa, in medio dictionis; vt huius, virginis Mariæ, virginitatis esset prænunciativa. Tertio, & magis facit ad propositum tibi; quod dicta Mem clausa, sui adventus tempus punctualiter ostendit. Hoc est, quod ista prophetia in quarto anno Regis Achaz dicta fuit; & ab eodem anno vsque ad annum templi destructionis, quæ anno vndecimo regis Sedeciæ facta est, centum & quinquaginta anni lapsi sunt. Item, duravit Babylonica captivitas septuaginta annis; & templum quod ædificavit Neemias, annis quadringentis & quinquaginta. Summa annorum sexcentorum & septuaginta. Ablatis vero inde triginta annis, vel circiter quibus vixit Christus, deinde quadraginta annis, quibus passio Christi ante destructionem Templi facta est, restant anni sexcenti: Qui fuit numerus annorum, ab hora qua dicta Prophetia prolata est, vsque ad passionem Christi: &

tantum

tantum designat Mem clausa in computum literarum per ordinem Alphabeti. Sequitur ergo, quod in clausura huius Mem, tempus redemptionis & adventus Messiæ nobis fuit prognosticatum. Item probant hoc per quandam authoritatem, in glossa Psalterij contentam, vbi sic habetur: *Dixit Ioanna; per tres annos cum dimidio stetit gloria Dei in monte Oliveti, præconisando dicens*: Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum propè est. Item habetur in Genesi magna, de Rabbi Moyse prædicatore, supra illud Canticorum primo; *Exultabimus & lætabimur in te: Quando erit hoc? Quando pedes Dei steterint in monte Oliveti: tunc & nos erimus gavisuri.* Dico, quod quia palam patet, fore istos tres annos cum dimidio illa media hebdomada: quando dixit Daniel propter Messiam; *Confirmabit autem pactum multis.* Ita etiam reperimus factum fuisse: Salvator enim noster cum esset ætatis triginta annorum, fuit baptizatus; & deinde vsque ad tempus passionis quod fuit trium annorum cum dimidio vel quasi: per Galilæam prædicavit & per montem Oliveti, convocans homines ad pœnitentiam, propter quod prædixerat Isaias illa verba quæ Rabbi Ioanna induxit; scilicet, *quærite Dominum, &c.*

Item potest liquide probari, quod Messiæ adventus in eodem tempore debuit esse, per quandam authoritatem quæ est in Sanhedrin, capitulo *Col Israel*: & in Abodozara, capitulo primo legitur in studio Eliæ: *sex millia annorum mundus est, duo millia vanitatis, duo millia legis, duo millia dierum Messiæ.* Item dicit Elias Rabbi Iudæ. *Mundus non est minus 85. Iubilæorum: In vltimo Iubilæo veniet filius David.* Et glossat Rabbi Salomon, quod hujus summa est, quatuor millia ducenti quinquaginta anni, quia quilibet Iubilæus est quinquaginta annorum, In vltimo quorum, veniet filius David. Notorium est, quod passio Christi fuit circa tempus illud quo erant quatuor millia anni elapsi à mundi creatione. Et quamvis punctaliter non veniret Messias in fine illorum quatuor millium annorum à mundi creatione præteritorum, non est mirum; quia in minori numero, major varietas invenitur in Lege. Deus etiam prædixit Abrahæ, quod semen eius habebat cogi in Ægypto in captivitate, quadringentis annis, & in Exodo, habitatio filiorum Israël qui manserant in Ægypto: fuit quadringentorum & triginta annorum, & quando bene respiciemus computum, reperiemus quod à tempore quo Patriarcha Iacob cum filiis suis descendit in Ægyptum, vsque ad diem qua fuerunt per manum Moysi filij eorum liberati, annorum numerus vltra ducentorum & decem non ascendit. Et, si amplius investigaverimus, reperiemus quod populus Israël in Ægypto erat tanquam liber ad libitum suum vsque post mortem Ioseph: quemadmodum tunc cœperunt cogi, & in servitutem subnei Ægyptiorum: Et ab hoc tempore subiectionis, vsque ad tempus redemptionis, non sunt vltra centum anni. Nihil mirum ergo, si ille Doctor auctoritatis, sex millia annorum in tres partes divisisset æquales: ex quo iuxta cuiuslibet partis finem, paulo ante sive paulo post, facta per eundem narrata contingebant? Quod si aliquis dicat, quod secundum authoritatem præmissam, tantus redemptionis adventus in fine illorum quatuor millium annorum esse debuisset; qui quidem per centum septuaginta annos post templi ruinam terminati fuerunt: & secundum hoc, saluatio ducentis annis ante tempus per Doctorem assignatum anticipata? Respondeo; Quomodo est mirum? Isaias namque de Christi resurrectione vaticinando, ait: *Ego Dominus, in tempore suo, subito faciam illud* Et qui habent oculos ad videndum intelligere possunt rationabilius fuisse, quod Dei gratia, Messiæ adventus ducentis annis assignatum sibi tempus præveniret, quam quod mille ducentis annis assignatum prorogatum esset. Item ad maiorem huius conclusionis probationem, reperimus in Talmuth Ierosolymitano, in libro de *Berachoth*, in cap. de *Iashere*, & transsumptive in Lamentatione magna, vbi sic habetur: *Erat quidam Iudæus in agricultura laboranda, cuius bos quidem mugit: Bos mugiens, adventum Domini nunciat: Arabs autem quidam transiens, bovis mugitum audivit, dixitque Iudæo, Iudæe, solue boves tuos, & sperne vasa tua, quia diruitur sanctuarium vestrum: Et iterum bos mugit, & Arabs ait: Iudæe, liga boves tuos, & prepara vasa tua, quia natus est Messias vester: Et Iudæus, Quod est nomen eius? qui ait: consolator, Menachem: Et iterum Iudæus: quod est nomen patris eius? & Arabs; Ezechias, id est, fortitudo Dei: Et Iudæus, ubi natus est? Qui ait: in Bethlehem Iuda.* Dixit Rabbi Aboni: *& quid vobis ab Arabe discere expedit? Textus clarus est in Esaia, qui dixit*: & Libanus cum excelsis cadet: *Et subditur: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendit.* Ab hac certe authoritate, quatuor bene possumus elicere conclusiones. Prima est; quod Messiæ adventus fuit circa templi destructionem. Secunda, quod nomen Messiæ, est, *consolator*: & meritò, quia per ipsum fuit genus humanum à peccato primi parentis consolatum. Tertia, quod est filius Dei: quod notatur ab hoc quod dicit; *Quod nomen patris eius est Ezechias*: quod interpretatur, Deus fortis. Quarta, quod in Bethlehem Iudæ natus fuit. Item, habetur in Genesi magno, antiquissimo. *Dixit Rabbi Samuel Barnahaman: vnde probabis quod in die qua fuit destructio templi natus fuit Messias: Respondit, ab hoc quod habetur Esaia vltimo*: ante quam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum: *in eadem hora qua facta est templi destructio, exclamabat Israel tanquam parturiens.* Et Ionathas in Caldaica translatione, dixit: *Antequam veniret ei angustia, salua facta est, & antequam venirent ei dolores partus, Messias revelatus est.*

Item habetur in eodem libro: *Dixit Rabbi Samuel, Barnahaman: Accidit quod ibat Elias per viam in die qua destructio templi facta est, & audivit quandam vocem exclamantem, & dicentem: Templum sanctum diruitur: Quod cum audiret, imaginabatur qualiter posset destruere mundum: Profectus autem invenit homines arantes atque serentes: quibus ait: Deus iratus est cum mundo, & vult domum suam destruere, & filios suos ad Gentes captivare, vos autem pro victu laboratis temporali: Et alia vox audita est, dicens: Sine illos facere, quia natus est saluator Israelis: & Elias ait: Vbi est: & vox: in Bethlehem Iuda. Elias autem ivit illuc, & reperit quandam mulierem sedentem ad ostium domus eius, & filium suum in sanguine devolutum coram ipsa, in terra iacentem: Dixitque illi: filia, filium peperisti: At illa, ita, inquit: & ille: quid est illi, quia sic in sanguine revolutus in terra prostratus est: Et illa, magnum (inquit) malum est, quoniam in die sua nativitatis, templum Dei destructum est: Et ille, Filia, surge & suscipe illum, quia per manum suam magna salus erit: Eadem hora resurrexit mater eius & suscepit illum, Elias vero recessit. Post quinque autem annos, dixit: Vadã & visitabo salvatorem Israelis, vtrum regio more nutriatur, aut Angelorum Profectus est, reperitque mulierem ad ostium domus sua, cui ait: Filia, quid de puero illo: Rabbi, nonne dixi tibi quod cum dolore & labore nutriebatur, eo quod in die in qua natus est, templum Dei fuerat destructum: Imo deterius est: pedes habet, & non ambulat: oculos habet, & non videt: aures habet, & non audit, os ei, nec loquitur sed iacet velut quidam lapis: Adhuc loquente cum illa, ecce ventus à quatuor partibus mundi sufflavit, atque puerum proiecit in mare magnum: eadem hora, vestimenta sua scidit Elias, capillosque capitis sui privavit dicens: Væ, quia perdita est saluatio Israel, &c. Exivit autem quædam vox dicens: Elia non est sicut tu opinaris, sed quadringentis annis morabitur in mari magno, & octuaginta annis ubi ascendit fumus iuxta filios Chore, & octuaginta annis ad portam Romæ, & quod restat annorum, per civitates magnas vsque in finem.* Videtis ergo liquide, quomodo per omnes authoritates prædictas apparet, adventum Messiæ fuisse ante templi destructionem: Iudæus autem poterit

arguere;

Alii allegant hoc caput Hillec.

Gen. 15.

Exod. 12.

Esai. 60.

arguere, dicens, quod dictæ authoritates asserunt, quod Messiæ adventus & templi destructio eadem die fuerunt: & in rei veritate non ita est. A die namque passionis Christi, vsque ad destructionem templi, vltra quadraginta anni sunt elapsi. Ad quod quidem dupliciter possumus facere responsionem: videlicet quod istud nomen, *Dies*, potest assumi stricte vel late quia quandoque sumitur pro tempore duntaxat quo Sol apparet supra horizontem, quandoque vero pro omnibus horis 24 diei naturalis, vt habetur in principio creationis mundi: quandoque sumitur pro tempore ampliato, prout reperimus in Isaia, vbi fit mentio huius vocabuli, *Dies*, in pluribus locis: in quibus necesse habet sumi pro tempore maiori quam centum annorum.

Secunda responsio est, quod quamvis templum post Christi passionem duraverit 60. annis quoad parietes: est tamen verum quod domus templi cuius *velum fuit scissum à summo vsque ad deorsum* in hora passionis Christi, totam suam sanctitatem amisit. Nam quæcumque ibi fiebant miracula, cessarunt, & illa fuit maior destructio templi quam ruina murorum. Probatio huius habetur in libro de *Toma*, cap. *Septem dies*: legunt enim Magistri, quod decem miracula fiebant in domo sancta. Non abortivit mulier præ odore carnium sanctarum, nec fœtebant carnes sacrificiorum in tempore vllo: nec in domo vbi mactabantur victimæ, musca visa est: nec summo Pontifici in die expiationum contigit videre muscam: nec in pane propositionis macula inventa est: Et licet dum stabant forent angustiati sive oppressi: genibus flexis aut prostrati in terram ampliati erant: nemini serpens aut scorpio nocuit in Ierusalem: & nemo dixit proximo suo, cede, eedq; m hi quoniam angustias mecum ascenderunt in Ierusalem, nunquam pluviæ ignem altaris extinxerunt: neque ventus fumi columnam, ne ascenderent impedivit. Et dixit Rabbi Samana: *Imo etiam; quia vasorum fragmenta, in loco templi vbi frangebantur ibi deglutiebantur.* Et dixit Abbage. *Immo etiam viscera, quodlibet in loco suo:* quæ quidem omnia, annis 40. ante templi destructionem cessarunt, sicut scriptum est, *Signa nostra non vidimus, iam non est propheta, nec apud nos est sciens, vsquequo, &c.* Item habetur in dicto libro, de *Toma*: *legunt Magistri, quadraginta annis quibus Simeon ministravit* (scilicet Simeon iustus) *Sors Dei in manu dextra veniebat, deinde & vltra quandoque in dextra quandoque in sinistra*: Item coppus lanæ rubræ vertebatur albus, deinde quandoque sic, quandoq; non: Item lucerna occidentalis erat semper incensa: deinde quandoq; incensa, quandoq; extincta. Item ignis altaris per semetipsum semper accendebatur nec erat sacerdotibus necessarium semper vt ligna ibi apponerentur, nisi duo manipuli duntaxat, vt affirmarent mandatum ligna ponendi, quod habebant: deinde quandoque accendebantur quandoque non: itaque Sacerdotes tota die ponere ligna non cessabant. Item habetur in Talmuth Ierosolymitano, in lib. de *Toma*, cap. duo Hœdi: legunt Magistri, *quadraginta annis ante destructionem templi, candela occidentalis extincta est, & coppus lana semper rubens existebat sorsque Dei in manu sinistra veniebat: & porta templi claudebantur in sero, & in mane reperiebantur apertæ.* Dicitque ita Raban Ioanna, filius Zachariæ *Templum templum, quare terres nos? iam novimus quod finis tuus erit in destructionem: de te namque prophetavit Zacharias, aperi Libane portas tuas, & comedet ignis cedros tuas.* Ex quibus omnibus liquide colligitur quod à tempore passionis Christi, quæ fuit 40. annis ante templi destructionem, omnia prædicta miracula cessarunt: sed & eadem hora evanuit sceptrum Iuda, secundum quod iam focrat per Iac. vaticinatum. Sic etiam habetur in lib. de *Sanhedrim*, in capitulo *Ain Bodquin*, & in Adohazara, c. 1. *legunt Magistri, quod 40. annis ante destructionem templi, fuerunt remoti Sanhedrim: id est 70. Iudices, de consistorio Guazit, & fuerunt positi in Hanoth.* Rabbi Salomon glossat, quod *Hanoth* erat quædam domus in Ierusalem sic vocata. Dixit Rabbi Abdimi: Et deinde nunquam amplius iudicium criminale iudicarunt, eo quod criminale Iudicium nisi in consistorio de Guazit non licebat iudicare. Et dicit Rabbi Moses prædicator, in glossa, *non auferetur sceptrum in Iuda*, &c. Istud est consistorium de Guazit in terra Iuda: *& dux de femore eius*, hi sunt Sanhedrin qui sedebant in consistorio de Guazit: nunquam amovebuntur criminalia iudicia de terra Iuda iudicando, donec veniat Sylo, qui est Messias. Et dixit Rabbi Ramon: *quando Sanhedrin fuerunt remoti de consistorio Guazit, & potestas iudicandi criminalia iudicia ab eis fuit ablata: cooperti sunt saccis, & capillos suos pelaverunt, dicentes, væ nobis quia sceptrum Iuda est ablatum, & filius David in mundum venit.* Quicunque non est cæcus in corde suo, satis poterit liquide videre, qualiter sequitur ex præmissis authoritatibus, adventum Messiæ eodem tempore quo dictum est fuisse.

Ad maiorem tamen contentionem, patet hoc fuisse verum, propter maximam publicationem quæ vulgo tunc temporis, in ore omnium gentium de Messiæ adventu ferebatur: In tantum quod quia viderunt eodem tempore quendam Regem, qui regnabat in quadam civitate *Viter*, nominata: & erat vir magnæ potentiæ, bellator & Victor, cui nomen erat Barcosiba, statim reputarunt eum Messiam, intelligentes quod idem tempus Messiæ assignatum erat, de quo habetur in Sanhedrin c. *Omnis Israel: quia Barchosiba regnavit 40. annis cum dimidio, & dixerat etiam, Doctoribus, Ego sum Messias.* Et Rabbi Achiba etiam, quando eum videbat, dicebat: hic est rex Messias. Item Rabbi Moyses de Ægypto, in lib. Iudicum in lectionibus Regum dicit sic: *Rabbi Achiba, sapiens magnus erat, & de maioribus Talmuth, & erat armiger de Barchosiba, & asserebat de illo quod erat rex Messias, quod quidem non solum ille, sed omnes Doctores eiusdem temporis crediderunt; quousque peccatis exigentibus, rex Adrianus eum occidit.* Item possumus, per prophetias Danielis, conclusionem istam verificare, qui illas 70. hebdomadas inducit in libro suo, quæ nequaquam de alio quam de Rege Messia intelligi possunt. Et sic exponitur per Magistrum Moysem de Zitona, in glossa sua quam dicto libro Danielis fecit vbi sic ait: *Et vngatur Sanctus Sanctorum, Iste est Messias ex filiis David sanctificati.* Rabbi autem Moyses prædicator, dicit, *Et adducatur iustitia sempiterna, &c. Iste est rex Messias.* Item habetur in fine libri ordinis Mundi; *dicit Rabbi Iose, septuaginta hebdomada numerantur à primi templi destructione usq; ad destructionem vltimi.* Hoc pono: de captivitate Babylonis, septuaginta anni: de vltimi templi destructione, 420. & sunt 490. qui numerus est hebdomadarum 70. in quarum fine Messias venire debuisset. Et isto eodem modo per Gaon Rabbi Sahedias, & Rabbi Abraham, & Rabbi Aben Hazora vtique probabatur: qui plenius tamen dictarum hebdomadarum voluerit dicere divisionem, inæqualiter easdem divisit Propheta in 7. videlicet, & 92. & in vnam & iterum vnam in duas medias. Require autem Nicolaum de Lyra & glossam eius, vbi totum catholice ac realiter declaratum reperies & sufficienter. Sufficit ad hoc.

CAPVT III.

Quod Dictus Messias, In civitate nuncupata Bethlehem, de terra Iuda, nasciturus erat.

HOc probatur & patet per vaticinium Micheæ Prophetæ: *Et tu Bethlehem Ephrata, nequaquam minima es in millibus Iuda, ex te etiam egreditur qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio in diebus æternitatis.* Hanc prophetiam glossat Rabbi Salomon, hoc modo: *Et tu Bethlehem* de qua egressus est David, secundum quod per ipsum scriptum est, *filius servi tui Iesse Bethlehemita*, Ephratam nuncupavit, *parvulus est in millibus Iuda*, dignus erat fieri minor in generationibus milliarium Iuda: & hoc propter labem Ruth

Moabitis

Moabitidis quæ est in te; *ex te mihi egredietur*, de te exiet mihi Messias filius David, de quo dicit Scriptura: *lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Et sic est Caldaice interpretatum, de te coram me, Messias egredietur. *Et egressus ab æterno à diebus æternitatis:* & hoc est quod dicit Scriptura Caldaica, & nomen eius, ab antiquo dierum, à seculo nuncupatum. Huc vsque verba Rabbi Salomonis. Ab hac ergo prophetia & dicta glossa, cum Caldaica interpretatione, duæ necessario eliciuntur conclusiones. Prima est, Messiæ nativitatem, fuisse secundum humanam personam, nequaquam secundum divinam; textus namque & glossa, dicunt quod est æternus & ante solem. Si tamen adversarius dicat, quod ex his præmissis, bene patet Messiam debuisse in Bethleem nasci, sed quod inde sibi probare non potest quod realiter & de facto idem natus est, ita vt sequatur exinde, quod ipse iam venit; hoc patet liquide ex eo quod natus fuit in Bethleem, propter Templi destructionem: per illas authoritates in primo capitulo præallegatas de nomine Rabbi Samuel filij Naamam, ex quibus quidem, conclusio nostra sine aliqua contradictione verificatur.

CAPVT IV.

Quod Noster Messias & Salvator; de quadam virgine nasciturus erat.

Hier. 31. HOc patet per Ieremiam *Revertere* (inquit) *virgo Israel, revertere ad civitates tuas istas: vsquequo deliciis dissolveris filia vaga? quia creavit Dominus novum super terram: Fœmina circundabit virum* Et habetur in *Berezis Rabba*: dicit Rabbi Osua, filius Levi. Veni & videbis, & veni & videbis qualiter non est modus Dei sicut modus carnalis hominis: homo enim carnalis lancea percutit & amplastris medetur, sed Dominus Deus noster non sic, qui cum eo quod percutit eum eo ipso medetur: quod quidem reperimus in Ioseph & Israel: Ioseph per somnia percussus est, & per somnum curatus est: Et Israel in virgine peccaverunt, vt habetur apud Ezechielem, *Ezec. 23.* *& fornicatæ sunt in Ægypto, in adolescentia sua fornicatæ sunt, ibi subacta sunt vbera earum, & fracta sunt mammæ pubertatis earum*: Et in virgine fuerunt puniti, vt habetur in Threnis, *Thren. 5.11.* *Mulieres in Syon humiliatæ sunt, & virgines in civitatibus Iudá*: & in Virgine sunt consolati, sicut ait Ieremias, *quia creavit Dominus novum super terram, Fœmina circundabit virum*: dicit Rabbi Hamma, nomine Rabbi Yddi, quia hic est Rex Messias de quo David prophetaverat, *Psal. 2.* *Ego hodie genui te.* Supra quod etiam Isaias, *Isa. 62.* *propter Syon non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & salvator eius vt lampas accendatur.* Multum liquide patet per verba dictæ authoritatis, & per allegationes quas præmissi Doctores faciunt in eius nostram conclusionem fore bene probatam. Item, est dicta conclusio manifesta per hoc quod in dicto capitulo declaravimus de illa Mem clausa quæ est in illo verbo, *multiplicabitur eius imperium*: quæ quidem esse debuisset aperta, in qua nomen beatæ virginis continetur, & eius virginitas mirabiliter significatur. Item potest ista conclusio verificari per hoc quod habetur, Ezechielis 44. *Et convertit me ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad Orientem, & erat clausa: & dixit Dominus ad me: porta hæc clausa erit: non aperietur; & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque clausa Principi.* Hæc prophetia nequaquam intelligi posset realiter, quia non reperimus in vltimo templo quod fuit post Ezechielem ædificatum, quod esset in eo aliqua talis porta per quam sacerdotes & Levitæ non fuissent ingressi: præsertim porta Orientalis, per quam continue non solum Sacerdotes, verum etiam & Levitæ & vniversus populus gradiebatur: propter quæ, necessario mystice hæc omnia sunt intelligenda. Et potius in 40. cap. vbi cœpit loqui de istis ædificiis, ait, qualiter ipse erat in labore, & manus Dei duxerat eum in visione ad terram Israel, & ascendere fecerat eum in montem quendam excelsum: supra cuius cacumen, mensuræ civitatis mensuratæ fuerant Ierusalem & templum. Et reperimus quod si secundum dictas mensuras templum aliquod esset ædificatum, illud multo maius fuisset, & civitas Ierusalem mundi celebritatem superasset. Et ideo alio sensu; necessario, & mystice debet intelligi, pro vt latius in glossa Nicolai de Lira continetur. Sed de hoc habemus in duobus locis Talmuth, authoritatem. Prima, in *Sanhedrin*: in c. *Cel Israël*, & in *Sucha*, c. *Lulaf Vaarba*: vbi sic habetur: *dixit Rabbi Abba: ædificium templi quod est coram Domino nostro Deo, spacium tenet octo millium leucarum; scriptum est enim in fine Ezechielis*, per circuitum octo millium, *nomen civitatis, ex illa die Dominus ibidem.* Et Rabbi Salomon, in glossa, ibi quod omnia quæ in Ezechiele de Ierusalem scribuntur; de sancta Civitate Ierusalem superna, absque dubio intelligenda sunt, patet ergo per dictam authoritatem & eius glossam præfatam quod dicta prophetia sensum intrinsecum habet, qui quidem est iste; quod per Ierusalem, congregatio Gentium ad Messiæ fidem intelligitur ventura, quæ proculdubio est vniversitas Christianorum. Templum vero significat sacratam matrem Ecclesiam Catholicam, & sacerdotum eius congregationem: per portam vero clausam; Virginis Mariæ intellige virginitatem, per quam nemo nisi Dominus Deus Israelis humanatus transivit. Nam alioquin hæreticum esset credere, Dei divinitatem locum aliquem occupare. Sunt ergo illa verba de gloriosa Mariæ virginitate, hoc modo intelligenda: *porta hæc clausa erit* in conceptione; non *aperietur* in partu: *& vir non transibit per eam*, post partum, *Quoniam Dominus Deus Israelis*, Dei filius Patri coæternus *ingressus est per eam, & erit clausa*, vsque in finem sæculorum: quæ quidem omnia, satis sunt clara intelligentibus; & non nisi a languentibus cordis duritia & cæcitate, negari possunt. Item, potest ista conclusio probari per id Isaiæ, *Isa. 7.* Ecce *Virgo concipiet & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, &c.* Iudæus conatur dicere, quod ista prophetia non potest in beata Virgine verificari: super quo, putat se posse facere plurima argumenta, sed specialiter tria. Primo, quoad nomen, virgo, in Hebraico sonat, *betula*, non tamen *alma*, & hic ponitur in *alma*. Secundo, quod hæc prophetia, regi Achaz nullum attulisset signum, eo quod nativitas Christi facta est vltra 500. annos post eum. Tertio; quod beatæ Mariæ filius vocatus est Christus, & non Emanuel. Quod si quæritur à Iudæo; propter quod prolata fuit illa prophetia: respondet; propter vxorem Achaz, quæ illi peperit Ezechiam, quoniam Deus fuerat cum ea, iuxta interpretationem huius vocabuli, *Emanuel*, quod est *nobiscum Deus*. Sed tertium certum est, quod nullum istorum argumentorum potest habere locum. Et respondeo ad primum, quod in Hebraico sunt tria nomina quæ vnam significationem habent, scilicet, *Nahara, Betula, Alma*: est tamen inter illa, aliqua differentia, quoniam *Nahara* significat puellam, sive virgo existat sive non: *Betula*: fœmina est incognita viro, sive adolescentula sit sive antiqua; *Alma* vero, nequaquam dicitur nisi puella & virgo, sicut erat beata Maria virgo gloriosa, tempore suæ conceptionis; & hæc est propria & verissima horum trium nominum significatio. Et quamvis sacra Scriptura quandoque, suas narrationes ampliando, vnum istorum pro reliquo sumat; in hoc tamen loco discrete se habuit, & hoc solum nomen assumpsit quod beatæ Dei genitricis virginitati, propriè magis atque omnipotentius conveniebat. Est autem aliud in hoc nomine, *Alma*, mirabile secretum, quia, *Alma* secundum Hebraicum idiome derivatur a quodam verbo *Helim de biniam Cabed notaf.* Cuius significatio seu translatio est, *celo, celas, celavi.* *Alma* ergo, *celata* significat, seu *celatio*: *celata* dico, quia virum non cognovit vnquam;

A

celatio quia secretum incarnationis Christi omni humanæ naturæ fuit, nisi à beata Virgine, velatum. Contra secundum argumentum, dico quod hoc signum non dirigebatur ad Achaz, postquam propheta invitaverat eum dicens; *pete tibi signum*, vt recedens ab idolorum cultura, converteret, & ad Dominum Deum suum: Ipse autem Achaz præ cordis duritia, signum petere neglexit, *Respondens: non petam & non tentabo Dominum:* Propheta ergo ad domum David, Rege dimisso, convertit se, vt summum bonum quod eis erat futurum, venturum significaret: Et quia multa mala prius passura erat eadem domus; de infinito bono eidem domui venturo, consolabatur eam: quod quidem patet liquide verum esse ex eo quod Regem Achaz dimisit, & ad loquendum cum domo David se convertit, quibus generaliter mirabile promisit signum, dicens: *propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum.* Contra tertium argumentum, vbi dicit quod nomen filij Virginis non fuit, *Emanuel*, sed Iesus dico, quod per plurimas & diversas prophetias atque Scripturas, reperimus & habemus Messiæ filij Dei nomina diversa. Nam Iacob patriarcha vocavit eum, *Sillo*, hoc est, *qui mittendus est*. David in psalm. 7. vocavit eum *inon*, id est, *permanens*. Ieremias tertio ca. vocat eum *Adonai*, hoc est, *Dominus iustus noster*. Isaias in ca. 8. octo nominibus vocat eum, scilicet *Admirabilis, consiliarius Deus, fortis*: &c. Quodlibet namque istorum nominum erat illi respectu virtutum suarum attributum; immo & operationum quæ in nobis ab ipso procedunt. Hoc itaque nomen *Emanuel* inest ei recteque convenit, quia significat humanitatem, in quantum dicit, *nobiscum*, atque divinitatem, in quantum dicit, *Deus*. Item, ad illud quod dicit Iudæus, quod Prophetia dicta fuerat propter Ezechiam, &c. hoc est falsum. Ista namque verba, Regi Achaz in quarto anno regni sui, prolata fuerunt, quando Phacee rex Samariæ, & Razin rex Syriæ ascenderunt, vt expugnarent Ierusalem, vt habetur Isaiæ 7. c. Achaz autem regnavit vsque ad 16. annos, pro vt patet in 4. Reg. 16. c. Mortuo ergo Achaz, regnavit loco eius Ezechias filius eius, cum esset ætatis annorum 25. pro vt patet in eodem libro c. 18. Amotis inde 12. annis restantibus de regno Achaz patris sui, post dictam prophetiam, sequitur quod tempore quo dicta prophetia prolata fuit, erat Ezechias ætatis 13. annorum; præfata ergo Prophetia non fuit promulgata de eo. Quod si Iudæus dicat, quod dicta prophetia fuit de quodam alio quam Achaz dicta; aut de Esaiæ filio: esset valde stupendum, quomodo postea non fuisset facta mentio aliqua in textu de homine tali: cuius tam miraculo fuerat nativitas prophetata. Item, patet ex verbis huius prophetiæ, quod signum quod dare volebat, habebat esse multum excellens & miraculosum: ait etiam: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Et Rabbi Salomon in glossa, dicit; quod etiã si peteret quod mortui suscitarentur, aut Sol in medio cœli staret, sicut ad preces Iosue factum fuit, illud obtineret: quod si de rebus tam mirabilibus signum fieri pollicitum erat; quo pacto deinde tam leve tamque simplex factum est, vt quædam puella conciperet vnum filium, cum naturaliter istud qualibet die contingat? Quod si diceret, quod per miraculum erat: cum Propheta prædixerat, eandem puellam filium masculum esse parituram: dico, quod hoc non est miraculum: quia hoc idem, certe bonus medicus aut astrologus per naturalia signa poterit agnoscere: quapropter necessario dicere oportet: quod excellentia huius miraculi erat, vt virgo sine viri cognitione conciperet, Filiumque Dei sine corruptione pareret, & in æternum virgo permaneret. Hoc etiam confirmatur ab hoc quod dicit Propheta, propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Superfluum etiam esset (dicit ipse) nisi quia notatur ab hoc quod illud opus, per se, ipse Deus facturus erat. Item, est quædam ratio quasi naturalis quam ponit Magister Moises de Ægypto, de qua nos in isto casu possumus iuvare: dicit enim sic, quod si reperimus quoddam compositum de simplicibus certis, & postea comperimus aliquod de simplicibus illis per se extra compositionem separatum definire possumus, quod illud aliud simplex possit aliunde, separatum, per se inveniri. Verbi gratia: reperimus potum vocatum *Oximel*, quod quidem ex zuccharo componitur & aceto, deinde reperimus acetum per se separatum, credere oportet, quod Zaccharum per se poterimus reperire. Ad propositum: nos reperimus individuos humanæ speciei, ex maris & fœminæ commixtione generatos, deinde credendum est neminem contradicturum vnum individuum sine mare & fœmina: & hoc fuit Eua. Oportuit ergo in hac humana natura reperiri, de fœmina duntaxat sine mare generatum: & iste est rex Messias, mundi salvator, qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

B — Christi varia nomina in scripturis. Gen. 49.

4 Regum 5.

C

D

E

F

CAPVT V.

Quod Dictus Messias, habebat esse filius Dei, & non alterius patris carnalis, eo quod in eadem essentia esset cum patre unus, & quod habebat esse verus Deus, secundum divinitatem: & verus homo secundum humanitatem.

HOc patet per quandã autoritatem quæ est in Beresit Rabba ex Rabbi Moyse prædicatore supra illud Threnorum vltimo: *Pupilli facti sumus absque patre:* dicit Rabbi Barachias, *Deus Israel sic ait: Vos dicitis vos esse pupillos sine patre, talis erit mundi redemptor quem ex vobis suscitabo, quia non habet patrem, sicut scriptum est. Ecce vir Oriens nomen eius: & subter eum orietur, &c.* Et Esaias: *& ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti: & de ipso dicit David, ante luciferum genui te: & alibi, Dominus dixit ad me, filius meus es tu.* Notandum & diligenter intuendum est, quod hæc authoritas liquide nostram probat intentionem, quam quidem doctor ille Rabbi Barachias cum tam nobilissimis Prophetis probavit. Item, habetur in libro vocato, *Midras Sirhasirim*, id est, glossa libri Canticorum, in illud, *Egredimini & videte filia Syon, Regem Salomonem in diademate quo coronavit eũ mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius*, dicit Rabbi Ahuna: *Investigavimus per scripturam vniversam: & non invenimus quod Bersabe Salomoni filio suo diadema fecisset, est igitur stupendum, quid diadema illud significare velit: dicit Rabbi Ioanna: quæsivit Rabbi Symeon à Rabbi Eliager, filio Rabbi Ioseph, dicens audivisti unquã à patre tuo, quid esset diadema illud quo fuerit Salomon a matre sua coronatus: qui respondit: etiam: Et ille quid & Rabbi Elyager: Ille Solomon, est Deus, qui à principio diligens Israel, vocavit eos filia, vt habetur in psalmo quadragesimo tertio,* Audi filia & vide. *Deinde pro maiori dilectione, vocavit eos,* Soror, Aperi mihi soror mea: *Postea iam eos summe diligens vocat eos,* mater. Attendite ad me populus meus, & tribus mea mater mea est: *Eadem hora surgens Rabbi Symeon, osculatus est eum in capite, dicens: posito quod non vere, nam quod hoc verbum audiverim, sufficit mihi,* Per præmissam authoritatem patet quod ly *Solomon*, in eodem textu nominatus non est, nisi Dominus Deus. Et iam est vulgare verbum in Talmuth, quod vbicunque in Canticis nominatur Solomon, dicitur de Domino Deo. Itaque diadema quo Salomon à matre coronatur, humanitas nostra est, quæ divinitati eius est vnita, & pro totius mundi salute passa, & ideo æternaliter coronata, de quo Apostolus, *videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum* Item habetur in *Midras thillim*, id est, in glossa psalterij, supra illud. *Cum invocarem exaudisti me, Deus, &c. Miserere mei, &c. David anxiabatur nimis, propter peccatum quod cum uxore Vria commiserat, eo quod populus adversus eum murmurabat, dicens: ille qui oviculam rapuit & pastorem occidit, quomodo poterit salvari? Cui Deus dilatavit sicut scriptum est,*

Zach. 6. Isa. 53.

Psal. 2.

G

Cant. 3.

Cant. 5.

Isa. 51.

H

Salomonis nomen in Talmut dicitur de Domino Deo.

dixitque

poteris salvari? Cui Deus dilatavit sicut scriptũ est, dixitque Nathan ad David: Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris. Item habetur in 1. Paralipomen. filius qui nascetur tibi, erit vir quietissimus, faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum, & ob hanc causam Pacificus vocabitur & pacem & otium dabo in Israel cunctis diebus eius. Adducitur in Talmuth atq; vt cæteri fil. non à patribus suis nascetur. Quare hic dicitur nascetur? scilicet hoc vult dicere, nascetur vt sanet te de peccato tuo, & per eum manum, sicut de Nathan scriptum est. Misitq; eum in manu Nathan Prophetæ, & vocavit nomen eius, amabilis Domino, *eo quod Dominus dilexit eum.* Notoriũ est ei qui aliquid videt, quod hic filius Dei in ista authoritate nominatus, & in testibus applicatus eisdem, non erat Rex Salomon, nam & ipse non curavit David à peccato suo: & deterius, quia in novissimo dierũ suorum idolorum cultor effectus est. Propterea de Rege Messia, necessario est iste filius David intelligendũ, qui quidẽ cum filius Dei esset, cũ cæteris omnibus David Patrẽ suum à peccati damnatione liberat. Itẽ, Magistri Talmuth nobis referunt de Messiæ nativitate, & qualiter fuerat primo parenti Adæ atque filiabus Loth revelatum quod ipse habebat esse Filius Dei. *In Midras Ruth*, in glossa illius libri, super illud: *Aram genuit Aminadab Rabbi Ananias, & Rabbi Iacob, filius Aben, dicebant: scriptum est in Gen.* vocavitq; nomẽ illius Seth: dicens, posuit mihi Deus semen aliud pro Abel: aliud semen *significavit pro*, alio loco venturũ: *& hic est Rex Messias.* Itẽ habetur pro in *Beresith Rabba mirim, c. 6. dicit Rabbi Tanhuma, super illud Genes.* vt servare possimus de patre nostro semen non *dicit*, filiũ *sed* semen: *& illud erat semen quod habebat venire ex alio loco, & iste est Rex Messias.* Patet ex hac authoritate, quod filiabus Loth, sicut primo parenti, Messiæ nativitas fuerat revelata, & qualiter ab eisdẽ esset veraciter exitura: de Moab scilicet & Ammon, filiis eorũ, & ideo laborabant vt à patre suo obtinerent illud semen, & ita factum est, quia Messias Dñs noster Iesus-Christus de Ruth Moabita, & de Nahamã Ammonita vxore Salomonis matre vero Roboã egressus est. Item habetur in *Beresith Rabba magna* de Rabbi Moyse prædicatore, supra illud Genes. *Videbam coram me vitem; hi sunt Israel de quibus Psalmista:* Vineã de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, & plantasti eam. Item videbã coram me vitem. *Iste est Rex Messias, de quo scribitur in Psal. prædicto*, & perfice eam quã plantavit dextera tua & super filiũ hominis quem confirmasti tibi: *est plantatio inferior & plantatio superior & inferior.* Hic *est Abrahã superior & inferior, hic Rex Messias.* Perspicue patet, qualiter designat Regẽ Messiã, humanum esse debere atq; divinũ. Item habetur in *Midrasthilim*, super illud Psal. & prædicans præceptũ ejus: *prædicata sunt facta Messia in Lege, & in Prophetis, & in Scripturis sacris. In Lege*, filius meus primogenitus Israël. *In Prophetis*: Ecce intelliget servus meus, & exaltabitur, & levabitur, & sublimis erit valde. *Et paulo post*: Ecce servus meus suscipiam eum. *In Psal.* Ex vtero ante Luciferũ genui te. *In Daniele*: aspiciebã ego in visione noctis, & ecce in nubibus cœli, quasi Filius hominis veniebat, & vsq; ad antiquũ dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum; & dedit eis potestatẽ honorem, & regnũ; omnes populi & linguæ servient ei, potestas ejus potestas æterna quæ non auferetur, & regnũ ejus quod nõ corrũpetur. Manifeste patet ex authoritate præmissa, quod Lex & Prophetæ, vniversaq; sacra Scriptura, de Messia loquũtur; sed hæc & alia plura, in disputatione, Iudæi negare nõ erubescũt. Sed notãdũ est ad hoc quod dicit, *quasi filius hominis*, qualiter, Messiã, Deum & hominem ostendit. Item habetur in eod. lib. *Dixit Rabbi, quid sonat illud Psalmi. Apprehendite disciplinã? Simile est cuidam regi, qui se contra ejusdem civitatis populum indignavit; eunte populo ad filium regis vt pro eis patri suo regi interveniret suppliciter deprecati sunt, quo facto rex placatus est. populus autẽ cum vellet gratiarum actionem facere regi, dixit eis rex: mihi facitis gratias? non sic, sed potius filio meo reddite nam nisi foret pro illo, iam tota civitas destructa foret: Et hoc modo dicit Deus*, apprehendite disciplinam, *&c.* In omnibus authoritatibus præmissis, clare probatur qualiter Messias est filius Dei. Et probatur etiã qualiter ipsemet est Deus per quandã authoritatẽ quæ est in *Beresit Rabba*, cujus talis est tenor: *Legunt Magistri decem reges regnarunt à principio mundi vsq; ad finem ejus, qui sunt hi. Dominus Deus noster fuit primus qui mundum creavit: secundus, Nembroth: tertius, Ioseph: quartus, Salomon: quintus Nabuchodonosor sextus Darius: septimus Cyrus octavus, Alexander: nonus Cæsar. Augustus Imperat. Romanus: decimus, Rex Messias, de quo in Psalm.* Et dominabitur a mari vsq; ad mare, & à fluminibus vsq; ad terminos orbis terrarũ. *Et de ipso Daniel*: Lapis autẽ qui percussit statuã factus est in montẽ magnũ, & implevit vniversam terram. Item *in eodem cap.* In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum quod in æternũ non dissipabitur: *& cum decimo rege revertetur regnũ ad Dominum suum primum, & sic qui fuit primus erit & vltimus, sicut scriptum est in Isaia* hæc dicit Dñs rex Israel, & redemptor ejus Dominus exercituũ ego primus, & ego novissimus: *& Zacharia vltimo*, & erit Dominus rex super omnem terram. Ecce probatum est per dictam authoritatem, qualiter Messias vltimus decẽ regũ istorũ, ipse est DñsDeus noster. Itẽ probatur posse Messiã fore Deum: per Isaïam, *Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pavor vester, & ipse terror vester, & erit vobis in sanctificationem in lapidem autem offensionis & in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum & in ruinam habitantibus Ierusalem.* Dicitur in libro *Sanhedrin: non veniet filius David, vsquequo sint consumpta duæ domus paternales de Israël, quæ sunt caput captivitas Babylonis, & princeps terræ Israel. scriptum est enim*: Ipse enim erit nobis in justificationem: glossat Rabbi Salomon, *erit salvator in Israel in Sanctuarium, & in lapidem offensionis & petram scandali duabus domibus Israel.* Patet ergo clare, quod Messias ille in cujus adventum duæ domus Israel consumendæ sunt, ille merito est qui Dominus exercituum vocatur. Item habetur in *Midrasthilim* super illud Psalmistæ, *quoniam apud te est fons vitæ & dicit Rabbi Ioanna: simile est hoc homini qui per auxilium cujusdam lucerna pergit ad lucem in nocte, quam quidem extinctam à vento iterum incendit, & rursum eam extinguit & ipse incendit, & hoc facit sæpe: demum ipse dicit, vt quid inde tantus labor erit: volo expectare donec Sol exeat, ad cujus lucem faciam iter meum: simili modo fuerunt filii Israel subjugati in Ægypto & venientes Moses & Aaron, liberarunt eos, deinde fuerunt subjugati in tẽpore Sissare, & venientes Barach & Debbora liberaverunt eos: & sic in quolibet tempore donec dixerunt: valde sumus in liberationibus fatigati quia eo quod fuerit per carnales homines, confestim sicut prius tribulamur; sed iã post hoc non placet nisi per Deũ liberari, & hoc est quod dicit David in Psalmis.* Deus Dñs & illuxit nobis, &c. *Dixit Rabbi Hanna, Moyses glorificavit Israel, dicens*: beatus es tu Israël, quis similis tui populo qui salvatis à Dño? *Non dixit* quem salvat Dñs, *sed*, qui salvatis à Dño, quia Deus *dixit sic, in hoc mundo vos estis per manus hominum salvati, sed in tempore venturo egomet redemptor vester ero ita vt deinceps nequaquam ab alio indicati sitis sive subjugati.* Ecce quomodo probatur quod Messias est verus Deus. Sed quomodo probabimus quod cũ sit Deus verus sit etiam homo verus? Hoc probatur per quandã authoritatem quæ est in quodã libro vocato *Torath eo Hanim*, id est, *lex sacerdotum*, vbi scribitur sic, quod sonat illud Levitici, ambulabo inter vos, & ero vester Deus, vosq; eritis mihi populus. *Simile est istud cuidam regi qui perambulabat hortum suum ad delectationem & solatium habendum. quem cum hortulanus vidisset abscondit se & rex dixit ei, noli timere, nec abscondas te à me, quoniam similis tui sum similiter tempore futuro, Deus ambulabit inter iustos vt solatium recipiat*

2.Reg.7. 1.Par.2.10. 2.Reg.12.24. Ruth 4.20. Gen.4. Genes.19. Christus natus est sanguine Moabitarum & Ammonitarum. 3.Reg.14.31. Gen.40.10. Psal.79. Psal.2. Exod.4.22. Esa.52.13. Psal.2. Dan.7.13. Dan.7. Psal.2. Dan.2. Dan.2.44. Psal.76. Psal.118. Deut.33. Levit.6.

ac gloriam omninò prodere: sed pro visili, in illa videri exempla respicere. Quod itaque agitatur consilium, ac invicem quotidiana illa nobiscum publicis cōventibus contradictio, in Chersonesi rebus versatur, ac vrbis Callipolis, quā Murates à nobis pro pace petit. Ac verò maxima civitatis pars, eorúmque qui sunt à consiliis, in eo conspirat, vt dandā dicant, atq; id sinē mora, quæ ipsa apertum civitatis periculum habeat. At ego, extremæ rem infelicitatis arbitrans, vt non in eo nostra deliberatio sit, vt hostiū res nobis vendicemus, sed vt nostras ipsi dimittamus, hoc maximè indignandum dixerim, quòd plerosq; nequidem sustinentes audire contrarios sermones adspiciam; sed ita toto deditos servituti, atque vt Barbaro placeant, vt minori ille aviditate excipiat, quām isti desiderio tribuant. Quid enim quis dicat, ad eorum alienum à ratione impetum respiciens; vtque hostes, ac rerum palam communium proditores pronuncient, vt quis obniti velit, ac quid melius pro negotio consulere? Quanquam tamen grande adeò periculum pro concione de adversariis dicturo immineat, haud enimverò è ratione sit, vt cùm coeperim aliqua, à consulendo quod sit è re communi, abstineam. Æquum potiò fuerit, vt & ipsi non molestè feratis, si quorum rationes velletis minus consentire senseritis. Non enim vrbes de rebus extra omnem controversiam positis dispicere solent ac deliberare; sed de obscuris, ac ejus generis, vt de illis quis contraria dicens, haud stultus videatur. Quia ergo modò quoque prudenti ratione, communis conventus ac consilij copiam fecistis, alienum sit à ratione indignari, vt quis adversam opinionem insinuaverit: cùm præsertim penes vos sit ac vestri arbitrij, vt vel probantes sententiam, eā vtamini, vel adversariis victoribus, quæ visa fuerint sequamini. Primùm quidem hoc cogitandum, Callipolim esse, quā boni isti, ac vrbis se curam professi agere, hostibus cedendum admoneant, quam semper rerum nostrarum pretiosissimam duximus, ac momentum maximum habentem ad Barbarorum bellum.

Propositio, an petenti Amurati sit cedēda Callipolis.

Sed & in conventibus publicis, ac consiliis, quando cuique quod libeat cum fiducia licet loqui, quod quidem spectat ad alia, plures quis invicem adversantes audierit: ac alios quidem hæc asserentes, alios verò negantes: neminē verò vsq; adeò contentiosum, vt rem aliquā Callipoli præhabendam putaverit: quin vna hæc vbiq; obtinebat sententia, vt præsidiū retineremus, nullisq; vel laboribus vel impensis parceremus, quò illud semper vrbi servaretur incolume. Vt sic autem vniversi de præsidio sentirent, in causa fuit experientia, quodq; eā magistra compertum esset, quantum semper rebus nostris illud momenti attulisset. Quod enim necdum omninò ceu fluctu quodam obruti vniversi fuerimus, ac Græci reliqui quotquot Europam habitant, cùm, qui jam nobis infesti ingruunt, Asiam ducerent ac in castris haberent, illud causa fuit. Quòd munitum illud, Hellesponti omnibus mœniis opportunissimum, intérque alveum ac fauces positum, vnde solventes Barbarorum naves haudquaquam latere poterant, illic stationem habentibus triremibus nostris, vt liberè cohiberent latrocinantes Barbaros, nostrísque vt vrbes tutò habitarent, præstaret. Præterea, nedum ex malis quæ cavimus, sed & ex iis, quorum eo amisso fecimus periculum faciműsque, clariùs liqueat, nihil nobis esse, quo non priùs quàm illo cedere debeamus. Vbi enim quæ in Hellesponto ac Propontide facta quassatio, vniversa evertit, hoc quoque Barbaris oppidum tradidisset, cùm Chersonesus tota illis addicta est, tum vrbes Thraciæ, ditioni adjecerunt; ac necdum exacto anno, à nobis tributa exegerunt, terrámque è mœnium regione positam araverunt. Quin & vt quis præsentis probri, vtque civitas pro sic ingloriis ac humilibus deliberare cogatur, Callipolim causam dixerit, ac quòd ea amissa sit, neminem fore arbitror qui contradicat. Qui ergo non absurdum, vt iis, quæ præsentia adeò profuerunt, quæque cùm abessent suprema pericula attulerunt, hostibus cedamus, quibus vt recipiant, nihil jam in vrbem intentatum relinquent? Atque id ex præcepto, tanquam in omnibus morem Barbaris gerere oporteat, nostrorúmque illos commodorum facere dominos.

Prima ratio vt non ita danda Callipolis à loci intem Romanā cōmodis.

Sed & abundè illud cogitandum, vbi primùm rumor percrebuit, quassatam à Barbaris Callipolim captam esse, quasnam emittebamus voces, ac quis vrbe tota luctus erat? quæve tunc in vrbe tota obtinebat fama? Nonne periisse nos? Non jam omnes, tanquā in sagena, sic teneri à Barbaris muris conclusos? Nonne ipsum jam vrbis solū obnoxium esse periculis? Nonne tunc habebatur, qui necdum periculis exceptus vrbem relinqueret? Omninò memoria tenetis, vt hostium terra suspectiorem patriam haberemus; omnésque in Italiā, ac Gades, maréque Columnis vlterius, tanquam eā tantum ratione à servitutis jugo liberandi festinarent. Quam ergo tunc amissam lugebamus, ac qua serviente, nullum non expectandum malum videbatur, eam sic temerè dimittemus, quòd iterum favens providentia, res nobis reduxerit, tanquam vel jacturæ obliti, vel qui mala quidem fortuna ratione agere noverimus; prospera autem vti non possimus. Tametsi quomodo non omninò sine productius malum, vt quorum domini non sentiamus quid illa commodi habent; amissis autem mœrore afficiamur? ac quidem desideremus, cùm non adsunt; cùm verò redierint, iterum projiciamus: idque cùm sciamus fore, vt amorem minimè extinguamus, sed vt etiam extincta re augeamus. Hoc enim palam, non eorum sit qui telam retexant Penelopes, sed qui seipsos perdant, ipsaque ipsorum vota odio habeant.

A luctu publico illa prius capta.

Atqui, vt nostris ipsi seditibus expeditionéque ac laboribus, cùm priùs Barbaris subjecta esset, vrbem nobis asseruissemus, nec sic par erat expensarū oblitos ac susceptorum laborū, sic rursus illis dimittere. Esset nihilominus aliquid ad rationem probabile, vt eò in præsentiarum negligeremus, quòd in nostra potestate esset iterū cùm vellemus recipere: quanquam alioqui, vt dicebam, stultum sit, vt vltrò tribuentes, denuò conemur recuperare, ac quotidie negotia habeamus. Quòd si nos, cùm tunc capta esset, sic longè eramus, vt ei possemus auxilium ferre, vti puto, vt possimus volare. Scitis enim vt annis singulis super his collecta Ecclesia, haud minoribus pedestribus copiis opus diceremus, ac Xerxes eduxisset contra Græcos: navibus verò pluribus, quàm quibus Græci ceperunt Troiam; pecuniis adeò multis, vt nec singulorum facultates in argentum versæ sufficerent. Sic verò rebus habentibus venerunt alij quidem è longinquis, nobisque, pro eo atque expoliati essemus condolentes, suis ipsorum periculis atque sumptibus, iterum nobis reddiderunt, quæ priùs amiseramus: Quid ergo opus prioribus nos calamitatibus inseramus, ac illorum quidem virorum magnificentiam obscuremus, quibus & titulum nos oportebat erigere, eorum monumentum beneficiorum, quibus nos devinxerunt: ipsi verò, quæ sint forinsi præstemus, qui discissa veste, nudi turpiter incedant: sin autem quis induerit, rursus rodentur, ac eos mordeant, qui misericordia illorum curam agunt.

Quòd nō Græcorū armis capta, nec semel dimissam spes vlla sit iterum recuperandi.

Turpe hoc quidem, vt quem liqueat ipsum sibi non sufficere sed velut aliis quibusdā pædagogis egere, qui res ejus custodiant. Vt autem quanquam adjutoribus aliis, ac arcentibus volentes inferre injuriā, omniq; modo vt benè ac prosperè habeat providētibus, ipse se de industria det præcipitem, impleátq; hostium vota, hoc jam etiam eorū, qui furore insaniunt, exempla superet. Per Deum rogo: Vt etiam veniant, aut ad nos legatos mittant, qui ereptam Barbaris Callipolim, nobis tradiderunt, ac dicant: *Nos, viri, nulla vobis necessitudine coniuncti: neque enim aliquis nobis apud Byzantios commeatus, nec aliquo à vobis beneficio, aut auxilio accepto, necesse habuimus manus rependere: quin à principio ne quid velletis quidem intelligentes sine interprete, quòd solum Christi nobiscum cultores à Barbaris conculcari audierimus:*

Pulchra prosopopeia Christianorū, per quos Græci recepissent Callipolim.

dicerimus:

A *dicrimus; ac terram quidem vestram illis ferre fructus ac lucra, urbes autem ab illis esse eversas: ac corpora quidem siqua gladium effugerunt, ubique dispersa servitutem servire, ad hæc autem animas, quà vi, quà suasione ac quotidianâ cum illis consuetudine pelli: sic autem angustam vobis regionem restare, ut ne quidem tributis, quæ pendenda Barbaris habetis sufficiat; omnemque ornatum vestrum ad illos commigrasse, ac deinceps habere in votis, ut saltem servire permittamini: horum famâ ad nos perlata, nostramque ipsorum calamitatem vestra arbitrati mala; ac nec expectatis legatis quibus nos ea doceretis, patria quisque sua egressi sumus; dereliquimus verò parentes, amicos, aliosque necessarios, tametsi sedere rogarent, ac cum cognatis, bonis quæ domi iucundè haberent, frui, nec anxios esse aut vo belli incommoda, ac fortunã aliorum nobis asciscere. Porro autem erant plerisque nostrûm, etiam uxores ac liberi, ut istis, virorum; istis patrum opera ac cura opus esset. Scitis autem larium amores, ut que vel adamantinum* B *pectus uxor lacrymis emolliat, liberorumque imbecillitas, paternos obtutus necessarios habens. Enimverò nihil horum vestra potius habuimus salute. Quin neglectis omnibus, ac grandi classe magnum transmittentes pelagus, marisque ac tempestatum nos casibus exponentes, nulla nobis condita mercede, ac nec sperata, excepta utilitate vestra, venimus pro vobis armati, haud secus ac pro nobis ipsis ac parentibus: multisque ante descensum è navibus defunctis periculis, cum Barbaris magna prohibentibus virtute, non sine grandi discrimine ac labore primis eorum repressis, ad præsidium venimus, tum quidem vobis omni maius pretio, nunc autem, quòd habeatis, ne in accessionis quidem partem habitum. Deoque benè propitio, illud quidem cepimus hostesque turpi fuga recedere coegimus, ac demum vestros illic captivos recepimus: armisque ac annona, virisque, ac omnibus necessariis præsidium instruentes, urbem vobis tradidimus, quâ uteremini tanquam propria: quodque hactenus impossibile ore omnium ferebatur, fieri non posse, ut deficiente Callipoli libertatem tueremini; ac quod universi* C *inter impossibilia habebant, ut ea recuperari posset, hoc modò præter opinionem præstitum est; ac quidem vos fretis domini estis, potestisque portubus illic positis benè utentes, Barbarorum cohibere latrocinia ac eruptiones.* Siquidem, inquiunt, ista dixerint, fuerintque causam percontati. *Ut quid vos optimi; nullumque agendis, præstitutum vobis volentes finem, ea consecuti quorum tenebamini desiderio, vobis iterum libertatem invidetis, ac mancipari vultis? Hoc enim vobis vult, quòd iterum urbem in manus tradatis Barbaris?* Quid dicturi sumus? quid per Deum responsuri? Planè necesse ut demisso in terram vultu, dicta omnia pudore admittamus, quibus nihil iustum ad defensionem suppetat. Cæterùm, nedum ad illos, verùm etiam ad omnes totâ Europâ Christianos, eum vobis sermonem esse, putandum sit. Sciunt enim omnes, quæ illis huc excurrentibus gesta sunt: utque nunc dimittamus, quæ tantis periculis comparata fuerunt, haud planè sunt nescituri. Quos ergo facundos adeò oratores missuri estis ad Italos, Gallos, Germanos, Celtas, Hispanos: ad eos qui continentem, quique insulas habitant; ac qui extra Gades; qui pro probro hoc ac amentiâ omnibus satisfaciant? Atque hæc verò, cùm accusationes nullam rationem admittant; illi, partim quidem pereuntibus condoleant, partim in iras efferveant, quòd susceptos ab eis pro nobis labores cassos reddiderimus. Quas verò etiam ab Ecclesiâ nobis inflictum iri existimatis diras; quæ videat, ut nedum ipsi D nos, iis quæ agimus, impiis prodamus, verùm etiam Christianis universis, mali huius efficiamur auctores, quo, inter omnia unquam commissa, nihil quisquam scelestius, aut ue alienum magis ab humanitate dixerit.

Ecclesiæ diræ ac Censuræ in prodentes infidelibus eã Christianam.

Quasnam verò pro nobis preces, seu etiam sacrificia, oblatura sit, cùm sic omnes ultrò videat, præoptantes pessima? Quinimò, quomodò non devotos ac execrabiles habeat, eos qui tentant talia? Pro iis enim, qui sibi ipsi ac reliquis bona volunt, Deumque orant ut ea consequantur; non pro iis, qui de industriâ perdũt seipsos, lubentes sacrificia ac preces offerimus, aliaque omnia E molimur. Vituperia autem ac maledicta ab omnibus, ut quis prodẽs seipsum, abunde alios in idẽ cogat. Quosnam verò etiam nobis advocabit socios, quove animo pro mittendo nobis auxilio differet: quibusnam verò etiam persuadeat, ut quid faciant pro nobis, ac pericula adeant, cùm studium suum ac operam videat in contrarium versam? Quæ enim Comes eius suasu pro nobis laboravit, horum vos in Barbaros commodum transferre cogitatis. Omninò autem quosnam nobis belli subsidio fore speramus, cùm sciant, nullum laborum, neque ipsis, neque nobis extiturum fructum, devictorum nobis præmia hostium, iterum proiicientibus inimicis post confectum bellum, nulloque nobis reliquo, pro quo eis periculorum ergo gratias habeamus, quod unum iis, qui pro aliis decertarunt, reliquum manet ad solatium. Qui enim beneficio donati accepta proiiciũt, ne beneficiis quidem pro datis gratias habituri sunt. Atqui, cùm neque nostrâ ipsi virtute hostes ulturi simus, ac valentibus ferre auxiliũ palã denunciemus ex F iis quæ facimus, ut nos fugiãt, quid superest, nisi ut ambabus vinctis manibus, supplices hostibus accidamus, ac lucri loco deputemus, modò tantùm vitã indulgeãt?

Quocircà cùm deliberatis, num Callipolis tradenda sit, nihil mihi aliud videmini præstare, quàm ut quæratis, num maius ad gloriam sit, ac omnibus modis cõducibilius, vitã in libertate agentes, nostris frui rebus, ac eas retinere; vel eis proiectis, amplecti paupertatẽ; vimque ac iniuriam Barbarorum, pluris aliorum gloriâ facere. Enimverò ipsa hæc omninò emotæ mentis homines ad sobrietatem possint componere. Nemo enim adeò miser, ut cùm aliis imperare liceat, aliis velit obedire; idque maximè viris pessimis ac infensissimis; nedumq; nullam inde habens mercedẽ, quin & ipse propria conferens. Quòd si qui, nullâ quidem ipsi ratione hisce contradicere audent, quòd & ordine & naturâ rerum ita hæc definita sint, sicque Græci pariter atque Barbari omnes existiment, sitque omnibus inditum à naturâ, ut ne hostibus propria dimittant; timent verò imminentẽ famem, ac quod segetes quidem iam surgente culmo altas videant, hostesq; nihilominus terram G populantes, ac suburbana præsidia capturos, quiq; omnia subinde direpturos comminentur, eóque concedendum volunt, quæ illi flagitant, levius arbitrantes lædi alia, quàm ut patria intereat. Primùm quidẽm noverint qui hæc orant, non ea dicere quibus mala leviora præstemus; sed potiùs quibus malorũ fiat accessio. Neque enim eos ullosve alios dicturos puto, idcirco nobis hæc cõflata mala, quòd urbes nostras non dimiserimus Barbaris; eóq; id mediũ fore quo cõmodior fortuna redeat, ut eas tradamus: secùs verò, quòd nostrâ incuriâ captæ fuerint, hoc præsentes nobis invexit necessitates. Haud verò quibus res, cùm magnæ essent, viles factæ sunt ac imminutæ, iisdẽ conandũ sit pristino splendori restituere. Quinimò tantùm abest, ut & modò quæ restant debeamus dimittere, quantùm etiã universus videmus, alia aliáq; novũ comparando, non sua proiiciendo, divitiis augere. Vos autem haud aliud facitis, quàm si quis mẽbra amputãs, corpus vegetũ robustumq; existimet servatũ iri: vel qui tradendo substantiã volentibus rapere, eã ei ratione facturum se accessionem putet. Enimverò cõtraria hęc cùm sapere, tùm agere, apertè veris. Satis puto, siquidẽ Deus mittẽs uberet munera petere, ut nedeinceps adversis essetis usuri, nihil vos H aliud priori loco petendũ taturos, quàm amissas urbes, tãquã eã duntaxat ratione liceret tũ redire ad priorẽ fortunã, tũ eos, ulcisci qui nunc nostra rapiunt faciuntq; iniuriã. Sic ergo, ea ex proposito amittẽtes, quorũ nihil maius possessione, ut illa adessent, optaturi essemus, quod ex re sit de nobis ipsi deliberasse putabimus? Qui verò non furiosi homines ac insani habẽdi sumus?

Ratio reddendæ Callipolis ut Barbari segetes ac suburbana Constantinopolitana dissipavissent [partly illegible]

Rei publicæ amittere ... concedas ... hostibus ... [partly illegible]

Præterea, nec hoc simile, pro nostris antè pugnantes rebus, ad adeũtes pericula, tũq, victus ea amittere, atq; petẽtib⁹ Barbaris, seu etiã iubẽtib⁹, eã iacturã ferre. Nã primo modo abest quod est turpe, nec nisi fortunæ damnum est: cuius cùm homines simus, impossibile est semper nos arbitros esse. At autem ipsi sponte

adversum nos insensissimis serviamus, hoc sanè cùm à Gente, tum ab humanitate totâ longè remotissimum est, nec aliud ostendit quàm insensibilitatem: quod nobis in præsentiarum continget, nisi consilia mutaverimus.

Præterea, vt quidem dignus quis sponsor esset animi Barbarorum: (is planè Deus esset: nec enim vlli homi-num concedendum sit ista scire) nimirum fore vt Barbari acceptis quæ modo à nobis efflagitant, deinceps essent quieturi, terminumque iniuriæ in iis quæ data essent, posituri, sic etiam sic turpe foret, ac maiorum hactenus nostrorum facinoribus indignum, rebusque per eos terrâ marique præclare designatis summè contrarium, totamque penitus abolens civitatis gloriam; vt inquam, vel aliquid Barbaris cedere videremur, idque iis in rebus, quibus damnum sit nostris bonis: essetque defodiendus, qui hæc nobis consulere auderet aut suadere. Enimverò vt quis suadeat, concessis iis, quæ modò petuntur, fore vt tutò relictis vtamur; ad eorum modum, qui membrum aliquod ferro ac igni exponunt, quò vivant corpore reliquo: quibus morte acerbius sit omnium probris peti; sileant quidem patriæ bona; evertantur viris fortissimis positæ statuæ ac monumenta; tituli deleantur, quibus posteris virtus civitatis nota fiat: omne ab eâ certamen gloriæ causâ susceptum oblivioni tradatur, ac quid superfluum existimetur velle pro gloriâ pericula adire. Porrò hæc excellentia est, quâ vrbs vrbi, vir viro præstantior est: vel sic Barbaris in omnibus obtemperandum ac manendum iis contentos, quæ nobis habere permittunt. Sin autem nihil minùs sperare licet, nimirum acceptis Barbaros, quæ nunc petunt à nobis, quieturos, quis sermo suadeat, id verò operæpretium esse ac conducere, vt nostris armis hostes instruamus, quò vt videtur, fortiores experiamur. Siquidem enim cùm mercede servirent, furtisque ac latrocinijs vterentur ad vitæ commeatum, nostri Imperij cupiditate ducebantur, nullum detrectantes laborem ac periculum, quo sibi illud vendicarent, idque cùm nostri tunc, cùm viris ac milite, tum pecunijs, omnemque navantes operam, fortiter tuerentur, quid nunc facturos sperandum, vbi etiam quæ foris habebamus, abinde ceperunt, nuncque maximè, quando ærarij quidem pecuniæ omnes insumptæ sunt: earum neque reditus defecerunt; vixque privatis ac singulis suppetat quo familiam possint alere: militiæ robur extinctum sit: pacta cum hostibus fuluta: capta denuo loca omnia ac præsidia: illi autem, vnà cum Mysorum, nunc quoque Triballorum Imperium triumpho agant, ac suæ reportent factum ditionis: tantillo nobis concesso respirandi otio, donec adversus illos negotium habuerunt. At vbi semel res illic composuerint, ad nos terribiles revertentur; tuncque petent non Callipolim, neque tributa scrupulosiùs exigent, aut ne segetibus sive vineis comminabuntur immissuros militem: sed exigent libertatem, vtque pati nos atque alij forte, eorum nos agnoscamus subiectos dominio.

Turcorum primis ipsis initiis ac Christianorum adhuc integris rebus eò consilia, tum facinora.

Mysi, Triballi, ac postmodum Græci, à Turcis subiugati.

Quid rogo tunc temporis consilij dabunt sic vbique faciles isti, ac quibus excepto quod est præsens nihil propositum sit? Sanè quidem vt sicut modò cedendas Barbaris res nostras, ita & tunc eorum subeundum iugum hortati fuerint, bonos vtique cives ac dignos Reipublicæ defensores se prodituri sunt. Sin autem quod est rationi consentaneum Deoque placitum, atque vt verbo dicam, vniversorum hominum suffragiis comprobatum; sed & nobis consuetum, ac iis quæ à principio civitas designavit, & gloriæ congruum hoc velint consulere, nimirum retinendam esse libertatem, omniumque maximè terribilissimam ducendam servitutem; vt quid modò admonent, quod eius tunc temporis consiliis destructuri sunt? Perspicuum enim est, cum bellum tunc consulent perferendum, pecuniarum itidem, atque hominum, sociorumque, & locorum, atque portuum, omniumque absolutè negotio conducentium accessionem esse cogitaturos. Tunc verò qui tunc provisuri sunt, vt quæ desint comparare possimus, ipsa modò habita sponte ablegabunt? ac quærentes accessionem, voti se compotes fore subtractione arbitrabuntur? Siquidem enim omninò bellum gerendum est, planè præstat rebus instructos rem aggredi, non de industriâ eas minuere, cū quibus necesse est commodiùs geri, vt & cum socijs. Præterea si quis adeunda pericula dicat, ita vt pecuniæ suppetant, non vt pauperes simus; ac omninò vt quàm maximâ licuerit rerum copiâ instructi simus; cæterùm, quod Callipolis oppidulum sit metropolis autem sit civitas maxima, ideircò quod minus est dimittendum esse pro eo quod est maximum: primùm quidem stultum iudicare res ex magnitudine, ac semper, quò maius aliquid, eò melius putare, deteriusque, quod minus: velut si quis membrorum corporis oculum deterrimum arbitretur, quòd vtique sit mole minimum, vel eos qui prægrandi sunt corpore, illis meliores existimet, qui sunt modico, ac iustæ staturæ. Sic itaque quod ad Callipolim attinet, nedum ambitum ac numerum turrium oportet spectare; verùm etiam reputare opportunitatem loci, vtique velut arx magnæ huius civitatis videatur: ac quandiu quidem illam tenuimus, cùm Chersonesus, tum Thraciæ vrbes palam nobis obedirent: ex quo autem eam tenuerunt Barbari, tum illa defecerunt, tum eò redacti sumus, vt quotidie nunc de salute sermones conferamus: grande adeò ad vtraque momentum habet parvum hoc præsidium: vt si missâ magnitudine vtilitatis habenda sit ratio, haud multum quis referre inveniat, vt ea tradatur, aut prodatur patria.

Callipolis, vt parua civitas at magni momenti.

Præterea, siquidem eam petentibus Barbaris contradicere non audemus, veriti illorum potentiam, dicat quis quid vetet, vt ne secundò ac tertiò petentibus obsequamur? quandiu enim cessaturos illos iniuriam facere, nemo sit qui possit persuadere, nos quoque necesse erit illorum veritos potentiam, hisce sermonibus assentiri. Qui enim semel hostium stupens potentiam, obedire assuevit, haudquaquam minora quidem concessurus est, inque maioribus contentione actutus: quinimò simili omnia ratione feret, quandiu præpotentium potestatem suspectam habebit. Quamobrem, nedum de Callipoli, sitne illa dimittenda, præsens nobis deliberatio est: verùm etiam de ipso vrbis solo; ac si qua omninò reliqua sunt. Haud itaque operæpretium sic deiectis animis vniversa Barbaris cedamus: sed vt etiam quandoque conducibilius resistere putemus, arbitremurque artis quadam subtilitate ac periculi faciendi causâ, hæc ab illis proponi: vt siquidem restiterimus, resque nostras defenderimus, palamque fuerit haud permissuros agi nos atque ferri, aliud quid ex eorum rationibus futurum quærant: sin autem ob formidinem concedamus, deinceps iam ceu quorum deiecti sint animi, nihilque non simus concessuri, ita habituri sunt; omnibusque ablatis, tandem ad liberos, vxoresque, ac pretiosissima, ipsamque adeò patriam procedent. Non enim qui sic in minoribus impudentiâ agant, in maximis noverint esse subtij: sanéque vt hæc concesserimus, haud video vt & tunc eadem nobis impositâ necessitate, haud eâ ratione confici velimus, omninò obtemperandum esse quicquid demum præcipiant Barbari. Sin res ita habet, prudentia consilij erit, priusquam dando quotidiè negotium nobis facessatur, vt vniversis simul ac semel nullâ pugnâ dimissis, malorum, quæ intermedia sunt, periculum, lucri faciamus: vti arbitror potius vno confectum vulnere mori, quàm vt paulatim corpus consumatur. Siquidem ergo qui ventura hæc perspicuè sciatis, futurum quidem suscipitis; omninòque decrevistis nihil quicquam moliri, aliud hoc fuerit: ac liquet, ne bestiarum quidem, multò minus humanæ eas mentis cogitationes videri. Quippe vniversis à naturâ inditum, vt sua servent, ac quoad licuerit adversus eos, qui vim inferant, depugnent. Quin & infima admodum animalia, robustè in animalium potentissima irruere videas, cùm ea nocere tentaverint; quò vel iniuriam prohibeant, vel moriendo se vlciscantur, ceu aliud quoddam obsequij genus naturæ illatura, cuius sit lex vt salva illa curet.

Haud committendum vt videatur timere hostem.

Vniversis inditum à naturâ vt se defendant.

Quod

Quod si Callipolim iniquæ Barbaris cupiditatis terminum fore arbitramini, eáque captâ concessurus existimarit, vt liberè reliqua habeamus: sciat quisquis hæc somniat, procul se à verò aberrare. Qui enim multa adeò, quà promittit, quà comminatur, vt eius efficiatur Dominus; quid non facturus putandus sit, vt vrbium maximam, ac cui nihil simile occurrat, ditioni addicat suæ, tantâque opum ac gloriæ accessione, res suas cumulò exornet? Qui ergo non stultum, vt qui videamus sic studiò vendicantem parua, quæ maiora sunt, neglecturum putemus? Velut nimirum, si quis aliquem videat vel vnius oboli cupidum vapulare sustinentem, eumque existimet talenta vltrò spreturum. Insania ac dementia talia sperare. Quin imò, ita naturâ comparatum est, vt crementa ac accessiones cupiditatem hominibus augeant, ceu iis, qui sint fini propinquiores, cuius ergo vniversa designant.

Rerū accessione cupiditas crescit.

Nisi ergo Barbarorum cupiditatem irritare vultis, obnitendum est iis quæ petunt, vt ne in aliis molestiores experiamur: neque hoc percontemini, æquúmne sit servantes Callipolim, messem amittere, quò referentis omnia, nostrorumque alios laborum dominos facere: nec vitium cladem sic gravem reputare, vt non desint qui membra sibi, quàm illas exscindi malint. Equidem grave arbitror ac triste id damni, nedum nobis qui sustinemus, sed & vniversis quotquot tempora in eiusmodi necessitates coniecerunt: enimuerò virorum sit, vt non solum præsens attendant, idue curent quod modò triste habet: sin autem peius aliquid in futurum repositum sit, illud aut non prospiciant, aut neglectu, fortunæ permittant: quin potiùs, quod præsens levius triste est, gravissimo postmodum periculo futuro præeligant. Nam esto, demusque Callipoli traditâ collecturos nos messem: sic quidem, hocce vno duntaxat anno vbertate fruemur: tametsi fortè dicat aliquis, ob malam Barbarorum fidem, rem incertam esse. Cùm enim multa sæpe polliciti essent, contrarios pollicitationibus fines intulerunt. Concedo nihilominus servaturos pacta: haud enimuerò omne sæculum, præsens annus erit: quin potiùs ille quidem consummabitur, ac fruges consumentur; rursumque virescent segetes; ac res imbecilli statu erunt; Barbarique venient velut febris periodus, ac escas ipsi necessarias habebimus: Quid ergo tunc sumus daturi, quò liceat fruges inferre? Selybriam dicet quis aut Perinthum, velut illi qui substantiæ semper reliquum oppignerant.

Absonū leve malum præsens gravissimo in futurō redimere, ac messem annuam vrbium traditione.

Enimuerò neque nobis infinitæ sunt vrbes, quibus datis annis singulis messem ac vindemiam redimamus, neque Barbari concessuri sunt vt gratis in deliciis vivamus. Superest ergo vt veniatur ad id quod est caput, illis quidem; flagitantibus vrbem ac libertatem: hæc enim postrema restant: nobisque non valentibus contradicere, vt quibus fruges ac messis obturent ora. Quamobrem necessariò sumus in servorum redigendi sortem. Neque enim ego aliud quid medium video, huiquæ Barbarorum cupiditatis, & vt ipsi nolimus fruges amittere. Atenim his quoque exceptis timeo, ne qui fruges annuas vehementiùs desideramus, longos deinceps annos fame confici cogamur. Nunc quidem tametsi non metamus, advehet mare, quas alij fruges messuerint: idque non rarò scimus contigisse, vel adversis cœlorum influentiis prohibito terræ fœtu, vel etiam ab hisce adversariis læso, id præstantibus quæ modò facturos comminantur. Iis namque casibus, agrorum loco, mare nobis succedit: suntque nostrûm plures qui terram arent ac serant: multi verò etiam qui de longinquis necessarium nobis commeatum invehant: Sæpiusque, cùm civitas vicinæ regionis fruges non iomlisset, maiori tamē annonæ vbertate vixit: ac planè præcipuum quo hic alimur: à mari ac mercaturâ pendet, vtque illo excedamus, cogemur famem continuam pati. Quis verò nescit, vt mox Barbari Callipolis oppido potiti erunt, annonæque ac cõmeatûs extiterint domini, fore vt ne vlla frumentaria navis, aut ve quid aliud necessariarum mercium advehens, ad vrbis portûs appellatur? Quis enim, vt ne alij patiantur famem, pericula adire velit? Quippe necessum est, vt qui portûs nostros petiturus sit, multa pericula subeat, Barbaris illic iugiter ad fauces incubantibus; navibusque, ac triremibus, aliisque navigiis, prohibentibus iter, ac malè tutam navigationem reddentibus. Quocirca vt secus aliquid anni tempestates habuerint: Nec enim fieri potest vt pro voto res semper succedant agricolis; irremediabili fame necessariò conflictaturi sumus, cùm neque alij apud nos possint solvere, neque nos inde possimus navigare: sicque fiet, vt qui anni præsentis molestias effugere quærimus, in immensa mala prolabamur, totamque vitam famem patiamur: quod cùm natura minimè ferre possit, superest, vt vel miserè mortem oppetamus, vel miserè magis ducamus vitam, ipsi nos, mœnia tradente.

Quid ergo? Bellum geremus, idque tu iubes? Enimuero vicissim respondeam: Quid ergo? Serviemus, vosque agitis vt ita babeat? Verùm enim neque ego vos vnquam libertatis proditores dixerim; neque ego, quandiu liceat pacem agere, auctor vnquam fuerim vt præoptemus bellum. At si vos eò res ducant, haud æquum consiliarios cogitare, ac ratione dispicere, quid illæ velint. Nequaquam tamen sic temerè homines, pacem eligunt, aut bella; verùm in quo magis eorum sit constituta salus, ac quo præcipuè votorum compores fiant, hoc demum alteri anteponunt. Nam & bellum gerimus vt saluti consultum sit; amplexamurque pacem, vt per eam res nostras liceat servare. At pacem agere, quâ simus omnia amissuri, haud aliud sit quàm speciosò eiusmodi nomine quod reipsâ est turpissimum, pati. Siquidem ergo agentibus quietè, rebus propriis frui liceat, ipse quoque in eorum concedo sententiam, qui nihil anxiè inquirendum monent. Sin autem verbo tenus constat pacis venerabile nomen, resque ipsa bellum gravissimum est, quomodò iure iis succenseris qui bellum suscipi iubent, in quod ipsa nos rerum necessitas vel invitos cogit? Quod si quis belli discrimina ac difficultates animo reputans inferre bellum detrectet; fuerit quidem ac dicatur alio rerum statu timor iste animi sobrij: hic autem, nihil non dilario turpissimum habet. Quid enim non is meritò probri auditurus sit, qui præter libertatem, aliis quoque vniversis privatus bonis, ne quidem tunc moveatur; sed inani spectro, quod adhuc superesse putat, affectu adhærens, illius ergo cùm eis fœdus inire longere velit, qui cuncta abstulerunt? quique servili vitâ, bono aliquo vel mediocri potiturum se arbitretur; ac neque hoc cogitet, ita servos comparatos esse, ac eam eorum sortem, vt nullis fruantur bonis, sed simul omnia dominis concedant.

Quamobrem vt spes vlla sit, reportaturos nos, quæ ex immensâ quadam pigritate ac ignaviâ amisimus, suscipiendum bellum, nec quicquam rationibus subducendum: non reputandus labor, non periculum, non sumptus, ex quibus ad commodiorem fortunam reddituri simus, ac eò iustè vlturi, qui volunt in servitutem redigere, ac tot iniurias intulerunt. Sin nullum belli eventum bonum ac finem speramus, sed necesse est desiderio frustratos perire, ne ea quidem mors spernenda, quæ honesta sit ac honorabilis, nec gloriâ careat: quam etiam fortes multi ac strenui viri percupierunt, tum viritim ipsi, tum per vrbes. Quid enim ad honestatem honoremque maius, iis qui servarint quod iustum esset, ac pro patriâ, proque civibus, suæmet ipsorum animæ, periculum prætulerint, ac mori, quàm turpe aliquid sustinere maluerint? Nam mors quidem, cen communis quidam terminus, procreatis omnibus, proposita est; nec fieri potest, vt quis eam caveat, vel si totam vitam otium captet; ac cum virtute atque gloriâ mortem oppetere, id iam quidem paucis à Deo præmium conceditur, sitque virorum, tùm concessum rapere, tum vitæ gloriosum finem imponere. Haud sanè decet, quod communi omninò

ac necessariâ forte futurum sit spectantes, quod est honestum virtutemque negligere: verùm vt casus ferat haud vtraque accipi posse, virtutem sanè omnimodis colamus, quá nulla habentibus commodior existit possessio. Tametsi hic haud nihil omninò fausti sperantes sumus, bellum suscepturi. Primùm quidem, quòd ius à nostris partibus stet; quodque vt aperto marte cum eis fuerit conserenda manus, nostra semper victoria fuerit, iamque olim Romani, eos subiectos habere consueverint. Ante omnia verò illa in Numen religio, quæ Deum maximè hominibus propitium reddit, multum nobis momentum afferet, atque in bello auxilio erit.

Suis prædictor augurator victor. &: seu ostēdit quo posse sperari.

Præthereà, ea quoque Imperia, quæ tyrannicâ vi plurimùm promoverunt, haud quis rarò in seipsis laborare videat, plurimaque circumferre occulta illa caduca, quorum vt quis periculum fecerit, ac bello tentaverit, minora quàm pro eorum gloriæ opinione invenerit: multaque aggredientibus, quibus ea destrui possint, argumenta occurrent. Testes sunt qui à suis modò defecerunt, eisque palam bellum intulerunt, quibus vt quis iubeat, nonnullisque pecuniis ac belli subsidio eorum conatûs roboret, ac sociam alacritatem ostendat, apti fortè bellatores effecti, in suos convertantur, sibique mutuò inferentes bellum, vel nihil, aut quid modicum nos lædant. Quin & Tribali destinarunt legatos, rogantes vt communi consilio communes hostes vlciscamur, ac nuptiarum societatem ineamus, pollicentesque pecunias, quibus nos excitatum iri sperant: quos firmam belli societatem inituros putandum est, quòd & ipsi experti sint Barbarorum iniuriam: haud verò dicat aliquis eo fine, vt nostras iniurias vlciscantur, aliásque, quæ nunc quidem grave sit sigillatim dicere: quæque nihilominus omnia motum bellum liquidò declarabit. Haud sanè æquum, incidentem eiusmodi rei gerendæ occasionem dimittere, verùm quia ne volentes quidem Barbari permittunt quiescere, sed est necesse vt sedentes ac otiosi, servorum fortunam subeamus, vtendum occasionibus, ac alacri audendum animo, vt vel patriam ac gentiles nostros libertate donemus; ac vel certè strenuum quid ac præclarum designantes, virtutis monumentum posteris relinquamus. Quòd si putatis, fore, vt tradentes Callipolim tutò patriam habitemus, timeo ne brevi eam ipsam amittentes, ne solum quidem in quo habitemus deinceps inveniamus. Quis enim eos qui sua ipsi prodiderint, in suam ipse patriam permittat ascendere: Quis tanti sceleris consutores auctoresque, honestæ vlli actioni comparatos existimabit? Enimverò quotquot nostrûm contingent Barbarorum manûs effugere, obscuri ignotique in extraneis provinciis sumus vagaturi: sin autem agnoscamur, omnium nos diræ, & vituperia risusque prosequentur. Eosne videri par erat in conventum admitti? prorsus autem ducere spiritum? qui vrbe tantâ potientes, tam multis divitiis, tantâ potentiâ; qui maris ac terræ domini, solóque imperio omnia valentes conficere; illam omnem substantiam molli victu, ac dormientes, luxuriantesque consumpserunt; tandemque ipsam patriam prodentes, nunc ceu commune quoddam piaculum circumeunt? pestes quædam, morbique contagio alios inficientes? Nos autem, ne quo contradicamus quidem habebimus. Iustæ enim vituperationes ac criminationes, libertatem omnem excusandi auferent; ferre autem sic exceptos, quá non calamitate molestius? Quapropter necessum vt vrbes fugiamus: fugiamusque conventûs, atque nos in antris quibusdam abdentes, vitam agamus, celantes patriam ac mortem in votis habentes. Haudquaquam verò si mihi credetis. Enimverò, sin priùs hactenusque, modò saltem omni penitus Barbaris negatâ fide, certóque persuasi, eò sua omnia consilia dirigere, vt nos redigentes in servitutem, ipsi res auferant nostras, mancipiorumque obsequiis ac necessitatibus subiiciant corpora, nedum à præsentibus vos consiliis abstinete: quin & vrbi malevolos existimantes, eos qui nobis talia audent consulere, mittamus Callipolim præsidiarios, quique necessaria omnia ad vrbem tuendam provideant pariter ac agant, quò eius firma possessio vrbi maneat: nosque virili assumpto animo facilè contingat vindicare patriam. Dixi quod conducere arbitror: vos eligite quod è re communi futurum sit.

HIERONYMI A SANCTA FIDE,

EX IVDÆO, CHRISTIANI; contra Iudæorum perfidiam & Talmuth; Tractatus sive Libri duo.

AD MANDATVM DOMINI PP. Benedicti XIII. facta relatione anno Domini 1412. mense Augusto, in Hispania.

DE HIERONYMO A SANCTA Fide, & eius libris per M. D. L. B.

VNVM quidem inter huius Bibliotheca Patres videri possit, ac forsan minus bene audire ob Schisma Petri de Luna, cuius medicus fuit, tum & quod Bibliothecariorum nulli ne de nomine quidem cognitus, & non admodum necessaria opera, versatus in eo argumento in quo post Iuliani Pomerii Archiepiscopi Toletani, Rabbi Samuelis Israelita, & Gregentii Archiepiscopi Tephrensis, scripta & disputationes contra Iudaeos, pene nihil desiderari posse videatur. At cum illi tamen patres antiquiores non nisi ex scriptura, contra Iudaeos egerint: hic vero ex Talmudistarum Rabinorum (Iudaicorum scilicet sapientum) scriptis, non modo ridendos Iudaeos nobis propinet: verumetiam vt sine sacerdote & altari, sic sine vlla religione agere conuinceat: eoque facilè videatur, Paulo de S. Maria, Burgensi Archiepiscopo, Galatino, & posterioribus aliis in eo scribendi genere praluxisse: cessi demum non inuitus, illis prioribus rationum momentis, & in hac Bibliotheca (ornatum pluribus locis & emendatum) locaui. Talmudici autem operis stultitias innumeras, hereses, & blasphemias contra Mosaicam & natura Legem, Dei maiestatem, Christum, Angelum Gabrielem, & testamenti veteris Sanctos, cum Indice locupletissimo complexus sit Sixtus Senensis, Bibliotheca sancta libro 2. hic vero author fidelis doctus, & pius, ex Talmudicis Iudaeorum Rabinis fideliter collegisset multa tam infanda & turpia vt nihil supra li. 2. ca 1. de primi parentis bestialitate, & turpitudinis portentique plenâ staturâ & aliis rebus: Ea non modo vt superflua, consulto, verumetiam conscientiâ vrgente coactus expunxi, ne Christianas mentes & aures offenderent. Idipsum quoque Iudai, sensatiores egisse in suis impressis codicibus teruntur: quamquam tamen etiam hodie multa id genus in eis supersint, iusto in eos Dei iudicio qui cum Christum (ipsam veritatem) abnegauerint, ad horrenda illa dogmata, etiam Mahumetanorum iudicio damnandi non exhorreant. Quam etiam ob causam, & vt facilius apud te (ô Lector) inueniret fidem quod in calce descriptum est elogium: supra 5000. Iudeorum ex huius

libri

A

libri recitatione venisse ad Christum; plurà illius generis, scilicet bestialissima & horribilissima dogmata (quæ, ut audiat, nullum Christianum pati posse, ipsorum Author non negat) toto posteriore tractatu, non ingulavi.

HIERONYMI A SANCTA FIDE,

TRACTATVS PRIMVS, ad convincendum perfidiam Iudæorum.

B

Benedictus 11. (sedit) Avenione in schismate contra Bonifacium 9. & M. ann. plus minus 30.

HÆ *sunt rationes, quæ coram sanctissimo in Christo patre & Domino nostro, domino Petro de Luna, in sua obedientia,* Benedictus, *divina providentia Papa XIII. appellato, præsentibus dominis Cardinalibus suis, præclaris in sacra magistris, Doctoribus, aliisque multis notabilibus personis, in mense Augusto, Anno Domini M. CCCCXII. Pontificatus sui anno XVIII. per spectabilem virum Magistrum Hieronymum de sancta Fide, ipsius domini Papæ medicum, contra Iudæos, de quorum genere fuit, Messiæ Iesu Christi adventum negantes, proposita & probata fuerunt. Qui quidem, illis probare intendit, & per dicta sanctorum Prophetarum, & per Doctorum seu Rabbinorum authenticorum, authoritates, qualiter Messiæ adventus, per dicta Prophetarum pronosticatus & annunciatus, debebat esse in eodem tempore; & cum illis conditionibus, actibus & titulis, quibus Domini nostri Iesu Christi adventus proculdubio extitit conditionatus. Et quia nec per sacram scripturam, nec alias, quoquo modo reperiri potest aliquem fuisse in mundo, habentem omnium illorum titulorum conditionem, ornatum, & decorem, nisi Christum: necessario adversus illos in præmissa præsentia Apostolica fuit conclusum, eundem Dominum nostrum Iesum Christum fore Messiam ac verum humani generis Salvatorem, in Lege Dei, & per omnes Prophetas promissum & annunciatum. Et quamvis in erronea doctrina per dictos Rabbinos ordinatâ, & per Iudæos ad præsens observatâ, quæ Talmuth appellatur; quam plurimæ vanitates, hæreses, & abominationes sint inserta, non solum adversus Legem Evangelicam, verumetiam adversus naturæ & Scripturæ legem, divinam bonitatem, essentiam & omnipotentiam; propter quæ, prædictum Talmuth & observatores illius nimirum veniunt acriter puniendi: Tamen cum toto hoc, intentio domini nostri Papæ, pro nunc non est, nisi solum iubere, quod per proprias suorum Doctorum authoritates, eis probetur dictam conclusionem fore veram: scilicet, Dominum nostrum Iesum Christum esse fuisseque verum Messiam, & in Lege prophetatum, quem ipsi præstolantur: Quæ quidem rationes, in sequentibus duodecim articulis summatim & demonstrative continentur.*

C

D

Capitulum Primum Tractat & ostendit, quæ sint illa in quibus Iudæi cum nobis Christianis conveniunt & sunt concordes, in quibusque discordes; & qualiter omnis ista discordia dependet ab illa opinione vel dubio, Vtrum Messias venit, sive non.

Secundum Cap. probat, quod tempus adventus Messiæ assignatum erat in fine templi secundi & paulo ante illius destructionem.

Tertium Cap. probat, quod ipse Messias in civitate, Bethlehem nuncupata, de terra Iuda nasciturus erat.

E

Quartum Cap. quod dictus Messias & Salvator de quadam Virgine nasciturus erat.

Quintum Cap. quod dictus Messias debebat esse filius Dei, & non alterius patris carnalis, eo quod est eadem essentia divina cum Patre Deus unus: & quod debebat esse verus Deus secundum divinitatem, & verus homo secundum humanitatem.

Sextum Cap. probat quomodo fuit ab Abrahæ tempore prophetatum, quod Reges Orientis de gente Saba, ad regem Messiam adorandum venturi erant, aurum, thus, & myrrham oblaturi pro muneribus,

Septimum Cap. probat quod ante adventum Messiæ, omnes animæ generis humani descendebant in infernum, propter peccatum primi parentis: & quomodo propter dicti Messiæ passionem & mortem, animæ iustorum, quæ ante ipsum fuerunt, redemptæ fuerunt ab infernis, & in æterna & spirituali gloria collocatæ fuerunt, & quod dicta passio & mors Messiæ, causa est quod animæ omnium illorum qui crediderunt in eum, ab inferni damnatione serventur.

F

Octavum Cap. probat, quod Messias post tres dies passionis eius habet resuscitare, & postea ascendere in cœlum, atque sedere ad dexteram Dei Patris.

Nonum Cap. quod Messias legem atque doctrinam novam daturus erat, & habebat annullare omnia sacrificia quæ antiquitus fiebant in Templo, excepto sacrificio panis & vini; & licentiare & absolvere ea, quæ ceremonialiter in lege Mosaica prohibita erant, veputa comestibilia, & huiusmodi.

Decimum Cap. probat quod post Messiæ adventum, idololatria erat omnino cassanda de mundo, ita quod Deus per omnes gentes erat cognoscendus, & quod gentes erant ab eo principaliter salvandæ, ex quibus erat novum populum creaturus, & sacerdotes etiam ad sanctum Dei servitium ducturus, & post eius adventum, erat per baptismum aquæ & spiritus salvatio fienda.

G

Vndecimum Cap. probat quod conversatio Messiæ, in humilitate & paupertate nobiscum futura erat. Itaque super asinum, ad templum in habitu pauperis venturus erat, & plurima vulnera & passiones passurus.

Duodecimum Cap. quod eius adventus habebat primo per Ioannis prædicationem in deserto nunciari; & quia Iudæorum captivitas fuerit propter ingratitudinem, quam Iudæi erga eundem Messiam habuerunt, quemadmodum gratis nuncupatur, & quod ab inde vltra Deus clausit cœlum, ne aliquam orationem exaudiat Iudæorum, portas tamen conversionis vere pœnitentibus, & baptisari volentibus reserabit, & apertæ sunt.

Nunc autem cuiuslibet articuli intentionem cum Dei adiutorio conabimur declarare.

CAPITVLVM I.

H

In Quibus Iudæi cum Christianitate conveniunt, & in quibus discordant, & quod omnis controversia consistit; utrum Messias quem præstolantur, venerit, an non.

MAnifestum est per Philosophum, prout recitat Galenus in vndecimo *de ingenio*, & in primo, *de morbo accidente*, quod est necessarium vnicuique super quocumque actu habenti disputare, vt quodvis principium proponatur ab ambabus partibus concessum, super quod eorum fundetur disputatio. Verbi gratia si duo medici disputabunt: *Vtrum in corpore hominis febrem tertianam patientis, phlebotomiam fieri sit necesse:* necessarium est, vt omnes sint concordes in hoc; Quod est quidam languor qui dicitur febris tertiana, qui quidem

ex colera est in corpore humano conceptus, quandoque intus inveni, quandoque foris; & quod humor ille ita peccans, è corpore sit evacuandus necessario. Hoc itaque ab omnibus concesso, venit quæstio. *Vtrum in languore huiusmodi, phlebotomiam fieri expediat necne:* & vterque ipsorum, pro suæ opinionis defensione, suas rationes poterit allegare. Ac simili modo fit in quæstionibus, & oppositionibus diversis quæ sūt inter Hebraicas observationes, & doctrinas datas per Messiam in novo testamento: principia etiam per omnes concessa, & ea in quibus omnes concordamus, de quibusque fidem facimus ad fundamentum, principaliter tria sunt.

Primum est, dare authoritatem & plenam fidem omnibus Prophetis, tam quinque librorum Mosis, quam cæterorum omnium Prophetarum, in tantum, quod quilibet, Christianus sive Iudæus existat, qui aliquid huiusmodi negare præsumpsit, proculdubio hæreticus censeatur. Secundum est, quod credat quod Deus habebat mittere Messiam, ad salvandum. Hic est vnus, de tredecim articulis quos Iudæus credere tenetur, pro vt magister Moyses de Ægypto, & alij multi Iudæorum Doctores enarrant: Inter Christicolas vero non est dubitare, vel non est dubitatum, tota enim Catholica fides, super isto fundatur.

Tertium est, quod idem Messias, de stirpe & linea David esse debebat: & in hoc non est stare necesse, est enim manifestum, & ab vtraque parte concessum. Sed ostensis in quibus concordamus, & in quibus discordes sumus, videamus propter quæ sequitur tanta discordia & extrema separatio inter nos & illos. Si particulariter hanc discordiam consideremus, in multis illam & diversis causis numeremus, tum in sensibus præceptorum veteris testamenti atque in verbis Prophetarum, tum in ceremonijs per Iudæos observatis, tum in rebus in novo testamento & in Evangelijs sacris, tactis, ac omnibus actibus quos ponit sancta catholica fides in Domino & Salvatore nostro IESV CHRISTO potest reperiri. Attamen in genere illa sumere volentes; videtur prima facie verisimile, quod omnia ad duo puncta principalia possunt reduci. Primum; quod Mosaicam legem Iudæus materialiter observat, & secundum expositiones per magistros Talmudistas, ordinatas. Christianus non eandem legem materialiter observat: sed eam intelligit secundum doctrinam per verum Messiam IESVM-CHRISTVM in Evangelio sibi datam, & eius Apostolos prædicatam. Secundum punctum est, quod Messias iste filius sit David per vtramque partem expectatus. Dicit Iudæus quod nondum venit: Christianus vero, eundem iam venisse testatur, qui quidem fuit ille Iesus Nazarenus, qui in Bethlehem civitate tempore regis Herodis & templi secundi natus est. Ista duo puncta, generales quæstiones, vniversas discordias, particulares controversias, quæ sunt inter Christianum & Iudæum videntur continere. Sed tamen, si bene etiam consideramus, vltimam definitionem resignare volentes, reperiemus quod ambo duo puncta revertuntur in vnum. Quæstio namque observationis Moysaicæ legis, vtrum secundum Iudæum debeat materialiter observari, aut spiritualiter secundum Christianum, ab illa eadem quæstione dependet, vtrum Messias venerit an non. Si Messias nondum venit, pro vt Iudæus opinatur: recte ac licite Iudæus Mosaicam legem materialiter observat, pro vt à suis antiquis prædecessoribus & magistris fuerat observata: quia secundum eius opinionem, aliquis nondum venit qui secreta eiusdem intellectus & observationis eidem Iudæo spiritualiter aperiret. Sed quia Messias (pro vt Christianus credit & affirmat, ac veritas est) iam venit; lex eadem, iuxta eandem doctrinam, tanquam ab ipso data spiritualiter debet observari. Quædam namque Messiæ conditionum, conditio est: quod legis præcepta declaraturus erat, qualiter intelligi & observari debebant. Et de hoc est quædam authoritas posita per magistros Talmuth, in prologo libri qui dicitur *Lamentatio magna*, vbi sic habetur: *Futurum est quod Deus sedebit, & curam iustis intentionem Legis atque secreta prædicabit, & per manum Regis Messiæ reserabit.* Vnde sequitur & veritas est: quod quæstio nostra & controversia cum Iudæis, est quærere & investigare diligenter, vtrum ille verus Messias fuerit an non. Cum ergo sit istud principale punctum, in & super quod cunctæ variationes & diversitates quæ sunt inter nos & Iudæos circumferuntur: convenit, principaliter de illo disputare, & idem fundamentum examinare: tanquam illud quod est tempore primum, & vniversorum dictorum sequentium fundamentum, imo omnium & quarumcumque quæstionum, quæ inter Christianum & Iudæum possunt reperiri. Quoniam quidem loquendo in eo quod est principalius disputationis nostræ: dico quod nostra fides catholica tenet, de homine illo qui natus fuit Bethlehem in civitate Iuda, tempore Regis Herodis; & XXXIII. annis post eius nativitatem, & XL. annis ante finem Templi secundi fuit crucifixus, mortuus & sepultus, descendit ad Inferos, tertia die resurrexit à mortuis, & ascendit ad cœlum: fore atque fuisse verum Messiam, in lege atque per Prophetas à Deo promissum. Et vt dicta conclusio plene & perfecte probata sit, eandem regulam in illo servari oportebit, quam bonus chirurgus in curatione vulneris servare consuevit: Quandoquidem vt ipse sanetur infirmus, necesse habet idem chirurgus aperire & instrumento indagare: imo si possibile sit omnes angulos inspicere vulneris vt corruptio & omnis putredo tollatur: Quo facto, tollet medicinas consolidationis vulneri, & super imponet id quo membrum taliter vulneratum ad pristinam valeat reduci sanitatem. Et hæc est intentio Oseæ Prophetæ vbi ait: *Cum sanare vellem Israel, revelata est iniquitas Ephraim, & malitia Samariæ.* Idcirco, vt sequatur hæc regula & verificatio dictæ conclusionis: oportet omnes argumentationes recitare quas Iudæus contra dictam poterit facere conclusionem; & causas quæ ipsum in errorem hunc impellunt, reserare. Iudæus namque contra dictam conclusionem poterit arguere, dicens: nunquid ignoras tu, Christiane quod Messias habuit solvere populum Israel? Illis namque salvatio proxima est sicut scribitur per multos Prophetas, sed homo iste de quo agitur, fecit contrarium, quia statim post eius adventum venerunt Romani, & regnum eorum destruxerunt, civitatem & templum, ac magnam partem populi gladio interemerunt, residuum vero in hodiernam captivitatem posuerunt: ergo ille non erat verus Messias in lege promissus. Item arguet sic: Vna de conditionibus quam in diversis sacræ scripturæ locis Prophetæ sancti sæpissime prophetarunt, fuit; quod Messias debebat Israëliticum populum congregare & receptare gentes in Israël, velut Dominum: vnde secundum hoc erat expediens quod tempore sui adventus, Iudæi positi essent in captivitate de qua ipse Messias trahere debebat eosdem & reducere in Ierusalem. Sed iste quem dicis fuisse Messiam, fecit contrarium: quia quando venit, Iudæi erant in Iudæa & Ierusalem, in bona tranquillitate, cum Herode eorum Rege: Et paulo post eius adventum, fuerunt ab eorum inimicis expugnati victi & destructi, à patria expulsi, & per diversas mundi partes dispersi ac positi in captivitate: ergo non erat ille Messias. Item arguet tertio: Messias debuit ædificare templum, vt habetur Zachariæ 6. cap. dum loqueretur de Messia. *Ecce* (inquit) *vir: Oriens, nomen eius: & super eum orietur & ædificabit templum Domino.* Et ideo secundum hoc, in tempore sui adventus, templum debebat esse destructum, sicut est hodie vt ipse veniens reædificaret illud: Sed vice versa, quando iste venit quem tu asseris Messiam, templum in tranquillo statu florebat, & mox & post XL. annos ab eius passione combustum est & omnino destructum: ergo non erat ille Messias. Quarto arguet: ille quem tu dicis esse Messiam operam dedit vt Legem novam perhiberet, per quam

Echa rabba.

Quamodo rationes Iudæorū contra fidē Christianam.

quidem

quidē plurima mutavit Moysaicæ legis, quæ lex & eius mandata vsque in sempiternum servari debuerunt, attestante Malachia cap. vltimo suæ prophetiæ, in fine. *Memento (inquit) Legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Oreb ad omnem Israel, præcepta & Iudaica.* Ex quibus verbis, appaeet quod illa Lex minime debuit immutari, sed ille quem tu opinaris fuisse Messiam, mutavit illam, ergo non erat ille Messias. Istæ sunt argumentationes quas Iudæus contra Christianum facere poterit, adversus dictam conclusionem. Omnes tamen istas argumentationes liquide possumus & realiter solvere per verba textus, & authoritates, quas cum Dei gratia consequenter proponam. Dico tamen vobis in genere, quo ad præsens: quod causa vnde Iudæo errores isti & alij multi proveniunt, est, quia Iudæi sacræ Scripturæ vocabula materialiter acceperunt: de spirituali autem significatione nil penitus attendentes. Quam si ad plenum per libros de Talmuth & Magistrorum suorum authoritates vestigarent: ad literam liquide reperirent, quod hæc vocabula, scilicet *Sion, Israel, Ierusalem, mons Dei, Templum Domini, civitas Ierusalem*, & alia huiusmodi: quamvis secundum literalem sensum res materiales atque terrenas aliquando significare videantur, secundum tamen moralem sensum, spiritualem habent aliam significationem: quæ vtique sublimius, atque melle & favo dulcius ab homine interiore degustantur. Quarum moralium significationum, Rabbi Moyses de Ægypto, in primo libro suo cui nomen, *Maddahach*, maximam partem in lectionibus de pœnitentia, cap. 8. describit, vbi sic ait: *Præmium quo nullum sublimius est, & bonum post quod nullum aliud bonum est, quod quidem omnes Prophetæ desideraverunt, multis nominibus illud sacra Scriptura vocat, scilicet mons Dei, tabernaculum Dei, voluntas Dei, templum Dei, domus Dei, porta Dei, &c. Doctores autem, prandium vocant illud, necnon & mundum futurum*: Hæc ille. Item habentur in Talmuth in locis diversis: *Ierusalem inferior est in pari, vel in fronte, Ierusalem supernæ.* Et Rabbi Salomon, in glossa, in libro de Sanhedria, capitulo quod incipit: *Omnis Israel*, dicit quod illa Ierusalem quam spiritu prophetico ædificavit Ezechiel Propheta in fine suæ prophetiæ, intelligitur de cœlesti Ierusalem. Item habetur in Genesi Rabba (id est, Genesi magna) in quadam authoritate quæ expressabitur vltra, in 8. cap. quod dicit Rabbi Osna, quod istud nomen *Syon*, quod nominatur *Tysaia*, significat paradisum, vbi ait: *Et redempti à Domino, convertentur, & venient in Sion cum laude, & lætitia sempiterna super caput eorum.* De isto vocabulo manifestum est quod significat gloriam æternam, per illam authoritatem quæ est in Senhedria, in principio vltimi capituli, vbi sic habetur: *Omnis Israel habet partem in gloria æterna: quod probatur nobis ex Isaia Propheta cap. 40. sic dicentis: Populus autem tuus, omnes iusti in perpetuum hereditabunt terram.* Item, quod istud nomen, *Israel*, dicatur moraliter, propter Gentiles ad fidem Dei venientes, patet per quandam authoritatem quæ est in quodam libro vocato, *Mebeltha*, & in libro vocato, *Abboth*, de Rabbi Nathan, super illud Isaiæ 44. *iste dicit Domino, ego sum, & ille vocabit in nomine Iacob, & hic scribet in manu sua Domino, & in nomine Israël assimilabitur.* Et Rabbi Salomon, in glossa: *Iste dicit, Domine ego sum*: hoc dicitur de summe iustis: *& ille invocabit in nomine Iacob*: hoc dicitur de parvulis filiis peccatorum: *& hic scribet in manu sua Domino*, hoc dicitur de peccatoribus qui pœnitentiam egerunt, *& in nomine Israel assimilabitur*, hoc dicitur de Gentibus quæ venerunt ad fidem, & Dei cognitionem habuerunt. Est ergo manifestum per istam authoritatem, quod omnes qui receperunt vel receperint sanctam fidem catholicam, habent nomen Israël. Demum itaque minime dubito quod cum Iudæus, textos Prophetarum iuxta spiritualem significationem considerare voluerit vocabulorum præmissorum, statim argumentorum suorum videbit solutionem, ita quod non impugnabit argumenta illa, nec aliquid impedient in re supra dictæ conclusionis. Ad probationem formaliter dictæ conclusionis, vnam talem faciam rationem sive syllogismum: Homo ille in quo vniversi Prophetarum actus & conditiones tangentes Messiam, concordant: ille verus est Messias: sed in Domino Salvatore nostro Iesu Christo, omnes sine falso concordant & concurrunt: ergo Dominus Iesus Christus & Salvator noster, verus est Messias. Maior est manifesta & concessa per omnes: Minorem vero, probo seu probabo. Sed ante omnia videre oportet, quot & quas conditiones in Domino Iesu Christo reperimus: quibus per sacram Scripturam bene consideratis, ego reperio viginti quatuor conditiones: videlicet,

Causa erroris Iudaici.

Primam, in tempore assignato, quando Messias venire debebat.

II. *In civitate Bethlehem, ipsum fuisse natum.*

III. *De puella Virgine fuisse natum.*

IV. *Filium Dei, & nullius hominis carnalis.*

V. *Verum Deum secundum divinitatem, & verum hominem secundum humanitatem.*

VI. *Quod Reges Orientis de stirpe Saba, ad eius venerunt cum muneribus ad adorandum, & eius adventum civibus Ierosolymitanis annunciaverunt.*

VII. *Quod eius adventus fuit annunciatus per certum Præconem in deserto.*

VIII. *Quod omnes humani generis animæ ab Adam usque ad ipsum, propter ipsius primi parentis peccatum descendebant in infernum.*

IX. *Quod principalis adventus eius intentio fuit vt animas in vitam æternam & spiritualem salvaret, non tantum corpora in vitam temporalem.*

X. *Quod receperit mortem & passionem, vt animas iustorum qui ante ipsum fuerunt, salvaret, & omnium illorum qui post eum crederent, illum videlicet, ut filium Dei, Iesum Christum.*

XI. *Quod post mortem die tertia resurrexit, ascendit in cælum, & sedet à dexteris Dei.*

XII. *Quod mox post eius adventum, fuit destructio Templi & captivitas Iudæorum.*

XIII. *Quod Iudæorum captivitas propter incognitionem quam contra ipsum habuerunt, facta est, quæ dicitur, odium gratis.*

XIV. *Quod dedit Legem, & novam doctrinam.*

XV. *Quod post eius adventum, sacrificia (exceptis panis & vini) sunt omnia annihilata.*

XVI. *Quod post eius adventum, omnia quæ in Lege prohibita erant (vt cibaria, cæteraque huiusmodi ceremonialia) gratiose sunt in usum hominum licentiata.*

XVII. *Quod post eius adventum, idololatria de mundo sublata est, & omnes gentes credunt in Deum.*

XVIII. *Quod salvatio eius, pro maiori parte gentibus facta est, ex quibus, una cum Israel, crevit populum novum.*

XIX. *Quod ex gentibus illis qui venerunt ad fidem, sacerdotes Ecclesiæ pro cultu fidei consecravit.*

XX. *Quod multa fecit miracula & mirabilia.*

XXI. *Quod eius conversatio fuit humilis & pacifica, in maxima paupertate.*

XXII. *Quod salvatio gentium, post eius adventum fit per baptismum aquæ & Spiritus sancti.*

XXIII. *Quod post mortem eius, Deus ne orationes Iudæorum audiret clausit cælum, neque mirum, quia ei sunt odiosi.*

XXIV. *Quod quamvis porta cæli clausa sint ne Iudæorum orationes ingrediantur, porta tamen conversionis, omnibus sunt aperta.*

Conditiones istæ viginti quatuor, in adventu huius hominis reperiuntur, qui quidem Iesus Christus vocatus est: quod si has omnes conditiones haberi omnes in Messia debuisse, constat: quas quidem, neminem reperimus habuisse præter eum: sequitur, me recte conconclusisse, dictum Dominum Iesum Christum fuisse verum Messiam in Lege promissum. Probatio huiusmodi, per dicta Prophetarum fieri deberet: verumtamen eo quod eorum vaticinia in quam plurimis locis brevissima sunt & obscura: ita quod quamvis veri sensus eisdem darentur & expositiones, expers tamen veritatis Iudæus, easdem veras nostras (pro vt frequenter facere consuevit) declarationes negaret, & eisdem Prophetiis, secundum perversam eius astutiam, alias falsas fingeret glossas & interpretationes: Idcirco divina gratia mediante, verificare intendo prædictas 24. conditiones in vero Messia in Lege promisso haberi debuisse: per authoritates & glossas, per Magistros Iudæorum atque magistros Talmudistas nihilominus factas: quorum vtique verba, nemo Iudæorum ausus esset quoquo modo negare. Item per Caldaicas translationes, quas quidem Onkelon, & Ionathas filius Oziels fecerunt, qui fuerunt tempore destructionis templi secundi, quos ipsi Iudæi authenticos habent in maxima reputatione. Item per modernos glossatores eorum: vt sunt magister Moses de Ægypto, Rabbi Abraham, Aben Ezra, Rabbi Salomon Gallicus, Magister de Ziron da: quorum ordinationibus & dictis, in Legis observatione omnes Iudæi hodie reguntur. De authoritatibus novi testamenti, & sanctorum Ecclesiæ Doctorum producta probatione Iudæis facienda, nullo modo, ad præsens, me iuvare intendo. Scio namque quod illi probationem huiusmodi non admitterent, quia ipsam omnino suspectam haberent: sed intendo duntaxat ab eisdem Iudæorum Doctoribus deducere testimonia & probationes: quibus quidem intentio mea plene probata erit vt in sequentibus capitulis continetur.

CAPVT II.

Quod tempus Adventus Messiæ signatum erat, in fine templi secundi Ierusalem, paulo ante templi Dei destructionem.

Malac. 3.

Hoc patet per Malachiam: *Ecce ego mittam Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam, & statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis, ecce venit, dicit Dominus exercituum.* In hac Prophetia, sunt tria vocabula, quæ huius adventus appropinquationem significant. Primum: *Ecce*: per quod vocabulum, ea quæ nobis sunt propinqua demonstrantur, imo præsentia. Secundum, *Statim*: quod significat temporis brevitatem. Tertium, *Ecce venit*: quod adventus corroborat velocitatem. Et ob hoc quod dicit, *ad templum suum*, ostendit quod in tempore adventus eius, templum habebat esse in sua constructione tranquillâ: quod est contra Iudæos qui dicunt quod templum habebat desolari, & populus eius in captivitate vastari, antequam Messias veniret. Item Isaias: *Hæc dicit Dominus; Custodite iudicium & facite iustitiam, quia iuxta est salus mea, ut veniat: & iustitia mea, ut reveletur.* Et habetur super hoc, in Beresit Rabi Moyse prædicatorio: quod hoc dicitur de Rege Messia, de quo quidem Daniel dicit: *adducatur iustitia sempiterna.* Item Zacharias: *Exulta satis filia Sion, iubila filia Ierusalem: ecce Rex tuus venit tibi, iustus & Salvator, & ipse pauper ascendet super asinum & pullum filium asinæ.* Ob hoc quod dicit, *Ecce*, adventus brevitatem significat. Cætera omnia in ista prophetia contenta, tanquam digito, verum Messiam Dominum nostrum Iesum Christum ostendunt. In tali namque habitu, ipse Dei filius Ierusalem civitatem ingressus est. Valde stupendum quoque est, quod omnes isti Prophetæ, concordes & pari voce vnanimiter velocitatem huius adventus vaticinati sunt, si tam prolixa temporum spatia ante dictum Messiæ adventum futura erant: quia nempe ab vltimo dictorum Prophetarum trium vsque in hodiernum diem, vltra mille septingenti anni dilapsi sunt. Quod si dicatur, quod cæteri Prophetæ de huius adventu sic loqui consueverũt contra; quia ecce Balaam in libro numerorum dicit, *Videbo eum, sed non modo; intuebor illum, sed non prope.* Quod quidem (secundum Iudæos) de David Rege Prophetabatur: vsque ad eum, quadringenti anni seu plures lapsuri seu fluxuri erant: ea propter necessario ex præmissis prophetiis concludetur sive concluditur, quod post modicum temporis à Prophetis eisdem, verus Messias de quo agitur venturus erat. Imo etiam si Iudæus concessferit veritatem esse, quod ex dictis prophetiis Messiæ adventus brevitas teneretur; quomodo probare poterit, adventum huiusmodi in fine templi secundi, ex eodem tempore quo Dominus noster Iesus Christus venit, fuisse? Respondeo, quod valde bene, Deo dante: per multas authenticas prophetias & rationes. Et primo per Esaiam. *Parvulus (inquit) natus est nobis, & factus est, principatus super humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, fortis, pater futuri sæculi, princeps pacis: Multiplicatur eius imperium, & pacis non erit finis.* Nemo dubitat quod ista Prophetia, de vero Messia loquatur. Esset namque impossibile credere, quod homo carnalis cui divina non est coniuncta natura, tam excellentissimis titulis nuncuparetur: & potius quia habetur in Prologo lamentationis Magnæ Rabbi Ioæ, Galienus, & cæt. *Nomen Messiæ pax est, scriptum est enim,* pater futuri sæculi, princeps pacis. Item habetur in Sanhedrin; capitulo, col. Israël, dicit: *Rabbi tanhu, quæ est ratio quare qualibet Mem quæ est in medio vocabuli, sit aperta: & ista mem, de, multiplicabitur eius imperium, est clausa. Respondet: quia Deus voluit facere ut Ezechias esset Messias: & venit virtus iudicialis, atque dixit coram Deo: Domine mundi, David, qui coram te tot carmina cecinit atque laudes, non fecisti Messiam, & Ezechiam cui tot miracula fecisti, nec carmen unum tibi cecinit, facies ideo quia Deus clausit Mem: eadem hora exivit quædam vox, dicens; Secretum meum mihi: secretum meum mihi.* Et Rabbi Salomon dicit, quod hoc secretum adventus Messiæ, Deus dicebat; meum est: & quod Propheta respondit, *Va mihi*: id est, affectans quando veniat Messias ille. Dico ergo, quod ab hac authoritate possumus concludere tria. Primo quod Messias est Deus, quia dicti tituli nequeunt præter quam in Deo iustificari. Secundo, quia Messias est de beata Maria virgine natus, ipsâ in sua virginitate manente. Illa enim litera Mem, nomen suum ostendit: & sive in Arabico, quia dicit miria: sive in Latino Maria: vtrumque nomen incipit in Mem. Verumtamen secundum veram orthographiam li', *lemarba, & multiplicabitur*, debuit scribi cum *Mem* aperta: sed ideo hic singulariter posita est Mem clausa, in medio dictionis; vt huius, virginis Mariæ, virginitatis esset prænunciativa. Tertio, & magis facit ad propositum tibi; quod dicta Mem clausa, sui adventus tempus punctualiter ostendit. Hoc est, quod ista prophetia in quarto anno Regis Achaz dicta fuit, & ab eodem anno vsque ad annum templi destructionis, quæ anno vndecimo regis Sedechiæ facta est, centum & quinquaginta anni lapsi sunt. Item, duravit Babylonica captivitas septuaginta annis; & templum quod ædificavit Neemias, annis quadringentis & quinquaginta. Summa annorum sexcentorum & septuaginta. Ablatis vero inde triginta annis, vel circiter quibus vixit Christus, deinde quadraginta annis, quibus passio Christi ante destructionem Templi facta est, restant anni sexcenti: Qui fuit numerus annorum, ab hora qua dicta Prophetia prolata est, vsque ad passionem Christi; &

tantum

Marginal notes: Esai. 6. — Zach. 9. — Num. 24. — Esai. 9.

A tantum designat Mem clausa in computum literarum per ordinem Alphabeti. Sequitur ergo, quod in clausura huius Mem, tempus redemptionis & adventus Messiæ nobis fuit prognosticatum. Item probatur hoc per quandam authoritatem, in glossa Psalterij contentam, vbi sic habetur: *Dixit Ioanna; per tres annos cum dimidio stetit gloria Dei in monte Oliveti, praeconisando dicens*: Quærite Dominum dum inveniri potest, invocate eum dum prope est. Item habetur in Genesi magna, de Rabbi Moyse prædicatore, supra illud Canticorum primo; *Exultabimus & latabimur in te: Quando erit hoc? Quando pedes Dei steterint in monte Oliveti: tunc & nos erimus gavisuri.* Dico, quod quia palam patet, fore istos tres annos cum dimidio illa media hebdomada: quando dixit Daniel propter Messiam; *Confirmabit autem pactum multis.* Ita etiam reperimus factum fuisse: Salvator enim noster cum esset ætatis triginta annorum, fuit baptizatus; & deinde vsque ad tempus passionis quod fuit trium annorum cum dimio vel quasi: per Galilæam prædicavit & per B montem Oliveti, convocans homines ad pœnitentiam, propter quod prædixerat Isaias illa verba quæ Rabbi Ioanna induxit; scilicet, *quærite Dominum, &c.*

Item potest liquide probari, quod Messiæ adventus in eodem tempore debuit esse, per quandam authoritatem quæ est in Sanhedrin, capitulo *Col Israel*: & in Abodozara, capitulo primo legitur in studio Eliæ: *sex millia annorum mundus est, duo millia vanitatis, duo millia legis, duo millia dierum Messiæ.* Item dicit Elias Rabbi Iudæ. *Mundus non est minus 85. Iubilæorum: In ultimo Iubilæo veniet filius David.* Et glossat Rabbi Salomon, quod hujus summa est, quatuor millia ducenti quinquaginta anni, quia quilibet Iubilæus est quinquaginta annorum, In vltimo quorum, veniet filius David. Notorium est, quod passio Christi fuit circa tempus illud quo erant quatuor millia anni elapsi à mundi creatione. Et quamvis punctaliter non veniret Messias in fine illorum quatuor millium annorum à mundi creatione præteritorum, non est mirum; quia in minori numero, maior varietas invenitur in Lege. Deus etiam prædixit Abrahæ, quod semen eius habebat cogi in Ægypto in captivitate, quadringentis annis, & in Exodo, habitatio filiorum Israël qui manserant in Ægypto: fuit quadringentorum & triginta annorum, & quando bene respiciemus computum, reperiemus quod à tempore quo Patriarcha Iacob cum filiis suis descendit in Ægyptum, vsque ad diem qua fuerunt per manum Moysi filij eorum liberati, annorum numerus vltra ducentorum & decem non ascendit. Et, si amplius investigaverimus, reperiemus quod populus Israël in Ægypto erat tanquam liber ad libitum suum vsque post mortem Ioseph: quemadmodum tunc cœperunt cogi, & in servitutem subiici Ægyptiorum: Et ab hoc tempore subiectionis, vsque ad tempus redemptionis, non sunt vltra centum anni. Nihil mirum ergo, si ille Doctor auctoritatis, sex millia annorum in tres partes divisisset æquales: ex quo iuxta cuiuslibet partis finem, paulo ante sive paulo post, facta per eundem narrata contingebant? Quod si aliquis dicat, quod secundum authoritatem præmissam, tantus redemptionis adventus in fine illorum quatuor millium annorum esse debuisset; qui quidem per centum septuaginta annos post templi ruinam terminati fuerunt: & secundum hoc, salvatio ducentis annis ante tempus per Doctorem assignatum anticipata? Respondeo; Quomodo est mirum? Isaias namque de Christi resurrectione vaticinando, ait: *Ego Dominus, in tempore suo, subito faciam illud.* Et qui habent oculos ad videndum intelligere possunt rationabilius fuisse, quod Dei gratia, Messiæ adventus ducentis annis assignatum sibi tempus præveniret, quam quod mille ducentis annis assignatum prorogatum esset. Item ad maiorem huius conclusionis probationem, reperimus in Talmuth Ierosolymitano, in libro de *Beruchoth*, in cap. de *Iachore*, & transsumptive in Lamentatione magna, vbi sic habetur: *Erat quidam Iudæus in agricultura laborando, cuius bos quidem mugit: Bos mugiens, adventum Domini nunciat: Arabs autem quidam transiens, bovis mugitum audivit, dixitque Iudæo, Iudae, solue boves tuos, & sperne vasa tua, quia diruitur sanctuarium vestrum: Et iterum bos mugit, & Arabs ait: Iudae, liga boves tuos, & præpara vasa tua, quia natus est Messias vester: Et Iudæus, Quod est nomen eius? qui ait: consolator, Menachem: Et iterum Iudæus: quod est nomen patris eius? & Arabs; Ezechias, id est, fortitudo Dei: Et Iudæus, ubi natus est? Qui ait: in Bethlehem Iuda.* Dixit Rabbi Aboni: *& quid vobis ab Arabe discere expedit? Textus clarus est in Esaia, qui dixit*: & Libanus cum excelsis cadet: *Et subditur: Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendit.* Ab hac certe authoritate, quatuor bene possumus elicere conclusiones. Prima est; quod Messiæ adventus fuit circa templi destructionem. Secunda, quod nomen Messiæ, est, *consolator*: & meritò, quia per ipsum fuit genus humanum à peccato primi parentis consolatum. Tertia, quod est filius Dei: quod notatur ab hoc quod dicit: *Quod nomen patris eius est Ezechias*: quod interpretatur, Deus fortis. Quarta, quod in Bethlehem Iudæ natus fuit. Item, habetur in Genesi magno, antiquissimo. *Dixit Rabbi Samuël Barnahaman: vnde probabis quod in die qua fuit destructio templi natus fuit Messias: Respondit, ab hoc quod habetur Esaia vltimo*: ante quam parturiret, peperit: antequam veniret partus eius, peperit masculum: *in eadem hora qua facta est templi destructio, exclamabat Israël tanquam parturiens.* Et Ionathas in Caldaica translatione, dixit: *Antequam veniret ei angustia, salua facta est, & antequam venirent ei dolores partus, Messias revelatus est.*

Item habetur in eodem libro: *Dixit Rabbi Samuel, Barnahaman: Accidit quod ibat Elias per viam in die qua destructio templi facta est, & audivit quandam vocem exclamantem, & dicentem: Templum sanctum diruitur: Quod cum audiret, imaginabatur qualiter posset destruere mundum: Profectus autem invenit homines arantes atque serentes: quibus ait: Deus iratus est cum mundo, & vult domum suam destruere, & filios suos ad Gentes captivare, vos autem pro victu laboratis temporali: Et alia vox audita est, dicens: Sine illos facere, quia natus est salvator Israëlis: & Elias ait: Vbi est? & vox: in Bethlehem Iuda: Elias autem ivit illuc, & reperit quandam mulierem sedentem ad ostium domus eius, & filium suum in sanguine revolutum coram ipsa, in terra iacentem: Dixitque illi: filia, filium peperisti: At illa, ita, inquit: & ille: quid est illi, quia sic in sanguine revolutus in terra prostratus est: Et illa, magnum* (inquit) *malum est, quoniam in die sua nativitatis, templum Dei destructum est: Et ille, Filia, surge & suscipe illum, quia per manum suam magna salus erit: Eadem hora resurrexit mater eius, & suscepit illum, Elias vero recessit. Post quinque autem annos, dixit: Vadã & visitabo salvatorem Israëlis, vtrum regio more nutriatur, aut Angelorum Profectus est, reperitque mulierem ad ostium domus suæ, cui ait: Filia, quid de puero illo: Rabbi, nonne dixi tibi quod cum dolore & labore nutriebatur, eo quod in die in qua natus est, templum Dei fuerat destructum: Imo deterius est: pedes habet, & non ambulat: oculos habet, & non videt: aures habet, & non audit, os ei, nec loquitur sed iacet velut quidam lapis: Adhuc loquente cum illa, ecce ventus à quatuor partibus mundi sufflavit, atque puerum proiecit in mare magnum: eadem hora, vestimenta sua scidit Elias, capillosque capitis sui privavit dicens: Væ, quia perdita est salvatio Israël, &c. Exivit autem quædam vox dicens: Elia non est sicut tu opinaris, sed quadringentis annis morabitur in mari magno, & octuaginta annis ubi ascendit fumus iuxta filios Chore, & octuaginta annis ad portam Romæ, & quod restat annorum, per civitates magnas usque in finem.* Videtis ergo liquide, quomodo per omnes authoritates prædictas apparet, adventum Messiæ fuisse ante templi destructionem: Iudæus autem poterit

arguere;

Alii allegant hoc caput Hillec.

Gen. 15.

Exod. 12

Esai. 60.

arguere, dicens, quod dictæ authoritates asserunt, quod Messiæ adventus & templi destructio eadem die fuerunt: & in rei veritate non ita est. A die namque passionis Christi, vsque ad destructionem templi, vltra quadraginta anni sunt elapsi. Ad quod quidem dupliciter possumus facere responsionem: videlicet quod istud nomen, *Dies*, potest assumi stricte vel late quia quandoque sumitur pro tempore duntaxat quo Sol apparet supra horizontem, quandoque vero pro omnibus horis 24 diei naturalis, vt habetur in principio creationis mundi: quandoque sumitur pro tempore ampliato, pro vt reperimus in Isaia, vbi fit mentio huius vocabuli, *Dies*, in pluribus locis: in quibus necesse habet sumi pro tempore maiori quam centum annorum.

Secunda responsio est, quod quamvis templum post Christi passionem duraverit 40. annis quoad parietes: est tamen verum quod domus templi cuius *velum fuit scissum à summo vsque ad deorsum* in hora passionis Christi, totam suam sanctitatem amisit. Nam quæcumque ibi fiebant miracula, cessarunt, & illa fuit maior destructio templi quam ruina murorum. Probatio huius habetur in libro de *Toma*, cap. *Septem dies*: legunt enim Magistri, quod decem miracula fiebant in domo sancta. Non abortivit mulier præ odore carnium sanctarum, nec fœtebant carnes sacrificiorum in tempore vllo: nec in domo vbi mactabantur victimæ, musca visa est: nec summo Pontifici in die expiationum contigit videre muscam: nec in pane propositionis macula inventa est: Et licet dum stabant forent angustiati sive oppressi: genibus flexis aut prostrati in terram ampliati erant: nemini serpens aut scorpio nocuit in Ierusalem: & nemo dixit proximo suo, cede, cede mihi quoniam angustias mecum ascenderunt in Ierusalem, nunquam pluviæ ignem altaris extinxerunt; neque ventus fumi columnam, ne ascenderent impedivit. Et dixit Rabbi Samana: *Imo etiam; quia vasorum fragmenta, in loco templi vbi frangebantur ibi degluciebantur.* Et dixit Abbage. *Immo etiam viscera, quodlibet in loco suo*: quæ quidem omnia, annis 40. ante templi destructionem cessarunt, sicut scriptum est, *Signa nostra non vidimus, iam non est propheta, nec apud nos est sciens, vsquequo, &c.* Item habetur in dicto libro, de *Toma*: *legunt Magistri; quadraginta annis quibus Simeon ministravit* (scilicet Simeon iustus) *Sors Dei in manu dextra veniebat, deinde & vltra quandoque in dextra quandoque in sinistra*: Item coppus lanæ rubeæ vertebatur albus, deinde quãdoque sic, quandoq; non: Item lucerna occidentalis erat semper incensa; deinde quandoq; incensa, quandoq; extincta. Itẽ ignis altaris per semetipsũ semper accẽdebatur nec erat sacerdotibus necessariũ semper vt ligna ibi apponerentur, nisi duo manipuli duntaxat, vt affirmarent mandatum ligna ponendi, quod habebant; deinde quandoque accendebantur quandoque non; itaque Sacerdotes tota die ponere ligna non cessabant. Item habetur in Talmuth Ierosolymitano, in lib. de *Toma*, cap. duo Hœdi; legunt Magistri, *quadraginta annis ante destructionem templi, candela occidentalis extincta est, & coppus lanæ semper rubens existebat, sorsque Dei in manu sinistra veniebat: & porta templi claudebantur in sero, & in mane reperiebantur apertæ.* Dicitque ita Raban Iohanna, filius Zachariæ: *Templum templum, quare terres nos? iam novimus quod finis tuus erit in destructionem: de te namque prophetavit Zacharias, aperi Libane portas tuas, & comedet ignis cedros tuas.* Ex quibus omnibus liquide colligitur quod à tempore passionis Christi, quæ fuit 40. annis ante templi destructionem, omnia prædicta miracula cessarunt: sed & eadem hora evanuit sceptrum Iuda, secundum quod iam fuerat per Iac. vaticinatum. Sic etiam habetur in lib. de *Sanhedrim*, in capitulo *Ain Bodquin*, & in Adobazara, c. 1. *legunt Magistri, quod 40. annis ante destructionem templi, fuerunt remoti Sanhedrim; id est 70. Indices; de consistorio Guazit, & fuerunt positi in Hanoth.* Rabbi Salomon glossat, quod *Hanoth* erat quædam domus in Ierusalem sic vocata. Dixit Rabbi Abdimi: Et deinde nunquam amplius iudicium criminale iudicarunt, eo quod criminale Iudicium nisi in consistorio de Guazit non licebat iudicare. Et dicit Rabbi Moses prædicator, in glossa, *non auferetur sceptrum in Iuda*, &c. Istud est consistorium de Guazit in terra Iuda: *& dux de fæmore eius*, hi sunt Sanhedrin qui sedebant in consistorio de Guazit: nunquam amouebuntur criminalia iudicia de terra Iuda iudicando, donec veniat Sylo, qui est Messias. Et dixit Rabbi Ramon: *quando Sanhedrin fuerunt remoti de consistorio Guazit, & potestas indicandi criminalia iudicia ab eis fuit ablata: cooperti sunt saccis, & capillos suos pilauerunt, dicentes, væ nobis quia sceptrum Iuda est ablatum, & filius David in mundum venit.* Quicunque non est cæcus in corde suo, satis poterit liquide videre, qualiter sequitur ex præmissis authoritatibus, adventum Messiæ eodem tempore quo dictũ est fuisse.

Ad maiorem tamen contentionem, patet hoc fuisse verum, propter maximam publicationem quæ vulgo tunc temporis, in ore omnium gentium de Messiæ adventu ferebatur: In tantum quod quia viderunt eodem tempore quendam Regem, qui regnabat in quadam civitate *Viter*, nominata: & erat vir magnæ potentiæ, bellator & Victor, cui nomen erat Barcosiba, statim reputarunt eum Messiam, intelligentes quod idem tempus Messiæ assignatum erat, de quo habetur in Sanhedrin c. *Omnis Israel: quia Barchosiba regnavit 30. annis cum dimidio, & dixerat etiam, Doctoribus, Ego sum Messias.* Et Rabbi Achiba etiam, quando eum videbat, dicebat: hic est rex Messias. Item Rabbi Moyses de Ægypto, in lib. Indicum in lectionibus Regum dicit sic: *Rabbi Achiba, sapiens magnus erat, & de maioribus Talmuth, & erat armiger de Barchosiba, & asserebat de illo quod erat rex Messias, quod quidem non solum ille, sed omnes Doctores eiusdem temporis crediderunt, quousque peccatis exigentibus, rex Adrianus eum occidit.* Item possumus, per prophetias Danielis, conclusionem istam verificare, qui illas 70. hebdomadas inducit in libro suo, quæ nequaquam de alio quam de Rege Messia intelligi possunt. Et sic exponitur per Magistrum Moysem de Zirona, in glossa sua quam dicto libro Danielis fecit vbi sic ait: *Et vngatur Sanctus Sanctorum, Iste est Messias ex filiis David sanctificati.* Rabbi autem Moyses prædicator, dicit, *Et adducatur iustitia sempiterna, &c. Iste est rex Messias.* Item habetur in fine libri ordinis Mundi; *dicit Rabbi Iose, septuaginta hebdomadæ numerantur à primi tẽpli destructione vsq; ad destructionẽ vltimi.* Hoc pono: de captivitate Babylonis, septuaginta anni: de vltimi templi destructione, 420. & sunt 490. qui numerus est hebdomadarum 70. in quarum fine Messias venire debuisset. Et isto eodem modo per Gaon Rabbi Sahedias, & Rabbi Abraham, & Rabbi Aben Hazora vtique probabatur; qui plenius tamen dictarum hebdomadarum voluerit dicere divisionem, inæqualiter easdem divisit Propheta in 7. videlicet, & 92. & in vnam & iterum vnam in duas medias. Require autem Nicolaum de Lyra & glossam eius, vbi totum catholice ac realiter declaratum reperies & sufficienter. Sufficit ad hoc.

CAPVT III.

Quod Dictus Messias, In civitate nuncupata Bethlehem, de terra Iuda, nasciturus erat.

HOc probatur & patet per vaticinium Micheæ Prophetæ: *Et tu Bethlehem Ephrata, nequaquam minima es in millibus Iuda, ex te etiam egreditur qui sit dominator in Israel, & egressus eius ab initio in diebus æternitatis.* Hanc prophetiam glossat Rabbi Salomon, hoc modo: *Et tu Bethlehem* de qua egressus est David, secundum quod per ipsum scriptum est, *filius serui tui Iesse Bethlehemita*, Ephratam nuncupauit, *paruulus est in millibus Iuda*, dignus erat fieri minor in generationibus milliarium Iuda: & hoc propter labem Ruth

Moabitis

Marginalia: Esa. 19. & deinceps vsque ad 27. — Cap. 1. Decem miracula templi Ierosolymitani, 40. annis ante eius excidiũ cessarunt. — Esai. 73. — Cap. 7. — Zach. 11 — Gen. 49 — Barcosibas, Iudæis falso creditus Messias. Cap. Helec. — Dan. 9. — Moyses Gerundensis. — Sedar Olem. — Supputatio 70. Hebdomadum Danielis — Mich. 5. 1. Reg. 17. 58.

Moabitidis quæ est in te ; *ex te mihi egredietur* , de te exiet mihi Messias filius David, de quo dicit Scriptura: *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes , hic factus est in caput anguli.* Et sic est Caldaice interpretatum, de te coram me , Messias egredietur. *Et egressus ab æterna à diebus æternitatis:* & hinc est quod dicit Scriptura Caldaica, & nomen eius, ab antiquo dierum, à seculo nuncupatum. Hoc vsque verba Rabbi Salomonis. Ab hac ergo prophetia & dicta glossa, cum Caldaica interpretatione, duæ necessario eliciuntur conclusiones. Prima est, Messiæ nativitatem, fuisse secundum humanam personam, nequaquam secundum divinam ; textus namque & glossa, dicunt quod est æternus & ante solem. Si tamen adversarius dicat, quod ex his præmissis, bene patet Messiam debuisse in Bethleem nasci , sed quod inde sibi probare non poterit quod realiter & de facto idem natus est , ita vt sequatur exinde, quod ipse iam venit; hoc patet liquide ex eo quod natus fuit in Bethleem, propter Templi destructionem : per illas authoritates in primo capitulo præallegatas de nomine Rabbi Samuel filij Naaman, ex quibus quidem , conclusio nostra sine aliqua contradictione verificatur.

CAPVT IV.

Quod Noster Messias & Salvator ; de quadam virgine nasciturus erat.

Hier 31. Hoc patet per Ieremiam *Revertere* (inquit) *virgo Israël , revertere ad civitates tuas istas : usquequo deliciis dissolveris filia vaga ? quia creavit Dominus novum super terram : Fœmina circundabit virum* Et habetur in *Berezit Rabbi*: dicit Rabbi Osua, filius Levi. Veni & videbis, & veni & videbis qualiter non est modus Dei sicut modus carnalis hominis: homo enim carnalis lancea percutit & amplastris medetur., sed Dominus Deus noster non sic, qui cum eo quod percutit cum eo ipso medetur : quod quidem reperimus in Ioseph & Israël : Ioseph per somnia percussus est , & per somnum curatus est: Et Israël in virgine peccaverunt, vt habetur apud Ezechielem, (Ezec 23.) *& fornicata sunt in Ægypto, in adolescentia sua fornicata sunt, ibi subacta sunt, vbera eorum, & fracta sunt mammæ pubertatis eorum :* (Thren. 8.21.) Et in virgine fuerunt puniti, vt habetur in Threnis, *Mulieres in Syon humiliata sunt, & virgines in civitatibus Iudá:* & in Virgine sunt consolati, sicut ait Ieremias, *quia creavit Dominus novum super terram , Fœmina circundabit virum:* dicit Rabbi Hamna, nomine Rabbi Yddi, quia hic est Rex Messias de quo David prophetaverat , (Psal. 2.) *Ego hodie genui te.* Supra quod etiam Isaias, (Isa. 62.) *propter Syon non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam , donec egrediatur vt splendor iustus eius, & salvator eius ut lampas accendatur.* Multum liquide patet per verba dictæ authoritatis , & per allegationes quas præmissi Doctores faciunt in eos nostram conclusionem fore bene probatam. Item, est dicta conclusio manifesta per hoc quod in dicto capitulo declaravimus de illa Mem clausa quæ est in illo verbo, *multiplicabitur eius imperium* : quæ quidem esse debuisset aperta , in qua nomen beatæ virginis continetur, & eius virginitas mirabiliter significatur. Item potest ista conclusio verificari per hoc quod habetur, Ezechielis 44. *Et converti me ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad Orientem, & erat clausa: & dixit Dominus ad me: porta hæc clausa erit: non aperietur; & vir non transibit per eam , quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam , eritque clausa Principi.* Hæc prophetia nequaquam intelligi posset realiter , quia non reperimus in vltimo templo quod fuit post Ezechielem ædificatum, quod esset in eo aliqua talis porta per quam sacerdotes & Levitæ non fuissent ingressi: præsertim porta Orientalis , per quam continue non solum Sacerdotes, verum etiam & Levitæ & vniversus populus gradiebatur : propter quæ , necessario mystice hæc omnia sunt intelligenda. Et potius in 40. cap. vbi cœpit loqui de istis ædificiis, ait, qualiter ipse erat in labore, & manus Dei duxerat eum in visione ad terram Israel, & ascendere fecerat eum in montem quendam excelsum : supra cuius cacumen, mensuræ civitatis mensuratæ fuerant Ierusalem & templum. Et reperimus quod si secundum dictas mensuras templum aliquod esset ædificatum, illud multo maius fuisset , & civitas Ierusalem mundi celebritatem superasset. Et ideo alio sensu; necessario , & mystice debet intelligi, pro vt latius in glossa Nicolai de Lira continetur. Sed de hoc habemus in duobus locis Talmuth, authoritatem. Prima, in *Sanhedrin:* in c. *Cel Israël* , & in *Sucha*, c. *Lulaf Vaarba:* vbi sic habetur : *dixit Rabbi Abba : ædificium templi quod est coram Domino nostro Deo , spacium tenet octo millium leucarum ; scriptum est enim in fine Ezechielis,* per circuitum octo millium , *nomen civitatis , ex illa die Dominus ibidem* Et Rabbi Salomon, in glossa, ibi quod omnia quæ in Ezechiele de Ierusalem scribuntur ; de sancta Civitate Ierusalem superna, absque dubio intelligenda sunt , patet ergo per dictam authoritatem & eius glossam præfatam quod dicta prophetia sensum intrinsecum habet, qui quidem est iste ; quod per Ierusalem, congregatio Gentium ad Messiæ fidem intelligitur ventura, quæ proculdubio est vniversitas Christianorum. Templum vero significat sacratam matrem Ecclesiam Catholicam , & sacerdotum eius congregationem: per portam vero clausam ; Virginis Mariæ intellige virginitatem, per quam nemo nisi Dominus Deus Israelis humanatus transivit. Nam alioquin hæreticum esset credere, Dei divinitatem locum aliquem occupare. Sunt ergo illa verba de gloriosa Mariæ virginitate, hoc modo intelligenda : *porta hæc clausa erit* in conceptione ; non *aperietur* in partu : *& vir non transibit per eam*, post partum, *Quoniam Dominus Deus Israelis* , Dei filius Patri coæternus *ingressus est per eam, & erit clausa*, vsque in finem sæculorum : quæ quidem omnia, satis sunt clara intelligentibus ; & non nisi a languentibus cordis duritia & cæcitate, negari possunt. Item , potest ista conclusio probari per id Isaiæ , (Isa. 7.) Ecce *Virgo concipiet & pariet Filium , & vocabitur nomen eius Emanuel, &c.* Iudæus conatur dicere , quod ista prophetia non potest in beata Virgine verificari : super quo, putat se posse facere plurima argumenta, sed specialiter tria. Primo, quoad nomen, virgo, in Hebraico sonat, *vetula*, non tamen *alma*, & hic ponitur in *alma*. Secundo, quod hæc prophetia , regi Achaz nullum attulisset signum , eo quod nativitas Christi facta est vltra 500. annos post eum. Tertio ; quod beatæ Mariæ filius vocatus est Christus, & non Emanuel. Quod si quæritur à Iudæo; propter quod prolata fuit illa prophetia : respondet; propter vxorem Achaz , quæ illi peperit Ezechiam, quoniam Deus fuerat cum ea , iuxta interpretationem huius vocabuli, *Emanuel*, quod est *nobiscum Deus*. Sed tertium certum est , quod nullum istorum argumentorum potest habere locum. Et respondeo ad primum, quod in Hebraico sunt tria nomina quæ vnam significationem habent , scilicet, *Nahara, Betula, Alma* : est tamen inter illa , aliqua differentia, quoniam *Nahara* significat puellam, sive virgo existat sive non : *Betula:* fœmina est incognita viro , sive adolescentula sit sive antiqua ; *Alma* vero, nequaquam dicitur nisi puella & virgo, sicut erat beata Maria virgo gloriosa, tempore suæ conceptionis ; & hæc est propria & verissima horum trium nominum significatio. Et quamvis sacra Scriptura quandoque, suas narrationes ampliando, vnū istorum pro reliquo sumat ; in hoc tamen loco discrete se habuit, & hoc solum nomen assumpsit quod beatæ Dei genitricis virginitati ; proprie magis atque omnipotentius conveniebat. Est autem aliud in hoc nomine, *Alma*, mirabile secretum, quia, *Alma* secundum Hebraicum idioma derivatur a quodam verbo *Helim de bimam Cabed notas.* Cuius significatio seu translatio est, *cela, celas, celavi. Alma* ergo, *celata* significat, seu *celatia* : *celata* dico , quia virum non cognovit vnquam;

celatio quia secretum incarnationis Christi omni humanæ naturæ fuit, nisi à beata Virgine, velatum. Contra secundum argumentum, dico quod hoc signum non dirigebatur ad Achaz, postquam propheta invitaverat eum dicens; *pete tibi signum*, vt recedens ab idolorum cultura, converteret, & ad Dominum Deum suum. Ipse autem Achaz præ cordis duritia, signum petere neglexit, *Respondens: non petam & non tentabo Dominum:* Propheta ergo ad domum David, Rege dimisso, convertit se, vt summum bonum quod eis erat futurum, venturum significaret. Et quia multa mala prius passura erat eadem domus; de infinito bono eidem domui venturo, consolabatur eam: quod quidem patet liquide verum esse ex eo quod Regem Achaz dimisit, & ad loquendum cum domo David se convertit, quibus generaliter mirabile promisit signum, dicens: *propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum.* Contra tertium argumentum, vbi dicit quod nomen filij Virginis non fuit, *Emanuel*, sed, Iesus dico, quod per plurimas & diversas prophetias atque Scripturas, reperimus & habemus Messiæ filij Dei nomina diversa. Nam Iacob patriarcha vocavit eum, *Sillo*, hoc est, *qui mittendus est*. David in psalm. 7. vocavit eum *inon*, id est, *permanens*. Ieremias tertio ca. vocat eum *Adonai*, hoc est, *Dominus iustus noster*. Isaias in ca. 8. octo nominibus vocat eum, scilicet *Admirabilis, consiliarius Deus, fortis*: &c. Quodlibet namque istorum nominum erat illi respectu virtutum suarum attributum, immo & operationum quæ in nobis ab ipso procedunt. Hoc itaque nomen *Emanuel* inest ei recteque convenit, quia significat humanitatem, in quantum dicit, *nobiscum* atque divinitatem, in quantum dicit, *Deus*. Item, ad illud quod dicit Iudæus, quod Prophetia dicta fuerat propter Ezechiam, &c. hoc est falsum. Ista namque verba, Regi Achaz in quarto anno regni sui. prolata fuerunt, quando Phalee rex Samariæ, & Razin rex Syriæ ascenderunt, vt expugnarent Ierusalem, vt habetur Isaiæ 7. c. Achaz autem regnavit vsque ad 16. annos, pro vt patet in. 4. Reg. 16. c. Mortuo ergo Achaz, regnavit loco eius Ezechias filius eius, cum esset ætatis annorum 25. pro vt patet in eodem libro c. 18. Amotis inde 12. annis restantibus de regno Achaz patris sui, post dictã prophetiam; sequitur quod tempore quo dicta prophetia prolata fuit, ergo Ezechias ætatis 13. annorum; præfata ergo Prophetia non fuit promulgata de eo. Quod si Iudæus dicat, quod dicta prophetia fuit de quodam alio quam Achaz dicta; aut de Esaiæ filio; esset valde stupendum, quomodo postea non fuisset facta mentio aliqua in textu de homine tali: cuius tam miraculo fuerat nativitas prophetata. Item, patet ex verbis huius prophetiæ, quod signum quod dare volebat, habebat esse multum excellens & miraculosum: ait etiam: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.* Et Rabbi Salomon in glossa, dicit; quod etiã si peteret quod mortui suscitarentur, aut Sol in medio cœli staret, sicut ad preces Iosue factum fuit, illud obtineret: quod si de rebus tam mirabilibus signum fieri pollicitum erat; quo pacto deinde tam leve tamque simplex factum est, vt quædam puella conciperet virum filium, cum naturaliter istud qualibet die contingat? Quod si diceret, quod per miraculum erat: cum Propheta prædixerat, eandem puellam filium masculum esse paritūram: dico, quod hoc non est miraculum: quia hoc idem, certe bonus medicus aut astrologus per naturalia signa poterit agnoscere: quapropter necessario dicere oportet: quod excellentia huius miraculi erat, vt virgo sine viri cognitione conciperet, Filiumque Dei sine corruptione pareret, & in æternum virgo permaneret. Hoc etiam confirmatur ab hoc quod dicit Propheta, propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Superfluum etiam esset (dicit ipse) nisi quia notatur ab hoc quod illud opus, per se, ipse Deus futurus erat. Item, est quædam ratio quasi naturalis quam ponit Magister Moises de Ægypto, de qua nos in isto casu possumus iuvare: dicit enim hic, quod si reperimus quoddam compositum de simplicibus certis, & postea comperimus aliquod de simplicibus illis per se extra compositionem separatum definire possumus, quod illud aliud simplex possit aliunde, separatum, per se inveniri. Verbi gratia: reperimus potum vocatum *Oximel*, quod quidem ex zuchato componitur & aceto, deinde reperimus acetum per se separatum, credere oportet, quod Zacharum per se poterimus reperire. Ad propositum: nos reperimus individuos humanæ speciei, ex maris & fœminæ commixtione generatos, deinde credendum est neminem contradicturum vnum individuum sine mare & fœmina: & hoc fuit Eua. Oportuit ergo in hac humana natura reperiri, de fæmina duntaxat sine mare generatum: & iste est rex Messias, mundi salvatur, qui est benedictus in sæcula sæculorum, Amen.

Christi variæ nomina in scripturis. Gen. 49.

4 Reg. 15.

CAPVT V.

Quod Dictus Messias, habebat esse filius Dei, & non alterius patris carnalis, eo quod in eadem essentia esset cum patre unus, & quod habebat esse verus Deus, secundum divinitatem: & verus homo secundum humanitatem.

HOc patet per quandã autoritatem quæ est in Beresit Rabba ex Rabbi Moyse prædicatore supra illud Threnorum vltimo: *Pupilli facti sumus absque patre: dicit* Rabbi Barachias, *Deus Israel sic ait: Vos dicitis vos esse pupillos sine patre, talis erit mundi redemptor quem ex vobis suscitabo, quia non habet patrem, sicut scriptum est. Ecce vir Oriens nomen eius: & subter eum orietur, &c.* Et Esaias: *& ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti: & de ipso dicit David, ante luciferum genui te: & alibi, Dominus dixit ad me, filius meus es tu.* Notandum & diligenter intuendum est, quod hæc authoritas liquide nostram probat intentionem, quam quidem doctor ille Rabbi Barachias cum tam nobilissimis Prophetis probavit. Item, habetur in libro vocato, *Midras Sirhasirim*, id est. glossa libri Canticorum, in illud, *Egredimini & videte filia Syon, Regem Salomonem in diademate quo coronavit eũ mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitia cordis eius*, dicit Rabbi Ahuna; *Investigavimus per scripturam universum: & non invenimus quod Bersabe Salomoni filio suo diadema fecisset, est igitur stupendum, quid diadema illud significare velit: dicit Rabbi Ioanna: quæsivit Rabbi Symeon à Rabbi Elyager, filio Rabbi Ioseph, dicens audivisti unquã à patre tuo, quid esset diadema illud quo fuerit Solomon a matre sua coronatus: qui respondit: etiam: Et ille quid & Rabbi Elyager: Ille Solomon, est Deus, qui à principio diligens Israel, vocavit eos filia, vt habetur in psalmo quadragesimo tertio*, Audi filia & vide. *Deinde pro maiori dilectione, vocavit eos*, Soror, Aperi mihi soror mea: *Postea tam eos summe diligens vocat eos*, mater. Attendite ad me populus meus, & tribus mea mater mea est: *Eadem hora surgens Rabbi Symeon, osculatus est eum in capite, dicens: posito quod non vere, nam quod hoc verbum audiverim, sufficit mihi*, Per præmissam authoritatem patet quod ly *Solomon*, in eodem texto nominatus non est, nisi Dominus Deus. Et iam est vulgare verbum in Talmuth, quod vbicunque in Canticis nominatur Solomon, dicitur de Domino Deo. Itaque diadema quo Salomon à matre coronatur, humanitas nostra est, quæ divinitati eius est vnita, & pro totius mundi salute passa, & ideo æternaliter coronata, de quo Apostolus, *videmus Iesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum* Item habetur in *Midras thillim*, id est, in glossa psalterij, supra illud. *Cum invocarem exaudisti me, Deus, &c. Miserere mei, &c. David anxiabatur nimis, propter peccatum quod cum uxore Vria commiserat, eo quod populus adversus eum murmurabat, dicens: ille qui oviculam captivavit & pastorem occidit, quomodo poterit salvari: Cui Deus dilatavit sicut scriptum est,*

Zach. 6. Isa. 53. Psal. 2. Cant. 3. Cant. 5. Isa. 51.

Salomonis nomen in Talmut dicitur de Domino Deo.

dixitque

poterit salvare? Cui Deus dilatavit sicut scriptũ est, dixitque Nathan ad David: Dominus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris. Item habetur in 1. Paralipomen. filius qui nascetur tibi, erit vir quietissimus, faciam enim eum requiescere ab omnibus inimicis suis per circuitum, & ob hanc causam Pacificus vocabitur & pacem & otium dabo in Israel cunctis diebus eius. Adducitur in Talmuth atq; ut cæteri filii, nõ a patribus suis nascetur. Quare hic dicitur nascetur? scilicet hoc vult dicere, nascetur ut sanet te de peccato tuo, & per eius manum, sicut de Nathan scriptum est, Misitq; eum in manu Nathan Prophetæ, & vocavit nomen eius, amabilis Domino, eo quod Dominus dilexit eum. Notoriũ est ei qui aliquid videt, quod hic filius Dei in ista authoritate nominatus, & in testibus applicatus eisdem, non erat Rex Salomon, nam & ipse non curavit David à peccato suo: & deterius, quia in novissimo dierũ suorum idolorum cultor effectus est. Propterea de Rege Messia, necessario est iste filius David intelligendus, qui quidẽ cum filius Dei esse, cũ cæteris omnibus David Patrẽ suum à peccati damnatione liberat. Itẽ, Magistri Talmuth nobis referunt de Messiæ nativitate, & qualiter fuerat primo parenti Adæ atque filiabus Loth revelatum quod ipse habebat esse Filius Dei. In Midras Ruth, in glossa illius libri, super illud: Aram genuit Aminadab Rabbi Ananias, & Rabbi Iacob, filius Aben, dicebant: scriptum est in Gen. vocavitq; nomẽ illius Seth: dicens, posuit mihi Deus semen aliud pro Abel: aliud semen significavit pro alio loco venturũ: & hic est Rex Messias. Itẽ habetur pro in Beresith Rabba mirim, c. 6. dicit Rabbi Tanhuma, super illud Genes. ut servare possimus de patre nostro semen non dicit, filiũ sed semen: & illud erat semen quod habebat venire ex alio loco, & iste est Rex Messias. Patet ex hac authoritate, quod filiabus Loth, sicut primo parenti, Messiæ nativitas fuerat revelata, & qualiter ab eisdẽ esset veraciter exitura: de Moab scilicet & Ammon, filiis eorũ, & ideo laborabant ut à patre suo obtinerent illud semen, & ita factum est, quia Messias Dñs noster Iesus-Christus de Ruth Moabita, & de Nahamã Ammonita uxore Salomonis matre vero Roboã egressus est. Item habetur in Beresith Rabba magna de Rabbi Moyse prædicatore, supra illud Genes. Videbam coram me vitem; hi sunt Israel de quibus Psalmista: Vineã de Ægypto transtulisti, ejecisti gentes, & plantasti eam. Item videbã coram me vitem. Iste est Rex Messias, de quo scribitur in Psal. prædicto, & perfice eam quã plantavit dextera tua & super filiũ hominis quem confirmasti tibi: est plantatio inferior & plantatio superior & inferior. Hic est Abrahã superior & inferior, hic Rex Messias. Perspicue patet qualiter designat Regẽ Messiã, humanum esse debere atq; divinũ. Item habetur in Midrastilim, super illud Psal. & prædicans præceptũ ejus: prædicata sunt facta Messiæ in Lege, & in Prophetis, & in Scripturis sacris. In Lege, filius meus primogenitus Israel. In Prophetis: Ecce intelliget servus meus, & exaltabitur, & elevabitur, & sublimis erit valde. Et paulo post: Ecce servus meus suscipiam eum. In Psal. Ex utero ante Luciferũ genui te. In Daniele: aspiciebã ego in visione noctis, & ecce in nubibus cœli, quasi Filius hominis veniebat, & usq; ad antiquũ dierum pervenit, & in conspectu ejus obtulerunt eum; & dedit eis potestatẽ honorem, & regnũ, omnes populi & linguæ servient ei, potestas ejus potestas æterna quæ non auferetur, & regnũ ejus quod nõ corrumpetur. Manifeste patet ex authoritate præmissa, quod Lex & Prophetæ, universaq; sacra Scriptura, de Messia loquũtur: sed hæc & alia plura, in disputatione, Iudæi negare nõ erubescũt. Sed notãdũ est ad hoc quod dicit, quasi filius hominis, qualiter, Messiã, Deum & hominem ostendit. Item habetur in eod. lib. Dixit Rabbi, quid sonat illud Psalmi. Apprehendite disciplinã? Simile est cuidam regi, qui se contra eiusdem civitatis populum indignavit; eunte populo ad filium regis ut pro eis patri suo regi interveniret suppliciter deprecati sunt, quo acto rex placatus est. populus autẽ cum vellet gratiarum actiones facere regi, dixit eis rex: mihi facitis gratias? non sic, sed potius filio meo reddite nam nisi foret pro illa, tota civitas destructa foret: Et hoc modo dicit Deus, apprehendite disciplinam, &c. In omnibus authoritatibus præmissis, clare probatur qualiter Messias est filius Dei. Et probatur etiã qualiter ipsemet est Deus per quandã authoritatẽ quæ est in Beresith Rabba, cujus talis est textus: Legum Magistri decem reges regnarunt à principio mundi usq; ad finem eius; qui sunt hi Dominus Deus noster fuit primus qui mundum creavit: secundus, Nembroth: tertius, Ioseph: quartus, Salomon: quintus Nabuchodonosor sextus Darius septimus Cyrus octavus, Alexander: nonus, Cæsar Augustus Imperat. Romanus: decimus, Rex Messias, de quo in Psalm. Et dominabitur a mari usq; ad mare, & à fluminibus usq; ad terminos orbis terrarũ. Et de ipso Daniel: Lapis autẽ qui percussit statuã factus est in montẽ magnũ, & implevit universam terram. Item in eodem cap. In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus cœli regnum quod in æternũ non dissipabitur & cum decimo rege revertetur regnũ ad Dominum suum primum, & sic qui fuit primus erit & ultimus, sicut scriptum est in Isaia hæc dicit Dñs rex Israel, & redemptor ejus Dominus exercituũ ego primus, & ego novissimus: & Zacharia ultimo, & erit Dominus rex super omnem terram. Ecce probatum est per dictam authoritatem, qualiter Messias ultimus decẽ regũ illorũ, ipse est Dñs Deus noster. Itẽ probari potest Messiã fore Deum: per Isaïam, Dominum exercituum ipsum sanctificate, ipse pavor vester, & ipse terror vester, & erit vobis in sanctificationem in lapidem autem offensionis & in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum & in ruinam habitantibus Ierusalem. Dicitur in libro Sanhedrin: non veniet filius David, usquequo sint consumpta duo domus paternales de Israel, quæ sunt caput captivitas Babylonis, & princeps terræ Israel. Scriptum est enim: Ipse enim erit nobis in justificationem: glossat Rabbi Salomon, erit salvator in Israel in Sanctuarium, & in lapidem offensionis & petram scandali duabus domibus Israel. Patet ergo clare, quod Messias ille in cujus adventum duæ domus Israel consumendæ sunt: ille merito est qui Dominus exercituum vocatur. Item habetur in Midrastilim super illud Psalmistæ, quoniam apud te est fons vitæ & dicit Rabbi Ioanna: simile est hoc homini qui per auxilium cuiusdam lucerne pergit ad lucem in nocte, quam quidem extinctam à vento iterum incendit, & rursum tam extinguit & ipse incendit, & hoc facit sæpe: demum ipse dicit, ut quid inde tantus labor erit? volo expectare donec Sol exeat, ad cuius lucem faciam iter meum: simili modo fuerunt filii Israel subiugati in Ægypto & venientes Moyses & Aaron, liberarunt eos, deinde fuerunt subiugati in tẽpore Sisaræ, & venientes Barach & Debbora liberaverunt eos: & sic in quolibet tempore donec dixerunt: valde sumus in liberationibus fatigati quia eo quod fuerit per carnales homines, confestim sicut prius tribulamur: sed iã post hoc non placet nisi per Deũ liberari, & hoc est quod dicit David in Psalmis. Deus Dñs & illuxit nobis, &c. Dixit Rabbi Hanna, Moyses glorificavit Israel, dicens: beatus es tu Israël, quis similis tui populo qui salvaris à Dño? Non dixit, quem salvat Dñs, sed, qui salvaris à Dño, quia Deus dixit sic, in hoc mundo vos estis per manus hominum salvati, sed in tempore venturo egomet redemptor vester ero ita ut deinceps nequaquam ab alio iudicati sitis sive subiugati. Ecce quomodo probatur quod Messias est verus Deus. Sed quomodo probabimus quod cũ sit Deus verus sit etiam homo verus? Hoc probatur per quandã authoritatem quæ est in quodã libro vocato Torath co Hanim, id est lex sacerdotum, ubi scribitur sic, quod sonat illud Levitici, ambulabo inter vos, & ero vester Deus, vosq; eritis mihi populus. Simile est istud cuidam regi qui perambulabat hortum suum ad delectationem & solatium habendum. quem cum hortulanus vidisset abscondit se & rex dixit ei, noli timere, nec abscondas te à me, quoniam similis tui sum similiter tempore futuro, Deus ambulabit inter iustos ut solatium recipiat

& delectatur eum illis, iusti autem videbunt eum, & expavescent ab eo, quibus Deus vtique dicet, nolite formidari de me, nisi quia similis vestrum sum, attamen licet vobis similis existam, ne forte credatis quod timor meus non sit super vos, scitote quod Deus vester sum vos autem populus meus. Item habetur in libro Iejuniorū, in cap. *tribus temporibus: dixit Rabbi Eliazer, nomine Rabbi Haneabu, futurum est, vt Dominus Deus noster magnā choream cum iustis faciat in paradiso. & ipse erit in medio ipsorum, ita vt eorum quilibet possit eum digito insinuare, quia sic habetur in Isaia:* Dicent in die illa, ecce Deus noster iste, expectavimus eū & salvavit nos iste Dominus, sustinuimus eū & exultabimus & lætabimur in salutari eius. In quantum bis dicitur iste: ostenditur, quod visibiliter & palpabiliter habebat apparere inter iustos, qui sunt Apostoli: & ecce quam bene intentio capituli probatur & verificatur.

Cap. 4. in lib. Taanith.

Esa 25.

CAPVT VI.

Probat quomodo Abrahæ Patriarchæ tempore fuerat prophetisatum, quod Reges Orientis, & gentes Sabba ad Regem Messiam adorandum venturi erant, & auri atque thuris munera oblaturi, quod per sequentes authoritates apparet.

PRimū habetur in *Beresith Zota: dixit Rabbi Osua si dixero tibi vnum verbum bonum, dices tu nomine meo? qui ait: quod est? Et ipse: novimus* (inquit) *quod omnia illa munera quæ Iacob pater vester dedit Esau, Gentes pro tempore restituere habent Regi Messiæ; scriptum est enim:* Reges Tharsis & insulæ munera offerent, Reges Arabum & Sabba dona adducent: *dixit ei Rabbi Osua bonum verbū dixisti mihi in vita tua ego de nomine tuo dicā illud.* Item habetur in *Beresit Rabba,* de Rabbi Moyse prædicatore: *Sabba filij sunt Abrahæ, sicut scriptum est in Genes. & quando Rex Salomon prosperatus fuit in regno suo dixerunt, forsitan est Messias, & tunc venerunt ad eum, sicut scriptum est in 1. Reg. quod Regina Sabba, audita fama Salomonis, in nomine Domini venit tentare eum;* ob hoc *quod dicit,* in nomine Domini: patet quod habebat Prophetas qui ei in nomine Domini prophetabant, sicut præceptum habebant ab *Abraham vt ita facerent; sed bene probatur quod venturi sunt in tempore Messiæ vt serviant ei, ob hoc quod dicit Isaias.* Omnes de Sabba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes: *Iste est Messias.* Ecce per hanc nobilē authoritatem intentio capituli perspicue demonstratur. Verumtamen si adversarius contradixerit, quod intentio Isaïæ in hac Prophetia, erat quod quādo Messias sederit in regno suo in Ierusalem, tunc propter magnitudinē famæ suæ omnes Reges mittent munera, & venient vt visitent & glorificent eum, sicut Salomoni propter ejus scientiæ magnitudinem faciebāt: Respondeo, quod hoc non habet locū, quia textus dicit, *Laudem Dominum, annunciantes,* quod Hebraïcè dicitur, *Iebasthern*: quod vocabulum, proprie dicitur quando quis, ea quæ novit, ei qui nondum novit, enarrat. Et per modum quod adversarius textum exponit, non sic esset, quia jam sciebant cives Ierusalem illud sed eo modo quo factum est in adventu Domini nostri Iesu-Christi; bene concordat cum hoc vocabulo, *Annunciare.* Reges namque qui tempore nativitatis Christi venerunt in Ierusalem, quæsierunt ab Herode Rege & civibus vrbis, *vbi est qui natus est Rex Iudæorum*; sicut ipsi jam istud à Prophetis sciebant, sicut dictum est in authoritate præfata. De quo quidem, filij Ierusalem stupebant cum illud esset eis ignotum: & ideo Rex Herodes & populus civitatis quærebant à Sacerdotibus & Scribis, vnde Rex Messias nasci debebat, & hoc modo, verbum Prophetæ verificatur proprie qui ait, *& laudem Domino annunciantes,* non tamen secundum quod Iudæi ponunt.

Genes. 32. 13.

Psal. 71. 10.

Genes. 25

1 Reg. 10

Esa. 60

Matt. 2

CAPVT VII.

Probat, quod ante Messiæ adventum, omnes animæ generis humani propter peccatum primi parentis in infernum descendebant: & quomodo propter dicti Messiæ passionem & mortem, animæ iustorum quæ ante ipsum fuerant, redemptæ sunt, & ab inferno reductæ, & in vita æterna & spirituali gloria collocatæ: Et quod dicta passio & mors Messiæ, causa est vt animæ omnium illorum qui in eum crediderunt, ab æterna depravatione salventur.

HOc patet per authoritates sequentes: Et primò per quandam authoritatem, quæ est in libro vocato, *Midres Ruth,* super illud Ruth vltimo cap. *Hæ sunt generationes Phares,* &c. dicit Doctor, *vbicunq; in sacra Scriptura reperitur hoc nomē,* generationes, *quod in Hebræo sonat,* tholdoth, *scribitur sine* Vau *vltima, exceptis duobus, scilicet,* istæ sunt generationes cœli & terræ, *&,* istæ sunt generationes Phares: *Ruth vltimo, vbi scribuntur perfecte cum vltimo* Vau *dixit Rabbi Barachias quod huius ratio est, quia in principio creationis mundi, Deus omnia valde bona & perfecta creavit: & ideo in libro* tholdoth, *id est*, generationes, *perfecte scribitur cum omnibus literis suis; cum autem peccaret Adam, omnia facta sunt maculata & imperfecta. & nunquam sunt ad primum statum redacta, quousque venit Messias, de genere Phares: in cuius adventu & vltra, diabolus iam non habet potestatem adversus creaturas: & adeo illud nomen,* tholdoth, *id est,* generationes, *scribitur perfecte.* Item habetur in *Midras thillim,* super illud Psalmorum: *Quique terrigenæ & filij hominum simul in vnum dives & pauper*: Quique terrigenæ, *isti sunt filij Adæ & filij hominum, isti sunt à Noe vsque ad Abraham*; dives, *ille est qui de legis scientia ditatus,* & pauper, *ille est qui pauper est legis:* Simul in vnum, *descendunt pariter in infernum etiamsi princeps studiorum existat.* Liquide patet ex his authoritatibus duabus, quod omnes descendebant in infernum. Item habetur in libro de *Hagiga homerbacodes: dixit Rabbi Elyazer, adversus sapientes Thalmut, ignis inferni potestatem non habet: & probat ab illo animali Salamandra, quod ex eo quod eius naturalis generatio est de igne, non comburitur ab eo: sapientes ergo Talmut, omnes ignei sunt, multo minus comburemur.* Dico quod ex ista authoritate patet, quod iste Rabbi Elyazer intelligebat quod omnes sapientes descendebant in infernum, & ambulabant per ignem sicut Salamandra: sed erat differentia inter illos & peccatores, quia peccatores comburebantur in igne, sapientes vero minime. Nam si ita non esset, magis proprie dicerent, sapientes Talmuth non descendunt in infernum: & hoc non aliud est quam si aliquis diceret, Petrus & Paulus non ponuntur in vinculis nec in cathenis, nam ex his verbis intelligetur quod sunt in carcere capti. Et alia authoritas huic similis in *Midrasthilim*, supra illud Psalmi: Quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori: *Dixit Rabbi Ioda; David dixit: Domine Deus, adulterantium supplicium est vt mittantur in profundum inferni, & inde liberasti me: dixit Rabbi Salomon, quod hoc fuit quando dixit in Nathan*: Dominus transtulit peccatum tuum, non morieris: *Verisimiliter videtur ex hoc, quod David erat iturus in infernum, sed gratia sibi facta erat ne descenderet in profundum inferni. Item habetur in Genesi; quando fuit dictum Iacob, quod fuerat reperta tunica Ioseph sanguine involuta,* propter quod pater suus credebat filium suum à fera pessima devoratum, congregatis autem cunctis liberis suis, vt lenirent dolorem patris sui, noluit consolationem accipere, *sed ait;*

Gen. 2.

Gen. 3.

Psal. 48.

Salamādra cur igne non læditur.

Psal. 85

2 Reg. 12 13.

Gen. 37.

A

descendam ad filium meum lugens ad infernum; *quod Hebraicè scribitur*, Scheola. *& glossat Salomon sic*: Scheola, *ad literalem sensum, sepulchrum significat; ad spiritualem autem mysterium. item in Genesi, dicit Dominus Abrahæ*, tu autẽ ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona, *dixit Rabbi Ramon, parentes Abrahæ idolorum cultores erant, Thare videlicet & Nachor, quia sic habetur in libro Iosue; ergo ad infernum descenderunt per consequens & Abraham.* Ecce qualiter constabat Doctoribus Talmud, quod omnes sancti Patres descendebant in infernum, prout ex dictis authoritatibus innotescit: & non solum hoc verum est de illis, verum etiam de Moyse sancto Propheta, qui facie ad faciem cum Deo loquebatur. Ipsi doctores asserunt, eundem in infernũ descẽdisse: hoc habetur in *Midras Chœles*, & glossa Ecclesiastis, super illud, *Iustus perit in iustitia sua*, dicunt sic, *hoc dicitur de Moyse, qui quidem factus est similis filio cuiusdam mulieris, quæ cum esset pregnans criminis causa posita in vinculis peperit filium, & mortua est, ille filius eius, iam nutritus, in carcere remansit: post aliquod temporis spatium, dum Rex per ostium carceris transiret, iuvenis ille clamavit, dicens: domine Rex hic natus & nutritus sum cum ego nihil peccaverim cuius delicto sum hic? Et Rex, ei, propter delictum matris tuæ.* Ex præmissis rationibus, patet qualiter animæ omnium Sanctorũ Patrum in infernum descendebant. Verumtamẽ quomodo probabimus quod hoc habebat durare dumtaxat adusque adventum Messiæ, & quod ipse habebat illos inde liberare? Hoc autẽ ex sequentibus authoritatibus patet. Habetur enim in *Berezit Rabbi*, de Rabbi prædicatore: *dicit Rabbi Osua: Veni ego & iui cum quodam potenti Angelo usque ad portam inferni; & misi eum ut infernum à principio usque in finem metiretur & non reperit horam in qua istud posset facere, eo quod eadem die Rabbi Simeon filius Gamalielis fuerat occisus. Post hoc autem, iterum ivi cum quodam Angelo; & ibat mecum Messias filius David, accessimus usq; ad portas inferni: Cum autem illi qui captivi erant in inferno vidissent Messiæ lucem, gavisi sunt valde in conspectu illius dicentes: Iste nos ab his tenebris liberabit, quia sic habebatur in* Osee de manu mortis liberabo eos, de morte redimã eos: *Et in Esaia*, redẽpti à Domino convertentur, & venient in Syon cũ laude, & lætitia sempiterna super capita eorum: *Syon, in isto loco, nihil aliud est nisi Paradisus, quia similiter & infernus nomina septem habet.* Multum bene patet per istam authoritatem, quod iste Doctor nostram authoritatẽ cõfirmat, & intentionẽ affirmat. Itẽ in eodẽ libro sic habetur: *quid vult dicere illud quod dicit Daniel*, & lux cũ eo est: *dixit Rabbi Abba: hoc est lux Regis Messiæ ostendit nobis quod perfecit Deus inde Messiæ, & in eius generationem lucem illã pro generatione illa, sub sede gloriæ suæ reclusit: Satan autem dixit coram Deo, Domine mundi, lux ista quæ latet sub sede gloriæ tuæ, pro quibus est? dixit ei Deus, pro Messia, & generatione sua: dixit ei Sathan, Domine mi da, sine me tentare Messiã & generationem suã; & Deus, ei, non haberes potestatẽ adversus eum. Et Sathã sine me, quia potestatem habebo; & Deus dixit illi, si in hoc intendis, ego faciam Sathan perdi de mundo antequã anima quæda illius generationis perdatur. Et eadem hora cœpit Deus facere cum Messia pactum, dicens ei: Messia iuste meus parata sunt peccata istorum qui sunt inclusi, ut te in labore terribili ponam; oculi enim tui videbunt, aures tuæ magnum repudiũ à mundi gentibus audient, nares tuæ multos fœtores odorabunt, os tuum amaritudinibus gustabitur, lingua tua palato tuo adhærebit, cutis tua siccabitur super ossibus tuis, corpus tuũ præ tristitia confractum erit. Si hæc omnia sustinere libet, bene quidem! Si autem non; noveris quod ego de mundo illos expellã. Respondit Messias: Domine mundi, cum hic sum ego iocundus, & super me has passiones volo recipere, sub tali conditione quod suscitem mortuos qui ab Adã primo parente usq; ad præsens mortui sunt; & non solum illos servabis, verum & quos lupi & leones devorarunt, & qui mari & in flumine perierunt, in diebus nostris salvabis; & non solũ hos, sed etiam abortivos, & non solum abortivos, verum & illos quos creandos providisti in existimatione tua, & in mundum creati sunt in diebus meis. Deus illi ait, ego hæc omnia tibi concedo: eadem hora Messias omnes passiones supra se, amore magno percepit. Et hoc est quod Esaias ait:* Oblatus est quia ipse voluit, & nõ aperuit os suũ. Item habetur in *Midras chohelet*, supra illud Ecclesiastis: Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere quẽ ille despexerit: *dixit Rabbi Iuda filius Rabbi Ammon: eadem hora qua Deus creavit Adam, cepit eum & duxit eum per universas arbores paradisi; dixitq; illi: respice opera mea quam pulchra & laudabilia sunt, & omne quod creavi, amore tui creavi, animadverte ergo ut non pecces, ne causam dissolvendi mundum reddas: nam si tu deserveris, nemo est qui possit te reparare, & nihilominus esses causa mortis iusti illius, de quo Zacharias*: Ecce Rex tuus venit tibi iustus & Salvator. *Et dixit Rabbi Salomon, impossibile est, de aliquo homine prophetiam intelligi, quam de Messia.* Ob hoc igitur probatur, & rectè concluditur, quod mortem Messiæ propter peccatum Adæ oportuit evenire; propter quam quidem, tota humana natura est ab eodem peccato redempta, & perpetua morte liberatã.

Genes. 25 — Iosu. 24. 2. — Cap. 7. Eccl. 7. 16 — B — C — Osee 13. — Dan. 2. — D — E — Esa. 53. — Eccl. 7. — Zach. 9. — F

CAPVT VIII.

Quod Messias, post tres dies passionis eius, habeat resuscitari & ascendere in cœlum, atque sedere ad dexteram Dei Patris.

HAnc resurrectionem Oseas Propheta sic prophetavit, dicens, *Venite & revertamur ad Dominum, quia ipse cepit, & sanabit nos; percutiet & curabit nos. Vivificabit nos post duos dies, in die tertia suscitabit nos, & vivemus in conspectu eius.* Et Rabbi Moyses prædicator, in Genes. magnu super id Genes. *die autem tertio, elevatis oculis videbat locum procul*; dixit: *multa sunt in sacra Scriptura dierum trinitates, quarum una est resurrectio Messiæ.* Quod autem sedet ad dexterã Dei Patris, patet per quandam authoritatem in *Midrastilim* ita continentẽ: *Dixit Rabbi Ioda in nomine Rabbi Hanna, futurum est quod Deus, Messiam sedere faciet ad dexteram suam, sicut scriptum est*, dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: *& in Caldaica translatione sic habetur*; dixit Dñs Verbo suo: *Abraham vero sedebat in sinistris, pallidam faciem habens, & dicit*: Item, *Domine meus! filius filii mei sedebit à dextris tuis, & ego à sinistris: & Dominus mitigabit eum, dicens filius filii tui est à dextris meis, & ego à dextris tuis: & eadem hora tomentabitur Abraham, & hoc est quod dicit David in Psalmis*: Et dextera tua suscepit me. Itẽ habetur in lib. de *Hagiga*, in capitulo, *Eadersin*, *Habetur in quadam Scriptura Danielis, sic*, Troni positi sunt, *in plurali*: *& paulo post dicit*: Tronus flãmæ ignis; *in singulari. Versus autem isti invicem adversari videntur (dicit Rabbi Achiba) sed non adversantur, quidam namq; Tronus pro Deo, & alius, pro David: glossat Rabbi Salomon David ipse, est Messias.* Item in *Beresit Rabba*, de Rabbi Moyse prædicatore, supra illud Genesis; & Abraham adhuc sedebat coram Domino: *quid est quod dicit Psalmista*, & dedisti mihi protectionem salutis tuæ, & dextera tua suscepit me? *Iste est Messias, de quo scriptum est*: dixit Dominus Domino meo, &c. *dixit Rabbi Simeon, hoc est quod dicit textus*, & Abraham adhuc stabat coram Domino: *correctio est Doctorum, quia adhuc ita primitus scriptum erat*, & Dominus adhuc stabat coram Abraham; *sed hæc est una correctionum quas doctores in sacra Scriptura fecerunt, inter quas fuit correctum quoque illud ex Psalmis*; quia circumdederunt me canes multi. & concilium malignantiũ obsedit me; & foderũt manus meas & pedes meos: *& Doctores in corrigendo, loco vocabuli* Karu; *quod est*, foderunt, *scripserunt*, Arie; *quod est*, sicut Leo; *& quam multas huiusmodi mutationes fecerunt, prout latius in* Mydrastilim *continentur, & numerantur: in quo quidem libro, habetur, quod propter has mutationes, dixit Propheta*, & perverristi

Osee 6. — Gen. 22. — G — Psal. 17. — Dan. 12. — Genes. 18 — Psal. 17. — H — Psal. 21

verba Dei vivi, Domini Sabaoth, & Dei nostri: & *Ieremias dixit de illis,* veritatem non loquentur, docuerunt enim linguam suam loqui falsum. Ecce quam perspicue in eorum libris, illi qui verba Dei mutarunt, atque falsi mendaces reputantur.

CAPVT IX.

De nova doctrina Messiæ.

QVod Messias legem atque doctrinam novam daturus erat, & sacrificia omnia habebat annullare, quæ fiebant antiquitus in templo, excepto sacrificio panis & vini; & licentiare atq; absolvere habebat ea quæ ceremonialiter in lege Mosaïca prohibita erant, vtpote comestibilia, & hujusmodi. Ista probantur per Isaiam, vbi ait: *& erit in novissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eam omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, venite ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Iacob, & docebit nos vias suas & ambulabimus in semitis eius, quia de Sion exibit lex, & Verbum Domini de Ierusalem.* Glossa Rabbi Salomon: *elevabitur super colles, quia miraculum quod habet fieri in eo. quod maius erit miraculis montis Sinai atque Carmeli & Thabor: quod ergo miraculum illud erit? subditur; quia de Sion exibit lex verbum Domini de Ierusalem, id est omnibus gentibus.* Itē habetur in Ieremia; *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel & domui Iuda fœdus novum, non secundum pactū quod pepigi cum patribus vestris, in die qua apprehendi manum eorum vt educerem eos de terra Ægypti: pactum quod irritum fecerunt, & ego dominatus sum eorum, dicit Dominus, sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos (dicit Dominus) dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. & non docebit vltra vir, proximum suum. & vir. fratrem suum dicens, cognoscito Dominum: Omnes enim cognoscent me à minimo eorum vsq; ad maximum, ait Dominus, quia propitiabor iniquitati eorum, non memorabor amplius, hæc dicit Dominus.* Ecce qualiter hæc Prophetia, capituli nostri asserit intentionem præclare, verumtamen habetur in *Midrasthilim*, supra illud Psalmorum, Domine in fortitudine tua lætabitur rex, *dicunt sic Doctores, quod voluit Isaias dicere vbi sic ait:* In die illa erit Radix Iesse quæ extat in signū populorū. ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrū ejus gloriosum, Hamnina; *non veniet Messias, nisi vt Gentibus mundi præcepta reddat prout sunt tabernacula in ramis palmarum, & philacteria.* Non est dubiū quod hujus doctoris intentio erat, quod Deus daturus erat Gentibus Legē novam, in qua essent ceremonialia devotionis præcepta, sicut erant in lege Mosaïca: & facit mentionem aliquarum ceremoniarū antiquæ legis, non quod sit ejus intentio quod easdem debeamus observare, cum causæ propter quas fuerunt institutæ jam præterierint, & ideo in tempore Messiæ jam non sunt vlla ratione servandæ. Item habetur in *Misdras Sir Hassirim*, id est, in glossa morali Canticorū, super illud, Osculetur me osculo oris mei, dicit Ryddi: *eadem hora qua Israel ex ore domini, duo prima legis præcepta audierant sic fuerunt in cordibus eorum annexa, vt nullatenus possent oblivisci. Euntes ergo ad Moysen, dixerant ei, Rabbi, oportet quod tu sis medium inter Deum & nos in Exodo:* Loquere tu nobiscū & audiemus, non loquatur nobis Deus ne forte moriamur: *Deinde docebat eos, Moyses legem, & quicquid discebant tradebant oblivioni. dixerunt ergo, quia sicut Moyses carnalis est & transitorius, ita & eius doctrina dilabitur à nobis. Reversi sunt itaq; ad Moysen & dixerant illi: vtinam Deus rursus se ostendere vellet, vt nos osculo oris sui oscularetur, ita vt eius doctrina cordibus nostris esset annexa. Dixit eis Moyses, hoc fieri nequit modo, fiet autem in tempore Messiæ, scriptum est enim,* dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum scribam eam. Patet ergo ex præmissis rationibus quod Messias legem novam atq; doctrinam, facie ad faciem daturus erat, vltra primam quæ per manū Moysi primitus data erat. Annullatio vero sacrificiorum probatur hoc modo, ex Isaïa: *Quo mihi multitudinem victimarum vestrarum? dicit Dominus, plenus sum: Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui.* Itē Malachias *Quis est in vobis qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? non est mihi voluntas in vobis, dicit dominus exercituum; & munus non suscipiam de manu vestra, ab ortu enim Solis vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Patet itaq; ex istis Prophetiis, quod intentio divina non erat, quod animalium sacrificia in templo Dei antiquitus facta continuari deberent, sed iste Malachias Propheta, potius nobis in hac Prophetia revelavit, quod sacrificium continuum debebat fieri ex re aliqua nimis pura & munda, non sicut antiqua sacrificia, quæ ex adipe & sanguine cum igne & fumo fiebant. Item ostendit nobis, & in hoc quod dicit: *In omni loco*, quod hæc oblatio munda, fienda erat per mundum vniversum, vbicunque per mundum esset assignatum; per contrarium sacrificiorum antiquorum, de quibus erat prohibitum ne alibi quam in templo Ierosolymitano fierent. Et repetitis, quod est quædam locutio sæpe in Talmut reïterata, quæ dicit sic: *In tempore futuro, vniversa sacrificia excepto sacrificio confessionis annihilata erunt.* Item dicit Rabbi Moyses de Ægypto, in lib. *More amph*, in tertio tractatu, vbi de causis præceptorum agit; quod etiam per S. Thom. de Aquino recitatur, quod animalium sacrificia in templo ad primam intentionem nō fiebant, nisi vt populus ejusdem temporis ab idololatria Gentium quam signis & planetis assuescebat facere, separetur, præcipiente ei Deo, quod sicut cæteræ gentes idolis immolabāt, sic & ipsi immolarent ei; quo, hoc modo illos ad principale & spirituale servitium gradatim reduceret: & huic opinioni potest applicari quædam authoritas ex Talmuth, sic dicens: *simile est hoc cuidam filio Regis, qui reptilia & immunda animalia in publico sæpe assuescebat comedere, cui Rex imperavit, vt eadem comederet in mensa sua, melius etenim illud videbatur sibi & honestius quam si in publico à suo filio vescerentur.* Concludunt ergo ex omnibus præmissis, quod quando totaliter immolatio animalium esset à Gentibus remota (sicut post Messiæ adventum, factum fuisse novimus) esset deinde remota causa, quare Deus præceperat in animalium templo fieri sacrificia; & quod non alia immolatio fienda erat, nisi duntaxat panis & vini sacrificium; de quo David asserit, in sempiternum esse fiendum, contra opinionem quam ad præsens Iudæi tenent, credentes quod Messias venturus est vt templū Hierusalem ædificet materiale, & sicut in diebus antiquis, sacrificium accipiat animalium brutorum. De sacrificio etiam panis & vini, habetur in *Bereschit Rabba*, à Rabbi Moyse prædicatore, supra illud Genesis: Melchisedech Rex Salem, obtulit panē & vinum, erat enim Sacerdos Dei summi: *dixit Rabbi filius Eaachinam, iste Melchisedech, erat Sem filius Noe; sed quid vult dicere, proferens panem & vinum? Ostendit quod decuit eum sacerdotij actum, qui erat panem & vinum sacrificare; & hoc est quod habetur in Psalmis:* Iuravit Dn̄s & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. *Quis est ille? ille est Rex Messias, de quo scriptum est:* Ecce Rex tuus venit tibi justus & Salvator: *in hoc quod dicit*, proferens panem & vinum; *correspondet ei quod habetur in Psalmo*; erit placentula panis, in summis montium: *Et in Caldaicha translatione habetur*, erit sacrificium panis, in terra in capite montium synagogæ. Qui cœcus non est, videre potest quod clare hæc authoritas probat nostram intentionem: & præsertim cum declaratione quam Caldaïca

inter

Marginalia: Esa. 2. — Hier. 31 — Psal. 21 — Esa. 11. — Cæremonialiū Christianæ devotionum præceptorum meminerūt Rabbini. — Cant. 1. — Exod. 20 — Ierem. 31 32. — Esa. 1. — Malac. 1 — 1. second. — Genes. 14 — Melchisedech, erat Sem filius Noë. — Sacerdotij actus est, panē & vinum sacrificare. — Psal. 109 — Zach. 9. — Psal. 71.

interpretatio facit super textum in diversis etiam partibus hujus tractatus, discimus qualiter Iudæi affirmãt quod Psalmus ille, *Deus iudicium tuum regi da*, omnia loquitur de Messia. Nunc igitur vbi dicit, *firmamentum erit in terra in summis montium*, & translatio Chaldaïca dicit quod Messias ille fiet sacrificium panis in terra, in capite montium Synagogæ: Montes Synagogæ Sacerdotes Ecclesiæ sunt, qui de facto cunctis diebus Messiam elevant super capita sua; & hoc est ita clarum, quod minime potest negari, nisi ab illis quibus venit maledictio Isaïæ, vt oculis & corde cœci fiant, quos Deus illuminare dignetur. Verumtamen quod cibaria prohibita in veteri Testamento, sint à Deo absoluta & ad vescendum licita: patet per quandam authoritatem quæ est in *Beresit Rabba*, de Rabbi Moyse prædicatore, vbi sic habetur: *quid docet nos in Psalmo dicens*: Dominus solvit compeditos? *omnia animalia quæ fuerant prohibita velut immunda in hoc sæculo, Deus mundificabit atque licentiabit in futuro tempore Messiæ, sicut filiis Noe primitus munda erant, vt scribitur in Genesi, vbi habetur*; & omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum, sicut olera virentia tradidi vobis omnia; *sicut herba omnibus licentiatur, sic etiam animalia omnia erunt omnibus licentiata, & sic ad tempus Messiæ erunt omnia quæ prohibuit licentiata: Quod si dixerit aliquis, quare ergo prohibuit ea in hoc sæculo? Respondeo, vt videret qui essent illi qui illius mandata servarent, & qui non, & circa hoc*. Dominus solvit compeditos, *non est aliqua maior probatio quam mulier menstruata quæ Deus tempore Messiæ licentiabit: Sunt autem aliqui dicentes, quod etiã coitus in aliquibus temporibus tempore Messiæ prohibebitur, quod sic probat: pro vna die dumtaxat in qua Deus in monte Sinai, populo se ostendit, prohibuit eis Moyses ne ad mulieres per tres dies se extenderent nec accederent, multo magis in tempore Messiæ, quo Dei gloria manebit inter illos*. Quid ergo est. Dominus solvit compeditos? *hi sunt qui captivi sunt inferni, captivique mortis.*

Valde bene intentio nostra probatur per dictam authoritatem, præsertim cum in Thalmut alia verba notentur, quæ de quolibet ciborum genere particulariter faciunt mentionem, vt puta, ex domesticorum animalium ordine accipiunt suem, sic dicentes: quare vocatũ est nomen ejus, *Hazim*, id est *Sus*? quia futurum est, vt Deus revertatur ad Israël, *Hazim*, etenim, Hebraïcè, *reversio* dicitur Latinè. Item ex sylvestrium animaliũ, numero recipiũt *Bechemoth*, & dicitur in Talmut quod animal *illud Bechemoth*, est omnium animaliũ majus, & quod masculus & fœmina fuerunt ab initio creati, videns autem Deus quod si filios genuissent, præ illorum magnitudine & multitudine totus mũdus esset destructus, castravit masculum, & refrigeravit fœminam quam custodit, vt det eam justis tẽpore Messiæ ad comedendum. Item, piscium, squamas non habentium accipiunt majorem, quem Leviathan appellant: & dicunt quod Deus habet ipsum salsum, vt eum det justis in fontium ad comedendum, in tantum quod hodie multi reperiuntur qui partem suam hujus Leviathan quem comedere sperant, multo auro & argento minime commutarent, & ad veritatem, rationem habent. Ego namque Hieronymus de sancta fide hujus opusculi compilator, non dimitterem pro maxima pecuniæ quantitate partem meam congri aut lampredæ quam (postquam agnovi Messiã veracem) comedere consuevi. Est iste est Leviathan, à tempore Messiæ promissus. Quod si Iudæorum aliquis dixerit, ex quo lex Mosaïca literaliter omnia ista prohibuit, quomodo à Messia vel ab alio licentiati posse credemus? Pro responsione hujus, habetur quædam nobilis authoritas in *Sanhedrin*, c. *Isti sunt suffocandi dixit Rabbi Ioanna: In quibus te Propheta, legis mandata transgredi iusserit, facere debes: Idololatria excepta quia etiamsi videris talia miracula facientem quod faciat solem in medio cæli stare, ne credas ei nec propterea idolorum cultor efficiaris*. Iuxta istam authoritatem, credendum est Messiæ in omnibus quæ de veteri Testamento prohibitis licentiavit: est enim procul dubio Propheta, & plusquam Propheta, sicut ait Isaïas, *ecce intelliget servus meus, & exaltabitur & sublimis erit valde*. Supra quem textum sic habetur in Thalmuth: *exaltabitur plusquam Abraham, elevabitur plusquam Moyses, & sublimis erit plusquam Angeli*. Secundum ergo hoc, ille qui in tanta sublimitate positus erit, in omnibus ejus verbis merito ab omnibus credendus est.

Psal. 2. — Esa 42. Ioan. 9. 39. — Psal. 45. — Exod 19 15. — Talmud fabulosa impietas de Bechemoth & Leviathan. — Cap. 10. — Esa 52.

CAPUT X.

Probat quod statim post Messiæ adventum, idololatria erat de mundo omnino removenda, ita quod Deus per omnes Gentiles erat cognoscendus, & omnes Gentes principaliter, ab eo salvandæ erant, ex quibus populum novum creaturus erat, & Sacerdotes ad sanctum Dei servitium producturus erat: post cujus adventum, salvatio erat, per baptismum aqua & spiritus, fienda.

NOtum est, quod in fine templi secundi, tempore adventus Salvatoris nostri Iesu-Christi, in vniversis mundi partibus, idolorũ cultores omnes erant & serviebant planetis & signis, & creaturas alias atque alias adorabant; vt puta Babylonij, Medi, Persæ, Græci, Ægyptij, Romani: Dei autem cultores atque adorantes eundem, nullatenus nisi in terra Israël poterant reperiri: & post ejus adventũ, omnes gentes quamquam diversis legibus, sectis atque doctrinis teneantur, vnum tamen Deum se colere dicunt, eidem servire & obedire gloriantur; hoc autem factum est mediantibus Apostolorum sermonibus, atq; prædicationibus discipulorum ipsius, prout in Isaïa Prophetatum est: *Et ponam in eis signum, & mittam ex eis qui salvati fuerint ad Gentes, in mare, & Affricam Lyciam tenentes, Asiam, Italiam, Græciam, & ad insulas longe, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam, & annunciabunt gloriam meam Gentibus*. Et mediantibus nobilibus epistolis ab egregio prædicatore beato Paulo missis per solemnes Discipulos, in partes mundi diversas; in tantum quod à temporibus plurimis post ejus adventum, idololatria est eradicata de mundo, & in omnibus partibus, aut Deus colitur, aut nomen ejus invocatur. Et quamvis hodie nonnullæ Gentes vivant sub aliquibus erroribus, prout sunt Mauri qui asserunt Mahometem fuisse Prophetam, & Iudæi qui per falsã doctrinam Talmut reguntur; attamen, cum hoc, omnes in genere legi Mosaïcæ fidem perhibent qualemcumque, & firmiter credunt à Deo mundum de nihilo creatum, & à primo Motore (qui est Deus) principaliter gubernatum. Quod autem hæc esset vna de conditionibus Messiæ, reperimus hoc scriptum per magistros Talmut, vbi habetur in morali glossa Canticorũ, supra illud, vox dilecti mei: *ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles*: dicit Rabbi Ioda ex nomine Rabbi Eliezer, filij Rabbi Iose Galieni, *quod ista Prophetia de Rege Messia dicitur; & isti montes & colles, nihil aliud sunt quam idololatria quam ipse persaliebat & transiliebat*. Item, si Iudæus orationem quam dicit hodie in die capitis anni sui, bene consideraverit, quam orationem solemniorem omnibus orationibus reputant, reperient quod tota sub articulo isto fundatur. Antiqui namque illi qui erant in principio templi secundi, & eandem orationem ordinabant, sciebant quod in adventu Messiæ, idololatria mundi cessare debebat, & Deus super omnes gentes erat regnaturus, & ideo ordinarunt orationem illam pro illa die in qua fiunt hujusmodi rogationes. Sed cœci miseri non vident quod id propter quod ipsi deprecantur, jam est hodie & diu per vniversum orbem, completum Interroget namque aliquis à Mauro, Iudæo, & Christiano, quem vnusquisque credat Deum, aut quis mundi

Esa. vlt. — Turcæ, in multis, credunt legi Mosaicæ. — Cant. 2.

gubernator existat, omnes vnanimiter, & eorum per se quilibet respondebit se in Deum credere qui creavit cœlum & terram, mirabiliter regit omnia & gubernet. Vanum est igitur à quoconque quærere qood petens ipse tenet. Sed quumodo patet, quod in Messiæ tempore salvatio ejus fienda erat Gentibus, & ex his populum novũ Deus esset creaturus? huc enim per plurimas Prophetias manifestum est. Primum quidem dicitur per Iacob Patriarcham in Genesi: *donec veniat qui mittendus est, ipse erit expectatio Gentium.* Item Zacharias: *& applicabunt gentes multa ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum.* Item in Psalmis: *Scribantur hac in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum.* Vltra præfatas Prophetias, est quædam nobilis authoritas huc idem afferens in *Berezit Rabba*, de Rabbi Moyse prædicante, cap. 90. supra illud Genesis; dicit quoque Rex ad Ioseph, ego sum Pharaon: *dixit Rabbi Ochali; ex ego Pharaonis qui erat homo carnalis, poterimus addiscere quod aliud est, Ego Domini nostri Dei, quia eo, quod Pharao dixit ad Ioseph,* Ego sum Pharao, *dignus factus est Ioseph, vt omne bonum illud consequeretur, sed quando veneris ly ego Dei vt cum dicit,* ego feci, ego feram, ego portabo, & ego salvabo; *quis dubitat quod multum bonum habeamus? Credis forsan quod mundi redemptor, acceptor personarum existat? certe non; sed quicunque corde, verbo, & opere crediderit in eum, salvus erit atque liberatus; scriptum est in Ieremia:* In diebus illis salvabitur Iuda, *id est, confessor veritatis, quia Iudas interpretatur, in tempore confitens; & in Isaia,* Convertimini ad me, & salvi eritis omnes fines terræ. *Item ibi,* quia mihi curvabitur omne genu; *& de ipso dictum est:* dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsq; ad extremũ terræ. Satis palam ex hujusmodi authoritatibus & verbis eũ tam copiosis Prophetiis roboratis; patet conclusionem nostram fore bene probatam. Item habetur in *Midrastilim*, supra illud Isaïæ, in die illa erit radix Iesse quæ stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum illius gloriosum: *dixit Rabbi Hamnina: ex hoc intelligitur, quod Rex Messias non venit, nisi vt legem atque pracepta gentibus prabeat.* Quod autem Messias, ex Gentibus quæ ad ejus fidẽ & credulitatem venturæ erant, Sacerdotes creare debebat, probatur subinde: sed hoc nimis videtur displicere Iudæo, nimirũ proinde gravatur quod alios docetur Dei sacerdotio vllo modo fungi, præter illos qui sunt de genere Aaron, sed ante Messiæ adventum, verum tenebãt, postea vero minime. Est etiam post Christi adventum sacerdotij gratia mirabiliter amplior, vt patet per quãdam authoritatem quæ est in *Melchilta: dixit Rabbi Barachias de eo quod dicebat Iob;* foris non mansit peregrinus, *hoc est vtique, quia parati sunt peregrini, vt tempore Messia, Dei sacerdotio fungantur, sic enim habetur in Isaia.* Adjũgetur advena ad eos, & adhærebit domui Iacob: *Illud autem adhærere, sacerdotio minime convenit. Sic namque dicit Aquilen peregrinus, legisperitus, quid sonat illud Deuteron.* amat peregrinum, & dat ei victum & vestitum? *Illi autem responderunt ei: noveris quod Iacob pater noster nil aliud petit à Deo sibi dari, in Genesi;* & dederit mihi panẽ ad vescendum, & vestimentum ad induendum: *Tu ergo qui novissime venisti ad nos; nonne vt similis Iacob existas contentus ei qui primogenitus a Deo vocatus est? Veruntamen non imagineris, quod Iacob, dumtaxat victum & vestitum à Deo petierit; sed scire te oportet quod Iacob dicebat sic, Dominus promisit mihi quod erit meum, & per totum sæculum bonum de me producturus est: quomodo ergo sciam quod hoc debeat impleri? hoc erit, quando egredientur de me Sacerdotes qui Dei sacrificiũ panem comedant, & sacerdotij vestibus induantur.* Tamen probare pollicitus sum quod salus Gentiũ, post Messiæ adventũ per Baptismũ aquæ & Spiritus S. fiẽda erat. Hoc liquide patet per Ezech. Prophetam, vbi sic ait: *effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris, & ab omnibus idolis vestris mundabo vos,* supra quod, habetur in lib. de *Yoma*, in c. *yam hac qui purim.* id est, *dies expiationum: dixit Rabbi Acquiba: beati estis Israel: coram quo estis iustificati vel mundificati? aut quis est ille qui mundificat vos? quia ipse pater vester cœlestis est, sicut scriptum est.* Effundam super vos aquam mundam, &c. *Et habetur,* fons Israelis, Dominus est: *quia sicut fons mundat sordes, sic Deus Israelis peccata cum aqua mundat.* Item habetur in Talmut, in libro vocato *Quidusin*, in c. *decem genera erant in Babylone: leguntur Magistri, spurij & Gabaonita, omnes erunt in tempore futuro iustificati, hac est opinio Ezechielis, sicut scriptum est:* Effundam super vos aquam mundam, &c. Ecce quam perspicuum est per dictas authoritates, quod in tempore futuro quod ipsi pro tempore Messiæ acceperunt, non solum illi qui erant de genere Israel, verumetiam quæcumq; generationes gentium, mediãte aqua, eorum peccata mundari debebant, sed de Spiritu sancto per eundem Prophetam Ezech. in eod. cap. vbi sic scribitur, *& spiritum meum ponam in medio vestri:* & in Caldaïca translatione scribitur sic, *Spiritum sanctum meum dabo in visceribus vestris.*

CAPVT XI.

De humilitate Messiæ, & eius equitatione in asina.

QVod conversatio Messiæ nobiscum in paupertate & humilitate futura erãt: Item quod super asinum ad templum in habitu pauperis venturus erat, & quam plurima vulnera & passiones passurus erat, liquide potest per Zachar. Prophetam *exulta satis filia Sion iubila filia Hierusalem, ecce Rex tuus veniet tibi iustus & salvator: & ipse pauper, ascendens super asinam & pullum filium asina.* Eodem modo quo per Prophetã enarratum est, Dominus noster Iesus-Christus venit ad Hierusalẽ, vt nos doceret quod ejũs adventus non erat vt divitias vel fœlicitates corporibus daret, sed animabus. Et elegit sibi discipulos pauperes, & temporalibus bonis carentes, scientiæ defectuosos & cautelarum quarumcumque; quorum prædicatione, ad Fidem Catholicam mundus conversus est. Et super eãdem Zachariæ Prophetiam dicit Rabbi Salumon, quod impossibile est textum illum de aliquo alio declarari quam de Rege Messia, quia mox sequitur, *& loquetur pacem gentibus, & potestas eius à mari vsque ad mare, & a fluminibus vsque ad fines terra;* & non reperimus (dicit Rabbi Salomon) similem principem in templo secundo. Ipse namque imaginabatur quod Messiæ potestas deberet esse temporalis, videlicet quod ipse ex sua persona magnam præeminentiam & potestatem haberet in mundo. Et ad veritatem non est sic, quia regnum Christi de hoc mundo non est, cum ejus potestas sit mere spiritualis. Quod autem dicit textus, *à mari vsque ad mare* designat quod fides ejus debebat extendi per mundum vniversum. Item est quædam authoritas in *Berezit Rabba*, de Rabbi Moyse prædicatore: *quid voluit dicere Iacob in Genesi,* ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem (ô fili mi) asinam suam? *Ostendit nobis, quod cum venerit Messias ad salvandum Israel, ipsemet strabit asinum suum & equitabit super illum, & veniet Israel cum paupertate.* Ergo videant omnes quomodo verba istorum doctorum nostram intentionem ostendunt, Catholicæ veritatis. Item habemus in quodam libro vocato *zifrat: dicit Rabbi Iose Galilæus, veni & disce quanta est merces Regis Messia atque remuneratio iustorum credentium in eum; hoc poteris addiscere ab Adam primo parente, cui non nisi vnum solum praceptum pracepit Deus, quod erat cessare ab opere quodam, quod quia transgressus est, sibi & omni generi suo ab eodem procedenti vsque ad finem saculi, mortem caussavit, & certum est, quod maioris quantitatis est meritum boni operis quã punitio mali: ergo Regis Messia, qui afflictionum pœnas atque passiones & mortem pro peccatoribus* patitur,

patitur, sicut largius narrat Isaias, quanta debet esse remuneratio potest imaginari; & quantum erit bonum quod propterea nobis debet evenire. Item, est quædam authoritas in *Sanhedrim cap. col. Israel*, quæ sic ibi recitat: *Rabbi Osua filius Leui repperit Eliam & Rabbi Simeon filium Iocaij stantem ad portas paradisi, dixitque ei Rabbi Osua; Ibo ego ad gloriam paradisi: dicunt ei; ita, si Dominus iste voluerit: dixit Rabbi Osua, sic, duos homines videbam, sed voces trium audiebam: glossat Rabbi Salomon, quod gloria Dei cum illis erat ibi: dixit eis Rabbi Osua; & quando veniet Messias? dicunt ei; vade & quære ab ipso eodem: qui ait: vbi reperiam eum? dicunt ei; ad portam Romæ: & ille; quæ sunt eius signa? Responderunt: reperies eum inter pauperes, vulneribus passionatum, sicut Isaias ait;* vere languores nostros ipse tulit, & peccata nostra ipse portauit, & nos reputauimus eum quasi leprosum, percussum à Deo & humiliatum: *Iuit ergo ad eum, dixitque illi; Domine, quando venies? qui ait, hodie: post aliquot vero dies reversus est Rabbi Osua ad Heliam, dixitque illi: mentitus est mihi Messias? me enim ab eodem, quærente quando venire deberet, respondit mihi; hodie: Cui Helias respondens ait; verum dixit tibi: nam,* hodie si vocem eius audieritis. Ab hac authoritate ego extraho quatuor conclusiones. Prima est, quod à tempore huius doctoris Rabbi Osue, cui fuit *hodie*; sunt plures quam mille ducenti anni, Messias iam natus erat. Secunda; quod sessio principalis, Messiæ, & eius thronus principalis sit in Roma. Tertia; quod licet primus eius adventus fuerit in illo tempore à quo fluxerunt anni 1412. cum toto hoc tempore, adhuc quotidie venire non cessat, & illos videt qui ad doctrinam eius & fidem convertuntur. Quarta est; quod eius conuersatio fuit cum paupertate & humilitate; & hæc est principalis intentio capitis.

Messiæ thronus principalis Romæ futurus ex Rabbinorum sententia.

CAPVT XII. & finale.

Quod adventus Messiæ debebat prius per certum præconem in deserto nunciari; & quod Iudæorum captiuitas fuit propter ingratitudinem, quam erga illum habuerunt Iudæi, quæ odium gentis nuncupatur; & quod ab inde Deus pater cælum clausit, ne orationes Iudæorum audiantur; verumtamen conuersionis ianuam semper pœnitentibus & baptizari volentibus apertam patefecit.

NOtum etiam est, quod adventus saluatoris nostri Iesu Christi paulo antequam esset Gentibus revelatus; per beatum Ioannem Baptistam filium Zachariæ filium sacerdotis templi Hierosolymitani annunciatus fuit; quem quidem Ioannem Rex Herodes in vinculis posuit, eo quod eundem regem beatus Ioannes increpabat, quia vxorem fratris proprij in vxorem acceperat contra divinam legem, & finaliter mulier ipsa fecit illi caput amputari, prout latius Iudæus hanc historiam reperire poteris in libro Iosephi, vbi etiam narratur quod dictus Ioannes in fluuio Iordanis Dominum Iesum Christum baptizauit: quamvis istud verbum postquam natus sum non legi; sed ab eodem libro, Magistri Iudæorum abraserunt, pro vt credo illos & alia multa de Talmut abrasisse. Sed ad propositum redeundo, ipse beatus Ioannes pergens per desertum, clamabat ad populum, dicens omnibus quod converterentur & pœnitentiam agerent peccatorum suorum, quia regnum Dei appropinquat, Baptizabat autem illos qui ad eum veniebant, quod tamen totum in adventu Messiæ (prout dictum est) fieri debebat vt per duos Prophetas fuerat prognosticatum, quorum primus fuerat Isaias, vbi sanctum Ioannem vocem appellat, sic inquiens; *vox clamantis in deserto, parate viam Domini, rectas facite semitas Dei nostri*, &c. Secundus Propheta, fuit Malachias; qui in quodam loco, beatum Ioannem Angelum appellat, In alio vero, Heliam: primo vbi sic ait; *Ecce ego mittam Angelum meum qui præparabit viam ante faciem tuam, & statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti quem vos vultis*, ecce venit. Nonne omnibus notum est, quod eodem modo quo hic Prophetauit Malachias Propheta, ita factum est? quia paulo postquam cœpit prædicare, verus Messias revelatus est, & omnibus publice diuulgatus, & illud designat istud adverbium, *statim*. Deinde idem Malachias Propheta, in fine suæ Prophetiæ; beatum Ioannem, Heliam appellat, *Ecce ego vobis mittam Heliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis, & convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*: istud opus laudabile, beatus Ioannes est operatus. Sed quod Iudæorum captiuitas, propter ingratitudinem quam erga verum Messiam & horribile peccatum habuerunt, existat causa; clare patet per quandam authoritatem libri vocati, *addebarim Rabba*; id est, Deuteronomius magnus, vbi sic habetur: *quid voluit dicere Moses in libro Deuteronomij*; Generatio peruersa & infideles filij? *hoc est: quia dixit Deus Israël; vos estis filij infideles, qui cum essetis coram me in monte Sinai, dixistis*; cuncta quæ Dominus locutus est, faciemus & audiemus: *Ego similiter dixi vobis eadem hora*; ego dixi, dij estis & filij excelsi omnes; *sed post hoc, vbi dixistis*, Isti sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti, *ibi respondi vobis*, vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus de principibus cadetis; postea ad terram patrum vestrorum congregabo vos, in qua mihi templum ædificabitis: *Tunc ego dixi vobis; nunquam eritis ab eadem patria transmigrati: Cum autem dixistis* non est nobis pars in David, neo hæreditas in filio Isai, *similiter ego dixi*, & Israël captiuus migrabit de terra sua, & cætera. Si quis voluerit istam authoritatem diligenter considerare, clare videbit, qualiter intentio nostra concludetur ex ea. Patet namque & perspicuum est, quod hoc verbum allegatum, scilicet, *non est nobis pars in David*; quod quidem verbum dixerunt Israelitæ propter malam responsionem quam eis dederat Roboam, non debuisset propterea ingredi captiuitatem? nec reperitur quia ideo eisdem temporibus essent à Deo puniti tali punitione, sicut ista tam longa captiuitate. Captiuitas namque Babylonis propter idololatriæ peccata, & Prophetarum homicidia, & adulteria, facta est; & non plusquam septuaginta annis durauit: quo ergo pacto credendum esset, quod propter illud verbum quod tempore Roboam dixerant; ad hanc tam longam captiuitatem condemnati essent, quæ mille quadringentis annis iam durat elapsis? quare necessario dicendum est quod hic David in Prophetæ authoritate nominatus, quem (prout asseritur) negauerunt, ita quod propter illud scelus ad tam grauissimam captiuitatem sunt condemnati, nullus esse potest alius quam rex Messias; de quo est quædam authoritas in libro magno lamentationum, *lamentatio magna* vocato, in quo dicit Rabbi Iuda: *si hic rex Messias, Deus vnus est; David est nomen eius*. Intentio huius doctoris est, quod sive ante tempus passionis eius, sive post, semper vocatur David: & dicit ibidem Rabbi Thahuma; *Vis authoritatem? ad hoc reperies in secundo Reg.* Magnificans salutem Regis sui, & faciens misericordiam Christo suo David, &c. *Non dixit*, Christo suo & David, *quia videretur Christus vnus & David alter; sed dixit*, Christo suo David, *ad ostendendum quod ipsemet Christus est ipsemet David.* Concluditur ergo multum bene ex authoritate præmissa, quod propter ingratitudinem quam contra Messiam habuerunt, ad hanc præsentem captiuitatem fuerunt rationabiliter condemnati. Item reperitur in Talmut, quod idem ipsi doctores temporis illius & legis periti dicunt; Quomodo fieri potuit quod in templo secundo in quo nulla fuit idololatria; vt nec alia ignominiosa peccata; vbi erant quam multi religiosi viri, probi

homines, sapientes & iusti, tam sæuissimæ punitionis rei facti sunt; vbi nullum aliud scelus erat, nisi invidia & odium gratis? & certe verum dicunt Iudæi huius temporis non tamen intelligunt; hoc, propter odium & iniquitatem quam erga Messiam habuerunt, illis contigisse; propter quod, proculdubio ad hanc venerunt interminabilem captivitatem condemnati: & non solum istud euenit eis, verumetiam & aliud quod deterius & ex toto contumaciter negatus, ianuam cœli totaliter clausit, vt nullius Iudæi audiat orationem. Quod vtique patet per quandam orationem quam habent in Talmut, in libro *Berachoth*; id est, *benedictionum*, in capit. *Hen vmdim*; id est, *non stabunt*. Dixit Rabbi Eliazer: à die quo templum fuit destructum, orationis portæ clausæ sunt, sicut scriptum est in lamentatione Hieremiæ; sed cum clamauero & rogauero; exclusit orationem meam. Item dicit ipsemet: *à die qua fuit destructa Hierusalem, quædam tabula ferrea interposita est inter Hierusalem & patrem eorum cœlestem: sic enim scriptum est* in Ezechielem; & tu sume tibi sartaginem ferream, & pones eam in murum ferreum inter te & inter civitatem? Attamen si bene probabimus quod portæ orationis clausæ sint, certum est tamen, quod portæ conversionis omnibus temporibus sunt apertæ; & hoc patet per quandam authoritatem, in *Midrasthim: dixit Rabbi Samuel Baranchina, porta orationis quandoque sunt clausa quandoque aperta, sed porta conversionis nullo tempore clauduntur, sicut scriptum est in Psalmis*; Spes omnium finium terræ, & in mari longe: *Sicut mare est apertum, & quilibet volens omni tempore poterit se in eo balneare; ita est conversio, quod quicunque voluerit converti, quocunque anni tempore poterit & erit à Deo receptum.*

Tren. 3.

Ezech. 4.

Portæ conversionis semper sũt apertæ, orationis vero nõ item.

Psal. 64.

ANACÆPHALAIOSIS,

LIBRI I.

Ecce ergo quam bene probatum & per Prophetias & per Caldaicas translationes, & per Magistrorum Talmuth authoritates, qualiter omnes illæ 24. conditiones, in primo capite huius tractatus nominatæ, & in adventu Domini nostri Iesu Christi realiter repertæ; in vero Messia ab omnibus expectato, debebant reperiri. Maior ergo nostri syllogismi in primo capitulo posita, de se ipsa nota est; & minor, in supradictis capitulis omnibus comprobata. Concludimus ergo necessario, quod Iesus Christus verus Messias est, & mundi saluator in lege promissus, & per sanctos Prophetas expectatus. Cum qua conclusione omnes controversiæ atque discordiæ quæ sunt inter nos & Iudæos, secundum quod in primo capitulo huius tractatus nominatæ sunt (vt iam diximus) sunt uiuirum determinatæ. Hoc itaque est, quod ad præsens supra dictam conclusionem scribendum esse iudicauimus, licet ista quæ scripta sunt, non sint vna pars de centum, Prophetiarum, rationum, & authoritatum, quas in confirmatione omnium quæ ad catholicam fidem pertinent, Deo præuio quando & vbi decuerit potesimus demonstrare & allegare. Intentio tamen huius breuis tractatuli fuit, ponere dumtaxat in scriptis rationes illas quæ coram præsentia Domini nostri Papæ, eiusque sanctissimæ curiæ fuerunt præsentatæ; & cum divina gratia & misericordiâ, in breve tempus credo scribere me posse in hac materia vanitatis, ineptas fallacias deprauitæ doctrinæ Talmut, & eorum qui per illud reguntur, in alio tractatu sequenti. Sed poterit aliquis arguere me, dicens: si vera sunt illa quæ dicis harum dicta Prophetiarum, authoritatum & glossarum quas allegas, cur Magistri legisque periti Iudæorum (& specialites illi qui erga studium huius Talmut, nocte dieque laborant) hae tuas intelligentias indagare tabescunt, ne ad ipsam legem veram quam dicis, & Messiæ cognitionem totis viribus convertantur? Ad argumentum hoc, duas verissimas habeo responsiones. Prima est, quod in libris Talmut, de tribus speciebus materiarum tractatur, quædam species est causarum civilium, & animalium, & ab eis dependentium ex eis emergentium; sic sunt apud nos leges imperiales. Secunda est de matrimoniis, & animalibus mundis ad vescendum, & de prohibitis & immundis, & orationibus & festivitatibus colendis; sicut sunt apud nos, doctorum. Tertia est, de historiis & narrationibus legis; vt puta de oratione, & de vita, & operibus patrum, & de miraculis in lege narratis, & de adventu Messiæ, & conditionibus eius, & de mortuorum resurrectione, & de iudicio, & de inferno & paradiso: Et hanc particulam tertiam vocant Iudæi, *Haggadoth*, id est, narrationem; & singulariter, *Haggadoth*, id est, *narratio* interpretatur. Item vocant eam, *Midrassoth*, id est, sermocinationes, & singulariter *Midrassoth*, id est, sermocinatio est. Istæ autem narrationes & sermocinationes non sunt per se ad vnam partem Talmut separatæ seu distinctæ; imo potius sunt diffusæ sive dispersæ in libros, capitula, & lectiones præmissi Talmut; in tantum, quod post septem vel octo lectiones vel plus vel minus, reperitur quædam talis narratio vel sermocinatio, quam quando Rabbini legunt studiorum suorum discipulis, faciunt sic quod ea quæ pertinent ad duas materias primas, declarant ea & docent cum omnibus expositionibus, glossis & innouationibus quas reperire possunt. Cum autem reperiunt aliquid quod ad tertiam materiam præfatam pertineat; relinquunt illud & legere negligunt, dicentes quod est sine fructu, quia illorum intentio non est nisi materias illas legere quæ sunt de pane quærendo, propter quod, gens vulgaris & sæcularis, eis præbet honorem. Hæc est via per omnes Rabinos in omnibus partibus & studiis quibuscumque obseruata, & hæc principalis causa quare non considerant, non vident, & ignorant dictas authoritates. Secunda ratio est; posito quod aliquis eorum videat & consideret aliquid dictarum authoritatum, quando eas in suis lectionibus reperiunt; nil mirum si vna vel duæ vel tres earum non faciunt in eis aliquod signum: esset namque illis necessarium vt multas earum simul acciperent, & earum quasdam cum aliis concordarent; & nihilominus, cum Prophetis eandem materiam tangentibus, eorum glossas atque Caldaicas interpretationes & translationes viderent, quæ per antiquiores doctores suos & Magistros authenticos tactæ sunt; & diligenter attenderent quid vnusquisque super easdem Prophetias dicat. Quod si facere voluissent; non est dubium quod statim essent à spiritus sancti gratia illuminati, taliter quod viderent veritatem meridianâ luce clariorem, prout mihi per divinam gratiam & naturam contigit dum practicam tenerem memoriam: est tamen verum quod sunt aliæ causæ temporales, quæ viam conversionis & cognitionem veritatis impediunt; mulierum, videlicet vxorum, & filiorum amor atque parentum: Item amor pecuniarum quas cum vsuris & aliis Iudaicis fraudibus acquirunt: vsurarum namque lucrum fit sine labore corporeo: de quo habetur in Talmut, quod quædam mulier viderat quendam Rabinum Iudæorum grossum & pulchrum, & dixit ei; similis est facies tua homini habenti gregem porcorum, aut argentum suum ad vsuram præbenti. Item sunt decepti eo quod eorum intellectus, imaginatio, & studium; oppositionibus, constitutionibus, ceremoniis, atque moribus magistrorum Talmut vehementer inclinatur; in quibus omnibus diebus vitæ suæ fuerunt enutriti. Nam vt veritatem loquar; magnam virtutem & magnanimitatem tenere habet ille qui se à moribus in quibus longo tempore nutritus fuerit & inveteratus, voluerit separare, cum sint iam primæ vsitationes cordi eius annexæ: ad quod nimirum, non omnes homines sunt ita sufficientes vt proprias valeant coercere voluntates & passiones. Erunt tamen illi, quibus gratia divina taliter

Cur Iudæorum Rabini non convertuntur ad Christũ.

Talmudistaẽ, docendi methodus.

Christianam veritatẽ qua ratione cognoscere possent Iudæi.

Vsurarũ studia, Iudæos à studio veritatis abstrahunt.

est

est infusa, vt delectationes, voluptates, cæteraque bona temporalia in comparatione spiritualium contemnere voluerint, & hilariter amore divino suffulti non deserere veram fidem, spem firmam & ardorem charitatis habentes; in illa requie divina qua saluabitur & requiescet anima intellectiua, sic asserente Isaia Propheta: *& requiem dabit tibi Dominus Deus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & ossa liberabit. & eris quasi hortus irriguus, sicut fons aquarum cuius aquæ non deficiunt*: ad quam requiem nos perducere dignetur ille verus Messias, qui cum Patre & Spiritu viuit Deus & regnat in sæcula sæculorum: Amen.

Esai. 63.

HIERONYMI A SANCTA FIDE CONTRA IVDÆOS.

LIBER SECVNDVS.

De Iudaicis erroribus ex Talmut.

TALMVTH Iudæorum, quod sonat apud eos, *doctrina*: componitur circa annum, post Christi tempora, quadringentesimum, à duobus summis Rabbis: scilicet † Rabbena Hakkados, & Rab-Ase. Liber vtique grandis, & maior decem Bibliis. In eo sunt intricabilia mendacia, turpia, fatua, abominabilia: contra legem Dei, contra legem naturæ, contra legem scriptam. Videntes namque Iudæi, legem suam deficere, & fidem Christianam proficere in toto orbe, etiam cum gloria temporalium: hos duos deceptores instigarunt, eatenus vt hunc librum componerent: & tanquam Moysi scriptis, firmam atque solidam adhiberent fidem: prohiberentque sub pœna mortis, ne quis aliquid negaret de his quæ in eo continentur. Factum est ita ad suam infelicem excæcationem, & suorum perpetuam depravationem. Ne autem simplices habeant occasionem recedendi à tanta falsitate, iniunxerunt eis, vt interrogati de difficilibus, respondeant: nos hæc non intelligimus, sed Rabbini nostri poterunt respondere vobis. Sic traditi sunt in reprobum sensum, vt plus his nugis credant quam Moysi aut Christo. Veruntamen plures in diversis mundi partibus conversi crebro leguntur: & aliqui pro fide magna fecerunt, & vtilissima scripta reliquerunt.

† Missa vid. licet à preore. Gnemista aut. ab alio ro illo posteriore.

Sequuntur aliquæ, de multis & infinitis, abominationes, in dicto iniquissimo volumine Talmut contenta.

QVia gratiosa misericordia divina, influens est super omnem eius creaturam cuiuscunque conditionis existat, iuxta illud Psalmistæ: *Suavis Dominus vniversis, & miserationes eius super omnia opera eius*: Ideo expedit, imo necessarium est ad sanctam matrem Ecclesiam intendere, non modo vt æternam gloriam & beatitudinem fidelibus catholicis Christum profitentibus, & sanctæ doctrinæ catholicæ fidem acquirere faciat, verum etiam quantum possibile sit, vt infidelium quoque animæ ad veram fidem & prædictam fidelitatem reducantur, laborare: eiiciendo ab eisdem errores & opiniones iniquas, ac doctrinas falsas (eorum cæcitatem cordium causantes) ne à veræ lucis dement cognitione, & per consequens perditio eorum causetur animarum. Sed cum opus huiusmodi per ministros & sacerdotes eiusdem sanctæ matris Ecclesiæ fieri debeat & procurari, potissimeque per manum illius qui ex parte Domini Dei nostri in verum pastorem populi catholici assignatus est, & est verus summus sacerdos Ecclesiæ & Apostolicæ sedis in tempore præsenti beatissimus & sanctissimus pater dominus noster videlicet Papa Benedictus XIII: Ideo licitum est sibi, imo potius necessarium, iuxta sanctissimam dignitatem & apicem Apostolicum, quibus fungitur ut præmissit, cum sublimi diligentia laborare pro maxima vtilitate & communi bono humanæ naturæ: cuius animæ sibi sunt à Domino commendatæ, vbi dixit Petro, (cuius successor est) *pasce oues meas*. Quod cum ad eius sublimem sanctitatis notitiam venit, Iudæos in sacra scripturæ lege (prædecessoribus eorum, per manum Moysis traditæ) hodie minime contentari: quin potius aliam legem asserere quam eandem ipsi Moysi oretenus traditam, quæ apud illos *Talmut* nuncupatur, quæque per manus quorundam Rabinorum descripta est, videlicet Rabbenu & Rab-Ase, per annos 435. post Iesu Christi passionem: debet nullatenus tolerare. Nam textus prædicti Talmut; volumina superat & paginas sacræ Bibliæ totius in decuplo; glossis antiquis & modernis supra illud factis quamplurimis, exceptis. In quibus textu & glossis, præcepta, obseruantias, & ceremonias innouarunt Iudæi, quæ nunquam fuerunt in lege Mosaica nominata, quibus ipsi hodierna die reguntur. Et nihilominus vt ordinationes dicti Talmut & eorum errores ceremoniasque fortius fundarent, mandarunt in locis diversis, quod omnes ordinationes in dicto libro Talmut constitutæ, tantam efficaciam haberent, sicut ea quæ à Domino nostro Deo patre sunt in lege Mosaica constituta; deinde mortis pœnam imponunt cuique negenti aliquid ex iis quæ in dicto volumine continentur, & per eosdem scripta sunt; cum tamen talem pœnam, legis divinæ verba neganti, non imponant: & in ipso nomine excessum sibi sumunt, cum illum tractatum, *Talmut*, id est, doctrinam, & sanctam scripturam Bibliæ, *Micra*, id est, lecturam vocarint: & non solum hoc est in Talmut; verum etiam & multæ abominationes & errores, hæreses & vanitates reperiuntur in eo; quæ faciunt contra naturæ legem, contra charitatem, contra divinam perfectionem, contra textum legis & Prophetarum, contra Catholicam fidem, contra saluatorem nostrum Iesum Christum, & in maximum inter esse conversationis eorum cum Christianis. Quæ cum ita vera sint sicut supra scriptum est, non debet illa præfati domini nostri Papæ sanctitas tolerare. Et ideo mandauit sanctitas eius, mihi Hieronymo de sancta fide, familiari & medico suo, licet insufficienti & indigno, quatenus per libros & volumina dicti Talmut oculare discurrens, quasdam ex abominationibus illis exciperem, annotarem earum errores, & in quibus libris & capitulis continentur; vt sublimis sanctitas & sapientia sua, in eius audientia informata posset de iustitiæ remedio providere, & sicut eius officij & dignitatis onus postulat & requirit. Et quidem in mense Augusto nuper elapso, de mandato domini nostri Papæ præfati, quodam alio brevi tractatu compilato in quo tradidi plurimas authoritates ipsius Talmut ad firmiter ostendendum dominum nostrum Iesum Christum fore verum Messiam per omnes Prophetas promissum & pronunciatum; prædixisse me recolo, disposuisse ordinare alium tractatum, ipsam materiam latius continentem: & vanitates ac abominationem Iudæorum in dicto Talmut contentas, singulatim propalare. Sed quia tractatus huius perfectio & tempo-

Ps. 144.

ris necessarij longitudo, est mihi per mandatum Apostolicum nimium festinata; idcirco in præsenti est intentio mea, solum quasdam omnium abominationes inserere, ad modum cuiusdam relationis & insinuationis Apostolicæ sanctitati; iuxta morem mercatorum, de multitudine mercationum suorum particulam ostendentium in foro, qualitatem totius residui continentem: & ideo gratiæ Spiritus sancti me commendo, præsens opusculum in sex Capitula divisurus.

Capitulum primum tractat de his quæ sunt contra charitatem & humanitatem, legemque naturæ.

Secundum Cap. de his quæ sunt contra Dei servitium, & eius perfectionem.

Tertium Cap. de his quæ sunt contra legem Mosaicam & Prophetas.

Quartum Cap. de vanitatibus, decisionibus, & vitiis in Talmuth contentis.

Quintum Cap. de his quæ sunt contra catholicam fidem & Salvatorem nostrum Iesum Christum, minime tolerandis.

Sextum Cap. de his quæ sunt in damnum maximum & interesse Christianorum participantium cum Iudæis.

CAPITVLVM I.

De his quæ sunt contra charitatem, humanitatem, & naturæ legem.

Talmu-distarum doctrina impia de impune percutiendis parentibus.

Sciendum & advertendum est quod Iudæi præbent licentiam & doctrinam in Talmut, vt liceat vnicuique contemnere parentes, illis maledicere, & demum illos percutere sine onere peccati cuiuscunque. Quod, quantum sit abominabile & contra naturam, contra humanitatem & charitatem, satis patet; quia nihil tam scelestum quam patri vel matri maledicere, & ponere in eis manum violentam. Scribitur vero in dicto Talmut, in libro *Sanhedrin*, in cap. quod incipit, *Isti sunt suffocandi*: quod quisquis patrem vel matrem percusserit, nisi fecerit vulnus immunis sit. Et dicit Rabbi Moyses, in libro Iudicum, in lectionibus rebellantium, ca. 5. *Qui percusit patrem suum aut matrem, reus est vt moriatur suffocatus, veruntamen nisi fecerit vulnus, pœna non tenetur, sed si percutit eos & non faciat vulnus, nihil aliud est quam si percutiat vnum alterum de Israel: Item qui percutit eos postquam mortui fuerint, immunis est.* Item dicunt, quod qui maledicit patri vel matri suis, non est culpandus in aliquo nisi nominet in eadem maledictione vnum de sanctis nominibus Dei. Et non modo patri carnali taliter maledicendi licentiam præbent; sed etiam ipsi Deo, vt scribitur in *Sanhedrin*, cap. 4. quod incipit, *Mortes: qui maledixerit nomini Dei: non est in aliqua pœna vel culpa, nisi tam si quod propalet nomen proprium Domini nostri Dei, quod vocatur* Schemhamphoras, *id est*, tetragrammaton: *Sed si Deum nominat in hora maledictionis, cum aliquo aliorum nominum: vt videlicet*, Heloym, *quod est*, Deus, Sabaoth, *id est*, exercituum; *vel* El. potens; *vel aliorum huiusmodi, immunis est.*

Talmu-distarum doctrina impia contra secundũ præceptũ Decalogi.

Item dicunt in *Sanhedrin*, cap. 3. videlicet, *Isti sunt comburendi: Si quis ligaverit pedes & manus proximi sui, & propter eandem causam mortuus fuerit fame, immunis est ligator à morte: sed si sic ligatum præ calore vel frigore moriatur: ligator erit reus mortis: quod si eundem ligaverit coram leone, immunis est à morte; & si proiecit eum ad museam, reus est mortis: quod si proiecerit eum, erit immunis.* Item habetur in eodem libro: *legunt Magistri: Si decem percutiunt vnum hominem cum decem fustibus & interficiunt eum, omnes sunt immunes.* Item habetur in eodem libro: *si quis interficit hominem; & reperitur quod interfectus, sit* terapha, *id est, quod habeat pulmonem lateribus adhærentem, aut aliam labem ex quibus Iudæi prohibent ne animalia id habentia, comedantur; interfector huiusmodi est immunis.* Glossat Rabbi Salomon: *quia vir ille interemit mortuum: Animal enim quod est* Terapha, *dispositum est ad mortem.*

Talmu-distarum nugæ contra charitatem in proximũ.

Item dicit Rabbi Moysea de Ægypto, in libro Iudicum, in lectionibus de *Sanhedrin*, cap. 9. quod si aliquis criminosus venit coram iudicibus, & omnes vnanimiter in vna voce fuerint concordes quod ipse sit reus mortis; quod talis homo censeatur immunis, cum sit necessarium quod iudices sint in eius iudicio discrepantes, & quod pars eorum condemnet, & pars absolvat; Et quod ad maiorem partem sit consensus condemnationis & absolutionis. Item habetur in libro *Hulim*, cap. 1. quod si *A*, facit testimonium falsum adversus *B*, propter quod condemnetur ipsum *B*, ad mortem; & deinde ante executionem probetur falsum illud testimonium: eripiatur *B*, & moriatur *A*, quia volebat interficere proximum suum cum falso testimonio suo; nam habetur in Deuter. *& reddent ei sicut fratri suo facere cogitavit.* Et propter hoc quod dicit, *facere cogitavit*; & non dicit, *fecerit*; notant & addocent quod si mors *B*, fuisset subsecuta quando reperta fuit falsitas *A*, quod in tali casu, *A*, foret immunis.

Talmu-distarum stultitiæ de suffragiorum consensu in iudiciis.

Ecce quam manifeste præbent occasionem hominibus vt homicidij & periurij peccatum incurrant; ipsos à talibus criminibus absolvendo, quod non secundum scripturæ legem, verum etiam & naturæ, merentur punitionem. Insuper etiam sunt occasio fœdi spurcissimique luxuriæ peccati, piu rebus & modis inordinatis ac turpissimis quos enarrant in illo casu, in libro *Iebamoth*, cap. *qui convenit cum cognata.* Item dicunt in eodem libro de *Sanhedrin*, cap. *Iudicia pecuniarum*, supra memorato, quod in illis centum triginta annis qui lapsi fuerunt postquam Cain & Abel nati fuerunt, quousque natus est Seth, eo durante non cessabat Adam gignere in Eva spiritus malignos & diabolos quos ipsa parturiebat. Item præbent licentiam furandi homines, & vendendi eos; quod reperietis in *Sanhedrin*, ca. *isti sunt suffocandi*: vbi dicitur: *nam pater qui furatur filium, aut magister discipulum, & vendit illum immunis est à pœna.* Omnia præmissa sunt talis naturæ, quod etiam Gentiles, & illi qui naturali ratione tantummodo reguntur; illa vitarent, & iniqua ac turpia censerentur ab eis; sed multo magis ab illis qui legi divinæ subiecti sunt.

CAPITVLVM II.

De his quæ sunt contra Dei servitium & eius perfectionem.

Isti qui à suis vocantur sapientes, & iactant se fore servitores Dei ac interpretes Mosaicæ legis; reperiuntur inordinate loquẽtes de rebus existentibus in magnũ vituperium Dei patris Domini nostri. Auferunt enim ab eo omnem perfectionem, & omnem defectum attribuunt ei. Et primum & ante omnia, licentiam tribuunt serviendi Diis alienis & idololatrandi. Nam reperitur in *Sanhedrin*. cap. 4. quod incipit, *Mortes*, supra illud Levitici de idolo vocato *Moloch*: cuius servitium erat, quod homo acciperet vnum filiorum suorum & traderet eum sacerdotibus vt ipsi facerent eum transire per ignem, coram idolo suo. Verum autem hac visa & idololatria *considerata* ex his verbis in præmisso capite affixis, *de semine suo non dabis vt consecretur idolo Moloch*: ipsi notant & dicunt quemadmodum ex quo dicit textus, *de semine*, hoc intelligitur, quod homo non peccat nisi quando dat sacerdotibus partem sui geniminis pro *Moloch*: sed si omnes filios suos illi traderet, non peccaret: Item in eo quod dicit, *non dabis*, intelligitur quod non peccat nisi

Testimonij falsi impunitas ex Talmudistarum inepta ratiocinatione.

quando

quando pater dat filium suum sacerdoti *Moloch* vt eum sacrificet; sed si pater ipsemet sacrificet eum non peccat. Item ex eo quod dicit, *de semine*, intelligitur quod peccatum est quando sacrificium fit ex illis qui sunt progressi ab offerente; sed si quis sacrificauerit patrem vel fratrem aut seipsum idolo prædicto, non peccabit. Item dicunt in eodem libro *Sanhedrin*, & in eod. cap. *Si quis adorauerit idolum, amore vel timore, immunis est*: & glossat Rabbi Salomon: *Amore*, intelligitur; vt, si aliquis Dominus rogauerit seruum vt eius amore adoret: *timore*, vt si minatus fuerit ei, nisi fecerit. Attamen Rabbi Moyses de Ægypto, glossat aliter, dicens, quod, *amore*, intelligitur, vt si fuerit philocaptus à pulchritudine imaginis illius idoli, *timore*, vero; vt si timuerit ne idolum noceat ei, vt seruitores eius opinantur quod potest prodesse vel obesse; & quod si in tali casu adorat, immunis est. Est igitur valde mirandum de glossationibus istis & de textu Talmut, quemadmodum clare faciunt contra textum diuinæ legis. Scimus namque quod quando populus Israël pergebat per desertum, & accessit ad Madianitidas & adorauit Beelphegor; quod Deus ita fuit iratus aduersus populum, quod ex eis vigintiquatuor millia perierunt: & est manifestum, quod illa idololatria non fiebat nisi amore filiarum Moab, vt patet in libro Numerorum. Item illi tres pueri, Sidrach, Misach, & Abdenago, qui subire maluerũt tormentum fornacis ardentis, quam adorare statuam Nabuchodonozor: quia si hæc opinio vera esset, poterant vtique ab hoc periculo excusari, ex quo peccassent propter Nabuchodonosor Regis timorem; & constat quod ipsi boni legis periti erant, cum de illis dicatur quod erant socij & consociati in studio Danielis, vnde satis patet, quod sententia prolata per Magistros Talmut clarissime falsa est. Item etiam veniunt manifeste contra Deum, in eo quod adæquantur ei & prorogant sibi potestatem reuocandi sententiam eius. Et primo quod adæquantur ei: reperitur in aliquibus ordinationibus & ceremoniis, quas ipsi statuerunt, & omnes Iudæi in hodiernum diem obseruant, hoc est, quod in noctibus aliquibus anni iubent accendere certas candelas in domo, in signum victoriæ Machabæorum & memoriæ: & in certo mense anni, iubent fieri festum * puerim memoriam miraculi Hester & Mardochæi, aduersus Haman. In quo quidem festo, iubetur in Talmut quod quilibet Iudæus inebriari tenetur: & in eodem die legunt in synagoga, Hester; & in fine quando incendunt dictas candelas siue quando legunt dictam historiam in synagoga, dicunt talia verba: Benedictus est Dominus Deus noster sæculi, qui sanctificauit nos in præceptis suis, & præcepit nobis incendere candelas Neomeniæ, vel præcepit nobis legere historiam istam. Videte vtrum præcepit hoc Deus in lege; nisi quia ipsi sic facientes & iubentes, faciunt se æquales Deo. Et nedum hoc, sed etiam reputant se posse verba Dei reuocare, quod declarant supra illud Deuter. *Sed si difficile aut ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, surge & ascende ad domum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniensque ad sacerdotes Leuitici generis, & Iudicem temporis illius, quæres à iudicibus tibi iudicij veritatem, & facies quodcunque dixerint qui præsunt.* Et sequitur: *nec declinabis ad dexteram & è conuerso*: & ita debet credi & obseruari; & ad mortem condemnant quemcunque frangentem aliquid ordinationum suarum. Imo etiam dicunt in libro Benedictionum: cap. *cuius mortuum*; quod quicunque derriserit aliquem sapientem Talmut vel de eo aliquid sinistrum dixerit, ad inferos condemnabitur; & qui transgreditur verba legis, nullam pœnam habet nisi quod transgressor est legis. Ecce qualiter plus quam Deus scire præsumunt; quia dicunt in libro de *Baba Mecia*, cap. *aurum comparat argentum*: quod dudum accidit in studio quæ iam quæstio & disputatio ardua supra quendã actum legis, & omnes magistri illius studij erant vnius opinionis, sed Rabbi Elyazer qui maior erat omnium aliorum, in illa disputatione contrarius eorum erat; qui ad ipsius intentionis probationem, quam multas rationes euidentes allegauit, quibus ipsi nequaquam assentire voluerunt; & finaliter, ipsis ait Rabbi Elyazer: si opinio mea vera est, hoc remittito Domino Deo nostro: & eadem hora, vox quædam de cælo audita est, sic dicens: nolite impugnare Rabbi Eliazer, quia verum est quod ipse ait: surgens autẽ Rabbi Osua stetit pedibus, & ait: Domine Deus, lex non est in cœlis, sed in terra, in qua quidẽ iam per te præcepisti quod ad maiorẽ partem sit concedendum! eadem hora excommunicauerunt Rabbi Elyazer, quousque obediuit opinioni eorum. Et dicunt, quod post modicum tempus, Rabbi Nathan repetit Eliam Prophetam; dixitque illi: eras ne tu forsan in cœlo, quando quæstio illa disputabatur? Qui respondit; eram: Et ille, quid ergo ait Deus eadem hora qua sapientes eius reuelationi obedire noluerunt? qui respondit: risit dicens: vicerunt me filij mei, vicerunt me filij mei. Item glorificantur isti Talmudistæ in se ipsis, dicentes in lib. de *Suchá*, c. 3. quod quidam Doctor cui nomen erat Rabbi Simeon Ben Iochai, dicebat: Ego sum ita dignus & iustus quod (si voluissem) pro meritis meis essent omnes homines qui nati sunt in mundo, postquam ego natus sum, vsque in hodiernum diem à die iudicij liberati: & si Elyazer filius meus esset mecum, possemus ab eodem iudicio liberare omnes qui nati sunt in mundo, à die quo creatus est, vsque in diem hunc; Et, si Ionathas filius Ozielis esset nobiscum; possemus genus humanum liberare totum, à principio creationis mundi vsque ad finem. Ecce quanta superbia temeritatis! Item se iactant esse Prophetas, vbi dicunt in *Baba Batra*, cap. 1. *à die destructionis templi & citra, sublata fuit Prophetia à Prophetis, & data legis peritis.* Item manifestum est quod Deus omnipotens & Dominus noster, habet omnem perfectionem abundantius quam quis posset imaginari. Etenim æternus, omnipotens beatissimus, verissimus, iustissimus, mundissimus, & incorporeus est, & cum nihil illi desit de omnibus in ipso contentis, quæ omnia vno modo per sanctam scripturam dicuntur verum, & per meram veritatem & apertissimam notionem: tamen Talmudistæ, horum omnium contraria, vt ex eorum dictis apparet, illi opponunt. Et primum de opinione, in libro Benedictionum, cap. 1. dicunt, quod in tres custodias diuiditur nox, & in earum qualibet Deus tanquam leo rugit, dicens: Væ mihi quia destruxi domum meam, & combussi atrium meum, & inter mundi gentes filios captiuaui! Item habent & alia fatuitas, in eodem capitulo: *Dixit Rabbi Iose seu Quizana: quondam pergebam pariter, & ingressus quandam domũ ex desertis Hierusalem vt orarem, & venit Elias (in bonis sit memoratus) & custodiuit me ad ostium, donec perficerem orationem meam: qua perfecta, dixit mihi: Pax tibi, Rabbi: & ego, pax tibi domine mi: & dixit mihi: fili, quam vocem audiuisti in hoc deserto? & ego; audiui quandam vocem vlulantem sicut columbam, & dicentem: Væ mihi, quia destruxi domum meam, & filios meos inter mundi gentes captiuaui! Tunc mihi ait: Fili, per vitam tuam, & per vitam capitis tui, iuro quod non solum in ista hora sic dicit, verum & quandocunque Israel ingrediuntur in synagogas, & studia, & audiunt legem ab ore alicuius Doctoris, & dicitur eis quaddis, id est,* proficimus*: & respondent*, sit nomen eius benedictum: *tunc Deus mouet caput suum, dicens:* beatus Rex qui sic in domo sua glorificatur; & quid habuit pater, vt sic faceret filios captiuari? Væ filiis qui migrarunt desuper mensa patris eorum! Conclude ex præmissis, quod Deus non habet potestatem filios suos de captiuitate liberare, & ideo dilaniantur. Item opponunt Deo patri defectum & miseriam, vt habetur in libro Benedictionum, capitulo primo: *Dicit Rabbi Ioanna, nomine Rabbi Ioseph, vnde probamus quod Deus orat in qualibet die? probatur per Esaiam*: & lætificabo eos in domo orationis meæ: *In quantum dicit*, orationis

Talmudistæ approbant idololatriam Moloch. Leuit. 18.

Num. 25.

* Melius Phurim, id est, Sortium. Hester. 9. 25.

Deut. 17.

Cap. 3.

Talmudistarum insana superbia. Cap. 4.

meæ: *& non dicit*, orationis eorum; patet quod ipse Deus orat. Et quæritur ibidem, quam orationem facit? *Dicit Rabbi Papa: Oratio eius est hæc*, sit voluntas mea quod refrænet misericordia mea iram meam, & quod habeam me cum filiis meis in virtute misericordiæ. Item dicunt in *Baba Batra*, capitulo, *qui vendit nauem*; quod Rabba filius Barachiæ pergebat pariter, cui quidem Gerulatius ait; veni mecum, & ostendam tibi montem Synai: iuit cum eo, & audiuit quandã vocem dicentem: O miser, væ mihi quia iuraui! & ex quo feci iuramentum, quis me ab eodem absoluet? Et postquam venit ad studium, narrauit istud Magistris, & ipsi impugnauerunt eum, dicentes; & eadem hora qua dictam vocem audiebas, debebas dicere: Domine, ego tibi iuramentum absoluo: quibus ipse ait; dubitabam ne forte diceret de iuramento quod fecerat Noë, ne amplius adduceret Diluuium super terram! Et glossat Rabbi Salomon, quod hoc iuramentum de quo Deus capiebat partem laboris eorum, ideo est tribulatus: & quamuis in pluribus libris Hebraicis habeatur prout beatus Hieronymus transtulit; attamen in aliquibus habetur sic: *In omni tribulatione eorum, & ipse tribulatus est:* & secundum hunc textum, glossat Rabbi Salomon. Item opponunt Deo ignorantiam; secundum quod, dicunt in eodem libro Benedictionum, eodem capitulo primo sæpe nominato, vbi sic: *Postquam templum fuit destructum, non remansit de eo in toto mundo nisi spatium quatuor cubitorum duntaxat studij Talmuth.* Item dicunt, quod in tribus primis horis cuiusque diei, Deus sedet ad studendum in Talmuth: Patet ergo, quod ex quo eget studio, scientiæ perfectione caret. Item reputant eum mendacem, vt habetur in *Baba, in Chia, vel Mezia*: capitulo: *qui legit: dicebat Rabbi Ismael: Mendacium est aliquid paruum, quia etiam Deus mentitus est, vt pacem poneret inter Abraham & Saram: quod patet in Genesi: quia quando Angelus prædixit Abrahæ quod Sara erat filium paritura, & ipsa existens in tentorio audiuit eum: vt habetur in textu quod ipsa ridebat intra se, dicens:* quomodo posset hoc fieri, cum Dominus meus sit senex? *& postea quando Deus retulit eadem verba Abrahæ, dixit quod ipsa dixerat de se ipsa: & cum ego sim senex:* Patet (dicunt illi) quod Deus mutauit sententiam, ne forte indignaretur Abraham aduersus Saram, quia nominauerat ipsum senem. Sed qui bene respexit historiã, reperiet quod dicunt falsum; quia tam bene patet quod quando Sara riserat senem seipsam nominabat. Item, reputant Deum patrem, peccatorem; vt habetur in *Holyn*, capitulo: *Ista sunt vapia*: supra illud Genesis: *Fecitque Deus duo luminaria magna: dicit Rabbi Simon: In hora creationis, æquales erant sol & luna: sed venit luna coram Deo, dicens: Domine, nunquid bonum est quod duobus regibus vno diademate seruatur? & Deus dixit: vade, minora teipsam: Et ipsa, Domine Deus, quia rationabiliter locuta sum, ideo iubes minorari me: & sic in maxima mœstitia posita est: & Deus vt mitigaret eam, dixit ei: noli contristari, quia sol non apparebit in nocte, & tu, nocte dieque: Ipsa verò minime contenta, respondit: Domine Deus, & candela coram sole quid prodest? & Deus ego faciam quod populus meus Israel solemnizet festiuitates tuas per computum mensium suorum; sed cum hoc toto, noluit contentari; in tantum quod Deus se tenuit pro culpabili, & mandauit sibi fieri sacrificium vnius eduly in quolibet Neomenio, pro indulgentia illius peccati: & hoc probatur ex eo quod scribitur in Numeris:* Hircus quoque offeretur Domino pro peccatis. Videant ergo omnes quanta est dementia ista huius authoritatis, & quantum contraria intellectui cuiuslibet intelligentis, & quæ ruditas intellectus eorum. Item reputant Deũ patrem coinquinatum & immundum, prout habetur apud eos in *Baba Mezia*: capitulo, *qui conducit operarium: dicit Rabba Ioanna: Deus sacerdos est, scribitur namque in Exodo*: loquere filiis Israel, & tollent mihi primitias: *quæ quidem primitiæ, nemini præterquam sacerdotibus offerri debent.* Item, probatur quod recipit pollutionem, scriptum namque est in Deuteronomio, quod quando Moyses obiit, Deus sepeliuit eum; & sacerdos qui tangit corpus hominis mortui, pollutus est; Ergo Deus pollutus est: ad satisfactionem autem huius dicunt quod postea se abluit & mundatus est. Et quæritur ibidem ab eis; vbi se lauit? in aqua? nequibat: Isaias namque ait: *quis mensus est aquas pugillo?* & satisfecit ipsi Rabbi, quod cum igne se lauit; quia sic scriptum est in Esaia, *quia ecce Dominus in igne veniet.* Item dicunt quod palpat immunda; vt habetur in libro *Nidda*, capitulo: *Abortatrix*, quod Deus fecit venire coram se omnes guttas spermatis exeuntia ab homine Israelitico, dicens: quando veniet tale sperma de quo iustus incipiatur? Item reputant ipsum corporeum: vt habetur in libro *Berochoth*, capitulo vltimo, vbi dicit quod quando venit in Deo voluntatem vt crearet hominem, accepit carnem & sanguinem, & formauit ad suam similitudinem & inspirauit in eo animam, hoc enim patet quod Deus habet formam hominis corpoream. Item dicit Rabbi Ioanna: *Deus se inuoluerat in quodam sindone vt ostenderet se Moysi, dicens, quandocunque peccauerit Israel, & conuerterit se ad me, & orauerit tali modo, parcam sibi.* Item dicunt in libro Benedictionum; cap. 1. quod in qualibet die Deus ponit in capite suo in brachio suo, *Cefilim*, id est, philacteria, vbi scripta sunt certa capitula legis. Et quæritur in Talmut: *In Philacteriis Dei, quid scribitur? illud quod in 2. Reg.* quæ est autem gens vt populus Israel in terra? Item dicit in [illegible], Rabbi Eliazer, *omnis qui nouit quantitatem facturæ creationis mundi, nouerit se futuram gloriam habiturum, & ego & Rabbi Aquiba sumus ei fideiussores.* Item redarguunt Deum de inuidia, vt habetur in *Zota*, cap. 1. *quinque homines creauit Deus sibi similes in aliquibus:* videlicet Samson in fortitudine, Saulem in ceruicis pulchritudine, Absalonem in capillis, Regem Sedechiam in oculis, Regem Asa in pedibus, & in his in quibus sibi similes erant, condemnauit eos. Patet ergo quia inuidebat eis.

Esa. 40.
Esaie.
Talmudistarum blasphemia, Deum esse corporeum.
2 Reg. 7.

CAPITVLVM III.

De his quæ sunt contra legem Mosaicam & Prophetas.

MAnifestum est quod omnes homines qui legem habere se dicunt, tenent & affirmant Deum patrem de nihilo mundum creasse, cum nullam materiam neque simplicem neque compositam, de qua faceret mundum, habuisset; Et hoc est primus sermo Mosaicæ legis, *In principio*, dicit, *creauit Deus cœlum & terram.* Etenim omnium Doctorum tam Latinorum quam Hebræorum intentio est, quod istud verbum, *creare*, idem est, quod aliquid ex nihilo inuenire, cum equidem non ita significent, generare, facere, operari seu formare, quia verba ista significant aliquid ab aliquo producere, & qui contrarium teneret, hæreticus procul dubio reputaretur, cum talis præsumat fundamentum destruere supra quod vniuersæ scripturæ sacræ miracula recte fundantur. Reperiemus tamen vnum de maioribus Doctoribus Talmut, cui nomen est Eliazer, Rabbi famosus, qui contra hunc articulum venit, vbi sic ait in libro suo vocato, *Capitula Rabbi Eliazer: Cœli de quo fuerunt creati? de luce vestimenti Dei creati sunt: Terra de quo fuit creata? de niue quæ erat sub sede Maiestatis Dei creata est.* Et dicunt glossatores, quod istam niuem accipiebat Rabbi Eliazer pro eo quod vocant philosophi primam materiam; scilicet Hyle, de qua sunt quatuor elementa procreata; quod philosophus probare conatur in primo Physicorum, quod sit ingenerabile & incorruptibile. Patet ergo quod iste Doctor erat opinionis philosophicæ, quia aut ipse tenet quod sit possibile aliquid ex nihilo creari, aut non: quod si sic, non erat illi necessarium quærere de quibus essent cœli & terra: quod si nõ, expedit ei aut aliquã credere materiã ab æterno sine principio, aut vnã ab alia successiue materiam vsque in infinitum generari,

Genes. 1.
Num. 28.
Cap. 7.
Exo. 23.
Deut. vlt.

sed

sed ire ad infinitum est impossibile: ergo concluditur necessario ex verbis huius Doctoris, quod ipse non credit legi divinæ, vbi in eius fundamento & principio dicit: *In principio creavit Deus cælum & terram*, quod vult dicere, de nihilo creare: sed credit aliquam cum Deo materiam ab æterno, & hæc opinio est erronea, & legem divinam tenentibus contraria. Est præterea & alia Doctoris alterius authoritas, cui nomen Rabbi Simon, qui dicit ad literam, quod ordo temporis iam erat ante mundi creationem: & qui hoc tenet, credit necessario quod cœlestia corpora sunt ab æterno, cum tempus nihil aliud sit quam numerus motus cœlestis. Item habetur in *Habedzara*, vbi quæritur: *quid Deus agit vel quibus se intromittit? & respondent, quod in tribus horis diei primis sedet & studet in lege: In tribus secundis docet pueros qui mortui sunt: In tribus tertiis, indicat totum mundum. In tribus quartis, stat ludens & solatium capiens & ridens cum Leviathan, & hic tantum vacat in die.* Sed quid facit in nocte? & respondetur ibidem, quod equitat levissime super Cherubim, & visitat decem & octo mille mundos quos creaverat. Sed hoc facit post mundi creationem: ante tamen, quid faciebat? Respondetur, ædificabat mundos, & destruebat eos. Ergo videant omnes & examinent, dum non ex ista bestiali autoritate hæretici sui equum & oditor fore mundum ab æterno; & quot inconvenientia sequantur ex ea & inconstantia in Deo: & ad non mutabilitatem, ignorantiam, mutabilitatem, impotentiam, & frustratoria opera, & alias inconvenientias inferant in Deo; vnde arguantur iners ridiculus, intellectu & bestialis. Item lapidum est, & super hoc fundatur omne vetus & novum testamentum, quod omnes homines providentia divina reguntur, & quod illis Deus iuxta merita vel demerita, bona vel mala disponit; quod patet per admonitiones Moysis in benedictionibus & maledictionibus legis, & per textus legis infinitos. Videmus quod Regi Ezechiæ fuit vita 15. annis, propter orationes & bona merita, prorogata Abraham propter merita sua, dignus fuit prolem habere quam natura illi (præ maximæ senectute) negarat. Talmudistæ vero contrarium tenent, dum ita dicunt, filios, vitam, & victum homines habere, non ex meritis pendet, sed ex signorum constellatione. Item adversitates Regis Saulis, & prosperitates David Regis, planetis & signis attribuunt, dum ita dicunt; si natus fuisset Saul in signo David, quam multi filii Davidis cecidissent coram eo? Item dicunt in libro *Tahanioth*, in cap. *Ieiuniorum ordo*: quod quidam magnus Doctor nomine Eleazar seu Pedat, maxima paupertate vexatus, quandoque in suis orationibus conquerebatur: cui Deus respondit; si vis amore tui destruam mundum, & iterum recreabo illum, & forte accidet quod in tali signo nascaris in quo locupletari possis. Ex quo patet, quod erat talis opinionis quod Deus non posset sibi de divitiis providere, nisi mediantibus cœlestibus signis. Item veniunt contra textum paginæ sacræ: & primo dicunt in *Abodazara*, capit. 1. quod tempore Messiæ non recipient quemquam alienigenarum gentium volentium ad legem Dei venire, quod est omnino falsum, contra charitatem, & contra omnes Prophetas: dicit enim Iacob Patriarcha in Genesi vbi loquitur de Messia: *Et ipse erit expectatio gentium.* Et Zacharias: *& applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illa, & erunt mihi in populum*: Et Esaias: *in die illa, radix quæ stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur, & erit sepulchrum eius gloriosum.* Item peccant, male tractando & tanquam peccatores & malos homines reprobando illos quos Dominus noster approbaverat bonos & iustos. Et primum de Adam, à Deo patre, formato immediate & proculdubio cum maiori perfectione quæ poterit haberi in homine carnali: & ipsi eidem imponunt illud peccatum carnaliter tam fœdum & abominabile, vt superius scriptum est in cap. 1. * Item contra Noe, de quo habetur in Genesi: *Noe vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulavit.* Ipsi dicunt in *Yona*, cap. *Dies expiationum*: evigilans autem Noe ex somno, didicit quæ fecerat ei filius suus minor: quærunt illud, & quid fecit ei? Rab, dicit: quod fecit eum eunuchum; Schmuel dicit; * de quolibet illorum doctorum (dicam verius hæreticorum proditorum) suam opinionem; (imo abominationem) rationibus confirmat, & contra alterius arguit opinionem. Sed etiam peius Talmudistæ concludunt, quod ambo istorum duorum Doctorum suorum, dicunt veritatem. Videatis horribilem murmurationem, & falsissimam diffamationem per eos oppositam homini, à Deo electo ex omnibus ætatis: & quis illa pateretur? Item de patre Abraham habetur in Genesi quod quando Abraham obiit, dedit cuncta quæ possidebat, Isaac, aliis autem concubinarum munera dedit: nunc dicunt in *Sanhedrin*, capite vitimo: & quæ sunt illa munera quæ dedit eis? Respondent quod docuit eos nomina immunditiæ & gladiat Rabbi Salomon: quod erant vocationes diabolorum. Videte ergo verum sit hoc contra scripturam, vbi Dominus noster Deus commendat Abraham dicens in Genesi 18. *Scio enim quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ, post se; vt custodiant viam Domini, & faciant iudicium & iustitiam vt adducat Dominus propter Abraham, omnia quæ locutus est ad eum.* Quomodo ergo credendum est quod ipse filios suos de convocatione dæmonum? & illa est vera Dei. Item obloquuntur de David; de quo reperimus quod quando erat in fine dierum suorum, & virtus naturalis non iuvabat eum vt calesceret, adduxerunt ei Abisai Sunamitidem, vt illi ministraret & cum eo dormiret: vt est res naturalis & approbata per medicinam, quod calor puellæ virginis vel domicellæ valet proderesse homini antiquo, vt calor naturalis excitetur in eo. Et facta relatione, textus habet ad literam quod ministrabat regi dormiebatque in sinu suo, Rex vero non cognovit eam: sed Talmudistæ, in *Sanhedrin* capitulo *Summus sacerdos*: aiunt, quod David cognovit eam in conspectu Bersabeæ, modecim vicibus in vna hora, & Bersabea tulerat eam cum tredecim linteaminibus. Respice quæso sordidas cogitationes horum impudicorum; nisi præter luxuriam & turpissimam cogitationem; qui optantes & comminentes illam tantum non omnino textui & veritati contradicentes & diffamantes sunt: & quantum Deus qui veritas est, alienus est ab eis in tanta cæcitate demersis! Item, vbi in libro iudicum narratur de magno bono & virtute, venerabilis mulieris Iael; quæ propter Dei servitium interfecit Sisaram inimicum Israel, vt videmus in Cantico per Deboram Prophetissam & Barach, ordinatum magna laude quod de eadem Iael enarratur: sed cum totum hoc, ipsi perversi Talmudistæ dicunt in libro *Nazir*, hæc verba: *dicit Rabbi Ioannes; septies succuba Iael Sisaræ, in eodem instanti, & continuo occidit eum.* Item Balaam, quamvis voluisset nocere populo Dei, & consetetur iniquus, Propheta tamen fuit, & textus dicat de illo; *qui erat auditor sermonum Dei, qui novit doctrinam Altissimi*: sed ipsi prædicatores & diffamatores, illi opponunt turpissima & execranda, de quibus scriptura nullam facit mentionem, vt habetur in libro Benedictionum, & in *Sanhedrin*, dicendo verba asinæ quæ dixerat: *Nonne ego tuum sum animal, cui semper sedere assuevisti vsque in diem præsentem*: dicunt etiam quod nuncii regis Balach interrogaverunt eum quare non equitas equum? quibus ipse respondit; quia dimisi eum pro vt comedant herbas vt impinguentur: Et tunc asina dixit: tamen est verum: Nonne animal tuum sum ego? & Balaam: Ita est modo quia fuit mihi necessarium eo quod equum non haberem: Et ipsa; non est ita, sed semper, & in hilaritate, quia sum asina tua in die, & vxor in nocte. Videte, quæso perversitates luxuriosas; in quibus cogitationibus linguam apponant! quod tantum cogitare, abominabiles ipsos facit, & omnibus invisos & odiosos sine pietate. Item dicunt in *Hulin*, cap. *omnes voces*: *quid est illud in libro Iudicum*,

Gen. 6.

Gen. 15.

Gen. 49.

Num. 24.

Iudic. 5.

ubi dicitur de Samsone: crevitque puer & Dominus benedixit ei? *In membro eius: quia quando proiiciebat sperma, proiiciebat ita fortiter, quod ut fluvius egrediebatur:* & quando ceperunt eum Philistæi, & eruerunt sibi oculos, & in carceribus cum molare faciebant; ibi dicunt Talmudistæ, quod illud, *molare*, intelligitur quia quilibet Philistinorum adducebat sibi uxorem suam, ut si fieri posset susciperent prolem ab eo tanti roboris sicut ipse erat. Et reperietis in alio loco Talmut, quod faciunt contrarium: videlicet, quod multi fuerunt per sacram scripturam peccatores reputati, quorum peccata litera manifestat; & ipsi excusant eos, ut qui minime peccaverint. Et primo de Ruben, cuius peccatum in Genesi refertur. *Abiit* (inquit.) *Ruben, & dormivit cum Bala concubina patris sui:* propter quod scelus perdidit primogenituram, 1. Paralipom. Ipsi vero, omnes textus falsos faciunt; & de hoc dicunt in libro *Sabath*, capitulo, *Cum quo:* dicit Rabbi Ionathan: *quicunque dicit quod Ruben peccavit, non est nisi peccator:* Ita quod peccatores reddunt Prophetas eosdem qui præmissa scripserunt. Similiter iustificare nituntur filios Heli, de quibus in 1. Regum scribitur: porro *filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum:* Item ibidem: *Heli autem erat senex valde, & audivit omnia quæ faciebant filii sui universo Israel, & quomodo dormiebant cum mulieribus quæ observabant ad ostium tabernaculi.* Item iustificant filios Samuelis contra textum de illis loquentem, quia non ambulabant in via Samuelis patris eorum, & quia vendebant iustitiam argento. Item dicunt, quod David non peccavit in coitu Betsabeæ, nec in morte Uriæ viri eius. Item dicunt, quod peccavit quando in fine [illegible] fuit idolorum cultor. Conclude, quod [illegible] demonstrant verba sacræ paginæ esse falsa. Item præstant hominibus occasionem periurandi & irritandi vota quæ faciunt; dicunt enim in libro *Nedarim*, capitulo, *quatuor vota: quicunque vult quod iuramenta, promissiones & vota quæ acciderint sibi per totum annum, nullum valorem habeant, surgat in die capitis anni, & dicat sic: Omnes promissiones, vota, & iuramenta quæcunque, quæ & quæ facero per istum annum [illegible], annuncio protestor quod omnia sint cassa & [illegible] nullius valoris habeantur.* Et isto modo utuntur ad præsens isti Iudæi, nam in nocte ante diem Expiationum, stat Rabbi in Synagoga, tenens rotulum Legis [illegible] (& omnes Iudæi coram ipso cum magna [illegible]) eadem verba proferens supra dicta. Et in hoc intelligunt, quod sint sine onere violandi quodcunque fecerunt iuramentum. & signanter Christianis: quia sacramentum quod quidam Iudæus alteri fecit, ille qui recipit, iuranti dicit: *Tu iuras Legi & Deo ad meum intellectum, quod facies hoc!* &c. Et ex quo dicit, *ad meum intellectum*, revocatur protestatio illa quam fecerat in principio anni: sed si iuramentum sit factum Christiano, dicunt illi quod licet Christianus dicat Iudæo, *Tu iuras ad intellectum meum* quod hoc non revocat protestationem, eo quod Christianus nullum habeat intellectum. Et cum hoc, quamvis unaquæque Iudæorum cœtus & universitates in uno loco congregatæ pro habitatione, iuxta forum villæ, suæ civitatis, faciunt iuramentum ut posse Rectoris civitatis semel in anno, quod non dabunt pecunias suas ad usuram, ultra illud quod est per Principem aut communitatem & regimen civitatis ordinatum & decretum, tamen nullus eorum tale iuramentum observat neque custodit, quia credit minime se peccare, propter cautelam supra dictam. Item diffamant eorum patrem Moysen in miraculis factis à Deo Patre, & hoc dicit Rabbi Salomon supra illud Numer. *Ignis egressus à Domino interfecit, ducentos quinquaginta viros offerentes incensum: venenum* (inquit) *addidit Moyses in incenso, cum quo Nadab & Abiud combusti fuerunt.* Item dicunt in lib. *Sabath*, cap. *egressio Sabath*, quod, si duo simul homines aut plures unum crimen commiserint, sunt immunes à pœna ut si videlicet duo vel plures cum singulis fustibus alterum interficiunt, à pœna sunt immunes; & Lex dicit, quod quando aliqua anima peccaverit, talem sustineat punitionem: ergo patet (dicunt ipsi) quod tantum unus dignus est punitione, ille videlicet qui scelus perpetravit. Ex quibus omnibus, potestis eorum & nequitiam & iniustitiam & ruditatem considerare & detestari.

CAPITVLVM IV.

De vanitatibus, decisionibus, & vitiis contentis in Talmuth;

PRimo & principaliter dicunt multas vanitates adversus Dominum nostrum Deum Patrem omnipotentem. Nam Rabbi Salomon ita quærit: *Quæ est causa, quare Iacob (cum esset Propheta) non habuit in revelatione quod filius eius Ioseph, à fratribus venditus fuerat, & non à fera devoratus, ut ipse credebat?* Et ipsemet respondet & rationem præbet, *quia scilicet fratres eius in hora venditionis ipsius voluerunt excommunicare & anathematizare quemcunque venditionem huiusmodi alicui revelantem, quod equidem fieri non poterat nisi essent decem personæ, in quorum aspectu solemniter fieret excommunicatio talis, & quia non erant nisi novem, associarunt sibi Deum, ut essent decem in dicta excommunicatione, & ideo Deus non fuit ausus, neque etiam potuit hoc secretum alicui revelare.* Item dicunt in *Sabath*, capitulo *Rabbi aquiba*; quod *quando Moyses ascendit ad cælum invenit Deum rotulum Legis in manibus habentem, & coronas Lectoribus eius facientem, & ipse Moyses nihil illi dixit: Deus autem dixit ei, Moyses cur non me salutas? & ipse, quomodo Domine? estne servus quispiam ausus suum dominum salutare? & Deus illi: verum dicis, sed ex quo venisti, adiuva me.* Item dicunt in eodem cap. quod in die iudicij, Deus dicet Isaac Patriarchæ, filij tui peccaverunt, & ideo volo eos condemnare: & respondebit Isaac, Domine, sunt etiam filij tui, tu namque in Lege mea scripsisti, *filius primogenitus Israel*, volo tamen ad computum venire tecum: videamus quanta sit hominis vita, nempe spatium 70. annorum; ex his sunt 20. in quibus non est homo adhuc in ætate in qua debeat pro peccatis condemnari, restant ergo 50. remota huius temporis medietate in qua homines vacant operibus necessariis, ut comedere, bibere, dormire, rursum quarta parte in qua meritoriis vacant, ut orare & studere, restant anni 12. cum dimidio: ergo dividamus illos inter me & te, & filij nostri absolvantur à pœna. Videte quæso doctrinam vanitatis, utrum Deus talem computum noverat, & quanta sit ista persuasio malorum, peccatorum! Item dicunt in *Baba*, cap. *qui conducit*, quod eo tempore quo ordinabatur Talmuth, stabat Deus in Studio cœlesti cum Studentibus suis quadam die in magna controversia supra quodam casu lepræ, videlicet utrum esset leprosus censendus qui tale volans haberet vel non, & Deus dicebat quod sic, cæterique Studentes dicebant quod non: Et dixerunt, quis erit examinator controversiæ huius? & fuerunt concordes unanimiter, quod esset Rabbi Barnahaman: & eadem hora fuit anima eius rapta in cœlum, & sua sententia, Dei opinionem approbavit. Ecce quanta fatuitas, & hæresis manifesta! Item quæritur in *Abodazara*, cap. 1. quibus operibus vacet Deus per totum diem, & respondetur ibidem: *In primis tribus horis studet circa Legem, in secundis tribus docet parvulos qui mortui sunt, in tribus tertiis sedet iudicare universum mundum, & cum videt quod debet iudicare, surgit de Cathedra iudicij & sedet in Cathedra misericordiæ, in tribus ultimis solet ad ludendum cum Leviathan.* Inde quæritur hoc, quid facit in nocte? & respondetur: *Equitat levissime super Cherubin, & visitat 18. mundos quos creavit.* Item quæritur: *antequam crearet mundum, quid faciebat?* & respondetur: *creabat mundos & destruebat eos.* Item dicunt in *Baba Bathra*, in cap. *vendens, futurum est quod Deus faciat convivium cum Iudæis, de carnibus Leviathan;*

Talmudistarum sententia de Dei ignorantia. Gen. 37. 33.

& dabit eis ad potandum vinum quod est in urnis suis, à principio mundi usque in eandem horam conservatum. Item habetur in *Sabath*, cap. *Cibel*; quia Nabuchodonosor habuit Sodomitarum vsum cum omnibus Regibus quos habebat victos in sua potestate, & quando cœpit Regem Sedechiam & voluit ęgisse cum eo, crevit membrum eius in longitudine cubitorum 300. ita vt committere nequiret. Ecce turpitudo bestialis opinionis! Item habetur in *Yoma*, cap. *Expiationum dies*: Quod Rabbi Elyazer & Rabbi Ismael habebant ventres ita grossos quod quando stabant pedibus facie ad faciem, ita ut ventribus tangerentur; poterant duo boves transire inter eos, neminem tangendo, *&c.* quædam vero magna domina vidit eos, dixitque illis: an sunt isti, vestri? qui dicuntur filij vestri? est enim impossibile cum tam magnis ventribus potuisse generare! Cui & ipsi respondentes dixerunt: noveris quod ventres uxorum nostrarum, nostris sunt grossiores! Et ipsa: potissime ergo quæ vobis dico, vera sunt; & ipsi responderunt; Noveris itaque quod respectu corporum, sunt nobis proportiones, membrum cuidam sacco novem modiorum in magnitudine comparabatur, & membrum Rabbi Elazer sacco octo modiorum: Et per hunc modum, sicut eadem authoritas procedit cuiuslibet Doctoris eiusdem Studij dicendo membra quantitatem. Et ecce Theologia & Philosophia in qua student isti proditores animarum, & pessimi viri! Item habetur in *Sanhedrin*, cap. *Isti sunt comburendi*, supra illud Numer. de illo Principe Zambri qui fornicatus est cum Madianide Gozbi, quando ingressus est cum ea in lupanari, vidente toto populo: dicunt ipsi Talmudistæ quod 425. vicibus dormierit cum illa, in illo modico temporis spatio, & Phinees interim erat expectans ad ostium quousque ingressus occidit illos, & de testiculis, membro, & de vulva eorundem fornicantium tot nefanda enarrant quod non modo scribere sed cogitare pudet. Item habetur in *Sanhedrin*, cap. *Sive iudicia pecuniarum*; quod tres fuerunt in peccato luxuriæ deprehensi dum essent in Archa Noe inclusi; videlicet Canis, Corvus, & Cham filius Noe, & hi tres omnes fuerunt condemnati: Canis, ... post coitum alligatur, Corvus quia concipit ore; Cham quia fuit maledictus a patre. Item est quæstio in *Baba quama*; capitulo primo, siquidem equus vel Asinus extendens membrum suum, aliqua vasa fregerit cum eodem, utrum teneatur dominus illius solvere, nec ne? Et sunt in eadē controversia diversæ opiniones Doctorum; sed nihil in eadem quæstione diffinitum est, quousque veniat Messias. Ecce, quam pulchra quæstio reservata est per Messiam & mediatorem Dei & hominum definienda! quis sanæ mentis pateretur homines tantum insolentes? Item habetur in *Nidda*, capitulo Abortatrix: quod dum parvulus est in ventre matris, tenet quamdam lucernam super caput suum, cum qua videt à fine usque in finem mundi, & sic cognoscit Legem & omnes sententias: & eadem hora qua egreditur de utero matris, venit quidam angelus & cædit in os eius vnicum ictum, ita vt, omnia quæ noverat, tradat oblivioni. Item in eodem libro, capitulo. *Mulier quæ faciebat*: & in *Berachoth*, capitulo. *Qui videt*; quod Og rex Basan (quem superavit Moyses antequam moreretur) tempore Diluvij, liberatus fuerat ab eodem, quod est duplici ratione falsum. Prima, quod à tempore Diluvij usque ad tempus Moysi lapsi sunt 1000. anni. Secunda, quod veniunt contra textum, qui narrat quod ex toto humano genere nullus remanserat post Diluvium, præter Noe & filios eius. Item dicunt de eodem Og rege Basan, quod cum populus Israel in deserto, quæsivit Og pro spatio situationis populi eius, & relatum est illi quod erat spatium trium leucarum, tunc evulsit unam sylvam magnam spatij trium leucarum, quam posuit supra caput suum, ut eam supra populum & castra proiiceret, & sic omnes simul uno ictu consumeret: quo cognito, dominus Deus magnam formicarum quantitatem in vertice illius sylvæ congregari fecit, quam quidem sylvam perforavit ita quod homo invictus per illud foramen caput proprium emittens, sylvam illam induit & vestitus est, quam quidem sylvam cum extra se proiicere voluisset, prohibuit Deus; & fecit crescere dentes eius, & non potuit; tunc Moyses volens eum interficere, cœpit quandam securim longitudine decem cubitorum, & ipse erat altus decem longius, & erexit se in aërem aliis decem, & percussit eum in capite modicum, & sic dilaniavit eum; quod est omnino falsum, quia legimus ad literam in Deuteron. quod solus Og Rex Basan restiterat de stirpe Gygantum, & monstratur loculus eius ferreus, qui est in Rebath filiorum Ammon, novem cubitorum habens longitudinem. Hæc & aliæ similes vanitates, in eadem authoritate describuntur. Item habetur in *Nidda*, capitulo *Abortatrix*; *dicit Rabbi Saul: ego sepeliebam mortuos, accidit mihi quadam vice dum quendam mortuum sepelirem, venit quidam corvus & introivit per os cuiusdam mortui cuiusdam, & ego cucurri post eum per spatium trium leucarum, & semper per vacuum ossis illius, & postquam vidi me non posse illum assequi, reversus sum & cum exirem, cognovi quod illud os erat de corpore Og supra nominati.* Nunc autem adhibeat fidem authoritatibus istorum Doctorum, & tali volumini vbi Lex istorum divina capitur. Item dicitur in *Sebuoth* capitulo *qui scrutatur*, quod dum compleretur tempus ut obiret Rabbi Osua beissem, dixit angelo percutienti, precor ut antequam occidas me, ostendas mihi locum meum in Paradiso: & Angelus, ei, placet mihi: dum autem pergerent, dixit ei Rabbi Osua, da mihi quæso gladium tuum, ut secum pergamus ne occidas me in via. Dedit ei. Cum ergo accessissent prope paradisum, accepit eum ipse angelus, & elevavit manibus suis ut ostenderet ei locum suum. Dixit Rabbi Osua ad angelum, eleva me paulo altius: quod cum fecisset Angelus, Rabbi Osua quodam magno saltu, se posuit in paradisum: Angelus vero cœpit eum per fimbriam vestimenti sui, & dixit ei, egredere inde. Tunc cœperunt ... simul quousque causa deducta fuit coram Deo, & Deus taliter pronunciavit, quod si Rabbi Osua omnibus diebus vitæ suæ falsum non iuraverat, quod nec illud iuramentum transgrederetur; quia vero Angelus non potuit reperire ipsum vnquam falsum iurasse, ideo habuit ibi remanere: tunc dixit ei Angelus, redde mihi gladium meum; & ecce vox de cœlo lapsa est dicens, redde illi gladium, necesse est enim ut cum eodem Gentes occidantur: tunc venit Helias & præcedebat eum præconizando, præparate locum pro iusto isto, & pergens vidit Rabbi Simeon, sedentem supra 14. sedes aureas. Ecce quales fabulas & mendacia ponere audent illi scriptores, isti pessimi ribaldi! Item habetur in *Hulin*, cap. *Ista sunt terafa*; quod est quidam leo in sylva Illaij, cuius latitudo est novem cubitorum, dicit Rabbi Ioseph, quod 16. cubitorum: & habetur ibidem, quod quidem Imperator quæsivit à Rabbi Osua dicens, quæ est Dei sublimitas: quia scriptura comparat eum leoni, cum quidem miles sufficiat ad occidendum eum? & Rabbi Osua respondit: Vis scire cui leoni comparatur? illi scilicet qui est in sylva Illaij: & Imperatore multum desiderio eum videre, eadem hora precatus est eum, & eduxit leonem de sylva, & venit versus Romam; & quando erat prope Romam per spatium 400. leucarum, dedit vnum rugitum; & ecce universæ mulieres Romæ prægnantes abortiverunt, & muri urbis ceciderunt: deinde cum appropinquasset per aliās centum leucas; ita quod distabat tantum per 300. iterum rugiit, & ceciderunt dentes omnium hominum in urbe Roma commorantium, & Imperator cecidit à culmine quo sedebat, & ait ad Rabbi Osua, quid hoc erit? & ille, Imperator illustris, adhuc distat per 300. leucas: Ora (inquit) ergo Deum ut in locum suum revertatur: Ipse autem

Cap. 8. Rabinorū monstri & fabulatū grossities.

Cap. 9. Num. 25. 14.

Cap. 3.

Cap. 9. Cap. 9.

Tale distat fabula Paradoni ... R. bb Osua ... Deus.

A

migavit, & ita factum est. Ecce quam pulchra fabula, & in sacra pagina describenda, quæ sub pœna mortis mandatur credi & teneri. Item habetur in *Baba Bathra*, in cap. *qui vendit Pirech: dicit Rabam; ego vidi quandam Nereidem tam grandem sicut una villa quindecim domorum; & venit quidem coluber, deglutivitque eam; demum venit quidam corvus & deglutivit colubrum, deinde volavit & sedit super ramum arboris*, &c. Respicite quæsũ, & considerate si fortis erat ille ramus, & qualis arbor, & dicit ipse Rabbi: si ergo ipse non vidissem, non credidissem; tunc credite si vultis. Item ibidem dicit Rabba: *transfretabamus Mare, & ducebatur navis super caudam unius piscis, super quam tribus diebus & tribus noctibus ambulavit.* Et potius, quia piscis ibat versus Orientem, & navis ad Occidentem. Et si diceres, quod navis non ibat velociter; interroga Rabbinum, & dicet tibi quod in quantum unus homo posset calcifieri, ibat 60. leucas. *Et cum eramus prope portum* (inquit) *vidimus hominem proiicientem sagittam cum Balista, & levius ibat navis nostra quam illa sagitta.* Item dicit Rabba: *quondam ibimus in quadam navi, & vidimus quendam volucrem stantem in aqua; cui dabat aqua usque ad genua & caput eius cœlum tangebat. Ego igitur volui descendere ut ibidem me abluerem, credens quod non esset profundum, sed audivi vocem de cœlo dicentem mihi; cave ne feceris, quia septem anni sunt quod cecidit quidam securis in hunc locum, & nondum attigit ad profundum.* Et dicit Rabbi Cabanna: *Volucris illa vocatur Ziz.* Item dicit Rabba: *dixit mihi quidam geralarius; veni, ostendam tibi locum ubi cœlum & terra ad invicem osculantur. & profectus sum secum, & posui clamidem meam in quadam fenestra cœli, & dum feci me parumper orare, & dum reversus fui, clamidem non inveni, & dixi, videtur quod fures sint in cœlo: & dixit mihi homo ille; non est nisi cœli sphera quæ movetur, sed revertere cras tali hora, & reperies illam, & in crastinum reversus, inveni illam.* Et glossat Rabbi Salomon: *noli credere quod duxisset eum usque ad finem mundi, quia esset iter quingentorum annorum, sed fecit eum ascendere ad montem excelsum, ubi poterat attingere cœlum.* Harum enim vanitatum & mendaciorum multitudinem incredibilem, in libris Hebraicis possumus reperire: & in tali doctrina student, & versantur sine intellectu, sine discretione, sine pudore aut verecundia; sed sicut bestiales homines vivunt.

B

C

CAPITVLVM V.

De his quæ sunt in Talmud, contra fidem Catholicam, & Salvatorem nostrum Dominum Iesum Christum.

D

ISti namque cæci infideles & iniqui homines, cum viderent fidem Catholicam & sanctissimam doctrinam Messiæ (videlicet Iesu Christi Salvatoris nostri) per mundum universum divulgari, propter eius infinita miracula quæ per sanctos Apostolos, & Prædicatores, & Confessores, & Martyres, Deus operatur; & hæc esset potissima causa, quod eorum errores & iniquitates apparerent & cognoscerentur: ut genus populare, illas melius observaret; dederunt famam quod omnes regulas & constitutiones statutas per eos, Deus statuerat, & præceperat Moysi vivæ vocis oraculo, facere observari in illis 40. diebus in quibus steterat in monte; & Legem oris, illam vocaverunt. Item vocarunt eam *Talmuth*, id est, doctrinam, & illis qui transgressores illius essent, maiores pœnas imposuerunt quam illis qui contra Legem scriptam venirent quomodocunque. Sed hæc scriptura prædicti Talmuth, fuit incepta & sub brevi ordinatione, compillata (& hæc vocatur Misna) paululum temporis post Templi destructionem, per magnum eorum Doctorem, tempore Antonini Imperatoris; quem vocant Magistrum sanctum. Quam quidem copulationem facere incepit quando vidit Christi doctrinam dilatari per Orbem universum, prout Rabbi Moyses de Ægypto in Prologo sui magni Tractatus latius scribit, per annos 15. in his verbis: *Et causa propter quam Magister noster sanctus hoc fecit, fuit, quia vidit quod Studentes diminuebantur, & labores & adversitates crescebant, & Regnum nequam ascendebat & dominabatur mundo, & Israel migrabat per extremitates, & propterea ne confunderentur, errores & cæremonias Pharisæorum prædecessorum suorum in scriptis ponere statuit.* Et ecce qualiter proditores ipsius, illos qui Salvatoris doctrinam sequuntur, regnum nequam appellant, item posteaquam viderunt magnam prosperitatem quam sancta fides Catholica consecuta erat, & quod imperium Romanum (caput mundi) tempore Constantini Imperatoris Christiani, & aliæ plures Insulæ & Mundi regna, & quam multæ notabiles personæ ipsorum Iudæorum, ad fidem Catholicam quotidie convertebantur: timentes ne totaliter eorum studium periret, ipsorum Rabinorum, & peritorum suæ legis & perfidiæ magistrorum cœtum in Babilone congregarunt, & totum Talmuth per manum duorum magistrorum ex illis (quorum nomina erant, Rabina & Rabasse) ordinaverunt, quæ quidem compilatio facta est quasi per quater centum annos post passionem Domini nostri Iesu Christi. Et signanter prope tempus illud paulo ante claruerat beatus Hieronymus; qui cum magna sufficientia & facultate quas habebat in linguis Hebraicis, totam Bibliam ab Hebraico transtulit in Latinum. Cum autem hoc ipsi cognoscerent, & viderent quod in Biblia forent multi Textus, ex quibus patent opera Domini nostri Iesu Christi atque mysteria, unde se defendere nequeunt, accepta Biblia, multos eius Textus falsificarunt & mutarunt sicut patet per quandam authoritatem quæ est in *Beresit Rabba*, id est, Genesi magna, de Rabbi Moyse prædicatore, & transsumptive in primo Tractatu meo, Capitulo octavo; & nihilominus, eandem, ad eorum modum, per suos Rabinos glossarunt: Et ad maiorem fraudem & deceptionem, omnibus Iudæis credere fecerunt quod non est verbum aliquod in Talmuth, quod Moyses non audierit à Deo Patre; In tantum, quod in multis partibus Talmuth, ubi duo illorum Studentium disputant intra se, supra causam quamcumque quam alius sic alius sic intelligunt & differenter; de talibus dicunt ipsi, disputatio, sive controversia iam fuerat Moyse præsente, coram Deo antiquitus facta: in tantum quod per generalem sententiam concludunt, quod de unaquaque opinione verba sunt omnia Dei viventis. Et ipsi proditores inimici veritatis, & viæ rectitudinis obcæcarent Iudæis qui regebantur per easdem, tot iniquitates & abominationes adversus sanctam fidem Catholicam tenuerunt & contra Salvatorem nostrum Iesum Christum non modo utiliter sed & irreverenter, quod omnia sunt nefandissima & prohibita quasi in ore Fidelium nominari; sed potissime absurdum in scripturis exarare. Est tamen mihi, facere, summe necessarium; ut sanctissimi Domini nostri Papæ præceptis obediam, cuius sanctitas, ipsorum errorum & iniuriarum & iniquitatum relationem vult habere, & in quibus Talmuth Tractatibus, libris, & capitulis continentur & per quos sunt scripta Rabinos; ut ipsius sanctitas, fidei Catholicæ reverentiæ & honori (Dei iustitia prævia) valeat providere, prout suæ competit sanctitati. Primum itaque declarant in Talmuth, quod sancta Dei & Domini nostri Iesu Christi quattuor Evangelia sunt merito comburenda quod habetur in *Sabbath*. Et dicit ibi Rabbi Ioseph, quod talis executio in die festo fieri debet; excepto quod nomina Dei, quæ sunt in illis, debent assumi & sequestrari, & cæteri libri comburi. Rab dicebat, imo etiam cum eisdem nominibus comburi deberent. Item reputant sanctam doctrinam Domini nostri Iesu Christi & sanctorum eius Apostolorũ,

E

F

Iudæi corrumpunt Textum Biblicum

G

H

Talmudistarum impietas in SS. 4. Evangeliorum Libros.

idulula

idololatria deteriorem: & hoc dicit Rabbi Moyses de Ægypto, in libro *Madda*, in lectionibus idololatriæ; *centum & novem Christiani Idolorum cultores sunt, & prima feria est dies interitus ipsorum, & ideo prohibitum est in tali die conversari cum eisdem; neque in alia die quacunque interitum illorum* & glossat Rabbi Salomon, quod *interitus* hoc loco sumitur pro festo. Item habetur in cap. 10. *ne liceat nobis confederare cum Idolorum cultoribus, nec pacem tractare cum eisdem, nisi laborare ut convertantur ab eorum erroribus, aut interficere illos: & ideo si quis viderit aliquem Idolorum cultorem volentem suffocari in fluvio aut comburi, non eripiat illum; veruntamen non proiiciat eum manibus in puteum, ex quo gens eorum non facit bricam nobiscum; sed omnia hæc de cæteris idolorum cultoribus intelliguntur: sed illi qui destruunt & perdi faciunt Israel, & sunt hæretici & blasphemi; meritum est perdere illos & impellere illos cum matribus usque ad putei profundum, angustiant enim Israel & probent populum a via Dei, uti sunt Iesus Nazarenus & discipuli eius, quorum nomina confundantur: Et ab hoc poteris concludere quod est tibi prohibitum mederi illorum cultoribus, quanquam precium reddant, sed si fueris in loco timoris, poteris eos curare, pro precio tamen; gratis, prohibitum est: Item non vendantur eis agri, vinea, neque domus in Terra promissionis: & est prohibitum laudare eos, ut si quis dicat, ô quam pulcher est iste Christianus! sed multo magis est prohibitum illius opera laudare: Item prohibitum est illis dare munera quacunque neque dona.* Huiusque sunt verba Rabbi Moysis. Insuper infideles ipsi & iniqui, attribuunt Redemptori Domino nostro Iesu Christo omnes malitias, iniurias & contumelias quas possunt imaginari. Primum quidem eum maleficum dicunt; ut habetur in *Sabath, c. qui ædificat.* dicunt enim quod Iesus Nazarenos duxerat secum de Ægypto fictilia & interclusit ea femori suo, cum quibus mirabilia faciebat, & inducebat plebem ad credendum quod ex propria virtute faciebat, &c. Item dicunt in *Herubin. c. Facient tabulas*; quod deridens omnes doctores vel unum ex verbis Doctorum Talmuth, in stercore fœtido & profundo inferni purgatur. Et dicunt quod quidam Doctor cum coniurationibus fecit exire Balaah & Iesum Nazarenum de inferno; & interrogavit Balaah quam pœnam patiebatur in Inferno: qui respondit, quod puniebatur in caldaria plena stercoris ferventis. Inde æternali pœna crucientur animæ talium Doctorum & auditorum, qui de Mundi Salvatore talia proferunt, credunt, docent, & persuadent miseris auditoribus suis! Et sciendum est, quod de huiusmodi blasphemiis & sceleratis verbis in ipso Talmuth infinita continentur; & talia quod turpissimum quid est, illa ne dum nominare, sed inspicere vel audire, quæ pati non posset aliquis Christianus. Insuper etiam sciendum est, quod quandocunque unus ipsorum pessimorum & perfidorum Infidelium, intra se nominat aliquid, Christianitatem aut fidem sanctam Catholicam importans aut demonstrans; illud denominat ita turpibus, ita inhonestis, ita sordidis verbis sicut peius aut turpius pronunciare potest in Hebraico suo sermone, & magis effrenate & impudice. Nam de genitrice Salvatoris Mundi; primo illam pollutam appellant Mundi, alij publicam meretricem; Apostolos & Christi martyres, leones; Sanctas vero, meretrices; sacratam Hostiam, corpus pollutum; Crucem Christi abominationem Ecclesiam vero, errorem; & prædicationem, dicunt ululationem; Dominum nostrum Iesum Christum dicunt spurium; sacerdotes Dei, tonsos; & tonsuram sacerdotalem, decalvationem: diem Veneris Sanctum, diem prophanum; diem festum, ruinam: & parvulos Christianos, Reptilia; sponsum & sponsam, murilegum & murilegam: & orationem, defectum. Omnes has nequitias dicunt, quia per sententiam est apud eos definitum in libro *Abodazara*, quod magnum peccatum est facere gratiam aliquam cultoribus Idolorum, vel illos laude seu bona significatione nominare. Item iubetur eis quod quando transeunt circa Ecclesias & oratoria Christianorum, quod hunc dicant versum: domum Chloacarum ruat Dominus! & quando transeunt iuxta sepulchra Christianorum, dicunt Erubescat mater vestra, repudiata est genitrix vestra, quia finis Christianorum, vermis & putredo erit. Item vocant illos qui ad sanctam matrem Ecclesiam & fidem Catholicam convertuntur; destructores. Et in qualibet die, tribus vicibus, in orationibus eorum; mane scilicet, vesperi, & nocte; talia verba replicant: *destructis, nulla sit spes: Et; omnes hæretici & omnes qui loquuntur contra Israel, subito abscindantur. Et regnum superbiæ cito frangatur & dirimatur, &, inimici nostri humilientur, & breviter in diebus nostris conturbentur*, &c. Has & multas alias abominationes & nequitias, contra sanctam fidem Catholicam & Salvatorem nostrum Dominum regem Messiam, dicunt quas utique nominare omitto propter eorum absurditatem ac turpitudinem: nam omnis Catholicus Christianus, cui Deus tradidit potestatem hæc omnia corripere & illos castigare; deberet, & tenetur absque respectu.

Talmudistarum blasphemiæ in Christū

Cap. 12.

Cap. 2.

Iudæorū horrendæ in Christianæ religionis sacra mysteria blasphemiæ.

CAPUT VI.

De Rebus quæ sunt in Talmut in damnum & magnum interesse Christianorum, conversantium cum Iudæis.

Talmuth mandat expresse Iudæis, quod omnibus hominibus gentium aliarum, damnum inferant iuxta posse, & lædere conentur expresse: sed potissimè Christianis; quos reputant idololatras & dissolutos. Et primo, illorum bona prophanant; & dicunt licere Iudæo, sine peccato, sobripere illa; & est iam vulgare verbum apud Iudæos; dicens, quod error commisit quem fecerit Iudæus in decipiendo Christianum licitum est ei. Et habetur in *Rabba* cap. *Subripiens: docens Magistri, quod si Iudæus & Christianus venit coram te ad iustitiam, quod respicias si per legem Iudaicam, Iudæum ipsum iustificare poteris, & si possis, iustifica eum, dicens; mea lex iubet: quod si per Legem Iudaicam ipsum iustificare nequis & per legem gentium poteris, iustificabis eum & dices Christiano; Lex tua ita iubet, quod si nulla cautela præmissarum iustificare ipsum poteris: per cavillationes & fallacias illum ducas, quia sumere pecunias à Christianis & extorquere, licitum est Iudæis: reperimus namque quod quidam Doctor cui nomen Schemuel, emit à quodam Christiano vestem auream, ponderis quatuor unciarum, & decepit eum in una: & alius vocatus Rabbi Luchana, emit ab alio Christiano hydrias vini 120. & in solutione decepit eum in 25. cui dixit Christianus, in tua conscientia me confido*, &c. Item habetur in eodem cap. & in *Sanhedrin*, cap. *Mortis 4. genera*; quod ipse idem Doctor Rabbi Cuhama miserat fieri præconia, quod quicunque Iudæus sciret ius Christiani, & testimonium perhiberet ex eo, esset excommunicatus; ut qui pecunias auferebat Israelitarum, aut gentibus illas exhiberet. Item in *Sanhedrin*, reperitur in eodem cap. quod si Christianus percusserit Israelitam, reus erit mortis. Et, si Christianus Sabathum observat; reus erit mortis, quamvis faciat suum Sabathum in alia die septimanæ. Item, si Christianus se disponat ad studendum in Lege Dei, reus erit mortis, quia Lex non fuit data nisi proli Iacob. Item habetur in *Mechilta*; & recitatur per Rabbi Salomon in lib. *Gloria Legis Moysi*; supra illud Exodi ubi narratur, postquā egressi sūt de Ægypto, qualiter persequutus est eos Pharao cum tota sua militia, & assecutus est eos iuxta Mare: & quæritur ibidem à Doctoribus; *Unde habuit Pharao illas equitaturas?* & respondetur; *Non ab Ægyptiis: scribitur enim in Exodo*; omniaque Ægyptiorum animalia mortua sunt: *quod si dixeris quod erant ex Israeliticis, iam habetur in Exodo quod populus Israel egressus fuerat cū omnibus iumentis & animalibus suis, sed*

Iudæicorū commercio-rum iniquitas in Christianos.

Exod. 14.

Exod. 9.

Exod. 10.

decendum est quod omnem militiam illam haberet Pharao ex Ægyptiis qui crediderunt monitionibus Moysi, & quorum animalia tempore grandinis fugerunt ab agris in domum. Ex quibus concluditur, quod illi qui Deum timebant ex servis Pharaonis, causa fuerunt ut mala & damna populo evenirent, & ideo diffinitur per sententiam Rabbi Salomonis filij Iarchi, qui loquutur eum quolibet Iudæorum, dicens: *Meliorem Christianorum occide, & mulieri, ut Serpenti, frange caput.* Et glossat Rabbi Salomon, quod hoc intelligitur de Christianis illis qui erga Dei servitium magis devoti inveniuntur. Item iubent in *Abodazara*; capitulo, *non constituant*, & recitatur per Rabbi Moysen de Ægypto in libro *Madda*, quod illi qui sequuntur doctrinam Iesu Nazareni, taliter sunt tractandi quod si quis viderit eos appropinquantes ad mortes, extinguat illos, & si reperiet eos iuxta puteum, proiiciat intus & revoluat lapidem supra puteum ne egrediantur, & si sit in puteo scala, auferatur ne ascendere possit. Item dicunt, quod est prohibitum vendere Christiano aliquam possessionem quovis precio, neque iumenta, pro maiori precio valoris eorum. Item, quod si Christianus commiserit aliquod delictum, debet eum uno teste tantum occidi. Item prohibent mulieribus eorum, ne lacte, Christianorum filios nutriant, quia nutrirent eos pro idololatria, neque consentiendum est quod Christiana nutriat filios Iudæorum quia suspicandum est ne suffocet illos; tamen si cum custodibus fuerit, tolerandum erit. Item non est consentiendum Christianis, tenere Studia neque Scholas Plura & similia ponuntur in Talmuth, in damnum & interesse maximum Christianitatis & fidei Catholicæ, quorum Historias ad præsens omisi scribere; tum propter eorum ineptitudinem, tum ad evitandum tantum circuitum: ex his tamen, sanus intellectus facilè percipit infirmitatem & abusionem eorum quæ etiam scripta non sunt. Et cum hoc, facio finem huic Tractatulo abominationum horum hominum perfidorum, & eorum doctrinæ perfidioris, nulla Fide, nulla humana ratione fundatæ. Invoco tamen divinam misericordiam, ut tantæ dementiæ velamen & cæcitatem auferat à cordibus eorum, & eosdem in claræ notionis veritatem & viam inducere dignetur, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui ab illis traxit originem secundum carnem, & pro illis mori dignatus est; qui cum Spiritu sancto vivit & regnat Deus, per infinita sæcula sæculorum, Amen.

Nos magis devotos, & quo exemplo.

Iudæorū odium & audeliras in Christiano.

Nota qui legis, quod Anno M. CCCCXII. de mense Augusti, hic liber utilis sine contradictione, adversus perfidiam Iudæorum compilatus fuit per venerabilem Doctorem, Magistrum Hieronymum de sancta Fide, olim Iudaum: ex cuius recitatione, ultra quinque millia Iudaeorum conversi sunt ad fidem Christi. Vnde omnis fidelis Christianus, hoc opus utile, ex debito debet memoria tradere, tanquam munus ab athere legatum.

GENNADII SCHOLARII PATRIARCHÆ CONSTANTIN. Opera.

NOTA IOAN. BRASSICHELL. M. S. P.

ANnotavit Possevinus in apparatu ad sacram Bibliothecam huic operi Gennadij quædam inesse observatione digna, primum quod sacræ Triadis personas vocat idiomata seu proprietates; alterum quod nusquam meminit processionis Spiritus sancti à filio. Illud primum excusat quod barbaro Mahometano rudi ita loquendum è præsentis causa occasione fuerit, ne plures Deos in Trinitate conciperet. In secundo vero putat libellum hunc Græculorum forte quorundam audaciâ corruptum, ea parte detractâ, ubi de Spiritus sancti processione à filio sermo erat. Verum diserte nimis hoc in ipso libro processio Spiritus sancti asseritur postea.

EX TOMO I. DISSERTATIONUM P. Phil. Labbe in Bellarminum.

DE Georgio Scholario plura disces à V. C. Leone Allatio in diatriba de Georgiis, quæ typis Regiis edita est anno 1651. post Georgij Acropolitæ ab eodem Latinè redditum Chronicon, & in syntagmate de utriusque Ecclesiæ occidentalis atque Orientalis perpetuâ consensione.

Interfuit Consilio Florentino anno 1438. deinde factus anno 1453 ex laico Patriarcha C P. assumpto Gennadij nomine, in tam sublimi throno annos quinque & menses aliquot egit, quibus elapsis Patriarchico munere abdicato, in monasterium se contulit, ibique mortuus est. Sunt qui velint vixisse usque ad annum 1460. Ego nihil comperti habeo.

Præter opera Gennadij quæ hic damus, habentur quatuor eiusdem orationes in Concilio Florentino tomo 13. Conciliorum novissimæ editionis, Et tractatus de Prædestinatione, in appendice operum S. Basilij Cæsariensis Archiepiscopi editionis anni 1618.

VITA GENNADII SCHOLARII PATRIARCHÆ Constantinopolitani.

IOANNES *Palaologus Constantinopolitanus Imperator, cum Ferrariam ab Eugenio IV. fuisset evocatus pro Ecclesia concordia transigenda, eduxit secum viros Ecclesiasticos, laicosque, omni virtutum genere insignes. Inter cæteros ex clericis Nicænum Bessarionem, & Isidorum Ruthenorum Patriarcham; ex laicis Georgium Scholarium senatorem, & alios quosdam, quos non est*

necesse

necesse commemorare, cum in concilij Florentini actu affatim legantur: caeterum disputationes de fide inter Ecclesiasticos intercesserunt, laicis (vt mos est) seclusis. Scholarius igitur etsi dignitate multis esset inferior, doctrinâ tamen nulli erat secundus: vt ex hoc commentario patet, in quo decreta concilij tuetur, sed & in eodem consilio duos libros edidit, sua fidei confessionem in eis exponendo: quos Imperatori, aliisque in synodo legendo tradidit: eosque audivi Parisiis Latinos factos, atque editos. Praeterea hic tres orationes composuit, vbi Graecos suos ad vnionem cum Latinis hortatur, luculentissimas; nam eloquentia palmam huic tribuere tum Graeci videbantur, ideirco ea iussu Imperatoris volumini concilij actorum inserta sunt. Ergo concordiâ post multas concertationes inter Graecos & Latinos transacta, Imperator cum suis Constantinopolim est reversus, pius profecto & catholicus princeps. Verum eo paulo post vitâ defuncto, in regno successit Constantinus eius frater, cognomento Dragases, non eadem, qua frater, erga Romanam Ecclesiam pietate: operâ igitur & suasu Marci Ephesini Episcopi, omnia perturbata sunt, quoniam nec Graeci (vt est eorum levitas) conventis stare voluerunt, nam Marcus scriptis adversus Latinos editis, à Catholica fide suos abalienavit, huius temeritatem cum Scholarius ferre non posset, monitu Gregorij Protosyngeli patriarchae, omnibus eius capitibus respondit, qui liber impressus non est, & paucis cognitus. Defuncto Gregorio suffectus est in eius locum Scholarius Anno Domini 1452. ut patet ex chronico Ecclesiastico Onufrij Panuinio, factusque est è Georgio Gennadius, Graecorum more; qui cum ad Patriarchalem apicem evecti sunt, nomen assumunt quod ab eadem littera incipiat qua proprium, paulo diversum quam Romani Pontifices consuevere. At nec eis contentus, scripsit in patriarchatu librum commentariis quinque distinctum, secundum quinque articulos in Florentino concilio firmatos: in quibus copiose eius decreta asserit, Marci impudentiam simul & temeritatem retundit, qui lapis angularis, & scandali petra vere dici potest, veluti praecipuus inter Graecos schismatis author. In tractandis quaestionibus secutus est ordinem in concilio habitum Gennadius, quae quinque extiterunt, de sancti Spiritus scilicet processione, de conficiendo in azymo, vel fermento, de purgatorio, de fruitione sanctorum, & de Papa primatu, in quo ei oblata est ei occasio omnem eloquentia sua copiam effundendi, non ut in aliis capitibus evenit, quae acrimoniam tantam postulant disputandi; quanquam vbique sua explendescat oratio. Is hunc librum in urbe Constantinopolitana videtur conscripsisse, paulo post direptionem eius sub Mahometo Turcarum Imperatore: quam rem adeo tragice in quinto deplorat, ut cuivis lacrymas excutere possit. Audivi etiam de Angelo Iustiniano Graeco homine, Gebennensi Episcopo, se legisse monodiam Gennadij eiusdem argumenti, in qua copiose explicat, & lamentatur suae civitatis, & gentis interitum, vel magis excidium; retulit etiam se habere opusculū divi Thomae Aquinatis de ente & essentia, ab eodem auctore in Graecum sermonem versum, & commentariis ab eo illustratum: quod aperte indicat eum vel Latina calluisse, ut antea opinabar; cum multa ex nostris authoribus in hoc libro adducat, in tractatu de Papa primatu citat quaedam ex Gratiani decreto, ex quibus deprehenditur id quod modo dixi. Sed nec omittendum videtur, quod Diplobatazius Latinus iurisconsultus, quamvis Graecus natione, scribit se vidisse Venetiis Gratiani decretum Graece conscriptum, eò allatum à quodam legato regis Cyprij: nam satis notum est iuniores Graecos complures ex Latinis scriptoribus, etiam ecclesiasticos in suos vsus vertisse, qui hodie leguntur in Vaticano, & alibi. Robertus Constantinus Gallus in sua Bibliotheca testatur Gennadium hunc scripsisse libros de fide, de Dei cultu, & contra Iudaeos. & responsionem pro Christianis, & in Bibliotheca regia manu scriptos Parisiis asservari. Laonicus Chalcondyles Atheniensis libro. 6. historiae Turcicae, meminit huius, tanquam primas apud Graecos sapientiae partes obtinentis. Quanti fecerit hunc Bessarion Cardinalis Nicaenus, ostendit in epistola quadam ad Graecos de Petri primatu; in qua eadem fere leguntur, quae apud Gennadium conscripta sunt, interdumque iisdem verbis, nec dici potest primum scripsisse Bessarionem, cum eius epistola data sit anno 1463. & Gennadius obierit 1460. secundum Panuini chronicon: ut liquido pateat, tunc apud omnes eius virtutem claram & celebrem extitisse. Et haec de Gennadio praefatum fuisse sufficiat.

RVRSVM
DE GENNADIO
NONNVLLA
EX TVRCOGRAECIAE Primo Libro.

POTESTATE A MAHVMETE Accepta, ut sibi Patriarcham quemcunque vellent, deligerent, ritu vetere producentes Philosophum Georgium, Scholarium, Assessorem iudicij regij, Patriarchae muneri praefecerunt, mutato priore nomine in Gennadium, &c.

QVODAM vero die Sultanus Mechemeta, equo praeteriens viciniam Patriarchij, oculis modo huc modo illuc conjectis, quid unumquodque esset, sciscitatus: ut vestibulum atrij Pammacaristae conspexit, quaesivit, quid esset hoc: Cum ei responderetur, esse Ecclesiam in qua Patriarcha habitaret, eo ingressus est, ex equoque descendens, templum intravit. Quod cum Patriarcha didicisset è sua habitatione descendit, ac Sultanum salutat, adorauit. Ille deinde super solium assidens, intra sacellum elegans, quod prope armarium rerum sacrarum est: multis verbis interpretis, Patriarcham super religione Christiana rogavit, iureiurando ei potestate, omnia libere absque vllius periculi metu dicendi ac disserendi, concessa.

Vnde hic fiducia sumpta, ingenue coram maiestate illius, longos sermones habuit: fidei Christianae demonstrationem commendationemque continentes. Mysterium S. Trinitatis protulit, tractans pro dignitate. Et, logum Dei, qui una trinae Deitatis persona sit verus Dei filius, esse illum, qui carnem è purissima & sancta virgine, propter nos, & salutem nostram assumpserit. Ipsum, mortuum esse, & resurrexisse. Ipsum esse illum, qui venturus sit iudicaturum vivos & mortuos. Alia insuper fidei mysteria commemoravit, eique aperuit. Quam Patriarchae orationem non tantum reverenter Rex auscultavit: sed ab eo etiam tempore magis ipsum dilexit, & veneratione dignum existimavit. Destitit quoque à malignitate, quam adversus Graecos gerebat: & ex inde propensiore erga ipsos animo extitit, sicut ex multis signis apparuit.

Sultan Gennadius I t. capi Relig nis Christiana explic.

Gaudebat autem (sicut ex verbis eius ad multos in familiari colloquio cognitum est) egregium & sapientem à Graecis factum esse Patriarcham, in respondendo promptum. Vnde & speciem approbantis disputationem illam, & verba de articulis fidei habita, praebuit: quod omnem eam dissertationem, literis ab illo, suis capitibus distinctam, mandari, sibique dari, voluit. Quod & factum est, extatque scriptum illud: & in Turcicam arabicam linguam, à Beroeae Praefecto Achmata translatum est. Quod Sultanus sibi exhibitum, perlegit totum, & sententiam eius intellexit: in admiratione denique, & veneratione habuit. Saepe proinde Patriarcham ad se vocavit: benigno alloquio dotisque prosecutus est: sed & quamlibet ipsius rationi consentaneam petitionem, ei expleuit.

Maho... Christ...

Quo factum, ut multi multa de hoc Sultano sparserint: eum certa cognitione persuasioneque de veritate fidei Christianæ imbutum, tam hinc in dubio de sua religione fuisse.

SAPIENTISSIMI

ET DOCTISSIMI VIRI

D. GENNADII SCHOLARII,

PATRIARCHÆ CONSTANTIN. novæ Romæ, Sermocinatio habita de recta & inculpata Christianorum fide: translata est autem hæc Confessio in Turc-Arabicam linguam ab Achmate Berrhoeæ Prætore, qui Mahumetis Zelebi Commentariensis pater fuit.

MAHVMETVS.

QVid est Deus? GENNADIVS. Deus est substantia invisibilis, intelligibilis, intelligensque & non interpretabilis. Deus est spiritus sine materia, oculus pervigil, intellectus actu, semper existens. Deus est causa omnium visibilium & invisibilium creaturarum. MAHVMETVS. Vnde dicitur Θεός, quod est Deus? GENNAD. Dicitur ἀπὸ τοῦ θεωρεῖν, quod est à speculari, eo quod cuncta speculetur, quasi speculator & spectator omnium. Dicitur præterea θεὸς ἀπὸ τοῦ θεῖν hoc est percurrere, anima intelligibilis sine tempore, Deus enim semper & vbique adest. MAHVMET. Et quot dij sunt? GENNAD. Vnus Deus deorum & Dominus dominantium, & præter eum non est alius. Dicuntur tanquam dij aliquando homines per participationem, vt puta: Ego dixi Dij estis & filij altissimi; Vos autem tanquam homines moriemini & sicut vnus de principibus cadetis. MAHVM. Si itaque vnus Deus est, cur dicitis etiam tres esse personas, Patrem videlicet, filium & spiritum sanctum? GENNAD. Ecce sic esse tres dicimus & vnum. MAHVMETVS. Doceas nos quæso quomodo est vnus Deus & tres personæ? quoniam nobis mirum videtur quomodo vnus Deus sit, & tres in eo personæ. GENNADIVS. Animadverte quæso & facile poteris intelligere mysterium sanctæ Trinitatis, quantum mens humana valeat intelligere: ego autem pro viribus exprimere contendam. Idcirco dicitur Deus non interpretabilis, quia non possis eius naturam percipere, neque similis est vlla nobis persona. Si enim esset persona vnica, illum procul dubio cognosceremus quemadmodum nos invicem cognoscimus. Sed est vnus quidem Deus, tres autem personæ eiusdem deitatis, proinde animadverte quæ dicturi sumus. Quemadmodum est vnus sol, qui quidem radios habet & lumen, suntque in sole tres quasi personæ, substantia solis, radius & lumen. Radius vero qui discedit lampadis instar terram petentiens, lumen autem quod illuminat loca tenebrosa, absque radio. Ecce itaque tres quasi personæ, corpus scilicet solare, radius & lumen, non tamen dicimus tres soles, verum vnum & solum, nec dicimus personam vnam, sed tres. Si enim fueris interrogatus, quot sunt soles in cœlo? Respondere debes, vnus est sol. Si autem interrogatus fueris, quæ sunt personæ in sole? Responde tres, Solare corpus, radius & lumen, similiter sentiendum est etiam de Deo, Deus quidem vnus, personæ autem in Deo tres, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, ex his poteris intelligere, quod quemadmodum sunt in sole tria distincta, ita est & vnus Deus trium personarum. Pater ipse est corpus solare, filius autem est radius, Spiritus sanctus est lumen solis. Et sicut in sole, est corpus solare, est radius & lumen, & tamen vnus sol, & non tres, similiter & in Deo, Pater, filius & spiritus sanctus vnus Deus & non tres Dij. Insuper dic sic, Quando substantia solis & radius & lumen non invicem separantur, propterea dicitur vnus sol, & non tres, quia non separantur ab invicem, & quemadmodum substantia solis producit radios & à sole & radiis procedit lumen: Ita pater generat filium seu verbum eius, & à patre & filio procedit Spiritus sanctus. Sis igitur attentus quæso. Quod sicut radius solis descendit de cœlo ad terram & à corpore solari non separatur, & neque à cœlo abest neque à terrâ, sed est in corpore solari & in cœlo, in terra & vbique, neque sursum neque deorsum abest, ita & filius, seu verbum Dei descendit in terram & neque à Patre abest, neque à cœlo, neque à terra, sed fuit & semper est in gremio patris, inseparabilis & sursum & deorsum vbique & nusquam deest: & quemadmodum est lumen solare & in corpore solari & in radio, & in cœlo, & in terra, & ingreditur interiora domus, & omnia illuminat ita & Spiritus sanctus vbique & cum patre & cum filio est sursum & deorsum & omnes homines illuminat & nullibi deest. Spiritus enim vt ait Paulus, etiam inquirit & profunditates Dei. Ecce igitur quemadmodum si nunquam Heliam Thesbytem Prophetam illum, potuissemus cognoscere qualis fuerit, quando autem videmus illius imaginem, tunc paulatim intelligimus figuram Prophetæ illius Heliæ, licet non eiusdem honoris: ita etiam de Deo, intelligere oportet; nam Deum nullus vnquam vidit. Et quia Deum non videmus, nec cognoscere possumus qualis est, quia tamen Deus est lumen, reperimus autem lumen sensibile solis, tanquam imaginem invisibilis Dei. Si autem dicimus, quoniam sol visibilis & vnus est, & tria in se habet & hæc tria sunt inseparabilia, sol itaque est imago intelligibilis solis videlicet Dei, cum sunt in sole vno tria distincta; & cum ita sit, ita sentiendum est & credendum. Si autem exemplum hoc tibi nequaquam satisfacit ad cognitionem trium personarum deitatis, animadverte & aliam imaginem Dei. Est autem anima hominis, quando enim Deus hominem creare voluit, dixit. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Ecce igitur & homo ipse imago Dei est: videlicet anima hominis. Est enim anima hominis vna quidem, & trium quasi personarum, tres enim potentias, quasi tres personas habet anima & quomodo, animadverte. Est autem anima vna persona, anima vero producit sermonem, & ecce sermo alia persona animæ producit spirationem, & ecce spiratio alia persona, sunt ergo quasi personæ tres, anima, sermo, spiratio. Animæ sunt personæ & non corporis, quoniam evolans anima à corpore, nec sermo, nec spiratio remanet in corpore, sed iacet corpus absque sermone & spiratione, sermo vero & spiratio sunt in anima & hoc quidem patet, quia sermo & spiratio ab anima sunt personæ: & ecce igitur anima est persona, spiratio alia anima est trina quasi in personis, licet anima sit vna & non tres. Si autem interrogatus fueris, quot animas habet homo? Respondere debes, vnam: si autem interrogatus fueris, quot personæ vnius animæ respondere convenit tres. Quoniam anima, sermo, & spiratio est vna anima, & tres personæ. Et anima, quidem est ad modum patris, sermo vero animæ ad modum filij, & verbi Dei, spiratio vero animæ est ad

modum

modum spiritus sancti: quemadmodum enim anima est ingenita, ita Deus pater ingenitus est, & quemadmodum sermo generatur ab ipsa anima, ita & verbum Dei à patre generatur; & quemadmodum spiratio generatur ab anima, & Spiritus sanctus procedit à patre. Et dic sic. Anima, sermo, & spiratio, anima vna & non tres. Ita & pater, verbum & Spiritus sanctus vnus Deus, non tres. Inseparabilis anima, & sermo & spiratio vna anima & non tres; inseparabilis pater & verbum & Spiritus sanctus. Inuisibilis anima, inuisibilis & Deus, & quando mente hæsitabis quomodo possit esse vnus Deus, & trium personarum, cogita & dic. Quemadmodum anima mea est vna, sed trium potestatum anima, sermo, & spiratio, ita & Deus vnus est, sed trium personarum, Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & dic menti tuæ. Si enim anima quæ est creatura Dei, similiter & sol, est quasi trium personarum, si natura autem eorum vna est, tanto magis Deus creator omnium horum; quare igitur non sequitur esse, ita vt sit vnus & trium personarum? Ita profecto anima, sermo, & spiratio tres personæ sunt, sic vnus Deus & non tres. Ita enim si semper consideras, de sancta Trinitate nunquam errabis. Ecce ignis vnus est, sed trium potestatum, ista enim est persona igni subiecta, calefactiva autem virtus altera persona, illuminans autem alia: Ecce igitur quasi tres personæ vnius ignis videlicet ignis, calefactivum & illuminativum, vna tamen natura ignis est. Similiter & in Deo, Pater est ignis, filius vero calefactivum, & spiritus vero sanctus illuminativum, & quemadmodum in igne calefactivum & illuminativum dicimus vnum & non tres. Ita & in Deo tres sunt personæ, Deum autem vnum dicimus & non tres Deos, & de cognitione sanctæ Trinitatis satis est hæc credere. Sermo vero hominis duplicem habet originem, duabus enim pronunciationibus producitur; vna ab anima, altera à labiis. Producitur quidem sermo ab anima quando aliquis cogitat aliquid exprimere: cogitatio fit ante formationem sermonis, quoniam cogitat sermonem vt exprimat illum, non pronunciat autem per labia, sed conservat sermonem illum in gremio animæ & est illa cogitatio prima animæ. Productio tamen & si formatur, sermo primam formationem habet, quando autem vult manifestare sermonem tunc format. Secunda autem formatio est ex labiis. Hæc autem secunda formatio labiorum est, tunc quando omnes audiunt sermonem & manifestatur omnibus, & non amplius dicitur absconditus sermo sed clarus. Quando vero generatur sermo? videlicet quando labiis articulatur; & dicitur hæc formatio per labia secunda formatio sermonis; itaque duæ sunt origines sermonis nostri, vna ex anima quando cogitat sermonem, quæ & prima formatio dicitur, altera vero ex labiis, quæ & manifestat sermonem in omnibus hominibus & dicitur secunda formatio. Aspice igitur, quemadmodum sermo hominis duas origines habet, vnam ex anima, alteram ex labiis, ita & verbum Dei duas generationes habet, vnam ex Deo Patre, quæ & prima dicitur generatio, & alteram ex carne; quæ & secunda dicitur generatio. Et quemadmodum sermo noster & si formatur, primam originem habet ab anima, attamen non est clara nec manifestatur, sed iterum post formationem manet in gremio animæ; sic & verbum Dei, quamvis natum est ante sæcula à Deo Patre, non fuit tamen manifestum hominibus, sed fuit in paterno gremio; quemadmodum sermo noster quando volumus; formatur ex labiis nostris & manifestatur omnibus astantibus: Ita similiter & Verbum Dei quando bene placuit, natum est (sicut ex labiis Prophetarum fuit prædictum) ex sancta virgine Maria & tunc manifestum fuit toto orbi. Quemadmodum enim manifestatur sermo noster cum sit natus ex labiis nostris, ita & Verbum Dei natum est ex carne sanctæ virginis, ac manifestatum est toti orbi, & qui credunt in eo salui sunt. Et quemadmodum sermo noster, quando formatur à labiis, nec ab anima deest, nec à labiis nostris & in auribus audientium & nusquam deest, & si mille millia audirent sermonem, non diminuitur sermo, sed semper sermo noster integerrimus est: ita Verbum Dei natum est ex virgine Maria, vt ex Prophetarum labiis fuerat prædictum; attamen nec à patre defuit, nec à carne, nec ab omnibus hominibus, nec ab vniuerso orbe, sed vbique erat, & non diminutum est, verum amplissimum erat. Ita intellige & de verbo Dei, qui duplicem habet generationem, vnam ex Deo Patre ante sæcula, à carne vero alteram à nouissimis dierum, quemadmodum sermo noster primum producitur ab anima, secundo autem à labiis: & hæc de duabus generationibus verbi Dei. M. Quid est commune sanctæ Trinitatis. G. Commune est substantia, carens principio, potestas, bonitas ac iustitia, & omnia hæc æqualiter habet pater, filius, spiritus sanctus præter ipsas proprietates. M. Quid est proprium filij? G. Genitum. M. Quid est proprium spiritus sancti? G. Procedens. M. In Deo quot naturas fateris? G. Ideo dicimus vnam naturam, vnam formam, vnum genus, vnam gloriam, vnam dignitatem, vnam dominationem. M. Hypostases quot fateris in Deo? G. In Deo dicimus tres personas, tria individua & tres formas. Et cur dicitur? Pater? G. Pater dicitur Deus, & Pater, ab hoc verbo πατεῖ τηρεῖν, id est omnia obseruare. Et υἱὸς, id est filius vnde dicitur. G. υἱὸς, id est filius dicitur ab hoc nomine οἷος, hoc est talis qualis enim pater talis filius & mutatione οι in υ Græcum υἱὸς, hoc est filius, similis enim Patris est filius M. Et πνεῦμα, id est spiritus vnde dicitur? G. Ab hoc verbo νοῶ, id est intelligo. Omnia enim veraciter & acute intelligit & provides. Spiritus enim sanctus omnia ingerit & profunditates etiam Dei. M. In Deo quæ sunt principia productiva? G. Vnum dicimus principium generativum in Deo, hoc est Pater, ipse enim generat filium, & spirat spiritum sanctum. Scias quod solus est pater generativus filij, filius autem non est generativus, sed genitus, spiritus sanctus non est productivus, sed productus, itaque principium productivum est pater & etiam filius, producti autem sunt filius & spiritus sanctus. Principium productivum dicitur pater, quia generat & non generatur, producit & non producitur; generat quidem filium, spirat autem spiritum sanctum, & ideo dicitur pater principium productivum. M. Et quot sunt personæ in divinis productæ? G. Duæ sunt in divinis personæ productæ filius & spiritus sanctus. Non generat filius, sed generatur, propterea dicitur productus: Similiter spiritus sanctus non spirat, sed spiratur, & ideo dicitur productus. Si igitur interrogatus fueris, in divinis quæ sint personæ producentes, Respondes duæ. Nam pater generat filium & pater & filius spirant spiritum sanctum. Si vero quæratur, quot sint in divinis personæ producentes non productæ? Respondes, vna videlicet pater; quia generat filium & spiritum sanctum. M. In sancta Trinitate quis fuit primus, pater, an filius, an spiritus sanctus? G. In sancta Trinitate nullus est primus neque vltimus, sed simul pater, simul filius, simul & spiritus sanctus, & propterea simul non inchoati dicuntur ante principium, Deus vero pater principio, licet est ante principium & propterea dicitur sine principio, & non inchoatus filius non inchoatus spiritus sanctus. Et ecce simul coæterni & nullus primus, nullus vltimus in sancta Trinitate. M. Et spiritus sanctus quomodo procedit à patre? G. Interrogare de hoc minime te decet, non est interpretabile, attamen addisce quæso de hac re, quemadmodum spiratio hominis procedit ab anima, ita & spiritus sanctus procedit à patre. M. Verum loco capiatur Deus? an non. G. animadverte & intelliges diligenter, quod Deus lumen est invisibile, & loco non receptabile; neque igitur, aspicitur Deus, neque recipitur in toto vbi habitaturus & receptaturus,

rus, itaque clarum manifestatúmque est, quod non recipitur, in uno loco, sed in toto & ubique adest Deus. Etiam audivisti de sancta Trinitate, quod vna persona est pater, altera vero Spiritus sanctus, & alia filius & verbum. Ecce igitur sciaa, quod hic filius indutus est carne humana & ambulavit in terra, & postea quam induit carnem & ambulavit in terra cum carne, nominatus est Iesus & appellatus Christus. Igitur Christus filius & verbum Dei est incarnatus habens formam hominis. MARTYR. Qua necessitate ductus, filius & verbum Dei incarnatus est, vt ambularet vt homo in mundo? GENNAD. Postquam interrogasti qua causa Deus incarnatus est, audi causam. Deus nulla re indigens incarnatus est; sed humana natura indigebat medicamine, postquam enim Deus fecit cœlum & terram & omnia quæ sunt in eis, & creavit hominem & posuit eum in medio paradisi, ordinavit eum imperare omnibus creatis; & habitare in paradiso tanquam Deus, aspiciens eum diabolus, invidit dignitati hominis, consuluitque homini non parare mandatis Dei. Homo autem cum esset inexpertus pravitatis diaboli, paruit consilio diaboli, non obediens Deo, & tunc accepit mortem homo peccati, cum omnes qui ab homine illo sunt nati, quia acceperunt peccatum à parentibus & tenebant hanc mortem & dominabatur in eis peccatum; & propter hominem, misit Deus Prophetas, doctores in mundum vt docerent homines vt à peccato converterentur. Non potuerunt vero Prophetæ corrigere eos, & propterea talia secum dixit Deus. Descendam & induam me carne & fiam in forma hominis, & docebo creaturam meam, vt convertatur à consilio diaboli, & erit omnis homo tanquam Deus, non secundum naturam, sed secundum participationem, & hoc voluit Deus pater bona voluntate & cooperatione Spiritus sancti, descendit filius aut verbum Dei & ingressus est puram & immaculatam virginem, & suscepit carnem, & homo factus est, & postea ex vtero virginis egressus, conversatus est in mundo cum hominibus ut homo & nominatus est Christus, qui docuit homines viam veritatis. Ille est Christus filius & verbum Dei sumens carnem, cui convenit gloria & laus in sæcula sæculorum. Amen.

CAPVT I.

Eiusdem Patriarchæ Constantinopolitani libellus secundus de articulis fidei nostræ ad eundem.

CRedimus quod Deus est creator omnium quæcunque sunt à non esse. Insuper Deus non est corpus neque habet corpus, sed vivit intelligibiliter, & est intellectus immortalis, & est in mundo & super mundum. Non est in aliquo loco, & est in omni loco: hæ sunt proprietates Dei per quas distinguitur à creaturis eius & aliæ similes.

CAPVT II.

EST sapiens & bonus & verus & ipsa veritas & quascunque habent creaturæ eius virtutes, quasi per partes distinctive, habet ipse solus alioquo quodam modo: & has perfectiones habent creaturæ eius, quia ipse has tribuit eis, quia & ipse bonus est, & creaturæ eius bonæ, quia sapiens sapientes, quia verus veræ & similiter de aliis. Verumtamen Deus proprie habet eas, creaturæ autem secundum participationem.

CAPVT III.

CRedimus etiam quod sunt in Deo aliæ tres proprietates quæ sunt tanquam principium & fons omnium aliarum proprietatum eius, & per has tres proprietates vivit Deus sempiterne, etiam ante creationem mundi, & per has creavit mundum, & per has regit eum, has tres proprietates nominamus tres hypostases, & quia hæ tres proprietates non distinguunt alteram & simplicissimam substantiam Dei, propterea Deus est, & cum proprietatibus suis unus Deus & non tres alij.

CAPVT IV.

CRedimus etiam à natura Dei oriri verbum & Spiritum sanctum, quemadmodum ab igne lumen & calorem; & quemadmodum ignis etsi non est aliquid quod illuminetur & calefiat ab eo, tamen hic ignis semper habet lumen & calorem, ita & ante creationem mundi fuerunt verbum & Spiritus sanctus *ἐνυπ-ἀρχοντα*, hoc est potentiæ naturales Dei. Insuper est Deus intellectus, vt ante dictum est, & hæc tria, intellectus, verbum & Spiritus sanctus vnus Deus est, quemadmodum in vna anima hominis est intellectus, ratio intelligibilis & voluntas intelligibilis, tamen & hæc tria in vna substantia animæ. Rursus verbum Dei nominamus sapientiam Dei & potentiam, & filium eius; quia est natum naturæ eius, quemadmodum naturæ hominis appellamus filium hominis, & quemadmodum intellectus hominis est natum animæ eius. Insuper nominamus voluntatem Dei, spiritum Dei & charitatem, ipsum autem intellectum appellamus patrem; quia ipse est ingenitus & sine causa & causa filij & Spiritus sancti. Quoniam igitur Deus non solum intelligit creaturas suas, sed etiam intelligit & cognoscit seipsum & propterea habet rationem & sapientiam per quam intelligit seipsum sempiterne, similiter neque vult neque diligit Deus creaturas duntaxat suas, sed vult & diligit seipsum, multo magis propterea sempiterne procedit ex Deo verbum & spiritus eius, & sempiterne sunt in eo, & hæc duo sunt cum Deo.

CAPVT V.

INsuper credimus, quod Deus per verbum & sapientiam & potentiam eius creavit mundum & per spiritum bonæ voluntatis & charitatis eius providet & regit & movet omnem naturam in mundo ad bonum, secundum ordinem vniuscuiusque naturæ. Et propterea credimus, quod quando voluit Deus per solam misericordiam eius convertit homines ab errore dæmonum & idololatria, quia præter paucissimum locum Iudæorum, in quo adorabatur & credebatur vnus ex lege Moysi, vniversus autem orbis adorabat creaturas Dei; & plures Deos pro vno, & vero colebat, & conversabatur vnusquisque propria & voluntate & non secundum legem Dei.

CAPVT VI.

TVnc fecit Deus talem hominum præparationem per verbum eius & Spiritum sanctum. Et propterea verbum Dei indutum est carnem humanam, vt homo loqueretur cum hominibus; & verbum & Dei sapientia doceret homines credere in vnum & verum Deum & conversari secundum legem, quam ipse dederat. Et rursus vt homo daret politiam exemplo doctrinæ suæ, primus enim ipse observavit legem quam dedit hominibus. Et rursus vt verbum Dei & potentia posset inducere vniversale bonum in toto orbe, quod voluit, & quod erat impossibile potentiæ unius hominis

convertere

convertere universum orbem ad Deum, & hoc pacto verbum quidem eius seminavit veritatem omnipotens, cum invisibilis Deus in Hierosolyma, per spiritum autem eius illuminavit & fortificavit Apostolos eius, vt seminarent & ipsi veritatem in universum orbem, & vt despicerent mortem propter amorem veritatis, quæ docebat, & propter amorem Dei qui eos miserat, & propter amorem salutis mundi secundum exemplum Iesu qui voluntarie mortuus est, secundum humanitatem pro salute mundi. Ita credimus nos vnum Deum in Trinitate, patrem, filium & Spiritum sanctum, quemadmodum instituit nos Dominus noster Iesus Christus, & quia est verus, credimus etiam quod est & hoc etiam verum, & discipuli eius ita late instruxerunt nos, sic intelligimus à sapientia & potentia Dei.

CAPVT VII.

CRedimus insuper, quod verbum Dei & homo quem induit verbum Dei est Christus, cuius vita cum esset in carne, erat vita hominis sanctissimi; potentia autem sapientiæ & operationum eius potentia Dei.

CAPVT VIII.

CRedimus insuper, quod quemadmodum anima & corpus hominis est unus homo, ita & verbum Dei ex vna parte, & ex altera parte anima & corpus filij sanctæ virginis Mariæ erat vna persona Christus. Sed quemadmodum anima & corpus sunt omnino duæ naturæ in homine, sic & multo magis verbum Dei & homo in Christo fuerunt duæ totaliter distinctæ, neque verbum Dei mutatum est in carnem vel in animam Christi, nec caro Christi vel anima mutata est in verbum Dei, sed semper erat & est in Christo, verbum quidem Dei, verbum Dei, humanitas autem humanitas, & non quod acceperat humanitas Christi deitatem, sed deitas verbum Dei suscepit in se humanam naturam ad nos ne quid deesset. Omne est in Deo & ex Deo, naturaliter Deus, quia non est in Deo accidens. Et propterea hoc verbum intelligibile Dei, Deum appellamus & credimus, quia hoc verbum erat in Christo, propterea Christum Deum & hominem confitemur, hominem quidem propter animam & corpus, Deum autem propter verbum Dei quod erat in eo.

CAPVT IX.

CRedimus, quod verbum Dei erat in Christo & in mundo & in cœlo & in Deo patre; quia verbum Dei est infinitum, ut infinitus est Deus qui generavit illud, & habet invicem potentiam. Verum in Deo alio modo se habebat, & in Christo alio modo, & in mundo alio modo.

CAPVT X.

CRedimus insuper, quando communicat bonitatem eius & gratiam alicui creaturæ, nequaquam minuitur, sed manifestatur magis, quia ex virtute creaturarum manifestatur celsitudo Dei, & quanto magis melioratur creatura, maiori communicatione bonitatis eius, tanto magis bonitas Dei & potentia ostenditur. Propterea bonitas Dei & charitas in homines magis magnificatur, propter adventum verbi Dei & Deum, cum omni potentia eius in Iesu, quàm quando mittebat Deus ad Prophetas vnam gratiam, vel duas, & in vnum minorem, in alium maiorem.

CAPVT XI.

CRedimus etiam, quod Christus crucifixus est & mortuus propria voluntate, propter magnam & plurimam vtilitatem, quæ longo sermone indiget; & hæc omnia secundum humanitatem. Verbum enim Dei neque crucifigitur, neque moritur, neque resurgit, sed potens vivificat mortuos, quemadmodum vivificavit carnem qua se induit. Credimus insuper quod Christus resurgens cœlos ascendit & iterum venturus est cum gloria, vt iudicet mundum.

CAPVT XII.

CRedimus etiam, quod animæ hominum sunt immortales, & corpora sanctorum resurgent incorrupta, clara, levia, non indigentia cibo, nec potu, nec veste, nec ulla alia voluptate corporea: Animas item, & corpora eorum qui se bene gesserunt, in Paradisum abitura; impœnitentium vero, malorum, & infidelium, ad inferorum cruciatus. Quod item Paradisus sanctorum, & beatitas in cœlo sit: sceleratorum vero punitio in terra. Præterea beatitudinem sanctorum, nihil aliud esse, nisi, quod perficientur animi tales ratione cognitionis. Tunc videbunt arcana Dei, quæ nunc non noscunt, nisi fide in Iesum Christum.

CAPVT XIII.

QVare autem necesse fuerit, carne vestiri Logum Dei, Deum: id necessariarum & multarum rationum est. Ac quando necesse fuerit, parati sumus, eas dare. Præter autem illas rationes, certitudinem & veritatem Dei, nostræ præterea confirmant hæc septem.

CAPVT XIV.

PRimum, quod prædixerunt Prophetæ Iudæorum (quorum vaticinia & nos approbamus) de Iesu, & de rebus eius gestis, & quæ sub ipso facta sunt: quæ item posterius discipuli eius, potentia & munere gesserunt. Similiter præcinuerunt & Græcorum oracula, permissu Dei. Sed & Astronomi Persarum, ac Græcorum. Et hæc omnia, cum illustri laude prædicationeque Iesu. Omnes etiam has Prophetias & prædictiones sic esse veras, ac minime adulterinas, demonstrare possumus.

CAPVT XV.

DEinde, quod omnes religionis nostræ libri & scripturæ, per omnia inter se consonant. Nec mirum, Qui enim eos scripserunt, vnum & eundem doctorem habuerunt, ipsam gratiam Dei. Quod ni fuisset, certe in quibusdam vt dissonarent, futurum fuisset.

CAPVT XVI.

TErtio loco, quod receperunt hanc fidem licet nova esset, & præter communem opinionem, ac mira, homines vbique locorum, magno studio, multis cum periculis. Nec idiotæ solum, & nulla doctrina eruditi: sed etiam, qui prudentes & sapientes habiti fuere. Dissoluta iam hinc prorsus, doli & deceptio dæmonum.

CAPVT XVII.

QVarto, quod nihil impossibile, nihil dissentaneum, hæc fides continet, nihil corporale; sed omnia spiritualia. Et via est, quæ animos hominum ad charitatem Dei, & futuræ vitæ æternæ ducit.

CAPVT XVIII.

QVinto, quotquot susceperunt hanc fidem, & cum virtute secundum Iesu legem & instituta vixerunt, hi magnis donis à Deo ornati fuerunt: & miracula multa potenter, nomine & concessu ipsius Iesu,

fecere;

fecêre: quod profectò, si veritati hæc fides adversaretur, secuturum non fuisset.

CAPVT XIX.

Sexto, quicquid ab aliquibus adversus hanc fidem affertur, id tum facilè, tum veritati congruenter solvere possumus.

CAPVT XX.

Postremo, sicuti hanc olim oppugnarunt multis suppliciis & cædibus reges, & præsides eorum, per orbem terrarum, 3. annis: vt multitudinem scilicet Deorum suorum, & idola sua, quorum cultui dediti erant, tuerentur: nec hilum profecerunt: sed eluctata versit fides, in hunc vsque diem permanens. Sed & Dominus, quando venerit, reperiet eam. Quod nisi in voluntate Dei fuisset hæc fides fundata: facile tunc, velut nebula, dissoluta evanuisset. Ipsi huic Domino nostro Iesu Christo, gloria. Amen.

GENNADII SCHOLARII, PATRIARCHÆ CONSTANTIN

Expositio pro sancta, & œcumenica Synodo Florentina, & defensio quinque capitum, quæ in decreto eius continentur ad Græcos.

Fabio Benevolentio Senensi interprete.

PROŒMIVM.

Si magnum religionis mysterium, pura mente & syncera dispositione adhibitâ fuerit perquisitum, mentis oculos & corporis, explanat atque aperit, Solaribúsque radiis clariores reddit: ac velut è desuper in terram procumbentes, non planas tantum vias, sed etiam abditos & obscuros angulos illustrant, sic & mentis oculi, veritate subnixi, nec rerum distortarum præsumptione obtenebrati, non solum quæ sunt recta, & facilia scripturæ percipiunt (divino præeunte auxilio) sed etiam quæ in intimis sensibus orationis absconduntur, exactè investigant, & ad rectum sensum perducunt, atque ut percipiantur efficiunt, quemadmodum sapientia dicit: Omnia recta sunt intelligentibus, & æqua invenientibus scientiam: *nec est in eis quid pravum, neque perversum. Nos igitur sententiam nostram omnibus declarare cupientes veritati confidimus, & religionis dogmati nos ipsos committimus: hortamur autem vos, ne subdole & insidiose orationem nostram perscrutemini, sed pura mente & conscientiâ. Non enim de minimis agitur, ô amici, verum de magnis rebus ac divinis: quanquam internuncius imbecillus est & infirmus, ut Ecclesiasticam proponat concordiam, quæ contigit diebus nostris, quam multi mortales ante nos videre exoptarunt, nec viderunt. Quid igitur?* Quoniam literaturam non cognovi, ingrediar in potentias Domini, *& ego cum David exclamabo:* Et lingua mea meditabitur iustitiam eius. *Sed quoniam à quibusdam oppugnamur, dicentibus, nos non divino ductos zelo Florentinam Synodum amplexari, imo potius temporariâ ductos gloriâ in eam transfigurari, quodque muneribus, & pollicitationibus suasi eam induimus: aliaque multa dicenda tacenda comminiantur (ô tuam patientiam, omnium Rex: vulgi temeritas insolens, verba effundit adversum Deum blasphemia plena, in nostram fidem & in Deum contumeliosa, ac si ebriati essemus) non tamen, ut sileamus, nobis persuadebimus: sed ad oculum qui omnia videt convertemur, & ad illud incorruptum tribunal, mentis aciem dirigemus, ubi nobis non obest, temere hic effusa excusatio, ibi enim accusatoribus non est opus: quemadmodum neque eorum qui inconsultè gratificantur, coniuratio proderit? non enim ibi est opus advocatis. In illud igitur, cui nihil est occultum, tribunal inspicientes, omnes contumelias floccifacimus: imo vero sententiam nostram nudo capite, & audacter prædicavimus. Id tantum de nobis omnes scire velim, quod etiamsi quid à nobis dictum, aut factum est, & quæ in præsentia instituo, Dominus scit, si id pro Ecclesiastica concordia constituenda gestum est, non ut aliquid ex nostris consuetudinibus vel dogmatibus abrogaremus. Sed quicunque ad hanc Ecclesiasticam pacem descendit, & decretum Florentini Concilij recipit, quasi consuetudines & dogmata nostra damnarit, Ecclesiámque Romanam Orientali & nostræ præposuerit, nec utrique eundem honorem exhibere voluerit (cum una tantum sit Ecclesia, unamque fidem & religionem prædicet) decidat is à Christi regno: Iudæque proditori & crucifixoribus eius annumeretur: quandoquidem nostra Ecclesia, eandem prædicat fidem, quam Romana Ecclesia confitetur & tenet, nec unquam à solo Patre procedere spiritum sensit neque in pulpitis prædicavit, neque in azymo sacrificium est aspernata, Absit: neque animarum purgationem unquam abnuit, sed neque sanctorum fruitionem reprobat, neque Romanum Pontificem renuit quasi non sit totius Ecclesiæ caput, ut postea declarabitur, Capitibus singulis suam assignando responsionem. Sed à quibusdam litigii & contentionis studiosis ea dicta sunt & scripturæ mandata quos vulgi temeritas sequens, convitia & contumelias adversus Romanam effundunt Ecclesiam, & adversus nos qui eam sequimur. At nos, prædictum iusiurandum (quasi orationis nostræ fundamentum) præstruentes, orationem resumamus, asserendo, nos divino zelo, & quia vera est, synodum hanc integre tenere. non autem humana gloriæ gratiâ eam amplectimur, neque muneribus corrupti (ut ipsi dicunt) eam suscipiendo firmiter apprehendimus, sed velut Christi sententiam & Doctorum Ecclesiæ. Isti vero ignorantiæ & pravitatis morbo ægrotantes, dicere audent, quod quæ à synodo gesta sunt, non secundum mentem & sententiam Doctorum Ecclesiæ gesta sunt. Imo contra se habet, magisque quam si contrarium ederent, videntur sacri Doctores hæc scriptis tradere, ab ipsisque nos hanc sententiam & fidem didicisse confitemur, ac pro ea prædicando pugnamus, eamque usque ad extremum spiritum inviolatam servare exoptamus, omnia cum ea occumbere speramus & coram Salvatore Christo Deo cum ea in iudicio sisti, & cum ea in sempiternum, quocunque dabit Deus (qui omnia conspicit, ubi neque quid absconditum est) mitti: nec ad homines, sed ad Deum respiciendo, hanc concordiam, & Ecclesiarum unionem amplexari oportere existimavimus. Quod si aliquibus non videtur, nihil ad nos; quia nos quod debemus, efficimus. Vos vero quid dicitis, qui sacram synodum non recipitis? Non est eius decretum secundum Doctorum sententiam. At nos contrarium demonstrabimus, non ex nostro sensu, ne absurda dicere videamur (quis enim persuadere vobis aliquid possit, si sua tantummodo argumenta in medium attulerit?) sed ex divinorum Patrum, & Ecclesiæ Doctorum, non Occidentalium tantum, verumetiam Orientalium, quorum dicta, etiam inferius reverentur, tanquam à sacro & divino spiritu illustratorum. Ac primum quidem quinque ex nostris criminantur, imo non ex nostris, sed ex Ecclesia: nam Ecclesia in suo decreto, velut Stentor, omnibus viribus clamat. Primum, quod sanctus Spiritus ex Patre & Filio procedit, idque ipse Filius à patre accipit: Cuncta (inquit) enim quæ habet Pater,*

Prov. 8. Non ita ponitur ad verbum in vulgata.

Psal 70.

Psal 34.

in generando tribuit Filio, præterquam esse Patrem. Secundum, quod sacrificium per azymum vel fermentatum, vnum & idem est, quodque sanctissimum Christi corpus in vtrisque conficitur partibus. Tertium, quod animæ illorum qui in pœnitentia moriuntur, purgatorijs pœnis post mortem purgantur, & fidelium viuorum suffragijs iuuantur, idque propterea quod antea peccatis suis satisfacere non potuerunt. Quartum, quod sancti sunt in gloria Dei quatenus animæ, Deumque ad faciem vident, & eius lætantur visione: & rursus in gehennam peccatores ire clamat, & quemadmodum illos beatitudo lætificat, sic & hos a die exitus eorum, ignis comburit. Quintum, quod Papa, siue summus Pontifex Romanæ sedis Apostolicæ, caput est totius Ecclesiæ, beati Petri principis Apostolorum successor, & verus Vicarius Domini nostri Iesu Christi Ecclesia vero aduersarij, Ecclesiam reprehendunt, quod ea quæ vera non sunt, senserit, & decreto prolata Apostolicis & rubris literis ea sibi arrogauerit: nobis autem, Ecclesia ab ijs oppugnatæ, atque patrocinari conuenit neque possibile est, cum fortem aduocatum secum habeat Christum Iesum, & suam veracem promissionem firmiter obtineat, id est, quod portæ inferi non præualebunt aduersus eam: quodque cum ea erat vsque ad mundi huius consummationem: & quod solida petra illa est, in quam, qui offendunt, perstruat: sine qua, salutis nulla spes est. Cum igitur sponsum ipsum secum habeat, illi non est opus aduocatis: nobis magis opus est, qui ab iis (quasi malegesserimus vnionem cum Latinis recipiendo) accusamur, & quia nos tanquam ignorantes reprehendunt, veluti perditos damnant, & (proh dolor) nos lugent, & vt hæreticos auersantur. Ab his igitur coacti hæc conscribimus vt nos inculpatos, & hac reprehensione & calumnia indignos & gratiæ orthodoxos ostendamus: imo eos maioris pœnæ & damnationis reos, quam cuius nos illi temere & superbè condemnant. Ac primum quidem, Dei gratiam perquiramus, perinde ac nihil proferre valeamus, nisi is ante nobis os aperuerit; ipse est enim qui dicit: Et sine me nihil potestis facere, *postea (quantum nostræ mentis exiguitas patitur) in medium proferentes criminibus obiectis respondebimus non syllogismos adhibendo (quippe & illi vero dicunt fidem nostram syllogismis non constare, neque nos id efficere valemus) sed sanctorum Ecclesiæ Doctorum testimoniis nitemur. Cæteris ergo omissis à primo Theologo exordiar Domino Iesu Christo, in primo capite in quo nos accusant, quod Spiritus sanctus non procedit etiam a Filio, sed à Patre tantum. Sic vtique hi dicunt, & (vt aiunt) rectissime tradunt, ac vera credunt. At quia nos etiam à Filio procedere dicimus, aduersari nos sanctis dicunt & Christo dicenti;* qui à Patre procedit. *Hoc ipsi asserendo se iustificari putant; nos vero cum charitate & pace, Deo opitulante ostendemus, etiam à Filio Spiritum sanctum procedere, quemadmodum sane & à Patre; non ita ira contumeliosi, sed discipuli eius qui dicit;* Pacem sequimini, nec irascamini cum loquimini.

Matt. 16. Mat. 28. 1. Petr. 2. Ioan. 15. Ioan. 15. Hebr. 12.

CAPVT I.

Spiritum Sanctum procedere ex Filio, non ex Patre tantum, vt aiunt qui Synodum non sequuntur.

INcipiendum est igitur ab eo qui primo Theologicam hanc veritatem reuelauit. Hic enim apud Ioannem Euangelistam ad discipulos suos sic ait: *adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo, cum autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annunciabit vobis: ille me clarificabit, quia de meo accipiet & annunciabit vobis.* Num habetis quid ad hoc respondeatis, vos qui contrarium sentitis? etiam, inquiunt, cognitionem accipit, verba, acceptionem: audit à filio, vt filius à patre sapientiam, & reliqua: Et nos ita dicimus: sed quia multa intelligere in Deo fas non est, ne compositum eum intelligamus, vnum accipere dicimus essentiam, quæ sapiens est & bona, &c. Propterea si sapientiam accipit, nil aliud nisi ipsum esse accipit, audiet ergo Spiritus sanctus, id est, ab eo audiet, à quo procedit. Illud audire, cognoscere est, cognoscere autem esse. Quoniam igitur à se non est, sed à quo procedit: à quo prouenit et essentia, ab illo cognitio: ab illo ergo & auditio: quod nil aliud est, quam essentia Semper igitur audit Spiritus sanctus, quia semper cognoscit, & cognoscet: idcirco audiuit, audit, & audiet: nam, vt diximus: id est, ei audire quod cognoscere, & cognoscere, ei idem est quod esse: ab eo igitur audiuit, audiet, & audit, à quo est: ab eo autem est, à quo procedit. Sed ne dicere possint, quod in eo pronomine, *meo*, cum dicitur; quod, *de meo accipiet*: intelligitur, *Patre* infra in eodem capite coniungit, dicens, *omnia quæcunque habet Pater, mea sunt: propterea dixi vobis quod de meo accipiet & annunciabit vobis.* Cum vero dixerit: *omnia quæcunque habet Pater, mea sunt*: occlusit omne os volens excludere etiam Filium esse principium essentiæ sanctissimi Spiritus. Quod autem verum sit, cuncta quæ habet Pater, ea & Filium habere: ipse id testatur cum dicit, *Pater omnia tua mea sunt, & mea tua.* Et Ioannes Damascenus refulgens stylus, ait: *Omnia quæcunque habet Pater, in generando tradidit Filio, præter quam esse Patrem.* Ergo, si Pater (quatenus Pater) producit Spiritum: & Filius hoc modo communicaret Patri: esset Spiritus ipse, filius, & filius vna cum Patre, duo Patres Spiritus: & hoc pacto, Filius cum Patre non communicaret essentiæ Spiritus: nunc vero non producit hoc pacto Pater Spiritum, sed quatenus productor: neque Filio opponitur, quin ipse quoque sit causa Spiritus: nam si quæcunque habet Pater, habet & Filius, & nihil remanet Patri, quod Filius non habeat, habet autem Pater productionem Spiritus: id ergo habet & Filius. Ex hoc denique aperte ostenditur, quod non solum à Patre est Spiritus, sed & à filio. Huius rei testis est omnium Doctorum scriptura; & maximus Cyrillus totum hunc locum egregie interpretans, & verba prædicta: attente animaduerte quæ dicit. *Ecce enim, Spiritum veritatis (id est: sui ipsius) paracletum dicens: à Patre procedere eum dicit: nam quemadmodum proprius est Spiritus Filij, cum naturaliter in eo sit, & ab eo procedat: sic etiam Patris est proprius: Quibus autem Spiritus est communis; inter hos, & ea quæ ad essentiam pertinent non erunt diuisa. Neque nos quorundam verba perturbant, qui ob inscitiam impie de religione sentire solent & loqui, quæcunque fas est cogitare: quasi filius ordinem aliquem adimpleat ministrandi, & Patris Spiritum ministret creaturæ: quippe cum neque id quidem insulse dicere reformidarint, magis consequens est credere: quod quia proprius est eius (quemadmodum vtique Dei, & Patris) ideo ad sanctos suos discipulos sanctificandos, eum mittit.* Audis, tu qui contradicis, admirandum & magnum patrem hunc: Cyrillum illum dico; quemadmodum (inquit) filij proprius est, non per modum ministrandi sed naturaliter in eo, est & per eum procedit: sic & in Patre euenit. Si igitur quomodo est Filij, est & Patris Spiritus; superest nos intelligere eum etiam ex Filio procedere: nam sanctus hic dicit, quod vt est Filij Spiritus & per eum procedit, eodem modo & ex Patre: neque te intelligere oportet, Filium, vsum aliquem ministrandi adimplere, & mittere a Patre Spiritum creaturæ, sed naturaliter. Si enim per modum ministrandi, non naturaliter, mittit Spiritum filius: ergo & per modū ministrandi habet Spiritum non naturaliter: quia quomodo intelligitur de filio, ita intelligitur de patre, secundū sancti huius sententiā, Patrisque & filij cō unis est Spiritus, quia nō sūt separati essentia Pater & Filius.

Non admittunt Theologi hanc [illegible] filius est principium deitatis spiritus sancti, nam essentia diuina, quæ est in ipso [illegible], non habet principium, sed [illegible]

[illegible] ostendo eos also qui tantum volle asserere Spiritum sanctum habere à filio, tanquam à suo principio essentiæ diuinam. Ioan. 17. 1. Lib. fidei orthodox.

Si ergo commune est: quomodo de patre dicitur, eodem & de filio: quare, si de patre dicitur quod ab eo procedit (non enim aliud possumus intelligere) dicitur autem & filij spiritus, ergo & ab eo procedit. Si vero dixerit quis, quod secundum substantiale de filio, dicitur, nec potest dici secundum causam, diceretur (inquam) pater & filius ipsius Spiritus; quia vnius essentiæ sunt tres personæ: at id non dicitur. Damascenus ibi nares conterit, capite octavo suæ Theologiæ: *Filium* (dicit) *neque spiritus dicimus neque ex Spiritu.* Et Gregorius Nyssenus, tertia Homelia, super, *Pater noster*: occludit tibi oculos: *Filius* (inquit) *Spiritus neque est, neq, dicitur, neq, hac relatiua consequentia convertitur: sed Spiritus fil dicitur, quia ab eo accipit, ab eoque procedit, & ex eo est quemadmodum ex patre.* Idcirco sanctus hic Cyrillus inquit: *proprius eius est, vt Dei & Patris.* Quo pacto proprius est patris? quia ex eo habet esse & procedit: hoc idem te intelligere oportet, quod & ex filio procedit, quia proprius eius est, quemadmodum & patris, Et paulo post, hic idem sanctus in eadem expositione ait: *Proprium filij dicimus Paracletum, id est, Spiritum sanctum non extrinsecus ingredientem, neque adventitium in eo, vt in iis eveniat, qui sanctitatem suscipiunt, & ex non entibus generantur; sed consubstantialis ei sane, vt & Patris: non enim loquitur à semetipso, sed quaecunque audiuerit. Quando igitur venerit ille, id est,* paracletus Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. *Animadverte quam vigilans providaque sit vox, vide hominis sobrietatem. Nam cum prædixisset super eos venturum Paracletum; spiritum veritatis eum appellauit, id est, filium: ipse enim est veritas: enim vt discipuli scirent non esse alienum & extraneum illius adventum: sed seipsum aliter exhibiturum pollicetur, Spiritum veritatis id est, filium Paracletum vocat: non enim ab vnigeniti essentia alienus sanctus Spiritus intelligitur: procedit autem naturaliter ab ea, cum nihil aliud præter eum sit, quo ad identitatem naturæ; & si potest intelligi proprio subsistendi modo.* Et post alia: *quando igitur venerit ille,* non loquetur (*inquit*) à semetipso; *sed neque novum vos docebit doctrinam: non enim leges fert: sed quia spiritus, & quasi mea mens est: loquetur cuncta quæ sunt in me.* Et post pauca: *Quia omnino ex mea essentia Spiritus est, & quasi mea mens, ventura dicere non potest, nisi omnino in me sit, & per me procedat.* Super illud, Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis: Clarificat ergo filium Paracletus, id est, proprius ipsius Spiritus: quia omnia potest, & omnia scit. Quomodo vero clarificat? quæ enim scit, & potest eius spiritus, quomodo ipse vtique non scinerit, vel poterit? & si (vt ipse dicit) ab eo spiritus accipit, atqui omnia potest & perficit, quomodo ipse vim & robur in omnibus non habebit? Et paulo post: *Quoniam consubstantialis est filio & ex eo vt Deum decet, procedit, omnem suam in omnibus perfectissimam operationem habens & vim, ideo dixit, de meo accipiet.* Et post alia: *Irreprehensibile igitur omnino erit, & extra omnem contumeliam positum, si ab vnigenito quid accipere dicatur eius Spiritus, nam ab eo naturaliter procedens, vt eius proprius, cũ omnib. quæ habet perfecte accipere sua dicitur:* Et post pauca: *Hoc etiam mihi naturaliter adest; propter hanc dixi causam,* quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. *Nemo in his perturbetur cum acceptionis nomen audiuerit, sed potius consideret (ita enim recte egerit) quod omnia quæ ad Deum pertinent, proferuntur quidem more nostro, at non ita intelliguntur, sed supra captum nostrum. Itaque accipere Spiritum dicimus à Patre, & Filio, quæ eorum sunt; non tanquam aliquando insitam in iis sapientiam & potentiam non habuerit, tunc vero tandem habeat cum intelligitur accepisse. Semper namque sapit & potest Spiritus: imo est ipsa sapientia & potentia: non ex participatione aliqua, sed natura.* Et post alia: *Cum fructus igitur, & nota sit persona generantis, filius omnia quæ habet secundum naturam, secum adducit: ideo dixit:* omnia quæcunque habet pater, mea sunt, idcirco dixi vobis, quod de meo accipiet, & annunciabit vobis: *Spiritum videlicet, qui per eum & in eo est: per quem in sanctis ipse inhabitat: non enim est aliud præter eum: spiritus eius; quamvis ipse per se intelligatur & proprie spiritus: spiritus enim, Spiritus & non filius est.* Auditis huius magni Patris sententiis, vel (vt melius dicam) instantiis, & tela præacuta adversus eos, qui non ex filio etiam procedere spiritum asserunt? quia partim per eum prodeuntem dicit, partim quod ab eo prodit quemadmodum & à patre: & rursus, natura insitus ei; & per eum & ex eo progreditur, profluit, & procedit, & velut sane in ipso, & Deo, & Patre intelligitur. Quid aliud quam veritas apertissima dignoscitur, quia ex filio, spiritus est; & ex eo, & per eum, vt sanctus hic multis in locis scribit? Vnde ergo ostendere poteritis vos, quod ex solo Patre spiritus est, cum sancti omnes concordissime (vt paulo post ostendemus) dicant, & omnes ex filio procedere decernant? Itaque credatis nobis, qui recte consulimus; imo non nobis, sed veritati: nec ita superbe nos incusate, velut insciј simus, vel ignari; & propterea synodo parentes. Nam sanctos omnes vidimus, rationibusque eorum suasi, easque sequentes, nos Latinis adiunximus: imo non Latinis, sed solidæ & veræ Petri fidei, & sanæ Theologorum & divinorum eorum virorum doctrinæ, qui in ea synodo excelluerunt; qui Ephesi Episcopus sui incertus, nec eorum obiectionibus respondere valens, ignaue effugit Fratre Ioanne qui cum eo disputabat, acclamante: adducite huc Ephesium vt eius responsiones audiamus, quas quadam sessione edidit, synodum devitans. Synodus vero eum evocabat, vt ingrederetur, at is morbum simulauit. Et rursus sessione coacta, Frater Ioannes aiebat; accedat huc Ephesius, accedat: non enim fas est tum loqui, at nostras responsiones non audire. Rursus synodus eum canonice vocauit, sed non paruit: quare, eo vocato, nec parente; synodus decretum tulit; is vero in contradicendo persistebat, non palam, sed in angulis, itaque hostis sacræ synodi declaratus est. Sin autem in tempore ad disputationes accedebat, ac sanctorum auctoritates non approbabat; corruptos & adulterinos, vetustos, sacros, & divinos Doctorum codices dicens. At is quidem extinctus est, osque illud adversus sacram synodum infrendens quo pacto extinctum sit, & dedecore oppletum suæ amaræ resolutionis tempore, cognitum iis est qui vera dicere didicerunt. Nos vero prædictas magni Cyrilli authoritates habentes super illud: *de meo accipiet*, & sacram hanc synodum eadem docentem in suo quod edidit decreto, audienter, & ab eo confirmati spiritum sanctum à filio etiam procedere, synodo nos adiunximus. Nam cum Christus dixerit, quod *de meo accipiet*, nil aliud ostendit nobis nisi quod etiam ab eo procedit: non enim possumus aliter intelligere, quia à quo spiritus accipit, ab eo etiam esse habet; à quo habet esse, ab eo & procedit; accipit autem à filio, & habet esse ab eo, vt dicimus, & sacer Basilius declarat: ergo & ab eo procedit. Hoc igitur pacto, & alias sanctorum auctoritates clare voluissemus dicere, deinde explanare. Sed cum nos duo efficere proposuerimus; partim quia cum brevibus rem exponere polliciti sumus, in immensum nostra excrescere potuisset oratio, partim quia adversarij meis dictis fidem non adhibuissent, si ea latius explicando contexerem: idcirco oportunum mihi visum est, seorsum tantum sanctorum auctoritates proponere, ad eos coarguendos qui sacræ synodo volunt contradicere; ad stabiliendum vero & confirmandum eos qui pie sequuntur, paucis quibusdam de meo singulis dictis allatis.

Ioan. 16. — F. Ioannes, hic est Turrecremata qui postea Cardinalis. Marcus Episcopus Ephesinus, in synodo, a synodo.

SECTIO II.

OMne verbum, sactum dicit Evangelium, *in duobus vel tribus testibus stabit*: num fidem adhibebitis vos si pluribus vtemur? non arbitror, cum vos falsa suasione, & præsumptione prauitati admista, permoneamini, idcirco tertia vice quos Christus enumerat, ter vndecim addam, ne de cætero locus contradicendi relinquatur, vel quid minimum adversus nos eloquendi.

Mat. 18. 16.

Nam

Nam magnus Gregorius Nyssenus in quarta Homilia seu Expositione super, *Pater noster*, quæ incipit; *qui umbram futurorum*, hæc inquit: *unigenitus filius ex Patre à sacra Scriptura nominatur, & huc usque verbum suam constituit proprietatem: sanctus autem spiritus & ex Patre dicitur, & ex Filio praeterea esse ostenditur: si quis spiritum Christi*, (dicit) *non habet, hic non est eius.* Audis quod ex filio etiam esse testatur? & si quidam (vt solent impij & adversus propriam salutem ingeniosi) verbum ex quibusdam libris, stylo ferreo adhibito deleuerunt; quidam tamen reperiuntur codices qui adversus adulterantium libros, audaciam clamant. Vbi est igitur qui dicit, *Ex solo Patre*, Ephesius ille mente commotus vna cum suis accessoribus? accedant & nobis ostendant vnde hoc acceperunt; à Christo ne, aut à sanctis; nam aperte Christus hic contradicit, & sancti. Christo ergo dicit, *de meo accipiet.* Sancti ex filio Spiritum esse à sacra Scriptura ostenditur; si ergo sanctus hic, *ex filio*, dicens Spiritum, vera loquitur; mentitur Ephesius & eius antecessores dicentes, *ex solo*, nam, *ex solo esse*, destituitur dicendo, *& ex filio.* Quod vero ex filio Spiritus accipit & habet esse, magnus Basilius in tertio adversus Eunomium testibitur, cuius principium: *Vix tandem exsaturatus adversus unigenitum blasphemiis.* In eo tractatu dicit: *qua necessitas urget, si auctoritate & ordine tertius est Spiritus, eum natura etiam tertium esse? quod auctoritate quidem secundus à filio sit, & ab eo habeat esse, & ab eo accipiat, & annunciet nobis, & in summa ab ea dependeat causa, religionis ratio tradit.* Audisti cœlestem Patrem hunc: cum, *ab eo*, inquit, *habeat esse, & ab eo accipiat.* Vidisti vt omnia nostro sensui consentanea sunt, vna cum sancti Cyrilli auctoritatibus, & vbi est qui dicit, *ex solo*, si enim ex filio accipit, & ab eo habet esse Spiritus, vt sanctus hic dicit; ergo non ex solo Patre, sed manifestum est, quod & ex filio; ergo inania nos reprehenditis ô amici, & fratres. Sed huius magni Patris Frater, Gregorius (inquam) Nyssenus, in primo libro adversus Eunomium, qui incipit, *non licuit, vt videtur, in omnes beneficium conferre*, hæc inquit: *Quo pacto ante consideratur persona secundum causæ rationem eodem modo & Spiritus ordine tantum secundum causam & causatum distinctionem habens. Nam quemadmodum filius coniungitur Patri, & quamvis ab eo esse habeat, non tamen secundum essentiam posterior est: ita & unigenito Spiritus sanctus iungitur, intelligentia tantum, secundum principij rationem considerato ante personam Spiritus.* Vides, vt etiam sanctus hic cum antedictis concordet, & vt distinctionem divinarum personarum constituere volens, causa tantum distinguit eas? quo pacto (inquit) consideratur Pater ante filium, ratione causæ, eodem etiam consideratur filius ante Spiritum, causæ ratione, hoc idem est ac si diceret: Filius eo solo Patre, vt solo antea considerato quam filius, quem enim alium potest ante se consideratum habere, Spiritus autem sanctus ex Patre, & Filio; quasi Pater videlicet, & Filius ante eum considerentur. Itaque vere concludimus, ex Patre, & Filio procedere Spiritum sanctum; etiam si vobis displiceat; nam personam Patris ante Filij personam considerari, idque causæ ratione: personam vero Filij ante personam Spiritus sancti ratione quoque causæ; nihil aliud ostendit, quam quod solus Pater causa Filij est, Filius autem id à Patre accipiens (sicut alia naturalia bona eius) & ipse causa est Spiritus sancti: itaque Pater, & Filius ambo vna causa processionis Spiritus sancti. Iccirco Sanctus hic dicit: quemadmodum iungitur Patri Filius secundum causæ rationem, solo intellectu persona eius antea considerata; sic verum dicimus, cum dicimus Spiritum ex Filio. In actis vero primæ synodi scriptum est, Spiritum sanctum ex Patre procedere, proprium autem eum esse Filij, & ab eo scaturire. Audis? ab eo inquit scaturire, tanquam à fonte; videlicet ex eius persona, propriumque eius esse, quid significet consideremus, fratres; neque Doctoribus repugnare velimus. Quod si dixerit quis, propriũ eum esse Filij propter consubstantialitatẽ; reputet quod etiam filius diceretur ipsius Spiritus, secundum consubstantialitatem: sed id vel cogitatu tantum est absurdum. Doctores dicunt; Filius neque ipsius Spiritus est, neque dicitur: Spiritus filij, minime. At Cyrillus Alexandrinorum Pontifex in Epistola ad Nestorium, quæ incipit: *cum Salvator noster manifeste dicat, qui amat Patrem, vel matrem, plus quam me*, inquit: *Et si Spiritus in hypostasi est propria; intelligitur quoque per se, quatenus Spiritus est, non Filius, non tamen ab eo alienum est: nam Spiritus veritatis nominatur: & Christus est veritas, & ab eo profluit: quemadmodum vtique à Deo & Patre.* Audis, profluit, inquit, quemadmodum & à Patre. Sed, *profluit* (inquit) dixit sanctus, non, *procedit.* Nos vero statim eis respondemus, quod idem magister explanat quod profluere denotet, secũdũ eius sensum in Expositione divi symboli, vbi dicit: perfecto, de Christo tractatu, beatissimi Patres de Spiritu sancto mentionem faciunt; nam credere in eum dixerunt, quemadmodum sane in Patrem, & Filium, quia consubstantialis eis est, & profluit sane, id est, procedit, veluti à fonte ex Deo & Patre: exhibetur vero creaturæ per Filium, insufflauit ergo in ipsos Apostolos, dicens: Accipite Spiritum sanctum. Ex Deo, & Deus, Spiritus est, nec à quacunque suprema substantia alienus; sed *ex ea, & in ea, & proprius eius, hoc igitur est sanctorum Patrum recta, & minime errans fides, sive fidei confessio.* Vides quod profluere significet secundum Sanctum Cyrillum, & quid est profluere, & procedere? quo pacto vos omnino audetis dicere; aliud esse, *profluit*, aliud, *procedit*; & calumniamini Sanctum hunc, & nos? Reconciliamini rogo, fratres; reconciliamini. Idem diuus Cyrillus in Expositione in Prophetam Ioël: *Effundam de Spiritu meo in omnem carnem*, hæc inquit: *Profecto, Deus, & ex Deo secundum naturam filius; genitus enim est ex Deo, & Patre: proprius ipsius & in ipso & ab ipso spiritus est, quemadmodum sane in ipso Deo & Patre intelligitur.* Animadverte hic, dilecte: *proprius* (inquit) *eius, & ex eo Spiritus est, quemadmodũ & ex Patre.* Idem, in tractatibus per interrogationem & responsionem, adversus Palladium, proxime à principio, inquit: *mutabilis Spiritus non est; vel si morbo mutabilitatis ægrotaret; ipsi divinæ naturæ hic defectus adscriberentur, siquidem Dei & Patris, nec non & Filij est, qui essentialiter ex vtroque (scilicet ex Patre per Filium) profluit Spiritus.* Audisti, est hic *essentialiter ex vtroque, id est, ex Patre per Filium*? quid aliud potest intelligi, præterquam quod ex Patre, & Filio procedit? at iactabundus dices non poni, *ex Patre, & Filio*, sed simpliciter, *ex Patre per Filium*, confitemur, *ex Patre vero & Filio*, nequaquam quia dictio *per*, causam non significat. Hoc & in faciem quidam nobis dixerunt; ô præsumptionem; quæ vos videtis congruentia non finit. Nonne per verbum, *per*, causam possumus intelligere vbi dicit sanctus Ioannes Evangelista, *omnia per ipsum facta sunt?* quis negaverit vnquam hic dictionem, *per*, esse causam; & per eam, filium creaturæ causam intelligi. Quod vero idem denotet dictio, *per*, & *ex*, Basilius & Chrysostomus in Expositione Genesis sentiunt: vbi dicit Adam; *possedi hominem per Deum*: idem est, ac si diceret, *ex Deo*: vnde alter in tractatu per capita ad Amphilochium ita explanat, & dicit: *Iam vero secundum promiscuam significationem, dictio*, per, *transit sæpenumero in dictionem*, ex, *quia altera alterius significationem sibi vendicat vt*, possedi hominem per Deum; *æque ac si diceret*, ex Deo, alter vero in 53. in Matthæum Homilia dicit: *Nam scriptura solet*, per quem, *dicere* ex quo, *velut cum dicit*, possedi hominem per Deum, *non secundam causam, sed primã magis apponẽdo*, & iterum: *nonne ex Deo declaratio eorũ est*? & beatus Cyrillus in Epistola ad Nestoriũ, quæ incipit *Nugantur (vt audio) quidam*, inquit: *Necesse est confiteri quod secundũ carnem ex muliere natus est.* Et post pauca *Genitus est, secundũ nos ex muliere.* Sæpiusq; in eadẽ Epistola reperiuntur promiscue vti præpositionibus

Ad Gal. 4. Ad Ep. 4.

his, vt indifferentibus & idem significantibus, scilicet, per & ex. Paulus Apostolus ad Galatas ait: *Misit Deus filium suum factum ex muliere.* Et rursus idem alibi: *Vnus Deus, & pater* (inquit) *ex quo omnia, & vnus Dominus Iesus, per quem omnia & vnus Spiritus sanctus, in quo omnia.* Nonne ergo in his possumus intelligere, vnum factorem, & opificem, & principium omnium, tres personas; vt quæ sint vnus Deus? vnumque principium dicemus, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, per has præpositiones, *ex per* & *in* per, *ex*, Patrem vt principalem: per dictionem, *per*, Filium vt opificem: per, *in*, Spiritum vt perfectiuum? maxime, neque dictionem, *per* de Patre dicimus, neque *ex*, de Filio, neque principalem causam Patris tollamus, si Filio dederimus, sed eam Patri reseruamus. Et quando, *ex patre*, dixerimus; tunc rursus sequitur, *per*, quæ medium significat: quippe cum, *per*, iungatur dictioni, *ex*. Itaque cum dicimus, *ex Patre*, intelligimus tunc, per medium Filij, sanctum procedere Spiritum. Quod autem dictio, *per*, causam significet eandem quam, *ex*: & quod inter se potestatis eiusdem sint, hinc manifestum est.

3 Personæ Trinitatis sunt vnũ principium.

SECTIO III.

Theodoritus.

Theodoritus Cyri Episcopus, ad S. tertiam synodum; quum ea finita venisset cum Ioanne Antiocenæ Patriarcha, qui sex & viginti Episcopos secum adduxerat: videns iam synodum peractam esse, Nestoriumque damnatum, Cyrillumque præualuisse, perturbatus est, & in duodecim capitibus quæ adversus Nestorium antea ediderat, Cyrillum reprehendit. Is igitur cum Nestorij discipulus esset, adversus magnum Cyrillum impetum fecit, vt suo magistro opitularetur. Et in nono capite, vbi Cyrillus dicit: *cum filius proprium ex seipso & in seipso esse essentialiter insitum habeat Spiritum sanctum: vaticinabatur.* Theodoritus respondet: *Si vt eiusdem natura Cyrillus dixit, & ex Patre procedere, simul confitebimur, & tanquam pia eius verba recipiemus: Si vero tanquam ex filio, vel per filium, essentiam habere; vt blasphemiam & rem impiam eam reijciemus.* Audis, quo pacto Theodoritus dictiones, *ex* & *per*, reformidauit in Spiritus sancti processione? ideo cum horrore dicit, *si vero ex filio, vel per filium.* Et iure ibi timuit, vbi timendi ratio non erat; vti vos facitis. Nam cum is omnino negaret Spiritum à filio procedere, quemadmodum & vos: neque ex filio, neque per filium, recipit, vos vero, per filium, etiam inuiti confitemini, ex filio, neque audire sustinetis, idem enim secundum Theodoritum significat. Quod vero per filium confitemini; Damascenus, in octavo & trigesimo Theologiæ suæ capite, ex Patre per filium, aperte clamat: & vos magna voce canitis; *Spiritus bonitatem communicans, ex Patre per te procedens.* Et in canone domini Theophanis in Pentecosten, ode sexta: *tu flumen deitatis ex Patre per filium procedens.* Et tamen, quanquam psallitis, abnegatis. At nos cum audimus sanctus ea verba sæpe dicentes, interdum quidem *ex Patre & Filio* sine articulo, interdum vero, *ex Patre & Filio*, cum articulo, & *ex Patre per Filium, & ex Patre & ex Filio*, & essentialiter ex ambobus, & ex vtroque procedit, intelligimus dictionem, *per*, esse causam quam Theodoritus cum metu & horrore vitat. Resipiscite, & vos oro, vt videatis. Atqui Theodoritus damnatus fuit, cum sanctissimi Spiritus processionem etiam ex filio procedere non reciperet, imo libri eius excommunicati sunt, quos adversus sacrum Cyrillum scripsit audi tertium decimum caput ex actis œcumenicæ quintæ synodi. *Si quis impia Theodoriti scripta dapesserit adversus rectam Cyrilli fidem eius duodecim capita, idem cum Theodoro & Nestorio sententia, ea & eorum impietatem defendendo, nec anathematizauerit ante dicta scripta, & eos qui similia his senserunt, vel sentiunt, & omnes quia adversus rectam sancti Cyrilli fidem conscripserunt, & duodecim eius capita, & in ea impietate obierunt; anathema sit.* Similiter sancta sexta synodus, capite nono inquit: *Si quis Theodoriti scripta adversus rectam sancti Cyrilli fidem non anathematizauerit, & Epistolam qua Iba dicitur & Theodorum Mopsuestia, & scripta eius: & si quis sancti Cyrilli scripta non receperit, eaque præcipue quæ adversus Theodorum, Theodoritum, Andream & Nestorium, & eos qui similia eisdem vel alicui eorum senserunt, vel sentiunt, conscripta sunt, anathema sit.* Similia quarta œcumenica, & septima synodus continet. Quod autem dictio, *per*, cum de filio dicitur medium demonstret processionis sanctissimi Spiritus ex Patre; audi admirabilem Gregorium Nyssenum in sermone ad Ablabium, cuius initium, *Vos qui in fide vegeti estis, æquum est omni conatu decertare: Identitatem naturæ fatentes, distinctionem quæ est secundum causam & causatum, non negamus in quo tantum alterum ab altero distingui percipiemus, quia hunc causam esse credimus: alter vero cum ex causa, & eo quod est ex causa, sit: aliam rursus intelligentiam intelligimus, hic enim immediate ex primo, alter vero per eum qui immediate ex primo est, itaque vnigeniti ratio indubie in filio manet? & quod Spiritus sit ex patre, non dubium est id per medium filii esse, quod eidem ipsi & vnigenitus rationem reseruat & Spiritum ab ea quæ naturalis est ad patrem relatione non prohibet.* Hoc loco, sanctus hic de coniuncta discretaque Theologia sermonem habens, ad ipsam distinctionem diuinarum venit personarum, distinguitque eas causa, ac inquit: *Essentiæ, & naturæ identitatem confitentes*, id est, eius vnionem (quippe cum vnum sint, tres personæ, natura, & deitate, nec aliquid sit prius, vel posterius) *differentiam non negamus, qua inter se differant*: nam secundum causam & causatum differunt, & alter distinguitur ab altero, credimusque (inquit) hunc esse causam, illum autem causatum, id est, Patrem causam, Filium vero & Spiritum, à causa. Nec hic consistit, sed statim subiungit: & cum causatum (inquit) sit ex causa, id est, cum filius, & spiritus ex causa sint à patre; aliam videlicet rursus intelligimus differentiam. Alterum enim siue filium proxime & immediate ex primo, id est, ex Patre: Spiritum vero proxime, per filium mediate autem ex primo, Patre videlicet. Num hic dictionem, *per*, medium denotare intellexisti, & diuinarum distinctionem personarum quam sanctus hic facit? & quod nos recte dissoluimus? & quod vnigeniti ratio optime seruatur in filio; nec medium hoc, filij naturalem Spiritus ad Patrem tollit relationem: Reconciliamini ergo, rogo, Domini & Fratres mei. Sed sacer à Damasco Ioannes accedat, vt eadem mecum testificetur de præpositione, *per*: quodque ex Patre per Filium Spiritus sanctus procedit: hic enim, capite Theologicarum rerum tertio decimo, cuius principium: *Diuinitas cum sit incomprehensibilis omnino imprimi nomine non potest*, sic ait: *Ipse quidam mens est, pater videlicet Filii abyssus, filii genitor: & per filium, manifestaui Spiritus productor.* Ac paulo post: *Spiritus vero sanctus, manifestatiua occultæ diuinitatis potentia patris ex patre per filium procedit: vt ipse scit.* Quod vero dictio, *per*, causam significet; iam dictum est nec repetere oportet. Sanctus præterea Cyrillus, in secundo ad Hermeam, inquit: *sanctum Spiritum addes, qui ex Patre per filium naturaliter profluit.* Idem in secundo Thesaurorum, in sermone cuius titulus, quod ex essentia Patris & Filij Spiritus sanctus est, sic narrat: *Quid igitur Spiritus sanctus qui in nobis est, nos esse Dei conformes ostendit, procedit autem ex patre, & filio apertum est diuina esse efficatia essentialiter in ea, & ex ea procedentem.* Prosiliunt ex schismaticis quidam calumniatores, ac effose ridendo dicunt ad nos: Quid rursus ô Catholici, ad hoc nobis respondebitis? vel quam reddetis rationem, scripturam cauillando, cum Evangelista aperte, & clare dicat quod Spiritum conspexit, mysteriorum peritus Ioannes quasi columbam in Christum descendentem. Ergo, quod non habuit, accipiebat quo pacto Spiritus Sãctus a filio procedere existimabitur: cũ ipse in Iordane cõsisteret, & Spiritus in cũ cœlitus descẽderet, voxque paterna superna testaretur: *hic est filius meus dilectus, in quo mihi cõplacui.* Ad hoc, qui

Theodoriti Cirensis 9. caput.

Idem habes in Cosmæ Hierosolimitæ Hymno 1. qui est prior in S. Pentecosten hymnus Biblioth. Tom. 8.

Ex 5. synodo

Ex 6. synodo 4. & 7.

Gregorij Nysseni 8.

Damasceni 9.

Cyrilli 10.

Eiusdem 11.

Matth. 3.

divinæ

divinæ Ecclesiæ dogmata subuertunt, & scripturarum rectitudinem peruertunt; respondendum existimo: Ebrietatem discutite prauæ suasionis, & malitiæ, facientes hominem circumscriptum eum, qui est indefinitus, & incircumscriptus; vt splendidum veritatis lumen circumspicere valeatis, & nobiscum ad Dominum clamare, *Vere filius Dei es*: & omnia quæcunque habet Pater tuus, vt Deus, & tu habes: tuaque diuina potentia cuncta complecteris, ac tuæ matris intercessione, placidum Spiritum nobis reddis, qui bonitatem communicat, & ex *Patre per te* procedit. Et rursus cum sis incircumscriptus, mi Iesu, & Domine; quanquam in Iordane consistis, paternum tamen thronum non reliquisti. Nunquam mihi hæc in mentem veniat, vt dicam, eum quæ non habebat accipere: nam quæcumque Pater habet, habet & filius: & nihil inest Patri quin insit filio, excepta paternitate. Si enim quod non habet; ipse accipiebat: vera Arrius protulisset dicendo, *erat aliquando quod non erat.* At id cogitatu tantum est impium. Qui vult igitur recte sentire, talia non credat, sed vt sacer Athanasius magnus in diuinis, qui in sermone de incarnata dispensatione, qui incipit: *qui diuinas scripturas volunt intelligere*: sic scribit: *ne credat quis, quod is quod non habebat accipiebat: is enim superne demittebat vt Deus: & inferne ipse eum suscipiebat vt homo: ex eo igitur in eum descendebat: ex eius deitate, in humanitatem ipsius.* Audis? ipse superne mittebat vt Deus, & ipsum inferne suscipiebat vt homo: & veluti Deus mittebat, veluti homo recipiebat: nam totus erat in terra, nullaque modo à cœlo aberat: quippe cum in eo omnis deitatis plenitudo corporaliter resideret. Cum ergo carne circumscriptus, in Iordane conspiciebatur; sed deitate cum esset incircumscriptus, paternum sinum non relinquebat, vnde ex eo in eum descendebat. Ideo nihil prodest quod à vobis allatum est; immo pro nobis videtur facere, vobisque magnum importat detrimentum.

Alii verba dicta in synodo Nycæna. Athana. 12.

SECTIO IV.

VNde igitur omnino nobis ostendere possitis, non esse ex filio spiritum: ego nequaquam video. Magnus Ioannes Chrysostomus in Homelia quam incarnationem Domini facit, sic inquit: *Venit Christus ad nos, dedit nobis descendentem ex eo Spiritum, & corpus nostrum suscepit.* Verbum *ex eo*: quid significat aliud, quam quod qui ex eo procedit, Spiritum nobis tradidit? quemadmodum & dilectus discipulus dicit, quod ex Spiritu eius dedit nobis, & *de plenitudine eius nos omnes accepimus.* Cyrillus magnus in interpretatione Euangelij secundum Ioannem super ea verba: *Et ego rogabo patrem & alium Paracletum dabit vobis*: sic dicit: *Cum filius naturalium bonorum Dei & Patris essentialiter sit consors, eodem modo habet & Spiritum, quo Pater intelligitur, non adventitium, neque extra: stultum enim est, immo dementia plenum ita sentire: sed quemadmodum nostrum vnusquisque proprie in semetipso continet Spiritum, & ex visceribus intimis extra profundit. Iccirco enim in eum corporaliter insufflauit Christus, ostendens, quod vti ex hominis ore spiritus corporaliter procedit, ita ex diuina essentia (vt Deo conuenit) profluit quod ex ea procedit.* Hoc loco si quis vult cum æquitate videre & discere, intelligere licet, statimque à schismatis prauitate defugere, & synodo subijci. Cum sit enim, inquit, naturalium bonorum Dei & Patris consors Filius, non adventitie neque extra, neque improprie habet etiam Spiritum, sed essentialiter eodem modo quo intelligitur & Pater. Si igitur naturale bonum Patris est, Spiritum sanctum emittere: communicat vero filius naturalibus Patris bonis non improprie sed naturaliter & essentialiter, secundum magnum Cyrillum (nec potestis negare) ergo id habet etiam filius, videlicet Spiritum sanctum emittere, non participatione sed essentialiter eo modo quo Pater ipsum essentialiter emittit. Attendite huic, inquam: attendite. Symeon Metaphrastes in sancti Dionysij Areopagitæ vitæ sermone, tertia Octobris hæc scribit: *quæ corporalis quidem præsentia sunt: finem accipiunt, quæ verò spiritus, incipiunt & in cœlum Christus meus effertur, ac in patriam reuertitur sedem, & procedentem ab eo Spiritum discipulis suis mittit ad infidelium gentium conuersionem.*

Chrys. 12.

Cyril. 4.

Ioan. 10.

Symeonis Metaphras.

SECTIO V.

AVdis, & procedentem eius Spiritum dicit, id est qui ex eo procedit. At non ponitur præcise (dicunt hostes veritatis) procedentem ex filio, sed si alibi reperitur ex Patre procedere intelligitur, ex filio vero nequaquam, datum autem & missum per filium: quippe cum mitti non denotet procedere. Ac de cætero quando audierimus Spiritum sanctum ex Patre mitti, non intelligamus ex Patre procedere. *Paracletus* (inquit Christus) *quem mittet Pater in nomine meo*: nonne concedemus eum ex Patre procedere? maxime. Sed quia dicitis in diuina scriptura non reperiri, & ex filio eum procedere: volumus id nunc expresse ostendere Magnus Anastasius Antiochiæ Patriarcha, qui & à sancto monte Sinai appellatur: is est de quo sancta sexta synodus scribit, *recipimus sanctum Anastasium: & Theodorus Melitines respondit: sanctum vocat totus Oriens hunc sanctæ memoriæ Anastasium, qui fuit Episcopus Antiochiæ: & qui eum non recipit, Deus anathematizabit: & omnes vna voce dixerunt: Amen.* Hic igitur sanctus in oratione quæ inscribitur, *De rectis dogmatibus veritatis ad nos pertinentibus*: quæ incipit, *de sana nostra fide*, sic ait: *A corpore quasi exemplari proprietate accepto, diuinorum connexionem ostendimus, per membrorum proportionem ac similitudinem sic & Spiritus oris eius, id est, Dei Spiritus sanctus dicitur, cum os sit vnigeniti: & Spiritus rursus ex eo procedens, nec solum à Patre, sed etiam à filio missus.* Et paulo post: *atqui Dominus à semet esse ostendens, discipulis insufflans dicebat*; accipite Spiritum sanctum. Audisti, quod non solum à Patre dicit, sed filio? Vbi sunt, qui dicunt ex solo Patre, nec præcise apponi procedentem ex filio: Non verentur tot & tantos Patres reprobare: cum sancta & magna luminaria sint, & aperte dicant etiam ex filio, in multis dictionibus & syllabis? Quo pacto non erubescunt, immo clare contradicunt tanta examini sacrorum, Doctorum? sed quid aiunt noui interpretes? Spiritus dicitur ex Patre procedentem & missum: non solum ex Patre, veruntamen à filio; distinguuntque, dicentes aliud esse procedere, aliud mitti, ac procedere * Patri assignant; mitti filio. Libenter eos interrogarem; cum audimus à Patre mitti Spiritum sanctum, quid id significet: an aliquid aliud nobis ostendit, quam procedere? minime vero. *Misit* (diuinissimus Paulus inquit) *Deus & Pater Spiritum filij sui in corda nostra: clamantem Abba Pater.* Nonne hic intelligimus, ipsius Spiritus essentiam? nequaquam, dicunt non percipientes vnam esse Spiritus processionem, quæ diuersis dictionibus traditur eundem seruantibus sensum; quemadmodum & in generatione filij euenit, quando audimus: *Misit Deus filium suum factum ex muliere.* Ad Galatas hoc inquit B. Paulus, Et ipse Saluator ait: *ego à Patre exiui & veni.* Et alibi: *Pater enim misit filium Saluatorem mundi.* Et rursus: *Euagelizare pauperibus misit me.* Et iterum: *hunc enim Pater signauit Deus.* Et Ioannes: *Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis.* Quæ omnia, generationem filij ex Patre demonstrant: idque vere & fideliter intelligimus; veluti quando dicit: *neque* enim Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, Et sicut Pater habet vitam in seipso; sic dedit & filio vitam habere in semetipso: non enim prius generauit, & postea tradidit ei vitam & iudicium sed vitam genuit ipsum & iudicem genuit ipsum. Sic & de Spiritu sancto, quando Spiritum Patris audimus, Spiritum ex Patre intelligimus, & spiritum filij, spiritum ex filio percipimus. At quando audimus, Spiritus profluit, scaturit, emanat, immittitur, prodit: traditum missum, emissum, subministratum, effusum, procedentem, profusum: per hæc omnia nomina, & quæcunque alia similis sunt

Anastas. 15.

Habetur in Bibliotheca tom. I.

Ioan. 20. 22.

* Id est à patre spiritum procedere.

† Id est à filio, spiritum mitti.

Galat. 4. Ioan. 6.

1 Ioan. Luc. 4. Ioan. 6. Ioan. 1.

sunt derivationis, Spiritus processionem intelligimus: ita hanc hic doctor intelligens, indifferenter in Patre vsurpat filio, & Spiritum dicit procedentem missum, non solum à Patre, sed etiam à filio. Animadvertite, rogo per dominum, animadvertite. Accedat igitur veritatis præco & confessor magnus, & celebris Athanasius, vt mecum eadem testificetur, hic enim in confessione suæ fidei, cuius principium: Quicunque vult saluus esse ante omnia opus est, vt teneat Catholicam fidem, sic inquit: Spiritus sanctus à Patre, & filio, non factus; nec creatus; nec genitus sed procedens. Doctor hic etiam dicit à Patre, & filio Spiritum sanctum esse, non creatum non genitum, sed procedentem. Cum in hunc locum peruenerim, subiit mihi vehementer flere, & in vocem prorumpere cum lacrymis, & eiulatu, & eos deplorare, qui sponte sua adversus lucem, oculos occludunt, & veritati repugnant, nec solum veritati contradicunt, verum etiam sanctos Ecclesiæ doctores aspernantur, neque aspernantur solum, sed etiam iniuria afficiunt; quamnam defensionem, vel commiserationem invenient qui hæc faciunt? O tuam patientiam Christe rex: quomodo blasphemantium ora non comburuntur? Athanasium dicere non verentur ebrium fuisse, & vino oppletum, quando hæc scripsit, vere plenus erat spiritualis poculi, sapientiæ, & gratiæ ex Spiritus sancti fonte scaturientis, non vt hi miserabiles dicunt, propitius sit illis dominus ac nobis: tollatur ab eis hæc impudentia; nobisque contingat sub Athanasij pedibus consistere. Esto. Accedat magnus Epiphanius Cypri Archiepiscopus, vt vna mecum huic sententiæ patrocinetur, hic enim in sermone qui vocatur Ancoratus, sic explicat: Vterque in homine iusto habitat Christus, & Spiritus eius. Si Christus ex Patre creditur Deus ex Deo, & Spiritus ex Christo, vel ab vtroque; vt Christus dicit, qui à Patre procedit, & hic de meo accipiet. At dicet quis: ergo duos dicimus esse filios, & quomodo vnigenitus? sane quidem, tu quis es, qui Deo contradicis? nam vocat ex eo filium, spiritum vero sanctum ex vtroque: quæ fide tantum a sanctis credita, lucida, & à luce data, lucidam vim habent. Et rursus in eodem Spiritus sanctus Spiritus veritatis est, lumen tertium à Patre, & filio est. Num intellexisti illud ab vtroque? Spiritus veritatis est à Patre, & filio: quid demonstrat? animaduerte diligenter, & intellige: nam nihil fortuitum, & eorum quæ sunt in continuo fluxu circa hæc versatur, sed anima. Eiusdem Epiphanij in eodem tractatu & libro: Quomodo nemo novit Patrem nisi filius, neque filium nisi Pater, sic audeo dicere, quod neque spiritum nisi Pater & filius, ex quo procedit, & à quo accipit, neque filium, & Patrem nisi Spiritus sanctus, qui vere glorificat, qui docet omnia, qui ex patre, & filio est. & à quo accipit, cum autē dicit, quod est à patre, & à filio, nondū intelligitis verbū est, quod est substantiuum; & esse significat illius, de quo dicitur quod est? Idem Epiphanius in eodem loco sic ait? Ergo pater semper fuit, & spiritus ex patre, & filio * spirat, quin etiam spiritus sanctus non consrater, sed ex eadem substantia patris, & filij, nam ipse vnigenitus dicit, spiritus patris; & qui ex patre procedit, & de meo accipiet, ne diversum à patre putaretur, neque à filio. Audis, ne extremum & diversum, inquit; à patre putaretur, neque à filio: idcirco ex patre & filio procedere dicitur? Et sanctissimus Maximus vbi interpretatur quid designat apud Prophetam Zachariam, aureum candelabrum, & lampas eius, & lucernæ, ita scribit: Spiritus S. quemadmodum naturæ secundum essentiam est; sic ex patre per filium essentialiter genitum ineffabiliter procedit. Audis, & hic ex patre per filium dicit essentialiter, & ineffabiliter procedit? hoc idem est, ac si diceret essentialiter ex patre & filio procedit, quippé cum dictio, *per*, idem significet quod, *ex*, vt ostendimus. Idem in Epistola ad Marinum Cypri presbyterum, cuius principium; Divina lege secundum Deum locupletatus pater venerande, humanam legem neglexisti, hæc inquit; ex synodalibus actis sanctissimi Papæ nostri, non in tot, quot scripsistis capitibus regiæ vrbis homines comprehenderunt; sed duobus tantum, quorum alterum est de Theologia: quia dicit etiam ex filio spiritum sanctum procedere: alterum de divina incarnatione, vbi scripsit, Dominum sine originali peccato esse, vt hominem. Et in hoc Romanorum patrum expositiones consentire demonstrarunt: quinetiam & Cyrillum Alexandriæ Episcopum, ex eius sacro tractatu composito in sanctum Ioannem Evangelistam, ex quibus se non principium filium facere spiritus ostenderunt: nam vnum tantum filij & spiritus principium nouerunt; huius secundum generationem; illius secundum processionem: sed vt processionem per eum declararent: & hac ratione coniunctionem, & identitatem essentiæ comprobarent. Audis, ex filio etiam procedere spiritum sanctum, & inter se consentire patrum auctoritates & vt beatus Cyrillus idem dicit, & confirmat in sacro in Evangelistam Ioannem tractatu. Quod verò dicit, eos non facere filium principium, minime quod non sit ex eo, sed esse magis ostendit. Non facere principium videlicet principale dicit, secundum illam impiam hæresim, quæ asserit filium ex solo patre, spiritum ex solo filio; itaque filius principalis causa spiritus intelligeretur, idcirco ij divini patres, ex patre vel filio dicere vitauerunt, idest neq; ex patre solo, neque ex filio solo, sed ex patre per filium. Ideo per eum & ex eo repertum est & prodire, & perfluere, & procedere; & in hoc præcipue, vt alibi ostensum est. Divinus Tarasius Constantinopolis Patriarcha, in epistola ad orientis Pontifices, quæ incipit, Multis, & ingentibus providentiis, sic ait: Et in spiritum sanctum, qui ex patre per filium procedit, & eum Deum esse cognoscimus. Audis, ex patre, inquit per filium procedere, Quod vero dictio, *per*, eandem significet, antea dictum est, & rursus sacer Athanasius in epistola ad Serapionem, quæ incipit: Litteræ tuæ dispositionis, sic scribit: Cum vnus sit filius, qui vivens verbum est, vnam esse oportet perfectam & plenam sanctificantem vitam, quæ sit operatio eius, ac munus, quæ ex patre dicitur procedere: quoniam ex verbo, quod ex patre sine dubio prædicatur, elucet, mittitur, & traditur, sane filius à patre mittitur; & traditur: filius vero spiritum mittit. Audis operationem esse, & munus filij spiritum sanctum, patremque mittere filium, & filium spiritum? Alius accedat testis, non minor hoc Cyrillus magnus, ex Ægyptiaca diœcesi cum synodo vna sacrum congregata sic ait: Profluit ex patre spiritus ex natura secundum suam processionem: ergo & ex ipso homine, & Deo Christo ex natura secundum processionem profluit, non enim secundum mensuram spiritum filio tradidit: sed ipse à seipso emittit eum, quemadmodum sane, & pater. Eadem ad Hermiam scribit hic doctor.

[Margin: Athanas. 17. — Epiphan. — Eiusdem — Eiusdem 19 — Eiusdem 20. — * Id est, iuxta modum spiritui convenientem procedit. — Aliter legit hunc locum D. Thomas in catena. Flor. 70. — Tarasi. 23 — Athanas. 24. — Cyrilli 25.]

SECTIO VI.

QVod autem filius principium essentiæ spiritus sit, quod per præpositionem, *per*, ostenditur, longo antea sermone aperte exposuimus: & nunc expressius per magnum patrem nostrum Nyssenum Gregorium ostendemus; hic enim in primo adversus Eunomium clare de divinæ vnione, & distinctione divinarum personarum sermonem habens: Cum spiritus, inquit, patri secundum quod vterque increatus est, coniunctus sit; rursus ab eo qui pater, vt ille non est distinguitur: ab ea vero, quæ ad filium est connexione, secundum quod vterque increatus est, & quod vterque ex primo principio suam subsistentiam habet, rursus proprietatibus distinguitur: quæ est quod nec vt vnigenitus ex patre productus est, & quod per ipsum filium manifestatus, rursus cum creatura per vnigenitum sit producta, ne existimetur aliquid commune esse spiritui & creaturæ, quia per filium est manifestatus: spiritus à creatura distinguitur immutabilitate, & immobilitate, & quia non indiget alterius bonitate, hoc loco

[Margin: Gregorij Nysseni 26.]

magnus

A magnus hic pater, & Doctor de distinctione & divina vitiunc sermonem habens, Spiritum sanctum ob oculos ponit, Patrique, & Filio eum comparando, invenit quænam inter se communia, & vinentia, & quæ propria, & distinguentia sint. Cum igitur, inquit, Patri, juxta id quod increatum est, sit conjunctus, ab eo rursus distinguitur, nã Pater sicut ille est, existimatur: cum Filio vero commune haber, quod increatus est, (vna est enim trium essentia) & præterea vtesque communiter Deum principium babent, rursus tamen ab eo his duobus distinguitur, quia non vt Filius per generationem, sed per processionem videlicet ex Patre fit, id est, per diversum modum substantiæ, & quia per ipsum Filium manifestatus fit. Sed quia creatura habet esse per Filium (nam omnia per eum facta sunt, vt ait Evangelista Ioannes, & Spiritus per Filium manifestatus est, secundum omnium Doctorum chorum), ne aliquid commune esse existimaretur spiritui, & creaturæ, eo quod hæc per filium creata sit, alter vero manifestetur: cum quid esset ipsi & illi commune jam assignasset metuens, ne quis hac communitate identitatem essentiæ arbitraretur, immutabilitate, & mutabilitate, & immobilitate, suo contrario ea inter se distinguit quod hæc per filium subsistat, alter vero per filium manifestetur, commune, & idem existimans; distinctionis vero modum invenit, eo quod B hæc mutabilis & mobilis est: alter vero immutabilis, & immobilis: atqui si hoc quod est, per filium manifestari spiritum, non ostenderet filium principium esse, quemadmodum ostenditur per hoc quod est, per filium creaturam subsistere (id etiam declarat eum esse principium) facilis vtique spiritus & creaturæ distinctio, fuisset: nam possemus dicere, quod & si ambo sint per filium, tamen creatura, tanquam causatum est ex eo: alter vero nunquam non causatum, sed nunc id non dixit: nam quod verum esse nescisset, non erat ejus officij dicere, sed aliam distinctionem invenit, quam veram, & solam arbitratus est esse. Igitur præpositio *per* cum dicitur quod spiritus per filium manifestatur, hoc idem valet, quod cum dicitur, creaturam per filium subsistere, ac quia creaturæ causa dicitur, & creditur esse filius, & hoc significat præpositio, *per*. ergo dictio, *per* de spiritu, etiam causam esse filium denotat: C At quis poterit vnquam servata serie hæc subtilites per partes exponere, cum ea in infinitum extendantur? Sed magnus & celebris Athanasius rursus accedat, ad testificandum, filium Spiritus sancti processionis causam esse, hic enim in tractatu primo adversus Arrianos, qui incipit, Quæcunque hæresis contra veritatem excogitasse insaniam adversum se aperte conspicitur, hæc ait: Hæc cum Iudæis Christus vt homo loqueretur, sed discipulis suis divinitatem, & majestatem suam ostendens, non minorē se spiritu sed majorem, & æqualem esse ostendendo, tradebat quidem spiritū, & dicebat ego eum mittam, & ille me clarificabit & quæcunque audiverit loquetur. Audisti rursus magnū patrem hunc, non minorem se spiritum dicit, sed majorem, & æqualē: æqualem secundum consubstantialitatem; majorem non magnitudine aliqua neque tempore; ab istis nihil enim prius & posterius in divina est Trinitate: sed quia ex eo habet esse, quemadmodū D sane ex Deo & patre. Vbi sunt qui dicunt, quod ex solo patre spiritus est nec procedit ex filio? non erubescunt sanctis contradicere, ô tuam patientiam Christe rex; partim pro sanctis habent hos, festum celebrant, adorant, & imagines eorum fingunt, & exornant eas auro: partim abnegant, eo quod dicant, ex filio esse spiritum, & impudenter in eos contumeliosi sunt: nunc horum libros adulterando, nunc penitus comburendo, ne appareant: hos autem temulentos dicunt; illos vero non esse sanctos, quia ex filio spiritum confitentur, postea non verentur homines hi nos criminari, qui sanctis, & Ecclesiæ doctoribus subjicimur, & scripta eorum servamus. Quinetiam nobis adversantur, quia sanctæ & œcumenicæ subjicimur Synodo, ejúsque decretum veluti aureum monile penitus pectori affigimus, profecto Pharisæorum similes sunt, quos increpat Christus Dominus, dicens: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocrytæ*, quia clauditis regnum cœlorum ante homines; vos enim non intratis, nec volentes intrare sinitis; propter hoc amplius accipietis judicium, sic & hi faciunt; hi namque ob præsumptionem oculos obversos obtinentes Ecclesiæ non subjiciuntur. Et in nos quod subjicimus, contumelias effundunt. Resipiscite per Deum fratres & videte quot Sanctos vobis ostendimus id confirmantes. Item idem Athanasius in epist. ad Serapionem, sic scribit: Sane cum pater spiritum mittat, filius insufflans tradit eum discipulis, nam cuncta quæ pater habet, filij sunt. Contentanea scribit his maximus Cyrillus in enarratione nonī anathematismi, vbi ait: homo factus Dei verbum, sic etiam mansit Deus, omnia habens quæ pater, excepto tantum eo, quod non est pater; propriúmque habens ex seipso filius, & essentialiter insitum in se Spiritum sanctum vaticinabatur. Audis illud ex eo; Aliud ne igitur denotat, nisi ex eo procedentem? Et cuncta habentem F quæcunque pater habet. Percipite homines Dei, percipite. Sanctus Hilarius in sermone qui post Pentecosten legitur, in festo Sanctæ Trinitatis, sic ait: Credimus in Sanctam Trinitatem, id est, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, vnum Deum omnipotentem, vnius essentiæ, vnius substantiæ, vnius potestatis, omnium creaturarum opificem, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, patrem à se non ab alio, filium ex patre genitum, Deum verum de Deo vero, lumen verum de lumine vero, non tamen duo lumina, sed vnum lumen, Spiritū sanctum æqualiter à patre & filio procedentem. Iam vt ego arbitror hæc auctoritas tollit omnem dubitationem, cum sanctus hic dicat Spiritum sanctum æqualiter à patre & filio procedere, nullam reliquit causam his, qui quærunt occasiones. Audite igitur vos, & intelligite, quorum sal item vestram cæteris omnibus anteponitis, qui denotare vult, Spiritum sanctum æqualiter à patre & filio procedentem? animum adverte, Christiane, neque ita maligne sponte tua verba contumeliosa projicias adversus imperitos, nam inoperiti non solum discere aspernantur: verumetiam discendi cupidos maledictis insectantur, horum turpissima, & nefaria verba dicere prætermitto, decorum G vndique meorum verborum servando, propter gentis dignitatem. Præterea magnus Athanasius in Epistola ad Serapionem, inquit: Talem ordinem, & naturam habet spiritus erga filium, qualem habet filius erga patrem: sed alium ordinem, & naturam filij erga patrem non videmus, nisi esse ex eo, & habere eum pro principio: talem ergo sanctus hic vult, spiritum erga filium ordinem habere, quapropter hac ratione spiritum dici oportet, & intelligi esse ex filio. Huic consentanea divinus Basilius 17. cap. ad Amphilochium, sic dicit: Vt ergo se habet filius ad patrem, sic spiritus ad filium, secundum orationis seriem in baptismate traditam. Si verò spiritus filio coordinatur, filius autem patri, & spiritus patri videlicet. Cyrillus magnum Alexandriæ lumen, in quinto adversus Hermeam, sic ait: In hoc cognoscimus, quod in vobis est ex spiritu quem dedit vobis, inhabitantem enim, & immorantem sibi vnusquisque comparaverit eum, qui naturaliter & vere est Deus, non alienum aliquid, & divo H suum essentialiter ab eo spiritum accipiendo: sed ex eo, & in eo, & proprium ejus. In septimo rursus ad eundem Hermeam, sic ait: Nam à peccato liberans eum, qui ipsi incumbebat, suo postea perungit spiritu: quem ipse vt verbū ex Deo patre infundit, & ex propria nobis scatorit natura: tanquam commutem vero rem dispensatione, quæ cum carne est propter vnionē constituens, & vt homo corporaliter inspirat: insufflavit enim Apostolus, dicens: accipite spiritum secundum Ioannis verba, sed ipse ex se quemadmodum sane & pater infundit. Quodnam candidius vel sincerius argumentum hoc reperietur vnquam apud eos, qui

[Marginal notes: A then. 27. — Matt. 23 — Athan. 28 — Cyril. 29 — Hilar. inter ea in: ceffing non habetur hic sermo Græcus. — Athan. 30 — Basil. 31. — Cyril. 32 — Eusd. 33 — Ioan. 3.]

A

contendere nolunt, nec schisma complecti? quia maximus hic pater sic ait in sexto: Ex eo, in eo, & proprium ejus. In septimo vero, non ad mensuram dat spiritum secundum Ioannis verba, sed ipse ex se, infundit eum, sane quemadmodum & pater. Si igitur quemadmodum pater, producit spiritum filius, quid amplius ambigitis vos? nam si quia sanctus dicit infundit, non producit vel prodit, vel emittit, sed infundit: id ipsum vult fratres ac si diceret, prodit: quippe cum hoc ipsum verbum ponat in patre: dicit enim, infundit eum quemadmodum pater, itaq; & pater infundit spiritum. Si igitur infundit eum pater, hoc autem nihil aliud intelligere nos oportet, quam quod pater eum producit, infundit autem eum & filius quemadmodum pater: emittit ergo filius quemadmodum vtique & pater: nam cum simpliciter audimus spiritus patris, nihil aliud intelligimus, nisi ex patre eum procedere. Sequitur ergo etiam cum de filio hoc audierimus, spiritum filij, & ex filio procedentem necessario nos intelligere, eoque modo vera dicimus, & sanctis consentimus, dicendo ex patre, & filio sanctum procedere spiritum. At id quidem dilucide ostensum est, radiósque ad instar solis emittit hæc expositio, adversus quam cum respicere non possint, qui noctuæ oculos habent, sursum deorsum ostendunt.

B

SECTIO VII.

SEd mihi æquum esse videtur cum præstiterimus quod polliciti sumus, tribus & viginti testimoniis Orientalium sanctorum prolatis, ad comprobandum ex filio etiam esse sanctum Spiritum, vt sanctorum Occidentalium mentionem faciamus, & bina vel terna testimonia ex singulis afferamus, ad comprobandum Occidentales & Orientales Doctores concordare, nec esse in iis vllam ambiguitatem: primúsque inter Sanctos celeberrimus Ecclesiæ Pater, & Doctor Gregorius, inquam Dialogus, ad testificandum vna cum Doctoribus Orientalibus accedat: nam eum etiam Orientalis Ecclesia pro sancto habet, ejúsque commemorationem singulis annis cum plausu peragit, nec potestis diffiteri. Is namque in quodam suo tractatu post alia multa scribit: Vnde ipsa quoque veritas, vt fidem discipulis augeret, dixit: Si ego non abiero, Paracletus non veniet ad vos: cum enim constet, quia Paracletus Spiritus à Patre semper procedat & filio, cur se filius recessurum dicit, vt ille veniat, qui à filio nunquam recedit? sed quia discipuli Dominum in carne cernentes, spiritualiter quoque videre sitiebant, rectè eis dicitur, si ego non abiero, Paracletus non veniet, ac si apertè diceretur: Si corpus non subtraho, quis sit amor spiritus non ostendo: & nisi me desieritis carnaliter cernere, nunquam me scietis spiritualiter amare. Idem Magister lib. 1. moralium cap. 8. sic explicat. In vrbem dies convivij transeunt cum prædicationis mysteria peraguntur: peractísque conviviis holocaustum Iob pro filiis obtulit: quia pro Apostolis de prædicatione redeuntibus, patrē Christus redemptor exoravit: bene autem mittendo sanctificari dicitur, quia dum Spiritum sanctum, qui à se procedit discipulorum cordibus tribuit, quicquid in eis culpæ esse potuit emendavit. Item trigesimo moralium capite, sic ait: Venit hora cum jam non in proverbiis loquar vobis, sed palam de patre annunciabo vobis. Palam quippe de patre annunciare se asserit, quia per patefactam tunc majestatis suæ speciem, & quomodo genitori non impar oriatur, & quomodo ab vtroque spiritus vtrique coæternus procedit, ostendit. Aperte namque tunc videbimus, quomodo hoc quod oritur, ei de quo oritur subsequens non est: quomodo is, qui per processionem producitur à proferentibus non præitur, aperte tunc videbimus, quomodo, & vnum divisibiliter tria sint, & indivisibiliter tria vnum. Idem in confessione suæ fidei, vt omnes summi Pontifices faciunt, eam fidem in suis assumptionibus confitentur: Credo in Deum Patrem omnipotentem, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, tres personas in vnam essentiam, Patrem ingenitum, Filium vnigenitum, Spiritum vero sanctum neque genitum, neque ingenitum, sed coæternum de Patre & Filio procedentem. Item in Evangelio secundùm Ioannem in Homilia super ea verba, Cum esset sero die illa vna Sabbathorum, quæ incipit: Quemadmodum misit me pater, & ego mitto vos, paulò post dicit: Cum venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à patre. Si enim mitti solummodo incarnari deberet intelligi, sanctus proculdubio Spiritus nullo modo diceretur mitti, qui nequaquam incarnatus est, sed ejus missio ipsa processio est, qua de patre procedit, & filio: sicut itaque spiritus mitti dicitur, quia procedit: ita & filius non incongruè mitti dicitur, quia generatur. Damasus sanctissimus Romæ præses, qui tempore secundæ Constantinopolitanæ Synodi vixit, in confessione Catholicæ fidei, quam Papa hic emisit ad Paulinum Antiochiæ Episcopum: Credimus in vnum verum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum factorem visibilium, & invisibilium, per quem omnia creata sunt in cœlo, & in terra, hunc vnum Deum, & hunc vnam esse divini nominis Trinitatem, patrem qui filius non est, sed habet filium, qui non est vtique pater; filium qui non est pater, sed filius Dei natura est: Spiritum vero Paracletum neque patrem esse, neque filium, sed ex patre procedentem & filio: est igitur ingenitus pater, genitus filius, non genitus paracletus, sed ex patre procedens & filio. Hormisdas sanctissimus Papa in Epistola ad Iustinum Imperatorem adversus Nestorij, & Eutychis blasphemias, ita scribit: Adoramus Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum Trinitatis essentiam distinctè indivisam, incomprehensibilem, inenarrabilem: vbi quamvis personarum ratio numerum admittat, vnio tamen non amittit essentiam, ita tamen vt propria vniuscuique personæ dictuæ servemus, neque per personas vnitatem divinitatis negemus, neque ad essentiam id quod est personarum proprium transferamus. Magnum, sanctum, & incomprehensibile Trinitatis mysterium. Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus, Trinitas indivisibilis, tamen certum est proprium patris esse filium generare, proprium filij Dei æqualem patri generari, proprium Spiritus sancti ex Patre procedere & Filio, sub vna essentia deitatis. Leo sanctissimus, & ipse antiquæ Romæ Pontifex summus, in primo sermone post Pentecosten qui incipit: Hodiernam solemnitatem dilectissimi, sic inquit: In Trinitate enim divina nihil dissimile, nihil impar est, & omnia quæ de illa substantia cogitari valent, nec virtute, nec gloria, nec æternitate discreta sunt. Cumque in personarum proprietatibus alius sit Pater, alius sit Filius, alius sit Spiritus sanctus, non tamen alia deitas neque diversa natura est: siquidem cum & de patre sit filius vnigenitus, & Spiritus sanctus, patris filijque sit spiritus, non sicut quæcunque creatura, quæ & patris & filij est, sed sicut cum vtroque vivens, & potens, & sempiternus, & ex eo quod est pater filiúsque subsistit. Divus Ambrosius, ad quem sacer Basilius scribens dicebat: eia ô homo Dei, quia ab hominibus non accepisti, nec didicisti Evangeliū Christi, sed ipse Dominus à judicibus ad Apostolorū solium transtulit, hic inquam ad Gratianum Imperatorem primo libro, capite decimo de Spiritu sancto, scribit: sed neque cum à patre exit filius, de loco recedit, aut quasi corpus separatur à corpore: neque enim à patre quasi in corpore tanquam corpus includitur, Spiritus quoque sanctus cum ex patre procedit, & filio, non separatur à patre, non separatur à filio: quomodo enim separari potest à patre qui spiritus ejus oris est: vtique & æternitatis judicium est, & divinitatis exprimit vnitatem. Divus Augustinus mens illa altissima in multis tractatibus id egregie demonstrat, etiam ad Orosium scribens, de Spiritu sancto sermonem habens, qui

incipit,

Greg. in fin. 2. dia. Ioan. 16. — *Greg. 1. mor. c. 8.* — *Eiusd. 30. l. mor. c. 8.* — *Greg. in confess.* — *Greg. homil. 26.* — *Ioan. 15.* — *Damas. confess.* — *Hormis. ad Pap.* — *Ambros. lib. 1. c. 10 de Spiritu sancto enarrat nonnihil a latino.* — *August. ad Oros. quærendus est hic locus*

C D E F G H

incipit, Dominus noster Iesus-Christus, sic se abiturum ostendit, in eo multa, & præclara scribit, post alia multa de hoc tractat. Hic igitur forte quæret aliquis, vtrùm à filio procedat Spiritus sanctus; filius enim solius patris est filius, & pater solius filij est pater, Spiritus sanctus non alterius horum tantum est spiritus, sed vtriusque. Habes Dominum ipsum qui dicit: Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis; habes etiam Apostolum: Misit Deus spiritum filij sui in corda vestra, clamantem Abba pater. Et post pauca dicit: Quia igitur vt vnus pater, & vnus Dominus, id est filius, & vnus Spiritus sanctus, qui sine dubio vtriusque est, & statim: Multa etiam testimonia sunt, per quæ patris & filij spiritus esse ostenditur, qui in Trinitate Spiritus sanctus dicitur, & infra dicit: Cur igitur non credimus ex filio procedere Spiritum sanctum? quoniam & filij est ipse spiritus: nam si ex eo procederet, minimè post resurrectionem apparens discipulis suis, insufflaret, dicens: Accipite Spiritum sanctum. Quid enim aliud per eam insufflationem declarabatur, nisi quod ex eo Spiritus sanctus procedebat? & infra statim: Si igitur & ex patre & ex filio sanctus procedit Spiritus, quia de causa filius dixit, à patre procedit, omnino: quomodo referre solet ad patrem suã, à quo ipse est. Vnde & illud est quod dicit, doctrina mea non est mea, sed ejus qui misit me patris. Si igitur hic ejus doctrina intelligitur, quamvis eam non suam, sed patris esse diceret, quomodo non magis oportet id intelligere, & ex eo Spiritum sanctum procedere? vbi sic dixit ex patre eum procedere: à quo enim habet filius vt Deus sit (nã Deus ex Deo) ab eo omnino habet, vt & ab eo procedat Spiritus sanctus. Et post pauca: Spiritus non ex patre procedit in filium; & ex filio procedit ad sanctificandum creaturam, sed simul ex vtroque procedit, & si pater hoc filio dedit, vt quemadmodum ex se, sic & ex eo procederet: non enim dicere possumus, non esse vitam Spiritum sanctum, pater enim vita est, & filius, propterea sicuti pater vitam habet in se, sic dedit vitam procedere ex eo, quemadmodum procedit ex se. D. vero Hieronymus in sermone de Trinitate, sic ait: Spiritus sanctus à patre, & filio procedens, per omnia patri, & filio æqualis colitur, & æternus est. Ejusdem ad S. Damasum Romæ Episc. de Catholica Fide: Credimus in vnum Deum Patrem omnipotentem, & in vnum Dominum Iesum Christum filium Dei, & in Spiritum sanctum Deum, non tres Deos, sed patrem, filium & spiritum sanctum vnum Deum colimus, & confitemur: non sic vnum Deum quasi solitarium, nec eundem qui ipse sibi pater sit, ipse & filius, sed patrem esse qui genuit, filium vero qui genitus est, Spiritum sanctum neque genitum, neque ingenitum, non creatum, non factum, sed à patre filióque procedentem, patri & filio coæternum, & cooperatorem. Scriptum est enim: Verbo Domini cœli firmati sunt, id est, à filio Dei, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Item D. August. in lib. ad Petrum de fide cap. 11. ait: Firmissime tene, & nullatenus dubites, eundem Spiritum sanctum, qui patris & filij vnus est spiritus, de patre & filio procedere: dicit enim filius, cum venerit spiritus veritatis, qui à patre procedit, vbi spiritum suum esse docuit, quia ipse est veritas. De filio quoque procedere Spiritum sanctum prophetica, atque apostolica doctrina nobis commendat. Isaïas enim dicit de filio: Percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impiũ; de quo, & Apostolus: Quem interficiet Dominus Iesus spiritu oris sui. Idem cap. 20. libri quarti de Trinitate, qui incipit: Si autem secundum hoc missus à patre post multa alia dicit: Et sicut Spiritu sancto donum Dei esse, est a patre procedere, ita mitti est cognosci, quod ab illo procedat: nec possumus dicere, quod Spiritus sanctus, non & à filio procedat: neque frustra idem spiritus & patris & filij spiritus dicitur, nec video quid aliud significare voluerit, cum sufflans in faciem discipulorum, ait: Accipite Spiritum sanctum, neque enim flatus ille corporeus cum sensu corporaliter tangendi procedens ex corpore, substantia Spiritus sancti fuit; sed demonstratio per congruam significationem, non tantùm à patre, sed & à filio procedere Spiritum sanctum. Quis enim dementissimus dixerit alium fuisse spiritum, quem sufflans dedit, & alium quẽ post ascensionem misit? Idem c. 17. lib. 15. de Trinitate, qui incipit: Satis de patre & filio, juxta principiũ sic ait: Quod Spiritus sanctus secundum scripturas sanctas nec patris solius est, nec filij solius sed amborum; & post quædam: Sic enim & Pater Deus, & Filius, & Spiritus S. Deus, & simul omnes vnus Deus. Et tamen non frustra in hac Trinitate non dicitur verbum Dei nisi filius, nec donum Dei, nisi Spiritus sanctus, nec de quo genitum est verbum, & de quo procedit principaliter Spiritus sãctus, nisi Deus Pater; ideo autẽ addidi principaliter quia & de filio Spiritus sanctus procedere reperitur. Sed hoc quoque illi pater dedit non jam existenti & nondum habenti, sed quicquid vnigenito verbo dedit, gignendo dedit. Sic ergo eum genuit, vt etiam de illo donum commune procederet, & Spiritus sanctus spiritus esset amborum. Idem 26. capite ejusdem libri, quod incipit; Deinde in illa summa Trinitate, sic ait: Quapropter qui potest intelligere sine tempore generationem filij de Patre, intelligat sine tempore processionem Spiritus sancti de vtroque. Et qui potest intelligere in eo, quod ait filius, sicut pater habet vitam in semetipso, sic dedit filio vitam habere in semetipso: non sine vita existenti jam filio, vitam Patrem dedisse: sed ita eum sine tempore genuisse, vt vita, quam pater filio gignendo dedit, coæterna sit vitæ patris qui dedit, intelligat: Et sicut pater habet in semetipso, vt de illo procedat Spiritus sanctus: sic dedisse filio, vt de illo procedat idem Spiritus sanctus, & vtrumque sine tempore: atque ita dictum Spiritum sanctum de patre procedere, vt intelligatur, quod etiam procedit de filio, de patre esse & filio. Si enim quicquid habet, de patre habet filius, de patre habet vtique, vt de ipso procedat Spiritus sanctus. Idem in libro de Catholica fide, quem & speculum vocat: Da mihi in via hac qua te duce gradior intellectum, & inspira mihi, & semper duc me gratiam tuam, qualiter in te irreprehensibiliter sit credendum, vt te vnum Deum essentialiter sapiam, & irreprehensibiliter trinum personaliter capiam, patrem genitum, de Patre filium vnigenitum, ex vtroque procedentem, & in vtroque permanentem Spiritum sanctum. Idem in eod. lib. Hanc fidem per te & in te confiteor, ô beata, & benedicta, & gloriosa Trinitas, ô vera, & summa sempiterna vnitas, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Dominus paracletus, charitas, gratia, consolatio, verum lumen, lumen ex lumine, vera illuminatio, vivens vita, vita à vivente, vivificator viventium, fons, flumen, irrigatio, vnus à se, vnus ab vno, vnus ab ambobus, ab vno omnia, per vnum omnia, id est, à se pater, ab altero, id est, à Patre filius ab vtroque Spiritus sanctus, id est, à Patre & filio: verax genitor, verus genitus, amor amborum Spiritus sanctus, vna virtus, æqualis majestas, & par gloria, vna eadémque essentia. Idem in eod. lib. speculi: Et quia semper Pater fuit, filium semper habuisse dubium non est, te quoque credo Spiritum sanctum verum Deum non factum, nec creatum, nec genitum, sed ex patre & filio ineffabiliter procedentem, & in patre simúlque filio substantialiter permanentem. Sic igitur ab vtroq; procedis, vt inseparabiliter in vtroque maneas, atque ita per omnia Deo, & Patri, & filio, æqualem, coæternum, consubstantialem, vt neque potestate neque voluntate, neque æternitate, neq; substantia differre possis ab iis, vel præcidi, à quibus procedis, igitur æternum Patrem sine nativitate, æternum filium cum nativitate, æternum Spiritũ cum processione sine nativitate, totum Patrem in filio, & Spiritu sancto, totum filium in Patre & Spiritu sancto, totum Spiritum

sanctum

sanctum in Patre & Filio permanentem, Patrem & Filium, & Spiritum sanctum vnum Deum omnipotenté, vna potestate, vnóque regno, vna majestate, vna æternitate, tunc, & nunc, & semper vbique regnantem, corde credo, ore confiteor, & mente diligo. Idem in lib. de Catholica fide. Quis ante nos, in quos sæculorum fines devenerunt, talia sic manifesta audire potuit, vel cognoscere de Trinitate & vnitate de personis & substantia? de te quidem Deus Pater quod sis à nullo, ideo ingenitus diceris: de filio autem tuo quia genitus à te sit non à se: de Spiritu quoq; sancto, quia procedens, & non sit à se, sed à te & filio, quorum est spiritus. Idem in eodem: Cæterum quis in hac vita positus vel crystallino pectore suscipiat penetrare tui ipsius Trinitatis interna mysteria? quomodo Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, tres quidem personæ estis, & vna natura? quomodo tu Pater vnigenitus dicetis, filius genitus, Spiritus sanctus neq; ingenitus, sed nec genitus procedens dicatur? quomodo filius de te patre natus est, Spiritus sanctus de te procedit & filio? quomodo filius nascendo non procedit, Spiritus sanctus procedendo non nascitur? quomod filius non de se, sed de te est, nec tamen tui est posterior de quo est? quomodo Spiritus de te procedit & filio, nec tamen à vobis præsciditur, à quibus procedit? Et post pauca: Quomodo filius qui oriendo est tibi, ô pater de quo oritur subsequens non est? & quomodo spiritus amborum, qui per processionem proditur à vobis proferentibus non præitur? quomodo & vnum divisibiliter tria, & tria indivisibiliter estis vnum? Ejusdem in lib. Soliloquior. Cognovi te Deum, vnum Spiritum sanctum Patris, & filij ab vtroque pariter procedentem, consubstantialem, & coæternum Patri & filio, paracletum, & advocatum nostrum qui super eundem Deum, & Dñm nostrum Iesum-Christum in columbæ specie descendisti, & super Apostolus in linguis igneis apparuisti, qui & omnes Sanctos & electos Dei à principio tuæ gratiæ munere docuisti: & ora Prophetarum, vt enarrarent mirabilia regni Dei aperuisti: qui ab omnibus Sanctis Dei cum Patre & filio simul adoraris & glorificaris: inter quos & ego filius ancillæ tuæ toto corde meo glorifico nomen tuum, quia illuminasti me. Tu es vera lux, lumen veridicum, ignis Dei, & magister spirituum, qui vnctione tua doces nos omnem veritatem, spiritus veritatis, sine quo nihil impossibile est placere Deo, quoniam tu ipse Deus es ex Deo, & lux de lumine procedens à patre luminum ineffabiliter à suo filio Domino nostro Iesu-Christo. Idem in eod. Vnus est Deus Pater, qui solus essentialiter de se vnum genuit: & vnus filius ex vno patre solus essentialiter genitus, & vnus Spiritus sanctus, qui solus essentialiter ex patre filióque procedit. Idem in eod. cap. Neque enim in illa Trinitate proprium erit solius patris, quia ipse genitus non est, sed quia solum filium genuit: neque proprium filij solius, quia ipse non genuit, sed ex patris substantia genitus est; neq; proprium Spiritus sancti, quia neque ipse genitus est, neque genuit, sed solum ex patre filióq; procedere. Idem ad Orof. Spiritum neque ingenitum esse, neque genitum, quæ in confesso fides est manifesta: nam si dixerimus, ingenitum, duos patres asserere videbimur, si genitum duos filios credere nos accusabunt; sed vt ea quæ in confesso fides est tenet, neq; ingenitus, neque genitus est, sed ex vtroque procedit, scilicet ex patre & filio. Et vt id testibus ostendam, Dominum nostrum Iesum-Christum discipulos suos docentem, audi: Quando venerit, inquit, paracletus, quem ego mittam vobis à patre, spiritum veritatis, qui à patre procedit, ille testificabitur de me. Et rursus idem Dominus noster Iesus-Christus post resurrectionem suam, vt ostenderet ex eo procedere Spiritum sanctum, sicut ex patre, insufflavit in discipulos suos, & dixit: Accipite Spiritum sanctum, vnus ergo spiritus est patris, & filij, vnus spiritus vtriusque. Idem in lib. adversus Maximum lib. 1. Quæris à me si de substantia patris est filius, de substantia patris est etiam Spiritus sanctus, cur vnus filius sit, & alius non est filius? Ecce respondeo, sive capias, sive non capias, de patre est filius, de patre est Spiritus sanctus: sed ille genitus, iste procedens, ideo ille filius est patris de quo genitus, iste autem spiritus vtriusque, quoniam de vtroque procedit: sed ideo cum de illo filius loqueretur ait, de patre procedit, quoniam pater processionis ejus est auctor, qui talem filium genuit, & gignendo ei dedit vt etiam de ipso procederet Spiritus sanctus, nam nisi procederet, & de ipso, non diceret discipulis: Accipite Spiritum sanctum, eúmque insufflando daret, vt è se quoq; procedere significans, apertè ostenderet flãdo, quod spirando dabat occultè. Qui ergo si nasceretur non tantum de patre, nec tantum de filio, sed de ambobus vtique nasceretur, sine dubio filius diceretur amborum, ac per hoc quia filius amborũ nullo modo non opportuit nasci eũ de ambobus. Idẽ in eodem: satis sit ergo nobis, quia non est à seipso filius, sed ab illo de quo natus est, non à seipso Spiritus sed ab illo, de quo procedit; & quia de vtroque procedit, sicut jam ostendimus; vnde & spiritus patris & filij dictus est & reliqua. Idem in eod. libro: Quod sit Spiritus sancti fons filius, ergo quantum bonitatis ipse habet tantum filio dedit: Et quia natura est non gratia filius, nascenti non indigenti dedit, & plenus plenum, fons bonitatis fontem genuit bonitatis, ac per hoc nec hausit in se hic, quod accepit, nec minuit se ille quod dedit, quia nõ habet immutabilitas vnde deficiat, non habet plenitudo quo crescat. Quid est autẽ ipsa bonitas, nisi vita vivificans? proinde quia fons fontem genuit, sicut pater suscitat mortuos, & vivificat, sic & filius quos vult vivificat, hoc ipse filius dixit non ego, vnde merito Deo patri dicitur: Quoniam apud te est fons vitæ: quis est autem iste fons vitæ apud Deum Patrem, nisi de quo dicitur: In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum? de quo etiam paulo post dictum est: Et vita erat lux hominum: hæc vita fons vitæ est, & lux ista, lux lucis est. Vnde cum dictum esset, apud te est fons vitæ, continuo subjunctum est: In lumine tuo videbimus lumen, hoc est in filio tuo Spiritum sanctum, quem tu quoque esse illuminatorem in collationis nostræ prima parte professus es. Fons ergo de fonte, filius de patre, simul ambo fons, vnus lux, lux de luce filius de patre, & simul ambo lux vna: sicut Deus de Deo, & simul ambo vtique Deus vnus, & hoc totum non sine spiritu amborum ex hoc fonte vitæ. Idem in quinto de Trinitate, cap. 14. inquit: Si ergo, & quod datur principium habet eum à quo datur, quia non aliunde accipit illud, quod ab ipso procedit, fatendum est patrem, & Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia, sed sicut pater, & filius vnus Deus, & ad creaturam relativè vnus creator, & vnus Dominus: sic relativè ad Spiritum sanctum, vnum principium. Ad creaturam verò Pater, Filius, & Spiritus sanctus vnum principium, sicut vnus creator, & vnus Dominus. Eadem & horum similia, & in sequenti, & in aliis plerisque tractatibus, & libris Theologicis scribit beatus hic pater. Sed quis poterit vnquam in vnum colligere, quæ de hoc argumento conscripsit? verum hæc satis sunt ad cujusque animum emolliendum, & vt sentiat suadendum, quod Spiritus sanctus, & à filio procedat, quemadmodum & à patre.

SECTIO VIII.

At quis adversariorum fortesse dicet, nos huic adhærere non opus esse, neque ipsius scripturas legere, cum occidentalis sit Doctor, & Latinus, & si aures nostras multitudine librorum ejus onerasti. Ad quos respondendum, si opera ejus ab œcumenica Synodo comprobata non fuissent bene se haberet, quod dicis: sed quoniam œcumenica Synodus ea servari jubet, idq; cum imprecationibus & anathemate, non

A Ex 6. & 7 Synod.

recte dicis, quod ita se res habeat, audi. Ex actis sanctæ, & œcumenicæ sextæ Synodi. Consentit sane in omnibus, sanctisq; Patribus, & Doctoribus sanctæ Dei Ecclesiæ, Athanasio, Hilar. Basil. August. Theophilo, Cyril. Ioann. Constantinop. Leoni, Proclo, cunctaque eorum scripta de recta fide & ad hæreticorum damnationem recipimus. Similiter & ex septima. Rejicientibus Sanctorum Patrum sententias, pro dogmatibus Dei Ecclesiæ constituendis promulgatas, Athanas. Cyrill. Ambros. Amphiloch. divini Leonis sanctissimi antiquæ Romæ Archiepiscopi, Augustini, & reliquorum, præterea, & œcumenicorum Conciliorum, quarti dico & sexti non amplectentibus, anathema. Audis vt anathemati subjicitur, qui Augustini sententias non recipit? Non ergo in posterum ambigas pro sancto & doctore habere Augustinum, cujus gloria magna est in Ecclesia Dei. Nosti ergo quomodo, & Occidentales Doctores in omnibus orientalibus consentiunt, quasi eodem spiritu afflatis, & quod etiam ex Filio Spiritus sanctus procedit, datur, mittitur, immittitur, profluit, infunditur, prodit, scaturit, emanat, & spirat: quæ omnia sempiternam ejus processionem demonstrant, ex patre similiter & filio: quodque apertius occidentales orientalibus clamant clare, ex vtroque procedere, patre videlicet & filio: neque differunt inter se, sed præclare, & divine consentiunt: nec potes eos rejicere, Synodis palam clamantibus adversus eos, qui sententias illorum non recipiunt, anathema esto. Vnde igitur ex solo Patre Spiritum sanctum potestis ostendere: doctoribus omnibus clamantibus, & ex filio, & reliqua, ne singula enumerem. Credite igitur his doctoribus, & acquiescite nobis qui recte vobis consulimus.

B

SECTIO IX.

His igitur à nobis expositis, à divinisque & sacris Ecclesiæ Doctoribus collectis, operæpretium esse existimavimus, & de nostro alia quædam adjungere, quæ à multis audiendo, & intra nos examinando, investigavimus, quibus suasi huic sacræ Synodo nos subjecimus. Audite sane, & vos, Spiritum præterea filij dici Spiritum sanctum: ipse filius dicit, spiritum veritatis vocando eum; est autem ipse veritas, & magnus Deus spiritum filij sui in corda vestra. Et si quis spiritum Christi non habet, hic non est ejus, hoc verbum, & solum fratres ad omnia ostendenda satis est, nam spiritum filij dici, nihil aliud denotat, quã quod ex eo est. Quod enim quidam dicunt veritatem devitantes quod filij spiritum dici esse spiritum, consubstantialem ostendit, aranei tela est: quippe cum si propter consubstantialitatem diceretur spiritus ejus, propter eandem ipsam filius etiam diceretur ipsius spiritus, Pater quoq; & filij & Spiritus sancti; at id nusquam reperies, restat igitur vt emittentis, & producentis patris sit, quod producitur, nam aliud cogitare fas non est. Præterea Spiritus sanctus vel ex solo procedit, vel nõ ex solo patre; nihil enim medium est in contradictoriis, at non ex solo patre procedit, si non ex solo, ergo & ex filio. Quod vero non ex solo patre procedat, hinc manifestum est, primum nullibi apud sacram Scripturam, neque apud Doctores invenitur id dictũ, quod à nemine Sanctorũ dictum est, nemini dicere fas est. Deinde cum producere operatio patris essentialis sit, non prima, & immediata fit, sed per primam, quæ generare, & generatio autea dicta est. Quamobrem etiam filiũ hujus operationis esse consortem necesse est, & per eum Spiritum sanctum procedere. Præterea apud omnes Doctores in confesso est, Spiritum sanctum prodire ex filio. Si ergo prodit ex eo, omnino naturaliter prodit: nihil enim in Deo præter naturam, & adventitium est, nam creaturarum est non prodire ex Deo natura. Si ergo secundum naturam ex filio prodit spiritus, processionem verò secundum naturam in divinis dupliciter oportet esse, vel per generationem, vel per productionem: per generationem autem non prodit ex eo, pro-

C Ad Gal. 4. ad Rom. 8.

D

E

facto enim esset filius filij spiritus, prodit ergo per processionem: itaque spiritus ex filio processio erit tãquam ejus qui procedit ex eo. Præterea Spiritum sanctum ex substantia patris esse & filij, omnes Doctores orientales pariter & occidentales clamant: sed quod in Trinitate ex essentia alicujus est, etiam ex hypostasi ejus est, cum ergo Spiritus sanctus dicatur esse ex substantia filij est etiam ex ipsius hypostasi. Quod si quis audeat dicere ea propter consubstantiales esse prolata, ac vt spiritus ejusdem essentiæ ostendatur esse cum patre & filio, id quidem est? & quanto magis verum est, tanto magis adjuvat nos: nam sic magis est consubstantialis patri & filio spiritus, quasi ex eorũ essentia, & ex iis prodiens, sive procedens: quia si consubstantialitatem tantum simpliciter denotat, vt ipsi volunt, necesse esset, etiam patrem ex essentia filij, & spiritus, & filium ex essentia spiritus dici. Sed id huc usq; nemo dicere ausus est, neque audebit, si Christianus esse voluerit. Præterea à magno Basil. & plerisque Sanctis, filius imago patris dicitur, spiritus imago filij, & filius operatio patris, spiritus operatio filij, & filius patris verbum, spiritus filij eloquium, & filius flagrantia patris, spiritus flagrantia filij, sed omnia filius patris dicitur tanquam de patre procedens: ergo & Spiritus sanctus ea dicitur filij esse, vt qui ex filio sit. Præterea spiritus non est ex filio, & ab eo nonquam personaliter distinguitur; at id absurdũ dictu est: nam ita Trinitas in dualitatem terminabitur, est ergo ex filio spiritus, si personaliter ab eo distingui oportuerit. Item dicit Christus discipulis, cum venerit paracletus, quem ego mittam vobis. Et si abiero mittã eum ad vos, quia mitti in Deo ex causa esse demonstrat. Testis est D. Chrysost. ad Arrianos, qui dubitabant, quomodo ejusdẽ essentiæ sit qui mittit & qui mittitur, 79. homilia, cum dicit: Rursus ad humana orationem traducis, nec intelligis omnia hæc ob nihil aliud dicta esse, nisi vt causam sciamus, neq; in Sabellij morbum incidamus, sed spiritus ex filio mittitur, ex eo ergo est. Item quod alicujus est natura, & ex eo est secundũ id quod ejus est, dicitur ejus esse: sed Spiritus sanctus est filij; & omnino natura; non est enim præter naturã, neq; vt servus est, ergo Spiritus sanctus, quatenus Spiritus sanctus, id est, quatenus divina persona in Trinitate ex filio. Ad hæc Spiritus sanctus relativum est, clarumq; est spiritum patris, & spiritum filij dici, & refertur tanquam ad spirantem, vel producentem: spirantes verò sunt pater & filius, est ergo spiritus ex patre & filio tanquam spirantibus, & producentibus eum. Præterea Spiritus sanctus à filio accipit: is enim dicit, de meo accipiet: Quod autem accipit, essentia ejus est, neque aliud est essentia ejus, aliud quod accipit: esset enim sane compositum, sed est in summo simplicitatis excessu, tanquam Deus, essentiam ergo suam & esse accipit, etiam ex filio. Sunt & alia multa testimonia ex divina scriptura, veluti id: quem ego mittam vobis à patre, vt illud, de meo accipiet, & annunciabit vobis, vt illud: quæcunq; audiverit loquetur, & illud: spiritum meum, & patris mittam, in quo confirmabimini, & alia similia, quæ partim latè declaravimus, partim propter prolixitatem prætermittimus. Sed ad hujus conclusionem ostendendam, quod Spiritus sanctus ex patre & filio procedat, cum multa sint, quæ adduci possent, satis hæc in præsentia sint.

F Basil. adversus Eunom. citat hũ locum Thoma c. 32.

G

H

SECTIO X.

Sed quoniam contradictiones quasdam in medium afferunt adversus eos, qui veritatem hanc præ se ferunt, etiam ad eas pro viribus respondebimus, eorum sophismata dissolvendo, secundum doctrinam à Doctoribus traditam. Primum dicunt, quo pacto Dominus dicens spiritum veritatis, qui ex patre procedit, nõ addidit etiam seipsum? sed neq; negavit de se respondebimus nos, sicut in aliis facit, nam id fortè concilius fuerit, quamvis nec id satis ad id comprobandum,

Objectionibus adversariorũ respondet.

quod

Mat. 26. Ioan. 7.

quod ij intendũt quippe qui de die & hora illa, nescit, inquit, neque Angeli, neq; filius, nisi solus pater, & rursus: Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me patris, nos tamen recta ratione contrariũ credimus, diémq. illum, & horam sic aperte ipsum scire sicuti patrem, cúmq; cognoscere, & doctrinam ejus super omnia ejus esse decernimus. Si ergo quæ manifesto negavit, nos cum laude iis contraria credimus, quo pacto non etiam hic, quæ non negavit piè credimus? Præterea patrem, & filium arbitrantur, vel in vnam conjungi personam, si quis ex ambobus dixerit Spiritum sanctum procedere; vel si non id, duo tamen principia, vel duas causas consequi, quod quidem non minus inconveniens est priore: nos verò ad id quod afferunt de conjunctione, ita respondebimus: quod si personale, sive hypostaticum personæ patris, actum producendi poneremus, tunc vtiq; id inconveniens sequeretur, veréque esset filius vna cum patre persona constitutivæ proprietatis cum eo communicans. Sed quia personæ patris constitutiva proprietas, paternitas & generatio dicta est esse: producere vero proprietas, sive notio quæ sequitur personam constitutam ipsius, quæ necessitas est, eum qui cum illo communem habet eam proprietatem, quæ personæ ejus constituta nõ est, vnam esse cum eo personam: nam sicuti communicans cum patre filius, scilicet spiritum ejus esse, quemadmodum & patris, & mitti ab eo quemadmodum & a patre: tamen non cum eo personas communicat, quia spiritũ dici patris, vel ab eo mitti, non est paternæ personæ constitutivum; sic neq; qui productionem cum patre communem habet, in vnam personam conjungitur, quia producere non est paternæ personæ constitutivum: quamobrem quovsq; ostensum non fuerit, producere esse personæ paternæ constitutivum, neq; conjunctionem personarum poterit demonstrare. Quod si mirum est duas personas vnum esse principium & non conjungi: magis mirum erit, quod tres personæ sint vnum principium, nec conjungantur. Post hæc duo principia nobis attribuũt, dicendo duo principia non posse eos vitare, qui patrem, & filium principium Spiritus sancti faciunt, sed primum Latini qui ab iis accusantur, duo principia dicere non audent: vel primum vel secundum principium, vel vnum ex duobus constans principium, imò anathemati ita sentientes subjiciunt. Ac si quis eos interrogaverit, an filium etiam faciant principium spiritus, vtiq; dicent: quod si patrem, maxime, quod si quis hinc induxerit, ergo duo dicitis spiritus principia, nequaquam illi dicent: sed ex te id concludis, nam nos hanc dictionem, dum non apponimus. Deinde cum nos vna cum Gregor. Theologo dicimus principium de principio, duo principia intelligimus: & Deum de Deo, duos deos intelligimus? nequaquam, D. autem August. pater & filius dicit, non duo sunt principia Spiritus sancti, sed ambo vnum principium ejus: neque quatenus duo producunt Spiritum sanctum: nec quatenus duo Spiritus sancti principia sunt: sicuti creaturæ non tria principia pater, & filius, & Spiritus sanctus, sed vnum ejus principium, Trinitas Deus. Præterea quia vna & eadem numero virtute ipsi creant ex vna & eadem communiter deitate prodeunti: idcirco jure vnus Deus, & auctor dicitur vnus non tres: hócq; satis ad declarandũ iis, qui dubitant de processione spiritus ex patre, & filio: nam quia vna & eadem virtute simul pater & filius spirituũ producunt: & quia à patre accipit filius hanc virtutẽ processionis causativam, ideo propriè, & verè vna causa, & vnum principium est processionis Spiritus sancti. Itaq; nulla ex parte consentanea est ratio eorũ, qui nos de duobus principiis reprehendunt. Sed opponunt, vel perfecta est ex patre processio, & inanis ea quæ est ex filio: vel si necessaria ea quæ est ex filio, imperfecta ea quæ est ex patre. Sed contra interrogentur à nobis qui hæc afferunt, an perfecta sit mundi ex patre creatio, vel non; si perfecta, cur filius & spiritus causa ejus sunt: At si imperfecta, & ideo filius, & spiritus assumuntur, animadvertant quid afferunt: sed perfecta vt arbitror est ex patre entium productio, vna & eadem numero filij & spiritus ad ea producenda operatio; neq; alia est illius, alia horũ. nam tum hæ pueriles quæstiones locum habuissent. Sic ergo & hic evenit, perfecta est, & magis quã perfecta est ex patre Spiritus sancti processio, vna & eadem numero est, quæ est ex eodẽ filio processio, non alia, & alia, & aliter, nec interdum ea quæ est ex filio: interdũ ea quæ est ex patre: sed simul, & eadẽ æque, cum vna & eadem numero potestate vterq; producat. Postea divini Ioann. Damasceni dico, verba sursum deorsum, vt insolubilia objiciunt, cum ille beatus dicit: Ex filio Spiritum non dicimus, nec nos negamus sanctum id dicere, neq. hoc omnino in dubium revocamus: hoc enim dixit ille divinus Doctor, non quia non sit, sed quia non dicitur propter hæreticos: huic simile dicit 77. cap. Christi genitricem Virginem sanctam non dicimus, in alio tractatu dicit: Ideò Dei genitricem Virginem sanctam prædicamus, perinde ac Deum propriè, & verè incarnatum ex ea genuerit: nam Christum pepeisse non ignoramus, quia Christum genuit. Sed quia impius Nestorius ad evertendum id verbum, quo eam Deum pepetisse exprimimus, ea dictione abusus est, non Christi genitricem, sed ex præstantiori eam appellamus.

Vides vt Christi genitricem Virginem sanctam agnoscit, non dicit tamen, non quia Christum non genuerit, sed quia non dicitur, nam rerum quædam non sunt, sed dicuntur, quædam sunt, at non dicuntur: quædam verò nec sunt, nec dicuntur; quædam vtraq; sunt, & dicuntur: quippe cum sicuti hic apertissimè declaravit, propter Nestoriũ, & ejus sectatores, Christi genitricẽ non dicimus non quia non sit: Sic & propter Eunomium, qui ex solo filio spiritum esse dicebat: Ex filio, inquit, spiritum non dicimus, neq; ex spiritu. Præterea dictio, *ex*, apud Græcos principalem causam significat, qualem esse filium vel mundi, vel Spiritus sancti causam non est dicere. Idcirco patres devitant in eo dictionem, *ex*, proferre, ne principalis esse causa credatur: sed dictione, *per*, libentius vtuntur, quæ ordinem denotat. Idcirco beatus hic, per filium, magis ad ordinem respiciens, dicit, dictionem. *ex*, in patre vtendo, vt vnam ostenderet causam principalem deitatis, & creaturæ patrem. Postea divi Dionysij auctoritatem adducunt; solus fons superessentialis deitatis, pater est, inquit, jactantes. Quomodo filius Spiritus sancti fons esse demonstrabitur, si patrem tantum fontem esse sanctus id dixit? Sed in hoc Ecclesiæ Doctores primum incusent Athanas. & Basil. qui dicunt apertè filium etiam Spiritus S. fontem esse, nam sacer Athanasius in lib. adversus Arrianos illud Psalmi enarrans: Apud te fons est vitæ: Sciebat, inquit, pater videlicet, apud se habens filium fontem Spiritus sancti. Basilius vero lib. 2. adversus Eunomium, scribit: Quid igitur nos, quomodo ingenitum patrem, genitum filium confitendo, secundum ipsum esse contradictionem vitabimus? quid dicemus? quod boni patris bonus est filius, ex lumine vero ingenito lumen effulsit sempiternum: & ex vere vita vivificans profluxit fons: & ex virtute, quæ per se est, Dei virtus deprompta est. Et rursus: Idem fons vitæ filius inquit; nam ad patrem dicit David: Apud te est fons vitæ, & rursus alter Propheta de Iudæis dicit: Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, viva vero aqua Spiritus sancti appellatur. Deinde neque nos filium dicimus fontem esse principalem, vel ex seipso habere, vt fons sit, sed ex patre: pater enim solus fons est superessentialis deitatis, quia ex alio fonte non profluit; quippe qui ex alio non habet vt non sit fons, quia prima ei nulla causa est vt sit fons, sed filio pater est. Ac pater fons est, & vt genitor, & vt productor. inde pater simpliciter omnis emanantis deitatis fons est filius ipsius spiritus tantum, & pater non ad hoc fons est, ad illud autem ex fonte, filius ad spiritum fõs est, ad patrem

autem

autem ex fonte. Itaque à nobis hoc sicuti reliqua, recte intelligitur.

SECTIO XI.

Epilogus primi capitis.

NOs igitur his suasi rationibus, veritati cessimus; multum valere dicentes eis qui litigandi, & contradicendi studio loquuntur; bene gnari, quod non aliunde spes nobis salutis emicabit, quam uniendo nos veritati & melioribus parendo. Rogamus autem vos, vt eadem charitate, quæ à nobis conscripta sunt videatis, atque intelligatis, qua nos ea exposuimus, restant etiam alia, quæ dicunt ij, qui veritati repugnant, nullius tamen digna existimationis. Sed multo plura, & meliora, ab iis qui eam asserunt afferuntur: nosque etiam alia multa & necessaria addere potuissemus, veritati patrocinantes, & absurda quæ ab eis adversus nos conclusa sunt, reprobare. Sed hæc satis esse arbitramur, nisi quis litigare, & temere contendere maluerit. Ecce igitur ostensum & demonstratum est, ut vires nostræ tulerunt, clare simul, & manifeste, quod Spiritus S. qui à nobis colitur, non solum ex patre, verum etiam ex filio procedit; & a filio habet esse sicuti à patre, per iam allata testimonia, & sententias sanctorum, partim ex patre, & filio, cum articulo aperte clamantium: partim ex patre & filio sine articulo: partim ex patre per filium cum articulo, tum à patre per filium sine articulo & ex ambobus essentialiter: & ab utroque: & ex filio est: & ex filio emanans: & per eum prodiens; & profluit ab eo: & ex eo spiritus est; & profluens naturaliter ab eo: & ex eo spirat: & filius spiritum mittit; quæ omnia substantiam sanctissimi spiritus ex patre simul, & filio demonstrant, non amplius ergo in posterum reprehendere nos potestis, quod ex ignoratione, & inscitia huic sanctæ synodo nos subiecerimus, immo exquisite gnari auctoritatum à sanctis allatarum, quantumque periculi impendeat iis, qui patrum dogmata sequi nolunt, quodque exterminatur qui synodum non sequitur, bono concilio nos consilio subiecimus. Hæc igitur œcumenica sancta, & magna synodus divino nutu, & cura beatissimi Eugenij Papæ, & pij Romanorum Imperatoris Ioannis Palæologi Florentiæ congregata, magnisque luminaribus, & illustribus theologis referta, antiquorum patrum dictis perpensis, & ut par erat comprobatis, decretum religionis plenum tulit, & quinque articulos quos sancivit nobis tradidit, non aliquid novi, & ex aliorum sententia introduxit, neque ex se ea in medium protulit: sed ex sacræ scripturæ testimoniis deprompsit, atque plurimorum Sanctorum Doctorum Ecclesiæ orientalium, simul & occidentalium perlectis theologicis expositionibus tradidit: nosque custodivimus, & custodimus, & servabimus, usque ad sanguinem & mortem pro his tanquam orthodoxis, & patrum vocibus exculptis depugnando. Quia igitur primam vestram accusationem subvertimus, & quæ maioris momenti est cætera quæ hanc sequuntur, simul subversa sunt: vt capite de corpore sublato, totum corpus mortuum manet: nec nos reliquis respondere oportebat; quia hæc simul cum prima perierunt. Sed ut hic noster labor paratus sit omnibus qui Ecclesiæ parere voluerint, ad respondendum iis, qui nos accusant, quod ob inscitiam nos Latinis adiunximus, reliquis etiam debitam responsionem adiungamus: vt per omnia cognoscantur nos in ...te traducere, quodque veritatem quærimus, & pacem sequimur: nec volumus sempiterno igni oblationes coacervare: immo eas reiicimus, vt ab illo igne veluti pij liberemur, nec à iudice dicente audiamus, discedite à me, quia gloriam hominum dilexistis super gloriam meam, nescio vos: vnde præstat nos eum sequi & Ecclesiam ipsius, ac eiusdem quoque vestigiis inniti, quam eorum disceptationibus, qui falsa suasione ducuntur: qui sacræ testimonio scripturæ, stulti & inanes revincuntur.

Ioan. 12.

SECVNDI CAPITIS IN DECRETO contenti probatio.

SECTIO I.

De mystico videlicet, & sancto sacrificio; quod in azymo & fermentato orthodoxe, & vere Christi Dei corpus conficitur.

AD secundum nunc decreti caput accedimus, vt convenientem responsionem afferamus: in quo nos incusatis, dicentes, quod qui Ecclesiam sequuntur, ea quæ sunt afferont, de quo sanctæ synodi decretum ad verbum ita pertractat. Item in azymo, sive fermentato pane triticeo, corpus Christi veraciter confici: Sacerdotésque in altero ipsum Domini corpus conficere debere, unumquemque scilicet iuxta Ecclesiæ suæ sive orientalis, sive occidentalis consuetudinem. In his verbis aperte Catholicæ fidei confessio demonstratur: quæ nihil existimat interesse, si in pane fermentato vel azymo Christi corpus conficiatur: sed id solum respiciens, vt adsit materia, sacerdos, locus, intentio, & verba, ita decernit, perinde ac ea tantum ad mysterium celebrandum necessaria sint, non ad esse solum, & fieri, sed etiam ad bene esse. Quod si quid ex iis defuerit, putat confici non posse corpus, & sanguinem. At his quidam obiiciunt, mortuum sacrificium Latinos celebrare, & Iudaismum sapere in azymo sacrificando, quia scilicet fermentum antea non apponunt. Hortamur igitur & nunc vos, vt cum patientia sermonem nostrum audiatis, & pura cum conscientia, non dolose vel stulta cum præsumptione consideretis, ut veritatem nosse possitis, nec temere, & inconsulte digladiantes litigetis, nos impudenter insimulando, quasi absurda, & impia sentiamus, qui recta, & vera sentimus: quippe qui œcumenicæ synodi sententiæ subiicimur, quæ nunquam erravit. Præterea divinorum & sanctorum Patrum traditiones firmiter amplectimur, & integre tenemus simul, & capessimus: eorúmque pia dogmata, & scripta prædicamus, nec libros eos corrumpimus, neque ex nostro sensu loquimur, & sententiam nostram comprobamus, neque eorum dicta depravamus, vt in sermonis progressu declarabimus, cuncta vero quæ dicimus, à sacris scripturis, non ex nobis depromimus: ut vndequaque noscatur nos concordiam, & veritatem quærere: nolentes Christum, qui vnus est, dividere, vt hunc Græcum, alterum Latinum vocemus, neque novi testamenti, id est, sancti sacrificij mysterium, duplex esse dicimus, ita ut Christi corpus bifariam partiamur, hunc fermentatum, azymum alterum appellantes, sed vtrumque corpus Christi esse confitemur, & Christi corpus prædicamus: vnum & idem esse existimantes, quamquam varie apud vtrosque conficiatur. Quod autem iniuria Romanam Ecclesiam carpitis, quæ in azymo conficit: & nos, qui verum Christi corpus confitemur, Deo freti breviter ostensuri accedamus.

SECTIO II.

PRimum quidem à vobis petimus, vnde id accepistis, fermentatum sacrificari oportere, non azymum: à Christo ne, qui hoc mysterium primus instituit, atque tradidit, an ab Apostolis, vel à sacris Ecclesiæ doctoribus, qui postea successerunt? ostendite nobis unde id accepistis. At id vel multo adhibito labore non potestis: nemo enim ex doctoribus hucusque ausus est dicere: sed simpliciter pane & vino sacrificium confici debere omnes aiunt: ante omnes evangelistæ, & beatus Paulus, *nam quoties comederitis panem hunc*, evangelistæ dicunt, & *biberitis calicem*, beatus vero Paulus, *ego accepi* (inquit) *à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur accepit panem.* Et beatus Iacobus Hierosolymorum primus hierarcha, sic inquit: *Magnus Pontifex, & magister noster Christus Deus: nocte illa, in qua ad passionem adductus est, accepit panem.* Et post hos divus, & sacer Basilius, *cum panem*, inquit, *in sanctas, & immaculatas manus suscepisset.* Et aureus ille lingua Ioannes, *sumpto pane*, inquit, ac ne singulos enumerem, omnes uno ore sacræ classis doctores sic asserunt: ex quibus ostenditur eos azymum non repudiare: quoniam in verbis his exacte noverunt utrumque comprehendi. Idcirco Ecclesia nullum discrimen intercedere arbitratur inter fermentatum, & azymum, dummodo ex tritico confectus sit panis: & propterea statuit dicens, nil aliud ad sacrificij usum offerri quam ex tritico panem, secundum verbum Domini, qui se frumento similem facit. *Nisi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, ipsum solum manet: si vero mortuum fuerit, multum fructum afferet.* Sic & Christus moriens, omnes ab inferno liberavit, & vitis fructus eiusdem verbis ostenditur: *ego sum*, inquit, *vitis vera, iam non bibam ex genimine vitis huius* resurrectionem suam significans. Ex hoc ergo liquido ostenditur, non posse nos uti, neque hordeo, neque auena, vel alio semine, quemadmodum neque vino ex alia re conflato, sicera, vel melle, vel lacte: sed ex vite secundum verba Domini. Reliquum igitur est vobis ostendere, quid id fuerit, quod Dominus fecit, cum tradidit hoc mysterium: azymumne, vel fermentatum? quoniã ex nemine doctorum deprehenditur aperte, quodnam id fuerit, ut antea patefecimus. Vos quidem dicitis fermentatum id fuisse, cum a nemine sanctorum id accipiatis, nos vero azymum dicentes, à doctoribus id sumentes dicimus. Quod ita se habeat, patet: in primis Evangelista Matthæus dicit cap. 26. *prima autem die azymorum accesserunt discipuli Iesu dicentes, ubi vis paremus tibi comedere pascha? at Iesus dixit: ite in civitatem ad quendam, & dicite ei, Magister dicit, tempus meum prope est, apud te facio pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Iesus, & paraverunt pascha.* Divus vero Evangelista Marcus dicit: *prima die azymorum, quando pascha immolabant, dicunt ei discipuli eius, quo vis eamus, & paremus tibi, ut manduces pascha? & misit duos ex discipulis eius, & dicit eis: Ite in civitatem, & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, sequimini eum: & quocunque introierit, dicite Domino domus, quia magister dicit, ubi est refectio mea, ubi pascha cum discipulis meis manducem? & ipse vobis demonstrabit cænaculum grande stratum, & illic parate nobis comedere Pascha, & abierunt discipuli eius, & paraverunt pascha.* Lucas vero evangelista facundissimus sic ait: *appropinquabat autem dies azymorum, quæ dicitur pascha.* Et post pauca: *venit autem dies azymorum, in qua oportebat immolari pascha, misitque Petrum & Ioannem dicens, euntes parate nobis pascha, ut comedamus, & cum discessissent paraverunt pascha.* Considera ergo sedulo quo pacto accedunt, & quid petunt, ubi vis, aiunt, paremus tibi comedere pascha? nam vespere illo oportebat eos comedere, ut evangelistæ dicunt, hic prima die azymorum, alter prima die azymorum, quando immolabãt pascha. Qualisnam est hæc prima dies azymorum, quam tres evangelistæ concorditer prædicant? hanc nobis aurea lingua declarat, dicit enim homilia 81. in Matthæum, primam azymorum esse eam, quæ præcedit azyma: nam a vespera semper numerare Iudæi consueverunt: & huius mentionem facit, in qua vespere pascha immolari oportebat: quippe qui quinta sabbati accesserunt, & hanc ille ante azyma vocat, tempus dicens quo accesserunt: alter vero dicit: venit autem & dies azymorum, in quo oportebat immolari pascha, venit (inquit) id est prope erat, in foribus aderat, vesperæ illius mentionem faciens, quia à vespera incipiebant: ideo unusquisque addens dicit quando immolabatur pascha.

SECTIO III.

HAbes igitur quod hanc diem dicit ante azyma, qua vespere pascha immolari oportebat, ac liquido constat, quod tempus erat paschatis illud. Idcirco ex evangelistis, hic inquit, *vespere autem facta discumbit cum duodecim discipulis suis.* Ille vero, *vespere autem facto venit cum duodecim:* tertius *cum facta esset hora discubuit, & duodecim Apostoli cum eo.* Propterea festinantes ad magistrum accedunt, quia in foribus erat, quasi dicentes, hora appropinquavit, in qua lex iubet abijci fermentatum à nobis. Ergo dic nobis ubi apparatus iste fieri debet, quia adest hora eius, at is videns eos de apparatu paschatis esse sollicitos, & tempus eius adesse, misit eos dicens: ite in civitatem, & reliqua, & parate nobis pascha. Diligenter ergo considerandum: hi interrogant ubi parandum sit pascha, ille vero explanat ubi pascha parandum sit: quid igitur est quod quæritur? quodnam pascha erat id articulo addito expressum? non enim sine articulo dicit parare pascha, sed cum articulo, hoc, quid erat quod ipsi, & ipse cum sollicitudine parari expostulabant? Et quomodo Iudæi debebant facere id? ubi pascha sancitum est? audi de hoc paschate, quid dicit Dominus ad Moysem in Exodo: *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni, loquimini ad universum cœtum filiorum Israel, & dicite eis, decima die mensis huius tollat unusquisq; agnum per familias, & domos suas: sin autem minor est numerus, ut sufficere possit ad vescendum agnum, assumat vicinum suum, qui coniunctus est domui suæ iuxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque macula anniculus, iuxta quem ritum, tolletis & hædum, & servabitis eum usque ad quartum decimum diem mensis huius, immolabitq; eum universa multitudo filiorum Israel ad vesperam, & sument de sanguine eius, ac ponent super utrumq; postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illũ, & edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus.* Et paulo post: *Sic autem comedetis illũ: renes vestros accingetis, calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinantes: est enim pascha Domini.* Nosti ergo quid pascha sit: sumere agnum immaculatum, anniculum, à decima die mensis, & servare, & custodire eum usque ad quartum decimum: & quarta decima mensis vespere, sacrificare illũ, & reliqua, & comedere assa igni, & azyma comedere ipsa in lactucis agrestibus, & præterea festinantes, quia pascha est Domini. Hoc est illud legale pascha, quod lex iussit facere filiis Israël. Si hæc ergo ita se habent, & hi quidem de paschate dicũt, ille vero aperuit de paschate quale nam pascha quærebant discipuli parare? legale & consuetum illis, an novum aliud? nam cum Iudæi essent, idem pascha, trãsitum rubri maris significabat, celebrabant, pascha enim transitus exponitur, ideo quod de more sacrificare debebant, id parare quærebant. Et scriptura testatur, Christum auctorem esse legem servandi, & adimplendi: ita enim ipse de seipso dicit, *Ego non veni soluere legem sed adimplere:* Et iterum, *Facilius est cælum, & terram præterire, quam de lege tota unum, vel unũ apicem cadere.* Quomodo ergo oportebat eum alia agere, quã quæ ad legem pertinebant? ergo cum auctor esset legis adimplendæ, adimplevit, quod à lege sancitũ

erat

erat pascha, ab eo vero prius in monte Moysi, qui Dei faciem vidit, traditum, vt lex iubebat. Quod si quis dixerit, quod cum Apostoli Iudæi essent, vt ante exposuimus, & legem, vt par erat servarent: si novissent eum aliud, quam quod lex iubebat, agere, non eum secuti essent, & cum eo pascha comedissent, non aberrabit à vero: sed sciebant eum exactè semper servare legem: iccirco ipsum sequi gestiebant. Quod autem legē servaret, audi aurea effundentem verba Ioannem in homilia octuagesima prima in Matthæum dicentem, *qua de causa pascha peragebat* in omnibus usque ad extremum diem ostendens, legi se non esse contrarium: ne autem legi contrarius esset, legem peragebat. Exactè igitur ex eo ostensum est, quod legale pascha pararunt, ut alter evangelistarum testatur, erat autem pascha, & azyma. Quidnam est igitur quod quæritur? quid ex hoc tam multis verbis probare contendimus? ab omni pravitate fidelem oportet vindicare: omne concertandi studium, item, & stultam præsumptionem de corde opus est eum propulsare, qui suæ salutis cupidus est: quia salvator noster tempore sanctæ legis peregit pascha: neque antea peregit, *ut* quidam volunt, neque post, sed suo tempore, & hora vt iussum erat, huius rei testis est Lucas Evangelista cum dicit: *Et cum facta esset hora, discubuit cum duodecim* non enim dixit, quando facta est dies, nam alia dies non præterierat præter eam, in qua dicit: venit autem dies azymorum, in quo immolabant pascha, sed quando venit hora? Apertum est quod illa hora, erat diei paschatis, quo id comedit Dominus noster Deus Iesus Christus, vbi vero dicit, *discubuit cum duodecim*, ambiguitatem, vel dubitationē aliquam non præbet nobis: non enim ex hoc ostendere volumus aliud esse cœnam, aliud pascha: sed quod tempus azymorum erat, quo incipiebant azyma per septem dies comedi, in quibus fermentatum inveniri non oportebat, nam à principio paschatis incipiunt azyma, at cœptis azymis nemini licebat domi fermentatum habere, cum id manifeste lex prohiberet. Sed post agni esum stantes, & festinantes, aliud agentes (ut in traditione eius scriptum est) comedentes, & alia fercula prandentes discumbebant, neque lex eos sedere prohibebat: nam pascha stantes peragebant, vt supra dictum est, sed hoc transacto prandentes discumbebant: non enim stantes per totos septem dies comedebant, sed prima tantum die, postea sedebant comedentes. Hinc ostenditur, quod post esum paschæ salvator cum suis discipulis, cum vellet prandere discumbebat, huius rei mecum testis erit aurea Ioannis lingua: dicit enim in evangelij quasi interrogans, *Cur si pascha comedebant, contra legem comedebant? oportebat enim eos non discumbentes comedere. Sed non discumbebant ad esum paschatis sed post eius esum: deinde sedentes comedebant, post cœnam vero sumpto pane benedixit, & dixit. Accipite, comedite, hoc est corpus meum; hoc facite in meam commemorationem: similiter & calicem postquam cœnavit dicens, Bibite ex hoc omnes.* Si ergo post cœnam, ut evangelista dicit, tradidit illis mysterium, ubi tunc erat fermentatum? nam pascha erat, & azyma, quæ cum inciperent, fermentatum usque ad septem dies non reperiebatur, quod hoc verum sit, quid dicat lex audiamus, *Septem diebus azyma comedetis, in primo die non erit fermentum in domibus vestris, quicumque comederit fermentum, peribit anima illa de Israel, à primo die usque ad diem septimum: dies prima erit sancta, atque solemnis: & dies septima eadem festivitate venerabilis: nihil operis facietis in eis, exceptis his, quæ ad vescendum pertinēt, & observabitis azyme, in eadem enim ipsa die educam exercitum de terra Ægypti, & custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo, primo mense quartadecima die mensis ad vesperam comedetis azyma usque ad vigesimam primam diem eiusdem mensis ad vesperam: septem diebus fermentatum non invenietur in domibus vestris; qui comederit fermentatum, peribit anima eius de cœtu Israel tam de advenis, quam de indigenis terræ, omne fermentatum non comedetis, in cunctis habitaculis vestris edetis azyma.* Audivisti, à principio Paschæ à vespera quartadecima die mensis usque ad vigesimam primam, non debere inveniri fermentatum in domo alicuius: Dominus vero post esum paschatis, stans, ut sæpe dictum est, & peractis omnibus secundum legem, cum postea discubuisset dixit, *desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar:* postea cum Apostolis ... cœnabat, cœna enim erat, post cœnam autem accepit panem benedixit, quod cum post cœnam dixisset, omnem sustulit occasionem iis, qui quærunt occasiones: quippe cum si id ante cœnā protulisset, quodammodo umbram auxilij reliquisset iis qui litigare captant: dicētibus ante cœnam mysterium peregisse, dum azymorum tempus præteriret. Idcirco nihil novi, si fermentatum panem Christus sumpsisset, & in eo mysterium peregisset. Sed post cœnam dixit; nam sublatum fermentum erat paschatis tempore, nec usque reperiebatur post tertiam horam diei illius, in qua vespere Pascha immolabatur, hunc morem usque ad hanc diem Iudæi servant. Vnde autem sumpsit panem? ex mensa ubi comedebant, quid comedebant? azyma: accepto vero pane qui se obtulit in mensa illa, mysterium tradit. Qualis nam panis? azymus: non enim oportebat alium adesse: quoniam legale Pascha peragebatur, & azyma erant, quia incipientibus azymis, locum secundum legem, fermentata non habent.

SECTIO IV.

AT quid afferunt, qui contra sentiunt? non id erat legale Pascha, omnia debebant esse assa igni & azyma, atque in eo sunt ius, panis, catini, vinum, itaque non illud erat. Cum hæc dicunt, videntur unum & idem Pascha, & cœna. Sed non est, nam aliud est Pascha, aliud cœna, ut dictum est, in paschate enim (quod à nobis sæpe iam expositum est, quamquam ij non intellexerint) cuncta oportebat esse assa igni: quod Pascha stantes comedebāt, quod & Christus fecit ante cœnam: post in cœna discubuit, & comederunt ius, & alia quæcumque libuit. Quod autem legale Pascha tum peregerit Christus Dominus noster, aureus Ioannes id testabitur in homilia antedicta in Evangelistam Matthæum, dicit enim: *post legalis paschatis esum mysterium tradit.* Id & Damascenus Ioannes 24 capite theologiæ, qui incipit, *Bonus & omnino bonus, & super omnia bonus Deus*, post alia quædam dicit, *in cœnaculo igitur sancta, & gloriosa Sion antiquum Pascha cum comedisset, & vetus testamentum omne complevisset, discipulorum pedes abluit.* Audis quod vetus Pascha comedebat Christus? quomodo dicis id legitimum Pascha non esse? ignoro enim an sit aliud priscum Pascha, & aliud legale. Quod si quis dicat, quod & si Pascha paratum fuit, non secundum veterem figuram fuit paratum, scilicet, ut haberet azyma, agnos, lactucam agrestem, & alia, (nam ea cessare oportebat) sciant primum, quod Christum nil aliud facere oportuit, quam quod lex iubebat; ne legis transgressor iudicaretur: deinde qui parabat id, Zebedæus erat: qui cum Iudæus esset, nil aliud fecisset, quam quod lex iubebat. Si vero dixerint, in hoc paschate mysterium traditum non esse, & propterea fermentatum esse potuisse, non permittit iis aurea lingua, nam in prima homilia in Matthæum scribit, *Qua de causa paschatis tempore, non alio die sumpto pane fregit & mysteria peregit?* ut undequaque noscamus eum esse antiquæ legis latorem, & quæ in ea continebantur, propter hæc prius adumbrata fuisse, idcirco ubi est figura, veritatem adiungit. Sin autem dixerint, Dominum eo anno legale Pascha non comedisse, quia dixit, desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar, cum exultatione addicentes, non fuisse ei optabile quod alias comedisset: sed aliud aliquid novi quod optabat Chrysostom. ipse de hoc non alius responsionem afferet, nam in homilia eadē dicit: *post esum legalis Paschæ mysterium tradit* dicens: *accipite comedite* & reliqua, quoniam in posterum

cessare legalia oportebat, & legalium festivitatum caput: & ad alteram transit mensam formidabilissimam novæ legis. Audis, quod post esū legalis paschatis mysterium tradit, id est, legale comedit Pascha, & post cænam mysterium tradidit: quomodo igitur fermentatum potuit adhuc retinere cum azyma incepissent? Illud vero, desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, hunc habet sensum: quod anno hoc, quo terræ salus futura erat, & mysteria tradi, ac cætera per mortem dissolvi oportebat, eo pacto crucem animo volvebat, ut nihil aliud æque in mentē haberet, ac mori pro communi salute. Si vero dixerit quis, quando dicit Chrysost. *Ad aliam transit mensam formidabilissimam*, per id fermentatum significari, ut abrogaret, quæ secūdum legem afferebantur: sciant quod ad aliam mensam transire, non propter azyma dicitur; quia azyma neque sacrificium erat, neque ut sacrificio iis utebantur Iudæi, ac necesse erat ea cessare (percunctentur hæc à Iudæis, atque ediscant) sed quod non amplius carnea mēsa carnem, & sanguinem sacrificatura erant: quoties enim inquit, panem hunc comederitis, & calicem hūc biberitis, mortem meam nunciate, resurrectionem meā confitemini. Propterea altera mensa formidabilissima dicitur, quia formidabilia mysteria in ea peraguntur: sanguis videlicet, & corpus Dominicum; non sacrificia vitulorum, vel taurorum, vel hircorum sanguis: nam illa mensa per agni, & vituli sacrificium, maris rubri transitum in memoriam revocabat, & ab Ægyptiaca servitute liberationem. Hæc autem divina, & sacra mensa, salutare magnum in memoriam revocat, qui Dei filius est, & tollit peccata mundi: qui non eduxit nos ab Ægypto in terrenam Ierusalem, sed à morte ad vitam, sed à terra in cœlum remissionem donans peccatorum. Huius rei testis idem Chrysost. enarrans hoc idem in eadem homilia, inquit enim: *Non conturbati sunt discipuli audientes eum, qui dicebat: Hoc est corpus meum*, quoniam multa, & magna de hoc antea cum ipsis disseruerat, ut in diversis locis Ioann. ait, dicit enim, *passionis causam, peccatorū esse remissionem: sanguinē* vero *novi testamenti vocat, quasi quod novum testamentum contineat: nam quemadmodum vetus oves, & vitulos habuit: ita & hoc Domini sanguinē, hinc etiā quod moriturus est patefacit, ideo & testamenti meminit: antiquum etiam in memoriam revocat, quia & id per sanguinem innovatum est*. Et rursus causam mortis exponit, *quod pro multis effunderetur in remissionem peccatorum*, quod docens dicebat: *Hoc facite in meam commemorationem: ut illud in commemorationem Ægypti miraculorum fiebat, sic & hoc in meam, is sanguis in primogenitorum salutem effusus est, hic in remissionem peccatorum*. Ac ut Moyses dicit, *hoc erit vobis in memoriam sempiternam*: sic & ipse in meam eō memorationem donec veniam: Pascha enim trado, per quod vos spirituales facturus sum. Audis quid hoc significat, ad aliam mensam formidabilissimam; quia carnea illa illius mensæ erant, hæc spiritualia; illa visibilia, hæc invisibilia, & intemerata mysteria, quamquam sacerdotum manibus propter summam eius bonitatem tractentur, & quia illa non mysteria, sed figuræ tantū: quia id erat tantum, quod oculis cernebatur, hæc vero mysteria, non figura, sed ipsa veritas, & quia aliud est visibilis species, aliud quod per eam intelligitur, nam in visibili panem verum Christi corpus continetur; quod Angeli tantum vidēt & venerantur, idcirco formidabilissima & alia mensa dicitur; non quia azyma vel fermentata sint, tunc enim Christus Iesus de fermentato, vel azymo non curabat; sed simpliciter tantū de pane, ut suum mysterium traderet percipite fratres, percipite, at nunquam poteritis nisi & ipsi credideritis, si non credideritis, inquit, non intelligetis, quia & nos cum credidimus, intelleximus: dicimúsque hæc, quæ vos videtis, & auditis, non enim ex doctrina, sed ex fide dicimus quæcumque dicimus. Ut autem cognoscatis, non totam legem veterem suo adventu Christum sustulisse; sed alia ad mitius traduxisse, alia abscidisse, alia immutasse in aliam formam, & hoc adiungamus.

SECTIO V.

NAm quatuor quædam lex antiqua continebat, iudicialia, mysteria, moralia, & adumbrata; iudicialia ad mitius traduxit: nam quum in adulterio deprehensam, & eos qui de adulterio damnati essent, lex iuberet lapidari, Dominus dixit, *qui ex vobis est sine peccato primus lapidem iaciat adversus eam*. Et iterum, *dentem pro dente, oculum pro oculo*, & reliqua; qui tibi dexterā maxillam percusserit, verte ei & alteram, moralia auxit Dominus, quæ sunt mandata, & præcepta eius, non furtum facias, ne facias hæc & hæc, quæ divini Apostoli pro fundamento habentes evangelica doctrina mundum illuminarunt ubi dicunt, ne diligatis mundum hunc, neque quæ mundi sunt, quia mundus transit, & gloria eius, & reliqua, ne singula enumerem, figuralia, & mystica (nam idem hæc duo significant) sustulit Dominus, circuncisionem scilicet, sabbatum, animalium immolationes, Pascha, & agnum, adumbrata in aliam formam commutavit Dominus, pro umbra veritatem formans, pro ardenti rubo, virgo, quæ non comburitur; pro columna ignis, sol ipse iustitiæ: pro Mose, Christus; pro virga, crux; pro arca, immaculata eius Ecclesia: pro transitu rubri maris, Pascha, in quo novum figurabatur: & hoc superveniente sustulit illud, pro agno, Christus; pro sanguine, Salvatoris sanguis, pro nube, & igne, sanctum baptisma. Sed quid opus est cuncta enumerare? cum omnes optime noscāt, legis adimplendæ non solvendæ auctorem fuisse Christum. Habes igitur ex his, non de azymo dicere, qui dicit, occisus cessare sicut quæ à lege afferebantur; sed de agnorum, hædorum, ovium, & boum sacrificio, quod verum Dei agnum significabat, & figurabat, qui tollit peccata mundi, & illo immolato, sublata ea sunt quæ ipsum figurabant, azymon enim neque sacrificium erat, neque cum Salvator sustulit. Si vero dixerit quis, illud umbram fuisse, respondebimus, immutatum in aliā formam fuisse à Christo volente suum corpus in eo confici. His igitur quantum satis est explicatis, redeamus eo unde digressi sumus: quod possibile non erat fermentatum panem in illa mensa adesse tempore azymorum iam cœpto; nam si rescisset Iudas magistrum fermentatum estasse, nullam proditionis causam maiorem invenisset, quam legis transgressionem, cum in azymorum die fermentatum panem servaret, quærebat enim causam, & occasionem Iudæis illum prodendi, attamen ij Pilato non dixissent, cum percunctaretur ab iis quid mali fecisset; quia nos legem habemus, & secundum legē debet mori, sed sic utique dixissent (quæ etiam rationi consentanea, & iusta erat causa) quod legem transgressus esset, aliud Pascha, lex nostra iubet, aliud ipse fecit, post Pascha panem fermentatum lex vetat, ipse vero deprehensus est in azymorum diebus fermentatum panem servare, quem lex eximi ex numero filiorum Israel aperte clamat, at hoc quidem non dixerunt, quanam de causa? quia dicere non potuerunt. Si igitur cum multi falsi testes accessissent de aliis criminibus testificantes, & præterea falsis, quorum testimonium non erat conveniens, cur id non dixerunt: vel testimonium non tulerunt: quod sine dubio turpissimā minatur mortem iis, qui transgrediuntur? Admiror igitur admodum, quomodo Iudæi causam sedulo quærentes, non invenerunt, cum multum insudassent, neque Iudas. Et nunc fratres nostri causam, & prætextum iustissimum Iudæ subministrant, simul ac Iudæis, etenim ij à Pilato interrogati, quam causam erga iustum hominem afferrent? aliud dicere non potuerunt, quam quod Deum seipsum, & Dei filium appellaret, cúmque ad hoc testificandum multi falsi testes accessissent, id nō invenerunt. Ipsi vero nunc transgressorem Christum aperte faciunt, iuréque ipsum à Iudæis damnatum, volentes nolentes egregie comprobant, hi profecto fletu, & misericordia digni sunt, qui hæc dicunt. Præterea si

secundum vestram intentionem fermentatus erat, neque sic iure potestis Romanam insimulare Ecclesiam, quod in azymo sacrificat: quemadmodum, & ea orientalem non reprehendit, si in fermentato sacrificat. Atqui cum caput Ecclesiæ sit, incusare poterat, & damnare qui eam non sequuntur: nam ipsa firmiter novit in azymo Christum sacrificasse, cum in cœnaculo una cum suis discipulis cœnavit: & similiter eos in suam commemorationem iussit facere. Quod autem in iis septem Paschæ diebus, fermentatum esset vetitum, Chrysostomum patrem rursus audiamus, in prima ad Corinth. epist. dicit enim, *Antea exposuimus cur ab omnibus finibus pellatur fermentum, ænigma hoc quod ostendit ab omni pravitate oportet fidelem discedere: nam quemadmodum morte moritur is, apud quem vetus fermentum repertum fuerit: sic & nos, ubi malitia reperta est, non enim magis pœna statuitur in umbra, in nobis vero non multo maior. Si enim domos ita perpurgant, ut in murium foraminibus anxie versentur, multo magis nos animam excutere oportet, cum igitur murium foramina anxie disquirant, multo illi magis solliciti ad excutiendum fuissent, an Christus ea nocte fermento fuisset usus, ut legi adversus.* Antea verba effundens Ioann. in 81. homil. in Evang. Matth. dicit, *quod usque extremam diem ne legi contrarius videretur, Pascha peregit, ultima vero dies fuit, quando cruci affixus est, in qua voce magna dixit, consummatum est, consummata sunt, scilicet intelligens quæcunque prophetæ, & lex præscripserunt, & dixerunt, quod si non fecisset, ut isti dicunt, magis legi adversus ostenderetur, non secundum legem Paschæ legale peragendo, sed panem fermentatum servando: præsertim cum Iudas tunc adesset, & rationem prodendi perquireret, ut eum Iudæis proderet.* At hoc nullo pacto est, sed cum auctor legis esset adimplendæ, & servandæ, ut dictum est antea, secundum legem peregit omnia: ac ex necessitate fuerunt azyma, & azymum præbuit. Quid igitur petitis? interrogamus: azymum ne erat quod Christus præbuit, an fermentum? si azymum, pro nobis id est: si fermentum Christum legis transgressorem esse vel inviti ostenditis, cum in azymorum die fermentatum panem servasse.

SECTIO VI.

Sed quid dicit Xanthopulus? præcedenti die id fecit. Hoc apud eos qui mentis compotes sunt stultum, & sine sensu existimabitur, nam si præcedenti die fecisset; in tempore non effecisset, si vero non in tempore, nec illa hora effecisset, transgressor legis ex necessitate Christus convincitur: quia lex quarta decima die mensis vespere iubet Pascha immolari, quod si die præcedenti, ut vos dicitis, effecit, tertiadecima die apparet effecisse. Si vero tertiadecima, adversus legis mandatis ostenditur, quæ iubet quartadecima fieri. Si adversus, ergo & legis transgressor, reliquum igitur est ut credatis eum non anticipasse, sed in tempore fecisse. Præterea si dicit lex, vesperi Pascha celebrari oportere, & Christus vespere peregit, non transgressus est secundum Evangelistam Lucam, qui dicit, *&* *quando venit hora discubuit*, nam si media die fecisset, dici poterat eum anticipasse vel tempus, vel horam, & ideo fermentatum fuisse. At non ita factum est, discipuli præterea (ut sæpe dictum est) cum Iudæi essent, aliter quam præstituto tempore agere non debuerunt, præstituta igitur a lege die fecit, & quando azyma erant, ut divinus dixit Lucas, id est prima die azymorum, quo Pascha immolari oportebat. Quomodo igitur anticipavit, si prima die azymorum discipuli accesserunt, petentes ubi vellet parari Pascha? ostensum enim est quod legale tum Pascha parabant, & die præstituta peregerunt, nam qui vel prius, vel post effecit, transgreditur, quamobrem uti vos existimatis, & Christus transgreditur, quoniam tempus anticipavit, sed nemo mentis compos id unquam, percipiet, vel dixerit unquam, sed unusquisque magis in tempore, & secundum legem fecisse dicit: id testabitur aurea lingua, sed omnia audentes Iudæi, tempus prævertentes dicit enim hic magnus pater 84. homilia in Ioannis Evangelium super ea verba: *adducunt Iesum a Caipha in prætorium. Cur eo ipsum abduxerunt, ubi omnes erant congregati? ut ex pontificum sententia cuncta peragerent, nam is tunc erat pontifex, & omnes eum expectabant, ita ob hoc pernoctabant, & vigilabant, quia tunc Pascha non comederant* inquit, *sed propterea vigilabant* dicens enim; *quod mane erat*, Ioannes subiungit: *non sunt ingressi prætorium ut non contaminarentur: sed ut Pascha manducarent.* Quid igitur dicemus? quod altera die comederunt, & legem violaverunt, ut cupiditati qua ardebant inservirent cædem hanc perpetrandi, nam tempus Christus non transgressus est paschatis, cum vespere id comedisset. Sed ii cuncta audebant, omnesque leges conculcabant: nam quia vehementer ita æstuabant, nec eum interficere poterant, quamvis id sæpe aggressi essent, tunc cum ipsum inopinato comprehendissent, maluerunt Pascha omittere, ut cupiditatem eum iugulandi explerent. Audis eos tempus, & legem transgressos esse, Christum non transgressum esse? ubi sunt qui dicunt eum anticipasse? His igitur ita se habentibus, & ita liquido comprobatis, Christum sacris Apostolis azymum in die azymorum tradidisse, (existimo enim quod si tunc azymorum hora non instituisset, in fermento mysterium tradidisset, volens omnino illud tradere, nihil faciens utrum in fermento, vel azymo id faceret, sciens materiam & substantiam esse panis ex tritico constantis) quo pacto comprehendemus eos, qui in azymo sacrificant? qua ratione adversabimur, cum sacra synodus in suo decreto iubeat utroque modo Christi corpus confici posse, in azymo scilicet & fermentato: quod Ecclesia sacra profecto a sacris accepit Apostolis, sacri enim Apostoli extra tempus azymorum fracto pane sacrificium peragebant, nec ullibi apparet eos azymum postulasse. Et rursus in diebus azymorum, cum Ierusalem fermentatum non reperiretur, omisso fermentato sacrificium peragebant: nam certo sciebant satis esse si ex tritico constaret, nec quia parum fermenti haberent, quæ fiebant, idcirco fuissent omnia irrita, potissimum vero Domini verba, quæ panem & vinum cum aqua in corpus, & sanguinem eius transmutant. Cæterum & hoc abnegant, qui synodum non sequuntur: nec suaderi volunt, nec credere quod sancit Ecclesia, quod in Dominica ea voce, quæ dicit, *Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, & Hic est sanguis meus*, mysterium peragitur, sed post hæc, cum dicitur (aiunt) *& panem hunc effice venerabile corpus Christi tui*: non percipientes; quod hoc sancti sacrificii mysterium Christus tradidit: nec alia præter ea verba dixit, nisi, *Accipite, comedite, & bibite omnes*: non effice dixit, neque cætera, quæ nos dicimus, quippe quum hæc tantum verba vim habeant: cætera omnia quæ dicimus, pro nobis orantes dicimus, ut huic sanguini communicare atque hoc corpus tangere mereamur. Quemadmodum enim quum baptisma traderet salutare, alia verba non dixit, quam, *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*: & ea verba manserunt forma sacramenti, quippe quibus prolatis baptisma perficiatur, reliqua, quæ dicimus pro nobis, pro baptizato simul, & pro susceptore, dicimus, ita & ibi dicit ad discipulos Christus, *Accipite, comedite, &c. Hoc facite in meam commemorationem*: nihilque aliud dixit, eaque sunt, quæ panem in Christi corpus transmutant, & vinum in sanguinem. Id mecum rursus testabitur aurea lingua præditus Ioannes, homilia in mysticam Salvatoris cœnam, & in mysteriorum traditionem: in quo, & contra Iudæos, principium sermonis, *pauca*, inquit, *hodie necessaria sunt*: in hac homilia post multa, dicit. *Christus ipse adest, qui mensam hanc exornat: nam qui mensam illam ornavit, idem nunc etiam hanc exornat, quia homo non est, qui ea quæ proponuntur efficit sanguinem & corpus Christi: sed ipse Christus pro nobis crucifixus: Adstat sacerdos figuram tantum adimplens, adstat atque precatur ea verba proloquens, gratia, & vis Dei est, quæ cuncta operatur. Hoc est corpus meum dicit, Hoc verbum*

qua in manibus habemus transmutat, Ac ut ea vox, qua dicit, crescite, & multiplicamini, & replete terram, semel prolata, in omne tamen avum peragitur, ad filiorum procreationem nostra natura vires subministrans: ita, & hæc vox ab ea divina lingua semel prolata, id est, *hoc est corpus meum, in singulis Ecclesiæ altaribus illius verbi vis, usque ad hanc diem, & adventum ipsius sacrificium perfectum operatur.* Si hoc verbum igitur ea quæ proposita sunt, in corpus & sanguinem Christi transmutat, & tremenda mysteria afficit, mirandum utique erit, si non possunt ea esse perfecta, quia exiguo fermento carent, præsertim cum hac materia Christus mysterium peregerit, ut ante probatum est.

SECTIO VII.

Quæ sint necessaria ad sacrificium.

VT autem intelligant quæ ad hoc mysterium necessaria sunt, & quid necessarium ad hoc sacrificium sit, ne in disquirendo de azymo, vel fermentato laborent, etiam hæc adiungemus. Materiam primum panis ex tritico, & vinum scilicet ex vite secundum Christi verba, id est: *Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus.* Tertium sacerdos, nam qui sacerdos non est, id est, qui gradum sacerdotalem non habet, sacrificium nunquam conficiet. Quartum scientia, id est, sacerdotem in primis intentionem habere ad ea dona, quæ proponuntur, non alio mentem deflectere. Quintum altare, id est, mensa à pontifice consecrata, hæc necessaria sunt & sola, quamvis ultimum non sit ut cætera necessarium. Sin autem hæc omnia otiosa sunt quia exiguo, sed acido fermento carent, maxima utique admiratione dignum est, cum altare, intentio, sacerdos, materia, & quod maximi præcipue momenti est, Christi verba, quæ proposita in sanguinem, & corpus transmutant, per quæ cœlum constructum est, terra fundata, & omnia constituta, sine fermento nihil possint, hoc non est sanæ mentis commentum, sed mentis prorsus dementis. Admiror etiam qua de causa, vinum non improbatis, cum rubrum sæpe offeramus, aut album, vel dulce, vel austerum, sed panem tantum. Nam quemadmodum de germine vitis dixit, nec album distinxit à rubro: Ita & de pane dicens, panem non distinxit fermentatum ab azymo, vel album, vel nigrum, vel dulcem, vel acidum, propterea utraque sine ullo discrimine amplectimur, noscens enim plane sacta synodus utrumque panem esse, promiscue sacrificat, nec alterutrũ reprehendit, præsertim cum Christus in azymo confecerit, ut antea ostensum est. Ergo iniuria œcumenicam insimulatis synodum, quæ sic iubet: & iniuria nos qui eam sequimur, & confitemur, calumniamini, & sugillatis. Vt autem Nicephori Callisti Xantopuli mentionem faciam, subit mihi admodum ridere: qui ambitiose contendit, ea quæ nunc in triodio synaxaria reperiuntur, conscribere, impetu vero pravitatis motus, de proposito nobis argumento magna, & admirabilia scripsit. Sed quod ea Constantinopoli non legerentur, omnibus est compertum: nec oportet me ulterius procedere, in hac urbe tantum quidam in triodio quemadmodum inveniuntur collocaverunt, esse autem ea valde irrationabilia si quis scire desiderat, legat, quæ ipse composuit: reperietque eum in plerisque sibi ipsi pugnantem esse, sed quoddam est tremendum eius oraculum, & ut sibi videtur insolubile? in quinta magna feria in mysteriorum traditionem post alia multa dicit: Vide, ut panem vocet corpus suum, non tamen azymum, erubescant, qui in sacrificio azymos adhibent. Id ut terribile admodum ab eo dictum, sursum deorsum eius sectatores obiectant, atque is aliquid videtur dicere, nil autem dicit, ut demonstrabitur: etenim nos cum discipuli eius simus, qui dicit panem sequimini, iniuria eum non afficimus, ut ille nos: sed responsio tantum, quam adversus eius sermones afferemus, pro iniuria reputabitur: qui cum magistrum se esse opinetur, à nobis, qui docti non sumus, convincitur, ideo dicimus, quod ille secum versans adversus Catholicam Ecclesiã scribere, apertissime lapsus in præcipitem foveam pronus cecidit, nam cum dixisset, vide quod panem corpus suum dicit, non azymum, oblitus est quod & azymus panis appellatur, visum est enim ipsi oportere cum quis panem dicit, de fermentato tantum intelligi, at hoc probare non potest, quia in multis scripturæ locis azymus etiam panis dicitur: quia sacra scriptura dicit, *tolle azymos panes*, & in Exodo, *tolle vitulum ex armento unum, & arietes duos immaculatos, panésque azymos oleo conspersos, lagana quoque azyma oleo lita, de simila triticea cũcta facies; & posita in canistro offeres.* Et post pauca: *tolles panis unius crustulã conspersam oleo, laganum unum de canistro azymum, quod positum est in conspectu Domini.* Ac Theodoritus in expositione in Prophetam Daniël dicit, *panis dicitur fermentatus, & azymus.* Vides ut & azymus vocatur panis? quomodo huius oblitus es bone Nicephore? iure Nicephorus vocatus es, quia in foro sedentes plebeios homines vicisti: non qui in excelso sedent, & rationis participes sunt. Sed aliquis fortasse dicet, imo pro nobis hoc est: nam ubi apponitur adiectivum, ibi cognoscitur & res, ubi quidem cum adiectivo ponitur panis, id est azymus, tunc est, & intelligitur azymus, ubi vero adiectivum non ponitur, id est azymus, tunc necessario intelligitur fermentatus. Hic igitur Christus cum nil aliud nominaverit nisi simpliciter panem, aperte protulit esse fermentatum. Iuste ergo apud Xantopulum scriptum est, quod panem dicit corpus suum, non tamen azymum, at nos facile contrarium demonstrabimus, id est, quod cum panis simpliciter dicitur sine adiectivo, azymus esse reperitur, nec effugere poteris responsionem, cum sit apertissima, dies resurrectionis Domini tertia dies erat legalis Paschatis: ut Evangelista dicit cum Iesu colloquens. *Et nunc super hæc omnia, tertia dies est hodie quod hæc facta sunt. In hac igitur die ibant duo ex discipulis eius in castellum, quod aberat spatio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emaus.* Et paulo post dicit, *ac coegerunt eum, Iesum scilicet, dicentes, mane nobiscum, quoniam advesperascit, & inclinata est iam dies, eorum igitur precibus cum assensisset intravit, ut maneret simul cum eis. Et factum est dum recumberet cum eis, accepit panem, & benedixit, & fregit, & porrigebat illis,* & post pauca: *& cognoverunt* ait, *ipsum in fractione panis,* quodnam candidius hoc, vel purius afferemus argumẽtum iis qui contendere nolunt, nec scandala amplectuntur? panem simpliciter hic dicit D. Lucas, neque fermentatum, neque azymum. Quod nam igitur erat cogitemus, nec oculos ita adversus clarissima occludamus, nam ut cognitus ab illis est in fractione panis: sic, & à nobis dignoscetur, si disquirere voluerimus, quia non ita hebetes sumus, ut veritatem non videamus, quamvis enim in philosophorum, & rhetorum literis versati non simus: at naturam ipsam pro doctore nobis comparavimus, quæ optime veritatem dignoscere potest, & falsum coarguere: & quod melius est à peiore discernere. Quid ergo dicemus? fermentatũ erat, absit, quonam modo? tertia erat dies legalis paschatis, nec poterant qui cum Iesu simul ibant Cleophas, & Lucas, nisi azymum ferre ab urbe Ierusalem profecti. *Septem diebus,* inquit *lex, azyma comedetis, & nequaquam fermentata,* nam subdit, *quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa ex Israel.* Si ergo hæc vera sunt, quo pacto ibi potuit fermentum reperiri, lege vetante id confici à quartadecima die usque ad vigesimam primã mensis? itaque erat azymus. Si enim fermentatus, ij legem violassent fermentatum in die azymorum offerendo, & Christus transgressor evaderet, si fermentatum fregisset, ac tradidisset, si azymus (ut erat) temere tandem nos incusatis: nam cum auctor legis adimplendæ Christus esset, cum non fregisset, si fermentatum esse scisset, nam in diebus à lege vetitis id effecisset, ij vero sicut Iudæi scribebant, & legem, ut oportebat, servabant, non eo tempore tantum, sed, & post resurrectionem & Domini assumptionem. Ergo ex his omnibus sequitur, azymum extitisse, qui à Iesu fractus duobus discipulis traditus est.

Nicephorus quasi victor fori [margin]

Nicephorus est auctor historiæ Ecclesiasticæ. [margin]

Contra Ephesin. [margin]

Iudic. 6. Exod. 29. Theodor. Luc. 24. Exod. 12. [margin]

SECTIO

SECTIO VIII.

SI verò stolide quis dixerit, eos extra Ierusalem fuisse, & ita fermentatum comedere panem potuisse, reputet quod lex dicit: *in omnibus advenis, & indigenis terra & in omni habitaculo vestro comedetis azyma, non fermentatum: quicumque comederit, peribit ex Israel:* nam veluti in cœna vesperi mysterij tempore azymo sumpto pane, & fracto discubuit, discipulis dicens, *accipite comedite:* sic & hoc loco fecit. Idcirco cognoverunt eum, in memoriam revocando, quæ tum gesta sunt; quasi tacite secum meditantes, hic magister est qui die superiori, panem fregit, eodem modo, & fratribus tradidit, & cum voluissent eum tangere evanuit. Sed quomodo intelligamus de panibus propositionis, de quibus dicit Christus capite secundo apud Marcum Evangelistam, dicit enim ad Iudæos obiurgantes Apostolos, quod spicas vellebant: nunquam legistis quid fecerit David quando necessitatem habuit, & esurit ipse, & qui cum eo erant? quomodo introivit in domum Dei sub Abiathar principe sacerdotum; & panes propositionis manducavit, quos non licet nisi sacerdotibus manducare, & dedit eis qui cum eo erant? percunctamur igitur vos, panes propositionis fermentati ne erant, an azymi? si fermentati, nos etiam Iudaizamus, ut vos existimatis, in fermentatis panibus sacrificantes. Si vero azymi; ergo & azymi panes vocantur, præterea si fermentati erant panes illi propositionis, sacrificium in fermentato Christum tollere oportebat, tanquam veterem, & legalem, ne Iudæos imitatemur: & in azymo sacrificium instituere, & præcipere. Si azymi erant, ergo panis etiam azymus appellatur, sufficienter igitur ostensum est ô bone Nicephore, quod & panis dicitur azymus, & est, intelligitur sine adiectivo. Quamobrem nemo prudens unquam dixerit, nos nequaquam posse intelligere azymum: id quo sacrificium fecit Christus: & quod sine adiectivo dixit Evangelista, panem accepisse Christū in die azymorum, & paschatis tempore, azymus ergo erat, & azymum intelligimus, ut iam ostensum est. His igitur ita expositis, argumentatiuncula à te adducta, quod panem dicit corpus suum, non tamen fermentatum, satis est dissoluta. Ea vero verba, *Erubescant qui in azymo sacrificium offerunt*, non libet reflectere: sed in eo qui nesciunt quod sit illud, imo sciunt quidem, sed propter pravam suasionem, ac stultam præsumptionem, aliud sentiunt & dicunt, id ipsum dicimus dedecens retorqueri, quod sine dubio credimus, quodque librorum adulteratores, & qui ob malam præsumptionem & malitiam adversus Romanam Ecclesiam scribunt, nunquam salutem consequi poterunt: imo in die iudicij veluti veritatis hostes erubescent. Quidam tamen præter rationem admodum imperite, & adeo stolide, ut ita dicam, & impudenter obiciunt, quamvis azymorum dies essent, ut dicitis, nec fermentatum inveniri oportebat, tamen cum Deus esset, azymum fermentatum efficere poterat: nihil est enim impossibile apud omnipotentem Deum Nihil esse impossibile apud eum, qui potest omnia, omnes confitentur; nec solum azymum fermentatum efficere, sed & lapides ipsos panes: at necessitatem hanc, quoad hoc peragendum duceretur, ego perspicere non valeo. Qua nam de causa statuere voluisset, fermentatum potius, quam azymum, corpus suum confici, hanc mihi explicate necessitatem, si nostis: at nunquam poteritis. Nescio etiam an panem fermento carentem, corpus, & sanguinem suum fieri prohibuisset: vel sua divina consecrationis verba invalida reddere libuisset. Sed id neque hæretici, neque à Christiana religione alieni sentient unquam, vel dicent. Quod autem Dei Ecclesia nullum esse discrimen inter azymum, & fermentatum arbitratur, multis & egregiis argumentationibus iam ostensum est. Nunc demonstrabitur, quo pacto Romana Ecclesia azymum, & Orientalis Ecclesia fermentatum conficit, per Gregorium dialogum virum sanctissimum, qui ante Ecclesiarum schismata vixit, cuius commemorationem nostra etiam Ecclesia unoquoque anno cum laude facit: hic enim optime causas reddit azymi, & fermentati, traditque Occidentalem Ecclesiam azymum, Orientalem fermentatum antiquitus in usu habuisse; bonaque & laudabili ratione utramque ad id efficiendum fuisse permotam, scribit enim: Solet multos perturbare quamobrem in Ecclesia quidam panes azymos, quidam offerunt fermentatos. Romana Ecclesia offert azymos panes propterea quod Dominus sine ulla commistione suscepit carnem: sed cæteræ Ecclesiæ offerunt fermentatum pro eo, quod verbum patris indutum est carne, & est verus Deus & verus homo, item, & fermentum commiscetur farinæ, & efficitur corpus Domini nostri Iesu Christi vivi, sed sive in azymo sive in fermentato conficiatur, Domini corpus, & Salvatoris nostri sumimus. Audisti quomodo magnus hic pater, nullum inter azymum & fermentatum iudicat esse discrimen? quodque indubitate utroque modo conficitur corpus Domini: idque iamdiu usus obtinuit in Ecclesiis, apud occidentalem inquam, & orientalem: nam optime, ut ipse arbitror, declaravit quod nunc propositum est, hanc azymo usam esse ait propter sinceritatem & puritatem carnis Domini, quia immunis & expers est omnis vitij: illam fermentato propter divinitatis, & humanitatis unionem in ipsius hypostasi: idque merito: nam ut azymum subtilissimum, ac purissimum est, quia sine fermento conficitur (nam fermento pro peccato scriptura utitur) sic & Domini corpus cum purissimum, nec alicuius peccati perceptibile sit, in azymi sacrificio conficitur, ac ut fermentatum per fermentum in panem convertitur, & substantiam crassiorem subit: sic, & Domini corpus per humanæ carnis conspersionem in unam divinitatis & humanitatis personam per fermentum indicatur. Itaque per fermentum, & azymum omni remota dubitatione Domini corpus conficitur: & apud credentes salutaris fit communio.

Ibid.

Marc. 2. 1 Reg. 21

Gregor. Papa in registro paulo diversius citat D. Thomas in libro de erroribus Græcorum.

Gregor. Papa a Grecis dictus cognomine dialogus

SECTIO IX.

ECce secundæ iam accusationi vestræ bene respondimus; ostendimusque quod impetire nos criminamini: & sinistre œcumenicam traducitis synodum, quæ æque in azymo, & fermento dominicum corpus confici credit, cum unum sit Domini corpus; non in duo distractum, ut vos qui synodum non sequimini, nolentes volentes, quamvis non scripto, sed negando quæ dicimus, concluditis, & ideo ne in hæresis lapsum incidatis, non effugitis. Nam Christus dicit nunquam suam errare Ecclesiam, quia se semper cum ea mansurum pollicitus est. Si ergo verus est Christus, & promissionem suam veram esse oportet: ita enim dixit, *ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi:* nosque ita credimus, eum cum Ecclesia sua semper esse permansurum, nec eam derelicturum unquam. Si vero secundum vos cum ea se semper mansurum pollicitus est, sed dereliquit illam & errare permisit, ex necessitate mendax est. Si vero mendax, Deus non est. Videte in quam absurditatem incidistis, Christum vocando mendacem: nam hoc omnem iniquitatem & blasphemiam superat: sed dum ea fuit, & est, & erit, & manebit in sæcula, quamvis distumpantur, qui contra, quam Ecclesia sentit, sentiunt, & faciunt: nos vero eam sequimur, & observamus, perinde, ac impossibile sit ut ea errorem prædicet, sed magis veritatem, & rectam fidem: cum ea secum habet sponsum suum Christum Cum ergo illi subiicimur, intra salutis arcam positi sumus: per quam ex hac stulta vita in æternam, ac beatam revertemur. Habetis igitur quantum satis est orthodoxi ad ea quæ dicta sunt, responsionem: in his manete: nihil enim in iis reperitur, nisi ea, quæ luminaria Ecclesiæ iubent: neque iis, qui litigandi, & contendendi vitio loquuntur, ac scribunt, vestigiis

Mat. 28.

Epilog.

inhæreatis unquam, aut assentiamini; quia non divino permoti zelo id agunt: sed ut simpliciores tantum decipiant, ac perdant, ut ipsi una cum illis in impietatis præcipitium delabantur.

TERTII CAPITIS,

QVOD IN DECRETO Synodi continetur, demonstratio.

SECTIO I.

Id est, animas eorum, qui in pœnitentia moriuntur post mortem purgari.

TEMPVS igitur est de tertio etiam capite, quod in decreto continetur, pertractandi. Sed qualenam id est? animarum post mortem purgatio: quod apud Græcos catharterion, apud Latinos vero purgatorium dicunt. Cuius tenor ex divino & sacro decreto hic est. Præterea decernimus, si vere pœnitentes in Dei caritate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis simul, & omissis satisfecerint: eorum animas purgatoriis pœnis post mortem purgari. Et ut a pœnis huiusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta. Hoc usquequaque abnegāt schismaticorum lectitores, hæc omnino non percipiendo, neque quid de hac re senserint doctores; desperatione & falsa persuasione se oblectantes, & in ignoratione versantes. At neque in disceptationem venire volunt: vel malitia, vel odio adversus Latinos permoti, vel quia nihil prof ecto habent quod effatu sit dignum. Sed mania quædam, & futilia nihilque sanum continentia sæpenumero nobis obiiciunt, quæ tanquam frigida quædam, neque cohærentia penitus aversamur. Nam si quæ ipsi afferunt in medium protulerimus, ridicula iis qui mentis sunt compotes videbuntur: idcirco nolumus ea promulgare: nostra enim gente prognati sunt, & eiusdem ordinis cuius nos sumus. Agedum vicamus quam expositionem huic capiti afferamus: & eam quam decet medelam adhibeamus. Primumque divinum & maximum Ioannem Damascenum in medium producamus, deinde & reliquum doctorum cœtum, qui ab oriente effulserunt, secumque consentiunt, sistemus. Is enim beatus vir hoc idem ipsum, quod sacræ synodo rebellantes negant, & despiciunt, ad disquirendum proponens in libro de mystica mortuorum consideratione, liquido declaravit: quasi de hoc quidam eo tempore (ut videtur) ambigerent, orationéque integrâ conscriptâ, eorum effrænata obstruxit ora. Quod si quis bona fide quæ ibi continentur perlegerit, quantum satis est admirabitur: nec amplius quæstionem in dubium revocabit. Cæterum antequam doctissima huius verba & testimonia proferre incipiamus, orationem nostram tanquam in iudicio dividamus: & iis qui veri studio ducuntur, proponamus, ordine in recensendis testimoniis servato, quæ ille divinus vir, cursim exposuit: dictum id in memoriam redigendo, quod puer id, quod multoties latuit adultos, adinvenit: & quod sapientes prætereit, idiotæ occurrit: quodque doctoribus compertum non est, eius discipuli meminerunt. Verum id nos dicere non audemus, sed quasi racemum post vindemiam derelictum & spicam post messem præ nimia copia neglectam, & reliquos fructus, ut uno verbo dicam, post illos perceptos oblivioni traditos coacervantes, ita eos qui digni fuerint excipiemus, Christo Iesu opitulante & orationem nostram apertis demonstrationibus approbante. In tres igitur generales partes, sive classes defunctos omnes abire decernimus: quod & egregie comprobabimus: non enim aliter dicere fas est. Vnam & primam, divinorum & sanctorum virorum cœtum, Apostolos scilicet, martyres, hierarchas, athletas Dei sanctos & iustos, qui nulla penitus post baptismum maculâ peccatorum vitam resperserunt: sed in castimonia & temperantia magis se exercuerunt, curaruntque, ut sua corpora tanquam domos à spiritibus mundas efficerent: qui hunc visibilem mundum odio habuerunt: & cœlestia tantum concupierunt, quibus rebus locum quietis receperunt, quem sibi antea compararunt. Si vero post baptismum aliquam peccati labem contraxerunt; eâdem ipsâ vel dum adhuc viverent, vel post depositum corpus mundatos, in cœlestem patriam assumi, secundum divinum & sacrum synodi decretum. Eos etiam addimus, qui ante baptismum suarum virtutum beneficio servati sunt, primos Patres, Prophetas, Patriarchas & iustos, quos suo adventu Christus ab inferni vinculis liberatos in cœlum deduxit, & ut eo fruerentur dignos effecit. Secundam vero mediorum, sive illorum qui pœnitentes decesserint, ac in confessione, & cordis contritione spiritum emiserunt: sed sublatâ iis facultate satisfaciendi pro peccatis, vel omissis ipsorum ob repentinam (ut fit) & momentaneam demigrationem: hanc in purgatorio esse dicimus, quodque ij non potuerunt in vita perficere, pro his superstites ad redemptionem opem ferunt, secundum illius dictum si forte quid prosit tibi: Idque sanctarum precum beneficio, eleemosynis, sacrificiis, aliisque piis operibus, ut in divino, & sacro decreto optime scriptum est. Tertiam & ultimam constituimus eorum, qui in mortalibus peccatis ex hac vita migraverunt, nullumque sibi pœnitentiæ præsidium dum viverent reliquerunt, quorum animas ad inferos statim descendere, pœnis tamen disparibus plectendas sacrum innuit decretum. Cæterum de primi ordinis statu, quæ eorum qui liberantur classis est, quæ & iustorum fruitio esse dicitur, responsionem reperies in quarto decreti capite, de quo nos antea disputaturos esse polliciti sumus, peculiarem hac de re tractatum facturi: propterea multis verbis hic non est opus: quippe qui in eo loco Deo adiuvante respondebimus.

SECTIO II.

PRoximum, ut hic de secunda, & tertia classe disseramus: at de tertia nulla nobis est cura suscipienda: quoniam neque Ecclesia, neque sancti aliquam de iis qui ad eandem pertinent classem fieri commemorationem permittunt: eósque omnino damnatos esse sentiunt, veluti desperatos & absque pœnitentia hinc sublatos, de his enim non oportet nos esse sollicitos, neque laborare, vel deprecari, vel sacrificia offerre, vel eleemosynas exhibere, vel alia quæ pro iis qui fideliter obdormierunt, fervidisque cum lachrymis pœnitentiam egerunt, constituta sunt, quoniam in desperatione, non autem in pœnitentia hinc demigrarunt. Ac veluti pro prima classe, quæ in paradiso cum Christo est, non oportet pro eorum peccatis tollendis, sacrificia offerre, cum in hoc sæculo satisfecerint, & nunc in deliciis ineffabilium bonorum versentur sic neque pro dimittendis peccatis eorum, qui in cruciatibus inferni degunt licet sacrificare. At id novi isti theologi non concedunt: quippe qui nec sanctos in regno cœlorum esse volunt, nec in cruciatu peccatores. Nobis autem etsi propositum non sit de his hoc loco disserere, sed de purgatorio tantum, quod est tertium decreti caput: tamen ne videatur deesse nobis respondendi facultas, etiā de his pauca quædam adiungemus: animabus enim

quæ

quæ hinc sine fructu pœnitentiæ decedunt, nulla post mortem utilitas accedit: Nam & Propheta id innuens dicebat: *In inferno autem quis confitebitur tibi?* Et rursus: *non est pœnitentia post mortem*, sacer dicit Epiphanius, mortem appellans plenam iniustorum damnationem, ut in exemplo divitis, qui in igne torretur, ostenditur, stillam aquæ petentis nec impetrantis, stillam videlicet pœnitentiæ postulantis, nec invenientis. Idque merito, hyeme misericordiam non seminavit, venit æstas, nec messem fecit, hyemem hic intellige, præsentem vitam peccatis implicitam, messem vero futuram, atque operum retributionem. Hic enim, in hac hyeme, pœnitentia reperitur: ibi æstas, id est, fruitio. Et alibi rursus Propheta, Clausit Deus adversus eos inquit: apertum autem est, eum qui in hac vita non pœnituerit, impossibile esse illa transacta pœnitere: nam dimisso conventu & clausa thalami sponsalis ianua, nec pœnitentia valet, nec lachrymæ prosunt: ut in parabola quinque virginum ostenditur, cum eæ dicerent: Domine, Domine aperi nobis, respōdit sponsus Christus, nescio vos. Egressa enim à corpore anima neque flet, neque potest pœnitere, naturæ sublatis instrumentis, per quæ pœnitentia monstratur, vigilare ante oportet & ad exitum se comparare, quia in ea hora, in illo momento, in illo indivisibili tempore, quo anima angitur exire de corpore, & vita præsenti (tremendum est enim tempus illud, & certamen maximum & mercatura non vili pretio æstimanda) cavendum est ne dum exit anima, in his humilibus & temporariis rebus deprehendatur implicita. Nam si non idonea satisfactione adhibita, vera confessione & cordis contritione decesserit: sed vitam tantum præsentem in memoria retinens, caducas has res thesaurum studio quæsitum, uxorem simul & liberos, nec his modum imponens, sed ea continue animo revolvens & meditans, infernus quam primum abripit eam; & tenebræ caliginosæ, & tortoribus traditur, atque ignis eam comburit. Testificabitur id Ecclesiæ præses Gregorius dialogus in libro dialogorum capite, quod Petrus eius Archidiaconus cum ipso sermonem habet *Inquisitioni meæ sufficienter iam video satisfactum. Sed hoc est adhuc quod quæstione animum pulsat: quia cum superius dictum sit, esse iam sanctorum animas in cœlo: restat proculdubio, ut iniquorum quoque animæ non nisi in inferno credantur.* Et quid hac de re veritas habeat ignoro, nam humana æstimatio non habet peccatorum animas ante iudicium posse cruciari. Gregor. *Si esse sanctorum animas in cœlo sacri eloquij satisfactione credidisti, oportet ut per omnia esse credas, & iniquorum animas in inferno: quia ex retributione æternæ iustitiæ, ex qua iusti iam gloriantur, necesse est per omnia ut & iniusti crucientur, nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod à die exitus sui ignis reprobos exurat.* Audis malorum, seu peccatorum, & impœnitentium animas, à quo die hinc decesserint, igni comburi? Clarum est igitur iis qui contendendi vitio non laborant; quod veluti sanctos post obitum, cœlorum excipit regnum, sic & desperatos pro domicilio infernus manet, ubi plectuntur extremum diem expectantes, vt postea induti corporibus æternas pœnas recipiant, id etiam mecum testificabitur Maximus ad cubicularium scribens, inquit enim: *Quis ô dilecte nostrum, qui peccatorum sordibus sit inquinatus, sanctorum Angelorum inspectionem non reformidet? à quibus in exitu vitæ constitutus ex divino iudicio per vim corpore pellitur cum indignatione, & invitus, quis commaculatam suam sentiens conscientiam, sævum & immanem malorum dæmonum occursum non timeat, eorum unoquoque post obitum in aëre ad se incessanter miseram trahente animam: scelerumque suorum convictus futurorum bonorum miserabilem spei desperationem? post subsecutum vero in aëre spiritibus pravitatis iudicium & villicatum, descensus in infernum eum manet, & ibidem domicilium & commoratio: ubi profundæ tenebræ, & silentium profundissimum: nullo alio cibo se alentes eo damnatæ animæ, quā acribus gemitibus, suspiriis, & amarissimis lachrymis, & ob imminentia mala mæstitia: nil aliud semper expectantes quam eam, quæ iustum iudicium sequitur iustam retributionem. Hanc perpetuam tristitiam & dolorem creat illis, resurrectionis expectatio, tremenda Christi adventus dies, horribilis exhibitio & præsentatio, & anteacta vitæ examen, per quam hi qui ad dexteram Christi constituti sunt, arcanorum bonorum promissionem recipient, illi ad sinistram locati ignem æternum sortientur, ac tenebras exteriores, & vigilem vermem, & stridorem dentium, & dedecus sempiternum.* Audis ex sacto doctore hoc, quod post peractum in aëre, cum spiritibus pravitatis iudicium & villicationem, descensus in infernum manet peccatores? quomodo his tremendis verbis fidem non adhibes? nam qui plecti peccatores non vult, neque Iudam nunc puniri permittet: sed hoc nullatenus verum est, nec ullo unquam modo. Ecce liquido ostensum est, quod qui impœnitentes decedunt, ad pœnam rapiuntur expectantes, ut post induti corporibus in utroque simul plectantur, quo tempore perfecta proprie dicitur, & est sine fine punitio, non opus est igitur hæc ulterius persequi, quippe cum satis de his dictum sit. Quod si his adversarius non acquiescet, nec si multo plura adiunxeris acquiescet. Itaque de his dictum est sufficienter, nec oportet ulterius progredi: restat igitur ut pro tertia classe, de qua nobis propositum est dicere, preces offerantur, & pia opera exhibeantur: nam qui in ea locati sunt, hi post mortem purgantur: eaque est animarum purgatio, quam nos demonstrare contendimus. In ea igitur tremenda demigrationis hora, in qua anima separatur à corpore, & naturale vinculum sic Deo volente discinditur, animæ quæ in vera pœnitentia repertæ fuerint: cum liberationem à peccatis, quæ scilicet corporibus indutæ perpetraverunt, fecerint ut oportet, neque huius sæculi quicquam omnino, vel curaverint vel cogitaverint: sed in universum eo tantum modo, quo abituræ sunt, totam mentem direxerint, præsentia omnia detrimenta putantes, vt solum eum quem desiderant sponsum lucrentur per pœnitentiam, tremendoque iudici in nubibus occurrant, hæ maximum post mortem iuvamentum percipiunt: cum enim in pœnitentia repertæ fuerint, in pœnitentia quoque iudicantur: quemadmodum ea quæ in desperatione repertæ fuerint condemnantur. Et hæ comminationes sunt, quas à iudice audimus: Vbi invenero te, ibi & iudicabo te.

SECTIO III.

Reliquum est in præsentia testimonia vos audite, quæ antea polliciti sumus. Primusque prodeat antedictus divinus & sacer Ioannes magnus orientis oculus, qui à Damasco illuxit. Is enim in ea oratione, quam conscripsit de his, qui in fide obdormierunt, cuius titulus est, qua ratione sacrificia & bona opera, quæ pro iis suscepta sunt, ipsis opitulantur, cuius orationis initium est; *Escæ suaves*, post alia multa hæc etiam dicit. *Quod Saluatoris discipuli & diuini Apostoli, qui mysteriorum verbi participes, atque oculati testes fuere, qui mundi orbem dum viuerent peragrarunt, in tremendis, intemeratis, & viuificantibus mysteriis, commemorationem fieri de his, qui fideles obdormiere sanxerunt, quod etiam firmiter & absque ulla controversia tenet à finibus usque ad fines, Christi Dei Apostolica & Catholica Ecclesia ab eo tempore in præsens & usque in finem mundi non sine ratione, neque stulte, neque temere, neque forte fortuna id decernentes. Nam nihil quod stultitiam saperet, admisit Christianorum inerrans religio, & in sæculum inconcusse tenuit: imo vero cuncta utilia Deoque grata, & valde conducibilia ad salutem.* Post hunc magnus in divinis, & sublimis Dionysius & ipse in mystica de mortuis consideratione hæc ait: *non enim diuinus sacrorum præses, diuinæ iustificationis minister, petiisset quæ Deo præcipue non essent accepta: & quæ se daturum diuinitus promisisset. Ideoque profanis, id est, iis qui illuminati non sunt mortuis, hæc non precatur.* Et rursus: *Ergo diuinus*

sacrorum præses quæ Deo grata sunt petit, & quæ omnino donaturus est. Et iterum: *Cum divinam bonitatem precamur, peccata defuncto condonari petimus, quæ ob humanam imbecillitatem admissa sunt: in regionéque viventium eum collocari, in sinu Abraham, Isaac, & Iacob, in quo loco abest mæror, tristitia, & gemitus: cum divina potentia ob suã bonitatem contemnat maculas ab imbecillitate humana provenientes. Quoniam nemo*, vt sacræ literæ docent, *mundus à sordibus*. Vides tu qui contradicis, quo pacto confirmat, prodesse preces pro his susceptas, qui fideles mortui sunt? Gregorius deinde theologus cognomine, divinum eloquentiæ flumen, in funebri in fratrem Cæsarium sermone de matre sua: *Auditum est*, inquit, *nuncium dignum auribus omnium, se filio in funere omnem eius substantiam pro eo dono dare: qua sancta & speciosa pollicitatione omnis mæror ex animo eius sublatus est*: & paucis interiectis: *quæ ad nos pertinebant talia sunt: Partim namque tradidimus, partimque trademus annuos honores, & commemorationes adhibendo*. Vides quomodo hoc magnum Ecclesiæ lumen affirmat, speciosas & sanctas oblationes appellando, quæ pro his qui obdormiec-tunt suscipiuntur comprobatque anniversarias commemorationes? Vbi est miserorum hominum, nefaria synagoga? quæ de medio tollere conantur ea, quæ doctores, & Ecclesiæ lumina conscripserunt, multo labore & studio adhibito à sanctis Apostolis hæc colligendo. Sed prava schismaticorum, quorumdam stultorum, levium, indoctorum & obscurorum in synagoga, qui omnes nostras insulas confuderunt & perturbarunt, omitti debere commemorationes pro fidelibus defunctis prædicant, nullámque sanctorum memoriam ac sacrificia, conventúsve sacros & dies festos celebrari, aut cum piis sacerdotibus psallere oportere: sed disiungi nimio, & tanquam à serpentum facie refugere. Sed ad id ipsorum dedecus & confutationem, re & cognomine aureus Ioannes accedat, paupertatis amator, & pœnitentiæ dux ac magister, qui in expositione sua divina ad Philippenses, & Galatas, sic inquit, *Si enim Græci una cum mortuis cremant quæ sua fuerunt, quanto magis fidelem oportet una cum fideli sua consociare? Non ut ea quemadmodum illa in cinerem convertantur, sed ut maiore gloria cumules illum. Et si fuerit peccator defunctus, ut eum solvas à peccatis: sin iustus, ut additamentum fiat mercedis & retributionis*. Et in alio sermone. *Iterum excogitemus*, inquit, *quomodo mortuis prosimus, præstemus his auxilium quod valemus eleemosynas dico & oblationes, quæ quidem res ipsis utilitatem, magnum lucrum & commodum affert*, non enim temere & fortuito hæc instituta sunt, & Dei Ecclesiæ à suis sapientissimis discipulis per manus tradita: ut sacerdos in tremendis mysteriis pro fidelibus mortuis preces effundat, nam bene ipsis cognitum est, magnum inde lucrum, & commodum comparari. Audis aureum animo & lingua, divum dico Ioannem; *quod si impij pro impiis faciunt, quanto magis nos fideles pro fidelibus efficere debemus?* non ad perditionem hæc veluti illa; sed ut maiorem mortuo gloriam conciliemus; ac si peccator est, eius peccata purgamus, & à vinculis solvimus, & è tenebris educimus, à luctu & gemitu inferni redimimus. Si vero iustus, non eum à vinculis solvimus, nec eius peccata purgamus; sed gloriæ additamentum adhibemus: & illi magna commoda & utilitates afferimus. Vbi sunt qui animarum post mortem purgationem non inveniri dicunt? ecce Chrysostomus dicit, nec potest ei contradici. Sed sapientissimus iterum Nyssæorum Episcopus, veluti cum his, verbis decertans ait: *nihil inconsulto, neque absque emolumento à Christi præconibus & discipulis traditum est: sed res plena utilitatis est, Deoque accepta*; commemoratio videlicet, quæ habetur in divino & admirabili sacrificio pro his qui in fide obdormierunt. Audis patrem hunc quod nihil inconsulto, sed omni cum animadversione, & ex traditione sanctorum Apostolorum agit Ecclesia, quodque in divinis officiis de fidelibus mortuis commemorationem facere est vtile admodum, ac Deo gratum? vult enim omnium salutem animarum, & bonorum amator & dilector & misericors Deus, nam quod dicit Propheta, quod unicuique reddet secundum opera eius, & metet quisque quod seminavit, & quæ sequuntur, de adventu omnino conditoris, & de eo tremendo iudicio dictum est, & de huius mundi consummatione: quia tunc auxilij tempus præterit, & omnis advocatio inutilis, nam dimisso conventu tollitur negotiationis commercium. Vbi tunc pauperes? ubi sacrificia? ubi psalmodiæ? ubi bona opera? idcirco ante illud tempus mutuo nobis opitulemur, & Christo Deo fratrum, hominum, & animarum amatori fraternæ caritatis officia præstemus: nam libenter admodum recipit, cupitque ut petamus, ut noster amans Dominus; is vero veluti dator munificus exhibebit, quæ pro alterius salute postulantur, eoque tempore plenissimè flectitur, non solum quando quis de sua anima sollicitus est, verum etiam quando pro proximi anima omni studio laborat.

Margin notes: Eiusdē. — Iob. 15. — Greg. — Chrys. — Idem. — Hæc supra ex l. 8. c. 4. 1. Apost. Const. — Gregor. Nyssæi.

SECTIO IV.

Quid autem & historia quæ de Macario narratur ostendit, quando aridam calvariam percontatus est, an sit sensus mortuis, cum pro iis oramus, nonne respondit aridum os, magnum levamen & requiem sentire, quando pro iis fit commemoratio? Præterea in vitis patrum una cum aliis multis & hoc inveni. Cum quidam ex his divinis hominibus, discipulum haberet negligentius viventem, & in extremo vitæ in eadem inertia deprehensum, misericors & animarum amator Deus, multis cum lachrymis petente sene, tanquam divitem illum, de quo Lazari refert historia, cum ostendit, qui in igne fervire tenus tenebatur. Sed cum is vehementius instaret, & cum lachrymis Deum obsecraret, usque ad eundum rursus ostendit: deinde iterum preces precibus addendo & impensius augendo, penitus liberum & ab igne solutum per visionem seni commonstravit, nam propter negligentiæ peccatum plectebatur: idcirco id facile expiari potest. At quis ordine poterit harum rerum testimonia recensere? quæ in sanctorum vitis continentur, divinas dico revelationes, quæ liquido comprobant mortuis admodum prodesse oblatas pro iis preces, sacrificia, & eleemosynas nihil enim deperit eorum, quæ Deo mutuo dantur, sed magno cum fœnore nobis retribuuntur; nunc igitur est tempus auxilij præstandi, nunc etiam sanctos nobiscum habemus, qui una legatione funguntur pro mortuis, ac pro iis deprecantur: nam de futuro non datur legatio; quando conventus dimittetur, & omnis subsidij spes tolletur, nunc tempus negotiationis & commercij; tempus laboris & pœnitentiæ. Et beatus qui emolutus non est, spe delinitus, & precibus: beatior qui pro se & proximo suo decertaverit; id enim magis oblectat misericordem Dominum & lætificat, festinare scilicet unumquemque ad subsidium proximo ferendum: hoc namque expetit misericors & vult, ut mutuo beneficia dum vivimus, & post mortem præstemus. Ad hæc per sanctos Apostolos incruentum sacrificium pro mortuis nobis tradidit, tertias, & nonas & quadragesimas, anniversarias commemorationes, & sacra, quæ absque controversia Catholica & Apostolica Ecclesia, eiusque in Deo congregatus & religiosissimus populus tenet inconcussa & firma. Solum schismaticorum sectatores, eorumque nefarium concilium hæc non recipiunt; idcirco ea sustulerunt & decreverunt ne conventus agerentur, nec preces pro defunctis offerrentur, ac si omnis labor frustra post mortem insumeretur. At de his quidem satis: quoniam oportet & aliarum rerum ad fidelium ædificationem mentionem facere, in ignominiam vero eorum qui non recipiunt animarum post mortem purgationem & suffragia. Magnus igitur & vehemens Athanasius in oratione elegantissima in eos qui obdormierunt, hæc inquit: *Licet is qui religiose vita functus est, positus in cœlo fuerit, ne respuas cereos & oleum Deum deprecando, ad illius sepulchrū accenden*

Margin notes: Ex vitis sanctorū Patrum. — Athan.

accendendum: Quippe cum Deus hæc recipiat, quasi ex eo magna accedat retributio: quia oleum & cera est holocaustum, incrementum vero sacrificium, propitiatio: benefacere pauperibus, est additamentum omnis probæ retributionis. Audis holocaustum & propitiationem, & quodcumq; aliud bonum pro defunctis salutare evadere adhibitis à nobis precibus? Rursus aurea lingua & aurea verba fundens Ioannes: *Nisi, inquit, ante providisti in vita ea quæ ad animam pertinent ordinare, quanquam in exitu vitæ constitutus, iubet tamen hæredibus tuis, ut tua ad se transmittant, & tibi opitulentur bonis operibus adhibitis eleemosynis dico & oblationibus, ut his tibi redemptionem concilies: nam is ea recipit & utilia sunt.* Intellexisti aurea verba quid sonent quod si non ante providisti dum viveres Deo reconciliari, & per pœnitentiam satisfacere, & bonorum operum beneficio purgari, & cœlestis omnino evadere, quamquam in exitu vitæ constitutus, iube tuis ut pro te sacrificia offerant, oblationes & eleemosynas, quæ tibi proderunt: nam ea Deo valde accepta sunt. Si ergo recipienda quæ pro mortuis offeruntur: ergo & utilia? quia nemo dicere audebit, inutile esse quod Deo acceptum est. Et idem rursus: *Scribe, inquit, in tuis tabulis una cum liberis & cognatis cohæredem etiam Dominum: contineatur in testamento iudicis nomen, nec pauperes oblivioni tradas: nam ego pro his ero fideiussor.* Sed quam vim habent hæc omnia, si subsidiũ post obitum animabus non remanet, ut vos arbitramini? qua nam de causa hæc tradiderunt sancti? num decepti sunt? at non ita licet insanire, ut id dicamus, imo valde prosunt, Deoque grata & accepta sunt. Vult enim salvos omnes fieri, omniumque salutem expetit, & omni ratione commode providet; quotidie excitat ab omni parte aliquos, qui illis auxilium afferant. At quis ex adversariis ea audiendo admodum exultans, & supercilium attollens dicet, hoc supposito quod omnes expientur post mortem, omnes ergo salvabuntur, & nemo frustrabitur, & si nemo sanctus dum viveret extitit, ergo salvatur post obitum beneficio eius, quod purgatio appellatur. Recte id quidem, & utinam vere id dicere valeremus, hoc sitit & exoptat hominum, animarum & bonorum amator Deus, & in hoc se præcipue oblectat, & lætatur, ne quis muneribus suis frustretur. Num in mundum venit ut cœlestes salvaret intelligentias? & ex semper virgine Deique genitrice Maria incorruptibili carne suscepta mortalis voluit esse, mortemque gustare? Num propter ipsas præmia & coronas paravit? Num Angelis dicit: *Venite benedicti patris mei, hæredes estote cœlestis regni quod pro vobis paratum est?* neutiquam id, nullo pacto. nemo reperietur tam stultus ut id dicat, sed propter hominem fecit omnia, & idcirco vult omnes homines salvos fieri. Quis enim ex nobis est qui prandio instructo, & convocatis amicis nolit omnes accedere, ac suis frui bonis? vel laborem suscepit tam magnifici apparatus nisi propter amicos? sed si non omnes vel aliquis tantum advenerit, vehementer hospes irascitur. Si hæc in nobis usu veniunt, multo magis in Deo optimo maximo, misericordiæ pleno divitiarúmque profuso datori ac pientissimo, qui vult omnes salvos fieri, & sua divina frui lætitia & voluptate, unusquisque animadvertat, quod nõ pro omnibus mortuis hæc fieri dicimus, ut sæpe dictũ est, & nunc exactius dicimus; quod pro sanctis non opus est, pro desperatis ac damnatis inutile, sequitur ut pro iis qui non ante satisfecerint: ut omnibus evenit, qui pro conficienda virtute exiguam fermenti portionem obtinent; nec ante provident ex eo panem conficere, volentes quidem, sed non valentes id perficere, vel inertia, vel ignavia ducti, vel propter de die in diẽ procrastinationem, & præter spem de medio sublati, horum non obliviscetur iustus iudex, & Dominus: sed in eorum opem affines post mortem suscitabit, eorúmque mentes diriget, & corda trahet & animum inflectet, ut subsidium & auxilium huic afferant, ac festinabunt Deo instigante & tãgente corda eorum & adimplebũt, quæ à defuncto omissa sũt, ut multis usu venit.

SECTIO V.

Huiusce rei testis Traianus Imperator & imaginum oppugnator Theophilus, quorum alter beati Gregorij dialogi Papæ; alter divinorum & sanctorum virorum, & Augustæ servatus est precibus: nunquam enim in salutem fuissent consecuti, nisi & aliqua ipsis virtus inesset, quam Dei iustitia noluit intercidere, vel si non virtus, at saltem confessio. Neque enim aut sanctorum virorum preces, aut Augustæ studium pro Theophilo valuissent, nisi prius ille suum peccatum esset confessus, sanctásque imagines colere & honorare iustum esse asseruisset: quoniam is valde virtute illustris extitit, sed cum in hæresim delapsus esset eorum, qui imagines oppugnabant, ut de eo conscripta docet historia, os eius admodum diductum est, ita ut viscera conspicerentur, post cum ipsa re venerabilium imaginum adorationem sanctam esse comprobasset, acceptam ex sinu cuiusdam eorum qui aderant cum totque imaginem reverenter osculabatur, paulóq; post ad tribunal inde raptus est: pro quo cum assidue preces à sanctis iis viris, & à regina effunderentur, ei venia data est. Nam Theophilum in somnis regina cõspexit vinctum tractumque ab innumerabili præcedẽtium & subsequentium multitudine, ante illum ferebantur diversa instrumentorum genera ad torquẽdum accommodata. Ipsaque sibi videbatur eos sequi, qui ad pœnam adducebant, quousque ad conspectum terribilis iudicis pervenerunt; Theophilúmque ante ipsum statuerunt; provoluta igitur ad iudicis illius tremendi pedes, enixe pro eo multis cum lachrymis Augusta pro viro suo deprecabatur; ad quam terribilis iudex dixit; Mulier magna est fides tua propter te sacerdotúmque meorum preces coniugi tuo do veniam: tunc ministris suis dixit, solvite eum, uxorique eius tradite. Similiter & sacer patriarcha, omnium hæreticorum, Theophilique ij suis adnotatis & scriptis nominibus, hæc eadem sub sacra mensa collocavit, eadémque nocte qua regina visionem aspexit, vidit & ipse divinum Angelum magnum templum ingredientem, qui dixit, Episcope, exauditæ sunt preces tuæ, & veniam Theophilus impetravit. Somno ergo experrectus ad sacram mensam devenit, ibique cum legeret paulo ante conscriptum libellum, invenit (ô Dei iudicia) Theophili nomen abolitum. Ex hoc igitur loco propositum de purgatorio dogma aperte convincitur, nam si sanctus extitisset, vinctus veluti damnatus non incessisset: si vero pœnitus, desperatus & pœnitentiæ fructu orbatus, veniam non esset consecutus. Itaque mediæ classis cum esset & pœnitentiæ beneficia sibi præsidium comparasset, divinorum & sanctorum virorum precibus auxilium impetravit, pro desperatis enim si totum mundum tradideris, ut sæpe dictum est, incassum laborabis. Huius rei testis antedictus sacer Ioann. Damascen. in oratione antea commemorata, ubi dicit: *Qui vitam flagitiose traduxit, & sordibus semper involutam, & sordium fœditate respersam, nec suam unquam conscientiam introspexit, sed intrepide simul nullo habito discrimine voluptatum se fœditatibus contaminaverit, omnibus cupiditatibus carnis obsequendo, omnino animæ cura deiecta, nihilque aliud quam carnem sentiens, in iisque cogitationibus deprehensus è vita discesserit, huic nemo manum porrexerit, sed ita secum agitur, ut nec ab uxore, vel liberis, fratribus, cognatis, vel amicis ei omnino subveniri possit, quod in mensura Deum non habeat.* Vides quo modo sanctus hic vir dixit, quod qui pro his deprecatur, insanit, veluti extra Dei mensuram collocati? de his scriptum est, *Non est in inferno pœnitentia*, & reliqua de media classe, id est, de his qui sub pœnitentia moriuntur esse sollicitos. Inerosa res est admodum, & plane fructuosa. Nolumus igitur vivis ansam & prætextum præbere eleemosynas non exhibendi, sed post obitum reservate. quippe enim absurdum id & profanũ, & à divina lege alienum: sed præstantissima

res

res Deo grata & in totum acceptabilis, omnem hominem religiosum, Christique amantem esse: seque ipsum multiplicibus, ac bonis operibus purgare, & omni ab impuritate abstinere, Dei speciosis præceptis obsecundando: ut cum ad exitum vitæ devenerit, cum fiducia Domino dicat, *Paratum est cor meum*: itaque iucunde bonis Angelis instigatoribus occurrat. At hoc quidem pauci faciunt, & minus sæpe secundum verbum Domini, quia pauci, inquit, salvantur: id pro comperto habentes, arduum esse multos ex primo ordine reperiri; necessarioque secundum inducimus ordinem, Apostolorum & patrum vestigiis insistentes: quoniam defuncti, Dei bonitate iuvantur, & caritas fraterna augetur, & resurrectionis spes stabilitur, & ad sacras ædes concursus ardentius augetur, & erga pauperes beneficentia magis extenditur. Vide quam multipliciter hæc res proficua est & utilis: & quot modis occasio reconciliationis inter omnes oboritur. Hoc qui nolunt, neque amplectuntur, Ecclesiasticum ordinem tollunt, & mortuorum sacrificia abdicant, & impediunt, quæ non incassum à doctoribus excogitata sunt, sed absit ut hoc unquam fidelium quis credat, vel omnino recipiat. Sed hoc admodum utile existimantes, ne cessemus unquam fratres pro mortuis commemorationem facere: nam ij magnum levamen & subsidium sentiunt ex orationibus, precibus, eleemosynis, aliisque piis operibus, quæ nobis opem ferentibus præstantur. De hoc igitur sacri & divini Apostoli in suis constitutionibus præcipiunt, ubi scriptum est: *Celebrentur tertia mortuorum in psalmis lectionibus atque orationibus; propter eum qui tertia die resurrexit, & nona in commemorationem superstitum, & defunctorum, & quadragesima, secundum veterem formam. Moysem enim ita populus flevit. Et anniversaria pro eorum memoria: tradatur de eorum facultatibus aliquid pauperibus in commemorationem eorum.* Hæc de piis dicimus. Nam de impiis si totum orbem tradiderimus, nihil proderit, cui enim viventi fuit Deus adversus, apertum est, futurum ei etiam adversum esse mortuo, quippe cum non sit iniquitas apud Deum. Nam iustus est Dominus & iustitias dilexit, & ecce homo & opus eius, & tu retribues unicuique secundum opera sua. Audis de factis Apostolis qua ratione pro mortuis fidelibus sacrificia, & preces sanciunt adhiberi? id est quod sæpe diximus, quod pro puro & contrito corde in hac vita pœnitentibus; sed non secundum præscriptas leges id perficere valentibus mortuis deprecamur. Pro his Deum placare conamur, & invocamus, precamurque aliquid, unde ipsis allevatio, & utilitas accedat, hocque est quod in decreto eius Ecclesia purgatorium vocat, in quo post obitum purgantur animæ; orationibus precibúsq; à vivis fidelibus pro eorum semper subsidio susceptis. Nam ut id in gratiam sanctorum vel impiorum fiat, nemo sanæ mentis æstimabit: sed nec pro Christianis impœnitentibus, idem enim peccatoribus & impœnitentibus Christianis continget, quod iis eveniet, qui verum Deum Christum non cognoverunt; usque etiam multo deterius quam: *Qui non cognovit*, dicit Evangelium, *voluntatem Domini sui, & fecerit digna plagis, vapulabit paucis: qui autem cognovit voluntatem Domini sui, & non præparavit & non fecit secundum voluntatem eius, vapulabit multis.* Pro his si verba sacrorum Apostolorum audisti, dicta sunt; cum dicunt: hæc de piis dicimus, id est de pœnitentibus, pro impiis vero si totum mundum tradideris nihil profeceris. Hoc idem asserit etiam lingua aurea Ioannes. *Nemo, inquit, hinc eo digrediens, nisi sua solverit peccata, quin rationem gestorum reddat, valebit effugere. Sed quemadmodum de carcere hoc catenati ad tribunal rei ducuntur: sic & animæ omnes si hinc impœnitentes decesserint, variis peccatorum circundatæ vinculis, & ad tremendum iudicium rapiuntur.* Aspicis & hic quomodo hinc imparatæ decedentes animæ post mortem auxilium suscipere non possunt? Sed eo modo quo exeunt, cum peccatorum oneribus ad tremendum tribunal trahuntur: sed quæ pœnitentiam subierint & fervidis cum lachrymis Deum placaverint, adhibitis pro iis sacrificiis & expiationibus, valde iuvantur.

Ps. 56.

Lib. 8. const. 4.

Exod. 34.

Luc. 12.

Chrys.

SECTIO VI.

NOn (inquit novorum scurrarum asseda) æmolumenti aliquid; vel subsidij mortuis accedit, idcirco eorum commemorationes otiosas reliquerunt, si vero aliquid accedit, id divinæ misericordiæ inquiunt, permittamus. At nos illis respondebimus, quid significare quadragesimas volunt, & per singula sabbata commemorationes, oblationes, anniversaria, monimenta & sacrificia mortuorum, quanam de causa? pro quibus? cur fiunt? si pro sanctis dixerit, falsus est sermo: manifesta est, & parata confutatio. Gregorius dialogus in dialogorum libro ad Petrum, ait: *Et tamen luce clarius constat, quia perfectorum animæ mox ut huius carnis claustra exeunt, in cælestis regni sedibus recipiuntur.* Si igitur in cœlestium sedibus, & una cum Christo sunt, pro iis non opus est oblationes, vel placentas, & pro peccatis sacrificia offerre Deo. Si vero pro iis qui in inferno detinentur dixeris, nec id verum est, imo nec tu ipse dices nisi penitus insanieris, si vero non, & dives dum in igne torretur, stillam aquæ obtinuisset. At hoc nequaquam est, quamobrem invitus & nolens pro mediis id fieri confiteberis, at pro quibus? pro fidelibus, pro pœnitentibus, pro quibus iam sæpe diximus. Quanam de causa, & cur? ut Deum in eorum gratiam places, & quod illi dum viverent, præstare non potuerunt, tu pro illis adimpleas. Non, inquit adversarius, non propter hoc: sed in gratiam sacerdotum id institutum est: ut & ipsi præsidia vitæ sibi comparent, oblationes & eleemosynas accipiendas, ô insaniam; ô stoliditatem, vel ut magis proprie dicam, ô impudentiam, & blasphemiam; Dei sponsa immaculata, omnique reprehensione superior Ecclesia, misericordis, & veri Dei prædicat errores, muta fiant dolosa labia, quæ adversus Dei loquuntur Ecclesiam, non enim ut inde sibi victum pararent sacerdotes, id Ecclesia constituit? nam id cogitatu solum impium, ac penitus stultum est: sed in utilitatem mortuorum sancitum est, ut sæpe diximus, nec pluribus verbis est opus, si unum vel alterum testimonium addidero, quæ ultimo loco reservavi, deinde vestris obiectionibus respondebimus, & orationi finem imponemus. Gregorius dialogus Ecclesiæ Dei præses, cuius antea fecimus mentionem, in oratione & libro dialogorum prædicto sic ait. *A te peto beatissime pater quidnam esse poterit, quod mortuorum valeat animabus prodesse*, Gregor. *Si culpæ post mortem insolubiles non sunt, multum poterit salutaris sacrificij oblatio animas adiuvare.* Audis quod animæ post mortem adiuvantur? Oportet igitur scire de quibus intelligat. De sanctis nemo mentis compos dicere audebit: at neque de desperatis, sequitur ut iis, qui pœnitentes moriuntur hæ purgationes & auxilia prosint, non enim sola confessio & pœnitentia sufficit, ut ipsum in regna cœlorum perducat: quemadmodum indocti quidam & insensati sæpe numero nobis obtendunt: Sed necesse est antea satisfacere de peccatis, opere simul, & omissione commissis. Pœnitentia namque, fervidáque confessio, occasio est viam inveniendæ salutis. Si vero præventus ex hac vita, & seculo decesserit, ab æterna damnatione redimitur: quam subiisset, si eum non pœnituisset. At deliciarum & lætitiæ paradisi non fit hæres nisi sufficienter seipsum purgarit, & dignum se illius hæreditatis ostenderit. Unde animarum bonique amator Dominus Deus, de omnium salute sollicitus & omnes fieri salvos cupiens, ei quem toto corde suorum criminum pœnituerit, si satisfacere præventus morte nequiverit, pœnam purgationis tribuit, ut temporario & purgatorio igne purgatus, à sempiterno & sine fine igni liberetur. Nec ut à damnatione tantum liberetur, sed & cœlestis habitationis capax evadat, secundum oraculum, *tanquam aurum in fornace, probavit illos: & quasi holocausti hostiam accepit illos:* Exemplum purgationis huius tradidit ipse idem Gregorius in eodem

Obiectio

Lib. 4. 25.

Gregor. lib. 4. cap. 25.

loco

loco ad Petrum, eundem sequentem sermonem. Dicit enim: *Vnde hanc vtilitatem nonnunquam ipsa defunctorum anima expetere videntur, quemadmodum prædictus Felix Episcopus a quodam vita venerabilis Presbytero cognovisse se asserit, qui Presbyter vsque ante biennium vixit & in diœcesi Centumcellensis vrbis habitabat, atque Ecclesiæ beati Ioannis, quæ in loco qui dicitur Tauriana sita est, præerat. Idem igitur Presbyter in eodem loco in quo calidæ aquæ sunt, quoties necessitas corporis exigebat, lavare consueverat. Die vero quadam cum ea fuisset ingressus invenit quendam incognitum virum ad suum obsequium præparatū qui sibi de pedibus calceamenta abstraheret, vestimenta susciperet & exeunti de thermis sabana præberet, & omne ministeriū cum magno famulatu perageret. Cumque hoc sæpius fieret, die quadam idem Presbyter ad balnea iturus intra semetipsum cogitans dixit, viro illi qui mihi solet tam sincere ad lavandum obsequi, ingratus apparere non debeo, sed aliquid mihi necesse est ei pro munere portare; duabus ergo oblationibus sumptis profectus est, qui mox vt pervenit ad locum hominem invenit, atque ex more eius obsequio in omnibus vsus est. Lavit itaque & cum iā vestitus voluisset egredi, quas secum oblationes ferebat obsequenti sibi viro pro benedictione obtulit, petens vt caritatis gratia ea susciperet; cui ille mœrens afflictúsque respondit, mihi ista quare das pater? iste panis sanctus est, ego eum manducare non possum. Ego etenim quem vides huius loci Dominus aliquando fui culpis meis hic post mortem condemnatus sum; si autē mihi quid præstare vis, omnipotenti Deo pro me offer hunc panē & pro peccatis meis deprecare. Et tunc exauditum te esse cognosce cum huc ad lavandum veneris, & me non inveneris. Et his dictis disparuit, & is qui homo esse videbatur, evanescendo innotuit, quia spiritus fuit. Idem vero Presbyter hebdomadam continuam se pro eo cum lacrymis afflixit, salutarem hostiam quotidie Deo offerens. Et reversus postea ad balneum, eum ibi in posterum non invenit.*

SECTIO VII.

Ex his igitur verbis ostenditur quantum animabus conducat sacræ hostiæ oblatio, quando eam spiritus defunctorum à viventibus petunt, signisque significant, quod per eam à peccatis redimuntur. Vbi nam est nidium insensatorum, & misere senescentium legislatio, qui nolunt pro mortuis offerre sacrificia? scilicet his qui in vinculis detinentur, non autem Sacerdotibus exhibere, quando defuncti spiritus nulla pro detentis in carcere sollicitudine distinebatur, vt eis eleemosynæ fierent, sed vt sacrificium offerret Deo, à Sacerdote flendo petebat: honestum enim est, & Deo acceptum opus eleemosynas etiam in eos erogare, & aliis piis operibus studere, nemo est tam stultus, qui huic rei adversetur. Sed omnibus antecellit Missæ sacrificium, quod pro defunctis offertur Deo. Hæc & alia his similia, memoratúque digna exempla in eadem narratione beatus hic pater & magister adjungit, dum exponit animarum post mortem purgationem, quæ propter eorum prolixitatem huic loco non apponuntur, sed eo lectorem remittimus. Ac si quis sedulo librum perlustraverit, ab omni contentionis studio se vindicatorum confido. Nam animæ quæ ex hoc mundo minus in satisfactione perfectæ discedūt, pœnis & igni destinantur, non combustivo, sed purganti, nec sempiterno, sed temporario, vt in eis temporaria pœna, & igne illo à suis criminibus purgentur, quorum in hoc sæculo integram satisfactionem persolvere non potuerunt: possunt autem ipsis, vt à lacrymis & gemitu inferni liberentur, tempúsque abbrevient quod ibi manere debuerant secundum mensuram peccatorum, sacrificia, & alia bona piáque opera quæ pro ipsis suscipiuntur, secundum divinum & sacrum decretum. Ac veluti si quis per menses sex, aut annum ad carcerem damnaretur, potest Iudex necessariorum precibus permotus, tempus contrahere, de carcere educere, & libertatem abeundi concedere: Sic & animæ quorumdam ob propriam damnatæ negligentiam, Sacerdotum precibus, & cognatorum piis operibus à pœnis redimuntur, eásque regni cœlestis participes facit clemens, bonique amator Deus. Hoc idem & beatus Ioannes Damascenus tanquam ex mortui persona canit orans: *Imago sum, dicens, ineffabilis gloriæ tuæ, & stigmata fero peccatorum, miserere tuæ creaturæ Domine. Et pro tua miseratione emunda, & exoptatam mihi patriam concede, paradisi civem me rursus constituendo.* Similiter & ad invitatorium Sabbati ad Matutinum, secundi toni ad septimum cantum canonis mortuorum tertio versiculo, dicit: *Magna & immensa misericordia abyssus infinita dilectionis tuæ: peccatorum remissionem eis, qui ad te transierunt tribue, & ob tuam gratiam mundatos eos ostende, nostri illud, pro tua misericordia emunda, & illud, mundatos eos ostende,* quamobrem mortuus exclamat nonne vt eo igne purgationis purgetur? Et nos rursus cum pro mortuis deprecamur? sane vt eos purgatos in die retributionis ostendat: Id mutuatus à beato Paulo doctor ait: *vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit quia in igne revelabitur, cuius opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet.* Possumus & nos secundum opinionem nostram hæc verba sic intelligere: & si alii aliter exposuerunt, quod cujus opus manserit, id est, intactum ab igne, quia hinc lumen accipiet, mercedem accipiet. Itaque est justorum opus: transibunt enim justi per ignem illum, & nemo contradicet, vt aureus Ioannes testatur in 4. homelia in Matthæi Evangelium: *Nam sancti (inquit) per fluvii huius ignem incedent, nec molestiam vllam suscipient, imò verò hilares conspiciuntur.* Quomodo enim quicquam patientur, si hic perfecte mundati fuerint? cujus verò opus arserit detrimentum patietur: id est, qui habet levia, nullíusque ponderis peccata, comburentur ea velut fœnum & stipula, quoniam ea facile absumit ignis. Nam id innuens beatus Paulus aiebat, qui superædificaverit super fundamentum hoc ligna, fœnum, stipulam, quasi diceret, qui ex hoc mundo discesserit, habens peccata venia digna, quasi stipulam, fœnum, & lignum, facile ignis absumet, & detrimentum patietur, id est, ad tempus plectetur: opere combusto quasi digno vt aboleatur & deleatur, ipse vero salvabitur: sic tamen tanquam per ignem, quod si & hoc modo dixeris, non multum aberraveris. Quod cujus opus manserit, id est, qui hinc migraverit peccatis mortalibus detentus, manebit opus tanquam grave instar ferri, vel lapidis, quæ quidem non facile absumit ignis. Hic operis sui mercedem recipiet, sempiternam damnationem; cujus vero opus comburetur, ipse salvabitur, quasi per ignem; vt aurum si ei fuerit admistum materiæ ab ipsius alienæ natura adulterinum evadit, ac de suo splendore diminutum inutile redditur: at si probatum igne fuerit, vitium illud absumitur, & abolitioni traditur: aurum vero pristinum nitorem recipit, sic & anima per ignem purgationis elutis sordibus, propter quas ex negligentia & inertia sordescat, rursus ad priorem splendorem & nobilitatem revertitur. Hanc meam sententiam confirmavit cœlitus demissus & sacer Basilius in expositione beati Esaiæ Prophetæ super ea verba? *quod si abluerit Dominus sordes filiarum Sion, & sanguinem laverit Ierusalem de medio eius in spiritu iudicii & ardoris.* Hæc verba aperte idem dicunt cum Ioanne: quod dicit de Domino, *ille vos baptizabit in Spiritu sancto & igne*; de se vero, *ego vos baptizo in aqua ad pœnitentiam*: cum igitur vtrumque Dominus conjunxerit scilicet quod ex aqua est ad pœnitentiam & ex spiritu ad regenerationem ac verba vtrumque baptisma significent, nequaquam sunt tres significationes baptismatis, sordium purgatio, spiritus regeneratio, & ea quæ fit igne segregationis probatio. Quapropter, lavare, pro peccati depositione, quæ in hoc mundo fit, sumitur illud vero, spiritu judicii & spiritu ardoris, pro ea quæ in futuro sæculo fit probatione per ignem, accipitur. Egent autem commissa per ignorantiam peccata, quasi sordes quædam, animæ nitorem labefactantes,

& naturalem ejus pulchritudinem deturpantes, lotionis purgatione; peccata vero ad mortem, eorum qui sponte delinquunt, & id cognoscunt, sanguis appellantur, egéntq; judicio ardoris. Sed quia qui confitetur, lavari vult & purgari, & iniquitatem lotione dicit indigere & peccatum purgatione, dicens: *Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me,* [Psal. 50.] qui divinarum doctrinarum penitus sunt expertes, & ante verbi cognitionem deliquerunt, tanquam sordibus commaculari, egent ea quæ per aquam fit purgatione: qui vero post acceptam vitam, si ipsis insidias struunt, sanguinis rei, ea quæ per ignem fit purgatione indigent. Possumus etiam simplicius interpretari, quod ea peccata quæ velut in superficie sunt, & intus non latent, sordibus quodammodo sunt similia: profunda & interiora ex pravo habitu delinquentium, commissa, sanguini comparantur. Idcirco ex medio peccatorum, per spiritus vstionem purgari dicitur sanguis Prophetæ: *Et comburetur sicut ignis iniquitas.* Basil. *Habet commutatio quandam beneficij speciem, quia comburetur sicut ignis iniquitas. Nam paratam ex parte iniquitatis materiam aboleri, pro hominum beneficio, à bonitate Domini constitutum est.* Prophetæ: *Et sicut gramen aridum devorabitur ab igne, & comburetur in densitatibus sylvæ.* Basil. *Quomodo demergitur in terrenis affectibus anima sicuti gramen affectus animæ serpunt ex carnis appetitu pullulantes, mutuo se generantes, & alios de aliis producentes. Nam veluti gramen supra modum inter herbas geniculatum est, nec vnquam eius generatio desinit: sed semper prima generationis finis fit sequentis principium, talis est & peccatorum natura: ipsa seipsam suscipit, gignit libido libidinem, consuetudo mentiendi, fit mendacij mater: & qui in furtis meditandis versatur facile iniuriam audet inferre, peccandi enim occasio fit præcedens peccatum. Si igitur per confessionem peccatum aperuerimus siccum id gramen reddidimus, vt à purgatorio igne devorari mereatur. Id autem in densitate sylva comburitur.* Et paulo post: *Si non evaserit vt gramen aridum, nostrũ peccatum ab igne non devorabitur nec comburetur.* Et iterum: [Luc. 12.] *Propter furorem iræ Dñi, combusta est omnis terra.* Ostẽdit terrena pro animæ beneficio tradi punitionis, sicuti Dñs subostendit, dicens: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur.* Prophetæ: *Et erit populus sicut ab igne combustus.* Basil. *Non interitum minatur, sed purgationem subostendit secundum Apostoli dictum quod si cuius opus comburetur damnum patietur, ipse vero salvabitur, sic tamen tanquam per ignem.* Audis magnũ patrem hunc, quomodo eluitur & deponitur hic malitia: in futuro vero probatur & purgatur ab igne? & quod pro animæ beneficio, à bonitate Dñi, punitionis ignis ille est constitutus? & quod peccatum parata materia abolétur, ac velut gramen aridum comburitur, si per confessionem denudetur; si vero non denudetur à purgatorio igne devoratur? Et quod interitum non minatur, sed purgationem subostendit, dum hæc dicit, beatus hic Apostolica illa verba adducit, *ipse vero salvabitur sic tamen quasi per ignem.* Nam *salvabitur,* salutem ostendit vt verbum ipsum sonat, non perditionem, vt quidam volunt.

SECTIO VIII.

Si igitur quæ antea dicta sunt omnia, & magni Basilij verba falsa sunt, etiam quod à Latinis vocatur purgatorium falsum est, quod si vera sunt, sicuti sunt, bene factum decretum dicit & vere, laudabiliter Latini sentiunt, & recte, iuréque & absque culpa sanctæ Dei Ecclesiæ nos aggregavimus: boníque viri, & religiosi munere fungimur vnionem & conjunctionem pacis & concordiæ servando, fuit in animo alia etiam testimonia & dicta sanctorum huic argumento adjungere, sed qui iis fidem non adhibuerit, neq; aliis adhibebit etiamsi multo plora quis addiderit. Idcirco satis esse, quæ supra exposita sunt arbitramur ad discretos & discendi cupidos homines convertentes sermonem, qui & suam expetunt salutem, vtrumque, quoad possibile sit, & intelligunt breviter, & amplectuntur libenter, non litigandi & contendendi studio quicquid occurrerit adducentes, sicuti ij faciunt, qui veritatem incessanter impudenter ob animi pravitatem, & mentis hebetudinem abjiciunt. Et hæc quidem hactenus: Nunc ad ea quæ contendentes nobis objicitis, orationem cõvertemus: [Obiect. 1] dicunt enim qui his adversantur, primum quod homini sufficit in extremo peregrinationis suæ die, pœnitentia cum lacrymis, fervens confessio ad salutem, & ad cœleste regnum obtinendum. Latronis cujusdam exemplum nobis objiciontes, qui nocte vna compunctus expiravit statim; cúmque Angeli advenissent, nihilque aliud quam paulo ante effusas lacrymas reperissent, dæmonibus reclamantibus in eo nihil boni inveniri, sanctos Angelos mantile lacrymis madefactum in trutinam posuisse aiunt, itaque dæmones, Dei misericordia confudisse. Meretricis etiam exemplũ inducunt, atque alia his similia, non percipientes homines quod hæc pro nobis faciunt: nósque sic respondemus, effusas lacrymas eum salvasse & sempiterna vindicasse damnatione, quam proculdubio subiisset, nisi pœnitentiam illam & lacrymas ostendisset: sed cœleste regnum nunquam impetrasset, nisi purgatorius ignis eo dignum effecisset. Hi sunt qui in purgatorio purgantur, qui ferventem pœnitentiam commonstrant, & contrito corde ex hoc mundo discedunt, quia non est acceptio personarum apud Deum. Necesse igitur est ei, qui Deum videre cupit, vt animam suam in antiquam pulchritudinem restituat, quam ante inobedientiam & damnationem in paradiso Adamus obtinebat: & propterea ibi eum collocavit, cum esset sine peccato, sed cum offendisset & peccasset, inde expulsus est. Qui volunt igitur paradisum incolere, ita purgentur, vt in iis nec macula nec livor reperiatur. Non enim sola sufficit pœnitentia, nam si sufficeret, nunquam viventes formulis vterentur, quæ post peractam confessionem sunt institutæ. Ac veluti à spiritualibus patribus pœnæ assignantur iis, qui in vita confessionem adhibent, vt maculis quibus animæ eorum sunt respersæ, mundentur: sic & iis qui in vitæ fine constituti pœnituerint, & fervidis cum lachrymis confessionem peregerint, & statim decesserint pœna assignatur purgatorius ignis, vbi affligitur & maceratur anima, cum in memoriam revocat amissum tempus cũ in peccatis versaretur. Sed tẽpus abbreviant, & à cruciatu liberant preces, oblationes & orationes, vt sæpe dictũ est. Qui non credit, ex me audiat illud, quomodo voce psallit, *à lacrymis & gemitu inferni servum tuum salvator libera.* Sancti namq; neq; gemunt neq; flent, sed neq; in inferno vllo modo sunt, desperati, & impij quidem flent & plectuntur in inferno. Sed de iis commemorationem facere non est opus, cum frustra sit, vt pluries à nobis expositũ est. Consequens est, vt ij sint quos dicimus in pœnitentia decessisse, & non satisfecisse, quos in inferno cum impiis & desperatis esse negamus, in obscuro & caliginoso dãnationis loco, neq; vero eosdem aut inutiliter gemere, aut incassum flere concedimus sed in medio scilicet purgationis loco, vbi seorsum & doloribus excruciãtur & gemunt, quod sua sponte bonis fuerint privati, quodque post dissolutam corporis compagem, non ea statim sint assecuti, pro quibus a tenebris redimi deprecamur, & à tristibus quibus detinentur vinculis liberari, & de custodia educi, & cum Malachia Propheta canimus, quando dicit, [Malac. 3 sed paulo aliter.] *quasi ignis in fornace & quasi herba fullonum purgabit, mundabit Deus quosdam.* At ille æternus ignis neminẽ mundat neque lavat. Si ergo sancti lotione vel mundatione non egent, (sunt enim labis expertes) sed neque qui in inferno degunt impij, & impœnitentes eluentur, vel mundabuntur vnquam: nam desperati sunt: qui ergo sunt, quos lavabit, & mundabit Deus secundum Prophetam? at ij sunt quos medios nominamus. Aliqui si peccatores in extremo vitæ constituti, sola confessione veniam impetrent, supervacanea

sunt

sunt omnia quæ fieri sanait Ecclesia. Secundam adversus nos objectionem adducunt, quod si ei qui obdormierit opitulari opus est, & si omnino datur subsidium, habentibus qui auxilientur, dabitur, at pro non habentibus quis deprecabitur? & hanc quam primum dissolvemus: quippe cum hi quoque binos habeant adjutores, hic Ecclesiam, & ibi purgatorium ignem, quod in pœnitentium subsidium comparatum est. Rursus dementes estis, neque percipitis Ecclesiam Dei semper orare pro mortuis, & singulis Sabbatis pro animabus tantum facere commemorationem. Præterea bis in anno pro defunctorum memoria celebrat festum, in Sabbato dico, quod carnis privium præcedit, & ante Pentecosten. Hoc eo fit, vt simul omnes comprehendant, & eos qui cognatos, qui curam de iis suscipiant, pariter & qui non habent, vt & ipsi cum omnibus in commune hujus subsidij participes efficiantur. Tertiam postea & vrgentiorem nobis afferunt admodum exultantes, & supercilium attollentes. Esto dicentes, purgentur nunc animæ, quousque vniversalis adveniat resurrectio: sit tempus in quo cruciatus, gemitus, & lacrymas in inferno perpetiantur, sicuti vos asseritis: peracta purgatione, regni cœlestis compotes fiant; sed in eo mutationis die secundum beatum Paulũ, & qui tunc vivunt aderunt, qui ante mortuos non resurgent, quia in ictu oculi & in momento vivi commutabuntur, & mortui resurgent, quomodo tempus tenaces in ictu oculi aggredientur & laborẽ insument? vbi sacrificia, eleemosynæ & reliqua propter angustiam temporis, in quo certamen peragitur, & coronæ traduntur, & vnusquisq; recipit secundũ opera sua? Quid ad hæc respondebitis vos, qui Florentinam Synodum amplectimini & strenue ipsam prædicatis? qui tẽpora assignatis iis, qui purgãtur in tristi, & tenebroso loco illo; quod adversus hæc asseretis? huic rei adhibita lenitate animi, aures quæso, accõmodate. Quia justus est Dñs & justitias amat, & semper est de animarum salute sollicitus; qui nunc in vera pœnitentia decedunt, eos vt sæpe dictũ est, transmittit ad purgatorium vnicuiq; tempus in quo purgetur assignãs, secundum commissi proportionem, cæteris eo tempore multipliciter & multifariã salutem parabit. Primum quidẽ pœnam incomprehensibilem tradit, Antichristi scilicet tentationem, qui secundum scripturas vexationem magnã exhibebit etiã electis servis Dei, patientia vero eorum salvabit illos, secundum verbum Dñi, quod qui perseveraverit vsq; in finẽ hic salvus erit, & qui vitæ finem sortientur, alio modo salvabit illos, acerbiorem iis, quam purgatorii, ignis assignans pœnam vno tantũ momento temporis, quam si anni centum intercederent. Exempli gratia, magistratus pro vno & eodem crimine duos comprehendet: quorum alterum, annum vnum damnabit ad carcerem, & liberabit: alterũ alia pœna vinculis graviore, vt vna hora cruciatus suppliciorũ decem experiatur, & liberabit, quis ex duobus, dic mihi, acerbiorẽ pependit pœnam? qui per annum sit commoratus in vinculis, an qui per breve temporis spaciũ tortus fuerit? Apertũ est quod iste; sic & in illa hora, & vno ictu oculi, potentiatũ Dñs qui omnia potest, & hoc efficere potest, acrem assignando pœnam in indivisibili tempore tunc iis, qui deprehensi fuerint in pœnitentia & purgatione; nec satisfactione vti potuerint, alioqui judex potest efficere, [illegible] Dominus non potest? Sed hæc jam satis à me exposita sunt: & recte vt arbitror, non contendendi studio demonstrandi hæc conscripsimus; sed quoad ejus fieri potest veritati patrocinari cupiendo, sed qui his fidem non adhibebit, neq; si quis à mortuis resurgat, persuadebit vnquam? Tu autem orthodoxe, quantum satis est, habes tertij capitis demonstrationes, & testimonia, quæ à sacris Scripturis Theologorum, & Ecclesiæ Doctoribus colligentes, pro viribus exposuimus. Ex quibus liquido comprobavimus, animas post mortem magnum capere emolumentum. In his mane, in his esto quippe cum aliter esse non possit, quam Ecclesiæ luminaria docent.

Obiect. 2

Festũ pro defunctorum memoria

Obiect. 3

QVARTI CAPITIS IN DECRETO SYNODI contenti, demonstratio.

SECTIO I.

De fruitione Sanctorum.

HOc est quartum decreti caput, quod vt periculosum criminantur, & ab orthodoxa fide alienum: videlicet, quod sancti sint in gloria Dei, & lætentur visione ejus, ac quatenus animæ perfecte participes sint ejus divinæ fruitionis. Sed quidam recipiunt, ex numero inquam schismaticorum (schismaticos enim eos appello, qui sacram non sequuntur Synodum) quidam vero negant. Cæterum adversus eos qui confitentur, non est disputationi locus; sed adversus dubitantes, vel contra sentientes, necesse est nobis omni conatu disserere, & strenue respondere: vt etiam hoc vna cum aliis stabiliatur, & iis qui discrimen hujus rei percipere volunt, veritas innotescat, qua cognita, schismaticorum insaniam perspiciant; quodque sine vlla prorsus ratione Synodo adversantur, & sanctis qui apertissime hanc sententiam in libris suis Theologicis comprobant. Servata igitur eorum quæ antea exposuimus consequentia, incipiamus rursus his cum charitate respondere. Deprecor ergo vos, vt attente audiatis quæ mox dicturi sumus, vt omnis offensio, quæ concordiam possit impedire de medio tollatur: veritas vero in omnium animo insita, fructum pacis, & charitatis producat; cesset que lis & contentio, concordia vero, & charitas consequatur. Vnde igitur initium sumam, vel vnde incipiam fratres? vndique divinas Scripturas, sacrum Evangelium, & Doctores Ecclesiæ video aperire iis quæ à vobis afferuntur, contradicere; vos vero ex vestris nil necessario concluditis, nisi ante communem resurrectionem, sanctos & peccatores quæ merentur præmia, vel pœnas non recipere. Id profecto fratres, vt viri eruditi judicant, nullam vim habet. Quod autem justi, & peccatores à die exitus eorum recipiunt, Deo verba subministrante dum os aperuimus, ostenderent. Sed ordine incipiendo, etiam hoc loco oportet rationem veluti in judicio proponere, vt hoc dogma Sole clarius, & purius elucescat exacte interrogando & respondendo perpensum.

SECTIO II.

INterrogamus ergo vos ô fratres, quamobrem justos in præsentia mercedem recipere nolitis? si quia nondum advenit resurrectio dicitis, hoc non excludit justos non recipere: nam semper Deus justus est, & nunc, & in resurrectionis die: nam si justus est, quemadmodum est (scriptum est enim, *justus est Dominus, & justitias dilexit*) sancti vero propter eum, qui vere justus est, animas suas tradiderunt, vt cum justo Deo requiescerent: nunc sane sequitur vt apud Deum sint: quoniam tales post mortem firmiter justi sunt & tu orans psallis, fac requiescere illos vbi juste requiescunt, quod si cum justo Deo non requiescunt in dubium eorum justitia revocatur; quod tibi etiam non placet. Nullatenus dicunt, recipiunt justi, nunc vel beatitudinis omnino participes fiunt, sed cum tempus

Psal. 10.

erit se fruituros sperant, & in hoc exultant, & lætantur. Hoc autem simile erit sitientibus, & exustis, cum juxta fontem aliquem assident; suique enecantur, aquam prope conspiciendo, & repleri cupiendo, ad incendium, & æstum compescendum ex labore, & defatigatione susceptum: sed ab aliqua indivisibili se præpediti potare non possunt, magisque aquæ inspectione inflammantur, sitisque augetur, & misere, vt par est, aduruntur; at hoc vel lactentes infantes deridebunt, si potandi spe sitiens oblectatur, quamvis aquam non attingat. Sed, vt ego arbitror, non solum non oblectari justos oratio vestra concludit: imò tristari magis, & angi vehementes: an verò ita se res habeat consideremus, summum bonum vt Sancti & Theologi sentiunt, solus Deus est; est autem gaudium, exultatio, desiderium, appetentia; qui igitur bono privantur, gaudio, & exultatione absque dubio privantur; at sancti si privantur, tristantur, si tristantur, anguntur, huicque nemo contradicet: sequitur ergo secundum vos angi justos, at id absurdum plane est, si in præsentia angantur, cum in corpore, & hac tēporaria via moltum laborarint, vt ibi sine molestia degant, & conquiescant. Sed quid vlterius hostes veritatis adiunt? fatemur justos in aliquo loco esse, & requiescere; sed ineffabilia bona, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, nondum recepisse; hic subit mihi vehementer ridere, si Deum in faciem justorum animæ videant, & Trinitati, & Dei throno sine vllo medio assistant, nec tamen ineffabilibus bonis adhuc perfruantur, ô insensibilitatem, quænam ineffabilia bona esse existimatis visione Dei majora? perspicue quid dicatis, nam id blasphemia maxima est. Si enim Deum in facie vident, quod nemo negaverit vnquam, sunt autem & alia bona, quæ non vident, ergo majora ea Dei visione sunt; si hunc vident, alia non vident, at id neque dæmones vnquam dicerent. Quid? nonne & beatus Paulus, *cupio*, inquit, *dissolvi, & esse cum Christo.* Si ergo dissolvi cupiebat, & esse cum Christo, nunc vero post dissolutionem non est cum amaro, tristatur, & angitur; & mentitur divinus præco veritatis, at hæc ambo absurda: nam si absurda hæc syllogismis demūstrare voluerimus, ostendemus eos qui fruitionem sanctorum negant, hæreticis esse deteriores, & incarnatam Domini dispensationem abnegare, qui homo fuit, crucem & mortem sustinuit, vt iis qui à sæculo obdormierunt, justis videlicet cœlestem mansionem & fruitionem largiretur: eámque credimus eum quotidie tradere, & tradidisse iis qui sincere vtuntur, & religiose ipsi inserviunt. Quod si per vos non tradidit, neq; incarnatus est, erravimus, credentes Deum Christum incarnatum, qui non incarnatus est, denique secundum vestram sententiam facile possumus demonstrare eos abnegare incarnatam dispensationem Domini nostri, & Dei Iesu Christi Salvatoris.

SECTIO III.

SED quoniam vndique pacem quærimus, & vos omni adhibita caritate ad nos pertrahere volumus, nec vllo modo vos scandalizare, age nunc officiosius adhibitis Ecclesiæ Doctoribus orationem exordiamur, & quæ sancti recte super hac sententia protulerunt, in medium afferamus, vt liquido cognoscatis justos omnes quatenus animæ sunt, esse in Dei gloria, Deúmq; in faciem videre, & ejus visione lætari: nam nil aliud est sanctorum fruitio, quam Dei visio, primúmq; quod sacris Apostolis Christus dixit, in medium prodeat: *vado parare vobis locum, vt vbi sum ego, & vos sitis.* Et rursus, cum Deo & Patre colloquens, sic ait: *Pater quos dedisti mihi volo, vt vbi sum ego, & illi sint mecum: vt videant claritatem meam quam dedisti mihi, quia dilexisti me ante mundi constitutionem.* Quid hoc dictum significat? nam discipulis dixit id, vbi ego inquit, & vos mecum sitis. Si igitur cum eo non sunt, quid dicemus? sino te hoc dicere, ego Deum referendo, & ipsum mendacem appellare devito, quia verum dicere didici. Deinde postea aurea lingua Ioannes, cujus est titulus, *quod oportet flere peccatores, & quod valde prosūt mortuis sacrificia pro iis oblata*, cujus principium est, *Mors fratres inter indifferentia ponitur*, hæc scribit: *Oblectamur in commemoratione justorum non solum viventium verumetiam mortuorum, illi peccatores scilicet, & hic commemorantes super omnes misericordia digni sunt: quia offendunt, hi & qui eo demigrarunt, iusti videlicet beati, quia ad Christum profecti sunt. Peccatores vbicunque fuerint, procul à rege sunt, & propterea lachrymis digni: iusti autem sive hic, sive ibi apud regem sunt, ibique magis prope sunt, non per speculum, non per fidem, sed facie ad faciem.* Et Gregorius Theologus in fine orationis in divum Cyprianum, inquit, *& sanctæ Trinitatis splendorem, cui nunc assidet*, & fusius in oratione in sororem Macrinam Gregorius Nyssenus de hoc scribit; Metaphrastes vero in sancti Ioannicij vita in fine orationis sic apertè dicit. *Divus Ioannicius spiritu quidem ad eum quem diligebat demigrat, Angelorum choris comitatus, corpore vero vrna clauditur. Methodius qui inter Patriarchas dum viveret magnum lumen effulsit, post octo menses ab eius morte decessit 14. die instante Iuny. Quæ sunt igitur ea quæ post obitum huius admirabilis Ioannicij contigerunt? fractorum consolidationes membrorum, quidam à pravis dæmonibus liberati sunt, cum ad eius tantum monumentum accessissent. Et quo pacto post obitum poterat Ioannicius hac gloria spoliari, cuius discessum columna ignis apud montem Olympum significavit? quem Angeli præcedebant paradisi ianuas aperientes, & in cœlestem beatitudinem deducentes vt purificatus in conspectum Domini perveniret, & cum Angelorum ordinibus versaretur; à quibus beata Trinitas glorificatur, & exaltatur nunc & in sempiterna sæcula sæculorum, Amen.* Vides tu qui contradicis, quod Angeli præcedebant, & cœli januas ipsi aperiebant, & ad cœlestem beatitudinem perducebant, quo pacto tot, & tantis Ecclesiæ Doctoribus omnino contradicere audetis? Divus Gregorius dialogus, cujus antea meminimus: veteris Romæ Pontifex lib. 4. dialogorum in responsionibus ad Petrum ejus Archidiaconum super hac re ita dicit: Petrus, *placet quod dicis: sed nosse vellem si nunc ante restitutionem corporis, in cœlo recipi valeant animæ iustorum. Hoc neque de omnibus iustis fateri possumus, neque de omnibus negare: nam sunt quorundam iustorum animæ, quæ à cœlesti regno quibusdam adhuc mansionibus differuntur, in quod dilationis damno quid aliud innuitur, nisi quod de perfecta iustitia aliquid minus habuerunt? & tamen luce clarius constat, quia perfectorum animæ mox vt huius carnis claustra exeunt, in cœlestis regni sedibus recipiuntur*, quod & ipsa per se veritas testatur dicens, *vbicumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ; quia vbi ipse redemptor noster est corpore, illic proculdubio colliguntur iustorum animæ.* Et Paulus, *cupio dissolvi, & esse cum Christo.* Qui ergo Christum esse in cœlo non dubitat, nec Pauli animam esse in cœlo negat, qui etiam de dissolutione sui corporis, atque inhabitatione cœlestis patriæ dicit: *Scimus quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissolvatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manu factam, sed æternam in cœlis.* Nosti ergo, vel audisti, quid hic sanctus dicat, quod cum primum ex hac vita sancti decesserunt, videlicet justorum perfectorum animæ ad cœlestes sedes, & mansiones deferuntur; à quo igitur egregius ille Ephesius didicit, quod vsque ad vniversalem resurrectionem recipere non debent iustorum animæ? oportebat enim eum, cum vir eruditus esset, non ita aperte Doctorum Ecclesiæ dictis adversari; imò sibi ipsi contradicit, in epistola ad omnes gentes & insulas missa penitus fruitionē sanctorū negat, vbi scribit *nos, sanctos neque paratum sibi regnum, aut ineffabilia bona recipere neque peccatores in gehennam abire affirmamus: sed vtrosque suam sortem, quæ futura est, post resurrectionem & iudicium expectare*, hoc loco vt vides manifeste

sanctorum

sanctorum fruitione negat. At in oratione quam is in divi Heliæ commemorationem conscripsit, aperte confitetur sanctos recipere, ubi dicit: *Ego vero quod ei, velut sanctorum animabus, ubilibet ad tempus morari, & in sua æde versari, & ad deprecãtes passim commea re necessarium & verum esse existimo, at non ideo eum cælo carere dixerim, aut non una cum splendoribus Angelorum, Domini throno assidere. Nam aliis inferior esset qui fere super omnes eminebat, si quia carne induebatur societate eorum spoliaretur, & Dei ad faciem visione, qua per omne sua vitæ tempus in primis potitus est*; meis quoque verbis testificatur, quod in eum Ecclesia ita canit: *Propheta præco Christi à magnifico throno nunquam disiungeris, & cuicunque languenti in altissimis ministrando semper ades, orbi terrarum benedictis undique glorificatus.* Vides ut hic clarè, & apertè sanctos Dei visione perfrui ad faciem asseverat? divúmque Heliam hac visione etiam in corpore dignum esse existimatum dicit, quod quidem plus est quam ipsa ratio postulat. Si aliud igitur paratum regnum est & ineffabilia bona præter Dei ad faciem visionem, id ostendat nobis: erit enim Dei visione præstantius, quod nemo ex Ecclesiæ doctoribus unquam dixit, majorem reperiri oblectationem quam Dei visio sit. Quod vero dicit magnus Gregorius justorum quorundam animas esse, quæ à cœlesti regno mansionibus differunt, & alias esse perfectorum justorum animas. Quod si quis ambigit ubi nam hæ sint, in tertio decreti capite satis à nobis responsum est; nec semel dicta repetenda sunt, sed revertamur eo, unde digressi sumus.

SECTIO IV.

Admiror igitur, & dubito, quo pacto reperiantur quidam adeo veritatis fidei negligentes, ut non tantum non discere velint, ut conversi salventur, verum etiam eorum quæ à sacris Doctoribus scripta sunt, aperte corruptores existerint: qui nec rectè intelligunt, neque audire sententiam volunt, quam Doctores super hac e[illegible] nimium Christianorum confessione. Sed exiguam tantum stillam ab iis haurientes sursum deorsum difficultates miscent ex suo sensu: existimantes egregia quædam ad eversionem veritatis afferre; quas ante hoc scriptis, & libris editis Doctores dissolverunt, ex quibus statim hi novi dogmatistæ redarguuntur: nam eos videre, & considerare oportebat, quæ sancti dicunt, & eorũ dictis acquiescere. Quod si in sanctorum dictis, in quibus sententiam alternant, curationem non invenissent, tunc demum licebat eis dubitationes afferre (si tamẽ id possent) nec vero ambigere de his decebat, quæ antea disputata, & declarata sunt. At qualisnam est eorum admirabilis quæstio quã nobis objiciunt mirum in modum jactabundi? ô Catholici, si ut vos dicitis, nunc justorum animæ ante resurrectionem recipiunt, supervacanea est resurrectio & judicium & super throno assessus, & judicij constitutio, quid tum recipient, si nunc receperunt? quibus nos respondemus, Catholici sumus, & Catholici dici volumus, & si in contumeliam hoc nomen nobis objicitis, & injuriam nobis inferre arbitramini, credentes enim unam sanctam, & Apostolicam Ecclesiam, Catholici sumus, & appellamur, qui Catholici non vocantur, sive qui eam non sequuntur, schismaticos dicimus, ac jure, ut arbitror. Ad interrogationem igitur vestram dicimus, quod si nova esset vestra interrogatio, pro viribus nostris responsionem attulissemus. sed quoniam quod vos facitis & alij ante vos egerunt, non opus est, quæ Doctores attigerunt, & responsiones ut decens erat tradiderunt, nos adeo audacter, & perfricta fronte respondere. Sed quod ij ediderunt, idipsum & nos adjungemus: nam Petrus Ecclesiæ magnæ Archidiaconus, ut antea à nobis expositum est, magno Pontifici Gregorio Dialogo, hanc quam in præsentia vos interrogationem proponitis, eandem is ipsi fecit: nam ita in eod. lib. dialogor scribit lib. 4. cap. 25. Petri interrogatio: *Si igitur nunc sunt in cælo animæ iustorum, quid est, quod in die iudicij, pro iustitia sua retributione recipient?* Gregor. responsio: *Hoc eis nimirum crescit in iudicio, quod nunc animarum tantummodo, postmodum vero etiam corporum beatitudine perfruentur, ut in ipsa quoque carne gaudeant in qua dolores pro domino cruciatusq; pertulerunt.* pro hac quippe geminata eorum gloria scriptum est: *in terra sua duplicia possidebunt*; hinc etiam ante resurrectionis diẽ, de Sanctorum animabus scriptum est: *datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis ut requiescerent tempus adhuc modicum, donec impleretur numerus conservorum & fratrum eorum: qui itaque nunc singulas acceperunt, binas in iudicio stolas habituri sunt, quia modo animarum tantummodo, tunc autem animarum simul & corporis gloria lætabuntur.* Audistis ne, admirabilem dubitationem, & interrogationem vestram? quomodo alter ante vos una cum aliis magno huic patri, & Doctori Ecclesiæ objecit, & quo pacto ei respondit? quomodo igitur in hoc morbo schismatis amplius manetis, cũ apertè conspiciatis Doctores vobis contradicere? Quin etiam magnus ille Athanas. ubi seipsum interrogat de hac eadem re, ita respondit. Interrogatio, *ubinam dicemus esse nunc eorum animas qui iam occubuerunt?* responsio: *nova est & terribilis interrogatio, & hominibus abscondita*: nam Deus nemini permisit unquã ad nos illinc reverti, ut nobis exponere posset, ubi nam, aut quando sunt, quæ hinc demigrant animæ, tamen ut à scripturis monemur, quædam, id est peccatorum animæ in inferno sunt subter omnem terram, & mare, ut Psalm. dicit: *Posuerunt me in lacu inferiori in tenebrosis & in umbra mortis*, & ut apud Iob scriptũ est: *ad terram tenebrosam, & opertam mortis caligine, terram miseria & tenebrarũ, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat; animæ verò iustorum post Christi adventum* (ut ex latrone qui in cruce pependit intelligimus) *sunt in paradiso. non enim propter latronis iusti animã tantum Christus Deus noster paradisum aperuit, sed propter omnes denique sanctorum animas.* Videtis quo pacto contradicitis? tamen si nolletis quid magna voce canitis, non utiq; ambigeretis vos eadem quoq; sentire. Sed subit mihi dicere & ut dulũ vobis videbitur, in magnis profectò nugis aures vestræ versantur, magna voce canitis, nihil tamen intelligitis sive potius negligitis; legere enim, & non intelligere, dixit quidam ex sapientibus, est negligere, quoniam libri omnes de precibus id continẽt, sanctorúmq; animas in cœlo esse Damascen. & Theophan. ejus rei auctores clara voce clamant: magnas igitur gratias habere vobis debemus, quia non aut delestis, aut ea fraude aliqua in codicibus obliterastis, ut quidã ante vos iis tractabant, & libris de processione Spiritus S. conscriptis effecerunt, id tamen illis inutiliter cessit: nam adhuc libri manent, qui maleficorum audaciam testantur: & apud vos perbellè servantur, & quotidie cũ vocis modulatione concinuntur, Menstrua, Triodia, Sermones, Metaphrastes, Quinquagenaria, Versiculi, Troparia, Idiomela, Contacia, Æci, Synaxaria Exapostilaria: & ne singula enumerẽ, omnis fere Ecclesiæ nostræ scriptura ita sentit: nam Ecclesiæ Theologi ac Doctores, Poetæ, melodique, profunda meditatione perpendentes, hoc statuerunt: quasi ex uno cratere sapientiæ referto omnes omnium hauriendo; Iccirco, nec discordant, nec sibi contradicunt mutuo, nec dissentiunt inter se.

SECTIO V.

Unde igitur exordiemur? à prima die mensis Septembris in Idiomelis divi Simeonis Stylitæ *Sancta tua anima*, inquit, *pater Simeon, in societate exultat Angelorum.* Et in al[illegible]: *Es cum incorporeis in cælo tripudians* R[illegible] in altern: *Cum Angelis Deo assistens*, vigesima octava ejusdem mensis de S. Cyriaco. *Et nunc paradisum incolis in omni lætitia constitutus.* Octobr. 1. de

divo Romano: *cum iustis intus in divina gloria inhabitans oblectationem illam ineffabilem aspicis.* Vides indesinentes delicias aspicis cœlorum pulchritudinem, quæ verè est amabilis, aspicis beatissime choreas Patriarcharum. Eodem mense XXVI. de divo Demetrio magno martyre *habet quidem tua divina anima & immaculata gloriose Demetri cælestem pro habitatione Ierusalem.* Et iterum: *In vltra mundanas sedes immaculatum spiritum tuum, sapiens martyr Demetri Christus Deus recepit.* Et alibi: *Deo assidue assistens.* Et rursus: *Manifestius beatitudinis finem es consequutus Christo assistens, toto corde deprecare.* Et iterum: *Nunc tu Christi vultum intueris in faciem, ô Cyrille, speculis vere confractis, tuo divino amori iunctus es.* Et rursus *recordare nostri pater Basili consubstantiali trinitati assistens.* alibi: *Et nunc in cælis speculis effractis Antoni sincere sanctam inspicis trinitatem citra medium congressus.* Et de magno Gregor. *Partim inquit victoria tua coronam recepisti partim vero cum Christo regnas splendidissima ex sanguine purpura indutus, & sceptro tuarum certaminum ornatus, & corona gloriæ conspicuus in infinita sæcula.* Et alibi: *Hodie martyr de peregrinatione triumphans ad cælestia pervenit, & in gloriæ throno sedenti offert sanguinem cædis.* Et in alio: *insignis & strenuus Georgius in suo glorioso certamine supernas potestates lætificans & nunc vna cum ipsis exultans.* In nona, de magno Paulo Iunij vigesima nona, *nunc non in ænigmate, neque in speculo Christus à te conspicitur, imò in faciem facies aspicitur, in integram tibi divinitatis gloriam detegens.* Et in aliis, *pro Christo passi ô decertatores martyres animas in cælos habetis in manu Dei.* Et rursus, *tui Christe Sacerdotes iustitia induti sancti à sæculo gaudent, divinam tuam pulchritudinem clarius intuentes.* Et in aliis, *nunc non in ænigmate pater, non in speculo aspicis lucem numinis omnium principij, facie ad faciem sapientissime qui & splendoris & visionis divinæ dignus effectus es.* Et rursus: *Cum Angelis tripudias beate Onesime martyrij corona exornatus, refulgenti throno Salvatoris assistis.* Et alibi: *Sanctorum ordines cum quibus inter Angelos requiescit magna voce laudantes, divinis nunc fruuntur deliciis, & lætantes tripudiant.* Et in alio: *Superintellectuali splendore exacturati sancti, & divina lætitia splendide repleti, dum vocamini vt ei proximi inter divinos splendores versantes, & gloriæ ineffabilis radiis illustrati.* Et rursus: *Sacris melodiis celebratur, quasi cælestis heredes regni, quasi incolæ paradisi.* Et alibi. *Concives Angelorum.* Et rursus: *Sanguinis tui pretiosi intinctione martyr, purpuram tibi pretiosam comparasti, qua indutus cælestem regiam vere inhabitas.* *Deo supremo regi assistens* assistere vero supremo regi, quod aliud per Deum significat, nisi quod sancti quatenus animæ beatitudine perfruuntur? In aliis vero: *Patribus hymnum offeremus, qui ante legem, & in lege refulserunt, & qui ex Virgine genito Domino, & hero recta mente inservierunt, & inaccessibilem lucem hanc adepti sunt.* Et in alio: *Nunc ô beate intercede apud Deum pro tuo grege.* Et rursus: *Cæleste regnum concupisti, quo nunc beatissime vere frueris.* Et in alio: *Super omnem virtutem positus, pater Antoni cum Angelis versaris in regno cælorum.* Et rursus: *Dei præco Athanasi, qui pericula, & perpetuas tentationes sustinuisti, nunc deliciarum paradisi dignus es factus, divinas mansiones consequutus, incorruptibilis vitæ ligno propinquus, vt iustitiæ victor. corona, & diademate cælestis regni exornatus decore conspicuus, & forma præcellens.* Et rursus: *Splendidissimo & fulgentissimo lumine lucidius nunc illustratus.* Et rursus: *Non in ænigmate gloriam, quam à puero concupisti vide beate Eutychi, imò facie ad faciem nunc solutis carnis speculis pater noster.* Et rursus: *Ex difficilibus angustiis & corruptione in amplam, & iucundam paradisi latitudinem pervenisti, sanctorum visurus splendidam lucem & Angelorum choreas Deo assistentes, & incessanter clamantes.* Et alibi: *Terra quidem nunc operuit corpora vestra, cælum vero ô sancti Spiritus semper fert, throno gloriæ assidentes, & cum Angelis exultantes.* Et alibi: *Nunc cælos incolis martyrum piè sanctorum & iustorum.*

Et in alio: *princeps sacrorum Eumeni, qui libertatem tibi apud Christum comparasti iuxta cuius thronum sancte in gloria assistis nunc cum Angelis sanctis.* Et rursus: *Ad tranquillum portum appulisti à laboribus requiescens, & coronatus tripudias in paradiso vna cũ Christi martyribus Niceta divinæ merito te glorificamus.* Et rursus in alio: *Qui à dextra assistis trinitati & immediate versaris.* Et in ode 9. canonis S. Ioãnis Theologi, *nunc non in ænigmate: sed facie ad faciem, deliciarum torrentem inspicere meritus es, pacis flumen & fontem immortalitatis, qua nunc irrigatus divinitate perfrueris.* Et Augusti quarta, *non amplius in speculo conspicis summum bonorum ô sancta martyr, ad faciem aspicis faciem, iam solutis vere ô Eudocia, imaginibus.* Ecce jam nihil apertius, vt mihi videtur, reperietur his, quæ à nobis allata sunt, id est, *facie ad faciem*, &c, *nunc divinitate perfrueris*, &c, *in paradiso nunc coronati tripudiant*, &c, *nunc Dei throno cum sanctis Angelis assistunt*; quid aliud possumus intelligere præterquã quod quatenus animæ perfruuntur, vt antea exposuimus, & jam evidenter ostendimus? Quod si his non acquiescitis, & alia ex ejusdem generis scripturis afferemus; & in ode 9. Sanctorum Patrum Antiphona ita dicit. *Magnum cultum meriti estis cælestes sancti, quia Christi figuram studiose imitati estis, & nunc vmbra, & carnis operimento deposito eum facie ad faciem videtis & maxima meriti estis.* Et alibi: *Semper suffragaris iis qui te laudant, & tuum celebrant festum Domino assistens Onesime totus refulgens, totus resplendens, totus cælestibus fulgetris coruscãs.* Et alibi: *Inspicitis martyres divinam pulcritudinem manifestius, & clarius.* Et rursus: *Vbi ordines Angelorum, vbi iustorum populi exultant.* Et in alio: *Et regnum cælorum aperte meriti, trinitatis radiis illustrati ô admiratione digni.* Et rursus: *Sabba beatissime Angelorum æqualis; sanctorum contubernalis, Prophetarum socius, Martyrum, & Apostolorum cohæres, lucem non occidentem nunc incolens cuius divinis fulgoribus illustratus summo principi assistens, & aperte coruscans;* audis ne? lucem non occidentem dicit: nam Deus est lux non occidens; habitat autem nunc cum Deo, præterea summum principium. quid significat? summum enim bonorum, summum principium, summam pulchritudinem, nil aliud est nisi Deus ipse, hic ei assistit, & habitat cum eo, quid aliud per Deum denotat, præterquam quod sancti nunc quatenus animæ perfruuntur? Si vis & alia audire, jam dicimus. *Et inaccessibili luce nunc perfruuntur.* Et in alio: *Sanctorum chorus vitæ fontem, & ianuam paradisi nactus est.* Et rursus: *Et iusti veluti luminaria fulgent.* Et alibi: *Cum terrena certamina perlustrassent veri martyres coronas sunt consequuti.* Et rursus: *Certatores martyres, ac cæli cives in terra decertantes multos cruciatus pertulerunt & perfectam in cælis coronam receperunt; vt pro nostris animabus intercederent.* Et rursus: *Celeberrimi martyres vos non terra operuit, sed cælum excepit, apertæ sunt vobis portæ paradisi, & intro profecti lignum vitæ estis assecuti apud Christum intercedite.* Vbi sunt qui dicunt sanctos non esse, sive sanctorum animas nunc in paradiso non esse? nonne audiunt Damascenum dicentem: *Apertæ sunt vobis portæ paradisi?* nonne audiunt, *introgressi?* & non agnoscunt, *lignum vitæ consecuti sunt? & intercedunt pro nobis?* Si igitur neque receperunt, neque intercedunt, neque Christum vident, neque ipsi assistunt, neque divina luce perfruuntur; & vt vno verbo dicam, nemo ex sanctis, vt ipsi putant, nunc cum Christo est; vbi sunt quæ psallimus? num falsa? absit, vbi *spiritus & animæ iustorum laudant te Domine.* Et illud: *Diffractis speculis sancti facie ad faciem Deum videtis.* Si nunc cum Christo non sunt, non receperunt. Si non receperunt, neque intercedunt. Si vero non intercedunt, cui invocamus? Si enim nunc non intercedunt, nunquã intercedent, nam in futuro non est intercessio, nonne audis illud? non intercessione opus ibi est dimisso conventu. Etiam novi Theologi dicunt, peculiariter recipiunt, & Deum in faciem vident, sed ineffabilia bona, quæ oculus

Obiectio 1. ad Cir.

non

non vidit, & auris non audiuit, nec in cor hominis ascendit, non receperunt adhuc, non enim omnino possumus dif-fiteri sanctos in præsentia non esse cum Christo. O in-sipientiam: id vt ego existimo risu magis, quam res-ponsione dignum est, nam paulo ante ostensum est hæresim esse hanc absurdam argutiolam: nec de ea opus est amplius disputare.

SECTIO VI.

QVod huc sit hæresis æquanimiter disquirẽdum est. Si Deum vident nunc sanctorum animæ ineffa-bilia vero bona non vident, procul dubio maiora sunt illa, quam Deus ipse: quoniam ea inuisibilia sanctis sunt; Deus vero ab eis videtur, hoc nemo sanæ men-tis dixerit vnquam: sed hæc hæresis silentio inuoluen-da, præterea disquirendum est, ineffabilia bona, vel quia maiora, vel quia minora sunt, ea sancti non vi-dent. Si quia minora, iis opus non est; nam maiorum compotes facti, minora non curant: huius enim ad-modum aperte participes sunt, si maius sunt consecuti. Si vero quia maiora, non recipiunt, absit blasphemia maiora reperiri, quam Dei visio, & fruitio sit, osten-dendum est autem ea bona conspicere sanctos Ecclesiæ testimonio, ex iis, quæ ibi occurrunt, qui fidem non adhibet, scrutetur in secunda septembris mensis, reperietque idiomelum sancti Mamantis ita se habens. *Veluti noua oliua planta, ad Dei mensam accessisti, veluti filius eorum qui Domini viam ingrediuntur per marty-rium, benedixit tibi Dominus, & cælestis Sion bona aspicis in deliciis diuina degens exultationis.* Quid ad hoc respondere audebunt, qui hanc sententiam re-nuunt? surdo aspidi profecto aures occludenti similes sunt, qui vnionem oderunt, & schisma amplexati sunt, non enim videre, non intelligere volunt, diuus Damas-cenus in secundo tono octaui toni inquit: *Vitæ Christe dator, sponte passionem propter homines sustinuisti, in infernum vero descendens; vt potens eos, qui ibi tuum aduentum præstolabantur, tanquam ab forti abripiens fera, paradisum pro inferno habitare concessisti*, ad me-delam (inquit) nostram hæc scripta sunt. Ergo men-titur Christi Ecclesia, psallitque quod verum non est, docetque id ad decipiendas & seducendas animas, at quis id dixerit mentis compos? num & Christum fal-lit sanctus hic, cum dicit? *Christe vitæ dator, sponte passionem subiisti, & in infernum propter homines descen-disti, & vt potens eripuisti veluti de forti fera, ab ex-traneo videlicet hoste, & bellatore eos, qui ibi tuum aduen-tum expectabant; & pro tenebrarum habitatione, & loco obscuro illos, vbi incolebant, eos paradisi habitatione do-nasti?* consolatur Christum; an vt verum dicit hoc & sentit? si quis profecto responsiones vestras viderit, vel, vt verius dicam, importunas contentiones, in stupo-rem adducetur, & mente dimouebitur, ego profecto audire non possum verba ita putida, ac male cohæren-tia, arbitrorque eam esse infantium balbutiem. Quid quando hic idem dicit? *Admirabilis tua crucifixio, & in infernum descensus ô hominum amator: nam spoliis ei detractis, & iis qui iam pridem in vinculis detinebantur vna tecum gloriose exsuscitatis, vti scilicet Deus para-disum aperuisti; & vt eum consequerentur dignos illos effecisti.* Audisti, & sic descendisti (inquit) in in-fernum, ipsum exspoliasti, & vinctos, siue sanctos ibi obdormientes vna tecum exsuscitasti, paradisum aperuisti, & vt eum consequerentur dignos effecisti. Quin etiam Anastasius diuinus noster pater à monte sancto Sinai appellatus, in interrogationibus, quas ad responsiones quasdam pie ad eum factas facit, apertis-sime quæstionem dissoluit, nam sanctorum animas in paradiso, peccatorum vero in inferno esse liquido, & apertissime demonstrat; interrogatio igitur & respon-sio hæc est. Interrogatio: *vbi omnino nunc animas esse dicemus? num in eodem loco omnes?* responsio. *Quam-quam nemo de his clare enunciarit; tamen ex Christi verbis percipimus, iustorum animas vna cum latronis iusti anima in paradiso esse: quippe cum diuus Antonius ani-marum locum & sanctas animas viderit esse in paradiso.* Similiter & diuinus Pambo, & alij quidam ex patri-bus, eodem modo Ioannes Climachus sic scribit: *Latro ille, vt tantum sui meminisset in regno suo, postula-uit, totumque paradisum in hæreditatem accepit: rursus peccatorum animas ... & nostrum testamentum in inferni carcerem ablegari, veluti ad vincula; testatur vt de diuite illo dixit Dominus.* Similiter & David Propheta dicit, *conuertantur peccatores in infernum*: nam cum dicat, *conuertantur*, designat eo loci nunc esse animas, postea discedunt, & earum recipiunt cor-pora, suum singuli: ita postea à iudice aduersus eos sententia fertur, dicens, *conuertantur peccatores in infernum*: qui autem reuertitur, apertum est eo vnde venerat eum reuerti. Sed celeberrimus sane, & diui-nus noster pater Cretæ dignissimus pastor Andreas, post sanctos omnes à nobis in testes in hoc argumento adductos, accedat & ipse vt mecum eadem testificetur. Is namque in quadam diuina oratione, quam in Imma-culatæ nostræ Virginis dormitionem pulcherrime composuit, cuius principium, *Quicunque religiosum & venerandum locum hunc*, iuxta principium de eo ita pertractat: *Cæterum, & sanctorum animæ tenebrosum quidem locum illum pertranseunt: at non ibi detinentur, præter eas, quæ vita deliciis delinita peccatorum mor-tem attraxerunt: nam quæcunque de diuinis legibus subii-cientes, eam quæ in cælis degitur vitam spiritu per carnem demonstrauerunt: ad loca procul dubio resplendentia luce sanctorum sacro statui consentanea ablegantur, quæ Do-minus custodit, & oculi eius qui* (vt scripturæ tradunt) *omnia conspiciunt, quorum pulchritudinem, & magnitu-dinem, addam etiam, & supra captum hominis decorem, iure apertius & excelsius noscent, qui Deo proxime acce-dunt: ibique rursum sistentes vacationem receperunt, quibus præcipue parata est à prouidentia, quæ cuncta sa-pienter administrat.* Audistis admirabilem, & ma-gnum virum hunc, quo pacto sanctorum, & iustorum animæ huius vitæ cursu perfecto, vacationem reci-piunt, & hoc idem est ac si diceret, promissionem, di-scipulis promissam, cum dicit, *vt vbi ego sum, ibi & vos sitis?* quodque in loca refulgentia transmittuntur, Deoque propinquant, & beatitudinis mirifice arrha-bonem recipiunt, immo pulchritudinem, & magnitu-dinem & supra mentis captum decorem; id est Deum ipsum clarius, & excelsius conspiciunt, cur magis non versamini in his, ô amici & fratres? sed potius occu-pati estis in iis damnandis, qui hæc credunt, atque amplectuntur; & vt in eos maledicta quotidie effunda-tis super omnia operam datis?

SECTIO VII.

VT autem omne os contrarium dicens obstruatur, & obturetur, vnum & solum testimonium addam, quod extremo loco reseruaui; id autem est ex Ioannis Evangelistæ Apocalypsi, nec renuere potestis, dicit enim: *Et cum aperuisset sigillum quintum, vidi sub-tus altare animas interfectorum propter Verbum Dei, & propter testimonium quod habebant, & clamabant voce magna dicentes: Vsquequo Domine sanctus, & verus non iudicas, & non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra, & data sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis vt requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conserui eorũ, & fra-tres eorum qui interficiendi sunt sicut & illi.* Et post quæ-dam: *Et respondit vnus ex senioribus, & dixit mihi: Hi qui amicti stolis albis, qui sunt? vnde venerunt? & dixit illi, Domine mi tu scis, & dixit mihi: Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine agni: ideo sunt ante thronum Dei, & seruiunt ei die, & nocte in tem-plo eius.* Audistis tonitrui filium? quis potiora, me-liora & vera dicit? hic, an Ephesius, & tota cohors eorum, qui ab œcumenica synodo resilierunt, aut

Marginal notes: A; B; Mamantis.; Damascen.; G; Damascen.; D; Anastasius Synaite.; E; Ioannes Climachus.; F; Andreas Archiep. Cretæ.; Apoc. 6.; H

quicunque ea aliis velit contradicere? vt ego sentio, Ioannes meliora dicit, quam hic, ille namque ea Domini pectore theologiam accipiens, omnem creaturam eius vivificantibus aquis refersit: hi vero sua inscitia, & stupiditate permoti: tumultu, confusione, & hæresi orbem repleuerunt. Nonne audistis eo quod stolas lauerunt suas, inquit, hoc est sua corpora lauerunt à peccatis, eaque in filij Dei sanguine dealbauerunt, iccirco sunt ante Dei thronum & die, & nocte inseruiunt ei, quid his respondere potestis? nihil profecto. Credite tandem, conuertimini, resipiscite, resurgite, veritati quemadmodum & nos subiicimini, neque ita aperte Ecclesiæ doctoribus contradicere, neque in veritatem impingere velitis; nos enim eum sanctos assistere Deo dicimus, eumque pure inspicere, perfrui dicimus; nec aliud fruitionem. Quod si contrarium nobis potestis ostendere, scilicet sanctos Trinitati assistentes, eiusque ad faciem visione dignos effectos, non perfrui adhuc: sed maiorem fruitionem Dei visione expectari: vos etiam demonstrate, & nos silebimus. Sed nihil amplius ostendere potestis præter hanc Dei ad faciem visionem, nonne percipitis vos sanctos irritare, & adversus ipsos blasphemos esse, cum eos dicitis nō esse adhuc cum Christo, neque visione eius perfrui? esse intelligimus, eius ad faciem visionem & aliud? nam ij cum Christo enim sint, immediate apud Trinitatem pro vobis intercedunt, & lumine eius illustrantur, & perpetuo cū ea esse exoptant: at vos eos non adhuc esse cum Deo abnegantes, nec vsque ad universalem resurrectionem eos fruituros esse, scitote ipsis valde molestos esse. Si vero instatis, iisque molesti estis, quomodo pro vobis intercedent, aut quomodo pro vobis mediatores euadent, abnegantibus eos cum Deo esse, sed procul à Deo esse affirmantibus? dicite, respondete, at non valetis. Vnum tantum est, quod multos ambiguos reddit, facitque vt arbitrentur esse discordes, quia partim quidem doctores dicunt, sanctos perfecte frui, partim imperfecte, nam cum de animabus tantum dicunt, perfecte frui aiunt; quando vero de toto homine, non perfecte, quo pacto enim cum nondum communis resurrectio advenerit, vtrique recipere possint? ideo quatenus animæ perfecte recipere sanctos dicimus: quatenus vero non solum animæ, verum etiam corporibus indutæ sunt, imperfecte frui affirmamus, nam vt forma anima est in corpore: materia vero quæ corpus est, nondum surrexit, neque recepit: anima vero cum sit immortalis perfecte suscipit. Sed quia homo est vtraque simul, & vtrique decertarunt, nondum perfecte hominem recipere dicimus; at cum à parte de toto ratiocinamur, & de nobiliori intelligimus, tunc perfecte sanctos recipere dicimus, quod autem nobilior, & potior corpore anima sit, vel cæcis est manifestum, idque est quod nos antea ex apocalypsi Ioannis Evangelistæ exposuimus, quod data singulis fuerit stola alba, dictumque iis est vt adhuc modicum expectarent, id est corporum resurrectionem, quicunque igitur singulas stolas acceperunt, geminas in iudicio stolas recipient: perspicuū namque est quod vnius stolæ distributio animæ fruitio est, quæ perfecta dicitur & est: altera est corporis beatitudo, quam post resurrectionem recipiunt, & iudicium, & quoniam de hoc satis dictum est, non opus est vlterius progredi.

Ioannes Evangelista vocatur tonitrui filius apud Marc. cap. 3.

SECTIO VIII.

Alia obiect.

Ab Heb. 11.

AD Apostoli dictum, quod vt egregium, & inexplicabile nobis affertis, ac multa cum audacia dicitis illud, sancti omnes testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, vt non sine nobis consummarentur. Hic enim affirmatis beatum Paulum dicere, quod sancti non acceperunt repromissionem, huic nos responsionem afferemus: tantum petimus vt absque conturbatione, nostra dicta audiatis, (cum sapientibus enim vitiis ita agere ausi non essemus) plane intelligentes, vti nos hoc scimus & cognoscimus, ita etiam multo magis eos ista cognoscere; sed vobiscum, quos scire ea non arbitror, iccirco vos contradicitis: si non scretis, veritati vtique tam aperte non adversaremini. Quia ergo, vt existimo, omnino non nostis illud, non receperunt à Deo repromissionem, nos id pro virili declarabimus, nam ea verba beatus Paulus profert ob universalem & generalem corporum resurrectionem: quam veluti Christiani omnes futuram esse credimus: quando autem id futurum sit, nobis non est cognitum: veruntamen secundum sacrarum scripturarum traditionem, in fine seculorum credimus hanc futuram esse, quando omnis humana natura resurget, & vnusquisque condigna suis operibus reportauerit, sive ea bona, sive mala fuerint secundum sacrum Evangelium. Et hæc est promissio, quam patribus in prophetis promisit, id est, se eos suscitaturum; nam ea pollicitatio, seu promissio dicitur: ideo promisit Dominus se humanam naturam suscitaturum, quia corporum resurrectioni diffidimus: nam si id patribus euenisset, nos vtique non essemus; idque est quod dicit Paulus, non acceperunt, qui fuerunt ante nos, corporum resurrectionem. Deo pro nobis melius aliquid providente, vt non sine nobis consummarentur; id est non sine nobis illi resurgant. Si enim in iis corporum resurrectio contigisset, suaque corpora vna cum animabus recepissent, incarnata dispensatio nunquam fuisset, neque Petrus, neque Paulus, neque reliquus Apostolorum chorus, neque patres nostri, & doctores, neque hierarchæ, & divini viri, quibus hodie locupletamur sancti, & divini, per quos ad Dei cognitionem quasi manu ducimur & ad nostram salutem, at neque geniti fuissemus, neque alij post nos, idque est quod pro nobis melius Paulus esse arbitratur, vt non nobis illi consummarentur: sed quousque nos generemur expectarent, & tunc nos etiam vna cum illis corporum resurrectione induamur, præmiaque & coronas simul cum illis percipiemus à resurrectionis promissore, & auctore, & perfectore Iesu, nam cum corporum universalis resurrectio fuerint subsequuta, neque generatio erit amplius, neque corruptio, sed vtraque cessabunt, nemoque amplius generabitur, neque interibit. Iccirco tunc non facta est resurrectio. Et propter quam aliam ob causam? quia non adhuc repletus est locus illius ordinis, qui de cœlo cecidit, nam scribit Gregorius cognomento theologus, superiorem mundum repleri oportere. Christus iubet, ne obsistamus, & minister ad Dominum, Domine factum est vt imperasti, & locus adhuc est, cum igitur locus is tunc repletus non fuisset, resurrectio mortuorum non est subsequuta, hæcque promissio est, quā Paulus ad Hebræos dicit, quod qui ante nos fuerūt, adhuc nos acceperunt, quam puto vos adhuc non intelligere, at nos id dictum resumentes, quomodo promissio sit ostendemus, & quando promissionem hanc pollicitus sit Dominus Deus, quibusque eam & ob quam causam pollicitus est, deinceps dicemus. Cum Israel salutem suam desperasset nec mortuorum crederet resurrectionem, cum dicerent abscissi sumus, periit spes nostra, manducemus, & bibamus, cras moriemur: tunc inspirauit Dominus prophetam, vt populo diceret, ne corporum resurrectioni diffideret, polliceretur que iis se corpora eorum arida exsuscitaturum; seque carnibus, neruis, ac cute induturum; spiritumque daturum, & in Ierusalem restituturum, quæ visio pacis est, & dicitur, vbi nam sunt hæc? apud Ezechielem Prophetam capite trigesimoseptimo; dicit enim divinus hic propheta; *Facta est super me manus Domini, & eduxit me in spiritu Domini & dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus, circumduxit me per ea in gyro, erant autem multa valde super faciem campi, siccaque vehementer*, & dixit ad me; *fili hominis, putasne vivent ossa ista*, & dixi, *Domine Deus tu nosti*, & dixit ad me: *vaticinare de ossibus*

Gregor. theologus.

Ezech. 37.

istis

istis, & dices eis: ossa arida audite verbum Domini, hæc dicit Dominus Deus ossibus his, *Ecce ego intromittam in vos spiritum, & vivetis, & dabo super vos nervos, & succrescere faciam super vos carnes, & superextendam vobis cutem, & dabo vobis spiritum, & vivetis, & scietis quia ego Dominus, & prophetaui sicut præceperat mihi. Factus est autem sonitus prophetante me, & ecce commotio: & accesserunt ossa ad ossa, unumquodque ad iuncturam suam. Et vidi, & ecce super ea nervi, & carnes ascenderunt; & extenta est in eis cutis desuper, & spiritum non habebant.* Et dixit ad me, *vaticinare ad spiritum, vaticinare fili hominis, & dices ad spiritum, hæc dicit Dominus Deus: a quatuor ventis spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reviviscant, & prophetaui, sicut præceperat mihi; & ingressus est in ea spiritus & vixerunt: steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde, & dixit ad me: & fili hominis, ossa hæc universa domus Israel est: ipsi dicunt, aruerunt ossa nostra, & periit spes nostra, & abscissi sumus: vaticinare, & dices ad eos, hæc dicit Dominus Deus, Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris [illegible], populus meus, & inducam vos in terram Israel, & scietis quia ego Dominus, cum aperuero sepulchra vestra, & eduxero vos de tumulis vestris, & dedero spiritum meum in vobis, & vixeritis, & requiescere vos faciam super humum vestram, & scietis quia ego Dominus locutus sum, & feci, ait Dominus Deus.* Num intellexistis quod à vobis dubitabatur? & quid significant ea verba, optime & verissime à beato Paulo prolata, à vobis vero ignorata; non acceperunt, scilicet promissionem qui præcesserunt omnes, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur. nostis quo pacto hæc est promissio? & quando eam promisit Deus? cum mortuorum resurrectionem non crederet Israel, quia eorum corpora corrumpi videbat, & ossa perire, de salute sua desperarunt, & periit spes nostra & abscissi sumus, arida facta sunt ossa nostra, id est corrumpimur, ubi mortuorum resurrectio? quia corpora nostra corrumpuntur, & in pulverem rediguntur: nam in hoc sæculo beatitudinem esse putauerunt, tunc, inquit, dixit Deus ad prophetam propter id, in quo loco? cum dicerent, arida facta sunt ossa nostra; Vaticinare super ossa ista & dices ipsis, & cætera, postea subdit; vaticinare ad spiritum, & prophetauit ut imperatum est, deinde, & scietis, quia ego Dominus, cum aperuero sepulchra vestra populus meus, & inducam vos in terram Israel, hæc est promissio quam promisit, & pollicitus est Deus patribus vestris per prophetam hunc, se excitaturum eos, & daturum iis, scilicet dignis, & mundatis pro terrena Ierusalem, sempiternam, & sine fine, quam nondum acceperunt, ut beatus inquit Paulus, Deo pro nobis melius quiddam providente: ut non sine nobis ij resurgant, neque stolam, & splendorem corporis recipiant antequam conservorum & fratrum resurrectionem expectent, & videant. Cum vero totius mundi fuerit resurrectio consecuta, tunc salvatoris Dei nostri promissio adimplebitur, & universa hominum corpora resurgent; & utraque simul anima, & corpus perfectionem una recipient, id est perfectam beatitudinem. Huius rei testis mecum erit Lucas Evangelista, in libro ubi Apostolorum acta exposuit, cum dicit ad Iudæos, *Viri fratres, vobis verbum salutis huius missum est. Principes vestri hunc ignorantes petierunt à Pilato, ut interficerent eum, cumque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno posuerunt in monumento. Deus vero suscitavit eum a mortuis, qui visus est per dies multos his, qui simul ascenderant à Galilæa in Ierusalem, qui nunc sunt testes eius ad plebem. & nos vobis annuntiamus eam quæ ad nostros repromissio facta est, quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris resuscitans Iesum.* Audis? promissionem dicit, quæ ad patres facta est, quam promissionem? mortuorum scilicet resurrectionem, quam confirmauit, & declarauit nobis filiis patrum illorum, per resurrectionem Iesu Christi à mortuis; cuius resurrectionis nos veri testes sumus: nostris enim oculis inspeximus, & manus nostræ palparunt, & ecce vobis annunciamus Iesum Christum primogenitum, qui à mortuis resurrexit ad veræ suæ promissionis confirmationem: nam resurrectionem suam mortem euacuans, universalem illam & tremendam resurrectionem ostendit, quam pollicitus est patribus nostris, ut ante dictum est, *& ipse est qui promisit, & in seipso primum volens ostendit eam, cum ad mortuos venisset & ab eis primogenitus resurrexisset quam in fine sæculorum omnibus in commune præbebit.* Ideirco & primogenitus universalis illius resurrectionis Christus dicitur, ut Paulus Beatus exclamat: ut nobis ostendat eum auctorem esse Dominum, & perfectorem eius, inquit enim *Christus resurgens à mortuis primitiæ dormientium factus est, ut ipse undequaque in omnibus primus esset, & ipsi omnia subiicerentur.* Et iterum, *Christus mortuus est, & resurrexit, & vixit, ut & mortuorum & vivorum dominetur,* amplius: *qui suscitavit Iesum & nos cum Iesu suscitabit, & constituet nobiscum,* præterea. *Et nos rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aera: & sic semper cum Domino erimus.* Idem Paulus in Apollonium actis ut Lucas scribit, inquit, cum Agrippa rege sermonem habens: *Vitam quidem meam Hierosolymis noverunt omnes Iudæi, præscientes me ab initio si velint testimonium perhibere: quoniam secundum certissimam sectam nostræ religionis vixi Pharisæus, & nunc in spe, quæ ad patres nostros facta est à Deo, repromissionis, sto iudicio subiectus: in quam duodecim tribus nostræ nocte & die deseruientes, sperant devenire, de qua spe accusor à Iudæis, rex quid incredibile iudicatur apud vos, si Deus mortuos suscitat?*

SECTIO IX.

AVdistis hic de beato Paulo quomodo promissionem intelligat, cum Hebræis exponit, scilicet se corporum resurrectionem designare. Idcirco ait: *Si hæc est promissio, quam speramus quid incredibile iudicatis vos, si Deus suscitat mortuos, cum id pollicitus sit?* hæc est illa promissio, quam pollicitus est, id est corporum resurrectio: ne quibusdam ansa præberetur dicendi, manducemus, bibamus, cras moriemur; & ut crederent aliud esse sæculum, quod præsenti sit successurum, reliquum igitur est, quod beatus Paulus dicit, *non acceperunt repromissionem qui ante nos extiterunt, sic o corporum resurrectionem Deo pro nobis melius aliquid providente.* Quid est hoc? nil aliud, nisi ut nos producamur, & simus in natura, nec illos perfectionem posse adipisci antequam nos generemur, & ad esse perveniamus. Sed & hoc recte declaratum à nobis est ut arbitror; nec impedit apud Deum esse sanctorum animas, ut sæpe dictum est. Ideoque nobis molesti ne sitis, dicendo sanctos nondum consecutos esse. Expergiscamini oro vos fratres, per viscera Domini nostri Iesu Christi, qui nos dilexit, quamvis inutiles peccatores, & desperati essemus: & qui animam suam pro nobis posuit: ne ob malam suasionem & spontaneam malitiam, fratres vestros eiusdem fidei domesticos, Deique gratia orthodoxos abiiciatis: neque Christianos eiusdem fidei, & linguæ participes repudietis, pro quibus Christus proprium effudit sanguinem, ut omnes salvaret. Sed huc accedite & nobiscum consistite, ut uno ore unanimiter credamus, sanctos, quatenus animæ sunt, cum Deo esse, & omnibus consentientibus ad Dominum exclamemus, Spiritus & animæ iustorum laudant te Domine: ut & ij à nobis glorificati nos vicissim glorificent, & pro nobis enixe intercedant apud præmiorum datorem Iesum Christum, & Salvatorem nostrum, ut nos suæ societatis & ordinis dignos efficiat. Fiat.

A

QVINTI CAPITIS, IN EIVSDEM SYNODI Decreto contenti, responsio.

SECTIO I.

Quod iuste vereque dictum sit, Papam caput esse totius Ecclesiæ Christi.

B

Ecce quintum & vltimum decreti caput accedit, vt suam responsionem accipiat, quemadmodum & præcedentia. Ergo quia laborem explicandi quæ mihi de quatuor primis capitibus viderentur, non defugi, nequaquam decet hoc aut silentio involuere, aut debita responsione fraudare: æquum est igitur omni adhibito studio, & de hoc capite quæ dici possunt afferre, ne & ipsum debita sibi careat portione; immo & aliis adiungatur sacrorum Patrum & Doctorum divinis & Theologicis testimoniis communitum, vt cumulate quod polliciti sumus præstemus. Quidnam vero hoc est? Ecclesiæ caput: Papæ primatus, quemadmodum sacræ synodi decretum aperte clamat. Præterea decernimus Apostolicam sedem & Romanum Pontificem in universum orbem primatum obtinere, eundemque esse beati Petri principis Apostolorum successorem, & ipsum Christi in terris vicarium, patrem, magistrum omnium Christianorum. Hoc profecto nescio quomodo quis inficiari possit: cum apertissime Christus & omnes doctores manifestius quam si vel tonitruum personaret, hoc ipsum vociferentur. Christus ergo ante suæ passionis tempus ad Philippi Cæsaream pergens, interrogauit discipulos suos dicens; quem me dicunt homines esse filium hominis animaduerte exquisitum Theologici sermonis sensum, nam quando de communibus hominum sententiis percontatur, Apostoli occupant responsionem, dicentes per singulos; quidam Ioannem Baptistam, alij dicunt Heliam, alij Hieremiam, alij vnum ex Prophetis. Quando vero de illorum sententia explicanda interrogat; & quam existimationem de eo haberent, cum diceret: Vos autem quem me esse dicitis; tunc nemo Apostolorum locutus est, quia ipsi aliorum præsides erant; Petrus autem iis, & toti orbi terrarum præsidebat, & ij quidem tanquam præsides aliorum, aliorum sententiam explicabant. At cum Petrus Apostolorum præses esset, pro illis affert responsionem. Illi enim primatum velut eiusdem scholæ socij detulerunt: vnde & audacter Christo respondet: *Magister interrogas quem te dicimus esse? tu es Christus filius Dei vivi.* Considera magnificam Petri confessionem, ideo & Saluator ad eum: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, non humana sapientia hoc te docuit, neque ab hominibus didicisti, sed pater meus qui in cælis est hanc tibi admirabilem Theologiam reuelauit, Pater igitur meus te docuit; ego autem tibi dico, quod tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam,* neque hic subsistit, immo progrediens dicit, *& dabo tibi claues regni cælorum: & quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælis; & quæcunque solueris super terram, erunt soluta & in cælis.* Quis ergo se Christianum professus hæc abnegabit? nisi forte Christianismum exuere velit.

Verba decreti e concilio Florentino

Mat. 16

C

D

SECTIO II.

Sed quid hic obiiciunt, qui id oppugnant? ad omnes, hoc dixit Christus vbi dicit: *accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittentur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Et alibi, Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Et rursus: Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ. Et alibi; quæcunque ligaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solueritis super terram erunt soluta & in cœlis. Hæc & nos confitemur, dicimusque quod in commune hos constituit magistros orbis terrarum, & omnibus gratiam tribuit peccata dimittendi, quoniam vsque ad orbis terminos ipsos destinauit, necesse enim erat eos habere potestatem baptizandi, docendi, prædicandi & omnibus gentibus dicendi quæ opus esset. Cæterum erat vtile, vel potius necessarium hos caput habere, vt inter eos esset ordo & caput: ne sine capite aberrarent, vnde confusio magis oriretur quam vni[...] ex quo dissolutio & ordinis perturbatio esset conse[...]ta, quia vbi non est ordo, ibi dissolutio; nam ordinis perturbatio dissolutionis principium, Gregorius cognomento Theologus id confirmat, nam mundanos principatus videmus perturbari, discindi, atque aboleri, quando inter se iuncti non sunt; quoniam si duo de primatu regna decerterit, vtrumque extinguitur, hoc & Saluator dixit: *Omne* (inquit) *regnum in seipsum divisum, desolabitur,* igitur in commune ad omnes hoc Christus dixit (nemo negabit hoc) sed seorsum Petro: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* & reliqua, ne oriretur inter eos divisio, vt diximus, ac perturbatio. Si ergo ea vera sunt, quod mundanæ potestates quando disiunctæ sunt, intereunt & dilabuntur; quomodo Christus debuit Ecclesiam suam omittere sine capite? vt confusio sequeretur, & ex confusione destrueretur. Sed vti supra omnem ordinem positus; & vti existens is qui ordinem constituit, voluit & ordine suam societatem, videlicet Ecclesiasticam, contineri. Et vt ipse in terris erat caput, Dominus & magister discipulorum & Pater & Pastor: sic cum decreuisset ad paternum thronum ascendere, Petrum præfectum ipsis constituit Patrem & magistrum; & vt vno verbo dicam, suum vicarium ac successorem. Ostendit autem & alibi ante suam passionem, se Principatum & primatum Petro tradidisse, vbi dicit, *Petre sæpius expetiuit Satanas vos vt cribraret sicut triticum: ego autem rogaui pro te vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Audis hoc, *ego rogaui pro te*, & illud: *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos?* quid tibi videtur scilicet, confirmare fratres, nisi eum esse illorum Principem, & eos confirmare. Et alibi idem ostendit dicens, *Simon vade ad mare, & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle, & aperiens os eius, inuenies staterem, illum sumens da pro me, & te,* ex eo cognouerunt discipuli Petrum ipsis principem præfecisse. Hæc Christus ipse antequam pateretur, enunciauit, vt dictum est. Post resurrectionem autem (vt Ioanni tonitrui filio videtur, qui scripsit Evangelium) Petrus intuens in iucundissimum Domini vultum, inquit; *Domine quid places tibi vt ego faciam?* Iesus interrogauit hunc ter, *Petre amas me*, & in vna quaque interrogatione Pastorem illum designauit dicens: *pasce oues meas: pasce agnos meos*, qui terna interrogatione contristatus ait vberrim flens, *Domine tu scis omnia, tu scis quia amo te,* cuius Dominus triplici interrogatione, voluit triplici abnegationi mederi. Postea terræ constituit ipsum Pastorem & magistrum, idque multis ostendimus rationibus & testibus, præcipue vero Ioannes Damasci oculus in vita Barlaam & Iosaphat Indorum testatur ita dicens: *Aufugit hostis diabolus ob Petri pœnitentiam pudore suffusus.* At ille rursus

Princeps

E

Ioan. 20.

Luc. 10.

Marc. 16.

F

Luc. 11.

G

Luc. 22.

Mat. 17.

Ioan. 21.

H

Marc. cap. 3.

Princeps electus erat, velut terræ magister. Id & sapiens Leo Imperator in ex apostilaris dicit: partim quidem post divinam resurrectionem tet, Petre amas me, interrogans Dominus, ipsarum ouium constituit pastorem: partim vero Simoni oues tradidit ad pascendum, vt charitatem mutuam rependeret, requirens ab eo curam pascendi, & ideo dixit, *Petre si amas me, pasce agnos meos.* Petrus vero intelligens, quod magnum est primatur & multæ virtutis egens, vidensque Ioannem, quem valde Christus diligebat, qui sequebatur, ait: *Hic autem quid?* quasi vero dicens, *me Domine & magi, et designas caput discipulorum: hunc autem à te dilectum, quid iubes esse?* qui & petiit ab eo sedere a dextris suis; & antequam peteret, curauit à matre id fieri, vt vel à dextris, vel à sinistris collocaret ipsum in gloria Saluatoris: ex quibus aperte colligitur hic cathedræ primatus. Quod si de cœlesti cathedra, Doctores hoc intellexarunt, tamen & hoc pacto possumus interpretari. Sed ne cui occasio præberatur exponendi; quod de omnibus discipulis, quæcunque solueritis & quæcunque ligaueritis, respondet Dominus velut eum increpans, *Petre sic eum volo manere, donec rursus veniam, quid ad te? tu sequere me.* Nam *sequere*, nil aliud ostendit, nisi *sequere me hoc baculo pastorali*: ac veluti quando ego vobiscum eram, custodiebam vos, cum Pater essem vester, caput & magister; sic &, tu scis pro me, & sequere me in hoc principatu, docens, & confirmans fratres tuos, te enim in terra esse volo pro me. Ideoque manet vsque ad hanc diem, & manebit Petrus Christum sequendo per successores suos, vt in orationis progressu declarabitur. Ex his Saluator suam mentem ostendit, vt dictum est, antequam pateretur, & post resurrectionem.

Ioan. 21

Mat. 20

SECTIO III.

CÆterum sancti Patres & acta œcumenicorum conciliorum manifestissime idem comprobant, quid igitur iure aduersus hæc potestis afferre? nisi fore id quod à multis audio prædicari, quod hi vitam Petri non viuunt: nam ille pauper; hi vero sunt diuites, & aliud vitæ genus nunc Papa ducit, quam Petrus: quomodo est ergo successor eius? Duo animaduerto hic reprehendi, quæ omitti possunt. Primum quod ille pauper erat, hic diues: Secundum, aliud genus viuebat ille, aliud hic. Ad primum quidem illis sic respondendum est, scilicet quod opes & ea quæ possidet, non ipse sibi comparauit, neque per vim ab aliquo extorsit: sed ante multas ætates & annos, non tantum ante schisma & diuisionem Ecclesiarum, sed paulo post Christi assumptionem in cœlum, & ante sanctam & primam synodum, magnus Constantinus imperator inuictus, Silvestro sanctissimo summoque Pontifici largitus est; quemadmodum in edicto continetur, & in sacris canonum libris inuenimr. At & nos id ad verbum apponemus, ne aliud videamur afferre, quam propria verba sonant.

Decretum inuicti imperatoris & magni Constantini, ad sanctissimum Sylvestrum Romanum Papam.

ÆQuum esse iudicauimus vna cum omnibus satrapis nostris, & vniuerso senatu, optimatibus & cuncto populo Imperio Romanæ gloriæ subiacenti, vt sicut sanctus Petrus vicarius ex persona filij Dei est constitutus in terris; ita & Episcopi successores principis Apostolorum ampliorem principatus potestatem, quam regnum gloriæ nostræ habet, obtineant. Hoc & à nobis, & à nostro concessum est imperio. Et volumus ipsum principem Apostolorum, & successores ipsius, ex eius persona, primos apud Deum esse Patres & defensores. Et sicut nostra Imperialis potestas in terris colitur & honoratur, ita eius sanctam Romanam Ecclesiam venerantur honorari decernimus; & amplius quam nostrum Imperium terrenumque thronum, sedem sacratissimam beati Petri gloriose exaltari. Sancimus etiam vt principatum teneat tam super quatuor sedes, Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, quam etiam super omnes in vniuerso orbe terrarum Ecclesias Dei, & Pontifex qui per tempora ipsius sanctæ Romanæ Ecclesiæ extiterit, celsior & princeps cunctis sacerdotibus totius mundi existat, & eius iudicio quæ ad cultum Dei, vel fidem Christianorum, vel stabilitatem procuranda fuerint, disponantur. † Æquum est enim, vt ibi diuina lex obtineat apicem & primatum, vbi sanctus legislator Christus Iesus Saluator noster misso beato Petro iussit cathedram tenere, & vbi crucis patibulum passus est, & beatæ mortis calicem bibit, vestigijs adhærendo sui nostrique magistri, & ibi gentes capita inclinare propter confessionem nominis Christi, vbi eorum magister beatus Paulus protensa ceruice propter Christum coronam martyrij suscepit, & vt vsque ad mundi consummationem ibi quærat magistrum, vbi sanctorum suorum reliquiæ conquiescunt, & ibi proni & in terram procidentes cœlestis regis Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi ministerijs inseruiamus; vbi seruiuimus illi superbo regi. † Tradimus igitur ipsis sanctis Apostolis beatis Petro & post hos beato Sylvestro & omnibus successoribus eius, qui vsque ad consummationem mundi ascensuri sunt ad sedem beati Petri, ab hoc die palatium imperij nostri Lateranense, quod omnibus mundi palatiis præfertur & supereminet, deinde diadema siue coronam capitis nostri simulque & lorum, nec non & superhumerale quod imperiale assolet circundare collum; verum etiam clamydem purpuream, atque tunicam coccineam, & omnia imperialia indumenta, seu etiam dignitatem imperialem præsidentium equitum; conferentes ei etiam imperialia sceptra, simulque cuncta signa, & banda, & reliqua ornamenta imperialis culminis, & gloriam potestatis nostræ. Viris etiam diuersi ordinis reuerendissimis Clericis; sanctæ Romanæ Ecclesiæ seruientibus, illud culmen singularis potentiæ & præcellentiæ habere sancimus, cuius amplissimus noster Senatus videtur gloria adornari, id est, patricios & consules effici; necnon & cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgamus decorari. Et sicut imperialis est decorata militia, ita clerum sanctæ Romanæ Ecclesiæ adornari decernimus; & quemadmodum imperialis potentia diuersis officiis cubiculariorum, necnon & hostiariorum atque omnium excubitorum: ita & sanctam Romanam Ecclesiam decorari volumus. Et vt amplissime Pontificale decus præfulgeat, decernimus, vt clerici eiusdem Romanæ Ecclesiæ linteaminibus, id est, candidissimo colore decoratos equos equitent, & sicut Senatus calceamentis vtitur, siue scandalis albo ex linteamine; ita & cœlestia sicut terrena ad laudem Dei decorentur. Præ omnibus autem licentiam tribuimus, & concedimus beato Sylvestro Episcopo Papæ Romanæ vrbis & successoribus eius beatis Episcopis, ad honorem & gloriam Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, & magnæ Apostolicæ Ecclesiæ, vt si quis Senator proprio consilio clericare voluerit, & in religiosorum numero clericorum connumerari in magna & Apostolica Ecclesia, nullus ex omnibus præsumat impedire. Præterea decernimus, vt ipse religiosissimus pater Sylvester magnus Episcopus, & eius successores omnes Episcopi ferant diadema, siue coronam, quam ex capite nostro ipsi tradidimus ex auro purissimo & preciosis margaritis, vt ipsi ad ornatum capitis vtantur ad laudem Dei, & honorem sanctorum Apostolorum. Ipse vero beatus Papa Sylvester suo corona, siue papalithcia, quam habebat ad gloriam Dei & sancti

Habetur hoc decretum dist. 96. & in 1. tom. concil.

Verba hæc duobus signis inclusa in vulgari desiderantur, non in conciliorum tomis.

Petri, noluit ferre coronam ex auro & margaritis, & ideo quia ipse noluit ex auro coronam, nos splendidiss. lorum, quod significat sanctam resurrectionem, capiti sancto eius, nostris manibus imposuimus, & tenentes frænum equi ipsius pro reverentia beati Petri; stratoris officium illi exhibuimus: statuentes eodem loro, omnes eius successores singulariter vti in processionibus ad imitationem imperij nostri. Vnde vt Pontificalis apex non vilescat; sed magis quam terreni imperij dignitas, gloriâ & potentiâ decoretur: ecce tam palatium nostrum vt prædiximus, quam Romanam vrbem & omnes Italiæ, siue Occidentalium regionum provincias, loca, civitates, castra beatissimo Pontifici & patri nostro, & vniversali Papæ Sylvestro tradidimus, atque relinquimus ipsi, & successoribus eius potestatem & robur firmum imperialis iussionis. Et per hoc divinum iussum, & pragmaticum constitutum sanctis Patribus Romanæ Ecclesiæ in perpetuum decernimus permanenda. Vnde congruum perspeximus, nostrum imperium & regni potestatem ad Orientales transferri regiones, & in Byzantiæ provinciæ optimo loco, nomini nostro civitatem ædificari, & nostrum illic imperium constitui, quoniam vbi principatus sacerdotum, & Christianæ religionis caput ab Imperatore cœlesti constitutum est, iustum non est vt illic Imperator terrenus habeat potestatem. Huius vero Imperialis decreti paginam propriis manibus roborantes, super venerandas reliquias sancti Apostoli & principis Petri posuimus, & ibi iuravimus hæc omnia inconcussa servare, & successores nostros Imperatores in archivis nostris hæc custodire, tradidimus Patri nostro sancto & vniversali Episcopo & Papæ, & per eum omnibus successoribus eius Episcopis, Domino & Saluatore nostro Iesu Christo annuente; iubemus omnia quæ supra scripta sunt firmiter in sæcula observari.

Fuit hanc decret... [margin]

SECTIO IV.

Vides quo pacto invictus Imperator, magnus dico Constantinus is fuit, qui elargitus est, quæ nunc ab Ecclesia possidentur: quodque neque per vim accepit, neque alicui extorsit; & quod cuncta ad honorem & gloriam cœlestis regis terrenus consecravit? quodque omni reverentia & pietate adhibita liberalissime Ecclesiæ donavit? ea accepit Sylvester duas potissimum ob causas: vnam quidem propter fidei fervorem, & Imperatoris propositum, ne eius animi pietatem scandalizaret si munus reiecisset: alteram vt Ecclesiæ reverentiam apud omnes excitaret, quæ egestate premebatur & persecutionem patiebatur, & contemnebatur ab impiis tyrannis & Imperatoribus, qui Constantinum præcesserant, ad hæc vt terrena potestate frueretur, quoniam complures habebat adversarios, & tunc & in præsentia habet, spirituales & mundanos, qui mentem habet intelligat, nam in egestate constituta, denuo fuisset exagitata, vt sub Constantino evenit; & sævior consecuta esset persecutio, quam tunc sub quibusdam, qui palam quidem Christianismum profitebantur, clam vero Græcam religionem amplectebantur: negantes penitus Christi in carne præsentiam, sæpiusque tentantes eam imminuere, & ad nihilum redigere. Tertiam quoque responsionem merito adiungemus: quod primi admirabiles summi Pontifices multo ante providerunt; & omnium primus beatus Sylvester, scilicet quod in extremis, apud homines fides imminuenda foret; nec eundem fervorem & reverentiam habitura, quam iam inde à principio obtinebat inops & egens Christi Ecclesia: quodque habentes prævalituri forent, non habentes autem pro nihilo futuros; propterea decreverunt vt aliquid haberet ad sumptus faciendos Ecclesia, ne ab vllo contemneretur. Quicunque enim Romanæ Ecclesiæ conspexerint, vt ipse conspexi, qualemque reverentiam terræ reges & principes eo se conferentes ipsi exhibent, ij profecto mecum testabuntur me vera dicere; nam si inops esset, in nullo prorsus honore haberetur apud eos, qui inani gloria tantum permouentur, & per vim coli volunt. Quid ergo? ideo non est Ecclesia, & hac de causa non debemus obedientiam & honorem præstare quod opulenta est, & potestatem magnam habet? absit tanta absurditas, nam & Christum met insimulabimus, qui mendicus natus est & mendicitatem exercuit, & inopiam prædicauit, postea docuit se esse terræ regem sempiternum. Et rursus, *data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra.* Et iterum, *quando veniet filius hominis in potestate sua*, num dices hæc vera non esse? minime profecto, minime. Itaque Ecclesiæ contigit, vt sponso eius Christo, scilicet inopem esse genitam ex infructuosa Iudæorum synagoga, paulatim vero effectam divitem ex aqua videlicet & spiritu; nunc autem opulentam magnamque potentiam consecutam.

Hæc vidéntur ... [margin] D ad Iulianum Apostatam, & alios Imperatores hæreticos.

Mat. 28. Mat. 13.

Ad secundum quod summi Pontifices in præsentia Petri vitam non viuunt, respondendum, quamquam asperum alicui dictu videbitur, si præsidem, fratres, Romanæ sedis incusatis; cur non & incusatis orientis Pontifices, qui veterum Pontificum & Apostolorum vitam non viuunt? hoc est Alexandrinum, qui non viuit sicuti Marcus? Antiochenum, sicut Ignatius, cognomine Deifer; Hierosolymitanum sicut Iacobus, qui fuit Domini frater; Constantinopolitanum sicut Andreas protocletus, sed Romanum tantum reprehendere vultis. Quanam id de causa? quia Latinus, & barbam radit, atque quarta feria & parasceue olenm ac pisces comedit. Hæc igitur sunt quæ carpere scitis: avaritiam, ebrietatem, incuriam nescitis carpere. Si peccatores vt vos arbitramini, sunt Romani Pontifices, quid ad vos? non nostrum est disquirere, & damnare nostros principes, Propheta aperte clamante: Principi populi tui non maledices. Sed nec insurgere adversus pastorem ovibus licet, audimus enim dicentē Dominum: *Super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi: omnia quæcunque dixerint vobis facere facite, secundum vero opera eorum nolite facere*, quoniam poterant & illi Domino respondere; non tenemur Pontificibus obedire, quamvis in Mosis cathedra sedeant, quia sunt peccatores; at id non dixerunt, sciebant enim quod in cathedra Mosis sedere, ostendit eos potestatem Mosis habere, quamquam essent peccatores, & Mosis vitam non viverent, quod Prophetæ & sancti non erant sicut Moyses, ita & hi beati Petri sedem regunt, potestatemque illius habent; ac veluti principatum gerentes & Domini iubent, nos vero subiicimur. Sin autem vitam Petri non viuunt, in villicationis die rationem verbi reddent; at nos pro illis non reddemus, quod enim eis non debemus, agimus; & obedientiam pro virili exhibemus, beatum Gregorium audite dicentem: *Oues pastores nolite pascere, atque vltra fines vestros insurgere: satis est vobis si bene pascamini.*

Respondet secundæ obiectioni super ratione vitæ Pontificum.

Gregorij orat. 7.

SECTIO V.

Sed vt penitus os vobis obstinatum, ostendere vobis ex testimonio sanctorum Doctorum Ecclesiæ incipiamus, quod Romana Ecclesia alias antecellat, & monarchiam obtinet, tanquam inter cæteras potior atque excelsior. Inquit Anacletus, Sacrosancta Romana & Apostolica Ecclesia non ab Apostolis, sed ab ipso Domino & Saluatore nostro primatum obtinuit, sicut beato Petro Apostolo dixit: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam:* quam beatissimi Apostoli Petrus & Paulus suo martyrio consecrarunt. Diuus Marcellus ita scribit: *Rogamus vos vt non aliud doceatis & sentiatis quā quod a beato Petro & reliquis Apostolis & patribus accepistis, ipse enim est cap. totius Ecclesiæ*: cui ait Dominus: *tu es Petrus*

Anacletus distinct. 22. cap. sacrosancta. Marcellus decr. cap. 24. quæst. 1. cap. Rogamus Leo ibidem cap. cū beatissimus.

&

& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, eius enim sedes primitus apud vos fuit, quæ postea iubente domino Romam translata est; cui adminiculante gratia divina hodiernæ præsidemus die. Item Leo Papa ait: *Cum beatissimus Petrus Apostolus à domino acceperit principatum, & Romana Ecclesia in eius remaneat institutis: nefas est credere quod sanctus Episcopus, discipulus illius Marcus, qui Alexandrinam primus gubernavit Ecclesiam, aliis regulis & traditionibus sua decreta firmaverit: cum sine dubio de eodem fonte gratiæ unus spiritus discipuli fuerit & magistri: nec aliud ordinatus tradere potuit, quam quod ab ordinatore suscepit.* Præterea hoc decreto Constantini confirmatur, quod in canonicis constitutionibus agitur, in quo præter alia multa & hoc habetur: *Decernentes sancimus ut sacrosancta Romana Ecclesia principatum teneat tam super quatuor sedes Alexandrinam, Antiochenam, Hierosolymitanam, Constantinopolitanam, quam etiam super omnes in universo orbe terrarum Ecclesias Dei.* Ex quo colligere possumus eum Romanam Ecclesiam veluti principem omnibus præponere; cui non solùm Antiochiæ Ecclesia, verum etiam Constantinopolitana & reliquæ commendantur. Gregorius dialogus ita dicit: *Constantinopolitana Ecclesia sedi Apostolicæ subiecta est.* Item synodus Constantinopolitana: *Constantinopolitana*, inquit, *civitatis Episcopum habere oportet primatus honorem post Romanum Episcopum.* Ad hæc Anacletus dicit: *Romana sedes primatu, Dei gratia exornatur: quæ à domino, non ab alio eum cepit, & sicut cardine ostium regitur, sic huius Apostolicæ sanctæ sedis auctoritate omnes Ecclesiæ Domino disponente reguntur.* Item Callistus dicit: *Non decet à capite membra discedere*, sed iuxta scripturæ testimoniū, *omnia membra caput sequantur*, nulli vero dubium est, quod Apostolica sedes mater sit omnium Ecclesiarum, à cuius regulis nullatenus nos convenit deviare. Item Gregorius aperte dicit: *Nulli fas est vel velle, vel posse transgredi Apostolicæ sedis præcepta, nec nostræ dispositionis ministerium.* Sit ergo ruinæ suæ dolore prostratus, quisquis Apostolicis voluerit contraire decretis, nec locum deinceps inter sacerdotes habeat, sed exors fiat à sancto mysterio. Item Cyprianus sanctissimus dicit: *Quicumque Petri cathedram, in qua Ecclesia fundatur dereliquerit, in ea ulterius esse non audeat.* Item Nicolaus summus Pontifex ita scribit: *Romanā Ecclesiā solus Christus fundavit & supra Petram fidei mox nascentis erexit: qui beato Petro æternæ vitæ clavigero, terreni simul & cœlestis imperii iura commisit.* Non ergo quælibet terrena sapientia, sed illud verbum quo constitutum est cœlum & terra, per quod denique omnia condita sunt elementa, Romanam fundavit Ecclesiam. Illius certe privilegio fungitur, cuius auctoritate fulcitur, unde non dubium est, quia quisquis cuilibet Ecclesiæ ius suum detrahit, iniustitiam facit qui autem Romanæ Ecclesiæ privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum capite traditum, auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur: & cum ille vocetur iniustus, hic est dicendus hæreticus, fidem quippe violat qui adversus eam agit, quæ est mater fidei. Item Pelagius addit: Turpissimum esse schisma, quodque homines eodem modo ab alienigenis potestatibus conterentur, & canonicæ scripturæ auctoritas, & antiquorum canonum veritas docet. Qui igitur ab Ecclesiastica sede scinditur, in schismate ipsum esse nemo ambigit, quodque adversus Romanam & œcumenicam Ecclesiam, conatur mensam erigere, & ut schismaticum est Romanam Ecclesiam pro capite non habere, sic & hæreticum iura eius auferre, apertum est enim quod † quicunque ab unitate fidei, vel societate Petri Apostoli quolibet modo semetipsos separaverint, tales nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possunt regni cœlestis ingredi. Et hæc quidem Occidentales Patres Doctores sine tergiversatione sic uti vides, & aperte pronunciant. Secundum hos, Orientales Doctores in testes adducemus; eosque inter se consentire manifestissime comprobabimus.

Gregor. decr. dist. 25. cap. de constant. Ex synodo Constantinop. ibid. Anacl. dist. 25. cap. sacrosancta. Calixti de 11.4. non decet.

Greg. dist. 19. c. nulli.

Cypria. ni.

Nicolai dist. 25 c. omnes.

Ex hoc loco colligitur decretum ubi desunt hæc verba Quorum partes falso tribuuntur Grat. c. 24. q. 1 cap. quicumque.

† Hæc postrema verba Bedæ tribuuntur decr. cap. 24. q. 1 c. quicumque Pelagii verba sunt una cū superioribus Gennadius habebat decr. Græc. longissimorum.

SECTIO VI.

Et primus Damasci præclarum lumen accedat, hic enim in oratione in domini transfigurationem à se conscripta, cuius principium est: *Eia festum diem celebremus, ô Deo cara societas*, post alia multa sic de proposita quæstione disserit. *Ut homo quidem interrogationem proponit: ut vero Deus latenter ostendit, qui proxime secuturus est, quem sua præcognitione prædestinavit dignum Ecclesiæ præsidem: hunc tanquam Deus inspirat, & per eum loquitur. Qualis autem est interrogatio? quem me dicitis esse? at Petrus ardenti incensus zelo, & sancto actus spiritu*, respondit. *Tu es Christus filius Dei vivi. O beatum os, labia felicissima*, & paulo post; *hæc est fides recta & inconcussa, super quam, ut super petram Ecclesia est firmata, ex qua digne cognomen accepisti, hanc portæ inferi, hæreticorum ora, dæmonum machinamenta incursionibus vexabunt, at non prævalebunt; armis oppugnabunt, at non vastabunt, tela insanientium sunt & erunt eorum vulnera, languescent illorum linguæ, & in ipsos convertentur, sibi ipsi perniciem struunt qui se opponit veritati, hanc ipse suo redemit sanguine, tibi vero ut fidelissimo servo in manus tradit; hanc inconcussam & mergi nesciam tuis precibus serva, quia nunquam subvertetur, nunquam vastabitur; secura fiducia* Christus *dixit; à quo cœlum firmatum est, terra fundata & manet inconcussa, nam verbo cœli firmati sunt.* Et paulo post; *Christum deprecare, qui te regni clavigerum prædicavit qui peccata ligare & solvere est elargiens*, & post alia quædam rursus dicit: *sed cur Petrum, Ioannem & Iacobum assumpsit? Petrum, ut vere ostenderet testimonium à patre testificatum, verbaque à se dicta comprobaret: quemadmodum Pater cœlestis ei revelavit: & ut eum qui princeps futurus erat, & totius Ecclesiæ clavium susceptorus.* Animadvertis quod Petro ut præsidi, & totius Ecclesiæ principatum obtinenti clavium tradidit? profecto surdo aspicienti & aures obstruenti sunt similes, qui neque audire volunt, nec videre, nimirum inquiunt: at Petro tantum hoc datum est, sed non eius successoribus, hoc ut à fatuis prolatum verbum, omnisque sensus expertibus, silentio præterire oportebat, quoniam nulla plane indiget responsione. Sed in gratiam eorum qui volunt eos iterum propellere, idipsum ut omnis insciniæ refertum refellamus, alioquin si id concesserimus, Catholicam fidem subvertemus, & Christum falsum prædicasse dicemus, & alia infinita absurda inde sequentur: si Christi fides usque ad Petrum & cæteros Apostolos perduravit; postea vero non; si Petro tantum & Apostolis tradita est, at non eius successoribus. O stultitiam nimis apertam, ô mentem perversam! quomodo synodi sunt constitutæ in Ecclesiæ subsidium? quomodo canones synodales instituti sunt, si potestatem non habuerunt? quomodo magnus Constantinus obedientiam Sylvestro exhibuit in omnibus tanquam Petro? ut antea ex eius decreto scriptum est: quomodo Romanorum Imperator Alexandro Papæ inclinata cervice collum eius pedi submisit, cum diceret: super aspidem & basiliscum ambulabis; & conculcabis leonem & draconem, at ille respondit: non tibi, sed Petro obedientiam exhibeo: & Pontifex: & mihi & Petro. Quomodo igitur non erubescitis hæc pronunciando? quomodo hæretici à summo Pontifice fuissent expulsi, à sacrisque conciliis, si usque ad Apostolos Ecclesia valuisset, postea vero non? quomodo hæc non dixerunt qui per temporum vices hostes & inimici Ecclesiæ Dei extiterunt, hæretici nimirum, illi enim ab œcumenica Ecclesia pulsi & exagitati hoc dicere non audebant, vos vero hæc afferentes illorum defensionem suscipere videmini. Oportet igitur, Arium; Macedonium, Nestorium, Dioscorum, Severum, cæterosque impii illius cœtus hæreticos resurgere, gratiasque vobis reddere, & obnoxios esse, quia quod illis ne in mentem unquam venit, vos, eorum

Damasc. incipit probare ab auctoritate doctorum Orientalium.

Nunc probat quod non solum Petro sed & eius successoribus sunt traditæ claves.

Federicus primus Alexandro Papæ hæc ait: hostis ecclesiæ.

A

suscepta defensione affertis. Sed quod multæ & infinitæ absurditates hinc oriuntur, & cæcis est manifestum, ideoque satis de his.

SECTIO VII.

Auctoritaté Papæ summam esse & supremam in toto orbe.

AFferemus etiam alia testimonia, & sententias sanctorum Doctorum Ecclesiæ aperte comprobantium propositam à nobis quæstionem, quod Pontifex Romanus totius Ecclesiæ caput est & magister, & ipsi tantum datum est iudicare & de fide inquirere, & ordinare totum urbem terrarum, atque hæreticos sedibus pellere, & orthodoxos restituere. Ac primum vobis sententiam latam contra sacrum Chrysostomum in hoc testem adducemus, qua iniuste damnatus est ab iis, qui Constantinopolitanas res gerebant, & exilio mulctatus: cuius rei Innocentius Papa certior factus, Imperatorem cum uxore; cæterisque sacerdotibus & pastoribus excommunicationi subiecit; ea conditione nisi Chrysostomum in suam sedem revocaret, nam de Chrysostomo lata sententia, & in gratiam Eudoxiæ damnato in Concussum Armeniæ oppidum, acerbo exilio ablegarunt, quam rem is ad Innocentium sanctissimum Romanum Pontificem detulit, non enim habebant, alio quo confugerent Orientales Pontifices, nisi ad Romanum Pontificem, cum iniuriis afficerentur: dictum Domini ad Petrum in memoriam revocantes; *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Quamobrem divus Innocentius sacri Ioannis acceptis literis, Constantinopolim scribit, ut Ioannem in suam sedem restituant, quibus dicto non parentibus, ac Ioanne vita functo, iterum ad Arcadium & Eudoxiam Imperatores literas scribit huius exempli.

B

Chrysost. ad Innocentium primum confugit.

Epistola Innocentij Papæ.

C

Hæc Epist. ita ad verbû reperitur apud Niceph. lib. 13. & tota hæc res mul tis verbis apud Latinos enarratur.

VOx sanguinis Ioannis fratris mei ad Deum clamat adversum te, o Imperator, ut olim iusti Abel contra fratricidam Cain, sed omni ratione vindicabitur, neque id commisisti tantum, verum etiam pacis tempore persecutionem magnam, in Ecclesiam Dei & sanctos eius instituisti, magnum terræ Doctorem è sua sede indemnatum pellendo; Christum etiam una cum eo insectatus, neque vero vicem eius doleo, quia is hæreditatem accepit cum sanctis Apostolis in Dei Salvatoris nostri Iesu Christi regno? quanquam non ferenda est ea iactura. Sed animo angor, primum reputans salutem animarum vestrarum, postea ob eos, qui illo destituuntur; & esuriuntur suæ sapientissimæ doctrinæ præceptis, ac monitis imbui, neque solum Constantinopolitana civitas detrimentum sensit eius mellifluæ linguæ, sed & omnis Occidentalis plaga est viduata, eo amisso divino viro, unius mulierculæ suasu, quæ hanc voluit excitari tragœdiam. Veruntamen huius mundi ultionem ea non effugiet; & æternam postea paucis diebus interiectis sentiet, decedendo, quamvis enim beatus Ioannes hanc vitam reliquerit fidem tuendo, & fluctuantes confirmando; in sempiterna tamen sæcula inexhaustam gloriam atque immortalem est consecutus. At hæc nova Dalila Eudoxia sensim erroris novacula te abradens, adversus semet maledictionem comparavit ex ore multorum; vinciendo onus peccatorum grave atque intolerandum; hoc præterea adiuncto proxime perpetratis facinoribus. *Ideo ego peccator & minimus, ut cui fides est credita magni Petri Apostoli, interdico tibi & illi participatione intemeratorum mysteriorum Christi Dei nostri. Præterea qualemcunque Episcopum vel clericum in ordine constitutum sanctæ Dei Ecclesiæ qui ausus fuerit auxilium præbere & communicare vobiscum, ex quo tempore legeritis præsens vinculum, deponi iubeo. Quod si vos ut potestatem habentes, aliqui vim inferetis, & transgressi fueritis canones vobis traditos à Salvatore per sanctos Apostolos: scitote quod non ad parvum vobis imputabitur, peccatum in tremenda die iudicij, quando non poterit ulla dignitas mundana prodesse, & quæ latent, in omnium conspectum aspicienda fundentur. Arsacium vero, quem vos in sedem Episcopalem pro magno Ioanne induxistis, post mortem etiam deponimus cum omnibus eiusdem sectæ Episcopis atque sociis. Indignus enim est tanquam adulter Episcopatus, nam omnis plantatio, quam non plantavit pater meus cælestis eradicabitur, nec nomen illius in sacris voluminibus inscribatur. Theophili depositioni addimus excommunicationem, anathematizationem, & plenam à Christianismo separationem.* Animadvertis ex hoc loco auctoritatem illius divinæ sedis? quod non solum viventem deposuit Arsacium, verum etiam defunctum.

D

Eudoxia ut scribit Zonaras, partu obiit nondum tribus mensibus expletis à Chrys. exilio. Dalila Sampsonis amasia. Iud. c. 16.

E

Excommunicatio Arcadij & Eudoxiæ Imperatorum.

Arsacium dicit, quem in sedem Ioannis induxistis, & defunctum deponimus, quod idem est; ac si dixisset, nolumus eum Pontificum in libro inscribi in futuro iudicio, nam in eo facile iubemus Ioannem antecum Constantinopolitanum Pontificem esse, nunc & in futurum; Arsacium nullo pacto. At Theophili Alexandrini depositionem (eo quod in synodo Thessalonicæ coacta, in Eudoxiæ gratiam curavit ut damnaretur, & in exilium pelleretur Chrysostomus) non fuit contentus divinus hic summus Pontifex, quanquam synodalis erat ea depositio coramque legatis; adiecit excommunicationem (ô malum) & plenam à Christianismo separationem, ô rem admirabilem qui semel baptizatus est in nomine sanctæ Trinitatis, & in Christianorum albo inscriptus, hic de libro delet, & exuit Christianismo. Hoc liquido ostendit potestatem, quam habet ea divina sedes. Si ergo, ut vos creditis, Petro tantum tradita est, non eius successoribus, quonam pacto Theophilus, Arsacius, Arcadius, Eudoxia, & cæteri à Romano Pontifice depositi & damnati non responderunt: *tuas reprehensiones non æstimamus:* quod Petro tantum, non tibi datum est id, at id quidem non potuerunt: nec dicere ausi sunt; imo veniam erratorum ab eo petierunt. Sed hoc plane sufficit, ut arbitror ad comprobandum Petri & reliquorum Apostolorum successores eandem potestatem obtinere, neque minorem horum successores.

F

Vide Niceph. lib. 13.

G

SECTIO VIII.

NVnc ad alias probationes, & indubitata testimonia accedemus, quod is & non alius caput est plenitudinis Ecclesiæ, ex Epist. Imperatoris Iustiniani ad Epiphanium Constantinopolis Patriarcham in sancta synodo Trulli ab ipso coacta, cuius principium: *Imperator Iustinianus Augustus Cum recta & inculpata religio, quam profitetur & prædicat sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia, nullo modo innovationem admittat; nos doctrinam sanctorum Apostolorum, & eorum qui post illos in sanctis Dei Ecclesiis versati sunt, sequentes, æquum esse existimamus notam & testatam omnibus spem, quæ in nobis est relinquere,* & cætera eiusdem Epistolæ, in qua aperte perspicitur fides & Confessio ipsius erga Catholicam Ecclesiam, postea in sequenti alia Epistola, cuius principium, Idem Imperator Epiphanio sanctissimo & beatissimo Archiepiscopo huius regiæ urbis, & œcumenico Patriarchæ hæc scribit: *Cum tuam sanctitatem scire velimus omnia, quæ ad Ecclesiasticum statum pertinent, necessarium esse duximus hac Epistola eidem significare, & per eam eidem aperire quæ innovata sunt quæ & eandem scire confidimus, nam cum hic quosdam alienos à sancta Catholica & Apostolica Ecclesia invenerimus, sectantes errorem impiorum Nestorij & Eutychetis, & eorum blasphemias uti divinum promulgavimus edictum quod & tua sanctitas novit, quo hæreticorum insaniam confutavimus, cum nihil penitus immutaverimus vel mutemus, vel transgrediamur Ecclesiastici status, qui hucusque Deo favente perdurat, ut tuæ notum est beatitudini: sed per omnia servamus statum unionis sanctissimarum Ecclesiarum, quæ cum sanctissimo Papa & Patriarcha veteris Romæ transacta est, ad quem his consentanea conscripsimus,*

Habetur tota hæc Epistola apud Iustinianû in nou. const. 7.

H

In vulgatis codicib. Iustiniani deest hæc Epistol. Antonius Augustinus postea Græcam edidit ex antiquo codice.

nunquam

A

nunquam enim feremus, quin omnia ad statum Ecclesiasticum pertinentia ad illius beatitudinem, uti ad caput sanctissimorum Dei sacerdotum deferantur. Et quia quoties in his partibus hæretici exorti sunt, sententia & iudicio illius venerandæ sedis, sunt repressi: licet & nobis dicere sic, & concludere quod omnes, qui volunt & habent ipsum pro capite, sancti sunt, & veri Dei sacerdotes & servi fideles; qui vero nolunt, neque habent eum pro capite, non sunt Dei sacerdotes. Ita enim sacra illa synodus decrevit, cum dicit, *capiti omnium sanctissimorum sacerdotum Dei.* Quod vero iudicium omne Ecclesiæ Dei in eo situm sit, audi quod quoties in his partibus Orientalibus scilicet, hæretici exorti sunt, iudicio & sententia eius sunt repressi; quare qui eum non sequuntur, schismatici sunt, & in hæresim delabuntur. Ideo cuncta quæ agunt, adulterina sunt & inutilia. Huius rei testis est sancta synodus Carthaginensis; ex Epistola quam sancta synodus Carthaginensis, & magnus Cyprianus ad Iovianum dedit, cuius est principium: *Cum in unum convenissemus dilecti fratres,* inquit: *cum sit unum Baptisma, unus Spiritus sanctus, una Ecclesia, unione fundata super Petrum Apostolum iam inde a principio,* ut Christus Dominus noster dixit; *propterea omnia quæ ab ipsis scilicet schismaticis & hæreticis aguntur, falsa, stulta, inania, & adulterina sunt.* Audis quod adulterina & inania vocat, quæ præter iussionem eius sunt gesta? sic cum ab omni parte fides exagitaretur, inde præsidium parabant. Anastasius S. Maximi discipulus inquit: Cum fides concordissime ab omnibus exagitaretur, nisi speciali gratia opem tulerit, qui semper succurrit, semine religionis, apud veterem Romam nobis relicto, ad confirmandam promissionem mentiri nesciam; quæ facta est principi Apostolorum. Quænam est promissio, quæ facta est principi si nosti illud est? ego oravi pro te, ut non deficiat fides tua, & illud: confirma fratres tuos, & illud: portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Ex disputatione S. Maximi cum Theodosio quodam Cæsareæ Episcopo. Theodosius: *Excipe vocem, neque scruteris illius sensum.* Maximus: *Novas profecto, & ab Ecclesia alienas de vocibus inducitis leges, si secundum vos non opus est scripturarum & Patrum voces scrutari: totam scripturam abiicimus veterem & novam.* Audivi enim David dicentem: *Beati qui scrutantur testimonia eius; in toto corde exquirent eum:* Et iterum: *Mirabilia testimonia tua, ideo scrutata est ea anima mea.* Et Dominus in Evangeliis: *Scrutamini,* inquit, *scripturas. Certior ergo fiat Dominus meus, quia non feram excipere vocem sine sensu, qui in ea latet, ne fiam manifeste Iudæus.* Theodosius: *Si quid dixerunt Patres, dico, & id scripturâ facio, duas naturas, duas voluntates, duas operationes: ingredere nobiscum adiungere, & unio fiet.* Maximus: *Domine non audeo hac de re à vobis capere assensionem, cum sim simplex monachus; sed quoniam pupugit vos Deus ut exciperetis sanctorum Patrum voces; ut canon docet, Romam de hac re scribite vel Imperator, vel Patriarcha, vel synodus quæ ibi est, & post alia: neque vitabit Imperator vel Patriarcha imitari Dei humilitatem, inter seseque concorditer constituere, synodali petitione ad Romanum Pontificem transmissa, & omnino si reperiatur ratio Ecclesiastica, quæ id concedat ob rectam fidei confessionem, convenite super hoc inter vos.*

B — Huius rei meminit Cyprianus paulo diversius in baia nisi vocat, quæ hic Gennadius Iovianum. — Anastas. S. Maxi- mi disci- pulus.

C — S Max. — Psal. 118. — Ioan. 5.

D

SECTIO IX.

Vides tu qui non vis Petri successores eandem cum Petro potestatem habere, quomodo non alius ex Patriarchis potest de fide disquirere & ordinare tantum, nisi Romanus Papa? quo pacto hæc audetis dicere, & impudenter blasphemare? nam hæc de vobis solum audire, exhorresco, nedum asserere scilicet quod Christi fides usque ad Petrum permansit; post Petrum & usque ad hanc diem non permansit, vos vero qua ratione id dicatis, quod totũ est blasphemia, mirum est, quoniam si hoc concesserimus, tota fides dilabitur & perit. O tuam patientiam Christe Rex; quomodo tuam fidem & Ecclesiam tuam permisisti Petro tantum, at non eius successoribus? quomodo hucusque administrata est, quomodo sumus baptizati, quomodo synodi constitutæ, quomodo hæretici eiecti, quomodo Ecclesia illustrata est, capite sublato? quomodo Ecclesia hucusque perdurasset, dicam fortasse audacius, nisi omnino caput habuisset, & potestatem & unum pastorem & regem, secundum Evangelicam vocem, *unum ovile eius, & unus pastor.*, multis capitibus res non eget, ubi pastores uni non subiiciuntur, destruunt magis quam constituunt; & subvertunt prope potius, quam dirigunt. Quomodo salvator ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad seculi consummationem:* non enim usque ad seculi consummationem in hac vita Petrus mansurus erat, quare per hoc verbum manere, hic in præsenti seculo declaratur Christum manere una cum successoribus Petri, cæterisque Apostolis. Legite & scitote, & attente audite, quod qui hoc dicunt, Catholicam fidem & œcumenicas synodos evertunt, omniaque quæ sancti tradiderunt & docuerunt, inania & stulta efficiunt. Legite acta synodalia, & percipite ex iis Ecclesiæ caput, Petri monarchiam; ac quoniam & in eius successoribus manet. An nescitis Ephesinam synodum latronis more à Dioscoro Patriarcha Alexandrino convocatam, & Iuvenali Hierosolymitano & ab aliis eiusdem sectæ Episcopis, contra veram fidem Flaviani, Constantinopolitani Patriarchæ, sanctissimum Leonem Papam illum divinum solum eam disiecisse & anathemati supposuisse? Epistolamque misisse ad Chalcedonensem sanctam synodum perferendam; qua accepta illam sanctam synodum orthodoxæ fidei columnam eam vocasse? & secundum eam de proposita quæstione iudicasse, Episcoposque acclamasse, æterna Leonis memoria, ut Leo credit, ita nos credimus: ut Leo docet, ita nos prædicamus. Ac dum synodus celebraretur, Eutychianistas monachos à Marciano Imperatore petiisse, ut synodus disiiceretur, & symbolum Nicænum sufficeret: nihilque præterea quæreretur, ab eisque sanctam synodum postulasse, ut Epistolæ sanctissimi Leonis subscriberent, ac non obtemperantes ut hæreticos condemnasse? Vides & audis quod œcumenica sancta synodus sexcentorum triginta Patrum nil egit aliud, quam quod sanctissimus Leo Papa docuit solus? quodque hæretici disiicere synodum conati, synodus postulavit ut vel Leonis Epistolæ subscriberent, vel anathemate ferirentur: cui non parentes anathematizati sunt: quomodo igitur usque ad Petrum mansit, postea non? nam Leo quingentos prope annos à Petro vixit. Quomodo Athanasius ad Iulium, Chrysostomus ad Innocentium, Ignatius tertius ad Nicolaum, Theodoretus ad Leonem, Maximus ad Martinum; & cæteri Orientis sacerdotes eiecti, ac suis sedibus pulsi, vel ipsi venientes confugerunt, vel literas dantes significaverunt; unde literis acceptis suas sedes receperunt: nisi ii summum Pontificem ac Petri successorem agnovissent; ut qui poterat eis esse præsidio? quomodo reges & principes inspectis Papæ literis tacuissent, ac illis permisissent suas recipere sedes, quibus expulsi fuint, si Petri tantum potestas fuisset, at non eius successorum? Satis igitur, ut arbitror, ostensum est, quod non solum ad Petrum tantum, verũ etiam ad eius successores eadem potestas extenditur, usque ad huius sæculi consummationem.

SECTIO X.

Ostendetur præterea, quod sine illius assensu non potest œcumenica synodus, vel omnino vocari synodus, vel auctoritatem habere: quod in multis quidẽ aliis licet intueri, ut in præcedentibus exposuimus, & in sequentibus exponemus: præcipue vero in vita S. Stephani iunioris, quo Metaphrastes diligenter scribit vigesimatertia die Novembris, ubi divus Stephanus

ab hæreticis accusatus, quod eorum se non subiiceret synodo, quam antea condiderunt contra venerandas & sanctas imagines, cum eum subscribere decreto cogerent ab ipsis promulgato: legite mihi, inquit, vestrum decretum, cœperuntque dicere, decretum sanctæ & œcumenicæ sextæ synodi, ne progrediaris ulterius, sacer Stephanus magna voce clamavit: *Quomodo sanctam vocare audetis vestram synodum, quæ sancta profanavit? ipsa enim in suis actis constituit, non vocare Apostolos & Martyres sanctos.* Sed quo pergis? ad ædem Apostolorum, ad templum Georgij martyris, unde venis? ab æde quadraginta martyrum. Propterea dicit divinus vir, *quomodo vestram synagogam sanctam vocare audetis, cum ea sancta violaris; neque vult sanctos vocare sanctos?* ô magnam inscitiam, Apostolos Dei & Salvatoris nostri Iesu Christi, non vultis vocare sanctos; & vestrum satellitium adversus Ecclesiam coactum vocatis sanctum; quo pacto œcumenica appellabitur unquam in qua Romanus Præses non præfuit? sine cuius assensu non possumus res Ecclesiasticas ordinare: intelligis œcumenicam synodum non posse vocari, nisi Romanus Pontifex eam constituat? ac sine eo impossibile est res Ecclesiasticas ordinari; quomodo ergo vos hæc non percipitis? quoniam peritos videre, atque audire non vultis. Et ideo quia semel cor vestrum falsa credulitate imbutum est, non potestis audire veritatem vel cernere. Maximus præterea ab hæreticis exagitatus veterem Romam se contulit, ubi Martinum sanctissimum Papam nactus est, quem die decimatertia Martij & nostra Ecclesia pro sancto colit, quanam de causa? quia illum Ecclesiæ caput esse agnoscebat, eo confugit, ex eo loco Epistolam conscribit ad Martinum Cypri presbyterum, cuius principium divina lege secundum Deum locupletatus pater venerande, subdit paulo post, ex synodalibus actis Martini Papæ nostri, de quo nunquam scripsisset, ut de sanctissimo Papa, nisi dominum totius Ecclesiæ cognovisset, eaque de causa rogavit, ut synodum suorum Episcoporum cogeret, & impij dogmatis auctores anathematizaret, qui unam tantum voluntatem in Christo esse convitiabantur, hoc in Synaxario apud sanctum Maximum scriptum esse legat quilibet die decimatertia Augusti. Si ergo, ut vos arbitramini, is non est qui possit ordinare, inquirere, confirmare, dirigere, administrare Ecclesiam Dei, ut gubernator dirigit navim, quomodo hæc gesta sunt? & alia multa his similia: quæ propter sermonis prolixitatem omittimus; nam si de iis voluerimus dicere, in illis exponendis tempus nobis deerit. Quomodo cum ipsos excommunicationi subiecisset, qui ab eo anathematizati sunt nõ contradixerunt, quanquam essent Episcopi, Patriarchæ, Archiepiscopi, sed tanquam patri obtemperantes paruerunt, nunc vero & qui neque ante pedes posita cernunt, contradicunt; quos ergo Ecclesiæ adversarios, hostes & inimicos esse iudico, & conspiratores adversus Apostolicos & synodales canones qui recte docuerunt nos Ecclesiæ subiici oportere. Nam statim à principio 133 Iustiniani novellæ; *sancimus*, inquit, *secundum sanctorum decreta, sanctissimum veteris Romæ Papam primum esse omnium sacerdotum, Constantinopolitanum vero secundum locum obtinere post Apostolicam sedem.* Præterea quintus canon Sardicensis synodi eodem modo eadem scribit, etiam Anastasius S. Maximi discipulus, post historiam sancti Maximi, post quædam alia, inquit: *Ad hæc & Martini Papæ sanctissimi*, & capitis Apostolici & Martyris totius Ecclesiæ Occidentalis principis. Item magnus Gregorius Theologus in Epitaphio in magnum Basilium, inquit, quod eius ætatis Papa duos Episcopos misit, Luciferum & Eusebium ad Ecclesiam Cæsareæ Cappadociæ pacificandam, quomodo in Orientem misisset ad Ecclesias componendas, nisi princeps & gubernator fuisset totius orbis terrarum? Præterea Anatolius Constantinopolitanus Patriarcha à Dioscoro hæretico est electus. Sanctissimus vero Leo Papa in Epistola ad Marcianum Imperatorem post alia multa ait: *Electionem Anatolij Patriarchæ nulla habita quæstione confirmamus, eo quod orthodoxa fides se adiunxit.* Ecce ex hoc deprehenditur, quod si Anatolius Dioscori hæresim sequutus esset, ab eo utique fuisset iudicatus; nec valetis contradicere; nam is erat Constantinopolitanus Patriarcha, & si huius iudex; ergo & cæterorum Alexandrini, Antiocheni, & Hierosolymitani, itaque omnium iudex. Agapetus Papa præterea ipsemet Constantinopolim est profectus, ubi Antimum Trapezuntium, qui erat Constantinopolitanus Patriarcha, sed hæreticus, sede deiecit, in locumque eius sanctissimum Menam suffecit. Unde hoc? nisi quod in omnes obtinet imperium, & quia iam inde ab initio id Apostolo Petro a Deo tributum est, & successoribus eius. Proclus præterea de Romani Pontificis assensu in sedem Patriarchalem evectus est secundum Zonaram. Ecce ostensum est Romanum Pontificem de Anthimo Constantinopolitano iudicasse. Leo sanctissimus Dioscorum Alexandrinum, & Iuvenalem Hierosolymitanum condemnavit, & ut de hæreticis iudicium tulit. Fœlix sanctissimus Petrum Antiochenum deposuit, & anathemati subiecit. Quamobrem cum Romanus sit summus Pontifex, in omnes Patriarchales sedes obtinet principatum, quomodo ergo tunc, nunc vero non? nemo dicere hoc audebit. Sed tunc, & nunc, & usque ad sæculi consummationem habebit imperium. Et ut plane intelligatis vos vera dicere, & quam habeat potestatem ea divina sedes, ad verbum Fœlicis Epistolam adiungemus, quæ sic habet.

Mart. I de quo Zonaras lib. 3. ... 64. ... Martinum

Hæc novella in ... impressis est 131. non 138. idē scribit & cōstit. 10. de primatu Papæ.

A testimonio synodi Sardicēs. Sardica est urbs Illyr.

Vide Theodoretū li. 2. c. 11. & D. Tho. qui citat hunc. Leo Papa. Vide Niceph. lib. 15.

Agapet. Vide Niceph. li. 17. & Plat.

Proclus, quomodo est hic locus, apud Zonar. Leo. Vide Niceph.

SECTIO XI.

Gloriosissimo & serenissime filio Zenoni Augusto, Fœlix Episcopus in Domino salutem.

Tuæ humanitati ea significari oportet quæ rerum ordo postulat, quod & significari par est in utilitatem serenitatis imperij tui, ac veluti adessem rogo, ut meas preces admittas apud amicas & rectas aures tuas, tanquam Christianissimus Imperator, nulloque pacto pietas tua existimet nos alium magis benevolentia, quam te prosequi, eo tamen accepto qui te cupit cum Deo pacem habere. Quoniam tu fideli corde permotus de temporalis sedis potestate non ambigis, atque æternæ vitæ retributionem ex superna voluntate pendere arbitraris, à mea parvitate suscipere digneris venerabilem & divinam beatissimi Petri Principis Apostolorum confessionem; cui cum regni claves creditæ sint, Christianissimo imperio tuo præparabit in cælis cum Angelis mansionem: qui cum primus incommutabilem & inculpatam in Dominum nostrum Iesum Christum fidem declarasset, ab ipso Salvatore beatificatus est, nam cum dixisset ad Dominum: *Tu es Christus filius Dei vivi*, responsum ab eo tulit: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in cælis est; & super hanc confessionem tuam ædificabo Ecclesiam, & portæ inferi non prævalebunt aduersus eam*; ut ex ea tolleret, unde suum cognomen accepit, quod est Christus Iesus & Deus omnipotentis filius, Petrus primogenitus diaboli filius, cum indigne se in Antiochenam Dei Ecclesiam insinuaverit, & Pontificiam sedem Ignatij Martyris coinquinaverit, qui Petri dextra Pontificatum accepit, & Eustachij Confessoris & Præsidis 318. Sanctorum Patrum qui apud Nicæam coacti sunt: animo est dicere non oportere Christum vocare filium Dei secundum divinam Salvatoris sanctionem, divinarumque scripturarum traditionem, & patrum expositionẽ; sed unum ex Trinitate passionem pro nobis sustinuisse secundum divinitatis essentiam, veluti Arius, Apollinaris & Eunomius tradiderunt, his verbis adnixos salutiferam humanitatem convellere, secundum quam Christus passionem sustinuit. Fertur etiam & unus

Fœlicis in ep. ad Zenonē Augustū. Vide Niceph. li. 16. & Platin. Fœlice 3.

ex

A

Vide octavam consti. Graec. apud Iustinianũ.

ex nostris tanquam de semine Abraham progenitus multiplicitatem Deorum invexisse: nam sensus verborum tres Deos inducit, mortuum unum, duosque vivos, abolet autem & consubstantialem, sanctásque synodos reddit irritas, Nicaenam, Constantinopolitanam, & Chalcedonensem. Quin & Mariae virginitatem non recipere reperietur. Si enim verbum ex ea incarnatum non suscepit humanitatem, quid virgine opus est? Cur Gabriel dixit ad illam: *quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei, & dabit ei Dominus sedem Patris eius*, praeter haec impia & contumeliosa facinora, cum adulterare trisagium conatus sit addendo, crucifixus propter nos, in infinitas absurditates rem adduxit. Ac quamvis saepius à nobis, & à tua in Christo fraternitate sit monitus, & Orientalibus, & ab Acacio Archiepiscopo vestrae regiae urbis & Christi amicae, convertere se nunquam voluit. Propterea nunc sancta Dei Ecclesia ex materno affectu non cessat tanquã ad praecipuum eius filium verba faciẽs dicere: O Christi amice Imperator, cultus nostri vinculum quo vinciuntur fideles, dissolvi ne patiaris, Christi Domini, & unigeniti filij tui cognomen ne permittas violari, sanctissimam hymnodiam, quae & urbem vestram servavit periclitantem, tanquam ab angelis traditam inviolatam conserva. Petrum Arianae superstitionis sectatorem ab Antiochena Ecclesia deturba. Quamobrem Petrus mea fide abrogata scindit mundi consensum? quanam de causa Petrus scindit tunicam meam desuper contextam? Deus pater principi Apostolorum praecipit, quomodo vocari suum filium oportet. Unigenitus in Petri confessione fundavit me, Spiritus S. quotidie testatur mihi dicens: *ne quid iudices scire, nisi Iesum Christum eumque crucifixum, inimici, inobedientes, dolosi, extra vineam positi unigenitum Dei filium mactantes & lapidantes, & ligno crucis affigentes, eius vestem non diviserunt, & Petrus vestem meam discindet? portae inferi non praevalebunt adversus me, & Petrus conatur meum parietem demoliri*: Ego religiosissime Imperator te regno pulsum reduxi, improbos & meis dogmatibus non parentes pro tuo funere tradidi, & potentiae tibi viam reseravi, inimicos tua cum eorum impio dogmate deieci, antiquum tibi imperium à Deo impetravi, qui in coelis regnat, à quo imperium accepisti. Respice ad tuum Praedecessorem Marcianum, eiusque fidem libens amplectere: haereticam Petri tyrannidem radicitus quamprimum evelle, Valentini Entychetisque discipulum ab atce deiice: & ab Ecclesiastica administratione, simulque & à sacerdotali dignitate praecipitari decernite. Reputa tecum ô Maxime legitime fili & invicte Imperator, quam certa ultione Chalcedonensis synodus sit vindicata, & quae poena de tuo hoste sumpta, libera populos ab haeretica Petri doctrina, hac tecum legatione fungitur sancta Dei Catholica & Apostolica Ecclesia; & ab ea ob iam expositas causas, depositum in posterum in communionem ne recipiatis, vestrisque divinis literis ut paties inter eum & Antiochenam Ecclesiam, intercedat, efficite, in locum vero illius virum sufficite, qui operibus sacerdotium exornet: aeterque sit custos Chalcedonensis sanctae synodi, suorumque decretorum. Omnipotens Deus imperium vestrum semper in pace custodiat.

Luc. 1.

Crucifixus pro nobis, vel propter nos scribitur in symbolo Zona. lib. 3. 38. 1. refertur, ad trisagiũ de quo Damasc. plene.

B

Ioan. 19.

1. Cor. 2.

Prosoppeia ele gãtiss. ad Zenonẽ Imperat.

C

Extat in conc. his ep. Felicis ad Petrum eiusdem sententiae.

D

SECTIO XII.

Vides potestatem, quam obtinet ea divina sedes? Audis quo pacto induit non solum Petri personam, verumetiam ipsius Iesu Christi? cum dicit, Petrus fidei meae tunicam scindit. Inspicite igitur, & videte sedulo totam Epistolam, & agnoscite auctoritatem Romanae Ecclesiae: adiungamini illi & vos, nec veritati adversemini, quamvis enim ex persona Ecclesiae loquatur; is est tamen qui Ecclesiam dirigit ac gubernat. Addimus etiam praeter haec Orientalium Doctorum testimonia. Cyrillus B. Alexandriae Archiepiscopus in Thesauris ita scribit: *Quod oportet nos tanquam membra caput sequi*, id est, *Romanum Pontificem & Apostolicam sedem, à qua debemus petere quid credere, & sentire debemus, ac tenere: quia ipsius tantum est confutare, redarguere, confirmare, ordinare, solvere, & ligare.* Audis tu qui Cyrillo contradicis? nostri officij esse, ut membra corpus, ita & nos Apostolicam sedem sequi: quodque ad eam solum pertinet dirigere & gubernare Catholicam Dei Ecclesiam. Si ergo ita scribit, ut sentit scribit. Si sic sentiebat, ita & agebat. Si is obedientiam & reverentiam tunc Romano Pontifici exhibebat, quis contradicit, nisi inductus fortasse vel stultus? Haec igitur mecum reputanti subit mihi vehementer ridere, seu deflere potius, ac vicem eorum dolere, qui sponte oculos comprimunt adversus lucem; nec veritatem sustinent audire. Quis est qui neget confessionem sublimi voce ab Ecclesia decantatam, sive fidei symbolum? in quo aperte confitemur unam sanctam Catholicam & Apostolicam Ecclesiam, in omnes terrae partes disseminatam, hanc nemo unquam dixerit unam, nisi caeterae omnes tanquam membra coagmentatae secundum B. Paulum eam veluti caput sequantur, quae omnia simul iuncta unum conficiunt corpus, & ut secundum eundem Apostolum, non potest pes vel manus, vel aliud corporis membrum capiti dicere, non opus habeo te: ita nec caeterae Ecclesiae, Romanae possunt Ecclesiae dicere; non indigemus te. Omnes ab illa auctoritatem capiunt, & omnes ab illa confirmantur, testabuntur id omnes Doctorum scripturae. Illa namque ut caput omnia membra recognoscens & de omnibus aeque sollicita, ut quod in suprema situm sit parte, moeret, si membrum aliquod langueat: curámque illius gerit & ad sanitatem perducit, ut dictum est. Inquit enim & aperte clamat: *Quis infirmatur & ego non infirmor? quis scandalizatur & ego non uror?* Si vero membrum aliquod abscindatur, marcescit & male olet; sed caput (quod alioqui nec laboribus nec cruciatibus cedit) minime laedit. Oportet autem qui symbolum confitentur, & unam Ecclesiam praedicant, nosse qualis nam ea sit, una, sancta & Apostolica Ecclesia, ea est aut Occidentalis, aut Orientalis, quod idem est ac si dicas Latina, vel Graeca, alia namque praeter has non reperietur: aliae enim praeter has superstitiones sunt, falsae synagogae, & haeresibus refertae. Enumera diligenter & vide; quod si Graecorum arbitraris Ecclesiam esse hanc quam symbolum designat, in nihilum Petri confessionem concludis, adversus quam portas inferi non praevalituras, professus est Christus, nam omnis Graecorum Ecclesia, imo vero totus Oriens à Mahomete absorptus est, nónne videmus omnes Patriarchas, atque Episcopos ac Sacerdotes in potestatem venisse Mahometis? & ab eo petere sacerdotij facultatem? & pedibus eius advolvuntur, & pro eo etiam inviti deprecantur? in quo loco collocabis; portae inferi, id est, haereticorum ora adversus Christi Ecclesiam non praevalebunt? eo loco, ubi non solum ora haereticorum dominantur illi; sed etiam impij & alienigenae imperium tenent? eo loco ubi nec sacrificare tuto possis, nec nola, vel tintinnabulum, nec crucis signum appareret? eo loco ubi nemo libere potest dulce Christi nomen proferre? Si vero protulerit; in duas partes discinditur; eo loco ubi si Sacerdotes sacrificantes inventi fuerint, Christi hostes ingrediuntur atque subsannant? proterunt altaria & profanant & sancta proiiciunt, & plagas sacerdotibus infligunt, & protrudunt, & derident Christianorum religionem? nequaquam. Sed ibi oportet esse, ubi Christi signum refulget, & Ecclesiae exornantur, nola, imagines, & altaria omnia magno cum cultu conspiciuntur & adorantur; & sacerdotibus eminus reverenter assurgunt populi, ibi ubi palam Christi fides praedicatur, ibi ubi terrae Reges & Principes venientes ad sacra loca inspicienda, & Apostolorum capita adoranda, una cum illis & Praeside eorum Pontificem adorant, & eius pedibus advolvuntur: ibi ubi festi dies psalmodiae preces, sine metu celebrantur, ubi

E

Cyrilli in Thesauris, ei dat hunc lo. S. etiã D. Tho. sed aliter.

A testimonio Ecclesiae.

1. Cor. 12.

F

1. Cor. 11

G

H

Opponit elegantissime Ecclesiam Romanã Graecae, id mpotest dici de haereticis nostri tẽporis, & eorum Ecclesiis. Encomiũ pulcherrimum Romanae Ecclesiae.

vbi nemo reformidat sibi quenquam adversari, ibi ubi summus Pontifex doctores & prædicatores in omnem terram demittit ad prædicandum & annunciandum verbum Dei, Christi imitatione, imo Salvatoris nostri vices in terris gerens, nam sicut is Apostolis dixit, ecce mitto vos, euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ, ita & hic in universum orbem magistros mittit magna cum cura, qui non solum ad Christianos proficiscuntur, sed etiam ad omnes gentes, vel ex Sancti Francisci Ordine, vel Dominici, vel ex alia Regula. Ergo ibi Ecclesiam confitebimur, ubi non est hæresis, nec iniquitas, neque infidelitas: imo vero firma fides & inconcussa, at non ita apud Orientales, ubi abundat iniquitas & infidelitas. Nec meus sermo est hic, sed Theodorus Studites prodeat & dicat hoc testimonium, quod nemo poterit inficiari, in decimaquinta Catechesi, quam legitis quidem, at non intelligitis, quia non vultis, videtur enim Doctor hic adversus oppugnatores imaginum pugnare, quando dicit: Audio autem, quod Romæ, principis Apostolorum Petri claves proponuntur ad adorandum, atque in honore haberi: quanquam non claves sensibiles Dominus ei tradidit: sed intellectuales ad ligandum & solvendum, at illi argenteas populo proponunt ad adorandum, tanta igitur apud eos est fides, & ibi solida petra fidei secundum Dei verbum fundata, hic vero ut videtur, abundat infidelitas ac improbitas. Vides quod & beatus hic, ibi confitetur solidam esse fidem, nec in Petro tantum, sed & in eius successoribus. Hæc quidem cum audiatis & videatis, nec possitis contra respicere, velut adversus refulgens & coruscans lumen veritatis ad ea confugitis, quæ nefas est dicere; scilicet peccatorem esse Romanum Pontificem, & carnalibus voluptatibus inservientem, & ideo nolle vos honorem & reverentiam debitam exhibere.

SECTIO XIII.

Ac tametsi his, in præcedentibus respondêrimus, exactius rursus vobis dicimus, quod aperte mendaces estis, nam non quia peccator est, refugitis ei obedire, sed quia Latinus est, & barbam tondet. Si enim illum vitareris propter peccatum, vosmetipsos vitaretis, quia estis peccatores. Quomodo ergo nostis eum iudicare? vestros vero num iudicatis? omnes ne orientis sacerdotes sancti sunt? vos hoc non potestis demonstrare, non ergo illum tanquam peccatorem devitatis; quia nec vos sine peccato estis, sed quia Latinus, ab opinionibus vestris erratat. Vos namque Latinos tanquam à fide alienos existimatis, & ab eis refugere tanquam à facie serpentum simpliciores edocetis: idque liquido patet. Ac si quis ex Latinis videtur sanctus, vos hunc salutare non vultis: imo vero maledicta ingeritis. Græcos quamvis flagitiosissimos & stultissimos, si solum adversus Latinos dicant, omnium sanctissimos arbitramini, inter alios quidem multos quendam, qui vocatur Palamas, & Ephesi Marcum, hominem nec satis mentis compotem, sed tumidum sapientiæ ostentatorem, nulla virtute, vel sanctitate subnixos, quia loquuntur solum & scribunt contra Latinos, extollitis & celebratis, eorumque imagines exornatis; festumque agentes diem colitis, ac veluti sanctos adoratis. Latinos vero quamvis iampridem Ecclesia pro sanctis colendos duxerit, vos incessanter blasphematis, ita & de summo Pontifice facitis: nam illum omnino Christianum esse non existimatis, quia Latinus, id enim sub dentibus strideris maledictis incessentes; & eorum qui rerum potiuntur metum reveriti, ad aliud quasi aranei umbram confugitis, eum peccatorem appellantes, ac cætera convitia effundentes. Cavete ne id audiatis: *Qui vestrum est sine peccato primus lapidem tollat*, id est, qui *peccatum non commisit, incipiat iudicare de peccato: & non iudicate, ut non iudicemini*: ne captetis occasionem fratrea, in peccatis, non est officij vestri de peccatis Principum vestrorum inquirere; Doctoribus omnibus aperte clamantibus, & Ioanne lingua aurea in multis quidem orationibus, & in oratione, cuius est titulus, *quod oportet colere suos magistros spirituales, non maledicere illis*, principium orationis. *Nulla res ad loquendi licentiam magis allicit*, paulo post inquit: *Si qui patri vel matri maledicunt parentibus secundum carnem, ex lege morte moriuntur: qualis nam dignus erit pœna, qui virum spiritualem magis quam multos parentes necessarium, audet maledictis incessere? non reformidans ne terra dehiscens ipsum de medio tollat; vel fulmen de cœlo dimissum maledicam linguam adurat.* Audistis quid Mosis sorori contigerit, cum fratrem suum accusasset & principem: *quomodo impura facta est, & in lepram incidit, maximamque infamiam subiit? fratreque de ea sollicito, Deumque deprecante, veniam non impetravit?* & paulo post: *& Deum placare non potuit, sed magnam pœnam perpessa est*; vt intelligamus quam magnum crimen sit principes redarguere, & de aliorum vita iudicare. Et post pauca; *Si in carnalibus parentibus ita, quanto magis in spiritualibus parentibus hanc servare legem oportet, & unumquemque in vita laborare & sollicitum esse*, ne in illa die audiamus, *Hypocrita, cur festucam vides in oculo fratris tui, trabem vero in oculo tuo non vides?* & statim postea, cum principes à subditis coluntur, ipsis obijcitur vt Heli dixit Deus, *cepi te ex domo patris tui.* Si vero contumelia afficiantur, vt in Samuele, *non te abiecerunt*, inquit, *sed me. Qui sacerdotem honorat, Deum honorat; Qui didicit sacerdotem contemnere in via progressus & adversus Deum erit contumeliosus. Qui vos recipit*, inquit, *me recipit*: & ; *honorifica*, inquit, *sacerdotes tuos. Inde Iudæi didicerunt Deum contemnere, quia Moysem contempserunt, eumque lapidibus impetierunt. Ac si quis sacerdotibus debitam exhibuerit reverentiam, multo magis id erga Deum egerit, & quamvis improbus sit sacerdos, videns Deus, quod eius causa etiam indignum honorat, ipse retributionem reddet tibi.* Et rursus post pauca: *An nescitis quod sacerdos nuncius Dei est? non enim ex se dicit, quæ dicit. Si contemnis sacerdotem, non eum contemnis, sed Deum qui ipsum elegit; & unde dignoscitur* (inquit) *Deum ipsum elegisse? Ergo si hac es in opinione, spes tua inanis ei reddita: Si enim per eum Dominus nihil operatur, neque lavacrum habes, neque mysteriorum es particeps: & benedictionibus non frueris: non igitur Christianus es. Quid ergo*, inquit, *omnes elegit Deus?* per omnes ipse operatur, quanquam indigni sunt, quia populus salvatur, nam si per asinam & Balaam scelestum hominem operatus est, multo magis per sacerdotem. Si per Iudam operatus est, & per falsos Prophetas prophetantes, quibus dicit: *nescio vos, discedite à me, qui operamini iniquitates*, multo magis per sacerdotes operabitur, nam si nos Principum vitam scrutari oporteret, oporteret & nos magistrum eligere: & quæ supra sunt, infra fient: supra pedes, infra caput, si fratrem tuum tibi iudicare non concedit, multo magis neque tuum doctorem, & post pauca, tu ovis es, ne sis anxie curiosus adversus pastorem, ne de his quæ tu arguis illum, plectatis. Et quo pacto me admones, ipse non faciens? *non ipse tibi dicit: si ei credis, mercedem non accipies*: Christus hæc docet: *ne iudicemus nos mutuo, sed sua unusquisque.* Et paulo post: *ne maledicamus rogo magistris. Si quis patrem habuerit multis criminibus obnoxium, nonne ea obtegit? ne exultes*, inquit, *in dedecore patris tui, multo magis in spiritualibus patribus hoc dicendum. Exhibe reverentiam, quia quotidie ministrat tibi, curat ut propter te legantur scriptura, sacram domum exornat propter te, vigilat propter te, orat pro te, Deo preces offert pro te, cultus eius erga Deum & omnis propter te, hæc reverere, hæc tecum cogita, & omni præstita observantia ad eum accedito.* Et paulo post: *audi quid dicat de principibus Iudæorum Deus. Super cathedram Mosis sederunt Scribæ & Pharisæi: quæcunque*

dixerint

A

dixerint vobis, servate & facite, secundum vero opera illorum nolite facere: quænam deterior eorum vita reperietur? eos tamen nec dignitate deiecit, neque vt à subditis despicerentur curavit; & recte, si enim hanc sibi arrogaverint subditi potestatem, omnes statim abrogabuntur, & de tribunali deiicientur. Propterea & Paulus cum in Pontificem Iudæorum contumelias effudisset, ac dixisset, *percutiat te Deus paries dealbate,* & tu sedens iudicas me? sed monitus à quibusdam ut reticeret, dicentibus, Dei Pontifici maledicis? ostendere volens quanto honore & reverentia Principes prosequi tenemur, inquit, *nesciebam eum esse Dei Pontificem.* Ideo & alibi dicit: *obedite præpositis vestris, & subiacete illis, ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri,* ideo & huius cultus fructu potiri eos æquum est. Et post pauca: *Cogita quid dicat Deus de Iudæis, super cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi; quæcunque dixerint vobis facere, facite,* at nunc non possumus dicere, *super cathedram Moysis sederunt, sed super Christi,* propterea inquit Paulus: *pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.* Audisti ab hoc doctore, quo pacto colendi sunt sacerdotes. Si ergo de sacerdotibus hoc dicit, multo magis de principibus sacerdotum & Patriarchis & Doctoribus Ecclesiæ, qui à vobis in præsentia non solum coluntur, verum etiam impudentissime lacerantur, quas pœnas quæso subituri estis? magnas vt arbitror, imo vero non secundum meam sententiam; sed secundum aureæ linguæ, & admirandum Ioannem; cum dicit, qui sacerdotes iniuria afficit, Christum iniuria afficit. Qui vero Christum iniuria afficit, quid respondebit illa tremenda die? Sic itaque concludit Chrysostomus. Si cognita sunt vobis, quæ ex mellifluis eius orationibus exposuimus, præsertim quo honore principes sunt colendi, quia super cathedra Iesu & Dei sedent. Subiecti igitur estote illis, ut & nos subiicimur, non vt sanctis ex virtute, sed vt principibus: siquidem neque nos vt sanctum ex virtute Romanum Pontificem colimus, sed ex primatu & sacerdotio, nam si sanctus est, me sanctum non facit, si peccator fuero: si vero peccator est, mihi non obest, si iustus fuero. An existimatis quia Papa est, eum hæredem fore regni cœlorum? minime gentium: sed ob eius virtutes, si quas habet, nam Papæ multi hæredes erunt sempiternæ damnationis non quod Latini sunt, & summi Pontifices Romani: sed propter peccata eorum: Multi etiam Constantinopolitani Patriarchæ, Græci videlicet, & Alexandriæ, & Antiochiæ, & Hierosolymorum hæredes erunt perennis ignis, non quia Græci sint, vel Patriarchæ, sed propter eorum scelera: & contra: non est enim acceptio personarum apud Deum, vt terrenæ huius vitæ principes. protinus & futuræ conspiciantur hæredes; verum omnino qui probi sunt. An non auditis sapientiam dicentem: *Tunc stabit iustus in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt: y vero videntes suspirabunt & dicent: hic est is quem aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperij? stulti:* nunc vero computatus est in filium Dei, & inter sanctos sors eius est, ergo aberravimus à via veritatis, quare non debemus de cuiusvis vita iudicare, vel nimis esse curiosi: nam uniuscuiusque opus in eo publico conventu manifestabitur. Igitur fratres resipiscite, & pro salute vestra certate, hoc pro certo scientes, quod qui Romano Pontifici non subiicitur, Christo non subiicitur: qui Petro dixit, tu es Petrus, &c. ac nunquam salutem consequetur, nam eum dicitis vos illi subiici nolle, quia peccator est, id stultorum est hominum, & omnis prorsus sensus expertium, cur iudicas Ecclesiæ Pontificem, quem nescis qualis nam sit? nemo enim, dicit scriptura, novit facta aliena, quo pacto vos iudicatis, quem omnino vt peccatorem non nostis? Omnes quæso, qui cathedram Petri adepti sunt, improbi sunt & peccatores? num data opera cæteri Ecclesiæ Pontifices atque Proceres, Papam eligunt peccatorem? nonne erubescitis Ecclesiæ electionem prosequi contumeliis? an nescitis quod & Constantinopoli eum creabant Patriarcham, qui præcipue erat honore perspicuus? & virtute? nam & apud hostem virtus est honorabilis, ita & hic eum, qui supra cæteros honore & virtute antecellit, constituunt summi Sacerdotem & Regem: Si vero peccator est, quid ad nos? is pro se rationem reddet, quemadmodum & nos nostri: nemo namque pro alio iudicabitur.

Act. Apost. 23 — Heb. 13. — B — 1. Cor. 5 — C — D — Sap. 5. — B — De innocentia Pontifices & vita.

SECTIO XIV.

At tu ultra modum Papam deificas, nos vero scimus eum hominem esse; & peccato & probris posse demergi, propterea in iis quæ ad fidem pertinent, nolumus ei inhærere. Sed a nobis iam antea dictum est, hoc nihil esse, quoniam necesse est nos aliquem sequi pastorem: ille namque vt homo peccat quotidie. Si enim vna tantum hora esset, vita nostra, nec ita sine sordibus esse possemus. Sed de propriis peccatis vnusquisque pro sese rationem redditurus est, ut sæpe iam diximus. Satis est nobis si bene pascamur, secundum magnum Theologiæ Doctorem Gregorium. At seditionis & contentionis studiosus inquit, peccatorem caput esse non probo, ad quos respondendum, quod bene cogitata vestra percipimus, quæ postea inferius retegemus, & si vos ob ignaviam obumbrare conamini. Nunc autem iis respondebimus, quæ palam dicitis, quia ex animi vitio hoc dicitis, non enim vobis cognitum est eum esse peccatorem: neque vobis eius vitæ ratio satis est comperta, sed impudenter calumniamini & convitiamini illi, qui Petri successor est, & Iesu Christi figuram in terris gerit nam qui eum peccatorem appellant, iis quæ Iudæi afferebant similia afferunt, quoniam illi à nativitate cœcum cernentes videre, invidia torti, eum interrogant dicentes: *quis aperuit oculos tuos?* respondit, *homo qui vocatur Christus: is mihi dixit, lavare in Siloam, & lotus recepi lucem.* At illi ira accensi dicunt: *da gloriam Deo, quia hic homo peccator est,* quibus ille qui nuper cœcus fuerat, respondit, *si peccator est nescio: unum scio, quod cæcus cum essem, modo video: in hoc enim mirabile est, quod peccator cum esset, aperuit oculos meos, qui cæcus eram à sæculo non est auditum, quia quis oculos aperuerit cæci nati, nisi esset hic à Deo, non poterat facere quicquam.* Possumus igitur hæc ad successorem Dei traducere, qui est sanctus Papa. Si peccator est, quomodo maledixit vobis? & Græcos excommunicavit Nicolaus I. temporibus Photij, & excommunicationi illi non defuit iura vnum; sed facti sunt captivi, vt is in excommunicatione dixit, in omnes gentes, tanquam Iudæi: scriptum est enim peccatores non audit Deus. Si peccator est, quomodo fuit exauditus? at hic quidem sic. Innocentius ante hunc Eudoxiam ob Chrysostomi exilium excommunicavit, & intremuit eius sepulchrum, donec revocato eo excommunicationem remisit, & statim constitit illius tremor sepulchri, sed quid evenit nostra memoria nunc sub Nicolao V. Pontifice Maximo? cum legati à Constantino Imperatore, qui vocabatur Dragases, ad eum missi adhuc supersint: quibus literas dedit plenas timoris & horroris, ubi aperte cum execratione prophetizat excidium & internecionem extremam infelicium Græcorum: in quibus post alia multa (cum convitia & probata recensuisset. quæ à Græcis quotidie impudentissime iactabantur) mire & hoc dicit. *Omnes gentes decretum quod sancitum est receperunt: Græci vero neque receperunt, neque spes est eos unquam esse recepturos; quæ super concordia & unione decreta sunt procrastinationes enim procrastinationibus ab eis semper prætexuntur, excusationes, & responsiones in singulis. Neque vero Græci arbitrentur Romanum Pontificem ita esse mente destitutum, omnemque Occidentalem Ecclesiam, ut non intelligat in singulis dilationibus respondendo negantur, optime*

F — G — Ioan. 9. — Nicol. I. vide ep. ad Michaelem Imp. & apud Nicephor. Innoc I. de quo supra. — H — Constantinus Dragases successit in imperio Ioan. Palæologo fratri, qui interfuit Florentino Concilio. Ex epist. Nic. V. ad Imp. Const.

cuncta novimus: Sed toleramus in Iesum respicientes sempiternum sacerdotem, & Dominum; qui sterilem illam ficum usque ad annum tertium iussit asservari, agricola iam ad excindendam arborem se accingente, quia nullum fructum ferebat. O magnam calamitatem, ann. 1451. hâc conscripsit Epistolam, & 1453. capta est Constantinopolis, num potestis dicere hæc vera non esse? minime gentium, cum id sit manifestum, & res ipsa aperte loquatur. *Tres*, inquit, *annos expectabimus, si vos forte à schismate & separatione converteritis, & nos vere decreto adiunxeritis secundum Salvatoris de ficu præceptum. Si vero non exscindemini, ne terram otiosam & inutilem reddatis, hoc miraculorum miraculum maximum: quod* (vt in Epistola ipsa scribit Nicolaus Papa) *Græcorum gens illa magna & formidabilis, sapiens, clara, fortis, terrarum domina, o divinam ultionem ita in Barbarorum servitutem abducta sit.* Hæc enarranti mihi subit lamentari & deplorare excidium gentis nostræ, quanquam vos non intuemini.

Luc. 13.

SECTIO XV.

IN primis ergo (vt inde initium sumam) in memoriam revocate fratres & patres, qualisnam & quanta extiterit nostra natio, fuit enim quondam sapiens, clara, generosa, prudens, fortis, & quæ omnem terram suo subiecerit impetu, præterea virtutis studio & sanctitate omnes gentes est supergressa, ieiuniis, vigiliis, orationibus, eleemosynis, & (vt vno verbo dicam) velut spongia hausit omnem virtute n Deo semper accepta, at in præsentia (proh dolor) omnia interciderunt. Constantinopolis capta est; cuius rei solum recordatione cogor prorumpere in verba cum clamore & eiulatu, & ultimum effundere spiritum, quia nihil expugnata aræ sunt profanatæ, templum conculcatum, magna sanguinis effusio facta, pollutæ moniales, virgines corruptæ, caput infantibus abscissum, impiorum manibus principes occiderunt; monachi facti, sacerdotes, præpositi, viri, fœminæ, connubia sunt divulsa, sacra vasa confracta, imagines ornatissimæ conculcatæ sunt, ac sputis conspurcatæ. O me miserum atque infelicem, quis poterit unquam tantam cladem deplorare, & verbis acerbum casum exprimere? heu ubi regius apparatus & comitatus? ubi ordo Palatij & disciplina, ubi tot principum examen? ubi scholæ sapientiæ? veh mihi misero, ubi Patriarchalis administratio, ubi ornatus Ecclesiæ? ubi tantus & talis sacrorum monachorum ac non sacrorum ordo, chorus & numerus ubi monachorum & monialium ordines, ecce, nonne cuncta sunt à Mahomete absorpta? nec tantum in ipsa vrbium Regina ea mala obvenere, verumetiam in subiectis regionibus plura ac deteriora; perque singulos dies hæc aperta oculis intuemur & intelligimus. Quamobrem ergo hæc? vel vos mihi dicite per dominum. Si dixeritis ut dicere consuestis, ob nostra delicta hæc evenisse, non ita se res habet ego dicam, quoniam non magis nos, quam cæteræ Christianorum gentes, nostris criminibus Deum irritamus. Sunt enim & aliæ nationes magis sceleribus & peccatis obnoxiæ: quomodo non affliguntur ut nostra infelicissima & miseranda natio? veh mihi misero, alius ex alio subinde fio, cum ad hæc animum converto, & cor meum conturbatur & spiritus meus æstuat, quia Iudæorum gens, quæ duo crimina commisit, secundum Prophetam dedit pœnas *duo enim mala fecit*, inquit, *primogenitus meus filius Israel*: me dereliquit fontem aquæ vivæ, & effodit sibi cisternam dissipatam; & Ecclesia, me in ligno crucifixerunt, Barrabam vero postulaverunt & liberarunt, primum igitur cum idolis inservisset, in captivitatem abductus est in mediam & Babylonem. Secundo cum crucifixissent dominum nostrum & Deum profecti sunt captivi in omnes gentes: nostra vero oratio (proh infortunium, proh dolor) neque idolis servivit unquam, neque Dei filium crucifixit. qua de causa tam acerbe vexatur? Sed non solum eadem, verumetiam multo peiora quam impij Iudæi perpetitur. Ij namque in servitutem abducti, omnium gentium facti sunt servi, ut omnibus invisi & Dei hostes, hi vero non solum gentium facti sunt servi, sed & Iudæis ipsis, qui sunt servi omnium gentium. O meam calamitatem. Nonne reliquum est plorare & lamentari, ac disquirere causam & videre, propter quæ patimur hæc ego vero aliam non possum invenire (neque enim virtute, nostra natio cæteris gentibus peior est; imo vero melior, nam dictum est, vereque dictum, nationem nostram omnes nationes virtute & moribus antecellere) nisi schisma, & quod se subtraxerit ab obedientia & subiectione Romanæ Ecclesiæ, eam & solam decerno esse causam interitus nostræ gentis; quia postquam ab ea divisi sumus, maledictionem accepimus, & patimur quæ nos patimur, nec ideo pœnitet nos, sed deteriores evadimus, & maledictis impetimus ipsam Ecclesiam; dicenda & tacenda adversus eam impudenter evomimus. Quamobrem fratres mei per Christum, desperationem omittamus: accedamus veræ Christianorum unioni, agnoscamus peccata nostra, ne peiores Iudæis evadamus; neve falsa suasione malitia, & præsumptione ita aures obstruamus, ut nec audiamus, nec intelligamus. Audiamus Christum clamantem Apostolis: Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit; qui vero me spernit, spernit eum, qui misit me. Vere ergo licet dicere, qui Papam audit, dominum audit; qui vero Papam non audit, dominum non audit: qui vero dominum non audit, audit captivos & gladiis comminutos. Vidi & recte memini, cum interfuerim disputationibus cuiusdam monachi Barlaam, quæ habitæ sunt Constantinopoli cum quodam legato Apostolico de primatu Papæ, ubi concludens legatus dicit: Ego quidem possum cunctas obiectiones vestras diluere (non enim Christi Ecclesia & præses illius summus Pontifex misit hominem qui nesciat vestris dubitationibus respondere) sed vos semper in nugacibus verborum argutiis versamini. Quare mihi libet dicere tibi breve ac verum verbum; quod & aliis Græcis, mihi iniunctum est dicere, hæc dicit Papa: Si volueritis & audieritis me, bona terræ comederitis, secundum Prophetam. Si vero nolueritis, neque audieritis me, gladius vos devorabit, num Pontificis os locutum est hæc? num habes huic quid contradicas: lege & expende, an evenerit sicut ipse dixit. Si ergo evenit, debetis, imo vero potius necesse est illum audire: secundum vero opera illius non facere, si mala fuerint. Ita & nobis præcepit Dominus: Super cathedram Moysi, sederunt Scribæ & Pharisæi; omnia quæcunque dixerint vobis facere, facite, secundum vero opera illorum nolite facere. Quando ergo & hic super cathedram Petri sedet, debemus ipsum tanquam Petrum audire, & imitari sermones eius; opera vero non imitari si prava sint. Ita vos sancti docent, ita leges & canones clamant, ut antea demonstravimus, & paulo post etiam demonstrabimus. Nunc detegere volumus quod vos intus adversus Papam, ac Latinos intus continetis, dicitur enim quod propter peccatum illum vitatis, at hoc verum non est, sed causas quæritis fratres parum veras, maledixit enim vobis, & vos invenit excommunicatio; delerique funditus estis, sed alius est morbus, ex quo ægrotat intus anima vestra, ut antea exposuimus, non audentes palam dicere, ne forte cunctis hæreticis peiores vocemini, & sitis cogniti apud omnes, magisque vultis mandere sub dentibus. Sed aliud quid est quod labiis premitis, quidam tamen adeo stulti sunt, qui aperte Latinos hæreticos esse dicunt, & Papam præter cæteros omnes, ideoque unionem ex vestris sacerdotibus amplectuntur videre sustinetis; neque qui cum ipsis communicant omnino pro Christianis habetis, & si forte contingit ut in aliquod incurratis, quod vos Papæ commonefaciat, panem oblationis non accipitis: sed furiis agitamini, ac dentibus adversus ipsos sacerdotes sævissime infrendítis, & Iudæis deteriores esse putatis, hæc igitur proferre re-

formidan

Describit & deplorat tragice excidium Constã. 1451.

Ierem. 2.

Græcos propter schisma in servitutem Turcis venisse.

Luc. 10.

Hæc dicit propter Latinos, qui ex captivis ereptum, & custodiuntur.

Esai.

Deridet Græcos quosdã stolidiores qui Papã & Latinos hæreticos dicunt.

formidantes, ut iram quorundam declinetis, ad apertum integumentum strenue confugitis, & adversus veritatem pugnatis, de asini umbra (ut fertur) decertantes.

SECTIO XVI.

AT nos in præcedentibus, quos antea edidimus quatuor libris, multa de iis eisdem tractavimus, veritatem pro viribus aperte prædicantes, Latinosque in dogmatibus orthodoxos esse liquido ostendimus, & falsis eos premi calumniis egregie demonstravimus, & in hoc quinto profecto non pauca attulimus, scilicet Pontificem esse Petri successorem, & Vicarium Salvatoris nostri Iesu Christi comprobando; eumque solum obtinere potestatem omnem, Ecclesiam absolute dirigendi & gubernandi, ligandi & solvendi, redarguendi, benedicendi, maledicendi, corrigendi, ac medendi, solumque illum habere facultatem de fide & sacerdotio exquirendi. Nam statim magnus Theodorus Studites in Epist. ad Paschalem Papam hæc inquit: Audi Apostolicum caput à Deo electe, pastor ovium Christi, claviger regni cælorum, petra fidei per quam ædificata est Catholica Ecclesia. Nam tu es Petrus Petri sedem exornans, & gubernans, & post quædam: Huc ades, ab occidente exurge, & ne repellas in finem; tibi namque dixit Christus Deus noster; & tu quandoque conversus confirma fratres tuos. Audis quomodo appellat Pontificem magnus hic pater Petrum, & clavigerum vitæ æternæ, & pastorem, & Apostolicum caput? rogatque ut Constantinopoli subsidium ferat propter eorum hæreses, qui imagines oppugnabant. Vnde nam hoc? non ob aliquid aliud, nisi quia is habebat potestatem cæteras Ecclesias confirmandi, tanquam qui omnibus hæresibus superior esset; longèque positus esset ab omni procella hæreticorum. Huius rei ipsemet testis est in Epistola ad Paschalem dicens: Vos igitur vere illimis fons, ac syncerus iam inde à principio veræ fidei, vos ab omni hæreticorum procella longe positi: securus totius Ecclesiæ portus, vos à Deo electa civitas ad salutis refugium. Intelligis quo pacto securum portum appellat totius Ecclesiæ Romanum Pontificem? ad quem ut navigia ab undis in medio maris agitata in portum profugiunt, ne foris relicta à fluctibus atque æstu mergantur; sic & omnes ab Ecclesiæ hæreticis, tanquam à fluctibus vexatæ ad Romanum Pontificem, veluti ad portum salutis confugiunt, ubi tranquillitatem & quietem omnem nanciscuntur, nam eo loci fidei claves Christus apud Petrum Apostolum deposuit, ut Ecclesiam totam pasceret atque gubernaret, nec apud illum tantum, sed etiam apud eius successores, ipsi dicens, *& tu aliquando conversus, confirma fratres tuos*; quæ quidem non soli Petro contigerunt, sed & eius successoribus. Nam Sylvester magnus Papa Romanus post baptismum Constantini, Arij hæresim abolevit, & in eadem Vrbe Liberius, ac Iulius Athanasium confirmarunt, & Alexandriam remiserunt, cum ab Arianis persecutionem pateretur. Damasius Papa Eunomij hæresim Constantinopolitani Patriarchæ funditus sustulit. Divus Celestinus impij Nestorij & Constantinopolitani Patriarchæ hæresim per Cyrillum Theologum delevit. Leo sanctissimus sacrilegam Eutychis & Dioscori hæresim damnavit. Martinus & Agatho Monothelitharum scelestam hæresim verbo & operibus sustulerunt. Gregorius magnus Dialogus impietatem eorum qui imagines oppugnabant, anathemati subiecit, deinde post inobedientiam & schisma, Nicolaus primus ipsemet Constantinopolim profectus est Photij tempore, ut tolleret schisma, quem cum non recepissent, excommunicationi ab eo suppositi sunt. Post hunc summi Pontifices per temporum vices non destiterunt scribere & hortari Græcos ad Ecclesiæ conversionem & obedientiam, quousque coacta est synodus apud Lugdunum, quam Græci octavam vocant, cuius auctor extitit Gregorius Papa decimus, & unio est subsecuta. Sed iterum defecerunt, & iterum legatos Ecclesiæ receperunt. Cogitur synodus Constantinopolitana cum Papæ legatis, Ioannis Becci temporibus Constantinopolitani Patriarchæ, & unionem amplexi sunt; ad breve tempus, obedientiam ostendentes & pacem; sed postea rursus ad suum & pristinum vomitum reverterunt. Sed nec rursus defatigati sunt Ecclesiæ Catholicæ præsides, eos ad obedientiam & pacem excitare. At illi cum semel obsurduissent, non paruerunt; protracta est igitur res usque ad nos, aspeximusque nostris oculis, quod multi ante nos Patriarchæ & reges videre expetarunt, nec viderunt. Nos vero beatissimum Eugenium IV. Romanæ Ecclesiæ Pontificem summum quanto studio in hoc sanctum opus incubuerit, triremibus missis & sumptibus; ut hoc magnum vulnus sanaretur, celebrataque est synodus ingens atque admirabilis Ferrariæ & Florentiæ insignibus Italiæ urbibus; magna Doctorum & sapientum virorum frequentia, & Theologiæ scientia ac virtute illustrium: Tandem decretum sancitum est omni sapientia & veritate conspicuum; quod ubique est promulgatum, & ab omnibus gentibus receptum. Græci verò, & ex iis qui peioris sunt conditionis, vulgares quidam homines & indocti huic contradicunt, ac si quis rationis particeps decreto contradicat; id non à doctrina proficiscitur, sed ab animi pravitate, falsa & stulta præsumptione; & gloria inani, quam ex vulgi imperitia aucupantur, quod quidem decretum, & nos in manus sumentes perlegimus omni studio; idque toto ex animo verum esse credentes, adscivimus atque amplexati sumus, unde suppeditata est nobis materia respondendi quinque articulis, qui in eo continentur, quorum extremus hic est de Papæ primatu, quem nemo mentis compos poterit pernegare.

SECTIO XVII.

AT non recte sentit, inquiunt; quia præter communes patrum & doctorum sententias ea perscripsit. Si ergo illa divina sedes non recte sentit, mentitur Christus cum dicit; *cælum & terra transibunt, verba autem mea nunquam transibunt*, is enim Ecclesiæ pollicitus est se cum ea fore, & portas inferi non prævalituras adversus eam. Ideo ne Christum mendacem efficiamus (quod si vel cogitetur solum, est blasphemia) inerrantem Dei Ecclesiam esse dicimus. quam rem testificabitur rursus ipse Theodorus Studites ad Michaelem Imperatorem scribens ex persona omnium præpositorum hoc pacto: *Cum nos in unum convenissemus venerabilis Imperij vestri iussu, minimi Episcopi & præpositi*, post pauca dicit: *nos diluimus omnes dubitationes vestras. Si vero aliquid dubitare, vel non credere videtur vestra divina magnificentia, eius rei explicatio à Pontifice pie est postulanda, magna & à Deo firmata manus vestra, ut publica cupida utilitatis, iubeat à veteri Roma capere declarationem; ut à principio à patribus nostris est traditum: ea ò Christi imitator Imperator inter omnes Ecclesias Dei summum & supremum obtinet locum, cuius Petrus tenuit primam sedem*, ad quem dicit Dominus: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, & iterum idem in alia Epistola ad Naucratium, cuius principium est, *Non implebitur animus meus, à vocibus audiendis*, inquit, *testor nunc coram Deo & hominibus, divisi sunt à corpore Christi, & à suprema sede, apud quam Christus deposuit claves fidei, adversus quam portæ inferi à seculo non prævaluerunt, nec prævalebunt usque ad consummationem eius, hæreticorum videlicet effrænata ora, secundum promissionem veracis domini.* Audis quo pacto ea est caput Ecclesiæ Christi, cuius Petrus est primus præses: & quod nunquam

Ex Ep. Theodori Studitæ ad Paschalem Papam P. 5. 3.

Ex Ep. ad Paschalem eiusdem Theodori qui floruit anno 820.

Sylvester I Liberius & Iulius. Vide historia tripart. lib. cap. 19.

Greg. I. Nicol.

Syn. Constantinop. quæ Græcis Nona. 15.

Synodus Florent. sub Eugenio 1438.

Ex Ep. Theodori Studitæ ad Michaelem Imp. hic Studites laudat historia Ecclesiastica, ut reperitur Græce scripta eius vita apud quosdam Studitas ep. ad Naucratium cuius ep. frag. mentum habetur huius Bibliot. tom. 3.

prævaluerunt, neque prævalebunt usque ad consummationem sæculi, hæreticorum effrænata ora, secundum promissionem veracis Salvatoris? Si ergo numquam prævaluerunt hæretici adversus Christi Ecclesiam, quomodo audetis dicere eam errare? quæ inerrans à doctoribus prædicatur. Id etiam ostenditur in tertia sancta synodo, in qua allatis ab Apostolica sede literis, Arcadius Episcopus cum surrexisset ad synodum dixit. [Ex 3. Synodi Ephesina] *Iubeat vestra beatitudo Reverendissimi Patres allatas ad vos literas sancti & cum adoratione vocati, Cælestini Papæ Apostolicæ sedis Episcopi, legi: ex quibus percipere poterit vestra beatitudo, quanto studio prosequitur omnes Ecclesias, eadem & horum similia projectus Episcopus protulit.* Et paulo post Cyrillus Alexandriæ; dixit: *literæ acceptæ à sanctissimo Apostolicæ sedis Episcopo Romano Cælestino cum decenti honore legantur.* Audis Arcadium & Projectum, quod omnium Ecclesiarum curam gerit Romanus Pontifex? ob quidnam aliud, nisi quia caput est omnium? Quod vero Cyrillus dicit, *cum decenti honore legi quæ scripta sunt à Cælestino,* comprobaverunt Patres aperiendo capita sua; & reverenter audiendo quæ dicta sunt. In quarta vero sancta synodo, ut in titulo divinæ scripturæ apparet, talia dicta sunt. [Ex Synod. 4. Chalced.] *Ut beatissimus Episcopus Romanæ urbis, cuius sacerdotium super omnes antiquitas esse voluit potestatem & facultatem habet de fide & sacerdotibus determinandi.* Ergo quia de fide & sacerdotibus determinandi facultatem habet, merito caput & magistra omnium Christi Ecclesiarum in decreto scribitur, & à nobis colitur & adoratur, atque omnis obedientia & observantia ei à nobis exhibetur, & exhibebitur, donec in hac vita permanebimus, recordati illius qui dicit, [Ad Heb. 13.] *obedite præpositis vestris & subditi estote, ipsi enim vigilant pro animabus vestris, ut rationem reddituri,* & meminisse eius nunquam cessabimus in sacris missarum precibus secundum sanctorum nostrorum traditiones: ne impiorum erroribus obsecundantes, à firmitate orthodoxæ fidei excidamus, pro comperto habentes, quod qui ipsi non subiicitur, nunquam salvabitur, simili modo; & qui eius non meminit, neque sacerdos est, neque sacerdotis meretur habere potestatem, ut 13. Canon primæ & secundæ synodi aperte testatur, [Canon synodi 1. 4.] habet enim ad verbum sic: *Hæreticarum zizaniarum semina in Christi Ecclesiam spargens adversarius, videns has gladio spiritus radicitus evelli: alia via aggressus est sumpta secum schismaticorum insania, Christi corpus dividere. Sed & has insidias sancta synodus anticipans, undecunque decreuit in posterum, ut si quis presbyter, vel diaconus tanquam ob aliquod delictum suum despiciens Episcopum ante synodalem cognitionem; & causæ disquisitionem ab eius communione deficere ausus fuerit, & nominis eius in sacris missarum precibus secundum Ecclesiæ traditionem non meminerit, hunc depositioni subiici, & sacerdotali omni honore privari, qui enim in presbyteri ordine est constitutus, & metropolitanorum prævenit iudicium, & ante iudicium (quantum in se est) condemnat suum patrem & Episcopum, hic neque presbyteri dignus est honore, nec nomine: & qui hos sequuntur, si qui fuerint ex constitutis in sacris ordinibus & ipsi suis dignitatibus excidant: Monachi vero vel laici expellantur penitus ab Ecclesia, donec relicta cum schismaticis coniunctione ad suum Episcopum revertantur.* Nonne ex hoc loco deprehendis, quod sacerdotio abdicat, neque sacerdotis nomen vult obtinere, qui mentionem non faciunt primatus eorum, eorumque sectatores, & si qui sacris sunt ordinibus insigniti profanos iubet esse? qui in sacris non sunt, cuiuscumque sint conditionis excommunicat. Resipiscite tandem fratres per Deum resipiscite; nec amplius tam aperte veritati obsistatis, nec adversus pastores animarum vestrarum decertetis, durum est enim, imo vero fatui & dementis nudis pedibus adversus stimulum calcitrare, nam quemadmodum ova lapidibus, sic & capita vestra, Ecclesiæ confringuntur: [Matt. 21. 1. Cor. ...] *lapis* namque *& petra scandali est Ecclesia,* & Christus ipse illi se similem facit, beatus Paulus ita scribit, *bibebant enim spirituali consequenti eos petra; petra autem erat Christus, hic est lapis de monte virginali abscissus.* [Dan. 11.] Christus vero ad Petrum, *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam,* & reliqua, ut sæpius dictum est. Ecce igitur ostensum est quod petra & lapis Christi est Ecclesia; qui igitur in eam impingit, lux in eo non est; sed qui servat præcepta eius non impingit, vera luce quæ in ipso est illuminante, [Ioan. 1.] *quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum,* lux enim veritas est & cognitio; ac illuminantur ab ea qui volunt, & manent in ea. Sed qui nolunt obtemperare, insipientiæ tenebræ eorum oculos obtegunt & impingunt, & conteruntur, ac tandem exterminantur, & responsum ferent, quod præcepit dominus, [Ioan. 10.] quod oves meæ, meam vocem audiunt quod vero meæ non sunt, vocem meam non audiunt, & lupus rapit & dispergit eas, ita eveniet, & rationalibus ovibus, quæ vocem pastoris non audiunt; impingent enim & labentur in hæreses, absurditates & schismata.

SECTIO XVIII.

QVod vero non possit decipi, vel errare, vel confringi, vel perire Ecclesia; imo vero id evenire iis qui eam oppugnant, ostensum est antea multis egregiis argumentationibus, nunc efficacius quodammodo per sacrum Chrysostomum in aureæ tubæ divinum Ioannem audiamus ex oratione in pentecosten, [Ex Chrys. to. quod omnia propter Ecclesiam fecit Deus.] cuius principium: *Cælum hodie nobis facta est terra,* dicit enim ibi post alia multa sic: *Magno studio incumbit Deus in Ecclesiam, non parietibus fultam, sed gratia custoditam; propter Ecclesiam constitutum est cælum; terra firmata est, & mare effusum, & aer repletus, paradisus est plantatus, lex tradita, missi prophetæ miracula facta sunt, mare dividebatur, & resarciebatur, & rursus iungebantur, manna de cælo descendebat, & ex tempore mensa disponebatur, propter Ecclesiam Prophetæ, propter Ecclesiam Apostoli.* At cur tam multa? *propter Ecclesiam unigenitus Dei filius, filius hominis factus est,* ut Paulus ait, *qui proprio filio non pepercit, ut Ecclesiæ parceret, filij sui sanguinem effudit; propter Ecclesiam, hic sanguis irrigat illam, per eum non possunt illius plantæ tabescere, neque folia decidere; non est obnoxia temporum necessariis vicibus, neque tempori inseruit, æstate quidem foliis vernat, hyeme vero non nudatur; non enim temporum necessitatis, sed gratia spiritus eam colit, propterea non euellitur; neque mirum est eam non euelli. Quot iam inde à principio adversus Ecclesiam bellum gesserunt, cum erat planta recens, arma adversus eam sunt expedita? at nunc Dei gratia & sancti spiritus robore, & Imperator est pius, & milites, & omnis terra fide est repleta, at in origine eius, in exordio, reges impij, milites irreligiosi ob iussa principum, aræ ardebant, undique fumus & nidor, aer inquinabatur, dæmones bacchabantur, diabolus saltabat, pater filium abdicabat, filius patrem non colebat, natura scindebatur & religio, ubi igitur qui ausi sunt adversus Ecclesiam in acie stare? Cum erat planta recens, non tamen iniuriam passa est: cum cælum attingit, speras illam posse debellare? quando undecim erant Apostoli, à nemine superati sunt: immo vero undecim, tot millia Ecclesiarum sunt expiscati, nunc cum terra & mare, culta & inhabitabilis, regio & urbs, & omnes fines religione referti sunt, tunc speras ei dominari? at tu non potes.* Christus dixit, *quod portæ inferi non prævalebunt adversus eam,* facilius est cælum deleri, & terram exterminari, quam Ecclesiam extingui. Quis hæc dicit? ipse Christus, *cælum & terra transibunt, verba autem mea nunquam transibunt;* & recte, nam Dei verbum ipso cælo est potentius, quia cælum est opus verbi, dixit Deus, *fiat cælum,* & verbum fuit opus, excurrebat natura nemine impediente, quoniam ipse Dominus est naturæ, & eam immutandi; ego eam substituxi; qui cælum constitui, sed pro cælo sanguinem non effudi,

pro

A

pro cœlo cruci non fui affixus, pro cœlo cœleste corpus non assumpsi, sed quid dico de cœlo? angelorum corpus non assumpsi: vt intelligas me Ecclesiam magis æstimare, quam cœlum & terram, & omnem creaturam, & ideo *cœlum & terra transibunt, verba autem mea nunquam transibunt*, facilius est cœlum aboleri & terram extingui, quam mea verba intercidere. Qualia sint verba eius in medium deducamus, videamus an interciderint, non revoco ego in dubium, sed hæreticis os obstruo, qualia sunt verba? *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea nunquam transibunt*, quale verbum? *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam, super hanc petram*, dixit, *non in Petra*, non enim super hominem, sed super fidem Petri Ecclesiam suam fundavit, quid autem erat fides? *Tu es Christus filius Dei vivi.* Petram vocavit Ecclesiam vndas excipientem, sed non concussam: Ecclesia namque suscipit tentationes, at non superatur. Quid ergo est *super petram*? id est, super confessionem Petri, non super opes. Non lapides iacis? non ligna? non spicula? nequaquam dicit, non enim est sensibilis structura, hæc qualiacunque sint, tempore dilabuntur, confessionem vero neque dæmones possunt superare, testantur martyres, qui latus perfossi, fidem non amiserunt, ô rem admirabilem, murus foditur, & thesaurus non diripitur, caro absumitur, & fides non consumitur, ea est martyrum vis, *super petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Attendite sedulo, eos vocat portas inferi, qui mortem pariunt, quid igitur? in infernum intrabit si in discrimen venerit? utique, nam ut portæ urbis sunt ingressus in urbem sic portæ inferni, ingressus ad mortem, cur; inquit tentationes non prohibes? nequaquam, vt ostendam vires meas, si nemo eam oppugnarit possunt respondere: nam si fuisset oppugnata, fuisset utique & expugnata, propterea eam permitto oppugnari, ne propugnatorum solitudini, victoriæ titulus inscribatur, & portæ inferi non dixit non aggredientur eam, quid ergo? oppugnabitur quidem, sed non superabitur, fluctuat Ecclesia, sed non mergitur, sed non petit profundum, excipit tela, sed non admittit vulnera, excipit machinas, sed turris non quassatur. Sed quid dico Ecclesiam? vnum verbum piscator locutus est, & turris stetit inconcussa, quot tyranni conati sunt hoc verbum abolere, nec potuerunt? *super petram* enim *fundata est.* Cogita quot tyranni, quot reges diademate redimiti, enses acuti, ferarum dentes; mortes imminentes, sartagines, fornaces, & pharetram suam exhausit diabolus, & Ecclesiæ non obfuit, quanam de causa? *quia portæ inferi non prævalebunt adversus eam*, ipsa res testimonium perhibet, testatur eventus experientia, quot bellum gesserunt, num vicerunt? sed qui bellum gesserunt, silentio transiguntur & oblivioni mandantur, Ecclesia vero floret, vbi Claudius? ubi Augustus? ubi Tiberius? nuda sunt nomina, eorum meminit nemo, nam postquam Ecclesiam oppugnarunt, memoria eorum deleta est: & Ecclesia super solem refulget. Audivisti verba doctoris aurei animo & corpore? audisti à Deo afflatum & theologum patrem hunc? scilicet quod Ecclesiæ oppugnatores abolentur & oblivioni mandantur: Ecclesia vero floret; & contorquent quidem tela pugnatores, at ipsi vulnerantur, cur nam hæc? quia Christus ipsam firmavit, Christus ipsam suo redemit sanguine, per quem cœlum firmatum est, terra fundata: Domini enim verbo dicit David, *cœli firmati sunt & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Igitur verbo quo firmavit cœlum, firmavit Ecclesiam suam dicens, *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quam petram? solidam fidei confessionem Petri piscatoris; quæ firmata manet inconcussa, & immota, & inexpugnabilis, quemadmodum & cœlum stat & permanet vi verbi. Ideo in cœlo & in terra Ecclesia Dei honorabilis & sancta est, imo vero secundum aureorum verborum & sermonum patrem hunc, cœlo & angelis & omni creatura præstantior est. Ideo & subiicit Christus dicens, *Cœlum & terra transibunt, verba autem mea nunquam transibunt*, id est, facilius est cœlum & terram & omnia concuti, quam Ecclesiam meam: incursiones hæretici facient, at non prævalebunt, in petram impingent capita sua & dispergentur, quia super petram fundata Ecclesia est, propterea Ecclesia tanquam petra manebit inconcussa, secura fiducia Christus dixit, nam qui à principio suæ prædicationis eam oppugnaverunt, deleti sunt, & memoria eorum cum sonitu periit: Ecclesia vero vernat & refulget super solem, vbi Reges qui in eam desævierunt? vbi principes? vbi hæretici? vbi Arius & Eunomius? vbi Nestorius & Dioscorus? vbi Severus & Eutyches? vbi qui præcesserunt, & qui postea subsecuti sunt omnes? nonne perierunt? nonne extincti sunt? sed Ecclesia tunc & nunc, & semper est, vsque ad sæculi consummationem & finem.

B — Interpres at inus aliū codicē secutus est.

C

D

E

Deus magis diligit Ecclesiā, quā cœlum. Esa. 40.

F

SECTIO XIX.

TOt igitur & egregiis rebus expositis ex mellifluis sacri doctoris sermonibus: æquum est, quod illi dum oraret evenit, cum omni reverentia commemorare. Sic enim invenimus scriptum in eius vita, quam Metaphrastes enarrat, cuius initium, *omnium qui secundum Deum in hac vita versati sunt*, post multa ait: *Cum is noctis in oratione perstaret, se obtulit quædam divina res, & sublimior, quam ut oculis cerni posset: & quemadmodum rem in medium proponere lingua vix audeat, ita & audire novum videatur, itaque novum quiddam, & horrore plenum audisse; cæterum animadvertendum quod huic narrationi, æque mista sunt timor & lætitia. Duo quidam viri alba amicti veste, aspectu horrifica visi sunt ei de cœlo descendere, huicque præclaro viro dum oraret in conspectum venisse, quorum alter volumen, alter claves manibus continere videbatur, cumque Ioannes hanc novam speciem miraretur, timore esse correptum: hos vero manibus apprehensum erexisse & metum abstersisse, bonoque animo eum esse iussisse; percontanti quinam essent ij viri tanta præditi gloria, qui accedere ad se dignati essent; ne timeas, eos dixisse: nos venimus à Christo missi. Alterum postea manu protensa volumen tradidisse, dicentem; sume librum, nam ego sum Ioannes cui sapientia Dei pectus tradidit, in quod & recumbere voluit, qua quidem te & per nos ad scripturas pernoscendas idoneum reddet, & te quasi manu ducet ad eius cognitionem. Alterum vero manu extensa, sume, dixisse, has claves, meque Petrum esse scito, cui Deus claves in manus tradidit, quem nunc, per me, crede te eadem gratia qua me, participem facere, quare quæcunque ligaveris vel solveris super terram, erunt ea ligata vel soluta & in cœlis.* Nonne deprehendis ex his, alterum vna cum munere scripturas facile interpretandi, & harum intelligentiam à datore sapientiæ adiunxisse? alterum vero vna cum facultate solvendi & ligandi & intelligendi, iniunxisse, & pie in Iesum Christum Dei filium per eum credendi? Credite in posterum quod sine obedientia erga Petrum, salvari non potestis, & iure quidem, nam is est porta salutis, qui per eum in cognitionem fidei non ingreditur, id est, vt eum agnoscat esse Christi vicarium, non poterit vnquam salutem consequi, nam vt Christus, inquit, *ego sum ostium, qui non intrat per ostium, sed aliunde ascensum parat, fur est & latro.* Ita & Petrus eius successor dicit; *qui non credit per me filium invisibilis Dei & Patris in carne genitum; qui passus est & resurrexit, & cætera dispensationis mysteria, hic hæreticus est; & salvari nullo unquam tempore poterit.* Hæc igitur & talia tenentes, quorum refertæ sunt omnes doctorum scripturæ, Ecclesiæ subiicimur in eaque permanemus, & in obedientia eius persistere in omnia sæcula deprecamur; vt propitium Deum nanciscamur in tremenda die retributionis, fiat, fiat.

Ex Metaphrastio Ioannis Chrys.

G

H

Ioan. 10.

SECTIO

SECTIO XX.

IAm quoad eius fieri potuit præstitimus, quod polliciti sumus, allata, ad quinque articulos responsione, qui in decreto Florentinæ Synodi continentur. Conscripsimus vero hæc à communibus patribus ac doctoribus desumpta materia; quos Ecclesia sanctos esse decernit, illorum vestigiis insistendo, & qui hæc literis theologicis mandaverunt & tradiderunt ut veraces suscipiendo, quibus Ephesius Marcus non valens in synodo contradicere, & sui incertus certamen detrectavit. Perfecimus autem hoc opus multo labore ac studio, proptérea omnes qui hæc perlegerint, oro, ne dolosè & cum præsumptione, aut proprio affectu inducti, percurrant, sed sincera dispositione adhibita suam conscientiam iudicem dictis præficiant, arbitror enim eum qui hac conditione ad legendum accesserit, à morbo se vindicaturum magnamque gratiam habiturum ei qui hæc edidit & elaboravit, cum hanc commentationem ex multis locis collegerim & coagmentarim. Exantlavimus vero hunc laborem vt Dominus scit, qui occulta cognoscit, non gloriam aucupando temporariam, neque opum comparandarum gratia, sed pura & pia mente pro virili veritati patrocinari exoptantes, quæ quidem iis, qui aperte sanctis contradicere nolunt, liquido est demonstrata, & ea prætèrea de causa hoc opus aggressi sumus, vt qui horum studiorum sunt ignari, & tamen de hoc dogmate ambigunt nequaquam amplius excusationem afferre possint, se sententias & dicta sanctorum plane ignorare. Ideo æquum mihi visum est volumen hoc rerum contexere, & resipiscere aliquando volentibus, veluti sumptuosum quoddam convivium apponere. Ecclesia vero sponsa immaculata nullas sordes, vel rugas admittens, sole lucidior denuo apparebit, vt fuit, & est, & erit; quanquam dissumpantur qui contra sentiunt, nam semper extitit extra errorem, neque diversas opiniones prædicavit: sed easdem illas, quas à divino ore salvatoris accepit. Rogo vos iterum ô charissimi, ut hæc cum charitate legatis, & spiritu fidei: ac si vera, & iusta visa fuerint, iis assentiamini, si vero contra, confutetis, & scriptis editis rationes afferatis: vt & nos iis perpensis sententiam nostram cum charitate dicamus, retractantes nostra; vel delentes; spero igitur Deo fisus, qui pacis est pater, vos his rationibus suasos veritati cessuros, animi candorem & obedientiam Deo præstando; mutuoque accipiendo paracleti gratiam & prudentiam: nam eo concedente nulla mutatio, vel imminutio pij & patrij spiritus consequetur; neque orthodoxa veritas imminuetur, absit: malo enim millies mori, quam suadere vos, ut tantillum quidem à vera fide declinetis. Resipiscite rogo fratres, resipiscite; quandiu vos in hac falsa suasione perdurabitis? quandiu si non utroque, altero tamen pede claudicabitis? excitemini segnes, qui humi repitis, exurgatis, ne dum vos malum somnum stertitis, facilè inimicus disseminet discordiæ ziziniam; tollatur paries qui dirimit sepem; fiamus unum corpus sub eodem capite; est autem caput ipse Christus, quem ut magistrum ac vitæ datorem pie & pura conscientia sequendo, cognoscemus Deum & patrem eius: à quo ab æterno sine tempore, sine defluxu & sine passione est genitus, sanctissimumque & vivificantem eius spiritum à patre, tanquam à productore ab æterno, & à principio productiuo, & procedentem, & per eum emanantem, & scaturientem essentialiter & subsistenter, & producentem & editum, unam increatam potentiam, & sine fine regnum, immortalem vitam & beatitudinem. quam utinam omnes consequamur, ne de via declinantes, in montes, solitudines & foveas delabamur, & in loca, quæ non aspicit lux vultus Domini nostri, & Salvatoris nostri Iesu Christi, cui gloria & victoria in sæcula sæculorum. Amen.

Gennadij Scholarij Patriarchæ Constantinopolitani, oratio ad unum & trium personarum Deum.

DEus Sancte Sanctorum, omnipotens, sempiterne, fortis Deus spirituum, & cunctæ carnis, cuius à facie tremit cœlum, & terra, cuius nutui omnia obediunt elementa. In unitate Trinitas, & in Trinitate unitas Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, substantia substantificans me, vita vivificans me, lumen illuminans me, scientia sanctificans me, supersubstantialis, supervitalis, superluminis, perignote, te adorant, & glorificant omnia creata, & ego hodie ea quæ in te, fide flecto mei cordis collum sub tuæ magnificentiæ pedes, gratias ago tibi, quoniam ex non ente me formasti, quoniam secundum imaginem tuam & similitudinem fecisti, quoniam pietatem donasti mihi, quoniam mysteriis Ecclesiæ sanctificasti; quoniam nutris me à pueritia omnibus bonis tuis, & unde mihi hæc factor cœli & terræ & abyssi, qui bonorum meorum non indigentiam habes? Vnde mihi hoc, quod amasti me? Quid tibi dedi, retribuisti mihi? Vbi enim eram antequam fierem, ut & inciperem bonum? Sed tua gratia & factus sum, & sum, & innumerabilibus tuis donis ornatus sum, tua solius gratia, tua bonitas hæc fecit, pro uno istorum non possum tibi gratias agere, quomodo pro tot gratias agam tibi? quomodo obscuritas laudabit lumen? quomodo stultitia veritatem? quomodo mortalitas immortalitatem? quomodo materia immaterialem? quomodo sordes munditiam? quis laudabit opera tua? quis nunciabit laudem tuam? Verum suscipis ut clemens nostras preces, acceptas libenter puerorum morum gratiarum actionem: Dignum fac me igitur gratias agere tibi & laudare & indesinenter, & conglutinari continue amori tuo, gratias agere tibi pro multis & magnis beneficiis quibus nos honorasti, pro periculis à quibus redemisti, sæpe gratias agere tibi, & pro dulcibus & molestis, quoniam omnia bono iudicio fecisti, quoniam dominus es, & herus animarum & corporum nostrorum, vitæ & mortis, sanitatis & morbi, boni diei & mali diei, & omnium in manu tua bilances, lætaris benefaciens, & tristificas admonens, & differs erudiendo, & solatiis rursus revocans nostram segnitiem; gloria variæ sapientiæ tuæ, gloria ineffabili potentiæ tuæ, laus infinitæ humanitati tuæ; guberna & reliquum vitæ nostræ mitissime dux & vigilans gubernator, libera nos ab omnibus inimicis visibilibus & invisibilibus, porrige manum bonam auxiliatricem extrahentem ex profundis aquis mundi tempestatum, & levantem quæ in principio calamitates, guberna ipse principium, quod nos credere fecisti, tu gubernator, nos gubernaculum, moveat nos invisibiliter manus tua, quò ipsa vult, quò ipsa novit, non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non salvabit me, sed dextera tua & brachium tuum & illuminatio vultus tui, fiat tua optime voluntas, & in nobis, sicut in cœlo, & in terra; ne irascaris si cadimus; tu enim scis creationem nostram Deus, si vis potes nos salvare, fac me velle quod vis, ego enim & quod volo, non possum, nisi tua me potentia fortificabit, consolare meum cor ineffabili dulcedine tua, & intellectus futuri & sempiterni in te gaudij meam levet mentem, & dignare me post præsentem vitam, percurrere ad te Dominum, & Deum meum, ad videndum divitias regni tui, & ad intelligendum faciem tuam perpetuo. Fiat rex sancte, Deus vere creator mi, per preces sanctissimæ Deiparæ, sanctorum Angelorum, & sanctorum omnium. Amen.

Marcus Ephes. Episcopus Ecclesiæ Roman. perpetuus hostis.

RICHARDI PAMPOLITANI ANGLO-SAXONIS EREMITÆ, Pia Opuſcula.

DE EMENDATIONE Peccatoris.

Vixit circa annum MCCCCXX.

Scripſit alia multa in S. Scriptura, libros, ait Sixtus Senenſis, & Ant. Poſſeuinus Apparatus ſacri pag. 324. & 325. in Rich. Hampol. & Richardo Pampolitano. (vide & Balleum nequam, & Ioh. Pitſium) aut ſi eius alia reperiri queant. Floruit ante annos CC.

APPENDICES.

Orationis Dominicæ exegeſis.
Symboli Apoſtolici & Athanaſij enarratio.
Nominis Ieſu Encomium.
De incendio amoris.
De amore ſummo, eodemque ſingulari.

RICHARDI EREMITÆ PAMPOLITANI DE EMENDATIONE Peccatoris, Opuſculum perquam vetuſtum ac eruditum.

Eccleſ. 5. NE *tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.* Nam ſubito rapit miſeros inclementia mortis inopinatæ, & devorat acerbitas pœnarum. Nec à nobis numerari poſſunt, quot mundanos præſumptio decepit. Magnum enim peccatum eſt, in Dei miſericordia confidere, & à peccato non ceſſare, æſtimando tantam eſſe Dei miſericordiam, vt nec iuſtam peccatoribus velit inferre pœnam. Ergo *dum dies eſt operamini, venit nox, quando nemo poterit operari.* (Ioann. 9.) *Lucem* vel *præſentem diem*, vocat *vitam* in qua à bonis operibus ceſſare nunquam debemus: ſcientes quod mors nobis incerta eſt. (Galat. 6.) *Noctem mortem* appellat, in qua ligantur membra, privantur ſenſus, & iam *aliquid ſalutiferum operari non poſſumus, ſed ſecundum opera noſtra gaudium recepturi ſumus*, vel *tormentum. In puncto vivimus*: imo minus puncto, quia ſi totum tempus noſtrum æternitati comparetur, nihil eſt. (Iob 32. Matt 13. Mat 24. Ioan. 9. Marc. 16. 2. Cor. 5. Mat 20. Ierem. 31. Ierem. 17.)

Quomodo non ſine graviſſima damnatione vitam noſtram in amore vanitatum conſumimus; *& tota die otioſi ſtamus? Converte* ergo *nos Domine negligentes & impœnitentes, & convertemur ad te. Sana nos Domine, & ſanabimur.* Multi enim ſanantur, ſed corrumpuntur vulnera eorum: & putreſcunt: quia hodie ad Deum converſi, cras autem à Deo ſunt averſi: hodie pœnitentes, cras ad priſtina mala redeuntes. De talibus dictum eſt: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata*: quia ad Chriſtum non eſt vere converſa. Quid enim eſt converſio ad Deum, niſi averſio à mundo, à peccato, à diabolo, & à carne? Quid eſt averſio à Deo? niſi converſio ad bonum commutabile, ad delectabilem ſpeciem creaturarum, ad opera diaboli, ad voluptates carnis & mundi. Non enim inceſſu pedum ad Deum convertimur, ſed mutatione affectuum & morum. Converſio itaque fit ad DEVM dum aciem mentis noſtræ in Chriſtum dirigimus, & eius conſilia atque mandata inceſſanter cogitamus, vt à nobis impleantur: & vbicumque fuerimus, pertexerimus, vel ſederimus, *timor DEI à corde noſtro non recedat.* Non loquor de timore qui pœnam habet, ſed *de illo qui eſt in charitate*, quo reverentiam exhibemus præſentiæ tantæ maieſtatis, & ſemper timemus ne Chriſtum in modico offendamus. Sic ſiquidem diſpoſiti ad Deum recte convertimur, à mundo quia avertimur. Averti autem à mundo nihil aliud eſt, quam omnes delectationes poſtponere & amaritudinem eius pro Chriſto libenter ſuſtinere, & dare oblivioni omni omnes occupationes inutiles & negotia ſecularia: quatenus animus noſter in toto ad Deum converſus, ad omnia quæ in mundo ſunt amanda vel quærenda medullitus moriatur. Extenſus ergo & dilatatus ad ſuperna deſideranda, Deum ante oculos ſuos ſemper habeat, quaſi ipſum indefeſſe intueatur. Sicut ſanctiſſimus pſalmiſta ait & teſtatur feciſſe, cum diceret: *Providebam DEVM in conſpectu meo ſemper.* Non ad horam; ſicut illi faciunt, qui omne pulchrum & amabile terrenum ante oculos cordis ponunt, quod contemplantur, in quo delectantur & frui concupiſcunt. Et iterum Pſalmo ait: *Oculi mei ſemper ad Dominum, quoniam ipſe evellet de laqueo pedes meos.* Patet profecto ex his verbis, quod niſi oculos interiores ad Chriſtum infatigabiliter erexerimus, laqueos tentationis non evademus. Ne quidem oculus cordis in Deo figatur & ad dominum perfecte convertatur, multa ſunt impedimenta: ex quibus aliqua ponamus: Abundantia divitiarum, blandimenta mulierum, forma ſive pulchritudo iuventutis. Hic eſt *triplex funiculus qui difficile rumpitur*, & rumpendus tamen eſt pro nihilo habendus, vt Chriſtus ametur. Qui enim CHRISTVM amare vere deſiderat, non ſolum ſine triſtitia ſed etiam cum immenſo gaudio omnia quæ eum impedire poterunt abiiciet, & nec patri aut matri, nec ſibi ipſi in hac cauſa parcit. Non accipit vultum alienius, violentiam omnibus infert, obſtacula cunctorum frangit. Parum ſibi videtur quicquid facere poteſt vt Deum amet. Volat à vitiis quaſi ebrius, ad ea quæ ſunt ſeculi ſolatia non reſpicit: imo in Deum ſe totum dirigens, pene exteriores ſenſus amittit, totus intus colligitur, totus in Chriſtum elevatur, vt cum videntes illum contriſtatum putant, vehementer gaudeat.

Sunt plerique, qui dicunt ſe velle ad Deum converti: ſed nondum hæc ſe poſſe implere aſſerunt, quia per has vel illas occupationes detinentur: quorum frigidam mentem dolendo reprehendimus. Quia ſine dubio, ſi minima ſtilla amoris Chriſti eſſent tacti, ſtatim omnimoda ſollicitudine quærerent qua via ad ſervitium Dei pervenirent; nec ab inquirendo deſiſterent donec invenirent. Excuſationem ſæpe prætendunt, quæ magis eos accuſant. Nam ſunt nonnulli, qui excuſationes ſæpe prætendunt quæ eos magis accuſant. Nam multos divitiæ retrahunt, blandimenta mulierum fallunt: & qui diu bene fecerunt, aliquando per illas in foveam peſſimam demerguntur. Quia pulchritudo cito amatur: & dum ſe amatam ſentit, facile allicitur, allecta præcipitatur, & peior poſt converſionem fit quam antea

fuit. Tunc fama denigratur, & qui laudabilis prius fuerat, à cunctis despicitur & abominabilis reputatur. Vidi enim virum de quo dixerunt, quod per quindecim annos mirabili rigore corpus suū perdomuerit, & postea lapsus est in peccatum cum coniuge servientis sibi, à qua non potuit separari vsque ad mortem. Servi vero in morte eius dixerunt, quod sacerdotibus ad se venientibus maledixit, & sacramenta recipere recusauit.

Psal. 118.

Debent ergo neophyti, id est noviter conversi, occasiones peccandi fugere, verba & facta ac visiones ad malum excitantia tota intentione vitare. Quo enim res est magis illicita, eo erit amplius deferenda. Insurgit enim diabolus vehementer contra illos, quos videt à se averti, & ad Deum converti, & carnis ac mundi desideria accendere non desinit, anteactas delectationes animo ingerit, desolationem pœnitentis proponit, & innumerabilia phantasmata cogitationum variarum & affectionum mentalium excitat, quæ prius erant sopita. Inter hæc pœnitens se exerceat viriliter, *arma spiritualia assumat, diabolo & omnibus suggestionibus constanter resistat, carnalia desideria extinguat, semper suspiret ad amorem D E I.* Contemptus mundi à se non recedat, de quo nunc agendum est.

Diabolus bonos plus tentat.

CAPVT II.

De contemptu mundi.

Mundus quomodo contemnitur.

CONtemnere mundum, est cuncta temporalia & transitoria sine amore illorum per hanc vitam transire, in terris nihil præter Deum quærere, de omnibus vanis gaudiis & solatiis non curare, vix necessaria accipere & si aliquando desint, lætanter ferre. Iste est mundi contemptus. Hunc habere si non vis, non poteris esse perfectus. Si mundus contemnitur non amatur. *Omne enim, quod amamus, honoramus.* Turpe itaque est honorare stercora, quod est amare terrena. Hinc est, quod divites avari vilissimis fœtoribus se seruos constituunt, & gaudent se dici dominos virorum. Quod homo homini dominatur, non naturæ sed fortunæ est; quod homo vitiis subditur, perversæ voluntatis. Aufer ergo malam voluntatem, & eris liber à diabolo & à peccato, effectus servus iustitiæ, quæ te docet mundana non amare. Contraria enim sunt cupiditas mundi, amor Dei, nec in eodem simul subiecto requiescunt: ita coangustatum est enim stratum, vt alterum decidat. Quanto ergo profundius cupiditatem expuleris, tanto magis divinum amorem gustabis: quanto maior cupiditas, tanto minor charitas.

Gnome. Divitiæ stercora diciuntur.

O misera anima quid in mundo quæris, sibi omnia transitoria & deceptoria cernis: ea te citius decipiunt, quæ tibi magis blandiuntur. Cur de rebus mortalibus satagis, cur res perituras tanto affectu cupis? Nonne vides quod citius pereunt, quam adquiruntur? Sed *scis, vbi habitas: vbi sedes est satana*, qui oculos tuos cæcauit & per præstigia sua tibi illudit, vt cuperes fugienda, amares odibilis, permanentia contemneres, & Evanescentibus adhæreres: & sic refundas super fallibile fundamentum, cum te stare putaueris cades in ignem. Habitantes in abundantia temporali, per divitias, per dignitatem, per voluptatem, per potestatem, per honorem: hæc eos alligant in peccatis, hæc eos constringunt in culpis, his vinciuntur delectationibus, nec soluuntur nisi per mortem (Sed tunc nimis tarda solutio, quando non restat nisi æterna damnatio) hæc impediunt eos à contemptu mundi, à cognitione sui, ab amore Dei, ab appetitu cœlestis regni. *Nemo* quippe *salvari poterit, nisi mundum & omnia quæ in eo sunt, amare desierit.* Desistat ergo dum calor est in corpore, & pulchra adhuc ætas iuuentutis restat.

Quid enim delectabit illum, qui ad amandum Christum se disponit? *Iuuentutem suam calcabit, fortitudinem suam ad Deum custodiet, divitias pro nihilo ducet*, quod *fallax gratia & vana pulchritudo est*, aduertet. Quid per singula discurram? perfecte contemnet omnia, *quæ in hoc mundo transeunt vt vmbra.*

O carnalis amator, quid in carne reperis, quia in ea sic delectaris? Placet tibi forma, vel forte si in pelle gloriaris: quid sub pelle lateat, cur non attendis? Aut vestis, quia pulchritudo carnis est velamen turpitudinis, fomes corruptionis, & sæpe causa perditionis. Sufficit tibi ergo cæteris despectis amare Deum, laudare Deum, esse cum Deo, in Deo gaudere, & non recedere à Deo, sed illi inextinguibili desiderio adhærere.

Ad contemptum mundi ipse mundus nos compellit tot miseriis plenus, in quo est malitia perseverans, persecutio conquassans, invidia tabescens, detractio corrodens, falsæ oppositiones criminum, amaritudo scandalorum, vbi omnia confusa, omnia inordinata, vbi nec iustitia diligitur, nec veritas approbatur: vbi est fidelitas infidelis, & crudelis amicitia, quæ in prosperitate stetit, & in adversitate defecit.

Et alia sunt, quæ mouere nos possunt ad contemptum mundi, videlicet mutabilitas temporis, brevitas vitæ præsentis, certa mortis expectatio, incertus eius eventus, stabilitas æternitatis, vanitas rerum præsentium, veritas futurorum gaudiorum. Elige quod vis: Si diligis mundum, peribis cum mundo: si Christum amaueris, regnabis cum illo.

CAPVT III.

De Paupertate.

SI vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus & veni sequere me. In deserendo quæ mundi sunt, & imitando quæ Christi sunt, indicat esse perfectionem. Non enim omnes qui bona sua derelinquunt, Christum sequuntur. Nam nonnulli post desertionem bonorum suorum peiores sunt, quam ante fuerunt. Tunc enim deseruiunt detractioni, proximorum suorum bonam famam auferre non pertimescunt ac invidia tabescunt, malitia frendent, aliis se præponunt, statum suum laudant, quoslibet alios aut vituperant aut contemnunt. Quomodo putas diabolus talibus illusit, qui nec mundum habent nec Deū, quos per diversa deliramenta deducit ad æterna tormenta.

Luc. 18. Mat. 19. Mar. 10.

Divitias relinquentes nō semper Christū sequuntur.

Tu vero intelligens quæ dicta sunt, per aliam viam accipias paupertatem. Cum dicit *vade & vende*, nota immutationem affectuum & cogitationum, vt qui superbus fuerat, iam humilis devenias, iracundus mitis, invidus charitatiuus, cupidus largus discrete, & si mundus & purus extiterit, non solum ab omni malo, imo *ab omni specie mala* se abstinere contendat. Si autem in aliquo per potum & cibum excesserit, deinceps per ieiunium emendet. Qui enim mundum nimis amauerat, iam ad amorem Christi se totum colligat. Omnes dispersiones cordis in vno desiderio ponat æternorum. Sic nimirum fructuosa erit illa voluntaria paupertas & angustia, quam propter Deum patitur, corona gloriosa. *Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Quid enim est paupertas, nisi humilitas mentis & spiritus, contra suam infirmitatem qua se cognoscit homo, vides non posse ad stabilitatem pertingere, nisi per gratiam Dei. Cuncta ergo quæ impedire possunt ab illa gratia percipienda, deserat, & in solo conditoris gaudio desiderium ponat. Et sicut ex vna radice multi rami oriuntur: sic ex voluntaria paupertate hoc modo assumpta, virtutes & boni mores inæstimabiles procedunt. Non sicut quidam qui mutant tunicam & non animam: imo & qui divitias videntur deserere,

Paupertas Evangel. Mat. 19.

1. Thess. 5.

Matt. 5. Luc. 6. Paupertatis pulcherrima descriptio.

Quidam tunicam mutant, non animam. Eccl. 15.

&

& innumerabilia vitia non cessant congregare.

Quid enim peius est paupere superbo? Quid enim *execrabilius mendico tumido?* Tu vero si omnia propter Deum deseris, vide magis quid contemnas, quam quid relinquas. Vide diligenter, quomodo Christum imiteris in moribus dicentem: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Non dixit: Discite à me, quia pauper sum. Non enim paupertas per se virtus est, sed magis miseria: nec propter se laudabilis est, sed quia est instrumentum virtutis & ad beatitudinem iuvat adquirendam, & facit vitare multas occasiones peccandi: & ideo laudabilis & optabilis, facit enim hominem non honorari, quamvis virtuosus sit, sed despici & confundi & abiici inter seculi amatores. Quæ omnia sustinere pro Christo, meritorium est. Propter hoc Christus ad exemplum nostrum pauperem vitā duxit in via, quia sciuit illos qui divitiis & deliciis abundant, *difficile intraturos in regnum cælorum:* vnde & auidius & feruentius paupertatem homines amplecterentur, summum honorem his qui propter Deum omnia reliquerunt & eum sequi vellent, promisit, iudiciariam videlicet potestatem dicens: *Vos qui reliquistis omnia, &c.* Qui vero paupertatem habent spontaneam, & carent humilitate & mansuetudine, quam ipse docet, miserabiliores sunt his qui omnibus divitiis abundant: nec accipient in iudicio sedem apostolicæ dignitatis, sed induentur *diploide confusionis*, quæ est damnatio corporis & animæ.

Mat. 11. Paupertas per se non virtus, sed miseria. Mat. 5. Mat. 19. Luc. 18. Mar. 10. Mat. 19. 1. Cor. 15. Ps. 108. Mat. 19.

Qui autem humilitate & mansuetudine pollent, quamvis multas divitias possideant: tamen *ad dexteram Christi statuentur in iudicio.* Dicunt enim quidam: Omnia relinquere non possumus, infirmi sumus, necessaria nobis oportet retinere vnde vivamus: & hoc est licitum. Sed minus valent, quia angustam paupertatem & miseriam sustinere pro Deo non audent: possunt tamen ad culmen virtutum per gratiam Dei attingere & ad contemplationem supernorum se leuare, si occupationes & negotia secularia deserant, & ad orandum & meditandum indefesse assurgant, atque ea quæ habent non amando possideant & possidendo relinquant. Attendant ergo iugiter quod superflua adquirere, vitis superbiæ & cupiditatis est: necessaria retinere, infirmitatis est: omnia vero relinquere perfectionis est. Dum ergo considerant altiora quæ non attingunt, de minoribus non præsumant: sed humilibus consentiant, vt ad institutionem vitæ sic ascendere mereantur, de qua consequenter sequitur.

Mat. 19. Rom. 12.

CAPVT IV.

De Institutione vitæ.

VT homo ad honorem Dei, ad commodum suum, ad vtilitatem proximi rectè dirigatur, quatuor occurrunt dicenda. Primo quæ sunt quæ coinquinant hominem: & sunt tria peccata vel tria genera peccatorum, scilicet peccata cogitationis, oris & operis.

Sap. 1.

Cogitatione peccat quis, quando aliquid contra Deum cogitat. Si cor suum non occupet laude & amore Dei. Si illuc diversis cogitationibus abstrahi & mundo vagari permittat.

Sap. 1.

Ore peccat quis multis modis. Quando mentitur, quando periurat, quando detrahit, quando errorem quamvis ignorans defendit, quando stultiloquia aut turpiloquia, aut vana & otiosa profert.

Opere peccat quis multis modis luxuriando, lubrice tangendo, osculando, voluntarie se polluendo vel procurando vel sustinendo, vel sine maxima necessitate qua se credit posse perire, furando, vel percutiendo & aliis modis consimilibus.

Leui. 19. Rom. 1. Ephes. 5.

Secundo quæ sunt quæ mundificant hominem, & sunt tria, scilicet contritio cogitationis, expulsio omnis affectionis quæ non pertinet ad laudem & honorem Dei & amorem eius. Confessio oris, quæ debet esse tempestiua nuda & integra. Satisfactio operis quæ habet tres partes, scilicet ieiunium quia peccat contra seipsum, orationem quia peccat contra Deum, eleemosynam quia peccat contra proximum. Non tamen dico quod de bonis alienis faciat eleemosynam, sed restituat, quia non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum.

Purum reddunt hominē tria.

Tertio quæ sunt quæ munditiam cordis seruant, & sunt tria, scilicet vigil Dei meditatio, vt nullum tempus sit in quo de Deo non cogitet, excepto somno qui est omnibus communis. Solicitudo custodiæ sensuum exteriorum, vt gustus & olfactus, auditus, visio, tactus, sub freno disciplinæ sapienter arceantur, & honesta occupatio, vt legendo, aut aliquid de Deo loquendo, aut scribendo, aut aliquid vtile agendo.

Eccl. 24. Tob. 4.

Similiter quæ obseruant munditiam oris, scilicet loquendi præmeditatio, cautela stultiloquii, mendacii detestatio.

Item munditiam operis tria conservant, scilicet alimentorum moderatio, prauæ societatis declinatio, & iugis mortis meditatio.

Quarto quæ ad conformitatem divinæ voluntatis nos allíciunt, & sunt tria: scilicet creaturarum exemplaritas quæ attenditur per considerationem: Dei familiaritas, quæ attenditur per orationem & meditationem. Et regni cœlestis iucunditas, quæ ad modum sentitur per contemplationem.

Itaque in hunc modum ad vivendum vir Dei institutus, erit *tanquam lignum quod plantatum est secus decursus aquarum,* id est, fluentiam gratiarum, vt super virescat in virtute & *nunquam arescat* vitii ariditatem *qui fructum* in bona terra, id est, bona opera in exemplum, & bona data in subsidium *dabit* ad honorem Dei, non vendendo pro humana gloria *in tempore suo,* contra singulares qui dant exempla ieiunandi quando est tempus comedendi & è contra, & contra auaros qui dant fructus, qui iam putridi sunt, aut differunt vsque ad mortem. Proinde ergo ille orauit qui dixit: *Bonitatem & disciplinam & scientiam doce me.* Quid enim est disciplina nisi morum institutio vel correctio. Primo ergo per disciplinam in rectitudine instruimur & à malo corrigimur, deinde cognoscimus & scimus, quid agere & quid vitare debemus. Tandem *sapimus non carnalia & terrena, sed cælestia & divina.*

Psalm. 1. Ierem. 17. Fructus quomodo datur in tempore. Ps. 118. Coloss. 3.

Cumque quis toto nisu ad voluntatem conditoris se direxerit atque in virtutibus succreuerit, aliosque forte qui eum præcesserunt in constantia vivendi & desiderio Christi superauerit: non debet inde *gloriari & sibi quicquam attribuere,* vel se aliisnet iam qui pravi videntur superiorem æstimare, imo se adhuc miserrimum & vilissimum reputare, neminem nisi seipsum iudicet, omnes sibi anteponat, cupiat ab omnibus non sanctum prædicari, sed despicabilem: cum venerit inter homines procuret quod sit vltimus, imo & minimus opinione omnium æstimetur. Quia *quanto maior es humilia te in omnibus, & tunc coram Deo inuenies gratiam,* scilicet exaltationis, quia *magna est potentia Dei & ab humilibus honoratur.* Ergo à superbis contemnitur, quia suam gloriam quærunt, non Dei.

2. Corin. 10. Luc. 17. Luc. 6. Luc. 14. Prou. 25. Eccl. 3.

Si autem, quod absit, in fauore populi gloriaris & honorem tibi pro sanis in vita oblatum à plebe cum gaudio assumpseris, timore *hic recepisse mercedem,* & quamvis mirabilis potentiæ & continentiæ videaris, dum tamen magis gaudes in gloria hominum quam angelorum, in futuro nihil tibi restat nisi tormentum.

Mat. 23. Luc. 18.

Debes ergo teipsum perfecte despicere, & omnem mundi gloriam penitus declinare, nihil sine intuitu divini amoris vel cogitare vel agere, vt tota vita tua intus & extra laudem Dei clamet. In cibo & potu

1. Cor. 10. Coloss. 3.

sis parcus & discretos. Nihil enim recipiendum est pro tempore, nisi quod cum gratiarum actione percipitur.

(De cibo & potu. Instructio admodum pia. Luc. 21. Rom. 13.)

Dum comedis aut bibis, memoria Dei tui qui te pascit à mente nunquam recedat, imo laudes ac benedicas & glorifices illum in omni morsello, vt magis sit cor tuum in laudem Dei, quam ad cibum tuum attendas: vt nulla hora sit mens tua à Deo separata, sic enim faciens coram Christo Iesu ineffabilem coronam promereberis, & tentationes dæmonum quæ maxime in cibo & potu hominibus insidiantur, & eos decipiunt, effugabis. Aut enim incautos per immoderatam assumptionem alimentorum ab arce virtutum deiiciunt, aut per nimiam abstinentiam in ipsa virtute frangunt. Multi enim sunt qui in edendo semper fluctuant, vt aut minus, aut magis contingue sumant & formam vivendi nunquam teneant, dum nec hoc nec illud melius putant. Æstimant enim insipientes & indocti qui dulcedinem divini amoris nunquam experti sunt, quod indiscreta abstinentia sit sanctitas, nec putant se apud Deum magni meriti, nisi per magnam & quasi per iniustam abstinentiam singulares hominibus innotescant. Sed vere abstinentia per se non est sanctitas, sed si sit discreta, adiuuat vt quis sanctus sit. Si indiscreta, impedit ne sanctus sit, quia disciplinam sic destruit, *sine qua virtutes in vitia vertuntur.*

(Crapula hominis nociua.)

Si quis velit abstinentiam singularem assumere, debet visus hominum & laudes vitare, ne quasi pro nihilo superbiat, & totum amittat; homines enim sæpe iudicant illos sanctiores in veritate, quos vident abstinentiores, cum insanctiores sæpe in veritate existant. Qui vero suavitatem æterni amoris veraciter gustauerit, nunquam in abstinentia quenquam præcellere iudicabit, imo tanto apud se inferior æstimatur, quanto apud homines in abstinentia mirabilior videtur. Optimum enim est & Deo placens arbitror, vt quis se conformet in cibo & in potu, pro loco & tempore, & honestate, eis enim quibus conversatur; ne sit superstitiosus aut religionis simulator appareat. Sciat enim sine dubio, quod si vnus vel duo de eo bene sentiant, cæteri hypocritam & simulatorem appellant. Sed quidam sunt inanis gloriæ cupidi, qui nullo modo adquiescunt inter homines communes haberi, quin aut tam parum comedant, vt omnino verba hominum ad se trahant, aut alterius generis cibaria sibi afferri prouident, vel in aliquo cæteris dissimiles esse videantur: quorum insania & obstinatio longe sint à me. Verumtamen salubre est consilium, vt illi qui sunt minus abstinentiores se sibi præferant, vt qui sic non possunt abstinere in mente compungantur. Illi autem qui mirabiles abstinentiæ sunt, alios sibi superiores æstiment, quorum vita homines latet in qua excellunt. Dum enim illorum virtus, id est abstinentia à multis laudatur, nisi magna humilitate & charitate fulciatur, coram Christo pro nihilo habetur. Aliorum vero virtus tanto maior est, quanto ab hominibus non videtur. Quis enim hominum cognoscere poterit, quanto amore erga Deum feruet? Quis, quanta passione erga Christum elucescat? Sine dubitatione virtus charitatis omnem abstinentiam vel ieiunium, vel alia opera quæ possunt videri exterius, incomparabiliter excedit: & plerumque fit, quod qui minus coram hominibus videtur abstinens, intus coram Christo in amore sit magis feruens. Oportet enim, vt fortis sit qui se in amore divino viriliter exercebit, carne enim nimia afflictione debilitata & infirmitate tormentata, homo sæpe orare non sufficit, quanto magis feruenti desiderio se ad summa non leuabit? Mallem ergo quod homo præ amoris magnitudine potius quam pro ieiunio deficeret, sicut sponsa testatur dicens: *Nunciate dilecto, quia amore langueo.* Tu ergo constans esto in omnibus viis tuis, secundum regulam monstratam tibi viam tuam dirige: & quamvis in principio non poteris obtinere quod cupis, non diffidas sed persevera, quia per

(Cant. 5.)

longum tempus & exercitium peruenies ad perfectionem.

Si vratur fueris, si sederis, quodcunque in hac vita feceris, semper ad Deum oculos mentis dirige, cogitationem tuam ab illo recedere non permittas. Quasi illud tempus amiseris reputa, in quo de Deo cogitas. In nocte lauda Deum & eius amorem concupisce, nec te aliter occupatum quam aut orantem aut de Deo cogitantem somnus inveniat. Vide ne cogitationibus vanis defluas, ne superfluis curis te subdas, sed hanc mentis constantiam adquirere & retinere stude, vt nec mala mundi timeas nec eius bona aliquo modo immoderato affectes. Qui adversus sustinere metuit, quomodo oporteat mundum contemnere non bene cognouit, & qui gaudet in terrenis bonis, longe distat ab æternis.

Ad virtutem vero fortitudinis pertinet omnes adversitates, prosperitates, & ipsam mortem pro æterna vita contemnere. Et charitas est, sola cœlestia desiderare. Nam perfectus amor mori gaudet, & vitam patienter sustinet, ad quam perfectionem & si Christo dante ascenderis, tamen sine tentatione vel tribulatione non eris, ad quam denudandam sermo convertatur.

(Fortitudo vera quæ sit.)

CAPVT V.

De tribulatione patienter sustinenda.

CVm diabolus viderit vnum hominem ex mille ad Deum perfecte converti, Christi vestigia imitari, præterita despicere, sola invisibilia quærere & amare, perfectam pœnitentiam assumere, ab omni contagione mentis & corporis se purgare, mille fraudes nocendi mille artes pugnandi reparat vt ipsum ab amore Dei ad amorem mundi ducat & iterum sordibus scelerum polluat, vt saltem libidinosis cogitationibus Deo inodibilem reddat. Excitat contra eum persecutiones, tribulationes, calumnias, impositiones falsorum criminum, genera odiorum, vt vel pœnæ terreant & sic eum frangant quem prospera decipere nequiuerunt. Nunc prospera, nunc blanda opponit, imagines rerum corporearum ingerit mentibus, vitiorum phantasmata componit, antiquæ vetustatis & præteritæ delectationis flammas in delectationem revocat, cor & carnem lubricis incendiis inflammat à minimis persuasionibus incipit, sed ad maximam flammam nequitiæ pervenit, & tanto maiori solicitudine contra nos omnia genera tormentorum & tribulationum insufflare studet, quanto nos iam ab eius faucibus per Dei misericordiam euasisse dolet. Nihil enim aliud quærit, nisi vt nos ab incorporeis amplexibus & castissimis ac suauissimis æterni amoris separet & in lacu miseriæ ac in luto fœcis iterum detorpet: quod profecto nobis magis mirabile esset, quam explicare sufficio. Quis enim excogitare posset illius insaniam, qui à deliciis regum ad siliquas porcorum descenderet: adhuc magis insanit qui sapientiæ increatæ delicatissimas epulas tenuit, & ad immunditiam carnis se subdit. Nonne luxuria & gula fœditates porcinæ sunt, quas qui faciunt dæmones pascunt. Quomodo ergo contra tribulationes inimicorum nostrorum agendum sit & resistendum, patientia nos docebit, de qua iam loquimur.

(Diabolus mille nocendi artes.)

CAPVT VI.

De Patientia.

NOn dignentur filii Regis ad irrationabilium animalium pabula devolui, imo spernant cunctas voluptates illicitas & solatia mundi pro amore

Christi,

Christi. *Qui enim illo pane vescitur qui de cœlo descendit:* affectum non inclinat ad ea quæ à diabolo suggeruntur. Quando insurgunt tentationes vel tribulationes, accipienda sunt arma spiritualia, & ad bellum procedendum est.

Tentationes enim constantia fidei & amoris vincuntur, tribulationes vero patientia superantur.

Quid enim est patientia, nisi rerum adversantium libens & voluntaria perpessio? Qui enim est patiens, in nulla adversitate murmurat: sed magis *in omni tempore* cum propheta Deum laudat. Quanto namque quis in adversis patientior fuerit, tanto in cœlestibus gloriosior erit.

Libenter ergo sustinendæ sunt tribulationes, angustiæ, amaritudines, pœnæ, infirmitates & penuriæ: quia per hæc & huiusmodi peccata nostra purgantur, & merita augentur. Aut enim oportet nos in hac vita igne divini amoris & tribulationis exuri, & sic à seculi sordibus purgari, aut post hanc vitam igne purgatorij vel inferni acerbissime cruciari. Eligamus utrum volumus, alterum istorum non evademus: hic autem levi pœnitentia imo cum gaudio si Deo vere inhæremus, omnem possumus futuram pœnam abolere. Ideo immittuntur tribulationes vt nos ab amore mundi revocent & ne gravius in alia vita puniamur. Doloribus enim purgatorij purgari oportet quod voluptate commisimus. Si peccatores supra dorsum nostrum fabricant, nobis non nocent, dum patienter toleramus, sed sibi, quia & si modicam pœnam inferant, nobis tamen coronam & ipsis tormentum præparant.

Mali vero vitam præsentem eo fine multis tribulationibus transire permittuntur, quod eis nulla gloria in futuro reservatur. Propter quod sancti viri tribulationes amant, quia per illas ad æternitatem perveniri non ignorant. E contra reprobi semper in adversitatibus murmurant, atque eas quantumcunque possunt declinant. Quia dum visibilibus rebus immoderate sunt dediti, in opere æternorum sunt privati, in exterioribus bonis solummodo solatium inveniunt. quia saporem cœlestium funditus amiserunt. Nulla est anima rationalis hic existens, quæ aut non creatori aut non creaturæ adhæreat. Si creaturam diligit Deum amittit, & cum dilecto suo in interitum vadit. Talis enim amor in principio est labor & stultitia, in medio languor tristitia & miseria, in fine odium & pœna.

Qui quidem conditorem suum amat, omnia quæ in mundo sunt, refutat, de illo & cum illo loqui dulce habet, ipsum cogitare refectio sibi videtur, claudit sensus exteriores *ne mors ascendat per fenestras*, & ne in aliqua vanitate inutiliter occupetur. Et aliquando suscitantur contra eum despectiones, opprobria, irrisiones & scandala: & ideo necesse est vt statum arripiat patientiæ & magis sit paratus iniurias pati quã irrogare. Oret pro conversione illorum qui se oderunt & depresserunt, ne cuiet hominibus placere; sed timeat Deum offendere. Porro si in carne tenetur, ipsam subiiciat, ne spiritus succumbat. Tentatio enim cui non consentitur, est materia exercendæ virtutis. Nemo quippe sibi innotescit verum fortis an debilis sit, nisi tentatus fuerit. Si enim patiens quis dici debet, ignoratur. Sed cum iniuria impulsus fuerit, tunc si patientiam habeat, ipse videbit. Multi patientes videntur, quando non impugnantur. Sed statim cum levis flatus, non dico iniuriæ sed correctionis, eos attigerit, mox mens eorum in amaritudinem & iram se convertit: & si vnum verbum contra voluntatem eorum audierunt, duo verba multo austeriora reddere conantur. Extinguenda sunt iacula inimici humilitate & amoris Christi suavitate, nec cedendum tentationi quamvis gravissima sit, quia quo maior est pugna, eo gloriosior erit victoria & sublimior corona. Vnde *beatus vir qui suffert tentationem.*

Tunc enim te in uia perfectionis non dubites esse, si tibi sit despectio quasi laus, & paupertas sicut divitiæ, inopia sicut epulæ, vt ista æque sustineas & in nullo ab altitudine mentis cadas. Fuge & abominare in quantum potes, laudes hominum, quia hoc maxime laudabile est, *si laudabilis sis & ab hominibus non lauderis.*

Linguæ adulantium multos decipiunt, labia eorum plures multo confundunt. Tu ergo favorem & honorem & omnem vanam gloriam despice, inimicitias, odia, & detractiones, libenter sustine. Et sic per infamiam & bonam famam, per tribulationes & blanditias, ad cœlestia regna non cesses properare.

Sæpe cadimus, vt per multos casus eruditi, postea fortius stemus: fortis non timet, patiens in adversis non contristatur, sicut scriptum est: *Non contristabit iustum, quicquid ei acciderit.* Sic nimirum dispositus omnem tentationem superabis, omnem malitiam extingues, tribulantes inferiores cernes, & Christo tota mente adhærebis.

CAPVT VII.

De oratione & eius effectu.

SI in tribulatione vel tentatione positus fueris, mox ad orationem curras. Si enim *pure oraveris, auxilium habebis.* Veniunt quandoque desperationes & cungationes cordis, & cogitationes diversæ rapiunt, nec sinunt cor stare ad laudem Dei: tunc forte bonum esset de divinis per aliquod tempus meditari, donec mens magis stabiliretur, & sic orationes complere.

Si qui vero omnes occupationes mundi pro amore Dei dimiserint, & omnino se cœlesti meditationi ac orationi sanctæ mancipaverint, æstimo quod per Dei gratiam intra breve tempus invenient cor stabilitum, & ad amandum & orandum: vt non tunc in hanc rem, nunc in illam transvolent: sed magis in tranquillitate & æterna pace repausent.

Multum confert ad stabilitatem cordis obtinendam, crebris orationibus insistere, & psalmodiam devote cantare. Iugi enim oratione dæmones vincimus & eorum insidias & infestationes enervamus. Redduntur enim debiles & quasi sine fortitudine, dum nos fortes, & invicti ad orandum perseveramus. Illi quippe viri qui longo exercitio & consuetudine ad orandum se habent, aliquando suavitatem maiorem & ferventius desiderium orandi inveniunt. Dum ergo illa suavitas & odor remanent, bonum est vt ab orationibus non desistant. Quando autem cessaverit quod per corruptibilem carnem sæpe contingit, possunt ad meditandum scripturas sanctas, vel aliquid aliud agendum vtile accedere: ita tamen, quod cogitationem à Deo vagari non permittant: vt cum statim ad orandum se erexerint, ardentiores fiant, quam fuerunt. Tunc enim veraciter oramus, cum de alio non cogitamus, sed tota nostra intentio ad summa dirigitur, & animus noster igne Spiritus sancti inflammatur. Sic profecto in nobis mira affluentia divinæ bonitatis invenitur, quod ex intimis medullis cordis nostri exurget amor Dei, etiam tota nostra oratio cum affectu & effectu erit, vt iam non verba in oratione transcurramus, sed etiam omnes pene syllabas cum clamore valido & desiderio Deo nostro offeramus. Intenso enim corde nostro & amore fervido, oratio ipsa incenditur, & in odorem suavitatis ex ore nostro in conspectu Dei adoletur, vt magna iucunditas sit orare. Quia dum in oratione ineffabilis dulcor oranti infunditur, ipsa oratio in iubilum commutatur. Hic reprehenduntur, qui magis meditationi quam orationi indulgent, nescientes quod eloquium Dei ignitum sit, quo & purgantur peccatorum sordes & inflammantur orantium mentes amore. Dicunt se velle prius meditari, vt sic possint habere cor habile: sed eo tardius ad stabilimentum

perducuntur, quo illi ad continue orandum non confortantur. Quamvis enim non ita cito sicut volumus, cor nostrum in vnum colligere valeamus: non propter hoc debemus desinere: sed paulatim studeamus crescere, vt tandem nos dignetur Iesus Christus solidare: ad quod adiuvat meditatio, si mensuram non excedat.

CAPVT VIII.

De meditatione passionis Christi.

EST autem meditatio bona de passione Christi & morte, & sæpe recordari quantas pœnas & miserias sponte suscepit pro salute nostra, in ambulando & prædicando, famem simul frigus & calorem, improperia & maledicta sustinendo: vt non videatur graue & invtile seruo imitari dominum & imperatorem suum. Qui enim dicit *se manere in Christo*, sicut & ille ambulauit, ita, & illum oportet ambulare. Dicit vero Dominus per Ieremiam: *Recordare*, inquit, *paupertatis meæ & transmigrationis & absinthij*, id est, doloris & amaritudinis, per quos de mundo ad patrem transmigraui. Hæc enim recordatio siue meditatio, diabolum confundit, & machinas eius destruit, carnales tentationes extinguit, & animum ad amorem Christi incendit, mentem subleuat & clarificat, atque clarificando purgat. Æstimo quod hæc meditatio vtilior sit omnibus aliis, his qui noviter ad Christum convertuntur. Ideo enim proponitur humilitas Christi Iesu, in qua homo iterum delectetur, in qua habeat materiam gaudendi & lugendi propter certitudinem redemptionis: lugendi, propter turpitudinem criminis, pro quo delendo tam admirabilis hostia immolata est. Quia rudis & carnalis animus in contemplationem divinitatis non rapitur, nisi spiritualis efficiatur absumptis carnalibus impedimentis.

Cum enim cor mundum habere cœperit, & nulla corporeæ rei imago sibi illudere poterit: tunc certe ad altiora admittitur, vt in amore deitatis vehementer glorietur.

Quidam etiam meditantur de gloria bonorum angelorum & sanctarum animarum cum Christo exultantium: & hæc meditatio ad contemplationem pertinet. Alij meditantur de miseria conditionis humanæ, & de vilitate illius disputant, quod & in cogitationibus suis de insania hominum pro vanitate visibilis vitæ invisibilia gaudia obliviscuntur.

Alii meditationes suas ita disponunt, vt nihil nisi ad laudem Dei & desiderium conditoris sonent, vt ipsum quantum possibile est viatoribus, ament. Ad hanc meditationem nemo peruenit, nisi qui multum in præcedentibus exercitatus est. Est autem aliis excellentior & maxime virum contemplatiuum efficit. Sicut ergo diversa sunt opera & exercitia electorum: ita & diversæ sunt meditationes eorum: omnes tamen quia ab vno fonte procedunt, ad vnum finem tendunt, ac etiam ad vnam beatitudinem perveniunt siue ducunt, sed diversis viis per vnam charitatem, quæ maior est in vno quam in alio. Ideo dicit Psalmist. *Deduxit me super semitas iustitiæ.* Quasi diceret: Vna est iustitia, sed semitæ multæ quibus ducuntur electi ad gloriam vitæ, quia dum omnes in veritate existentes diversorum sunt meritorum, in vna iustitia per plures semitas ducuntur. Alij pergunt per inferiorem semitam, alij per mediam, alij per superiorem. Superior, illi tribuetur, qui vt amplius Christum amet, ab æterno prædestinatur, non quia plus largiatur, aut plura patiatur: sed quia plus amat. Qui vtique amor, feruor &, dulcor est & in omnibus requiem quærit. Nemo autem potest se constituere in aliqua istarum semitarum: sed constituetur in illa, ad quam Deus illum elegit.

Aliquando qui nobis apparent in superiori, in inferiori sunt, & econtra: quia illud in interiori homine coram Deo solum est, non in aliquo quod ab homine exterius fieri potest. Secundum vero dispositionem meditationem & affectionem, ad illam vel ad illam semitam diriguntur. Nullis operibus exterioribus potest cognosci, quis sit maior vel minor coram Deo. Stultum est ergo de electis iudicare & dicere: Iste excellit illum, & illius merita ab istius meritis longe distant; cum penitus ignorent mentes eorum: quas si scirent, licite possent iudicare. Ideo enim Deus omni creaturæ hoc voluit esse secretum, ne hunc nimis contemnerent, aut illum nimis honorarent. Quia sine dubio si possent videre corda hominum, multos quos nunc velut electos honorant, tanquam viles & fœtentes despicerent: & alios de quibus non curant, nec quos ad videndum moventur, tanquam Dei dilectissimos & velut angelos sanctos honorarent.

Bonæ itaque cogitationes & meditationes electorum à Deo sunt. Tales per suam gratiam singulis infundit, quales eorum statui & conditioni magis congruere videt.

Possem ergo meditationes meas tibi dicere: sed quales tibi amplius efficaces erunt, nescio aperire: quia interiorem affectionem tuam nescio. Puto certe, quod illæ meditationes in te magis Deo placent & tibi proficiunt, quas ipse Deus per se in animam tuam fuderit. Veruntamen initium poteris ex aliorum dictis habere, quod ego in meipso expertus sum.

Si enim contempseris doctrinam doctorum & putaveris te melius aliquid posse invenire quam ipsi te docent in scriptis suis, scito quod amorem Christi non gustabis. Insipientis est dicere: Quare ergo me non docebit? Respondeo tibi quia non es talis, quales ipsi fuerunt. Superbus enim es & austerus: illi vero humiles & mites extiterunt: & præsumendo de Deo nihil adquisierunt, sed se humiliando, ab hominibus scientiam sanctorum acceperunt. Docuit ergo illos vt nos in eorum libris doceremur. Si vero meditationes tuæ amorem Christi nunc desiderant, aut nunc laudes eius sonant vt mihi videtur, bene dispositus es. Sed meditationes in quibus maiorem dulcedinem & suavitatem in Deo sentis, tibi amplius profuturæ sunt: meditari enim sine dulcedine, parum prodest: nisi in illa causa, qua propter necessitatem dulcedo non sentitur.

CAPVT IX.

De lectione.

SI cupis ad amorem Dei pervenire & succendi desiderio cœlestium gaudiorum & induci ad contemptum terrenorum, non sis negligens ad meditandum & legendum sacram scripturam: & maxime in his locis vbi mores instituit & insidias diaboli cauere docet, vbi loquitur de amore Dei & de contemplatiua vita.

Difficiliores vero sententiæ disputantibus & ingeniosis viris longo tempore in sancta doctrina exercitatis relinquantur. Multum enim adiuuat nos in bono proficere forma hæc. In his cognoscimus defectus nostros & profectus, in quibus peccauimus & in quibus non, quæ vitare debemus & quæ agere, subtilissime machinas inimicorum aperiunt. Accendunt nos ad amandum, & ad lachrymas compungunt: præparant nobis mensam delicatam, si in illis sicut in omnibus divitiis, delectati fuerimus. Sed nulla cupiditas honorum, vel fauorum hominum nos succendat ad scientiam scripturarum, sed sola intentio placendi Deo: vt sciamus, quomodo ipsum diligamus, & illud idem proximum doceamus, vt non reputemur scientes apud populum: imo magis

debemus

Marginalia: 1. Ioan. 3. — Ierem 3. — Passio Christi sæpius meditanda. — Charitas non in omnibus æqualis. Psal. 22. — Iustitiæ semitæ multæ. — Eccl. 9. — Doctrina admodum catholica & vtilis. — Scripturæ sacræ lectio salubris.

debemus occultare scientiam nostram, quam ad laudem nostram ostendere: Sicut dicit Psal. *In corde meo abscondi eloquia tua* (id est, à vana extensione,) *vt non peccem tibi.* Causa ergo locutionis nostræ sit laus Dei & ædificatio proximi, vt illud in nobis impleatur: *Semper laus eius in ore meo.* Quod fit, quando nostram laudem non quærimus, & contra ejus laudem non loquimur.

CAPVT X.

De puritate mentis.

PEr hos novem gradus prætractos ad *puritatem* mentis ascenditur, *qua videtur Deus*, puritatem dico, quæ in via haberi potest. Nam quomodo adquiratur perfecta puritas hic, vbi totiens venialibus saltem peccatis sordidatur? lavandi sunt pedes sanctorum, quia pulverem de terra trahunt.

Quis enim dicere potest: *Purus sum à peccato?* Quasi diceret; Vere nullus in vita hac. Nam vt ait Iob: *Si lotus fuero aquis nivis* id est, vera pœnitentia, *& effulserint velut mundissimæ manus meæ*, propter innocentia opera: *tamen sordibus intinges me*, propter venialia peccata, quæ vitare non possum, *& abominabuntur vestigia mea*, id est, me mihi reddit abominabilem caro mea & sensualitas, quæ fragilis est & labilis & prona ad amandum delectabilem mundi speciem, quod sæpe me peccare cogit. Ideo dicit Apostolus: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Quasi diceret: Peccatum in vobis potest non regnare, sed non potest non esse.

Quam ergo puritatem potest homo habere in hac vita? Vere laudabilem & magnam, si se juste exercuerit in studio lectionis, orationis, & meditationis, vt prænotatum est. Quamvis enim aliunde peccet venialiter, cito tamen propter suam integram intentionem ad Deum directam, deletur: fervor namque charitatis in ipso existens, omnem rubiginem peccatorum cōsumit, quasi *gutta aquæ in camino ardenti mitteretur.* Virtus ergo purgati animi, est mentem habere ad Deum intentam, quia in hoc statu cogitatio in Christum Iesum dirigitur, tota memoria in ipsum extenditur, & quando alius loqui videtur. In munda enim & pura conscientia, nihil est amarum, nihil asperum, nihil durum, sed totum dulce, totum suave, ex cordis munditia surgit, tanquam gloriæ carmen dulcisonum, gaudium amœnum. Tunc plerumque tam ineffabilis jucunditas datur à Domino, quod etiam melos cœlicum infunditur. In hoc statu potest homo cognoscere quod sit in charitate, & in illa quam nunquam amittet: non tamen sine magno timore vivit, non ne tormentum incurrat, sed ne dilectissimum hospitem suum offendat.

Parco hic aliquid loqui amplius, quia valde miser mihi videor. Nam sæpe caro mea affligitur & tentatur, Quanquam quidem in his quæ dicta sunt, amor Dei & contemplativa vita contineantur, aliquid tamen de illis ad vestram vtilitatem dicendum.

CAPVT XI.

De amore.

DVlce lumen & delectabile, quod es conditoris mens incircumscriptus, illustra faciem meam, & aciem oculorum meorum interiorum claritate increata, & mentem meam, vt medullitus ab immunditiis mundata ac mirificata muneribus, agiliter evolet in altitudinem: amœnissimi amoris tui sapore succende, quatenus sedeam & quiescam, & in te IESV jubilans superna quoque suavitate quasi raptus incedens, invisibilium quoque speculatione stabilitus, nunquam nisi divinitus delecter.

O amor æterne inflamma animum meum ad amandum Deum, vt non ardeat in me nisi ad amplexus ejus. O bone IESV, quis mihi det vt sentiam te in me, qui nunc sentiri & non videri potes, infunde te visceribus animæ meæ. Veni in cor meum & reple illud dulcedine tua præclarissima, inebria mentem meam fervente vino dilectionis dulcioris, vt omnia mala omnesque circumscriptas visiones, illusorias imagines obliviscens, ac te solum contemplans, exultem & jubilem in Deo IESV meo. A modo dulcissime Domine, non discedas à me jugiter manens mecum in tua dulcedine, quia tua sola præsentia mihi solatium est, & sola tua absentia tristem me relinquit. O sancte Spiritus, qui spiras vbi vis, veni in me, rape me tibi naturam quam creasti donis inuncta mellifluis, vt in tuo delicata absorpta gaudio, despiciat & abjiciat omne quod est in hoc mundo, spiritalia charismata te largiente percipiat, & per canorum jubilum tendens in incircumscriptum lumen amore sancto tota liquefiat. Vre igne tuo renes meos & cor meum, qui in altari tuo ardebit in æternum. Veni precor te ô suavis & vera gloria. Veni dulcedo desideratissima, veni dilecte mi, qui es bona consolatio mea, animæ languenti pro te, & ad te dulcissimo ardore illabere, calore tuo penetrabilia cordis mei incende, & intima quoque luce tua illuminando, mellifluo amoris jubilo cuncta pro raptu mentis & corporis depasce.

In his & in hujusmodi meditationibus vt quandoque ad medullam amoris ascendas, in quibus ab vno ad alium proficit qui eligitur ad mortem, te jugiter exerceas. Amor autem animam amantem non in se manere sinit, sed extra se rapit ad amatum vt magis sit ibi anima vbi diligit, quam vbi corpus est, quod per illam sentit & vivit.

Amoris Christi tres gradus.

Sunt quidem tres gradus amoris Christi: Primus gradus vocatur insuperabilis, secundus inseparabilis, tertius singularis. Tunc quippe amor est insuperabilis, quando nulla affectione alia potest superari, & quando libenter propter Christum omnia impedimenta abjicit, omnes tentationes, & omnia carnalia desideria extinguit, quando propter Christum omnia angusta patienter patitur & nulla delectatione vel blandimento superatur. Facilis est amanti labor omnis, nec melius vincit quis laborem, quam per amorem. Amor inseparabilis est, quando jam vehementi dilectione succensa mens, atque Christo inseparabili cogitatione adhærens nullo quidem momento ipsum à memoria recedere permittit: sed quasi in corde ligaretur, ipsum cogitat, & ad ipsum suspirat, ejus amore se teneri clamat, vt compedem mortalitatis exsolvat, & ad ipsum quem solum desiderat perducatur: & maxime hoc nomen IESV tantum honorat & diligit, quod in ipsius mente jugiter recumbit.

Cum ergo amor Christi in corde dilectoris Dei & mundi contemptoris in tantum excreverit, vt ab alio amore separari non poterit, summus dicitur. Cum autem illum cogitando nulla occasione illum obliviscendo Christo inseparabilis inhæret, inseparabilis & sempiternus nuncupatur. Et quis amore illo amor major vel altior esse potest, si summus & sempiternus est?

Sed adhuc restat tertius gradus qui dicitur singularis. Aliud est solum esse, & aliud summum esse, sicut aliud est semper præsidentem esse, & aliud consortem non admittere. Possumus enim multos socios habere, & tamen præ omnibus superiorem locum tenere.

Si alienam consolationem quæris vel recipis quam Dei tui: & si forte summe diligis, non tamen singulariter. Vides ergo quanta magnitudo supereminentiæ ad excrescendum supersit, vt jam summus & solus esse possit.

Ad singularem ergo gradum amor ascendit, quando omnem consolationem, præter vnam quæ est in

A IESV, excludit, quando nihil præter IESVM sibi sufficere poterit.

In illo gradu anima constituta illum vnum diligit, solum Christum, sicut solum concupiscit, in solo illius desiderio anhelat, ad ipsum suspirat et ipso inardescit, nihil sapit nisi IESV dulcoretur. Cujus memoria quasi musicum melos in convivio vini, quicquid vltro se offerat, quicquid occurrat, cito rejicitur, subito conculcatur, si suo affectui non militat, & suo desiderio non concordat. Omne exercitium violenter opprimit, quod amori Christi deservire non cernit. Quicquid agit, inutile, imò intolerabile videtur, nisi ad Christum finem desiderij sui concurrat, & conducat: Cum Christo frui poterit, omnia pariter quæcunque voluerit, se habere credit. Sine illo horrent omnia, sordescunt vniversa. Sed quia illo frui in æternum credit, constanter persistere in corpore non deficit, nec corde tabescit. Sed amat perseveranter, & cuncta patitur lætanter: & quanto amplius in illo sic vivit, tanto magis amore succenditur, & ei sublimior efficitur.

Tali nimirum congruit qui consortem inter homines non admittit. Quia tanto magis internis gaudiis rapitur, quanto minus in exterioribus rebus implicatur vel molestiis curis præsentis vitæ non impeditur, & quasi impassibilis in anima efficitur, qui quacunque non obstante angustia in Deo jugiter jucundatur.

B

O anima mea desine ab amore sæculi, & tota liquesce in amorem Christi, vt semper tibi sit dulce & suave de Christo legere, loqui, scribere, ipsum cogitare & orare, ipsum incessanter laudare. Anima mea sibi devotam Deus te videre desiderat, ad te ex longinquo clamat, in te ardet, amore tuo languet. Devicisti enim me ô amor indeficiens. vulnerasti me perennis dulcedo & pulchritudo: & jam victus & vulneratus succumbo, vix vivo præ gaudio & pene morior, quia non sufficio in carne corruptibili tantæ majestatis perferre suavitatem. Totum enim cor in desiderio IESV defixum, & in amoris ardorem convertitur, & in illam gloriam atque formam absorbetur. Hinc ô bone IESV miserere miseri, ostende te languenti, medere sauciato. Infirmum me non sentio, nisi languentem amore tui. Qui te non diligit, totum quod est perdit. Qui te non sequitur, insanit. Interim autem esto mihi gaudium, amor & desiderium, donec te videam Deum deorum in Sion.

C

Charitas nos Deo vnit.

Est autem charitas virtutum nobilissima excellentissima & suavissima, quam amatum cum amato conjungere scimus, id est, Christum cum electa anima perpetuo copulare. Reformat enim in nobis summæ Trinitatis imaginem, etiam creaturam creatori facit simillimam.

Charitatis encomium.

O donum amoris, quantum valet præ omnibus, qui supremum gradum sibi vendicat cum Angelis. Quanto enim quis in via de amore plus accipit, tanto in patria major & sublimior erit. O singulare gaudium æterni amoris, quod suos ligans nexibus virtutum supra mundalia quæque ad cœlestia ipsos rapit. O charitas chara qui te non habet, in terra jacet quicquid habet. Qui vero in te lætari nititur, supra terrena statim elevatur. Tu audacter intras cubiculum æterni Regis, tu sola Christum rapere non vereris. Ipse est quem quæsisti, quem amasti. Tuus CHRISTVS IESVS est, tene illum, quia non potest te non suscipere, cui soli desiderasti obedire.

D

1. Cor. 13

O charitas, sine te nulla prorsus placent opera. Tu omnia facis sapida, tu es sedes cœlica, societas Angelica, sanctitas mirifica, visio beatifica, & vita sine fine mansura. O sancta charitas, quam suavis es & confortabilis, quæ fractum redintegras, restituis ruinam, servum liberas, Angelis hominem æquiparas, sedentes & quiescentes sublevas, levatos indulcoras. In hoc statu vel gradu amoris, est amor castus, sanctus & voluntarius. Amatum amans pro seipso non pro suis, & se totum in amato figens, nihil extra ipsum quærens, de seipso contentus, æstuans, vehemens illum in se ligans, impetuosus miro modo omnem modum excedens, ad solum amatum se extendens, cuncta alia contemnens & obliviscens, in amato jubilans, ipsum cogitans, ipsum incessanter reminiscens, ardens in desiderio, ruens in dilecto, pergens in amplexibus, absorptus in osculis, totus liquefactus in igne amoris.

E

Itaque vero Christi amator in amando nec ordinem servat, nec gradum cupit, quia in præsenti vita quantumcumque fervens & jubilans in divino amore fuerit, adhuc plus & plus ardentius & jucundius Deum amare intendit, & si posset hic semper vivere, non putaret se aliquando stare & vlterius in amore proficere non posse: sed potius quanto diutius viveret, tanto in amore amplius arderet. Deus enim infinitæ magnitudinis & inexcogitabilis bonitatis & innumerabilis dulcedinis omni creatæ naturæ incomprehensibilis nunquam à nobis comprahendi ita poterit, quemadmodum in se æternus existit. Sed cum jam conditoris desiderio mens inardescere cœperit, capax increatæ lucis efficitur, ac deinde inspirata & repleta donis Spiritus sancti, cœlesti lætitia, vt mortalibus fas est perfruitur, visibiliáq; cuncta transcendens, ad suavitatem vitæ æternæ sublevatur: dúmque dulcore divinitatis & calore creantis lucis perfunditur, in holocaustum æterno Regi oblatum & acceptum tota concrematur. O amor amœnus, fortis, rapiens, ardens, spontaneus, validus, inextinguibilis: qui totam animam in tuam servitutem redigis, & aliud præter te cogitare non sinis, tibi quidem vendicans omne quod *vivimus, quod sapimus, omne quod sumus.* Sit ergo IESVS-CHRISTVS amoris nostri principium propter quem ipsum diligamus, & sit finis propter quem quicquid diligendum est, ordinate diligamus, & ad quem totum quod diligimus, referamus. Hic vtique perfectus amor ostenditur, quando tota mentis intentio, totius corporis occulta operatio in divinum amorem elevatur, quatenus tanta sit vis puri amoris & tanta jucunditas, quod nullum mundi gaudium, nullúmque carnale commercium libeat, etiamsi liceret. O amor inseparabilis, ô amor singularis.

Deus incomprehensibilis.

F

Rom. 8.

Quamvis nulla essent tormenta impiorum, nulláve præmia electorum in cœlo, non te citius solveres ab amato. Tolerabilius etiam tibi videretur inæstimabile incurrere supplicium, quam semel fore mortaliter peccaturum. Ergo vere amas Deum & nihil aliud, nec teipsum nisi propter Deum, & inde sequitur, quod nihil in te nisi Deus amatur. Alioquin quomodo esset *Deus omnia in omnibus*, si aliquid in homine remaneat humani amoris.

G

Eph. 2. Rom. 11.

O clara charitas, veni in me, & rape me in te, sic vt præsenter coram te conditore. Tu enim es sapor condiens, odor redolens, dulcor placens, fervor purificans, consulatio sine fine manens. Tu vires contemplationis efficis, januam cœli aperis, ora accusantium claudis, Deum ostendis visibilem, & *multitudinem abscondis peccatorum.* Te enim laudamus, te deprecamur, per quam mundum vincimus, per quam jubilamus, per quam scalam cœli ascendimus, illabere mihi & in tua dulcedine te me cum eis commenda sine fine. Amen.

Prov. 10. 1. Pet. 4.

H

CAPVT XII.

De contemplatione.

Contemplationis tres sunt partes.

CONtemplatio, vel vita contemplativa, habet tres partes, scilicet, lectionem, orationem, & meditationem. In lectione loquitur nobis Deus: In oratione loquimur nos Deo: In meditatione, Angeli ad nos descendunt, & erudiunt nos ne erremus. In oratione ascendunt, & offerunt preces nostras Deo

congratulantes

A

Oratio quid sit, a qua delectatus inde recedit invitus.

congratulantes profectui nostro, qui sunt nuncij inter Deum & nos. Est autem oratio purus mentis affectus in Deum directus, qui cum ad Deum pervenerit, non recedit nec invitus.

Meditatio in Deo & in divinis per lectionem & orationem assumenda est, ubi est amplexus Rachel.

Psal. 4.

Ad lectionem pertinet ratio & inquisitio veritatis, quæ est lumen gratum signatum super nos: Ad orationem pertinet laus, hymnus, speculatio, excessus, admiratio, & sic in oratione vita contemplativa consistit vel meditatio.

Ad contemplationem spectat inspiratio, Dei intelligentia, sapientia, suspirium.

Si quæratur quid sit contemplatio, difficile est diffinire: Dicunt quidam quod vita contemplativa nihil aliud est, quam rerum latentium futurarúmque notitia, sive vacatio ab omnibus occupationibus mundi, sive divinarum studium literarum.

Contemplationis definitio.

B

Alij dicunt, quod contemplatio est perspicacia in sapientiæ spectacula, cum admiratione suspensa. Alij dicunt, quod contemplatio est libera & perspicax animi intuitus ad vires perspiciendas circumquaque diffusus. Alij dicunt, & bene, quod contemplatio est supernorum jubilus. Alij dicunt, & optime, quod contemplatio est per sublevantis mentis jubilum mors carnalium affectuum. Mihi videtur quod contemplatio sit jubilus divini amoris, suscepta in mente suavitate laudis Angelicæ. Hæc est jubilatio, quæ finis est orationis perfectæ & devotionis summæ in via. Hæc est jubilatio & exultatio mentis habita pro æterno dilecto in canore spirituali prorumpens voce. Et est actus iste consummativus omnium actuum. Unde Psalmista: *Beatus vir qui scit jubilationem* scilicet, in contemplatione Dei. Non enim aliquis à Deo alienus potest jubilare in I E S U, neque amoris illius suavitatem aliquando gustare. Sed qui juguiter suspirat igne æterni amoris succensi, patientia, humilitate & mansuetudine eum munditia mentis & corporis decorari, & unguentis spiritualibus imbui, in contemplationem elevari, quærat incessanter virtutes salutiferas, quibus in hac vita à miseria culpæ exuatur, & in alia ab omni pœna liber, in beata vita glorietur in æternum. Sicque in hoc exilio divini amoris jubilum merebitur contemplari.

Psal. 88.

C

Semetipsum ergo non pigeat mancipare orationibus & vigilijs atque exerceat in meditationibus sanctis, quia profecto hujusmodi laboribus sanctis & spiritualibus cum gemitibus & fletibus internæ compunctionis amor Christi in eo succendetur pariter & omnes virtutes ac dona Spiritus sancti in corde ejus infunduntur. Incipiat ergo per voluntariam paupertatem, ut dum nihil in hoc mundo appetit, *coram Deo & hominibus sobrie, caste & pie vivat.* Nihil habere aliquando necessitatis est, sed nihil velle habere, magnæ virtutis est. Possumus autem multa habere, & nihil tamen velle, quando ea quæ habemus non ad voluptatem, sed ad necessitatem retinemus, sicut quandoque qui nihil habet multa cupit. Necessaria perfectissimum accipere oportet, alioquin jam non perfectus esset, si ea unde vivat sumere recusaret. Hic ergo modus habendi est perfectus, ut omnia mundi propter Deum despiciant, & tamen ea eodem victum & vestitum sumant: & si quandoque deficiunt, non murmurent, sed laudent, superflua quantum in se est, omnino recusent. Quanto magis calore æternæ lucis quisque incalescere cœperit, tanto magis in adversis quibuscunque patientior erit hic & humilis efficitur, dum seipsum despicabilem & parvum reputans nec damnis nec opprobrijs ad iram provocatur. Unde sa jugi meditationi subdenti ad contemplationem cœlestium donum scandere, & purificata mentis acie quam patitur infirmitas carnis, internis gaudijs suaviter ac gaudenter jubilare. Verum cum jam ad terrena quærenda nequaquam defluit, nec aliquando superbo pede va-

Tit. 2.

1. Cor. 7.

D

a

Luc. 17.

dit, sed solis superna lætatur lætitiis, & pro suavitate æterni amoris quasi in ecstasim rapitur, & raptus mirabiliter jocundatur. Talis siquidem est vita contemplativa, si debito modo sit assumpta. Per longam enim exercitationem spiritualium operum ascendimus ad contemplationem æternorum.

E

Mentalis enim visio sursum rapitur & cœlestia contemplatur per *visionem ænigmaticam*, per speculativam, non claram & perspicuam. Quia dum per fidem currimus, per speculum in ænigmate videmus. Si enim oculus intellectualis nititur in lucem spiritualem contemplari, illud lumen ut in se est non videt, sentit tamen se ibi fuisse, dum saporem & fervorem incircumscripti luminis secrete retinet. Unde Psalm. *Sicut tenebræ ejus, ita lumen ejus.* Quamvis enim ab anima sancta tenebræ peccatorum evanuerunt, & obscura recesserunt, & impura mens purgetur ac illuminetur, adhuc tamen, dum in carne mortali manere cogitur, illa ineffabilis gloria perfecte non videtur. Porrò sancti viri & contemplativi revelata facie gloriam Dei speculantur. Quod fit aut aperto eis sensu ut intelligant scripturas, aut ostio cœli aperto, quod majus est, ut quasi omnibus obstaculis inter mentem illorum & Deum remotis, purgato cordis oculo cœlestes cives speculentur. Quidam autem utrumque istorum acceperunt. Sicut enim in tenebris stantes nihil cernimus, ita in contemplatione quæ invisibiliter animam illuminat, invisibile lumen non videmus. Novitque Christus latibulum suum, & adhuc in columna nubis ad nos loquitur. Sed valde delectabile est quod sentitur, & in hoc quidem perfectus est amor, quando homo in carne ambulans, nescit nisi *in Deo gloriari*, nec aliquid velle, nec amorem affectare nisi in Deum & propter Deum. Hinc patet quod sanctitas non est in rugitu oris, aut in lachrymis, aut in exterioribus actibus, sed in suavitate perfectæ charitatis & supernæ contemplationis: Multi enim in lachrymas liquefacti sunt, & postea in malum declinaverunt. Sed nullus unquam mundanis sollicitudinibus se polluit, postquam æterno amore veraciter exultaverit: flere & gemere, est jam noviter conversorum & incipientium & proficientium: sed jubilare & in contemplationem exire, non est nisi perfectorum.

1. Cor. 13

Psal. 138

2. Cor. 3.

F

1. Cor. 10 *Gal.* 6. Ast ē sant. clerici.

G

Igitur quamvis longo tempore qui adhuc cum reatu suo conscientiam sentit, sciat quod perfectam pœnitentiam nondum egit. Interim, sine *lachryma panes die ac nocte*, quia nisi prius fletibus ac suspirijs se afficiat, ad dulcedinem contemplationis se pervenire non posse cognoscat.

Psal. 41

Psal. 125

Cotemplativa suavitas, non nisi laboribus adquiritur immensis. Sed cum inenarrabili lætitia possidetur, imo non est meritum, sed Dei donum: tamen à principio usque hodie nec unus in contemplatione amoris æterni rapi potuit, nisi qui ante omnem mundi vanitatem perfecte reliquit. Insuper salubri meditatione, devota quoque oratione, ipsum exerceri oportet, priusquam in contemplationem cœlestium veraciter perveneerit.

Laboriosa est contemplatio, sed dulcis, desiderabilis & suavis, laborantem lætificat non aggravat: hac nullus nisi gaudens perfruitur, non quando venit, sed quando recedit fatigatur. O bonus labor ad mortales per quem se dirigunt. O nobilis ac mira exercitatio, per quam perfectius agunt. Requiritur enim ut magnam mentis & corporis quietem capiat, quem ignis sancti Spiritus veraciter inflammat.

H

Multi enim sunt nescientes sabbatizare in mente, neque scientes vanas & inutiles cogitationes expellere, ut in Psalmo præcipitur: *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus.* Vacantes enim non possunt implere corpore, sed vagantes corde non merentur gustare & videre, quam suavis est Dominus, id est, quam dulcis sit altitudo contemplationis.

Omnis vero vir contemplativus solitudinem diligit,

Solitudo contemplationis jocunda.

vt eo ferventius & liberius quo à nullo impeditur, in suis affectibus exercere se possit.

Cum enim constet vitam contemplativam digniorem esse ac magis meritoriam, quam activam vitam, & omnes contemplativos instinctu Dei amantes solitudinem & propter contemplationis dulcedinem in amore sunt præcipue ferventes: liquet vtique quod solitarij dono contemplationis summi sunt, & ad perfectionem maximi: & si forte aliqui sint in eo statu quod & contemplativæ vitæ culmen accipiunt, & tamen prædicationis officium implere non desistunt; isti solitarios licet in contemplatione summos & solis divinis intentos non necessitati proximorum in hoc superant; quod cæteris operibus aureolam propter suam prædicationem merentur.

Vir autem vere contemplativus tanto desiderio; sit illam invisibilem lucem figitur, vt quasi stultus & fere insensibilis ab omnibus censeatur & judicetur. Hoc ideo fit, quia mens amore Christi funditus inflammata, penitus gestum mutat corporalem, & ab omnibus terrenis actibus ipsum & corpus segregans velut alienum Deo reddit. Sic vero dum animus in via æterni amoris amœnitate, se totum colligit, indesinenter seintus retinens, ulterius quærendo non fluit, & quia internis delicijs delicate pascitur; non est mirum si suspirans dicat: *Quis mihi det te frui ut inveniam te foris & deosculer*, id est, soluta carne te invenire merear, & facie ad faciem videns tecum in æternum coniungar: *& iam nemo me despiciat.* Devota namque anima contemplativæ vitæ mancipata, dilectione æternitatis repleta, omnem præsentis seculi vanam gloriam respicit, & in solo Iesu dissolui cupit. Quæ ab his quæ mundum non cœlum sapiunt habetur vehementer despecta, amore languet & anxie desiderat quatenus cum illis choris angelorum dilectis gaudijs donetur assistere, quam deinceps mundana adversitas non poterit nocere. Nihil ergo utilius vel iucundius gratia contemplationis; quæ nos ab imis elevat & Deo reddit. Quid enim est gratia, nisi inchoatio gloriæ? Et quid est perfectio gloriæ, nisi gratia consummata, in qua conservantur nobis iucunda felicitas & felix iocunditas, gloriosa æternitas & æterna gloria. Cum sanctis vivere, cum angelis manere. & quod super omnia, Deum videre, perfecte cognoscere, perfecte diligere, & in splendore maiestatis suæ ipsum videre, & cum ineffabili iubilatione & melodia ipsum æternaliter laudare. Cui sit honor & gratiarum actio in sæcula sæculorum, Amen.

Opusculi de emendatione peccatoris, Finis.

ORATIONIS

DOMINICÆ

EXEGESIS COMPENDIOSA SIMVL AC LVCVLENTA, authore D. Rich. Panpolitano Eremita.

Oratio dominica alijs dignior & fœcundior.

PATER noster qui es in cœlis, &c.] Hæc oratio privilegiata est in duobus, scilicet, in dignitate & etiam in fœcunditate. In dignitate, quia ex ore Dei est edita. Vnde Petr. Ravenn. Ad amoris (inquit) indicium rex ipse functus est officio advocati: ut preces quibus ipse responsurus est, ipse dictaret.

In fœcunditate, quia hæc oratio, continet omnia quæ sunt à Christo petenda. Nulla enim oratio magis spiritualis est quam illa quæ processit ex ore filij Dei, qui est veritas.

Facta autem fuit hæc oratio multiplici de causa. Prima, ut sciatur citius, quia brevis est. Secunda, ut melius retineatur. Tertia, ut frequentius dicatur. Quarta, ut illa neglecta excusatio nulla habeatur.

Pater noster, non meus quare dicatur. 1. Ioan. 2. 1. Cor. 3. Philip. 3

Dicit ergo: *Pater noster.*] Nemo dicat *meus*, quia communis est omnibus, & non timore sed amore servimus ei. Admonemur autem ad amorem & unionem fraternitatis. Et cum dicimus: *Pater noster*, de adoptione cogitemus: *qui es in cœlis*,] id est, secretis sanctis & spiritualibus viris, qui sunt habitacula Dei, & eorum conversatio in cœlis est: ut ad spiritualitatem in qua habitat, festinare discamus, & cœlestia ab eo petamus.

Oratio dominica petitiones 7. complectitur.

Sanctificetur nomen tuum.] Septem sunt petitiones in hac oratione, quatuor sunt pro bonis obtinendis, & tres pro malis removendis.

Primò ergo petimus virtutem fidei, per quam glorificatur in nobis nomen Dei. Non enim petimus ut nomen suum sanctificetur in ipso, sed in nobis: ut illa sanctificatio quam nobis contulit in baptismo, nobiscum maneat in æternum.

Nomen Dei quomodo in nobis sanctificatur. Ioan. 1. Deo sanctitate nostra nihil accrescit.

Et petimus hic spiritum sapientiæ, ne à sanctificatione nominis eius in aliquo discrepemus, sed patris nomen in filijs vita & verbo ostendatur, id est, tales nos facias, in quibus sanctus appareas. Nomen ergo patris in nobis est, qui filij dicimur: & petimus illud sanctificari, non ut ipse sanctior sit, sed ut in nobis operetur augmentum suæ sanctificationis: Nam sanctificatio filiorum nomini eius attribuitur.

Titum 3. 2. Cor. 5.

Ita ergo dicimus sanctificari, sicut clarificari & magnificari in nobis. *Sanctificetur*, id est, ita sicut est sanctum habeatur: & sic innotescat illis, ut non putetur aliquid sanctius: ut *nos qui in baptismo sanctificati sumus, in eo quod cœpimus, perseveremus.* Et quia quamdiu in mundo sumus: perfectam gloriam non habemus: ideo post adoptionem & nominis in nobis sanctificationem, congrue petimus.

Matt. 19. Matt. 5.

Adveniat regnum tuum.] Regnum Dei semper est. Sed veniat, id est, manifestetur hominibus, quibus ut lux cæcis non videtur quod nullus ignorare poterit, cum *filius Dei iudicare venerit, in quo regnabunt & sancti, quia ipsis debetur.* Hic spiritus intelligentiæ petitur, quo mundatur cor ut Deus videatur. Petitur etiam virtus spei & puritatis mentis, per quam contemnimus regnum mundi & desideramus regnum cœli. Vnde oramus ut hic regnet in nobis per gratiam, & nos cum illo in cœlo per gloriam. Venit ergo regnum Dei, dum vitia & potestas diaboli excluduntur, & in futuro perfectius, cum evacuerit omnem principatum & potestatem, & *tradiderit regnum Deo & patri.* Spiritu itaque intelligentiæ regnum futurum declaratur & cordis mundities tribuitur, per quam Deus ibidem regnans sicut est videbitur: *ut occurramus omnes in virum perfectum*: & in nobis in eo quiescentibus sanctificatur ipse, dum nos in ipso sanctificamur. In qua sanctificatione pax beatitudinis firmabitur & plena sapientia donatur. Sed quia ad nullum donum vel virtutem attingere potetimus nisi suæ voluntati nos in omnibus conformemus, recte consequenter petimus.

Regnum Dei quando venire dicatur. 1. Cor. 15

Ephes. 4.

Pulcherrima interpretatio. Homo quomodo cœlū & terra dicatur.

Fiat voluntas tua sicut in cœlo & in terra.] id est, sicut in beatis angelis & in animabus sanctis est plena conformitas divinæ voluntatis: ita fiat & in hominibus, ut nil appetamus contra voluntatem Dei. Petitur enim hic virtus charitatis, quæ consistit in plena conformitate divinæ voluntatis. Petitur etiam spiritus consilij, per quem voluntas inquiritur; ut à nobis impleatur. Voluntas Dei absoluta semper fit, oramus ergo ut libertas nostri arbitrij societur per gratiam suæ voluntati, quæ est sanctificatio nostra & vita æterna.

Volun

A

Voluntas Dei est præceptorum eius custodia. Secundum spiritum cœli, secundum carnem terra sumus. Oramus ergo, vt sicut in cœlo, id est, in spiritu: in terra, id est, in carne, fiat voluntas Dei: vt caro & spiritus sit homo spiritualis, de quo dicitur: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Sed quia *visione Dei nondum fruimur*, cibus in via nobis necessarius est, vt quandoque ad patriam perveniamus. Vnde petimus:

Psal. 83. 1. Cor. 5.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie] sine quo fame moriemur. Petimus nos viatores duplicem panem, scilicet materialem quo indiget fragilitas nostra corporalis. Hic panis corpus Christi est, vel verbum Dei, vel ipse Deus: quo quotidie egemus. Hic quotidianus est, in patria æternus, qui nunc assidue per fidem & charitatem interius debet reficere, quia sine eo nemo potest vivere. Vel panis dicitur spiritualia præcepta, quæ semper sunt exercenda. Hic petitur spiritus fortitudinis, & virtus qua iustitia esuritur, *sine quibus nemo venit ad panem cælestem.*

Panē duplicē petimus. Deut. 8. Mat. 4. Ioan. 15.

B

Notandum vero quod his verbis petimus panem non carnes, non pisces, non delicata cibaria, non ad superfluum, sed tantum quod est necessarium. Et cum dicimus nostrum non meum, designatur quod bona quæ Deus tribuit, indigentibus sunt communicanda, non nobis appropriandа. Damnatur ergo avaritiæ tenacitas, qua homo sibi retinet ea quæ habet. Dicitur etiam quotidianus, quia quotidie indigemus refectione corporali & mentali: sed quia ad gloriam æternitatis non perveniemus, dum in peccato consistimus, necessarium est ut petamus.

Mat. 5. 1. Cor. 1. Panis nomine, necessaria designantur. Panis noster quare dicatur.

Et dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.] Conversis, aliter nullus est fructus totius orationis. Et vt liberi ad patriam redeamus, culpæ veniam negare non debemus. Cum enim dicimus dimitte nobis debita nostra, spiritum scientiæ rogamus, quo debita, id est, delicta nostra intelligamus, quæ sine spiritu sancto non intelliguntur. Recte post cibum petit veniam peccati, vt qui à Deo pascitur in Deo vivat, & ad Deum perveniat. Parum ergo illis prodesse videtur hæc oratio qui rancorem contra alios tenent in corde. Omnes ergo rancorem tenentur deponere, sed perfecti etiam non rogati debent omnibus modis indulgere.

Mat. 18. Eccl. 28.

C

Colos. 3.

Et ne nos inducas in tentationem.] id est, non nos deferens tentatione vinci sinas, & si sinis tentari sine quo nullus probatus est. Petimus ergo vt tentationi non consentiamus, quia in tentationem inducitur qui tentatione superatur.

Iacob. 1.

Sed libera nos à malo.] scilicet, à malo innato quod contraximus, à malo addito quod commisimus, & à malo inflicto quod meruimus. Primum est originale, Secundum actuale. Tertium pœnale. Hæc liberatio quotidie est necessaria, dum sine malo animæ & corporis non vivitur sed in fine complebitur quando impassibiles & immortales erimus.

A quibus malis liberari petamus.

1. Cor. 15.

Satis compendiose tradidit Christus non solum disciplinam mandatorum, sed & precum & donorum, vt paucis verbis res multiplices & necessarias commendaret.

D

[*Amen.*] est quasi signaculum Dominicæ Orationis, quo ostenduntur omnia superiora dicta vera & inoffringibilia & inviolabilia esse confirmata in veritate.

Mat. 24. Luc. 21.

E

SYMBOLI

APOSTOLICI CLARISSIMA

ET ADMODVM CATHOLICA

Enarratio authore D. Richardo Pampolitano Eremita.

Decimo die post ascensionem Domini, discipulis præ timore Iudæorum in vnum congregatis, promissum paracletum Deus eis misit. Quo veniente discipuli inflammati & omnium linguarum sapientia repleti symbolum composuerunt, & antequam discederent ad Evangelizandum in gentibus, hoc sibi prædicationis signum vel indicium posuerunt. Hæc Isidorus *Etym. lib. sexto capite ultimo.* Petrus dixit:

F

Ioan 21 Act. 1.

Credo in Deum patrem omnipotentem creatorem cœli & terræ:] Quoniam fides Christiana intrepida mente fatetur vnitatem substantiæ & trinitatem personarum. In principio illius operis de omnipotentia Patris & Filij & Spiritus sancti aliquid ostendatur. Quæ licet sit communis tribus personis, tamen per appropriationem ait hic: *Credo in Deum patrem omnipotentem.* Et hoc, quia pater à nullo est & omnia alia ab ipso sunt. Filius per generationem, Spiritus sanctus per spirationem, creaturæ per creationem. Tum sicut pater est omnipotens, ita filius, ita Spiritus sanctus, quilibet enim potest facere quicquid vult sine adminiculo alicuius alterius rei nec ab aliquo extra potest impediri. Hæc omnipotentia intelligitur in comparatione ad creaturas, quia maxime apparet in creatione, ideo addit: *Creatorem cœli & terræ.* Deus enim per se creat res & *ducit in esse quæ prius non erant.* Et non solum omnes substantiæ, vt cœlum & terra & omnia quæ in eis sunt, à Deo sunt creata: sed etiam accidentia à Deo sunt: sicut scientia, gratia, & gloria. De primo Eccl. 1. *Omnis sapientia à Domino Deo est.* De secundo Psal. *Cor mundum crea in me Deus.* Et Apostolus Petrus: *Deus omnis gratiæ.* De tertio Eccl. 39. *Bona bonis creata sunt ab initio.* Et ideo dicitur: *Omnia per ipsum facta sunt.* Propter hoc tres pueri invitabant *omnes creaturas ad benedicendum Deum.* Iste Deus quia æternus est, potest dici causa temporalium & sempiternorum. Causa enim abundat à suo effectu, vnde cum creaturæ aliquæ sint temporales, vt illæ quæ incipiunt & desinunt: aliquæ vero perpetuæ, vt quæ incipiunt & nunquam desinunt, oportet quod causa eorum nec incipiat nec desinat.

Deus omnipotens.

G

Psal. 45.

Eccl. 1. Psal. 50. 1. Petr. 5

Ioan. 1. Dan. 3.

Creaturæ duplici suo differentia.

Andreas ait: *Et in Iesum Christum filium eius unicum Dominum nostrum.*] Quidam dicunt: *Et in Iesum Christum filium eius unicum.* Quidam vero vnicum ad Dominum referunt: sed sive sic, sive sic, vtrumque benedicitur. Nam & vnicus Dei filius est, & vnicus Dominus noster rectissime dici potest. Quia ipse cum patre & Spiritu sancto nos creavit & recreavit, emit & redemit. Vnde & ipse ait: *Ego in patre & pater in me est.* Ergo in ipso est Spiritus sanctus, vt dicitur: *Iesus autem plenus Spiritu sancto.*

H

1. Tim. 2 Ioan. 1. Ioan. 14.

Luc. 4.

Ioannes ait: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.*] Et est sensus, Iesus Christus filius Dei vnicus Dominus noster conceptus est in utero beatæ virginis de Spiritu sancto non de substantia Spiritus sancti, quia tunc esset filius eius: sed potentia & operatione Spiritus sancti. Nam Spiritus S. cum patre & filio separavit à beata virgine quandam particulam de sanguinibus eius, quam purificavit ab omni fomite,

Luc. 1. Mat. 1.

A

In Christo duplex natura.

fomite, & de ea formavit corpus & in eodem instanti animam creavit ac gratiam perfectam ei infudit cui corpori formato in eodem instanti animam creatam infudit. Et has duas naturas corpus & animam deitati univit in filio: ita quod persona filij Dei habet duas naturas divinam & humanam. Natura autem divina remansit sicut erat, & natura humana manet discreta à natura divina: & ita *Deus factus est homo*, & illa persona filij est Deus & homo: & postea nono mense à conceptione peperit eum virgo manens virgo: & ita facta est mater Dei & hominis. Ista conceptio fuit facta subito, cum conceptiones aliorum hominum fiant successive. Nam in conceptione aliorum semen hominis sex diebus habet similitudinem lactis, & novem diebus sequentibus convertitur in sanguinem, undecim diebus sequentibus solidatur, octodecim diebus sequentibus informatur usque ad perfecta membrorum lineamenta, qua formatione completa anima à Deo creatur & corpori coniungitur, & fit homo in utero matris vivens per se.

Ioan. 1. Luc. 2. Maria Dei & hominis mater. Conceptio Christi instantanea.

B

Gen. 1.

In Christi vero conceptione virtus divina repente operabatur: sicut subito fecit corpus Adæ de terra & in corpore animam posuit. Similiter subito & in instanti fecit corpus fœminæ & illud animavit anima rationali. Ista conceptio fuit nuntiata per angelum Gabrielem summum angelorum ut dicit Gregorius. Unde Luc. *Ecce concipies & paries filium.* Quæ annuntiatio congrua fuit, ut non ignoraret quem conciperet. Secundo, ut consentiret & sic fieret voluntate non coacte. Tertio ut rectissime posset testificari de sua conceptione de visu & auditu angeli. Quarto quia virginitas cognata est angelis.

Luc. 1.

Angelica annunciatio.

Christus sapiens & misericens ad nos venit ut nos sapientes & iustos faceret, & miseriam ab homine tolleret dando beatitudinem. Unde sit: *Ego lux veni in mundum, verbum per quod facta sunt omnia est factum caro, ut reficeret omnia.* Apostolus: *Instauravit quæ in cœlis & quæ in terris sunt*: Immortalis & impassibilis suscepit naturam mortalem & passibilem, ut ipsam perduceret ad immortalitatem & impassibilitatem, Evs voluit fieri sicut Deus, quare postulabat satisfactio quod Deus vellet fieri sicut homo. *In habitu inventus est ut homo.* Itaque Deus factus est homo ut satisfaceret pro peccato Adæ & Evæ, quo non solum ipsi sed etiam tota natura humana corrupta erat & privata gloria, pro quo non debebat angelus satisfacere, quia non peccaverat: homo vero quia peccator erat non poterat. Vel potius sic: In nullo angelo & in nullo homine puro tanta bonitas invenitur quanta erat in tota natura humana, quia bonitas unius hominis vel unius angeli finita est. Bonitas vero naturæ humanæ respectu subiectorum est quasi infinita. Unde congruum fuit quod Deus fieret homo cuius bonitas præponderet bonitati totius naturæ humanæ & sacrificaretur pro peccato primo. Hæc incarnatio facta est mense Martio quo mundus factus est, & feria sexta, qua homo factus est, ad ostendendum, quod veniebat mundum & hominem redimere.

Ioan 12. Ephes. 1. Christus quare venit ad nos in mundum. Genes. 3.

C

Philip. 2. Angelus pro peccato humani generis satisfacere non potuit.

D

Angeli annunciatio qui tempore facta.

Quare post peccatum tardavit usque ad ultimam ætatem venire? Respondet August. dicens, quod ideo factum est ut homo qui peccaverat per superbiam, cognosceret suum defectum & sic humiliaretur. Cognovit autem quod tempore legis naturalis salvari non potuit, nec tempore legis scriptæ, quare post hæc tempora filius Dei venit in mundum, ut sic homo humiliatus in solo Deo incarnato spem salutis suæ poneret.

Spes salutis nostræ Christus.

Natus est Christus in mense Decembri tempore hyemis, ad ostendendum quod veniebat calefacere frigidos, ut amore æternitatis ardeant, & ipsum solum pro eis natum tota cordis dilectione iugiter concupiscant. Natus est nocte, ad ostendendum quod venit tenebras effugere & lumine sui amoris mentes nostras clarescere. Unde Psalm. *Exortum est in tenebris lumen rectis.* unde & nos debemus vitiis surgere & lumen nobis ortum toto desiderio nostro haurire. Alioquin lumen illud videre non possumus, quia à tenebris culpæ descendere non curamus. Unde Isa. *Surge illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum.* Natus est die Dominica (ut dicunt sancti) qua die Deus fecit cœlum & terram ac lucem, & qua pluit manna filiis Israël in deserto. Natus est Christus ad docendum indoctos, ad iustificandum iniustos, ad redimendum captivos.

Natus est Christus in hyeme & nocte. Psal. 111.

E

Isaia. 60. Dominica natus est Christus.

Iacobus maior: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.*] Crucifixus, id est, cruci affixus, quod erat vilissimum genus tormentorum. Ioan. 19. *Tunc tradidit Pilatus Iesum illis ut crucifigeretur.* Psalm. *Foderunt manus meas & pedes meos.* Clavis cruci fuit affixus in manibus, & in pedibus, ut peccatum Adæ deleret, quod habuit eundo ad arborem causa comedendi: & sub Pontio Pilato, qui erat vilissimus peccator. Passus est etiam in manibus, contra peccatum Adæ quod fecit extendendo manus ad pomum vetitum. Contra autem delectationem quam habuit Adam in gustando, potatus est Christus felle & aceto & vino myrrhato.

Psal. 21.

F

Cruci affigi voluit, ut sicut diabolus vicerat per ligni fructum: sic per crucifixionem factam in cruce vinceretur, ut ait Gregorius in præfatione. Crucifixus hora sexta, qua hora Adam gustaverat de pomo. Fuit autem in cruce tribus horis cruciatus, scil. ab hora tertia usque ad horam nonam, contra triplex peccatum Adæ, voluntatis, & operis, & excusationis. Deinde mortuus est, id est privatus naturali vita per separationem animæ à corpore: & sepultus scilicet, in hora vespertina. Matthæus: *Cum autem sero factum esset, &c.* In quo patet, quod fuit in cruce ab hora sexta, usque ad horam serotinam. Mortuus ab hora nona, quem Ioseph ab Aramathia sepelivit, qui erat nobilis decurio, & unus de ordine curiæ. Ioann. *Rogavit Pilatum Ioseph, ut tolleret corpus Iesu, & involuit in syndone munda, & cum aromatibus myrrha & aloes*, quibus arcentur vermes ne contingerent corpus Iesu: sicut est Iudæis mos sepelire. *Et posuit illud in monumento suo novo quod exciderat in petra.* Isaias dicit: *Erit sepulchrum eius gloriosum*, quia gloriose in eo resurrexit & clauso sepulchro exivit.

Tribus horis Christus in cruce torquebatur.

Matt. 27.

Ioan. 17.

G

Isai. 11.

Thomas: *Descendit ad inferna.*] Hic primo notandum est, secundum quid descendit ad inferos, quia secundum animam tamen coniunctam divinitati. Nam secundum divinitatem localiter non potest descendere, quia ubique est.

Secundo videndum est, quis sit ille infernus, ad quem descendit. Ad huius evidentiam notandum est, quod quadruplex est infernus. Primus est damnatorum, in quo sunt tenebræ corporales & carentia gloriæ & gratiæ & pœna sensibilis, propter peccatum actuale & mortale. Secundus infernus supra istum in quo sunt tenebræ & carentia gloriæ & gratiæ: sed non est ibi pœna sensibilis, qui dicitur limbus puerorum non baptizatorum in peccato originali mortuorum. Tertius infernus supra hunc est, in quo sunt tenebræ & carentia gloriæ & pœna sensibilis pro peccato veniali: sed non carentia gratiæ, quia habent gratiam qua liberabuntur à pœnis, & perducentur ad visionem Dei: qui dicitur locus purgatorius.

Quadruplex est infernus.

H

Quartus infernus supra istum est, in quo sunt tenebræ & carentia divinæ visionis, sed non pœna sensibilis, & est ibi gratia, & huiusmodi infernus seu limbus sanctorum patrum dicitur. Ad hunc locum Christus descendit, neque vero passus est tenebras, imo totum locum illum illuminavit. Unde Damascenus: *Descendit ad infernum anima deificata, ut quemadmodum his qui in terra sunt, ortus est sol iustitiæ: ita his qui in inferno sedent, in tenebris superluceat.* Ambrosius dicit: *quod in inferno fulgebat lumen æternæ vitæ.* In inferno igitur damnatorum pro peccato actuali Christus non fuit, quia ut ipse dicit: *Inter vos & nos Chaos magnum statutum est, &c.* Sicut enim cœlum Empyreum

Damasc. Ps. 111. Ambr. Luc. 16. In inferno nulla redemptio.

est

est locus gloriæ; ita infernus est locus æternæ pœnæ. Sicut ergo damnatus non potest ascendere cœlum empyreum, ita nullus salvatus potest descendere in locum damnatorum, ergo neque Christus. Ad secundum infernum similiter Christus non descendit, quia dum peccatum originale haberent, & gratia carerent, non debebant educi loco illo ad locum gloriæ, quia descendenti sine gratia non potest dari gratia. Ad tertium infernum etiam non descendit, quia dignos pœna sensibili ad tempus & carentia divinæ visionis, ad tempus voluit ibi detineri: quos purgatos quotidie ad cœlum suscipit. Solum ergo ut dictum est, descendit ad infernum patrum, ibique moram fecit quantum ei placuit. Voluit autem Christus diu manere mortuus, ut veritas mortis ostenderetur. Claustra inferni destruxit, potentias diaboli subvertit. Apostolus: *Spoliavit principatus & potestates dæmonum, triumphans eos in semetipso, bonos omnes ad se traxit.* Vnde ait per Oseam: *O mors ero mors tua, & morsus tuus ero inferne.* Qui mordet aliquid, partem accipit, & partem relinquit; ita momordit infernum, bonos inde secum assumens, malos ibi relinquens. Eduxit illos de locis tenebrarum ad locum lucis, in quo vident Deum. Post illud tempus nulla anima fuit ibi, nec est, nec erit in æternum. (*Tertia die resurrexit à mortuis.*) Resurrectio ejus est animæ factæ impassibilis ad corpus incorruptibile iterata unio. Non exspectavit resurgere cum aliis in ultimo die, ne crederetur penitus extinctus. Et etiam, quia omnes simul resurgent, quia omnes simul in Adam peccaverunt, & fuerunt debitores mortis: Christus autem non fuit debitor mortis, ergo non debuit differre usque ad finem resurrectionem suam. Cito itaque resurrexit, ut daret nobis exemplar nostræ resurrectionis.

Quare Christus diu mansit mortuus. Coloss. 2. — Exemplum pulcherrimum. — Zach. 9. Nulla anima erit in limbo patrum. — Quare Christus tam cito resurrexit. 1. Cor. 15. Rom. 6.

Iacobus minor: (*Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.*) Vnde Marc. *Assumptus est in cœlum & sedet ad dexteram Dei.* Et Luc. *Elevatis manibus ferebatur in cœlum.* Apostolus: *Ascendit super omnes cœlos, ut adimpleret omnia*; & ita ascendit supra cœlum aëreum, & supra sidereum, & supra aqueum, & supra empyreum: non quod sit extra empyreum cœlum vel supra, quia ibi nullus locus, sed est in digniore parte & altiori cœli empyrei supra Angelos. Vnde dicitur: *Ascendens Christus in altum captivam duxit captivitatem*, illos s. patres qui captivi detinebantur in inferno, *quos educens de inferno hac die duxit in cœlum.*

Mar. 16. Act. 1. Eph. 4. — Nihil est supra empyreum cœlum. Eph. 4. Psal. 67.

Philippus: (*Inde venturus est judicare vivos & mortuos.*) Circa istum articulum plura sunt videnda. Primo de ipso judicio, secundo de judice, tertio de judicandis, quarto de forma judicis, quinto de loco judicij & signis præcedentibus judicium, sexto de igne præcedente diem judicij.

Circa judicium sciendum est, quod fiet generale judicium omnium post resurrectionem omnium, juxta illud Ioann. Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem ejus & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicij. Quod quidem verum est: & hoc, ut omnes præmientur vel puniantur secundum merita sua in anima & corpore. Vnde Psalm. *Ipse judicabit orbem terræ in æquitate.* Et Matth. *Filius hominis venturus est in gloria patris sui, & tunc reddet unicuique secundum opera sua.* Illi enim qui fecit majus peccatum reddet & majorem pœnam, quam illi qui fecit minorem culpam. Matth. *Tyro & Sidoni remissius erit quam tibi.* Similiter illi qui fecit majora opera, plus retribuet. 2. Corinth. 9. *Qui parce seminat, parce & metet.* Quanto vero quis in amore Christi in hoc præsenti sæculo jucundior & ferventior fuerit, tanto in resurrectione imò & sine fine gloriosior & sublimior erit. Sic enim Christus unumquemque hominem ponet in fine quem meruit: licet autem Deus particulariter judicet in morte sua de quolibet, bonæ animæ dando gloriam, malæ pœnam: tamen omnes similiter in fine judicabit, ut sicut peccaverunt in anima & corpore, ita & in utroque puniantur: nec punit Deus bis in idipsum, sed quod insufficienter punitum erat post mortem, sufficienter punietur post resurrectionem.

Ioan. 5. — Psal. 66. Mat. 16. Rom. 2. — Mat. 11. — Deus non punit bis in idipsum judicando homines in morte eorum & in judicio.

Secundo dicendum, quod discernentur merita bona & mala, & dabitur sententia. Vnde Matth. *Tunc dicet his qui à dextris erunt: Venite benedicti patris mei, &c. Esurivi & dedistis mihi, &c. Postea dicet his qui à sinistris ejus erunt: Discedite à me maligni in ignem æternum. Esurivi, & non dedistis mihi manducare.* Si ergo in æterna damnatione dolebit, qui Christum esurientem non pavit vel nudum non vestivit: quanto putas tormento cruciabitur, qui Christo cibum abstulit, aut vestitum spoliavit? quod faciunt illi qui aliena bona diripiunt, & pauperes spoliare non formidant.

Mat. 25. — Attendant avari usurarij fratres, &c.

Tertio sciendum est, quod judicium illud fiet anno incerto, die incerto omni creaturæ. Matth. *De die illo nemo scit neque Angelus*: Ideo ait Apostolus: *Dies Domini veniet sicut fur in nocte*, id est, occulte & ex inasperato.

Mat. 24. Mar. 13. 1. Thess. 5.

Quædam tamen signa præcedent ante adventum Domini, ut est obscuratio luminarium, adventus Antichristi, & prædicatio Heliæ & Enoch, non tamen ostendit certitudinem judicij vel certam horam. Vnde ipse ait discipulis: *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate.* Ideo dicit: *Vos estote parati, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit.*

Quarto sciendum est, quod illud judicium fiet, ut nonnulli putant, in die hora prima. Vnde dicitur: *Mane judicium suum dabit in luce.* Psalmista: *Deus manifeste veniet Deus noster, & non silebit.* Et iterum: *Iudicium tuum tanquam meridiem.*

Act. 1. Mat. 25. Luc. 12. Soph. 3. Psal. 49. Psal. 36. Psal. 37.

Quinto, quia erit terribile malis & delectabile bonis. Psal. *Sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei, & justi epulentur & exultent in conspectu Dei.*

Sexto sciendum est, quod sententia illa quæ tunc dabitur, æterna est, & sic irrevocabilis.

Iam de Iudice dicendum est: Et est sciendum, quod ille Iudex est æternus Deus. Psalm. *Deus judex justus fortis*: tamen dicitur de Christo filio Dei, quod ipse venturus est de cœlo empyreo in aërem super vallem Iosaphat ad judicandum. Quod dicitur, quia Trinitas personarum & deitas non apparebit bonis & malis, sed solus Christus in forma humana. Ioann. 5. *Omne judicium dedit filio, ut honorificent filium, sicut honorificant patrem.* Apost. *Omnes oportet astare ante tribunal Christi, ut referant propria corporis quæ gesserint*: ergo pueri baptizati vel non baptizati, cum nulla merita bona vel mala gesserint, quæ debent discerni, non oportet eos astare ante tribunal Christi.

Iudex futurus quis sit. Psal. 7. Boni & mali Christum in judicio videbunt. 2. Cor. 5. — An pueri in judicio erunt.

Ad quod respondendum est, quod hujusmodi pueri discedentes intererunt judicio, non ut judicentur judicio discussionis, sed ut videant gloriam judicis recipientes præmia secundum statum suum.

Christus judicabit in forma humana, secundum quam ab hominibus videbitur. Secundum vero formam divinam non judicabit eo modo quod forma divinitatis videatur à malis, quia videri non potest divinitas sine gloria, cum ipsa sit summa veritas & summa bonitas. Damnati autem cum sint separati à beatitudine & gaudio, eam videre non poterunt. Præterea soli *mundi corde Deum videbunt*, cum damnandi sint penitus immundi, nequaquam Deum videre possunt. Quia si viderent Deum, procul dubio illorum tristitia tolleretur & æternum gaudium daretur: quod nullo modo credendum est, quia esset contra justitiam Dei Ioan. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum-Christum.*

Mali divinitatem videre non possunt. — Mat. 5. — Ioan. 17.

Vtrum autem Christus judicabit in forma humana gloriosa vel non, aliqui dubitant, quia dicitur apud Ioan. *Videbunt in quem transfixerunt*, sed transfixerunt

Ioan. 19.

A

cum in forma infirma, ergo, &c. Præterea Matth. 24. *Apparebit signum filij hominis in cœlo*, id est, signum crucis. Vnde dicitur quod Christus veniens cicatrices & mortem exprobratissimam ostendet: ergo vt prius. Item glossa super Ioan. In ea forma qua injuste judicatus est, juste judicabit, vt possit à malis videri.

In qua forma Christus apparebit. Matt. 23.

Sed contra Luc. 21. *Tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna & maiestate.* Hæc duo ad gloriam pertinent, ergo veniet in forma gloriosa. Ideo Symbolum Missæ dicit: *Inde venturus est cum gloria judicare.* Præterea non habet nisi formam gloriosam, ergo, &c. Præterea in primo adventu judicatus est in forma infirma, ergo in secundo adventu veniet judicare in forma gloriosa. Præterea ille qui judicat, debet eminere illis qui judicantur: sed electi qui tunc judicabuntur, habebunt corpora gloriosa: ergo multo fortius judex, quod putamus esse verum.

Zach. 12.

Ad objectum respondemus, quod *videbunt in quem transfixerunt*, sed non tali modo. In eadem enim carne apparebit, sed non similiter se habente.

B

Ad secundum dicendum, quod in judicio apparebit signum crucis, non ad judicium infirmitatis casti&tus, sed præteritæ, vt ostendat malis quanta passus fuit pro eis, vt ingrati amplius confundantur & distinctius judicentur.

Ad tertium dicimus, quod Christus in forma humana glorificata videbitur à bonis, vt gaudeant: & à malis, vt doleant: deitatem tamen non videbunt, quoniam in Christo gaudere non poterunt, quem diligere noluerunt. Erit itaque illa visio reprobis valde pœnalis, quoniam Christum iratum eis videbunt & vindicantem, quod est pœna incompatibilis, creaturam à conditore despici, & ab ejus amore sine fine sequestrari. Dolebunt mali, quia in æternum meruerant. Sed multo magis quia beneplacitum creatoris perenniter amiserunt. Heu dolor inexcogitabilis, in summa necessitate ab illo qui solus salvare potest, deseri, & solis inimici cruciatibus deputari. Heu miseria. Multo tolerabilius esset jam in æternis ignibus vrere, quam illos Christi præclaros & amabiles oculos nobis iratos & avertentes semel videre.

A conditore separari dolor est ineffabilis.

C

Christus malos in suo aspectu.

Sicut regi amicus gaudet de bono amici, & inimicus tristatur: ita boni gaudebunt in visione corporis Christi glorificati, mali vero contristabuntur. Congregabo omnes, & adducam eos in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis Ioan. 3. Et Actuum 1. dicitur Apostolis: *Hic I e s v s qui assumptus est à vobis in cœlum; sic veniet quemadmodum vidistis eum ascendentem in cœlum.* Sed ipse ascendit de Monte Oliveti, qui præeminet valli Iosaphat: ergo circa loca illa veniet ad judicium, quod putamus esse verum.

Iudicium universale plura signa præcedet. Ioh 2. Mat. 13.

Illud judicium præcedent plura signa in cœlo & in terra, in aqua & in hominibus. In cœlo obscuratio luminarium. Rabanus super Matth. dicit: *Nihil prohibet intelligere tunc temporis veniente Domino Solem & Lunam cum cæteris sideribus suo lumine privari.* Sicut constat esse factum tempore Passionis.

De signis aquæ dicitur Luc. 21. *In terris erat pressura gentium præ confusione sonitus aquarum.* In terra erunt plures terræmotus, quam vnquam fuerunt. In hominibus erunt signa plura. Veniet primo Elias Thesbites & Enoch de Paradiso terrestri in Ierusalem ad prædicandum fidem Christi, & tunc Iudæi convertentur. Tunc veniet Antichristus de Babylone in Ierusalem docens contrarium prædicationi illorum, & multos pervertet falsis doctrinis & mirabilibus operibus ac persecutione, qui occidet Eliam & Enoch, & illum occidet Michael. Ista signa præcedent ad ostendendam authoritatem & dignitatem Christi venientis ad judicium: ad quæ signa boni timebunt, vt dicit Luc. *Arescentibus hominibus præ timore*, mali autem non timebunt propter signa. Vel potest dici, quod erunt

D

Elias & Enoch veniet de paradiso terrestri in Ierusalem. Malac. 4. Tribus pervertet antichristus gentes. Luc. 21.

securi sua reputatione, antequam signa appareant. Ignis etiam judicium præcedet. Psalm. *Ignis in conspectu eius exardescet.* Et iterum. *Ignis ante præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius.* Quantum aqua diluvij ascendit, tantum ascendet ignis, hoc est, 40. cubitis supra altitudinem montium.

E

Psal. 49. Psal. 96. 2. Petr. 3.

Bartholomæus, *(Credo in Spiritum sanctum,)* id est, credo Spiritum sanctum esse æternam personam in Trinitate personatum, & ita ipsum esse Deum cum Patre & Filio, & per amorem tendo in eum, sicut in patrem & filium, quæ tres personæ sunt vnum in essentia sive in divinitate. Credimus etiam Spiritum sanctum vivificantem, quia vitam naturæ tribuit, vitam gratiæ, vitam gloriæ tribuit omnibus viventibus prædictis modis vivendi. Ioan. 6. *Spiritus est qui vivificat.* Pater dicitur illa persona quæ generat de sua substantia filium sibi similem in natura. Filius dicitur illa persona quæ est genita à patre suo similis patri & consubstantialis ei, Spiritus sanctus dicitur illa persona quæ spiratur habens eandem personarum naturam. Pater generans filium non solum dedit ei quod esset filius, sed vt esset Deus, dans ei substantiam suam sive essentiam sive naturam non partem sed totam, quia non habet partem. Similiter pater & filius spirantes spiritum sanctum dederunt ei totam essentiam: & ita est Deus æqualis patri & filio.

Deus in personis trinus in essentia vnus.

F

Matth. *(Sanctam Ecclesiam Catholicam.)* Et est sensus: Credo in Spiritum sanctum sanctificantem vniversalem Ecclesiam: Ecclesiam, id est, congregationem fidelium Catholicam, id est, vniversalem. Sanctam esse positione virtutum & remotione omnium vitiorum.

Ecclesia dicitur multis modis. Osee 2. 1. Cor. 3. 1. Cor. 15.

Ecclesia dicitur sponsa Cristi. Oseæ 2. *Sponsabo te mihi in sempiternum.* Est etiam domus Dei, cujus fundamentum est Christus. Ecclesia est regnum Christi, & Christus est rex: quicunque ergo turbat regnum turbat & regem.

Præterea Christus est caput Ecclesiæ & Ecclesia membra ejus & corpus, qui læditur in aliquo membro angustat caput, vnde infideles qui verbis impugnant Ecclesiam & peccatores qui malis factis corrumpunt Ecclesiam quantum est in eis & tyranni qui persequuntur & affligunt Ecclesiam Dei, persequuntur & affligunt Christum.

Christus Ecclesiæ caput. Ephe. 5. Cor. 5.

G

Sanctorũ communio quæ sit. 1. Cor. 12.

Simon Chananæus: (Sanctorum communionem, remissionem peccatorum.) Sanctorum communio multiplex est. Prima est Sacramentorum Ecclesiæ. Secunda est gratiarum & virtutum. Tertia est communio doctrinæ. Sap. 6. *Quam sine fictione didici, & sine invidia communico.* Quarta est compassionis, omnes enim sancti in hac vita aut patiuntur, aut aliis patientibus compatiuntur, de qua Apostolus: *Benefecistis communicantes tribulationi meæ.* Quinta est pietatis & charitatis, qua *communicat bona temporalia indigentibus* à se subtrahendo superflua aliisque tribuendo necessaria. Sexta est meritorum, de qua Psalm. *Particeps ego sum timentium te & custodientium mandata tua.* Ecclesia est vnum corpus Christi, propter quod vnus cibus toti corpori prodest. Quilibet sanctorum habet de lucro alterius. Communio est etiam præmiorum in cœlo, quia beati communicant beatitudinem aliorum in Christo.

Rom. 12. Heb. 13. 1. Ioh. 3.

Psal. 118.

Quilibet sanctorũ habet de lucro alterius.

H

In Ecclesia fit remissio peccatorum & non extra eam. In pœnitentia autem remittitur peccatum, videlicet contritione, confessione, satisfactione. In contritione remittitur peccatum, quia contritio est dolor de peccato cum gratia. Ratione gratiæ deletur peccatum, vnde vere pœnitens vel hic punitur vel in purgatorio. Sed si quæratur quomodo potest ignis agere in animam cum sit corporeus & anima spiritus? Ad hoc dici potest quod ignis ille enim contineat animam, agit in eam voluntate Dei, vt instrumentum divinæ justitiæ, vt sicut anima peccando subdidit se creaturis sic in pœna subdatur igni quæ est creatura Dei.

Cõtritio quid sit. Anima cum sit spiritus quomodo ardet.

Iudaa

Iudas Thadæus: *Carnis resurrectionem.* Nomine carnis intelligitur corpus humanum scilicet caro, ossa, nervi, cartilagines & omnia quæ sunt de perfectione corporis humani. Circa quam resurrectionem notanda sunt plura. Primo quod *omnes resurgent qui fuerunt à principio mundi & erunt usque ad finem* eius, scilicet tam boni quam mali. Secundo quod *idem homines qui vixerunt & mortui sunt resurgent.* Tertio quod resurgent sine diminutione alicuius membri, scilic. integri. Qua ætate resurgent, qualiter corpora habebunt communiter. Quarto quod Deus est causa rei. Et de tempore quo fiet resurrectio.

De primo dicendum, quod omnes resurgent & primo quod boni. Dicit enim Iob. *Scio quod redemptor meus vivit & rursum circumdabor pelle mea & in carne mea videbo Deum.*

Secundo, membra debent esse conformata corpori: sed Christus est caput corporis Ecclesiæ: & *caput resurrexit, ergo & membra resurgent.*

Tertio: Anima meruit in corpore: ergo debet præmiari in corpore: sed non præmiatur in hac vita, imo *affligitur & malus prosperatur*: ergo in alia vita: sed hoc non potest fieri nisi homo resurgat.

Quarto: Quædam sunt opera coniuncta, ut tribulationes pati, martyrizari, ieiunare, eleemosynas dare, libros componere: sed talibus operibus debetur merces: ergo oportet ut homo compositus ex anima & corpore qui ista tulit & fecit, resurgat ad recipiendum mercedem. Alioquin frustra laboraret corpus, quod ubique affligitur, & nusquam prosperaretur: quia vivens in mundo despicitur; in sepulchro à vermibus corroditur.

Quinto, Anima de natura tristatur in separatione sua à corpore, ergo gaudebit in sua coniunctione ad corpus. Igitur cum hoc appetat nisi hoc fieret, nunquam esset plene beata, eo quod suo amato naturali careret, quod non vult Deus: ergo ut habeat bonum & quietum ac perfectum statum, oportet corpori reformari & uniri.

Sexto: Mors est introducta per peccatum, sed Christus venit mortem expellere & vitam inducere ac restaurare hominem ad priorem statum, imo ad meliorem: ergo oportet ut resurgant boni ad gloriam percipiendam. Quod & omnes mali resurgant, ostenditur. Nam veritas ait: Ioan. 5. *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei*: sed in monumentis sunt corpora malorum, sicut & bonorum: & omnes audient vocem filij Dei: & qui audierint vivent: ergo omnes resurgent. Apostolus: *Omnes resurgemus, sed non omnes immutabimur*, sed solum boni: ergo boni & mali resurgent, sed mali non mutabuntur mutatione gloriosa. Nec solum illi qui gesserunt bona vel mala resurgent, sed etiam parvuli non baptizati, ut pro peccato contracto puniantur pœna damni: & baptizati ut salventur gratia Christi. Ex prædictis patet, quod omnes filij Adæ morientur priusquam resurgant: & non solum morientur, sed etiam eorum corpora resolventur in terram aut in cinerem, secundum illud: *Cinis es, & in cinerem reverteris.* In die vero iudicij reformabuntur. Unde Augustin. in Ezech. *Non peribit Deo terrena materies, de qua mortalium caro creatur: sed in quemlibet pulverem aut cinerem resolvatur, in quoslibet halitus aurasque diffugiet, in quamcunque aliorum corporum substantiam, vel in ipsa elementa vertatur: in quorumcunque animalium vel hominum cibum cedat in carnemque vertatur, illi animæ in puncto temporis redit, quæ illam primitus ut homo fieret, cresceret, viveret, animavit.*

Similiter est dicendum de animabus, quod ubicunque fuerint, sive in inferno damnatorum, sive in limbo puerorum, sive in purgatorio, sive in cœlo, propriis corporibus unientur: ut in eis & cum eis recipiant gaudia vel tormenta.

In novissimo die de terra surrecturus sum & in carne mea videbo Deum salvatorem meum. Et loquitur de visione Dei post resurrectionem.

Item Damascenus: Resurrectio est eius qui cecidit, iterata surrectio: sed hoc corpus quod homo gerit in vita, cadit in morte: ergo resurget. Dubium finit Iob dicens: *Quem visurus sum ego ipse & non alius*, ostendens aperte quod idem homo numero resurget.

Item August. *Resurgere nihil aliud est, quam reviviscere.* Reviviscere est iterum vivere: ergo idem homo qui vixit & postea mortuus est, reviviscet.

Secundo: Si anima assumeret aliud corpus quam prius habuit, non diceretur resurrectio, sed novi corporis assumptio.

Tertio: Si eidem corpori alia anima coniungeretur, nec esset resurrectio, sed novæ animæ receptio, tunc anima non remuneraretur cum corpore suo, nec corpus cum anima sua: quod non patitur iustitia Dei. Cum ergo eadem anima numero eidem corpori numero coniungenda sit, idem homo numero resurget, quod verum est; imo & probabile, quod omne resolutum ex ossibus redibit ad ossa, & omne resolutum ex carne redibit ad carnem, & singula ad partes suas, & ad membra sua, & ad sensus suos in resurrectione: ut sic quodlibet membrum recipiat mercedem, quam meruit serviendo vitio vel virtuti. Item ait Apostolus: *Mortui resurgent incorrupti.* Glossa, id est, sine diminutione membrorum; per quod patet quod omnia membra quæ naturaliter fuerunt in humano corpore, resurgent, unde apud Lucam Christus dicit: *Capillus de capite vestro non peribit.* Item ait Apostolus; *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*: sed Christus resurrexit in ætate iuvenili, quando fuerat 32. annorum & trium mensium secundum August. ergo omnes homines resurgent in simili ætate: & hoc erit quia illa ætas fortis erat, robusta, pulchra, & decora ac perfecta, quia tunc cessat motus augmenti, quæ omnia conveniunt corpori resuscitato. Non tamen resurgent omnes in mensura corporis Christi sive staturæ, sed in mensura & statura propria, quam habuit in iuventute, etiamsi senex obiit, vel fuerat habiturus, si ante defunctus erit. Sicut enim naturaliter nunc homo est maior alio, ita & in resurrectione, quia in ea non variatur naturalis quantitas individui. Si enim aliquis habet magnum nasum & sic de aliis ex superfluitate naturæ; vel fuerit minus ex defectu naturæ, Deus subtrahet superfluum & supplebit defectum.

Sed quando resurrectio fiet? dicendum est, quod & erit postquam mundus purgatur per ignem & cessat motus cœli. Unde Iob. 14. *Homo cum dormierit non resurget, donec atteratur cœlum*: sed attereretur cœlum, quando cessabit motus eius voluntate divina. Tunc etiam omnia viventia morientur, sicut cessante motu cordis moritur homo, & tunc fiet resurrectio omnium simul, exceptis illis qui privilegio ante resurrexerant, quod fiet ut maius sit gaudium, quam si particulariter & divisi resurgerent. Sed pro certo nescitur, an die aut nocte futura sit resurrectio. Quibusdam videtur, quod fiet nocte. Unde in Matth. *Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Christus etiam nocte natus est; & sicut nocte venit in mundum, ita eadem hora putant quod veniet ad iudicandum. Aliis videtur, quod fiet die, unde Iob: *In novissimo die de terra, &c.* & Soph. 1. *Dies illa dies iræ*, &c. Et apud Ioan. *Scio quod resurget in resurrectione in novissimo die.* Quibusdam videtur, quod resurrectio fiet diluculo, sicut Christus diluculo surrexit. Unde ait: *Surgam diluculo*, sole existente in oriente & luna in occidente, verbi creata fuerunt. Hi dicunt quod Christus dicitur venturus de nocte non ratione temporis sed adventus Christi subiti & improvisi.

Dicitur venturus in die, quia splendore corporis sui glorificati aërem illuminabit, vel quia tunc omnia manifestabit.

1. Cor. 4.

Quædam vero fient in tempore, quædam in instanti. In tempore fiet collectio cinerum & adventus animarum ad propria corpora. Reformatio autem corporum & infusio animarum, *fiet in instanti*: & hoc fiet, quia à Deo, divina virtute & infinita quæ in instanti operatur. Ideo ait Apostolo: *Omnes resurgent in momento in ictu oculi, in novissima tuba*: quæ tria in tempore fiunt. Momentum enim est pars temporis, oculus icit in tempore, sonus tubæ fit in tempore, finito sono fiet resurrectio: sicut finitis verbis sacramentalibus fit sacramentum.

Resurrectionis causa Deus.
1. Thess. 4.

Causa efficiens resurrectionis hominum est Deus. Damascenus: *Credo resurrectionem fiendam divina voluntate & virtute & nutu.* Ad Thess. *Ipse Dominus in iussu & in voce archangeli & in tuba Dei descendet de cœlo & mortui qui in Christo sunt, resurgent primi.*

Qui in Christo sunt mortui resurgent primi. De sono tubæ.

Idem autem est iussus, vox archangeli & tuba Dei. Iussum appellat imperium, quo Christus in eo quod est Deus imperabit, dicens: *Surgite mortui, venite ad iudicium.* Et forte propter convenientiam ad usum tubæ in veteri testamento. Nam sono tubæ congregabantur ad concilium, commovebantur ad bellum, & vocabantur ad festum: ita resurgentes tuba Dei congregabuntur ad concilium generale. Commovebuntur ad bellum inevitabile, quia ut dicitur in libro Sapient. *Pugnabit orbis terrarum contra insensatos & vocabuntur*, scilicet, electi *ad festum iucunditatis æternæ.* Inde dicitur: *Beati qui ad nuptias agni vocati sunt.*

Sap. 5.
Apoc. 9.
Nunc sunt vocati boni & mali.

Nunc vocati sunt ad nuptias boni & mali, sed iam venire renuunt cum possunt, in ultimo iudicio volentes intrare non possunt. Quia tunc omnibus illis clausa est ianua regni cœlestis, qui dum in via sunt, ad amorem Christi nolunt aperire ianuam mentis. Illa vox appellatur *clamor* in Evangelio, & bene quia excitabit dormientes, id est, mortuos. Psalm. *Dabit voci suæ vocem virtutis.* Glossa: Vocem virtutis suscitandi mortuos, non quod vox suscitet, sed ille cuius est vox iudicabit, & ad adventum Christi citabit resurgentes.

Ioan. 6.
Matt. 25.
Psal. 67.

Matthias: *Et vitam æternam.*] id est, credo vitam æternam iam esse datam quibusdam, qui discesserunt in gratia Dei, & dandam aliis qui in gratia discedunt. Corpus mortuum resurget ad vitam immortalem, quæ omnibus erit, sed differenter. Nam salvati vivent in æternum beati. Damnati vero vivent in æternum maledicti & miseri, unde Matth. *Ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Heu quid cogitant carnales & terreni, qui dum se putant prosperari in vanis mundi gaudiis, ad tormenta descendunt infernalis ignis. Nonne melius foret parvo tempore voluntaria paupertate hic despici ut postea cum angelis æternaliter valeant gratulari, quam modicum carnalibus abundare deliciis & subito incendiis deputari æternis. Crede mihi carnalis amator, quia *dies venit in quo dicet, utinam consumptus essem, ne oculus me videret.* Cur exceptus genibus, lactatus uberibus, quid me ô mater genuisti filium perditionis & mortis, generatio mea ablata est & convoluta est à me. Iam dæmonibus deputatus sum per culpam, qui cum angelis lætari potuissem per gratiam, vita æterna est beata carens fine & miseria, omni dulcore & melodia plenissima sanctis hominibus parata.

1. Cor. 15.
Matt. 25.
Ioan. 5.
Iob 21.
1. Petr. 4.
Iob 10.
Damnatorũ cantus perpetuus quis sit.
Isa. 38.

Beatitudo hominis in corpore & anima erit.
Ephes. 2.

Beatitudo enim erit in corpore & anima ut totus homo sit beatus. In anima erit cognitio Dei, dilectio Dei, comprehensio Dei: ex quibus sequitur fruitio Dei. Corpori autem dabuntur quatuor ut sit beatum & gloriosum, scilicet claritas, impassibilitas, subtilitas, agilitas, duo debent addi, locus & societas, scilicet cœlum & consortium angelorum.

Quibus dabitur vita æterna.

Dabitur ergo vita æterna, Primo baptizatis in gratia baptismali decedentibus. Ioann. *Fuit in eo fons aquæ salientis in vitam æternam*, id est, facientibus salire.

Item fidelibus fidem cum operatione habentibus. Ioan. 3. *Ut omnis qui credit non pereat, sed habeat vitam æternam.* Item charitatem habentibus. Ioann. *Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quia diligimus fratres.* Item spiritualiter prudentibus. Apostolus: *Prudentia spiritus vita & pax.* Item patientibus tribulationes pro Deo & hanc præsentem vitam contemnentibus Ioann. 12. *Qui odit animam suam in hoc mundo in vitam æternam custodit eam.* Item pœnitentiam dignam agentibus. Matth. 7. *Arcta est via quæ ducit ad vitam*, quæ via est pœnitentia. Item veritatem prædicantibus & sequentibus: *Qui elucidant me, vitam æternam possidebunt.* Item pauperibus bonis. Ecclesi. 6. *Quid habet pauper nisi ut pergat ubi est vita?* Item mandata Dei observantibus. Matth. *Si vis ingredi ad vitam serva mandata.* Item Christum ardenter amantibus. Eccl. 4. *Qui tenuerit illam*, scilicet, sapientiam, *vitam hæreditabit.*

Ioan. 7.
Ioan 3.
1. Ioan. 3.
Rom. 8.
Ioan. 12.
Matth. 7.
Eccl. 24.
Matt. 19.

Symboli Apostolici cum enarratione D. Richardi Pampolitani eremitæ.

FINIS.

SYMBOLI

ATHANASII EXPOSITIO CLARISSIMA PER D. RICHARDUM Pampolitanum Eremitam.

Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem.] Hic beatus Athanasius liberum arbitrium posuit, sicut dicitur in Psalm. *Quis est homo qui vivit & non videbit mortem?* Et in Evangelio: *Qui vult venire post me, &c.* Similiter & hic. [*Quicunque vult salvus esse,*] Non dicit: Quicunque vult, salvus erit: sed quicunque vult salvus esse. Quia Deus omnipotens nullum hominem invitum aut coactum trahit ad fidem, nisi quis propria voluntate vult venire ad fidem: scilicet quicunque vult salvus esse in corpore vel anima, necesse est ut catholicam teneat fidem. Quia ante omnia opus est ex necessitate, ut fides præcedat ante omnem operationem vel inchoationem vel principium, unicuique opus est ut teneat catholicam fidem, dicente Apost. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Et iterum: *Iustus ex fide vivit.* Catholica Græca dictio est, latine interpretatur generalis, quæ pertinet ad omnes homines universaliter, quia per universum orbem diffusa est.

Psal. 88.
Matt. 16.
Deus neminẽ coget ad fidem.
Hebr. 11.
Abac. 2.
Quid sit fides Catholica.

Fides est credulitas, qua veraciter credimus id quod nequaquam videre valemus. Unde Apost. *Fides est substantia sperandarum rerum non apparentium.* Nam fides est quod fit inter Deum & hominem, quia fidem omnium virtutum fundamentum oportet tenere ante omnia, quia sine fide nullus potest salvus esse.

Fidei descriptio.
Hebr. 11.
Ioan. 3.

Hæc ratio fidei catholicæ traditur etiam in veteribus codicibus à beato Athanasio Alexandrino scripta, quia ideirco tam plane & brevi sermone tradita fuit, ut in omnibus catholicis & hymnis eruditis tutamen defensionis præstaret adversus illam tempestatem, quam ventus contrarius, hoc est diabolus concitavit, per

A quam tempestatem qui fugere desiderat, hanc fidei veritatem integre & inviolabiliter teneat.

Ita enim incipit ipsum opus, dicens: *Quicunque vult salvus esse, ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem.*] Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit. Quod dicitur in capite horum versuum, hoc repetitur in fine, nam hoc est in æternum perire quod non esse salvum, quod perire. Quam nisi quisque integram inviolatamque servare admonetur fidem. Ideo facit, quod nihil est de illa auferendum, nihilque mutandum. Sicut faciunt hæretica sacramenta fidei corrumpendo, propter quod ab Ecclesia repelluntur. Quam nisi quisque integram, id est, plenam & perfectam, ut eam non scindat per hæresim, neque ullo schismate corrumpat. Inviolatamque, id est, ut eam non violet male docendo atque prædicando. Et si eam non custodierit integram & inviolatam, absque dubio in æterna damnatione peribit. Fides autem catholica. Catholicum nomen Græcum est, interpretatur autem universalis; toto mundo diffusa est Ecclesia. In hac trinitate tanta est substantiæ unitas, ut æqualitatem teneat, pluralitatem non recipiat: tanta personarum distinctio, ut unione non permisceatur. Ita tota deitas sui perfectione æqualis est, ut exceptis vocabulis quæ proprietatem indicant personarum, quicquid de una prædixeris, de tribus dignissime potest intelligi & non magis fit in tribus quam in singulis, neque minus in singulis quam in tribus, velut si tribus hominibus dicas quod sint immortales: ego non intelligo plus posse vivere simul tres quam singulos, nec minus singulos quam totos tres, unde trium una est immortalitas. Aut si æqualiter sunt sapientes, non plus sapiunt simul quam singuli: sed tanta est in uno quoque sapientia, quanta in tribus. Fides autem Catholica. Nunc manifestat, quid est fides: Qualiter unusquisque credere debeat. Debemus credere Deum trinum & unum, unum in substantia & trinum in personis, neque propter trinitatem debemus dimittere unitatem, nec propter unitatem debemus dimittere trinitatem, ut ipsum quem colimus veneremur unum & trinum, unum propter unitatem substantiæ, trinum propter personarum vocabula, veneremur, id est, adoremus atque colamus.

Fides inviolata quæ sit. — B — *Deus trinus & unus.* — C

Neque confundentes personas neque substantiam separantes.] Confundere est commiscere, quia non debemus unam personam tantum credere: sicut Sabellius affirmabat, sed tres, id est, Patrem & Filium & Spiritum sanctum: nec substantiam separare: ut Arrius hæreticus affirmabat, dicens quod sicut erant tres personæ ita fuissent tres substantiæ. Patrem asserebat majorem filio, filium minorem patre, Spiritum sanctum ministrum eorum dicebat. Neque substantiam separantes. Substantia dicitur eo, quod ex semetipsa subsistat. Substantia vero commune est omnium rerum, quæ sunt, cœlum, luna & terra, arbores, homines etiam substantiæ dicuntur. Deus igitur substantia & summa substantiarum & prima & omnium substantiarum causa, quia omnium rerum creator est. Essentia proprie de Deo dicitur, quia semper est quod est, quia incommutabilis est.

Deus omnium rerum creator. — D

Alia est enim persona patris, alia filij, alia Spiritus sancti.] Alia est enim persona patris, hic contra Sabellium sunt personæ divisæ, qui asserit unam esse: quia pater in sua persona non est filius, sed tamen pater: nec filius in sua persona est pater; sed tamen filius, nec Spiritus sanctus in sua persona est pater, nec filius, sed tamen Spiritus sanctus ex utroque procedens [*& Patris & Filij & Spiritus sancti una est divinitas*] id est, una substantia [*æqualis gloria*] id est, coæqualis sine initio & fine [*coæterna maiestas*] id est, gloria & potestas. [*Qualis pater, talis filius, talis spiritus sanctus.*] quia sicut pater est æternus vel omnipotens seu invisibilis: similiter & filius & spiritus sanctus. [*Increatus pater.*] In, præpositio in hoc loco pro non, posita, [*increatus pater*] id est, non creatus, quia ipse est omnium factor & à nullo factus [*increatus filius*] non creatura sicut Arrius dicebat, quia omnia simul creavit cum patre, similiter [*& Spiritus sanctus. Immensus pater. Immensus filius, Immensus spiritus sanctus.*] Immensus quia eius magnitudinem vel quantitatem nullus mensurare potest, quia *cœlo est excelsior, terra profundior & latior mari.* Et est incircumscriptus, incorporeus, illocalis, ubique totus, & non est locus ubi non sit, sicut dicitur in Psalmo: Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero ad infernum, ades. *Et si ero ad extrema maris, ibi me dextera tua tenebit.* Ipse est intra omnia & non conclusus, extra omnia & non exclusus. Similiter & filius, qui attingit à fine usque ad finem fortiter, de quo scriptum est: verbo Domini cœli firmati sunt: pari modo & spiritus sanctus, unde: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum* [*Æternus pater, æternus filius, æternus spiritus sanctus*] hic æternus pro sempiterno debemus intelligere. Æternus dicitur Deus pater qui sine initio & sine fine constat. Similiter & filius & spiritus sanctus, quia sicut nunquam non pater: ita nunquam non filius ac spiritus sanctus. [*Et tamen non tres æterni, sed unus æternus.*] Ista nomina patris & filij & spiritus sancti, sæpe dicimus, relativa sunt, quia alia ad alia referuntur, verbi gratia: Servus ad Dominum, Dominus ad servum, Magister ad discipulum, discipulus ad Magistrum, pater ad filium, quia nullus pater dicitur nisi habeat filium, nullus filius nisi habeat patrem, cum sit filius. Similiter spiritus sanctus, non autem à se, sed alicuius spiritus est. Similiter relative dicitur spiritus sanctus, donatorem dicu esse patrem donum, donum vero spiritum. [*Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus & unus immensus*] id est Deus in substantia. [*Similiter omnipotens pater, omnipotens filius, omnipotens spiritus sanctus.*] omnipotens dicitur quia omnia potest, scilicet aut non faciendo quod non vult, aut faciendo omnia quæcunque vult & nihil illi impossibile est, omnipotens filius, quia quicquid potest pater & filius nihilominus & spiritus sanctus. Et tamen non tres omnipotentes, sed unus omnipotens, [*ita Deus pater, Deus filius, Deus spiritus sanctus.*] Deus proprium nomen trinitatis est pertinens ad patrem & ad filium & ad spiritum sanctum, translatum ex græca appellatione. Nam Deus, græce theos dicitur. Pater proprium nomen est patris. Pater quia solus filius est a solo patre. Et proprium nomen est spiritus sanctus, spiritus sanctus quia solus ab utroque procedit. Dominus est pater, quia ipse est fons & origo deitatis. Similiter filius Dominus, hoc non à semetipso quia non est à se, sed à solo patre est genitus. Pari modo spiritus sanctus non à se est Dominus, sed à patre & filio procedens: & tamen sicut scriptum est: *Non tres dij sed unus est*: Unde dicitur: *Audi Israel Dominus Deus tuus Deus unus est.* [*Et tamen non tres dij sed unus est Deus. Ita Dominus pater, Dominus filius, Dominus spiritus sanctus.*] Dominus dicitur à dominatione, eo quod in creaturam suam dominetur & regat eam atque gubernet. Similiter & filius & spiritus sanctus. De patre si quis interrogaverit, quid est in persona? Responde Deus & Dominus. Si autem de filio similiter: Dominus & Deus. Si vero de spiritu sancto, indubitanter responde, plenum Deum & Dominum esse eum. [*Et tamen non tres Domini, sed unus est Dominus.*] id est, in substantia. [*Quia sicut singillatim Deum aut Dominum confiteri Christiana veritate compellimur: ita tres deos aut dominos dicere, catholica religione prohibemur. Pater à nullo est factus*] quia ipse omnium factor est [*nec creatus*] sed creator [*nec genitus*] sed genitor. Pater enim græce latine dicitur genitor. *Filius à patre solo est non factus*] quia ipse omnium factor simul cum patre [*nec creatus*] quia ipse est omnium creator [*sed genitus*] solus à patre. Et unaquæque persona habet proprium, quod non habet alia. Proprium habet in persona pater, quia solus est pater. Et proprium

Ioan. 1. Psal. 32. Ps. 144. Ps. 138. Deus est ubique. Psal. 32. Sap. 1. — F — *Spiritus sanctus donum nes dicitur.* — G — H — *Ioan. 1. Filius omnium factor simul cum patre.*

habet in persona filius, quia solus à solo patre genitus est. Sed & habet aliquod proprium filius, quod non habet pater nec spiritus sanctus. Habet filius æternitatem cum patre & spiritu sancto. & habet in tempore nativitatem de matre, quam non habet spiritus sanctus, nec pater, quia non suscepit in sua persona pater carnem, nec spiritus sanctus, sed tantum filius, ut nobis in se ostenderet duas habere naturas, unam ante omnia sæcula qua genitus est ex patre, de qua dicit Isaias: *Generationes eius quis enarrabit?* Alteram in tempore, qua natus est ex matre, de qua dicit Apostolus Paulus: *Cum autem venerit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* In quo placuit plenitudinem divinitatis habitare corporaliter, & de patre sine initio & sine fine. De matre initium habens & nullo concluditur fine. [*Spiritus sanctus à patre & filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.*] Proprium habet spiritus quod non habet pater & filius, spiritus sanctus enim procedit à patre & filio. Audi, quia isti ambo, videlicet simul ab uno. Pater à nullo alio. Per hoc aperte demonstrantur eorum proprietates. Ideo igitur spiritus Dei sanctus vocatur, quia patris & filij sanctitas est. Nam etiam cum sit pater spiritus & filius spiritus, & pater sanctus & filius sanctus, proprie tamen ipse vocatur spiritus sanctus. [*Unus ergo pater non tres patres*] quia filius sibi unicum genuit filium [*& unus filius non tres fil*.] quia singulariter ab unico patre genitus est unus filius non tres filij. [*Unus spiritus sanctus.*] quia à patre filioque unicus procedit [*non tres spiritus sancti.*] Et in hac trinitate nihil prius aut posterius, nihil maius aut minus. Sed totæ tres personæ coæternæ sibi sunt & coæquales. [*Qui vult ergo salvus esse, ita de trinitate sentiat. Sed necessarium est*] id est, necesse est nobis, sicut superius diximus, ut credamus. Si vero [*ad æternam salutem*] volumus pervenire, id est, cum Christo sine fine regnare, nec ïse est [ut incarnationem Domini nostri Iesu Christi fideliter credamus.] Quomodo fideliter? non adoptivum, sed proprium Dei filium, sicut dicit Apostolus: *Proprio filio suo non pepercit Deus.* [*Est ergo fides recta, ut credamus & confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus Dei filius Deus & homo est.*] Modo inchoat enarrare secundum humanitatem Christi, vel qui sit fides recta in ipsam humanitatem credamus corde & confiteamur ore, sicut Apostolus dicit: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Deus & homo unus est verus Dei filius, quia secundum divinitatem nihil luminis habet quam Deus, pater, secundum humanitatem nihil minus extra peccatum, quam homo. [*Deus est ex substantia patris*] id est, ex qualitate naturæ, [*ante secula genitus*] id est, ante omnem creaturam, sicut dicit in Psalmo: *Ante luciferum ex utero genui te*, id est, ex mea substantia ante luciferum, id est, ante omnem creaturam [*& homo ex substantia matris*] id est, totus homo cum anima & corpore in omnibus similis nobis absque peccato, ex substantia matris, id est de qualitate naturæ matris, [*in seculo natus*] id est, in his temporibus, non aliunde nisi de femine mulieris, sine coitu viri carnem assumpsit. Unde Salomon dicit: *Sapientia ædificavit sibi domum*; hoc est, Christus ædificavit sibi carnem de beata Maria. Et alibi legitur: *Qui factus est ei ex semine David, secundum carnem.* [*Perfectus Deus*] id est, plenus quia nihil indiguit [*perfectus homo*] quia nihil minus habuit, extra peccatum, quam homo [*ex anima rationali.*] Christus veram habuit animam, ubi sapientia crescere potuisset, sicut dicitur in Evangelio: *Iesus proficiebat sapientia & ætate.* Sapientia in anima, ætate in corpore. [*& humana carne subsistens*] quia humus terra dicitur, de humanitate carnem assumpsit. subsistens essentia, quæ essentia proprie de Deo dicitur, qui semper est quod est: substantia dicitur quo Deum semper stare, id est, semper esse, id est, non stando humani corporis consuetudine, sed permanendo quia semper manet in eo quid est. [*Æqualis patri secundum divinitatem*] secundum illud: *Ego & pater unum sumus*: [*minor patre secundum humanitatem*] iuxta quod dicit: *Pater maior me est*, & in quo homo est, minor est à deitate vel divinitate. Ideo æqualis & minor, quia Deus & homo, quia sempiternus & temporalis, ut incomprehensibilis comprehendi possit, & immortalis haberet in quo moreretur. [*Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen sed unus est Christus.*] Ideo sic voluit iungi Dei filius cum humana natura, ut ex his duabus substantiis fieret una persona. Qui licet Deus non est Christus aliter in deitate aliter in humanitate, quia non sunt duæ personæ sed una. Deus enim verbum non accepit personam hominis sed naturam. Sicut ergo tres personas credimus esse trinitatis in unitate naturæ: ita credimus duas Christi naturas in unitate personæ. Unus autem non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. Conversio in utero dicitur. Non enim est conversa, id est, mutata divinitas in carnem: sed manens quod erat, suscepit humanitatem: humanitas quoque assumpta est in Deum, non consumpta. Sicut enim Deus non mutatur in miseratione: ita homo non consumitur divinitate: homo Deo accessit, Deus à se non recessit, adquievit esse quod non erat. Unus autem non conversione, non quod illa divinitas quæ est Dei filius, se convertisset in humanitatem, ut homo quod erat divinum fieret & humanum, sed assumendo naturam nostram. Sic est unus effectus ut non amitteret quod erat, sed assumeret quod non erat. Assumpsit humanitatem non amisit deitatem sive divinitatem. [*Unus omnino non confusione substantia, sed unitate persona.*] Confusio dicitur & commixtio: sicut solent duo liquores ita misceri, ut neuter servet integritatem suam. In Christo ergo non sunt permixtæ, quia servat utraque cum alterius commixtione proprietatem suam. Unus omnino non confusione, non ea naturarum commixtione, vel ut divinitas mutaretur in naturam humanitatis, vel humanitas commutaretur in deitatem sive divinitatem: sed utrique naturæ sua manet proprietas in perpetuum. Tanta tamen unio est, ut id quod æternaliter ex Deo patre genitum est, homo sit verus, & ille qui temporaliter natus est de virgine, Deus sit verus, homo propter suscipientem Deum Deus verus, Dei filius propter suscipientem hominem homo verus, personam quippe filij Dei non ex duabus personis unitam, sed ex duabus naturis existentem credimus: ex duabus personis compositam, nephas esse dicere. [*Nam sicut anima rationalis, & caro unus est homo*] id est, sicut ex carne & anima unum dicimus hominem, & unusquisque duos habet homines, unum carnalem, alium spiritualem, unum visibilem, alium invisibilem, unum mortalem, alium immortalem [*ita Deus & homo unus est Christus*] vel sic; Nam sicut anima, id est, sicut hominis personam gestat anima, non enim corpus mortuum dicitur persona: sicut nec lapis nec lignum: ita Christi personam gestat divinitas assumpti Christi propter humanitatem: propter quod in utraque substantia dicitur & creditur unicus, quia *unigenitus est Dei filius.* Unde & verbum propter carnem est homo, & caro propter verbum Domini. [*Qui passus est pro salute nostra*] id est, in quo erat, quia deitas est invisibilis: secundum unionem personæ filius Dei dicitur passus, & in vera natura filius hominis est passus.

Item: *Qui passus est*,] licet iuxta naturam suam Deus expers passionis extiterit, pro nobis tamen passus est. [*descendit ad inferos.*] In quo exemplum dedit Propheta: *Post duos dies suscitabit nos, & tertia die resurgemus & in conspectu*, &c.

Item descendit ad inferos, anima vero cum verbo: quia postquam humanitas assumpta est à divinitate non est separata à verbo, sed ipsa anima à corpore separata est: quia si non esset separata, corpus non posset mori: & iste descensus ad solam animam pertinet. Tertia

Margin notes: A; Filius humanitatem habet, in tempore quam nec pater nec spiritus sanctus; Isa. 53.; Gal. 4.; Col. 2.; B; C; Rom. 10.; Psal. 109.; Hebr. 4.; Prov. 9.; D; Rom. 1.; Hebr. 4.; E; Deus est persona sed naturam hominis assumpsit; F; G; Ioan. 1.; H; Ioan. 1.; Ose. 6.

A

tia die dicitur, vt primogenitus ex mortuis fieret primitiæ dormientium, & faceret viam naturæ ad incorruptionis regressus: resurrexit à mortuis vt nobis exemplum resurrectionis ostenderet, sicut Propheta ait: *Post duos dies suscitabit nos*, &c. vt supra.

Christus primitiæ dormientium. Rom. 8. Col. 1. 1. Cor. 15. Ose. 6.

Item qui passus, in quo videbatur, in quo homo erat in quo crucifixus, in quo mortuus, in quo sepultus, in quo resurrexit, quia divinitas impassibilis: sed in coniunctione personæ filius passus dicitur, & in vera natura filius hominis est passus. [*Ascendit ad cœlos*,] id est humanitas illa quæ fuit passa, vnde: *viri Galilæi, &c.* Propterea *humiliatus est Deus in homine, vt homo exaltaretur in Deo*, qui secundum divinitatem, ad nullum poterit ascendere locum, sed vbique totus est [*sedet ad dexteram Dei patris omnipotentis*] id est, regnat in beatitudine sempiterna. Dexteram ait Dei, non carnalem, non corporalem: sicut humana habet natura: sed in hoc loco convenit accipere atque si aperte diceret: Regnat in gloria Dei. Et sedere pro regnare dicitur. [*Inde venturus est iudicare vivos & mortuos.*] Vivos, quos eius adventus invenerit in corpore viventes, mortuos, qui *mortui fuerunt ab initio usque ad illum diem.*

Actor. 1. Ephes. 4.

Dextera Dei patris.

Sedere pro regnare.

B

1. Thess. 4.

Vel venturus est in eadem forma, in qua crucifixus, in qua mortuus, in qua sepultus est, & in qua resurrexit, non in ea tamen humilitate, qua antea fuit, sed in gloria & maiestate: & ideo in ipsa forma, vt videant Herodes & Pilatus, quem iudicaverunt, vt Iudæi quē tradiderunt, vt milites quē crucifixerunt, vt videant impij quem negaverunt. [*Ad cuius adventum.*] id est, in adventu Christi [*omnes homines*] id est, vnusquisque sive iusti sive iniusti [*resurgere habent cum corporibus suis, & reddituri sunt de factis propriis rationem*] id est, non in fabula verborum, sed recordatione omnium quæ fecit sive malum sive bonum, & propter hoc recipiet.

Quare Christus in eadem forma veniet ad iudicium in qua crucifixus est.

2. Cor. 5. Rom. 14. Mat. 16.

Vel ad cuius adventum, id est, adveniente Domino resuscitatis in circuitu corporibus suis vt vnusquisque in eo corpore quo bona vel mala gessit, reddat rationem gestorum suorum. [*Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam*] quia semper erunt boni sine fine in gloria regnaturi [*qui vero mala, in ignem æternum.*] idem, quia malis erit pœna inferni, & sine vlla misericordia cum corpore & anima non consumendi, sicut superius diximus, sed semper arsuri & nunquam deficient. Vnde dicit. [*Qui bona egerunt.*] Tunc enim humana natura ad conditoris sui similitudinem sublimatur, & omnia eius bona, quæ naturaliter accepta erant, per peccatum autem erunt corrupta, reparabuntur in melius: Intellectus sine errore, memoria sine oblivione, cogitatio sine pervagatione, Sensus sine offensione: Incolumitas sine debilitatione. Sanitas sine dolore, vita sine morte, via sine impedimento, sanitas sine fastidio: & tota sanitas sine morbo. [*Qui vero mala*] subaudi, ibunt, præter illos qui ante mortem pœnituerunt & quantum libuit emendaverunt. [*Hæc est fides catholica*,] id est, recta vel universalis [*quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*] Hic rogat & admonet, vt vnusquisque sacerdos hoc habeat, prædicetque, *hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit*,] id est, fideliter credamus, in fide non erremus. Firmiter credamus, vt non dubitemus, si ad æternam salutem pervenire volumus, id est, nullus à fide catholica te removere possit, nullo schismate vel hæresi. Et si ista non credideris, salvus esse non poteris.

Vnusquisque in suo corpore qui hic vixit resurget ad iudicium.

Ioan. 5. Mat. 25.

C

Reparabitur status hominis in vita æterna. Esa. 65.

D

Symboli Athanasij Finis.

E

NOMINIS IESV
ENCOMION
CELEBERRIMVM, AVTHORE
D. Richardo Pampolitano Eremita.

OLeum effusum nomen tuum, *ideo adolescentulæ dilexerunt te nimis*: Nomen Iesu venit in mundum, & statim adoratur oleum effusum. Oleum capitur, quia æterna salvatio speratur. Iesus vero, id est, salvator vel salutare. Quid est ergo: Oleum effusum nomen tuum, nisi Iesus est nomen tuum? hoc nomen est oleum effusum, quia Iesus est verbum Dei incarnatum. Imples in opere, quod vocaris in nomine, vere salvas hominem quem vocamus salvatorem: Ergo Iesus est nomen tuum.

Cant. 1.

F

O nomen admirabile, O nomen delectabile. Hoc est *nomen quod est super omne nomen altissimum*, sine quo non sperat quis salutem. Hoc est nomen etiam iucundum humano cordi, verum præbens solatium. Est autem Iesus in mente mea, cantus iubilans, in aure mea sonus cœlicus, in ore meo dulcor mellifluus. Vnde non mirum si illud nomen diligam, quod mihi in omni angustia præbeat solamen. Nescio orare, nescio meditari, nisi consonante Iesu nomine: Non sapio gaudium, quod non est Iesu mixtum. Quocunque fuero, quocunque sedero, quicquid egero, memoria nominis Iesu à mente mea non recedit. Posui illud vt signaculum super cor meum, & vt signaculum super brachium meum: quia *fortis est vt mors dilectio.* Sicut omnes mors perimit: ita amor omnia vincit. Devicit me æternus amor, non vt me occidat, sed vt me vivificet: attamen vulneravit me vt mederetur, transfixit cor meum, vt medullitus sineret, & iam victus succumbo. Vix vivo præ gaudio & pene morior, quia non sufficio in carne corruptibili tantæ maiestatis perferre tam affluentem suavitatem. Illabitur menti meæ dulcedo delitiosissima: & dum inebriat illam, cadit caro: non potest à sua virtute non deficere, dum tantis gaudiis rapitur anima iubilare.

Philip. 2. Act. 4.

Cant. 8. Amor omnia vincit.

G

Sed vnde mihi iste iubilus, nisi quia Iesus nomen canere docuit & fervore increatæ lucis mentem illustravit. Inde suspirans clamo: *Quis annunciabit dilecto meo, quia amore Iesu langueo.* Deficit caro mea & cor meum liquescit in amore, desiderando Iesum. Cor totum in desiderio Iesu defixum in igne amoris convertitur, & dulcore divinitatis funditus absorbetur. Hinc, ô bone Iesu, miserere miseri, ostende te languenti, medere vulnerato. Si venit sanus sum: infirmum me non sentio, nisi languentem amore tuo. Respirat animus meus Iesum quærens, quem diligit, cuius amore capitur, quem solum concupiscit. Anhelat namque mens superno dulcore, facta amore conditoris incalescit, dum nomen Iesu dulcissimum in se iugiter nititur retinere. Hinc quippe vehemens amor insurgit, & quodcunque vere tangit, penitus ad se rapit. Inflammat affectum, ligat cogitationem, sed & totum hominem ad suam servitutem trahit.

Cant. 5.

H

Vere Iesu desiderabile est nomen tuum, amabile & confortabile. Non potest tam dulce canticum audiri, tam suave concipi, nec tam delectabile solatium meditari. Igitur quicunque es qui ad amandum Deum te præparas: si vis nec decipi nec decipere, si vis sapere & non desipere, si vis stare & non cadere:

A

hoc nomen Iesu in memoria iugiter memento tenere. Memento, hostis cadet, tu stabis: hostis debilitabitur, tu fortificaberis. Et si hoc fideliter facere volueris, procul dubio gloriosus & laudabilis victor eris.

Memoria nominis Iesu efficacissima.

Quære ergo nomen Iesu, tene illud, & ne obliviscaris illius. Nihil enim ita sævas extinguit flammas, cogitationes destruit; malas affectiones extirpat, occupationes, venenosas, curiosas, & vanas à nobis alienat. Hoc nomen Iesu fideliter in mente retentum, vitia eradicat, virtutes plantat, charitatem inserit: saporem cœlestium infundit, discordiam vastat, pacem reformat, quietem internam exhibet, carnalium desideriorum molestiam protinus delet, omnia autem terrena in fastidium vertit, amantem spirituali gaudio replet; vt merito dicatur: *Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum, quoniam tu benedices iusto.* Inde igitur iustus benedici meruit, vnde nomen Iesu veraciter amauit. Sed & ideo iustus dicitur, quia IESVM fideliter diligere conatur.

Psalm. 5.

B

Quid ergo illi potest deficere, qui nomen Iesu incessanter cupit amare? Amat autem & amare desiderat, quia tali modo amorem Dei consistere agnovimus, quod quanto plus amaverimus, tanto plus amore inardemus, dicitur enim: *Qui edunt me, adhuc esurient: & qui bibunt me, adhuc sitient.* Ergo per se delectabile & desiderabile est nomen Iesu.

Eccl. 24.

Non igitur illi gaudium deerit, qui *illum quem angeli desiderant prospicere*, iugiter amare cupit. *Angeli semper vident & semper videre desiderant,* quia sic satiantur, vt desiderent: & sic desiderant, vt desiderium non tollat satietatem, hoc est gaudium gloriosum, quo satiari sine fastidio perfruemur perenniter, quo perfruentes sine fastidio satiabimur sempiterne.

1. Petr. 1.

Mat. 18.

Gloriabuntur omnes qui diligunt nomen tuum, vtique gloriabuntur in præsenti per gratiæ infusionem, in futuro per gloriæ visionem: & ideo gloriabuntur, qui diligunt nomen tuum. Profecto si non diligerent, etiam gloriari nequirent. Et qui plus diligunt plus gaudebunt. Ex dilectione namque procedit gloria, ergo qui non diligit, expers gloriæ æternaliter erit, hinc multi mundanorum miseri putantes se cum Christo gaudere, quia nomen Iesu non diligunt, dolebunt sine fine.

Psal. 5.

C

Quicquid egeritis & si omnia quæ habetis egenis dederitis, nisi nomen Iesu dilexeritis, frustra laboratis. Ideo soli tales lætari in Iesu poterunt, qui in hac præsenti vita illum amaverunt. Qui autem se venenosis vitiis & delectationibus inquinant, nulli dubium quin à gloria Dei expulsi sint.

1. Cor. 13.

Mat. 25.

Apoc. 21.

Cognoscant vtique universi, quia nomen Iesu salutiferum est, fructuosum, & gloriosum. Quis ergo habebit salutem, qui non amat illam? aut quis coram Deo portabit fructum, qui non habuerit florem? Ergo gloriam non habebit, qui nomen Iesu glorificatus non dilexerit. Vnde dicitur: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.*

Isa. 26.

Iusti quidam gloriam & vitam quærunt & inveniunt illam in Iesu, quem dilexerunt. Circuivi per divitiarum cupiditatem, & non inveni Iesum. Cucurri per carnis lasciviam, & non inveni Iesum. Ambulavi per delitiarum voraginem, & non inveni Iesum. Sedi cum multitudine gaudentium, & non inveni Iesum. In omnibus his quæsivi Iesum, & non inveni illum; quia innotuit mihi per suam gratiam, quod non invenitur in terra suaviter viventium.

Iesus vbique invenitur.

D

Diverti igitur *per aliam viam*, & quæsivi per paupertatem, & inveni illum pauperem in mundo natum, *in præsepio positum, pannis involutum.* Ambulavi per asperorum tollerantiam, & inveni Iesum itinere fatigatum, fame, siti & frigore afflictum, *opprobriis & contumeliis saturatum. Sedebam solus faciens me solitarium*, & inveni Iesum indefesse ieiunantem, in monte solum orantem. *Cucurri per pœnam, & pœnitentiam*, & inveni Iesum ligatum & flagellatum, vulneratum, felle potatum, cruci affixum in cruce pendentemque, in cruce morientem. Ergo Iesus non invenitur in divitibus, sed in pauperibus. Non in delitiosis, sed in pœnitentibus. Non in lascivis & gaudentibus, sed in amaris & flentibus. Non in multitudine, sed in solitudine.

Luc. 2.

Luc. 9.

E

Ioan. 4.

Isai. 53.

Matt. 4.

Luc. 9.

Amos 6.

Malus vtique Iesum non invenit, quia vbi est illum non quærit. In mundi enim gaudio Iesum quærere nititur, vbi nunquam invenitur.

O mundani & carnales miseri, vere frustrati estis à gaudio Dei & fraude decepti diabolica, *non expectantes beatam spem, nec cupientes adventum gloriæ magni Dei.* Sed merito mortem æternam patiemini, quia hic vitam quæritis quam scitis hic non posse haberi. Excæcati sunt oculi vestri, imo potius diabolus illos eruit, quia nec hoc quod videtis creditis, quando morientem cernitis & tamen mortem non timetis. *Confusi estis, quoniam Deus spreuit vos. Maledicti, excæcati & abominabiles facti estis.* Omnes angeli sancti & amatores Christi immenso gaudio replebuntur, quando ille cæcus totus vere reprobus, æterno igni damnabitur. Væ vobis divitibus, væ vobis superbis, væ vobis peccare volentibus: quoniam ecce vobis merces reddetur infernale tormentum *ab origine mundi vobis paratum.* Vere scio, quod non potestis in illud non descendere, quia ab illa prava consuetudine nec gaudium cœli nec tormentum inferni vos potest revocare. Vt quid igitur dicitis salvabimur, cum illud odire non desinitis, sine quo salutem habere non potestis?

Titum. 2.

F

Psal. 52.

Prem. in cap.

Psal. 13.

Luc. 6.

Mat. 25.

Est igitur nomen Iesu salutiferum & necessarium omni salvationem cupienti ad diligendum. Qui namque Iesum non amans se salvari reputat, profecto etiam fide carens seipsum damnabilem accusat. Proinde notandum est, quod tres sunt vires amoris. Quærere inde licet quem amare debemus, exorare, vt exaudiamur & perseverare in amore. Quæramus igitur Iesum, scilicet, in via qua invenitur, non in solatio mundi, sed in Ecclesia Dei. Quæramus eum per pœnitentiam & paupertatem voluntariam, per humilitatem & mansuetudinem, quia hæc est vere via qua invenitur. Invento autem Iesu, vt fideliter ametur, amamus. Exoremus enim in corde, per sanctam meditationem. In ore per devotam & ardentem orationem. In manibus, per rectam & bonam operationem. Pro primo dicitur: *Toto corde meo exquisivi te.* Et pro secundo: *Voce mea ad Dominum, &c.*

Iesus vbi invenitur.

Matt. 7.

G

Ps. 118.

Ps. 141.

Sic quoque Iesu quæsito & invento, perseveremus cum illo, per veram charitatem & per probatam patientiam; vt dum in Iesu redemptore & conditore nostro totum cor nostrum defigimus, devictis mundi & carnis contagiis, supernæ contemplationis gaudium suaviter degustemus, vt merito dicamus cum Psalm. *Exultent & lætentur super te*, & dicant, semper magnificetur Dominus, qui diligit, qui in se nomen Iesu infatigabiliter custodit. Non miror quippe si ceciderit, qui nomen Iesu in memoriam perennem non ponit. Ille nimirum secure elegit pro Deo in solitudine persistere, qui nomen Iesu elegit sibi spirituale: hoc enim nomen conscientiam purgat, cor mundum & clarum præparat, timorem nocturnum excutit, ardorem amoris infundit, mentem vsque in melum cœlicum sublevat, dæmones infestantes fugat.

Psal. 39.

Nomen Iesu, solitariis dulcissimum.

H

O bonum nomen, ô dulce nomen, ô nomen glorificum, ô nomen mirificum, ô nomen salutiferum, ô nomen gloriosum, ô nomen desiderabile. Ibi vtique non possunt maligni spiritus nocere, vbi perpendunt nomen Iesu iugiter nominari mente aut ore. Ideo amplectendum est & amandum ac perenni memoria retinendum.

Narratio.

Cum ergo propositum singulare percepissem, &

relicto

relicto habitu seculari Deo potius quam homini deservire decrevissem, contigit quadam nocte in principio conversionis meæ mihi in statu meo quiescenti, apparuit quædam iuvencula valde pulchra, quam ante videram, & quæ me in bono amore non modicum diligebat: quam cum intuitus essem & mirarer cur in solitudinem ad me etiam in nocte venerit, subito & sine mora sine loquela iuxta me se immisit. Quod ego sentiens, & ne ad malum me allicerer, timens, dixi me velle surgere, & nos signo crucis benedicere, invocata sancta trinitate. At illa me tam fortiter strinxit, vt nec os ad loquendum, nec manus in me sentirem ad movendum. Quod videns perpendi ibi non mulierem esse, sed diabolum in forma mulieris me tentasse. Verti me igitur ad DEVM & in mente mea dixi: O Iesu quam preciosus est sanguis tuus, crucem imprimens in pectore cum digito, qui quodammodo iam mobilis incepit esse; & subito totum disparuit. Sed & ego gratias Deo egi, qui me liberavit.

Deinceps vero IESVM amare quæsivi: & quanto in amore eius perfeci, tanto nomen IESV mihi dulcius & suavius sapiebat, & etiam vsque hodie non recessit à me. Ergo sit nomen Domini benedictum in secula seculorum, Amen.

Psal. 112.

Encomij nominis IESV, finis.

RICHARDI PAMPOLITANI EREMITÆ, DE INCENDIO Amoris Tractatulus, in quo & vitam suam eremiticam, plane admirabilem, obiter describit.

CVM infeliciter florerem & iuventus vigilantis adolescentiæ iam advenisset, affuit & gratia conditoris, qui petulantiam temporalis formæ restrinxit, & ad incorporeos amplexus desiderandos convertit animum: hunc imis elevans transtulit ad superna, vt amplius vtique arderem ad æternitatis amœnitatem, quam vnquam antea in aliquo carnali complexu vel etiam mundiali mollicie delectabar.

Processum quidem si propalare volo, solitariam vitam prædicare me oportet. Nam spirans spiritus ad adsequendum & amandum Iesum intentionem meam intendebat, quam deinceps pro modulo infirmitatis meæ ducere curavi. Mansi autem inter eos qui in mundanis floruerint & accepi ab eis alimenta, blanditias quoque quæ sæpe bellatores inclytos ab altitudine ad infima trahere possent, audivi sed huiusmodi propter vnum abiiciens, assumptus est animus meus ad amorem authoris, & desiderans in æterna dulcedine delectari, animã meam dedi vt in devotione diligeret Christum: quod vtique ab amato suo accepit, vt tam illi solitudo suavissima appareat, & cuncta solatia *quibus error hominum abundat* pro nihilo ducat. Solebam profecto quietem quærere: quamvis de vno loco ad alium transire, cellas denique deserere ex rationabili causa, malum non est eremitis & iterum ad easdem si congruum videatur, redire. Quidam enim sanctorum patrum sic fecerunt; Et quamvis patiantur propter hoc murmur hominum, non tamen bonorum. Mali vero malum loquuntur: quod & facerent etiam si Iesum perspexissent, quia consuetum est eis. De latrina amoto operculo, non exhalat nisi fœtor, & *male loquentes ex abundantia cordis loquuntur, in quibus venenum aspidum latet.* Hoc cognovi, quod quanto magis contra me verbis detractoriis homines insanierunt, tanto amplius in profectu spirituali succrevi. Nam eos pessimos detractores habui, quos prius amicos fidos putavi.

Solitariæ vitæ encomium.

Sapien. 2.

Mat. 12. Luc. 6. Psal. 13. 39.

Denique non cessavi ab his quæ vtilia erant animæ meæ, propter verba illorum: imo caecuvi studium, & semper inveni Deum faventem. Recolui quod scriptum est: *Maledicent illi, & tu benedices.* Et processu temporum magnus datus est mihi profectus spiritualium gaudiorum. Ab initio namque alterationis vitæ & mentis vsque ad apertionem ostij cœlestis, vt revelata facie oculus cordis superos contemplaretur, & videret qua via amatum suum quæreret & ad ipsum iugiter anhelaret, effluxerunt tres anni exceptis tribus mensibus.

Ps. 108.

Si quidem aperto odio vsque ad tempus, in quo in corde realiter sentiebatur calor æterni amoris, annus vnus pene pertransiit. Sedebam quippe in quadam capella, & dum suavitate orationis vel meditationis multum delectarer, subito sentiebam in me ardorem insolitum & iucundum. Sed cum post fluctuarem, dubitando à quo esset, per longum tempus expertus sum, non è creatura sed à creatore esse, quia ferventiorem & iucundiorem inveni. Fragrante autem sensibiliter calore illo inæstimabili suam vsque ad infusionem & perceptionem soni cœlestis vel spiritualis, (qui ad canticum pertinet laudis æternæ, & suavitatem invisibilis melodiæ, qui sciri & audiri non potest, nisi ab eo qui accipit, quem oportet esse mundatum & segregatum à terra) dimidius annus & tres menses & aliquot hebdomadæ effluxerunt. Dum enim in eadem Capella sederem, & in nocte ante psalmos prout potui decantarem, quasi tinnitum psallentium vel potius canentium supra me auscultavi. Cumque cœlestibus intenderem & orando, toto desiderio incenderer, nescio quomodo mox in me concentum canorum sensi, & delectabilissimam harmoniam cœlitus excepi mecum manentem in mente: nam cogitatio mea continuo in carmen canorum commutabatur, & quasi odas habui meditando, ac in orationibus & hymnis etiam psalmodiis eundem sonum edidi: deinceps vsque ad canendum quæ prius dixeram, præ affluentia internæ suavitatis prorupi, occulte quidem tantummodo coram conditore. Non cognitus eram ab his qui me cernebant, ne dum scivissent, me supra modum honorassent: & sic perdidissem partem floris pulcherrimi & decidissem in desolationem.

Richar. eremitica vita admirabilis.

Inter ea mirum me arripuit, eo quod assumptus essem ad tantam iucunditatem dum exul essem, & quia dederat mihi DEVS dona quæ petere nescivi, nec putavi tale quid aliquem nec etiam sanctissimum in hac vita accepisse.

Proinde arbitror hoc nulli datum meritis, sed gratis, cui voluerit CHRISTVS. Puto tamen neminem illud accepturum, nisi spiritualiter nomen Iesu diligat & in tantum honoret, vt ab eius memoria nunquam excepto somno recedere permittat. Cui hoc datum facere est, æstimo quod & illud assequetur.

Non est volentis sed Dei miserentis.

Vnde ab initio mutati animi vsque ad supremum amoris Christi gradum, quem ego attingere Deo dante volebam, quo gradu cum canore iubilo divinas laudes personarem, quatuor annos & circa tres menses habuit, hic nempe cum prioribus ad ipsum dispositis permanet vsque in finem: verum etiam post mortem erit perfectior, quia hic gaudium amoris incendiumque charitatis incipitur, & in cœlesti regno gloriosissimam accipiet consummationem. Et

Ioan. 2.

quidem in hac vita, in his gradibus constitutus non modicum proficit: sed in alium statum non ascendit, imo quasi gratia confirmatus vt mortalis potest, quiescit. Vnde gratias Deo & laudes incessanter referre desidero, qui & in angustiis molestiisque ac persecutionibus meis mihi tribuit solatium & inter prosperitates ac blandimenta cum securitate me facit expectare æternam coronam. Hinc tibi Iesu iubilans laudes soluo ingiter, qui me minimum & miserum dignatus es inuisere mellifluis ministris qui modulos melodiæ ex spiritu sed cœlitus emanant.

Agam assidue gratias cum gaudio, qui conformem me fecisti canentibus præclare, per claritatem conscientiæ in anima, ardente æterno amore, dum amat & æstuat incendio succendente. Mens immutata calore calente desiderio vehementer dilatato & vera venustas amabilis virtutis viget sine vitio in conspectu creatoris, sic iubilus se ingerens cum canore iucundo, lætificat languentem & releuat labores.

Multis sunt munera mirifica ac magna, sed nulla sunt talia intra me, quæ tam care confirmant spem speciei inuisibilis vitæ in animo amante, aut quæ sic suauiter sedentem consolantur. Rapiunt enim confortatum ad cacumen contemplationis, vel ad consonantiam angelicæ laudis.

Ecce fratres narraui vobis, quomodo perueni ad incendium amoris, non vt me laudetis sed vt Deum glorificetis, à quo accepi quicquid boni habui: & vt vos cogitantes quod cuncta sub sole sint vanitas, ad imitandum non ad detrahendum incitemini. Intelligendo etiam quod ex magno amoris incendio tantus virtutis decor in animum crescit, quod iustos potius eligeret omnem pœnam incurrere, quam semel Deum offendere. Et quanquam sciret quod posset per pœnitentiam resurgere & postea Deo magis placere & sanctior esse, quia sine quilibet perfectus intelligit quod nihil est Deo charius innocentiâ, aut acceptabilius voluntate bona.

[Margin: Non nobis sed nomini tuo gloria debetur. Eccles. 1. — Sana doctr. na.]

Si enim recte amaremus DEVM, deberemus magis velle magnum præmium in cœlo amittere, quam saltem venialiter peccare: quia iustissimum est, iustitiæ mercedem non requirere: sed amicitiam Dei, quæ est ipse Deus. Melius est ergo semper tormentum pati, quam semel à iustitia ad iniquitatem sponte deduci & scienter: cum etiam constet manifestè, quod quidam Christum tam *ardenter diligunt*, quod nullo modo peccare volunt, non solum tales à pœna liberi erunt, sed etiam cum angelis æternaliter gaudebunt.

[Margin: Rom. 8.]

FINIS.

RICHARDI PAMPOLITANI EREMITÆ, IN HÆC VERBA

Salomonis: Adolescentulæ dilexerunt te nimis, &c. Exegesis clarissima, in qua amoris summi eiusdem singularis vim ac energiam miro quodam artificio lectori tanquam ob oculos ponit.

[Margin: Cant. 1.]

Adolescentulæ dilexerunt te nimis. Et quia tale est nomen tuum, tam dulce, tam suaue, tam confortabile, quod fractum redintegrat, ruinam restaurat, seruum liberat, damnum resarcit, homines redimit: merito ergo adolescentulæ dilexerunt te nimis. Gemunt, suspirant, *languent amore tuo*, quia *tale & tantum* est *nomen tuum*, quod in illo solo sciunt se posse inuenire optatum gaudium.

[Margin: Act. 4.]

Te propter te quærere non desinunt, quia te solum amorem esse cognoscunt. Est itaque verus amor castus, sanctus, voluntarius, amatum pro seipso non pro suis amans: in amatum se totum figens, nihil extra ipsum quærens, de se contentus, flagrans, æstuans, ea amato inardescens vehementer, se in se ligans, impetuosus, miro modo omnem modum excedens, ad solum amatum se extendens, cuncta alia contemnens & obliuiscens: in amato canens, illum incessanter meminens, ascendens desiderio, pergens in amato, ruens in amplexus, absorptus in osculis, totus liquefactus igne ardentis amoris vt tibi bone Iesu merito dicatur: *Adolescentulæ, dilexerunt te nimis.* Adolescentulæ, non vetula vel senex, quia debiles & infirmi Christum amare nequeunt: pueri vero ignari & ludis detenti, amare nesciunt. Adolescentulæ, quippe quia fortes & potentes & scientes diuino amori inhærere. Amant igitur. Adolescentulæ gaudent in dilectione tua æterna.

[Margin: Philip. 3. — Cant. 1.]

Istæ autem adolescentulæ sunt animæ deuotæ desiderio conditoris sui detentæ, quæ sunt innouatæ per baptismum, vel purgatæ per pœnitentiam, non inueteratæ per culpam, sed nouellæ per gratiam.

Hæc vtique adolescentulæ amabiles sunt per munditiam, pulchræ per appetitum æternorum, ornatæ per veram charitatem, & crescentes in altitudinem virtutum per humilitatem. Istæ sunt adolescentulæ quæ dilexerunt te nimis, quæ pro tuo amore & superflua abscindunt, & via necessaria capiunt, amore tuo ardent, quæ & te donante in vitam contemplatiuam transeunt, & solis internis delicijs depasci concupiscunt.

Illæ profecto adolescentulæ sunt amantissimæ quæ oculos æterni Regis sollicitant, & omnipotentem Deum ad suam pulchritudinem inclinant.

Quæ nimirum Christum nimis probantur diligere, quia mundi & carnis delectis postpositis & oblitis, in illius solo amore cupiunt iubilare.

Hæc igitur *dilectio*, qua Christus nimis diligitur, *summa* & singularis & merito soli Christo hæc debetur. *Quia magnus Dominus & laudabilis nimis.* Summa vero dilectio est, quia *nec blandis nec asperis velli ab illo potest*. Singularis, quia illum solum in solatium recipit, quem ingiter amare concupiscit.

[Margin: Philip. 3. Psal. 47. Rom. 8.]

Sed & forsitan melius dicitur hæc dilectio summa, quia singularis: & dicitur singularis, quia summa. Summus namque amor non patitur superiorem, & amor singularis non admittit consortem. Quando igitur dicitur, quod Deum quis nimis diligit, profecto innuitur quod in amando nec ordinem, nec gradum quærit, nec quasi per partes sed se totum ad amorem effundere nititur, indesinenter intrepide, inuerecunde, amatum amans cupiens vt ametur.

Seruat ergo verus amator Christi nec modum nec gradum, nec ordinem in amore, quia in hac præsenti vita quantumcunque feruens & gaudens & iubilans in diuino amore fuerit, adhuc plus ardentius & iucundius Deum amare intendit. Etiam si hic in æternum posset viuere, non putaret se aliquando stare, & non vlterius in amore proficere posse aut non crescere, sed potius quanto diutius viueret, tanto in amore amplius arderet. Nec perfecto liquet Deus, quia infinitæ magnitudinis & inexcogitabilis dulcedinis, omni creaturæ incomprehensibilis. Nunquam enim ab aliqua creatura comprehendi potuit quemadmodum in se existit.

Veruntamen cunctis patet fidelibus, quod verus amor humanam mentem diuinæ maiestatis capacem efficit, Quia secundum quod dicit Apostolus: *Deus charitas est & qui manet in charitate in Deo manet, &*

[Margin: 1. Ioan. 4.]

Deus

A

Deus in eo: quamvis non ita plene & perfecte vt in se ipso est etiam in nulla manet creatura: hoc nempe manifeste videtur, quandoquidem & in sanctis hominibus Deus secundum suam capacitatem se infundit.

Cum igitur Deus non se sed in nobis grandescat, liquide colligere possumus, quod in illa anima grandissimum se ostendit, in quam plenius & perfectius se per suam gratiam infundit.

1. Ioan. 4.

Quam ob rem cum constet omnibus sanctis matris Ecclesiæ filiis, quia *Deum in se manentem nemo habet, nisi qui charitatem habet*, quoniam qui Deum non amat, frustra se Deum habere dicit; sequitur profecto, quod qui minus diligit Deum, minus de Deo sentit. Et qui magis in charitate exardet, perfectius & abundantius DEVM habet.

B

Replentur autem corda quorundam electorum mira divinæ dulcedinis affluentia, dum nonnulli alij, etiam electi, à tanta suavitate remanent ieiuni.

Quia secundum quantitatem amoris qua quilibet diligit in præsenti, & in futuro æterni dulcoris capax erit: illi autem qui Deum ardentius diligunt, & in præsenti maiori gratia divinitus perfunduntur, & in futuro maiori gloria coronabuntur.

Hinc nonnulli autem falli probantur, qui se putant esse religiosos, dicentes, ideo se Deum præ omnibus diligentes & maiori merito dignos, quia Deo sub abbate vel priore deseruire contendunt: cum veritas sit, quod amor Dei non discurrentes & loquentes, sed potius sedentes & tacentes replere consueuit: vt tanto quis amoris æterni dulcedinem affluentius hauriat, quanto solummodo divina & cœlestia cogitans, ad nullam exteriorem mundi occupationem se tradat.

Proinde cum nonnulli, etiam senes & vetulæ, vel qui que seculum non amantes, sed divino servitio toto posse mancipati, non magnis secularibus actibus sint intenti, quam etiam quietissimi obedientiarij: quis audeat in illis divinam benignitatem abnegare, licet inter seculares conversantes, qui tanta charitate suavitate repleantur, quanta illi sancti quos etiam religiosa professio in monasteriis ligat. Quippe ita in amore sunt ardentes, & Deum in se manentem tam veraciter quam illi, ostendere non desinunt: procul dubio & in cœlesti gaudio ita sublimes & gloriosi erunt. Qui adhuc nobiscum contendere voluerint, non me sed ipsum Dominum gratiæ & gloriæ datorem audiant qui dicit: *An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? an non licet mihi facere quod volo? Volo huic dare sicut & tibi*. Hinc profecto colligimus, quod *non est acceptor personarum Deus*.

C

Prof. (?) monastica.

Mat. 20.

Act. 10.

Igitur consideremus *nosmetipsos sollicite, ne alios temere iudicemus, non verbo sed virtute, non argumento sed factis* probamur meliores. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat.

Rom. 2. Ephes. 4. Coloss. 3. Matt. 7. Rom. 2. 1 Cor. 4. 2 Cor. 10.

Nonnullos audivi disputationibus, velle me convincere, quia apud opinionem hominum eos vivendo videbar superare. Sed profecto inter homines me crescere fecerunt: quo me diminuere putabant. Quia tanto Deus meus mihi dona gratiæ suæ dignatus est infundere, quanto ab illis etiam qui eius discipuli apparebant, indigna me permisit tolerare.

Detractor nocet sibi ipsi.

Igitur detractores non eis quibus derogant, sed seipsis nocent: quia dum aliorum profectus abrogare vel parvipendere cupiunt, divinæ bonitati (sine qua nullus bonus est) se invidere ostendunt.

D

Ioan. 15. Luc. 18. Mat. 19. Ephes. 1. Rom. 1.

Murmurat autem religiosus frustra, quia Deus cum illo secularem sanctum vel sanctiorem nonnunquam efficit, qui ab æterno diversa hominum merita sententia ineffabili destinavit & infallibili.

Monastica vita secura & dulcis. Mat. 19.

Verum, vt videtur, securior vita est in claustro quam in mundo, & dulcior: & merito si recte teneatur, vt oportet, & doceatur: quam vita communis secularium & iustorum activæ vitæ servientium. Nam illi omnia relinquentes pauperes corpore & spiritu vivere satagunt. Illi adhuc quamvis ad cœlum tendentes, mente tamen possessiones & prædia deserere negligunt. Inde videtur religiosam vitam si vere teneatur, perfectionem assequi, quia secularium vita est bona sed non perfecta: ideo in futuro oportet purgari.

E

In mundo enim vivere, etiam mundanis negotiis mancipari, est ab æterna damnatione animam salvare: quanquam etiam in purgatorio gravissima pœna sustineatur. In religione vero nisi quis perfectus sit, magnus dici non debet.

Religiosi veri qui sint.

F

Denique vt assolet, cum presbyteri vel alij clerici sive laici huic mundo renuntiant, incolæ tamen inter homines morantur pro statu suo honestis congruis & ordinatis moribus, deinde honestis studiis incumbentes, iugi devotioni insistentes terrena quoque atque carnalia abiicientes, sola necessaria retinentes, quatenus sic inter homines maneant, vt tamen nullatenus negotiis secularibus se interponant, sed postpositis omnibus quæ ad hunc mundum pertinent, solum cœlestium desideria gaudiorum iugiter festinent intendere & in amore conditoris incessanter anhelare.

Et nimirum cum hæc præfato toto corde totaque mentis intentione quærere amplectique non desinunt, spiritualium bonorum charismata à Deo percipere non dubitent. Inde fit, quod perceptis donis spiritus sancti cor eorum igne æterni amoris medullitus succenditur, & in holocaustum suave & delectabile Christo hostia vociferationis immolatur totumque concrematur. Vnde alibi dicitur: *Anima mea liquefacta est, vt dilectus locutus est, &c.*

Cant. 5.

Nimirum mens quæ per secularitas frigida & torpens à calore divini amoris in se remanserat iam interius loquente & inspirante dilecto, tota in igne dilectionis fluens iugiter inardebit. Vnde & istos sanctos qui æternitatis amore, quantum mortalibus fas est, tanguntur & in excessum mentis speculando rapiuntur, puto quod nec summi religiosi in amore præcellunt, qui in tanta charitatis eminentia Deo donante fortes consistunt.

G

Cant. 1.

Adolescentulæ Sponsum Christum diligentes, qui sint.

Verum scio, hi sunt per quod laudem & honorem Iesu Christi extollimus, dicentes: *Adolescentulæ dilexerunt te nimis*. Alij sunt qui Christum diligunt: sed non nimis, quia sic ad præcepta generalia custodienda se mancipant, vt tamen sibi aliquam delectationem in bonis vel parentibus vel aliis quibuscumque vanitatibus reservent. Et istæ adolescentulæ iure non dicuntur. Quia quemadmodum illa ætas pulcherrima est, robustissima & rectissima & staturæ perfectæ: non ita illi tota mente voluntate, toto posse, ad Deum sunt directi: sed quidem vt pueri vadunt ad ludos, ad spectacula, ad multas alias vanitates: quamvis tamen Deum semper præponant, quasi Deum amare nescirent.

Alij vero vt senes in servitio Dei torpent, nec fervorem amoris nec devotionem dulcedinis laborando spiritualiter sentiunt, quasi impotentes ad amandum Deum essent. Isti sunt vtique non quasi adolescentulæ. Adolescentulæ hæ appellantur & Christum nimis probantur diligere, qui neque more puerorum ad amandum Christum per insipientiam se volunt fingere: nec more senum, qui propter impotentiam labores pro Christo refutant sustinere: sed sine fictione iugum Domini arripientes, terrenis non corrupti, nec vanis rebus mundi dediti, se totos & mente & corpore ad æternum amorem infatigabiliter dirigunt, & cuncta temporalia pura cordis intentione constanter transcendunt. Qui profecto in divina dilectione ardent & amant, & tanto suavius & iucundius illorum mens in supernam contemplationem rapitur, quanto ab istius vitæ præsentis solamine & strepitu magis segregantur.

H

Hæc nimirum sunt adolescentulæ, quæ nimis Christum diligunt, quæ in solo conditoris desiderio anhelant,

lant, quæ nihil in hoc mundo cupiunt, terrena quæque à se prorsus abiecerunt.

Iuuenculæ per crebram divinæ conversationis perceptionem rectæ, per sanctam conversationem formosæ, per ardentem charitatem splendidæ.

Igitur bone Iesu, propitius esto nobis miseris, quia adolescentulæ dilexerunt te nimis.

Richardi Pampolitani Eremitæ de amore summo eodemque singulari opusculi Finis.

MAPHEI VEGII

L A V D E N S I S,

DATARII QVONDAM PII II. Pontif. Maxim.

OPVSCVLA SACRA ET OPERA, quæ reperiri potuerunt, omnia.

NVNC PRIMVM SIMVL typis evulgata.

- De liberorum educatione, & claris moribus libri VI.
- De perseuerantia in Religione libri sex.
- De quatuor hominis novissimis, Tractatus.
- Philalethes, seu Veritas invisa & exulans.
- Declamatio, sive Disputatio de præstantia Terræ, Solis, & Auri.

Poematica heroica.

- Antoniados, de vita S. Antonij libri IV.
- Astyanax.
- Liber 13. Æneidos, ad Virgilij librum 12. Supplementum.

DE MAPHEI VEGII Laudensis vita scriptisque editis.

MAPHEVS Vegius Orator & Poëta insignis, vt illius testantur opera, Laudem vrbem, laude ipse dignissimus patriam habuit, quam LODA hodieque nominant, non longe à Mediolanensi Insubriæ metropoli. Hanc Federicus Barbarossus fertur construxisse. Alteram vero quæ LAVS VETVSTA à recentioribus nuncupatur, & LAVS POMPEIA olim est dicta, Boij trans Alpes profecti, vt ait Plinius lib. 3. cap. 17. ædificarunt. Parentes hic habuit Bellorum, & Catharinam Lauteriæ familiæ, à qua honestissimè est enutritus. In primo litterarum tyrocinio duos in natali solo præceptores (vt in opere De puerorum educatione lib. 1. cap. 8. & 9. & 19. ipse testatur) licet diversæ eruditionis motumque habuit. Grammaticæ præceptis imbutus, cum maiora vigor ingenij ipsius expeteret, Ticinum totius Galliæ cisalpinæ Academiam celeberrimam adiit, vbi pleno ore hausit quod cupiebat, sitimque expleuit. Poëticâ maxime est delectatus, quod in genere Antonium Panormitanum sibi coniunctum habuit. Iuri Civili operam se dedisse ibidem refert, cap. 2. lib. 3. De liberis educandis: & cœlibem egisse vitam colligo. Romam deinde profectus Eugenio Pontifice Maximo ascitus est in scribarum Magistrum: in quo munere cum summa integritate & modestia versaretur, ad maiorem est evectus dignitatem, quam *Datariam* vulgo ibidem nominant: post in Canonicorum primariæ ædis Apostolorum collegium honorificè cooptatus est. Qua contentus dignitate Episcopatum magni sane proventus recusauit, cum se imparem & minus idoneum (tantæ erat modestiæ) tanto oneri prædicaret. Post Eugenij Papæ obitum non minori charitate & benevolentia illum Nicolaus Quintus, qui Eugenio successit, complexus est: à quo & res litteraria illustrabatur, & litterati omnes liberalissime fovebantur. Scripsit itaque tum multa pedestri & equestri oratione. Carmine quidem librum de vltimis Æneæ gestis & obitione, quem *tertium-decimum Æneidos*, nuncupauit, non quasi imperfectum esse opus Maronis putaret, sed vt in Poeticis ingenium ad quæ ferebatur, exerceret: idque exemplo Quinti Smyrnæi, qui Homero [illegible] lib. 14. addere est ausus. Lusit & Vegius de morte *Astyanactis* librum vnum, quem nuper Coloniæ in Vbiis Franc. Modius evulgauit. *Antoniadas* item libros 4. de beatissimi anachoretæ Antonij vita conscripsit heroicis versibus, quibus excelluit: etsi Epigrammata & Elegos conscripsisse etiam adolescens fertur. Prosa, seu soluta oratione scripsit hæc, quæ quidem exstant: *Terræ, Solis, & Auri altercationem*, opusculum elegans. Item, *De perseuerantia Religionis* lib. 6. ad Sorores religiosas Elizabetham & Monicam. Et de *quatuor nouissimis* librum singolarem. *Dialogum Philalethen*, de veritatis amore, ad Eustachium fratrem, habuit & alterum germanum Laurentium, de quo lib. 1. De liberis educ. cap. 4. Denique *de puerorum institutione*, post Plutarchum Chæronensem, qui legitur, & qui non exstat, Canonem de liberis educandis apud Nonium, eruditissimos atque vtilissimos libros sex reliquit, & Parisiis anno M. D. X I. & Basileæ tricesimo post anno venustius exiit.

Clausit Romæ diem extremum, anno primo Pontificatus Æneæ Siluij, qui Pius secundus est Pontifex nuncupatus, Christi vero M. CCCC. LVII. secundum Trithemium, sepultus in templo Augustini, in sacello quod in honorem Beatæ Monicæ, Augustini matris optimæ, dum viveret, ornatissime erexit: vbi ossa ipsius Monicæ, ab Ostia in Vrbem impensâ Maphei translata sunt, & opulento sarcophago condita, cum illius tetrasticho:

Hic AVGVSTINI sanctam venerare parentem,
Votaque fer tumulo quo iacet illa sacro.
Quæ quondam grato toti nunc MONICA mundo
Succurrat, precibus præstat opemque suis.

A quo etiam sacerdote Divinum Officium in honorem S. Monicæ, quod in Vrbe celebratur, compositum: vt & Divi Nicolai Tolentinatis eiusdem ordinis Eremitarum Augustinianorum. In quorum Bibliotheca plura fortasse Vegij monumenta ingenij Romæ inedita asservantur, & lectitantur.

INDEX CAPITUM MAPHEI VEGII LAUDENSIS, DE LIBERORUM Educatione.

LIBER I.

De Parentum Officio

LIBER II.

De studiis puerorum.

LIBER III.

Adhuc de studiorum graviorum ratione.

LIBER IV.

De virtutibus adolescentiæ, ut verecundia.

LIBER V.

Iterum de verecundia meum.

LIBER VI.

TYPOGRAPHO Schottus.

Non est quod pluribus opuscula hæc sacra laudem aut commendem:
De liberorum educatione, utilis est futurus magistris nostris quando & de studiorum ratione consilium dat lib. II. & III.
De perseverantia in Religione, omnibus omnino Religiosis omnique sexui proderit.
De IV. Novissimis concionatoribus utilis Tractatus.
Declamatio & Philalithia, Rhetoribus commoda in scholis. Poemata, Poetica classi utilis ac pietati.

MAPHEI VEGII LAVDENSIS, DE EDVCATIONE LIBERORVM Et eorum claris moribus.

LIBER I.

Operis suscepti ratio.

CAPVT I.

Laudatur S. Augustinus, & Sancta Monica mater eius.

SI tantum nobis ingenij esset, ut quod in præsentia aggredimur, recte consummatéque perficere possemus, consuleret procuidubio non parum publicæ utilitati suscepta novi huius operis lucubratio. Scripturi enim sumus quomodo *parentes filios educare*: Quomodo *filij etiam vitam agere* suam debeant. Quæ res quam non modo utilis, sed pernecessaria etiam cognitu sit, neminem putamus, qui sane sapiat ignorare, neminémque proinde fore speramus qui non libenter scriptiunculam nostram, qualiscunque fuerit, legat, legénsque etsi non sermonis, at rei certe, de qua sermo habendus est, dignitatem commendet. Quid enim amore filiorum maius? quid dulcius? Quid est vel impensæ, vel laboris, vel periculi, quod causa filiorum non ultro suscipiant parentes? ut quos intense amant, videant etiam aliquando inter cæteros mortales & divitiis, & gloria, & virtute præstantes haberi? Ad quod nulla certe commodiore aut aptiore via perveniri potest quam sobria & sancta eorum prima institutione: quam si recte susceperint, evadunt nimirum postea & fama celebres & rerum gubernatione magni atque excellentes viri. Neque vero ignoramus aggredi nos materiam ab aliis iam retro auctoribus eleganter, copioseque perscriptam: quibus quum & doctrina, & ingenio, & dicendi facultate longe impares simus, maiore forte quam par sit confidentia, tantum oneris assumpsisse iudicabimur. Quod si instituti nostri ratio, qua ad hæc edisserenda moti sumus, recte perspecta sit, non modo non arguet nos quisquam, sed pro suscepto insuper præsenti labore etiam plurimum commendabit. Nã vt id aperiamus: quum ab gentilibus ac maxime poeticis studiis, quibus per omnem adolescentiam ardentissime vacaveram, convertissem aliquando animum ad legendos sacros codices, delectatus sum adeo eorum lectione, vt, quod minime antea speraveram, offenderem tantum eloquentiæ (ne de doctrina aliquid dicam) quantum me ad nova studia invitare, ac vehementissime inflammare cœpit. Quumque summopere omnes divinæ sapientiæ scriptores legerem: legens admirarer, admiránsque maxime delectarer, unius tamen ante cæteros, *Augustini* adeo me ardens amor corripuit, vt quem non secus ac miraculum mundo

Sacrorũ librorum utilis lectio.

natum

natum fuisse arbitrarer, illum iam non solum legerem, sed colerem etiam, sed implorarem, sed invocarem. Tanta quippe legenti eum occurrit doctrinarum omnium eruditio, tanta eloquij vbertas, tanta ingenij vis & altitudo, quanta satis, omnium iudicio pervulgata prædicantur. Tam cumulata est præterea eorum, quæ litteris mandavit infinitáque suppellex, vt mirum si tot illum, quot vix nemo librariorum exscriberet, dictare potuisse. Tam callidus est disputator, tam doctus dicendi artifex, ut quo velit quorumcumque animos ducat: unde nolit esse facile pro arbitrio deducat. Tam splendescens sæpe eius consurgit oratio, tamque sui quasi negligens sæpius etiam se deprimit: atque ut res quæque expostulat, tam sublimiter, presse, temperate omnia exequitur, ut famulam certe & ad nutum sibi servientem eloquentiam vindicasse videatur. Taceo moderationem eius: quam tanquam purissimo quodam sale condita sapidissimum omnibus scripta sua gustum subministrant: qua & in acerbissimos fidei hostes ita utitur, ut prius se acutissimo rationum eius mucrone confossos sentiant quam lacessitos. Prætereo flagrantem dictionem, quanta illi vis excitandi affectus perstringendique animos, quos bene vivendi stimulos in animis legentium, quas divini amoris prædulces flammas relinquat: quo plane satis intelligere licet quam fuerit mens eius DEO plena, quam longe ardens altéque sublata, quam terrenorum nulla, quam divinorum, omnia omnino cor illius cura possederit, qui qualis animo fuerit, talem se litteris quasi per picturam effingens. Non alias ac secum ipse versabat cogitationes: non alia desideria scriptis suis consecravit. Sunt enim † scripta imago quædam & effigies animorum: & quales in cordibus recondiri latent, tales etiam scribendo ut aperiantur affectus necesse est. Captus non ab re igitur tanto Augustini amore quum legens eum percurrerem sæpius atque attentius, perveni ad libros, quos non eloquentia quidem multum elaboratos, sed dulces plane ac gustui omnium aptos, planioréque proinde ac humiliore oratione contextos *Confessionum* inscripsit. Illi me quid (quid eloquar) qua suavitate libri perfuderunt? quo ardore incenderunt, quantum excitaverunt animum, quantum iacentem etiam altius erexerunt: quanta ibi se mihi aperuit veritatis lux, quantus splendor, quos in eis legi aculeos amoris, iacula pietatis, flammas devotionis, quam ingens visa est mihi atque omnium virtutum laude longe prædita Augustini mater, quam supra omnes, quas unquam legerim, mulieres & excellens & admirabilis: quam singularis, quam incredibilis eius sanctitas, quam omni ex parte undique solida atque integra. Delectabat me tam pius in filium, cui tantopere iam affectus esse cœperam, támque propensus eius amor & studium, tam vehemens cura & sollicitudo perstringebat animum: tantaque filij causa eam torquebat anxietas, angebat eius timore, dolore cruciabat, charitate inflammabat, spe consolabatur, consolatione recreabatur. Fateor, maternus me amor ille novo etiam amore sauciavit. Affecerunt me vehementissime affectus illi. Lachrymæ illæ lachrymas etiam mihi uberrimas excusserunt. Ita me ergo eorum librorum lectio excitavit, ita mihi aperuit sanctitatem eius matris, quæ in id usque temporis, nisi quantum vulgo aliquanto acceperam, me latuerat. At vero quum volumina ipsa sæpius evoluerem, repeterémque animo historiæ illius monumentum (quo ne aliud quidem ullum occurrebat legisse maius aut mirificentius) cœpi cogitare versaréque amplius mecum non modo virilem fœminæ eximiamque virtutem, sed unde insuper quove ductu ad tantam virtutis magnitudinem atque excellentiam pervenisset. Illudque manifestissimum constare potest, nihil ei ad illam, quam consecuta est, vitæ sanctitatem tantum adiumenti præstitisse quantum sobriam castigatamque sub prima ætate eius educationem: quam quisquis attentius intueri voluerit, cognoscet eius exemplo nihil certe humanæ vitæ dignius consultiúsque provisum videri. Quam quisquis imitari studuerit, & recte in primis sapientérque vitam aget suam, & sanctæ demum institutionis fructu perpetuo lætabitur: Nam filios habebit, & sibi audientes, & patriæ caros, & Deo placentes: honore quoque & opibus magnos semper atque præstantes. Vnius igitur tam singulari & sanctæ bene educatæ fœminæ exemplo excitati præsens negotium suscepimus: ut qui id percurrentes non aspernarentur, manifestius etiam cognoscerent emendatissimam eius & quam non satis admirari possumus correctissimam educationem: cognoscentésque non tam eximiam illius sanctitatem, quam sanctitatis etiam originem venerarentur, & maximi facerent quam proponimus cibus passim: & tanquam lucidissimum quoddam bene rectéque vivendi speculum ante cunctorum oculos præfigimus. Quo qui introspexerint, contemplatique fuerint, quos vel à parentibus suis mater, vel à matre filius mores salubrésque institutiones susceperint: discent utriusque imitatione cautius & suæ & filiorum pariter vitæ consulere. Nos ut iam quo tendit oratio nostra properemus, enitemur ostendere omnem bene educandorum filiorum rationem. Ostendentésque eam rite ut speramus convenientissimis subinde etiam sanctissimisque tam parentis Monicæ, quam filij Augustini exemplis singula quibus idonee ea applicari poterunt confirmare studebimus. Vt qui exhortationes & monita nostra legentes non respuerint, sacrum etiam & divinum aliquid eis admixtum percipientes oblectentur. Invitamus omnes itaque parentes simul & filios: grandiores natu simul & adolescentiores: atque ad hæc quæ ipsorum causa expósituri sumus, legenda magnopere convocamus, non erit iniucundus eis labor noster: proderit etiam fortasse non parum. Legant hæc attente obsecramus, legentésque ne negligant. Quumque horum lectionem sibi profuisse intellexerint, Augustini etiam ac sanctissimæ eius matris Monicæ nomina colere: sempiternisque prosequi atque efferre laudibus meminerint: quorum ope & patrocinio longe magis quam præceptis nostris & filij egregios mores & parentes filiorum egregie moratorum dulcem fructum consequentur.

† Scripta, *Imago quædam animorum.* Confessiones Beat. Augustini. Adamus Sasbout Delphius homilia *De Timore Domini* habita ad Iuvenes Philosophiæ studiosos in die Catharinæ: *Egregia sententia ac Augustino digna cuperemque hos ipsius libellos confessionum adeo, omnibus vobis esse, familiares*, hoc est *frequenter versari in manibus vestris, legi à vobis ac relegi: siquidem à fluxis his vanis & caducis rebus, à sui amore, sive ut uno verbo Græci dicunt, φιλαυτίᾳ animum hominis potenter abducunt: quos cum fero mihi notos deleo.* Sic ille. De Sancta Monica, *infra cap. 10. lib. 1. & lib. III. cap. 6. 13. 14. 15. Item lib. 5. de perseverat. cap. 4.* De Iuventut. Institutione utilissima.

CAPVT II.

De Parentum modestia & coram liberis exemplo, probæ matrisfamilias in Monica imago.

INcipientes itaque, quid polliciti sumus, *de educatione liberorum, clarisque eorum moribus* dicere: recte in primis atque ordine facturi videmur, si parentes præmonuerimus, ut ipsi primo ita sobrie ac sancte vivant, ne vita eorum filiis, quibus morum ac doctrinarum ingenua monimenta tradituri sunt, vlla ex parte malo exemplo cedat. Nam quod in reliqua omni actione fit, nemo in institutione filiorum recipiendum etiam negabit. Qui enim sub veteranis agricolis assuescunt novitij agros colere, magis certe proficient quum

quum videbunt in aruis eos vel arantes vel fodientes, quam domi audient docentes colendique agri munia vlla atque præcepta tradentes. Et qui navigandi artem discunt magis etiam exemplis marinorum discriminum atque eorum quæ remigando fieri aspicient, quam gubernatorum documentis eius peritiam assequentur. Qui vero militant tirones, ducum quoque & imperatorum facta fortia præclarásque res gestas intuentes longe magis quam præcepta militiæ audientes, bellicæ artis instructiores evadent. Quod docet Virgilianus ille Evander, dum Æneæ filium commendans ait:

Pallanta adiungam, sub te tolerare magistro,
Militiam grave Martis opus, tua cernere facta
Assuescat; primis & te miretur ab annis.

Neque enim ideo comitem illi adiungit, vt dicta eius audiret magis quam facta inspectaret. Denique & a reliquarum omnium artium magistris, nemo erit qui non exemplo præsentique imitatione magis quam doctrina vlla atque admonitione adiuvetur. Certior quippe est oculorum quam aurium fides: efficacior quoque quæ exemplis percipitur institutio quam præceptis. Vidimus multos eorum quibus cura demandata est publicis acclamationibus populos ad virtutem exhortari, à vitiisque deterrere, summam & sui admirationem & documentorum suorum profectorum rudi popello attulisse. Non quod multum eruditi eius quod profiterentur, sed quod singulari quadam sanctitate præditi vel essent vel haberentur: atque ea quæ facienda aliis proponerent: prius ipsi facere putarentur. Nam vt ad Demonicum scribens dicit Isocrates: *Maxime is probus ab omnibus esse iudicabitur, qui videatur ea non facere quæ aliis facientibus ipse increparet.* Ita Christianam sanctam fidem nemo ambigit, quam signorum ac sanctissimæ vitæ eorum testimonio qui a primo præceptore nostro IESV ad eam disseminandam missi sunt magis, quam eloquentia aut eruditione vlla tanta fundamenta iecisse manifestum est. Ita & magistrum, quem nunc diximus nostrum quum publice populos erudiret, facere priusquam docere cœpisse: divina monumenta testantur. Eximia certe & omnibus litteris celebranda fuit virtus Eleazari senis illius, quem sacer refert historicus, cum ab impio Antiocho contra legem suam compelleretur esse porcinam carnem, suaderetúrque ei ab astantibus ministris ut secreto secederet, simularetque se ea vesci, liberationem ea simulatione consecuturus, recusasse id severissimo proposito ac constantissima voce ita dixisse: *Non enim ætati nostræ dignum est fingere, ut multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum: & ipsi propter meam simulationem propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur; & per hoc maculam atque execrationem meæ senectuti conquiram. Quamobrem fortiter vitam excedendo senectute quidem dignus apparebo: adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar.* Atque hæc post verba ad supplicium tractus mori maluit, ne viuens malo exemplo iuvenibus cederet: quibus non tantum quam vniversæ etiam genti memoriam mortis suæ exemplumque virtutis & fortitudinis reliquit. Prudentissime vero Paulus, dum Titum instruit quo docere modo debeat senes, iuvenes, anus, adolescentulas, pro sua quenque ætate & conditione post omnem doctrinam subdit. *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate.* Monens Ambrosius sacerdotes ut vitam seriam, gravem, sobriam, quam populus imitaretur observarent. *Quid enim*, inquit, *in te miretur si sua in te recognoscat, si nihil in te aspiciat quod ultra se inveniat, si quæ in se erubescit in te, quem reverendum arbitratur, offendat?* Sic quippe natura ipsa comparatum esse dicit Ioannes Chrysostomus, vt regentium mores vulgus imitetur: & quasi in imagine ita in vita præsidentium intendens, studeat illorum quam potest fieri simillimum. Quorum quo vita integrior fuerit, eo maior etiam omnium, quæ vel probabunt, vel damnabunt auctoritas habebitur: adiicientque dictis eorum mores graviorem fidem. Nam contra ubi non consentiret verbis vita, non solum lucri nihil, vt idem ait, sed & damni plurimum afferret: gravisque esset condemnatio. Componenti quidem sermonem suum, vitam vero atque opera negligenti, legimus Diogenem cynicum (vti lingua acer & mordax erat) ita increpare solitum esse oratores quod studerent iusta dicere, non autem & facere. Philosophos quoque quod quum pecuniam vituperarent, summe tamen & diligerent & coacervarent. Quos proinde etiam Cato *muta mortua gloriosa*. Hieronymus autem *animal gloriæ* appellarunt. Gravissime item Calanus Indorum Philosophus Alexandro scribens. *Nec similes*, inquit, *sumus græciæ philosophorum: qui verba pro rebus meditati sunt ad opinionis celebritatem; nobis res socia verbis, & verba rebus: res celebres, & sermones breves.* Illud quoque non tam elegans quam verissimum est quod à Pacuvio poeta dictum fuit eo versu quem Macedo quidam vir bonus fertur scribendum censuisse præforibus omnium templorum. *Ego odi homines ignava opera & philosophia sententia.* Quem & nos pro summa sententiæ dignitate non modo præ foribus omnium templorum, sed & adamantinis insuper litteris scribi debere censemus. Quæ res enim vlla indignior esse potest quam quosdam quos speluncas turpissimorum omnium vitiorum novimus, eo habitu incedere, ea verborum gravitate uti ita laudare virtutem qua nihil est illis alienum magis: ita accusare quibus ad oculos usque scatent scelera, vt veteris quasi Academiæ principes, aut novæ cuiusdam magis renovatores appareant. Verissime nimirum Cicero ait. *Totius iniustitiæ nullam capitaliorem quam eorum, qui tum quum maxime fallunt, id agunt ut viri boni esse videantur.* Quam sancte autem dicere solebat Socrates, recta eos & expedita ad gloriam via pervenire, qui id agerent vt *quales videri vellent tales etiam essent*, monens aperte ea sententia ut virtuti quisque potius quam umbræ eius inniteretur. Quam sanctius vero faciebat Cato, qui Socratis præceptum opere etiam supergrediens malebat, ut Crispus ait, *bonus esse quam videri.* Quare non immerito parentes summopere eniti debent, ut se virtutis omni genere componant atque exornent, filiorum saltem causa: qui quum omnia quæ oculis excipiunt, simiarum instar imitentur: ita quæcunque à parentibus maxime, quorum præsentior est conversatio, fieri viderint ad unguem etiam facere assuefiunt, assuefactique demum (tanta est vis consuetudinis) perpetuo ita uti primo imbuti fuerint quasi secretiore quadam vi naturæ cogente perseverant. Quam recte apud Senecam adolescens luxuriosus contra senem patrem luxuria insanientem declamans turpisque vitæ eius exemplo se corruptum affirmans, ait: *Quis imperator ob hoc ipse de prælio fugit ut bene pugnare exercitus? Non corrigit vitia qui provocat: meam quoque luxuriam patri imputabo, non sub severa fui disciplina: non sub bene instituta domus lege: quæ posset adolescentis formare mores, & à vitiis ætatis abducere, quodammodo ad luxuriam a patre præmissus sum, mandent unguento eam, & commensator senex nullo nimis luxuriosus, sed parum sanus videatur.* Non est ergo contemnenda parentibus bene vivendi cura; quo præsertim eorum auctoritatem reformidantes filij quæ meliora sunt ultro amplectantur: quæ vero deteriora, devitent. Nam si P. Scipionem & Q. Fabium accepimus, id quod præstantissimum etiam cuique contingit, dum magnorum virorum imaginibus inspiciendis animum intenderent, quam maxime ad virtutem excitari inflammarique solitos esse. Si & Iulius Cæsar inspecta Alexandri imagine plurimum & ipse magnarum rerum gloria incensus est. Quod esse poterit efficacius exemplū quā viva

Horat. de arte vol. 18. Segnius irritant animos demissa per aures, &c.

Turpe est doctori cū culpa redarguit ipsum.

Act. 2. Mach. 6. v. 24.

Tit. 2. v. 7. Sacerdotes exemplo debere esse.

De bene docentibus & nihil facientibus.

Cic. Offic.

Senec. Rhetor in Controversiis. Filius patrem [illegible] damnat exemplo.

spiransque vox simul & facies parentum: si prætere a summis philosophis admonemur proponere nobis bonum quempiam virum, quo tanquam præsente & spectante omnia & loqui & agere nisi modeste & sancte vereamur, quos proponere sibi idoneos magis filij quam parentes possunt: qui & amore propensiores: & cura diligentiores, & reverentia digniores, & præsentia non modo animo composita, sed & oculis assidue etiam expressa frequentiores certioresque habebuntur. Ferunt Cratem illum antiquum solitum dicere: exclamaturum se magna voce si licuisset ab altissima urbis parte accusaturumque hominum stoliditatem: qui cum cogendarum pecuniarum tanto ardore raperentur, filiis tamen quibus eas relicturi essent, erudiendis vel minimam, vel nullam curam impenderent. Ego vero si id utique putarem licere: vel ab excelso, ut ille, quopiam loco, vel per publica etiam passim loca vociferans atque exclamans increparem tantam parentum insaniam magis quam stoliditatem, non quod ut Crates aiebat erudiendorum filiorum minimam haberent curam; (quam plerique magnam se habere decepti longe sua opinione arbitrantur) sed quod cum nemo sit qui non filios præclaris moribus & disciplinis ornatos esse cupiat, multi etiam ut his ornati sint minimum adhibeant operæ ac diligentiæ. Contra ipsi tamen ignavi, cupidi, obscæni, flagitiorúmque omni turpitudine inquinati sunt: & cum filios militare maxime optant, virtutem contra etiam tanquam hostes atrocissimi vel clam, vel indicto sæpius publice bello persequuntur: qui & conscij scelerum suorum non audent filios eorum quæ in se recognoscunt, libere increpare; & si audeant, manifeste seipsos sub illorum, quos arguunt nomine, videntur accusare. Dicant oro sapientissimi patres: putant ne somno & ventri, scortis & aleæ dies, noctesque indulgere, cumulandis opibus per furta, & rapinas, per fraudes ac dolos, toto anxios ore inhiare: filios vero quorum ante ora ea faciunt vigilantes, demum sobrios, pudicos, sui largos: alieni haud cupidos, ac omni a criminis labe puros se conservare? quanta humanarum mentium cæcitas, quanta caligo veri! Num ignorant quam procliviores natura omnes ad delinquendum sumus, non pueri modo, sed barbati etiam senes, longaque ætate confecti: quam pruriant, nolentes etiam nos trahant vitia atque præcipitent: quam demulceant, quam deliniant ac instar piscium inescent nos mala nostra: quam gravi dominio, imperiosaque auctoritate nos premant, ac quo velint impellant, delicijs ac illecebris ultro rapimur: voluptatis plana ac patens est via. Virtutis contra asperum atque horrens iter. Quare apte fingunt poetæ Herculi ab ineunte adolescentia cum in solitudinem exisset, dubitansque diu cogitaret quam vivendi viam ingrederetur, astitisse duas matronas *Virtutem* scilicet & *Voluptatem*: comptam hanc, nitide, lætamque ac hilari vultu, at subtristem illam & sordido habitu. Cumque diversa illi ambæ ut ad se eum quæque traherent pollicerentur, hæc iocos & delitias, omnemque bonorum affluentiam, illa, famem, sitim, æstus, & frigora, & quicquid triste, durum, horrendumque excogitari posset: sed bonum præmium Deum tandem eum futurum, altiore ipsum salubrioréque usum consilio, Virtutis viam licet duriorem, asperioremque secutum fuisse. Quæ enim rara sint & per paucis concessa ac præclara certe & præclari cuiusque ingenij imitatione longe digna. Ita vero parentes, Herculis vestigia imitaturos sperabunt filios suos, ut cum delicijs luxuque omni ipsi affluant, vitam tamen illi eorum intuentes frugaliter vivere, atque laboribus ultro se malint obijcere: ita putabunt blandas ad quas tam inclinati omnes tanquam ad mel muscæ ducimur: qualisque tam avidi ipsi sequuntur voluptates horrori illis fore, ita ipsi exquisitioribus se epulis saginabunt incalescentque mero, ut canino demum illi quod Ennius ait, prandio contenti sint, ita aleæ vacantes pernoctabunt, ut templa illi Deum venerantes frequentent; ita ipsos obscœni sermones, obscœnioraque facta delectabunt, ut nihil illi vel loquantur, vel agant quod non ex pudicitiæ fonte haustum esse videatur. Ita alienum æs rapient, egentes opprimentes, optimum quemque iniuria afficient, ut quam male ipsi docuerint laudes in eis omnes innocentiam & admirentur. Atque ut *matres* præcipue alloquamur, quandoquidem is sexus maiori subiacet periculo, vas vacuum, inane, fragile, ita facies ipsæ fucabunt, ita saltationibus protervitæque omni indulgebunt, ita cætera quæ honestius præterimus, ante filiarum ora etiam efficient, ut illæ postea nihil nisi Deum colere, ieiunijsque tantum & labori bonisque artibus intendere, viros aut nunquam, aut tanquam monstra cernere assuescant. Expergiscantur aliquando, expergiscantur, ne despiciant exhortationes nostras, multos certe filiorum novimus dissimiles patrum moribus evasisse: sive id natura contigerit, sive præceptorum doctrinis, sive quod frequenter fit, vel æqualium, vel maiorum etiam conversatione, ac filiarum nullam unquam matrum moribus non persimilem, ita ad unguem earum mores, ita verba atque actiones imitantur. Tanta est earum invicem convenientia, tanta similitudo, ut ne muscarum quidem maior. Si mater (inquit Chrysost.) pessima fuerit, atque innumeris sceleribus plena, ex hac liberorum educatione id lucrabitur, similes enim eos sibi necessario faciet. Quare qui uxorem ducere volunt, ut illud inprimis attendant monemus, ne scilicet filiam matre orbatam, nisi honestissima in familia, atque honestissimis a nutricibus educata sit, ullo modo accipiant, aut si mater ei est, curent caute maternæ & famæ & vitæ certiores fieri, quæ si ad votum respondeant, ducant age tam probæ, probatæque matris filiam, pro qua non dubitamus nos ultro spondere tali eos semper coniugi lætaturos esse. Neque enim fieri potest si matrem videat religionis, religiosorúmque hominum cultricem, egentium subministratricem, miserorum adiutricem, Dei timentem, nihil quod non pium, castum, sanctumque sit agentem, quin filia itidem imitando facere studeat, studensque se his assuefaciat, assuefactaque demum tam solidas eorum quæ per imitationem efficit radices iaciat, quæ non dicam evelli, sed neque propulsari ab ea unquam possint. Laudans uxorem Plinius scribit ad Hispullam amitam, congratulans atque agens ei gratias quod manibus eius educata, quod præceptis eius esset instituta, quod nihil in contubernio eius vidisset nisi sanctum & honestum. Curare igitur toto debent studio matres, & si non alia, at filiarum saltem causa omni se virtuti præditas & haberi & esse, sed pudicitia quam maxime, quæ & si omni sexui summo sit ornamento, at fœminis pernecessaria. Nam cum viri vel litteris, vel militia, vel magistratu, vel imperio multis modis magni celebresque evadant: hac una tantum fœminæ (neque enim, quæ modo memoravimus apprime illis conveniunt) gloriosam sunt laudem consecutæ, hic est singularis unicuique thesaurus earum, hunc sollicitius conservent, hunc ab impurissimis insidiatoribus longe intactum, intemeratúmque secludant, hunc pervigili cura, indefessoque studio custodiant, hanc secum quam a matribus acceperint locupletiorem multo alijs atque ampliorem dotem filiæ ad maritos ferant, pro qua & amabuntur: & ab illis magno semper in honore habebuntur, quam ut uberius assequantur præcidendi sunt etiam cuncti malarum libidinum fomites, cuncta irritamenta, ne videant matres saltantes, ne lyram attrectantes, ne spectaculorum celebritatibus & pompis intendentes, ne molliore victu, comptioreque cultu delectantes: ne quo elegantiores videantur, nescio quibus unguentorum portentis faciem curantes. Procul hæc, procul hæc ab oculis filiarum: ne audiant ab ipsis dicaculum aliquod aut pruriens verbum. Ipsa quoque secretiora coniugalis thori,

thori, quamvis sancta & immaculata, submovenda tamen ab aspectu earum, atque longe arcenda sunt, ne (vt est ad imitandum quæ videt rudis illa ætas ceteris curiosior) experiri quæ non intelligit volens, male his aliquando intelligens assuefiat, quod cum in quibusdam etiam pene infantibus visum sit sæpius contigisse, non aliunde id quam a parentibus eos accepisse qui altius sapiunt, suspicantur. Cogitent quæso quantum curæ adhibeant in excolendis domibus, vt munda sit omnis suppellex, vt niteant columnæ, vt tersi sint parietes, vt purgata pavimenta, ne quicquam vel luti, vel tomenti, vel excrementi offendat oculos hospitum, aut venientium ad se amicorum, quæ si tanta diligentia curant, quanto maiore decet eas morum ac sanctæ vitæ suæ nitore splendentes efficere, vt nihil pateat oculis aut hospitum & amicorum quod commendare non possint, aut filiarum quod ad turpitudinem eas invitet, ne cum permundaverint, perpurgaverintque exteriores domos, interius tamen pectoris habitaculum, quo divina numina hospitari solent, sordidum, immundum vitiorum labe infectum & coinquinatum appareat, atque illud merito eis accidere possit quod Phrygi cuidam quæstori Dionysij, qui cum in domum splendido instructam apparatu, preciosisque stratam pavimentis Aristippum induxisset (quanquam id plerique Diogeni concedant) velletque ille excreare, in faciem tam magnifici habitatoris sputa coniecit, quo indignante dixit, nullum se vbi spueret viliorem, abiectioremque locum invenisse.

De Aristippo qui in faciem sputavit.

Excitent iam se matres, suscipiant libenter monita nostra, susceptaque libentius etiam perficiant, ad quod cum hæc quæ tradimus præcepta, tum antiqua simul sive gentili, sive Christiano ex grege egregiarum fœminarum exempla commovebunt eas facile atque incendent, quæ licet multa imitatione digna commemorari possent, cum ad alia tamen edisserenda advocemur, vnam tantum (cuius causa operi nos huic accinxisse supra retulimus) tanquam illustriorem, sanctioremque eis exemplo habendam, Monicam Augustini matrem ex omni feminarum turba proferemus. Cuius si pudicitiam, ad quam modo eas tantopere exhortati sumus, quærunt, nihil ea mundius, nihil candidius iudicabunt, quæ & filium turpi insanientē libidine, ad castitatis amorē sanctis assiduæ mortis cogitationibus cohortabatur, & maritalis cubilis iniurias ita dissimulans toleravit, vt ne vnquā ob id simultas illi cū viro fuerit, quem magis Deo iugiter commendans & Christi fidelem & castum simul fieri aliquando spectabat. Si tolerantiam & mansuetudinem, tanta in ea relucebit, quantam nescio maiorem illi esse potuisse, quæ & mariti iracundiam, & ancillarum delationes, & socrus indignationem patientissime sustinuit. Si concilium & prudentiam, neque horum inferior aliis laus in ea prædicanda est, quæ viro irato nunquam resistere, refracto vero & quieto cum tempus postularet, callebat eorum quæ egerat rationem aperire. Matronas quoque vicinas intemperatioris linguæ blande, dulciterque admonere, atque ad maritorum debita obsequia optimis sanctissimisque rationibus invitare. Si ingenij vim & acumen, neque hoc in ea contemnendum fuit, quod eum sæpius se admiratum fuisse Augustinus refert, tum vero maxime in quadam disputatione non parvæ rei quam die natalis sui cum convivis habuisse, atque in libellum contulisse narrat, tantamque eius mentem sibi apparuisse, vt nihil aptius veræ philosophiæ viderent, proindeque instituisse cum abundaret otio, agere ne colloquio suo vnquam deesset. Si constantiam & animi magnitudinem, si perseverantiam nihil supra, quæ optimum quemque ac doctissimum, anxia semper & gemebunda adibat, rogans, instansque vt filium errantem docerent veræ pietatis dogma atque doctrinam, quæ virili demum animo, neque laboribus, neque periculis, neque annis suis parcens, semper invicta, semper infracta, per longa viarum spatia terra cum marique se-

S. Monica, feminarum exemplar.

cuta est. Quid dicam sobrietatem vitæ eius? quid modestiam, quid integritatem? quid innocentiam, quid in gubernandâ re familiari, instituendisque filiis diligentiam atque disciplinam, quid teneritudinem animi propensumque in omnes amorem, præsertim in religiosos ac sanctos viros quos cum præ cæteris plurimum veneraretur, identidem ab eis summe colebatur. Quid religionis cultum? quam spe bona erat semper, quam solida pietate, quam ardenti charitate, quam egentes fovebat, inopes sustentabat, miseros commiserabatur, afflictos consolabatur, quanta illi cura sedandi turbatas mentes, extinguendi odia, componendi discordes atque infensos invicem animos, & ad amicitiam pacemque revocandi, quantum humanas res fluxas, fallaces, momentaneasque ducebat, vt ne vitam ipsam, etiam quam tanti quisque facimus, prorsus quicquam illa curaret, quam terrena cuncta magno animo contemnens divinorum assiduo miroque ardore flagrabat. Hanc nimirum tot tantisque præstantem virtutibus ad maiora Deus atque meliora ad altiora pervehere destinavit, cuius filium gravissimis diu impiissimisque implicari erroribus magno non sine providentiæ suæ consilio permisit, vt sancta matris quam probe perspectam habebat, affectus suscitaret ad eas quas & vberrimas & ardentissimas per tantum temporis profudit preces & lachrymas, quibus tanquam alte evulantibus coruscantibusque quibusdam sagittis & cœlos ipsos & Dei ipsius etiam summi secretiora corda penetravit, quibus adeo se evexit, adeo mentem altius extulit, vt familiarissima iam divinorum consiliorum facta tantum fuerit consecuta, quantum gustu magis quodam mecum capere quam verbis vnquam ollis explicare possim. Cogitent qui forte tantum de ea iudicium nostrum admirantur, quam magnum quantique æstimandum fructum attulerunt maternæ illi preces & lachrymæ Augustini scilicet conversionem, quo quantum desolata iam pene fides nostra indigebat, omnes intelligunt, cumque animadverterint nihil illo excellentius, persuadere etiam sibi facile poterunt matris, quæ tantum illum ac maiorem etiam quam petebat precibus & lachrymis suis impetravit excellentiam, nam vt mortalium precibus capitur, ac tanquam cathenis vincitur Deus, ita precantium fidem ardoremque magis quam quid petatur respicere atque pari mensura respondens implere solet. O fœminam singularem! O magnam & admirabilem! O scriptorum omnium dignam præconio! O sempiterna laude prædicandam. Hanc talem non immerito ac tantam ad imitandum matres suscipiant, huius virtutes contemplari ne vnquam desinant, quibus cum tot numero claruerit, non facile tamen sit iudicare vtra earum præstiterit, tanta fuit in ea singularum magnitudo atque excellentia, hanc ament, hanc colant perpetuo atque invocent, non matres modo sed & patres simul, quos cum omnes vna compellemus ita omnium animos ad illius imitationem pariter & affectionem maxime cohortamur, cuius cum imitatio eos ad bene, sanctêque vivendum non parum incitabit, ita affectio ad illam etiam magis imitandum plurimum adiuvabit. Nunc ad alia de quibus iam tempestivum est disserere orationem convertamus.

CAPVT III.

Quomodò recte filij generari, generatique in vtero custodiri debeant.

SAtis iam parentibus persuasum esse arbitramur quam necessarium sit ad institutionem filiorum modeste eos inprimis ac sancte vitam instituere, proximum nunc est, vt quo illos modo instituant ostendamus, quod antequam aggrediamur non negligendum

A

videtur vt quid in procreatione eorum observare debeant, pauca primo attingamus, parum enim prodesset in his instituendis laborare qui ita procreati essent vt magna non sine difficultate bene institui possent: Sicuti solet accidere cultoribus arborum, qui cum radicis fundamenta male iecerint, habeant, quantam velint, putandorum ramorum curam, frustra bonum unquam vllum earum aut vberem fructum expectabunt. Principio itaque qui pro suscepta sobole perpetuo lætari cupiunt, curare debent ne aliis quam uxoribus fœminis vnquam congrediantur, præsertim abiectæ aut prostitutæ conditionis, quod cum divini ad mandati observationem pertineat, tum humana etiam philosophia præcipiente ad splendorem, decorémque morum, atque ad nomen filiorum clarius, evitandam quoque quam exprobrare facile quisque eis potest, generationis maculam, maxime conducit. Plerique enim sæpe quibus generositatem magnam animi natura ingenuit, conscij paternæ labis ducuntur, prosternunturque animo, vt quod à natura bene susceperunt generationis non parum detrahat ignominia. Confitebitur de hinc etiam quisque eos qui se meretricibus iungunt intemperatioris libidinis vi ac stimulo impelli, quam qui uxoribus propriis, suscipetéque eius effectum non dissimilem ab immoderatiore illo desiderio vim atque naturam, quam certe ita tenacem imprimi medici tradunt, vt quas rationes, conditionésque semen habuerit dum generationis radices iacit, easdem insinuat nunquam abluendas in humana corpora atque ingenia. Quare consequens est ex huiusmodi intemperantia natos ad venereas voluptates etiam procliviores fore. Quod nec poëtas latuisse apparet vt omnia quævis etiam secreta naturæ velamentis suis ornare studuerunt. Fingunt enim Pallada quod castissima ac virgo credita fuerit; à Iove genitam esse non ex coniunctione fœminæ vt reliquam ipsius sobolem, sed ex cerebro, quasi ibi sapientiæ non libidinis ullus inesset ardor qui in filiam derivaretur. Ex hac ratione illud etiam sequitur quod nec minus admonendi sunt patres, vt scilicet potu ac cibo moderate sumpto commisceant se vxoribus, ne contra observantes, contingat eos habere filios helluones & ebrios, cuiusmodi memoratur illud Diogenis in quendam adolescentulum ex temulentia desipientem. *Adolescentule*, inquit, *ebrium te seminavit pater.* Cui nec dissimile est quod à sene quodam docto teste iactum fuisse in quendam puerum immoderatius edentem, quem dum *Orci* qui cuncta devorat *filium*, appellaret, *O semini* (inquit) *conveniens messis.* Pari ratione convenit abstinere se parentes cum ieiuni, aut debiliores alia causa facti sint, cum longo itinere aut gravi labore fatigati, cum languore aliquo correpti, & quod studiosis litterarum frequentius accidit, cum meditati quicquam defixius, diutiúsque fuerint ne ex his vitij aliquid quod & animo & corpori nocumentum afferat, filios postea susceptos comitetur. Non est contemnendum etiam quod medicorum probat auctoritas, ne intra secretiores thalamos depictas habeant deformes, monstruosásque figuras, quarum intuitus, cogitatióque vehementior admirabilem vim habet in fingendis fœtibus, instar eorum quæ vel oculis hauserint, vel mente efficacius conceperunt. Quare Soranus auctor medicinæ, quem refert Augustinus, scripsit Cyprium quendam regem cum deformis esset coniugi suæ, ne deformes filios pareret proponere in concubitu formosam picturam solitum fuisse. Præcipue autem fugienda est nimia congrediendi consuetudo, quæ corpus pariter & animum laxat admodum atque enervat, qua & prohibentur generari fœtus, & si generentur deteriores ob id semper evadere solent. Quare scitum fuit illud Pythagoræ responsum, qui rogatus quando esset concumbendum, tunc (inquit) *cum teipso infirmior fieri vis.* Cuius est & præclara illa sententia, veneream hyeme non æstate faciendam, autumno, aut vere levius, omni autem tempore esse gravia, & ad sanitatem minime idonea. Observandum est etiam quod medicorum simul & Philosophorum præcepta tradunt, ne nimium adolescentulæ quis se coniungat, quod tenuiores inde hebetioresque filios nasci non tam in hominibus quam in cæteris etiam animantibus animadversum sit. Et quibus in civitatibus mos est adolescentiores puellas nuptui tradi, in his etiam imperfectiora esse hominum corpora atque imrobustiora, laborem etiam maiorem partus sustinere, ac vitæ discrimen sæpius incurrere. Idem de senioribus putandum est, quarum ita vt & iuniorum partus minus perfecti esse, minúsque & animi & corporis viribus valere creduntur. Quare recte maiores nostri fœminas non ante octavum & decimum, viros vero sextum & tricesimum annum connubio iungendos esse censuerunt. Post hæc curare debent mulieres cum prægnantes sunt, vt quantum satis est alimoniæ capiant, vt acutiores atque amariores devitent cibos, ac vina insipida, vt moderate se exerceant, non pigritia torpescentes, nec violento vllo se motu, aut labore lassantes. Laudántque plurimum prisci auctores tanquam moderatius, ac dignius iter, vt singulis diebus visant aras ac templa sacra. Studeant quam maxime mente læta semper & tranquilla esse. Nam quemadmodum diligentius culta lætiores fruges terra producit, ita quæ diligentiorem sui curam habuerunt, meliores etiam humana corpora proferunt fructus.

Meretricẽ paternfamilias fugiat.

B

C

D

D. Soranus fort. in lib. de Civit.

B

Vir & fœmina quando nubiles. Aristot.

F

Virgil. Georg.

CAPVT IV.

Matrum lacte alendi infantes, & de mira eius virtute.

POstquam vero enixæ fuerint maiore quoque studio attendere oportet matres circa alimoniam filiorum, atque illud in primis admonendæ sunt, vt eos proprio alant lacte, neque nutriendos tradant extraneis, præsertim abiectis, aut impudicis fœminis. Nam non minorem lactis quam supra seminis diximus, vim ac proprietatem credo esse in fingendis corporis, atque animi similitudinibus, quod cum hominum tum cæterorum etiam animantium experientia compertum est. Agnos subrumos si capris lactandos subiecerint ferunt lanæ durioris esse, contráque tenerioris hœdos si lac ovium ebiberint. Duos pueros agrestibus parentibus natos accepimus propter matrum tum lactis eorum inopiam alterum caprino, alterum porcino lacte enutritos, atque hunc à lutosis paludibus, illum à dumetis frondosisque iugis montium nunquam avelli potuisse. Quare non indocte ab Ovidio dictum est: *Nec lac bibit ille leanæ.* Et à Virgilio. *Hircanæque admorunt vbera tigres.* Porro quid hæc in corporibus animantium miramur? cum in his quæ è terra nascuntur certum sit aquas magis ac terras quibus aluntur, quam semina ipsa à quibus genita sunt valere ad earum vel decrementum, vel augmentum. Plantaria quoque lætæ primæ indolis si in tristioris succi terram transponuntur, multotiens interire. Pareant igitur matres quasi à se filios ablegantes aliis alendos dimittere, proponant sibi exemplo quas modo memoravimus & pecudes simul & arbores, ne putent venustatis magis aut ornamenti quam nutricationis causa decentiores illas mammarum nervos sibi à natura fuisse concessos, desinant proinde ita delicatæ, quid dico delicatæ, imo ita feræ atque immanes esse, vt quo formæ aut tenerioris ætatis florem aliis ostentandum conservent, quod neque lupæ neque leænæ efficerent, filios quasi vel negligentes vel odio etiam persequentes à pectore suo abijciant. Attendant quid Gregorius pravam huiuscemodi consuetudinem in coniugatorum moribus surrexisse accusans dicit, eas non alia causa filios quos gignunt aliis mulieribus nutriendos dare quam sola ex carnis incontinentia. Nolint fontem

G

Similia de lacte nutricũ disputatio Favorini apud A. Gell. lib. 12. ca. 1. Noct. Attic.

H

vberum suorum, noluit tam sanctos, quos sobolis tantum pascendæ causa natura fabricavit, ipsæ tanta cum dementia mammarum euripos extinguere ne naturæ pulcherrima atque ingentia dona despiciant, ne quod illa sapientissime condidit, benignissiméque eis contulit, tanquam illius criminatrices contemnant, ne parvi quælo faciant, ne imitentur eas quæ turpitudinis suæ consciæ nondum natos fœtus privant, alimonia interiora puriorisque sanguinis, aborsum medicamentis facientes. Quid enim aliud ipsæ factitant, dum vberrima vberum suorum illius munera denegant, dum tubos per quos pretiosissima lactis ipsius vnda profluit, arefaciunt, neque vllam quod ab aliis alii eos curent, caeulationem afferant, qui si fati possent & vecordiam longe earum accusarent, & quod ab artifice natura susceperunt ab ipsis tanquam proditricibus ac salutis eorum inimicis auferri quererentur. Nam quid convenire magis sustentationi ipsorum credunt, quid ad conservandos atque augendos eos magis congruere arbitrantur, quam consuetum iam & interioribus vteri penetralibus ante degustatum sanguinem, neque enim alius est ac prius in vtero fuit quamvis vi decoquentis caloris mutato postea colore exalbuerit, nam nec carbonum quod album cum ardent, alium cum extincti sunt colorem servent, diversa tamen est species. Nec argenteorum stilorum quos albere cernimus, mutari etiam materiam putamus quod ductæ ex eis notæ nigrescant. Vina quoque quod ea vvis recenter expressa albescant, diutiúsque in fracibus servata rubescant, non diversa tamen esse existimamus, dicam vero si a teneris annis assuefactæ fuerint, cuipiam vino quod verbi causa vinea sua genuit neque aliud vnquam epotaverint, quantum ad valetudinem conferre putabunt, si ea diverso longe orbe prolatum vinum aliud eas ebibere oporteat. Ita profecto est vt cum nihil applicabilius, nihil similius cui iam in vtero assuefacti sunt victui illis afferri possit quam lac proprium matris, nihil etiam sit sustentationi eorum atque augmento aptius, nihil convenientius, cuius præcipuum euidentiusque testimonium ne quidem est prætereundum, quod experimento probatum esse affirmant Medici, conferre scilicet ad quæque quibus infantes anguntur, nocumenta, si admoveantur ori eorum sugendæ summæ maternarum mammarum papillæ. Ne manifesta iam naturæ iura respuantur, ne detractentur quæ præter cætera eo ipsas etiam argumento ad alendos fœtus invitat, quod educatorem nondum natorum corporum sanguinem cum puerperij tempus propinquare præsentit, transmittit ad exteriores vberum fontes. Mira providens solertia, vt non diverso quam in latebris conditi pascebantur in lucem etiam prolati victu foveantur. Quæ & geminas præterea eis mammas adiunxit, vt si geminos etiam fortasse aliquando parerent, non deessent pares illis lacices quibus vtrinque abunde ali possent. Ne magistram omnium atque opificem naturam tanta iniuria afficiant, quæ cum totas integras perfectásque filiorum suorum matres esse voluerit, ipsæ contra iura sua dimidiantes negligunt eos, aspernantur, deserunt, abiiciunt. Res monstra certe similis, vt quos in abditissimis vteri recessibus non visos vnquam sanguine proprio aluerint, cum in apertum prodierint, quos iam vident, quibus iam arrident & blandiuntur, quorum dulcia murmura officiosámque implorationes captant, illis tam immaniter lactis proprij dona denegent, non alia sibi causa concessi, vt quem cunctis animantibus ingenitum esse constat in filios amorem, ad extraneas mulieres vetitæ tantum eis cibationis causa transferant, quibus cum minus affectas esse manifestum sit propter alienatam ab ipsis eorum nutricationem, ita illos maiore sæpius caritate à quibus alimenta susceperunt, quam matrum desiderio moveri incertum non est, confirmari enim augerique maxime omnibus animantibus solet, qui communi ex convictu amor exoritur. Mirantur forte longiorem super his sermonem nostrum, at nos non minus delicatiorem vitam earum, qua compulsi etiam sumus plura quam instituerimus, verba facere, neque nostram refellere sententiam contendant, quod vel corrupti vel siccati lactis causa, vel malam propter valetudinem, vel gignendorum etiam aliorum desiderio filios sæpius extraneis alendos commendent, non adversamur, non his certe repugnamus, quæ cum acciderint, tamen eas summopere admonemus ut summam adhibeant diligentiam in deligendis nutricibus, quas etiam si fieri potest non alibi quam in domibus earum hospitari curandum est. Sed & erit cavendum ne prægnantes sint, ne à partu nimis recentes, ac ne minus quidem duobus mensibus, ne mala aliqua valetudine affectæ, ne cuiquam se commisceant, ne vel aborsum fecerint vel facere consueverint. Præterea attendere oportet ne masculum pepererint, ut colore sint vivido, corpore robusto, carne neque macilenta neque præpingui, ætate etiam virenti, atque ea maxime probatur, quæ quintum & vicesimum, ac quintum intertricesimum annum agitur, non est etiam negligendum ut moderato utantur exercitio, ut bonis ac electis alantur cibis, ut (quod præcipue Aristoteles præcipit) vinum sumant multa mixtum aqua, ac ipsum quidem modicum, licet contra vulgi iactet opinio. Quæ cuncta cum ad informanda augendáque magis humana & corpora & ingenia plurimum conferre credantur, longe tamen ante omnia maiorem efficaciorémque vim afferre existimandæ sunt humanæ perturbationes; quibus nemo non vel magna vel parva ex parte subiectus est. Quare adhibendæ sunt pueris nutrices quæ non tristitia, non ira, non timore, plus æquo affici videantur. Reiiciendæ sunt morosæ, difficiles, fatuæ, stolidæ, temulentæ, servæ improbæ præsertim vero, quod à principio admonuimus, impudicæ. Quandoquidem & pudicitiæ maius incumbit periculum, & venereæ titillationis violentior vis est, faciliórque in educatam sobolem ab altrice defluxus. Nec miremur postea quosdam quos honestissimis castissimisque ortos scimus parentibus, quod viles impudicásque sortiti sunt nutrices longe parentum suorum moribus dissimiles extitisse. Tanta quippe est primi ipsius alimenti vis, tam efficax impressio, ut non alias proprietates & ingenia trahat secum in novellum quo suscipitur, atque tenellum vas, quam quas rivus ipse unde profluat habuerat. Bernardi mater & sanguine clara & virtute etiam clarior fuisse prædicatur, quam tum in multis tum in educatione præsertim liberorum manifeste declaravit. Nam eorum non modo erudiendorum pateeque & sobrie enutriendorum curam habuit (quod nos quoque infra præcipiemus) quin & lacte non nisi proprio ali eos nunquam passa est, illud probe callens quod à nobis demonstratum est, maternos vtique mores cum eo simul liquore in lactantes filios defluere. Nec vero diversum est sancta & prudens mater ab optima educatione liberorum suorum fructum consecuta, quos omnes (septem enim numero susceperat) & virtute moribúsque insignes, & (quod mirum est dictu) omnes insuper dictos, summáque omnes sanctitate religionisque observantia præstantes habuisse percelebre est. Nec vero gentilibus mulieribus minori id laudi attributum est, quod quam maxime nos docet perelegans illud Epigramma, quod marmoreo tumulo insculptum reperi in basilica quæ memoriæ Ioan. & Pauli dedicata est. Eius verba sunt hæc.

Nutrices quales.

S. Bern. mater.

GRATIÆ ALEXANDRIÆ
INSIGNIA EXEMPLI AC PVDICITIÆ
QVÆ ETIAM FILIOS SVOS
PROPRIIS VBERIBVS EDVCAVIT
PVDENS AVG. LIB. MARITVS.

Non visum fuit satis mulierem laudo pudicitiæ commendatam fuisse, nisi & adiunctum esset filios eam suos propriis vberibus educasse, vtpote rem probæ cuique & pudicæ fœminæ convenientem maxime ac

necessariam

necessariam, Filiorum quoque utilitati admodum atque saluti consulendum. Subit animum Laurentius germanus meus quem propter non mediocre eius ingenium, summam quoque vitæ mansuetudinem & integritatem amabam plurimum. Fuit illi nutrix optima, mansuetissima, pudicissima, sed quæ ei tamen corruptum lac præbuerit, quod adeo malo suo hausit, ut per omnem ætatem suam gravissimo semper renum dolore vexatus sit, quo & tandem, tempestiviore eum fato vocante, consumptus est, sed præter hæc erat adeo illi similis, non de moribus loquor, quibus nihil dici posset similius, ut (quod sæpius observavi) iisdem ferme lineamentis oris, motu labiorum, aspectu oculorum, incessu etiam eodem esse viderentur. Me autem aluit nutrix tantæ verecundiæ, ut viris coram ne oculos unquam attolleret, fœminas vero sæpius intuens erubesceret, memorque sum à matre accepisse, nunquam illam quin rubore magno semper suffunderetur, alloqui potuisse. Erat præterea loquendi parcissima, solitudinis appetentissima, turbæ inimicissima, adeo ut domi ferme semper, marito longe illam increpante, se contineret. Huius ita nutricis meæ mores examussim me comitati sunt ac si cor eius atque animam cum lacte simul imbibissem. Cæteri vero quos mater aluerat (id enim semper faciebat nisi vetaretur, aut malam ob valetudinem, aut ob desiccatum quod sæpe accidebat lactis fontem) mirum est quam naturam illius & mores ac gestus corporis imitati, summo quoque eam semper amore complexi sunt. Quæ ideo volui meminisse, ut meo, meorúmque exemplo discant matres quos genuerunt alimento etiam proprio non fraudare, intelligántque filios non tam liquorem ipsum, quorum gratia is à natura liberalissime eis tributus est, quam mores simul ac vitæ conditiones imbibituros esse. Nunc ad quæ nos iam dudum vocamur tradenda, institutionis eorum præcepta descendamus.

Laurent. Maphæi Vegii frater.

Nutrix Maphæi.

CAPVT V.

Vt pueri neque delicatius alantur, neque sumptuosius vestiantur.

DE institutione igitur filiorum locuturi, non admonebimus quod a Medicis tamen scimus esse præceptum, ut à præruptis altisque locis, unde facile labi possint, avertantur, ut nulla illis quibus vel punctim vel cæsim lædant seipsos ferramenta attrectanda permittantur, ut quæ ab aliis si qua sunt his similia vel ignis, vel aquarum, vel equorum cursitantium, vel canum, vel ferarum mordentium periculis diligentissime custodiantur. Ad incolumitatem enim eorum hæc magis, quam institutionem de qua nobis dicendum est, pertinent. Quanquam multorum parentum tantam socordiam novimus, ut minimam horum habeant curam. Illud autem credimus & animi & corporis eorum viribus plurimum conferre, si haud nimis delicate à pueritia nutriantur, si neque valiora neque etiam sumptuosiora, sed qualia quidem natura desiderat cibaria illis pariter atque indumenta præparentur, quod cum præsenti tum reliquæ etiam omni eorum ætati proderit. Iam quibus se tunc vivendi moribus assuefecerint, iisdem tanquam iactis quibusdam vitæ fundamentis, tenacissime semper inhærebunt. Marcus Cato in libro quem & ipse composuit de liberis educandis. *Mihi* (inquit) *puero medica una fuit tunica, & toga sine fasciis, calciamenta sine caligis, equus sine ephippio, balneum non quotidianum, alveus rarus.* Paria quoque de Vticensi leguntur. Diogenem ferunt filios Xeniadæ curæ & disciplinæ suæ commissos cibo levi ac vili educasse, detonsos etiam ad cutem, incompositósque ac sine tunicis & calceis deducere solitum esse, quanquam quæ à ciuilitate morum discrepant, non multum probemus.

CAPVT VI.

De assuefaciendis frigori pueris.

VIdebitur autem utile esse si frigori assuefiant, quod Barbari aliqui facere traduntur, vel gelidis eos fluviis immergentes, vel vili admodum atque modico amictu contegentes. Propter eorum enim calorem aptius facilíusque ad frigus exerceri possunt. Videmus aliquos ob summam parentum inopiam in maiore etiam hyeme nudis pedibus incedere, & unica ac trita quidem veste indui. Qui quod ita assuefacti sunt, non magis tamen asperitatem frigoris, quam splendide etiam quique calceati atque amicti, molestam habent. Quo loco convenienter narrandum est, quod adolescentulo iam mihi dum rure aliquando agerem, contigit. Obviam habui forte rusticum quendam pecora agentem, atque ut erat altissimum frigus, neque illi calcei, neque pene vestis unde tegeretur, commiseratus indigentiam hominis rogavi quam fortiter rigorem illius frigoris ferret, quem vix ego tot undique septus indumentis sustinere possem. Respondit ille mihi perfacete: Putas ne fili frigeres, si quicquid vestium habes indutus esses, cúmque statim nihil me frigoris sensurum annuissem. Ne mireris ergo (inquit) si ne utique frigescam: cum quicquid indumentorum habeam semper amiciar, quo plane non tam faceto quam sapientiæ pleno responso admonuit me homo agrestis & imperitus quantum ad supplendas corporum necessitates valeret usus atque assuefactio.

Rustici facetus.

CAPVT VII.

A fame cavendum pueris, sed ut neque nimio cibo somnove utantur.

DE frigore hæc diximus, famem contra perferre nullo modo sinendi sunt: ne propter continuum, quod in eis fit augmentum naturæ vigor imminuatur. De somno itidem censendum est: sed moderate quidem omnia. Nam tradunt & Medici & Philosophi, & M. Varro in libro qui inscriptus est *de liberis educandis*. Si nimio illi cibo ac somno uti permitterentur, animadversum esse, hebetiores inde tardioresque fieri, impedirique proceritatem corporum, minúsque ea adolescere.

CAPVT VIII.

A vino pueris abstinendum.

VInum autem quia calore abundat, minime eis ministrabitur, quod & Diogenes in filiis Xeniadæ discipulis suis observavit, & Plato monet vetans ignem igni addi, & Seneca meminit, & Medici præcipiunt, donec ad annos novem pervenerint. Quorum nisi illustri auctoritate inniteremur, haud unquã illud eis negare auderemus, ne quosdam nostri temporis delicatos, curandisque magis corporibus quam animis intentos ostenderemus: quorum prava adeo corruptáque opinio invaluit, ut ad augendum robur confirmandamque corporis bonam valetudinem vina dum probe exhauriuntur, multum præstare adiumenti arbitremur. Quare multi etiam filios dum lacte adhuc aluntur, assuefaciunt vino, affirmantes eo validiores robustioresque nervos, quam lactis alimento fieri, quorum stultitia magnum sæpius filiorum animis simul & corporibus affert nocumentum. Nam calor qui in eis abundat adauctus novo alio calore, ad iram eos facit præcipitatiores: quæ, in tenera præsertim ætate,

Vino ad iram redduntur præcipitiores.

summo

A

summopere cavenda est. Quod & Plato qui id prohibuit, minimè ignoravit: & sacra etiam nos docet auctoritas: dum vinum multum potatum amaritudinem esse animæ inquit: irritationemque & iram & ruinas multas facere. Sed præterea hebetantur inde maxime ac prope enecantur ingenia, ipsa quoque vis rationis obtunditur longe atque infringitur. Non quemadmodum asserebat nebulo quidam Cretensis: qui se Philosophum & Platonicum quidem affirmans ex decreto ipsius, quem falso in medium proferebat, Platonis ad potandum probe omnes tanquam ad excitanda ingenia augendamque virtutem plurimum conferret, nimia vini ingurgitatio: Corpora v. multis sæpe ac gravissimis morbis conficiuntur, quare *ne intuearis* dicit Hebræus sapiens, *vinum quando flavescit, cum splenduerit in vitro color eius: ingreditur blande: sed in novissimo mordebit ut coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Qui vero propter delicatiorem consuetudinem, vel propter transactos iam exuberantioris caloris fines denegare illud eis forte reformidant, moderatum saltem ac prædominante longe aqua permixtum ministrare debebunt, ut docet Aristoteles ad comprimendum multum eorum spiritum, qui sursum ferri, ac rursum venas tumefaciendo porisque, quibus respiratio fit, coartando, descendere consuevit. Modice quippe sumptum ingenia plurimum acuit: & bonæ confert valetudini, æque enim vita (ut divina voce instruimur) hominibus vinum in sobrietate: sanitas est animæ & corporis sobrius potus. *Noli* quoque (scribit Paulus Timotheo) *aquam bibere, sed vino modico utere propter stomachum tuum: & frequentes tuas infirmitates.*

Prov. 20 — Vinum hebetat, atque obtundit ingeniū. — Prov. 23. 31. — B — Prov. 31. 6. Eccl. 31. 36.

CAPVT IX.

Non interrumpendus ploratus puerorum, deque laboribus eorum.

C

PRæter hæc etiam cohibendi aut interrumpendi non sunt eorum ploratus. Ad augmentum enim atque ad exercitationem quasi quandam corporum conferre existimantur. Sed et usque ad ætatem quinque annorum quæ nondum disciplinæ ulli apta est, a laboribus quam maxime arceantur, ne crescendi ullum impedimentum afferatur, motu tantum quodam, qui non violentus sit, ad propellendam corporis pigritiam, exercebuntur. Exerceri autem apte poterunt per ludos qui neque remissiores neque laboriosiores, imprimis autem non illiberales sint.

CAPVT X.

Non narrandæ turpes aut aniles fabellæ pueris: Et ne indecora eis nomina ponantur.

D

CAvendum præterea erit id, quod & Plato nutrices admonuit, ne eis turpes aut inanes anilesque fabellæ narrentur, quod quemadmodum manibus corpora, ita & sermonibus animi humani formentur, ne etiam quod frequentius fit, dimidiatorum verborum ineptissimas quasdam murmurationes audiant, in quo etiam quoque adhibeant ne (qui mos est crebertimus fœminarum) sinant per huiuscemodi blanditiunculas, vel quæ eis honestissima nomina indiderunt diminui, vel alia quæ nescio quid fœminile magis redolent, innovari: ne succrescente ætate iisdem quoque, quod fieri videmus, perpetuo nominibus appellentur. Quo circa quum nominum honestas plurimum afferat dignitatis atque auctoritatis, illud utique monemus, ne parentes filiis ponant nomina, aut indecora, aut Barbara, aut nova, aut quæ gentilium deorum sint: quod à plerisque fit, ne in iniuriam religionis nostræ id fieri videatur, quamquam virorum excellentia plus decoris interdum nominibus suis quam contra nominum viris

Vt Herculis, Bacchi, Mercurii, Iovis, &c.

E

tribuisse probatum est, cuiusmodi sunt *Cicero, Brutus, Naso, Maro*, qualiter per se parum venusta sint, propter tamen eximiam illorum virtutem qui ita appellati sunt, nemo non honori etiam sibi ea nomina ascriberet Antoniorum nomen licet ab Antonio diminutum sit, ob præstantem tantum eorum principum probitatem qui id primo sibi inditum habuerunt, tam celebre extitit: ut quotquot eos secuti fuerunt, non Antonios sed Antoninos se dici magis, tanquam maioris venerationis optarent. *Neronem* contra qui Sabina lingua *fortis ac strenuus* significatur propter nefanda scelera illius qui ita appellatus est quamquam decentissimum id nomen sit, dici se tamen quisque recusaret. Sed unde discessimus redeamus.

Antoninus. — Nero.

CAPVT XI.

De lemuribus aut aliis terriculamentis non narrandum pueris.

F

NOn sunt item deterrendi pueri monstruosissimis vel lemurum, vel larvatarum formarum quibusdam nominibus, quæ à fœminis confingi confictaque sæpius stultissimo errore credi solent, ne quo tenelli male imbuti fuerint, cum ad firmiores annos pervenerint, male etiam terrore semper afficiantur. Non sunt nominandæ illis striges, quas recens opinio vulgi sub felium specie infantes necare perhibet, aut sub nocturnarum forma avium & occidere eos: & à stridendo insuper sic appellatas esse confirmat. Non nominent illis Orcum homines vorantem, non Silvanum summa ædium tecta incolentem, non Demogorgona, non Fatuas, non deas ultrices, non Morphea illum, quem & fœminæ noctu è sponda lecti effigie humana pueris insidiari confingunt, & Naso describit famulum somni, solumque humanam figuram, incessum quoque & vultum ac vocis sonum exprimentem: non alia hisce similia, quibus & mercolo adeo deterreri solitum ut ad multos usque adolescentiæ annos vix à me terrorem illum ab unguiculis iam vehementer imbibitum evellere potuerim. Quoties v. dum poetas legerem antiqua ea atque elegantia, sed immutatis paucis literis corrupta nomina perspicue intelligens ab ineptissimis imperitissimisque fœminis ita retenta esse non sine risu admiratus fui.

G

CAPVT XII.

Instituendi pueri ad divinum cultum, & abiurandi mentiendique consuetudine continendi.

H

AD divinum autem cultum quam maxime erunt ante omnia instruendi, ut & religioni honorem habere, & de Deo verba facere discant honesta, minimeque opprobriosa, non item iurare per nomen eius, quod usus iurandi ad peierandum sit admodum facilis: summum etiam pariat illius per quem iuretur contemptum, Dei autem contemptu quid indignius, aut detestabilius dici potest? Nec minus vero à mentiendi studio deterreri debebunt: quod nihil est ab homine libero magis alienum: quod & interdixit Solon Atheniensis, qui fuit unus ex septem Græciæ sapientibus. Est vero id in omni ætate dedecorosum, tum in pueris perniciosum: qui ubi mentiri assuefacti fuerint in omnia se audacter præcipitant vitia: nihili æstima[illegible] quodvis tetrum atque execrandum scelus.

CAPVT XIII.

A verborum obscœnitate, & malorum consortio arcendi pueri.

AB obscœnitate etiam verborum custodiantur: ne quid fœdum & turpe illis narretur quod audientes loqui itidem assuefiant, assuefactique demum cum adoleverint facere minime erubescant. Quare omni studio curandum erit, ne cum quibus ludos, simul & domesticos sermones inituri sunt pueris & æqualibus suis, nisi bene morati, beneque à parentibus instituti sint, ullo modo versentur: cum servis maxime: quorum summopere illis conversatio interdicenda est: ne quid obscœnum (ut sunt obscœni illi semper) audiant, ne quid servile imbibant, quod à teneris ad firmiores usque annos nunquam eos tanquam pix tenacius adhærens derelinquat. Omnino studendum erit ut tales sermones non fortuiti quidem sed certi ac ex industria tanquam cibi quidam administrentur, quibus ad probitatem, ad modestiam, ad litterarum amorem, atque ad Dei in primis timorem invitentur, non parum namque noxium esset, si à rudioribus illis annis quicquam audirent quod virtutis & litterarum fastigium eis aut odium generaret. Delectant enim magis per omnem ætatem quæ primis ab annis imbibuntur: amarioráque fiunt semper quæcumque infantia prius exhorruit.

CAPVT XIV.

Pueri ne quid alienum rapere assuescant: & à publicis conventibus ac spectaculis arceantur.

NOn tam vero eorum linguæ quam & manuum cura habetur: ut compressæ puræ, integræque serventur: ne vel clam, vel palam rapere quicquam minimum etiam assuescant: quo dulci malo diu per assuefactionem allecti maiora neutiquam cum maiores ad annos pervenerint reformident. Erunt autem quam maximo ante omnia studio inhibendi eis omnes alearum lusus, etiam levissimi: quibus tenella facile ad avaritiam ætas invitatur: & qui eis libenter occupantur, furtis etiam, rapinisque infamem semper vitam egisse compertum est. Non item ducentur in balnea, quod ab antiquis Romanis diligentissime custoditum fuit: apud quos verecundiæ summæ erat aut patrem cum filio pubere: aut socerum cum genero lavari. Tam enim religiose sanguinem & affinitatem quam Deos suos colebant: credentes non minus nefas esse inter necessarios, ac in loco aliquo sacro nudatos apparere. Non permittentur quoque ire in tabernas meritorias: aut in locum ullum turpitudinis: aut in conventus publicanorum, fœneratorúmque: non aspicere picturas, quæ deformitatem aliquam habeant: ex quibus non minus ac ex verborum auditu tenellis eorum mentibus turpe aliquid gigni potest; quod monemur ex Terentiano illo adolescente, qui depictum Iovem stupratorem intuens, ad libidinem vehementer incitabatur. Non interesse spectaculis: quæ dulcissima sunt irritamenta omnis non tam libidinis quam inhumanitatis, non vani denique popelli ullis cœtibus immisceri, ubi nulla nisi temeritatis & inconstantiæ: nisi luxuriæ, ac avaritiæ exempla habebuntur.

Cicer. 1. offic.

Terent. in Eunucho.

CAPVT XV.

Quibus moribus instruendi pueri: utque cum senioribus ac doctis hominibus conversentur.

DVcentur autem ad loca ubi honestas & religio colitur: ubi de innocentia, de modestia, de integritate verba fiunt, docendi erunt quod Diogenes filios Xeniadæ solebat, domi ministrare, non inter cœnandum cum aliis simul accumbere; tacitique ac se tantum in via intuentes incedere. Et quod Demetrius Phalereus præcepit, occursantes in itinere revereri. Quodque ad Demonicum scribit Isocrates, non tristi & demisso, sed prompto & vivo, ac hilari vultu esse, ut videantur salutare magis quam odio habere, iocundosque se erga omnes præbere. Optimis autem uti, neque circa ridicula gravibus neque circa gravia ridiculis delectari. Munditiam denique pudorem, religionem, iustitiam atque modestiam servare: quibus adolescentulorum mores potissimum dicit contineri. Quare & instruentur; comiter salutare, salutantibus mutuæ salutationis officia reddere: venientibus simul & abeuntibus se officiosos præbere, nemini conviciari: nemini irasci, suaviter & urbane compellare; suavius & urbanius respondere: cedere aliis facile: non pertinaciter suæ insistere sententiæ, raro ac cum necesse fuerit, tantum loqui: confabulantibus non nisi vocatos se immiscere: vocantibus præsto intervenire: pro ætate quemque & dignitate venerari, inferiores aut inopes minime contemnere; cum benevolentia alloqui, cum humanitate colligere: æqualibus moderationem & facilitatem, maioribus reverentiam præcipue exhibere, non esse monentibus asperos & contumaces audire: eis assurgere, decedere de via: cervicem & genua inclinare: ori etiam & incessui, omnibusque corporis partibus modestiam summam, gestusque decentes adhibere, cætera denique morum officia, quæ ultimis tribus convenienter libris explicabimus diligentissime observare. Habet enim facilitas & suavitas morum in se quiddam quod seipsum omnibus commendat, at carum reddit quod benevolentiam omnium plurimum allicit atque amorem. Commonebuntur autem quam maxime seniores & eruditos homines colere, conversationéque eorum ac confabulatione delectari. Nam magnum est in pueris futuræ virtutis signum, cum libenter eorum commercio gaudent, à quibus possunt meliores, doctioresque fieri. Adhærebunt igitur illis assidue, quorum monitis & exemplis ad omnia bona studia, tanquam stimulis quibusdam & calcaribus, magis incitabuntur, peccabunt autem minus: & cum peccaverint facilius etiam ab eis emendabuntur, ut enim per speculum faciei menda, si qua est, melius deprehenditur, deprehensaque diluitur, ita per seniorum admonitiones pueri certius errata sua intelligent, intelligentésque corrigent: in quibus nullum est manifestius bonæ indolis iudicium quam cum non invite se moneri ac coargui audiunt, quod non in pueris modo sed in omni insuper ætate maxime commendatur, contráque nihil peius his qui iniquo animo ferunt reprehensiones suas: quos ignorantia impunitatéque malorum suorum gaudentes, amarus semper finis manet.

L. Ertius Diogen.

Isocr. ad Demon.

Morum officia in pueris inculcanda.

Seniorum consuetudo & usus.

CAPVT XVI.

Minis, aut plagis pueri non nimis exterrendi: deque modo eis adhibendo.

ADhibebitur autem modus ne minis, aut contumeliis nimis exterreantur: neve plagis cædantur. Qui error parentum admodum invaluit, putantium minas & verbera ad optimam filiorum institutionem magnum adiumentum afferre, cum contra tantus illis timor incutiatur, qui nec facile ad maiorem etiam ætatem provectis avelli queant, debilitantur quoque sæpius, quod stultissime, pleræque fœminæ factitant, dum effervescente ita modestiam (quam ne minimam quidem ipsæ habent) filios suo malo cædendi more edocere volunt. Axonem equitem Romanum, cum filium flagellaret, occidisse legimus: cuius tanti mali indignatione cũ populus cũ omnis patres simul & filij graphiis in foro confoderent, vix Augusti

Cæsaris

Cæsaris quamvis summa auctoritas, liberavit: Refert Iulianus Iurisconsultos, initorem puero discenti ingenuo filiofamilias, parum benefacienti quod demonstraverat, dum forma calcei cervicem ei percuteret, oculum effodisse. Quare cautius versentur parentes in emendatione filiorum. Servis enim ea, non liberis hominibus conveniunt. Inde fit ut qui ita minaciter obiurgationibus afficiuntur cæduntur que, servilem quendam animum induant, deiiciantur, refringantur, desperent, dolore crucientur, & quæ illis generosa forte mens inerat, prosternatur: formidantesque omnia nihil tentent egregio atque libero homine dignum, quæ cum animis tum etiam corporibus plurimum obsunt, nam & pessimi inde humores generantur: & desidia exsiccantur membra atque contabescunt. Neque secus ac arbosculis nimiam ariditatem, putamus, & poetis austeriorem severitatem nocere docent, hoc & nos cætera animantia. Non enim novellis equarum aut vaccarum fœtibus verbera & calcaria, aut stimuli adhibentur, ipsi etiam iam fræni patientes equi si crebrius verberentur fiunt morosi, contumaces, & ad cuncta expavescentes. Contra vero blandiore manu attrectati generosiores evadunt. Eademque est boum ratio, qui & acrius stimulis acti sæpius iuga detrectant. Canum etiam nobiliorem esse indolem videmus, eorum quos blanditiis magis & excursandi licentia, quam minis & verberibus venator enutrivit. Asinis contra quod animal sit segne, torpens, ignavum, servilisque & abiectæ naturæ, non blanditias & palpationes, sed verbera & fustes, si utile nobis eorum servitium parare volumus, adhibere necesse est. Hæc enim ipsorum magis propria, quemadmodum & servorum supra esse diximus: quare aptissime dum alterutros compararet sacer auctor dixit: *Cibaria & virga & onus asino panis & disciplina & opus servo*, mancipia enim plagis afficere atque torquere magis convenit: quod euidem quam proxime subdit sententia probat, *Iugum & lorum curvant collum durum: servum inclinant operationes assiduae*, servo malevolo tortura & compedes. Eadem quoque ratione videmus teneras frondes ferrum refugere: sentes contra ac rubos falcibus, runcinibusque succidi oportere, sic & igne rigida saxa decoqui, molles contra ceras liquefieri. Mansuetiorem certe in pueros oportet animum esse. Neque hoc dicimus, quo laxandas eis habenas ad cuncta ipsorum vota existimemus, nota est nobis mollis huius ætatis ac corrumpi facilis proclivior que ad vitium quam ad virtutem natura, sed quod moderatior mitiorque disciplina melius ac facilius eos a vitiis retrahat, ad virtutisque amorem invitet, cui summam quoque credimus & prudentiam, & exacti cuiusdam iudicij rationem adiungi oportere. Nam benefacta eorum nonnunquam laudare, errata sæpius dissimulare: blande etiam aliquanto corrigere, permiscereque laudi pudorem, commendationibusque obiurgationes alternatim conveniet: atque ut res & tempus postulabunt nunc sancta severitate uti, nunc favere illis & arridere: nunc munusculis, quibus plurimum ea ætas capitur, cum quid benefacere cœperint amplius etiam eos excitare. Prædicandi item erunt ac summis attollendi laudibus, qui virtute & litteris præstantissimi viri claruerunt, contraque detestandi qui sceleratissimi viri perniciosissimique habiti sunt. Narrandum erit quibus proinde hi opprobriis ac pœnis, illi vero honoribus præmiisque affecti fuerunt: ut horum exemplo ab vitiis coerceantur, illorum ad virtutem incendantur. Proderit etiam æquales eorum cum quid peccaverint, graviter accusare: contraque cum laude dignum aliquid egerint summe probare atque efferre, cum quibus cum æmulatio esse soleat, ita laudari eos audientes, ut pares consequi laudes mereantur, ad virtutem excitabuntur. Vituperationibus ante deterriti vitia, a quibus illas intelligent emanasse, exhorrescent. Erunt & aliorum honores propter benemerita quæsiti ante oculos filiorum ponendi, nam excitat non parum animos, nec leves ad imitandum infigit aculeos publica quæ conspicitur alienæ virtutis gloria & exaltatio. Contra quoque curandum erit ut turpium hominum intueantur aliquando, quæ illos sequuntur, opprobria, sicuti servorum temulentorum quod Lacedæmonij in conviviis faciebant, non quo alienæ miseriæ quæ magis commiseranda est, delectari debeamus? sed quod aliorum dedecora plurimum exterreant, plurimumque animos ea conspicientium avocent à turpi vita quam semper illa comitari solent. Qua ratione magnum etiam adiumentum præstabit, si ad supplicia, quæ de grassatoribus & sicariis ac aliorum criminum reis sumuntur aspicienda aliquando mittantur. Insuper & cura adhibebitur, ut ab extraneis, quorum gravis sit auctoritas, ad virtutem plerumque exhortentur: ac cum deliquisse deprehensi fuerint acriter increpentur. Extraneorum enim admonitiones maiorem sæpius quam domesticorum in componendis moribus corrigendisque peccatis vim habent. Quin & ab ipsis æqualibus suis atque à servis etiam permittendum erit ut male eorum dicta ac facta aliquando exprobrentur. Quod & Monica, cuius optima nos eductio hæc scribere impulit, profuisse admodum sub primis annis suo loco infra dicemus. Ante omnia, quod à principio præsentis operis admonuimus, ita se ab omni labe criminis mundos conservare studeant parentes, ut nihil quod turpe sit, conspicere conspectumque filij imitari possint.

Laude incitanda pueri, & pœna deterrenda à vitiis.

Exempla suppliciorum pueris proficiunt.

Cap. 20.

CAPVT XVII.

De arte in corrigendis pueris adhibenda.

NE obiiciat quisquam quod multorum tam Gentilium (quorum è numero extitit Chrysippus) quam sacrorum etiam scriptorum auctoritate certa probetur cædendos esse filios; senserint ut libuit, & nos etiam maiorum nostrorum nec quidem contemnendorum auctoritati innitimur: Sed audiamus sacra verba: *Qui diligit filium suum assiduat illi flagella, ut lætetur in novissimo suo: & non palpet proximorum ostia? Equus indomitus evadet durus, & filius remissus evadet præceps. Lacta filium, & paventem te faciet. Lude cum eo, & contristabit te, ne corrideas illi, ne doleas, & in novissimo obstupescant dentes tui. Non des illi potestatem in iuventute, & ne despicias cogitatus illius. Curva cervicem eius in iuventute, & tunde latera illius dum infans est: ne forte induret & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ.* His subiungamus alia. *Qui parcit virgæ odit filium.* Item: *Virga atque correptio tribuet sapientiam puer autem qui dimittitur voluntati suæ confundit matrem suam*, & cætera huiusmodi. Quæ tam nobilia, tamque sancta quis unquam, improbabit? Sed quandoquidem de sacris scriptoribus agitur, haud abiiciendum est etiam quod Paulus, cuius nec minor est auctoritas, dum Ephesios docet, Ita ait: *Et vos patres nolite ad iracundiam provocare filios vestros: sed educate illos in disciplina & correptione Domini.* Item quod Colossenses instruens alio loco scribit: *Patres nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Quocirca fortasse parentes considerare debebunt in filiis, uti quisque vel ad virtutem, vel ad vitium inclinari magis videbitur, nam si tam liberale sit ingenium pueri ut sua sponte virtutis & literarum amore capiatur, sit verecundus, sit maioribus suis audiens, sit erga æquales suos mansuetus: non refugiat labores: laudem non aspernetur: erret autem aliquando, aut perperam aliquid agat. Neque est enim quisquam tam grandis natu, tamque sapientia præditus, quem non peccare aliquando contingat. Dicat mihi, qui cædendorum filiorum sententiam probat. Dicat mihi: insurgendum ne erit in hunc talem minis & verberibus? & quod sacri illi auctores præcipiunt, tundenda ne latera illius erunt? percutiendus ne assidue

Eccl. 30. 1

ibid. 8.

Eccl. 30. 12.

Prov. 13. 24

Prov. 29 15.

Ephes. 4. 6

Coloss. 3. 21.

Obiectio.

virga

virga & flagellis? an potius quod Paulus monet, timendum non erit *ne pusilla animo fiant*: &, quod nos supra docuimus, blande non potius erit ac dulciter corrigendus: nonnunquam etiam quid egerit dissimulandum: cæterisque insuper quæ ibi tradidimus modis utendum. At ubi tam mala, pravaque sit natura puer ut frustra secum dulci ulla correctione agatur, coarctamur angustius, cogimur pene illorum assentiri sententiæ: quæ forte non ab re etiam ita prælata est: quod populo illi Hebræo, cui ingerebatur convenire admodum crederetur, qui cum duræ cervicis esset, nisi is qui summa Veritas est falso locutus est: duris non modo verberibus, sed fustibus quoque opus ei videtur fuisse. Quorundam tamen adeo saxea (ut ita dixerim) mens est, ut quo magis vel reprehendantur, vel vapulent, eo magis indurescant. Quare nec tales quidem cædendos probare audemus. Qui autem sententiæ huic repugnantes aliam sequi malint, illud saltem velim sibi proponant Terentianum. *Nequid nimis*. Aut si nobiscum sentientes rogent, quo illos modo emendare, melioremque ad frugem reducere melius possimus. Scimus certe difficillimum omnium esse naturas hominum immutare, permixtisque semel nascentium elementis aliam formam dare: sed ne illud quidem ignoramus, nihil esse tam à natura insitum quod non possit non dicam omnino, sed aliqua saltem ex parte corrigi, si ars modo & docti monitoris manus accedat. Feras novimus arte mansuefieri. Canes quos natura ad ingluviem pronos fecit, ita quidam instincti sunt, ut cibo nisi iussi appropinquare non audeant, a quibus, propter adhibitam eis magistrorum diligentiam, maiora etiam quotidie fieri conspiciuntur. Ursos taceamus & simias, quorum multa quoque huiuscemodi intueri licet. Sed Elephantos dicamus, quis eos nisi experientia demonstrasset domari unquam, & sub iuga mitti potuisse (quod tamen arte & ingenio hominum factum est) credidisset? Leone autem quid animo generosius? quid corpore fortius? nonne illum tamen, quem nec minis, nec vi ulla potest, catello verberato ad idque data opera parato doctus magister exterret. Magna nimirum est humani calliditas ingenij: quæ naturæ vires quas extirpare non potuit, mollivit tamen tenuioresque sæpe reddiderit. Quæ res docet etiam parentes, qui perversæ naturæ forte filios habuerint, ut in corrigendis eis magna arte, magnaque sapientia utantur. Utentur autem, si quæ supra tradidimus, præcepta diligenter observabunt. Quibus adiicimus ut quemadmodum verberibus, quæ catello expertus educator instigit, exterreri Leonem tam immanem belluam modo diximus, ita curent quibus huiuscemodi filij contigerint, in servos (quorum cædi proprium esse satis dictum est) omnem & iræ, & minarum, & plagarum impetum effundere: quibus, non secus ac Leones prudentissimo consilio, atque solertissima arte magis exterrebuntur.

Matth. Marc. — Terent. in Andria. — Natura h.e. ... — Leonis ... — Sic & Iura Civilia servos pro Dominis torqueri ... iubent. — Ingeniorum unde tanta varietas.

CAPUT XVIII.

De cognoscendis diversis puerorum ingeniis, remediisque diversis adhibendis.

SUmma vero ante omnia opus erit prudentia atque exactis iudicio in cognoscenda filiorum natura: discernendaque varia ingeniorum Indole: ut in emendandis eorum moribus, sicuti & in sanandis corporibus medici solent, adhibeantur cuique vitio atque animi morbo, contraria etiam correctionis remedia. Nam cum quatuor elementis constent corpora nostra, quorum quæque diversam vim obtineant. Ignis namque fervorem, Aqua frigiditatem, Aer humiditatem, Terra ariditatem innatam, sibi habent: ita quod in quocunque corpore elementum dominabitur, magisque abundabit, pares etiam illi morum proprietates, paremque naturam infundet, quod & in reliquis animantibus, locis quoque & regionibus accidere manifestum est. Inde fit ut in quibus ignis elementum prævaleat, iracundus, Aquæ remissos, Aeris hilares, Terræ tristes esse videamus. Caute itaque prospicienda erit pueri cuiusque natura. Sunt enim aliqui in quibus elucere videntur suavissimi tanquam flosculi quidam futuræ per se summæ, excellentisque virtutis, ceterum timidioris sunt quam conveniat verecundiorisque ingenij. Alij interriti, audaces, ac temerarij. Nonnullos videbis loquaces & garrulos: alios deiectis in terram oculis & vix cum iussi sunt loquentes. Multos tumidos & inaniter gloriantes: plerosque veræ laudis & gloriæ appetentes: quosdam etiam animi abiectissimi ac nihil eorum omnium curantes. Alios leves, inconstantes, vagabundos, atque alios etiam solidæ & integræ mentis. Sunt qui maioribus parere indignentur, sunt qui & minoribus libenter obsequantur: sunt qui laboribus & vigiliis non inviti occupentur: sunt qui ignavia turpiter ac desidia torpescant, sunt qui omnium quæ habent profusissimi appareant, sunt qui tenacissimi, quibus nihil monstruosius, ut quam nondum experti fuerint inopiam, longe quasi ex defectu pertimescant. Capiuntur quidã literis & bonis artibus nonnulli eas invisas habent, multis vitæ singalitas, pluribus etiam ventris saturitas & ingluvies placet: Aliqui miris & mansueti animi: plures autẽ ad iram proni. Alios pax, quies, ac cõcors vita: alios iurgia & contentiones delectant, tanta est humanorum animorum atque voluntatum varietas tanta dissensio. Diversi igitur in institutione filiorum modi adhiberi debebũt: Namque alios inverecũdo & audaci: atque alius timido & cui ad minima quæque rubore ora suffunduntur. Hic enim laudibus alendus ac munusculis sæpius erit invitãdus: applaudendũ nonnunquã atque arridendũ, cũ illo autem risu nunquã & blanditiis, obiurgationibus sæpius, tristiore semper fronte minatorique oculo utendũ erit, ne si cõtra observetur languescat huius animus: prosternatur, obtundatur, summãque tandem in desperationẽ deducatur. Illius vero inani elata tumore oẽs gestiat, soluatur, effundatur, nimiaque in sui confidentiam præceps devolvatur. Præcipuum quippe est timori & verecũdiæ obiectũ laudis remediũ, qua ut assurgere ac bonã in sui spẽ adduci solent nobiles & bene compositi animi: ita immoderati & effrenes tumefieri magis & insolescere, ac tanquã adauctũ lõgis imbribus flumen excrescere: quæ cũ his pestilentissimo veneno cedat: at saluberrimã illis medicinã afferre cõsuevit: instar quarundã herbarũ quas & iuvandi & nocẽdi simul vim habere cũ à diversis sumuntur, expertum est. Denique ut Gregorius Nazianz. similẽ in modũ docet Episcopus in correctione subditorũ: *laudari profuit multis: alius vituperari, utraque si in tẽpore proferãtur, alioquin magis importune prolata nocuerunt*, alios consolatorius sermo corrects, alios increpatio: & aliis convenit cõram omnibus argui, aliis secretios commoneri. Nonnulli etenim quia monita secretiora contẽnunt, erubescunt verbo publico notari: alij autẽ publice correpti impudẽtiores fiunt, secretæ increpationis mysteriũ venerantes. Aliorũ cõvenit observari omnia diligẽtius, & usque ad minimũ discuti, eorũ præcipue qui dum mala sua arte quadam celare se putant eriguntur adversũ cæteros & inflantur. Aliorũ oportet nonnulla præterire, & videntes tanquã nõ vidisse, & audiẽtes tanquã nõ audisse, interdũ etiã irasci debemus aliquibus nõ irati: & contemnere aliquos, sed non contemnentes, & desperare non desperantes: quandoquidẽ ita uniuscuiusque requirit ingeniũ. Eadẽ quoque censemus observanda in aliis quorum modo contraria ingenia exposuimus. Porro singulis alia etiam adhibebuntur remedia: ut scilicet loquacioribus frequentiores turbas & conventus hominum, taciturnis solitudinem nimiam interdicamus. Alacrioribus tristem vultum, tristioribus alacriorem ostendamus, levibus, & vagabundis ne quid pro arbitrio agere cõcedatur, solidis & cõstantibus ne denegetur. Industriis & laboriosis ut remissio sæpius detur & relaxatio. Segnes & ignavi, ut ad exercitia frequẽter & labores impellãtur. Tenaciores ne sinãtur pecunia cõgregare, profusiores

Laudis stimulan

ne distribuendi paterni æris ullam habeant facultatem. Ingluviosi ut lautioribus mensis instructionibusque convivijs nunquam admoveantur, sobrij & frugales ne omnino arceantur. Officiosis, quietis, mansuetis, ut multa quæ vel ad vescendum, vel amiciendum, vel conversandum pertinent largiore manu permittuntur. Indignabundis contentiosis, iracundis, ne quid horum laxius, effluentiusque indulgeatur. Prohibenda erunt illis magno studio quæcunque ad excitandam, fovendamque iram nata esse videbuntur, propter calescentia motu quodam eorum ingenia, quibus concitari facile actiusque & acutius moveri, uti & fœminæ, solent, licet abundans magis humidi elementi vis non diutius eos sinat vehementiusque agitari. Virorum enim propter siccam ætatem perfectumque jam in eis calorem graviores robustioresque sunt iræ. Non erunt permittendi pueri cibos aut lautius aut abundantius sumere: quibus non minus animos quam corpora intumescere, & distendi contingat. Sed quam maxime vino abstinebunt, tanquam maiore propter fervidam eius naturam iræ irritamento: quod Platonem & medicos præcepisse supra satis diximus.

CAPUT XIX.

Ne filiis aut duriores castigationes, aut molliores blanditiæ adhibeantur.

HÆc ita, ut monemus, in Educatione liberorum parentes observabunt. Dulcius eos blandiusque perpenso cuiusque ingenio instituentes, quæ cum custodient illius etiam, quam retulimus, sacræ sententiæ meminisse eos oportebit, non esse scilicet tamen lactandos eos, non ludendum cum eis, non corridendum illis aut condolendum, non potestatem dandam, præsertim fœminis: quarum etiam maius agitur periculum. Quibus & alio loco præcipitur non esse ostendendam à parentibus faciem hilarem: servandum autem esse corpus illarum. Corruptiorem enim hæc animum solutioremque efficiunt, quæ avidius matribus maximeque fieri consueverunt: quarum propter modicam rerum cognitionem & experientiam, indulgentior est quam par sit cura studiumque propensius. Quæ se, vana quadam & fœminea teneritudine, si qua indoles probitatis, si qua imago generositatis in filiis elucebat, si quid eis virilis roboris inerat confundunt, extenuant, minuunt: quæ gaudentibus illis collætantur, mœrentibus condolent, ridentibus applaudunt, flentibus collachrymantur, quin & lacrymas abstergunt: crebra insuper ingerentes oscula atque amplexus. Petentibus ne denegant quicquam, recusantibus acquiescunt, conquerentibus vel æqualium iniurias, vel præceptorum plagas, favent: ac tanquam seipsas læsas existimantes assentiuntur: licentiam denique illis omnem quorumcumque voluntas fuerit, permittunt. Quid stultius? quid prodigiosius hac tanta, qua præcipue matres uti solent, educandi facilitate & indulgentia dici possit? Quis ad corrumpendos perdendosque filios aptior ullus modus excogitari queat? non immerito has tales admonuisse videtur sacra illa sententia, à quibus si vel Corneliæ Gracchorum matris vel Eurydices illius Hieropolitanæ quamvis barbaræ, quæ filios & moribus & literis præclare instituerunt, vestigia observarentur, melior certe eas institutionis suæ fructus maneret, quam qui iisdem etiam sibi verbis pronunciatur, non viderent filios proximorum ostia palpantes: non pro eis postea paverent, non contristarentur, non confunderentur, non obstupescerent dentes sui, non doleret anima sua. Quorum si nobis electio proponeretur: probaremus nimirum quod sacri auctores illi dixerunt, cædendos magis esse filios quam pestilentissimis blanditijs jactandos: licentiusque potestati ac voluntati propriæ dimittendos, neque aliud credimus sensisse sapientissimos illos viros, quin, sententiam nostram, non dubitamus (cum iis simul tamen quæ adicimus, educandi præceptis) & laudarent & approbarent: & tanquam digniorem verioremque suscipiendam esse prædicarent. Quare parentes ita caute & prudenter filios educent, ut nec tanquam asellos eos cædant, nec assentatiunculis hisce ineptissimis tanquam catellos, qui delitiarum causa tantum habentur, corrumpant: sed media gradientes via, nunc blande, nunc severe, ut cuiusque vel rei vel temporis ratio vocat, moveant: ita eis illi semper audient, ita morem gerent, ita erit eis illorum perpetuo vita dulcis atque iocunda. Quos si contra nimia cum licentia educaverint: ne mirentur postea si delicatiori licentiorique vitæ assuefacti dent se ignaviæ & socordiæ: coinquinent se omni labe turpitudinis, fiant ei rebelles, si tanquam equi indomiti (quod sacra docent verba) evadant duri & præcipites. Advertant quod Chrysostomus super Epistolam primam Beati Pauli ad Timotheum scribens ita dicit: *Audite hæc patres vestrosque filios in disciplina & correptione Domini erudite summa cum diligentia. Est enim iuventus fera plerumque*, indiget institutoribus, magistris, pædagogis, asseclis, *atque nutritoribus*, vixque res est post adeo exactam diligentiam eam *continere posse, non secus ac equus quidam indomitus: veluti fera bellua: huiusmodi quippe iuventus est, si igitur illi ab ipsis statim initiis atque a prima ætate leges optimas imponamus: minimum post hæc laborabimus, verum consuetudo ipsa virtutis in legem transiet, nihil eos agere permittamus ex iis quæ noxia iocunda sunt, neque illis ut pueris indulgeamus: atque ante omnia illos in pudore ac sobrietate servemus.* Filij ergo, inquit, adeo vetendi sint præmiorum honestate & singulari pudicitiæ laude, ut ab hominibus & à Deo laudes mereantur: discant continere ventrem, abstineant à superfluis sumptibus: & omni magnificentia apparatus dispensare sua probe noverint. Pij in parentes sint: subditi, & dicto obtemperantes esse discant, ita enim & parentibus ipsis ingentes præmiorum adiicient cumulos: atque ita omnia in Dei gloriam salutemque nostram fient. Neque enim parvi meriti est indultos nobis à Deo liberos ad ipsius exercere militiam: eique ab ipsius infantiæ annis dedicare, nam si eiusce educationis fundamenta iecerint, maximis afficiendi sunt præmiis, quemadmodum si neglexerint, gravissimis cruciatibus, nempe enim & Heli propter filios periit. Illos quippe cum acrius exercere debuisset, verbis tantum lenibus monet, quare recusans illis severa increpatione molestus esse, & eos & seipsum prodidit. Ita agant parentes, ita sedulo exequantur. Cogitent non in tenera modo sed grandiore etiam ætate quam perniciosi exempli sint assiduæ palpationes & assentationes. Id quam maxime videre licet in magnis prædivitibusque ac principibus viris, qui quo magis secundæ ridentisque fortunæ favore efferantur, eo magis etiam tumeant atque insolescant, tum dedignentur infimos quosque & aspernentur: ac quasi potente eos potent cuncta nare fastidiant, quos cum nemo reprehendere nec digito quidem attingere audeat, omnes autem laudent atque extollant (tam valida est assentatorum pestis) eo deveniunt ut quæ vel dixerint vel egerimus, licere etiam sibi cuncta arbitrentur. Quare præclara est illa Marci Catonis sententia in principio orationis quam dixit pro Rhodiensibus in Senatu. *Scio (inquit) solere plerisque hominibus in rebus secundis prolixis atque prosperis animum excellere: superbiam atque ferociam augescere.* Quod & facere prudenterque à poëta illo tetrasticho ostenditur. *Sæpe rogare soles qualis sim Prisce futurus. Si fiam locuples, simque repente potens. Quemquam posse putas mores narrare futuros? Dic mihi si fias tu Leo, qualis eris.*

Matrum indulgentia maior.

Cornelia Gracchorum matris docta.

Chrysostomi locus.

1.Reg.2.

Agellius.

CAPUT

A

CAPVT XX.

Parentes exemplum B. Monicæ matris B. Augustini in supra dictis imitentur.

Discant igitur parentes salubribus sanctisque monitis filios educare, discant a molliendis abstinere blanditiis. Subeat animum innumerabilia, quæ ex omni ferme angulo certatim sese offerent, exempla eorum, qui propter molliorem solutioremque educationem pessimi causam exitus filiis præstiterunt, contra quoque qui severe sancteque eos educatos ad summam laudem & gloriam evectos habuerunt. Ante omnia vt ad eam veniamus, quæ nobis ista disserendi causam dedit, ponant ante oculos Augustini matrem, considerent quibus illa vel instituta est, vel filium etiam rationibus instituit. Nam præter diligentiam matris sub disciplina famulæ cuiusdam enutrita fuit: quæ cum esset & natu grandior, & prudentia quoque ac vitæ eximia sanctitate prædita, non asperioribus eam plagis cædens, aut ineptioribus delitiis deliniens, sed moderata, sobria, diligentique semper vtens emendatione, tam egregiis illam tamque sanctis moribus educavit, qualibus postea per omnem ætatem summa cum laude atque admiratione; vt supra cap. 1. exposuimus, semper excelluit. Nimirum taliter illa instituta filium postea novit pari instituendi modo neque austerius, neque blandius quam par esset admonere. Fuit quidem à primis annis Augustinus, & veræ pietati infensus, & turpi libidine corruptus: sed qui tamen talis erat & patris exemplo & æqualium suorum pessima conversatione, contra illum pia mater & ad pudicitiæ & ad veræ fidei pariter amorem sedulo exhortabatur, saluberrimisque monitis assidue invitabat, cuius præcipuum est illud ac memoratu dignum, quod cum pater eum in balneis (ad quod ducendos filios supra prohibuimus) vidisset pubescentem & inquiete indultum adolescentia (vt ipsius verbis vtar) quasi iam ex hoc gestiret in nepotes, gaudens matri indicavit: at mater cuius in pectore iam inchoaverat Deus templum suum & exordium sanctæ habitationis suæ, exilivit pia trepidatione ac tremore & quamvis nondum fideli filio, timuit tamen vias distortas, monens eum secreto cum sollicitudine ingenti, ne fornicaretur: maximéque ne adulteraret cuiusquam uxorem. Ita filium mater & sapienter & sancte admonebat. Sed præter hæc (quod & supra docuimus) vt per alios etiam admoneretur magnam curam adhibebat, si quos forte ad erudiendum eum atque ab erroribus retrahendum idoneos invenisset. Præcipue autem id egit cum Antistite quodam: quem cum enutritum in Ecclesia & exercitatum in sacris libris intellexisset, rogavit ut cum filio colloqueretur: refelleretque errores eius, quod cum recusasset (& prudenter sane, quod indocilis adhuc videretur propter inflationem novæ Manichæorum hæresis) suasissetque ut pro eo tantum Deum rogaret: speraretque quod & sibi alias contigerat; legendo per se repertu rum eum quis ille esset error, & quanta impietas, nollet autem ipsa acquiescere sed instaret magis rogans & ubertim lacrymans; ille iam subiratus tædio, *Vade* (inquit) *a me: ita vivas: Fieri non potest ut filius istarum lacrymarum pereat*, quod illa ita se accepisse ac si de cœlo sonuisset, solitam quoque sæpe sibi dicere Augustinus refert. Huius igitur matris quam ante oculos ponendam omnibus non immerito ante monuimus, tam singularem in emendatione filiorum moderationem atque prudentiam, tam sedulam curam, tam piam sollicitudinem studiose parentes sequantur, neque aliam quã in filio pubere gessit, puero etiam adhibuisse existimentur: quam cum imitari vt toto eos studio facere præstat proposuerint non tam quos filio ipsa tradidit, quã quos ab altrice etiam vivendi mores sanctissimaque monita suscepit, mirari atque amplecti conveniet.

B Monica S. Augustini mater.

Ex lib. 9. Confess. S. Aug.

C

Cap. 14.

Cap. 16.

D

Cap. 11. & 16.

E

LIBER II. MAPHEI VEGII LAVDENSIS, DE EDVCATIONE LIBERORVM Et eorum claris moribus.

CAPVT I.

Vt parentes liberos litteris & bonis disciplinis instruant.

Hactenus qualiter ad mores componendi sint liberi dissernimus; convenienter nunc quomodo litteris ac bonis artibus instruendi erunt, dicendum à nobis videtur. Quare hic animum adhibeant: atque in erudiendis filiis totos hic ingenij nervos parentes intendant. Nam si tanta cura & anxietate cumulandis opibus augendisque patrimoniis instant illorum causa, quanto maiore eos incumbere oportet, vt litterarum ac bonarum artium longe digniores pretiosioresque illis thesauros relinquant. Quippe cum hæ certæ, perpetuo stabiles, illæ vanæ momentaneæ fluxæque sint: atque hæ delectent solenturque omnem ætatem: sintque, quod Aristoteles dixisse fertur, inter prospera ornamentum, inter adversa refugium, contra perpungant illæ instar spinarum, vexentque, ac amarissimas sæpius generent curas: & cum deperierint magno eos à quibus possidebantur cum contemptu ac ludibrio derelinquant. Hortentur quoque hæ ad virtutem plurimum atque incendant: illæ vero, ut Posidonius aiebat, malorum sint omnium causa & irritamentum. Has neque expilare fures, neque eripere hostes, neque ulla vis maior aut incendij aut tempestatis auferre queat, illas nunc potentium hominum concussiones, nunc latronum incursus, nunc bellorum impetus, nunc vorax maris voraciorque etiam fœneratorum abyssus diripiat. Quare verissimum Neronis illud ad Senecam magistrum suum responsum, licet simulatum fuerit, cum multa & magna quæ ab eo susceperat dona commemoranti ita dixit. *Ratione, consilio, præceptis pueritiam, deinde iuventam meam fovisti: & tua quid in erga me munera dum vita suppetet, æterna erunt, quæ à me habes horti & fœnus & villa casibus obnoxia sunt.* Egregie etiam illud Stilponis Megarensis philosophi memoratur, qui cum capta deletáque funditus à Demetrio urbe, amissisque liberis & uxore interrogaretur: nunquid damnum inde ullum passus fuisset: *nullum omnino*, respondit, quod *ex virtute nihil unquam bellum auferre posset.* Nec dissimile huic aliud Biantis Phenæi fuit: cui cum eversa itidem patria abeunti vacuo diceret quispiam, cur non aliquid saltem bonorum suorum secum ferret. *Ego*, inquit, *omnia bona mea mecum porto*, litteras & sapientiam significans. In quo pulchrum est quod nos admonet Aristippus ille philosophus Socraticus, quem cum naufragio facto ad Rhodiensium littus vis tempestatis eiecisset: conspexissetque descriptiones quasdam Geometricas, exclamasse tradunt cohortatumque comites fuisse, vt bona spe essent, quod hominum vestigia videret, quorum fiducia erectus statim oppidum simulque Gymnasium petiit, vbi cum multa de philosophia elegantissime disseruisset amplissimis eum donis Rhodienses ornaverunt, quibus non tam sibi quam comitibus etiam ad omnia eis necessaria abunde subventum est, quos & parantes demum domum redire, rogantésque

F

G

Corn. Tac. lib. 4

H Cic. init. Paradox.

A

quidnam patriæ referre eis mandaret. *Hæc ita renunciate ait: tales liberis opes taliaque viatica paranda esse quæ naufragium etiam passos ipsos simul enando sequerentur.* O dignam philosopho vocem. O quam parentes merito omnes audire, auditamque perpetuo custodire debeant. Cuius fuit & aliud prudenter dictum. Rogans enim quid differret sapiens ab insipiente: *mitte (ait) ambos nudos ad incognitos & disces.* Sed quod & alter Theophrasteus Aristippus dixerit prætereundum non est, dum ex omnibus solum neque in alienis locis peregrinum, neque amissis familiaribus & necessariis inopem amicorum: sed in omni civitate esse civem: difficilesque fortunæ sine timore posse despicere casus, atqui non doctrinam sed felicitatis præsidiis vallatus esset, lubricis itineribus vadente non stabili sed infirma conflictari vita, quanquam haud felicitas ulla putanda sit quæ virtute & literis careat, quæ ingenuis non sit disciplinis ornata, nam neque divitiæ & opes quas modo diximus, neque corporis valetudo aut robur, neque generis claritas: neque gloria (qua nihil inanius esse Theophrastus dixit) neque formæ elegantia (quam idem quoque tacitam deceptionem, Bion alienum bonum. Socrates vero modici temporis tyrannidem appellavit) beatitudinem ullam afferre possunt, quæ infirma magis omnia atque instabilia sunt, sola autem quæ constans semper æternaque permanet, felicem hominem reddit Virtus, bonarumque doctrinarum institutio. Cui convenit quod Socrates rogatus an Persarum rex felix sibi esse videretur: *nescio (inquit) quantum valeat virtute & doctrina.* Eas igitur divitias filiis parentes parabunt: quæ non vanæ, inanes, atque fugaces existant: quos non fortunæ vis ulla queat adimere: sed quæ cum animis mentibusque coniunctæ nullo deficiant casu: perpetuoque duraturæ sint tempore. Quæ si crassiores quidam non multum forte æstimabunt, at ne id salutem contemnent quod Aristippus roganti cuidam quonam melior evasurus esset filius si erudiretur, respondit: *Etsi nulla alia re, certe vel in theatro non sedebit lapis super lapidem.* Illi vero si ita ut diximus filios erudire curabunt, honorabiliores etiam, quod Aristoteles dicebat, erunt quam si eos solum genuerint, qui enim genuerint vivendi tantum, qui autem erudierint, bene etiã beateque vivendi auctores esse constat. Quod adeo magni fecerunt Athenienses, ut poëtarum quidam antiquorum dixerit, ideo se dignos eos laude arbitrari quod cum omnium Græcorum legibus cogantur parentes à liberis ali, Atheniensium non omnes, nisi hi qui liberos artibus erudiissent.

Doctrina bonis Fortunæ præstantior.

B

C

Hoc de Aristotele in epistola ad Alex. M. eius discipulum Plutarch. refert in vita.

CAPVT II.

Ad septimum annum pueri literis discendis adhibeantur.

D

QVibus cum tanta promittantur, nemo est quem non maximam in eruditione filiorum operam dare oporteat. Quo recte autem modo sint erudiendi, id quod ad nos pertinet quantum per tenues vires nostras licebit, absolvemus. Principio igitur quod & ab antiquis præceptum est: cum septimum ad annum pervenerint, tradendi erunt magistris, neque ad maiores differentur annos. Aptior est enim tenella illa ætas quæcunque ei imprimuntur, quemadmodum & molles ceræ sigillorum vestigia perpetuo fixa retinere. Curabunt autem prudẽter ne multo discendi labore eos subito gravent, quod & aratores equorumque domitores consueverunt, dum hi equulos fræno, illi iuvencos iugo assuefaciunt: neve in scholis assidue cum cæteris morari cogant, sed spectatores magis disciplinarum quas præceptori erunt quam discipulos sibi suscipiant, quod & in novellis vitibus docti vinitores faciunt, quas ne vis earum extenuetur non multum ad producenda vina curant extendere: donec in solidiorem stirpem durioremque succreverint. Proximum erit ut cum firmari magis eorum anni cœperint in publico, quo cæteri convenire pueri solent auditorio doceantur, non domi (quod aliqui crediderunt) sub privati præceptoris cura habeantur, nam & muliercularum servorumque conversatione, domesticorum quoque ac sordidorum persæpe negotiorum aspectu magis segregabuntur, & à solitaria avertentur vita, quæ maxime illi ætati timenda est, ne quod plerisque contigit, eo deveniant ut conspectibus hominis quasi umbris quibusdam ac veluti ex abditis adducti locis deterreantur, quæ pecca tanquam macula grandiores postea etiam annos sæpius comitatur, præterea alter alterius si in scholis erudientur melius exemplo atque doctrina proficient. Illius namque laudatæ virtute excitabuntur, illius reprehensis vitiis deterrebuntur, atque ita vel spe laudis vel metu obiurgationis meliores evadent. Cavendum vero erit ne mutatis sæpius præceptoribus diversas ad scholas erudiendi mittantur, nam non minus ingenia quam plantaria ubi multoties transferuntur, aut vina ubi in alia vasa crebro transfunduntur lædi atque detrimentum pati contingit.

E

Quintil. lib. 1. Instit. suadet in scholis potius quã privatim instirui pueros.

F

CAPVT III.

An extra domum aut patriam ad discendas literas dimittendi pueri.

POst hæc admonendi sumus ne extra domum aut patriam sub aliorum cura alendos, edocendosque liberos dimittamus, nam cum nullus sit in filios intensior quam parentum amor, veri etiam simile cuique videbitur neminem eorum diligentiorem curã quam ipsosmet à quibus geniti sunt, esse habiturum. Quare verus & perfacetum illius dictum memoratur, qui rogatus quid equum magis pinguefaceret, *oculus Domini* respondit. Quamquam propter meliorem educationem nimiamque indulgentiam, quæ per delinimenta muliebria servorumque assentationes frequenter fit adeo sæpius resolvantur atque effluant, ut satius sit eos ad extraneos in aliis civitatibus ablegare: ubi & minus sibi licentiæ assument, & magis pro arbitrio cuncta facere erubescent. Quod ubi prudens paterfamilias animadverterit, caute prospiciet & famam & mores & amicitiam cuius filium fidei curæque committet, ne cum è Charybdi cum liberasse crediderit in Scyllam stultius inconsultiusque præcipitet. Cavebit quoque ne in oppidum aliquod quod multoties fit, ubi nulla dignitas morum, nulla habitatorum generositas & elegantia habeatur, eum transmittat: neve in ullam civitatem cuius incolas fama sit pernicioso alicui vitio, &, quod maxime illi ætati noceat deditos, inclinatosque esse. Sunt enim, ut hominum ita & civitatum à natura insita singularia quædam ac propria ingenia, quibus ducentibus suum quæque vitium sequi atque, (ut ille ait) suos quæque pati manes civitas cogitur. Tanta autem est vis consuetudinis, ut non alios ac à cæteris in quavis vel nati vel enutriti fuerint civitate observari mores conspexerint, suscipiunt etiam pueri susceptosque perpetuo retineant. Quare Xenophilum Pythagoricum dum rogaretur quo pacto filij egregie erudiri possent: recte respondisse legimus, *si ex bene instituta civitate nati essent.* Quæ cum in servis plurimum posse scribat Vlpianus Iurisconsultus, quis non vel parem vel maiorem in ingenuis etiam vim habere existimabit: ait enim qui *mancipia vendunt, nationem cuiusque venditione, pronunciare debere:* quod plerumque natio servi aut provocet aut deterreat emptorem. Idcirco interest nostra scire nationem, præsumptu namque est quosdam servos bonos esse, quia nationis sunt non infamatæ; quosdam malos videri quia ea natione sunt quæ magis infamis est. Qui vero parvo quopiam oppido orti fuerint ubi eruditorum non ratio habeatur; probandum est ut ad celebres doctisque præceptoribus refertas urbes mittantur: Quemadmodum & Augustinus quem non satis repetere possumus à Tagatensi municipio unde ortus erat admodum tenui

G

H

Virg. Quisque suos patimur manes.

Servi patria cur indicanda, Syrus, an Cretensis, aut Calaber, aut Vasco.

S. Augustinus.

ad

A

ad Madaurensem vicinam urbem, ac mox Carthaginem missum se à parentibus suis magna cum eorum impensa ac omnium admiratione attestatur. Sed ubi quis infirmioris primæ ætatis annos excesserit etiamsi celebri in civitate natus sit, non pigeat (ait ad Demonicum scribens Isocrates) longum iter proficisci ad audiendos eos qui doctiores habeantur: Turpe enim esse ait mercatores tot & tanta maria pertransire gratia augendæ rei & substantiæ; juniores vero terrestres vias cum longiores fuerint non posse, ut doctrinam uberiorem assequantur, libenter ferre.

Isocr. ti. consiliu.

CAPUT IV.

Ut pædagogi pueris adhibeantur: ac quales eligendi.

B

CUra etiam non mediocris erit habenda, si per facultates licebit, ut pædagogi pueris adhibeantur: ac tales quidem quorum doctrina vita quoque & mores publico testimonio commendentur. Cavendum sed quam maxime erit à fœdissimis quibusdam hircis; quorum curæ non sine magno periculo tenelli adhuc hœdi committentur: mirum est enim ut non tam doctrinarum præcepta quam morum etiam exempla ab his sub quorum custodia positi sunt pueri, hauriant, firmissimeque teneant. Alexandrum illum Magnum tradunt qui à Leonide pædagogo suo & morum & incessus etiam vitia puer acceperat, nunquam delere potuisse. Laudant autem omnes quam Alexandri ipsius pater Philippus dum natum illum sibi intellexisset ad Aristotelem hisce verbis Epistolam scripsit: *Filium mihi genitum scito, quod equidem diis habeo gratias: non tam proinde quia natus quam pro eo quod eum nasci contigit temporibus vitæ tuæ, spero enim fore ut edoctus eruditusque à te dignus existat & nobis, & rerum istarum susceptione.* Proderit quoque condiscipulorum quempiam eruditiorem filio docendo præficere, qui & magis idoneus videbitur, si domesticus, aut sanguine junctus, aut frater etiam germanus fuerit, quod sapienter faciunt patres quidam familias, qui filios minores natu majoribus erudiendos committunt: quæ res summam parit utilitatem. Nam & minores majorum doctrina melius celeriusque proficiunt: & majores quæ ante didicerunt efficacius memoriæ commendant, assequunturque illud insuper quod in re familiari non parvi ponderis esse iudicamus: habentur enim à minoribus majores in veneratione timenturque instar patrum: oriturque proinde (quam raram Naso esse dixit) firmaque inter eos ac concors semper gratia perseverat. Non erit etiam contemnendum ut parentes ipsi cum è scholis filii redierint pædagogorum vicem supplentes repeti ab illis ea iubeant quæ interdiu à magistro didicerunt: quod indoctum quendam patrem scio fecisse; qui tanquam longe omnium quæ se coram recitarentur ignarus esset, reprehendebat sæpius filium, atque eo animum illius adducebat ut sollicitius doctrinæ percipiendæ instaret: ne à patre, quem eruditum existimabat, ulla ex parte reprehendi posset. Sed & confert plurimum domesticus, qui intra privatas domos habebitur, usus Latine loquendi: quemadmodum scribit Cicero de Curione illo qui cum literarum admodum nihil sciret, indoctus omnino ac rudis, ut nec poëtam nec oratorem aliquem unquam legisset. Latine tamen non pessime loquebatur; usu tantum aliquo domestico. Non magni interesse dicit quos quisque audiat quotidie domi: quibus cum loquatur à puero: quemadmodum patres, pædagogi matres etiam loquantur: Affert eiusmodi quædam exempla, sed præcipue Corneliæ matris * Gracchorum: in cuius sermone egregie educatos filios ex literis, quas illa scripsit, apparet.

Plutarch. in Alex.

C

Quid fractum quoque gratia rata est. Pater sit, interdum pædagogus.

D

* Quarū exempla constant in Corn. Nepotis fragmēntis Sap. lib. 1. cap. 19.

CAPUT V.

Quales magistri pueris erudiendis adhibendi.

E

MAgistrorum vero, à quibus publice edocendi erunt, deligendorum curam majorem etiam habere oportebit: ut quod de pædagogis diximus graves sint imprimis, liberique ab omni vitæ crimine. Dehinc egregie docti. Nam quemadmodum nutricum quanto prius incorruptiusque lac fuerit, tanto infantium qui eo aluntur valetudo magis atque robur adiuvatur: ita hi quo electiores literas & mores habuerint, eo etiam discipulis firmiora relinquent probitatis & doctrinæ altius demum surrecturæ vestigia. Nec dubitandum erit quanto principio præstantissimus illis doctor eligatur: licet ad imbuendam indem adhuc ætatem mediocriter etiam doctus quisque ac gregarius sufficere videatur: Nam quo eruditior fuerit, eo faciliorem clarioremque doctrinam ministrabit: quæ puerorum maxime nutrit ingenia: iacient etiam in eis certiora literarum ac rectiora fundamenta quæ non aliter ac iacta fuerint perpetuo secum infixa perdurabunt. Requirenda est autem præceptorum eruditio, ut discipulorum tamen nimia multitudo fugienda sit: nam multitudinem docendi difficultas, difficultatem negligentia, negligentiam despectio, atque post concta, omnis demum & temporis & æris sequitur perditio. Evitandæ igitur erunt scholæ quæ nimio discipulorum concursu frequententur: neque enim facile quivis etiam eruditissimus magister ubi numerosiorem, quam ferre queat, discentium gregem habuerit, satis unquam omnibus facere atque vacare poterit. Præstabit quoque eruditores eis præficere. Inhumanitas atque ut ita dixerim aviditas maxime impedit profectum, qui ad literas in ea ætate fit. Imitantur etiam facillime pueri mores quos in maioribus suis assidue conspiciunt. In quo præclarum illud est, quod apud Platonem educatum puerum ad parentesque postea reductum cum sublata voce excandescentem conspiceret, patrem dixisse ferunt: nunquam hoc apud Platonem vidi. Catoni fuit pædagogus Sarpedon, homo comis atque urbanus; & qui verba magis quam verbera in promptu haberet: quod illi admodum ad literarum morumque rationem, profuit, parebat ei Cato: faciebatque omnia illius iussu: singulorum causas rationesque ab eo efflagitans: ac tanquam divinum quoddam oraculum eum observans.

F

Schola non nimis frequens diligenda.

G

Plutarch. in Catone.

CAPUT VI.

De parentum magna familiaritate cum magistris filiorum: donaque & præmia laborum debita eis præstent.

DEbebit autem paterfamilias cum idoneum erudiendo filio magistrum nactus fuerit, magnopere studere ut frequenter eum in scholis visat: si dignitas ipsius patietur, ut quantum filius profecerit videat ipse aliquanto, ac experiatur: Capietur enim his docentis animus: atque ad diligentiorem commissi sibi pueri curam magis animabitur. Quod in Paulo Æmilio laudatur: qui cum relicta aliquando re publica, erudiendis filiis maxime intenderet, adhibens illis omnium disciplinarum præceptores, exercitationibus etiam eorum ac ludis nisi aliunde avocatus, semper intererat. Plinius quoque de se scribit, dum amici cuiusdam sui defuncti liberis instituendis præceptorem quæsisset: in scholam sæpius eorum causa redire: & illam dulcissimam ætatem quasi resumere: sedere inter iuvenes, ut iuvenis quondam solebat atque etiam experiri quantum apud illos auctoritatis ex studiis haberet. Providebit ante omnia, ut donetur sæpius ut præmia laboris eius vel amplissima vel debita certe illi præstet. Atque hoc loco

H

Plutarc. in Æmilio.

Plinius iunior.

vehementer indignari cogor contra stultissimos quosdam, quorum temporibus nostris non pusillus grex est, qui longe pluris agros & vineas, iumenta quoque ipsa faciunt quam filios, nam quo egregie colatur terra, putenturque vites, nulli parcent impensæ: nullum refugient laborem. Ipsos vero qui boves atque equos curaturi erunt: magno sibi precio comparabunt, observabuntque assidue diligentiam eorum, quos si aut negligentius, aut imperitius curam eis commissam gerere animadverterint, vel increpabunt sæpius, vel docebunt, at filiorum, quibus nihil carius habere debent, nulla omnino cura, ac si equis & bobus etiam viliores habeantur: ita ut nec erudiendis eis magistros adhibeant: & si adhibuerint tanti illorum curam faciant ut neque colloquantur, neque salutem dicant: neque salaria unquam eis quæ tantis laboribus emeruerunt, impendant: & si impenderit fortasse, distorquentur adeo & discruciantur, ut aut evelli eis dentes: aut erui oculos nemo non dixerit. O perditum, ô imprudens parentum genus, si tam hebeti, atque obtuso sunt corde, ut filiorum causa nihil moveantur, at saltem erubescant tam indignæ ac abiectæ tenacitatis: immo ut verius loquamur rapinæ. Quid enim aliud dum egentes homines tantis die noctuque laboribus discipulorumque coërtionibus insudantes mercede debita fraudant: quid aliud quam rapinam, ac talem quidem qualē nec manifesti grassatores committerent exercēt? Quis vero non commiseretur eorū sortem omniū certe aliarum laboriosissimam atque durissimā: quos inquieti undique puerorū excursus clamoresque assidue obtundūt: qui & ex sapientibus stultos & ex stultis, quod ille ait, insanos etiam facile efficere possent? Quid conqueruntur postea filios suos ignavos, segnes, protervos, improbos, à literis prorsus alienos: in prærupta quæque vitiorum præcipites ire: nihilque ingenuum generosumque tenentes vilissimum longe ac abiectissimum: & qui non nisi servis conveniat animum induere: quorum si erudiendorum curam, ut parentes decet, habuissent, non tā amaros ut sæpe gustare contingit eos male institutæ vitæ eorum fructus consequerentur. Quin recte eis dici posset, quod Aristippus cuidam, cuius cum filium eruditurus quingentas drachmas postularet: atque ille diceret, *tanti se mancipium emere posse. Eme, inquit, & habebis duo.* Advertant Demosthenem, quem tradunt cum relictus à patre divite esset septem annorum: tutorum male administrantium causa non tam in patrimonio quam in literis quibus negligenter imbutus fuit quod præceptoribus salaria non persolverentur, magnam iacturam fecisse. Attendant parentes, attendāt: discant aliquando quicquid erudiendis filiis necesse erit larga manu impendere: discant ne tanti pecunias commodis eorum profuturas quasi violenter ab eis rapiantur æstimare. Sumant ab Augustini nostri parentibus exemplum, quo nullum certe memorabilius præsentiusve afferri potest, ut intelligant quantum illi ad eam quam tanta cum excellentia literarum eruditionem assecutus est, parentum etiam cura atque in his quæ doctrinæ causa impendenda erant, liberalitas profuerit: audiant quid de illis ipsemet his verbis scribat: *In Madauris vicina urbe iam ceperam literaturæ atque oratoriæ percipiendæ gratia peregrinari: longioris apud Carthaginem profectionis sumptus præparabantur, animositate magis quam opibus patris municipis Tagatensis admodum tenuis. Quis enim non extollebat tunc laudibus hominem patrem meum, quod ultra vires rei familiaris suæ impenderet filio quicquid etiam longe peregrinanti studiorum causa opus esset. Multorum enim civium longe opulentiorum nullum tale negocium pro liberis erat tantam pro filio curam soliciti parentes gerebant; qui ut literas disceret miro uterque quamvis diverso ardore ferebantur, pater quidem non quod Dei quicque cogitaret: mater vero quod uti prudentissima ac sanctissima doctrinas ipsas ad cognoscendam suscipiendamque Catholicam fidem non modo non filio nocituras, sed nonnulli etiam ei adiumento futuras esse existimabat: ita se refert parentum suorum mores recolentem coniicere.*

Iniuriosi parentes erga filiorum institutionem.

Pedagogorū miseria.

Demosthenes.

S. Augustinus.

CAPUT VII.

Quid observandum magistris in instructione puerorum.

HÆc ita (ut diximus) parentes in filiorum magistris observabunt. Magistri autem ubi commendatos eos sibi habuerint, non aliter ac filios omni cura & amore prosequentur, nullum refugientes in erudiendis eis laborem, pro quibus cum perfectam ad eruditionem evaserint non minus gaudebunt quam agricolæ pro plantatis arboribus, ubi dulcem edunt fructum. Diligenter igitur advertent ut pensata cuiusque vel ætate, vel ingenij ratione diversa, singulis ac omnium humeris æqua lectionum onera imponant. Alia enim rudioribus: atque alia robustioribus annis convenient, neque eadem tardioribus quæ & promptioribus ingeniis adhiberi debebunt. Attendent & ut quod in corporum cibatione fit, quæ pro succrescente cuiusque firmiore ætate paulatim etiā firmior præstari consuevit: idem quoque in doctrinarum traditione recipiatur. Nam ut lacte primo pueri, de hinc mansis tenerioribus quibusdam cibis, demum durioribus etiam aluntur: ita levia illis primo quædam rudimenta, post gradatim uti augeri magis anni incipient graviora quoque literarum præcepta ministrabuntur. Ac tunc quidem ne segniter tempus consumant ad studiorum labores tolerandos erunt invitandi, dum anni vigent, dum ea ætas firmior non lassari facile, perferre autem omnia melius, ac perseverantius potest, quæ moderate tamen sunt exigendā, ne nimio studiorum pondere gravatos corruere, & quod supra vires conabantur, minus assequi eos contingat. Quæ vero superiore libro disseruimus custodiant: ut singulorum naturas caute animadvertant, animadversisque convenientiā quibusque remedia adhibeant: hæc enim atque cætera quæ parentes in filiis observare docuimus, eadem & in discipulos præceptores non negligere volumus. Quos ergo remissioris naturæ cognoscent tanquam calcaribus quibusdam incitabunt: quos autem concitatioris, tanquam freno continebunt, quod de Zenocrate & Aristotele Platonem dixisse fertur: cum hic promptioris, ille tardioris esset ingenij: cuius & de eisdem illud est memorabile, quod dixerit, *Cui equo qualem asinum iungo.* Quos etiam constantes, studioque assidue intentos: quos modestos, obsequentes ac verecundos intelligent, hos molli, blandaque manu prosequantur: quos contra leves, vagabundos, quos improbos, inaudientes, atque audatiores cum his severius agent, abstinebunt tantum ab inferendis plagis, quod & supra abunde satis explicavimus. Qui si discipulorum errores & vitia ferre fortasse non poterunt, cavebunt saltem ne plusquam gravitati eorum conveniat excandescant, aut sæviant, *præceptoris enim* (ut Paulus Iurisconsultus ait) *nimia sævitia culpæ assignatur.* Meminerint eius quem & supra memoravimus sutoris, qui puerum dum monendi, docendique causa forma calcei gravius sæviens percuteret elusavit, pro cuius damno lege Aquilia eum teneri: ac patri quicquid minus ex operis filij sui propter vitiatum oculum esset habiturus, impendia quoque quæ pro eius ratione fecisset debere Iulianus Iurisconsultus tradit. Satius autem erit, quod & ante non tacuimus, præceptores esse compositi & quieti animi: nihil ad iracundiam prolabi: quam ita discipulorum vitia si qua fuerint indurari, ita virtutes languescere (ut ita dicam) ac decidere magis videntur: instar ignis cui & illam Plato comparat: dum ignem igni incitari vetat: & nihil certe similius afferri potest, nam cum eo ferrum solidius fiat: at virgulta certe & ligna exuruntur atque minuuntur: ita vero mansuetiores erunt erga discipulos magistri, ut non dissolutior tantum illis vitæ licentia relaxetur: unde & contemptus oriri, & naturæ si quid esset egregiæ, facile corrumpi posset.

Cap. 17. In magistros nimis plagosos.

Cap. 16.

Iulianus Iurisconsult.

posset: Proficient igitur magis pueri, præsertim qui mansueti ingenij fuerint, si severior, austeriorque ab eis disciplina removeatur: si eorum errata sæpius dissimulentur: atque ubi non dissimulandum videbitur, si dulciter emendentur: si placido vultu corripiantur, ne acrior eis reprehensio aut comminatio animum imminuat: diffideréque de se ipsos cogat: ne ad quod sponte sua egregia se indoles attollebat assequendi id desperatione demum deficiant, & cuius summo ante amore flagrabant, dolentes postea prostratique animo atque refracti odio habere incipiant: atque ita severiorem disciplinam reformidatio, reformidationem diffidentia, diffidentiam desperatio, desperationem dolor, dolorem negligentia, negligentiam denique odium consequuntur.

CAPVT VIII.

De laudis & pudoris studio adhibendo in instructione puerorum.

Diligens ergo præceptor laudibus magis alere studebit discipulos, neque est enim quisquam tam miseræ, abiectæque sortis, neque (ut ille ait) tam cornea fibra cuiquam est, ut non laudis & gloriæ amore capiatur, verissimumque est quod Ennius inquit: *Omnes mortales sese laudarier optant*, quodque Cicero confirmat, *honos alit artes, omnesque incenduntur ad studia gloriâ, iacentque ea semper quæ apud quosque improbantur.* Nec levem habet auctoritatem quod Ioannes Chrysostomus dicit, difficile esse, neque forte fieri posse, ut propriis quisquam laudibus non lætetur, id affirmans etiam se nescire si quis hominum hoc aliquando obtinuerit. Quare pulchre Themistocles dum more Græciæ canere fidibus in epulis iussus recusasset, totum illud iocunditatis genus aspernans, habitusque proinde indoctior rogaretur, quid ergo te audire delectat? Respondit: *Laudes meas*, non sunt igitur, quod superstitiosi aliqui iactant, omnino laudes fugiendæ, quæ plerumque sunt etiam fomes quidam atque esca virtutis, calcar quoque bene sancteque vivendi, quas & Augustinus noster ad Darium quendam potentissimum principem, à quo eximie laudatus fuerat, scribens, ita prodesse sibi ait: *Erubescerem si quibus datus fuisset carere se intelligerem: atque ut eas consequeretur, magis inardesceret.* Ex quo fiet ut quæ pueri in se laudari audierint, benefactorum etiam suorum testimonio confirmare atque augere magnopere enitantur, ne quod eorum quæ egerint falso laudatum esse videatur, solidari enim ita sæpius solent infirmiores animi cum se à maioribus curari, magnique fieri intelligunt, dehinc ut uberiores quoque assequantur, ampliorésque laudes litterarum etiam magis ac virtutis studio sua sponte incendentur, suscitabitur præterea inter eos si laudabuntur honesta quædam æmulatio, quæ & tardioribus simul ingeniis proderit, movebiturque alter alterius laude, addent animum commendationes aliorum, incutientque stimulos, inflammabit gloria æqualium, eminere inter laudatos pulchrum putabunt: superare etiam contendent: vincendi studio ducentur. Vinci ab aliis aut etiam crimine aliquo accusari pudebit, erubescent non tam cum arguentur, quam cum alios se etiam ab aliis inferiores timebunt, quibus nihil certe ad informandos teneræ ætatis mores aptius, convenientiusve esse potest: quibus & circa eorum disciplinam studiose magistri uti debent. Quod & Lycon Philosophus fecit: qui ut in educandis, instituendisque pueris maxime idoneus fuit, ita eis necessario adiungi oportere dicebat *pudorem simul & laudis studium*: velut equis *calcar atque frænum*. Quid verius hac sententia? quid præclarius? Ego ita eam veram ac præclaram affirmare audeo: ut nihil in tenerioribus annis, quibus summa sub magistri cura eruditus fui, senserim quod ad percipiendas magis litteras profuerit. Solebat enim magister (ut recolo, ac recolens sæpe rideo) dividere quasi in bellatorum acies discipulos invicem disceptaturos sub iudice eorum quopiam qui doctior videbatur, atque ubi probe conflictatum esset, qui fortius, præstantiúsque pugnassent, & laudibus plurimum efferre: & sedibus etiam dignioribus honestare, id genus decertandi non possum satis dicere, quantum me ne inferior aliis saltem iudicarer, ad sustinendam omnem vigiliarum, studiorúmque molem plusquam ætas etiam illa pateretur incendebat; quantumque incitabat, ut qui doctiores aliis videbantur, imitarer, excellentiorésque sequens, tardiores minime attenderem. Quod Aristotelem postea legi dum rogaretur quo pacto discipuli egregie proficerent, respondisse. Quod & in disciplina equorum à doctissimis viris præceptum est: ut qui eximios, præstantésque eos habere voluerit, veteranos aliquos & generosos illis socios addant quorum exemplo & desidia minime marcere, & ardua quæque subire, ad laboremque ac laudis amorem excitari assuescant.

CAPVT IX.

De artificio alio docendi pueros.

Hæc quæ experientia magis quam præceptis didici, si imitari volent magistri, melius non dubito quam alia ulla docendi via discipulorum eruditioni consultum ibunt. Affert enim modus, docendique ut ita dicam artificium maximam discentibus doctrinæ utilitatem simul & celeritatem. Quare narrabo & alterius præceptoris mei artificiosiorem & erudiendi industriam, quæ cum & laudis amore, & pudoris metu pueros magis ad litteras excitaret, eo convenientius & huic loco subiicienda est. Secundum itaque mihi pater præceptorem adhibuit, non quod primi doctrina aut cura, aut mores illi displicerent, quem summo certe amore, assiduáque familiaritate, convictu etiam frequenti coniunctissimum habebat, sed quod ex Mediolanensi urbe in qua educatus fui, in aliam patriã cogente nescio qua rerum suarum ratione migravit. traditus ergo sui seni cuidam, cuius me delectat memoria: propterea quod licet non multum doctus esset, summa tamen humanitate morum, simplicitate quoque atque integritate vitæ eximia præstabat. Moris erat sibi distribuere quasque partes Grammaticæ gradatim ab omnibus ut quæque facilior perceptu videbatur, ediscendas. Assignare quoque singulis singulas ubi cõsisterent pueri, atque ut ratio cuiusque postularet, digniores etiam sedes, quique rite omnia perdidicissent ad Dialecticen demum transferre: ac tum singulis eorum rudiores alios vel senos, vel denos edocendos committere, idque fieri volebat palam, cuncta eo circumspectãte postquam à docendi ipse labore cessasset, dehinc ubi commendatos quisque sibi Discipulos perfecisse præceptori denunciasset, celebrari iubebat examen circumsedente omnium qui edocti iam erant discipulorum corona, non aliter ac in gymnasiis Iurisperitorum, aut Medicorum fieri solet: ibique qui periculum sui facturus erat rogabatur, discutiebaturque ab argutis ut sibi videbantur iudicibus: atque ut eorum sententia quisque probatus extitisset præceptori demum referebatur: cuius ex arbitrio postea, an ad ulteriorem gradum provehendus esset pendebat, operæ pretium erat videre quanto dedecori, infamiæque adscribebatur si ab ea examinis censura improbatus quisquam discessisset: quam proinde vigilantius nemo non studiis suis insudabat, ut probari atque ab omnibus laude dignus iudicari posset. Præter hæc (quod & in scholis Iurisconsultorum postea observatum vidi) instituerat qui doctiores aliis erant, proponere ante aliquot dies corollaria, quæ die præfixo postea contra quosvis ea impugnantes defensuri essent: ea res non parvum discipulis profectum afferebat: quod animos ipsorum plurimũ acueret. Laudis quoque amore, quæ in eo certamine

maxima illis propoſita erat, ad ſtudia litterarum magis animaret, diverſa erat hæc ab ea quam ſupra retuli, primi magiſtri decertatio: ſed utraque utilis admodum atque ad laudis ſtudium cuius cauſa hæc dixiſſe volui diſcipulos exhortans longe atque incendens. Ridebit fortaſſe quiſpiam quod hæc ſcribam multum à magnis gravibúſque viris aliena: ſed age rideat, dummodo ſciat & ranarum muriumque pugnam Homerum elegantiſſime ſcripſiſſe: uberiorem quoque ex ea quam multos, qui *bellum gigantum* expoluere laudem conſecutum fuiſſe. Quare cum de laudandis pueris ſermo ſuſceptus ſit, inſtabo etiam magis atque alia quæ puero mihi ſub eodem præceptore contigerunt non omittam. Cum enim à primo doctore, a quo iam omnia Grammatices rudimenta perceperam tranſiſſem in ſecundi magiſtri diſciplinam, ac propter breviores annus (nondum enim undecimum annum attigeram) videret ipſe ea quæ minime ignorabam, præ pudore autem non ignorare ſubticebam, edocendus: ubi ille animadvertit & celeriter quæ me docebat ediſcere, & ſcire priuſquam etiam doceret ad omnia quæſita reſpondere, mirari adeo cœpit, vt & ſubdocentes ultro advocans in admirationem ſecum duceret: & magna ſæpius ac præclara de tanta ingenij bonitate (enim longe tamen falleretur) prædicaret, ſineret multa proinde etiam mihi pro arbitrio licere. Eius ego magiſtri amore atque humanitate, illis ego laudibus allectus ad litterarum tantum ſtudia incenſus fui, quantum ſi ſub primo præceptore perſtitiſſem, ſperandum de me nihil unquam prorſus fuiſſet. Erat enim aſper, rigidus, iracundus: qui & diligentius me curare exiſtimans ſæviebat ſæpius plagis: etiam ubi opus non erat, minis deterrebat, terrore deprimebat, ſolitudine conſtringebat: animum vix unquam relaxare permittebat. Ex illius itaque diſciplina tanquam è carcere quodam liberatus, atque ad alterum humaniorem dulcioremque præceptorem tranſlatus, mirum eſt quam erexi me animo, quam litteris totum me dedi ſtudio, quam laborem ultro omnem diſcendi cauſa ſuſcepi: adeo ut & nonnulla iam ipſe poëtarum volumina evolverem, & carminis aliquid novi (ad quod mira vi naturæ impellebat) quotidie ſemper excuderem, nemine etiam docente. Neque enim erat quiſquam eius negotij guarus. Ita profuit lenem, blandum, ac ipſius qualecunque eſſet ingenij laudatorem admiratorémque magiſtrum habuiſſe.

CAPVT X.

De moderatione adhibenda in laudando puero.

Excitandi igitur diſcipulos laudibus præcipua erit præceptoribus cura, ſed moderatis tamen, ac talibus quidem quibus augeantur magis eorum animi ac ſpem in bonam erecti meliorem ad frugem incendantur. Quare aliorum de eis in primis laudes quaſdam vanas & populares, quæ & ab æqualibus falſo etiam ſæpius & cum exultatione quadam licentiore fiunt, avertere & propulſare curabunt. Neque enim cuiuſquam magis quam magiſtri iudicio credere diſcipulum conveniet: à cuius ore etiam tanquam ab oraculo quodam ſemper pendere debebit. Ipſi vero eos cum oportuerit ita laudabunt: vt multas quoque laudibus reprehenſiones immiſceant: ita commendabunt ut & aliorum multo ampliores etiam commendationes referri poſſe commemorent, ita probitatem, ingenium extollent: vt indolem quandam magis futuræ virtutis prætendere eos quam perfectam iam virtutem adeptos fuiſſe atteſtentur: ne ſi immoderatius laudentur maniſeſte geſtientes effluant, diſſolvantúrque ac plus ſibi quã par ſit, falſo de ſe iudicantes, aſſumant: contendentéſque ſuas obnixe tueri ſententias mentientes quoque ſæpius ac ſeipſos iactantes multa quæ vera non ſunt, etiam meliora ſibi arrogare minime erubeſcant. Quod in teneris facilius annis contingit, propter dominantẽ naturæ calorem, qui altioris eos cordis ſpeíque longioris reddit, quæ res vti omni ætati ita illi præſertim maximum affert nocumentum, cum quod nulla ſit maior pernicioſiórque deceptio quam quæ in ſeipſum committitur, tum quod teneræ mentes quæ ad profectum litterarum toto impetu quaſi ad ſtadium equi currentes contendunt, dum ad quod tendunt ſe perveniſſe decepti opinione ſua arbitrantur, in ipſo conatu deficiunt, ac veluti vmbra quadam eruditiunculæ ſuæ illuſi fruſtrantur penitus atque evaneſcunt. Quare qui recte regere diſcipulos volet, neque auſteriore in eos obiurgatione (ne abiectius deprimantur) neque effuſiore etiam laude vtetur: ne altius quam par ſit de ſe præſumant, præſumentes efferantur, elati tumeſcant, tumefacti inſoleſcant, ac tum obliti virium ſuarum æquales etiam deſpiciant, dedignentur, odio quoque, niſi eis deferatur, perſequantur: quod maxime in ea ætate præcavendum eſt, ne ita aſſuefacti perpetuo poſtea perſiſtant, perſiſtentéſque demum ingrati invíſique omnibus fiant, nihil eſt enim quod gravius moleſtiúſq; quam huiuſcemodi hominum genus feratur: & quæ mirabilis eſt vitij vis eſt, cum quotumlibet ſcelerum conſcij mutuo ſe ament, nunquam tamen fieri potuit vt arrogans & inſolens quiſquam pari modo laborantem amaret atque ſuſtineret, ita ergo modice laudandi ſunt, vt laudis amore æquales ſuos virtute & litteris ſuperare non indignari illis, aut iraſci, aut odio infenſos eſſe contendant. Talem in ſumma ſe exhibebit præceptor diſcipulis: vt ſit auſterus ſine triſtitia, comis ſine ſcurrilitate, ſeverus cum iucunditate, iocundus cum ſeveritate, iraſcatur, ſed modice, obiurget, ſcilicet non contumelioſe, corrigat, ſed non acerbe, diſſimulet interdum, ſed cautius, laudet etiam, ſed non profuſius, blandiatur quoq; ſed gravius, remittat, ſed non licentius, exhortetur frequentius, moneat ſæpius, multa de honeſtate loquatur, multa de integritate vitæ proferat, multa quotidie quæ inter ſe diſcipuli diſſentiant. Habet enim viua vox neſcio quid quod vberius paſcat, ſit aſſiduus, non aſpernetur laborem, rogantes audiat humaniter, non rogatus vltro ipſe etiam omnes invitet.

Superbi mutuo ſeſe oderunt.

Viva vox magis quã mutus magiſter, adhuc.

CAPVT XI.

De exercitatione ſcribendi pueris adhibenda.

Addi inſuper debebit pueris exercitatio ſcribendi. Tria enim legimus Ariſtotelem dixiſſe pueris eſſe neceſſaria, quæ & à Plutarcho memorantur: *naturam, diſciplinam, exercitationem*, quorum quilibet ſi quid ex his deſit profectionem nullam habere poteſt, *naturam* enim in omni re, potentiſſimam imperioſiſſimamq; eſſe conſtat. Sunt vero quidam tanto ingenij acumine & celeritate, quibus ſi diligens accedat diſciplina, præſtantes nimirum evadunt viri, de hac ſatis ſupra * diximus, ſine *exercitatione* autem hæc omnia non aliter deficere videntur ac ſine navigatore egregio quævis fabricata egregio navi inſtructaque non omittent igitur exercitationem pueri: ſine qua & Diogenes nihil dicebat in vita omnino perfici: atque eam omnia exuperare poſſe. In qua etiam commodiſſime eo quem ſupra meminimus moderato ac caſtigato laudis ſtudio excitabuntur. *Quin vera parum prodeſſet multa didiciſſe, niſi & per ſe quiſque nonnihil invenire, cogitatiońeſque ſuas apte exprimere ac luculenter ſcriptis mandare ſciret.* Quare præceptor aſſuefaciet diſcipulos ſemper aliquid ſcribere, nunc proſam, nunc carmen, miſcenda eſt enim vtriuſque exercitatio nam eſt & proſequenda quæ auribus magis diiudicari quã verbis explicari poteſt modulatio: quam & facilius procul dubio qui carminis cudendi doctus extiterit, aſſequetur. Illud quoque compertũ eſt qui carmini ſe aſſuefecerint proſa etiam oratione cũ voluerint recte ſcribere potuiſſe, nõ econtra, quod alterũ natura atq; alterũ magis arte conſtatet. Prodetit ante, ut quod Auguſt. puero ſibi factitatũ refert,

propouan

In pueris ſpes maiores laudandæ. Cic.

Styli exercitatio, qui eſt dicendi magiſter optimus. Cic. 1. Natura.

* Lib. 1. c. 18 a. Exercitatio.

Lib. 11. c. 8. & 9. Cic. 1. Tuſ Senſa mentis commode eloqui non poſſe, &c.

Oſtendẽ puerũ balbũque ſoda la figurat. Horatius.

Hinc quidam à poeſi auſpicandũ putẽ.

A proponantur cuiuspiam elegantis poëtæ versus, quorum sententia verbis solutis ac congruenter eam vestientibus in aliam formam transferri iubeatur. Vbi vero quippiam ediderint, si qua emendatione indigebunt, ut locus quisque exiget aut mutabit, aut tollet: aut iis aliquid sui addet: aut denuo ea nonnunquam scribi mandabit. Ipse quoque quæ imitari debebunt, tota atque integra sæpius scripta dictabit, ostendétque & verborum & sensuum rationes. Vbi modus adhibendus, ubi ubertas exigenda erit, quid res etiam quæque aut locus: aut persona postul bit. Laudabit autem quæ limate correctéque ab eis scripta esse animadverterit: atque ita laudabit vt quo limatius etiam modo correctiúsque ea scribi potuerint ostendat, quæ & pro ratione ætatis probare simul affirmabit, futurúmque esse vt quæ nunc placeant aliquando improbaturus sit. Ita & ad litteras laudis studio magis animabuntur: & recte de se indicantes nimia ingenij sui confidentia minus extollentur.

B

CAPVT XII.

Doceantur pueri multa ab aliis scripta memoriter tenere: sæpius quoque cum æqualibus disceptare: ac quæ legerint, frequenter etiam secum repetere.

PRæter hæc quod Diogenem in Xeniade filios quorum eruditor fuit, fecisse tradunt, assuefaciet eos tenere poëtarum ac aliorum scriptorum dicta plura memoriter: quæ imitationem eis promptissimam, facillimam, & ad nutum semper paratissimam præstabunt, quodque & ille faciebat doctrinæ omnem rationem quæ breviter collecta ipsis insinuanda erit, quo facilius memoria teneatur ediscere. Quare adolescenti cuidam, cum commentariola perdidisset, recte Antisthenem Atheniensem dixisse ferunt: *oportebat animo ista magis quam chartis inscribere.* Cuius & illud non inelegans dictum memoratur, quo in alium etiam adolescentem Ponticum usus fuit, quem cum in disciplinam suscepisset rogatus, qua nam re illi opus esset: *libro* inquit *novo, & stylo novo: novaque tabella:* animum scilicet significans. Cui rei proderit frequens cum æqualibus de studiorum recentiorum ratione disceptatio, quæ non tam memoriam reddit firmiorem, quam linguam etiam discretiorem. Adiuvabuntur quoque magis, si quæ didicerint alios docebunt. Omnium vero optimum esse videtur, quod & à Catone observatum fuit, si quæcunque interdiu visa lectáque fuerint sub noctem animo accuratissime repetantur: diurnique omnis studij tacita secum & diligens ratio exigatur, ita ergo excreenda erit memoria, quæ sanctissima est humanæ vitæ interpres, custos disciplinarum, pretiosissimúsque naturæ thesaurus: vt non ab re à poëtis etiam Musarum mater fuerit appellata. Sed & magistrorum præcipua debebit esse hæc cura, ut à discipulis cuncta quæ per exactam diem vel per multos etiam dies illi didicerint, diligenter audiant, ac tanquam iniunctæ cuiusdam villicationis ratione exigant: exemplo eorum qui apud Indos Gymnosophistæ vocantur: qui cum nec proscindere solum norint, nec arvum colere, nec aurum colare, nec equum domare, nec taurum subiicere, nec ovem tondere, mirum tamen esse dicit Apuleius quam sapientiam colant, & magistri senes, & discipuli simul iuniores: nihil tam odio habentes quam torporem animi & otium. Vbi enim mensa posita est priusquam edulia apponantur, omnes adolescentes ex diversis locis & officiis ad dapem conveniunt, tum magistri rogant quid boni à lucis ortu ad illud diei fecerint. Hic alius se commemorat inter duos arbitrum delectum sanata simultate reconciliata gratia, purgata suspicione amicos ex infensis reddidisse. Itidem alius se parentibus quippiam imperantibus obedisse: & alius aliquid meditatione sua repetisse, vel alterius demonstratione didicisse: Denique & cæteri commemorant. Qui nihil habet afferre cur prandeat, impransus ad opus foras extruditur.

Memoria excolenda.

C

2. Alios docens proficit.

Mnemosyne Musarum parens. Vide A. gell.

D

Gymnosophistæ Indi.

E

CAPVT XIII.

Ne vel ex tempore, vel diu præmeditati pueri loqui assuescant.

MOdus quoque pueris adhibebitur, ne vel ex tempore, vel quasi diu præmeditati loqui assuescant, hinc enim superstitiosa quædam sui existimatio affectatáque sapientia, illinc levis & vana garrulitas ridiculaque ac inverecunda temeritas innasci videtur. Neque vero inconsultum simul & pulchrum quicquam esse potest, quod in scribendi exercitatione maxime præcavendum est. Sunt enim quorundam ita velocia ingenia, vt nisi magna rationis moderatio succurrat, quæcunque in buccam venerint digna simul atque indigna, mirabili quadam celeritate atque impetu scriptis suis coacervent, sicut ille, qui ut Flaccus refert, *in hora sæpe ducentos Vt magnum, versus dictabat stans pede in uno.* Quemadmodum & Appelles misero cuidam pictori, dum imaginem quam ei ostendebat recenter ac subito à se depictam gloriaretur, respondit: *Et te etiam tacete quod dicis verum esse intelligo, quin & multa plures huiuscemodi à te non depictas esse demiror.* Quia vera certe est atque animo semper figenda Catonis illa sententia, *sat scito si sat bene:* quam & crebro iactare Augustus solitus erat, affirmans id etiam, nihil minus perfecto Duci quam festinationem temeritatémque convenire. Extemporalitatem vero licet ad rem aptus esset, adeo tantum evitavit, * ut neque in senatu, neque apud populū, neque apud milites unquam verba fecerit nisi præmeditatus, nec nisi scriptos sermones quos cum singulis graviores habiturus erat, edebat, ac composita oratione, ne si extemporaliter loqueretur, vel superfluus, vel detruncatus esset.

F

** Aug.*

G

CAPVT XIV.

Vt doceantur pueri gravitate sententiarum proprietateque verborum, ac perspicuitate orationis uti.

QVare docendi erunt sententiarum magis pondere quam verborum inani crepitu chartas implere, advocaréque ita sententias verbis, ut ultro se tanquam ex locis ipsis natæ admitti postulare, non violenter trahi, ac quasi extero ab orbe venientes compelli videantur. Verborum autem rationem ita habere, vt & ipsa ultro se offerant, vt apte sedeant, vt non nisi propria, electa, ac quæ ab antiquis eruditisque locutoribus observata sint, recipiantur. Docebuntur quoque vt oratio sit levis & pura, quod C. Caligula cui non minus in litteris quam in moribus corruptum erat iudicium damnabat: adeo ut & Senecam approbans maxime diceret arenam esse sine calce: ut enim affectata ac superstitiosius exquisita. Quod ita Tiberius, vt quæ ex tempore diceret longe magis quam quæ ex præmeditato, præstare putarentur, vt emendata & tersa: & variis & figurata: vt ornata ac ipso verborum splendore illustria. Ante omnia vero (quæ prima est Eloquentiæ virtus) vt plana, perspicua, dilucida, nulliúsque interpretis indigens auxilio. Quare discent verba non vno contextu claudere, sed distinguere magis, variásque in clausulas dispertire, atque ita alterum alteri coniungere vt præcedenti sequens quadam quasi affinitate rite conveniat, observaréque ita in omnibus ordinem. Quo ubi cum ornatu coniungitur, nihil apud animos hominum plus valere dicit Cicero. Studebuntque præcipue non tam verbis uti propriis atque antiquis, quam domesticis &

Phrasis tersa sit & pura. Vide Tullianas Quæst. Andr. Schotti Soc. I. Suet. in Calig.

H

Ordo rerum.

vsitatis: ne dum antiquitati (quæ mater ingeniorum est) deferre volumus, non tam antiquam quam decrepita magis (vt ita dicam) ac ab extremis abolitisque iam longe retro seculis evocata videantur, neque talia sint qualia vix ipse etiam Oedipus intelligat, nam tanquam scopulum sic fugiendum esse infrequens atque insolens verbum præcepit Cæsar in his libris quos de Analogia scriptos reliquit. Augustus quoque abrogata & recondita verba tanquam fœtores (ut ipse appellabat) exhorruit, fuitque illi præcipua cura apertissimo sermone exprimere quicquid sentiret: ut nulla ex parte interlegendum aut audiendum quisquam obturbaretur. Quare & Mæcenatem & Tiberium carpebat, irridensque sæpius exagitabat, quod exculcata quæque & abstrusa verba summo studio aucuparentur. Increpabat quoque M. Antonium, ac tanquam insaniæ damnabat, quod ea scriptis mandaret quæ mirari potius quisque quam intelligere posset. Ad Agrippinam vero neptem scribens: *Opus* (inquit) *est dare te operam ne moleste scribas & loquaris.* Probavit ille nitidum genus Eloquentiæ purum, clarum, dilucidum, putavitque nihil perspicuitate orationis apertáque dictione præclarius. Quæ & ita placuit Epicuro, vt nihil aliud monuerit in libro quem *de oratoria* composuit. Licet contra Hadrianus (quod minime laudi ei ascribitur) amaverit vetustum obscurumque genus dicendi: adeo ut Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Salustio Cælium præferret. Quam perfacete autem irrisum tradit Cicero Sisennam illum, qui inusitatis libenter verbis utebatur, nam cum in defensione cuiusdam causæ adversus C. Rufium accusatorem dixisset, quædam eius *sputatilica* esse criminatum: *Circumvenior* (inquit Rufius) *iudices nisi subvenitis. Sisenna quid dicat nescio, metuo insidias, sputatilica quid est hoc, sputa quid sit scio: tilica nescio*, maxime est derisus. Observanda autem omnino erunt quæ & in M. Calidio singulari laude Cicero ipse prosequitur, cuius reconditas exquisitasque sententias mollis & pellucens vestiebat oratio, nihil tam tenerum quam illius comprehensio verborum: nihil tam flexibile: nihil quod magis ipsius arbitrio fingeretur, ut nullius oratoris æque in potestate fuerit: quæ primum ita pura erat vt nihil liquidius, ita libere fluebat vt nusquam adhæresceret, nullum nisi loco positum, & tanquam in vermiculatum emblemate (ut ait Lucilius) structum verbum videres, nec vero ullum, aut durum, aut insolens, aut humile, aut in longius ductum, ac non nisi propria verba rerum sed pleraque translata: sic tamen ut ea non irruisse in alienum locum, sed migrasse in suum diceres: nec vero soluta hæc nec diffluentia sed astricta numeris, non aperte nec eodem modo semper sed varie dissimulantérque conclusis. Erant autem & verborum & sententiarum illa lumina, quæ vocant Græci schemata, quibus tanquam insignibus in ornatu distinguebatur omnis oratio, qua de re autem agitur illud, quod multis locis in iurisconsultorum includitur formulis, & vbi esset videbat, accedebat ordo rerum plenus artis: actio liberalis totumque dicendi placidum & sanum genus. Quod si est optimum suaviter dicere: nihil est quod melius hoc quærendum putes.

Verbis in usitatis abstinendum. — Augusti de Mæcenatis, Tiberij, & Antonij stylo iudiciũ Suet. in August. — Hadr. Imp. — Sisennæ verborũ affectator. — M. Calidij stylus. Cic. in Bruto.

CAPVT XV.

Quæ præcipue pueris observanda: ne verbis antiquis formulisque nimis obsoletis, interpretatione etiam verborum nimis obscura utantur.

Colenda enimvero erit summopere Antiquitatis maiestas, ac tanquam religiosa quædam mater observanda sed parce quidem & sobrie: ne (quod supra diximus) obsoleta iam ac per longiorem vetustatem neglecta & incognita quæque suscipiantur. Innitendum quoque erit auctoritati maiorum, eorum modo qui boni atque electi extiterint: quorum commode si quæ fuerint non obscuriora & verba simul advocabuntur & sententiæ. Consuetudinem insuper certissimam dicendi ducem ac interpretem sequi oportebit: vt quæ doctorum hominum consensus probaverit, ea tantum admittantur. Sed & ratio verborum erit minime negligenda, quæ Analogia constat & etymologia. Nam quod iam de verbis ipsis dictum est, ne obscura sint & derita: de ratione eorum idem etiam iudicabitur, ne nimis exacte aut superstitiose ea deducere & interpretari doceantur, sed dici quæ plenam expeditamque originem habere videbuntur, ita derivationes eorum, inclinationes, proportionesque accommodare, ne *Saturnum*, quia se saturat annis, *Mavortem*, quia magna vortit, *Neptunum* a nando appellari putemus, & cætera eiusmodi, quæ Cicero irridet in libris quos scripsit *de Natura Deorũ*, nullum enim erit nomen quod (ut ipse dicat) non possit vna littera explicari vnde ductum sit. Quod & Quintilianus in Institutionibus docet: cuius iudicium vti in omnibus, ita in hoc præsertim gravissimum, atque rectissimum videtur. In qua re cum prisci multi, quos ille arguit, tum recentes quoque plures Grammatici multa ridenda magis quam probanda introduxerunt. Adducuntur ab eo damnantúrque pariter nonnulla eiusce generis exempla: quæ consultius omittens, vnum tantum nec contemnendum quidem afferam, quod nuper mihi accidit. Interrogatus enim à quodam Grammatico, vnde *bucentorium* dici putarem. (Ea enim est navis ad vehendos magnos & potentes viros fabricata,) respondi illi in primis non *bucentorium* sed *bucentaurum* eam magis appellari: cúmque illico ille non dubitare se diceret eum à *buccis centum* corruptis, detractisque paucis litteris descendere, propter longum famulatum qui ad servitia præstanda potentioribus semper necessarius est, offensus tam vana, ineptáque interpretatione, quam tanquam Sibyllinum, vt sibi videbatur, responsum protulerat: commemoravi ei quod apud Varronem legeram in libris quos scripsit *de re rustica*. A magnitudine enim boum, qui in Italia erant, consuetudinem factam fuisse inquit, vt præposita hac voce *bu* magnum quiddam semper enunciaretur, inde dici *bulimiam* magnam famem: & *bupædas* grandes pueros: & vnam *bumammiam*: & alia his similia ad magnitudinis rationem pertinentia, quod & nunc observarent fœminæ in transpadana regione, quæ ad significandum ingens aliquid & admiratione dignum prolatione eius vocis vtuntur, *bucentaurus* igitur quia principes & magni viri ea vehi solent quasi *magna centaurus* priscæ illius vocis significatione appellata est, *centaurus* vsmque signum erat quod navi imponebatur. Expressum est autem hoc à Virgilio elegantissime illo versu: *Centaura invehitur magna*, qui humiliorem illam vocem in sublimi opere aspernatus digniore verbo ac carminis maiestati convenientiori vti prudentius voluit. Fugienda ergo erunt quæ diximus vana quædam interpretandorum verborum somnia & ludibria, longéque à nobilibus ingeniis aliena. Suscipiendæ autem certæ solidæ, & quæ à puro aliquo, manifestóque fonte manare videbuntur rationes, cuiusmodi modo exemplum, vt ex vno cætera facilius intelligi possent, proposuimus: quæ si observabuntur ad nitidiorem etiam, graviorémque habendum sermonem plurimum adiuvabunt. Quod & idem de pactis litterarum & syllabarum, & apicum putandum est: ne vetustiores quædam, desuetæque scribendi formulæ & rationes innoventur, quas adeo etiam evitavit Augustus, vt non aliter ac loqueretur scriberet: sequens eorum quæ ita existimarunt tanquam rectiorem sententiam: nune ad reliqua pergamus.

Sup. c. 14 — Bucentaurũ quid.

CAPUT XVI.

Quod dicendi genus in quavis suscepta materia sequi debeant.

DIcendi insuper genus neque depressius quod ad movendos animos nihil possit, neque elatius, quod Tragicis magis conveniat: sed mediocre quod civilius, robustiúsque sit ut insistentur maxime assuefaciendi sunt, nam vti incessus cum modestior est sapientem virum decet: ita & oratio cum moderatior habetur: Quamquam tamen uti quæque res de qua dicendum fuerit, vel sublimis, vel pressa, vel concitata, vel temperata postulare videbitur: parem etiam stilum accommodari instruendi erunt. Satius autem erit ut materiæ illis in quibus se exerceant generosæ, magnæ, illustres, & quæ maiestatem quãdam summam præ se ferant proponantur. Nam evenire solet ut qui in scribendis arduis rebus ingenium exercuerunt magniloquentiæ cuiusdam decorem atque dignitatem perpetuo servent, atque ita servent: ut & de humilioribus negotiis cum libuerit humiliorem etiam, convenientémque sermonem recte facere possint. Contra vero qui viliores, depressioresque materias scribere assuefacti fuerunt, (tantam vim habet consuetudo) nihil grande unquam, nihil sublime atque excellens conari queant. Nec vero (quod inquit Plinius) affectanda erũt semper elata & excelsa, nam & in pictura lumen non alia res magis quam umbra commendat: ita orationem tam summittere quam attollere decet. Sunt porro tria dicendi genera: quæ & in carmine, & in prosa oratione probabilia habentur: in quibus & multi in suo quique genere claruerunt, est *copiosum*, plenum dignitatis & maiestatis. Est *gracile* quod venustatem habet & compressam quãdam, nec indecentem subtilitatem, est *Mediocre* & mixtum, ac inter confines utriusque iacens, cui summa inest quædam modestia: & (ut ita dixerim) sobrietas, quæ singula si finibus suis contineantur, castigatéque observentur, magnam habent commendationem, si vero terminos suos excedant, vitiosa sunt: & tanquam præstigiosa repelluntur. Quare qui in copioso & amplo dicendi genere versantur, cavere debent ne dum uberes videri volunt, tumidi magis & inflatum quiddam resonantes fiant. Qui vero in gracili, ne sicci, vacui, atque ieiuni evadant, parique modo qui *mediocre* genus sectantur, ne ambigui nihilque certum & stabile habentes dicantur.

Plin.

Dicendi genus Copiosum, mediocre, gracile.

CAPUT XVII.

De habenda pueris oratione in publico, & pronuntiatione exercenda.

MAgnum autem eis calcar ad studia litterarum adiiciet consuetudo declamandi, atque in publicum habendæ orationis causa prodeundi, nam quo maiorem sibi propositam esse laudem circumspectante multorum turba intelligent, eo magis ad percipiendas litteras & quidem elegantiores incendentur, fientque (quod in ea ætate maxime æstimandum est) animo alacri & intrepido, ad obeundaque postea rei publicæ negotia dum maior ætas succreverit aptiores, quare exercenda erit eorum vox & pronuntiatio, debitisque ac castigatis rationibus informanda, quando vel attolli, vel moderari, vel deprimi debeat, ubi suspendendus sit spiritus, ubi claudendos sensus, unde incipiendum ut distincta sit, ut sonora, ut robusta, ut cum suavitate admixtam gravitatem quandam habeat. Componendi erunt apte ac decenter oris simul & singularum corporis partium motus ac gestus, ut nec rusticorum more negligentius, nec scenicorum artificiosius, effluentiusque observati videantur. Adiuvabunt hæc ea quæ in oratore tria exiguntur, nam & rem de qua dicendum erit melius docebunt, & animos audientium magis delectabunt, movebunt quoque vehementius atque incitabunt.

Orator est docere delectare, flectere.

CAPUT XVIII.

Quales pueris auctores legendi. Et de excellentia Virgilij, ac defensione eius.

ANte omnia curabunt magistri bonis eos atque antiquis, probatisque auctoribus imbuere, quod temporibus nostris maxime deplorandum est, nam eo docentium inscitia devenit, ut quædam portenta librorum (quibus nihil ineptius, stultius, deteriusve dici queat) discenda pueris tradant, tanquam lac quoddam gustu suo omnium purissimum atque suavissimũ, cum contra venenum nullum eis tristius, nocentiusque sit, quæ iure merito ultra Sauromatas deportanda, ne apud liberos homines memoria eorum haberetur, aut, quod satius foret delenda æternum, atque sepelienda essent. Ridiculum vero illud est, quod dicere non erubuit vanus quidam nugator ex indoctorum grege, dum docendi modum Grammaticis dare conaretur, commendare admodum cœpit nominatim etiam exprimens quædam portenta librorum, affirmansque in eis omnia bene, sanctéque vivendi præcepta tradi, cum contra nihil quam nugas quasdam inconditas quidem, ineptissimoque & insulsissimo stilo coacervatas magis quam compositas contineant, monebat ea pueris legi, oratores vero poëtasque omnes pessime criminabatur, scilicet præcipue linguæ Latinæ parentes *Virgilium*, simul atque Ciceronem, quos & acerrime detestans prohibebat ne pueris ullo modo legendi darentur. Non viderat hic doctus, ut sibi videbatur, Theologus quod Theologorum princeps Aug. dicat, Virgilium propterea à parvulis legi, ut videlicet poëta magnus, omniumque præclarissimus atque optimus teneris ebibitus annis non facile oblivione posset aboleri. Non noverat quoque quod idem scribat, dum adolescens adhuc legeret *Hortensium Ciceronis* (sic enim liber ille inscribebatur, nunc negligentia posteritatis deperiit) mutasse adeo ex lectione eius omnes affectus suos, atque ad Deum spem omnem convertisse, ut divitias nullo modo appeteret, si quo casu autem sese offerrent nihil ex his præter necessarium, liberalémque victum cogitaret, divinæ iam tunc illi voci præludens: *Divitiæ si affluant, nolite cor opponere.* Quid ergo est quod à stultissima illa pecude Cicero carpi meruit, cuius è scriptis talis hic ac tantus vir ad tam eximiam vitæ frugem conversus est, quid vero continent aliud eius volumina, quam summam ad virtutum amorem, vitiorúmque odium, exhortationem? Sed quod de poëtis dicebat non negamus multorum qui poemata scripserunt interdicendam esse pueris lectionem, id enim & maioribus nostris placuit, nam Elegiaci qui lasciviores describunt amores longe arcendi erunt. Lyricorum etiam ea pars quæ licentior videbitur. Satyrici vero qui graviores fuerunt, tantum admittentur. Comici autem licet & ad eruditiorem, & ad splendidiorem ornatum maxime utiles sint, ad firmiores tamen usque annos in quibus minus periculi timendum erit, reservabuntur, nam si per picturam (quod Comicus ille inquit) exemplo Iovis stuprantis ad libidinem adolescens invitabatur, quis putabit per poema quo expressius sæpe humani affectus depinguntur non moveri etiam tenellam ætatem, ac plurimum ad quæcunque legerit concitari? Quare memorabile videtur quod Gregorius Nazianzenus, & Hieronymus, & Prosper in libris, quos scripsit *de vita contemplatiua* propter hoc referunt ab antiquioribus Hebræorum fuisse observatum, ne qui adolescentium ante tricesimum annum legerent *Geneseos* librum, & partem *Ezechielis* prophetæ

Ps. 61. st.

Terent. in Eunucho

vel

A

Libri Biblici vide Maph Vegium lib. 5. de perseverãtia Religionis cap. 5.

vel *canticum canticorum*, & cætera talia, in quibus generationes, & nomina quorundam scripta sunt mulierum, licet sub velamento Historiæ virtutum figuram illæ prætendant. Quo circa erit etiam non omittendum ut proponatur pueris legendum, quod ætati illi magis conducat aliquod sacrorum codicum, quorum si lectio cum gentilibus miscebitur, non modicam affert utilitatem, cum enim maiores nostri Græcis simul ac Latinis eos imbui litteris præceperint, ut utriusque linguæ rationem æque perciperent, idem quoque sentiendum videtur de legendis sacris mixtim, ac gentilibus libris, quorum cum doctrina simul suscepta fuerit, tenacius etiam simul postquam maiores ad annos pervenerint animis eorum inhærebunt. Illud vero quod magistri observant admodum probamus, ut rudioribus pueris post alpha & beta primo *psalterium* ediscendum afferatur, nam cum illud iam totus orbis decantet, nemoque non illud propter obsecrationes Deo faciendas doctus pariter ac indoctus memoriter tenere studeat, quis non dicet convenienter eis ipsius doctrinam tanquam lactis quandam alimoniam primo administrandam esse, quæ præsertim plana, distincta, lenis, facilis, suavisque sit, quæ & in ore atque animo eorum continuum perpetuo sit habitaculum habitura. Quid porro admiramur poëtarum ingenia qui vel amores vel dolores cæterosque humanos affectus ac perturbationes ita effingere potuerunt, vt res agi magis quam scribi videatur. An hocce Hebræo vate nobilius aliquid diviniúsque intueri nobis licet, cui neque suavitas, neque elegantia, neque copia, neque vis dicendi atque acrimonia vlla ex parte desit, qui ita Deo optimo maximoque blandiri novit, ut invitum etiam ipsum peneque renitentem votis suis assentiri compellat. Post hæc cum maturaverit tempus ut ad Grammaticos auctores transferantur, legendæ eis dabuntur *Parabolæ* quæ sic inscribuntur *Salomonis* atque Ecclesiasticus à Iesu Sirach alio Hebræo compositus, quibus ad ministranda pueris vivendi præcepta informandosque eorum mores nihil certe aptius convenientiúsve esse potest. præsertim propter elegantissimum eorum interpretem Hieronym. cuius eruditio sententiis illorum adiuncta sine comparatione plus affert utilitatis, quam hi quos supra memoravimus ridendi penitus ac monstruosi libelli, qui cum ab indoctis similia his morum præcepta continere credantur, & ab eruditis omni vanitate omnibúsque pleni ineptiis existimantur. De hinc cum firmior creverit & ætas & doctrina, legent *secundum librum Machabæorum*, quod ad Romanam eloquentiam totus magis quam cætera Hebræorum volumina accedere videatur, quod brevis etiam ac succincta sit Historiæ eius narratio, quæ & à studiosis facilius memoriæ commendatur, & legentibus omnibus iocundior pariter & utilior esse solet. Legentur hæc ergo pueris vt gustu aliquo divinæ sapientiæ alliciantur, allectiq; demum cum ingenium doctrináque maior succurret, ad cætera sive ab antiquis Hebræis scripta, sive à novis Græcis ac Latinis quorum multi sanctitate eruditionéque celebres extiterũt legenda per se facilius invitentur. Præmonendi autem erunt ut *apocrypha* quibus immensi codices referti habentur longe à se arceant, cum certi verique parum at elegantiæ nihil continent. His gentiles auctores & historici & poëtæ simul permiscebuntur recte autem fieri videbitur si à principio fabellæ Æsopi eis legentur, quod & ad morum rationem pertineant, & puriore etiam humilioréque sermone ac plurimum illis annis congruente cõpositæ sint, multum quoque iocunditatis in se habeãt, qua maxime ætas ista capitur, & ad suscipienda litterarum studia magis incitatur. Deinde ad graviora transeundum erit, laudandaq; admodum videntur quæ apud Insubres est legendi *Catilinarij* consuetudo propter summam auctoris elegantiam brevitateque operis, quæ enim elegantiora sunt eruditionem magis adiuvant, quæ breviora libentius, faciliusque ediscuntur. His adiungentur poëtæ atque ij quidem qui, ut supra diximus nulla turpitudine legentium animos inficere possint, quare qui tragœdias scripserunt non erunt repudiandi, qui vero heroica, ante omnes recipiendi propter grandiorem, elevatiorémque eorum spiritum cui longe præstabit ab unguiculis pueros assuefacere, etsi quæ legerint non facile cuncta percipere queant. Sed præcipue à maioribus nostris probatur, utpote omnium excellentissimi, apud Græcos Homerus. Apud Latinos *Virgilius*. Garriat quantum velit argutulus ille reprehensor, cuius nec rationes, quibus celebre nomen eius obruere conabatur, hilum valent. Nam vt de fingendi licentia, quam ille graviter accusabat, nihil dicamus (alias enim alio ‡ opere eius rei rationem explicavimus) haud intelligebat quid in se ponderis quartus Æneidos, quem pessime criminabatur, quo nec elegantior alius editus est, contineret, cuius gratia scire debuit totam Æneida summa philosophiæ mysteria sub poëticorum figmentorum ornamento abscondita habere, quæ nisi ad alia edisserenda vocaremur, fortasse attigeremus. Sed illud saltem quod ad rem de qua agitur pertinet non omittemus. Nam cum Virgilius sub Æneæ persona virum omni virtute præditum, atque ipsum nunc in adversis, nunc in prosperis casibus demonstrare voluerit, ita per Didonem fœminas etiam, quibus vitam rationibus instituere deberent, vel præmio laudis, vel metu infamiæ, ac tristissimi demum interitus, omni illa sui poëmatis editione admonere studuit Quis nam enim audiens illam condendis tantæ vrbis mœnibus intentissime vacantem, iuraque & leges populis iustissime moderantem, marito etiam extincto fidem ac pacta thori conservantem, cum summa laude sua & veneratione, finitimorúmque omnium timore, non eius exemplo moveatur, atque ad virtutis studium magnopere incendatur? Contra vero intelligens novi eam hospitis amore insanientem, ab extructione urbis, gubernationéque populorum cessantem, lusibus tantum & conviviis indulgentem, derelictámque ab amante demum, dolentémque & affligentem sese, deperditáque omni spe mortem etiam ultro sibi consciscentem, non animo conquassetur, non exterreatur, non contremiscat? non pudicitiam licet austeriorem malit amplecti quam blandiorem libidinem, cum huius fructus tandem amarissimi, illius semper suavissimi habeantur. Operæ pretium autem est videre quam ne petulanti vnquam vel verbo, vel sententia in horum descriptione prudentissimus poëta usus fuerit, quam honestissime, modestissiméque singula explicaverit, nisi forte, quod, summæ laudi illi attributum est, quis dixerit ita eum affectus fœminæ furentis expressisse, vt expressius nihil dici, aut cogitari possit. *Virgilius* itaque, ac cæteri, qui eadem scribendi vestigia observarunt, ab optimis & doctissimis, quibusque merito commendati, susceptique sunt, quod eorum carminibus virtutem sequi, vitiáque fugere maxime doceamur, licet sub figmentorum quorundam velamento quod ornandi magis, illustrandique poëmatis causa est adinventum, *contra scenici, quos & Plato ex urbe* pellendos censuit, quod & flagitia plurimum lectio eorum incendat, improbati proinde atque damnati fuerunt. At quod Priapeiam etiam eum edidisse ille increpabat, huic quoque quamvis à proposito longe divertamur, non respondere tamen non possumus, nam esto quod ille affirmabat Virgilium ipsius auctorem extitisse, quid ad accusandum Æneida, quæ omni protsus labe criminis vacat, afferre potest alterius obscœni libelli editio? dicat mihi num Origenis scripta ea quæ sancta sunt atque ad confirmandam fidem naturam adiuvantia, iccirco tamẽ quod & aliã multa prava & hæretica composuerit reprobamus, libenter enim Theologo Theologorum exempla obiicio. Quanquam autem ea vulgo de Marone opinio invaluerit propter Servij grammatici, qui id solus affirmat auctoritatem, mihi tamen minime unquam persuaderi poterit, neque quid dicat Servius opponat quisquam, nam grãmatici non plus fidei sibi vendicãt

B

David. Psalmi.

C

Salomonis Parabolæ.

D

Sallust.

E

Virgil. Maro. Lib. 1. de Perseverãtia c. 5. Æneis Virgiliana.

F

G

H

Priapeia non esse Virgilij poëmation.

quam

quam cum vel ratione, vel probati alicuius poëtæ, aut oratoris auctoritate quæ dicunt confirmare possunt, dixerit igitur vt libuerit dum modo nos contrarium certa, euidentique ratione conuincamus. Nam Martialis excellenti vir ingenio, dum turpissimorum à se editorum versuum argueretur, affert in medium multos tanquam oportunissimos causæ suæ auxiliatores, ac defensores, *Catullum*, *Marsum*, *Pedonem*, *Getulicum*. Cur quæso autem præterit Virgilium, num eius forte nomē quem totus orbis ad cælum affert ipse contemnit? at nemo id quidem vel insanus etiam putauerit, quid ergo restat nisi vt cuius auctoritatem multo quoque ante comparasset, quoniam nihil eorum habebat quod à modestissimo poëta scriptū afferret omiserit. Apuleius quoque homo & doctrina, & eloquentia præstantissimus, cum & ipse pro obscænis quos ediderat versibus accusaretur, defendit se exemplo quorumdam qui in eo genere lasciuius vtique luserant, cuiusmodi præter cæteros nominat, *Ediuum*, *Portium*, *C. Lucullum*. Cum verò Virgilium quem his annumerans diuinum tanquā oraculum quoddam profert, nihil scripsisse dicit nisi Bucolicum illud ludicrū quo Alexin modestissime etiā laudauit. Cur Priapeiæ nulla prorsus ab eo fit mentio? Præterea, vt maius aliud adiiciamus, nota est quam scribit Ouidius ad Tib. Cæs. epistola, in quam dum (vt ipse inquit) argueretur *obscæni doctor adulterij* defendere, expurgareque summopere se conatur auctoritate multorum quos eadem ac turpiora scripsisse refert illustriū poëtarum, ante omnes vero tanquam magistrum ac principem omnium Maronem commemorat, quasi proposito tam celebri illius viri nomine nihil amplius ad defensionem causæ suæ deesse videatur, quid porro quo se tueatur recenset ab eo scriptum esse nisi quatuū Æneidos, & nescio quid Bucolici carminis, num aliud ibi quod lasciuius Maro scripserit à Nasone memoratur? at nihil prorsus quidem. Hic exurgant qui Virgilium priapeiam edidisse contendunt, cur respondeant nullam eius, Apuleius, nullam Ouidius, quæ causam eorum longe magis adiuvabat, mentionem fecerint, num obliuione id fortasse eis contigit? quod si ridiculum est dicere cur ergo eam omiserunt dicat quispiam, nam studio fuisse præteritam, qua nihil propter auctoris dignitatem magis excusationi eius conferre poterat, nemo qui recte sapiat affirmabit. Satius ergo videtur vt à Virgilio eam minime editā fuisse credamus, cuius naturam quam modestissimam, verecundissimamque fuisse legimus, longe etiam illud scribendi genus abhorrebat, similius autem veri est *Cinnam* magis, aut *anserem* poetas procacissimus, quorum & in ea quam diximus epistola meminit Ouidius, scriptores eius extitisse. Aut *Caluum* quem tradunt paucis etiam in eo genere elegantissime scripsisse. Aut *Marsum*, aliquēue eorum quos in his versatos fuisse paulo ante retulimus. Nec miretur aliquis libellum illum falso Maronis nomine inscriptum esse, quod & multis aliis priscis simul ac recētioribus, vtq; vnius essent alteri scripta attribuerentur, sæpe videmus contigisse, atque id quidem imperitorum causa. quorum cum corruptus sit gustus, non recte etiam possunt discernere quid cuique pro singulorum scriptorum dignitate magis conuenire videatur. C. Cæsari legimus multas orationes ab aliis editas imperitia quorumdam temere adscriptas fuisse. Quod maxime in nonnullis Ovidij libellis falso vtiq; ei ascriptis intueri licet, cuius modi est ille qui *de pulice* inscribitur, quē cum vulgo iam increbuerit ab eo editum esse, nos tamē minime ex vno tali fœtum illum vnquam prouenisse arbitramur, quod etsi nō omnibus ea stilo ipso scribēdi qui nihil Ovidianum sapit, at ratione saltem, quam indoctus etiam quisq; capiet, persuadebimus, nā quod poëtarum nemo alius fecit, tam exactæ diligentiæ Ouidius fuit. vt pentametros versus propter maiorem carminis concinnitatem, raro vel nunquā nisi in dissyllabam dictionem terminaret, quod cū maioribus quibusq; operibus suis quæ tot numero edidit, accuratissime ferme sē per obseruauerit in his autem quis extant *de pulice* paucissimis versibus trisyllabarum dictionum terminatio sæpius offendatur, quis credet in tam exiguo poemate à solita sua obseruantia deuiare voluisse? Nunc vnde discesserat oratio nostra, reuertamur.

Ψευδεπίγραφα.

Ouidii non est de pulice.

CAPVT XIX.

Narranda pueris sententiæ poëtarum & historicorum.

NOn immerito igitur *Virgilium*, tanquam poëtarū omnium elegantissimum atque grauissimum pueri in primis quā maxime legendum inscipiēt. Taceat vero qui Gregorium dicat reprehendisse grauiter per litteras Desiderium quendam Galliarū Episcopum, qui *Virgilio*, cæterisque gentilibus auctoribus studiosius quā dignitas sua pateretur vacabat. Haud enim docemus quid grandiores natu, dignitateque aliqua præditi, sed quod adulescentiores legere debeant, quod in illis vtiq; dicit Hieron. crimen esse voluntatis cum in his sit necessitatis, propter percipiendam quam semper ita vti edocti fuerint cōseruabunt elegantiorē linguæ latinæ vberioremque doctrinam. Neque illud negligendū erit, quod puero mihi admodum profuisse expertus fui, vt scilicet antequam ediscendis poëtis, historicisque idonea ætas aduenerit audiant narrari eorum sententias succincto, domesticoque sermone laxandorum, refocillandorumq; animorum causa, quibus & illi se quod plurimum aures demulceant attentissimos præstabunt, & ad intelligendos postea earū auctores cum anni patiētur longe magis adiuuabuntur, robur etiam maius afferet tenellis animis earum narratio quam inanium quarundā fabellarum quas à muliercculis referri solitas superiore libro damnauimus. Proponā certe libentius ea aliis obseruāda quæ meo magis quam alieno testimonio affirmare possum. Mos enim fuit primo illi magistro meo, quem super commemoraui, cum recreare animum vellet poëticum semper aliquid aut Historicum recensere, à cuius cum nunquam latere discederem, nihil erat quod non ab illo prolatum auidissime caperē, firmissimeque conseruarem, inde vbi crescentibus annis ad studia poëtarum me contuli, ita plana ac facilis mihi visa est eorum lectio, vt non tanquam recens sed iam ante suscepta, repetitaque sæpius se offerret, atque, vt de *Virgilio*, cuius modo mentio habetur, loquar, iam nondum lectā noueram Æneæ tempestatem, Troiæ incēdium, ludos quoq; & Auerni loca, pugnas simul ac instructas acies, iam Ascanio, Eurialo, Lauso, atque Pallanti pueris puer ego præcipue afficiebar, iam partibus eorum fauebam, quas & acerrime sæpius inter loquendum sustinebā, hæc ita rudi & nuda narratione prius ebibita miro me postquā ad Maronem legendum accessi amore eius ac studio prope incredibili, vt de faciliore perceptione taceam, incenderunt.

Virg. potissimum à pueris ediscendus.

Lib. 1. c. 10.

Virgilian.

CAPVT XX.

Omnibus disciplinis simul pueri imbuendi.

PRæter hoc probant maiores nostri vt & aliis simul disciplinis imbuantur, atque eodem tempore exerceatur que in eis qui *orbis doctrinarum* appellatus est, licet apud Hebræos antiquitus obseruatum fuisse scribat Gregorius Nazianzenus, vt non omni ætati omnia legenda committerentur, eo quod non expediret omnes omnia discere, quia nec capere possunt omnes omnia, idcirco lædi eos potius, quam iuuari, si nondum capaces ea quæ sunt profundiora cognouerint, verum probabilior videtur prima sententia, non quod exacta omnium cognitio exigenda sit (id enim haud vnquam fieri posset) sed quo ea transeuntes per quandam degustationem, quod facere solent qui vina emunt, attingant, neque verendum est ne nimio tot tantarūq;

terum onere lassentur. Nam & id fiet ad iocunditatem, & cum in vna disciplina grauari cœperint (neque enim vni semper intendere facile poterunt) per successionem & immutationem alterius variatis lectionum vicibus. (instar ciborum qui diversi etiam sumpti minus fastidiunt) diviso, dispartitoque labore magis releuabuntur. Minime vero illud probandum est quod plerique nimio discendi desiderio faciunt, vt multa simul non tam diversis ex disciplinis quam ex vnica etiam ad superfluam satietatem lectitentur, vnde deprimunt magis ingenia quam attolluntur, non aliter ac corpora quæ ex minorum ingurgitatione ciborum grauari magis ac pessime confici quam nutriri consueverunt, cum multa igitur quasi per delibationem quandam oblectandi animi causa legi debeant, pauca tamen deligenda sunt, quibus peculiari tanquam iure toto studio erit incumbendum, atque ex his singulare semper quiddam, quod per diem studiosius animo versatum concoquetur.

LIBER III.

MAPHEI VEGII LAVDENSIS, DE EDVCATIONE LIBERORVM Et eorum claris moribus.

CAPVT I.

Ad quam quisque disciplinam inclinat, in ea se exerceat. Deque modo laureandorum poëtarum.

NVNC quod præcipuũ obseruare debebunt & patres, & magistri simul admonendi sunt, & diligentissime ad quid quemque natura magis inclinabit, advertant, ne, vt veteri est in Proverbio, fiat aliquid inuita Minerua. Vt enim omnium quæcunque sunt in omnibus summa diversitas est, ita præsertim ingeniorum, quorum & tanta vis est facilius sol à citatissimo quo cursu agitur quam à sua quisquam, qua impellitur natura, averti possit. In quo igitur prævalere quemque prospicient in eo exerceri, nec ad alia distrahi studiose curabunt, ne si contraria animo suo studia sequi, alterique quam cui procliues sint, compellantur operam rei nauare, eo deducantur, vt & in suscepta contra ingenium suum opera minime proficiant, & in qua nisi abducti inde, abstractique essent convenienter sibi proficere potuissent, nihil prorsus vnquam assequantur. Quod & in equis observari debere præcipiunt, qui de disciplina eorum scribunt, vt cum firmiores ad annos pervenire cœperint diligẽter advertatur ad quid potissimũ quisque natus esse videatur, in eoque vt recte animadversum fuerit probe exerceatur. Nam constat quosdam ad bella animosiores esse, alios ad promerendas ludorum palmas accommodatiores, nonnullos vero ad domesticum vsum, rusticamque rem aptiores. Scenicos etiam tantum prudentiæ habuisse in noscendo sui cuiusque ingenio refert Cicero, vt non optimas sed sibi accommodatissimas fabulas eligerent, qui voce freti essent Epigonos Medeamque, qui gestu Menalippum, aut Clytemnestram. Quare merito Ciceronianus ille Antonius, cum de Oratore loqueretur, confirmaretque quod à Crasso dictum erat, permulta scil. esse quæ Orator à natura nisi haberet non multum à magistro adiuvaretur, probat admodum Alabandesem Apollonium, summum dicendi præceptorem, qui cum mercede doceret, tamen (vt inquit) non patiebatur eos quos indicabat non posse oratores evadere, operam apud sese perdere, dimittebatque & ad quamque artem putabat esse aptos ad eam impellere, atque hortari solebat, non sinens eos operam in tanta re frustra consumere. In hoc etiam laudandus quod non ita eos ab his artibus deterrebat, quin eas ad quas quisque natus esset, & quasi à natura imbutus & sperare, & consequi posset persuaderet. Nec minus commendandum esset illud Traiani, qui cum quinque millia ingenuorum ex bonis fisci educari, ac sub cura magistrorum haberi instituisset, in ea tantum illos disciplina erudiri voluit, ad quam quisque magis inclinari putaretur. Curandum igitur erit vt in his studiis exerceantur, ad quæ idonei magis esse videbuntur, quo fiet vt quam quisque natura ducente magis amplexus fuerit, vel Oratoriam, vel poëticam facultatem, vel Dialectices, vel Medicinæ, vel Legum, vel cuiusuis alius artis peritiam, si illi vacare permittetur longe proculdubio doctior, præstantiorque futurus sit. Quorum postrema duo studia cum plures cæteris ignaros professores habeant, non aliunde id evenire constat, quam quod spe lucri quod inde queri solet, ad ea passim omnes nõn dicam non apti, neque nati, sed nec vix primis Grammatices rudimentis imbuti demittuntur, quodque dolentius est, increuit postea nouus ille ac pessimus mos decorandi eos Lauro, in testimonium adeptæ iam (quam nec multi summis etiam digitis attigerunt) perfectæ eruditionis, quod vero stolidius dici potest quam falsæ sibi sapientiæ apud vulgus auctoritatem quærere vana huiusceemodi exteriorum ornamentorum ostentatione circulatoribus magis quam grauibus & litteratis viris conveniente. Ita non satis erat corrupta esse cetera, nisi ad litteratum vsque studiosos corruptiones hæ etiam se extenderent? Appello quosque harum artium doctissimos, nam & multi extant, fateor egregie, vereq; eruditi egregiaque & vera fama percelebres, qui laudis putãt se magis nactos esse his aureis ornamẽtis, quã ab innumerabilibus, professionis suæ, quos manifestius ipsi cognoscunt, imperitissimis hominibus gestari etiam quotidie conspiciunt. Non est à proposito aliena quæ de auri & ferri concertatione nunc in mentem venit fabella. Cum enim ferrum auri fortunam prædicaret, quod ad cultum, vsumque regum inventum esset, summoque ab omnibus in pretio atque admiratione haberetur, se vero nisi ad tristia & vilia quæque natum esse quæreretur. Tace (inquit) aurum, nam si millia ærumnarum tuarum iactaueris, haud vnam tamen meam, quam nulla est alia grauior, æquare vnquam poteris. Cum enim à regibus quos tu nominasti magna cum laude mea gestari solerem, nunc maiore cum ludibrio deveni in manus ineptissimorum quorundam hominum, quibus cum parũ vel nihil sit doctrinæ, illo etiam me malo afficiunt, vt testimonio meo quod palã omnibus ostentant, eruditi, atque sapientes esse videantur. Atqui magna hæc credi possent, nisi maiora etiam deploranda essent. De poëtis loquor, quorum laureandorum nouum morem invexit quidam, cuius nomen hoc præsertim loco quo à me reprehenditur, honestius prætereo. Qui cum grauissimus alias & modestissimus extiterit, mirum tamen est quam in hoc grauitatem longe modestiamque excesserit. Is lauro cingi sibi caput ad maiorem poëticæ artis auctoritatem, publicumque insuper eius rei instrumentum condi curavit, quod cum aliquando legerem non potui non ridere, quis vero se à risu continere posset, videns gloriam poëtarum quæ communi omnium voce & attestatione quæri consueuit, sub imperiti alicuius tabellionis fide clausam videri. Inde ad plerosq; alios ea pestis postea exẽplo eius defluxit, defluxitque adeo est (nisi occurratur) vt quisquis metri tantũ leges intellexerit ad laurus coronã subito sit aspiraturus. Res pessimi certe exẽpli, præsertim cũ neq; factitarint quicquã horũ maiores nostri, neque etiã cogitarint. Licet postea recẽtior ætas nostra tanquã ab antiquis factitata nescio quo insomnio ea suscitauerit. Nã decoronãdis poëtis hoc tãtũ apud veteres obseruatũ legimus: Cõsueuisse Græcos singulis lustris triplex celebrare certamen: *Musicum, Gymnicum, equestre*, quæ

Virg. III Georg.

Lib. de Orat.

Gradus ac Titulorum ostentatio.

Fabella de auro.

Laurea poëtarũ An. Franc. Petrarcha. vide Elegia P. Louij.

quæ Nero primus omnium Romam inuexit, appellavitque nomine suo *Neronia*. Postea Domitianus etiam ea secutus celebrauit, quemadmodum igitur athletarum, sic communium scriptorum victoribus præmia & honores constituebant, deligebantque ex omni numero doctissimos aliquos, delegabantque ad eos munus iudicandi, atque singulorum qui carminibus decertaturi erant ingenium probandi, vt qui eorum iudicio præceteris laudaretur, corona illi & honoribus meritis instar militum interpugnantium honestarentur, quod Aristophani apud Alexandriam contigit, qui cum lectis sex eius ciuitatis iudicibus septimus ipse tanquam summo studio, summaque diligentia præstans adiunctus fuisset, habito conuentu ludorum, distributisque cuique iudici secretis sedibus, postquam recitata essent scripta omnium, rogatus de his sententiam dicere, tribuit palmam certaminis illi qui neque populo, neque ceteris iudicibus placuisset, quia propria is scripta, ceteri autem aliena tanquam furti rei protulissent. In quo certandi genere Neronem etiam, quem modo diximus, tradunt se exercuisse, orandique & carminis Latini coronam consensu omnium, & quidem honestissimorum, qui secum de ea contenderant, recepisse. Huius rei in Histonio Frentanorum oppido repertum est saxo insculptum vetus & elegans Epigramma, quod dignum duxi his inserere.

L. VALERIO PVDENTI. L. F.
HIC CVM ESSET ANNORVM XIII. ROMÆ
CERTAMINE SACRO IOVIS CAPITOLINI
LVSTRO SEXTO CLARITATE INGENII CORONAT. EST
INTER POETAS LATINOS
OMNIBVSQVE SENTENTIIS IVDICVM
HVIC PLEBS VNIVERSA
MVNICIPVM HISTONIENSIVM
STATVAM ÆRE COLLATO DECREVIT.

Quod ergo sæpius legitur laureum vatibus deberi, hinc ortum habuisse magis quam nodi cuiusdam vanique honoris causa adinventum fuisse credendum est, quemadmodum & de athletis constat, militibusque cum pugnando de hostibus triumphassent. Quanquam quod ad hos pertinet grauissime etiam à Tertulliano, viro summi acuminis & doctrinæ, huiuscemodi coronæ in libro quem scripsit *de corona militis* improbentur, quo magis indigna etiam eruditis hominibus videtur hæc coronandi vanitas, quæ & indoctis atque bello tantum assuetis (quorum haud tam graues vitæ mores exigimus) tantopere damnetur. Nam quod scribit contra naturæ auctorem earum coronarum vsum adinuentum esse, quid verius dici queat? cum enim fructus rerum appetendis atque iudicandis certos & præfinitos hominum sensus ordinauerit, propriaque membrorum quodammodo organa, auditum auribus, visum oculis, gustum ori, odoratum naribus, contactum manibus, suo quæque loco adiudicauerit, vt per hæc exteriora ministeria diuinorum munerum fructus ad interiorem animam deducerentur, neque ex floribus, frondibusque aliquis nisi aut odoris, aut coloris fructus percipiatur, qui & naribus tantum & oculis obsequendi officium sortiti sunt, quis non cum summa naturæ iniuria fieri putet, vt ad alios sensus quam ad quos creati sunt eorum vsus transferatur, quorum & si tandem tanta mundicia videtur, cur non in sinum conduntur, si tanta mollicia cur non in lectulum sparguntur, tanta innocentia, cur non in poculum summuntur. Cæterum in capite quis sapor floris, quis coronæ sensus, nisi vincula, quia neque color cernitur, neque odor ducitur, neque teneritas attrectatur, tam contra naturam est florem capite sectari, quam cibum aure, quam sonum nare. Omne autem quod contra naturam est monstri instar apud omnes habetur. Præterea cum coronandi morem gentilium primum Deorum fuisse constet, quis erit Christianorum quo quem non pudeat portentorum illorum vanitatem & superstitiosa vestigia imitari ob honorem saltem vnius ac veri Dei nostri, quem & rectiore fide suscipimus, & purioreos ore confitemur. Si quidem Saturnum Pherecydes ante omnes refert coronatum, Iouem Diodorus, post deuictos Titanas hoc munere à ceteris honoratum. Iunoni vitem Callimachus induxit. Veneri myrtus dicabatur. Hercules nunc populum capite, nunc oleastrum, nunc apium perferebat. Pindarus atque Callimachus memorant Apollinem interfecto dracone lauream induisse, qua & Liber quoque pater cinctus incessit, cum ex Indis triumphauit, licet hedera illi etiam sacrata fuerit, quemadmodum etiam Osiri apud Ægyptios. Ariadnæ vero memorabile illud fuit sertum ex auro & Indicis gemmis, Vulcani opus, Liberi munus, postea sydus. Sed & prima Isis repertas spicas capite circumtulit, rem magis ventris. Omittamus autem Pandoram, quam primam fœminarum tradit Hesiodus à Charitibus fuisse coronatam, cum ab omnibus muneraretur, vnde etiam nomen accepit, de diis enim tantum gentilib. loquimur, quorum singulorum coronas explicuit præstantissimus in hac materia commentator Claudius Saturninus, quem Tertullianus idem refert scripsisse *de coronis* librum, in quo ita earum disserit & origines, & causas, & species, & solemnitates, vt nulla gratia floris, nulla lætitia frondis, nullus cespes, aut palmes non alicuius capiti inueniretur consecratus, quos satis instruit omnes dicit quam alienam à nobis iudicare debeamus coronandi capitis institutionem ab eis prolatam, & in eorum deinceps honorem dispensatam, quos seculum Deos credidit. His atque huiuscemodi aliis reprehendit militum coronas, quæ si indoctos homines, tam acriter prosequitur, quid in litteratos, quorum grauior longe, modestiorque vita, desideratur, quid scripturum illum, si hic ipsorum etiam mos temporibus eius etiam extitisset, quo eloquio, quo dicendi impetu & acrimonia exarsurum fuisse credemus? quærenda est igitur vt omnibus, ita maxime poetis, qui solida magis omni virtute, propriisque ac certis ingenij viribus quam frondium, aut metalli vllius puerili, vanaque ostentatione constet auctoritas, quæ publica magis regum, atque populorum prædicatione quam tabellionum ridicula allectione, atque testimonio comprobetur.

CAPVT II.

De exercenda disciplina, in qua quis valeat, adhibendaque iudicij moderatione, vt nemo plus sibi de ingenio suo quam aliis credat.

NEque dubitet quisquam (vt vnde discessimus, iam reuertamur) qui ad hæc studia inclinatus fuerit, suam quam impellitur naturam sequi, licet quod olim doctos homines summopere principes extollebant, nunc nihil omnino eos pendant atque existiment, quorum causa fit vt militia ingeniorum, quæ si meritis, fauoribus, præmiisque fouerentur, magnum aliquid de se perferrent, neglecta prorsus ac despecta quotidie depereant, sequatur age ducem, auctoremque naturæ suæ Deum, qui cum omnia mira ratione & sapientia fabricauerit, ita præsertim ingenia, quæ varia ideo etiam prouidentissime condidit, vt & varietas summã conditoris beneficentiã, potentiãque demonstraret & ad quod quisque natus esset, illud coleret, cuiusque non sine magno diuino consilio, ac præcipuo quopiam quod lateret bono se ad id vocatum esse existimaret. Quanquã nemo non dolere possit conditionem principum quorũ cum proprium quoddam ac singulare sit officium benemerentibus benefacere, non secus ac militum pugnare, agricolarũ arare, nauticarum remigare, nec aliã ob causã præpositi aliis, præfectique esse videantur contra illos tamẽ nõ modo negligãt, sed tanquã abiectos insuper & stolidos homines irrideant atque cõtemnãt. Vides v. si qui

A sint & indoctos, virtuteque prorsus omni destitutos longe efferant, longeque honoribus atque opibus cumulatos reddant. Quos animadvertens, graviter Isocrates, dum ad Demonicum scribit, similes eos esse dicit alentium alienos canes. Nam quemadmodum illi in omnes latrant inferentes iniuriam & dantibus indifferenter, & nihil præbentibus: ita mali homines pari modo contumeliis afficiunt tam bene sibi facientes quam eos, à quibus nihil vnquam commodi susceperunt. Quare censet bonis tantum bene esse faciendum: quod bonus thesaurus sit gratia debita ab homine probo. Proponenda autem certe principibus, recitandaque sæpius esset sanctissima illa Titi Imperatoris Romani atque celebratissima vox: qui cum exacta die quadam nihil seciuque boni contulisse animadvertisset: *Heu* inquit, *diem hanc perdidimus.* O dignissimam ore principis vocem! O principem tam celebri sanctaque voce dignissimum! O semper memorandum! O quem merito *amorem & delicias humani generis* appellarunt. Sed sinamus principes more suo vivere; qui non modo emendari sed ne digito etiam contingi se patiantur. Satis sit eruditis tam præstanti raroque bono suo frui: quod neque casus vllus, neque potestas vlla humana dare vel eripere possit: quod Dei solius præcipuo quodam munere consultissimaque providentiæ eius ratione acquiritur. Cavere semen debebunt huiuice facultatis studiosi. vt ingenium quisque suum recto pensatoque iudicio metiatur, ne, quod peccari admodum solet, blandiatur quisquam ita litterulis suis, vt quas necdum summis labris delibavit, plenis faucibus se Heliconis aquas hausisse arbitretur: *Multas quippe*, vt inquit Arbiter, *iuvenes carmen decepit.* Nam vt quisque versum pedibus lensumque teneriorem verborum ambitu intexuit, putavit se continuo in Heliconé venisse. Ita enim nescio quo pacto fieri scribit Cicero, vt in hoc genere magis quam in aliis suum cuique pulchrum sit. Neminemque adhuc dicit poetam novisse qui sibi non optimus videretur. sic se res habet, te tua, me delectant mea. Erit vero summum in his remedium, vt suo semper quisque iudicio falli vereatur: neque sibi magis quam de aliis credat, vt quod non modo à poetis, sed pictoribus etiam, & iis qui signa fabricant fieri refert Cicero: suum quisque opus vulgo considerari velit, ac si quid reprehensum fuerit à pluribus id corrigatur. Secum vero & cum aliis quid in eo peccatum sit diligenter exquirat. Legimus Plinium nunquam scripta sua nisi a multis doctissimis viris visa atque correcta in publicum protulisse. Ambrosius dum ad Sabinum, cui libellos suos emendandos dederat, scribit *mala, ait, tua corrigatur iudicio si quid mones priusquam foras prodeant, vnde tum revocandi nulla facultas sit; quam laudari à te quod ab aliis reprehendatur. Itaque arbitrum ea eorum quæ postulas rogam, neque enim leges a te interpretem nonnunquam tribuo in vulgus: sed in tuum calculum venire sententia desiderans, nescio qua enim modo præter imprudentia ea legimus quæ me circumfundit vnumquemque fallunt sua scripta, & aurem prætereunt. Atque vt filij etiam deformes delectant, sic etiã scriptores indecoros sermones sui palpãt. Incautius plerumque aliquid promitur, aliquid accipitur malevolentius, aliquid exit ambiguum. Tum quia alieno examinanda iudicia non pro nostra debemus magis quam pro aliena opinione trutinare, & discutere omnes scrupulos malivolentia.* Alio quoque loco ad eundem scribens dicit: *Ego enim beneficio annumero, si quis mea legens scripta dicat mihi quo videatur moneri. Primum quia & in his quæ scio falli possum. Multa autem prætereunt, multa quibusdam aliter sonant, pulchrum est si fieri potest, cavere omnia.* Prudentissime sane hæc Ambrosius: quæ, vti in quavis disciplina, ita in Poetica præsertim, sequi quisque debebit: sequens vero vbi se intellexerit communi doctorum hominum iudicio probari, securum tunc induat animum: neque dubitet in quibus egregie valere ab omnibus iudicetur ad ea vtique studia volente impellenteque Deo natum arbitrari. Exerceat se ergo in eis magno animo: & quo rariores qui boni probatique sint poëtæ habeantur eo spe quoque maiori laudis ardentius insistat: ac quo dux vitæ nostræ natura ducit sequi pergat: cuius tam potens etiam tamque prævalida vis est, vt frustra illi reniti vnquam atque reluctari quisquam queat. Quæ enim experientia didici, nimirum recte illa testari possum, qui a tenella vsque ætate neque docente neque docente quoquam, solo autem tantum impellente natura tam vehementi poëtarum amore inflammari cœpi, vt eorum comparatione cætera mihi parva viderentur: quibus cum secunda aura navigans totis iam remis incumberem, prohibuit me pater: atque ad dialecticem tanquam ad graviorem honestioremque disciplinam vt studium converterem iussit. Parebam itaque paternæ voluntati: cum tandem naturæ longe maius imperium eniceret, vt Musas, quibus latenter ac furtim quidem, ne id pater præsentiret, vacabam, revocarem. Post dialecticem vero quam non minus certe quam pestiferum quiddam exhorrebam, translatus fui à patre in primo ipso pubertatis limine ad studia Iurisconsultorum quorum lectione, propter summam quam in eis offendi & ingenij, & eruditionis, & eloquentiæ vim, plurimum semper delectatus fui. Cæterum quod ad exercendam eam facultatem spectat nihil est à quo vnquam magis abhorruerim, nihil quod naturæ meæ adversum vnquam repugnansque magis habuerim, vt quod Naso de se canit: *Nec me verbosas leges ediscere: nec me Ingrato voces prostituisse foro* licuerit. Quare poëtas licet me multa inde violentissime retraherent, cogente tamen maiore nescio qua vi animi, inter ipsa legum studia repetebam, in quibus quantulumcunque profecerim: illud certe non ambigo parum me vel nihil in quavis alia disciplina consecuturum vnquam fuisse: tam invicta indomitaque est, tanto imperio dominatur sua cuique natura.

Isocrates

Titus vespasianus

Cic. in Orat. ad Brutum [illegible]

Plin. lib. 2. epist. & lib. 5. epist. 8. S. Ambrosij de scripturis [illegible] lib. epist.

Poëta nascitur.

Ad Poëticam Maphei [illegible] Sic Naso sæpe pater dixit, studium [illegible] inutile tentas.

Iurisprudentia ducitur.

Naturæ sequitur semper quisque suæ.

CAPVT III.

De Musica in qua pueri erudiri debent.

QVatuor autem præcipue quæ docendi erunt pueri tradiderunt maiores nostri literas, *Musicam*, *gymnasticam*, & vt quibusdam placuit, *figurativam*. De prima satis superiore libro diximus. Musicem fuerunt qui non reciperent quod lasciviæ magis causa non pauci in ea erudiantur: in qua re maxima cura adhibenda est, nam propter impudica enervataque carmina moltos sæpe adolescentes corruptosque ac virilis nihil vnquam roboris adeptos fuisse compertum est. Verum vbi ad degendam recte in ocio vitam moderandosque animorum motus leniendasque perturbationes ediscitur: qualis est maxime qua fortium virorum gesta divinæq; laudes decantantur, quod Pythagoras probabat, nihil certe cognitione eius vtilius: nihil homini libero convenientius, quare merito apud antiquos magno semper in precio & veneratione habita est: adeo vt & Musici in vatum & sapientum numerum referrentur. Vnde & Themistoclem refert Cicero cum imperitum se eius confessus esset, indoctiorem habitum fuisse. Ob id magni etiam heroës eam didicisse: neque quod discerent erubuisse memorantur. Philosophi quoque sed præsertim Socrates iam senex, à quo & philosophia ipsa derivata est: quam non modo ipse edidicit, sed & adolescentibus insuper ediscendam præcepit.

Musica.

Tusc.

CAPVT IV.

De figurativa, quam docendi sunt pueri.

QVod ad *figurativam* vero pertinet non multum instamus, quod nec multum nunc inter liberales

artes

A

artes habeatur. Pictores enim ea magis vtuntur: nisi forte ad formandos litterarum characteres referatur, cuius peritia cuique etiam litteratissimo non paruæ cedit dignitati atque ornamento. Quare & in ea erunt pueri exercendi, quæ vero pictorum propria est non tam honesta quam vtilis etiam antiquis esse videbatur, quod ad habendum de vasis ac tabulis statuisque emendis iudicium, quibus plurimum illi delectabantur, maximum eius artis eruditio, ne à venditoribus deciperentur adiumentum præstabat. Quare Paulus Æmilius cum filios suos omnibus studiis erudiri fecerit, fingendi etiam & pingendi non ignaros esse voluit.

CAPVT V.

B

De Gymnastica, quæ & in pueris vtilis esse ostenditur.

Hieron. Mercurialis de Gymnastica.

VEniamus ad *gymnasticam* quæ cum ad relaxandos recreandosque à laboribus animos maxime vtilis est, tum ad exercendam bellicis studiis iuventutem, quæ & priuatim & publice curandæ salutis causa summe videtur esse necessaria: in qua tamen modus erit adhibendus: vt donec ad annos pubertatis fuerit, à coactis violentisque laboribus abstinere iubeantur: ne augmentum quod in eis continue fit, impediatur. Sic & plantas moderata aquarum rigatione meliores, nimia vero aut deteriores fieri, aut interire prorsus videmus. Leuioribus ergo vtentur exercitiis, quibus cum plurimum robur augeatur, tum ad conseruandæ bonæ valetudinis rationem nihil eis magis conferre medici attestantur: præcipue etiam concedenda videntur studiosis literarum, vt habeant vnde leuent fastidium, quod ex nimia continuatione facile solet accidere: atque inde à laboribus, quos grauissimos illi quidem sustinent, recreentur, recreatique demum alacrius fortiusque ad studia assueta consurgant. In quo laudatur Alexander Seuerus, qui post lectionem palæstræ aut cursui aut luctaminibus mollioribus operam dedisse perhibetur. Nec minus hoc in carentibus anima conspicimus, sicuti lyris & arcubus qui vti ex remissione conseruantur: ita ex assidua intentione franguntur. Quod si eis contigit: quanto magis ab animantibus atque iisdem rationem habentibus recipi debebit. Ita fit vt cum omnia quæ Heraclitus dixit secundum litem fiant: Æstu enim & frigore, tempestate & tranquillitate, vigilia & somno, fame & alimento, ac cæteris his similibus alternatim omnem vitam nostram agi videmus. Sic in animis præcipue nostris labor & quies studium & remissio, quibus etiam conseruaremur adinventa sunt. Affeset præterea pueris aliam vtilitatem exercendi studium. Nam quod est optimum in ea ætate signum: fient erectiores atque alacriores, euitabiturque in eis quæ omnem semper bonam indolem frangere consueuit tristitia atque animi demissio. Quæ enim in senibus commendatur: in pueris contra, condemnatur grauior tristiorque frons: quod & poeta ostendit inquiens, *Odi ego puerulos præcoci sapientia.* Commodissimum autem videbitur si singulares dierum horæ vtiliter dispensentur: si suum quæque vel studij, vel exercitij, vel cessationis statutum ac præfinitum habeant tempus: ne illud quod restaurari haud vnquam potest, deperire vel minima ex parte patiamur.

C

Ouid. Quod caret alterna requie durabile non est.

Horæ diei partiendæ.

D

CAPVT VI.

E

Quibus modis adolescentiores etiam facti exerceri debeant.

TAlibus vero eos maxime cum puberes facti fuerint, exercitiis occupare conueniet: qualibus Diogenes erga Xeniadæ filios vsus fuisse traditur. Post reliquas enim disciplinas instruebat eos, qui equitare, arcus intendere, fundas rotare, iaculari, atque cætera huiuscemodi. In palæstra quoque permittebat eos exerceri non in morem athletarum, ne nimio labore succumbentes à studiis postea literarum deficerent, sed leuis tantum ac roboris & bonæ valetudinis gratia: quemadmodum & Achilles sub disciplina Phœnicis edoctus fuit: quem illi ideo à Patre Peleo commendatum Homerus refert: vt disceret ab eo non tam *dicere* quam *facere*. Eadem quoque studia Paulus Æmilius delectis ad id præcipuis magistris filios suos, quibus & frequens intererat, edoceri fecit. Cæsarem ferunt erudisse tyrones in domibus per equites Romanos atque etiam per Senatores, armorum peritos: scripsisseque ad eos sæpius vt susciperent singulorum curam & disciplinam. Neque est prætereundum quod Marius filium iisdem non modo studiis, institui voluit: sed quod præsentia patris instructior etiam eorum euaderet, longe ipse senio grauatus progrediebatur in medium aliorum adolescentium: exercens simul se cum eis atque decertans non latebat ducem bellicæ artis longe peritissimum quantum huiusmodi exercitatio ocij tempus sub primisque annis habita conferret postea ad obeunda vera belli prælia. Quod & intelligens Augustus nepotes vtique suos non tam litterariis quam bellicis insuper studiis erudiri curauit. Sed quid priuata exempla repetimus? cum publica ea fuerit consuetudo Romanis filios adolescentes sub disciplina militari magna & assidua cura semper exercere. Quæ res tantum eis ad subigendum, quod postea fecerunt, orbem profuit, vt cum robore, prudentia, multitudine, proceritate, opibus etiam multæ eos gentes superauerit, sola tamen quam nunquam omiserunt armorum exercitatione superiores ipsi omnibus, rerumque proinde domini (vt poëta ait) extiterint.

F

G

CAPVT VII.

De ludis qui honesti sunt pueris.

POrro non alienum ab his videtur in ocio etiam per ludos permittere pueris laborum suorum respirationem; modo nihil in se turpitudinis habeant: cuiusmodi sunt lasciuiora carmina, de quibus supra à nobis dictum est: quare iocos & sales cum ad obscœnitatem transgrediuntur, longe arcere oportebit. Cum vero grauitate & modestia conditi fuerint, probandi admodum sunt. Quibus Cicero, Augustus, Hadrianus, alij quoque non pauci, sed Lacedæmonij quam maxime delectati fuerunt. Saltationes autem licet Socrates & Scipio eis aliquando indulsisse memorentur, ad tuendam bonam corporis habitudinem, à Lacedæmoniis etiam inter exercitationes fuerint susceptæ tamquam ad bella vtiles; in religionibus quoque veterum Romanorum frequentatæ: nullo tamen modo probamus, quod multorum malorum fomes & origo sint, proteruioresque efficiant adolescentes & corruptiores. Pilæ ludus & honestus & liberalis videtur, adiuuat etiam plurimum bonam valetudinem: cui cum multi, tamen Augustus etiam & Quintus Mutius Scæuola & Dionysius Syracusanus & Marcus Antonius: & Lycon Philosophus auidissime deditii fuisse traduntur. Contra, alea & calculis

De ... Græc... Ludo... gene... Iul. P... lux in Onomast. Lib. ... c. 18. ... loca ... resta... libera...

H

Pilæ ludus, quo ... Galen... scrips...

Ale a fuge.

(quibus Claudius Nero & Domitianus, & quos modo memorauimus Augustus & Scæuola feruntur lusisse) nihil peius, nihil omnino perniciosius dici potest, quod ad quæque dictu ac factu fœda provocent qui curiosius eis vacant: genereturque ex eius consuetudine illiberalis quædam & detestanda, quæ est omnium malorum causa, cupiditas. Quare sapientissimum fuit illud Platonis dictum, qui cum in aleis ludentem quendam argueret, atque ille, quam me in parvis reprehendis, diceret, respondit: *At est consuetudo non modus.* Eadem ratio habenda est de ceteris ludis licet lenioribus, qui speciem habent etiam aleæ qui & eorum quæ postea grandiores serio facturi sunt imitationis causam videntur præstare. Cuiusmodi est apud Insubres ludus plumbeorum nummorum, cuius pessima consuetudo auaritiæ atque omnium quæ ex auaritia gignuntur vitiorum est provocatrix. Neque aliud iudicandum videtur de ludo nucum: quia in Æmilia pueri, in Etruria puellæ plurimum exercentur: quem à Nasone periocose descriptum, poëta etiam alter non ignobilis *aleam paruam ac damnosam* appellauit. *Latrunculorum* quoque ludum licet ingenio constet, non multum tamen litteratis hominibus convenire arbitramur, quod mentem iam litterarum studiis fatigatam recreare magis cessatione & requiete, quam novo meditationis labore grauare oporteat. De hinc quod tempus, quo nihil habemus preciosius, ea ludi vanitate totum inepte consumimus. Quare qui se vbi à litterariis laboribus respirandum erit, honesta semper aliqua cogitatione etiam inter cessandum occupare voluerit, satius faciet si cum æqualibus suaviter & facete de re quapiam ad litteras & mores pertinente fabuletur: aut leni deambulatione vtatur, quod ad bonam etiam valetudinem admodum conferet. Nam exercitium vsque ad lassitudinem cum medici omnes tum Isocrates etiam ad Demonicum plurimum laudauit. Id autem fiet in locis quam maxime amœnis atque apricis, vtpote viretis: in litoribus etiam maris, alueisque fluminum, exemplo Scipionis ac Lælij, qui dum à maioribus, quibus districti erant curis animum remittere vellent, non modo in iis deambulare: sed calculos insuper & conchulas lectitare soliti fuisse referuntur. Quod Gregorius etiam Nazianzenus de seipso scribit solitum se inquiens deambulare remotum in littore, ac tali quadam refectione laborum molestiam releuare. Sunt & aliæ huiusce modi fastiditorum animorum relaxationes, quibus cuique pro affectu suo vti licebit, sicuti leues adequitationes, piscationes, aucupia, quanquam hoc postremum, vbi ad rapaces volucres spectat, nihil in se grauitatis habere videatur. Erit autē honestior quæ circa modulatrices aut loquaces aues, quibus Augustum maxime delectatum fuisse constat, recreatio suscipietur. Cætera autem quæ non multum adultis conveniunt, parvulis magis relinquentur, cuiusmodi risit Alcibiades Socratem cum interposita arundine cruribus ludentem cum filiolis eum vidisset.

Ouid. de Nuce. Lusus S. ha chorum.

Litterata colloquia.

Cic. de Orat.

CAPVT VIII.

Vt adolescentes ad studia Philosophiæ inuitentur.

NOn erit vero negligendum vt cum ætas patietur, inuitentur quam maxime adolescentes ad Philosophiam, quæ ita ad curandos animi morbos inventa est, quemadmodum & Medicina ad sanandos corporum languores. Parum enim prodesset liberos optimis litteris erudiri, nisi & egregiis moribus ornarentur, quos à nullis proculdubio melius quam à philosophiæ, quæ vitæ nostræ magistra est, studiis consequentur. Discent enim id ad quod erunt magnopere informandi, & Deum venerari, & parentes colere, & extraneis pro cuiusque ætate statu honorem exhibere, audire à maioribus, minores non fastidire, in æquales mansuetudinem seruare, mendaciis & deierationibus nunquam assuescere, nemini maledicere, cum amicis, fide, cum mulieribus modestia, cum servis clementia, cum omnibus denique humanitate & moderatione vti. Ab impietate cupiditatibusque coercere sese, nihil ducere in bonis quod sit subiectum temeritati fortunæ. Iusti fines & honesti intelligere, quæ optanda sint, quæve fugienda non ignorare, prosperis æque ac adversis se accommodare. In quo laudandum est quod Diogenes roganti cuidam quid ex philosophia lucratus esset respondit: *Et si nihil aliud vel hoc ipsum, quod ad omnem fortunam preparatus sum, quod sapientis certe proprium est*, qui (vt dicit Varro) *& bonum ferre potest modice, & malum fortiter.* Erit horum non parua certe vtilitas, quibus imbui teneram illam ætatem studebunt sedulo magistri, vt à vitiis ad quæ flexibilior est suapte natura, ad virtutem facilius dirigatur. Hominem enim scribit Plato neque absolute malum, neque bonum nasci, sed ad vtrumque procliue eius esse ingenium, habere semina quidem quædam vtrarumque rerum cum nascendi origine copulata, quæ educationis disciplina in partem alteram debeant emicare, doctoresque puerorum nihil antiquius curare oportere quam vt amatores virtutum sint, vel inter se moribus institutis eos ad id prorsus imbuere, vt regere & regi discant magistra iustitia, quare præter cætera induci ad hæc eos oportere, vt sciant quæ sequenda fugiendaque sint esse honesta & turpia, hæc voluptatis, illa laudis.

Cic 3. Tuscul. Quæst.

Vitæ mores à Philosophia.

M. Varro.

Bonum ferre decet modice, malum fortiter.

CAPVT IX.

De aliis actionibus, atque negociis, in quibus exercebuntur.

AT quoniam non omnium ingenia litteris affecta, deditaque esse possunt, sinendum erit pro suo quemque studio ad alias etiam actiones applicari, nam negociandi, mercandique exercitium cum priuatim simul & publice honestum, tum admodum etiam necessarium est, quanquam tamen quæ tenuis sit aut sordida iure merito mercatura improbetur. Agricultura vero rebus omnibus, quæ ad acquirendū aliquid vtiles habentur, est longe iucundior, vberior, atque dignior. Militia quoque licet deprauata sint adeo tempora nostra, vt latrocinium magis appellari possit, plurimam tamen semper laudem & gloriam attulit, vt vtilitatem omittamus, quæ ad propulsandam vim atque iniuriam extraneorum summa semper ciuitatibus per bellatores quæri consuevit, quod vt philosophi omnes prædicant, ita vulgo etiam nemo est qui non intelligat. Sacerdotij autem non minor est honos & veneratio quam religio & sanctitas, neque quisquam est tranquillior, securiorque hominum status. In his ergo libere permittendus erit cuique naturæ suæ cursus. Quanquam postremum hoc maiore indigeat prospectione, prudentioreque consilio, propterea quod multi, quorum modestia nihil maius esse videatur, vel ambitus, vel cumulandarum opum, vel degendæ mollioris, otiosiorisque vitæ causa tantum ad illud ferantur, quibus nescio quicquam ignauius & corruptius. Aut enim propter Deum virtutemque, aut nullo id alias vnquam modo suscipi debet, ne quod ad exhibendum Deo honorem inventum est, in iniuriam eius retorqueatur. Præter litteras igitur si minus his apti videbuntur, erunt & alia exercitia, quibus occupari debebunt, ne per ignauiam tempus consumant, torpescantque desidia. Quæ res cum ad domanda vita, effugandasque ex animis infestas iugiter graues cogitationum libidines, tum ad transigendam decenter, sustentandamque necessariis opibus vitam plurimum opitulabitur. Quod cum maximi vtique principes observauerint, sed præcipue Augustus, qui in maiore etiam imperij fortuna natos ex filia (neque enim filios genuit) & litterariis & bellicis

Mercatura. Agricultura. Militia.

Sacerdotium.

August. Cæsar.

simul

simul studiis, filias vero lanificio, ceterisque mulieribus artibus erudiri fecit, nemo erit certe privatorum qui liberos suos inerti marcere vita non erubescat, qui licet Crœsi, Crassique divitias superet, non timeat tamen (quod quotidie accidere videmus) fragilitatem humanarum rerum, blandientisque fortunæ fallacitatem, studeatque non proinde eas ipsis opes relinquere, quas neque adversus ullus casus, neque humana vis ulla eripere queat.

CAPUT X.

De natura adolescentum prona ad voluptates, & de arcenda ab eis extranea societate assentatorum, flagitiosorumque hominum.

NUnc quod primo libro cum de nutricibus antea loqueremur, admonuimus, maiore rursum cura ubi ad pubertatem perventum fuerit, quo tempore maiora etiam timenda sunt delicta, parentes in filiis custodient, præsertim autem ut eorum tantum ineant societatem, quorum libera sit conditio, castigati quoque ac correcti mores, condiscipulorum etiam habeatur ratio, ne cum corruptis flagitiosisque conversari sinantur. Assentatorum sed quam maxime consortia ab eis arcebunt, quæ paternam reverentiam in odium & detestationem vertunt, quibus uti nulla dulcior, ita neque pestis ulla nocentior. Nam cum omnibus in omni vita magni semper momenti sit in ingerendis novis affectibus communis quæ habetur inter fabulandum, conviuendumque consuetudo, at longe maioris adolescentibus, propter inexperientiam rerum, abundantemque in eta & assidue se moventem calorem, qui veluti cera ad cuiuslibet rei similitudinem facile ducuntur, trahunturque quocunque flexeris instar tenerorum virgultorum, quæ cuius semper cui applicata fuerint stipitis formam vel directam, vel obtortam servant. Quare credunt omnia facile, proniique sunt ad miserationem, mutantur etiam persæpe opinionibus Sodalitates & amicitias quibus admodum capiuntur, frequenter ineunt, quas nec diutius persistentes statim dirimunt. Affectus suos plurimum sequuntur, concupiscuntque vehementius & acutius, concupitisque ubi potiti fuerint citius satiantur, paterna bona dilapidant, alea & commessationibus gaudent. Equis, canibus, volucribus delectantur, sine ulla autem comparatione ad Veneream libidinem magis proclives sunt, quæ quo maturior, eo etiam animi, corporisque est enervatior. Tantum possunt qui imperium quasi quoddam sibi videntur vendicasse subblandientes, calescenteique quod arbusculis fieri solet, quæ ne à vepribus, sentibusque suffocentur, contextis circum sepibus cinguntur, ita adolescentibus graves, beneque morati, vel æquales, vel maiores natu etiam adiungantur, quorum conversatio proderit maxime ad bene sancteque vivendum, ad fugienda lasciuarum mulierculaarum commercia, ludosque & blandiores earum sermones, quibus Hippolyti etiam constantia labefactari posset, ad arcendam quoque, quod supra diximus, improborum, perditorumque hominum familiaritatem, quæ eo magis rudibus, infirmisque timenda est, quod sit tam solidum, atque integrum quod non dissolvant illi facile atque corrumpant. Quo loco Augustini nostri non adolescentia recte admonet quam multis irretitam malis unde aliunde fuisse constat quam propter pessimum eorum quos domesticos habuit, exemplum. Nam quid cum Christianæ infensum pietati reddiderat, nisi assiduus delirantium Manichæorum usus? Unde furtum illud pirorum, quos tantopere deplorat, facere compulsus fuerat, nisi nequissimorum invicem adolescentulorum adhortante protervia. Quid anno illud sextodecimo ætatis suæ, (ut de se ipse refert) totas cum manus vesanæ libidini dare coegerat, nisi æqualium suorum lasciviens effrænisque vita, quem cum mater secreto etiam monuisset cum sollicitudine ingenti, maxime ne adulteraret cuiusquam uxorem, atque illi sibi monitus muliebres viderentur, quibus obtemperare erubesceret, tanta ibat præceps cæcitate, ut inter coætaneos suos puderet eum pudicum esse, quoniam audiebat eos iactantes flagitia sua & tanto gloriante magis, quanto magis turpes essent, liberetque iam facere, non solum libidine facti, verum etiam laudis. L. Catilinam dum invadendæ rei publicæ consilium cepisset, omniumque facinorosorum ad patrandum quod conceperat scelus, amicitias quæreret, tradit Salustius, adolescentium maxime familiaritates appetiisse, quia eorum animi molles ætate fluxi, dolis haud difficiliter capiebantur, atque ut cuiusque studium ex ætate flagrabat, aliis scorta, aliis equos & canes dono dedisse, neque sumptui, neque modestiæ pepercisse, dum illos obnoxios, fidosque sibi faceret, quos postquam scelestissimus homo ita allexerat, attrito paulatim pudore ac famæ multis modis etiam mala facinora, graviora que indies, ac perniciosiora docuisse, tantum illi profuit flagitiosissimi hominis familiaritas; quos tandem eo duce tristis, atque amatus finis invenit. Neque vero prætereo præcipuum illud quidem & memorabile, quod puerum adhuc me recolo à damnato quodam furti audivisse. Erat is forte quinque & viginti natus annos, ad quem missi eramus a magistro discipuli, conspecturi quod de eo sumendum erat supplicium: atque ubi morti se appropinquasse vidit, ad confertam circumstantium puerorum turbam oculos, aciemque convertens, proclamansque ex alta cruce. *Suscipite*, inquit, *ex me, ô adolescentuli exemplum, ut malorum, corruptorumque hominum consortia tanquam pestilentissimum anguem fugiatis; quorum dulci diu illectus veneno ad hanc tandem, quem cernitis, amarissimum finem deveneriim.* Cuius ego vocem, namque eam ad unguem memoria teneo, non aliter ac terrifico quodam excusso alto tonitru exhorrui totus atque contremui, neque post hac unquam ea in mentem puero redit, quin horrore etiam magno ac tremore semper atterreret, quam uti tunc accepi, ita nunc quoque cæteris qui præcepta hæc forsitan legent adolescentibus, quanta vi possum oris, pronuncio, ut illius semper memores dicant & monitis huiusce pareret & tristissimo quod de se paravit exemplo, à sceleribus deterreri, deterritique à perniciosissimis sceleratorum hominum commerciis abstinere. Cuius & Pythagoras præceptum reliquit licet obscurioribus verbis: Quæ *nigrantes habent caudas gustari non oportere*, denigratam malorum hominum vitam *nigrantes caudas* appellans.

CAPUT XI.

De graviore peste domesticorum, qui assentatores & corrupti homines sunt.

POrro si extraneorum tantopere turpis vita formidanda est, quanto domesticorum magis, quorum familiaritas maior est & assiduitas. Nam si corporum morbos graviores qui intus, quam qui in cute generantur putamus, quis non animorum pestes quæ intra domesticos parietes concipiuntur, nocentiores quam qui apud fora & plateas esse iudicabit? Quare servorum maxime aliorumque qui abiecta exercent ministeria submovenda longe erit ab ipsis conversatio, quibus laudis honestioris que famæ, cura, vel nulla, vel minima esse solet nisi propter senectam, morumque gravitatem ita probata sit eorum vita, ut sancto illis exemplo manifeste censuri esse videantur. Commodum Antonium, quo nihil incommodius sensit Romanum Imperium, à prima statim pueritia turpem, improbum, crudelem, omnique libidinis spurcitia

Margin notes (left): Adolescentum pericula. Adulatores. — Confustes. — Scorta. — Cômercia improborũ. — August. adolescentia qualis, Lib. 3 Confess. cap. 1. & 2. Confess. lib. 2. c. 6. & lib. 9. c. 4. Lib. 6 Confess. c. 11.

Margin notes (right): Consf. Catilinar. bello. — Fur, p- nas d

A

citia inquinatum fuisse legimus, non quod tantam scelerum immanitatem à patre perceperit (quo nemo certe vnquam Principum sanctitate vitæ præstantior fuit) nec quod magistrorum illi eruditio defuerit (quos & plurimos semper habuit & optimos) sed quod ab turpissimis assentatoribus quibus quam maxime regum aulæ frequentantur, corruptus extiterit. Neronem adeo Tigillini, cæterorúmque ejus generis ad † patrandos omnes lusus atque libidines instructa manus pervertit, vt Astramium Hortum, Anneumque Senecam, severos, ac sanctos homines qui lubricam Principis ætatem salubribus monitis, exemplísque frænabant, morti tradiderit. Dioni Syracusano fuit filius tanta indulgentia absente eo ac Dionysi inimici quidem jussu, malignóque proposito in curia ipsius educatus, vt puero, priusquam pubes esset, scorta adducerentur, vino, epulísque obrueretur, neque vllum tempus sobrio relinqueretur, tantúmque valuit ejus educationis consuetudo, vt postquam pater in patriam redijsset, adhibuisséque custodes, qui eum à pristino victu deducerent, è superiore parte ædium potius, ne vitæ statum illum commutaret, seipsum dejecerit, atque ita interierit. Inde etiam fieri putandum est, quod ad Diocletianum scribens Ælius Spartianus persuadere nititur, omnes prope magnos viros aut sine liberis decessisse, aut tales reliquisse quibus carere longe melius rebus humanis fuisset, siquidem pellecti blandis assentatorum delinimentis, vt qui eorum amorem assequantur, omnes quascumque possunt excogitare proponunt illis voluptates, molliunt, enervantur, pedetentimque ad omnem libidinum insaniam prolabuntur, vnde resipiscere propter longe jam consuetudinis jacta fundamenta nunquam possunt. Inde haud mirum si ea magnis orti viris corruptiores etiam atque ad vitia quæque proclíviores habeantur, non tam propter laxiorem licentiam peccandi quam propter continuas pessimásque assistentium eis adulationes, quibus tanquam quæstuaria quadam arte ad aucupandas opulentiorum hominum opes vtuntur. Quod perspiciens Antisthenes Atheniensis satius esse dicebat cum necessitas vrgeret, in *corvos* quam in *assentatores* incidere, quod illi mortuos, hi viventes devorarent. Desertos etiam aiebat Crates qui cum assentatoribus essent, non secus ac vitulos cum inter lupos sunt, tam enim ab illis quam ab his vtrobique insidias parari. Isocrates quoq; habendos odio adulatores dixit, ita atque ipsos deceptores, quod vterq; credentem sibi decipiat. Non absurde autem eos Diogenes *bellnas mitiores* appellabat, cum obtrectatores *feras* diceret. Vt dulce est igitur, ita perniciosum assentationum virus, in quo gravissimus, etiam quisque facile falli potest, quod nemo sit qui non talem se esse existimet vt jure laudetur, qui non laudari se audiens capiatur, atque vltro ipsis faveat laudatoribus suis. Quocirca cum omnes tum potentes maxime homines hujuscemodi pestiferis contagiis purgare domos oportet. At vero vbi vel suapte natura vel mala aliorum consuetudine corruptum filium pater animadverterit, non graviter objurgare, non asperiore cum censura increpare, non excandescere, non graves diu cum eo iras alere debebit, sed facile indulgere, dissimularéque pleromque multa ac surdis vt aiunt auribus clausísque oculis pertransire, nam quod nequid dulcior disciplina mansuetior sæpe manus effrænem adolescentiam domat. Scribens ad Sisinnium Ambr. *Fecisti*, inquit, *quod boni parentis, vt filio tuo ignosceres scilicet obsecratus*, nam antequam rogareris non erat ignoscere, sed factum probare, deinde est diutius differre veniam, & tibi acerbum, & illi inutile. Monens quoque Plinius severiorem quendam patrem ne filium suum durius acerbiúsque tractaret: *Cogita, ait & illum adolescentulum esse, & te fuisse atque ita hoc quod es pater vtere, vt memineris te hominem esse, & hominis patrem*. Sed & erit vtilissimum vbi lascivire effundique licentius filij cœperint connubio eos ligare. Tanta enim tamque mira est vis conjugalis vinculi, vt cum sapientes ad stultitiam plerumque redigere soleat, multos tamen semper sapientes efficiat. Quod illis non tam vbi libidine corrupti fuerint, quam integris & ne postmodum corrumpantur proderit admodum ex sententia Chrysostomi. Scribens enim super epist. primam beati Pauli ad Timotheum, docénsque parentes quomodo filios ante omnia in pudore conservent atque à libidinis vitio (quod omnium maxime inimicum hujusmodi perturbat ætatem) compescant, ita ait: *Ad hoc igitur vitium compescendum magnis nobis sudoribus, magnáque intentione opus est, mature illos matrimonio iungamus, vt munda atque integra illorum corpora sponsa admoveantur*. Hujuscemodi quippe amores ferventiores sunt, atque is qui ante nuptias pudicitiæ studuit longe magis postea pudicus erit, idcirco coronæ imponuntur capiti, vt victoriæ signum sint, quod scilicet antea libidini impenetrabiles, ita demum cubiculum ingrediantur, quia à voluptate superati non sunt.

B

C

D

E

† al. Patrandos omnes luxus atque ibid. Corn. Nepos, seu Æmilius Prob. in Dione.

Heroũ filij noxæ.

C. Plin. l. 9. ep. 12.

S. Chrys. Nubant antequã scortẽtur

CAPVT XII.

De maiore etiam filiarum cura adhibenda.

F

QVod autem in maribus supra monuimus, majore etiam erit in fœminis observandum studio & diligentia, quatum & famæ cautius est consulendum, & periculis vigilantius occurrendum. Matres (inquit ibidem Chrysostomus,) filiarum vobis curam assumite: Est ea vobis cura perfacilis, curate sollicite vt domi jugiter sint, ante omnia pias esse religiosásque docete, aspernari pecunias caeteriora ornatua contemptrices esse, atque ita demum nuptiis tradite, eas si ita instituaeritis non ipsas modo servabitis, verum etiam viros qui illas ducturi sunt, neque viros tantum sed etiam filios ac nepotes, quippe ex radice optima surculi prodeunt firmiores, ac semper in meliora proficiunt. Horum omnium merces reddenda est, non igitur tanquam vnius animæ commodis prospicientes, sed vt plurimis per vnam consulentes magno cum studio omnia facite, ita nempe paterna domo decet progredi virginem ac matrimonio jungi, quemadmodum ex palæstra luctatorem, vt omnem diligentissimæ rei familiaris peritiam habeat; sitque veluti fermentum, quod massam omnem in suam transferat pulchritudinem. Hæc vere sanctéque Chrysostom. Sed & magna cura suscipietur ne adolescentulorum vtantur colloquiis, eorum maxime qui compti, comatuli, formosulique sunt, ne extranearum puellarum habeant commercium, earum præcipuæ quæ calamistratæ, quæ dispaliatæ incedunt, quæ peregrinos olent odores, quæ ambitiosius se ornant atque induunt, quæ cultioris fortunæ suæ curiosiores videntur, qui exquisitioribus medicamentis fucant capillos & faciem, alimenta cuncta libidinum insignísque ac manifestæ impudicitiæ argumenta, quæ amatoriis cantibus cupide indulgent, ne earum exemplo observare incipiant, quod à lascivo Poëta lascivia puellis præcipitur.

G

H

Res est blanda canor, discant cantare puellæ.

Semovendæ erunt à jocis & salibus, quæ blandioribus litterulis, quæ lyrarum pulsibus saltationibúsque delectantur, quæ res nihil virtutis in fœminis arguere perspicuè docet Sempronia illa, quam Crispus refert, multæ facetiæ multique leporis fuisse, ingenio haud absurdo posse versus facere, jocum movere, sermone vti vel modesto, vel molli, vel procaci, litteris Græcis atq; Latinis doctam, psallere & saltare elegantius quam necesse sit probæ mulieri, & multa alia, quæ instrumenta luxuriæ sunt. Ancillarum quoque domesticarum, quæ adolescentiores fuerint, frequentior confabulatio districtiórque familiarites inhibebitur, quæ cum nihil grave & sanctum docere illas possint propter ruditatem annorum rerúmque inexperientiam,

at

at contra timendum est ne quoniam conditio ipsarum est vilior, ætásque lascivior, illecebrosis quibus exultare solent dictis, & exhortationibus depravent in eis si quid ingenuitatis ab optimis parentibus susceperunt. Arcendæ sed præsertim erunt quæ vagæ atque errantes firmo continere se haud loco possunt, alienas autem frequentius domos circumeunt: Dicite (appello vos fratres simul ac matres familias) dicite pro summa luce sapientiæ vestræ, ita ne existimatis candorem honestatis quæri, studiúmque innocentiæ & pudicitiæ nasci? ita ne amorem pudicitiæ tenellis mentibus generari? ita ne juveniles frænari impetus, ebullientésque adolescentiæ flammas, ignésque restingui? At excusabitis non temere eam à vobis concedi illis vagandi licentiam, quod commodiore inde sollicitioréque opera earum vtamini, quod promptiores demum, alacrioréque servitia exhibeant, nihil profecto consultius laudamus prudentiam: Ita ergo agite, sed ea lege, vt si earum exemplo in licentiorem aliquam filiæ turpitudinem prolabantur socordiæ id magis vestræ quam illarum lasciviæ adscribatis. Quam satius autem erit ministeria talium deligere, quæ & annorum simul & morum gravitate commendentur, quæ suspecta ab eis longe consortia arceant, quæ assidua illas sub custodia contineant, vt incomitatas neque domi manere, neque foras prodire vnquam patiantur, quarum non tam vita quam salubribus etiam monitis edisçant, & sobrie, caste, religioséque vivere, & artificiis fœmineis sedulo operam dare, quibus docentibus cum ab reliquo omni opere cessare tempestivum fuerit, assuescant Deo genua flectere, divinis nunc obsecrationibus, nunc vicissim lectionibus insistere. Cantus aut sacros tantum aut nullos omnino modulari, verba non blandibula, ac risum suscitantia, sed modestiam & sanctitatem redolentia proferre.

CAPVT XIII.

De conversatione filiarum exemplo beatæ Monicæ.

HVjuscemodi igitur ministras componendis magis familiæ moribus quam servitiis præstandis aptas habere præstabit, quæ vt tales vti demonstravimus habeantur, magnopere quisque curare debet, & cum habuerit ne dubitet perpetuam se consecuturum lætitiam pro susceptæ sobolis suæ egregiis moribus, benéque composita vita. Atque vt ducem quidem operis nostri Monicam minime hoc loco prætereamus, vnde ad tantas illa virtutum dotes & ornamenta, quibus excellentissime claruit, nisi famulæ cujusdam decrepitæ (quam primo libro memoravimus) cura & institutione pervenit; quæ, vt scribit Augustinus patrem ejus infantem portaverat, sicut dorso grandiuscularum puellarum parvuli solent, cujus rei gratia & propter senectam, ac mores optimos magno in honore à dominis habebatur, vnde etiam curam dominicarum filiarum commissam sibi diligenter gerebat, & erat in eis coërcendis cum opus esset, sancta severitate vehemens, atque in docendis sobrietate prudens, nam eas præter illas horas quibus ad mensam parentum moderatissime alebantur, etiam si exardescerent siti, nec aquam bibere sinebat, præcavens consuetudinem malam, & addens verbum sanum, *modo aquam bibitis, quia vinum non habetis.* Cum autem ad maritos veneritis factæ dominæ apothecarum, & cellariorum, aqua sordebit, sed mos potandi permanebit, hac ratione præcipiendi, & auctoritate imperandi frenabat aviditatem teneriotis ætatis, & puellarum sitim formabat ad honestum modum, vt jam nec liberet quod deceret. Quæ facilem nobis etiam conjecturam præstant quibus præter hæc aliis insuper consiliis atque rationibus in institutione earum prudentissime vteretur, quam cuncta quæ nos educandi præcepta tradidimus, ad vnguem diligentissime observaret. Quod si sub temulentæ cujuspiam aut stolidæ impudicæve fœminæ custodia enutriri Monicam forte contigisset, haud facile crediderim ad tantum illam virtutum cumulum, ad tantam demum sanctitatis excellentiam pervenire potuisse, neque enim alios quivisset illa mores imbibere, quam ab altrice, cujus à latere nunquam discedebat, accepisset. Quis tanti igitur facti imitatione non studeat ejuscemodi custodes liberis suis præficere, vt iisdé postea etiam moribus & virtutibus præditos eos aliquando habere lætetur. Quis non summas laudes vili huic licet & abjectæ mulierculæ attribuat, cujus causa præcipue tanti meriti atque sanctitatis fœminam habuisse nos fateri necesse sit? nam si *Monicam* singulari, eximiáque laude dignam putamus, quod filium nobis Augustinum suis precibus, lachrymis pepererit, quis non maxime etiam longævam hanc famulam laudet atque extollat? quæ talem nobis illam, qua inter mulieres mirificentius nihil dici potest, studio sanctæ suæ educationis attulerit. O sanctam igitur educatricem! O anum venerandam! O laude omni extollendam! O quam amare, colere, imitari & altrices & matres merito omnes debeant, quod sancta sua institutione non tam præstantem mundo, támque excellentem sanctitate Augustini matrem dedit, qualem neque satis admirari, neque digne vnquam laudare possit.

CAPVT XIV.

Etiam exemplo beatæ Monicæ quam vtile esse filias cum ancillis iunioribus diffidere.

REcte igitur ratio habebitur ministrarum, quæ consilio atque auctoritate prodesse liberis queant, non earum quæ ætate infirmiores emendatione magis egere quam ad emendandos aliorum mores aptæ esse videantur, quarum omnino illis conversatio erit inhibenda, aut ita permittenda, vt diffidéant magis invicem quam secretiore vlla frequentius familiaritate conjungantur, quæ res in liberali institutione nō parvi momenti putanda est: nam quemadmodum ad generandos serviles, corruptósque mores plurimum conferret servile commercium, ita ad exprobrandos, corrigendósque non parum proderit ipsarum dissensio. Quod & Monicæ, dum surrepisset aliquando ei sub primis annis vinolentia, sicut filio narrare solebat, magnum constat adjumentum perstitisse, cum enim de more tanquam puella sobria juberetur à parentibus de cuppa vinum depromere submisso poculo, qua desuper patet, priusquam in lagunculam funderet merum primoribus labris sorbebat exiguum, quia non poterat amplius sensu recusante, non autem vlla temulenta libidine faciebat hoc, sed quibusdam superfluentiis ætatis excessibus qui ludicris motibus ebulliunt, & in puerilibus annis majore pondere premi solent: Atque ita modicis modica quotidie addendo in eam consuetudinem lapsa erat, vt prope jam plenos mero calleulos inhianter hauriret, neque tunc sagax anus & vehemens illa prohibitio quicquam valebat adversus latentem morbum, nisi ancilla, cum qua solebat accedere ad cuppam, litigans, cum domina, minore vt fit, objecisset hoc crimen amarissima insultatione vocans meribibulam, quo illa stimulo percussa respexit fœditatem suam, confestimque damnavit atque exuit.

CAPVT

CAPUT XV.

Rursum matres exemplo beatæ Monicæ, pro liberis recte instituendis assidue Deum orent.

HÆc itaque quæ præscripsimus, educandorum liberorum præcepta parentes suscipiant, atque ea quicunque educationem ipsorum lætam habere cupiunt, diligentissime observent. Augustini autem & Monicæ, quorum exemplis non parum ad id excitabuntur, recordationem ne unquam omittant, quibus duobus cuncta quæ præcipimus rite exsecuti fuerint, illud unum quod contemnendum minime restat, imitatione ipsorum efficiant. Nam cum salutem filii Monica, quem libidine corruptissimum Manichæorumque erroribus illaqueatissimum diu atque amare deplanxit, assiduis tandem, ac flagrantissimis suis quas Deo profundere nunquam illa cessabat, precibus & lachrymis impetraverit, quis erit parentum qui non pari exemplo invitetur etiam Deum pro liberis enixius orare, qui divinam pro illis opem sollicitius implorandi magnam non ultro curam suscipiat, ut egregiis virtutum ornamentis quibus præpediti exstiterint eo adjuvante qui bonorum omnium largissimus & donator augeantur, ab turpissimis autem si quibus inquinati fuerint flagitiis, eo etiam miserante, qui neminem non converti optat, retrahantur. Sancte monet Ambrosius matres: *Ablactate*, (inquit) *filios, diligite eos, & orate pro eis ut longævi super terram sint, monete eos ut magis crucem Domini tollant quam hanc vitam diligant.* Ita ergo agant, ita Monicam imitentur, cujus cum tanta fuerit vis precum atque lachrymarum, ut ad sese Deum quasi renitentem deflexisse videantur, desperare certe nemo debebit pro filiis, infectis quantavis vitiorum labe, cum piis obsecrationibus Deo commendati ad meliorem tandem vitæ frugem revocentur. Quo enim Deo per fabulationem quasi quandam familiariter propinquamus magis & conjungimur, eo illi etiam cariores ac proinde ad impetranda quæcunque libuerit aptiores sumus. Quare non magnifice instructis templis delectatur, non sumptuose excultis vasis, non largiter cæsis victimis, quibus nihil illum indigere palam est, sed puris, castisque officiis, piis voluntatibus, sanctis animi ac mentis affectibus, quibus in illum toti migramus, toti transfundimur, toti requiescimus: His nobis ille conciliandus, his quærendus, his placandus ut nos divini valoris versus illi recte instituere videntur: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos, quoniam mea sunt omnes feræ silvarum, jumenta in montibus & boves. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo? Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua. Et invoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me.* Quod & à gentili Poëta in eandem quoque sententiam diversis licet versibus admonemur:

S. Ambr.

Oratione appropinquamus Deo

Psal. 49.

> *Dicite Pontifices in sancto quid facit aurum?*
> *Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine puppæ.*
> *Non poscit magis Messala lippa propago,*
> *Compositum jus fasque animi sanctosque recessus*
> *Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.*
> *Hæc cedo, admoveam templis, & farre litabo.*

Hactenus parentes quibus educare modis liberos debeant satis instituimus, nunc quod reliquum est ad claros adolescentium mores tradendos sermonem tandem nostrum convertamus.

LIBER IV.
MAPHEI VEGII LAUDENSIS,
DE EDUCATIONE LIBERORUM
Et eorum claris moribus.

CAPUT I.

Exhortatio ad virtutem, ad tolerandos labores, fugiendásque voluptates.

NON parvi sunt laboris & diligentiæ quæ nunc adolescentibus præcipue tradituri sumus, sed cum utilitatem, quam ea labore nostro non minorem sunt consecuturi animadvertimus (nihil est tam grave & laboriosum, quod non eorum causa leve nobis fiat atque perjucundum) adhibeant igitur præceptis nostris aures attentissimas, ut his salubriter imbuti ac quam bene & morate vivendum sit instituti possint adolescentiam quam lætissimam quamque ab omnibus laudatissimam agere. Tanta est enim vis & gratia virtutis, ut lætos semper laudéque omni abunde cumulatos possessores suos efficiat. Quod recte expressit Virgilianus ille Alethes Niso & Eurialo egregiis adolescentibus, quibus dum pro arduo, ad quod se obtulerant, facinore multa pollicetur, ante cætera primum a Diis moribúsque suis præmium suscepturos eos dicit. Quod & nos ipsis itidem attestamur, si nostra monita observaverint non modo adolescentia sed reliqua insuper omni ætate fruituros esse & tranquillissima & beatissima. Nam propter dulcem retro bene actæ vitæ recordationem lætior nimirum indies fit animus, propter vero majorem rerum usum major simul quæritur veneratio & auctoritas, majoráque proinde commoda ac vitæ adjumenta oriuntur. Quare sanctissime admonebat adolescentes Bias Prienæus, *ut viaticum sibi ad senectutem sapientiam compararent*, quod sola ea esset vera certáque possessio. Nam sicuti per serenum æstatis tempus ea parantur quæ sub pluviosa duráque hyeme necessaria videntur, ita & ab adolescentia boni mores bonáque disciplinæ, quæ senectutem postea consolentur, parari debent. Inde Aristippus etiam ille Socraticus cum interrogaretur, quænam juvenes oporteret discere, ea respondit *quæ viris usui sunt futura*. Sapientiam utique & ipse significans. Quæ dura licet primum & aspera videatur, suavissimos demum tamen ac stabiles perpetuósque parit fructus, cum contra voluptatum blandus & mellisculus ingressus, amarus vero ac perniciosus longe semper sit exitus, quas non immerito & Antisthenes *summum malum*, & Critolaus peripateticus non summum modo malum, sed multorum insuper aliorum *malorum causam & originem*; Plato autem *malorum* etiam omnium *escam* appellarunt. Voluptates denique, ut docebat Isocrates, eas tantummodo amplecti debemus, quæ cum gloria sint, nam quæ ab honestate non essent alienæ optimas quidem, contra vero quibus nulla honestas inesset pessimas affirmabat, quæ cum tanquam latrones jugiter nobis insidientur, summopere ab eis cavendum est, indicendum est eis æternum bellum, non nunc fortissimorum quorundam ducum, qui cum armis pugnantes multas subegerint urbes & oppida, innumerabiles domuerint gentes, ipsi tamen à vitiis turpiter subacti domitique sint, dura est cum illis virtute agendum, sudore instandum, quem ante eum Deus

Sapientia paranda pueris.

Radices sapientiæ amaræ fructus dulces. Voluptatis mala.

Fuisse

A

Laborandum in virtute.

posuisse tradit Hesiodus, vigilandum, algendum, æstuandum, labori haud vlli parcendum, quo duce pulverulenta etiam illa callis durata, pro muris quoq; stans, robusta, indefessa, invictáque describitur, sequendum illud Flacci, perpetuóque memoriæ commendandum,

Horat.

Qui cupit optatam vitæ contingere metam,
Multa tulit fecitque puer, sudavit & alsit,
Abstinuit Venere & Vino,

N.z.

Enitendum est ad quod Gregorius Nazianzenus eos hortatus est, *Ostendant*, inquit, *iuvenes adversum vitia fortitudinem suam, & in hoc vtantur iuventutis fervore, vel iuvenilibus erroribus cedant.* Maturitate prudentiæ lasciviam ætatis vincentes. Gratulabuntur proculdubio de hac victoria magis, quam si fuissent in Olympico certamine coronati, vincent enim in illo stadio vel theatro, in quo humana certamina Angeli spectant, & corona eorum nulla senectute marcescet. Habebunt namque non parvi temporis sed æternam securitatem cum de hoc certamine coronati abierint ad regionem vivorum. Nec absterreat quemquam laboris difficultas, quæ quantumcunque sit per assuefactionem tamen levis ac mitis fiet. Tanta est ejus vis, vt nihil non durum domet & mansuefaciat, ferrum frequenti manuum attrectatione obteri, saxa quoque

B

Gutta cavat lapidem.

crebro imbre cavari cernimus. Infœcundi sæpius agri si diligenter sint culti luxuriant, contráque fertilissimi, si negligentius habeantur, degenerant. Equi qui lapidosis in locis enutriti sunt securiorem induunt postea animum, nec asperiora vnquam vlla itinera aspernantur. Qui vero palustria & mollia loca incoluerint, timidiores ij evadunt, nec temere lapidosis se ac montuosis viis credunt. Quare Xenophon in libro quem scripsit *de disciplina equorum* monet magistros eorum vt ante stabula jaciant lapillos, quibus à primis annis assuetæ vngulæ duriora mox etiam cum majores anni successerint saxosáque loca minime reformidēt. In quo & laudatur tardius vngulis eorum subjici soleas ferreas, vt quæ longo jam vsu callis obduratæ fuerint minus nocumenti sentiant cum inter ambulandum nudari forte contingant. Ad ferendos vero labores militiæ aptior longe est qui soli & imbri fodiendæque terræ quam vmbræ & mollibus plumis assuetus est. Sa-

C

pienter ergo Isocrates monebat suscipiēdos sponte esse labores, in eisq; corpus exercendum, vt cum aliis quos nollemus laboribus gravari contingeret, levius eos sufferre possemus. Prudentissime quoque Diogenes dicebat voluptati contēptum si nos assuefecerimus jocundissimum fieri. & sicut ij qui consueverunt voluptuose vivere, moleste inde se avelli patiuntur, ita qui aliter exercitati sunt gratissime ipsas contemnunt voluptates. Nam est vti voluptatis cum longam in consuetudinem transit, ita & laboris vbi ab vnguiculis diu duratus fuit, indicta quædam necessitas, quibus carere non sine molestia magna qui iis assuefacti fuerint possunt. Habet enim & labor suas voluptates, sine quibus haud vnquam tanta quanta legimus, vel geri vel scribi potuissent. Quare ipse vltro æstate se in fervida harena volutabat; hyeme vero statuas nive perfusas complectebatur, omni ea parte seipsum ad laboris tolerantiam exercens: Ideo eandem vitæ formam quam

D

Hercules, se vivere affirmabat, cæteros autem qui susceptis inutilibus laboribus naturales egregiósque repudiarent per summam dementiam infelices esse asserebat. Zeno quoque Stoicus aliud laboris & patientiæ exemplum adeo assuetus laboribus fuit, quos longe pluris ille quam omnes delicias faciebat, vt ab omnibus diceretur neque sæva hyeme, aut gelido imbre, neque torrido sole, aut dira vi morbi domari eum vnquam potuisse, non raptus iis quæ vulgo placent, sed studiis aliis quibus solis intentus vigilaret die noctuque. Laboris etiam supra omnes tolerantissimum, summámq; ob id gloriam adeptum fuisse constat Cleanthē ejus discipulum, quo ille adeo delectabatur vt Lacone quodam affirmante laborem esse bonum, prosiliens

E

Homer.

statim in ejus commendationem gestiens diceret: *Sanguine præclaro es dulcis gnate.* Lacedæmoniorum leges a Lycurgo latæ ad laborem, tolerantiámque maxime adolescentes erudiri voluerunt, quibus firmati aptiores postea erant cum viri evasissent ad sustinenda quæque durissima ac gravissima, dissolvitur quippe delictis, solidatúrque laboribus humana omnis virtus. Catonem

M. Cato laboriosus.

quoque Vticensem legimus ita corpus assuefecisse laboribus, vt & calores sponte toleraret, & nivem detecto capite, iterque conficeret sine vehiculo: Ac cum amici qui vna iter faciebant equis veherent, ipse cum illis loqueretur pedibus vadens. Sed est præterea laboris ac voluptatis non permanens persistensve aliquis status, festinato enim transeunt, vt nihil eorum quæ vel dulciter vel delicate egerimus sentiamus. Sola autem quæ laborum jocunditas, voluptatémq; semper amaritudo consequitur, firma, stabilis, atq; inconcussa perseveret. Cui consentanea est sancta illa & nunquam

Agell. 16 Noct. At. c. 1.

obliterāda Catonis sententia, quoniam in oratione habita Numantiæ apud equites dixit: *Cogitate cum animis vestris, si quid vos per laborem recte feceritis labor ille à vobis cito recedet, benefactum à vobis dum vivitis non abscedet, sed si qua per voluptatem nequiter feceritis, voluptas cito abibit, nequiter factum illud apud vos semper manebit.*

F

CAPVT II.

De verecundia ac reverentia propria, & præcipue adolescentium virtute.

CVm igitur tanta maneant bonæ institutæ adolescentiæ præmia, incumbant alacres labori, suscipiant sapientiam, diligant probitatem, colant virtutem, ac tanquam arma, quæ. vt Antisthenes dixit, tolli nunquam possint, induant, contemnant delicias, quas idem quoq; dum à quodam forte laudarentur inimicis suis optavit, abjiciant ignaviam, pessundent vitia, horrescant voluptatem, neq; minus quam Medusæū caput procul absistentes effugiant, ab insidiatricibus ejus blanditiis dulcibúsq; venenis lōga se præcaventes præservantésq; custodiant. Quod vt faciant cum multa, tū maxime verecundiæ & pudoris cultus, quo nihil convenientius eis esse potest, adjuvabit, nam cum senectu-

G

ti gravitas, juventuti alacritas, cuiq; sua virtus, at adolescentiæ præcipua etiam quadam dote debita esse verecundia videtur, qua duce cuncta ingenuorum morum ornamenta, atque ipsam qua inter cæteros mortales præstabunt, veram, solidámque virtutem summa cum omnium laude consequentur. Neque enim est virtutis magis proprium quidquam quam verecundia. Quod recte animadvertentes majores nostri cū eam describerent, rubicundam etiam convenientissime depingi voluerunt. Quare & Diogenes cum vidisset adolescentem rubore perfusum, pulchre illi dixisse traditur. *Confide fili, huiuscemodi est virtutis color.* Tanta autē habita est illa ab antiquis veneratio, vt nō nisi timide & verecūde summos etiam oratores, atq; id arte quadam ad dicendum accessisse dicat Ciceronianus ille Crassus, omnium ætatis suæ eloquentissimus, idq; & in cæteris animadvertisse, & in ipso sæpissime etiam expertum fuisse, vt permoveretur, & exalbesceret in principiis dicendi, & tota mente atque artubus omnibus contremisceret, in

H

quo mirificum certe quendam pudorem fuisse affirmat Cicero, qui tamen non obesset ejus orationi, sed etiam probitatis cōmendatione prodesset. Taceo Poetas, quorum præcipue apud Latinos primarij Virgilius & Horatius timidissimi, verecundissimique extiterunt. Xenophon Atheniensis, cum speciosissimus fuerit, summam etiam innatam sibi verecundiam habuisse memoratur. Itidem & Plato & Xenocrates. Scenicorum autem, licet impudentissimi viderentur, mos autem, vt dicit Cicero, tantam habuit ex veteri disciplina verecundiam, vt in scenam sine subligaculo prodiret nemo, ne quo casu corporis partes quædam aperirentur, & aspicerentur

non

non decore. Refert Plutarchus cum virgines Milesiæ inaudita quadam cupiditate mortis seipsas vltro suspendio interimerent, neque vllo id remedio prohiberi posset, decretum fuisse, vt quæ ita se enecassent, proferrentur in publicum suspensia omnes corporibus atque nudatis, apud quas tantum potuit pudoris ratio, vt eo solo deterritæ ab inhonesta illa morte in posterum abstinerent. Domitianum perniciosissimum illud infandissimumque portentum, verecundia tamen oris fertur commendatum fuisse, atque aliquando commendatione lætantem jactasse Sabinam Poppæam, Neronis concubinam & mulierem impudicissimam, quæ vt mundior, candidiórque esset, asinino etiam lacte balnearetur, quingentásque ob id fœtas asinas nutriret, raro in publicum egredi, aut si quando egrederetur, velata semper magna parte oris incedere solitam tradunt, qua specie verecundiæ pulchrior, gratiórque omnibus eam intuentibus haberetur. Tanti enim est pudoris æstimatio apud sceleftos & infames etiam quosque, vt & in eum aliis laudare, & in se quoque ostentare pulchrum putent.

[Plut. apud Age. l. 15 Noct. Att. c. 10.]

CAPVT III.

De Verecundia erga Deum.

HAnc itaque, quia impudici etiam laudari optant, solo veróque amore virtutis efficacius colant adolescentes, hanc lætius exosculentur, hanc strictius amplectantur, nos autem qua eam ratione quibúsve modis colere debeant, quantum tenuitas ingenij nostri adiuvabit, docere studebimus. Parum enim prodesset, virtutis cujuspiam observationem præcipere, nisi quo pacto observanda esset distincte explicaretur. Scire igitur oportet quibus verecundiæ cura fuerit, personarum in primis, de hinc rerum, locorum, temporúmque considerationem habendam esse, quodque ad personas pertinet Dei primo, quem principium rerum omnium esse constat, deinde parentum, postea extraneorum; demum sui etiam ipsius rationem haberi debere, quæ cum à sacris tum à Gentilibus quoque scriptoribus passim præcepta fuisse inveniuntur. Iure igitur divino primum pudor habendus est, vt scilicet quod à Solone illo, qui fuit vnus ex septem sapientibus, atque ab omnibus sacris auctoribus præceptum est, debitum ei honorem exhibeamus, atque ita exhibeamus, vt quod & Bias, alter etiam sapiens admonuit, non aliter de eo verba faciamus quam vt sit. Furiosi enim esset putare tam pulchram rerum hominúmque compagem sine summi alicujus opificis divino vigore conflari potuisse. Quare merito damnati sunt Diagoras & Theodorus, qui Deos esse aperte negarunt. Recte etiam Athenienses fecisse videntur, qui Protagoram, quod opus edidisset cujus principium erat, *de diis, neque vt sint, neque vt non sint habeo dicere*, vrbe atque agro exterminarunt, combustis etiam in concione ejus libris. Cum fuisse autem eum semper foréque etiam semper credendum sit; reliquum erit, vt vnum tantum esse; quod aliquando etiam ipse præcepit, minime dubitemus, dehinc vt in quacunque quam acturi erimus re nostra oremus illius opem primo atque imploremus. Et cum quod optabamus assecuti fuerimus ad eum vtique tanquam ad certissimum, Indubitatissimúmque omnium bonorum auctorem referamus, proinde quoque pro summis, continuisque in nos eius beneficiis laudes illi & gratias habeamus, agamúsq; semper immortales, quod & divina sæpe monent eloquia, & illo nos maxime Salvator invitavit exemplo, qui mundatis decem leprosis, agentéq; vno tantum gratias, aliorum ingratos animos exprobravit. Non modo autem habere & agere, sed & referre illi insuper gratias debebimus, honorantes eũ in primitiis omnium rerum nostrarum, vt sacri primo institutores tradiderunt, quod qui non observabunt longe Christi cultores erubescant, cum id à Gentilibus erga Deos suos religiosissime semper inviolatissiméque custoditum sit, vt mirum videatur pro susceptis frugibus, partísque victoriis quantum studij in victimarum litatione, ludorúmque celebratione adhibuerint, præter auspicia, sine quibus nihil vel publice, vel privatim gerebatur, præter quoque vrbium, murorum, arvorúmq; solennes ac religiosas lustrationes, & puerorum etiam, qui quoniã nati essent nono, aut si puellæ octavo die instar Christiani baptismatis lustrarentur, simúlq; propriis tunc impositis nominibus vocarentur. Lustrici ideo illi dies infantiũ appellabantur. Neque vero pro externis tantum bonis referendæ sunt Deo gratiæ quam pro parta etiam virtute ingeniorumq; & doctrinarum ratione, quod fecisse fertur Pythagoras, cum in Geometria quiddam novi invenisset, Musis enim bovem immolavit (licet id non probet Cicero) quin ille ne Apollini quidem Delio hostiam immolare voluit, ne aram sanguine aspergeret. Cum summum igitur nobis atque ante omnia præcipuum studium esse debeat cognoscendi, colendique Dei, curandum summopere erit, vt nihil impurum, aut turpe, aut quod divinum maculet honorem loquamur, maxime vero ne per eum jurare consuescamus, quod & Pythagoras vetabat, id admonẽs quemque studiose curare oportere, vt ex vitæ merito magis sibi fides haberetur, quemadmodum de Xenocrate legimus, cui ob singularem, quam cognoscebant in eo Athenienses integritatem, remiserunt jusjurandum, cum injurati tamen nullius vnquam testimonium admiserint. Quare Solon quoque virtutem & probitatem juramento fideliorem censendam esse dicebat. Sane in re pecuniaria non esse jurandum per aliquem Deum præcepit Isocrates, etiam si vera dicerentur, nam vel pejerare, vel avidius animum pecuniæ intendere quisquis ita juraverit ab omnibus judicabitur. Iuramentum vero præstitum recipi debere dixit ob duas causas, vel vt à turpi causa quis absolvatur, vel magnis à periculis vt amici serventur. Sed cavenda est etiam eo præsertim assiduitas jurandi, quod contemptui esse proxima videtur, & cum increbuerit ne pejeretur etiam crebrius propter facilem labi humanam fragilitatem, timeri debebit. Quod & divina monet auctoritas: *Iurationi enim* (inquit) *non assuescat os tuum. Multi enim casus in illa, nominatio vero Dei non sit assidua in ore tuo, & nominibus sanctorum non admiscearis, quoniam non eris immunis ab eis. Sicuti enim servus interrogatus assidue a livore non minuitur, sic omnis iurans & nominans in toto à peccato non purgabitur. Vir multum iurans replebitur iniquitate, & non discedet à domo illius plaga.* Eleganter quoque Augustinus contra Faustum Manichæum: *Peierare* (ait) *grave peccatum est, non iurare autem sicut & verum iurare nullum peccatum est*, sed quia longius remotus est à falsum jurando qui nec jurare consuevit, quam qui verum jurare. Nam jurare proclive est ad perjurium, maluit nos dominus & non jurantes non recedere à vero, quam verum jurantes propinquare perjurio, itaque & Apostolicum dicit in sermonibus, quos habuisse narratur, nunquam jurasse, ne jurandi consuetudine aliquando vel nescius in perjurium laberetur. In scriptis autem, vbi est consideratio major atque propensior, pluribus locis jurasse invenitur, ne quisquam putaret etiam verum jurando peccari, sed potius intelligeret humanæ fragilitatis corda non jurando potius à perjurio conservari. Sancte hæc quidem à sanctis auctoribus tradita sunt. Quum vero per nomen ejus quicquam firmatum fuerit, formidandum etiam plus morte erit, ne ideo vllo pacto vnquam violetur. Qua in re cum apud nos tum apud Gentiles quoque severissime pœnæ adinventæ sunt, nam vt nostros prætereamus, Romani adeo illibatam, inviolatámque jurisjurandi religionem habuerunt, vt M. Attilium Regulum, quem Carthaginenses Romam miserunt, percelebre sit, quia juraverat Carthaginem reversurum, maluisse ad crudelissimos hostes redire à quibus novis demum, horrendisque

[Dei cultus.] [Protag.] [Vnus solus Deus] [Luc. 17.] [Cicero.] [Iusiurandum.] [Eccl. 23. 9.] [Ibid. ca.] [Cic. 3. Offic.]

pœnarum modis excruciatus est, quam contra præstitam iuramenti fidem incolumem domi permansisse. Prælio autem Cannensi cum Hannibale ex captivis Romanis electos decem Romam misisset permutandorum captivorum causa, adegisset, iureiurando, ut si id Romanis non placeret ad se redirent, spreta ea conditione tradunt octo ex his propter iuramentum, quo se devinxerant, ad hostem revertisse, reliquos vero contempta sacramenti religione cum redire noluissent, invisos graviter vulgo per Censores quoque omnibus damnis & ignominiis affectos fuisse.

CAPUT IV.

De verecundia erga parentes.

PRoxima est quæ erga parentes verecundia exhiberi debebit, quæ & a Solone præcipitur, & divino etiam testimonio approbatur. *Honora* (inquit) *patrem tuum, & gemitus matris tuæ non obliviscaris.* Memento quemadmodum nisi per illos, natus non fuisses, & retribue illis quomodo & illi tibi, quod qui non observarent, graviter suo loco illis interim narrat. *Memento,* (dicens) *patris & matris tuæ, ne assiduitate tua infatuatus improperium patiaris, & maluisses non nasci, & diem nativitatis tuæ maledicas.* Graviore etiam illos imprecatione ita persequitur divina alia vox: *Oculum qui subsannat patrem & qui despicit partum matris suæ effodiant eum corvi de torrentibus, & comedant eum filii aquilæ.* Noe virum iustum tradit antiquitas, cum post diluvium rei rusticæ se dedisset, vinumque ex vinea, quam plantaverat, immoderatius ebibisset somno oppressum iacuisse: nudatâque pudendorum membrorum parte ab uno filiorum irrisum, reliquisque duobus (tres enim ille genuerat) cum ludibrio ostentatum esse, à quibus cum reverenter habitus, aversisque etiam retrorsum faciebus verecunde coopertus esset, quis non digne illos iudicabit & felicitatem & gratiam & potestatem, supra contemptorem patris filium cum omni posteritate sua consecutos fuisse. Hoc animis imprimant perpetuo adolescentes, quo à contemptu parentum etiam ubi ignominiose quicquam commisisse videbuntur longe deterreantur. Sed ne illud quidem quod & maioris terroris monimentum est, unquam obliviscantur: Absalonem scilicet, quem propter execrandam in patrem improbitatem, & rebellionem conatibus omnibus suis penitus frustratum, pessima quoque & amarissima tandem morte consumptum fuisse sacra narrat historia. Tanti autem æstimata est à legum conditoribus parentis nominis reverentia, ut qui patrem interimeret, quasi id instar horrendi monstri esset, monstruosissimo etiam aliorumque dissimillimo mortis genere plecti voluerit. Culleo enim insui cum cane simul & vipera ac gallo gallinacio, atque ita in profundum maris submergendum iactari statuerunt. Oresti quod matrem interfecerat furias immissas fuisse tradunt poetæ. Nerone, qui & matrem occidit, nemo crudelior habetur. Sub Galba Cæsare militans quidam adolescens apud Cremonam oblatum sibi forte patrem, dum ex adversa acie pugnaret ignarus interfecit: quo mox agnito propter horrorem tanti facinoris & in mœrorem ille inexplebilem, & in gravissimum totius exercitus quæstum bellique execrationem conversus est. Tantus quidem ingenitus est à natura erga parentes pudor, ut violato eo abominabilius execrabiliusque nihil apud omnes iudicetur. Quare recte Naso cum de prodigiosissimo infandissimoque Myrrhæ in patrem amore loqueretur, ita illum detestans inquit: *Gratulor Hismariis & nostro gratulor orbi: Gratulor huic terræ quod abest regionibus illis. Qui tantum genuere nefas, sit dives amomi, Cinamaque, costumque suum, sudataque igne Tura ferat, floresque alios Panchaia tellus: Dum ferat & Myrrham.* At quid in humanis mentibus tantum mirandum horrorem, quandoquidem equum Varro de re rustica scribens dicat, quod incredibile usu venit, cum in matrem salire nullo modo adduci posset, capiteque obvoluto tandem se illi ignarus commiscuisset, ablato postea ab oculis velamine, agnitâque matre impetum in aurigam fecisse. Alium quoque equum scribit Plinius eundem in modum detracto oculorum operimento, & cognito quem cum matre habuerat coitu, petiisse prærupta, atque exanimatum esse. Summam igitur parentibus verecundiam natura etiam compellente exhibere oportet, quam qui exhibuerint non parvam inde rerum, hominumque gratiam consecutos fuisse compertum est. Magnæ laudi attribuitur Æneæ, quod a poeta traditur suum patrem ad gestandum usque cum humeris pietate contulisse. Scipio superior singulari laude effertur, quod ut patrem ab hoste eriperet ea pugna qua Hannibal apud Ticinum Romanos profligavit ipse se ultro vix cum pubes magno fortique animo periculis obiecerit, quod eius factum à Virgilio egregie & in Lauso commendatur. Euryalus cum ad insigne periculum iturus matrem Ascanio, cæterisque Troianis magno mentis affectu & teneritudine commendaret, perpulchrum est quod poeta dicit percussa illos mente lachrymas dedisse, susceptumque eum summo amore donis ac spe amplissima plenum dimisisse. Memorabilis est Romanæ illius mulieris pietas, quæ matrem ultimo iudicio damnatam, dum in carcere diligentius per inediam consumenda servaretur, consolandi causa adiens proprio lacte sustentavit, quod à custode postea animadversum tantam his qui eam iudicaturi erant, admirationem attulit, ut præ novitate tam raræ atque insolitæ facti pœnam damnatæ mulieri remiserint. Manlius Torquatus cum severissimus in filium extiterit, quem quod contra legem datam civem ex hoste eripuisset, interfici iussit, mira tamen in patrem usus est pietate, qui ab eo contemptus, rureque pulsus cum accepisset tamen diem illi dictum esse à M. Pomponio Triple, Romam illico petiit, nunciarique colloquendi causa ad se venisse, iussusque ingredi, & secreto secum fabulari, cum is putaret contra patrem aliquid filium esse dicturum; districto adolescens gladio comminari mortem Pomponio cœpit nisi iuraret patrem se dimissurum: quo per iusiurandum adacto & patrem liberavit, & laudem proinde magnam & successum in dies maiorem in re militari sibi comparavit. Coriolani pietatem ergà matrem Veturiam vulgus decantat. Q. Sertorius cum omni laude præstiterit, non est postrema illa virtutum suarum iudicanda, quod matrem sub qua orphanus educatus erat, unice amaverit, adeo ut & audita eius morte paulo abfuerit quin mœrore interiret. Alexander Romanus Imperator plurimum commendatur, cum propter multa, tum propter singularem quem matri amorem gessit. Epicuri etiam eximia laudatur in parentes pietas. Augustinum autem nostrum, quid mirum est ad tantum doctrinæ & sanctitatis matris Monicæ meritis culmen pervenisse. Quam summe semper ille coluit, quam summa semper illa benevolentia, reverentiâque complexus est, cuius testimonio gratulatum etiam se fuisse dicit: quod in ultima, qua decessit valetudine, obsequiis eius interblandiens appellaret eum pium, & commemoraret magno affectu nunquam audisse ex ore eius iaculatum in se durum & contumeliosum verbum. Hunc pos ut in cæteris semper, ita in hoc præcipue, imitentur, nam cum propter suscepta beneficia omnes ad antidota obligati simus, quæ ulla beneficiorum obligatio maior esse potest, quam quæ ex parentibus nascitur, qui filiorum causa tot perferunt labores, tot ultro se obiectant periculis, tot afficiuntur molestiis & doloribus, tot premuntur & angustiis & anxietatibus, ut nihil sit tam grave, triste, amarum, quod propter eos non iocundum ipsis & dulce esse videatur. Reminiscamur quanta pro nobis illi egerint, quanta conati sint, quanta ausi, quanta perpessi. Cogitemus quid sine eorum tanta cura

Eccl. 7. 29. — Prov. 30. 17. — Gen. 9. 21 — 4 Æne. Virg. — S. Aug. confess. libro c. 4

& sollicitudine futuri eramus. Quotiens nobis inedia dispereundum, quotiens mille discriminum modis miserabiliter oppetendum fuisset: pensemus mores, artes, & disciplinas, quas inextimabili eorum & sumptu, & labore consecuti sumus, consideremus ex iumentis nos (vt ita dicam) homines eorum causa evasisse, quas pro tot, tantisque beneficiis gratias debitas exsolvere, quas tantis meritis pares vices reddere, quid dignum tam immensis bonis referre illis atque retribuere tanquam poterimus: Verum quandoquidē nulla esse potest referendorum meritorum æqua vicissitudo, quod licet nobis saltem efficiamus, reverenter eos compellemus, blande salutemus, frequenter consulamus, officiose tractemus, assidue comitemur, hortantibus faveamus, mandantibus pareamus, voluntates & deliberationes eorum, sive morandum, sive abeundum, sive militandum, sive rusticandum, sive nubendum sit tanquam divina oracula probemus & suscipiamus. Iratis ne resistamus, comminantes & exterrentes patienter sustineamus, iubentes vero quæ inhonesta & facinorosa sint respuamus, sed leniter & verecunde, & absque vlla acerba detestatione, affectos turpi aliquo vitio ne opprobriose, palamque despiciamus, sed memores eorum quos supra memoravimus filiorū Noë, cum pudore magis & reverentia vel dulciter reprehendamus, vel caute contegamus. Quum ad Magistratum quoque aliquem evecti fuerimus non aliter eis in domesticis actionibus deferamus ac privati, nam cum extra rei publicæ officia agitur publicorum etiam honorum inter patres & filios ratio cessat, tam venerabile ac sanctum maiores nostri paternum nomen esse crediderunt. Quare & egregie Pythagoras deos quidem semideis, hominibus heroas, parentes autem hominibus cæteris in honore præferendos esse dicebat. Triptolemi quoque qui Atheniensibus leges tulit, in templo Eleusinæ tria hæc tantum præcepta subscripta erant. Honorandos parentes, venerandos Deos carnibus non vescendum. Quum vero ad egestatem forte devenerint, alamus eos atque sustentemus: eumque senuerint (vt & sacra institutione docemur) suscipiamus senectam eorum: & ne tristari illos unquam sinamus: mœstos consolemur, afflictos recreemus, oppressos, deiectos, ab aliisque destitutos ne nos unquam deseramus: non inferiores pietate cæteris animantibus. Nam ciconias constat genitricum senectam invicem educare. Hæc dignissima, sanctissimaque pietatis officia discant libenter adolescentes: colant perpetuo, perficiant constanter, quæ quamquam (vt diximus) ne minima quidem ex parte sint eorum beneficiis comparanda, magnam tamen multámque pariunt sunt eis cum humanorum, tum divinorum simul quæ neque speraverunt unquam bonorum supellectilem. Patriæ autem ratio non minor habebitur, quam loco huic non inconvenienter adiunximus: quod eam parentibus etiam veteres Philosophiæ præceptores anteposuerunt. Ita ergo verecunde colenda erit, vt nihil quod dignitatem & ornamentum eius imminuat loquamur, nihil, quod dispendio illi & detrimento cedat faciamus.

Pythag. in aur. Carm. ...

Patriæ pietas.

CAPVT V.

De verecundia erga pupillos, hospites, clientes, cognatos, atque affines.

POrro alios quoque qui sanguine coniuncti fuerint, ac præcipue eos quos parentum loco habendos esse leges statuerunt, venerari maxime, pudorémque illis semper maximum exhibere conveniet: si tamen animadverterimus, quod à maioribus nostris dum de gradu atque ordine officiorum aliquando disceptarent, determinatum est, nam constat ex moribus populi Romani iuxta parentes (de quibus modo diximus) primum locum obtinuisse pupillos, fidei, tutelæque nostræ creditos; proximum clientes, qui sese in fidem, patrociniumque nostrum dedissent, tertium hospites, postremum cognatos, affinesque. Pupillos igitur summa humanitate atque ope ac maiore etiam quam cognatos aut affines prosequi oportebit, vt quos parentes eorum nostræ tantum fidei crediderint, nos ne negligere videamur. Quod de clientibus itidem censendum esse M. Catoni placuit in oratione, quam dixit apud Censores in Lentulum, & C. Cæsari in oratione qua pro Bithyniis usus est, neque aliter de hospitibus iudicabimus quamquam eos Massurius Sabinus in tertio, quem scripsit, iuris civilis libro tanquam maiore officio dignos clientibus anteponat. Eius verba sunt hæc: *In officiis apud maiores ita observatum est, primum tutelæ, deinde hospiti, deinde clienti, tunc cognato, postea affini, de qua causa fæminæ viris potiores habitæ, pupillarisque tutela mulieri prælata, etiam adversus quem affuissent eius filii tutores relicti in eadem causa pupillo aderant.* Quibus quoque tantum Græci detulerunt ut eorum causa propria extruerent triclinia, cubicula, penúmque, & cellas; atque ubi advenissent primo die ad cœnam eos invitabant, postea mittebant pullos, ova, olera, poma, reliquásque res agrestes, quæ *Xenia* appellaverunt, ut suo more per se viventes liberalitate eorum commodius fruerentur.

Lucili versus apud Lact. vel Nonii.

A. Gell li. 5. Noct. Attic. c. 13.

CAPVT VI.

De verecundia erga sacerdotes.

HOs maiores nostri quorum curam haberemus, quibusque officia debita impenderemus, præcipuo ordine atque documento tradiderunt. Cæterum ut alios ac quidem extraneos, quibus & si non tanta opera curáque officij, at magna saltem exhibenda sit verecundia, videamus. Primos certe sacerdotes summo honore dignissimos esse nemo negaverit, nam si qui magnis assistunt principibus plurimum illorum causa veneramur, cur non immortalis Dei ministros ob eius cui serviunt, reverentiam maiore longe etiam cultu & observantia prosequimur? Ad quod cum divinis institutis constricti simus, ut non tam verbis eos quam & primitiis omnium rerum nostrarum honoremus, tum gentilibus quoque non parum admonemur: quibus virgines Vestales flaminésque Diales, ac cæteri tanta in veneratione habebantur quanta ne satis quidem dici possit.

CAPVT VII.

De verecundia erga seniores.

POst hos revereri maiores natu decebit, vt quod à sacris auctoribus instruimur, ne spernatur quisquam in senectute, ne increpetur senior, sed obsecretur vt pater. Honorari quoque senectutem Chilo Lacedæmonius præcepit, atque itidem Pythagoras Samius, id confirmans quoque ea ratione, quod honorabilius existimandum sit quicquid tempore præcederet: sicut occasu ortus, in seculo principium fine, in vita generatio corruptione: tantum vero apud Romanos semper senectutem venerabilem fuisse scribit Calistratus Iurisconſ. vt pene eundem honorem senibus quem magistratibus exhiberent, circa munera quoque municipalia subeunda, adeo honor senectuti tribueretur. Quam tanti etiam faciebant, vt ne pluris quidem genus & clarum sanguinem cuiusquam, quare in omni loco itque omni specie honoris primores potioresque grandævi semper homines habebantur, colebanturque à minoribus, instar parentum, nam quo die senatus habendus erat, ducebantur ab iis in curiam senatores quos tanquam patres colebant, reducebanturque etiam domum magna frequentia cum dio præ foribus

ipsos

ipsos expectassent. In conviviis quoque quam maxime honorabantur, quo tempore ne vnquam nisi modestissime, & castigatissime, ac nisi interrogati loqui his præsentibus adolescentes consueverant, quibus & tantum deferebant, vt cum ad cœnam invitarentur, quærerent prius qui nam convivæ futuri essent, ne senioribus si qui postea advenissent se prætulisse viderentur, remotisque mensis deducerent eos etiam à convivio domum magno cum honore, vt in Antiquitatibus scriptum est. Quem morem acceperunt a Lacedæmoniis Romani, qui maiori semper ætati maiorem etiam omnium rerum honorem secundum Lycurgi leges, deferebant. In quo præclarum est quod Athenis cum senex quidam in theatrum veniens à nemine concivium ad sedendum reciperetur, consurrexisse Lacedæmonios refert Cicero, qui legati illic etiam considebant, seniorique homini magno cum consedentium plausu locum dedisse, dixisseque eorum quendam *ab Atheniensibus, quæ recta essent sciri: sed minime observari.* Non spernendi sunt igitur hi neque contemnendi, quos maiores nostri tantopere coluerunt, ne quod à sene quodam egente & illiterato sed sapientiæ pleno, irridentibus eum quibusdam pueris *responsum est* dici possit: *Quod ego bene consumpsi nondum expendistis, neque forte unquam expensuri estis.* Quod & Bion admonuit, non esse inquiens exprobrandam senectutem, ad quam omnes pervenire copimus. Asserens etiam eam omnium malorum portum, siquidem ad ipsam cuncta confugere. Est vero senectute nihil præclarius, nihil optabilius, cum bona illam valetudo comitatur, egregiique mores & disciplinæ. Quare recte Cleanthes cum exprobraretur illi senectus, *& ego* (inquit) *abire volo:* cum vero me sanum omni ex parte considero scribentemque ac legentem, rursus maneo. Gorgias quoque Leontinus, qui septem & centum annos felicissime vixit: cum interrogaretur quapropter tandiu vellet in vita manere: quia *nihil* (inquit) *habeo quo senectutem meam accusem.* Est sane (ut Ambrosius ait) vere senectus illa venerabilis, quæ non canis sed meritis albescit, est ea reverenda canities quæ est canities animæ, in canis cogitationibus & operibus effulgens, est vere ea ætas senectutis quæ est vita immaculata: quæ non diebus, aut mensibus sed sæculis propagatur: cuius sine fine est diuturnitas, sine debilitate longævitas. Quo enim diuturnior eo, fortior, & quo diutius eam vitam vixerit, in virum perfectum excrescit. Diligamus ergo eos & observemus, deferamus eis atque audiamus: omnémque reverentiæ & honoris cultum exhibeamus: nunquam à latere unquam divertamus: ut quorum propter maiorem rerum experientiam prudentia est maior, vitaque solertior: illorum vestigiis imitemur, consiliis utamur, studiis oblectemur: vt habeamus quorum conspectus nos à vitiis longe deterreat: erunt enim illi vitæ nostræ & testes simul & magistri. Ab illis percipiemus vivendi normam, loquendi modum, conversandi mores, virtutum omnium disciplinam. Veri enim simile cuique videri debet: qui plura usu didicerunt, plura meminerunt, sapientiores etiam cæteris atque ad consultandas, gubernandasque res quasque aptiores esse. Cui consentanea est Afranij poëtæ nobilissima illa sententia: *Vsus me genuit: mater peperit memoria: Sophiam vocant Graij, vos sapientiam.* Quod & prudentissime intellexisse, & solertissime observasse Græci laudantur: à quibus nihil egregium unquam & arduum in republica sine seniorum consilio & auctoritate gerebatur, & recte sane. Nihil enim à rudioribus in quaque re tutius fieri potest, quam peritiorum semper inniti iudicio & doctrinæ. Nam si ignari viarum duces sibi quærunt, quos sequentes minime aberrent: quanto magis id adolescentes facere oportet, nescios & inexpertos tot tantorúmque discriminum: quibus quasi latrunculis & insidiatoribus vitæ nostræ quod agimus iter, mille modis assidue disturbatur. Cum his igitur verecunde agendum erit non tam officij quam utilitatis nostræ causa: & si enim æqualium dulcior, at maiorum longe nobis securior, atque salubrior tandem conversatio esse videbitur.

CAPVT VIII.

De verecundia erga doctos homines.

Non minor autem reverentiæ ratio habenda est doctis hominibus, propter dignitatem, excellentiamque sapientiæ, quam profitentur: quam nec quisquam satis pro eius magnitudine venerari, satisque efferre unquam posset. Quid enim Philosophia religiosius? quid Eloquentia honestius? quid Legum peritia venerabilius? quid Medicina salubrius? quid cæteris denique disciplinis nobilius, atque præstantius? quas qui egregie studio suo & labore compara verint, non summo eos dignos honore esse iure iudicabimus? non maxime eos reverebimur? qui consilio suo & auctoritate rempublicam exornant, fovent, moderantur; ab iniuriaque defendunt: qui privatis quibúsque opitulantur, succurrunt: patrocinantur: variisque modis prosunt. Sine quibus neque excultè, neque commode, neque secure vita agi possit: qui propter infinita quæ lectitarunt rerum monimenta graviores vtique cæteris sunt ac prudentiores. Quare non minus ij, quam quos modo diximus, seniores veneratione digni videntur. Nam si propter multam rerum scientiam, quam longo usu sunt consecuti, tantum illis maiores nostri detulerunt; nullum certe est genus hominum quod eruditis, si eam causam attendemus, debeat anteferri: qui quicquid ad naturæ rationem pertinet, norunt: quos nulla cœli regio, nulla mundi plaga, nulli mortalium mores & ritus latent: qui quicquid tot retro sæculis gestum est ac si in præsentia agatur, comprehendunt. Qui ergo tam multa percurrerunt, viderunt, intellexerunt; recte etiam seniorum omnium annos usu atque sapientia superare credendi sunt. Non immerito ab Aristotele dictum fuisse fertur, *doctos id ab indoctis differre quod viventes à mortuis:* ab Aristippo vero quod *domitos equos ab indomitis.* His igitur præcipuam exhibebimus verecundiam: adhærebimus quoque & perseveranter assistemus: vt doctrina eorum & monitis doctiores etiam ac meliores evadamus. Sunt enim verba sapientum (vti sapiens Hebræus inquit) sicut stimuli & quasi claui in altum defixi: quæ cum ab ineunte ætate audientes animis nostris impressesimus, firmissime etiam semper ad extremam vsque senectutem, ita ut impressa primo fuerint, retinentes observabimus.

CAPVT IX.

De verecundia erga præceptores.

Qvam maxime autem præceptores nostros revereri oportebit: quorum cura exculti sumus moribus, eruditique literis. Nam si parentibus supra omnes mortales, propter ingentia in nos eorum beneficia obligamur, quorum maiora post eos vnquam quam magistrorum nostrorum merita recensebimus, nisi literas, ingenuosque mores quibus illi nos summa cum diligentia & sollicitudine imbuerunt; parvi forte æstimandos putamus: cum nihil certe sit tam pretiosæ supellectilis, tam excelsæ potestatis, quod prædignitate illis possit comparari. Illud vero compertum est qui præceptores suos coluerunt ad magnam litterarum gratiam pervenisse, contraque qui contempserint ignaros, segnes, turpissimos etiam sæpius extitisse. Noti sunt Nero & Traianus, ambo Cæsares, quorum alter quem propter nimia flagitia omnes accusant, Senecam præceptorem suum interemit, alter vero qui propter excellentem virtutem ab omnibus

A commendatur, Plutarchum magistrum suum summe veneratus est. Marcus quoque Antoninus, principum omnium sanctissimus id reliquis virtutibus adiecit, vt magistris suis plurimum semper deferret. Nam imagines eorum aureas in domo habuit, sepulchra etiam floribus ornavit. Proculum autem ad consulatum usque provexit: Frontonique Cornelio oratori statuam in Senatu petiit. Sed præcipue Liuium Rusticum Stoicæ disciplinæ peritissimum reueritus est & sectatus: cum quo omnia communicavit publicà privatàque consilia, cui etiam ante perfectos prætorio osculum dedit, post quoque obitum à senatu statuas postulavit: & ut ad privatos veniamus, Xeniadæ filij Diogenem, quem pater emerat, præceptorem habuerunt: à quo cum eruditi fuerint egregie, eum illi plurimum coluerunt, earumque parentibus semper commendatumque studiosissime fecerunt, confectum quoque bona apud ipsos senectute decentissime sepelierunt.

B

CAPVT X.

De verecundia erga Magistratus & Principes.

Magistratibus vero qui in potestate aliqua constituti, vt puta proconsulibus, vel prætoribus, vel aliis qui civitates aut provincias regunt, propter præcipuam quam habent gubernandæ Reipublicæ curam maximus semper à maioribus nostris honor haberi consuevit. Quorum tanta est auctoritas, vt & à parentibus suis, cessante omni lege naturæ præferri eos & vt superiores decet reverenter coli conveniat, cuiusmodi factum à Fabio maximo refert Claudius Quadrigarius in Annalium suorum libro sexto. Nam cum facti essent Consules Sempronius Gracchus & Fabius Maximus filius eius, qui priore anno fuerat Consul, atque ipsi Consuli pater Proconsul obviam equo venisset, neque descenderet quod pater erat: vbi iuxta venit, tum Consul lictori signum dedit vt descendere illum iuberet, paruitque Fabius imperio filium collaudavit, cum imperium quod populi Romani esset retineret. Hos igitur summa cum verecundia venerari non tam decet quam necesse est, sed quam maxime principes qui perpetuum in populos habent imperium, quos cum colere & admirari doceat Isocrates, nihil prudentius fieri potest quam durum licet eorum iugum patienter ferre, temperareque præsertim in quo facilius quisque labitur à maledictis linguam, *neque enim, vt Tiberius Augusto dixit, tutum est scribere in eos qui possunt proscribere.* In quo etiam laudatum est pulcherrimum illud Favorini philosophi dictum, qui cum proverbio quodam, quod elegantissime protulerat, ab Hadriano inepte reprehensus fuisset atque cessisset arguentibus ob id illum familiaribus suis, subridens inquit: *non recte quidem suadetis, qui non patimini me illum doctiorem omnibus credere qui habet 30. legiones.*

Gell. li. 2. Noct. Att. c.

C

D

CAPVT XI.

De verecundia erga egentes & calamitosos.

Egentibus autem & calamitosis pudor utique haberi debebit, ita ut ne fortem eorum quisquam despiciat, nam qui *calumniatur egentem*, ut sapiens Hebræus ait, *exprobrat factori eius, honorat autem eum qui miseretur pauperis.* Quod & præcepit Isocrates, nemini inquiens exprobrandam esse calamitatem quod communis esset fortuna omnibus, & futura incognita. Commiserandi sunt igitur ob Dei honorem, alendique insuper atque sustentandi, quod qui egerit speret id quod Salvator noster aliquando testatus est, nihil se eis contulisse, quod non acceptum ipse sibi fit

Prou. 14. 31. & 17. 5.

habiturus, pluraque proinde atque maiora identidem retributurus. Nam quod ab eodem dictum est sapiente, *fœneratur Deum qui miseretur pauperis, & vicissitudinem suam reddet ei.* Quod erit à Christianis minime negligendum, cum à gentilibus id fuerit persæpe observatum: e quibus Alexandro Romano principi summa ea laus adscribitur quod egentes sæpius donare: inopésque adolescentes, qui ingenui essent, quo studiis liberalibus vacare possent, electos ad id alere solitus erat. Sed & servorum ærumnosa sors minime contemptui erit habenda: in quo merito commendatur Epicurus, qui summa semper servos suos mansuetudine prosecutus fuit. Eiusdem enim omnes sortis sumus, neque nisi virtute vera libertas constat: turpisque ea tantum servitus est, quæ sponte suscipitur, quod faciunt ii qui se perniciosis libidinibus subdunt: quamquam eo deventum sit, vt opinione liberi à servis discernamur. Sed consideranda est magna rerum humanarum fragilitas assiduáque mutatio: examinanda est lubricitas vitæ nostræ: cogitandum est multos è magnis divitiis magnoque potentatu deiectos miserrimos vixisse: multos quoque & principes & philosophos servire coactos esse. Non parvum miseriæ exemplum Dionysius fuit, qui ex alto imperij culmine eo depulsus est, vt cum imperio omnino careret, pueros præ inopia erudire cogeretur. Non minus miserabile fortunæ documentum legimus in Valeriano maiore: qui cum regnum Persarum invaderet à Sapore rege captus perpetuam apud eum ignominiosámque servitutem passus est: tam misera damnatus sorte vt regem cum ascensurus esset in equum inclinatus dorso semper attolleret. Philosophos vero quam plures Platonem, Xenocratem, Phœdonem, Eliensem, Bionem, Menippum, Cynicum, Pompilum Perseum, Epictetum, & eum cui Mus nomen fuit servisse non est incelebre. Quamquam longum sit inter principes & philosophos eos qui servierunt discrimen: nam principum cum maior fuerit animi etiam quam corporis captivitas. At philosophi in quantacunque servitute animo liberi spem invictique ac suæ sponte extiterunt. Quod in Calano Indorum philosopho quam maxime admonemur, qui captus ab Alexandro iussúsque eum sequi: *Qua me*, inquit, *laude dignum Græciam petere poscis? si possum cogi facere quod nolo:* denique & ei ita scripsit: *Amici persuadent tibi manus & necessitatem inferre Indorum philosopho, nec in somniis videntes nostra opera: corpora enim transferes de loco ad locum: animas non coges facere quod nolunt: non magis quam saxa & ligna vocem emittere, non est princeps qui extorqueat nobis facere quod non proposuimus, in virtute nobis libertas beata est.* Sed & præcipua ac memorabilis est Diogenis servitus: qui cum captus rogaretur quidnam sciret agere, respondit, *scire se viris imperare*, atque ad præconem, *prædica* inquit *quisnam sibi Dominum emere velit*, quem miratus Xeniades emit, filiosque suos ei tradens: *Accipe* inquit *liberos meos quibus imperes.* Ipsi autem emptori suo aiebat, Ab eo sibi, quamvis servus esset, tamen obtemperari debere, nam & medico & gubernatori etsi servi vtique tamen paretur. Necessariis vero suis cum se redimere vellent fatuos eos appellans dicebat, leones non esse servos nutrientium: sed econtra illos servire leonibus, id quod & ab Ambrosio dictum est. *Plerique enim*, inquit, *emptores leonum sunt & tamen non dominantur leonibus*, sed ita subiiciuntur versa vice vt si exasperatos eos excutere cervice toros viderint, fugiant & delitescant, neque vero ait natura servum faciet sed insipientia, neque manumissio liberum sed disciplina. Non ille solum liber qui Dominum licitatorem non pertulit, aut tollentem digitum non vidit: sed ille magis liber qui intra se liber est, qui legibus naturæ liber est, legem sciens naturæ præscriptã esse moribus non conditionibus, & mensuram officiorum consentaneã non hominis arbitrio, sed naturæ disciplinis. Sunt prorsus illi liberi qui legibus viuũt. Lex autem vera, sermo rectus, lex vero nõ insculpta tabulis

E

Pauperes. Pro. 19. 17.

Serui. Vide Macrob. Saturn. l. 1. cap. 11.

F

Gell. l. 2. c. 18. de epi. Macrob. li. 1. c. 11.

G

Calanus Indus.

H

nec

nec ære incisa, sed impressa mentibus atque infixa sensibus, quando sapiens non sub lege sed ipse sibi lex est. Opus legis in corde suo continens naturali sibi stilo & quadam inscriptione formatum. Quæ si in philosophis, qui Christum ignorarunt, tantopere admiramur: quid de his dicemus qui Christi amore non servitutem modo, sed gravissima etiam quævis tormenta magno fortique animo sustinuerunt, quos quia longius est eorum grex atque infinitus, nullos magis facientus, vnum tantum, ne omnes omnino prætereamus, commemorabimus Paulinum Episcopum Nolanum, quem à sanctissimis laudatissimisque multis viris cumulate laudatum singulari utique ego laude semper efferre soleo, propter excellentem eius & ingenij & doctrinæ & sanctitatis gratiam, quæ me illi mirifice affectum reddiderunt. Haud enim servitutem eius quam vltro ipse, vt filium viduæ à barbaris captum redimeret, subire voluit minoris fecerit, sani quisquam iudicij quam libertatem atque imperium cuiusvis magni etiam & præpotentis viri. Non servus is fuisse putabitur qui honore, opibus, genere, coniugio, potestate, litterisque longe pollens, cum omnia propter Deum contempsisset, captivum etiam se fieri vt levaret anxietatem viduæ, fœminæ, cui non alia succurrere poterat via, minime recusavit. Non servitute eum oppressum quisquam dixerit, qui ex alta tanquam animi sui arce affectibus suis imperabat: quem nulla sollicitabat cupiditas, nulla angebat perturbatio: non mœstitudo deiiciebat, non dolor affligebat, non labor deterrebat, quem dominus cui serviebat amavit, coluit, extimuit etiam, libertatéque tandem cum divina ipsius virtus aliquanto claruisset, donavit: qui sua quam sponte susceperat servitute, cæterorum etiam captivorum libertati salutique consuluit. Taceo Ioseph cuius servituti non est vlla quæ possit libertas comparari: qui venditus ac demum ad summam evectus est potestatem: vt iis qui eum emerant vendiderántque simul imperaret. Quæ nos satis docent non status conditione, sed animi nobilitate & constantia vel servitutem vel libertatem cuiusque pensandam esse: neminémque proinde quantumlibet misera servitute affectum despici debere. Cuius forte cor nobile mentemque præstantem nulla possit æquare imperij magnitudo. Nihil vero fœdius quam aliorum malis non commoveri: nihil iniquius quam alienæ miseriæ non misereri. Nihil tam homini proprium quam humanitatem (vnde & cognominata est) in omnes exercere; nihil tam alienum quam quod Terentianus ille ait: *lupum esse homini non hominem.* Quare merito ex rescripto divi Pij ad Ælium Marcianum proconsulem Vrbicæ iussi sunt venire servi qui ex familia Iulij Sabini ad statuam confugerant, si vel durius habiti quam æquum esset, vel infami iniuria affecti fuissent, ita ut in potestatem Domini non reverterentur. Iure etiam Vmbricia quædam matrona quæ ex levissimis causis ancillas atrocissime tractaverat, à D. Hadriano in quinquennium relegata est. Quod igitur monuit Ambrosius *imperent Domini servis quasi conditione subditis: sed ita ut natura eosdem, cuius ipsi sunt, consortes esse eos meminerint.*

Sanct. servit.

S. Paulinus servivit sponte. Gregor.

Gen. 39.

Homo homini lupus.

CAPVT XII.

De verecundia erga fœminas.

DEnique in omnes summus pudor semper habendus erit, nam maiores demisse & timide, æquales mansuete & leniter, minores officiose & humaniter prosequi oportebit. Enimvero fœminis singularis & præcipua ante omnes verecundia debebitur. Quarum cum nihil magis sit proprium, nihil quod magis cedat eorum ornamento & splendori, maxima profecto cura opus erit, ne quid fiat quod minimo vel nutu pudorem illarum offendat. Non est obscurum filiam & neptes Augusti ita ab eo institutas, ut vetarentur loqui aut agere quicquam nisi propalam: prohiberenturque adeo ab extraneorum cœtu, vt ad Lucinium clarum decorumque iuvenem qui filiam suam Babias salutatum ivisset scripserit, parum id illum modeste fecisse. Cum modestia igitur erunt compellandæ, cum reverentia salutandæ: decedendum eis de via, atque in omni actione semper deferendum, non blanda oratione appellandæ, non frequentius, neque nisi officij honeste faciendi causa unquam adeundæ, eritque quod Paulus docet observandum. Qui eum senes ut patres: iuvenes ut fratres colendos esse hortetur, anus etiam ut matres, iuvenculas ut sorores in omni castitate suscipiendas: viduasque quæ vere viduæ sunt honorandas esse præcepit.

Sueto.

1 Tim. 5.

CAPVT XIII.

De verecundia erga seipsum.

QVod restat nunc sibi ipsimet etiam verecundia exhiberi debebit: quam pulchre admonuit Demetrius Phalereus, complectens & eas simul binas partes, de quibus modo disseruimus. Asserebat enim iuvenes oportere domi quidem parentes; in itineribus autem occursantes, in solitudine vero seipsos revereri. Est vero solitudo viri illiteratis, & ad nihil præclarum occupatis, res vana penitus: stultitiæque tantum & somniorum plena: fotrix etiam sæpius malarum libidinum: Ita doctis hominibus dulcis: iocunda: uberésque semper & sanctos cogitationum pariens fructus. Egregie Plinius cum strepitum, inanémque variorum negotiorum discursus, & multos ineptos labores damnaret: laudans solitudinem. *Postquam in Laurentino meo* inquit *aut lego aliquid, aut scribo nihil audio quod audisse: nihil dico quod dixisse peniteat, nemo apud me quemquam sinistris sermonibus carpit, neminem ipse reprehendo nisi tantum mecum parum commode scribo, nulla spe, nullo timore sollicitor: nullis rumoribus inquietor mecum tantum & cum libellis loquor.* O egregiam & sinceram vitam. O dulce, honestúmque otium: ac pene omni negotio pulchrius. O mare, O littus. O verum secretumque musarum locum, quam multa invenitis, quam multa dictatis. Ambrosius quoque, cum ad Sabinum scribens ostenderet quanta sit iucunditas vtilitásque solitudinis, *certe*, ait *pro arbitrio arcesse; quos volo: atque adiunge mihi quos magis diligo, aut quos aptiores arbitror nemo interpellat: nemo interpolat: tunc ergo te magis teneo & de scripturis confero: & prolixiorem simul sermonem cedimus.* Non ab re refert Scipionem Cicero de se dicere solitum: *nunquam minus solum, ait otiosum esse, quam cum otiosus aut solus videretur.* Otio autem qui nescit vti (vt inquit Ennius) plus negotij habet quam cum est negotium in negotio, nam cui quod agat institutum est, nullo negotio id agit, studet ibi, mentem atque animum delectat suum, otioso otio animus nescit quid velit. Est ergo otium cui litteræ coniunctæ sunt vt sanctissimum ita & dulcissimum. Quare prudens fuit illud dictum Antisthenis Atheniensis, qui cum rogaretur quidnam ex philosophia lucratus esset: respondit, *ut secum colloqui posset.* Nec minus prudenter dixisse ferunt Pythonem Eliensem: qui cum secum loqui aliquando deprehensus esset, rogatus cur id faceret: *meditor* inquit *bonus esse.* At contra quam stultitiæ arguendus mos ille Domitiani fuit, quem in solitudine solitum tradunt delectis sibi quibusdam horis quotidie muscas stylo præacuto insectari. Quam indignum principe aucupium: quam dignum vero eo aucupio dictum fuit illius, qui interrogatus an cum Cæsare quisquam intus esset, perfacete respondit: *ne musca quidem.* Vacandum est igitur bonis artibus: vt cogitare res graves ac sanctas, cogitandoque ita meliores effici possimus; ne contra si inertes nulli gravi studio & operi intendamus, merito in nos illud iaciatur quod adolescenti cuidam tacito &

Solitudinis commoda.

Plin. li. 1 ca. 12. & lib. 1. 17

Cic. l Offic.

& secreto ambulanti, cum ei dixisset Crates, *quid solus ageret?* atque ille respondisset, *secum se loqui: Cave* inquit *ne cum homine malo loquaris*: Etenim, vt scribit Cicero libro de re publica sexto: *Graves sunt domina cogitationum libidines: infinita quadam cogunt atque imperant qua expleri aut satiari nullo modo possunt: ad omne facinus impellunt eos quos illecebris suis incenderunt.* Quare magna arte à nobis continendæ, frænandæque sunt: ut quod palam nunquam præ pudore ageremus, clausum etiam intra nos versare erubescamus: credamusque Deum, qui in humanis mentibus continue hospitatur, quasi pro tribunali sedentem iudicare omnia quæcunque nobiscum volutemus. Est enim cogitationum nostrarum Deus iudex & arbiter. Nec falso Thales cum aliquando interrogaretur an facta hominum Deum fallerent, *ne cogita quidem*: inquit: eo responso monens non solum nos manus sed mentes etiam immaculatas habere debere, in quibus secretum ac divinum semper numen habitaret. Quod intelligens Ambrosius dum Constantium instrueret. *Nemo* ait *vel solus vel cum altero aliquid turpe aut improbum faxit: & si quis solus est: seipsum præ cæteris erubescat, quem maxime debet vereri*, fugiat mala opprobria, etiam si se credat non posse convinci: nam & si clausus parietibus sit & opertus tenebris: sine teste, sine conscio, habet tamen facti arbitrium quem nihil fallit: ad quem facta clamant omnia. Habet unusquisque animum suum, severum sui iudicem, vltorem sceleris, & vindicem criminis. Id quod & poetam non latuit: dum *prima hac* inquit *est vltio, quod se Iudice nemo nocens absolvitur.* In quo utile admodum etiam erit, quod à summis monemur philosophis, vt aliquem habeat animus quem vereatur, cuius auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat, reverentiamque sui habeat: ad cuius memoriam se componat atque ordinet: ad quem mores nostri seipsos erigant, quo tanquam spectante vivamus cogitationesque nostras emendantes ne peccare quidem nobiscum audeamus: & quod in alios frequentissime fit, de nobis male existimemus, maleque tacentes loquamur: nosmetipsos in penetralibus animorum nostrorum gravissime increpantes. Quod solebat Cleanthes, quem cum fodientem, vt moris sibi erat, increpantemque seipsum Aristo audisset, quem inquit obiurgas? atque ille ridens senem ait. *Canum quidem, sed excordem & amentem.* Nulla autem re magis ad id adiuvabimur quam claris actibus & disciplinis, quas modo commendavimus commendareque non satis possumus: cum quod animos nostros honestis studiis occupatos ingenue exercebunt, tum quod quibus modis ingenue eos exercere debeamus, docebunt. Præclara igitur studiose meditabimur, vt Solon ait: interficiemusque cogitatus nostros vt divinus vates monet, insultantesque eorum impetus sancto bonorum studiorum adminiculo comprimemus, præcurremus quoque, ut sacer alius auctor inquit, priores in domum nostram, & illic advocabimur, & illic ludemus: & agemus conceptiones nostras & non in delictis & verbo superbo. Adhibebimus sedulam curam, ne immundum aliquid subeat mentes nostras: ne innumerabilibus, quibus quotidie infestamur, malarum cupiditatum decipulis & retibus illaqueemur. Custodiemus corda nostra, & quod ab agricolis vineæ solent, circumsepiemus egregie atque muniemus, quodque Antisthenes præcipiebat, struemus mœnia in nostris cogitationibus ne instar latronum aut luporum, qui præ foribus iugiter insidiantur, pessimi affectus nostri introgredientes, nocumentum aliquod afferre possint. Observabimus præcipue quod à Cleobulo sapienter præceptum fuit, ut antequam domo exeamus quid acturi simus apud nos pertractemus, rursumque cum redierimus, quid à nobis actum fuerit, recogitemus. Quod & Pythagoras admonere discipulos suos solitus erat: ut scilicet ista quotidie cum domum ingrederentur dicerent, *Vbi nam excidi, quid feci? quid ex eis quæ facere debui, omisi.* Id observasse & Catonem legimus, qui non modo quæ quoque die egisset vidissetque, sed & insuper quæ legisset per noctem repetere animo consueverat: exigens à seipso diurni omnis non tam negotij quam otij rationem. Hanc suipsius scrutandi examinandique consuetudinem laudat plurimum Seneca in libris quos *de Ira* composuit, memorans primo Sextum quendam, qui consummato die cum se ad nocturnam quietem recepisset solebat interrogare animum suum: † *Quod hodie malum tuum sanasti: cui vitio obstitisti: qua parte melior es? Affirmansque inde mederituram eam fore iram qua sciat sibi quotidie ad iudicem veniendum. Quid ergo* inquit *pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur*, quam tranquillus, *altus, ac liber cum aut laudatus est animus aut admonitus, & speculator sui censorque secretus cognoscit de moribus suis.* Vti autem se dicit hac potestate vt quotidie apud se causam dicat cum sublatum è conspectu lumen est, & conticuit vxor moris eius iam conscia. Totum diem scrutetur, factaque ac dicta sua remetiatur, nihil sibiipsi abscondat, nihil transeat: sive in disputatione aliqua pugnacius locutus fuerit, sive cum imperitis (qui quod nunquam didicerunt discere nolunt) congressum habuerit, sive quempiam liberius quam debuerat admonuerit, offenderitque proinde magis quam emendarit: sive in convivio quorundam eum sales & in dolorem eius iacta verba tetigerint, vitandosque proinde etiam vulgares convictus: vbi solutior est post vinum licentia: sive amici causa vilicuiquam & extremo mancipio, à quo honestius longe excedendum erat, iratus fuerit. His si nos vtemur modis in discutienda vita nostra, & minus certe peccabimus, & intra nosmetipsos erubescentes ab omni mentes nostras morbosa contagione purgabimus.

Deum corda scrutatur.

Conscientiæ examen.

Senec. lib. 3. De Ira cap 36.

† Sic Pythagorei in aureis v 6. & in Lacino poëta de Viro bono: Nō prius in dulcē declinas lumina somnū, &c.

LIBER V.

MAPHEI VEGII LAVDENSIS,

DE EDVCATIONE LIBERORVM Et eorum claris moribus.

CAPVT I.

De verecundia habenda in rebus, & de laude pudicitia.

NVNC quibus in rebus exercenda sit Verecundia dicendum est. Primum igitur quicquid agent adolescentes, ita vacuum sit omni reprehensione, vt nullius nomen imminuat: nullius ius lædat: nemini vlla ex parte detrimento cedat, præcipue vero integritatem corporis sui summopere custodiant. Pudicitiam ament vt Pittacus ille sapiens monet: candorem suum immaculatum, inviolatúmque conservent, nihil habet ætas illa decentius, aut pretiosius, nihil quod ampliorem eis laudem afferre, nihil quod maiorem hominum amorem & gratiam comparare possit, neque est quicquã quod ipsi quam prædicamus verecundiæ affine magis sit & coniunctum quam Pudicitia, quam comitem eius etiam maiores nostri esse dixerunt. Summa apud Græcos Xenocratis verecundia commendatur, atque eiusdem tanta pudicitia vt cum libidinis æstu aliquando incitaretur, secare & vrere genitalia sibi membra minime refugeret: Romani quoq; superiorem Africanum plurimum extollunt quod sponsam illam virginem speciosissimam, quam bello apud

Val. Max.

A Celtiberos ceperat, intactam, inviolatamque dimisisset: ita eximius illi pudor inerat, quo despecto insignia eius qua apud omnes ferebatur, longe imminuta esset auctoritas. Sed & Ioseph, quem Hebræi singulari laude efferunt, tanto pudicitiæ ornamento præditus fuit: ut mulierem rogantem, blandientem, furentem, multa pollicentem, attrectantem, ac dissuavientem forti animo contempserit, relicta etiam illi veste, ut manus eius quibus strictius detinebatur effugeret. Quibus tantum contulit laudata ab omnibus pudicitia, ut summam proinde assecuti fuerint hominum gratiam, summamque in populis auctoritatem. Nam Xenocrates ob id à magnis principibus magno in honore habebatur: donabaturque sæpius: licet ille donata vel remitteret, vel quod satis esset necessitati tamen susciperet, verba quoque illius tanti momenti erant, tantumque fidei apud omnes habebant: ut quod superiore libro diximus, cum iniurati nullius testimonium admitteretur: huic soli remissum fuerit ab Atheniensibus iusiurandum.

Gen. 39. 7

Lib. 4. c. 3.

B Scipio autem ob singularem meritum castitatis id est assecutus, ut ab omni genere commendatos Hiberos etiam sibi conciliaverit, volentesque ac libentes Romanis adiunxerit. Ioseph vero ad eam tandem evectus est potestatem, ut ab rege Ægyptio nihil sine consilio eius & iudicio ageretur: ut ea quæ septem annis graviter fames invaluit arbitrio eius moderaretur, atque sanaretur. Neque mirum si quam Deus tanti faciat, ut nullam sine ea virtutem magni pendat, summis etiam honoribus ornet atque extollat: quæ & tanta est ut cum cæteras virtutes proprio quasi quisque studio assequi videatur: sola tamen hæc singulari quodam & præcipuo Dei munere acquiratur: quæ quo etiam difficilior eo & maior gloriosiorque est. Habet autem candor corporis commune cum Deo quiddam quo, mirum in modum allicitur ille atque delectatur: descendens tanquam familiaris quidam amicus in humanas

C purgatiores mentes: præsentemque se exhibens: ac faciliorem omnium precibus & votis præstans assensum: confabulans quoque instar domestici cuiusdam hospitis: altissimarumque rerum mysteria ac secretiora aliquando communicans. Plena sunt horum omnia Christiani nominis monimenta: sed quod in gentilibus est admirabilius præter Sibyllas etiam Cornelium quendam idolorum sacerdotem: sed incorruptione & vitæ castitate sanctissimum Patavij agentem in transpadana Italiæ regione accepimus, eo die quo à C. Cæsare & Cn. Pompeio in Thessalia acerrime pugnatum est repentino quodam motu mentis agitatum prædixisse ac si præsens ipse interfuisset omnem rem, vicem, ordinem, casumque illius belli, cuius cum vaticinatum primo quidem tanquam vana & vecors contemptum ille pertulisset: at magnam mox omnibus admirationem pudicissimoque homini attulit venerationem & gloriam, quam præclara igitur quamque excellens res sit pudicitia nemo non intelligere potest, quam in ipsis

D quoque impiis dæmonum cultoribus tam gratam habet Deus, atque acceptam, quod & Pythagoras gentilis licet philosophiæ Professor minime ignoravit, diis enim dicebat cum laudibus amictuque candido & casto corpore honores exhibendos, quid pulchrius religiosiusque à Christiano quovis auctore dici potuit? in quo quæ observare debeant sacerdotes nostri tria quam brevissime exprimuntur: ac decantandi quidem divinas laudes atque eas cum amictu candido iam mos apud omnes communis inolevit, quam vero id casto fiat corpore, quod candida illa vestis significat, per se cognoscit quisquis Deum laudaturus atque exoraturus accedit. Verum erubescat Christi omnis cultor dum intelligat à gentilibus quorum nonnunquam pudicitia plurimum prædicatur sese superari, nam Cereris Africanæ sacerdotes viventibus etiam & consentientibus viris separatæ perpetuo in viduitatis disciplina perseverabat. Pontifex quoque maximus & Flaminica nonnisi semel nubebant. Quæ vero Romanarum matronarum uni se tantum viro coniunxerant viduitatem servantes

Pythagoras de castitate.

tanquam coronam pudicitiæ adeptæ summo in honor habebantur. Sed & virgines Vestæ & Iunonis Achai cæ & Dianæ Scythicæ & Apollinis Delphici: bovi quoque illius Ægyptij antistites summa continenti lande commendati fuerunt. Tanta est autem pudicitis gratia: ut apes tam industriæ artifices (quas etiam pu tant sine coitu generari) nihil magis aspernentur quar impudicos, aut qui recenti ab concubitu ad eas acce dant. Et quod magis quisque admirabitur pocula ips dum ministrantur, atque & cibos, pernas quoque dur saliuntur: & caseum dum coagulatur, ac viscera dur reficiuntur certum est infici si contrectentur ab eo qu coitu frequentiore aut recentiore usus fuerit. Quare & Pœni & Græci ac Latini omnes scriptores, qui nor pauci numero de instruenda penu, deque officio pisto ris & coci ac cellarij præcepta tradiderunt, putarun oportere omnino castum esse qui earum rerum curar susceperit, neque nisi ab impubere aut certe à pudicil simo ea tractanda esse, vel si Venere se polluerit debe re sive virum sive fœminam ablui prius flumine ac aqua perenni, neque nisi ablutum penora contingere ac propterea crediderunt necessario utendum esse mi nisterio pueri vel virginis, quorum contrectation mundiora omnia quæ in usum vitæ promerentur, ess constaret. Quod præcipue Varro videtur tradidisse dum ostendens quibus ex rebus recte absolutum ess convivium debeat, primum dicit bellos homunculo colligendos esse, quod idem ac pueros significat, nar diminutionem ætatis magis quam corporis, quemadmo dum & iecunculos notare manifestum est. Hæc sunt do na pudicitiæ, hæc dignitas atque excellentia. Han igitur colant adolescentes, hanc suscipiant & comple ctantur, avertantque se contra longe à blandis mali Venereis, atque ut Sophocles annis iam gravior d se dicebat, tanquam ex furiosa aliqua dominatione profugiant, hæc siquidem eos Deos caros efficiet hæ eos honestabit: hæc hominibus commendabit: hæ eos honore & gloria ac omnibus denique bonis sem per augebit.

CAPUT II.

De verecundia verborum & de compescenda lingua.

NOn minima autem ipsis observandum erit ut lingu pudica sit: ut abstinens ab obscœnitate verbo rum, nam *corrumpunt bonos mores colloquia mala*, v Paulus à poeta Græco dictum repetens ait: Atque ve ro vitam hominum procacitas linguæ, quæ animatur quasi quandam effigiem ostentat: ut non immeri sermonem *operis umbram*, Democritus appellarit. It ergo quæ proferunt verba component, ut testimonium sit omnibus modestissimæ vitæ eorum: A convicii præsertim temperabunt, quæ & legibus edicto iniu riarum puniuntur. Procul ab eis omnino probrosa ver ba & contumeliosa, quæ servilem etiam indicant ani mum, quod recte intelligens Arcesilaus, cum à ver boso quodam & ignavo lacesseretur, *improbe*, inqui *& impudice loqui ac mentiri servorum fili consueverint.* Admiscere autem contumeliis minas molestre esse dic Chilo ille sapiens Lacedæmonius. Sed nec per iocos & sales contumeliosos inferre cuipiam laudatum est, qu magnas sæpius inimicitias conflaverunt, magnique suis auctoribus mali sæpius causa extiterunt. Nam m quiore animo multi ferunt scommata in se iacta quai gladios, commendatur tamen comis, lætus, faceto que redundans sermo. Nam uti gravis & insulsus lo quendi modus omnibus ingratus est, ita lenis, urbanu festiuusque plurimum confert ad conciliandum hom num amorem. Cavendum tamen est ne lascivioribu quam honestas fert, facetiis utamur, quod in Vespa siano, magnæ alias gravitatis, reprehensum est, quei adeo scurrilem & sordidum fuisse tradunt, ut ne pra

texatis quidem verbis abstineret. Fugienda est proinde consuetudo incautius ac inconsideratius loquendi, adhibenda sunt linguæ retinacula quibus lubricitatem eius contineamus, ne quod a Chilone sapiente vetitum est, præire eam animo permittamus. Est enim id (vt Bias inquit) insaniæ indicium, quod pulchre & sacra confirmat auctoritas. *In ore fatuorum esse inquiens cor illorum, & in corde sapientium os illorum.* Quare aptissime Homerus Vlyssem, quem sapientem describit, *vocem mittere*, ait, *non ex ore sed ex pectore.* Eorum enim qui leviter & inconsiderate loquerentur, bene existimatum est orationem in ore nasci, non in pectore: Linguamque debere aiunt esse non liberam & vagam sed vinculis de pectore imo, ac de corde captis moveri & quasi gubernari. Cui coercendæ vallum etiam dentium & labiorum esse appositum videmus, ut loquendi temeritatem non cordis tantum custodia cohiberet, quam & cancellæ quasi quædam à natura magno cum consilio adhibitæ sepirent atque comprimerent. Nam si, ut à sancto auctore sanctissime dictum est, equorum frænos in ora mittimus ad consentiendum nobis: *Et naves cum magnæ sint & à ventis validis minentur, circumferuntur autem à modico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit, cur non & linguam,* sed ut thesaurum recondendam esse dixit: eiusque esse in promendo gratiam plurimam si modesta & parca & sobria sit. Isocrates quoque monebat vt tantum ea loqueremur, quæ vel certo sciremus, vel dignitas nostra tacere non pateretur. Epaminondas non inferior aliis principibus virtute & rerum gestarum gloria, laudatur à Pindaro quam maxime, quod *multa simul sciret & taceret*, & merito, nam, ut a Thalete Milesio dictum est, Prudentis minime signum indicium sunt multa verba. *Qui moderatur enim sermones suos*, ut sacer auctor inquit, *doctus & prudens est*, & *pretiosi spiritus vir eruditus, stultus quoque si tacuerit sapiens reputabitur, & si compresserit labia sua, intelligens.* Quare Solon cum aliis loquentibus nihil diceret quæsitus vtrum inopia verborum taceret an stultitia verissime respondit, *neminem stultum tacere posse.* Hæc nimirum certe ætati vtilia quæ tradidimus moderandæ linguæ præcepta, sed adolescentiæ longe necessaria, quæ cum nihil fœdius habeat loquacitate, curandum est maxime, ne qui in ea elucere videtur flosculus quidam innocentis vitæ, propter immodestiam linguæ teterrimum odorem spiret, *ne ex eburnea vagina plumbeus educatur gladius*: quem in modum Diogenes perfacete reprehendit decorum quendam adolescentem indecenter loquentem. Ea igitur vt observent præcipue adolescentes monemus, teneantque proinde memoria semper illud Electræ, quod Cleantes roganti cuidam, quidnam filio crebro ingerere deberet, dixit: *Sile, sit tenua vestigium.* Conservent illud quoque quod à sacro scriptore licet verbis longioribus docentur. *Adolescens, loquere in causa tua, vix cum necesse fuerit, si bis interrogatus fueris, habebat caput responsum tuum, in multis esto quasi insciens & audi tacens simul & quærens, & loqui in medio magnatorum non præsumas.* Et: *vbi sunt senes non multum loquaris, ante grandinem præbit coruscatio, & ante verecundiam præbit gratia, & pro reverentia accedit tibi bona gratia.* Non negligenda sunt hæc certe, quæ & Verecundiæ functum, pro qua præsens sermo susceptus est, singularem ostendunt: & audiendi magis quam loquendi studiosos adolescentes esse (quod & à Cleobulo alio Græciæ sapiente præceptum est) cohortantur. In qua re nullum est maius, evidentiusque documentum, quam naturæ, quæ vt Zeno Stoicus, adolescenti cuidam loquaciori dixit, non ab re duas aures hominibus atque unum os tantum fabricavit, labiis etiam & dentibus munitum, vt supra diximus, quo tam solerti artificio nos plane admonere voluit, vt & pauca loqui, & multa audire debeamus. Quare & facete idem Zeno adolescentulo alij linguaci: *Aures* inquit, *tuæ in linguam confluxere.* Apud antiquos sane tanta erat tacendi religio, vt Angeroniæ etiam sacellum dedicarint, cui sacrificabatur ad diem 12. cal. Ianuarij, quæ ob silentium, cuius præsul dicebatur, præcinctam, obsignatoque ore simulachrum habebat. Ita vero audiendi magis quam loquendi studium suscipiendum est, ne tamen rustica & muta (vt ita dixerim) quædam taciturnitas laudi esse credatur, sequamur illud Plautinum, *ad loquendum atque tacendum tute habeas portisculum*, nam sicuti *portisculo* (qui olim malleo, nunc sibilo, à portando dicto) modus, signumque dari solet remigantibus, ita loqui etiam & tacere non sine modo & ratione debebimus. Loquendum igitur erit vbi res & tempus, & locus postulabunt, & ne quid incaute & imprudenter emittatur, magna cura adhibebitur. Quam maxime autem erit cavendum ne quod à Periandro Corinthio præceptum est, interloquendum secreta pronuncientur, quod id sit muliebre, atque ita muliebre, vt nihil à virtute viri, quem gravem & constantem natura genuit, alienum magis esse censeatur. Quare maiori observantia custodienda esse præcipitur Isocrates deposita verborum quam pecuniarum, quia probos viros docet ita mores suos instruere, vt fideliores iuramento esse videantur, id quod de se etiam refert Ambrosius, deplorans mortem Satyri fratris, cui omnia consilia sua dicit communicasse præter commissa sibi amicorum secreta. Quo loco convenienter nos admonet historia Papyrij prætextati, quem è curia cum patre, sicut antea Romæ moris erat, reversum, cum percunctaretur mater quid ibi consultassent, accusaretque filius, quod res esset ardua, inhibitaque à Patribus priusquam decerneretur cuiquam enunciari, avidiorque proinde illa audiendi quid id rei esset, nunc minis, nunc exhortationibus cogeret secretum sibi aperiri, tunc is excogitate novum, perfectissimumque mendacium, atque in senatu actum esse de coniungendis, vel uni viro duabus vxoribus, vel vni vxori duobus viris, mundumque deliberatum affirmare cœpit. Quo audito exterrita ad cæteras convolavit mulieres, cuncta quæ acceperat passim divulgans, factoque postridie magno omnium ante curiam cœtu, cum lachrymarent rogarentque vt vna potius duobus nupta fieret quam vni duæ, mirarenturque Senatores tantam earum insaniam, processit puer in medium curiæ, & rem vti gesta fuerat, explicavit, cui soli postea ex omnibus pueris curiam introire concesserunt, atque ob tacendi loquendique in ætate prætextata prudentiam honoris causa *Prætextato* nomen indiderunt. Curandum vero erit ne cum prudentiæ pleni fuerint, malitiæ tamen & improbitatis sermones nostri accusentur, quo circa summopere in primis studebunt adolescentes, vt quod Solon & Pittacus sapientes ambo præceperunt, à mendacijs abstineant, loquanturque tantum quæ vera sunt, ne vbi mentiri assueti fuerint, eo etiam cum senuerint vitio laborent: Est porro id magis servorum proprium: Veritate autem nihil homini libero convenientius, quæ est firma semper, constans, invicta, eademque omni ex parte sui, quam & Plato dixit auditu esse suaviorem omnibus quæ dicerentur, quare nihil ea amabilius, nihil gratius, nihil quod ad persuadendum maiores vires habeat, ut nullius sit tam exculta eloquentia, tanta dicendi vis & copia, quæ illi possit anteferri, cum contra mendacium sit ingratum omnibus atque exosum, sit quoque tenue quiddam, imbecille, impotens, vanum ac pertusum transparensque instar rimæ, atque id lucri afferat, quod ab Aristotele dictum fuisse tradunt; vt *mentiri assuetis cum vera dixerint minima fides habeatur.* Demum linguæ ita temperies adhibenda est, vt quod Pittacus præcepit, neminem etiam inimicum maledicendo insectemur, atque vt Chilo Lacedæmonius dixit, ne mortuum quidem, præsertim quoque ne susurrones & bilingues simus: Hosce enim maledictos, quod multos turbarint pacem habentes, divina verba denunciant. Nihil vero difficilius homini quam linguam moderari, qua nec perniciosius quicquam ac pestilentius cum pro arbitrio

A

recte regi non potest, ut quod Theophrastus dicebat, in freni equo citius credendum sit quam incomposito verbo, at qui id efficere potuerit divinum se quiddam magis potet esse consecutum. Etenim ut sanctus auctor verissime inquit, *omnis natura bestiarum & volucrum & serpentium & cæterorum domantur & domita sunt à natura humana. Linguam autem nullus hominum domare potest, inquietum malum, plena veneno mortifero. In ipsa benedicimus Deum patrem, & in ipsa maledicimus homines*, qui ad similitudinem Dei facti sunt. *Ex ipso ore, procedit benedictio & maledictio*, cum neque fons de eodem foramine emanet dulcem & amaram aquam, neque possit ficus vuas facere, aut vitis ficus, neque salsa dulcem aquam. Quare Anacharsis rogatus quidnam esset hominibus bonum ac malum simul: recte *linguam* esse inquit. Eam vero ita regent adolescentes sapienter & caute, ut quo difficilior est eius moderatio, eo maior proinde etiam cum moderate habita fuerit, sit fructus, maiorque gloria, ita agent ut monemus, ita toto studio in id intendent: Neque est enim ullum sanctius ullumque salubrius in Philosophia quam cohibendæ linguæ præceptum. Nullum est denique quod pluribus maioribusque nos malis liberet, quam qui recte moderari moveris. Is & iure bonus sapiensque iudicabitur, & iocundiorem tranquilliorem que aget vitam.

Iac 3. v 7.

B

Lingua nil melius, aut peius. De silentio in mensa servando plura inf. ib &c.

CAPUT III.

De verecundia motuum gestuumque corporis.

NOn tam vero factorum dictorumve, de quibus satis diximus, pudor curæ habendus erit quam motuum gestuumque corporis, qui cum modeste decenterque observantur plurimam afferunt commendationem, contraque cum negligenter & rustice, magno cedunt contemptui. Est enim ut dicit Ambrosius vox quædam animi corporis motus: quo autem levior aut stupidior, aut contra gravior ac constantiorque quisque æstimatur. Quare & Cicero in Lucium Pisonem: *Multum denique, inquit, totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit, hic eos quibus erat ignotus, decepit, fefellit, induxit.* Est vero quorundam tam acre & penetrans ingenium, cuiusmodi Cleanthis fuit, ut perspectis exterioribus hominum gestibus interiores quorumcunque naturas facile discernant: Nam ut factis ali is verbis admonemur: *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciat de illo.* Scribit Gregorius Nazianzenus se cognovisse Athenis Iulianum apostatam, atque ex gestibus mores eius probe compertos habuisse: *Faciebat enim, inquit, me cantum inconstantia morum, & excessus crebrior: Nullum mihi in eo signum naturale videbatur, cervix rigida & inflexibilis, humeri iactabiles, oculi currentes, huc illuc directi furiose respicientes, pedes impatientes, nares spirantes iniurias & contemptus, scommata risibilia & hoc ipsum semper habentia, risus incontinens & quasi subbulliens, consensus & negatio simul, operatio nulla ratione consistens. Interrogatio inordinata, responsio nulla sibi congruentia conveniens.* Quæ cum vidisset, repente etiam se dixisse refert: *O quale malum nutrit respublica Romanorum.* Ita ergo gestus & motus nostros componere studebimus, ut nihil in iis quod merito reprehendi possit, appareat, in quo præcipuum est illud omnium magnopere curandum, ut tranquilli atque omni à perturbatione simus liberi, ut appetitus rationi subiiciamus, ne si rebelles esse cœperint quales intus animorum nostrorum motus vel lætitia dissolvuntur, vel mœrore deiiciuntur, vel ita incenduntur, tales etiam in exterioribus corporis gestibus apparentes immodestiam aperte detegant nostram. Primum autem ita formandi erunt mores nostri, ut nihil elata fronte, fastidiente nare, minacibusque oculis geratur, qui mos est præpotentium hominum ac opibus nimium affluentium, quorum vel potestas & divitiæ it, & fastus augeri solet. Proponant sibi adolescentes Hieronymū, qui nihil ita à pueritia dicit se vitare studuisse quam tumentem animum, erectamque cervicem Dei contra se odio provocantem. Sed & hominum nescio quid invidiam magis suscitet, magis odia omnium & inimicitias incendat. Quare recte Zeno Stoicus fastu nihil esse indecentius dicebat, idque cum in cæteris, tum in iuvenibus maxime, quos & docebat in habitu, incessu, amictu, in omnibus denique summa vel honestate tanquam ætati eorum admodum conveniente, habebatque semper in ore versus Euripidis de Capaneo, quod *opes quidem illi fuerint, sed opibus elatus non incesserit, neque plus fastus habuerit quam egens vir.* Quod plerisque etiam litteratum sæpe accidit, tumefactis opinione doctrinarum suarum, qui productis labiis inflatisque buccis, atque in admirationem contracto vultu magnum de se aliquod polliceri videntur, quique (ut Hieronymus inquit) *sublatis in altum humeris, & intra se nescio quid cornicantes, stupentibusque in terram oculis tumentia verba trutinantur, ut si præconem addideris putes incedere Præfecturam.* Cuiusmodi idem etiam graviter increpat Grunnium quendam, quod testudineo incederet ad loquendum gradu, & per intervalla quædam vix pauca verba carperet, ut putaretur singultire non proloqui; declamaret quoque adversum singulos adducto supercilio contractisque naribus ac fronte rugata. Cuiusmodi quoque legimus quendam Grammaticum, qui stolida quædam nugalia ostentans, de *generibus & casibus vocabulorum* disserebat, cum arduis superciliis vocisque & vultus gravitate composita tanquam interpres & arbiter Sibyllæ oraculorum. Contra quoque fugienda est nimia frontis oculorumque deiectio, humerorumque contractio, cervicisque in alteram partem inclinatio, quibus verendum est ne dum fastus contemni videamur, in maiorem fastum ment proculcati tanti morbi gloriabunda dilabatur, sicuti Diogeni à Platone responsum fuit, cuius cum stratum aliquando præsentibus Dionysij amicis calcans dixisset: *Calco Platonis fastum.* At *quanto*, inquit Plato, *tu alio tumes fastu ô Diogenes dum superbiam te calcare existimas.* Quare scite & prudenter Hieronymus ad Eustochium virginem scribens sic eam monet: *Ne satis religiosa velis videri, nec plus humilis quam necesse est, ne gloriam fugiendo quæras, plures enim paupertatis misericordiam atque ieiunij arbitros declinantes in hoc ipso placere cupiunt, quod placere contemnunt, & mirum in modum laus, dum vitatur, appetitur: sed ne* hoc ipsum tibi iactantiam generet quod sæculi iactantiam contempsisti, ne cogitatio tacita subrepat, ut quia in auratis vestibus placere desisti, placere coneris in sordibus, & si quando in conventum fratrum veneris vel sororum humili sedens scabello te causeris indignam. Vocem ex industria quasi confectam ieiunijs tenues, & deficientis imitata gressus humeris innitaris alterius. Sunt quippe nonnullæ exterminantes facies, ut pareant hominibus ieiunare, quæ statim ut aliquem viderint ingemiscunt, demittunt supercilium, & operta facie vix unum oculum liberant ad videndum. Vestis pulla, cingulum sacceum, & sordidis manibus pedibusque, venter solus, quia videri non potest, æstuat cibo. *Noverint ergo humiliari*, ut Ambrosius inquit, sciant verum humilitatis colorem, naturam noverint, *multi habent humilitatis speciem, sed virtutem non habent*, multi eam foris prætendunt, & intus impugnant: Ad fucum præferunt, ad veritatem abnuunt, ad gratiam negant. *Est enim qui nequiter humiliat se, & interiora eius plena sunt dolo, & est qui se nimium submittit à multa humilitate.* Non est ergo humilitas nisi sine fuco, sine fraude. Ipsa est vera quæ habet piam mentis sinceritatem: magna virtus eius. Humilitatem namque

C

Motus corporis. De mobenti gestu multa collegit Lamb. ad Horat. Satyr.

Eccl. 19 26.

Naz. t. Orat. in Iulian.

D

Gestus & Oculi.

verborum

verborum (ait Chrysostomus) plurimam & vitia quam satis sit absque difficultate reperies, animi vero humilitatem difficillime.

Aristoph. de Euripid. Nebul. & Thesmoph.

Rursum quoque ita gestus corporis moderabuntur vt nihil durum, difficile, morosum, indignabundumque in eis argui possit: ne *acidi atque asperi simus:* quemadmodum Euripidem Aristophanes vocat, quæ cum senibus frequentius accidant, at in adolescentibus, vbi ea contigerint, damnantur ad ipsam vsque insaniæ notam, quamquam vsu compertum sit hos fide, integritate, singularique innata quadam bonitate cæteris præstare.

Facilitas.

Neque vere tam facilem se quisquam exhibebit, tamque abiectissimo etiam cuique ac plusquam dignitatis ratio postulat familiarem, vt dum humanus videri vult ab omnibus merito magis contemnatur. Sed prætetea cavendum erit ne hilarescens nimium sit vultus, profusiorque frons in lætitiam, ne gestiens aut exultans ita modum transeat vt resolui pene videatur. Quam maxime autem risui erit moderatio adhibenda, vt quod dicit Basilius, non inordinatis & compositis motibus, quod est incontinentiæ signum, risum moveamus, sed subridendo tantummodo lætitiam mentis indicemus. Ex nulla enim re magis ac ex risu agnitur hominis verecundia. Quare Platonem, qui summa verecundiæ laude commendatus est, accipimus adeo fuisse compositum, vt nunquam ridere nisi modice deprehensus sit. Cato etiam cuius constantiam & integritatem ab ipsa vsque pueritia claruisse constat, moderatus vtique ac tardus semper ad risum fuit. Pythagoras autem risu abstinuisse fertur. Illud etiam inquiens, risui æque ac tristitiæ non dandas manus. Duo potissimum damnavit Isocrates & risum temere factum, & verbum cum audacia, quod hoc quidem imprudentis, illud vero esset insanientis: Id quod & sacra doctrina nos admonet: *Fatuus in risu exaltat vocem suam, vir autem sapiens vix tacite ridebit.* Nam Claudio Neroni, in quo insignis regnabat stultitia, præter multa quæ vel temisse, vel setio aliquid agentem eum dehonestabant, risus etiam erat indecens, spumante semper rictu & humentibus naribus, quis non animadverteret tantam risus fœditatem manifestum esse indicium stoliditatis eius, ac præter stoliditatem negligentiæ etiam & oblivionis, quæ tanta in illo fuit, vt sæpius nec quis, nec inter quos, quove tempore ac loco verba faceret, scire aut cogitare existimaret, adeo vt cum interim Messalinam mandasset, paulo postquam in triclinio accumberet cur domina non venisset, requireret. Multos quoque ex his quos capite damnaverat postero statim die & in consilium & ad aleæ lusum admoveri iuberet, & quasi moratentur vt somniculosos per nuncium increparet, ob quæ merito omnibus despectui habitus est: Ipsi etiam matri Antoniæ, quæ portentum eum hominis dictabat, nec absolutum à natura, sed tantum inchoatum ac si quem socordiæ argueret, stoltiorem aiebat filio suo Claudio.

Risus.

Eccles. 23.

Sueton. in claud.

Nec minus erit fugiendum quod in Tiberio altera peste Romani Imperij legimus, quem longe ab illo diversa atque abhorrente natura incedere solitum tradunt cervice rigida & obstipa, adducto fere vultu plerumque tacitum, nullo aut rarissimo etiam cum proximis sermone eoque tardissimo, nec sine molli quadam digitorum gesticulatione; quæ omnia ingrata & arrogantiam magnam in ipso arguentia non latuerunt Augustum, qui apud Senatum & populum excusationem sæpe eorum facere tentavit, affirmans naturæ illa magis quam animi vitio contingere, quæ & licet pessimi hominis signa esse videantur, longe tamen diversa, longeque diverso examine iudicanda sunt in eruditis hominibus. Cuiusmodi fuisse traduntur Xenocrates Pyrrhebo & Eliensis, aliique non pauci, quibus & frons subtristior, & vultus severior, & parcitas loquendi, & rara nisi cum æqualibus familiaritas nihil attulisse dedecoris videtur, propter arduas magnarum rerum cogitationes, quibus occupati assidue detinerentur. Sed vt ad cætera progrediamur illud quoque prorsus deforme est & detestandum, quod C. Caligula facere solebat, vt vultum natura horridum ac tetrum ex industria etiam efferaret, componens ad speculum in omnem terrorem ac formidinem, contraque opprobriosum & infame, oculos instar molliculartum fœminarum declinare, sensimque & subverecunde attollere, superciliorum alterum demittere, blande subridere, summa leviter labella comprimere, verba non nisi dimidiata & tenera attenuato quidem studiose sono proferre, fugereque (vt poeta inquit) *& se cupere ante videri.* Ita ergo moderanda, castigandaque erunt totius corporis membra, vt nullus ex eis exeat gestus & motus, qui non dignus omnium commendatione esse videatur. Sed oculis præsertim modus adhibebitur, qui tanquam præcones quidam cuncta, quæ animo versantur foris enunciant, non erunt rotandi, non extollendi, nam alterum levitatem & inconstantiam, alterum tumefactionem & insolentiam arguit. Non huc illuc more insanientis (quod Iulianus apostata, vt ex Nazianzen. diximus, solebat) dirigendi, non efferendi minacius, non defigendi vehementius, non demittendi humilius, non torquendi, aut in aliam partem corporis declinandi, sed cum gratia intuentium & amore regendi, vt, quod à poeta dictum est, lætos illi afflatos esse honores merito ab omnibus indicari possit. Facies item erit recta, caput non tremulum, quod Claudio Neroni in quantulocunque actu fuisse summæ deformitati ascribitur. Motus eius verbis & vultui accommodatus, quod nec erit aperiendum nisi reddendi officij causa, non operiendum nisi ad maioris cuiuspiam rei significationem. Quod fecisse fertur Socrates in quadam parum pudica oratione. Præterea, vt dicit Tertullianus *in descriptione Patientia*, vultus tranquillus & placidus, frons pura, nulla mœroris aut iræ rugositate contracta, remissa æque in lætum modum supercilia. Oris quoque & vocis ratio habenda est, ne labra detorqueantur, ne rictus diffendatur, ne lingua proferatur, ne titubet, quod in Claudio Nerone reprehensum est, ne inter loquendum conspuatur, ne immundum quid diffluat, ne crepitus vllus emittatur, ne signo vllo aut sono quicquam fiat quod ludibrio alicuius cedat, ne exerceatur immodestius, ne oscitetur effusius. In quo est memorabile quod a P. Scipione Africano Pauli filio scriptum est in oratione quam dixit in censura ad populum. Cum enim in iure staret quidam amici causa coram Censoribus clare nimis ac sonore oscitasset, deliberatum est vt plecteretur tanquam iudicium illud esset animi vagi & allucinantis & fluxæ atque apertæ securitatis, liberatus vero tandem est cum iurasset teneri se eo vitio quod *oscedo* appellatur, invitumque proinde sese ac repugnantem indecentius oscitasse. Vox quoque ita moderabitur ne in faucibus sonet, ne è labris quasi diffluere videatur, ne ex industria fiat attenuatior, ne vel strictis dentibus, vel dissolutis labiis, quod Hieronymus dicit, verba proferantur. Cervix item erit non rigida, humerique non iactabiles, cuiusmodi supra diximus fuisse in Iuliano apostata. Sed & latera ita recte formabuntur, ne more eorum quos magno risui habitus Cicero refert, aut instar lintris enatantis in vtramque partem totum corpus vacillet, aut ita solutus & mollis interloquendum sit gestus vt saltatio quædam inde nasci videatur. Brachiis vero & manibus adhibenda est etiam lex quæ iam summopereque conservanda, quam & chironomiam convenienter dictam, & summis præcipue philosophis commendatam, præceptamque fuisse legimus, de qua fertur & scripsisse Chrysippus in his quos edidit libris *de liberorum educatione.* Recta igitur si fuerint brachia, si non indoctæ manus neque rusticæ, magnam addent dignitatem. Quale fuit illud Pauli: qui ad Agrippam regem verba facturus *extensa primum manu cœpit rationem reddere coram quorum accusabatur,*

Tiberius Imp.

C. Caligula.

Virgil. Eclog. 5. 65.

Oculorum motus.

Capitis motus.

Os & Vox.

Oscitare Gell. vel Fnest.

Latera.

Brachiorum gestus.

Manuum cura. Act. 26. 1.

non

non sine magno & grato audientis assensu. Inter loquendum autem non esse agitandam manum, quod id esset vecordium, præcepit Chilo Lacedæmonius. Non erunt item aut capiti ad scalpendum vno digito; quod poëta exprobrat, aut naribus, auribusve ad purgandum frequentius manus admovendæ, non sub pallio recondendæ, non strictius complodendæ, non manus aperiendæ, non hinc inde iactandæ, non quicquam non iactetur circumvolutetúrque in eis gestandum, non invicem perfricandæ aut percutiendæ, quamquam turbatis animis multa horum sæpius fiant; quæ sedatis cessant. Cuiusmodi fertur Ioanni Chrysostomo contigisse, qui inter animi curas atque æstus indice dextræ manus lævæ medium sæpius pulsare consueverat. Quam maximo autem caveatur, ne quicquam in contemptum atque infamiam alicuius manu aut digitis fiat. Quo loco, vt alia eius generis prætereamus, id tantum quod in desuetudinem nunc abiit, apud veteres autem usitatissimum erat, memorabimus, ne scilicet medio digito quemquam quasi per indicem notemus. Id enim insaniam arguit, nam si quis medium digitum protendens incedat, insanire videbitur, sin autem indicem, non ita. Quare Diogenes plurimos aiebat insanire præter digitum. Qui & peregrinis aliquando Demosthenem videre cupientibus medium intendens digitum. *Hic ait hic est Atheniensium orator.* Expressit hoc etiam satyricus poëta, dum *infamem digitum* nominat, quem cum omnes interpretes *medium digitum*, at diversam tamen ab hac infamiæ eius autumant esse rationem. Idem quoque ab alio poëta expressum est, dum in contemptum fortunæ quod laqueum illi mandaret & *medium* simul *ostenderet unguem* dicit, accipiens, quod sæpius fit, partem loco totius, quamquam id aliud genus esse contumeliæ, quod nullo tamen alio traditur loco, publica vulgi iactet opinio. Sed & crura pedésque non sine ratione regendi sunt, ne quod in Iuliano apostata turpe fuisse dixi, sint impatientes, vt ita dicam, nullamque loci stabilitatem servantes, ne inter sedendum agitentur, quod Chrysippo, dum potationibus aliquando indulgens quiesceret, accidebat, ita vt ancilla diceret, Chrysippi sola inebriari crura, ne cum ambulatur indecenter & rustice proferantur, vt tanquam solidæ quædam bases superiora cætera membra fortiter & apte sustinere videantur. Laudat plurimum Græcos Homerus, quod digno quodam & regia maiestate pleno crurium gestu incederent. Habet denique incessus non minorem quam cætera exteriora, demonstrationem latentium intus animorum, nam, vt ait poëta, qualis animo est talis incessu venit. Qui enim tumidi insolentes fastuque turgidi sunt, quosque primo loco supra posuimus, incessu quam maxime morbum suum fatentur, cuiusmodi refert Ambrosius duos, qui incedentes imaginem quandam levitatis ac speciem scurrarum percursantium præ se ferebant, quorum alterum licet sedulis se commendare videretur officiis, hoc solo tantum in clerum non receptum, quod gestus eius plurimum dedeceret, alterum quum in clero iam eum reperisset, iussum ne unquam præiret sibi, quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos suos feriret, neque deceptum se sententia: Nam vterque ab Ecclesia recessit, vt qualis incessus prodebatur, talis perfidia animi demonstraretur. Namque alter Arrianæ infestationis turpe fidem deseruit, alter pecuniæ studio ne iudicium subiret sacerdotale, se ex eius esse gregis numero negavit. Qui vero vani, superstitiosi, molles, ac plus æquo delicati sunt, tardiore quodam leviorèque ingressu moventur, non dissimiles pomparum ferculis, & quod dicit Hieronymus, ne plantas humidior via spargat vix imprimunt summa vestigia: atque vt ait Ambrosius, ambulantes sensim imitantur histrionicos gestus & statuarum motus nutantium, vt quotiescunque gradum transferant, modulos quosdam servare videantur. Quemadmodum Cleanthem ferunt deprehendisse naturam cuiusdam rustici callis durati sed libidinosi, quem adolescentes ei adduxerunt vt de more eius sententiam ferret, qui secundum Zenonem Stoicum præceptorem suum dicebat, ex specie comprehendi cuiusque mores posse. Eum namque cum aliquandiu hæsisset, iussit abire, atque ita abeuntis gestum agnoscens, *habeo illum*, inquit Cleanthes, *mollis est.* Qui autem indocto & incomposito, agrestique motu nec nisi concusso graviter toto corpore, ac tanquam magnum onus quoddam baiulantes incedunt, non modicam in se animi negligentiam arguunt atque vecordiam, at qui festinanter & cursim, nisi honestior eos causa defendat, non parvam vtique instabilitatem & inconstantiam, quod probe intelligens Chilo Lacedæmonius in via nunquam festinandum esse præcepit. Quibus etiam illud mali adiungitur, quod non sine indecenti anhelitu, vultus mutatione, orisque torsione id fieri potest, quæ cum manifesta sint levitatis indicia, maximam etiam ostendunt in corpore deformitatem. Longe vero improbabilior ille videtur incessus, qui non eundem tenorem servat, qui nullam motus formam continuat, qui, vt de Catilina Crispus refert, modo citus est, modo tardus. Nihil est enim hoc gradiendi more levius, nihil inconstantius, nihil vecordius. Is igitur recte servandus est incedendi modus, in quo, vt Ambrosius docet, sit species auctoritatis, gravitatis pondus, tranquillitatis vestigium, ita tamen si studium desit atque affectatio, sed motus sit purus ac simplex, nihil enim fucatum placet. Motum natura informet, si quid sane in natura vitij est, industria emendet. Vbi ars desit, non desit correctio. Hæc in cæteris quoque, quos supra explicavimus, corporis gestibus custodientur, observabiturque præcipue illud Socratis, qui interrogatus aliquando, quæ nam esset iuvenis virtus: *nihil nimis* inquit. Imitabimur Polemonem Atheniensem, qui vrbanus fuisse fertur adiuncta severa constantia. Et Pomponium Atticum, cuius (vt scribit Cornelius Nepos) *comitas non sine severitate erat, neque gravitas sine facilitate, vt difficile esset intellectu, vtrum eum amici magis vererentur quam amarent.* Crassum item & Scævolam, quorum alterum in summa comitate habuisse etiam severitatis satis, alteri vero multa in severitate non defuisse tamen comitatem auctor est Cicero. Nec minus C. Curionem adolescentem eloquentissimum, qui vt idem tradit sine arrogantia gravis, & sine segnitia verecundus esse videbatur. M. quoque Antonium, qui frugi erat sine contumacia, verecundus sine ignavia, gravis sine tristitia, eratque tantæ tranquillitatis, vt vultum nunquam mutaret mærore vel gaudio, cuiusmodi & Socratem C. quoque Lælium extitisse dicit Cicero, laudans æqualitatem in omni vita, & eundem semper vultum, eandemque frontem. Fuscum etiam Salinatorem, quem refert Plinius fuisse studiosum, litteratum, disertum, purum simplicitate, iuvenem comitate, senem gravitate: atque Eufratem illum philosophum, in quo & idem laudat summam vitæ sanctitatem, parémque comitatem. In quo nulla esset tristitia, multum severitatis, cuius quisque reveretur occursum, non formidaret, qui insectaretur vitia non homines, nec castigaret errantes sed emendaret. Sequemur id quod de Asella virgine scribit Hieronymus: cuius dicit *nihil severitate iucundius, nihil iucunditate severius, nihil suavitate tristius, nihil tristitia suavius.* Ita pallorem in facie fuisse vt continentiam indicaret non redoleret ostentationem, sermonem silentem, & silentium loquens, nec citum nec tardum incessum, quæ sola vitæ suæ æqualitate promeruit, vt in vrbe pompæ, lasciviæ divitiarum, in qua humilem fuisse miseria sit, & boni eam prædicarent, & mali detrahere non auderent, viduæ eam mirarentur, & virgines maritatæque colerent, noxiæ timerent, susciperent sacerdotes. Hæc itaque in omni gestu, statu, incessu, sessione, accubatione, in omni denique vultus,

oculorum,

Margin notes: A; C. Gell.; B; Medio digito notare, insaniæ signum.; Pers. Sat. 2. v. 33; Iuvenal 10. v. 53.; Crura & pedes.; C; Homer.; Incessus.; Ambr.; D; E; F; G; Comitas cũ severitate.; Cic. Tu. 3. Agel. li. 11. c.; Plin. li. ep. 26.; H

oculorum, manuumque motu, diligenter observabimus, omnium autem quam maxime ea mediocritas laudabitur, si neque effœminati & molles, neque duri & agrestes esse videamur.

CAPVT IV.

De verecundia mundicia corporis atque amictus.

MVnditiæ quoque & amictus verecundiam habere oportebit, in quibus non aliter ea quam modo commendavimus mediocritate, ac in ipsis corporis gestibus opus videtur, vt, quod de Asella itidem ab eodem Hieronymo dictum est, idem semper sit habitus, neglecta mundicies, & inculta veste cultus ipse sine cultu: & quod ad Eustochium scribit: vestis nec satis munda, nec satis sordida, & nulla diversitate notabilis. Quod à Cicerone præceptum est, vt mundicia sit non odiosa neque exquisita nimis, tantumque fugiat agrestem & inhumanam negligentiam, eademque ratio habeatur vestitus: in quo sicut in plerisque rebus mediocritatem optimam esse dicit. Cui & Seneca assentiens: *Illud te admoneo*, inquit, *ne eorum more qui non proficere sed conspici volunt facias aliqua qua in habitu tuo aut genere vitæ notabilia sint, asperum cultum, & intonsum caput, & negligentiorem barbam, & indictum argento odium, & cubile humi positum, & quicquid aliud ambitionem perversa via sequitur, evita, satis ipsum philosophiæ nomen, etiamsi modeste tractetur, invidiosum est.* Quod si nos consuetudinem hominum cœperimus excedere, intus omnia dissimilia sint, frons populo nostra conveniat, non splendeat toga, nec sordeat quidem. In quo nec poetæ est omittenda auctoritas.

Præterea te nolim, sed nec turbare capillos,
Splendida sit nolo: sordida nolo cutis:
Nec tibi mitratum, nec sit tibi barba reorum,
Nolo virum nimium, Pannice, nolo parum.

Martial lib. 1. Epigr.

Negligentius enim ista curata magnum afferunt contemptum. Quod recte à poëta Satyrico expressum est illis versibus:

Iuven. Sat. 3. v. 147.

Quid quod materiam præbet causasque iocorum,
Omnibus hic idem: si fœda & scissa lacerna est,
Si toga sordidula est, & rupta calceus alter
Pelle patet: vel si consuto vulnere crassum
Atque recens linum ostendit non una cicatrix.
Nil habet infelix paupertas durius in se,
Quam quod ridiculos homines facit.

Negligentior namque cura magnam generat deformitatem, deformitasque subinde contemptum. Nam quod aptius de Charonte dicere potuit Virgilius: dum deformem eum sordidumque descripturus inquit:

Cui plurima mento, Canities inculta iacet,
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.

Menedemus Cynicus, quo habitu.

Quid vero indecentius Menedemo philosopho Cynico qui in tantum prodigiosæ superstitionis venerat, ut cum pulla tunica talari astricta puniceo baltheo, pileoque Arcadico, cothurnis tragicis, barba prolixa, virga in mano fraxinea incederet, dicens eum esse habitum Furiæ, speculatoremque in se peccantium venisse ex inferis locis, vt iterato discens hæc ibi dæmonibus renunciaret. Latent præterea sub huiusmodi amictibus magni sæpius & gravissimi animorum morbi. Quare ad Sabinianum scribens Hieronymus nihil prodesse, inquit, vile palliolum, sorvam tunicam, corporis illuviem, & simulatam paupertatem, si nominis dignitatem operibus destruant. Instruens quoque Eustochium recte carpit eos, quibus fœminei contra Apostolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, & nudi in patientia frigoris pedes, quod hæc omnia sint argumenta diaboli cuiusmodi Antimum & Sophronium quosdam nominat, qui postquam nobilium introierant domos, & deceperant *mulierculas oneratas peccatis, semper discentes & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes.* Tristitiam simulantes quasi longa ieiunia furtivis noctium cibis protrahebant. At maiorem longe reprehensionem habet exquisitior mundiciei cura (nam de amictu postea dicemus) quæ cum nullam fœminis laudem at summam certe viris parit infamiam. Si quidem, vt Tertullianus inquit, cum & viris propter fœminas, & fœminis propter viros vitio naturæ ingenita sit placendi voluntas, proprias etiam sibi formæ præstigias virilis sexus agnoscit. Barbam acrius cædere, intervellere, circumdare, capillum disponere, etiam colorare caniciem, primam quamque subducere totius corporis lanuginem, pigmento quoque muliebri distinguere, cætera pulveris cuiusdam asperitudine levigare, tum speculum omni occasione consulere, anxie inspicere, quis non intelligat hæc quam ignominiosa dedecorosaque sint, quam quæ omnibus qui honoris sui curam habent magnopere fugienda, quæ vel fœminarum vel effœminatorum vitiorum magis sunt propria, neque aliud in viris quam muliebris animi sunt argumentum. Non immerito poëta ait:

Ovidius.

Sint procul à nobis iuvenes vt fœmina compti,
Fine coli modico forma virilis amat.

Quare sæpe Hieronymus cincinnatulos pueros & calamistratos acriter damnat. Ambrosius autem ad Irenæum scribens, *Quid de aliis*, inquit, *dicimus, qui hoc ad luxuriam derivandum putant, vt calamistratos & torquatos habeant in ministerio, ipsi promissa barba illos remissa coma.* Merito illic non servatur consuetudo viri non tenentur sexus distinctio. Quam deforme virum facere opera muliebria? Ergo & pariant, ergo parturiant, qui crispant crinem vt fœminæ, & tamen illæ velantur, isti bellig rantur. Fugienda sunt hæc nimium, ac tanquam Gorgonis facies maxime formidanda, quæ & magnis nonnunquam ac præstantibus hominibus summam ignominiam, maledicendique causam pepererunt. Demosthenes, quo nemo Græcorum eloquentior propter vestitum, cæterumque cultum corporis nitidum, venustumque nimis & accuratum, maxima ab æmulis adversariisque suis opprobria perpessus est. Hortensius quoque, qui post Ciceronem omnium ætatis suæ oratorum clarissimus fuit, gravissimis, turpissimisque est sæpissime maledictis lacessitus, quod nimia mundicia compositioreque amictu vteretur, manus etiam inter agendum haberet argutas admodum & gestuosas. Lyconi philosopho non est laudi datus multos vestium nitor & mollities, licet mutato postea consilio exercitatissimus, robustissimusque factus athletarum omnem habitum præ se tulerit. Ab Arcesilao philosopho refert Plutarchus vehementer invectum esse in quendam delicatiorem divitem, qui cum castitate integer haberetur, voce tamen erat infracta, capilloque arte composito ac oculis ludibundis illecebrosisque. At quis C. Cæsarem non mirabitur? qui mundiciarum, lautitiarumque studiosissimus fuisse à multis traditus est, cui & exprobrarunt sæpius quod non solum tonderetur diligentius ac raderetur, sed etiam velleretur, calvitij quoque deformitatem iniquissime ferret, adeo vt deficientem capillum à vertice revocaret. Quis non Othonem, cuius mundiciæ pene etiam muliebres fuerunt, nam & vellebat corpus & galericulum capiti propter raritatem capillorum, vt nemo dinosceret, adaptabat atque annectebat, qui & faciem solebat quotidie rasitare, ac pane madido linire, atque id instituerat à prima lanugine, ne barbatus vnquam esset. Sed vnguentorum vsus longe obscœnior, infatuiorque videtur fuisse, de quo est illud Arbitri poëtæ à Hieronymo memoratum, & ab alio etiam prieta vsurpatum. *Non bene olet qui bene semper olet.* Quæ cum fragrantiam capiti ac vitæ fœtorem maiorem præstant, quod Diogenes cuidam vnguentis delibuto dixisse fertur. Quare & Vespasianus adolescentulum quendam

Vnguenta.

Suet.

A

fragrantem vnguento, cum ei pro impetrata Præfectura gratias ageret, nutu aspernatus voce & iam gravissima increpuit. *Maluissem* (inquit) *allium oboluisses*, litterasque insuper ob id indignatus, revocavit. Neque est sane quicquam magis muliebre, quod recte Zeno Stoicus alij eiuscemodi exprobravit: *quis*, inquiens, *mulierem olet*. Xenocrates vero Polemonem adolescentem impudicum, cum ebrius coronatus, & vnguentis madens scholam eius cum sodalibus irrupisset, non modo carpsit, sed oratione insuper quam *de pudicitia* susceperat, ardentius prosecutus miro virtutis amore & philosophiæ studio inflammavit.

Odore.

Eadem est & de odoribus ratio, pro quo nostra extant illa disticha:

Galla geris tecum redolentia aromata semper,
Te mundas semper: cur? quia semper oles.
Galla vbi tam multo te sentio olescere musco,
Tunc ego me nullis naribus esse velim.

B

Speculi vsus. Seneca de speculi vsu lib. 2. de Ira cap. 36. & lib. 1. Quæst. Nat. c. 17

Speculi autem vsus non est improbatus, si modestiæ, aut salubritatis oculorum causa suscipiatur. Nam Socrates traditur adolescentes cohortari solitus, vt se speculo frequenter inspicerent, quo si forma insignes essent decorem in se animi degenerare erubescerent, si contra deformes vitium corporis animi pulchritudine emendarent. Quo & Archimedes Syracusanus, summus ille Geometriæ magister, se diligentissime inspicere consueverat. Et Demosthenes vtique, cum pronunciaturus prius secum causas ipse meditaretur. Si vero propter lasciviam frequens eius consuetudo habeatur (quod Apuleio obiectum fuit) muliebrem quandam magis arguit levitatem, Neque caret infamia, quod perfacere, perque callide probro dedit Zeno Stoicus cuidam adolescenti, qui cum nimio se studio componere solitus ad speculum lente & segniter transcenderet quoddam vehiculum. *Merito*, inquit, *suspectum habet lutum, neque enim in illo veluti in speculo intueri potest.* Ac apertius, acriusque increpuit P. Africanus Pauli filius, vir omni præstans virtute, P. Sulpicium Gallum, hominem quendam delicatum, *Nam qui quotidie vnguentatus adversum speculum ornatur, cuius supercilia raduntur, qui barba nulla fœminibusque subuulsis ambulet, qui in conviviis adolescentulus cum amatore cum chirodita tunica accubuerit inferior, qui non modo vinosus, sed virosus quoque sit, eum ne quisquam dubitet quin idem fecerit quod cinædi facere solent.*

C

Gellius lib. 7. Noct. Attic. c. 12

Amictus, vestis.

Ex quibus non tam speculi de quo modo diximus, mundiciarumque, quas paulo ante reprehendimus, quam amictus quoque de quo nunc loquimur, profusior licentia damnari videtur. Est enim luxuriosa vtique res vestitus vbi accuratior, exquisitiorque est, quam vel mos patriæ, vel conditio personæ ac loci, vel rei dignitas postulat. Manifestum namque est argumentum dementiæ, alio quam quod propria cuiusque regio recepit, indumentorum genere vti, manifestius vero aut indecorum, immodestumque, aut diversum à suo statu amictum sibi assumere. C. Caligulam, qui non modo stultus, sed insanus insuper fuit, cum multa insaniæ suæ signa demonstraverit, illud etiam cœteris addidisse tradunt vitæ eius scriptores, quod vestitu, calceatuque & cætero habitu neque patrio, neque civili, ac ne virili quidem ac denique humano semper vsus est, sæpe depictas gemmatasque indutus penulas, mamillatus & armillatus in publicum processit. Aliquanto sericatus & cycladatus ac modo in crepidis, vel coturnis, modo in speculatoria caliga, nonnunquam in socco muliebri, plerumque vero aurea barba fulmen tenens aut fuscinam, aut caduceum deorum insignia, atque etiam Veneris cultu conspectus est: Triumphalem quidem ornatum etiam ante expeditionem assidue gestavit, interdum & magni Alexandri thoracem, repertum in conditorio eius. Neronem quoque circa cultum, habitumque adeo pudendum fuisse referunt, vt comam semper in gradus formatam peregrinatione Achaica etiam pone verticem submiserit, ac plerumque Synthesinam

D

Suet. in Calig. c. 51. & 52

Suet. in Nero. c. 51

indutus ligato circum collum sudario prodierit in publicum, sine cinctu & discalciatus. At Domitianum in stadio præsedisse crepidatum, purpureaque amictum toga * Græcanica, capite etiam gestasse coronam auream cum effigie Iovis ac Iunonis Minervæque. Quam modestius autem videtur fecisse Adrianus, qui vestem humillimam frequenter indutus est, cinctus etiam baltheum, cui nihil auri esset. Quam sapientius quoque Augustus? qui vt & eruditi auctores scribunt, veste non temere alia quam domestica vsus est, à sorore & filia, neptibusque confecta, togis neque restrictis neque fusis, clavo nec lato, nec angusto: Habitum insuper vestitumque pristinum reducere studuit: ac visa quondam pro concione pullatorum turba indignabundus & clamitans, En

Romanos rerum Dominos, gentemque togatam:

Negocium ædilibus dedit ne quem post hac paterentur in foro circine nisi positis lacernis togatum consistere. Quod fecisse etiam traditur T. Castritius, qui sub Adriano claruit summus eloquentiæ præceptor, qui cum discipulos quosdam suos Senatores vidisset feriato die tunicis & lacernis indutos, & Gallicis calciatos, graviter eos increpuit, satius asserens honori eorum consultum iri si togati incederent. Quod & M. Antonio Cicero obiectavit, dum dicit cum Gallicis eum & lacerna cucurrisse. Est autem id Gallicorum calceamentum, idem quod solearum aut crepidarum, quibus plantarum calces tantum in fine teguntur, cum cætera sint prope nuda, & teretibus habenis vincta, quæ apud nos propter consuetudinem nunc commendatissimæ habentur. Sed tunicarum, quæ cum Gallicis modo damnatæ sunt, & nostris & antiquis simul temporibus constat vsum esse improbatum. Quare Q. Ennius non sine probro videtur Carthaginensium *tunicatam iuventutem* dixisse. Virgilius quoque dum Phrygios tanquam effæminatos criminatur. *Et tunicæ*, inquit, *manicas, & habent redimicula mitræ.* Sunt autem tunicæ vestes quædam quas nostri Græco vocabulo *chiroditas* appellaverunt, prolixæ vltra brachia & vsque in primores manus, ac prope in digitos, quibus Romæ atque in omni Latio vel indecorum fuit, nam fœminas solas vestem longe lateque diffusam decere existimarunt ad vlnas, cruraque, adversus oculos protegenda, cum viris mos fuerit primo quidem sine tunicis togam solam, postque eas substrictas & breves tunicas circa humeros desinentes habere. Non inmerito Hebræorum lege immundus censebatur esse omnis, qui vel muliebrem vir, vel virilem mulier vestem indueretur. Quod si vere, vt inquit Ambrosius, discutias, longe ab ipsa abhorret natura, cur enim ait, homo non vis videri esse quod natus es, cur alienam tibi assumis speciem, cur mentiris fœminam, vel tu fœmina virum. Suis vnumquemque sexum ornavit natura indumentis, denique diversus vsus, diversus color, vires, motus, incessus. Hujuscemodi igitur amictibus abstinendum erit quos aut ratio, aut consuetudo, aut natura non suscipit. Cæterum & iis, qui minime quidem improbantur, non erit lascive, aut ambitiose vtendum. In quo vrbanissime Solon Crœsum reprehendit, cui cum se exquisitissime omni ornamentorum genere composuisset, sublimique in solio sedens interrogasset, an pulchrius vnquam spectaculum vidisset: *Gallos*, inquit, *gallinaceos, phasianos, atque pavones*, naturali enim eos florere speciosioréque amictu vestiri. Insuper cavebimus, ne, quod dicit Hieronymus, omnis sit cura de vestibus, si bene oleant, si pes laxa pelle nō folleat, si astrictæ sint manicæ, si nulla ruga, soccique crispantes, ne item laxior fluxiórque cinctura sit, quod exprobrasse Cæsari Syllam ferunt, admonuisseq; sæpius optimates, vt *male præcinctum puerum caverent*. Ne multa frequentius & quam maxime, quorū varij sint habitus, indumēta mutentur. Magnum est enim id instabilis animi indicium. Ne in fimbrias secta, ne quod nostris suscitatum est temporibus, diversis divisa sint coloribus,

divisum utique in totidem partes cerebrum arguentia. Ne more Phrygum picta sit acre vestis, ut poeta ait, cum in textis desuper nescio quibus mysticarum rerum argumentis, brevibusque & argutis sententiolis, quæ summam aperte ostendunt levitatem & inconstantiam, quas cum nec auctores sæpius sui, quid significent intelligant, ac alij pro suo quisque capiu & iudicio, in malamque ut plurimum partem interpretantur. Ne auro, gemmis, unionibusque onerata sint, quorum precium adauxit sola hominum opinio. Apud plerosque enim gentes vilissima ea æstimantur, adeo ut & vincula & compedes ex ipso, quod apud nos in summam crevit æstimationem, auro fabricentur. Laudatur C. Cæsar, qui usum conchiliatæ vestis & margaritarum traditur, nisi certis personis & ætatibus, perque certos dies ademisse, quæ cum tanti faciamus, quid luxuriosius dici potest quam ingentium patrimonium precia venæ eiusdem ostentationis causa gestare? Quid vero inanius quam vel spinther humero ferre instar puerorum aut fœminarum, quod equestris ordinis homines nunc factitant, vel cathenulam collo instar insanientium, quod propter claritudinem sanguinis aut dignitatem aliquam plerique solent.

[Virg. 9. Æn. v. 614. Vobis picta croco, & fulgenti murice vestis.]

Hæc adolescentes, quibus verecundiæ honor placet, perpetuo custodiant, custodita enim non modicam parient eis laudem & commendationem. Quæ & fœminis, si quæ forte monita nostra acceperint, longe maiore severitate præcipimus, quandoquidem & maior in eis mundiciæ amictusque lubricitas, & pudoris etiam periculum maius versatur. Quare Esaias Deo plenus clamans graviter ac pro his eas increpans: *In die illa*, ait, *auferet Dominus ornamenta calceamentorum & lunulas & torques & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelides, & murenulas, & olfactoriola, & inaures, & annulos & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & pallia, & linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & theristra. Et erit pro suavi odore fœtor, & pro zona funiculus, & pro crispanti crine calvicium, & pro fascia pectorali cilicium.* At Paulus mitius eas instruens: *Sicut*, inquit, *mulieres cum verecundia & pudicitia, componentes se non intortis crinibus, neque auro, neque margaritis, aut veste pretiosa, sed ut decet mulieres, promittentes pietatem per bona opera.* Cui & assentiens Petrus ita scribit: *Sit in muliere non exterior ornamenti, aut auri, aut vestium cultus sed cultus cordis.* Libenter enim sacrorum auctorum scripta eis proferimus quibus moveri longe magis quam quibusvis rationibus solent, quid igitur & alij si qui eruditi fuerunt, scripserint commemorabimus. Nam Tertulliani inter cætera, quibus longo sermone eas carpit, hæc verba sunt: *In* DEUM *delinquunt, quæ cutem medicaminibus ungunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt. Displicet illis nimirum plasma* DEI: *In ipsis reprehendunt artificem omnium. Reprehendunt enim cum emendant, cum adiciunt, utique ab adversario artifice sumentes additamenta, id est Diabolo. Quid vero tanta ornandi capitis onerositas saltem subministrat: quid crinibus vestris quiescere non licet, modo substrictis, modo relaxatis, modo suscitatis, modo elisis? Alia gestiunt in cincinnos cogere: alia ut vagi & volucres elabantur. Præterea nescio quas enormitates subtilium atque textilium capillamentorum: nunc in galeri modum, quasi vaginam capitis & operculum verticis, nunc in cervicem retro suggestum. Quid minus habent infelicissima illa impudicarum libidinum victimæ? quasi si quæ leges à matronis & matronalibus decoramentis coercebant, iam certe sæculi improbitas quotidie insurgens honestissimis quibusque fœminis usque ad errorem dinoscendi coæquavit. Prodite vos iam medicamentis & ornamentis extructæ Apostolorum sumentes de simplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia: & (os) spiritus taciturnitate, inserentes in aures sermonem* DEI: *Annectentes cervicibus iugum* CHRISTI *Caput maritis subiicite, & satis ornatæ eritis: Manus lanis occupate, pedes domi figite, & plus quam in auro placebunt: Vestite vos serico probitatis, byssino sanctitatis, purpura pudicitiæ, taliter pigmentatæ* DEUM *habebitis amatorem.*

[Esa. 3. 18. & Tertull. de cultu fœminar. cap. 10.] [1. Tim. 2. 9] [1. Pet. 3.] [In fœminas fucatas.] [Tertull. de cultu fœminar. cap. 5.] [Cap. 7.] [Ibid. c. 13] [Cap. 13.]

At quid Cyprianus Tertulliani summus imitator dicat, etiam audiamus, appellans namque eas, *estote*, ait *tales quales vos* DEUS *artifex fecit, estote tales quales vos manus patris instituit, maneat in vobis facies incorrupta, cervix pura, forma sincera, non inferantur auribus vulnera, † ne brachia includat, aut colla de armillis & monilibus cathena preciosa sint à compedibus aureis pedes liberi, crines nullo colore fucati, oculi conspiciendo* DEO *digni.* Et supra paulo: *Ornamentorum ac vestium insignia & lenocinia formarum, non nisi prostitutis & impudicis fœminis congruunt, & nullarum fere preciosior cultus est quam quarum pudor vilis est.* Augustini quoque est memorabilis auctoritas. *Fucare enim* inquit, *pigmentis quo vel rubicundior, vel candidior, vel verecundior appareat adulterina fallacia est: qua non dubito etiam ipsos maritos se nolle decipi, quibus solis permittenda sunt fœminæ ornari secundum veniam, non secundum imperium.* Nam verus ornatus maxime Christianorum non tantum est nullus fucus mendax, verum nec auri quidem vestisque pompa, sed mores boni sunt, exercenda autem est superstitio ligaturarum inanes unionum, in summis ex una parte auribus suspensæ deputantur, *non ad placendum hominibus, sed ad serviendum dæmonibus adhibentur.* Sed & Chrysostomus: *Vultuum vero pulchritudo, & apti corporis motus & formatus incessus, & vox fractior, & picti oculi, & infecta mala, & capitis ornatus, & tinctura crinium, & preciosæ vestes, & ornamenta diversa, & gemmarum splendor, & alia quæ ad mundum pertinent muliebrem, gravia sunt ad perturbandum animum, nisi multo se castitatis vigore concluserit.* Alio item loco scribens super epistolam primam ad Timotheum: *In amictu*, inquit, *vestium ne glorieris. Ista pridem prædicabantur infantibus, nempe enim & saltator, & scortum, & venenator gratiora te, ac preciosiora indumenta circumfert.* Tineæ præterea huius te gloriæ voluptate privabunt, vides quam incerta, quamque instabilis sit præsentis vitæ gloria, gloriantur in te quam vermes & gignunt, & perdunt. Feruntur enim quidam ex Indiæ vermiculi huiuscemodi conficere vestes.

[Cyprianus lib. de habitu Virginum.] [† Lego, nec brachia includantur armillis, aut colla monilibus, cath. preciosa. S. Aug.] [Io. Chrysostom.] [In cap. 2 v. 9.]

Quod si ea quæ opum tantum indicia sunt tanto studio circumcidere oportet, aurum scilicet margaritas, & vestimenta preciosa, quanto magis ea quæ immodico studio & arte quæruntur, cuiusmodi sunt purpurisso vultus inficere, & stibio oculos pingere, fracto incedere gressu, vocem formare molliorem, lascivum obtutum, & qui libidinis iaculetur incendia, superfluam pallij ac tunicæ iactationem, cingulum exquisita arte, studioque confectum, stridentes socceos, & cætera irritamenta lasciviæ, ista quippe & à verecundia remotissima sunt, & plena dedecoris, turpitudinisque censentur. Quid memorem preciosiorum aromatum quæ ex India, & quæ ex Arabia, & quæ ex Perside convehuntur arido simul & liquido unguentorum atque odorum nimis deliciosum usum? quæ omnia sumptum afferunt inutilem prorsus atque superfluum. Quid unguentis ô mulier corpus inungis, quod intrinsecus immundicia plenum est? quid putredini pervium corpus preciosis aromatibus condis? veluti si unguentum inijcias cœno, aut molli lateri balsamum. Sunt siquidem alia unguenta preciosa, sunt pleni fragrantiæ alij odores, quibus inungere animas possis, qui non ex Arabia, neque ex Æthiopia, neque ex Perside, sed ex ipso convehuntur cælo, emunturque non auro, sed voluntatis præstantissimo instituto & fide non ficta. Huiusmodi tibi unguenta eme, quorum odor implere orbem possit. Huiusmodi fragrantiam Apostoli spirasse noscuntur. *Odor enim*, inquit, *suavitatis sumus, alijs quidem in mortem alijs vero in vitam.* Nec vero omittamus Hieronymum, austeriorem etiam morum censorem, qui eas acriter arguens monet, ne procedentes in publicum pectus & colla denudent, pallioque

[2. Cor. 2 v. 16. Hieron.]

revelato

revelato cervices aperiant, ne per terram, vt altiores videantur, vestes trahant; ne de industria distuta sit tunica, vt aliquid intus appareat, operiaturque quod fœdum est, & aperiatur quod formosum, ne caliga ambulantium nigella ac nitens stridore iuvenes ad se vocet, papillæ fasciolis comprimantur, & crispanti cingulo angustius pectus arcetur, capilli vel in frontem, vel in aures defluant, palliolum interdum cadat candidos nudent humeros, & quasi videri noluerint, celent festine quod volentes detexerant, & quando in publico quasi per verecundiam operiunt faciem, luparum arte, id solum ostendant quod ostensum magis placere potest.

LIBER VI.

MAPHEI VEGII LAVDENSIS, DE EDVCATIONE LIBERORVM, & eorum claris moribus.

CAPVT I.

De Verecundia habenda in domo, atque in convivio.

PRAECLARA sunt quæ hactenus perscripsimus verecundiæ præcepta, sed non contemnenda quæ sequuntur, nam parum prodesset personarum, rerumque rationem servare, nisi locorum etiam temporumque modum haberemus. Cura igitur erit vt in privatis primo locis summam etiam quam supra laudavimus mediocritatem observemus, ne domi tanquam in foro aut theatro culti, splendidique maneamus, neve ita sordidi vt culinam magis inolere videamur, neve ita dispaliati, vt impudentiæ merito arguamur. Sed in convivio præsertim erit pudor necessarius, vt, quod dicit Varro, lectus sit locus, qui si sordescat magno cedit dedecori, vt non neglectus apparatus, ne Diogenem, cui ligneum vasculum potum ministrabat, imitemur, nam immunda vilisque supellex non modicam affert convivio indignitatem, ne tam agrestes sint & inusitati ac tenues cibi, vt Pythagoræ digni magis cœna esse iudicentur. Est enim id non tam rusticitatis & negligentiæ, quam avaritiæ ac summæ etiam dementiæ evidens indicium.

Non minus vero fugienda erit sumptuosior exquisitiorque ciborum copia pompaque splendidior, vt, quod Plinius ait, cæna sit expedita, sit parca, atque vt apparatus & impendij sic temporis modus constet, ne ambitiosissimas Cleopatræ mensas æmulantes causam nobis præbeamus licentioris edacitatis, voracitatisque, studeamusque profusius saginando ventri, quem vere argute que Diogenes vitæ Charybdim appellavit, cuius nimia ingurgitatione nihil est animæ corporique nocentius, nihil quod ingenia magis enecet, magisque pudorem confundat, nihil quod stoliditatem magis generet atque vecordiam. Claudij Cæsaris scita est stultitia, tantaque mentis quædam oblivio. Cuius tantam fuisse edendi bibendique omni loco & tempore ingluviem tradunt, vt non temere vnquam nisi distentus & madens è cœna consurgeret, vt & statim supino ac per somnum hianti penna in os mitteretur ad exonerandum stomachū. Quæ cum graviter quemque deturpent atque dehonestent, ac principes quam maxime & magnos viros. Nam præter Claudium quis Vitellium non summe detestabitur? cuius pudendam voracitatem vilemque simul & abiectum animum dignus tandem finis secutus est, quis non Clodium Albinum tyrannum, hominem crudum & immanem? qui adeo gulæ habenas relaxare potuerit, vt præter cætera carnis obsonia quingentas etiam ficus ieiunus comederet, & centum persica campana, & pepones Ostienses decem, & vuarum Lavicanarum pondo viginti. Quis non Firmum & Bonosum? ambos tyrannus & à Probo Augusto tandem superatos, quorum alter non multum vini, sed cibi tantum sumebat, vt struthionem in die comederet, alter vero tantum bibisse quantum nemo hominū fertur: Adeo vt quicquid ore immersisset id vesica totum refunderet, de quo dicere solebat Aurelianus, *nō vt vivat natum est sed vt bibat*, qui cum à Probo bello devictus laqueo vitam finisset, illū de se iocum reliquit vt diceretur *amphorā perditam esse non hominem*. Sed & M. Antonij turpissima est illa nota, cuius cum insatiata fuerit edendi bibendique cupiditas modestiæ nimis tamen in eo metas videtur excessisse, quod pridianam cænam præ nimia stomachi gravitudine in medio ipso foro evomuerit. A quo longe abhorrens maiorem merito est laudem assecutus Augustus, qui cibo minimo atque vulgari fere vtens secundarium panem & pisciculos minutos, & caseū bubulum manu pressum, & ficus virides bifetas maxime appetebat, Cænam quoque ternis ferculis aut cum abūdantissime senis nō nimio sumptu convivis præbebat. Laudatus est etiam Alexander Severus vir multis virtutibus ita præsertim vitæ parcitate. Laudatus est Tacitus Augustus, quē amariores etiam cibos ferunt appetiisse panemque nisi siccum ac sale, nūquam autē aliis rebus conditum, comedisse. Phasianum quoque autem nisi suo & suorum natali diebusve solennibus mensæ adhibuisse, adeo autem parsimoniam veteres Romani observaverunt, vt non modo victus tenuitate & domestica disciplina, sed publicis etiam ac plurimis quidem sanctis legibus eam custodierint. Eiusmodi fuit lex Fannia, lex Licinia, lex Æmilia, lex Cincia, lex Iulia, quibus & cænarum sumptus, & personarum conditio & dierum solemnitas, & ciborum genus ac modus præfinitus est. Nec vero tantum ad civilitatem morum, quātum & ad conservandum incolume corpus cōfert plurimum moderatus victus. Socratem tradunt parce admodum & temperate vixisse, quod ad bonam valetudinem adeo illi profuit, vt cum in Athenienses sæpe lues debaccharetur, solum ipsum constet nunquam ægrotasse. Zenonem quoque Stoicum, qui simplicissimi moderatissimique victus semper fuit, perstitisse incolumem, integrum, ac sine morbo, annum etiam vitæ suæ octauum & octagesimum attigisse, Contra Lacydem virum alias eximiæ severitatis, paralysim ex nimia potatione incurrisse: atque ex ea interiisse legimus. Arcesilaum etiam eius magistrum, cum & immodice ipse vtique vino maduisset. Quare vere Pythagoras ebrietatem *perniciē* vocabat, neque est quicquam quod humanæ magis naturæ dignitatem viresque prosternat. Si naturam enim sequimur, satis est sitim restringere, si libidinem, nihil satis, cui cum laxari habenæ cæperint, cūc omnis mētis acies dissoluatur penitus, atque vt Isocrates ait, tanquam currus amisso auriga feratur necesse est. Tunc emergat si quid insaniæ latebat, tunc prodeat atque denudetur si quod secretū tegebatur, incenditurque omnis furor & rabies, quemadmodum & in ipsis videmus doliis, quæ musto æstuante clausa dirumpuntur. Neque enim sui compos est quum nimio vino atque epulis sepulta ratio iacet Nam Alexander Macedo, cur Clitum optimum virum & amicissimum iussit interfici nisi immoderato quo insaniebat cibo vinoque incitatus? pro quo postridie cum iam vini furor evanuisset adeo pœnituit, vt mortē pene sibiipsi consciverit. Lapithæ vero quos cū Perithoo & Theseo pugnātes describit Naso, vbi, si poëtis credimus, nisi inter pocula & largas dapes tantum bellum excitaverunt, tantisque se mutuo cædibus cōsperserunt? Maximi igitur est semper facienda sobrietas, quæ non tam corporis quam

Suet. in Claudio cap. 33.

Sumptuariæ Leges. Gell. lib. 11. cap. 24. Macrob. 3. lib. Satur. cap. 17.

mentis & animi etiam valetudini summum affert adiumentum.

Sed præter hæc cavebitur, ne quid insolens inter cænandum innovemus. Cuiusmodi fuit illa Augusti cæna in qua deorum dearumque habitu discubuisse convivas, & ipsum pro Apolline ornatum tradunt magna cum eius ac perpetua apud omnes nota & detestatione. Minime etiam decebit electioribus quenquam cibis vesci, cum viliores aliis ministrentur, vt (quod poëta carpit) cum panem alij edant

Vix fractum solida iam mucida frusta farina
Sed tener & niveus mollique siligine factus

Iuven. Sat. 1. v. 67.

Domino conservetur. In quo laus est illa non subticenda Cæsaris, qui domesticam disciplinam tanta diligentia & severitate rexisse fertur, vt pistorem compedibus vinciri iusserit quod alium quam sibi panem convivis subiecisset. A modestia quoque alienum esse videbitur, si appositas mensæ dapes tanquam insipidiores fastidiens alias desideret, quod intelligens verque Cæsar, cum pro viridi conditum oleum hospes forte in mensam protulisset, aspernarenturque cæteri solus ipse appetiit largius, ne in hospite aut negligentiam, aut rusticitatem arguere videretur. Curandum erit insuper vt qui vel ætate vel sapientia digniores fuerint, inter accumbendum nobis præferamus, quod antiquam iuventutem observasse supra, cum de senioribus honorandis loqueremur, ostendimus. A Salvatore etiam nostro scimus præceptum esse. *Cum invitatus*, inquit, *fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo, & veniens is qui te & illum vocavit dicat tibi, da huic locum, & tunc incipias cum rubore novissimum locum tenere.*

Suet. Cæs. cap. 48.

Sup lib 4 cap. 7.

Luc. 14. c. 7.

Præterea ne accubatio etiam ipsa sit rustica aut immodesta, in quo proponendus est nobis exemplo Q. Sertorius, vir, vt in cæteris, ita in hoc etiam quam maxime laudandus. Moris enim erat illi dum convivaretur plurima semper honestate vti, servareque omnem decorem, nec sufferre aliquid quod vel visu vel auditu turpe esset. Probandus quoque admodum est mos Saturnini cuiusdam tyranni Romanorum, qui in convivio discumbere milites, ne inferiora denudarentur, cum sagis iussit hyeme gravibus, æstate perlucidis. Demum quod à Varrone etiam præceptum est, erunt convivæ nec loquaces, nec muti quidem. Quod eloquentia in foro & apud subsellia, silentium vero non in convivio, sed in cubiculo esse debeat. Quanquam si quod excedit attendamus, loquendi longe maius quam tacendi periculum versetur, quod prudentissimo illo Xenocratis responso admonemur. Qui quum multis maledicentibus eum solus taceret interrogaretur, dixit quia *locutum me esse aliquando pœnituit, tacuisse nunquam.* Loquacitatis igitur præcipuo quodam studio vitium caveri debebit, quod & Chilo Lacedæmonius præcepit: *Linguam* inquiens *semper quidem sed in convivio præsertim esse continendam.* Zeno quoque Stoicus quum in convivio taceret, taciturnitatisque causam rogaret quispiam. *Nuncia* inquit *regi adesse quendam qui tacere sciat*, quem & solitum ferunt dicere *melius esse pedibus quam lingua labi.* Quæ ita continebitur, ne quid in contemptum damnumve aliorum dicamus, vt pro dignitate quemquam sua graviter & officiose compellamus, modesteque & humaniter vbi respondendum erit refellamus. Ita etiam erudietur, vt quod Augusto laudi attribuitur, convivas vel tacentes vel submissim fabulantes cum summa comitate ad communionem sermonis provocemus. Sequamur quoque quem supra memoravimus Q. Sertorium, qui ita omnes suos in convivio instituerat, ne maledictum vllum proferrent, aut invicem iurgarentur, sed iocis tantum, qui placidi quidem ac modesti essent, vterentur. Et quod censet Varro, sermones id temporis habeantur non super rebus anxiis aut tortuosis, sed iocundi atque invitabiles, & cum quadam illecebra & voluptate vtiles, ex quibus ingenium nostrum venustius fiat & amœnius, quod profecto, inquis, eveniet id genus, si de rebus ad communem vitæ vsum pertinentibus consabulemur, de quibus in foro atque in negociis agendi non est ocium, vtamurque ea modestia, vt quod Ambrosius dicit, caveamus ne dum sub specie iocunditatis relaxare animum volumus, enervemus virilem gravitatem, solvamusque omnem Harmoniam quasi concentum quendam bonorum operum, vt quod Plinius inquit. *Socraticis tantum sermonibus cæna abundet, in iis quoque teneat modum.* Erit autem operæ precium vt inter convivandum legatur quippiam quod delectet simul atque instruat, in quo admodum vtilis esse videtur historia, vbi veterum facta recenseantur, quod & Varroni placuit, & plerique antiquorum ac doctorum quidem hominum factitarunt, & Alexander præsertim Severus Romanus princeps solebat. Cuius & illud memoratur summa laude dignum, quod maxime vellem imitarentur omnes sive privati sive Principes, qui scurrarum tantum & assentatorum inanibus verbosis confictisque nugis cœnantes potissime delectantur, nam Paulum & Vlpianum illustres Iurisconsultos, quos summis auxit præmiis & honoribus, aut alios doctos homines semper sibi convivanti adhibebat, vt haberet fabulas literatas, quibus se recreari dicebat & pasci.

Non vnquam tacuisse nocet, nocet esse locutum.

Plutar. de Garrul.

Plin. lib. 3 epist. 12. Lectio ad mensam.

Alexand. Severus doctos cœnis adhibere solitus.

CAPVT II.

De Verecundia habenda in templis, locisque sacris.

CVm privata igitur loca verecundiam exigere videantur, ac multo certe magis publica. Nam quo apertiore sumus in conspectu hominum, eo maiore etiam vitæ moderatione, morumque civilitate vti debemus. Publicorum autem nullus est locus cui maior debeatur, reverentia & pudor, quam in quo divinæ laudes celebrantur. In templis ergo ita versabimus, vt nihil agamus in contemptum Dei immortalis, cuius honori illa dicata sunt, quem quovis in loco non satis digne vnquam pro immensis, innumerabilibusque in nos eius beneficiis laudare, atque extollere possumus. Præcipue autem ne eius causa fora constituta sunt negociosum quicquam in eis geratur curabimus, procul inde mensæ argentariæ, procul cuiuslibet generis tabernæ; Procul causidicorum iurgia, procul emptorum, proxenetarumque sollicitæ excursiones, quæ quantum Salvator ipse noster exhorruerit, damnaveritque Evangelica docet historia, nam quum intrasset templum eiiciebat, (inquit) *omnes vendentes & ementes in illo, & mensas nummulariorum, & cathedras vendentium columbas evertit dicens. Scriptum est, Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Sed ne quid impudicum & obscœnum fiat magnopere etiam erit cavendum, castigabuntur ita oculi, atque ab omni illecebrosa lascivia & procacitate compescentur, ne ab eodem Salvatore nostro eruere eos mystica & recondita ratione moneamur. Cætera vero quæ prodigiosa dictu ne dum factu accidisse aliquando comperta sunt, nescio qua merita satis pœna vindicari possunt. Fœdum quidem & execrandum fuit P. Clodii adulterium, quod cum Pompeia vxore Cæsaris, dum solemnes, sacræque ceremoniæ celebrarentur commisit, sed iusta demum etiam (detecto, denunciatoque tanto scelere) in eum iudicum animadversio. Nec immerito quum Hippomenes & Atlantha in templo Cybeles concubuissent, si fidem adhibemus Poëtæ,

Sacra retorserunt oculos, turritaque mater
Ad Stygias vndas dubitavit mergere fontes.

Cæterum nec alia, licet his leviora erunt, etiam negligenda, nam quum sacerdos sacra facit nunc caput aperiendum, nunc cervix inclinanda, nunc genuflectendum, nunc cætera piæ mentis religiosique affectus signa vti res quæque postulabit, facienda. Non vero erit deambulandum, non confabulandum, non ridendum,

Matt. 21. 12.

Matt. 5. & 18.

Ovid. 10. Metam. Fab. 12.

non

A

non strependum, non iurgandum, non præ foribus quod fœminæ solent, standum, non retrospiciendum, non discedendum inexpletis adhuc sacris nisi necessariam ob causam, quod Gentiles tanti fecerunt vt quum ludi Circenses Apollini celebrarentur, & Hannibal nunciatus esset circa portam Collinam Vrbi ingruere, omnesque captis armis concurrissent, quum reversi postea piaculum formidarent, invento quodam sene in circo qui nunquam interruperat saltationem, dictum est proverbium, *Salva res est, saltat senex.* Summa quippe in omnibus semper fuit apud Gentiles religionis observatio, ac tanta quidem, vt nec gravissimorum criminum reus ex templis trahi atque mori per vim liceret. In quo memorabilius est etiam quod Augustinus refert Gothos gentes immanes & barbaras, quum Italiam irrupissent, multaque illi tristia & exectanda intulissent, omnibus tamen qui ad templa confugissent sine vllo ætatis aut sexus discrimine pepercisse. Quem Christianorum non pudebit quod crudelissimi Barbari fecisse traduntur, non maximum etiam sacris locis inviolatissimumque honorem exhibere? Quis non dolebit, quis non ingemiscet eo Christi cultores devenisse (de iis qui graviores sapientioresque sibi aliquando videntur loquor) vt non secus in templis ac viis publicis atque in ipso foro versentur quasi negociaturi non oraturi ad ea venerint? At parcant tandem divinum honorem tam nihili facere, idque quum omni loco & tempore, ac præsertim quum sacra celebrantur, quum altaribus ministratur. Ad quod omnes præcipue cohortamur adolescentes, vt munita potius nostra quum multorum etiam seniorum vestigia, quorum impudens in templis agendi est consuetudo, sequantur.

Sacra nō interrũpenda. T. Liu. lib 25. initio & 27. divinus Apollin. Servius in lib. Æneid. 8 v. 110. ibi. Audax, quæ rumpere Apollo Sacra vetat. Festus

B

in Salva res est cum saltat senex. Templorum asylum.

CAPVT III.

De verecundia habenda in foro, cæterisque locis profanis & publicis.

C

IN foro autem cæterisque locis profanis publicisque liberior est ac indulgentior vitæ ratio, sed cum magna vtique motum moderatione. Nam diversitas locorum licet diversos at graves tamen & bonos semper mores postulat. Non igitur multum laudabitur si longior sit taciturnitas defixiorque meditatio, si nemo salutetur, si salutanti par salutationis officium non reddatur. Cænare quoque in propatulo, quod Cynici solebant, longe à verecundia erit alienum, quamquam id ab antiquioribus factitatum esse certum sit, quos vt non multum laudamus, ita nec omnino improbamus, quod humanioris simplicioris que vitæ causa id agerent, nec tam sumptuosas rudior illa ætas dapes sibi pararet, quibus vesci videntibus omnibus erubesceret. Sed neque modestum esse videbitur, si quis saltet, non item si quis cantet, qui mos est Gallorum, cuiusmodi tradit Q. Claudius quadrigarius Gallum illum quem Titus Manlius bello superatum vita simul & torque (vnde etiam sibi nomen inditum est) spoliavit, cantabundum enim eum pugnam inisse scribit. Humanitati quoque non conveniet, si quisquam altius exclamet, si convicietur, si immodestius excurrat, si fustes aut lapides iaciat, quod insani solent, omnium vero inhumanissimum iudicabitur si obvios sibi cædat, quod facere solitum ferunt L. Veratium improbissimum quendam hominem atque immanissimum, qui delectabatur os optimi cuiusque manus suæ palma percutere, & quia secundum legem 12. tab. V. & XX. asses ob id exoluere tenebatur, iubebat statim vbi quempiam depalmaverat eam pecuniam numerari à servo qui se cum crumena plena assidue sequebatur. Hæc atque his similia evitabunt adolescentes, quorum licet impudentia ita aperta sit, vt præceptis vllis minime indigere videantur, non inutile tamen fuerit eam ætatem quæ in omnes lubrica & præceps fertur errores, vt ab his etiam se contineret, admonere.

D

Gellius li. 9. c. 13

A. Gel. 20 Noct. Attic. cap. 1.

E

CAPVT IV.

De verecundia habenda ruri, ac de vita rustica cum vrbana comparatione.

AT quoniam non tam civilia, quam rustica quoque negocia gerere oportet, recte vtique qualiter rure agere debeamus, videndum est. Eo maxime quod rusticæ vitæ assuefactio mirum quendam generat amorem bene recteque vivendi, voluptatum contemptum, vitiorum odium, flagitiorum execrationem, quibus omnium abunde vrbium scatent tecta: Sunt enim minime male cogitantes qui in eo studio occupati sunt, vt tradit M. Cato in libro quem scripsit *de re rustica.* Quare veteres, vt est eiusdem sententia, quoniam virum bonum laudabant, ita laudabant, *bonum agricolam, bonumque colonum*, amplissime laudari existimantes qui ita laudabantur. Neque quicquam, ait Augustinus, esse innocentius huic operari vocantibus aut plenius magna consideratione providentibus. Affert quoque tam magnam delectationem, vt quod idem testatur, videamus cum tanta voluptate animi agros colere quosdam, vt eis magna pœna sit inde ad aliud avocari. Quare & Cicero omnium rerum ex quibus aliquid acquiritur, nihil agricultura melius esse dicit, nihil vberius, nihil dulcius, nihil sanctius, nihil homine libero dignius. Est denique agrestis vita tota sobria & sancta, tota amœna & iucunda, totaque instar primæ ætatis aureæ, sub qua etiam tunc simul primum coli cœpta est, nam, vt inquit Varro & antequam Vrbes essent rura colebantur, dante hæc divina natura. Illas autem ædificante arte humana. Indeque etiam existimatum est, agricolas solus reliquias esse ex stirpe Saturni regis. Quare & antiquiorem & meliorem simul culturam agri ceteris esse putaverunt: Atque ideo terram eandem appellatam esse *matrem & Cererem* quod qui eam colerent piam & vtilem vitam agere credebant. Nec sine ratione maiores nostros in agris habitantes summo semper rusticationem amore coluisse, quos nec nisi arcessitos, quum de rebus publicis consultandum esset, in senatum venisse scribit Cicero. Vnde etiam quorum evocandi eos officium erat *viatores* appellabantur. Quo tempore ignari omnis luxus, nimiumque deliciarum singi admodum extiterunt, & graves firmiores quoque valetudine atque ad omne magnum egregiumque opus virtutis aptiores. Exercentes siquidem se assiduis venationibus, omnique opere agresti prævalebāt viribus ad conferendasque vbi opus fuisset cum hostibus manus quam maxime idonei erant. Nam ex agricolis vt inquit M. Cato, & viri fortissimi & milites strenuissimi gignuntur, quare vt dicit Varro, non sine causa veteres Romani ex vrbe in agros cives suos redigebant, quo & in pace à rusticis alebantur, & in bello ab iis tuebantur. Alebantur autem adeo vt largiores longe fruges fœcundioresque campos haberent cum vicinis vrbi hostibus in ferrum quotidie ruerent, quam postquam propagatis finibus subactisque finitimis populis diuturna eos quies altaque pax alere, pristinusque proinde mos vtilisque prima vita displicere cœpit, relictis enim omnes ligonibus & aratris petiverunt mœnia præponentes agris vrbes, segetibusque & vineis circos ac theatra, facti spectatores manum & turpissimorum ludorum, consumentesque ita dies ludo vel somno, noctesque omni insana libidine, quorum ignaviam & socordem vitam persecuta est etiam pestes omnis mala valetudo, ne... propter exsatiatas immoderatius voluptates resolvuntur corpora iuvenū, intempestivaque senectute deficiūt. Cū hæc igitur omnino susceptione digna esse videantur, ac quā maxime adolescētū ad quos magis etiā pertinet duris assuefieri laboribus,

F

Agriculturæ laudatio.

G

Ex rusticis optimi milites. Rei rusticæ cum vrbana comparatio.

H

vt domita adolescentia, conculcatisque blandis eius ætatis libidinibus viri postea evadant graviores & moderatiores quod intelligens Lycurgus cum Lacedæmonis leges ferret interdixit suorum pueri pubertibus sanxitque vt rure agerent quod vitam sobrie pareeque consumerent, ut dormirent sine strato, vescerentur sine pulmento, demum in vrbem reverterentur vbi labori ita assuefacti viriles ad annus pervenissent. At præter modestiorem, integrioremque vitam quæ ex ruris habitatione acquiritur, est & alius magnus ac singularis eius fructus, quod, vt ait M. Cato, maxime inde pius quæstus, stabilissimusque consequitur minimeque invidiosus, quum contra mercaturæ sit periculosus & calamitosus. Quum igitur res rustica omni careat crimine, vitæque quodammodo nostræ moderatrix ac magistra sit, & ad duranda, conservandaque patrimonia plus cæteris valeat, iure merito nemini videtur esse negligenda, quam qui susceperit illud in primis curabit, quod Cato etiam præcipit, vt vicinus bonus sit, familiam ne sinat peccare, sic cum libenter vicinitas videbit, facilius sua vendet, operas facilius locabit, operarios facilius conducet. Si ædificabit operis iumentisque maxime adiuvabit. Item vt disciplina bona vtator, feriæ serventor, alieno malo abstineat, sua servet diligenter, litibus familia supersedeat, si quis quid deliquerit pro noxa bono modo vindicet, familiæ male ne sit, ne algeat, ne esuriat, pro beneficio gratiam referat, vt aliis recte facere libeat. Rationem cum villico crebro computet, primus cubito surgat, postremus cubitum eat, prius villam videat, clausa vti siet, & vti suo quisque loco cubet, & vti iumenta pabulum habeant, boves maxima diligentia curatos habeat. Bubulcis obsequatur partim, quo libentius boves curent aratra vomeresque faciat, vti bonos habeat, pecori & bobus diligenter substernatur, vngulæ curentur, scabiem pecori & iumentis caveat, opera omnia mature conficiantur. Nam res sic est, si vnam sero feceris omnia opera sero facies. Hæc quæ retulimus Catonis præcepta observabuntur sed nec illud eiusdem contemnetur Agrum pessime mulctari cuius dominus quod in eo faciendum sit non docet, sed audit villicum, quare sapientem patremfamilias oportet assiduum ruri colendo se præbere, ne quod eorum quæ agenda sint ignoret, nam præsentia domini longe plus vtilitatis confert quam quantavis villici cura & diligentia. Necessarium igitur erit habere domum vbi non magnifice sed pro loci ratione commode habitari possit. In quo est etiam advertendum quod dicit Cato, vt prima adolescentia paterfamilias agrum conserere studeat, non autem cogitet, contraque ædificare diu cogitet, sed vbi ætas accesserit, ad annos 26. tunc ædificet. Cæna autem ita instruetur, vt non splendidus nimis sit apparatus, nec neglectus etiam nimis, ne inde ambitio, hinc avaritia reprehendatur, vt quod Hor. de se dicit. *Cœna brevis iuvat, & prope rivum somnus in herba.* Vestium quoque erit ratio vt non nitidior sit cultus, nec item sordidior, oritur enim magnus ex his contemptus, vbi negligentius curantur. Quum vero opera rustica cessabunt legendi consuetudo erit admodum commendanda. Neque plane est vllus iocundior commodiorque litteratis quam ruris locus, qui quantum à tumultuantis perstrepentisque vulgi frequentia ineptissimaque ac stultissima conversatione separatus sit, studia ideo etiam nimium reddit perseverantiora, ingenia quoque promptiora ac elevatiora, quod non latuisse maiores nostros præclare docet Cicero, qui multa rure egregie conscripsit. Flaccus autem quam maxime quem vitam rusticam vrbanæ semper præposuisse ex iis quæ scripsit perspicue intelligere licet.

Venandi etiam studium plurimum commendabitur, quod robustiores faciat homines & exercitatiores, quod Lycurgus non sine ratione Lacedæmonis adolescentibus inter cætera legum suarum instituta præcepit, nos quoque id admodum probamus si relaxandi animi causa suscipiatur, cui & plurimos antiquorum ac quidem gravissimos indulsisse certum est, vtpote M. Antonium, Alexandrum Severum, Tacitum, Xenophontem etiam cum Oppiano qui & *de venatione* specialiter scripsit. Aucupia quoque non erunt improbata, sed ea quidem quæ per plagas & retia exercent, nam quæ per aves rapaces magnæ sunt argumenta levitatis, nec gravibus vllis vnquam viris placuisse traduntur, maiore etiam fastidio & damno in curandis alendisque avibus, quam recreatione & luctu eos qui illis delectantur afficiunt. Piscationis autem vsus & modestior est, & plurimum etiam affert oblectationis, quem nec aspernati fuerunt quam plures magni viri, sed præcipue Augustus ac M. Antonius qui ob laxandum animum piscari sæpius hamo soliti feruntur. Denique Salvator noster, vt nihil commemoremus maius, & piscationis instructos comites sibi delegisse, & ille non sine eius assensu, frequentius ipsi vtpote honesto, probatoque exercitio, vacasse memorantur.

M. Cat. de re rustica.

Venatio.

Aucupiū viris gravib. ingratum.

Piscatio.

Faciam vos fieri piscatores hominum.

CAPVT V.

De verecundia habenda secundum vanam considerationem temporum.

PRoderunt hæc admodum nobis si locorum observatio, sed longe magis etiam si temporum simul rationem adhibuerimus. Nam fieri potest, vt multa quæ facta sunt honestissima ac laudatissima, propter neglectam conditionem temporum parum honesta parumque laude digna esse iudicentur. In quo pulchre illud dictum Arcesilai legimus qui cū inter pocula à quodam rogaretur, vt quoddā quod ei proposuerat speculatione summa indigens explicaret, abnuens respondit, in primis philosophiæ proprium esse, cuiusque rei tempus scire. Etenim vt verbi causa referamus, aliud vestimentorum genus postulant hiberna tempora, atque aliud æstiva, quibus non observatis ridiculus fiat quisque ac despectus, quod plerisque Germanorum contingit, qui sub maiore æstatis ardore vtuntur vestibus pelliceis soleisque ligneis. Idem quoque dicendum est cum tempora sunt vel serena, vel pluviosa, nam diversæ eorum conditioni non eadē conveniunt indumenta. Cuiusmodi penulas (quod genus vestimenti semper itineris aut pluviæ causa in vsu habebatur) non licebat quemquam intra vrbem induere, licet Alexander Severus senibus frigoris causa ac matronis in itinere eis uti permiserit. Nun itē decet cū nimio vel imbre soluitur, vel sole ardet terra, recreandi animi causa extra domesticā domum deambulatū ire, quod alias est commendatissimū, à Pythagoraque præcipue laudatum, à Catone quoque pro more eius post cœnā semper factitatū. Præter hæc diei & noctis magnum est habendū discrimē, vt quæ sub die fieri debent non in noctē reiiciamus, & è contra. Quod spectaculorum quam maxime nocturnorum mos non tā indecens, quam suspectus est. Quare sapienter August. iuvenes vtriusque sexus prohibuit vllū nocturnum spectaculum frequētare, nisi cum aliquo maiore natu propinquorū. Detestandus cōtra videtur Verus Lucius Antoninus, qui id quod interdiu plerique alij faciunt, bacchari nocte solitus fertur per tabernas vinarias ac lupanaria, obtectus caput cucullo vulgari viatorio. In quo etiam Augustinus, dum de tempore barbarico loquitur, graviter reprehendit cives Hipponenses, non tam honestatis quam & religionis causa, qui imagines idolorū per noctē ludentes, quod *nocturnum* vocabatur, libentissime spectarant. Sumendi quoque cibi in præfixis communibusque horis consuetudo laudanda est, nō ante lucem quod Galba tēpore hiberno solebat, nec quocumque indifferēter tēpore, vti Augusto & Claudio Neroni moris fuit. Nec quod Cæsar cū Cleopatra tradit sæpius fecisse, cum cōvivium in sequentē vsque lucē protrahē ū.

Dormiendi quoque idonea & propria debebunt esse tempora, ne nox vigiliæ, dies somno impendatur, ne ipsū etiam Claudium Neronem imitemur, qui ante mediam

noctem

noctem plerumque vigilabat, ita vt in iure dicendo postea nonnunquam obdormisceret, vixque ab advocatis de industria vocem augentibus excitaretur. Non Vespasianum, qui in principatu maturius semper ac noctu vigilare consueverat. Non C. Caligulam, qui non plusquam tribus nocturnis horis quiescebat, reliquaque parte noctis tædio affectus, nunc thoro residens, nunc per longissimas porticus vagus, invocare repetens sæpius atque expectare lucem solitus erat. Denique & diebus ob honorem Dei interdictis deferendum erit, vt quibus parciores viliores que cibi sumi iubebuntur, ita vt iussum fuerit observetur, quod non Christiani modo sed & Gentiles insuper factitarunt, adeo vt Didium Iulianum Romanum imperatorem legamus sæpe etiam nulla existente religione oleribus leguminibusque contentũ, sine carnibus cœnasse, quod non tam civile est & modestiæ conveniens, quam bonæ etiam confert valetudini. Nam ciborum abstinentia vim habet admirabilem in conservanda incolumitate corporum. Quod cognoscens probe Vespasianus, qui prosperrima semper valetudine vsus fuit inediam vnius diei per singulos menses interponebat. Aurelianus vero cum ægrotaret nullo advocato medico seipsum inediá præcipue curabat. Quanto autem cultu gentiles etiam ipsi sacros ac nefastos dies ab omni prorsus opere cessantes custodierint, satis notum satisque omnibus manifestum est, quos saltem nos qui Christum sobrietati continentiæque introductorem colimus ne religione eis inferiores esse videamur, imitari studebimus.

De valetudine corporis.

CAPVT VI.

De habenda ratione temporis, vtque non frustra illud & sine vllo bono opere labi sinamus.

HÆc sunt quæ adolescentibus observanda summo cum studio tradidimus, quibus quo pacto Verecundiam rite colere debeant satis admonitos satisque instructos esse arbitramur. Quod si ea qua nos cura cuncta digessimus amplexi fuerint, non modica profecto compositis bene moribus eorum proposita spes est vberioris laudis cumulatiorisque successus. Verum quã tum temporis rationem habendam esse vltimo hoc loco tractavimus, illud etiam quod reliquum est sed nullo negligendum modo, cæteris præceptis adiungimus, nam cum suis quæque temporibus suscipienda distribuendaque sint, at ipsius quam maxime temporis quod rapidi instar fluminis agitur, specialis ac præcipua habẽda est cura, ne per ignaviã & socordiam sinamus illud consumi turpiter atque disperdi: vt valida illi ac potenti manu frænum iniiciamus, impetum eius continentes, voracitatemque reprimentes, quo nihil est magis lubricum, magis fugax, quod cum evolavit revocari, cum deperiit instaurari nullo vnquam modo potest. Quo sensim ac per momenta continue labente, mors quasi satellite quodam vtitur ad capienda omnia atque consumenda. Quicquid namque vel loquimur vel agimus sentientibus etiam nihil nobis statim vt insomniũ quiddam evanescit, ita tanquam blandus quidam & callidus insidiatur, neque advertentes neque prædulci qua irretimur illius decipula advertere volentes, nulla modestia, nullo strepitu, nullo terrore celerrime nos conficit, *festinat enim* (vt poëta inquit) *decurrere velox*

Tẽporis ratio habenda.

Mortis satelles tempus.

Iuvenal. Sat. 9. v. 126.

> *Flosculus angustæ miseræque brevissima vitæ,*
> *Portio, dum bibimus, dum serta, vnguenta, puellas,*
> *Poscimus, obrepit non intellecta senectus.*

At ita paulatim nostra quam tam anxij colimus vita privamur, quæ quo magis augeri videtur eo contra magis decrescit atque minuitur. Nam præteritia ac reliquum omne ætatis quod præteritum est, nullo penitus sensu nostro percipimus, nihil iam nisi mors est & multam eius partem memoria etiam, quæ vnica labenti tẽpori obstat, minime teneamus, quod autem restat nec aliquid vtique est, quia nondum ad id pervenimus, aut si quid dicendũ est, nihil dici poterit nisi dilatio aut transcursus quidam quẽ mortis expectamus, ipsum quoque quod edimus, aut si quid eiusmodi sit quod delectet nihil esse manifestum est, intermoriente statim ipsa qua id voluptate efficimus. Sed nec hoc ipsum quod modo dictamus quod modo loquimur aliquid est, cum dicto citius præterierit, effluitque hoc item quo interim spiramus tempus, paulatimque deperit. Hæc ergo quæ cum tempore vna elabuntur occupat mors statim atque intercipit, cui occurrere debebit qui saniore mente altioreque præditus fuerit sapientia, quod nec difficile cuiquam erit qui virtutem totis viribus amplectens labori haud vlli pepercerit, qui vitia exhorrẽs, voluptates virtutum omnium enervatrices, extirpatricesque pessum dedit. Sola quippe est quæ stabilis atque æterna perseverans tẽporis velocitatem compescere virtus potest, nã vbi bene consulendo, beneque agendo vna consumitur deperire vllo modo ea dicenda est quæ sanctissimos, solidissimosque benegestarum rerum suavẽ fructus relinquit. Qui igitur præclarum aliquid agit, dum hoc ipsum quod præclare fit, præstat diutius, crescitq; ac clarescit magis, recte huic tempus famulari videtur, quod pro arbitrio cõtinet, prohibetque trãsfluere, ita illud totum sibi vendicat, qui se sibi bene operãdo vtique vẽdicare coeperit. Est enim hoc inter vitium virtutemque discrimen quod illud quũ blandum sit ac illecebrosum, cum blanditiis subito suis illecebrisque depereat, hæc vero cum dura & laboriosa firmitatem tamen habeat solidam ac sempiternã. Quare instandum est semper egregio alicui facinori, quod cũ dierũ, horarumque continue momenta pertranseant, consistat iugiter nobiscũ atque permaneat cuius dulci semper recordatione oblectemur, laude augeamur, opere adiuvemur, quod nullus eripere casus, nulla queat rerum mutatio, quod nullus domare rapidi temporis cursus, nulla obscurare possit oblivio. Quã maxime autẽ literarũ studia sunt toto animo excolẽda. Nã cætera reputanti ea cuique quotidie inania videri scribit Plin. quorũ *strepitũ inanemque discursum & multo ineptos labores* persuaderi relinqui debere *studiisque se acia tradi, satius est,* inquit (vt *Attilius noster eruditissime simul & facetissime dicebat*) *otiosum esse quã nihil agere* recte id nihil existimãs, quod cũ modestia agitur, & cito actũ fuerit elabitur. Excolẽda sunt merito igitur cum toto animo literarũ studia, quibus & singularis quædam ante omnia ac præpotens vis est ad propaganda cõservãda, illustrãdaque humanæ vitæ benefacta. Nam quicquid iã certo omnibus seculis actũ est, literarum beneficio scimus atque intelligimus: Nihil est iã remotorũ vel locorũ intervallis, vel annorũ circulis, quod non litteris significẽt, declarẽt, ac tanquã præsentibus nobis agatur palã ostendãt. Neque de artibus loquimur, quibus id salutẽ cum animæ tum corporis vtimur, de iis enim quæ gesta sunt sermo tantũ à nobis habetur, quæ vel poetarum vel historicorũ præcipue diligentia posteritati reliquit, quorum elaboratio & studium tantum valuit, vt multorũ nomina pariter & facta ita domestica, ita vsitata habeamus, ac si vita quã iam excesserũt, nobiscum fruerentur. Nã Græcorum & Barbarorum quã pulchrum est tam multa & præclara nobis familiarissima facta esse. De Romanis nihil dicimus, quibus haud est quicquam in ore frequentius, quis est eorum qui nunc viuunt aut ducum aut regum notior nobis ac nominatior quam Scipiones & Fabij, quam Cæsar aut reliqui qui prisci temporibus summa cum laude claruerunt? Quid porro eorum nomen & gloriam ad nostra vsque hæc tempora perduxit nisi eruditorum hominum illustria monumenta quorum studio factum est vt tantum quod ex illorum est temporis ante oculos nostros, dum quæ tunc gesta sunt legentes cernimus, habeamus. Tempus illud itaque quod labore suo doctissimi ad nos scriptores transmiserunt, totum nostrum est, totum aliud ipsorum causa conscientes sumus, totum luci fecimus. Quia vero multæ regum & populorum res gestæ fuerunt, quæ quoniam scriptoribus, à quibus illustrarentur, caruerunt sepulta omnino penitus æternisque in tenebris iacent, quorum tempus

A vere evanuisse vereque deperiisse putandum est. Plane ipsos quoque qui tam multa erudite & eleganter literis mandarunt, nonne manifestius evidentiusque intueri licet totum id temporis quod viventes transegerunt nobis tanquam sempiternæ vitæ monimentum quoddam reliquisse. Nam si heroum quæ legimus ingentia facta admiramur, non certiorem eorum fidem perhibere possumus, quam & à scriptore, cuius non est contemnenda auctoritas, nos quoque suscepimus: At scriptorum ipsorum ingenia dicendique eorum vim & supellectilem non incerta mutuatave aliunde fide sed potenti ac certiore etiam quam si viva cum eis voce loqueremur agnoscimus, ipsisque prope, vt aiunt, manibus tangimus & palpamus. Quo ergo præsentiora sunt nobis eorum studia, eo & tempus quod illis vigilandis impenderunt, præsentius etiam esse putabimus, atque ita bistenos illos quibus Æneida Virgilius edidit ad nos transmissos, nostrosque annos esse morituros que nunquam dicemus. Nec minus Ciceronis, ac

B cuiusvis docti viri] dies omnes atque horas quibus assidue componendis operibus suis vacarunt, existimabimus durare, vivereque in illis nos, vnde tam salubria vitæ documenta suscepimus. Hoc item quo & nos interea de Tempore scribimus, quo de Moribus præcepta tradimus, minime tempus elabitur,; sed manet stabile manebitque retinente illud quasi vnco quodam elucubrationis nostræ.

Suscipiant igitur adolescentes læto animo studia literarum, intendant eis ardentissime, quæ tanta omnibus quanta modo diximus pollicentur, quibus non modo iacturam temporis (qua & nullam maiorem esse Zeno Stoicus dixit) evitabunt, sed quo insuper modo modeste, graviter, sancteque vivere, patriam & parentes colere, Deum venerari, voluptates despicere, flagitia detestari debeant plene perfecteque; instructi evadent, intelligentque verissimum esse quod Aristotelem ferunt vbicunque moraretur solitum amicis ac discipulis iugiter dicere, ita scil. *Animum disciplinis li-*

C *beralibus lumen accipere, quemadmodum aspectum à continenti aere.* Non insuper desidia, turpique ocio torpebūt, neque instar belluarum vitam vacuā, inanem, nullique intentam bono operi ducēt. Præterea iocunditatem summam ex eis, delectationemque percipient, tam pulchra est & amœna variorum casuum, temporū, gentiumque ac rerum gestarum quæ in eis habetur, cognitio, tam efficax ad bene, sancteque vivēdum earum institutio, ex quibus etiam ad consultandum graviores, atque ad deliberandum, providendumque res arduas prudentiores erunt. Sed & magnā ab innumerabilibus, quibus humana vita plena est, molestiis levationem, recreationemque invenient, dum aliis suavioribus studiis occupati recordatione earum liberabuntur. Præsidium autem non modicū consequenter in adversa quacunque fortuna, quin & opibus, omnibusque fortunæ bonis, adiuvabuntur, propter singularem quam addunt illæ possessoribus suis æstimationem atque dignitatem.

D Ornabuntur denique, & ad quicquid dicturi, facturique erunt exculti quam maxime gratique proinde omnibus reddentur. Nam, vt fuit sententia Diogenis, non aliter disciplinæ iuvenibus, ac sapientia senioribus, solatium pauperibus, divitiæ divitibus ornamento cedere videntur. Ita ergo agant adolescentes, dum calet sanguis, dum florent anni, dum viget ætas, consulant futuro tempori, præparent sibi honesta ocia, incumbant literis, colant studia, percipiant disciplinas, quæ & adolescentiam delectabuntur, & senectutem consolabuntur, & omnem denique ætatem lætam, iocundam, beatamque efficient, accingant se iterum monemus dulci literarum labori, ne temere labi tempus sinant, quod vnicum in vita nostrum dicere possumus. Expendant id parce & castigate, vt quod Theophrastus semper in ore habere solebat, sumptum preciosissimum tempus esse, ipsi quoque animo fixum perpetuo tenentes, observent, Amen.

FINIS.

E

MAPHEI VEGII LAUDENSIS, PRESBYT. DATARII OLIM PONTIF. MAX.

De Perseverantia religionis.

LIBRI SEX.

Vnus etiam: De Quatuor Novissimis.

Nunquam antea in Germania editi.

Superiorum permissu.

F

INDEX CAPITUM Librorum VI. de Perseverantia in Religione Maphei Vegij.

V. Exhortatio

MAPHEI VEGII LAVDENSIS DE PERSEVERANTIA RELIGIONIS ad Elizabeth & Monicam sorores.

CAPVT I.

De Religionis tranquillo statu.

Anxietates graves sæpe sustinemus.

CVM graves sæpe, vt fit, in rebus humanis sustineam anxietates & molestias, vnum tamen à Deo optimo maximoque accepi, quo tanquam tranquillissimo turbationum mearum portu tutissimoque malorum asylo refici atque recreari soleo, vos scilicet, dilectissimæ sorores, vos dulcissimæ filiæ. Neque enim vos aliter ac filias amavi aut educavi. Non parva certe est quæ ex recordatione vitæ vestræ mihi lætitia oritur. Nam dum cogito singulare, cui vos devovistis Virginitatis sanctæque religionis propositum, tam pie à vobis coli, tam constanter observari, nescio quid maius, aut dignius, quid denique animo meo gratius unquam optare possim, sive quod innumerabiles (quas meliore vos consilio effugistis) turbulenti huius mundi miserias, tutum quoque contra quietum omnique molestia vacuum religiosæ vitæ statum intelligam, sive quod talia vos à me sciam morum rudimenta vivendique exempla suscepisse, quibus facile ad eam quam estis assecutæ gratiam forte pervenistis, sive quod pias vestras, quas pro me ad Deum emittitis, ac crebras preces magno sperem mihi inter tot procellosa vitæ nostræ discrimina naufraganti adiumento futuras. Hic me video loquentem irrumpitis, memores eorum quæ in ipso sancti tyrocinij vestri procinctu longe his adversa vobis scriptitavi, admirantesque tam subitam sententiæ mutationem, ascribitis ad summam forte virilis constantiæ notam. Verum si recti instituti mei rationem attenderitis, non dicam non damnabitis quæ egerim, sed & omnia à me vel prudenter ante facta esse, vel constanter pieque tunc etiam fieri vltro comprobabitis. Feci equidem & multis, fateor, dum præsensissem dissuasi id literis meis, quod nec fecisse me tamen putetis vt ab sententia vos animi vestri magis revocarem, quam quo ea spiritu inducta, quibusve innixa viribus esset explorarem.

Probandi Spiritus, an constantes.

Neque enim me ita à religione abhorruisse existimetis, vt non intelligerem Dei nihil desiderio dignius atque præstantius, cuius qui se servitio certa perpensaque mentis ratione dedicarent, haud dubitabam eos vti rectius vivendi iter ingressos, ita tranquilliorem beatioremque longe etiam vitam fuisse consecutos.

Desiderio Dei nihil dignius.

Sed cum non ignorarem arduum quidem asperumque esse callem eum quo ad veræ perfectæque religionis arcem pervenitur, quam cum innumerabiles obtinuisse non ambigerem, ac multos tamen certum erat vel vano levique animo ductos frustra eam attentasse, vel magno etiam ardentique spiritu actos, in maiore sanctitatis profectu miserabiliter deiectos, quam vlnis ipsis complecti videbantur, ne vnguibus etiam summis attingere potuisse.

Callis quo ad perfectæ religionis arcem pervenitur arduus & asper.

Cogebat nimirum hæc considerans non nihil pro vobis vereri, propositoque vestro (quod quales iam radices egisset ignorabam) cautius altiusque consultum ire ducebam, omnia peiorem in partem versabam animo, ætatem infirmiorem, sexum imbecilliorem, inexperientiam rerum, absentiam mei, fragilitatem etiam huius humanæ compagis, & quem fortasse conceperatis horrorem diu afflictæ, multisque vexatæ malis domus nostræ, quæ cuncta mecum ancipiti cogitatione agitans scribebam vobis non animo ea improbandi ad quæ maior vos Deus impellebat, sed probandi magis an firma ac solida sanctitatis fundamenta iecissetis. Postquam vero longa satis & certa experientia intellexi vere sanctam vereque à Deo infusam eam mentem, deposui omnem illico quam pro vobis ante gerebam sollicitudinem, quin & plurimum lætari, ac Deo insuper summas habere gratias cœpi, qui vos mihi tales, talique afflatas spiritu tribuisset. Quod manifestius vobis fiet cum scripta nostra atque exhortationes, cum eximias quas enunciaturus sum aliquando Virginitatis laudes perlegeritis. Etenim quicquid in me ingenij est, quicquid laboris & studij, totum id vobis vestro iure dedicavi, in quo priora recolens tempora quibus inhiabam quotidie condendis carminibus, nihil præter Musas & Poëtarum lusus pulchrum ducens, mirari non satis possum adeo immutari affectus meos, adeo vim animo meo (vt ita dixerim) fieri potuisse, vt à dulcibus prurientibusque fabulis ad studia severiora conversus sum, & qui decantandis ingentibus regum gestis confictisque tot incertorum deorum nominibus ardentius instabam, nunc ad exhortandas sorores, ad instruendas feminulas, ad docendas virgunculas descenderim, vt pro Ovidiis & Flaccis, nunc Augustinos & Hieronymos, pro *Virgilio*, quem alterum in terris Deum esse arbitrabar, nunc David fideliorem vatem colam, suscipiam, amplectarque, & eius mihi carmina, quæ tanquam anilia quædam deliramenta sordebant, nunc mira aspergant animum suavitate, atque (vnde magis etiam obstupescam) quod tantopere detestabar exhorrebamque instar mortis, nunc sacerdotio dulcius nihil putem. Cogitantem hæc me non immerito cogunt admirari, interque cogitandum varia meeum animi fluctuatione indagare causam atque originem tantæ in me tamque gratæ mutationis. Vbi vero diu multumque perlustravi omnem secretæ mentis ambitum, vos mihi tanquam præ foribus stantes occurritis, quarum sanctis assiduisque obsecrationibus video alium à priore factum animum meum, aliamque voluntatem atque affectum, quod quam maxime conicio ex plerisque ad me literis vestris, quibus gentiles disciplinas vereri, religiosaque studia ac vota optare admodum mihi significabatis. Ita vos ergo me immutastis, ita me in quam libuit sententiam divertistis, ita germanum sorores rapuistis, ita captivastis, nempe captiuum & fateor me & lætor, delectat me vestra victoria. Iuvat sub iugum ire, accipite captivum, victrices inicite

vincu

vincula, ducite in triumphum, non refugio servitium, sequor haud invitus, nec vti Romanos victores populi olim subacti solebant. Iungite equos, instruite pompam, conscendite currum, triumphate de germano sorores, volens ego & libens ac triumphales laudes canens vltro procedam. O felicem prædam, qua spoliatus exultat. O læta spolia, quæ qui amisit habet ampliora. O nobilem palmam quæ victo gloriosa est. O illustrem triumphum, qui superato iocundus est. Accingo iam me, accingo dulci servitio vestro, aggredior iam quod supra pollicitus fui, aggredior iam ad vos scribere, relictisque blandioribus studiis atque ablegata celebrandorum Deorum vanitate, omnem quantulacunque est, ingenij mei tenuitatem dedo vobis & voveo. Nunc servient vobis libelli mei, nunc omnia vobis mea scripta desudabunt, nunc pro stupratore Iove, infamique Venere laudes Virginum melius, atque dona præstantia recensebo. Operæ precium erit aliquando intueri quem vobis parare hortum instituo, quas ibi conseram suave olentes variarum virtutum herbas, quibus illum distinguam rubentibus verecundiæ rosis, quibus explicabo candentibus pudicitiæ liliis, quibus ornabo patientiæ papaveribus puritatisque violis, vt, quod Poeta dicit, Possitis *nunc violas tundere manu, nunc mixta referre lilia, virgineos lucida per calathos.* Pulchrum erit cernere quos circumdeducam rementes, leneque fluentes innocentiæ rivos, quas plantabo vires humilitatis, pinos contemplationis, laurus semper virentis spei, palmas fidei, opobalsama charitatis. In hanc ego vos excultı loci amœnitatem in has inducam delicias, quibus fruemini perpetuo, gaudebitisque summa cum iocunditate, memoriam germani nunquam ex animo oblitterantes, vt cuius salutem precibus semper vestris commendatam habuistis, ingenium etiam & doctrinam tanquam veteris debiti vsuram vestræ contulentem vtilitati cognoscatis. O magnas fœneratrices ita a germano debitum reposcitis, ac non reposcitis modo, immo violenter extorquetis, immo vim infertis, dum timetis mihi suaviora prima adolescentiæ studia ardentioremque primum ingenij calorem, dum Deum sollicitius rogantes ad humiliores me altis trahitis sanctioresque doctrinas, dum nutis quibusdam & occultis, quos nec vllo modo explicare possum, quasi adhibitis mihi stimulis & calcaribus cogor hæc velim nolim ad vos scribere. Verum vt quem vobis paramus sum hortum ab omnibus tutum insidiis, ab omnique prædonum sævientiumque ferarum impetu habeatis, necessarium putavi circumcingere primo cum non fragili sæpe, aut materia, neque militari fossa, sed solido sublatoque in altum muro. Vanus enim esset susceptus operis nostri labor, si redimitum isti fragrantium virtutum floribus vmbrosisque arboribus hortum instruerem, vt adversarius noster Diabolus: qui *tanquam leo rugiens circumit quærens quem devoret:* insultare illi vlla ex parte dirripereque inde quicquam posset. Ero igitur prius vobis cementarius quam agricola, arripiamque manu prius trullas & amusses quam bidentes & rastros. Quod ad vos autem pertinet, vestris me interim adiuvabitis precibus, vt quem nunc ædificare incipio, recte perficere sanctæ religionis murum atque feliciter consummare possim.

Iupiter stuprator, Venus infamis.

CAPVT II.

De periculo & instabilitate status Religiosi.

GAudeo iure merito charissimæ sorores, quod principio etiam testatus sum, tale vos vivendi genus elegisse, quo non sit aliud iudicio meo melius atque perfectius, non tam & futuri illius causa, quod quique expectamus, æterni boni, aut eius quam solæ gustant religiosæ mentes miræ & inenarrabilis suavitatis atque lætitiæ, quam securioris etiam tranquilliorisque status, & eius quidem quo nullus sit expers magis curarum & anxietatum. Pergite igitur, fruimini tam magno & excellenti bono, sed ita fruimini vt cogitetis tamen quo beatiorem eo & difficiliorem, maioribusque ruinis subiectam esse, quam elegistis, vitam. Quippe si animadvertitis quam blandiantur, quam deliniant nos vndique pellaces infirmæ huius nostræ carnis illecebræ, quam circumstant assidue fallax mundus mille nos palpans irretiensque oblectamentis, quam sit callidus, quam oppido infensus omnibus pestifer animarum nostrarum inimicus, quibus insidiis, quanta invidia sanctiores etiam quosque persequatur. Si hæc inquam animadvertitis, nullius erit tam religiosa & sancta tam alte Deo elevata mens, quæ tantorum discriminum metu certum vllum sui ac stabilem locum habere videatur. In quo non mirum multos qui Macarius & Antonius non inferiores vitæ integritate putarentur, cum diu etiam suscepti instituti tenorem conservassent, ac demum tamen vel magna ex parte defecisse, vel ab omni prorsus quæ prius in eis elucebat sanctitate decidisse. Instat autem invidentissimus ille hominum calumniator, cui mille nocendi artes, & in plures quam Proteum finxerunt poëtæ vertit se monstruosissimas formas. Vt quo perfectiorem cuiuspiam mentem intellexerit, eo maiores effundens conatus gravioresque acuens dolos rapiat quemque atque deglutiat, quem latentius insidiantem præcavere, audaciusque insultantem retundere divinarum magis esse virium puto quam humanarum. Quare quod de felicitate hominum censuit Solon ille, qui fuit vnus ex septem sapientibus, vt ante obitum nemo beatus esse crederetur propter incertum lubricumque humanæ potestatis statum; Idem quoque de sanctitate iudicandum videtur, vt quantum atrocissimis vndique hostibus infestamur, neque firmitatem vllam & certitudinem polliceri potest sibi vita nostra, neminem etiam putemus donec hac vita fruimur ad summum indubitatumque perfectæ integritatis culmen pervenisse. Nemo igitur erit à nobis vivens iure laudandus, quod & divina auctoritate admonemur, & à Platone etiam 7. de Legibus libro instruimur. *Cives enim, ait, qui præclare laboriosque aliquid aut animo aut corpore gesserint, legibusque semper obtemperantes fuerint, laudibus post mortem efferri oportere. Vivos enim laudare antequam è vita exierint, ac bonorum operum finem imposuerint, tutum non esse.* Id & sæpius dicere solebat Pescennius; qui fuit fortissimus & severissimus Dux Romanorum. Præsertim autem cum imperatori illi facto quidam panegyricum recitare vellet, *scribe*, ait, *laudes Marij vel Hannibalis cuiusque ducis optimi vita functi, & dic quid ille fecerit, vt nos imitemur.* Nam viventes laudare irrisio est, maxime principes, à quibus speratur, qui timentur, qui publice præstare possunt, qui possunt proscribere, qui necare, se quidem vivum velle placere, mortuum laudari. Candida certe Nigri illius ducis verba, neque indigna vllo quovis catholico principe. Quod & Ambrosius in sermonibus nos docuit, vetans vtique ipse quenquam in vita laudari, tum propter gravia, quæ diximus, & horrenda vitæ nostræ discrimina, tum quod timendum sit ne vel laudans adulandi studio, quod Pescennius dicebat, vel laudatus vano elationis tumore rapiatur. De bono mortis idem etiam scribens, *ante mortem* (inquit) *nulla est perfecta laudatio, neque quisquam in hac vita potest de finito præconio prædicari cum posteriora eius incerta sint.* Cogitate obsecro reliqua humana studia atque artes, quid dabitis mihi, quod nisi ad destinatum operis finem pervenerit, laudari possit merito & gloriosum haberi? Nam si ad agricolas vos converteritis, nullius laudabitis laborem & diligentiam, nisi qui exacto anno larga horreum messe pinguique penum vindemia repleverit. Si

1. Pet. 5. Vita quo beatior, eo difficilior, & maioribus ruinis subiecta.

Dæmonis insidiæ.

Beatus aut sanctus ante obitum nemo creditur.

Plato 7. de legibus.

Pescennius Niger fortissimus dux Romanorum.

Vivens nemo laudandus est.

S. Ambr.

negociato

negociatores petitis, illos etiam felici tantum usos navigatione dicetis, qui post horrendam quantumlibet maris tempestatem tranquillum tandem securumque portum attigerint. Si qui ægrotis medentur consulitis, nec horum cura profuisse iudicabitis qui mitigaverint tantum leviter, non autem prorsus morbum expulerint. Si peregre proficiscentes vocatis, illius tantum peregrinatio commendabitur, qui Romam ad quam (verbi causa) iter destinatum erat intraverit, non qui vel Placentiam, vel Bononiam, vel Florentiam, vel vicina circum oppida, aut ipsius etiam suburbana tantummodo contigerit. Sed & si interrogetis eos qui liberalibus vacant disciplinis, non is studiorum suorum palmam promereri putabitur, qui primo ardens impetu adolescentiæ literis omnes dies atque noctes incumbat, sed quem post consummatos feliciter longos labores sapientissimorum hominum iudicium & censura dignum pronunciaverit. Descendite ad belli duces ac imperatores, neque hi nisi deletis funditus profligatisque hostibus licet multa strenue pugnando confecerint maiore laude efferendi videntur. Non immerito (quæ supra retulimus) Pescennius Niger defunctos tantum imperatores laudandos esse iudicabat, proindeque magna & sancta ratione non sinebat viventem se adhuc a quoquam laudari. Intelligebat enim callidissimus belli imperator arduos rei militaris labores, discrimina quoque & rerum temporumque volubilitatem, quod & experientia postea didicit. Nam pugnans demum a Severo Imperatore fusus, ac cum uxore simul & filiis obtruncatus est. Quæ si tanta in his atque cæteris quæ modo memoravimus studiis esse nemo diffitetur; quid (ut ad vos redeamus) quid de vestra sororea professione dicemus? quæ maiores proculdubio habet difficultates, districtiores subiectiones, cui graviora imminent pericula, duriora bella ingruunt, atrociores undique hostes insidiantur. Non est incertior spes agricolarum, quorum vineas & agros nunc grando, nunc pruina, nunc largior imber, nunc æstus vehementior rapit. Nam religiosas mentes nunc pravarum cogitationum innumerabilis grando, nunc veterum deliciarum torpens & pruinosa recordatio, nunc abundantius ocium, nunc alieni boni ardentior sæpe invidia mille undique modis perturbant. Non navigantium maioribus est subdita vita periculis, quos vel Scylla, vel Carybdis, vel piratarum vis, vel Sirenum illecebrosus cantus, vel gravius sæpius horrendaque tempestas absorbet. Nam Scyllæi hic & rabidi ex ultimo dimissi baratro circum ululant hiantibus faucibus canes devoraturi, & in infernam Carybdim demersuri. Sanctissimorum etiam quorumcumque animas hic totum mundi mare vastum obsident nequissimi instar piratarum spiritus, paratis undique & per omnes aditus structis ad deglutiendam animatum prædam insidiis. Hic blandiculæ mille voluptates mollesque deliciæ, dum dulcius prurire auribus videntur, tum perniciosius in æternam infernæ abyssi voraginem trahunt. Hic infinitæ perturbationes animorumque fluctus, quibus assidue quisque exagitatur, excitant horribiliorem quovis æstuante gurgite tempestatem. Non ægrotantium suspecta magis salutis restitutio, quam vel morborum gravitas, aut incognita origo, vel medicorum sæpe negligentia incertam facit. Neque enim graviores ulli aut incogniti magis quam humanarum mentium morbi, quos & neglectos, sæpius maiorum auctoritas ad extremam perniciem deduxit. Non est peregrinantium defatigatio & anxietas maior. Esse enim vitam hominum peregrinationem super terram sacris docemur verbis, & divinus Vates: *Ne sileas* (inquit) *quoniam advena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei.* Novit autem quisque quas in peregrinatione huius vitæ nostræ innumerabiles animi & corporis angustias inimicasque propugnationes sustinemus. Non sunt eorum qui liberalia studia sequuntur, pernoctationes, necessitates, frigus, inedia, solitudo, cæteraque huiusmodi quæ literarum causa tolerant cum his comparanda, quæ Deo dicatæ mentes longe etiam maiora patiuntur. Non ducibus denique & imperatoribus maiora pericula, atrocioresque hostes timendi sunt, quandoquidem, quod supra diximus, tam ingens sit sævissimorum dæmonum tamque conferta multitudo, qui nunc laqueis occultissimisque decipulis insidiantes nunc aperto etiam palam bello confligentes, fragilem mortalium vitam perdere, æternumque secum in exilium trahere contendant. Quare considerans hæc Ioannes Climacus, qui fuit vir magnæ sanctitatis atque doctrinæ, dum monachos multis saluberrimis præceptis instrueret, ante cætera: *O tu,* inquit, *qui solitariam vitam degis sedens alto in contemplationis loco, discute teipsum, discutiensque videbis, quales quantique sint nequissimi fures animæ tuæ, quas insidias parent, quos laqueos tendant ad diripiendos nobilissimos suavissimosque eius fructus, quibusve id modis ac distinctis temporibus, quam assiduis undique & validis pugnis?* Cumque hæc cogitans diu lassatus fueris, tunc altius mentem leva orans Deum, dulcibusque lachrymis madens, & circumspice diligenter innumerabiles miserias atque pericula quibus subiectus es. Antonium præcipuum illud caput & decus monachorum, quantas legimus sub primis annis dæmonum perpessum insidias, quam acutos & frequentes dolos, quibus illum ac quam gravibus atque ardentibus bellis persæpe lacessitum. Sed noverat prudentissimus adolescens prævidere eorum astus, callere fraudes, noverat uti forti animo erat, ita excussis eorum telis invictum pectus fortiter obiectare, noverat scuto constantiæ suæ illa propellere, noverat illa retundere. Inducebant ipsi ei in animum gloriam, honores, opes, delicias, generositatem, clientelas, affinitates, cæteraque derelicta pristinæ vitæ blandimenta. Dehinc austeritatem susceptæ vitæ, fragilitatem humanæ conditionis, difficilem & laboriosam professionem, expectationem longioris & molestioris ætatis cum nocturnas suggerebant illecebras, ornatioresque & lasciviores mulierum aspectus, quibus ille tantis undique irritamentis obsessus, qua se tutans memoria assidue repetebat ærumnas & amaritudines quas reliquerat mundi, tranquillitatem solitariæ quam elegerat vitæ, innumerabilia liberalissimi Dei beneficia, tormenta & mortem Domini Salvatoris, futurum ad quem omnes properamus corporis exitum, extremam & tremendam æterni iudicis sententiam, ignem atque horrenda gehennæ supplicia. His adiiciebat crebras lucubrationes, suspiria, lachrymas, observationes, macerationes, invictaque & continuata ieiunia, tantusque erat cum pessimis quas infensi illi dæmones immittebant cogitationibus conflictus, ut apertissimis sæpius signis animadversum sit quasi instructa utrinque acie provocatum bello ipsum fortiter in illos dimicantem irruere, quem postquam frustra dolis & fraudibus attentasse intellexerunt, manifestis iam odiis, manifesto se non dissimulato iam Marte pugnandum cum eo esse statuerunt. Aggressi ergo illum, diris adeo verberibus affecerunt, adeo fractum cæsumque gravissime reliquerunt, ut qui immotus omni ex parte corporis terra iaceret, nulla iam vitæ eius spes reliqua esse videretur, cum varias & truces in serpentum atque ferarum formas transmutati, tantis illum minis & fremitibus obtuderunt, insultibus proculcarunt, vulneribus confoderunt, ac crudelissime lacerarunt, ut nihil eo cerni posset fœdius aut miserabilius. Quamvis nec his vinci posset constantissimus eius animus, sed consurgeret inde maior, robustioresque in illos deinceps vires acquireret, qui tali quasi ipsorum examine egregie probatus intelligebat singulas quorumcumque artes & insidias, intellectasque aliis, quo callida eorum & perniciosa ingenia caverent, sollicitius prædicabat. Quæ cum ita, ut demonstravimus, horrenda sint, &

Pescennius quomodo extinctus sit.

Religiosas mentes mala perturbant.

Iob. 7. Psal. 38. Mentes Deo dicatæ multas pugnas sustinent.

Dæmones multis modis contendunt perdere vitã mortalium.

Antonius multas dæmonũ insidias perpessus est.

Antonius multis mediis dæmonibus restitit.

fortissimo

fortissimo etiam cuique terrorem summum allatura, nemo erit qui magnam non putet esse & gravem religiosarum animarum sarcinam, quam qui validis & indefessis humeris sustinuerint, cuiusmodi fecit Antonius, singulari id magis & divino cuidam muneri adscribere debebunt, quos & cæteri infirmiores longe animi viribus imitari studentes, & laude & admiratione merito prosequemur, atque ita prosequentur, vt licet compositi quidem in animo sint & sancti, dum terreno tamen adhuc hoc carcere detinentur subiecti tantis infestationibus & pugnis solidam nullam existiment se certam sanctitatis laudem promereri.

Religiosarũ animarum gravis est sarcina.

CAPVT III.

De excellentia & laude Perseverantiæ.

REcte me nunc fecisse intelligitis, sorores optimæ, qui plantaturus promissum vobis hortum Virginitatis validissimo prius illum muro circummunirem. Nam cum tantæ sint insidiæ & expugnationes perfidorum dæmonum quantas modo exposuimus, necessarium profecto videtur talia propugnacula parare, quibus frustrati omnes iniquissimi conatus eorum nihil nocumenti afferre possint. Cum vero pro innata eis singulari astutia cognoscant humanam simul & rationem & fragilitatem, quibus efficiamur nunc per illam Deo propiores, nunc per hanc elongatiores, nihil vehementiore studio curant, quam quos intelligunt pro sui ratione in Deum rapi, pro sui etiam fragilitate cogant prolabi atque decidere. Nam cum sciant divinum esse quendam igniculum, quo ad bene agendum beneque consulendum humani animi vltro rapiuntur, nec posse mortales omnino se ab amore Dei & virtutis abducere, quos dignitas rationis divinæque gratiæ comitatur, illud tantopere student intentatis vndique crebris & gravibus pugnis, ne diutius vllos sancto proposito immorari firmiter sinant, fastidium illis bene cœptorum eorum atque odium ingerentes, neque dolentius quicquam ferunt quam cum fixas immotasque vident esse devotas mentes, & ab inchoatis bonis operibus inconcussas. Siquidem vnica est quæ victoriæ spem illis facit humana fragilitas, cuius adminiculo putant nihil esse tam integrum quod non frangere, nihil tam rectum quod non depravare, nihil tam religiosum quod non profanare queant. Atque vbi eam tanta constantia firmatam, tanto robore munitam comperiunt, vt sentiant iam irrita omnia arma sua, iam inanes & vanos omnes conatus suos, tunc cruciantur miseri, dilaniantur & dissecantur, tunc deiecti ab omni spe, ab omni pessimo desiderio suo & expectatione tabescunt invidia, mœrore dissolvuntur, rabie consumuntur. Quare religiosiores quosque compello, qui supplicium eis gravissimum tormentumque omnium acerbissimum infligere cupiunt, curent ante omnia totis viribus vt à suscepto nunquam vllo bono opere refrigescant, sed pergant constanti animo, & quod bene cœpesunt perseverantes promptius semper atque alacrius exequantur. Nam cum cæteras virtutes sustinere possint æquanimiter propter fragilitatem hominum, quam non diu posse earum ferre austeritatem intelligunt, at solam Perseverantiam ita suspectam & invisam habent, vt eius etiam nomen vel cogitantes tantum vel audientes contremiscant, ac tanquam ictu fulminis percussi dilabantur. Neque est enim vlla virtutum tam insignis & excellens, quæ sine hac quasi omnium nutrice laudem aliquam consequatur, quæ si hac comite careat pulchritudinem vllam habere videatur. Hanc illæ omnes colunt & venerantur: Hanc omnes & matrem & magistram & ducem & dominam vno ore confitentur: Huic omnes inclinant colla & subditæ famulantur, circumstant vero eam læte omnes & alacres fructum in ea emeritæ militiæ sperantes, circumblandiuntur, plaudunt gaudent, exultant, quas ipsa tanquam pia & prudens institutrix complectitur, fovet, deosculatur, bono animo esse iubet. Consolatur materna pietate, monet virili dignitate, hortatur imperatoria gravitate. Adiicit vigorem, auget vires, elevat animum, eum virentibus eas & sempiternis coronis exornat, sublimes semper & gloriosas facit, decorat palmis, illustrat triumphis, confert eis laborum præmia, pœnarum solatium, bene factorum gloriam, nequissimorum inimicorum victoriam. Obsequiorum ipsa retributrix, meritorum remuneratrix, malorum omnium consumptrix. Porro illi facies serena & tranquilla, vultus plenus auctoritatis, oculi non vagi aut deiecti, sed stabiles & cum gratia elevati, cæterum severitatis aliquid habentes, & dum turbari forte eam contingit, horribiles, risus decens, sed in perfidos dæmones minaci & indignabundo vultus, in alios placito & læto, os modestum & charitate verborum placens labia compressa & cogitabundæ mentis signum ostendentia, vestis eius candida & castigato honore ipsi impressa, tegensque corpus magis quam ornans. *Timor* illi est pater; *Constantia* genitrix, quos coniunctos semper lateri suo habet singularique honore veneratur. Pone incedit *Patientia* genita secum eodem partu, quam blanda attrectat manu, nunquamque ea incomitata progreditur. Spes illam quocumque ierit dux & magistra itineris sedulaque semper exhortatrix antecedit. Assidet ei assidue *Humilitas*, quam præcipuam sibi & fidam consiliatricem elegit. *Gloriam* semper vlnis portat quam ex labore concepit. His illa comitibus, hoc illa generoso & caro sanguine sociata eminet, præcellit, triumphat, quam nimirum nequissimi dæmones horrent & contremiscunt. Hæc namque & angelos æterno Dei amore donavit: Hæc apostolos gloriosos fecit. Hæc Augustinum & Hieronymum, hæc cunctos sacræ doctrinæ magistros sublimavit. Hæc Laurentium atque reliquam innumerabilem Martyrum turbam exaltavit. Hæc ipsum Salvatorem nostrum IESVM CHRISTVM superata crudelissimaque morte, proculcatoque baratro ad cælos gloriosum evexit. Hæc coronavit virgines, extulit viduas, illustravit Confessores. Hæc monachos, hæc sanctos sacerdotes beatos in æternum effecit. Hæc Helisæo suscitandi à morte pueri virtutem dedit. Hæc Heliam curru igneo in cælum tulit. Hæc Iob summam virtutem cunctis ostendit. Hæc Abraham sanctificavit. Hæc Ioseph Ægyptiæ fami præfecit. Hæc Moysen Deo coniunxit. Hanc quoniam populus quem ducebat contempsit, gravibus ideo sæpe malis afflictus est. Hanc quoniam dereliquit Saul, & regno simul est privatus & vita ablata. Samsoni vires, Salomoni sapientia. Damnatus Iudas, detrusus in æterna supplicia Iulianus apostata. Pulsi ex paradiso primi parentes, privati cælo superbissimi dæmones: in infernalemque abyssum irrevocabili sententia demersi. Hanc contra cæli & sydera, quæ nunquam à cursu suo cessant, confiteri videntur. Hanc terra, quæ nunquam parca est, alimenta in vsus hominum proferre cognoscitur. Huic mare & flumina, quibus est continuus semper profluxus, obtemperant. Huic cuncta denique elementa, quæ nunquam pigra, nunquam fessa, necessitates adiuvant humanas, assidue obsequuntur. Hæc puerum decet, iuvenem commendat, in sene necessaria est. In viris pulchra, in fœminis admiranda. Hæc ægrotis consolationem, valentibus affert iocunditatem. Egentes pascit, opulentos continet, sobrietati consulit, amicitias confirmat, discordias sedat, lites fugat, odia exstirpat, caritatem incendit, dubios firmat, errantes dirigit, nutantes sistit, lapsos elevat, fractos solidat, debiles sustentat: Ante omnia dæmonum insidias & fraudes detegit, nequitias domat, conatus frustratur, audaciam prosternit, furorem comprimit, tela & sagittas retundit, vacuosque & inanes reddit. Hic est ille munus

quem

Perseverãtes quid potissimum curent.

Dæmones, quid dolentissime ferant.

Perseverantia est virtutum omnium nutrix.

Perseverãtia cætera virtutes ornat.

Perseverantia quemadmodum pingẽda.

Perseverãtiæ parentes.

Spes est magistra perseverantiæ.

Perseverantia multis profuit.

Marc. vlt.

4. Reg. 4. *4. Reg. 2.*

Perseverantiam contemnentes multi.

Perseverantia in fœminis est admiranda.

quem ad repellendos refugandosque eorum insultus extructe vobis aggressi sumus. Sic enim scriptum in margine operis *de perseverantia* titulum legistis, quem necessarium adeo existimavimus, ut sine eo non modo hortum, quem aliquando cum Deus annuerit vobis plantabimus, sed nec secretius cubiculum vestrum intuta ullo modo haberetis.

CAPUT IV.

De dignitate perseverantiæ ex testimoniis sacrorum auctorum.

Psal. 117. Matt. 10. Matt. 25.

Age ergo, ut huius muri fundamenta iaciamus, durissimum illum lapidem Salvatoris manu informatum faciamus *in caput anguli*: non qui cœperit (inquit) sed *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*: quo nihil unquam iudicio meo videtur protulisse terribilius. Nam si alias dixerit: *Ite maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis eius*, tremenda est ea proculdubio & horrenda vox, sed quæ solis tamen impiis & scelerum suorum conscii tremorem atque horrorem incutiat, cæterum hæc bonis tantum & sanctis tanquam tuba terribilis intonuit, ita ut quo quisque maiore sanctitate præditus fuerit eo maiore & sententiæ ipsius terrore quatiatur, cogitans omne bene exactæ vitæ meritum si non perseveranter cœptam recte itineris peregrinationem continuaverit, minimo etiam momento deperire, consideransque tot incassum labores & vigilias tulisse, toties Dei & virtutis amore frustra desudasse, si consuetum iam bene vivendi tenorem servare destiterit. Non immerito in Apocalypsi ad Ioannem Salvator atque noster eiusdem ferme sententiæ verba protulit: *Qui vicerit* (inquiens) *& custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, & reges eas in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringentur, sicut & ego accepi à patre meo, & dabo illi stellam matutinam.* Quibus quantum de ædificatione novi muri agimus, apte etiam convenire videtur parabola illa Salvatoris quam dixit de ædificanda turri. *Quis enim* (inquit) *ex vobis volens turrim ædificare non prius sedens computat sumptus qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum, ne postea quam posuerit fundamentum & non potuerit perficere, omnes qui viderint incipiant illudere ei dicentes, quia hic homo cœpit ædificare & non potuit consummare.* Quod & admonemur ex mystica illa veteris legis observatione, qua iubebatur cauda etiam hostiæ in sacrificium offerri. *In cauda* quippe (ut interpretatur Beat. Gregorius) *finis est operis.* Et ille bene immolat, qui sacrificium boni operis usque in finem debitæ perducit actionis. Hæc est illa utique tunica talaris quam Ioseph inter cæteros fratres habuisse describitur, quam & idem significare ait *opus bonum usque ad consummationem.* Unde & factum esse dicit quod in Evangelio legimus, Mariam Magdalenem quæ à monumento Domini etiam discipulis recedentibus non discessit, tunc solam eam vidisse quæ remansit ut quæreret, quia nimirum *virtus boni operis sit perseverantia.* Et recte sane. Nam ut Isidorus quoque confirmat in eo libro, quem edidit de summo bono. *Unumquemque Deus de suo fine non de vita præterita iudicat.* In vita hominis finis quærendus est, quoniam Deus non respicit quales antea viximus, sed quales circa finem vitæ erimus. *Placet ergo* (inquit) *Deo nostra conversio, quando bonum quod inchoamus, perseveranti fine complemus.* Dignum est memoratu quod dicere solitus erat Ægidius is, qui fuit S. Francisci socius, summa vir præditus sanctitate. Intelligens enim quanta esset in religione vis perseverantiæ. *Quid prodest* (inquiebat) *homini ieiunare*, orare, eleemosynas facere, seipsum affligere, sentire quoque magna de cœlo & non pervenire ad portum salutis, afferensque similitudinem navis, non eam commendandam esse dicebat quæ quamvis pulchra, magna, nova, multoque auro onusta, dum spem sui ingentem primo polliceri videtur, vasto tamen absorpta pelago portum ad quem tendebat nequivit attingere. Contra vero laudari eam debere, quæ licet tenuis, deformis, attrita, vetusta, post multa maris horrendaque discrimina, placidum est tandem atque optatum portum consecuta. Cognoscens quoque quam arduum, difficile, ratumque esset eius virtutis bonum, commonebat non alia similitudine arboris. Arborem enim cum nata est non statim adolescere, & cum adoleverit nondum florere, & cum floruerit tardius poma producere, & cum produxerit necdum ea increscere, & cum maturaverint, nec tunc quidem omnia in commoditatem usumque nostrum pervenire, nam multa per se decidere in terram ac putrefieri, atque alia etiam à bestiis devorari. Quare Bernardus, quem minime ista latuerunt, ad Alpenses fratres ita scribit: *Ordo noster abiectio est, humilitas est, voluntaria paupertas est, obedientia, pax, gaudium in Spiritu sancto. Ordo noster est esse sub magistro, sub abbate, sub regula, sub disciplina. Ordo noster est studere silentio, exerceri ieiuniis, vigiliis, orationibus, opere manuum, & super omnia excellentiorem viam tenere, quæ est caritas. Porro in his omnibus proficere de die in diem & in ipsis perseverare usque ad ultimam diem.* Anselmus itidem, ut ipse ad perseverantiam religionis Lanconem monachum animaret, *esto* (ait) *sollicitus ut spatium vitæ, quod tibi restat, quia nescis quam breve est, sic expendas, ut de die in diem sanctum mentis propositum ad meliora extendas, quatenus si quid te gravat bene vivere, quanto magis laborem tuum ad finem festinare, & te ad requiem & coronam appropinquare consideras, tanto fortius instando & latius perseverando viriliter confortatus proficias. Ab incœpto nulla ergo lassitudine deficias.* Et alibi ad eundem: *Ingressus es carissime, Christi militiam in qua non solum aperte obsistentis hostis violentia est propellenda, sed & quasi consulentis astutia cavenda.* Sæpe namque dum tyronem Christi vulnere malæ voluntatis aperte malevolus non valet perimere, sitientem cum poculo venenosæ rationis & malevolæ, callidus tentat extinguere. Nam cum monachum nequit obruere vitæ quam professus est odio, nititur eum conversationis in qua degit subruere fastidio. Et licet illi monasticum propositum tenendum quasi concedat, tamen hoc quia sub talibus, aut inter tales, aut in eo loco incepit illum stultum nimis imprudentemque multimodis versutiis arguere non cessat, ut dum illi persuadet incœpto Dei beneficio ingratum existere, iusto iudicio nec ad meliora proficiat, nec quod accepit teneat, aut in eo inutiliter persistat. Quippe dum incessanter laboriosis cogitationibus se mutando, aut si mutari non valet saltem de improbando initio meditatur, nunquam ad finem perfectionis tendere conatur. Ephrem quoque eremita sanctissimus, dum perseverandum esse monachis prædicaret, æquiparans ipsos agricolis, vitam eorum ruri culto & sato simillimam esse dicit, quod inter rorem & pluviam germinat affertque lætitiæ frugem. Cum vero fructuum tempus advenerit, tunc maiore cura exercetur agricola. Est enim magis magisque sollicitus, vigilat, metuit ne grando repente sive feræ belluæ ipsius segetem vastet. Ita & monachus quamdiu vivit & in corpore sit, necesse est die noctuque sollicitus sit, curamque pervigilem gerant immortalis vitæ, laborumque exercitationis suæ, ne si neglexerit, in vacuum inveniatur cucurrisse. Totum gaudium plenaque lætitia agricolæ cum messem congregaverit in horrea, laborumque suorum captaverit præmia. Idem fere in monachis fieri videas. Gaudent & lætantur in cælis angeli Dei, cum is qui metuit Deum vitæ huius peregerit cursum. Cum horrea implevit agricola iam securus est, tamque delitiis ac lætitia fruitur. Monachus quoque cum in horreo, id est, sepulchro fuerit, & continuo ope illius in cælum ascenderit, tunc in tuto erit bonisque Dei perfruitur. Ad quod similitudine utique rustici operis tanquam

Marginal notes: Apoc. 2. — Luc. 14. — Lev. 3. Cauda offerre, quid significet. — Gen. 37. — Ioan. 20. — Isidorus. — Finis in vita hominis quærendus est. — Navis quæ laudanda. — Bernard. Ordo Bernardi qualis. — Anselm. — Tyronem Christi multifariã tentat diabolus. — Ephrem. — Monachorũ vita ruri culto & sato similatur. — Agricolæ lætitia quæ sit. — Monachus quãdo in tuto sit.

A

tanquam agricolæ à salvatore etiam nostro exhortamur revera illa voce, dum cuidam volenti cum sequi sed roganti: vt primum permitteret sibi renunciare his qui domi essent, ait: *Nemo mittens manum suam in aratrū & respiciens retro aptus est regno Dei.* Et quippe (vt interpretatur Gregor.) manum in aratrum mittere, *quasi quodam compunctionis vomere ad proferendos fructus terram sui cordis aperire, sed retro post aratrum respicit qui post exordia boni operis ad mala revertitur quæ reliquit.* Convenientem vero induxit salvator similitudinem. Nam quo modo potest rectos devotionis sulcos ducere, qui quo dirigendus fidei sit vomer non animadvertens, in posteriora rerum terrenatū deliramenta oculos deflectit. Aut quomodo colligendæ divinæ messis spem vllam habere potest, qui stivam religionis, quā manu tenet, non attendens spargi sinit zizania ab iniquissimis dæmonibus in humum dominicam, quorum omne est studium mala semper semina jacere in bene cultos humanarum mentium agros, vt si quod in his adoleuerit bonum semen, pessime suffocet. Ideo de reprobis scriptum est, qui reversi sunt corde in Ægyptū, & Paulus quosdam increpans, *quomodo* (inquit) *convertimini iterum ad infirma & egena elementa, quibus denuo servire vultis, dies observatis & tempora & menses & annos, timeo ne forte sine causa laboraverim in vobis.*

B

Contra vero sancta illa & pennata animalia, quæ in Ezechiele describuntur, non revertebātur cum incederent, sed vnumquodque ante faciem suam gradiebatur, interpretans ea Gregorius, prædicatores sanctos *cum incedunt* (dicit) *minime revertuntur, quia sic à terrenis actibus ad spiritualia pertranseunt, vt ad ea quæ reliquerunt nullatenus vlterius reflectantur.* Quasi enim per quandam viam ea incedere est mente, ire semper ad meliora, quorum etiam pedes, qui recti eis esse ibi traduntur, non aliud ait significare, quam gressus actuum, quia sanctorum omnium atque perfectorum hominum opera ad sequendam iniquitatem non sint retorta, qui autem ad mala mundi quæ reliquerunt reflectantur, hi pedes rectos non habeant. Quocirca Hieronymus scribens ad Lucium Bæticum. *Obsecro te* (inquit) *& moneo parentis affectu vt qui Sodomam reliquisti ad montana festinans post tergum ne respicias, ne aratri stivam, ne fimbriam Salvatoris, ne cinnicos eius noctis rore madefactos, quos semel tenere cœpisti, aliquando dimittas, ne de tecto virtutum pristina quæsiturus vestimenta descendas, ne de agro revertaris domum, ne campestria cum Loth & amœna hortorum deligas, quæ non irrigantur de cælo vt terra sancta, sed turbinoso flumine Iordane postquam dulces aquas maris mortui commixtione mutavit. Cepisse multorum est, ad culmen pervenisse paucorum, qui in stadio currunt omnes quidem currunt, vnus autem accipit bravium. At contra de nobis dicitur, sic currite vt comprehendatis, non est invidus agonotheta noster, nec alteri palmam, alteri parat ignominiā omnes athletas suos desiderat coronare.* Intelligens ergo Hieronym. hujus virtutis excellentiam, alio etiam loco contra Iovinianum, ait: *Multi vocati pauci electi cupere plurimorum est, perseverare paucorum. Vnde est grande premium eorum qui perseverarunt.* Sunt hæc pulchris certe præceptis figurisque tradita, sed præcipuum est quo admonemur in vxore Loth quæ de Sodoma evasit, quia Deo credidit, quoniam vero in via retro aspexit, in statuam salis transmutata est. Ita non sæpe compertum est, vt qui à Deo gratiam consecuti fuerint, si retro aspexerint obliti susceptorum bonorum fiant duriores corde, quam hi qui nihil prius divinæ cognitionis habuerunt. Quod accidere dicit Gregor. vt sæpe contra culpas compungamur, & tamen post fletum ad culpas redeamus. Sicuti Balaam, qui Israelitici populi tabernacula contemplatus, flevit, eisque se similem fieri in morte depoposcit, dicens: *Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant novissima mea horum similia*: sed mox vt hora compunctionis transiit, in avaritiæ nequitiam exarsit. Nam propter promissa munera in ejus populi mortem consilium dedit, cujus morti se fieri similē optavit, & oblitus est quod planxerat. Quæ res plurimum commonefacere debet religiosas mentes, vt quo intendere cœperunt oculum sancti propositi in nullam retrorsum partem divertant sed recto & stabili pede gradientes, nihil recidiva magis ruina reformident, qua & opprimi eos gravius & consurgere etiam difficilius continget, verissimaq; sit illa sententia Augustini, qui quomodo *difficile se expertum esse dicit meliores quam qui in Monasterio profecerunt, ita nec peiores quam qui in Monasteriis ceciderunt.* Non ignorabat illa Ioan. Climacus, cum admonebat omnes qui mūdi ante deliciis & voluptatibus assuefacti religiosæ se postea vitæ devoverunt, vt nulli parcerent labori, nulli austeritati, ne aliter observantes reciderent in concupiscentiā antiquarum voluptatum, fierentq; longe quam solebant enervatiores, & cū ad portū salutis pervenissent tunc taquā turbulētiore maris salo jactati naufragarentur, quo nihil dicebat esse visu miserabilius, quam qui horrenda turbati pelagi pericula evasissent, in ipso jam quieto tranquilloque portu deperirent. Quod & animadvertens Hieronym. in ea qua Rusticū Monachum epistola instruit post multam salubrē admonitionem ita subdit: *Hæc dicimus vt prima te, fili Rustice, fronte doceamus magna cœpisse, & excelsa sectari, & adolescentiæ, imò pubertatis incentiva calcantem perfectæ quidem ætatis gradum scandere, sed lubricum iter per quod ingrederis, nec tantum sequi gloriam post victoriam quantum ignominiam post ruinam.* Contra Iovinianum autē scribens: *Vnusquisque* (ait) *subiacet passioni à qua vincitur, quod si fugientes coinquinationes mūdi per scientiam Salvatoris nostri I. Christi iisdē rursū superantur quæ ante superarāt, facta sunt eis novissima peiora prioribus, melius q; eis erat nō nosse viā iustitiæ quā post notitiā eius post tergū redire & relinquere secundū mandatū quod eis traditum fuerat*, completumque est in eis verissimum illud proverbium: *Canis revertens ad vomitum suum, & sus lota in voluabro luti.* Nec latuerunt hæc Gregorium, qui scribens monachis in Britanniam missis convertendæ eius gentis causa, dum grauaret eos labor & peregrinatio, & barbaries hominum: *Melius est*, inquit, *bona non incipere quam ab his quæ incœpta sunt cogitatione retrorsum redire.* Sic ergo arandū erit in agro domini, vt nō retrospiciātur quæ relicta sūt mundi negocia, sic quoque seminandum, vt incultā bonis operibus humum, non in petrosa & devotione arida loca semen iaciatur. Quod & nos in Parabolis monuit Salvator noster, *petrosa loca* accipiens eos qui verbum audiunt, & continuo cum gaudio accipiunt illud, non habent autem humorem (vt dicit Gregorius) quare hoc quod germinauerant, ad fructum perseverantiæ minime perduxerunt, & non habent in se radicem caritatis, sed sunt temporales, quare facta per secutione propter verbum confestim scandalizantur, atque ita ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Probatur enim cuiusque fides in adversis malis, quæ tunc deficit, cum in caritate non perseverat quam qui perfectam non habuerit, is nec radicem habere dictus est à Salvatore nostro, quare & discipulos commonuit. *Manete*, inquiens, *in dilectione mea*: invitans eos non tam ad caritatem quam ad perseverantiam in caritate. Ad quod & alio loco eos exhortans: *Si manseritis* (inquit) *in sermone meo, vere discipuli mei eritis, & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Alioquin sicut alibi scriptum est: *Iustitia iusti non liberabit eum in quocunque die peccauerit.* Ex quo docemur oportere, qui perseveranter voluerit divinam exequi voluntatem, magna ardere caritate. Quod perspicue intueri possumus in ea, quam supra attuli in exemplum perseverantiæ, Maria Magdalene, quæ cum à monumento Domini etiam discipulis recedentibus, non discederet, hoc ideo faciebat (vt inquit Gregorius) quia exquirebat quem non invenerat, flebat inquirendo, & amoris sui igne succensa, eius quem ablatum credidit ardebat desiderio, atque iterum inclinabat se prospiciens in monumentum, desiderans que

Margin notes (left): Luc. 10. De voto c. magnæ de pe. d. 2. pennata, post aratrū respicere quis dicatur. — Gal. 4. — Ezec. 1. De p. d. 2. pennata. — Pedes recti qui dicuntur. S. Hier. — C — Gen. 13. — 1. Cor. 9. — Mat. 20. — D — Gen. 19. — Greg. — Num. 23. Num. 22. 2. Pet. 2. Balaam propter

Margin notes (right): E — promissa munera consiliū dedit in morte populi sui 47. dist. quātum libet. Io. Clim. — F — 2. Pet. 2. — Prov. 26 & 2. Pet. 2. — De pœ. d. 4. si refugiētes. — G — Luc. 8. Marc. 4. Petrosa loca quæ dicantur. — Fides in adversis probatur. Ioan. 15 — H — Ioan. 8. Ezec. 33 — Ioan. 20 M. Mag. à monumento quare nō discessit.

A

desiderànsque iterum videre Dominum, quia amanti semel aspexisse non sufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis. Quæsivit igitur prius & minime invenit, perseveravit vt quæreret, vnde & contigit vt inveniret. Actúmque est vt desideria dilata crescerent, & crescentia caperent quod invenissent. Sicuti autem perseverantiæ nihil esse constat conjunctius ardore caritatis, ita neque quicquam adversum magis quam negligentiam, torporem, tepiditatémque animi, quibus se liberare magnopere debebit quisquis quod bene cœperit implere perseveranter optabit. Liberatus vero id subinde consequetur, vt erectus in summam spem vnum ante oculos sibi Deum ponat, quo speculari non cessans directam semper teneat aciem, nulla terrenarum rerum cogitatione retro advocatus, nullis sollicitatus mundi curis, nullis præsentibus seductus illecebris, sed ad ea quæ futura magna quidem & inenarrabilia bona expectat intentus, nihil præter Deum suspiret quoscunque propter eum toleraturus labores, omnia passurus supplicia & mortes. Habet enim ea quæ vere in Deum spes dirigitur illud proprium atque innatum sibi, vt cœlestia bona avide expectans immotis semper luminibus persistat. Contra vero omnium inimicissimum, vt mundanas res, quas caducas & fragiles probe novit retro spectet. Proponat quasvis fallax mundus delicias, blandiatur quantumvis & post tergum permulcens omnibus deliniméris ad sese revocare conetur, manet illa fixa semper & stabilis, peritura cuncta quæ videt alte despiciens, deflectitque nunquam intuitum ab his quæ corporeis oculis inaccessa futuræ vitæ bona præconcipit, præmeditatúmque animo, larga quidem atque immensa sempiternóque ævo duratura, cognoscens cum Paulo Apostolo, *ea quæ videntur temporalia esse, quæ autem non videntur æterna, ac propterea quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ supra modum & in sublimitate æternum gloriæ pondus operari in nobis, non contemplantibus quæ videntur, sed quæ non videntur.* Nam vt alio idem loco nos admonet: *Spe salvi facti sumus. Spes autem quæ videtur non est spes, quod enim videt quis quid sperat?* Si autem quod non videmus speramus, per patientiam expectamus. Necessaria est igitur expectatio & patiētia vt id quod cœpimus & quod speramus & credimus Deo demum donante, consequamur. Ad quod idem alibi etiam nos Apostolus exhortatur: *Ergo*, inquiens, *dum tempus habemus operemur quod bonum est ad omnes, maxime vero ad domesticos fidei, bonum autem facientes non deficiamus.* Quemadmodum & à Iacobo Apostolo scriptum est: Qui nos vsque ad adventum Domini ad patientiam animat, exemplo agricolæ quem expectare dicit preciosum fructum terræ, patientérque ferre donec accipiat temporaneum & serotinum. Porrò hæc omnia quæ supra exposuimus *perseverantiam*, perseverantiæque conjunctas, *charitatem & spem*, & quam infra loco suo vtpote his comitem necessariam dicemus, investigabilem gratiæ gratuitæ cognitionem complexus est eodem doctrinæ contextu divinæ ille mentis Paulus, dum ait: *Huius rei gratia flecto genua mea ad patrem Domini nostri* IESV CHRISTI, *ex quo omnis paternitas in cœlis & in terra nominatur, vt det vobis secundum divitias gloriæ suæ virtutem corroborari, per spiritum eius in interiori homine habitare Christum per fidem in cordibus vestris, vt in caritate radicati, & fundati possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo & latitudo, sublimitas, & profundum. Scire etiam supereminentem scientiam caritatis Christi, vt impleamini in omnem beneplacitum Dei.*

B — Spes quæ vere in Deum dirigitur quid hac debeat propriũ.

2. Cor. 4.

C — Rom. 8. Spes quæ videtur non est spes

Gal. 6.

Iacob. 5.

Ephes. 3.

D

Quæ verba Augustinus, cœleste quoque illud & penetrans fulmen ingenij, ita interpretatur in libro quem edidit *de gratia novi Testamenti*, vt *perseverantia* sit longitudo: *charitas* latitudo: *spes* altitudo: *gratia gratuita* profundum. Nam *charitas* nunc in nobis operibus dilectionis vsque ad diligendos inimicos exercetur, quia se ad subveniendum quoquo versum potest porrigit, & hæc *latitudo* nunc longanimitate adversa tolerat, & in eo quod veraciter tenuit perseverat, & hæc *longitudo*. Hoc autem totum propter adipiscendam vitam facit æternam, quæ illi promittitur in excelso, non propter vanum aliquid temporale, & hæc *altitudo* est. Existit vero ex occulto ista charitas, vbi fundati quodammodo & radicati sumus, vbi causæ voluntatis non vestigantur cujus gratia sumus salvi facti, non ex operibus justitiæ quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam ejus, cui soli non nobis totum hoc tribuimus. In quo mysterio figuram crucis, etiam ostendi dicit: nec frustra tale genus mortis Christum elegisse, quia qui voluit, mortuus est, quo modo voluit etiam mortuus est, in quo latitudinis quoque hujus & altitudinis & longitudinis & profunditatis magister existeret. Nam latitudo etiam in eo ligno, quod transversum desuper figitur, hæc ad bona opera pertinet, quia ibi extenduntur manus. Longitudo, in eo quod ab ipso ligno vsque ad terram conspicuum est. Ibi enim quodammodo statur, id est persistitur & perseveratur, quod longanimitati tribuitur. Altitudo est in ea ligni parte quæ ab illo quod per transversum figitur sursum versus relinquitur, hoc est ad caput crucifixi, quia bene sperantium superna expectatio est. Iam vero illud ex ligno quod non apparet, quod fixum occultatur, vnde totum illud exurgit, profunditatem significat gratuitæ gratiæ, in quo multorum ingenia investigare conantia conteruntur.

CAPVT V.

De dignitate perseverantiæ ex testimoniis Gentilium auctorum.

QVid vero mirum si ad hanc beatam spem, ad hanc sanctam Perseverantiam divinis adeo eloquiis invitamur, cum Gentilium non minus auctorum nos scripta cohortentur? Instruimur autem quam maxime eo pulchro aptóque figmento quod Poetæ tradiderunt Orpheum ad inferos descendisse, vt extinctam à serpente dum per prata vagaretur, conjugem suam Euridicem ad vitam revocaret, permulsisséque adeo sono lyræ Ditem, omnésque baratri principes, vt quod petebat feliciter impetraret, adjecta tamen lege ne donec ad superos conscendisset vnquam retrospiceret. Regredientem vero superasse omnes infernos aditus, pervenisséque ad ipsas vsque, quibus egrediendum erat, portas, sed tum immemorem legis sibi datæ retroflexisse oculos, vt dulcissimam suam Euridicem, cujus nimio amore tabescebat, inspiceret, frustratúmque ita omni desiderio suo, quod vehementius optabat, dum præfixas sibi conditiones & mandata præterit, infelicius perdidisse. Quid aliud significare voluit poeticum figmentum tam dulci narrationis involucro, quam quod Christiana edoctos nos auctoritate supra ostendimus? Quid aliud dum legimus Euridicem per aprica prata vagantem morsu serpentis interfici, sub tartaráque demergi, interpretari aptius possumus quam animam nostram illecebrosis mundi hujus voluptatibus irretitam astutia antiqui serpentis diaboli interemptam, sub infimáque & obscura loca detrusam. Quid deinde Orpheum cum ea ex inferis captis dulci lyræ ejus sono ad superos redeuntem, quam sapientem virum restituta conversáque in melius anima sua ex his mundi tenebris composita jam instar argutæ lyræ animi sui ratione ad superna cœli regna remeantem. Quid demum vero cum retroflexis oc lis quod obtinuerat vir sapiens perdit, aliud demonstratur, quam neglectum sanctæ, de qua agimus, perseverantiæ beatæq; spei donum. Qui enim ex tenebroso hujus mundi tot erroribus ac peccatis pleno carcere ad supernam illam æternámque lucem,

quæ vera est vna expectanda beatitudo, evadere contendit, solidam necesse est gerat spem semper fixam, immotam, nullaque refractam terrenarum rerum cupiditate, Deum, qui cogitationum nostrarum gressus semper antecedit, continue ante oculos habeat tanquam ducem itineris sui, à quo nunquam oculorum aciem divertat, nunquam retroflectatur, nunquam vilis (quæ tanquam improbo quodam & pestifero satellitio terga nostra sequuntur & pervrgent) illecebris voluptatibúsque moveatur, studeat omni bono operi & exercitio, velit nihil quod non pium sanctúmque sit, in eóque studio & voluntate constans semper, & nulla vnquam avocatus turpi cogitatione perseveret, ne quemadmodum Orpheus Euridicem retrospiciens amisit, ita quisquis conjecta primo spe in Deum sapienter vitam suam instituere cœpit, ad terrenas mox cadocásque res posthabita Dei cura se reflectens perdat, vtique male sperans, maléque cœptis insistens quod perseverando feliciter consecutus fuisset. Ita ergo perseverare, ita bene sperare sub tam dulcibus velamentis Poetæ docuerunt. Quod & admonuit Bias Prieneus. Rogatus enim quid esset dulce hominibus? *Spes* respondit. Chilo quoque Lacædemonius, qui cum interrogatus esset quo differrent periti ab imperitis, bona inquit spe. Id vero egregie & Virgilius docuit, dum Anchisem spe plenum ita filio loquentem facit:

Orpheus Euridicē retrospiciens amisit.

B

Bias. Chilo. Periti ab imperitis quo differant. Virg. in 1 Æn.

Venisti tandem tuaque expectata parenti,
Vicit iter durum pietas.

Æneam quoque gravioribus longe sanctioribúsque verbis ita socios cohortantem inducit:

O socij, neque enim ignari sumus ante malorum
O passi graviora, dabit Deus his quoque finem.
Vos & Scyllæam rabiem penitúsque sonantes
Accestis scopulos, vos & Cyclopia saxa.
Experti revocate animos, mœstúmque timorem
Mittite, forsan & hæc olim meminisse iuvabit.
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium: sedes vbi fata quietas
Ostendunt: illic fas regna resurgere Troiæ.
Durate, & vosmet rebus servate secundis.

C

Nescio quid his sanctius fideique nostræ accommodatius à Christiano vllo auctore dici potuerit, in quibus docemur & præterita recordari jucundius, & præsentia tolerare constantius, & futura sperare melius. Et perseverantiam denique, de qua nunc scribimus, colere semper virilius, complectique strictius. Nam si *Scyllæam rabiem* cæteraque maris pericula interpretemur, *mundi dæmonumque vexationes* & insultus, si pro *Latio cœlum: pro Troia vitam*, immutantes verba dicamus, quid obstiterit quin ex officina Pauli Apostoli deprompta ista esse videantur. Magna igitur apud Gentiles etiam perseverantiæ semper commendatio fuit, quare gravis & præclara est ejusdem Poetæ, quæ alio loco traditur his verbis sententia:

Perseverantiæ etiam apud Gentiles magna fuit commendatio.

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito,
Quo tua te fortuna feret, via prima salutis,
Quod minime reris Graia pandetur ab vrbe.

D

Denique Poeta summus, vti singulari cæteros excessit ingenio, ita nihil aliud toto suo opere quo Æneam decantavit, videtur exponere voluisse quam perseverantiæ originem, progressum, vim, atque exitum: Quod quisquis advertere voluerit intelliget quam pulchre & eleganter, quam apte & artificiose id expresserit. Neque non putandum est Virgilij animum eum fuisse, vt Æneam magis tot gestis insignem quam virum quemptam omni virtute præditum describeret, quem cum ita describere aggrederetur, convenienter etiam fieri à se debere credidit, vt duabus tanquam columnis, quæ ad examinandam virtutem necessariæ omnino sunt, firmaret omnem operis sui machinam. adversitate scilicet & prosperitate, quibus probatus probe fuerit, veram ille virtutis & sapientiæ laudem consecutus jure videri potest. Nam vt dicit

Adversitas & prosperitas ad examinandam virtutem necessariæ.

E

Varro: *Sapiens is est qui & bonum modice, & malum ferre potest fortiter.* Porrò hæc duo quibus periculum fit virtutis, sola est quæ dirigit perseverantia, & tanquam auriga adhortans læto demum atque optato fine consummat. Egregius igitur Poeta virum sapientem sub persona Æneæ descripturus, primum illum malis examinans, horrenda ea, qua nihil tristius legitur, maris tempestate exagitari, facit, tum à morte cui propior fuerat pene liberatum, disiectis, obrutísque navibus, amissa majore parte sociorum, desertum, nudum, abjectum, egentem, ignarum locorum; omnibus afflictum & intrepidum, consolantem seipsum, fortique animo cuncta tolerantem, sperare omnia in melius, expectare lætius, perseverare constantius, cohortarique insuper socios ea (quam supra recitavimus) verborum gravitate & sapientia. Nunc age probemus eum in lætis secundísque casibus. Restituitur classis, redduntur socij, suscipitur hospitio, Didonis augetur opibus, fovetur jocis & plausibus, sed vt Carthaginem (quam accipimus mundi delicias) relinquat, & Latium (quod supra *cœlum* interpretati sumus) petat, divinæ cum voces & oracula sæpius admonent, quibus parere vir sapiens satius proponit spretis insanientis fœminæ blanditiis & fletibus. En quanta perseverantia hic noster Æneas res adversas sustinet, quanta secundas despicit, quanta cœlestibus mandatis obtemperat. Tum navigat hoc mare mundi magnum & spaciosum, in quod Palinuro nauta, dum deliciis ejus illectus obdormit, excusso Æneas (quem virtus vigilantem pro aliisque curam & labores subeuntem facit) præsentiens navim vitæ nostræ incertam & errabundam agi, remum vltro ipse sollicitudinis accipit, & per totam errorum noctem navigando desudat, nec servile licet officium magnóque indignum viro, quo multorum saluti consulat, aspernatur. Tum Averni pœnas (quæ significant mundi miserias) revisit, contemplans quibus primo infantia, dehinc adolescentia, ac reliqua omnis ætas malis subjecta est. Elysium quoque, quo Anchises pater cæterique soli boni ac justi viri, Deo & litteris vacantes quiescere, dum hanc vitam colunt tranquillitatéque frui videntur. Tum priusquam promissam Latio quietem assequatur, Turnum, id est diabolum, infestum habet Latinos quoque, id est mundum, bella geruntur ardua pugnatur pro Lavinia, quæ anima accipienda est, sed superat Turnum, subjugat Latinos, fit compos Laviniæ. Italiæ regno quietus fruitur, Deúsque tandem efficitur. Hic est fructus, hic finis perseverantis viri, qualis iste descriptus est. Nam post multas mundi vexationes, post longa & tristia diaboli bella, proculcatur mundus, vincitur diabolus, animæ bene consulitur, vita ducitur tuta & tranquilla, immortalisque demum & æterna beatitudo acquiritur. Contra quoque videamus quis finis sit eorum qui in his quæ bene cœperunt non perseverantes; levitatis & inconstantiæ suæ exemplum aliis reliquerunt. Nam & id excellentissimus Poeta felici carmine suo executus est, vt non tam perseverantiæ vberes fructus ostenderet, quā & non perseverantium apertissima quæ subsequuntur damna demonstraret. Expressit namque manifeste eam rem in Didone, & apte quidem, quasi longe magis fœminæ (cujus mollior quam viri flexibiliórque est animus) inconstantia & mutabilitas convenire videretur, quod nec se latuisse Poeta ipse eodem loco aperte ostendit illo versu: *Eia age, rumpe moras, varium & mutabile semper Fœmina.* Didonem ergo describit post mortem primi mariti, nullius se conjugio, quamvis à multis quidem & magnis principibus peteretur, ligare voluisse, cum intendere condendæ vrbi, Iustitia & legibus populos gubernare, opibus & auctoritate indies magis crescere, magnam & gloriosam apud populos suos finitimásque omnes gentes haberi, amari, coli, formidarique ab omnibus, tum vbi novi hospitis amore capi cœpit, neque extruendæ vrbis, neque regendorum populorum vllam

F

Æneas fuit magnæ perseverantiæ.

Averni pœnæ quid significent.

G

Perseverantiæ fructus & finis quis.

Inconstantiæ quis finis.

H

Virg. in 4

cuiam

Didonis inconstantia quid operata. Christiani nō dedignētur à gentili Poeta vivendi normam suscipere.

curam omnino habere, vacare autem jocis & canibus instruere convivia, insanire, conjugium petere, tum deseri ab hospite, negligi à populis suis, contemni à finitimis regibus, tum pallere, dolere, lamentari, flere, spe ab omni decidere, vitam denique sibimet eripere violenter. Ita profuit inconstanti fœminæ bene cœptis non perseveranter insistere, tales non perseverando sibi fructus peperit, talem sibi finem invenit. Quæ cuncta prudentissimus Poeta, tam dulcibus figmentorum velamentis, vti Poetarum moris est, exposuit, vt quanta esset perseverantiæ virtus, miro artificio ostenderet. Nec dedignabitur quisquam Christianorum è gentili Poeta vivendi normam suscipere, sed memor ejus mulieris, cujus figuram effert Hieronymus: *Discat inutilibus inanium carminum superfluitatibus tanquam vnguibus & pilis resecatis meliora quæque non aspernari.* Erit igitur recipiendum & illud Lucani, quod de Cæsare dixit: *Nil actum credens cum quid superesset agendum.* Cujus si innumerabiles pugnas crebrásque victorias consideremus, ob indefessam tantum, qua ab cœpto nullo opere vnquam retardabatur, vigilémque perseverantiam cuncta ei feliciter cessisse intelligemus, quam cum Cleopatræ blanditiis detentus aliquanto neglexisset, vilissimorum hominum insidias vix evasit. Itidem in Scipionibus, Catonibus, Fabriciis, Metellis, Fabiis, cæterísque illustribus Romanis, si vetera monimenta evolvere voluerimus, manifeste comprehendemus. Contra vero qui desidiæ & turpi ocio dediti ab solita bene agendi perseverantia defecerunt, tristem semper & ingloriam exitum habuisse comperiemus. Hannibal cum multis exultans victoriis ad extremam vsque imperij desperationem Romanos adduxisset, non aliam ob causam à summa illa decidit rerum suarum gestarum gloria, quam quod Campanis illectus deliciis, segni & infami marcens desidia, quod feliciter sumpserat, non perseverans bellum prosequi & consumare, neglexit. Memorabilis est Spartanorum, quam à Lycurgo susceperunt, disciplinæ perseverantia, qui quoniam tam mares quam fœminæ duriissimis & assiduis se laboribus exercerent magna semper cum omnium laude & commendatione floruerunt. Horum dux Pausanias, quamdiu priores mores secutus est, maximis vtique claruit rebus gestis, sed cum non perseverans mollicule se Asiæ illecebris dedit, à prisca omni fertur fortunæ atque operum suorum gloria defecisse.

Hannibal non perseverans, sua gloria decidit.

Pausanias dux Sparta norū non perseverans à gloria defecit.

CAPVT VI.

Exhortatio perseverantiæ ex gentilium & Christianorum exemplis atque sententiis.

SEd hos omittamus qui & exitu suo, quem tristem merito invenerunt, exterrere quemque possunt, illos potius attendamus, quorum mira in cultu virtutis legitur fuisse perseverantia. Proponamus nobis quos ante diximus Romanos Duces. Proponamus & ex sapientibus Græcis Socratem: qui neque conviciis vllis commoveri, neque mortis vllo metu (quam constantissime etiam suscepit) ab integritate ac sententia animi sui divelli vnquam potuerit. Proponamus Xenocratem, Empedoclem, Cleantem, Zenonem, Pyrrhonem Æliensem, aliósque hujuscemodi innumerabiles, qui in tolerandis quibuscunque tristibus & adversis rebus spe majorum bonorum perseverante semper animi virtute fuisse traduntur. Magna procul dubio Christianis incitamenta. Nam si tanta, quantam legimus, viguit in gentibus virtutis perseverantia, tanta spes præmiorum & expectatio, quid dicemus nos electus & catholicus grex, qui quam illi ignorabant melioribus temporibus nati æternam salutem aliquando expectamus, quæ parata est merces omnium quos sustinemus laborum omniúmque miseriarum, nonne erubescendum erit nobis ab his vinci, qui enim veritatem, quam nos intelligere promeruimus, nescierunt, ab veritatis tamen semita minime aberraverunt, qui cum caligine mille errorum involverentur, in veri tamen cognitione insudantes, quam cognoscere non poterant, veram ipsi beatitudinem vitæ integritate & perseverantia propius attigerunt. Quales autem putamus ac quanti illi fuissent, si quæ nobis sub Salvatore nostro IESV futura cœlestium bonorum præmia sperare datum est non latere eos vtique contigisset. At quo nostra major est dignitas, digniórque magnitudo, eo magis etiam debent vilescere hæc quæ cœptis insistere non sinunt fragilia & interitura mundi bona, ne quem Noë ex arca dimisit corvum imitari videamur: qui oblitus hospitij ad quod redeundum erat, fœda correptus ingluvie, obscœno cadaveri immoratus est. Indicemur quoque columbæ dissimiles, quæ Domini sui haud immemor, nusquam se divertens cum viridi statim olea lætitiam allatura reversa est. Ita enim fieret vt quæ nobis promissa sunt promerentibus bona: alius si nos indignos per inconstantiam nostram redderemus dignus justiúsque conferrentur. Quo & sacra vox comminata est. *Tene*, dicens, *quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam.* Est porrò tantæ apud Deum æstimationis perseverantia, tantique ponderis, Vt seipsum velit delectantémque assiduis indefessísque precibus exposci, & cum surdius aures obserasse videatur, tunc importunius etiam excitari atque pertundi. Quare importunam in Evangelio mulierem legimus tandem auditam fuisse. Cujus rei causa etiam exposuit Salvator noster discipulis Parabolam hujuscemodi: *Quis vestram habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi, amice, commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum, & ille deintus respondens dicat, noli mihi molestus esse, iam ostium clausum est, & pueri mei mecum sunt in cubiculo, non possum surgere & dare tibi. Et ille si perseveraverit pulsans dico vobis, & si non dabit illi surgens, eo quod amicus eius sit, propter importunitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarias. Et ego vobis dico, petite & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit, & qui quærit invenit, & pulsanti aperietur.* Quam Salvatoris apertam exhortationem commemorans Ephrem in Sermone quem facit ad animam negligentem: *Et tu igitur* (inquit) *anima mihi verna pulsa constanter, necessitatem confitere, persiste ad ianuam, & prorsus accipies quantum opus habes.* Cujusmodi & apud Gentiles narratur fœmina illa mater filij occisi, quæ à Trajano licet ad bellum accincto dum perseverantius eum importuniúsque exoraret audiri promeruit. Nec diversum est quod de Diogene traditur. Nam cum Athenas concessisset, convenissétque Antisthenem percipiendæ doctrinæ causa, atque cum ille repelleret, quod ita ex instituto suo neminem reciperet, obtinuit tandem, vicitque, perseverantia sua vt auditor ejus fieret, cui cum clavam sæpius ille intentaret subjecto Diogenes capite: *Cæde*, inquiebat, *non enim ita durum baculum reperies quo me abs te quamdiu aliquid dixeris, arcere possis.* Hanc igitur tam insignem & excellentem omnium nutricem, ac matrem perseverantiam suscipite carissimæ sorores, perseverantérque colite, sine qua nihil efficere poteritis solidum ac tutum, sine qua nulla integritas proderit, nulla vitæ austeritas adjuvabit, evanescet omnis sanctitas, religio omnis interibit, sine qua frustra fiet quicquid vigilabitis, jejunabitis, orabitis, quicquid denique modestum, pium, rectum, emendatum, Deóque placens & carum attentabitis. Hanc ne negligite dulcissima pignora mea, hanc quam tanto studio colendam vobis prædicamus, ne segniter prosequimini, ne ignaviter amplectamini. Credite germano, credite magistro & patri: scitis me omnes tam magistri & patris quam germani pro vobis vicem subisse: credite tuquam, credite, hæc vos vna à

Socratis magna cōstantia

A

Perseverantia multa in nobis operatur.

mundi laqueis liberabit, hæc vos vita à dæmonum nequitia defendet, hæc vos ornabit, conservabit, angebit, hæc vobis mercedem laborũ vestrorum retribuet, hæc æternas vobis parabit divitias, hæc vos Deo caras reddet, hæc vos vita apud eum extollet, illustrabit, coronabit, triumphantésque sempiterna felicitate donabit. Quæ cum tanti facienda sit, necessarium videtur, vt quo pacto quibusve modis acquiri, qua cura & industria ne amittatur sobveniri ei possit, ostendamus. Quod vt facilius aptiúsque efficere possimus, sequamur morem medicorum, qui cum vlcerati membri alicujus curationem suscipiunt, prius morbi originem investigant, qua cognita promptiora demum ac secoriora, quæ adhibituri sunt sanando vlceri remedia, inveniunt. Ita nos tradituri qua ope & medela sue currendum sit eis, qui non facile perseverare in suscepto durioris austerioríque vitæ proposito possunt, quæramus prius atque indagemus causas quibus mens bene exculta familiarísque jam Deo facta non persistens dio infeliciter prolabatur, prolapsáque succumbat. Quis enim rite, vt speramus, transegerimus, commodius postea & oportunius conservandæ perseverantiæ quæ adhibenda erunt fomenta, evitandorumque ejus nocumentorum salubria præcepta exponemus.

Medici prius morbi originem investigant.

B

LIBER II.

MAPHEI VEGII LAVDENSIS, DE PERSEVERANTIA IN religione.

CAPVT I.

C

De causis impedientibus Perseverantiam.

MVLTIS dubium non est causis fieri, vt flamma illa devotionis, qua pore religioséque mentes incendi solent, vel imminuatur, vel (quod magis deplorandum est) etiam aliquando extinguatur. Sæpe enim propter infirmiora quæ suscipiendam religiosam vitam iuvaterunt accidisse id fundamenta compastũ est, imitar thuris incensi, quod cum principio magna fragrantia odoris evaporet, in fumum statim tamen resolvitur. Sed & multa animum quantumcumque firmissimis solidissimísque rationibus, quantocumque divino calore ad obeunda religiosa stipendia inductum, cogunt labefactari atque refrigescere. Nam sæpius acerrimę nequissimorum dæmonum pugnæ & infestationes, illusiones etiam vanæque & fallæ demonstrationes, nonnunquam deliciarum derelictarúmque mundo affluentissimarum opum recordatio, interdum quoque diffidentia gravissimarum, quibus religiosa vita subjecta est, austeritatem laborumque diversissimorum pertentant animos atque dissolvunt. Nocuit & persæpe segnis patrum præpositorumque cura & exhortatio, nocuit & malum eorum exemplum cum quibus sub eodem agitur tecto, communísque habetur sermo & convictus, multotiens suspitius negligentia & torpor, perniciosa fuit aliquanto nimia solitudo, aliquanto & frequentior salutatio conventusque hominum. Profuit nec vnquam evagatio è Monasteriis discursusque & lubricarum mundi vanitatum interior conspectio. Sed & multos dejecit vehementior applicatio animi ad eos quibus nullum est cum divino cultu commercium. Rumorum item & prophanorum negotiorum avidior investigatio & sollicitudo, doctrinarum quoque inanium & inutilium, & quæ religioni non convenire videntur, curiosior sermocinatio. Fuerunt qui non possent æquo animo ferre detractiones & odia sociorum, quosdam perdidit exuberantior rerum affluentia, plerosque nimia necessitas & indigentia. Nonnullis quibus Deo vacare dulcius optabiliúsque erat, negociosæ, ad quas translati sunt, gerendarum rerum curæ magnum detrimentum attulerunt. Alij propter publicos ad quos evecti sunt vel honores, vel administrationes, vel dignitates, tacti inani gloriola, ceciderunt. Verum cogitanti mihi ac cuncta accuratius attentiúsque examinanti vnum, cui nihil præ magnitudine periculi in comparationem duci posset, visum est tristius longe cæteris atque gravius quod exterret merito quemque magis, & nisi præcaveretur, damno etiam & ruina majore conquassaret. Ea est æstimatio propriæ sanctitatis, nimiáque sui ipsius confidentia & præsumptio, quam vere Heraclitus *sacrum morbum*, quod aspectum mentiretur appellavit. Quæ cum in Religiosis Deóque dicatis hominibus extremi sit irremediabilísque periculi, mirum tamen est vt in omni genere mortalium tanquam regina quædam præpotens dominetur, cujus causam non aliam esse putamus quam amorem; quo sibi quisque plus æquo allicitur, immoderatiúsque rapitur, atque impellitur. Cui si metæ præfigi, si frena adhiberi possent, cessaret proculdubio exuberantius illud atque (vt ita dicam) violentius, quod de propria virtute assumitur, judicium. Nam vt, vt exempli causa dicamus, nulla est mater quæ parvulum suum, quem nutrit, infantem, licet ingratæ sit formæ, agrestisque naturæ, non perpulchrum tamen pergratumque omnibus esse arbitretur, delectetúrque proinde tanquam singulari & summa illius formositate: Quod non aliunde evenit quam propter vehementiorem, quem illo amore gerit. Cui conveniens est simiæ fabula. Cum magno enim desiderio superi exposcissent, vt ex omnibus quadrupedibus deligeretur pulcherrimus omnium filius, quod advocare eum cœlo conviviísque suis ministrum habere statuissent, surrexit illa mussitantibus cæteris, neque tantam filiorum suorum laudem sibi sperare audentibus, formosissimumque omnium affirmans, admitánsque filium suum eis obtulit. Eadem ratio est eorum qui vel amicos, vel servos, vel equos, vel canes & oves, domósque & agros à proavis suis hæreditario jure ad se transmissos, quod plus quam par sit eis affecti sunt, præstare etiam cæteris putant. Verum quo major est quæ sibi quam aliis affectio habetur, eo majorem etiam consequens est esse æstimationem, quæ de propria quam aliena pulchritudine probitatéque suscipitur. Inde fit, vt nullius sit artificij opifex, nullius disciplinæ professor, licet parum vel nihil valeat, qui non judicio tamen suo magnus & excellens esse videatur. Interrogemus agricolas, nemo erit qui alteri cedere velit laude rustici operis. Petamus fabros cujuscunque generis, & horum superiorem aliis se quisque existimabit. Vocemus pictores, ita picturâ aliquando sua quis delectabitur, vt Apelli non assurgeret. Veniamus ad sutores vsque ac tonsores, quem dabitis qui non suo supra cæteros magisterio apprime glorietur? Sed liberalium disciplinarum peritos quis non admirabitur, neminem esse qui pro ingenio suo & doctrina non admodum sibi applaudat atque blandiatur? Non est aliquis musicorum, qui non arte & instructi cantus ratione se putet aliis excellere. Neque vlli est ita inepta & rauca vox qua non tanquam solida & canora plurimum oblectetur. Grammaticorum quam maxime est elata de seipsis opinio, qui non minus magnos & doctos ac pueros quibus erudiendis insistunt, docere & corrigere intendunt. De Logicis & Philosophis nihil dicimus, quorum vix quisquam fuerit, qui non sententiam suam, tanquam sacrum quoddam oraculum, suscipiendam arbitretur. Quis verò Medicorum non se Hippocratem? quis Iurisconsultorum

non

Religiosus multis modis tentatur.

D

30 dist. interroũ 28 q. 1. sæpe.

E

Sanctitatis propriæ æstimatione; nihil tristius.

F

Mater omnis parvulũ suũ perpulchrũ esse arbitratur.

Simiæ fabula.

G

Opifices omnes excellentes sibi videntur.

H

Grãmaticorũ est elata de seipsis opinio.

non se Sævolam indicat? qui & sæpius aliis disciplinis calumniam inferentes nullum aliud liberalia & veræ sapientiæ genus esse audacter affirmant. Atque vt Oratores non omittamus, magnam & hi quoque habent ac vehementem ingenij sui æstimationem, qui nec æquales conferri, nec superiores sæpius etiam æquo animo sibi anteponi patiuntur, quorum & quo minor fuerit ingenij vis dicendique facultas, eo maius de se iudicium facere, maioremque solent sibi arrogare auctoritatem. Nec prætereamus studia Poëtarum quæ magnam cum Oratoribus cognationem ac germanitatem quasi quandam habent, & à nobis per omnem adolescentiam ardentissime culta, licet nunc penitus ablegata, naturæ magis excellenti bonitate quam doctrina vlla constare semper visa sunt: Quare bonos poëtas raros quidem omnis ætas profert. Sed quantacumque sit eorum raritas, vt instar phœnicis vix singulis sæculis aliquis præstans oriatur, longa tamen est illorum, qui se optimos & perfectos putant, infinitaque multitudo. Inde fit, quod Petronius Arbiter ait, vt multos iuvenes carmen deceperit. Nam vt quisque versum pedibus instruxit, sensumque teneriorem verborum ambitu intexuit, putauit se continuo in Heliconem venisse. Nescio quo pacto enim fieri scribit Cicero, vt in hoc genere magis quam aliis *suum cuique pulchrum sit, neminemque adhuc* dicit *poetam novisse qui sibi non optimus videretur*. Sic se res habet. Tu tua, me delectant mea. Quod & in omnibus scriptoribus confirmans Ambrosius, *vnumquemque*, inquit, *fallunt sua scripta, & aurem prætereunt*: Atque vt filij etiam deformes delectant, sic scriptorem indecoros sermones sui palpant. Ac cui sacris litteris vacant longe magis his timendum est, propter maius fidei periculum. Nam vnde tot priscis temporibus hæreses insurrexerunt, tot errorea invaluerunt, quam ob nimiam, quam docti quidem illi viri, licet à Deo alieni, in propriis capiebant confidentiam. Quod intelligens magnus eorum & acer debellator, domitorque Augustinus: *Quædam* ait *acutissima & excellentissima ingenia tanto in maiores errores ierunt, quanto præfidentius tanquam suis viribus cucurrerunt, nec suppliciter ac veraciter Deum, vt viam eis ostenderet petiuerunt.* Sciscitemur vero patresfamilias, duces exercituum principes civitatum, cæterosque cuiuscunque generis qui regendis aliis præsunt, non erit quisquam qui consilium suum & rationem non maximi ponderis iudicet, qui suam in deliberandis administrandisque negotiis postponendam vlli esse, putet prudentiam atque grauitatem. Tam vehemens & tenax est insitum mortalibus de se iudicium, ita tantum sibi attribuit, tantum humana credit infirmitas. Quæ & tanta est vt numini patrena omnem etiam sexum simul atque ætatem invadat. Neque est enim vlla tam tenuis conditionis muliercula, quæ non se valere plurimum aliqua ex parte existimet. Timenda autem est non parum in adolescentibus, propter calescentem in eis humorem, inexperientiam quoque rerum, quæ minima quoque summa etiam illis videri facit. Sed in senibus longe est grauior, qui quum multa viderunt, multa sustinuerunt, neminem ideo putant eos scientia multarum rerum anteire.

Oratores magnâ habent ingenij sui æstimationem.

Poëtas bonos raros omnis ætas profert.

Cicero.

Consiliû suû quisque maximi ponderis iudicat.

Senes neminé putant se scientia anteire.

CAPVT II.

Quanta sit pernicies præsumptionis & confidentiæ sui ipsius.

SAne quo maior assumptæ virtutis æstimatio temeriorque à vero fuerit, eo detestabilius etiam & perniciosius malum. Nam si virum quempiam egregie doctum, egregieque in negotiis publicis exercitatum, atque ita sententia omnium probatum, cæterumque iudicio suo multis, quibus inferiorem eum esse constat, se lóge præferentem viderimus, errat hic grauiter quidem, sed excusatione & venia dignior videtur quam is qui litteralis paucis mediocriter intinctus, in rebusque parum publicis, parum quoque priuatis versatus, doctissimo se cuique & prudentissimo putat iure merito esse comparandum, vel anteponendum. Nutritque secum eos cogitatus, ea verba profert, eo incessu atque gestu corporis mouetur, ac si doctrina rerumque omnis experientia, despectis cæteris, divino quodam consilio in eum profluxisse videatur. Non est hoc errori vlli ascribendum sed manifestæ magis fatuitati atque stultitiæ. Si qui autem (quod est omnium pessimum genus) cum neque litteris, neque cognitione vlla rerum & prudentia valeant, ita tamen loquantur, ita se palam omnibus exhibeant, ac si vel Platonem docentem, vel Catonem consultantem semper audierint, non iam fatui hi aut stulti, sed dementes omnino atque insani iudicandi sunt, cuius tanti mali pernicies ita aperta in quibusdam apparet, & gestibus corporis & communibus qui habentur sermonibus non secus eam quique deprehendant. Ita vero in aliquibus latet, in ipsisque penetralibus cordium recondita iacet, vt non facile eam cognoscere queat vulgus ignarum? acuta autem sapientissimorum hominum iudicia sæpe discernant. Fugienda est igitur omni studio huiuscemodi hominum sive stulticia, sive insania, quos nec aliter ac stultos divinæ sæpe litteræ insectantur. Nam *qui confidit* (inquit Salomon) *in corde suo, stultus est.* Ait quoque, *cor sapientis in dextera eius, & cor stulti in sinistra eius*, sed & *in via stultus ambulans cũ ipse insipiens sit omnes stultos æstimat.* Atque vt est alia eius senẽtia, *expedit magis vrsæ occurrere raptis fœtibus, quam fatuo confidenti sibi in stultitia sua.* Gregorius vero Nazianzenus stultos etiam eos attestans, qui parum instructi docere alios tanquam magna ipsi prælati sapientia, affectant, non sentientes imperitiam suam, dicit morbum hunc lachrymis ingentibus & luctu magis quam verbis indigere, miratumque esse frequenter apud seipsum huiuscemodi homines: scientes quod videri velle sapientem, hoc est omnino non esse sapientem: grandeque impedimentum esse hominibus ad virtutem falsæ & inanis gloriæ præsumptionem. *Est enim* (vt & Salomon ait) *malitia quam vidit sub sole virum qui videtur apud se sapiens esse.* Quare virtuti nihil proprie: Deo autem tantum innitendum esse monet. *Habe*, inquiens, *fiduciam in Domino ex toto corde tuo: & ne innitaris prudentiæ tuæ: In omnibus viis tuis cogita illum: & ipse diriget gressus tuos: Ne sis sapiens apud temetipsum: time Dominum & recede à malo* sanitas *quippe erit vmbilico tuo: & irrigatio ossium tuorum* Qui enim ad Deum cuncta referens nihil in se sapientiæ existimauerit, Dei illũ esse habitaculum dicit his verbis: *Visio quam locutus est vir cum quo est Deus*: & qui Deo secum morante confortatus ait. *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum: non didici sapientiam & novi sanctorum scientiam.* Vnde & Paulus ad Galatas scribit: *Si quis existimat se aliquid esse cum nihil sit, ipse se seducit.* Corinthios quoque instruens: *Nemo*, inquit, *vos seducat. Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc seculo, stultus fiat, vt sit sapiens. Sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum. Scriptum enim, comprehendam sapientes in astutia eorum.* Et iterum dicit: *Dominus novit cogitationes sapientium, quoniam vanæ sunt.* Quæ Pauli verba dum interpretaretur Basilius in libro, quem scripsit *de institutis monachorum*, ostenderetque quomodo sit aliquis in hoc sæculo stultus, apud Deum vero sapiens: *si timeat* (ait) *sententiam Dei dicentis: Væ qui prudentes sunt apud ipsosmet, & in conspectu suo sapientes: & imitetur eum qui dicit: Vt iumentum factus sum apud te.* Et omnem prudentiæ arrogantiam abiiciens, non prius credat sensibus suis inesse aliquid boni, quam mandato Domini illuminetur: vt intelligat quid est quod placeat Domino, sive in verbo, sive in cogitatione: secundum quod Apostolus ait: *Fiduciam autem talem habemus per Christum ad Deum, non quod à nobis ipsis idonei simus cogitare aliquid quasi a nobis, sed sufficientia nostra*

Stulti iudicantur qui sibi prudentes, quũ non habeant, arrogãt.

Prou. 28.

Eccl. 10.
Prou. 17.

Sapiens videri velle, hoc est non esse sapientẽ.

Prou. 3.

Prou. 30.

Galat. 6.

1. Cor. 3.

Iob 5.
Psal. 93.

Esa. 5.
Psal. 72.

2. Cor. 3.

A

Eccl. 6.

Christus est. Cavendum igitur esse docet divina alia sententia: *Non te extollas in cogitatione animæ tuæ velut taurus, ne forte elidatur virtus tua per stultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinqueris velut lignum aridum in eremo. Nolite quoque* (ait Paulus) *esse prudentes apud vosmetipsos, non alta sapientes, sed humilibus consentientes.* Per Prophetam quoque dicitur: *Væ qui sapientes estis in oculis vestris & coram vobismetipsis prudentes.* Quæ qui observaverit & stulti nomen, quod est tam vile & opprobriosum effugiet; & magnis se liberabit malis; augebitque commodis. In quo proponere nobis exemplo debemus Saulem & David: quos Gregorius commemorat pulcherrima certe duo documenta: vnum *superbiæ*: alterum *humilitatis.* Contra enim superbientem dictum esse: *Cum esses parvulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel.* Ac si aperte diceretur: Cum tu te parvulum considerares, ego te præ cæteris magnum feci. Quia vero tu te magnum conspicis, à me parvus æstimaris. David autem cum sui regni potentiam coram arca Domini saltando despiceret dixisse: *Ludam & vilior fiam plusquam factus sum: & ero humilis in oculis meis:* Proindeque à Deo conservatum, maioribusque semper bonis auctum fuisse. Quem enim (inquit) non extolleret ora leonum frangere, vrsorum brachia dissipare, despectis prioribus fratribus eligi, reprobato rege ad regni gubernacula, vngi, timendum cunctis vno lapide Goliam sternere, à rege proposita extinctis Allophilis numerosa præputia deportare, regnum ex promissione percipere? cunctumque Israeliticum populũ sine vlla postmodũ contradictione possidere? & tamen in cunctis se despicit, qui in suis oculis esse se humilem confitetur. Quibus tandem tã gravem & horrendam, tam latam atque diffusam, quæ in humanis mentibus habitat, præsumptionis pestem intelligere, intellectamque evitare possumus: extirpatricem virtutum spoliatricem meritorum, extinctricem omnis boni, populatricem totius orbis, quæ indignabunda, imperiosa, petulans, excelso & depicto curru simiis ducentibus pervehitur, picturata & ipsa ac multipromissaque veste induta, pedibus claudis & contortis, facie pallida, & invenusta, sed adhibitis fucata coloribus, alte capiti prominentibus, auriculis oblongis, naso repando & simo, naribus in fastidientis modum contractis spirantibusque minutas & contemptum, labiis productis, adunco vultu, elata fronte, excelsis & coniunctis superciliis, cervice rigida, humeris in altum sublatis, oculis arduis & minacibus, sed præ cæcitate nihil videntibus. Cæci enim parentes eius cæcam vtique filiam genuerunt. *Amor* scilicet *proprius & ignorantia*, qui illum assidue comitantur. Nec discedit ab ea vnquam fida & individua soror *stultitia*, iisdem quoque nata parentibus, item ipsius continua perpetuus illi comes, *temeritasque* filia gremio semper eius sedet. Assistit & illi ministrorum ingens turba, livor, pallor, contemptus, odium, rancor, mœror alieni boni, gaudium mali, mendacium, simulatio, amor laudis, cupiditas honoris, tumor, ambitio, clamor, iactantia, insolentia, qui dominam circumfusi & favore, & hortatu & plausu & summa laude prosequuntur. Quotquot ad eam mortales aspiciendam conveniunt, veneratam ita illa allicit atque omnes inficit vt dulci ipsius veneno nemo non tactus imperiosæ subdi eius potestati delectetur. Hæc est vna quæ sanctam, de qua scribimus, perseverantiam validioribus viribus infestat, fortioribusque armis impugnat, quæ maiora acrius odia tristiora illi bella suscitat, quæ callidius illi insidiatur gravius eam exterret, audacius insultat, indefessiusque persequitur. Sed novit ipsa hostilem & astum simul & impetum neque quantæ sunt eius vires ignorat, cui & resistere probe didicit, quod quibus modis efficere possit, suo postea loco disseremus.

Rom. 12.

Esa. 5.

Stulti nomen opprobriosum

1 Reg. 15

B

2 Reg. 5

Præsumptionis descriptio.

C

Præsumptionis parentes qui.

Ministri qui.

Præsumptio Perseverantiã vnice infestat.

D

E

CAPVT III.

Nullam esse perniciosiorem præsumptionem quam propriæ sanctitatis, nullumque violentius malum quam inanis gloria.

SI tantum est periculi quantum modo ostendimus in æstimatione qua mortales falluntur prudentiæ suæ, omniumque artium ac disciplinarum, quid de ea dicemus, quæ pro excellentiore sanctitatis merito religiosos homines subit, quæ & illabitur facilius & occupat violentius, & stringit tenacius. Nam quo ea quæ acquirere studemus difficiliora sunt atque rariora, eo acquisita etiam dulcescunt magis animoque imprimuntur magis. Nemini autem dubium vitiorum proculcationem & profligationem difficillimam rerum omnium, solidæ vero veræque virtutis adeptionem peractam esse, quæ vbi cuiquam contigerint non facile est ita ab cogitatione repellere vt non iucunda fiat eorum recordatio, quorum gravis fuit labor & pugna; vt non iuvet meminisse quæ perferre durum atque asperum fuit. Proinde mens affecta benefactorum suorum delectatione gaudet se potitam victoria malarum, quæ illam graviter infestabant libidinum, gaudensque ad quod tantopere anhelabat virtutis culmen pervenisse gloriatur, glorians vero in æstimationem parte iam sanctitatis suæ dicitur, non tam propter quam diximus, difficultatem ac raritatem acquisiti boni, quam ipsius etiam gloriæ morbum, quo non est alius penetrabilior, improbior, atque vivacior. Nam cum cæteris sit quædam quasi repressa vis præfinitusque terminus, quo sævitia eorum & rabies vel turpe vel tempori vel gravi tandem virtutis labore superata deficiat & intermoriatur. Hic tamen vepere morborum omnium perniciosissimus ita callide & latenter animum subit vt vix a quoquam discernatur, ita inquietus & importunus instat vndique aditum quærens, vt cedere eius improbitati necesse sit, tot vero se induit formas quibus vna frustrata alia ad nocendum commodiore perspecta, etiam cuiusque varia vi naturæ vtitur, vt qui plena eas exponere studuerit, ventos illum pondere librare dicat Climacus. Ita vbi irrepsit in humanas mentes, inuictis quasi harpagonibus infigitur, infixusque vivacem alit flammam, vt non facile a quoquam amoveri aut evelli possit, quem qui enixius extirpare contenderit, illud quod de hydra serpente poetæ fingunt contigisse sibi intelliget. Quæ cum septem sibi nata capita haberet, truncato vno totidem auctis aliis semper septem capitibus numerosior fortiorque insurgebat. Si quem enim, verbi causa, vel generis claritas, vel dignitatis amplitudo, vel honoris exhibitio, vel litteratum gratia, vel famæ celebritas ad elationem minime movere potuerint, tum continuo mutata facie districtoque alio ac validiore gladio pertentare incipit, infestior pro devictis tot subblandientibus malis gloriæ dulcitudo. Cur vero in nitidis comptisque vestibus insidiæ non prævaluerunt, in abiectis subito ac sordidis maius bellum exoritur: At qui longo famulorum obsequentium, amicorumque applaudentium numero non multum efferebatur solus, ilico & aliorum imperio subiectus pro fideli susceptaque vltro servitute magis illicitur. Tum qui tanto se in discrimine iacentem videbit, cautius sibi prospiciet. Vacabit assidue orationi, incubabit, lectioni incumbet, ieiunia augebit. Sed quo magis hæc efficiet eo magis etiam bonorum operum suorum vanitate capietur, quantoque duriora quæ sustinebit fuerint, tanto quoque permulcente illa inanitate gloriæ dulciora videbuntur. In quo refert Cassianus pulchre Abbatem Macarium cuidam percunctanti, cur fame ab hora tertia in eremo pulsaretur, qui in cœnobio hebdomadibus integris refectionem contemnens non sensisset esuriem,

F

Vitiorũ proculcatio difficillima est.

Gloria propriæ sanctitatis nullus est morbus perniciosior.

G

Gloriæ inanis morbus vbi irrepsit in humanas mentes, non facile evelli potest.

H

Cassianus.

A

esuriem, respondisse, quia hic nullus est qui ieiunij tui testis sit, qui te suis laudibus nutriat atque sustentet. Ibi autem te digitus hominum & cenodoxiæ refectio sagionabit. Quæ advertens Climacus recte ait a dicit à religioso homine renunciari oportere, terrena imprimis omnia bona, dehinc propriam opinionem propriamque voluntatem, demum inanem illam gloriam, quam renunciatio horum omnium parere solet. Quare & Theophrastus, quem summæ prudentiæ fuisse tradunt, cum moriens interrogaretur à discipulis, an quippiam mandare vellet, dixisse fertur, nihil quidem quod imperaret se habere, nisi quod multa dulcia gloriæ obtentu vita mentiretur, tunc mori nos cum vivere incipimus, inanius esse nihil amore gloriæ, maioremque esse vitæ vanitatem quam utilitatem, atque hæc cum diceret animam simul exhalasse.

Religiosum hominem tribus renunciare oportet bonis, suæ voluntati, & vanæ gloriæ. Morimur cum vivere incipimus.

Gaudebit igitur cum se supra alios intelliget insistere orationi, ieiunio, cæterisque sanctis laboribus, nec gravior ob vani benefactorum suorum gloriam secutabit, mox inter multorum ora versari, commendarique opera magis etiam lætabitur, sic pedetentim cum multis placere & notum esse cupit, morbus augetur.

B

Quod evitasse non sine magna laude memoratur Democritus Abderites, cum Athenas venisset, atque ob despectum gloriæ agnosci à quoquam noluisset. Age vero fac ut consentus penetralibus cubiculi sui nemini optet cognitam fieri austeritatem vitæ suæ, invisasque animo habens humanas laudes solitaria loca petat, ut ab hominum segregatus consortio facilius queat ab ea se contagione liberare. Sed nec tunc quidem desiderij sui compos factus est: Nam & maior tunc insurgit pugna, & quo strictiore vivendi via gradi cœperit, eo acutiores etiam gloriæ stimulos sentit, cogitansque tantum adeptus sit ut derelicta aliorum delirantium mortalium turba, omnia contemnere solique sibi vacare queat, habensque neminem (ut Basilius ait) qui possit improbare opus ipsius, videtur sibi ad summam perfectionem pervenisse. Tum deinde sine ullo exercitio degens, neque quid sibi vitij abundet, neque quid virtutis desit, agnoscit, neque discretionem habere potest in operum qualitate, quod operandi ei materia omnis exclusa sit.

C

Fac demum quoque ut despecta omni laude omnique gloria solum Deum cogitet, solus ipsius causa pernoctet, oret, ieiunet, omnibus vacet sanctis operibus, faciat clanculum, ut nulli velit, non sibiipsi etiam, manifesta esse; insidiæ & tunc etiam latentiores ac graviores erumpent, metus ubique, ubiq; discrimen. Nam mens conscia sinceritatis summæque integritatis suæ quæ se Dei verum habitaculum factam esse novit, maius atque potentius bellum sustineat necesse est, in quo magna vi per quem opus erit ne cum eius, quam assecuta fuerit virtutis & gratiæ gloriam alta consideratione contempserit, pro ipsius rursum gloriæ contemptu in gravius aliud præcipitium prolabens glorietur, ita inextricabili quasi Labyrintho errans, aut obscura sub nocte decertans, dum se ab hoste tutari putat, incautius sibi letale vulnus infligit.

Io. Climacus. Dæmonum ars in expugnandis humanis mentibus quanta sit.

Quo loco memorabile videtur quod refert Climacus sanctissimum quendam contemplationisque studio maxime deditum hominem exemplo suo ostendisse quanta esset sagacitas inexpugnandisque humanis mentibus ars dæmonum. Nam sedenti ei in quodam cœtu monachorum, circumsteterunt duo inanis gloriæ & elationis dæmones, obsidentes unus dextrum latus alter sinistrum, atque statim pulsans eum qui dextro lateri assistebat, digito suo gloriabundo suadebat ut palam omnibus aperiret contemplationem quandam quæ illi deserta loca incolenti contigerat: Quem cum fortis ille animo persistans repulisset cum eo versu Psalmi: *Avertantur retrorsum & erubescant qui volunt mihi mala:*

D

Psal. 34.

tunc præsto se obtulit alter qui sinistrum latus obsidebat immurmurans auri, Beneque inquiens habeas, qui tam bene egisti, factusque es victor & triumphator irreverentissimæ impudentissimæque matris meæ inanis gloriæ: Quem & illico non minore animi fortitudine effugavit tanquam sagitta emissa feriens eum sequentibus verbis alterius Psalmi: *Avertantur statim erubescentes qui dicunt mihi, Euge euge.* Quare apte patres pares, dum naturam & mores huius manifestis describerent, cæpis & bullis persimilem esse dixerunt, quibus multiplici veste contectis cum unam exueris alia rursum, quæ pene illam sequens latebat, quasi redivivo ordine pullulans aperitur. Ideo Chrysostomus huius mali summum periculum cognoscens in primo eorum librorum quibus Stagirium monachum arreptitium consolatur: *Est & alia,* inquit, *species pestis quæ plurimum roboris habet ad exhaurienda ac penitus euacuanda bona nostra, quæ cum multo sudore collegimus, ventus scilicet inanis gloriæ.* Nam revera venti instar ingressa thesauros omnes virtutis exsufflat. Plurimi enim ex his, qui apud nos videntur ingentes virtutis causa labores tolerasse, ac vere tolerarunt, cum omnia ad honorem hominum non pro Dei gloria facerent permissi sunt in tentationem labi, ut multitudinis opinione & gloria nudati, per quam detrimenta omnia perpessi sunt, eiusque gloriæ naturam in nullo flore fœno meliorem esse addiscentes, iam Deo soli vacent, atque ipsius causa gerant omnia. Climacus etiam, quem modo diximus, convenienter formicæ æquiparat: quæ brevis licet & pusilla, ingentes tamen segetum fructus gravi labore quæsitos rapit, insidiatur formica ut grana maturescant, stat itidem in insidijs inanis gloria expectans ut spirituales divitiæ cumulentur, gaudet formica coacervatas frugum opes populari, gaudet pari modo inanis gloria bene partos virtutum thesauros dispergere. Inde eam etiam vocat perditricem spiritualium laborum, insidiatricem cœlestium divitiarum, naufragium in ipso portu, matrem præcursoremque superbiæ: quod nunquam deserat hominem, sed ad ipsa usque sepulchra comitetur. Quæ quo magis refertam domum virtutibus viderit, eo maiorem spem ibi habitandi concipiat: quæ tam in sordidis quam in bene cultis vestibus nocendi viam facilem inveniat, quæ sive crapulandum sit, sive ieiunandum, sive loquendum, sive tacendum, utrobique pariter habeat ubi vires suas exerceat: cuius & tantam esse perniciem dicit, ut cum cuilibet virtuti aliquid se vitij semper occulte immisceat, non aliter ac haurienti aquam è fonte accidere solet, qui cum aqua & arenam simul trahit: Hæc una tamen tanquam commune quoddam collyrium aut pestiferum poculentum omnibus se latentes virtutibus permiscet, magno semper cellura nocumento. Nam (verbi causa) hospitalitati nimia edendi bibendique indulgentia, licentiorque familiaritas & sermocinatio, discretioni astutia, suique ipsius confidentia, prudentiæ malignitas, mansuetudini pigritatio, otiosaque lenitas, iustitiæ, duricies cordis, & amor propriæ voluntatis, silentio, amaritudo animi & indiscretio, gaudio spiritus sancti iactantia, nimiaque sui æstimatio, spei, negligentia, teporque contritionis & pœnitentiæ, caritati, studium iudicandi, vitæ solitariæ, accidia exercitiumque inconveniens & inutile, humilitati, nimium silentium nimiaque abiectio, atque ita singulis virtutibus singula admiscentur vitia. Hæc autem una (ut diximus) omnes passim subit virtutes, omnibusque communis hostis, insidias & bellum latens parat. Gregorius exactis Moralium voluminibus, cum ea sancto dictante spiritu edidisset, non potuisse tamen dicit eam eximij operis se delectatione non tangi, afferens etiam similitudinem ciborum, qui cum necessitatis causa, ut eis sustentemur creati sint, non sine tamen voluptate sumi possunt. Chrysostomus in eo dialogo quem scripsit de fuga curæ pastoralis: *novi* (inquit) *quanto maioribus fluctibus quam qui ventorum flatibus excitantur iactetur anima sacerdotis, & principio quidem pessimus scopulus vana gloria, quæ nimium habet suavitatis, occurrit magis omnium nexius quam illi scopuli, qui monstruosi à fabularum inducantur*

ducuntur auctoribus. Scribens quoque super Epistolam beati Pauli ad Philemonem: *Cæterum (ait) quemadmodum venti quidam feri atque immanes cum in serenum irruerint pelagus ipsum totum à fundo perturbant, adeo vt & arena fluctibus vndis misceatur, ita & hæ perturbationes cum in animam irruperint cuncta permiscent, & quæ superiora erant ad infima detrahunt, excæcantque mentis clarissimum lumen, atque imprimis gloriæ vesana cupido.* Nam pecunias quidem facile contemnet dum id instituerit, porro honoris esse negligentem, laudemque non affectare multorum, maximo labore indiget, magnæ philosophiæ & animæ cuiusdam angelicæ, & quæ ipsum verticem cœlestis attigerit certum argumentum est. Nullum enim profecto perniciosius vitium est, nulla magis violenta perturbatio, & quæ ita ferme omnibus in locis obtineat, alibi amplius atque alibi minus, vbique tamen.

Laudem non affectare multorũ maximo labore indiget.

CAPVT IV.

Religiosum & sanctum, aut quotidie in melius proficere, aut paulatim deficere.

HAud mirum igitur, si quæ tantis callidi huius hostis insidiis obsidentur, quæ tam assiduos immanis huius belluæ insultus patiuntur mortalium mentes, in æstuationem etiam, quam iugiter ipsa excitare non cessat, virtutumque suarum confidentiam facile deducantur. Ad quam quamplurimum quisquis quantacunque sanctitate præditus se deduci permiserit, necesse sit vt retro longe, vnde multo iam labore conscenderat prolabatur: quod non plane fortasse quispiam prima fronte confitebitur, sed confiteatur quisque necessario conuincetur. Nam cum diuinam solam naturam incommutabilem, contra vero angelicam simul atque humanam mutabilem esse constet. Ideo Dei summam perfectionem ac sempiternam bonitatem credimus, quæ neque augeri minuive, neque extendi contrahive, neque loco aut tempore claudi vllo modo possit, quæ cum cuncta moueat, sola tamen solida semper stet & immobilis, nullique agitationi aut varietati subiecta. At angelicæ humanæque naturæ vel adiici, vel minui, vel immutari aliquid posse dubitandum non est, neque eos qui æterna fruuntur beatitudine spiritus, quod Deo continue assistant, ideo immutabiles putemus, cum non propria id natura, sed sancto, quo magis etiam promerentur voluntatis suæ studio, curaque & industria ac singulari quodam magis Dei dono & gratia consequantur, quæ res seditiosum illud spirituum agmen cælesti ea arce deiecit, qui cum mutabilis essent naturæ negligentes, quæ nacti erant æterna bona voluntatem omnem suam & studium immutantes peruerterunt, factique Deo rebelles, longeque ab eius amore alieni æternas ac meritas præsumptionis suæ pœnas luerunt, ita Deum solum incommutabilem esse sacræ nos instituunt doctrinæ, Quod & Apuleius philosophus gentilis confirmat: Scribens enim de Deo Socratis, Deum dicit semper eodem statu mentis æthereæ æquabilitate potiri, neque à sua perpetua secta ad quempiam subitum habitum dimoueri, non alterius vi, (nam nihil est Deo potentius) non suapte natura, sponte (nam nihil Deo perfectius) quæ perfectio minime in eo intelligi posset, si à priore statu ad aliam rectiorem migraret, cum præsertim nemo sponte capessat noua, nisi quem pœnituit priorum, neque potest subsequi illa mutata ratio sine præcedentium infirmatione. Quapropter nullam Deum debere perpeti vel operis, vel amoris temporalem perfunctionem, & iccirco nec indignatione, nec misericordia contingi, nullo angore contrahi, nulla alacritate gestire, sed ab omnibus animi passionibus liberum nec dolere vnquam, nec aliquando lætari, nec aliquid repentinum velle vel nolle.

Diuina sola natura incommutabilis est.

Spiritus qui æterna fruũtur beatitudine immutabiles.

Esa. 43. Deus solus incommutabilis.

Noua nemo, nisi quẽ priorum pœnitet, capessit.

Cum itaque præter Deum omnia mutabilia sint, considerandum est mentes quam maxime hominum, quibus nihil est volucrius & inquietius, nunquam suo vllo & stabili loco stare posse, agitari autem hinc inde, volitanti quodam excursu continue ferri, quæ more currentis fluminis in vlteriora semper aditum quærunt, atque pernicibus quasi alis sublatæ altius semper nituntur ascendere: Quoque magis ascenderint despicientes quæ inferiora sub se reliquerunt, maiore etiam ascendendi sublimioraque penetrandi ardore rapiuntur, existimantes ea ad quæ peruenerunt, infima & deiecta esse comparatione eorum quæ nondum attigissent: Superesse autem longe altiora intuentur. Nam, vt pulchre inquit Cassianus, quanto magis profecerit mens humana, & ad interiorem contemplationis peruenerit puritatem, tanto se immundiorem quasi per speculum suæ puritatis inspiciet. Quia necesse est vt dum animus ad sublimiorem se tendit intuitum, & maiora quam agit prospiciens, concupiscit illa in quibus est, vt inferiora semper ac viliora despiciat. Nemo enim illo in quo est potest esse contentus, & quanto quis fuerit purgatior tanto se sordidiorem videns magis humilitatis quam elationis inueniet causas, quantoque pertinacius ad sublimiora conscenderit, tanto amplius prævidet sibi superesse quo tendat. Id docet nos etiam Leo papa non minore sapientia quam nitore sermonis. *Nemo enim (dicit) ad cognitionem veritatis magis appropinquat, quam qui intelligit in rebus diuinis, & si multum proficiat, semper sibi superesse quod quærat. Nam qui ad quod tendit peruenisse præsumit, non quæsita reperit, sed inquisitione deficit.* Quare & recte à Salomone scriptum est: *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectum diem,* quæ verba declarans Gregorius: In eorum dicit animo bonum desiderium atque intellectum lucis intimæ iam partem diei esse, sed quia vsque ad finem vitæ proficiunt in virtute, ad perfectum diem tunc venire quando ad regna cælestia perducti in ea luce quam desiderant iam minus aliquid non habebunt. Necessarium est ergo vt dum humana mens, quam nunquam consistere, vltra autem progredi & ascendere semper diximus, in æstimatione sui elata plena se quiete frui, optatumque perfectæ sanctitatis portum putat attigisse, retro ruat, immanique reuoluta casu præcipitetur, vt quem ascendendo non potest, suum saltem descendendo motum operetur. Quemadmodum in aquis fluminum videmus, quæ continuo cursu fluentes, si obiectam sibi forte molem aliquam offenderint qua profluuus earum impediatur, retro labi retroque cedentes vortices mutare coguntur. Quod idem quem ante retulimus Cassianus intelligens: Necesse est (ait) vt secundum Apostolum aut renouatus quis spiritum mentis suæ per singulos dies proficiat, ad ea se, quæ ante sunt, semper extendens, aut si neglexerit, consequens est vt retro redeat, atque in deterius relabatur. Quapropter istud erit euidens nostri inducium detrimenti, si intellexerimus non nihil amplius acquisisse, nec dubitemus nos retrorsum omnimode reuocatos, qua die non senserimus ad superiora pressos, quia nec in eodem statu mens hominis potest iugiter permanere, nec in hac carne consistens ita virtutum apicem possidere quisquis ille sanctorum est, vt immobilis perseueret. Cuius tanti mali causa est sui æstimatio & confidentia, quam recte à quodam sanctorum patrum Ephrem refert appellatam esse *ventum corrumpentem monachi fructus.* Berion vero gentilis philosophus verissime dixit esse *profectus impedimentum.* Ideo recte Climacus, omnes qui tranquilla religionis quiete fruerentur, neque indies semper melius proficerent, eos dicit elatione mentis raptos esse. Cuius morbi perniciem probe etiam cognoscens tandem esse ait, vt cum in extrema iaceat paupertate, summis se tamen opibus putet abundare, & cum densa sit obsita caligine tenebrarum, splendidissimum se lumen intueri existimet, quæ non modo impedit

Mentibus hominum nihil volucrius & inquietius.

Prou. 4. De pœnit. dist. 2. Non reuertebantur.

Eph. 4.

Mens hominis in codẽ statu permanere nõ potest.

Io. Climacus.

animam

tenebrarum, splendidissimum se lumen intueri existimet, quæ non modo impedit animam ad meliora procedere, sed quicquid etiam gratiæ ante consecuta fuerat, totum id violenter rapit & dissipat. Scribit quoque se audivisse à quodā spectatæ prudentiæ & sanctitatis dignoque memoria viro qui diceret, si duodecim essent capitalia quæ nos ad mortē ducerent, vitia, posse vnam solā Superbiam atque elationē supplere omnium locum. *Ne fiduciam ergo* (inquit) *vllam habeas tuipsius, licet mundus peccati labe videaris, & si scalam etiam ascenderis omnium virentium, tunc sollicitius ora Deum vt misereatur peccatorum tuorum.* Restat ergo iuxta Gregorium, *vt in eum quod scit sese mens deprimat, ne quod virtus scientia congregat, ventus elationis tollat.* Magnus vnusquisque esse studeat, sed tamen esse se aliquo modo nesciat, nedum sibi magnitudinem arroganter tribuit; amittat. Nec ignoravit Chrysostomus huius belluæ mores dum ad Theodorum monachum lapsum scribens ait: *Christianus tunc maxime supra omnes esse incipit cum inferiorem se omnibus existimat.* Humilitas quidem non tantum illa laudatur quæ conscientia peccatorum evenit sed & quæ ex virtute descendit & Deo cara est, & quia in ea requiescit Deus, ideo omnibus dominatur, & nullus eam de hac dominatione detrudere potest. Quod idem quoque cum ad Demetrium de compunctione cordis scriberet eleganter expressit. Post enim multas singularesque quas ei laudes attribuit: *Quid ergo* (ait) *tibi amplius addere poterit nostri sermonis oratio, quam & hoc ipsum, quod cum ad summum virtutum verticem veneris, temetipsum tamen cum his reputas, qui adhuc humi repunt, & volantem profectibus animam, lapideam vocas, ita vt frequenter tenens dexteram meam & deosculans cum lacrymis conteri eam angas & emolliri.* Id præclare etiam nos instruit in his quas scripsit super Epistolam beati Pauli ad Philemonem annotationibus. *Audi enim* (inquit) *& exhorresce, & nunquam prorsus de humilitate elateris.* Fortasse ridetis quia diximus humilitatem attollere, sed desinite mirari. Extollit illa nisi vera & germana fuerit. Quonam id modo, est ea profecto ars diabolica, vt quemadmodum plures eo quod inanem gloriam vicerint, gloriantur inanius, ita & quia se humiliaverint extolluntur. Verbi gratia: Venit quispiam si aset aut etiam servus: suscepisti eum, lavisti pedes, continuo magnum sapere cœpisti, fecisti quod nemo. Humilitatem consecutus es, ea te cogitatio extollit, immo ea alto potius deiicit. Vnde igitur possit quis solida in humilitate persistere, si præceptum Domini semper animo verset, quo ait: *Cum feceritis omnia, dicite, servi inutiles sumus* & rursus orbis magistrum dixisse meminerit, *Ego me non arbitror comprehendisse.* Ille solus humilitatem animi vere consecutus est, qui sibiipsi persuasit quantumlibet peregerit, nihil se magnum gessisse, qui necdum ad finem pervenisse arbitratur. Super Matthæum vero scribens. *Noli* (ait) *te putare quicquam fecisse cum feceris, & plenissime cuncta feceris.* Item. *Si vis* (inquit) *sublime ascendere virtutum, noli sapere sublime, & illud quod egeris esse monstrabis excelsius.* Hieronymus autem in epistola ad Ctesiphontem vtilium: *Cum me* (inquit) *putavero ad calcem venisse virtutum, tunc habebo principium.* Hæc est in hominibus sola perfectio, si imperfectos esse se noverint. In dialogo quoque in quo Atticum & Critobulum colloquentes inducit, interrogans. Quid ergo sapimus, immo quid sapere debemus? Respondet, qui perfecti sumus, imperfectos nos esse confiteri, & nec dum comprehendisse, nec dum accepisse: *Hæc est hominis vera sapientia imperfectum esse se nosse* atque (vt ita loquar) cunctorum interne iustorum imperfecta perfectio est. Antonius ille magnus Ægyptius, dum congregatis quadam die fratribus rogaretur vt præcepta eis aliqua institutoria traderet: *Hoc sit* (inquit) *cunctis in commune mandatum nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem semper agere debere quod cœpit, præsertim cum humana vitæ spacia æternitati comparata brevissima sint.* Alcimus Avitus, qui fuit Episcopus Viennensis, habuit sororem Fuscinam virginem Deo sacratam, ad quam scribit libellum *de consolatione castitatis* dictione numeris ligata. Est vero carmen eius minime contemnendum, inter cætera non aliter ac ego vos, ille eam hortatur his versibus:

Superbia omnium vitiorum locum supplere potest.

Christianus maxime esse incipit quando humilis sit.

Humilitas aliquando extollit. *Luc. 17.* *Phil. 3.* Humilitatē animi quis vere cōsecutus sit.

Perfectio sola est se imperfectos esse nosse.

> *Nec secura datur requies in carne caduca.*
> *Vertuntur nam sæpe boni, perit obruta virtus,*
> *Partaque transacta decedunt præmia laudis,*
> *At plerumque solet subito succensa calere*
> *Frigida quæ nuper fuerat mens, linquere mundum,*
> *Atque repentino restringere crimina fræno:*
> *Impius vt speret veniam, iustusque timendo*
> *Proficiens cumulum magnis virtutibus addat.*
> *Nam studium sancti laxet si forte laboris,*
> *Pigraque consuetas dissolvant otia curas,*
> *Labitur in præceps damnosa gloria vitæ.*
> *Stare nequit meritum si non acquirit eundo,*
> *Amissis rediens, nitendum est viribus amplis,*
> *Vt satis angustum servent vestigia callem.*

Sed & Bernardus, dum ad perseverantiam fratres Alpenses hortaretur illis verbis quæ superiore libro retulimus, ostensurus etiam quantum perseverantiæ necessaria sit sui deiectio & diffidentia, hæc insuper adiecit. *Et hoc quidem assidue vos astitare confidimus. Cæterum vanum opus fecissetis, omnes miramur, quod cum sancti essetis non reputantes vestram sanctitatem aliquam participare curastis, vt essetis sanctiores. Impletum est quod legitur in Evangelio*: cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite quia inutiles servi sumus. *Inutiles vos reputatis, & humiles inventi estis.* Recta facere & inutilem se reputare apud paucos invenitur, & ideo multi admirantur. Hoc inquam hoc prorsus vos de illustribus reddit illustriores: sanctiores de sanctis, & vbicunque divulgatus est sermo iste, replevit omnia odore suavitatis. Hæc virtus me iudice præfertur etiam protractis ieiuniis & anticipatis vigiliis omni denique corporali exercitio, *tanquam vere pietas quæ ad omnia valet.* Ad Diogenem vero monachum confirmans etiam pulchrius quæ supra tradidimus, ita dicit. *In se nunc frater veram probamus esse illam sententiam*: Cum consummatus fuerit homo tunc incipit: *Iudicium ergo tuæ consummationis est quod nunc cœpisti, & in quo arbitraris te non comprehendisse iam comprehenderas.* Nemo quippe perfectus qui perfectior esse non appetit, & in eo quisque perfectiorem se probat quod ad maiorem tendit perfectionem. Quod cum raro cuiquam contingat, inde fit quod idem ad Richardum Abbatem Fontanensem ac socios etiam scribit his verbis: *Multo facilius reperies multos sæculares converti ad bonum, quam vnum quempiam de religiosis transire ad melius. Quis est in terris qui de gradu quem forte in religione semel attigerit, vel parum ascendit?* Mira hæc quidem & magni plena terroris, quæ nec nostra fretti auctoritate proferre vllo vnquam modo auderemus, nec si auderemus magna sine reprehensione evadere possemus. Id vero quotiescunque evenit, non aliunde evenire putandum est, quam propter præsumptam (de qua satis dictum est) perfectionis propriæ opinionem, quæ eo magis etiam timenda est, quo cum facile in ipsam decidatur, summa tamen difficultate ab ea resurgatur, atque ad derelictum iam pristinum mentis statum redeatur, more remigantium, qui si navim, quam de terra ipsi præcedentes trahunt, vel negligentia vel deficientibus viribus relabi sinant, lassabuntur postea magis, atque in ea retrahenda maiorem longe insudantes laborem sustinebunt, iuxta illud Virgilianum:

> *Non aliter quam qui adverso vix flumine lembum*
> *Remigiis subigit, si brachia forte relaxat,*
> *Atque illum in præceps prono rapit alveus amni.*

Quod & intelligens Anselmus ad Ianzonem monachum *Moneo* (inquit) *& precor, carissime, quatenus sicut scriptum est* omni custodia serves cor tuum: *nihil*

Alcimus Avitus.

Versus Alcimi.

Luc. 17.

Humilitas animi omni corporali exercitio præfertur.

Perfectus nemo qui perfectior esse non appetit.

Religiosi raro transeunt ad melius.

Opinio propriæ perfectionis summopere timenda.

Virgil.

sit quod mentē tuā à sui custodia revocet: sollicite discutias quid quotidie acquiras proficiendo, ne quid (quod absit) perdas deficiendo. Sicut enim in virtutibus difficilius est aliquid non habitum conando assequi, quam desidia carere, ita gravius est recuperare quod per negligentiam amittitur, quam adipisci quod nondum quis habuisse cognoscitur.

LIBER III.

MAPHEI VEGII LAVDENSIS, DE PERSEVERANTIA Religionis.

CAPVT I.

De remediis contra morbos impedientes perseverantiam ac generali omnium remedio, Timore Dei.

HACTENVS expositi sunt à nobis morbi qui sanctæ perseverantiæ nocumentum afferre possunt. Nunc reliquum est ut (quod superius polliciti sumus) remedia, quibus illi curentur, explicemus. Ridetis fortasse fratres sorores, qui tot varias se artes novisse profiteatur: Nam cum rustici simul & cæmentarij magisterij instructos nos principio restati sumus, medicinæ etiam, si pollicitationi nostræ creditis, non ignari videmur, sed attentum adhibete animum vestrum, non abjicietis, neque ut spero, contemnetis divina quæ vobis salubriáque certo medicamina trademus. Cogitate tantum: si plus æquo abundant vobis vel melancholici vel phlegmatici humores, non deerunt nobis herbæ atque radices quibus illos expurgemus. Ante omnia vero quibus æstimationem perniciosissimam illam omnium pestem vel cauteriis domemus, vel succis expellamus, studiose est à nobis consideratum opportuneque provisum. Qua qui aut infici timuerit, aut infectus curari voluerit, imprimis oportebit ut (quod est generale omnium quæ infra docebimus, remediorum) condimentum proponat ante oculos suos assiduum Dei timorem, quem & *initium sapientiæ* merito dicit Propheta, & nihil profecto habet sancta, de qua scribimus, Perseverantia quo majore utatur adminiculo, majoréque præsidio, nihil quo se magis tueatur, magisque ab adversa omni vi injuriáque defendat. Vnde & gigni illam primo supra libro tradidimus, gerit namque sedulus pater sedulam filiæ curam, & ita gerit ut nullus eo validior duriórque hostis ac propulsator objiciat se contra nequitiam immanissimæ illius belluæ: nullum contra etiam cohetur illa magis proculcare atque exterminare, cujus vim merito solertiámque formidat. Quod Tertullianus, summi vir acuminis & doctrinæ, probe cognoscens, dum *de cultu fœminarum* scribit: *Debemus autem, ita sancte & tota fidei substantia incedere ut confessæ & secura simus de conscientia nostra, optantes perseverare id in nobis non tamen præsumere, nam qui præsumit minus veretur, minus præcavet, plus periclitatur.* Timor fundamentum salutis est, præsumptio impedimentum timoris. Vtilius ergo si speremus nos posse delinquere: Sperando enim timebimus, timendo cavebimus, cavendo salvi erimus. Contra si præsumamus, neque timendo, neque cavendo, difficile salvi erimus. Qui securus agit non est sollicitus, non possidet tutam & firmam securitatem, & qui sollicitus est is vere poterit esse securus. Et de suis quidem servis Dominus pro misericordia sua curet, etiam præsumere illi de bono suo feliciter liceat. Quare advertens quoq; Cassianus eius utilitatem atque dignitatem, principiumque salutis nostræ ac sapientiæ cum secundum scripturas affirmans: *De timore Dei*, inquit, *nascitur compunctio salutaris, de compunctione cordis procedit nuditas & contemptus omnium facultatum, de nuditate humilitas procreatur, de humilitate generatur mortificatio voluntatum, mortificatione voluntatum extirpantur atque marcescunt universa vitia, expulsione vitiorum virtutes fructificant atque succrescunt, pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur, puritate cordis Apostolicæ charitatis perfectio possidetur.* Ita igitur timorem Dei continuum animo habebimus ut præsumptionem conculcemus, ita præsumptionem conculcabimus ut in suscepto quovis bono opere proposito perseverare possimus.

Psal. 110. Prov. 1. Timore Dei se tuetur perseverantia.

Tertul.

Timor fundamentum salutis est. Sollicitus qui est securus esse poterit.

CAPVT II.

De remedio primo cognoscendi Dei.

QVod ut facilius fieri queat, primum illud adhiberi debebit, quod est præ omnibus præcipuum & singulare remedium *cognoscendi Dei*, qui est auctor cunctorum bonorum, sine quo nulla vel incolumitatis vel prudentiæ vel doctrinæ vel sanctitatis gratia haberi potest, quod cum & à gentibus diligentissime observatum fuerit, erubescere longe debebunt qui illud neglexerint Christiani. Mirum est enim quantum illi studij adhibuerint in cultum Deorum suorum, habendisque ad eos gratiis. Quod testantur urbium murorumque & arvorum frequentes & sacræ lustrationes, religiosæ quoque & solennes pro susceptis frugibus, partisque victoriis victimarum litationes, & ludorum celebrationes, & quas in obsidione civitatum solebant prius facere proprij cuiusque & tutelaris Dei evocationes, nec minus quæ pro acquisitis doctrinis ingenio atque virtutibus referebantur ab illis gratiæ, quemadmodum à Pythagora factum esse traditum est, qui Musis bovem immolavit, cum in Geometria quiddam novi invenisset, licet non probet id Cicero, quam ille ne Apollini quidem Delio hostiam immolare voluit, ne aram sanguine aspergeret. Quare illud elegans Biantis Prienei dictum fuisse memoratur. *Quodcunque boni egeris ad Deos refer.* Sed audiamus sanctiores fidei nostræ cultores. Ait enim Iacobus Apostolus: *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est descendens à patre luminum.* Paulus ait: *Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, non quia à nobisipsis idonei simus cogitare aliquid quasi à nobis, sed sufficientia nostra Christus est.* Ad Corinthios quoque: *Quid* (inquit) *habes quod non accepisti? Si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis?* Alio etiam loco: *Gratia Dei sum id quod sum. Et non ego sed gratia Dei mecum.* Et ut *non simus fidentes in nobis, sed in Domino qui suscitavit mortuos.* Et: *qui gloriatur, in Domino glorietur.* Vt autem dicit Augustinus. Omnis intentio gratiæ novi Testamenti, qua sursum cor habemus, id agit ne ingrati simus. In ipsa gratiarum actione nihil aliud agitur nisi, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. In Ezechiele, dum dicitur quod sancta animalia ibant & revertebantur, ita interpretatur Gregorius, ut vadant sancti prædicatores cum ad insinuandam cælestis doni gratiam mittuntur, mira coram fidelibus facientes, sed redeant, quia hæc omnipotentis Domini virtuti tribuentes, sibimetipsis quæ fecerint non ascribunt, redduntque illi laudem per quem se posse talia sciunt. Sic Petrum refert fecisse cum præsentibus multis atque mirantibus sanasset hominem, qui claudus ex utero matris fuerat: *Quid miramini enim*, inquit, *in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare? Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus patrum nostrorum glorificavit filium suum Iesum. In*

Gentes multum studij adhibuerunt in cultum Deorum suorum.

Cicero.

Iac. 1. 2. Cor.

1. Cor. 4.

1. Cor. 15.

1. Cor. 1. & Hie. 9.

Ezech. 1. Animalia euntia & revertētia in Ezechiele quid significent.

Act. 3.

fide

A Luc. 17.

fide nominis eius hunc quem vidistis & nostis confirmavit nomen eius. Ad quod quam maxime etiam illo Salvatoris nostri invitamur exemplo, cum mundatis decem leprosis, atque vno tantum gratias agente, aliorum ingratitudinem exprobravit.

Est vero illud plenum terroris quod legimus, Neminem posse discerni ab illa perditionis massa, nisi qui hoc bonum habet vt credat, quia quicquid boni habet gratia Salvatoris accepit. Chrysostomus de compunctione cordis ad Stolechum scribens, sanctos & magnos viros admonet, vt imprimis recordentur beneficia divina, & operum suorum gloriam non sibiipsis assignent sed Deo. Atque hoc cum plerisque paucis aliis sufficere eis dicit. Basilius vero Instituens monachos, *gloriatio*, inquit *in Domino est, cum quis ea quæ recte facit, non sibi, sed Domino ascribit.* Culpabilis gloriatio est vel cum laudatur peccator in desideriis animæ suæ, vel cum benefacientes laudari volunt, qui & sacrilegi sunt, cum gratiam Dei propriam faciunt. Cassianus, statum veræ humilitatis ostendens, oportere ait vt nihil nos absque Dei opitulatione, vel gratia posse proficere cognoscamus. Fulgentius gente Afer, genere autem & doctrina atque sanctitate singularis, ad Theodorum Senatorem, qui fuerat ad Christum conversus, ita elegantissime scribit: *Quod viam mandatorum Dei currere delectaris, non hoc tibi dat natura sed gratia: Nam & oculus sic factus est vt videre lumen possit, sed videre non potest nisi se illi lumen infuderit.* Quod ergo videt oculis beneficium est luminis, quo si careret, cæcus remanebit in tenebris. Nil itaque tibi boni tanquam tuum assignes, ne non accipias quod accipere poteras. Detestabilis est enim cordis humani superbia, qua facit homo quod Deus in hominibus damnat, sed illa detestabilior qua sibi tribuit homo quod Deus in hominibus donat. Damnabilis est qui substantia sæculi male vtitur, sed damnabilior qui spiritualibus donis superbus efficitur. Ioannes, qui fuit eremi cultor maxima præstans sanctitate, cum quidam eum invisissent salutandi (vt fit) colloquendique gratia, rogatus vt salubria aliqua ipsis monita daret, grave primo *iactantiæ* vitium atque periculum docens, duplicem aiebat esse huiusmodi mali speciem, vnam, quæ nonnullis accidit in ipsis statim initiis conversionis eorum, cum parum aliquid abstinentiæ impenderint vel pecuniæ in pauperes erogaverint, vel huiuscemodi alia egerint. Alteram vero, cum quis ad summam virtutem perveniens non totum Deo sed suis laboribus ac studiis deputat, & dum ab hominibus gloriam quærit, perdit eam quæ à Deo est. Post hæc vt dicta etiam sua exemplis confirmaret, narrabat quendam ex fratribus suis in vicina illi eremo habitantem, cum ad summum pervenisset sanctitatis culmen, elatum tandem profectu suo cœpisse stulta sui confidentia id quodcunque erat, meritis magis suis quam Deo, qui cunctorum est donator bonorum, adscribere, nec segnem diabolum vbi id animadvertit, statim insidias parasse, assumpta specie formosæ mulieris, quasi longo labore fatigata per heremum oberraret, tum accessisse ad eius speluncam, advolutamque genibus eius implorasse suppliciter auxilium, petiisseque se admitti in secretissimo angulo habitaculi eius, ne per noctem errabunda bestiarum forte dentibus interiret, commiseratum dehinc illum placide eam suscepisse. Tandem post mixtas varias verbis illecebras, correptū eam obscœno amore dum conceptum iam mente libidinis æstum implere tentaret, circumspectante innumerabili superbiamque eius exprobrante dæmonum turba; illusum turpiter contemptumque remansisse, ac nec bis quidem pœnitentia doctum, voluptatibus mundi deditum in perditionem penitus abiisse. Referebat quoque alium, cuius par elationis morbus, sed diversus tamen eventus. Is cum tanta animi virtute ad extremam vsque senectutem indies magis profecisset, vt panem miræ suavitatis ac candoris vltro cælitus allatum in deserto sumere mereretur, tandem gloriari tantis profectibus suis ac cuncta meritis suis (immemor divinæ liberalitatis) factis attribuere cœpit. Vnde paulatim à soli[...] constantia decidens, ad tantum maioribus cum quoti[...] die obvenientibus pessimis cogitationibus devenit lap[...] & ruinam, vt amisso primum cœlestis cibi dono, relic[...] tum demum eremo ad sæculum toto immutatus anim[...] rediret, deperiissetque nisi divina eum manu sublevan[...] tactus amarissima compunctione ad eremum rursu[...] revertisset, deflens iugiter peccatum suum, maioreq[...] cum austeritate atque humilitate vitam agens. Quib[...] adiicere quod de his sentit Climacus, operæ pretiu[...] videtur. Confusionem summam esse dicit, alienis o[...] namentis se extollere. Insanire autem manifeste quem[...] que qui gratias, quæ à Deo solo profectæ sunt, virt[...] suæ attribuit. Quare inquit pro omni perfectione gr[...] tiarum, quas antequam natus esses habueras, licet e[...] tollaris. Nam pro his quæ iam nato tibi obvenerun[...] soli Deo laudes habendæ sunt, qui eas omnes non ali[...] ac generationem & ortum ipsum elargitus est. Qui[...] quid virtutis absque vi mentis adeptus es, quicqu[...] vtique fortitudinis & tolerantiæ sine corpore, id t[...] tum tibi adscribere licebit. Nam cum mentem & co[...] pus tibi Deus tribuerit, proinde etiam quicquid il[...] te iuvantibus acquisieris, tributori eorum Deo attri[...] buas necesse est. Alio quoque loco abnegationem ha[...] Dei esse dicit, cum dono sapientiæ atque sanctita[...] quæ à Deo tantum concessa sunt, meritis propriis qu[...] sivisse quispiam putat: Negat enim Deum esse eoru[...] datorem, sine quo nihil consequi potuisset, atque id[...] merito ab eo quem despicit derelinquitur, solusq[...] ab omni fluditus gratia ruit. Et recte sane. Cum ca[...] tera enim quæque vitia in inferiorem aliquam re[...] creatam grassentur & desæviant, hoc tantum summu[...] rerum opificem impugnat, odioque persequitur, [...] pulcherrimum illum omnium angelorum, quod exce[...] lentiam virtutis suæ quam ab eo acceperat, sibi ipsi a[...] tribueret, è superna qua gloriabatur sede præcipitauer[...] æternoque barathri carcere nunquam exeundum intr[...] serit. Cuius exemplo non parum deterreri mortales d[...] bent, ne quod divina benignitas eis contulit sibi ascr[...] bentes, Deum habeant iratum atque vltorem, quod [...] contingat permultis sæpe sanctis viris tepefieri soliti[...] devotionis ardorem, vt intelligentes quanta ea fuer[...] quæ discessit cordis alacritas, manifestius postea tant[...] gratiæ cognoscant auctorem. Inde etiam, vt dicit Gre[...] gorius, aliquando prophetiæ spiritus prophetis dees[...] nec semper eorum mentibus præsto est quatenus cu[...] hunc non habent, se hunc agnoscant ex dono habe[...] cum habent. Ob hæc idem quoque Gregorius, du[...] cum Petro loquens Isaac monachum multiplici virtu[...] tum laude commendaret, vnum tamen quod gravi[...] in eo reprehendi posset, habuisse testatur, quia nor[...] nunquam tanta ei lætitia inerat, vt illis tot virtutib[...] nisi sciretur esse plenus, nullo modo crederetur, conti[...] gereque plerumque vt quibus maiora bona Deus præ[...] stat quædam minora non tribuat, vt semper eoru[...] animus habeat vnde se ipse reprehendat, quatenu[...] dum appetunt perfecti esse & non possunt, & labora[...] in hoc quod non acceperunt, nec tamen elaborant[...] prævalent, in his quæ accepta habent se minime exto[...] lant, sed discant quia ex semetipsis maiora bona no[...] habent, qui in semetipsis vincere parva vitia atq[...] extrema non possunt. Et hinc esse quod perduc[...] Dominus ad terram promissionis populo Israelitic[...] cunctos fortes atque præpotentes adversarios eius e[...] tinguens, Philistæos atque Cananæos divinus reserv[...] vit, vt, sicut scriptum est, in eis experiretur Israel fie[...] atque vt miro modo vna eademque mens & virtu[...] polleat, & ex infirmitate lassescat, quatenus & ex pa[...] te constructa sit, & ex parte sese conspiciat esse destr[...] ctam, vt per bonum quod quærit & habere non vale[...] illud servet humiliter quod habet, atque sic de vn[...] cuiusque anima vt humilitatis custodia aliquando [...] lucra maxima ex minimo damno servetur. Sed præt[...] hæc permittit quoque Deus multoties diffidentia qu[...]

Gloriatio in Domino quæ sit. B

Oculus quod videt beneficium est luminis.

Iactantiæ duplex est species. C

Exemplum Ioannis eremitæ.

D

Elationē perniciosam esse exemplo cōpertū habemus.

dam & tremore magno concuti sanctas mentes, quemadmodum Petro tanto illi tamque alti cordis Apostolo accidisse scribit Maximus, qui fuit Episcopus Taurinensis, æquauitque dignitatem eloquentia atque sanctitate: Ait enim: *Hic est Petrus quem Christi esse confidentissimum subiecta eius vestigiis maria probauerunt. Nam à Domino suo novos sibi dari in fluctibus gressus vt fidelis poposcit, & vt dilectus promeruit, qui ob hoc solum trepidasse visus est vt fragilitas humana cognosceret quanta esset inter Dominum seruumque distantia, dum aggrauata peccatis caro mergitur, & immaculata nescit planta residere.* Simul & illud ne dum super aquas ambulans Petrus pede intrepido peruenisset ad Christum Domini forte suis pedibus æquaretur, clamando enim dum mergitur, Domine libera me, de se diffisus est, non de Domino dubitauit. Hæc atque huiuscemodi alia diversa efficere Deum credendum est pro inscrutabili æternæ sapientiæ suæ consilio, cuius alta iudicia quæ minime indagare possumus, admirari saltem & laudare debemus. Nam vti in quemque vatie sua dona dispersit, ita quosdam abundantet, alios parce gratia sua pervenire: Nonnullos quasi negligere, plerosque vel cum tepefierint calefacere, vel cum ecciderint auxilio dexteræ suæ erigere videtur. Quod postremum per paucorum quidem hominum est. Accidisse autem id legimus Ezechiæ viro iustissimo, qui eum tantum à Deo gratiæ fuisset consecutus, vt diei ac noctis à natura constitutas leges immutans, præfinitum etiam mortis diem quindecim annis excederet. Post deuicta profligataque eius precibus, angelique adiutorio centum octuaginta quinque millia Assyriorum: Post tantam quasi virtute sua partam victoriam elatus cecidit immemor diuinorum beneficiorum, sed post compuncti contritique animi deiectionem, ingratitudinisque suæ accusationem restitui demum pristinæ Dei gratiæ promeruit. Id vero non aliter fit quam, vt dicit Augustinus in libro quem edidit *de quinque responsionibus contra Pelagianos*: Volens enim demonstrare quomodo voluntas humana à divina gratia præveniatur, affert subtilem aptamque equi similitudinem, qui ad opus hominum necessarius de armento voluptatum mundi vagus apprehenditur, & à sessore (qui gratiæ figuratur, curamque eius domandi suscepit) dirigitur, atque vt ille eum aliquotiens sub sessore pastus largioribus cibariis incumbens effreno cursu extollitur: tunc sessoris flagello cæditur, vt secundum eius ambulet voluntatem: ita similiter liberum hominis arbitrium, dum donorum gratiæ Dei immemor in prosperis efficitur, & tanquam de sui possibilitate gloriatus extollitur, eius flagello corripitur: cum in variis tribulationibus & afflictionibus paululum subiugatur: vt humiliatus homo in sua humilitate ad gratiæ recurrat auxilium. Quo loco merito mihi detestanda videtur impiissima pestilentissimaque Pelagianorum & Cælestinorum hæresis, qui gratiam Dei asserentes meritisque & virtutibus hominum cuncta attribuentes, posse etiam sine vllo peccato vitam hanc duci affirmantes, quid aliud tradere voluerunt, quam vt de quo susceptus est sermo, neque Dei summa in nos beneficia cognosceremus, neque ab immani proinde hac præsumptionis æstimationisque propriæ bellua liberati vnquam optaremus. Quos Hieronymus in dialogo, quem sub nomine Attici & Critobuli disputantium edidit, egregie confutauit: attestans se non plura scripturum, quod putaret Augustinum (quem *sanctum & eloquentem* appellat) tantu huic labori sufficere, quem sciebat ad multos multa huiuscemodi scripsisse, scribereque, nec falso. Hæc de Augustino Hieronymus. Sed illi mihi videntur omnium libri eloquentissimi, quos post confessionem erroris (quam apud Carthaginem & Constantinopolim Celestius, in Palæstina vero Pelagius habuerunt), contra rursus quendam Iulianum pessimæ illius hæresis defensorem, sex numero, summa doctrina summaque dicendi copia & arte composuit. Furiosa certe fuit horum sententia, inscientium tantam factori suo iniuriam, vt se sine peccato esse posse existimantes, quod divina à liberalitate acceperunt meritis propriis adscribere auderent, vt quod ipse dicit Augustinus, studium sanctitatis sine adiutorio Dei vellent in hominis voluntate præcedere, quod merito Deus debeat nos adiuvare gratis. *Si dixerimus enim* (ait Ioannes) *quod peccatum non habemus, nosipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* Et Iacobus: *In multis enim offendimus, &c.* Et Iob: *Nec ipsas stellas mundas esse dixit in conspectu Domini.* Salomon quoque: *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Scriptum est etiam: *Quis gloriabitur castum se habere cor? aut quis gloriabitur mundum se esse à peccatis?* Hinc Propheta ait *Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Et illud: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Et vt dicit Gregorius: *Sine culpa in mundo esse non potuit, qui in mundo cum culpa venit.* Propter quod Ecclesia non cessat quotidie Deo dicere: *Dimitte nobis debita nostra* Ideo Propheta humanam fragilitatem peccatis tot continue subiectam intelligens, nihil aliud omnibus carminibus suis quam divinum implorare auxilium contendit: *DEVS*, inquit, *in adiutorium meum intende, Domine ad adiuvandum me festina.* Et: *Domine ne elongaueris auxilium tuum à me, ad defensionem meam conspice.* Et: *Dominus regit me & nihil mihi deerit.* Et: *Dirige in conspectu tuo viam meam.* Et alia pene huiuscemodi innumerabilia. Quare recte etiam Augustinus in libro quem scripsit *de gratia novi Testamenti. Si tu deseris, ait quæ hominis virtus? quid est homo nisi quod memor es eius?* Non est vero omittendum quod in eodem libro propositis quinque quæstionibus ita respondet, vt omne earum fundamentum constituat in beneficiis, quæ non merito vllo humano, sed solius Dei liberalitate & gratia provenire putanda sunt. Nam quod *verbum carnem factum esse* scriptum sit, id refert ad gratiam novi Testamenti, quod sub veteri antea testamento promissum non omnibus apertum erat. Iisdem tradit de vigesimo secundo Psalmo, quo dicitur: *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti*: vt ad Christum, qui gratiam novi Testamenti secum duxit, omnia referentur. Cuius interpretationem persequens eum vniversum semel Iacob ad glorificandum Deum invitat, ad filios etiam promissionis extendit, vt illi filij sint beneficij: & hæc sit gratia quæ gratis datur: non meritis operantis sed miserationis donantis. Vnde etiam aliam tenebrarum exteriorum quæstionem explicat. Nam cum occasione illius Centurionis, qui Deum ex gentibus credidit, dixisset: *Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel.* adiunxit: *Dico autem vobis quia multi ab oriente & occidente venient & recumbent cum Abraham, Isaac & Iacob in regno cælorum, filij autem regni ibunt in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium.* Significans superbiam eorum qui ignorantes Dei iustitiam volentes constituere; iustitiæ Dei non sunt subiecti. De his quippe vana elatione tumentibus dictum est quod *ibunt in tenebras exteriores*; qui iactantes se de semine Abrahæ semen Abrahæ fieri voluerunt, vt essent filij promissionis. Quia fidem novi Testamenti non receperunt, vbi iustitia Dei commendatur, suam volentes constituere, id est tanquam de suis meritis & operibus præfidentes spreuerunt esse filij promissionis, hoc est filij gratiæ, filij misericordiæ, vt qui

gloriatur,

Margin notes: Matt. 14. — Petrus super aquam ambulans quare trepidauerit. — Rom. 13. — 4. Reg. 21. 32. Esa. 37. 4. Re. 19 — Pelagianorum & Cælestinorum hæresis detestanda merito videtur. — Augustinum sanctum & eloquentem appellat Hieronymus. — 1. Ioan. 1. — Iacob. 3. Iob 25. Eccl. 7. Prou. 20. — Ps. 142. & 50. — Matt. 6. & Luc. 11. — Psal. 69. Psal. 21. — Ps. 22. & 5. — Psal 8. — Ioan. 1. — Gen. 10. 2. — Matt. 8.

A 2. Cor. 10

constituere, id est tanquam de suis meritis & operibus præsidentes spreverunt esse. filij promissionis, hoc est filij gratiæ, filij misericordiæ, vt qui gloriatur, in Domino glorietur, credendo in eum qui vivificat impium, hoc est qui ex impio facit pium, vt deputetur fides eius ad iustitiam, & impleatur in eo non quod postulabat eius meritum, sed quod à Domino promissum est beneficium. Non igitur secundum *opera iustitiæ quæ fecimus nos; sed secundum, suam misericordiam salvos nos fecit.* Vnde in Psalmo. *Prætende Domine misericordiam tuam scientibus te, & iustitiam tuam his qui recto sunt corde.* Hinc igitur iustitiæ contraria est superbia, qua fiditur tanquam de operibus propriis. Ideoque ibi sequitur: *Non veniat mihi pes superbiæ.* Animæ igitur rationalis mutabilitas admonetur, quo nouerit nisi participatione incommutabilis boni, iustam, saluam sapientem, beatam se non posse: nec se etiam bonam esse posse propria quippe voluntate avertitur à buno incommutabili eaque aversione vitiatur. Nec saluari per seipsam potest sed gratuita misericordia sui creatoris, quæ in hac vita eam ex fide viventem, in spe constituit salutis æternæ. His adiungit simul atque dissoluit aliam quæstionem eorum verborum quæ à Paulo tradita interpretatum ipsum fuisse primo libro ostendimus, *longitudinis, latitudinis, ac profunditatis.* Quæ cum exponens diceret *longitudinem* intelligi debere *perseverantiam*: Latitudinem, charitatem, altitudinem, spem, profunditatis etiam tanquam illis connexæ & admodum necessariæ interpretationem non omisit: vt ea esset gratia gratuita, abscondita quidem & inaccessa humanis mentibus: cuius cum profundas & investigabiles, solique Deo intellectas rationes minime discernere possimus, ita bona quæcunque consequimur ad divinam magis benignitatem quam merita ad vlla nostra referemus, totumque hoc (vt verbis eius vtamur (non nobis sed illius misericordiæ tribuemus, cuius profunda iudicia omnem scrutatorem fatigant, Demum (quam libentius vobis sorores charissimæ propter sanctum Virginitatis vestræ votum referimus) attingit aliam quinque stultarum quinque sapientumque virginum quæstionem. Neque dubitamus eam vos attentius audituras vehementiusque suscepturas. Nam si militum animi commoueri admodum solent, cum militaria exempla proponi sibi audiunt, quid mirum si vos vtique optimas virgines virginum audita argumenta magis excitabunt? Scribit autem non frustra Dominum eum & illas commemoraret quæ secum intrauerunt ad nuptias, & contra quas clausit ostium, & quibus respondit, *nescio vos*, vtrasque virgines dixisse propter continentiam, & quinque propter carnem edomitam quinario præditam sensu, ornatas vtrasque lampadibus propter bonorum operum, bonæque conversationis in conspectu hominum lucentissimam laudem, vtrasque obviam sponso euntes propter expectationem qua Christi expectatur adventus. Sed tamen alias sapientes, quæ acceperunt oleum in vasis suis, alias stultas, quæ non illud secum tulerunt, in tam multis pares, hoc solo tantum impares, quod videlicet sapientes oleum in vasis, hoc est intelligentiam gratiæ Dei portant in cordibus suis, scientes quod *nemo possit esse continens, nisi Deus det:* & hoc ipsum sapientiæ deputantes scire cuius hoc donum sit, stultæ autem largitori omnium bonorum gratias non agentes *euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum.* Dicentes se esse sapientes stultæ factæ sunt. De quibus sane nullo modo nunc desperandum est, antequam dormiamus, sed si ita dormierint eum factus fuerit clamor ille, quo adesse iam nunciabitur sponsus, & euigilantes, hoc est resurgentes remanserunt foris, non quia virgines non sint, sed quia nescientes vnde habeant sunt stultæ virgines merito foris erunt, quia internæ affectum gratiæ non secum ferunt. Quibus dicentibus: *Domine Domine aperi nobis.* Recte illis respondetur: *Amen dico vobis nescio vos.* Ille quippe dixit hoc quem non latet aliquid, sed *nescio vos* nihil est aliud quam, nescitis me quando potius de vobis eligitis confidere, quam de me. Cum enim dicitur quod nos cognoscit Deus, cognitionem sui præstat nobis, vt per hoc intelligamus ne hoc quidem esse tribuendum nobis, quod nos scimus Deum, sed eam quoque scientiam illius misericordiæ tribuamus. Vnde cum quodam loco Apostolus diceret: *Nunc autem cum cognoueritis Deum:* correxit & ait: *imo cogniti sitis à Deo*: quid aliud volens intelligi nisi quod eos ipse fecerit cognitores suos. Nemo autem cognoscit Deum nisi qui intelligit, illud esse summum atque incommutabile bonum, cuius participatione fit bonus. Hæc Augustinus in libro *de gratia novi Testamenti.* In eo autem quem scripsit *de sancta Virginitate*, cuius etiam totum vtpote necessarium iecit in humilitatis commendatione fundamentum, eadem sentit interpretatione quinque sapientum, ac quinque stultarum virginum, illud simul asfirmans (quod ex animis vestris sorores nunquam elabi sinatis) vt prima sit induendæ humilitatis, cogitatio, ne à se sibi putet esse Dei virgo, quod tale est, ac non potius hoc *donum optimum desuper descendere, à patre luminum, apud quem non est transmutatio nec momenti obumbratio*: nihilque custodire bonum virginale nisi Deum ipsum qui dedit: esseque humilitatem huius custodis locum, ita enim non putauit modicum sibi esse dimissum vt modicum diligat, & ignorans Dei iustitiam suam volens constituere, iustitiæ Dei non subiiciatur.

Tit. 3. Psal. 35. Superbia contraria est iustitiæ.

Ps. eod.

B

Anima per seipsam saluari nó potest.

Lib. 1. c. 4.

Iudicia Dei omné scrutatorem fatigant.

C

Mat. 25. Evangelij, quod de decé virginibus loquitur, interpretatio.

D

Rom. 1.

Mat. 25.

Mat. 25.

CAPVT III.

De secundo remedio: Quod nullus, quantumvi sanctus certus aut securus esse possit divinæ gratiæ & probationis.

HIs satis demonstrasse vobis videmus quem præcipua necessariaque sit curandæ æstimationis confidentiæque medicina: cognitio gratiæ liberalitatisque divinæ, cui proximam convenientemqu aliam adiungimus non minoris certe vtilitatis. Quam quam enim summa inenarrabiliaque sint in nos De beneficia: cogitare tamen oportet neminem es quantacunque excellat sanctitate, qui firmum vllu aut certum polliceri sibi possit divinæ gratiæ ac pro bationis statum. Quod cum verissimum esse quisqu fateatur, quis audebit iam integritatem vllam sua æstimare quæ perverti corrumpique facile possit. Qu virtuti vlli suæ confidere, quæ nihil habeat stabili tatis, aut certitudinis. Quod intelligens Salomo commonuit nos præclara illa sua sententia. *Su iusti atque sapientes & opera eorum in manus Dei,* *tamen nescit homo vtrum amore an odio dignus sit, s omnia in futurum seruantur.* Incerta, eo quod vn versa æque eveniant iusto & iniusto, bono & mal mundo & immundo, immolanti victimas, & sacrific contemnenti. Hæc adeo cognouit Paulus, summ ille contemplator divinorum consiliorum, vt dicat timere ne forte cum aliis prædicauerit ipse reprob fiat. Vnde & *qui se* (inquit) *stare existimat, vide ne cadat.* Chrysostomus quoque *de compunctio cordis.* ad Stolechium scribens dicit: *Perfectos sanct tate homines*, qui per omnia placuerunt Deo, ad mai ris perfectionis conservationem quam maxime cog tare debere naturam peccati velocem, rapidam, su reptitiam, & ob hoc incerta esse quæ futura sunt, admodum dubia, omnibusque periculis subiect Ideo Climacus: *Ne confidas* (ait) ad illum pervenis statum sanctitatis, donec supremam summi iudic sententiam receperis, memor eius cuius mentio nem facit sanctum Evangelium, qui vocatus & iuss sedere ad nuptias, *ligatis postea manibus & pedib.*

missus fuit in tenebras exteriores, ubi est fletus & stridor dentium. Inde & Anselmus, dum Lanzonem monachum per epistolam moneret: *Quoniam* (inquit) *inter multos vocatos pauci sunt electi.* Caveat qui se de paucis esse iam iudicat, ne statim de securitate electionis confidat. quippe quoniam nemo nostrum scit in quantam paucitatem redigantur electi, nullus utique novit si iam sit inter paucos electos, licet iam paucorum sit similis inter multos vocatos. Nullus igitur retro respiciendo penset, quam multos in via cœlestis patriæ præcedat: sed indeclinabiliter in anteriora intentus sollicite consideret si iam pariter cum his, de quorum electione nemo fidelis dubitat, incedat. Sed & Augustinus demonstrans, non aliunde incerta hæc iudicia Dei instabilitatemque status nostri proficisci, quam ne ulla sanctitatis nostræ elatione ac confidentia capiamur, ita in libro *de Virginitate* scribit: *Nam quisquis ab initio pudicus permanet, ab illo regitur, & quisquis ex impudico pudicus fit ab illo corrigitur, & quisquis usque in finem impudicus est, ab illo deseritur.* Hæc autem ille occulto iudicio facere potest, iniquo non potest. Et fortasse ideo latet ut plus timeatur, & minus superbiatur. Deinde iam sciens homo Dei se gratia esse quod est, non incidat in alium superbiæ laqueum, ut de ipsa Dei gratia se extollendo spernat cæteros. Quo vitio alius ille pharisæus, & de bonis quæ habebat Deo gratias agebat, & tamen se super publicanum peccata confitentem extollebat. Quam sententiam pulchre idem libro 11 de civitate Dei nos docet ita inquiens: *Hodie non impudenter beatos vocamus, quos videmus iuste ac pie cum spe futuræ immortalitatis hanc vitam ducere, sine crimine vastante conscientiam, facile impetrantes pro peccatis huius infirmitatis divinam misericordiam. qui licet de suæ perseverantiæ præmio certi sint, de ipsa tamen perseverantia sua reperiuntur incerti. Quis enim hominum se in actione, profectuque iustitiæ perseveraturum usque in finem sciat, nisi aliqua revelatione ab illo fiat certus, qui de hac iusto latentique iudicio non omnes instruit, sed neminem fallit.* Libro quoque vigesimo primo, pari nos doctrina admonens ita dicit: *Sicut enim per unum hominem peccantem in hoc tam grave malum devenimus, ita per unum hominem, eundemque Deum iustificantem ad illud bonum tam sublime veniemus. Nec quisquam se debet ab isto ad illum transisse confidere, nisi cum ibi fuerit ubi tentatio nulla erit, nisi pacem tenuerit quam belli huius in quo caro concupiscit adversus carnem, multis & variis certaminibus quærit.* Quæ hæc Isidorus alta consideratione prospiciens in eo opere quod edidit *de summo bono* incertitudinem, instabilitatemque humani status ostendit his verbis: *Sicut ignorat homo terminum lucis & tenebrarum, vel utriusque rei quis finis sit: ita plenius nescit quis ante suum finem luce iustitiæ præveniatur, vel quis peccatorum tenebris usque in suum terminum obscuretur?* Aut quis post lapsum tenebrarum conversus redeat ad lucem, cuncta hæc Deo patent, homini vero latent, quamvis iustorum conversatio in hac vita probabilis sit, incertum tamen hominibus est ad quem finem sint prædestinati, sed omnia reservari futuro examini. Mira dispositio supernæ distributionis, per quam hic iustus amplius iustificatur, impius amplius sordidatur, malus ad bonum aliquando convertitur, bonus ad malum aliquando reflectitur. Vult quis esse bonus & non valet, vult alter esse malus & non permittitur. Iterum datur ei qui vult esse bonus alius nec vult, nec ei datur ut sit bonus. Ille nascitur in errore & moritur, ille in bono quod cœpit usque in finem perdurat: Tamdiu iste stat quousque cadat. Ille diu male vivendo in fine salvatur, respectusque convertitur, vult proficisse in bono iustus, nec prævalet, vult nocere malus & valet. Iste vult Deo vacare, & sæculo impeditur, ille negotiis implicari cupit nec perficit. Damnatur malus pro bono, bonus damnatur pro impio. Impius honoratur pro iusto: & in hac tanta obscuritate non valet homo divinam perscrutari dispositionem, & occultum prædestinationis perpendere ordinem. Nonnulli quoque (ait Isidorus) viri sæculares elatione mentis tumentes postmodum conversi ad Dominum religiose sequuntur obedientiam Christi, & qui antea celsitudine mundiali tumebant, postea ipsam elationem in studium humilitatis commutant. Quidam sunt, qui iam secretum conversi sunt, quorum conversio quia non procedit ad publicum apud æstimationem humanam, quales fuerunt tales adhuc esse putantur, iam tamen in Dei oculis surrexerunt. Item quidam adhuc humano iudicio stare cernuntur, iam tamen in Dei oculis ceciderunt. Multi apud homines reprobi sunt & apud Deum electi, atque item multi apud homines electi putantur, & apud Deum reprobi existunt. Nullus ergo se putet electum, ne forte iam apud Deum sit reprobus. Intellexit hæc utique, docuitque præstanti iudicio Gregorius, nam in ea parabola Salvatoris quæ dicitur: *Simile est regnum cælorum homini regi qui fecit nuptias filio suo:* multosque ad eas vocatos esse, paucos vero electos. Tremendum est (inquit) valde quod audivimus. Ecce nos omnes iam vocati per fidem ad cœlestis regis nuptias venimus, incarnationis eius mysterium & credimus, & confitemur, divini verbi epulas sumimus, sed futuro die iudicij rex intraturus est. Quia vocati sumus novimus, si simus electi nescimus. Tanto ergo necesse est ut unusquisque nostrum in humilitate se deprimat, quanto si sit electus ignorat. Nonnulli bona nec incipiunt, nonnulli vero in bonis quæ inceperunt minime persistunt, alter vero vitam totam ducere in pravitate conspicitur, sed iuxta finem vitæ à pravitate per districtæ pœnitentiæ lamenta revocatur. Alter electam videtur vitam ducere, & tamen hunc contingit ad erroris nequitiam declinare iuxta finem vitæ. Alius bonum bene inchoat sed melius consummat. Alius in malis actibus à prima ætate se deiicit, & in eisdem operibus semper seipso deterior consummatur. Tanto ergo sibi unusquisque metuat sollicite, quanto ignorat quod restat, quia (quod sæpe dicendum est & sine oblivione retinendum) *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Nec, ut alio loco dicit: *Quid sit hodie, aspicimus sed quid cras futurum sit unusquisque nescimus.* Plerumque & qui post nos venire cernitur, per agilitatem nos boni operis antecedit, & vix eum cras sequimur, quem hodie præire videbamur. Certe cum Stephanus pro fide moreretur, Saulus lapidantium vestimenta servabat, omnium ergo manibus ipse lapidavit qui ad lapidandum omnes exertes reddidit, & tamen eundem ipsum in sancta Ecclesia laboribus antecessit, quam persequendo Martyrem fecit. Duo ergo esse dicit quæ sollicite pensare debemus, quia etsi *multi vocati, pauci tamen electi sunt.* Primum ut de se quisque minime præsumat, quia etsi iam ad fidem vocatus est, utrum præmij regno dignus sit nescit. Secundum ut unusquisque proximum, quem fortasse in vitiis conspicit, despicere non audeat, quia divinæ misericordiæ divitias ignorat. Denium quia *nonnunquam* (ait) *mentes audientium plus exempla fidelium, quam docentium verba convertere*, refert historiam trium amitarum suarum *Tharsillæ, Gordianæ, atque Æmilianæ* quæ cunctæ sacræ virgines fuerunt, uno omnes ardore conversæ, uno eodemque tempore sacratæ, sub districtione regulari degentes, in domoque propria socialem vitam ducentes. Cumque essent diutius in eadem conversatione, cœpere quotidianis incrementis in amorem conditoris Tharsilla & Æmiliana succrescere, & cum solo hic essent corpore, quotidie animo ad æterna transire. At contra Gordianæ animus ab amore caloris intimi per quotidiana detrimenta tepescere, & paulisper ad huius sæculi amorem redire. Quod crebro Tharsilla dicere Æmilianæ sorori suæ cum magno gemitu solebat, dolens perditionem quam videbat Gordianæ. Quibus tandem sancto, perseverantique fine consumptis, Gordiana mox ut solam remansisse

Mat. 20. & 22.

Luc. 8

Gelat. S. Isidorus.

Dispositio superæ distributionis mira est.

Reprobi apud homines multi sunt, & apud Deum electi, & è contra.

Mat. 22. S. Gregorius.

Mat. 22.

Actor. 7. Saulus omnium manibus lapidavit Stephanum.

Historia trium amitarum S. Gregorij.

se

se reperit, in pravitatem excreuit, & quod prius latuit in desiderio cogitationis, post effectu pravæ actionis exercuit. Nam oblita dominiei timoris, oblita consecrationis, conductorem postmodum agrorum suorum maritum duxit. Ecce (inquit) omnes tres vno prius ardore conversæ sunt, sed non omnes in vno, eodemque studio permanserunt, quia iuxta dominicam vocem: *Multi sunt vocati, pauci vero electi.*

Matt. 22. Exemplum de quodam monacho.

Contrarium deinde huic aliud exemplum commemorat. Fuisse siquidem in monasterio, quod iuxta Ecclesiam sanctorum Ioannis & Pauli situm esset, monachum quendam sanctæ & placentis omnibus conversationis, quem & secutus fuerat non studio tamen religionis, germanus alter eius longe illi dispar vita & moribus. Nam erat in eo omnis verborum, factorumque levitas, inconstantia, atque temeritas, neque non modo à quoquam se reprehendi patiebatur, sed omnes insuper deridebat, aspernabatur, contemnebat, religiosamque quam maxime vitam tanquam vanam & stultitiæ plenam detestabatur. Qui cum molestus ita cunctis esset, æquo tamen animo fratris causa, quem omnes plurimum amabant, tolerabatur. Contigisse autem tempore invalescentis in vrbe grauissimæ pestis, vt lethali vtique morbo correptus ad exhalandam vsque animam decumberet, astantibus illi monachis, Deumque pro salute animæ eius rogantibus, conspectoque tunc terribili, qui devoraturus eum videbatur, dracone clamaret quanta vi oris posset, vt cederent draconi, qui iam brachia eius compresserat, suffocauerat guttur, caputque penitus absorpserat, vt parcerent pro eo amplius orare, quorum precibus repressus draco devorare eum nequibat, maioreque proinde cruciatu torquebatur. Augentibus autem preces & lachrymas monachis, liberatum eum tandem à tam graui, horrendoque periculo, non corporis modo, sed & animæ insuper grauius discrimen euasisse. Nam pro parta liberatione non cessans gratias agere Deo vouit se eius servitio, in quo grauiore postea oppressus corporis languore melius etiam defunctus est. Ecce (inquit Gregorius) Gordiana, quam superius dixi à sanctimoniali habitu corruit ad pœnam, & frater hic de quo ista narraui, ab ipso mortis articulo rediit ad æternam vitam.

Nemo scit quod de se in occultis Dei iudiciis agatur.

Nemo ergo scit quid de se in occultis Dei iudiciis agatur, quia *multi sunt vocati, pauci vero electi.* Quia igitur nulli de se certum est electum se esse, restat vt omnes trepident: Omnes de sua actione formident, omnes in sola divina misericordia gaudeant, nullus de suis viribus præsumat. Memorabilia enim sunt hæc quæ Gregorius exempla retulit, diversorum simul atque inopinatum finem habuisse. Sed non minoris facienda quæ recentiore ætate nostra duo vtique alia pari diversitate, parique expectationis frustratione contigerunt.

Exemplum de duobus, altero religioso, altero vero pirata à Mauris captis.

Duos enim Christi fideles à Mauris captos fuisse accepimus, vnum religiosum hominem, qui ad obscurandam convincendamque Mahumeti impietatem eo profectus erat. Alterum piratam & rapinis omnibusque flagitiis deditum. Tortos autem ambos, gravissimisque tormentis affectos vt à vera quam confitebantur Christi fide discederent: Atque eum, qui sanctissimus quidem homo habebatur, cum cruciatus & mortem sibi intentari vidisset, statim Christum, quem prædicaturus venerat abnegasse. Alterum vero rapacissimum scelestissimumque hominem immotum semper & invictum perstitisse, omniaque tormenta & ipsam mortem, qui dissecto tandem in duas partes corpore consumptus est, forti animo pertulisse.

Antoniæ cuiusdã Ferrariensis exemplum.

Nec prætereunda est Antonia fæmina illa Ferrariensis, quam religiosus & doctus vir narrauit, eum cælebs semper & ab omni crimine libera magna cum omnium laude vixisset, appropinquante tamen morte, nunquam adduci potuisse vt peccatorum suorum pœniteret, sed obstinata mente, cum non iure adhuc ei moriendum esse affirmaret, ita animam exhalasse. Nec tacendum quod Augustinus in libro *de bono perseverantiæ* tradit. Fuisse quendam in suo monasterio, qui corripientibus fratribus, cur quædam non facienda faceret, respondebat: Qualiscunque nunc sim, talis ero qualem DEVS me futurum esse præscivit. Qui cum verum diceret, & hoc vero non proficeret in bonum, vsque adeo profecisse in malum, vt deserta monasterij societate fieret *canis reversus ad vomitum suum*, & tamen adhuc qualis sit futurus incertum esse. Magna hæc nimirum & admiranda, atque eo magis quo non tam in singulis quibusque hominibus, sed & in ipsis etiam mundi regionibus contigisse ea cognovimus. Nam quale est illud humanum iudicium quod cap[...] possit Iudæam quæ verum quondam, sanctumque DEI habitaculum fuerat, nunc extremam perditionis filiam esse. Contra quoque gentes falsis olim dæmonum erroribus implicatas, nunc sanctam melius veritatem suscipere. Africam etiam quæ olim CHRISTI fidelissima: Augustinum insuper, Cyprianum, Tertullianum, Fulgentium, aliosque non paucos doctos, ac sanctos viros protulit, quis intelligat, cur nunc factam esse impiissimam, veritatisque inimicissimam DEVS permiserit. Contra autem multas Occidentes regiones quæ dæmonibus ante servire consueverant, nunc fateri CHRISTVM atque prædicare. Quibus tot tantisque rerum documentis excitari profecto quisque debet; vt nullum certum videat salutis suæ statum obtinere. Quem cum nemo obtineat, nemo etiam sanctitati vlli suæ, quæ nihil prorsus certi aut solidi habeat, confidere vnquam audebit.

CAPVT IV.

De tertio remedio cognoscendi seipsum.

ITa ergo Dei cognitionem habere debebimus, v[...] non tam propensam ipsius in nos gratiam, quam[...] incertum dubiumque etiam gratiæ eius statum intelli[...]gamus, cui convenienter nunc tertio loco adiicienda est cognitio suiipsius, quæ ita illi associata indissolubilique fœdere connexa est, vt neutra earum sin[e] altera esse vllo modo possit, instar cathenæ cuius cum vnum caput attraxeris sequatur vt aliud necess[e] est. Nam cum immensam Dei bonitatem, potesta[...]temque consideraverimus, à quo virtutem aliquam consecuti fuerimus, cum simul descendit cogitatio a[d] tenuitatem humanarum virium, vilitatemque & mise[...]riam corporis nostri, quod nisi divina gratia præve[...]niens opitularetur, sub densa omnis erroris, ignoran[...]tiæque caligine sepultum omnibusque malis subie[...]ctum iacet. Quibus examinatis ad divinæ identidem sublimitatis gratiam contemplandam erigimur, qu[i] non modo à tantis nos, quibus suppositi sumus malis liberare, sed summis insuper bonis honestare atque augere voluerit. Est ergo saluberrimum contr[a] æstimationem, præsumptionemque remedium, *cogni[...]tio sui ipsius.* Quis enim ante oculos ponens puder[...]dam originem suam, cæcitatem ignorantiæ, vanita[...]tem vitæ, infirmitatem, fragilitatem, mutabilitatem innumerabilia pericula & mala, quibus nemo mo[...] talium exemptus est, quis animo volvens quam vi[...] ex materia compacti, quam in viliorem redigend[...] quam vilissimæ etiam receptaculum facti simus, qu[...] hæc inquam cogitans, audeat se in æstimationem pr[o]priæ vllius virtutis extollere, cum Solis luce clari[...]cuique videri debeat neminem per se post tantam m[a]lorum turbam posse quicquam vel sapere, vel intell[i]gere, vel recte sperare, vel firmiter, fortiterque ex[e]qui, vel secure, salubriterque agere. Quis vnqua[m] vel podagra, vel hydropisi, vel alio morbo la[n]guens cum equo, aut lectica vehatur, læt[a]tur pro agilitate corporis sui, ducatque propri[is] viribus longum iter, quod sine equo tamen v[e]ctore, aut servis baiulantibus minime p[eri]uss[...]

Psal. 21. Psal. 73. Ps. 102. Iob 10. Iob. 13.

pergisse. Quare vera est & sancta illa prophetæ vox: *Ego sum vermis & non homo.* Et iterum: *Vt iumentum factus apud te. Et recordatus est quoniam pulvis sumus, homo sicut fœnum, dies eius tanquam flos agri sic efflorebit.* Iob etiam: *Memento quaso quod sicut lutum feceris me, & in puluerem, reduces me. Contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris? qui quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum quod comeditur à tinea. Homo natus de muliere brevi vivens tempore repletur multis miseriis, qui quasi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nunquam in eodem statu permanet.*

Iob. 14. 13. q. e. 1. Ecclesiastis & Ecclesiastici 13. Tertul. in Apolog. cap.

Vnde & Ecclesia nos admonens, & ad humilitatem vocans dicit: *Memento homo quia cinis es, & in cinerem reverteris.* Nec diversum est quod apud Romanos cũ Imperator ex eis quispiam triumphans vrbem ingrederetur, in ipso excelso, quo vehebatur curru, ita à tergo admonebatur: *Respice post te, hominem te memento.* Magnum certe fragilitatis humanæ documentum, longeque maius eum à summis rerum dominis gestum, quam cum ab ore cuiusquam prolatum fuisse traditur. Nam & eiusmodi nobilis ac præstans apud gentilica memoratur Solonis sententia: *Cognosce teipsum.* Quam propter summam ipsius excellentiam & ab Apolline dictã veteres voluerunt. Et è cælo cecidisse † Poeta dixit.

Solonis sententia. † Iuuenal.

Nec immerito cælesti è sede videtur descendisse, quandoquidem ad Deum, vnde proficitur, ita erigat affectus nostros, vt non modo omnem expellat a nobis confidentiam & præsumptionem, sed & cunctas insuper generet, nutriatque virtutes, adeo vt & Ephrem dicat lachrymas eam admodum suscitare, initiumque ipsarum esse, quæ tam iocundæ & dulces religiosis esse mentibus solent. Magnum quoq profectũ huius tradit Apostolus in ea Epistola quam scribit ad Galathas, dum docet, *vt si praeoccupatus fueris homo in aliquo delicto, is qui spiritualis sit, huiusmodi instruat in spiritu lenitatis considerans semetipsum, & ne & ipse tentetur.*

Galat. 6. Cognitionis suipsius magnus est profectus. Ioã. Climacus.

Nihil enim ad misericordiam sic Deum inclinat, quam proprij periculi cogitatio. Proderit ergo quam maxime ad fugandam sui æstimationem cognitio suipsius, consideratioque propriæ imbecillitatis & infirmitatis, quæ nisi à divina gratia præventa esset, æternis nos forte suppliciis damnatos demersisset. Quod docens Climacus: *O tu (inquit) quisquis es, quem natura multis, magnisque virtutibus ornauit, noli efferre animo altius pro his quas nullo tuo aut labore, aut dolore, solo autem Dei munere consecutus es.* Nam prævidens forte Deus omnium bonorum largitor summam infirmitatem animæ tuæ quæ ad extremam, miseramque te perditionem deduxisset, voluit consulium ire saluti tuæ, prælargiens tibi vberrimas gratiarum suarum divitias, nullis tuis meritis partas, vt fieres ita particeps æterni regni sui. Erit vero & alius cognoscendi seipsum vtilis modus, quem tradit Bernardus, docens quo pacto meditationi recte vacare debeamus.

S. Bernardus. Meditationi quo pacto vacare debeamus.

Ait enim: *Integritatis tua curiosus explorator vitam tuam quotidiana discussione examina, attende diligenter quantum proficis, vel quantum deficis, qualis sis in moribus, qualis in affectibus, quam similis sis Deo, vel quam dissimilis, quam prope, vel quam longe non locorum internallis, sed morum affectibus. Stude cognoscere te, quia multo melior & laudabilior es si te cognoscis, quam si te neglecto cognosceres cursus siderum, vires herbarum, complexiones hominum* Redde ergo ô homo te tibi, & si non semper, vel sæpe, vel saltem interdum rege tuos affectus, dirige actus, corrige excessus. In te nihil maneat indisciplinatum, pone omnes transgressiones tuas ante te antequam alium, & sicut temetipsum plange, plora iniquitates & peccata tua quibus DEVM offendisti, indica ei miserias tuas, ostende maliciam adversariorum tuorum. Quibus consentaneum est quod Gregorius etiam scribit, dum in Ezechiele interpretatur sancta illa animalia, quæ coram facie sua ambolabant.

Ezech. 1.

Omnis enim (inquit) iustus qui vitam suam sollicitus aspicit, & diligenter considerat, quantum quotidie in bonis crescat, aut fortasse quantum à bonis decrescat iste, quia se ante se ponit coram se ambulat, quia qualis sit in suis moribus vel actibus non ignorat: Nec sibimet ipse præsens est, qui semetipsum quotidie exquirere atque cognoscere sollicitus non est.

Ambulare corã se quis dicatur.

Ille autem veraciter se ante se ponit, sibique in præsenti est, qui se in suis actibus tanquam alium attendit. Nam alij quidem de rebus propriis indigentibus multa largiuntur, sed cum occasionis tempus invenerint indigentes opprimunt, eosque quibus vulnerant rapinis devastant, ponunt ante cogitationis suæ oculos bona quæ faciunt, & non ponunt pessima quæ committunt. Alius castitatem corporis servat, seque vigilanter circumspicit ne quid foris reprehensibiliter admittat, sui contentus est, aliena non diripit. sed tantum in corde odium fortasse contra proximum servat. Et cum scriptum sit. *Qui odit fratrem suum, homicida est*, considerat quam mundus sit foris in opere, & non perpendit quam sit crudelis in mente.

1. Ioa. 3.

Alius aliena non diripit, iam corpus ab immundicia custodit, iam mente pura proximum diligit, & malorum præteritorum conscius lamentis se in precibus afficit, sed finita prece læta de quibus in hoc mundo gandeat requirit, & temporalibus gaudiis negligentem animum demittit, nec curat ne in eo lacrymarum mensuram immoderata gaudia transeant, fitque vt bonum nimie ridendo perdat quod plangendo lucratus est. Hic itaque coram facie sua non ambulat, quia damna quæ patitur conspicere recusat. In cunctis ergo quæ agimus, diligenter nosmetipsos conspicere interius & exterius debere concludit, vt pennata animalia sequentes nobismetipsis præsentes simul † *& aram sacra nostra* semper ambulantes, nosmetipsos cognoscamus.

† E. & corã nos

Hæc eo pluris facienda sunt Gregorij verba, quo nullus (vt ait Bernardus) semetipsum diiudicare & comprehendere perfecte potest. Sed multis cogitationibus occupatus, sibimetipsi aliquo modo manet incognitus. Tam difficile est cor tenere, & dum per vana & inutilia vagatur ab illicita cogitatione observare, tamque difficile est terrenas occupationes absque peccato administrare.

CAPVT V.

De quarto remedio consultandi alios, audiendique libenter iudicia & reprehensiones maiorum suorum.

SAlubertimum certe est quod modo explicauimus remedium, sed non contemnendum quod sequitur. Nam qui vtilitatem exiguitatemque suipsius considerauerit, perquiret postmodum studiose senteotiasque maiorum suorum, audietque libenter cum erraverit se ab omnibus reprehendi, doceri quoque quo pacto melius vitam suam instituere debeat. Quod qui non contempserit, conculcabit facile omnem superbiæ speciem, consequeturque procul dubio maximos atque vberrimos sanctitatis fructus. Percelebris est enim sententia illa Hesiodi, qui optimum eum esse indicauit, primum: qui per seipsum quæ agenda sunt intelligeret, de hinc qui aliorum consilia sequeretur, inutilem vero eum penitus, qui neutrum horum efficeret.

Hesiod. T. Liuius lib.

Quod & à Livio traditum est in persona Minucij Magistri Equitum, qui ob imperitiam pugnandi ab Hannibale superatus, cum à Q. Fabio demum adiutus esset, memor suscepti beneficij convocatis militibus: *Sæpe ego (inquit) audiui milites eum primum esse virum, qui ipse consulat quid in re sit, secundum eum qui bene moneuti obediat. Qui nec ipse consulere nec alteri parere scit, eum extremi ingenij esse. Nobis quoniã prima animi ingenijque negata sors est, secundã ac mediã teneamus, & dũ imperare nescimus, parere prudẽtis in animũ inducamus. Castra cũ Fabio iungamus, ad prætoriũ*

eius

eius signa cum tulerimus, vbi ego eum parentem appellavero, quod beneficio eius erga nos, ac maiestate eius dignum est, vos milites eos quorum nos modo arma dextraque texerunt, patronos salutabitis, & si nihil aliud, gratorum certe nobis animorum gloriã dies hæc dederit. Quod igitur dux milit ésque Romani simul Hesiodi sententiam sequentes contra ferocem patrum hostem observarunt, non negliget vtique pugnaturus cum ferociore hoste Diabolo, optimus quisque ac diligentissimus CHRISTI miles providebit magnopere, vt habeat quibus omnes aperiat pugnas, debellationésque dæmonum, omnes cogitatus suos atque actiones, quorum judicio & sententiæ credens, consilia omnia sua examinanda committat. Ita enim ordinatum á DEO in nobis esse scribit Climacus, vt inviti nosmetipsos humilitate dejiciamus, quia nemo sit qui ita suorum vti alienorum peccatorum vulnera intueri possit. Ideo oportere (ait) vt qui sanari à peccatis suis cupit, non à seipso medelam, sed vel à DEO vel ab his qui recte consulere possint percipiant, abominari vero quemcunque, qui vere humilis sit, judicia atque voluntates suas, sejicere autem in DEVM omnes curas & cogitationes, esséque ei non aliter grave propriæ inniti opinioni quam superbe alienam sequi voluntatem ac sententiam. Ideo debere quemque seipsum semper asperrime damnare, quæ damnatio libenter suscepta ab innumerabilibus, quæ invitis nobis subrepere possunt, peccatis liberabit. Ita ergo judicia nostra damnabimus, vt vltro aliorum sententiis inhæreamus. Nam sæpe accidere dicit Cassianus, sive allusione Diaboli, sive intercessu erroris humani, quia nullus est in hac carne qui falli velut homo non possit, vt ille interdũ qui acrioris ingenij scientiæq; majoris est, aliquid falsum mente concipiat, & ille qui tardioris ingenij ac minoris est meriti, rectius aliquid veriúsque persentiat, & idcirco nullus sibi, quamvis scientia præditus, inani tumore persuadeat, quod possit collatione alterius non egere. Nam & si judicium ejus Diabolica non fallat illusio, elationis tamen & superbiæ graviores laqueos non evadet. Quare Ambrosius non minus prudentia quam sanctitate præstans, dum libellos quosdam edidisset priusquam eos in publicum aperiret, emendandos misit ad Sabinum quendam, quem noverat hominem doctum, mittensque ita ait: *Malo tuo iudicio corrigatur si quid movet priusquam foras prodeat, vnde iam revocandi nulla facultas sit, quam laudari à te quod ab aliis reprehendatur. Itaque arbitrum te eorum quæ postulas rogavi, neque legi à te mea quæ nonnunquam tribuo in vulgus sed in tua calculum venire sententia desideravi, nescio quo enim modo propter imprudentiæ caliginem quæ me circunfundit. Vnumquemque fallunt sua scripta & aurem prætereunt, atque vt filij etiam deformes delectant, sic etiam scriptorem indecori sermones sui palpant incautius. Plerumque aliquid promitur, aliquid accipitur malevolentius, aliquid exit ambiguum, tum quia alieno examinanda iudicio, non pro nostra debemus magis quam pro aliena opinione trutinare & discutere omnes scrupulos malivolentiæ.* Alio quoque loco ad eundem scribens, dicit: *Ego enim beneficio annumero, si quis mea legens scripta, dicat mihi quo videatur moveri. Primum quia & in his quæ scio falli possum, multa autem prætereunt, multa quibusdam aliter sonant. Pulchrum est si fieri potest, cavere omnia.* Prudenter hæc sane exemplo Ambrosij ab omnibus scriptoribus observabuntur, quæ à pictoribus, atque his qui signa fabricabant, non neglecta fuisse refert Cicero, qui suum quisque opus à vulgo considerari volebant, ac si quid reprehensum fuisset à pluribus, id corrigebant, secum vero & cum aliis quid in eo peccatum esset diligenter exquirebant. Quibus plurimum profecto innitantur sancti viri, vt quod in literariis fabrilibusque operibus factitatum vident, hoc in altioribus religiosæ vitæ profectibus imitantes consulent alios sæpius, aliena semper pluris quam sua iudicia facientes. Vnde multæ orientur vtilitates, nam & cuius causa scribimus, confidet ita nemo sibiipsi, & quod ad civilitatem morum pertinet, alter alteri deferet honoremque exhibebit, de hinc vita, quæ facilis est prolabi in omnes errores, emendata melius sapientiúsque instruetur. Demum vero evitabitur quod est præsumptionis ingens fomentum, in omnique vitæ actione maximum insipientiæ argumentum causa quoque magnorum incommodorum. Minime enim difficilis & morosus tenáxque suæ opinionis judicari poterit, qui libenter alios consulet. Cujus vitij malum adeo detestatur apud Cassianum Ioseph quidam ex priscibus Patribus, vt dicat reminisci se nunquam rationabiles ac probatos patres duros aut irrevocabiles in suis definitionibus fuisse, sed velut cerã calore Solis, ita eos ratione mollitos, & intercedente salubriore consilio melioribus partibus sine hæsitatione cessisse. Quicunque autem definitionibus suis pertinaciter inhæsissent, irrationabiles semper probasse ac discretionis expertes. Quare gravissime accusatur Heronis senis pertinacia, qui cum quinquaginta annos eandem eremum incoluisset, incredibili cum abstinentia & solitudine, adeo vt nec cum dies Paschæ, quantacumque veneratione præcipuus, ad sumendum in communi mensa cum aliis cibum attrahere potuerit. Diaboli tamen illusione tantum deceptus est, vt ejus persuasu & jussu quem Angelum sanctum Dei existimabat in puteum altæ profunditatis se dejecerit, credens illius promissioni, certóque tenens sine vlla læsione inde exiturum, atque ita probatum iri quantus esset religione & sanctitate. Adeóque sua in opinione induratus perstitit, vt nec ex eo præcipitio multorum gravi cum labore eductus, adduci vnquam potuerit, aut mortis metu, cui ad tertiam vsque diem jam proximus erat, aut vlla exhortatione & consilio eorum qui commisertantes illi astabant, vt crederet falsa illa esse quæ videtat, Diabolique arte magis & astutia composita, qui quia invincibili opinione suis magis quam fratrum consiliis majorúmque institutis regi voluit, obstinationis suæ merito pœnas luit. Nam post multum mœrorem & luctum, quo totam eremum afflixit, indignus etiam memoria & extrema decedentium requie, visi multorum commiseratio contra obtinuisset, judicatus est. Simili quoque pertinaciæ morbo correptus fuit ille quem Diabolus sub specie multarum revelationum mentisæque claritatis & continui per noctem in cella luminis adeo illusit, vt filium in Monasterio secum degentem, nisi patris immanitatem prævidens procul cessisset, maligno illius persuasu interficere non reformidaret, exemplo Abrahæ Patriarchæ, quasi eo sacrificio meritis illius par esse videretur. Nec aliter judicandum est de his, quos refert Sever. Sulpitius in vita Martini partibus Diaboli artibus & deceptionibus eo deductos fuisse, vt alius se vnum ex Prophetis, alius Ioannem, alius Christum esse crederet, credénsque publice prædicaret. Benjamin vero quidam antiquorum Monachorum non alia ex causa eremum reliquisse, per vanitatésque mundi ad vomitum rediisse, quod obstinata mentis pertinacia contra seniorum monita & traditiones contemnens, laudatum ab omnibus quotidianæ refectionis morem biduum integrum continue semper jejunaret, sumens tamen tantum cibi vno prandio quantum satis duobus fuisset. Ad optimum igitur ac sanctissimum quemque pertinebit non temere suo magis quam alieno credere judicio, consuleréque sæpius multos, ac tanquam necessarios cuique rei gerendæ judices adhibere quod fecisse Paulum (licet omnium longe prudentissimum) legimus, qui se scribit coapostolorum suorum collatione indiguisse. Quam maxime autem curandum erit vt majoribus & senioribus aperiantur omnes cordis cogitatus, omnésque curæ & actiones steturque eorum consilio & sententiæ non aliter ac divino oraculo. Crediderunt enim antiqui patres manifesto eo signo deprehendi Diabolicas cogita-

Sancti cupiens à quo medelam petet.

Falli possumus omnes.

S. Ambr.

Cicero.

Viri facti aliena iudicia pluris faciunt quã sua.

tiones cum his sub quorum cura positus est, patefacere illas erubescat aliquis atque refugiat. Nam quos videt Diabolus, licet juvenes & inexpertos, nihil suo arbitratu & iudicio facere, committere autem omnia consultationi & examini patrum suorum, pertimescit longe non audens tanquam fortissimis protectos armis propius attingere. In quo generalis est junioribus danda admonitio ut quæcumque seniores patres sui factitarint, ad unguem imitentur, quæcunque mandaverint perficiant, tanquam sancta omnia atque Deo digna, nunquam hæsitantes nunquam eorum causam ullam aut rationem subtilius inquirentes, ne cum indagare discutereque quicquid minus liquebit, volent, incipiant suo magis quam majorum suorum judicio confidere, confidentesque ita Diaboli arte capi facilius atque subverti. Quod admonuit etiam Climacus quisquis enim cupit cognoscere quid divinæ voluntatis & beneplaciti sit, imprimis necesse est mortificet omnes voluntates suas ac studia, rogetque summa cum fide & simplicitate seniores patres suos aut alios quorum consilium non inutile esse intellexit, sequaturque eorum monita non aliter ac divina mandata, nulla ex parte dubitans ea sancta ac salubria esse, quamvis suis longe studiis ac desideriis adversa sint. Quare pulchrum est etiam quod narrat, Monachum quendam superbum admonitum fuisse vitij sui ab antiquo suo Monacho, qui magna pollebat gratia in discernendis peccatis. Cumque ei respondisset, se minime eo peccato detineri, statim à seniore illo parte prudentissime dictum esse, nullo manifestiore signo superbiam suam quam eo responso ostendere potuisse, ut scilicet superbum non esse se diceret. Erunt igitur ab adolescentioribus magni facienda semper seniorum judicia & exempla, quorum propter longam rerum experientiam major habetur & in discernendo sapientia, & in consulendo auctoritas. Neque enim aliunde Græci magnas sæpius & arduas res gessisse memorantur, quam quod nihil unquam absque eorum consilio & auctoritate attentaverint, quibus & in omni loco omnique actione plurimum semper honoris & venerationis, non aliter ac parentibus, exhibuerunt, quo nihil fieri potest a junioribus tutius, vitæque eorum consultius, ut quod observari videmus ab his qui vias ignorant, quærentibus sibi duces ne aberrent, id ne negligant etiam in hoc, quo peregrinamur quotidie, itinere vitæ nostræ, cujus errores & insidias nulla magis intelligere, intelligensque aliis præcavendos ostendere potest, quam docta seniorum manus & experta sagacitas. Ideo Climacus, *quemadmodum* (inquit) *qui iter nullo duce ingrediuntur facile à via aberrant, ita qui propria voluntate atque arbitrio in via religiosa ducitur, polleat etiam quantavis sapientia in errores magnos prolabitur.* Quæ religiosos docens Cassianus, *nullo modo* (inquit) *poterit in anima nostra virtutum structura consurgere, nisi prius iacta fuerint vera humilitatis fundamenta, quod nullatenus poterimus implere nisi abrenunciatio vera facultatum in nobis fuerit, Christi amore fundata. Deinde obedientia subiectio simplici corde suscepta, ita ut præter abbatis mandatum nulla penitus voluntas vivat in nobis.* Quod non aliter observari poterit, nisi quis non solum se mortuum mundo, verumetiam insipientem judicaverit ac stultum, universa quæ sibi fuerint à senioribus imperata sine ulla discussione perficiens, sacrosancta ea credens ac divinitus promulgata, in qua consistentibus qualitate, statum illum dicit humilitatis veræ tranquillum subsequi, ut nos ipsos inferiores omnibus judicantes cuncta injuriosa vel tristia tanquam à superioribus nostris illata patientissime toleremus. Adeo autem apud Cassianum Moyses quidam antiquorum patrum probat omnia quæcunque vel agenda sunt, vel etiam cogitantur, reservari debere seniorum examini, ut hanc primam esse dicat humilitatis probationem. Deinde nullatenus inquit decipi poterit, quisquis non suo judicio, sed majorum vivit exemplo, & serpens teterrimus, velut tenebroso ac subterraneo specu virtute confessionis protractus ad lucem & traductus quodammodo ac dehonestatus abscedit, in tantumque Deo placitam hanc sententiam comprobari ait, ut puerum Samuëlem judicio prælectum suo nollet per semetipsum erudire, sed recurrere semel & iterum pateretur, ad senem etiam illum qui offenderat Deum, ut & illius qui ad divinum ministerium vocabatur, probaretur humilitas, & junioribus forma subjectio in hujus proponeretur exemplo. Paulum quoque subdit, quem per semetipsum vocans & alloquens Christus, cum posset ei viam perfectionis reserare, confestim dirigere ad Ananiam maluit, eumque illius potius doctrina quam sua censuit institui, ne quod recte gestum fuisset in Paulo posteris malum præsumptionis præberet exemplum, dum unusquisque sibimet persuaderet, simili modo se quoque debere Dei solius magisterio atque doctrina potius quam seniorum institutione formari. Hæc scire à Cassiano tradita advertent diligenter, adolescentiores ante omnia curabunt non aspernari seniorum increpationes, quippe quæ magna omni ætati afferunt commoda & ornamenta. Neque est enim quisquam qui non quotidie vel minima in re prolabatur, quod cum fragilitate nostra sæpius quoque ignorantia contingat, nihil est quod in his mederi magis possit quam amica reprehensio. Sicuti enim assentatoribus (quos pulchre Philosophi *blandos inimicos* definierunt, Crates autem lupos vitulis insidiari secum conversantibus dicebat) nihil haberi potest nocentius, ita reprehensoribus nihil salubrius, quos qui vel contempserint, vel odio etiam habuerint, tristem semper & amarum assequi finem consueverunt. Nam juxta Comicum: *Veritas odium parit.* Et Apostolum: *Inimicus vobis factus sum veritatem dicens.* Quare recte Salomon de viro ait: *Qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei superveniet interitus, & eum sanitas non sequetur.* Item: *Qui increpationes odit, morietur.* Neronem cum multa deturpaverint vitia, illud inter cætera triste de eo & grave memoratur, quod reprehensiones eorum quæ delinquerat non poterat à quoquam ullo modo patienter audire. Tigellinum etiam & alios turpissimos adulatores semper extulit, cum contra Afranium, Burrum, amicumque Senecam, qui lubricos ejus mores severis & sanctis monitis frenare studebat, mori coëgerit. Cui propterea nihil mirum est si suprema imperij ejus desolatio, & (ut dicit Salomon) *repentinus supervenerit interitus.* Porrò nullum est sapientis egregieque instituti animi signum evidentius, quam cum libenter quis audit reprehendi errata sua, contraque nulla est quæ æquari possit contemnenti increpationes suas stultitia & perversitas, quod multoties ejusdem Salomonis auctoritate commonemur. *Argue* (inquit) *sapientem & diliget te, da sapienti occasionem & addetur ei sapientia, doce iustum & festinabit accipere.* Item *Via vitæ custodienti disciplinam, qui autem increpationes derelinquit, errat.* Ait etiam: *Qui diligit disciplinam diligit scientiam, qui odit increpationes insipiens est. Qui bonus est, hauriet sibi gratiam à Domino, qui autem confidit in cogitationibus suis impie agit.* Præterea, *non amat* (ait) *pestilens eum qui se corripit, nec ad sapientes graditur.* Dicit quoque: *Auris quæ audit increpationes vitæ in medio sapientium commorabitur, qui abjicit disciplinam, odit animam suam, qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis.* Plus proficit correptio apud prudentem, quam centum plagæ apud stultum. Auctor quoque Ecclesiastici dicit: *qui odit correptionem vestigium est peccatoris, & qui timet Deum convertetur ad cor suum.* Sancta hæc quidem quæ diximus & admodum utilia: Sed & ad alia quæ restant ejusdem generis atque utilitatis exponenda veniamus.

[Margin notes: A; Iuniores seniorum facta imitentur. B; Seniorum iudicia & exempla ab adolescentioribus magni facienda. C; Arbitrio proprio qui ducitur, in errores magnos prolabitur. D; E; Act. 9.; Seniorum increpationes & asperitates non spernendæ. Assentatoribus nihil nocentius. F; Gal. 4. Pro. 29. Pro. 15.; G; Sapientis animi est libenter audire reprehendi errata sua. Pro. 9. Pro. 10. Pro. 10.; Pro. 15. H; Pro. 17. Eccl. 21.]

A

LIBER VI.

MAPHEI VEGII LAVDENSIS, DE BONO PERSEVERANTIÆ in Religione.

CAPVT I.

De quinto remedio cognoscendi alios.

Hactenus quod ad cognitionem Dei suique ipsius pertinet disseruimus. Nunc quomodo habenda sit cognitio aliorum videamus, quod erit summum vtique ad comprimendam sui æstimationem necessariúmque remedium. Habebitur vero hæc duplici modo. Primum, vt quos excellenti aliqua virtute pollere videbimus, eos exemplo nobis proponamus, quod multas pariet vtilitates. Nam & præceptum Senecæ sequemur, qui docet aliquem virum bonum eligendū ac semper ante oculos habendum esse, vt sic tanquam illo spectante vivamus, & omnia tanquam illo vidente faciamus: Quod magna pars peccatorum tollatur, si peccatori testis assistat, si aliquem habeat animus quem vereatur, cujus auctoritate etiam secretum suum sanctius faciat, ad cujus memoriam se componat atque ordinet. Deinde id assequemur, quod Aristoteles interrogatus, quo pacto discipuli egregie proficerent, respondit, vt scilicet tardiorum negligentiam non attendentes, excellentiores tantum imitari & persequi studerent. Quod & antiquos patres factitasse refert Cassianus, non blandientes sibi de inferiorum atque tepidorum negligentia, sed contemplatione potius illorum, quos vere peccato carere noverant, humilitatem perpetuam conquirentes, quam maxime autem id Antonium, summum illum Monachorum principem observasse tradit. Nam cum non omnes omnium virtutū excellentiam sint cōsecuti, ad aliqua certe quamque virtutem valere credendum est. In quo igitur humilitatem summam esse intelligebat, illum toto studio æmulabatur. Quem vero charitatis dono excellere animadvertebat, in eum omnes animi sui nervos intendebat. Qui vero vel timoris, vel patientiæ, vel innocentiæ, vel cujusvis alterius virtutis gratia cæteros præibat, vt quemque Deus donaverat, ita ille sibi eligebatur quem non cessaret admirari, & tanquam speculum vitæ suæ studiose intueri. In quo videbat propriam aliquam elucere virtutem, imitaretur eum jugiter atque similis ejus fieri enixe contenderet. Orietur demum inde aliud, quod & vtilius videtur, & ad rem nostram magis pertinet. Docet id autem Climacus, monens repetenda esse altius animo facta antiquorum Patrum, quorum cum eximia sanctitas ducta fuerit in comparationem cum ingenti turba peccatorum nostrorum vilescet admodum intra nos ipsos æstimatio omnis illius virtutis nostræ. Verissime hæc ille quidem. Postquam enim maior aliena quam nostra virtus nobis apparuerit, desinemus æstimare minus vires nostras, confidentiamque minus vllam nostri capere, cognoscentes perspicue inferiores nos aliis esse, incipiemusque proinde nostram magis infirmitatem accusare, quam quos videbimus virtute longe nobis præstantiores, atque eminentiores minime attingere & æquare valeamus. Comparatione quippe aliorum miseria cuiusque aut vitium magis ostenditur. Alter vero quo cognoscere alios debeamus, ac diversus quidem à primo modus erit, vt qui vel virtute nobis impares, vel magnis infecti vitiis videbuntur, nunquam despiciamus. Commiserantes

B Cognitio aliorum habetur dupliciter modo.

Discipuli quo pacto egregie proficiunt.

C

D

Comparatione aliorū miseria cuiusque magis ostēditur

E

autem potius eorum sortem, moveamur erga ipsos pietate. Nam quantacumque aliquis sanctitate præstiterit, quantascunque Deo largitori ejus grates agat, deprimens, dejiciensque seipsum, alios autem quorum vitæ labes & turpitudo magis animum ad commiserationem movere perstringeréque debuit, tanquam Dei rebelles fastidiens aspernetur, exprobránsque contemnat, incidit in aliam speciem elationis, quæ non minus in se veneni habet quam cæteræ. Quam & salvator noster probe intelligens, factis suis verbis aperte damnavit, quo sollicitus auctoritate ejus moniti ipsam evitare studeremus. Vt autem manifestior omnibúsque notior fieret ejus morbus atque periculum, parabolam docuit hujuscemodi: *Duo homines ascenderunt in Templum vt orarent, vnus Pharisæus apud se orabat, dicens: Gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Ieiuno bis in Sabbatho, decimas do omnium quæ possideo. Et Publicanus à longe stans non audebat oculos suos ad cœlum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Propitius esto mihi peccatori*, móxque horum sententiam ferens, subjunxit: *Amen dico vobis descendit hic iustificatus de Templo, Publicanus magis quam Pharisæus*; adjiciens etiam sententiæ suæ rationem, *quia omnis qui se exaltat humiliabitur, & qui se humiliat exaltabitur.* Quod etiam dictum fuit à Chilone Lacedæmonio vno ex sapientibus. Interrogatus enim ab Æsopo quidnam Deus faceret, respondit, *excelsa humilias, & humilia extollit.* Hujus causa Chrysostomus in eo sermone, quem facit contra Anomios quod *Deus sit incomprehensibilis*, pulchre ita differens: *Atque vt discas (inquit) quantum boni sit nihil de se magnum, nihil excellens suspicari, duas bigas tibi oro tecum finge, iunge Iustitiam & Arrogantiam peccatúmque & humilitatem, aspicies peccati iugum iustitiam præcedere, non quidem virtute propria, sed viribus sociæ humilitatis, illámque rursus retro relinqui non ob iustitiæ imbecillitatem sed propter arrogantiæ pondus ac tumorem.* Sicut enim humilitas ob excellentem suam altitudinem peccati gravitatem superat, atque ad Deum expedita evolat, ita & arrogantia vi proprij tumoris ac ponderis levissimam justitiam obtinere prævalet, cámque facile ad inferiora pertrahere, nempe enim quod biga ista sit celerior quam illa & expeditior Pharisæi illius, Publicanúsque testatur Historia. Iunxit Pharisæus Iustitiam & arrogantiam, sic dicens: *Gratias ago tibi quod non sum sicut reliqui homines raptores, avari, atque sicut iste Publicanus.* O incredibilem insaniam, non exatiavit illius arrogantiam tota simul jactura mortalium, sed & prope sibi assistenti Publicano per summam insultavit amentiam. Quid ergo ille? Non probra repulit, non accusatus indoluit, sed quod ille dixerat summa cum gratitudine suscepit, spiculúmque inimici illi medicamentum salutis factum est, probrúmque laus & accusatio, tantum in se boni habet Humilitas, tantúmque lucri nobis confert non angi aliorum maledictis; neque ad proximorum efferri contumelias, injuriisque commoveri. Licet enim ex ipsis quoque injuriis ac maledictis magnum quiddam gloriosúmque lucrari, quod & in Publicano tunc factum est, qui suscipiens probra, peccata deposuit, dicénsque: *Propitius esto mihi peccatori*, descendit justificatus ab illo, sermonésque vicerunt opera, & verba superaverunt actiones. Ille enim justitiam prætendebat, & decimas, hic verba exilia protulit, & omnia peccata deposuit. Neque enim verba tantum attendit Deus, sed & mentem qua ista procedebant aspexit, humilémque & contritam reperiens, miseratus est ac benignissime suscepit. Hæc præclare Chrysostomus. Nunc & huc intendant animum Religiosi omnes obsecramus, audiántque severissimamq; ac verissimam æterni judicis sententiam, qui injustorum peccata sua humiliter confitentium meliorem statuit conditionem, quam justorum & sanctorum delinquentes contumeliose aspernantium, qui hos tanquam

Luc. 18.

F

I. Chrys.

Iustitia.

Humilitas & arrogātia.

Luc. 18.

G

Humilitas multum in se boni habet.

H

Deus nō attendit tantum verba, sed & mentem.

Luc. 18.

elatos

A

Peccatores aspernati non debemus, sed commiserari

elatos humiliandos, illos vero tanquam humiles exaltandos esse pronunciat. Hic discant cum aliquem furtis ac rapinis opes cumulasse audierint, commiserari illum, non opprobriose insectari. Quem verò stupris & adulteriis inquinatum acceperint, gemitu eum & lachrymis, non amara vlla exprobratione persequi. At si quem cruciatu hominum & cæde delectantem intellexerint, pro eo Deum mentae orare, non despicere, aut aspernando detestari. Ita quolibet quemque vitio contaminatum persenserint condolere ei & pietatem summam exhibere non fastidire atque contemnere. Hic cognoscant periculum ingens functionis vitæ, qui propter exprobrationem tantum & despectum malorum, injustorúmque hominum, sed peccata sua tamen humiliter confitentium, postpositi sint longe illis ac posthabiti, sententia Salvatoris nostri. Rogemus autem magnum illum Christianorum præceptorem Paulum. Num raptores ipse adulteros, sicariósque ejusmodi contemnebat, aut aspernabatur, an pro eis potius pietate tangebatur, affligebatur, flebat, orabat? Quid respondes Paule, sed pro te Chrysostomum maximum amatorem respondentem audiamus. Laudes enim tuas scribens: *Vidisti ne quæso* (inquit) *animam omnia terrena superantem, omnem enim prorsus hominem Deo exhibere cupiebat, & omnes quantum ad ipsum spectabat, exhibuit, quasi vniversum mundum ipse genuisset sic perturbabatur, sic currebat, sic omnes in regnum Dei festinabat inducere, docendo pollicendo, medicando tum orando pro ipsis, tum etiam ipsis supplicando & terrendo, dæmones & corruptores animarum fugando, aliquando epistolis, aliquando præsentia, nunc sermone, nunc rebus, per discipulos, per semetipsum, erigere labentes, stantes vero firmare, humi iacentes attollere, sanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare.* Item alio loco: *Quod vnum* (ait) *& solum erat in sua potestate præstabat. Sæpe lachrymabatur, vehementer pro illis dolebat, volentes illis insultare prohibebat atque in quantum poterat laborabat vmbram eis excusationis obtendere, & qui propter contumaciam eorum atque duritiam persuadere illis fidem sermone non poterat, ad orationes convertebatur assiduas. Fratres* (inquiens) *voluntas quidem cordis mei & obsecratio ad Deum fit pro illis in salutem, spe quoque illos meliore sollicitans dum dicit. Sine pænitentia enim sunt dona & vocatio Dei, vt non pertinacius vsque ad finẽ desperatione moriantur.* Magna sunt hæc certe quæ de Paulo audivimus amoris signa, magna hæc charitatis incendia. Verum longe majora sunt etiam atque ardentiora quæ de eo alia subjiciemus. Ex quibus quod dicendum restat, vtile quidem sed arduum & difficile admodum sentum contra propriam æstimationem remedium ostendemus.

Rom. 19

B

C

Rom. 10

Rom. 11

C A P V T II.

De sexto remedio, cohibendi nimij suiipsius amoris.

D

Amor privatus vehementer claudit oculũ cordis. Delicta proximorum quare gravia, & nostra levia nobis videmus. Lev. 19. Prov. 20.

SCripsimus enim superiore libro cum præsumptionis originem aperiremus, non aliunde eam nasci quam ex nimio quo quisque sibi amore afficitur. *Erunt quippe* (sicut scriptum est) *homines seipsos amantes*, & scimus quia vehementes claudit oculum cordis amor privatus. *Multaque esse merito* inquit Gregorius) *peccata quæ committimus, sed iccirco nobis gravia non videri, quia privato nos amore diligentes clausis nobis oculis in nostra deceptione blandimur.* Vnde fit plerumque vt & nostra gravia leviter, & proximorum mala levia graviter judicemus, atque hoc quod nos agimus & grave esse non æstimemus, plerumque si agatur à proximo, nimis nobis detestabile esse videatur, neque aliunde hoc fieri, nisi quia nec nos sicut proximum, nec proximum aspicimus sicut nos. Si enim nos sicut proximum aspiceremus, nostra reprehensibilia districte videremus, & rursum si proximum aspiceremus vt nos, nunquam nobis ejus actio intolerabilis appareret, qui sæpe fortasse talia egimus, & nil nos proximo intolerabile fecisse putabamus. Non vero aliud intellexisse Moysen, cum hoc male divisum mentis nostræ judicium corrigere per legis præceptum studens, justum debere esse dixit modium, æquúmque sextarium. Salomonem quoque cum ait *pondus & pondus, mensura & mensura, vtrumque abominabile est apud Deum. Scitum enim esse quia in negociatorum duplici pondere aliud maius, aliud minus est, habere quoque eos aliud pondus ad quod pensant sibi, & aliud pondus ad quod pensant proximo, & esse quæ ad dandum preparant leviora pondera, quæ vero ad accipiendum graviora. Vtrumque ergo abominabile esse apud Deum, quia si sic se, sicut proximum aspiceret, so in malis sicut proximum iudicaret.* Hæc à Gregorio prudentissime dicta. Cujusmodi apud Græcos Æsopus pulcherrimum apologum scripsit, quemque scilicet hominem duas manticas ferre vitiis plenas, vnam ante, alteram retro, atque eam quæ ante fertur peccata aliena continere, quia aliorum peccata nobis patent, nostráque aliisque, eam vero quæ tergo portatur peccatis propriis plenam esse, quod lateant nos peccata nostra, aliis autem aperta sint. Quod eleganter Persius illis verbis expressit.

Æsopi quidam apologus

F

Persius.

Vt nemo in sese tentet descendere nemo.
Sed præcedenti spectatur mantica tergo. Fit enim (inquit Cicero) *nescio quo modo vt in aliis magis cernamus quam in nobismetipsis si quod delinquitur.* Qui igitur tantam perfectionem animi fuerit consecutus vt non plus suam quam aliorum salutem curam habeat, vt voluntatem suam pessundet prorsus atque conculcet, vt privatim abs se omnem amorem abdicare possit, is proculdubio nunquam aliquid de se præsumet, aut vlla virtutis propriæ æstimatione capietur. Itaque quo minor fuerit de se æstimatio, eo majorem etiam ad sanctitatem evadet. Ita fiet vt ad capessendam cœlestem coronam nihil magis possit viam aperire, quam renunciatio proprij amoris, quod multis factum esse scribit Climac *Nemo enim* (ait) *se so defendat argumẽto, vt dicat mandata Evangelica tanquam dura nimis & gratia minime observari posse.* Nam certum est multos sæpe majora quam Evangelia mandent effecisse. Siquidem amasse plurimos longe magis proximum quam seipsos, quod minime tamen docuit vnquam aut mandavit præceptor noster IESVS CHRISTVS. At vero vt ad Paulum, de quo sermonem suscepimus, revertamur, tantum ille ex se proprium hunc amorem evulsit, tantum blandientem hanc sibi voluntatem suam abnegavit exterminavítque, vt pro peccatis mortalium non modo quod diximus oraret maderétq; vbertim lachrymis, sed quo salus omnium redimeretur suppliciis etiam damnari æternis optaret. Cujus prosequens laudes Chrysost *Nullus* (inquit) *tam certo affectu mala propria quam ille deflebat aliena.* Quemadmodum enim illum opinaris afflictum cum Iudæorum perditionem defleret, qui vt illi salvi fierent à cœlorum gloria cupiebat excludi, & hoc vnum manifestum est, quia scilicet non salvari eos multo acerbius æstimabat quam semetipsum perire, aut si non acerbius, nunquid aliud optasset, quod vtique quasi tolerabilius elegit, qui cum certe spe maxima futuri præmij pasceretur, non perfunctorie aliud optabat, sed clamabat, dicens: *Quoniam tristitia est mihi magna, & continuus dolor cordi meo.* Hunc ergo & de singulis mortalibus tam vehementer dolentem, & in commune pro cunctis & gentibus videlicet & vrbibus, & pro vnoquoque peculiariter lamentantem, cui nam sea aliquis poterit comparari, cui ferro, aut adamanti? Quidnam illam aliquis appellet animam, auream ne magis an adamantinam, nam & omni erat adamante fortior, & auro, gemmisque preciosior. Hæc Chrysostomus, qui in dialogo quem scripsit *de fuga curæ pastoralis* in eandem quoque sententiam hujuscemodi verba facit: Verum nescio

Cicero.

Amoris proprij renunciatio prodest.

G

Proximũ plus amare quã seipsũ non docuit Christus.

Rom. 9. Paulus vt Iudæi salvi fierent a cœlorum gloria cupiebat excludi. Rom. 9.

H

Chrys.

quomodo

A

quomodo sum adductus vt injuriam tanto viro facerem. Virtutes quippe ejus cum omnem orationem superent, tum maxime nostram, tantum quantum nos oratione vincunt, qui styli gloriam consequuntur. Verum consolatur nos quod beatus Paulus ille non hunc excessum nostrum sed propositum ponderavit. Non igitur conquiescam donec proferam illud quoque quod tanto omnibus quæ diximus antecellit, quanto cunctis mortalibus vir ille, de quo loquimur. Quid ergo hoc est? Post tot certamina, post innumeras coronas, optabat in gehennam mitti, & judicium subire æternum pro eorum salute à quibus fuerat sæpe lapidatus, qui eum interficere contenderant, vt hi tantarum auctores ei afflictionum per fidem Christi corpori jungerentur. Paria quoque de Moyse referuntur, qui pro salute populi Israël, cujus ductor erat, non modo enixe Deum orabat, sed & de libro vitæ insuper deleri petebat. Quod Franciscum etiam magnum illum mundi proculcatorem optasse tradunt, tanta in illo quæ omnem dicendi facultatem superat, exarsit erga miseros mortales flamma charitatis. Quorum exemplis cum ad hoc quod srato loco posuimus domandæ propriæ voluntatis, extirpandique proprij amoris remedium invitemur, tum ad commiserationem alicui peccati (quam longe cuique faciliorem supra memoravimus) animamur.

Exod. 32. Charitatis flamma omnem dicendi facultatē superat.

B

CAPVT III.

De habenda commiseratione aliorum, qui peccatis immersi sunt.

ERunt hi ergo, quorum vita DEO adversa videbitur, commiserandi magis quam exprobrandi, ne qui contra egerit non aliter ac Pharisæus qui publicanum se accusantem aspernabatur, improbari (vt ante diximus) divina ab auctoritate mereantur. Movebitur vero quisque citius pietate, si, quisquis virtute aliqua excelluerit, cogitet, eam à DEO forte sibi præstitam, vt reliqui, qui peccatis immersi sunt, habeant quem imitari & admirari possint, quem intuentes suorum tacti pudore opprobriorum meliorem ad vitæ frugem converterentur. Quod Bernardus, dum innumeris clareret quotidie miraculis & signis, dixisse de se fertur, non adscribens ea sanctitati suæ, cujus se minime conscium esse attestabatur, sed vtilitati populorum, quos illa in admiratione tantarum rerum adductos à turpi vita vocarent quam maxime atque deterrerent. Illud quoque non minus adjuvabit, si quemadmodum sanctorum hominum exemplo plurimū eos diximus qui à DEO aberrant dirigi & emendari, ita contra consideremus qui DEI gratiam promeruerint divino non frustra permissu contingere multorum, & quidem domesticorum lapsum & ruinam, vt eorum exterrefacti gravi periculo & opprobrio, majorem proinde ad vitæ sanctitatem incendantur. Id nos à Climaco pulchre instruimur. Cum enim rogatus aliquando esset à quodam (vt ipse dicit) egregio ac erudito viro: Cur DEVS cognoscens casum & perditionem cujusquam, magnis eum prius nonnunquam & singularibus ornaret virtutum ac signorum insuper gratiis? Fieri id tribus causis respondit, vel vt exemplo cederet omnibus sanctis viris, ne elati magnitudine gratiarum suarum putarent, ita certum ac solidum se statum adeptos esse, vt non reprobari tamen à DEO ac damnari possent: Vel vt demonstraretur non auferri hominibus ob divinam vllam gratiam liberum peccandi arbitrium: vel vt supremi tempore judicij nulla prorsus afferri posset excusatio divinæ condemnationis. Sed hic vos præcipue sorores compellamus, immo vos Augustinus in libro quem *de sancta virginitate* scripsit ad virgines Christi. Audite ergo ex Augustino sorores, audite itaque virgines Christi, quid officij vestri esse debeat,

Luc. 18

C

Ruina multorū non frustra permissu divino cōtingit. Deus casum magnis sæpe gratiis prius ornat,

D

tribus ex causis.

cum aliqua forte ordinis vestri in grave aliquod crimen prolapsa fuerit, quid tunc vos agere oporteat aspernari ne eam graviter & detestari, an commiserari potius, omnique lachrymarum obsecrationumque officio prosequi; audite inquam ex Augustino cujus verba subjicei: *Inter hæc divina monita & humana pericula, ita ne adhuc virginibus sanctis humilitatem persuadere laboramus, an vero propter aliud credendum est permittere Deum vt misceantur numero professionis vestræ multi & multæ casura & casuri, nisi vt his cadentibus timor vester augeatur, quo superbia comprimatur, quam sic odit Deus vt contra hanc unam se tantum humiliaret altissimus.* Persequitur acriter Ambrosius in libro quem edidit *de virginibus*, Susannam quandam, quæ cum magno mentis ardore ducta virginitatem vovisset, corruit postea tamen tam graviter vt & stuprum committeret. Quanto putatis terrore concussas fuisse socias ejus videntes famæ ipsius simul & animæ tam horrendum & miserabilem casum. Refert enim in epistolis: Indiciam aliam virginem falsi stupri accusatam, liberatamque à se demum, & condemnatis adversis omnibus, falsisque testibus ac delatoribus absolutam. Quantum existimatis timuisse tunc Marcellinam Ambrosij sororem, quæ domestica illi Romæ fuerat, reliquumque pudicarum & sanctarum virginum agmen, cum intelligerent innocentissimam virginem tantum nominis sui discrimen incidisse? Credendum vero est & hujus falsam accusationem, & illius ignominiosam ruinam, non aliam ob causam DEVM permisisse, nisi vt horrorem tam ingentium malorum contemplantes ceteræ religiosæ virgines præ terrore dejicerentur, sanctæque magis humilitati studerent omnem à se custodiæ virginitati sanctitatisque suæ æstimationem abdicantes. Verum quid hæc ego ad vos, sorores, quibus non tantum virginitatis, religionisque mirum amorem & studium Deus tribuit, sed & ejus insuper sub matris cura, cujus summa est prudentia & integritas, atque in earum Virginum, quibus nihil est purius & candidius, societate collocavit? Quid hæc ego inquam ad vos à quibus longe est hujuscemodi omnis aliena suspicio longe hujuscemodi omnis alienus timor? Formidanda sunt alia vobis, alia vobis monita, alia convenientiora documenta paranda sunt. Nam cum ad religionem meliore gratia à DEO vocatæ, melioremque & tranquilliorem in locum segregatæ, reliqueritis mundi parentes, fratres, consanguineos, sorores conjugatas despicitis nos fortasse, stultos etiam & delicos appellantes qui mille erroribus & miseriis quibus totus abunde scatet mundus, volutamur vltro atque ubi nimur, meque præsertim qui duos jam & decem annos errabunda Romanæ curiæ vestigia contero, subnotandis libellis incredibili quotidie fastidio occupatus, in tanta hominum morumque diversitate, inter tot variarum rerum turbines & tumultus vitam ducens, inter latam versans ex toto orbe profluentem cupiditatis luxus, ambitionisque colluviem. Despicitis nos, sorores fortasse, quod si facitis longe credite mihi, longe (pace vestra dicam) aberratis, commiseranda est sors nostra, non despicienda. Considerate magis (quod Franciscus magnus ille sui contemptor solebat) si quam vos à DEO gratiam accepistis, aliquis eorum, quem despectum habetis, assecutus fuisset, meliora multo ejus atque vberiora illum incrementa attulisse, vosque forsitan & religionis amore, & mentis integritate superasse. Cujus consideratio ad omnem vsque humilitatem adeo Franciscum dejiciebat, vt tanquam mortalium omnium abjectissimum. Deoque ingratissimum conviciis & contumeliis sæpius se affici, etiam quoque à domesticis suis juberet. Hæc igitur ita considerantes, discite quos minus meriti & gratiæ habere cernitis, non despectione prosequi & aspernatione sed venia magis & pietate. Quod animadvertens Augustinus, dum de sancta virginitate ad sanctas virgines scriberet, prudentissime sic exorsus est

Librum de bono coniugali nuper edidimus, in quo etiam Christi virgines admonuimus, ne propter excellentiam muneris amplioris quod divinitus acceperunt, contemnant in sui comparatione patres & matres populi Dei hominésque illos quos tanquam olivam commendat Apostolus Ne superbiat insertus oleaster, qui venturo Christo etiam filiorum propagatione serviebat, ideo meriti inferioris esse arbitrantur, quia iure divino continentia connubio, & nuptiis pia virginitas anteponitur. Adeo autem timuit Augustinus sacris virginibus elationem, aliorúmque despectionem vt totum opus exequens in commendatione humilitatis post multa, ne omnia commemoremus, ita etiam scribit: *Nec de his ago in quibus est quidam placendi appetitus, aut elegantiore vestitu quam tanta professionis necessitas postulat, aut capitis ligamento notabili, sive pro tumidis umbonibus capillorum, sive tegminibus ita teneris vt reticula subter posita appareant.* His nondum de humilitate, sed de ipsa castitate vel integritate pudicitiæ danda præcepta sunt. Da mihi profitentem perpetuam continentiam, atque his & hujuscemodi omnibus carentem vitiis & maculis morum, hinc superbiam timeo, hinc tam magno bono ex elationis tumore formido, quo magis vereor ne sibi placendo illi displiceat. Qui *superbis resistit, humilibus autem dat gratiam*; qui omnibus dicit: *Discite à me quoniam mitis sum & humilis corde.* Christus non sibi placuit, sed sicut scriptum est de illo: *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Vade, veni ad eum & disce, quoniam *mitis est & humilis corde.* Non ibis ad eum qui oculos ad cœlum levare non audebat onere iniquitatis, sed ad eum qui de cœlo descendit onere charitatis. Non ibis ad eam quæ Domini sui pedes lachrymis rigavit, quærens indulgentiam gravium peccatorum, sed ibis ad eum qui cum daret indulgentiam omnium peccatorum lavit pedes servorum suorum. Novi dignitatem virginitatis tuæ, non tibi propono imitandum Publicanum humiliter accusantem delicta sua, sed timeo tibi Pharisæum superbe jactantem merita sua. Non dico. Esto qualis illa, de qua dictum est: *Dimittuntur ei peccata multa quoniam dilexit multum*, sed metuo, ne cum tibi modicum dimitti putas, modicum diligas, metuo inquam tibi vehementer ne cum te *agnum quocunque ierit secuturam esse* glorians, eum præ timore superbiæ sequi per angusta non possis. *Noli altum sapere, sed time & ama.* Ama Dei bonitatem, time severitatem, vtrumque te superbam esse non sinit: Amando enim times ne amatum & amantem graviter offendas. *Nam quæ gravior offensio, quam vt superbia illi displiceas, qui propter te superbis displicuit.* Ejus quoque sunt verba quæ sequuntur. *Iam iuste vivis, iam pie vivis, adhuc tamen hic vivis, & non humiliaris audiendo, nunquid non tentatio est vita humana super terram?* non te à præfidenti elatione reverberat, *væ mundo ab scandalis.* Non contremiscis ne pereas in multis quorum *refrigescit charitas, quoniam abundat iniquitas.* Non percutis pectus cum audis, quapropter *qui se putat stare, caveat ne cadat.* Tantum autem virginitati humilitatem conjunctam esse demonstrat, vt veritus ne de virginitate scribendi sibi aliquis objiceret, cur de humilitate tot verba faceret, dicat non quamcunque à se virginitatem sed illam tantum quæ secundum Deum est prædicandā susceptam esse, quod bonum quanto magnum videt, tanto ei ne pereat futuram superbiam contimescere. *Non ergo (inquit) custodit bonum virginale nisi Deus ipse qui dedit, & Deus charitas est, custos ergo virginitatis charitas.* Locus autem hujus custodis humilitas, ibi quippe habitat qui dixit: *super humilem & quietum & trementem verba mea requiescere spiritum suum.* Deinde subdit: *Nec mihi ne irascatur timeo:* quos vt mecum sibi timeant sollicitus moneo, facilius sequuntur agnum, & si non quocunque ierit, certe quousque potuerint conjugati humiles quam superbientes virgines. Demum quod magnopere advertendum est vobis sorores, investigat excelso ingenio suo Augustinus quo pacto fieri possit vt conjugatæ mulieres merito virtutis sanctis virginibus anteponendæ videantur, cujus consideratione religiosæ harum & puræ mentes in tantam deducantur humilitatem, vt non modo illas licet nuptas & mundo conversantes non despiciant, sed & insuper vt seipsis integriores perfectioresque admirentur & revereantur. *Quid igitur* (inquit) *faciat virgo, quid cogitet, ne se extollat super eos vel eas qui hoc tam magno dono carent, neque enim simulare debet humilitatem sed exhibere, nam simulatio humilitatis maior superbia est.* Proinde quid dicimus: Est ne aliquid quod virgo Dei veraciter cogitet, vnde se fideli mulieri non tantum viduæ, verumetiam conjugatæ præferre non audeat, non ego reprobam dico. Nam quis nesciat obedientem mulierem inobedienti virgini præponendam: sed cum ambo sunt obedientes præceptis Dei, ita ne trepidabit sanctam virginitatem etiam castis nuptiis & continentiam præferre connubio, fructum centenū præire triceno, imò vero non dubitet hanc rem illi rei præponere. Hæc tamen vel hæc virgo obediens & Deum timens illi vel mulieri obedienti & Deum timenti se anteferre non audeat. Alioquin non erit humilis: *& Deus superbis resistit.* Quid ergo? Cogitabit occulta scilicet dona Dei, quæ non nisi interrogatione tentationis etiam semetipsum vnicuique declarat? Vt enim cætera taceam, vnde scit virgo quamvis sollicita quæ sunt Domini, quomodo placeat Domino, ne forte propter aliquam sibi incognitam mentis infirmitatem nondum sit matura martyrio. Illa vero mulier cui se præferre gestiebat, jam possit bibere calicem Dominicæ humilitatis, quem prius bibendum discipulis amatoribus sublimitatis opposuit, vnde inquam scit ne forte ipsa nondum sit Tecla, jam sit illa Crispina. Certe nisi adsit tentatio, nulla doni hujus fit demonstratio. Hoc autem tam magnum est vt eum fructum centenum quidam intelligant. Perhibet enim præclarissimum testimonium Ecclesiastica auctoritas, in qua fidelibus notum est quo loco martyres, & quo defunctæ sanctæ Moniales ad altaris sacramenta recitentur. Nemo ergo quantum puto ausus fuerit virginitatem præferre martyrio, ac nemo dubitaverit hoc donum occultum esse, si examinatrix desit tentatio. Habet itaque virgo quod cogitet, quod ei prosit ad servandam humilitatem, ne violet illam quæ supereminet donis omnibus charitatem, sine qua vtique quæcunque alia vel pauca vel plura, vel magna, vel parva habuerit, nihil est. Habet inquam quod cogitet, vt non infletur, non æmuletur. Ita se scilicet sciat bonum virginale conjugali bono multo amplius & melius profiteri, vt tamen nesciat vtrum illa vel illa verba conjugata jam pati pro CHRISTO possit, adhuc vero ipsa non possit, & hoc ei parcatur, quia infirmitas ejus tentatione interrogatur. *Fidelis enim Deus* (ait Apostolus) *qui non patitur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam proventum vt possitis sustinere.* Fortasse ergo illi vel illi conjugalis vitæ retinentes in suo genere laudabilem modum jam possint contra inimicum ad iniquitatem cogentem, etiam laniatu viscerum, & effusione sanguinis dimicare; illi autem vel illi à pueritia continentes, seque castrantes propter regnum cœlorum, nondum tamen valeant talia pro ipsa pudicitia sustineri. Aliud enim est pro veritate ac proposito sancto diabolo non consentire suadenti atque blandienti, aliud non cedere etiám torquenti atque sævienti. Latent ista in facultatibus & viribus animorum, tentata panduntur, experta propalantur. Vt ergo quisque non infletur ex eo quod videt posse humiliter, cogitet quod ignorat aliquid præstantius se fortasse non posse. Aliquos autem qui illud quo sibi gloriose notus est, nec habent, nec profitentur, *Hoc quod ipsi non potest posse ita servabimur, non fallaci sed veraci humilitatem honore mutuo prævenientes, &*

alterutrum

Marginal notes: Rom. 11. 17. q. 1. nuptiarū. A g. st. — Psal. 68 — Luc. 18 — Luc. 7. — Ioan. 13 — Luc. 18. — Luc 7. — Apoc. 14 — I. b. 7. — Mat. 18 — Mat. 24. — 1 Cor. 10 — Virginitati humilitas coniuncta est. — Esa. — 1. Ioan. 4 — August. Simulatio humilitatis magna superbia est. — Iacob. 4. — Virgo quicquid habuerit sine charitate nihil est.

A

alterutrum existimantes superiorem sibi. Hæc Augustinus scrutans latentes sub humanis mentibus habitus virtutum subtiliter tradidit. Cæterum si inquirere etiam voluerimus, non quæ habitu sub animis latent, sed re ipsa iam in lucem productæ virtutes, nemini tamen cognitæ sunt, apparebit longe vtique maior sacris virginibus non despiciendi cuiusquam iniuncta necessitas, neque enim vel vestis abiectior, vel locus sanctior, vel professio venerabilior, sed mens sui conscia hominem sanctum Deoque gratum efficit, quippe cum superiora sanctitatem sæpe mentiantur. Sola enim mentis integritas quæ Deo tantum teste contenta est, minime vana, minime fallax esse potest, estque hoc ipsum sanctis hominibus magis ante omnia formidandum ne vel indumentorum ornatu, vel laxiori vitæ instituto quæ oculis intuentur, pares etiam existiment esse quos videre non possunt secretos animorum recessus. Nam multos aliquando non religiosos quidem aut in monasteriis habitantes (quorum status alios vestiendi modos, alios vivendi mores exigit) compertum est magnis claruisse virtutibus, atque his dico quæ religiosorum sanctorumque hominum propriæ sunt, abstinentia videlicet ciborum, maceratione corporis, crebra vigilandi, legendi, orandique consuetudine, gratia etiam lacrymarum divinarumque meditationum. Quis audebit nunc quemquam ex exteriori habitu, quo facillime falli quisque potest, æstimare? Atque, vt ad vos præcipue Christi virgines veniamus, compertum est aliquas nonnunquam coniugatas fæminas cum viris propriis virgines permansisse, quas non dubitamus, quo propinquum sociæ carnis incendium maiore fortitudine superare potuerunt, eo gloriosiorem virginitatis coronam adeptas esse. Quid hic diceris? quid respondebitis? Appellamus vos virgines Christi, audebitis ne amodo coniugatam vllam fæminam, tanquam sanctitate vobis inferiorem, despicere, cuius maiora fortasse sunt merita, maiora quoque quæ meritorum eis promissa sunt præmia. Nota est quam tradit Hieronymus Malchi monachi historia, qui à Sarracenis captus turpi & misera seruitute affectus, pascendo gregi præpositus, nubere alteri concaptivæ coactus, ad extremam vsque senectutem cum ea non aliter ac cum sorore vixit, perpetuam servans virginitatem. Quid si illos, dicite virgines Christi, quid si vidissetis in eo quem diximus statu custodientes gregem, nonne tanquam vilissima mancipia non dico hominum, sed dæmonum despectui habuissetis. Cogitate proinde quantus esset error vester, qui tales contemneretis tam miserabilem in servitutis casum redactos, tanta insignes laude pudicitiæ, quorum non esseris digni soluere corrigiam calciamenti. Cogitate inquam & discite aliquando non prosilire citius in æstimationem alienæ vitæ. Sed & illud est dignitate non inferius quod refert Cassianus. Cum agrestis enim quidam habitu ad Ioannem Abbatem venisset deferens ei quasdam frugum suarum primitias, invenissetque immundissimo quendam dæmonio vexatum, quem multa sanctus senex obtestatione & adiuratione liberare non potuerat, increpare illud & exterrere aggressus, statim inde rusticus homo effugavit, cuius tam manifestam & excellentem gratiam longe Ioannes admiratus, inquisivit ab eo diligenter conversationem omnem ipsius, narranteque illo vxorem se habere, rustico operi se vacare, atque inde inopem vitam sustentare, mirari tunc etiam magis & obstupescere cœpit optimus pater scrutarique proinde attentius conditionem omnem ac merita quæ tam præstantia videbantur esse vitæ eius. Cumque nec aliquid ille in se meriti esse attestaretur, præter quas quotidie gratias Deo agebat pro susceptis bonis; referebat quoque de primitiis decimisque eorum, quibus etiam contentus, neminem vnquam damno vllo aut iniuria affecisset, substitit senior pater maiore vtique animi admiratione dicens, nec tanti adhuc esse vt tantam expellendi dæmonij, quod ipse nequiverat, gratiam illi adderent. Cum vero tandem astrictius rogatus resolisset agrestis homo, ablegata cui se destinarat monastica vita, coactū à parentibus duodecim ante annos vxorem duxisse, custoditaque eius virginitate intactam semper ac instar sororis, nemine id vnquam advertente, habuisse, prosilivit, tunc admiratione simul & lætitia religiosissimus senex, proclamans publice illo etiam audiente: Iure merito quidem, à quo ipse contemptus fuerat, cessisse dæmonium eius imperio, cuius virtutem non modo in ardentiore iuventute, sed nec in ipsa iam frigescente prorsus senectute, se attingere posse confideret. Quid hic item diceris quid respondebitis virgines Christi? Audebitis ne amodo coniugatam vllam fœminam tanquam sanctitate vobis inferiorem despicere? At præter hæc quæ antiqua & revolutis iam retro multis sæculis acta narravimus, accipite sorores aliud exemplum quod recentiore ætate nostra & in ista quidem qua vos degitis Ticinensi vrbe contigit. Vixit enim ibi cum viro suo fæmina quædam septem & decem annos, nunquam ab eo tacta, non quod id fieret voluntate & instituto ipsorum, sed maleficiis quibus præcantati erant imprecationibus. Latuit ea res omnes vivente vxore, mortua vero in lucem prodiit. Non est sane hæc superioribus comparanda, sed ne laude quidem sua defraudanda, quæ licet præter animi sui sententiam, virgo tamen in ipso coniugali statu vixit, virgoque decessit, tam tristem casum suum æquo semper & forti animo ferens. Quantum creditis opinione sua falleretur, quantum peccati committeret quæ fæminam talem coniugio alligatam contemneret, cuius commendanda magis esset insignis tolerantia & fortitudo. Quam facile huiusmodi multas inveniri posse existimatis, quarum quo latentior occultiorque est pudicitiæ integritas, eo vberior laus, commendatioque esse gloriosior proculdubio videtur. Ideo sanctus Gregorius optimos quosque admonet, *ne proximos suos despiciant, quia & quos agere aliqua prava conspiciunt quæ in eis lateant bona nesciunt.* Pulcherrimo autem docet exemplo quosdam mundi negociis implicatos videri, quorum mens tamen ab his longe aliena Deoque coniuncta sit. Refert enim Theophanium quendam comitem in Centumcellensi vrbe fuisse, virum bonis operibus semper intentum, hospitalitatique maxime studentem, sed exercendis quidem comitatus actibus occupatum. Agebat, inquit, terrena & temporalia, sed vt post ex fine eius claruit, magis ex debito quam ex proposito. Defuncto enim eo cum corpus ex more ad lavandum fuisset detectum, ita manus illius & pedes, qui podagræ humore tumescentes conversi ante in vulneribus fuerant & profluenti sanie putrescebant, illæsi sanique reperti sunt ac si nihil vnquam vulneris habuissent. Quo etiam sepulto, cum coniugi visum esset, vt quarto die in sepulchro illius marmor, quod superpositum fuerat mutari debuisset, tanta ablato marmore ex eius corpore fragrantia odoris emanavit, ac si ex putrescente carne illius pro vermibus aromata ferbuissent. Quo plane nemo est religionis dicatus, qui non maxime animo deiici debeat, cogitans tantam in huiuscemodi mundo alligatis hominibus sanctitatem latere. Parcite igitur, parcite virgines Christi, superiores vos aliis virtute sed quam maxime coniugatis fæminis æstimare, atque vt ad Augustinum, quem supra sanctas instituentem virgines retulimus, iterum vbi humilitatis præcepta concludens eas adhortatur redeamus. Hoc agite virgines Dei, hoc agite, sequimini agnum quocunque ierit, sed prius ad eum quam sequamini venite & discite quoniam *mitis est & humilis corde.* Humiliter ad humilem venite si amatis, & ne discedatis ab illo ne cadatis. Qui enim timet ab illo discedere, rogat & dicit, *non veniat mihi pes superbiæ*, pergite viam sublimitatis pede humilitatis. Ipse exaltat humiliter sequentes, quem descendere non piguit ad iacentes. Dona eius illi servandа committit

Mens sui conscia sola hominem sanctum Deoque gratum efficit.

B

Virtutibus magnis sæpe claruerũt homines non religiosi. Vt S. Elzearius cum coniuge, & reges quidam Augustæ.

C

Historia cuiusdam ab Sarracenis capti.

Historia cuiusdam rustici dæmonẽ effugantis.

D

A

committita, fortitudinem vestram ad illum custodite, Quicquid mali ipsa custodiente non committitis, tanquam temissum ab illo deputata, na modicum vobis existimantes essa demissum modicum diligatia, & toudenies pectora publica nos ruinosa iactantia contemnatie, da viribus vestris expertis cavete, ne qoia ferra aliquid potuistis insflemini: De inexpertis autem orata ne supra quam potestis ferre, tentamini. Æstimate aliquos in occulto superiores, quibus eltis in manifesto meliores, cum aliorum bona forte ignota vobis benigne creduntur à vobis, vestra vobis nota non comparatione minountur, sed dilectione firmantur, & quæ forta adhuc desunt tanto dantur facilius quanto desiderantur humilius. Persaverantes in numero vestro præbeant vobis exemplum, cadentes augeant timorem vestrum. Illud amate, vt imitemini, hoc ingete ne inflemini. Institiam vestram nolite statuete, Deo vos instificanti subdite, veniam peccatis donate alienis, orata pro vestris, futura vigilandu vitata, præterita confitendo delete.

B

CAPVT IV.

De fugienda cuiusquam iudicandi consuetudine ac de septimo remedio.

NVnc vero aliud quod ea his quæ supra diximus descendit: tradendum est vltimo loco saluberrimum contra æstimationem sui remedium, vt iudicandi cuiusquam vel studij, vel ingenij, vel criminis consuetudinem fugiamus, quæ cum in omni genere mortalium detestanda sit, ac longe magis in religiosis Deo dicatis hominibus, in quibus nullum ast evidentius depravatæ mentis iudicium, quod & ab Augustino traditum est. Scribens enim super epistolam ad Galatas: *Nulla re* dicit *ita probari hominem spiritualem religionique deditum quam in iudicando peccatum alienum.* Præclara hæc quidem Augustini oblitterandaque nunquam sententia. Quippe qui aliorum libenter mores & vitam iudicant, compertum est omnea Dei nihil vnquam sapera, stultitia autem & præsumptione atque invidentia ad oculos vsque semper æstuantissime scatere. Permissum quoque à Deo esse dicit Climacus, vt qui aliena vitia iudicarent, iisdem quoque ipsi vel tentarentur, vel etiam deficerent, quod & eo magis evitandum est, quia, vt dixisse Gregorium supra memoravimus nescimus quæ bona lateant in ais quos agere aliqua prava conspicimus. Contra quoque, *vidi* (inquit Salomon) *impios sepultos qui cum adhuc viverent in loco sancto, erant & laudabantur in civitate quasi iustorum operum.* Cuius tam pestilentia & hottandi morbi non ignarus Salvator noster in Evangelio. *Nolite* ait *iudicare & non iudicabimini, nolite condemnare & non condemnabimini,* intelligensque id asse proprium Hypocritarum, quos ante omnes ille persecutus est increpans eos acriter: *Quid* inquit *vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est non consideras? & quomodo potes dicere fratri tuo, frater sine eiiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non vides. Hypocrita eiice primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui.* Apostolus quoqua quem tanti mali periculum non latebat, scribens ad Corinthios: *Mihi autem* (ait) *pro minimo est vt à vobis iudicer, aut ab humano die, sed neque meipsum iudico. Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, qui autem iudicat me Dominus est. Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadvsque veniat Dominus qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à* Deo. Quapropter auctoritati huic Apostoli innitens Augustinus, *cum de se,* inquit, *quisque aut non omnino aut vix veram possit proferre sententiam, quomodo potest de alio iudicare, cum nemo sciat quid agitur in homine nisi spiritus.* Vt dicit autem Basilius in libro quem scribit *de institutis monachorum.* Non omnes passiones animæ manifestæ sunt omnibus, sed nec ipsis quidem qui patiuntur eas. Sicut enim sapientioribus medicis signa quædam dantur absconsa & occulta ex corporum motibus, quæ ipsos qui patiuntur effugiunt & latent, ita etiam in anima sunt quædam vitia, & si non sentit ille qui peccat. Eam vero quam modo diximus Apostoli sententiam idem Basilius vtique probat, vt si quid in nostra sit potastate vel arbitrio positum & incertum, non oportabat de his iudicare fratrem. Cæterum Dei iudicia iudicare omnino necessarium est, na forte & nos simili ita absorbeamur, si quiescimus erga peccantes & silemus, nisi forta quis eadem faciens fiduciam non habeat arguendi, neque auctoritatem iudicandi fratrem. Chrysostomus vero in libro *de compunctione cordis* ad Demetrium, huius vitij pestiferam vim non ignorans, dicit ab eo neque sæculi hominem, neque monachorum vllum facile inveniri liberum, quod & mirum sibi videri ait. Cum summam in hoc pœnam posuerit comminatio divinæ sententiæ dicentis: *In quo iudicio iudicaveritis, etiam ipsi iudicabimini,* Et: *in qua mensura mensi fueritis, in eadem remetietur vobis.* Libido vero aut voluptas, vt in cæteris solet peccatis, ex hoc nulla sumatur, omnes tamen festini & præcipites huic se vitio subiugarunt, tanquam si studium nobis & certamen esset propositum, quis ad hoc malum prior omnium perveniret. Sic ergo non per vnum sed per omnes aditus currimus & festinamus occupare ignes gehennæ, & non solum pro his quæ laboris aliquid & continentiæ videntur exigere puniri in ea mimus sed etiam pro his quæ levia sunt, & neque necessitatis aliquid, neque illecebræ quicquam continent ac voluptatis. *Nam dic mihi* (inquit) *quid laboris habes vt non iudices alium, nec peccata aliena discutias, neque condemnes proximum tuum. Immo vero magis in discutiendo & perquirendo aliena commissa labor est, & iudicare de alterius mente summa difficultas est.* Quis hæc audiens credera possit aliquando quod cum possimus sine labora servare mandatum, laboramus & nitimur vt prævaricemur. Si per ocium & negligentiam peccaramus, esset fortasse aliquid his qui laborare nequissent, vbi vero laboratur vt peccemus studiumque adhibetur & contentio quatenus prætereatur mandatum, quis est qui pro hoc malo veniam speret? hoc ast enim contemnata adversus eum qui dedit præcepta & libellum legibus eius inferre. Sunt hæc sane à Chrysostomo prudentar simul & vera dicta, quorum si radicem tamen attenderamus, præsumptionem scilicet & sui confidentiam quæ peccata aliorum graviora semper videri facit, nihil in eo reputans laboris aut molestiæ, minime mirum videbitur si qui consuevarint alios iudicata, dummodo malignitatem suam satient, sponte se laborioso & difficili, voluptateque omni vacuo vitio subdant. Hæc de his diximus iudiciis quæ præsumptiona & invidia carpunt aliorum vitam. Cæterum diversa est eorum ratio quæ consideratione gestuum corporis feruntur, in quibus cum nihil vitij ac prudentiæ certe & acuminis multum argui potest, quemadmodum de Zenone Stoicorum principe & Cleante eius discipulo traditum est, qui ea exteriori hominum aspectu & specie discerni cuiusque mores & naturam posse dicebant, quod Cleantem præsertim de quodam rustico callis durato, sed libidinoso quem adolescentas ei adduxerant, fecisse legimus. Eum namque cum aliquandiu hæsisset iussit abire, atque ita abeuntis gestum agnoscens, *habeo eum* (inquit Cleantes) *mollis est.* Est enim (vt Ambrosius ait) vox quædam animi corporis motus, quo aut levior, aut stupidior, aut contra gravior ac constantior quisque æstimatur. Vultum quoque hominis sermonem quendam tacitum mentis appellat Cicero. Sed &, vt sacra nos docet auctoritas, *ex visu cognoscitur vir,*

Religiosus nulla re ita probatur quam in iudicando peccatum alienum.

C

Eccl 18.

Matt 7. & Luc.6 Matt. 20. c.

D

1.Cor.4.

E

S.Basilius. Passiones animæ ne patientibus quidem manifestæ.

S Chrysostomus.

F

Matth.7 Marc.4.

Mandata aliquando sine labore servare possumus.

G

H

Natura hominis ex ea aspectu exteriori discerni possit.

Motus corporis est quædam vox animi.

A

vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus, amictus corporis & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo. Quare Claudium Neronem, in quo summa fertur regnasse negligentia oblivioque atque stultitia, cum multa exteriora corporis signa dehonestarent, tum maxime risus qui illi erat indecens spumante rictu, & humentibus naribus. Tiberius vero cuius insignia vtique & detestanda vitia memoramur, incedere solitus erat cervice rigida & obstipa, adducto fere vultu, plerumque tacitus, nullo aut rarissimo etiam cum proximis sermone, eoque tardissimo, nec sine molli quadam digitorum gesticulatione, quæ omnia ingrata & arrogantiam magnam in ipso arguentia non latuerunt Augustum, qui apud Senatum & populum excusationem sæpe eorum facere tentavit, affirmans naturæ illa magis quam animi vitio contingere. Iulianum Apostatam tradit Gregorius Nazianzenus se Athenis cognovisse, atque ex gestibus mores eius probe compertos habuisse. *Faciebat enim (inquit) me cautum inconstantia morum & excessus vberior, nullum mihi in eo signum naturale videbatur, cervix rigida & inaffabilis, humeri instabiles, oculi currentes huc illuc directi furiose respicientes, nares spirantes iniurias & contemptum, scommata risibilia & hoc ipsum semper habentia, risus incontinens & quasi subbulliens consensus & negatio simul, operatio nulla ratione consistens, interrogatio inordinata responsio nulla sibi congruentia conveniens.* Quæ cum vidisset repente etiam se dixisse ait: *O quale malum nutrit respublica Romana.* Refert Ambrosius in tertio Officiorum libro, duos qui incedentes imaginem quandam levitatis ac speciem scurrarum percursantium præ se ferebant, hoc solo tamen in clerum non receptum, quod gestus eius plurimum dedeceret, alterum cum in clero iam eum reperisset, iussum ne vnquam præiret sibi, quia velut quodam insolentis incessus verbere oculos suos feriret, neque decepturn se sententia. Nam vterque ab Ecclesia recessit, vt qualis incessus prodebatur, talis perfidia animi demonstraretur. Namque alter Arrianæ infestationis tempore fidem destruit, alter pecuniæ studio ne iudicium subiret sacerdotale se ex eius esse gregis numero negavit. Sunt igitur huiuscemodi iudicia non modo non reprehensione, sed & summa insuper laude digna, quæ non nisi gravioribus & sapientioribus viris concessa sunt. Erit tamen & his magna castigatio adhibenda, vt habeantur multæ extraneorum qui contingere possunt casuum rationes. Nam considerare oportebit causas languoris aut intercidentis adversi nuncij, loci quoque & temporis quæ diversos hominum mores diversamque naturam videri faciunt. Præterea studia & artes, nam alia est negociatoris aut militiam sequentis, atque philosophi altioribus literariæ facultatis cogitationibus occupati conversatio, aliusque habitus & aspectus. Neque mirari quis debuit, Socratis, Empedoclis, Xenocratis, Zenonis Stoici, Pyrrhinis, Heliensis, aliorumque eiuscemodi mores, quod intenti sublimioribus studiis investigandisque arduis rebus segregarent se à multitudine ignavi popelli, gaudentesque solitudine, severo diu ac subtristi vultu persisterent, rugarent frontem atque ora contraherent. Sed & insuper consideratio haberi debebit remissionis, à laboribusque cessationis. Si enim Catonem & Scipionem summa præditos gravitate, vitæque integritate antiqui crediderunt, nonne graviter errasset qui eos ausus fuisset damnare quod à maioribus quibus lassati erant publicæ curis animum remittere volentes, hic saltare, ille potare aliquando per noctem soleret? Nonne item falso levitatis accusasset Scipionem & Lælium, qui vt fastiditos arduis rebus animos recrearent, in littoribus maris alveisque fluminum consueverant deambulare, calculosque in his & conchulas puerorum more lectitare. Socratem vero qui cum filiolis suis, interposita arundine equitibus, sudantem videns risisset, quod Alcibiades fecit, nonne is gravem vtique commisisset errorem, cum non levitate id aut stultitia ageret, sed relaxandi animi causa ab altissimis quibus intendebat quotidie investigandarum arduarum rerum studiis. In quo convenienter narrandum, quod de Ioanne Evangelista antiqui memoriæ prodiderunt. Cum enim perdicem aliquando molliter attractaret, blandaque manu demulceret, videns illum quidam venator, qui fama eius sanctitatis allectus vt præsentem salutaret, agnosceretque, ad eum venerat, mirari admodum, miransque simul rogare cœpit cur tam celebrati nominis, tam sanctæque vitæ ad demulcendæ aviculæ studia adeo minora & abiecta descendisset. Quem ille arcum manu tenentem attente aspiciens, *Cur arcum (inquit) quem geris, non continue tibi tensum habes?* Respondenteque illo ob ipsius conservationem id fieri, ne si intenderetur diutius mollesceret rigor omnis, laxataque vis tota eius deperiret. *Nec tu (ait Ioannes) mireris si humanas mentes, quæ fortium altissimarum cogitationum molem sustinere possint, oporteat remittere, levioribusque huiuscemodi studiis aliquando recreare, ne alioquin continua magnarum rerum intentione fastidiis torpescant, gravioreque pondere onerata, frangantur penitus atque deficiant.*

Tiberij mores ac consuetudines.

B

Iuliani apostatæ vitia.

S. Ambr.

C

Incessus aliquando animi perfidiã demonstrat.

Naturam hominũ diversam è diversis facit multa.

D

Recreationis causa mutare aliquãdo mores suos non est vitiosum.

E

Ioannis Evangelistæ perdice aliquando retractãtis responsio.

F

Arcus nõ potest continuo tensus esse.

CAPVT V.

Exhortatio ex antedictis ad fugiendam præsumptionem.

HÆc qui ita (vt docuimus) observaverint, evitabunt, nulla certe molestia eam quam tantopere in præsentia damnare aggressi sumus, æstimationem sui & confidentiam. Timebunt enim ita magis DEVM, timentesque nihil etiam præsument sibi, extollentque se animo pro vlla sua sapientia ac sanctitate. Proculcata vero demum omni sui confidentia & præsumptione perseverabit procul dubio quisque in suscepto religionis, sanctiorisque vitæ proposito, accedens ad eum propius crescensque indies magis sanctitate & devotionis ardore. Ita quam in præsentis operis vexillum ereximus sanctæ perseverantiæ gratiam firmiter obtinebit, qua duce & mundo profligatis omnibus hostibus egregie militabit, & Deo postmodum parta emeritæ militiæ palma gloriose triumphabit. Ad hanc igitur domandam immanissimam confidentiæ & præsumptionis belluam, accingite vos dilectissimæ sorores. Ad hanc prosternandam, comminuendamque totis viribus incumbite. Hic figite omnes conatus vestros, hic insudate, hic totos ingenij vestri nervos intendite. Qua vti victa & debellata præstabit in vobis firmiter, augebiturque religionis amor & devotio. Ita contra si victæ vos illi succubueritis, longe ingens sanctis cœptis vestris periculum, longe ingentem desolationem imminere prævidemus, inclamantes & quam alta possumus voce si forte obdormitis vos expergefacientes vt ei toto opere obsistere studeatis. Quod vt efficere possitis, accipite monita nostra, accipite saluberrima quæ tam gravi & pestilenti morbo convenientia recte remedia exposuimus, vtimini ope medelæ nostræ, erit profecto vtilis vobis vsus eius atque salutaris. Quare vt maiorem, vberioremque medicæ artis nostræ fructum habeatis, sanato primum æstimationis sui, præsumptionisque morbo, quo nullum graviorem, contagiosioremque esse existimamus, ad purgãdos nunc curandosque alios, quos principio secundi libri graves vtique &, contagiosos morbos enumeravimus convenienter atque ordine descendemus. Illud enixe rogantes simul atque protestantes, quod charissimæ sorores perpetuo tenete animo alligatum affixumque, vt cum blanda vlla vnquam mentibus vestris irrepserit præsumptæ sanctitatis elatio, nunquam, quod principio rogavimus, in his quas ad Deum tunc effundetis

G

H

Æstimatione sui non est morbus gravior, cõtagiosiorque.

precibus commendatos nos habeatis: Arbitramur enim eas inanes penitus & vacuas Deoque longe despectas. Cum vero magnorum vos peccatorum reas existimabitis, accusantes graviter & deplorantes commissa vestra, vestram erga Deum ingratitudinem, tunc germani estote memores, tunc germanum quantis potestis obsecrationum viribus Deo commendate. Idque sedulo semper facite, sed in hoc præsertim, quod nunc exaramus opere, erunt illæ nobis omni auro omnique preciosa suppellectile cariores. Evolant enim illæ altius, penetrantque cælum, & quocunque libuerit divinam voluntatem trahunt. Tanti est apud Deum contemptus & abiectio suiipsius, quanti est vera & latens quam superioribus libris satis prædicavimus, secreti cordis humilitas.

Abiectio sui magni est apud Deum.

MAPHEI VEGII LAUDENSIS DE PERSEVERANTIA Religionis.

CAPUT I.

De remediis generalibus, & primo de abstinentia & ieiunio.

EXPOSITURI igitur generalia, quæ restant, aliorum omnium morborum remedia, ita vos ad ea suscipienda charissimæ sorores invitamus, ut existimetis non minus superiori, de quo abunde satis dictum est, præsumptionis morbo, quam cæteris, quibus nunc mederi aggredimur opitulatura esse, ita tætrum illud & virulentum malum multiplici melius adhibito cauterio ad supremam usque radicem sanabimus. Principio autem omnium magnum credimus confirmandæ religiosorum hominum integritati adiumentum allaturam esse *Abstinentiam*: quæ corpus tanquam furentem & in præceps ruentem equum fræno continet, flagelloque castigat, seipsum vero vagantem & tumefacientem vinculis quasi quibusdam ac compedibus constringit, rationique utpote cuncta recte discernenti obsequi cogit, in quo, ut ad vos potissimum me convertam virgines CHRISTI, audite quid Basilius ad Letrium Episcopum Melitinensem de vera integritate Virginitatis scribens dicat: *Ante omnia igitur adversus gustum virgo tota intentione pugnabit, fontesque voluptatum ventris & impudicitiæ fomitum inde manantium à principio castitatis studio, & ardore siccabit, ne dum virginitatem servare proponit, gustui se immoderate prostituens, castitatem suam alia fruenda voluptate devicta sensim dum nescit amittat. Virginem enim esse & gustum virginis convenit, nullique gulam suaviter oblectanti illecebra pravium.* Integram se & in hac parte atque inviolabilem sancta virgo caute servabit. Huius autem sanctæ abstinentiæ utilitatem cognoscentes antiqui eremorum habitatores, incredibile videtur quanta victus tenuitate vilitateque usi fuerint, adeo ut ne legumine quidem aut olere nisi parcissimo vescerentur. Vinum autem aut oleum pro luxuria ducerent, aquaque tantum quam nec nisi moderatissimam sumebant contenti essent, dormirent sine strato, iacerent sæpe sub divo, indumentis vel nullis, vel asperrimis tegerentur, cum nemine vix, nisi secum, loquerentur, lucubrarent, sudarent, plagis se afficerent, inediam, frigora, æstus, labores, peregrinationes, dura quæque ac gravia sustinerent. Ita illi extulerunt ad DEUM altius mentem, ita illi divinam quam assecuti erant gratiam uberiorem etiam cumulatioremque studio suo & industria facientes ad summum sanctitatis culmen pervenerunt. Quare Bernardus scribens Ruberto filio fratris, qui ad aliud lautioris, pinguiorisque vitæ monasterium discesserat, deplorans eum graviter: *si salus* (inquit) *magis in cultu vestium, & ciborum est opulentia quam in sobrio victu vestituque moderata, si pellicia leves & calida, si panni subtiles & pretiosi, si longæ manicæ & amplum caputium, si opertorium silvestre & molle stamen sanctum faciunt, quid moror & ego, quid te non sequor? sed hæc infirmantium sunt fomenta non arma pugnantium.* Ecce enim qui mollibus vestiuntur in domibus regum sunt. *Vinum & similia, mulsum & pinguia corpori militant, non spiritui, frixuris non anima saginatur sed caro.* Multi in Ægypto fratres multo tempore DEO sine piscibus servierunt, piper, zizimber, cuminum, salvia & mille huiusmodi species salsamentorum, palatum quidem delectant, sed libidinem accendunt, & tu mihi in his securitatem pones, tu cum huiuscemodi tutam duces adolescentiam? Prudenter subtiequè conversanti satis ad omne condimentum sal cum fame, qua sola non expectata necesse est alias atque alias de (nescio quibus) extraneis succis confici permixtiones, quæ videlicet palatum reparent gulam provocent, excitent appetitum.

Ga. Gustus immoderatus castitatem facit amittere.

Abstinentiæ multi in genere fuere effectus. Basilius.

Abstinentiæ magnæ fuerant antiqui eremitæ.

Bernardus.

Matt. 11.

Fames optimum condimentum.

Quid vero mirum est si Christianorum nos Patrum exempla atque monita ad abstinentiam tantopere invitent, cum ipsa Gentilium sacerdotum, quæ non minor fuisse traditur vitæ austeritas, quam maxime etiam moneat & hortetur. Refert enim Hieronymus Euripidem dicere in Creta Iovis prophetas non solum carnibus, sed & certis cibis abstinuisse. Chæremonem quoque Stoicum, virum eloquentissimum narrare de vita antiquorum Ægypti sacerdotum, quod omnibus mundi negociis, curisque postpositis semper in templo fuerint, & rerum naturas, causasque ac rationes syderum contemplati sint, nunquam mulieribus se commiscuerunt, nunquam cognatos & propinquos vel liberos quidem viderint ex eo tempore quo cœpissent divino cultui deservire, carnibus & vino se semper abstinuerint, propter tenuitatem sensus & vertiginem capitis quam ex parvo cibo patiebantur, & maxime propter appetitum libidinis, qui ex his cibis & hac potione nascitur. Pane raro vescebantur, ne onerarent stomachum, & si quando comedebant, tonsum pariter hyssopum sumebant in cibo, ut escam graviorem illius calore decoquerent. Oleum tantum in oleribus noverant, verum & ipsum parum, propter nauseam, & asperitatem linguæ liniendam. Quid loquar (inquit) de volatilibus, cum ovum quoque pro carnibus vitaverint, & lac, quorum alterum carnes liquidas, alterum sanguinem esse dicebant colore mutato. Cubile eis de foliis palmarum contextum erat. Scabellum acclive ex una parte obliquum in terra pro pulvillo capiti supponebant, bidui tridnique inediam sustinentes, & humores corporis, qui nascuntur ex ocio & ex mansione unius loci, nimia victus castigatione siccabant. De escarum quoque abstinentia licet hi non gentiles sed Hebræi fuerint, admirabilia scribit Eusebius Pamphili narrare Porphyrium in quarto eorum librorum, quos edidit *de abstinendo à carnibus*, atque inter cætera cum ab amplexu mulieris se perpetuo continerent, omnem voluptatem quasi vitiosam aspernantes, tanta etiam usos fuisse tenuitate, paucitateque rerum, ut raro plusquam semel in septem diebus alui purgatione indigerent. Qua quidem ex continentia in tantam perveniebant patientiam animique robur, ut nec eculeo, nec igne, nec alio quæstionum genere impelli possent, ut aut verbo legislatorem vituperarent, aut illicitum quidquam comederent. Quod maxime in bello, quod eis à Romanis illatum fuit, ostenderunt. Nulla enim adulatione ad torquen

Prophetæ non solum carnibus sed & certis cibis abstinuerunt.

Abstinentia quanta fuerunt Ægyptii antiqui sacerdotes.

Lac, sanguis esse dicitur, colore mutato.

Abstinentia escarum quanta fuerit.

A

torquentes vnquam vsi sunt, nullas lachrymas torti emiserunt, sed suaviter in doloribus ridentes & eis illudentes à quibus torquebantur, si expirabant iucundissime, vt ad patriam redire viderentur, ob quæ etiam eorum tam eximia vitæ merita variamque carnis castigationem, tantum gratiæ consequebantur, vt multi apud eos futura prævideret. Magna est enim vis vitæ nostræ, quæ vbi parcior, tennior, castigatiorque fuerit propiorem ad se DEVM trahat familioremque longe efficiat, vbi vero lautior, delicatior, atque profusior non modo DEVM ab se remotiorem habeat, sed & nequissimos insuper qui nobis continue insidiantur spiritus ad se invitet, invitatosque ad execranda pessima quæque obscœnarum libidinum irritamenta promotiores faciat atque audaciores. Vt enim Porphyrius ipse dicit in libro responsorum. Sunt corpora hominum istis circumsessa, & maxime illorum qui delicatis cibis viuunt, adveniunt namque comedentibus nobis & inhærent corpori: Idcirco ieiunium & parcitatem maxime laudari ait, non quia principaliter Deus bonis istis placetur, sed vt secedant illi qui sanguine & immundicia gaudentes, vt his fruantur vtentium corpora circumgrediuntur. Certum enim esse quia vehemens caducarum rerum cupiditas & appetitivi spiritus impetus non aliunde quam ex præsentia istorum maxime crescit, Quare cum appetitio nimium inflammata est, & voluptatis ardor animum ita exagitat, vt omnis cogitatio ad exteriosa vagetur, tunc huiusmodi dæmonum præsentiam esse cognoscas (inquit) quæ facit vt appetitiuus spiritus in corpore nostro multiplicetur.

Laute & delicate vivere est nequissimos spiritus ad se invitare.

B

Ieiunio & parcitate fugiantur maligni spiritus.

Ita nos homo Gentilis non minus quam Catholicus quivis à lautioribus revocans cibis ad parciorem, austerioremque victum prudentissimis simul ac sanctissimis verbis hortatur. Quis vero mirabitur tanta ad conservandam animorum incolumitatem sanandosque eorum morbos sustineri, cum longe graviora, quo saluti corporum consulatur, atque amariora perferantur? Quod & à Nasone licet alias lasciviore scriptore prudenter traditum est his versibus:

C

Ovidius Naso.

Dura aliquis præcepta vocet mea: dura fatemur
Esse. sed vt valeas multa dolenda feres.
Sæpe bibi succos, quamvis invitus, amaros
Æger, & oranti mensa negata mihi.
Vt corpus redimas ferrum patieris & ignes,
Arida nec sitiens ora lavabis aqua.
Vt valeas animo quicquam tolerare negabis?
At precium pars hac corpore maius habet.

Erit porro non tam in cibis cæterisque ad sustentationem vitæ necessariis observanda quam commendamus abstinentia, quam in loquendi etiam conversandique ratione. Mira namque est quæ legitur veterum Patrum segregata à turbis civitatum vita, mirus ille amor solitudinis, quem in desertis locis, in antris quoque sæpius quo secretius Deo vacarent summo studio colebant: Quæ res ad proculcandum etiam lautiorum eduliorum, cubiliumque desiderium plurimum adiuvabat. Nam minus certe appetuntur quæ à conspectu nostro remota sunt, minore quoque molestia eis abstinemus quibus caremus. Quod ea de causa fecisse traduntur multi etiam gentili ex turba philosophi. De Christianis enim id eremitis nemo dubitaverit, præponentes hortulorum agrorumque amœnitatem, silvestresque & solitarias habitationes magnifice extructis vrbium ædificiis, populique salutationibus & favoribus, vt delicias & luxus, quos virtutis manifestos hostes intelligebant communius eo vitæ instituto à se arcerent. Certum siquidem est Pythagoreos id observasse, Platonicos autem & Stoicos in porticibus templorum atque lucis habitasse. Platonem etiam ipsum, quem refert Hieronymus, cum dives esset, amore tamen philosophiæ elegisse Academiam villam ab vrbe procol, non solum desertam, sed & pestilentem, vt cura & assiduitate morborum libidinis impetus frangerentur, discipulique eius nullam aliam sentirent voluptatem nisi earum rerum quas discerent. Sed & pariet alium fructu minime quidem contemnendum solitudo. Nam, quo in vita nostra maximi semper momenti existimatu est, malorum ita hominum conversatio evitabitur. Nihil enim potentius est ad corrumpendas bene instiutas præsertim adolescentium mentes, quam prav eorum vita cum quibus assidue versantur. Non ab r David ait: *Cum sancto sanctus eris, & cum viro in nocente innocens eris. Cum electo electus eris, & cu perverso perverteris.* Salomon quoque: *Cum homin furioso ne ambules, ne forte discas semitas eius.* Quo prudenter intelligens Basilius in libro quem scripsi *exhortationum ad monachos. Enita* (inquit) *viros quo erga mandata Dei videris negligentes, qui mortui sun virtutibus, qui sunt in propriis voluptatibus, vt divini careant gaudiis. Cum huiusmodi viris nulla tibi commixtio sit, neque velis cum eis sermocinari assidue, nisi v quo possis eos ab errore revocare. Cæterum si non vale devita vt publicum hostem.* In his autem quæ compo suit *institutis monachorum: Plurimum* (ait) *prodest a conservandam memoriam Dei etiam secretius & remo tius habitare.* Nam permixtim vivere cum his qui ne gligentius agunt circa timorem Dei, & contemptu habent mandatorum eius, plurimum nocet. Ad hu vt tollat quis crucem suam & sequatur Christum plu simum impedit societas & permixtio eorum qui vitar dissimilem viuunt. Multos legimus propter malorur hominum consuetudinem, pravasque persuasiones recta veritatis via errasse, à sanctoque religionis pro posito decidisse, neque aliam ob causam Fusco & Robertus illi, quos tantopere Bernardus deflet, a vanitatem mundi redierunt. Non item ob alia causam Theodorus ille, cuius casum etiam Chryso stomus deplorans conversationem sæcularem dicit e se vmbram quandam, ipsisque vmbris inaniorem a nequitreia, plenam periculorum, plenam terrorun & extremo cuidam servitio subiugatam. Sed & Au gustinum, cuius tanta est in Ecclesia Catholica tan que illustris auctoritas, constat ad tertium & tric simum vsque annum & turpi libidini, & prava M nichææ hæreseos impietate non nisi pessima eorun quibus familiaris erat, adhortatione fuisse infectun Contra vero Ambrosij Simplicianique motione & doctrina, talem demum, qualem omnes novimus, eva sisse. Severus quoque Sulpitius summæ vir eloquen tiæ in extrema iam senectute Pelagianorum conserva tione seductus, fidem Catholicam impugnavit, lice postea melioribus sanctorum hominum suasionibu revocatus fuerit, & agnoscens loquacitatis culpa silentium vsque ad mortem tenuerit, vt peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emen daret. Iidem de Leporio quodam monacho tradi tum est, qui à Pelagianis deceptus, puritatem vi tæ arbitrio tantum & conatu proprio, non Dei adiu torio obtinuisse credebat, sed per Gallicos doctor & in Africa per Augustinum admonitus errorem po stea suum correxit. Quod recte animadvertens Apo stolus dum Timotheum instruit: *Prophana*, inquit, *e vaniloquia devita, multum enim proficiunt ad impieta tem, & sermo eorum vt cancer serpit. Ex quibus est Hy menæus & Philetus, qui à veritate exciderunt, dicente resurrectionem iam factam, & subverterunt quorunda fidem.* Quærenda est igitur magnopere vita à vulg segregata, ne, quod Apostolus ait, *corrumpant b nos mores colloquia prava*: Ne contingat ea videre quæ virilem animum emolliant, optanda est & tot animo diligenda vitæ solitudo, qua nihil dulcius, n hil iucundius. Quæ delectat adolescentiam, recre senectutem, quæ doctos pascit, sapientes perficit divites auget, egentes consolatur, vitia interficit, vi tutes accendit, quæ tum innumerabilibus tum do ctissimis viris, tum maximis principibus conversatu assidueque fabulatur, quæ quos vult damnat & incr pat, quos vult etiam pro libito admiratur & lauda quam neque præpotentiorum minæ terrent nequ

Abstinentia in loquendo & conversandi ratione etiam observanda est. Solitudo multum fructum parit.

D

Definæ virtutis hostes sunt.

tenuiorum assentationes palpant, quæ neminem timet, nemini invidet, nemini molesta est, qua (vt Ambrosius ad Sabinum scribit) pro arbitrio accersimus, quos volumus, atque adiungimus nobis quos magis diligimus, aut quos aptiores arbitramur. Nemo interpellat, nemo interpolat: Cui denique nullæ æquari deliciæ, nullæ comparari opes, nulla voluptatum plenitudo anteferri potest. Quare pulchre Antisthenes Atheniensis, cum rogatus quidnam ex Philosophia lucratus esset, respondit, *vt secum colloqui posset*. Egregie quoque Pyrrho Heliensis, qui secum loqui aliquanto deprehensus, cum interrogaretur cur id faceret, meditor inquit bonus esse.

Antisthenis responsio.

Ita vero solitudinem commendamus, vt modum illi tamen & certos fines adhibendos esse præcipiamus. Stultum enim esset vt semotam ab omnium mortalium cœtu vitam agere, vt neminem haberemus cum quo vel consilia nostra dubia sæpius & incerta examinare, vel lassatos fastidiososque animos recreare aliquanto possemus. Neque est enim aliquis ita cordatus, qui non sententia facile sua falli queat, neque est quisquam adeo constans animo perseveransque devotione, cui non intermittere se, & ad inferiores iocundasque res declinare sæpe necesse sit. Quod & animam cadentes nos vtique docent, liræ & arcus, vti superiore etiam libro ostendimus, qui si diutius intenti teneantur frangi consueverunt.

Solitudo non semper probanda.

Cap. 4. in fin.

Recte inde Hieronymus ad Rusticum monachum scribens, pertinumque tractans vtrum solus an cum aliis in monasterio vivere debeat: *Mihi placet* ait, *vt habeas sacrum contubernium, nec ipse te doceas & absque doctore ingrediaris viam quam nunquam ingressus est, statimque tibi in alteram partem declinandum sit & errorem patiaris, plusque aut minus ambulans quam necesse est currens lasseris, moramque faciendo obdormias.* In solitudine cito surrepit superbia, & si parumper ieiunaverit, hominemque non viderit, putat se alicuius esse momenti: oblitusque sui vnde & quo venerit intus corpore, & lingua foris vagatur, iudicat contra Apostoli voluntatem alienos servos, quo gula poscit porrigit manum, dormit quantum voluerit, nullum veretur: Omnes se inferiores putat, crebriusque in vibibus quam in cellula est, & inter fratres simulat verecundiam, qui platearum turbis collliditur. Atque ad illud inquit tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum, sed vivere debere in monasterio sub vnius disciplina patris, consortioque multorum, vt sub alio discas humilitatem, ab alio patientiam. Hic te silentium, ille doceat mansuetudinem. Non facias quod vis, comedas quod iuberis, habeas quantum acceperis, vestiaris quod datur. Operis tui pensum persoluas, subiiciaris cui non vis: Lassus ad stratum venias, ambulansque dormientes, & needum expleto somno surgere compellaris, dicas Psalmos in ordine tuo, servias fratribus, hospitum laves pedes, passus iniuriam taceas, præpositum monasterij timeas vt Deum, diligas vt parentem. Credas tibi salutare quicquid ille præceperit, nec de maioris sententia iudices, cuius officij est obedire & implere quæ iussa sunt. Damnabile igitur merito putamus esse huiuscemodi hominum genus, quibus cum nemo sit qui consulat, qui quæ sint suscipienda, quæve fugienda ostendat, qui dux sit & hortator. Longe, ingens imminere periculum videtur. Sed damnabilius sine vlla comparatione existimamus, propositum eorum, qui intra parietes, obtrusis vndique aditibus, se includunt: Cuiusmodi Mediolani adolescentulus novi quandam fœminam: Romæ autem nunc sunt aliquæ in basilica sancti Petri, quorum furor magis quam religio quantam mereatur commendationem intelligi potest, eius exemplo quem in Aretino agro paulo superioribus annis multi norunt, cum militiam ab ineunte vsque ætate secutus, tandem eius tædio ac pœnitentia ductus camerula vndique obserata se conclusisset, vt negato quo exire posset aditu diutiores antiquorum malefactorum pœnas lueret, perseverassetque ita quatuordecim annos in tantum rursum susceptæ novæ vitæ tædium venisse, vt cultello, quo ad incidenda cibaria vtebatur, sese interemerit. Quod nimirum audientes contremiscere debent religiosi quique & sancti viri, vt tam grave & deplorandum præ oculis exemplum habentes, discant proximiores periculo quam saluti esse nimias austeritates, deterritique tam tristi & amaro casu, assuefaciant ita rigori se religionis, vt non plusquam mortalis natura sustinere queat, aggrediantur.

Hieronymus ad Rusticum monachum.

Superbia cito surrepit in solitudine.

Rom. 14.

Solitudo multa facere mala parit.

Monasteriam in grege sanctius est quam solitarie vivere.

Concludere se parietibus non est vtile.

Conclusi cuiusdam exemplum.

Austeritates nimiæ periculo proximiores sunt quam saluti.

Cui adiungendus est & alius cuiusdam virginis casus non minus vtique commiserandus, quæ recentioribus temporibus in Parisiensi Galliæ civitate, sicut accepi, occluserat se in templo quodam, quod sanctæ Opportunæ dicitur, incredibilem ita sedecim annis vitæ ducens austeritatem, creveratque tanta sanctitatis eius fama, vt passim eam omnes inviserent, non rude modo vulgus, sed docti etiam quique magno tacti sermocinationis eius desiderio, susceptarique avide saluberrima ipsius monita, vitæque melioris documenta. Ad quam cum forte etiam adolescens quidam exploraturus tantam fœminæ integritatem accessisset, conspexissetque miram non tam animæ quam corporis etiam pulchritudinem, tantum efficere potuit vt ad stupri vsque turpitudinem eam traxerit, tractamque post multos quibus illa abusus est menses, deseruerit demum, atque ita abiecerit, vt nunc inter publica lustra versetur, notata ab omnibus digito.

Virginis Parisiensis cuiusdam casus.

Magnum certe inauditumque hactenus fœditatis exemplum dedecusque religionis, quod quare permittat summa inscrutabilisque divina Sapientia non satis capio. Flere magis & dolere tam horrendum casum licet quam intelligere: Vos mecum pariter flete sorores & dolete, discite que hinc non tam abstinentiæ moderationem quam studium etiam quod vobis prædicamus Perseverantiæ. Sumite hinc exemplum. Terreant vos aliena mala quamcumque ob causam, tantum hæc à pristina illa quam 16. annis tantopere observavit sanctitate deciderit, triste certe atque deplorandum est, sed documentum præstat casus eius virginibus omnibus magnum ac sempiternum, vt nulla sibi solidam vllam integritatis suæ stabilitatem polliceatur, putetque momento omni facile casuram esse. Verum vobis iuvat sorores congratulari, quæ ita à consortio hominum secessistis, vt occlusi intra monasterij septa habitantes cum nemine sermonem ineatis, nisi qui integerrimæ religiosissimæque vitæ habitus aut sanguine coniunctus fuerit, ac cum eo quidem raro atque assentiente tantum Antistite civitatis, matrem vero habeatis, cuius sub ductu & cura consilioque nulla errare ex parte potestis, aut decipi, sociasque propositi vestri plurimas virgines, quarum vos sancta conversatione mutuaque indies melius adhortatione proficitis, recreatione etiam, vbi à laboribus cessandum est, suavi & iocunda fruimini. Quod vitæ genus non immerito prudentiores sanctioresque semper viri laudaverunt: sed Basilius præsertim, qui in libro quem edidit *de institutis monachorum* tanquam dignius vtiliusque illud singulari commendatione prosequitur. *In multis*, inquit, *enim vtile est vitam communem ducere cum his qui eiusdem voluntatis sunt & propositi.* Primo ad vsus corporales victusque ministerium vnusquisque nostrum solus sibi non sufficit; & ideo pro his quæ ad ministerium vitæ nostræ necessaria sunt invicem omnes opera nostra egemus, deinde nec culpas suas vnusquisque ac vitia facile dignoscit, cum qui arguat nemo sit. Sed & quomodo possumus discissi & divisi implere integram & assignare membrorum ad se invicem consonantiam, cum separati cognoscere non poterimus necessitates proximorum. Tum nec sufficere potest vnus ad suscipienda omnia dona Spiritus Sancti: nam *alij sermo sapientiæ, alij scientia: atque alij alia*, vt dicit Apostolus. Accedit quod gratiam inutilem facit, dum nil operatur per eam, sed defodit eam in semetipso, iuxta

S. Basilius.

Vitam communem ducere in multis vtile.

1. Cor. 12.

A

Matt. 25. Societas plurimorum quandoque vtilis.

Evangelium. Sed & adversus insidias inimici quæ extrinsecus inferuntur, multo cautior est & vtilior societas plurimorum, vt facilius suscitetur à somno, qui ducit ad mortem. Sed & delictum facilius apparebit, cum à pluribus vel arguitur vel notatur. Sed & in oratione non parum emolumenti à pluribus nascitur cum consensu & vnanimitate orantibus, vt ex multorum personis per gratiam quæ in nobis est Deo gratiæ referantur. Sed interdum periculo proxima est vita solitaria.

Placere sibi gravissimum periculũ.

Primo quidem periculo illi subiacet, quod certe gravissimum est: In quo ipse sibi placet, & neminem habens, qui possit probare opus ipsius, videbitur sibi ad perfectionem summam pervenisse: tum deinde sine illo exercitio degens, neque quid virtutis desit agnoscit, neque discretionem habere poterit in operum qualitate, pro eo quod operandi materia omnis exclusa sit.

B

Ioan. Climacus.

Bellum cum hominibus habere satius quã cum dæmonibus in solitudine.

In quibus aliud etiam, quod Climacus tradit, periculum evitabitur. Refert enim quosdam monachos, sub præcipua eorum Abbatis cura habitantes, prudentissime petenti sibi dixisse, consulto se scilicet illud vitæ genus magis quam aliud omnium cœtu privatum elegisse, quod satius esset cum hominibus bellum habere (quod sæpius contingit in multorum congregatione) quam cum dæmonibus in solitudine. Cum hominibus enim facile animos, vbi indefensi invicem fuerint, reconciliari; dæmonum vero inextinguibile esse contra homines odium, ardensque semper atque immortale bellum. Nec omittendum, quod idem scribit, sequi ex his alterius mali liberationem. Nam qui solus vacabit Deo, omnem sanctitatis suæ profectum ascribet soli sibi meritisque suis, atque ita in suipsius confidentiam, quam tantopere superioribus libris damnavimus, miserabiliter ruet: Qui vero sub cura patris vivet, quicquid profecerit, quicquid sanctum arduumque egerit, refert totum ad merita & preces eius qui curam sui regimenque susceperit; attribuensque nihil sibi pessimam illam quam diximus confidentiæ belluam evitabit. Quod restat autem vos, sorores, enixe monemus, vt quam in vobis silentij solitudinisque commendamus, in cæteris quoque non minus moderationem observetis. Nam somni, ciborum vestiumque abstinentia, si modum supergrediatur, maiori longe devotionis nocumento quam adiumento cedere consuevit. Quod restat, inquam, monemus, vt, quemadmodum principio vobis Basilij auctoritate ad frænandum gulæ incitamentum hortati sumus, ita eodem etiam docente discatis relaxandum esse nimiæ abstinentiæ frænum. Discatis omnium & ciborum, & corporum, & conditionum, & ætatum rationem habendam esse, omnibusque subinde ea habita adhibendam moderationem: Eius sunt verba quæ subieci: *Virgo corpus vt servire queat anima in his quæ sunt necessaria victui moderabitur prudenter & reget. Neque enim expedit dum nimis observat ne gustus voluptate rapiatur, manantesque ex ventre voluptates per ciborum abstinentiam sanare pergit. Contra, ita corpus atterere, vt invalidum, iam inutileque reddatur.* Ne declines enim, inquit, ad dexteram neque ad sinistram. Sicut enim gulini ad omnes passim cibos libere fræna laxare, ob ea quæ prædiximus, noxium revera ac perniciosum est, ita necessaria illa alimenta negando corpus infirmum atque invalidum reddere, irrationabile prorsus ac stultum est; *Extrema enim quæque*, vt sapiens quidam ait, *ac per id inæqualia, periculosa sunt.* Nam sicut per ciborum abundantiam lasciviens equus aurigam, quacumque vult pessime, præcipitem fert, ita & per nimiam mediam propositum impeditur virtutis. Quemadmodum denique aurigæ non expedit equum ita affluenti saginare præsepio vt illius lascivis motibus inordinatisque lædatur, & quo ille voluerit circumferatur, dum fervidis eius ac nimiis viribus nequit obsistere, ita neque virtutis viam cum eo pergere instituenti convenit ex nimia

C

Moderatio in omnibus servãda.

S. Basil. lib. de vera virginitate, cap. post principium.

D

Abstinẽtia nimia non probatur. *Prov. 4.*

De com. di. 5. Nõ mediocriter.

necessarij victus indigentia vires eius omnino deiicere, ne perpetuis infirmitatis incommodis alligatus inextricabiles ipsius causa labores subire cogatur. Fit enim fere vt dum prorsus lapsum erigere iam ad cursum nequit, nec dimittere illum naturali coniunctione permittitur, per inseparabile consortium semper ei condolere, ac circa eius curam laborare compellitur, ex eo quod ad capessenda spiritualia exercitia congruo careat robore, dum currere ac pugnare dissuescit, multum iam quæsitæ pridem peritiæ amittat. Quoniam igitur in nobis vehiculum, neque nimis laxando fræna, neque rursus immodice illa retinendo ad virtutis cursum producere oportet. Idcirco & corporum status & habitus, & ciborum qualitates solerter explorare conveniet, vt valido quidem ac vegeto corpori naturalique calore abundanti fræna immittamus, ac per inediam frigidioresque cibos redundantiam illam caloris arceamus, ne vel lautioribus escis naturalem pinguedinem augentes, vel vini licentiorem vsu fervorem insitum magis succendentes, ignem igni (iuxta veram illam gentilium sententiam) adiiciamus. Itaque & robusto per ætatem & naturali nimio calore æstuanti purissimos ex fonte latices modice subministremus vt ardentes naturæ flammas contraria aquarum vi restringamus, atque ad nostrum commodum insita nobis ratione temperemus. Porro senili iam & frigescenti cibi potusque adiumentum ad sustentandas vires ingeramus. Neque vero sola escarum quantitas vbique probe metienda, sed & qualitas imprimis sapienter discernenda est. Nec enim solam exteriorem earum faciem inspicere, sed quam habeant intrinsecus reconditam penitus vim prudenter explorare conveniet. Non solum enim legumina seminumque nonnulla, verum & alia pleraque sunt quæ monacho quietum vitæ gubernaculum tenere cupienti (contra hæc se habet communis opinio) pro noxiis vitanda sunt, quippe quæ carnis recessus intimos pungunt, & pruritus titillationesque excitantia non minus corpora nostra perturbant, ac secreta vi sua inquietant, quam quæ consensu omnium fugienda censentur. Quocirca nec salibus passim atque indifferenter vtemur, sicuti fieri apud plerosque comperimus, qui per immoderatam continentiam pulmenta omnia repudiantes, hos solos cum pane vitæ condimentorum omnium sumunt. Non intelligunt, qui sunt eiusmodi, sales, cum sint per naturam fœcundi, ac per acriorem vim prurigines excitent, plus cæteris ad libidinem coitumque provocent. Quod si in eis quoque sumendis, vti ne proposito excidat, maximam oportet aurigam adhibere rationem. Multo profecto magis ea pomorum genera distinguere conveniet, quæ aperte noxiis vlla ratione sunt proxima. Itaque omnibus in locis cibus, qui sit ad victum necessarius, solerti ratione inquirendus, condimentorumque elaboratæ blanditiæ, vt voluptatis illecebræ, repudiandæ. Si enim *panis confirmat cor hominis*, non opus est vltra cibum vitæ necessarium huiuscemodi liquamina temere admittere, ne sales quidem, qui panis condimentum sunt quantitate pares cum pane sumemus. Post pauca item subdit: *Sicut enim gula intemperantiam declinare grave ac periculosum est, ita & per nimiam abstinentiam corpus atterere ac per infirmitatem inutile reddere, omni prorsus ratione caret.* Neque enim abstinere à voluptatibus gulæ per se expetendum est: sed quia ad virtutis acquisitionem confert. Quod si illud cuius gratia ciborum abstinentiam eligimus, per immoderatam negligamus mediam contra ea quæ instituimus agimus. Nam fracto contritoque instrumento, neque Deo inhærere per lectionis & orationis studium possumus, neque ad fratrum beneficentiam humanitatis officia obsequi. Igitur & corporis cura necessario habenda est, non ipsius gratia, sed vt eius servitio ad Philosophiæ studia vti possimus. Impossibile est enim, nisi famulatum corporis ad Philoso-

E

Vehiculũ neque nimis laxare neque immodice retinere oportet.

F

Aqua restinguũtur ardẽtes naturæ flammæ.

G

Salis copia.

Sales pruriginẽ excitant & ad libidinem provocant, & poma quædã.

Corporis cura quatenus habẽda sit.

phiam obtemperantem habeamus, vel divinis lectionibus operam dare, vel mente in corpore ægro languente orationi convenienter insistere, vel omnino quicquam eorum, quæ ad philosophiam conferunt, in nostram sociorumque vtilitatem operari. Idcirco *castigo*, inquit, *corpus meum & in servitutem redigo.* Insurgere enim adversus Dominum, per carnis vires ac petulantiam gestiens, per continentiæ flagella coërceo, dominatumque recognoscere cogor. Non enim ita, inquit, ferio vt immoderatis illud vulneribus conteram, & inutile iam ad servitium faciam, sed ea tantum mihi ratio castigandi corpus est, vt servituti subiiciam, & Domino obsequi rite compellam. At vero qui servum ita per inediam subiicit, vt non solum administerium Domini fiat inutilis, verum nec sibiipsi sufficere possit: quid aliud quam servi sui se famulum fecit. Necesse enim est corpore iam invalido ad serviendum ac per infirmitatem tabescente, contra servire Dominum dum semper circa infirmitatis eius curam versatur attonitus, nec iam exercitationis antiquæ meminisse præ huiusce modi occupatione permittitur, sed in servi sui obsequio vitæ tempus omne consumit. Non itaque simpliciter *carnis providentiam faciendam* ratio esse definivit, sed addidit *in concupiscentiis.* Oportet igitur concupiscibile carnis atque ad indicia voluptatesque proclive per continentiæ exercitia frangere. Quod vero eius vtile est atque ad acquisitionem virtutis necessarium provida consideratione servate, esca enim nos non commendabit Deo enim *est regnum Dei esca & potus: sed iustitia & pax & gaudium in spiritu sancto:* Propter quæ, ciborum quoque abstinentia cum ratione suscipitur. Nam si ipsam per se ciborum abstinentiam discutias (inquit) neque si non comedamus deficimus, neque si comedamus abundamus: Aut enim qui non comedunt ob id duntaxat plus aliquid comedentibus virtutis ratione habent, neque qui comedunt ex eo minus aliquid non comedentibus habere putandi sunt, si modo illorum virtus æqualis sit. Oportet igitur ad animæ virtutem intentione directa cuncta exercitia corporis aggredi, quæ cum per se bona non sint, eius tamen boni, cuius gratia arripiuntur, ornata ministerio bona & honesta fiunt. Talibus sanctæ prudenterque Basilius virgines instruit. Quod docens vtique Hieronymus Demetriadem virginem. *Neque enim* (inquit) *immoderata tibi imperamus ieiunia, & enormem ciborum abstinentiam, quibus statim corpora delicata franguntur, & ante ægrotare incipiunt, quam sanctæ conversationis iacere fundamenta.* Philosophorum quoque sententia est moderatas esse virtutes, excedentes modum atque mensuram inter vitia deputari. Vnde & vnus ex septem sapientibus, *ne quid* (ait) *nimis*, quod tam celebre factum est, vt Comico quoque versu expressum sit. Sic debes ieiunare, vt non palpites, & respirare vix possis, & comitum tuorum vel porteris vel traharis manibus, sed fracto corporis appetitu nec in lectione, nec in Psalmis, nec in vigiliis solito quid minus facias. *Ieiunium non perfecta virtus: sed cæterarum virtutum fundamentum est.* Cæterum & illud magis timendum est, quod ad Rusticum monachum scribit, esse quosdam qui amore cellularum immoderatisque ieiuniis tædio solitudinis, ac nimia lectione, dum diebus & noctibus auribus suis personant, vertuntur in melancholiam, & Hippocratis magis fomentis quam nostris monitis indigent. Quorum quoniam periculum quam maxime vobis, in his recentioribus professionis vestræ annis formidamus, vehementiore ideo studio præcavendum illud quanta possumus vi oris nostri prædicamus. Non ignoramus adolescentiæ impetum, puellariumque annorum ardorem, qui non in his modo, sed in cæteris etiam quibusvis studiis vehementior, acriorque semper agi solet, qui nisi maiorum auctoritate & ductu contineatur, magnis certo subiacet periculis. Considerate tirones qui cum militaris gloriæ amore nullum æstimant belli discrimen ardentius incautiusque hostile in agmen irruentes cadunt. Vos tirunculæ Christi ponite ante oculos stantem adversum vos in acie bellatorem diabolum, cavete ne quas armis suis superare non potest, vestra vos nimia ieiuniorum, vigiliarumque austeritate tanquam inconsideratiore à vobis pugnæ impetu facto prosternat. Pugnate igitur cum hoste caute, pugnate sapienter, ne plus quam humeri vestri sustinere possint aggrediamini, ne maiores quam natura vobis dedit, vires effundere conemini. Discite astutias inimici, discite insidias, simulat se sæpius timidum, infirmum, atque inermem; vt ea deceptione pedem sensim retrahens, fugiensque pugnantes Christi milites, dum confidentius in eum ruunt, maioraque viribus audent intra inaccessa abruptaque loca præcipitatos obsessos, fessos, incertos sui, spe omni atque ope destitutos nova facilius huiuscemodi calliditate sedens etiam ipse conficit. Sed præter hæc advertite quid per Esaiam prophetam clamet Dominus, vt quid à nobis exposcat certius agnoscatis. *Nunquid tale est* (inquit) *ieiunium quod elegi per diem affligere hominem animam suam, nunquid contorquere quasi circulum caput suum & saccum & cinerem sternere. Nunquid istud vocabis ieiunium & diem acceptabilem Domino? Nonne hoc est magis ieiunium quod eligitur. Dissolue colligationes impietatis, solue fasciculos deprimentes, dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne onus dirumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos vagosque induc in domum tuam, cum videris nudum operi eum, & carnem tuam ne despexeris, tunc erumpet quasi mane lumen tuum, & sanitas tua citius orietur, & anteibit faciem tuam iustitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc invocabis & Dominus exaudiet, clamabis & dicet. Ecce adsum, quia misericors sum Dominus Deus tuus.* Nec obiiciatis nobis multos quorum miram propeque incredibilem fuisse legimus ieiuniorum & vigiliarum observationem, ingemque solitudinis cultum, aut hi quidem proponi cuiquam exemplo debent, quorum facta quæ humanas magis vires excessisse videntur, admirari potius quam mirari convenit. Illos magis intueamur qui hæc cum attentassent vel mundi ad vanitatem reversi, vel ad insaniam etiam sæpius redacti temerariæ confidentiæ suæ gravissimas ita pœnas luerunt. Fuerunt huiuscemodi multi & priscis & novis quoque temporibus, neque dubium est accidere hæc insidiis astuque diaboli, qui non minus nocentia nimiæ severitatis quam voluptatum arma esse cognoscens, ipsis admodum ad perdendos sanctiores quosque vtitur. In quo manifeste illusum Abbatem quendam Ioannem scribit Cassianus, qui cum exhausto corpore ac defecto, perceptionem cibi biduano ieiunio distulisset, accederetque die postero ad refectionem, venisse ad eum (ait) diabolum in figura Æthiopis tetri, ad eiusque genua provolutum dixisse: Indulge mihi quia ego tibi hunc laborem indixi. Quare moderationem in his docens esse observandam ad vnum dicit finem nimietatem ieiunij ac voracitatem pervenire, eodemque dispendio vigiliarum immoderata continuatione monachum quoque omni gravissimi torpore involui. Itaque sicut festinandum nobis est ne appetitu corporeæ voluptatis in dissolutionem noxiam labamur, & ne ante præstitutum tempus cibo indulgere, vel modum eius excedere præsumamus. Ita escæ somnique refectionem hora legitima, etiamsi horreat, ingerendum esse ait. Vtrumque enim bellum adversarij factione consurgere, & perniciosius continentiam immoderatam quam satietatem remissam supplantare. Ab hac namque ad mensuram districtionis intercedente salutari compunctione conscendi posse, ab illa non posse. Hanc vero docet temperatam esse æqualitatem atque mensuram quæ patrum quoque iudicio comprobetur, vt quotidianam panis refectionem quotidiana comitetur esuries, in vno eodemque statu animam pariter corpusque conservans. Talem quoque super ieiunij qualitate definitionem iugiter retineri debere præcepit, vt in eo temporum

ratio,

[Margin notes: Rom. 14. — Hieronymus. — Virtutes mediocres esse debent. — Ieiunium non perfecta virtus sed cæterarum virtutum fundamentum est. — Adolescentia, nisi maiori auctoritate ducatur, magnis subiacet periculis. — Esai. 58. — Ieiunio biduano non est cibus differendus. — Nimietas in omnibus improbatur. — Continentia immoderata perniciosior est satietate remissa. — De cons. dist. 5. Sint tibi ieiunia 1. & 2.]

ratio, vt qualitas, vt mensura servetur, nec ita, vt in ipso spei nostræ terminum defigamus, sed vt per ipsum ad puritatem cordis & Apostolicam charitatem pervenire possimus. Non enim præcepta virtutum, in quibus vtique bonum est principale, propter ieiunia esse tenenda sunt, sed potius ieiunia propter illa. Itaque si quis in fratris adventu, in quo charissimum debet humanitate reficere, vel cum defectio & imbecillitas carnis reparationem virium escæ perceptione deposcit vel cum tempus festivitatis escarum congruum fœtum indulget, ieiuniorum rigidam observantiam indiscrete voluerit retinere, necesse est vt non tam religiosus quam incondibus atque irrationabilis habeatur, quæ nec minus in causa solitariæ vitæ, de qua paulo ante diximus, recipienda esse dixit, vt vnusquisque nostrum mensuram vitium suarum consideret. Non enim quia bonum est anachoretis, vniversis eam congruam approbare, nec quia institutionem cœnobiorum, vel curam fratrum sanctam atque laudabilem merito profitemur, iccirco ab vniversis eam expetendam esse censeri. Proinde primum regionis nostræ atque huius interpensanda esse instituta, deinde vires hominum iugi vel virtutum, vel vitiorum assiduitate collectas diversa invicem lance trutinandas. Fieri etenim posse, vt quod alterius gentis hominibus arduum atque impossibile est, hoc aliis insita consuetudo quodammodo verterit in naturam. Prudenter sane hæc à Cassiano dicta quæ abstinentiam, quam in præsentiarum commendare aggressi sumus, maxime probant, atque ita probant, vt nisi moderatio ac discretio adhibeatur nocere magis quã prodesse demonstrent. Non immerito Climacus damnavit Evagrium quendam antiquorum patrum, stultioremque stultis omnibus iudicavit, quod cum suo nimium confidens iudicio in multis erraret, in hoc tamen quam maxime, quod diceret ad panem tantum vsque & aquam restringi eos oportere, quod varietate ciborum caperentur. Neque dissimile hoc esse ei quod discipulo alius mandavit, vt vno passu totam scalam saliret. Proinde quoque existimavit probabilius videri, quoniam qui varios cibos appeteret non nisi proprio quodam naturæ iure duceretur, moderandum esse magis huiuscemodi quam restringendum, cohibendumque penitus desiderium. Quare auferendos potius esse eos inprimis qui impinguarent, deinde qui ardorem inducerent, demum qui delectarent, proponendosque omnino non nisi leves ac viles, quique implerent corpus magis quam nutrirent, ita modum & discretionem, qua in sumendis cibis vtendum esset docebat prudens atque expertus institutor. Cui magni Abbatis Antonij sententia pulchre convenit, qui cum eremi senioribus in vnum forte coactis definiretur pro cuiuslibet iudicio præstantissima omnium virtus, atque nonnulli *charitatem*, alij *castitatem*, quidam *innocentiam*, multi *obedientiam* prædicarent, ille demum rogatus *discretionem* excellere omnibus dixit; quod nulla esset virtus tam eximia & præstans, quæ nisi discretione (ita vt supra exposuimus) regeretur, vllius esset momenti atque profectus. Amplectimini igitur toto animo sorores tam vtilem proposito vestro quantum modo ostendimus Abstinentiam, sed ita amplectimini vt ea simul quæ vobis exposita est moderatione ac discretione tanquam optimo saluberrimoque condimento vtamini. Ita amate silentium & solitudinem, vt præter sociarum vestrarum dulcem sanctamque conversationem, ne extraneorum quoque, & eorum quidem, qui bene institutæ integræque vitæ esse videbuntur, colloquia fugiatis. Ita ieiuniis & vigiliis vacate, vt naturæ tamen necessitates non defraudetis, vt meminetitis non saxea vos aut adamantina, sed ex carnea (qua nihil debilius, corruptibiliusve dici potest) materia fabricatas. Ita vel carnibus, vel oleo, vel vino abstinete, vt temporum, conditionum, ætatum, ægrotationumque tamen considerationem habeatis, vt vos non fugiat quod ad Timotheum scribit Apostolus: *Vino modico vtere propter stomachum & frequentes tuas infirmitates.* Hæc si observaveritis magnum proculdubio habebitis oportunumque remedium contra eos quos tristes supra nocentesque religiosorum hominum morbos explicavimus. Nunc ad reliqua pergamus.

Ieiunium aliquando soluendũ est.

Religionem profiteri non omnibus consulẽdum est.

Modus discretio in cibis sume. dir quemadmodum sereñdus sit.

Discretio omnes virtutes antecellit.

Carnea materia nihil corruptibilius.

1. Tim. 5. &c. & Christus de vite.

CAPVT II.

De Oratione.

PRoxima huic adiungenda erit *Oratio*, quæ cum supra omnia efficiat hominem Deo propitiorem ac familiariorem, antiquum proinde etiam hostem supra omnia magis exterret: reprimitque eius vires atque proculcat. *Nihil*, inquit Bernardus, *in hac vita dulcius sentitur, nihil avidius sumitur, nihil ita mentem ab amore mundi separat, nihil sic animum contra tentationes roborat, nihil ita hominem excitat & adiuvat ad omne opus & ad omnem laborem quam assidua oratio.* Vbicumque igitur dicit fueris, intra teipsum ora. Si longe fueris ab oratorio noli locum quærere, quoniam tuipse locus es: Si fueris in lecto aut in alio loco, ora, nam & ibi est templum. Frequenter est orandum & flexo corpore, mens erigenda ad Deum: Sicut enim nullum est momentum quo homo non fruatur Dei bonitate & misericordia, sic nullum debet esse momentum quo eum in memoria præsentem non habeamus. Intelligas quoque (ait) te nunquam posse sufficere ad te custodiendum, & vt tuam industriam custodire valeas, divinam implora clementiam. Item ad complendam in te Creatoris tui bonam voluntatem & beneplacentem atque perfectam, angelicam exora tutelam, patrocinium quoque omnium cum Christo regnantium super te roga, curre per singulos, supplica singulis, & simul cum omnibus clama. Hieronymus Sabinam instruens ad tam crebras eam orationes hortatur, vt omnes cogitationum sagittæ, quibus adolescentia percuti solet, huiuscemodi clypeo repellantur. Basilius in exhortatione quam facit *ad monachos: si cogitationes* (inquit) *sordida turbaverint cor tuum, & coget aliquid illicitum perpetrare, per orationes & vigilias depellentur ab anima tua:* Oratio namque grandis notitia est animæ, per orationes purissimas omnia nobis tribuuntur vtilia à Domino, & cuncta noxia proculdubio effugantur. Quare & Chrysostomus ita dicit: *Quis enim vestrorum non orando pugnavit, quis non hostem orando devicit.* Orationibus Danieli visa panduntur, sopiuntur flammæ, feræ delitescunt, cadunt hostes, inimici vincuntur: Quanto enim purior frequentiorque fuerit celebrata oratio, tanto celebrior erit de inimico vindicta. Licet colloqui cum Domino orando, licet cum eo fabulari cum velis, licet precibus mercari quod optas, & quamvis vocem eius audire non possis, tamen, dum id quod desideras, accipis, colloqui tecum & si non verbis tamen beneficiis dignatur: *Et factum est* (inquit) *cum levaret manus Moyses prævalebat Israel, vbi autem summiserat manus, invalescebat Amalech.* In eo autem sermone quo *Anomios impugnans* ostendit *quod Deus sit incomprehensibilis* vberius etiam & præclarius, virtutẽ ipsius ac dignitatem exponit his verbis: *Non igitur pro illis orare vnquam desinamus, quippe potentissima armatura est Oratio, thesaurus indeficiens, opulentia qua nunquam absumitur, portus quietus, materia tranquillitatis & innumerabilium bonorum radix, fonsque & mater oratio est, ipsoque imperio sublimior atque potentior.* Sæpe denique cum is cui diadema circumligatum est, febre corripitur & ardoribus fatigatus lectulo decubat, assistant licet medici, satellites, famuli, duces, non Medicorum ars, non amicorum præsentia, non servorum ministerium, nec medicamentorum copia, non apparatus magnificentia, non pecuniarum abundantia, non aliud quippiam

Oratio assidua magnæ virtutis.

Orandũ quo pacto sit.

Basilius.

Oratio omnia noxia effugat.

Dan. 9.

Exod. 17.

Oratio potentissima armatura est.

humanarum

humanarum rerum ingruentem infirmitatem lenire aut curare poterit. Si quis autem Deo familiarius inhærens ingressus fuerit, corpusque solummodo tetigerit, mundissima pro illo oratione fusa, omnem prorsus ægritudinem fugabit, quodque non valuere divitiæ, ministrorumque frequentia, peritia artis, impetrique rumor, hoc sæpius pauperis vnius atque inopis efficit oratio. Orationem vero appello, non eiusdem hanc & negligentiæ desidiæque plenissimam, sed eam quæ summa cum intentione fit, cum dolore animi, cum puritate & fervore mentis. Hæc enim est quæ cælum conscendit. At veluti aquæ quamdiu quidem per loca planiora, & quaqua versum latæ descendunt, nunquam attolluntur in altitudinem, cum vero eas opificum & fabrorum manus erectas aggeribus inferiori ex parte concluserint, obstructo libero meatu fremunt, & quasi indignantes ad obicem omni iaculo acutius sese in sublime surrigunt. Ita & humana mens quamdiu quidem quiete fruitur effunditur prorsus ac defluit. Cum vero hanc adversi casus emergentes angustiare cœperint, attrita salubriter puras & validas, igneasque preces in sublime porrigit, atque vt discas illas maxime preces exaudiri quæ cum angustia & tribulatione fiunt, audi quid Propheta dixerit: *Ad Dominum cum tribularer clamaui, & exaudivit me.* Excitemus ergo conscientiam, algentemque confoveamus, affligamus animum ex recordatione peccatorum, affligamus autem non vt angustiemur, sed vt audiri mereamur, vt sobrij vigilantesque simus, vt cælos ipsos attingere possimus. Nihil ita desidiam ac negligentiam fugat vt dolor & afflictio mentem vndique cogens atque ad seipsam convertens. Qui ita afflictus orat magna post orationem iocunditate compleri animam suam sentiet: Ac sicuti nubium concursio, principio quidem turbidum & caliginosum aërem efficit, cum vero excussis nubibus, cassisque imbribus omnis pluvia quieverit, serenum ac lucidum hunc locum operatur, ita profecto & mœstitia quamdiu intus invectatur, mentem, rationemque nostram nube tegens involuit, postea vero quam per orationis verba & per sequentes lachrymas evacuata fuerit, atque ad exteriora diffugerit, magnam animæ serenitatem ac lucem invehit gratia divini adiutorij in orantis animum suavissimi instar radij emissa. Quocirca oro, precor, ac moneo, Deo iugiter confiteamini. Neque enim te tuorum spectaculo expono, neque vt peccata conservis nudes astringo, coram Deo evolue conscientiam diligenter ac discute, ostende ipsi vulnera, atque ab ipso pete medicamenta. Ostende inquam non exprobranti sed curanti, namque & si ipse taceas, novit ille omnia, dic ergo vt lucreris, dic vt depositis hic sordibus illinc mundus atque à delictis purus proficiscaris, intolerabilique illa publicatione libereris. Tres pueri in fornace degebant, animamque suam pro summa in Dominum suum fide & confessione posuerant: & tamen post tanta & tam insignia virtutum merita orantes dicunt: *Non est nobis aperire os, confusio, & opprobrium facti sumus servis tuis, & his qui colunt te.* Quid ergo aperimus os, vt hoc ipsum (inquiunt) dicamus, *quia non est nobis aperire os*, atque hoc ipso Domini nobis benevolentiam conquiramus. Orationis vis vim ignis extinxit, leonum frænavit iras, bella dissoluit, prælia sedavit, hyemes tempestatesque fugavit, dæmones expulit, cæli ianuas aperuit, mortis vincula dirupit, fugavit morbos, iniurias depulit, commotas vrbes stabilivit, easque plagas quæ superne inferuntur & hominum insidias, omniaque prorsus incommoda & mala removit, eliminavit, abiecit. Orationem autem dico non quæ summis labiis profertur, sed quæ ex profundo cordis ascendit. Sicut enim arbores quæ in altum radices mittunt, etiamsi innumeros ventorum impetus excipiant, non frangunttur neque evelluntur, radicibus terræ visceribus altius abditis, ita & omnes orationes, quæ ex intimo cordis profundo emittuntur, radicitus fixæ tenduntur in altitudinem, nulloque cogitationis impetu velluntur. Ideirco & Propheta dixit: *De profundis clamaui ad te Domine.* Hæc autem ideo dicimus, non vt laudetis tantum, sed vt operibus etiam implere satagatis. Nam si dum hominibus calamitates proprias exponimus, adversosque casus nostros lamentationibus prosequimur, non nihil solatij in dolore reperimus, ex collocutione familiari respirantes modice, multo sane magis Domino tuo vitia perturbationesque animi familiariter exponens refrigerij plurimum, solatiique percipies. Homo enim sæpe & adversatur & moleste fert eum qui apud se lamentatur & eiulat, excluditque ac repellit à se. At non ita Deus, sed suscipit & attrahit, & si persistas assidue enunciare illi calamitates tuas, tunc te maxime diligit, tuisque annuit precibus. Denique Dominus hoc ipsum indicans dicebat: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos.* Vocat igitur, non simus inobedientes, attrahit, non resiliamus & si innumeris peccatis pressi teneamur, maiore cum studio ad eum recurramus, quippe tales vocat. *Non enim veni* (inquit) *vocare iustos sed peccatores ad pœnitentiam*, & hic oneratos fessos atque ex onere peccatorum fatigatos. Deus enim *consolationis* dicitur, Deus miserator. Hoc enim illi iuge opus est, eos qui in afflictione & dolore sunt consolari, ac fovere etiam si dena millia peccatorum illi habeant. Solum tradamus ei nosmetipsos, accurramusque ad eum, nec discedamus, experimento ipso quæ dicta sunt omnia vera esse probabimus, nihilque nos omnino perturbare & contristari poterit, si habeamus continuam puram intentissimamque orationem. Quicquid enim supervenerit huius præsidio facile arcebitur. Et quid mirum si humanas clades soluere solita sit orationis vis, quandoquidem & peccatorum naturam extinguit facile atque exterminat. Pulchre hæc Chrysostomus. Sed & Augustinus eius vim & excellentiam ostendens. *Oratio* (ait) *est refectio ieiuniorum, & advocat gratiam spiritus sancti. Oratio duritiam cordis emollit, austeritatem temperat, ieiunium dulcificat.* Quid est autem oratio nisi ascensio animi de terrestribus ad cælestia, inquisitio supernorum, invisibilium desiderium. Abeat dissensio secularium motuum quibus premitur mens humana quotidie. Oratio coniunctio est animæ spiritui sancto, si tamen in oratione intentus sit animus, sicut clamat Propheta: *Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.* Oratio perseverans iungit Deo, atque ita gaudens assistere se Domino gloriatur. Adhærens autem anima Domino, incipit securitatem habere, nec pavores sustinet, nec timores. Suscepto autem tanto patrocinio dexteræ Dei, quomodo poterit noceri ab aliqua potestate? sicut scriptum est: *Quod nemo illud rapit de manu patris*, hoc præstat ieiunium, hoc præstat oratio. Ad hanc igitur cuius tanta & vtilitas simul est & dignitas, confugite frequenter, sorores, hanc suscipite ac colite perpetuo. Verum quo pacto recte eam suscipere, coleteque debeatis etiam intelligite. Tria enim præcipue observanda esse in oratione tradit Climacus. Primum quidem, vt immensas Deo laudes agamus & gratias, dehinc vt contriti compunctique maxime pro culpis nostris graviter nosmetipsos accusemus: Demum vt omnes illi petitiones nostras libere secureque aperiamus. Nec dissimilem ab hac doctrinam affert Ambrosius in libro *de Sacramentis*, instruens vt primo oratio habere debeat laudem Dei. Secundo supplicationem. Tertio postulationem. Quarto gratiarum actionem. *Dic mihi* (inquit) *si velis hominem rogare, & sic præcipias, da mihi, ecce illud quod te peto, nonne arrogans videtur oratio*, non debes quasi famelicus ad cibum de cibo incipere, sed antea laudes Dei, vnde & oratores sapientes (ait) hanc habent disciplinam, vt dum iudicem fautorem benevolumque facere cupiunt cognitorem, incipiant à laudibus eius,

deinde

Margin notes: A; Oratio quemadmodum fieri debeat. B; Ps. 119. Dolor & afflictio fugant desid. G; Dan. 3. D; Orationis vis quid operetur. E; Ps. 129. Solatium in dolore reperimus, dum hominibus calamitates nostras exponimus. Mat. 11. F; Luc. 5. Deo iuge opus est, eos qui in dolore sunt, cōsolari. G; Oratio quid. Ps. 62. Ioan. 10. H; Orantes tria observabūt. Oratio, secundū Ambrosiū, quatuor habere debet.

deinde paulatim rogant vt patienter dignetur audire, demum audeant postulationem suam depromere & quid petant exprimere. At vero magno hic studio ac industria vti oportebit. Imprimis namque mentem ad ea quæ postulabuntur adhibere necesse erit. Nam quemadmodum exauditurum quisquam Deum preces suas sperabit quas ipsemet negligat, ac cuiusmodi sint ignoretur. *Dehinc* (vt docet Cyprianus) *sit orantibus sermo & precatio animi disciplina quietem continens & pudorem, cogitemus nos sub conspectu Dei stare, placendum est divinis oculis & habitu corporis & modo vocis.* Nam vt impudentia est clamoribus strepere, ita contra convenit verecundo modestis precibus orare. Scriptum est de Anna, quod loquebatur in corde suo, & labia eius movebantur, & vox eius non audiebatur, & exaudivit eam Dominus. Ideo instruit Basilius monachos, ne in clamore vocis orent eum qui est occultorum cognitor, sed clamore cordis sui pulsent aures eius, insuperque ne longitudinem verborum protrahant ante eum, quia non in multiloquio sed purissima mente placatur Deus. Et Climacus docet, ne orans quisquam studeat se multum sapientem esse in verbis, quod sæpius simplices, nudique sermones Deum magis quam accurati artificiosisque instructi placauerunt. In tempore quoque orationis præcepit Basilius, vt omnem malitiam proiiciamus a nobis, & remittamus si quid habemus adversus proximum nostrum, sequentes morem cuiusdam serpentis, qui cum cœpit ire ad bibendam aquam antequam veniat ad fontem evomit omne venenum. Et tu (inquit) imitare hunc serpentem in hac parte, & omne venenum iræ amarum evome, & remitte conservo tuo centum denarios, vt tibi dimittantur decem millia talenta: Et qualem cupis erga te Deum esse, talis esto ipse conservo tuo. Sed & ab omni cupiditate affectioneque rerum temporalium ab omnique perturbatione expurgare se debebit quisquis Deum oraturus accesserit, præparatque mentem ita puram, sinceram, nulla implicatam mundi vanitate ac molestia, nullaque agitatam cura & sollicitudine vt orationes minime vlla eorum quæ ante cogitaverit, recordatione & stimulo impediantur, minime vllo aaetanao rapiatur discursu, a susceptoque sancto cursu suo avertatur. Nihil enim aliud esse orationem ait Climacus, quam omnium quæ mente mundi rerum, sive oculis sive animo tantum capiuntur, alienationem. Et vt pulchre tradit Cassianus, quicquid ante orationis horam anima nostra conceperit, necesse est vt orantibus nobis per instigationem recordationis occurrat. Quamobrem quales orantes volumus inveniri, tales nos ante orationis tempus dicit præparare debere, quia necesse est mentem in tempore supplicationis suæ de statu præcedente formari, illisque cogitationibus orantem vel ad cælestia sublimari, vel ad terrena submergi, quibus ante orationem fuerit immorata. Et idcirco quicquid orantibus nobis nolumus vt irrepat, ante orationem de abditis nostri pectoris extrudere festinemus. Observabitur præterea quod dicit Climacus, orationi perseveranter insistendum esse. Nam vti dispositas Deus intelligit mentes orantium, ita vel citius, vel tardius, petitiones eorum exaudit. Quorum enim affectus vere sanctos divinaque ardentes charitate cognoscit, illico ad se trahit, neque diutius patitur frustrari desiderio suo: Quibus vero maiorem mentis elevationem atque ardorem deesse videt, tardiorem vtique assensum præbet, vt longiore mora frustratos anhelantes diu & sitientes non sinat à se discedere, instar canis importunioris qui cum comedenti assistit expectans frustum panis, si statim quo indiget, acceperit, discedit. Nihil autem tam nocere quieti ait religionis quam orationi assidue non insistere, quæ cum cessaret, cessare vtique ireque in irritum omnem sanctitatem. Ante omnia vtemur summa humilitate animique abiectione, memores pharisæi & publicani, quorum hunc Salvator noster commendavit, quod templum ingressus orare à longinquo stabat & neque oculos volebat ad cælum levare, sed pectus suum percutiebat dicens: *propitius esto mihi peccatori.* Illum vero damnavit quod elevatis in cœlum impudenter oculis manibusque insolenter erectis, talia apud se precabatur: *Deus tibi gratias ago quia non sum sicut cæteri homines, iniusti, raptores, adulteri, quemadmodum & publicanus iste. Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo.* Quare Basilius: *Cum accesseris*, inquit, *ad deprecandum Deum, prosterne te humiliter in conspectu eius, nec postules quicquam quasi ex gratia meritorum tuorum, & si est grata conscientia alicuius operis boni, cela illam, & te silentium agente multipliciter restituetur tibi à Domino, & peccata tua coram producas in medium vt deleat illa Deus cum confessus fueris ea, non te iustifices orans.* Et quamquam dicit Climacus, summum fastigium scalam virtutum, ascenderisque ad omnem mentis perfectionem, sollicitius tamen ora Deum vt misereatur peccatorum tuorum. Peccata igitur nostra coram Deo orantes graviter accusare, pro eisque veniam enixe implorare conveniet, quod per meditationem cognitionemque eorum nobis continget. Porro cognitio & consideratio summam cordis compunctionem generabit, compunctio tandem devotionem, qua pio humilique affectu in Deum conversi quicquid cum oraverimus facilius longe efficaciusque obtinebimus, sed & pro aliorum peccatis obsecrationes habendæ erunt, non despectionis eorum sed commiserationis magis causa, ne Pharisæi insolentiam imitemur: Pro inimicis autem nostris quam maxime orandum erit, exemplo Salvatoris nostri, qui in cruce pendens pro crucifixoribus suis orans: *Dimitte eis*, inquit, *pater quia nesciunt quid faciunt.* Nihil huiuscemodi obsecratione maius, nihil nobilius, nihil quod divinas magis aures penetret atque delectet. Imitandum est hic maximopere vt cum pro peccatis nostris & necessitatibus oramus, inclinatum etiam magis illum erga nos ac propitium habere mereamur: Insistendum est totis viribus, elaborandum omni studio & arte, vt non modo eum oremus sed orandi insuper modum & fines debitos observemus. Laudanda est eius potentia, pietas sapientia, atque benignitas, exponenda fragilitas nostra ac miseria, præferenda adversariorum malignitas continuaque infestatio, aperiendum quo dolore pro peccatis afficimur, qua spe bona sumimus, qua deinceps obedientia & fide in eum erimus, habendæ gratiæ pro immensis eius & innumerabilibus in nos beneficiis. Incurvandum illi, prosternendum, suspirandum, gemendum, pollicendum, offerendum obtestandum, blandiendum, nihil omittendum, quod veræ compunctionis devotionisque manifesta signa demonstrat. Nam licet cordium scrutator sit Deus neque aliquid sit quod æternam eius sapientiam lateat, augeatur tamen (vt ab Augustino traditum est) exterioribus his signis interior devotio, fitque ardentior longe quæcunque ita profunditur ad Deum oratio. Quæ qui observaverit, concitabitur vltro more nobilissimi equi (vt dicit Climacus) qui vbi currere cœperit, rapitur cursu suo magis atque incalescit, ita ad illam demum sensim gradatimque ascendet resolutionem mentis ad illam Dei contemplationem igneamque ac paucis expertam orationem quæ (vt ait Cassianus) omnem transcendens humanum sensum, vllo non dico sono vocis, sed nec linguæ motu distinguitur, sed mens infusione illius luminis illustrata, conglobatis sensibus velut de fonte quodam copiosissimo illam effundit vbertim, atque ineffabiliter eructat, ad Deum tanta promens in illo brevissimo temporis puncto, quanta nec eloqui facile nec percurrere mens in semetipsam reversa prævaleat: Quem statum Dominus quoque noster illarum supplicationum formula quas vel solus in monte secedens, vel tacite fudisse describitur, similiter figu-

Cyprianus libro de oratione Dominica.

1. Reg. 1. Orandum non est clamore vocis.

Matt. 6. & de B

Confidendum in multiloquio cuiuscumque.

Serpens iturus ad fontem evomit omne venenum.

Matt. 18.

C Oraturus Deum quid prius facere debeat.

Oratio quid sit secundum Climacum.

D

Orationi assidue insistendum.

Luc. 18.

A

raſſe dicit, cum in orationis agonia conſtitutus, etiam guttas ſanguinis mirabili intentionis profudit exemplo. Eiuſmodi vero perfectam ea ſententia Antonij Abbatis talem eſſe tradit, in qua ſe monachus vel hoc ipſum quod orat non intelligit, cuius etiam quando à Domino exaudita ſit iudicia hæc certa eſſe oſtendit, cum orantes nos nulla interpellaverit hæſitatio, & fiduciam petitionis noſtræ quadam deſperatione deiecerit, ſed obtinuiſſe nos in ipſa effuſione orationis, quod poſcimus, ſenſerimus, non ambigi debere preces noſtras ad Deum efficaciter penetraſſe, quod tantum quis exaudiri atque obtinere mereatur, quantum vel inſpici ſe à Deo vel Deum crediderit poſſe præſtare. Cuſtodietur vero quam maxime quod monet Climacus, vt nunquam ab huiuſcemodi quæ Deum penetraverit, oratione ceſſet, donec ceſſet ſimul ignis & aqua. *Ignis* ſcilicet devotionis & *aqua* lacrymarum, quæ & vbi ceſſaverint dimittere eos qui oraverint, aut tanquam ardenti & ignis camino purgata omni labe vitiorum, aut tanquam cadenti quadam ex luce magna cum mentia lætitia exeuntes, cognoſcique his præcipue ſignis perfectionem orationis, neque vbi alterum horum defuerit veram vllam perfectamque orationem eſſe poſſe. Hæc eſt quæ ita ſupra docuimus obſervata, eaque quam diximus, mentis integritate & ſinceritate condita ſuperat omnia quæcunque Deo offerri, oblataque placere ei poſſint, non ſi innumeræ peregrinationes ſuſciperentur, aut millia templorum extruerentur, aut infinita illi pecorum agrorumque vota exſolverentur. Nihil eſt enim ei carius, quam mens nulla ex parte maculata, nulliuſque ſibi mali conſcia, omnem in eum erigens cogitatum invocans eum, conſolens, anhelans, atque ſuſpirans. Non immerito Chryſoſtomus exponens *Epiſtolam B. Pauli ad Philemonem: Pellatur* (ait) *ex animo rancor omnis, malorumque memoria perpetua oblivione deleatur. Nam ad impetrandam pro noſtris ſceleribus veniam, non pecunias impendere, non aliquid aliud einſcemodi facere neceſſe eſt. ſola ſufficit bona voluntatis integritas. Non opus eſt in longinqua peregrinando tranſire, non ad remotiſſimas ire nationes, non pericula & labores tolerare, ſed velle tantummodo. Holocauſtis* (inquit David) *non delectaberis, ſacrificium Deo ſpiritus contribulatus.* Et illud: *Laudabo nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude, & placebit Deo ſuper vitulum novellum, cornua producentem & vngulas.* Item alio loco: *Non in ſacrificiis tuis arguam te, holocauſta autem tua in conſpectu meo ſunt ſuper, non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quoniam mea ſunt omnes feræ ſilvarum, iumenta in montibus & boues, cognoui omnia volatilia cæli, & pulchritudo agri mecum eſt. Si eſuriero non dicam tibi, meus eſt enim orbis terræ & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo. Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſſimo vota tua, & invoca me in die tribulationis, eruam te & honorificabis me, & illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei.* Per Eſaiam quoque ſpiritus ſanctus clamat: *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum, dicit Dominus: plenus ſum. holocauſta arietum & adipem pinguium & ſanguinem vitulorum & agnorum & hircorum nolui.* Et poſt pauca: *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis*, cæteraque huiuſcemodi. Quod nec minus à Gentilibus philoſophis admonemur, nam in eo libro quem Triſmegiſtus ad Aſclepium de idolo conſcripſit, cum exacto opere Deum orare inciperent, curaretque Aſclepius vt thura & pigmenta inter orandum, vtpote Deo digna, adhiberentur, id ille audiens atque commotus ait: Melius ominare Aſclepi. Hoc enim ſacrilegij ſimile eſt cum Deum roges, thus cæteraque incendere, nihil enim deeſt ei qui ipſe eſt omnia, aut in eo ſunt omnia, ſed nos gratias agentes adoremus, hæc ſunt enim ſummæ incenſiones, Deo gratæ, cum aguntur à mortalibus. Euſebius autem Pamphili in quarto eorum librorum quos ſcripſit *de præparatione Evangelica* refert Porphyrium ita dicere: *Nihil materiale inveniri poteſt quod immateriali Deo non ſit obſcænum.* Idcirco neque oratio ei quæ voce proferatur convenit, ſed nec interior oratio ſi animæ vitio contaminata, ſilentio autem ſancto & cogitatione integra ab omnique morbo remota eum colimus, ſic illi & coniungimus & ſimiles vt poſſibile homini eſt, efficimur, mundiſſimam mentem quaſi ſacrã hoſtiam ei offerentes, ita hymnis Deum laudamus, ita ſalutem ac impaſſibilitatem animi acquirimus, ſacrificium enim Deo eſt alienæ ab omni vitio mentis ſpeculatio, primitias offerre omnes ſolent earum rerum quas acceperint, & à quibus alitur & continetur ſubſtantia noſtra. Quemadmodum igitur agricola fructuum primitias offert, ſic homines oportet modo intentionem mentis Deo offerre, gratias agentes quia hæc nobis tribuerit, & quia nos mentemque noſtram ſpeculatione ſua contineat atque nutriat, iuvans, conſulens, & ad ſalutem noſtram nos reducens. Mens igitur ſancta & anima omnis paſſionis expers optimæ primitiæ Deo ſunt, maxime cum nulla re Deus indigeat, ſed animam hominis reſpiciat, illudque ſibi ſanctiſſimum ſacrificium ſit, rectam de ipſo & de reliquis rebus habere ſententiam. Affert etiam teſtimonium Tyanei illius Apollonij in libro quem edidit *de ſacrificiis de primo ac magno Deo*: cuius verba ſunt hæc: Sic ergo maxime decorem aliquis curam de rebus divinis ſuſcipiet: propicium que habebit Deum, ſi Deo primo qui vnus eſt & ab omnibus aliis ſeparatus poſtquam longo intervallo reliqui cognoſcuntur, nullo modo ſacrifices, nec ignem incendat, nec ſenſibilium aliquid ei offerat: Nullius enim rei eget, non dico à nobis, ſed nec ab intelligentiis ipſis: Non eſt autem in terris nec in acie quicquam cui non inſit aliqua obſcænitas: Meliorem igitur ac ſuperiorem rationem atque orationem ei offerre debemus. Sic autem appello eam quæ non ore profertur, quæ illi offerenda eſt nam ab optimo atque pulcherrimo rerum omnium bona nobis petenda ſunt, per primum ſimiliter atque pulcherrimum omnium bonorum noſtrorum. Intellectus vero hic eſt organo non indigens. Quomodo ergo (inquit Euſebius ipſe) iure nos accuſabimur qui omnino impium eſſe putamus ſanctiſſimam Dei appellationem atque venerationem immundis ſpiritibus attribuere: ſolum enim creatorem omnium Deum adorare didicimus, nihil terrenum & mortuum ſed integritatem animi & caſtimoniam corporis, rectam ſententiam, & ardentiſſimam fidem offerentes, quam ad extremum vſque ſpiritum intemeratam auxilio ſalvatoris ſervabimus. Sed audiamus quid & poëtæ de his ſenſerint. Ita enim ſcribit Perſius:

Dicite pontifices in ſancto quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ à virgine pupæ.
Quin damus id ſuperis de magna quod dare lance,
Non poſſit magni Meſſalæ lippa propago,
Compoſitum ius faſque animi ſanctoſque receſſus.
Mentis & incoctum generoſo pectus honeſto.
Hoc cedo admoveam templis & farre litabo.

Menandri quoque Comici præclara eſt illa ſententia: *Si quis ô Pamphile taurorum in ſacrificium oblata multitudine aut hædorum aliorumque huiuſcemodi propicium ſe habiturum Deum arbitratur, penitus errat mentis levitate ſeductus, ſed oportet iuſtitiam ſervare non adulterio, neque virginum vel corruptione, nec acus quidem tenue filum ſi alienum eſt concupiſcere, Deus enim prope eſt, & omnia videt.* Hæc igitur tot vatis undique auctoribus confirmata ſuſcipite libenter, ſorores, atque ſedulo obſervate. Hanc ſcilicet tam ſalubrem, tamque omnibus præſtantem quam vobis expoſuimus, medicinam profuturam mirum in modum contra omnes humanarum mentium quantumcumque nocentiſſimos peſtilentiſſimoſque morbos, contra omnem diaboli ferocitatem inſidiaſque omnes & pugnas, huic inſiſtite, huic invigilate, hanc magnifacite ſemper & colite, ac pretioſiſſimum tanquam theſaurum conſervate.

Marginal notes (left): Luc. 22. — Orans quando ab oratione ceſſare debeat. — B — Mente pura nihil eſt Deo carius. — C — Pſ. 50. Pſ. 68. — Pſ. 49. — Eſa. 1. — D — Incenſio nec ſum... ſunt, Deo gratias agentes.

Marginal notes (right): E — Mens ſancta, & anima paſſionis expers optimæ primitiæ Deo ſunt. — F — Oratio in voce requirat. — G — Perſius. — Menander Comicus. — H

A

CAPVT III.

De Psalmodia.

PSallendi quoque consuetudinem, quæ & huic quam modo tradidimus, nobilitudine quadam indissolubili singularique germanitate conjuncta est, prodesse admodum putamus. Nam cum divinis laudibus scaturiant omnes vbertim Psalmi atque exundent, neque quicquam sit quod à mortalibus exposcat Deus quam laudes suas, nihil certe est quod vel ad placandam iram vel impetrandam ejus gratiam convenientius eis esse videatur. Pulchre id nobis quod superiore etiam tractatu diximus per fidelem vatem suum David explicavit: *Non in sacrificiis* (inquit) *tuis arguam te, holocausta autem tua in conspectu meo sunt semper.* Et post pauca: *Immola Deo sacrificium laudis & redde altissimo vota tua, & invoca me, in die tribulationis eruam te, & non vivificabis me, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei.*

Psal. 49

B. Pythag.

Quod Pythagoras, licet Christiana à Philosophia longe alienus, eleganter tamen docuit præclara illa sententia, qua Diis dixit cum laudibus amictúque candido & casto corpore honores exhibendos. In Psalmis igitur Deum continue laudabimus: quorum *eloquia ignita, supérque mel & favum dulcia*, vt auctor eorum inquit: inenarrabili mentem explet ardore ac suavitate, sitque tantus eorum sapor quantum cuncta, quæ ad jocunditatem oblectationémque excogitari possunt, vilescant prorsus ipsius comparatione atque amarescant.

Psal. 118

Psalmi omnem jocunditate a superant.

Sed quod ad elegantiam pertinet quia tantus dicendi artifex, tantus eloquij magister persuadendi tam promptas expeditásque vires habuit, vt quo vellet ducere animum auditoris, vnde nollet etiam deducere pro arbitrio posset. Quibus cum opus sit neque suavitas desit, neq. acrimonia, neque concitatio, neque copia, neq. acumen sententiarum & vehementia.

C

Quibus ita desiderium acui, spes augeri, amor incendi, animus excitari, mens rapi & pertingi humani affectus effingi videntur, ita Deus blanditur dulcibúsque querelis mulceri atq; inflecti, vt nihil aptius certe judicari possit aut efficacius. Versandum erit nimirum in his assidue, quorum tantam commoditatem, vtilitatem esse constat, sive ad decantandas Dei laudes, sive ad implorandam ejus misericordiam, sive ad demonstrandas inimicorum infestationes & odia, sive ad effugienda vitia, omnésque tentationes, acquirendámque omnium virtutum gratiam, sive ad promerendam peccatorum nostrorum veniam, sive ad nostras aperiendas necessitates & angustias, quibus nihil toto illorum carminum textu aliud continetur.

Psalmorũ multa est vtilitas.

Versandum vero ita erit, vt singula eorum verba plane & distincte proferamus, singulorúmque verborum sententias argute ac sapido quodam cum gustu intelligamus: quod docuisse Prophetam (dicit Basilius) illis verbis Psalmista: *Psallite Deo nostro, psallite, psallite, Regi nostro psallite: quoniam rex omnis terræ Deus psallite sapienter.* Vox enim *psalmodiæ* (vt inquit Gregor.) cum per intentionem cordis agitur per hanc omnipotenti Domino ad cor iter paratur, vt intentæ menti vel compunctionis gratias, vel prophetiæ etiam mysteria infundat, quemadmodum refert Iosaphat, cum spiritus prophetiæ ei deesset, Psaltem fecisse applicari, vt prophetiæ adhuc spiritus per laudem psalmodiæ descenderet, atque ejus animam de venturis repleret, vnde, quod supra etiam memoravimus, scriptum esse, ait: *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter quo ostendam illi salutare Dei.* Et illud: *Cantate Domino, psalmum dicite nomini eius, iter facite ei.* Cui dum cantamus *iter facimus*, vt ad cor nostrum veniat, & sui nos amoris gratia accendat.

Psal. 46. Psalmodia vox quid operetur.

D

4 Reg. 3

Psal. 49.

Psal. 67

Quare hortatur Basilius Monachos, vt vigilanter psallentes assistant in conspectu Domini, ne eos opprimat somnus, ne dissonans sit in sonoo vocis sensus eorum, sed in linguæ verba vigiles intendant, neque duplex sit oratio ipsorum, quæ non possit ascendere ad aures Dei, non sit vllum tempus vacuum aut ociosum tam diebus quam noctibus.

E

Quod & Ephrem vir sanctus docet dicens: *Quemadmodum quispiam regi assistens & cum eo colloquens si vocante ipsum alio, regem deserere & cum servo congredi superbus audeat, ita & Monachus qui in psalmodia sua mentem vagari nugasque meditari permittit.*

Ephrem.

Quare considerandum nobis psallentes assemus, vt sicut Angeli cum metu & tremore stantes, nullisque terrenorum negociorum cogitationibus occupati psallamus. Cum ad orandum quoque ait (Bernardus) aut ad psallendum Ecclesiam intraveris, fluctuantium cogitationum tumultum exterius relinque, curámque exteriorum penitus obliviscere, vt soli Deo possis vacare. Quia fieri non potest vt aliquando cum Deo loquatur, qui etiam cum toto mundo tacens fabulatur. Intende ergo illi qui intendit tibi, audi eum loquentem tibi, vt exaudiat te loquentem sibi.

Psalmodiæ Dñi cavendum non sinat mentem vagari.

F

Ita fiet si divinis laudibus solvendis cum debita reverentia & sollicitudine assistas: Singula verba divinæ scripturæ diligenter intendas. Vitandum etiam id, quod & ipse admonet, ne vocem in Psalmis ita frangemus, vt dulcius cantemus, delectemúrque magis in vocis modulatione quam in cordis compunctione, quia Deus, cui non absconditur, quicquid illicitum perpetratur, non quærit vocis lenitatem, sed cordis puritatem, cantórque dum demulcet populum vocibus, Deum irritat pravis motibus. Ideo & Hieronymus ad Rusticum: *Dicas* (inquit) *psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo vocis sed mentis affectus quæritur*, scribente Apostolo: *Psallam spiritu, psallam & mente, & cantantes in cordibus vestris.* Legerat enim illud præceptum: *Psallite sapienter.* Agite ita igitur, vt docuimus, sorores, observate ita hunc psallendi morem, qui non minori certe vobis jocunditati quam saluti cedet.

Psalmus nõ vocis dulcedinem, sed mentis affectum quærit.

CAPVT IV.

De lachrymarum gratia.

G

PRæcipuum etiam, licet rarius, donum lachrymarum non omittendum videtur, quibus tanquam sapidissimo liquore, orationes psalmiq; condiuntur. Quarum vim explicans Basilius, *Vbi* (inquit) *fuerint lachrymæ ibi spiritualis ignis accenditur, qui secreta mentis illuminat*, tunc aviditate cœlesti flagrans copulatur Christi amori, & in terris degens meditatur jugiter de supernis, calcans sæculi dignitates, & ad præmia se futura extendens, nec vlla vis eum sæculi segregat ab amore Christi, sed vt figura quædam inter homines versari videtur, & tota ejus cogitatio & conversatio de cœlestibus intelligitur, mors illi præsens dulcior est quam vita: *Cupit dissolvi, & esse cum Christo.* Quem in carne vivens intra suum portaverat templum.

Lachrymæ magna vim habent.

H

Ephrem vero scribens de die judicij: *Non est* (ait) *dulcius aliquid in terris super gratiam lachrymarum. Si quis in oratione sua Deum contemplatus est, illum semper desiderans lachrymarum dulcedine satiatus est, huiuscemodi elevatus à terris totus extra corpus in cœlo est.* Anna per lachrymas à Deo Samuelem Prophetam accepit ad sublimitatem & glorificationem animæ suæ. Mulieris etiam peccatricis debita in domo Simonis à Christo Domino dimissa sunt, quæ lachrymis pedes ejus rigabat & crinibus tergebat. Grandis virtus est lachrymarum, multúmque prævalent lachrymæ secundum Deum. Fiduciam Domini semper acquirunt; lachrymæ sordidas cogitationes expellunt, nec proximare eas permittunt; animæ compunctionem cordis habent. Et ideo vere gloriam Monachi esse dicit vigiliis insistere, & flere in orationibus suis. Præclara est quoque quæ alio loco traditur ejus sententia. *Luctus enim ædificat* (inquit) *atque custodit, luctus animam per lachrymas tergit, & eam mundam nitidamque restituit, luctus*

Lachrymarum nihil gratia dulcius. 1 Reg. 1. Luc 7.

pudicitiam gignit, abscindit voluptates, perficitque virtutes. Lugendum tamen ita esse præcipit vt non videamur ab hominibus, simúlque serena facie & læta, exultantes in Spiritu sancto super donis Domini, flentes animo atque lugentes, Deóque supplicantes, vt custodiat nos ab omni specie mala. In quo advertendum, non tam profluentem oculorum humorem quam interiorem compuncti cordis fletum Deo placere, vidisséque se dicit Climacus quosdam, qui nullum propter dolorem sentientes largo lachrymarum fonte profluerent, atque alios qui summo cum dolore modicas effunderent lachrymas, acceptioréisque hos longe Deo quam illos judicasse. Damnat autem quam maxime eos qui cum multis lachrymis aliquando madeant, sæpius tamen rident & delicate vivunt, similésque esse (ait) ei qui canem pane insectatur & percutit, cum eum parte vna lædere videatur atque blanditur & pascit. Reprehendit etiam eos qui in profluxu lachrymarum nullum habent studium meditandi aut orandi Deum, quod esse magis proprium dicit animantium ratione carentium. Ex meditatione non nasci lachrymas, ex oratione autem meditationem, parere vero lachrymas timorem, dehinc timorem paulatim mentis gaudium, gaudióque demum incendi animam charitate. Quare & fletum pulchre aptéque *stimulum aureum* appellat. Cavendum sed quam maxime ne permittatur irrepere diffidentia vlla divinæ pietatis & misericordiæ, solere enim id callidissime diabolum tempore lachrymarum & pœnitentiæ cum contra ante perpetratum peccatum summam semper & profusissimam esse persuadeat Dei benignitatem & clementiam. Quæ cum custodita fuerint tantam esse lachrymarum dignitatem, vt alterum post primum baptisma videri sibi dicat. Nam cum primus fontis baptismatis peccatū originale diluat; at hoc secundo lachrymarum fonte cætera, quæ post baptisma commissa sunt, peccata purgantur. Habent vero in se lachrymæ (quod dixisse Ephrem supra retulimus) incredibilis quiddam dulcedinis, qua allecti plerique dum summum Deo sacrificium præstare putant cogentes sese quanta vi possunt illas extorquere conantur, quorum stultitia non aliter videtur redarguenda, quam eorum qui vinum ex vvis adhuc acerbis optimum elicere tentarent. Nam quemadmodum non nisi maturis prius vvis ac solis calore decoctis vinum, quod suave sit, exprimi potest, ita & vt ex oculis lachrymæ suaves quoque eliciantur, maturari cor prius per cōpunctionem interiorémque decocti doloris calorem necesse est: quod vbi acciderit (id enim recordatio defixaque meditatio, vel peccatorum, vel miseriarum, vel divinorum beneficiorum efficere solet) tunc nulla molestia, nullo superfluo laboriosóque conatu per se vltro expressæ lachrymæ prædulces emanant: quas cohibere si fieri poterit, satius aliquando erit, qui frequentiorem profluxum habuerit, propter nimiam cerebri exsiccationem, melancoliámque, proinde evitandam, quam inducere illæ si exuberantiores, continuatiorésque fuerint, consueverunt: Quæ moderatæ enim etiam & corpori nihil nocere, & animæ plurimum prodesse constat, non tantum eas quæ pro peccatis propriis effunduntur, cujusmodi de Magdalena supra diximus, quam quæ etiam pro alienis, sicuti de Monicá Augustini matre legimus. Quo loco considerans summam vtriusque sanctitatem, ad quam vi exuberantiáque lachrymarum pervenerunt, cogor pluris etiam facere gratiam & virtutem earum quæ tam gratæ Deo acceptæque sunt, vt oblectari illis quasi suavissimo delicatissimóque quodam edulio ac recreari videatur: quæ tam validæ sunt & efficaces, vt trahere in sententiam suam Deum mereantur, ac omnibus quæcunque juste expetunt, assentiri compellant. Nam Magdalenam tantum potuisse lachrymis suis sacrum testatur Evangelium, vt multorum, magnorum peccatorum remissionem incredibilémque divinum simul amorem & gratiam viva Salvatoris voce ac ipso quidem momento consequi meruerit. Monicam taceo. Nam si quicquid de excellentia illius fœminæ sentio proferre voluerim, succumbam longe impos virium atque deficiam. Tanta enim mihi semper apparuit magnitudo sanctitatis ejus, vt neque ingenij cujusquam acumine comprehendi, neque linguæ vllius copia & disertitudine explicari posse videretur, quam non aliunde certe consecutam fuisse constat, quam assiduo illo lachrymarum suarum prolixoque defluxu, quibus filij salutem orans die noctúque & suspirans implorabat: quibus adeo motus Deus atque allectus fuit, vt non modo turpi eum à libidine perversisque erroribus, quos nunquam illa flere cessabat, liberaverit, sed ad tantum insuper veritatis lumen, sanctitatisque culmen, quantum Christiana tota laudans extollit Ecclesia, provexerit. O magnum igitur & singulare lachrymarum munus. O sacrum & divinum pabulum. O nectar omnium dulcissimum atque suavissimum, quibus vos prædicem laudibus, feramque præconiis, quæ mœstos consolamini, debiles sustentatis, errantes dirigitis, peccantes corrigitis, quæ humanos potestis immutare affectus, vitia proculcare, virtutes roborare, sanctitatem augere, quibus mortales sanctificantur, dæmones exterrentur, Angeli lætificantur, placatur Deus atque mulcetur. His, sorores, cum de compuncto corde sponte profluxerint, sacrificabitis Deo, immolabitis hostiam illi caram & placentem. His divinam pro vestris omniúmque necessitatibus inclinabitis ad vos misericordiam. His implebitis vota vestra, augebitis virtutes, expurgabitis diluetisque omnes morbos, cuncta denique quæcunque optaveritis facile, nullaque cum difficultate obtinebitis.

Lugendū qæmadmodū sit.

Climac.

Fletus stimulus aureus appellatur.

De quo in c. Maiores, quasi per totum. Extra. de Bapt.

Lachrymæ cohibere aliquádo consultum est.

Lachrymæ gratæ sunt Deo.

Luc. 7.

Monica Augustini mater magnæ sanctitatis

CAPVT V.

De Lectione sacra.

QVoniam vero fieri non potest, vt orationi semper lachrymisque humana fragilitas intendat, adhibenda ideo erit frequens lectio, quæ animos & laxatos joconda remissione recreabit, & defectos cœlesti pinguique pabulo reficiet. *Orationi lectio, lectionique,* (inquit ad Athletam Hieronymus) *succedat oratio.* Ad Demetriadem quoque virginem, ait: *Animum tuum sacræ lectionis amore occupes, ne in bona terra pectoris tui sementem lolij, avenarúmque suscipias.* Sed & Paulus cum præcepisset discipulo suo, vt diligenter attenderet lectioni, exhortationique doctrinæ, vt earum vtilitatem exprimeret: *Hoc enim* (inquit) *faciens & teipsum salvum facies, & eos qui te audient.* Et si quidem magnos atque admirabiles qui ex lectione jocunditatis admixtus suscipitur fructus. Nam præter illud quod dicit Cassianus, necesse esse in legendis ac parandis lectionibus mens occupetur, vt nullis noxiarum cogitationum laqueis captivetur, docemur insuper quo debeamus modo Deum diligere & timere, beneficia ejus erga nos cognoscere, moderationes in omnes vti atque æquitate, injuriarum non reminisci, parcere inimicis, vitia exhorrere, voluptatibus non subjici, ira, odio, invidiáque ac cæteris denique pestiferis morbis animum purgare, juste, pie, caste, sanctéque vivere, adversis non dejici, secundis non extolli, virtutem colere, virtutéque inferiores omnes humanos casus ducere. Hæc nos hisque similia crebra ex lectione instruimur, instructique ad ea quam maxime invitamur atque incendimur, quibus nescio quid vtilius dici possit atque dignius. Quare elegantissime Ephrem in sermone quodam, quem de vita & exercitatione monastica scribit, dum Monachos ad studia literarum frequentémque lectionem hortatur, comparans naturam nostram terræ, in qua semen

Hieron.

1. Tim. 4. Lectionis magnus est fructus.

S. Ephræ.

A

vel virtutum vel vitiorum per consuetudinem vel bonam vel malam jacitur, voluntatémque agricolæ qui illud jacit, consiliarios etiam ejus atque magistros dicit esse divinas scripturas, quæ doceant agricolam nostrum, quas consuetudines malas evellere, quasve virtutes bonas plantare atque excolere debeat. Nam quantumlibet acutus, ac vigilans noster agricola fuerit absque divinarum Scripturarum magisterio obtusus atque invalidus est. Divinarum vero litterarum eruditio intelligentiam illi vigorémque administrat, virtutes bonas illi de suis sorculis præstat, ut eas naturæ suæ inserat ligno, puta bonam fidem illi dat, quam infidelitati suæ, charitatémque quam odio, scientiam quam ignorantiæ, studiúmque quod negligentiæ, postremo gloriam & laudem quam ignobilitati inserat suæ, immortalitatem item mortalitati, divinitatémque inserit humilitati suæ. Cæterum superbia elatus agricola noster, magistrum atque consiliarium suum deserere voluerit, Scripturas scilicet sacras, ettabit vagas cogitationésque malas & affectiones incidet, congeréntque consuetudines malas, atque perversas inseret naturæ suæ quæ sunt ab ea remotissimæ, videlicet infidelitatem, arrogantiam, odium, invidiam, superbiam, inanem gloriam, gulam, intemperantiam potus, contentionem, & alia plurima his similia. Ubi enim eruditorem & legiferum suum dereliquerit, & ipse ab eo derelinquitur. Quod si pœnitentia ductus reprehendat semetipsum, procidénsque legifero dicat: *Peccavi deserens te*, continuo legifer ad misericordiam flectitur, eúmque clementissime suscipit, illique denuo vires atque intelligentiam suggerit, qua possit rursus naturæ suæ terram operari: evelléntque ex ea consuetudines nequam, virtutes illi præclaras & optimas illarum vice inserendas tradit, coronátque illum prætera & laudibus donat, ut dum naturaliter esurit, abstineat, sitiens toleret, concupiscentia pulsatus pudicitiam teneat: gravatus somno contendet ut vigilet, desidia dum à divinis avertitur laudibus, aperiat os suum ad confitendum gloriam Deo: sic profecto coronatur atque laudatur: alterum quoniam vicit, alterum quia virtutes acquisivit. Cum tanta igitur, quantam demonstravimus, sit sacræ lectionis utilitas, incumbere merito ei totopere debemus, sed ita incumbere ut minime tamen negligamus, quod Hugo, qui sancti Victoris appellatur, scribens *de institutione novitiorum* recte ad nos admonet; *In lectione enim, inquit, divina prius debemus quærere quod mores nostros ad virtutem instruat, quam quod sensum armet ad subtilitatem magisque velle informare præcepta scripturarum, quam quæstionibus impediri. Cum igitur divinas Scripturas legitis solerter perpendite quid sibi dictum sit ad excitandum in vobis amorem Dei quid ad contemptum sæculi, quid ad cavendas insidias inimici: quid disciplinam in opere, quid humilitatem in cogitatione, quid obedientiam in præceptis, quid patientiam in adversis habere doceat, & hanc ipsam sapientiam, quam pro virtute libenter despicitis, melius postmodum per virtutem invenietis.* Quocirca magis etiam curare oportebit ut ab gentilis Philosophiæ studiis, atque his, quæ Liberales vocantur, artibus abstineatur, quæ cum ad implicandas subtilioribus inutilibúsque argumentationibus mentes multum conducant, ad inquirendæ certe colendæque divinæ bonitatis, perficiendæque animæ rationem, nihil omnino adjumenti præstant: Quæ cum syllogismis, numeris, mensuris, cuncta concludant, at hæc ipsa quæ scire non prodest investigantes lóge à cognitione Dei atq; amore secludunt, quæ cum cœli meatus describere surgentiáque sydera intelligere doceant, ac cœlum ipsum cœlíque promissam nobis gloriosam æternámque habitationem efficiunt, ut negligamus, neglectámque amittamus, multo majore errore atque damno, quam illum quem traditum est, cum nocte cœli motus sublatis oculis contemplans incederet, in foveam decidisse. Nam si foveæ præcipitium corpus ejus graviter læsit, quando magis existimandum est quod excipitur nocumentum animæ dum occupata mens rebus retentis, licet arduis & altis, hæc ea considerans quæ inferiora (sed tuta quidem sunt ac nulli subjecta periculo) per nimiam curiositatem præcipitatur in foveam, abyssúmque peccati ab æternæ mortis, quam nequissimi insidiatores nostri dæmones inhabitant, parati semper ad torquendos, deglutiendósque omnes quoscunque præceps ad se casus & ruina deduxerit. Quare recte Diogenem carpere solitum fuisse Mathematicos legimus, quod Solem & Lunam & sidera intuentes, quæ ante pedes essent negocia, negligerent. Recte quoque Dialecticos, quorum inutiles ratiocinationes, sophisticasque conclusiones damnans acriter insectabatur. In quo & præclare Polemon ille, cujus non minor fuit vitæ integritas, quam doctrina, dicebat oportere in rebus exerceri, non Dialecticis speculationibus uti, ne brevem quandam artem sorbentes atque meditantes, dum in rogationibus admirationi haberentur, affectu sibi ipsis repugnarent. Eadem de Socrate leguntur, quem repudiatis omnibus naturalis Philosophiæ studiis, quod nihil ad instruendam, componendámque vitam proficerent, certum est primum Ethicæ disciplinam invenisse, eique tantum tanquam saluti hominum veræ consultorem præcipue vocasse. Xenophon in quadam ad Æschinem epistola hæc de Platone, ac de his qui naturalem scientiam profitebantur, scribit: *Omnibus patet divinas res cognitione humana comprehendi non posse. Quare sufficit pie ipsos Deos & ex animo colere. Quales autem sint nec invenire nostrarum est virium, nec fas est quærere: Haud enim servis conducit, nec eis laudabile dixerim, si Dominorum suorum consilia, nisi quantum ad ministerium eorum pertinet, scrutari voluerint, quando enim ô Æschine Socratem quispiam audivit de cœlestibus aliquid corporibus dicere, aut ad subtiles linearum speculationes perdiscendas exhortari.* Et reliqua hujuscemodi. Quod & admonuisse videtur Apostolus, dum ad Timotheum: *Stultas (ait) & sine disciplina quæstiones devita, sciens quod generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare sed mansuetum esse ad omnes, docilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati nequando det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem & resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Non immerito cognoscens hæc Climacus lectionem sacrarum doctrinarum magnam admirabilémque vim habere dicit in illuminandis componendisque mentibus: *Quia sermones continent perfusos omnes Spiritu sancto, quibus bene componuntur, bene ad rectum vivendi iter diriguntur animi nostri.* Quod contra efficere solent extraneæ aliæ superstitiosæque doctrinæ, privantes nos omni veritatis luce, in extremisque ac obscurissimis tenebris infirmas mentes nostras submergentes. Quare alio etiam loco invitant Monachos ad crebram lectionem: *Ponenda esse (ait) ante oculos profutura certe plurimum superbis animis sanctorum Patrum exempla, & excellentem eorum vitæ incredibilémque virtutem.* Ita ad divinum amorem affectus magis nostros erigemus, ita Deo fiemus amore propiores, ita amantes etiam eum magis cognoscemus. *Nam* (ut dicit Gregorius Nazianzenus) *amor dux cognitionis existit.* Hæc semita amoris ad veritatem percipiendam efficacior est ea, quæ ratione & versatili disputatione tractatur per ambitionem. Sed præterea quod est omnium maximum præcavendum evitabit Religiosus quisque subtiliora altioráque hujuscemodi studia ob conservandam saltem sinceritatem intemeratissimæ, sanctissimæque fidei nostræ: quam non argutis syllogismis arduisque rationibus; sed pura tantum & humili ac pia credulitate, divinoque simul afflatu quodam tanta, quanta vidimus, jecit fundamenta. Ad quam dilatandam propagandámque auctor ejus Salvator noster,

B Scripturas sacras deserendo multa sequuntur incommoda.

Lectionis sacræ multa utilitas.

C

Hug. de S. Vict.

Scripturas sacras legens multa perpendere debet.

D Ab artibus liberalibus sit vacandum. Vide 37. dist. per totum.

Thales Miles.

E

Mathematicos carpit Diogen.

Polem.

F Socrates primus Ethicæ disciplinam invenit. Xenoph.

G 1. Tim. 2 Servum Domini quemadmodum esse oportet. Io. Clim.

H

nos summos sibi Philosophos Socrates, Platones, Aristotelésve, sed vilissimos quidem piscatores (quos neque opes, neque genus, neque auctoritas, neque doctrina dignos mundo faciebat) adjunxit, vt intelligeremus non ingenio humano ac sapientia, sed Dei magis nutu piáque & sancta devotarum mentium voluntate studióque humilitatis fidem nostram constare. Quam qui subtilioribus indagare rationibus voluerit, ne magnos in errores labatur, timendum erit, dum quod acumini rationum magis quam puritati fidei consentaneum videtur, attendit, quod multis contigisse accidisse. Sed Iuliano præsertim apostatæ, quem non alia causa Christum redemptorem nostrum negasse traditum est, quam quod Platonis studiosior factus humilitatem fidei nostræ irridere, contemptuique habere cœpit: quod Ambrosius vtique, dum de obitu Theodosij scriberet, testatus est dicens, eum salutis suæ reliquisse auctorem, dum philosophiæ se dedit errori. Non immerito Chrysostomus super epistola beati Pauli ad Philemonem docens, fidelem sermonem, qui nobis per fidei gratiam traditur, non argutis conclusiunculis indigere, neque inanibus quæstionibus servire. *Non vides (ait) vt Paulus orbem terrarum converterit universum longéque maiora perfecerit quam Plato & omnes huiusmodi cæteri: ac forte (inquit) dicturus es signorum gratia hoc illum potuisse peragere.* Non ex signis tantum ille hoc potuit: nam si Apostolorum evolvas actus sæpius illum vi doctrinæ obtinuisse comperies quam virtute signorum. Exponens quoque Epistolam primam, quam scribit beatus Paulus ad Timotheum, cujus & paulo ante fecimus mentionem: *Vidisti (ait) quemodo huiuscemodi quæstiones culpat ac resecare contendit.* Vbi enim fides est, nulla quæstionis necessitas est. Vbi nihil oportet curiose perquirere, quid opus est quæstione? Quæstio nempe fidem tollit. Qui enim quærit, nondum invenit quæ quærit, credere difficile potest. *Idcirco (inquit) non vacemus huiusmodi quæstionibus, nam si quærimus id fides non est. Fides enim animum cogitationémque facit conquiescere.* Item alio ibidem loco *Et quæstione (inquit) & contentatione verborum inveniri nil potest. Quæ enim fides præstitur sola succedens quæstio neque ostendit, neque permittit intelligi.* Haud enim si quis clausis oculis quærat, invenire quid poterit, nec si apertis illis seipsum homo obtruat, adversatúrque solem ibi inquirat: adeo sine fide nihil inveniri potest, eáque absente pugnas nasci necessario contingit. Ex quibus oriuntur blasphemiæ, suspicionésque malæ, opiniones & perversa dogmata: ac tunc de Deo quæ non oportet opinamur quæ in quæstiones incidimus. Ibi illud nota quod Christus ait: *Quærite & invenietis, pulsate & aperietur vobis.* Et: *Scrutamini scripturas, quoniam in eis putatis habere vitam æternam.* Hoc ipse postulationem intelligi vult vehemensque desiderium, & dum ait: *scrutamini scripturas*: non quærendi labores inferre sed potius arcere voluisse, hoc est vt illarum per omnia diligentiam exactissimam discamus scrutari, non vt semper quæramus, sed vt inquirere desinamus. Parique modo fugienda erunt Oratorum, Poëtarúmque studia, quæ si quid virilis roboris fuerit magis enervabunt quam divinum amorem incendent. Nec quod Augustino, Hieronymóque, ac aliis plerisque sacris Scriptoribus minime neglecta videantur quisquam objiciat. Non enim idem est lectione eorum delectari aut auctoritate dictorum ipsorum confirmare divinas sententias, quod factitarunt magni illi & sancti viri. Et Beda monet, damnans eos, qui gentiles litteras legunt ad voluptatem, Poëtarum & figmentis & verborum ornatu delectari. Laudans vero qui ad eruditionem eas addiscunt, vt errores Gentilium legendo detestentur, & vtilia, quæ in eis inveniunt, ad vsum sacræ doctrinæ devoti vertant. Et Hieronymus fieri docet sub figura mulieris illius captivæ, cujus vngues & pilos auferri, calvitiúmque fieri Lex præcipiebat: & cum munda fuisset effecta, tunc transire in victoris Israëlitæ conjugium & amplexus.

Cæterum vbi non ad corroborationem divinæ Scripturæ pertinent; damnat graviter eorum lectionem, dicens *dæmonum cibum esse carmina Poëtarum.* Et sæcularis sapientiæ rhetorúmque pompam verborum: conquerénsque Sacerdotes Dei omissis Evangeliis & Prophetis comœdias legere, amatoria Bucolicorum versuum verba canere, tenere Virgilium, & id quod in pueris necessitatis est, crimen in se facere voluntatis. *Ne legas (ait) philosophos, oratores, poetas, ne in eorum lectione requiescas.* Quod & Gregorius inhibet Desiderio cuidam Episcopo Galliarum, reprehendens eum gravissime quod Virgilio, cæterisque gentilibus auctoribus studiosius quam dignitati ejus conveniret, vacabat.

Quis crederet Ovidium Poëtam lascivum, dum de remediis amoris scriberet, illud etiam cæteris addidisse:

Et loquar invitus, teneros ne tange Poëtas:
Summovet dotes impius ipse meas.
Carmina quis potuit tutus legisse Tibulli?
Vel tua cuius opus Cinthia sola fuit.

Quodque est admirabilius, consuetum fuisse refert Cassianus, à senioribus Hebræorum non omnes sacræ historiæ partes legendas dari junioribus infirmisque adhuc & ægris pectoribus; ne sub recordatione sanctarum fœminarum, quæ ibi nonnunquam memorantur, noxiæ titillationis stimulus excitaretur. Id & Prosper meminit, in libro quem edidit *de vita contemplativa*, & Gregorius Nazianzenus in Apologetico suo.

Nec vero tamen restringendas ita lectionibus habenas credimus, vt non conditionis etiam cujusque rationem habendam esse existimemus. Nam qui ante susceptum Religionis votum, vel studia humanitatis, vel altiores alias quasvis doctrinas ab ineunte adolescentia prius imbiberint, non indignum videbitur si in eis quæ modo non transeant honestatis metam, postea aliquando versetur. Quod observandum quoque erit in his, qui publicum munus susceperint explanandi in vulgus enunciandique aperte divinos sermones & mandata. Neque enim id recte fieri poterit absque gravioribus Philosophiæ studiis majoréque altioris Theologiæ doctrina, quibus vti non tutum videtur ea ignorare, ita vt perdiscant ac sedulo evolvant, condocere plurimum arbitramur: vt cuncta quæ vel sequenda vel evitanda præceperint, certis etiam ac magnis rationibus atque testimoniis docere possint: reliquis vero, qui vel nunquam ea ante didicerint, vel intra ipsa Religionis septa soli vitam agunt, minime sinendum erit, vt insuetis & subtilioribus studiis operam navent.

In his autem ne quid fiat quod damnari possit, sequenda est prudens illa Basilij doctrina, quam in institutis Monachorum spiritualiter tradit, vt scilicet nihil legatur nisi ex arbitrio & voluntate superiorum, & illud suscipiatur, quod ab his qui præsunt injungitur, & si contra ejus fit voluntatem (quia in omni negotio permittere vt sua quisquam voluntate agat) perniciosum est. Ante omnia observandum erit quod Cassianus monet, ne, quo doctiores in collatione aliorum videamur, laborem lectionis vana elatione suscipiamus: Quia fieri non possit eum qui proposito acquirendæ laudis humanæ studio lectionis insistit, donum veræ scientiæ promereri. Cavendúmque propterea esse dicit, ne illorum nobis exempla proponamus, qui peritiam disputandi ac sermonis affluentiam consecuti, quia possunt ea quæ volunt ornare copiosiúsque disserere, scientiam spiritualem possidere creduntur ab his, qui vim ejus & qualitatem discernere non noverunt; cum aliud sit facilitatem oris & nitorem habere sermonis, & aliud venas ac medullas cœlestium intrare doctorum, ac profunda & abscondita sacramenta purissimo cordis oculo

contempla

Iulian. apost. qua causa Christū negauerit. August. Ch yl.

Fides vbi est, ibi quæstionis nō necessitas.

Mat 7. Ioh 5.

37. distin. ideo.

Rad. dist. turbat.

Litteras gentiles addiscere an liceat.

Poëtarū carmina dæmonū cibus. 37. dist. Sacerdotes. Vide Maph. Vegij pe educ. lib. l. 2. c. 19

Sacros quosdam libros olim, vt Cantica, ante 30. annū legere olim nefas. Vide Maph. Veg. Lau. de educ. lib cap. 18 & l. 3. c. 1. & 2.

Philosophiæ studia aliquando necessaria.

contemplari. Proderit itaque admodum frequens lectio, ut contra omnes animorum morbos contraque omnia diaboli arma studiosum ejus quemque defendet, si diligenter quos docuimus fines custodita fuerint, qui aliorum magis eruditorum, ad quos forte ista pervenient, quam vestrum causa, sorores, à nobis expositi sunt, quas certo scimus non nisi simpliciori humilíorique lectioni operam dare. In qua tamen etiam necesse putamus admonere, ne ita simpliciora & humiliora quæque perlegatis, ut & apocrypha, quibus multi passim respersi sunt codices, tanquam certa nimium, imbibatis. Audite de his sententiam Hieronymi docentis Aletham quomodo instituere debeat Paulam filiam. *Caveat*, inquit, *omnia apocrypha: &, si quando ea non ad dogmatũ veritatem sed ad signorum reverentiam legere voluerit, sciat non eorum esse quorum titulus prænotatur, multáque in admixta vitiosa: & grandis esse prudentiæ aurum in luto quærere. Cypriani opuscula semper in manu teneat: Athanasii Epistolas, & Hilarij libros inoffenso currat pede. Illorum tractatibus, illorum delectetur ingenio, in quorum libris pietas fidei non vacillat, cæteros sic legat ut magis judicet quam sequatur.* Quos cum multi Latinorum pietatis amore studio legendi carius amplectantur (ut idem ad Eustochium scribit de Assumptione Virginis) timenda non parum est vana ista ac stolida certe pietas, quam à tergo insidians vultúque mentita Perfidia comitatur. Hæreticorum enim ea magis quam Catholicorum esse constat. Scribens *contra Faustum*, Augustinus, apocryphos libros, qui à Manichæis aliisque hæreticis, tanquam veri & sinceri acceptarentur, maxime detestatur, quia nulla testificationis luce declarari de nescio quo secreto, nescio quorum præsumptione prælati sunt. Alio quoque loco ait: *Legunt scripturas apocryphas Manichæi, à nescio quibus sutoribus fabularum sub Apostolorum nomine scriptas, quæ suorum scriptorum temporibus in auctoritatem sanctæ Ecclesiæ recipi mererentur.* Si sancti & docti homines, qui tunc in hac vita erant, & examinare talia poterant, eos vera locutos esse cognoscerent. Ideo vere etiam simul & facere Hieronymus in librum eorum exordio, quos super Matthæum edidit, omnes apocryphorum nœnias mortuis magis hæreticis quam Ecclesiasticis viris canendas. Sed & ad alia tandem etiam differenda transeamus.

CAPUT VI.

De exercitio & operatione.

POst hæc multum utilitatis putamus habere exercitium & operationem, atque eo magis quo omnibus doctis pariter & indoctis communia etiam magis esse videantur. Qui enim propter litterarum imperitiam lectioni vacare non poterunt, habebunt ad quod confugiant austerioris vitæ solatium. Qui vero eruditi fuerint recreabuntur, & ipsi utique plurimum, cum vel orandi vel à legendi studio cessaverint. Id autem fiet vel levi deambulatione, vel manuum aliqua operatione. Refert namque Gregorius Nazianzenus solitum se deambulare remotum in litore, vergente jam in vesperum die, relevaréque tali refectione laborum molestiam. Cujusmodi etiam de Scipione ac Lælio traditum est sup. eod. lib. cap. 4. qui & ipsi in littoribus maris alveísque fluminum dum ab attrocibus Reipublicæ curis respirare vellent, non modo deambulare, sed calculos insuper & conchulas legitare consuaverant. Eum morem laudavit præcipue Pythagoras: sed operandi manibúsque aliquid fabricandi usus, parere majorem videtur utilitatem. Nam cum nullis validioribus nocentioribúsque armis utatur diabolus quam otio & segnitie: ita nihil infirmiores ejus vires reddit, quam honesti alicujus operis occupatio. Quippe quæ non sinit blandientes illas & illecebrosas cogitationes animo irrepere, ac si quas irrepsisse forte invenerit, repellit longe atque abigit: Quæ nullis palpari titillationibus; insistari assiectatibus, expugnari insidiis, nullo frangi impetu mentes nostras permittit. Quare sapienter Hieronymus cum Demetriadem virginem instruens insistere ei lectionem sacræ Scripturæ, ad operationem postmodum manuum eam quoque exhortatus est. *Habeto* (inquit) *lanam semper in manibus, vel staminis pollice fila deducito. Vel ad torquenda subtegmina in alveolis fusa vertantur, aliarúmque nera aut in globum collige: aut texenda compone, quæ texta sunt respice; quæ errata reprehende, quæ facienda constitue. Si tantis operum varietatibus fueris occupata, nunquam tibi dies longi erunt.* Hæc ad Virginem à sancto viro scripta suscipite, convenientia admodum vobis, dilectissimæ sorores virgines Christi, sed nec eam quam ad Aletham institutionem scribit negligite. Cum enim ut orationi lectio, lectionique succederet oratio dixisset, *discat quoque* (ait) *lanam facere, colum tenere, ponere in gremio calatum, rotare fusum, stamina pollice ducere.* Sunt & ea præclara, quæ ad Rusticum Monachum scribit: *Facito enim* (inquit) *aliquid operis ut semper te diabolus inveniat occupatum, vel fiscellam texe junco, vel canistrum lentis plecte viminibus, sarriatur humus, areola æquo limite dividantur, in quibus cum olerum jactata fuerint semina, vel plantæ per ordinem positæ, aquæ ducantur irriguæ, hic pulcherrimorum versuum spectator assistas:*

Ecce supercilio clivosi tramitis undam,
Elicit illa cadens raucum per levia murmur:
Saxa ciet, scatebrisque arentia temperat arva.

Inserantur ergo fructuosæ arbores vel gemmis vel surculis, ut parvo post tempore laboris tui dulcia poma decerpas. Apum fabrica alvearia, ad quas te mittunt Proverbia, & Monasteriorum ordinem ac regiam disciplinam in parvis disce corporibus, texantur & lina capiendis piscibus scribantur. & libri, ut & manus operentur cibum, & animus lectione saturetur. In desideriis est omnis otiosus. In quo nec omittenda est Nasonis Poetæ auctoritas, dum remedia adhibens his quæ male præceperat, ita inquit:

Ergo ubi visus eris nostra medicabilis arte,
Fac monitis fugias otia prima meis.
Hæc ut ames faciunt; hæc quæ fecere tuentur,
Hæc sunt jocundi causa cibúsque mali.
Otia si tollas periere Cupidinis arcus,
Contemptaque jacent & sine luce faces.
Quam platanus rivo gaudet, quam populus unda,
Et quam limosa canna palustris humo.
Tam Venus otia amat: qui finem quæris amoris,
Cedit amor rebus, res age tutus eris.
Desidiam puer ille sequi solet, odit agentes,
Da vacuæ menti quo teneatur, opus.
Sunt fora, sunt leges, sunt quos tuearis amici,
Vade per urbanæ splendida castra togæ.
Vel tu sanguinei juvenalia munera Martis
Suscipe: deliciæ jam tibi terga dabunt.
Quæritur Ægisthus quare sit factus adulter,
In promptu causa est, desidiosus erat.
Rura quoque oblectant animos studiúmque colendi,
Quælibet huic curæ cedere cura potest.
Colla jube domitos oneri supponere tauros,
Sauciet ut duram vomer aduncus humum.
Obrue versata Cerealia semina terra
Quæ tibi cum multo fœnore reddat ager.
Ipse potes riguis plantam deponere in hortis,
Ipse potes rivos ducere lenis aquæ.
Venerit insitio, fac ramum ramus adoptet,
Stetque peregrinis arbor operta comis.
Cum semel hæc animum cœpit mulcere voluptas,
Debilibus pennis irritus exit amor.

Hæc viris, & his quidem qui seculo vivunt convenientia contra otium exercitia Naso exponit. Vos autem, religiosæ virgines Christi, quæ supra à Hieronymo scripta retulimus, utpote idonea professionique

Lectio frequens quo usq. adm. &c.
Hieron.
Libri qui legendi sint Religiosis.
August.
Docti cessantes à studio quibus recreabuntur.
Occupatio honesti operis ipsi mas tela diaboli.
Hieron.
Religiosi quibus exercitiis teneantur.
E. Letam
De cons. diti. s. nunquâ.
Virg. l. b. Georg.
Ovid. Nas.
Deliciæ quibus temedis fugantur.

magis vestiæ apta coletis sedulo semper atque observabitis.

Ocii periculum magni æstimatum ab antiquis patribus.

Tantum autem æstimatum est antiquis patribus periculum quod ex ocio & desidia immniere eis intelligebant, vt & se & eos simul, quo curæ suæ commisibs habebant, præcipuo semper aliquo corporis exercitio & labore, etiam cujus nulla manifeste esset vtilitas, occuparent, ita facile putabant retundi diaboli audaciam & insultus.

Quod & Pasnuclus, cujus sanctitas non est incelebris, adeo magnifecit, vt major iam nonagenario ex loco, qui à cella sua quinque millibus passuum distabat, vas aquæ quam per totam hebdomadam erat sumpturus, cervici superponens portaret, nunquam passus à quoquam juniorum eo se labore relevari. Quare Ephrem aliud sanctitatis exemplū, quam nequaquam fugiebat periculum hujus belluæ, monens Monachos, vt diligenter attenderent, ne quando torpori & negligentiæ se traderent. *Initium* (ait) *perditionis esse violentam eorum dominationem. Proinde imitandam apem proponit, inspiciendumque admirabile ipsius sacramentum, quomodo illa ex variis sparsisque terræ floribus colligit opificium suum, quomodo ex his veluti monumenta componit, sepelitque in eis filios suos.* Cumque illos vivificaverit, tum demum ducis in morem ipsos excitat voce, evulantes ea audita vnanimiter à sedibus suis, sursúmque ad opus rediens implet eadem monumenta, distenditque cellas dulci nectare, tanta arte & industria, quantam si congregentur terreni omnes sapientes, orbisque Philosophi non sufficiant eloqui.

S. Ephrē. Apis exercitiū, & operatio. Vide Vegij ingenig.

Sed præter apem videmus cætera quoque animantia suo quodque labori vacare: Elementa item ipsa, cœlos etiam & sydera nunquam ab officio suo cessare. Quibus plane mortales natura admonere voluit, vt semper alicui bono operi animum intenderent, vt cura & exercitio nihil magis charum, ocium autem & negligentia nihil adversum magis inimicumque ducerent. Porrò constat nihil esse surdidius, ingluviosius, libidinosius, quod non aliunde ei accidit quam quod ex omnibus animantibus sit ipse quam maxime ociosus datus, nullique intentus aut aptus operationi, in quo & nihil vtile præter escam quæ etiam sale conservaretur, esse dicebat.

Porcus quare tā sordidus & libidinosus sit.

Sed est præterea alia exercitij & laboris magna vtilitas, quod confirmatur ex eis magis, augeturque incolumitas corporum. Quicquid etiam ad victum necessitatémque humanam percipitur, fit longe inde sapidius atque jocundius. Quare ad Robertum scribens Bernardus, *Surge* (inquit) *præcingere, tolle ocium, exerce vires, move brachia, complosas explica manus, exercita te in aliquo, & statim senties sola te appetere quæ famem tollant, non vt fauces demulceant.* Reddet quippe sapores rebus exercitium, quos tulit inertia, in ita quæ respuis ocio sus, post laborem sumes cum desiderio. Siquidem ocium parit fastidium, exercitium famem, fames autem miro modo dulcia reddit, quæ fastidium fecit insipida, olus, faba, pultes, panisque, magnæ videntur deliciæ. Ita ergo, futures, exercere studebitis corpus vestrum, vel nentes, vel suentes, vel texentes, vel hortulum etiam sæpius colentes, hujuscemodique alia studiose tractantes, ne quem in vobis aditum, quo penetret diabolus, inveniat. Neque enim aut psallere, aut orare, aut plorare, aut lectioni vacare, vt supra præcipimus, quisquam semper potest, quæ cum poteritis tamen efficietis magno studio, vt habeatis ad confundendam diaboli nequitiam, quo nunc corpus interpolatis vicibus vndique exerceatis. Ante omnia, quod est continuum contra incessibiles ejus pugnas arduúmque exercitium, quo pacto colere debeatis docebimus. Nam cum nunquam vacua sit humana mens diabolicis instantibus, quæ mille exquisitis variisque modis eam perturbent & inquietent, nec libera vnquam & tuta pace frui sinant, curandum erit toto opere, elaborandúmque omni diligentia, vt pugnanti illi in prima acie validis nos armis indutus opponamus, retundamúsque primos ejus impetus, virili statim & forti animo, vt custodiamus mœnia invulabilium mentium nostrarum, ne quid eis illabatur insidiarum illius, ne minima vel ex parte insultum ipsius quatiea & propulsari patiamur. Nulla enim re magis duci magisque exterreri potest ejus audacia & improbitas. Nam vbi non resisti viderit primo congressu suo, quo blando quidem & illecebroso vtitur, vt non nisi a prudentissimis expertissimisque venenum ejus melle illitum deprehendi possit, tunc majorem in animum erigitur, tunc superato vallo cordis nostri occupatáque parte arcis (quam longe antea exclusus ne digito quidem contingere audebat) fit iniquior atque atrocior, tunc spe potiundæ facilius victoriæ elatus, nocentia arma parat, tunc tota cordis nostri penetralia late pervagatur, introducens quos vult, etiam pro imperio abjiciens atque expellens. Ita paulatim dominatur nostri factus, quoscunque ante acquisieramus sanctus laborum nostrorum fructus, dissipat protsus atque consumit, in abyssique ita nos tenebras æternámque mortem trahit. Obviandum igitur primis ejus insultibus erit enixe atque obsistendum, ne si pedem vel minimum in nostris penetralibus figat, aut nunquam eum, aut majore certe cum voluerimus molestia, effugemus.

Ocium, fastidium at exercitium famem parit.

Diaboli audacia multum exterretur, cum primo cōgressui resistitur.

Quod Naso quoque scribens ea quæ supra memoravimus remedia, pulchre tradit his versibus:

Naso.

Dum licet & modici tangunt præcordia motus,
Si piget, in primo limine siste pedem.
Opprime, dum nova sunt, subiti mala semina morbi,
Et tuus incipiens ire resistat equus.
Nam mora dat vires teneras modo percoquit vuas,
Et validas segetes, quod fuit herba, facit.
Quæ præbet latas arbor spicantibus vmbras,
Quo posita est primum, tempore virga fuit.
Tum poterat manibus summa radice revelli,
Nunc stat in immensum viribus acta suis.
Quale sit id quod amas celeri circumspice mente,
Et tua læsuro subtrahe colla iugo.
Principiis obsta, sero medicina paratur:
Cum mala per longas convaluere moras,
Sed propera, nec te venturas differ in horas,
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.
Vidi ego quod fuerat primum sanabile vulnus,
Dilatum longa damna tulisse mora.

Hæc à Poeta eleganter simul & sancte dicta, cum ad confirmationem religiosæ mentis pertineant, non aliter ac aurum ex arena aut rosæ ex spinis deligi merito & suscipi atque magnifieri debebunt. Nunc de aliis quorum mentio etiam necessario habenda est, verba faciamus.

LIBER VI.

MAPHEI VEGII LAVDENSIS, DE PERSEVERANTIA Religionis.

CAPVT I.

De meditatione vilitatis & miseria humana.

POST explicata ante à nobis septem contra præsumptionem sanctam remedia, expositáque

subinde

subinde contra omnes animorum morbos sex alia quoque utilissima ac saluberrima. Convenienter nunc ad aliud, quod est meditationis septimum atque postremum, venientes, in septem illud utique capita dividemus, ut docentes perfectionem veræ Religionis septenario (qui est perfectissimus omnium) numero præcepta eius concludamus. Primum igitur meditationis caput erit cognoscendi, scrutandique *vilitatem & miseriam humanam*. Nam si quo genuerimus aut nascamur modo, confundet nos tanta erubescentia vilissimæ conditionis nostræ, ut quo blandior mundus arriserit, eo contemnendus magis atque fugiendus esse videatur. Si vero cuiusque ætatis labores, dolores, angustias, necessitates, & pericula cogitemus, applaudat quantum velit ac demulceat, videbitur certe mundi huius facies pestilenti angue lubricior atque nocentior. Quis enim explicare posset quanta pueri in primo etiam vitæ limine patiuntur, qui compediti panniculis, ignari omnium, sermonis adminiculo privati, famem, sitim, gravissimosque quibus persæpe torquentur dolores, non alio testari signo possunt quam assiduo tristique ploratu, quod & tanquam humanæ miseriæ argumentum natura eis concessit. Qui demum parentum præceptorumque subiecti imperiis servitute quasi quadam constricti, contumeliis, minis, plagisque affecti, more suo nunquam, alieno semper vivant. Quis adolescentiæ pericula, errores, impetus, præcipitia, casusque sæpe tristissimos non intelligat? quis senectutis gravedines, molestias, incommoda, morbos, magnaque nonnunquam deliramenta? Quis robustioris ac omnis denique ætatis labores, sudores, algores, damna, innumeraque undique vitæ discrimina? Nam sive negociandum fuerit, non facile dici potest quanta tolerare miseros mortales, quam gravissimis tristissimisque casibus, bello ac pace, terra ac mari, exagitari contingat. Sive militandum, nemo est qui vel cæcus non videat durissimam eius vitæ conditionem, in qua semper peregrinari, sudare, defatigari, algere, vigilare, summum tedium summasque necessitates pati necesse est, ut omittamus longe his alia graviora ducum scilicet & Imperatorum, quibus subiecti sunt, dura imperia & acerbas castigationes, varia quoque belli discrimina, terrores hostium, vincula, carceres, vulnera, cruciatus, &, quæ ante oculos eorum volitant continue mille subitas & horrendas mortes. Sive ius dicendum, aut pro clientibus utandum, agendumque aliud quodcunque litterarij muneris, incredibile videbitur quas sustinere oportebit curas, vexationes, anxietates, frigora, æstus, famem, sitim, noctes insomnes, dispendia, fastidia, exprobrationes. Sive imperandum, imperantibusque assistendum, tanta & hic se offeret, laborum, angustiarum, superstitionum, formidinum, molestiarum, insidiarum, periculorum, ruinarum, calamitatum, desolationum, gravium quoque (quod frequenter accidit) ac horrendarum cædium congeries, quantam vix quisquam, nisi expertus, credere adduci possit. Neque de servorum miseria, tristissimaque conditione aliquid tradimus, quod ita ea omnibus nota perspectaque sit, ut commiseratione magis quam demonstratione ulla aut persuasione indigere videatur. Quid vero si quæ passim miserrimi populi patiuntur externa simul & domestica mala recenseamus? Quid bellorum rabie & tumultu gravius excogitari potest, aut intolerabilius? cum obsideri urbes hostibus videmus: scandi mœnia, dirui muros, quassari saxis domos, sagittis & iaculis obnubilari aëra, ferro, igni, fame, peste, cuncta populari, pelli patria, optimum quemque captivari, spoliari, torqueri, iugulari, stupris & nefandis quibusque obscœnitatibus fœdari omnia, neque sexui, neque ætati ulli parci. Sed & quam tristia sint quæ vel à magistratibus, principibusque civitatum, vel ab incolis quoque ipsis mala sustinentur, continua satis experientia edocemur. Neque enim aliud videre licet quam cuiusque in alterum invidiam, furta, fraudes, fucos, insimulationes, oblatrationesque gravissimas, quam lites, iurgia, strepitus, contentiones, conspirationes, peierationes, corruptiones, quam potentiorum hominum, quæstorum, fœneratorum, tyrannorumque violentiam, rapacitatem, insatietatem, mendacium, insolentiam, concussiones, populationes & rapinas, quam improbi cuiusque perditi prædonis, susurronis, speculatoris, parasiti, & assentatoris exaltationem, quam egentium & miserorum proculcationes, viduarum pupillorumque oppressiones, bonorum omnium ac innocentium accusationes, exhaustiones, prostrationes, proscriptiones, carcerationes, extremasque calamitates & desolationes. Transeamus autem, & quibus domesticos intra parietes incommodis afficiuntur mortales, videamus. Nam servorum imprimis molestias, quos ignavos, tardos, negligentes, somnolentos, edaces, temulentos, fugaces, mendaces, arrogantes, Dominis detrahentes esse constat, Nemo non graves dixerit & intolerabiles, graviores quoque & intolerabiliores uxorum, cum sunt audaces, improbæ, inverecundæ, vitiosæ, linguaces, cum propter vel dotem, vel genus, vel formam tumidæ & insolentes, cum ardent ambitione ornamentorum, exhauriuntque ob id patrimonia, cum exprobrant & insidiantur, cum plorant & lamentantur, cum præsertim sunt impudicæ, quod est omnium coniugalium malorum gravissimum atque frequentissimum: Quod de maritorum erga uxores molestiis pariter censendum est, cum sunt tenaces, cum prodigi, cum aleæ potationibusque dediti, cum sint difficiles, iracundi, contumeliosi, cum alienos polluunt thoros, cum fidem earum suspectam habent, ducuntque omnia malam in partem. Quæ pro filiis autem feruntur, duriora etiam & tristiora superant modum, vincuntque omnem dicendi facultatem. Quo enim amor, quem illis gerunt parentes, maior est cæteris quibuscunque, eo etiam maiorem esse omnibus dolorem qui eorum causa suscipitur, credibile cuique videre debet. Quis partus angustias, quis educationis impensas, sollicitudines, fastidia, metus, labores quos parentes sustinent, satis unquam enarrabit? Quis suspiria & gemitus, quis acerbitatem doloris quem pro filiorum vel languore, vel interitu, vel insania, vel hebetudine, vel turpi & flagiosa vita, vel rebellione ac persecutione patiuntur, enucleate unquam explicabit? Sunt vero tanta tamque gravia, si generatim velimus cuncta quæ mortales torquent mala memorare, ut horrori sit ea cogitare nedum experiri. Siquidem naufragia incendia, chasmata, fames, sitis, carceres, peregrinationes, exilia, nuditas, cædes, cruciatus, debilitationes; pestes, infinitæque morborum species, tam conferto agmine quotidie ruunt in nos, ut dextra lævaque eius circumsepti, qua liberi evadamus, viam minime invenire valeamus. Quæ & sapientissimam D E I providentiam, quo vel errata nostra castigaret, vel sempiternæ alterius vitæ veram, solidamque (quam merito hac despecta melius appeteremus) felicitatem ostenderet, non temere certe nobis immisisse credendum est. Quorum etiam, ut uberiorem doctrinam, maiusque testimonium habeamus, non ab re videtur Augustinum in libro 22. de Civitate D E I ita de his pulchre, pleneque disserentem audire. Ait enim: *Quot & quantis generis agitetur humanum, quæ non ad malitiam, nequitiamque iniquorum, sed ad conditionem pertinent miseriamque communem, quis ulla sermone digerit, quis ulla cogitatione comprehendit, quantus est metus, quanta calamitas ab orbitatibus atque luctu, à damnis & damnationibus, & deceptionibus & mendaciis hominum, à suspicionibus falsis, & ab omnibus violentis facinoribus & sceleribus alienis*. Quandoquidem ab eis & deprædatio, & captivitas, & vincula, & carceres, & cruciatus, & amputatio membrorum, & privatio

Septenarius numerus omnium perfectissimus.

Vita humana miseriis semper plena.

Bellorum mala recensenda.

Uxorum insolentiæ intolerabiles.

Impudicitia uxoria omnium coniugalium malorum gravissimum.

Malorum, quæ mortales [illegible], multa sunt genera.

Deus quare diversa mala & morborum varias species nobis inferat. S. August. lib. 22 de Civ. Dei

seruitium, & oppressio corporis ad obscœnam libidinem opprimentis explendam, & alia multa horrenda sæpe contingunt. Quid ab innumeris casibus, qui forinsecus corpori formidantur, æstibus & frigoribus, tempestatibus, imbribus, alluuionibus, coruscatione, tonitru, grandine, fulmine, motibus, hiatibusque terrarum, oppressionibus ruinarum, ab offensionibus & periculis vel etiam malitia iumentorum: à tot venenis fruticum, aquatum, auium, bestiarum: à ferarum vel tantummodo molestiis vel etiam mortiferis morsibus, à rabie quæ contingit ex rabido cane, vel etiam blanda & domino suo amica bestia, nonnunquam vehementius & amarius quam leones draconesque metuatur, faciatq; hominem, quem forte attaminauerit, contagione pestifera ita rabiosum vt à parentibus, coniuge, filiis, peius omni bestia formidetur. Quæ mala patiuntur nauigantes, quæ terrena itinera gradientes? Quis ambulat vbicunque non inopinatis subiacens casibus? De foro quidam rediens domum sanis pedibus suis cecidit, pedem fregit, & ex illo vulnere finiuit hanc vitam. Quid videtur sedente securius? De sella in qua sedebat cecidit Heli sacerdos & mortuus est. Agricolæ, immo vero omnes homines, quot & quantos à cœlo & terra, vel à perniciosis animalibus casus metuunt agrorum fructibus, solent tamen de frumentis tandem collectis & reconditis esse securi, sed quibusdam (quod novimus) proventum optimum frumentorum fluuius improvisus fugientibus hominibus de horreis proiecit atque abstulit. Contra milleformis dæmonum incursus, quis de innocentia sua fidit, quandoquidem ne quis fideret etiam paruulos baptizatos, quibus certe nihil est innocentius, aliquando sic vexant, vt in eis maxime Deo ista sinente monstretur huius vitæ flenda calamitas, & alterius desideranda felicitas. Tam vero de ipso corpore tot existunt morborum mala, vt nec libris medicorum cuncta comprehensa sint, in quorum pluribus ac pene omnibus etiam ipsa adiumenta & medicamenta tormenta sunt, vt homines à pœnarum exitio pœnali eruantur auxilio. Nonne ad hoc perduxit sitientes homines ardor immanis, vt vrinam quoque humanam vel etiam suam biberent? Nonne ad hoc fames, vt à carnibus hominum se abstinere non possent? Nec inventos homines mortuos, sed propter hoc à se occisos, nec quoslibet alienos, verumetiam filios matres incredibili crudelitate, quam rabida esuries faciebat, absumerent. Ipse postremo somnus, qui proprie quietis nomen accepit, quis verbis explicet sæpe somniorum visus quam sit inquietus, & quam magnis licet falsarum rerum terroribus (quas ita exhibet, & quodammodo exprimit, vt à veris eas discernere nequeamus) animam miseram, sensusque perturbet: qua falsitate visorum etiam vigilantes in quibusdam morbis & venenis miserabilius agitantur quamvis multimoda varietate fallaciæ homines etiam sanos maligni dæmones nonnunquam decipiant talibus visis, & si eos per hæc ad sua traducere non potuerint, sensus tamen eorum solo appetitu qualitercunque persuadente falsitatis illudant. Ab huius tam miseræ quasi quibusdam inferis vitæ non liberat nisi gratia Salvatoris Christi Dei ac Domini nostri. In homiliis quoque idem August. verissime, *inter casus* (ait) *ambulans, si vitrei essemus minus casus timeremus.* Quid fragilius vase vitreo, & durat per secula, & invenis calices ab avis & proavis factos, quibus bibunt nepotes & pronepotes. At vero si casus vitro timetur, senectus ei & febris non timetur. Nos ergo fragiliores vitro & infirmiores sumus: quia & omnes casus qui non cessant in rebus humanis, & fragilitatem vtique nostram quotidie formidamus, & ipsi si casus non accidant, tempus ambulat. Vitat homo ictum, nunquam vitat exitum: vitant quæ extrinsecus eveniunt, nunquid quid intus nascitur pellitur? denique nunc lumbricos gignunt interiora: nunc morbus quilibet subito occupat, postremo quantumvis homini pareatur, novissima senectus cum venerit, non est quod differatur. Vita humana ab infantia vsque ad decrepitam senectutem tota brevis est. Adam si adhuc viveret & hodie moreretur quid illi vitæ longitudo profuisset? Huc accedit quia ipse dies incertus est, quotidie moriuntur homines, & qui viuunt deducunt illos & exequias celebrant, & vitam sibi promittunt. Nemo dicit, *corrigam me, ne eras hoc sim quod iste quem deduxi.* Recte igitur & eleganter Chrysostomus in eo libro quo *neminem lædi nisi à semetipso tradit.* Dum hæc altius consideraret: *Ipsam* (inquit) *interiorem impuræ huius & immundæ meretricis, quam complectuntur, faciem revelemus. Meretricem namque* (ait) *ego appello vitam hanc, quæ in deliciis & affluentia divitiarum & huius sæculi potentia ac voluptate transigitur, & non solum meretricem eam nomino, & turpissimam atque obscœnissimam meretricem, cuius facies fœda, horrida, aspera, amara, crudelis, & hoc maxime est in quo sine venia habendi sunt cuncti quos decipit, quod cum turpis sit vultu eius & ferus, & tam barbarus & truculentissimus, multi tamen ab ea capiuntur, & cum videantur apud tam cruenta omnia periculis, mortibus, præcipitiis plena, cumque stipari eam cernant sodalibus pessimis, contumeliis dico, opprobriis, liuore, invidia, insidiis, criminationibus & perniciosissimis curis, metu iugi, tremore frequenti, & mille aliis huiuscemodi infaustis consortibus sanguinea corona circundari, fructum vero in his nullum alium nisi interitum esse & perniciem pœnamque perpetuam, expetitur tamen à pluribus & amabilis habetur atque exoptabilis. Tanta namque est eorum qui decipiuntur stoliditas, vt cum eos ratio nulla ab hoc interitu revocet evidentia quidem indesinenter pereuntium exempla deterreant, num ego stolidiores istos multo quam paruulos iudicem? quos puerilis ludus vbi aut circulus voluitur, aut turbo verberibus agitur, & longis porticibus per curua spacia rotatur, ita intentos & inhiantes pulveribus animis tenet, vt auelli inde nullatenus queant, ignorantes penitus per ætatis fragilitatem nihil in illo ludo vtilitatis, nihil operis haberi, sed pro illis satisfacit ætas immatura. Isti vero quid habebunt excusationis, qui ætate perfecta puerilem, immo & pueris imbecilliorem sententiam tenent.*

Prudenter hæc sane atque argutè à Chrysostomo dicta. Nam sunt magnæ certe innumeræque, quas mortales patiuntur, miseriæ. Quas Apuleius in libro quem scripsit *de Deo Socratis*, ex doctrina Platonis strictim attingens: *Igitur*, inquit, *homines ratione plaudentes, oratione pollentes, immortalibus animis, moribundis membris, leuibus & anxiis mentibus, brutis & obnoxiis corporibus, dissimillimis moribus, similibus erroribus, peruicaci audacia, pertinaci spe, casso labore, fortuna caduca, singillatim mortales; cuncti tamen universo genere perpetui, vicissim sufficienda prole mutabiles, volucri tempore, tarda sapientia, cita morte, querula vita, terras incolunt.* Quibus cum humanæ vitæ miserrima conditio satis explicari videatur, vnum tamen, quem ineuitabilem indixit nobis Deus mortis casum, superare putamus omnes acerbitates & amaritudines, omniumque eundem esse acerbitatum & amaritudinum finem & remedium. Quid ergo hac vita nostra tristius aut infelicius dici queat? Quis eam cui modo mens sana sit, amauerit vnquam aut magnifecerit? Cuius & ingressus tam vilis ac sordidus, & progressus tantis, quanta modo enumerauimus, malis subiectus, & egressus denique tam terribilis, atrox, horrendusque sit. Quæ considerans meditansque Bernardus: *Attende* (inquit) *diligenter, quid fuisti ante ortum, & quid es ab ortu vsque ad occasum, atque quid eris post hanc vitam.* Profecto fuit quando non eras, postea de vili materia factus, & in vilissimo panno involutus, menstruali sanguine in vtero materno fuisti nutritus. Tunica tua fuit pellis secundina, sic indutus & ornatus fuisti, venisti ad nos *sperma fœtidum, stercorum saccus, & cibus vermium.* Quam si consideres quid per os & nares, cæterosque meatus corporis egrediatur, vilius sterquilinium nunquam

Marginal notes:

1. Reg. 4.

Dæmones paruulos baptizatos vexant cur Deus sinat?

Somnium quam inquietum sit.

Eccl. 34.

Homines vitro fragiliores.

Vita humana brevis.

Chrysostomus, neminem nisi à seipso lædi.

Meretrix appellatur vita nostra.

Apuleius Philos. Platon. Vitæ humanæ conditiones.

Mors, finis omnium amaritudinum.

S. Bernardus.

quam

quam vidisti. *Cur ergo* (ait) *superbis homo?* attendens quod fuisti vile semen, & sanguis coagulatus in vtero, deinde miseriis huius vitæ expositus, & peccato, postea vermis & cibus vermium futurus in tumulo. *Quid superbis puluis & cinis?* cuius conceptus culpa, nasci miseria, viuere pœna, mori angustia. Cur carnem tam preciosis rebus impinguas & exornas? quam post paucos dies vermes devoraturi sunt in sepulchro. Non mirum igitur si tantas repetens animo mundi angustias & calamitates execratus fuerit Iob diem nativitatis suæ, dixeritque: *Pereat dies in qua natus sum:* si laudaverit Ecclesiastes *defunctos magis quam viventes, & optimum indicaverit super abortivo, qui nondum natus est, qui non vidit hoc malum.* Asseruit quoque meliorem esse longævo viro, eum quem abortu eiecit mater sua: Quia non vidit hæc mala quæ fiunt in hoc mundo, nec in has venit tenebras, nec in vanitate ambulauit sæculi, & magis requiem habere qui in hanc vitam non venit. Quocirca etiam iure à Cicerone videtur fuisse laudatus Alcidamus rhetor quidam antiquus, quod scripsisset laudationem mortis constantem ex numeratione humanorum malorum. Quod & fecit Ambrosius, in libro quem edidit *de bono mortis.* Cum enim id multis astruat, magnis sanctisque rationibus, quam maxime autem ea consideratione humanæ miseriæ, quod nihil habeat vita quod delectet. *Plena* (vt ait) *ærumnarum & sollicitudinum, in qua innumera calumnia, & multa molestia; & multa lachryma eorum qui afflictantur molestiis, & non sit qui eos consoletur.* Vt præteream quod Cyprianus dicit in libro *de mortalitate*, & Augustinus in libro *de prædestinatione sanctorum.* Vehementius probat non solum non esse fidelibus inutilem mortem, verumetiam vtilem reperiri quoniam à peccandi periculis hominem subtrahit, & in non peccandi securitate constituit. Consentanea est quoque superioribus Senecæ gravis illa sententia. Scribens enim *de brevitate vitæ* post enarrata multa mortalium mala. *Si velis* (inquit) *credere altius veritatem intuentibus, Omnis vita supplicium est in hoc profundum, inquietumque proiecti mare alternis æstibus reciprocum, & modo allevans nos subitis incrementis: modo maioribus damnis deferens, assidueque iactans, nunquam stabili consistimus loco. Pendemus & fluctuamur, & alter in alterum illidimur, & aliquando naufragium facimus: Semper timemus in hoc tam procelloso & in omnes tempestates exposito mari, navigantibus nullus portus nisi mortis est.* Quibus plane maior etiam miseria nostra significari videtur, qui mortem summam omnium terribilium consolatricem, liberatricemque habere videatur. Nam si, vt ait Poëta.

Longius aut propius mors sua quemque manet.

eiusque supremum diem magno cum tremore non modo expectamus, sed etiam cogitamus, gravis profecto & dura est sors nostra, qui liberationis salutisque nostræ spem in ea tantum, quæ tanto omnibus est terrori, repositam habeamus. Neque vero est quicquam quod tam magnis obsitos nos vitæ nostræ calamitatibus & angustiis, à maiore etiam cupiditatum libidinumque nostrarum vexatione reprimat atque liberet, quam mortis cogitatio, nihil quod ad fragilitatem ad iustitiam, ac pietatem, ad cultum Dei, ad bene sancteque vivendi amorem magis invitet. Quod intelligens poëta Satyricus, cum virtutis formam quam magni & præpotentes viri sequerentur, docere vellet illis versibus.

Expectata diu tandem provincia cum te
Rectorem accipiet, pone iræ frena modumque:
Pone & avaritiæ, miserere inopum sociorum.
Respice quid moneant leges, quid curia mandet.
Præmia quanta bonos maneant.

Illud etiam, quo ei ad quod hortabatur, maiores acutioresque incutere stimulos posset, addidit.

Ossa vides regum vacuis exhausta medullis.

Quid gravius à quovis Catholico scriptore dici potuit?

Iob. 3.

Eccl. 3.

Mors vtilis est fidelibus

Mortis cogitatio admodum vtilis.

CAPVT II.

De quieti & tranquilli status Religiosi meditatione.

Connexa superioribus, quam meditari quoque oportebat, dulcissima Religionis quies atque tranquillitas. Scitum est enim, † *quæcunque inter se contraria, pari iudicio discerni.* Si igitur gravem esse demonstratum est mortalium sortem, propter ingentes eius, innumerasque miserias, placidam contra ac iocundam confiteri necesse erit Religiosam vitam, quæ plena fruens pace ac libertate, ab illis semota sit penitus & exempta. Quod quisquis meditans attente consideraverit, profecto videbitur, si de tanto pelago calamitatum, in amœnum, dulcemque, & securum portum mutata longe impari conditione traductus, non cupiat studeatque maiore indies desiderio tantum, quam assecutus est fœlicitatem, conservare, conservatamque augere, etiam magis ac beneficentiam benignitatemque eius, cuius gratia & vocatione ad illam pervenit, agnoscere. Non hic ambitio, non ira, non livor, non cupiditas, congregandarum pecuniarum amittendarumque simul timor, gravissimæ atrocissimæque pestes animum invadent atque perturbabunt. Non hic causidicorum improbitas, negociatorum avaritia, militum audacia, fœneratorum voracitas, quæstorum rapacitas, tyrannorum impietas, sollicitudinem & metum generabunt. Non servorum, filiorum, vxorumque graves vndique & intolerabiles molestiæ mentem torquebunt atque affligent. Non hic sudandum, æstuandum, anhelandum, magnisque & laboribus, & periculis subiacendum. Procul hinc lites, & iurgia, procul amaræ suspiciones & odia. Quanto ille felicior, qui ab his ereptus vexationibus, his à malis liber pace secura fruitur, tranquillos omnes agit dies, sua contentus sorte. Iocundus sibi, iocundus aliis, semper hilaris, semper lætus, cui suaves cibi, suaves somni, nihil non sapidum & dulce, nihil non imitat magnarum deliciarum: Quanto vero ille felicior, qui licet seipsum deiiciat inferioremque omnibus faciat, non aliter tamen ac si toti dominetur orbi, triumphoque vehatur lætari atque exultare videatur; qui nemini invidens, nemini nocens, neminem etiam molestum sibi aut infensum habet, qui nullius vim atque iniuriam sustinet, & si sustinere cogatur, non soluitur, non frangitur, tamen fortis semper & intrepidus, perfert autem omnia sive adversa sive prospera illi contingant, vno eodemque vultu atque animo non vllus eum exterret impetus, non vis vlla maior, non ipsa denique omnium, quæ excogitari possunt, obscurissima & amarissima mors; quam & læto suscepturus expectat animo, spe alterius melioris & diuturnæ semper vitæ, suspirans illud Pauli: *Cupio dissolui & esse cum Christo.* Si qua etiam est, quæ mentem eius subeat perturbatio, ea est commiseratio, qua vehementer afficitur erga cæteros mortales, quos magnis innumerabilibusque vexari incommodis, torquerique videt angustiis, quas quo magis considerat, eo magis etiam fœlicitatem quietis suæ intelligit, neque aliter illi accidit, quam quod ad Theodorum monachum lapsum scribit Chrysostomus. Cum multis enim salubribus eum monitis ad contemptum mundi amoremque religionis exhortatus esset, pulcherrima etiam hac similitudine confirmare studuit: vt *sit vir religioni dicatus tanquam is, qui rupis excelsæ verticem tenens, pelagus omne prospiciat, multosque inde navigantium crebris fluctibus freti unda submergi, alios in prompta montis saxa collidi, nonnulles ad alia littora contendendo properare, & subita vi tempestatis ictos vinctos ad alia deduci; plures sorbente vnda sævientis profundi ima penetrare, alios tabula vnius auxilio ex fragmentis navis inventa à morte defendi, aliquando pro gubernaculo atque remigiis manibus tantummodo suis vti,*

alios

Philip.

alios autem videat supra turbidos fluctus, multiformi atque multiplici mortis genere, cadauera ferri. Ita esse ergo illum dicit, qui militat Christo, cum se à tempestatibus atque turbinibus vitæ istius separarit. Consistere quippe in arduo semper ac tuto securum loco, vnamque tantum sollicitudinem gerere, quemadmodum Deo placere possit, quo celsius nihil esse potest aut tutius. Verum hæc minima comparatione eorum, quæ prædulcia quidem ac nulli hominum enarrabilia sentiunt, gustantque Deo devotæ & religiosæ mentes. Nota est inprimis pluribus summa, quæ ex lectione simul ac meditatione sacrarum historiarum doctrinarumque suavitas percipitur: *Quam dulcia* (inquit David) *faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Inter orandum vero incredibile videtur, quanto rapiatur incendaturque mens amore, quanta afficiatur liquefiatque lætitia, præsertim cum admixta est lacrymarum gratia, quarum tam gratus, tam sapidus, & dulcis est profluxus, vel minima earum guttula, superet omnia quotquot haberi possint terrena oblectamenta. Porro quartum, ad quod sensim postremo altioreque loco pervenitur, maius quidem ac excellentius cæteris contemplandi munus, non est meum, non dicam eloqui, sed nec intelligere, qui autem intelligunt rapi se ingenti exultatione & iubilo, mirumque & inexplebilem quendam amœnitatis dulcedinisque gustum sentire confitentur, quæ quantumcunque sentiant, nullis tamen verbis (tanta est eius magnitudo & redundantia) explicare nullo modo possunt. Quid vero mirum si qui despecta proculcataque hac terrena fæce, Dei tantum commercium habet, divinis etiam fruatur gaudiis, si mente altius elevatus nihilque præter Deum suspirans, *hauriat* (vt inquit propheta) *aquam in gaudio de fontibus saluatoris aquas viuas, salientes*, vt dixit Christus fœminæ, *in vitam æternam.* Si quas assequi aliquando sperat, earum quasi nomine interim cælestes libat delitias, verasque & Dei magni proprias sempiternasque voluptates. Vt enim tradit Hermes Trismegistus in libro, quem *de idolo ad Asclepium* composuit, Pater omnium & Dominus, qui solus est omnibus omnia, se libenter ostendit, non vbi sit loco, nec qualis qualitate, sed hominem sola mentis intelligentia illuminans, qui discussis ab animo errorum tenebris, & veritatis claritate percepta, toto se sensu intelligentiæ divinæ commiscet. Cuius amore à parte naturæ, quæ mortalis est, liberatus immortalitatis futuræ concipit fiduciam. Hoc ergo inter bonos & malos distabit. Vnusquisque enim pietate, religione, prudentia, cultu, & veneratione Dei clarescit, quasi oculis vera ratione perspecta, & fiducia credulitatis suæ tantum inter homines, quantum sol lumine cæteris astris, antestat. Nec mira hæc cuiquam videri debent: *Sacer namque spiritus* (vt scribit Seneca) *intra nos sedet, bonorum malorumque nostrorum obseruator & custos. Bonus vir sine Deo nemo est.* Neque potest aliquis supra fortunam, nisi ab illo adiutus exurgere, ille dat consilia magnifica & recta. Non potest res tanta sine adminiculo numinis stare. Itaque maiore sui parte illic est vnde descendit, quemadmodum radij solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt vnde mittuntur; sic animus magnus ac sacer & in hoc dimissus vt propius divina nosceremus, conversatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ, illinc pendet, illuc spectat ac nititur animus, qui nullo bono nisi suo nitet. Non latuerunt hæc Gregorium Nazianzenum, qui in Apologetico asserens, non tulisse se violenter in medias turbas pertrahi populorum, & velut de templo quodam quietis tumultuosis vitæ huius fragoribus obijci. Nihil ait revera mihi ad beatam vitam præstantius videbatur, quam velut clausis carnalibus sensibus & carnem mundumque effectum, quempiam in semetipsum converti, id est, suos sensus atque animos conspicari, alienumque effectum à mortalium curis sibi soli loqui & Deo, vt altior cunctis visibilibus factus, mentem suam repleat divinis specie-bus & cælestibus formis absque vlla admixtione terrena.

Religiosi dicatus vnā tantum sollicitudinem gerit.

Psal. 118.

Lacrymarum minima gutula superat omnia oblectamenta.

Esai. 12. Ioan. 4.

Hermes Trismegistus.

Seneca. Vir bonus sine Deo nemo est.

Animus sacer solis radiis comparatur.

Vere speculum immaculatum effectus imaginis Dei, & ex ipsius lumine semper lumen accipiens, auspicia quædam vel initia futuri in semetipso sæculi ferens, atque in terris adhuc positus consortio quodammodo perfruens angelorum, despectoque ac derelicta fragilitate terrena ad superna, cælestia spiritus sancti subvectione transferri. In eodem quoque Nazianzeni libro, *duo sunt*, inquit, *in cælo qui teneri non possunt Deus & angelus.* Tertius vero est in terra Christianus philosophus, veluti quidam incorporeus vivens in carne, incircumscriptus in corpore. In terra cælestis est, in corruptione impassibilis est, in omnibus cedit præterquam in animi libertate, & in eo magis vincit, in quo omnibus auferre ei quid volentibus, cedit. Non immerito Chrysostomus exponens Epistolam primam beati Pauli ad Timotheum, ita vitam Monachorum laudat loquens: *Ibi munda sunt omnia, nullus ibi viduitatibus locus, absunt procul sanguinis rivi. Ibi perturbationes, curæ, tumultus, tranquillo in portu nauigant, ac velut luminaria sunt sublimi de loco nauigantibus fulgora sua iter aperientes, in littore placido sedent, omnes ad quietam suam inuitantes ac pertrahentes, neque naufragium pati sinentes eos qui se intuentur, non permittunt in tenebris degere eos qui suas aspiciunt sedes. Perge itaque ad illos, quære, hospitio suscipe, accede, tange sacros pedes.* Quasi enim de terra in cœlum, ita sancti cuiuslibet viri monasterium, de propriis domibus itur non ibi conspicis ea quæ domi, mundus est locus ille, alta ibi quies atque silentium est. Meum & inde prorsus eliminatum est. Illic si vel diem vnum aut duos manseris, nunc vero voluptatis maiore sensu perfunderis. Non ibi velut in secularium domibus stertit familia, clausæ sunt ianuæ, omnes alto sopore prostrati mortuis similes sunt. Nihil illic eiuscemodi est, nemo stertentes audit illic aut hiantes somno. Nullus iactari per soporem quempiam videt aut nudari. Haud enim nudus ibi dormire fas est, sed dormiunt honestius vigilantibus compositi. Hoc autem totum ex animi disciplina & bonitate proficiscentur, isti profecto sunt sancti atque inter homines angeli. Summus namque Dei timor non sinit hos profundo sopore demergi, animumque à suo vigore laxare, sed ferme in superficie est, ipsosque reficit solum. Huiusmodi illorum quoque sunt somnia, non fantasias aut portentuosas imagines referunt, sed in Gallicantu qui præest continuo, assistit, pulsatque modice pede iacentem, sicque omnes vna protinus excitat, nullus illic famulum vocat, quisque enim sufficit sibi. Non eget vestibus plurimis, nihil opus habet excutere somnum simul atque oculos aperit, diutius videtur; quod illi sobrietatis ratione contingit, nisi enim cor prægrave cibis infra mergatur, levi salubrique somno expergiscitur facile, moxque precum repetit vices, manus puræ tenduntur, quia somnus præcessit honestus atque moderatus. Inde vbi surrexere divinis laudibus instant hymnisque propheticos canunt magno suavique concentu, & canticis numerosis, non cithara, non fistulæ, non vllum aliud instrumentum Musicum tam dulces efficit modos, quam sancti illi summa in solitudine & quiete psallentes. Recte igitur Ephrem in sermone quem edidit *de vita & exercitatione monastica*, dum felicitatem commendaret: *Paradisus est* (inquit) *plenus lætitia fructibus, variisque virtutibus, multitudo vnanimis monachorum charitatis ornamento lucentium, fons decorus & aquis affluens, & multitudinem arborum rigans conventus monachorum est in vnum coactus, qui psalmodiam lacrymis rigant.* Vrbs mœnibus septa & munita, monachorum multitudo est in idipsum congregata, in semuicem divinæ charitatis excitantium flammas, diadema preciosum est lucentibus gemmis & candentibus margaritis intextum monachorum cœtus in vnum connexus ac divina charitate plenus. Navis est referta opibus regiis monachorum chorus in vnum divini amoris ardoribus æstuans, olea est speciosa, atque fructuosa, monachorum chorus simul divina charitate solidatus. Castra sunt sanctorum

Philosophus Christianus qualis sit.

Chrysost. Monachorum vitæ laudes.

Monachorum vigilantia.

S. Ephrē. Monachorum multitudo vrbi comparatur, navibus, vitib. & iocundis comparatur.

angelorum

A

angelorum Monachi vnanimiter viventes, quorum semper animus tendit in Deum. Imago regia est omnigena electis floridisque coloribus ornata, monachorum adunata multitudo instructa varietate virtutum. Magna hæc & singularia religiosæ vitæ bona, eximiæ hæ dotes, excellentia ornamenta, quorum meditatio in maiorem spem ac devotionem adducet, ad sanctæ quoque religionis perseverantiam quemcumque ea animo volutantem magis inflammabit.

CAPVT III.

De beneficiorum Dei meditatione.

B

Deus beneficia multa nobis contulit.

VTile erit admodum, quod nunc tertio loco attingimus si beneficia quæ à Deo suscepimus sedulo meditemur, quæ tot quidem ac tanta sunt, vt mirum videatur quanto summus ille rerum gubernator mortales amore prosequatur. Haud enim exiguum videri debet, quod nihil cum penitus esse tam nobili nos corporis compage informauerit, tanta illud instruens solertia, tanto condens atq; ornans ordine & sapientia, tot distinguens variis decoris aptis & suæ quibusque necessitati servientibus membris, connectens nervis, rigans sanguine, fovens arteriis, spiritu implens atque animans, quo tanquam auriga regeretur, officiaque sua exerceret, propter sensus nostros, qui sicut equi sine ratione currentes nisi cauta ipsius moderatione & imperio cohiberentur in præcipitium miserandumque interitum irent. Cogitemus deinde quam multa quam speciosa atque admirabilia nostra causa creauerit, quam preciosam imprimis & ingentem atque munitam mundi machinam ad vsum commodumque vitæ nostræ paratam instruxerit, quam lato illam & vasto cinxerit mari tantæ commoditatis ad communicandas tot diversas, tamque longis spatiis diremptas nationes, tantæque vtilitatis ad transuehendas ex adverso omni orbe ignotas alteruti merces & terræ fructus. quibus perfuderit fluminibus, fontibus, stagnis, paludibus, lacubus, tanta repletis insuper piscium fœcunditate simul ac varietate, quam immenso illam & solido librauerit terræ pondere non sine magno decora ac fructu tot metallorum atque gemmarum innumerabilium, item quæ gignit pecorum, iumentorum, ferarumque, herbarum quoque florum, radicum, virgultorum, ac arborum tot proferentium passim tamque sapidos succos & liquores, tot varij generis poma & nuces, vt mirari magis quam enumerare possimus, quam amœno, lucido, liberoque circomplexus eam fuerit aëre, vnde spiramus, & leves auras trahimus, & rorea pruinasque ac procreandis terræ alimentis necessarios admodũ imbres suscipimus, tot etiam ac tam variis speciosisque volucribus abunde ditamur. Conscendamus dehinc altius ad candentem illum igneumque æthera, ingentes etiam cœlorum rotas polorumque convexa consideremus, quanto irradient splendore, quanta rapiantur velocitate, quanta vi influant terrenis corporibus. Solis autem præcipuum ante omnia atque admirabile donum, quod cor & vitam cæli, mentem mundi atque oculum, ignem immortalem. Dei etiam magoi clypeum antiqui dixerunt. Attendamus quid nobilius inter ca-

C

Sole nihil nobilius est inter creata sub Deo corpora.

sétia spiritu corpora intelligi queat, sine quo & téperie luceq; astra omnia & lumine vigoreque ac fœcunditate totus orbis careret, quippe cuius virtute flores & gramina fruges & cuncta terræ alimenta, pisces item aves & pecora, homines etiam generantur, nutriuntur, augmentumque suscipiunt, dividuntur anni, temporum commutantur vices, fitque dierum ac horarum distinctio, quorum quo varietas maior eo & gratior, idque ideo fecisse credendum est summum illum tantorum bonorum auctorem, vt abundantiora in nos dona sua omni ex parte aperiret. Habet enim quæ vicibus variatur plus delectationis, inde maiorem affert iocunditatem veris adventus:

D

Temporum maiorem quare ordinauerit Deus.

E

Virgilius, Ecl.

Quatuor anni tempora.

Cum frondent silua, cum formosissimus annus,

(vt ait poëta) quod præcessit rigor asperitasque hyemis, quæ vero sequitur æstas, licet ferueat, tota igneaque ardeat, magno tamen cum desiderio expectatur, quod calore suo decoquat messes, impleatque horrea, providens necessitatibus humanis, consulensque temporibus futuris, ita magis etiam delectat autumnus, quod mitigatis iam æstatis ardoribus, exundans musto innumeraque pomorum, & blanda prole luxurians, aridæ demum horridæque hyemi vberrima sua ac suauissima dona transmittit, quibus fruitur illa summa cum fœcunditate, pigritiamque suam & sterilitatem meliore cum quiete atque tranquillitate consolatur. Pari ratione diebus noctes, noctibusque dies invicem succedere iussi sunt, vt haberemus quo ociosi negocio aliquo & labore occuparemur, defatigatique rursum per ocium leuati quiesceremus, & abruptas corporum vires per suaviorem salubritatem repararemus. Cuius muneris tantam esse necessitatem dicit Chrysostomus scribens *ad Stelechium de compunctione cordis*, vt cum absque cibo audeant nonnulli plures transigere dies, absque somno tamen ne pauci quidem, atque idcirco hybernis frigoribus largiora spacia noctium posita esse, vt prolixior requies intra tecta hominibus fieret, & laboribus breviora spacia remanerent, propter quod & tempora ad requiẽ data tenebris fuisse involuta. Sicut enim pias quasque matres ac nutrices, cum forte natos suos ad quietem provocant in gremiis positos complecti brachiis & ad se constringere, ac tunica operire oculos & faciem solere, vt obscurior eis redditus aër somnum per quietem facilius invitet, ita & DAVM tanquam velamen quoddam per vniversum mundum tenebras ducentem hominum genus ad silentium gratissimæ quietis invitare. Quæ cuncta operatur fabricatus à DEO bonorum causa magnus ille, quem diximus, illustrator, animatorque cæli ac orbis, Sol. Non immerito hæc cum tam ampla atque admiranda viderentur, vt per ea DAVM laudaremus & benediceremus, divina nos sæpe carmina monuerunt. Sed in eo præcipue psalmo quo laudans David recolit res à DEO creatas:

Dies noctibus & contra quare succedere iussi sunt.

F

Ps. 103.

Benedic (inquit) *anima mea Domino, Domine Deus meus magnificatus es vehementer. Extendens cælum sicut pellem qui tegis aquis superiora eius. Qui fundasti terram super stabilitatem suam: ascendunt montes & descendunt campi in locum quem fundasti eis. Terminum posuisti eis quem non transgredientur: neque convertentur operire terram. Qui emittis fontes in convallibus inter medium montium pertransibunt aquæ. Potabunt omnes bestiæ agri: expectabunt onagri in siti sua. Super ea volucres cæli habitabunt: de medio petrarum dabunt voces. Rigans montes de superioribus suis, de fructu operum tuorum satiabitur terra. Producens fœnum iumentis: & herbam servituti hominum. Vt educas panem de terra, & vinum lætificet cor hominis. Vt exhilaret faciem in oleo, & panis cor hominis confirmet. Saturabuntur ligna campi: & cedri Libani quas plantauit, Illic passeres nidificabunt, herodij domus dux est eorum. Montes excelsi ceruis petra refugium herinaciis. Fecit lunam in tempore, sol cognovit occasum suum. Posuisti tenebras & facta est nox: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ. Catuli leonum rugientes: vt rapiant & quærant à Deo escam sibi. Ortus est sol & congregati sunt: & in cubilibus suis collocabuntur. Exibit homo ad opus suum: & ad operationem suam vsque ad vesperum. Hoc mare magnum & spaciosum manibus: illic reptilia quorum non est numerus. Animalia pusilla cum magnis: illic naves pertransibunt. Cantabo Domino in vita mea: psallam Deo meo quandiu sum: benedic anima mea Domino.*

G

Quæ si terrena in servitiumque magis corporis creata Dei dona tantopere laudare & benedicere iubemur, quanto maiore vberioreque laude prosequi debemus summa quæ nobis atque divina contulit mentis & animi bona. Dicere solebat Socrates se habere propter tria quam maxime gratias Diis immortalibus, quod

H

Socrates propter tria quæ natura nactus, Diis immortalibus habere solebat.

Græcus non Barbarus, quod mas non fœmina, quod homo non bestia creatus esset, quas veri ac vero Deo nostro agemus gratias, nos electa Christianaque gens quorum animas non modo à bestiarum specie segregauit, sed & ad imaginem insuper ipsius incorruptibiles immortalesque formauit. Quibus primum tribuit moderatricem omnium voluntatem imperantem, ac cunctis iura, legesque dicentem. De hinc intellectum, rationem, memoriamque ei obsequentem, tam nobiles & gloriosas dotes. Taceamus tot ingenuarum disciplinarum ornamenta, tot præclaras artes & studia, tantum acumen ingenij, tantam lucem sapientiæ, tantam vim consultandi, tantam inueniendi, deficiendi, speculandi, indicandique gratiam, scientiam quoque & cognitionem diuinitatis eius. Verbum enim diuinum (vt Epicharinus Comicus inquit) est quod artes hominibus suggerit, docetque facere quod conducit. Non inuenerunt homines artem, sed Deus hominibus eam immisit. Verbum autem hominum à diuino Verbo defluxit. Taceamus hæc inquam, quibus venerabilior nimirum excellentiorque facta est humana conditio, dicamus vero quod est omnium maximum & præstantissimum, non alia nos causa illum condidisse, tam immensisque & eximiis donis ornasse, quem vt sempiternæ suæ gloriæ & beatitudinis, si dictis modo eius & mandatis audientes essemus, participes efficeret. Cumque præfixas sibi leges primus homo transgressus fuisset, deceptus astutia & fraude serpentis, non despexisse nos tamen aut abiecisse, sed nunc seueris comminationibus, nunc gratis magnisque pollicitis, nunc sanctis legum præceptis nunc Patriarcharum doctrina & auctoritate, nunc Prophetarum oraculis, nunc bonorum angelorum adhortationibus spe bona semper implesse atque ad se non secus ac pater solet dulcissima sua cum prolabuntur forte pignora reuocasse, demum vt quanto amore & charitate humanum genus complecteretur maiore nullo alio aut manifestiore signo ostenderet. Iussisse etiam filium suum ex alto illo triumphalique solio in demersum hunc ærumnosumque mundum descendere, sumereque similitudinem peccati nostri tam graue pondus, corruptamque fæcem carnis nostræ. Hic adeste, sorores, hic incurrite: hic enauigauit longius sermo noster, hic maiore quam sufficere possim animo in altum vela laxaui: hic terrarum omni ambitu post terga longe derelicto, nihil nisi vndique cælum, & vndique pontum prospiciens toto iactor pelago. Hic quorsumcunque vertam oculorum acies, alta omnia, ardua & inaccessa, atque insuperabilia. Hic ferte opem, sorores, hic adiuuate anhelantem, suspirantemque animam meam, vt quod fide pioque tantum sensu concipit, certiore etiam mentis intuitu assequi possit. At increpatis video, stultum maioraque viribus præsumens desiderium meum. Et iure quidem increpatis, qui quod summos omnique eruditionis ac sanctitatis ex parte perfectos viros latuit, ignarus ego, multaque grauis peccatorum sarcina studio intelligendi ducar. Sed ad te me conuerto, Domine Deus meus, fabricator omnium & administrator, cum vbique totus omnia reges, omnia moueas, omnia intuearis & iudices, cum te omnia confiteantur, venerentur, metuant, contremiscant, cum sis summa inaccessibilisque lux & pulchritudo, & sapientia, cum sis summa plenitudo atque perfectio, summum deficiensque nunquam gaudium, summa inexplebilisque ac sempiterna beatitudo, cum sis immensus, infinitus æternus, incomprehensibilis, cum sis summum illud ingens verum stabile, atque vnicum bonum, quod nemo eloqui, nemo demonstrare, nemo capere aut intelligere queat. Cum hæc sis Deus, dic mihi qualis fuit ea sententia tua vt eligeres te socium facere infimæ naturæ nostræ, vt sineres te delabi in hoc luteum vasculum corporis nostri, quo nihil infirmius, nihil fragilius, nihil vilius, immundius, abiectius? Responde Deus meus: si enim quempiam Regem aut Antistitem videremus tantum cum lixis, aut coquis, aut aliis eius generis vilissimis seruulis inire familiaritatem, vt agendi, cubandi, discumbendi, sedendi, incedendi, totiusque denique inter eos vitæ eadem esset parilitas atque communio, quoniam in admirationem stuporemque ea res omnes adduceret? Te vero cuius comparatione cuncta quantumcunque magna, excelsa, gloriosaque appareant, minima tamē deiectissima foedidissimaque nihiliq; omnino facienda sunt, quam longe magis admirabimur & stupebimus suscepisse conditionē vilissimæ putidissimæq; carnis nostræ, non fuisse aspernatum cohabitationem & commercium nostrum, descendisse ita ad tuos quos plasmaueras seruulos, vt ex seruitute eos in societatem reciperes: vt seruitium magis pati quam imperio in quenquam vti velles, & qui innumeris angelorum cateruis stipatus eras, paucis te ac piscatoribus & abiectissimis vitæ committeres, affluensque rerum omnium vbertate & opulentia summæ te egestati necessitatibusque & ærumnis omnibus vltro subiiceres. Cur hæc Deus meus, vt ex magno fieres minimus, ex potentissimo tenuissimus, ex opulentissimo egentissimus, ex gloriosissimo despectissimus. Hic nimirū me confundit obruitq; tanta rerū altitudo, tanta mysteriorum abyssus, sed qui exuberantissimam quam humano generi geris charitatem, ardentissimumque ignē tui amoris ignorat confundi procul dubio obruique necesse est. Ergo te tantum vt deprimeres solus amor impulit, adegit pietas, perstrinxit charitas. Ergo te sola dilectio ex alta illa, qua cuncta circunspicis, cæli specula ad hos tenebrosos teterrimosque mundi carceres traxit: ergo te illa nobis dedit illa deflexit, illa inclinauit, illa miserum tibi & calamitosum seruitutis iugum imposuit. Ita nos ergo, bone Deus, dilexisti vt non dedignareris formam corporis nostri; ita caros habuisti vt vtero virginali claudi paterеris, ita misertus es miseræ sortis nostræ, ita reatus nostros purgare, ita diluere maculas, & quam primi parentis culpa inuexerat perditioni nostræ succurrere voluisti: descenderéque ita in terram, vt cælo demum nos, vnde exules facti eramus, sumpta carne nostra restitueres. O quibus extollam verbia tam profluentem immensæ bonitatis tuæ fontem. O quibus prædicem laudibus tam profusum exundantemque diuinæ pietatis tuæ & manantis dilectionis fluuium: tantum fluentia viuæ aquæ tuæ impetum, qui *lætificas abunde ciuitatem tuam.* Quibus feram præconiis tam lata apertaque viscera misericordiæ tuæ in quibus *visitasti nos oriens ex alto*: vt illuminares hos qui in tenebris & in vmbra mortis erant. Sed age, clementissime Deus, quandoquidem sociare te carni nostræ omnino statueras, debueras saltē magnificum quicquid in te & regium erat, veniens huc ad nos manensque pariter ostendere, debueras nobiliore cum alio, & quemadmodum Regem decebat opulentiore, glorioſioreque apparatu vitam agere. Tu vero non modo longum famulatum, amplas opes, lautas delitias, claras dignitates, summa imperia aliis relinquens cōculcasti, sed & illudi insuper irrideri, contēni, falso criminari, ignominiosisque conuitiis & opprobriis affici voluisti, non refugisti à domesticis tuis deseri, abiurarique & execrari, tradi quoque in manus sæuissimorum inimicorum tuorum nō recusasti, instar latronis & parricidæ trahi, ligari, circumferri, nudari, exagitari, sputis putidissimis conspurcari, alapis cædi, flagellari, plagisque atrocissimis cruentari, spinis acutissimis durissimisque ad cerebri vsque intima penetrari, potari amarissimo fellis & aceti poculo grassatoribus & sicariis, quo maiori ludibrio haberetis, annumeraris: crucis denique, quo nullum infamius, ignominiosiusque mortis genus, tam impie & immaniter affigi perfodique clauis & lancea. Cur hæc Domine Deus meus, cum sueris innocentissimus, immaculatissimus, inteineratissimus: omnisque expers prorsus reatus & culpæ? cur hæc agnus mitissime & mansuetissime? quæ præ acerbitate rerum & horrore ita superant modum, vt nec credi possent, nisi immensus exuberansque ille amor tuus, quo mortales ardentissime semper prosecutus es, fidem nobis eorum omnium suaderet atque confirmaret. Quis vero nunc tam saxeus

Ars à Deo hominibus immissa.

Hominē qua e creauerit.

Genes. 3.

Apostrophe ad Deum.

Beneficium Incarnat. Filij Dei.

Deum sola dilectio ad hos mundi carceres traxit.

Psal. 45. Luc. 1.

qui

qui divinæ tantæ erga nos pietatis consideratione non mollescat? quis adeo terrenarum rerum frigore contractus, qui tam profusam, flagrantémq; salvatoris nostri charitaté contéplans non totus ardescat, nó totus igne liquefiat? quis tam delirus qui non resipiscat? quis tam ferox & immanis qui non mitescat? quis tam asper & amarus qui non dulcescat? quis tam omnium immemor, egénsque mentis qui non tantorum beneficiorum recordatione vehementer excitetur? qui non tam pium, benignum, prodigúmque (vt ita dixerim) largitorem tot ingentium, admirabiliúmque bonorum datorem continué cogitet, meditetur, complectatur, suspiret? qui non Crucem Domini ferre simul & cum eo mori optet, dicens cum Propheta: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi: calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo. Vota mea Domino reddam coram omni populo eius: pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. O Domine, quia ego servus tuus, ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ. Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis: & nomen Domini invocabo.* Quæ si nos efficere magnopere debeamus, illud etiam magis obligationem augere videtur, qua tanto muneratori nostro tenemur. Nam si, quod supra memoravimus, Socrates recte dicebat se habere gratias diis immortalibus, quod Græcum eum nasci voluissent non barbarum, quantis nos verum, castum, sanctumq; Deum nostrum gratiis prosequi debemus, quibus tanta hæc dona ipsius nosse suiq; his secreto ejus æternóq; consilio melius cótigit, ab ipsisq; vnguiculis primisq; cunabulis ea discere, imbibere, intelligeréq; meruimus; atq; his ita assuefieri, vt ipsa nos assuefactio tanquã diligens quædã & solers magistra, non secus ac si certa oculorum fide cuncta accepissemus, imbuerit, qui postpositis tot tantisq; quasi neglectæ esse videantur mundi nationibus, ad ea intelligéda electi fuimus, non meritorũ nostrorũ vlla causa, sed pia illius tantũ & soli ipsi cognita vocatione, miserationisque ejus propria & excellenti gratia. Sunt omnia quæ demonstravimus magna præstantiáq; erga nos munera, sed præsertim quæ nascendo moriendóque à Salvatore nostro collata nobis postremo loco recoluimus. *Quæ maior enim* (inquit Hieronym.) *potest esse clementia, quã vt filius Dei hominis filius putaretur? decem mensiũ fastidia sustineret, partus expectaret adventũ, involveretur pannis, subijceretur parentibus: per singulas adolesceret ætates, & post contumelias vocũ, alapas & flagella crucis quoq; pro nobis fieret maledictũ, vt nos à maledicto legis absolveret.* Quare pulchre quoq; Basil. in eo libro quẽ *exhortatoriũ ad Monachos scribit*, ita ait: *Christus, cum iam vrgeremur in præcipitiũ mortis ad vitã æternam revocavit nos: & cum in sublimi sederet nostri gratia descẽdit ad terrã: & in tanta humilitate venit vt servilẽ formã assumeret, & qui in pugillo continet orbẽ terrarũ pannis in præsepio involutus est, & qui cælum palmo metitur non habuit vbi caput reclinaret in terra, cum dives esset, pauper factus est, vt nos ditaremur in illo, & qui in nubibus venturus est iudicare vivos & mortuos, iudicium humanũ pertulit, & cum sitientibus sit fons vitæ æternæ sitiẽs aquã postulavit à muliere Samaritana & qui satiat esurientes esurijt pro nobis cũ tentaretur in eremo; cui ministratur ab Angelis in cælo ministrare dignatus est hominibus in terra: & manus, quæ virtutes plurimas faciebãt, clavis pro nostra redẽptione affixæ sunt: ori mellifluo, quo salutaris doctrina profluxit hominibus, fel pro cibo impij porrexere: & qui nullũ læsit læsus est & opprobria innocẽs pertulit: cuius nutu mortui suscitantur, voluntariè crucis mortẽ pro nobis sustinuit. Qui omnino hæc ideo perpessus est vt nobis vitã æternã donaret. Et cũ magna nobis beneficia præstiterit nihil à nobis tamẽ exigit nisi vt ipsũ diligamus.*

Hæc Basilius. Quorũ meditatio ab omni nos magis etiam propriæ sanctitatis confidentia & præsumptione liberabit. Ideo Chrysost. *quoties* (inquit) *tibi surrepit elata cogitatio quod quasi humilitatis culmẽ occupaveris, considera vbi nam & vnde descenderit Dñs tuus, & tũc desines admirari & laudare: imò te ac tua omnia ridere cogeris, cum ex collatione Dominicæ humilitatis, nihil te omnino profecisse cognoveris.* Nec minus id proderit ad effugandas omnes immundas alias, quæ animũ invasere, turpésq; cogitationes. *Quoties enim* (ait B. Bernard.) *te senseris turpibus cogitationibus impugnari & ad illicitas delectationes affici, toties pone tibi ante oculos mentis quomodo Christus crucifixus est pro te: intuere quomodo à Iuda Iudæis traditur, à peccatoribus capitur & ligatur, quam viliter pertractatur, blasphematur, deridetur, colaphizatur, incusatur, iudicatur, condẽnatur, expoliatur & flagellatur. Ad vltimũ vero contumelijs & opprobrijs affectus inter duos latrones suspenditur clavis configitur, spinis coronatur, felle potatur, denigratur, capite inclinato vitã moritur pro te in cruce, & tu tam turpi cogitatione sordidaris in mente.* An ignoras quod juxta Apostolum peccando ipsũ Christum iterum crucifigis? Quæ quo intente magis cogitabimus, eo majore certe in eum ardentioréq; amore deflagrabimus, eo quoq; propensiore eum studio laudare, benedicere, atque extollere curabimus, dicemúsque assidue cum Propheta: *Benedic anima mea Dño, & omnia quæ intra me sunt nomini sancto eius. Benedic anima mea Dño: & noli oblivisci omnes retributiones eius. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Qui redimit de interitu vitã tuam qui coronat te in misericordia & miserationibus. Qui replet in bonis desiderium tuum: renovabitur vt aquila iuventus tua. Misericors & miserator Dominus: longanimis & multum misericors: non in perpetuũ irascetur, neq; in æternum cõminabitur. Non secundum peccata nostra fecit nobis, neq; secundum iniquitates nostras retribuit nobis. Quoniam secundũ altitudinem cœli à terra corroboravit misericordiam suam super timentes se. Quoniam ipse cognovit figmentum nostrum, recordatus est quoniam pulvis sumus. Homo sicut fœnũ, dies eius tanquã flos agri sic efflorebit. Benedicite Dño omnia opera eius in omni loco dominationis eius, benedic anima mea Domino.* Nunc ad alia quæ explicanda etiã restant sermonẽ cõvertamus.

CAPVT IV.

De meditatione peccatorum nostrorum.

NEcessaria est quæ sequitur, annexáque superioribus meditatio peccatorum nostrorum. Nam si divina beneficia, quæ tanta sunt quanta modo exposuimus, animo repetentes vehementer in Deũ rapimur; longe facilius nobis id succedit, cum adversa illis peccata nostra disposita, quasi pari lance severo judicio trutinamus. Grave est enim cogitare tantorum bonorum largitorem: quem per sanctos cordium nostrorum recessus, operum spiorumque mérita recognoscere debeamus. Contra increbrescente infinita culparum nostrarum multitudine, despectum lacessitum atque læsum iri: quarum cogitatio cogit nimirum nos erubescere confundique animo, accusaméque ingratitudinem nostram redire ita ad integritatem mentis: & cum redierimus meliore indies vitæ frugi proficere cohibere autem præcipue animos ne per elationem intumescant insolescantque [illegible]. Quod ad Stulochum de compunctione scribens Chrysostomus *Recordanda sunt namque*, ait, *multitudines peccatorum: recordanda conscientia maculata, quæ vtique cum stimulare nos cœperit nequaquam elationi aut arrogantiæ locum relinquet.* Exponens quoque Epistolam Beati Pauli ad Philemonem: *Vnusquisque*, inquit, *ingrediatur conscientiæ suæ cubiculum, & quæ à se gesta sunt cuncta despiciat: vitamque suam omnem discutiens animadvertat innumeris se pœnis dignum: & cum illi cogitatio impia dixerit, cur non ille aut ille mille sceleribus plenus pœnas luit, ex suorum consideratione factorum desistet indignari. Illa enim ideo videntur magna quia palam sunt: cæterum si sua illis conferat, plura ac maiora fortasse inveniat.* Cujus majus etiam videtur esse vtilitas quod ad comprimẽdum pessimum, quem supra explicavimus, præsumptionis morbum

Psal. 115
Redempt. Beneficium Hieron.
S. Basil. Dei magna atque ineffabilis clementia. Luc. 2. Matt.
Christus nihil à nobis exigit, nisi vt ipsũ diligamus.
Cogitationes turpes quo pacto repriménd.
Mat. 27
Psal. 102
Chrys.
In nos descẽdamus [illegible]

confirmandúmque quod illi inter cætera adhibuimus, saluberrimum cognitionis sui ipsius remedium maxime conducat. Ideo recte etiam Gregor. *Cum bona* (inquit) *fratres agitis semper ad memoriam mala, acta revocate: vt, dum cautè culpa conspicitur, nunquam de bono opere incautè animus lætetur.* Quod nos eleganter etiam docet Climac. *In omni etiam quodcunque efficere studemus bono opere tres nobis dicit à dæmonibus parari fossas, in quibus miserabiliter præcipitemur.* Primam quidem ne quicquam eorum, quæ bene animo proponimus, efficiamus: Quæ si votis ipsorum minime successerit, secundam protinus adhibent, vt quicquid boni agimus perpetratum habeat aliquid labis & vitij, cedátque aliqua ex parte in injuriam Dei. Quam cum nihil etiam profuisse intellexerint, subjungunt continuo tertiam, vt in elationem vanámq; mentis lætitiam seducant animam conscium benefactorum suorum. Quibus tantis præcipitiis tria affert remedia saluberrima. Ac primæ quidem fossæ, *cogitationem mortis.* Secundæ *obedientiã,* suiq; ipsius despectionem. Tertiæ autem assiduam recordationẽ atque *accusationem peccatorum suorum:* quæ tanti est, vt qui eam neglexerit necesse sit majorẽ quotidie ferri peccandi licentiam, adderéq; graviora aliis jam perpetratis mala. Quia vt Basilius exhortans Monachos ait: *qui oblitus fuerit delicta sua ad memoriã revocare, non se instigat ad pœnitentiã, paulatimq; ita ab omnibus bonis cadit.* In quo vtile admodum esse dicit vt abstineatur à nimio risu & joco, qui remissiorem efficit animam & negligentem erga Dei præcepta. Cavẽdum igitur erit ab his quam maxime: nam jocum & exuberantiorem lætitiam tepor sequitur erga Deum: & negligentia teporem, & negligentiam oblivio peccatorum, oblivionem peccatorum major peccandi licentia; majorem peccandi licentiam omnium demum malorũ sequitur confusio: Quæ cum tristis sit & amara, omnique plena anxietatis, nemo erit qui peccata sua sicatus cogitans non eorum magno horrore capiatur, non eorum odio æterno ducatur. Nam ita evenire idem dicit Basilius, vt semper ex his, quæ tristem & infaustum finem habent, odium nascatur hominibus adversus eos qui causa hujus negocij extiterũt. Si quis ergo, inquit, certus sit quantorũ & qualiũ malorũ causa fiunt nobis peccata, sponte & sine vlla commonitione ex intimo affectu odium sibi adversos ea nascitur. Verum quo graviore peccata nostra meditantes persequimur odio, eo majore etiam amore inflammamur, memores tantæ illius pietatis & clementiæ, qui vt vulnera peccatorum nostrorum sanaret, nasci se hominem, namque atrocissimis insuper affici vulneribus, horrenda quoque omnium morte minimè recusavit.

S.Greg. — In Clim. Dæmones tres fossas nobis bonum operantibus præparant. — Peccatorum assidua recordatio necessaria est. S.Basil. — A risu & joco nimio cavendum, admonitio Basil. sapientis Gregorio.

Vere enim (vt Propheta inquit) *languores nostros ipse portavit, & peccata nostra ipse tulit.* Solet vero beneficium quod præstatur, quanto præstantius est tanto majore etiam amoris vinculo & obligatione devincire eos à quibus suscipitur. Cujus causa pulchre & aperte Salvator noster Simoni, apud quem hospitabatur, cum à muliere peccatrice cur se tangi, rigarique pedes lachrymis, & capillis capitis tergi sustineret, admirantem intra se illum intellexisset, proposuit parabolam duorum debitorum, quorum vni denarios quingentos, alteri quinquaginta fœnerator, non habentibus illis vnde redderent, donavit: *quis ergo eum*, inquit, *plus diliget?* laudavitque judicium Simonis cum respondisset se æstimare quia is cui plus donavit. Qua similitudine ostendit et merito suscipi debuisse obsequium mulieris peccatricis: quia cum peccasset multũ, relaxatorem vtique peccatorum suorum diligeret multum: *cui autem* (inquit) *minus dimittitur, minus diligit.* Sunt plane non tantum, quæ quotidie committimus, nobiscum versanda peccata, sed & ea etiam quæ retroactis multis temporibus jam deleta, jam meliorem in vitæ consuetudinem mutata sunt. Ex quibus permagna illa vtilitas oritur, quod licet ab his absoluti & liberati simus, cum tamen ad incurrunt ante oculos, recordatione eorum vehementer erubescentes confundimur, commovemurque magis eorum odio, & ne in ea recidiva vlterius damnatione prolabamur, vigilantiore custodia nobis præcavemus. Id exemplo Pauli docemur, qui vetera & abolita jam delicta solebat secum volutare, non ignorans quantum inde fructum anima consequebatur. Quanti enim æstimandum est quod accusans seipsum dicit: *Christus* IESVS *venit in hunc mundum peccatores salvos facere: quorum primus ego sum.* Et iterum: *Fidelem me existimavit ponens in ministerium, qui prius fui blasphemus, & persecutor, & contumeliosus supra modum persequens Ecclesiam* DEI *& expugnabam eam: & quia non sum dignus vocari Apostolus.* Adeo autem pro peccatis suis dolebat & lamentabatur, vt & levia quæque, tanquam gravissima essent, minime ex animo deleret.

Esa 53. — Luc 7. — Peccata etiam olim deleta per præsentem ad memoriam reducenda. — 1. Tim. 1. — 1. Cor. 15.

Quod & fieri debere præcipit Chrysostomus, in eo libro quẽ supra diximus, *ad Stelechium.* Ait enim oportere nos non solum *scire & confiteri quia multa in nobis delicta sunt, verum vnumquodque peccatum & maius & minus quasi in libro, ita in corde nostro habere descriptum, idque frequentius recensere, atque ante oculos ponere, & tanquam nuper hæc admissa lugere. Ita enim & animi arrogantiam frangi: & cautelam nobis, ne vltra in eadem delicta incidamus, acriorem nasci.* Ad quod non minus auctoritate gentilis Philosophiæ invitamur. Admonere namq; solebat Pythagoras discipulos suos, vt quotidie ista cum domum ingrederentur, dicerent: *Vbi nam excidi, quid feci, quid ex eis quæ facere debui omisi.* Cleobuli quoque sapientis præceptum fuisse legimus, vt antequam domo exeamus, quid acturi simus apud nos retractemus: Rursumque cum redierimus, quid à nobis actum fuerit, recogitemus.

In Chrysost. — Conscientiæ examẽ quotidie faciendum. In aureis Pythag. versibus. Cleobuli sapientis præceptũ. Cicero in Catone majore seu de senectute.

Quod observavit ita M. Cato, vt quodcunque per diem egisset, vidisset, legisset, sub nocte etiam animo repeteret, scrutans omnia sive acta, sive cogitata, exigénsque diligentissimam eorum à seipso recordationẽ. Sed & memorabilis est Senecæ illa consuetudo, quam se habuisse ipse refert examinandi, discutiendique animum suum, vocandique ad reddendam rationem diurni omnis negocij. *Vtor*, inquit, *hac potestate, vt quotidie apud me causam dicam, cum sublatum è conspectu lumen est & conticuit vxor, moris iam mei conscia. Totum diem meum scrutor, facta dictaque mea remetior: nihil mihi ipse abscondo: nihil transeo: qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur, quam tranquillus altus ac liber: cum aut laudatus est animus aut admonitus: & speculator sui censórque secretus cognoscit de moribus suis.* Quare enim quicquid est ex erroribus nostris timeam, cum possim dicere: Vide ne nunc istud amplius facias: nunc tibi ignosco: in illa disputatione pugnacius loquutus es: noli postea congredi cum imperitis: nolunt dicere quod nunquam didicerunt. Illum liberius admonuisti quam debebas: itaque non emendasti sed offendisti: de cætero vide ne non tantum an verum sit quod dicis, sed an ille cui dicitur veri patiens sit. Admoneri bonus gaudet, pessimus quisque correctionem asperrime patitur. In convivio quorundam te sales: & in dolorem tuum jacta verba tetigerunt: vitare vulgares convictus memento, solutior est post vinum licentia: Iratum vidisti amicum tuum ostiario causidici alicujus: aut vidisti quod intrantem summoverat & ipse pro illo iratus extremo mancipio fuisti. Irasceris ergo catenato cani: & hic cum multum latravit, objecto cibo mansuescit, recede longius & ride: nunc iste aliquem se putat quod custodit litigatorum turba limen obsessum: nunc ille qui in intra jacet fœlix, fortunatusque est: & beati hominis judicat, & potentis judicium, difficilem januam, nescit durissimum esse ostium carceris.

Vtilissimæ sane sunt hæ omnes Senecæ, aliorumque, quos supra retulimus observationes atque præcepta: neque quicquam est quod saluti nostræ magis expedire videatur, quam errorum nostrorum diligens assiduaq; discussio. Quandoquidem nihil sit quod magis formidandum, inquietum, infestum, onerosum,

Saluti nostræ adulmagne expedit, quam errorũ nostrorũ diligens discussio.

nostrisque

nostrisque assidue incumbens cervicibus habeamos, quam peccata nostra.

S. Ambr. Quocirca recte Ambrosius in libro quem edidit *de Bono mortis. Quid*, inquit, *tantopere vitam desideramus, in qua quanto diutius quis fuerit, tanto magis oneratur sarcina peccatorum. Nullus dies sine nostro peccato præterit.* Quid enim est hæc vita nisi plena laqueorum: inter laqueos ambulamus, inter plurimas versamur tentationes, Nostra habitatio in luteis domibus & ipsa vita in luto: nulla firmitudo sententiæ, nulla constantia; in die nox desideratur: in nocte dies quæritur. Inter escam gemitus, inter cibos fletus, lachrymæ, dolores, timores, sollicitudines: Nulla requies à perturbationibus, nulla à laboribus reclinatio: Iræ & indignationis motus horridior.

Bernard. Bernardus quoque non dissimili sententia: *Cur*, ait, *tantopere vitam nostram desideramus: in qua quanto plus vivimus, tanto plus peccamus. Quanto enim est vita longior, tanto culpa numerosior. Quotidie namque crescunt mala, & subtrahuntur bona. Nihil aliud est caro, nisi spuma carne facta, fragili decore vestita: cujus si singulas miserias velis enumerare, quam sit onerata peccatis atque irretita vitiis, pruriens concupiscentiis occupata passionibus, polluta illusionibus, prona semper in malum & in omne vitium, plenam confusione eam & ignominia invenies.*

Caro nihil aliud est quam spuma.

Quæ adeo ille, licet summæ integritatis summæque sanctitatis versabat secum animo, in secretioribúsq; intimi cordis penetralibus agitabat, ut tanquam magnorum delictorum reus de se ipse ita diceret: *Si me non inspicio, nescio meipsum. Si autem me inspicio, meipsum tolerare non possum. Tanta enim invenio in me, quæ digna sunt reprehensione & confusione: & quanto sæpius & subtilius me discutio; tanto plures abominationes in angulis cordis mei invenio. Ex quo namque peccare cœpi, nunquam uno die sine uno peccato transire potui, nec adhuc peccare cesso, sed de die in peccata peccatis addo, & ea præ oculis habeo nec gemo. Erubescenda video, nec erubesco; dolenda intueor nec doleo, quod est mortis signum & damnationis indicium.* Quibus ipse atque præter hæc aliis hujuscemodi ita graviter peccata sua accusat, ut per se cunctos passim admonere videatur, nec assiduam utique peccatorum suorum accusationem & deplorationem quisquam negligat. Quod quisquis observaverit proficiet procul dubio indies magis atque in suscepto sanctæ religionis itinere, quasi recentioribus semper confirmatus auxiliis cursum melius perseverantiúsque consummabit.

FINIS.

EXHORTATIO
ad perseverantiam, ex his quæ dicta sunt.

IAM tandem pestiferos qui sanctæ perseverantiæ nocere solent ac tristissimos morbos curavimus, jam tandem saluberrima quæ polliciti eramus contra eos medicamenta absolvimus: nunc reliquum est vobis, charissimæ sorores, ut vos ea diligenti studio penetratis, ut vim eorum atque utilitatem, quam profecto magnam esse non negabitis, sedulo indageris. Quod si efficietis, & nos nostro labore & vos laboris nostri commoditate minime fraudabitis. Examinet quisque penetralia cordis sui, & si quis eorum quæ diximus morborum vel levi ex parte pertingi se intellexerit non aspernetur nostra uti ope: non recuset remedia nostra, quæ cum intenta cura vigilique studio exquisita fuerint, non dubitamus magnum esse allatura cunctis, qui ea libenter susceperint, adjumentum. Huc veniat quisquis à nequissimis dæmonibus impugnatur, aut illuditur. Huc accedat & is quem delectæ mundi delitiæ gaudiáque illecebrosa pertentant. Huc properet si quis præter duriores austerioresque religiosæ vitæ labores forte deflectitur. Nec tardent vel ob suam, vel ob patrum suorum segnitiem & negligentiam, vel ob pessimum exemplum æqualium eorúmque, cum quibus simul vivitur, refrigescunt. Sed etsi quibus nimia vel solitudo, vel frequentatio conventúsque hominum vel evagatio per urbes civitatésque discursus nocet; qui quoque vehementius applicant animum ad eos qui à religione alieni, præsertimque devincti sunt sanguine: qui rumoribus & prophanis negotiis doctrinis item inanibus nihilque utilitatis religiosæque gravitatis habentibus curiosius delectantur. Huc festinent & omnes qui vel odiis detractionibúsque sociorum, vel rerum nimia opulentia vel inopia etiam & necessitate dejiciuntur. Huc accelerent qui vel negociosas, quibus præponuntur curas & administrationes vel summas ad quas evehuntur dignitates publicósque honores nocumentum sibi afferre intelligunt, præcipue vero qui confidentia meritorum suorum elati, ad altiorem sanctitatis verticem se ascendisse arbitrantur: quo nullum nocentiorem pestilentioremque morbum esse supra * docuimus.

*Lib. 2. cap 3.

Huc huc omnes qui sanari cupiunt conveniant: hic hic omnibus quantacunque valetudine gravatis salutarem sanctámque opem adhibebimus, iis modo qui ea quæ tradidimus gubernationis præcepta minime neglexerint. Age discutiat quisquis morbum animi sui, & quæ attulimus medicamenta nostra ne respuat: sentiet procul dubio summam ex his salutem valetudinisque omnis bonæ restitutionem. Hæc igitur quæ magna cura & labore exposuimus, suscipite dilectissimæ sorores, susceptáque documenta nostra perficite: non erit inutilis neque insalutaris vobis labor noster: vos modo ne frustra laborasse videamur, studiose quod vestri est officij contendite. Ita fortiter constantérque sanctum, quod suscepistis religionis virginitatisque propositum exequemini. Ita sanctam, quam longo satis & lato sermone vobis prædicavimus *Perseverantiam*, complectemini, coletis, assequemini. Ita perfidorum insidias pugnásque dæmonum nihil formidabitis. Ita illudetis eos, contemnetis, consternetis, proculcabitis, ita quem parate vobis aliquando insitum amœnum irriguúmque *Virginitatis hortum* tutum ab omni eorum insultatione conservabitis. Ita vos hoc munitissimo circumseptæ defensæque perseverantiæ muro, quem tandem vobis Deo adjuvante extruximus, securæ, liberæ, gaudentésque horti vestri flores purissimos fructúsque carpetis suavissimos: ita dulcia præterfluentis rivi murmura, ita placidas sub patulis arboribus umbras, levésque spirantes auras, cum malarum vos cogitationum æstus coquere incipiet, omni protinus ab hostili timore liberatæ captabitis. Ita nullus fur insidiari, nulla sævire fera poterit: ita frustrabitur prædonum omnis vis atque insultus: ita dæmonum omnis furor & rabies elanguescet: ita ridebitis eorum fraudes & impetus exultantes cum sponso vestro IESV, festásque cum eo choreas intra septa amœnissimi horti vestri lætósque & prædulces cantus summa cum jocunditate celebrantes. Aspicite hunc, sorores, aspicite, quem tanta mole vobis murum condidimus: aspicite quam excelsus, ingens, solidus, elaboratus atque munitus est. An hic vos creditis tutabitur? An hic vos creditis, si voletis ab omni inimica vi injuriáque defendet? Curam ejus igitur custodiámque suscipite: neque tanti tamen machinam hujus muri nostri facite quin & pluris atrocitatem, nequitiámque irruentium circumquaque inimicorum vestrorum faciatis. Vigilandum, orandum, instandum est undique: arripienda interdum arma: scandenda muri mœnia: ut insidiator antiquus non vallo ullo aut munimine, quam gladiis etiam & jaculis orationum, cæterorumque bonorum operum arceri possit.

Ephes. 6.

Non est negligendum id quod Paulus Ephesios hortatur: *De cætero, fratres, confortamini in Domino, & in potentia virtutis ejus. Induite vos armaturam* DEI *vt possitis stare adversus insidias diaboli: quoniam non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. Propterea accipite armaturam* DEI *vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam iustitiæ: & calceati pedes in præparationem Evangelij pacis. In omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus quod est verbum Dei: per omnem orationem & obsecrationem orantes in omni tempore in spiritu. & in ipso vigilantes in omni instantia & obsecratione pro omnibus Sanctis & pro me.* Cujusmodi etiam nos admonet Salomon in libro Sapientiæ. *Accipiet*, inquit, *armaturam zelus illius, & armabit creaturam ad vltionem inimicorum. Induet pro thorace iustitiam, & accipiet pro galea iudicium certum: sumet scutum inexpugnabile æquitatem.*

Gladius spiritus est verbum Dei.

Sap. 5.

His igitur modis perseverantiæ sanctæ donum melius acquiretur: his nos auxiliis defendemus melius atque munabimur. Vigilando igitur & orando iniquitatem hostis nostri maxime confundemus: salutemque ita nostram in tuto magis positam habebimus. Sed hic vocamur vos, virgines Christi, adhibete hic animos, colligite hic sensus vestros. Cum enim de perseverantia scribimus, nihil habemus quo magis dignitatem ejus confirmare possimus, quam auctoritatem Salvatoris nostri, dum ait: *Non qui cœperit, sed qui perseveraverit vsque in finem hic salvus erit:* quando autem hæc locutus est nisi quando parabolam decem Virginum expressit? cur autem quinque prudentes, quæ acceperunt oleum in vasis cum lampadibus dicit intrasse cum sponso ad nuptias, non ob aliud certe (vt ait Augustinus) nisi quia perseverarunt vsque in finem: non eis obrepserit frigus iniquitatis, non eis refrigoerit vsque in finem: ideo sponsi januæ patuerunt: ideo eis dictum est vt intrarent sicut & illi optimo servo: *Intra in gaudium Domini tui.* Quæ cum ita sint, quantopere vos invigilare saluti vestræ oportet sacræ virgines! Nam tremendam audistis Salvatoris nostri sententiam, quæ totius est fundamentum operis nostri: & eam non ad aliud genus hominum quam ad virgines dictam. Cum eam igitur pertimescere admodum quisque debeat, ac longe magis virgines, quas non immerito etiam vos specialiter vocamus, atque vt animus adhibeatis hortamur.

Vigilando & orando hostem nostrum confundimus.

Mat. 10 & 24.

Matt. 25.

Ibid.

Neque enim credibile vobis videri debet magna sine causa Salvatorem nostrum tam severam in vos speciali ita nomine compellatas fudisse sententiam, quæ quantam perseverandi necessitatem indictam vobis habeatis, ex ipsius (quæ nunquam falso locuta est,) Veritatis ore satis intelligitis. Ita agite, ita perseverate semper virgines, ita sedulo exequemini præcepta nostra: quid diximus nostra, imò Salvatoris nostri. Ipse enim primus ad tam excelsæ vos virtutis studium, cujus vtilitatem minime ignorabat, si salvæ esse cuperetis, invitavit. Timete calliditatem & astum insidiatoris vestri, circumspicite tot vndique laqueos & retia. Ne confidite vobisipsis: ne existimate ad tantam vos sanctitatem conscendisse, vt non possitis prolabi facile atque decidere.

Repetite memoria miserandam illam virginem, quam superiore libro narravimus sexdecim annis in quodam templo occlusam pariete vixisse magna cum omnium admiratione atque præconio, seductamque demum & stupratam ab obscœno adolescente ad tantum infamiæ devenisse, vt publica nunc omnia Galliæ lupanaria cunctis habita ludibrio colat. Hanc ipsam inquam repetite memoria, opprobrium totius religionis terrorémque virginum omnium non pavetis, non contremiscetis virgines, non gemiscitis, non spargitis ora lachrymis, non liquatur discinditúrque cor vestrum præ novitate tam immania atque horrendi casus? Non est forte aliqua virginum quæ ad tantam sanctitatis gratiam pervenerit quantam jam adepta esse videbatur: & tamen in tam ingens præcipitium ruit.

Lib. 5. c. 1.

Cogitent nunc omnes tirunculæ religionis adhuc inexpertæ: cogitent quæque aliæ minus gratiæ consecutæ quantum post tantæ illius virginis ruinam integritati suæ possint confidere, quantum firmum ipsæ sibi vllum audeant, aut stabilem sanctæ suæ vitæ statum polliceri. Sed quod restat: summumque est omnium ac præcipuum, tutissimumque præsidium, instabunt sedulo omnes, attentéque Deum orabunt vt quod lætè libentérque cœperunt, perpetuo etiam & perseveranter virginitatis religionisque sanctæ iter implere possint, sequentes illud August. in lib. *de bono perseverantiæ*: *Ad perseverandum* (ait) *oportet semper orare, & non deficere.*

Quo autem modo orandum sit discent etiam pulchre ex Hermete Trismegisto, qui in fine ejus operis quod de idolo ad Asclepium scripsit, dum Deum precari gratiis debitis persequi vellet nihil aliud petiit quam perseverantiæ ejus, cujus causa hæc tanta diximus, donum singulare præcellénsque, ita enim ait: *Gratias tibi summe & exuberantissime: Tua enim gratia tantum summæ cognitionis tuæ lumen consecuti, nomen sanctum & honorandum nomen vnum quo solus Deus est benedicendus religione paterna, quoniam omnibus paternam pietatem & religionem & amorem, & quæcunque est dulcior efficacia præbere dignaris, condonans nos sensu, ratione, intelligentia.* Sensu vt te cognoverimus. *Ratione, vt te suspicionibus indagemus. Cognitione, vt te cognoscentes gaudeamus. ac numine salvati tuo gaudeamus, quod te nobis ostenderis totum. Gaudemus quod nos in corporibus sitos æternitati fueris consecrare dignatus. Hæc etenim humana sola gratulatio cognitio maiestatis tuæ. Cognovimus te lumen maximum solo intellectu sensibile: intelleximus te ô vita vera vita: O naturarum omnium fœcunda prægnatio. Cognovimus te æterna perseveratio in omni ista ratione adorantes bonum bonitatis tuæ. Hoc tantum deprecamur, vt nos velis servare perseverantes in amore cognitionis tuæ, & nunquam ab hoc vitæ genere separari.* Sic erit cum Trismegisto orandus Deus: neque hominem, quod à Christiana Philosophia longe alienus fuerit, de cultoque idolorum præcipue scripserit, aspernabimini tamen sorores: dicta enim eius magis quam conditionem pensabitis, rejectisque si quibus ab eo spinis, sinceritas Christiana forte læderetur, rosas ejus, quæ magni etiam redimendæ essent, selegetis. Nunc fessos jam tandem nos hora quietis vocat: Satis nos muri hujus, quem vobis extruximus, labor occupavit, satis illi invigilavimus, satis insudavimus. Hic cessantes jam cæmentariam omnem artem linquimus. Hic normas & perpendicula: hic trocleas, trullásque ponimus. Cum per ocium licebit ad hortum quem polliciti sumus, conferendum pastinandumque veniemus. ROMÆ apud S. Petrum, Idibus Iunij, 1448.

FINIS.

MAPHEI VEGII LAUDENSIS

DE QUATUOR HOMINIS Novissimis morte, iudicio, inferno & Paradiso Meditationes.

CAPUT I.

De Mortis Meditatione.

Eccl. 7.

Celebris & sancta est illa Ecclesiastici sententia: *Memorare novissima tua, & in aeternum non peccabis.* Nec minus illa Cassiani, Generale vitiorum omnium peremptorium esse, ut se quisque de hoc mundo quotidie credat migraturum. Gravissimum quoque est illud, quod Basilius exhortans monachos dicit: *Semper ante oculos tuos versetur ultimus dies, cum diluculo surrexeris, ne ad vesperam confidas pervenire: Et cum quiescens in lectulo membra posueris, de lucis ne confidas adventu: & facillime poteris refrenari ab omnibus vitiis.* Gravior quoque poeta quidam dixit: *Ossa vides Regum vacuis exhausta medullis.* Secutus nimirum sanctam illam veterum Graecorum Philosophorum sententiam, qui eam demum quae cogitationi mortis innititur veram perfectamque Philosophiam esse indicarunt. Secutusque est maxime quod Socrates (ut est à Platone in Alcibiade relatum) dicebat, Animam tunc mundam à corpore discedere, ab omnique errore, stultitia, terrore, atque aliis hominum *malis liberatam ad similem naturam invisibilem, divinam immortalem, prudentemque profectam, vera beatitudine frui.* Cum videlicet seipsam quantum poterat in corpore colligebat: semperque corpore contempto de morte meditabatur, quod nihil aliud sit quam recte philosophari: *Meditationem enim mortis Philosophiam esse.* Id vero Climacus etiam confirmat: *Quemadmodum* (inquit) *panem prae caeteris alimentis sustentationi corporum, ita saluti animarum supra omnia quae bene sancteque fiant, cogitationem assiduam mortis necessariam esse.* Nullū item diem posse magna sine negligentia peccatisque summo periculo praeteriri qui ne in mentibus nostris tanquam vitae nostrae sopitemos semper haberetur. Quo loco memorabile videtur, quod à monacho quodam morti iam proximo dictum esse commemorat. Cum enim religionis, cui se devoverat, primo negligentissimus fuisset: demum vero à gravissimo, quo ad exhalationem usque animae per horam defecerat, languore reviviscens ad tantam vitae integritatem, sanctitatisque excellentiam pervenisset, ut cellula sua continuè clausus, cum nemine unquam loqueretur, non aliam quam panis & aquae alimoniam caperet, gemeret semper, lachrymisque semper maderet, & excessu quasi quodam mentis semper raptus nescio quid humana maius cogitatione versare intentus secum videretur, memor eorū quae sub discessu illo, quē diximus, spiritus ante viderat: post duodecimū tandem annū appropinquante extremo die rogatus à circumstātibus illi monachis, ut vel pauca, antequā è vita migraret, in pignus amoris eis verba faceret: quandoquidem (inquit) ita efflagitatis hoc unum ex me accipite: illud nunquā ex animo oblitterantes, *posse neminem unquam peccare, qui morti diem fixum animo habere consueverit.* Quid vero dici verius potest: si enim hasce mundi voluptates, opes, dignitates, imperia, precario nos possidere, relicturosque eas esse aliquando consideremus, atque forsitan perendie vel postridie, vel ipso etiam, quo loquimur, momento; visurosque alia quae sola spe concipimus loca, quibus sempiterno aevo degentes, nullaque amplius sub mortis lege constituti suscipiemus meritorum nostrorum pares vel poenas, vel praemia: si haec, inquam, magna animi exactaque cum ratione consideremus; quis nostrum non maxime exterrebitur, exterritusque cuncta haec peritura mundi dona contemnat contemnensque nonnisi pie, iuste, sancteque hoc quod tantillum est vitae nostrae transigere studeat, ut ubi advenerit supremus ille incertus horrorisque plenus dies, possimus laeto animo, quasi coloni novae alterius incognitaeque regionis futuri hinc excedere paretque tantisper dum hic agimus, talia nobis viatica quae in alia nos quam aeternis incolemus saeculis patria consolentur. Non immerito poeta quem supra diximus cum potentiores homines ad iustitiam moderationemque in subditos eis populos adhortaretur *regum ossa vacuis exhausta medullis* videnda ipsis proposuit. Cum enim non ignoraret, id, quod dixit Cato in principio orationis habitae pro Rhodiensibus in Senato, solere *plerisque hominibus in rebus secundis, prolixis, atque prosperis animum excellere, superbiam atque ferociam augescere*, nihil habuit quo reprimi magis atque contineri posse videretur, quam obiectam oculis eorum, qui summis cum opibus & delitiis summa cum potestate vixerunt manifestam nuditatem atque miseriam: cuius intuitu & consideratione facile vir quisque magnus & potens vilem ducere incipiet, omnem hominis vitae nostrae, quam non diu duraturam esse intelliget, gloriam & exaltationem, bonorumque affluentiam, proindeque nec aliquid quod non ius iustitiaque postulabit efficere, neminem laedere, neminem concutere, ab omni se labe & turpitudine mundum conservare: ut post extremum illum, quem nullo modo evitaturus est, diem, quando non potestas & magnitudo cuiusquam sed singulorum merita expendentur: etsi *ossa vacuis exhausta medullis*, ac non animum & mentem, quae de coelo deflux, virtutibus nudam, piisque ac sanctis operibus spoliatam habere cognoscatur. Quae Catholico cuique merito iure etiam magis proderunt: cogitans enim quod *tanquam foenum* (ut ait Propheta) *velociter arescent facientes iniquitatem, & quemadmodum olera herbarum cito decident: ac quemadmodum fumus deficient: cumque vidisset impium superexaltatum & elevatum sicut cedros Libani: transivissetque & ecce non erat: quaesivisset eum & non est inventus locus eius. Haec ita cogitans, sperabit in Domino & faciet bonitatem: delectabitur in Domino & dabit ei petitiones cordis eius: subditus erit, orabit eum, non aemulabitur in eo qui prosperatur in via sua. & in homine faciente iniustitias: desinet ab ira & derelinquet furorem, custodiet innocentiam & videbit aequitatem quoniam sunt reliquiae homini pacifico: iniusti autem disperibunt simul reliquiae impiorum interibunt.*

Ps. 36

Quare Bernardus potentium hominum maiorem etiam quam caeterorum miseriam futuram advertens: *Ubi* (ait) *sunt reges, ubi principes? effugerunt velut umbra, evanuerunt sicut somnium, quaeruntur & non sunt.* Haec quoque meditans alio loco: *Dic mihi* (inquit) *ubi sunt amatores mundi qui ante pauca tempora nobiscum fuerant? nihil ex eis remansit nisi cineres & vermes. Attende diligenter quid sunt: vel qui fuerunt, homines fuerunt sicut & tu: comederunt & biberunt: duxerunt in bonis dies suos & in puncto ad inferna descenderunt.* Hic caro eorum vermibus, & illic anima ignis deputatur.

Quid profuit animabus inanis gloria: brevis laetitia, mundi pompa, potentia, carnis voluptas, multae divitiae, multa familia, & mala concupiscentia: Ubi risus, ubi iocos, ubi iactantia, ubi arrogantia? De tanta laetitia quanta tristitia: post tantam voluptatem quam gravis miseria? de illa exultatione ceciderunt in magnam miseriā, & in grandem ruinam & magna tormēta. Quicquid illis accidit & tibi accidere potest, quia homo es. Homo de humo: humus de limo: de terra est

Philosophia est Platoni mortis meditatio. Mortis assidua cogitatio saluti animarū super omnia necessaria est. Monachi cuiusdā exemplū.

Mortis diem cogitans peccare non potest.

Animi superbi & fer[illegible]cia, qu[illegible] possi[illegible] cōp[illegible] maniu[illegible]

S. Bern. Hominum potentum miseria maior [illegible] quā c[illegible] [illegible] lib. 2.

A

& de terra vivis, & in terram reverteris. Quando dies ultima, quæ subito veniet & forsitan hodie erit. Certum est homo quod morieris: sed incertum quando, quomodo, aut ubi, quoniam mors te ubique expectat: Tu quoque si sapiens fueris, ubique eam expectabis. Nihil quoque ait ex parentibus meis habeo nisi miseriam & peccatum, & corruptibile hoc corpus, quod gesto. Ad illos vero festino qui morte corporis hinc exierunt. Quorum cum sepulchra respicio, non invenio in eis nisi cinerem, & vermes, fœtorem, & horrorem. Quod ego sum, illi fuerunt, & quod ipsi sunt, ego ero.

Cogitatio eorum, qui mortui sunt, utilissima.

Utilissimam igitur satis constat esse eorum qui mortui sunt cogitationem. Sive enim mente repetimus, qui multis iam retro annis magni quidem, ut literis, aut armis famaque longe nominati & celebres viri vita excesserunt: sive qui noti nobis carique admodum vel principes, vel parentes, atque necessarij magno cum dolore nostro, nostrosque ante oculos animas exhalarunt; minime est quantum moveatur quatiaturque animus noster, ab omnique terrenarum rerum amore penitus avertatur: componimus ita magis emendamusque mentes nostras: à gravissimis quoque infinitisque tot mundi vexationibus liberamur.

B

Verum si quanta sit extremæ illius, qua cuique migrandum est, diei amaritudo & angustia attentius consideraverimus, nihil erit ex omnibus quæcunque tristia horrendaque excogitabunt, quod vel minima ex parte illi æquari possit. Quod cogitandum valde esse monet B. Gregorius: *quantum* inquiens *nobis erit terribilis hora nostræ solutionis, qui pavor mentis, quanta tunc omnium malorum memoria, quæ oblivio transactæ felicitatis. Quæ formido erit consideratio iudicis? nihil proinde nobis de præsentibus ad delectationem esse debere, quando cunctis simul transeuntibus non valet transire quod imminet: quando & hoc funditus finitur, quod diligitur: & illud incipitur ubi dolor nunquam finitur.* Tunc maligni spiritus egrediente anima eius opera requirunt: tunc mala quæ suaserunt replicant, ut sociam ad tormenta trahant. Neque ad perversas tantum animas, sed ad electos etiam quousque egredientes veniant: & suum in illis si prævaleant aliquid requirant: qui cum ad eum carne quoque moriente venerint, & in illo aliquid quæsiverint, in quo invenire nil potuerunt: quid, inquit miseri nos dicturi: quid acturi sumus, qui innumera mala commisimus: quid requirenti adversario & multa in nos invenienti dicemus? Nisi solum quod nobis est certum refugium, solida spes: quia unum cum illo facti sumus in quo princeps huius mundi & suum aliquid requisivit: & invenire minime potuit.

S. Gregor.

C

Spiritus maligni etiam ad electos morientes veniunt.

Cum magno quoque metu, scribit Bernardus, *magnisque doloribus separatur anima à corpore.* Veniunt angeli assumere illam, ut perducant eam ante tribunal iudicis metuendi: & tunc illa memorans sua opera mala & pessima, quæ die noctuque gessit, contremiscit, & quærit illa fugere, induciasque petere, dicens: Date mihi vel unius horæ spacium. Tunc quasi loquentia simul eius opera dicent. Tu nos egisti, opera tua sumus, non te deseremus: sed semper tecum erimus, tecum pergemus ad iudicium. Vitia quoque multis & multiplicibus criminibus eam accusabunt: multaque falsa testimonia apud eum invenient, quamquam vera ad eius damnationem possent sufficere. Dæmones vero terribili vultu & horribili aspectu eam terrebunt, & ingenti furore eam persequentur: & comprehendent tam terribiliter, quam horribiliter, volentes eam retinere & possidere, nisi sit qui eripiat.

Bernard. Anima quo pacto à corpore separetur.

D

Tunc anima inveniens oculos clausos & os, aliosque corporis sensus, per quos solebat egredi & delectari in his exterioribus, revertetur ad se: & videns se solam & nudam ingenti horrore concussa desperatione deficiet in se, & cadet sub se: & quia amore mundi & carnis voluptate Deum dereliquerat, derelinquetur, à Deo misera, in hora tantæ necessitatis atque dæmonibus tradetur in inferno crucianda.

E

Sic anima peccatoris in die quam ignorat, & hora quam nescit, capitur à morte & segregatur à corpore: pergitque miseriis plena tremens & dolens: & cum nullam excusationem habeat quam pro peccatis suis possit ostendere, contabescit & pertimescit ante Deum apparere. Ingenti enim horrore anima concutitur & multiplicibus cogitationum æstibus agitatur: cum ingruente solutione carnis & subductis è medio omnibus se & illum tantum considerat, cui appropinquat: & post paululum hoc invenit quod in perpetuum non poterit evitare.

Excitant perterrentque admodum mentes hæc sanctorum auctorum dicta: sed longe magis multa huiuscemodi, quæ aliquando contigisse traduntur, exempla. E quibus memorabile illud videtur, quod Gregor. refert Chrysaurium quendam, hominem prædivitem, nimiaque divitiarum suarum abundantia elatum, omnique vitio deditum, cum ad extremum diem venisset: qua hora migraturus erat è vita, vidisse manifesto lumine teterrimos assistentes insultantesque sibi spiritus cupientes, totis eum viribus in æterna secum trahere supplicia. Quibus ille exterritus, pallens, flens, sudans, tremens, nunc se hac, nunc se illac in lectulo vertebat, non valens ferre horrendos eorum aspectus: cum magnis personabat vocibus, poscens inducias ad lucem usque saltem matutinam, invocansque auxilium filij sui. Quo simul ac reliqua omni familia astante atque adhortante inter medios quos effundebat clamores, animam exhalavit. Magnum hoc terroris exemplum: sed longe maius, quod de Stephano quodam, qui quadraginta annis eremum incoluerat scribit Climacus: cuius cum incredibilis vitæ austeritas, cum eximia fuerit religio & sanctitas, de quo etiam testati sunt aliqui pavisse eum in deserto manu propria leopardum instar agni ad se venientem; contremiscet nimirum quisque audiens gravissimum vitæ eius exitum. Nam cum esset morti tam proximus, visus est ab ipso, qui hæc refert Climaco atque aliis plerisque circumstantibus sanctis viris, respondere, quasi accusantibus eum: iisque illi dicentibus dæmonibus suspirans miserabiliter & lamentans distorquensque se ac nunc ad dexteram vertens partem, nunc ad sinistram: confiteri vero nonnulla quæ impingebantur sibi crimina: sed per pœnitentiam tamen postmodum expurgata, alia negare falsaque dicere: permulta se ignorare: sed & aliqua affirmare, neque quo obiecta diluere posset quicquam habere: misericordiæ tantum Dei se committere: excessisse autem è vita ita, ut nemini certum aliquid salutis suæ relinqueret. Nec illud tacendum est quod Beda refert *in Historiis*, quas scripsit *anglorum*. Vidi, inquit, hominem, quem utinam non vidissem, in monasterio nobili, ignobiliter viventem, conversum solo nomine, sed moribus perversum: cum corrigebatur non emendabatur: sed pervertebatur. Hic diebus festis cum alij irent ad Ecclesiam, remanebat in cella sua vacans ebrietati; nolens vero sponte sua Ecclesiam unquam intrare, invitus intravit ianuam inferni. Subita enim ægrotatione correptus vocavit ad se fratres dicens cum mœrore, quod sicut Beatus Stephanus vidit cœlos apertos, ita ipse infernum. & Iudam & Caipham, & Pilatum in medio eius: & alios simul etiam crucifixores Domini: & sibi misero non longe ab eis locum esse paratum.

Mortis horam horribilem esse exemplo ostenditur.

F

Eremitæ cuiusdam sancte & religiose viventis exitus.

G

Beda. Monachi cuiusdam ebrietati vacantis horribilis exitus.

Act. 7.

H

Cum autem fratres dulcibus eum verbis hortarentur ad pœnitentiam, dicebat se non posse pœnitere, quod contra eum iam datum esset iudicium, sicque miser homo mortuus est, & aliorum fidelium sepultura, & omnium viventium orationibus suffragiisque omnino privatus. Non etiam prætereundum videtur aliud quod in iisdem ipse historiis narrat, nō minoris quidem horroris. Strenuum scil. in armis militem quendam, licet corruptis moribus perditum, cum gravi aliquando languore detineretur, visitasse eum regem atque hortatum fuisse, ut peccata sua confiteretur: quod recusavit ille ne timiditati suæ ascriberetur, affirmās etiam satis se adhuc habere temporis. Ingravescente autem postea

Militis cuiusdam confiteri peccata sua [illegible] exitus.

magis

magis morbo, cum iterum ad id induceretur respondit se nimis tardasse: neque iam oportere quod damnatus esset: atque addidit paulo ante venisse ad se duos præstanti forma iuvenes: vnum ad caput, alium ad pedes dicentes invicem. *Hic mortuus est*, videamus si aliquid iuris habemus in eo, & aperuisse librum in quo scripta erant literis aureis, pauca bona à iuvene iam ipso facta, quæ eum licet antea literarum ignarus legeret: legensque gauderet, venisse mox alios duos teterrimos proferentes librum continentem omnia ipsius flagitia, asseverantesque librum alium bonorum operum ex multis iam annis nihil valere. Tunc discessisse pulcherrimos illos duos iuvenes, cum non haberent aliquid quod respondere eis possent. Illico autem arreptis acutissimis gladiis dæmones ipsos: vnum ex superiore parte transfossis alte oculis, vnde etiam visum penitus amisisset: alium ex inferiore ad ipsum vsque cor vulnera sibi atrocissima inflixisse, totumque ita vtrinque medium scidisse, atque his dictis statim animam exhalavit.

Quibus profecto nemo est qui non moveri plurimum & exterreri, qui non ad humanarum rerum contemptum maxime invitari debeat, considerans tanta quibus mortalium conditio subiecta est: longe maiora etiam quam quæ supra explicavimus miseriæ & horroris argumenta. Quæ quisquis cuncta assidue meditans profuisse sibi intellexerit, allectos captusque iam commoditate monitorum nostrorum ad alia nunc, quæ non minorem vtilitatem allatura prosequemur, animum mentemque convertat.

CAPVT II.

De Meditatione vltimi Iudicij.

Statutum est hominibus semel MORI, post hoc autem IVDICIVM.

VTemur hic & sanctæ *Fidei* alis ad evolandum altius: quæ *Fides* dura quoque & difficilia reddit mollia atque facilia. Neque enim quidquam tam inaccessum, quod illa non efficiat perviũ. Adhibituri igitur sumus aliud remediũ, *vltimi* quod exspectamus *Iudicij* aliquãdo futuri: neque facile ad id credendum, nisi ope fidei adiuvaremur, adduci possemus. Porro tãta est ipsius vtilitas, vt cum subierit mentem eius meditatio, cogat illam in se contrahi, in abyssumque quasi quãdam stuporis demergi graviter & contremiscere. Habet enim metus futurorum malorum quiddam quod mentem ea cogitantem stringat vehementius, penetretque altius: comparatamque ita à natura esse nobis videmus, vt exspectatio omnis mali timorem magnum incutiat.

Quemadmodum, vt Basilius ait, bestias etiam timere solemus, ac Principes, scientes imminere ex iis aliquid quod vitæ sit noxium. Magnam certe adfert vtilitatem frequẽs cogitatio eius *Vltimi diei*: Quam quisquis habuerit mirum est quam fortior animo fiet atque constantior: quam facilius terrena omnia bona, fallacesque omnes mundi contemnet illecebras.

Quid enim terribilius, horribiliusque cogitare possumus, quam sedentem in excelso gloriæ suæ throno omnipotentem severumque iudicem, citantemque sub peremptoria cœlestis tubicinis sui voce definitam omnem ac superstitem simul mortalium plebem, accusantem quorumcũque reatus, & crimina detegẽtem: atque ante oculos ponentem quicquid latebit turpitudinis & obscuritatis, quicquid fraudis & impietatis, exprobrantemque immensa in omnes sua beneficia. Quid, inquã, horrendum magis & terrificum audire poterunt aures nostræ, quã cum angelica illa tuba terribilem sonitum dabit ære canoro quam cum intonabit longe lateque divina illa & tremenda vox: *Ite maledicti in ignem æternum.* Quis explicabit satis vnquam erubescentiam & confusionem, qua tunc quisque capietur, conscius sui ipsius, audiens ab incorruptissimo sapientissimoque iudice obiici sibi in faciem immanitatem flagitiorum suorum: denudarique & omnibus manifesta fieri singula quæ vel pravè cogitata, vel temere ausa, vel nequiter acta sunt. Quis verbis æquabit vnquam horrorem, qui tunc subibit mentes prostratas iam longe atque defectas tam amara in primis irati iudicis comminatione, cum conscientia scelerum suorum, quæ est prima vltio, vt poëta ait: De fine atrocissimorum ministrorũ gravi & furiosa insultatione: exclusione quoque cœlestium deliciarum, & quas evitare se minime posse intelligent, infernarum intolerabilium pœnarum.

Quis exprimet vnquam mœrorem & gemitum, qui tunc afflictas animas invadet, cum apparebit magnus & inconcussus iudex, ostentans nunc humanam quam nobiscum inducere carnem non est aspernatus, tunc sputa, alapas, flagella, spinas, vulnera acerbissimamque illam, quam pro reparanda vita nostra sustinuit, & immanissimam mortem.

Inde vero innumerabilia assistentium circumquaque sanctarum & electarum animarum agmina proferentium passim vberrimos ac pretiosissimos, quos quisque sibi bonorum operum suorum fructus sæculo cõparavit: monachorum scilicet humilitatem & abstinentiam, martyrum cruciatus & pœnas, virginum candorem & innocentiam confessorum fidem & doctrinam. Quis enarrabit vnquam, quantus ille futurus sit flagitiosorum dolor & angustia, cum ad inferna æternaque supplicia se iudicatos audientes: econtra videbunt cum superno iudice lætantes atque triumphantes choros eorum qui ob bene sanctèque actam vitam cælestia ac digna quidem factis suis præmia susceperunt.

Consideremus eos qui vel furti, vel læsæ maiestatis convicti damnatique ad sumenda delictorum suorum supplicia destinantur. Quæ mens illis quis animus, cum despectos, confusos, vinctosque se vident in conspectu severissimi iudicis duci, suscepturos tristem præparatæ eius mortis sententiam, cum luctuosum audiunt tintinabulorum tubarumque sonũ perstrepere eorum causa. Legi quoque & alta voce publicari scelera sua, titulosque & causas necis, cum se intelligunt traditos in manus tortorum & trucidatorum, opprobriosumque omnium spectaculum, quibus si nihil vel cogitatu, vel viso potest esse miserabilius atque horribilius, quid de his dicemus quæ coram magno illo, quem nil fallit, atque æterno iudice geruntur: Quanto erit rerum illa facies miseranda magis & horrenda, quanto divina illa vox cœlestisque tuba illa tristius personabit, quanto confundetur quisque magis atque contremiscet audita æternæ damnationis suæ sancta, iusta, frustraque vllo appellationis adminiculo retractanda sententia. Quæ attendens Hieronymus non immerito dicit: *Quoties diẽ iudicij cogito totus corde & opere contremisco.* Et alibi: *Siue comedam siue bibam, siue aliquid aliud faciam, semper insonare videtur illa vox in auribus meis: Surgite mortui venite ad iudicium.* Alio etiam loco; *Ecce de cælo tubã canit, ecce de cælo cum nubibus debellaturus orbem imperator summus armatus egreditur.* Tunc vt est eiusdẽ alibi sententia, *ad vocem tubæ. Pavebit terra cum populis: tunc lugubre mundus immugiet: tunc tribus ad tribum pectora feriet, tunc potentissimi quondam reges, non resistere valentes, palpitabunt.*

B.Hieró.

Vox magna est enim (vt Chrysostomus ait) *vox illa cui omnia obediunt elemẽta, quæ petras scindit, inferos aperit, monumenta frangit, vincula mortis dissoluit, & vniversos mortuos resurgere facit, & ad iudicium venire compellit.* Quæ meditans quoque meritoque secum versans Bernardus. *Iam enim* (inquit) *præsentabor ante districtũ iudicem, de operibus meis rationem redditurus. Væ mihi misero cum venerit iudicij illa dies & aperti fuerint libri in quibus omnes mei conatus & cogitationes Domino præsente recitabuntur; Tunc demisso capite præ confusione malæ conscientiæ in iudicio coram Domino stabo trepidus & anxius, vtpote memorans scelerum meorũ commissa.* Et cum

Vocis tubæ in novissimo die virtus.

A

Iudicij extremi tempore omnia opera nostra nobis in memoriam revocabuntur: omnibus manifestabuntur.

dicetur de me: Ecce homo & opera eius: reducam ante oculos meos omnia delicta & peccata mea. Quadam namque vi divina fit vt cuique opera bona vel mala cuncta in memoriam revocentur: & mentis intuitu mira celeritate cernantur: vt accuset vel lex excuset scientia conscientiam: atque ita simul & singuli & omnes iudicentur.

Iudicium faciet gestorum quisque suorum,
Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.

Quod enim nunc confiteri erubescimus tunc omnibus manifestabitur: & quicquid hic dissimulando palpamus, totum illic vindex flamma comburet.

Ignis vbique vorax ruptis regnabit habenis

Quantoque nos diutius Deus expectat vt emendemus, tanto districtius iudicabit, si neglexerimus. Quis putas tunc mœror erit, quis luctus, quæ tristitia, cum separabuntur iniusti à consortio sanctorum, & à visione Dei, & tradentur in potestatem dæmonum, & ibunt cum ipsis in ignem æternum, ibique sine fine in gemitu & luctu: Quæ considerans quoque Ephrem, vir sanctissimus, sic monachos suos à terrenorum bonorum cura & amore tantarum rerum recordatione deterrebat dicens: *Tunc filius Dei cum gloria & sanctis virtutibus suis descendet in nubibus cæli. Veniet in virtute brachij sui, & opera vniuscuiusque coram ipso, & colliget sanctos suos à summo cæli vsque ad summum eius, cuius est intolerabilis potentia in qua cæli soluentur vt liber: & terra producet omnes qui à sæculo quieuerunt. Montes, petræ, & omnia arida obstupescent à facie eius, cum venerit iudicare vivos & mortuos.* Vniversos tremor apprehendet & virtutes cælorum contabescent, eo quod multæ minæ sunt castra eius, & fortia opera sermonum eius. Nubes etiam, puluis pedum eius, comminans mari & exsiccans illud. Veniet ergo Dominus cum indignatione & ira, & tanquam procella currens eius, & ignis præibit ante faciem eius. Audient ergo qui in monumentis sunt vocem eius, & procedent *qui bona fecerunt in resurrectionem vitæ: qui vero mala gesserunt in resurrectionem iudicij.*

Ephrem

B

Ioan. 5.

Tunc apparebit illud terribile iudicium Dei, in quo throni apponentur, & multa millia angelorum astabunt: fluvius igneus curret ante eum, & libri aperientur, in quibus singulorum acta conscripta sunt. Propterea rememorantes diem illum, in quo hæc Dominus revelabit, cum venerit glorificari in sanctis, non negligamus, fratres charissimi, neque in præsentibus & caducis rebus tanquam in æternis & præstantibus delectemur. Terribilis enim erit dies *iudicij*, & adventus magnus & præclarus nimis. Si ergo recordamur de die illa tremenda & adventu Domini glorioso, cum venerit sanctorum omnium multitudine constipatus, in quo cæli magno impetu transient, elementa ignis calore soluentur, paremus nos sine macula inveniri in illo terribili Christi examine in quo omnes actus nostri & cogitationes, & eloquia arguentur. Nam & pro operibus & sermonibus otiosis, & pro dedecorosis & inhonestis aspectibus, & omnibus actibus vel manifestis, vel occultis, quæ ab origine mundi cogitata vel gesta sunt, rationem singuli reddent, & pro meritis suis iudicium singuli subient. Sol tunc obscurabitur, & cœlum tunc plicabitur tanquam liber, cadent astra, omnia conturbabuntur elementa, virtutes & potestates assistent & ignis velut fluvius currens omnia omnino replebit. Ignis enim ille replebit montes & colles & maria, & omnia Deus iudicabit per ignem. Tunc in illa die, videbitis vniversum orbem tanquam pomorum custodiam, & tubas illas angelicas terribilia & tremenda clangentes: & iusti refulgebunt tanquam claritas firmamenti, & tunc lamentabuntur & plangent se omnes peccatores, & illud amarissimum proclamabunt, *Væ, væ, nobis*, cum viderint claritatem, lætitiamque sanctorum, cum viderint Abraham, Isaac, & Iacob, & omnes iustos percipientes immarcessibiles coronas de manu Domini, cum viderint se ab eorum consortiis segregari. *Tunc enim exibunt angeli & separabunt malos de medio iustorum:* Tunc audient infelices illam Christi vocem terribilem & potentem. *Recedite à me maledicti, ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* In illa hora necessitatis amaræ & lachrymabili suspirabunt cum traditi fuerint morti, & inextinguibili igni, & tenebris exterioribus, & vermibus immortalibus, & in inferno inferiori mancipati fuerint, vbi erit fletus & stridor dentium, vbi est Tartarus & crudelis gehenna. Tremendum est, ô dilectissimi fratres, ibi Iudicium, in quo sine testibus omnia manifesta sunt: ibi assistunt millia millium decies centena millia Angelorum & Archangelorum Cherubin & Seraphin. Ibi iustorum chori circumstant Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, & Martyrum, & omnium sanctorum. Quid ergo negligimus, dilectissimi fratres: Ecce nunc tempus concluditur, dies appropinquat, in qua omnia occulta nostra à lumine arguentur. Si sciremus, fratres, quid immineat vel incumbat, iugiter plangeremus obsecrantes Deum diebus & noctibus sine cessatione, vt liberaret nos ab æterna confusione & perennibus tenebris. Obstruetur enim omne os peccatoris ante tribunal gloriæ eius cum metu nimio & tremore, & contremiscet omnis creatura, & ipsa agmina sanctorum angelorum expavescent in die adventus eius.

C

Iudicij dies terribilis erit.

Matt. 12

D

Marc. 13

Ignis replebit omnia in extremo iudicio.

Matt. 13.

Matt. 13

Matt. 25

E

Matt. 8.

Hæc Ephrem sanctissime simul ac severissime, cuius verbis licet longioribus vti dignius credidimus: vt cum de re ardua atque omnibus, nisi vere fidelibus, non facile credibili loquimur, aliorum magis, ac eorum quidem quorum autoritas est gravis & magna, quam nostræ sententiæ inniti videremur.

F

Os peccatoris ante tribunal Christi obstruetur.

Proinde ergo etiam audiamus quid Chrysostomus super Epistolam Beati Pauli ad Philemonem scribens dicat: *Terribiles namque* (ait) *illa sunt pœna & nimium illa metuenda supplicia magnaque egemus diuina misericordia largitate, ne horroris plenam sententiam audire contingat. Discedite, non novi vos qui operamini iniquitatem. Et, discedite à me maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis eius.* Et illud. *Chaos magnum inter vos & nos est.* Item: *Tollite illum & mittite in tenebras exteriores.* Atque illud: *Serve male & piger. Horrendum quippe est nimisque metuendum extremi iudicij examen, dies illa anxia & plena terroris. Igneus enim fluuius ante illius faciem ducetur, aperientur operum nostrorum libri, dies illa vt ardens clibanus erit, discurrent angeli, fornaces succensæ & parata erunt multa. Atque ex hoc maxime discitur ipsius clementiæ magnitudo. Nam ex istis terrorem incutit nobis, vt vel ita coacti metu, ad æterni regni desiderium excitemur.* Audiamus etiam quid *ad Theodorum monachum lapsum*, scribat idem aurei oris, nitens cum horum terrore quam maxime ad sanctam, vnde discesserat, religionem revocare. *Aliud enim* (inquit) *magis quod sequatur contemplare iudicium, aliud prospice quod sine fine reuerendum est atque tremiscendum tribunal Christi, ante quod* (vt scriptum est) omnes nos necesse est manifestari. *Ille tunc iudex sedebit qui nunc à te repudiatur. Quid tunc ergo dicemus, quo colore excusationis vtemur si in eodem crimine permanebimus. Interrogo, quid loquemur? negociorum forte atque causarum varias sollicitudines prætendemus. Sed ante nos commonens ipse prædixit.* Quid prodest homini si mundum totum lucretur, animæ autem suæ damnum patiatur: *Sed seductos nos à quocunque causabimur: sed non potuit Adam vxoris illecebras excusare dicendo:* Mulier quam dedisti mihi ipsa me seduxit. *Nec rursum vxorem serpentis culpa defendit.* Magni horrendique timoris plenum illud iudicium est, non accusatorum eget, neque testes requirit: omnia enim nuda atque detecta sunt oculis iudicantis. Nec factorum tantummodo, verum etiam cogitationum nostrarum rei necessario subiacemus. *Scrutator* enim *atque discretor est cogitationis & cordis* Ille qui iudicat: sed forsitan naturali infirmitate tentabimus crimen obtegere: nec potuisse nos susceptum iugum ferre dicemus. Et qualis hæc excusatio erit, iugum nos placidum non voluisse sufferre, onus non potuisse portare, quod ipse vocaverat *leve?* Eadem quoque monet in alio libro quem scripsit *de compunctione cordis* dicens: Non requirit Deus ciliciorum pondus, neque concludi inter angustias cellulæ: nec in obscuris antris ac tenebrosis sedem debere iubet. Hoc solum

Chrysost.

Matt. 25

Luc. 16.

Matt. 22

Matt. 25

G

1. Cor. 5

H

Matt. 1.

Et de Simone Matthæus.

Gen. 3.

Hebr. 4.

Mat. 22.

est

A

est quod exposcit à nobis vt semper recordemur & ad animum revocemus mala nostra & conscientiam gestorum habeamus ante oculos: vt pro his supplicemus Deo: vt gehennam ponamus in conspectibus nostris, & angelos qui in die iudicij vbique discurrunt, & congregant de omni orbe terrarum eos qui tradendi sunt in gehennam, ac supplicijs ignis. Sed & Gregorius: *Ponamus* inquit *ante oculos cordis hinc culpas operis, illinc iudicium extrema districtionis. Pensemus quam districtus iudex venturus est, qui iudicium minatur, & latet: terrores peccatoribus intentat & tamen sustinet, & idcirco venire citius differt, vt minus inveniat quos condemnet.* Consideremus quod idem ait: *quia angusta erunt vndique reprobis via: superius erit iudex: subtus chaos infernale, à dextris infinita dæmonia ad infernum trahentia: intus sic deprehensus quo effugiet? In diebus illis* (dicit Ioannes) *quærent homines mortem & non invenient: & desiderabunt mori & mors, recedet ab eis.* Astabunt (ait Augustin.) omnes ante tribunal Christi, & præsto erit diabolus, & recitabuntur verba professionis nostræ: & obijciet nobis in faciem quicquid fecimus & in qua die fecimus, & in quo loco, & quid operis tunc facere debueramus. *Quid tunc*, inquit Anselm. ô lignum aridum & invtile æternis ignibus dignum, quid respondebis in illa die, cum exigetur à te vsque ad ictum oculi omne tempus vivendi impensum: qualiter sit expensum? Nam, sicut docet Ecclesiastes, *si annis multis vixerit homo, & in his omnibus lætus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis & dierum malorum, qui cum venerint, vanitatis arguentur præterita.* Et iuxta propheticam illam sententiam: *Dies domini declarabit, quia in igne revelabitur, & vniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit.* Sunt hæc iure merito cuique iugiter mente versanda.

Deus quare citius venire differat. Apoc 9. & c. 6. cadite super nos &c. August. Diabo B los præsto erit cum stabimos ante tribunal Christi. Eccl. 11.

Nam certe (vt inquit Malachias) *Ecce enim dies veniet succensa quasi caminus, & erunt omnes superbi & omnes facientes impietatem stipula, & inflammabit eos dies veniens, dicit Dominus exercituum: quæ non derelinquet eis radicem & germen.* Et, vt dicit Petrus Apostolus. *Veniet dies Domini sicut fur, in qua cæli ardentes solventur, elementa ignis ardore tabescent: exuretur terra, & omnia quæ in ipsa sunt*: in qua, vt ait Propheta: *Cæli peribunt, & omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabuntur. Veniet* (inquit Augustinus) *ille dies novissimus: Veniet dies iudicij quando eis nec pœnitentiam licebit agere, nec bonis operibus se ab æterna morte poterunt redimere: quia percutitur etiam hac animaduersione peccator vt moriens obliviscatur sui, qui dum viveret oblitus est Dei.* Veniet dies iudicij quando movebuntur fundamenta montium, & ardebit terra vsque ad inferos deorsum, quando cæli ardentes soluentur, quando sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, quando stellæ cadent de cælo, quando peccatores & impij mittentur in stagnum ignis, & fumus tormentorum illorum ascendet in sæcula sæculorum: *vbi erit fletus & stridor dentium.* Veniet tempus, quando nulli bono erit male, & nulli malo erit bene, veniet tunquam novissimus dies, quando discernentur pij ab impiis, iusti ab iniustis, laudatores Dei à blasphematoribus Dei: veniet quando discernentur vt nulli (sicut dictũ est) bono sit male, nulli malo sit bene. Quæ cuncta præclare nobis à sãctis autoribus nũciata eo pluris æstimabũtur, quo nec ea gentiles ignorasse, aut contẽpsisse videãtur.

Malac 4

2 Pet. 3. Psal 101.

August. C Peccator moriens obliviscitur sui. Matt. 24. Mar. 13.

Nam vnde Naso id protulit:

Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus
Quo mare, quo tellus correptaque regia cæli
Ardeat: & mundi moles operosa laboret.

Et Lucanus:

Hos Cæsar populos si nunc non vsserit ignis,
Vret cum terris, vret cum gurgite ponti:
Communis mundo superest rogus ossibus astra
Mixturus.

Iudiciũ extremũ & igne mundũ exurendum esse Gentiles D nõ ignorauerũt. Ovid 15. Metam.

Cicero etiam in secundo de natura deorum libro: *Et hoc futurum nostri putant, vt ad extremum omnis mundus ignescat.* Diphili autem Comici sunt verba quæ sequuntur: *Tu putas mortuos, qui deliciose vixerunt Dei iudicium effugisse, sed est iustitiæ oculus qui omnia perspicit, duo enim itinera mortuis proposita esse putamus, alterum iustorum, alterum impiorum, cave igitur ne erres. Nam & apud inferos iudicium, quod Deus dominator omnium exercebit, cuius nomen terribile est, quod ego dicere nequeo. Si quis autem mortalium male agens putat Dei oculum effugere: is impia ducitur opinione, caveto, qui putatis Deum non esse: Est enim, est inquam, si quis autem perperam agit, tempus lucratur, nam postea dabit pœnas.* In Orpheis, quoque scriptum est: Cum omnes Deus occultauerit, ad lætissimam rursus restituet lucem, quare si iuste sancteque vivimus & hic beati, & postquam hinc recesserimus beatiores futuri sumus; quã beatitudinẽ non determinato quodã temporis spacio habebimus, sed in æternum requiescere poterimus vna cum cæteris habitantes mortalibus. Sed Chrysippus, vt est à Lactantio traditum in libris, quos *de providentia* scripsit: cum de innouatione mundi loqueretur ita inquit. Hoc autem cum sit apparet nihil esse impossibile etiam *nos* post excessum nostrum rursus spacijs quibusdam temporum evolutis in hunc restitui statum, in quo nunc esse videmur. Cui adiungendum est quod dixit Hydaspes qui Medorum rex antiquissimus, à quo amnis nomen accepit qui nunc *Hydaspes* dicitur. Descripta enim iniquitate sæculi huius extreme pios ac fideles ab nocentibus segregatos ait, cum fletu & gemitu extensuros esse ad cælum manus, & imploraturos esse fidem Iouis, Iouem respecturum ad terram & auditurum voces hominum atque impios extincturum. Sibyllarum autem præclarior est de his autoritas. Nam Erithræa sic ait: Cum autem & iste dies, fatalem finem acceperit, & in homines iudicium immortalis Dei advenerit, veniet super homines magnum iudicium & initium. Alia etiam ita dicit. Tartareum autem chaos tunc ostendet inhians terra. Venient autem ad tribunal Dei reges omnes. Et alio loco. Cælum voluens terræ latebras aperiam, & tunc leuabo mortuos, fatum soluens & stimulum mortis: postesque in iudicium ducã iudicans piorum atque impiorũ vitã vtrorũ.

Cicero. Diphilus apud Clementem.

E

Orpheus.

Chrysippus.

F Hydaspes fuit Medorũ rex antiquissimus

Iudiciũ extremũ Sibyllæ prædixerunt.

Sibyllina sunt etiã carmina quæ sequuntur: Est enim difficile credens omne genus hominum; sed cum iam mundi & mortalium venerit iudicium, quod Deus ipse faciet, iudicans impios simul atque pios tunc demũ impios quidem in ignem ac tenebras mittet: Qui autẽ pietatẽ tenent iterum vivent in terra, spiritum, Deo dante honoremq; simul & vitam eis: & alia huiuscemodi. Totius enim terræ mortalium confusio erit cum ipse omnipotens venerit in tribunali iudicare viuorum atq; mortuorum animas ac sæculum omne. Et illud: *Tuba de cælo vocẽ luctuosissimã emittet.* Et illud: *Erit mundus immundus pereuntibus hominibus*, atq; illud: *Cũ venerit ignis erunt tenebræ in media nocte obscura.* Nõ est vero omittẽdũ, licet fabulis magis cognatũ esse videatur, quod dicit Plato in Georgia: Qui iuste sancteq; vixit eum postquã mortuus fuerit in beatorũ insulas profectũ absq; vllo incommodo sũma in beatitudine vivere; Qui vero iniuste ac impie eũ in atrocissima proficisci supplicia, quæ *Tartarum* appellant.

G

Platonis de mortuis sententia.

Nudi autẽ mortui iudicantur & Iudex ipse nudus est quia defunctus & animo animũ perspicit ab omnibus derelictũ cognatis, & cæteris quæ hic habebat, vt iustũ iudiciũ sit. Cum igitur ad iudicem anima pervenerit veluti ad Rhadamantũ Asiaticum, confestim iudex etiã si regis magni anima esset in ea perspicit vulnera & cicatrices iniuriarum, quas singulæ operationes animæ impresserũt, videt tortuosa omnia falsitate atq; superbia cognoscit nihil ibi esse rectũ propter licentiã, delicias contumeliã, incontinentiãq; in vivendo: sed omni turpitudine animã repletam esse. Quare recte ad carcerem Tartari immittit: vbi supplicijs torquentur. Quam autem ab omni cicatrice peccatorum detersam videbit animã: nec quæ sit, nec vnde fuerit quærẽs admiratus ad Beatorum insulas mittit. Hæc eadem etiam Æacus baculum habẽs sicut & Rhadamantus iudicat. Minos autem sceptrum tenens: solus sedet vtriusque iudicium considerans.

H

Meditari hæc igitur (quæ & divinis mandatis & antiquorum Patrum salubribus doctrinis credenda suscepimus, quæ talibus insuper Gentilium testimoniis admonemur) magnopere studebit, quisquis maiorem indies assequi sanctæ profectum religionis optabit.

CAPVT III.

De infernalium meditatione pœnarum.

SI tantum conteritur humana mens meditatione magni illius inevitabilisque Iudicij, quanto maiore rapietur horrore cogitans, quos condemnatæ iudicatæque animæ subituræ sunt æternos teterrimosque profundi barathri carceres? quas passuræ sunt pœnas cruciatusque atrocissimos, quam putens ille fœtor, quam ardens ignis atque intolerabilis, quam invisa, infensa, rabidaque nequissimorum dæmonum illa societas. Neque vero commemoramus hic fabulas poëtarum, non tricipitem canem, non squalidum nautam, aut stygiam paludem, non Ditem, aut severos iudices, non vitrices scelerum deas, non rotas Ixionis, vndas Tantali, vulturem Titij, non cætera denique quæ summus Poëta dicit:

Non sibi si centum linguæ sint oraque centum,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem.

Poë aiū figmēta non om omnino contemnenda.

Quamquam nec omnino quæ à poëtis tradita sunt, abiicienda esse existimamus. Nam licet ficta ea esse minime dubium sit, vtcunque tamen vel ioco, vel serio fuerint, non paruam afferre videntur vtilitatem: quod eadem quoque quæ & Christiana fides recipit, confitentur esse, inferna scil. atque tetra loca vbi mortalium animæ cum ex hoc corpore excesserint variis atrocibusque pœnis vti cuiusque delicta exposcerint puniantur. Quæ eo magis etiam non contemnenda esse videtur, quo & à philosophis multa huiusmodi fuerint literis consecrata. Refert enim Eusebius Pamphili Plat. in lib. de anima ita dicere: *Tertius amnis in medio istorum exit, & iuxta ostium in latissimum incidit locum igni ardentem: vbi facit paludem mari multo maiorem, aqua & limo ebullientem; ac inde turbidus atque limosus terram circum amplexus prope paludem Acherusiadem desinit, nec ipsi permixtus, sed crebris sub terram verticibus circumuolutus infra Tartarum ruit.* Hic est amnis quem Pyriphlegetonta nominant. Ex opposito huius Stygius est quartus amnis, à quo paludem Stygem nomine fieri creditur. In hunc fluuium qui incidit, graviter in aqua tortus fertur circumuolutus Pyriphlegetonti oppositus, tandemque prope Acherusiam paludem ex opposito venit: nec etiam huius aqui cuipiam miscetur, sed circumdata in Tartarum tandem exit in oppositum Pyriphlegetonti: Hunc Poëtæ *Cocytum* appellant. Hæc cum ita se habeant, cum defuncti ad eum locum devenerint quo deportantur, primum diiudicantur, qui nam iuste, & qui contra vixerint, & si qui videbuntur medio quodammodo vixisse; in vehicula scandunt sua, & per Acheronta in paludem deferuntur, vbi graui supplicio depurgantur, & postea liberati honores consequuntur secundum benefactorum suorum dignitatem. Qui autem videbuntur propter magnitudinem peccatorum curari non posse, in Tartarum omnes deiecti nunquam inde possunt exire. Qui vero curabiles sunt quamvis maxime peccarint, vt puta in patrem vel ex ira, & postea pœnitudinem habuerunt, vel homicidio, vel alio quodam facinore contaminati hos in Tartarum devenire necesse est, & annuo torti temporis spatio eiiciuntur ab vndis. Homicidæ quidem in Cocytum, patris autem & matris violatores in Pyriphlegetonta. Cumque ad Acherusiadem fuerint paludem clamantes vocant, alij quos vituperarunt, alij quos occiderunt, cumque vocauerint, rogant & supplicant vt in Paludem suscipiantur, & si exorauerint exeunt & liberantur à malis: sin autem non exorauerint, rursus in Tartarum feruntur, ac inde iterum in fluuios, nec prius cessant quam exorauerint quos læserunt. Hæc enim vltio à iudicibus imponitur. Qui autem sanctitate vivendi excelluisse videbuntur, hi sunt qui ab ista terra quasi à vinculis liberantur. Horum qui se philosophis purgarint, sine labore in sempiternum vivunt & habitationes pulcherrimas consequuntur, quas nec verbis exprimere possim, nec si possim tempus sufficeret. Horum igitur gratia cunctis viribus virtutis curam oportet in hac vita gerere: optimum enim præmium propositum est, & spes maxima.

Amnes infernales qui sint, secundum Platonem.

D functi quo vadant, secundū Platonē.

Hæc Plato. Sed nec his quidem quamvis minime contemni debeant inniti volumus, altioribus, certioribusque opus est testimoniis. Magnumque illud & præstans esse videtur quod ab Hermete Trismegisto gentili Philosopho, nihil confictū aut compositi omnino habente, prælatum est. Docens enim Asclepium, ad quem de idolo loquebatur. *Cum fuerit* (ait) *anima è corpore facta dissolutio, tunc arbitrium examenque meriti eius transiet in summi dæmonis potestatem*: iique eam cum piam, iustamque perviderit in sibi competentibus locis manere permittit. Sin autem delictorum illitam maculis vitiis oblitam viderit, desuper ad ima deturbans procellis turbinibusque aeris, ignis, & aquæ sæpe discordantibus traditur, vt inter cœlum & terram mundanis fluctibus in diversa semper æternis pœnis agitata rapiatur: vt in hoc animæ obsit æternitas, quod sit immortali sentētia æternoque supplicio subiugata. Ergo ne his implicemur verendum, timendum, cavendumque esse cognosce. Incredibiles enim post delicta cogentur credere non verbis sed exemplis: nec minis, sed ipsa passione pœnarum.

Examini subiicienda quæ viventes gessimus etiam gentiles asserunt.

Eximia hæc profectu gentilis hominis sententia, quæ & Christianos quam maxime admonet, vt quod alieni à fide certū tenuerunt, nos ne vtique electi à Deo Christi fideles dubitare debeamus: vt post mortem sc. omnia quæ in vita vel bene vel male gesserimus, examini demum subiicienda sint: sumpturique simus pœnam eorum, quæ viventes perperam egerimus. Cuius gratia Chrysostomus in homilia illa, quam scribit super *parabola diuitis & Lazari* mendici: ostendens etiam eam esse non tam Christianorum quam gentilium simul ac aliorum omnium sententiarum. *Non ego* inquit, *credamus nos simul cum hac vita finiri sed idcirco teneamus quod bonorum ac malorū, quæ hic gesserimus fiet illic examen, & pro factis rependia recipiemus. Quod adeo clarum atque certum est vt cui hoc non optime quadret sit nemo. Nam hoc Iudæi, hoc Gentiles, hoc Hæretici, aliique omnes pariter confitentur, consentiunt, credunt, & tenent. Et quamquam de resurrectione non omnes, vt debent, sentiant, tamen de examine, iudicio & pœna illa omnes concordant, omnes confitentur aliquam retributionem futuram, eorum quæ hic vel bona vel mala perpetrauimus.* Ita nos præclare instruit Chrysostomus. Quibus convenit quod refert Plato exemplum Eris cuiusdam viri fortissimi, genere Armeni: qui in prælio mortuus cum in rogum poneretur decimo die, postquam decidit, reuixit; multaque ibi se vidisse narrauit: ac inter alia quod anima egressa è corpore cum multis in locum quendam demum devenisset vbi terræ hiatus inter se connexi maximi erant: & ex opposito duo ad cælum itinera: iudices autem sedentes vidisse, à quibus qui iusti fuisse iudicabantur in anteriore parte signis alligatis ad dexteram, & sursum in cælum ire iubebantur. Iniusti vero ad sinistram & deorsum signis ad posteriorem partem eorum alligatis, in quibus scripta erant eorum facinora, quæ cum vidisset accessisse atque rogasse dicebat, vt liceret ei hominibus hæc nunciare. Quod cum illis placuisset, per omnia illa loca diligentius ductum fuisse.

Exēplū de quodam milite in prælio mortuo.

Hæc Plato. Verum vt ad nostros veniamus longe fideliores testes, quid Esaias de huiuscemodi pœnis dicat, advertamus. Ait enim: *Vermis eorum non morietur,*

Esa. 66.

&

A

Esa. 14. *Supplicia æterna gignuntur ex materia peccatorum.*

& ignis eorum non extinguetur. Item *Detracta est ad inferos superbia tua: concidit cadauer tuum: Subter te sternetur tinea & putredo: & operimentum tuum erunt vermes.* Quæ verba doctissimus eorum & sanctissimus interpres Hieronymus ita declarat, vt pœnæ illæ æternæ intelligantur, quas propria gignit conscientia: vel suppliciorum materia, quæ ex proprijs peccatis nascitur. Sicut enim quamdiu cadaueris materia est, & aliquis humor in cadauere, vermes nascuntur ex putredine: sic ex ipsa materia peccatorum supplicia gignuntur. Quid vero verius, certius, altiusque, Saluatore nostro Iesu? audiamus & hunc ipsum loquentem. *Mittet,* inquit, *eos in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium.* Item damnatis se dicturum comminatur: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius.* In Euangelio quoque cum dixisset: *Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendide. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat, sed & canes veniebant & lingebant vlcera eius.* Subiunxit quod mortuus Lazarus portatus est ab angelis in sinum Abrahæ: & mortuus diues sepultus est in inferno. Qui eleuans oculos suos cũ esset in tormentis, vidit Abraham à longe & Lazarum in sinu eius: & ipse clamans, dixit: *Pater Abraham miserere mei: & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Cuius non concutiatur, exterreaturque animus, voluens hæc secum prolata ab ore eius qui nunquam falsa locutus est. Verum non tantum hæc locutus est: quin & multis sæpe signis, quo terror tantorum suppliciorum, cum manifeste viderentur, à terrenarum rerum cura magis humanas mentes abdicaret, demonstravit. Multa quidem huiusce modi passim narrantur. Sed illud quod tradit Gregorius, magnum certe & memorabile referemus. Scribit enim Illyricianum quendam Monachum, qui in monasterio secum viuebat, narrare sibi solitum quod ex Petro alio monacho Hibernæ regionis, accola scilicet eremi, quam ipse aliquando inhabitauerat, audiuisset, vita se excessisse alias priusquam eremum peteret, vitæ quoque statim restitutum fuisse. Vidisse autem tantisper, dum anima à corpore secessum habuisset, supplicia inferorum, atque innumera loca flammarum, suspensosque in eisdem magnos quosdam olim apud mundum atque potentes viros. Quo cum & ipse deductus esset vt cum illis simul æterno igne torqueretur, ereptum fuisse subito ab angelo, quem coruscо habitu sibi apparuisse dicebat: atque ab ingenti ea horrendaque flammarum voragine liberatum: monitum quoque ab eo vt egrederetur: & qualiter posthac viueret sollicite attenderet. Egressumque & vitæ ita redditum, tantis dicit se postmodum vigilijs ieiunijsque indulsisse, vt inferna eum vidisse & pertimuisse tormenta, etiam si taceret lingua, conuersatio loqueretur.

Mat. 22. *Mat. 25.* *Luc. 16.*

B

Suscitati cuiusdã à morte memorabile exemplũ apud Gregorium.

C

Quantum vero putare debemus esse eorum, qui tanta viderunt, terrorem mentis: cum & ipsos qui tantum ea meditantur, maxime constet futurorum semper metu & angore permoueri. In quo dignum memoratu videtur quod scribit Climacus, vidisse se cocum quendam monachorum, qui quotiens officio intenderet suo, toties vndantibus semper maderet lachrymis, ingentesque compunctæ cordis singultus emitteret. Cumque causas eorum interrogasset, sic ab eo accepisse: nunquam ignem, quo ad coquenda edulia vtebatur, se intueri, quin mentem subiret infernus ille & æternus ignis quo dirum in modum damnatæ mortalium animæ cruciatur. Ita vero fit, vt præsentium rerum consideratio suscitet vehementemque infigat memoriam eorum, quæ aliquando futura expectamus. Qua ratione qui cogitauerit grauissimos acerbissimosque, quos humana corpora sustinent, dolores, & angustias, vel febrium, vel neruorum, vel iliorum, vel dentium, ceterorumque quorum longa nos quasi agmine facto atque innumerabilis obsidet multitudo: qui hæc inquam cogitauerit facile comprehendet eorũ exemplo quanto longe exsuperent atrocitate immanitateque doloris inferna illa, quæ nullam cum his habent comparationem, tormenta atque cruciatus. Quibus quantum exterreri debeamus docet Augustinus, declarans quod Saluator ait: *Ite maledicti in ignem æternum, quem præparauit pater noster Diabolo & angelis eius,* vbi inquit, *erit stridor dentium:* vbi sunt oculorum lacrymæ, vbi mors optatur & non datur: *vbi vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur:* vbi aliud non paratur nisi pœna, vbi nullus Dominus super seruum: vbi nec senis reuerentia, nec iuuenis ministerium. Vbi nullum gaudium nec lætitia post tristitiam: vbi nullus honor nec requies post pœnam, vbi tenebræ æternales & horror pœnæ, vbi ardor, sitis, tertia obliuionis: vbi ardor flammæ & dolor vermium: vbi nihil videtur nisi pœna, & nullus auditus nisi gemitus, vbi nulla consulatio, vbi infernus id est profunditas gehennæ. Et Gregorius. *Erit in inferno,* inquit, *frigus intolerabile ignis inextinguibilis, tenebræ palpabiles, vermis immortalis, fœtor intolerabilis, flagella cædentium, horrida visio dæmonum, confusio peccatorum, desperatio omnium bonorum*

Cocus quidam monachorum officio intendẽs semper madebat lachrymis.

D

E

Mat. 25. *Apoc. 9.* *Esa. 65.*

F

Inferni incommoda.

Monet etiam nos Bernardus his verbis, *Procul quippe à beata porta paradisi exulati cruciabuntur in gehenna perpetua: nunquam lucem visuri, nunquam refrigerium adepturi: sed per millia millium annorum in inferno cruciandi: nec inde vnquam redimendi, vbi nec qui torquet fatigatur, neque qui torquetur aliquando moritur: Ignis infernalis sic consumit vt semper reseruetur: sic tormenta aguntur vt semper renouentur.*

Iuxta vero quantitatem culpæ, pœnam vnusquisque sustinebit gehennæ, & similes rei suis similibus iungentur cruciandi: nil aliud ibi audietur nisi fletus, & planctus, gemitus, & vlulatus, mœrores atque dentium stridores: nihil ibi videbitur, nisi vermes, laruales facies tortorum, atque teterrima monstra dæmoniorum.

Deut. 25.

Vermes crudeles mordebunt intima cordis:
Hinc dolor, inde pauor, gemitus, stupor & timor horrens.

Ardebunt miseri in igne æterno in æternum & vltra: in carne cruciabuntur per ignem, in spiritu per conscientiæ vermem. Ibi erit dolor intolerabilis, mors corporis, & animæ sine spe veniæ & misericordiæ. Sic tamen morientur vt semper viuant; sic viuent vt semper moriantur.

G

Nihil tamen horum quæ dicit Bernardus tristius videtur, quam cum à beata porta paradisi exules se factos esse intelligent: quod & confitetur Chrysostomus, scribens *de compunctione cordis. Ponamus,* inquit, *illud ante oculos quanti doloris est excludi & proijci à rege & à regno cælorũ, quod, vt mihi videtur, ipsa grauior est gehenna.* Nam & si ille ignis non arderet, etiam immortalis illa pœna non esset parata, hoc solum quod alieni efficimur à Christo & excludimur à bonis æternis: nonne omni pœna cruciabilius duceretur? Hæc igitur meditari oportebit: quæ cum meditabimur, nulla erit tanta terrenarum rerum delectatio, quæ non horum consideratione amara & vilis fiat.

Damnatos quid magis cruciabit.

Nulla tam gravis huius vitæ molestia aut durus labor, quem non placida, læta, libentique animo suscipiamus. Quare Bernardus ad *Robertum,* quẽ revocare ad monasteriũ studebat scribens; dũ ante memorasset abstinentias quas sustinẽt sãcti viri, postea subdit: *Sed hæc leuia sunt meditanti flammas perpetuas. Recordatio deinde tenebrarum exteriorũ facit non horrere solitudinem. si futuram cogites de verbis ociosis discussionem. Non valde displicebit silentium, fletus æternus & stridor dentium ante cordis oculos reductus. Parem tibi reddet mattam & culcitrã.* Chrysostomus quoque ad *Theodorum* alterum monachum quem vtique *lapsum revocare* contendebat, ita scribit. *Huius enim vitæ diuitiæ & illicitæ voluptates somnia similes vmbrisque transcurrunt. in quibus antequã peccato terminus detur delectatio cupiditatis extinguitur.* Illa vero supplicia quæ homines propter ista suscipiũt, carent fine tormenti: & quod hic oblectare creditur,

Mat. 22.

H

A

temporale est: quicquid autem illic cruciat & consumit, æternum est.

Nec contemnenda est auctoritas Richardi, in eo libro quem edidit *de interiori statu hominis. Quis enim* inquit *tam insensata, tam obstinatæ mentis vsquam poterit inveniri, qui non expauescat & omnino exhorreat, transitoria carnis blandimenta æternis tormentis mercari: si diligenter inspiciat & indesinenter attendat quæ sint modica seu etiam momentanea illa omnia carnis oblectamenta, quæ pertranseunt: & quæ sint immania quamve atrocia tormenta illa æterna quæ finem non habent, nec habere possunt.* Agite igitur, sorores (vt dicit Gregorius) quia præsentia gaudia sequuntur perpetua lamenta, vanam lætitiam fugite: si illic flere formidatis temporalis lætitiæ fluxa restringite, carnis voluptates edomate: Quicquid animo ex præsenti sæculo arridet, ex consideratione æterni ignis amarescat. Quicquid in mente pueriliter hilarescit, hoc disciplinæ iuuenilis sensus censura coerceat: vt dum sponte temporalia fugitis, æterna gaudia sine labore capiatis.

Richard.

Gaudia præsentia sequuntur perpetua lamenta.

B

Nunc ad alia, quæ restant, gratiora quidem & lætiora transeamus.

CAPVT IV.

De meditatione æternæ gloriæ paradisi.

MEditari vltimo loco conveniet æternam, quam cum Deo assequi gloriam aliquando speramus: sunt pariter ibi præmium laborum nostrorum palmam que proculcati mundi superatique diaboli. Nam si apud Ciceronem, hominem gentilem: *Certum est in cælo locum esse definitum omnibus qui patriam conseruauerint, adiuuerint, auxerint, vbi beati sempiterno æuo fruantur.* Si Plato putat animam sapientis vinculis corporeis liberatam remigrare ad Deos: & pro merito vitæ purius, castius que transactæ hoc ipso visu Deorum se eondítioni conciliare. Si Hermes Trismegistus dicit exutos nos mundana custodia, nexibusque mortalitatis absolutos, naturæ superioris partis, id est divinæ putos sanctosque restitui. Si Anaxagoras rogatus, an sibi patriæ suæ cura esset: digitum in cælum intendens: & quidem mihi summa est, responderit: Minus ne nos spei geremus genus Christianum à Deoque melius electum: immo spe amplissima atque certissima pleni: nihil aliud anhelabimus, suspirabimusque quam dulcem illam futuram vitam, quam munitissimam illam & gloriosissimam patriam, quæ nec proditorum dolosas machinationes, nec hostium furiosos insultus timet: in qua libertas summa atque æterna viget; regnat pax omnis atque tranquillitas; dominatur concordia, floret quies: amor passim cuncta perlustrat: in qua nitor omnis opulentia atque satietas: in qua tuta omnia, salua omnia, læta omnia ac exhilarata: quæ tota gaudet, exultat, plaudit, triumphat: à qua

Cicero in Somnio Scip.

C

Paradisus cælestis ab hostium multibus tutus est.

Æterno procul exilio, tristitia, mæror,
Et dolor ac planctus, gemitus, suspiria, curæ,

morbi, atque egestas Procul quoque lis, odium, rancor, suspicio, insidiæ, fraudes, doli, insimulationes, criminationes, delationesque pestiferæ, vbi nihil tectum aut fucatum, cuncta nuda & aperta: idem nolle atque velle eadem omnium desideria & vota: cuncta vnius regis imperio concorditer parent, cuncta audiunt, cuncta famulantur, cuncta eius ab ore atque oculis pendent. Qui vt Cleanthes Stoicus eum interrogaretur, qualis Deus esset: inquit, est Bonus, ordinatus, iustus, sanctus, seipsu possidens, vtilis, speciosus, optimus, seuerus, liber, semper commodus, intrepidus, sine mœsticia, sine dolore, tutus, gloriosus, quem esse omnes conueniunt, mitis, acer, tardus, sine querela semper manens. Quem & natura videre omnia dicit Epicharmus Pythagoreus, nihilque illi clam esse, nihil quod non possit. Qui & omnia dare, vt est sententia Democriti, atque omnia potest auferre. Rex omnium ipse solus: &, vt ait Pindarus, vnus pater creator summus, atque optimus artifex: qui progressus singulis diversos, secundum merita præbet

Dei ab Cleanthe

D

Stoico descriptio.

E

Qui, vt Orpheus quoque tradit his versibus, quos nos transtulimus,

Vnus perfectus Deus est qui cuncta creauit
Cuncta fovens, atque ipse ferens super omnia sese.
Qui capitur mente, tantum qui mente videtur.
Qui nullumque malum mortalibus inuehit vnquã.
Quem præter non est alius, qui nubibus altis,
Insidet excelsus: quem cælorum aurea sedes
Sublimisque tenet, cuius se dextera tendit
Oceani ad fines: quem de radicibus imis
Concussiq, tremunt montes: nec (pondere quamvis
Immenso sint) ferre queunt, qui culmina cæli
Alta colens: terris nunquam tamen ille sit absens.
Ipse est principium, medium, quoque & exitus idẽ.

Versus Deum describentes.

Ad hanc igitur tam felicem præcellentemque patriam à tali eius, ac tanto principe vocati: si libuerit, ibimus gaudentes, triumphantesque, ac pro devictis tam immanibus hostibus nostris læta trophæa referentes. *Quid non ergo* (inquit Cyprianus in libro de mortalitate) *quid non properamus & currimus, aut patriam nostram videre, vt parentes salutare possimus: Magnus nos illic carorum numerus expectat parentum, fratrum, filiorũ frequẽs nos & copiosa turba desiderat: iã de sua incolumitate secura, adhuc de nostra salute sollicita* Sed præterea ibi nos excipient magno cum plausu obuia nobis millia angelorum. Ibi occurret ingens eorum qui recte sancteque mundo vixerunt: atque infinitum agmen ibi innumerabilium Confessorum sacer & præclarus ordo: ibi sacerdotum præstans & veneranda turba: ibi monachorum confertæ ac exultantes cateruæ: ibi longa eorum celebrisque societas: qui excellenti suo ingenio, salutiferisque doctrinis divinas leges vel defenderunt vel auxerunt. His se adiungent plaudentes dulceque modulantes candidarum virginum chori: cum instructa longo ordine martyrum acie quæsiti triumphi palmas ac vexilla gestantes, mox venerando insignes vultu atque habitu Apostoli: Prophetarum quoque ac Patriarcharum gravis & gloriosus senatus. Post quos saluator orbis IESVS CHRISTVS Dominus noster triumphale superatæ mortis vexillum manu protendẽs caramq; vna secũ matrẽ, splendidiorẽ sole, candidiorẽ nive, coronis vndiq, monilibusque radiantem excelso in solio tenens: tunc tota ipsa beata omnipotensque Trinitas ex pura sua inaccessibilique luce circumplectetur nos, exosculabiturque tanto cum honore ac gloria ad se venientes: æterno quoque secum gaudio fruituros: ad propria singulos & digniore vti cuiusque merita postulabunt in sede collocabit.

F

Anima beata quemadmodum in paradiso cælesti recipietur.

G

Tunc se quantæ maiestatis quantique splendoris sit omnibus palam demonstrabit: tunc eam videbimus omnes, contẽplabimur atque amabimus: qua nihil expectari potest amœnius aut delectabilius. Tunc patris potentiam, filij sapientiam, spiritus Sancti benignissimam clementiam perspicue cognoscemus, tunc incomprehensibilia illius arcana penetrantes: veritatem ipsam certius manifestiusque intuebimur, tunc videntes intelligemus, intelligentes amabimus, amantes delectabimur, delectantes dulci eius suavitate perfruemur: perfruentesque omnium quæcunque optabimus compotes erimus. Hic hebetat visus, mutit lingua, manus deficit, stupet ratio, omnisque deiectæ caligat mentis obtutus, cum ea aggredimur *quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis vnquam ascenderunt.* Antisthenes Deum dicit nulli similem esse: quare nullo etiam modo fieri posse vt agnoscatur: cuius imaginem nullam habeas. Et Xenophanes Colophonius: *vnus,* inquit, *Deus inter Deos atque homines maximus, nec corpore atque mente mortalibus similis.* Heraclitus etiam *verbi quod est semper,* ait, *sensum homines non capiunt, nec antequam audiunt nec cum primo audierint.* Sed & Xenophontis in eandem sententiam verba sunt hæc: *Qui omnia quatit & omnia quiescere facit: magnus potensque est quod omnibus patet: qualis autem forma sit nemini patet, nisi ipsi soli qui luce sua omnia perlustrat.* Quis enim corporeis Deum verum cælestem

Deum hic videre aut comprehendere non possumus. 1. Cor 2.

H

atque

A

Dei descriptio secundu Plat.

atque immortalem oculis cernere potest. *Deus*, inquit Plato in Phœdone, *totius rerum naturæ causa & ratio & origo initialis: summus animi genitor: æternus animantium sospitator: assiduus mundi sui opifex*, sed enim sine opera opifex, sine cura sospitator, sine propagine genitor, neque loco, neque tempore, neque vice vlla comprehensus: eoque paucis cogitabilis, nemini affabilis. Orpheus quoque, cuius versus latinos iam fecimus, ita scribit:

> *Hic etenim video ipsius vestigia, fortem*
> *Hicque manũ video: verũ ipsum cernere quis sit,*
> *Nequaquam valeo: nam nubibus insidet altis.*

Quam eximia autem sunt Gregorij Nazianz. verba illa, quæ scripta reliquit in libro *de virtute*: *Si quis arbitratur Deum posse cognoscere inquantum Deus est, non sanam mentem habet nisi quemadmodum si vmbram solis in aqua respiceret, solem intueri se, putaret: vel istij pulchritudinem admiratus, Dominum intus videre existimaret*, Alius sane alio sapientia præstantior existit: cum plura videt plus attrahit splendoris, sed tamen omnes dignitate Dei quæ lumen velat inferiores sunt.

B

2 Cor. 12. Act. 12.

Hoc lumen tenebræ tegunt atque præoccupant: neque vero si aliquis nubem intuitu scinderet aut fulgorem summi luminis penetraret hoc ad Deum cognoscendum sufficere videtur, qui omnia sui præsentia replet: quique totus vniversos cælos occupat, & qui mentibus sapientiam præbet: se mentis ictus sesugit. Sed, quod excellentius testimonium est, raptus Paulus vsque ad tertium cælum vidit arcana Dei quæ non licet homini loqui vidit & consternatus est humi confestim, cecideruntque super eum tenebræ. Nos qua audacia quæ summi Philosophi atque poëtæ, quæ sanctissimi viri intelligi haud posse dixerunt, quæ sustinere Paulus non potuit, ea disserentes attingemus? Satius sit nobis quæ magister noster IESVS, quæ prisci patres atque præceptores tradiderunt solida magis & sincera fide suscipere quam verborum vllo ambitu indagare. *Videmus nunc in ænigmate per speculum, tunc videbimus facie ad faciem.*

Plato.

Si natura humana (inquit Plato) illa posset superiora perspicere: cognosceret ibi esse verum cælum, veram lucem, & veram terram. Hæc enim terra & hi lapides & omnia quæ hic sunt corrupta exesaque (quemadmodum ea quæ prope mare sunt à salsedine maris) in qua tanquam in sterquilinio formicæ, aut in palude sanæ videntur homines habitare.

C

Mat. 11.

Putamus nobis animo magnum quempiam regem celebrantem hospitibus convivium, non existimabimus maiore longe cum vsurum diligentiã, opulentioreque & splendidiore apparatu, quam si à plebeio aliquo tenuiorisque sortis homine id instrueretur? Ita credere nobis licet summum illum terræ atque cæli regem, qui dixit, *Venite omnes qui laboratis & ego reficiam vos*, tales paraturum in regno suo epulas, quales nulla alterius ars queat instruere aut excogitare: quibus refecti convivæ tanta diffundantur suavitate, quanta nos infirmum & tenue mortale genus vllo vnquam pacto comprehendere possimus. Curare igitur debebimus non vt quales futuræ sint illæ supernæ epulæ investigemus sed vt ita pie sancteque vivamus ne à cælesti illo convivio, cum tempus cœnæ advenerit, arceamur.

Mat. 25.

Consideremus parabolam decem virginum, quam huius rei causa recte docuit nos saluator noster, quarum quinque prudentes cum conservato oleo receptæ à sponso fuissent Contra quinque fatuæ quia nullam servandi olei curam habuerant reiectæ ideo atque à nuptiis exclusæ sunt.

D

Vigilemus ergo quod monet ibi nos Dominus, & vt aditum ad cælestes nuptias, quotiescunque tempus nos vocabit, habeamus, toto nunc studio totis nunc viribus insudemus. Ceterum qualis ille thalamus, quale cœnaculum sit, qualia ibi edulia, quales ioci & plausus præparentur; cum non sit humanæ infirmitatis intelligere, talia ea esse fide docente credamus, qualis magis magnitudini potestatis atque excellentiæ ipsius quam vilitati nostræ convenire videantur.

Gaudia cælestia in cõprehensibilia sunt.

Quæ enim lingua dicere (vt inquit Gregorius) vel quis intellectus capere sufficit illa supernæ civitatis quanta sint gaudia, angelorum choris interesse, sub beatissimis gloriæ conditoris assistere, incircumscriptum lumen videre, præsentem Dei vultum cernere, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari.

E

August.

Vbi ex sententia Augustini in libro vltimo de civitate Dei, nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnis in omnibus, vbi neque vlla desidia cessabitur, neque vlla indigentia laborabitur, vbi vera gloria erit, vbi nec laudantis quisquam errore: nec adulatione laudabitur. Verus honor qui nulli negabitur digno, nulli deferetur indigno, ad quem nec vllus ambiet indignus: vbi nullus permittetur esse nisi dignus: Vera pax, vbi nihil adversi nec à scipso, nec ab alio quisquam patietur. Vbi præmium virtutis erit Deus ipse, qui virtutem dedit; vbi ipse erit & vita & salus, victus, & copia: & gloria & honor & pax & omnia bona: vbi ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur: vbi hoc munus, hic affectus profecto erit omnib. sicut ipsa vita æterna communis: Vbi vna in omnibus & inseparabilis in singulis voluntas libera, ab omni malo liberata & impleta omni bono, fruens indeficienter æternorum iocunditate gaudiorum, oblita culparum, oblita pœnarum: Nec tamen ideo suæ liberationis oblita vt liberatori suo sit ingrata.

F

Vbi, sicut idem alibi dicit: Erit lumen indeficiens, vbi gaudium sempiternum, vbi vita perennis & immortalis, & lætitia sempiterna cum angelis & Apostolis: vbi lux lucis & fons luminis, vbi civitas sanctorum Hierusalem cælestis, vbi conventus Martyrum & Patriarcharum Abraham, Isaac, & Iacob, & sanctorum omnium, vbi dolor nullus, nec tristitia post gaudium: vbi nox effugiet & senectus non apparebit, vbi charitas inexplebilis, vbi pax individua, vbi assistunt angeli & vniversæ potestates, vbi manna id est cibus cælestis, & vita angelica. Et, vt infinita brevi comprehendantur, vbi omnia dolor & omne malum non videbitur, & omne bonum non deesse vnquam potest. *Vbi* (vt dicit Ephrem) *laudatio & exultatio & iocunditas sempiterna est*: vbi fulgebunt sicut sol, vbi lætabuntur lætitia inenarrabili: vbi Deum videbunt quod bonorum est omnium potentissimum: vbi nobis CHRISTVS demonstrabit omnem gloriam patris, & sanctorum officia angelorum: vbi adorabimus patrem in atriis sanctis, vbi sine fluctibus & perturbationibus vitæ vivemus, vbi choris miscebimur sanctorum vbi auferentur ab oculis nostris lachrymæ quæ pupillas oculorum nostrorum obnubilant, vbi cantabimus & dicemus, *Mirabilis es Domine in sanctis tuis*: confitebimurque Domino quia *repleti sumus misericordia tua: & exultauimus & lætati sumus in omnibus diebus nostris.*

Deum videre bonoru omnium potentissimum.

G

Psal. 67. Psal. 89.

Vbi (sicut ait Bernardus) præmium est videre Deum, vivere cum Deo, qui est omnia in omnibus: & habere Deum qui est summum bonum, in quo est summa felicitas, summa iocunditas, vera libertas, perfecta charitas, æterna securitas, secura æternitas. Vbi est vera lætitia, plena scientia, omnis pulchritudo, & omnis beatitudo, vbi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, honestas, gaudia, lætitiæ, dulcedo, vita perennis, gloria, laus, requies, amor, & concordia dulcis, vbi iustus in æternitate vigebit, in veritate fulgebit, in bonitate gaudebit, sicut habebit permanendi æternitatem, sic cognoscendi facilitatem, & quiescendi felicitatem. Vbi quod semel adipiscitur semper tenetur. vbi requies à laboribus, pax ab hostibus. Vbi nulla tristitia, nulla angustia, nullus dolor, nec timor, nec labor, nec mors: sed perpetua sanctitas sẽper perseverans. Non malitia, non carnis miseria, nec vlla omnino necessitas.

H

Nulla ægritudo ieiunij, nulla ĩctatio inimici: nõ peccãdi voluntas, nec delinquẽdi facultas. Ad hãc igitur tot tãtisq; bonis abundantẽ atq; felicẽ ac præpotentẽ patriam, quã fide tantum cognouimus, erigamus eiã spẽ nostrã: meditemurq; iugiter quam ingens sit illius amplexumq; & incorruptum, quod sperare possumus, bonum

ita constanter & perseveranter durum hoc & asperum iter vitæ nostræ perficere studeamus vt exacta hac temporis peregrinatione fessi tandem ad eam remeare, & cum summo illo rege æterna frui quiete valeamus. *Nulla nos* (vt inquit Gregorius) *adversitas terreat.* Nulla nos prosperitas blandiens seducat. Quia stultus viator est, qui in itinere amœna prata conspiciens obliviscitur quo tendebat. Toto desiderio ad supernam patriam animus anhelet, nihil in hoc mundo caducum appetat, sed ad æterna aspiret. AMEN.

Gregor.

FINIS.

VERITAS EXVLANS
Cornelij Graphei Alostani.

TOTO fugata olim orbe nuda VERITAS
Vt fors nigra sub vespera
Divertit ad cuiusdam anus pauperculæ
Bene fumidam domunculam.
Anus rogat, quænam esset, vnde venerit:
Quo nocte opaca tenderet.
Quæro, inquit, hospitiolum. Ego sum VERITAS,
Filia Chroni Momi Soror.
Invisa toto divagor mundo, vndique
Me ceu canem pellunt procul.
Nullus latendi vsquam locus; dicam mihi
Minantur omnes, heu necem
Nisi fugitem impias manus, nisi sileam
Linguamque & os compresserim.
Quod scilicet lingua est mihi sat libera
Densesque maltam aeutali,
Non parco cuiquam, occulta detego omnia
Mores noto, carpo vitia,
Mordeo, reprendo, infector acerbissime
Si quid sinistri offendero,
Nil taceo, nil simulo, hostis atrox hypocrisi,
Et pessimus palponibus
Vt vsque sunt omnes tenellis auribus
Et delicata cuticula
Vt non ferant se attingier, ne scilicet
Lædamur offeasi vspiam.
Hæc audiens anus: Profecto talia
De te, inquit, audivi. Simul
Pietate mota inducit in parvos lares,
Et quos habet promit cibos:
Dein bene refectam molliter locat suo
In lectulo, ac simul cubant.
Mane autem vbi lux orta, cara VERITAS
Dictura iam Vale hospita,
Vt vidit altero orbam oculo: Heus mulier, ait,
Vt indecore es luscula:
Profecto id haud notaveram dudum nigra
Sub nocte, dum vitia latent.
Tam graviter indignata fœmina, virgini
Haud mollem in os pugnum ingerit,
Et fuste rapta ex angulo, dire minax
Propellit eiectam domo
Et dixit: Ergo te mihi, mihi at misera
Hanccine referre gratiam?
Quæ te vagam, profugam, & egenam acceperim,
Tam humaniter tractaverim?
Quin & meum (ô ingrata bellua:) iam mihi
Vitium exprobras? quis hoc ferat?
Pol video nunc haud esse mirum, te vndique
Temni, fugari, expellier.
Apage hinc malum in rem, idque cum isthac tua
Loquacitate perfida.

SIC, grata nusquam est gentium, gravis vndique
Sic VERITAS odium parit.

MAPHEI VEGII
LAVDENSIS
Philalethes, seu veritas invisa exulans, Dialogus.

Mapheus Vegius Eustathio fratri Salutem.

DVm repeterem nuper animo, Eustathi frater, id quod sæpius soleo, tam perversos in omni mortalium statu, corruptosque vivendi mores; attendere mque nihil non plenum fraudis & improbitatis, aggressus sum novam breuemque & (vt puto) non iniucundam ingenij lucubrationem; quæ & si primo conspectu admirationem tibi forte sit allatura, quod qui condendis poëmatibus studia mea hactenus impenderim, liberam nunc primum, solutamque dictionem amplectar: quum animadverteris tamen diligentius rei de qua scribendum fuit inventionem non modo admiraberis, sed vltro etiam qualecunque est quod egimus approbabis. Nam nec inprimis à poëtæ officio discessimus; quod per sese satis scripto ipsa atque aperte manifestat: nec licet poëma ediderimus, potuimus facile dialogi opus contextum (quod præsertim neque Tragicum, neque satis Comicum est) adstrictioribus numeris explicare. Quod si quibusdam fortasse videbitur oratio nostra mordacior quam vel ego soleam, vel delicata multorum ingenia patiantur, rogatos eos velim vt rationem animi nostri æquanimios suscipientes existiment non tam me omnium hominum quam humanorum omnium statuum vitam coarguisse, putentque non ita damnasse me mortales suorum scelerum, vt non aliquis tamen ex singulis eorum statibus credam bonæ frugis, bonæque mentis semper extitisse. Hos ego (si qui sint temporibus nostris) non dubito pro constantia virtutis suæ libello meo esse congratulaturos. Reliquos vero (qui conscientia flagitiorum suorum acti dicta omnium pariter & scripta in se iaci suspicantur) video & accusaturos susceptum laborem nostrum; & vt ad risum sunt faciles, etiam aliquando irrisuros. Sed age, accusent atque irrideant vt libet, quos certe minoris pendo quam floccos indumenti mei. Te autem germane charissime (cuius egregiam virtutem, & cum virtute coniunctum mirum literarum amorem ac studium intelligo) persuasi mihi non postremum fore, qui scriptiunculæ nostræ congratulatum ires, quem quoniam ita persuasi, dignum etiam duxi insuper cui eam debitam quasi quodam iure dedicarem. *Veritatem* igitur nostram tibi vulneratam atque cruentatam (vt descripsimus) mitto, tanquam idoneo hospiti: tu ipsam & amice, & humaniter suscipito, tractatoque non secus ac alter Philalethes. Proficiscitur siquidem ea ad te perlibenter. Nam quum sciscitanti illi multum mores tuos, integritatemque vitæ commendassem, exiliuit statim gaudio, & præ desiderio (quo te visendi correpta est) ocius evolavit. Ornant alij germanos suos auro & gemmis, preciosaque suppellectile: ego te bonis disciplinis, claris moribus, rectisque vivendi exemplis semper ornare studui: quod & itidem facio in præsentia. Sed quum fluxa illa & momentanea, hæc vero stabilia atque æterna sint: quantum altera alteris præstent qui ignorat, non desipit ille (iudicio meo) sed insanit.

MAPHEI

MAPHEI VEGII LAVDENSIS,

Veritas Exulans Dialogus Veritatis & Philalethis ad Eustachium fratrem

PHILALETHES, ET ALITHIA.

QVÆNAM es tu mortalium quæ per vasta hæc montium inaccessaque aliis vagaris loca? ALITHIA. Parce me mortalem appellare, quæ divino magis ex semine procreata sum. PHILALETHES. Divinum est ne nomen tibi? ALITHIA. Vtique PHILALETHES. Quænam ergo tu cælestium es? Dic mihi. ALITHIA. Etsi mille iterum mihi ingruant tormenta nunquam tamen meum subticebo nomen. PHILALETHES. Quid tormenta narras? Aut quid est quod propter me extimescas qui lædere neque sciui quempiam vnquam: neque plane volui. Effare age nomen tuum. ALITHIA. ALITHIAM Graij, Veritatem me Latini vocant. PHILALETHES. Tu ne *veritas*, filia temporis? ALITHIA. illa ipsa sum, sed alio tamen ea parente orta. PHILALETHES. Audiueram equidem quosdam credentes te ex Tempore genitam. ALITHIA. Audire potuisti facile: Fuerunt enim certo qui ita crediderunt, neque inepta fuit eorum ratio credendi. Nam cum sub aperto semper aere degam, neque tegar vnquam latebrisque vnquam vllis occludar, si tegi tamen aut occludi per vim forte contingat, tanta sum harum (quas cernis) alarum pernicitate, tantaque corporis agilitate & aptitudine, vt necubi latere, à nulloque diutius celari possim, quæ proinde & nuda sum semper (vt vides) & nullo vnquam amictu contecta. Qua ducti illi ratione (quæ veri satis similis esse videtur) putauerunt me eo patre generatam: qui omnia (quantumcunque occultissime agantur) detegit aliquando ac manifestat. Verum vt (indubitatum parentem meum intelligas) audistin vnquam magnum Olympi rectorem ex cerebro genuisse sapientiam illam, quã vocant Pallada? Hæc mihi soror, ille mihi parens: Edita sum ego eodem partu, eodem semine: tantaque est duarum sororum inter nos volendi ac sentiendi paritas: tanta vultus facieique similitudo, vt vtram videris, dicas in nobis nihil præter nominum appellationem differre. PHILALETHES. O faustum hunc mihi diem melioreque lapillo numerandum, quo tandem videre te mihi contigit, cuius videndi incredibili iam diu desiderio flagrabam, propeque tabescebam. Per quas te non quæsiui vrbes? Per quos non vicos & oppida? Quibus non anxius errani syluis, dum te quærito, quibus non montibus? quibus non inuiis & vastis locis, vt (quam te vnam animo, menteque gerebam) intueri saltem aliquando possem. O lætum me hodie & perbeatum qui quam non inueni quæsitam totiens reperire tandem insperatus casus dedit. Sed tu dic, Agnoscis ne me? ALITHIA. Haud agnosco te. PHILALETHES. Tuum ne Philalethen, quo non est amantior tui, ALITHIA. Tu ne Philalethes meus? PHILALETHES. Philalethes. ALITHIA. Quam peroptatum te offers mihi, quæ te non minore vivendi desiderio quæsiui vbique gentium Quoties inuocaui nomen tuum atque inclamaui? Putaueram te ciuitates incolere, frequentem esse inter conuentus hominum: speraueram tibi magnum esse, ac celebre nomen in populis: sed quibus nunc te errantem video in asperis atque desertis locis, squalore obsitum, horridulum veste, sordidulum, pallidulum, incomptum, solivagum, incognitum, despectum. Quid mirum si nusquam tibi (dum vbique te vocarem) exaudiebar. O lætam me non minus hodie, & perbeatam cui (vocatum te antea toties: post longa tandem mala mea) inopinatus hic dies atque locus obtulit. Sed cur (edissero mihi) tam incultus es & veste lacer, tam squalidus & abiectus cur hæc habitas quæ præ horrore feræ etiam loca refugerent? PHILALETHES. Edisserã tibi vt libet. Sed tu primũ (quandoquidem miserabilior tua conditio videtur) expone mihi cur tantis confecta vulneribus tantoq; sis cruore conspersa, atque fœdata: cuius olim tam eximiam esse formam acceperam, atque liberalem: cuius ex ore candidiorem sole etiam splendorem scintillare prædicabant: cuius frons neque hilarior, neque tristior, cuius aspectus, neque deiectus humilius, neque perfusus licentius, neque erectus altius, sed reverenda quadam & formidabili quasi maiestate conditus ferebatur. Vbi nunc decor ille longe lætus, longeque Charites etiam ipsas exsuperans? Vbi nunc tanta illa formæ dignitas, simulacris etiam omnibus emendatior? Vbi venustas oris & elegantia: vbi capillorum rutilatio, candor corporis, honos oculorum & gratia? Cur immutata nunc omnia? deformata, consporcata, coinquinata? Quinam (dic mihi) in te confoderunt vndique, confossamque ita crudeliter affecerunt: vt nullam videam sine vulnere, sineque cruore, vel minimam corporis partem. ALITHIA. Longum factura essem sermonem si malorum meorum seriem omnem explicare vellem. Quod ad auctores tamen pertinet possum eos brevi verbo significare: mortales scilicet à quibus tam dirum in modum vulnerata atque cruentata sum. PHILALETHES. Mortales ergo tantorum tibi malorum auctores. Mortales quasi diuinabam. Nam eorum improbitas satis mihi superque manifesta est: quos etiam præ infinita scelerum suorum turba ita sum aspernatus, ita dedignatus, vt non modo à domestica eorum consuetudine, sed & ab aspectu insuper me prorsus abstulerim: satius ducens mihi existimansque dulcius in his vastis solitudinibus vitam agere, cum hac vili ac trita veste, cum tuguriolo vel minimo quo ventos arceam, carpere tenues cibos, lymphas habere in deliciis, quam summa cum omnium divitiarum atque dignitatum affluentia, versare inter tot portenta flagitiorum quibus ad summum vsque omnia referta sunt mortalium tecta. Quæ quum neque oculis conspicere: neque cogitatione prope sustinere possim, id factum est (cuius causam a me quærebas) vt iam incultus & squalidus elegerim hæc horrentia magis loca inhabitare. Sed tu (oro) enarra mihi atque à principio repete causas malorum tuorum: quas vti magna cum attentione: ita graui non sine dolore auditurus sum. ALITHIA. Accepisti ne vnquam vllas cælestes virgines ab optimo maximoque parente ad mortales demissas fuisse? PHILALETHES. Hocce cupio intelligere. ALITHIA. Demissa iam pridem Concordia, demissa Pax, demissa Iustitia, & item Pudicitia, demissæ innumerabiles aliæ eximia specie, candentique pudore virgines. Despectæ vero à mortalibus omnes, ludificatæ profugatæ: & per totum orbem turpiter exagitatæ; ac demum (vnde deuenerant) regressæ sunt. Demisit me postremo amantissimus mortalium parens meus: ratus (propter maiorem quam profero vultus mei reverentiam & dignitatem) non tam grauis modo, nec iniurias excepturam sed honori insuper magno ac venerationi apud illos futuram, & si quod erat quod propter me animo angeretur, id vnum erat excellentia formæ, corporisque nuditas, quæ eum cogebat obscænas atque impuras aliquorum (siquas offendissem) manus vereri. Quam vero longe cogitationem euentus fefellit quam longe alia crudelitatis magis quam obscœnitatis facinora extimescenda erant: quæ tot ac tanta quidem sustinui vt (cum audieris) præ immanitate vix illa tibi credibilia videantur. PHILALETHES. Ni fallor equidem intelligere videor præcipuos inter cæteros

Veritas temporis filia

mortales, tanti ſceleris reos. ALITHIA. Quos? PHILALETHES. Circulatores & vanos quoſdam novarum artium oſtentatores: qui vel fucatis herbarum concinnationibus, vel fictarum imaginum geſticulationibus illudunt, maxime rudi popello, quibus nihil eſt veritate alienum magis atque incognitum. ALITHIA. Parum vel nihil habeo quo iſtos accuſem, nam ludunt magis quam lædunt eorum artes. PHILALETHES. Mimi ergo te læſerunt & hiſtriones: qui (quos volunt) hominum geſtus & voces ipſi effingere & ementiri poſſunt? ALITHIA. Et hi minus quam ſuperiores. Nam offendunt neminem vnquam: delectant autem quemque iocis & ſalibus ſuis. PHILALETHES. At credo manus tibi intulerunt, qui impoſturam faciunt canentes vim naturæ inferre: dum ignobiliores metallorum materias in precioſiores vertere atque adulterare vanis artibus ſuis contendunt, vt vel diteſcant magis, vel quæ non proſunt ſuperſtitioſo quodam ſtudio magis inveſtigent. ALITHIA. Deploranda ſunt aliunde gravius vulnera mea: quamquam & nonnihil fateor me læſerint hi impoſtores, ſed puniuntur ſatis ſtultitia ſua: nam deluſi tandem impoſitique ſuis per ſemet impoſitionibus redigi ſolent ad ſummam calamitatem. PHILALETHES. Læſerunt te ne forſitan Aruſpices & Aſtrologi, ceterique qui divinationem aliquam profitentur: tunc falluntur maxime cum certius vtriuſque venturum aliquid ſe intellexiſſe arbitrantur. ALITHIA. Neque horum vllam in me iniuriam queror. Nam quo abſconditam magis futurarum rerum rationem aperire atque notam poſſint efficere, elaborant plurimum & inſudant: qui ſi minus, quod conati ſunt, exequuntur, ad ſcribendum id magis debilioribus ingenij neruis ac viribus quam pravitati vlli & malignitati.

Philoſ.

PHILALETHES. At cogor etiam de Philoſophis male ſuſpicari qui cum abſtruſa quæque naturæ ſcrutatari, morumque rationes fundare contendant, tot contendant, tot contrarias inter ſe excitant lites, explicitaſque nondum concertationes, vt nulli adhuc certa eorum quæ tradunt veritate via patefiat. ALITHIA. Innocentiſſimas & hi quoque ab iniuria mea manus habent: qui & ſi falſa opinantes ſæpius magnis irretiantur erroribus, inveſtigandi tamen veri vna omnium ac par eſt intentio, ad quod pro ſuo quiſque captu diverſa ducitur opinionum via. PHILA. Qui tandem reſtant qui tantis te affecerunt malis niſi guerrarum ineptiarumque pleni logici: qui mendaciis ſemper & cavillationibus certantes: nunc currentes ſedere, nunc ſedentes currere, credi volent. Atque nunc homines aſinos, nunc aſinos riſibiles garriendo aſtruere conantur. ALITHIA. Haud iſtud quidem dixeris. Nam præcipui ipſi ante omnes quos memoraſti veri cultores ſunt: cuius quærendi indagandique gratia proponunt tales quaſi quaſdam ambiciunculas deliramentorumque imagines: ſed ſolida eſt eorum vis atque argnta neque guerrarum (vt inquis) & ineptiarum plena. PHILALETHES. Credo omnia vt narras. Nam nunc in mentem veniunt certiſſimi, omnibuſque notiſſimi hoſtes ac inimici tui. ALITHIA. Et qui nam? dic obſecro. PHILALETHES. Quis neſciat Poëtas confictis neſcio quibus nugis ac fabularum portentis totum orbem impleuiſſe? ALITHIA. Quæ indigna audio? PHILALETHES. Cur indigna? ALITHIA. Nam nullum eſt mortalium genus á quo magis quam ab his venerata, aucta, illuſtrataque ſim. PHILALETHES. Cur ergo vulgo fertur Poëtas omnia fingere & ementiri?

Poëtæ an fingant.

ALITHIA. Cur & multa alia vulgo feruntur vana, ſtulta, mendacioraque iis quorum Poëtas inſimulant? qui cum corticem rerum (vt aiunt) tantum intelligant, ea etiam tantum diiudicant, quæ oculis exterius apparentia intuentur: ſed ad cognoſcendas magnas arduaſque res oportet latentes, celataſque eorum quæ dicuntur rationes introſpeculari, penſareque vim omnium penſato longe ac perpenſo examine iudicij, ad quod penetrandum nulla hebetis & craſſi vulgi vis quantumlibet magna & acris ſufficere poteſt. PHILALETHES. Et quid in ſe habent poëtarum carmina quod lateat, verum, fidele, magnificum, dignumque veneratione? ALITHIA. Quicquid vel ad intelligendas varias regum ac populorum res geſtas pertinet, vel ad cognoſcenda arcana naturæ: morumque & vitæ ſalubria inſtituta conducit. Nam à nullius ſapientiæ profeſſore melius quam à Poëta diverſorum temporum, ac locorum vices, ſitus, & geſta ſcribuntur.

Poëtæ fructus.

Neque Philoſophi naturæ morumque rationes melius, neque Aſtrologi cæli Aſtrorumque vim ac meatus doctius, neque Muſici vocum numeros & concentus elegantius, neque cæterarum quique ſuarum artium præcepta fidelius quam Poëtæ tradunt. Atque ideo excellenti quadam denominatione Poëtæ, quod idem eſt ac factores, appellati ſunt. Qua in re non pauci ſeipſos deceperunt: qui cum vix pinguem quendam ac iudicio ſatis ſuo reſonantem canorem, ſyllabarum etiam debitam proportionem verſibus ſuis expreſſerunt, actutum ſe Heliconis aquas plenis faucibus hauſiſſe atque in ſummum Parnaſſi cacumen aſcendiſſe arbitrati ſunt. Et cum cunctis in diſciplinis cuique ſua, & ſi mala placere videamus, mirum tamen eſt quod in Poëticis maxime id vitio datum ſit, vt ingenio quiſque ſuo blandiatur, vt inepto quamvis deferat quiſque carmini ſuo, ac tribuat multum, vt nemo non Muſam ſuam, ac veluti ſimia gnatum ſuum magni pendat, laudet, atque intentius admiretur At pernecesſaria eſt ad inſtruendum carmen: longa rerum cognitio, longuſque & inundans quaſi quidem literarum fluuius, qui abundanter ſuppeditet tanta, quæ dicenda Poëtæ incumbunt. Petenda ſunt peruestigandaque diligenter nata quæque & propria atque rebus ſuis cognata vocabula. Advocandæ ſunt non plebeiæ, aut ſeruiles (vt ita dicam) ſententiæ: ſed quæ ex vulgi fæce ſegregatæ nitido quodam decore, ac venerabili ſui maieſtate reſplendeant. Sed præter hæc quod maius reſtat, opus eſt grandi & prompto atque acri ingenio: quod cogitationes ſuas faciliter exprimere, expolite ordiri, luculenter narrare queat, quod verba, ſententiaſque ſciat artificioſe verſare, varie diſtinguere, apte continuare, quod caſtigate, conciniterque eloqui, moderari auribus, & pro rei cuiuſque dignitate ſublimiter præeſſe, concitate, temperate, omnia proſequi poſſit, Quæ cuncta quoniam arduum ac difficillimum aſſequi eſt: ideo qui boni probatique Poëtæ extiterint: rari quidem ac Phœnicis inſtar in lucem prodierunt: ſuntque eorum ingenia divini magis muneris quam humanarum virium: qui cum tot ligati, conſtrictique ſint vocum ac menſurarum legibus, tot autem vocati diſſerendis variis rebus & diſciplinis, haud facile illis eſſet omnia perpetuo, felicique ſtilo complecti, inſtiganteque Dei miro aſſenſu ac ſpiraculo, atque domeſtico contubernio caleſcenteque divini ſpiritus igni quodam, ac deflagrante magis incendio, quos etiam furore repleri & debachante quaſi quopiam profluuio ſpiritus circumactos futura ſæpius prædicare manifeſtum eſt. Nam poſtquam dulcis illa flamma concaluit, mox vileſcere humana, propiora vero fieri & ſapere divina incipiunt, tum rapitur mens, corporiſque ſui quaſi ergaſtuli oblita, agitur tanquam cælo vaga & libera, fruiturque delitiis eius, prophano vulgo incognitis, quas & ſi non guſtu certo, ac imagine ſaltem & odore quodam (cuius, ſuavitudo facile nunquam explicari poſſet) attingit. Proinde licentior eſt cauſa Poëtarum: qui veluit reges atque imperatores, quas volunt ſibi regularias leges rogant exempti à communi qua cæteri coartantur Grammatica ſimul & hiſtorica neceſſitate. Inde fit vt qui liberiores eorum terminos ac fines, officiique ſui laxiores habenas ignorant, mirentur accuſentque tantam quam fingendi quæque ſibi licentiam vendicarunt: ſed ſi intelligerent diverſum longe ab hiſtoricis, cæteriſque ſcriptoribus eorum officium cognoſcerent divinam mentis ipſorum concitationem, qua ſuccenſi magnoque quaſi præcipites impetu rapiuntur, nō accuſarent, modo, ſed cōmendarent inſuper

maxime

maxime velatas quas ipsi intexunt rerumque figmenta. Nam cum carmen non sine furore mentis divinoque afflatu exprimi possit, occupatum haud esse convenit Poetam in vulgaribus quibusque ac minutis rebus: sed excellentem ac cum Deo fabulantem atque iocantem spiritum necesse est liberum agi, & res gestas non historici more, cuius pedestre magis ac servile est officium ita explicare, vt sub instrumento publico & fide testium, tabellionisque auctoritate claudi videantur. Verum sicut & Apolline pleni solent, oportet rem quamque ita vt est, veram expromere, expromptamque non tamen cum nuda & rudi simplicitate apertam ostentare: sed cum variis, decorisque velamentis, tortuosis figurationibus, obliquisque traductionibus involvere: atque per dulces fabulososque quasi quosdam ambitus & ambages tradere magnarum rerum veritatem: quo festiviorem sic illustrata acquirat sermonis venustatem & leporem, cultumque decentiorem: festiviorque taliter ac taliter ac decentior facta, summis tantum & præstantibus ingeniis perspecta innotescat: crassis vero & deiectis (quibus mers totum abunde scatet vulgus) ignota penitus atque abstrusa delitescat. Noluit siquidem Poeta tam preciosam supellectilem suam omnibus passim nisi lectis & perfectis iri tractabilem atque domesticam. Hinc est vnde invaluit aliquando vana ea quorundam inscitia, qui cum tantum quod oculis subiectum habent, intelligant, ausi sunt, tam mystico Poëtarum artificio calumniam inferre, mendaces eos & falsos appellantes, propter blandas quas commenti sunt, & pruriences fabulas. Nescientes vero Poëtici officij modum: cuius non tam proprium est sanctis prodesse exemplis & institutis quam dulcibus insuper oblectare verborum involucris & figuris: quibus veritatem, rerumque magnitudinem non (quod falso ipsi putant) obtenebrarunt, aut diminuerunt, sed exornaverunt magis digniorem que ac lucentiorem reddiderunt. PHILALETHES. Magna de Poëtis narras. ALITHIA. Et quæ magna, & quæ vera sunt narro. PHILALETHES. Et quæ vera ego quoque esse puto: sed expone iam mihi qui te ita cruentaverunt. ALITHIA. Exponam tibi ea ordine. Quam primum enim iussu magni omnium parentis descendi in terras, libuit priusquam convenirem mortales invisere inferna loca:

Inferi.

vbi quanto honore fuerim ab omnibus illius regni incolis suscepta, nudaque à nudis ipsis hospitata, non possem facile vllo sermone comprehendere, adeo me rigidus Charon & incultus, adeo me seueri & duri iudices & Pluton ipse magnus, ceterique omnes perlibenter adventantem viderunt: visamque admirati reveritique maxime & venerati sunt. Mox in mortalium orbem iter arripui, credens & maiores longe ab his honores assequuturam: ita me vana decepit credulitas mea. Tum primos offendi in genere bellatorum exercitu cum multis, munitissimis ad expugnandas civitates

Milites.

telis & machinis. PHILALETHES. Nunc iam intelligo. Ipsi ergo illi sunt te gladiis & hastis tam atrociter confoderunt. ALITHIA. Minime: etsi enim infinita continue committant flagitia, nunc horum opes diripiant: nunc illos afficiant vulneribus, nunc alios iugulent, mentiuntur tamen nunquam. PHILALETHES. Quonam modo? ALITHIA. Nam non minus impudentia sunt eorum dicta quam facta: qui cum multa crudelissime, rapacissimeque faciant, non aliter tamen ac fecerint se vel fecisse, vel facturos esse vnquam confitentur. PHILALETHES. Probe, sed qui te tan-

Mare.

dem (dic) ita graviter afflixerunt? ALITHIA. Conspicata cum vastum pelagus animo versare cœpi, terras ne prius an maria inviserem, vicitque sententia vt ad minus frequentatas turbis vndas me converterem. At vix illuc attigeram, conscenderamque naves, cum primum tunc aculeos malorum meorum experta conspexi ibi tantam scelerum omnium turpitudinem quantam (nisi his ego oculis hausissem) nullo vnquam modo ante mihi persuadere potuissem. Hæc quodum dictu vidisses illico in me omnes impetu facto correptis totâ flagellare mali rudentibus: quibus cæsæ, contritæque graviter mihi scapulæ vigorem adhuc suum atque livorem apte testantur, tum ferire gubernaculis, clauis, antennis, harpagonibus, tonsillis, remis, contis, ancoris, tum iacere trocleas portisculos, suppara, artemones, scalas, pastatas, transtra, tabulata, aplustria, summaque etiã mali carchesia. Atque his ego ita primis malis pulsata cruoreque non modico conspersa proripui me inde ocius, petiique terras, cum ibi statim aspicio latam &

Terra. Agricolæ.

apricam planiciem: patentes campos: saltus, vineas, prata, hortos, insudantesque in his longo opere indomitos agricolas, quos & si olim Astræa, dum ab mortalibus itidem emigrasset, postremo loco inviserit, primo tamen ego convenire statui propter rudiorem simplicioremque ipsorum naturam, rata & proinde humaniores obsequentioresque erga me illos futuros esse: concessi itaque illuc, contemplataque eorum mores, vidi quæ videre dolui, furta, rapinas, insultus, audaciam, plurimaque alia & gravissima scelera. Vix autem eos dulciter amiceque salutaveram, cum stimulis primo ac fibus illis visa essem me pungere: dehinc stivas, buros, vomeres, aratra, dentes, iuga, rastros, hirpicesque dentatos, in me mittere aggressi sunt. Putatorias etiam falces: messorias que ac fenarias tum petcutere me aciter cylindris, panniculis, tribulis, vannis, ventilabris, tum ligonibus, bipalis, sarculis bidentibus, rutris, fustinis, & miconibus, rastellis, furcillis, palis, perticis, cratibus, corbibus, qualis discessi ab eis tandem tam immaniter mutilata vel vulnerata & in vrbes tanquam tutissimum in diversorium saluberrimumque meorum malorum levamen confugi. Cogitans vero quam ex om-

Sacerdotes.

nibus qui vrbes colerent: modestiores essent atque sanctiores in animum induxi sacerdotes. Primum iter itaque fuit mihi ad templa arasque magnorum cælitum, speculata itidem ibi diligenter mores habitusque sacerdotales delectata sum certo primo eorum cõgressu. Nam decens suus erat habitus pariter & incessus. Deinde invocato sæpius Dei adiutorio, vel pro viventibus sanctam pacem, vel pro defunctis æternam requiem, vel pro vniversis veniam & misericordiam implorãtes, divinas semper laudes sublata voce resonabant. Nonnulli etiam publice declamatores, nunc virtutes summa laude, nunc vitia gravi accusatione persequebantur atque ab his deterrebant, ad eas magnopere quemque invitabant. Placuit mihi hæc exterior vitæ suæ facies, præsertim quod in Dei Optimi, Maximi collaudatione (quo nihil fieri potest melius aut dignius) semper eos occupatos videbam. Tamen acerris, arulis, candelabris, cereis, emunctoriis, lychnis, lampadibus, sacrisque omnibus vasis, atque ipsis postremo quæ summum cæli regem, hominumque liberatorem affixum sustinebant, sacratissimis crucibus ita me insectati sunt, vt prope tunc dispereundum omnino putaverim. Sed aufugi inde citius subirascens multum tam vanæ crudelitati, deceptæque de his opinioni meæ. Egressa vero fores templorum, neque videns ad quos me conferrem, evolavi ad plateas, viasque publicas. Quot tunc mihi & quan-

Mercatores.

ta se palam obiecerunt vndique ementium, vendentium: que inter se velamenta mendacia, quanta mercatorum, redemptorumque periuria? proxenetarum involucra: institorum fraudata negotia: nummulariorum prostituta lucra, publicanorum audacissima scelera, quantæ artificum deceptiones & damnationes? quanta non virorum modo, sed & fœminarũ insuper atque puerorum mentita verba pariter & facta, quanti & horum fuci, quãtæ nebulæ, in quibus (quod detestabilius est) eo magis etiam indoles probatur, atque magnũ aliquid de se pollicera prædicatur, quo mẽtiri magis ac fallere assuescunt.

Fœminæ.

fœminæ in me primæ iecerunt fusos, colos, verticulos, glomera, metaxas, pensa, radios, acus, calathos, thecas, tum gemmas, lapillos, vniones viriolas, annulos, inaures, armillas, cylindros, dextralia, tumulas, torques, catellas, murenulas, periscelidas, zonas, semicinctia, mitras, anademata, & feminalia, tum mundum infinitum, pectinet, discerniculа, calamistra, specula, matulas,

olfactoriola, dentifricia vel dentiscalpia, auriscalpia, atq; innumerabilia quæ magis etiã me læserunt: vnguentaria vasa elegantioris (quam necesse sit) formæ causa parata. *Pueri.* Post puerorum ingens & conferta turba rapium me fustibus ac saxis impeterunt. Tum populi longa multitudo: vt hinc inde concitata fugiebam atque ea omni genere artifices: quæ pro suo quisque vsu parata habebant instrumenta magno cum furore in me miserunt, milleque me in locis confoderunt. Vidisses volitare lanionum, cetariorumque mensas, trapezophora, delphica, trutinas, pondera, ferramenta, hamos, vncos, retia, euerricula, nassas, cultros, machæras, dolabras. *Coci pistores.* Cocorum pistorumque ahena, cacabos, chitropedes, vrceos, truas, creagras, verua, craticulas, testas sartagines, patinas, ollas, fidelias, lebetes, mortaris, pila, rudes alueos, mactas, labra, cribra, cola, palas, batillas, fustinulas, forcipes, vncinos, scutellas, promulcidaria, parapsides, coclearia, quadras, lances, catinos, Cauponum cyathos, scyphos, vitreolos, œnophora, patenas, obbas trullas, calices, phialas, columnatia, ampullas, cantharos, scopas, lagenas, congios, ancones, cybia, crateres, amphoras, cados. *Pictores.* Pictorum pugillarea, stylos, colores, penicolos, spongias, conchas cauteria. Sutorum forfices, acus, formas mensuras, scalpros, subulas, mucrones, digitalia. *Coloni.* Colonumque ac omnis generis fabrorum forcipes, malleos, incudes, folles secures, cuneos, festucas, vectes, trullas, perpendicula, normas, regulas, amusses, modulos, circinos, tornos, mamphures, limas, cela, celtes, scobinas, serras, dolas, ascias terebras. *Medici & tonsores.* Medicorum, tonsorum, pigmentoriumque pelues, cucumas, nouaculas, cotes, forcipes, encurbitulas, scapellos, specillos, volsellas, hamulos, modiolos, diocles, scaphia, matellas pyxides, piperatoria, mortariola, pistillos, rudicula: Quibus in me diu grauiterque ac grandinis more ruentibus pene tandem deficere cœpi, defecissemque penitus, nisi novi & repentis officij melior me spes recreasset. Nam vt rotabar vndique & exagitabar incerta mei atque anxia, nec qua diverterem tutum vllum conspiciens locum, ecce perveni forte ad fora publica vbi & mira intuens cum gravitate prætores atque præsides: *Forenses.* multam item togatorum capuciatorumque hominum turbam, qui vel iudicabant, vel procurantes ipsi causas aliorum dicebant, allecta sum primo eorum aspectu; quorum cum facies & vultus tum longiores maxime laxioresque togæ: ac capitum tegumenta magnam simul & sapientiam & vitæ integritatem moderationemque animi ostentabant. Accessi ergo propius ad eos existimans me ab Charybdi tam securum in portum applicuisse: cum subito in circumseptam latrantibus canibus Scyllam video me delatam ac præcipitatam. *Causidici & Advocati.* Nam quas ibi non audivi horrendas latrantium causidicorũ voces: quas non iudicantium iniquas interlocutiones atque diffinitiones: quas non vidi prætorum ambitiones: quas non adverti tabellionum scribarumque falsitates: quos etiam cum primo adivissem tanquam humilioris conditionis homines mirum vt quantocius calamariis simul atque graphiariis thecis, calamisque atramentariis, vasis, scalpellis etiam & ceteris scriptoriis ferramentis suis in os mihi oculosque acriter insultaverunt. Mox acrius quoque & impudentius proruere in me noli præsides, assessores, circumlatrantesque vndique illi stylei canes, tam longus, tamque venerabilis ac togatus ordo, atque in me primo vnguibus, dehinc dentibus crudelissime sævientes dilaniarunt, totum mihi atque vbique corpus exederunt. Quorum quoties recordor caninam illam rabiem, morsus venenatos, famemque non minus Titiano vulture ardentem & indomitam, contremisco toties, destituorque pene tota præ recordatione, ita mihi penetrarunt vltimos etiam cordis recessus, vt horum recordatione priora certe quæ exceperam, quamvis amarissima vulnera, prope dulcescerent. At postquam defessi priusquam exsatiati sunt malis meis, liquere me tandem. Ego vero quarum vulnerum acerbitas magnitudoque sinebant, maturavi inde fugam: & quæ vnica tantum restabant loca, me contuli ad curias principum, atque eorum qui principibus assistebant potentiorum hominum turbulentissimas turbas; neque vero dicam quæ passim ibi singula viderim; licentiora etiam quæ supra recensui. *Iudicum [illegible].* Loquantur pro se conculcati pupilli, flentes viduæ, egentes prostrati, innocentes damnati, optimi quique accusati, proscripti, mulctati. Illud tamen memorabo quod præ indignitate rerum tanta permota sum commiseratione! vt cum innumerabilibus tam corporis vulneribus ad exhalandam vsque ipsam animam confecta essem: maiore tamen cum dolore & anxietate tulerim novum id animi vulnus: quo perpunctam transfixamque incredibilis quædam mœror ac tantorum pietas afficeret: tam grauis erat atque miserabilis facies eorum; quæ cum viderem non magno poteram sine horrore intueri. Miraris forte pietatem teneritudinemque animi mei sed mirabens longe magis furorem eorum qui longo in me concitatoque agmine quasi debacchantes, non ferro quidem me extinguere (nam extingui haud posse me ferro intelligebant) sed pugnis, calcibus, saxisque me contundere, strangulareque laqueis promptum certumque mortis meæ genus arbitrati sunt. Quo nec contenti contusam etiam & strangulatam rotare demum per pedes ac cassare illidereque terræ pro vi sua quique contenderunt. Quibus tantis malis affecta postquam non tam rabiem exsatiauerunt suam, quam extremum si quid adhuc restabat spiritum me exhalasse crediderint, eiecta sum in pomerium vrbis tanquam vilissimum cadauer depascendum canibus atque ferisalitibus. Sed quas non inveni cunctis etiam hominibus mitiores feras & volucres? quid referam quanto mo studio & amore prosecuti sunt inprimis canes, tum corui & vultures ceteræque aues etiam immaniores; quam conglobati caternatim omnes assistentesque mihi certabant nunc hac plaudere alia: conqueri dulciter & condolere: purgare rostro vulnerum saniem nunc illis pedibus caudaque blandiri, lingere vulnera, plagasque mulcere donec quæ supererat adhuc scintilla vitæ me calescere, redireque sensim in veterem flammam atque restitui cœpit. Quid cum iam valentior facta inde secessissem, quid narrabo quantam non canũ modo & alitum, sed luporum etiam vrsorum, tigrium, leonum omniumque generis ferarum experta sim mansuetudinem propeque dixerim humanitatem? Nam post longa quæ sustinueram mala, cum ex vrbibus omnino statuissem migrare in abdita loca, percurri in syluas & nemora, tanquam securius in refugium vitæ meæ. Nec vero me fefellit opinio. Nam quanta me prius homines affecerant iniuria, tanto postea me honore sylvestres feræ atque alites, à quibus tam amice suscepta sum, tam sedulo semper officiose comitata, vt quod de hominibus ante crediderim, ipsæ humanos mores mutata vtrinque natura sibi vendicasse. Dehinc vero capta desiderio vt fit, plura inuisendi, conscendi altiora hæc collium atque montium loca, in quibus & multos iam errani dies: neque mortalium quemquam offendi adhuc præter te cuius primo aspectu etiam offensa non potui non timere, memor eorum quæ tibi retuli à mortalibus me sustinuisse. Tum securum paulatim recepi animum postquam inter loquendum tam manifesta egregiæ virtutis tuæ: ac demum amoris signa demonstrasti, quoniam maiorem in modum admirata fui in primo sermonis nostri congressu, quod te vnum ex omni mortalium turba inuenissem tam mitem, pium, rectum, tamque singulari præditum bonitate. Sed Philalethem postquam te meum esse intellexi: quem & præcipuum & ante omnes vnum vt inviserem iusserat parens meus, conversa sum illico ex admiratione in maiorem congratulationem, quæ te mihi aliquando oblatum habuissem; vt cum ad patrem meum reverterim, possim post longam aliquorum mortalium in me crudelitatem atque immanitatem, tot etiam vnius summam vereque ab illo mihi prænunciatam humanitatem pietatemque referre. PHILALETHES.

O quæ audio tristia, dira, infanda, execranda. O ferum, crudum, immane, barbarum, ô impudens, ô pestilens mortalium genus: O quæ dehiscat nobis terra, depereatque tota chasmate. O tolerantissimum magnum Tonantem. O fulmina quid cessant tua. O inanes & ô extinctas iã faces suas O molta sic abibit tanta vorago: flagitiorum tanta licentia! ALITHIA. Noli tam graniter angi Philalethes. Satis ac super eam pœnas dabunt tristertriti mortales. Sine tantũ ad parentẽ meum redeam: narte mque tam præclara quæ tibi eorum benefacta memoraui. Patientissime quidem sunt longæ aures sibi: sed haud surdæ tamen. Sustinet diutius ille peccantes, quos puniat acrius tandem atque castiget. PHILALETHES. O nisi iampridem satis perspectam habuissem improbitatem hominum, quo vnquam modo adduci potuissem, vt quæ vel video vel audio crederem tetertimæ crudelitatis exempla. ALITHIA. Pone iam quæstui modum. PHILALETHES. Et pono quidem, sed te oro priusquam abscedas, dignare tantisper domum meam inuisere quiescereque mecum, vt in prosperiorem valetudinem restituta, ac tam atra vulnerum à tabe purgata possis demum mundior elegantiorque parentem tuum conuenire. ALITHIA. Immo præstat ita, vt sum, cruenta iam abire, vt manifestius impietatem eorum præ oculis illi ponam. PHILALETHES. Donato saltem mihi paucos dies vt dulcissimæ præsentiæ tuæ fructu non omnino priuatus sim. ALITHIA. Faxo vt vis. PHILALETHES. Non ducam te in splendida ædificia lautasque mensas. Tuguriolum est mihi quod manibus ipse meis extruxi. Iuxta quoque antrum naturæ solertiore manu fabricatum. Porro vxor comes vitæ meæ non cultiore quam ego amictu vestita: sed pudica & sobria seruat domum. Gnati quoque persimiles mihi: sed mihi ita vt re quasi repræsentent. Capellas tamen paucas possideo: quas circum hos quotidie ago montes: quæ & lactis nobis vberrima suppeditant alimenta. Pomis etiam & nucibus vescor: potum aqua ministrat: mella aliquando mihi delitiæ. Tum vbi nox aduentauit salientem propter fontem crepitantibusque è saxis dulci murmure deriuantem, fatigata membra compono, substratisque arborum foliis capio somnum. Sed quod omnes exuperat delicatissimas dapes, magnificentissimosque apparatus, est mihi pax & quies perpetua. Doli procul & fraudes, nihil timoris, nihil odij, nihil insidiarum, fida obsequitur vxor, dulces applaudunt gnati, gaudiunt, rident, iocantur. Lætusque ego hilaris, liber, contentus minimis, vacuus molestia, securus omnium, & ab omni prorsus anxietate, atque animi perturbatione exemptus ago. In has ego, ni forte fastidis, te accipiam opes meas. ALITHIA. Minime fastidio. Quas Pactoli etiam arenis longe pluris faciendas puto. PHILALETHES. Eamus iam, nam aduesperascit. Vides vbi fumant tecta: Non multum absumus, dicto citius illuc contendemus. ALITHIA. Atque ego te sequor libens.

Veritatis Vtilitas in animi tranquillitate.

MAPHEI VEGII LAVDENSIS,

Libri XII. Æneidos.

Supplementum.

ARGVMENTVM.

Tvrnvs vt extremo vitam sub Marte profudit,
Subdunt se Rutuli Æneæ, Troiana sequentes
Agmina dehinc superis meriti redduntur honores.
Congaudet gnato, ac sociis memor ante malorum
Alterum pater Æneas. Turni inde Latinus
Morte dolet. Patria miseranda incendia Daunus
Euersa, & chari deflet pia funera nati.
Connubium instaurat rata, lætosque Hymenæos
Rex socer Æneæ genero gens vtraque pacta
Fœdere pacis ouat, tum nomine coniugis vrbem
Instruit, & tandem placida sub pace regentem
Transfert Æneam Venus astra in summa beatum.

Tvrnus vt extremo deuictus Marte profudit
Effugientem animam, medioque sub agmine victor
Magnanimus stetit Æneas Mauortius heros:
Obstupuere omnes, gemitumque dedere Latini:
Et durum ex alto reuomentes corde dolorem,
Concussis cecidere animis; ceu frondibus ingens
Sylua dolet lapsis Boreali impulsa tumultu.
Tum tela infigunt terra, & mucronibus hærent;
Scutaque deponunt humeris, & prælia damnant:
Insanumque horrent optati Martis amorem:
Nec frænum, nec colla pati captiua recusant,
Et veniam orare, & requiem, finemque malorum.
Sicut acerba duo quando in certamina tauri
Concurrunt, largo miscentes sanguine pugnam,
Cuique suum pecus inclinat: sin cesserit vni
Palma duci: mox quæ victo pecora ante fauebant,
Nunc sese imperio subdunt victoris, & vltro,
Quanquam animum dolor altus habet, parere fatentur.
Non aliter Rutuli, licet ingens mæror adhæsit
Pectora pulsa metu casi Ducis, inclyta malunt
Arma sequi, & Phrygium Ænean, fœdusque precari
Pacis, & æternam rebus belloque quietem.
Tunc Turnum super assistens placido ore profatur
Æneas. Quæ tanta animo dementia* creuit,*
Vt Teucros superum monitis, summique Tonantis
Imperio hanc vectos, pateteris Daunia proles
Italia, & pactis nequicquam expellere tectis?
Disce Iouem reuereri, & iussa facessere Diuum:
Magnum etiam capit ira Iouem: memoresque malorum
Solicitat: vindicta Deos, en vltima tanti
Meta furoris adest: quo contra iura, fidemque
Iliacam rupto turbasti fœdere gentem.
Ecce suprema dies, aliis exempla sub æuum
Venturum missura, Iouem non temnere frustra
Fas sit, & indignos bellorum accendere motus.
Nunc armis laxare tuis, heu nobile corpus
Turne iaces, at non tibi erit Lauinia parua:
Nec dextra tamen Æneæ cecidisse pudebit.
Nunc Rutuli hinc auferte ducem vestrum: arma, virumque
Largior, atque omnem defienda mortis honorem.
Sed quæ Pallantis fuerant ingentia baltei
Pondera, transmittam Euandro: vt solatia cæso

Haud levia hoste ferat, Turnóque exultet adempto.
Vos memores tamen Ausoniis melioribus uti
Discite bellorum auspiciis: ego sidera iuro,
Nunquam acies, nunquam arma libens in prælia movi!
Sed vestris actus furiis defendere toto
Optavi, & licuit, Troianas robore partes.
Nec fatus plura Æneas, se lætus ad altos
Vertebat muros, & Troia tecta petebat.
Vna ipsa Teucrorum omnis conversa iuventus
Exultans sequitur, volucrésque per arva pedum vi
Quadrupedes citat, incursans acriter Latinos,
Ignavosque vocans strepit altus plausibus æther.
Et quamvis inhumata rogis dare corpora surgat
Ingens cura animo, sociosque imponere flammis:
Maius opus tamen Æneas sub pectore volvens,
Primum aris meritos superis mandabat honores.
Tum pingues patrio iugulant ex more iuvencos:
Immittuntque sues, niveaque in templa bidentes,
Purpuream effuso pulsantes sanguine terram.
*Viscera diripiunt: & *casum in frusta trucidant,*
Denudantque gregem, & flammis verubúsque remittunt.
Tum vina effundunt pateris & dona Lyæi
Accumulant: plenis venerantur lancibus aras,
Thura ignes adolent: onerata altaria fumant.
Tum plausus per tecta movent, magnumque Tonantem
Extollunt, Venerémque, & te Saturnia Iuno
*Iam*placidam, & mitiorem ingenti laude fatentur:*
Mavortémque ipsum, tum cætera turba Deorum
In medium effertur, summis cum vocibus altos
Perlata ad cœlos, ante omnes gratior unus
Æneas duplices mittebat ad æthera palmas,
Et puerum pauca ore dabat complexus Iulum:
Nate, in quo spes una patris, per tanta laborum
Quem variis actus fatis discrimina duxi
Ecce inventa quies: ecce illa extrema malorum,
Ærumnis factura modum, acceptissima semper,
Atque optata dies, quam dura in bella vocatus
Sæpe tibi Diis auspicibus meminisse futuram
Iam memini: nunc te, cum primum Aurora rubebit
Crastina sublimem Rutulorum ad mœnia mittam.
Dehinc sese ad gentem Iliacam volvebat: & alto
Pectore verba trahens, blando est sic ore locutus.
O socii, per dura, ac densa pericula vecti,
Per tantos bellorum actus, duplicesque furores
Armorum, per totque hyemes: per quicquid acerbum,
Horrendum, grave, triste, ingens: per quicquid iniquum,
Infaustum, & crudele foret, convertite mentem
In melius: iam finis adest, hic meta malorum
Stabit, & optatam Latia cum gente quietem
Iungamus: dabit inde mihi Lavinia coniux
Bello acri defensa, Italo cum sanguine mistam
Troianam transferre æterna in secula gentem
Vnum oro socii, Ausonios communiter æquo
Ferte animo, & vosmet socero observate Latino.
Sceptrum idem sublime geret, sententia mentem
Hæc habet: at bello vos, & præstantibus armis
Discite me pietate sequi: quæ gloria nobis
Cesserit, in promptu est: sed cœlum, & sidera testor,
Qui vos tantorum eripui de clade malorum,
Idem ego sub maiora potens vos præmia ducam.
Talibus orabat, varios in pectore casus
Præteritos volvens, partamque labore quietem
Haud parvo: nimium ardens exundabat amore
In Teucros, gravibus tandem evasisse periclis,
Exultans. Veluti exiguis cum ex æthere gyrans
Incubuit pullis, & magno turbine milvus
Insiliens avido ore furit, stragémque minatur.
Tunc cristata ales perculso pectore mater
Consurgit, misero natorum exterrita casu,
Rostrum acuit, totisque petit conatibus hostem
Et multa expulsum vi tandem cedere cogit.
Dehinc perturbatos crocitans exquirit: & omnes
Attonitos cogit, pro charis anxia natis:
Et tanto ereptos gaudet superesse periclo.
Non secus Anchisa genitus mulcebat amicis
Troianos dictis, antiquum corde timorem,
Flagrantesque agitans curas, & gaudia longis
Tandem parta malis, & quæ perferre molestum
Ante fuit, meminisse iuvat, verum altior idem
Ingenti, & clara Æneas supereminet omnes
Virtute excellens: & pro tot numina donis
Exorat: summisque Iovem cum laudibus effert.
Interea Rutuli magnum, & miserabile funus,
Exanimúmque Ducem tulerant sub tecta frequentes,
Correpti mœrore animos, largumque fluentes
Imbrem oculis, & iam lato clamore Latinum
Defessum, & varios agitantem pectore casus
Compleverant: qui postquam altos crebrescere questus,
Vt Turnum ingenti confossum vulnere vidit:
Haud tenuit lachrymas: dehinc mœstum leniter agmen
Corripuit, manibus verbisque silentia ponens,
Cen spumantis apri quando per viscera dentes
Fulmineos canis excepit præstantior omni
Ex numero: tunc infausto perterrita casu
Cætera turba fugit latrantum, atque ore magistrum
Circumstans querulo pavitat: magnoque ululatu
Infremitat commota manu, dominique iubentis
Ore silet: gemitumque premit, sesèque coërcet.
Haud aliter Rutuli suppressa voce queruntur.
Tunc sic illachrymans Rex alto corde Latinus
Verba dabat: Quantos humana negotia motus
Alternásque vices miscent? quo turbine fertur
Vita hominum? ô fragilis damnosa superbia sceptri?
O furor, ô nimium dominandi invisa cupido,
Mortales quo cæca vehis? quò gloria tantis
Inflatos transfers animos quæsita periclis?
Quot tecum insidias! quot mortes, quanta malorum
Magnorum tormenta geris! quot tela! quot enses
Ante oculos (si cernis) habes! heu dulce venenum,
Et mundi letalis honos, heu tristia regni
Munera quæ haud parvo constant, & grandia rerum
Pondera, quæ nunquam placidam permittere pacem,
Nec requiem conferre queant, heu sortis acerba,
Et misera regale decus: magnoque timori
Suppositos regum casus, pacisque negatos.
Quid Turne ingenti Ausoniam movisse tumultu,
Et dura Æneadas turbasse in bella coactos,
Quid iuvat? violasse sacra promissa quietis
Pignora? quæ tibi tanta animo impatientia venit,
Vt Martem cum gente Deûm, iussuque Tonantis
Huc vecta gereres? & nostris pellere tectis
Vltro instans velles, nataque abrumpere fœdus
Pollicita genero Æneæ? & me bella negante
Dura movere manu? quæ tanta insania mentem
Implicuit? quoties te in sævi Martis euntem
Agmina, sublimémque in equo, & radiantibus armis
Tentavi revocare, & iter suspendere cœptum?
Corripui & pavitans cedentem in limine frustra?
Inde ego quanta tuli, testantur mœnia tectis
Semiruta, magnique albentes ossibus agri,
Et Latium toto vacuatum robore, & ingens
Exitium, fluviique humana cæde rubentes,
Et longi, trepidique metus, durique labores,
Quos toties senior per tanta pericula cepi.
At nunc Turne iaces, ubi nam generosa iuventæ
Gloria & excellens animus? quo splendidus alta
Frontis honos? quonam illa decens it frontis imago?
Ah quantas Dauno lacrymas, acresque dolores
Turne dabis! quantum circumfluet Ardea fletu!
Sed non degeneri, & pudibundo vulnere fossum
Aspiciet. saltem hoc misera solamen habebit
Mente, ut Æneæ Troiani exceperis ensem.
Hæc fatus, lacrymisque genas implevit obortis,
Tum sese ad turbam volvens, miserabile corpus
Attollit & charam mœsti genitoris ad urbem
Deferre, atque pios fieri mandabat honores.
Mox circumfusi Rutuli lato agmine casum
Sublimem ingenti iuvenem posuere pharetra,
Multa super Teucrûm raptorum insignia secum

Et galeas, & equos, ensesque & tela ferentes.
Post currus Phrygia sudantes cæde sequuntur.
It lacrymans, & ducit equum docta arte Messapus
Roranteem, & fletu madidum: qui vexerat ante
Victorem Turnum, atque hostili strage furentem.
Hinc alij adversa arma gerunt: tum cætera pubes
Flens sequitur, largisque humectat pectora guttis.
Et iam fessi ibant per muta silentia noctis
Cedentes sese, gressumque in tecta Latinus
Flexerat, ingenti turbatus funere mentem.
Vna omnes lacrymas matres, puerique, senésque,
Fundebant, mœstam implentes mugitibus vrbem.
Inscius at tantos Daunus superesse dolores,
Et tantum extremo consumptum Marte superbam
Effudisse animam, largisque ad mœnia duci
Cum lacrymis, alios gemitus curásque fovebat.
Namque ex diversa caderent dum parte Latini,
Et calido Turnus fœdaret sanguine terram:
Vrbem ingens flamma, & muros invaserat altos;
Fumabátque vetus miseri patris Ardea tectis:
Et totain cinerem vergebat: & astra favilla
Altivola implebant: nec spes plus vlla salutis.
Sive quidem sic Dis placitum est: seu præscia Turni,
Signum vt fata darent horrendo Marte perempti.
Exemplo concussi animos, turbatáque cives
Pectora cædentes, miseranda sortis iniquum
Deflebant casum, longóque ex ordine matres,
Atque avidos totis fugiebant viribus ignes.
Ac veluti cum nigra cohors posuere sub alta
Arbore & in fissa radice cubilia longo
Formica instantes operi: si dura securis
Incumbat, versique infringat culmine parvas
Sæva casas, mox certatim sese agmine sparso
Corripiunt, mœstaque fuga trepidaque feruntur.
Et velut ignitum testudo eversa calorem
Cum sensit, luctata diu, pedibusque renitens,
Candam agitansque caput, magna vi cedere tentat:
Æstuat, & multo insidias conamine miscet:
Haud aliter miseri per tanta pericula cives
Iactabant sese & turbata mente ferebant.
Ante omnes senior confectus ad æthera voces
Fundebat querulas Daunus, superósque vocabat.
Cum vero è mediis visa est consurgere flammis,
Percussisque alis volitare per aera pennis,
Indicium, noménque vrbis versa Ardea servans:
Et cui sublimes stabant in mentibus arces,
Mutata effusis nunc circumlabitur alis.
Attoniti novitate omnes monstisque Deorum
Haud parvis confusi, humeros atque ora tenebant,
At Daunus patria ardenti concussus amore
Eversa, duros gemitus sub corde premebat.
Hæc inter magno volitans prænuntia motu
Fama ruit, latisque animos clamoribus implet,
Adventare novum multo cum milite funus.
Et Turnum exanimem, & letali vulnere victum.
Mox turbati omnes nigras duxere frequentes
Incensas ex more faces: ardentibus agri
Collucent flammis: dehinc se venientibus addunt.
Quos postquam toto videre ex agmine matres,
Percussis vocem palmis super æthera tollunt.
At Daunus, chari vt patuerunt funera nati,
Substitit & demum ingenti correpta dolore
Ora movens, medium sese furibundus in agmen
Proripuit, Turnúmque super prostratus, & hærens,
Quum primùm fari potuit, sic edidit ore.
Nate patris dolor, & fessa miseranda senecta
Rapta quies, quo me tantis iactate periclis
Duxisti, & sævis tandem devicte sub armis?
Quo tua me præstans animi constantia vexit?
Hic clara virtutis honos? hæc gloria scepitri?
Hoc magni decus imperij? tales ne triumphos
Nate refers? hæc illa quies promissa parenti
Afflicto taties? hæc meta optata laborum?
Heu miserum, quam præcipites labentia casus
Secla agitant! quanto volvuntur fata tumultu!
Qui iam sublimes referebas clarus honores,
Et magnus toto in Latio; quem Troes in armis
Horrendum, & trepida toties sensere furentem,
Nunc mi Turne iaces miserandum & flebile corpus,
Iam mutum est sine voce caput: quo pulchrior alter
Non fuit in tota Ausonia, nec gratior vllus
Eloquio, nec quis positis ingentior armis:
Nate vbi forma nitens, niveáque in fronte serenus
Ille decor, dulcisque oculorum aspectus & alta
Sideroæ cervicis honos? hæc gloria Martis
Contigit auspiciis? tali redituro paratu
Discedens voluisti avidus te credere bellis?
Heu mortem invisam: quæ sola vltricibus armis
Elatos frænas animos communia toti
Genti sceptra tenens, æternáque fœdera servans:
Quæ magnos, parvósque teris: quæ fortibus æquas
Imbelles, populisque Duces, senioque iuventa,
Heu mortem obscuram: quæ causa indigna coëgit
Eripere atque meum crudeli vulnere natum
Afficere? ô felix tam grate cadis Amata
Successu lætare tuæ: quæ tanta dolorum
Fugisti monimenta, gravisque immania casus
Pondera? quid misero genitori plura paratis
O superi? natum rapuistis, & Ardea flammis
Consumpta in cinerem versa est: nec æthera pennis
Verberat: ah me Turnoena plus cæde cruenta,
Deerat adhuc sors ista patris suprema senecta.
At vero tali se vos cum fœdere versant,
Vt quem infesta furens miserum fortuna moratur,
Illum omni petat infrendens, & turbine cogat.
Dixerat: & multa illacrymans largo ore rigabat
Imbre, trahens duros gemitus, rapidosque dolores.
Qualis vbi incubuit validis Iovis vnguibus ales,
Et parvum effuso divulsit sanguine fœtum,
Cerva videns miseri turbatur funere nati.
Postera lux lætum splendore impleverat orbem:
Tunc pater infractos fatali Marte Latinus
Defecisse videns Italos, totaque potenti
Cedere fortunam Ænea, belliques tumultum:
Ingentesque animo curas, & fœdera volvens
Connubiq promissa, sua nataque hymenæos:
Præstantes vocat electos ex agmine toto
Mille viros, qui Dardanium comitentur ad vrbem
Spectatum virtute Ducem: iungitque togatos
Multa Oratores memorans: cunctis vltro
Imperat, vt quando auspiciis, monitisque Deorum
Trosanam miscere Italo cum sanguine gentem
Expediat: placido interfint animoque revisant:
Æneadasque vehant alta intra mœnia læti.
Interea ipse vrbem labefactam, & vulgus inerme
Componit, solidatque animos, requiemque futuram
Spondet, & æternam venturam in secula pacem
Inde iubet meritos turba plaudente triumphos,
Sublimésque domus fieri regalis honores,
Atque alacris monet, vnanimes vt fronte serena
Occurrant genero venienti, & pectore toto
Excipiant gentem Iliacam, magnisque recepten
Plausibus: optataque effundant pacis amores.
Iamque instructa cohors Teucrorum castra subibat,
Cincta comas ramis oleæ pacémque rogabat
Quam bonus Æneas ad se intra regia duci
Tecta iubet, causamque via placido ore requirit.
Tunc senior sic incipiens ardentia Drances
Verba movet, nimium crepti pro funere Turni
Exultans: O Troiana Dux inclite gentis,
Gloria, spésque Phrygûm, quo nec pietate, nec armis
Maior in orbe fuit: victi obtestamur, & omnes
Iuramus Divósque, Deasque invitus in vnum
Conflatum vidit Latium, & temerata Latinus
Fœdera: nec Phrygios vnquam turbavit honores,
Quin nata, quando Superûm sic vota ferebant,
Connubia, & generum magno te optabat amore.
Sed quicquid tanto armorum flagrante tumultu,
Tantorum furiisque operum atque laboribus actum est:
Id rapidus Turnus, & stimulis incensus iniquis

Confectúsque odiis furor attulit: ille negánsque
Invitúsque dedit Latias in prælia gentes.
Illum omnes conversa cohors poscebat, ut armis
Cederet & magnum fineret succedere pactis
Connubiis Anchisiaden, inde optimus ambas
Iungebat palmas defessa ætate Latinus
Infractus: nimioque ardentem Marte rogabat.
Nec nostræ potuere preces inflectere durum,
Nec Divûm portenta animum quin acrius ignem
Spumabat ferus ore vomens, bellumque ciebat
At vero dignum invenit pro talibus ausis
Exitium: qui te tandem victore momordit
Nigrantem proflatus humum: nunc improbus ædes
Tartareas visurus eat: quarátque sub imo
Nunc alias Acheronte acies, aliósque hymenæos.
Tu melior succede bonis Laurentibus hæres,
In te omnis domus; & fessi inclinata Latini
Spes iacet: unum omnes Itali super aurea mittunt
Sidera, & ingentem bello, & cœlestibus armis
Extollunt; & vera canunt præconia voces.
Te gravium veneranda patrum, consultaque turba,
Invalidique ætate senes, te læta iuventus,
Et cupidæ matres, pueri, innuptæque puellæ
Unanimes æquo ore volunt, Turnúmque sub armis
Exultant cecidisse tuis, te tota precatur
Ausonia, & claris præstantem laudibus effert.
In te unum conversi oculi; pater ipse Latinus
Iam senior sola hac longævæ munera vitæ,
Qui gnatam tibi iungat, habet: generique nepotes
Troianos Itala admistos in sæcula mittat.
Ergo age magne veni Teucrorum ductor & altos
Ingredere, & celebres cape, quos spondemus, honores.
Finierat: cunctique eadem simul ore fremebant.
Quos pius Æneas hilari cum fronte recepit
Prosequitur paucis, & amico pectore fatur:
Nec vos, ne placida solitum sub pace Latinum
Arguerim: verum infesti violentia Turni
Tantum opus (haud dubito) & tanti discrimina Martis
Concivit, iuvenilis enim plus laudis amore.
Quicquid id est tamen, Ausonij, nil pacta recuso
Connubia, & faustam æterno cum fœdere pacem
Iungere: Rex idem imperium, & veneranda tenebit
Sceptra socer, statuéntque mea mihi mœnia Teucri:
Et nomen natæ urbis erit, sociosque Penates
Adijciam: vos communes in sæcula leges,
Concordésque ingenti animo mittetis amores.
Interea, quod restat adhuc, imponite flammis
Corpora, quæ duri miseranda infamia belli
Abripuit: dehinc cùm primùm iam crastina surget
Clara dies, læti Laurentia tecta petemus.
Dixerat: & tanto affata auversa tenebant
Ora simul, stupefacti omnes, & apertius ingens
Mirantes pietatis opus, mox robore toto
Congestas rapuere pyras, ignémque repostis
Civibus immisêre, altúmque sub æthera fumus
Evolat: atris cœlum sublime tenebris
Conditur, innumeras ex omni rure bidentes,
Glandivorósque sues iugulant, pinguésque iuvencos,
Immittúntque rogis: latos incendia campos
Exundant: fremit impulsus clamoribus aer.
Iámque sequens clarum extulerat lux aurea Phœbum;
Tunc Teucri Ausonijque omnes misto agmine latè
Consedere in equis: & gressum ad tecta movebant
Laurenti, atque altis erectam mœnibus urbem:
Ante omnes pius Æneas post ordine Drances
Multa Duci senior memorans: dehinc unica proles
Ascanius: multúmque animi maturus Aletes,
Et gravis Ilioneus, Mnestheúsque, acérque Serestus,
Sergestus, fortisque Gias, fortisque Cloanthus:
Post alij multique Itali, Teucrique sequuntur.
Interea effusi stabant per mœnia cives
Sublimesque alta statuebant laude triumphos,
Troianam cupido expectantes pectore turbam
Et iam adventabant: quos læta fronte Latinus
Occurrens magna excepit comitante caterva
At postquam medio venientem ex agmine vidit
Dardanium Ænean: haud vera illusit imago,
Namque omnes super excellens, atque altior ibat,
Et late regalem oculis spargebat honorem
Sidereis, tunc cum primum data copia fandi est,
Et voces capere, atque optatas iungere dextras:
Incipit, & prior affatur placido ore Latinus.
Venisti tandem, cupidum nec fixa fefellit
Spes animum, Dux Troianæ clarissime gentis:
Magnorum quem iussa Deûm tot casibus actum
Italia, & nostris voluerunt sistere tectis.
Quanquam humana furens nimis ausa licentia sanctas
Turbarit leges, & Divûm exercuit iras:
Quin etiam invitum teritis, mé quo arma negantem
Tradiderit duri proferre pericula Martis.
Factum etenim: sed nec parvo stat: numina iustas
Indignata animis misere ultricia pœnas.
Nunc age magne Phrygûm ductor, quando omnis origo
Seditionis abest, & tanti criminis autor:
Connubiis succede, & promissis hymenæis.
Sunt mihi regna, manent erectis oppida muris?
Sola autem fessæ spes unica nata senectæ:
Te generum, & natum tempus complector in omne.
Quem contra bonus Æneas: Rex maxime nullam
In te horum causam armorum tantique tumultus
Credíderim, placidæ assueto sub tempore pacis:
Et siqua est, pone hanc curam, pater optime, quæso.
Nunc adsum, & patrem, & socerum te lætus in omnes
Accipio casus: magni mihi surgit imago
Anchisæ, & rursum ardebo genitoris amore.
Talibus orabant inter se, & tecta subibant
Regia: cum studio effusæ matrésque, nurúsque,
Longævique patres stabant, iuvenúmque cohortes,
Pulchra revisentes Troianæ corpora gentis:
Ante omnes magnum Ænean, cupidéque notabant
Altum animo genus, & præstantem frontis honorem.
Quæsitámque alacres pacem, atque optata quietis
Munera laudabant, ceu quando longus, & ingens
Agricolas terruit resolutis nubibus imber
Suspensos: curvúmque diu requievit aratrum:
Tunc si clarus equos spatioso lumine Titan
Laxet, & aurato cœlum splendore serenet:
Lætitia exundant, & se hortantur agrestes.
Non secus Ausonij tam læta in tempore rerum
Composuere animos, & iam Rex alta Latinus
Atria, regalésque aditus intrarat, & una
Optimus Æneas: sequitur quem pulcher Iulus
Dehinc Itali, mistique Phryges: tum splendida luxu
Applausu, & magno completur regia cœtu.
Hæc inter, matrum innumera, nurúmque caterva
In medium comitata venit Lavinia virgo;
Sydereos deiecta oculos: quam Troius heros
Virtute & forma ingentem (mirabile dictu)
Ut vidit: primo aspectu stupefactus inhæsit:
Et secum Turni casus miseratus acerbos:
Qui haud parva spe ductus ovans in prælia tantos
Civisset motus, durisque arsisset in armis.
Tum vero æterna iunguntur fœdera nexu
Connubij: multáque canunt cum laude hymenæos:
Dehinc plausus, fremitúsque altum super æthera mittunt:
Et lætam vocem per regia tecta volutant.
At fidum interea Æneas affatur Achaten,
Vadat, & Andromache quondam data munera, vestes
Intextas auro ferat: &, quod sæpe solebat,
Dum res Troianæ stabant, circundare collo
Auratum, gemmis circumseptúmque monile:
Præterea magnum cratera ut pignus amoris,
Quem Priamus patri Anchisæ donaverat olim.
Nec mora: iussa sequens pulcherrima portat Achates
Munera, tunc socer ingentem cratera Latinus
Donatum capiat: at coniux Lavinia vestes,
Atque monile decens placido dehinc pectore sese
Demulcent: variisque trahunt sermonibus horas.
Et iam tarda epulas fugientis tempora lucis

Poscebant:

Pascebant : mox regali convivia luxu
Effundunt latéque alta intra tecta paratur.
Convenere omnes, strato discumbere in ostro
Deliciis iussi,& dapibus se inferre futuris.
Dat manibus crystallus aquas : mensisque reponunt
Flaventem Cererem. tum læta fronte ministri
Innumeri magno distinguunt ordine caras.
Pars dapibus reficit mensas : pars pocula miscet,
Crateràsque replet : nunc huc, nunc volvitur illuc
Turba frequens : varios miscéntque per atria motus.
At puerum pater immotis spectabat Iulum
Luminibus, vultum admirans,moréisque Latinus,
Et graviter puerili ex ore cadentia verba,
Maturumque animum ante annos:& multa rogabat,
Permistas referens voces : dehinc oscula figens
Dulcia complexum manibus,innéxumque fovebat ;
Et nimium exultans felicem,& munere Divûm
Donatum Ænean pro tali prole ferebat.
Postquam epulis compressa fames : traducere longam
Incipiunt fando, & labentem fallere noctem.
Nunc duros Troiæ casus, gentésque Pelasgas ;
Nunc fera Laurentis memorantes prælia pugnæ :
Quo primum diffusa acies, quo tota vicissim
Pulsa loco : quis primas ovans invaserit agmen ;
Flumine quique ardens in equo madefecerit ensem.
Præcipue Tros Æneas, seniorque Latinus
Magnorum Heroum. Latiique antiqua potentis
Gesta recensebant : fugientémque horrida nati
Arma sui Saturnum Italis latuisse sub arvis :
Hinc Latium dixisse, genúsque in montibus altis
Composuisse vagum. legésque, & iura dedisse,
Et Bacchi,& frugum cultus : dehinc tecta secutum,
Esse paterna Iovem : utque Electra Atlantide cretus
Iasio Idæas caso Phrygiæ isset ad urbes
Dardanus ex Corito multa cum gente profectus :
Utque insignem aquilam dono,& Iove patre superbus
Hectoreæ gentis signum,illustrésque tulisset
Primus avum titulos,Troianæ stirpis origo.
Talibus atque aliis inter se longa trahebant
Tempora : cum fremitus,lætaque per atria voces
Alta volant strepitu ingenti tectum omne repletur.
Dant lucem flammæ, & lato splendore coruscant.
Consurgunt Phryges, & cithara resonante sequuntur
Ausonii,& plausum ingeminant : sèque omnine toto
Permiscent,variántque pedes,rapti'mque feruntur,
Et iam fessa novem longo connubia luxu
Attigerant celebrata dies : tum maximus Heros
Æneas urbem curvo signabat aratro ;
Fundabátque domos,& amictas aggere fossas.
Ecce autem fatu haud parvum : diffundere flammam
Ingentem, & fulgere levem,& se nubibus altis
Miscentem summo Lavinia vertice visa est.
Obstupuit pater Æneas,duplicésque tetendit
Ad cœlum cum voce manus : Si Iupiter unquam
Gens monitis Troiana tuis terraque marique
Paruit imperiisque libens : si numina, vestras
Si mentis,colnique aras : per si quid agendum est,
Quod restat : placidam felici afferre quietem
Augurio,& firmate,malisque imponite finem.
Talia iactantem circumstetit aurea mater,
Se Venerem confessa : almo & sic edidit ore.
Gnate animo pone hanc curam & meliora capesse
Signa Deûm,gaudensque bonis succede futuris.
Nunc tibi parta quies,nunc meta extrema malorum :
Nunc tandem optatam componunt sæcula pacem.
Nec flammam ad cœlos perlatam è vertice charæ
Coniugis horresce : at constantem dirige mentem.
Namque erit illa,tuum celebri quæ sanguine nomen,
Troianósque auctura duces ad sidera mittet.
Hæc tibi magnanimos sublimi prole nepotes
Conferet, egregiis totum qui laudibus orbem
Complebunt : totúmque sua virtute potentes
Sub iuga,victorésque trahent: quos gloria summo
Oceanum transgressa ingens æquabit Olympo :
Quos tandem innumera ardens post illustria rerum
Gesta Deos factura vehet super æthera virtus.
Hanc flammam ventura sua præconia gentis
Designant : hoc Omnipotens & culmine signum
Sydereum dedit,at tantarum in munera laudum
Quam statuis, dicas à nomine coniugis urbem.
Præterea sacros Troia ex ardente Penates
Ereptos compone nova intra mœnia : & altos
Infer ad æternum mansuros tempus honores.
Hi(tibi mira feram) tanto urbis amore trahentur :
Ut vecti ad sedes alias, loca prima Latini
Sponte sua repetent,iterúmque iterúmque reversi.
O felix,quem tanta manent ! dubiæ pace tenebis
Sub placida gentem Iliacam : post fessum : & ævo
Confectum tandem Elysias socer ibit ad umbras,
Succedes sceptro, atque Italis dominabere leges
Communes Teucrísque ferens , tum lætus ad altum
Te mittes cœlum, sic stat sententia Divum.
Dixit : & inde leves fugiens se vexit ad auras.
Æneas tanto stupefactam numine mentem
Perculsus, Divæ peragit mandata parentis.
Et iam compositos fœlix in pace regebat
Dardanidas : & iam decedens sceptra Latinus
Liquerat, & pius Æneas successerat,omnem
Ausoniam latéque potens ditione tenebat.
Iam paribus Phryges, atque Itali se moribus ultro,
Et socia ingenti firmabant pectora amore :
Concordique æquas miscebant fœdere leges
Tum medio Venus exultans se immisit Olympo
Ante Iovem : & complexa pedes sic ore locuta est.
Omnipotens genitor , qui solus ab æthere summo
Cuncta moves : qui res hominum , curásque recenses :
Dum Teucros traheret fortuna inimica,recordor,
Spondebas finem ærumnis, rebusque salutem.
Nec tua me promissa pater sententia fallit.
Namque omnes gaudere sacra treis pace per annos
Viderunt Itala nullo discrimine partes :
Verum ad sidereas mittendum culmina cœli
Pollicitus magnum Ænean, meritumque ferebas
Illaturum astris : quid nunc sub pectore versas ?
Iamque optat matura polos Æneia virtus.
Olli hominum sator , atque Deûm dedit oscula ; ab alto
Pectore verba ferens : Quantum Cytherea potentem
Ænean Æneadásque omnes cafessus amavi
Et terra,& pelaga,& per tanta pericula vectos,
Nosti : & sæpe equidem indolui commotus amore
Gnata tuo : tandemque malis Iunone secunda
Imposui finem : nunc stat sententia menti,
Qua ductorem alte Phrygium succedere cœlo
Institui : & firma est : numeróque inferre Deorum
Constat : & id concedo libens : tu si quid in ipso
Mortale est, adime : atque astris ingentibus adde.
Quin si alios sua habet virtus,qui laude perenni
Accingant sese, & gestis præstantibus orbem
Exornent illos rursum super æthera mittam.
Assensere omnes superi, nec Regia Iuno
Abnuit : at magnum Ænean suadebat ad altum
Efferri cœlum, & voces addebat amicas.
Tum Venus aërias descendit lapsa per auras ,
Laurentumque petit : vicina Numicius undis
Fluminéis ubi currit in æquora arundine tectus
Tunc corpus nati abluere & deferre sub undis,
Quicquid erat mortale,iubet : dehinc læta recentem,
Felicemque animam secum super aëra duxit :
Immisitque Ænean astris. quam Iulia proles
Indigetem appellat, templisque imponit honores.

FINIS.

MAPHEI VEGII LAUDENSIS

ASTYANAX.

Musa refer, quæ caussa metum, post diruta Troiæ
Mœnia, & extremas clades, incussit Achivis
Principibus: cur certa omnis penderet inulto
Astyanacte salus Danaum, tu Diva canentem
Prosequere, Hectorei dicam crudelia gnati
Funera, & afflictæ planctus lamentaque matris.
Exciderant sævis eversáque Pergama flammis
Funditus, & superûm lachrymas motura iacebant:
Ilium humo sparsum tota, miserabile Teucris
Supplicium, tumidas Graiûm satiaverat iras.
Ipse parens, post tot gnatorum fata suorum,
Laomedontiades, Asiæ regnator, ad imas
Ense Neoptolemi casus descenderat umbras.
Hic finis bellorum, & iam tendebat utrasque
Iungebatque manus læta omnis Achaïca pubes,
Dona ferens aris, & Divos laude canebat,
Optatos visura lares, visura penates,
Et dulces gnatas, nuptásque, patresque simulque
Exspectatam armis requiem, patriaque salutem.
Tum varios volvens casus, metuensque futuri
Argolicos proceres maior cogebat Atrides.
Utque alto stabat solio, sic edidit ore:
Victores Danai, quorum res numina latas
Respiciunt (neque enim nostra sine numine eunt res)
Iam tandem decimo Phrygias superavimus anno,
Iam tandem ad patrias fessi remeabimus urbes.
At vos, si qua manet magnorum certa laborum
Affectata quies, parva est mora: state Pelasgi,
Ne celerate ore, meritas Neptunia pœnas
Satque superque luit, fateor, sat Troia cadentes
Deflevit, sparsos proprioque in sanguine cives.
Verum & nunc vestras intenti advertite mentes.
Nondum adeo cecidere Phryges: nondũ omnis adempta est
Spes Teucris; superest Priami de gente superba
Astyanax: qui, si fortes maturior annos
Adtigerit, quantum exitium cladésque Mycenis
Portendat, quæ fata, mihi non credite. Calchas
Ista canit, vos consulite, & Calchanta vocate.
Ille quidem, sive id senior, dum Troia labaret,
Clam mandavit, avus, seu fida fraude parentis
In tutum cessit, sed, quæso, promite totas
Ingenij vires: tentanda est mater, & astu
Fallenda atque dolis; latitantem ut conscia gnatum
Exhibeat, vos nunc vestris succurrite rebus.
Dixerat, arrecta mentes regúmque ducúmque;
Quem sic, effari iussus, Laërtius heros
Prosequitur: Dux ô nostræ fidissime gentis,
Non indigna refers, equidem me scire fatebor;
Quid Chalcanta vocem? nostra hunc si ignavia servet,
Haud parvo venturum Argis, iam cernere quamã,
Cæde fluant rivi videor, iam Dorica in ossis
Castra coacta alto resonare ad sidera planctu.
Quod, potius precor, avertant, neque numina firment.
Ecce animum subit, & nimium me terret imago
Hectoris, egregio cuius de sanguine natum
Astyanacta animis an degenerare paternis
Crediderim? non sic animi nec mentis egens sum.
Nos fracti moneant Troës, nos Dardana tellus
Edoceat, tot quondam opibus tot viribus ingens,
Nunc æquata solo, vni lætitiaque dolorique
Una eadémque dies fuerit: brevis hora vetustum
Postremo imperium rapuit, nos stamus eodem:
Quo Troia ipsa steterat, timor omnibus idem.
At vos, si sapitis, Danai, si cura futuri
Ulla sedet generis, Priami delete nepotem;
Efficite, & prorsus Troianum evertite nomen.
Nec puerum ulcisci, tenerúmque haurire cruorem
Turpe putent: & me pietas tangitque movétque.
Plus tamen Argivæ matres, gnatique, nurúsque
Stringunt me pietate, subit patria inclyta mentem,
Thelemachus meus ante omnes, atque optima coniux,
Et carus genitor: quorum hic in funera crescit.
Ipse ego, quod reliquum est, si lingua aut pectore vobis
Unquam profuerim, nunc has aperire latebras
Polliceor, prudentum huius quodcunque profari est.
Compellam genitricem arte, occultúmque fateri
Quippe animos dudum didici, simulatáque matrum
Consilia, inc assumque annexas vincere fraudes.
Si placet hæc, vestraque manet sententia menti;
En adsum, mandata libens ego iussa capessam.
Fuderat, unctique eadem adsensere frementes.
Viderat & parvi sortem Astyanactis iniquam
Alma Venus miserata; oculos suffudit obortis
Sidereos lacrymis: tum magni ante ora parentis
Constitit, has multo referens è pectore voces:
Meme tuæ genitor, solam indignaris amare?
Quid potui meruisse? Phrygum quæ tanta meorum
Excidia, & Graiæ gentis commenta dolosque
Eversamque urbem vidi, indolui que videndo.
Solane, sollicitis & tristibus anxia curis
Semper ero? miserere pater, solatia gnatæ
Da non magna tuæ, ceciderunt Pergama, & ipsi
Priamidæ efflarunt misero de corpore vitam
Id factum est, quia fata volunt, patienter & æquo
Ferre animo præstat, sed te rex maxime cœli
Unum oro, concede unum, satus Hectore forti
Restat adhuc magnæ Astyanax spes unica Troiæ,
In quem nunc rapitur nondum exsaturata iuventus
Graiorum, puerique caput depactus Ulysses
Insidias struit, & misera scelera atra parenti.
Nunc illum è tantis potius defende periclis,
Qui solus Priami tota de gente superstit:
Serva illum, precor, atque malis nunc eripe tantis.
Olli hominum divúmque parens hæc pectore ab alto
Verba dedit: Quid me toties Citherea fatigas,
Ardentes agitans curas? quid gnata querelis
Inflecti veterum non exoranda sororum
Iura putas, stabilésque æterno fœdere leges?
Qui finis Priamum, & patriam gnatosque manebat,
Nunc idem Astyanacta manet, neque vertere duris
Quæ fatis placuere, meum est, si vertere possem,
Et Priamum patriámque & gnatos stare videres,
Non tamen Iliacas omnino exstinguere vires
Decretum est, tuus Æneas servabitur, unde
Magni opibúsque animisque duces nascentur, & armis
Qui tandem domitas cogent parere Mycenas:
Quorum ingens toti nomen dominabitur orbi.
Illum ego post multos pelagi terraque labores,
Sublimem ad cœlum tollam, & divum numero addam.
Hic erit unde tuos solari gnata dolores,
Et tristes Troum casus relevare licebit.
Talibus inter se, sed non contenta quievit
Mens Divæ, demúmque leves perlabitur auras,
Conata Hectoreæ rursum succurrere proli,
Idæámque petit regionem, ibi maxima quondam
Mœnia Dardanidum postquam cognovit, & urbem
Evulsam, magno ingemuit perculsa dolore.
Tempus erat, quo noctem oriens Aurora fugabat,
Tunc Venus effigiem, fuerat qua tempore vitæ,
Hectoris induitur: non ut ferus arma movere,
Aut quandam medios horrendum insurgeret hostes,
Magnanimus turmas Danaum terrere solebat:
Fit mœstus fletúque madens, fit pallidus Hector,
Et fossum ostendens pectus, squallentiáque ora;
Atque hic Andromachen per somnum affatur, & ultro
Compellat verbis; Surge ô carissima coniunx,
O coniunx dum vita fuit, tecum arripe gnatum
Communem, & nostro serva atque recondo sepulcro.

Nullus enim tota locus est qui restet in vrbe:
Consumpsere omne miseranda incendia Troiam.
Hunc tibi commendo, hic patria nostra vna salus est.
Nec plura illa alis sese velocior astris
Intulit, at tanto Andromache perterrita visu,
Nequicquam complexa virum, tamen omnia cari
Coniugis exsequitur dicta, & mandata facessit.
Interea adventans scelerum fabricator Vlysses
Nectebat fraudes animo quo cingere matrem,
Quo capere eloquio posset, quæ exordia primum
Sumeret: huc animum meditans mutabat & illuc.
Non secus ac quando lupus insidiatur ovili,
Quem ieiuna fames cogit tacito avia gressu
Arva legit, secumque dolos & tristia versat
Fata: quibus tenero lactantem ex vbere fœtum
Eripiat: sic Dulichius dux ibat in omnes
Se volvens curas. cui postquam copia cessit,
Alloquitur tali defessam voce parentem
Si me Di propriis voluissent vivere votis,
Non equidem diræ sortis tibi nuncius essem.
Iussa sequens Danaûm venio, cum Teucria primum
Vrbi bello peteretur, & æquora adire vetarent
Humano donec placati sanguine venti:
Filia tunc sacras Agamemnonis imbuit aras.
Nunc eadem Chalcas redituros fata manere
Prædicit rursum Graios: cæsoq; piandas
Astyanacte rates, tu quem rex gentis Achivæ
Sorte tulit casum, non aspernare, Pelasgi.
In te omnes conversi erant: ostende vbi gnatus.
Sic finem impones armis: tutior Argos
Lætitia explebit requies venturus hic Hector
Iam formidatur Danais, longéq; timetur.
Occultum huc reddas pignus, quid turbida frontem
Obducis, torquens oculos? an fallere Vlyssem
Fœminea arte putas? verum cogeris & ipsum
Quamquam invita. dabis: nunc summo ex aggere bustum
Hectoreum evellam prorsus, pérq; aëra mittam
Dispersos cineres, & saltem triste paterni
Supplicium exsolvent manes pœnásque dolebunt
Quas fugiet gnatus, sed tandem hunc in medium affer.
Sic fatus, stetit illa tremens, altumq; repressit
Quod potuit, gemitum, dehinc talia reddidit ore
O vtinam mea, gnate, quies, mea gaudia quondam
O vtinam superesses & post omnia tantum
Solamen matris miseræ: his te gnata lacertis
Complecti, atque tuo aspectu me pascere possem.
At cecidisti, & tu in mediis nunc ignibus ardes
Forsitan, aut nihil absumpto de corpore restat.
Gaudete ô Graii: sum vestra nuncia mater
Lætitiæ, periit gnatus, vitámq; reliquit.
His dictis incensa magis ducis ira, ruebant
Iam famuli in tumulum moniti, tum regia virgo
Dulichii stetit ante pedes herois, & ambas
Intendens palmas tantum precor, inquit, Vlysse
Si qua animum mollit pietas, averte dolorem.
Hectora iactari vt videam: miserere, meásq;
Sume preces: prohibe infandum scelus, an tibi gnatum
Reddam, at tu melior dux illum surripe morti.
Et gnatum & matrem servabis hic est mihi sola
Afflictæ requies, mœstæ hic mihi sola voluptas.
Per spes Thelemachi, per castam coniugem ego te
Per seniorem oro genitorem, si tibi cura est
Vlla domus, quæ te rediturum optatque manétque;
Huic inopi succurre, & commiserere parenti,
Et precibus moveare piis, si prona potentem
Te fata evexere, negas an parcere victis?
Vicistis porro ô Danai, Troiaq; superbas
Evertistis opes. iacet Ilium opus Divorum.
Verum agite, & quantum liceat. sperate secundos
Cælicolas, lætis nimium neu fidite rebus.
Sæpe etiam damno felix victoria cessit.
Discite nunc miseros tutari, discite lapsos
Erigere: & misereri inopum, fractosq; iuvare.
Fata rotant homines quanto quisque altior hostem
Oppressit, sceptroque potens dominatur, & omnes
Exterret populos animis: tanto addere magnis
Frena decet, dubiam rerumq; agnoscere sortem.
Nota loquor, nunc è patrio descende sepulchro
Astyanax, parve Astyanax procede, tuumq;
Affare & dominum supplex, humilisque precare.
Pone animos veteres proavorum nomina, & altum
Troianæ genus vrbis, & inclita mœnia cedant.
Quid lacrymis madueré genæ? patriam exue mentem;
Abijce avos, & disce pati; cui brachia collo
Innectis nostro? quid matrem iterumque, iterumq;
Gnate vocas frustra ingeminans? eu, eu, miseram me.
Talia iactabat lacrymans cui turba trementem
Astyanacta, ducis iussu gremioque parentis
Tutantem se nequicquam, auxiliumque petentem
Complexu è medio traxit: velut Astur inermem
Cum volucrem insequitur curvis trepidã vnguibus vrgẽs
Illa, vbi fata videt, vidit suprema, profusis
Ora rigans lacrymis tumidum declinat, humoq;
Occultat peritura caput, se tali ope tutam
Servatámq; putans, demum raptoris iniqui
Præda fit, & tenues moriens diverberat auras.
Haud aliter rapitur Troiano ex Hectore cretus.
Turris erat, cuius cœlum fastigia adibant;
Vnde pater Priamus Troiam omnem ipsosque solebat
Prospicere Argivos, & gnatum bella moventem
Horrenda, & flammis hostes ferroque prementem.
Hinc puer Astyanax tecto mittendus ab alto
Ducitur infelix, circum omnis fusa coibat
Visendi pubes studio populiq; ducésq.
Ille autem haud segni passu letho obvius ibat;
Huc illuc spectans oculis similisq; minanti,
Intrepidamq; aciem ostentans, gemuere coacti,
Nec lacrymas tenuere, animum vt videre Pelasgi
Ingentem, & tenero præstantem in corpore formam
Postquam ad supplicium ventum est, sacrisq; vacaret
Fat dictis vates; ipse vltro è culmine summo
Proiecit sese, vitamq; sub aëre liquit.
Fama volans miseram complebat nuncia matrem,
Missum alta è turri gnatum, duróq; rotatum
Procubuisse solo: tum palmis pectora tundens,
Sparsa comas, rapido fertur per mœnia cursu.
Astyanacta petens, quem postquam agnovit, & ora
Fœdata avulsumque caput, disiectaq; vidit
Membra; suum lacrymis testari & voce dolorem
Haud potuit primo: demum miseranda solutos
Suscipiens artus, quam primum farier ingens
Concessit dolor, his percussit questibus auras;
Talem ego te gnate adspicio! talem ne parenti
Servasti afflictæ tandem! quis te mihi divûm
Invidit? quis tantum ausus, quis gnate deorum?
Quæ tibi sidereos rapuit mors impia vultus,
Egregiumq; decus formæ, & qui plurimus aurei
Purpureus decor oris erat: nunc tristia cerno
Vulnera, vel potius toto vnum in corpore vulnus.
Nunc cerno laceros artus taboque fluentes,
Eiectosque suis oculos è sedibus, ô me
Infelicem, ô me miserandam, talia gnate
Allaturus eras viduæ solatia matri?
Hæc requies sperata? hoc est solamen adempti
Coniugis: eversa hæc patria mihi gaudia restant?
Quo dulcis risus soliti, admirataque verba,
Et blandæ voces puerili ex ore cadentes
Quo cari amplexus abiere, & mutua nostris
Oscula fixa genis toties? quod sidus iniquum
Eripit te gnate mihi, ne regna paterna
Succedens sceptro regeres, & magnum avitum
Imperium augeres? quoties ignara precabar
Venturas belli laudes, & splendida dextrã
Facta tuæ, vltricésq; manus: prô cæca hominum mens!
Dii contra evertere omnem spémque ire sub auras
Iusserunt, nunc nec leges nec iura subactis
Vlla feres populis, nec viribus Hectora patrem
Æquabis, quantum tibi gnate simillima imago
Patris erat! sic idem habitus, sic mens, animusque.
Tunc puer terror Graiûm, tunc ille futurus

Excidio, & gentem ferro extincturus Achivam?
At quoniam fueras puer, & nondum integer avi;
Servatum à fatis rebar: sed dira luisti
Supplicia, & pœnas, quæ Laomedonta manebant
Nil vetitum in Divos peccare; & culpa nepotis
Criminis infontes tetigit, nunc ite Pelasgi,
Ite alacres; tutum nunc scindite navibus æquor.
O superûm rex magne tonans, si tangere ulla
Erga homines pietate, ursas ulciscere tantum;
Nunc iaculare ignes, Argivásq; obrue puppes:
Perde salo Danaos, qui me crudelia gnati
Fati mei, & lacerum fecerunt cernere corpus.
Hi sunt, præterita fletus quos nocte ferebas,
Coniugis umbra nimis mihi cognita, quas mea proles
Nunc statuam busto pompas? quem mortis honorem
Supremum ex more, aut quæ nunc solemnia iungam?
Tot iam ceu sic iacet rapidis urbs diruta flammis:
Et quo te reddam tumulo, privaberis igni.
Et quid Agamemnoni me servi delegit acerba
Fortuna? ô, si qua est pietas evellite quæso
Hanc animam, & gnato sociam demittite ad umbras:
Talibus implebat vultum, lacrymánsq; gemensque.
At vero interea fusi, per littera, Graij
Aptabant classem, reditumásq; æquore naves
Cogebant, tum Pyrrhus ovans & certus eundi,
Cui sors Andromachen dederat, non pauca querentem
Abstraxit genitricem à cari funere gnati,
Solatus multum miseram, puppiq; locavit.
Inde omnes ventis tendentis vela secundis
Cessere, & patrias lati petiere Mycenas.

FINIS.

MAPHEI VEGII
LAVDENSIS
VELLERIS AVREI,
LIBRI IV.

LIBER PRIMVS.

EGREGIVM canere Æsonidem, iuvenésque Pelasgos
Instituo; quos prima ratis maria alta secantes
Phasiacam advexit Colchon, nec longa movebo
Terrarum & vasti vitata pericula ponti:
Non repetam Peliæ invidiam, libet horrida cæci
Fata senis, libet obscœnas tacuisse volucres;
Quas Boreæ geniti Calaïs Zetúsq; fugarunt.
Præterea quantis afflicta est Troia telluis
Excidiis, dura sub Laomedonte, silebo.
Vos quoque Lemniades, animosa & mascula turba,
Quis primo arma placent, mox connubialia iura;
Te blanda Hypsiphile, vel te furiosa Polyxo
Transierim, & quidquid medias dum transfretat undas
Argolica effecit magnum & memorabile pubes,
Sola autem, quæ sunt Colchorum in litore gesta,
Expediam, raptum Phryxea pellis honorem,
Vesanósq; sequar Medeæ ardentis amores.
Vos memorate Deæ, veterésq; resolvite causas.
Res antiqua, ingens, & non obscura sub antris
Aoniis, quæ me toties Helicona moventem
Invistis, vestro rursum succurrite vati.
Iam longas emensa vias Argiva iuventus
Attigerat portus, & Æetæ mœnia regis:
Cum subito totam vulgatur fama per urbem
Advenisse viros, externis è partibus orbis;
Visura ergo duces gens undique barbara fertur.
Nunc ingentem Argon, secura pondera, in ipsis
Perstantem mirantur aquis; nunc ipsa virorum
Corpora, florentésque annos, formámque decúsque,
Et quos esse putant morésque, habitúsq; Deorum.
Ipse quoque insolitum rumorem Sole satus rex
Miratus, tantam dubitavit credere molem
Per vastas rupes rapidum volitasse per æquor.
Inde viros avidus sciscitari, & discere causas,
Eventúsq; viæ, iubet ad se in tecta vocari.
Olli adventabant læti, quorum Æsone natus
Primus pacifera ramum gestabat oliva:
Post clari Æacidæ, atq; ingens Meleager, & ortos
Tyndarida gemini; geminiq; Aquilone creati,
Atque una Admetus præstans, Idásque superbus,
Et Lynceus, & quem Pelias generarat Acastus.
Tum solitus rabidos cithara mulcere leones,
Semideos inter reges convenerat Orpheus:
Docti etiam vates, quos provida cura futuri
Addiderat, senior Mopsus, sed puberis ævi
Absorptus nondum vasto Amphiaraus hiatu;
Quique incurvatas agilis Polyphemus aristas
Securúsq; maris stantes percurreret undas.
Inde Periclymenus; magnam cui magnus aquarum
Vim rector dederat, fortisque Leodocus, & qui
Progenitus fuerat forti ex Alcone Phalerus,
Tum Nestor senior nondum; tum magnus Oileus,
Mercuriúsque Eritus simul & prognatus Echion,
Euridamásque satus Timeno, satus atque Menœtheus
Actore; quos paritérq; Areus generarat Aloëus,
Amphidamas, Cepheúsque; & quem Cupolinia partu
Edidit Æthalides, hinc Lerni filius ibat
Iphiclus, hinc Phlias, Neptuni & bina propago
Erginus Eniochúsq; simul; tum viribus ingens
Laocoon, dehinc Euritïon, Butésque, Chromisque
Amphiónque simul, simul Asterïúsque, simulque
Asterion; post Augias, post Clitim, atque
Iphitus, Euritho geniti: genitique Biante
Egregij Thalúsque Ariasque hinc cetera pubes.
Tot tantique Duces gressum intra tecta ferebant
Regia, præsigni rex maiestate verendus,
Sceptra tenens, sese sublimi in sede locarat.
Quos postquam circumspexit, latúmque notavit
Luminibus lustrans oculorum, & frontis honestum
Eximiúmque decus, speciménque insigne iuventæ,
Ingentésque animos ingenti in corpore vidit:
Obstupuit tanto adspectu casúque virorum.
Tum quibus advecti veniant inquirit ab oris,
Unde genus, quæ causa viæ, quo cursu euntes
Compulerit, quærentem illum facundus Iason
Affatur, placidóque has fundit pectore voces:
Non alias sedes, aliosve exquirere portus
Venimus, hanc certo, bone rex, adnavimus urbem
Proposito: tua nos, nostro vulgata sub orbe,
Fama, per immotum pelagus, per longa coëgit
Ire loca, & primam ventis committere navim:
Nos clara bello gentis, nos inter eundum
Et populi, & magni socios voluere tyranni,
In partem, & regni fœdus commune vocantes.
Sed te quem miro fama immortalis amore,
Per maria & scopulos petimus, te scilicet unum,
Et tua prætulimus oblatis littora regnis.
Quippe, nisi in nostris narrata est fabula terris,
Rumor iit, dura statui hic certamina pugnæ
Quæ victori amplam laudem, preciúmq; superbum
Adferrent; precium spectabile velleris aurei,
Quo quondam Phryxum dicunt trans æquora vectum.
Hunc equidem, modo sit tua nos aversa voluntas,
Hunc ausim nostris gestis bene rebus honorem
Adiicere; atque ipsis virtutem ostendere factis.
Nec tibi vile putes, titulis adscribere nostris,
Rem tantam: non hac indigni laude feremur,
Nec nos degeneres, spolio indecoréve querere.
Progeniti è regum sumus alto & sanguine divûm
Graia tulit tellus, quæ tot generavit alumnos

Illustres

Illustres virtute : pater mi Thessalus Æson ;
Alcimede est genitrix, simul hac effatus, & una
Percurrens, sociorum animos, stirpémq; docebat :
Nunc clarum Oeniden, nunc magnos nomine monstrans
Æacidas simul & formoso pignora Ledo,
Et Berea insignes gnatos, & singula Graiûm
Corpora, quos verbis memorans laudabat amicis :
Assuerat patruus, gemmis auróque rigentes,
Gestaménq; patris sceptrum dat munera regi.
Ille ut iam dudum iuvenis pendebat ab ore
Hæmonij, non muneribus donisve movetur
Textilibus : sed enim tacito sub corde volutans
Fortunas casúsque virûm, patriamque, genusq;
Et dignas voces, & magniloquentia verba,
Cunctantem Æsonidem tali est sermone secutus :
Haud ego vos humili genitos de stirpe, Pelasgi,
Crediderim ; quos tanta animi vis, tanta cupido
Impulit has tentare vias, hæc quærere tecta
Nec verò prorsus gentem ignoramus Achivam ;
Virtutis laudésque virûm : sunt cognita nobis
Vestra etiam, quæ iam toto celebrantur in orbe
Nomina, quod toties avida cum mente petivi
Nosse aliquos gente è Danaûm, nunc obtulit ultro
Insperata dies ; ut vos lætúsq; libénsq;
Accipio ô iuvenes! ut vos audire loquentes
Amplectique simul iuvat, & contingere dextras !
Dono quoque haud spernor, sed vos per, si qua putatis,
Numina, per genitorem oro, ne fidite Graij
Posse capi has vestra, petitis quæ vellera, dextra.
Nulla hic humanæ possunt obsistere vires :
Sola Hecate, sola hic herba, cantusq; Deorum
Militis instar agunt pugnam, primum ardua colla
Tollentes gemini flammato corpore tauri
Occurrent ; quibus Ætneo non segnior igne est
Spiritus, infernis nec cederet ille caminis.
Ecquis autem taurorum atres extinguere flammas :
Quis non, vipereo sub terram semine iacto,
Armigeros fratres mediis horrescat in armis
Nascentes, capitique suo crudele minantes
Exitium ? quis deinde asprum immanémq; draconem
Tute adeat, tetrum, informem, cui lumina semper
Insopita, truceque ardescunt ignea visu,
Vos lecti, moneo, ô proceres absistite tanto
Congressu, fugite hæc preciosa pericula, quæso.
Si vos tangit amor duris opponere bellis,
Magnarúmq; trahit produlcis gloria rerum :
Non deerunt pugnæ, non monstra rebellia deerunt,
Ite aliis, celebrem melius perquirite famam.
Sin libeat nostris etiam consistere regnis,
Accipio socios, casúsq; amplector in omnes.
Dixit, & Æsonidem Getuli pelle leonis,
Et pharetra insigni donat, quæ munera Phœbus
Primævis genitor dederat gestare sub annis :
Prosequitur reliquos, & in omnes munera fundit.
Tum vero Danaos intra penetralia ducit
Interiora domus : tum magna palatia & altis
Parietibus sublata, auróq; ardentia tecta,
Atq; amplas manifestat opes, monstrátq; suorum
Cælatas ebore effigies, & facta parentum.
Ille Sol pater eius erat, quem veste sub aurea
Intonsúmque comas, & pubescentibus annis,
Et flavos rutilo cinctum diademate crines
Cernere erat, stantem curru cum verbere in alto,
Alipedésque feros moderantem, & lora tenentem,
Cælo etiam legem, vitámque, & lumina toti,
Et mentem & fœtus mundoq; alimenta ferentem
Temperiem, lucémque astris : dehinc pronus in undas
Occiduas ubi flectit equos, mox iussa sequentes
Accurrunt celeres horæ, solvúntque iugales,
Frenáque diripiunt, quæ dente sonantia mandunt.
Pascua deinde notant : ibi molli gramine dulcis
Ambrosia pascantur equi, roseum ille colorem
Mutata induitur palla : tum cespite fessus
In viridi sedet agresti & modulatur avena.

Talibus atque aliis, quæ circum plurima Solis
Divina infabricata manu monimenta videbant,
Affixi stabant iuvenes, sed dura laborum
Dum fata, & casus secum meditantur acerbos,
Quos monitu rex Æetes memorarat amico :
Sive boum flammas, insopitúmque draconem,
Terrigenas alto fratres seu pectore versant.
Ingentes ea vox & curas concipit acres,
Lætáque magnarum turbat spectacula rerum :
Non secus ac quando silvas & pascua circum
Convenere feræ, saltus mirantur apricos,
Mirantur nitidos fontes, fluviósque lacúsque :
Quod si audita canum vox forte perhorruit aures,
Nec nitidos fontes iuvat aut invisere saltus.
Interea largo completur regia luxu.
Longa manus famulorum intus, quos ardua tangit
Cura domus, adolent ignes, epulásque calentes,
Bacchúmque Ceterémq; parant, atque ordine mensas
Disponunt, late strepit omnis curia motu.
Conveniunt senior rex una & Graia iuventus ;
Funduntúrque manus lymphis, ostróque superbo
Discumbunt, stratisque super, de more, tapetis.
Venerat & iussu cari Medea parentis :
Filia regis erat, spes sceptri & gloria magni,
Nondum iuncta viro ; fulgenti colla monili
Ornarátque auro crines, & texerat aurea
Se palla, quæ Sol patrem donaverat olim.
Mirum illi ingenium, magices doctissima cantus,
Herbarum & pariter lapidum cognoverat usum.
Ipsa sua æripedes tauros fabricaverat arte
Vipereos etiam dentes sævúmque draconem.
Quo postquam stetit, ante patrem, mensoque paratos
Externos vidit iuvenes, deiecit honestos
In terram subito vultus, totúmque ruborem est
Fassa genis, tum verò inter discumbere reges
Rex gnatam iubet, & consistere Iasone coram.
Inde ferunt epulas, & munera larga Lyæi.
Vescitur Æetes, pariter vescuntur Achivi.

MAPHEI VEGII
LAVDENSIS
VELLERIS AVREI,
LIBER SECVNDVS.

AT Venus ætherei iam dudum è culmine cæli
Formosum Æsonidem spectans pubémque Pelasgam,
Commota est pietate ; gravisque pericula casus,
Et sortem crudelem animo non pertulit æquo.
Nondum illa Argivas partes infensa premebat ;
Tyndaridem nondum Phrygius raptarat adulter.
Tum secum : Patiárne malis se pulcher Iason
Obiectet tantis ? cane est clementia nostri
Numinis ? ergo illum taurorum occurrere flammis,
Absumique sinam ? vigili ergo præda draconi
Is dabitur ? terraque satis tot ab hostibus unus
Ille petetur ? ego patiar ? nec vivida virtus,
Nec me nobilitas, nec me sua forma movebit ?
Proterea genus invisum, nunquamne licebit
Ulcisci Solis stirpem, qui nuntius olim
Haud timuit nostros clando monstrare marito
Concubitus, dulces nostrósq; & Martis amores ?
Stat totam vexare domum, sævósque calores
Moliri, & rapidis incendere pectora flammis.
Quo circa Medeam, ipso de sanguine natam,
Quam primum Hæmonij stringam magno hospitis igne.
Sola virum à tantis potis est servare periclis,
Ergo pharetratum Diva, his tum vocibus, ultro

Compellat gnatum? Viden', ô cariſſima proles,
Magnanimum, niſi nos ſervamus, Iaſona, quanto
Nunc ſitus eſt, ſub diro rerum diſcrimine rerum?
Vade age, nate, petas inter convivia, namq;
Medeam invenies inter iuvenéſque, ducéſque.
Nunc rem tempus agi: pharetra depreme ſagittam,
Et tota vi intorque, & corde recondo ſub alto
Virginis Æſonidem ſi tantum diſcat amare,
Illa poteſt ſalvare, malis & ſolvere tantis.
I, celera invisum Solisque ulciſcere ſemen:
Ipſa etiam præſens adero, viridémq; iuventam,
Perpetuamq; viri læta ſub fronte decorem
Et dulcem adſpectum, decus, atq; inſigne, iuvabo.
Nulla mora, exſequitur genitricis iuſſa Cupido.
Virgo ubi prævalidos concepit corde furores,
Inſuetoſq; ignes hauſit, non amplius ullas,
Illa dapes, Bacchi non munera ſuavia curat:
Tantum illam teneri flammata Cupidinis arma
Stringunt & cæco languentem vulnere carpunt.
Haud aliter, quam ſi paſcentem in valle virenti
Et ſapidas avidis tondentem dentibus herbas,
Forte venenata venator harundine damam
Percuſſit: non illa herbas, non gramina curat,
Fixa ſibi tantum letali vulnere mens eſt.
Tali Cupidinea vulnus Medea ſagitta
Intus alit: ſolum miratur Iaſona ſolum
Optat, & inſano paulatim ardeſcit amore:
Nunc faciem illius, nunc pectus & ora tuetur,
Nunc humeros ambaſque manus, & eburnea colla,
Sidereoſq; oculos, & totum deniq; corpus,
Nunc hac, nunc illac, intento lumine luſtrat.
Dumq; refert, quibus eſt nuper iactatus in alto,
Terribiles rerum facies, duroſq; labores.
Sive ſua eloquitur vel avorum facta fuerunt,
Et mores & virtutes telluris Achivæ:
Pendet, & illa avidis voces atque auribus haurit,
Admirans animumq; viri, caſuſque ſequaces,
Magnumq; & dulce eloquium, conſultaq; verba,
Et genus, & patriam, mores, cultuſq; locorum.
Uritur & ſævo torquetur Phaſias igni.
Non illi cura cantus, plauſuſq; virorum,
Non cithara, & læti ſtrepitus per tecta frequen-
tes,
Infelicem illam maior nam cura premebat.
Poſtquam veſcendi finis finiſq; loquendi:
Secedunt Graij proceres, multum ardua ſecum
Fata revolventes, & voces regis amaras.
Tum ſic intrepidus ſocios compellat Iaſon:
Quo nos crudelis caſus, quo dira malorum
Tantorum ignaros tulerit Fortuna videtis:
At potius ſtatui caput obiectare periclis,
Qualiacunque ea ſint, & duro occumbere letho,
Quàm repetiſſe domum turpi terrore, metuq;
Dicamur, ſimuſque ignavi fabula vulgi.
Spero autem ſi qua eſt virtutis gratia noſtra,
Latura auxilium noſtris pia Numina cœptis.
Talibus Æſonides mortem præconcipit altam,
Dedignans miſera ſupereſſe cupidine vita.
Qualis ubi in ſilvam venandi ductus amore
Nobilitate animi præſtans, magnaque canis vi,
Ingentem & longe vidit maioribus aprum
Viribus excellentem; illi ſua conſcia virtus
Dat ſtimulos: pudet ingenuum cor cedere, & ultro
Congreditur, pulchroq; mori in diſcrimine mavult.
Virgo autem, thalami ſecreta in parte, ſedebat
Multa gemens validéſq; agitans inſana furore:
Iamque peregrinum iuvenem miſeratur, opémq;
Afferre, & carum proponit prodere patrem,
Externaſque ſequi patriaſque relinquere ſedes.
Vile ſibi eſt natale ſolum ſibi vile paternum
Et ſtudium & nomen: tantum ſibi Theſſalis ora eſt
Dulcis, & Hæmonius tantum ſibi dulcis Iaſon.
Vidit ab excelſo caram Sol vertice prolem
Incenſam flammis graviter Venerisque ſuperbam
Infenſa mentem atq; odium vetus intellexit:
Indoluit meditanſq; dies, qua virginis ignem
Exſtinxiſſe via poſſet, ſic Pallada demum
Alloquitur: Te Diva unam pro ſanguine no-
ſtro
Divorum ex omni numero poſcoque rogoque
Medeam inſidiis Veneris, gnatiq; potentes
Obſequio gravibus torqueri, en, adſpice flam-
mis.
Tantum illa immortale odium ſub pectore geſtat:
Tantum illa inſontes perſtat punire nepotes.
Neſcius at vero non ſum, quam fida tuorum
Sacrorum fueris cultrix, atque omne per ævum
Te virgo obſervaveris hæc: quam ſcilicet ob rem
Te curam gerere, & miſereri ardentis alumnæ
Diva decet: tu ſola potes contemnere tectas
Et blandas Veneris fraudes: tu ſola ſagittas
Deſpicere auratas, cæcique Cupidinis arcus:
Vulcanumque tuo potuiſti arcere cubili.
Præterea pater omnipotens te præ omnibus unam
Diligit, exauditque volens tua vota, lubenſque:
Perge; patrémque roga, ſi patrem forte rogaris,
Forte pater præſtabit opem, vel, ſi qua ſuperſit,
Perge alia & ſuccurre via, nec plura locutus.
Tum Dea; Me talem dignum eſt adſumere cu-
ram
Dixit, & ante Iovem ſimul adſtitit, atque ita fa-
tur:
Magne parens ſi nata tuo de vertice tantum,
Si ſine matre fui, da cara munera gnatæ
Haud indignæ meam liceat, pater optime, alum-
nam
Æeta genitore ſatam, ſervare furentem:
Quam pharetratus Amor, nil dignam vulnere tali,
Flammifera incautam transfixit harundine nuper.
Fac puer immitis, quæ fecit vulnera curet;
Fac revocet flammas, & amaros ſanet amores.
Si iubeas genitor, nimirum iuſſa faceſſet.
Dixerat: orantique pater dedit oſcula gnatæ,
Talia deinde refert: Nulla eſt res ardua tan-
tum,
Tam dura atque indifficilis, quam pro te ego,
gnata,
Efficere aut ulla ratione ſubire recuſem.
Tu modo, quorumcunque capax eſt noſtra po-
teſtas,
Poſce: feres quodcunque mihi concedere fas eſt.
Ius ego & imperium ſuperos ſum nactus in om-
nes.
Sed tamen ille ſuo totum Deus aliger arcu,
Qui cælum & pariter totum qui territat or-
bem,
Ille quoque, & non inficior, me territat, unus
Me premit, & capiti noſtro ferus ille Cupido
Imperat, & quas vult leges ac fœdera ponit
Devincitque manus, & duris colla catenis.
Illum ego flammatis miſcentem bella ſagittis,
Temnentémque meum ſi fulmen ab æthere mit-
tam
Horreſco; longe teloque ac viribus impar
Illi ego cedo unus victus: de fortibus ille
Quippe viris, de Semideis, de Diiſque triüm-
phat.
At quia de noſtro tantum capite orta fuiſti;
Nec tibi concepta corrupta & fœda libido
Adfuit, idcirco crudum contemnere gnatum
Matris Acidaliæ potes, & ſervare cubile
Intactum; nunc ſi, quod habes, aliunde peten-
dum eſt
Auxilium, & magno ſtudio curaque ferendum,
dum,
Iuppiter hæc, canto ſtupefacta eſt Diva virago
Affatu: dehinc illa leves delapſa per auras
Colchon adit, magnique ædes atque atria regis
Intrat; & annoſa faciem veſtemque parentis
Induitur, baculoque infirmos ſuſtinet artus.

Fit

Fit Trophe, nutrix Medeæ & callida custos,
Atque ubi mærentem graviter, lacrymisq; madentem,
Singultúsque graves ducentem agnovit alumnam;
Secretas tandem caussas narrare coegit.
His ergo cœpit verbis Medea profari:
Cara pudet nutrix nostri vesana fateri
Vota, & præcipites flammati pectoris ignes.
Nec porro tanta hac affligi peste malorum
Speravi, nec tam duris succumbere pœnis:
Sed me nescio quis torquet Deus, & mea sævo
Flammarum exagitans æstu præcordia versat,
Sollicitisque angit curis, carpitque premitque.
Vidisti proceres, Graiis quos nuper ab oris,
Hospitio advectos genitor suscepit amico?
Quis vultus, quæ forma viris? quo pectore, qua vi
Præstant? & quanta est toto facundia in ore?
Unde ortos sese narrant? quot tristia passos
Quæ vero horrenda ausos? quorum lectissimus unus
Et forma & virtute omnes excellit Iason.
Quantum illi sedet egregius decor oris, & alta
Maiestatis honos, facunda & gratia linguæ!
Quam, nisi de dira conceptam tigride, talis
Non moveat? non ingenti perstringat amore?
Quæ, nisi ferrea sit, inito spectare cadentem
Hunc talem, & nulla poterit pietate moveri?
Certo ego tuas rabidas vincam feritate leænas,
Hunc si flammivomis moriturum occurrere tauris
Terrigenisque sinam populis vastóque draconi.
At mihi non ea mens, nec ea sententia, tantam
Crudelis iuvenem pereuntem ut cernere possim,
Simque ego caussa necis, quæ vitam adferre, necémque
Sola petus sam, sola viro concedere palmam.
Ergo libet servare meum incautúmque monere
Æsoniden: revocabo artes, divamque triformem;
Et quo sint subigenda modo quæcunque, docebo.
Sed tamen ille prius præstabit iura, fidémque,
Et face legitima iungemur, & omine certo.
Ipsum illum sequar Argolicas regina per urbes;
Quaque ibo, forsan clari reddentur honores.
Nec me animi fallit, quam tetrum immundúmq; factum
Aggrediar, quanto dulces mœrore parentes
Afficiam, quos sim patriæ latura dolores.
Sed rapida torrer igne, nec est tolerabile nostrum
Hoc quodcunque malum est, patrem, patriosq; penates,
Deserere est animus: dum tantum a funere nostro
Servatas sibi me iungat formosus Iason.
Finierat lacrymans, contra sic Diva locuta est:
Tantane te, dulce ô pignus, dementia cepit,
Tanta animi nox, ut cæco succumbere amori,
Externóque sinas te demulcier igni,
Quo puram tibi servasti, mentemq; pudicam
Hactenus, & sine labe tuam sine crimine vitam?
Non te tangit amor, non te reverentia cari
Patris? an oblita es patriæ, nec te ulla remordet
Cura? tuum poteris sic corrupisse pudorem,
Corrupisse tuam, quæ tangit sidera, famam?
Premeditare, precor, voces quascumq; futuras,
Quid de te Colchos, quid de te Græcia dicet?
Quid populi & reges? quæ de te infamia surget?
Quanto dedecori fies? quis gentium in ore
Sermo erit ob tantum facinus? quid sentiet ipse
Æsonides, quid cara parens, patruúsq; patérque?
Tene patas, proprios quam deservisse parentes
Tam turpi novit facto, securus amabit?
Forsitan & medius meritam te merget in undis,
Aut certo, Hæmonium detur tibi cernere littus;
Forte domo miseram te pellet, & altera coniunx
Quem tu, pro demens, servaris Iasona habebit.
Tunc nec erit genitor, nec erunt fratérq; sorórq;
Nec genitrix, ad quos ausis despecta reverti.
Quare age, dum nova res & adhuc medecabilis exstat,
Tute tibi succurre? tuis & consule rebus.
Blanda quidem Veneris, sed dira & cæca cupido est,
Quæ meditando alitur, virésq; acquirit, & ultro
Sese offert, validósq; ignes, ubi perstiterit mens,
Concipit: hæc non fomento, nec viribus ullis
Sed sola pellenda fuga est, hunc ilicet ergo
Tolle animo sapiens, quem, qui sit, Iasona nescis.
Exue te has molles melioresq; indue curas.
Si te connubio sociare, & vivere voto
Communi fatóq; velis: quo te, adspice, reges
E tanta procerum turba? sine Thessalus hospes
Te sine vela petat: vel si contendere malit,
Oppetat, ut meruit: ne, si illum forte sequaris,
Te fallat, ventisq; simul det vela fidémque.
Tali pulsa Venus sermone, furórque recessit
Virgineus: veluti pluviis cum turbidus Auster
Complevit totúmq; atra caligine cœlum:
Si contra adverso veniens occurrat ab orbe
Depellit Boreas nubes, pluviásque serenat
Aera, restituitque iubar spectabile terris.
Tum Dea, se postquam cupidos sanasse furores
Cognovit, levibus fugiens immiscuit auras.
Virgo autem, ut falsa nutricis imagine captam
Se vidit, certisque agnovit Pallada signis:
Cedentem placida sic illam voce secuta est:
Méne ergo ignaram, Diva ô Tritonia, passa es
Incautámque movere tuis & fallere verbis?
Mirabar qui tantus erat splendórque decórque
Quæ tibi indicus integritas, quæ copia fandi:
Mirabar quæ tanta tuis sapientia dictis
Maiestásque inerat: quanto me lumine dudum
Complere, & facilem tua me ad consulta moveri!
Percipiebam animo; nunc te faciémque tuúmque
Divinum agnosco vultum, sic me, ô mea Pallas,
Alloqueris? sic me illudis? quo præcipitans quo
Diva fugis? cur te à nostris complexibus arces?

MAPHEI VEGII
LAUDENSIS
VELLERIS AUREI, LIBER TERTIUS.

HÆc dum Pallas agit, magnam contra Æsolus iram
Concipit, & sceptrum dextra quod forte gerebat
Quassans, bis térque horrifico se murmure miscet,
Iam pridémque sibi invisum exsecratur avarum
Æetam dictis, & verba inimica profundit,
Multa minans, multo irarum succenditur æstu.
Quippe illum cari torquet vindicta nepotis;
Quem rex incautum vita privarat avarus.
Inde suo pariter de sanguine natus Iason
Haud parvos addit stimulos, cogitque vereri.
Atque, ut erat, mixtimque metu turbatus & ira.
Continuo Zephyrum vocat ad se, ac talia mandat;
Iunonem pete, cælestes & curre per auras,
Atque illi hæc mea verba refer: scit se mihi namque
Quoscumque in ventos habeo, ius omne dedisse,
Imperiúmque, & ob id sua me mandata secutum
Semper, & hanc eius patriam rexisse furentem
Arbitrio, nunc per se si quo est mihi gratia secum,
Illam oro, ut nostra Æsonida de stirpe creato
Præstet opem: cui nunc ingens sub Colchide terra
Imminet exitium, meminit, dum per mare vastum
Vela daret, quotiens tunc auxiliabar eunti:
Mulcebam quotiens fluctus Austrósque ruentes?
Nunc verò ex undis frustrata potentia nostra est.
Hæc præter, referet regis sceleratissima facta
Æetæ; quam eum cæcus iamque improbus auri
Traxit amor, Phryxum ut, quamvis gener ille sibi esset,
Ille nepósque mihi; tamen obtruncarit, & aureo
Vellere, quo vectus longum tranaverat æquor.

Vitalique illum pariter spoliaverat aura.
Scit porrò Iuno hæc radiantia vellera munus
Esse suum : scit se, dum tristia facta novercæ
Effugeret, Phryxo per matrem hæc dona dedisse :
Scit quales patri furias immiserit, & quas
Ob tantum scelus indignans conceperit iras.
Rem se igitur dignam faciet, si regis iniquè
Factum atrox premat auratam pecudémque revellat,
Æsonidémque meum iuvet, hoc & munere donet.
Sic ait : & celeri Zephyrus secat aera cursu,
Fértque refértque utrimque sonos, & iussa facessit.
At regina Deûm pro talibus excita dictis,
Irin ad Calciopen de summo mittit olympo.
Medea illa soror, Phryxi & prædivitis olim
Uxor erat, iubet, ut partem contra asperet illam,
A quo eius cecidit crudeli funere coniunx :
Commoneatq; suam succendere amore sororem;
Quo pendat patris meritas iniuria pœnas.
Illa volat, ducitque per arcum mille colores.
Interea alloquitur Venerem Saturnia Iuno :
Nos iustus Cytherea, dolor, nos iusta decénsque
Colchorum contra regem vindicta lacessit.
Cuique sua in promptu causa est, ego maxima certe
Atque indigna tuli, sed quos tu provida gnato
Intuleras, cerno ut Pallas sanarit amores.
Nósque igitur Diva vinci patiemur ab una ?
Si libeat perstásque tuis insistere cœptis,
Polliceor tecum hunc pariter, & ferre laborem :
Ibi ego connubiis quæ præsideo atque Hymenæis,
Medeamque pio subolis dulcique replebo
Coniugii desiderio. tu Diva decorem,
Æolidaque simul splendorem afflare memento,
Qualemcunque potes : quo rursum regia virgo
Externi iuvenis magno incendatur amore.
Sic revocare suas, invita Pallade, flammas,
Sumere sic pœnas inimico à rege licebit.
Talibus assensit Venus, & lætata recepit
Vim maiorem animo, ceu cùm canis impetit acri
Dente feram, si latrantum succurrere quemquam
Viderit, exsultat cordique audacia crescit.
Et iam contigerat Iunonis nuncia Colchon,
Nox erat, & tenebræ terras & sidera cœlum
Spargebant, ergo ut Iunonia iussa sequatur,
Calciopen placida mulcentem membra quiete
Excitat, & verbis compellat talibus Iris :
Me coniunx Iovis has iussit tibi promere voces :
Prædixere tuo poscenti oracula Divûm
Æetæ genitori, olim de sanguine magni
Hippodatæ fore qui regnum subverteret eius.
Ille autem interpres divinæ vocis iniquus,
Ille tuum, prognatum ipsa de stirpe, maritum
Phryxum, crudeli atque indigna morte peremit.
At non Phryxus erat, quem sancta oracla ferebant
Sed novus hospes adhuc, non intellectus Iason
Ipsa etiam certus de stirpe, hunc quippe futurum
Excidio magno regis, responsa volebant,
Quare sume animos, patrémque ulciscere cari
Coniugis extinctorem, &, quæ statuere severo
Iudicio fata, exsequere; hanc & suscipe laudem.
Quod fieri ut possit; verbis hortare sororem,
Ut, quæ sola potest iuvenem defendere Graium,
Auxilium ferat, & casus miseretur acerbos.
Proinde illi suade, tamque acres incute flammas,
Ut mitem Æsoniden sub Thessala regna sequatur,
Ut patrem crudelem una patriamq; relinquat.
Multa subinde manent illum monimenta malorum.
Iusserunt sic fata : iubet sic regia Iuno,
Dixit, & aufugit per quem descenderat arcum.
His dictis magis incaluit vetus ira, dolorque
Calciopes : velut quando calcaribus urget
Miles equum volitantem ultro vis altior illi
Succrescit, superat se cursu atque ardet anhelo,
Non secus hæc stat dilecti mors coniugis atra
Fixa animo magnaque in patrem exæstuat ira :
Hæc illas fertur meditans, membrisque quietem
Denegat; iam varias se dividit anxia partes.
Nox venit interea, & roseis aurora quadrigis
Provehitur, lustratque ardenti lampade terras.
Rex iterum proceres aula in penetralibus alta
Argolicos gnatamque una ad convivia poscit.
Ergo ibat magnum ad genitorem filia dudum
Plena Dea Iunone, acrique cupidine tacta
Coniugii simul Æolides ; cui Diva creatrix
Divinum late afflarat speciémque decúsque.
Non illi Bacchus, non illi certet Apollo.
Verum ubi sidereum iuvenis mirata decorem est,
Substitit, & subito correpta Æetias arsit,
Excussitque almam de tota Pallada mente.
Ac velut externi cum taurum buccula saltus
Vidit, & incaluit, licet illi flamma recedat
Absenti, tamen ut rursus conspexit amatum
Fortè marem, recipit vires amor, inque calescit.
Sic incensa igitur virgo, mœreásque gemeásque
Secretos repetit thalamos ; dehinc turbine mentis,
Sicut erat, magno atque gravi compulsa furore
Calciopen talis compellat voce sororem.
Audi, cara soror, patiens me nostra loquentem
Arcana, & miseræ possis succurre sorori.
Excrucior, nostris & se ævum ossibus ardor
Implicat : ardentes carpit mihi flamma medullas.
Nec soleo tales pœnas, talesve calores
Ferre, quis hic nostram tantum premit advena mentem?
Qua forma ? qua virtute est ? quo præditus ille
Eloquio ? quibus ortus avis ? quis splendor ab eius
Ore fluit? non divinus decor ille videtur ?
Non facies digna illa Deo? non coniuge dignus
Regina Iunone? Iovine simillimus ille?
At certe ille mihi miros incussit amores,
Et volui, fateor namque, his obsistere: sed me
Concitat ardentem vis maior, & undique cogit.
Iam mihi dulce nihil possim sperare sine illo
Non regem, non ullam ausim sperare salutem :
Decrevi, & mentem ne quære refellere nostram,
Astutum soror Hæmonio succurrere regi.
Illum ego monstra (bonus quid enim peccavit Iason?
Artibus infabricata meis superare docebo.
Non adeo crudele mihi ingeniumve protervum est,
Ut per me Æsonides viridi extinguatur in ævo.
Ille ubi me certo sociam, stabilique ligarit
Connubio patrias secum traducet in oras.
Ipsa quidem durum, sic stat sententia patrem
Has etiam sedes, & regna paterna relinquam :
Sed te, oro, huic accinge, soror dilecta, labori :
Vade, virúmque ad me interea dum nigra silet nox,
Duc, tempusque aptum furaro, ego fœdera secum
Percutiam, firmaque sibi me lege dicabo.
Hæc virgo, tum Calciope, quam iussa premebant
Iunonis, simul & sævi vindicta parentis,
Olli ita respondit : Si te, soror optima, movit
Huius amor, licet externo sit ab orbe profectus,
Haud miror : blandam quem posse movere Dianam,
Eximiam vel Iunonem, vel Pallada duram
Crediderim, tanta egregia præstantia forma,
Tantus inest illi virtutis splendor, & oris
Tantus honos: nec damno tuam mentemve refello.
Perge soror, quo te impellunt tua vota trahuntque.
Musis & auxilio est tali haud indignus Iason,
Et qui te, in magnas si se tibi iunxerit, urbes,
In longas te ducet opes : ibi lætior aër
Plusque apti mores, cultusque animique virorum,
Et melior pater, & nulla de cæde suorum
Conspersus, nescis nostri crudelia patris
Facta? suamne illum scis extinxisse parentem,
Et dulcem generum ? ac cætera tristia narrem,
Hypseam liceat matrem, Medea, relinquas;
Alcimeden socrum invenies, instarque parentis.
Effuge regna ubi nec fas est, nec iura, nec ullus
Iustitiæ & pietatis amor: fuge barbara tecta,
Horribiles cædes & avaras desere terras.
Quære alias sedes, ubi recta & sancta Fides est,

Iustus, bonumque piumque & ubi Clementia regnat.
Quas laudes, quos tota, putas, tibi fundet honores
Graecia? quo plausu, quanto excipietque triumpho,
Quo coetu populorum, & qua iuvenumque senumque
Et nurum, & matrum festa occurrente caterva?
Ergo age, servatrix generosa pubis Achivae,
Prosequere, ut coepisti animo: me cura, laborque
Iste petat: pergo; & iuvenem, mora nulla, Pelasgum
Ante tuos statuam vultus, sic illa locuta est:
Sic animum longe maiori incendit amore.
Qualis congestas, tacitus incubat ignis,
Aura soles rapida stipulas ascendere flamma.
Tum maestum Venus hac affatur Iasona verbis:
Pro te ego, si nescis, dudum Cytherea laboro.
Medeam quippe, unam tibi quae ferre salutem
Quaeve potest quodcumque libet, flagrantibus ussi
Ignibus, in mirumque modum te ardere coegi:
Te solum cupit; in solo te virgo moratur:
Et nunc illa tibi, tacita sub nocte, sororem,
Colloquium commune vocans, transmittet, & ultro
Spondet opem, pessumque thorum, poscitque sub oras
Transferri Argolicas: ito, & quaecumque rogaris,
Efficito nostrum hoc opus est, tibi munere nostro
Parta salus, dixit, tenuesque effugit in auras.
Talibus haud aliter maerore levatus Iason;
Quam torrentem aestum, quem sicca incenderat aestas,
Mitigat aereis exsolutus nubibus imber.
Mox sequitur iuvenis Divam, atque haec verba profatur:
O Dea, quae meritis pro tantis digna rependam
Dona? quibus celebrem, quibus aut te ad sidera tollam
Laudibus? o placidum & clemens, o dulce, piumque
Numen, & o nostros casus, Dea mitis, iniquos
Et duram sortem miserata! o si mihi detur
Sub patrium littus, Graias remeare sub urbes;
Quot summos, quales reddam tibi victor honores?
Quae tibi marmoreis delubra aurata columnis
Constituam? quae dona aliis pendere iubebo
Fixa tholis? quam multa tuas ante occidet aras
Victima? sic ait ille; fores cum nuncia pulsat
Chalciope: & postquam iuvenem data copia verbis
Compellare, refert dilecta iussa sororis.
Olli dicta placent: unaque in nocte silenti,
Incedunt tacito passu: ceu turba Luperum,
Quos inimica dies, pallentis noctis in umbra,
Praedam avidos iubet ire, canum ne irrumpat euntes
Custodumve invisa cohors, & iam ipsa furentis
Virginis intrarant tecta, arcanosque recessus:
Hic atrum nemus, hic fuerant sacrata Dianae
Tergemina delubra, suos ubi dicere cantus,
Infernosque ciere Deos Medea solebat.
Postquam illa optatum conspexit Iasona, tali est
Orsa sono: Tene, o Graium pulcherrime, tandem
Adspicere, & tuis licet has adiungere dextras,
Atque vicem capere, & secretas reddere voces?
O quoties mea flamma, mea spes unica vitae,
O quoties ego te lacrymas miserata profudi?
Quot pro te gemitus, & quot suspiria rupi,
Horrendos volvens casus? quibus, o nimium audax,
Obiectare animam statuisti, at ni mea servet
Te manus, haud parvo sortem experieris amaram.
Verum ego, quae tanta haec fabricare pericula novi,
Ne dubita, faxo ut subigas, atque omnia victor
Exsuperes, non hic enses, sed carmina Divum,
Non arma hic, sed tantum herbae & medicamina possunt.
Tu solus tanti pretium mihi muneris esto.
Non regna, Argolicasve urbes, non aurea tecta,
Ingentes vel opes (sat enim praedives abundat
His genitor) sed te, Aesonida mitissime, solum,
Coniugiique fidem posco me foedere certo
Iunge tibi, & tedas praesenti numine firma:
Te sequar, & terras ultro comitabor in omnes.
His dictis sic respondit laetatus Iason:
O virgo, decus, & nostris spes una salutis,
Quas tibi ego tali laudes pro munere dicam?
Quas dignas grates, quae debita praemia solvam?
Non si mille mihi linguas, totidemque dedisset
Ora Deus, dignis sequerer te laudibus umquam.
Nec mihi si constent totidem mentesque manusque,
Par possim officium praestare. parésque referre
Hisce vices meritis, sed, dum mihi vita superstes,
Tantorum numquam immemorem ingratumve bonorum
Cognosces, tu nostra quies, nostrumque levamen
Semper eris: tu consilium, tu nostra potestas
Unica, nullus honos sine te mihi, nulla petetur
Gloria, te socium pariter, dominamque sub omnes
Accipio casus; teque unam affusus adoro.
Nulla meo, nisi tu, iungetur nupta cubili;
Iuro per hanc fidei pignus, quam porrigo, dextram,
Perque Hecaten, cuius praesentes tangimus aras,
Iunonis per sacra, thoris quod numen amicum est:
Per Solem iuro & Venerem: per, si mihi restat
Ulla salus, per spes reditus, tu sola futura es
Aesonidae coniunx, me dura absorbeat, opem,
Terra prius quam te fallam, promissaque rumpam.
Haec ait, & lacrymas media inter verba profundit.
Dehinc verò cantus magici, & medicaminis usum,
Et quibus exsuperanda modis sint singula, discit.
Secedit, laeta socios & fronte revisit,
Et faustos casus & Divum munera narrat.
Dant laudes Diis, inque vicem laetantur Achivi.

MAPHEI VEGII LAVDENSIS,

Velleris Aurei,

LIBER QVARTVS.

VIDERAT has dudum magno Tritonia Pallas
Cum gemitu, domum lacrymis ingressa profusis,
Ante Iovem tristes visa est effundere questus:
Quid mirum, si me solam tot numina vincunt?
Si pellex Cytherea in me, simul & tua coniunx
Coniurant, sed tu genitor rex aequus ubique es.
Mene ergo haec sufferre sines? haec praemia nostrae
Virginitatis erunt? dicentem, & plura parantem
Effari gnatam, placidis pater occupat ultro
Vocibus. Has quaeso lacrymas, hos mitte dolores
Filia, non nostrum est vestras absolvere lites.
Sed breve tempus erit, quo, circum moenia Troiae
Iunonem & Venerem simul exercere furentes
Irarum flammas, odia atque aeterna videbis.
Tunc fautrix tibi Iuno, tuam causamque iuvabit;
Quas deinde in pulchro Latio, & Laurentibus arvis,
Accendent inimicitias, litesque movebunt
Cum adspicies; tunc praesentes solabere casus.
Nunc cursum, sine, fata suum & sua iura sequantur.
Haec pater omnipotens, rutilum iubar interea Sol
Extulerat, totum radiisque impleverat orbem.
Tum regem Aeolides, sociis comitatus, adibat,
Exposcens pugnamque sibi concedier orans.
Rex quam audaci placidis obsistere verbis
Conatur iuveni, memorans quibus ille periclis,
Et cui se sorti moriturum obiectet iniquae:
Vota tamen sequitur, desideriumque precantis,
Concessitque locum pugnae, mox laetus Iason
Magnum ad certamen, turba comitante Pelasga,
Quodque fuit Marti sacrum, procedit in arvum,
Conveniunt omnes passim, Colchique sequuntur
Visuri certare virum, vicina frequenti
Concursu implentur iuga, rex in millibus ipse
Constitit & sceptro gravis, & venerabilis aevo.
Et iam tempus erat, cum fama concitus ira,
Terribilique hastam praetendens cuspide Mavors

Infremuit: Tantum & quis, ait, nos tendere contra
Audeat? & loca sacra, diu quæ numine nostro
Respicimus, quis tantum audax evertere tentet?
Haud impune quidem, si quid mea dextera possit.
Agnovit longe Martem Cytherea, gravique
Inflammatum ira, placido sic pectore mulcet.
Quis furor hic, ô dulcem meum factorumque iuvamen,
Noster amor, pariterque pudor? sunt debita nostri
Concubitus, sunt hæc extincta præmia famæ?
Quo ruis? hanc igitur Vulcania retia soluunt.
Mercedem? soleone tuos, ego sola, furores,
Obvia & armorum rapidos compescere motus,
Et requiem bellis, animoque imponere pacem?
Et nunc nulla mihi prorsus sit gratia tecum:
Qua dudum pœnas inimici e sanguine Solis
Quære, & communem vindictam prosequor, ante
Effugit illa vitas pudibundi iniuria facti?
Hæc tela, hoc potius dextra quam abiice ferrum,
Et sine me, hanc hodie invisam stirpemque domumque
Ulciscar, sic fata, olli dedit oscula, dulci
Complexumque sinu fovit, iamque ossibus ignem
Bellipotens haurire, & iam mitescere sensim
Incipit, interea pugna se Thessalus heros
Obiicit, intrepidaque ciet certamina dextra.
Tum gemini Stygium tauri ore & naribus ignem
Efflantes, torve vultu, occurrere furentes,
Horrisonumque locum late mugitibus omnem
Implerunt: timuit tante perterrita visu
Graia cohors, haud metuens, satus Æsone, tutum
Ultro offert pectus, duplicesque ad sidera palmas
Extollens, humili Divos sic voce precatur:
Te rerum atque hominum pater, & te maxima Iuno,
Teque voco Cytherea, & te Gradive, vocantem
Divique Deæque audite omnes, quicunque vel altos
Incolitis cælos, quicunque vel ultima Ditis
Regna: favete oro, & tantis succurrite cœptis.
Mille feram victus ingentia munera templis,
Mille manu hac vestra recalescent cædibus aræ.
Sic ait, & sacro adiutus medicamine, sævos
Congreditur mollitque boves: nunc cornibus ille
Præfixis, solido ære manus iniectat utrasque
Nunc placida attrectat, demulcens pectora, dextra,
Nunc premit, & curvo pressos supponit aratro,
Cogit & insuetos producere vomere sulcos.
Obstupuere novo adspectu, populusque paterque,
Percussique animis omnes: sed Achaica pubes
Exsultans, lætum clamorem ad sidera tollit,
Hortaturque additque animos, ille impiger instat,
Vipereis culter & campos dentibus implet:
Semina letali spargens perfusa veneno.
Nec mora, cùm multam, dictu mirabile, gentem
Fæta, venenato genitam de semine, tellus
Parturit, simul & radiantibus indutis armis.
Hi postquam lato solum videre sub arvo
Æsoniden, strictis subito se cominus hastis
In iuvenem vertere, animos vertere furentes.
Percussit socios timor ingens, ipsaque facti
Conscia, ut agnovit tot in unum grandinis instar,
Concurrere armatos hostes; expalluit amens
Medea, & magicas, quas ante iniecerat, artes
Advocat, atque iterum cantus & carmina dicit.
Ille autem intrepidus, venientia in agmina, durum
Proiecit silicem; quem sacrum, & vite futuri
Tutamen dederat virgo haud ignara pericli.
Bellum illi inter se, feralesque arma, paresque
Convertere acies, & se exstinxere cruento
Marte: velut quondam Bœotia mœnia circum,
Nondum mœnia erant, cum natus Agenore sanum
Senior, ingentem stravitque ingentior anguem,
Vipereosque iniecit humi, pro semine, dentes.
Haud aliter, quam nunc gravida è tellure creatos,
Tunc adolesse viros perhibent, armataque fratrum
Corpora, civilique simul se Marte petisse,
Confossosque suis pariter cecidisse sub armis.
Ultimus ecce labor, vastum superare draconem,
Custodem aurato pellis; cui lumina somni
Nescia, cui totum squamis atque unguibus horret
Corpus, & vocatu atrum eiectancia virus
Dentibus ora fremunt, & sibila dira trilingui
Fauce movent, hunc Lethæo iam victor Iason
Conspersit succo; & faciles, ter carmine dicta,
Induxit somnos; optataque vellera tutus
Apprendit, tanto lætus facteque superbus.
Concurrunt, ulnis & complexantur amicis
Victorem Æsoniden socij, dulcique fruuntur
Colloquio, & dextra dextras coniungere gaudent.
Ipse etiam, magno quanquam rex Æeta teneetur
Mærore, & captum pecudis tristatur honorem,
Dissimulat tamen, & vultum faciemque serenat,
Æsoniumque hilari iuvenem regesque Pelasgos
Excipit ore, fereas placidas è pectore voces,
Commendatque virum, & gentem commendat Achivam.
Tum verò Divos & Divum templa revisit,
Effunditque preces, & vota exsoluit Iason.
Iamque sub Hesperij descendens gurgitis undas
Sol, fessis properabat equis: sed tristior alto
Corde novos casus gemitusque fovebat amaros
Quem pater Oceanus (neque enim se caussa latebat)
Ut vidit fronte haud læta, tacitumque dolorem
Percepit; verbis hic indignantibus ultro
Compellat: Tu ne es, te, per tua lumina, quæso,
Egregij Æeta genitor, quem filia quondam
Nostra tibi enixa est? scio, nec te scire negabis,
Insignem gnati pietatem, & fortia facta.
Qui propriam sana genitricem exstinguere dextra
Haud timuit; nec matris amor, nec sanguinis illum
Gratia, nec nostri, si qua est, reverentia movit.
An curare hominum res & mortalia Divos
Facta putas? memoresne boni verisve malive,
Tutarine bonos, & castigare nocentes?
Tarda, licet, movet ira Deos, en denique pœnas
Quas meruit tuus Æetes luit, at mala certe
Longe illum maiora manent, sic fatus, & atris
Humida iam cælum nox texere cœperat umbris.
Graia autem turba, & pariter Titania æptis,
Versabant variis, inter se, pectora curis;
Quo enti invisa possent abscedere terra.
Demum ut nox illis abeuntibus atra favebat,
Discedunt taciti, tecta atque inimica relinquunt.
Interea admonitus, secreto in littore, Tiphys
Muniebat navim, ventis & vela parabat.
At Medea fugam facilem meditata, nefandum
Mente parat facinus; nec prodere regna patremque
Contenta est: audet fraterno sanguine sese
Polluere, & teneros crudeli barbara dextra
Absyrti lacerare artus: quem callida secum
Duxerat, ob tam immane scelus, nec dulcis iniquam
Germani sanguis subit, aut infantia, mentem.
Quippe rata est, si se fugientem æquorque petentem,
Infensus pater & pubem insequeretur Achivam,
Frustrarique mora, atque illum vitare furentem
Divulso cari & disiecto corpore gnati,
Quo tanto offensus, visaque infractus acerbo,
Sisteret, & sese genitor tardaret euntem.
Ergo audax parvum, turpisque venefica, fratrem
Apprendit læva, cervicique applicat ensem.
Quem postquam gemitu & lacrymis sua fata querentem,
Insontesque manus, & mollia brachia vidit
Tendentem, catrumque sua & crudele sororis,
Quæ poterat, facinus miseranda voce ferentem?
Continuit subito ferrum, iuguloque pepercit;
Atque animo pietas & amor fraternus inhæsit.
Sensit & horrendis ut erat præcincta colubris,
Tisiphone, & tristi sociarum sede suarum
Prosilit, & stridens Medeæ ante evolat ora,
Deque suis geminos abrumpens crinibus angues,
Illius in faciem mittit; dehinc talia fatur;
Quæ te, vana, nova traxit pietatis imago?
Quid trepidas? talem tibi tunc adsumere mentem
Debueras, cùm raptus honos, vecsaque potentis.

Im measa

Immensa genitoris opes; cùm iura Deosque
Læsisti, atque omnem exstinxti furiosa pudorem.
Tunc pietas hæc te docuit, nunc omnia quæ audo
Turbasti, & regnum, & miseri decus omne parentis,
Quid dubitas sceleri scelus addere? an ut tuo sæuus
Scissa pater largos dispergat membra per agros
Exspectas? &, quam parue de fratre cruentam
Horrescis, sumat de te patris impia mortem
Dextera? pelle leuem, magna hunc de corde, timorem.
Aude, age: namque potes cæde hac sperare salutem.
Sic fata, atque auidum, tepido sub pectore, liquit
Conceptaque auxit durum feritatis amorem.
Non secus, ac si forte aprum sit nactus in ima
Valle canis, dubiusue feram petat, ocyus autem
Hortatus, doctique impulsus voce magistri,
Congreditur que audetque ingentem & colligit iram.
Talis impulsa igitur rursum Medea furore
Corripit, & ferro germani in viscera condit,
Ceruicemque secat, medios & diuidit artus,
Inque Tomitana fugiens tellure relinquit.
Venerat antiqui rumor genitoris ad aures,
Gnatam aufugisse, & Graium peregrina secutam
Hospitia: extemplo casu turbatus amaro,
Purpureum, quo indutus erat, descindit amictum,
Et pectus pugnis ferit, & rabide vngue capillos
Vellit, & vt capitis diadema illustre gerebat,
Et sceptrum dextra labi sinit: armaque demum
Arma, virosque vocat; gnatamque ducesque Pelasgos
Insequitur, multaque ruit comitante caterua.
Iamque propinquabat, facinus cùm apparuit atrox;
Auulsum gnati caput, & lacerata pudendis
Vulneribus membra, atque atro squalentia tabo.
Quod postquam agnouit scelus, immensumque recepit
Perculsæ infelix genitor sub corde dolorem;
Continuit, pressitque gradum, non amplius olli
Quæ fuerat, fugientem hostem comprehendere cura est;
Cura sibi, tantum laceri est in funere gnati.
Ceu cum rapta acri cursu sua pignora Tigris
Raptoremque petit, si quenquam offendit, apertis
Gnatorum studio fugiens, quem sequerat aruis,
Venator, commota suo se sanguine sistit
Illa; simul certat pietas materna furorque
Interea tutus raptor fugit haud secus Æta
Contigit, ingentem demum laxare dolorem
Cui postquam licuit; tales dedit ore querelas:
O mea gnate, quies, quondam ô mea magna voluptas,
Nunc lassi dolor & speculum crudele parentis.
O qualem adspicere, ô qualem te parue tueri
Gnate, datum est, ô dulce caput, dulcesque lacerti,
Deliciæ ô nostra quondam, nostri inclyta regni
Et patria spes vna tua, quis funere tali
Quis superûm mihi te rapuit? sed numina Diuûm
Quid queror? illa tua, nec enim fero, illa scelesta est,
Quæ tantis me seque malis affecit iniqua.
Quod si qua est vestra, ô superi, pietasque fidesque
Annuite his precibus miseræ, quanta omnia patri
Attulit illa, luat depulsa à coniuge caro;
Vt fratrem, proprios perimat sic impia gnatos,
Quosque tulit patri gemitus, ferat illa marito:
At demum maria & terras, cœlumque pererrans
Exsul, egens, despecta, sua se cæde cruentet.
Fundebat pater hæc lacrymans, quem deinde frequentes
Collapsum excipiunt famuli, iam nauita tutam
Soluerat abscedens inimico à littore puppim.
Iamque ibat, patrios victor portusque petebat
Æsonides, lætique vnà cum coniuge Graij.

F I N I S.

MAPHEI VEGII
L A V D E N S I S,
Antoniados
L I B R I IV.

MAPHEI VEGII LAVD.
In Antoniada, ad Eugenium IV. Pontificem Maximum.

P R Æ F A T I O.

EVGENI ô ductor populi, custosque fidelis,
  Quæ legis nostri dona laboris habe.
Sæpius his fessam mentem mulcere licebit,
  Sæpius & curas his recreare tuas.
Non hic ficta leges veterum mendacia vatum,
  Tu sacer, & sacra dignus es historia.
Hic Antoniadem (titulum si scire libelli
  Cura sit) hic Diuûm persequar acta patrum.
Digne pater, qui iustitia, cultuque fideque,
  Et populis, & Diis, Principibusque places.
Digne pater, longis ne te nunc laudibus ornem,
  Laus prior hæc ingens, splendidiorque tua est.
Scilicet infestis quid tandem euasit ab vndis
  Te duce clauigeri naufraga cymba Petri.
Qui Seruatoris vestigia sancta sequuntur,
  Tot casus nosti, totque pericla pati.

MAPHEI VEGII
L A V D E N S I S,
A N T O N I A D O S
L I B E R I.

NON hic Pegasides, non ficta, & inania Musæ
Nomina, non prisco numen de more vocarim
Phœbe tuum, neque enim regum nunc tristia bella,
Aut veterem, falsumque Iouem, turbamue Deorum
Incertam, lususque leueis, pompasque tumenteis
Ordiri est animus, nunc te Sacra virgine, te nunc
Christe Deus, nunc mortalis tua numina, Diuos
Angelicos dicam in terris, hominesque beatos.
Ergo Dei magni Soboles pande optime Iesu
Vela secunda meis, placidusque adlabere cœptis.
Et tu care Deo veterum sanctissime patrum
Antoni, cuius miro succensus amore
Accingor facta Aoniis celebrare Camœnis,
Nosce pium desiderium, & succurre vocanti:
At non cuncta sequi rerum diuina tuarum
Gesta velim, quis enim verbis se singula posse
Crediderit benefacta tua comprendere vita?
Non referam, quibus Infernos superâris hosteis
Viribus, adspectuque truces quo pellere formas,
Horrendasque acies, pugnasque exceperis acreis:
Insidiasque astusque & verbera sæua tacebo.
Nec celebres rarosque tuarum exponere dotes

Vireptum, stabilemque animi, vulnusque tenerem
Aggrediar: non quas animas, quæ corpora sancto
Iuneris auxilio: non quæ ventura resoluens
Iudicio verum vates prævideris alto:
Non queis insignes cunctis vulgatus in oris
Et populis, & principibus venerarìs honores:
Quodque sub æterno mansurum tempore nomen
Quæsieris: non vlla tua quæ sancta iuuenta,
Longæuæ pariterque extant monumenta senectæ:
Verùm quo magni monitu, imperioque Tonantis
Accessis loca vasta, situque horrentia longo
Sacrum ingressus iter sancti sacra limina Pauli
Expediam, magna primosque recessus eremi.
Hoc operis tantum nostri est, hæc summa laboris.
Creuerat, & quamuis deserti, humilisque sacelli
Cultor, honorato totum compleuerat orbem
Nomine, confectus iam longo Antonius æuo:
Quo non consilio maior, quo purior alter
Non foret, integriorve, Deive ardentior alter,
Qui conculcarit, qui profligauerit, & se
Castigans alta virtute subegerit omnem
Vim, sensumque, & tot mira ratione rebelleis,
Infestosque animi motus: tot dura furentis,
Tam crebra infensi superaris prælia sæcli,
Cœlestem humano ducens sub pectore vitam.
Ergo pater senior dum secum tempora forsan
Præterita, & varios voluit casusque vicesque,
Ecce noua in sanctam venit meditatio mentem:
Namque pio versare animo, vastaque parentem,
Cultorem & cœpit primum se credere eremi.
Quod Pater omnipotens de summo vt vidit Olympo,
Haud errare virum passim, subita agmina cogit
Cœlestûm: & lætus sic alta è sede profatur.
Felices vos ô nostri pars fida cohortes,
Proposito quæ nos quondam meliore secutæ,
Æterna & meritis cepistis debita nostris
Præmia, iam gaudere, meïsque & ponere fas est
Antiquos: sedes ecce animo, semperque sedebit
Illa dies, quâ Diuorum pulcherrimus olim
Innumeris, valida intendens, tristique supernos
Seditione choros, quâ magno turbine miscens
In numero æthereas spoliauit numine sedes.
Non impune autem iusto & nos tangimur ira.
Nunc ille, & populus, nunc illa miserrimus omnes
Vltrices luit æterno sub carcere pœnas.
Nunc verò satis est medio fera prælia cœlo
Concinnisse: at quas etiam mortalibus imas
Tradidimus terras longa asperitate fatigat
Bellorum: quum areisque rudes, primosque parentes
Transgredier nostros iussus prauoque maloque
Concilio, & monitis est exhortatus iniquis:
Præmetuens, & quos illi suffecimus, ægra
Mente ferens homines ad nostra hæc regna vocari.
At valuere doli multum, & nocuere, fatebor,
Humani donec generis commotus amore
Demisi, & proprium terreno pondere Gnatum
Vestiui, qui nostra libens mandata sequutus
Factus, homo est, & martyrio, tristique litatus
Supplicio, veteres sublimi sanguine culpas
Purgauit: stirpemque hominum, cœlestibus oris.
Restituene, tetri rapuit de faucibus Orci.
Sic cassa antiqui fraudes iacuere draconis.
Necdum autem sedata sitis, rabiesque nocendi est.
Quippe acuens qui se nunc liuidiore veneno,
Inuidiaque ardens maiore erumpit in omneis
Audaces scelerum hortatus: ius, omne bonumque
Proterit, & rapida inuoluit vertigine terras.
Quodque nihil grauius, fuerit que dolentius vnquam,
Dum fallit veterum sub relligione deorum
Mortaleis, nostri tentat pia Numina Gnati
Vertere, & emeritas & fidei melioris honores.
Et verret, nisi nostra modum sapientia ponat.
At sperate, animis atque hæc aduertite lætis

Quæ dicam: surgent celebres sanctique nepotes,
Examine Monachorum, atque illustrissimus ordo,
Qui summa virtute polos, & sidera tangent:
Qui nostrum augebunt nomen: qui pectore forti
Obiicient sese contra bella aspera, contra
Insidias: stimulos calcabuntque hostis amaros
Antiqui, nostroque gerent sub nomine, quidquid
Optarint, sistent fluuios, montesque mouebunt:
Imperio cogent imbres, noctemque diemque:
Curabunt ægras menteis, & corpora morbis
Absoluent: nostro efficient quæcunque potenti
Auxilio, & nostra freti pietate rogarint.
Hi quanto augebunt olim, ter atque iuuabunt
Præsidio! longis demum laboribus acti
Cernere erit quanto decorabunt lumine cœlos,
Quanto illustrabunt sedes splendore beatas,
In patriam magno iussi remeare triumpho.
Ecce autem caput, & tantorum causa bonorum,
Natus in Eois Ægypti Antonius oris,
Qualis ille integritate, & qualis pectore pollet:
Quanta ille Infernum tulit inuictissimus agmen
Virtute, horrendis cæsus, fractusque flagellis.
Quam longa, en cerno, similis se turba sequentur
Exemplo, nec nunc percurrere singula nostri est
Consilii, magnum est, atque admirabile, quidquid
Venturum longa sub posteritate tacemus.
Interea ignarum, qui se interiora latentis
Primum deserti ratus est secreta fuisse,
Stat carumque monere senem: namque optimus alter,
Et prior, & multis se longe antiquior annis
Solus agit vasto iam pridem obscurus in antro
Paulus, Thebanis quondam sua finibus ortus,
Iam sæcli fama, iam cœli dignus honore.
Illum adeat visatque senex, senis ora videat.
Hæc Diuum Pater, & tota mora addita cœlo est
Lætitia haud aliter, quàm Graium si quis amicas,
Vel Danaûm ductor placida dum voce cateruas
Hortatur, magno innumeram cum robora gentem
Venturum auxilio, multa ardua corpora narret,
Lætantur: speque ingenti complentur ouantes,
Tum vocat, & cœlo Gabrielem mittit ab alto,
Vtque ferat sancto, quæ sint facienda, parenti:
Nuntiet & quænam sua sit sententia, mandat.
Ille volat, tacitumque virum sub nocte quieti
Dum seruit, verbis inuadit talibus vltro.
Hæc tibi de summa cœli fero nuntius arce
Antoni. mandat Diuumque, hominumque Creator,
Vt quæ sacra colit Paulus, locaque abdita poscas
Accelerans, hominem nulli iam nomine notum,
Præstantemque incredibili virtute videbis.
Non tu, vt rere, prior deserti occulta subisti.
Desertum prior ille, annis & grandior ille.
Incertum Pater almus iter tibi pandet eunti.
Sic ait, in tenueis fugiensque velabitur auras.
At sacer ætherei voluens ingentia secum
Iussa Patris, noctem quam primum Antonius atram
Dispelli, nitidum viditque rubescere cœlum,
Haud mora, carpit iter iussum, baculoque senileis
Sustentans artus graditur, per quæ horrida nescit,
Deserta: & quorum fidens sub Numine tendit,
Cœlicolas mitis, cœli Regemque precatur.

MAPHEI VEGII LAVDENSIS, ANTONIADOS

LIBER II.

Interea infelix horrendi rector Auerni
Conuocat Infernos, & amaro pectore cœtus

Adloquitur, tristi fundens has ore querelas.
Hæ nostræ en socij vires, hæc gloria nostri,
Hoc regni decus, ingenio tali ne vocemur,
Calliditas hæc nostra, hi sunt astusque dolique?
Hæ frustrane artes, hæc cassa, infractaque nostri
Consilij vis, & nostrorum illusa laborum?
Quid primos astu captos peccasse parentes?
Quid prodest miseros tot inde luisse nepotes,
Facta patrum propria si vitam morte redemit?
Omnipotens proprio si crimine sanguine lauit?
Haud Dominum seruos tantum exarsisse putassem,
Vt pro se morti caput vltro offerret acerbæ.
Nunc quod cum magno cogor meminisse dolore,
Cedimus, atque ipsis victi à mortalibus omnes,
Per terras longe abiecti, indecoresque fugamur.
Nec nostræ insidiæ, nec, queis sæuire solemus,
Ingentes stimuli, nec bella ingentia possunt.
Cernitis, vt reliquos taceam, quo robore nostras
Sustinuit pugnas, quàm mente Antonius æqua
Nostra flagella tulit, quæ vivos ille fatigat
Nunc miseros, quibus excruciat nunc ille flagellis.
Et nunc cœlesti iussu vastissima fertur
Per deserta petens Paulum non dispare cultu,
Non vita inferiore hominem: sed cognita nulli est
Fama latentis adhuc, vereor, nec vana vereri
Causa monet; ne si placidis se amplectier vlnis,
Inque vicem fari, & dextras contingere detur,
In nostra annosi iungant se damna parentes.
Quocirca quid consilij capiamque, sequarque
Haud scio, nota hominum vita, & constantia nota est,
Sat mihi sit tanti vos admonuisse pericli:
Si qua via est; vos ite, malisque obsistite vestris.
Dixerat, & magno cuncti infremuere tumultu,
Percussi affatu tanto: velut improba quando
Prædonum manus insidiis loca tuta, viasque
Perturbat: fœdusque iniens conspirat in vnum.
Si validam sese contra videt ire virum vim,
Tristatur, metuitque novis iam viribus impar.
Et iam consensu cunctorum emissus ab ima
Sede Satan, cœli invisas conscenderat auras.
Continuo horrendam effigiem, qua fallere sanctum,
Ac terrere virum, spe multum aggressus inani est.
Induit os informe hominis, pectusque manusque,
Cætera equum, tali mentitus imagine, qualem
Centauri docti tribuere immanibus olim,
Dum multa exornant, dum fingunt plurima vates.
Iam medium peragrarat iter, libransque regebat
Ardenteis Sol altus equis, vt se obtulit horrens
Forma viro, stetit, & paulum conterritus hæsit.
Deinde Dei auxilio tutans se Antonius, vltro
Occupat: heus tu, oro an quisquam sub finibus istis
Vir, carusque Deo placens latet incola forsan?
Ille nihil contra, namque in divina vetabant
Iussa, ausus tentare virum, ne illudere verbis:
Sed blandas rigido voces de pectore, quamvis
Non intellectas, fudit, dextraque cupitum
Protensa monstravit: perinde patenteis
Effusus cursu campos, mirabile visu,
Ex oculis Getice diffugit harundinis instar.
Obstupuit pater admirans casumque virumque
Tum, se commendans Superis, superumque Parenti;
Progreditur: nec longa mora est, ecce altera monstri
Saxosam conuallem inter se forma bicornis
Humana effigie: sed aduncis naribus offert:
Quæ capram media parte inferiore figurat.
Hanc palmæ fructus, quasi pacis signa ferentem
Vt vidit, primùm ille Dei se Numine firmat.
Tum qui sit, quòve ex genere, aut queis casibus actus
Aduentat, fari hortatur, sic semivir illum
Hortantem placido supplex est ore sequutus.
Ne dubita, non vana oculos decepit imago
Nostra tuos pater ô magnis carissime Divis:
Et mortalis ego, & mortali ex sanguine cretus,
Et tacita hic habito, quæ nunc deserta pererras.
Sum numero ex illorum, quos cæca vetustas
Admirata Deos, Satyros, Faunosque vocauit.
Legatum tibi me sociorum turba meorum
Transmittit, ê pater vnanimes te sancte precamur;
Communem vt Dominum pro nostra orare salute
Digneris: scimus si quidem, certumque fatemur:
Namque omnem fama illius penetrauit in orbem,
Quanta omnis pietate, & quanto exarsit amore:
Pro queis & se hominem nasci, Natumque necari
Iam dira passus morte est, nec plura loquutus,
Conticuit, stabat defixo Antonius ore,
Iam dudum admirans & vultum, & verba loquentis.
Dum tantosque animo adfatus, casusque volutat,
Ingenti præ lætitia longum ille profusis
Emanans lacrymis prædulcibus ora rigabat.
Ac veluti redeunte nouo cum germinat anno,
Arridetque omnis reuiuiscens frondibus arbos.
Dehinc baculo terram pulsans: heu quæ impia vanis,
Inquit Alexandrina Deis gens construis aras:
Heu, quæ cælesteis falsis exsoluis honores
Numinibus, gens infelix: quum bellua mitis
Fassa vltro est, & opem precibus venerata poposcit.
Talia conquestus senior, ceu forsitan audet,
Vt serui in Dominum surgunt, cui fida canum vis.
Necdum finis erat verbis, volucri pede quando
Cornigerum se animal tollens per deuia fugit.

MAPHEI VEGII
LAVDENSIS,
ANTONIADOS
LIBER III.

LONGA *peragrabat sanctus deserta viator,*
Et iam bis radiis Sol illustrauerat orbem,
Et bis nox tenebras induxerat humida terris.
Iam quid agat, iam quo vertat vir se optimus ergo
Ignarus, quæ spes tantum restabat, ad altum
Intendens cœlum palmas extendit vtrasque
Per totam insomnis noctem longasque profundit
Cum gemitu, lacrymisque preces, cœlestia poscens
Auxilia, & nondum roseis provecta quadrigis
Linquebat solitum Tithoni Aurora cubile,
Cum per pallentis, dubiaque crepuscula noctis
Cernit anhelantem: propius montésque petentem
Vicini vacua antra lupam: quam deinde sequutus
Attentum pater est oculis vestigia fixis
Obseruans, demumque feram abscessisse vbi sensit,
Spelunca stetit ante aditus, paulumque moratus;
Atque introspiciens cæcis nil vidit in vmbris.
Suspenso mox se fert intra limina, passu
Progrediens, simul intentis atque auribus, omnem
Luminibusque locum explorans, tum forsitan atram
Per noctem tremulum lumen splendescere vidit.
Quo viso properare etiam, sperare quietem,
Incertaque via melius confidere cœpit.
Non secus, ac si quando, sitis quum torquet anhela,
Sollicito ceruus gressu, dubioque per vmbras
Siluarum ingenteis, per camposque anxius errat:
Ignarusque locorum ignotas quæritat vndas.
Tunc si forte sonum crepitantum, & murmur aquarum
Auditum agnorint aures, lætatur: & acri
Iam volitat pede, iam liquidi spem concipit amnis.
Sic pater & magno dum membra senilia demum
Visendi desiderio, studioque fatigat,
Accelerans lapidem cæca sub nocte iacentem
Incidit, obiectuque pedis se offendit amaro,
Ingentemque dedit strepitum, quo concitus alta

Vir

Vir montis, dum forte Deum vocat, ostia Paulus
Accurrens claudit, solito & munimine firmat.
Vt solet in vasto si quis regit æquore navim,
Cum tonitru horrendo primum strepere aëra sentit,
Colligere, & velis validos aptare rudenteis
Fertur, & cura maiore incumbere semus,
Et si quid desit navi succurrere egenti.
Vtque aper audita, dum saltibus errat apricis,
Voce canum subito latebrarum se obiice tutans,
Frondosa aut silua, secreto aut conditur antro.
Tum bonus ante fores clausas senioris amici,
Multa diu placide fundens Antonius ore,
Perstitit obsecrans aditum: per si qua tibi, inquit,
Est pieta: miserere oro pater optime, nosti
Qui veniam, quæ causa viæ, quo missus ab ore.
Si tibi nulla mei cura est, tua namque, fatebor,
Haud mereor pater ora, tuos vultusque tueri?
Tanterum at saltem tibi sit cura vlla laborum.
Concederne feris aditum, homini que negabis?
Qui per tot ac dura petit discrimina, per tot
Incertasque, graueisque vias, æstusque furenteis?
Pande fores pater: hinc nusquam discedere fixum
Propositum est, vbi viuentem contempseris, at me
Extinctum certe excipies, condesque sepulchro.
Talia persistens lacrymis fundebat obortis.
Cui sic ille refert paucis, per tot ne labores
Venisti nostro conspectu admittier optans:
Nunc moriturum autem te ni admittare minaris?
Impetrante minus aly? sic fatus & ollis
Arridens dextra postes patefecit amicos:
Suscepitque hominem sanctum sanctissimus hospes:
Inque ruens eius complexum, atque oscula iungens
Sic prior aggreditur, quem tu a carissime tanta
Antoni cura, tantoque labore petisti,
Ecce ego nunc longa marcens ætate, rigensque
Canitie inculta membrisque trementibus: & iam
Parua mora est lacerum, putensque horrensque cadauer.
Hæc senior, sanctum simul in penetralia eremi
Eximio flagrans ipsum ducebat amore.
Vestibulum hic ingens intus, cui desuper alter
Palma vetus ramos cœlo fundebat aperto.
Quodque internitidis oriens purissimus vndis
Se circum viridante solo fons lene fluebat.
Inde per exesum loca erant ibi plurima montem
Atque iacent vasta incudes, & multa fabrilis
Materiæ instrumenta: quibus iam certa, vetusque
Historia est, ille percussa numismata furtim
Tempore, quo functus Cleopatra Antonius olim est.
Huc igitur sese vix pubescentibus annis
Contulerat fugiens odia infensissima Paulus,
Quæ Decius studiis, & Valerianus iniquis,
Infanda bina pestes, immania monstra,
Contra exercebant Christum, Christique fideleis
Cultores: & iam prope centum, haud cognitus vnquam,
Hic latitans, mirum dictu, transegerat annos.
Ipsa ministrarat vestitum palma, cibumque.
Tale intra hospitium sacra cum fronde receptus,
Tale intra penetrale senex Ægyptius ibat,
Ingenteisque Deo laudes pro munere tanto
Fundebat, vitrei cum veri in margine fontis
Multa recensentes sessi sedere parentes:
Nunc amor, casusque suos narrabat vterque:
Nunc hominum studia, & mores, nunc sæua potentum
Imperia, & regum Furias: nunc, si qua nefanda
Religionis adhuc starent monumenta, rogabat.
Hic miserans verbis, ille exponebat amicis.
Quales, diuersis si qui iunguntur ab oris,
Militia adsueti duros tolerare labores,
Congaudent: varioque simul sermone fruentes,
Magnorum heroum casus, & bella recensent.
Hæc inter, sedisse alta super arbore coruum
Suspectum plaudentem alis, atque ore ferentem
Flauentis micam Cereris, quam deinde rotatim
Secorum leui posuit: miratus vterque.
Substitit, hic Paulus prior est tunc vocibus vsus,
Nunc te, nunc quanta es nosco ô dilecte Deo vir
Virtute, & quanta diua integritudine vitæ.
Hac bis sex actis hoc munus ab alite lustris
Dimidium excepi: nunc aduenientè benignus
Integra dona Deus ferri cælestia iussit:
Dona, suum quæ longum in te testantur amorem.
Ergo hæc Omnipotens quæ nobis munera mittit
Tanta, libens sume: atque tua diuide dextra.
Hinc ait ille: tua est & vita, & dignior ætas:
Te potius partire decet, certamine tali
Contendere diu patres, & iam ibat in vndas
Occiduas Sol pronus, equosque vrgebat anhelos.
Tandem quisque sua, placuit sententia iamque hæc,
Apprendit dextra munus Cereale, simulque
Apprensum leniter partem diuisit in æquas.
Inde Deum summis tollentes laudibus ambo,
Se pariter tenui victu recreantque fouentque:
Et pariter liquidi libantes fontis amœnas
Excipiunt vndas: vigilem tum scilicet omnem
Orantes, noctemque Deo duxere vacantes.

MAPHEI VEGII LAVDENSIS, ANTONIADOS

LIBER IV.

Ecce rubens currus Sol matutinus agebat,
Et madidæ in viridi lucebant gramine guttæ,
Tunc placido excitum Paulus sermone parentem
Compellat, te care sub his regionibus hospes
Esse olim certo sciebam, quem maximus alti,
Præsentis quando vitæ suprema veniret
Læta dies, venturum ad me Regnator Olympi est
Pollicitus: nunc esse animo flagrante cupitum,
Optatumque diu tempus, quo carcere tandem
Soluar ab hoc, abeamque æternaque regna reuisam.
Tu missus, qui vita meos vbi linqueret artus
Contigere effœta, vellusque recondere terra.
Tu repete ergo domum, contextaque munera palli,
Quæ tibi Athanasius præsul donauerat olim
Adfer, vt extinctum sancto velamine corpus
Obuoluas, sic fatus erat, sic ille rogarat,
Non quo cura sibi tectus, nudusue iaceret,
Qui palmæ intextis foliis tam paupere amictu
Contentus sese tantum vestire solebat:
Sed quo illum instantis mortis mœrore leuaret
Tantisper, patrias ratus est dimittere ad oras.
His pater auditis stupefactus pectore toto
Constitit, admirans diuina Antonius ora,
Diuinasque eius voces, quam spiritus esset
Incensus, quam gnara sibi, quam plena Deo mens.
Tum ne desereret sese lacrymansque gemensque;
Et comitem exciperet quacunque ad fata, rogabat.
Contra ille, hanc te quæso, inquit, nunc exue curam:
Et te certa dies, suprema & meta laborum
Fixa manet: nunc ad commune, piumque tuorum
Exemplum sociorum, alma & vestigia vitæ
Te mundo iam mitte: patres superesse necesse est.
Amplius haud verbis vtens Antonius, vltis
Obnixi sancta primum fert oscula patri:
Iussa viri deinde exequitur; senioque grauatos
Exercet rursum gradiens, artusque fatigat.
Hæc inter Rex æthereo sanctissimus aula
Cælesteis vocat ad sese longo ordine turmas,
Vt terrasque petant, vtque atro è corpore soluant,
Felicemque animam Pauli alta ad sidera mandat,

Vt late applausu, læto vt comitentur honore.
Et iam contigerat vir sanctus tecta, domumque
Optatam, & patriis fessus consederat aruis.
Ecce duo, quos longæuo sibi pectore fidos,
Et vita insigneis delegerat ille ministros,
Confectum excipiunt longarum mole viarum:
Confectum & longo senio recreantque, fouentque.
Quales forte, diu qui non videre magistrum
Absentem, demum redeuntem agnoscere læta
Fronte canes, & mulcere, & contingere gaudent.
Non secus hi tum, causa moræ quæ tanta, requirunt:
Queis latitans steteritque locis, pauca ille loquutus,
Vidi hominem, quo non est alter sanctior, inquit:
Diuinum humano specimen sub pectore vidi.
Talia dicentem, sacra atque antistitis vna,
Munera Athanasi secum deferre parantem,
Vt quænam tanta hæc essent exponeret illi,
Poscebant, abiens senior, ne plura requirant
Cætera, ait: neque enim præstat nunc cætera fari.
Ergo ad grandæuum citius tendebat amicum,
Vnum se cupiens, vnum se, vita prius quam
Linqueret æthereas & spiritus iret in auras,
Complecti coram flagrans, coramque tueri.
Postera iamque dies aderat breuis, & via eunti
Restabat tunc forte oculos Antonius altos
Sustollens, miro Paulum candore nitentem
Plaudentes inter diuûm, longasque cateruas
Vidit siderei scandentem ad culmina cæli.
Magnanimos tali Capitolia ad alta triumpho,
Si immensa æquare, & summis componere fas est,
Romulidas victo credas ex hoste rediisse.
Tum lacrymans, atroque incomptam in puluere sordens
Caniciem, cur Paule, inquit, me deseris, vt quid
Me sine supremum voluisti attingere finem:
Et sine me longos vitæ finire labores.
Cur mihi te tam sera dies ostenderat, vt nunc
Tam subito eriperet, salue ô venerande, Deoque
Viue, valeque patri sic fatus, & ilicet acri
Ardore incensus mentis reliquum omne cucurrit
Instar auis volitantis iter, ceu quando sopori
Nos somni placidam capimus sub nocte quietem,
Et nunc sistere, nunc agileis attollere plantas,
Et passim longum ferri per inane videmus.
Mox introgressus speluncam, tendere palmas
Inflexis genibus, sublato & vertice vidit
Exanimum Pauli corpus, sed viuere primum
Credidit, erabatque simul, gressumque tenebat,
Quem postquam agnouit vitali lumine cassum,
Irruerat subito, lacrymis, atque oscula largis
Mista gerens, & inexpletis complexibus hærens,
Ingentes gemitus dedit, ingenteisque vlulatus.
Ac demum sacro defuncti corpus amici,
Quem secum tulerat, circumuoluebat amictu:
Solenneisque illi cantus ex more ferebat:
Supremosque simul mortis soluebat honores.
Tum frustra terram, qua sancta recondere ossa,
Effodere aggressus: neque cum sibi sarcula haberet,
Queis foderet terram, qua exanguia membra cubarent,
Ne diuûm patrem tumuli sine honore iacentem
Linqueret, ecce duo fusis per colla leones
Interiore iubis cernit decurrere eremo.
Extimuit primo adspectu, tum lumina vertens
Ad Superos fletu, intrepidam mentemque recepit.
Olli demissis animis, & pectore miti,
Mira fides, petiere senis venerabile corpus,
Illiusque pedes circa accubuere frementes,
Extinctumque prope humana pietate querentes.
Dehinc pedibus tantum terra scalpuntque, ruuntque
Certatim, quantum tumulo satis esset, & ipsum
Eximeret cura, patremque leuaret egentem.
Sic quando aret olus, arent & prata, nec vllas,
Quas infundit, habet terris sitientibus vndas
Agricola infelix, si tunc prælargus aquarum
Exundat torrens, & riui, & hiantia passim
Prata fluunt, læti & egentes imbribus horti
Continuo ad sanctum blando cum murmure patrem
Ibant, deiecta ceruice manusque pedesque
Lingebant: quales studium quos vestre herili,
Blandiri caudaque solent, linguaque catelli.
Ille stupens, quæ tanta esset sub corde ferarum
Cognitio, duplices tendebat ad æthera palmas:
Extollensque Dei magnum, & mirabile munus,
Proque bonis digna exsoluens quasi præmia tantis,
Præcipuas pro se, atque preces fundebat amicis,
Discessere feræ tandem, capiti ille beatum
Inclinans sese corpus, tumuloque recondit.
Intextum at foliis palmarum in pignus amoris
Grande tulit, quo se, reliquo sub tempore, tantum
Solemni, sacroque die vestiuit amictu.
Tunc, vbi clara sequens tenebras Aurora fugarat,
Discedit: cupidusque domum sociosque reuisit.
Cælestemque hominem, facta & cælestia narrans.

F I N I S.

MAPHEI VEGII
LAVDENSIS,
Declamatio, seu Disputatio
Inter SOLEM, TERRAM *&* AVRVM.

CVM decertarent inter se aliquando superiora simul atque inferiora mundi corpora, iactaretque vnumquodque vim & pulchritudinē suam, placuit omnium consensu litem omnem dirimendam ei committere, qui & prudentissimo consilio & solertissimo exocta artificio condidisset: vt quod iudicasset ipse melius atque præstantius, id ita firmum, fixum, inuiolatumque æterna lege haberetur. Itaque summus omnium rerum auctor, assistente sibi homine, cuius gratia ea fabricauerat, liberum cuique exponendi quas haberet dotes tempus ac locum dedit. Tum rogata primum de se TERRA sententiam dicere, vt innumerabili quæ eam circumfundebat, domesticorum turbæ morem gereret sic exorsa est.

TERRA

Audiente Deo & homine assistente.

Terra Prosopopœia.

OPtarem plurimum, ô factor & rex omnium maxime, tantam in me vim dicendi esse, vt cuius causa te coram in præsentiarum orationem concessi recte possem absoluere. Non vererer cuiusquam calumniam, quod laudes meas maiore fortasse studio & efficacia quam modestiæ ratio postulare videatur, attingerem. Nam quicquid de me pulchrum, eximium, admirationeque dignum protulerim, totum id tibi magis, cuius inenarrabili sapientia atque potentia talis ac tanta euaserim, quam mihi, quæ nihil prorsus ante fuerim, adiudicabitur. Non aliter ac si elegans quis Polycleti vel Phydiæ manibus fabrefactum simulacrum intueatur, non operis magis ipsius elegantiam quam opificis ingenium & solertiam admiretur. Pace igitur omnium aggrediar, & pulchritudinem magnitudinemque meam narrans, vberrima tot in me atque excellentissima dona recensebo,

A

neque adsetibam mihi laudi, quod tam ingenti & vasto sim corpore. Cum in brevibus exiguisque corporibus maiorem sæpe virtutem viguisse compertum sit. Sed non videtur carere laude maiestas formæ meæ: quam vti speciosissimam ita perfectissimam omnium esse constat. Mirum vero quod cum rotundum in orbem & pilæ in similitudinem fabricata sim, ac proinde volui & labi facilis, propriæque sedis incerta videri debeam; stabilia contra tamen fixaque semper atque immota consistam. Nunc age suspiciant pulcherrimos quibus munita sum colles, altissimosque montes, videant antra opaca, valles apricas, vias sive basilicas & militares sive agrarias: sive vicinales ad permeandum omnem orbem meum tam patentes, tamque apte, commode, pulchreque distinctas. Ne referam quæ in interioribus abstrusa visceribus meis gero saxa, silices, cotes, tophos, metalla, lapillos, & gemmas; quorum quum varietas & aspectus sit admirabilis, longe tamen profunda & præpotens quæ in eis latet virtus, admirabilior esse videbitur. Inde tot intueantur varias regiones & climata: tot necessarios frequentesque vicos & oppida, excelsas arces, permunitas vrbes: tot magnifice extructa templa, fora, theatra, palatia, scenas, circos, thermas, domos, prætoria. Tum loca rustica miræ iocūditatis atq; amœnitatis, vineas, hortos, pomeria, prata, agros, campos, dumus, silvas, nemora, paludes, saltus, & pascua; atq; in his varij generis olera, gramina siliquas, segetes, herbas, radices & flores, tubera item & fungos; dehinc arundines, iuncos, carices, scirpos, virgulta, frutices, arbusta simul ac arbores, tot variis vtique ac cupidissimis onustas fœtibus suis: præter suavissimos quos desudant etiam liquores & lachrymas: præter summam quoque quam suppeditant commoditatem nutriendi ignis: parandæ supellectilis: compaginandarum navium: extruendorumque ædificiorum. Quæ cum ita necessaria sint, vt sine his transigi vita nullo modo queat, pulchrum est & illud intelligere, quam diversa sit omnium sapor, odor, color, & forma, quam diversa & præpotens virtus ac natura: quanto cuncta ordine ac ratione compacta: vt minimus quivis flosculus, summam cuique cum recte contemplanti suscitet sapientissimi ipsius ac potentissimi artificis laudandi atque admirandi causam. Atque vt infinitam, quæ referri posset, eorum turbam prætereamus, quantum est vt iacto, quod tantillum est, frumenti grano, postquam vapore tepefieri suo cœpit, prodeat primum virescens atque herbidum proferat caput: tum quasi per fibras conceptum humorem diffundens paulatim surgat in culmum: ac ne tenellum adhuc quod latet pubensque corpusculum lædi forte contingat; vagina circum protegente muniatur, demum vbi è latebris exeundi tempus advenit; tum pulchra pulchrisque instructa folliculis ac miro quemque ordine complexa spica appareat: pro vnico longam secum granorum referens aciem; vt non tam pulchritudine, quam vtilitate admirabilia esse videatur. Cuius vt tutiores ab extranea omni vi & iniuria fœtus reddantur vnusquisque etiam tanquam lorica & thorace contegitur gluma sua: arista quoque quasi hasta ad propellendos avicularum insultus defenditur, vt apex veræ galeæ in summitate spicæ iam maturæ eminet, fit quod ita appellatur, minus quidem quam granum. Inde magna multaque arte ille conficitur cibus: quo nullus est ad vitam magis sapidus, suavis atque necessarius. Neque minorem sui admirationem facit acini granum: ex quo vtique tantillo vini liquor oritur: quem nescio quis satis vnquam laudare possit. Nam vt verum dicam, sunt quæ tu condidisti, ô summe artifex, plena omnia sapientiæ, plena maiestatis: magna omnia, pulchra atque perfecta: quibus nec demi aliquid vlla ex parte aut addi queat. Verum quum liquorem illum creasti, videris quicquid in te ingenij & solertiæ, quicquid virtutis & potestatis erat magnopere collegisse, collectumque in vnius ipsius factora totum larga manu profudisse: tanta est eius iocunditas, amœnitas, suavitas, tanta in restaurandis, conservandis, lætificandisque animis & corporibus vis; tantus vigor, tanta salubritas: gratia, dignitas, naturæque prope quædam affinitas. Quam generosa est autem eius quæ illud prodont arboris species, & aspectu grata. Nam tenue primo sarmentum: mox stirps durior paulatim increscit, dilatatur propagibus, protenditur flagellis, quæ lætas passim pullulant gemmas: vnum lætior etiam vuarum fœtus exoritur. Circum vero palmites & pampini, quibus ad arcendos feruidiores æstus: quasi vmbraculis quibusdam muniuntur. Circum etiam caprioli quibus nec aliter ac intortis cirrhis ornantur. Qui quicquid contingunt iniectis veluti manibus capiunt tenaciterque perstringunt. Hæc quum pulchra admodum & læta esse quisque intelligat, longe tamen etiam agricolæ studio & arte pulchriora atque lætiora redduntur. Nam vbi vel ex malleolo vel ex minutissimo semine orientes sese sperit, ac profert in lucem, vt firmior in posterum euadat resecatur tota; adauctisque viribus postea pampinatur, quo recisis partim ex sarmento qui nati sunt, caulibus melior inde abundantiorque succus ministretur. Dehinc circumfoditur, ablaqueatur, impinguatur, aratur, & ne glebæ noceant, necatur. Tum ne cadens deorsum feratur, prostrataque iaceat adiuuatur adminiculis, sustentaturque pedamentis & iugis. Inde vt membri cuiuscunque sui pars postulat, amputatur, religatur, coniungitur, erigitur, profertur, distinguitur, sociatur, miroque ordine multis se vtrinque aspicientibus sociata disponitur. Hæc satis, hæcque spiritu carent, nisi & animatia referta ornataque corporibus; vberiore etiam amplioreque laude digna censeter Quorū & staturæ, & formæ & naturæ diversitas, infinitaque prope multitudo magnum omnibus ea contemplantibus & nostri decorem & factoris miraculum ostendit. Iumentorum enim & pecorum quanta sit pulchritudo simul & vtilitas omnes norunt. De feris autem & bestiis atque serpentibus frustra sermo habendus videtur. Quum pusillorum animalium breviorumque vermiculorum magna vtique sit species, maiorque vis & industria. Omitto cætera: sed apes, quis vnquam nisi vidisset crederet tantum ingenij & artis, tantum curæ & studij habere in fabricandis domunculis suis: tanta inter se vivere iustitia: tanta sapientia & auctoritate. Nouum populum dicas: nouam rempublicam: commune est omnium domicilium: communis soboles: communis labor & operatio. Communisque simul laboris & operationis fructus. Vna volant, vna cubant, vna capiunt cibos. Spurcitiam & immunditiam horrent mirum in modum. Delectantur cymbalis & plausibus, quibus & si displicatæ fuerint in vnum locum reducuntur. Atque ideo *Musarum volucres* dictæ sunt. Viuunt sub legum obseruatione, reverentur maiores natu, vti sapientiores reipublicæ suæ gubernatores. Regem habent: cui & primas & eminentiores magnificentioresque, vt principe dignæ videantur, firmiores etiam & munitiores, vt magis sustententur aulas & sedes extruunt. De quibus si forte ceciderit, erigunt statim eum: reponentes in thronum regni sui. Cui sedulæ assistunt, fauent, parent, obsequuntur, quem summa complectuntur & fide, quem & quocumque ierit sequuntur, conglobatim eum cingentes, protegentes, fessumq; subleuātes: & si volare nequiuerit, collo humerisq; portantes. Pro quo & periculum mortis subire minime reformidant. Tantā salutis eius curā gerunt. Nā mortuo eo quasi tunc vivere nesciant, torpent, tristantur, mœrent, neq; operi intendunt, neque fœdera societatis seruant. Ideo nequaquā è domibus prodire audēt, nisi prius ille egrediatur. Debitū ei tanquā principi honorē subiectionemq; exhibentes. Cuius etsi legibus ac mādatis aliqua fortasse non paruerit, interficit seipsā aculeo suo vltrix ipsamet peccati sui. Rex enim, licet aculeū habeat, vtitur eo magis pro dignitate quam pro vindicta. Porro & hæ licet sub imperio vivant: nō sunt tamen privatæ libertate. Nā & arbitriū habent consultandi simul: proferendique sententias suas & iudicia

Margin notes:

B

Viber.

Herbæ

C

Frumētū granum.

D

E

Arbor & vitis in vinea. Vide 2. Georg. Virgilij

Terræ cultus.

F

Animalia terrestria.

Apum historia ex lib. 4. Georg.

G

H

rogandi Leges & iura, quas præteriri non licet creandi populos: & cum maior turba supercreuerit emittendi tanquam colonias: constituendi regem: quem etiam perpenso certi iudicij examine & ratione non sorte eligunt, aut succedendi vllo iure, priuatæue cuiusquam affectione: quem quoque interficiunt, si malignæ deprehensus fuerit esse naturæ, quærentque alium rectorem cui se subdant. Et cum plures ad principatum aspirant, seditione commota, ciuili quasi bello grauiter inter se pugnant, donec victoribus pulsis nobiliore palmam obtinente reconciliatæ rursum dulci inuicem amicitia & pace conquiescunt. Diuidunt vero inter se administrationes & officia, vti quæque gnatæ rerum & expertæ magis visæ fuerint. Namque aliæ aliquando, aliæ componendo in domibus melli vacant. Et aliæ mel à cera, cui erat immixtum aqua diluunt. Pars etiã cõstruendis fauis instat. Pars fingendis & cõplendis ceris. Pars quoq; contundendæ mollificandæq; pedibus materiæ: facientes sibi domos, atque earum primo cubilia. Deinde quasi mellis præsepia & apothecas, idque tanto artificio, vt nunquam Dædalus certe aptius solertiusque norit eos ordines, mensuras, proportiones, æqualitates, texturas, orbesque disponere. Tum videas quasdam suggerere, plerasque struere, nonnullas polire, inde alias alueum ipsum intus lenire amarioribus succis, præcauentes quarundam bestiolarum insidias. Alias castrorum custodiam ad portas seruantes. Nam alternis dormiunt instar armatæ militiæ, nec minus fucis & vespis nocentibusque quibusque vermiculis propellendis intentas. Alias excrementa earum, quæ intus operantur, congerentes in vnum atque foras mittentes. Nam quæ extra exercentur inter volandum se purgant, propter nimium quem intelligunt fœtorem. Alias quoque explorandis ventis & imbribus, speculandisque nubibus præpositas; omnes vero procreandæ, conseruandæ, instituendæque prolis curam summam gerentes, replentesque iis fabricatas iam cerea & cellas: licet (quod mirum dictu est) ignaræ omnino concubitus, tantus est eis amor castitatis. Operæ autem pretium est videre quum pabulatum exeunt: audito enim sono bombi quo bis vel ter tanquam signo dato à custode castrorum excitantur. Si temperiem cæli vident, prouolant omnes, ad opus procedentes: Intenduntque certatim labori: inter laborandum ludo se alacri lætaque hinc inde giratione per riuos & gramina, per amœnos & suaueolentes hortos summa cum oblectatione curarumque remissione exercentes; nunc hæ flores pedibus: nunc illæ aquam & guttas ore comportantes; omnesque denique omnes rostro, cruribus, alis, totaque corporis lanugine redeuntes, depositaque sarcinarum demum vt à sui caloreque refrigerentur potum eunt. Nec desunt quæ domi expectantes præsto adsint: excipientesque onustas & fessas exonerent. Rex quoque ipse intus satellitibus suis comitatus circuiens omnia opera, nunc has exhortatur, nunc illis mandat. Quæ seniores sunt intra septa operantur; aliæ tanquam robustiores extra ad opus exeunt, quæ ignauæ & ab opere cessantes deprehensæ sint, castigantur seuerissime atque interficiuntur. Quum consumpti qui proximi erant, flores fuerint, mittuntur speculatores ad indaganda vlteriora pascua. Si quas nox interceperit excubant supino corpore vt à rore protegantur. Si à flatu aduerso aut procella comprehenduntur apprehendunt lapillos quorum pondere liberatæ se tuentur: nec longius à terra volantes discedunt, quæ vero domi se receperunt, quum nox aduentauerit, perstrepere in aluo incipiunt, nec prius cessant quam qua excitatæ à nobili fuerant eadem bombi buccina per custodem muros circumeuntem atque ad id præfectum rursum quietem fessis corpusculis dare iubeantur. Quæ cum nimirum omnia sint admirabilia, longe tamen etiam magis augebitur eorum admiratio, si amplius item attendatur nobilissimus, qui inde mellis

Mel & Cera.

& ceræ fructus oritur tam gratus & placens omnibus: neque solum delectans, sed saluti insuper corporum multis conferens modis: vt non iam mirari oporteat tauros, leones tigres, elephantos, cæteraque huiusmodi tam excelsa robustaque corpora: quum præstantiores multo in minimis animantibus natura vires ostendat. At si quos depressa hæc forte minus mouent, sustollant precor oculos altius: contemplenturque ardentis illius celsi ætherea globos, vnde vim vtique maiorem capio. Aspiciant latissimum hunc

Aer.

quo circumfundor purissimumque aëra, tanta refertum ornatumque multitudine auium, quæ & cibo gustum & canore auditum, & amictus decore visum quammaxime delectant, cuius præterea lætior fortiorque sunt luciditate, salubritate, leniterque spirantium aurarum afflatione cuius tota & imbribus irrigor tota, irrigata fœcundor, fœcundataque vberrimos cunctis animantibus fructus & alimenta subministro. Intueantur hoc ingens & longe lateque diffusum mare; quod

Nauigatio.

mira me maiestate circumplectitur, fouet, tuetur, & abunde ditat: continensque se terminis suis placide lambit: & ne qua ex parte suffocet tumens fideli me reuerentia quasi famulatum exhibere videantur obseruat, tot insigne nauigiis, insulis, cautibus, rupibus ripis, littoribus, stationibus, portibus. Vnde tanta communicandarum peregrinarum gentium transuehendarumque ex omni orbe frugum & mercium commoditas habetur. Vnde mi oriuntur flumina fontes putei, lacus, & stagna tantam exundantia largitatem aquarum quibus passim & herbarum plerumque siccitati & cunctorum animantium siti indigentiæque consulitur. Tantas producentia vbertim piscium opes ad publicam vtique necessitatem paratas, quarum varietas, sapor, numerus, vtilitas minime vllis explicari verbis possint: vt de

Piscis

his quæ ad ornamentorum colorumque lenocinia instruenda leguntur, vnionibus calculis, testis, conchulis, nihil dicam. Et ne quid tantæ opulentiæ & pulchritudini meæ deesset, dedisti mihi, ô maxime opifex, societatem hominis: qui nunc præsens & tibi astans dio me orantem audit, & vt audiat quam maxime lætor.

Hom... Hom... ca ha...

Quem licet similem tibi solum creaueris; ex me tamen vt compagem corporis sui susciperet voluisti. Quo vno etsi omnibus quæ supra memoraui caruerim, felix certe & perbeata ac supra cæteras creatas res gloriosa iure

Tellus ... cõme parte

merito iudicari possum. Vt mater ego facta sim illius animantis: quod est spiraculum & imago diuinitatis, quod est tam generosis & magnis ornatum dotibus, quod est tot & tantis magnificatum cœlestibus donis. Nam quis formam corporis eius satis laudare & admirari queat: solam erectam, solam cum cætera animantia deorsum aciem ferant, suspicientem cœlos, & vnde spiritum traxit quasi originis suæ memorem, illo vultus atque ora tollentem. Tot præterea decoris officiosisque membris compactam, sensibus animatam, neruis connexam, arteriis perfusam. Quis morum eius elegantiam, cultum: ciuilitatem, viuendi ritus, leges & instituta, quis iustitiam, clementiam, benignitatem, religionem, cæteraque præstantia & innata ei semina fomitesque virtutum. Quis denique ingenium, sapientiam, iudicium, memoriam, studia, artes, & disciplinas. Quibus tot illi adinuenta, emendata, exculta, expolita, decretaque sunt: quibus nihil est tam difficile & altum quod non ab illo inuestigatum, scrutatum, cognitum, intellectumque sit. Quid est quod dici possit maius Intel-

T... enim ... pugi...

lectu eius, primum quo omnia comprehendit, dehinc ratione, qua intellecta etiam quæque & comprehensa cernit. Demum Voluntate quæ tanquam regina ambobus imperans ac iura dicens illi data est, vt pro studio & captu suo omnia ageret & operaretur: vt cum capere cuncta posset atque discernere, proprij ne vtique arbitrij libertas ei eriperetur: quod est tam magnum, præstans, & excellens donum. Longius fui quam instituteram: sed ignoscendum est magnitudini simul & multitudini rerumque quæ breuiore non poterant sermone recenseri. Quibus etsi cuncta singulatim explicandis insistere velle, vereor ne citius dies etiã geminata quam oratio ad finem perueniret. Cum igitur talem ac tantam

tamque immensis & admirabilibus ornatam me bonis esse volueris, ó Rex omnium summe ac munificentissime, quis erit qui gloriæ & excellentiæ meæ audeat se, non dicam superiorem, sed inæqualem profiteri?

Sol loquitur.

HÆc cum Terra ingenti cum omnium inferiorum corporum assensu & lætitia verba fecisset, videreturque iam nihil esse quod illi præferri posset, surrexit Sol placido & hilari vultu adhortante eum, rogantéque plurimum socia circumferentium cœlestium corporum turba: advolutusque summi factoris pedibus iussus demum huiusmodi orationem habuit. Etsi non dubitem, sapientissime Rex & cunctorum parens, quicquid in me pulchrum & laude dignum est, te, qui totum creasti, me etiam tacente intelligere: tamen vt & voluntati cohortantium me tantopere sociorum meorum & suscepto defendendæ præsentis causæ muneri satisfaciam, aggrediar aliqua, tum pro iure meo, tum pro laude tua, dicere, atque id quam paucioribus potero verbis: satius ducens breui certarum magnarumque rationum contextu, quam superfluo prolixioris sermocinationis ambitu, quæ dicenda à me sunt demonstratum ire. Neque vero negauerim præstantissimas quas modo de se Terra recensuit atque præclarissimas dotes esse. Haud enim quod plerique solent ea est naturæ meæ conditio, vt aliorum laudes imminuendo ampliores meas efficere putem. Verum & recte eam pro modestia sua facturam existimo, si magnas excelsasque res suas, quas & ego vbertima laude dignas confiteor, ita extollat, vt aliorum, si quæ sint vel pares vel superiores commemorari etiam æquo animo patiatur. Credo autem si quantum ego eam tantum me illa altitudine superaret, vt quemadmodum mihi omnes opes & vires suas, ita illi meas intueri & discernere liceret, minime eam vnquam suscepisse huiusmodi non tam difficile quam molestum negocium. Quamquam non satis admirari possum, tam copiose ipsa & enixe in extollendis rerum suarum laudibus orationem suam extendisse, quasi ignorare videatur nihil in eis esse pulchritudinis & gratiæ quod non vi virtuteque mea perficiatur: attribuendumque sit beneficentiæ magis meæ & benignitati: cuius si forte oblita est, nescio quam sapienter hoc factum existimari debeat, quam caute prospiciat, consulatque vtilitati pariter & dignitati suæ. Dicat mihi, si retrahere liberalitatis manum proponerem, denegaremque amplissima quæ hactenus impendi ei beneficia, quid consilij caperet? vbi tunc quæ modo ita gloriabunda iactauit, vbi tunc vinearum, hortorum, agrorum, cæterorumque eiuscemodi amœnitas simul atque fertilitas? vbi tunc olerum, herbarum, graminum florumque lætitia? vbi harundinum, iuncorum, fruticum, virgultorum, ac arborum opes? vbi culmorum spicarumque pulchritudo? vbi vini suauitas, vigor, & gratia: de his maxime loquor quæ maximopere etiam laudauit, vbi tunc metalla, gemmæ, lapilli: conchulæ, Vbi innumerabilis illa admirabilisque multitudo iumentorum, pecorum, ferarum, bestiarum, serpentum, volucrum, piscium, præsertimque apum quarum laudes longiore sermone protraxit: vbi denique Homo tantis & ipse laudibus commendatus: qui & pro meritis certe à nemine satis vnquam digne laudari possit. Nonne hæc vigore meo omnia generantur, nutriuntur, fouentur, seruantur, augentur? quorum decor & fructus si laudem vllam promereri videtur, vtique illi, qui eorum fomes & origo est, iure merito magis ascribi debebit, quæ ipsa quoque pro sapientia sua non modo deinceps ascribet, sed & insuper mihi gratias aget, quem tot tantorumque bonorum suorum manifeste auctorem intelligit: Quibus quotiescumque etiam priuaretur quod meæ potestatis est, quid ea deformius, vilius, abiectius, miserius? quæ cuncta quum ita vera esse vt ostendi, fateri incipiet illud etiam quod de aeris præstantibus donis asseruit virtute totum mea fieri non negabit. Nam imbres primo, quibus illa irrigatur atque fructificat, attraho ego ex ea vaporibus coactis in nubes, dissolutisque demum ad communem inferiorum rerum vtilitatem descendere iubeo. Sed & aurarum leuis grataque spiratio, puritasque eius & salubritas fulgor item & perlucens claritas, cui, nisi mihi, sunt attribuenda: qui vi radiorum meorum omnia purgo, omnia illustro: qui quicquid triste, malignum, nebulosum, pestileosque, dispello prorsus & dissipo. Ex quo etiam multi me arcum & spicula gestare tradiderunt. Qui fugo noctem, discutio tenebras: vnde & diuinationi occulta prodenti præesse creditus sum: qui pulchrum & candentem reueho diem, luceque & splendore totum impleo orbem atque lætifico: quam ob causam fuere qui pallia me quoque aurea indutum esse confinxerunt. Quid vero de aquis loquar: quarum etiam ipsa bonia maxime locupletatur, quæ nec minus vigore meo fouentur & conseruantur. Quid de ardenti altoque æthere: à quo circumcincta maiorem quoque se vim capere memorauit, cui & ego quicquid habet luminis, coloris, ardoris, impendo. Quid de tota denique elementorum machina, vnde & sobur illa vitamque percipit: quæ nisi potenti etiam & mira virtute mea continerentur, conciliataque perpetuo & amico pacis fœdere conseruarentur, ruerent nimirum, dilaberentur: in æternumque protinus interitum irent, cuius rei causa, quadrigam etiam mihi auratam, qua quatuor vectus equis ferrer: quattuor vtique diei vices & conditiones exprimentibus ascripserunt. Quæ cuncta cum magna sint & præclara, non videri debet etiam exiguum, quod successio illa inuicem dierum & noctium, distinctio horarum, diuisio anni commutatioque temporis: tantæ causa pulchritudinis & commoditatis non aliunde quam ex me constat, vnde etiam *cor cæli & vita* vocatus sum. Non item minimum putandum est quod omnem ego vigorem, virtutem, & sapientiam, quibus mundus regitur, quasi fomes quidam subministrem, vnde & *mens mundi* sum appellatus. Nec contemnendum, quod lumine meo, quo non aliud maius, omnia intuear, omnia perspiciam, omnia penetrem, quod qui animaduerterunt recte etiam *oculum mundi* nominarunt. Eximium vero illud est, quod cum tanta operer, tanta conficiam, persto semper etsi idem, atque persevero nunquam defatigatus, nunquam à vi virtuteque mea deficiens: propter quod & iuuenili me facie intonsoque capite descripserunt. Hæc habui quæ referrem bona mea, magna quidem atque præstantia: quæ & quomodo Terra ignorauit vehementer admiror: cum his longe ornata longeque aucta sit. Verum nec alia omittenda videntur, maiora certe ac præstantiora: quæ si & se ignorare dixerit, nulli erunt tamen eius culpæ, quod neque multum ad eam pertineant adscribenda. Nam quod sine iniuria sociorum meorum dicam, supereminco ego omnibus luce, potestate, & virtute mea tanquam rex & princeps: quare qui me diligenter scrutari fuerunt, coronam etiam capiti meo XII. radiis illustrem ad imaginem XII. vtique horarum, totidemque mensium impositam esse voluerunt. Tantus quippe est splendor lucis meæ, tantaque vis, vt oriente me cætera quantocunque fulgore radient sydera quasi obscurari & deficere videantur, nec quod Magnæ matri terræ modo accidit moleste ferunt, adscribuntque dedecori me eis antefetti: quin vt commilitones obsequentissimi, memoresque beneficiorum audiunt me libenter hæc referentem: aguntque gratias propter communem quam percipiunt ex me nec leuem quidem commoditatem & fructum: Medius enim ego inter omnes lucem, vitam, temperiemque eis infundo: cursus eorum quasi legibus guberno: impello vti quæque res expostulat atque corrigo: vigore denique meo & virtute repleo eos: roboro, animo, sustineo & conseruo: prædulcique insuper

&

& miro resonans impleo ac moderor concentu & Harmonia; quæcunque mecum simili quoque cursu exercentur, vnde lyra me canere Musisque præesse dixerunt. Quid vero quæ minora sunt commemorabo, nunc bonitatem lenitatemque dulcis naturæ meæ qui nascentem hominem præveniens tantam influens ei infundo venustatis pulchritudinis, probitatisque gratiam, tantam virtutum insigniumque morum elegantium, vt gratus certe omnibus & acceptus felixque semper sit & perbeatus: cuius me custodiam & regimen præventu influxuque meo habere contigerit. Quid denique laudabo corporis mei magnitudinem simul & rotunditatem? quibus & ipsa se plurimum extulit: cum sim ego septuplo ea maior: & præterea ita in orbem factus, vt quum ipsa nunquam omnino moveatur, orbiculatitati meæ mira quædam & incredibilis mobilitas ac velocitas adiuncta sit: quæ tanta est, vt totam mundi machinam quotidie cursu meo circum eam, rediens singulis semper diebus vnde discessi. Video iam me promissæ brevitatis metas excessisse, sed longiora mea verba facere coegit, longior vtique adversæ partis oratio, quam ne paucioribus quidem reficere facile potui verbis. Tuum nunc est, ô summe Opifex, qui omnia & superiora simul & inferiora condidisti, eam quæ antequam quisquam nostrum loqueretur animo insederat tuo sententiam ferre. Ego quicquid protuleris, statueris, censueris, suscipiam sine vlla molestia sequar, colam, æternaque observatione custodiam, qui cuncta sapienter cogitas; & prudenter facias, & recte administras & iuste semper sancteque iudicas.

Hic Sol finem dicendi fecit, tantusque eum favor & assensus circumstantis quasi innumerabilis populi secutus est, vt iam illi inclinata non tam iudicis quam omnium simul sententia credi posset: ipsa quoque Terra demissa iamdudum & subtristis altis quidem, & arduis eius rationibus nanime adversari videretur: quum subito Aurum iocundissima so facie protulit in medium, postulans orandi locum, non sine ingenti excusso omnibus risu. Pollicens vero præstantiores etiam longe omnibus quæ ante ab aliis narratæ essent vires suas se palam ostensurum, confirmaturumque tam claris rationum testimoniis, vt non luna ipsa clarior haberetur, tantam commovit omnibus indignationem, vt nullo ferendam modo eius tam stupendi, hebetis, ignavique corporis audaciam nullo audiendum ipsum pacto vnanimi voce conclamarent. Quod non passus iustissimus cunctorum pater & iudex: Sinite, inquit, vt nemini denegetur libertas dicendi quæ velit. Auditurus sum ego non tam æquo quam libenti animo ipsos etiam vermiculos terræ. Loquatur age quicunque sit, si quas habet laudes suas. Tum facto silentio, convertens se ad maximum iudicem magna cum oris lætitia Aurum ita fari cœpit.

Aurum loquitur.

Pecuniæ omnia obedire.

SI quemadmodum cupio, & rationi simul congruere videtur, tale esset omnium qui hic adstant iudicium, vt excellentiam cuiusque & gloriam ex reconditis magis latentibusque intra viribus operumque effectu quam ex fucato fallacique apparentis vultus aspectu inanique quasi quadam vmbra metiretur: Non dubitarem, ô summe idem nostri iudex & factor, me vna cunctorum voce supra quæcunque sive sursum sive deorsum sint corpora probatum hodie & exaltatum iri: Sperarenque ex risu atque indignatione, quam nunc subortam in me video, in admirationem se magis ac benevolentiam mei omnes conversuros. Nam vt sum ego minime parvitatis naturæ ita apertæ, quicquid in me argui damnarique potest, nemine etiam adversante, vltro confitebor. Tenuitatem enim primo pusillitatemque corporis mei, quæ cunctis manifesta est, nemo credat ausurum me vnquam negare atque contegere. Nemo præterea existimet motus aut sensus quibus careo affirmaturum vnquam gratiam vllam in me vigere. Quin illud quoque attestabor liberrima voce natum me intra terræ viscera ac Solis vigore coaluisse, quos laude sua fraudare nequaquam est mei instituti. Verum qui altiorem consecuti sunt mentem, ergo nebulis exterioribus, quibus iners vulgus plurimum falli consuevit, animum vllo modo intendant: erigant acumen ingenii, considerentque diligentius si quid intus latet magnum & præstans: scrutantesque id exacta ratione pervideant ne despiciat quisquam corpusculum meum: cuius si latentes in arcanisque ipsis recessibus absconditas vires intellexerit, nihil eo maius fortius, robustius potentiusque esse fatebitur: ne contemnat aliquis spoliatum me omni motu prorsus & sensu. Cum nihil sit sub orbe quod non vigorem meum sentiat, quod non immotum ego moveam, & quo velim traham. Hoc vno, si dicere fas est, tibi Deo magno persimilis; qui cum nunquam movearis, moveri tamen omnia nutu tuo facis. Nec molestum aut Soli patri, aut Terræ matri esse debebit, quod filius eos virtute & viribus antecedat, quod de nullis vnquam parentibus auditum est: quorum vt est in genitos suos longe amor ingens ac profusus; ita & lætitia cum se ab eis virtute vel æquari vel superari etiam intelligunt. Illud autem quod vereor, rogatos omnes velim, ne me arbitrentur tam constanter orandi hoc munus assumpsisse: ductum inani ea maxime mei æstimatione, quod sim commune ornamentum statuarum templorum, vestium, zonarum, spinterum, armillarum, aliorumque eiuscemodi: quodque præ excellentia materiæ meæ non nisi à paucis gestari consueverim: ac magnis ipsis quidem & singulari aliqua vel dignitate: vel nobilitate: vel doctrina præditis viris ad exprimendum demonstrandumque gloriosum earum decus & specimen: ne quæso aliquis ista de me sibi in animum inducant, quæ tanta fero cum amaritudine, vt quum omnia ad summam mihi felicitatis plenitudinem obvenerint, Homo vnum tamen, ne omnino expers essem alicuius miseriæ & calamitatis evenit, vt testimonio meo, quod publice ostendatur, vilissimus quisque & quod frequenter accidit etiam egenissimus clara gente ortus: aut potestate aliqua præditus magna iudicetur, quodque nihil est indignius vt literarum imperitissimi ac quique stolidissimi homines per me doctissimi sapientissimique vel habeantur vel se haberi velint. Verum ita eunt humanæ res, vt nemo sit tam magnus, potens, gloriosus, omnibusque abundans bonis, qui non triste aliquid adversumque habeat, vnde angatur, magnaque cruciatus ex parte torqueatur. Nulla est tanta prosperitatis & gloriæ dulcitudo, quæ non invisi alicuius mali felle perfusa amarescat, nulla est tanta potestatis eminentiæque magnitudo, quæ non gravi aliqua aliunde mole onerata, vltraque modum fatigata deprimatur. Hæc igitur quibus vtinam carerem, nemo putet magni me aliquid facere: nemo existimet ad gloriam me & excellentiam meam ducere. Alia sunt virtutis & dignitatis meæ monimenta: quæ vbi explicavero magna nihil ambigo omnium iudicio atque excelsa cunctisque merito; quæ in comparationem mecum ducantur, superiora videbuntur. Nam, vt dulcis lenisque naturæ meæ primo admirabile donum referam, tantam quam in me habeo gratiam infundo in omnes, quorum vtar contubernio & familiaritate: vt si quid in eis offenderim tristitiæ & mœroris expellam prorsus, iocundosque ipsos hilares, gaudentes, ac lætos semper efficiam, sin & aliquos invenerim timidi & pusilli cordis, securum vtique illis addam animum ingentem atque inconcussum: dubios firmem, errantes dirigam, labentes erigam; ex ignavis denique industrios; ex inertibus solertes; ex balbutientibus explicatos; ex elinguibus eloquentes, ex morosis faciles; ex tardis promptos reddam: ex indoctis doctos, ex stolidis sapientes, ex vilibus & abiectis generosus & claros videri faciam. Atque hæc ita tamen operer, si & ipsi quoque cum quibus versor morem mihi gerere naturæque meæ studeant minime adversari, quæ libero

A

frui aëre spaciarique hinc lætatur. Quam delectant varij discursus variæque agitationes, quæ marcere ignata quiete non patitur, quæ detineri alicubi diutius molestissime fert. Quæ refugit noctem odit tenebras, horret strictiora obseruataque firmius habitacula, si carceres nominaveris, illi data optione tanquam mitiorem eligens anteponet: Quare quisquis meam meruerit conversationem ignarus tamen conditionis & naturæ meæ crediderit me occultum domi tenere: in reconditisque clausum locum servare: privareque dulcissima qua tantum gaudeo libertate mea: discurrendique & quocunque libuerit peruagandi facultate quamtumcunque is me amet, colat, amplexetur quotidie, & deosculetur, nullo vnquam tamen modo speret fruiturum se aliqua mei iocunditate, immo contra si sua parte natura fuerit ipse iocundissimus atque lætissimus, continuo in summam miserabilemque prolabitur tristitiam animique mœstitudinem. Si animo item fuerit securo, nobili, atque excelso; fit itidem quasi mutatis corporis humoribus, sorice pauidior, cuniculoque timidior, in cunctis dubitare, frequentiusque errare & labi incipit, ex industrio fit ignauus, ex solerte iners, siue vestiatur: siue cubet: siue negocietur: inter rusticandum quoque aut peregrinandum insidias vndique semper sibi parari putat. Cuncta ei suspicionem, cuncta terrorem incutiunt. Fac vero fuerit facundissimus, lingua illi nodis implicari videbitur: vitæ illum facilitas commendauerit, fiet illico morosus & duro cerebro. Fac promptitudo laudauerit, eius mox tarditatem & stupiditatem quisque accusabit. Fac denique doctrina, sapientia, ac genere clarus extiterit, non aliter tamen ac si nihil horum in eo vigeat habebitur, ita prodest voluntati meæ non conformem se habere: ita prodest non vivere moribus meis, repugnareque optimæ ac dulcissimæ naturæ meæ: de qua hactenus hæc dixisse volui. Nunc ad exponendas arduas quidem ac præpotentes vires meas veniam in quibus omne gloriæ & excellentiæ meæ fundamentum iacietur, atque in primis ea quæ Terra primo vtique laudi sibi & merito sane attribuit, attingam vicos scilicet oppida, arces, vrbes, templa, fora, theatra, palatia, scenas, circos, thermas, domos, aulas, prætoria, num ista quoque sibi Sol audebit ascribere? num hæc quoque iactabit causa sua ita esse extructa atque magnificata, qui se omnium, quibus terra ornatur, bonorum auctorem esse prædicauit? Dicat age, dicat si sapit, quid in his quæ tam magna, illustriaque sunt eorum quoque multa ad degendam vitam omnino necessaria, quid potestatis sibi vindicat & auctoritatis: quorum nullus est tam exiguus lapis, tam tenue ferramentum, tam pusilla trabs, quæ sine me coaptari vnquam suo loco potuerit, quibus ego non interuenerim, quibus non opem, manum, principium denique prosperumque eventum præstiterim, Cui præterea eorum picturæ incrustationes, laqueationes, cælaturæ, sculpturæ, eiusce modique alia ornamenta mira arte & ingenio edita, cui nisi mihi, tanquam certo & indubitato auctori attribuentur: Quo autem modo communis quæ in eis habetur cohabitatio nisi vices meas interponerem perstaret: quomodo publicæ necessitati & indigentiæ nisi ego subuenirem prouideretur? Quis adesset si me abesse contingeret; quis consuleret nisi interessem? quis adiuuaret nisi opem ferrem? quis succurreret nisi onus omnium ego susciperem? quis vbi plus æquo aliqui omnibus ad victum necessariis abundarent? atque alij hoc, alij illo egerent. Quis præter me efficere posset, vt ab eo cui nihil omnino deest subueniretur illis qui verbi causa, vel frumenti, vel vini, vel indumenti, inopiam sustinerent, quis deinde vbi ego deficerem? quis vel mercando vel artes sine quibus civitas stare non potest operando vitam suam coleret? quis operi vlli laborans insisteret? Ita sine me nec piscator vllus, nec sutor, nec faber, nec textor, nec pigmentarius, non denique cuiusvis rei vllus opifex. Ita sine me nec quisquam curam vllius negocij administrationemve susciperet: ita nec proxeneta, nec institor, nec licitator, nec tutor, nec negotiorum gestor vllus haberetur. Ita clausæ tabernæ omnes. Clausæ cellæ & apothecæ: Non essent nundinæ, emporia vacarent, mercatura cessaret. Ita neque ponderum, neque librarum, neque mensurarum vlla mentio.

Refellit Terræ argum.

B

C

D

Mercatura.

E

Medicina.

Quid vero de doctrinis omnibus atque disciplinis loquar? quæ tantum curandis animis simul & corporibus præstant adiumentum. Quis me cessante medendi artem profiteri veliet? quanti proinde qui quotidie in animantium corporibus oriuntur morbi & languores ad interitum ducerentur: Quibus ego tamen occurro interueniens consulensque admirabili vigore meo quasi communis omnium salus & vita: quasi pius omnium liberator factus & restitutor.

Philosophi auisi non contemnunt.

Et, vt ad philosophos veniam, deperirent & omnino sine me eorum studia: licet tanta cum vanitate aspernari me & contemnere vulgo iactent, quum tamen per fundamenta gutturis mentiantur. Quoniam nullum est hominum genus à quo magis amer, colar, obseruer, atque vtinam ita vt iactant ab eis contemnerer, longe tali contemptu beatior. Est enim, vt alio loco ante dixi, innata naturæ meæ mira quædam libertatis evagandique hincinde & diutius nusquam immorandi cupiditas. Quum autem in manus horum deuenio, tanto me amore prosequuntur, vt non dicam euadere, sed nec aperto gaudere vnquam aëre liceat, ita teneor, stringor, perpetuisque quasi compedum carcerumque pœnis damnatus includor.

F

Grammatici.

Sed & Grammaticos ludique magistros; quis nisi ego, ad tradenda pueris prima elementa rem ita necessariam deduceret? ad tolerandos tam molestos ac fastidiosos assiduosque simul labores? quos quum tantis rixis, delationibus, clamoribus, strepitibusque tam conferta vndique turba puerorum grauissime malleorum instar obtundat; mirum cur non omnino deliti facti desipiant.

Logici. Musici. Geometria. Arith. & Astrologia. Rhetorica.

Taceo Logicos: quorum garritus contentiososque clamores sine me etiam nullus audiret. Omitto Musicos: quorum vbi ego conticescerem, non dicam canor & Harmonia sed neque minima vox vlla resonaret, De Geometris, Arithmeticis, Astronomisque nihil dico: quorum & vbi ego non essem neque nomina vlla haberentur. Sed Oratoriam artem, quæ est longe suauior, longeque iocundior, quæ est decus omnis civilitatis: fomentumque bonorum omnium morum & institutorum: quis eam nisi amore ac spe mei inductus aut docere aut doceri, clarisque eius & dulcibus studiis teneri vellet?

G

Poëtæ.

Nec prætereo poëtas, etsi aliquando sine me ingenia sua exercuisse compertum sit, at magna id certe cum incommoditate vitæque eorum anxietate grauique proinde & dolenti cum animo nec minus magno mei desiderio: cuius vim maximi semper fecerunt: opem quoque sæpius, licet raro exauditi, implorauerunt.

Iurisprudentia.

Et quid dicam de Legrim peritia, quæ est firmamentum humani omnis fœderis & regiminis, qua tanquam nutrice & matre aluntur, civitates ornantur, conseruantur, proteguntur. Quæ consulit tranquillitati, studet quieti & paci, salutem omnium quærit, defendit pupillos, succurrit viduis, erigit prostratos, tuetur bonos, consolatur afflictos. Qua corriguntur deuij, pelluntur seditiosi, compescuntur probi, puniuntur grassatores & sicarij: Quæ hostes propulsat, insultantes reprimit, ab omni denique omnes calumnia, ab omni vi & iniuria protegit & tutatur. Nonne & hæc per me summo est in precio, summaque in admiratione? Nonne per me eorum qui illam profitentur iã innumerabilis est atque ingens turba? Nonne qui eã ediscũt tot tantiq; sunt, nulli parcentes impensæ, nulli peregrinationi, nulli inediæ ac labori. Ita ergo nisi persuasione mea motus nemo causã alicuius procuraret, nemo patrocinium susciperet, nemo lites examine suo dirimeret. Iam nemo laniunculator, qui delicta puniret, nemo scriba aut tabellio, qui dicta scriptis mãdaret, nemo tabellarius qui denunciaret, nemo tubicẽ, qui clãgore signum daret; Iã intri dicundo nullus intenderet. iam reipublicæ administrationi nullus instaret; iã clausa fora

H

ipsa

ipsa, vacent ipsæ judiciariæ sedes, quum læsa tamen ac injuriis plena omnia ingenti vndique strepitu & clamore personarent. Ita ego nisi vi mea magna & sancta quemque impellerem, deperiret omne jus, omnisque justitia. Ita nihil salvum, nihil securum, nihil ab injuria tutum. Ita regnaret improbitas, floreret iniquitas, ambitio cuncta possideret. Hæc opera mea, hic fructus meus, hæc in omnibus liberalibus disciplinis præclara atque excelsa potestas mea, quibus sive docendis, sive perdiscendis, sive exercendis nemo nisi adhortator ego adessem studium vnquam impenderet, nemo præterea qui earum tam innumeros immensósque pro ingenio cujuscunque editos codices exararet, nisi me vtique impellente librarius haberetur. Atq; vt ad alia orationem convertamus, quid magnificentius gloriosiúsque summorum Regum atque Pontificum statu videmus: quam pulchrum est cernere tot assistentes ei magnos & illustres viros? tam frequentē variæ conditionis hominum turbam, vario vtiq; muneri debitam inhabitantē curias eorum exercentémq; se quotidie sollicita cum diligentia, ac vel suis vel amicorum rationibus intendentem: Quis vero alius à me hæc effecit? Nōne & vigor meus hæc operatur? nonne & vbi ego abessem omnes abirent? nonne vbi ego discederem, sine honore sine gloria, omnes essent principes? nonne soli nudi ab omnibúsque destituti deformiter omnes apparerent? nōne omne decus illud statu eorū, omnis ille splendor prorsus evanesceret? Verū quid hæc cōmemoro ad commoditatem hominum, magnificentiam item & ornatum pertinentia? quum alia quæ animæ bona thesaurósq; respiciunt, quæ perficiendis mentibus animisque conducunt longe sanctiora, referri possint. Nam quid est deterius, tristius, nocentiúsque ignavia & turpi ocio: quibus enervatur languescitque vis omnis animorum, debilitatur obtunditurque omnis acies, frustratur, corrumpiturque omnis vigor, vilescit deficitque si qua inerat generositas: sordescit si quis fuerat morum nitor & elegantia, extinguitur si quis fuerat sensus fomésque virtutis: tum blandiri mala cuique incipiunt, adstare præ foribus vitia, quærere aditum, rogitare, pulsare, titillare, attrectare, mox contubernalia fieri: tum crescit familiaritas, invalescit libido: convocat alios nocendi ministros, fit conspiratio omnium malorum: invadunt regnum, occupant, dissipant, obruunt, evertunt, fugant, quicquid bonæ sementia inveniunt: quicquid bonæ frugis offendunt, expellunt, proculcāt, lacerant, trucidant, exterminant. His ego tantis malis, quæ torpor & ignavia parit, quæ mollicula & deses vita producit, occurro, publicus eorum hostis conserta que manu bellator acerrimus obsisto. Quippe qui neminem patior frustra ocium conterere, ad laborem quemque hortans, ad opera quemque sua impellens: à somno excitans: à ludis avocans: à lautioribus longioribúsque cœnis avertens. Proinde videas omnes doctos simul ac indoctos: magnæ simul ac pusillæ sortis vacare diligentius sollicitiusque negocijs suis. nullam non fœminarum quæ non longiores vel nendo vel texendo, vel hujuscemodi aliquid muliebris operis faciendo noctes trahat, neminem non artificum qui non ocius cum galli cantu è stratis exurgat: neminem non literatorum qui non agent semper aliquid: vigilando, instando, ferendo, vitam exerceat: qui non dulces omnes labores, omnes lucubrationes ducat. Ita ergo per me quisque frugi, bonus, gravis, justus, continénsque efficitur, ita per me quilque omni virtute præditus, omnique morum elegantia ornatus evadit, ita ergo tales produco virium mearum fructus. Ita ergo tantorum ego bonorum causa. Ita ego omnium horum auctor, quasi ad sublevandas publicas necessitates, ad conferenda in commune omnibus commoda, ad ornandas illustrandasque omnibus virtutibus omnium mentes natus esse videar. Quæ cum ita sint non merebor ego dum oraturus, causam meam venio, ab omnibus etiam libenter suscipi, susceptus audiri, auditusque insuper commendari laudibus & extolli: non merebor quum tanta de immensis viribus meis palam ostendam fraudari minimè & coronam gloriæ meæ debitamque cunctorum judicio palmam referre. At movent hæc omnes video, præsertim quæ postremo loco retuli ad bene sanctéque vivendum pertinentia. Iam faciles, jam inchoatos, jam conversos in me omnium animos intelligo. Age ergo quum magna hæc nemo jam negat, referamus & alia, majora longe etiam, quorum ego vtiq; operator sum, eximiæ summæque pietatis ac sanctitatis monumenta. In quo ad te me converto, ô rerum omnium æterne parens & conditor, cujus quum sint cuncta quæ fecisti magna, admirabilia, atque perfecta, nihil profecto est quod tantorum beneficiorum consideratione celebrandis laudibus tuis agendisque tibi gratiis non assidue vacare debeat: quo nullum certè pulchrius, nullum dignius aut præclarius munus suscipi potest: Id vero delatum est præcipue ad Sacerdotes, qui pro cunctis onus subeuntes die noctuque privatim & publice debitas tibi ac quantum humana tenuitas permittit amplissimas laudes absolvunt, nunc orantes, nunc psallentes, nunc varia voce modulantes, nunc dulcibus etiam tinnitibus & organis personantes, quam pulchrum est intueri tam gravem & candidatam turbam inter media templa tuo tanto cultu & ordine, tanta majestate, tantis tibi ceremoniis servientem: quam gloriosum est audire officiosissimas, quas tibi effundunt, preces & vota, laudantes atque exaltantes nomen sanctum tuum, postulantésque misericordiam vel pro salute viventium, vel pro requie defunctorum, vel ad impetrandam delictorum indulgentiam mitigandamq; iram tuam, vel ad implorandam de inimicis adversisque casibus opem & defensionem. Verum nonne hæc tot & tanta meâ fiunt adhortatione, nonne fons ego & origo sum horum bonorum: nonne vbi ego oblivioni traderem neq; ipsi tui memoriam haberent. Vbi ego negligerem, neq; ipsi curarent, vbi ego tardarem, neq; ipsi præsto essent, vbi ego eos non expergefacerem, consopiti omnes tenerentur: vbi ego non interessem, neque ipsi convenirent: Vbi ego non ita frequens vt facio intervenirem, omnes conticescerent: vbi ego non sonitum vtique meum darem, omnium ora prorsus obmutescerent, nulla eorum vox audiretur, nulla perciperetur. O me perbeatum: ô me felicibus natum auspiciis? cui tanta Deus meus quum me creares, dona contulisti, tantum præstitisti dignitatis, tantum auctoritatis: tanto exaltasti honore & gloria, vt sine me nec laudes tibi decantarentur, nec vota persolverentur, nec noctu à quoquam eorum causa consurgeretur: vt sine me nec sacra tibi fierent, nec thura tibi incenderentur, nec aquæ nomine tuo sanctificatæ irrorarentur. Atque hæc de ministris tuis inferioribus loquor. Nam quid dicam de superioribus, quibus tantum incumbit oneris & periculi in administratione commissarum sibi Ecclesiarum, quis eorum ad tantam sustinendam molem, ad tantam subeundam sarcinam, tolerandum tantum pondus, nisi ego continue stimularem, se vnquam accingeret? Quos tanto incendo amore, vt non modo rogati præfici se illis libenter patiantur, sed & vltro offerant se & ingerant, vt vel præficiantur, vel præfecti jam ad majores alias gravioresque curas & administrationes mutati provehantur. Quo circa etiam oppido infesti & importuni postulent, rogent, orent, implorent blandóque ore & dejecto, humilique vultu quemque ad rem suam idoneum venerentur; hunc sollicitius interrogent, illum diligentius sciscitentur, alium sagaci nare pervestigent: potentiorum domos & aulas intenti & vigiles observent, vestibula terant, fores olfaciant, postes lingant, petentes aditum, quærentésque colloquium, non magno sine longioris moræ fastidio, gravi etiam & frigoris & æstus atque inediæ sæpe cruciatu. Quin ipsis servulis hunc officiosi & supplices, quos possunt allicium, corrum-

Reges & Pontifices.

Amorem excitat.

Ocium discutit.

Ecclesiastici v. i

A

puntque, nec adulationibus, nunc precibus, nunc amicorum interventionibus, nunc profusis etiam largitionibus, sæpius etiam per vim & minas extorquent: vt compotes voti fiant: instantes hiantibus faucibus, avarum me tanquam canes frusto carnis. Iste ergo ego sum tantorum patrator, tantorum operator. Ille ergo sum, cui omnes non tam parvi & humiles, sed magni etiam quoque & præpotentes obsequuntur: cui civitatum omnes status, omnia munera, omnes dignitates patent. Sed egrediamur jam hinc, & ad res rusticas, quibus & terra plurimum gloriata est, transeamus.

Res rustica, & agricultura.

Quem enim alium præter me auctorem lætitiæ & amœnitatis suæ fatebuntur vineæ, horti, pomaria, prata, agri, aliaque ejuscemodi? Quis, nisi ego causam præstarem, quis inveniretur aut fossor, aut arator, aut vinitor. Quis jumenta curaret, prata irrigaret, sementem terræ mandaret: quibus cessantibus quantum malum, quantáque necessitas cunctis animantibus immineret: quanta quæ inde oriuntur disperirent: præsertim quæ tantis terra extulit laudibus vina atque frumenta, quorum nec hæc cibum nec potum illa ministrarent. Veniamus & ad aquarum gratiam, quibus & se maxime ornari atque augeri terra memoravit, quem dabitis mihi qui vel piscandi vel navigandi artem nisi spes mea subesset, exerceat.

B

Aqua, & navigatio.

Quis, dicite, quis, nisi viribus meis actus, impelleretur, vellet, se vnquam procelloso tantis periculis & malis pleno mari, credere obruendum millies fluctibus, obrutumque intra piscium viscera sepeliendum? quantis proinde omnes afficerentur incommodis, quanta publice omnibus incumberet necessitas frugum atque mercium quæ ex omni orbe eo navigandi munere transvehuntur: quibus tamen ego consulo, quibus ego ne tantum mali contingat occurro; spirans in hujuscemodi negociatores flatum amoris mei: capiens eos ipsius suavitate, incutiens item stimulos, quibus adeo concitantur atque animantur, vt nullo labore, nulla peregrinatione, nullo æstu & frigore, non cubandi asperitate, non ciborum insipiditate, non potus vllius amœnitate, non piratarum insidiis, non vi vlla, non ipso metu mortis quam quotidie ante oculos astantem vident, nec longius quidem quam sit lignum navis: non vllo denique incommodo & malo absterreantur, dum tamen mihi obsequi, famulari, ac quicquid volo, hortor, mando, perficere recte possint.

Mercatura.

Juvenal. Sat. 12. v. 57.

C

Mirantur Philosophos de perferendis æquo animo humanæ vitæ incommodis, de contemptu mortis multa sapienter, ornate, copioséque scripsisse: quæ & ab ipsis quidemmet auctoribus sunt dictis eorum magis quam factis confirmata, quum ego non dicendi inani vllo strepitu, non verborum vlla fucata persuasione, sed jocundissimo meo aspectu, dulcissima mea conversatione, vivacissima mea ac potentissima virtute hæc cuncta perficiam. Quæ ita (vt dixi) veritate inniti maxime videbuntur, si aliud etiam vitium meorum non dissimile his argumentum intellexeris.

Militia.

Notum & percelebre est quanta sit militiæ vtilitas pariter atque necessitas ad conservandam protegendámque rempublicam, defendendámque ab omni hostili injuria atque insultu, quantus proinde ejus splendor & gloria, quanto ejus duces ac Imperatores honori simul & terrori habiti fuerint: quantum item qui castra secuti armis se exercuerunt præ aliis commoda ac privilegia semper majora meruerint.

D

Prætereamus quod nemo eorum nisi animum ego illum ardorémque belli addidissem atque incenderem tantæ se rei vnquam immisceret, nemo loricam & thoracem indueret, nemo galea caput tegeret, nemo ensem manu acciperet, nemo hastam vibraret, nulla jam esset acies, nullus exercitus, nullus qui militaret, nullus qui militantibus imperaret. Hæc, quæso, omittamus; dicamus magis alia pericula majora his navigantium proximo ante loco demonstratis, quæ nisi ipsis quotidie cernerentur oculis, incredibilia certe viderentur: tantis se eos vltro laboribus offerre, algere, æstuare, sudare, inediam ferre: sub divo somnos capere atque perlibenter omnia efficere: quodque admirabilius est gladiis, lanceis, sagittis, scorpionibus, balistis intrepida fronte atque animo caput objicere, non magis vitam, quam si quotidie in foro nuliæ instar nucum, pomorúmque venderentur facere quæ eis continue imminet contemptui habere: ita nullo ejus terrore commoveri: ac si sapidum aliquod & dulce ferculum expectare videantur. Atque hæc ego quibus nescio quid aliud majus: aut audacius omnia facio, omnia adjuvo, omnia summa virtute mea suadeo, jubeo, cogo, atque impello. Dixerit fortassis aliquis tristia ista esse, auditu fera, inhumana, barbara, ab omnique ingenuitate morum ac civilitate penitus aliena. Videri namque à natura insitum cuique animanti vt salutem suam & vitam tueatur: quam qui neglexerit vltroque perditum ierit: eum, non nisi monstruosam naturæque longe adversam & inimicam hominique libero prorsus indignam efficere:

Belli incómoda

Summæ præterea esse detestationis graves & miserabiles quæ ob bella suscepta contingunt grassationes, rapinas, carcerationes, proscriptiones, stupra, adulteria, cruciatus, jugulationes, proditiones, civitatúmque ac singularum incendia & eversiones: quæ quum causa mea fiant, minime ea mihi laudi & ornamento, dedecori autem & vituperio magis adscribenda esse. Verum quisquis hæc dixerit, neminem velim putare me ejus esse imprudentiæ vt verum inficiari, falsáque defendere ac pertinaciter tueri proponam. Confiteor & hæc ego vtique aperta & libera voce: neque principio, quando orationem habere cœpi, ita laudes meas dicere aggressus sum, vt integritatis, pietatis, atque sanctimoniæ vlla quæ in me essent magis quam excellentem vim & potentiam meam magnósque & admirabiles, quos inde produco effectus & operationes referre vellem. Non enim tantum mihi arrogo, tantumque assumo, vt credam nihil ex me quod non triste & nocens sit, exire, vt putem vtilia esse omnia mea, verum & ista tamen ita confiteor, vt quæ *Sols & Terra* æmulis meis venia tribuitur, mihi quoque ne denegetur: vt quæ in illis excusatio recipitur in me etiam ne refutetur: vt in quo nullum illi opprobrium consequuntur, in eo ne vtique ego dehonester ac vituperer.

G

Confutatio. Terræ noxa ve venena.

Interrogemus Terram, an aliquid ex ea producatur quod lædat & noceat? non diffitebatur & ipsa se plurimas gignere aut inutiles aut innoxias herbas: & succos non negabit: se proferre muscas, vespas, crabones, culices, cimices & pulices generare: item scorpiones, crocodilos, infinitámque serpentium multitudinem: non ad aliud certe quam lædendum ac nocendum paratam: nec tamen quod hæc ex ea oriantur dedecori sibi adscribitur.

Solis incómoda

Sciscitemur & Solem, an & ipse radiis suis intuentium oculos lædit? an & ipse calore suo nonnunquam caput obtundit: An & ipse plus æquo aliquando æstuans & ardens sata omnia arborumque fœtus omnes, ipsa quoque animantia corrumpit: Quod eo maxime illi tempore contigit quando conficta est Phaëtontis fabula, sub cujus velamento certa veráque latet historia: An & ipse quum eclipsi laborat tristissimas inflixit vel pestilentias vel magnorum principum mortes, populorumque maximas sæpius desolationes: quæ cuncta quum mala sint, atque nocentia, horum quoque ipse solus auctor: minime tamen minor meritorum suorum gratia æstimatur, minime tamen imminuitur singularis ejus laus & gloria. Non immerito ergo quum tanta producam bona si aliquorum etiam aliquando sim malorum causa, æquo animo ferri debebo: laudandusque magis ero ea ea vitium meorum parte quam tanta seu prosint, seu obsint conficio.

H

Quo circa si quis mihi etiam objecerit infinita alia, quæ propter me gravissima scelera committuntur, fatebor & ea pari modo.

Auri mala.

Scio equidem originem me esse omnium malorum, quæ mortales invicem machinantur, scio me præstare causam omnibus eorum obtrectationibus,

infimu lu

insimulationibus, proditionibus, furtis, concussionibus, compilationibus, jurgiis, contentionibus, litigiis, fraudibus, dolis, cavillationibus. Non sum ignarus propter me cives, vicinos, socios, amicos, domesticos, contubernales, necessarios etiam graves inter se dissensiones movere, affinem affini, fratrem fratri, filium etiam patri minas intentare: calumnias inferre, insurgere atrociter; & insultare egentem diviti, clientem patrono, hospitem hospiti, servum Domino. Insidiarum neque pœnarum, quibus publice plectuntur formidine ulla deterreri, spoliari viduas, vim pati pupillos, proculcari indefensos, opprimi innocentes, violari rapique res sacras, sacrarumque rerum custodes & ministros: permisceri omnia, turbari ac confundi, quicquid denique est odij, scandali, turbinis & tumultus propter me totum exoriri.

Quæ cuncta licet pessima sint, non alia tamen ea causa eveniunt, quam ob singularem quam innatam mihi habeo gratiam alliciendi, quosque amore meo afflandique in omnes summum mei desiderium: ut nemo sit, qui non me percupide quærat, videat, odoret, attractet, qui non totis viribus enitatur in meam venire amicitiam: qui non ad id omni cura, diligentia, studio, laboréque contendat. Ita passim omnes cujusvis sexus & ætatis magni simul ac parvi summam mei causam sollicitudinem generant, summa rapiantur inquietudine, summa ducantur anxietate: non fame & siti, non frigore & æstu, non gravi quavis frangantur fatigatione & molestia: qui quum tanta tolerent, tanta sustineant, nulli etiam pateant sceleri, nulli turpitudini, nulli nefariæ rei dum ad libidinem tantum suam magis me fruantur: tantaque est eorum, quo me agitantur, amoris insania, ut quum plurimos habeam quibus utar familiarissime, præbeamque me humanissime quotidie attractandum, ipsorum tamen invicem tam dirus & invidia fervens zelus inardescit, ut licet quisque mihi carus admodum sit & familiaris, non contentus tamen ea qua potitur mei parte, quærat cariorem se etiam mihi fieri ac familiariorem, aliusque quantum vitiorum suorum est à me procul excludere: cujus causa omnia conetur, omnia moliatur, & satagat, nihil omittat insidiarum, nihil insimulationis, nihil fraudis & calumniæ ut superior cunctis optata tantopere mea societate esse possit, atque id ut dixi dicamque repetens iterum efficit magnus ac ardens amor, quo in me allicio omnes non tam malos & improbos, verum bonos quoque & probos, licet naturæ quidem meæ sit horum non libenter conversatione uti: quos (ut plurimum aspernor) appropinquantes mihi longe fugio, præsertim quum probitati eorum bonarum artium doctrina conjuncta est.

Docti viri eas fere inopes.

Delectat me quippe magis societas seditiosorum, ambitiosorum, assentatorum, stupratorum, facinorosorum, ac quam maxime indoctorum: quos propterea etiam libentius suscipio in amicitiam meam: dulcius ducens frui eorum communione, capiénsque summam voluptatem dum recipior ab eis hospitio. Et si quando ingredior domum alicujus boni ac docti hominis, id evenit casu magis quam proposito, aliorum magis ductu quam sponte mea. Nam magnam mihi affert molestiam, & anxietatem illorum usus & cohabitatio, torqueórque maxime si diutiorem cum eis moram traho: id vero fit quoniam licet me ament, gaudeantque plurimum me apud se hospitari, non tanto tamen in me amoris ardore feruntur, quanto mali atque scelesti homines, diligunt enim me moderatius & tenuius, propéque dixerim languidius, quam illi, neque puto me diligerent hospitiúmque præstare dignarentur, nisi summam intelligerent se percipere ex mea præsentia jocunditatem & lætitiam, vitæque commoditatem, quod nimirum mihi longe grave, longéque molestum est, atque ideo juvat me magis versari cum illis. Qui licet pessimi sint, majore tamen efficacioréque me prosequuntur benevolentia: blandiuntur continue, arrident, favent, osculantur, amplexantur, contrectant, venerantur ac si Deus essem, omnia pro me factitant, omnia audent. Neque odia, neque minas, neque pericula ulla formidant, nulla illis pudicitiæ, nulla famæ & honoris, nulla vitæ & salutis cura omnino existit: Nihil est tam magnum excellens & reverentia dignum quod mihi anteponant: non animam propriam utique, quam millies etiam propter me quotidie venderent, id unum tantum curantes, in eo uno tantum studia omnia sua & opera exercentes, quam fidele mihi obsequium præstent.

Improbi fere cur divites.

In quo admonendi sunt qui discernere bonos à malis volunt, cupiúntque minime falsum de his judicium facere. Nam nulla difficilior res cognitu est quam homo utrum recta illi an prava mens sit. Ostendunt aperte cætera animantia vel mitem vel feram naturam suam: ut nemo sit qui non intelligat lupos, leones, tigres, serpentúmque monstra omnia rapinam nobis ac mortem intentare: hominem autem persæpe contingat immaniorem his etiam haberi atque rabiorem: ejusce modi esse ut non modo hominibus, sed & Deo insuper optimo atque maximo latentia sub alto corde execrandaque odia concoquat: cujus si vultum tamen inspicias, omnem præ se ferre videatur pietatem & innocentiam, cujus si sermonem, incessum, habitúmque consideres tantæ appareat austeritatis, religionis, ac sanctimoniæ, ut divinum dicas aliquod numen è cœlo descendisse. Sit vero quantumlibet difficile de hominum mentibus animisque judicium: Per me tamen fiet continuo facile, neque opus est ad eruendas, manifestandasque secretas voluntates, ubi ego adsim, tormentorum ullas pœnas adhibere. Quippe qui blando lenique commercio, quod nec ingenio, nec vi terroréve ullo alius posset; ego statim cujuscunque mores & naturam deprehendo, deprehensamque manifesto. Si igitur vere bonus atque integer quisquam fuerit diligit me quidem, vidétque ac cohabitat libenter mecum: sed modice tamen ac quantum jocundum, commodúmque sibi esse intelligit: neque propter me vim cuique & injuriam infert: nihil præsumit quod lædat jus, honorémque alterius, mavultque meo minus uti consortio, quam quicquam efficere quod sit honestati, pietatique adversum. Sin contra pravæ & corruptæ sit mentis, licet exterius simulachrum divinitatis esse videatur adeo me amat, ut præ amore ardeat, langueat, tabescat, propéque deficiat, nihil jam præter me cogitet, nihil animo verset: nihil præsentia & consuetudine mea beatius ducat, qui ut magis etiam assequatur omnem omnino si qua erat pristinam integritatem ac sanctitatem post tergum mittat: nihilq; sit tam triste, ferum, impium, quod non intrepide & audacter aggrediatur: nihil tam bona fide, promissum quod non frangat: nihil tam sancte juratum, quod non violet. Hunc calumnietur, illum expilet: alium opprimat penitus & extinguat: milleque modis jus, justitiamq; divina simulatq; humana omnia evertat: dum tantum copiam mei quam maxime sibi efficere queat: propter quod & hic mihi longe gratior est nisi me tamen occultat obscurioribusque locis pressum observatumque privet discurrendi libertate, qua delectat me tantopere à principio testatus sum, quod facere solent hi qui sanctiores aliis videntur, captivantes me quamprimum ac ad eos devenerim, neq; teterrimis, quibus me recondunt semper tenebris exire unquam aut in conspectum alicujus prodere permittentes. Ita ergo fit, ut qui optimus quidem omnium judicio esse videbatur, ubi tamen ego intervenerim periculum faciens hominis scelestissimus manifeste appareat: quodque intus latebat pestilentissimum virus manu mea leviter contrectante detegantur. Ita fit, ut qualiscunq; fuerit singulorum hominũ mens interius celata meo statim dulci ingenio manifestetur. Quanquam illud non debeo tacere, paucissimũ me illorum numerum comperisse, quos bonos & rectos vere possim appellare, quod moderata in me voluntate ac

fide

sine cujusquam iniuria seruantur: tantumque me ament, quantum par sit, commoditatiq; eorum conduceat. Nam alij quorum cupiditas, per fas & nefas in me rapitur; desiderióque mei nunquam satiari potest, pene innumerabiles, Infinitique sunt, quos cæco præcipitique amore meo correptos nec movet æquitas, nec reverentia continet, nec pudor revocat, non modestiæ & honestatis, non justitiæ & integritatis, non pietatis & divini vlla cultus ratio tangit: si qua forte antea fuerat æternæ alterius vitæ, providentiæque Dei cunctorum merita recte pensantis, tota penitus ex mente recordatio abolctur: adeoque invalescit malum, vt nullus sit tam honestus & probatus mos, qui non corrumpatur: nullum tam firmum, fixumque edictum, quod non infringatur: nulla tam sanctis rationibus sancita Lex, quæ non violetur: nulla tam prudenter & recte fundata iura quæ non extirpentur: nulla tam solidis radicibus primisq; ipsis annis ebibita cuiusuis nationis religio & secta quæ vbi spes mei effulserit, non propulsetur, perpulsataque euellatur, quæ non certo inflexibilique proposito abnegetur, abnegataque perpetuo contemnatur, neque ipsos excludo Iudæos, licet duræ cervicis, pertinacisque & obstinatæ semper sententiæ, esse consueverint; damnent autem hæc & accusent quicunque sint, dicantque dedecorosa nimis esse atque ignominiosa: quibus & carere longe magis dignitati meæ conveniret, damnent. Age quamtumlibet & accusent, nunquam tamen veritatem vllius rei reticebo, nunquam supprimam, nunquam occulam, nunquámque mala naturæ meæ sūt quo maior mei habeatur æstimatio, conabor abscondere, nitar obtegere: malens longe ex his carpi quam ex mendaci vlla & ficta dissimulatione proinde neque commandationes vllas, quas in me esse non sentiam, adscribi vnquam mihi patiar, nullis me fucatis laudibus, nullis falsis præconiis extolli sinam. Relinquo hæc nugatoribus: relinquo hæc & iis qui per hypocrisim immaculati omni ex parte, recti, pij, sanctique haberi cupiunt: qui vano tantum gaudent virtutis nomine: quum in arcanis pectoribus ingenti scateant immensaque scelerum fæce. Sunt igitur huiusmodi mores mei, sunt huiuscemodi naturæ meæ conditiones: sunt ita sane, neque vnquam ea diffitebor. Quæ namque sunt notissima omnibus quo pacto vnquam ausim negare? verum velim cogitet quisque de me vim magis & potentiam quam mores vllos meos aut naturam in deteriora proclivem. Neque enim, quod & ante à me dictum est, præsentis fuit vnquam instituti vt sanctitatis magis quam potestatis meæ bona summa commendarem. Quæ vtcunque sint nec me tamen ita omnis bonæ operationis vacuum esse dixerim, vt non & multorum sim auctor bonorum: de quibus longo satis supra sermone disserui: ita nunc bona, nunc mala, vt variæ se res offerunt, ingenti mea ac potenti virtute conficiuntur, in quibus vbi digne me intelligam laudem vllam & gloriam promereri, vbi cognoscam palmam mihi merito deberi, nemo credat passurum me quantum possim à quoquam iuri meo vim inferri. Capiant siquidem & me laudes meæ: sed hæ tamen quas opera manifesta declarant, delector honore, delector & gloria: sed ea tamen quam facta magis quam dicta aperte demonstrant. Quare amplius pergam, attingamque alia quibus quantum valeant vires meæ, quantum operentur manifestiusque demonstrabitur, non multi faciens bona ne sint an mala: adiumento ne an nocumento nocens: tantum vt quanta sit vis & potestas mea ostendam omnibus atque patefaciam. Itaque vt quæ dicenda sunt persequamur. Cogitate per animos vestros vilissimum quempiam, stolidissimum, ignauissimum, improbissimum, quam primum me contubernio illius coniunxero, cœperoque cum eo habitare, ita vt summam eum mecum familiaritatem contraxisse omnes intelligant, tanta impleo eum gratia, vt quocunque incedat passim illum quisque salutem dicat, veneretur, blande excipiat, de via ei decedat, caput aperiat, obsequatur, rogatus præsto adsit, iniussus etiam vltrò adveniat, quicquid dixerit laudetur, quicquid egerit ac si auctor ipse sapientiæ videatur in omnibus commendetur: quum riserit ab invitis etiam arrideatur; quum tristatus fuerit, tristitiæ quoque & mœroris simul signa ostendantur, quum domi autem sederit inuisatur, frequentetur, expectetur, sæpiusque donetur. Contra vero sit doctissimus, sit prudentissimus, sit genere atque omni virtute præstantissimus. Porro rerum quoq; sit sperni eum à me ac abiici: spernetur vtique ab omnibus ac abiicietur, nemo ei salutem, nemo reverentiam, nemo obsequium exhibebit: nemo laudabit, nemo commendabit: plerumque autem digito medio demonstratus tanquam fatuus, nominabitur. Verum fac vel locationis, vel emptionis, vel hæreditatis causa vlla in iudicio versetur, quam persequatur is cum quo magnam habuero amicitiam & sodalitatem, foueat summam quamtumvis iniustitiam, sit ratio ei omnis adversa, sit nulla spes ei prorsus victoriæ tanta tamen est vis mea, tantum vendico apud omnes auctoritatis, vt quotquot velit adiutores defensoresque causæ suæ intuitu meo præparatos paratos semper inveniat: quin & ipsum qui iudicaturus, ab omni proposito atque animi sententia, vbi auribus eius insonuerim, divertam. Faxo denique nullus ei fauor, nullum adminiculum, nulla animorum voluntas & consensus desit. At parua hæc videbuntur comparatione eorum quæ maiora per me huiuscemodi homines consequuntur. Nam si dignitatis munerisue alicuius publici in mentem ascendat ambitio: habeantque competitores quantalibet virtute generisque & doctrinæ claritudine præstantes, ingenti tamen fauore quo meo omnibus eos gratos, acceptos, dignosque facio ad rem optatam prospero felicique ipsos fine perduco, augens eos omni quem appetunt honore, omni gloria, omnique successu, inclinans in eos totius plebis, totiusque senatus animos, concilians eis iuvenes pariter ac maiores natu: impiens denique eos omnes amore & benevolentia; provehensque ita paulatim ad maius etiā status culmen, ad maiorem in dies inter populos auctoritatem: vt quicquid dixerint, senserint, probauerint, tanquam prætoris edictum: vel sanctio aliqua imperatoria suscipiatur. Nec minus in Principum eos amorem induco, quibus ita caros reddo, vt præ omnibus aditum apud illos, non longiore expectatione fatigati, mereantur, habeant quantam velint dicendi libertatem, extollendi amicos, deprimendi inimicos, impetrandi quæ optant; consequendi quæ desiderant. Quos si indignari odioue aliquo moveri contigerit, tantum possum cum ministris ipsorum, cum his qui continue ipsis assistunt: quos tanta allicio suavitate blandi tactus mei; tanto imbuo vigore meo, vt tam crebras de his habeant commendationes, tales proferant laudes, quibus reconciliati demum principes in amorem eos & gratiam optimam recipiant. Ipsos quoque inter se Principes tantum alterum alteri præeminere faciam, vt qui quum maior mihi & frequentior fuerit conversatio, illi ego subiiciam aliorum regna: & si non subiiciam, maiori saltem apud omnes venerationi iubeam esse atque terrori. Quorum tandem quum ostenderim statum, vitam, mortemque in manibus meis constare, nemo etiam non magis excelsas, gloriosasque vires meas admirabitur: Videtis enim quantis præsidiis muniunt civitates suas, quibus circundant muris, quibus sæpiunt vallis & fossis, quam alias extruunt turres, quam ingentes & munitas, atque inaccessas condunt arces ad conservationem, defensionemque regni sui: ad propellendam vim, arcendosque hostium impetus. Verum quas nulli enses & lanceæ, nullæ adhibitæ machinæ, nulla armata acies, nullum robur exercitus, nullus terror belli. Ego sine vllo impetu, sine vllo tumultu placida tantum & leni manu mea occupabo, subiiciam, inducamque in eas hostes, eripiamque de propriorum dominorum potestate: Quos si velim insuper extingui, vel veneno, ferro deleri quoque penitus cum stirpe eorum, faciam: aut si maluero, ipsosmet etiam in manibus hostium tradam. Sed piget tristiora

Iudæi vsuris dediti.

hæc

Senec.

hæc commemorare: referamus si qua sunt jocundiora. Afferatis mihi hominem quem longo vultis senio gravatum; laboret podagris, laboret & langnore stomachi, mille eum opprimant morbi, capiatur autem desiderio copulandæ sibi vxoris, nulla erit tam putida anus, tam vilissima lotrix, quæ illi se commiscere velit. Ast ego admirabili & præpotenti vi mea tantum operabor, vt adolescentulæ alicujus & quidem nobilissimæ, ac formosissimæ, conjugio potiatur. Neque enim secus efficiam vbi fœmina se conjungi viro cupiat, sit quantacunq; ætate confecta, sit gutturosa, sit edentula: scateant oculi continuo humore lachrymarum; ego tamen illi juvenem vtique forma & genere insignem, qui minime eam dedignabitur, connubio jungam stabili propriamque perpetuo amore sociabo. Proferrem & aliud summæ potestatis meæ non minus admirabile monumentum, sed vereor ne aliquos astantium severiores fortasse offenderē, propterea quod aliquāto sit festivius quā honestatis ratio patiatur. Quoniā vero ita intentos in me omniū animos conspicio, vt nihil jam cuiquam molestum dici ex me posse intelligam, securo id qualecūque erit animo exponam. Nota quippe est adolescentium natura in libidinem longe proclivis & præceps: quæ tanta fertur aviditate atque ardore vt nihil æstimet laboris, nihil detrimenti aut periculi, quo vota sua implere atque exsatiare possit. Confingat vero quempiam incendi amore austerioris alicujus fœminæ, quæ neque verbis, neque blanditiis ejus vllis quoquam modo permoveatur, quæ nihil eum curet penitus: ac si quos viderit sui causa per diem ardentissimos æstus, vel per noctem gravissima frigora, ac pluvias ferre nihili faciens rideat, sinatq; torqueri eum, anxiari, consumi, tristissima etiam quavis morte deficere, nulla prorsus sit ei spes implendi desiderij sui: Ego tamen quotiescunque animo decreverim, non dubitabo durissimæ mulieris mentem inflectere; liquefactisque ceris etiam molliorem reddere callidissima arte mea, suavissimóq; quod in eam afflabo spiraculo meo: tantúmque potero facundissima mea exhortatione, vt juvenem jam diu fatigatum non modo libenter ad se recipiat, sed insuper quocunque jusserit tanquam ferrum magnes eum subsequatur. Commoveri video omnibus risum: quanquam digna non minus hæc admiratione, quam risu judicio meo videantur. Sed audite aliud etiam risu dignius. Nostis magnæ esse æstimationis & auctoritatis eos qui Remp. administrando præsunt majoris longe etiam qui Antistites sunt civitatum, gubernationemque sibi commissam habent populorum: conducereque plurimū publicæ honestati simul atque vtilitati, vt his doctissimi præficiantur homines, optimi, atque prudentissimi. Verum si mihi in animum venerit tantum valebo opera mea: vt qui nec literas syllabis sciat coaptare: qui vel coquinariam, vel Libitinariam etiam artem semper exercuerit, constituatur amplissimæ cujusvis civitatis rector. Efficiam insuper quod magis est, vt qui ad nihil aliud quam vel ad concinnandas lampades, vel ad tintinnabula idoneus fuerit, clarissimæ alicujus ac maximæ civitatis præsulatum assequatur, deferantque proinde ei omnes, supplicent, manus osculentur, inclinent se ac genu flectant. Quid his amplius quæritis, quid his majus expectatis? quid restat jam nisi vt pugnantia adversus naturam miracula aliqua de me proferam, vt mutorum linguas dicam me absolvisse, vt cæcis visum, claudis gressum, mortuis vitam restituisse affirmem. Quod ex me nemo vnquam audivisse vlli narrabit, nam vt memini me ante protestatum fuisse, non capior ego mentis laudibus, non falsis ego præconiis delector: nihil ego quod non oculis ipsis videri, quod non manibus ipsis tangi possit de me prædicabo. Quæ si tanta sunt quanta iam satis supérque supra demonstravi: audebit ne Sol intellecta jam tanta rerum majestate: audebit ne vires vnquam suas meis conferre: audebit ne de palma vnquam mecum contendere, de Terra nihil dico: cujus tacitam jam dudum victoriæ meæ approbationem vel vultu ipso percipio, sed exurgat Sol, exurgat: & si quidquid mihi opponat habet, rogo ne quicquam prætereat: Exurgat age cum radiantibus comis suis, & proferat in medium, si quid illi fortasse superest quo gloriam meam deprimere, suam vero confidat extollere atq; exaltare posse. Hæc quum Aurum peroraret, perorantique omnis astantium turba communi assensu favere, palmamque deferre videretur: pergeret autem proinde etiam lætiore animo & alia quæ restabant dicenda se accingeret, contraxit Sol radios suos, perfundénsque primum rubore totum aera, pudorem, quem animo conceperat, aperte demonstravit: tum caligine illum & tenebris involvens confusum & convictum fortissimis Auri rationibus non expectata etiam vlla judicis sententia manifeste declaravit.

Iuvenis procus.

F I N I S.

BESSARIONIS

EPISC. TVSCVLANI, SANCTÆ ROMANÆ Ecclesiæ Cardinalis, Constantinopolitani Patriarchæ: De Sacramento Eucharistiæ, & quibus verbis Christi corpus conficiatur.

EX TOMO I. DISSERTATIONVM P. P. Labbe S. I. in Bellarminum.

Bessarion, patriâ Trapezuntinus, ex Monacho S. Basilij Archiepiscopus Nicenus, tum Patriarcha C. P. & S. R. E. Cardinalis, creatus ab Eugenio IV. Papa post absolutam anno 1439. Synodum Florentinam. Reversus ex Gallicana legatione, obiit Ravennæ anno 1472. ætatis 77. & Romæ sepultus in Basilica SS. Apostolorum, de eo multa multi. Ex operibus quæ à Trithemio & aliis recensentur, habes hic librum de Sacramento Eucharistiæ, & quibus verbis corpus Christi conficiatur.

Porrò in Concilio Florentino habentur duæ ejusdem Orationes cum longissima Epistola ad Alexium Lascarium, quæ hic omittuntur, sicut & alia quædam tum Philosophica tum Theologica, quæ alibi excusa reperiuntur.

De eodem Bessarione, vide Italiam Sacram tom. 1. in Episcopis Tusculanis, pag. 278.

Sacrum Divinumque est Eucharistiæ mysterium, per quod filij Dei, & hæredes, & cohæredes, ejusdem cum Domino corporis efficimur, cum digne eo participamus. Sed quæri inter Christianos solet, quibus potissimum verbis, intra solennes Missarum ritus, sacrosanctum Domini Corpus & Sanguis conficiatur. Alij enim hoc facere alia existimantes, Latini Ambrosium, Augustinum, Gregorium, aliósque Doctores suos secuti, cùm doctrina, tum vitæ sanctitate præstantes, illa Domini verba id facere manifestissime asseverant, Hoc est Corpus meum, & Hic est Sanguis meus, vanamque prorsus sine iis esse rationem Sacerdotis opinantur. Græci vero, præsertim recentiores, cum Iacobo fratre Domini, Basilio, & Chrysostomo sentientes, singularis exempli & sanctimoniæ viris, non illis Salvatoris

nostri

nostri verbis Christi Corpus & Sanguinem confici potant, sed quibusdam quæ sequuntur precibus Sacerdotum. Quæ in Missarum officiis, quæ singuli quique eorum composuere, diu post recitationem verborum Domini, quæ supra memoravimus, adhuc panem & vinum oblata Deo munera appellant, & Spiritum sanctum, vt super ea descendat, benedicat, sanctificet, ac Corpus & Sanguinem Domini efficiat, invocant & precantur. Cum talis itaque tantaque sit de re maxima inter Latinos Græcósque dissentio, siquidem inter præsentes tantum ac nostræ ætatis viros controversia foret, facilius de iis posset quivis pro sua opinione disserere Cum vero inter communes Ecclesiæ Doctores, veterésque, & sanctissimos patres nostros contentio agitetur (ij sunt enim qui & dissentire invicem, & vt alij quoq; dissentiant, facere videntur) ipse me inter eos arbitrium constituere haud temere præsumpsissem, nisi me & justè precantium petitiones, ac cupido vtilitatis nostrorum hominum, quorum salutis & gloriæ semper avidissimus sui, ad id mei ipsius oblitum compulissent, & illos inter se concordes reddere, divino fretus auxilio sperarem. Vt igitur rectè nostra procedat oratio, & veritas rei quam quærimus, facilius elucescat, aliqua altius repetenda sunt, antequam institutæ quæstionis seriem aggrediamur. Ante omnia igitur sciendum est, tam hoc sacrosanctum Communionis, de quo agimus, quam cætera Ecclesiæ sacramenta ideo sacramenta vocitari, quoniam aliud in se habent quod videtur, aliud quod non corporis oculis, sed solo intellectu complectitur. Quæ videntur, sensibilia sunt, quæ vero intellectu percipiuntur, spiritalia, vnde Spiritus & vita dicuntur. Verba autem quæ dixi vobis, inquit Dominus, Spiritus sunt & vita. Horum prætcrea sacramentorum singula quæque duobus accipiuntur modis. Aut enim sacramentum signum est, aut id quod significatur.

Primum quidem signum tantummodo, & est & dicitur.

Secundum vero res est, quæ eo signo significatur: Omnis enim Theologica doctrina, teste Augustino, signis constat & rebus, & res quidem sunt, quæ vt significatæ accipiuntur, signa vero, quorum omnis in significando est vsus. Etsi enim omne signum, res sit (nam q[illegible] res, vt idem August. inquit, nihil omnino est [illegible] signum esse non potest) hoc tamen loco signum a[illegible] non vt res significata, sed vt signum rem ipsam significans, quatenus scilicet signum est, & non quatenus res aliqua est. Quemadmodum cum ascendentem cernimus fumum, non quatenus substantia aliqua sive res est, sed quatenus solum est signum ignis, signum esse dicimus, quia substantia & res aliqua est. Nam omne quidem signum res aliqua est, non tamen omnis res alterius rei est signum. Sunt enim res aliquæ duntaxat vt significatæ, non autem vt signa aliquid aliud significantia, quod in aliis sacramentis facile comprehendi potest.

Etenim in sacramento Baptismatis ablutio carnis per aquam ita est sacramentum, vt duntaxat signum sit ablutionis peccatorum. Ipsa enim peccatorum remissio res est significata, nihil vltra significans. Hoc idem in reliquis sacramentis. Ergo & in sacramento Eucharistiæ, alterum est solum signum, vt panis & vini visibilis species: alterum res significata, vt ipsum verum Domini Corpus & Sanguis, quod ex immaculatis beatæ Virginis sanguinibus assumpsit. Verum boc proprium habet præter alia divinum hoc sacramentum Eucharistiæ, quod in eo res significata alterius etiam rei signum est. Ipsum enim verum Domini Corpus & Sanguis, cum res sit signo panis & vini significata vt mox ostendemus, est tamen alterius rei signum, cum significet mysticum Christi corpus, & Ecclesiæ in Spiritu sancto vnitatem: hoc vero non amplius aliam rem significat, sed tantum significatur. Ita fit, vt visibilis simul ac sensibilis species panis & vini, duplicis rei significatrix sit: significat enim & verum corpus Domini, & res significata & signum sacrum est, mysticum Ecclesiæ corpus. Quare panis & vinum signum est duntaxat, ipsum autem verum Christi Corpus & Sanguis, quod sub vmbra tegitur panis & vini, significatum quidem à pane & vino, significans autem mysticum Ecclesiæ corpus, & res est signum: mysticum vero ex vtroque significatum, res tantum est, nec vltra alterius signum. Præterea quod tantum signum est, duarum rerum est signum, veri scilicet & mystici corporis. Quod autem res est, & non amplius signum, duorum sacrorum signorum res est, hoc est visibilis speciei panis & vini, & veri in eis contenti corporis Domini. Verum autem corpus & sanguis, si ad alterum aspicias invisibile sacramentum: res est; si ad mysticum corpus est signum, rursus primum quidem quod signum tantummodo est, oculis subest. Secundum quod res est signum animo exceditur.

Tertium quod res sola est, corde percipitur. Ad hæc primum quidem non modo significat, sed etiam continet secundum. In specie enim panis & vini, veritas corporis & sanguinis continetur, cum in illa substantia panis vinique muretur. Tertium vero quanquam significet, non tamen continet. Hæc cum verissima sint, illud etiam sequitur, ex iis qui divini corporis participes fiunt, alios quidem sacramentaliter spiritualitérque participes fieri, quales sunt qui digne communionem accipiunt, alios vero sacramentaliter, & non spiritaliter, ij sunt qui indigne communicant: sumunt enim verum corpus Christi, non tamen sacramenti effectum accipiunt, nec Christo vniuntur. De iis, inquit Apostolus, quod judicium sibi manducant, & bibunt. Non enim judicium & condemnationem manducarent & biberent, si spiritaliter communicassent imò jam Christo vnirentur. Sunt alij qui & si non fiunt sacramentaliter participes, spiritaliter tamen communicant, quemadmodum si vel infans post baptismum, vel ætate provectus, nondum ob aliquam inevitabilem necessitatem, recepto Christi corpore, repentinâ morte deficiant. Nihil enim minus sacramenti participes fiunt, quam si communionem cepissent: fiunt enim membra Christi, & regni cœlestis hæredes. Hæc igitur cum omnibus manifesta sint (quis enim neget, ex his, qui communionem sumunt, alios quidem nullam gratiam: imò vero pro gratia judicium & pœnâ, alios vero gratiam largissime consequi: quosdã etiam sine cõmunione, dummodo id non contemptu, vel negligentia, sed necessitate fiat. divinam mereri gratiam?) Cum inquam, hæc adeo clara & perspicua sint, tripartitam hanc divinorum sacramentorum distributionem veram & necessariam esse probant; ex his sequi videtur Christi quoque corpus duplex esse, verum alterum, alterum mysticum. Et verum quidem est, quod in hoc divino Eucharistiæ sacramento consecratur atque conficitur, sub visibili specie panis & vini. Hoc idem est cum eo corpore quod fuit ex beata Virgine Spiritus sancti obumbratione conceptum. De quo ipse Dominus in exhibitione Sacramenti, cum nobis sensibilem panem vinúmque ostendisset, ait: Hoc est corpus meum: &, Hic est sanguis meus; deinde addidit, qui pro vobis traditur, & qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. Mysticum autem ejus corpus est Ecclesia, & congregatio fidelium. Hanc enim negare corpus Christi nemo ausit, præsertim audiens Apostolum dicentem: Ecclesiæ caput Christum esse, Caput enim sine membris non esse caput: quapropter membra Christi nos sumus, & caput nostrum est Christus. Vnde clamat Apostolus: Vos estis corpus Christi & membra ex parte. Et rursus: Panis quem frangimus, nonne communicatio corporis Domini est? Et iterum: Vnus panis, ait, & vnum corpus multi sumus. Et reddens ejus rationem addit: Omnes enim ex vno pane participamus. Quæ verba dum exponere nititur Chrysostomus noster: Ita, inquit, quid dico communionem; ipsum illud corpus sumus. Quid enim est panis,

nisi

nisi corpus Christi ? non corpora multa, sed corpus unum. Quemadmodum enim panis ex multis constans granis, ita compositus est, ut nusquam grana videantur, & sunt quidem grana: sed propter conjunctionem nullo discrimine discernuntur: Ita nos quoque & invicem in Christo conjungimur. Damascenus quoque ubi de sacrosanctis mysteriis tractat. Honoremus, ait, Christi corpus omni animi corporisque puritate, duplex etenim est. Augustinus etiam Occidentalis Ecclesiæ lumen: Quemadmodum, inquit, ex multis granis unus conficitur panis, & ex racemis multis unus calix exprimitur, sic ex multis fidelibus unum corpus mysticum integratur. Enimvero sicut ex multis membris & partibus unumquodque corpus constat: ita Ecclesiæ unitas ex diversis personis conficitur, videlicet ex præscriptis, prædestinatis, vocatis, justificatis, & glorificatis. Quos enim præscivit Deus, hos & prædestinavit, & quos prædestinavit, hos vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit, & quos justificavit, hos & glorificavit, inquit Apostolus: Efficiens vero hujus mystici corporis, est ipsum verum Christi corpus & ejus communicatio, si digne fiat. Quod significant verba illorum qui dicunt: Oramus ut hoc corpus tuum præstet participantibus sobrietatem animæ, remissionem peccatorum, communionem tecum. Quid enim aliud est communio, quam unitas cum Christo annexio membrorum ad caput, convenientia partium ad totum: Unde & communio vocatur proprie hoc sacramentum. Et Synaxis apud Dionysium dicitur, hoc est collectio. Colligit enim quæ apud se distant, & multa unum facit, & dissimilia æquat, & in unum sparsa reducit. Quamobrem idem Damascenus eo quo supra memoravimus loco: Communio, inquit dicitur, & est ideo, quia per eam communicamus cum Christo, & carnis divinitatisque ejus participes sumus, & invicem conjungimur atque unimur. Cum enim ex uno pane participamus, omnes unum Christi corpus, & unus sanguis, & membra, alter alterius, ejusdem cum Christo corporis efficimur. Et rursus ibidem: Per Christi corpus & sanguinem purgati, unimur corpori Domini & spiritui ejus, & corpus Christi efficimur: Unde & Messias, seu Mediator, & lapis angularis dicitur Dominus, quasi conjungens extrema, & uniens divisa. Mediator unius non est, sed duorum, inquit Paulus: lapis angularis duorum parietum vinculum & conjunctio est. Post hæc illud quoq; tertio loco addendum est, quod verbū Dñi corpus & veritas est figura. Siquidem ostensum est quēadmodum panis & vini visibilis species, figura, seu signum est veri, & in eis contenti dominici corporis, corpus verum figuram mystici & Ecclesiastici esse. Ad hæc verum Dñi corpus quod in altari consecratur, futurorum figurā dici, Damascen. eo quo supra memoravimus loco, testatur. Significativa, inquit futurorum dicuntur, non quia verum sint corpus sanguisq; Christi verus, sed quia nunc quidem per illa divinitatis participes efficimur, tunc vero per intellectum sola visione fruemur divinitatis. Quod apertius & Gregor. dicit, quod nunc quidem participamus corpus & sanguinem sub speciebus panis & vini, tunc autem clara visione, & sicut vere est, videbimus illud. Cavendum autē, ne quis propterea quod Eucharistiæ mysterium figura esse dicitur, dicere aut omnino suspicari audeat, non esse verbum Dñi corpus. Absit tanta blasphemia à fidelium mētibus. Hoc modo & speciosa mors ejus non esset vera mors, quod partim ablutionis delictorum nostrorum, partim justificationis nostræ figura sit. Vas namq; electionis est, qui dicit: Christus mortuus est pro peccatis nostris, & resurrexit propter justificationē nostram. Et Petrus: Christus passus est pro nobis relinquēs nobis exēplum. Mors igitur Christi mortis nostræ secundum peccatū, & resurrectio ejus vitæ nostræ per justificationē, juxta primariorum Apostolorum sentententiam, exemplum & figura fuit: Nec tamē adeo mors & resurrectio ejus nō fuit vera mors & resurrectio: est igitur Eucharistiæ sacramentum, & veritas, & figura, ex quo nihil absurdi sequi videtur. Etenim ipsum quoq; Sacramenti nomen nihil significat aliud quam figurā alicujus & signum alterius. Siquidem sacramentum tectum mysteriis secretúmq; esse decet, & aliud extrinsecus præ se ferre, aliud habere quod intelligatur intrinsecus. Neminem autem conturbare debet nomen istud figuræ, nec id quod ait Damascen. panis & vinum non est nisi figura corporis & sanguinis Christi. Absit, sed ipsum corpus Domini deificatum, ipso Dño dicente, Hoc est corpus meum, & non figura corporis mei: & hic est sanguis meus, & non figura sanguinis mei. Primò enim panis & vini nomine, non ipsam visibilem speciem panis & vini, sed substātialiter trāsmutatā in corpus & sanguinē intelligit. Deinde figuram hoc loco intelligit umbram illam, quæ nihil aliud præter quam figura est, simpliciter aliud significans, nullam omnino faciendi vim & potestatem habens. Quemadmodum Sacramenta veteris legis, novi Testamenti Sacramentorum figura fuerunt, ut circumcisio baptismatis, sanguis hircorum & vitulorum dominici sanguinis in arca crucis effusi, & serpens pendens in æreo corporis Dñi in cruce pendentis. Verum illa quidem figuræ tantum erāt, & aliorum significativa, non effectiva, & sacrorum quidem significativa, non ipsa sacra. Nostra vero non modo significativa & figuræ salutis sunt: verum etiā salutifera, hoc est effectiva salutis, ipsáq; sacra, & sacræ sacrarum rerum figuræ. Hoc enim interest inter veteris & novæ legis Sacramenta, quod illa quidem duntaxat significabant salutem, hæc etiā præbent, & illa quidem non sacra, sed sacrarum tantummodo rerum significativa: hæc autem & significativa sacrarum rerum atq; effectiva sunt, Hinc S. Hilarius ait: Corpus Christi quod in Altari participamus, figura quidem est, quatenus panis & vinum exterioribus apparet sensibus, veritas autem est, quatenus corpus & sanguis in veritate corde creditur. Et Augustinus, Christi corpus, inquit, & veritas & figura est: Veritas quidem, in quantum virtute spiritus ex substantia panis & vini corpus efficitur: figura vero est illud quod exterioribus sensibus subjaceat. Nos itaque figurā hoc loco ita accipimus, quæ scilicet quo ad sensibiles species panis & vini, aliud dūtaxat significet quo ad verum corpus Christi, & aliud significet, & tamen veritas sit. Quemadmodum Damascenus quoque, sicuti paulo ante memoravimus, veteres secutus Doctores, verum corpus & sanguinem Christi figurativa futurorum nominavit. Ubi enim figurativa dixit, & figurā sine discrimine dicere potuisset, sed omnis ratio tripartita. Primum enim conabimur ostēdere divinissimū corpus Christi & sanguinem, nullis aliis verbis, aut Sacerdotum precibus confici, quam iis quæ supra memoravimus Domini verbis: Hoc est corpus meum; Et, hic est sanguis meus. Post hæc Sanctorum Ecclesiæ Doctorum ac Patrum nostrorum unam, & eandem esse sententiam declarabimus. Postremo quæ huic opinioni adversari videntur, duce Domino, cujus res agitur, dissolvemus. Quod igitur impossibile sit aliis quam dominicis verbis Eucharistiæ sacramentum cōfici evidentissime & luce clarius apparet. Enimvero nemo est quem lateat, quemadmodum panis & vini corpus & sanguinem Christi in instanti facta trāssubstantialitas, humanam omnem facultatem excedit, ingénsque opus est, & certe divinum: ita etiam hujus sacramenti efficientia verba, instar ipsius sacramenti, eximiæ cujusdā virtutis esse debere. Christi vero divinis verbis, nihil esse potentius, nihil efficacius esse posse manifestum est. Quāobrem fateri necesse est, dominicis illis verbis, & nullis aliis divinum hoc sacramentum confici posse. Nec enim divinissima per divinam potentiam confici negaverit quispiā, nec verbis Christi nihil omnino efficacius est. Cum non modo homo, verumetiā Deus sit, creatórq; omnium, qui solo nutu cuncta produxit, qui verbo ægros curavit, mortuos suscitavit, cæteráque miracula fecit, quæ in Evangeliis recitantur. Præterea humanæ preces, tunc quod orant facillime

consequuntur, cum id meritæ sint, & ab benemeritis edunt tur. Atqui panis & vini in corpus & sanguinẽ transmutatio, non petentium meritis, sed ejus potentia qui ex nihilo cuncta produxit per Sacerdotem, tanquã per instrumentum quoddam efficitur. Vnde non minus ab indignis Sacerdotibus atq; perversis, quam à bonis sanctisque consecratur. Ex quo manifestum est, non orantis sanctitatem, sed ipsum Dominum propriis suis verbis, à Sacerdote prolatis, panem & vinum in proprium corpus transmutare. Nam si humanæ preces hoc possent, potius virorum bonorum preces, etsi non Sacerdotum, quam pravorum Sacerdotum hoc divinum opus efficerent. Atqui indecens esset, atq; ab humana salute alienum, existimare tantum Sacramentũ à re dubia dependere: quippe dubium atq; ambiguum est, an preces, ac supplicationes nostræ Deo acceptæ sint futuræ: ex quo fieret, vt & salus nobis virtute hujus mysterij expectata dubia foret. Quod ne accidat: imò salus nostra, quam dignè participantibus hoc Sacramentum præbet, certa atque indubia sit, necesse est dominicis verbis dumtaxat, & nullis aliis tantum confici Sacramentum. Ad hæc præcipue quidem nostra non perficimus de nobis, sed tantum modo rogamus vt perficiatur Sacramentum. Verba vero, quæ hoc divinum corpus operantur, efficientia Sacramenti esse debent, non vt conficiatur deprecantia. Ergo non nostris verbis quæ non conficiunt, sed vt conficiatur, orant, tantum opus tribuendum, sed verbis Dominicis vere conficientibus eo modo quo Dominus ipse per eadem verba, vt legitur in Evangelio, consecravit. Præterea verba Domini proferuntur a Sacerdote, tanquam potestatem habente ea perficiendi quæ ipsa verba significant. Precibus vero suis potestatem petit idem Sacerdos tanquam nondum habens, at enim melius certiũ que res ab eo potestatem habente, quam à nondum habente sed vt eam habeat, rogante, perficitur, faciliusque id agit qui jam potest, quam qui posse se sperat. Non igitur supplicibus Sacerdotum, sed enunciativis Domini verbis effici credendum est hæc sacra mysteria. Item dum rogit Sacerdos, aut petit obtinere potestatem conficiendi mysterij, aut non: si petit, non igitur inerat Sacerdotis precibus ea potentia: quis enim peteret quod jam tenet? quod si non petit, frustra rogat. Quapropter non ipsas Sacerdotum preces, sed Domini verba Eucharistiam conficere manifestum est. Adde quod verborum quæ hæc mysteria cõficiunt, nulla diversitas, nulla mutatio esse debet: vna enim cujusque & immutabilis est, qua mutata totum etiam mutatur. Vnde Matthæus & Lucas, & cum iis Apostolus Paulus, cum hujus Consecrationis mentionem faciunt, quæ à Salvatore nocte qua tradebatur, perfecta est, eadem verba omnes eodem modo pronuntiant: quamvis & in superioribus, & in sequentibus diversi, diverso modo sunt locuti. Hic pariter omnes dixerunt: Hoc est corpus meum, &, Hic est sanguis meus. Preces vero & supplicationes Sacerdotum, quibus nonnulli existimant hoc mysterium confici, alias apud alios, & longe quidem diversas esse videmus. Alij enim optando, alij imperando id agunt. Siquidem Clemens & Iacobus, rogamus, inquiunt, vt mittas Spiritum sanctum tuum super hoc sacrificium, qui efficiat hunc panem corpus Christi tui, & quod in hoc calice est, sanguinem Christi tui. Iacobus vero, rogamus, inquit, vt Spiritus sanctus adveniens sancta, bona, atq; gloriosa ejus præsentia sanctificet, & faciat hunc quidem panem corpus sancti Christi tui, & calicem hunc pretiosum sanguinem Christi tui. At magnus Doctor Basilius, rogamus, inquit, vt veniat Spiritus sanctus tuus super nos, & super hæc proposita munera, & benedicat ea, sanctificet & faciat, hunc quidem panem, ipsum preciosum corpus, & vinum preciosum sanguinem Domini, & Dei, & Salvatoris nostri Iesu-Christi, qui effusus est pro mundi vita. Divinus autem Chrysostomus: Emitte, ait, Spiritum tuum, & hunc panem preciosum corpus Christi tui, quod vero in hoc calice est, preciosum sanguinem Christi tui, transmutans ea Spiritu tuo sancto. Cum igitur tanta sit in iis differentia atque varietas, verba autem Sacramenti efficientia, immotabilia esse debeant, profecto non illa, quæ alia apud alios sunt, sed hæc Domini verba, quæ apud omnes eadem sunt, & ab omnibus eodem modo proferuntur, tanti mysterij formam esse, & iis tribuendum esse perficiendi potentiam manifestum est: per ea enim fit, vt sit quod est. Illud quoque considerandum est, ea esse alicujus rei efficientia, per quæ res illa ad esse producitur, ab aliisque distinguitur: hujus autem divini mysterij nulla alia, quam verba Domini efficientia esse videntur. Ergo ipsa dumtaxat, & non Sacerdotales preces tantum opus conficere dicenda sunt. Hujus canonis prima quidem pars per se ipsa nota est, quare ea omissa minorem probabimus. Ipsum certe consecrationis opus, & per consecrationem efficitur sacrum mysterium in extrema prolatione verborum conficientium, quæcunque illa sint, & in instanti fit. Siquidem panis & vini substantia in sua permanet natura, donec omnia illa quæcunque sunt, quæ Sacramentum perficiunt verba dicantur: Quibus dictis mox consecratio fit, transsubstantialis perficitur, consummatur Sacramentum quod & de baptismate beatus Augustinus ait: [a] Tolle, inquit, verba, & quid aqua nisi aqua: accedat verbum elemento, & efficitur Sacramentum. Vnde tanta potentia aquæ vt cum tetigerit corpus, purget cor, nisi ex eo quod verbo hoc facit? Cum igitur manifestum sit, per verba hoc Sacramentum confici, decetque ad hanc ex substantia in substantiam transmutationem, similitudinem aliquam habeant, eique conformia sunt. Vnde quoniam in hac transmutatione tria hæc esse necesse est, terminum à quo, terminum ad quem transmutatio ipsa fit, & modum ipsius transmutationis, quæ omnia illa significant, talia vero esse verba Domini facile probatur. In iis enim continetur terminus à quo, non verbum hoc; nam nisi in ea esset terminus à quo, non esset transmutatio; at in ea de substantia in substantiam transmutatio fit. Hunc igitur terminum significat illud hoc: simili modo terminus ad quem iisdem verbis inest; nam sine eo termino non esset transmutatio, sed potius corruptio, si non in ens, sed in non ens mutaretur, hunc vero terminum dupliciter considerare possumus. Aliquando quidem ipsum corpus & sanguinem intelligentes, in quæ substantialitas fit; & hoc significatur cum dicitur, corpus & sanguis: aliquando vero id considerantes, vt hæc transsubstantialitas determinata & particularis sit & vna. Quemadmodum iis etiam quæ per artem fiunt, sunt, vna cujusque forma & species est: ita etiam vnius operationis vnus effectus est, propter quod additur meum. Tertium vero atque postremum, per quod modus transsubstantialitatis exprimitur, satis apte exprimitur per verbum est. Quod enim in instanti fit, jam non futurum, sed quasi factũ, & jam plane existens, non imperativo, non optativo, non cujusvis alterius modi verbo, nec futuro quidem tempore, quæ dubia sunt, nec id quod est, sed quod futurum est, quod etiam non fieri posset, significat, sed ipso verbo est, temporis præsentis, & modi indicativi, quod ipsum jam esse significat, sufficienter exprimitur: imò vero dumtaxat hoc modo exprimi potest, & non aliter. Hæc igitur adeo omnia in hac naturali transsubstantialitate necessaria, cum nullis aliis, præterquam dominicis verbis contineantur, sicuti ostensum est, profecto existimare cogimur, atque fateri, illa ipsa efficientia esse tam sacri mysterij, quibus nihil deficit, nihil superest, & nõ preces humanas quibus aliqua desunt, quæ magis necessaria forent. Præter hæc omnia, cum hoc immaculatum sacrificium in sui memoriam fieri jusserit Dominus: Hoc enim, inquit, facite in meam commemorationem, certe expressior ejus memoria fit, cum illius verba ex sacratissimo illo ore prolata repetimus, quam si alia quæcunque referamus. Quod confirmat Apostolus Paulus, dum dicit Domini mortem in hoc sacrificio annunciari. Quo enim

modo

modo adnunciari expressius potest quam dum corpus & sanguis ejus propriis ejus verbis, quã quibusvis aliis tantum confici Sacramentum; verumtamen concurrere patrem ac Spiritum sanctum filio in hoc divino opere transsubstantialitatis panis & vini in corpus & sanguinem Christi, fas est à fidelibus credi. Omnia enim opera in creaturis Trinitati cõmunia sunt, nihilq; fit omnino, nisi creante Filio, beneplacito Patris, & Spiritus sancti voluntate. Ex ipso enim, & per ipsum, & in ipso omnia, juxta Apostolum Paulũ. Et rursus: Per quem & sæcula fecit. Et iterum: Portans omnia verbo potestatis suæ. Et Ioannes Evangelista, omnia per ipsum facta sunt. Et idem spiritus est qui vivificat. Et Paulus: Si enim Spiritus ejus qui resuscitavit Iesum-Christum à mortuis, habitat in nobis, qui suscitavit Iesum Christum à mortuis, vivificabit & mortalia corpora nostra per inhabitantem in nobis Spiritum ejus. Et iterum. Omnia autem hæc operatur idem atq; vnus spiritus, dividens vnicuiq; prout vult. Et David Emitte Spiritum tuum & creabuntur. Illud sane simpliciter tenendum, & pro generali quadam regula observandum, divinæ Trinitatis operationes, si quis intrinsecus eam ipsam spectet, distinctas omnino ac separatas esse, aliquando etiam nullo modo invicem communicare, quemadmodum se habent generare & generari, spirare & spirari, & alia quædam similia. Extrinsecus vero, & quatenus ad creaturam spectat, vna est operatio, & idem opus Patris & Filij & Spiritus sancti, nihilq; est eorum quæ in nobis fiunt, quod non ex tota Trinitate emanet, vna tamen operatione, vna potentia, vna voluntate. Quare vnus etiam dicitur creator, & vnum principium eorum omniũ, quæ sunt, quæ fiunt, Trinitas esse creditur. Quibus autem verbis potius consentire decet Patrem, & Spiritum sanctum quam Filij, qui ejusdem est naturæ, ejusdémque cum eo substantiæ? Manifestum hoc omnibus est contendere nolentibus, est autẽ ad hæc nec necessarius & idoneus & sufficiens minister. Sufficiens autem est qui potestatem per cõsecrationem habuit, & Sacerdos factus est. Nec enim à quocunq; prolata ejusmodi verba efficere possunt, quod quæritur: imò vero nihil omnino possunt, nisi à Sacerdote proferantur, ejus rei sanè est quod ita Deo placitum est, ita ordinavit, hanc tulit legem: transgressori igitur legis & voluntatis ejus dignum paratum est meritum, ne quid facere possit. Oportet autem Sacerdotem cum debita intentione ad ea quæ Dominus mandavit accedere. Siquidem mãdavit nobis, vt in ejus hæc commemorationem ageremus, vt sciamus corpus ejus & sanguinem (instrumentaliter ipsi facientes, cum hæc operamur) mortem ejus annunciare. Si quis enim vel verba Domini, vel alia quælibet, quibus existimet hujusmodi Sacramentum confici, pronunciet, nõ ad ea quæ dicta sunt, intẽdens, seq; id agere quod ille jussis arbitretur, nihil omnino agit; sed suo frustratus desiderio fallitur, materiam præterea ad hæc aptam, & convenientem esse necesse est. Oportet enim panem ex frumento, vinum ex vite fieri: Nisi enim granum frumenti, dicit Dñs cadens in terram mortuum fuerit, nullum fructum afferet. Et rursus: Ego sum vitis vera. Quod si aliter Sacerdos etiam cum debita attentione, vel ipsa verba Domini, vel alia quæcunque pronunciet, vanus est omnis labor: nec enim vnquam ex hordeo milióve, aut alio seminũ genere panis factus, neq; sicera aut lac, aut mel in corpus & sanguinem Domini transmutaretur. Hoc Canones Apostolorũ, hoc posteriores Doctores affirmãt. Quãobrem hoc? quoniam ille opifex rerum ita voluit, ita cõstituit; transgredi autem & vitare quicquam eorũ quæ ille ordinavit, nefas est. Hæc ergo ad sacri mysterij cõsummationem necessaria prorsus sunt, & sine quibus nihil omnino fieri potest. Sunt autem alia quædam quæ & si ad esse rei minime necessaria sint, multum tamen conferunt ad decorem perfectionémque mysterij: ex quibus si quid aliquando justa necessitate prætermittatur, nulla jactura fit: hujusmodi sunt mysteriũ super altari conficere Sacerdotalibus vestibus indui, Sacerdotem, multa & ante verba Dñi, & post in laudem Dei, in narrationem operum suorum, in impetrationem vitæ æternæ, partim à Sacerdotibus, partim à populo dici. Vnde & alia, & apud alios dicũtur & apud quosdam plura, apud alios pauciora. Hinc est, quod Basilius, Iacobi; Chrysostomus vero Basilij Missas breviores fecerunt, quod non necessaria forent omnia quæ dicebantur. Nemo enim necessarium quicquam detrahere præsumpsisset. Quod si quis nunc non per contemptũ Ecclesiæ, quæ ita ordinavit, nec tanquam novam introducẽdo hæresin, sed inevitabili aliqua necessitate coactus, sola dominica verba cum debita intẽtione protulerit, ipsa dumtaxat quæ ille dixit & fecit, dicens & faciens, dummodo Sacerdos sit, convenientémq; materiã habeat, profectò verum Christi corpus sanguinémque perfecit. Contra verò si quis cætera omnia, & alia pene infinita proferens, verba Dñi obmiserit, lusit operam, vt aiunt, nihilque peregit. Quod si forte quispiã tis minime contentus authoritatẽ quærat, & quid Doctores Ecclesiæ senserint, audire desideret, in primis videat Ambrosiũ ætate quidem præcedentem cæteros, sapientia vero ac vitæ sanctitate nulli, vel Orientaliũ vel Occidentalium cedẽtem. Hic in sermone quem de Sacramẽtis scripsit, ita inquit: Quomodo enim panis potest esse corpus Christi? Quibus verbis, aut quorũ verbis hæc Sacramenta perficiuntur? Et addit: Ipsis Domini nostri Iesu-Christi. Et infra: Cum autem hoc Sacramentum perficit, nõ propriis verbis Sacerdos, sed ipsius Christi vtitur: Verba enim Christi hoc Sacramentum conficiunt. Et post pauca: Ante consecrationem panis est, verbis autem Christi dictis, mox corpus Christi est: Accipite enim, inquit, comedite ex eo omnes; hoc est corpus meum: Similiter in calice ante verba Domini vinum est aqua mixtum, Christi verbis operantibus sanguis efficitur: Rursus idem Ambrosius, cum multa signa & miracula commemorasset, quæ solo Domini verbo facta forent, vniversumque mundum verbo eodem ex nihilo esse productum, multáq alia orationibus, & benedictionibus humanis facta ostendisset, postremo hæc addit: Si igitur tantum potuit humana benedictio ad transmutandam rerum naturam, quid de hac divina consecratione dicemus, vbi ipsa verba Salvatoris operantur. Hoc enim Sacramentum quod accipis, verbo Christi conficitur. Aliis quidem locis idem Doctor multa plura in hanc sententiam manifestissime dicit. Augustinus vero sanctissimus, & ipse Doctor, divini corporis consecratio, inquit, à Catholica Ecclesia creditur non magis à bono, nõ minus à malo sacerdote confici: neq; enim merito consecrantis, sed creatoris efficitur verbo. Et alibi, credẽdum Christi verbis Sacramentum confici. Cujus enim potentia prius creata sunt ea quæ sunt, hujus certe verbo ad melius mutantur. Idem in 2. de verbis Dñi: Ante verba Domini, inquit, quæ, Hoc est corpus meum, dicunt, panis dicitur quod offertur, verbis autem illis dictis, non amplius panis, sed corpus vocatur. Et rursus in expositione super Ioannẽ: Vocatur corpus & caro Christi, quod caro continere non potest. Conficiunt autem illud carnis verba, quæ ipsius carnis Christi verba fuerunt. Ait enim: Hoc est corpus meum. Quid clarius his testimoniis? quid manifestius esse potest? Neque enim hos Doctores quisquam mentis compos, & Christianus esse desiderans respueret, quos sacræ omnes Synodi, & communes Ecclesiæ Doctores acceptarunt, quos vt sanctos ac Deo acceptissimos magnis præconiis extulerunt; quorum memoriam cum summa laude non modo Occidentalis, verum etiam Orientalis Ecclesia celebrat. Manifestum est igitur hos non obscure, neque sub dubio, sed palã & manifestè sensisse, sacratissimis illius Domini verbis hoc sacramentum confici, Hoc est corpus meum: & Hic est sanguis meus. Quid igitur? Hi quidem hoc modo dicunt, Orientales vero aliter sentiunt. At hoc modo non idem in eis locutus fuisset Spiritus: nec sancti Spiritus, sed ventris sui crenctationes essent sermones eorum. Nunc vero vnus atque idem Spiritus

locutus est per os utrumque. At quemadmodum in cæteris omnibus, ita etiam in hoc Sacramento concordes sunt Occidentalibus Orientales. Audi enim quid aurea illa Ioannis lingua in LXXXII super Matth. Homil. dicat: Nō sunt, inquit, humanæ potentiæ opera, quæ proposita sunt, qui tunc ea fecit in cœna, ipse nunc ea quoq; operatur, nos ministrorum locum tenemus. Qui vero sanctificat, & ea mutat, ipse est. Rursus idem in XXVII. super I. ad Corinth. Homil. ita inquit: Quomodo Paulus à Dño accepit? Nō enim aderat tunc, sed unus erat ex persecutoribus. Vt intelligas, ait, nihil plus illam mensam habuisse, quam habeant hæ posteriores. Nā & hodie ipse est qui operetur, & tradit, quemadmodum & tunc. Vides ne igitur, ut nos ministrorum locum tenemus, qui vere ea sanctificat, & mutat, ipse est. Vides ut ipse est, qui omnia operatur, & tradit, quemadmodum & tunc: Persuade igitur tibi, ipsum esse qui ea mutat: nec rationi tuæ quæ dubia est, sed infinitæ illius potentiæ hoc tribue. Dices fortesse, haud tibi contradicere hunc Doctorem: Etenim tu quoque & sentire, & profiteri illum esse qui hæc operatur, sed per orationes, sed per preces Sacerdotis. Atqui multum interest, operari aliquid, & omnis operari. Tu namque Spiritum sanctum eis descendentem tuis precibus sanctificare hæc munera, quamvis etiam verba Domini aliquid operentur. Hic vero Doctor sanctissimus, ipsum inquit, Salvatorem hæc perficere, ipsum omnia operari: nec addit precibus Sacerdotum id fieri, quod certe addidisset, si scivisset necessarium fore, subticuit autem tanquam non necessarium. Qui enim omnia facit, nullo indiget operatore. Verum ex illis Chrysostomi, quæ supra memoravimus verbis discitur quædam haud contemnenda consideratio: Ait enim, non accepisse Paulum à Christo hanc traditionem, cum tamen ipse se accepisse asserat. Et recte quidem Chrysostomus: Erat enim tum Paulus persecutor, & hostis nominis Christi, & multo post ascensionem Salvatoris in cœlos, sacram fidem ab eo qui sibi in via fuerat obvius, didicerat. Quibus igitur tradentibus accepit? Nempe Apostolis, & ita quidem non verbo tantum docentibus, sed monstrantibus opere. Paulus vero tradidit nobis, quæ acceperat. Cum autem ea sola tradiderit, quæ in Epist. ad Corinth. scribit, certe ille sola accepit, & illa sola Apostolos facere vidit. Nam si plura facere vidisset, ea quoque tradidisset. Nihil autem in ea Epistola dicit amplius, nisi Christum accepisse panem in manus suas, benedixisse, dedisse discipulis, atque dixisse: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Idem igitur omni ex parte Apostoli, quibus tradentibus Paulus id accepit, faciebant. Hoc tantum accepit ab illis Paulus, hoc tradidit nobis. Postea vero sive Clemens, sive Iacobus, sive alius quicunque alias orationes & hymnos & cantica non ad necessitatem, sed ad ornatum addiderunt. Quæ cum ita sint, satis constat beati Chrysostomi testimonium adeo clarum atq; apertum esse, ut nulla excusatio, nullum subterfugium calumniantibus relinquatur. Audiamus nunc eundem doctorem seipsum exponentem, & ita rem hāc declarantem, ut nullus quāvis audax & contentiosus, contradicere ausit. Hic in ea homilia, quam de proditione traditoris, & Sacramentorum traditione conscripsit, ita inquit: Adest nunc quoque Christus, qui illam mensam fecit, ille ipse nunc etiam ornat. Non est enim homo, qui hæc munere facit corpus & sanguinem Christi, sed qui crucifixus est pro nobis Christus. Figurā quidem adimplens astat Sacerdos, verba illa pronuncians: potestas verò & gratia tota Christi est. Hoc est corpus meum, ait. Hoc verbum, res propositas transmutat. Nam quemadmodum vox illa quæ dictum est: Crescite, & multiplicamini, & replete terrā, semel quidem dicta est, semper autē fit operæ naturæ nostræ vim præbens ad generandum: ita hæc quoq; vox semel dicta in singulis aris ex eo tempore usque in præsentem diem, & usq; ad Christi adventum hoc Sacramentum integre perficit. Verum ad hæc dicere soletis: Quēadmodum verbum quo create sunt omnia, nō ipsum solum sufficere ad productionem eorum quæ fiunt, sed maris & fœminæ cōjunctionem requiri, ut animalium genus propagetur, cultúmque terrarum & agricolarum opera necessaria esse, ut quæ nascuntur è terra producantur & coalescant, eodem modo solū Salvatoris verbum haud sufficere, sed & preces Sacerdotis, & benedictionem, & alia pleraq; necessaria esse ad hoc mysterium perficiendum. Hæc enim Marcus Ephesinus Antistes, ex dictis Nicolai Cabasilæ sumpta objicere solebat, & si longe impar ingenio, acutius sane multo ille disputavit, quanquam nec ipse quidē dignum aliquid disseruit. Eum vero admirandos simul atq; deflendos illos censeo, qui sponte sua ad clarissimas res, & ipsam veritatem oculos claudunt, & ita ut tam clara, atque aperta sanctissimi doctoris verba pervertere conentur, & ita contra propriam salutem exponere, ut omnibus contemptui sint atque derisui. Quid enim ait S. Doctor? Figuram adimplens astat Sacerdos, verba illa pronuncians potentia vero & gratia tota Christi est. Hoc est corpus meum, ait. Hoc verbum, res propositas transmutet: Quid hoc certius desideras? Illa, inquit, verba à Sacerdote pronunciata. Quę autem illa sint, subjungit. Hoc est corpus meū. Illa, inquam, res propositas transmutant. Fit ergo transmutatio per illa verba, nō à Sacerdote, sed à Christo, cujus tota gratia & potestas est. Sacerdos enim figura, Christus vero veritate hæc transmutat, Sacerdote verba ejus, quemadmodum ille statuerat pronunciante. Et rursus, hoc verbum sacramentum integre perficit. Considera homo quid integre hæc perfectio significet, attende quid velit. Hoc verbum res propositas transmutat. Noli pervicaciter contra propriam salutem contendere, & hujus sententiæ magis præcipuis ac manifestis partibus rejectis, pervertere reliquas. Nec enim Ephesinus ille, nec Cabasilas integram istam sententiam adducunt, sed quibusdam ejus partibus recitatis transibunt, fragmenta ejus quędam velut indocti juxta Platonem coqui, qui nesciunt, voluntve per artus dividere nonnulli proferentes: cætera vero quæ magis ad rem facerent, silentio prætereuntes, & hoc modo obtenebrantes veritatem. In primis itaq; sicut supra dictum est, ex hujusmodi verbis sancti Doctoris, non hic quem vos dicitis sensus colligitur. Deinde, ó bone vir, nonne ille author atque opifex omnium rerum marem & fœminam ea lege creavit, ut nō nisi per conjunctionem eorum animalia propagarentur? rursúsq; in aliis semen nasci & ex terra ordinavit, ut seminetur, seminatum nascatur, nutúmque multiplicetur? At idcirco necesse est ita fieri. Oportet enim esse arantem, oportet esse serentem, oportet esse generantem, omnésque divinæ obtemperantes voluntati, hoc est ita agentes, ut ille statuit. Statuit enim eo modo quo diximus. Quemadmodum illa vox, qua dictum est: Crescite & multiplicamini, operæ naturæ nostræ vita præbet, ad generandum. Operæ, inquit, naturæ nostræ vim præbet hanc scilicet ei legē ponens, ut illa quod suum est agat, ipsa vero omnem vim præbens. In hoc vero divino de quo agimus Sacramento, dumtaxat Apostolus Sacerdotes efficiens, & materiā panis & vini, qua ipsi quoque uterentur ostendens, tradidit eis formam qua Sacramentū conficerent. Hæc autem sunt verba ejus. Hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus. Quæ semel à Salvatore dicta, ait sacratissimus Doctor, semper operari, non cooperari, nec cujusquam præsidio egere. Magnam enim, imò maximam omnium vim haberent humana verba, si quid authoritatis, aut potētiæ divinis adderent, imò vero illa excellerent dignitate, quod etiam cogitare impium est atque nefarium. Cooperantur, inquit Ephesinus, Dominicis verbis Sacerdotis preces. Quomodo, ò bone vir, cooperantur? An tanquam per se insufficientibus; superflua certe & vana est tua omnis oratio. Si tanquā non sufficiētibus, heu quę improbitas est, quæ blasphemia diceret, ut quod divinis deest verbis, hominis suppleāt preces: Præterea cum verba hæc dicis, simul cum oratione totum perficere, utrumque

imperfectum

imperfectum putas: necesse est igitur, vt aliud tertium adveniens id agat. Quid vero hoc sit, tu quæso nobis aperi. Neque enim Spiritum sanctum id esse dices: Siquidem hoc est quod quæritur, an quodlibet eorum per se, an ambo simul Spiritum sanctum ad id agẽdum inclinet. Quod si ambo cõtendis id posse intelligas necesse est: quod si ambo simul hoc possunt, quatenus in ibi dominica verba continentur, ea sunt quæ cõficiunt Sacramentum, sive sequatur, sive non sequatur oratio. Itaq; nihil eis ad hoc addit oratio Sacerdotis, nec illis aliquod necessarium est aliunde præsidium. Quod si quatenus supplicat Sacerdos, vt descendẽs Spiritus sanctus illa sacrificet munera, eatenus dumtaxat cõsecrantur, nihil ergo operantur verba dominica, nec verum dicit Chrysostomus, cum ea asserit semper operari, & transmutare, & integre perficere: nec cooperatur ei hoc modo Sacerdotis supplicatio, vt tu ais, sed totum operatur. Quid igitur corrumpis verba sacri Doctoris? non recte ea exponens, & de sacramento Eucharistiæ falsã habes opinionem. Atqui, inquit, etiam baptisma sola Sacerdotis oratione perficitur. Etiam in hoc erras, & veritas in te nõ est. Etenim baptisma quoq; dominicis perficitur verbis. Euntes enim, inquit, baptisate eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Tunc perficitur baptisma, quando dicit Sacerdos, Baptisetur servus Dei, aut Baptiso te in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Vnde si quis etiam nihil aliud præter hæc verba dixerit recte baptisat, & qui hoc modo baptisatus fuerit, salutem adeptus est. E converso vero, si quis cætera dixerit, & infinitas ad Deum porrexerit preces, hæc vero prætermiserit, nihil omnino agit. In hunc modum Apostoli per impositionem manuum & benedictionem & pronunciationem horum verborum baptisabant. In hunc modum Eucharistiæ mysterium cõsecrabant. Nondum orationes, nondum hymni, nondum cætera quæ in Ecclesia dicuntur, expõsita erant. Cogitemus enim, quod fieri certe potuit, ipso Passionis die aut sequenti, Petrum vel alium quemlibet ex Apostolis, in memoriam Christi & Passionis ejus Sacramentum Altaris conficere voluisse (neq; enim credibile est, non assidue eos illius meminisse in cujus commemorationem id fieri mandaverat) quibus aliis verbis id eos fecisse existimabimus nisi dominicis? & post cœnam, quam etiam longo temporum intervallo observatum est, & communibus vestibus indutos? At hæc verba, inquis, narrando recitata, non possunt Sacramentum conficere. Non autem tanquam rei gestæ seriem narrans, Sacerdos hæc verba profert, sed tanquam personam Christi indutus, vt ita ea proferens, quasi Dñs esset qui loqueretur, & eam habens intentionem, vt per verba illa juxta illius mandatum, qui ita præcepit corpus Christi sanguinẽmque conficiat, quemadmodum ille fecit, fecit autem per ea quæ supra memoravimus verba. Possunt hæc sane duobus modis accipi. Aut tanquam ab Evangelista relata, & tunc narrative accipiuntur Evangelistis scilicet ea quæ Christus in illa salutiferæ Passionis nocte egit, narrantibus. Aut tãquam à Sacerdote prolata, intentionẽ habente, vt juxta ordinem à salvatore traditum Sacramentum hoc conficiat, & tunc non narrative, sed conficiative proferuntur, cum intentione conficiendi mysterium, juxta imitationem Christi, & quasi ipse esset qui & diceret & faceret. Idcirco sacri Doctores asserunt, necessariam in primis esse Sacerdoti rectam intentionem, & propositum ea faciendi quæ dicta sunt, quippe sine illa nihil omnino confici posse. Quemadmodum si quis regum per aliquem ex iis qui apud se gratia & authoritate valent, voluntatem suam cupiens subditis suis facere manifestam, & ita id apud illos valere, ac si se animum suum exprimentem audirent, sanciat vt ita illa verba in prima persona referat, vti à se dicta sunt. populũ que ita prolata audiens, tanquam ab ipso rege dictis obtemperet. Manifestum est enim quod si hac lege data, veniens ad populum nuncius ita dicat: Rex vestræ salutis cupidus, vestrámq; Rempub. in felicitate ac copia omniũ rerum tenere desiderans, continue iis rebus invigilat, & leges condit, quas ad id existimat vtiles, ac necessarias, vnde cum in multis aliorum exempla secutus, tum plurimorum ipse inventor hanc legem sancit: Volo quemlibet vestrum, qui conditis à me legibus paruerit, alentum anni ex ærario publico tot annis accipiat. Profecto nec narrative hæc dicit, sed simul atque dicta sunt, rata sunt quæ jubentur. Quamobrem quia rex ita sanxit? Eodem modo hoc intelligendum est, talem à domino Sacerdotibus traditam potestatem vt ejus verba ab illis in prima persona, & tanquam simul ab eo dicerentur prolata, totum efficiant. Aut cur illis quidem suffecerunt hæc vobis, nobis vero non sufficiunt? Si enim illis suffecerunt, & nobis vtiq; sufficere debent. potentia illius, & tanquam ab illo dicente prolata. Quod si nobis aliquid necesse est addere, imperfecta sunt verba illius. Absit autem à piis mentibus talis cogitatio. Quã enim aliam potestatem per consecrationem accipiunt Sacerdotes? nisi illã, Christi personam posse subire, & pro eo nobis adesse, & quemadmodum ille fecit, corpus ejus posse consecrare? facit autem illa per verba quæ diximus. Enimvero simpliciter orare quisq; posset, imò vero efficacius sæpenumero orarẽt multi non Sacerdotes nonnullis Sacerdotibus. Siquidem plerique Sacerdotes ita vivunt, vt non sint Deo accepti: plurimi vero ab sæcularibus, ita ob eorum bonitatem Deo chari sunt, & grati vt plerumque miraculis decorari mereantur. Si igitur vel sola oratione, vel ea præcipuè, hæc Sacramenta perficerentur, certè magis perficerentur à viris justis, quãvis non Sacerdotibus, quam ab indignis Sacerdotibus. Hoc vero falsum est? Perinde enim Sacramentum cõficit Sacerdos, quamvis malus atq; perversus, vt optimus atq; sanctissimus. Sæcularis vero persona qualibet fide religionéque excellat, nihil omnino potest, quia nullam ad faciendum à Dño potestatem accepit, cum Sacerdos acceperat maximam. Si igitur nõ est vis orationis quæ hoc facit (esset enim omnibus communis) superest vt pro Christo adsint nobis Sacerdotes, ejusdem in hoc potestatis, qui & instar illius operari possint, & annunciare populo; quæ ille præcepit. Hoc enim, inquit, facite in meam commemorationem. Hoc scilicet quod ipse feci, accepto pane & vino in manibus, respiciendo in cœlũ, frangendo, benedicendo, gratias agendo Deo patri, & in corpus & sanguinem per ea verba, Hoc est corpus meum, &, Hic est sanguis meus, transmutando. Hoc enim ea transmutat: hoc ea integrè perficit, vt B. Chrysostom. ait. Hæc quidem, nisi me animus fallit, satis superq; esse videntur ad obturãda omnium ora qui tam apertæ & manifestæ res contradicere conantur. Audiamus tamen si placet, etiam Gregor. Nyssen. virum & doctrina & vitæ sanctitate excellentem. Is in Catechetico ejus sermone de divinis sacramẽtis ita loquitur. Recte igitur & nunc panẽ divino verbo sanctificatum, in corpus Dei verbi trãsmutari credimus. Nã & illud corpus (intelligit autẽ corpus assumptum ex Virgine) panis potentia erat, sanctificatus vero fuit habitatione verbi in carne dubitãtes, quo ita panis qui in illo corpore erat, transsubstãtiatus fuit in divinam potentiam, per eum nunc quoq; æqualiter fit; & ibi enim gratia verbi sanctum fecerat illud corpus, quod ex pane consistebat. Et illud quodammodo etiam panis erat, & hic similiter panis quemadmodum Apostolus ait, sanctificatur per verbum Dei & orationem. non contestationem, ad hoc procedens, vt corpus verbi sunt; sed magis ad corpus per verbum transmutatur, quemadmodum ab ipso verbo dictum est, Hoc est corpus meum. Quid clarius cerunsva iis audire desideras? Panis, inquit, verbo Dei sanctificatur. Hoc inprimis probat manifeste, verbo Dei sacramentum hoc cõfici. Deinde modus probationis idem apertius ostendit. Corpus, ait, potentia panis est quia pane constat. Alimentum enim (vt Aristoteles docet) primo quidem dissimile, postea vero simile fit ejus cujus est alimentum. Corpus igitur quod ex Virgine Dñs assumpsit, potentia panis erat. At tale corpus ex Virgine assumptum

quod potentia panis erat, non fuisset aliter sanctificatum, nisi verbum illud carnem illam inhabitasset. Ita nunc panis quoque Altaris non aliter, quam per verbum Dei & orationem sanctificatur. Cujus rei testem Paulum citat. Quod autem ait, per orationem, nihil corroborat adversariorum rationem. Siquidem in prima ad Timoth, Epistola, hoc de communibus cibis dicit: Hic vero Doctor non de communibus quæ illic dicuntur, illius vsus est testimonio, sed duntaxat quantum ad confirmationem propositi sui spectat, de transmutatione quæ fit per verbum Dei. Vnde paulo post concludens, ait: Mox ad carnem transmutatur. Et ad hujus confirmationem subjungit. Quoniã ipse dixit: Hoc est corpus meum. Adverte quæso cum cætera omnia, tum quod in fine ait, quod mox per verbum trãsmutatur. Verbum vero inquit esse: Hoc est corpus meum. Nonne, oro te, verbum illud mox, non relinquit locum orationibus? Si igitur verbum illud: Hoc est corpus meũ, mox ita mutat; manifestum illud solum esse est, quod transmutat, aliter enim non Mox, sed aliquo & nõ parvo interjecto tempore transmutatio fieret. Ita certe inter se conveniunt sancti Patres & Doctores nostri, ita sibi invicem consentanei loquuntur, sive Orientales, sive Occidẽtales. Quippe Damascen. in lib. sentẽr. c. 23. ita inquit: Non est panis figura corporis & sanguinis Christi, absit, sed ipsum corpus Christi deificatum. Et vnde hoc sanctissime doctor? Hoc habemus ab ipso, inquit, domino, dicente, non: Hoc est figura corporis, sed ipsum corpus meum, & non figura sanguinis, sed ipse sanguis meus. Verba igitur illa: Hoc est corpus meum, etiam juxta sententiam illius doctoris faciunt, vt panis Altaris verum Christi corpus sit credarúique. Sed iis omnibus quæ supra memoravimus, quasi vltimam manum imponit Epist. Doctoris gentium ad Corinth. de hujus sacratissimi mysterij traditione speculantis. Ego enim, inquit, accepi à Dño, quod & tradidi vobis. Deinde enumerat quæ accepit. Primo itaque videamus si liber, an sufficienter tradiderit. Patet siquidem manifeste cum tradidisse: neque enim imperfecte accepit, neque minus quam acceperat, tradidit, sed quicquid debebat, & necesse erat circa hujus Sacramenti mysterium fieri, & accepit, & tradidit. Accepit autẽ hæc, quod scilicet Dñs IESVS qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit: Accipite & manducate, Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, hoc facite in meam commemorationem. Similiter & Calicem postquam cœnavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine: Hoc facite quotiescunq; biberitis in meam commemorationem. Et nihil præterea addidit, quia enim nihil amplius acceperat, nihil amplius tradidit. Et tradidit modum consecrationis divini corporis & sanguinis, omni ex parte sufficientem atq; perfectum, quali vsus fuit Christus, qualem ab eo ipso accepit. Accipite scilicet panẽ, gratias agere, frangere & dicere: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, & hoc modo conficere Sacramentum. Quid obsecro horum consecrat divinissimum illud munus? Profecto non acceptio panis, hoc enim subjectum est consecrationis, quod in corpus Domini transsubstantiari oportet, non gratiarum actio, non fractio, quarum altera ad commemorationem ineffabilium erga nos beneficiorum Dei, altera ad distributionem necessaria est. Superest igitur, vt verba ista sint quæ consecrent: Hoc est corpus meum, &, Hic est sanguis meus. Et ita existimandum est, & tunc fuisse consecratum; & nunc consecrari, concurrentibus scilicet, vt dictum est, & Patre, & Spiritu sancto, cum omnia in creatura opera iis tribus communia sint. Verum Salvatori quidem haud necesse fuit, Patrem & Spiritum sanctum palam ad hoc opus invocare, cum vnus idémque & vnius cum illis substantiæ sit, propter quod quicquid ab eo vel fiebat, vel dicebatur, idem ab aliis quoque fiebat, dicebatúrque. Nos vero fas est & nominatim illos invocare, & vt munera nostra sanctificent, precari. Verum id non alio atque alio modo agere, nec alio atque alio tempore, sed & quo tempore Domini pronunciamus verba, & quomodo verba significant. Quod in illũ tanquam hominem diceremus, dum gratias agebat beneficiis acceptis, orasse etiam tacitè Patrem & Spiritum sanctum, vt ad eam consecrationem concurrerent, deinde verbis illum prolatis mysterium peregisse, non sine ratione diceremus. Eodem igitur modo & nos agere necesse est, invocato scilicet Patre & Filio & Spiritu sancto nominatim & manifeste, sive ante verba Dñi, sive post, seu vtroque modo: nihil enim interest, vt postea dissemus, ita demum prolatis Dñi verbis, sacrum hoc mysterium conficere. Ita accepit Paulus, ita nobis tradidit: transgredi autem traditionem ejus neq; possumus, neque debemus, si discipuli ejus, imò vero Christi, & esse, & vocari cupimus. Abunde vero superius demonstratum est, quoniam Paulus hanc traditionem, nõ à Christo, sed ab Apostolis accepit, non modo verbo hoc, sed opere etiam ita facientibus, manifestum esse non aliis quam Christi verbis ipsos etiam Apostolos post Christum consecrasse, & cæteris eundem mysterij ritum tradidisse. Præterea hoc idem ostendunt populi ad ea verba respõsiones. Sacerdote enim verba illa alta voce, vt vos Græci soletis, pronunciante, assistens populus in vtraque parte respondet, Amen, quasi dicat, Vere ita est, vt tu dicis. Amen enim cum affirmandi apud Hebræos adverbium sit, Græce idem quod vere significat. Amen igitur ad ea verba respõdens populus: Certe, inquit, corpus & sanguis Christi sunt munera ista proposita, ita credimus, ita confitemur. Et quomodo, quæso te, non esset turpe ad putandum eos qui doctiores haberi volunt, ea ignorare quæ sæculares & sacrarum litterarum ignati, respondendo Amen, manifeste se scire significant? Quid, nonne assistens Sacerdoti Diaconus, eique ministrans, dum Sacerdos alta voce (juxta Oriẽtalis Ecclesiæ ritum) verba illa pronunciat, Hoc est corpus meum, &, Hic est sanguis meus, ipse propria stola, duobus primis digitis tacta, panẽ & calicem ostendit? nihil certe aliud significans, nisi panẽ illũ Christi esse corpus, & quod in calice est, esse sanguinẽ ejus, quemadmodum verbis illis asseritur. Et hæc sane ostendens Diaconus non mentitur, & non mentiens cum iis sentit, qui sola Dñi verba aiunt hoc sacrum perficere Sacramentum. Neq; enim frustra tales institutæ sunt ab Ecclesia ceremoniæ. Illud quoque haud contemnendum videtur, quod cum duo Sacramenta nobis à Salvatore tradita fuerint, Baptismus & Eucharistia, vtrumq; verbis suis confici jussit. Etenim Baptismus, quemadmodum supra memoravimus, per verba illa conficitur, Baptisate eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Cujus rei testimonium est, quod patres nostri sancti Ecclesiæ Doctores qui statuerunt quinam ex iis qui ab hæreticis ad Catholicam revertuntur Ecclesiam, rebaptisandi sint, qui non eos haud rebaptisandos esse censent, qui in nomine Trinitatis semel fuerint baptisati. Quod etiam expositor Synodalium Canonum apud Græcos videtur confirmare. Is enim in quadragesimo septimo Apostolorum Canone ita inquit, Vere baptisatur aliquis, cum secundum vocẽ Domini semel baptisatur, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, tanquam pronunciatione Trinitatis, & fidei in ea, juxta dominicam traditionem, perficiatur baptismus. Si igitur hæc duo sola Sacramẽta in Evangeliis manifeste tradita legimus: alterum vero eorum, hoc est baptismus, dominicis perficitur verbis, profecto & illud quoque, hoc est Eucharistiam, divinis illis, & à Deo traditis verbis confici existimandum est. Siquidem in omni genere rerum quatuor esse causas oportet, effectivam, formalem, finalem, & materialem. Forma autem hujus Sacramenti, verba sunt dominica, & nihil aliud. Propter quod vnum idémque esse decet vnumquodque, cum & forma vna sit, propter quam est quod est, & esse dicitur. Hæc vero ipsa sunt verba Salvatoris, quæ apud omnes sunt eadẽ, quod minime habent in Sanctorũ preces, cum aliter & aliter & Apostoli à Salvatore, vt credendum est, & ab Apostolis

Sancti

Sancti Patres postea sumentes, in singulis Ecclesiæ Sacramentis, quemadmodum materiam propriam sine qua nullo modo fieret quod proponitur, ita etiam propriam formam statuerunt. Hoc Catholica quidem Latinorum Ecclesia vsque in præsentem diem obseruat. Et verba illa, quibus vnumquodque tanquam per materiam perficitur, nulli non Sacerdotum apud eos notissima sunt. Nostri vero vt multa alia, quæ primum apud nostros ortum habuerunt, propter calamitates temporum perdidere, ita etiam horum ritnum sunt obliti. Quod manifestum fiet, si quis ad chrismatis Sacramentum mentem converterit. Etenim secunda Oecumenica synodus verba quæ sacrum chrisma perficiunt, tradens, in septimo Canone ita inquit, Obsignantes, hoc est, sacratissimo chrismate eos chrismantes, dicimus signum doni Spiritus sancti. Et hæc verba secundum eos chrismatis Sacramentum perficiunt. Hoc idem in cæteris diligens investigator inueniet. Quæ igitur de divino Eucharistiæ Sacramento Sanctorum opinio sit, quæ Christi, quæ Pauli traditio fuerit, satis, nisi me animus fallit, supra demonstratum est. Manifeste enim apparet, Orientales atque Occidentales omnes eiusdem in hoc esse sententiæ, vt scil. verba Domini sint, quæ sacrum corpus Christi sanguinemque conficiant. Idem affirmat, idem ipse Dominus asseuerat. Nunc reliquum est, vt tertiam aggrediamur partem, & rationibus, quæ in contrarium adduci solent solutis, finem operi imponamus. Sunt autem tres præcipuæ, vna est authoritas Sanctorum Ecclesiæ Doctorum, Clementis, Iacobi, Basilij, & Chrysostomi, qui omnes in Missis, quas ipsi composuere, post verba dominica, Sacerdotis precibus, hoc Sacramentum conficere videtur, siquidem etiam post verba Domini prolata, non corpus & sanguinem, sed panem & vinum nominant. Secunda vero est authoritas Damasceni, dicentis beatum Basilium hæc munera ideo præfiguratiua nominasse, quia nondum sanctificata erant: ita vero ea nominasse multo post verba Dominica. Tertia ratio est opinio sanctissimi viri Dionysij Areopagitæ, qui aperte sentire videtur, post verba Domini hoc Sacramentum confici. Iis in præsentia rationibus à nobis respondendum est. In primis autem verbis Sanctorum Doctorum qui Missas composuerunt, vnica ratio satisfacit. Cum ipsi quatuor patres idem plane dicant, eorum verba ante omnia audiamus. Clemens itaque primus, cum miracula Domini & res gestas eius, ac Sacramentorum à Domino traditionem commemorasset, postea inquit: Memores itaque nos Passionis, Mortis, & Resurrectionis eius, &c. offerimus tibi Regi & Deo secundum eius, &c. Rogamus te, vt clementer inspicias hæc proposita coram te munera, tu nullius indigens Deus, & in eis bene complaceas, ad honorem Christi tui, & mittas Spiritum sanctum tuum, testem passionis Domini nostri Iesu, super hoc sacrificium, qui hunc panem corpus Christi tui, & hunc calicem sanguinem Christi tui efficiat. Licet enim hæc Clementis verba inter apocryphas commemorari soleant, placet tamen eis impræsentiarum tanquam veris assentiamus. Iacobus quoque multo post verba Domini obsecrat, vt mittatur Spiritus sanctus. De quo cum multa dixisset, subiungit. Vt adueniens sanctificet, & faciat hunc quidem corpus Christi tui, & hunc calicem, preciosum sanguinem Christi tui. At magnus Basilius similiter post verba Saluatoris invocat Sanctum Spiritum, vt ad proposita descendat munera, & sanctificet, & faciat panem quidem, preciosum corpus Domini Dei & Saluatoris Domini nostri Iesu Christi, qui effusus est pro mundi vita. Ad hæc Chrysostomus, post verba Domini, & rerum per eum gestarum narrationem subdit: Rogamus te, emitte Spiritum tuum sanctum super nos, & super hæc proposita munera, & fac hunc quidem preciosum corpus Christi tui, quod vero in hoc calice est, preciosum sanguinem Christi tui. Post hæc subiungit, Transmutans ea Spiritu sancto tuo. Ex quibus omnibus facile esset cuiuis argumentari. Si verbis illis dominicis, Hoc est corpus meū, & hic est sanguis meus, sacrum Eucharistiæ cōficitur Sacramenti mysterium, cur & Ecclesiæ doctores minime post ea verba id propriis supplicationib. efficere conarētur, nec deinde panē & vinū nominarēt. Cū vero id agāt, nec frustra sanctos viros sit existimandum, palam fit quod hoc sacrum mysterium dominicis verbis nequaquam confici existimabant. Huic igitur argumento respondere volentes, primo quidem id repetimus quod supra probatum est, omnes tam Orientales quam Occidentales Doctores in hoc convenire, vt sacro sanctis Domini verbis Eucharistiæ mysterium conficiatur. Deinde addimus, non esse hæc quæ modo retulimus, superioribus illis contraria, nec aliud hic, aliud illic sanctos viros vel dicere, vel sentire, nec esse Occidentalium sententiam ab Orientalium opinione diversam. Nec enim si ita foret, vnus & idem divinus Spiritus, sed diversus, nec veritatis, sed mendacij potius atque erroris spiritus in iis locutus fuisset: quod etiam cogitare absque impietate non licet. Necesse est igitur, vt illa vera sint, & hæc per rectam expositionem illis consentanea esse ostendantur. Dicere itaque non sine ratione fortasse quispiam posset, quod cum corpus Domini duplex sit (quemadmodum in primordio nostri sermonis ostendimus) verum scilicet & mysticum, illud quidem ipsius Domini verbis cuius corpus est, confici, hoc vero quod ipsi sumus, sacris Sacerdotum precibus, & iustis actionibus & vitæ ac morum honestate complere, cum digne homines sacram Eucharistiam capiunt, & eiusdem cum Christo corporis efficiuntur. Et hoc quidem petere Sacerdotem, cum rogat, vt descendens Spiritus sanctus, panem quidem preciosum corpus Christi, calicem vero preciosum sanguinem faciat, hoc est vt fidelem populum, mysticum corpus Christi sanguinemque faciat, quo membra & partes corporisque eius effecti, & sibiipsis charitate & Christo vniti, viuant cum eo vitam æternam, & fiant ipsius cohæredes. Nos vero præter hæc, illud potius dicendum existimamus, quod cum divinum hoc Sacramentum sit commune, sit opus totius Trinitatis, necesse est nos, quemadmodum supra diximus, & Patrem, & Spiritum sanctum cum Filio inuocare, vt proposita munera perficiant. Quod & passim per totam Missam facimus, & non ante verba Saluatoris, sed etiam post multis cum precibus invocantes, supplicantesque, vt digni ministri tantæ rei efficiamur, quo possimus illa munera perficere, vt accepta eis fiant, & gratia Spiritus sancti super ea descendat. Quæ omnia non tam agimus, vt ipsi ea faciamus, quam vt populo ostendamus communia esse in creatura opera Trinitatis. Quemadmodum enim beneplacito Patris, & Spiritus sancti voluntate, vnus in Trinitate natura Dei & Patris Filius, ex Sanctis & immaculatis Virginis sanguinibus corpus assumpsit, ita & hoc corpus Altaris ipsa Trinitas creat, ipse Spiritus sanctus potentia sua ea substantia in substantiam, hoc est, ex pane in corpus transmutat. Quæ res vt fideli populo palam fiet, illius etiam nos meminisse necesse est. Et hoc velle illos Doctores, qui per aduentum Spiritus sancti Sacramentum hoc fieri dicunt. Sunt vero iidem plane, qui ex solis Domini verbis Eucharistiæ Sacramentum existimant cōfici. Idem enim vtrumque dicunt, non contraria, aut sibiinuicem repugnātia, sed eadem dicere existimantes; vtrumque enim verum est. Et cum vnum & idem ambo sint, vnum idemque efficiunt, & vno atque eodem tempore. In instanti enim temporis non aliter atque aliter, neque alio atque alio momento, sed eodem momento, &, si dicere fas est, eodem nunc, vtrumque idem efficiunt, & divinæ Trinitatis personæ, quas invocamus, vnum atque idem substantia & inseparabiles sint. Quod si rerum natura tale aliquod verbum pati posset, quod mox & sine alicuius temporis internallo rem omnem exprimeret, profecto nos simul & eodem tempore cum verbis Domini cætera omnia pronunciaremus, illa quidem dumta at Sacramenti efficientia credentes, & tamen Patris & Spiritus sancti gratiam non dubitantes adesse, & hoc oratione

& precibus manifestantes. Adsunt etenim illi quoque cum istis Domini verbis, etiam nobis nihil vltra flagitantibus. Sed cum desiderij nostri nequeamus ardorem continere, nominatim quoque eum inuocamus, & præsentiam eius populis aperimus. Cæterum quoniam natura rerum id vetat, necesseque est per interualla temporis vnum post aliud verbum pronunciare, atque ita totam historiam Sacramenti repetere, deinde patrem & Spiritum sanctum inuocare: idcirco iis qui non bene rem considerant, videri solet aliud esse quod postea inuocatione sancti Spiritus dicitur, idque solummodo absque verbis Domini Sacramentum conficere. Quod certe à veritate longissime abest. Oportet enim hæc aliaque huiusmodi, non tanquam in tempore in quo dicuntur, sed tanquam in tempore pro quo dicuntur, ita intelligere, ac si tempus illud maneret, minimeque deflueret, sed in vno eodemque nunc illa dicerentur: profecto enim ita dicerentur, si fieri posset, & rerum natura minime repugnaret. Cum igitur pro tempore in quo illa dominica verba dicuntur, inuocationis etiam posteriores fiant, & ad illud referantur tempus, profecto & eodem hæc ipsa dicta, & tempore existimanda sunt, quod certe factum fuisse natura rerum pateretur. Etenim quemadmodum quis sermonem alicuius moleste ferens, & audire ipsum recusans, diceret, Clausi tibi aures, cum tamen nondum clausisset: vel aliquid sibi molestum videre nolens, diceret: Obduxi oculos, cum id nondum, & alia iis similia: ita tale nescio quid in iis Domini verbis animaduerti potest. Cum enim ita loqui debuisset, dicens discipulis suis, Accipite & manducate, Hoc est corpus meum, fregit, & dedit eis. Hoc enim ipso ordo rerum poscebat, primo consecrare, deinde frangere, postea distribuere, quod nos in præsentia facimus. Ille tamen ait, Fregit, & dedit, dicens, Hoc est corpus meum, figurato sermone quem hysterologiam vocant, vsus. Iuxta illud poetæ, Simul nutriti, natique fuerunt. Et alibi, Sonuit cadens. Primo enim nascitur aliquis, deinde nutritur, & cadit quis antequam sonum faciat. Decet igitur nos recte iudicare volentes, singula quæque intelligere, vt in propriis dicta sunt locis, nec in quo, sed pro quo tēpore dicuntur animaduertere, & quæ vel ante vel post aliqua dicuntur, aliquando quidem tanquam simul cum illis, aliquando verò, vel posterius quæ prius, vel vt prius quæ posterius dicta sunt, dicta existimare. Si quidem ipse quoque Chrysostomus multo ante & post verba Domini in oratione, quæ post oblationem dicitur munerum, Dignos nos, inquit, fac Domine, vt coram te gratiam inueniamus, & acceptum tibi fiat sacrificium nostrum, & inhabitet spiritus gratiæ tuæ bonus super nos, & super hæc proposita munera. Vbi considerandum quid hæc verba, Dignos nos fac, vt Spiritus sanctus tuus inhabitet super hæc proposita munera. Nihil differunt a verbis illis Clementis, vel Iacobi, vel Basilij, vel quæ supra retulimus ipsius Chrysostomi, quibus nonnulli existimant hoc Sacramentum confici. Etenim illi quidem Deum precantur, vt mittat Spiritum sanctum, qui adueniens sanctificet, & panem efficiat preciosum Christi corpus: hic vero, Dignos, inquit, facias, vt inhabitet Spiritus sanctus tuus super hæc proposita. Quæ verba nullam sane inter se diuersitatem habent. Hoc tamen Chrysostomi ante Domini verba dicuntur, & longe ante preces illas, quibus nonnulli existimant Sacrum Eucharistiæ mysteriū confici. Quod si iis prioribus verbis, & hac Chrysostomi oratione Sacramētū non conficitur, profecto nec posterioribus perficietur, quæ cum illis eadem sunt: eadem enim eorundem sunt efficientia. Perficitur autem verbis illis quæ inter vtraque media, maxime principalia sunt, hoc est Dominicis verbis. Hæc sunt quæ totum efficiunt hæc ad quæ omnia referenda sunt, siue antea, siue postea dicantur. Hoc ipsum apertius etiam ex Basilij verbis in eodem loco percipi potest. Mox enim post munerum oblationem, Respice, inquit, super nos Deus, & super hanc nostram latriam, & acceptam eam habeas, quemadmodum accepta habuisti munera Abel, immolationes Abraham, Moysi & Aaron Sacerdotum, Samuelis pacificas. Quemadmodum cepisti à sanctis Apostolis tuis veram hanc latriam, ita à nobis peccatoribus, manibusque nostris, accipe hæc munera, bonitate tua domine. Vides ne, vt post multa quæ orans dicit, post propositum sacrificium latriæ, quod soli Deo & nulli alteri debetur, post preces, quibus vt accepta Deo fierent, sicuti Abel, Noë, & cætera sacrificia, tamen ne aliquis contentioni relinqueretur locus, subiunxit: Quemadmodum è manibus Sanctorum Apostolorum tuorum hanc veram latriam accepisti, ita è manibus nostris hæc munera accipe. Quid ergo tergiuersamur? Hoc modo & verba hæc satis esse ad consecrationem dicemus, cum dicat Basilius: Ita è manibus nostris hæc munera accipe, quemadmodum è tuis Apostolis hanc veram latriam accepisti. Si enim Apostolorum manibus verum Christi corpus consecratum fuit, idq; nunc in manibus suis fieri rogat Basilius, cur nō his verbis subito perficitur Sacramentum? Nihil enim hæc differunt à posterioribus precibus, quibus, nonnulli putant perfici sacrum mysterium. Audi enim quid dicat, Rogamus te, vt descendat Spiritus sanctus tuus super hæc proposita munera, & faciat panem corpus, calicem vero sanguinem. Si igitur primis illis orationibus, quæ simillimæ posterioribus sunt, non perficitur sacrum mysterium, profecto nec postremis perficietur. Simillimæ enim preces simillimos parerent effectus. Superest igitur, vt verbis Saluatoris nostri hæc vis tribuenda sit, & ad ea cætera referenda sunt omnia, quæve ante quæve postea dicuntur, & pro eo tempore quo illa verba dicuntur, hoc quoque dici existimandum. Diutius autem in hac parte dedita opera commorati sumus: tum quod ad cognitionem eorum quæ supra dicta sunt, non paruam afferre vtilitatem videbantur: tum quod necessaria erant ad ea soluenda, quæ ex diuino Dionysio & Damasceno opponi solent. His addi tertia quoque ratio, nulli fortasse superiorum inferior, posset: Hierarcham totum Deo repletum diuinoque amore, iuxta Dionysium de Diuinis nominibus, captum, veluti ecstasin quandā, & diuinum pati zelum. Ob hoc sæpenumero extra se positum, & totum rei amatæ hærentem, zelo quodā & timore, ne id quod desiderat, non assequatur, sæpius eadem ex vero ac pene incredibili mentis desiderio petere, nec ignorare quidem se iam quod quærebat adeptum, sed insatiabili quodam amore iterum atque iterum eadem repetere, vt etiā in quibusdam symbolis quasi euidentissimis signis, qui adsunt, intelligere possit, totum Deo captum, totum iam diuinum effectum, ac per hoc imitatione eius ad virtutem vitæque integritatem alliciantur, & vt aiunt, quasi manuducti ponantur in viam. Hoc summus ille Propheta Dauid plerisque in locis facit. Nam cum dixisset, Cū inuocarem, exaudiuit me Deus iustitiæ meæ, paulo post in eodem Psalmo subiungit, Miserere mei, & exaudi orationem meam. Quem locum Theodoritus ex sententia, nisi fallor, Chrysostomi (neque enim Chrysostomum apud nos in præsentia habemus) exponens, Non satiatur, inquit, hic iustus orando, sed supplicans & impetrans, & fructus orationis colligens, adhuc orando ac supplicando perseuerat: scit enim quādo inde sequatur vtilitas. Alibi quoque idem Dauid, Dirigatur, inquit, oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. Quid, quæso te, clamat Dauid, vt sua exaudiatur oratio? Si enim iniqua & præter rationem erat, nunquam ad Deū ascendisset, quomodo libet eo rogante atque obsecrante: quod si recta & exaudiri digna, iam directa erat ad Deum, ipso quoque Propheta tacente. Nempe igitur petit quod tenebat, & quæ præsentia iam erant desiderat. Idem nostri quoque Doctores, qui Missam composuerunt, fecere. Etenim post verba illa, Fac hunc panem corpus Christi, & hunc calicem sanguinem Christi, quibus solis nonnulli existimant fieri consecrationem, adhuc pro eis adorant, aut frustra prorsus id facientes, quod nec cogitandum est, aut vehementi quodam desiderio eadem sæpius repetentes. Memento enim,

inquiunt, Domine imbecillitatis meæ, & præsta mihi veniam omnis sive voluntariæ, sive non voluntariæ meæ culpæ, neque propter peccata mea inhibeas Spiritus sancti gratiam ab his propositis muneribus. Et rursus paulo post ad populum dicitur, Pro oblatis consecratisque muneribus preciosis Deũ rogamus. En quomodo orãt, ne ex propositis munerib. spiritus gratiæ arceatur, en quomodo pro sanctificatis propositisque muneribus hortantur Deum precari, quamvis multo ante sanctificata fuerint, quamvis perfecte consecrata, etiam iuxta eorum opinionem, qui nobis contraria & loquuntur & sentiunt. Quid igitur dicemus hoc loco fratres? nisi quod ex sententia Chrysostomi Theodoritus ait. Non satiatur orando iustus, & reliqua quæ supra memoravimus. Quod si qui fortasse dicerent, Non pro divinis muneribus, sed pro nobis fit, quod significant? Quæram ab eis primo quidem, cur nostra expositio non convenientior sit atque subtilior? Nam quod hierarchæ divina quædam passio, & veluti ecstasis accidat, ita ut vehementi quodam amore extra se positus, totus rei amatæ hæreat, & eadem sæpius, quasi divino quodam furore correptus repetat, quemadmodum in terrenis istis amoribus accidit, ut amans ab amato inseparabilis sit, profecto non parua & contemnenda, sed magna & mystica ratio est. Quod vero iustus satietur orationibus, sed quæ desiderabat iam consecutus adhuc perseveret eadem petens, desiderio certe ac devotioni talis tanti que Sacramenti consentaneum est. Deinde vero fingamus adversariorum istam rationem validam esse, nec quovis modo refutari debere. Nonne pro nobis magis facit? imo vero nonne à nobis in confirmationem sententiæ nostræ adducta est? Hoc est enim, quod in principio fere huius disputationis diximus, duplex esse Christi corpus, verum & mysticum. Et hæc quidem, nisi me animus fallit, satis sunt ad solutionem ad confirmationem eorum quæ ab adversariis dici solent. Quod vero nonnulli subiungũt etiam post verba Domini panem, & vinum proposita munera à sacris illis Doctoribus nominari, quod non videretur esse faciendum, si iam consecrata forent. Non enim iam amplius panis & vinum, sed corpus & sanguis Domini, & essent, & dicerentur, facilis est ad ea responsio. Quis enim neget verum Christi corpus & sanguinem, recte panem & vinum nuncupari posse? Nam ut prætercam multa diversorum Doctorum testimonia, qui indifferenter etiam post consecrationem, modo corpus & sanguinem Christi, modo panem & vinum nominant (neque enim est in re facili diutius commorandum:) Nonne ipse Dominus, quo nullus fide dignior est, de suo præsertim corpore loquente, indifferenter modo hoc, modo illud nominat. Qui manducat, inquit, meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Et rursus, Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Et iterum, Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. Alibi vero, Ego sum panis vitæ, inquit: Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt: Hic est panis qui è cœlo descendit, ut qui ex eo comedat, non moriatur. Et alio in loco, Si quis manducat ex hoc pane, vivet in æternum. Et rursus, Panis quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Manifestum est igitur, quod iterum suum corpus panem nominat etiam Dominus. Sed de his satis, nunc ad id quod de Damasceno opponitur, venimus. Idem inquit Basiliũ munera illa præfiguratiua corporis & sanguinis Domini nuncupasse, quod nondum consecrata erant, & tamen hoc verbo usus est Basilius in compositione Missæ suæ, multo post verba Domini. Ad hæc responsuri, prius tanquam filij à patre veniã poscimus, si duobus propositis amicis præferamus veritatem. Dehinc dicimus Sacramenta etiam postquam consecratã sunt, figuram esse, & ideo etiam præfiguratiua veri corporis & sanguinis Christi dici posse, quod etiam superius ostendimus. Sensibilis enim panis & vini etiam post consecrationem species figuræ quædam & præfiguratiua vti sunt, ita etiam dici possunt, tum contenti sub eis veri dominici corporis & sanguinis, tum mystici corporis & Ecclesiasticæ unitatis, ipsum quoque verum corpus mystici corporis symbolum, ac signum esse, ut latius paulo ante disseruimus. Decet tamen, ut tunc quoque memoravimus, hæc debito modo, & non instar Sacramentorum veteris legis, quæ tantum figuræ sunt, accipere. Quod etiam Dionysij testimonio confirmatur, qui Sacramentum hoc etiam post consecrationem (in III. Ecclesiasticæ hierarchiæ capitulo) symbolum nominat. Ita enim inquit: Sacras divinas operationes hierarcha laudans, consecrat divinissima, & manifestat quæ laudata sunt, per symbola sancte proposita. Et infra, Populo quidem divina solum symbola intuente. Et rursus: In sacram memoriam nos ducit divinæ cœnæ, quæ principale symbolum fuit eorum quæ in altari fiunt. Unde & ipse symbolorum creator optimo iure eum repellit, qui non sancte neque simili modo cum eo sacra illa cœnauerit. Cum igitur sacra illa munera etiam post consecrationem symbola nominet, creatoremque eorum quæ nunc quotidie in Ecclesiis fiunt, principale symbolum, illam Sacramentalem cœnam Sacramentorum in eo distributionem, ipsumque dominum symbolorum creatorem appellet, eorum videlicet quæ tum creauit, hæc vero fuerunt proprij corporis consecratio, distributio, traditio, cur quod ea etiam figuram convenientissime vocet? Atqui quod nec præfiguratiui quidem vocabulum vero Christi corpori sanguinique conueniat, idem Damascenus testatur in eodem capitulo, ita dicens: Præfiguratiua futurorum dicuntur; verum corpus & sanguis Christi, non quia non sunt verum corpus & sanguis, sed quia nunc quidem per ea participes efficimur divinitatis Christi, tunc vero per solam visionem intelligibiliter. Hoc idem apertius confirmare videtur beatus Gregorius. Ideo loquens hæc nominari figuram, quia corpore & sanguine Domini nunc participamus in figura panis & vini, tunc vero eum talem qualis vere est; manifestissima visione contemplabimur. Quamobrem non video, quid tandem formidaret Damascenus, præfiguratiui vocabulum renuerit, ideoque ita exponere sit conatus, cum possibile sit, tam ex ipsius quam ex cæterorum doctorum sententiis, verum etiam corpus & sanguinem, sive figuram, sive præfiguratiua nominare. Licet igitur nobis hoc loco dicere, quod sanctus Basilius ad Amphilochium scribens Iconiensem, de Dionysio Alexandrino Martyre inquit. Nam cum loqueretur de his qui rebaptisandi sunt, Pepusianosque contra Dionysij sententiam rebaptisandos censeret: Miror inquit, quomodo hoc latuerit Dionysium, quamvis canonum omnium expertissimum. Volebat sane Dionysius quamquam sanctus, imo vero etiam Martyr, eos qui ex Pepusianorum hæresi ad fidem venirent, non debere baptisari. Cuius contrarium sentiebat Basilius, nec veritus Dionysij & Sancti, & Martyris authoritatem, qui contra eius opinionem iudicaret, diceretque, ad fidem ex ea hæresi venientes, rebaptisari debere, quod non recte neque in nomine Patris & Filij, & Spiritus sancti essent baptisati. Et nobis igitur mirandum est, quomodo dixerit hoc Damascenus: Sed meminisse oportet, hominem eum fuisse, quamvis mira sanctitate præditum, & fieri aliquando potuisse, ut pro imbecillitate humani ingenij non recte aliquid senserit. Nos vero non ex iis vel ipsum vel alios de illis quæ palam atque unanimiter tradiderunt, sed potius ex iis hæc discernere ac iudicare debere. Fortassis autem quod impossibile nõ est, diceret quispiam, verba illa Basilij, quibus hæc munera Præfiguratiua nominauit, tempore Damasceni locum ante verba Domini in Missa Basilij habuisse, ideoque eo modo & recte exposuisse Damascenum: nunc vero nescio quomodo ea verba fuisse transposita. Multa enim huic similia tam longo temporum interuallo acciderunt. Siquidem apud Apostolum his illa verba posita sunt, Hoc facite in meam cõmemorationem. Idem post

Hoc

Hoc eſt corpus meum & poſt, Hic eſt ſanguis meus. Nos vero ſemel tantum in ſacra conſecratione hoc dicimus. Præterea ſacras particulas, hoc eſt ſacrè dormientium memoriam multo ante Domini verba iuxta eundem Dionyſium facere ſolebant: nos vero hoc multo poſt, mutato neſcio quomodo ordine facere conſueuimus. Minimè igitur mirandum eſſet, ſi hoc præſignatum vocabulum Damaſceni tempore ante Dominica verba locatum, dehinc à recentioribus, eo quo nunc legitur loco mutatum ac poſitum fuiſſet. His ita expoſitis ſupereſt, vt ea tandem quæ de ſancto Dionyſio ab adverſariis obiici ſolent, reſpondeamus. Verba eius hæc ſunt. Inde divinus hierarcha accedens ad ſacrum altare, laudat prædictas ſacras operationes Dei, ipſius Ieſu providentiæ, quas pro ſalute generis noſtri, beneplacito ſanctiſſimi patris, in ſpiritu ſancto, ſecundum Evangelica verba operatus eſt. Poſtquam autem laudauit, & venerandam intellectualemque ſpeculationem eorum intellectualibus oculis perſpexit, ad ſymbolicam eorum conſecrationem venit, & hoc ſecundum traditionem divinam. Vnde devote ſimul & hierarchice poſt laudes divinarum operationum de conſecratione eorum reſpondet. Tu dixiſti, inquiens, Hoc facite in meam commemorationem. Deinde poſtulans vt dignus fiat hac conſecratione, & ad ſimilitudinem Chriſti hæc divina perficere valeat, & caſte diſtribuere, conſecrat diviniſſima, & manifeſtat laudata per ſymbola ſanctè propoſita. Ad hæc Dionyſij verba, quanquam difficilis fore reſponſio videatur, apud eos præſertim qui contentionis cupidiores ſunt quam veritatis; dicimus tamen & ingenue atteſtamur, apud probas & devotas aures nihil in his eſſe quod iis quæ ſupra diximus adverſetur. Quid enim ò bone Ieſu clarius, quid apertius quid manifeſtius inveniri poteſt, quam verba Sanctorum Doctorum, de quibus ſupra mentionem fecimus, verba Domini mutare panem in corpus, illa ſacramentum integre perficere, verbo Dei panem ſanctificari, panem in corpus per verbum mutari, ante verba panem ſimpliciter eſſe munus quod offertur, poſt verba mox in corpus mutari, aliaque huiuſmodi? A quibus quomodo, quæſo te, diſſentiret Dionyſius, præſertim doctrina & ſapientia ac vitæ ſanctitate æqualibus atque ſimillimis? Profecto nemo hoc mentis compos fateatur. Eſt autem quod Dionyſius, inquit, tale aliquid quale ſuperius diximus. Quod cum opera in creatura totius Trinitatis communia ſint, vt hoc omnibus palam fiat, operæpretium eſt totam nos Trinitatem invocare. Quod cum ſimul & abſque intervallo temporis fieri non poſſit, cum præſertim oporteat omnem illorum quæ ea nocte geſta ſunt hiſtoriam enarrare, neceſſe eſt nos vnum poſt aliud, ſecundum vim & naturam noſtræ pronunciationis exponere. Ita ergo poſt verba Dominica (quibus iuxta Chryſ. integre perficitur Sacramentum, ac propoſita tranſmutantur, quibusve vt Gregorius Nyſſen. ait, ſanctificatur panis, in corpuſque transfertur) patrem ac ſpiritum palam atque expreſſe invocamus. Hanc vero manifeſtã invocationem, tanquam multitudini notiorem tradit beatus Dionyſius, cum Sacerdotem dicit, poſtquam pro ſe reſpondit, dicens: Tu dixiſti, Hoc facite in meam commemorationem, tunc demum ad conſecrationem accedere. Conſecrationem enim hoc loco vocat, non illam quæ ſola, & principalis eſt, & ſine qua perfici myſterium non poſſet, ſed eam quæ notior eſt, ac manifeſtior multitudini, quæque ad primam illam atque præcipuam, quæ fit verbis Domini refertur, quam eodem temporis momento, &, vt ſupra diximus eodem nunc, cum verbis Dominicis protuliſſet ſacerdos, ſi id natura rerum ferre potuiſſet. Hoc autem ex eo quoque fit manifeſtius, quod etiam ante hæc verba perfectum iam Sacramentum ponere videtur, cum dicit, quod hierarcha accedens ad ſacrum altare, laudat prædictas ſacras operationes, & ita conſecrat diviniſſima, & manifeſtat laudata. Manifeſtare autem laudata, iuxta expoſitoris ſententiam qui fuit vir ſapientiſſimus Maximus, eſt clara facere quæ laudata ſunt, hoc eſt divina opera Chriſti, quæ enumeravit facta à Salvatore noſtro in remiſſionem peccatorum & in vitam æternam. Hæc verba ſunt Maximi, imo etiam Dionyſij. Nemini autem dubium eſt, commemorationem divinorum beneficiorum fieri ante verba dominica. Quæ verò illa ſint, ipſe doctor enumerat. Quamobrem & ante verba domini fuiſſe hæc manifeſtiſſime docere videtur. Quod autem in remiſſionem peccatorum, & vitam æternã ipſa opera ducant, mox per verba dominica ſequitur, imo vero inter ipſa domini verba continetur. Hoc enim eſt, inquit, corpus meum, quod pro vobis frangitur in remiſſionem peccatorum, & Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis & multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Quamobrem iuxta huius doctoris ſententiam, iam perfectum eſt Sacramentum, cum dicimus remiſſionem peccatorum nobis præberi. Dicimus autem hoc ſubito poſt verba domini, imo vero in ipſius domini verbis. Sequuntur enim hæc illa domini verba, quibus perficitur Sacramentum, ſcilicet, Hoc eſt corpus meum, & Hic eſt ſanguis meus, quemadmodum res ipſa rem ipſam ſequitur, hoc eſt peccatorum remiſſio dominici corporis communionem, cuius eſt effectus. Medio igitur illo tempore, quo divina opera ante verba domini laudantur, & quo eadem poſt illa verba populo manifeſta fiunt, conſecratio fit, illis videlicet domini verbis. Addit etiam poſtea idem ſacer Dionyſius: Poſtquam autem laudaverit, & venerandam intellectualemque ſpeculationem eorum intellectualibus oculis perſpexerit, ad ſymbolicam eorum conſecrationem venit, & hoc ſecũdum divinam traditionem. Quem locum exponens Maximus ait, Benedicens ſcilicet panem & calicem ſacrorum munerum. Ergo benedictionem panis, & calicis conſecrationem ait eſſe Dionyſius, eamque ſecundum divinam traditionem. Benedictio igitur panis & calicis, qua tunc ſecundum Dionyſium ſacerdotes vtebantur, cum dicebant: Et agens benedixit, ſanctificauit, fregit, deditque diſcipulis ſuis dicens: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum: hæc inquam benedictio per verba domini perficit Sacramentum. Quamobrem ſecundum divinam traditionem hoc fieri inquit Dionyſius. Traditio enim Chriſti hæc fuit, Accipere panem, gratias agere, benedicere, & verba illa pronunciare. Nonne igitur luce clarius videmus etiam teſtimonio Dionyſij; per verba domini conſecrari Euchariſtiæ myſterium benedictione præcedente? præſertim iuxta Græcorum ritum, qui poſt oblationem munerum in altari, nunquam ea, nec antea, nec poſt benedicunt, niſi tantum cum ſe exiſtimant conſecrare, quaſi benedictionem conſecrationi neceſſariam exiſtimantes. Propter quod & hanc benedictionem, quam Dionyſius & Maximus ante verba domini faciendam cenſent, prætermittunt noſtri, non rectè quidem facientes. Quod ſi tunc benedicere decet, vt hi doctores ſentiunt, imo vero vt dominus tradidit, proculdubio tunc prolatis domini verbis credendum eſt fieri conſecrationem. Subdit deinde Dionyſius, quod poſtulans hierarcha, vt dignus fiat hac conſecratione, & ad ſimilitudinem Chriſti hæc divina perficiat, & caſtè diſtribuat, participaturoſque, prout ſacros decet, participet, conſecrat diviniſſima. Ex quibus manifeſtiſſime apparet, quod hæc verba conſecrare atque perficere per ſynecdochen ad ea quæ ſequuntur accipi debent, id eſt ad caſtam diſtributionem & dignam participationem, quæ omnia poſt conſecrationem myſterij precari ac petere ſolemus. Quod facile eſt intelligere, ſi quis Miſſas à Iacobo, Baſilio, & Chryſoſtomo editas, diligenter animaduertat: tunc enim ſupplices oramus, vt digne communicare, & cæteris diſtribuere poſſimus. Quamobrem quæ ſubiunguntur verba, conſecrare, ac divina conficere, aut per ſynecdochen, aut per hyſterologiam dicuntur, vel forte (quod ſupra dictum eſt) manifeſtiorem invocationem, quæ ſalvatoris verbis non ita apertè continebatur, ſignificans. Hæc habui quæ de Euchariſtiæ Sacramento, ſicuti ab initio pollicitus

fueram,

A

fueram, in præsentia differerem. Vbi ita, ni fallor, aduersantium rationes atque argumenta solui, vt nulla posthac frustra & inaniter contendendi relicta occasio videretur. Modo omnes meminerint, quam manifesta quamque extra omnem contentionem sint sanctorum doctorum testimonia, quibus ostenditur verba domini esse quæ sacrum Eucharistiæ mysterium integre perficiũt, ac idcirco cætera quidẽ omnia verba ad hæc, hæc vero ad alia minime esse trahenda: His præterea maxime omnium esse credendum, tum quia vnanimes & vnius sententiæ omnes sunt: siue orientales siue occidui: tum quod ita clarè ac manifestè de hac re loquuntur, vt nulla omnino dubitatio supersit tibi: quæ ex aduerso dicuntur, ita obscura & quibusdam quasi tenebris inuoluta sunt, vt plures variasque & vix explicabiles recipiant expositiones. Clarioribus autem ad eorum quæ obscuriora sunt, cognitionem vtendum esse, eruditi omnes & putant & iubent. Quæ cum ita sint, ad extremum eos, in quorum manus hæc forte peruenient, hortamur atque obsecramus, vt omni reiecta contentione, studio duntaxat inueniendæ veritatis hæc legentes, ad ipsam veritatem accedant, inuentam suscipiant, susceptamque cæteris patefaciant. Valeant autem hi omnes, qui rationis callem minimè sequentes, cum contentione ac sæpe etiam iurgiis & contumeliis, quicquid eis in mentem vel potius buccam venerit, nemini parcentes, eructare atque euomere non erubescunt.

B

IOANNIS

ANT. CAMPANI,

EPISC. INTERAMNIENSIS, De gerendo Magistratu.

LIBER VNICVS.

Eiusdem oratio Cinericia Romæ dicta.

De hoc authore vide plura apud Vossium historicis Latinis libro 3. cap. 7.

C

HÆC OPVSCVLA QVANTVM sint vtilitatis allatura, pulchre declarat præfatio D. Ioannis Costery, qui plurima loca antehac corrupta, non infeliciter restituit.

CLARISSIMO ORNATISSIMOQVE Viro D. Ioanni Huëtio Leodiensis Curiæ officiali, F. Ioan. Costerius. S. P. D.

D

ACCEPI nuperrimè, amplissime domine, Ioannis Campani opera per doctissimum virum Petrum Naunium, Latinæ linguæ publicum Louanij professorem ad me transmissa. Quæ cum auidissime lectitare cœpissem (vt quorum gustum olim obiter acceperam) omniaque mirificè arriderent (nimirum quæ & Ingenij magnum acumen & decoram vbique grauitatẽ, atque inexplicabilem dictionis elegantiam præ se ferrent) tum illa ipsius *de gerendo magistratu* commentario non potuit non magnopere delectare. Nam vt de sermonis puritate castimoniaq; nihil interim dicam, tam expresse, tam ad viuum, tam denique Christianè, magistratus & munus & dignitatem nobis depingit, vt absolutius perfectiusque non possit. Nusquam quod verum est (vt plerique palpones solent) dissimulat, nusquã se a regula veritatis distorquet; quod æquum & rectum est libero constantique ore eloquitur. Iacet nusquam, sed in sublime semper elatus, diuinum quiddam vbique tonat: Rapit hominem quò velit; tanta est & in sermone suauitas & efficacia in persuadendo. Res equidem doctis omnibus deploranda, verum adeo insignẽ cum tineis blattisque hactenus in tenebris situque conflictari. Ante annos complures Venetiis excusus est, sed adeo contaminate, vt citra fastidium vel à doctoribus legi nequeat. Mendis totus scatet; inuersa verba, sententiæ interdum aut mutatæ, aut prorsus sublatæ; vt multis in locis diligenti lectori sit diuinandum, si authoris sententiam intelligere volet. Et equidem hanc vel potissimam esse causam opinor, quo minus viri huius lucubrationes ad multorum notitiam venerint, quod Codices paulo plus deprauatos aspernari, atque in angulum quempiam abiicere soleamur. Vnicum mihi duntaxat exemplar ad manus fuit, idque vel solum esse Louanij existimo. Quare factum est, vt hoc subsidio destitutus, multa fortassis sint, quæ Castigatricem manum nostram aut non admiserint, aut prætererint: Cum res & ambigua, plerumque etiam temeraria sit, ex sola diuinatione vel mutare aliqua, vel tollere. Ego vero quamquam omnia huius viri scripta typis denuò accuratius excudi velim, tamen quia id ob temporis istius infelicitatem minimè sperare ausim; hoc tamen quidquid est libelli, publicatum optarim: quod is talis sit qui omnium lectione dignus censeri possit. Demiror in Italia literatorum olim altrice, modo esse neminem, qui tam præclarum ingenij lumen, è teterrimo isto squalore densisque tenebris in lucem restituat: quum sic natura comparatum videamus, quod quæque natio suorum ingeniis, laboribus, studiis vtraque (quod aiunt) manu fauere, laudare, efferre, prædicare soleat, neque pati in obscuro esse: Rectè nimirum existimantes: vnius præclarum facinus, ad totius gentis gloriam decusque pertinere. Et profecto non meo solum, sed aliorũ quoque doctissimorum virorum iudicio hic dignus est, qui omnium diurna nocturnaque manu versetur, dignus quem omnes colant, dignus denique quem sibi exprimendum imitandumque proponant. Neque enim quicquam protritum, aut è media vulgi opinione desumptum habet, sed grauissime atque eloquentissime aut ad virtutem lectorem extimulat, aut deterret à vitiis. In omni orationis genere æque fœlix, siue solutam, siue pedibus adstrictam, siue historiam spectes. Floruit Æneæ Syluij tempestate, viri & eruditione & rerum multarum scientia clarissimi: qui ob excellentissimas animi dotes ad Pontificiam dignitatem euectus, Pij Secundi est nomen sortitus. Celeberrima Campani id temporis fama fuit, quod eius epistolæ, quod carmina, quod epigrammata multa testantur. Aliquandiu priuatus sub vmbratili vita delituit: quod tunc fortassis, vt nunc quoque haud magnus præclaris ingeniis honos habebitur. Post autem Pij & Xisti pontificum fauore, qui iniquum arbitrabantur, tantum lumen diutius sub modio latere, primum Tudertinis, tum Fulginensibus, postremo Tifernatibus Episcopus præfuit. Hunc porro nostrum qualemcunque laborem, quem aut in castigando, aut transscribendo subiuimus, tibi visum est Vir ornatissime dedicare: quod rem me tibi neutiquam ingratam facturum existimarem: si hunc de regendo magistratu libellum, tibi optimo reipublicæ gubernatori videndum legendumque transmitterem. Non quod hisce præceptionibus, quæ hic traduntur, indigere te sciam: vt qui præclarum hoc tuum munus, magna omnium tum admiratione tum laude, & gesseris & semper, & etiamnum geras, sed quod videre fortasse delectabit, ea omnia tam grauiter ac vere à Campano nostro hic veluti in tabula quadã depingi, quæ & tu quoq; hac de re tecum sæpenumero cogitare soles. Nam quod id facias; tanta tua in hoc munere exequendo dexteritas luculentum exhi-

E

F

G

Ioã Ant. Campanus.

H

bet

et documentum. Neque enim quisquam alicuius momenti negotium cum laude exequi potest, de quo non ante quomodo agendum sit, secum ipse identidem cogitarit. Huic vero opusculo, Cineticiam ipsius orationem, sic dictam, quod eu quem vocamus Cineum, liem eam habuerit, adiungere libuit: tum quod priorem libellum plus satis exiguum fore videbam, tum quod eius hæc oratio (mea sententia) eiusmodi sit, ex qua Campani eloquentiam vimque dicendi, & pectus omnifariá eruditione exuberans, sole clarius intueri possis. Neque sane dubito, quin huic nostro iudicio doctorum quoque virorum calculus sit accessurus. Deum immortalem, quam disertè, quo verborum sententiarumque pondere, hominis ortum, progressum, occasum, omnemque humanæ calamitatis infœlicitatem nobis ob oculos, tanquam in speculo, videnda proponit: quam fortiter ad rerum fluxarum contemptum hortatur: quam omni denique ingenio, neruisque omnibus hominem terrà abducere, cœloque (vt ita dicam) immergere contendit? Verum ne tibi homini alioqui occupatissimo Epistola sim prolixiori molestior, etiam atque etiam oro, vt hoc clientuli tui chartaceum munus læta fronte suscipias: neque tam munusculi dignitatem & magnitudinem, quam promptam exhibentis voluntatem considerarè velis. D. Marinus Lypsius, cuius tu eruditionem prudentiamque abunde exploratam habes, multam per me tibi salutem dicitur iussit. Vale ornatiss. Domine, Costerij tui perpetuo memor. E monasterio nostro Croesenlico, ipso die qui diuo Iacobo est sacer. Anno. 1547.

IOANNIS

ANT. CAMPANI, DE GERENDO Magistratu, ad Franciscum Lucium, Equitem Senensem, Prætorem Romanum.

LIBER VNVS.

CVm sæpe in eum sermonem incideremus, qui esset de regendis magistratibus, & rebuspubl. administrandis, meminit Luci clarissime, quam attente me audires his de rebus non simulate disputantem, vt solent multi, sed aperte differentem quæ sentirem. Iungere enim vtilitatem cum honestate conabamur, ea complectentes maxime, quæ ex moderationis fonte nata, ad commune commodum civitatis, & amplificationem reipu. pertinerent. Quibus ipse quoque mirum in modum assentiebaris, videbaturque fore, vt, si quando accederes ad magistratum, iturus esses quasi vestigiis orationis nostræ. Nunc vero cum pro singulari prudentia, & præcipua integritate tua præturam vrbanam adeptus sis, crebris nuncijs contendis, explicari tibi literis, quæ coram solebamus, vt quibus monitis priuatus instruebaris, ea in amplo gradu dignitatis positus, ad civium tuorum vtilitatem possis accommodare. Nos autem hoc tibi libentius obtemperauimus, quod in eo versamur vitæ curriculo, quod totum pertinens, ad pie sancteque viuendum propositum habet vniversi generis summam honestatem, totum est humanitatis & docendo & hortando. Abducti enim à terrenis cupiditatibus, ætatem fere omnem in Christianæ religionis perceptione consumimus. Quæ cum alia instituit præclare, tum civiles societates in officio & tranquillo vitæ statu continet, si eius præceptis obtemperetur, cuius præcipuum est opus, vt quam rectissime viuamus omnes. Hæc autem ratio vitæ statuendæ duabus rebus comparatur, præceptis & exemplis. Sed de exemplis quidem nihil attinet dicere hoc in loco. Neque enim ad nostrum vivendi genus revocamus, liberior est tibi vitæ ratio & ad agendum, & ad sentiendum. Sed tamen vt imitari oporteat, quod videas in regenda civitate optimos, aut quod maius & gloriosius est, vt qui optimi videri velint, te vnum imitentur, te præcipuum sequantur honestatis ducem, accedat etiam antiquitas & cognitio gestarum rerum. Occurrant tibi exempla maiorum tuorum, gentium & nationum exterarum civitatum & populorũ, ex quibus omnibus aliquid decerpi potest, quod cum laude possis vsurpare, qui est fons hauriendis exemplis vberrimus. Nulla est enim tam barbara, gens tam inculta, quæ non aliquid aut gesserit, aut tulerit, memoria dignum. Vnde si quid est gestum præclare, si iuste ac sapienter factum, si dictum eleganter, graviter, si prudenter & callide excogitatum, omnia cum dignitate possis præstare. In quibus aut non errabis, aut multorum, qui te antecesserunt, vestigia secutus errabis, & si non semper eadem vivendi ratio & omnibus multa tempus, quædam etiam locus affert, quibus sapientis viri iudicium facile moderatur. Sed hæc quæ ad imitationem optimorum pertinent, magis á te intelliguntur, quam queant explicari à nobis. Præcepta verò tradentur illa quidem, sed hæc quæ ad communem cursum civitatum, quam ad stateram religionis aptiora, vt quæri non possis, maius tibi onus impositum, quam quod ferre possit, qui in communi vita & civili societate versatur, vbi aliquanto vagatio est laxior. Itaque nihil à trita, vt aiunt, recedemus via, nec vllas in angustias te compellemus, iter tantum ostendetur, quo sis ad gloriam & laudem expeditior. Civitatis recte administrandæ primum locum obtinent magistratus, quorum tanta vis est, vt prave negligenterque habiti, quamvis maxime euertant imperia, diligenter autem & recte gesti, amplissima quæque tueantur. In his enim omnis civilis æquitatis moderatio, in his salus & tranquillitas civium continetur, qui sunt constituti, non vt opes accumulent, vt multitudini præsint, sed vt constent omnium iura, imperium commune crescat, fortunæ civium tutæ sint ab iniuria, & dignitas augeatur vniversæ civitatis. Quod quale sit munus, ex ipsa fronte orationis nostræ poteris intueri. Graue profecto & onerosum homini ad dignitatem cuncta referenti, cæteris videri potest levius, qui vt minimum afferunt diligentiæ ad communem salutem custodiendam, ita ad efferendam ostentationem, ambitionis & insolentiæ plurimum. Qua in re adeo ferri nequeunt, vt nihil videri possit inflatius. Sunt etiam qui odio & rapina sic armentur, vt non eorum custodiæ traditæ, sed depopulationi datæ civium omnium fortunæ videantur. Nos vero non quales sint qui gerunt magistratus, sed quales esse oportet quærere volumus, idemque te velle existimamus, vt possis non solum naturam tuam ducem sequi, sed etiam præceptis nostris ad optimum quod sit pervenire. Qua in re Platonis adhibenda est diligentia, qui eos solos censuit admittendos reipubl. muneribus, qui essent idonei, cæteros autem longe repellendos, quorum vel ingenij tarditas, vel naturæ malignitas rem communem † afferre non posset. Quosdam enim tulit natura ipsa paulo hebetiores & tardos ad deliberandum, alios verò acutos illos quidem, & ad consultandum acres & industrios, tamen parum moderatos, præcipites ad iram; ad inimicitiam & odium pertinaces, simultatum cupidos & seditionum, quo nihil est in libera civitate perniciosius, & magis fugiendum. Hæc autem omnia cum ipso nascuntur homine, & deponi sæpe non possunt, occultantur nonnunquam ad tempus, quo maiores suscipiant vires ad statum civitatis perturbandum, nec vlla est ad nocendum pestis

secrbior.

E F G H

† Alias fecit

acerbior. Magistratum igitur qui vult regere præclare, hunc ita & natura institutum esse oportebit, vt nihil in eo desideretur, quod ad summum virum pertineat, vt acre ingenium, non abiecta forma, perspicax & matura grauitas in consulendo, viuax atque ardens in re bene gerenda diligentia, & talis quæ verbis satis explicari non potest. Sit tamen comitatis acrimoniæque mediocritas, vt neque fœdetur iustitia immani crudelitate, neque leuitate nimia languescat. Quorum alterum sestillem contemptum parit, alterum odium tyrannicum. Sed sit facilis quædam mitisque seueritas, nata quidem ab ingenio, sed tamen etiam ab arte profecta. Nam hæc quanquam habeantur natura, nonnihil etiam studio comparantur. Conferunt præcepta clarorum hominum maxime philosophorum, quorum ea solet esse sententia, vt neque cruentam tyrannidem, neque mollem licentiam ferri putent oportere. Neque enim magis Romanorum opes attriuit crudelitas Neronis, quam mollities Sardanapali Assyriorum. Quanquam harum rerum peior crudelitas est & perniciosior. Euertit enim vno momento ciuitatem, Leuitas paulatim eneruat, quum violentius robusta cadant, quam imbecilla deficiant. Sed hæc quanquam, vt sæpe iam diximus, à bonis institutis, magis tamen à natura desiderantur. Itaque hanc tu quasi primam artem tuere, vt neque duriorem te præbeas, quam humanitatis postulet ratio, neque laxiorem, quam officij dignitas permittat. Qua mediocritate mirum est quantum sibi laudis pepererunt, qui gubernacula rerum publicarum susceperunt. Nec vllum est temperamentum conseruandis ciuitatibus accommodatius, siue bello fluctuent res, siue pace conquiescant. Quod præclare Celius noster, vt est omnium in sermone grauissimus, diffiniuit, Interrogatus à quodam architecto, quod maltheæ genus ad muros vrbis conficiendos esset tenacius, respondit, quod ex magistratuum moderatione, & ciuium concordia conficeretur, vt nullæ quamuis editæ ac latæ turres cum illo sint conferendæ. Qui autem hanc mediocritatem præstare non possit, tanquam ineptus publicis muneribus arceatur. Pari enim calamitate afficit remp. qui eius vincula ita contrahat vt rumpat, quam qui ita laxet vt dissoluat. Sed de hoc satis multa diximus Sunt deinde alia quædam ab animo bene instituto, tanquam è fonte nascentia, quibus si careas, omnia euertantur necesse est. Vt id quod omnium est primum & humanis in rebus latissime patet, habere Deum mortalem ante oculos, ducemque ad omnia sequi, vt instituta religionis nec offendas ipse, nec quantum fieri potest, ab alio quoquam offendi patiaris. Deinde, vt conscientia tua, id est, animi sententia traharis ad iudicandum, nec velle peteris iniuria, nullius impulsus inimicitiis, nullo quamuis ingenij precio, nullius gratia aut amore, nisi æqui & boni gratia mouearis. Existimes ciuitatem cui præsis, fidei commissam tuæ, non potestati traditam, & eum ipsum quem geris magistratum, non ad vtilitatem tuam, sed ad commune commodum vniuersæ ciuitatis, aut si id non possit, ad salutem bonorum esse referendum, pluſque tibi oneris impositum, quam dignitatis aut honoris collatum putes, eumque fructum esse vberrimum, vt prosis omnibus, officias nemini, ne lacessitus quidem, nisi publicæ vtilitatis causa.

Crudelitas Leuitas. — *Mediocritas.* — *Pulchre.*

Postremo est tenendum, quod tu publicis negotiis vires habes amplissimas, vt neque bonorum cõsilia negligantur, neque admittantur improborum. Nam vt a primo incipiamus, Deum immortalem si propitium habueris, firmum tibi iecisti fundamentum omnium, quæ dicturus facturusque sis, etiam quæ cogitaturus. Omnia secunda sunt colenti Deum, aduersa spernenti. Et qui religioni studens diuina tuetur, fluctuare potest aliquando, mergi non potest. Nec soli tibi religio ipsa colenda est, sed vniuersæ familiæ tuæ metus diuinitatis inserendus. Faciendæ quotannis expiationes delictorum, abluenda scelera, & omnes animi sordes Christiano more deponendæ. Dies festi, cærimoniæ, celebrandæ, denique nihil viro bono & honestatem profitenti, quod ad Dei religionem pertineat, negligendum est. Primum, quia inde orti, contemnere eum sine summa impietatis mercede non possumus. Deinde quia vbi subest religio, & sanctius viuatur oportet & moderatius. Coerciti enim vinculo diuinarum legum, ac metu cœlestis supplicij deterriti, efficimur ad delicta tardiores, promptiores autem ad officium & honestatem, veremur ne quid superbe, auare, crudeliter, immodice faciamus ne impij, ne ingrati videamur. Et quanquam Rhadamantum illum Canosium, quem fingunt poëtæ, non credimus, persuasum tamen est nobis vel à natura ipsa, in tanto diuinarum atque humanarum rerum ordine, quem etiam in minimis quibusque intuemur, nihil nasci omnino, quod non diuina lege teneatur, eiusque iussis immortalibus & sempiternis obtemperet Constitutumque à supremo iudice Deo; qui rebus omnibus immensa atque infinita mente moderatur & imperat, ne quid in terris committatur vel boni sine præmio, vel sine supplicio mali. Vnde temeraria Democriti orta sententia, qui cæteros Deos sustulit, pœnam præmiumque reliquit, opinatus ex his duabus rebus vitæ officia constare omnia, ideoque Deos esse solos. Stulte quidem, sed demus hanc veniam antiquitati, quæ per deuia & conflictationes opinionum agitata, confinxit sibi quos voluit Deos colere, quem autem debuit non cognouit. Valet itaque multum religio ad scelera coercenda, quæ coercio hoc melior videri potest, quod scelus & turpitudinem non iussu fugimus alieno, sed nostra sponte declinamus. Parit etiam nescio quid auctoritatis, vt si qui ad id viuendi genus traducti, curam abiecerint rerum terrenarum, his plurimum adhiberi soleat fidei. Nec solum qui opes, fortunasque contempserint, sed etiam illis qui appetunt, studioseque accumulant, tanto habentur meliores, quanto ad religionem & rem diuinam propensiores esse videantur. Gignitur inde quædam opinio virtutis & modestiæ, quibus finitima est, quam præstari maxime oportet autoritas rerum gerendarum. Quæ quum frequenter à vitæ nascatur integritate, nonnunquam ex gloria & admiratione virtutis, tum verò frequentissime à cultu obseruantiaque rerum diuinarum. Quod si nonnulli simulatæ probitatis viri, falsa superstitione tantum valent ad mentes hominum illiciendas, vt flectere, concitare, exasperare, lenire soleant, quid in his existimandum, quorum est sanctitas vitæ probata & aperta spectata integritas & in medium exposita, quantum in his lucet maiestatis? quantum obseruantiæ & auctoritatis? Ad affectus autem exasperandos aut leniendos, quo genere vitæ quid Deo principi optimo, maximo acceptius sit, aut homini salutarius, non video. Nec est, quod te sacris ritibus initiari postulem, paucorum illud est opus, & eorum, qui æterna mortalibus anteponunt, mente sacri præsaga rerum futurarum, spretisque dignitatibus & fortunis, quæ mortales tanto mirantur & quærunt studio, omnes cogitationes & vigilias in supremi parentis cognitione posuerunt. Cæteri quæ sunt ante oculos intuentur, futura tantum & raro & per caliginem aut nebulam inspicientes, Nonnulli pecorum more, omni spreta religione, quicquid loquuntur, cogitant, faciunt, turpissimo voluptatis fine metiuntur. Horum neque res gestæ probari possunt, neque vita laudari, nullaque sunt autoritate, ac ideo à publicis gubernaculis longo interuallo abiiciendi, quum ipsi neque præclara aut vtilia gerere, nec cæteros ad ea gerenda hortari soleant, si fuerint hortati, nemo est qui assentiatur etiam honesta suadentibus. Qui enim contemnit imperatorem Deum, hunc honestatem colere non putant posse. Probitatis autem mirum est quanta sit veneratio, eius maxime quæ coniuncta religioni & integritatem à natura habet initam, & a cultu diuinitatis honestatam, vt quidquid persuaderi velit dici non possit, quam facilis sit omnium assensus. Fiat etiam, vt in eo genere hominũ

Christiane. — *Probitas quanti possit.*

vel minima delicta vix credantur, etiam manifesta, in improbis autem vel maxima scelera etiam occulta pro compertis etiam habeantur. Quæ fides in rebus gerendis tum in cæteris valet plurimum, tum in his qui in republ. versantur, maxime est necessaria. Tollere inimicitias, decernere quæ sunt in rem civiū, suadere pacem, hortari atq; incitare ad bellum, flectere ad misericordiam, excitare ad injurias depellendas, deniq; omnia quæ in libera civitate tractantur, quis debet magis quā qui positus est in magistratu? quis magis potest, quam qui significationem præ se ferat religiosæ bonitatis? Hæc autem eo spectant omnia, vt & cultui divino vaces ipse, vacétque familia, & eos ne contemnas, qui contemplatione delectati rerum divinarum, paupertatem ferre quam pecuniis æmulandis studere maluerunt, qui aspernati hæc terrena & fluxa, æterni cœlestisq; boni ardore incenduntur. Horum familiaris consuetudo multum prodest, & ad præstandam bonitatem, & ad ostendendam. Qui autem sacra publica non celebrat, cærimonias despectas habet, templa non frequentat, dies festos non observat, prophana sacris, fluxa æternis potiora existimat, quid hic facere aliud, quam perniciosum civem agere, & immortali Deo bellum indictum habere videatur? Porrò hunc hominem quo pacto jus tuum tibi redditurum censeas, quem videas sanctissimo Deo quod suum est non persolvere? nisi levius fortasse sit scelus, Deum fraudare, quam homines, aut acerbiore pœna fures, quam sacrilegi sint puniendi, quorum alterum ad Deum pertinet, alterum ad homines. Denique ita maxima vis est conscientiæ, vt præceptione religionis minime sejungatur, nec vlla res est in tam vario genere virtutum, vnde plus consequi possis laudis & auctoritatis & fidei, a quibus metus & gratia gignuntur, quæ duo eminentissima in republic. sunt propugnacula. Hæc autem religionis observantia, & fructus * parit vberrimos, & vbi vita excesserimus, proposita habeat summa præmia in ætatem omnē duratura. Itaque omnium gentium & nationum est firmata consensu. Nam & apud veteres Ægyptios Sacerdotum collegia regibus assidebāt in causis judicandis, & Æthiopum quidam ex Sacerdotibus creabant reges, Græci causas deferebant Amphictionibus, qui erant in Delo ministri Apollinis. Sic deinde Gallis judicia, sic Chaldæis Babylonij, Persæ Magis faciebant. Quorum omnium vita morésque pendere solebant ex institutis religionis, vt civiles disceptationes & negotia publica prophanáque sacris essent conjuncta, nec abhorrerent à lege divina jura civitatum, vbi iidem essent auctores & reddendi juris & rei divinæ faciendæ. Romani vero, quorum res domi aut foris, pace aut bello, consilio aut manu gestæ, summa cum laude atque admiratione memorantur, non nuptias facere solebant, nisi auspicato & re divina prius facta, non tecta ædificare, non ire in provinciam, non bellum suscipere, non magistratum coepisse. Ius belli habebant Feciales, Ædiles ædium sacrarum, Pontifices annalium, Augures tum rerum aliarum, tum in primis magistratuum, Tribuni qui essent sacrosancti legibus præerant, deinde qui suis quique sacris essent initiati. Sic in stulta multitudine deorum erant tamen cœcæ superstitionis acerrimi defensores, eamque omnibus gerendis rebus interponebant, quam qui contempsisset, civis habebatur perniciosus, & aperte malus. Itaque nonnulli abdicati magistratu, multi ab hoste cæsi, spretæ religionis exempla præbuerunt, natióque nulla fuit tam inculta moribus, tam victu barbara, quæ non existimaret diis suis quantumcunque excogitari posset, honoris esse tribuendum, & bonos ac pios homines parere sibi gloriam in vita non mediocrem, mortuos autem migrare in deliciosam quandam & apricam amœnamq; regionem, vbi & multum consequantur boni, & nihil mali patiantur, ætatémq; agere cum diis sempiternam. Et vt quisque æquissimus fuisset in vita, sic & in morte beatissimum futurum. Tum regnare quosdam apud inferos tradit vetustas, & de pœnis suppliciisque decernere, vt qui turpiter impiéque vixissent, extingui nomen eorum in terris, ipsos autem in loca præcipitari fœda, inculta, tetra, plena calamitatum & suppliciorum, ibi neque aspectare lucem oculis, neque voluptatem animo sentire posse. Quod si illi in tam vana superstitione ritus, quòs semel recepissent, tanta pietate ac cura tuebantur, adhibebantque publicis negotiis, quid est nobis in tam vera, tam honesta, tam sancta religione faciendum? De qua re si nimis multa scripsimus, dabis veniam, etiam plura scribere cupienti.

Alterum est præceptum, vt quum ad moderandam rempubl. fuerit designatus & in magistratu constitutus, non rejicias, quorum sit opinio laudata, sed eos in consultatione magnarum rerum, quæ in disceptationem veniant, admittas, audias, attendas. Interdum & iis causis mediocribus, quarum aliqua possit esse contentio, sive ad cives spectent privatim, sive publice ad vniversam civitatem, sit hoc inter bonos malósque discrimen, vt recipiātur alteri deliberandis rebus, alteri quantum fieri potest abjiciantur. Vetus est illud Antisthenis, Tum demum perire civitatem, quum à bonis mali non secernantur. Vt tanquam ager excolenda sit civilis societas, nec minus sustentandi cives boni & ornandi sunt, quam herbæ salutares rigandæ & fovendæ, mali autem radicitus extirpandi. Aut si hoc fieri nequeat propter multitudinem improborum, quibus (vt ait Xenophon) abundant plurimum civitates, depurgatio quædam est adhibenda, tanquam à lolio frumenti. Observes vnumquemque, vt officiū, vt mores, vt ætas, vt authoritas postulat, interdum vt genus, si à virtutis opinione non abhorreat, vt eorum qui non minus gloria sua splendeant, quam laude majorum, nec solos afferant titulos & vetustatem ad rempubl. capessendam. Permagni refert igitur, quorum consilio vtaris. Si bonorum, nihil speciosius & tranquillius agi potest, nihil fœdius & turbatius, si malorum. Inde salus civitatis, stabilitas, robur, hinc calamitas, tumultus eversiones oriuntur. Eam ob rem quorum sit integritas spectata, mores cogniti & probati, auctoritas non vulgaris, ætas non contemnenda, non despectum genus, eorum sententias minime aspernere. Sic fiet, vt non solum ex re bene gesta, sed etiam quia consilio clarorum hominum vsus sis, laudem consequaris, vt si vel maxime cupiant detractores rerum à te gestarum exitum improbare, nō possint: Qui autem suo judicio, nullius consilio facit omnia, hic aut Deus quidam inter homines habendus est, aut quod magis arbitror, temerarius judicandus. Nec te moveat Hesiodi vulgata sentētia. Qui per se ipsos rem calleāt priorem locum laudis obtinere, quam qui consiliis aliis aliorum innitantur. Nam Zeno, cui magis assentior, eos commendandos in primis censet, qui ab aliis moneri malint, quam ipsi suo ductu rem gerere, vt quanquam industria freti sua valeant, ac ipsi ingenio & consilio sint perspicaci, tamen quid cæteris quoque videatur explorent. Et nescire interdum quæ scias, haud inutile est. Fingunt Poëtæ, Iovem quum quid gravius sit deliberandum, convocare reliquos deos in concionem, & in ordine rogare sententiam, vt intelligamus, eo magis consulendos esse mortalibus eos, qui rerum præditi sint experientia, quo sunt ingenio hebetiore atque obtusiore, quam dij. Qui autem per seipsum agit omnia, non tam prospicere illum putant quæ ad deliberandum pertineant, quam contemni se & repudiari tanquam rerum imperitos arbitrantur. Affectique hac, vt videntur injuria, quærunt quāvis in summa laude quid accusēt aut id si nequeāt, illud ipsum contendent honestius atq; vtilius fieri potuisse. Quam invidiam diligenter tibi censeo fugiendam. Sed labuntur in eam maxime, qui cupidi gloriæ inanis, omnē sibi laudē student vendicare, nec volunt cū cæteris cōmunicare vt videre in maximis rebus decernendis soli videantur. Quæ laus, & si est magna, conjuncta tamen cum civiū injuria, plena est ostentationis & insolentiæ, paritque simultates contentiosas

Boni in consiliū adhibēdi

Apta similitudo

&

A

& discordes, quæ nisi fuerint extinctæ & sublatæ, perniciem afferunt civitati, cæteris contra nitentibus & improbantibus. Quapropter adhibenda est moderatio comitatis, & optimorum consultatio. Pessimi autem cives (ait Plato) careant splendore, lateant oppressa vitia, nullusque pateat aditus ad dignitatem, nec unquam extollantur. At bonorum consiliis honestissimis referta sit civitas, fervent optimorum auspiciis respub. ductoque illorum exeant in aciem, & procedant legum decretorumque vexilla, & parvis cohortes illis ductibus suo in loco statuantur. Vbi autem improbitas valet, non imperium illud quidem dicendum est, non civitas, non resp. sed tyrannis, & secessio, & turbulentia sicariorum temeraria, præceps ad omnia flagitia, quo quum deducta res est, quæ alia possunt evertere civitates, si hæc non evertunt? aut quod tandem consilium à malis expectandum est, nisi ut bonis se præbeant oppugnatores, & sint impedimento quicquid ad gloriam, ad decus, ad honestatem decernatur? propensi ad libidinem, ad iniurias inferendas, ad excitandas seditiones, statumque civitatis evellendum. Parati erant olim Censores Romæ, qui pessimum quemque Senatu pellerent, qua dignitate & officio quid sanctius? Floruisse illorum rempubl. videmus, quamdiu bonorum consilia valuerunt. Posteaquam verò ad nefarios perducta res est, ortæ civiles discordiæ, bellaque intestina, rem atque imperium sustulerunt. Non possunt improbi honesta suadere, quibus ipsi sint infensi & præstare non possint. Quis legem adversus seipsum ferat? quis consilium? quis suffragium? Num expectandum, ut aut ab adultero adulteria, aut à fure furta nova lege reprimantur? Obstabunt potius, & quanto maximo poterunt conatu adversabuntur reprimere volentibus. Accedit ratio servitutis, quæ longe bonis, quam malis est infestior. Bonitas libertate gaudet, quæ in legibus & decretis maiorum posita est, improbitas autem nihil æque atque licentia delectatur, quæ nisi spretis & conculcatis legibus vagari non potest. Quum autem leges intereunt, deciditur extemplo in servitutem, quam boni nullo modo, mali facile perferunt. Eam ob rem Philippus Alexandri pater quum opprimere Atheniensium libertatē statuisset, dari sibi sapientiores urbis postulavit, ut eorum consiliis spoliata civitas, facilius in discrimen & servitutem traheretur. Intelligebat callidus rex non plus valere foris strenuum militem quam egregium civem domi, ad remp. defendendam, à quo quum esset destituta, citius quam à milite deserta caperetur. Sic apud Homerum Agamemnon plures sibi dari in castris Nestores quam Achilles optabat, quorum alteri manu, alteri consilio valerent. Sed nec magis sunt transfugæ in exercitu ducendo, quam mali cives in regenda civitate fugiendi. Illi uno impetu vix possent nocere, hi semper uno consilio cuncta funditus labefactant. Sed iam ad reliqua pergamus. Tertium sequitur, quod positum à causis iudicandis, præcipuam iudicis integritatem postulat. Magna res & præclara tibi, civitati salutaris, nullius privatam amicitiam ita colere, ut publica iura violentur. Pluris enim decus civium, quam amici gratia faciendum est, amicitias ita nullius prosequi, ut existimes publica instituta privata charitatē esse potiora, denique nec prece nec precio discedere ab eo loco quem æquitatis muri tueantur. Vnde si civiles procellæ te excutiant, tum demum abeundum est propugnaculo, quum locum ipsum salva dignitate retinere non possit. Quanquam si res exigat immoriendum est, patriæ & mœnibus & legibus defendendis, hostes enim publici sunt vindicandi, qui æquitatem oppugnant, qui tuetur, is defensor libertatis dicendus, & salutis publicæ propugnator. Quod quum in cæteris magnificum & gloriosum tum his qui civitati præsunt necessarium. Solebant veteres Ægyptij principis collo appendere veritatem, quam iudicium reddituros semper oculis subclausis intuetetur. Extat Samij Pythagoræ vetus Symbolum, Legibus opem ferendam esse. Iniquitatem debellandam, Stateram non transiliendam, Cor non edendum. Quibus clarissimus philosophus aperte monet, qualem se præstare debeat, qui magistratum gerat & in rep. versetur. Habendus est animus in consulendo liber, in iudicādo liberior, ut ea dicas quæ sentias, & sentias ea quæ legibus confirmata ad publica utilitatē referantur. Nec stateram transilias, id est, quod æquum iustumque sit ne transgrediare. Cor non edas, id est, nullis animi perturbationibus subijciare. Agitur amici causa, vide ne mitior sis, quia amici futura sententia. Accusatur inimicus, nec ob hoc quidem asperius, quia inimicus, nescio an etiam levius iudicandum. Donandæ sunt reipublicæ privatæ civium simultates ut non quid tibi libeat, sed quod illi expediat cogites, propinquo dictus est dies, cave sub pallio propinquitatis nequitia delitescat. Denique tibi persuadeas, oportere eum qui magistratum ineat, exuere statim seipsum, & omne suum studium & cupiditatem eum velle deponere, inducereque publicam personam universæ civitatis, omnia & privata & publica sui iuris arbitrari, existimare quicquid respubl. vel singulus quisque detrimenti patiatur, ad suam ignominiam dedecusque redundare. Sed tamen ita corpori consulendum est, ut singula membra concordi assensione moveantur, nihilque sit omnino, quod a mole tota deseratur, nihil quod non subsequatur sponte sua. Itaque in hoc communi bono elaborandum est, ut non solum in dignitate positis, sed etiam privatis civibus consulatur, ne quid fluctuet, ne quid decrescat, & veluti solum atque abscisum à tota repub. abesse videatur, sintque omnes participes communis boni, nec alter alteri iniuriam inferat, aut inferri patiatur. Quod ita fieri potest, si non magis doleant qui acceperint iniuriam, quam qui non ipsi accesserint. Nihil enim tam est magnum atque impeditum, quod si ex omni sui parte cohæreat & constet, non facillime vertatur & cedat, ut navium magnæ moles concordi nexu compactæ & colligatæ parva manu in maria pelluntur. Quæ consensio reip. nulla via magis præstari potest, quam pari æquabilitate in omnes, unicuique tamen iuxtà dignitatem tribuendo, & si nullius rei nisi publicæ utilitatis censeas habendam rationem. Hoc igitur secundum religionis observantiam & consultationem bonorum morum præcipuum est in magistratu gerendo, ut quum te totum ad commodum civitatis instruxeris, in hoc te armes, pro hoc quotiens opus sit deprælieris, ut neminem, nisi quatenus fert communis ratio, extollendum putes, deprimendum neminem, sed eas publicos arbiter legumque interpres nullam in partem, nisi quo te illarum sanctitas vocat, existimesque tibi iustitiæ defendendæ gratia, quamvis graves inimicitias subeundas. Pittacum Mytilenum, eum qui unus ex septem est habitus, solitum dicere tradunt veteres, Malle se inter inimicos, quam amicos sententiam ferre. Nam ex inimicis alterum amicum, ex amicis alterum inimicum futurum. Quod quamvis ita se haberet, esse tamen si quando usu veniret, æquitatem amicitiæ anteferendam, etiam si alter esset inimicus. Hæc tenenda lex est in iudiciis, ne iniustitiam unicum malum (ut Socrates solebat appellare) iustitiæ, quod maximum est bonum, anteponamus. Nam qui amore, aut odio, aut spe, aut metu iudicat, is ab amplissima maiestate sua recedens, vitæ officia pervertit, & civitati non mediocrem facit iniuriam, communi iure violato. Quo quid potest esse acriori supplicio magis dignum? Eam ob rem quum in cæteris rebus honestiore vocabulo uti soleant legum interpretes, hæc turpissima appellatione Corrupta iudicia vocaverunt, quod aut primum de deflorata pudicitia, aut de iis rebus dici consuevit, quæ in nihilum evanescunt, ut corrumpantur. Quibus rebus sicut in iudiciis corrumpendis, præcipue adversatur integritas, ut plane intelligere possimus, hanc potissimum rebus iudicandis præstandam esse. Quod si quid ei desit, qui iudicium est redditurus, quod ad moderatissimā æquitatē pertineat, integer appellari nō potest. Quū autē varia sint hominū officia, ut

Servitus.

Æquitas in iudicando.

boni & compoſiti patris familias domum inſtituere, liberos erudire, boni agricolæ, agros bene colere, fodere & arare, etiam conductos, vt boni civis iuſto imperio, legibus inſtitutis parere, ſuis commodis civitatis vtilitatem anteponere, vt optimatum, bene de communi libertate ſentire, magnificentius vivere, vt maturæ ætatis, conſulere libere, defendere honeſtatem, iuventutem coercere omni via decus publicum augere, vt adoleſcentum, veſtigia maiorum imitari, excitari ad laudem, gloriam virtute & ingenio quærere, vt vigilum vrbem cuſtodire, pro portis excubare, vt denique omnium diverſa ſtudia. Eius verò cui commiſſa ſit reſpu. nullum eſt ſingulare munus, quod præter cætera tueatur, complectitur omnia omnium officia, quæcunque ad commodum, ſalutem, ornamentum reip. pertinent, tueri que commune officium debet, efficereque vt ſuum quiſque tueatur, ne quid domus, ne quid agri, ſive ſint privati ſive publici, denique ne civitas omnis aliquo afficiatur incommodo. Meminiſſe, ad vtilitatem civilis ſocietatis, ad ſalutem omnium ſeſe eſſe conſtitutum, cuius quanto amplior eſt dignitas, tanto ſunt delicta habenda graviora. Quippe quum publico fungatur munere, delinquere ſine publica ignominia non poteſt. Laudandus verbis eſt, qui ſua dignitate ſervata ſic vivat, vt iure accuſari non poſſit. Quod ſi commendanda eſt frugi patrisfamilias diligentia, qui domum frugalitate & modeſtia regat, multo tamen vehementius extollendus eſt, & omnium clariſſimus & laudatiſſimus iudicandus is, qui magiſtratum bene gerat. Cuius illud erit ſtudium acerrimum, cunctam rempublicam, veluti domeſticam ſupellectilem componere, expolire, gubernare, vt quanto viro maior familia eſt, & familia civitas, tanto huius opera ſi recte adminiſtraverit, inſignior, ſi prave deteſtabilior. Nam ſi vigilare quemquam ſuis reb. honeſtum eſt, quanto honeſtius erit reipublicæ providere? Contra ſi negligere rem familiarem ignavum cenſendum eſt, ſi liberos deſtituere impium, quanto magis communi reipubl. deeſſe, patriam, id eſt, teipſum, liberos, amicos, propinquos, parentes, deos fraudare, & impium & nefarium eſt iudicandum? Huic igitur rei omnis eſt diligentia adhibenda, non ſolum, ne quid ex magiſtratu tuo reſpub. capiat detrimenti, ſed etiam multo magis, vt concordia, vt morib. vt legib. inſtitutis creſcat, nullaque pars omnino ſit, cui debita cum diligentia non conſulatur. Atque ita ſuprema faſtigia curanda ſunt, vt infima non negligantur, quemadmodum in pulchro & præſtanti corpore lavandus quidem poliendusque vultus, ſed nec capilli tamen vnguiculique negligentius habendi ſunt, quum parva labe magna ſæpe ornamenta fœdentur. Si enim caſte, ſi manſuete, ſi iuſte geras multa, & tamen exiguum aliquid relinquas officij, vel etiam ſi abiectiſſimis facies iniuriam, vna macula ſordebunt omnia, tanquam in amplo & magnifice ſtructa domo non fere laudatur architectus, ſi vel baſis vna paulo ſit incultior, aut lapis quamvis exiguus intorte collocatus. Vetus eſt Platonis comprobatio de lyra, in qua ſi vel vna chorda non conſonet, omnis concentus offenditur. Par omnium fortuna convenientem quendam efficit in rep. & æquabilem conſenſum multitudinis, ſi modo nullius dignitati & virtuti detrahatur, iuxta merita cuique tribuendo. Præclara hæc quidem quæ diximus, & præſtantis in rep. viri ornamenta, ſed adferentur alia quædam non obſcuriora, & quæ eo ſpectent, vt oſtendant virum in magiſtratu conſtitutum & reip. gubernacula tenentem, non vna virtute contentum eſſe, ſed eum virtutum omni genere præſtare oportere, vt ſit tanquam ſpeculum quoddam honeſtatis clarum atque ſplendidum, & quo ſe cæteri componant ad bene ſancteque vivendum. Caput autem huius præceptionis eſt Iuſtitia, ad quam vnam referuntur omnia. Eſt itaque omni ope tibi contendendum, ne quid ſuperbe, flagitioſe, iniuſte facias, dicas, permittas. Acerrimus defenſor publicæ honeſtatis, maxime omnium quæ ad leges & iura tam humana, quam divina pertineant, habeaſque ante oculos præclaram illam Heracliti ſententiam, Leges, vti murum eſſe defendendas, Quum multo periculoſius ſit civitatem legibus carere, quam vrbem muris. Tum qui leges civitatis oppugnãt, ſceleſtiores habendi ſunt, quã qui muros, nec ſolum hoſtes iudicandi, ſed etiam parricidæ, quum ea tollant, quibus ſalus & omnium vita continetur. Etenim turres & propugnacula vim externam depellunt, quæ rara eſt, & non niſi à potentioribus infertur, vtque multis ſeculis ſolet accidere, vt mœnia pulſentur, leges autem quotidiano præſidio civitatem ab inteſtina iniuria tuentur. Muri, ne ab imperatoribus, ne à regibus capiantur, opem ferunt, quorum imperium æquum & tolerabile eſſe poteſt, leges prohibent, ne turpi & flagitioſæ multitudini, ne improborum libidini ſerviamus, quæ res ferri à viris magni & conſtantis animi nullo modo poteſt. Vt quiſquis leges è civitate ſuſtulerit, quietem omnium libertatemque ſuſtulerit, quæ ad publicam vtilitatem omnium ſalutem ſunt excogitatæ, vt quantum de legibus, tantum de beata vita & libertate, de civium omnium incolumitate ſubtrahatur, earum cuſtoditur ope libertas, authoritas bonorum retinetur, retunduntur temeritas improbæ multitudinis, ſimultates & contentiones ſummoventur, alitur concordia, res foris domique amplificatur, paſſim agitur honeſtum ocium, comprimitur tumultus, ſopiuntur inimicitiæ, extinguuntur odia, omnis omnium civium perturbatio depellitur, fortunæ, opes, dignitates, denique bona omnia legibus conſervantur, florent, amplificantur, vt multo firmior ſit eorum gloria, qui patto imperio legibus moderati ſunt, quam qui bella pepererunt. Sunt qui affirment, dicere ſolitum Diogenem, ſive fuerit alius, è grege tamen philoſophorum fuiſſe arbitror. Qua in civitate nec leges valerent, nec amnis eriteris interflueret, in eà pernoctandum ſapienti non eſſe. Et quod à Platone dictum noſtri autores vſurparunt. Sine legibus nec domum vllam, nec civitatem, nec gentem, nec hominum vniverſum genus ſtare, nec rerum naturam omnem, nec mundum poſſe. Quæ etſi de divina lege dicta videantur, effunduntur tamen ad civitatum iura, quæ ex illa priore tanquam in ſinus è vivo fonte manarunt. Tenenda ſunt & naturæ iura, cognationis & ſocietatis, pietatis & amicitiæ, ne quid inter propinquos fiat iniuriæ, ne quid fraudis inter ſocios, ne liberi parentibus adverſentur, ne diſſolvatur amicitia, ne ſubeat ingratitudo, quo vitio nihil deteſtabilius, & ab vniverſa humani generis ſocietate magis alienum, ne cui defendendi ſui facultas eripiatur, ne bonis viris honos non exhibeatur, ne anteferatur mendacium veritati. Quæ omnia iura naturæ ſunt, vt cogente nemine, nulloque propoſito ſupplicio, quiſque tamen putet eſſe ſervanda, edoctus à natura, quæ quoſdam excitavit in nobis igniculos & fomenta virtutis, non à præceptore tradita, ſed ebibita ab ingenio. Accedunt eodem ritus gentium, nationum mores, inſtituta civitatum, decreta maiorum, quæ nullo modo ſunt contemnenda. Evertent enim funditus contempta civitatem, cuius ſalus in his rebus maxime eſt conſtituta. Tum qua de re ferenda eſt ſententia, iudiciũ reddatur, alienæ ſententiæ non temere derogetur. Servãda etiam diligenter quæ nulla lege conſtituta, tamẽ cõſenſu omnium probata, recepta, vſitata ſunt, quæ ad cõſuetudinem referuntur, tum quæ ad veritatem, vtilitatem, honeſtatem pertineant, quæ ex æquo & bono eliciuntur. Nihil enim popularius æquitate, multoſq; habet honeſtas aſſenſores, plures cum vtilitate coniuncta. Tamen cavendum, vt ſerventur promiſſa, pacta conſtent, non reſcindantur conventa, iura quæſita nemini auferantur, largitiones non intercipiantur, legata reddantur, tributa pendantur, vectigalia perſolvantur. Hæc ſi præſtiteris, complexus eris omnes Iuſtitiæ partes, quæ in his rebus fere tota verſatur. Etiam non contemnenda eſt opinio bonorum, vt qui magnis rebus gerẽdis plus ſibi auctoritatis cõparaverunt, à dignitate ſua non deiicin-

tur.

tur. Nam sunt etiam inter privatos gradus quidam, contentionésque honoris, vt alter alteri virtute, gloria, rebus gestis antecellat. Quæ si contemnantur, parient seditiones & tumultus. Etsi nullum fiat inter plebem optimatésque discrimen, vnicuique tamen quod suum est tribuendum, eripiendum quod alienum. Nam hoc quoque ad justitiam pertinet, vt opinio, vt dignitas, vt authoritas attendatur, etiam apud quasdam nationes vt ætas, quales fuisse Lacedæmonij traduntur, nullam rẽ magis venerari soliti, quam senectutem. Præterea in rebus judicandis, nonnihil laudis sibi vendicat clemẽtia, quæ propria est viri præstantis & mansueti, & magis naturæ nostræ imbecillitatem quam legum severitatẽ, aut sceleris atrocitatem cogitantis. Nam acerbius punire, nocentes torquere, excruciare crudelissimi solent, injurias autẽ moderate prosequi, magnifici animi opus est, & supplicia ad mansuetudinem suam, non ad sceleris atrocitatem referentis. Non tamen dicam, oblivisci injurias oportere; nam id in magistratu nequaquam censeo faciendum. In privatis tamen hominibus nihil magnificentius & salutarius. In principe vero vt si sibi factæ sunt, nihil speciosius quam ignoscere, ita nihil perniciosius sit in cæteros, quam negligere. Est genus hominum immane & detestabile, qui nullo nisi cruento contenti cruciatu, omnem abjiciunt humanitatem, etiam in re tenui, novum aliquod supplicij genus excogitant, facta infectáque extorquent. Ij pro palmario habent molis insultisse cladem. Quibus quid crudelius? vt non modo gubernaculis reip. sed etiam vita indigni esse videantur. Romani veteres negabant et fas esse lucem intueri, qui hominem vita spoliasset. Nec magni refert, lege quemquam occidas, an contra legem, si modo cupiditate impulsus occidas. Mihi autem videntur, scelera non negligenda illa quidem, quæ si prætereant impune, nihil est quod non audura temeritas sit. Sed nec acerbius, quam ferat ratio humanitatis, magnitudo delicti punienda. Athenienses, quorum præcepta de vita præclara sunt habita, vnde leges nostræ tanquam e fonte defluxerunt, vel gravissimo scelere etcitam adserebant, eo supplicio contenti. Quod etsi est levius, tamen eundem habet exitum quem equuleus. Cui est Phalaridis taurus incognitus, aut subscriptio Neronis? Quorum alter eum qui tam immane supplicium excogitasset, illo ipso in tauro necari jussit, alter quoties esset civis mulctandos morte, dicere solebat: Quam vellem me ignorare literas, ne alienæ calamitati manum apponerẽ. Quod si crudelissimis tyrãnis pœnæ acerbitas non placebat, quid in justo imperio & civili mansuetudine faciendum est? Hæc autem eo spectant, vt invitus ad hominis damnationem accedas, vt quantum voluptatis capias scelere cõprimendo tantum capias doloris quod in scelus inciderint, qui sunt puniendi. Nec quod ætate nostra plerique solent, multos laqueo, plurimos securi confecisse glorieris. Nam etsi punire latrones, fures, sicarios, & cæteros id genus hominum, necessarium est, fortasse etiam gloriosum, tamẽ in id necessitatis non est sponte veniendum, ne vnde gloriam paulo avidius quæras ignominiã consequi videaris, si ex aliorum supplicio quæras. Cogat te necessitas ipsa puniẽdi, non excruciandi libido impellat. Nec solum crimina spectanda sunt, sed etiam causa, locus, tempus, persona inspicienda. Vt quis sit is qui deliquerit. Miles temerarius limitem invaserit alienum, an cõpositus civis agro paterno vicinum exturbaverit, adolescens in mulierem impudicam fecisse impetum vulneraverit, an inimicus. ab eo factum sit furtum, qui nunquam alias, an qui sæpe fecerit, à paupere propter inopiam, an propter avaritiam à locuplete, iratus convitium dixerit an contumeliosus, pacis an belli tempore fuerit visus armatus. paraverit defensionem, an seditionem excitaverit, in libera civitate, an in municipio, consulto deliquerit, an casu atque fortuito sponte, an invitus suo ductu, an alieno imperio, ipse alios hortatus, an ab aliis impulsus, per imprudentiam lapsus, an præcipitatus temeritate, dolo quid factum, an officio, in quibus omnibus casibus spectandus animus est. Spectandi etiam ad quos pertinet injuria, vt in hostes facta dicatur, an in socios, in propinquos, an alienos, in cives, an in peregrinos, in virum honestum, an in infamem & detestabilem, in sacrum, an prophanum, in privatum, an publico munere fungentem, quo in loco, flagitium commissum sit, in templo, an lupanari, in foro, an in pomœrio. Hæc omnia ab æquitatis fonte oriuntur, non fere semper explicata legibus ad vnguem, judicis tamen arbitrio reposita. In quo illud est magnificentissimum, imbecillitatem contra potentiam, inopiam contra divitias tueri atque defendere. Vt quoniam tota resp. tuo sit commissa imperio, tuæ tradita custodiæ, quod infirmius sit id maiori præsidio tueare, vt in vrbium mœnibus fieri solet, vbi quæ minus munita sunt, fortius defenduntur. Sunt qui putent, fortunam quoque spectari debere, ne seditiones oriantur, quod fere accidet imminuta nobilitate, aut potentium libidine compressa æquabili moderatione. Existimant non nisi aliquid permittatur licentiæ, e sua se dignitate esse dejectos. Cogunt cœtus & multitudinem concilians, adducti spe mutandæ arbitrio suo vertendæve civitatis. Quæ fluctuatio est communis populis omnibus vt aliqui æstuent cupiditate dominandi, quæ sæpe ad tyrannidem labitur nisi resistatur. Sunt quos metus judiciorum moveat, vt si legibus parendum sit, cœnam supliciáque vereantur, scelerum magnitudine involuti. Multos colligit Aristoteles aut ardore aut metu incitatos respublicas factionibus obligasse, vt Rhodiam nobilitatem contra plebem sumpsisse arma, metu eorum quæ parari dicebantur, vt Heraclienses, aliosque permultos. Nam de studio dominandi non opus est exemplo, hi lupi, vt aiunt fabulæ, vsquequaque inveniuntur. Hoc autem vno consilio putant evitari posse, si vento vela pandantur, & vehendum te quo popularis vocat aura permittas. Adferunt authoritatem gravissimam Solonis, si modo authoritas est ea dicenda non querela potius. Quippe solitum Solonem dicere aiunt, quod quidam Anacharsi adscribunt, Leges aranearum telæ similes videri. Siquidem telam illam, si quid leve imbecillúmque inciderit, involvere & detinere, grave siquid & robustũ, cedere & rumpi. Sic leges coërcere invalidas, à potentioribus frangi solere. Sed & ego fortasse, si de factionibus esset sermo faciendus, putarem vt Euro carbasa darentur. Verum in libera civitate non arbitror, tantúmque abest vt assentiar, vt nihil existimem à statu & salute rerump. alicujus, nihil perniciosius his qui vivunt legibus, vbi tenenda æquabilitas est, & moderatio juris publici conservanda. Vt nihil extollatur nisi virtus, nihil nisi quod contra virtutem sit deprimatur, si modo ea virtus conjuncta sit legibus in quibus posita est salus civitatis. Plurimum etiam laudis & magistratibus gerendis sibi vendicat modestia, vt nihil appetas quod non sit appetendum, vt pecuniam, vt opes alienas. Nascitur enim ex hac appetitus intemperantia depilatio, rapinæ, extorsiones, nascitur etiam libido explendæ voluptatis à lege prohibitæ. Nec vlla res est in administratione imperij flagitiosior, & quæ magis offendat popularium animos, quam injuria libidinis, vt stupra & adulteria, & quæ sunt ejus generis turpitudines, vt omnis violatio pudicitiæ, quæ ita custodienda est, vt nullum omninò libidinis in te vestigium videatur apparere. Hæc enim omnia & ab honestate vitæ & ab officij gravitate recedunt. Rerum omnium nescio an turpissima sit avaritia in magistratu, quæ & odium parit, & maximas solet importare calamitates, & detrimenta gignit, & perversam opinionem integritatis. Vt quem cupidum pecuniarum intelligãt homines, posse eum causis judicandis integrum esse, non putant. Ex eadem quoque præceptione est frugalitas & victus moderatio. Efficit enim vt robustior in ocio vivas, & præ se fert quandam opinionem honestatis. Contra, ei qui est deditus temulẽtiæ & eluvioni, corporis vires enervantur, fluctuat animus voluptatum

pidítatibus incenſus, explendatúmque libidinum,
natum origo eſt omnis à ventre, & eſt peſtifera civi-
ti. Dignitate enim abjecta, & contempta reſpublica,
nius principis intemperantia, tota in licentiam li-
ùnque diſſolvitur. Præclare Athanienſis Solon legem
lit, quæ jubebat temulentum principem morte eſſe
ulctandum, quum ſatius ſit, vnum hominem in rep.
rire, quam temp. in vno viro fœdari: Et ne nimis
ulta dicere in eam ſententiam videamur, colligenda
nt ei qui gubernacula reipub teneat, omnia genera
rtutum, vitiáque abjicienda omnia, ne qua parte dé-
ciat. Quod ſi tanta integritas non detur in vita, vt
rfecti ex omni parte ſimus, omniaque in nobis elu-
aut ornamenta virtutis, in hoc tamen laborandum,
præſtare nitamur omnia, atque ita exiſtimemus, vt
noniam naturæ imbecillitate optimi eſſe vix poſſu-
us, tantò aptiores eſſe ad hoc munus obeundum,
uanto erimus vita meliores. Nec deterreri oportet, ſi
ui magis idonei ad remp. capeſſendam, plus indu-
riæ, ingenij, probitatis attulerunt, quanquam pro-
tate nemo poteſt nos vincere, niſi ipſi vinci patia-
ur. Nam ſi primum locum honeſtæ laudis non cõſe-
uemur, eo plus nobis pariemus gloriæ, quo propiores
ccedamus ad primũ. Id autẽ quum in cæteris rebus eſt
ciendum, tum maxime in rep. gubernandâ & gerendo
agiſtratu. Cætera ad vnius plerumque pertinent rem,
agiſtratus propoſitam habet communem vtilitatem
niverſæ civitatis, vt hoc diligentius gerendus ſit, quo
ures ſunt, quorum eſt cauſa conſtitutus. Et vt ex-
eſſius totam hanc orationem intelligas, ſunt qui pu-
nt, hominem in magiſtratu poſitum ita pingi & ex-
imi oportere, vt nulla pars corporis vacet officio.
rimum frontem ad tempus effingunt, vt lenia & por-
cta in ſuadendo, aſpera, tetrica, rugoſa in judican-
o, quam & obſervare boni poſſint, & improbi for-
idare. Vigiles ſint oculi & circumſpicientes, modeſti
men, nec quales Pericles in Sophocle reprehẽdit, cum
roxime ſedentem egregia forma juvenem laudaret:
portet, inquit, ò Sophocles, prætoris non ſolum ma-
us, ſed etiam oculos continentes eſſe. Laudatur illud
hemiſtoclis decretum, quo magiſtratus à ludis arce-
antur, ne reſp. ipſa ludere videretur. Etiam in ea ci-
itate vetus conſuetudo diu tenuit, ne minimus aditus
ſet in theatrum, niſi honeſta modulantibus. Quod ea
e cauſa faciebant, ne qui eſſent in ſpectaculo magi-
ratus, parum honeſti ſpectatores fierent. Ego vero nõ
o te anguſtiarum compulerim, vt nihil ſpectes, nam id
oris diu eſt quod exolevit, verum ne ſine gravitate
modeſtia ſpectes, hoc ipſũ eſt quod præſtare & Po-
s & debes. Etenim nulla cauſa per vrbem ſtipatum
ocedere, equo impodenter circumvehi & diſcurſitare,
neſtras ſuſpicere, noctu vagum errare, ludis omnibus
tereſſe, & leve & indecorum eſt. Nec vacandum his
ebus quibus nihil ſubeſt dignitatis, ſed juri reddendo
vigilandum, ſtudendum concordiæ civium, qua ſer-
ata creſcit civitas, ſublata diſſolvitur. Huc intendendi
nt oculi, hic tanquã pro portis excubandũ. Secundu-
r & aures duæ quarum altera accuſatori eſt aperien-
, altera pandenda defenſori. In quo cavendum, ne
uid temere credas, neve pertinax ſis, vt quod ſemel
udieris, avelli non poſſit. Cogita, quis is ſit qui cõne-
r perſuadere, quæ res cui objiciatur, ne plus fidei
nproborum temerariæ detractioni, quam bonorum
nnocentiæ adhibeas. Aurium enim aſſenſus nimius,
ngnas exacuit detractorum, ad virtutem oppugnan-
um. Linguam, id eſt orationem, tempus & cauſæ va-
abunt. Acerba & mordax ſit in caſtigando, in mo-
endo conciliandóque maturior & ſuavior. Denique
ontem ducem ſequetur oratio, aut frons comes erit
ationis. Larga manus & benefica, non tamen ambi-
oſa & prodiga. Quod ſi in altero peccandum eſt,
orrectam potius eſſe oportet ad munificentiam, quam
ncatam ad rapinas. Nihil eſt in viro claro, quod lar-
tate & beneficentia magis eluceat, & ambitu tamen
nni ſejugata, nihil quod vitam magis famámque de-
nigret, quam ardens & inſatiabilis cupiditas aliena
rapiendi. Eſt autem ei qui provinciæ præſit, provincia-
lium gratia, qui civitati, civium benevolentia repor-
tanda, non pecuniæ per vim & injuriam extortæ dõ-
mum referendæ. Hinc orta eſt majorum lex de repe-
tundis, vt eos quibus præeſſent, augerent opibus, non
fortunis expoliarent. Quod vt diligentius fieret, ita qui
magiſtratum cum laude geſſiſſent in provincia, domi
æs alienum perſolvebant. Pedibus autem ſtabilitas
quædam deſideratur, non vaga & diſcurſitans, ſed fir-
ma atque inhærens, ne quærendus ſit à quo jus opor-
teat. Cautum erat lege apud veteres, non licere ei qui
magiſtratum gereret, provincia excedere, niſi voti ſol-
vendi gratia, quo pateret forum ſemper, & ſubſellia, &
tribunal; quæ loca publica eſſe voluerunt, quo aditus
eſſet apertior. Denique nullum volunt eſſe membrum,
quod ad ſalutem eorum qui curæ noſtræ traditi ſunt,
non debeat vigilare, & conſulendo & agendo, vt tan-
tum te laudis aſſequutum putes, quantum diligentia
tua commodi fuerit reſp. conſequuta, tantum dedeco-
ris, quantum illa detrimenti. Hæc ſunt quæ à nobis li-
teris & nunciis poſtulaſti. Iacito tibi fundamentum co-
lendi Deum, quicquid inde ædificaveris, nullæ procel-
læ, nulla vis ferri labefactabit.

Iuſtitiam omnibus in rebus ſervato diligenter, ea eſt
in deos, in homines; in eos qui mortui ſunt majores
noſtros, vt Deo primitiæ decimales hominibus res, ma-
joribus parentationes & exequiæ reddantur.

Denique ita ſtatuas, nemini hominum fraudem in-
ferendam, tum bonos viros non deſpiciendos, publicis
conſultationibus admittendos, crudelitati, libidini, om-
nibus flagitiis, bellum indicendum, inſerviendum pu-
blicæ vtilitati, legibus & æquitati ſemper innitendum,
nunquam precio, gratia, libidine judicandum. Ob rem
judicandam, pecuniam non accipiendam, vitandam
omnis avaritiæ ſuſpicionem, cavendum nequam in rem
aut immanior aut propenſior fuiſſe videatis. Denique
quicquid repugnat honeſtati, fugiendum. Hæc ſi præ-
ſtiteris, ſummorum hominũ, qui rebuſpub. præfuerunt,
ſequutus veſtigia, & nos profeciſſe aliquid his moni-
tis lætabimur, & tu ſolus vexilla quæ honori dantur
eorum qui munus ſuum præclare obierunt, reportabis.
Civibus quoque ſalutem paries, tibi gloriam ingentem
comparabis, vt non ſolum eo dignus fuiſſe quod geſ-
ſeris, ſed qui per gradus dignitatum ad ampliora ex-
tollendus videare. Quæ omnia facillime conſequeris, ſi
te reip. cuſtodem, præſidem, propugnatorem eſſe memi-
neris.

F I N I S.

IOANNIS
ANT. CAMPANI,
EPISC. INTERAMNIENSIS,
Oratio cinericia Romæ dicta.

QVVM inter tot ritus cærimoniaſque Chriſtia-
nas Pater Sancte, dies hic maxime pertinens
ſit ad rationem vitæ inſpiciendæ, cognoſcendamque
imbecillitatem mortalium, exiſtimavi ego, quod cæ-
teri ſolent graviſſimis in rebus facere, & altiſſimis
quæſtionibus de Deo, de myſteriis arcanis, de cultu
obſervantiaque ſacrorum, id mihi de ortu & curſu
hominis, in hoc infimo curriculo, & trito atque
aperto dicendi campo eſſe faciendum. Non quod ipe-
rem, minora hæc ſatis à me præſtari poſſe, ſed quo-
niam majora illa aggredi non auſus ſum, quippe

rerum

A rerum divinarum exitus videmus in terris, causæ supra Solem & Lunam occultantur. Sic Helias vultum pallio operuit in ostio speluncæ, ne mens nimis alta cogitaret. In illis accusari potuisset temeritas, si tanto ponderi non suffecissem, hic venia dignus haberi potero, si spes perficiendi ad ea me traxerit, quæ & patebant oculis, & nisi vel mediocres deessent vires, fieri posse videbatur. Labi enim & errare gravissimis in rebus nostra sponte susceptis, audaciæ est, in minimis vero atque levissimis, infirmitatis; quarum altera animadversione & supplicio digna est, altera defensione atque auxilio. Vt quantum cætera nequeunti mihi excusationis præbeant, tantum modestia conatus mei laudis afferre debeat cupienti. Quanquam non adeo sum demens, vt in hac rerum planicie, multa mihi esse proposita intelligam, & ea maxima quæque atque amplissima. Dico hoc in templo totius orbis terrarum celeberrimo, & quod mihi felix faustúmque sit, dico nunc primum, vbi etiam qui sæpe dixerunt, non possunt splendore loci tam illustrissimi non permoveri.

B Dico in consessu summorum principum, qui & ipsi ad hunc ordinem dignitatis, probitate, doctrina eloquentia delecti sunt. Itaque nihil nisi exquisitum atque eximium vel taciti videntur exposcere. Dico apud eum Pontificem, qui (vt taceam tantam supremi fastigij majestatem) non modo disertulos nostri temporis, sed omnes multarum ætatum oratores longissimo post se reliquit intervallo, vt etiam qui vberrimi fuerint & vocalissimi, si ei fuerint comparati, siccissimi & raucissimi fuisse videantur. Ita fit, vt si vbivis alibi terrarum habenda fuisset oratio, potuissem me vnius atque alterius hominis judicio accommodare, hic vero quocunque me vertam, clarissima vndique obsident ingenia, quorum aures capacissimæ sunt, vt nunquam impleantur, & omnium principum, gentium, nationum, totius denique orbis terrarum oratoribus patuerunt. Hoc vero recreat, quod qua de re futura est oratio, ea ita est insita omnium membris, vt non verendum sit, quo minus quisque facilem mihi acceptúmq; se præbeat in causa communi. Res igitur nostra, nostrum hoc festum, nostra solennitas est. Cæteri enim dies festi celebrandi illi quidem, sancte & pie illæsque habendi, sed hic hodiernus tanto plus postulat diligentiæ, quanto nobis est propior. Colimus ortum Salvatoris, aliena causa id facimus, veneramur natales sanctorum, & hoc quoque causa facimus aliena, hunc vero diem dum colimus, non alienas colimus cæremonias, sed vniuscujusque nostrum, sed totius humani generis commemorationem quandam celebramus.

C Quid enim est aliud, Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris, nisi status naturæque suæ admonere vnumquemque nostrum? quo monito quid melius, quid Christiano generi salutarius institutum? Quod si tantopere laudatur illa Thaleris Milesij sententia, Cognosce te ipsum, quam omnis ætas in cœlum tulit, aureis expressam literis, & pro foribus clarissimo in templo collocatam, quanto est hæc nostra hodierna præclarior? quantó summa laude dignior judicanda? Admonet illa, vt cognoscamus nos ipsos, hæc quid simus ostendit. Illa quærit, hæc profert exhibétque quod quæritur. Illa quid jubeat ignorat, hæc non solum quid simus aperit, sed vnde profecti, quorsum eamus, in medium affert.

Cognosce te ipsum.

D Vt tum demum stabilita sit nobis vitæ ratio, quum exitus noster hanc in lucem reditusque patuerint. Vt sciri queat, quo in loco collocari oporteat spes cogitationésque nostras, vt firmi, tuti, stabiles esse valeamus, quod, nisi hominis fine cognito, fieri non potest. Vt qui portum ignorat, huic nulla res finiet errorem, nisi naufragio finiatur. Dico autem finem & interioris hominis, qui est animus, & externi, quod corpus dicitur. Vtrumque enim his verbis expressit Apostolus, licet noster homo, qui foris est, corrumpatur, tamen is qui intus est, de die in diem renovatur. Nos autem vbi commode fieri poterit, quo brevior futura sit oratio, simul de vtroque disseremus, priusque ortum hominis, deinde vitæ cursum aperiemus.

E Multi quæsierunt originem hominis, nec fuit gens vlla tam ignara rerum, & victu barbara, quæ non hujus rei cognoscendæ studio traheretur. Deplorarunt alij vitæ nostræ brevitatem, & cur ita fieret, acri perscrutati studio, lucem clarissimam oculis nostris, reliquerunt. Nos autem quoniam res aliqua ex parte confirmetur testibus eos afferemus solos, qui neque abhorreant longe à fide vera, neque parum per se ipsi nomine & doctrina valuerunt. Ægyptij, quorum magna fuit auctoritas, & feruntur antiquissimi, primique ausi sunt perquirere atque investigare cœlestia, hominem terrenum affirmant esse animal, è limo natum. Itaque cætera animantia suam quæque sortita regionem, alia volare, natare alia, natura ipsa didicisse, solum hominē extra terram incedere nullo modo posse, nisi arte adjutum. Eam ob rem quoties esset Ægyptiis res divina facienda, vivam herbam palustrem hominis decerptam manu, templis afferebant, quod ea quoque limo nata esset, & jungi quadam nobis affinitate videretur. Porrò ignem terrenis corporibus è cœlo injectum esse aiunt, qui tamen æque dederit initium movendi & sentiendi.

Hominis origo ab omnibus quæsita.

Ægyptiorum de hominis principio sententia.

F Nec esse eum ignem, qualem videmus in terris, sed cœlestem & divinum, partim à sole, qui sensus alios incenderit, partim à Deo, vnde profecta est mens nostra pulcherrima, & regina omnium quæ in terris gignuntur animantium. Eundem esse animum, hominis infusum membris, præditum ratione & memoria, quantum in ipso est, immortalem illa quidem & sempiterna, sed affici interdum oblivione & hebetari, terrena massa obsitum atque inclusum. Et hunc quidem constare & immortalem esse, corpus autem dilabi & redire ad internecionem. Accedunt Ægyptiis situ finitimi Æthiopes, qui inter patrias laudes hanc solent afferre præcipuam, quod se primos omnium è terra natos esse glorientur, quod propter vicinitatem orientis solis volunt evenisse. Accedunt Bracmanæ atque Esseni, qui omni corporis cura rejecta, totos animorum cœlestium studiis sese dediderunt. Accedunt Prophetæ Theologi, quorum est sententia, Deum immortalem initio rerum

Mens omnium regina.

G quum hoc cœlum quod vndique patens intuemur creasset, illustrassétque sideribus hominem è limo confecisse. Conficiendi causas fuisse duas. Alteram vt infinita ejus, atque immensa sua beneficentia expandi latius posset, propagarique in hominem. Alteram, vt sedes illæ cœlestes complerentur hominum cœtu, vt quemadmodum Angeli cœlo nati, superbia præcipites eciderant in terram, sic homines nati in terris, ad cœlum humilitate sublimes evolarent. Eumque hominem appellasse Adam, quod Hebraica lingua terra natum interpretatur. Erexisséq; ejus vultum in cœlum, ideóque à Græcis ἄνθρωπος, id est, sursum, spectantem appellatum, quod solus ex omni genere animantium cœlum stellásque suspiciat. Suam deinde impressisse imaginem, & ætherco afflasse spiritu, qui est in nobis immortalis & sempiternus. Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & spiravit in faciē ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem. Sed quum ille jussis principis Dei gula impulsus non obtemperasset, & morte mulctatus est, & id ipsum quod viveret, ad laborem sudorémque perpetuo damnatus. Iratusque Dominus, ait: In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec redieris in terram vnde sumptus es, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

Hominis conficiendi duæ causæ.

H Sed afferamus etiam alienos testes, agamusque repetundarum, & si quid quod ad rem pertineat Poetæ dixerint, extorqueamus, tanquam à prædonibus, vt firmius sit in causa, etiam adversarij nostri fateantur. Hi fingunt Prometheum nescio quem, ingenio fuisse acerrimo, eum confecisse statuam quandam terream in hanc qua nunc sumus formam. Quam quum vidisset Minerva: admirata ingenij magnitudinem, artificem collaudasse, obtulisséque si quid vellet è cœlo ad ejus statuæ ornamentum, se collaturam. Nec recusasse quidem Prometheum, respondisse autem, nisi cœlum omne

Promethei statua.

circum

circumspiceret, quid eligere posset, non habere. Sublati itaq; in cœlum à Minerva, quum oculis cuncta lustrasset, nihil vidisse luce pulchrius, atque ita ferula quam manu deferebat, clam cœlesti flammæ admota, ignem esse suffuratum. Delapsum deinde in terram, ignem ipsum terrenæ inspirasse statuæ, eamque ex templo esse animatam, & quæ ante non movebatur cœlesti contactam face, moveri statim sentiréque cœpisse, & evasisse in vivum hominem. Superos autem, huic furto subiratos, homini maciem ac febrem intulisse, vetuisséq; diu vivere, vt eo dissoluto, ignis furto surreptus rediret ad cœlum, statua caderet in terram. Mira vanitas fabularum: Sed quæ si introspiciantur, videri possint non vanæ. Quod si petere à Poetis liceret, vt paululum discederent à nugis, remque nobis nudam aperirent, quid dicturos aliud existimamus, nisi Prometheum opificem esse omnium rerum Deum? Minervam non Palladem Iovis natam cerebro, vt nugari solent, sed Dei sapientiam, ejus menti sitam atque insitam, cujus ductu omnia fiunt, reguntur, gubernantur? Tum statuam corpus esse terrenum, ignem clam cœlo surreptum, animum esse nostrum è Dei sede profectum in corpus. Quod si negabis mihi Pater Sancte, affe[ram] teipsum, qui id perelegauter expressisti versibus.

Non est animis mortalis origo,
Spiritus ex alta cuilibet arce datur.
Hinc Iapetides ignem dutente Minerva
Traxerat, ex illa vivimus vsque face.

Inde sunt qui doctos arbitrentur duos Heraclides Ponticum atque Physicum, quorum alter animum nostrum scintillam, alter lucem appellavit: Mulctatus itaque est homo morte, vt corpus & statua, id est pulvis cadat in terram suam, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum. Quid hoc manifestius? quid apertius eo, quod ipsi non inficiantur adversarij? Quid veræ fidei convenientius, quam Deum figulo esse comparatum? Pater noster es tu, inquit Esaias, nos vero lutum. Tu fictor noster, nos opera manuum tuarum. Sic Hieremias inquit: Filij Sion inclyti, amicti auro, quomodo reputati sunt in vasa testea, opus manuum figuli? Quid quæris jam? quid expectas amplius? At hi, dicet aliquis, fide & opinione docti sunt, vt ita faterentur. Inspiciamus etiam Philosophos, & quid diligentissimi conquisitores rerum senserunt, videamus. Nam & sunt investigatores naturæ acerrimi, & nihil dare solent, nisi ratione. Horum vnus Parmenides, vt à vetustissimis ordiamur, rerum omnium quæ gignuntur sub Lunæ orbe, patrem Solem dixit, matrem terram. Cui assensi prisci gentiles, sedebant humi saturnalibus, terram tangebant, laudibus extollebant, matrem appellabant, servos conviviis intermiscebant, quod omnes ex ea nati, eadem alamur, sustentemur, sepeliamur, in eandem vita functi redeamus. Grave jugum inquit Ecclesiastes, ortum est super filios Adam à die exitus de vtero matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium. Quod idem Deucalioni ex oraculo relatum est, magnam parentem terram esse. Non multum adversatur Parmenidi Democritus, sed Leucippum sequutus, constare hominem censet levibus illis rotundisq; corpusculis, quæ Solis radiis adspiciuntur euntia et redeuntia, & promiscue inter sese sine fine occurrentia, ac volitantia. Quæ quia minutissima sunt, vt dividi in partes nequeant, atomi appellantur. Et quidem atomos à Sole conglobari & condensari etiam ex terra, & quem in locum concurrant, corpus efficere, nec vnquam cessare, sed esse sempiternos. Porrò quicquid inde congestum est, in terram laxari oportere, vt plane et ipse affirmare Democritus videatur, hominem è terra concretum, in terram dissolvi. At vero ætate eum antecedens Anaxagoras, non quidem ex atomis gigni homines censet, sed tamen ex tenuissimis minutissimisque corpusculis concalefactis terræ, & ex concursu & tanquam acervo partium minutissimarum, in quas dissoluta corpora revertantur. Mentem vero extra rem esse, & infundi divinitus. Sic Zenoni, sic Cleanti principium gignendi è terra placet. Sic Milesio Archelao, qui primus est Physicus appellatus. Sed nimis antiqua revolvimus. Quid qui recentiores memoria & majori consensu claruerunt, Peripatetici nominantur?

Peripatetici.

Hi triplici inter sese acie conflixere. Nam fuere, qui Avicenna duce contenderent, terram solidam atque integram, tanquam manu acceptam, ea forma qua videtur, accedere ad hominis massam componendam, qualitatibus duntaxat paululum repressis atque imminutis. Fuere item, qui hoc non ex toto faterentur, sed Averroïm sequuti, dicerent coire quidem terram ipsam ad eum globum, sed & ipsam & quæ ejus essent qualitates retundi ac reprimi, fierique languidiores, vt neque tam terra esset quæ terra in hominem verteretur, neque tam arida siccitas. Sed vtramque opinionem refellunt nostri temporis Philosophi qui leguntur & sunt in manibus. Quibus autem refellant modis, quia minus ad rem pertinet transeamus. Dicunt non constare tam solidis rebus hominis compaginem, sed elementa propter impetus assiduos oppugnationésque contrarias tabescere, & corrumpi ipsa quidem, nasci autem inde terram quandam substantiatam, præditam illis ipsis qualitatibus confectis & debilitatis, indéque hominem gigni. Nec ingredi elementa ipsa quidem eam congeriem hominis conglobandi, sed vim injicere & similitudinem includere. Ex qua similitudine sentiri in nobis calorem, frigus, humorem, siccitatem, & ea tamdiu in corporibus nostris depugnare & concertare, donec extinguantur, redeamúsque in matrem omnium, quam expressius Græci quod in species nondum exeat, ὕλην, nostri confusius materiam primam appellarunt. Sed ne semper immoremur testibus, tantum Platonicos audiamus: Nam hi & Pythagoram sequuti, & Ægyptiorum complexi philosophiam, maxime omnium claruerunt. Et sunt qui existimant, Platonem per tempora si licuisset, adventum Salvatoris, & quæcunque sunt legis nostræ, fuisse crediturum, adeo dicuntur ab eo permulta Christiana & sancta.

Platonici.

Sed repetunt alte Platonici, architectum rerum omnium & humanarum & divinarum Deum, quum cœlum hoc convexum atque amplum, quo vndique tanquam tecto quodam circumtegimur, tam clarum, tam apertum, tanta præditum luce, tot tantisque illustratum syderibus confecisset, nitorem astris, splendorem stellis, orbibus pulchritudinem impressisset, deinde hanc terram tam vaste latéque jacentem orienti atque occidenti sole adæquasset, tot montibus, pratis, campis, collibus variatam atque distinctam, circumfusam mari magno, quod Athlanticum, quod Oceanum appellamus, irrigatam stagnis, fontibus, fluminibus expositam, ad omnes fructus pariendos, ad animalia quæque gignenda, alenda, sustentanda, refertam auro, gemmis, tot tantisque pulchris & mirificis rebus sub sese latentibus. Hanc quum ita extendisset parens omnium rerum Deus, quendam hujus infimæ plagæ vicarium Imperatorem excogitasse, qui secum tanquam imperium partiretur, cœlumque ipsum habuisse sibi, terram homini dedisse incolendam, eum imperatorem appellasse, vt Mathematicis placet, microcosmon, id est, minorem quendam mundum quoniam majorem cujus instar homo factus est, Deus ipse incoleret.

Homo infimæ huius plagæ vicarius Imperator.

Effinxisse illum partim similem sibi, partim dissimilem. Corpus è terrena & mortali dedisse materia, animum è cœlo immortalem. Corpus ad se nihil pertinere, & esse commune cum brutis, animum sui simillimum esse, seu carcerem potius aut spolia, animum aurigam, & interiorem quendam opificem moventem hunc terræ globum, quo sumus circumsepti tanquam veste quadam.

Corpus vehiculum animæ auriga.

Corpus tardum atque hebes neque moveri atque attolli nisi motu violento, animum levem atque expeditum erigi semper atque elevari, & vno momento temporis cœlum, terras, maria incredibili celeritate percurrere. Cæterum corpus vt vilissimum esse, sic quicquid ei insit præter mentem divinam, finitum esse & desinere oportere, animum vt

in

in terris natū non esse, sed per septem orbes elapsum è cœlo, ita quicquid interris gignitur non modo vincere dignitate atque antecellere, sed regere, imperare, moderari. Hunc autem hominis nexum ex tam diversis rebus iunctum & colligatum, hanc ob rem fecisse Deum, vt esset medium quoddam animal inter mortalem divinamque naturam. Medium quidem non tanquam circumseptum limite, seiungatumque ab illis, sed confectum vtraque natura, quod & colere & tueri hæc terrena posset, & suspicere, contemplari, adorareque cœlestia. Tum vt animus lucidus atque æternus corpori dominaretur mortali & fœdo, vt fere solent qui nobiliores sunt his qui minus sunt nobiles imperare. Etiam hæc terrena ordine quodam & serie procederent animi ductu, veluti statera Dei certo cursu sydera & dies noctesque procedunt. Corpus igitur vile abiectumque fecisse, vt serui functum officio pareret animi iussis, nec se extolleret aut insolesceret, erexisseque vultum eius in cœlum, vt cogitaret illo sibi redeundum, animantibus autem cæteris cadendum in terram, ad quam natura ipsa incurvauit, vtque syderum conspicatus nitorem, non fluxis, non mortalibus & caducis inhiaret rebus, qui tam lucidas, tam claras, tam æternas intueretur. Oportere eum cogitare, si nunc tantus oboritur splendor, tam longo interiecto spatio suspicientibus, quanto maior, quom propius erit ventum, oborietur. Eaque in alto atque aperto esse voluisse, vt proposita forent semper ante oculos tanquam præmia quædam his qui recte viverent, & tangi aut audiri nisi mente non possent. Adiecisse sordes & labores, & fecisse omnia molesta in terris, quo forent postea, quæ sunt in cœlis futura, gratiora. Nam voluptatulas istas terrenis infusas rebus, prægustatiunculas quasdam dedisse fœlicitatis æternæ, quam amplissimam in cœlo sumemus, eaque toti perfundemur atque irrigabimur. Ideo animum nostrum nullis opibus, nullis divitiis, nulla rerum terrenarum aut imperij accessione contentum esse, & quo plura assequatur, hoc plura appetere, donec ad patrios redeat lares, & obiectum æquabile Deum. Quem vt erit assequutus, tum demum adeptus omnia, nihil amplius appetiturum, qui quam diu est in terris, si corpori suo præter vim suam pareat, eique se dedat atque devinciat, turpissimis obsequutus illecebris, alienari à Deo, eumque denigrari totum atque sordescere; & quum discedendum est à membris, magno cum cruciatu auelli, & tanquam abrumpi à societate corporea, cui immerserat se totum. Sic deinde permorari in terris obrepere humi, & circa ea loca iactari & volutari sordidum neglectumque: & tanquam perfusis ac madefactis alis erigere sese, redireque pristinum domicilium, & ad orbem illum stellarum candidissimum illum euolare non posse. Sin vero dominetur & imperet fretus libertate sua æterna, & se dum est in terris quantum potest abstrahat à corpore, divinam magnitudinem contemplando venerandoque, effici Deo gratissimum, quadamque domestica, & quum abeundum est ex eo globo terreno, iam sæpe ante seiungatum ab illo ad cœlum penetrando, viamque sibi ad ea templa faciendo, leui motu sua sponte elabi. Tum vero ipsum corporis custodia liberatum, & tanquam perfunctum magistratu, sublimi via migrare ad cœlum, præmia recte gesti imperij accepturum. Spolia autem eius squalescere situ, & in terra vnde fuerant accepta remanere, ne quid impedimenti afferant aut ponderis in tam altum locum evasuro. Addunt etiam Platonici, vt animum videri, tangi, adiri non posse: Sic Deum neminem esse, qui vel tangere possit vel intueri. Immensum animum mensurari non posse. Deum esse liberum. Animum à nemine cogi posse atque compelli. Deum solo nutu orbem totum concutere, animum nutu solo corpus totum agitare. Deum mundū hunc totum mente gerere. Animum omnia cogitatione complecti. Hæc est illa imago nobis impressa divinitus. Nunquid oculi carnei Deo sunt, & vt videt homo, ipse videt? Profecto non. Hæc est illa lux, qua nihil in cœlo pulchrius vidit Prometheus. Hic ille in terris est homo, quem de die in diem renovari dixit Apostolus. Corpus & lutum, & cœnum, & vas testeum quidē de terra factum, revertetur in terram, in quam preceps ruit, nec sua se potest ope excitare, non magis quam lignū & saxum. Hoc tamen vilius quod illa cōstant diutius, hoc statim euanescit. Illa formam tuentur suā, hoc abit in puluerē. Illa quid fuerint dinoscuntur, hoc vbi fuerit dissipatum, dinosci non potest. Cuius si egu fœditatem vellem commemorare. Vt gignitur flagitio, crescit illecebris, ex ngnitur cruciatu. Si voracitatem atq; eluuionem, vt omnia inglutiat, devoret, exhauriat. Si ingratitudinem singularē, vt & vestes, & quicquid ei exhibeas, aut non reddat, aut fœdatum spurcatumq; reddat. Hæc, inquam, si prosequi vellē oratione, immensa quædam mihi dicendi tela, globusque succresceret. Quæ tamē vno exemplo satis licet intelligere. Cogitate quantum ei hesterni illa lautissima cœna contulistis, & quid hodie redditurum sit vobis, nihil dico amplius. Vt recte mihi fecisse videantur Pæones & Leucadij, Hircani, & Medi. Quorū illi quū morerentur parentes, coniiciebant in stagna corpora, hi canibus & vulturibus, obiectabant. Sed quid opus exemplis testibus, quū nemo fuerit vnquam paulo diligentius in rebus naturæ versatus, à quo hæc non fuerit probata sententia, Corpus è terra factum, rediturum in terram. Consule Ægyptios, Chaldæos, Æthiopes, fatebuntur. Audi prophetas, Bracmanas, Essenos, ita dicent. Interroga poëtas & Physicos, non audebunt negare. Percontare Platonem, assentietur. Quære Peripateticos omnes, non adversabuntur. Temerarium est, quod illi universi, tantu consensu affirmauerunt, nos non probare. Quod omnes qui ante nos fuerūt perpessi sunt, nos non timere. Ne assentiamur philosophis, reiiciamus poëtas. Num prophetas sanctissimus, qui Deum facie ad faciem alloquebantur, num Ægyptios vetustissimos contemnemus? & quod illi puluerem dixerunt, nos puluerem negabimus? Sed quid opus est cōtentione, quasi necesse sit afferre coniectores aut aruspices. Rem ipsam intueamur. Adi vrnas parentum, quid invenies? Puluerem. Adi sepulchra maiorem, quid invenies? Puluerem. Adi sarcophagos privatorum, tumulos principum, busta regum, monumenta imperatorum, cœmiteria pontificū, & hic quid invenies? Profecto puluerem. Adi quod proximum est, hunc campum sanctum, vbi tot iacent hominum congesta millia. Hic quoque puluerem invenies. Quē in locum soleo ego nonnunquam divertere, idemque audio fecisse Democritum, vt sæpe defunctorum sepulchris solus inerraret. Hæreo illo in campo medio, suspendo gradum, figo oculos in aliquod ex illa tanta ossium congerie, compono labrū, cōplico manus tristis & collipendulus. Deinde mecum. En illæ tibiæ quantū peragrauerunt terrarum. Illæ manus quantum corripuerunt. Ossa illa capitalia quantos ædificauerunt montes. En miseri quo reciderunt? Discedens inde attonitus & totus extra me, vt quemque habeo obuium, vt quemque video transeuntem, intendo in eius vultus oculos, quod nunc quoque facio, dum & meum hoc moueo caput, & vestras cervices inspicio. Cogito quam posthac simus omnes in illa vnda ossa recasuri. Misera sors mortalium, si quod illi iam sunt, te futurum non putes. Si putes, miserabile. Si contemnas, periculosum. Nam nisi hominem te esse memineris, nisi casurum existimes in puluerem, quid esse possis non invenies, & idipsum quod es, esse te dediscas. Hic ortus, hæc origo nostra est, quam Deus, quam homines, quam Ecclesia, quam divina atque humana testimonia, responsa, oracula comprobarunt. Partim è cœlo delapsi sumus, partim è terra concreti. Animi Deum parentem habemus, corporis matrem terram. Nunc ad vitæ cursum transeamus. Sed quorsum comminatio hæc hodierna tam acerba, meminisse oportere natos è terra homines, in terram redire. Nisi vt intelligamus, nihil spei ponendum in corpore, nihil in divitiis, nihil in

Corporis fœditas.

omnibus quæ sunt è terra. Quoniam in terram ipsam vnde profecta sunt convertentur, nec in nostra diu esse poterunt potestate? Quur non poterunt, dicet aliquis? quia parati sunt, qui suo iure auferent à nobis. Quoniam divitias & quæ appellamus bona, aut fortunæ commutatio in vita eripiet, aut omnino discessus in morte. Dives enim quum dormierit, nihil feret secum. Aperiet oculos suos & nihil inveniet. Quid igitur divitiæ istæ, nihil ad nos pertinebunt? Pertinebunt enimvero, si recte vtemur. Quonam modo? quia divitiæ tanquam viaticum quoddam antecedere ad cœlum possunt, si in beneficam largitionem, si in honestam liberalitatem, si in pias & sanctas eleemosynas conferantur. Subsequi aut vix aut vllo modo possunt. Quid corpus? Corpus natura eripiet & ætas longa, interdum & ferrum, & venenum, & casus mille. Quid tum? Nihil nisi vt despicias quod habes in te non duraturum, foveas quod perpetuo futurum est tuum. Corpus istud quod impleri semper vult, expleri nunquam potest, & sordidum est, vt non debeat ornari, & fragile vt expleri non possit. Et quo plus indulgeas, hoc tecum agat petulantius, citiusque destituat. Itaque vt in conducta domo non est ædificandum, quam paulo post alieni iuris factam non potes habitare, & quicquid impenderis operæ depereat. Ita nihil in corpore fundandum est, quod à te paulo post excidet, & perditum est quicquid ei studij contulisti, nisi quod domum in multos annos potes conducere, vt auferri nequeat, corpus nemo est qui tibi possit locare. Nulla vis militum, nulla dignitas tãta imperij, quæ homini possit vel vnam dieculam polliceri. In lubrico ambulamus, & pedem figere potest nemo. Soli que ex omnibus animantibus quum manus habeamus, terram manibus non attingimus, vt intelligamus transeundam esse nobis terram, non possidendam. Decurrendam, non amplectendam. Et vitam hanc nostram cursum esse & peregrinationem quandam, qua decurrere & transire liceat, consistere & permorari non liceat. Interrogatus Iacob à Pharaone, quot essent dies annorum eius, Dies, inquit peregrinationis meæ, centum viginti anni. Peregrinationis, inquit, vt plane nos quidem non habitatores aut incolæ mundi huius, sed peregrini, sed advenæ, sed hospites esse videamur. Externi enim sumus, & dies nostri tanquam vmbra transierunt. Vt recte videatur Pindarus ille Thebanus hominem vmbræ, & somno comparasse. Nam quid aut somno vanius, aut instabilius vmbra, aut vtroque fugacius. Domus nostra & cubiculum mors est. Illo eundum, illic pernoctandum est omnibus, qui sub hoc diei tecto deambulaverunt. Etiam Deus ipse quum hominem induisset, mori voluit. Non quia non posset vivere, qui potuit reviviscere. Sed vt exemplo esset nobis, nullam spem ponendam homini in vita, quum viderit Deum ipsum qua parte hominem geret, statuisse è vita discedere. Quid putamus maiores nostros solis sibi vsurpasse mortalium nomen, quod cæteris erat commune animalibus, profecto non quod illa non moriantur, moriuntur enim omnia. Sed quoniam nihil esse videbant, quod tam varia tam crebra, tam multiplici morte caperetur. Cæteris animantibus natura vivacior est. Pulli quum nascuntur fere omnes in ætatem evadunt grandiorem, modo ne desint alimenta, nec ferro aut vi intercipiantur. Quid in nobis? Veniunt puerilea morbi, & sæpe interimunt, veniunt seniles & interimunt, veniunt muliebres & ipsi interimunt. Nam singulari quadam, nescio an dicam malignitate naturæ, solo homine & in sexu & ætate distinguuntur morbi, qui si paulo sis cunctatior, nec ita statim pareas, veniunt mortis caduceatores, ad conflictum illum crudelissimum indicendum. Quinam isti? canicies, calvitium, casus dentium, caligo oculorum, surditas aurium, tremor nervatioque membrorum, qui omnes sunt nuncij mortis, & solis accidunt hominibus. Tum ad vitæ exitum vnus est ascensus, arctus & angustus, & mensium & dierum circumscriptus numero. Ad mortis præcipitium proclivia sunt & infinita itinera, omni tempore, omni loco, lubrica, aperta, patentissima, vt nullum sit membrum in nobis, ne articulus quidem, per quem ingredi veluti per ianuam mors non possit quum libeat. Taceo tantam morborum multitudinem, quantã mille medicorum volumina nunquã satis possunt explicare. Taceo bella, venena, cruciatus, ruinas, alia discrimina, quæ terra, quæ à latronibus, quæ à sicariis inferuntur. Mitto, qui mœrore animi occubuerunt, vt Periander Corinthius, vt Menippus Cynicus, ille filio à Corycæis interfecto, hic pecunia insidiis amissa. Taceo quos ingens lætitiã risusque confecit, vt Sophoclẽ & Dionysium victoriam consecutos, vt Chilonẽ Lacedæmoniũ, filium in Olympia victorem complexum, atque osculo immortuum, vt Philomenem, quem tradunt asello ficus comedente risu esse emortuum. Adeo neque in dolore tuti sumus miseri mortales, neque in lætitia securi. Prætereo, qui opinione adducti, sibi ipsis manum intulerũt, vt Chrisippus, vt Cleante, vt Cato, vt Zeno, vt Empedocles, vt Broteas, aliiq; permulti. Prætereo, quæ mediis perfusi atque illaqueati sunt voluptatibus, vti Hermon Arcadicus, vt Nicodemus Attalanus, & Cornelius Gallus, qui omnes in ipsa venere, in ipso ardore & cõfrictu libidinis extincti sunt. Transeo, quos subiti & insperati casus everterunt, vt Macelonem eiusque vxorẽ, qui prima nuptiarum nocte ambo fulmine icti perierunt, quod idem accidit M. Herennio decurioni, sereno die. Transeo etiam quos levissimæ causæ sustulerunt, vt Glaucum, dum mel comederet, vt Tritinium, dum mulsũ biberet, vt Appium Samperium, dum ovum sorberet. Quod si excutere omnes antiquitatis liceret rugas, & varia mortis genera intueri, quæ hominibus de improviso atq; insperato acciderunt, tota die, tota nocte vigilaremus, tremeremusque attoniti & perculsi metu tristi atque horrendo, quum ne vnus quidem passus atque momentum sit, in quo non sit nobis de mortis adventu metuendum. Vndique hami latent mortis, vndique laquei, retia, pedicæ, decipulæ intenduntur, vt si cogites, quot adolescens sodales habuisti aut vir amicos aut senex collegas, mireris ex tanta multitudinẽ te vnum aut cum paucissimis esse superstitem. Ita fit, vt quum simus casibus, morbis, periculis expositi, frequentiorque sit in nobis causa pereundi, vindicemus nobis mortalium nomen, quod cæteris erat commune amantibus, quod herbis, quod plantis, quod rebus omnibus, quæ terra marique gignuntur. Nec magis à militando miles dictus est, quã mortales à moriendo, nisi quod raro eunt inconsulte ad militiam milites, nos plerumque mortales imus imparati ad mortem, & illi semel aut iterum victi instaurare aciem possunt, nos vbi semel sumus mortui, vitam amplius reparare non possumus. Quanquam illi non semper militant, non semper hastam agitant, aut ensem, nos autem morte afficimur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis. Mortalitatem dorso, mortalitatem ceruice deferimus, quam etiam si velis excutere atque abiicere, nullo modo possis. Hæret semper imminetque ceruici, & sive dormis impellit ad mortem, sive vigiles impellit ad mortem, sive sedeas impellit ad mortem, sive quicquid agas, quocunque in loco sis, semper manu illa violenta trahit ad mortem. Et nec vnum permittens referre gradum, sed premens semper & tanquam dorso vrgens, quicquid iam egisti itineris occupavit, ne possis redire, vt si velis respicere quo in loco pedem posueris, vno ictu oculi in longum delatus, proculque inde longissimo intersecto spacio arreptus esse videare, tanquam à procella & vento, sic à mortalitate ipsa celeritate incredibili prætervectus, vt recte diffinisse videatur Sapiens ille, qui interrogatus quid esset homo, respondit, esse viatorem assidue transeuntem, qui magno sudore, crebro anhelitu, citato gradu, nulla interposita quiete, cursu quanto posset maiore, ad mortem die, ad mortem nocte contenderet. Sic & Pythagoras vitam hanc

nostram

E

Varia ad mortem itinera.

F

Excutere antiquitatis rugas.

Vndique hami mortis.

G

Mortalitas omni ex parte nobis adhæret.

H

Homo, viator.

nostram celeritati dixit esse simillimã. Minuimur enim à sydetibus, & in illo concitatissimo cursu solis atque lunæ carpimur, tondemur, detrahimur, nec vlla redit dies, nec hora quidem, quæ non aliquid auferat à nobis vitæ. Sic clandestina est natura nostra, occulta labitur, & tacita suffuratur, & silentio agit quicquid agit, nec aliquid ab ea agi videri potest, antequã actum est. Dum ipse loquor, dum vos cogitatis, vitæ subductum est aliquid, & tãquam à tinea sine sono, sine strepitu clam leniterque consumimur. Qui si occultum vitæ subterfugientis discessum possemus intueri oculis, assidue labi, fluere, mori cerneremur. Occulte crescimus, nec ante crescere nos sentimus, quã quum crevimus, sic & morimur quidem semper, sed illud quoq; nõ antea percipiemus, quam quum jacebimus mortui. Et quod multo videtur insidiosius, vt est à Bione dictum, clausis oculis imus ad mortem, vt eam miseri nõ videamus. Nam vitæ lux quam diu est, semper est in oculis mortis adventus, ne tunc quidẽ percipitur quum prope est. Et vita deficit semper & labitur, mors quotidie vires sumit majores, & propius accedit. Quod si nihil aliud est mori, quam vt Physici diffiniunt, è primo statu ita discedere, vt jam non sit ipsum amplius, suntque subter lunæ regionẽ omnia fluxa, caduca, instabilia, & nunquam explorata, nec pars sit vlla in nobis, quæ nõ singulis quibusque intervallis minuatur, & desinat esse quod fuerat, nõ solum mors dicenda est ea cõmutatio, sed assidua mors, & interitus quotidianus. Fuimus infãtes, nec jam sumus, mortua est infãtia nostra. Fuimus pueri atq; adolescentes, nec sumus amplius, pueritia & adolescentia nostra periere. Fuimus juvenes robusti, formosi, & esse desiimus, & juventus & robur & forma interiere. Quo fit, vt omnes qui hic adsumus, magna ex parte nostri ipsa cum ætate mortui esse videamur, quod reliquum est & ipsum est in itinere. Quod si aliquando redeas in vrbem, vnde paulo plus abfueris, aut non invenies quos pueros reliquisti, aut canicie & rugis confectos non posses agnoscere, tanquam Epimenides ille Cretensis, quem tradunt quum in speluncã in quam diverterat septẽ & quadraginta dormivisset annos, reversum domum à nemine fuisse agnitum, homines, vias, domos, arbores, omnia fuisse immutata, quod propter rerum inæqualitatem necesse est evenire, elementis ipsis vnde aucti educatique sumus, acri inter sese bello concertantibus, ad mutuam sibi cladem inferendam. Et Physici negant, dari ponderis æqualitatem rebus gignendis, nec vnquam pari vi aut mensura elementa ipsa confluere ad corpora terrena ædificanda. Itaque perpetuum est ex diversitate bellum, vt dirimi quoad vivimus, naturæ lege non possit. Durissimáque est dimicatio, vt explicari nequeat, & occultior vt vitari non possit. Adversãtur frigida calidis, siccis humida repugnant, quorum vnum quum est superatum, ac extinctum, actum est de nobis, moriendum ex templo est, compagine vita dissoluta. Quæ res, oculis aspici quum nequeat, facile decipiunt, vanis nominibus vivos nos appellantes, quorum maxima pars extincta est, reliqua est in cursu vt extinguatur. Etenim si spacium illud vitæ quod viximus, jam non est & præterit, & quod sumus victuri, nondum est, & incertum est, quod autem instat & est præsens, illud ita est breve & momentaneum, ut neque circumscribi terminis, neque consistere philosophi arbitrentur, ita vt repente fugiat & desinat præsens esse, minimum igitur videtur esse quod vivimus. Videntur autem mors & vita ætatem inter sese nostram omnem divisisse. Iniqua me hercle divisio. Si quod actum est vitæ, mors habet, & quod reliquum est statim habebit, tanquam quod à tergo est mortui sumus, quod autem à fronte est, mox moriamur. Vt si hominis vita super terram, tanquam scintilla quædam decurrens in tenebris, quæ quum ipsa tantum luceat, & quicquid ante se aspiciat, aut post se relinquat, obscurum sit & nocte occupatum, & vbi ad metam venerit, ipsa quoque extinguitur, sic vita nostra misera & calamitosa quod suum est vno momento temporis retinere non potest, mors & suum & alienum potest. Tum & spacium vitæ ad vltimum centum anni, vltra enim aggerem, mortis sunt regna, mortis stationes, & quo viventi accedere fas est nemini. Quod autem circa est campi & vita dicitur, illud quoque mortis patet arbitrio, vt quoties velit, suo quemque jure possit depellere. Sic vbi in vitam sumus egressi, statim sub mortis incipimus esse ditione, quum autem sumus mortui, nullam in nobis obtinet vita amplius, potestatem. Sic res sese habet: Adi homo montes, transi flumina, conscende pelagus, lustra vrbes, peragra & gyra orbem totum, alligatus es ad palum tanquam victima, constat cathena innexa cervici, & effugere nullo modo potes. Et Socrates naturæ legem esse dixit, vt quicquid prodeat in lucem vitæ, in mortis tenebras regrediatur. Statoe, inquit David, legislatorem, vt sciant gentes, quoniam homines sunt. Quid est aliud homines esse, aut quam legem putamus aliam, nisi mortis legem? Vt enim autumnus æstatem, sic senectutem mors certissima lege subsequitur, nisi quod æstas & autumnus & senectus non nisi statuto tempore solent venire, mors singulo quoque die expectanda est. Quæ si sera veniat, & sit quam esse possit hominis vita longissima, tamen brevissimum est spatium, & omni volatu concitatius. Cui non sunt auditæ Xerxis lachrymæ apud Hellespontum, quum videret, ex tanta multitudine ordinum neminem vel vna ætati superviciturum. Sed insulæ sunt quædam in mari Athlantico quæ à fœlicitate soli appellantur Fortonatæ, vbi diutius vivunt incolæ, nec nisi longo vitæ tædio affecti moriuntur, sed moriuntur tamen. Sunt etiam apud vltimos Æthiopes, qui & diuturnitate vitæ Macrobij nuncupantur, hi duplo nos vivendi spatio antecedunt. Proh rem admirandam, duplo nos antecedunt, vivendi spatio? Quid tum? Conversus ad parietem Ezechiæ & oranti additi sunt ad vitam anni quindecim. Quid tum? Quid si Nestorem, si Pandoram, si Mathusalem æquaremus? Veniendum est, quo vlterius progredi non possis. Nec cuique proderit diu vixisse, nisi recte vixerit. Qui autem prave hoc spaciolum transegerit, terrenæ fecis sordibus illecebrisque contaminatus, obrutus voluptatibus, demersus flagitiis, quanto hic melius vbi primum hauserat lucem, quanto fœlicius cecidisset? Tum quantumcunque sit hominis vita futura diuturna, semper mediis abrumpimur cogitationibus, medio in cursu rerum conatúque deficimus & tanquam tela via modo incepta succisi, semitam per quam non revertemur ambulamus, vt in rota illa Ezechielis versari videamur, in qua ibant spiritus, & non revertebantur, quum ambularet. Et Pythagoræ symbolum est, peregre proficiscenti non esse redeundum, id est, et qui semel mortuus sit, non esse amplius in vitæ campos remigrandum. Quod veterum gentilium conclamatio, & verba novissima, & cupressus ante januam testabantur. Quæ omnia ad naturæ ordinem revocanda sunt, non ad fidei veritatem referenda.

Homo, inquit Iob, vbi mortuus est atque consumptus, vbi quæso est? donec atteratur cœlum non evigilabit, neque consurget de somno suo. Sed impleret ora Poetæ grandi sono verborum, & quam ipsi nec sciunt, nec, vbi posita sit sciunt, cæteris immortalitatem polliceantur, quid ais Poeta? Quæ est ista immortalitas inter laurus hederasque decantata? conficta inter nugas & fabulas? aut quam, quæso, allatura vtilitatem? Erit, inquiunt, nominis fama sempiterna, quorum res gestæ per nos celebrantur. Equidem nescio quam sempiternã. Sed proh Deum immortalem, istam ne tu vitam putas? istam ne appellas immortalem? quasi non solum nugæ & philacteria multorum Poetarum, sed etiam nomina ipsa non interierint, ex hominum memoria deleta. Quasi non Tyronis cicadæ, non

Clausis oculis ad mortem imus.

Epimen. somnus.

Perpetuũ elementorũ inter se bellum.

Vita hominis scintillæ similis.

Xerxis lachrymæ.

Fortunat. insulæ. Macrob.

Philacteria Poëtarum.

A

tanæ Lyciorum, non Myrmidonum formicæ Poëtarum sint versu celebratæ, non Sardanapalus aut Nero. O dementiam singularem, si qui in vita mortui vix erunt, his mortuis vitam pollicentur Poëtæ, non solum diuturnam, sed quod stultius atque audacius est, etiam sempiternam. Neque enim vulgi rumusculis metiri vitam oportet, quæ magnitudine benefactorum in Deum, in homines, in religionem est metienda terris, invenienda cœlo. Nam illic certa, æterna, stabilia sunt omnia, hic nihil constans, nihil exploratum, nihil vel etiam diuturnum: Tantumque abest, vt quisque se hominum possit putare immortalem, vt etiam civitates intereant, occidant nationes, regna & imperia labefactentur. Vrbes multæ à priscis rerum scriptoribus commemorantur, fuit Ilium & ingens gloria Dardanidum, at nunc seges est, vbi Troia fuit. Celebrata supra modum est Babylonia, nunc vestigia extant nulla, vsquequaque vepres, spinæ, palliuri increverunt. Quid aut armis illustrius Carthagine, aut institutis insignius Lacedæmone? aut Athenis literarum studiis gloriosius? aut officinis expressius Corintho? aut Memphi Pyramidibus, Colossis, Obeliscis magnificentius? at nunc ne reliquiæ quidem murorum aspiciuntur. Sic Argi; sic Thebæ perierunt. Sed remota hæc, lustra quæso hoc Tyrrhenum littus, vbi Herculanum? vbi Pompei? vbi Cumæ & Sibyllæ illæ, in quibus non solum vani, sed etiam prodigi Poëtæ annos faciunt arenæ numerum mensuratos? vbi Baiæ, delitiæ veterum Romanorum? vbi eodem tractu Liternum, & eadē regione Minturnæ atque Formiæ? vbi Circes spurca domicilia? quæ quum ipsa vel paucos annos vivere non potuerit, Vlyssi dicitur immortalitatem obtulisse. Vbi Luna, prima inter Hetruriæ vrbes, aliæque vetustissimæ? & tamen hanc solam percurrimus maritimã oram. Quid si Hernicos, si Messapios, si Salentinos, quorum etiam nomina videmus mutata? Quid si reliquam Italiam tecum manu circumirem? quas tibi vrbium ruinas digito demonstrarem, quantas oppidorum strages commemorarem? Ingredere hanc tanti nominis vrbem, qua nullam vnquam sol aspexit Imperio majorem, repete priscorum monumenta vltima, profer in campum antiquitatem omnem, rimare statuas, columnas, arcus, ædificia passim vndique disiecta, atque jacentia, quid invenies ex his ipsis quæ jacent, & sunt vetustissima, quid inquam invenies, quod possis ad Cæsaris vsque ætatem pervenisse? Quicquid spectas, quicquid oculis lustras, paucorum annorum opus sunt, cætera dies absumpsit, tempus delevit, vetustas obliteravit, cunctáque ex oculis nostris antiquitate subducta recesserunt. Quid imperia, quum ipsa quoque non possunt esse diuturna? Assyrij, nam hi fuere vetustissimi, quum mille quadringentos quinquaginta regnassent annos, evanuerunt. Medi subactis bello Assyriis, parte Asiæ occupata, post ducentos annos, quibus tenuere Imperium, evanuerunt. Persæ debellatis Medis, tota potiti Asia, quum partem Europæ subjugassent, post totidem & ipsi annos evanuerunt. Athenienses libera civitate aggressi maritimam oram, intra pontum Euxinum & Pamphiliæ pelagus, quum vix duo de septuaginta stetissent annis, à Lacedæmoniis repulsi, evanuerunt. Lacedæmonij Peloponneso tota, reliquaque Græcia occupata, imperio ad Macedoniam vsque propagato, post triginta annos à Thebanis rejecti evanuerunt. Thebani post exutam tyrannidem aliquanto diuturnius potiti rerum, à Macedonibus victi, deleti, extincti evanuerunt. Macedones majori parte orbis redacta in potestatem, post triginta annos in sese conversi evanuerunt. Alexander vano cognomento magnus, quum domuisset Illyricos, Triballos, Bœotiam, Thraciam, Dacas, Spartanos, Thessalos, Achaïam, Peloponnesum omnem, quum Ioniam, Lydiam, Cariam, Liciam, Ciliciam, Paphlagoniam, Cappadociam, quum Phœnicem, Pamphyliam, Syriam, majorem, minorémque Armeniam, quum Persidem, Mediam, Parthienem, Bactrianos, Sogdianos, Tauros, Ægyptios, Hircanos, Mardos, Sagas, Indos, tot nationes, imperia, regna subegisset, montes, flumina, maria superasset, loca aspera, invia, inaccessa penetrasset, & alios si qui vsquam essent mũdos affectasset, siluit terra in conspectu ejus, cecidit in lectum, & vidit quod moreretur. Et quæ vno mundo contentæ non erant cogitationes, exiguo in loco vna omnes hora perierunt. Mitto Tyrios, omitto Carthaginenses mitto Siciones. Floruit Lydia, est extincta, floruit Creta, est extincta, floruit reliqua Græcia, nunc quo in statu sit, nemo est qui ignoret. Quid hoc nostrum imperium, cujus fines vtriusque & orientis & occidentis solis limitem contingebant? vt taceam Gotthos barbaros, qui sæpe hoc Latium invaserunt. Duc quæso mentem per gradus ætatum. Quot Pontifices in his quæ hic videmus atriis consederunt?

> Prodigi Poetæ.

> Imperia quoque deleta. Assyrij assumpti. Medi. Persæ.

> Athenienses.

> Lacedæmonij.

> Thebani.

> Macedones.

B C D E

Ante Pontifices fuere Imperatores, ante Imperatores consules, reges Romani Albanique. Etiam Latinis regibus vetustiores fuere Aborigenes. Aborigenibus priores Arcades. Arcadibus superiores Oënotrij. Oënotriis remotiores Indigetæ. Indigetis, quorum vltima extat memoria, antiquiores fuere Morgetæ. Quos cœtus, quæ sodalitia, quantum hominum fuisse censes in his quos in hoc cursu ætatum memoravi? Profecto quod si viverent, nec orbis caperet, nec terra sustineret. Quid si quandam hic depictam tabulam intueremur, in qua totius orbis descriptus ambitus, per omnem seriem ætatum vrbes, villas, domos explicaret, si mille essent mundi, completos omnes ac refertos hominũ aggeribus videremus, quos omnes tanquam Dathan & Abyron aut Amphiaraum terra devoravit, absorpsit, deglutivit. Vbi igitur, qui hos campos, hæc prædia, hos agros per tot ætates araverant? Ad terram. Vbi qui lustra, qui legiones, qui exercitus, qui bella confecerunt? Ad terram. Vbi qui orbem totum per omnem cursum temporum, qui vias, qui aditus, qui incessus, qui itinera iverunt, redierunt, decurrerunt? Ad terram. Vbi qui artes excoluerunt, domos habitarunt, maria navigarunt, fora, templa, delubra, gymnasia frequentarunt? Ad terram. Vbi cum suis domibus vrbes, cum suis ætatibus vineta, oliveta, cerealia? Ad terram, ad terram, ad terram omnia. Terra, terra, terra inquit Esaïas.

F

> Omnia in terrã devoluta.

G

Volvuntur tempora motu assiduo, fluunt ætates, labuntur anni, natio præterit, natio advenit, non hora, non momentum potest consistere & tanquam vnda vndam impellit, ab alteráque impellitur, sic dies extrudit diem, nox noctem, gens gentem inculcat. Ita videre mihi videor ex edito quodam excelsóque loco, abire cum populis reges, pauperes divitibus, mulieres viris, pueros senibus intermixtos, labi longo agmine, pallido vultu, clausis oculis, ire catervatim, nocte obscura properare & currere ad viam vniversæ carnis.

> Perpetuo hic motu omnia volvũtur

Videre mihi videor inter mortem & naturam pugnam atrocissimam, bellumque inexpiabile esse susceptum, naturam gignere hominum turmas, mortem accinctam falce illa truculenta & horrida, per maria, per terras insectari, premere, vrgere, Naturam fovere atque complecti gremio, mortem eripere, atque extorquere. Naturam quotquot gignit, involvere delitiis, levare paulatim è terra, & tanquam ducere in aciem, mortem magno impetu adoriri, involare hiatu nigro, sternere, elidere, obtruncare, & in terram ipsam redire compellere, vermibus duces in escam, vermibus principes, vermibus reges, vermibus omne hominum genus objectare, agere ante se prædam gentium, ætatum, nationum, fugeréque omnes ante oculos, & tanquam è ponte quodam, denso agmine, celeri fuga transeuntes, præcipitare sese in locum arctum atque obscurum, vnde nunquam amplius aspici posse videantur. Quos, si quæris vbi sint, habet gremium magnæ parentis, habet tergum & mors, habet oblivio & silentium naturæ ordine sempiternum.

> Inter naturam & mortem inexpiabile bellum.

H

Et

Et nos quoque Pie Maxime, quum ſtatuent ſuperi, veniemus ad illos, ad quos nunc quoque citato gradu properamus. Currimus ad mortem, tacitiſque ſeneſcimus annis. Habes ipſe ſub pedibus, quicquid primi homines fuere, nec primis quidem impune, vt nec poſteris, qui hanc eandem nobis facient injuriam & corpora noſtra tanto habita & nutrita ſtudio prement, conterent, conculcabunt. O conſilia noſtra inania. O cogitationes hominum cœcas & ventoſas. Intereunt vrbes, non formidamus mortem? Occidunt nationes & imperia, nos de occaſu & interitu non cogitamus? Sæcula & ætates videmus eſſe caducas, nos homunculi tanquam ſemper victuri debacchamur? Miſeret nos vicinorum, quum moriuntur, nos ipſos qui quotidie ad mortem accedimus non miſeramur? Tam brevi manſuri ſumus in terris ſpatio, & tamen omnem operam terrenis in rebus, omnem diligentiam & ſtudium collocamus.

Miſerum genus humanum, quantis in tenebris errorum, in caligine & cœcitate verſamur? Ædificamus domos, quas alius inhabitabit, quem non cognoſcimus, fortaſſe quem odimus. Spem ponimus in liberis & nepotibus, qui aut quo magis doleamus ante nos occident, vt mortuus eſt Thare ante patrem ſuum, aut quo ſecuri non ſimus, vna omnes poſt nos ætate morientur, fortaſſe laqueo, ferro, veneno. Agros & prædia comparamus, quæ in alium atque alium poſſeſſorem transferentur, vanitates oculis, vanitates manibus, vanitates gremiu geſtamus. Quid ſi paulo plus haberem auctoritatis, nec eſſem vnus è plebe infima, clamarem alta voce atque dicerem. Fode, fode terram agricola, in qua paulo poſt covertere, amplectere dives opes tam inſano & inſanabili ſtudio quæſitas, cogere aurum, exaggera argentum, accumula pecunias, involа, exorbe divitias, exhauri pauperum fortunas, quid egiſti tandem? quid habes quod poſſis tanquam manibus & dentibus prænſum, ſtrictum teneto, atque defendere, ne tibi eripiatur, & ſit futurum tuum? Nudus è terra veniſti, nudus revertere in terram, atque vtinam nudus, & non mille flagitiorum ac ſcelerum maculis involutus atque contectus. Quid, inquam, habes, quod tecum poſſis ferre? Num crateres & tapetes tuos? quaſi non alia relinquenda ſint morienti. Aut dic mihi, quem vnquam vidiſti hominem quicquam ſecum potuiſſe deferre, quem nunc ampla tecta non capiunt? Vbi quæſo ſpaciabere, num in auratis illis myrmiliatiſque penetralibus, quæ in omnes tuas delitias conjeciſti? quaſi non ſit tibi exigua latitandum foſſa, aut da mihi, quem morientem brevis totum vrna non texerit.

Qui nunquam incedis ſolus, nunquam audes janua efferre pedem, niſi ſtipatus hominum catervis, qui obſecro te comitabuntur, non enim loquor de vermibus, non aut denſa militum agmina, aut longi ordines togatorum, quaſi non ſis ſolus in ſepulchri anguſtiis deferendus? Aut oſtende mihi, quem morientem ſodales non reliquerint? amici non dimiſerint? clientuli, nepotes, liberi non deſtituerint? Animal cœnoſum & reptile, involutum tot pellibus, tantis alienis rebus, vt hiſtrio non homo eſſe videaris, vbi ſpem, vbi animum collocaſti? Flamma ſtuppea, & vapor ad modicum apparens, vbi collocaſti animum, vbi poſuiſti ſpem? Cenſes opes iſtas tuas, quas ex omni gente, & ex omni lucro, fraude, ſcelere, rapinis, injuria comparaſti, quas fraudulentus ſociis, amicis inſidioſus, hoſtibus violentus, pyrata mari, prædo campis, latro itineribus, ſicarius vrbibus congeſſiſti, poſſe te vllo modo fatu, morte, interitu liberare? Cẽſes terrena iſta bona ad corporis quæſita delitias, ad religionis deſpectum habita, ad virtutis neglectum, contẽptum, exilium comparata, poſſe te vllo modo, ſalute, Deo, cœlo, immortalitate donare? Cenſes eandẽ ſpem in mundo quam in Deo, eandem in terrenis quam in cœleſtibus, eandẽ in hac mortali & caduca patria, quam in illa cœleſti & ſempiterna eſſe reponendam? An non vides reges cecidiſſe, domos cecidiſſe, vrbes cecidiſſe, divitias, imperia, regna cecidiſſe? Sunt ne hæc phaleræ oratorum, aut jactantia dicendi, non res ipſa loquitur? Quod ſi natura jubet, ſi probat ratio, ſi exitus oſtendit, ſi populi, muri, lapides defecerunt, tu te vnum extra communem ſortem ponendum, tu te perduraturum, te vnum immortalem futurum exiſtimabis?

Cogita homo, & iterum atq; iterum cogita, ſi dentes exciderunt, aut paulo poſt excident, ſi caligãt oculi, aut mox caligabunt, ſi mancus viribus, ſi forma obſoletis, ſi cano & calvo capite ſpectare curvus incipis in terram tuam, cogita, inquam, quid hæc ſibi velint. Meditare noviſſima tua homo: Equidem ſi vnicuivis hominum ſoli eſſet moriendum, cæteris autem vita fruendum immortali, non tamen viderem quid ita negligerẽ, quod mihi ſoli poſſet accidere. Hærerem, timerem, dubitarem, inſtruerẽ me, vt ſi vnum ex omnibus fata poſtularent, non eſſem imparatus. Quum autem hæc eadem ſit omnibus ſtatuta lex, nec omnino quiſquam poſſit effugere, quid facimus? quid arrepti à morte per capillos, tanquã in media pace jacemus, dormitamus, oſcitamus, & vitã quærimus, vbi non eſt vita, & expleri volumus, vbi expleri non poſſumus, vbi poſſumus, nõ quærimus expleri. Quid vidimus in terris vnquam, quod ſtabile ſumus experti. Quid ſtabile, quod jocundum? quid jocundum, quod non ſuſpectum? Quid cõcupivimus vnquam, quod adepti non faſtidierimus ſtatim? Cur ita fieri cenſes, niſi quia terrena hæc incẽdere nos & inflammare cupiditatibus poſſunt, explere & ſaturare non poſſunt? Erigenda mens alte eſt, tollendi ad cœlum oculi, ſi vitam, ſi ſaturitatem affectamus.

Viderunt hoc ſanctiſſimi Chriſtiani, qui cœli aſſequendi gratia, duriſſimis ſe laboribus, cruciatibus ſuppliciis objecerunt. Vidit hoc Anaxagoras, qui interrogatus, cur ſibi patriæ cura non eſſet. Mihi, inquit, patriæ quidem cura eſt ſumma, cœlum digito demõſtrans. Vidit hoc Socrates, quum Tritoni ſuo dixit, Nihil ſe ſui in terris eſſe relicturum, ſed totum evolaturum ad cœlum. Quod ſi gẽtiles illi expertes fidei, ignari religionis hoc cognoverunt, quid cẽſeamus nobis in tanta rerum divinarum luce & ſplẽdore eſſe faciẽdum? Si illi pro nuda virtute, pro inani ſpe, terrena hæc præ illis cœleſtibus contempſerunt, nos in tanta præmiorum, in tanta gloriæ expectatione poſiti, non contemnemus? Sequere naturã tuam ducem homo, ſequere naturam tuam. Erexit te Deus ſublimem ad cœlum, quæ ratio perpulit, vt pronos incurueris ad terram? Ille tibi ſtellas, ſydera, lunam, ſolem, tantum auctorem aſtrorum, tot ſimulachra rerum infixa cœlo ſuperne oſtendit, vt tu quum tam pulchra videres, eum qui ea condidiſſet, multo pulchriorem exiſtimares. Tu à terrenis oculos tollere, tu te erigere, tu ſurſum ad factorem tuum pauliſper ſpectare non potes? Ille tibi tantam varietatem rerum nocturnis ac diurnis illuſtratam flammis poſuit ante oculos, vt ea tu captus pulchritudine, alte ad ſe convertere. Tu hærens tellure, infixus humi, prona & curva in terram imitatus pecora, hortos, campos, lapillos, gemmas intueris. Magnam homo largitori Deo facimus injuriam, ſi quod ab illo donatum eſt nobis munus, id nos in aliã partem accipimus, quam eſt datum. Dedit ille nobis rationem ingenij præſtantiſſimam, qua nos certa incertis, pulchra ſordidis, æterna mortalibus anteponeremus. Cur igitur nos ſtulti, cœci, inſani vſque adeo abutimur ratione?

Nam quæ alia eſt inſania, ſi hæc nõ eſt, momẽtanea perpetuis, cõpertis ambigua, fœda nitidis anteponere? Ille tibi corporis ſervitium, animi imperium dedit Tu dñm ſervo parere, ſervum dñu imperare compellis. Foves corpus, quod è terra accepiſti, receptaculum ſordiũ ſentinam flagitiorum ſeminariũ voluptatum. Animum cœleſtẽ, ſacrarium virtutum, domicilium conſiliorum, Dei imaginẽ, Dei ſedẽ non foves? Objecit Deus corpus ſuũ fuſtibus, ludibrio flagellis, vt te ſempiterno illo atque crudeliſſimo ſupplicio liberaret, tu terreni corporis brevi cura, teipsũ perpetuo perire non curas?

Tanta tua erat calamitas, vt Deum è cœlo ad terras atq; ad crucem misericordia devocarit, vt tibi opem ferret, nunc tua tanta est negligentia, vt tibi ipsi dum es in terris non auxilieris? Quid potuit Dñs facere vineæ suæ, & non fecit? Venit in terras, vt tibi reditum patefaceret ad cœlum. Subivit mortē in cruce, vt quos inimicus Dei ligni everterat delitiis, eos Dei filius ligni supplicio reservaret. Descendit ad inferos, vt non esset tibi amplius ad inferos descendendum. Potus est felle & aceto, vt omnem à te expelleret amaritudinem atque acerbitatem. Fecit, inquam, ille quod potuit. Non potest dexteram ad te porrigere, nisi ipse te erigas, nec non potest revocare in cœlum, nisi ita te compares humilitate, vt dignus futurus sis, qui ad cœlum possis ascendere. Non vult jactanter & superbe hominem efferri in terris, qui angelos cœlo superbia præcipitavit, nec fastu & elatione elegit amicos, qui se & agnum fecerit humilitatis, & matrem ancillari humilitate delegerit. Fecit è terra, vt non liceret superbire, fecit mortalem, vt non posses, fecit sui similem, vt non conveniret, qui venit ad salvandos mansuetos. Noli igitur princeps neque in principatu tuo, neque eloquens in eloquentia tua gloriari, sed in solo Dñu gloriare, quia cæteris in rebus gloriā vt quærere non debes, ita invenire non potes. Refer hoc tempore animum tuum Domino Deo tuo, quem ille præcipuum sibi hoc in terreno imperio reservavit, & ne amitteres hoc tempore, ad mortem crucémque descendit. Si peregrinus es, vide & circumspice quo pacto redire possis ad patriam, si hospes mundi, cogita domum, congere supellectilem ad domum. Stultum est ædificare hoc in diversorio, vnde paulo post depellendus sis, in illa cœlesti domo vnde depelli non possis non ædificare. Multo stultius invigilare his, quæ aliis sis relicturus, quæ vero tecum portaturus sis, in his non elaborare. Qui si nullum videmus locum in terris tam inaccessum, nullam arcem tam munitam, nulla arma atque consilia, quæ tueri nos à morte possint atque defendere, si omnem hanc quæ sub luna est regionem esse mortalem & caducam, nihilque in ea omnino posse constare, alio in loco jaciendum est nobis fundamentum solidum & firmum, quod nulla queat vis labefactare, vbi nosipsos, vbi rationes, consilia, denique vitam omnem possimus stabilire. Fundamentum autem aliud nemo potest ponere, quam quod positum est, qui est Dominus noster IESVS-CHRISTVS cujus nomen sit benedictum in sæcula sæculorum, AMEN.

Finis Sæculi Decimiquinti.

E

F

Sæculum Decimumsextum.

FIDEI PROFESSIO, QVAM MOSES MARDENVS, ASSYRIVS, * IACOBITA, PATRIARC. ANTIOCHEN. LEGATVS; SVO, ET PATRIARC.

sui nomine est professus Romę, anno cIↃ ClↃLII; ex ipso profitentis autographo Syriaco traducta ad verbum, per Andr. Mas. Bruxellan.

* *De Iacobitarum Hæreticorum Authore, Origine, & Hæresi; Vide Niceph. Ecclesiast. Hist. lib. 18. c. 45 & 52. Hæc vero fidei professio indicat, eos hac demum ætate saltem resipuisse, & ad Ecclesiæ Catholicæ Romanæ fidem & communionem redisse post liminio; cum alioqui ex superiore Rustici Diaconi contra Acephalum hæreticum disputatione videre sit cuivis, hæreticos nunquam vinci disputationibus & multa minus resipiscere; forte vero vnam Turcarum tyrannidem qua iam diu & Nestoriani & Iacobitæ vexantur, illis demum dare intellectum.*

G

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vnius Dei, qui est gloriosus in sæcula. Obsecro te Domine Deus noster, vt reseres portas misericordiæ tuæ coram me, & accepes à me, supplices preces quas offero tibi, neque dimittas me vacuum responso gratiæ tuæ, neque sinas vt exercitentur * adversus me cogitationes vanæ quæ sint de rebus veritatis expertibus. Et non des locum in me, diabolo, vt conturbet me fraude sua, & jaciat in me sagittas occultas, prohibeátque à via plana Fidei. Ne gaudeat de me adversarius animæ meæ, cū à cognoscendis probis sensis dimotus fuero. Nequaquam Domine tollas à me gratiam tuam, vt caream cogitationibus synceris. Nequaquam Domine sit lingua mea offendiculum animæ meæ. Nequaquam Domine loquar quidquam quod tibi non sit gratum, neque ambigat cogitatio mea de Fide recta. Nequaquam Domine verser in illis controversiis, quæ cen mare tempestuosum vndis crebris concutiunt naviculam animæ, conatúq; demergere ipsam abyssum perditionis. Nequaquam Domine derelinquas me solum, ne gaudeat Satanas videns me, & dicat: Deus ipsius dereliquit ipsum, venite deleamus homen ejus de terra. Nequaquam Domine ita fiat: sed illumina me vultu tuo, atque adesto mihi auxilio; & ejice hostes meos retrorsum, pedésq; meos constitue super petram fidei veræ, & pone in os meum verbum veritatis, ac da mihi cognitionem qua vivat anima mea, téque gloriosum prædicet propter salutem quam contulisti in ipsam; atque introducito me cum quiete & pace in numerum amicorum tuorū, qui sunt filij Ecclesiæ sanctæ Catholicæ, Ecclesiæ Romanæ; ac colligito omnes proles ejus dispersas, quas inimicus homo notus dispersit, vt intrent in medium ipsius, sintque vnius professionis, & gloriosæ prædicent Trinitatem sanctam: ita esto; Amen. Et ego miser Moses, charitate servus eorum qui adorant Christum cum Patre ipsius, & Spiritu ejus sancto: Credo in Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum; tres personas, tria nomina, tres proprietates; vnum Deum, vnam substātiam, vnam potestatem, vnam dominationem, vnam voluntatem, vnam operationem, vnam naturam, vnam essentiam. Patrem genitorem & non genitum, Filium genitum & non genitorem; Spiritum sanctum procedentem ex Patre & Filio absque divisione vlla in substantia ipsorum: necesse personam juniorem aut seniorem persona. Patrem, creatorem cum Filio suo & Spiritu suo sancto; Filium, creatorem cum Patre suo & Spiritu suo sancto, Spiritum sanctum, creatorem cum Patre & Filio. Cum Pater dicitur; Filius & Spiritus ex ipso sunt: & cum Filius dicitur; Pater & Spiritus in ipso cognoscitur: cumque Spiritus dicitur; Pater & Filius in ipso * definitur; neque est divisio in vnitate illorum. Cum porrò vellet sancta Trinitas creare hominem, dicebat

H

Spiritus S. procedit ex Patre & Filio.

* al. as. absolutius, reddi posset hoc verbum.

Genes. 1.

dicebat Pater ad Filium suum, & ad Spiritum suum sanctum: *faciamus hominem ad imaginem nostram, & ad similitudinem nostram*: vbi vero creasset illum sancte Trinitas, posuit ipsum in Paradiso Æden, imperavitque ipsi mandatum, quod non observevit: itaque ejectus est foras jussu Creatoris sui qui simul his promissis ipsum fulciebat; veniam ego, & ego redimam te. Porrò sub finem promissionis, descendit vna ex personis tribus, de voluntate ipsarum trium quæ sunt vnum: eaque erat persona Filij; mansitq; in gremio sanctæ virginis Mariæ, filiæ Davidis, non relinquens tamen locum suum. Et incarnata est ex Spiritu sancto, & ex Marie virgine, secundum prædestinationem scientiæ suæ. Sumpsitque formam servi sui; neque tamen mutate est, vt non esset Deus qui fuerat: nec divinitas ipsius, facta est corporalitas; neque ipsius corporalitas, divinitas: nec confusæ sunt naturæ, altera ab altera; neque fuerunt duo in duabus personis, sed vna persona fuit in divinitate ipsius & humanitate ipsius, cum duabus naturis vnitis, cum duabus voluntatibus inseparatis Neque erat vnus qui vellet, & alter qui nollet; neque vnus dominus, & alter servus, neque vnus creator, & alter creatus: sed sicut erat ante incarnationem suam creator, ita & post. Credo etiā quod ille qui natus est ex Marie virgine, sit Deus perfectus, homo perfectus, natus ex Patre spiritualiter, & natus ex virgine corporaliter: & ille qui fuit ab initio, vnitus est cum eo qui non erat; neq; reliquit hunc vel nictu oculi, neque prorsus fiet separatio in sæcula sæculorum. Et crucifixus est pro nobis, & redemit genus nostrum humanum; neque passa est divinitas ipsius cum humanitate ipsius, nec mors attigit divinitatem ejus. Neque perverse sector Arrium Alexandrinum, qui dicebat, Patrem solum fuisse æternum creatorem; Filium vero, tempore creatum, neque æqualem Patri in essentia & substantia; Filiumque sumpsisse ex Marie corpus sine anima, divinitatem vero ei fuisse loco animæ. Neque profiteor ego cum Macedonio, qui adhærebat dictie Arrij de Filio, quod esset temporalis & creatus, ac præterea dicebat, Spiritum sanctum non esse Deum, sed creatum & factum; neq; missum esse ex essentia Patris & substantia; neque æqualem esse Patri & Filio, sed separatim ab illis existere in substantia & essentia. Neq. credo ego quod Nestor, qui dicebat divam Mariam non genuisse Deum, sed Messiā, nec Messiam fuisse Deum vere natum cum corpore ex virgine sancta, sed hominem in quo habitaret divinitas, & quē fecisset sibi templum: Præterea dicebat, Messiam esse duplicem; alterum Deum æternum, natum ex Patre; alterum hominem temporalem natum ex Maria. Neq; ego improbe sentio de natura ejus humana, sicut loquebatur Eutychius, & ejus socius Dioscorus; qui aiebant, corpus Messiæ nequaquam simile fuisse humanitati nostræ, Messiamque ante vnionem ex duabus fuisse naturis; quæ duæ naturæ conjunctæ, vnaque natura effectæ sint. Sed sic credo in verbum Dei, quod sit Deus perfectus in divinitate sua, homo perfectus in humanitate sua, absque tamen peccato: in vna persona divina cum duabus naturis vnitis, cum duabus voluntatibus inseparatis. Præterea recipio sanctos Patres trecentos & octodecim congregatos Niceæ, adversus Arrium: Item Patres sanctos centum quinquaginta, qui convenerunt Constantinopolim adversus Macedonium: Insuper Patres sanctos ducentos congregatos Ephesi contra Nestorem: denique & sanctos Patres sexcentos triginta-sex, congregatos Chalcedone adversus Dioscorum. Posttemo recipio Doctores selectos, & Pastores veros qui instituerunt sanctam Ecclesiam Romanam; ac Patres omnes qui in ea habentur ab initio Christianæ religionis vsque ad hunc diem. Obtestor itaq; Patrem Patrum, & Pastorem Pastorum, ornamentum omnium dignitatum, coronam capitum nostrorum, ac lumen oculorum nostrorum, benedictionem vniversæ Reipublicæ Christianæ, portantem claves regni, fontem ex quo profluit suavitas, Pontificem Iulium III. qui accepit signaculum nominis Trinitatis, vt dignetur acceptare hanc meam Professionem, meo nomine atque etiam nomine Patriarchæ nostri. Insuper vos Patres electos, qui estis spes Ecclesiæ sanctæ: vos (inquam) Cardinales sanctissimos obsecro, vt accepteus hanc professionem Fidei ab humilitate mee, pro me & pro Patriarcha nostro qui jussit me confiteri coram vobis Fidem hanc vestram veram, dicens, se acceptare Professionem per me factam. Ego vero ex quo huc adveni, non sum illico eam professus, quia ille jussit ne præproperus essem in profitendo, donec ipsā professionem prope assecutus essem. Nunc vero animadverti professionem vestram esse veluti lucernam quæ super candelabrum posita est, ad quam nullæ pertingunt tenebræ, etsi vel totus mundus tenebras offuderit, illa nihilominus lucerit, ceu Sol, super omnes. Plus quam illa, vero, aut minus, non accepto. Charitas autem IESV Dei nostri sit vobiscum in sæcula. Amen.

Arrij hæreses.

Maced. hæreses.

Nestorij hæresis, duos esse Messias.

Iacobit. veterem errorem dānat de vnica in Christo natura.

***MOSIS MARDENI, THEOLOGICA** de sacrosancta Trinitate Contemplatio; scripta ab ipso, anno* CIↃ. CI. LII. *& ex autographo Syriaco, ad verbum translata, per eundem Andream Masium.*

PROOEMIVM.

Laudetur arcanus ille & sublimis, qui occultus est & remotus eb omnibus ingenij humani motibus & cogitationibus; ille, ex quo ille est: & quem ille novit, atque comprehendit. Ille (inquam) qui est effector structor, concinatórq; omnium rerum aspectabilium; qui caret principio, manétque absque fine: causa æterna incomprehensibilis, natura vna inexplorabilis, potestas vna æqualis, voluntas vna concors, Patris, Filij, & Spiritus sancti. Qui nullum habet nomen quod non sit personæ, neque personam quæ sit junior aut senior persona, neque differentiam aut variationem personarum in magnitudine, aut parvitate; neque nomen aut personam quæ sit tempore posterior & separata ab ipsa suæ naturæ consorte persona. Sed si Pater dicatur, Filius & Spiritus ex ipso sunt: & si Filius dicatur, Pater & Spiritus in ipso cognoscitur: denique si Spiritus dicatur, Pater & Filius in ipso * definitur. Pater genitor & non genitus, Filius genitus non autem genitor, Spiritus S. procedens à Patre & * sumens de Filio, & cum eo est ejusdem naturæ & substantiæ: qui laudandus est, & gloriose prædicandus, atq; adorandus.

* vel, absolvitur.

* Sic loquebatur antequam suam fidem esset professus Græco more.

SERIES.

Qve contemplatione considerabo mysteria gloriosa & divina, quæ latent in sacrosancta cœlestiq; tua nascendi ratione; ô verbum Dei, & in abditissimo illo, quo te Deus pater æternus genuit, modo; atque in sublimi illa intelligentie processionie Spiritus vivi & sancti? Et quis est qui cum doctrina divina non dicat, altitudinem rerum divinarum esse immensam, & quam nulla quis valeat assequi ratione? Cæterum intelligo equidem, substantiam essentiæ vnam esse. Et exiguis radiis illustratus censeo, eam esse supra omnia, non quasi graduum ordine altior sit quibusvis rebus, quadam spacij ratione, aut altitudinis modo comparata cum cæteris omnibus. Est enim substantia non aspectabilis atque investigabilis, & essentia incomprehensibilis, substantia inexplicabilis, essentia sub nullum cadens sensum, essentia essentiæ, omni essentiarum essentia quæ excedit captum omnium quæ circa materiem versantur. Vnitas quæ non subit vnitatem, essentia quæ non subjacet quantitatis rationi, vnitas quæ non orditur principium numeri, essentia simplex quæ expers omnis temperamenti atque compositionis. Cum porò intelligo, eam essentiam habere Verbum in natura, essentiam quam mente contemplor ducor in cognitionem Verbi geniti ex ea substantia, illustratusque lumine genito, cogito esse vivum quid in natura. & vitæ

fontem,

fontem, atque ita intelligo Spiritum procedentem. Cæterum quum ipsam vnitatem essentiæ, atque Trinitatem personarum animo volvo, intelligóque proprietates diversas (neque enim proprietates rationis gignendi, sunt nascendi, neque nascendi, gignendi; neque rursus gignendi & nascendi, sunt procedendi; aut procedendi, sunt gignendi vel nascendi) animadverto. Proprietates non esse diversas ipsa natura atque essentia: sed vnicam esse naturam, nomina vero tria, vnicam essentiam, personas tres; vnam substantiam, tres proprietates. Sed iterabo dictum, ne me quis audiens opinetur essentiam partiri, & substantiam dividere. Trinitas, Deus vnus. Tria nomina, vna natura, tres personæ, vna essentia; tres personæ, vna substantia; tres proprietates, vna æternitas. Sed quid multa facio verba? Satius est me hic ad theologicum verbum confugere.

Quidquid habet pater, habet & Filius, præterquam gignendi rationem. Quidquid item habet filius, habet & pater, præter rationem nascendi. Rursus quidquid habet pater aut filius, habet & spiritus, præter processionem. Quapropter quum reconditam profunditatem divinorum tuorum mysteriorum consideramus, ô verbum Dei, atq; divinas res tuas, & patris tui, spiritúsque tui sancti, admirabundo versamus animo: supplices rogamus obsecramúsque gratiam tuam, vt illustres Ecclesiam tuam sanctam, filiósque ipsius, per tua divina dona. Custodito portas eius cum diligentia, fortificato Fidem ipsius per brachium tuum invictum. Firmis paxillis distendito funes tentorij ipsius, hostes ejus perdito, vt tibi laudem offerat tuóque Patri & Spiritui sancto, nunc & semper & in sæcula sæculorum, Amen.

PROFESSIO FIDEI, QVAM SIVD sive Sulaka, electus Patriarcha ab Nestorianis, ore & scripto professus est Romæ, anno CIↃ. IO. LIII. *traducta ex autographo Syriaco ad verbum, per Andream Masium.*

MEA Monachi Siud professio Fidei. Profitemur Trinitatem gloriosam: Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum, vnum Deum: tres personas, vnam substantiam, quæ fuit à sæculo, & vsque in sæcula: tres personas, vnam dominationem, vnam virtutem, vnam potestatem. Effectorem cœli & terræ, & omnium eorum quæ cerni possunt, & quæ cerni non possunt, carnalium & spiritualium. Credimus de singulis personis, quod vnaquæq; ipsarum sit Deus perfectus. Credimus in Filium Dei, & Verbum ipsius: natum ante omnia tempora, existentem in sinu Patris sui, & qui cum eo fuit in omni eo quod faciebat. Per divinitatem & misericordiam suam respexit nos, viditq; multiplicatum esse peccatum nostrum. Misit Verbum suum, & redemit nos. Et incarnatum est de virgine Maria, sicut vaticinati fuerunt Prophetæ. Vna persona, naturæ duæ. Natus est à Patre ante omnia tempora, & natus est ex virgine Maria Deus perfectus & homo perfectus, absque divisione: filius Dei veri, in duabus naturis, & ex duabus naturis, in vna persona, neque passio neque mors accidit divinitati sed humanitati. Passus, mortuus, & sepultus est in humanitate sua, propter nos, & propter redemptionem nostri, & descendit ad infernum, & tertio die resurrexit è sepulchro, vera resurrectione. Et sublatus est post quadraginta dies, cum eo corpore cum quo surrexerat è sepulchro, & cum spiritu. Ascendit in cœlum, & sedet ad dexteram patris sui, & illinc venturus est in die novissimo, vt judicet mortuos & vivos retribuet vnicuiq; secundum opera sua. Credimus etiã in Spiritum S. Deum perfectum, qui ex Patre & Filio procedit, & cum Patre & Filio adoratur & gloriosus prædicatur. Confitemur itaq; tres personas, vnam Deitatem, quæ (vt voluit) fecit à sæculo & vsq; in sæculũ; causa non aspectabilis, vna voluntas. Et profitemur Ecclesiam sanctam, catholicam, Apostolicam, vnam, veram, in qua est vnum Baptisma verum, dans remissionem omnium peccatorum, & esse excommunicatum omnem hominem, quem excommunicat ista Ecclesia, sancta, Romana, Catholica, quæ excommunicat hæreticos. Et credimus in diem vltimum, & in resurrectionem, & quod resurgemus cum eo corpore in quo sumus nunc. Credimus quoq; in vitam quæ non dissolvetur. Credimus præterea in Scripturas sanctas & veteris & novi Testamenti, & duodecim Apostolos. Omnium istorum Deus author est: Et in quatuor Evangelistas, & Petrum & Paulum, ac omnes illos libros sanctos quos retinet Ecclesia Romana. Credimus quoq; in sanctum baptisma, & in * sacrificium, quod est corpus & sanguis Christi; & in Sacerdotium sanctum, & in matrimonium, & in oleum sanctificans. Erat quidem olim apud nos consuetudo, vt revelaremus peccata nostra inter nos, sed surrexit violentus Tyrannus & abolevit eam: orta est cædes ac contentio, & cessare fecit illam. Sed nunc ô pater noster, habemus spem in te, quod scribes per literas, & excommunicabis eos qui id non observabunt. Confirmatione vero, an veteres vsi sint, ignoro: Monachus enim sum ego, & quis me id docuisset? Insuper profitemur quatuor Concilia magna. Primum, Nicææ congregatum tempore Papæ Sylvestri, in quod convenerunt trecenti & octodecim Patres, quod conscribi fecit Fidem veram, perfectam, catholicam, atque excommunicavit Arrium impium: similiter scripsit de Ecclesia sancta Romana, quæ est sedes Petri, quod sit caput omnium Ecclesiarum: quod donũ dedit ipsi Christus, per illa verba, quę dixit ad Petrum plantatorem illius, nimirum: *Tu es petra, & super istam petram ædificabo ipsam Ecclesiam meam.* Habetur apud nos illa fides, & fecerunt ipsam trecenti & octodecim patres orthodoxi. Credimus quoque Concilio Constantinopolitano, in quo fuêre congregati centum & quinquaginta Patres, propter Macedonium qui dicebat Spiritum non esse Deum verum. Credimus item Concil. Ephesino ducentorum patrum, qui fuerê congregati propter Nestorium dicẽtem, duas personas esse in Christo: confitemur deniq; Concil. Chalcedonense, sexcentorum & triginta Patrum, qui convenerant propter Dioscorum assertorem, vnicam in Christo esse naturam, ex quo esset vultus. Insuper recipimus omnia illa Concilia quæ recepit Ecclesia Romana. Et excommunicamus * quot excommunicat Ecclesia Romana & illa quatuor Concilia. Præterea credimus de Maria virgine quæ peperit Christum; quod sit mater Dei, quæ peperit Deum verum, & hominem verum, & fuit virgo ante partum & post partum, neque sensit dolores partus. Veneramur quoq; & exaltamus atq; laudamus Ecclesiam Romanam, & caput ejus Papam sanctum, atq; omnes proles ipsius benedictas. Nam ita habetur in Libris nostris, quod Sacerdotium nostrum ex ista Ecclesia Romana sit; ac propterea venimus ad accipiendum fermentum à vobis, sicut scriptum est in Epistola nostra. Proinde petimus à vobis, Patribus nostris sanctis; vt impertiamini nobis de dono illo Spiritus S. quod datum est vobis, ne remoremini nos, sed absolvite negotium nostrum, vt cito abscedamus prorsus.

* Potest etiã reddi, oblationem quæ cõ filio auriculari, per tyrannidem sublata apud Iacobitas Assyrios.

Nestorianus damnat doctrinã Nestorij.

* Hæc eo scripsit, vt discernat abdicasset Nestorianismũ.

Sacerdotiũ apud Assyrios, est ex Ecclesia Romana.

FINIS.